VITT EMANUELE

IN OMNES DE ARTE RHETORICA M. TVLLII CICERONIS LIBROS, ITEM IN EOS AD C. HERENNIVM SCRIPTOS, DOCTISSIMORVM VIRORVM COMMENTARIA, IN VNVM VELVTI CORPVS REDACTA, AC SEPARATIM A' CICERONIS CONTEXTV, QVEM A' DIVERSIS IMPRESSVM NEMO IAM IN SVA BIBLIOTHECA NON HABET, NE QVIS INANI SVMPTV GRAVARETVR, EDITA.

Auctorum uero, quorum in ſingulos artis oratoriæ libros enarrationes hoc uolumine continentur, catalogum proxime ſequens pagina indicabit.

Acceſſit in omnes libros rerum ac uerborum memorabilium pleniſſimus index.

VENETIIS, M. D. XLVI.

CATALOGVS LVCVBRATIONVM IN OMNES M. T. CICERONIS LIBROS RHETORICOS, ITEM IN EOS AD HERENNIVM.

In libros III. de Oratore ad Q. Fratrem.

Iacobi Lodoici Strebæi Rhemenſis Commentarij III.

[illegible]

Marini Becichemi Scodrenſis Caſtigationes non impreſſimus, quia ille mendoſos libros correxerat: in noſtris autem ea ſunt emendata diuerſa; ea, quæ Petrus Victorius annotauerat: emendauimus autem cum antiquis libris.

In Brutum, ſiue de Claris oratoribus.

A. Antonij Palmyrani Scholion.

[illegible] Caſtigationes non impreſſimus, quia, ubi ille recte ſenſit, ea repoſuimus in noſtris libris: ubi uero non recte ſenſit, ea reiecimus.

In Perfectum oratorem, ad Brutum.

Victoris Piſani Patricij Veneti Commentarius.

Iacobi Lodoici Strebæi Commentarius.

[illegible]

In Topica ad Trebatium.

Seuerini Boetij Commentariorum libri VI.

Georgij Vallæ Placentini Commentarius.

Ioannis Viſorij Cœnomani Comment.

Bartholomæi Latomi Enarrationes.

[illegible]

In partitiones oratorias.

Georgij Vallæ Placentini Commentaria.

Iacobi Lodoici Strebæi Commentaria.

Bartholomæi Latomi Enarrationes.

[illegible]

In Rhetorica ad Herennium.

Gyberti Longolij Annotationes.

Claudij Pontani Scholia.

Petri Victorij caſtigatio.

Hieronymi Capiduri Parentini, Georgij Vallæ diſcipuli, Commentaria.

Marini Becichemi caſtigationes ſuperuacaneum fuit imprimere, cum illæ iam in libros rhetoricorum relata, ſuoq; loco ſcriptæ ſint.

In Rhetoricos de Inuentione.

M. Fabij Victorini, rhetoris, & præceptoris D. Hieronymi commentariorum libri II.

Marini Becichemi caſtigationes in Victorini Commentarios non impreſſimus, cum eas ſuis locis repoſuiſſemus, ut lectorem quærendi labore leuaremus: quod miramur à reliquis typographis fuiſſe prætermiſſum.

AD FRANCISCVM FRANCIAE REGEM

CHRISTIANISSIMVM, IACOBI LODOICI STREBAEI LIBRI TRES IN DIALOGOS CICERONIS DE ORATORE AD Q. FRATREM

PRAEFATIO.

QVANTI ueteres, REX Chriſtianiſſime, bene dicendi ſcientiam fecerint, quantum cæteris artium uiribus eloquentiam prætulerint, argumento ſunt honores publici, ſummiq; magiſtratus, quos oratoribus ampliſſimæ ciuitates magno omnium conſenſu detulerunt. Non abutar opera in exſcribundis nominibus eorũ quos propter eam facultatem primaria dignitate inſignes fuiſſe memorat hiſtoria. Nemini certe quidem ſunt notiora, quàm tibi uirorum illuſtrium rerumq; geſtarum ſcientiſſimo: ex quibus planum fit, perpaucos dicendi rudes Philoſophos, pauciores multo Poetas, nullos unico nomine aut Grammaticæ, aut Geometriæ, aut Medicinæ regendis imperijs aſcitos fuiſſe: magnam diſertorum uim cum alibi, tum maxime Athenis & Romæ floruiſſe, qui facile primos ſuæ ciuitatis honores ſunt adepti. Et ne quis antiquos adminiſtrandæ Reipub. peritiſſimos, leuibus argumentis adductos eiuſmodi ciuibus publicum munus & imperium commiſiſſe putet, rationes animo pendendæ, & examinanda rerum pondera, quæ tam ſapientes uiros eò conſilij mouere potuerunt. Videbant homines acuti, nihil à Deo immortali melius homini datum fuiſſe, quàm mentem atque ſermonem: qui diligenter utrunque coluiſſet, eum tanto rudibus & incultis hominibus eſſe meliorem, quanto cæteris animantibus homo dignior eſt atque præſtantior. Orationem doctam & elegantem uirtutis & ſuauitatis habere plurimum ſentiebant. Nec parum intelligebant, quantum poſſet eloquentia in obeundis legationibus, in exponendis ſenatus populiq; mandatis, in habendis concionibus, in plebe moderanda, in exturbandis improbis ciuibus, in ſeditionum repreſſu, ſuaſione & diſſuaſione legum, exornatione funerum, laudationibus, cauſis publicis, iudicijs, periculis ciuium, conſiliorum tractatione, militum animis uel comprimendis, uel concitandis, in omni re denique quæ lumen orationis & eloquendi uires exigeret. Eum igitur, qui eloquentiam prudentiæ iunxiſſet, tanquam unum deorum uenerabantur. Reliquos omneis, qui niterentur alio genere diſciplinæ, haud ita magni ducebant, propterea quòd illos Reipub. multo minus utilitatis afferre exiſtimarent. Ergo ueterũ ſententia uis ornate copioſéq; dicendi, principe & illo qui ciuitatem, qui regnum, qui imperium gubernat, quacunque differat lingua, digniſſima eſt. Id optime noſti regum diſertiſſime, qui egregio ſtudio perfeceris, ut non modo intelligendi faciendiq; uirtute, ſed etiam facundia & orationis uarietate nemini ſecundus eſſes. Qui prudentius & acutius quid in quaque re dicendũ ſit, inueniat, qui inſtructius & aptius res in ordinem digerat, qui copioſe magis & ornate eloquatur, qui uenuſtius quàm tu dicat ac urbanius, neminem apud nos eſſe teſtantur omnes, qui te uel ſermone, uel oratione differentem audierunt. Cumq; multis rebus, præter eas quæ dantur à natura, uis eloquentiæ conſtet, ut hiſtoriarum memoria, cognitione antiquitatum, Rerumpub. morum cuiuſque gentis, diſciplina ciuilis, ſapientia tripartita, & omnium rerum ſecretiorum quas multæ & uariæ continent artes, nullum unum eſſe putant, in quo plenius hæc uniuerſa reperiantur. Non arbitraris igitur Oratorum libros, & eos item commentarios, qui aliquid illis afferunt lucis, indignos eſſe tui nominis amplitudine, qui etiam pro tua ſumma humanitate ſcripti nihil non accipis, quod modo tractari legiq; dignum ſit ab homine honeſte & liberaliter inſtituto. Ex quo fit, ut ſcriptorum bona pars ſuos labores ſplendore tuæ maieſtatis illuſtret, & alius tibi ferat iambos, alius numeros hendecaſyllabos, alius elegos, alius heroicos, alius uarie mixtum carminum genus, alius hiſtoriam, alius in ius ciuile commentarium, multi Latina, Græca nonnulli, Gallica non pauci. Sciunt quantus amor tibi ſit omnium diſciplinarum, quàm benignus ſis atque propitius omnibus literatis, quid egeris ut eximia ſtudia ſuſcitares, quæ inſcitia graſſante inter mortua iacebãt. Præterea animo uerſant, quas in uſum communem bibliothecas extruxeris, quàm multos, quàm ſelectos in omni genere linguæ, in omni uarietate doctrinæ libros undique portandos curaueris, ut non modo tuorum fortunis ac corporibus, uerumetiam, quod multo maius eſt, animis excolendis proſpexiſſe uiderere. Ad hæc regem amore ſciendi flagrantem, & quaſi Muſarum numinibus afflatum, ex aduerſo comparant cum multis oſoribus artium bonarũ principibus, qui ſpreta nominis immortalitate, & ea fama quæ uirtutis opera protenditur, unam gerunt curam mortalium rerum, breuiq; peritura dignitatis. Vt abijciunt ſcriptorum diuinitatem? ut antiquorum monumenta proculcant? quàm paruo licentur ingenuas arteis? quanto minoris doctos? quàm obſcuro dignantur loco? Quid, quòd illis auferunt commoda? detrahunt labore quæſita? è manibus extorquent dona maiorum? & quos oportebat eſſe uere liberos, detrudunt in ſordidum miniſterij genus, & indignam ſeruitutem? Eò ne faſtus perduxit eos, nobilitas, potentia, honos, opinio bellicæ fortitudinis? Dij immortales, quanto generoſior es, atque facultatibus, gloria, animi magnitudine, belli uirtutibus excellentior? Nihilominus amplexaris ſtudia literarum, uehementer amas eruditos: quæ à prioribus acceperunt bona, facis auctiora: quæ non habuerunt, ijs ab immenſa tua liberalitate donantur. Non eſt igitur cur quis admiretur ſcriptorum frequentiam ſuos foetus nomini tuo quaſi conſecrare. Rudes & inſcij rerum, atque etiam ingrati, immemoreſq; beneficiorum uiderentur, ſi ſuum regem, ſuum patronum, ſuum tutorem, ſcriptis non agnoſcerent, prædicarent, extollerent. Quamobrem id non eſſe officij mei putaui, eum quem optimi quique certatim laude ferunt, cui de opibus ſcientiarum munus offerunt, illaudatum rebuſq; meis indonatum præterire. Erit aliquis (ut ſpero) & huic nouo libello apud te locus, ſaltem propter illud opus longe pulcherrimum, cui lumen interpretationis afferre contendit. Rhetorica Ciceronis ad Quintum fratrem, citra omnem controuerſiam ſuperant omnia quæ de arte dicendi & à Græcis, & à Latinis memoriæ ſunt prodita. Nihil in hoc genere tam elaboratum, & eleganter excultum, nihil tam uarium & copioſum inueniri poteſt. Nuſquam tam magnifice honore ueſtitur orator, nuſquam ita grauiter & ornate demonſtratur oratoria facultas. Nullus unquam fuit, qui tam aperte explicaret quid pro oratore, quid aduerſus illum diceretur, quid ei natura, ſtudium, diligentia, exercitatio, ſtylus, hiſtoria, poeſis, philoſophia, ius ciuile conferret, quæ ſubiectæ eſſent quæſtiones, quàm late pateret materia dicendi, quatenus innitendum rhetorum præcepti, & quid in illis optimum comperiſſet uſus, quæ ratio docendi, conciliandi, mouendi probaretur, quos affectus immiſcere, quos facetiarum ſales adhibere oporteret, quomodo latina, dilucida, ornata, congrua texeretur oratio. Quid moror? Sic iudico, omnes omnium rhetorum ſcriptas obſeruationes in unum coactas, cum hoc uno opere neque grauitate, neque uarietate, neque elegantia,

neque alia laude comparari poſſe. Quòd ſi ratio ſcriptoris habeatur, ſcripſit homo non hebes & indoctus, ſed natura acutiſſimus, & omni genere diſciplinæ perpolitus: non iuuenis è ludo, ſed uir ætate grauis è media luce Reipub. non imperitus rudiſq; cauſarum, ſed in omni conſultatione & controuerſia exercitatus: non ignarus ciuitatis ac imperij, ſed conſularium facile princeps: non primus artis inuentor, ſed qui optimis quibuſque præceptionibus aliorum ſuas uſu longo firmatas, & à populo rerum domino probatas intexuit. Sed enim in tali tantaq; rerum ſubſtructione multæ ac magnæ ſunt difficultates, quas aliquot partium deprauatio, & eloquentiæ neglectus, atque unius & alterius ſeculi infelicis barbaries & ignorantia multo implicatiores reddidit. Et interpres quidam immerito nominatus Omnibonus, homo temere audax, & ignarus memoriæ ueteris, antiquitatum, legum, morum, philoſophiæ, omnium penè rerum, permulta detorſit in eam partem, quæ neque auctori, neque cuiquam mediocriter erudito probatur. Quidquid ignorabat, ipſe ſibi primum confingere, deinde alijs prodere auſus, fefellit incautos, & eorum multitudinem, qui faciunt ex commentario, traxit in errorem. Cum igitur res ardua, ac penè obſoleta, noua interpretatione maxime egere uideretur, & opus tum longum, tum difficile nemo eorum qui poſſunt, commentarijs illuſtrare contenderet, ego, qui Partitiones oratorias, & Oratorem ad Brutum luce explicationis perſpicuum reddidiſſem, nequid in arte dicendi Ciceronianæ præceptionis obſcurum maneret, hos quoque treis libros mihi aperiendos eſſe duxi. E' Græcorum fontibus illa potiſſimum hauſi, quæ delibata palatum ad flumen Tullianum parant. Hiſtoriarum monumenta retuli, quibus planius exponuntur ea quæ narrandi breuitas implicauit. Et ut lectorum uulgus in locos ſecretiores admitteretur, patefeci interclusam atque abditam antiquitatum uetuſtatem, fecíq; rem omnem exemplorum uarietate illuſtriorem. Quin etiam locum illum de iure ciuili ſic aperui, ut qui circunſeptus ante fuerat, & penè inacceſſus, nunc pateat illis etiam, qui nullam uiam niſi tritam inire poſſunt. Cumq; Cicero aliud agens breuiter attigiſſet multarum tum rerum, tum diſciplinarum proprietates, & anguſtijs circunſcripta copia frequens multam peperiſſet obſcuritatem, omnia fuſioribus diſtincta locis explicaui, &, ut facile uideri poſſent ab omnibus, effeci. Ad hæc caput de ſalibus & facetijs aliqua ex parte corruptum, & paucis admodum notum, in integrum reſtitui, & expoſitione dilucida, quid deformitatis occultæ rideret, oſtendi. Præterea quod pertinet ad dicendi ſpecies & figuras, & ad orationum genera elocutionum uiribus exprimenda, ſic poſui ſub oculos, ut qui antea non conceperunt animo, poſtea non ſolum planè & aperte uideant, uerum etiam facili negotio quas uelint ſententias ſtylo oratorio formare poſſint. Et ut illud minuerem tedium, quod in legendis dialogis & colloquijs, ſermonum rudes, & ij, qui feſtinant ad rei ſummam, concipiunt, demonſtraui quæ ratio ſermonis eſſet, quid cuique perſonæ, qui fingebat, apte & congrue dediſſet. Hos & alios fructus percipiet diligens Lector, ſi quemadmodũ cæterorum, ſic meus propitio tuo quaſi numine ſteterit libellus.

INDEX IN LIBROS III. DE ORATORE, IN BRVTVM, ID EST DE CLARIS ORATORIBVS, ET IN ORATOREM.

Abalienatio 76.30
academia 43.20
academici diſputabant in utrã-
que partem 23.11
academ.ci nihil affirmabãt 42.60
actio 120.20
actio et eius partes 10.40
actio per ſe multū poteſt 10.40
actio familiæ herciſcũde 117.40
actiones 120.50
actiones quot modis 72.1
actor ſemel iudicatur 56.40
acuere 53.4
acutus 116.30
aculeo 69.40
addictus 76.1
aditum patefacere 98.1
adoleſcẽs in quo laudatur 50.20
adoleſcentis ratio 49.10
adiles 30.50
æqualis 15.10
æqualitas 88.10
æquitas quid requirit 74.50
æquitas tripartita 88.20
æquitas 118.40
æquitas ſemper eadem 119.30
æmilius bonus orator 20.40
ætatis diuiſio 109.20
æſchines quot fuerunt 24.20
affectus diuerſi 10.10
affectus 28.30
affectus quomodo cogno-
ſcitur 28.40
affectus multiplices 28.50
affectus nõ eodẽ modo à philoſo
pho & oratore dici 107.1
affectuum genera 112.10
africanus celebratur à Li-
uio 101.20
africani duo 100.40
agnaſci quid ſit 119.1
agmen 100.20
agnatio 75.20
agnati 74.61
agere 125.30
albucio 75.30
alciati opinio 79.50
alludere 118.20
amentum 119.1
animi permotiones quæ 20
animi celeres motus eſſe
debent 53.10
animi uirtus 57.10
animi ſunt duo partes 42.40
antiſtes 96.40
antiquitas colligenda 67.50
antonius ſcripſit libellum 98.40
antonius reſpõdet oratori eſſe ela
borandũ à primis annis 38.60
appollonius philoſophiam
irriſit 38.60
appollonius rhetor 56.60
apollonius Molo 38.10
apollo 95.20
aptum 48.50
aptum & ineptum 52.50
appelles pictor 110.40
appius Claudius centima-
lus 120.60
ariſtot. rhetoricã ſcripſit 23.30
ariſtoteles & Theophraſtus ſcri-
pſerũt ut oratores 26.20
ars aperitur rectè à profeſ-
ſore 33.60
artes omnes ſubiectæ ora-
tori 33.60
artes illuſtrãtur ab oratore 33.10
ars duplex 36.50
artis periti cognoſcuntur 37.10
artes eſſe quaſdã proprias 37.50
artes ſunt propriæ oratori 37.60
artes comites & miniſtræ
orationis 38.10
artis initia dãtur à natura 43.30
artem duobus modis acci-
pimus 44.40
ars omnis ad unum finem
tendit 44.40
artis definitio 51.20
artem nullã eſſe oratoris 51.20
artes longæ uſu 62.30
artis caput 64.10
ars eſt genus 64.30
ars quid faciat 55.20
ars ingenua nulla eſſet ſi
quæſtum tolleres 90.30
artes tres præcipuæ apud
Romanos 58.40
ars excolit ſermonem 96.50
ars philoſophorum 108.50
artifex 123.50
artificis officium 110.30
armamentarium 33.20
aratus poeta 35.30
aridi & ieiuni differunt
ab oratore 39.30
argumenta quõ ducta 43.40
argumẽta ratione cõſtant 44.60
argonautarum hiſtoria 78.19
arceſilæ opinio 103.20
aſclepiades 33.40
aſtrologia 87.1
aſpicio 69.30
attendo 69.1
auctorem inuenire 119.1
auctoritatem quæ afferũt 94.60
auctor 84.10
anceps ſyllabarum 116.50
augurum officium 20.20
augurum numerus 90.50
auſpicia à quo inuenta 20.10
æſopi tragici patina 131.9
ad faciendum fidem tria
requiruntur 182.51
agere geſtum ſpectante
Roſcio 231.57
agas aſellum 243.52
alios non eſſe locos oratorũ alios
dialecticorum 194.23
aliquando uere, aliquando
ficte dolemus 211.17
aliud eſt artem condere, aliud
dare præcepta 230.14
ambiguorũ genera multa 179.2
ambroſia alendus 232.5
animi non mouendi in omni-
bus cauſis 218.57
annibal cur Carthagine expul-
ſus, et quot annos cũ pop. R.
de imperio certauit 165.1
ariſtoteles genera cauſarum
quatuor ponit 202.53
ars, earum rerum eſt, quæ
ſciuntur 145.64
ars ab experiẽtia nata eſt 163.15
acclamatio quatuor modis
fit 277.51
academia duplex 330.56
alius Tubero triumuir fa-
ctus 444.52
actio in dicendo una do-
minatur 398.34
affectus alij ad alia ua-
lent 265.55
affectuũ proprius locus 256.14
affectus ueniant nec ne in
principia 270.50
affectus unde ſumuntur 417.50
anima in quot partes di-
uiditur 427.31
allegoria 472.12
annibal per alpes in Ita-
liam ueniens 482.60
argumentorũ quæ prima, media,
et poſtrema collocãtur 265.58
antiſthenes Athenienſis in ſingu
los dies 40. ſtadia conficiebat
ut Socratẽ audiret 327.19
argumenta quomodo ex-
pendenda ſunt 265.37
archimedes ſyracuſanus 358.20
artes inutiles cur repertæ
ſunt 323.39
artes omnes fuere cõiunctæ, quæ
nunc ſegregatæ ſunt 357.6
artes quædã doctrina conſtant,
quædam natura intelli-
guntur 388.9
antimachus dixit, Plato eſt mihi
inſtar omnium 450.17
athenæ, et ueri Romani ex o-
mnibus iucundiores lo-
quebantur 315.65
ariſtoteles Iſocratis Aemulus
363.50
attice dicere quid ſit 506.15
aurelius Scaurus legatus ad
Cimbros occiſus eſt 446.42
Beatus 2.20
beſtia 16.40
blandiri 43.40
bonorum genera 22.60
bruti laus 19.60
benedicere quid ſit 130.42
bona in uita, quæ uera
ſunt 405.33
Callidus 105.20
caduceus unde 96.50
caduceatores 97.1
cato maior 73.30
caput artis 42.20
catus 94.50
cauſa cadere 71.40
cauſa 124.20
cauſæ maiores 77.40
cauſæ minores 77.40
cauſæ ciuiles 102.10
cauſidicus 96.30
cantus 116.20
carbo accuſatur 20.50
carmina legum 122.1
carneades 40.40
cenſores 83.50
ceremonia 20.20
celebrare 30.5
cicero Platoni ſimilis 37.20
cicero & Ariſtoteles diffe-
runt 28.20
ciues peſtiferi 112.10
circus maximus 12.60
circulus 77.50
claudij unde 78.60
clitomachus Carthaginẽſis 24.10
colligere ſe 13.10
copia 11.30
copia duplex 26.20
cogitatio quotidiana 65.10
compoſitio 26.10
cognitio 60.30
cognoſcere & tractare dif-
ferunt 31.50
cognatio 75.30
colophon urbs 36.10
confirmatio 62.10. 64.50
corpus artis 42.20
conſuetudo 88.30
commentatio 66.50
contemplari 69.30
correctio 67.40
conſiſto 3.10
communicare 124.40
cæli conuerſio 87.1
cordatus 94.40
craſſi duo diuites 73.10
craſſi metus 55.50
cruditas uitanda 56.30
craſſus iuuenis uenit in
forum 49.40

craſſus primus oratorum omnium 38.20
criſolai libra 24.50
curia 16.30
catonis reſponſum 243.20
cato ſcriptũ reliquit ſeruos adoptatos à domino liberarari poſſe 190.24
catulus qrit cur Antonius dubitat ponere tertiũ genus 153.11
cauſa à patrono cognoſcenda, ne in aliquod uitium incurrat 174.51
cenſores quomodo malos ciues notabant 250.19
ciceronis præceptores 135.24
concluſio artificioſa 148.47
comitium forum, campus martius erant templa 15.14
comparatio quantitatem aſſerens triplex 203.23
contẽtioni quid opus ſit 228.10
craſſus duo prima genera cauſarum ponit 151.16
craſſus, & M. Sceuola legẽ tulerũt de regũdis ciuibus 244.14
caius Fimbria mortem ſibi conſciuit 451.48
caius Gracchus 399.31.402.44
caius Gracchus cædem fratris ulciſci uoluit 445.26
caius Mancinus hoſtibus deditus 443.28
cauſarũ exordia propria eſſe debent 267.51
cauſarum genus nullũ euagetur quam epidicticon 282.10
carneades, & Scepſius 287.55
craſſus cæteros ſemper quãdoque ſe ipſum ſuperauit 294.24
craſſi reſpõſio ad Philip. 295.20
carneadea uis 332.60
carmeta mater Euandri, cur ſic dicta 457.21
cæſari nouum fuiſſe genus dicendi 310.59
carbo Marianas partes ſecutus 300.48
cauſa cadere quid ſit 409.41
candidati apud Catonem pecuniam deponebant 414.53
cenſoria poteſtas 300.28
centumuiri & Tribus electi & cur ita dicti 447.40
cinna pulſus urbe à Cn. Octauio 299.7
Ciceronis tẽpore philoſophiæ quætuor uigebant 328.32
ciuitates quæ de Homero certarunt 434.32
citharœdi proœmium 271.4
clepſidræ Scipio Naſica inuentor 362.18
coemptio quõ fiebat 412.16
cõiectura genera quatuor 351.7
collocatio uerborum 374.65
conſecutionis duo ſunt quæſtionum genera 272.37
confutationis ratio 418.25
coriolanus unde dictus, & eius facta 434.45
collatinus cur Roma diſceſſit 436.39
comperendinatus dies 441.11
controuerſia ſcripti & uoluntatis 410.37
cothurnus Sophocleus 309.17
Demoſthenes pronũciationi palmam dedit 127.50
demoſt. Platonis auditor 43.20
demoſthenẽ prudẽtẽ fuiſſe 43.10
demoſthenes primus græcorum oratorum 31.20
decemuiri qui fuerint 31.30
democriti opinio 22.20
democritus Abderites 26.60
democ. audiuit Socratem 27.10
democritus ueritatem in profundo dixit 103.30
definitio 34.20
deffinitio hominis 89.10
dedita opera 44.60
decorum 58.10
decere 58.59.30.10
declamandi conſuetudo 67.1
declamatio exercenda 63.20
declamatio quomodo fieri debeat 63.30
declamãdi ratio duplex 63.50
deformitas 66.10
deſcriptiones 107.60
denudare cicatrices 106.10
diſputãdũ in utrãque ptẽ 67.40
dici extremum 13.30
dicendi ſtudium 15.60
diſciplinæ propriæ ſunt alicuius 31.50
diſciplina 93.10
diſertus qui ſit 46.10
diſertus 34.60
diphilus 60.20
diui 65.1
diuortij diuerſa opiniõ 85.30
doctrina naturã perficit 19.60
doctrina 41.10
draco Athenienſis 95.50
duces 6.10
de raris admodum nulla condita lex 150.20
differentia inter argumentum, & affectum 223.54
difficillima cuiuſque artis cum tradita ſint, reliqua tradi non eſt neceſſe 162.7
diſcus, & aliæ ſpecies gymnaſtici certaminis 142.43
damon muſicus rhythmos inuenit 358.44
definitionum genera 474.26
deliberatio duas habet ptes 264.7
deliberãti qd proponitur 274.51
deiotarus Rex Galatiæ 431.5
demoſthenes græcorum rhetorum princeps 461.1
digreſſiones ubi collocari ſolent & rerum effectus 276.50
dilucide dicere 318.19
diſcrimen inter partes 445.5
dithyrãb. hymnus bacchi 383.34
druſus Tribunus plebis ſenatum conuocauit 294.4
druſus ſocijs ciuitatem promiſit unde bellum natũ 298.38
Ediſcere quid 66.20
eloquentia quibus rebus comparetur 5.20
eloquentium raritas 5.40
eloquentia græcia floruit 8.30
eloquentia primum 8.9
eloq. cur Romæ culta fuerit 8.50
eloquentes cur pauci 8.50
eloquentia aliquãdo nocet 19.10
eloquentes qui 19.30
eloquentia quid 40.10
eloquentem habere omnes uirtutes 40.10
eloquentiã eſſe uirtutem 40.10
eloquens 46.20
eloquentia 51.60
eloquentia nõ ex artificio 62.50
eloquentia quõ quæritur 62.60
epaminũda thebanus 100.40
etymologia 87.50
exheredatio quomodo 78.59
exercitatio 59.40
exordiorum munera 43.40
exercitationis partes 63.10
experientia dux 40.50
exceptiones 72.10.135.50
eloquẽtia ante fuit ꝙ ars 231.10
eunu dictum 226.32
euentuum cauſæ tres 160.10
eloquentia quibus conſtat 335.20.48.5
eloquentia ars ne ſit 407.15.435.54
eloq. nomẽ ipſũ inuenit 291.16
eloquentiam unam eſſe nõ plures partes 304.59
eloqu. una ſit, an plures 307.29
eloquentia coniuncta eſt cum ſapientia 321.13
eloquẽti quæ cõueniunt 321.13
eloquentiæ ſumma laus 347.10
enubus ſphærã in ſcenã tulit 391.4
enthymema 493.10
exordiũ unde naſcatur 268.48
Facies 57.20
facetiarũ genera duo 58.40
facetus 16.30
facetiæ 38.60
facultas 38.20
fera 16.40
finis rhetoricæ 60.50
fori 12.60
forum 16.30
formæ duo genera 86.40
fœdera 68.20
formulæ legum 116.30
fundus 123.50
fur manifeſtus quõ punit. 91.1
facere modos, laxare, mutare 129.7
facetiarũ genera duo, alterũ in re, alterum in dicto 236.31.247.41
facetiarũ ſpecies infinitæ 238.3
facetiarum genera duo 257.36
familia philoſophorũ ꝙ 326.47
familiæ Claudiæ duæ fuerunt 410.14
figuræ orationis quæ ſint, et qbus nominib. appellentur 391.3
figura multis modis fiũt 476.52
Galba 118.1
gentilitas 79.75.30.20
gentiles 75.1
genus philoſophicum 39.30
genus orationis 39.20
genus χαδιτταιὸν 2.10
genera diuerſa 32.60
genera forenſis dictionis 44.60
genera philoſophorum 86.10
geſtus 66.1.12.6
geometria 86.40
gorgias leontinus 44.20
grammatici unde dicti 7.30
grammatica 87.40
grammaticæ uis 7.40
grammaticus 101.30
gracchi fratres caſi 20.60
grauitas 38.60
grauate 99.20
græci nihil tribuebant Romanis in literis 25.30
græcos eleuat 93.20
galenus nouem corporum naturas facit 209.60
genera dicendi multa, & uaria 129.33
genera 5. exercitationũ 130.35
genus ſpecies in ſe cõtinet 200.37
græci, qui floruere in hiſtoria 156.22
græci uitiorum omnium genitores 248.64
geſtes ſpecies duæ 401.3.502.31
genera dicendi tria 419.19
genera duo orationis 423.33
gentilis quid ſignificat 444.11
genera tria uerũ qui falſo exiſtimant ſe attice dicere 508.4
gorgias de omni re dicturum profitebatur 356.61
græcorũ linguæ quinque 505.5
Herciſcere 117.30
hermodorus 33.40
hiſtriones mouent 42.60
hominis proprium 96.50
hiſtoria 67.60

humanitas

humanitas 48.20
hypſeus 71.20
hiſtoriæ laudes 149.30
hiſtoriæ principiũ, & quid
erat 154.49
haſtæ uelitibus amẽtatæ 453.13
hippias Eleus ſophiſta 356.9
hippocrates medicorũ deus 358.3
hiſtoria quanti facienda eſt
ab oratore 512.61
hipponactleus uerſus 493.35
hypotheſis, & Theſis 349.14
hiſtoriæ leges 159.43
interpretis officium 84.10
inficiator 72.50
imperator 100.1
imitator Plat. et Ariſto-
telem 4.60
inſinuare 43.50
ingenium 38.50
ingenium eſt à natura
36.53.40.10
intelligentia quid 8.20
interdictorum genera 21.40
inſolentia 48.50
ineptus 52.40
indoles 58.50
interuallum 86.50
iucunditas 40.30
iucunditas 13.50
index quid eſt 16.62
ius prætorium 21.30
ius genus omnia cõplectẽs 25.50
ius multiplex 29.60
iuſtitia uarijs modis dici-
tur 41.60
iuris cognitio neceſſaria 85.1
iuriſconſulti in honore 85.20
ius ciuile unde ortum 85.30
ius quomodo factum 88.30
ius duplex 88.40
ius 88.60
ius applicationis 80.40
iuriſcõſulti domus oraculũ 95.40
ius ciuile primatum 95.50
ius publicum 95.50
iuris ſcientia 115.20
iuriſprudentes proprie con-
ſuluntur 118.10
iudicium purum 125.30
iudicium præſcriptum 125.30
inepti definitio, & innume-
rabiles ineptiæ 141.7
imagines quales fuerunt apud
maiores in atrijs 229.22
imitatio quid ſecit 171.18
impuberes cum patribus in bal-
neis lauare poterant, pu-
beres non 227.51
iocorum ſuauitas, quo membro
contineatur 224.15
ἦθη, καὶ πάθη, ἠθικὸν, καὶ πα-
θητικὸν 205.41.206.61
iudicia de præteritis, deliberatio-
nes de futuris, raro de in-
ſtantibus 176.22
inuentio triplex 132.24
idea quid ſit 499.6
inſans ad inanimata re-
fertur 465.54
imaginũ tria præcepta 285.58
interdictum quid ſit, & ſacra-
mento contendere 407.5
iſocrates in ſuo genere nulli
comparandus 312.50
iſocratis domus, officina elo-
quentiæ 463.7
inuẽtio in tres ptes diuiſa 257.48
iugurthæ coniuratio in
fratres 445.45
iuuenibus declamantibus condi-
ſcipuli applaudebant 345.2
Lautus 13.50
laus mentes allicit 15.30
laus tertia quarta quinta 15.50
laus ueterum quid faciat 3.20
lentuli multi 101.1
lectio 67.40
leontini inſolentia 49.50
lex 101.20
lex duplex 16.50
leges à quibus inuenta 20.60
lege agere 22.10
leges uariæ 30.60
leges cur latæ 92.10
lingua 51.60
lelius & Africanus elo-
quentes 17.50
libra quomodo adhibetur
teſtamentis 111.59
ludi Romani 13.60
ludorũ tẽpore quid fieret 13.10
leges 125.60
lex ſcripti 121.40
legationũ genera quatuor 154.6
legatorum in dicendo uarietas,
qui ab Athenienſibus Romã
miſſi ſunt 196.45.197.23
liber quibus rebus definie-
batur 200.8
locorum an ſit ars 192.49
locus alter argumentãdi 204.45
lucij Craſſi in Memium 234.43
lata lex Athenis ne quis mor-
deret aliquem 1361
latina oratio qualis eſſe
debeat 313
laudes duæ ſunt 302.10
laudationes cur inuentæ
ſunt 278.27
legatus ſanctus à ſegmi-
nibus 461.39
lex quid ſit 475.2
libet ſemper diſcere 339.46
liuius Druſus conatus iudicia trãſ-
ferre ad ſenatũ leges agrarias
tulit 406.26.419.34
locorũ cõmuniũ tres ſpecies 348.1
ludi Ro. ſiue ſcenici 293.44
loci è philoſophis, &c. 264.30
L. Craſſus actione quadã lecto-
rem induxit recitantem com-
mentarios Bruti 445.64
longiſſima periodus, quæ
uno ſpiritu 380.33
luminibus obſtruere qd ſit 438.4
lycurgi qui fuerunt 322.54
lyſias orationem in gratiam So-
cratis compoſuit, & alias
433.35.508.46
Mago 124.10
mancinus 82.10
marcus Scaurus 103.1
manlius præcipitatus 75.60
marius floruit 35.60
mars 56.20
materfamilias 117.20
mathematicæ diſciplinæq; 7.10
mathematici ſeparantur
à philoſophis 7.10
materia 198.10
mancipatio & mancipiũ 76.20
memoria artificialis 66.20
memoria 21.60
memoria iuris conſultorũ 57.20
memoriæ uirtus 57.10
memoria & recordatio 5.60
mens 55.52.40.10
mẽs bona et mala dicitur 107.60
metus quid faciat 55.50
metus cauſa 56.10.10.20
metelli plures 101.10
metrodori quot 24.20
militia Romani floruerũt 9.20
modeſtia quid faciat 52.30
moleſtiæ 3.30
modicum 59.10
motus excitãtur à uarijs 42.30
molles 110.20
motus 58.10
modulatio 86.40
mos 93.10
mneſarchus 24.30
muſicus qui 101.30
muſica ſeperatur à mathe-
maticis 7.30
mulier inſanus 65.60
munio 127.20
M. æmilij callida literarũ exẽpla-
ratio in Rutiliũ reũ 254.40
maieſtatis crimẽ quid ſit 167.40
M. Pinnarius legem tulit
annalem 246.7
materies duplex ad pro-
bandum 180.15
matris Caruilij dictum in
ipſum 239.16
memoria in pueris præcipuũ ſignũ
ingenij, ſecũdũ imitatio 170.58
metellus macedonicus homo
felix 249.48
modus optimus in omnib. 234.5
manilij ambulatio tranſ-
uerſo foro 359.16
M. Lepidus cum cæteris in
campo 257.13
marius & Sylla auctores
belli ciuilis 298.60
memoriæ origo, et utilitas 282.43
memoriæ ars 283.45
memoria artificioſa du-
plex 286.60
marcus Antonius Aquilium
defendit 451.13
marianos conſulatus 449.40
menedemus Eretrias Athenas le-
gatus miſſus militiã reliquit,
et philoſophiam ſecu-
tus eſt 327.54
mendacij tria genera 351.2
metaphoræ omnes inueniuntur
in ſimili 369.20
metaphora, & ſimilitudo quid
differant inter ſe 471.38
mihi cane, & muſis 450.5
mos fuit comœdis, & tragœdis
adhibere tibicen in ſce-
nis 338.57.346.33
muſica in uarias partes di-
ſtracta 358.44
muſici poetæ 377.2
muſicam adhibuit Numa in ſce-
nis, et in epulis 388.35
multam petere 446.14
myſteria cur ita appellata 334.35
Natura uis maxima 57.10
naturæ dona 53.20
natura multum poteſt 43.60
natura quid faciat 55.20
naualia 33.40
natura hominum cognoſcitur à
philoſophis 35.10
nauigandi difficultas 39.60
narratio 62.10
natura ſine arte poſſe 108.40
natura quaſdam res gignit
ſola 113.20
negotium 94.30.124.20
nemo bene uerſatur in foro ſine
ſcientia ciuili 42.50
nexi 75.50
neceſſarium 128.30
numæ Pompilij laus 18.30
numerus 86.20
nobiles uiros negotiari tur-
pe ducebatur 228.33
norbanus tribunus plebis
ſeditioſus 214.50
numa Rex Pythagoreo-
rum dictus 196.7
narrationis uirtutes 271.28
narratione an ſemper uten-
dum ſit 272.53
negandũ eſt, quòd obycitur, aut
defendendũ, aut trãſferendũ,
aut cauſa cadendũ 332.26
neoptolemus parum philo-
ſophatus eſt 338.15
nullus eſt locus in quo beneuo-
lentia non ſit utilis 270.29

numerū ſolutæ orationis non cognouerant antiqui 376.28
numeros Iſocra. inſtituit 376.48
numerus quō parãdus ſit 385.53
numeri cadūt ſub ſenſus 487.25
numerus .g. rhythmus 467.30
Obſcurū quomodo fit 86.1
obſcuritati cauſæ 84.50
otium duplex 2.10
otiū fructus 3.40
otium 46.40
opinio philoſophorum & populi diuerſa 109.20
opinio 60.30
opiniones de arte dicendi 39.50
oppidorum oppugnatio 100.20
ordo rerum ſeruatus 2.10
orator imperatori anteponitur 6.60
orator qd differat à poeta 7.50
oratoria arte ciuitates reguntur 8.30
oratoris officia 10.20
orator ſummus qui ſit 11.20
orator qd præſtare debeat 11.30
oratoris officium 15.30
oratoris laus 16.10
orator prudēs intelligitur 17.20
orator nũcupatur à Plat. 23.40
oratio diſerta 27.50
orator non arguitur quamuis non omnia ſciat 16.20
oratio propria quæ 27.40
orator in quo ſuperat philoſophum 27.60
oratores differūt à rhetorib. 28.60
oratoris proprium 32.40
orator in forenſibus cauſis præcipue uerſatur 28.10
oratores & philoſophi ex eodem propriū fecerūt 29.40
oratori conueniunt plures artes 30.40
oratio mouet 32.40
orator citra philoſophiã nō diſſerit de rebus magnis 32.60
orator de alienis artibus dicit 34.60
orator in omni parte humanitatis debet eſſe perfectus 36.30
oratorem inſtituunt ab infantia 38.50
oratio philoſophorū mollis 39.40
oratores appellatos operarios 40.10
oratoris non eſt ſcire unde motus mouentur 45.60
orator notioribus utitur 45.60
oratoris eſſe dubia omnia 45.10
oratoris res præcipua 45.30
orator quas artes debeat tenere 46.20
orator 49.60
orator ſummus nemo inuenitur 54.40
orator debet ſatisfacere 54.50
oratori futuro qd cōueniat 59.20
orationis uirtutes 62.10
orator ubi debet eſſe mirabilis 81.60
orator nomen honoris 96.30
orator diffinitur 10·.60
oratio quibus conſtat 102.1
orationem illuſtrare eſt oratoris 104.1
orator non habet propriam materiam 105.1
orator non ſemper inſpicit ueritatem 107.10
oratoris lacerti 119.10
oraculum Apollinis 95.30
ordo diſpoſitionis 106.30
ordo 109.10
ornatus 46.20
ornatus duplex 26.20
os 84.60
omnis cōtrouerſia uel ſcripto, uel nō ſcripto cōtinetur 166.27
oratoris nulla non propria res eſt 149.9
oratoris diffinitio 131.35
orator interim mendacio utitur 147.8
orationis laus perfecta 157.53
oratores candidi, ſpecies tres 168.51
oratio redūdans in iuuene laudabilis, et eius ſimilitudo 169.20
omniū ſcientiarū atq; artiū fundamentū eſt ſapere 468.16
oratores quid inter ſe diff. 303.6
orator unde puritatem linguæ hauriat 314.9
oratoris uirtutes propriæ 320.21.496.29
oratoribus iungendi ſunt hiſtorici 314.16
orator à M. Catone finitur, uir bonus dicēdi peritus 322.54
oratori quatenus philoſophandum 337.59
oratorū gradus quatuor 337.38
orationis ornatus ſpecies duæ 342.14.347.10
orationis habitus, et color 389.43
oratori quid inſpiciendū 464.10
oratoris officium 4 8.2
oratores qui minime abſoluti habendi ſunt 508.13
orationē habere ad populū diebus nefaſtis magiſtratibus fas erat 293.52
Paan 127.1
pactiones 68.20
palæſtritæ cur unguntur 39.30
patronus habet hæreditatem liberti 79.10
patulus 14.50
patientia 41.40
peregrinus 80.1
peroratio 62.10
pericles 104.10
philoſophiæ laus 91.40
philoſophiæ cognitio 87.1
philoſopho ſuccūbit orator 49.60
philoſophi eſt de ratione artis diſputare 49.30
philoſophia procreatrix artium 6.60
philoſophus omnia profitetur 101.40
philoſophia quid faciat 6.60
philoſophi ius aliter quã iuriſperiti requirunt 30.60
philoſophi etiam ſtudent uoluptati 39.40
philo 33.20
philus 104.30
philoſophi morales 90.50
philoſophia differt à lege 92.1
phyſica 105.50
piſa 50.30
platonis arbor 214.50
planetæ ſeptem 87.30
planetarum curſus 87.30
plebis ſeceſſionis cauſa 75.60
poeta in quibus uerſatur 101.30
poeta legendi oratori 67.10
poſtulare 125.30
politica ſcientia 68.10
poſthumus 81.8
poſtliminiū fit inter hoſtes 83.10
præſcribere 126.60
præſtare 16.30
primū et optimū orationis 34.40
profeſſio benedicendi 34.30
proconſul 39.50
proclamator 96.30
puer quando dicebat 5.10
puluini 15.60
pudor adoleſcentes decet 58.60
pudoris cauſa 69.50
periodus quot modis appellatur 132.2
philoſophia quando Romæ in pretio cœpit eſſe 141.57
philoſophandū eſt paucis 197.4
præcepta rhetoricæ duplicia 165.62
propria cuique cauſarum generi 204.6
partes orationis duæ 340.34
parabola pathos mouet 297.1
papyrius Fregellas coloniã deduci impetrauit 449.10
phalereus hæſitationem linguæ calculis correxit 434.10
periodū Cic. multis nominibus appellat 483.10.486.52
phidias ſtatuarius nunquam ſatis laudatus 452.54
phidias Mineruam in arce Athenienſium conſtruxit 458.4
phidiæ clypeū diſſoluere 488.30
philo Academiæ princeps 454.36
philoſophia in quot partes diuiditur 459.13
philoſophandi ratio triplex 501.50.325.1
philoſophia ſola artium mater 305.50
philippus pignora iuſſit auferri Craſſo 295.8
philoſophi aliter, ac oratores loquuntur 293.10
philoſophi quomodo rhetoricã uirtutem eſſe probant 321.56
pilarum ſpecies 324.39
plura orationū genera 512.41
poetæ, & qui oratores legendi ſunt 314.17
pontifex à Numa inſtitutus 333.40
poetæ ante comœdias tragœdias ſcripſerunt 346.30
philoſophus, an orator dicendus 364.14
philippi epiſtola ad Ariſt. 364.5
pomponius Atticus cur Athenas ſe contulit 432.14
pōtinæ paludes inſalubres 255.3
principes qui ſint inter poetas, philoſophos, & alios 497.9
principia conciliant, & mouent 243.44
proprium hominis loqui 320.5
propria quo ſint 469.23
probationis generale præceptum 259.33
proœmio quando ſit utendum quando non 269.16
proœmium quid deceat 267.46
propoſitio, uel partitio ſtatuitur 273.4
P. Sulpitius, et Cotta 301.9. 311.16
Quæſtionum ordo 4.50
quæſtionū finitarū genera 61.40
quæſtionū duo genera 60.60
quæſtio infinita 61.10
quæſtio ambigua 61.20
quiſque dicit de dignitate artis ſuæ 47.60
quinqueremes 77.50
quæ locū in præceptis Rhetorum non habent 160.56
quæ ſunt ad eloquentiam neceſſaria 138.52
qui diſſimularūt artē, arbitrati ſunt linguam eſſe ſuſpectam populo R. 136.5
quæſtionum ratio qualis eſſe debeat 147.58
quæſtiones finitæ ueniunt in iudicium 187.58
quæſtiones rationales, atque legales 192.5
Q. fratris uirtus 137.47
quæ in V. ſenſus cadūt 343.29
quæſtiones omnes cōtemplatiuæ, aut actiuæ ſunt 350.16

qui obſcuriores eſſent in explicanda cauſa ſuis litigatoribus. 419.9
Q. Catulus Cimbrici triumphi particeps 299.49
Q. Mutius Scæuola Pontifex Maximus 300.50
quot Oratores totidem genera dicendi 312.10.303.5
Q. Seruilius Cepio legem tulit de ordine equeſtri à iudicijs ſubmouendo 454.15
Q. Varius legem de dolo malo tulit 454.28
quatuor modis ſyllaba breuis uel longa dicitur 480.36
Ratio & uis 2.20
rationes philoſophorum 106.20
regis officium 16.20
repudiſmos 84.10
recolere 3.50
regum mores 21.60
Rerump. genera 23.50
Rerump. formæ diuerſæ 32.30
Reſp. quo modo conſtituatur 41.10
res 51.50
rhetorica quo modo comparetur 52.10
rhetorica quid 8.10
rhetorice utilitas 26.50
rhetorica laudatur 23.50
rhetorica dicitur uirtus 40.20
rhetores ſiue philoſophia nihil 40.60
rhetoricem eſſe naturalē 45.60
rogare & hortare quid differant 40.40
Romulus 18.20
Roma 93.10
Romani melius inſtituerunt iudicia quā Græci 128.10
roſtra 16.30
Rutilius 110.40
ratio numerandi pares horas noctis & diei apud Romanos 139.5
refellēdi facultas cur magis propria oratorum, quām philoſophorum 133.12
rei ad ſubſellia ſedebant, & qui dicti 184.30.208.34
res, quæ locos communes excutiunt 181.46
ridicula græcorum multa & ſales 225.5
riſus, quæ ſint, & eius utilitates 232.20.233.2
Romani principes domi græcos habebant, quibus animi cultū capeſſebant 195.8
Romani Reges quot annos ſinguli imperarunt 196.20
rebus magis ſtudendum quā uerbis 341.4
religio unde dicta 462.4
rerum irrecuperabilium ſumma felicitas obliuio 419.19
rhetoricæ inuentores Teſias & Corax 336.13
rhetorica quid ſit 326
reſponſio lepidi ad amicos Antiſthenis 257.36
Romæ docti & indocti latine loquebantur 367.4
reſponſio Philippi 263.14
Sacramento conſedere 22.30
ſapiens rara auis 107.30
ſapiens ſemper beatus 109.20
ſcalmus 78.1
ſcæuola 12.30
ſectinā uarij auctores 24.50
ſententia et uerbū diffe. 15.60
ſenis officium 95.10
ſenatus contra equeſtrem ordinem 109.44
Senatores plures Oratoribus 6.20
ſero 39.50
Seruius Tullius Rex 83.50
ſeruitus 77.30
ſerui fiunt duobus modis 7.80
ſeruus manumiſſus 83.20
ſeruus non cenſetur 54.1
Socrates damnatus 113.20
Socrates 11.40
Socrates loquitur 14.10
Socrates fons 22.40
Socrates ſapientiſſimus iudicatus 112.40
ſolon 94.10
ſponſalium ſolennitas 118.1
ſpiritus 66.10
ſcribendi cauſa 4.50
ſtaſea 50.20
ſtilus cur exercendus 64.10
ſtili uis 64.40
ſtillicidium 77.1
ſtilus quomodo cōparetur 52.10
ſtatus contrarius 126.20
ſtultus 107.20
ſtultitia 107.20
ſubſellia 16.30
ſubijcere 97.10
Sulpitius Gallus 111.30
Sulpitius diſſerit de lunæ defectu 111.30
ſupploſio pedis 112.40
ſuſpenſus animus 118.20
ſeditiones multæ ex utilitate Rei pub. factæ 184.60
ſeditionum genera multa Romæ 216.3
Seruius T. Rex populū R. in ſex claſſes diſtribuit 245.34
Scipio Trib. militum Romā deliberantibus reliquere mortem minatus eſt 251.25
Scipionis Naſicæ reſponſum ad Ennium poetam 253.5
ſiculi dictum ridiculum 253.47
ſimilia, & diſſimilia pro exēplis habentur 201.23
ſtatus tres, nec omnis in omnes cauſas cadere poteſt 175.32
ſtatus definitionis ſecūdo loco poni ſolet 167.20
ſtatuæ magiſtratibus in urbe & prouincijs erigebātur 235.41
ſamnitum mos in bello 271.20
ſamnitum magiſter 338.15
ſapientis eſt optima legere præſidia 259.24
ſapiens uirtuti honorem, præmiū non prædam petit 345.58
ſapientes ſeptem 360.52
ſimilitudo oratoris, & gladiatoris 263.23
ſi dijs placet 341.35
ſchemata. 394.75.414.22
Socrates cur primus philoſophiā è cælo deduxerit 333.14
Solonis leges & eius calliditas 432.39
ſonus alius uerborum, alius oris 317.5
ſummus orator qualis eſſe debeat 293.1.498.11
ſyllogiſmi quidam neceſſarij quidam non 408.16
Tabulæ 125.1
Tarquinius priſcus 18.50
temperantia 41.40
tempora communia 3.20
tempeſtates tres 3.50
teſtamentum 77.10
teſtamentum inutile 78.40
teſtamentorū formæ tres 412.1
tiberius ſempronius 19.20
tiberius gracchus græce dixit 19.50
tiſias ſiculus 44.20
toga quādo ſumebatur 5.10
tragediæ 105.40
tractatio 1.10
tranſenna 69.50
tribus quot 19.40
tribus Vrbanæ 19.40
turpe oratori 62.50
tullus hoſtilius 18.40
tutela iudicium 71.1
tutelæ diffinitio 74.60
telamonis mandatū ad filios bellum petentes 213.8
tria genera, quæ in diſceptationē cadere poſſunt 179.30
tribus de cauſis uitanda eſt breuis definitio 168.6
triumphus minor qualis erat 213.64
temporum ordo lumen affert orationi 318.5
teſtiū cautio, et ſpecies 262.8
themiſtoclis reſponſio ad ſimonidem po. 261.44
theramenes ob nobilitatem cothurnus ap. 432.63
theophraſtus moleſte tulit ſe atticè uerba nō loqui 449.20
thucydides potius imitandus quā Demoſthenes 509.28
timor & timiditas differunt 261.68
tiberius gracchus libertinos in tribus trāſtulit 443.16.406.82
traſymachus primus numeroſam orationem inuenit 482.28
tria de omni re quæri poſſunt 334.51
tymothei Cononis filij felicitas 362.43
Varietas 41.20
uarius 54.20
uaſtus homo 54.10
uenuſtas 58.10
uerba ſunt rerū notæ 26.30
uillicus 124.1
uideo et ſectio differunt 99.10
uitium uirtute facilius cognoſci 57.60
uitium eſt in dicendo 8.20
uirtus non poteſt ſeruire 110.10
uirtutes æquales inter ſe ſicut uitia 40.10
uirtutes omnes eſſe ſimul 40.30
uirtus an poſſit tradi ratione 128.10
uis oratoris 61.50
uis ſentiendi alia & dicendi alia 109.20
uox 65.1
urbanorū prædiorū iura 76.40
uſucapio 74.40
uſucapi quæ nō poſſunt 74.60
utile 128.30
utile optimum aliquem imitari, &c. 173.6
uerborum ſimplicium tria genera, & ſpecies 366.25
uerba nouantur, transferunturq́ 485.39
uiriati bellum 440.13
uox acuta in omni genere uerborum inuenitur 466.15
uocum differētia multa 399.54
utilitates propriæ, & longe poſitæ 410.62
uultus index animi 303.43
Xenophon Grili f. primus hiſtoriam ſcripſit 362.61.510.5
Zeno Chriſippi ſtudioſus 24.10
Zeno ſtoicus rhetoricam palmæ dialecticam pugno ſimilem eſſe dicebat 329.36
zodiaci quinque ſtellæ errantes 379.37

INDEX PLENISSIMVS RERVM ET VERBORVM, QVAE IN EORVM

ſcriptis continentur, qui Ciceronis topica, Partitiones oratorias, Rhetorica ad Herennium, & de inuentione interpretantur.

Ab actione argumentum. columna 464. linea 39.
ab adiunctione 313.25
ab affectis argumentū 177.45
abalienatio 40.10.298.17
abalienandi modus 269.58
abalienationis ſpecies 184.54
abalienationis forma 269.36
ab antecedentibus 174.40
ab artibus argumentū 325.45
ab effectibus argumentū 309.34
ab extremis rebus 502.33
ab inſtitutione artis 502.44
ab occaſione aliqua 467.43
abrogare legem 82.57
abrupta oratio 475.33
abſoluta conſtitutio 798.49
abſoluta & negotialis conſtitutio 805.1
abſtinentia 417.22
abſumptiua conſtitutio 556.13
abuſio 514.27.686.57
abuſus 263.3
ab uſucapione argumētum 30.42
academia 492.17
à cauſa cadere 554.10.801.19
accidentia 258.46
accidentiū differentia 368.35
accipere iudicium 429.37
accuſatoris loci 792.51
accuſationis diuiſio 323.8
accuſatoris loci 535.30
accuſatoris pręmium 808.54
à comparatione argu. triplex 29.42
à conſequentibus argumentum 174.40
à contrarijs argumentum 292.4.321.56.451.34
actio elocutionis 475.39
actionis genera 408.64
actionis locus 335.28
actionis partes 320.63
actionis quęſtiones 142.33
actio ſententiarum, & uerborum 383.3
actiua quęſtio duplex 244.20
à defenſore loci 805.41
adfecta 487.10
à differentia 451.28
ad id de quo quęritur 487.18
à diſſimili 470.19
adiuncta. 25.8.101.61.169.60.174.2.205.33.263.14.295.16.378.46.457.20.46.33.463.60
adiuncta cohęrentia 206.55
adiunctio 513.20
adiunctorū differentia 83.42
adiunctorum exemplū 209.6
adiunctorū expoſitio 204.27
adiunctorum poteſtas 61.12
adiuuantia 408.6
admirabile genus 740.24
admirationis locus 414.11.467.62.
adoleſcentię flos 299.36
aduerſa ſeu contraria 262.50.275.2
ad uituperationim 939.40
ęgritudo et ęgrimonia 611.25
ęgritudo & ęgrotatio 304.55
alia lex unde 167.1
ęnigma 458.41
ęqui & boni 220.51.247.41.279.20.410.31
ęqui definitio 242.57.243.15
ęqui & iniqui diſceptatio 144.9
ęquitas 40.3.428.25
ęquitas duplex 441.56
ęquitas in paribus 30.20
ęquitatis definitio 184.50.220.26
ęquitatis diuiſio 247.15
ęquitatis effectus 429.47
ęquitatis inſtitutio 144.20
ęquum, uerum, & rectum 430.9
ęrarium 553.15
ęs alienum 91.43.154.30
ęs à quo primum ſignatum fuit 210.2
à facto neceſſitatis 507.41
affecta 19.2.20.60.36.41.97.7.259.13.260.60.358.59
affectarum rerum tractatus 193.8
affecta res 168.55.169.20
affecti loci 180.37
affectio 279.55.758.5
affectio animi & corporis 568.28
affectionum ſpecies 114.4
affectorum diuiſio 51.59
affectorum natura 18.44
affectorum ſpecies 180.45
affectus ex opinione 47.32
affectuum numerus 410.60
affectuum ordo 369.38
affectuum ſpecies 244.59
affinitas 633.29
agendi ſpecies 330.10
agnati & cognati 183.8
agnominis ratio 754.40
agnominatio 512.40.680.23
alacer duo 215.40
alacris 607.52
albani, & albenſes 617.46
allegoria 314.22.374.18.687.36
à literarum recitatione 502.54
à magnis argumentū 323.23
ambiguitas in propoſitione 785.40
ambiguum genus 459.51.481.38
ambiguum ſcriptum 582.54
ambitio 610.30
amica & diſſidentia 18.48
amici 165.62
amicitia 634.61.444.29
amicitię definitio 292.8
amicorum pręſidium 719.39
amicitię officia 408.54
amor 405.46.610.29
amoris definitio 293.7
amphibologia 443.26.549.54.584.60
amplificatio 281.14.384.9.16.32.387.3.402.31.403.13.467.48.474.37.466.55.475.42.535.6.623.45
amplificationis effectus 321.31
amplificatio moderata 440.50
amplitudo 634.59
analogię uis 372.14
annales & hiſtorię 710.21
analytici ex ariſtotele 8.53
anaſtrophe 489.44.684.63
anceps genus cauſę 523.50.740.34
à neceſſario argum. 302.43
anima bona 341.38
animę conſideratio 707.54
animę ſimilitudo 712.46
animal 41.42
animal prędicatur de homine 2.12
animalis definitio 143.22.732.60
animi coniectura 140.57
animi motus 427.50.471.37
animi uirtutes 819.16
animorū diſſimilitudo 537.23
animorum motus 410.59
animorum perturbationes 80.35
à noſtra cauſa 501.58
an potuerit 795.11
antecedentia 26.14.59.25.101.47.169.63.263.50.264.42.295.40.487.7
antecedentium, & conſequentiū conſenſus 59.50
antonomaſia 689.14
antonius 651.20
antiquorum uictus 712.14
antitheton 319.14
antigraphe 688.48
apoſtrophe 320.18.689.26
aperta narratio 747.45
apologi 743.19
à primordijs 485.8
approbatio 575.49.776.63
approbatum argumentum 772.62
aqua & igni interdici 174.18
aquam arcere 267.36
arbiter 198.55.274.33.300.56
arbitrium rei uxorię 220.47
arceſſo, & accerſo 548.57
arcendę aquę actio 176.60
ardor belli 710.36
à repugnantibus argumentum 174.40.301.57
argos 613.31
arguere 600.27
argumenta coniecturalia 206.62.790.28
argumenta uitioſa 608.41
argumenta unde 18.27
argumentandi genus triplex 149.14.602.32.774.14
argumentatio 600.48.42.11.774.8
argumentatio ab antecedentibus 68.58
argumentatio à conſequenti 69.2
argumentatio directa 472.26.489.55
argumētatio ex genere 115.14
argumentatio ex quibus conſtat 92.56.93.10
argumentationis ordo 398.35.399.47
argumentationis reprehenſio 785.20
argumentationū genera 328.4
argumentationum ſpecies 601.23.600.52.336.2.384.53
argumentationum uis 441.4.331.43
argumenti concluſio 123.9
argumenti definitio 81.40.210.12.355.57
argumēti forma 14.60.97.35
argumenti partes 605.30
argumenti pictura 769.42
argumenti ſedes 449.25.81.27.355.40
argumentorum genera 725.49.796.44.797.28
argumentorū ortus 282.18

argumentorum

argumentorum poſitio 369.47
argumentum 158.59.233.8.472.13.574.6.283.33.
argumentũ ab adiunctis 26.10.100.57.101.40
argumentum ab antecedentibus 27.44.34.21.101.44
argumẽtũ ab affecto pari 30.41
argumentũ ab effectis rebus 29.1.104.36
argumẽtum ab efficientibus cauſis 28.29..34.54.103.57.
argumentum à cauſa 284.6
argumentũ à coniugatis 3.31
argumentũ à comparatione 105.12.36.36.35.11
argumentum à conſequentibus 27.30.48.102.97.121.13
argumentum a' contrario 24.61.282.42
argumentũ à definitione 62.21
argumentum à differentia 24.27.99.61
argumentum ad quid deducitur 96.11
argumentum à forma generis 23.7
argumentum à genere 97.48.273.44
argumentum à natura 302.62
argumentum à partium enumeratione 115.31
argumentum à rebus 37.38
argumentum à repugnantibus 70.60.72.39.122.13.174.44
argumentũ à ſimilitudine 99.28
argumentum à toto uel a' partibus 62.18
argumentum de euentu 765.51
argumentum de ſpecie 62.6
argumentũ ex cõtrario 100.32
argumentũ ex fortuna 566.32
argumentum ex genere 37.15.62.1
argumentum ex locis deſignatis 106.17
argumentum ex notatione 51.5
argumenta extrinſecus aſſumpta 30.54
argumentum ex ſimilitudine 262.1
argumentum firmum 436.16
argumentum per ſimilitudinem 770.55.764.36
argumentum probabile 773.51
argumentum quale eſſe debet 8
argumẽtũ quid eſt 6.39.93.42
argumenta quo modo inueniantur 37.28
argumentũ triplex 308.1.356.3
aries 218.27.278.3
Ariſtotelis laus 156.12
Ariſtotelis obſcuritas 153.27
arithmetica laus 338.52
ars 216.46.2.7.10
ars dicendi, et intelligẽdi 81.43
ars duplex 757.37
ars eloquentiæ 709.6
ars & uſus 136.32
ars naturæ imitatrix 6.35
ars intrinſecus & extrinſecus 721.31
ars præfertur inertiæ 84.61
articulus 679.20
artificialis memoria 383.37.640.25
artificialis probatio 164.3.29.179.16
artificioſa eloquẽtia 7.64.721.8
artificioſa memoriæ inuentor 643.11
artis definitio 707.51
artis et iudicij differẽtia 156.58
artis et uirtutis differẽtia 709.3
artis generale præceptũ 653.29
artis genera 719.54.720.31
artis & uſus potentia 90.2
artis principium, et finis 227.57
artium cognitio 49.8
à ſignum abſolutionis 439.57
as 553.5
a, ſimilitudine 309.13
à ſpecie ad genus 283.31
aſpera 460.62
aſpera concurſus 489.15
aſſiduitas literarum 674.15
aſſiduus 17.24.96.21.167.4.294.14
aſſiduus, locuples, & pecunioſus 165.16
aſſumpta uerba 465.35
aſſumptio 776.74
aſſumptio per negationem 70.4
aſſumptiuus ſtatus 396.46
aſtiſmos 688.46
aſtruendi, & deſtruendi partes 16.11
attẽtio quo modo captatur 149.2.524.8.741.40
attentionis effectus 3.24
attributa negatio 760.5.766.10
attributa perſonis undecim 753.59
auaritia 613.20
auctoritas 324.25.718.33
audax & temerarius 717.24
audacia cũ temeritate 420.56.482.6
auditor quomodo fit docilis, attẽtus, & beneuolus 707.39
auditoris præparatio 253.48.321.32
auditorum genera 366.26
auguria, & auſpicia 231.26
auctoritas 227.26
auctoritatis diuiſio 88.63
auris, & auricula 659.46
aut disiunctiua 210.56
auxeſis exhortationis 719.4
Barbariſmus 666.54.667.48
belli euentus 392.2
beneuolentiæ conciliandæ initiũ 253.57
beneuolentiæ comparatio 148.62.740.5
beneuolentiæ modi 524.43
beneuolentiæ partes 3.55
beneuolentiæ princeps 293.4
bona externa ad felicitatẽ 277.23
bonarum artium ſtudia 479.3
bonæ fidei iudicia 303.20
bonorum conſideratio 82.30
bonorum & malorum genera 392.30
bonorum genera 242.21.280.51.415.2
bonorum & malorum diſtributio. 410.24
bonorum ſpecies 224.2
bonum perfectum 716.7
breue genus 459.55
breuis narratio 746.47
breuis ſyllaba pro longa 705.10
breuitas 317.38.516.55.694.58
breuitas orationis 377.7.540.4
breuitatis laus 89.54
C. ſignum damnationis 439.58
cadentia, & deſinentia 413.63
Cæſaris mors 405.35
callidus, & uerſutus 337.17.501.8.717.6.
capita generalia 146.53
capitis diminutio 101.9.263.40.174.7
capitis diſtinctio 640.48
captatio beneuolentiæ 493.17
caſtus ac pudicus 568.56
caſus definitio 130.52.216.47.303.7.79.1.77.54
catachreſis. 314.16
catonis laus 649.36
cauere. 281.47
cauſa 246.14.20.8.726.61
cauſa efficiẽs 28.31.75.51.76.26.81.4.128.38.215.34.426.45
cauſa per accidens 79.12
cauſa præter effectum 83.10
cauſa rationalis 497.27
cauſa triplex 278.21
cauſæ conſtantes 77.20
cauſæ definitio 177.12.364.63.724.7
cauſæ efficientes 490.23
cauſæ in quibus cõſiſtunt 76.54
cauſa neceſſaria 75.61
cauſæ mutabiles 217.14
cauſæ principales 74.21
cauſa quieta 213.20
cauſæ quot ſecundum Ariſtotelem 74.17
cauſæ remotæ 453.26
cauſarum cognitio 83.15
cauſarum conſtitutiones 547.40
cauſarum diſſimilitudo 129.27
cauſarum diuiſio 129.32.217.2.289.31.545.42.
cauſarum genera 144.63.177.14.212.28.248.49.276.53.324.49.361.3.561.30.366.20.493.34.494.25.521.39.740.8.737.40
cauſarũ locus multiplex 87.44
cautio, & cautela 282.5
cedo 307.10
cenſere quid? 166.17
cenſu liber 293.59
cenſus 260.40
centũuiratus 219.29.278.61
certæ rei amplificatio 796.52
ceſſionis forma 40.33
ceſſionis modus 109.13
charitas 405.45.424.48
charitas, & amor 479.36
choragium 516.25.694.34
chriſti iuſtitia 282.21
Ciceronis, & Quintiliani differentia 157.24
Ciceronis facilitas 376.23
Ciceronis interpretes 418.17
Ciceronis laus 222.4
Ciceronis ſcripta 257.10
circuitio 514.7
circuitus hiſtoricorum 38.32
circunſtantiæ definitio 234.3
circunſtantia maxima 236.1
ciuilis ratio 720.20
ciuiles controuerſia 289.58
ciuitas 710.21
clementia 631.13
clitemneſtra mors 750.60
Clodij & Milonis cauſa 206.30
coaceruatio 319.50
coẽptio ſolemnis 23.22.172.35.283.40.98.62
cognitio rerum 418.20.633.25
cognitionis modi 139.34
cognitionis quæſtiones 140.14
cognitiua quæſtio triplex 239.35
cohortatio ad laborem 626.38
collatio 532.29.570.10.773.16
collationis effectus 799.9
colligendi modi 92.10
collatio, uel diſputatio duplex 366.61.369.17
comitia 591.7
commemoratio 464.29
commiſeratio 499.36
commoda eloquentiæ 716.34
commoda & incõmoda 790.42
commoditas 493.10
commodorum genera 423.57

commune argumentum 772.54 140.42
commune exordium 743.59
communes loci 577.8.805.38
communis 266.26.475.2
communium locorum genera 796.51
commutabile exordium 744.2
comœdiarũ argumẽta 536.44
comparabile argumentum 563.29.782.52.773.6
comparatio 177.48.267.23.591.53.742.61
comparatio à paribus 30.10
comparatio à quibus fit 143.48
comparatio duplex 83.19
comparatio, et conceſſio 557.54
comparatio in quibus conſtat 83.3
comparatio ſapientis ad imperitos 223.24
cõparationis cõſideratio 133.30
comparationisq; definitio 222.23.151.64
comparationis locus 105.15
comparationis modi 333.60
comparationis partes 143.3
comparationes quot 223.55
comparationum genera 142.20
cõpellere & congregare 713.28
compẽſationis præcepta 805.22
cõpenſatiua conſtitutio 798.50
complexio 510.1.515.40.606.36.768.44
complexio uitioſa 619.10
conceſſio 593.55
concordiæ laus 231.12
concluſio 622.57.637.10.682.48.785.46.786.46
concluſio per interrogationem 70.5
concluſio ſimplex 769.19
concluſionis partes 331.46
concluſionis reprehenſio 784.64
conditionalis oratio 119.55
concluſionum genera 779.6
conditionalis propoſitio 62.49.64.19.68.26
conditionalis quæſtio 234.55
cõfeſſio per imprudentiã 90.16
conficientes res 479.59
confirmatio 384.6.508.13.544.29.753.17
confirmatio uitioſa 615.2
conflare 574.57
conflictio cauſarum 147.42
conformatio 268.61.516.44
confutatio 508.9.544.29
congreſſio 213.36
coniectura 389.33.434.44.463.13.563.46.727.38
coniectura ab euentu 392.22
coniectura à facto 392.8
coniectura à ſenſu 468.60
coniectura de re, aut de animo
coniectura ex perſona 566.15
coniectura unde 145.29
coniecturæ argumentũ 794.43
coniecturæ diuiſio 481.59
coniecturæ ratio 140.28
coniecturæ tempora 570.12.728.33
coniecturales loci 245.61
coniecturalis cauſa 205.36.275.13.563.28
coniecturalis conſtitutio 140.18.508.55.548.48
coniecturalis quæſtio 239.40.241.4
coniecturalis ſtatus 145.28
cõiugata 19.6.97.18.170.20.261.15.283.22.294.2.359.49.451.13.497.19.56
coniugatio & notatio 300.8
coniugatorum definitio 21.40
coniugatorum diſtinctio 170.42
coniugatorum exemplũ 21.50
coniugatorum, & notationum differentia 193.28
coniugatorum ortus 193.17
coniugatorum propoſitio 51.61
coniugatorum regula 280.7
coniuncta 19.36.132.42.83.3.45.7.455.9.467.40.487.33
coniunctio 379.11.467.14.682.12
coniunctorum commutat. 466.22
connexæ propoſitiones 60.58
conqueſtionis opus 788.26
conuicium 659.49
cõſecutio 575.10.823.9.824.3
conſecutionis genera 383.52
conſentaneorum partes 59.35
conſequens 19.48.27.11.59.26
conſequentia 263.51.264.30.295.57.487.42
conſequentia ab antecedentibus 19.47
cõſequẽtia ſigna 481.62.482.21
conſideranda in argumentis 767.47
conſideranda in conſtructione rhetorica 671.32
conſideranda in geſtione negotij 760.1
conſideratio generalis 118.53.796.1
conſiliorum rationes 542.49
conſilium in quibus uerſatur 426.22
conſtantia in cauſis 130.8
conſtituere actionem 429.35
conſtitutio 548.20.726.54.727.24.737.42
conſtitutio definitiua 140.21
conſtitutio rationalis 598.8
conſul 550.14
conſulentium, & defendentium gloria 86.7
conſultatio 235.32.407.52
contentio 342.15.344.56.510.35.675.54
contentio per continuationem, & per diſtributionẽ 504.36
contentio poſt diuortiũ 82.34
continens 344.45
continentia 417.23
cõtinẽtia et abſtinẽtia 395.40
continentia et modeſtia 631.64
contractio 462.9.464.30
cõtractus nullius momẽti 301.15
contradicentia 294.11
contradictio 7.16
contraria 19.30.173.42.464.46.484.3
contraria & diſſimilia 475.56
contrariæ leges 581.52
contrarij definitio 202.36
contrariorum differentia 87.40.56.13.57.10
contrariorum, & priuantium tractatio 203.25
contrariorum genera 117.29.118.24.268.10.360.14
contrariorum regula 284.25
contrarium 262.46.512.11
contrariũ, & repugnãs 162.53
controuerſia 234.48.478.8.727.15.809.30.815.54
cõtrouerſia ex ambiguo 551.54
controuerſia ex ſcripto 550.47
controuerſiæ genera 549.19
conuentio 346.50
conuentio mulieris 177.42
conuentus 591.21
copulatiua propoſitio 264.10
copulata 461.28
corporalia & incorporalia 298.4
corporalium exempla 38.48
corporis affectiones 758.8
corporis uirtutes 819.17
correctio 513.7
corrupta oratio 674.39
corruptio memoriæ 462.10
Craſſus 651.9
credibile argumentum 772.36
credibile & incredibile 781.5
credibilium genera 155.31
credibilium reprehenſio 781.51
crepitus, et ſtrepitus 574.20
criminis purgatio 556.43
criminis remotio 396.57.397.10.736.35.707.38
criminis relatio 397.9
criminis translatio 592.56
crotoniatæ 787.35
cupiditas & ambitio 511.19.613.14
cuſtos rerum 450.3
cupiditatis miniſtræ 712.42
Damnum 176.61
de expoliendis argumentationibus 600.22
defenſio ubique neceſſaria 7.28
defenſoris argumentum 44.6
defenſoris narratio 562.46
defenſoris partes 438.60.807.57
definiendi ratio 326.50
definitio 13.19.14.47.21.21.37.42.94.32.109.54.182.16.389.33.394.33.462.26.467.29.469.43.513.1.585.56
definitio à cauſa 44.4
definitio à conſecutis 396.17
definitio ad unum uerbum 381.57.320.35
definitio à relationibus 44.3
definitio & definitum 163.7.165.28
definitio & locus 37.39
definitio ex genere 429.62
definitio ex priuatione contrarij 43.48.110.30
definitio optima 739.10
definitio ſecu. ... 161.26
definitiones 330.58
definitionis diuiſio 27.17
definitionis, & notæ effectus 35.44
definitionis mẽbra 181.34
definitionis modus 270.47
definitionis partes 39.7.40.55
definitionũ diuiſio 269.5.270.6
definitionum genera 38.9.87.9.107.45.108.9.185.23.109.45.582.37.268.31.42
definitionum regula 283.58
definitionum uarietas 42.64
definitiua conſtitutio 798.4
dei prouidentia 289.9
deliberatio 355.16.428.8.479.62
deliberationis finis 730.59
deliberationis uis 422.31
deliberationis utilitas 479.15
deliberatiui generis finis 145.14
deliberatiui generis præcepta 508.44
deliberatiuũ genus 342.4.425.63.628.3.817.24
dementium uoluntas 130.42
demonſtratio 504.35.516.63.694.62
demonſtrationis finis 730.59
demonſtrationis genus 412.17
demonſtrationis ordines 367.11
demõſtratiua pars 141.60
demonſtratiuum genus 251.13.637.19.501.4.520.37.50
denominatio 513.62.83.47
deprecatio 397.22.557.20.595.26.736.32

deprecor, & deprecatio 250.7
depulſionis partes 342.41
derogare legem 811.56
deſperatum 765.18
deſcriptio 995.60.396.10.47.45.2.36.692.2
deſiderium 537.62
Deuotio quomodo fiebat 692.27
dialectica 6.8.92.22.154.39.156.33.291.15.584.64
dialectica attributa 338.42
dialecticæ effectus 92.15
dialecticæ partes 282.9.407.27.255.47.157.50
dialecticorum locus 119.17
dialecticum argumentum 608.56
dialogus 485.3
dicenda in petitione præmij 809.10
dicendi doctrina 307.8.449.22
dicendi ratio 307.31
dicendi uirtus 683.19
dicendi uis 449.16
dicere ſententiam 422.4
didaſcalicus ordo 507.51
differentia 173.5.262.29.271.2.294.58.383.47.487.27
differentiæ definitionum 108.14
differẽtia eſt diſſimilitudinis auctor 36.30
differentiarum diuiſio 87.38
differentiarum ſpecies 55.30.117.10
differentia ſiue diſſimilitudo 200.42
dignitas perſonarum 541.44
digreſſio 622.47.745.2
dilatatio 462.8
dilucida oratio 540.56
dilucidum genus orandi 376.11
diminutio 515.30.690.26
diſceptatio 148.10.433.25
diſciplina inueniendi argumenta 91.26
diſſentanea 388.3
diſſerendi ars 6.11
diſſerendi partes 6.6
diſſerendi rationis partes 91.51
diſſerere, & diligenter diſſerere 156.44
diſſerere 257.36
diſſidentia 18.51
diſſimulatio 501.3.538.1
diſiuncta 164.11
diſiunctio 513.18
diſiunctiua propoſitio 264.10
diſiunctorum exempla 318.61
diſpar 496.46
diſpoſitio 364.30.725.51
diſputatio ex quibus argumentis 4.33
diſputatio irridenda 432.12
diſputationis epilogus 508.38
diſtinctionis loci 798.63
diſtributio 390.36.453.17.488.5.515.15.545.4.689.62
diua & deriuata 646.4
diuinationis probatio 159.32
diuiſio 286.37.502.3.467.34
diuiſio & partitio 183.39
diuiſio totius libri 321.19
diuiſio uitioſa 50.27
diuiſionis & partitionis diſcrimen 186.61
diuiſionum definitio 108.38
diuitiæ cui ſubiacent 85.13
diuitiæ & potentia 502.23
diuitiarum exempla 243.3
diuortium & ab eo 174.14.295.48
diuortium & repudium 315.24
diuortium utri culpa actum 26.56
diuortij lex 26.32
docere 485.11
docilitas auditoris 523.59.741.62
doctrinale argumentum 608.54
doctrinæ dicendi diuiſio 383.62
dolus malus 221.2.273.62.279.18.300.29
doli mali definitio 194.57
domus 41.50
dotis conditio 82.37
dotis iura 82.35
dubia 471.55
dubitationis & conſilij cauſa 758.22
dubium genus 523.36
dubium quot modis 583.25
duellum 661.17
duo maxime neceſſaria 723.40
duplicata 318.4.475.14
Eclypſis 645.62
edicta & acta 358.6
edictum 269.30
effecta 104.38.177.32.266.50
effecta cauſarum 277.54
effecta quibus conueniunt 221.40
effectorum cauſa 36.34
effectum 20.9.487.49
efficiens cauſa 104.2.266.1.296.25
elementa quæ? 107.2
elementa argumentorum 758.40
elementorum principium 31.29
elocutio 725.52
elocutio bipartita 653.51
elocutionis effectus 719.10
elocutionis genera 488.25
elocutionis partitio in figuras 50.60
eloquendi exercitatio 466.43
eloquentia 418.61
eloquentia probabilis 377.60
eloquentia in Republica 718.40
eloquentiæ definitio 709.22.711.30
eloquentiæ effectus 707.40.719.12
eloquentia incommoda 716.32
eloquentiæ laus 243.49.709.12
eloquentiæ partes 707.33
eloquentiæ principium 715.61
eloquentiæ uis 714.52.725.47
emphaſis 689.31.694.47
emungo 694.56
enigma 374.18
enthymema 8.11.124.5
enthymema à repugnantibus 211.52
enthymema diuerſarum cauſarũ 390.6
enthymema ex conſequentibus 211.35
enthymema ex contrarijs 72.51
enthymema ex proloquio 302.21
enthymema ex ſyllogiſmo 603.62
enthymema firmum 288.54
enumeratio 406.61.407.22.470.63.165.52.768.57
enumeratio in perorando 477.26
enumerationum genera 787.9
epicherema 621.38
epicherematis exemplum 399.34
epicurei de uirtute 818.13
epilogus 455.15.496.29
epitheton, uel appoſitum 318.30.689.6
ergo 731.26
error 538.5
et copulatiua 210.41
ethica 712.31
etymologia 51.11.113.24
euentus 246.15.324.18.822.45.824.1.391.64.468.36
euentus cum cauſa 717.33
euenta duplicia 221.18
excipere iniquitatem 429.38
exclamatio 676.18.690.15.510.43
ex cõparatione argumẽtũ 309.58.452.14
ex coniunctis 451.37
ex conſequentibus 309.21
ex contrarijs 445.52
ex definitione 552.7
ex effectibus 452.12
exempla ficta 198.5
exemplum 274.36.394.1.472.5.512.2.516.10.773.19
exemplum à conſequenti 143.17
exemplum à diſſimilitudine 173.26
exempli definitio 197.32
exercitatio eloquendi 371.14
ex impari matrimonio 27.22
exhortatio & conſolatio 723.20
exhortationis præcepta 718.49
exitium 607.27
exitus iucundus 539.4
exordij grauitas 532.60
exordiorum genera 527.42
exordiorum ſpecies 599.63
exordium 739.18
exordium ab apologo 529.49
exordium poetarum 536.12
exordium uitioſum 533.34
exornatio uitioſa 618.24
expetenda, & fugienda 142.16
expetenda per ſe 424.11
expolitio 515.49.692.14
explicatio quot modis fit 41.11.42.53
expoſitio 546.35
expoſitio actionis 413.46
expoſitio uitioſa 610.2
ex quibus eloquentia conſtat 719.1
ex ratiocinatione 554.18
ex rebus ipſis 467.4
ex ſimilibus 470.9
extenuatio 467.22
extenuatio peccati 808.1
extranea cauſa 500.13
ex tranſlatione 553.32
extrema uitioſa 420.31
ex uictu argumentum 566.29
exules, & exilium 617.62
Fabri & medici materia 722.46

fabula 394.16.529.50.536.24.743. 8.745.15
facere fidem 469.15
facetus 662.33
facinus, & flagitium 568.62
facta ignorata, & uoluntaria 131.5
facti, & rei differentia 728.56
factionis uſurpatio 204.64
facti improbabilis defenſio 142.3
facti ueſtigia 393.2
facti ſuſpicio 434.33
factorũ dictorumq; collatio 415.50
factorum diuiſio 368.1
factorum enumeratio 821.47
factorum genera 758.53
factum triplex 790.19
facultates 310.57
facultatum definitio 508.61
falſa, ſiue ficta 397.56
fama 226.28
falſum: & incredibile 781.14
fama uulgi 304.28
fatum 74.49.277.8.302.34
felices 228.40
fictiones perſonarum 331.8
fictum, & falſum 471.48
fidei definitio 221.13
fidentia 631.50
fides 355.10.753.43
fiducia 198.18
fiduciam accipere 274.18.300.44
figura 488.32.764.7
figuræ definitio 191.17.
figuræ inſigniores 413.29
figuræ orationis 653.62
figuræ uarietatis 400.32
figurarum diuiſio 695.29
figurarum ordines 509.26
figurarum partes 113.8
filij non iure ſuſcepti 102.44
fines motuum 366.48
fines regere 178.55.264.34.274.34. 285.43.296.56
finis generis deliberatiui 626.49
finis oratoris officij 722.5.789.39
finis orationis 599.60.705.8
finis proſpiciendus 428.23
finitiua quæſtio 239.50.246.54
finitiuæ quæſtioni tributa 241.35
firmamentum 344.16.738.33.431.13. 455.52
firmamentum defenſionis 252.6
firmamentum grauiſſimum 481.12
fiſcus 553.19
fons, & origo laudationis 416.18
forma 261.32.48.1
forma à parte quo modo diſtet 98.52
forma generis 171.48
formalis cauſa 361.11
formæ definitio 187.50.212.56
formæ, & partis diſcrimen 188.29.59
formæ & partium differentia 271.50
formæ laudatio 478.49
formula bonæ fidei 279.10
formula ſtricti iuris 279.9
fornix, & fornicatus paries 176.36
fortitudo 417.39.631.32.709.1
fortitudinis partes 337.34.817.50.340 2.631.46
fortuna, & fors fortuna 614.14
fortuna, ſeu fors 78.42
fortuna ſiue caſus 326.9.98.24
fortunæ commutatio 538.50
fortunæ euentus 289.45
fortunæ exemplum 614.22
fortunæ inquiſitio 568.20
forum 591.11
frequentatio 515.40
fundus 263.48
fures 616.4
furioſi bona 554.63
Galba 650.31
geminata 319.34.379.55.489.26
genera amplificationum 690.41
genera argumentandi 399.27. 472.26
genera decem 194.29
genera cauſarum 739.35
genera dicendi tria 654.60
genera ac modi diſſimulationum 140.10
genera quæſtionis infinitæ 403.8
generalis conſtitutio 802.48
generis definitio 171.4.187.44.720.22
generis diuiſio 53.37.87.33.112.13
generis effectus 35.58
generis exemplum 52.29
generis partes 765.33
generis ſpecies 783.3
generis ratio 415.10
generis regula 283.50
generis, & ſpeciei locus 195.33
generum differentia 202.41
generum diſtributiones 967.21.488.22
generum natura 52.16
gens 268.57
gentilitas 183.4
gentilitatis definitio 111.31.45
gentiles qui? 46.44.555.1
gentilium definitio 186.44
genus 47.60.261.25.407.60. 751.48
genus à ſpecie 98.14
genus deliberatiuum 520.37
genus duplex 194.7
genus & differentia 270.57
genus inanimatum 37.2
genus: quod ſingulariter prædicatur 41.27
genus pro origine 170.25
genus ſua ſponte fuſum 371.28
geſtio negotij 760.27
gloria 304.58.409.8.634.57
gloriæ cum diuitijs comparatio 242.47
gracchi eruditio 647.31.650.8
gradatio 320.52.681.27
gradus locorum 163.21.164.57
gradus omnium cauſarum 429.50
gradus temporum 421.24
grammaticæ laus 719.60 762.40
gratia 631.17
gratia cui habenda 771.1
grauiora 488.54
grauis oratio 661.12
grauitas 537.30.715.38
Habitus 216.38.217.25.392.530 757.17.63.820.16
habitus ex conſuetudine 130.35
haruſpices 308.18
heres 175.58
heres ſecundus 27.60
hereditas 45.45.46.37.111.20
hereditatis definitio 186.25.395.3
hereditatis ſtatus 342.62
helenæ ſimulachrum 787.47
hera 613.45
hiantia uerba 489.16
hiſtoria 403.64.532.32.536.35
hiſtoriographorum exordium 535.12
hoc & illud quo modo differunt 73.34
homeri patria 405.3
homini difficillimum 714.14
hominis definitio 22.57.23.3.37.52. 43.23.45.2.98.46.107.37.141.23. 186.10.729.12
hominis deſcriptio 185.11.729.13
hominis, & equi differentia 111.59
hominis laus 408.10
hominis partes 629.16.40.5.108.34. 712.3
honeſtas ſecundum ſtoicos 724.28
honeſtum 247.12
honeſtum duplex 713.34
honeſtum & utile 251.12.817.34
honeſtum genus cauſæ 740.10
honeſta ab æquis 410.27
honeſta, & commoda 424.16
honeſta utilibus anteponuntur 134.4
honeſtatis & turpitudinis expoſitio 144.3
horarum origo 761.17
humile genus 523.57.740.27
hyperbole 200.33.314.56.374.26. 514.21.458.60.685.10
hyperbolica propoſitio 64.30
hyperbolici ſyllogiſmi 65.46
Idea 294.42.299.16
idea ſecundum Platonem 48.11
ideæ definitio 187.9.111.53
Idem ſignificantia 460.36.462.17
Igitur 731.26
Ignominiæ ſignum 440.8
illuſtratio uitæ 719.8
illuſtre genus 415.11
illuſtris oratio 378.31.460.20
imago 516.15.693.53.773.13
imbecilla quo modo ſuſtinentur 393.29
imber ſecundum Ariſtotelem 194.34
imitatio 457.7
immortalis anima 606.53
imperandi modus 473.61
impius, & nefarius 656.27
impropria, & figurata 377.25
impudentia 391.62.556.53.
impulſio 553.56.79.29

inartificiales loci 157.56
inconſtans reſponſum 482.2
in contemptionem adducere 526.46
incorporeorum definitio 183.30
incorporeorum exempla 38.52
incredibilia 455.12
indicium peracti facinoris 119.12
indignatio 787.24
in diſtributione ſeruanda 751.11
inductio 602.15.196.58.774.18
infantia 241.14
infame genus 415.21
inficiari 329.54
infinita quæſtio 365.34
inflexio 457.14
inflexionis ratio 372.21
ingenium 227.39.640.3.717.51
ingenij cultura 227.60
ingenui qui? 298.51
in inuidiam trahere 526.32
initia unde ſ 385.29.386.52
initium à laude ſeu à uituperatione 335.47
iniurias ulciſci 490.38
in negotij geſtione contenta 759.8. 760.17
IN nominibus præpoſita 203.22
in partitione ſeruanda 752.33
in perſonis ſpectanda 389.58. 392.36
IN præpoſitio 57.33.117.60.275.6 360.18
inquiſitio per deſcriptionem 141.32
inquiſitio per diuiſionem 841.36
inquiſitio per genus 141.30
inquiſitio per partitionem 141.37
inquiſitio per proprium 141.31
inſignis 413.26
inſimulare 345.43.630.43
inſinuatio 457.17.512.57.523. 15.527.32.742.8
inſinuatio à principio 532.58
inſinuatio per narrationem 746.27
inſperatum incommodum 538.56
inſtitutum, & inſtituere 247.47
intelligenter audiri 385.57
intelligentia 630.32
inter antonomaſia, & epitheton 679.15
interrogare, & percontari 329.5
interrogatio 473.42.510.55. 676.32
interpello, & interpollo 585.15
interpretis officium 91.46
inueniendi ars 93.33
inueniendi genera 737.18
inuentio 155.55.499.54.725.47. 726.37
inuentio cui ſubiacet 5.30
inuentio & elocutio 723.41
inuentionis exordium 4.62
inuentionis uis 4.48.157.1
inuentionum genera 523.42
inutilis definitio 799.6
ira, & iracundia 791.59
ironia 320.27.688.31
ironiæ ſpecies 688.38
iterata 475.13
iudicatio 146.63.560.4
iudicium 155.57.156.55.157.8
iudiciale genus 520.38.61
iudicialis conſtitutio 735.11
iudicia publica 219.32
iudicialis & deliberatiuæ cauſæ finis 817.4
iudicialis generis finis 145.9.342.39
iudicialis finis 730.6
iudicialis materia 723.132
iudicia publica 219.28
iudicia priuata 303.13
iudicij confirmatio 783.40
iudicij proprium 327.37
iudiciorum formulæ 299.49
iudicum offenſio 742.19
iuris antiſtes 219.64
iuris ciuilis definitio 15.6.293.30
iuris ciuilis partes 183.54
iuris ciuilis ſcientia 94.45
iuris definitio 239.4
iuris conſulti 219.39.225.3.
iuris conſultorum prouincia 82.22
iuridiciales loci 247.3
iuridicialis cauſa 597.16.598.56
iuridicialis conſtitutio 555.58.588. 52.804.23
iuris diuiſio 48.37.441.9.483.13
iuris initium 291.1
iuris origo 478.20
iuris partes 145.3
iuris priuati diuiſio 334.28
iuris ſolemnitas 409.22
iuris ſpecies 346.28
ius ab æquitate 233.18
ius ciuile 39.55.165.34.260.24. 429.24
ius ciuile, & ius gentium 281.1
ius dicere 801.14
ius duplex 346.23
ius ex conſuetudine 631.24
ius gentium, & naturale 442.15
ius poſſeſſionis 295.25
ius publicum & priuatum 334.24. 442.29
ius uniuerſum 271.42
iuſtitia 165.33.338.25.709.1
iuſtitia 417.50. eius partes 418.2. diuiſio 417.53
iuſtitia triplex 818.5
iuſtitiæ comites 639.23
iuſtitiæ definitio 248.27.297.45. 630.47.631.7
iuſtitiæ definitio ſecundum Platonem 144.46
iuſtitiæ effectus 715.6.10
iuſtitiæ & amicitiæ affinitas 424.44
iuſtitiæ partes 817.47
Lachrimæ in oratione 788.24
Lælius 650.12
lætitia ſubita 538.62
lætitiæ definitio 245.1
latini & latinitas 665.14
laudabile 634.63.638.9
laudanda 412.42
laudandi, & uituperandi uis 421.10
laudatio 535.34
laudationis finis 145.16.335.64
laus à conſecutis 421.56
laus in actione 416.64
legales conſtitutiones 625.61
legales ſtatus 432.60
legalium ſpecies 148.38
legalis controuerſia 816.40
legare, & legatum 171.30.135.50
legatarius 172.52
legitima cōſtitutio 548.63.553.33
lex 39.58.108.23.324.27.519.51. 631.31.589.34
lex Aelia 17.15
lex diuina, & humana 441.53
lex & mos 429.24
lex iniqua 160.43
lex maxime conſeruanda 815.49
lex naturæ 296.12
lex quæ, & unde 269.20
legis definitio 184.11.441.20
legis effectus 347.12.55.49
legis ſenſus 551.20
leges contrariæ 814.51
leges & iura 581.27
legum diuiſio 184.25
lemma 738.23
lenitas 538.36.537.35
leniora 358.56
libellus repudij 264.59
liber & libertas 166.6
liberalitas 338.8.339.64
liberalium artes præceptores 756.40
liberi erga parentes 411.16
liberi faciendi forma 166.14
liberi faciendi modus 15.30
liberi faciendi partes 15.31.16.2 95.16.50
libertas antiquorum 712.39
libertas humana 239.20
libidinis origo 624.32
libido 564.29
libripens 109.6.369.59
licentia 515.21.690.4
lis & iurgium 659.38
literarum elementa 107.7
litigioſum argumentum 608.61
loci accuſatoris in definitione 798.61
loci catholici, & reciproci 168.51
loci communes 499.31
loci coniecturæ 389.41
loci finitimi 246.35
loci condicionales 62.49
loci locorum 14.2
loci principales coniecturæ 790.12
loci qui 11.4 eorum partes 11.37. 760.32
loci ſimplices 13.57

loci uirtutum, et uitiorum 334.4
loci unde 49.25
locorum communitas 54.13
locorum differentia 51.56
locorum diuiſio 282.35.159.49.356
27.750.29.485.1.575.57
locorum & rerum partitio 37.44
locorum figurae 259.42
locus ab adiunctis 58.16.26.118.45
locus ab auctoritate 286.5
locus ab efficientibus cauſis 127.8
locus à cauſa 218.37
locus à comparatione 222.19
locus à contrario 117.28.201.46
locus à genere 37.9
locus à ſimilitudine 115.57
locus à toto 32.53.94.39.107.33
locus communis 581.41
locus condicionalis 126.3.87.43
locus ex cauſis 132.36
locus differentiae 288.5
locus extrinſecus 87.61.98.16
locus naturalis 821.64
locus oratoribus & philoſophis communis 125.10
locus prior, & poſterior 35.29
locus reprehenſionis 317.26
locus ſignorum 288.28
locus ſimplex 275.41
locus tripartitus 120.36
locus uirtutum 336.50
locus unde ? 63.17
locuples 608.26
logica quae 4.14.43
logica uis 4.30
logicae definitio 257.34
longitudo orationis 376.64
luxuries & auaritia 610.26
luxurioſus 110.9
lycurgi leges 718.1
Magiſtratuum adiecta 184.40
magiſtratus à deo 292.24
magna uſu, aut natura 405.29
magnificentia 931.48
magnitudo animi 337.54
magnum, & amplum 721.3
maieſtatis crimen 553.28
maius & minus 779.53
maledicere & accuſare 615.51
maleficii exageratio 808.6
male parta male dilabuntur 164.17
mancipatio 40.21.109.1
mancipatio fiduciaria 116.12
mancipandi ritus 40.24.109.9
mancipi res 40.15.108.4
mancipii ſignificatio 182.53
mancipio dare 274.51
mancipium 268.52.297.55
mancini hiſtoria 300.3
mandatarius 274.6
manifeſta concluſio 779.5
manumiſſio 166.11
manus pro poteſtate 172.29
mulier capite diminuta 35.40

mannum geſtus 505.11
materia triplex 723.1
materia rhetorica 722.49
materiae definitio 213.4.712.57
materia diuiſio 722.38
materia & formae conſideratio 5.41
materies 611.30
materfamilias 23.21.261.50
mathematicorum ſcientia 132.51
matricidii accuſatio 147.46
matrimonium 239.14
matrona 172.20
maturatio 501.5
medicinalis officii finis 721.14
medium inter affirmationem & negationem 11.25
medium inter uitium & uirtutem 518.22
membra domus 95.45
membra loci quatuor 14.34
membrorum diſcordia 199.20
memoria duplex 383.37
memoriae argumentum 642.9
memoriae definitio 640.32.725.56
memoriae comparatio 321.5
metaphora 190.3.686.16
metalepſis 695.39
metatheſis 695.36
metonymia 314.6.458.42
metonymiae ſpecies 374.8
metrum 699.55
metus 216.33.245.2.537.50
militaris ordo 157.45
minorum comparatio 20.18
miniſtra ſapientiae 418.35
minuendi ſpecies 690.31
miſerabilis conditio 405.60
miſericordia 538.15
miſericordiam captare 624.59
modeſtia 631.54.632.16
modi conditionales ſeptem 123.15
modicum 631.60
modi definitio 762.24
modi expetendi, & fugiendi 333.56
modi ex prudentia 762.37
moderationis regula 409.13
modi modificationis 458.33
modi ſimplicium 139.60
modus concluſionis 123.49
modus faciendi inductionem 775.4
modus narrationis 748.51
modus reprehenſionis 784.52.786.5
monoſyllaba 673.58
monstroſus, facinoroſus 390.42
monſtrum, & prodigium 414.61
morales uirtutes 336.57.417.4
moralis philoſophia 219.5
mores diuturni 905.2
moris definitio 184.45.247.43
mors laudabilis 340.52
mors 423.19
mos 40.9.269.32.519.50.324.30
motus animi in oratione 366.55
motus definitionis 244.38
motus perſonarum 389.61

mulierum, & pupillorum tutela 55.48
mulierum tutela 204.51
multiplicatio 463.56
mundi facies 724.33
mycteriſmos 689.8
N. L. ſignum amplificationis 439.58
narratio 368.59.50.35.504.50.384.
5.387.12.387.43.627.20.744.28.
747.59.749.53
narratio cauſa 607.6
narrationi aſſignata 375.54
narrationis definitio 254.10
narrationis initium 545.17.49
narrationis locus 323.64
narrationis praeceptum 749.12
narrationis partes 539.12.745.50
narrationum genera 534.6.600.3
narratio remota 745.8
natura 216.43.488.36
natura duplex 765.31
natura eloquentiae 704.12. ars
inertia 134.38
natura praefertur arti 84.61
natura pro ingenio 277.41
natura comparatio 488.13
naturae definitio 643.46.755.9
natura imitatrix 229.5
natura ius 497.42.631.18
natura lex 144.16
naturae qualitas 715.58
naturae ius 441.26
naturalis oratio 475.19
neceſſaria 467.39
neceſſaria in negotio 759.48
neceſſaria quomodo ponuntur 84.21
neceſſariorum conſideratio 30.46
neceſſarium 422.39
neceſſitas duplex 229.13
neco, necui, & neco necaui 645.26
negantia 765.26
negatio adiuncta 763.20
negatio facti 481.19
negationes duae 71.44.124.33
negatiuae propoſitiones 264.11.
126.34
negotialis conſtitutio 598.45.735.12
negotiatorum natura 392.45
negotium 520.40.758.821.21
neptunus 661.26
nex 180.60
nexus definitio 384.59
nexus & nexum 269.55
nexus uenditionis 286.52
nili ortus 207.34
nomen 173.7
nominatio 513.55
nominum ſignificantia 754.7
non dubia 472.18
non neceſſaria 364.4
non neceſſaria meliora neceſſariis 134.18
nota 51.6.259.6
nota latine. ἐτυμολογία graece 162.19
notio 17.5.47.52.48.9.166.58.
308.33.516.18.299.2

notationis definitio 191.52.241.36.
187.62
nouota 456.50
numerata pecunia 209.59
numerus 699.40
numeri in oratione 315.12
nuncium 264.58
nuptie antiquorum 712.36
nuptie legitime & illegitime 174.30.
296.9
nuptie per coemptionem 23.26
Obſcura 455.51
obſcurum genus 459.44
obligatio per as & libram 108.56
obliuio propoſitionis 785.53
obſeruantia 631.20
obſoletus 688.29
occaſio 761.63.822.14
oculorum & aurium ſigna 781.62
occupatio 513.12
odium & inuidia 717.38
officia ſecundum Ambroſium 630.34
officij deſcriptio 244.24.721.55
officij diuiſio 629.14
officij & finis differentia 722.18
officiorum gradus 411.13
officium 423.26
officium oratoris 599.59
omnis animi paſſio iudicium turbat 80.23
omnium cauſarum ſpecies 336.30
omnis queſtio dubitabilis eſt 65.10
operis intentio 81.15
opes & diuitie 325.52
opimy hiſtoria 344.54
opinio 324.23.792.23
opinio à fide 232.22
oppoſita 262.56
oppoſitorum genera 56.7.202.7
optima ſemper tenenda 479.39
optimus orator 599.57
opus inteſtinum 254.64
oracula 449.6.308.10
orandi ratio 521.16
oratio aperta & dilucida 317.2
oratio conuerſa 462.4.381.10
oratio duplex 226.6
oratio ex quibus conſtat 352.48.378.5
orationis conditio 413.33
orationis deliberatiue qualitas 627.31
oratio illuſtris 317.55
orationis longitudo 407.17
orationis membrum 678.30
orationis ordo 368.24.370.56.382.52
orationis ornamentum 336.13
orationis partes 253.36.353.54.354.5.
364.21.376.1.384.1.450.4.521.40.
599.62.702.43
orationis principium 517.3.707.38
orationis qualitas 428.15
orationis ſpecioſiſſimum genus 688.2
orationis ſtructura 459.8
oratio perpetua, & conciſa 253.24
oratio propria 376.25
oratio ſimplex 342.22.460.25
oratio ſermo dicta 357.43
orationum genera 544.31
orator 709.10
oratores & philoſophi 278.59
oratoria à philoſophia 80.61
oratoria & Helene comparatio 788.37
oratorie artis inuentores 789.1
oratorie artis officium 721.53
oratorie queſtiones 299.57
oratoria narratio 746.6
oratori neceſſaria 357.25
oratoris effectus 354.16
oratoris officium 450.10.493.25.519.33
721.64.724.39.725.18.739.3.789.
38
oratoris partes 321.21
oratoris proprium 725.24
oratoris uis 352.58.355.7.37.33.
449.11
oratorum, & dialecticorum partes
196.17
oratorum loci 575.43
ordines quinque 454.50
ordo in rebus gerendis 713.24
ordo, iunctura, numerus 671.32
ordo locorum 454.71
ordo orationis 352.45
ordo procedendi 404.61
ordo temporum 478.51
Pactum 346.48.492.6.631.27
pactum & promiſſio 358.9
pedagogus 659.35
palamedis hiſtoria 229.60.304.18
paradoxa Ciceronis unde 156.25
parentheſis 696.19
parentum amor in liberos 772.41
parium diſcretio 85.48
parœmia 638.51
parium comparatio 20.15
parricidarum pœna 222.30.495.52.
555.5
partes 293.50.751.48
partes concluſionis 786.48
partes coniuncta totum efficiunt 39.33
partes compenſationis 805.36
partis & forme diſtinctio 171.62.189.7
partes & ſpecies in quo differunt 47.15
partes generis deliberatiui 627.10
partes generis & forme 49.57
partes hominis 49.43
partes neceſſarie 353.1
partes orationis 738.62.739.13
partes oratorie artis 789.42
partes qualitatis 471.22
partes rhetorice 597.62.725.45.726.28
partiendi ratio 446.15
partitio 19.47.40.6.269.15.573.15.
749.47
partitio argumentationis 777.8
partitionis concluſio 87.60
partitionis effectus 545.50
partitionis exemplum 108.19.
39.54
partitionis uſus 112.42
partitionis partes 749.54.750.50
partitionum precepta 753.3
particio qualitatis 409.60
partium diuerſitas 181.39
partium enumeratio 53.32.161.49
partium genera 165.63
patientia 417.45.631.51
patroni, aduocati, procuratoris, &
cognitoris differentia 220.11
paucitas in partitione 751.43
pauli argumentum 283.34
pauſanie hiſtoria 290.46.304.4
pauſanie mors 137.22
pauſanie proditio 229.40
pax unde 710.24
pecudes 297.57
peculatus accuſari 553.55
pecunia numerata 301.54
pecunia in nominibus 100.4
pecunia numerata 22.49
pecunie ſignata 209.61
pecunie definitio 298.42
pedes carminum 699.57
pedes oratorij 704.41.705.55
pedes trium ſyllabarum 705.52
penus 173.51.182.62.432.48.491.7.
268.53
pepigi 590.45
percontari 400.47
perfecta habitu & uſu 714.19
perfecta per ſe 480.2
perfectum 715.27
periphraſis 315.5.374.36.684.36
permiſſio 513.29
permutationis ſpecies 514.42
peroratio 254.42.329.60.474.31.402.
19.384.5
perorationis amplificatio 331.53
perorationis ratio 622.59
perſeuerantia 143.14
perſona muta 405.8
perſone attributio 234.13.794.61
perſonarum genera 385.6
perſonarum ratio 321.39
perſonis attributa 819.42
perſuadendi modus 718.4
pertinacia que & unde 143.10.246.48
perturbationes animi 613.16
perturbati animi effectus 131.44
perturbationis cauſa 216.27.37.33
perturbationis definitio 129.21.
227.47
perturbationum genera 303.64
philodami hiſtoria 387.52
philoſophie laus 154.3.446.40
philoſophie partes 712.29
philoſophi officium 276.42
philoſophorum & oratorum communitas 82.4
philoſophorum initium 716.59
philoſophorum laus 221.47
phiſica 712.30
phyſicorum locus, & tempus 207.31
phyſicorum proprium 409.21

pietas 247.55.248.3.610.34.631.15
peto, & poſtulo 680.44
pœnitet 796.21
pollicitatio 501.1
polyonyma 182.34
porcina 651.2
poſſe, & facultatem habere 735.13
poſthumus 302.1
poſtliminij definitio 192.38
poſtliminio redire 113.35
poſtliminium 287.29.51.19.273.24.
299.61
poteſtas, facultas & uoluntas 791.37
plebiſciti definitio 184.21
pleonaſmi ſpecies 695.51
practike 724.15
pragmatica quaeſtio 145.44
praecepta conſtitutionis 801.46
praecepta officij 808.12
praecipiendi locus 410.51
praeciſio 682.36
praedicamenta ſeu categoriae 93.19
praedicatiua propoſitio 62.38.64.14
praedicatoria quaeſtio 235.35
praedicatum 11.47.63.62.258.28
praedicatum & ſubiectum 93.57
praedicatus 7.57
praedium 268.49
praemij competitores 814.61
praeiudicium 226.24
praenomen, nomen, cognomen, & agnomen 683.20
praeſcribere 572.30
praeſens tempus 761.33
praeſtare 177.1
praeſtare fidem 198.15
praetor 776.12
praeuaricatio 439.22.482.49.749.33
praeuaricator 440.3.491.19
prima cauſarum diuiſio 128.32
prima hominis ſcientia 714.27
prima iudicia 278.50.279.7
prima narrationis uis 327.31
principia deliberationis 501.32
principia ſuſpicioſa 438.1
principium 523.17
principium ab aduerſarijs 386.61
principium eloquentiae 711.53
principium orationis 384.4.428.11
principum placita 184.37
priſca uerba 373.26
priuatarum cauſarum quaeſtiones 131.62
probabile argumentum 562.57.563.39.
769.56.771.34.772.2
probabile genus 318.49.460.6
probabilia 30.49.356.10.489.49
probabilis narratio 324.6.387.40.
748.28
probatio ab utili 435.21
probatio à re 225.56
probatio cauſarum 434.28
probatio ab autoritate 179.57
probatio artificialis 179.40
probationes adiuncta coniecturae 796.30
probationis artificialis ſpecies 193.6.225.
26
procurator 198.40
profani 326.2.572.6
prooemium 342.30.493.1
prooemij effectus 91.6
prooemij partes 1.2
promethei origo & fabula 652.42
pronunciatio 494.16.503.1.725.59
pronunciationis diuiſio 353.22
propoſitio 235.8.281.12
propoſitio disiunctiua 67.26
propoſitio dubitabilis 6.61.7.50
propoſitio maior & minor 8.44
propoſitio maxima 95.8
propoſitio poetarum, & oratorum 386.5
propoſitio ſimplex 7.53.8.53.63.60
propoſitio ſuperabnegatiua 66.32
propoſitio repugnans 60.49
propoſitiones compoſitae 64.17
propoſitiones, quae medium non habent
67.49
propoſitionum genera 8.63
propoſitum 237.14
propria alienis meliora 84.32
propria rei nota 205.50
propria uerba 671.1
proprietas 312.46.469.53
proprietatis definitio 241.44
proprij loci 433.42
proprium 271.4
proprium oratoris 601.38
proſopopoeia 693.57
proſleſis 695.54
protegere, & protecta 180.4
prouidentia 630.32
prudentia 336.62.339.42.707.60
prudentia, & calliditas 630.15
prudentiae comites 478.60
prudentiae definitio 629.47
prudentiae effectus 441.7.613.2
prudentiae partes 630.30.632.28.817.43
prudentiae ſedes 416.34
publica iudicia 279.1
purgatio ſiue conceſſio 397.11.218.54.
736.25.808.37
Quadruplator 615.60
qualitas abſoluta 397.8
qualitates fugiendae, aut expetēdae 143.52
qualitatis comparatio 142.25
qualitatis quaeſtio 239.58.242.37
qualitatis quaeſtio triplex 242.51
qualitatis ſtatus 440.64
qualitatiuus locus 822.2
quae à iudicibus conſideranda ſunt 132.6
quae ad aliquid dicuntur 33.7
quaedam non laudabilia, ſed iure conceſſa
343.25
quae genera ſumenda ſunt 52.37
quae hominibus, & animalibus accidunt
130.56
quaerenda, & fugienda 341.59
quaerenda in uerbis 371.35
quaerendi modus 335.23
quaeſita, & quaeſtiones 358.14
quaeſtio 6.50.7.20.11.1.147.40.48.10.
226.37.344.16.485.8.726.54
quaeſtio coniecturalis finitiua, iuridicialis
233.43.239.35
quaeſtio controuerſiae 727.20
quaeſtio diſceptiua 431.5
quaeſtio duplex 431.18.450.11
quaeſtio finita 345.6
quaeſtio finita, & infinita 407.32.436.5.
233.63
quaeſtio cognitiua 238.62.239.35
quaeſtio infinita 238.50
quaeſtio infinita coniecturalis 409.16
quaeſtio omnium prima 240.39
quaeſtio rhetorica 50.31.113.6
quaeſtio triplex 245.49
quaeſtionis definitio 233.1.477.40
quaeſtionis diuiſio 354.58
quaeſtionis partes 7.26.8.1.11.39
quaeſtiones natura 407.40
quaeſtiones tormentorum 401.59
quaeſtionum diuiſio 334.53
quaeſtionum genera 138.45.183.23.411.
41
quaeſtionum numerus 389.28
quaeſtionum omnium origo 142.37
qui ſui iuris non ſunt 174.30
qui teſtamentū conficere nequeunt 674.31
quo tempore Cicero ſcripſit Topica 1.12
Rara uulgaribus antecedunt 84.37
ratio ciuilis 720.56
ratio 251.53.258.7.389.34.608.2
ratio, & induſtria 503.28
ratio, & inuentum 159.20
ratio, & ratiocinatio 614.3
ratio philoſophandi triplex 446.55
ratio poſt conſtitutionem 558.33.559.17
ratio uitioſa 613.53
ratiocinatio 511.16.563.61.587.44.776
14.22.41.790.35.791.12
ratiocinationis loci 792.59
rationalis propoſitio 264.9
rationalis ſtatus 432.10
rationis & ſapientiae effectus 714.11
recta animi intelligentia 519.26
rectum 430.7
refutatio 398.6.430.25
refutatio accuſationis 145.50
regis & tyranni differentia 243.45
regreſſio 675.34
regreſſus 320.47
rei accidentia 134.19
rei publicae felicitas 239.32
rei publicae partes 709.17.719.25
rei uxoriae actio 303.30
relata 475.11.489.24
relata ad idem uerbum 319.30
relatio criminis 557.25
relatiua conſtitutio 798.50
relatiua reciprocantia 56.47
relatiuorum definitio 204.6
relatiuorum potentia 56.47
religio 324.31.340.9.610.52.631.14

religioſus

religioſus 610.64
remora uis 559.34
remotio criminis 557.32.596.32
repetitio 675.1
repetitio ab inferiori 463.26
reprehenſio ſiue refutatio 397.35.780.20
reprehenſio aduerſariorum 800.15
reprehenſionis diuiſio 619.50
repudium 295.51
repugnantia 59.27.103.35.160.49.263
56.254.33.265.19.453.13.487.47
repugnantia conuenire non poſſunt 28.28
rerum cognitio 446.43
rerum conſtitutio 548.4
rerum diuiſio 55.23
rerum omnium cauſa 78.8
rerum omnium moderatrix 719.32
rerum primordia 488.9
rerum publicarum gubernatores 716.42
rerum publicarum interitus 717.1
rerum uarietas 538.18
res affectæ 450.38
reſiſtere quæſtionibus 474.24
res maiores 1.9
reſpondere, & reſponſa 268.13
res quæ nos alliciunt 424.6
reuocatio 500.64
rex, & tyrannus 395.32
rhetoribus conceſſa 613.32
rhegium, rhegini, & rhegienſes 154.32
rhetorica 165.10.338.44.359.23.404.
4.519.14
rhetorica inductio, & dialectica 198.3
rhetoricæ definitio 326.57.720.5
rhetoricæ materia 597.4.725.33
rhetoricæ neceſſaria 697.40
rhetoricæ partes 352.7
rhetoricæ partes 307.13
rhetoricæ partitio 183.45
rhetoricæ ſpecies 324.49
rhetoris proprium 725.24
rhetoris, ſophiſtæ, & oratoris differentia 709.9
rhythmus 699.52
riſus quando mouendus 529.26.530.17.
531.6
rogare 582.32
ruta 481.33
ruta, & cæſa 345.20.432.50
rutis, cæſis, receptis 282.7
Sacerdotum reſponſa 184.32
ſanctio 582.42
ſanctitatis definitio 248.14
ſapientia duplex 409.28
ſapientia, & prudentia 629.21
ſapientiæ definitio 629.51
ſapientiæ & eloquentiæ effectus 714.50
ſapientiæ & eloquentiæ coniunctio 707.48
ſapientiæ laus 714.22
ſapientiæ perſuaſio 714.32
ſapientiæ poteſtas 711.11
ſapientis natura 712.21
ſarcaſmos 688.40
ſatis dare 176.64.300.39
ſcientia ciuilis 721.16
ſcientia & uirtus 630.5
ſcientia oratoris 739.32
ſcipio 650.24
ſcriptura initium 716.58
ſæuitia, & clementia 454.48
ſ. & x. aſperitas 673.51
ſecunda diſtributio 546.13
ſecundo attributo ſubiecta 760.11
ſemiſſis 553.6
ſenatuſconſulta quæ? 39.59
ſenſus hominis 724.30.772.8
ſenatuſconſulti definitio 184.28.108.14
ſententia 464.56
ſententiæ definitio 677.16.511.32
ſequentia, & conſequentia 208.40
ſeptem in narratione neceſſaria 748.30.
ſermocinatio 516.35
ſermo feliciſſimus 672.35
ſeruorum enumeratio 162.4
ſeruorum initium 757.4
ſeruorum teſtimonia 436.44
ſicarij 66.11
ſi coniunctio 210.35.211.12
ſi dies eſt, lux eſt 65.4
ſigna facti præteriti 434.57.435.7
ſignificata 456.39
ſignum 571.1.781.56
ſignum duplex 573.23
ſi hoc eſt, illus eſt 71.54
ſimilia quæ? 29.53
ſimiliter cadens 679.53
ſimiliter deſinens 680.4
ſimilitudo 261.58.172.49.294.48.394.
4.451.20.456.60.487.22.515.63.
692.36.787.36
ſimilitudo duplex 115.64
ſimilitudo, & eius uſus 195.48
ſimilitudinis diuiſio 54.6
ſimilitudinis exemplum 54.52
ſimilitudinis partes 783.52
ſimilitudinum formæ 274.19
ſimilitudinum genera 196.40
ſimilium, & contrariorum ordo 36.19
ſimilium & diſſimilium oſtenſio 782.54
ſimplex genus dicendi 456.15
ſimplicia 312.35.455.8
ſimplicia inuenienda ſunt 371.31
ſimplicium genera 242.50
ſingulare 571.49
ſocietatis gradus 410.47
ſocij & amici differentia 710.39
ſocius 274.4
ſolœciſmus 666.19.667.24
ſolonis leges 717.62
ſomnium Cæſaris 232.9
ſonantia, & iucunda 460.55
ſonora 488.52
ſophiſta 709.9
ſophiſtica diſputatio 4.35
ſoritici ſyllogiſmi forma 807.23
ſpatium temporis 749.5
ſpecies 22.55.36.2.294.32.271.17
ſpecies à Cicerone uocantur formæ 20.35
ſpecies ad genus 99.28
ſpecies à genere ſeparatio 71.33
ſpecies amplificandi 690.31
ſpeciei diuiſio 87.34
ſpectanda in probatione cauſarum 565.18
ſpeculationis, & iudicandi uia 5.46
ſpes 537.38
ſtadium unde 727.42
ſtatus 249.35.250.34.305.7
ſtatus ambiguus 443.26
ſtatus compenſatiuus 496.17
ſtatus legalis 444.6
ſtatus oratorum 389.32
ſtatus qualitatis 346.18
ſtatus unde 343.54
ſtatuum diuiſio 252.27.325.8
ſtatus in exornatione 430.15
ſtillicidium 182.48.268.51
ſtipulatio 272.30.306.7.346.58
ſtipulationum formulæ 190.59
ſtipulationum partes 299.44
ſtoici qui, & unde 156.19
ſtudiorum genera 419.51
ſtudium 711.61.758.9.820.31
ſtudium eloquentiæ 718.48.719.17
ſtudium & diſciplina 725.1
ſtultitia cum irriſione 532.16
ſtultitiæ definitio 117.57
ſtultitiæ effectus 611.29.613.3
ſuaue genus 460.47
ſuauis narratio 406.27.543.29
ſuauis oratio 318.49.380.9
ſubiectum 11.47.258.27
ſubiectum 63.61
ſubſtantia 258.41
ſubſtantia 730.16
ſumma negotij 759.30
ſumma ſummarum 302.5
ſupellex 268.53
ſuperbia 338.61
ſuperſtitio 420.60
ſuperſtitio à religione 247.64
ſupplicium iniquum 814.7
ſuſpicio 537.57
ſymbolum ſecundum Ariſtotelem 51.8
ſyllogiſmus 8.9.124.63.345.32.399.30.
603.44
ſyllogiſmus ex quibus conſtat 63.55
ſyllogiſmi conditionales 63.48
ſyllogiſmi exemplum 9.23
ſyllogiſmi partes 65.29
ſyllogiſmi hypothetici 210.29
ſylua 611.63
ſyncopa 696.32
ſynecdoche 91.16.685.57
ſynodi conſtitutio 283.33
ſynonyma 182.34
Tabula pro teſtamento 263.45
tabulæ ſecundum Quintilianum 226.40
tapinoſis 699.2
temperentia 417.3.478.57.632.10
temperantiæ definitio 337.27.339.52.
709.2.817.53
tempeſtas 326.4

tempora duo 409.43.
tempora tria 495.10
tempori ſubiecta 327.61
temporum conſideratio 527. 27. 761.1. 758.34
temporum gradus 367.13.488.19
temporum partitio 391.3
tempus idoneum 749.7
tentatiuum argumentum 608.52
terminus maior, & minor 7.55.8.22
termini qui 11.23
teſtamentum 166.40
teſtata 467.54
teſtatores qui 295.31
teſtes qui 88.60
teſtes fide digni 228.6
teſtimonia inartificialia 356.61.401.22
teſtimonij genera 225.63.226.21
teſtimonium 88.42.163.40.177.19
teſtimonium à claro uiro 232.28
teſtimonium induſtriæ 232.20
teſtimoniorum præcepta 435.56
teſtimoniorum ſpecies 356.53
teſtis auctoritas 135.52.179.23
theſis quæ 139.1
theorice 724.14
theſis à cauſa 137.4
timenda, & non timenda 173.37
timor 216.32
titi liuij exordium 704.15
tmeſis 695.43
topica 5.56.6.33.153.16
topica Ariſtotelis 153.18
topica & dialectica differentia 92.42
topicorum Ariſtotelis & Ciceronis differentia 11.8
topicorum intentio 2.13
topicorum præcepta 281.9
totius amplificatio 282.44
totius diuiſio 260.11
totum 450.34
totum à genere 47.25
tranſcribere 648.19
traductio 510.26
tranſgreſſio 514.18
tranſlata 475.7
tranſlatio 48.57.189.20.190.1.458.35 499.50.514.31.550. 7.587.6.737. 13.801.7
tranſlata uerba 480.30
tranſitio 535.20
triens 553.7
trimeter Ciceronis 704.19
triptolemi origo 652.23
trochæus pro ſpondeo 705.11
tullius & Zeuſis comparatio 788.39
tum ſyllaba adiecta 165.51
tumulentus 168.30
turpitudo 742.28.818.19
turpe genus 523.38
tuſculanæ quæſtiones 153.4
tuſculanum 153.12
tutela 268.56.296.39
tutela mulierum, & pupillorum 117.26. 201.17.274.59
tutela quot modis fit 50.4.112.52
tutelæ diuiſio 112.57
tutelæ finis 301.30
tutoris definitio 198.13
tyranni & imperatoris definitio 43.42
Varietas argumentorum 40.31
uelia oppidum 154.29
uenia poſtulatio 807.47
uenuſtas 504.64
uerba grandia & magnifica 319.5
uerba grauia 402.50
uerba illuſtrantia 474.51
uerba in nuptijs ſolennia 23.23
uerba media 592.22
uerba medificata 313.50
uerba natiua & reperta 371.45
uerba nouata 371.62
uerba ſonantia 402.53
uerborum conciſio 489.6
uerborum conſonantia 671.61
uerborum & ſententiarum ornamenta 413.22
uerborum exornatio 674.44
uerborum genera 459.19
uerisimilia 205.46.471.50.468.21. 393.20
ueriſimilis narratio 542.13
ueritas 631.22.818.1
ueritas in oratione 704.13
uerum duplex 781.16
uictoria à ſimili 715.42
uictus 820.46
uindex 17.12.96.24.167.18
uindicatio 631.18
uindicia unde 96.29
uindicta 260.45
uindicta quæ ſit 166.20.15.38.95.26. 283.14.293.63
uiri boni officium 81.59
uirtus eſt auro pretioſior 134.50
uirtus & uitium 170.9
uirtus melior diuitijs 85.12
uirtus narrationis 746.44
uirtus quæ & unde 161.28.165.47. 334.60
uirtutis definitio 395.28.185.9.202.5. 707.53
uirtutis effectus 214.8
uirtutis laus 142.36
uirtutis partes 707.59.817.48
uirtutis locus 490.15
uirtutis potentia 89.18
uirtutis ſedes 416.29
uirtutum cuſtodes 478.63
uirtutum genera 336.47.341.32
uirtutum nomina 417.62.419.36
uis conſilij, & mentis 445.7
uis in quo conſiſtit 134.42
uita, & mors 37.5
uita hominis 567.17
uitæ iucunditas 718.61
uitia rerum 674.38
uitiorum genera 420.25
uitioſa allegoria 688.10
uitioſa enumeratio 784.39
uitioſa oratio 703.61.704.6
uitioſum dicendi genus 660.61
uitioſum genus argumentationis 786.4
uitium facere 266.35.283.60
uitium in oratione 743.46
uituperationis finis 336.1
uitium ſingulare 789.9
ultionis ſignum 505.41
ulyſſis laus 654.49
uocabulorum interpretatio 162.25
uocalium concurſus 672.55
uocis qualitas 383.11
uoluntaria neceſſarijs anteponūtur 84.50
uoluntaria cauſa 277.61
uoluntatis definitio 216.24
uoluptas 425.36.417.21
unde hæc commentaria tranſlata ſunt 78.34
urſinus partus 157.30
uſitata uerba 459.22.670.54
uſucapio 179.1.267.46.268.55.297.6
uſus, & abuſus 173.56
uſusfructus 263.3.283.64.173.45. 175.45
uſusfructus legatio 23.55
uſusfructus ſacerdotum 284.3
utile & neceſſarium 480.18
utilior comparatio 799.60
utilis definitio 242.53
utilitas diſcernendi 423.10
utilitas honeſtati coniuncta 713.47
utilitatis genera 718.51
utilitatis partes 500.47
uulgare exordium 743.54
uxor legitima 283.34
uxoriæ rei conſideratio 122.8
uxor quot modis habetur 23.18.98.57. 171.32
uxorem ducendi modi 261.46
Zeugma 461.20
zeuſis pictor 787.47

IN M. TVLLII CICERONIS
LIBRVM PRIMVM DE ORATORE
AD QVINTVM FRATREM,
IACOBI LODOICI STREBAEI REMENSIS
Commentarius primus.

Quando, quáq; ratione compoſitum ſit hoc opus.

M. CICERO circa initia belli Gallici, ingenti gaudio Senatus ac uniuerſæ Italiæ, ab exilio reductus eſt, P. Lentulo, Q. Metello, conſulibus. Reſtituta dignitate, & moleſtiarum procellis magna ex parte ſedatis, ſuas recoluit artes, & rurſus ad ſcribendum ſe contulit. Tum confecit hos de Oratore libros: id quod ex præfatione facile colligi poteſt. Hoc, inquit, tempus omne poſt conſulatum obiecimus iis fluctibus, qui per nos à communi peſte depulſi, in noſmet ipſos redundarunt. Sed tamen in his uel aſperitatibus rerum, uel anguſtiis temporis, obſequar ſtudiis noſtris: & quantum mihi uel fraus inimicorum, uel cauſæ amicorum, uel Reſpub. tribuet ocii, ad ſcribendum potiſſimum conferam. Editos autem ad P. Lentulũ miſit in prouinciã Ciliciam cũ epiſtola copioſa, quæ nunc primo libro nona habetur, unde hæc pauca uerba tranſcripſimus. Scripſi etiam Ariſtotelico more, quemadmodum quidem uolui, tres libros in diſputatione ac dialogo de Oratore, quos arbitror Lentulo tuo fore non inutiles. abhorrent enim à communibus præceptis, & omnem antiquorum, & Ariſtotelicam & Iſocraticam rationem oratoriam complectuntur. Ariſtoteles autem (quod Cicero in Oratore, & Diogenes Laertius memorant) in uniuerſo genere quæſtionis adoleſcentes non ad philoſophorum morem tenuiter diſſerendi, ſed ad copiam rhetorum in utranque partem, ut ornatius & uberius dici poſſet, exercuit. Aemulatus Iſocratem, de rhetorica libros edidit, ad Theodectem tres, ad Alexandrum unum: duos item alios, unum Grylli, alterum Nerinthi nomine appellatum: qui nunc deſiderantur. Ad eum morem Cicero multos de orandi facultate uarie ſcripſit libros. In his tribus Ariſtotelica ratione diſſerit in utranque partem, in Craſſi Antoniiique perſonis, & complectitur quæ uiri eloquentiſſimi clariſſimique ſenſerunt de omni ratione dicendi.

COGITANTI mihi ſæpe numero.] Operæprecium mihi uidetur, initio totam principij uim ſummamq; complecti. In quo materia primum conſideranda, deinde tractatio. Materia omnis ſumitur à rebus & perſonis: res aut in eo ſunt de quo agitur, aut aſſumuntur extrinſecus, ut locus, tempus, opinio. A' ſua perſona & fratris & lectorum, duxit materiæ partem: à tempore & à re propoſita, partem. A' tempore miſeratio, à fratre exhortatio, ab authore exercitato autoritas, à lectoribus ratio diſcendi & uſus, à re ipſa amplitudo, & dignitas eſt petita. Tẽpora iniqua patienti, bene monentem audienti, perfectiora in ætate grandiore ſcribenti, conciliatio, fauor, ſtudium, beneuolentia: explicanti rei partes, rationemq; diſcendi, docilitas & intelligentia: proponenti magnitudinem artis & dignitatem, attentio quæſita eſt. Hæc de materia & ipſius uirtute quambreuiſſime. In tractatione collocatio eſt, & elocutio: in collocatione, rerum digeritur ordo: ordinem acuta & iudicium regit. Inſtituit igitur agere primo loco de cauſis, quæ in effectione rerum primæ haberi ſolent. Cauſæ fuerunt: tempus à magiſtratu, quanquam turbulentum, tamen literis conferendum: fratris uoluntas & exhortatio, iuuenilium ſcriptorum emendatio. A' cauſis duxit effectum, de oratore ſcribendum, de quo multa ſunt & præclara præcepta: non utendum communibus præceptis, quibus uſus erat iuuenis, propter rei magnitudinem, & eius inter reliquas artes præſtantiam. His ordine poſitis, enumerat partes, quo doceat multa eſſe nec ipſa communia præcepta, & quo ſuſceptum negotium exornet. Tandem quantum inde ſumeret lector, oſtendit. *Breui complectar.]* Præfatur cur ſcribat, & quid, & quale, & quantum, & in quem uſum ſcribat. Elocutio

tracta eſt, & ſuauis. Compoſitio accurata quidem, ut in exordio libero: at ſummiſſæ perſimilis, ut in principio uerecundo. Principio tempus aliorum quietum & illuſtre cum ſuo turbulento & obſcuro comparat, ut laboranti ſit fauor, & laus in agendi difficultate. Spem ſuam fallacem, & honeſtum ſtudium, moleſtiarum tempeſtate iactatum fuiſſe ad eundem uſum queritur. Genus eſt igitur ταπεινὸν, ex impari comparatione, ex opinione decepta, ex egregio ſed infelice conatu: qui tres affectuum ſunt loci frequentiſſimi. *Cogitanti mihi.]* Ordo rerum ſeruatus eſt. Primum excitanda cogitatio, ſi memoria repetere, hoc eſt recordari uetera cupiamus. Vetera autem, res ueterum dicit, ut Athenienſium, qui de Repub. benemeriti alebantur in Prytaneo: ut Romanorum ante tempora Syllana, priuſquam adoleuiſſet ambitio. Hi in optima Republica id eſt, in optimo ſtatu Reipublicæ honores & magiſtratus gerebant, ut præturam, conſulatum. Rem adminiſtrabant domi foriſq;. ubi feliciter ſucceſſerat, tum rerũ geſtarum gloria, atque præclara hominũ exiſtimatione & uoce florebant. Poſtea in negotio & cura ciuili, ut in conſilio, in foro, in legatione agebant ſine periculo, propterea quòd minor regnabat inuidia, et pauciores erant pernicioſi ciues. In otio autem ſiue literario, ſiue omni munere uacuo, cũ dignitate et ſplendida authoritate uiuebant: ut Duellius ille, cui reuertenti à cœna tibicines canebant, & funale præferebatur. Venuſtatem quæſiuit in antitheſis otio et negotio, in quibus etiã paranomaſia eſt. Perbeatos ueteres fuiſſe prædicat ex opinione populari, quos neq; Stoici, neq; ipſe beatos exiſtimet, niſi ſola uirtute nitantur. At hic aliter orator, aliter in Tuſculana quinta philoſophus egit. Hic enim quæ mouere poſſunt, illic uera quæruntur. Quòd autem ſua tempora iure laudare non poteſt, de more Iſocratis & mores accuſantium, ſe re

fert ad ueteres illos nõ multo quidem fœliciores, ſed poſteriorũ opinione meliores. Etenim laus ueterum, mollior eſt quædam caſtigatio & medela recentiorũ: ut hic P. Clodij, Iulij Cæſaris, Piſonis, & aliorum magiſtratuum, quibus uel agentibus, uel conniuentibus exactus erat in exilium. Ac fuit tempus.] Ac fuit tempus à conſulatu, cum putarem mihi quemadmodum ueteribus, fore initium requieſcendi iuſtum, legitimum & æquum: ideoq; propè, hoc eſt ferè, ab omnibus conceſſum iri. Quieuiſſem autem, ſi retuliſſem animum ad utriuſque noſtrum præclara ſtudia, & otia literarum, quibus pueri domi & in ſcholis liberaliter erudiebamur: ſiq; conſtitiſſet, hoc eſt conquieuiſſet ſtabili quaſi ueſtigio, quammaximus ſemper meus forenſium cauſarum labor, ſi ambitionis occupatio decurſu honorum, etiam ætatis flexu conſtitiſſet, hoc eſt, ſi ex ordine decurſo curriculo magiſtratuum, quæſturæ, ædilitatis, præturæ, conſulatus, & ætate ad ſenectutem declinante, non occupaſſet meum tempus honorum petitio. in ambiendo magiſtratu, per urbem, per municipia, addito nomenclatore candidati circunferebantur: quibus erat comitiorum ſuffragium, nominatim ſalutabant, prehenſabant, precabantur, ludos exhibebant, largiebantur aliquid populo. In iis rebus ferè tempus omne conſumebant. Adde curas, ſolicitudines, rumores hominum, res & uerba competitorum, repentinas ciuium mutationes, quæ uariè diſtrahunt animum, nec ulla frui quiete ſinunt.

Quam ſpem cogitationum.] Propoſuit & quæ de uitæ curſu cogitaſſet, & quæ de otio literarum conſilia cepiſſet. Has cogitationes, hæc conſilia decepta fuiſſe conqueritur. Vnde decepta? partim à graui caſu communium temporum, qui grauis & turbidus eſt tumultus Catilinariæ coniurationis, à qua publicum inſtabat periculum: (ſunt enim tempora communia, publica pericula) partim à uariis ipſius caſibus, cui ſimultas fuit cum homine potente Craſſo, cum ſcelerato ciue Vatinio, cum P. Clodio, quo tribuno plebis in ius uocatus, miſere uexatus, tandem è ciuitate deiectus eſt. Hæ ſunt tempeſtates, ſeditiones, & agitationes moleſtiarum maximæ & turbulentiſſimæ, quibus hic uir, ut gubernator, magnis procellis et fluctibus iactatus, uix tandem reperit portum. Sunt autem moleſtiæ, ægritudines animi contractæ præſentia grauium malorum. Frequenter in Tuſculanis moleſtias appellat ægritudines, quæ etſi in ſapientem non cadunt, in hunc certè ceciderunt grauiſſimè. Potuit igitur illud uſurpare: Si tu hic ſis, aliter ſentias. Locus autem quietis & tranquillitatis, pars eſt illa uitæ cui deberi quies uidetur & tranquillitas. Sic locum non inuſitate pro rerum parte ſumimus. Fructus otij.] Vt otio frui dicimur, ſic & otij fructus pro uſura aut uſu dicitur. Otij fructum labore multo paramus, ut colentis agrum laborioſæ manus eliciunt è terra fructus, quos ad uictum percipiant. Senſus eſt, Cupientibus nobis, & (quod maius eſt) optantibus otium dari: fructus otij, id eſt uſura quietis data non eſt ad artes tum rhetoricas, tum philoſophicas, quibus à pueris & ætate prima dediti fuimus, celebrandas, inter noſq; recolendas. Celebrantur, quando frequentantur, & ſæpius tractantur. Recoluntur autem, cum mente repetuntur, ac iterum coluntur. Traiecit copulandi particulam, maluitq;, inter noſq; quàm iſtuc, & inter nos recolendas, uſurpare: ne, quod in oratione uitioſum eſt, in heroici carminis finem decideret. Quæ componendi manifeſta diligentia, ut in foro & in curia celatur, ita in hoc ſcripti genere diſſimulari non debet. Sunt qui legant, Interq; nos recolendas: uirtutis huius ignari, qui neſciant auribus atque rationi cedere præcepta. Nam prima ætate, &c.] Digerit in ordinem tempeſtatum gradus, quos uno incluſerat uerbo, cum diceret maximas extitiſſe tempeſtates. Magna tempeſtas exorta eſt ætate prima, maior in conſulatu, maxima poſt conſulatum. Huius diuiſionis uſus natet, ad amplificandam illam unde concilias animos, difficultatem. Prima ætate, qua pueritia & adoleſcentia continentur, incidit in ipſam perturbationem diſciplinæ ueteris, cum exarſere bella ciuilia Cinnæ, Marij, Syllæ, uix tandem innumerabilium uirorum ſanguine reſtincta: quibus diſciplina Reipublicæ uetus, & adminiſtrandi imperij ratio ſic excidit, ut amiſſa libertate, ad unius aut alterius libidines omnia regerentur. Tum diſciplinæ ſilebant inter arma, cauſæ non agebantur, unus erat ardor armorum. Victore Sylla, & oratione pro Sexto Roſcio dicta, Cicero quoniam Chryſogonum læſerat, patriam relinquere, in Græciam fugere eſt coactus. Hæc prima tempeſtas literis aduerſa. Altera commota eſt in conſulatu, quo multis periculis caput obiecit, ut Catilinæ, ut coniuratorum reſtingueret incendia. Nec promptum fuit homini inquilino, & armorum non ita perito, nobiliſſimos ciues in reos referre, alios exturbare è ciuitate, alios in carcere ſtrangulare, alios authoritate deterrere: quod & ſi fecit, non tamen ſine magna inuidia fecit. Ex eo tempore concitari cœpit alia tempeſtas omnium grauiſſima, qua ciuis bonus deiectus eſt præceps in exilium. Detulerat P. Clodius nomen huius ad populum, quia ciues (ut aiebat) indemnatos, Lentulum, Cethegum, & horum ſocios in carcere Conſul interemiſſet. Conſulatu, inquit, deuenimus in mediũ rerum omnium certamen atque diſcrimen. Officio quidem coacti ſumus certare in medio cum flagitioſis ciuibus & perditis, non ſine magno meo diſcrimine & periculo: & hoc tempus omne poſt conſulatum obiecimus iis fluctibus, & Clodij ſeditionibus turbulentis, qui fluctus à communi peſte depulſi in noſmet ipſos redundarunt. Maluit hic bonos ciues quieſcere, neminem ſuorum in Clodianos pugnare, ſolum uertere, quàm obiicere multa amicorum millia tribunitio furori. Hæc illa aſperitas rerum, moleſtaq; difficultas: hinc temporis ſtudio literarũ tribuendi coarctantur anguſtiæ. Partem conſumit in repellenda fraude, id eſt, ſcelere inimicorum: partem in defendendis amicis, à quibus eſt ipſe defenſus. TIBI uero frater neq; hortanti deero, neque roganti, &c.] Scribendi cauſam attulit tempus à conſulatu, multo liberius ſuperiore, & ad ſcribendum aptum magis. Acceſſit et Quinti fratris exhortatio, uolentis ut iis quæ adoleſcens inchoaſſet, aliquid politius perfectiusq; proferret. Vt autem in gratiam fratris, & dicentis amabiles mores hæc quoq; cauſa ſuccreuiſſe uideatur, in ea ſpectari uult & fraternam authoritatem, & exhortationes eius ac preces. Hortatur autem impulſu cauſarum, rogat precibus. Et quoniam rogare maius eſt, ſtatuitur loco ſecundo. Hortanti quæritur authoritas, quæ uehementius impellat: roganti uoluntas, quàm precibus perfici uelit. Itaque fratris adiungit authoritatem & uoluntatem apud ſe plurimum ualere, ut duobus aliis duo reſpondeant. Ac mihi repetenda eſt.] Iam fratris uoluntas explicanda eſt, ut res ordine digeratur, & proponatur idipſum, de quo futura eſt diſputatio. Ordo quæſtionum ſic eſt, ut ante quæramus, ſit ne omnino ſcribendum, deinde quidnam omnium ſcribendum. Primum igitur dixit: Quidquid erit otij, ad ſcribendum potiſſimum conferam. Deinde, faciam cognoſcas quæ uiri omniũ eloquentiſſimi clariſſimiq; ſenſerint de omni ratione dicendi. Cur ſcribat, unam ſtatuit cauſam: cur hoc potiſſimum ſcribat, unam: uelle ſe authore fratre rhetoricis illis iuuenilibus politius aliquid proferre. adoleſcens enim rhetorica de Græcorum ſententia ſcripſi. Ea quod aliorum opinione nitantur, ac ferè puerilia præcepta contineant, nec culta ſplendeſcant oratione, indigna cenſet erudita & exercitata ſenectute. Vt autem eadem de re grauius agat, Græcos imitatur in dialogis, Platonem & Ariſtotelem, & diſſerentes facit uiros omnium eloquentiſſimos clariſſimoſq; Craſſum & Antonium, non quod illi tam grauiter & copioſe diſputarint, aut quod tam longam tamq; diffuſam primæ ætatis memoriam ſenex tenere poſſit, ſed ut plus ſit authori-

tatis

tatis in ſermone. Repetenda, inquit, animoq́; excitanda recordatio ueteris cuiuſdam memoriæ, hoc eſt ueteris cuiuſdam diſputationis inter Craſſum & Antonium, cuius ego memor ſum. Ea recordatio ſatis quidem explicata à Craſſo & Antonio, ſed non ſatis explicata in mente mea: nunc autem cogitatione & oratione explicanda, quia apta eſt ad id quod frequenter quæris, ut cognoſcas quæ uiri omnium eloquentiſſimi clariſſimiq́; Lucius Craſſus & Marcus Antonius ſenſerunt de omni ratione dicendi, quæ eſt rhetorice. Vis, ò frater, & uoluntas tua apud me plurimum ualere debet, aliquid de ratione dicendi politius, id eſt quaſi limatius, & idcirco perfectius, proferri publicariq́;. Id uis autem, quoniam quæ pueris aut adoleſcentibus nobis, circiter annum uiceſimum, ex commentariolis noſtris, id eſt libellis dictante præceptore notatis incoata non perfecta, rudia non polita, non aliter quàm quæ per imprudentiam perdimus, exciderunt, uix hac ætate grandiore digna ſunt, & hoc uſu forenſi. Illud, Vis, ad uoluntatem, de qua dixeras, refertur: illud, Sæpe mihi dixiſti, ad hæc Neque hortanti deero, neque roganti. Puer autem dicebatur adusque togam uirilem, quæ plerunque anno decimooctauo ſumebatur. Vtitur diminutione ætatis, quo facilius ueniam conſequatur. Tot cauſas, ad numerum: tantas, ad difficultatem dignitatemq́; refert. Ad rhetoricæ tractandæ cauſas accedit illa dubitatio, an eloquentia ingenio & exercitatione conſtet, an artibus & diſciplinis? Nam poſteaquam eloquentiæ partes expoſitæ fuerint, unuſquiſque facile intelliget, id quod Quintilianus in ſecundo confirmat, eloquentiam perfectam plus arti quàm ingenio debere. Ego, inquit, eruditiſſimorum hominum, uel rhetorum, ſed maxime philoſophorum artibus & præceptis, eloquentiam contineri comprehendiq́; ſtatuo. Artes ſunt grammatica, poetica, hiſtoria, ius ciuile, dialectica, phyſica, ethica, rhetorica. Tu autem illam ab elegantia, hoc eſt, cultu doctrinæ quæ à magiſtro ſuſcipitur, ſegregandam putas, ac ſi non egeat doctrina atque præceptis, ſed ponenda ſit in quodam genere expeditiore ingenij atque exercitationis. Ingenium certe & natura, eloquentiæ ſtudioſo petenda eſt: quærendus uſus, & exercitatio: & his duobus multi fuere contenti: ſed nequaquam in iſtis ſunt omnia. Ars præter hæc neceſſaria eſt, ſi magnam eloquentiam conſequi uelis. AC mihi quidem ſæpenumero in ſummos, &c.] De cauſis hactenus, nunc de rei magnitudine & præſtantia, quæ certe eget arte uel exacta. Proponit iſtuc, Plures in omnibus artibus quàm in dicendo admirabiles extiterunt. Confirmat ſeptem artium comparatione, quæ ſunt imperatorum, ſenatorum, philoſophorum, mathematicorum, muſicorum, grammaticorum, & poetarum. Hinc colligi uult, eloquentiam non modo arte uulgari, ſed etiam doctrina ſumma contineri, in quo commendatio eſt operis, & attentionis ratio. Cum intueor non humiliores illos homines, quorum multus eſt numerus, ſed ſummos ipſa dignitate ac ſummis ingenijs naturæ præditos, qui admodum pauci ſunt, & decentius cum oratore conferuntur, quærendum eſſe uiſum eſt, quid eſſet cauſæ, cur plures in omnibus artibus etiam ſummis, ut ijs quæ poſtea nominantur, quàm in dicendo, admirabiles extitiſſent, quod eſt excelluiſſent. Id ſanè difficultas & rerum copia efficit. Quocunque te non corpore & membris, ſed animo & cogitatione conuerteris, permultos excellentes præſtanteſq́; uidebis in unoquoque genere, non ſolum mediocrium artium, ut architectura, agricultura, œconomia, quæ quidem multos habent præſtantes adminiſtros, ſed etiam artium maximarum, quales eæ ſunt quæ iam numerabuntur. Contra, paucos reperies oratores excellentes & admirabiles. Quis eſt enim.]

Plures imperatores, id eſt, copiarum duces fuerunt, quàm magni nominis oratores: aut quòd eloquentia natura perfectior eſt atque diuinior, quàm ſcientia militaris, aut certe quòd ſplendor animi niſi ſit eximius populo minus elucet, quàm corporis & rerum fortuitarum. Itaque plerique omnes ſcientiam militarem clarorum hominum, ut Camilli, Fabritij, Pompeij, uel utilitate rerum geſtarum, uel magnitudine, id eſt, dignitate & præſtantia, non ingenij & artium uarietate metientes, anteponunt oratori imperatorem. Quòd ſi metiantur ingenij celeres motus, corporis dotes, & uarias artes, anteponant oratorem imperatori. Quæſtionem tractat de officio primo libro, Sint'ne res bellicæ maiores quàm urbanæ? de qua ſic pronunciat: Sunt ergo domeſticæ fortitudines non inferiores militaribus, in quibus plus etiam quàm in his opera ſtudijq́; ponendum eſt. In domeſticis autem fortitudinibus eſt uſus eloquentiæ. Hic quoniam ſcientiam militarem augere uult, ſuam de re ſupprimit ſententiam, & eloquentiam cum imperio non in omnibus rebus, ſed in utilitate & magnitudine comparat. Belli duces (ſunt & illæ duces) ex hac una ciuitate, ut taceantur Athenæ, Lacedæmon, Carthago, præſtantiſſimos penè innumerabiles, in dicendo autem excellentes uiros uix paucos proferre poſſumus. Quid ſi libro de Claris oratoribus non pauciores enumerat oratores, quàm in hiſtorijs numerantur egregij duces? Certe non fuerunt illi præſtantiſſimi, ſed (quod ſcribit in Oratore) multum tribuit Latinis, uel ut exhortaretur alios, uel quod amaret ſuos. nec fuerunt belli duces præſtantiſſimi penè innumerabiles, ſed ex arte partem attenuat, partem extollit, ut eloquentiam rarum precioſumq́; bonum eſſe confirmet. Iam uero conſilio ac ſapientia.] Boni ſenatores, oratoribus plures: quoniam promptius eſt inuenire qui rectè ſentiat prudens, quàm qui rectè ſentiat, & animi conceptiones oratione decenter exponat. Hinc plerique dictitant ſe melius animo res aſſequi, quàm grauiter & ornate explicare poſſe. Senatori expetenda ſapientia eſt, id eſt, magna prudentia natura & arte conſtans, qua conſilia tractare poſſit. Conſilio gubernatur ciuitas, ut nauis arte nautica. Cur autem plures fuerint boni ſenatores ueterum, quàm Ciceronis memoria, cauſa fuit ciuium diſcordia. Multi à Mario interfecti, multi ab Sylla indigniſſimi ſunt allecti. Adde quod numero excreſcente, & deteriori parte ſuperante meliorem, pauci admodum in ſenatu floruerunt. Oratores boni & perdocti, perdiu, hoc eſt longo tempore nulli fuerunt, nempe ab urbe condita ad tempora Cethegi & Catonis. Poſtea ſingulis ætatibus, hoc eſt ſeculis annorum centenum, aliquot non boni quidem, ſed tolerabiles inuenti ſunt. AC ne quis forte cũ alijs ſtudijs.] Dicendi rationẽ cum imperatorũ ſenatorumq́; bonorũ paucitate contulit. Iam ut inde ad artes liberales peruenias, hanc uiam munit, eloquentiam quorundam ſententia magis cõparandam eſſe cũ alijs ſtudijs, quæ recõditis in artibus, atque in quadam uarietate literarum uerſantur id eſt, cum ſtudijs literarũ quæ uerſantur in artibus & præceptis reconditis, & longe poſitis à cognitione populari, et uarietate quadã rerũ finiumq́; ita diſtinguuntur, ut multæ & uariæ dicantur artes, aliæ philoſophicæ, aliæ mathematicæ, aliæ poeticæ, aliæ muſicæ. Sic eſt. Studia literarum aptius inter ſe conferuntur, quoniam propriora ſimilioraq́; ſunt. Si quis igitur hæc comparare uelit alijs ſtudijs relictis, conuertat non oculos, ſed animum & cogitationem: & ea ipſa artium genera, qualia paulo poſt referuntur in numerum, circumſpiciat, ut quanta oratorum ſit ſemperq́; fuerit paucitas, dijudicet. Hactenus præparatio. Iam philoſophiam commendat & extollit, ut hoc quaſi gradu poſito, eloquentia uideatur editior. Artes aliæ ſunt laudandæ, ut omnes ingenuæ, honeſtæ, utiles. Aliæ uero damnandæ, ut ſordidæ, inhoneſtæ, inutiles, quarum philoſophia non eſt procreatrix. Laudandarum artium procreatrix & quaſi parens eſt philoſophia, ut homines doctiſſimi, qui philoſophi appellantur, indicant. Etenim philoſophia rerum naturam uimq́; contemplatur, rationes

inquirit, genera, ſpecies, & partes diſpicit: hinc diſſipata ſparſaq; colligit in artem, & in præcepta quædam breuia & ordine digeſta cogit. Propterea beneficio philoſophiæ reliquas artes conditas eſſe philoſophi exiſtimant: quos multis in locis iccirco doctiſſimos eſſe dicit, quia ferè toti ſunt in diſputationibus literarum, ut Socrates, Plato, Ariſtoteles, Theophraſtus, & alij propè infiniti. Illi in magna ſcientia fuerunt, ut omniũ ferè quas habet natura rerũ. ijdem uerſati ſunt in magna uarietate rerum generis diuerſi: nec in aliqua re una, ut in arte naturali, elaborarũt, ſed omnia quæcunque eſſent in rerum natura, comprehenderũt aut ſcientiæ perueſtigatione, quando non orationem, ſed res examinarunt, ut in philoſophia morali atque naturali: aut differendi ratione, cum uim ſermonis inquiſierunt. Scientiæ perueſtigatio eſt, rerum ipſarum indagatio & inquiſitio ad cognoſcendũ: differendi ratio, dialectica diſputatio. Quis ignorat, ij qui mathematici.] Mathematicos ſegregat à philoſophis, quòd hi aut in moribus, aut in rerum cauſis, aut in differendo: illi aut in arithmetica, aut in geometria, aut in aſtrologia uerſantur: quæ tres artes ideo μαθήματα, hoc eſt diſciplinæ uocantur, quia magna ex parte demonſtrationibus, & euidenti rerum diſciplina utuntur. Sunt igitur artes propriè dictæ, quæ certam præceptorum explicationem continent: reliquæ non tam artes, quàm obſeruationes quædam uidentur. Mathematici, qui certiores diſciplinas tractant, in magna obſcuritate rerum, ut figurarum, demonſtrationum, notarum, proportionum, menſurarum omnium uerſantur. In his ars eſt recondita, & longe poſita à ſenſu communi, ars multiplex, nempe genere triplex, ſpecie tam multa, quàm multæ ſunt rerum quantitates, aut diſcretæ, aut continuæ. Ars eſt ſubtilis, & tenui quodam ſic deducta filo, ut uix inſpici queat. In eo tamen genere multi perfecti homines, ut omnes ferè Pytagorici & Platonici extiterunt, ut taceamus eos qui tecta & machinas bellicas olim mirabiliter aptabant, qualis fuit Archimedes.

Quis muſicis, quis huic ſtudio literarũ.] Muſica ſeparat à mathematicis: quoniam etſi muſicis principia quæruntur artiũ mathematicarum, cum uocum rationes & analogiæ ueniunt in quæſtionem, tamen magna ex parte naturæ ſpectant obſeruationem, omne genus ſonorum ſponte fundentis. Hoc noſcas licet, ſi pleroſque uideas citra mathematicas artes & modulatione, & canore, et ſonis uti aptiſſime. Grammatici ἀπὸ τῶν γραμμάτων, hoc eſt à literis dicti ſunt. Eorum ſcientiam cum grammaticen uno nomine appellare poſſet, maluit ornandi cauſa circunlocutione deſignare. Vis eius infinita penè & incomprehẽſa, quoniã non modo aſſumit ea quæ faciunt ad emendatam orationem, ſed etiã ad poetarum & hiſtoricorũ enarrationem. Attamen uim eius, id eſt copiam & materiam quam ſibi ſubiectam tractat, docti grammatici ſcientia & cognitione, id eſt, arte cõprehenderunt. In ſtudijs doctriniſq; liberaliſſimis, quæ ſola animi cõtemplatione fruuntur, ars eſt & ſcientia poetarum: quibus, uti oratoribus, expetendum fœlix ingenium, ſcientia omniũ penè rerum, iudicium & electio ſententiarum atque uerborum, numeri apte modulati facultas. Quid? ab oratore poeta nihil differt, ſi Ciceroni in Oratore credimus, niſi quòd huic mollior eſt oratio & liberior faciendorum uerborũ licentia. quamobrem nemo miretur, poetas egregios paucos admodũ excelluiſſe, cum uulgo perſuaſum ſciat, diuinitus naſci poetas, et numine afflari. Paucos in multis laude ferunt Græci, Homerum, Heſiodum, Sophoclem, Euripidem, Ariſtophanem, Menandrum, Pindarum, Theocritum. Pauciores multo Latini, quibus haud dedit ore rotundo Muſa loqui. Nec ab re tamen plures boni poetæ quàm præſtantes oratores fuiſſe creduntur. His otij minus eſt, illis quietum uitæ genus. Ex his perpauci quãtum arte poſſent, ſcriptis libris prodiderunt: illorum nemo non ſcripſit. Hæc de comparatione artiũ liberaliũ cum ratione dicendi. QVOD hoc etiam admirabilius debet uideri. &c.] Eloquentiæ precium magnũ artemq; maximã ab oratorum paucitate demonſtrauit. Dicet aliquis. Non quia precioſa eſt ars et late patens rhetorica, ideo tam pauci fuerunt eloquentes, ſed qui diſciplinam iſtam capere aut non poterant abſtruſam, aut uolebant iacentem. Vtrunque certe diſcenti neceſſarium uidit, & capere poſſe, & uelle. Diſcere uolenti, alterũ ſatis eſt, aut non poſſe, aut adipiſci nolle. Occurrit igitur ad augendum rei precium, neque abſtruſam, ſed in medio poſitam: neque deſtitutam, ſed frequentia ſtudioſorum celebrem Athenis & Romæ fuiſſe eloquentiam. Si pauci igitur oratores extiterũt, illud quidem eo admirabilius debet uideri, quia cæterarum artiũ ſtudia, ut partium philoſophiæ ferè, id eſt, magna ex parte, reconditis atque abditis è fontibus hauriuntur. Fontes abditi, initia ſunt & principia ſcientiarum ratione collecta, & à communi hominum opinione longe poſita. Dicendi ratio, quæ eſt rhetorice, in medio poſita eſt, hoc eſt, in communi quodam uſu loquẽdi, ſiue in hominum more atque ſermone. Etenim dicentis oratio, quæ cum imperita multitudine frequenter agit, ad captum popularem deſcendit, & ſenſum accommodat hominum ſermonibus. Differt igitur à cæteris artibus rhetorice, quod in cæteris id excellit maxime, quod longiſſime eſt ab imperitorũ intelligentia ſenſuq; diſiunctum. Illud eſt quod ineruditi neque intelligere, neque ſentire poſſunt. Intelligentia animi eſt atque rationis: ſenſus, opinionis uſu auditu'ue concepta. Philoſophus apte diſputet de habitu uirtutum, de animi partibus, multum ſapere uideatur: oratorem ea de re differentem non capiet inculta multitudo. Quamobrem uitium uel maximum eſt, à uulgari tritoq; genere orationis, & à conſuetudine communis ſenſus, id eſt, uulgatæ opinionis & prudentiæ, abhorrere. Nullus enim fructus eſt orationis, quæ non intellecta præteruolat. Ex illis collige, rationẽ dicendi non tam eſſe abditam, quàm longe lateq; diffuſam. Hic dici poteſt, plures cæteris artibus inſeruire: ſed ne illud quidem uere dici poteſt, ſi de Græcis atque Romanis agitur, ciuitates liberas orandi quaſi gubernaculo regentibus: Græcia ſemper eloquentiæ princeps, id eſt inuentrix ſummaq; moderatrix eſſe uoluit, & certe fuit. Eloquentiæ, ſicut omnium doctrinarum inuẽtrices Athenæ fuerunt, in quibus ſumma dicendi uis et facultas inuenta primum, deinde perfecta temporibus Demoſthenis. Romæ à L. Craſſi temporibus ad regnum Cæſaris nulla unquam uehementius quàm eloquẽtiæ ſtudia uiguerunt. Ante imperium conſtitutum atque firmatum, iuuentus militiæ ſtudebat: imperio conſtituto ſtabilitoq; regnante Sylla, diuturnitas pacis cum maiore gentium parte, otium literarum confirmauit. Tum laudis cupidi adoleſcentes, hanc tenuere uiam quam ferè ſolam ſibi patere ad gloriam uidebant. Inuitabat eos delectatio, quæ bene dicendo percipitur. Mouebat eos ſpes laudis & opum uberrima. Incitabant præmia ampliſſima, quales ſunt honores & magiſtratus populi Rom. quos etiam togati diſerti merebantur.

AC primum quidem totius rationis ignari, &c.] Multos eloquentiæ ſtudioſos Romæ fuiſſe dixit: cur ita factum ſit, cauſas enumerat. Vna eſt, æmulatio Græcorum: altera, magnitudo & multitudo cauſarum: alia, propoſita præmia uel ad gratiã, uel ad opes, uel ad indignitatem. Colligit hoc mirum uideri, cũ tam multi cauſis iſtis permoti, ſtudio dicendi exarſerint, in illis admodum paucos excelluiſſe. Ac primo, hoc eſt initio Romæ florentis, ſed rudis adhuc & indoctæ, dicendi cupidi tantum facultatis conſequebantur, quantum poterant ingenio, quod omniũ primum eſſe debet: quantũ cogitatione, quæ meditando exercet ingenium. Erant enim totius rationis, id eſt, artis ignari, nec arbitrabantur exercitationis & animi colendi ullam eſſe uiam et methodũ, neque aliquod præceptũ, quo duce ad eloquentiam pronius iretur. Nemo miretur tũ perpaucos aut certe nullos fuiſſe magni nominis oratores, non quin tum multi eloquentiæ inſeruirent, ſed quòd ſine uia & præcepto ad ſummum peruenire non poſſent. Poſt autem auditis oratoribus græcis, quos aut

trans

trans mare adibat Itala iuuentus, aut domi adiebat, cognitiſq; eorum literis, id eſt artibus, adhibitiſq; doctoribus, alijs publice, alijs priuatim, alijs Athenis & Rhodi, alijs Romæ, incredibili quodam Romani dicendi ſtudio flagrauerunt. Ad hæc excitabat eos magnitudo & uarietas multitudoq; in omni genere cauſarum. quod eſt, cupidiores erant artis huius, cum uiderent & magnas cauſas agi Romæ, & uarias, nempe alias criminum, alias poſſeſſio- um, alias publicas, alias priuatas, alias graues & copioſas, alias leues & ieiunas, alias apud prætores, alias apud Centumuiros, alias apud populum: cum'que uiderent multas agi tum ciuium tum prouincialium in omni genere (quod tam late patet, quàm tituli nomina'que legum) à magnitudine gloriam à uarietate iucunditatem, à multitudine uſum conſequebantur. Iam plerique florebant, quoniam ad eam doctrinam, id eſt præcepta artis quæ ſuo quiſque ſtudio conſecutus eſſet, accedebat è multis cauſis uſus frequens, qui omnium magiſtrorum præcepta ſuperaret. Erant autem huic ſtudio maxima propoſita præmia, alia ad gratiam amicitiamq; multorum comparandam, alia ad opes, quas pecunioſi rei litigatoreſq; ſubminiſtrabant: alia ad dignitatem, quæ magiſtratus & actiones forenſes ſequebatur. Iam quid deerat niſi ingenium? At ingenia Romanorum, inquit, multum cæteris hominibus omnium gentium præſtiterunt. Quid planum facis? Multis rebus poſſumus iudicare. Quibus? Mores, inquit prima Tuſculana, & inſtituta uitæ, reſq; domeſticas ac familiares, nos profecto & melius tuemur, & lautius. Rem uero pub. noſtri maiores certe meliorib. temperarunt & inſtitutis, & legibus. Quid loquar de re militari? in qua cum uirtute noſtri multum ualuerunt, tum plus etiam diſciplina. Iam illa quæ natura non literis aſſecuti ſunt, neque cum Græcia neque ulla cum gente ſunt conferenda. Quæ enim tanta grauitas, quæ tãta conſtantia, magnitudo animi, probitas, fides, quæ tam excellens in omni genere uirtus in ullis fuit, ut ſit cũ maioribus noſtris comparãda? Hæc & talia Romani nominis amator, ex animi libidine magis quàm ex ueritate loquebatur. Colligit tandem, iure mirãdum, tam exiguum oratorum numerum inueniri ex omni memoria ætatum, temporum, ciuitatum, hoc eſt in omnibus ætatibus, temporibus, ciuitatibus, quarum memoria ad poſteros peruenit.

SED nimirum maius eſt hoc quiddam, &c.] Quæ ſint eloquenti uiro neceſſaria, numero complectitur, ut illam diſſoluat de oratorum paucitate quæſtionem, neq; à rerum magnitudine multitudineq; commendet eloquentiam, ac præceptionum legibus adiuuandam probet. quæ priuſquam tranſeat, ea ſummatim repetit, quæ ad efficiendos oratores inſignes permultum facere uidentur. Quinque ſunt numero, multos benedicendi ſcientiæ incumbere: maximam eſſe magiſtrorum copiam: ingenia multorum florere: multas uariaſq; cauſas ſuppetere ad uſum: præmia ampliſſima eloquẽti proponi. Hæc omnia tamen rei magnitudine ac difficultate ſuperantur. Ex aduerſo res habendas oratori præcellenti conſtituit ſeptem. Scientia comprehendenda rerum plurimarum. nam ut ait, legendi ſunt poetæ, cognoſcenda hiſtoria, omnium bonarum artium ſcriptores ac doctores & legendi & peruolutandi: diſputandumq; de omni re in contrarias partes: & quidquid erit in quaque re quod probabile uideri poſſit, eliciendum atque dicendum. Perdiſcendum ius ciuile, cognoſcendæ leges, percipienda omnis antiquitas, Senatoria conſuetudo, diſciplina Reipublicæ iura ſociorum, fœdera, pactiones, cauſa imperij cognoſcenda eſt. Libandus eſt etiam ex omni genere urbanitatis facetiarũ quidam lepos, quo tanquam ſale reſpergatur omnis oratio. Oratio, inquit alibi, ſi res non ſubeſt ab oratore percepta & cognita, aut nulla ſit neceſſe eſt, aut omniũ irriſione ludatur. Quid eſt enim tam furioſum, quàm uerborum uel optimorum atque ornatiſſimorum ſonitus inanis, nulla ſubiecta ſententia, nec ſcientia? Ad hæc oratio conformanda & quodammodo figuranda eſt (ſunt enim conformationes figuræ) & electione & conſtructione uerborum. Omnis uerborum ſupellex aut in ſimplicibus eſt, aut in cõpoſitis. Nam orator uerba conſiderat aut ſingula citra complexum orationis, aut compoſita & conſtructa in oratione. Simplicia legenda ſunt propria, ſonantia, nitida, grauia, tranſlata, modificata. Ea eſt electio uerborũ. Collocata habere debent ornatũ, concinnitatem, compoſitionem & numerũ. Ea dicitur oratoria conſtructio. In his eſt tertia rhetoricæ pars elocutio, ſicut in ſcientia rerum plurimarum inuentio & collocatio. Accedat affectus operæprecium eſt. Is eſt animi motus quem hominum generi rerũ natura tribuit aut ad ægritudinem, aut ad uoluptatem, aut ad metum, aut ad cupiditatem, aut ad aliquam conſtantiam contrariam: de quibus in Tuſculanis quæſtionibus plura. Rurſus bifariam diuiduntur. Alij ſunt graues & turbulenti, quorum uis eſt in eorum qui audiunt mentibus excitandis exprimẽda: cuiuſmodi eſt ira, indignatio, odium, inuidia, metus. Alij mites atque ſedati, quorum uis in eorum qui audiunt mentibus ſedandis conferenda eſt. Eiuſmodi ſunt, lætitia, beneuolentia, uenia, fauor. Iam duo conſtituta ſunt oratoris officia, docendi & mouendi. Tertium ſupereſt delectandi munus. eò faciunt lepos facetiæq;, quæ ſunt ridicula, non illa quidem breuia & arguta, ſed fuſa narratione iucunda. Hæc ut ingenio multum adiuuantur, ſic & eruditione libero homine digna condiri ſolent. Quippe diſciplina & eruditio efficit, ut rerum naturas & noſſe & facete explicare poſſimus. Aliud eſt ridiculum breue & argutum, quod paucis emittitur uerbis. Hoc certe motus animi celeres quærit. Is eſt duplex: alter in reſpondendo liberalior, alter in laceſſendo minus liberalis. In utroque ſit uenuſtas & urbanitas, hoc eſt gratia quædam non ſcurrilis & improba, ſed ingenuitatis & urbis apto quodam ſale reſperſa. Tenenda præterea eſt omnis antiquitas, exemplorumq; uis, id eſt, habenda illuſtrium hiſtoriarum cognitio, unde eruuntur exempla. Neq; legum, neque totius iuris ciuilis ſcientia negligenda eſt. Cur autem hiſtoriam et iuriſprudentiam ab illa ſcientia rerum plurimarũ ſegregauit? an quia ſcientiam rerum plurimarum capiebat eam, quæ præceptis & artibus continetur? hiſtoria & ius ciuile non ſunt huiuſcemodi. Sunt enim res diſſipatæ, nullaq; arte collectæ, rerum geſtarum memoria, & ius ciuitatis, & quæ iam liberaliter inſtituto accipienda uidetur. Poſterior eſt his omnibus actio, quæ pronunciatio dicitur. Partes eius quatuor: motus & moderatio totius corporis, uniuerſiq; trunci: geſtus & flexus membrorum ſingulorum: uultus & habitus oris, index animi: conformatio uocis, & uarietas, qui uarius eſt flexus uocis, conformis & conſentaneus orationi. Actio per ſe ſola multum poteſt, adeo ut illi primas, ſecundas, & tertias Demoſthenes tradiderit. Argumento ſunt hiſtriones & actores fabularum, qui etſi in arte minime graui dignaq; uerſantur, tamen pauci boni reperiuntur, cum tamen omnes elaborent in ore uultuq; moderando, in uoce conformanda, in aptanto corporis motu. Habenda denique memoria, theſaurus & cuſtos omnium rerum, cui non ſententiæ modo, ſed etiam uerba mandãtur. QVAM ob rem mirari deſinamus quæ cauſa ſit, &c.] Vt hoc cõmendetur opus, iuuentutem exhortatur ad eloquentiæ præcepta capeſſenda, & quatenus progrediatur arte, deſignat: ne ſtudia bonorum deſperatione langueſcant. Mirari deſinamus quæ cauſa ſit eloquentium paucitatis, cur tam pauci reperiantur eloquentes. Ex illis rebus ſeptem uniuerſis & in unum coactis eloquentia conſtat. quibus in ſingulis elaborare permagnum eſt. Magnũ ſiquidem, comprehendere ſcientiã rerum plurimarum. Magnũ, quæ bene conceperis, eloqui poſſe. Magnum, cognoſcere & oratione tractare affectuum genera omnia. Magnũ, liberaliter & apte iocari. Cætera quoque ante numerata magna ſunt. Itaque hortemur liberos noſtros, quorum parentibus prima curæ

eſt, hortemur cæteros, ſi non omneis, ſaltem eos quos ad gloriam & dignitatem peruenire magnopere uolumus, ut animo eloquētiæ magnitudinem complectantur, quæ corporis oculis uideri nequit. nec eloquentiam quam expetunt, conſequi ſe poſſe confidant aut ijs præceptis tritis atque uulgatis quæ de arte dicendi feruntur, qualia ſcripta ſunt ad Herennium, & in rhetoricis Ciceronis: aut ijs magiſtris qui Romæ rhetorica profitentur ignari philoſophiæ, & paulo ultra rudimenta literarum prouecti: aut exercitationibus quibus utuntur omnes. aut enim ſine meditatione declamant, aut uerſus et orationes uerbis alijs reddūt, aut græca transferunt. Hæc genera exercendi tum fuiſſe, poſtea oſtendit. Alia quærenda ſunt præcepta artium magnarum, alij magiſtri & rhetoricæ & philoſophiæ docti: aliæ exercitationes robuſtiores, quæ ſtylo accurato parant dicendi facultatem. Hic repetit id quod ſupra oſtenderat, eſſe comprehendendam ſcientiam rerum plurimarum, ſimul ut illud explicet, quibus alijs præceptis utendum ſit oratori, ſimul ut memoriæ infigat id quod ad rem putat maxime pertinere. Mea ſententia, inquit, meoq́; iudicio (alij quidem forte iudicant aliter) nemo poterit eſſe omni laude cumulatus orator, id eſt, ſummus atque perfectus, niſi erit omnium rerum magnarum atque artium ſcientiam conſecutus. Magnas res philoſophicas dicit, ut dialecticas & phiſicas, ſed maxime ethicas. Magnas artes eaſdem accipit, & quæcunque prodeunt ex illis. Ratione propoſitum cōfirmat, hoc modo. Ex rerum cognitione, quam philoſophia præſtat, efflorescat ut fructus è ſtirpibus, & redundet ut fluuius è fontibus oportet oratio: quoniam inanem ſine animo & corpore habet elocutionem, & penè puerilem, niſi ſubeſt, ut ſub ueſte corpus, res & ſententia ab oratore percepta, id eſt, hinc & inde more fructuum collecta, poſita arte & ratione cognita. Tenenda'ne, inquies, ſunt omnia? Certe, ſi contendis ad ſummum: quia uis & facultas oratoris, profeſſioq́; ipſa bene dicendi, hoc ſuſcipere tanquam onus ac polliceri uidetur, ut omni de re, id eſt, de omni quæſtione & materia, dicendi propoſita, ab eo ornate copioſeq́; dicatur. Ornatus autem duplex eſt, alius rerum, alius uerborum. Item alia copia rerum, alia uerborum. Ne more quorundam refero ornatum ad uerba, copiam ad ſententias. Hæc cum ita ſint, non tamen ego tantum oneris imponam noſtris, id eſt Rom. oratoribus. Quid ita? Quatuor ſunt cauſæ. Minus eſt illis ocij quàm Græcis, in hac tanta occupatione urbis ac uitæ, hoc eſt, in tot cauſis agendis, in tot tantisq́; deliberationibus, in gerendis ex ordine magiſtratibus: deinde hoc immenſum prope & infinitum uidetur, & eſt certe quidem. Præterea quia non omnia poſſumus omnes, factum eſt à Græcis ſcientiarum diuortium. Si quis autem alius ex alijs nationibus, certe Græci conſequi potuerunt uniuerſas, quibus nihil defuerit ad diſcendū, non ingenium naturæ, non doctrina magiſtri, non ocium curis alijs uacuum, non ſtudium uoluntasq́; diſcendi. Hanc partitionem ſiue diſtributionem feciſſe dicitur Socrates. Cicero 3. de Oratore. Inuenti ſunt qui cum ipſi doctrina & ingenijs abundarent, à re autem ciuili et à negotijs animi quoque iudicio abhorrerent, hanc dicendi exercitationem exagitarēt atque contemnerent, quorū princeps Socrates fuit. Hinc diſſidiū illud extitit quaſi linguæ atque cordis, abſurdum ſanè & inutile, & reprehendendū, ut alij nos ſapere, alij dicere docerent. Partitione facta, nō in uniuerſo genere, id eſt, omni diſciplina & arte ſinguli elaborarunt, ſed ſepoſuerūt à cæteris dictionibus, hoc eſt, locutionibus ſermonibusq́; philoſophorū, hiſtoricorū, poetarū, mathematicorū, aliorumq́; omniū, ſepoſuerunt inquā, eam partem dicendi, quæ in forenſibus diſceptationibus iudiciorū aut deliberationū uerſaretur. Diſceptationes ſunt cognitiones iudicantiū, diſceptatores iudices. Duo genera cauſarum modo ponit. Cur id faxit, oſtendit in ſecundo, tria quidem eſſe genera cauſarū, ſed de duobus tantum præcipere oportere, unde ſi qua ſunt alia, colligantur. Hæc duo ſanè præcipua ſunt. Itaque inquit, non complectar amplius quàm quod huic generi iudiciorum deliberationumq́; tributum eſt ſummorū hominum conſenſu, L. Craſſi, & M. Antonij. Multa quidem ab illis huic generi tributa ſunt, re ipſa quæſita, id eſt, cogitatione atque ratione inuenta, & multum diſputata oratione. Repetam, retractabo, nō ab incunabilis primisq́; rudimentis noſtræ ueteris puerilisq́; doctrinæ, expoſita libris de Inuentione, nō repetam inquā quendā ordinem præceptorum de generibus cauſarum, de ſtatibus, de partibus, de exordijs, de narrationibus, & cæteris deinceps, ſed ea quæ quondam puer accepi eſſe uerſata in Romanorū hominū, quos faciam diſſerentes, non Græcorum, diſputatione: non quòd illa contemnā, quæ Græci dicendi artifices & doctores reliquerunt, Ariſtoteles, Theodectes, Theophraſtus, Hermagoras, Apollonius: ſed quòd Græcis antepono authoritatem Craſſi & Antonij, quibus ſumma dicendi laus à noſtris hominibus conceſſa eſt. CVM igitur uehementius, &c.] Plato qui de rebus in utranque partem diſſerere uellet, dialogos rem diſputationi perutilem inſtituit. Perſonas induxit eorū qui quæſtiones proponerent, qui propoſitarum uim naturamq́; qualis eſſet, in uniuerſum molirentur, qui res ordine inquirerent, qui pugnarēt in aduerſum, quiq́; ſermonem affectibus & lepore condirent. Id utilius eſſe tū ad exprimendum perſonarū atque rerum decorū, tum ad apertiorem quæſtionum intellectū exiſtimauit. Quod qui non intelligunt, et impatientes moræ properant ad finem, optimū diſputandi genus frequenter accuſant. Cicero quidem certe Socratem, Platonem, Xenophontem, alioſq́; Græcos in diſputando ſecutus, lubens amplectitur: etſi non dubitat faceto loquendi genere, & ſalibus Atticis Rom. linguam carere. Interlocutores igitur legit, non ueteres illos dicendi rudes, non etiam uiuos æquales ſuos obuios inuidiæ, ſed diſertos homines Craſſum & Antonium, quorum morte ceſſarat inuidia. Adiungit ijs Scæuolam iuriſperitum, ut eo res approbante, plus ſit authoritatis in fabula. Subijcit duos adoleſcentes eloquentiæ percupidos, ne magno natu uiri fruſtra de eloquentia præcepiſſe uideantur. Ludos Romanos, dieſq́; nefaſtos, tempus opportunum capit, quoniam occupationum ciuilium rationem habuiſſe decuit, quæ tempore ludorum remittuntur. Hæc enim ab eo commode ficta exiſtimo, nec hiſtoriam, ſed argumenti rationem quandam accipio, in quo etiam Tuſculanus ager urbe tranquillior eſt delectus. Nec res gentis ornamento caret, quæ tam ſerio ludit in uilla. Quòd autem triſtitia retardat egregios animi conatus, & ſtudia literarum, non ante ſuos diſſerentes facit, quàm illis mœſtitiæ nubilum deterſerit. De principum cauſa ſic Florus in Epitome. Senatus cum impotentiam equeſtris ordinis in iudicijs exercendis ferre nollet, omni ui niti cœpit, ut ad ſe iudicia transferrentur, ſuſtinente cauſam eius Liuio Druſo Trib. plebis: qui ut uires ſibi acquireret, pernicioſa ſpe largitionis plebem concitauit: Socios & Italicos populos ſpe ciuitatis Romanæ ſolicitauit, uiſq; adiuuantibus, per uim legibus agrarijs frumentarijsq́; latis, legem quoque iudicialem tulit, ut æqua parte iudicia penes Senatum & equeſtrem ordinem eſſent. Cum deinde promiſſa ſocijs ciuitas præſtari non poſſet, irati Italici defectionem cœperunt agitàre. Propter quæ Liuius Druſus etiam Senatui inuiſus factus, uelut belli ſocialis autor, incertum à quo, domi occiſus eſt. Eadem ferè Appianus. Ex his intelligi licet quam Cicero dicat hic principum cauſam, uelq́; Druſi tribunatus pro Senatus authoritate ſuſceptus, ab aduerſa factione fractus ſit, in qua Philippus tum conſul fuit, Senatus, & maxime Craſſi acerbus inimicus, de quorum diſcordia multa leges in exordio libri tertij de origine ludorum Romanorum. Liuius in uita Tarquinij Priſci hoc modo. Tum primum circo, qui nunc maximus dicitur, deſignatus eſt locus: loca diuiſa patribus equitibuſq́;, ubi ſpectacula ſibi quiſque facerent, Fori appellati. Spectanere furcis

re furcis

re furcis duodenos ab terra ſpectacula alta ſuſtinentibus pedes. Ludicrum fuit, equi pugileſq; ex Hetruria maxime acciti. Solennes deinde annui manſere ludi, Romani magniq; uarie appellati. De ludis eiſdem Cicero ſecunda actione in Verrem. Nonæ ſunt hodie ſextiles. hora nona conuenire cœpiſtis, hunc diem iam ne numerant quidem. Decem dies ſunt ante ludos uotiuos, quos Cn. Pompeius facturus eſt. Hi ludi dies quindecim auferent, deinde continuo Romani conſequentur. Ita prope 40. diebus interpoſitis, tum denique ſe ad ea quæ à nobis dicta erunt, reſponſuros eſſe arbitrantur. Ludorum temporibus nihil in foro, nihil in curia agitur: tũ patribus liber eſt excurſus in uillas. Colligendi ſui.] Colligere ſe, reficere atq; recreare. Suetonius. Reuocato rurſus impetu, aliquid ſecretioris latebræ ad colligendum animum deſiderauit. Cicero Tuſc. 4. His autem ſunt ſubtrahendi ij, in quos impetum conantur facere, dum ſe ipſi colligant. Quid eſt autem ſeipſum colligere, niſi diſſipatas animi partes, rurſus in ſuum locum congerere? Hinc ſume rationem, cur colligere pro eo quod eſt reficere dicamus. Animaduertendum, oratorem decoro ſtudentem diligenter ſubtexuiſſe rationem, cur in agrum Tuſculanum quiſque ueniſſet. L. Craſſus colligendi ſui cauſa, Q. Mutius quia Craſſi fuerat ſocer, M. Antonius quia conſiliorum in Republica ſocius & ſumma cum Craſſo familiaritate coniunctus, C. Cotta, P. Sulpitius quia Druſi maxime familiares, qui principũ cauſam tuebatur, quia digni gratia, propterea quod in illis tũ ſpem maiores natu, id eſt ſeniores, dignitatis ſuæ collocarant, hoc eſt, primores exiſtimabant illos, ſicuti Druſum, in tribunatu cauſam principum defenſuros. Alter enim tribunatum petebat, alter petiturus putabatur: Tribunus autem eos iuuare poterat & interceſſione, & concione. Quã ob cauſam uenerant.] Si de Repub. uenerant, cur ſupra oſtendit colligendi ſui cauſa uenisſe? Venerant ob ciuilem diſcordiã querendi & recreandi cauſa. Ergo primo die de temporibus illis turbulentis, deq; uniuerſa Republica iam ambitione multorum labante, & Syllanam peſtem inſtantem pertimente, multum inter ſe uſque ad extremum tempus diei (qui ſolis occaſu clauditur) collocuti ſunt. Id quidem animo graui & ſeuero, tum præſertim agro congruum fuit. Quo quidem in ſermone multa diuinitus, hoc eſt prudentia & ſapientia diuina, à tribus illis conſularibus, Craſſo, Antonio, Mutio, conſulatu functis, Cotta deplorata, in querimoniam adducta, & commemorata, id eſt expoſita narrabat. Non enim interfuerat Cicero puer, ſed (ut ait) audierat à Cotta. In eo autem diuinus animus uiſus eſt, quòd nihil incidiſſet poſtea ciuitati mali, hoc eſt bellorum ciuilium, cladiumq; quæ poſtea multæ fuere, quod non impendere & imminere illi uiri tanto ante tempore uidiſſent. In eo ſermone apta fuit ſeueritas, in conuiuio iucunditas. Huc pertinet illa Craſſi humanitas, hic præcipue memoranda, quia tum cæteros conuiuas exciperet. Ea eſt liberalis eruditio, & morum ſuauitas. Tanta in Craſſo fuit humanitas (inquit, nec certe fingit) ut cum lauti, hoc eſt, de more in balneis ante cœnam loti, menſa accubuiſſent, tolleretur omnis illa ſuperioris triſtitia ſermonis, eaq; eſſet in homine iucunditas, id eſt, tantus in iocando lepos, ut dies ille graui ſermone extractus, tam ſeuerus eſſet, quàm dies curiæ, quo Senatus habetur: conuiuium autem adeo iucundum ac feſtiuum, ut Tuſculanum deceret, quo animi cauſa uentum erat. Poſtero autem die cũ illi, &c.] A triſtitia ad literarum uoluptatem uenire iucundum eſt. Nullum præſentius animis agris remedium eſt, quàm ſolatium literarum. Conſulares igitur prudenter & lepore, & uino, & ſomno & matutina diſputatione curas eluunt. Iuuat eos tempus Muſis amicum, iuuat locus, & animo ſuauis amœnitas. Poſtero die, id eſt, poſtridie (ſæpe ita diuiditur) cum illi maiores natu, id eſt ſeniores illi tres conſulares, quorum ſomnus lõgior quàm iuuenum tolerabilior eſt, ſatis quieſſent in lectulo, in ambulationem exercendi corporis cauſa uentum eſſe, Cotta dicebat: duobus ſpacijs tribus'ue factis, hoc eſt bis aut ter demenſo ambulationum ſpatio, Scæuolam ſedere noluiſſe. Hoc illi munus apte datum eſt, maximo natu, et ad ambulandum uirium robore deſtituto. Cur, inquit, non imitamur Socratem illum qui eſt & interloquitur in Phædro Platonis? Plato in eo dialogo qui à Socratis amico Phædro dictus eſt Phædrus, Socratem facit librũ pallio Phædri obtectum uidentem, & hæc agentem. ἀλλ' ἴθι δείκνυ. Φαι. παῦε. ἐκκέκρουκάς με ἐλπίδος, ὦ Σώκρατες, ἣν εἶχον ἐν σοὶ, ὡς ἐγγυμνασόμενος. ἀλλὰ ποῦ δὴ βούλει καθιζόμενοι ἀναγνῶμεν; Σω. δεῦρ' ἐκτραπόμενοι κατὰ τὸν Ἰλισσὸν ἴωμεν, εἶτα ὅπου ἂν δόξῃ ἐν ἡσυχίᾳ καθιζώμεθα. Φαι. εἰς καιρὸν, ὡς ἔοικεν, ἀνυπόδητος ὢν ἔτυχον. σὺ μὲν γὰρ δὴ ἀεί. ῥᾷστον οὖν ἡμῖν κατὰ τὸ ὑδάτιον βρέχουσι τοὺς πόδας ἰέναι, καὶ οὐκ ἀηδὲς ἄλλως τε, καὶ τήνδε τὴν ὥραν τοῦ ἔτους τε καὶ τῆς ἡμέρας. Σω. πρόαγε δὴ, καὶ σκόπει ἅμα, ὅπου καθιζησόμεθα. Φαι. ὁρᾷς οὖν ἐκείνην τὴν ὑψηλοτάτην πλάτανον; Σω. τί μήν; Φαι. ἐκεῖ σκιά τ' ἐστὶ καὶ πνεῦμα μέτριον, καὶ πόα καθίζεσθαι, ἢ ἐὰν βουλώμεθα, κατακλιθῆναι. Age uero oſtende librum. Phæ. Quieſce. Me quidem ſpe deiecisti, ô Socrates, quam promiſeram mihi de exercitatione mea apud te. Sed ubi nam uis ſedere nos, & hoc libelli legere? Socr. Huc cõuerſi, ad Iliſſum amnem procedamus. Deinde cum ita uiſum fuerit, ſede lecta quieſcemus. Phæ. Opportune, ut arbitror, nihil forte calceorum fero. nam tu Socrates ſemper es nudo pede. Perfacile nobis eſt atque iucundũ per aquulam hanc ire, & pedes lauare, præſertim hoc anni tempore, & hac hora diei. Socr. Perge itaque, & ſimul contemplare locum ubi ſedeamus. Phæ. Viden' illam peraltam platanum? Socr. Quid'ni? Phæ. Illic & umbra eſt, & uentus temperatus, et herba, quo aut cõſidamus, aut ſi malumus, inclinemur. Ex his cuius promptum erit interpretari uerba Ciceronis. Nec temere Platanũ dixit, quæ ſolius umbræ cauſa, non Græcis modo, ſed etiam Italis in honore fuit. Plinius capite primo libri duodecimi. Quis non iure miretur arborem umbræ gratia tantum ex alieno petitam orbe? platanus ea eſt. hæc per mare Ionium in Diomedis inſulam, eiuſdem tumuli gratia, primum inuecta: inde in Siciliam tranſgreſſa, atque inter primas donata Italia, etiam ad Morinos uſque peruecta, ad tributarium etiam pertinens ſolum, ut gentes uectigal & pro umbra pendant. Dionyſius prior Siciliæ Tyrannus Rhegyum in urbem tranſtulit eas, domus ſuæ miraculum, ubi poſtea factum gymnaſium. Nec potuiſſe in amplitudinem adoleſcere, et alias fuiſſe in Italia, ac nominatim in Hiſpania, apud authores inuenitur. Hoc actum circa captæ urbis ætatem: tantumq; poſtea honoris increuit, ut mero infuſo enutriantur. Compertum, id maxime prodeſſe radicib. docuimuſq; etiam arbores uina potare. Celebratæ ſunt primum in ambulatione Academiæ Athenis cubitorum trigintaſex, unius radice ramos antecedente. Ad Ciceronem. Nam me hæc tua platanus admonuit Socraticæ diſputationis: quæ non minus ad opacandum, umbraq; tegendum hunc locum patulis, id eſt ſemper patentibus, eſt diffuſa ramis, quàm illa platanus ad Iliſſum, cuius umbram ſecutus eſt Socrates, quæ mihi uidetur non tam ipſa aquula (ὑδάτιον reddit) quæ deſcribitur, hoc eſt oratione explicatur, quàm Platonis oratione creuiſſe. Quo modo? Certe creuit aquula & humore & alimento terræ, ſed fama creuit Platonis oratione. Elementa nutrimentum dederunt, oratio memoriam, famaq; monumentum. Socrates duriſſimis pedibus, ut perpetuo nudis, fecit ut ſe abijceret in herbam molliorem, cum poſſet ex conſuetudine duriora pati, ac dies totos uno & eodem immotus conſtare ueſtigio. Id meis pedibus, longe mollioribus, herbamq; quærentibus, certe concedi eſt æquius, atque rationi conſentaneum magis. Adde quòd ille de pulchro diſſerebat ea quæ philoſophi diuinitus ferũt eſſe dicta, & in ea cogitatione corpori minus obſeruiebat. Mihi nõ ſunt tã alta cogita-

tiones. Tum Craſſum dixiſſe memorabat Cotta, Immo uerò commodius aliquid etiam tuis pedibus concedi par eſt: puluinosq; popoſciſſe, qui ſunt lectuli quidã exigui aut pluma aut ramẽto aut alio materiæ genere pleni, & ſedibus imponendi. Ibi ut ex priſtino, id eſt, prioris diei ſermone relaxarentur, & ab anguſtijs triſtitiæ educerentur animi, Cotta Craſſum ſermonem quendam de ſtudio dicendi, hoc eſt de rhetorica, intuliſſe dicebat.

NON ſibi cohortandum Sulpitium & Cottam, &c.] Doctis incidit ſermo de literis, & oratoribus de ratione dicendi. docet ſenectus, diſcit iuuentus. Magna ſunt præcepta Craſſi, magno profectu qui ſubaudiunt adoleſcentes. Hoc modo perſonæ rebus, & res perſonis conueniunt. Non ab re igitur commendauit initio Sulpitium & Cottam, & in illis oſtendit ſtudioſæ iuuentutis officium. Bonæ iuuentutis eſt, non tam cohortatione quàm laude & gloria concitari: quod ſi facit ingenio bono prædita, & æqualibus ſuis, id eſt, alijs eiuſdem ætatis, anteponitur, & nonnunquam maiorib. natu comparatur. Nec ſi laudandum utrunque magis quàm cohortandum putat adoleſcentem, non tamen cohortatur, quin inde ſumit exordium laudandæ rhetoricæ, ut acriores ab ſe iuuenes, & ardentiores artis amore dimittat. Nec illa cauſa ſumma eſt: alio ſpectat hæc ratio. Quæri ſolet à diſcentibus, id ne ſit utile, quod quis magnopere diſcendum eſſe contendit: dignum'ne ſit propter quod animo laboremus. Ex arte eſt igitur, idipſum ornare uerbis, & orationis honore commendare, ut ſcriptor materiam & ſe & opera lectorum dignam ſuſcepiſſe uideatur. Eam ob rem primus eſt locus de laudibus eloquentiæ. Prima laus, ut par eſt, à fine, qui primus eſt intentione, deducitur. Finis enim rhetoricæ eſt, bene dicere. Qui bene dicit, facile poteſt tenere hominum cœtus, hoc eſt attentos reddere conuentus hominum, ſiue in forum, ſiue in concionem, ſiue in ſenatum conuenerint. Idem poteſt mentes allicere, quod eſt animos beneuolos facere, non principio modo, ſed totius orationis curſu. Id autem rationem habet duplicem. Aut enim probare ſua contendit orator, aut aliena improbare. Illic uoluntates impellit quò uult, id eſt, quò ratio bene dicendi impellere poteſt. Nam non plus uelle debet, quàm quantum poteſt ars efficere. Aut quò uult, dicit pro eo quod eſt intendit. Hic unde uult deducit & remouet uoluntates. Sic igitur rationis huius officium, bene dicere ad alliciẽdas hominum mentes, ſiue res probatur, ſiue contra improbatur. Altera laus ab opinione & hominum exiſtimatione pendet. Vis argumentandi à conſequentibus eſt. Conſequitur enim, ſi in omni libero populo ſemper floruit eloquentia, ſemperq; dominata eſt, præclaram illius gloriam, præclarumq; præmium fuiſſe. Cur autem potius in libero populo? quia in ſeruitute & dominatione imperium & metus pro ratione & oratione eſt. Cur in pacatis tranquilliſq; ciuitatibus? In turbulentis, uis, non oratio dominatur: ut quondam regnante Sylla, conticuit orandi facultas. Quò dominatur? Arrectis auribus adſtant, illa regit dictis animos. Tertia laus ab effectu, efficere dicendi ſcientiam, ut ex infinita multitudine hominum unus exiſtat, id eſt excellat, orator, qui uel ſolus uel cum paucis facere poſſit id quod omnibus natura ſit datum, loqui, & animi conceptus explicare uerbis. Quintilianus in ſecundo. Ipſa ratio neque tam nos iuuaret, neque tam eſſet in nobis manifeſta, niſi quæ concepiſſemus mente, promere etiam loquendo poſſemus: quod magis deeſſe cæteris animalibus, quàm intellectũ et cogitationem quandam uidemus. Quarta ratio laudis eſt è partitione. Omnis oratio conſtat rebus & uerbis. In ſermone uulgari ferè ſententiæ ſunt prudentiæ inanes, & leuia uerba. In eloquentis oratione contra ſapientiſſimæ ſententiæ, grauiaq; uerba. Ea res cognitu iucunda, quum cadit in animum: auditu ſuauis, quum cadit in ſenſum. De rebus animus, de uerbis ſenſus aperte iudicat. Ea cauſa eſt cur auditioni cognitionem anteponat, quum ſenſus natura in rebus capiendis prior ſit. Sententiæ ſunt inſtar mentis, uerba ornamenti, atque limaturæ. Hinc oratio, id eſt elocutio, dicitur ornata, & perpolita. Quintum genus laudis è locorum diſtributione eſt. Orator aut in cõcione uerſatur, ubi ſæpe populi motus et ſeditio eſt: aut in foro, ubi iudicium religiones, hoc eſt iurati iudices diſceptant: aut in ſenatu, ubi Patrum grauitas eſt. In his rebus bene uerſari, potentiæ magnæ ac magnificentiæ eſt. Sextus eſt laudis huiuſce locus, ab artis utilitate in reorum periculo perſpicua, de qua ſic Quintilianus: Nunc ut omittam, defendere amicos, regere conſilijs, ſenatũ, populum, exercitum in quæ uult ducere, quam ſit utile, conueniatq; bono uiro, non'ne pulchrum uel hoc ipſum eſt, ex cõmuni intellectu, uerbiſq; quibus utuntur omnes, tantum aſſequi laudis et gloriæ, ut nõ loqui, et orare, ſed (quod Pericli contigit) fulgurare ac tonare uidearis? Ad oratorem rei ſupplices ueniunt, illis fert opem bonus. Si quos uidet afflictos atque demiſſos, eos excitat, erigit, fortiq; animo eſſe iubet. Pereuntibus dat ſalutem. Periclitantes liberat periculis. Exilio aliequi tranſportandos, retinet in ciuitate. Id regium, quia liberale et munificum. Regis eſt porro quaſi patris patriæ liberaliter adiuuare multos. Septima ſpecies laudis finitima eſt. Eloquentia et alios et ſe tuetur. in alijs defendũdis eſt regia liberalitatis, in ipſo oratore tuendo quædam neceſſitas. Oratio diſerta perinde atque armatura eſt. Sicut armatus aut ſe metuendum præbet, aut prouocat improbos, aut ſe ulciſcitur laceſſitus: ita bonus orator tectus eſt atque munitus aduerſus iniurias, & improbos accuſando prouocare poteſt, & iniuriã referre læſus.

AGE uerò ne ſemper forum, ſubſellia, roſtra, &c.] De publica rhetorica tũ dignitate tum utilitate ſeptem locis egit. Proximus eſt locus octauus, de utilitate priuata: quæ etſi minus eſt plauſibilis, eo tamẽ monet magis, quòd rebus priuatis quã publicis propenſiores ſumus. Age uerò ne ſemper forum, ubi ius dicunt prætores, et à prætoribus dati iudices: Subſellia, ubi minora ſunt iudicia à minore magiſtratu, et Centumuirb. Roſtra, unde habẽtur cõciones: Curiamq;, ubi conſilia publica tractantur, mediteris in arte tractanda: nihil eſſe poteſt in ocio iucũdius, aut magis proprium humanitatis, id eſt, aut eruditionis, aut naturæ humanæ loquẽtis, quàm ſermo facetus, hoc eſt elegans, et (quod ſubdit) nulla in re rudis. Eſt. n. facetũ, quod nulla in re rude eſt, ſed elegans eſt et perpolitũ. Ratione propoſitum firmat. Vna re uel maxime præſtamus, id eſt, præſtãtiores ſumus feris. feras dicit omnia animantia muta, quippe quæ ſuo impetu ferũtur. præſtamus inquam, quòd colloquimur inter nos, et quòd exprimere dicendo ſenſa, id eſt animi conceptus poſſumus. quamobrem ſumme (quod eſt maxime) in eo laborandum eſt. ut quo uno homines maxime beſtijs præſtent, in hoc hominibus ipſis antecellas. Beſtias nominat omnia animalia præter hominem. Modo feras appellauerat. In hanc ſententiam Quintilianus: Si nihil à dijs oratione melius accepimus, quid tam dignũ eſſe cultu ac labore ducamus, aut in quo malimus præſtare hominibus, quàm quo ipſi homines cæteris animalibus præſtent? Accedunt ijs laudes nona decimaq;, quas iccirco ſummas eſſe iudicat, quia uniuerſæ Reip. molitionẽ, et eius conditæ ſalutem continent. Iam ad illa ſumma rhetorica commoda ueniamus. Nulla uis et facultas alia potuit olim diſperſos homines in unum locũ congregare, quod primum eſt: deinde à fera, id eſt, agreſti uita, ad hunc humanũ cultum quo bene conſtitutæ ciuitates utuntur, deducere, quod ſecundum ordine fuit: poſtea conſtitutis ciuitatibus leges, iudicia, iura, deſcribere. Leges aliæ pontificiæ, aliæ ciuiles, ut hic de legibus humanis agit, feruntur ante iudicia ſtatuta: quoniã iudices legum ſunt interpretes. Iura latius patẽt, & ſe habent ut æquitatis et legum interpretationes. Talia quædam de eloquentia Fabius. Equidem nec urbium cõditores reor aliter effecturos, ut uaga illa multitudo coiret in populos, niſi docta uoce commota: nec legum repertores ſine ſumma ui orãdi

conſecutos,

conſecutos, ut ſe ipſi homines ad ſeruitutem iuris adſtringerent. Cur, inquies, hoc laudis philoſophiæ aſcribitur? Cicero Tuſculana quinta. O uitæ philoſophia dux, ô uirtutis indagatrix, expultrixq́; uitiorum. quid non modo nos, ſed omnino uita hominum ſine te eſſe potuiſſet? Tu urbes peperiſti, tu diſſipatos homines in ſocietatem uitæ conuocaſti, tu eos inter ſe primo domicilijs, deinde coniugijs, tum literarum & uocum communione iunxiſti. tu inuentrix legum, tu magiſtra morum & diſciplinæ fuiſti. Res ita habet. Eloquentia nõ eſt ſine philoſophia, ſed (ut ait) eloquentia eſt loquens ſapientia. Id autem propriũ magis eloquentiæ, quòd philoſophia niſi ſe uerbis explicet, neminem tenere, neminem allicere poſſit. Laudem omnem breui complectitur, perfecti oratoris moderatione, σωφροσύνη, id eſt ratione temperata & ſapientia, ipſius dignitatem, quod eſt minus, et priuatorum plurimorum ſalutem, quod eſt maius, et uniuerſæ Reip. ſalutem cõtineri, quod eſt maximũ. Hæc tria refert paulo poſt hiſce uerbis: Vt et uobis honori, & amicis utilitati, & Reipub. emolumento eſſe poſſitis. Emolumentũ autem, commodum & utilitatem accipi uoluit. TVM Scæuola comiter ut ſolebat, &c.] In hoc perſonarum colloquio dubiæ res in quæſtionem uocantur. Pars enim rerum ſine controuerſia eſt, pars controuerſa. Illa non eget quæſtione, hæc rationes argumentorum petit, unde tandem magis eluceſcat. Ergo Scæuola ea ducit in quæſtionẽ, quæ ſæpe diſputatione uerſata ſunt, Orator ne condiderit ciuitates, & eas ſæpe conſeruarit? an etiam in omni genere ſermonis & humanitatis ſit ille perfectus? Antequam ad argumenta deuenio, paucis ad quæſtionem reſpondeo. SI per oratorem accipimus hominem loquacem et effuſum, cuius neque ſententiæ graues ſunt, neque uerba ſelecta, quod genus innumerabiles falſo nominantur oratores, Scæuola recte ſentit. Sin accipimus hominem prudentem, liberaliter inſtitutum, qui magna cogitare poſſit, & oratione explicare: is certe multitudinem coegit, coactam redegit in ciuitatem, redactam continuit legibus & inſtitutis. idem in omni genere ſermonis et humanitatis habitus eſt perfectus. De prudentia & eruditione uel uſu uel magiſtri doctrina comparata, dubitet nemo. De oratione conſentiat is, qui norit mentẽ abſque lingua perinde atque theſaurum conditum haberi. Craſſus igitur cum prædicat, quã dignus ſit hoc pulcherrimo nomine. Scæuola autem ſpectat eum qui uulgo nominatur orator. At cur hic Scæuola potius cõtradicit, quàm præſens orator Antonius? Antonio ſuum tempus erit: hic agitur de prudentia oratoris, quam haud facile conceſſere iuriſprudentes, qui hoc ſibi quaſi proprium nomen uſurparunt. Profeſſio tum diuiſa fuit oratorum atque iuriſperitorum. Tum Scæuola comiter, humaniter, et manſuete reſpondit: ut in diſputatione altercantem decet. Non ſunt indoctæ ac clamoſæ uociferationes ſophiſtarum, ſed docti moderatiq́; ſermones hominum doctiſſimorum. Cætera, hoc eſt cæteris in rebus. κατὰ τ' ἄλλα, aduerbium eſt. Cætera (inquit) aſſentior Craſſo quanquam eſt aliquid quod refutare poſſe uideor, ſed aſſentior, ne aut de C. Lælij ſoceri mei, aut huius generi mei Craſſi, aut arte rhetorica, aut gloria per artem hanc parta detraham. Hæc faceta dicta ſunt ad molliendam ſua ſponte aſperam reprehenſionem. Lælium fuiſſe eloquentem, Cicero teſtatur in Bruto. Caius Lælius, inquit, & Publius Africanus in primis eloquentes, quorum extant orationes, ex quibus exiſtimari de ingenijs oratorũ poteſt. Idem in eodem libro præclara de uiro ſcribit, & Scæuolæ ſocerum fuiſſe oſtendit. Alter, inquit, C. Fannius M.F. Caij Lælij gener, & moribus, & ipſo genere dicendi durior. Is ſoceri inſtituto, quem quia cooptatus in Augurum collegium non erat, non admodum diligebat, præſertim quũ ille Q. Scæuolam ſibi minorem natu generum prætuliſſet, is tamen inſtituto Lælij Panætium audiuerat. Sed illa duo Craſſe uereor, ut, Id eſt ne. ibi, poſſim concedere. Vnum, quod ab oratoribus ciuitate et ab initio conſtitutas, & ſæpe conſeruatas eſſe dixiſti: alterum, quòd remoto foro, ubi maiora iudicia tractantur: remota concione, in qua cum populo agitur: remotis iudicijs, quibus cauſæ minores iudicantur: remoto ſenatu, in quo deliberationes ſunt, ſtatuiſti oratorem in omni genere ſermonis et humanitatis, hoc eſt, ingenuæ eruditionis eſſe perfectũ. Aliter hæc duo collocat quã prius in laude. Tum minora ſtatuebat in medio, nunc ſeruat temporum ordinem: ergo priore loco de ciuitatibus conditis. Vt autem ordine contradicat, ſtatuit contrariã propoſitionem hanc. Non ciuitates ab oratoribus conſtitutæ, non ab eiſdem ſæpe conſeruatæ fuerunt. Mutat illi figuram. Quis, inquit, tibi hoc conceſſerit, aut initio genus hominum in montibus ac ſyluis diſſipatum, ubi glandes et arboreos fructus quæritabat, non prudentiũ, hoc eſt rerũ uim naturamq́; intelligentium conſilijs compulſum potius quàm diſertorũ oratione delinitum, ſe oppidis mœnibusq́; ſepſiſſe? Diſertos recte nominauit: nõ enim tum erant eloquentes, ſed diſerti, qui ex communi hominum opinione, & uſu dicendi quodam, auditores demulcere atq; delinire poſſent. Quis etiam conceſſerit reliquas utilitates aut inſtituendis legibus & moribus, aut conſeruandis ciuitatibus, & iuris interpretatione, conſiliorum tractatione, non à ſapientibus & fortibus uiris, ſed à diſertis & ornate dicentibus eſſe cõſtitutas? Sapientes primos ſtatuit, qui conſilia regant deinde fortes uiros, qui recta conſilia exequantur. Et de mente Scæuolæ non oratori rerum ſcientiam tribuit, ſed quædam picta tectoria linguæ. Hæc de propoſitione, quam poſtea confirmat exẽplis. Exempla conſtituit pro ratione temporis. Alia ſumpta ſunt ab regibus, alia ab annuis magiſtratibus, alia ab ijs qui alias exercent artes. omnia contendunt ad unum finem, nec longa egent expoſitione. Romulus urbe cõdita ciuitatem conflauit partim ex ijs paſtoribus quibuſcum uerſatus fuerat, partim ex conuenis qui confugerant in Aſylum: has ciuitatis partes Cicero diſtinguit. Conſualibus ludis Sabinas diripi iuſſit, quoniam finitimi connubia petentibus denegaſſent. Hinc orta bella finitimis Ceninenſibus, Antemnatibus, Cruſtuminis, Sabinis, quorum uim repreſſit conſilio quidem & aliqua ſapientia, ſed etiam arte dicendi uſu quodam rudi comparata. Numæ Pompilio plus eloquentiæ fuit. Liuius. Inclyta iuſtitia religioq́; ea tempeſtate Numæ Pompilij erat. Curibus Sabinis habitabat conſultiſſimus uir (ut in illa quiſquam ætate eſſe poterat) omnis diuini atque humani iuris. Authorem doctrinæ eius, quia non extat alius, falſo Samium Pythagoram edunt. Paulo poſt. Suopte igitur ingenio temperatum animum uirtutibus fuiſſe opinor magis, inſtructumq́; non tam peregrinis artibus, quàm diſciplina tetrica ac triſti ueterum Sabinorũ, quo genere nullum quondam incorruptius fuit. Idem ſentire uidetur Liuius, quod Scæuola: nec Cicero contenderet in eo ſummã eloquentiam, ſed tamen aliquam fuiſſe. A Pompilio ſecundo rege ad Seruium Tullium ordine ſextũ excurrit, quia Tullus Hoſtilius non ſolum Numæ diſſimilis, ſed ferocior etiam Romulo fuit, ut ait Liuius. Medium erat in Anco ingenium, et Numæ et Romuli memor. Tarquinius Priſcus maiorem partem ætatis in ciuilibus officijs uixerat: domi militiæq́; ſub haud pœnitendo magiſtro, ipſo Anco rege, Romana iura, Romanos ritus didicerat. At Seruius Tullius ubi liberũ loco cœpit haberi, eruditus eſt ijs artibus quibus ingenia ad magnæ Fortunæ cultum excitantur. Regnauit annos quatuor et quadraginta, ita, ut bono etiã moderatoq́; ſuccedendi regi difficilis æmulatio eſſet. Attamen omnes urbis conditores appellari poſſunt. Hæc de Regibus, ex Liuio. Quorũ multa ſunt inuenta eximia ad conſtituendam, id eſt ſtabiliendam Rempub. quæ Dionyſius, Liuius, Plutarchus exponunt. Num quod (quaſi dicat nullum) eloquentiæ ueſtigium apparet? Prudentia certe maior, ſed etiam aliqua ratio dicendi fuit. Exactis, id eſt in exilium pulſis regibus omnia plena conſiliorum, inania uerborum uidemus: et cernimus ipſam exactionem, id eſt eie-

ctionem regum, mente conſilioq́; Lucij Iunij Bruti, nó lingua et uerborum ſplendore perfectam. Id Cicero totum neget: tius ſententiam ſubſcribamus ex Bruto. Quis putet aut celeritaté ingenij L. Bruto illi nobilitatis ueſtræ principi defuiſſe? qui de matre ſuauianda ex oraculo Apollinis tam acute argutéq; coniecerit, qui ſummam prudentiam ſimulatione ſtultitiæ texerit, qui potentiſſimũ regem clariſſimi regis filium expulerit, ciuitatemq́; perpetuo dominatu liberatam, magiſtratibus annuis, legibus, iudicijsq́; deuinxerit, qui collega ſuo imperium abrogauerit, ut è ciuitate regalis nominis memoriam tolleret: quod certè effici nó potuiſſet, niſi eſſet oratione perſuaſum. EGO uero ſi uelim et noſtræ ciuitatis exẽplis uti, etc.] Alia perſequitur exempla, maioraq́; prioribus teneat, non modo ciuitatibus eloquentiá nihil prodeſſe, ſed etiam nocere. Id probare tẽtendit exemplo, factoq́; Gracchorum hoc obiectionis eluit. Quintilianus in ſecundo. Hoc modo, inquit, nec duces erunt utiles, nec magiſtratus, nec medicina, nec ipſa ſapientia, nec cibi, nec tecta, nec gladius, ignes, aqua, ſol, lunaq́;, præcipua ſiderum. Hæc omnia aliquando etiam nocent. Fatendum igitur, non eloquentiam nocuiſſe Reipub. ſed diſertos quoſdam arte ſua abuſos eſſe. Videamus obiectionem. Si uelim, inquit, noſtræ ciuitatis exemplis uti. Vtetur paulo poſt & aliarum ciuitatum, ut Athenienſis et Spartanæ, quarum hæc eloquentiam expulit, illa ubi actor mouere affectus uetabatur, recidit. Plura proferre poſſim detrimenta publicis rebus, quàm adiumenta contraria detrimentis, per homines non ſemidoctos, ſed eloquentiſſimos importata & illata. Sed ut reliqua exempla prætermittam minus illuſtria, Tiberiũ & Caium Gracchos Sempronios proferam, quoniam omnium Romanorũ eloquentiſſimi fuerũt, exceptis uobis duobus ò Craſſe et Antoni. Gracchorum pater Tiberius Sempronius, homo prudens et grauis, id eſt, qui expetenda atque fugienda noſſet, ſibiq; conſtaret, haud quaquam eloquens, ſi dicimus eloquentiam uerborum affluentem copiam, & perornatam eorum conſtructionem: & ſæpe alias, id eſt alio tempore, cum duos adeptus conſulatus, duas conſecutus eſt uictorias duobus triumphis ornatas, cumq́; tanta uirtute floruit, ut Africani eius qui Annibalem uicit, filiam Corneliam habere meruerit uxorem: & maxime Cenſor factus, ſaluti Reipub. fuit. Atque is non accurata, id eſt accurate ornata quadam orationis copia, quæ oratoris propria eſt, ſed nutu, id eſt, ſignificatione uoluntatis, & uerbo, id eſt ſententia breui, libertinos humile genus, tum per omnis tribus in ferendo ſuffragio diuiſum, tranſtulit, id eſt redegit in urbanas tribus, quæ fuere quatuor, ut Liuius his uerbis oſtendit. Appius Claudius humilibus per omnes tribus diuiſis, forum et campum corrupit. Fabius ſimul concordiæ cauſa, ſimul ne humillimorum in manu comitia eſſent, omnem forenſem turbam excretam in quatuor tribus coniecit, urbanaſq́; eas appellauit. Tribus fuere quidem trigintaquinque ex omnibus ciuibus, municipibus, colonis, quibus ius erat ſuffragij: ſed illæ dictæ ſunt urbanæ nomine, in quas T. Sempronius libertinos redegit. quod niſi feciſſet, inquit, Remp. quam nunc uix tenemus in ſeditione ordinum de iudicijs tenendis, iamdiu nullam haberemus: quoniam humillimi quique Patribus æquati, omnia iura confudiſſent. Cicero hunc Tiberiũ eloquentem fuiſſe dicit in Bruto. Erat iiſdem temporibus T. Gracchus Publij filius, qui bis conſul & cenſor fuit, cuius eſt oratio Græca apud Rhodios, quem ciuem cũ grauem, tum etiam eloquentem conſtat fuiſſe. Falſum igitur quod affert in argumentum Scæuola. Eius filij duo fuerunt, Tib. et Caius, liberaliter inſtituti, & eloquentia matris Corneliæ non mediocriter adiuti, ideoq́; facti diſerti, & omnibus uel natura (quæ tribuit ingenium) uel doctrina (quæ naturam perficit) præſidijs & adiumentis ad dicendum parati. ij legibus pernicioſis atque popularibus, ut agrarijs, Remp. propè diſſipauerunt, quam florentiſſimá acceperant uel patris T. Sempronij conſilio, uel auitis armis, id eſt aui ſui Scipionis Africani, qui uicit Annibalem. Cæſi ſunt igitur, Tiberius à Scipione Naſica, Caius à L. Opimio conſule. Hoc mali non eloquentiæ, ſed hominibus nimis ambitioſis attribue. Pergit Scæuola, leges ueteres partim ab Athenienſibus petitas, partim à Decemuiris conſcriptas, ac in tabulas duodecim relatas, nó oratorũ inuentũ fuiſſe, cũ tamé conſtet & Soloné legumlatoré, quibus uſi fuere Romani, et illos Decẽuiros, eloquentia nó omnino caruiſſe. Legibus addit mores, qui neque omnes ſcripti ſunt, neq; tá latè patẽt quá leges. Horũ nónunquá incertus eſt auctor, nonunquá tertus, & inſtituti ſui ſuaſor eloquens. Et ſi nó omnes & leges et mores ab oratorũ genere ſunt, nó colliges in uniuerſum neque leges neque mores ad oratorum inuenta pertinere. Leges certe boniq; mores magna ex parte inuenta ſunt oratorum. Auſpicia item, quibus ueteres deorũ uoluntatem ſcire ſe poſſe confidebant. Auſpicia Tyreſias Thebanus inueniſſe dicitur, quæ quidem non induxit ſine orationis facultate. Auſpicijs deinde multi eloquentes, multi indiſerti præfuerunt, quoniá digni indigniq; ambiunt honores, & aſſequuntur. Digni certe Craſſus & Scæuola, augures, ſi qua auſpiciorũ dignitas eſt. ij non ideo auſpicijs præeſſe dicuntur, quòd præſint auguribus, ſed quòd ſint in augurum numero. At cur auſpicia dicuntur eſſe cũ magna Reipub. ſalute? quia augurum eſt obſeruare de cœlo, & differre comitia, & habita irrita facere. Si quid igitur magiſtratus in Remp. aut moliuntur, aut perperam egerunt, beneficio augurum ſæpe diſſoluitur. Auſpicijs diuinis adiunget religiones, qui pij ſunt metus deorum, ſanctiq; cultus ab diuino timore nati. Ad religiones pertinent cerimoniæ, ab oppido Cære nominatæ. Sunt enim ſacrificandi quidam ritus, aut ratione aut more ſeruati. Religiones fas et animũ ſpectant, cerimoniæ cadentia ſub oculos myſteria. Tandem à legiſlatoribus deuenit ad iuriſperitos. Iura ciuilia, quibus ciuitas regitur, iampridem in noſtra, hoc eſt Scæuolarum familia, quibus ius quodammodo hæreditarium fuit, ſine ulla eloquentiæ laude uerſantur. Fatendum eſt eum iuriſperitum eſſe poſſe, qui non ſit idem eloquens, ſed non iccirco iuriſprudentia ad oratorem non attinet. Producit aliquot oratores non obſcuri nominis, qui ius ciuile neſcierunt, ut artes diſtinctas eſſe probet. Sunt ſanè, ſed qua melius iungantur. Galba in dicendo ornatus acerq́; fuit. Cicero in Bruto. Rutilius dicebat Lælium arbitrari, cauſam publicanorũ à Seruio Galba, quòd is in dicendo ornatior acriorq́; eſſet, grauius & uehementius poſſe defendi. Idem ubri uirtuté hoc modo commendat: Quid eſt cauſæ, ſi tanta uirtus in oratore Galba fuit, cur ea nulla in orationibus eius apparet? Scæuola auget hominis gloriam, ſubſeruiendo propoſito, diuinumq́; hominem in dicendo fuiſſe dicit. De Aemilio Cicero in eodem libro. At uero Marcus Aemilius Lepidus, qui eſt Porcina dictus, iiſdem temporibus fere quibus Galba, ſed paulo minor natu, & ſummus orator eſt habitus, & fuit: ut apparet ex orationibus, ſcriptor ſanè bonus: Hoc in oratore Latino primum mihi uidetur & lenitas illa apparuiſſe Græcorum, et uerborum comprehenſio, etiam artifex ut ita dicam ſtylus. Idem ibidem de Cneo Carbone. Cneum Carbonem, Marcum Marium, & ex eodem genere complureis minime dignos elegantis conuentus auribus, aptiſſimos cognoui turbulentis concionibus. Idem ibidem. Craſſus accuſauit Cneum Carbonem eloquentiſſimum hominem admodum adoleſcens, ſummá ingenij non modo laudem, ſed etiá admirationem eſt conſecutus. Hic Scæuola: Cneum Carbonem adoleſcentulus perpuliſti, hoc eſt iudicio perſecutus es. Hi tres oratores ignari fuere legum, quòd tum diuiſa eſſet profeſſio. hæſitarunt in maiorum inſtitutis, hoc eſt moribus & decretis: quoniá plus opera dabant litibus ex communi hominum opinione tractandis, rudes fuerunt in iure ciuili. Craſſus autem à Scæuola ius ciuile didicit, quòd eloquentiam ſine iure ciuili mancam uideret. Facile hoc ſoluitur argumentũ Scæuolæ, uel ipſius uerbis,

qui

qui pudendũ eſſe dicat, oratorẽ ciuile ius ignorare. QVOD uero in extrema oratione quaſi tuo iure, &c.] Alteram orationis Craſſi partem Scæuola refutat, in qua ſic eſt. Quid eſſe poteſt in ocio aut iucundius, aut magis proprium humanitatis, quàm ſermo facetus, ac nulla in re rudis? quæ pars ſi non eſt omninò extrema, tamen inter extremas habetur. Illius haud difficilis eſt intellectus. Etenim perfectus orator nulla in re rudis eſt: imperfectus, rerũ multarum rudis. Aliter igitur Craſſus, aliter Scæuola ſententiam uertit. Non tuliſſem, inquit, id quod in extrema oratione, hoc eſt inter extremas orationis tuæ partes, non iure tuo quidem, ſed quaſi tuo iure tuaq; poteſtate ſumpſiſti. Eſt hoc ſumptum à rerũ poſſeſſoribus, qui alieno tanquam ſuo iure abutuntur. Addit facetias reprehenſionis temperandæ gratia. Nunc fere cogimur, quia in regno tuo, et agro Tuſculano, ubi uoluntas tua pro iure eſt, ſumus. Id ſumptum de regibus, quibus eſt interdum pro ratione uoluntas. Falſum eſt, ut uult, oratorem in omnis ſermonis diſputione copioſiſſime poſſe uerſari, quoniam attribuuntur illi modo forenſes actiones & deliberationes ex cõmuni hominum opinione tractanda, & uſu quodam agendi. Hoc quale ſit, multis agit Quintilianus extremo capite libri ſecundi, fuiſſe multos qui ſolas quæſtiones ciuiles oratori ſubijcerent. Hactenus propoſitio lepore condita. Subſequitur argumentatio, multas & uarias eſſe philoſophorũ ſectas, multas artes proprietate diſtinctas: non unius igitur oratoris omnes artes eſſe. Vis huius argumentationis eſt ab enumeratione diuerſarum profeſſionum, ad demonſtrandum non omnes in unum cadere oratorem. Scæuola iuriſperitus ab arte ſua tranſlationes ſumit, ut perſonæ decorum ſeruatum eſſe uideatur. Et quoniam orator in poſſeſſiones alienas uidetur irruere, metaphoram trahit à bonorũ uindicibus, qui lege agunt, interdicto contendunt, ex iure manu conſertum uocant, uindicant. Hæc ſunt uerba de legibus duodecim tabularum. Multis præeſſem, inquit, id eſt auctor & dux eſſem, qui interdicto tecum contenderent, hoc eſt quaſi forma prætoria, qua quid aut fieri, aut non fieri iubetur: quale eſt interdictum Dolabellæ in oratione pro Cæcina, Prætor interdixit, ut eſt conſuetudo, de ui hominibus armatis ſine ulla exceptione, tantum ut unde deiecisſet, reſtitueret. Deiecisti multos profeſſores ex arte ſua: rem alienam occupaſti, ius prætorium appello, reſtitui uolo, interdicto tecum contendo. Interdictorum alia ſunt exhibitoria, alia prohibitoria, alia reſtitutoria. Hoc Scæuolæ interdictum reſtitutorium, hoc eſt, quod iubet occupatum bonum reſtitui, ſi conſtiterit iniuria occupatum fuiſſe. Ad cognoſcendum recuperatores dabãtur, quibus interdicti prætorij formula proponebatur inſequenda, ubi de re ipſa conſtitiſſet. De interdictis cognoſcendis, legere poſſis legem Pandectarum libro quadrageſimo tertio. Aliud eſt, ex iure manu conſertum uocare: ſed & hoc ad bonorum uindicationem pertinet. Nec enim bona uno eodemq; modo uindicabantur. hic mos uetuſtus eſt. Ante imperium propagatum ſi qui de re aliqua contendebant, prætore in rem præſentem deducto, iure præſenti agebant, rem'que uindicabant. Propagatis Italiæ finibus, prætores paciſci uindiciarum dicendarum cauſa longinquas res grauabantur. tum inſtitutum eſt contra duodecim tabulas tacito conſenſu, ut litigantes non ex iure in re præſenti apud prætorem manum conſererent, ut antea, ſed ex iure manu conſertum uocarent, id eſt, alter alterum ex iure ad conſerendum manum in rem de qua ageretur uocarent, atque profecti ſimul in agrum, aut in id de quo lis erat, aliquid ex eo, uti unam glebam, in ius in urbem ad prætorem deferrent, & in ea gleba tanquam in toto agro uindicarent. Hæc ferè Gellius libro uiceſimo, capite nono. Senſus eſt, quemadmodum ueteres illi aduerſarios uocabant in rem præſentem, & aliquid inde deferebant ad prætorem, ut in eo rem totam uindicarent: ita te uocarem in artes philoſophorum aliorumq;, hinc ſumerem aliquid in quo rem totam uindicarem, hoc eſt, oſtenderem nihil ad te pertinere. Ne ſis anxius, ut plerique, in exquirendo, ſit ne conſertum participium, an uerbum, an nomen. eſt etenim antiquè dictum Manu conſertum, & ad uſum temporis illius, non ad hæc noua præcepta reuocandum. Sed qui ex iure manu conſertum uocabantur? qui in alienas poſſeſſiones irruiſſent, aut irruiſſe dicebantur. Agerent tecum lege, hoc eſt iure legibus conſtituto certarent. Id enim eſt agere lege. Cicero in Verrem. Quis unquam iſto prætore Chelidone inuita, lege agere potuit? Agerent inquam tecum lege primum ueteres illi philoſophi Pythagoras, Pythagoreiq; omnes, et quærerent, ſciret ne orator placita decretaq; Pythagoreorum? Si quæ res ea quæ nam ſint, decimumquartum Ouidianæ Metamorph. conſulito. Differunt ab alijs & de metapſychoſi, & de animalium eſu, item de anima, rerumq; principijs. Agerent tecum Democritici.] Qui ſunt Democriti ſectatores, uel hoc ab alijs diſſentientes, quod omnia ex atomis eſſe facta contendant: fortuita eſſe dicant, horũ opiniones multas tuetur Lucretius. Agerent cæteri in ſuo genere Phyſici, hoc eſt rerum naturalium indagatores. Eorum multa genera fuerunt, nempe tot quot fuere ſectæ, & uariæ opiniones de rerum principijs & finibus. numerantur ab Ariſtotele primo Phyſicorum. Vindicarent, hoc eſt ab iniuſto poſſeſſore in ſuam poteſtatem ſuumq; ius reducerent. Homines philoſophi non ſolum ornati, ut uos oratores, ſed & ornati in dicendo, quod eſt elocutionis: & graues, quod eſt ſententiarum et inuentionis. Veteres illi Phyſici, Democritus, Protagoras, alijq; permulti, non minus uerbis & elocutioni (quanquam tum elocutio rudis erat) quàm rebus & inuentioni ſtudebant. Cum illis tibi iuſto ſacramento contendere non liceret, quoniam iure litem uincere non poſſes. Sacramentum litis genus erat, ſimile ſponſionis. Varro: Et qui petebat, & qui infitiabatur, de alijs rebus utrique quingentos æris apud pontificem deponebant, de alijs item rebus certum numerum aſſium. qui iudicio autem uicerat, ſuum ſacramentum à ſacro auferebat, uicti ad ærarium redibant. Sacramentum dixit pecuniam lite depoſitam apud pontificem. Decepti ſunt qui legerunt hic apud pontem, non apud pontificem. Senſus eſt igitur, Philoſophi diſciplinarum poſſeſſione deiecti, tecum interdicto contenderent, quemadmodum ij qui ab agro deiecti ſunt: aut uindiciarum litem tibi intenderent, & diſciplinas ſuas aſſererent: aut iure poſſent agere tecum, & depoſita pecunia contendere. Vrgerent præterea philoſophorum greges, hoc eſt te proxime perſequerentur innumerabiles ſectæ philoſophorum. Id potius eſt à mente Ciceronis, Græculos aſpernantis, in tot diuiſos factiones, quàm Scæuolæ pro philoſophis oppugnantis oratores. Sectarum fons & caput, hoc eſt origo et principium fuit Socrates, qui cum uarijs de rebus in utramque partem diſputaret, nec aliquid ut certum uerumq; affirmaret, alijs alia ſectantibus, initium fecit diſcordiarum. Aut certe fons & caput Socrates dicitur, quia primus philoſophiam moralem deduxit è cœlo, principijq; tractauit ea quæ Cicero numero complectitur. Superiores operam dabant rebus Phyſicis, naturamq; ratione contemplabantur. Diſputauit Socrates aliiq; permulti de bonis rebus & malis, an unum eſſet bonorum genus, uirtus: ex contrario unum malorum, uitiũ. Vnum bonorum genus Stoici faciunt. eorum ſententiam Cicero defendit Tuſcul. 5. uirtutem ad bene beateq; uiuendum ſe ipſa eſſe contentam: quoniã illud eſt bonum, quo abuti non poſſumus. Sola uirtute abuti non poſſumus. Solum igitur bonum uirtus. Alij, ut Peripatetici, tria faciunt genera bonorum: prima animi, ſecunda corporis, tertia fortunæ. Diſſenſiones illorũ cognoſces ex ea quam diximus, Tuſculana quinta. Animi permotiones ſunt, perturbationes et πάθη, uoluptas, ægritudo, cupiditas, metus. De quibus apud philoſophos magna controuerſia eſt, alijs

affirmantibus in animi perturbationem non cadere ſapientem: alijs mediocres perturbationes accidere poſſe ſapienti contendentibus. Hominum mores tam boni quàm mali referre debent ad naturam hominis, de qua Plato Alcibiade primo. Ratio uitæ continetur officijs, de quibus Cicero ex Panætio multa. Hæc omnia pertinent ad philoſophiam moralem, quam non tractant oratorum libelli. Socrates & Academici nihil ſe quæſiſſe, nihil ſcire dicebant, in quo Apollinis oraculo Socrates omnium ſapientiſſimus iudicatus eſt. In omni re tractabant utranque partem, quid magis quid'ue minus probabile eſſet. Probabilius, ut uerius exiſtimandum relinquebant. Vniuerſi philoſophi in te impetum facerent, quemadmodum ij qui uel urbem uel aciem oppugnãt. Tum ſingulæ familiæ, id eſt philoſophorum ſectæ ſi impetu uincere non poſſent, litem tibi intenderent, id eſt, iure legéq; tecum agerent apud iudices. Vna familia Academicorum, quorũ princeps & author Plato tam argutus in diſputationibus & in dialogis agit, ut quidquid alius ex aduerſo dixerit, id tandem negare cogat. Eſt hoc magnæ cuiuſdã exercitationis, in una re quælibet perſpicere, quid in hanc & in illam partem poſſit afferri. Stoici principes habuerunt, Zenonem atque Chryſippum. Chryſippus uſus eſt plurimũ ſoritis, id eſt aceruis argumentorum. ubi rationes per multa conſequentia duxerat, tandem ex omnibus aliquid, tanquam neceſſariò conſequens inducebat. Laqueos hic Cicero appellauit, alluſitque ad retia quibus tandem agitata fera implicantur. Stoici noſtri, quos ego Scæuola ferè ſequor, diſputationem ſuarum, id eſt argumentationũ, atque interrogationum, hoc eſt inductionum laqueis & ſoritis implicatis te irretitum teneret. Peripatetici à deambulando nominati, ſicut Academici & Stoici à ludis ubi philoſophiam profitebantur. initiũ ceperunt ab Ariſtotele. Ariſtoteles de arte rhetorica libros reliquit multos, quos initio recenſuimus: Theophraſtus diſcipulus eius παραγγέλματα ῥητορικῆς, περὶ παραδείγματος, περὶ προθέσεως καὶ διηγήματος, περὶ τέχνης ῥητορικῆς, περὶ τεχνῶν ῥητορικῶν εἴδη. Illa ſunt adiumenta et ornamenta dicendi, quæ propria oratorum putantur eſſe, & ſunt. Illorum quidem primi authores non fuerũt Ariſtoteles atque Theophraſtus, ſed ab alijs partem acceperunt, partem genuerunt ipſi. Philoſophiam ademit oratori, ademit etiam mathematicas artes, arithmeticã, geometriam, aſtrologiam. Ademit grammaticam atque muſicam. Relinquit tria cauſarum genera, unum in iudicijs, alterum in concionibus, tertium in ſententijs curiæ. Ab oratore diuidit prudentem, hoc eſt eum cui rerum ſit aperta cognitio. Orator, inquit, prudentibus non uere, ſed diſerte: ſtultis non diſerte, ſed uere dicere uidebitur. Omnia diſſoluit hoc modo: Craſſum nõ agere de omnibus, ſed de perfectis oratoribus: Scæuolam reſpicere etiam indoctos, qui ſibi falsò hoc nomen uſurpabant. Calumniari talia quædam, qualia Socrates agitat in Gorgia Platonis. Non enim oratori dat ſcientiam, ſed adulationem, & quandam exercitationem: & Gorgiam inducit non qui apud doctos uere probéq; dicat, ſed qui imperitis diſerte magis quàm uere faciat fidem. Hoc rabulæ clamoſi, eloquentiæ tulere dedecus. Et Callicles apud Platonem affirmat, neminem ſua memoria oratorem ciuitati meliores dediſſe mores. TVM ille, nõ ſum, inquit, neſcius Scæuola, &c.] Ratio Ciceronis eſt, ut ante omnia rhetorica, de qua futurus eſt ſermo, laudetur, nõ modo quia boni ſcriptoris eſt artem ſuam commendare, ſed etiam quia ex eius laudibus oritur inſtituta diſputatio: deinde ut demonſtretur, hanc artem pertinere ad gubernacula ciuitatis, quoniam hoc illi multo ampliſſimum eſt: poſtea ut planũ fiat, quæ ſit ei ſubiecta materia. Hæc Scæuolæ Craſſus oſtendere conatur: Scæuola ſtudioſus Stoicorum, iuriſprudens et philoſophus, obiecit ea quæ contra rhetoricen philoſophi Græci diſſerebant, et pro decoro egit eorum perſonam. Cicero in perſona Craſſi repetit huiuſce diſputationis initium à Platone. Sectatores eius adiungit: quid ſentiant, principio oſtendit, ut cognitis authoribus, & propoſita quæſtione uenias ad contradicendum. Non ſum neſcius (nec uirum tam eruditum deceret ignorare) iſta inter Græcos philoſophos in ſermone dici, & quod maius eſt, diſceptari, id eſt utrinque more cauſa agi ſolere. Nec indoctorum oritur illa contentio. Audiui ſummos, hoc eſt, ſumme doctos homines, cum quæſtor ex Macedonia ueniſſem Athenas, iſta diſceptantes ex Academicorum principe Platone. Erant hi Academici tum florentiſſimi, Carneades, Clitomachus, & Aeſchines: Peripatetici, Critolaus & Diodorus. Carneadis auditor Metrodorus, auditor Panætij Mneſarchus. Carneades Cyrenæus, nouæ Academiæ princeps, ſumma diſſerendi facultate, ſumma memoria philoſophus, ſcripturus in Zenonem, elleborũ ſumpſiſſe dicitur. Defuit illi uerborum & elocutionum uarietas. Adeo ſtudioſus Chryſippi fuit, ut diceret, εἰ μὴ γὰρ ἦν Χρύσιππος, οὐκ ἂν ἦν ἐγώ. De uiro hoc Laertius, Cicero, Gellius, Plinius. Non ſtat mihi longe perſequi multas hiſtorias, quæ lectores onerent, rem propoſitam nihil adiuuent. Clitomachus (inquit Laertius) Carthaginienſis, lingua patria dictus Aſdrubal, anno ætatis ſuæ quadrageſimo profectus Athenas, audiuit Carneadem, eoq; diligentia uenit & induſtriæ, ut ſupra quadringenta uolumina conſcripſerit, Carneadiq; ſucceſſerit. uerſatus eſt in tribus ſectis, Academica, Peripatetica, Stoica. Aeſchines numerantur octo. Hunc quintum facit Laertius, his uerbis, πέμπτος ὁ μιτυληναῖος, ὃν καὶ ῥητορομάστιγα ἐκάλουν. Quintus Aeſchines Mitylenæus fuit, quem oratorum flagellum dixerũt. Multi etiam fuere Metrodori. Hic pictor fuit & philoſophus, de quo Plinius hoc modo. Athenis erat eodem tempore Metrodorus pictor, idemq; philoſophus, magnæ in utraque ſcientia authoritatis. Itaque cum L. Paulus deuicto Perſeo petiſſet ab Athenienſibus, ut quàm probatiſſimum philoſophum mitterent ſibi ad erudiendos liberos, itemq; pictorẽ ad excolendum triumphum, Athenienſes Metrodorum elegerũt, profeſſi eundem in utroque ſtudio præſtantiſſimum, quod edicto quoque Paulus iudicauit. Panætij quoque tres nominãtur. Hic Rhodius fuit, profeſſione Stoicus, præceptor Scipionis Aphricani, à cuius libris Officia Cicero deduxit. Ab hoc aliquid accepiſſe ſe poſtea Scæuola fatetur. De Mneſarcho Cicero in academicis. Quid cum Mneſarchi pœnitabat? quid Dardani? qui erãt Athenis tum principes Stoicorum. Ille hos quos nos oratores uocaremus, nihil eſſe dicebat, niſi quoſdam operarios lingua celeri & exercitata: oratorem autem niſi qui ſapiens eſſet, eſſe neminem. Hæc Cicero paulo infra. Critolai tres fuere celebres, hic Athenienſis Peripateticus, qui cum Carneade Romam legatus uenit, de quo Cicero de Finibus. Critolaus imitari antiquos uoluit, & quidem eſt grauitate proximus, at redundat oratio. At tamen is quidem in patrijs inſtitutis manet: Diodorus eius auditor adiungit ad honeſtatem, uacuitatem doloris. Hic quoque ſuus eſt, de ſummoq; bono diſſentiens, dici uere Peripateticus nõ poteſt. Idem de eodem Tuſculana quinta. Quo loco quæro quã uim habeat libra illa Critolai, qui cum in alteram lancem animi bona imponat, in alteram corporis & externa, tantum propendere illam bonorum animi lancem putet, ut terram & maria deprimat. Diodorus multorum nomen eſt. Craſſus peripateticum Critolai diſcipulum dicit, de quo paulo ante ex Cicerone dicebamus. Hi ſunt rhetoromagiſtes, & eloquentiæ uituperatores acerrimi. Multi erant præterea præclari in philoſophia, & nobiles, id eſt, magnæ famæ & exiſtimationis philoſophi, à quibus omnibus una pene uoce, id eſt concordi ſententia, oratorem à gubernaculis ciuitatum quaſi à temone clauoq; Reipub. repelli uidebam. Excludi ab omni doctrina et diſciplina rerũ maiorũ, hoc eſt ſcientia ratione comprehenſa, quæ magna res ut philoſophice tractantur: ac tantum in iudicia & orationes forenſes & conciunculas, hoc eſt orationes leues quæ in conuentu ſolent haberi (ea ſunt duo cauſarum genera) tanquã in aliquod piſtri-

num

num detrudi & compingi, id eſt compelli atque coarctari uidebam. Tranſlatio ſumpta eſt à ſeruis nequioribus, qui detrudebantur in piſtrinum, molas magno cum labore uerſaturi. Terentius: Verberibus cæſum te in piſtrinum Daue dedam uſque ad necem, ea lege atque omine, ut ſi te inde exemerim, ego pro te molam. Hoc Craſſus haud ſine ſtomacho & indignatione, qui ægre ferat artem optimam per calumniam ſummam deprimi. Sed ego neque illis aſſentiebar, neque harum diſputationū inuentori & principi, id eſt primo authori, longe omnium philoſophorū in dicendo grauiſſimo et eloquentiſſimo, Platoni. Grauiſſimus eſt, cui ſententiæ uerbaq́; ſunt maximi ponderis. Eloquentiſſimus, qui res optime nouit, eaſq́; optima oratione explicare poteſt. Platonis eſt dialogus nomine Gorgias, dictus ab oratore Leontino, quem Socrates exagitat, in quo rhetoricen ſcientiæ ciuilis adulationē eſſe cauillatur. quo in libro in hoc maxime admirabar Platonē, quòd mihi in irridendis oratoribus ipſe eſſe orator ſummus uidebatur. In quo ſatis ipſe per ſe refutatur, cum id maxime amplectitur, quod irridet. Platoni Cicero multis in locis amplitudinem, grauitatem, eloquendi facultatem tribuit, nec immerito, quippe qui ſit in omni re uel optime uerſatus. Sed odio ſophiſtarum commotus, & tabularum, qui tum lege lata excluſi iudicijs erant, attribuit arti quæ malis moribus attribuenda uidebantur, nec probare potuit orationem nulla ſententiarum grauitate, at ſola garrulitate nitentem, quam nemo ſanus unquam probet. VERBI enim cōtrouerſia tandiu torquet Græculos homines, &c.] Repetita origine quæſtionis, & eius ſumma ut cognita, Craſſus ea quæ dicuntur ex aduerſo, refutat. Quoniam autem in omni diſputatione bene conſtituta, primum conuenire oportet quid ſit illud de quo agitur, & quid illud uocemus: hoc agit initio, quem dicamus oratorē, an eum qui ſcientiarum ignarus compoſite & ornate eloqui poteſt, quod ſit omnino ridiculum: an eum qui planè ſcit ea de quibus tractanda eſt oratio. Sic eludit Græculos, qui de re perfacili tandiu quærant, & de uerbis magis quàm de rebus ipſis agant, non eſſe præclarum tanti nominis philoſophos tandiu de de nomine diſputare. Verbi controuerſia, inquit, & altercatio de nomine, tandiu iam à Platone torquet et anxios habet Græculos homines (per contemptum dicit) contentionis cupidiores, quàm ueritatis. Hoc potius à Cicerone eſt, quàm à Craſſo: ſed in aliena perſona dicendi ſibi facit authoritatem, cum uelit ipſe more ſuo attenuare Græcos, propterea quòd hominibus Romanis in re literaria nihil omnino tribuebant. Nec proſus eſt falſum quod obijcit, Græcos cupidos eſſe contentionis. Sic enim ferè ſunt antiquiores illi in multas ſectas diſtributi. Perpetuo contendunt, ut aduerſus alios, quā imbiberunt opinionē, tueri queant. In explicanda uerbi ambiguitate aſſumit, quod ab aduerſario datur, hunc eſſe oratorem, qui tantummodo in iure copioſe loqui poſſit, hoc eſt in iuſto & iniuſto tractando: hoc enim ſibi aſſumit Gorgias apud Platonem, nec planè refellit Socrates: aut in iudicijs, aut apud populum, aut in ſenatu, ubi tria genera cauſarum agitari ſolent, bene uerſetur. huic ipſi quamuis à poſſeſſione deiecto, multa tribuere & concedere neceſſe eſt. Aſſumptū confirmat. Nemo in his ipſis rebus ſatis callide, id eſt exercitate, & perite, id eſt, ſcite uerſari poteſt ſine perſpectatione omnium rerumpublicarum, de quibus multa philoſophi Plato & Ariſtoteles: (alia Reſp. monarchia, alia democratia, alia oligarchia, quas ſpecies in pluralitate uult accipi) neque ſine legum, moris, iuris, ſcientia. Ius eſt genus omnia complectens: ſpecies eius, leges autoritate ſancita, mores aſſenſu quodā recepti probatiq́;. Neque ſine natura hominum incognita, ac moribus: quòd res phyſica præſtat, ut uaria hominū temperamenta cognoſcamus, et à tēperamēto corporis de moribus animi coniecturā ſignumq́; capiamus. Sine his rebus, ne illa quidem minima in cauſis, hoc eſt leues paruaſq́; controuerſias quiſquam recte tueri poteſt. Qui autem hæc cognouerit, quid huic abeſſe poterit de maximarum rerum ſcientia? Maximæ res, philoſophiæ partes, ethica, phyſica, dialectica. Ad ethicam pertinet Rerumpub. legum, morum, iuris, ſcientia: ad phyſicam, naturæ humanæ morumq́; animi cognitio. Nec erit dialecticæ penitus ignarus, qui rhetoricas artes nouerit. Hinc colligit, illa cognoſcenti nihil abeſſe de maximarum rerum ſcientia. Sed fallit argumentum. Poteſt enim hiſce de rebus orator diſputare ex communi quadam hominum opinione, non habita ratione cauſarum. Hoc autem intelligere, nō eſt ſcire: quoniam ſcire eſt, cum ratione cognoſcere. quod paucis cauſidicis accidit. Nec ſi partes aliquot maximarum rerum teneat, ſciat utique omnes. Quod autem ab aduerſario datur, nō eſt generis unius. Alius oratori ſubijcit ciuiles actiones: quod ab illis in rem ſuam Craſſus auertit. alius hoc tantum concedit compoſitionem, ornatum, copiam: unde Craſſus idem illud quod maxime uult, conficere conatur. Compoſitio, ut in Oratore docet, & in eum aperte expoſuimus, iuncturam reſpicit, molleſq́; iungit nexus ſyllabarum: nec facile admittit hiatum uocalium, nec aſperum concurſum conſonantium. aliter dicitur coagmentatio, aliter iunctura. Ornatus eſt duplex, alius ſimplicium, alius coniunctorum. In ſimplicibus ſunt figuræ uerborum, in coniunctis partim uerborum, partim ſententiarum. Ornatus enim figurarum eſt. Nec raro figuræ dicuntur ornamenta, maxime illa inſignia & illuſtria, ut Cicero dicit in Oratore. Copia, alia rerum, alia uerborum. Ea præſtat non modo ut res facile explicemus, ſed etiam ut idem multis modis exponamus. In his tribus elocutio uerſatur. Hoc itaque oratori qui tribuunt, elocutionem tribuunt, cætera non concedunt. Quoniam autem uerba ſunt rerum notæ, nec ſine rerum ſcientia aptè accommodari queunt, hinc efficit, neminem uerbis bene uti poſſe, qui rerū uim neſciat. Elocutionem nemo poteſt aſſequi ſine ſcientia rerum maximarum, quam ei non conceditis: quia dicendi uirtus & orandi facultas extare non poteſt, niſi dicenti res de qua agitur, percepta cognitaq́; ſit. Hoc nihil certi colligit argumentum, quoniam elocutione ueſtire poſſumus quod neſcimus, id eſt, arte & ratione non intelligimus, ſed opinione communi concipimus. Oſtendit tamen, aut ciuiles actiones bene tractare, aut eloqui planè, plus aliquanto complecti, quàm uituperatoribus artis huius primi fronte uideatur. Vulq́; unam eſſe omnino eloquentiā, quæ ex rebus & uerbis coaluit uelut in unum corpus: ut ſtultū eſſe uideatur, ea quæ natura coniunxit ſeparare. de quo plura libro tertio diſputabit. Pergit igitur, & quod dat aduerſarius, accipit, oratoris eſſe propriū ornatè loqui: ut inde conficiat, eiuſdem eſſe rerum ſcientiam. Id confirmat à ratione philoſophorū, quorum alij ornatè locuti ſunt, ut Democritus, Plato, Ariſtoteles, Theophraſtus, Carneades: alij ieiune et exiliter, ut Chryſippus. Hi poſteriores philoſophiæ ſatiſfecerunt, ſine ulla arte dicendi. Priores igitur nō ſuam, ſed alienam hanc habuere facultatem. Vnde habuere? Ab oratoris arte. Quid tum? hinc colligitur, orationem ipſam propriam eſſe huius unius rationis de qua loquimur & quærimus. Quid tandem? Oratoris eſt igitur ornate loqui non ſolum aut in iudicijs, aut ad populum, aut in ſenatu, ſed in omni re quæ poſſit & debeat ornate explicari. Ornatus hic, ſi res non ſubeſt ab oratore percepta & cognita, nullus eſt. Oratori igitur qui concedit orationem, idem rerū ſcientiam concedat neceſſe eſt. Habes ſummam, aut oratorem in iudicijs & conſilijs bene uerſari, quod ſine rerum ſcientia aliqua fieri non poteſt: aut illius eſſe propriam ornate dicendi facultatem, quæ ſine ſententijs nulla ſit. Ornate locutus eſt, ſicut fertur, & mihi uidetur, phyſicus ille Democritus. Lepide Craſſus iudicium Græcorū de phyſico Democrito antepoſuit, ſuum poſtpoſuit, ut homini Romano de ſtylo Græcorum parum crederetur. Hic Democritus Abderites fuit circa tempora Socratis: qui, ut Cicero refert, propter diſcendi cupiditatem ultimas terras

peragrare uoluit. Dicitur oculis ſe priuaſſe, ut quamminime animus à cogitationibus abduceretur. Patrimonium neglexit, agros deſeruit incultos, nihil quærens aliud niſi beatã uitam. Res eius memoriæ tradidit Laertius, & enumerauit libros multos, unde ſciri poteſt quàm ſtudioſus eloquentiæ fuerit. Phyſicus dicitur à ſcientia naturali, in qua uerſabantur illi priſci philoſophi ante Socratem. Nunquam prodibat Democritus, quin hominum uitia rideret: adeo hanc noſtræ mortalitatis colluuionem aſpernandam exiſtimauit. Seruatus eſt ordo temporis. Democritus uenit auditum Socratem, Socratis erat diſcipulus Plato, Platonis Ariſtoteles, Ariſtotelis Theophraſtus. Materies illa fuit phyſici, de qua dixit: hoc eſt, non oratoris erat inuenire illam materiam, aut inuentam monſtrare, ſed ſi egeret oratione, ornate & copioſe explicare. Plato de rebus à ciuilibus controuerſijs remotiſſimis diuinitus eſt locutus, ut de immortalitate animæ, de eo quod eſt, de rerum natura, & multis id genus. Idem fecit Ariſtoteles, idem Theophraſtus, idem Carneades, de quo paulo ante dictum eſt. Fuerunt hi eloquentes, & in dicendo ſuaues, hoc eſt, iucundi tum pulchritudine ſententiarum, tum bonitate & compoſitione uerborum. Res eorum ſunt in alijs quibuſdam ſtudijs, hoc eſt, alijs artibus, aut phyſicis, aut ethicis, aut mathematicis, aut metaphyſicis. Oratio ipſa propria eſt huius unius rationis, id eſt, artis de qua loquimur & quærimus. Etenim ornate loqui, non eſt philoſophiæ tractandæ neceſſarium. Nam uidemus iſdem de rebus philoſophicis diſputauiſſe quoſdam ieiune, id eſt ſine copia, & exiliter, ſine magnifico ornatu & apparatu, ut eum quem acutiſſimum ferunt Græci amatores eius Chryſippum. Seruauit illam ſuam modeſtiam Craſſus, & aliorum quàm ſuum maluit proferre iudicium. Acutum fuiſſe Chryſippum oſtendit Diogenes his uerbis. ἀνὴρ εὐφυὴς καὶ ὀξύτατος ἐν παντὶ μέρει οὕτως, ὥστε καὶ ἐν τοῖς πλείστοις διηνέχθη πρὸς Ζήνωνα. Vir erat indole bona, & ingenio præclaro, idem peracutus in omni re, & tam ſubtilis, ut rebus in multis Zenoni acriter diſſentiret. Multa de re dialectica, multa de re dialectica, multa de alijs rebus acute diſputata poſteris reliquit. Fuit .n. polygraphus adeo, ut eius opera longã hominis uitã deſiderare uideantur.

Vnũ erit profecto.] Qui bene dicũt, ut oratores (nec .n. de ineptis ſermo eſt) afferũt in mediũ orationẽ propriã, id eſt, proprijs boniſq; uerbis compoſitam, ornatã inſignibus figurarũ, compoſitã coagmentatione iuncturarum, artificio rhetorico et expolitione oratoria diſtinctam: non confuſam, non permixtam, non inordinatam. Hæc oratio, hoc eſt, elegans elocutio, ſi res et ſententia non ſubeſt ab oratore percepta, & ante collecta, deinde cognita, aut nulla ſit neceſſe eſt, hoc eſt, in nihilum recidat, aut omnium irriſione ludatur, cuiuſmodi non ſolet eſſe diſerti oratio. Quid enim tam furioſum, hoc eſt, ab omni mente alienũ, quàm uerborum etiam optimorum ſeorſim, ornatiſſimorum in contextu, ſonitus inanis, hoc eſt, nulla ſubiecta ſententia nec ſcientia? Idem in Oratore. Compoſite & apte ſine ſententijs dicere, inſania eſt: ſententioſe autem ſine uerborum & ordine & modo, infantia. QVICQVID erit igitur, quacunque ex arte, &c.] Colligit ex antedictis, oratorem non arguendum inſcitiæ, ſi non omnes artes forte didicerit, cum ignorationis eſſe nemo putet, clientis audire cauſam, et ad agendum diſcere. Quemadmodum bonus patronus à cliente & à reo ſuo ante cauſam diſcit, quàm agat apud iudices: ſic de rebus alijs habiturus orationem, diſcet ab ijs qui tradunt eas: ubi didicerit, melius & ornatius dicet, quã ille ipſe eius rei inuentor atque artifex. Ergo ſtudia rerum magnarum ſunt oratori cum philoſopho communia. Ornatu & copia philoſophum ſuperat orator. At non didicit, inquies. Fieri poteſt, non tamen icirco uituperanda rhetorice. non certe magis quã illa dialectice tantopere laudata, cui diſſerendi materia aliunde petitur. Diſcet cum opus fuerit, & illam maxime partem capiet, quæ erit oratione demonſtranda. Iam uituperationis huius duas oſtendit eſſe cauſas. Vna calumniantium eſt, qui quòd ſæpius in cauſis & ſententijs oratorem uerſari uident, nihil aliud eum ſcire exiſtimãt. Non eſt conſequens, in illis multus eſt, ergo in illis totus eſt. Altera eſt rhetorum eorum, qui ſcriptis libellis imperfectis arti detectus attulerunt. Alios eſſe uult bonos oratores, alios rhetores, qui pauca admodum artis præcepta nouerunt. Si quis erit (fuerũt & erunt permulti) qui hoc dicat, eſſe quaſdam oratorum proprias ſententias, id eſt, cauſas deliberatiuas, atque cauſas, hoc eſt cõtrouerſias forenſes (aut ſententias atque cauſas intelligit quæſtiones aliquot ſubiectas oratori, quod in idem redit) & ſi dicat certarum rerum, ut ciuilium controuerſiarum, ſcientiam circumſcriptam definitamq; forenſibus cancellis, hoc eſt, quæ fere non exerceatur alibi, quàm in ſeptis clauſtriſq; iudicum: hoc ſi dicat inquam ad oratorem pertinere, fatebor equidem in his magis aſſidue uerſari hanc noſtram dictionem, hoc eſt, dicendi facultatem, non tamen inde confici, de paucis admodũ rebus oratorem diſputare. Sed in ijs ipſis rebus deliberatiuis et forenſibus permulta ſunt arte comprehenſa, quæ iſti magiſtri qui rhetorici uocantur à profeſſione, nec tradunt aut libellis aut pueris, nec tenent, quod eſt neſciũt. Magiſtros aliquot ineptos, qui tum Romæ rhetoricas artes profitebantur, nunc arguit, & iterum ſecundo libro. Nec eos ſolum, ſed & Græculos qui artem hanc nimiũ tenuiter anguſteq; tractarunt. De ſtatu, de exordijs, de narrationibus, de confirmationibus aliquid attigerunt, affectus & locos argumentorum reliquerunt. Hos Rhetoricorũ primo redarguit Ariſtoteles, qui probationum ſedes reliquerint: Illos Cicero, qui omiſerint rationes affectuum, quos non probat Ariſtoteles. Affectus potentiſſimos eſſe Craſſus exiſtimat: & ſanè res ita habet. nec tam diſputant philoſophi quantum poſſint, quã quantũ bonum uirum ſapientemq; deceant. Quis neſcit (ac ſi res ſit in confeſſo, loquimur) maximam uim facultatemq; exiſtere, id eſt, eminere oratoris in hominum mentibus uel excitandis, uel remittendis? Affectus alij ſunt ad indignationem, alij ad lenitatem. Illi ſunt arguentis, hi uero mitigantis. Ad indignationem pertinent, ira, odium, dolor. Ad lenitatem, beneuolentia, miſericordia. Appellantur hæ permotiones animi, et perturbationes, quæ non omnes hic nominantur, ſed illæ modo quas ſæpius uerſat orator. Rationes earum tractat amplius in ſecundo libro, et Ariſtoteles in Rhetoricis. Iam aſſumptum eſt illud, maximam uim oratoris in affectibus mouendis exiſtere: addendum et iſtuc, id fieri non poſſe ſine ſcientia naturali. colligendum, phyſicam ad oratorem pertinere. Affectus, inquit, perficere nemo poterit, ſed forte ex opinione quadam inchoare, niſi qui penitus perſpexerit & planè cognouerit naturas hominum, quæ temperamenta nominantur, uim omnem humanitatis tum à natura, tum ab educatione et inſtituto uitæ, cauſaſq; eas quibus mentes aut incitantur ad indignationem, aut reflectuntur ad lenitatem. Natura & temperamento alij ſunt iracundi, qui bile facilè accenduntur: alij tardi, ut melancholici: alij compoſiti, qui humorum mediocritate conſtant: alij frigidi, & pituita languidi. Quid moror? Naturæ in ſummo gradu ſtatuuntur nouem à medicis, in alijs gradibus innumerabiles. hoc naſcitur è quatuor humorũ qualitatumq; uaria temperie. Vis humanitatis etiam eo ſpectat, quomodo quis fuerit educatus, quam ſortitus ſit uitæ conditionẽ quod maximè ſtudium amplexetur. Hæc enim & ſimilia uſu cõfirmata, fiunt altera natura. Cauſæ ad incitandũ aut reflectendũ ſunt eæ res omnes, quæ nos aut mouere, aut motos in trãquillitatem redigere poſſunt. Multas enumerat Ariſtoteles Rhetoricorũ ſecundo, quid faciat auaritia, quid opes, quid ſcientia: ſed excedunt numerum. Totus hic locus eſt philoſophorum naturaliũ proprius. Cicero in Oratore. In Phædro Platonis hoc Periclẽ præſtitiſſe cæteris dicit oratoribus Socrates, quòd is Anaxagoræ phyſici fuerit auditor, à quo cenſet eũ cum alia præclara

quadam

quædam & magnifica didiciſſet, uberem & fœcundum fuiſſe, naturamq́; (quod eſt eloquentiæ maximum) quibus orationis modis quæque animorum partes pellerentur. quod idem de Demoſthene exiſtimari poteſt, cuius ex epiſtolis intelligi licet quã frequens fuerit Platonis auditor. Ergo iuuat oratorem ſcientia naturalis: nec orator, me authore, hoc eſt, ſi me audierit, unquã repugnabit. Nam quemadmodum rhetorice aliquid habet proprium, ita quoque artium ſingularum quædam propria ſunt. Concedet igitur illis philoſophis cognitionem rerum, quòd in ea ſolum illi uoluerint elaborare, non etiam in tractatione orationis. Tractationem orationis, & eloquendi rationẽ quæ ſine philoſophia nulla eſt, ſibi aſſumet. Hoc enim eſt proprium oratoris, ratio grauis, et ornata, et hominũ ſenſibus accõmodata: grauis pondere uerborũ ac ſententiarũ, ornata inſignibus figurarum, tũ λέξεως tum διανοίας: ſenſibus accõmodata, affectuũ ratione hominum mentibus accepta. Hoc modo dat oratori & rerum cognitionẽ, et explicandi facultatem. philoſopho (quatenus eſt philoſophus) tantũ rerũ ſcientiam. Obijciebat Scæuola, Ariſtotelem Theophraſtumq́; de his rebus non ſolum meliora, ſed etiam multo plura, quàm omnes dicendi magiſtros ſcriptitaſſe. Soluit hoc nodi, nõ ut philoſophos, ſed ut oratores illa ſcripſiſſe: quod dubitat nemo. Etenim rhetoricæ operæ partem dederunt, & artem ſtudio comparatam locupletauerunt. Ego (ſe pro oratore ponit) quæ ſunt oratoris cum illis communia, id eſt, rerum magnarũ artes, non mutuor ab illis, hoc eſt, non ſumo à philoſophis utenda. Quid ni? Cum de rebus rhetoricis diſputant, oratorũ eſſe concedunt, & inſcribunt rhetoricorum titulo. cum molior orationem rebus uerbiſq́; conſtantem, nũquam philoſophis acceptam fero, nec inde nomen impono. Quamobrem? Quoniam aliter philoſophi, aliter oratores de rerũ ſententia diſputant: illi in angulis tenuiter & ieiune, hi in publico grauiter et copioſe. Cur ergo ſubinde mones, ut orator philoſophiam diſcat? Neceſſaria eſt, non illa quã tractant tam exiliter, ſed illa grauis, quæ ſi ab aliquo inuenta eſt, ab Ariſtotele Theophraſtoq́; tota inuenta non eſt. Ratio quidem communis eſt, mens hominum communis, ſenſus quoque communis, ſtudia communia: hinc cognitio rerum communis eſt, ſed tractatione fit propria, eius qui apte & commode tractauit. Ergo ſi philoſophi res multas bene inuenerint, ingenia præclara eaſdem inuenire ratione potuerunt. Opera danda eſt iis rebus, ut aut per te ipſe inuenias, aut ſtandũ illis ſapiẽter inſtitutis. At ſi de rebus ipſis cauſiſq́; diſputas, philoſophum agis. Sanè, ſi tenuiter more multorũ: eloquentem ago, ſi grauiter & copioſe diſputo. Summa eſt, materia ipſa communis eſt, ſi nuda et ſola ſumitur: oratoris eſſe incipit, artificio dicendi ueſtita & ornata. Non intelligo quid uelis. Planius exponam. Res poſitæ ſunt in medio, philoſophi ſtudia conuerterunt ad eas, conuerterunt et oratores boni. Ex communi bono aliquid ſibi proprium fecere, fecerunt & oratores. hoc eſt quod ait: Communia non mutuor ab illis. quoniã ſumpta de medio redegerunt in artem abditam. eadem orator apertius deduxit in lucem. Adde quod in 3. lib. contendit ſcientiã rerum maximarum olim oratorum fuiſſe, et nunc eſſe quidem, ſed occupari ab hominibus ocioſis, qui in una aliqua re totum uitæ ſuæ curriculum tranſigunt. Quod ſi accipimus, philoſophia iure oratoris eſt, ſed illi ab occupatoribus non conceditur. Philoſophi diſputant de dijs immortalibus, ut Theophraſtus tribus libris: de pietate, ut idem libro uno: de concordia, ut Plato libris de Rep. de amicitia, ut Plato in dialogo qui eſt Lyſis: de iure, ut idem Plato de Legibus, et Ariſtoteles multis libris qui nõ extant. Ius aliud gentium, quo gentes humanæ utuntur, ex quo bella, diſcretæ gentes, regna condita, diſtinctæ poſſeſſiones, agris termini poſiti, ædificia collocata, commercium, uenditiones, emptiones, locationes, conductiones, obligationes inſtitutæ. Aliud hominum. hoc duplex: alterum commune ciuium, quo ciues ſingularum ciuitatum communiter utuntur: alterum ſingulorum, quod ad utilitatem ſingulorum ſpectat. De communi ciuium iure, de hominum, de gentium iure diſputare non modo iuriſperitorum eſt, ſed etiam philoſophorum. Aliter & aliter hoc fit. Philoſophi rationes inquirunt & cauſas: iuriſperiti, rei ſummã, et legis intellectum. Aequitas autem eſt, quam ratio naturalis perſuaſit. In ea fundamentum eſt legum omnium: eius tractatio eſt in libris de Legibus atque de Iure. De tẽperantia eſt Charmides Platonis, de magnitudine animi Laches eiuſdem, & de omni uirtutis genere ſunt Ethica Ariſtotelis, & Meno Platonis. Iiſdem de rebus alij plerique ſcriptitarunt: quod ſcribendũ cenſuimus, ut planum fieret hæc eſſe propria philoſophorum. Philoſophi autem aut in gymnaſijs (ubi iuuentus corpora exercebat) diſputabant, aut in ſcholis, ludiſq́; ſecretis. hinc eorum ſectæ, aut gymnaſia aut ſcholæ nominantur. De gymnaſijs teſtis eſt Cicero. II. lib. qui dicit, ubi diſcus increpuiſſet, philoſophos differentes in gymnaſijs ab diſcipulis relinqui ſolitos. Eam locorum differentiam hic quoque ſtatuit, atque in contemptum philoſophorũ, tribuit illis otium & angulos, et tenuem exiguumq́; ſermonem: oratori contra publicum, grauitatem et iucunditatem. Sic accipe, rem ipſam in medio poſitam eſſe, aliter philoſophorum fieri propriã, aliter oratorum. HAEC ego cum ipſis philoſophis tum Athenis diſſerebam, &c.] Iam philoſophiæ partes attribuit oratori, quatenus illi ſubiectæ eſſe debent. Debent autem quæ cõtinent nõ illã inutilem uanamq́; ſubtilitatem, ſed aliquid paulo grauius orationis artibus explicandum. Id quo notum faceret, uſus eſt argumentationibus. Nunc aliter agit de iure deſcribendo: nam non argumentorum ui, ſed affirmatione ſola contendit, oratorem ius, leges & mores perinde inſtituere poſſe, atque Lycurgum, aut Solonem, aut etiam Decemuiros qui duodecim tabulas perſcripſerunt. Argumentis haud erat opus, quoniam hoc diſputandi genus in philoſophos exortum eſt: qui ſi philoſophiam conceſſerint oratori, nunquã certe negabunt eundem leges & iura conſtituere poſſe. Differt autem hæc pars ab illa quæ ſequitur de iure ciuili. Hic agit de legibus in ordinem digerendis, aut nouis condendis: illic de perdiſcendo iure ciuili, quod ſit ab alijs inſtitum. Aliud eſt quidem legumlatorem eſſe, aliud iuriſperitum: non ſi legumlatores ſunt iuriſperiti, iccirco omnes iuriſconſulti legumlatores erunt. Hic locus eſt comparatus aduerſus illam Scæuolæ diſputationem, utilitates aut inſtituẽdis aut conſeruandis ciuitatibus, non à diſertis & ornate dicentibus, ſed à ſapientibus & fortibus uiris eſſe conſtitutas. Hæc ego cũ ipſis philoſophis tum Athenis diſſerebam, cũ eò Quæſtor ex Macedonia ueniſſem. Cogebat. n. me M. Marcellus hic noſter amicus (non uult contentioſus uideri, nec aucupari diſputãdi occaſiones, quoniam hoc ſophiſtarum eſt, ſed à iuuentute cogi) cogebat inquam Marcellus, qui nunc ædilis curulis eſt: & profecto niſi ludos Romanos, de quibus ſupra dictum eſt, nunc faceret, huic noſtro ſermoni intereſſet. cogebat autem, qui iam tum erat adoleſcentulus ſtudijs rhetoricis mire deditus, ideoq́; harum diſputationum percupidus. Hic Marcellus eſt, pro quo Cicero dixit orationem ad Cæſarem. oratorem fuiſſe, teſtatur in Bruto. Vellem, inquit Brutus, de iis etiam oratoribus qui hodie ſunt, tibi dicere luberet, etſi de alijs minus, de duobus tamẽ quos à te ſcio laudari ſolere, Cæſare, & Marcello. Multa ibidem de uiro præclara ſcribit. Aediles, alij curules, qui regia ſella inſignes erant: hi ex patribus creati ſunt. alij plebeij, alij cereales. Aedilibus curulibus incumbit cura & adminiſtratio ludorũ. Non ſine re igitur, epitheto diſcrimen illorum fecit. Hactenus eſt interlocutus de ſua diſputatione Craſſus, ut alio tranſiret. Iam uero de legibus inſtituendis, hoc eſt ordine ſcribendis & perferendis: de bello, de pace, hoc eſt de ratione adminiſtrandæ ciuitatis domi foriſq́; de ſocijs qui aut fœderati ſunt, aut ſponte ſua amici, de uectigalibus et tributis Reipub. de iure ciuium, gene-

ratim, hoc eſt per genera, ordines, collegia (ſtatus ciuiũ appellãt) deſcripto et ordinato, neſcierunt melius Lycurgus aut Solon, quã Hyperides aut Demoſthenes. Hæc facilius intelliges, ſi retuleris animum ad imperium Romanum, ad quod adminiſtrandum inſtituta ſunt leges duodecim tabularum, aliæq; permultæ. Ex illis aliæ fuerunt de bello, quo ritu Fœciales bellum indicerent, ut legati mitterentur, ut duces captatis auſpicijs delectum haberent, ut diſciplinam militarem tenerent, ut præda diuideretur, ut decerneretur triumphus. Aliæ de pace, ut de comitijs, de magiſtratibus, de ſacris, de cenſu, de auſpicijs: aliæ de ſocijs, et iure prouinciali, qualis eſt lex de repetundis: aliæ de uectigalibus, de locando agro publico, de paſcuis, de ſyluis, de portorijs, de decumis: aliæ de iure ciuium generatim deſcripto, hoc eſt, de iure ſenatorum, equitum, plebis: hæc ciuium genera ſunt, hi ordines, in quibus ſpectatur ætas tum propter claſſes & comitia centuriata, tum propter ſenatum in quem nõ omnis ætas allegitur. Lycurgũ ſcripſiſſe iura Lacedæmonijs, Solonem Athenienſibus, Ariſtoteles ſcribit in Politicis. Illos Cicero cenſet in numero eloquentium reponendos, non modo quòd ſuas ipſi leges ſuaſerunt in concione, ſed etiam quòd apte et explicate deſcripſerunt. Demoſthenes oratorum Græciæ conſenſu omnium primus, æmulum habuit Hyperidem, cui primas Cicero partes poſt Demoſthenem aſſignat. De Hyperide Plutarchus in uita Demoſthenis. Nam fuerant hi duo uerſati in uno genere artis, ſed ingenio naturaq; præſtantes, arti dicendi ſtudium ſapientiæ coniunxerant: inde fuerunt perfecti iam in dicendo homines, et perpoliti. Perfectio referri debet ad artium illum orbem & circulum, expolitio ad ornatum. Admiratio eſt à tempore, tantum iam potuiſſe in dicendo, cum uis & facultas orandi non ita pridem exculta fuiſſet ab Iſocrate. De Lælio & Sergio Galba ſupra diximus. Decemuiri qui fuerint, oſtendit Liuius primæ Decadis lib. III. Cum patribus cum plebe nunquã conueniret, miſſi legati Athenas Sp. Poſthumius Albus, Aulus manlius, P. Sulpititius Camerinus: iuſſiq; inclytas leges Solonis, & aliarum Græciæ ciuitatum inſtituta, mores, iuraq; noſcere. Ad eas leges in ordinem digerendas Decemuiri creati, Ap. Claudius, T. Genutius, P. Sextius, L. Veturius, C. Iulius, A. Manlius, P. Sulpitius, P. Curiatius, T. Romulus, Sp. Poſthumius. Cum ad rumores hominũ de unoquoque legũ capite edito ſatis correctæ uiderentur, centuriatis comitijs decem tabularũ leges perlatæ ſunt. Vulgatus deinde rumor duas deeſſe tabulas, quibus adiectis abſolui poſſe ueluti corpus omnis Romani iuris. Ad extremũ adiectæ sũt duæ tabulæ, ac duodecim numerus expletus. NVNQVAM enim negabo eſſe quaſdam artes proprias eorũ, &c.] Præter philoſophiam, & inſtituendi iuris rationem, quã etiam dedit oratori, aliæ ſunt artes quadam proprietate diſtinctæ, ut ars imperatoria, ut geographia, ut ſcientiæ mathematicæ, ut ratio politica, et ſi quæ ſunt id genus. Has quoque oratori notas eſſe uult, qui de omnibus rebus uarie copioſeq; diſſerere debeat. Vtitur argumento, in cauſis frequẽter aliquid eſſe quod ex obſcuriore aliqua ſcientia ſit promendum, & aſſumendum, id ſine illa ſcientia commode non poſſe tractari. eam igitur oratori tenendam, quod certe perſpicuum eſt, ſi omnia quæ incidũt in cauſas, exacte diſputet orator. Diſciplinas autem ſic aſſignat oratori, ut tamen fateatur eſſe proprias eorum qui in his cognoſcẽdis atque tractandis ſtudium ſuum omne poſuerunt: dicitq; proprias eorum, non quæ ad unum modo pertinent, ſed quibus omnem operam ſuam dederunt. Notum quidem, non uno modo proprium dici. Non eſt idem quod ait cognoſcere, atque tractare. Cognoſcere, intelligentis eſt ac ſcientis: tractare, aut ſcripto aut uoce differentis. Orator propriam habet artem rhetoricam, communes alias: nec ante plenus, id eſt, copijs omnibus affluens atque perfectus eſſe dicetur, quàm de omnibus rebus quæ modo oratione dignæ ſunt, poſſit uarie copioſeq; dicere. Varietas eſt generum. alia genera rerum, alia uerborum collocanda. Copia item alia ſententiarum, alia uerborum, ut iam diximus: ſed hæc quoque in ijs quæ eadem ſunt, dici poteſt. Etenim ſæpe in ijs cauſis, hoc eſt quæſtionibus ciuilibus finitis (quas omnes proprias eſſe oratorum confitentur aduerſarij, non quò in illis ſtudium ſuum omne poſuerunt, ſed eas legerunt, in quibus operam præcipuam collocarent) eſt aliquid quod non ex uſu forenſi trito & quotidiano, ſed ex obſcuriore minusq; uſitata aliqua ſcientia ſit promendum, quaſi è cella penaria eruendum, & aſſumendum in orationem: ut ſi dicendum eſt contra imperatorem, hoc eſt militum ducem, ut quondam Mancinum & Cæpionem, aliquid aſſumendum ex uſu militari: auſpicia non rite capta, non obſeruatam morum ſeueritatem, non arreptam occaſionem, ordines inſtructos non fuiſſe. aſſumendum quoque ex geometria, quæ regiones terreſtres & maritimas modo menſuraq; comprehendit: non exploraſſe regiones, non cognouiſſe tractus & ſpacia locorum, non comprehendiſſe anguſtias, non cepiſſe locum parem aut caſtris aut prælio. Hæc imperatori aliter cognoſcenda ad exercitum ducendum, aliter oratori ad explicandum ac diſſerendum. Si dicendum eſt apud populum de legibus iubendis, hoc eſt ſuffragio populi ſanciendis, aut ex contrario uetandis prohibendisq;, ut olim tribuni dixerũt, A. Virginius, Sempronij, Gracchi, Druſus, Saturninus, alijq; permulti: habenda ſumma rerum ciuilium cognitio & prudentia. Hanc ſuppeditant uſus & libri de Rep. quales Plato & Cicero ſcripſerunt. Eadem aſſumenda ſi in ſenatu dicendum erit de omni Reipub. genere. Genera fecere tria, democratiã, oligarchiam, monarchiam, quæ paulo ante numerauimus. Accipere poſſis Reipub. formas, quæ manente libertate ſæpe mutatur: ut alia Reſpub. Athenienſium, alia Lacedæmoniorum, alia Romanorum, alia Carthaginienſium. aliæ quippe leges, alij mores fuerunt. ſic Reſp. Romana ſæpe mutata eſt. Poſſumus et omne genus Reipub. accipere ſummam Reipub. uniuerſamq; rationem. quoniam uerbum ambiguum eſt genus, hæc ſimul omnia capiamus, quandoquidem nihil horum ad oratorem bonum nõ pertinet. De affectibus atque ratione phyſica dixerat, iterum dicit inculcandi gratia, id quod in oratore longe maximum iudicat. Vnum πάθος & ἦθος in oratore dominatur. Hac ueluti machina admouetur oratio ad ſenſus animorũ atque motus, hoc eſt, ita dicitur, ut animi ſentiant atque moueãtur. Motus omnis aut inflammat & indignationem mouet, aut extinguit iram et miſerationem, beneuolentiam'ue inducit. Ad cognoſcendos affectuum modos opus eſt diligentiſſima peruestigatione earum omnium rationum, hoc eſt, artium & cauſarum naturalium, quæ de naturis et tẽperamẽtis humani generis, quæ de moribus ex tẽperamento et educatione è philoſophis explicãtur. ATQVE haud ſcio an minus hoc uobis ſim probaturus, etc.] Propriũ eſt oratoris, oratione res illuſtrare, illius quidem eſt oratio, & præcellens elocutio: aliorum ſermo communis. hic dicit, cæteri loquuntur. hic cum res poſſit, ornate & copioſe differit: cæteri incompte atque ieiune. Quòd ſi quis ex illis melius paulo cæteris agit, initia quædam ſunt ingenij & naturæ multorum communia, quæ ſine arte eloquendi nunquam magnopere excellunt. quare confitendum eſt, neque phyſicũ, neque mathematicum, neque architectum, neque medicum, neque alium artificẽ copioſe et ornate rem ſuã explicare poſſe ſine facultate dicendi, quã præceptis uſuq; cognouerit. Fallit natura multos, qui quod ingenium et uſus aliquis inchoauit, omni ex parte perpolitũ exiſtimant: cumq; uident ornate agere quempiam aut philoſophũ aut methematicum, mentiuntur id illius, haud oratoris eſſe, & rerum proprietates naturaſq; confundunt. At, inquies: Idem philoſophi de oratore dicent, de rebus magnis eum diſſerere non poſſe citra philoſophiam: à philoſophis accipere neceſſe eſſe. Vt cõcedamus opus eſſe oratori philoſophia, aliter tamẽ philoſophus

ab oratore

ab oratore, aliter orator à philoſopho quod uult mutuatur. Philoſophus ſine eloquentia munus explere ſuum poteſt: ſi quē ſumit ornatum, nulla adductus neceſſitate ſumit. hinc fit, ut eloquētia ad illum aut nihil aut parū pertinere uideatur. Orator ab alijs artibus rem neceſſario capit: quapropter omnes illi ſubiectæ uidentur. Atque haud ſcio an minus hoc nobis ſim probaturus, quia opinio eſt, quam quiſque norit artem, melius eā uerbis aperire poſſe. equidem nō dubito quod ſentio dicere: nec.n. diſſimulanda ueritas eſt, quanquā cuiuis probare nō poſſis. Phyſica iſta ipſa quæ paulo ante poſuiſti ò Scæuola, et mathematica, & cæterarū artium propria præcepta, ſcientiæ ſunt eorum qui illa profitentur. Nam quemadmodum rhetorica ſunt rhetorum, ſic et phyſica phyſicorū, mathematica mathematicorum. Illuſtrare autē oratione, hoc eſt dilucide et ornate explicare uerbis, ſi quis iſtas ipſas artes uelit, ad oratoris ei confugiendum eſt facultatem. Facultas oratoris eſt, ſcientia bene dicendi. Dicet aliquis, Philon architectus perdiſerte populo rationem operis ſui reddidit, nec ille fuit orator. Occurrit. Non exiſtimandum eſt architecti potius artificio diſertū, quā oratoris fuiſſe. Facundiā architecturæ coniunxerat, ſed quā ſæpius tractabat artem, eam unam ſcire uidebatur. Hic Philo Athenienſibus armamentariū mille nauium fecit. Plinius libro ſeptimo. Laudatus Cteſiphon Gnoſius æde Epheſiæ Dianæ admirabiliter fabricata, Philon Athenis armamentario mille nauium. Hoc armamentarium fuit nauium receptaculum, quo apte fabricato naues in ſiccum recipere liceret, & à maris & cœli iniuria atque tempeſtate tutari. Naues enim ſolitæ ſunt in ſiccū trahi, quod Homerus Iliados ſecundo libro teſtatur. Illi, inquit, ſe inuicem adhortabantur naues prehendere, atque in mare deducere. Naualia purgabāt, nauiumq; fulcimenta ſubtrahebant. Horatius. Trahuntq; ſiccas machinæ carinas. Armamentarium quoque dicitur, in quo arma, inſtrumenta', machinæ, omnis generis tela reponuntur. Dicuntur ab armamentis, quæ proprie nauium dicuntur inſtrumenta. Suetonius in Auguſto. Repetijt Italiam, tempeſtate in traiectu bis conflictatus, primo inter promontoria Peloponneſi atque Aetoliæ, rurſus circa montes Ceraunios, utrobique parte Liburnicarum demerſa, ſimulq; eius in qua uehebatur, fuſis armamentis, & gubernaculo diffracto. Armamenta, nautica dixit inſtrumenta. Locus autem ubi naues ſtant in ſiccum ſubductæ, aut ubi nouæ ſtruuntur, naualia dicuntur. Liuius. L. Quintius trans Tyberim contra eum ipſum locum ubi nunc naualia ſunt, quatuor iugerum colebat agrum. Naualia fecit Hermodorus quidam architectus, cuius operis ut Philo rationem, etſi non tam diſerte et elegāter, tamē reddidit. Orator accepta cauſa explicatius reddidiſſet, ut M. Antonius: quem iccirco nominat Craſſus, quòd ſe modeſte nominare nō poſſit. Aſclepiades primū rhetorica ſectatus eſt, deinde inopia coactus, didicit medicas artes. Diætā maxime, rationemq; uictus probauit. Romæ uerſatus cū alijs multis, tum Craſſo & Pompeio fuit perquam familiaris. De Aſclepiade Plinius hæc libro ſeptimo. Summa autem fama fuit Aſclepiades Pruſienſis condita noua ſecta, ſpretis legatis & pollicitationibus Mithridatis regis, reperta ratione qua uinum ægris medetur, relato è funere homine, & conſeruato, ſed maxime ſponſione facta cum fortuna, ne medicus crederetur, ſi unquam inualidus ullo modo fuiſſet ipſe: & uictor ſuprema in ſenecta lapſu ſcalarum exanimatus eſt. Socrates oratoribus ſemper infeſtus, ut Plato ſcribit in Epitaphio, dicere ſolebat, omnes in eo quod ſcirent, ſatis eſſe eloquentes. quod ſi eſt, nō opus eſt eloquentia, ſed rerū ſcientia. Is qui ſemper oratores agitaſſet, tandem in iudicio ſuo eloquentia uti noluit, ne rationibus ſuis controuenire uideretur. ita ſui contemptus pretium tulit. Paucos habuit imitatores. Præſtantiſſimi uiri in periculo ſuo non ſunt aſpernati defenſionem, & eloquentiæ præſidium: bonum certe, quod hominibus deus Opt. Max. dedit. Socrati Cicero modeſte contradicit, homini magnopere laudato. Illud eſt, inquit, probabilius dictum Socratis, quàm meum, neque tamē uerum. Multa quidem falſa ueris probabiliora ſunt: ut probabilius eſt eum qui ſua negotia utiliter admiſſo uitio tractat, aliquanto plus ſapere, quàm qui rerum ſecurus, uni menti dat operam. Id tamen ſapientibus falſum. Eſt probabile, quod ueriſimile: ueriſimile, quod ad fidem propenſum eſt. Illud uerius quod ſtatuo, neque quenquam in eo diſertum eſſe poſſe quod neſciat, quia oratio ſine re inanis eſt: neque ſi id optime ſciat, ut multa multi philoſophi, ignaruſq; ſit facundiæ, ac poliendæ orationis, diſerte idipſum poſſe de quo ſciat dicere. Exempla prope infinita reperiuntur. Orationem facere dicimur nō cum habemus, ſed cum rebus & uerbis condimus: expolire autem, cum limamus, & elegantijs elocutionis ornamus. Cicero de Claris oratoribus. Vt intellectum eſt quantam uim haberet accurata & facta quodammodo oratio, tum etiam magiſtri dicendi multi ſubito extiterunt. Poſtremo comprehenſa oratoris materia, qui proprie debeat orator & eſſe & dici, breuiter definit. Definitio uniuerſam & propriam rei qua finitur, uim explicare debet. adhibetur enim ad totum, & proprietatibus conſtat in explicando toto communis eſt: in conſtituendis rei proprijs, propria. Definitio alia fit ex genere & proprietatibus perbreuis: alia ex enumeratione partium, qualis eſt hæc. Rhetoricæ partes cum ſint numero quinque, in prudentia ſtatuit inuentionem, in compoſitione collocationem, in ornatu elocutionem: quibus adijcit memoriam, & actionis dignitatem, hoc eſt rectam pronunciationem. Tradit etiam quo partes iſtæ conferri debeant, nempe ad omnem rem quæ ſit dictione explicanda. Illud animaduertendum uerbum: nō dicit oratorem de rebus omnibus diſſerere, ſed de illis modo quæ ſint oratione explicandæ. Quamobrem? Multa dictu fœda nō decent oratorē, multa dictu inutilia nō quærūt orationem: multa ſine oratione ab omnibus intelligūtur: multa uno aut altero ſenſu debent eſſe cōtenta: multa ignotiora nunquā ueniūt in diſputationē. Non omnia ſunt igitur dictione .i. oratoris oratione explicanda. SIN quippiam nimis infinitum uidetur quod ita propoſui, &c.] Profeſſio bene dicendi hoc ſuſcipere ac polliceri uidetur, ut omni de re, quæcunque ſit propoſita, ornate copioſeq; dicat. Non tamen hoc tantum oneris imponit oratoribus, nihil ut ijs putet licere neſcire. Hæc ille ferè in proœmio. Talia quædam Craſſum loquentem facit. Primum eſſe et optimum, res omnes quæ modo liberaliter inſtitutum deceant, ſcientia comprehendere. Proximum, cum poſtulat res, ab ijs qui ſciāt quærere. Hæc non eò dicit, quò demoliatur illud ſuum inſtitutum de rebus omnibus cognoſcendis, ſed ut oſtēdat eum quoque nomine oratoris dignum uideri, qui præcipuis artibus notis, cæteras cum uſus eſt, cum aliquo communicat. Nihil uetat, præcipientē id quod in arte ſit uniuerſum complecti. Nec ſi plerique pauca admodū intelligūt, illa tamen huius artis nō ſunt. SIN. id eſt, ſed ſi, quippiā nimis infinitū et immenſum uidetur quod ita propoſui, quacunque de re quæ ſit dictione explicanda, oratorem bonum eſſe dicturum, licet, hoc eſt, lex mea permittit, aut ignauo, aut occupato, aut hebetiori, ut hinc quantum uidebitur, id eſt, conſulto placebit, circumcidat atque amputet, haud ſecus atque uinitor amputat in uitibus id quod alere terram non poſſe uidet. Tamen illud tenebo, nec patiar extorqueri è manibus, ſi quæ cæteris in artibus certa ratione conſtantibus, aut ſtudijs obſeruatione quadam comprehenſis ſita poſitaq; ſunt, ignoret, tantumq; ea teneat quæ ſit in diſceptationibus, id eſt, conſilijs & concionibus, aut in uſu forenſi: tamen his de rebus ipſis ſi ſit ei dicendum, cum cognouerit ab ijs qui tenent & ſciunt quæ ſint in quaque re, multo oratorem melius, quàm ipſos illos quorum eæ ſunt artes, eſſe dicturum. Ita ſi de re militari dicendum erit huic Sulpitio (maluit hunc iuuenem

nominare, quàm Antoniũ conſummatiorem) quæret à C. Mario multis bellis exercitato: & cum acceperit, ita pronunciabit & perferet ad auditores, ut nõ modo cæteris, ſed & ipſi C. Mario penè hic melius, quàm ipſe ille ſcire uideatur. C. Marius belli gloria floruit adeo, ut ſeptem ſit adeptus conſulatus. cum Remp. adminiſtrare cœpiſſet, honorifice ſe geſſit, & eò prouectus eſt amplitudinis, ut Iuliam inſigni Cæſarum familia ortam duxerit uxorem. Sic homo plebeius factus affinis Scæuolæ & illius genero Craſſo patribus, an per Iuliam ſanguine materno, an per aliam uxorem, ut ad rem nil facit, ita anxie quæſitum nolui. Sin de iure ciuili dicendum huic erit Sulpitio, tecũ ò Scæuola communicabit, & in ijs ipſis rebus, quas abs te didicerit, te hominem quamuis prudentiſſimum & peritiſſimum dicendi arte ſuperabit. Prudentia iuriſperitorum eſt, unde ars eorum iuriſprudentia nominatur. ijdem à peritia iuriſperiti uocantur. Prudentia in rerum cognitione eſt, peritia in uſu. Sin quæ, id eſt aliqua res inciderit, ut frequenter incidit, in qua de natura hominum, de uitijs eorum, & cæteris id genus dicendum ſit, cum Sexto Pompeio philoſopho communicabit. De natura hominis eſt Alcibiades Platonis, de uitijs hominum ethica multorum, de cupiditatibus Tuſculanæ quæſtiones, de modo & temperantia Charmides Platonis: de continentia, de dolore, de morte, in ante dictis Tuſculanis agitur. Hæc & ſimilia philoſophia tractat. De Sexto Pompeio Cicero in Bruto. Dicebat L. Scipio nõ imperite, Cneusq; Pompeius Sex. filius aliquem numerum obtinebat. Nam Sextus frater eius præſtantiſſimum ingeniũ contulerat ad ſummã iuris ciuilis, & ad perfectam geometriæ et rerum Stoicarum ſcientiam. SED ſi me audierit, quoniã philoſophia in tres partes eſt diſtributa, &c.] De ſcientiarum numero immenſo aliquid circũcidi atque amputari poſſe dixit. quid minore iactura amputetur, oſtendit. Dialecticam et phyſicam minus oratori neceſſarias, ethicam diſciplinam illi perquã neceſſariam putat. Hanc in omnem fere controuerſiam, illas non ita frequenter incidere: ſi quando incidant, ab alio delatas & traditas ornate inſeri poſſe, argumento eſſe Aratum & Nicandrum poetas, qui quod ipſi neſcirent, ab alijs acceptũ optime tractarunt. Sed ſi me audierit, mihiq; obtemperarit orator is qui nimis infinitum putet omnem ſtudio complecti diſciplinã, quoniam philoſophia in tres partes eſt diſtributa diuiſione Academicorum, in naturæ obſcuritatem, quæ phyſica dicitur: in diſſerendi ſubtilitatem, quæ dialectica eſt: in uitam atque mores, ethice appellantur. duo illa relinquamus, phyſicam atque dialecticam: non quin multũ iuuent oratorem, ſed id largiamur et indulgeamus inertiæ noſtræ, hoc eſt ignauiæ languenti in animo liberaliter excolendo. Tertium uero de uita et moribus, quod ſemper oratoris fuit, niſi tenebimus, ac ueluti rem noſtram poſſedebimus, nihil oratori in quo magnus eſſe poſſit, relinquemus. Quare hic locus, id eſt, philoſophiæ pars de uita & moribus, totus eſt oratori nõ ſolum delibandus, ſed etiã perdiſcendus. Cæteras artes ſi non didicerit, tamen cum erunt ad eum quæſtiones ex illis delatæ & traditæ, poterit ſi quando uolet ornare dicendo. Aratus à mathematicis & aſtrologis ſtellas. Nicander à ruſticis & ſcriptoribus agriculturam didicit: uterque rem ab alijs traditã optime deſcripſit. talia cum uolet, ſimili ratione faciet orator. De Arato Quintilianus hæc. Arati materia motu caret, ut in qua nulla uarietas, nullus affectus, nulla perſona cuiuſquã ſit oratio: ſufficit tamen operi, cui ſe parem credidit. Aratus Solæcenſis ex Sicilia, familiaris Antigono Macedonum regi; floruit Callimachi & Menandri temporibus. præter alia ſcripſit & φαινόμενα, quæ Cicero quondam latina fecit, nunc fragmenta reſtant. Sunt qui dicant Ariſtoteli cuiuſdam mathematici auditorem fuiſſe: quod ſi eſt, qui fuit ignarus aſtrologiæ? qui præclare expoſuit ea quæ neſciebat? Cicero, mea ſententia, non hoc cenſet, aſtrologiæ ſemper ignarum fuiſſe, ſed operam fere omnem alijs rebus, ut grammaticis & poeticis dediſſe: cum de cœlo & ſtellis ſcribere decreſſet, tum diligenter ab ijs qui hæc tradebant, & cognouiſſe & tranſtuliſſe materiam. quod idem quoque de Nicandro dicendũ uidetur. Nam ſupra demonſtrauit, neminem in eo diſertũ eſſe poſſe, quod neſciat. Nicander Colophonius (Colophon urbs eſt Ioniæ) grammaticus, et poeta, & medicus fuit. Scripſit libellũ de Theriaca, qui nunc extat: ſcripſit & Georgica, quæ non uenerunt in manus noſtras, nec de illis mentionẽ facit Columella in enumerandis agriculturæ ſcriptoribus. Scripſit & alia quæ Suidas memorat. Hominem ab agro remotiſſimum exiſtimare debemus eum, qui cum ſemper in eo laboraſſet, ut poeticam facultatem adipiſceretur, ad res ruſticas ab alijs traditas ſtylum conuerterit. Porrò ne ſimilia nõ ſint quæ proponit exempla, poetam cum oratore confert. Eſt finitimus, proximus, & penè ſimilis oratori poeta, numeris adſtrictior paulo, quia pedes, ſyllabas, interualla, certas comprehenſiones enumerat: orator liberius currit, temporum interuallis, & comprehenſionum modis intentus. uerborum autem tum faciendorum tum transferendorum licentia liberior poeta. Plura quippe uerba noua facit, audacius multa transfert, multis uero ornandi generibus ſocius ac penè par. uerba legit, figuras aptat & uerborum & ſententiarum, uarietate gaudet, & eò ſermone qui ſuperet uulgus. In hoc quidem certe propè idem, nullis ut terminis & certis materiæ finibus circumſcribat id eſt amplectatur aut definiat & terminet ius ſuũ, id eſt, ſuã facultatem, quo minus ei liceat eadem facultate et copia uagari quà uelit. Nulli uni materia poetica tradita eſt. Nil intentatum noſtri liquere poetæ. A finitimo ad ſocium & parem, à pari ad eundem peruenit. NAMQVE illud quare Scæuola negaſti te fuiſſe laturum, etc.] Etſi quædam Craſſus largitus eſt inertiæ noſtræ, tamen ſemper illud ſuũ propoſitũ tenet, in omni parte humanitatis oratorem perfectum eſſe debere. Hoc illi diſputando efficiendum fuit in Scæuolam, qui uim dicendi tam latè patere negauiſſet. Confirmat iterum propoſitũ et Lucilij authoritate, et palæſtræ ac picturæ collata ſimilitudine, ut huic tandem parti argumentis ſatisfactum eſſe uideatur. Nihil erat ò Scæuola, cur negares in omni genere ſermonis, id eſt rei quæ uenit in hominum grauium ſermonum, aut artis oratione quadam exprimendæ: in omni parte humanitatis, id eſt cultus animi et eruditionis, oratorẽ perfectum eſſe debere. Arrogantiæ ſuſpicionem remouet, ne rem ſua ipſius ſcientia, non artis modo dimetiri exiſtimetur. Nunquam, me hercule, hoc de oratorũ materia dicerem, ſi eũ quem fingo, hoc eſt cuius ideam quandam animo concidio, oculis uidere nõ poſſum, propterea quòd nemo talis et tantus exiſtit, meipſum eſſe arbitrarer. Artes ipſæ non ſectatorum facultate, ſed ſua magnitudine rectius æſtimãtur. Lucilius poeta ſatyricus, homo doctus arte, perurbanus facetiarum genere, ſæpe dicere ſolebat, id quod ſentio, neminem eſſe in oratorum numero habendum, qui non ſit omnibus ijs artibus, quæ ſunt libero homine dignæ, perpolitus. Artes accipe non modo liberales, ſed & artificia quædam, & ſtudia rerũ honeſtiora, quæ proxime ad ingenuas artes accedunt: cuiuſmodi eſt diſciplina militaris, & ratio negotiandi. Lucilius uir ingenio acerbo fuit, amicos tamen habuit integerrimos, Q. Attam poetam comicum, Albutium, Albinum, Perſium. Scæuola dixit orationem in Albutium, riſitq; hominem, qui componeret lexeis ut teſſerulas in pauimento. Hanc reor eſſe cauſam, cur Scæuolæ & illius genero Craſſo ſubiratus ſit Lucilius. Artibus ſi in dicendo non utimur, tamen apparet atque extat, hoc eſt dicendo oſtenditur, utrum ſimus earum rerum rudes & indocti, an didicerimus. Inſeruntur enim quædam tum ſententiæ, tum uerba, quibus artem ſuam quiſque agnoſcit auditor: ut qui pila ludunt, in ipſa luſione & concertatione pilæ non utuntur artificio proprio palæſtræ (aliud eſt.n. pila ludere, aliud certare

palæſtra

palæſtra) ſed indicat & ſignis oſtendit ipſe motus corporis, didicerint'ne palæſtram, an neſciant. Qui didicerunt, & mollius, et expeditius, et decentius multo mouẽtur: alij contra. Motũ membrorũ ad ſpeciem honeſtam et utilitaté certaminis componebant palæſtræ magiſtri, à quibus erudiebantur olim ij qui ludis publicis aut luctarentur, aut ſaltarent, aut currerent. Alter ſimilitudo eſt. Qui aliquid fingunt, manuq́; formant, ut uaſa fictilia, ut ſtatuas, ut ſimulachra, ut ſigna: etſi tum pictura nihil utuntur ea quæ lineamentis et coloribus ducit opus, tamẽ utrũ ſciant pingere an neſciant, non obſcurum eſt. Reddit ſimilitudines. Sic in orationibus hiſce ipſis in quibus ſæpius uerſatur orator aut in ſenatu, aut in concionibus, aut in foro, ubi tria cauſarum genera tractantur: etiamſi, id eſt, quanquam, propriæ cæteræ non adhibentur artes, tamen facile declaratur utrum is qui dicat, tãtummodo in hoc declamatorio ſit opere iactatus, in quo adoleſcentes periculum faciunt apud ludimagiſtros, an ad dicendum omnibus ingenuis, id eſt homine libero dignis artibus inſtructus acceſſerit. Iam tum declamationibus exercebantur nó adoleſcentes modo, ſed etiam uiri robuſtiores. TVM ridens Scæuola, non luctabor, inquit, &c.] Plato in Gorgia et dialogo de rhetorica non unũ Gorgiam Socrati compoſuit, uerum interim Calliclem acerbe diſputantem fecit; nunc Polum, ſæpe Gorgiã: propterea quòd cum multa & uaria dicendi ſint, alia alijs re ipſa decentiora uidentur. Non diſſimilis eſt Ciceroni ratio ſermonis. Qui Scæuolã exciuerat ad contradicendũ de perfectione et materia rhetoricæ, eundem quo detur Antonio diſputandi locus, reuocat: nec dat ei Calliclis acerbitatem, quoniam ſenex maturus, ſcientia iuris & philoſophia excultus, recreandi animi cauſa cum genero ſuo contendit. Nec fœde reducit à pugna, ut Plato Calliclem (hoc enim modo decorum uiolaretur) at quaſi pugnantem cum referre pedem, amplius & honeſtius eſſe ratus eſt. Itaque Scæuola & confeſſione Craſſi, & eius moderatione, & oratorum perfectorũ paucitate, ſua quaſi caſtra defendit. Cuius defenſio eò tendit, ut intelligamus diſputationis huius omnẽ uim, artes omneis miniſtras et comites oratoris eſſe, tamen aliorũ quorundã proprias uideri: nó contemnendos eſſe philoſophos oratori, ſed eorũ capeſſendas artes: neque tam diſputandum de hominis cuiuſquam facultate, quàm de ſumma atque perfecta ratione rhetoricæ. Tum ridens Scæuola, ut hominem non inhumanũ et inſulſum decebat: Non luctabor, inquit, tecum Craſſe amplius, nó magis quàm palæſtrita rudior cũ luctatore nimium lubrico atque fallaci. Quod contra me locutus es de ſcientia rerum, artificio quodam aſtuto potius quã ipſa rei ueritate es conſecutus, ut & mihi, quæ ego uellem oratoris haud eſſe, nó eius eſſe cõcederes, et ea ipſa neſcio quomodo quaq; arte rurſus detorqueres, & è manibus detrahendo exprimeres, atque oratori propria traderes, non aliter quàm ſi dares ſecundum me uindicias, deinde ipſe à me in aliũ rem uindicares. Dicebas enim. Nunquam negabo eſſe quaſdam artes proprias eorũ qui in his cognoſcendis atque tractandis ſtudium ſuum omne poſuerunt. Cumq; philoſophiæ partes aliquot et officia numeraſſes, addebas: Atqui totus hic locus philoſophorũ putatur proprius, neque orator, me authore, unquam repugnabit. Paulo poſt aliter: Philoſophis ego ut de his rebus omnibus in angulis conſumendi otij cauſa diſſerant, cum conceſſero, illud tamen oratori tribuam et dabo, ut eadem de quibus illi tenui quodam et exiguo ſermone diſputant, hic cum omni grauitate & iucunditate explicet. & de iiſdem alio quodam loco, Quæ ſunt oratoris cum illis cõmunia, non mutuor ab illis. Hæc inter ſe collata, poſſunt diſſentanea uideri. Id ne quis falſo opinetur, animaduertendum illud quod ſupra demonſtrauimus, eas artes proprias oratoris eſſe, non ipſa aut inuentione, aut profeſſione, ſed graui & copioſa tractatione. proprium non uno modo dici, ſiue de rebus agas quæ prehendi queũt, ſiue de rebus animi, quæ ſola ratione conſtant.

Hæc quæ tecũ diſputaui Craſſe, cum ego prætor in prouinciam ſorte miſſus Rhodum ueniſſem, & cum ſummo illo doctore & doctiſſimo magiſtro iſtius diſciplinæ rhetoricæ Apollonio, ea quæ à Panætio philoſopho Aphricani meoq; doctore acceperã, contuliſſem, id eſt communicaſſem, triſit ille quidem (ut ſolebat) philoſophiam, atque contempſit, multaq; nó tam grauiter in philoſophiam dixit, quàm facete. Grauitas eſt in pondere & ueritate ſententiarũ, quibus non eſt uſus: facetiæ in laceſſendis ridiculo philoſophis, quàm moroſi, quàm ſubtiles, quã inepti, quã loquaces, quàm Reip. inutiles, quàm inter ſe diſſimiles, quàm opinionibus uarij moleſtiq; eſſent. Apollonius Molo Rhodius fuit: de quo Cicero in Bruto. eodem tempore Moloni dedimus operam. Dictatore enim Sylla legatus ad ſenatum de Rhodiorum præmijs uenerat. Orator unus in cauſis, ſcriptorq; præſtantiſſimus: quem multa circa rhetoricam mouiſſe, Quintilianus eſt teſtis. Tua autem Craſſe fuit oratio modeſtior et uerior quàm Apollinij: & eiuſmodi, non ut ullam artem doctrinam'ue contemneres, ſed ut omnes comites ac miniſtras oratoris eſſe diceres. Comites, quia ad oratoris accedunt honoré: miniſtræ, quòd illi ſuppeditant materiam, dicendæ uidentur. Quas arteis ſi quis ſit unus complexus omnes, idemq; ſi ad eas res facultates, δυνάμεις, et ſcientias arte cóprehenſas adiunxerit, iſtam ornatiſſima orationis facultatem, non poſſum dicere eum non egregium quendam hominem, id eſt de numero et ordine exemptũ, atque mirandũ fore. Sed is tam perfectus, ſi quis eſſet hoc tempore, aut ſi etiam unquam fuiſſet antea, aut uero ſi eſſe poſſet in poſterum, tu eſſes unus & ſolus ò Craſſe, qui et meo et omniũ iudicio uix ullam cæteris oratoribus laudem reliquiſti. Hoc autem eſt hominis excellentiſſimi, qui cæteros à tergo tam longe relinquit, ut nullo honore digni eſſe uideantur. Quoniam autem adſunt oratores, Antonius, Sulpitius, et Cotta: ne præter decorum perſonarum uideatur egiſſe, præmunit his uerbis, Pace horum dixerim. quod eſt, nó debeant hi ſuccenſere mihi, ſi, quæ ueritas habet, de Craſſo loquor. Agit autem callide Scæuola, qui in rem ſuam ſic intexat argumentum. Reliquos omneis ſuperas oratores: nec tamen ſcientiam quam adiungis oratori, complexus es: ergo oratori plus tribuis quàm res et ueritas ipſa concedit. Craſſus, qui ſciat nihil eſſe turpius oratori, quàm modeſtiã reliquiſſe, laudem in alios deriuat: & ne putetur ingenia Romanorum imminuere, neſciendi cauſas aliquot inuectit: quæ fuerint impedimento, commemorat. Quid, inquit, nos aut didicimus à magiſtris? aut ſcire potuimus ex eorum diſciplina? Nos ad agendas cauſas ante uenimus, quã ad artium magnarum diſciplinas cognoſcendas. Nos in foro cauſiſq; iudicialibus, nos in ambitione & petitione magiſtratuum, nos in Rep. domi belliq; adminiſtranda, nos in amicorum negotijs aut in foro, aut in ſenatu, aut in concione tractandis, res ipſa, id eſt ætas & negotium ante confecit, quàm poſſemus aliquid de rebus tantis, id eſt, ſcientijs rerũ magnarum, nó dico ſcire, ſed obſcure ſuſpicari. Quod ſi tibi tantũ in nobis uidetur eſſe diſciplinæ, quibus ingeniũ nó maxime defuit, quid cenſes in meliore ingenio et arte maiori futurũ? Ingeniũ ſibi relinquit, quoniã qui uelit ingenio cedere, nullus erit: doctrinã et otiũ rebus alijs cópenſat. Simul aliud agẽs percurrit oratori magno futuro neceſſaria, ingeniũ primũ, deinde doctrinã, poſteà otium, tandẽ ſtudiũ dicendi acerrimũ, quod in declamatione uerſatur. Hinc eorũ ratio conſtat, qui ab infantia oratoré futurũ præceptis inſtituũt, ut ſingula ſuo loco tradita, tandẽ proficiãt ad ſummã. TVM Antonius, probas mihi, inquit, iſta Craſſe quæ dicis, etc.] De ſumma rhetoricæ iã diſputatũ eſt quantũ oratione poſſit, quantũ rerũ capiat. Antonius ad hæc, de eadem ſumma narrat opiniones Græculorũ: et eò peruenit, ut eadẽ oratori ſummo, quæ Craſſus, habenda exiſtimet. Principio non ab re monet, id eſſe perarduũ, oẽs omniũ artiũ diſciplinas amplecti: ideoq; ſtatim à primis annis

uehementer elaborandum : deinde in cognoſcenda philoſophia modum eſſe retinendum, quoniã aliud oratorũ, aliud philoſophorum genus eſſe cõſtet. Summa rei totius hæc eſt, eloquentiæ perfectæ maximam in Rep. & priuatã eſſe dignitatem : Comites eius ac miniſtras, omneis artes uideri. de hac arte multas ac uarias opiniones trahi, quarum pleraque ſine exiſtimanti ridiculæ. Tum Antonius à mitti principio exorſus, hæc dixit. Probas mihi iſta Craſſe, quæ dicis : & ſic agis, ut tuam mihi ſententiam perſuadeas. Nec dubito quin multo locupletior rerumq́; copioſior in dicendo futurus ſit, ſi quis omniũ rerũ quæ nõ ſunt arte comprehenſæ, atque artiũ quæ certo præceptorũ ordine conſtant, rationem naturamq́; cognouerit. Ratio et natura rerũ definitione & eius expoſitione & partitione declaratur. Sed primũ id difficile factu eſt : euentus oſtendit. Pauci admodum qui totã hanc quaſi ſyluam peruagati fuerint, inuenti ſunt : pauciores qui quod mente concepiſſent, oratione graui & copioſa ad aures perferre poſſent. Id omnibus certe quidem difficile eſt, ſed maxime nobis in hac uita ſenatoria, & in his occupationibus, partim in petendis gerendisq́; magiſtratibus, partim in cauſis tum in foro tum in curia dicendis. Vult aliquid remitti ſibi aliisq́; ab adoleſcentia Rempub. capeſſentibus, & illam Græcorum multam ſcientiam non minus otio quàm ingenio contribui. Deinde illud etiam uerendum timendumq́; eſt, ne ſi literis umbratilibus longam operam demus, abſtrahamur ab hac exercitatione, id eſt, à conſuetudine & uſu dicendi populari & forenſi. Philoſophandum quidem, ſed quatenus, uidendum eſt ei qui feſtinat ad Remp. Aliud enim quoddam genus orationis eſſe uidetur eorũ hominum, philoſophorum, mathematicorum, & ſimiliũ, de quibus paulo ante dixiſti. Alij quidem aridi ſunt atque ieiuni, quos ab oratore longe differre manifeſtum eſt : eam ob rem prætereuntur ab Antonio. Alij ornate & grauiter aut de natura rerũ, id eſt de phyſica, aut de humanis rebus. i. de ſciẽtia morali loquuntur, ut Plato & Ariſtoteles. Hi quoniã oratores agere uidentur, quid ab eis differant, oſtendit. In genere philoſophico nitidũ quoddam genus eſt uerborũ, id eſt, ſplendidum & illuſtre et lætum, ſed palæſtræ magis & olei, hoc eſt, ludicræ exercitationis, quàm huius ciuilis turbæ ac fori, hoc eſt, quàm generis huius acrioris, quo nos utimur in conſilio & iudicio. Quemadmodum palæſtricæ, qui oleo neruorum cauſa inunguntur, uoluptati ſpectatorum, non uni certaminis utilitati ſtudent : ſic & philoſophi ludicro ſuo certamine multa ad oſtentationem & lectorum uoluptatem copioſe diſputant : de quorum genere ſic in Oratore Cicero. Mollis eſt oratio philoſophorũ, & umbratilis, nec ſententijs nec uerbis inſtructa popularibus, nec iuncta numeris, ſed ſoluta liberius, nihil iratum habet, nihil inuidũ, nihil atrox, nihil mirabile, nihil aſtutum : caſta, uerecunda, uirgo incorrupta quodãmodo. Itaque ſermo potius quã oratio dicitur. NAMQVE egomet qui ſero ac leuiter græcas literas attigiſſem, &c.]

Tres Antonius opiniones de arte dicendi cõmemorat, unã Mneſarchi, alterã Carneadis, aliam Menedemi, & omnium fere rhetorũ; eandẽ ſuã de re ſtatuit ſententiam. Namque egomet incidi in philoſophos Athenienſes, quemadmodum et tu Craſſe, et eorũ cognoui ſententiam, qui ſero ac leuiter Græcas literas attigiſſem. Sero, tẽporis eſt, & ætatis : leuiter, conatus et ſtudij : attingere, ſenſus remiſſi. hac ratione imminuit artem ſuã Antonius qui literarũ maxime Græcarũ rudis & indoctus haberi uolebat. Sic ille perpetuo fuit diſſimulator artis. Cum proconſul, id eſt extra ordinem poteſtatẽ conſularem adeptus, in Ciliciam regionem Aſiæ maritimam proficiſcens, Athenas ueniſſem (ab Ionio mari ad Aegæum traiectus eſt per Iſthmum & Peloponneſum, ubi ſunt Athenæ) cõplures tum ibi dies ſum propter nauigandi difficultatem commoratus. Nauigandi difficultas, aut à uento languidiore eſt, aut à procella flante in aduerſum, aut ab undarũ concitatione. Quotidie mecũ habebã homines doctiſſimos, uidelicet philoſophos multis artibus magnis eruditos, eos fere ipſos qui abs te Craſſe paulo ante ſunt nominati : Carneadem, Clitomachum Mneſarchum. Hi, quoniam apud eos increbuiſſet, hoc eſt, fama multa eſſet, me in cauſis tum difficultate tum dignitate maioribus, ſicuti te, ſolere uerſari, pro ſe quiſque, id eſt certatim quantũ quiſque poterat, de officio & ratione, hoc eſt, arte oratoris diſputabat. Moris eſt, apud artificem aliquid de ipſius arte confabulari. Horum alij, ſicut iſte ipſe Mneſarchus Panætij auditor, modo abs te nominatus, hos quos nos Latini oratores uocaremus, Græci ῥήτορας, nihil eſſe dicebat niſi quoſdam operarios, πραγματικοὺς καὶ ἐργάτας, mercenarios lingua celeri & exercitata magis quã docta. Oratorem autem, niſi qui ſapiens, id eſt, philoſophus eſſet eſſe neminẽ : atque ipſam eloquentiã, quòd ex bene dicendi ſcientia, hoc eſt, ex ipſa rhetorice conſtaret (eſt enim eloquentia rhetorice facultas) unam quandam eſſe uirtutem, ſicuti ſapientiam. qui unam uirtutem haberet, omneis habere. uirtutes eſſe inter ſe æquales, ſicuti uitia inter ſe paria. qui eſſet eloquens, eum uirtutes omneis habere, atque eſſe ſapientẽ. Sorites eſt : Bene dicendi ſcientia eſt uirtus : qui unam uirtutem habet, omneis habet : qui omneis habet, eſt ſapiẽs : ergo orator ſapiẽs. Rhetoricen eſſe uirtutem, probare cõtendit Quintilianus uiceſimoprimo capite libri ſecundi. Conſonare ſibi in faciendis ac non faciendis, uirtutis eſt, eadem in dicendis ac nõ dicendis erit. Virtutes ſunt, ad quas nobis etiam antequam doceremur, initia quædam ac ſemina ſunt conceſſa natura. nos ab initio ſic formati ſumus : ut poſſemus orare pro bonis. Idem confirmat ille ex operibus orantis, & authoritatibus magnorum uirorum. Cicero in Partitionibus comitem uirtutis, & quodammodo uirtutem facit rhetoricen. Idem de cõiunctione uirtutũ in Officijs : Inter omneis philoſophos conſtat, à meq́; ipſo ſæpe diſputatũ eſt, qui unã haberet, omnes habere uirtutes. Idem Tuſculana ſecunda : Scis igitur, ſi quid de Corinthijs tuis amiſeris, poſſe habere te reliquam ſupellectilem ſaluam : uirtutem autem ſi unam amiſeris, etſi amitti non poteſt uirtus, ſed ſi unam confeſſus fueris te non habere, nullam te eſſe habiturum? Idem de æqualitate uirtutum, Paradoxo tertio. Quod ſi uirtutes pares ſunt, inter ſe paria eſſe etiam uitia neceſſe eſt. Atqui pares eſſe uirtutes, nec bono uiro meliorem, nec temperante temperantiorem, nec forti fortiorem, nec ſapiente ſapientiorem poſſe fieri, facillime poteſt perſpici. Has illorũ ratiunculas contemnit Antonius : Hæc, inquit, erat ſpinoſa quædam & exilis oratio. Spinoſa ſenſiculis : & aculeis moleſtis aſpera. Exilis, tenuis, minuta ; longe à ſenſibus noſtris abhorrens, ut ea quæ propter exiguitatem neque uideri neque percipi poſſunt. Carneades ille de quo ante dictum eſt, multo uberius & copioſius (in eo plus erat oratoriæ facultatis) iiſdem de rebus loquebatur, non quo aperiret ſententiam ſuam, & de re ferret iudicium : hic enim mos erat patrius Academiæ, id eſt, conſuetudo patris ac principis Academicorum Platonis, nihil affirmare, aduerſari ſemper omnibus in diſputando, ut eliceretur ſi non uerum, tamen probabilius. ſed tum maxime tamen hoc ſignificabat, & argumentis probabilibus oſtendebat, eos qui rhetores nominarentur, id eſt, qui dicendi præcepta traderent, nihil plane tenere, nihil plane ſcire, neque poſſe quenquam facultatem aſſequi dicendi, niſi qui philoſophorum inuenta didiciſſet. In eadem ſententia Cicero eſt, quia magnæ iſtuc rationes aperte monſtrant. De more Academicorum Tuſculana ſecunda. Itaque mihi ſemper Peripateticorum Academiæq́; conſuetudo de omnibus rebus in contrarias partes diſſerendi, non ob eam cauſam ſolum placuit, quòd aliter nõ poſſet quid in unaquaque re ueriſimile eſſet inueniri, ſed etiam quòd ea eſſet maxima dicendi exercitatio. Idem de Finibus ſecundo. Cum Academicis incerta luctatio eſt, qui nihil affirmant, & quaſi deſperata cognitione certi, id ſequi uolunt, quodcunque ueriſimile uideatur. Quod loquitur, rhetores

nihil plane tenere, etiam Ciceronis eſt, qui ſenior ſemper cõtempſit illos homines, credo quo maius aliquid adeptus eſſe uideretur, & è numero ſe non modo dicendo, ſed etiã artem et præcepta ſcribendo eximeret. Diſputabant cõtra Carneadem diſerti homines, et in dicendo exercitati, in Rep. adminiſtranda cauſiſq; uerſati, & iccirco rhetoricæ fautores: in quibus erat etiam is, qui nuper Romæ fuit Menedemus rhetor hoſpes meus (alij fuere Menedemi, Socraticus & Cynicus, à quibus hunc ſeparat Menedemum) hic dicebat orandi ſcientiam eſſe quandam prudentiam, hoc eſt, ſcientiam ſummæ illius ſapientiæ partem, quæ uerſaretur in perſpiciendis penituſq; noſcendis rationibus et conſilijs conſtituendarum et regendarum Rerumpublicarum. Conſtituuntur Reſp. cum legibus et inſtitutis informantur: reguntur, cum publicis officijs adminiſtrantur. in utroque oratorem uerſari ſupra Craſſus oſtendit. Hæc cum Menedemus diceret, excitabatur, id eſt, agitabatur homo promptus, ad agendum paratus, in quo nulla dicendi mora eſſet, non tamen ita ſcientia præditus, excitabatur inquã ab homine Carneade abundanti & exuberanti doctrina, & quadam incredibili uarietate rerum & copia. Doctrina magiſtrorum eſt, uarietas generum rerumq; diuerſarum, copia numeri atque multitudinis. Qui nouit omneis philoſophiæ partes, ut Carneades, doctrina uaria eſt & copioſa. Qui ingenio tantum ualet, & lingua exercitata, ſicuti Menedemus, promptus quidem eſſe poteſt, non autem ſatis liberaliter inſtitutus. OMNEIS enim partes illius ipſius prudentiæ petendas, &c.] Confirmat in Menedemum Carneades illam ſuam orationem, non poſſe quenquam facultatem aſſequi dicendi, niſi qui philoſophorum inuenta didicit. Vnam facit argumentationem in hanc ſententiam. Rhetorice de Menedemi ſententia, eſt quadã prudentia: partes illius prudentiæ petendæ ſunt à philoſophia: quoniã rhetorici libelli nil tradunt quo ciuitates bene moratæ eſſe poſſint. Alteram addit, hanc uitæ dignitatem, et animorũ motum (quod caput eſt oratoris) nõ à rhetoribus, ſed à philoſophis tradi. hinc efficitur, prudentiam conſtituendæ & regendæ ciuitatis, à philoſophis magis eſſe quã ab oratoribus petendam: niſi dicamus eos oratores, qui nota philoſophia ſummã ſibi eloquentiã compararunt. Omneis partes illius ipſius prudentiæ quæ conſtituit & regit Remp. petendas eſſe à philoſophia docebat Carneades. Quomodo? Statuendũ eſſe in Repub. de dijs immortalibus, de ſacerdotibus eorum, de ſacris, de ritibus, de cerimonijs, de diſciplina iuuentutis, quibus exerceatur rebus domi, quas teneat leges fori & militiæ, de iuſtitia, & ea quæ neminem lædit, unicuique reddens id quod ipſi debetur, & ea quæ ab alijs propulſat iniuriam, in qua ferè ius ciuile uerſatur: de patientia, quæ præſentibus malis reſiſtit: de temperantia, quæ modum rebus adhibet: de modo, id eſt de moderatione & iuſta menſura rerum omnium: de cæteris uirtutibus et inſtitutis, ſine quibus ciuitates aut eſſe omnino, aut ſaltem bene moratæ boniſq; moribus præditæ eſſe nõ poſſent. Nihil uſquam tale in rhetorum libris inueniri: illorum igitur eam prudentiam non eſſe. Tractat idem rurſus, aſſumens non modo quæ ipſi non habent, ut ante, ſed quæ præceptis amplecti ſolent. Si tantam uim copiamq; rerum maximarum, quæ philoſophia, quæ libris de Rep. quæ libris de Legibus, quæ iure ciuili continentur, arte ſua rhetorici illi doctores complectuntur, nec tamen illi complectuntur, cur de procemijs, et de epilogis, id eſt, perorationibus, et de huiuſmodi nugis atque inutilibus præceptis referti ſunt eorum libri? de ciuitatibus inſtituendis, de ſcribendis, id eſt, ordinandis legibus, de æquitate, de iuſtitia, de fide, de frangendis cupiditatibus, de confirmandis hominũ moribus, litera, ut minimum dicatur, in eorum libris nulla inuenitur? Hæc ſanè philoſophi diſputant, Plato in multis libris, maxime de Republica, & de Legibus, Xenophon in Pædia Cyri. Aequitas eſt, quæ directi & ueri et iuſti & æqui & boni ratione defenditur, quæq; ad uiciſſitudinem referendæ gratiæ pertinet. In communione poſita uirtus, iuſtitia dicitur. ea ergo deos, religio: erga parentes, pietas: creditis in rebus, fides: in moderatione animaduertendi, lenitas: amicitia, in beneuolentia nominatur. Frangere cupiditates ad ius tum diuinum tum humanum pertinet, et ad philoſophorum rationes aduerſus animi perturbationes inſtitutas, quales in Tuſculanis Cicero conſtituit. Qui frangit cupiditates, ex contrario confirmat hominum mores. Etenim morbi fractio, quædam eſt ſanitatis confirmatio: & uirtutũ atque uitiorũ diſciplina generis eſt eiuſdem. In enumerandis philoſophiæ partibus Cicero uarius eſt. nunc has nunc illas pro arbitrio commemorat, nec enumerationem explet, propterea quòd nõ tam partitione quã exemplis utitur. Varietas illa ad euitandum tædium et ſatietatem petita eſt. Carneades in altera argumentatione, phyſicã ad orandi munus pertinere contendit. Ipſa uero præcepta, regulas uocant, ſic illudere ſolebat, ut oſtenderet rhetores non modo illius expertes eſſe prudentiæ, id eſt inſcios cognitionis illius ciuilis quã ſibi adſciſcerent adſcriberentq;, ſed ne hanc quidem ipſam dicendi rationem ac uiam noſſe. Ratio & uia idem ſignificant, artem ordine præceptorum conſtitutam. Aut ratio eſt ars, uia methodus. Caput, id eſt ſummam uim eſſe arbitrabatur oratoris, ſi & ipſis apud quos ageret, talis qualem ſe ipſe optaret, uideretur: quod certe oratori maxime expetendum eſt. Id duabus aſſequitur rebus, uitæ dignitate, & oratione. Præſtat uitæ dignitas. quamobrem Carneades ut philoſophus eam ſumit, quanquam non eſt oratio contemnenda, quæ ficte amabiles oratoris mores ſignificat: ſed hæc umbra uirtutis. Corpus eius eſt, quod agendo dicendoq; ad decorũ magnam ſibi parat authoritatem. De hac uitæ dignitate præceperunt ij qui dixerunt, oratorem bonum eſſe uirum oportere: qui decori partes in præcepta redegerunt. Carneades de quibuſdam Græculis loquitur, qui hæc ne attigerant quidem. Eſt etiam caput oratoris efficere, ut qui audiant, ſic afficiantur & moueantur animis, ut eos affici uelit: aut ad beneuolentiã, aut ad odium, aut ad admirationem aut ad contemptum, aut ad iram, aut ad miſericordiam: quod item fieri nullo modo poteſt, niſi cognoſcat quot modis hominũ mentes, et quo genere orationis in quanque partem moueãtur. Hoc quidem non utique uerum eſt. mouet ſymphoniacus, mouet citharœdus, mouet is qui uere dolet, mouet callidus ueterator, ſine illa ratione naturali quam phyſici tractant. Adde quod pauca de hac re præcepta dari poſſunt, qualia dantur ſecũdo libro: reliqua ab exercitatione & uſu petenda. Qui cognouerit quatuor modis hominem perturbari, tribus autem cõſtare, duas animi partes eſſe, ſuperiorem honeſtate, inferiorem utilitate aliqua duci, alia auaris, alia liberalibus, alia militi, alia philoſopho dicenda: non ideo optime mouebit affectus. Iuuat illud quidem, ſed nequaquam in iſto ſunt omnia. Natura opus eſt, & illa quæ dicitur φαντασία, & imitatione & uſu. Ergo Carneades ſubſeruit propoſito. hæc, inquit, penitus in media philoſophia naturali retruſa reconditaq; ſunt, quæ iſti rhetores contemnendi, ne primoribus quidem labris attigerunt. Tranſlatio eſt ab ijs qui pocula tantum guſtandi gratia delibant. EA Menedemus exemplis magis quàm argumentis, &c.] Quæ de philoſophia morali Carneades obiecit, uidetur recepiſſe Menedemus. Ea ſunt.n. quæ nemo niſi nugator improbus neget. Omnibus perſpicuum eſt, neminem ſine ſcientia ciuili, & aliqua ratione morum, in conſilijs & iudicijs bene uerſari poſſe, niſi forte quaſi mutilum corpus alterius ſibi adiungat caput. De ratione naturæ controuerſia eſſe poteſt. Nam permulti hiſtriones artiũ imperiti, geſtu ac uoce populo decuſſerint lachrymas. Multi oratores aut cicatrice detecta, aut imagine monſtrata, aut cadauere producto, aut ſublato cum ſanguine pugione, aut infantibus excitatis, forum & concionem gemitu compleuerunt. Quinetiam

fere omnes intelligũt, quibus homo quiſque rebus moueri ſoleat: cur autem moueatur, qua ui naturæ, qua qualitate, qua quantitate, quo gradu, quo actu, nihil ad dicentẽ facere uidetur. Ne quis igitur miretur, quare potius de poſteriore parte Menedemus, quàm de parte priore cõtendat. Nec ſine ratione eſt quod exemplis, non argumentis utitur. Philoſophi rationum ui ſæpius nituntur, quoniam primos requirunt fontes. Orator populo notiora, cuiuſmodi ſunt exempla, aptiora ſibi putat. Ea argumenta Carneadis, Menedemus exemplis magis Demoſthenis, quàm ſubtilibus philoſophorum argumentis conabatur, hoc eſt, difficili conatu moliebatur refutare. Cum memoriter pronunciaret multa exempla ex orationibus Demoſthenis præclare doctéq; ſcripta, docebat illum in animis uel iudicum, ſi cauſa forenſis eſſet, uel populi, ſi concio haberetur, in omnem partem permouendis, nõ fuiſſe ignarum quibus ea rebus conſequeretur: hoc eſt, optime nouiſſe ex quibus locis hos & illos moueatur affectus, quos negaret ille Carneades ſine philoſophia quenquã ſcire poſſe. Huic reſpondebat, non ſe negare Demoſthenem ſummã prudentiam, quæ cognitionis eſt, ſummamq; uim habuiſſe dicendi, quod et rerum et uerborum communiter eſt: quærebat eius eloquentiæ cauſam. referebat uel ad ingenium, quod per ſe plurimum poteſt: uel ad ſtudiũ philoſophiæ, quia conſtaret eum Platonis audiendi ſtudioſum fuiſſe. Cicero in oratore: ubi Periclem præſtitiſſe cæteris dixit oratoribus, quòd is Anaxagoræ phyſici fuiſſet auditor, hoc addit. Quod idem de Demoſthene exiſtimari poteſt, cuius ex epiſtolis intelligi licet quàm frequens fuerit Platonis auditor. In eum locum, Demoſthenis uerba adſcripſimus ex eius epiſtola ad Heracleodorum: ad quæ nunc mentem Cicero refert. Idem Gellius de Platone ſcribit decimotertio capite libri III. Ingenioſum eſt Garneadis hoc reſponſum, non eſſe quærendũ quid ille Demoſthenes in dicendo potuiſſet, ſed quid iſti rhetores libellis ſuis traderent. Ab uno ad omnes argumentationem ducere, non eſt apte diſſerentis. Poſteaquam oratorem ſine philoſophia conſtare non poſſe demonſtrarat, hoc maius experiebatur, nullam artem eſſe dicendi, quoniam quinque partes orationis ſine ulla arte natura præſcriberet. cui facile occurritur, eas à natura modo inchoari, non perfici: artis huius initia à natura dari, ſummam ab arte confici. Sæpe etiam in eam partem & argumentandi rationem, oratione ferebatur, et animo & lingua in diuerſa rapiebatur, ut qui rem ſcrutantes huc illuc ſe proripiunt: oratione inquam, non corpore ferebatur, ut diſputaret, nullam omnino artem eſſe dicendi: idq; cum argumentis docuerat, tum etiam exemplorum copia nitebatur. Argumenta ducebat ab orationis partibus, quòd ita nati eſſemus, ut & blandiri, quod eſt exordientis à beneuolentia: & ſuppliciter inſinuare, quod eſt præparantis aduerſus aliquid atrox & turpe: & aduerſarios minaciter terrere poſſemus, quod eſt aditum facientis ab aduerſarij perſona. Hæc ſunt exordiorum munera, quæ indocti agente natura nonnihil obeunt, ut poſſemus in narratione rẽ geſtam exponere: in confirmatione, quod intenderemus id eſt, noſtram quæſtionem confirmare: in refutatione, id quod ab aduerſario diceretur, refellere: & ad extremũ deprecari aliquid, et conqueri, ut in peroratione fit, quæ mouet affectus. His in rebus omnis oratorum uerſatur facultas. Sed aliter orator, aliter indoctus homo inuenit & eloquitur has partes. Id Carneades dici poſſe uidet. itaque oratoris artem deriuat ad conſuetudinem, et exercitationem, ac ſi illa uis in oratore quàm in homine rudi maior, non ab arte ſit, ſed à ſola dicendi conſuetudine & exercitatione. ueritas aliter habet. Natura multum poteſt, in qua ſuum firmat argumentum: ars maxima plus poteſt: conſuetudo & exercitatio ſequuntur artem. quæ etſi intelligendi reíq; cognoſcendi prudentiã acuunt, et eloquendi celeritatem incitant, non ſola tamen id efficiunt. Fatendum tamen eſt, pleroſque oratores habitos eſſe, qui natura tantummodo et conſuetudine et exercitatione uterentur. Sed nihil ad oratorum propoſitum, nec ex hominibus artem, ſed ex ipſius natura, qualis ſit, iudicare debemus. Cum argumentis quæ ratione, non exemplo conſtat, docuerat nullam artem eſſe dicendi, tum etiam exemplorum copia nitebatur, multoſq; proferebat et ſcriptores artis & profeſſores indiſertos: innumerabiles contra diſertos, qui præcepta rhetoricæ nec didiciſſent, nec omnino ſciſſe curaſſent. Nam primum quaſi dedita opera neminem ſcriptorẽ artis ne mediocriter quidem diſertum fuiſſe dicebat: quaſi dedita opera, quaſi ex induſtria, cura adhibita, & labore impenſo. Terentius in Eunucho: Apud Antiphonem uterque mater & pater, quaſi dedita opera domi erant. Senſus eſt, Carneades quaſi laborem impendiſſet in colligendis rhetorica ſcriptoribus, etſi non impenderat, neminem eorũ diſertum fuiſſe dicebat. Poteſt alio referri, hoc modo, neminem eorum diſertũ fuiſſe, quaſi dedita opera, & ex induſtria indiſerti fuiſſent. De Corace & Tiſia Quintil. in 3. Nam primus poſt eos quos poetæ tradiderunt, mouiſſe aliqua circa rhetoricen Empedocles dicitur. Artiũ autem ſcriptores antiquiſſimi Corax et Tiſias Siculi, quos inſecutus eſt uir eiuſdem inſulæ Gorgias Leontinus, Empedoclis (ut traditur) diſcipulus. Alij Cteſiam, non Tiſiam ſcribunt. Vera non ſunt quæ de ſcriptoribus artis huius loquitur Carneades, ut multi fuerint indiſerti, quemadmodum in omnibus artibus non ſunt omnes maximi: fuere permulti diſerti, Gorgias, Protagoras, Theodorus Byzantius, Iſocrates, Ariſtoteles, Theodectes, Theophraſtus. Nec uerum eſt, eloquentiſſimos homines, qui nec iſta didiciſſent, nec omnino ſciſſe curaſſent, innumerabiles quoſdam fuiſſe. Ex eloquentiſſimis perpauci ſolo ualuerunt ingenio: reliqui omnes arti dederũt operã, et uſum habuere dicẽdi magiſtrũ. Sed quòd artẽ diſſimularẽt, quã optime tenerẽt, ut hic Antonius, aut quòd acceptã more Platonis in Gorgia, inſectarentur et agitarent, eã neq; didiciſſe, neque curaſſe uidebantur. Conſtat Antoniũ hæc præcepta tenuiſſe, tamen ſe rudem artiũ fingit. Me in illo, inquit, eloquẽtiſſimorũ numero, qui illa rhetorũ præcepta nõ didiciſſem. et tamẽ, ut ipſe dicebat, nõ uult laudẽ de ſe confiteri, poſſem aliquid in dicendo, proferebat: quorum ego illi alterum facile aſſentiebar, nihil me didiciſſe: in altero autem, me poſſe aliquid in dicendo, aut me illudi ab eo, ſi me noſſet, aut etiam ipſum errare, ſi non noſſet, arbitrabar. ARTEM uero negabat eſſe ullam niſi quæ cognitis, &c.] Artem duobus modis accipimus. aliam dicimus eſſe rerum cognitarum penituſq; perſpectarum, hoc eſt, rerum certarum et euidentium, quæ nunquam fallunt, & ad unum exitum finemq; ſpectant. Omnis ars enim ad unum aliquem finem & exitum tendit, & uarias artes efficiunt uarij fines. Hoc modo ſolæ mathematicæ diſciplinæ nominantur artes. Nam Arithmetica, Geometria, & ea Aſtrologia quæ contemplationis eſt, non iudicij, principia quædam quaſi certa conſtituunt, in quibus cætera omnia adeo ſtabiliunt atque confirmant ut ex ordine pergentem aberrare poſſe negent. Aliam dicimus obſeruationum rerumq; uериſimilium, ut grammaticam, rhetoricam, logicam, phyſicam, medicinam, & reliquas omnes præter mathematicas. In his ratio quædam dux & author eſt, experientia magiſtra. Has qui ſequitur artes, ratione interdum & demonſtratione quadam uti poteſt: ſummam tamen rei conſtituit in uſu aut agendi, aut loquendi: ſuſpiciones admittit, & coniecturas. Probabilia aſſumit, & problemata. Signa quæ dicuntur εἰκότα, non repudiat. Exemplis utitur. Experientiam rationum loco perſæpe proponit. Hanc artium differentiam paulo poſt Craſſus oſtendit. Si ars, inquit, ita definitur, ut paulo ante expoſuit Antonius, ex rebus penitus perſpectis, planeq; cognitis, atque ab opinionis arbitrio ſeiunctis, ſcientiaq; comprehenſis, non mihi uidetur ars oratoris eſſe ulla. Sunt enim uaria, & ad uulgarem popularemq; ſenſum accommodata omnia genera

huius

huius forenſis noſtræ dictionis. Sin auté ea quæ obſeruata ſunt in uſu ac tractatione dicendi, hæc ab hominibus callidis ac peritis animaduerſa ac notata, uerbis deſignata, generibus illuſtrata, partibus diſtributa ſunt, non intelligo quamobrem non, ſi minus illa ſubtili definitione, at hac uulgari opinione ars eſſe uideatur. Oratoris artem eſſe, multis argumentis planũ facere Quintilianus in ſecundo contendit, nec omiſit Antonij locum. Quidam, inquit, naturalem eſſe rhetoricen uolunt, & tamen adiuuari exercitatione non diffitentur, ut in libris Ciceronis de Oratore dicit Antonius obſeruationem quandam eſſe, non artem. Quod non ideo, ut pro uero accipiamus eſt poſitum, ſed ut Antonij perſona ſeruetur, qui diſſimulator artis fuit. Hanc autem opinionem habuiſſe Lyſias uidetur, cuius ſententiæ talis defenſio eſt, quòd indocti & barbari & ſerui pro ſe cum loquuntur, aliquid dicant ſimile principio, narrent, probent, refutent, et (quod uim habeat epilogi) deprecentur. hæc ille. Veniamus ad Carneadem. Hæc omnia, inquit, quæ tractantur ab oratoribus, dubia ſunt & incerta. Quomodo? Locus, tempus, perſona, materia, præcepta mutant: non item in rebus mathematicis. Statuit alias cauſas duas, dici ab iis qui ea omnia non plane tenent (quod quidem falſum eſt: nemo bene dicit ea quæ non plane tenet) audiri ab iis quibus non ſcientia, hoc eſt, certa cognitio ordine & ratione firmata, tradenda eſt, ſed exigui temporis aut falſa, aut certe obſcura opinio. Hæc pars ſæpius ita eſt. Non enim ſcientiam tradit orator, ſed opiniones aut inſerit aut euellit, alias falſas, alias obſcuras, nonnunquam etiam ueras. Quintilianus in ſecundo. Nemo à me exigat id præceptorum genus, quod eſt à pleriſque ſcriptoribus artium traditum, ut quaſi quaſdam leges immutabili neceſſitate conſcriptas ſtudioſis dicendi feram. mutantur pleraque cauſis, temporibus, neceſſitate, occaſione: atque ideo res in oratore præcipua conſilium eſt, quia uarie & ad rerũ momenta conuertitur. Idem in eodem libro. Ego rhetoricen nonnunquã dicere falſa pro ueris confitebor, ſed non ideo in falſa quoque eſſe opinione concedam: quia longe diuerſum eſt ſibi ipſi quid uideri, & ut alij uideatur efficere. et quæ ſequuntur. Quid multa de Carneade & eius rationibus loquor? Sic mihi tum perſuadere uidebatur, neque artificium ullum eſſe dicendi (diſſimulat Antonius more ſuo) neque quenquã poſſe, niſi qui illa quæ à doctiſſimis hominibus, ut Platone, Ariſtotele, Theophraſto, in philoſophia dicerentur, cognoſſet, aut callide, aut copioſe dicere. Id certe uerum eſt: aliud eſt callide dicere, aliud copioſe. Quorum ſententiæ et uerba abundant, ij copioſe dicunt. quibus uſus eſt multus & uis & facultas animos regendi, & acute dicendi, ij callide dicunt. Callidus enim, cuius animus uſu occalluit, prudenter inſpicit & quæ proſunt, & quæ nocent: utilia adhibet, aduerſa aut refutat, aut tegit. Poſtremo Carneades Antonium laudat ab audiendi facilitate. Nam cum rudem artium omniũ ſe diceret, non erat cur de artibus cũ hominibus doctiſſimis æque pugnaciter atque Craſſus, qui ſe multa didiciſſe fatebatur, cõtenderet. Philoſophis qui hanc diſputationem audierãt, dicere Carneades ſolebat, me ſibi perfacilem in audiendo, te perpugnacem, & in diſputatione quaſi in pugna acerrime conſtantem eſſe uiſum. Cum iiſdem philoſophis Craſſus ante diſputauerat, cum ex Macedonia quæſtor Athenas ueniſſet. TVMQVE ego hac eadẽ opinione adduc. etc.]

Antonius quamuis magnus orator, nihil tamen ſcripti reliquit præter unũ de rhetorica libellum, quẽ nõ ad hoc ſcriptũ ut emitteretur, uult ipſe iudicari, ſiue quòd informis et impolitus, et modo inchoatus eſſet: ſiue quòd decet modeſtum uirũ, de ſuis rebus agere modeſte. In eo libello ſententiam poſtea fama percelebrem ſcripſit, diſertos cognoſſe ſe nõnullos, eloquentem uero neminem. Hanc non ab re Cicero in diſputatione de amplitudine eloquentiæ conſtituit extremam. Sic exiſtimauit ea quæ magnifice de oratore dicebat, ad eloquentem nunquam ante uiſum potius quàm ad quemuis diſertum pertinere. Ne autem inutilis hæc diſputatio uideretur, addidit, id eſſe in re poſitum atque natura, neque ſe deſperare, fore aliquem qui iure non ſolum diſertus, ſed etiam eloquens dici poſſit. Tumq́; ego Antonius eadem opinione motus, qua Carneades, ſcripſi etiam illud quodam in libello, qui me imprudente, id eſt, non animaduertente & inuito excidit, non aliter quàm res iter facientibus nonnunquam excidunt, et perueniunt in manus hominum: ſcripſi inquam, diſertos me cognoſſe nonnullos, eloquentem adhuc neminem. Quod ſit illud diſcrimen, exponit. Eum ſtatuebam, id eſt, cenſebam, diſertum, qui poſſet ſatis acute atque dilucide apud mediocres homines ex communi quadam hominum opinione dicere. Huic acutum genus datur, eloquenti etiam ſuaue & graue. Eſt enim acutum, ſubtile & tenue dicendi genus, aliud à medio ſuaui, aliud ab illo graui. Dicere dilucide, tam eſt diſerti quàm eloquentis. Diſertus apud mediocres homines, eloquens etiam apud ſummos præclare ſtare poteſt. Diſertus ex communi hominum opinione, eloquens & ex eadem opinione, & ex ſcientia hominum doctiſſimorum dicere poteſt. Eum uero ſtatuebam eloquentem, qui magnificentius augere poſſet atque ornare quæ uellet. Vtraque pars duplex. Amplificatio, & rebus fit, & uerbis. Ornatus item alius ſententiarũ, alius uerborum: de quibus poſtea dicetur. Vt autem augeret et ornaret, Statuebam omnes omnium rerũ quæ ad dicendum pertinerent, fonteis animo ac memoria continere oportere. Quas res tenere oporteat, poſtea Craſſus exponet, dialecticas artes, ethicas, phyſicas, hiſtoriam, poeticam, ius ciuile, antiquitates, gentium mores, & alia id genus. Fontes harum rerum, ſunt capita & principia unde naſcuntur: riuuli, particulæ inde deductæ. Eloquens igitur præcipuas artium bonorum partes, non codice, ſed animo & memoria tenebit, ut cum fuerit uſus, ex tempore & e ueſtigio depromat. Id, inquiet aliquis, eſt difficile. Nobis (inquit Antonius) qui antequam ad diſcendas artium magnarũ diſciplinas ingreſſi ſimus, obruimur, id eſt, grauiter oneramur ambitione, quæ eſt in petendis magiſtratibus, et foro, quod nos exercet in cauſis. Sed eſto difficile, tamen eſt in re poſitum, atque natura. Res eſt eloquentia, cuius natura & perfectio illum expetit finem. Senſus eſt. Tanta rerum abſolutio ſi non eſt in homine et oratore, tamen in ipſa eloquentia eſt, illiusq́; natura. Et in homine eſſe poteſt. Ego, inquit, quantum auguror coniectura, hoc eſt, quantum ſignis & probabilibus argumentis aſſequi poſſum, non deſpero fore aliquem aliquando qui eloquens dici poſſit: quod ut fiat, opus eſt ingenio, ſtudio acriore, otio & facultate diſcendi, labore & induſtria. Multa audienda ſunt, multa legenda, multa ſcribenda. Ingenium natura præſtat, ſine quo irrita ſunt ſtudia omnia. Studium eſt in applicando animo, & in adhibenda diligentia. Otium eſt domi, & in ſcholis apud magiſtros: labor et induſtria tum in declamationibus, tum in cauſis agendis. Audiendi præclare loquẽtes. Legendi optimi authores. Scribenda ad exercendum ſtylum multa. His in unum concurrentibus, exiſtit & excellit magnus orator. Senſit autem eloquentiam non dediſſe Craſſo, cum diceret, Eloquentem adhuc uidi neminem. Nunc ut humane magis quàm uere loquatur, hæc dicit: Mea ſententia aut hic eſt iam Craſſus, aut ſi quis pari fuerit ingenio, pluraq́; quàm hic & audierit, & lectitarit, & ſcripſerit, paulum huic aliquid poterit addere. Ab eo declinat ad aliũ, nec maius quærit ingenium, quia ſcit neminem eſſe qui uelit ingenio cedere. Quærit artes ampliores, quæ aliqua ex parte ignoratæ, uitio non dantur occupato. Eas ſic attribuit Craſſo, ut modo paulum aliquid addi poſſe arbitretur. Hanc ultimam partem adſcribe non ueritati, ſed artificioſæ rationi conſeruandæ ſocietatis & amicitiæ. HOC loco Sulpitius, inſperanti mihi, inquit, & Cotta, &c.] Quiſque de artis ſuæ dignitate &

amplitudine principio dicere ſolet. Et quemadmodum oratores & poetæ initio conciliare auditorem, & attentum habere contendunt, ſic omnes quicunque uel loquuntur, uel ſcribunt, ne id fruſtra facere uideantur, auditorem mereri uolunt, & eum ad audiendum legendum'ue pelliciunt. Ea cauſa (ut opinor) effecit, ut de tota rhetorica ſumma & amplitudine initio diſputaret, tandemq; conficeret, eloquentem magnum quiddam eſſe, & admirabile, & omnes omnium rerum fontes continere. Quid poſtea? Statuendum, ſit'ne ars aliqua rhetorica, quoniam niſi prius artem eſſe conſtiteris, nõ cadent in eam præcepta. Vbi artem eſſe planũ fuerit, tum præcepta ordine generũ formarumq; ſtatuentur. Minoris eſt autem dignitatis, de ſingulis præcipere, quàm de uniuerſo genere totaq; ſumma diſputare. quapropter ut decorum ſeruetur, quod & in alijs rebus, et in dialogo maxime ſeruare debemus, inducuntur adoleſcentes, qui uiam quærant qua perueniant eò dignitatis, quò aditum ſperare licet. In quo maxime animaduertendum illud eſt, quod poſtea ſcribit: Nihil eſſe ineptius, quàm de dicendo dicere, cum id ipſum dicere, nunquam ſit non ineptum, niſi cum eſt neceſſarium. Inepti uel inuitis quidquid habent, inculcant. Apti diſſerunt rogati. Itali uel rogati conticent, quoniam in ſilentio, credo, plus admirationis autumant eſſe. Sulpitio in iuuenibus primæ dantur, quia acrior eſt natura, ſpeiq; maioris. Aetate Cotta uidetur antecedere. Nam ut dictum eſt ſupra, Cotta tribunatum plebis petebat, Sulpitius deinceps eum magiſtratum petiturus putabatur. Incertum tamen eſt argumentum. Iuuenibus orationem minus compoſitam minuſq; numeroſam tribuit, bonam tamen atque laudabilem. Nam quemadmodum Comici perſonas & terſius & melius faciunt loquentes, quàm in illo populari ſermone conſueuerunt, ſic & hanc rationem philoſophi & colloquiorum ſcriptores tenent, ut paulo plus ſit authoritatis in fabula. Hoc loco Sulpitius inquit. Inſperanti mihi & Cottæ, ſed ualde optanti utrique noſtrum, cecidit & euenit, ut in iſtum ſermonem forte fortuna delaberemini. Non ſperant, quia fruſtra hoc ipſum ante tentarũt: ualde optant, quod ad ſuam eruditionem arbitrantur pertinere. Nobis huc uenientibus iucundum ſatis fore uidebatur, ſi cum nos non de rhetoricis, ſed de rebus alijs loqueremini, tamen nos aliquid ex ſermone ueſtro memoria dignum excipere poſſemus. Sic erat conſuetudo, ut ſeniores à iunioribus diligenter obſeruarentur, quòd inde & amicos pararent, & prudentiam. Non autem omnia ſunt excipienda ab audiente, ſed memoria digna, quæ uel ad bene uiuendum, uel ad bene dicendum nos iuuare poſſunt. Vt uero penitus in eam ipſam diſputationem perueneretis, uix optandum nobis uidebatur. Quoniam dubitationem attulerat Antonius, eſſet'ne ars rhetorica, noluit pronunciare iuuenis quid eſſet. dixit igitur uel ſtudij uel artificij uel facultatis diſputationẽ. Etenim rhetorica aut eſt ſtudium quoddam & exercitatio animi, aut artificium, aut dicendi quædam facultas. Alia eſt autem diſputatio, quæ rem leuiter attingit: alia penè intima, quæ rem penitus inquirit, qualem hanc eſſe uult. In quo Cicero tacite ſua commendat, & quid hæc ab alijs differant, aliud agens, ſignificat. Ego enim qui ab ineunte ætate, id eſt, à pueritia, incenſus eſſem ſtudio utriuſque ueſtrũ, id eſt, qui uobis ſtudere uehementer, & etiã Craſſum amarẽ, quod maius eſt, cum ab eo nuſquã diſcederem, uerbum ex eo nunquam elicere potui de ui ac de ratione dicendi. Cauſas innectit impetrandi. quatuor ſtatuit, quòd incenſus eſſet utriuſque ſtudio, quòd Craſſum etiã amaret, quòd ab eo nuſquam diſcederet, quòd per Druſum ageret, qui Tribunus plebis agebat cauſam Senatus contra Philippum, et Craſſo eo nomine familiaris erat. Studiũ ab amore differt. Studemus iis, quibus animum et operam etiam citra uirtutum dignitatem impendimus. Amamus eos quos uirtute præditos eſſe opinamur. Quo in genere reſpondendi, tu Antoni, uere loquar (fugit adulationem, & illam Antonij facilitatem de qua ante Carneades, oſtendit nunquam mihi percontãti, id eſt, diligenter interroganti, aut quærenti, id eſt, quouis modo ueſtigandi aliquid, defuiſti, & perſæpe me quæ ſoleres in dicendo obſeruare, docuiſti. Non dixit ea quæ ſcires, ſed quæ ſoleres obſeruare, quia Antonius hanc nõ artem, ſed obſeruationem eſſe dicebat. Nunc quoniam uterque ueſtrum, ò Craſſe & Antoni, patefecit earũ rerum ipſarum aditum, quas quærimus, & ultro in huius ſtudij diſputationem pene intimam admiſſi ſumus, & quoniam princeps & primus author Craſſus eius ſermonis ordiendi fuit, metuit iuuenis ne ſenibus ſit moleſtus, date nobis hanc ueniam, hoc eſt, beneficium, ut ea quæ ſentitis, non de ſola dignitate, ut antehac, ſed de omni genere dicendi, ſubtiliter, acute, & ad minimas uſque partes à ſenſu remotiores proſequamini. Quod quidem ſi erit à uobis impetratum, magnam habebo Craſſe huic palæſtræ et Tuſculano tuo gratiam. Locũ oſtendit in uilla Craſſi, in quo familia eius exercere corpora ſolebat: qui ſi non eſt ad diſputandum conſtitutus, tamen ſtudioſos & diſceptatores non aliter quàm Græcorum gymnaſia accipit. Eadem cauſa adductus ſuburbanum gymnaſium dixit, quòd non procul ab urbe Tuſculanum eſſet, & locum tum corpus tum animum exercentibus daret. Et Academiæ Athenienſi, in qua Plato diſſerere ſolebat, et Lyceo gymnaſio in quo docebat Ariſtoteles, ξυστὸν Græci dicunt longa media, comparat. Illud ſuum Cicero ſeruat, ut Græcos attenuet. TVM ille, immo uero, inquit, Sulpiti rogemus Antonium, &c.] Humanitatem Craſſo tribuit et iucunditatem, ad eius perſonæ ſeruandum decorum: docendi munus Antonio defert, & amolitur inhumanitatem. Humanitatis utrunque eſt, & alteri digno cedere, & ſuperbiæ et inhumanitatis ſuſpicionem auertere: & illud hominis iucundi, diſſimulare ſe neſcire quod optime ſciat. Hæc igitur à Cicerone ſcribuntur, ut ratio ſermonis habita uideatur. Immo uero, inquit, Sulpiti rogemus Antonium. Benigne dixit rogemus, non urgeamus, qui & poteſt facere id quod requiris, & conſueuit. Recte. opus eſt eum & poſſe, & uelle. poteſtatem tantum proponit ut notam, uoluntatem oſtendit à conſuetudine. Contra id ſe nolle, quia non poſſit, dicit. Nam tute (non dicimus tumet, ſed tute) paulo ante dixiſti me ſemper à genere hoc toto ſermonis, quo præcepta traduntur, refugiſſe, & tibi cupienti et inſtanti, etſi difficile uidebatur tamen conſtanter negaſſe. Hinc uoluntatem deprehendere licet. At quæritur, quid eſt cur nolit? Id, inquit, neque ſuperbia (quæ minora contemnit, altius euecta) neque inhumanitate (quæ difficilis eſt et moroſa) faciebam, ſed inſolentia & inſcitia. uoluiſſem, ſed commode facere non poteram. Cur uoluiſſem? quia ſtudium tuum rhetoricum rectiſſimum atque optimum eſt: (Sunt ſtudia praua, ſunt mala, quibus recta & bona opponuntur) quia te unum ex omnibus iuuenibus ad dicendum maxime natum aptumq; cognoueram. A' natura multa petuntur oratori, ingeniũ, conformatio membrorum, latera, uox, uenuſtas. Orator itaque aliqua ex parte naſcitur. propterea Craſſus, Te, inquit, ad dicendum natum cognoueram. Aptum dicimus eum, quem res ipſa decet. In arte præcipuum eſt, ut dicebat Roſcius, decere. magnum quidem eſt iſtuc in arte hiſtrionica, rhetorica, & alia omni quæ ſpectaculo eſt. Inſolentia eſt inſuetudo, quæ rei experientiam & uſum non habet. Me hercule dicebant pro eo quod eſt me hercules, litera detracta, ſubauditur uerbum Iuuet. Quaſi traduntur ea quæ non traduntur in manum, ſed quodammodo traduntur animo tenenda. Cotta inſtat paulo magis quã Sulpitius, non quia natura ſit aſperior, ſed quia factus eſt aditus, & Craſſum repugnare fert ægre. Oportuit enim aliquid uehementius afferri, ut impelleretur is qui precibus non acquieſſet. Mitigauit id quod acerbum uidebatur, et propoſuit eius rei Craſſum principem et authorem fuiſſe. Aſſecuti ſumus id quod

difficillimum

difficillimum nobis uidebatur : de reliquo tempore iam noſtra culpa fuerit, ſi te, niſi omnia quæ percontati erimus, explicaris, dimiſerimus. perinde quaſi non ſit dimittendus is, qui ultro ſe ipſe obtulerit ad id docendum quod maxime quæritur. De his credo rebus, inquit Craſſus, omnia explicabo, de quibus ſciam, poteroq́; , ut in conditionibus ſcribi ſolet. Quibus conditionibus? quales ponuntur ab iis quibus cautio eſt certa aliqua pactione tranſigere. Formulæ ſunt huiuſmodi, de quibus erit dictum, de quibus conuenerit, de quibus rogatus ero. Ita formula quadam, de quibus ſciam poteroq́; , alluſione facta ad conditiones. Inſtit. libro tertio. Sub conditione ſtipulatio fit, cum in aliquem caſum differtur obligatio, ut ſi aliquid factũ fuerit, uel nó fuerit, comitatur obligatio. ueluti: Si Titius cóſul fuerit factus, quinque aureos dare ſpódes? Conditio alia fortunæ, Lego tibi talentũ, ſi nauis mea reuecta ſit. Alia poteſtatis, Dabo tibi minam, ſi meam cauſam defenderis. Alia mixta, Si pax erit, dabo tibi hunc fundũ. De conditionibus 34. dig. lege, Legatis. Tum ille Cotta reſpódit : Nanque quod tu non poteris, aut neſcies, quis noſtrum tam impudens eſt, qui ſe ſcire aut poſſe poſtulet? Rationem tenuit adoleſcentis, utrum tanquam perfectum ſic obſtupentis, ut quæ neſciat ille, neminem alium ſcire arbitretur. Ad hæc, honorifice loquendum fuit ei qui iunior & rudior ſenem perdoctum colebat. Tum Craſſus inquit. Iam uero iſta conditione admiſſa, dũ mihi liceat negare poſſe me docere quod non potero, & fateri neſcire quod neſciam, licet, & lege mea conceditur, ueſtro arbitratu percontemini, hoc eſt, pro arbitrio ueſtro me interrogetis. Reſpexit illa uerba Cottæ, omnia quæ percontati erimus.

ATQVE, inquit Sulpitius, hoc primum ex te, &c.] Primæ partes in iuuenibus Sulpitij fuerunt, huic itaque dat munus interrogandi. De arte quærit, non modo quia rem dubiam facit Antonius, ſed etiam quia conciliatis animis, & illectis ipſius rei dignitate, poſcebat ordo rerum, ut hæc quæſtio tractaretur. Craſſus intelligit id ad orãdum aut nihil aut parum facere, ſed ad exactam huiuſce rei indagationem : nec ignorat eſſe philoſophi de ratione artium diſputare, philoſophiam ſe non profiteri, præterea neque prolixe neque ſubtiliter de arte diſſerere uelle more Græcorum : quibus cauſis adductus hanc reijcit quæſtionem. Hoc Cicero uult nos cogitare, ſi de artis definitione paucis egerit, id non ignorantia, ſed conſilio feciſſe, ne Græculos imitari loquaces uideretur, quorum doctrinam quoniam iure arguere non poteſt, arguit otiũ et loquacitatem. Quid uos, inquit, mihi quæſtiunculam ponitis (eam contemnit quaſi curioſe poſitam) tanquam alicui Græculo ocioſo & loquaci? id quoque attenuantis eſt, Græculo inquam fortaſſe docto atque erudito, ſed qui parum grauitatis habeat, & ſcientia abutatur ſua, nimium curioſus. Craſſus admodum iuuenis in forum uenerat, & anno primo & uiceſimo C. Carbonem accuſauerat, necdũ ſatis philoſophiam nouerat, quam poſtea ſucciſiuis horis didicit. hinc illud : Quando me iſta quæ philoſophi tractant, curaſſe (quod eſt maius) aut cogitaſſe (quod eſt minus) arbitramini? non ſemper irriſiſſe potius eorum hominum impudentiam, qui cũ in ſchola aſſediſſent, uti magiſtri ſolent, nec libros diſcendos propoſuiſſent, ſed interrogandos ſe dediſſent, ex magna hominum frequentia ad audiendum congregata, dicere iuberent, ſi quidquid quæreret. quod primum omnium ferunt Leontinũ, ex oppido Siciliæ Leontino, feciſſe Gorgiam. Is rhetor & ſophiſta ſe ad omnia de quibus quiſque audire uellet, eſſe paratum denunciauit: de quo ſcribuntur hæc in tertio. Ipſe ille Leontinus Gorgias, quo patrono (ut Plato uoluit) philoſopho ſuccubuit orator, qui aut non eſt uictus unquam à Socrate, neque ſermo ille Platonis uerus eſt : aut ſi eſt uictus, eloquentior uidelicet & diſertior Socrates, & (ut tu appellas) copioſior & melior orator. Sed hic in illo ipſo Platonis libro, de omni re quæcunque in diſceptationem quæſtionemq́; uocaretur, ſe copioſiſſime dicturum eſſe profitetur, iſq; princeps ex omnibus auſus eſt in conuentu poſcere, qua de re quiſque uellet audire? Cui tantus honos habitus eſt à Græcis, ut ſoli ex omnibus, Delphis non inaurata ſtatua, ſed aurea ſtatueretur. Dialogus eſt Platonis Gorgias, cuius initio Chærepho Gorgiam reſpondeat'ne ad omnia, rogat: confirmat ille. Non defuerunt illius imitatores. Nam poſtea Græci uulgo paſſimq́; facere cœperunt, & ſe in conuentu rogandos exhibere: Craſſiq́; tempore faciebant, ut nulla res eſſet neque tanta difficultate et magnitudine, neque tam improuiſa animaduerſione neque tam noua tempore, de qua ſe non omnia quæ dici poſſunt, profiterentur eſſe dicturos. Communes habent locos : ex illis quæ de quaque re dici queunt, eruere conantur. Quòd ſi te Cotta arbitrarer, poſuit pro eo quod eſt, arbitratus eſſem, de iis rebus ſubtilibus & otioſis audire uelle, adduxiſſem huc Græcum aliquem (multi Romæ tum circumferebantur) qui nos iſtiuſmodi ſubtilibus diſputationibus delectaret. loquitur de Græcis in contemptum Cicero infeſtus, quaſi uoluptati & delectationi Græci, non autem ſerijs rebus apti ſint. Adducere ne nunc quidem dum in hoc Tuſculano ſumus, difficile factu eſt. Eſt enim apud M. Piſonem adoleſcentem quidem, ſed iam tamen huic ſtudio philoſophico deditum, ſummo hominem ingenio, noſtriq́; cupidiſſimũ, Peripateticus Staſeas. In adoleſcente laudat ingenium, quoniã artem in eo tam facile laudare non poteſt. Staſeam cæteris anteponit, quia cum de rebus omnibus in utranque partem Peripatetici diſſerant, Staſeas in illo ſuo genere omnium princeps, de re propoſita ſuo arbitratu loqui poſſit, & uelit, quia mittat eum Piſo Craſſi cupidiſſimus, & ultro ueniat ipſe Craſſo familiaris. Hoc modo rei ſubſeruiunt hæc epitheta minime uaga. De Piſone Cicero in Bruto. M. Piſo quidquid habuit, habuit ex diſciplina, maximeq́; ex omnibus qui ante fuerunt, Græcis doctrinis eruditus fuit. Habuit à natura genus quoddam acuminis, quod etiã arte limauerat, quod erat in reprehendendis uerbis uerſutum et ſolers, ſed ſæpe ſtomachoſum, nonnunquam frigidum, interdum etiam facetum. Is laborem quaſi curſum forenſem diutius non tulit, quòd & corpore erat infirmo, & hominum ineptias ac ſtultitias, quæ deuorandæ nobis ſunt, non ferebat, iracundiuſq́; reſpuebat, ſiue moroſe, ut putabatur, ſiue ingenuo liberoq́; faſtidio. Is cum ſatis floruiſſet adoleſcens, minor haberi eſt cœptus poſtea, deinde ex uirginum iudicio magnam laudem eſt adeptus, & ex eo tempore quaſi reuocatus in curſum, tenuit locum tandiu, quàm ferre potuit laborem. Poſtea quantum detraxit ex ſtudio, tantum amiſit ex gloria. Idem de Finibus mentionem Staſeæ facit, his uerbis. Cenſemus te Piſo facillime id explanare poſſe, quòd & Staſeam Neapolitanum multos annos habueris apud te, & complures iam menſes Athenis hæc ipſa te ex Antiocho uideamus exquirere. Et alibi. Memini Staſeam Neapolitanum, doctorem illum tuum, nobilem ſanè Peripateticum, aliquando iſta ſecus dicere ſolitum, aſſentientem his qui multum in fortuna ſecunda aut aduerſa, multum in bonis aut malis corporis ponerent. Poſtulatis adoleſcentium, quibus acquieuerat Craſſus, authoritatem addit ſuam ſocer eius Scæuola, non tam ad impellendum hominem credo quàm ad contemnendos Græculos, de quibus ortus erat ſermo. Dum magnus uir aliquid agens id loquitur, ſuſpicionem remouet inſidiæ, & maiorem habet authoritatem: præterea quæ dicentur præcepta commendat, quæ non ſchola ſine uſu, ſed doctrina cum ſumma exercitatione peperit. Quem Staſeam, quem Peripateticum narras? Virũ & artem præ Craſſo deſpicit. Gerendus eſt tibi mos, & obſequendum adoleſcentibus Craſſe, honeſta cupientibus. Quod petitur, exhibere potes exercitatus : & uelle debes, quia te duo excellentis ingenij adoleſcentes uehementer rogant, qui non Græci alicuius quottidianam, aſſiduam, ideoq́; importunã loquacitatem ſine uſu forenſi, neq; ex ſcholis imperitorum τὸ αὐτὸ ἄρα,

eandem cantilenam, & leue præceptum more cantionis ſubinde occinendum requirunt: ſed ex homine omnium ſapientiſſimo, id eſt eo qui in philoſophia ſit optime uerſatus, cum plurimũ ualeret ingenio, atque ex eo qui nõ in libellis, ut Græci magiſtri, ſed in maximis cauſis: non in tenui ciuitate, ſed in hoc domicilio perpetuaq; ſede imperij & gloriæ, ſit conſilio (quod eſt prudentiæ rerum) & lingua (quæ eſt orationis & eloquentiæ) princeps: cuius ueſtigia, uias atque rationes perſequi cupiunt, eius ſententiam ſciſcitantur & inquirunt. Hæc eò pertinent, ut probetur id Craſſum poſſe, quod negauit. Quãdo inquit me iſta curaſſe aut cogitaſſe arbitramini? Eodem tendunt & hæc. Te ſemper in dicendo putaui deum, qui ſuperares humanam facultatem. ut autem uelit, facit eius humanitas, quæ non eſt eloquẽtia uiri minor. EGO uero, inquit, iſtis obſequi ſtudeo, neq; grauabor, &c.] Ego uero iſtis obſequi ſtudeo: uti dicis, Gerendus eſt tibi mos adoleſcentibus: neque grauabor breuiter meo more (tędij ſuſpicionem aufert) quid quaque de re ſentiam, dicere. Authoritatem tuam apud alios maximam & uitæ dignitate, & ſcientia iuris, apud me etiam affinitate maiorem, negligere, fas mihi eſſe non puto. Reſpondeo primum, mihi dicendi aut nullam artem, aut pertenuem uideri, ſed omnem eſſe contentionem inter homines doctos, philoſophos, in uerbi (quod eſt ars) controuerſia poſitam. Nam ſi ars ita definitur, ut paulo ante expoſuit Antonius de ſententia Carneadis, ut ſit ex rebus penitus perſpectis, planeq; cognitis, hoc eſt, ut aiunt dialectici certis & euidentibus, atque ab opinionis arbitrio ſeiunctis, quia certa ſunt ſcientiæ, non opinionis: non uidetur ars oratoris eſſe ulla. hoc modo ſolæ mathematicæ diſciplinæ erunt artes, cum certis utentur demonſtrationibus, quales multa ſunt in Euclide, & Analyticis Ariſtotelis. Aliter eſt hæc rhetorica. Non ſunt in ea certa & ſtabilia præcepta, ſed uaria & incerta: neque ea ſcientia conſtant, ſed ad uulgarem popularemq; ſenſum, quo nihil eſt mutabilius, accommodantur omnia genera huius dictionis, id eſt, orationis perpetuæ. Sin autem ea quæ obſeruata ſunt in uſu, id eſt, tractatione dicendi, à callidis, id eſt, peritis uſu longo, animaduerſa ac notata ad imitandum, uerbis deſignata & ſignificata, generibus & capitibus illuſtrata, partibus & formis diſtributa ſunt, ars eſt rhetorica, nõ illa ſubtili definitione, ſed opinione uulgari. Qui res huius dictionis coegerũt in artẽ, fuerũt homines callidi et periti, hoc eſt, in orationibus audiendis et legẽdis diu multũq; exercitati. Animaduerterũt quid quiſq; egregie dixiſſet, et notarũt. deinde notata uerbis & appellationibus deſignarũt, qualia ſunt, narratio, cõfirmatio, ſimilitudo, exẽplũ, tranſlatio, & reliqua omnia. Poſtea ex illis genera ſuprema legerunt, inferiora ſubiecerunt, tandem ſpecies & partes addiderũt: ut ſuprema ſunt tria genera cauſarum, inferiora genera quæſtionum & orationum ſingularium, quæ & in partes tum maiores tum minores partiuntur. Hæc condendæ artis ratio eſt διαιρετικὴ, quam poſtea tradit agens de iure ciuili. Omnia in arte ſunt aut res, aut uerba. Res omnes, aut genera, aut ſpecies, aut partes. Verba, quibus res notantur, & præcepta explicantur. Sed quoniam à generibus ad ſpecies & ad partes ordine ueniendum eſt, & multa ſunt genera, pluresq; formæ, & ſingula definienda ſunt, non eſt parui negotij facere artem. philoſophia opus eſt, et exercitatione: quod aliquoties Cicero teſtatur. Hæc ſiue ars, ſiue artis quædam ſimilitudo, non eſt quidem negligenda. Compendium eſt quoddam ad ſubeundas cogitationes optimi cuiuſque oratoris. Verum intelligendum eſt, alia, quædam poſtea explicanda ad conſequendam eloquentiam eſſe maiora. Ars rhetorica & eloquentia, res eadem non eſt. Ars eſt comprehenſio præceptorum ad unum finem tendentium. Eloquentia, eſt intelligendi & eloquendi facultas. hæc & rhetoricam, & alias artes, ut perfecta ſit, exquirit. Tum Antonius uehementer ſe aſſentiri Craſſo dixit, quod neque ita artem amplecteretur, hoc eſt amaret, laudaret, magnifaceret, ut ij ſolerent imperiti rhetores, & temporis eius cauſidici, qui omnem uim dicendi in arte rhetorica ponerent, nihil aut naturæ aut philoſophiæ darent: neque rurſum eam totam repudiarent artem, ſicuti plerique philoſophi facerent, id eſt repudiarent id quod Craſſus haud negligendum putaret. Vſus eſt commode Cicero Antonij perſona, qui parum aut nihil arti, hoc eſt, rhetoricis præceptis, deferendum exiſtimaret. Exiſtimo, inquit, gratum te his adoleſcentibus eſſe Craſſe facturum, ſi iſta expoſueris, quæ putas ad dicendum plus quàm ipſam artem poſſe prodeſſe. Ea ſunt naturæ dona induſtria augenda, cognitio artium magnarum, ſtylus dicendi magiſter, uſus & exercitatio.

DICAM equidem, quoniam inſtitui, petamq; à uobis, inquit, &c.] De rhetoricæ dignitate, de ratione eius & artificio dictum. Quid proximum eſt? Scire quibus illa rebus comparetur. In illis natura prima eſt. Concurrit enim tempore naſcendi, & alijs eſt mater, alijs autem nouerca. At ut hæc cadit in præcepta? Aliqua ex parte induſtria iuuari poteſt, nec inutile eſt unumquenque ſcire quantum poſſit, ne more Gigantum naturæ fruſtra repugnet, ſed eam quaſi ducem optimam ſequatur. Præfatur aliquid Craſſus in Scæuolæ conſpectu ad deprecandas (ut uidetur) ineptias. Sed aliud molitur Cicero modeſtius & uerecundius hæc ab ſe diſputari, quàm ſoleant à Græcis: & præcepta iſta paulo aliter atque in ſcholis tractari. Dicam equidem quod uultis, quoniã inſtitui, hoc eſt decreui & cœpi dicere. Pergam, ne uobis inconſtans eſſe uidear: petamq; à uobis, inquit, ne has meas ineptias efferatis, hoc eſt, ne quoniam hæc inepta ſunt, per uos in hominum aures perueniant. Hæc modeſtia non attenuat hanc artem, ſed illi potius authoritatem affert ac pretium. Moderabor ipſe, & res temperabo: ne ut quidam magiſter rhetor atque artifex, quales permulti fuerunt in Aſia, & in Græcia, nuda quædam & ſubtilia præcepta ſtatuam: ſed quaſi unus è togatorum numero id eſt Romanus, non magnopere excellens, at ex forenſi uſu magis quàm ex arte homo mediocris, neque omnino rudis, uidear non ipſe aliquid à me prompſiſſe, more eorum qui ſua obtrudunt, ſed fortuito caſuq; in ſermonem ueſtrum incidiſſe. Etenim ſic eſt pudor meus, alio prius exemplo notus. Cum peterem magiſtratus, quæſturam, præturam, conſulatum, ſolebam in prehenſando, blande & comiter amplexando ſalutandoq; ciues eos quibus ſuffragij ius erat, dimittere & ablegare à me Scæuolam, cum ei ita dicerem, me uelle eſſe ineptum. Id erat petere magiſtratum blandius, quod niſi inepte fieret, bene non poſſet fieri. Conſueuerant ciues à candidatis audire blande ſua extolli: operam promitti, merita petentis exponi uolebant. Hũc autem Scæuolam ſocerum meum eſſe unum hominem ex omnibus memineram, quo præſente ego ineptus eſſe minime uellem. De hac re Valerius libro quarto, capite de Verecundia. L. Craſſus cum omnium candidatorum more circum forum ſupplex populo ire cogeretur, nunquam adduci potuit, ut id præſente Q. Scæuola grauiſſimo & ſapientiſſimo uiro ſocero ſuo faceret. Itaque rogabat eum, ut à ſe dum ineptæ rei inſeruiret, diſcederet: maiorem uerecundiã dignitatis eius quàm candidæ togæ reſpectum agens. In eo Cicero ſeruauit notum pudorem. Quid eſt ineptius, quàm de dicendo dicere? (maluit de dicendo, quàm de arte dicendi, quia multa putat plus ad dicendum quàm ipſam artem poſſe prodeſſe) ipſum dicere nunquam eſt non ineptum, niſi cum neceſſarium. Nam ſi aptum eſt quod tempori, quod loco quod rei, quod perſonis conuenit, ineptum eſt dicere eum quæ nihil neceſſe eſt, ubi & quando non opus eſt. Perge Craſſe, inquit Mucius. Iſtam culpam, & peccatum quod uereris, ego præſtabo, exhibebo, pendam, damnum reſarciam, pro te ſatisfaciam, perficiam ſi quid deerit. & implebo. uerbum iuriſperitis frequens. In hunc ſenſum Cicero uſurpauit Offi-

ciorũ tertio. Sin autem dictum eſt non omne præſtandũ quod dictum non eſt, id præſtandum putas? Sic igitur ſentio (inquit Craſſus) naturam primum atque ingenium quod naſcitur nobiſcum, ad dicendum uim afferre maximam. Hinc intelligitur, quòd natura ſine arte plurimum, ars ſine natura parum aut nihil poteſt. In eadem ſententia Quintilianus eſt. Illud, inquit, in primis teſtandum eſt, nihil præcepta atque artes ualere, niſi adiuuante natura. Quapropter ei cui deerit ingenium non magis hæc ſcripta ſunt, quàm de agrorum cultu ſterilibus terris. Sic ego ſentio, iſtis de quibus paulo ante dixit Antonius ſcriptoribus artis rhetoricæ, Tiſiæ, Coraci, aliiſq; non rationem dicendi & uiam, hoc eſt arte comprehenſa præcepta, ſed naturam defuiſſe. Libros beneficio artis perſcribere potuerunt, cauſas autem natura deficiente egregie perorare neſcierunt. Animi atque ingenij celeres quidam motus eſſe debent, quales Aeneæ Virgiliani eſſe dicuntur. Animum nunc huc, nunc diuidit illuc, In parteſq; rapit uarias, perq; omnia uerſat. Hi motus acuti ſuggerunt inuentionem, uberes & fæcundi uerborũ copiam & elocutionem, firmi atque diuturni memoriam continent. Eſt enim hominis acuti, multa excogitare & inuenire: uberis, explicare ad intelligendum, & ornare ad delectandum: firmi, & imagines diu ſeruantis, recordari. Hæc naturæ dona ſunt, quæ inſeri & donari ab arte non poſſunt, ſed tantum aut accendi, aut commoueri. Accenduntur diligentia & exercitatione, ſicut ignis agitatione: mouentur labore & ſtudio, ſicuti res torpens & quieta. Plus eſt accendi, minus autem cõmoueri: utrũque fit arte, diligentia, & uſu: utrunque ad animum & ſanguinem refertur. Alia ſunt naturæ dona corporis: linguæ ſolutio, hoc eſt, linguæ expeditus & liber articulus uocis ſonus nõ uaſtus, non agreſtis, non hiulcus, non illiberalis, ſed preſſus, urbanus uenuſtus, ingenuus. latera firma atque robuſta, & neruis optimis atque lacertis (muſculos uocant medici) pectoris coſtas ambientibus, pectuſq; mouentibus munita: quæ ad uocem & ſpiritum dicentem iuuent uires totius corporis ad perferendos labores. conformatio quædam, id eſt non inelegans forma & figura totius oris (faciem uulgus appellat) & corporis. Neque hæc ita dico arte accipi non poſſe, ut ars aliquid limare non poſſit, & expolire quod natura dedit. Neque enim ignoro etiam quæ bona ſint, fieri meliora poſſe doctrina, ut uocem, ut actionem, ut memoriam: & quæ non ſint optima natura, acui tamen & corrigi poſſe. Acuitur hebes & obtuſus, corrigitur prauus & obtortus. Sed ſunt quidam aut ita lingua hæſitãtes, aut ita uoce abſoni & agreſtes, aut ita uultu motuq; corporis uaſti, ut in oratorum numerum uenire non poſſint. Primum opponitur ſolutioni linguæ, ſecundum uocis ſono, tertium conformationi. uaſtum preſſo, agreſte urbano comparatur. Sunt autẽ quidam ita naturæ muneribus in iiſdem corporis bonis habiles, faciles, & dexteri, ita ornati & elegantes, ut non aliorum more nati, ſed aliquo deo artifice ſummo ficti formatiq; eſſe uideãtur. Quoniam tam multa quæruntur oratori, magnum quiddã eſt ſuſcipere hoc tanquam onus & munus officij, magnum profiteri ſe eſſe omnibus ſilentibus unum maximis de rebus magno in conuentu hominum audiendum. Amplificat hoc negotium. Adeſt enim ferè nemo in conuentu, quin acutius atque acrius, hoc eſt oculo intentiore & penetrantiore, uitia in dicente, quàm recta uideat. Id hominum more comparatum eſt, ut ante uitia quàm uirtutes ſentiantur. credo, quòd uitia lædunt, uirtutes deleniunt, id euenire: aut certe quòd ad uituperandum proniores quàm ad laudandum ſumus. Vitium autem unum, mul tas obruit uirtutes. NEQVE hæc in eam ſententiam diſputo, ut homines, &c.] Pauci admodum reperiuntur, quibus neque ingenium, neque animus acutus, neque ſolutio linguæ, neque ſuauis ex ore ſonus, neque bona uox, neque latera, neque uires, neque conformatio oris & corporis deſit. Veritus eſt igitur ne durum & ſeuerum nimium uideretur, tam multos non hominis, ſed naturæ uitio ab his arcere præceptis: propterea mollit opportune id quod per ſe durum moleſtumq; eſt. Sunt in ciuitate primæ, ſunt alteræ, ſunt tertiæ quartæq; partes: honeſtũ eſt & in ſecundis & in tertiis conſiſtere: utile tamen, rerum differentiam oſtendiſſe, ſummamq; rerum definiſſe, quò pro uiribus quiſque nitatur. Perfectum enim dicimus, cui nihil omnino deeſt: ex aliqua parte inperfectum, non contemnimus. Neque hæc de naturæ muneribus in eam ſententiam et in eum ſenſum diſputo, ut homines adoleſcentes, quorum non uel ſenum ſpes excidit, ſi quid naturale forte non habeant, ut plerique non habẽt, omnino à dicendi ſtudio deterreã. Eſt & mediocribus locus, id quod duobus confirmat exemplis. Quis enim non uideat rẽ omnibus notam, C. Cælio æquali meo, id eſt, æque ætate prouecto, homini nouo, hoc eſt nullas maiorum ſuorum imagines habenti, ſed primum nobilitato, maximo honori fuiſſe illam ipſam quamcunque aſſequi potuerit in dicendo mediocritatem? Quis ueſtrum æqualem Q. Varium uaſtum hominem, hoc eſt barbare ſonantem, & agreſtem atque fœdum putidumq; non intelligit illa ipſa facultate, quamcunque habet, magnam eſſe in ciuitate gratiam, id eſt amicitiam ſtudiumq; conſecutum. De Cælio hæc in Bruto. Hoc loco ipſum Domitium non relinquo: nam etſi non fuit in oratorum numero, tamen pono ſatis in eo fuiſſe orationis atque ingenij, quo & magiſtratus perſonam & conſularem dignitatem tueretur: quod idem de C. Cælio dixerim, induſtriam in eo ſummam fuiſſe, ſummaſq; uirtutes, eloquentiæ tantum, quod eſſet in rebus priuatis, amicis eius, in Rep. ipſius dignitati ſatis. Q. Vario plura defert Cicero, q̃ hic Craſſus. Acutior Carbone Q. Varius rebus inueniendis, nec minus uerbis expeditus, fortis uero actor & uehemens, & uerbis nec inops nec abiectus, & quem planè oratorem dicere auderes. Tenendum tamen, illius agreſtem & aſperum ſonum potius hic quàm artem deſpici: in Bruto Ciceronem commendare Romanos, & ultra meritum laude ferre. In arte quæ quærendum quod ſummum atque perfectum eſt. Quia de oratore quærimus, inquit, fingendus, id eſt, ad ideam formandus eſt nobis oratione noſtra: quandoquidem nemo homo ſummus inueniri poteſt detractis omnibus uitijs orator, atque omni laude cumulatus. Si quis unus omni laude cumulatus inueniri poſſet, non eſſet orator ipſa oratione fingendus, quia nemo tantus extitit. ad ideam, ſicut in oratore perfecto, confugit. Nos hoc quod quærimus genus oratoris perfecti, non omittemus. Erunt nihilominus ſemper oratores mali. Cur ita? quoniam multitudo litium, quæ propè ſunt infinitæ, uarietas cauſarum (ex quibus aliæ tenues, aliæ graues, aliæ mediæ, aliæ breues, aliæ prolixæ, aliæ publicæ, aliæ priuatæ) turba & barbaria forenſis, hoc eſt multitudo litigatorum rudium & barbarorum, multitudo prætorum & iudicum indocta turbulentaq; dat locum uel uitioſiſſimis oratoribus, non daret hiſtrionibus in theatro. Quamobrem? quia tum pati malos hiſtriones nullæ controuerſiæ cogunt. In iis artibus ludicris, hiſtrionica, gladiatoria, palæſtrica, in quibus non utilitas quæritur neceſſaria, ſed animi libera, id eſt, minime neceſſaria quædã oblectatio, quàm diligenter, quàm propè faſtidioſe, et ferè cõtemptim iudicamus? hiſtrio qui uel una ſyllaba peccauit, exploditur. nullæ enim lites neque controuerſiæ ſunt, quæ cogant in theatro actores fabularum malos perpeti: in foro neceſſitas patitur & non bonos oratores. Nullius eſt autem gloriæ, illis tantum ſatiſfacere, quibus neceſſe eſt. Eſt igitur oratori diligenter prouidendum, non ut illis ſatiſfaciat quibus neceſſe eſt: ſed ut iis ipſis admirabilis eſſe uideatur, quibus libere liceat iudicare. hi ſunt, quorum cauſa non agitur. AC ſi quæritis planè quid ſentiam, enunciabo apud homines, &c.] Naturæ muneribus omnium primis coniungit pudorem metumq; uerecundum, uirtutum omnium optimum cuſtodem, qui tametſi aliter

educatione, tamen magna ex parte corporis naturam & temperamentũ ſequitur. Ille mirandũ in modum decet oratorem, tanto gratior in eo, quanto temeritas & impudentia magis ingrata eſt. In hoc genere laudis quis Cicero multus fuit, hanc mihi tractare partem uidetur, & Craſſo, in quo fuit mirificus pudor, aſſignare. Teſtis eſt ipſe de ſe in Diuinatione. Ita deos mihi uelim propitios, ut cum illius temporis mihi uenit in mentem, quo die citato reo mihi dicendum ſit, non ſolum commoueor animo, ſed etiam toto corpore perhorreſco. Sic uerecundus Vlyſſes apud Homerum.

Στάσκεν ὑπαὶ δ᾽ ἴδεσκε κατὰ χθονὸς ὄμματα πήξας.

Stabat deiecto uultu, & humi fixis oculis.

At ſi quæritis, plane quid ſentiam de natura boni oratoris, enũciabo apud homines familiariſſimos, quod adhuc ſemper tacui, & tacendum putaui. Hoc quaſi ſecretum committit ſuis familiariſſimis. Tacendum putauit, ne ſe ipſe laudare, de alijs multis male iudicare uideretur. Mihi non indocti modo, ſed etiã qui optime dicunt, quod eſt eloquentiæ ſummæ, quiq; id facillime (quod eſt naturæ & uſus) atque ornatiſſime (quod artis eſt) facere poſſunt. tamen niſi timide ad dicendum accedunt, & in exordienda oratione quodam ingenuo metu & pudore perturbantur, penè impudentes uidentur. Non pronũciauit abſolute, ut in iudicando ſuũ retineret pudorem· ac uſus eſt correctione, quòd improprie dixiſſet illud, optime dicũt. Si qui nihil perturbantur, non optime dicũt, ſed opinione multorũ, ſic multi optime dicere uidentur. Id optime dicentibus accidere non poteſt. quamobrem? quia ut quiſq; optime dicit, ita maxime dicendi difficultatem, uarioſq; euentus orationis hominũq; pertimeſcit. quanto doctior eſt, tanto magis rei ſummam intelligit. quanto exercitatior, & ſæpius periculum fecit tanto melius & orationis euentus, & anceps hominũ iudiciũ nouit, noſcendo pertimeſcit. Quippe hoc eſt honeſtæ uerecũdiæ, & prudentiæ, nomen diuturno labore partũ non temere periclitari. Nec ſatis eſt affici pudore, niſi fugias impudentiam. Quapropter is qui nihil poteſt dignũ re & quæſtione propoſita, dignũ nomine oratoris, dignũ hominũ auribus efficere, & edere, id eſt proferre, etiamſi commouetur & perturbatur in dicendo, tamen impudens uidetur. Facit enim quod non docet, in quo nomen impudentiæ nõ effugit. Quem uero inepte dicentem non pudet (id quod in pleriſq; uideo) hũc ego nõ reprehenſione ſolũ, quæ animi pœna eſt, ſed etiam pœna corporis aut rerũ fortuitarũ dignũ puto. Hanc nouam laudem non ante ſibi, quàm detulerit alijs præſentibus, attribuit uerecundus. Equidem & in uobis (Scæuolam & Antonium oſtendit) animaduertere ſoleo pallorem, & in me ipſo ſæpiſſime experior, ut exalbeſcam in principio dicendi, & tota mente atque omnibus artubus contremiſcam. alborem noſtrum non oculis, ſed animo in ſanguinis abſceſſu cognoſcimus. Mens ipſa ſui index eſt: artus & membrorum articuli labantes, genua præſertim, & ſentiũtur & uidentur. Adoleſcentulus uero annos natus unũ & uiginti, ſic initio accuſationis qua C. Carbonem impuli, exanimatus & propè extinctus ſum metu, ut hoc ſummũ beneficiũ Q. Maximo illius iudicij quæſitori debuerim: quod continuo conſiliũ iudicum ſortitione lectorũ dimiſerit, ſimul ac, id eſt, cum primũ me fractum ac debilitatũ metu uiderit. Metus animũ frangit, uireſq; debilitat. Hic, id eſt, tũ omnes qui aderant in ſermone, aſſenſi Craſſo, ſignificare inter ſe, hoc eſt ſigno geſtuq; oſtendere conſenſum ſuũ, & colloqui cœperũt, illã Craſſum de metu uera prædicare. Hæc obſeruationis optimæ non parua commendatio eſt. Fuit enim mirificus & admirabilis in Craſſo pudor, non ille ruſticus ineptiarũ pater, ſed ingenuus ille uirtutũ cuſtos: qui non modo non obeſſet eius orationi, ſed etiam probitatis commendatione prodeſſet. Exacuit diligentiam pudor, decoro ſtudet, ut index probitatis commendatur. non obeſt igitur orationi. De pudore Craſſi, pro Fonteio Cicero. Quantus in L. Craſſo pudor fuerit, quod ingeniũ, quanta authoritas, quis ignorat? TVM Antonius: ſæpe, ut dicis, inquit, animaduerti Craſſe, &c.] Cur optimus quiſq; initio dicendi pertimeſcat, ideo cauſas inquirit Antonius, ut nõ modo affirmatione, ſed etiam ratione res ipſa confirmetur. Tum Antonius, Animaduerti Craſſe & te & cæteros ſummos oratores (corrigit illud uerbũ ſummos) quanquam tibi par mea ſententia nemo unquam fuit: ita ut iure ſummus diceretur. Animaduerti inquam uos in dicendi exordio permoueri, hoc eſt metu perturbari. Cuius rei cũ cauſam quærerem effectricem, quid nam eſſet cur ut in uno quoque oratore eloquentiæ pluri mũ eſſet, ita maxime is pertimeſceret: cauſas inueniebam duas; unam, quòd intelligerent ij quos uſus ac natura docuiſſet, non ſemper ex ſententia euentũ dicendi procedere. Vſum antepoſuit, naturam poſtpoſuit, ordine præpoſtero, tantũ ut in fine mẽbri exitũ carminis uitaret. Eſt autem & orationi ſua forma, quia materia & occaſio nõ eodem ſe modo ſemper aperit: non idem eſt ſemper audientiũ fauor, non eadem animi dicentis alacritas, non idem aduerſarius, non idem iudex, non idem tempus, non idem locus, non iidem monitores & aduocati. Eſt & hic Mars ἀλλοπρόσαλλος. Altera eſt cauſa de qua queri ſæpe ſoleo, quoniam iniquiores nobis auditores ſunt, quàm probatis hominibus artiũ cæterarum. Cæterarũ homines artium (ut hiſtriones, ſpectati & probati, ac populo laudati) ſiquando aliquid minus bene fecerũt quàm ſolent, aut noluiſſe, aut ualetudine morboq; impediti non potuiſſe conſequi id quod ſcirent, putantur: alterũ eſt arbitrij, alterũ neceſſitatis. In arte hiſtrionica exemplũ familiare eſt, quia Roſcius populo ſpectatus & probatus eſt. Noluit, inquiunt, hodie agere, fabulamq; recitare Roſcius, aut crudior fuit, & eo quaſi morbo impeditus non egit. Cruditas enim ſummopere uitanda eſt ab eo qui uocem ſeruare uelit, ne laborantibus organis uitioſus infundatur humor. De Roſcio hæc poſtea Cicero. Videtis'ne quàm nihil ab eo niſi perfecte, nihil niſi cũ ſumma uenuſtate fiat, niſi ita ut deceat, & uti omnes moueat atque delectet? Itaque hoc iandiu eſt conſecutus, ut in quo quiſq; artificio excelleret, is in ſuo genere Roſcius diceretur. Oratoris peccatũ ſi quod eſt animaduerſum, ſtultitiæ peccatũ uidetur, non cruditatis: quod & malis hiſtrionibus accidit. nec enim ab re ſtatuit homines ſpectatos & probatos. Stultitia autem excuſationem nõ habet nemo ſtulte agere, quia crudus fuit, aut quia ita maluit agere ſtulte, uidetur, ſed quia ſapientiæ mẽtem conſiliumq; neſcierit: quo grauius iudiciũ in dicendo orator quàm actor fabularũ ſubit. Quoties enim dicit, toties de illo iudicatur. Actor ſemel ſpectatus & probatus, ſi quando peccet, exiſtimationem non amittit: hic ſi ſemel in geſtu peccauit, non ſtatim exiſtimatur neſcire geſtũ hiſtrionicũ, modo probatus ſit. Cuius oratoris aliquid reprehenſum, ut inuentio, elocutio, actio, aut æterna in eo aut certe diuturna ualet opinio tarditatis: hoc eſt, exiſtimant ij qui ſubaudiũt, eũ eſſe aut natura aut arte tardũ, & hanc ſemper aut certe diu ſeruant opinionem. ILLVD uero quod à te dictũ eſt, eſſe permulta quæ orator, & cæt.] Vt illud de pudore & metu probauit Antonius, ſic quoque alterum de natura & oratoris ingenio confirmat Apollonij authoritate, & artium comparatione. Illud uero quod à te Craſſe paulo ante dictum eſt, eſſe permulta naturæ munera, quæ orator niſi à natura haberet, non multum à magiſtro adiuuaretur, ualde tibi aſſentior, id eſt aſſenſu & mea ſententia confirmo, inq; ea re uel maxime probaui ſummum illum doctorem & rhetoricæ magiſtrum Appollonium, non illum Molonem, ſed Alabandenſem, ex illuſtri ciuitate Cariæ Alabanda: qui cũ rhetoricæ ſtudioſos mercede & precio doceret, tamẽ non patiebatur eos quos iudicabat non poſſe oratores euadere, naturæ bonis deſtitutos, operam apud ſeſe perdere: dimittebatq;, et ad quancunque artem putabat eſſe aptum eum qui ad ſe ueniſ-

ſet, ad

ſet, ad eam impellere atque hortari ſolebat. Videbat nimirum alios alijs artibus aptiores, nec ignorabat ſequendam eſſe naturã ducem, quam ſi furca (inquit Horatius) expellas, tamen uſq; recurret. Quod ſi natura in contrariũ flecti poſſet, tamen quia perquam difficile eſſet illi repugnare, expediret magis eam ſequẽtem in arte apta primas habere, quàm repugnantem in alia ultimo ordine cenſeri. At nihil audendum eſt inuita Minerua. Ad comparationem. Satis eſt percipiendis cæteris artificijs, quæ uel animo tantum, uel animo manuq; tractantur, tantummodo ſimilem eſſe hominis, id eſt aliquam mentis atque rationis habere portiunculam (hoc imminuendi cauſa loquitur) & id quod tradatur ab artis magiſtro, uel ſi quis forte ſit tardior, inculcetur, & quaſi intrudatur, poſſe percipere & comprehendere animo, & perceptum memoria cuſtodire. Animo quidem cognoſcimus, memoria continemus. Cognitio prior, memoria poſterior. Non quæritur alijs quod oratori: linguæ mobilitas, quæ paulo ante ſolutio dicta eſt: non celeritas ea uerborum, quæ ſine uitioſa interruptione continuat orationem: non denique ea naturæ dona, quæ nobis non poſſumus fingere, id eſt formare & aptare: facies, quæ eſt totius corporis ſpecies & conformatio: uultus, id eſt motus oris decens & urbanus: ſonus liberalis & ingenuus, non uaſtus & agreſtis. In oratore autem acumen & ſubtilitas dialecticorum non modo ad inuenienda, ſed etiam ad colligenda argumenta, & ad acutam uim diſſerendi: ſententiæ philoſophorum graues, doctæ, dignæ auribus eruditis, unde inuentio plus habeat authoritatis: uerba propè poetarum, non poetica quidem, ſed lecta, grauia, ſonantia, contexta ad eloquendum: memoria iuriſconſultorum ſpacioſa & ſtabilis ad res & uerba continenda: uox tragœdorum, id eſt eorum qui tragœdias agunt, ad ferendos labores, ad efferendas periodos, ad implendas audientium aures: geſtus penè ſummorum actorum, id eſt hiſtrionum, ad honeſtam pronunciationem eſt requirendus. Quamobrem nihil in hominum genere rarius perfecto oratore inueniri poteſt. Id rerum copia & multitudo facit. In alijs artificibus ſingula & ea mediocria probantur, in oratore omnia & ea ſumma perfectaq; quæruntur. TVM Craſſus, atqui uide, inquit, in artificio & opera quàm tenui, &c.] Cum pauciſſimi mortales omnibus ferè naturæ muneribus prædití ſint, in eligendo oratore futuro adhibéda diligentia eſt. Id Craſſus oſtendit à minorum comparatione: unde colligit eum qui non poteſt, qui uitioſe facit, quem denique nõ decet, ab hoc quaſi ſacro ablegandum. Sit hæc igitur ſumma naturæ bonis opus eſſe: eum qui hæc habeat, exhortandum: qui nõ habeat, alio eſſe dimittendum. Tum Craſſus. Vide, inquit, Antoni, in artificio & opera quàm tenui & leui, ut in hiſtrionica ſemper habita Romæ conditionis extremæ poſt ſeruitia, quanto plus adhibeatur diligentiæ, quàm in hac eloquentia, quam conſtat eſſe maximam. Artificium tenue rei maximæ, diligentia negligentiæ comparatur. Sæpe enim ſoleo audire Roſcium actorem fabularum (hunc & Ciceroni perquam familiarem fuiſſe conſtat) cum ita dicat, ſe adhuc reperire diſcipulum, quem quidem probaret, potuiſſe neminem: non quo non eſſent quidam probabiles, ſicut & oratores in uno aliquo modo genere ſpectati, ſed quia ſi aliquid modo, id eſt, tantum eſſet uitij aut in conformatione oris & corporis, aut in uultu, aut in geſtu, aut in lingua, aut in ſono uocis, aut in lateribus, id ferre ſeuerus ipſe non poſſet. Ne mirere tantum hiſtrionem uitium ferre non poſſe, cum planum ſit uitia quã uirtutes animaduerti citius, ac diutius teneri. Nihil eſt enim eã inſigne, id eſt notabile, nec tam ad diuturnitatem memoriæ ſtabile, hoc eſt, nihil eſt quod diutius memoriæ inhæreat, quàm id in quo aliquid offenderis, quàm ſi uitium admiſeris quod alios offendat. Itaque ſi magna paruis interim optime conferuntur, ad hanc ſimilitudinem huius hiſtrionis oratoriam laudem dirigamus, & oratorem in ſuo genere tam perfectũ, quàm in arte ludicra Roſcium uidemus, requiramus. Id enim eſt, ad eius ſimilitudinem oratoriam laudem dirigere. Videtis'ne in ſcena tempore ludorum, quàm nihil ab eo niſi perfecte, nihil niſi cum ſumma uenuſtate fiat, niſi ita ut deceat: & uti omnes moueat atq; delectet? Hic perfectio eſt, abſolutio uniuerſæ pronuncitionis, uenuſtas, gratia, decor & elegantia agendi, decorum quod elucet ex apta ſententiarum atque uerborum enunciatione, & geſtu congruo. Motus eſt affectuum, delectatio facetiarum. hæc eſt copioſa & eximia laus hiſtrionis. Itaque hoc iamdiu eſt conſecutus euulgata etiam prouerbio gloria, ut in quo quiſque artificio excelleret, is in ſuo genere, id eſt in arte ſua, Roſcius diceretur. In huius hiſtrionis laude multus eſt Cicero, quòd eum iunior obſeruauerat. Plutarchus. λέγεται δὲ καὶ αὐτὸς οὐδὲν ἧττον νοσήσας τοῦ Δημοσθένους πρὸς τὴν ὑπόκρισιν: τοῦτο μὲν Ῥωσκίῳ τῷ κωμῳδῷ, τοῦτο δ᾽ Αἰσώπῳ τῷ τραγῳδῷ προσέχειν ἐπιμελῶς. Fertur & ipſe nihilo minus quàm Demoſthenes in pronunciatione laboraſſe, ideoq; Roſcio comœdo, & Aeſopo tragœdo ſolitus adhærere diligenter. Hanc ego abſolutionem, id eſt perfectionem, in oratore deſiderans, à qua ipſe longe abſum (etſi de ſe ipſe modeſte loquitur, non mentitur tamen) facio impudenter. Quomodo? Mihi enim uolo ignoſci, cæteris ipſe non ignoſco. hoc modo uiam præcludit obiectioni. Qui non poteſt orator eſſe repugnante natura, qui uitioſe facit eadem nouercante, cócedente tamen aliquid, quem denique non decet aut ob malam formam, aut malam gratiam, aut uaſtum uocis ſonum ac ineptum, hunc, ut Appollonius Alabandenſis iubebat, ad id quod adiuuante natura facere poſſit, detrudentum puto. Vſus eſt uerbo acerbo Detrudendum, ut alias arteis multo inferiores eſſe putaremus.

NVM tu igitur, inquit Sulpitius, me aut hunc Cottam, &c.] Sermonis huius duplex eſt uſus. Nam primum tendit eò, ut expoſitis naturæ bonis, id tandem colligatur, caput eſſe artis, decere. Præterea cõfirmat iuuenes eos qui habeant à natura quod Sulpitius, in quo dialogi ſeruata ratio eſt, ad alios omneis transferenda. Confirmat & alios qui minus habeant. Sulpitio ſermo congruentior quàm Cottæ fuit, propterea quòd in eo plus ornamentorum natura poſuiſſet. Cotta uaſtior erat, et agreſtior: quod tertio libro ſignificat: & hic quoque intelligendum relinquit, cum propriam Sulpitio laudem, non Cottæ tribuit. Num tu igitur, inquit Sulpitius, me aut hunc Cottam ius ciuile, aut rẽ militarem iubes diſcere? Num, quærentis eſt negationem. Ius ciuile & rem militarem cæteris antepoſuit artificijs, quia tres artes Romæ in honore & precio fuerunt: ars militaris, eloquentia, iuriſprudentia. Cætera omnes uix aſpirabant ad Remp. adminiſtrandam. Ex his igitur ſi eloquentiam ademeris, duæ ſupererunt. Cicero, qui uideret duas à multis ita occupatas, ut in illis excellere non poſſet, ad eloquentiam ſe trãſtulit, eamq; ſemper omni laude decorauit. quo etiam pertinent hæc uerba Sulpitij: Nam quis ad iſta ſumma atque in omni genere perfecta poteſt peruenire? Tum ille Craſſus. Ego uero, inquit, quod in uobis egregiam quandam ac præclaram indolem, id eſt, naturam inſitam (uerbum medium Indoles) ad dicendum cognoui, iccirco hæc expoſui omnia de naturæ muneribus: nec magis ad eos deterrendos qui non poſſent male nati ad eloquentiã peruenire, quàm ad uos, qui poſſetis, exacuendos, id eſt, acutiores & acriores efficiendos, accommodaui orationem meam. Et quãquam in utroque ueſtrum ſummum eſſe naturæ ingenium, ſummumq; animi ſtudium perſpexi, tamen hæc quæ ſunt in ſpecie corporis poſita, de quibus plura fortaſſe dixi, quàm ſolent Græci artium ſcriptores dicere, in te Sulpiti diuina ſunt. Nihil autem Græci peccant, ſi non arte comprehendunt id quod in artem non cadit. In ſpecie Sulpitij tria commendat, motum corporis & geſtum decentem: habitum, formam, & figuram eiuſdem: uocem plenam & ſuauem. Hæc ſi quibus à natura minora data ſunt quàm Sulpitio: tamen illud aſſequi poſſunt, ut ijs quæ

habeant, modice & ſcienter utantur. Modice, moderate & commode. Nonius Marcellus. Modicum in conſuetudine pauxillũ uolunt ſignificare. Modicum ueteres moderatum & commodum dici uolunt. Scienter, ſcite, & ex arte. Videndum etiam ne dedeceat, ne quid præter decorum ſit. id enim indecorum eſt maxime uitandum, & de hoc uno decoro minime eſt facile præcipere, non mihi modo, qui ſicut unus paterfamiliâs, nõ artis magiſter, his de rebus loquor: ſed etiam illi ipſi Roſcio hiſtrioni excellentiſſimo, quem ſæpe audio dicere caput eſſe artis, id eſt, præcipuum & in arte primum, decere. De orationis & uitæ decoro multa dicuntur & à rhetoribus, & à philoſophis, nec de illo difficile eſt præcipere: de corporis & uultus ingenua uenuſtate et eiuſmodi decoro quod elucet à ſpecie membrorum liberali, de quo Roſcius loquitur, non facile eſt præcipere. Hoc neceſſarium magis hiſtrionibus, qui ſpectantur ad uoluptatem, quàm oratoribus qui audiuntur ad ſeueritatem. ſed in his iucundum eſt.

SED ſi placet, ſermonem alio transferamus, & noſtro, &c.] Oratori futuro naturæ bona primum ſunt expetenda: deinde amor & ſtudium literarum, ſine quo natura langueſcit, aſſumendum eſt. Itaque de illo Craſſus ſecundo loco. Interponuntur alia quædam tum ad diſtinguenda ſpacijs & interuallis quibuſdam præcepta, tum ad perſonarum rerumq́; ſeruandum decorũ. Sed ſi placet, ſermonem alio, id eſt, ad aliud quiddam transferamus, et noſtro more noſtráq; quotidiana conſuetudine loquamur, iſta rhetorica relinquamus. Diſſimulat callidus, ut adoleſcentes ex ordine moueant quæſtiones, ut horum ſtudium, quia de ſtudio agendum eſt, ſit alijs exemplum. Minime uero, inquit Cotta, ſermonem transferemus. hic tãto auidior eſt artis, quanto naturæ minoris eſt. Nunc te iam exoremus & prece uincamus neceſſe eſt, quoniam retines nos in hoc corpore ſtudio rhetorico, nec ad aliam dimittis artem, ut ad militiã, aut iuris ſcientiam, petimus ut nobis explices, ſi non omnia quæ pertinent ad ſummam, tamen quidquid eſt iſtud quod tu in dicendo potes. ſic Cotta loquitur, ne Craſſus, ut ante, reſpondeat illa ſe neſciret quæ uelint adoleſcentes. Idem iocatur facete, quod liceat cum uiro doctiſſimo, id expetere ſe, quantulum Craſſus eſt aſſecutus. Scit illud eſſe maximũ, ſed alludens ad uerba Craſſi diſſimulanter imminuit ſic, ut augere intelligatur. Non ſumus nimis auidi perfectæ ſummæq; illius eloquentiæ, iſta tua mediocri, ut uis, ſumma, ut exiſtimamus, eloquentia contenti ſumus: idq; ex te quærimus, ut ne plus nos aſſequamur, (hoc enim ſatis eſt) quàm quantulum tu in dicẽdo aſſecutus es. Noluit eius uim ad artem & præceptum referre, ſed ad uſum potius & exercitationem Craſſo grauiorem, quàm rhetorum præcepta. Quoniam quæ à natura expetenda ſunt, ea dicis non nimis deeſſe nobis, (Craſſus dixerat ſummum ingenium, ſummum ſtudium, hic de ſe Cotta parcius loquitur) ex te quærimus, quid præterea eſſe aſſumendum putes? Tum Craſſus arridens, quia iocatus erat Cotta, Quid cenſes, inquit, aſſumendum, niſi ſtudium, & ardorem quendam amoris? Studium, uoluntas, conatus & opera animi eſt. Ardor amoris, eſt ardens amor eius rei quam cupiuit animus. Sine ſtudio & amore nemo in uita unquam quidquã egregium aſſequetur. Mala nobis inuitis ſemper irrumpunt, bona ſtudio & amore quæſita ueniunt ægre: & tandem recepta, (niſi magna ui cohibeas) perfacile dilabuntur. Eloquentiam omnium rerum pulcherrimam quam expetis Cotta, ſine ſtudio & ardore quodam amoris nemo unquam aſſequetur. Conſentaneum eſt, ſi quæ natura minora ſunt, ſine ſtudio non poſſunt haberi, multo maiorem difficilioremq; eloquentiam, ſine illo nõ poſſe comparari. Hoc ſtudium definit Cicero Rhetoricorum primo. Studium eſt animi aſſidua & uehemens ad aliquam rem applicata magna cum uoluptate occupatio: ut philoſophiæ, poetriæ, geometriæ, literarum. Quoniã aũt ſuo quiſq; ſtudio trahitur, in alijs alij rebus excellunt, ad ſtudium & amorem cohortandi ſunt tardiores. Vos ad eam rem uideo non eſſe cohortãdos, quin potius reprimendos eſſe cenſeo, qui ex eo nimis flagrare cupiditate, id eſt, ardenti ſtudio intelligo, quòd mihi ſitis moleſti. Iam paras aditum ad rhetoricæ præcepta, quibus poſt naturæ bona & ſtudium animi locus eſt. Sed profecto ſtudia nihil proſunt perueniendi aliquò, id eſt, ad aliquã artem, niſi cognoris illud ipſum quod te feras ac deducas eò quò intendas, & peruenire uelis. Quare exponam uobis rationem conſuetudinis meæ, neque perreconditam & abſtruſam, neque ualde difficilem, neque magnificam & excellentem, neque grauem & plenam dignitatis. hæc ex modeſtiâ prodeunt omnia: pro decoro uir ſapiens attenuat ſua. De meis rebus, quàm de oratoris arte dicere, multo facilius eſt. Leuius igitur quoddam onus imponitis, quærentes qua conſuetudine quondam ſolitus ſim uti, cum mihi in iſto ſtudio eloquentiæ uerſari adoleſcenti licebat. Tum Sulpitius ſtudioſus auditor & attentus. O diem Cotta nobis, inquit, optatum, nobis perſæpe expetitum. Quod enim neque precibus unquam, nec inſidiando & occulte ſubeundo more inſidiatorum, nec ſpeculando more exploratorum aſſequi potui, ut quid Craſſus ageret aut meditandi, id eſt, cogitandi uel exercendi, aut dicendi cauſa, non modo uidere mihi, ſed ex eius ſcriptore & lectore, id eſt, ſeruo à manu Diphilo ſuſpicari liceret, id ſpero nos eſſe adeptos: omniaq; iam nõ ex Diphilo, ſed ex ipſo, quæ diu cupimus optamusq;, cognituros. Verbis oſtendit aptiſſime ſtudium illud, cuius eos Craſſus cupiditate flagrare dixit. Diphilus Craſſi ſeruus, ut Tyro Ciceronis fuit, qui res domini ſcriberet, qui eius & aliorum ſcripta legeret.

TVM. Craſſus, atqui arbitror Sulpiti cum audieris, &c.] Paucis amplectitur rhetoricæ præcepta, partim in 2. lib. partim in 3. fuſius explicanda. Pro ſuo pudore præfatur hanc eſſe præceptionum rationem, adoleſcẽtium expectatione multo minorem. Eſt enim minuta & exilis hæc ratio, & ſuperiori grauitati diſpar, ideóq; aliqua præparatione diſtinguenda. Tum Craſſus. Atqui arbitror Sulpiti cum audieris, non tam te hæc admiraturum quæ dixero, quàm exiſtimaturum iudicaturumq́;, tum cum ea audire cupiebas, cauſam cur cuperes, non fuiſſe. Opinio de rebus obſcurior plus habet admirationis: cognitio frequenter amolitur admirationem. Admirationi ſunt recondita, inaudita, noua. Sine admiratione autẽ, obuia, frequenter audita, uſitata. Igitur has ſubtrahit cauſas, planum facturus in ſermone nihil admirationis fore. Ego non negabo me principio iſta omnium rhetorum & oratorum communia & contrita, hoc eſt, quaſi tractando diminuta præcepta didiciſſe. Hanc .n. tenere °diſciplinã, homine ingenuo, id eſt, libero, liberaliterq; educato, dignũ uidetur. Ingenuus homo, quem multis in rebus, multis in locis honeſte uerſari oportet acuendæ prudentiæ cauſa, non ea debet ignorare, quæ uiri prudentiſſimi longo tempore obſeruarunt, obſeruata redegerunt in artem, qualia ſunt huiuſce rhetoricæ præcepta. Nec ſi contrita ſunt, °ideo non diſcenda: ſed eo diligentius cognoſcenda, quo pluribus uulgatiora ſunt. Hæc dicta ſint ad deprecandam rei uilitatem. Qui præcepta noſſe cupit ex ordine, primum ſpectet artis finem, intentione primum, conſecutionem poſtremum. Finis rhetoricæ eſt, dicere ad perſuadendum accommodate. Non enim ſemper illa perſuadet, nec euentu dubio tenetur, ſed ubique accommodate, hoc eſt, utiliter & apte dicit ad perſuadendũ. Itaque qui quod poſtulabat cauſa, commode dixit, finem artis eſt aſſecutus. Eò tendunt uniuerſa quæ traduntur in arte præcepta. De fine multæ fuerunt opiniones à Quintiliano numeratæ, quæ parum faciunt ad hanc ſuccinctam interpretationem. Fine proſpecto, tenenda ſunt genera quæſtionum, quoniam circa quæſtionem uti materiam uerſatur ars. Quæſtionum duo ſunt genera. alia finita eſt, alia infinita. Finita quæſtio eſt, de re certis in perſonis ac temporibus locata, cuiuſmodi eſt hæc, Iure'ne Milo Clodium occidit? in qua certæ perſonæ atque definitæ, certa quoque ſunt tempora.

tempora. Hanc quæſtionem ſpecialem appellare poſſis, & cauſam, & controuerſiam: & ferè continet ea quæ nonnulli dialectici nominarunt indiuidua. Quæſtio infinita eſt ſine deſignatione, id eſt, ſignificatione certa perſonarum & temporum: ut, uectigalia'ne Reipublicæ neceſſaria? In hac ſtatuuntur genera & ſpecies: & ratione multitudinis prior atque ſuperior eſt, eáq; de cauſa priorem in definiendo conſtituit. In utraque re, id eſt, quæſtione & finita & infinita, tres ſunt quæſtiones in ſpecie ponendæ, An eſt? quid eſt? quale eſt? In prima quæritur, factũ'ne ſit? an Roſcius interemit patrẽ? In altera, quo nomine uocetur id quod eſſe factũ conſtat: An cõcitatio pop. Rom. in Cæpionẽ ducem, uocanda ſit nomine læſæ maieſtatis? In tertia, rectè'ne factum quod reus fatetur? Iure'ne Rabirius Saturninum perſecutus eſt? Hi tres rhetorum notiſſimi ſtatus rationales uocati, quia ratione ſine ſcripto perſæpe tractãtur. Aliæ ſunt in ſcripto quæſtiones, legales nominantur, à quibuſdam ſtatus legitimi. Tres hic ſtatuit, omnes ex ſcripti ſiue teſtamenti, ſiue ſenatuſconſulti, ſiue plebiſciti, ſiue chirographi, ſiue teſtimonij interpretatione. Prima ſit quæſtio in ambiguitate aut uerbi aut ſentẽtiæ, quæ in duos plures'ne ſenſus trahi poteſt. Qui non aluerit parentem, uinciatur: an in uerbo Qui, mulier etiam intelligitur? Altera eſt in contrarijs legibus, id eſt, in illis quæ quidem cõtrariæ nõ ſunt, ſed tanquam contrariæ aliquo euentu comparantur. Stuprata, uiolatoris aut uitam aut necem, utrum uolet optet. qui duas cõſtuprauit, ab altera ad uitam, ab altera ad necem petitur. utra pars legis audienda? Tertia eſt in ſcripto & ſentẽtia, cum alius ſcriptum, alius mentem ſcriptoris inquirit. Parricida in culeum inſutus præcipitetur in mare: an legiſlator matris interfectorẽ deijci noluit? an uerbum ſequendum propoſuit? His omnibus quæſtionum partibus ſubiecta ſunt quædã argumenta propria. Quæſtioni An eſt, ſubſeruiunt cauſæ, effecta, euenta, adiuncta, exempla, ſimilia, ſigna. Quæſtioni Quid eſt, adhibentur genus, differentia, proprium, definito antecedentia, conſequentia, repugnantia. Quæſtioni Quale eſt, authoritates, à iure, à lege, à more ducta ratio. Quædam ſunt omnium communia argumenta, quæ ſtatibus omnibus poſſunt accommodari. Ea propria tamen dici poſſunt, propterea quòd frequentius in unam conſtitutionẽ cadunt, qualia pleraque ſunt eorum quæ modo numerauimus. Quæſtionum finitarum, quæ ſunt à communi & infinita quæſtione ſeiuncta, tria ſunt genera. Vnum iudiciale, quod in iudicijs uerſatur: alterum deliberatiuum: tertium demonſtratiuũ, quod in laudandis aut uituperandis hominibus ponitur. Ad hæc genera cauſarum diſputanda inuenti ſunt loci, & conſtituti. Alijs in iudicijs utimur, qui tendunt omnes ad æquitatem. accipe minores locos, qui ſolent aſſignari in ſtatu coniecturali, in definitione & qualitate: non autem illos maiores, quos peruagatur in Topicis. Alijs utimur in deliberatione, ut ab honeſto, ab utili, à facili, qui ſæpius diriguntur ad utilitatem eorum quibus conſilium damus. Alijs item in laudationibus à bonis animi, corporis, & fortunæ, qui referuntur ad perſonarum dignitatem. Iudicij finis, æquitas: deliberationis, utilitas ea quæ non ſit ab honeſto ſeparanda: laudationis, dignitas. Non ero fuſior, ubi ſummus author exiſtimat agendum paucis. CVM'QVE eſſet omnis oratoris uis ac facultas in quinque, &c.] Vis omnis oratoris & ipſa rhetorice in quinque partes diſtribuitur. in inuentionem, quæ prima reperit ea quæ dicuntur. in diſpoſitionem, quæ inuenta non ſolum ordine, ſed etiam momento atq; iudicio, id eſt non ſemper ordine naturali, ſed eo quem iudicat animus plus habere momenti, diſpenſare, hoc eſt, diſponere et collocare debet. in elocutionem, quæ rem ueſtit & ornat oratione. in memoriam, quæ reliquas partes ſepit, hoc eſt complectitur & continet. in pronunciationem, quæ eſt actio cum dignitate & uenuſtate. Momentum diſpoſitionis eſt in conſtituendis rebus pro loco, pro tempore, pro utilitate cauſæ: ut interdum refutatio ſit ante narrationem: interdum omiſſo exordio, atque narratione præterita, ſit initium propoſitio & conformatio: ut leniora interſerantur argumenta, aliquando prorſus omittantur. Hæc & ſimilia non ordo præſcriptus à natura, ſed momenta cauſarum temporumq; diſponunt. Partes orationis quinque ſunt: Exordium, in quo antequam de re de qua agitur, dicat orator, conciliat paratq; animos eorum qui audiunt. Narratio, qua res ipſa demonſtratur. Partitio, qua controuerſia conſtituitur, & proponitur ſumma quæſtionis. hæc inter grandiores partes non habetur, quia fundamentum eſt conformationis. Confirmatio, quæ id quod intendit orator, ratione confirmat. Refutatio, quæ refellit aduerſarij dicta. Peroratio, in qua quæ ſunt pro nobis amplificamus, & argumentorum crebra repetitione, aut affectuum copia augemus: quæ ſunt pro aduerſarijs, infirmamus atque frangimus, iſdem rebus duabus, breuẽ dico repetitionem, et affectuum uim. Virtutes orationis quatuor ſunt. debet eſſe pura & latina, ne uitio barbariſmi & ſolœciſmi uacet. plana & dilucida, quò intelligatur. ornata figuris et numeris, ne digna ſit oratore. apta, et decori ſeruatrix, ut rebus perſonisq; conueniat. De his permulta lib. 3. & ibidem de elocutione & actione: de reliquis in 2. Ea res effecit, ut paucioribus hæc perſtringeremus. Ex partibus orationis aliæ plus naturæ quàm artis habent, aliæ contra. Memoria & pronunciatio minimum habent artis, naturæ & exercitationis quærunt uel plurimum. Quin etiam, inquit, quæ maxime propria eſſent naturæ, memoria & actio, tamen in his ipſis artem adhiberi uideram quoniã omnia cultu meliora ſunt. Nam de actione, id eſt, pronuntiatione, & de memoria, quædam breuia & pauca, ſed magna cum exercitatione præcepta guſtaram. Sic artes reperiuntur ratione breues, uſu longiſſimæ, ut uocum ratio muſica, ut ſcientia numerorum. hactenus de præceptis. In his enim ferè rebus & præceptis omnis iſtorum artificum & rhetorum & rudium oratorum doctrina uerſatur. Quid? contemnis artem? Ego, inquit, ſi dicam nihil artem adiuuare, mentiar. adiuuat, ſed nequaquã in illa ſunt omnia. Habet ars quædam adiumenta quaſi ad cõmonendum & dirigendum oratorem, quò & ad quam orationis partem quidquam referat, & quò intuens, animumq; regens, à propoſito ſuo minus aberret. Monet enim nos eorum quæ ſapientiſſimi uiri in dicendo ſæpe tenuerunt. At quoniam nihil perpetuo ſimile eſt, & rationi obtẽperat ars, nõ potuere certa et ſtabilia conſtitui præcepta. Ego hanc uim & facultatem intelligo eſſe in præceptis omnibus, nõ ut ea ſecuti oratores, eloquẽtiæ laudem ſint adepti. Vnde igitur? ab ingenio præſtanti, & exercitatione uſuq; dicendi, ſed maxime à cognitione & ſcientia rerum maximarum. Qui probari poteſt? Ex eo quòd oratores fuerunt ante præcepta, ſi non omnibus rebus abſoluti, tamen in multis expoliti. Qui'nam? Omnes qui fuerunt ante Tiſiam & Coracem, duos huius artis inuentores. Quæ tum ſua ſponte, ſuaq; natura homines eloquentes facerent, ea quidam obſeruarunt, atque id egerunt, ut arte quadam comprehenderent. Sic non eloquentia ex artificio, ſed artificium ex eloquentia natum. Cur igitur aiunt ſine arte eloquentem eſſe non poſſe? De perfecto loquuntur, cui ad ſummam quærenda ſunt uiarum compendia. Ad hæc ueteres diſſimulantiores artis erant, iuniores omnia deferunt arti, & abiecta natura iurant in uerba magiſtrorum, ac ita dictitant, Non intelliges unquam quod omnium maxime uis, niſi hunc aut illum perlegeris. Ars neceſſaria non eſt ad bene dicendum, non ideo tamen repudianda: quia ſicut alias omnes artes ingenuas, ita hanc quoque cognoſcere, liberale & ingenuum eſt. Adde quod ante dixit, artem habere quædam quaſi ad cõmonendum oratorem, quò intuens, à propoſito minus aberrat. ET exercitatio quædam ſuſcip. &c.] Eloquentia natura, ſtudio, arte, & exercitatione quæritur. Ex ijs quarta reſtat explicanda uerbis, exer

citatio. In exercitatione ſunt declamatio tam excogitata quàm extemporalis, ſtylus & conſcriptio, paraphraſis, interpretatio ſiue tranſlatio, cognitio optimi cuiuſque ſcriptoris. Eſt & exercitatio actionis & memoriæ, quam ad declamationem referimus. De rebus his omnibus loquitur ex ordine. Et exercitatio quædam quaſi ludicra pugna meditatioq; ſuſcipienda nobis eſt. Quoniam Sulpitius & Cotta ueterant exercitati, mollius interpretatur hoc præceptum. Vos, inquit, iampridem eſtis in curſu, hoc eſt, non nunc primum ingredimini in exercitationis campũ, quemadmodum nouitij tyrones, ſed iam magnum exercẽdo ſpacium cucurriſtis. Sed ijs rudibus qui ingrediuntur ad ſtudium, exercitatio quædam ſuſcipienda eſt, & ijs qui poſſunt etiam nunc ante pugnã forenſem exercitatione quaſi ludicra & gymnaſtica prædiſcere ac meditari, id eſt exercere ea quæ uere ſunt in foro tanquam in acie agenda. Similitudo ducta eſt à milite. Quemadmodum tyrones in campo ſuas ante probant uires, & arma diſcunt, quàm in hoſtile certamen prodeant & prælium: ita ſtudioſos eloquentiæ, uictores olim magnis in cauſis futuros, in ſtylo & declamatione ante deſudare portet, quàm cum aduerſario ineant pugnam forenſem. Hanc ipſam exercitationem, inquit Sulpitius, noſſe uolumus. Inſtigauit hominem ad id explicandum, quod utile uidebatur. Quòd autem ſummam præceptorum, non explicationem conſtituit, parat aditum ad effuſiorem inuolutæ rei demonſtrationem, ſine qua imperfecta manet ars. Attamen iſta quæ abs te breuiter & raptim de arte decurſa celeriterq; traducta ſunt, audire cupimus, quanquam ſunt nobis quoque non inaudita, ut pote quæ tum Græci tum Latini permulti libellis euulgauerint. uerum illa mox explicabis, nunc de ipſa exercitatione quid ſentias, quærimus. Memor eſt Cicero, decreuiſſe ſe tractare primo libro quæ fuerant ab alijs ſcriptoribus omiſſa. Equidem probo iſta exercitamenta, Craſſus inquit, quæ uos adoleſcentes facere ſoletis, ut cauſa aliqua (thema dicitur & materia) poſita, non friuola & inutili, ſed conſimili cauſarum earum quæ ab litigatoribus in forum deferuntur, dicatis non ad oſtentationem, ſed quammaxime ad ueritatem, id eſt, ad ueram cauſam accommodate. Sed plerique uani oſtentatores, & imperiti rerum æſtimatores, in hoc genere declamandi uocem tantum, neque eam ſcienter & artificioſe, & uires corporis & animi exercent ſuas, id eſt, non quas habere poſſent, ſed quas habent: & linguæ celeritatem uolubilitatemq; incitant ſine delectu ſententiarum: uerborumq; frequentia, non proprietate delectantur: in quo fallit eos iudicium. Nam cum audiunt iſtuc, ut fabricando fabri ſumus, ſic dicendo declamandoq; homines aſſequuntur ut optime dicant: tum declamant, ſed male & peruerſe. Sciant igitur illud etiam uulgo dici, peruerſe dicendo homines facillime conſequuntur ut peruerſe prauéq; dicant. Senſus eſt, declamatio ad ueritatem compoſita, gignit optimam dicendi facultatem. Declamatio nugalis & uentoſa parit inanem exercenti loquacitatem. Cõfirmat, hæc Quintil. 2. lib. Sint, inquit, materiæ quæ fingentur, quã ſimillimæ ueritati. Et declamatio quantum maxime poteſt, imitetur eas actiones, in quarũ exercitationem reperta eſt. Nam magnos, & peſtilentia, & reſponſa, & ſæuiores tragicis nouercas, aliaq; magis adhuc fabuloſa, fruſtra inter ſponſiones & interdicta quæremus. Totum declamandi opus qui diuerſum omnino à forenſibus cauſis exiſtimant, ij profecto ne rationem quidem qua iſta exercitatio inuenta ſit, peruident. Nam ſi foro non præparat, aut ſcenicæ oſtentationi, aut furioſæ uociferationi ſimillimum eſt. Declamandi ratio duplex. alij materia poſita ſtatim aſſurgunt, & ſubito ſine ulla meditatione declamant, & de improuiſa quæſtione extemporali quadam facultate diſſerunt. Non hoc eſt repudiandum genus, quia mentis & linguæ celeritatem incitat: ſed ideo poſtremum habendum, quòd indigeſta multa & leuia profundit, & inconſultam dicendi rationem ducit in conſuetudinem.

Alij ſumpto ſpacio tẽporis ad cogitandũ, nihil quidem ſcribunt, ſed omnem rem percurrunt animo, et diſtribuunt in partes. Hi rem ſuam melius inſtituunt, & paratius atque accuratius dicunt: probandiq; magis hi, qui prouidere & ſapere didicerunt. Iam duo poſita ſunt exercitationum genera. Caput autem eſt, id eſt optimum exercendi genus, quamplurimum ſcribere. Id minime facimus. Cur ita? Eſt enim magni laboris, quem plerique fugimus. Hæc optime Craſſus iuuentute Rom. Mirandum in modum conueniunt huic populo & ſæculo noſtro. Infiniti propè auditores ſub magiſtris tempus terunt, nec unquam ſcribunt, nec unquam diſputant, nec altercantur: utuntur auribus, ore manuq; non utuntur. Stylus, in quo ſcribendi exercitationem intelligimus, ideo primus eſſe debet, quia optimus & præſtantiſſimus dicendi effector, author, & magiſter. Collocatione ſic intelligitur. Sicut ſubitam & fortuitam orationem, id eſt, declamationem extemporalem, facile uincit & ſuperat commentatio, id eſt, meditatio & cogitatio, quæ eſt declamatio ſumpto ſpacio ad cogitandum parata: ſic cogitationem, & illam græce dictam μελέτην, aſſidua ac diligens ſcriptura ſuperabit. Aſſidua ad tempus, diligens ad animum & animaduerſionem, ſcriptura ad thematum conſcriptionem pertinet. Cur ſtylum tantopere probet, tres ſtatuit cauſas. una ad res, altera ad uerba, alia ad oratorium numerũ pertinet. Nobis inquirentibus, omniq; acie et acumine mentis contemplantibus occurrũt omnes loci, qui modo inſunt in ea re de qua ſcribimus, non item obuij ſunt ex tempore dicentibus. Locos dicit argumentorum ſedes, ac totius inuentionis. Eos ineſſe & inhærere ei rei de qua agitur, dicimus, quia ex ipſius ui naturaq; ſumuntur argumenta, ac ſententiæ, quæ reducta ad ſuum genus, nomine communi uocantur: ut ſi rhetoricæ uim naturamq; contemplemur, inueniamus artem eſſe. Ars eſt genus, quod reductum ad communem appellationem generis, quaſi locus habetur argumenti. Dubie proponit, ſint'ne loci argumentorum, cuiuſdam artis, an uero ingenij atque prudentiæ. quæſtionem diſſoluit in Oratore, inuentionem plus habere naturæ, quàm artificij. quod idem meo iudicio de locis eſt dicendum. Stoici dialectica partem illam τοπικὴν, perinde atque ad artem nihil omnino faceret, reliquerunt: quorum conſilium iuuant ij qui bonis ingenijs & copioſis non opus eſſe topice confirmant. Ariſtoteles tradidit locos, tradiderunt & multi rhetores: qui ſi iuuant, certe ingenioſos & exercitatos iuuant. Nam nec hebes, nec imperitus (etſi locos tenebit) aliquid ex illis inuenire præclarum ualebit. Sunt igitur ingenij magis quàm ſubtilioris artis. Altera ſtyli uis eſt. Verba omnia quæ ſunt cuiuſque generis, hoc eſt, grauia leuia, ſplendida ſqualida, honeſta ſubobſcœna, ſonantia exilia, propria impropria, illuſtria obſcura, ſub acumen ſtyli, hoc eſt, ſub curam diligentiamq; ſcribendi ſubeant et ſuccedant neceſſe eſt, ex quibus legit ſcriptor quæ rei & tempori maxime conueniunt. Tum ipſa collocatio & compoſitio uerborum in ſtructura & ordine, tum cõformatio & concinnatas figuræ ſua ſponte numeroſa, ut par relatum, perficitur in ſcribendo, non poetico (qui certos habet pedes, & pares ambitus) ſed quodam oratorio numero, & modo, hoc eſt, modulatione orationis: de qua lib. 3. dicetur. Collocatio & conformatio uerborum differunt. Collocatio eſt ordo & coagmentatio uerborum in oratione, ſicuti lapidum in muro. Cõformatio eſt figura concinna, ſua ſponte numeroſa. Ea quadruplex. alia paria refert, alia contraria & antitheta comparat, alia ſimiliter caſus definit, alia ſimiliter extrema claudit: de quibus multa ſcripſimus in eius Oratorem, & in libello de Electione & oratoria collocatione uerborum. Hæc ſunt tria, mirabilis inuentio rerum, delecta copia uerborũ, compoſitio numeroſa, quæ clamores & admirationes in bonis oratoribus efficiunt: ut olim in Cicerone cum diceret orationem pro Sex. Roſcio, populus admiratus adoleſcentis ingenium & artem, exclamauit. Neque ea

bona

bona armiranda quiſquam, niſi diu multumq; ſcriptitarit, etiãſi uehementiſſime, maximaq; contentione ſe in ſubitis & extemporalibus iſtis dictionibus exercuerit, conſequetur. Diu, temporis eſt: multum laboris, & conatus, animi. Dictio, oratio perpetua quæ pronunciatur. At qui à ſcribendi conſuetudine ad dicendum uenit, hanc affert facultatem, ut etiamſi nihil ſcripſerit, tamen illa quæ dicantur, ſimilia ſcriptorũ eſſe uideantur: ſi quid attulerit ſcriptum, cum ab eo diſceſſerit, reliqua ſimilis oratio cõſequatur. Vt concitato remis nauigio, id eſt, naui, cum remiges inhibuerunt, hoc eſt, impellere deſierunt, retinet tamen ipſa nauis motum & curſum ſuum intermiſſo & interrupto impetu, hoc eſt, concitatione pulſuq; remorum: ſic in oratione perpetua cum ſcripta deficiunt, parem tamen & æqualem obtinet oratio reliqua curſum, quia ſcriptorum ſimilitudine & ui concitata eſt. IN quotidianis autem cogitationibus equidem mihi adoleſcentulus, &c.] Iam de quarto genere exercitationis agendum eſt. quotidianam cogitationem uocat, quòd uteretur ipſe quotidie, ac ſumeret ſpacium temporis ad cogitandum. Hoc adoleſcentulus, nec diu fecit, propterea quòd relicta proprietate uerborum improprijs aſſueſceret. Adoleſcentulus & incautus adhuc nullo præeunte uiuo magiſtro, proponere mihi ſolebam illam exercitationem maxime, qua C. Carbonem noſtrum illum inimicum, quem ego reum detuli, & ad mortem compuli, ſolitum eſſe uti ſciebã. Verſibus ut Ennianis propoſitis, nõ leuibus illis, minuſq; ſententioſis, ſed quammaxime grauibus & exquiſitis, aut oratione aliqua Gracchi alteriuſ'ue lecta ad eum finem quem memoria poſſem comprehendere, id eſt, non tota lecta, ſed quantum memoria poſſem continere, eam rem ipſam ſententiamq; quàm legiſſem, uerbis alijs quãmaxime poſſent lectis & bonis pronuntiabam. Illud perinde eſt, ac ſi quis oratione Ciceronis lecta, præclaros obſeruaſſet locos, & eadem manente ſententia, uerbis alijs cum authore certaret. παράφρασιν nominant Græci. Ea eſt, eiuſdem ſententiæ per alium ſermonem expoſitio. Sed poſtea meliore iudicio factus, animaduerti hoc eſſe in ea re uitij, quòd ea uerba quæ maxime cuiuſque rei propria, quæq; eſſent ornatiſſima atque optima, occupaſſet orator & poeta. Propoſuit autẽ poetas & oratores, non ſcriptores alios, quia ſunt illi ſtudioſi uerborum, & ornatæ compoſitionis. Enniũ & Gracchum delegit, qui tum omnium primi habebantur. Si iiſdem uerbis uterer, animaduerti nihil prodeſſe, quia neque rem neque uerba inuenirem. ſi alijs uterer uerbis, etiam obeſſe ſentiebam, cum minus idoneis uti conſueſcerem. Idem accidit magiſtris & præceptoribus ineptiora gloſſemata dictantibus: qui cum cuique uerbo aliud & aliud eiuſdem rei reddere conantur, fœdiſſima improprietatum colluuione pueritiam contaminant. Vidi etiam, qui authoris propoſiti ſententias omnes alijs uerbis & malis & male contextis exponerent, ac ſua potius quàm uerba ſcriptoris ediſcere puerum iuberent: quos ego non tam docere, quàm inſanire exiſtimaui. Poſtea mihi placuit aliud exercitium, eoq; ſum uſus adoleſcens, ut ſummorum oratorum Demoſthenis, Aeſchinis, & id genus paucorum cæteris præferendorum, græcas orationes explicarem, id eſt, in linguam Romanam transferendo uerterem: quibus lectis hoc aſſequebar commodi, ut cum ea quæ legeram græce, latine redderem, non ſolum optimis uerbis latinis uterer, & tamen uſitatis, & de medio ſumptis, ſed etiam exprimerem, id eſt, exprimendo excuterem ac proferrem quædam uerba imitando Græcos, quæ noua & inaudita Latinis eſſent, & tamen idonea. Quĩ uerbum reddere uerbo conatur, multa noua inducat neceſſe eſt, Alia erunt idonea, ut ποντόπορος, pontigradus, ποιότης qualitas: alia non idonea, quia auribus ingrata, ut θεοειδὴς deiformis, γυναιμανὴς mulierinſanus. hæc parcius uſurpanda ſunt, non modo quia dura & impura, ſed etiam quia Romana lingua minimum licentiæ ſibi permittit: quàm bene, non eſt hic iudicandi locus. Eſt etiam pronunciationis exercitatio quædam. In pronunciatione ſpectanda quatuor: uox, ſpiritus, totius corporis geſtus, linguæ motus. Vox auribus incidit, ſpiritus elidit uocem, corporis geſtus in oculum cadit, lingua uerba cõformat. Vt orationem pronunties cum uenuſtate, opus eſt uoce bona, ſpiritu animaq; longa (ſtatum dico à lateribus & pulmone concitatum, quo uox aut longior eſt aut breuior) decenti geſtu corporis & uultus, linguæ motu non impedito. Hæc omnia non tam artis indigent, quàm laboris. nam cura & labore meliora fiunt, pauca admodum præcepta recipiunt. His in rebus habenda ratio diligenter, & labor impendendus: quos imitemur, quorum ſimiles uelimus eſſe, illorum imitatio nobis erit optima ratio præcepti. Intuendi nobis ſunt non ſolum oratores optimi, quàm habeant actionem uenuſtam, quàm mali inuenuſtam: ſed etiam actores & hiſtriones obſeruandi, ne mala conſuetudine pronunciandi ad aliquam deformitatem prauitatemq; ueniamus. Deformitas uenuſtati, prauitas recto opponitur. Memoria quoque ſuam habet exercitationem. ea cultu, quemadmodum cætera omnia, fœcundior eſt. Exercetur autem ediſcendis ad uerbum quamplurimis & noſtris ſcriptis & alienis. Ediſcimus ad uerbum, ſi non modo ſententias omneis, ſed etiam uerba ſingula memoriæ mandamus. Memoria exercitata durat propè in infinitum: & in longiſſimis actionibus prius audiendi patientia, quàm memoriæ fides deficit. In ea exercitatione non ſanè diſplicet adhibere, ſi conſueris, etiam iſtam locorum ſimulacrorumq; rationem quæ in arte traditur. Si conſueris, non ab re inſerit. nam memoria artificialis, ſine magno uſu nihil ferè prodeſt. Omnis autem memoria quæ cadit in artem, locis conſtat & imaginibus. Loca dicimus templa, caſtella, ædes, mœnia, uias: imagines autem ſimulacra animantium, arborum, lapidum, ſtellarum, omniumq; rerum. Si memoriæ tradere uelis hunc uerſum, Cornua uelatarum obuertimus antennarum. ubi uerſum legeris & intellexeris, colloca in ueſtibulo domus cornua duo tauri, in limine primo uela duo, in ſecundo uiros duos qui reſpondeant ſe obuertere antennas. tum repete ſemel & iterum imagines ex ordine, propoſitum facile continebis. in alijs eodem modo facito. Pro arbitrio loca & ſimulacra legito. Ars eſt breuis, eius exercitatio perlonga. Memoria naturalis eſt præſtantior, artificialis nonnihil adiuuat naturam, maxime in ſubita dictione. Quid illi tandem deerit, cui ſuppetunt naturæ munera? cui philoſophia? cui ſtudium? cui præcepta? cui imitatio & exercitatio? Nihil ſanè uidetur, niſi ut prodeat in pugnam forenſem. Educenda, inquit, dictio, hoc eſt dicendi uis & facultas ex hac domeſtica & umbratili exercitatione quaſi ex tyrocinio quodam agmen in medium oratorum, in puluerem ac laborem fori, in clamorem cauſidicorum, in caſtra & ſubſellia iudicum, in aciem & pugnam forenſem. Translatio eſt à milite, qui poſteaquam domi et in umbra artem didicit armorũ, educitur in agmen, id eſt inſtructam multitudinem exercitus euntis, in puluerẽ campi, in clamorem militarem quo ueteres utebantur. Virgilius: Exoritur clamorq; uirũ, clangorq; tubarũ. in caſtra ſtationeſq;, in aciem & prœliũ. Subeundus uſus, et experientia tentanda omniũ rerum, periclitandæ probandæq; ſunt ingenij uires, & illa cõmentatio, hoc eſt, excogitatio meditatioq; animo incluſa, in ueritatis lucem, quod eſt, in ueram cauſarũ actionẽ proferenda atq; producenda eſt. LEGENDI etiã poetæ, cognoſcenda hiſtoria, &c.] Artes omneis tenendas illi qui uelit eſſe perfectus orator, ſupra demonſtratum eſt: nunc, quo loco de oratoris exercitatione mentio fit, quoniam in illis exercetur orator, enumerationem earum conſtituit. Cur, inquies, non id ante fecit, quàm in aciem forenſem educeret oratorem? Dicendum uidetur, hoc ante pluribus diſputatum fuiſſe, nunc autem numerari ad explendam exercitationem: exercitationẽ poſt actiones forenſes ſucciſiuis horis ad multam ætatem

repeti. Cum tempus uacuum dabatur à ciuilibus cauſis, Romani etiam natu maiores, ut aptiores ad ſuum negotium reuerterentur, interdum declamare, interdum ſcriptores lectitare ſoliti. Cicero pro Archia poeta. An tu exiſtimas aut ſuppetere nobis poſſe quod quotidie dicamus in tanta uarietate rerum, niſi animos noſtros doctrina excolamus? aut ferre animos tantam poſſe contentionem, niſi eos doctrina eadem relaxemus? Idem Philippica ſecunda, Antonium conſulem in uilla declamaſſe dicit. Diſcat hæc igitur primis annis futurus orator, & cum per otium licebit, à foro & curia eodem reuoluatur. Legendi etiam poetæ. Eſt enim finitimus oratori poeta, numeris aſtrictior paulo, uerborum autem licentia liberior, multis uero ornandi generibus ſocius, ac penè par: in hoc quidem certe propè idem, nullis ut terminis circumſcribat aut definiat ius ſuum, quo minus ei liceat eadem illa facultate & copia uagari, quà uelit. Quid ab oratore poeta differat, oſtendit in Oratore: Ego autem etiamſi quorundam grandis & ornata uox eſt poetarum, tamen in ea cũ licentiam ſtatuo maiorem eſſe, quàm in nobis, faciendorum iungendorumq; uerborum, tum etiam nonnullorum uoluptati uocibus magis quàm rebus inſeruiũt. Nec uero ſi quid eſt unũ inter eos ſimile (id autem eſt iudicium electioq; uerborum) propterea cæterarum rerum diſſimilitudo intelligi non poteſt. Cognoſcenda hiſtoria, quia (uerbis utar Quintiliani) abundare debet orator exemplorum copia tum ueterum tum etiam nouorum, adeo ut non ea modo quæ conſcripta ſunt hiſtorijs, aut ſermonibus uelut per manus tradita, quæq; quotidie agũtur, debeat noſſe: uerum ne ea quidem quæ ſunt à clarioribus poetis ficta, negligere. Nam illa quidem priora, aut teſtimoniorum, aut etiam iudicatorũ obtinent locũ. Sed hæc quoque aut uetuſtatis fide tuta ſunt, aut ab hominibus magis præceptorũ loco ficta creduntur. Sciat ergo quãplurima: unde etiam ſenibus authoritas maior eſt, quòd plura noſſe & uidiſſe creduntur. Omnium bonarum artium (fugiendæ ſunt malæ artes, aut negligendæ) ſcriptores ac doctores & legendi, ut cognoſcantur: & peruoluendi, ut penitus intelligãtur: & exercitationis cauſa laudandi, quòd præclare multa poſteris tradiderint: interpretandi, qua parte ſint ardui & obſcuri: corrigendi, ſi quid praui ſimile uidebuntur admiſiſſe: uituperandi, non quia ſint iuſta uituperatione digni, ſed quia diſcendum eſt etiam non mala uituperare probabiliter: refellendi atque refutandi in rebus aut falſis aut ambiguis, ut contradicere aſſueſcamus. Laus & uituperatio pertinent ad genus encomiaſticon exercendum: lectio & peruolutatio ad ſcientiam rerum: interpretatio ad narrationes & expoſitiones: correctio & refutatio ad contradictionem & altercationem. Diſputandum de omni re in contrarias partes, more Academicorum atque Peripateticorũ. Sic enim acuitur animus ad pugnã, & expedite quid in quaque re probabile & ueriſimile eſt, elicit. Hunc morem à ueteribus acceptum, ſophiſmatis & contentioſa loquacitate corrupere dialectici noſtri: cauſidici contẽpſerũt. Perdiſcendum, id eſt, omne diſcendum ius ciuile: cuius uel multas poſtea cauſas explicabit. Cognoſcendæ leges. Ius ciuile differt à legibus. Leges promulgatæ, latæ, ſcriptæq; ſunt. Ius ciuile dicitur hic à Cicerone iuriſconſultorum interpretatio, & mens expoſita legum. Aut ius ciuile conſtat legibus, plebiſcitis, ſenatuſconſultis, principum placitis, magiſtratuum edictis, reſponſis prudentium. Percipienda, hoc eſt, undique colligenda omnis antiquitas ut ſciamus mores & inſtituta ueterum, ut originem rerum explicare, ut res antiquorum cum temporibus noſtris conferre poſſimus. Illud eſt præclarum & ad ſcriptorum interpretationem, & ad ſermonem familiarem, & ad conſilia, & ad orationis authoritatem, inſtituta ueneranda antiquitatis, moreſq; maiorum referre. Cur ab hiſtoria ſegregat antiquitates? an quia Græci Latiniq; præter hiſtorias ſcripſere libros de antiquitatibus? Videbant hiſtoriam proprie dici rerum geſtarum memoriam, quarum certus eſſet author: antiquitates eſſe in quodam genere uiuendi, ſæpius authore incerto. Fatendum tamen eſt, antiquitatũ maximam partem hiſtoriã continere. Cognoſcenda ſenatoria conſuetudo, quia magna deliberationum pars ad ſenatum pertinet, in quo non melius uerſabitur ſenatoriæ conſuetudinis ignarus, quàm in iudicio ceremoniarum & formularum imperitus. Ea res libris non continetur, uſu & experientia perdiſcitur. Diſciplina Reipublicæ cognoſcenda eſt, de qua multis in cauſis ab oratore dicendum eſt. Scientiam politicam non modo uult accipi de qua Plato, Ariſtoteles, & ipſe libros reliquerunt, ſed etiam obſeruationem & prudentiam adminiſtrãdæ domi foriſq; Reipublicæ Romanæ, de qua potiſſimum loquitur. Ad Rempublicã pertinent iura ſociorum, id eſt eorum qui ſine bello inierunt ſocietatem cum populo Romano, & eorum qui bello uicti & fœderati ſeruiunt. Hi maxime ſumendi ſunt in hanc partem: uictis impoſitæ ſunt nouæ leges, et nonnullis ſuæ quædam relictæ, de quibus oratori interim diſputandum fuit: ut Ciceroni de iure Siculorum, de lege repetundarum, quæ ſocialis eſt, de Rupilanis legibus & Hieronicis. Fœdera, & pactiones cognoſcendæ. Hæc inter ſe differunt. Fœdera conditionibus oblatis, dijs uocatis, iureiurando dato, mactato porco palam ſanciebantur inter reges & populos. Pactioner minus habent ceremoniarum, ut pactiones induciarum: ut de reddendis captiuis, ut de ſoluendis ad diem certam uectigalibus, ut de reducendo exercitu, et ſimilia populi Romani cum alia gente populo'ue pacta. Nam pactiones etiam priuatæ ſunt, de quibus non hic agitur. Fœdera igitur ſunt pactiones, at non omnes pactiones ſunt fœdera. Cauſa imperij cognoſceda eſt. quæ'nam cauſa? an ratio noſcendi partes & ius Reipublicæ? Eſt enim cauſa publica, ſicut & priuata: & partes factioneſq; populi ſub Sylla & Cæſare, Cauſæ dictæ ſunt. Hoc modo cauſa tanquam genus ſuperiora complectetur, & rem omnem definiet. An cauſa dicitur, quicunque imperium condidit, conditum auxit, legibus inſtitutis excoluit? Etenim cauſam dicimus eam quæ aliquid efficit. Exiſtimo prius illud accipi oportere, quòd latius patẽs reliqua de Republica omnia capit atque concludit. Libandus & modice guſtandus eſt ex omni genere facetiarum quidam lepos. quamobrem? ut tanquam ſale perſpergatur oratio. Remittit ad eos libros qui facetias habent, ut apophthegmatum, comœdiarum, ſatyrarum, orationum floridarum, mimorum, facetiarum. Duo ſunt genera ridiculorum, ſiue facetiarum: unum æquabiliter in omni ſermone fuſum, alterum peracutum. & breue. de utroque in ſecundo libro permulta. Nec ab re uerbo uſus eſt hoc, Libandus eſt lepos. Nam ridiculorum parcus eſſe debet orator, & ingenua quadam ac liberalia ex multis, ſicut apis ex floribus ceram, colligere. Effudi, et prodigorum more diſſipaui omnia quæ ſentiebam de orandi facultate, quæ fortaſſe, ſi quemcunque patremfamilias in negotijs uerſatum, literis haud eruditum, arripuiſſetis ex aliquo circulo, id eſt, ex corona turbaq; in otio confabulantium, eadem uobis percontantibus reſpondiſſet. Sicut ab humanitate cœpit, ſic ad extremum ſeruauit humanitatem. Hæc cum Craſſus dixiſſet, ſilentium eſt conſecutum. Quid ita? quia ſatis ijs qui aderant, ad id quod erat propoſitum, dictum uidebatur. Attigit enim omnes eloquentiæ partes. Sed tamen ſentiebant celerius eſſe multo, quàm ipſi uellent, ab eo peroratum. Rerum tractatio alia breuis eſt, alia diffuſa, utraque utilis. Fuſius omnia explicabit poſterioribus libris. TVM Scæuola, quid eſt Cotta, inquit? quid tacetis? etc.] Pudor omnes quidẽ, ſed pueros & adoleſcentes maxime decet. Is in Sulpitio et Cotta bonæ indolis iuuenibus, eſt ſeruandus, qui eñ ea quæ dicta ſunt, uix extorſerint, tacere pudore cogũtur. ad maiorẽ itaque ueniẽdum fuit authoritatem. Nulla cuiuſquam alterius quàm Scæuolæ maior. Lectus igitur ille qui iuuenes exhortetur, qui cætera perquirat, qui Craſſum authoritate flectat: datus illi Cotta, qui

ta, qui paulo rudior fuſiorem quærebat expoſitionem, Sermo illorum ad diſtinguenda genera præceptorum, & ad faciendos aditus quæſitus eſt. Tum Scæuola, quid eſt Cotta, inquit? quid tacetis? Illud Quid eſt? ſignificat eos quaſi attonitos & ſtupidos fuiſſe. Nihil ne uobis in mentem uenit (mens princeps eſt cogitandi, atque ratiocinandi) quod præterea à Craſſo requiratis? Immo id, inquit, ipſum attendo, id eſt, mente concipio, animaduerto, & intelligo. Quid ſit illud, explicat. Tantus curſus uerborum fuit, & ſic euolauit oratio, ut eius uim & incitationem aſpexerim, ueſtigia ingreſſumq; non uiderim. Translatio eſt ab animantium curſu, ut equorum, qui cum liberum ſpatium corripiunt, ſic euolant, ut eorum uim, id eſt impetum, & incitationem, id eſt rapidum motum, aſpicias, ueſtigia humi impreſſa, & ingreſſum uiamq; qua decurſum eſt, non uideas. Et tanquam in aliquam locupletem ac refertam domum diuitiis patrisfamilias uenerim, quales plerique Romani conſtructis ex toto orbe terrarum ornamentis, uaſis Corinthiis & Deliacis, gemmis, margaritis, ſignis, tabulis pictis, textilibus picturis, auro, argento, ebore, ueſte ſtragula, fuerunt: non explicata, id eſt non euoluta ueſte lanea, linea, ſerica, bombycina, qua uel humanum corpus tegitur, uel aliud ſternitur: non propoſito argento, id eſt non deprompto & in abaco poſitis uaſis argenteis, neque tabulis pictis, neque ſignis & ſimulachris, id eſt ſolidis rerum figuris propalam & in conſpectu collocatis, ſed his omnibus numero multis, pretio magnificis rebus conſtructis et compoſitis ac reconditis ad cuſtodiendum: ſic modo in oratione Craſſi diuitias ac ornamenta eius ingenij per quædam inuolucra atque integumenta perſpexi. Metaphoram ſeruat. Diuitias & ornamenta ingenij, diuitijs & ornamentis domus reddit. Inuolucra, quibus ueſtis inuoluitur: integumenta, quibus uaſa, ſigna, tabulæ teguntur, orationi inuoluta refert. Ea ornamenta ingenij cum contemplari & conſiderare more cupidorum earum rerum cuperem, uix aſpiciendi poteſtas fuit. Contemplamur diutius, aſpicimus breui. Cicero de Verre: Ludis Circenſibus mane apud L. Siſennam uirum primarium cum eſſent triclinia ſtrata, argentumq; expoſitum in ædibus, cum pro dignitate L. Siſennæ domus eſſet plena hominum honeſtorum, acceſſerit ad argentum, contemplari unumquodque otioſe & conſiderare cœperit. Quin tu igitur facis idem, inquit, Scæuola, quod faceres ſi in aliquam domum plenam ornamentorum illam, id eſt, qualem dixiſti,ueniſſes? ſi ea ornamenta ſepoſita eſſent ac recondita, tuq; ualde ſpectandi cupidus eſſes, non dubitares rogare dominum, id eſt poſſeſſorem, ut proferri proponiq; iuberet, præſertim ſi eſſet familiaris. Translationibus utitur crebris, ut par eſt cum delectare uolumus, & leuem ſententiam uerborum iucunditate compenſare. atque ex eo quod propoſuit Cotta ad exhortandum, Scæuola non incommode ducit argumentum. Similiter nunc petas à Craſſo familiari tuo, ut eam copiam ornamentorum ſuorum, quam conſtructam, id eſt, ex ordine collocatam uno in loco, quaſi per transennam prætereuntes ſtrictim aut ſarcinatim ante anguſtis feneſtris aſpeximus, in lucem proferat, & quaſi ad ſpeciem & conſpectum ſuo quidq; loco collocet. Adhuc fuit in ſermone translato, & in magnificentia diuitis patrisfamilias. Transenna, inquit Nonius Marcellus, non (ut quidam putant) tranſitus, ſed eſt feneſtra. hoc quoque ſumit exemplum. Cotta reſpondet: Me & Sulpitium impedit pudor, ne quod cupio, quodq; tu uis à Craſſo petam. Cauſæ pudoris huius tres: Summa grauitas Craſſi, ac ſuſpicienda authoritas: Eius aliena uoluntas ab hoc genere diſputationis: Humilitas uel quæ ab ipſo exquiritur. Hoc nobis da Scæuola, qui apud Craſſum plurimum potes, & perfice ut Craſſus hæc quæ coarctauit, id eſt more ornamentorum perangusſte referſit ac conſtipauit in oratione ſua, dilatet, nobis exponat & explicet. Scæuola quo facilius impetrare poſſit, nó alienum ſolum, ſed etiam ſuum nomen interponit. Videt homo ſapiens, ad cætera maiore opus eſſe authoritate. Hoc dico, Ciceronem ubique ſeruaſſe rerum & perſonarum decorum, & in his quaſi interpellationibus aliquid utile eſſe uoluiſſe, ut hic rerum quæ ſequuntur & demonſtrationem, & commendationem. Ego me Hercule, inquit Mutius Scæuola, antea ueſtra magis hac cauſa uolebam, quàm mea. Quid cauſæ? Non enim tantopere hanc à Craſſo diſputationem deſiderabam, quantopere eius in cauſis oratione delector. Qui fit? Cicero oſtendit in Oratore: Omnium magnarum artium, ſicut arborum, altitudo nos delectat, radices ſtirpesq; non item: ſed eſſe illa ſine his non poteſt. Præcepta rhetorica ſunt quaſi radices ſtirpesq; orationis. Nunc uero Craſſe mea quoque etiam cauſa, meoq; nomine rogo. Precibus & rei dignitate excitat uoluntatem, otio facultatem. Tantum habemus otij à ciuili negotio per tot dies ludorum Romanorum, quantum iamdiu, id eſt multis menſibus, non contigit. Rogo ne graueris exædificare, hoc eſt, ad culmen & faſtigium perducere id opus quod inſtituiſti, id eſt cœpiſti. Formam & figuram ædificij primis quaſi lineamentis expreſſam, opinione maiorem, melioremq; uideo. Non opinabar tam magnum, tam ſplendidum ædificium fore, antequam totius rei formam in ſpeciem propoſitam uidiſſem. Alludit ad illud ſpecimen, quod operis futuri proponunt architecti. ut de fundamentis intelligas, non placet. Enimuero, inquit Craſſus, mirari ſatis non queo non modo hos adoleſcentes, ſed etiam te hæc Scæuola deſiderare. Duæ ſunt admirandi cauſæ. Hæc non teneo uti ij magiſtri rhetores qui docent. neque ſunt eius generis, & talia, ut ſi optime ſcirem, digna eſſent iſta tua ſapientia, ac tuis auribus, quæ iam puerilia audire uix ferunt. Ea dicuntur à Craſſo, ut ante grauioribus detur locus, quàm ad illa rhetorica elementa ueniatur: eoq; uocat Scæuola, quem grandiora delectant. An tu (inquit ille Mutius) ſi de iſtis communibus & peruagatis præceptis, id eſt, ijs in quibus tanquam omnium communibus peruagantur omnes, uix huic ætati meæ ſenili audiendum putas, etiam'ne illa negligere poſſumus, quæ tu oratori cognoſcenda eſſe dixiſti? de naturis hominum, quæ temperamenta uocant medici, barbari complexiones: de moribus, qui ſequuntur illam temperationem, quiq; ſcientia morali formantur: de rationibus ijs & affectibus, quibus hominum mētes & incitarentur ad indignationem, & reprimerentur ad lenitatem: de hiſtoria rerum geſtarum: de antiquitate morum & inſtitutorū: de adminiſtratione & diſciplina Reip. denique de noſtro ipſo iure ciuili? hoc ultimum relinquit iuriſperitus, non modo pro ſua modeſtia, ſed pro continuatione ſententiæ, etenim proxima de illo diſputatio futura eſt. Hanc enim ego omnem ſcientiam & copiam rerum abs te propoſitam, in tua prudētia et cognitione ſciebam ineſſe: in oratoris uero inſtrumento, quo (non aliter quàm rebus amplæ domus) ornatur oratio, tam lautam, tam ſplendidam ſupellectilem nūquam uideram. Supellex finitur, omne patrisfamilias inſtrumentum. Inſtrumentum autem illud omne dicitur, quo inſtruitur & paratur tum domus tum prædium ruſticum.

POTES igitur, inquit Craſſus, ut alia omittam, quæ ſunt immenſa, &c.] Alia ornamenta præcellentis eloquentiæ omittit, quia ſunt, ut inquit, immēſa, nec adhuc tot hiſtorijs, tot libris de Rep. tot uoluminibus de philoſophia comprehenſa. Satis fuit initio monuiſſe, ſine philoſophia, ſine cognitione magnarum rerum, oratorem ſummum eſſe non poſſe. Ius ciuile non ſolum oratori, ut philoſophia, ad magnificentiam expectendum eſt, ad ſed neceſſitatem perdiſcendum. In eo moratur diutius, quòd plerique Romæ impudenter agerent cauſas, qui ius ciuile non attigiſſent. Potes igitur (inquit Craſſus) oratores putare eos Hypſeum & Octauium, quos multas horas expectauit, & certantes inter ſe quaſi quodam theatro ſpectauit, cum in campum Martium ad comitia properaret, & ridens eorum ſtultitiam, & ſtomachans, id eſt ægre ferens rerum noceri ab

ipſius patrono, & ius ciuile per ignorantiam confundi. Scæuola exponit inde controuerſiam: quam ut intelligere plane poſſis, quærito primum quid ſit iudicium tutelæ, deinde quid peterent oratores in eo, Hypſeus & Octauius. Iudicium tutelæ dicitur, quo tutor male adminiſtrata tutela à pupillo pupillaue reus eſt. hoc iudicium turpe eſſe nemo dubitabit, qui tutorem quaſi alterum patrem in pupilli res irruere impium duxerit. Cicero pro Roſcio comœdo. Si qua enim ſunt priuata iudicia ſummæ exiſtimationis, & penè dicam capitis, tria hæc ſunt, fiduciæ, tutelæ, ſocietatis. æque perfidioſum & nefarium eſt fidem frangere, quæ continet uitam: & pupillum fraudare, qui in tutelam peruenit: & ſocium fallere, qui ſe in negotio coniunxit. Vlp. Pand. lib. XXVI. de Suſpectis tutoribus. Sciendum eſt itaque ſuſpecti crimen ex lege XII tab. deſcendere. Idem ibidem: Si quis de plebeijs ob facta atrociora in tutela admiſſa fuerit apud prætorem accuſatus, remittitur ad præfectum urbis grauiter puniendus. uide totam legem. Damnatus iudicio tutelæ, pupillo ſummam perſoluere cogebatur, & lege duodecim tabularum aliquid ultra pendere mulctæ nomine. Quod ſi pupillus aut orator eius à tutore plus petiſſet, quàm deberi lege probare poſſet, cauſa cadebat, id eſt, cauſam ſuam amittebat. Quidam pupillus ſuum tutorem uocauit in ius. uentum eſt ad M. Craſſum prætorem pro tribunali ſedentem, poſtulatum ut iudices daret in iudicium tutelæ. Hypſeus petitor præter eam ſummam quam ſibi deberi pupillus litigator affirmabat, petebat etiam nomine mulctæ plus quàm quantum lex in duodecim tabulis permiſerat. quod cum impetraſſet, cauſa caderet. Nam ſi Cn. Octauius aduerſarius ius ueniſſet in ea uerba Prætoris: Si conuictus fuerit tutor ea pecunia fraudaſſe pupillum, quam dicat Hypſeus, pupillo ſatisfacito, mulctam ſoluito. deinde probaſſet ab Hypſeo plus peti quàm quantum lex permitteret, per aduerſarij ſtultitiam, tutorem litigatorum ſuum & turpi tutelæ iudicio & omni moleſtia liberaſſet. Quid egit Octauius? Petijt ne plus à ſe peteretur, quàm quod eſſet in actione, id eſt, in lege quæ damnato tutelæ mulctam irrogat. hoc modo fecit ne aduerſarius cauſa caderet. Hypſeus, qui pro pupillo in tutorem agebat, maxima uoce ut rabula: plurimis uerbis, ut ſtulte loquax, à Marco Craſſo prætore urbano qui iudices dare deberet, contendebat, id eſt contente petebat, ut ei quem defendebat pupillo, cauſa cadere liceret, id eſt, impetrare aliquid quo dato cauſam amitteret. Ne ſequare fabulam quorundam, qui cæci duces multos alios præcipitauerunt in foueam, cum dicerent neſcio quid de hoc uerbo Cauſa cadere, nec intelligerent uim controuerſiæ. Cn. Octauius homo conſularis, ideoq; fœdius lapſus, non minus longa oratione recuſabat ne aduerſarius cauſa caderet, id eſt ne plus peteret nomine mulctæ, quàm quantum lex in duodecim tabulis permitteret, quo impetrato cauſa non caderet: ac ne is tutor pro quo ipſe dicebat, liberaretur turpi tutelæ iuditio, & moleſtia litis, per aduerſarij ſtultitiam. Ego uero iſtos, inquit, (memini enim mihi narrare Mutium. alium à ſe Scæuolam dicit) non modo oratoris nomine, ſed ne foro quidem dignos putarem. Atqui non defuit illis patronis (inquit Craſſus) eloquentia quædam mediocris, neque dicendi ratio præceptis conſtans, neque copia rerum atque uerborum, ſed iuris ciuilis prudentia: quòd alter Hypſeus agendo lege, id eſt, actionem iure intendendo, plus petebat in pecuniariam pœnam quàm quantum lex de non plus petendo permiſerat: quod poſtulatum cum impetraſſet, eo quod tum erat iure cauſa caderet. alter Octauius iniquum putabat plus ſecum agi, id eſt, in actione peti, quàm quod eſſet in actione & in lege, qua tum agebat: neque intelligebat, ſi ita eſſet actum, plus petendo litem aduerſarium perditurum. Actio ius eſt perſequendi iudicio quod ſibi debetur. Iuſtinianus de actionibus. Si quis agens intentione ſua plus complexus fuerat, quàm ad eum pertinebat, cauſa cadebat: nec facile reſtituebatur à prætore, niſi minor erat quinque & uiginti annis. Idem: Plus autem quatuor modis petitur, re, tempore, loco, cauſa. Re, ueluti ſi quis pro decem aureis debitis uiginti petierit. Tempore, ſi quis ante diem uel conditionem petierit. Loco, ut ſi quis ita ſtipulatus, Epheſi dare ſpondes? Romæ intendat ſibi dari oportere. Cauſa, ut ſi quis ſtipulatus hoc modo, Aut aureos decem, aut illum agrum ſpondes? poſtea agrum ſolum petat. Idem: Omnes actiones uel in ſimplū conceptæ ſunt, uel in duplū, uel in triplum, uel in quadruplum. Actio tutelæ in quotuplum concepta fuerit, anxie quæſitum nolui, quoniam nihil erat neceſſe. QVID his paucis diebus? nonne nobis in tribunali Q. Pompeij, etc.] Hæc controuerſia pertinet ad exceptionem, Cuius pecuniæ dies fuit. Sunt autem exceptiones, quæ actionū genera reuocant in anguſtius. Comparatæ ſunt defendendorū eorū gratia, quibuſcū agitur. Sæpe enim accidit, ut licet ipſa perſecutio qua actor experitur, iuſta ſit, tamen iniqua ſit aduerſus eum cū quo agitur. Exceptiones aliæ perpetuæ, quæ ſemper agentibus obſiſtunt. aliæ temporales, quæ ad tempus nocent: qualis eſt hæc de qua agitur, ubi tempore plus petitur, & ante conditionis diem: de quo genere Iuſtinianus. Eum qui ante tempus pactionis uel obligationis litem inferre auſus ſit, Zenonianæ conſtitutioni ſubiacere cenſemus, quam ſacratiſſimus legiſlator de ijs qui tempore plus petierint, protulit: ut & inducias quas ipſe actor ſponte indulſerit, uel quas natura actionis continet, ſi contempſerit, in duplum habeant qui talem iniuriam paſſi ſunt: & poſt eas finitas non aliter litem ſuſcipiant, niſi omnes expenſas litis ante acceperint: ut actores tali pœna deterriti, tempora litium doceantur obſeruare. Caius Pand. lib. XLIIII. de Exceptionibus: Exceptiones temporales atque dilatoriæ ſunt, quæ non ſemper locum habent, ſed euitari poſſunt, qualis eſt pacti conuenti temporalis, id eſt, ne forte intra quinquennium ageretur. In eo libro multa de exceptionibus. Quidam pecuniam ſoluere debuit, exempli gratia, Calendis Auguſti, uocatus eſt in ius idibus Iulij. cum uentum eſſet ad prætorem Q. Pompeium, petitor certam pecuniam petijt, & iudicem. fac eum ita poſtulaſſe, da iudicem in ſeſtertium decem milia quæ iam mihi debentur. inficiator, qui iniquum putaret ante diem debitum à ſe peti, contra poſtulauit ut uetus atque uſitata exceptio daretur, cuius pecuniæ dies fuiſſet, id eſt, poſtulauit ne ante diem cogeretur. Peccauit in eo. nam ſi iudicem dari paſſus eſſet, & poſtea probaſſet illi ante petitam eſſe pecuniam, quàm eſſet cœpta deberi, petitor cauſa cecidiſſet ex lege. In tribunali Q. Pompeij Prætoris urbani, id eſt eius qui de poſſeſſione, nō de capite ius diceret, (is enim prætor eſt urbanus forte lectus, quem ſupra decem dies ab urbe abeſſe non licebat) homo ex numero diſertorum (ſuppreſſit nomen, quia, ut opinor, tum uiuebat) poſtulabat, ut illi unde peteretur, id eſt debitori, uetus atq; uſitata exceptio et in iure frequens daretur, hæc, Cuius pecuniæ dies fuiſſet. ſenſus eſt, actio detur eius pecuniæ cuius pecuniæ dies uenit. ſed breuiter uſus eſt uerbo legis. Poſtulatū hoc petitoris cauſa & utilitate comparatū eſſe non intelligebat: quia ſi ille inficiator (ſic dicitur de poſſeſſione, quemadmodū defenſor de crimine) probaſſet iudici quem dediſſet prætor, ante petitam eſſe pecuniam quàm eſſet cœpta, id eſt quàm cœpiſſet deberi, cauſa cecidiſſet petitor: poſtulando fecit ne petitor rurſus cū die conſtituto peteret, exceptione legis excluderetur, quòd ea res perinde erat, atque ſi in iudiciū antea non ueniſſet. His duobus exemplis efficit, eſſe turpe oratori neſcire ius ciuile. Quid hoc, id eſt, hac re fieri turpius ab oratore, aut ſermone dici poteſt, quàm eum qui hanc perſonam & hoc officium ſuſceperit, ut amicorum controuerſias cauſaſq; tueatur, laborantibus ſuccurrat, ægris medeatur, afflictos excitet, hunc in minimis tenuiſſimiſq; rebus, ut cautionibus iuris & formulis, ita labi, ut alijs miſerandus, alijs irridendus eſſe uideatur? A' medicina tranſlatio ducta eſt. Alij quidem laborant, & morbo

finitimi

finitimi ſunt, quibus eſt ſuccurrendum, ne forte ſuccumbant. alij iam ſunt ægri, quibus medendum eſt uti ſubleuentur. alij nō modo ægri, ſed afflicti profligatiq; ſunt. hos excitare & ad ſalutē erigere debet medicus. orator autem ignarus miſerandus eſt ijs, qui ſine fraude ſitiunt æquitatem: irridendus illis, qui uitia ridere quàm corrigere malunt. EQVIDEM *propinquum noſtrum P. Craſſum, &c.*] *Cum ſuaderet oratori ius ciuile eſſe perdiſcendum, duxit argumentum ab inhoneſto contrario: inhoneſtum eſſe, ius illud ignorare: contra honeſtum, in eo neque labi neque errare. ad eiuſdem rei probationem aſſumit illius P. Craſſi diuitis authoritatem, & M. Catonis exemplum. et ne præſentium rationem non habuiſſe uideatur, Antonij præſertim, illum impudentium numero comprehendi includiq; non uult. Duo Craſſi fuere perquam diuites, P. & M. Publius, de quo hic agitur, cum Ariſtonicus regis Eumenis filius Aſiam occupaſſet, aduerſus eum conſul, cum idem Pontifex Maximus eſſet, quod nunquam antea factum erat, extra Italiam profectus, prælio uictus & interemptus eſt. Is Craſſus à Sempronio Aſellione & pleriſq; alijs hiſtoricis traditur quinque habuiſſe rerum bonarum maxima & præcipua: quòd eſſet ditiſſimus, quod nobiliſſimus, quòd eloquentiſſimus, quòd iuriſconſultiſſimus, quòd Pontif. M. author Gellius. Alterius res Plutarchus memoriæ tradidit. Equidem propinquum noſtrum, id eſt conſanguineum L. Craſſi, P. Craſſum illum diuitem (nam alij hoc nomine fuerūt) ferendum, id eſt laude extollendum, aut prædicandum & laudandum puto, & quòd multis alijs in rebus elegans & ornatus eſſet, & præcipue in hoc, quòd cum Scæuolæ frater eſſet ex ſtirpe materna, aut ex adoptione (nam Mutij filius dicitur in Bruto) ſolitus eſt ei perſæpe dicere, neque illum Scæuolam in iure ciuili, cuius ſtudioſus erat, ſatis illi arti facere poſſe, niſi dicendi copiam, id eſt rhetoricam aſſumpſiſſet: quod quidem hic qui mecum conſul fuit anno ab urbe condita ſexcenteſimo quinquageſimo nono. Q. Scæuola, filius eius Scæuolæ qui Craſſi frater erat, eſt conſecutus. Idem Craſſus dicere ſolitus eſt, ſe non ante cauſas amicorum tractare conſilio, atque agere dictione cœpiſſe, quàm ius ciuile didiciſſet. Quid uero? ille Marcus Cato maior, nonne & eloquentia tanta fuit, quantam illa tempora rudia & impolita, atque illa ætas bellis quàm literis exercitatior, in hac ciuitate ferre maximam potuit? & iuris ciuilis omnium periciſſimus? Plinius ſeptimo. Cato primus Porciæ gentis, tres ſummas artes in homine, præſtitiſſe exiſtimatus eſt, optimus orator, optimus imperator, optimus ſenator. Cicero in Bruto. Catonem uero quis noſtrorum oratorum, qui quidem nunc ſunt, legit? aut quis nouit omnino? at quem uirum dij boni? mitto ciuem aut oratorem, aut imperatorem? oratorem omnino hoc loco quærimus. Quis illo grauior in laudando? acerbior in uituperando? in docendo ediſſerendoq; ſubtilior? Refertæ ſunt orationes amplius centum quinquaginta, quas quidem adhuc inuenerim & legerim, & uerbis & rebus illuſtribus. licet ex his eligant ea, quæ notatione & laude digna ſint. omnes oratoriæ uirtutes in eis reperientur. Senator optimus, orator bonus, non fuit ſine iure ciuili. De iure libros aliquot reliquit: teſtis eſt Pomponius, iureconſultus. Veritus autem ne ſermo grauis eſſet Antonio, ſubdidit. Verecundius hac de re iamdudum loquor, quòd adeſt uir Antonius in dicendo ſummus, quem ego unum ex omnibus oratorem maxime admiror: ſed tamen idem ille hoc ſemper ius ciuile contempſit. Summum dixit, ne hoc ſermone de iure ciuili Antonio quidquam detrahere uideretur. admirationem addidit, ne propter iuris ignorātiam crederetur illum paruifacere. maluitq; dicere ab eo ius ciuile eſſe contemptum, quàm uel ignoratum, uel ipſius difficultate prætermiſſum, ut eſſet credo res omnis in illius hominis uoluntate poſita. Iam parat ad alia uiam. Quoniam ſententiæ atque opinionis meæ uoluiſtis eſſe participes, hoc eſt, quæſiſtis quid ego de hac re ſentirem & exiſtimarem, nihil occultabo (eorum more qui alicuius offenſione prodere non audent id quod ſentiunt) & quoad potero, uobis exponam ô adoleſcentes quid de quaque re ſentiam. Antonij uis ingenij quædam adeo magna, ut incredibilis: adeo rara, ut prope ſingularis: adeo excellens & ardua, ut diuina ſit, uidetur, etiāſi hac ſcientia iuris nudata ſit, poſſe facile cæteris armis & præſidijs prudentiæ cauſas tueri atque defendere. Summum ingeniū, per ſe, quod mediocre per artem, conſequitur. Summa prudentia atque uis cognoſcendæ ueritatis facile uidet æquitatem, quæ in iure plurimum poteſt. Quamobrem hic nobis ſit exceptus. Cæteros ingenij minoris non dubitabo primum inertiæ condemnare ſententia mea, poſt etiam impudentiæ. Inertiæ eſt, artem neſcire tam quæ profeſſioni tuæ neceſſaria eſt: impudentiæ, id palàm de te polliceri, quod præſtare non queas.* NAM *uolitare in foro, hærere in iure, ac prætorum tribunalibus, etc.*] *Enumerat aliquot genera rerum, quæ ab oratore tractari commode non poſſunt, ſine ſcientia iuris. unde conficit, eum non modo inertem, ſed etiam impudentem uideri, qui cum hæc neſciat, tamen uolitet in foro quaſi multis cauſis occupatus, non honoris quæſtuſq; cupidus. hæreat, id eſt aſſiduus ſit in iure, ac prætorū tribunalibus obeat & ſuſtineat iudicia priuata magnarum rerum, ut teſtamentorum, tutelarum, in quibus ſæpe non de facto, ut in ſtatu coniecturali (cuius quæſtio magis ad oratorem pertinet) ſed de æquitate ac iure, hoc eſt, de iuriſconſulti ſcientia diſputetur: iactet ſe in cauſis Centumuiralibus, cuiuſmodi ſunt actiones iſtæ quæ numerantur è iure ciuili, ad quarum diſceptationem parum iuuabunt rhetorica præcepta, inſtituta legum morumq; plurimum. Alia iudicia erant publica, alia priuata. Ad publica prætores quiſque pro lege ſua iudices ordinarios ſortiebātur. ea fori nomine intelliguntur. Priuata alia ſunt apud Recuperatores & iudices datos, alia apud centumuiros, alia apud magiſtratus. Ex his alia ſunt magnarum rerum, alia mediocrum, alia paruarum. Parua multa dirimebant iuriſperiti, quos dabat Prætor urbanus. multa maiora Centumuiri, qui etiam parua tractabant. Plinius in Epiſtolis. Diſtringor centumuiralibus, cauſis, quæ me exercent magis quàm delectant. Sunt enim pleraque parua, & ex illis raro incidit uel perſonarum claritate uel negotij magnitudine inſignis. Cū tribus eſſent quinque & triginta, ex ſingulis terni uiri legebantur ad cauſas centumuirales iudicandas. Erant itaque numero centum quinque: qui quo facilius nominarentur, Centumuiri ſunt dicti. Eorum duæ fuerunt haſtæ, & aliquando conſilia quatuor, aucto priore numero. Vſucapio ius eſt poſſidendi quæſitum continuatione temporis lege definiti. Capere enim rem, acquirere. uſu poſſeſſione acquiſitio. Tempore maiorum res mobilis anno uno, immobilis biennio capiebatur. Cicero in Topicis. Quod in re pari ualet, ualeat in hac, quæ par eſt: ut quoniam uſus authoritas fundi biennium eſt, ſit etiam ædium. At in lege ædes non appellantur, & ſunt cæterarum rerum omnium quarum annuus eſt uſus. ualeat æquitas, quæ paribus in cauſis paria iura deſiderat. Idem pro Cecinna. Lex uſum & authoritatem fundi iubet eſſe biennium: at eodem iure in ædibus, quæ in lege non appellantur. De hac lege Iuſtin. Nobis melior ſententia ſedit, ne domini maturius ſuis rebus defraudentur, neque certo loco beneficium hoc cōcludatur: & ideo conſtitutionem ſecundum hoc promulgauimus, qua cautum eſt, ut res quidem mobiles per triennium, immobiles uero per longi temporis poſſeſſionem, id eſt interpræſentes decennio, inter abſentes uiginti annis uſucapiantur. Sunt quæ uſucapi non poſſunt, ut homo liber, res ſacra, res furtiua, res ui poſſeſſa antequam in domini poteſtatem redierit. Vſuſcapionem, uel uſus capionem diceret Gellius: ſed uſum multorum lubenter ſequimur. uide cap. 10. libri ſeptimi Noctium At. Tutela (ut Seruius definit) uis eſt ac poteſtas in capite libero ad tuendum eum qui per ætatem ſuam ſe ipſe defen-*

dere nequit, iure ciuili data ac permiſſa. quæ definitio non comprehendit tutelam neque mulierum adultarum, neque furioſorum. Itaque ſi tutelas omnes includere uoles, à definitione tolles hæc uerba, Per ætatem ſuam. Ex tutelis infinitæ propè naſcuntur actiones, de quibus permulta legere poſſis uiceſimo ſexto & ſeptimo libro Pandectarum. Gentiles finiuntur à Cicerone in Topicis hoc modo. Gentiles ſunt, qui inter ſe eodem nomine ſunt qui ab ingenuis oriundi ſunt, quorum maiorum nemo ſeruitutem ſeruiuit, qui capite non ſunt diminuti. Definitionem hanc refert ad Scæuolam pontificem. Gens eſt familia. Gentiles, ij qui ſunt eiuſdem familiæ, ut Tullius Cicero Tullium regem gentilem ſuum eſſe dicit. Gentilitas, gentilium ſeries eſt. Gentilitatem neque ſerui, neque liberti, neque libertini habere poſſunt, quam etiam amittunt capite diminuti. De gẽtilitate agitur interim in tutelis, ſæpe in hæreditatibus, & in iure pari familiæ ſuccedentis. Agnati dicuntur, qui uirilis ſexus propinquitate iuncti ſunt. Cognati utranque ſtirpem & paternam & maternam continent. Agnatio uenit in controuerſiam eodem ferè modo quo & gentilitas. de hæreditate, de furioſis, de prodigis, Iuſtinianus. Furioſi quoque & prodigi licet maiores uiginti quinque annis ſint, in curatione ſunt agnatorum ex lege duodecim tabularum. Quid differunt gentilitas & agnatio? Gentilitas ingenuorum eſt, & ſæpius nobilium: agnatio etiam obſcurorum. Gentilitas non excludit mulieres: nam etſi proles patrem ſequitur, & in muliere terminatur familiæ nomen, gentilium tamen eſt ipſa ex definitione. inde Virginia, Cornelia, Iulia, Tullia, à patribus dictæ. Definitio agnatorum feminam quoque non ſecludit, ſed longius interim agnatio in muliere procedit quàm gentilitas. lege Iuſtit. de Legitima agnatorum ſucceſſione, & de gradibus cognationum. Sunt qui hæc nihil omnino differre putant, quorum ſententiæ diuiſio Ciceronis aperte refragatur. Manet autem interdum cognatio non manente agnatione. Iuſtinianus. Agnationis quidem ius omnibus modis capitis diminutione plerunque perimitur. nam agnatio iuris ciuilis nomen eſt. Cognationis uero ius non omnibus modis commutatur, quia ciuilis ratio ciuilia quidem iura corrumpere poteſt, naturalia uero non utique. Alluuio, fluminis eſt fundum alluentis: de qua Iuſtinianus. Quod per alluuionem agro tuo flumen adijcit, iure gentium tibi acquiritur. Eſt autem alluuio, incrementum latens. Per alluuionem autem id uidetur adijci, quod ita paulatim adijcitur, ut intelligi non poſſit quantum quoque momento temporis adijciatur. Quod ſi uis fluminis de tuo prædio aliquam partem detraxerit, & uicini prædio appulerit, palàm eſt eam tuam permanere. Planè ſi longiori tempore fundo uicini tui hæſerit, arboreſq; quas ſecũ traxerit in eũ fundum radices egerint, ex eo tempore uidentur uicini fundo acquiſitæ eſſe. Quid ab alluuione differat circumluuio, in libris iurisperitorum non reperi. Arbitror ad inſulam in flumine natam pertinere, de qua idem legiſlator. Inſula in flumine nata, quod frequenter accidit, ſi quidem mediam partem fluminis tenet, communis eſt eorum qui ab utraque parte fluminis prope ripam prædia poſſident: ſcilicet pro modo latitudinis cuiuſque fundi, quæ latitudo prope ripam ſit. quòd ſi alteri parti proximior eſt, eorum eſt tantum, qui ab ea parte prope ripam prædia poſſident. Quod ſi in aliqua parte diuiſum ſit flumen, deinde infra unitum, agrum alicuius in formam inſulæ redegerit, eiuſdem permanet is ager, cuius & fuerat: Hæc ille. Nexi ſunt liberi, qui operas ſuas in ſeruitute pro pecunia quam debebant, domino præſtabant. Cum quis ære alieno uſus, & fœnore obrutus ac merſus, ſoluendo non eſſet, uocatus in ius, lege duodecim tabularum in temporariam ſeruitutem creditori addicebatur. Quæ res multas olim ſeditiones excitauit. Hinc ſeceſſio plebis in montem ſacrum facta. Hinc M. Manlius, qui iudicatos pecuniæ & addictos ſoluta pecunia duci uetabat, damnatus, & è ſaxo Tarpeio deturbatus eſt. de iudicio nexorum Liuius. Adeſte, prohibete ius de pecunijs dici. Et alibi. Deſperato enim conſulum ſenatuſq; auxilio, cũ in ius duci debitorem uidiſſent, undique conuolabant: neque decretum exaudiri conſulis præ ſtrepitu & clamore poterat, neque cum decreuiſſet, quiſquam obtemperabat. ui agebatur, metuſq; omnes, & periculum libertatis, cum in conſpectu conſulis ſinguli à pluribus uiolarentur, in creditores à debitoribus uerterant. Ius nexorum Quintil. oſtẽdit. Seruus, inquit, cum manumittitur, fit libertinus: Addictus, recepta libertate eſt ingenuus. Seruus inuito domino libertatem non conſequitur, addictus diſſoluto ære alieno inuito creditore conſequitur. Ad ſeruum nulla lex pertinet: addictus legem habet. Propria liberi, quæ nemo habet niſi liber, prænomen, cognomen, nomen, tribum: habet hæc addictus. Mancipium nonnunquam pro ſeruitio, id eſt, ſeruo & ancilla ſumitur, ſiue belli iure ſiue aliter poſſidetur. Cicero quarta Act. in Ver. de Seruitijs Heraclij quæ Verres abduxerat. Mancipia quæ uoluit, abduxit, alia diuiſit. Non hic ita accipitur. Sæpe mancipium dicitur res ea quæ mancipatur, aut ipſa mancipatio, ac poſſeſſionis traditio. Cicero paulo poſt. Cum enim Marius Gratidianus ædes Oratæ uendidiſſet, neque ſeruire quandam earum ædium partem in mancipij lege dixiſſet, defendebamus, quidquid fuiſſet incommodi in mancipio, id ſi uenditor ſciſſet, neque declaraſſet, præſtare debere. Mancipatio (inquit Boethius) fiebat hoc modo. Adhibitis non minus quàm quinque teſtibus ciuibus Romanis puberibus, & eo qui libripens dicitur, is qui mancipium accipit, æs tenens ita dicit. Hunc ego hominem ex iure Quiritium meum eſſe aio, iſq; mihi emptus eſt hoc ære, æneaq; libra. Deinde ære percutit libram, idq; æs dat ei à quo mancipium accipit, quaſi pretij loco. Hæc ſumpta ſunt ex inſtitutionibus Caij iuriſperiti. Idem Boethius. Omnes res quæ abalienari poſſunt, id eſt, quæ à noſtro dominio ad alterius tranſire poſſunt, mancipi dictæ ſunt. Cicero in Topicis. Abalienatio eſt eius rei quæ mancipi eſt, aut traditio alteri nexu, aut in iure ceſſio, inter quos ea iure ciuili fieri poſſunt. Huc pertinent quæ à iuriſperitis traduntur de contrahenda emptione & uenditione, de reſcindenda uenditione, de actionibus empti & uenditi, decimooctauo & decimono libro Pandectarum. De pariete, luminibus, ſtillicidijs agitur octauo Digeſt. de Seruitutibus urbanorum prædiorum. Caius. Vrbanorum prædiorum iura talia ſunt, altius tollendi, & officiendi luminibus uicini, aut non extollendi. Item ſtillicidium auertendi in tectum uel aream uicini, aut non auertendi. Item immittendi tigna in parietem uicini, & denique proijciendi, protegendi'ue, cæteraq; iſtis ſimilia. Venit in controuerſiam paries communis, & is qui adiungitur, & immiſſum tignum in parietem, itemq; exemptum, tubulus admotus ad parietem communem, paries alius ſuper parietem communem, & incruſtatio, & tepidarium, de quibus aliquando uicini ſtipulantur & ſatiſdant damni infecti. Digeſtorum libro trigeſimonono. Lumen eſt (inquit Paulus) ut cœlum uideatur. Et intereſt inter lumen & proſpectum. nam proſpectus etiam ex inferioribus locis eſt, lumen ex inferiore loco eſſe non poteſt. Idem. Luminum ſeruitute conſtituta, id acquiſitum uidetur, ut uicinus lumina noſtra excipiat. Cum autem ſeruitus imponitur ne luminibus officiatur, hoc maxime adepti uidemur, ne ius ſit uicino inuitis nobis altius ædificare, atque ita minuere lumina noſtrorum ædificiorum. Lumini officitur duobus modis. aut enim redditur obſcurius ædificio aut arbore poſita: aut uibrantius fit, cum preſſura quadam in ædes deuoluitur. Obſtruere luminibus dicimus. Cicero pro domo ſua ad Pontifices. Habitare laxe & magnifice uoluit, duaſq; magnas & nobiles domos coniungere, ac ſeuere contendit ut Q. Veſtius ſibi domum uenderet. Cum ille negaret, primo ſe luminibus

bus

bus eius obſtructurum minabatur. Stillicidium, ſtillarū et aquæ pluuiæ fluxus è tecto. Vlpian. Hac lex traditionis, Stillicidia uti nunc ſunt, ut ita ſint: hoc ſignificat, impoſitam uicinis neceſſitatem ſtillicidiorum excipiendorum: non illud, ut etiam emptor ſtillicidia ſuſcipiat ædificiorum uicinorum. Hoc igitur pollicetur uenditor, ſibi quidem ſtillicidiorum ſeruitutem deberi, ſe autem nulli debere. Paulus. Si ſeruitus ſtillicidij impoſita ſit, non licet domino ſeruientis areæ ibi ædificare, ubi caſitare cœpiſſet ſtillicidium. Qui in area in qua ſtillicidium cadit, ædificat, uſq; ad eum locum perducere ædificium poteſt, unde ſtillicidium cadit. Sed ſi in ædificio cadit ſtillicidium, ſupra ædificare ei conceditur, dum tamen ſtillicidium rectè recipiatur, ſtillicidij immittendi naturalis & perpetua cauſa eſſe debet. Teſtamentum, ut definit Vlp. eſt uoluntatis noſtræ iuſta ſententia, de eo quod poſt mortem ſuam quis fieri uoluerit. Alia teſtamenta olim fiebant calatis comitijs, alia erant procincta, ut eorum qui in prælium exituri eſſent. Alia per æs & libram fiebant, quæ per emancipationem agebantur, quinque teſtibus & libripende ciuibus Romanis puberibus adhibitis, & eo qui familiæ dicebatur emptor. Poſtea teſtamenta fieri cœpta ſeptem teſtibus adhibitis, quorum ſignis tabulæ obſignabantur. Teſtamentum iure factum uſque eò ualet, donec rumpatur, irritum'ue fiat. Rumpitur autem aut adoptione, aut poſteriore teſtamento, aut hæredis caſu, aut capitis diminutione, aut imperfectione, aut iniquitate. Teſtamenta legitimè facta interim reſcinduntur: contra quæ meritò reſcindi poſſunt, interdū rata manent. teſtis eſt Valerius lib. 7. capite de Teſtamentis quæ reſciſſa ſunt, & quæ rata manſerūt. Sunt aliæ res prope modum innumerabiles, quas indicant permulti legum tituli, iccirco ſepoſiti, quia uariarum iura rerum cōtinent. Ciuis alius natus eſt, alius factus. Peregrinus item aut natus eſt, aut factus. De ciuitate multa Cicero pro Archia poeta, & pro Cornelio Balbo. Omnes autē homines aut liberi ſunt, aut ſerui. Libertas eſt naturalis facultas eius quod cuique facere libet, niſi quod ui aut iure prohibetur. Seruitus eſt conſtitutio iuris gentium, qua quis dominio alieno contra naturā ſubijcitur. Serui aut naſcuntur, aut fiunt. Naſcuntur ex ſeruitijs, id eſt, ancillis: fiunt, iure gentium. Vide Pandectas de iure perſonarum. ILLA uero deridenda arrogantia eſt, in minoribus nauigijs, &c.] Turpe eſt eum qui maximas naues gubernare ſe poſſe iactet, parua nauigia regere nō poſſe. turpe quoque, in minimis errare cauſis eum, qui glorietur arduas & publicas ab ſe cōmode tractari. Maiores cauſas exiſtimabant eas, quæ publicè uiribus eloquentiæ apud iudicum decurias agebantur, ut de ambitu, de repetundis, de perduellione, de cæde. Minores autem, quæ de poſſeſſione ex iure ciuili iudicabantur, de ſtipulationibus, de luminibus, de ſtillicidijs, de alijs id genus rebus. Illa uero deridenda arrogantia, temeritas & impudentia, ſibi quod non habet adſcribens, in minoribus nauigijs, ut celocibus, lembis, ſchaphis, rudem eſſe ſe confiteri: quinqueremes autem, id eſt, grandiores naues quinis remorum ordinibus, aut etiam maiores, ut ſenis, gubernare didiciſſe. De maiore nauigio Cic. 7. actione in Verrem. Habebant, inquit, rationem omnes quotidie piratarum, qui ſecuri ferirentur. quàm multos eſſe oporteret, ex ipſo nauigio, quod erat factum ſex remorum numero, conijciebant. Tu mihi cum in circulo, id eſt, hominum corona, qualis in foro ad oratores & iuriſperitos eſſe ſolet, decipiare aduerſarij ſtipulatiuncula, id eſt, obligatione contracta ex interrogatione et reſpōſione, cū quid quis dari fieri'ue ſibi ſtipulatur, et huiuſmodi ſunt formulæ, Spondes? ſpondeo. promittis? promitto. fidepromittis? fidepromitto. fideiubes? fideiubeo. dabis? dabo. facies? faciam. cum decipiare inquam, & obſignes patronus tabellas, id eſt, literas clientis tui, qui præſidij cauſa te ſequitur & colit, quibus id ſit ſcriptum quo ille capiatur & fallatur, ego tibi ullam cauſam maiorem committendam putem? Nequaquam ſanè. Operæpretium eſt enim, iuris formulas, conceptiones, & cautiones tenere: Citius hercules is qui duorum ſcalmorū nauiculam in portus euerterit, in Euxino ponto Argonautarū nauem gubernarit, quàm qui ſtipulatiūcula falſus eſt, arduam cauſam cautè ac diſertè ſuſtineat. Scalmus (græcè σκαλμὸς dicitur) lignum teres circa quod alligantur remi. Nauicula duorum ſcalmorum, nauigiolum eſt, quod uel duobus remis impelli poteſt. Argonautæ dicti ſunt, Iaſon, Hercules, Caſtor, Pollux, alijq; multi Argiui delecti uiri, qui cum circa Pelium montem Argo nauem magnitudine & apparatu inſignem comparaſſent, ad Colchos uecti petierūt pellem inauratam arietis, regiſq; filiā Medeam raptam reuexerūt: de quibus poemata ſcripſerunt Apollonius & Valerius Flaccus. Vt in Colchidem transfretarent heroes illi, in angulo littoris Euxini poſitam, traijciendus erat Boſphorus Thracius, ac pontus Euxinus, de quo Pomponius Mela. Hinc iam ſeſe, inquit, ingens pontus aperit (niſi quà promontoria ſunt) huc atque illuc longo rectoq; limite extentus, ſinuatus cætera. Sed quia contra minus quàm ad læuam & dextram abſceſſit, mollibus faſtigijs, donec anguſtos utrinque angulos faciat, inflectitur ad formam Scythici arcus, maximè incuruus, breuis, atrox, nebuloſus, raris ſtationibus, non molli neque arenoſo circundatus littore, uicinus aquilonibus: & quia non profundus eſt, fluctuoſus atq; feruens. Olim ex colentiū ſæuo admodum ingenio Axenus, poſt commercio aliarū gentium, mollibus aliquantum moribus, dictus Euxinus. εὔξενος enim perhoſpitalis interpretatur. QVOD ſi ne paruæ quidem cauſæ ſunt, ſed ſæpe maximæ. &c.] Non omnes quidem paruæ cauſæ ſunt, ſed ſæpe maximæ, in quibus certatur de iure ciuili. Nam quod erat omnibus obuiū, quamuis æquū bonumq;, omnibus diſputandū relictū eſt. Quod plus dubitationis habebat, à multis quæſitū, deinde enodatū, poſtea iure ciuili comprehenſum eſt. Quod os igitur, id eſt, impudentia, illius patroni, hoc eſt oratoris ſuos cliētes habentis, qui ad magnas cauſas ſine ulla ſcientia iuris audet accedere? Proponit exemplum cauſæ difficilioris, quod ſic memorat Val. Max. Militantis cuiuſdam pater, cū de morte filij falſum è caſtris nunciū accepiſſet, alijs hæredibus ſcriptis deceſſit. Peractis deinde ſtipendijs adoleſcēs domū petit: errore patris, impudentia amicorū, domū ſibi clauſam reperit. Quid enim illis inuerecūdius? Florem iuuentæ pro Rep. abſumpſerat, maximos labores, et plurima pericula tolerauerat, aduerſo corpore exceptas oſtendebat cicatrices, & poſtulabat ne auitos eius lares otioſa ipſi urbi onera poſſiderent. Itaque depoſitis armis coactus eſt in foro togatam ingredi militiam acerbe. cū improbiſſimis enim hæredibus de paternis bonis apud Centumuiros contendit, omnibuſq; non ſolū conſilij, ſed etiam ſententijs ſuperior diſceſſit. Iuſtinianus de Exhæred. liberorum. Qui filium in poteſtate habet, curare debet, ut eum hæredem inſtituat, uel exhæredem nominatim faciat. alioqui ſi eum ſilentio præterierit, inutiliter teſtabitur. Paulus: Conſultus an uideatur exhæredatus, quem pater putauit deceſſiſſe, reſpondi filios & filias nominatim exhæredatos proponi: de errore autem patris, qui interceſſiſſe proponitur, apud iudicem agi oportere. Filiusfamilias miles ſimiliter ut paganus, nominatim à patre aut hæres ſcribi, aut exhæredari debet. Caius: Filio qui in poteſtate eſt, præterito, inutile eſt teſtamentū. Nō ab re dicit hæc uerba, Exhæredē ſcripſiſſet nominatim. Exhæredatio nominatim fieri debet. Quid eſt nominatim exhæredare? nomen, & prænomen, & cognomen dicendum eſt, an ſufficit uel unum ex his? Conſtat ſufficere. Sufficit & hoc, Filius meus exhæres eſto, ſi modo unicus ſit. QVID, qua de re inter Marcellos et Claudios patricios, etc.] Claudij uenerunt ab Sabinis. Liuius libro ſecūdo. Seditio inter belli paciſq; authores orta in Sabinis, aliquantū inde uirium tranſtulit ad Romanos. Nanque Ap. Clauſus, cui poſtea Ap. Claudio fuit Romæ cognomen, cum pacis ipſe author à turbatoribus belli premeretur, nec par factio-

ni eſſet, ab Regillo magna clientium comitatus manu Romam transfugit. his ciuitas data, Ap. inter Patres lectus. Claudiorum familiæ duæ fuerunt. Suetonius in Tyberio. Patricia gens Claudia (fuit enim alia plebeia, nec potentia minor, nec dignitate) orta eſt ex Regillis oppido Sabinorum. Patricij autẽ Claudij, Pulchri: plebeij uero, Marcelli nominati ſunt, ut tradit Pedianus in Cic. orationem pro Scauro. Lex duodecim tabularũ ad hæreditatem liberti uocabat patronum, ſi inteſtatus mortuus eſſet libertus. Inſtit. de ſucceſſione in bonis libertorũ. Prodeſſe autẽ liberto ſolebant ad excludendum patronum naturales liberi, ut eſt in eadem lege, nec à libertinorum liberis ad patronos redibat hæreditas. Is libertus de quo agitur, primo fuit liber, alioqui ad Claudiorum gentilitatem non pertineret. Nam gentilium nemo ſeruitutem ſeruiuit, ut oſtendit Scæuola definitio, quam ſupra ſcripſimus. deinde factus eſt ſeruus furto plagiarij. Etenim ſi belli iure ſeruus eſſet factus, quid iuris haberent gentiles? niſi ius fingeret, reſtitutum ſemper liberum fuiſſe. Poſtea manumiſſus habuit filium, propter quem hæreditas ad patronum, quiſquis eſſet, uenire non potuit. filius eius inteſtato deceſſit. iure experiuntur & Claudij & Marcelli: Claudij gentilitate, Marcelli ſtirpe & cognatione. Quia pater eius Claudius nomine & iure fuerit, & iniuſta ſeruitute, ut aiunt, gentilitatem non amiſerit, hæreditatem ad ſe Claudij Pulchri rediſſe contendunt, iniuſta manumiſſio nõ officit ingenuitati. Marcelli ſtirpe decertant, quia gentilitate non poſſunt, exiſtimant eum interpoſita ſeruitute amiſiſſe gentilitatem. hoc modo ſtat controuerſia. Dicet aliquis. Cur lege ſtirpis non agunt patricij Claudij, quemadmodum Marcelli? utrique enim ab Appio Clauſo oriundi ſunt. Dicendum, ſtirpem certos habere gradus in iure ciuili, ut decem: gentilitatem longius procedere: Marcellos propiores fuiſſe. Ius illud ſtirpis & gentilitatis non explicatur in Pandectis, quia Iuſtinianus ferè confudit in agnationem. Differunt autem gentilitas & ſtirpis. Illa iuſta ſeruitute, ſanguine materno, diminutione capitis media, adoptione tollitur. Hæc tum manet, quoniã natalibus & cognationi fortuita non officiunt. Sunt qui legãt, Auli liberti filij. qui ſi libertum nomen proprium eſſe putant, non habent, quòd magnopere ſe torqueant. Malo ſic, Ab liberti filio. Ne putes autem hunc hominem aut Claudiorum aut Marcellorum libertum fuiſſe. Nulla eſt neque ſeruorum neque libertinorum gentilitas. Neque Marcelli pleni dignitatis intenderent hanc actionem, ſi iuſta ſeruitus fuiſſet. Alciatus libro primo παρέργων ſcribit libertum, de quo agitur, aut ex Marcellorum ſtirpe ortum, uel ab aliquo ſtirpis eorum manumiſſum. ſed utrunque repugnat gentilium definitioni. Nã gentilis erit, qui uel ipſe, uel aliquis maiorum eius ſeruitutem ſeruierit. Probare contendit et Plinij & Ciceronis authoritate, ſeruos etiam gentiles dici. Plinius. Singuli Marcipores, id eſt, Marci pueri, Luciporeſ'ue, dominorum gentiles, uitam in promiſcuo habebant. Videtur mihi Plinius gentiles eos improprie appellaſſe, qui inter ſe eodem nomine ſunt: quod non ſatis eſt explendam Scæuolæ definitionem, quæ locum habebat tempore Ciceronis. Dicit etiam idem Alc. nihil ad ſanguinis uinculum gentem pertinuiſſe. quod ſi eſt, nomen ſolum ſpectabitur, & confundetur illud duodecim tabularum, Si paterfamilias inteſtatus moritur, familia pecuniaq; eius agnatorum gentiliumq; eſto. Quis exiſtimet legẽ dediſſe hæreditatem inteſtatorum iis, qui nullo ſanguinis uinculo iungerentur? Cæterum eius interpretatio obſcura eſt & implicata, propterea aliam ſecuti ſumus. QVID, quod in centumuirali iudicio certatum eſſe accepimus, &c.] Exilium, inquit Marcus, triplex eſt, aut certorum locorum interdictio, aut ut omnium locorum interdicatur præter certum, aut inſulæ uinculum, id eſt, relegatio in inſulam. Non erat igitur omnibus ius exulare Romæ, non modo quòd exules peregrini aliquando urbe ſubmouebantur, ſed etiam quod multis certus exulandi locus aſſignatus eſſet. Peregrinus eſt, quicunque ciuis non eſt. Quidam peregrinus Romam in exilium uenit. applicuit, id eſt, adiunxit ſe ad aliquem quaſi patronum, hoc eſt, ad ciuem Romanum, quem colebat ſicuti cliens aut libertus patronum. Inteſtato mortuus eſt. Ciuis ille, cum aliunde peteretur hæreditas, eam ſibi ueniſſe iure applicationis apud Centumuiros egit, quod eiectum recepiſſet, hominem ſtudio, opera, gratia, rebus adiuuiſſet: ille benigne exceptus applicuiſſet ſe, & ea mente fuiſſet, ut ſuo patrono relinqueret hæreditatem. aut certe dicebat, eum tanquam libertum fuiſſe, libertorum inteſtatorum hæredes patronos eſſe. Ius applicationis obſcurum & ignotum, propterea quod aut pauci aut nulli Romæ eo iure fuerant uſi, patefactum in iudicio atque illuſtratum eſt à patrono. De applicatione Terentius. Atticus quidam, inquit, olim naui fracta, apud Andrum eiectus eſt, & iſtac unà parua uirgo, Tum ille egens forte applicat Primum ad Chryſidis patrem ſe. De iure applicationis nihil ferè in iure ciuili, quod huc pertineat.

QVID, nuper cum ego C. Sergij Oratæ contra hunc noſtrum Anton. &c.] De Officijs lib. 3. fuſius hoc tractat exemplum. Marcus Marius Gratidianus, propinquus noſter, C. Sergio Oratæ uendiderat ædes eas quas ab eodem ipſe paucis ante annis emerat. Eæ Sergio ſeruiebant, ſed hoc in mancipio Marius non dixerat. adducta res in iudicium eſt. Oratam Craſſus, Gratidianum defendebat Antonius. Ius Craſſus urgebat, quòd uitium uenditor non dixiſſet, ſciens id oportere præſtari. Aequitatem Antonius: quoniam id uitium ignotum Sergio non fuiſſet, qui illas ædes uendidiſſet, nihil fuiſſe neceſſe dici: nec eum eſſe deceptum, qui id quod emerat, quo iure eſſet, teneret. Hæc ille. Vlpianus de actionibus empti. Hæc uera ſunt, ſi emptor ignorauit ſeruitutem, quia non uidetur eſſe celatus qui ſcit, nec certiorari debuit qui non ignorauit. Idem paulo ante. Ac de iure quidem prædiorum ſancitum eſt apud nos iure ciuili, ut in his uendendis uitia dicerentur quæ nota eſſent uenditori. Nam cum ex duodecim tabulis ſatis eſſet ea præſtari quæ eſſent lingua nuncupata, quæ qui inficiatus eſſet, dupli pœnam ſubiret, à iuriſconſultis etiam reticentiæ pœna eſt conſtituta. Quidquid enim eſt in prædio uitij, id ſtatuerunt, ſi uenditor ſciret, niſi nominatim dictum eſſet, præſtari oportere. Vlpianus in lege de Acquirendo rerum dominio. Si ſeruus fuit fundus, cum ſeruitutibus tranſit. ſi liber, uti fuit. Si quis fundum liberum dixerit, cum traderet eum qui ſeruus ſit, nihil iuris ſeruituti fundi detrahit, ueruntamen obligat ſe, debebitq; præſtare quod dixit. Oratæ dicti ſunt à piſcibus oratis. De lege mancipij, & hoc uerbo Præſtare, ſupra diximus. De ſeruitutibus prædiorum & urbanorum & ruſticorum leges permultæ in octauo Pandectarum.

QVO quidem in genere familiaris noſter M. Bucculeius, &c.] Marcus Bucculeius Craſſi familiaris, homo φιλόλογος, iuriſq; non omnino rudis, ædes L. Fuſio uendidit. In mancipio, id eſt, uenditione & traditione, ædium lumina ſicuti tum erant, ita recepit, hoc eſt, præſtaturum ſe Fuſio promiſit. Hic ſi non longe, tamen quodammodo errauit in conditione ponenda. Eſt hæc latius fuſa conditio, Lumina uti nunc ſunt, ita recipio: quæ & ad oculorum proſpectum omnem refertur. Strictior ineunda fuit, ut hæc, Lumina uti nunc ſunt, à propinquis rebus & ædificijs, quæ modo his feneſtris officere poſſunt, ita recipio. Fuſius autem ſimul atque, id eſt, cum primum, ædificari cœptum eſt in quadam parte urbis, quæ modo ex illis ædibus conſpici poſſet, egit ſtatim lege cum Bucculeio, quòd cuique particulæ cœli luminiſq; officeretur, hoc eſt, noceretur, quamuis eſſet procul, mutata lumina putabat. Certe mutatus erat proſpectus oculorum, non utiq; mutatum lumen ædium. Apud bonum iudicem uinceret æquitate Bucculeius, nihilominus tamen parum ſibi cauiſſe uideretur. Attende propietatem in iſtis: in mancipio, lumina recipere, cœptum eſt: ut ante, pecunia cœpta

deberi:

deberi: officeretur, mutare lumina, uerba ſunt legis, quæ non ſolent immutari niſi cum rerum uerborumq; imperiti loquuntur. QVID *uero clariſſima M. Curij cauſa & M. Coponij nuper apud, etc.]* *Poſthumus eſt, qui poſt mortem parentis naſcitur. Poſthumum inſtituit heredem, qui hereditatem relinquit ei, quem mater habet in utero. Hæredes enim iure ſunt poſthumi. Paulus: Antiqui libero uentri ita proſpexerunt, ut in tempus naſcendi omnia ei iura integra reſeruarent: ſicut apparet in iure hereditatum, in quibus qui poſt eum gradum ſunt agnationis, quo eſt is qui in utero eſt, nõ admittuntur, dum incertũ eſt an naſci poſſit. Idem. Sciendum illud eſt, ſi mulier prægnans non ſit, exiſtimetur autem prægnans eſſe, interim filium hæredem eſſe ex aſſe. Iuſtin. Poſthumi quoque liberi, uel hæredes inſtitui debent, uel exhæredari. Paterfamilias qui ſuſpicaretur uxorem grauidam eſſe, poſthumum ſcripſit hæredem, ſubſtituit & hæredem ſecundum, hoc modo. Quòd ſi poſthumus ante morietur, quàm in ſuam tutelam uenerit, M. Curius meus hæres eſto. Hæc conditio, Si poſthumus ante morietur, quàm in ſuã tutelam uenerit, controuerſiam fecit. Nam cum poſthumus nullus fuiſſet, Q. Scæuola, qui M. Coponium teſtatoris agnatũ, & lege agnationis agentem in hæreditatem, defendebat, ſcripto nitebatur aduerſus uoluntatem, uerba teſtamenti ſic eſſe, Tum Curium fore hæredem cum poſthumus ante tutelam mortuus erit. non poſſe eum mori, qui nullus unquam fuerit. hac igitur exceptione excluſum Curium. Craſſus autem non ſcriptum, ſed uoluntatem ſpectari oportere dicebat. Nemini dubium eſſe, quin teſtamenti conditor, ſi filius non eſſet qui in tutelam ueniret, Curium hæredem eſſe noluiſſet. Vterque uſus eſt authoritatibus, id eſt, reſponſis iuriſperitorum: exemplis eorũ qui uel ſcripto uel mente uiciſſent: teſtamentorum formulis, hoc eſt, comprehenſionibus quæ ſtare non poſſent, aliæ ſi à ſcripto diſcederetur, aliæ ſi uerba nõ mentem ſequi oporteret. Cicero pro Cecinna authoritatibus & exemplis & formulis grauiter utitur, & hanc cauſam commemorat. Non occurrit, inquit, unicuique ueſtrum aliud alij in omni genere exemplum, quod teſtimonio ſit, non ex uerbis aptum pendere ius, ſed uerba ſeruire hominum conſilijs & authoritatibus? Ornate & copioſe L. Craſſus homo longe loquentiſſimus, paulo ante quàm nos in forum uenimus, iudicio centumuirali hanc ſententiam defendit: et facile, cum cõtra eum prudentiſſimus homo Q. Mutius diceret, probauit omnibus, M. Curium qui hæres eſſet inſtitutus ita, mortuo poſthumo filio: cum filius non modo non mortuus, ſed ne natus quidem eſſet, hæredem eſſe oportere. Quid? uerbis ſatis hoc cautũ erat? Minime. Quæ res igitur ualuit? Voluntas. Deinde proponit formulas. Si noles intelligere quæ formulæ ad eiuſmodi cauſas ualeant, eam orationem perlegito. Eo iudicio uictus Scæuola diſſeſſit. Subdit igitur, Et hoc loco Scæuolam dixiſti cauſam apud Centumuiros non tenuiſſe. Idem in Bruto. In interpretando, in definiendo, in explicanda æquitate nihil erat Craſſo copioſius: idq; cum ſæpe alias, tum apud Centumuiros in M. Curij cauſa cognitum eſt. Ita enim multa tum contra ſcriptũ pro æquo & bono dixit, ut hominẽ acutiſſimũ Q. Scæuolam, & in iure in quo illa cauſa uertebatur, peritiſſimũ, obrueret argumentorum exemplorumq; copia: atque ita tum ab iis patronis æqualibus etiam conſularibus cauſa illa dicta eſt, cũ uterque ex contraria parte ius ciuile defenderet, ut eloquentiũ iuriſperitiſſimus Craſſus, iuriſperitorum eloquentiſſimus Scæuola putaretur: qui quidem cum peracutus eſſet (de Scæuola loquitur) ad excogitandum quid in iure aut in æquo uerum aut eſſet aut non eſſet, tum uerbis erat ad rem cũ ſumma breuitate mirabiliter aptus. Quare ſit nobis orator in hoc interpretandi explanandiq; & diſſerendi genere mirabilis, ſic ut ſimile nihil uiderim: in augendo, in ornando, in refellendo magis exiſtimator metuendus, quàm admirandus orator. Paulo ultra controuerſiam totam fuſiſſime exponit. utile fuerit uidiſſe locum: uerba tam multa adſcribi commentario noluimus. Aequales ſunt, eiuſdem ætatis homines, & æque natu magni. Collegam Craſſi fuiſſe Q. Scæuolam in conſulatu, ante ſcripſimus. Limatus eſt, è cuius oratione nihil ferè remouere poſſis, quin totã imaginem demoliare. Subtilis, qui acuta quædam & à ſenſu remota tractat, minuta quidem & parua. Nam ſubtilitati grauitas oppoſita eſt. In ſuam tutelam ueniſſe, eſt ſui iuris eſſe, non tutoris, et per ætatem teſtamentum facere poſſe. Mens eſt, ſententia & uoluntas. Secundum poſthumũ dixit, pro eo quod erat durũ, poſt poſthumum.* OMITTO *iam plura exempla cauſarum ampliſſimarum, &c.]* *De Mancino Florus in Epitome: C. Hoſtilio Mancino conſule ſacrificante, pulli ex cauea euolarunt. conſcendenti deinde nauim, ut in Hiſpaniam proficiſceretur, accidit audiri. Mane Mancine. C. Mancino auſpicia triſtia fuiſſe probatum eſt. Victus enim à Numantinis, & caſtris exutus, cum ſpes nulla ſeruandi exercitus eſſet, pacem cum iis fecit ignominioſam, quam ratam eſſe Senatus uetuit. Triginta millia Romanorum à Numantinorum millibus quatuor uicta erant. Suæ deditionis author fuit Mancinus. Cicero de Officijs tertio. Deditionis ipſe Poſthumius, qui dedebatur, ſuaſor et author fuit. Quod idem multis annis poſt C. Mancinus: qui ut Numantinis (quibus cum ſine Senatus authoritate fœdus fecerat) dederetur, rogationem ſuaſit eam quam L. Furius & Sextus Attilius ex ſenatuſconſulto ferebant, qua accepta eſt hoſtibus deditus. hæc ille. Cum Mancinum Numantini non recepiſſent, & ille domum reueniſſet, quæſitum eſt an ullum eſſet ei poſtliminium. Poſtliminium (ut definit Paulus iuriſconſul.) eſt ius amiſſæ rei recuperandæ ab extraneo, et in ſtatum priſtinum reſtituendæ, inter nos ac liberos omnes populos regeſq; moribus ac legibus cõſtitutum. Nam quod bello amiſimus, aut etiã circa bellum, hoc ſi rurſus recipiamus, dicimur poſtliminio recipere. Dicitur poſtliminium, quod res in idem limẽ unde exierat, poſtea reuertatur. Cicero in Topicis. Multa igitur in diſputando notatione eliciuntur ex uerbo: ut cum quæritur poſtliminium quid ſit, non dico quæ ſint poſtliminij. nam id caderet in diuiſionem, quæ talis eſt. Poſtliminio redeunt hæc, homo, nauis, mulus clitellarius, equus, equa, quæ frena recipere ſolet. ſed cum ipſius poſtliminij uis quæritur, & uerbum ipſum notatur, in quo Seruius noſter (ut opinor) nihil putat eſſe notandum, niſi poſt, & liminium illud productionem eſſe uerbi uult, ut in finitimo, legitimo, æditimo, non plus ineſſe timum, quàm in meditullio tullium. Scæuola autem Publij filius iunctum putat eſſe uerbum, ut ſit in eo & poſt, & limen: ut quæ à nobis alienata ſunt, cũ ad hoſtem peruenerint, et ex ſuo tanquam limine exierint, hinc cum redierint poſt ad idem limen, poſtliminio uideãtur rediiſſe. Quo in genere etiam Mancini cauſa defendi poteſt, poſtliminio rediiſſe, deditum non eſſe, quoniam nõ ſit receptus. Nam neq; deditionem neq; donationem ſine acceptione intelligi poſſe. hæc ille. In eo controuerſia eſt, an deditus et non receptus, habendus ſit pro dedito et recepto. Accuſator utitur antiqua lege. Quem pater ſuus, aut populus uendiderit, aut pater patratus dediderit, ei nullum poſtliminium eſto. Deditum Mancinum fuiſſe confirmat. Defenſor autem negat eſſe deditionẽ ſine acceptione. Agitur itaque de ordine, ſit'ne Senator an non Mancinus? De ciuitate, ſit nec ne ciuis? De libertate, an ſeruus an liber? De capite hominis conſularis, an diminuerit caput, an in exiliũ exturbandus, an'ne perdendus ſit? De cauſa Cicero pro Cecinna. Quid? quem pater patratus dedidit, aut ſuus pater populus'ue uendidit, quo is iure amittit ciuitatem? Vt religione ciuitas ſoluatur, ciuis Romanus traditur: qui cum eſt acceptus, eſt eorũ quibus eſt deditus. Si non accipiunt, ut Mancinum Numantini, retinet integram cauſam, & ius ciuitatis. Hæc autem cauſa non in crimine aliquo, quod ille poſſit inficiari (notum eſt enim*

quòd fœdus percuſſerit) ſed in ciuili iure conſiſtit, ſit'ne iure poſtliminium deditio à patre patrato. Erat autem pater patratus, unus ex quatuor Fœcialibus, mitti ſolitis ad res repetendas, ad indicenda bella, ad fœdera ferienda. Is à Fœciali fieri ſolebat. Liuius primo ab urbe condita Fœcialis erat M. Valerius. Is patrem patratum Sp. Fuſium fecit, uerbena caput capilloſq; tangens. Pater patratus ad iuſiurandum patrandum, id eſt, ſanciendum fit: fœdus, multiſq; id uerbis, peragit. De poſtliminio agitur libro 49. Digeſt. An qui hoſtibus deditus, reuerſus, nec à nobis receptus eſt, ciuis Romanus ſit, inter Brutum et Scæuolam uarie tractatum eſt: & conſequens eſt ut ciuitatem nõ adipiſcatur. Ex his collige rem fuiſſe controuerſam. SIMILIQVE in genere inferiore ordine ſi quis apud nos ſeruiſſet, &c.] Inter hoſtes proprie dicitur poſtliminium, non inter fœderatos. Digeſt. de captiuis & poſtliminio. Non dubito quin fœderati et liberi, nobis extranei non ſint, nec inter nos atque eos poſtliminiũ eſſe. Etenim quid inter nos atque eos poſtliminio opus eſt? cum & illi apud nos & libertatem ſuam, & dominium rerum ſuarum æque atque apud ſe retineant, et eadem nobis apud eos contingant? Qui fuerat liber in populo fœderato, id eſt, cui fœdus erat cum populo Rom. poſtea Romæ ſeruitutem ſeruijt. liberatus ea ſeruitute, domum reuerſus, receptus non eſt. quæſitum eſt apud maiores, num is ad ſuos poſtliminio rediſſet, et amiſiſſet hanc ciuitatem? In utranque partem res trahi poteſt. Etenim ſeruus manumiſſus fit liber, et ciuis illius ciuitatis in qua ſeruijt. Si quis itaque Romæ ſeruijt, uidetur ciuis Romanus eſſe factus cum ſe liberauit. Qui manumittebantur, inquit Iuſtinianus, modo maiorem et iuſtã libertatẽ conſequebantur, & fiebant ciues Romani. Vlpianus. Libertini originem patronorum uel domicilium ſequuntur. Cicero pro Cornelio Balbo. Seruos, quorum uis et fortunæ conditio infima eſt, bene de Repub. meritos, perſæpe libertate, id eſt ciuitate publice donari uidebamus. Duarum autem ciuitatum ciuis eſſe iure Romano nemo poterat. Cicero in eadem oratione. Duarum ciuitatum ciuis eſſe noſtro iure ciuili nemo poteſt. Ciuitatem mutare poteſt qui uelit. In eadem oratione. Iure noſtro neque mutare ciuitatem quiſquam inuitus poteſt, neque ſi uelit, mutare non poteſt, modo adſciſcatur ab ea ciuitate, cuius eſſe ſe ciuitatis uelit. Ex his colligere facile eſt, hunc qui ſe liberauit, & domũ receptus eſt, amiciſſe Romanam ciuitatem: qui non eſt receptus, et iure poſtliminij egit, hanc mouiſſe controuerſiam. Vt autem egit, ſi inter Romanos & fœderatos nullum eſt poſtliminium? Id quidem obijcere poſſunt aduerſarij: at etiam fœderatis poſtliminium eſt. Cicero in eadem oratione. Sed etiam, inquit, poſtliminio poteſt ciuitatis fieri mutatio. Neque enim ſine cauſa de Cn. Publicio Menandro libertino homine ad populum latum, ut is Publicius ſi domum reuertiſſet, & inde Romam rediſſet, ne minus ciuis eſſet. Paulo poſt. Ciui Romano licet eſſe Gaditanum ſine exilio, ſine poſtliminio. Erant enim Gaditani fœderati. QVID de libertate, qua iudicium grauius eſſe nullum poteſt, &c.] Seruius Tullius regum Romanorum ſextus, cenſum inſtituit, ex quo belli paciſq; munia pro habitu pecuniarum fierent. Claſſes, centurias, & ordines ex cenſu deſcripſit, uel paci uel bello decoros. Cenſu perfecto edixit, ut omnes ciues Romani, equites peditesq; in ſuis quiſque centurijs in campo Martio prima luce adeſſent. ibi inſtructum exercitum omnem, ſue, oue, tauro luſtrauit: idq; conditum luſtrum appellatum, quia in cenſendo finis factus eſt. hæc ferè Liuius. Id poſtea tenuere Cenſores, ut populum recenſerent, nomina ciuiũ & eorum cenſum in tabulas referrent, ac tandem luſtrum conderent, hoc eſt, cenſum facto de more ſacro perficerent. Liuius Decad. prima, libro decimo. Luſtrum conditum eo anno eſt à P. Cornelio Aruina, C. Martio Rutilo cenſoribus: cenſa capitum millia ducenta ſexaginta duo, trecenta uiginti duo. Cenſores uiceſimiſexti à primoribus cenſoribus, luſtrum undeuiceſimũ fuit. Cenſentur autem ciuium capita. ſeruus nullum caput habuit, ut eſt in iure de Diminutione capitis. ſeruus igitur non cenſetur. itaque ſi domini uoluntate cenſus eſt, manumiſſus ac ciuis factus intelligitur. Exoritur tamen lis et controuerſia, num ſatis ſit apud cenſores nomen & rem profiteri? an uero cenſus omnis ante luſtrum conditum ſit imperfectus, & eodem modo imperfecta libertas? Id quale ſit, nihil ad rem præſentem. Non agimus iudices, ſed interpretes. Interpres egredi limitibus circunſcriptis ab authore non debet. Author autem non de euentu, ſed de controuerſia iuris ac diſputatione media loquitur. QVID, quod uſu, memoria patrum uenit, ut paterfamilias, &c.] Romanis haud licebat plures ſimul uxores habere. Ille mos barbarorum eſt, uni uiro duas aut plures fœminas connubia iungi. Cicero in Verrem. Solere aiunt barbaros reges Perſarum ac Syrorum plures uxores habere. Licebat autem uxorem aliqua de cauſa repudiare. In repudijs, id eſt, in renunciationibus (inquit Caius iuriſperitus) comprobata ſunt hæc uerba, Res tuas tibi habeto. Item hæc, Tuas res tibi agito. Siue autẽ ipſi præſenti renũcietur, ſiue abſenti, per eũ qui in poteſtate eius ſit, cuius'ue is ea'ue in poteſtate ſit, nihil intereſt. Quidam paterfamilias uxorem prægnantem in Hiſpania reliquit, Romam profectus alteram duxit, neque priori nuncium remiſit, id eſt, per nuncium abſenti non renunciauit. mortuus eſt inteſtato. quæſitum eſt, ſecunda'ne fuiſſet uxor, an concubina: an filius ex ea natus legitimus eſſet, an uero nothus? Certamen eſt anceps. Alijs ita uidetur, certis quibuſdam uerbis iure definitis diuortium fieri oportere, nõ ita factum eſſe, ſecundam igitur in concubinæ locum ducendam. Alij non uerbis, ſed mente ſola opus eſſe contendunt, eum qui ducat alteram, ſatis indicare mẽtem, atque tacito quodam ſenſu priorem repudiare. Hanc ſententiam de tacito conſenſu recentiores iuriſperiti nõ probant. Hinc ex ſcripto & ſententia quæſtio mouetur. Vſu uenit, accidit. memoria patrum, proxime exacto ſeculo. Inteſtato, non condito teſtamento. De duobus ciuium capitibus, ſcilicet de puero qui ex poſteriore natus erat, & eius matre. HAEC igitur & horum ſimilia iura ſuæ ciuitatis ignorantem, &c.] Cum ſit hæc exhortatio ad ius ciuile capeſſendi, & exhortationis loci ſint ab honeſto, ab utili, à facili, à iucundo: iamq; demonſtratum ſit exemplis, turpe & inutile eſſe ciuile ius ignorare, contra pulchrum ac utile eam tenere prudentiam: ueniendum eſt ad facilitatem, quæ diſcentibus metum laboris aufert. Nihil autem differt in utro contrariorum diſputatio uerſetur. nam ſiue honeſtos ac uerecundos eſſe demonſtres eos qui ualeant arte iuris, ſiue impudentes ac fœdos qui neſciant, ſiue dicas artẽ eſſe facilem, ſiue tollas eius obſcuritatem, in idem propemodum redit. Vt autem rerum ordinem perſpicere poſſis, meminiſſe te oportet illius quaſi partitionis, quã ante diſtribuit his uerbis. Cæteros uero non dubitabo primũ inertiæ condemnare ſententia mea, poſt etiam impudentiæ. De impudentia priore loco dixit, poſtea de inertia, quamuis aliter propoſuiſſe uidebatur. Nec ante uenit ad inertiam & ſegnitiem, quàm poſitis exemplis oſtendiſſet quid potiſſimum ex illis eſſet effectum. Ab impudentia tranſit ad inertiam: inertiam autem rei facilitate demonſtrat, facilitatem oſtendit obſcuritate ſublata. Cauſas obſcuritatis duas affert, ambitionem ueterum, et incompoſitam rerum tractationem. Hæc igitur & horum ſimilia iura ſuæ ciuitatis ignorantem, turpe flagitioſumq; eſt uagari foro erectum more inſolentis arrogantiæ, & celſum ritu alta ſapientiũ atque audacium, huc atque illuc intuentem, uti ſolent qui ſe popello uenditant, & omnium oculos in ſe conuerſos arbitrantur, homines φιλαύτους, & ſui admiratores, & alacrem & promptũ ore ac uultu, hoc eſt, ſublimem & celerem, & quaſi magna ſpe geſtientem, ore, quæ dicitur uulgo facies, uultu, quod animi

indicium

indicium eſt in ore, porrigentem, id eſt, ultro tendentē præſidiū ac defenſionem clientibus qui patronum ſequūtur, opem et auxilium amicis, & prope cunctis ciuibus lucem ac prudentiam ingenij & conſilij ſui: hunc inquam, ſic uagari toto foro, in primis flagitioſum putandum eſt. Hæc ſuperiorū complexio eſt. Tranſit alio. Et quoniam de impudentia dixi, caſtigemus etiā ſegnitiem hominum atque inertiam, hoc eſt, languorem animi & tarditatem ad labores arteſq; capeſſendas. Conſtituit propoſitionem bipartitam, et enthymema duplex. Nam ſi eſſet iſta cognitio iuris magna ac difficilis, diſcenda tamen eſſet. quamobrem? propter utilitatis magnitudinem. Nullius artis facilior cognitio eſt. Qui probari poteſt? authoritate Sceuolæ, qui de ſua arte optime iudicare poteſt. Quid igitur à pleriſque aliter exiſtimatur? quia ueteres peruulgari artem ſuam noluerunt, quia indigeſtam confuſamq; tradiderunt. De facilitate iuris, Cicero pro Murena. Difficilis, inquit, res ideo non putatur, quòd & perpaucis, & minime obſcuris literis continetur. Itaque ſi mihi homini uehementer occupato ſtomachum moueritis, triduo me iuriſconſultum, eſſe profitebor. In eadem oratione. Poſſet agi lege nec'ne pauci quondam ſciebant. faſtos enim uulgo non habebant. Erant in magna potentia qui conſulebantur, à quibus etiam dies, tanquam à Chaldæis, petebantur. Inuentus eſt ſcriba quidam Cn. Flauius, qui cornicum oculos confixerit, & ſingulis diebus ediſcendos faſtos populo propoſuerit, & ab ipſis cautis iureconſultis eorum ſapientiam compilarit. Itaque irati illi, quòd ſunt ueriti ne dierum ratione peruulgata et cognita ſine opera ſua lege poſſet agi, notas quaſdam compoſuerūt, ut omnibus in rebus ipſi intereſſent. In his à ueritate nonnihil recedit, quoniam ſe cauſæ & temporibus accommodat. Pomponius Digeſt. libro primo. Eodem penè tempore tria hæc iura nata ſunt, leges duodecim tabularum, ex his fluere cœpit ius ciuile, ex iiſdem legis actiones compoſitæ ſunt. Omnium tamen harū & interpretandi ſcientia, & actiones, apud collegium pontificum erant, ex quibus conſtituebatur quis quoque anno præeſſet priuatis. Et fere populus annis prope centum hac conſuetudine uſus eſt. Poſtea cum Appius Claudius compoſuiſſet & ad formam redegiſſet has actiones, Cn. Flauius ſcriba eius libertini filius, ſurreptum librum populo tradidit: & adeo gratū fuit id munus populo, ut Tribunus plebis fieret, & Senator, et Aedilis curulis. hic liber qui actiones continet, appellatur ius Flauianum. Hæc ille. Liuius Decad. prima, libro nono. Eodem anno Cn. Flauius, Cn. filius ſcriba, patre libertino, humili fortuni ortus, cæterum callidus uir & facundus, Aedilis curulis fuit. Contumacia aduerſus contemnentes humilitatem ſuam nobiles certauit. Ciuile ius repoſitum in penetralibus pontificum euulgauit, faſtoſq; circa forum in albo propoſuit, ut quando lege agi poſſet, ſciretur. Poſtea nulli fuerunt qui illa artificioſe digeſta generatim componerent. Q. Mutius Pub. filius pontifex maximus ius ciuile conſtituit, generatim in libros decem & octo redigendo. poſtea multorū libri digeſti ſunt ab Aufidio Namuſa in 140. libros. Neuter illorum quod expetitur aſſecutus eſt, & adhuc res manet rudis & indigeſta. Hanc gloriam opto Ranconeto iuriſperitorum eloquentiſſimo, eloquentium iuriſperitiſſimo, cuius opera conſilioq; frequenter uſus ſum in illuſtrandis obſcurioribus locis. Ingenium uiro ſummum eſt, prudentia longe maxima, eximium ſtudium literarum, linguarum et artium prope omnium cognitio, antiquitatum ſcientia, eloquentiæ et iuris præſentiſſima facultas. Cum his uirtus & integritas ea quæ fructu ueræ gloriæ non ſit indigna. Deus opt. Max. det ut illud conficiat opus, quod tot ante ſæculis deſideratum eſt. Habet illā ſcientiam, uidelicet philoſophiam, ut ex iis rebus quarū ars nondum ſit, artem efficere poſſit: & illa tenet iura, quorum artem inſtitui bonum ſit. Ad hæc explicemus uerba perpauca. Edere eſt euulgare, publicare. Exponere non dixit hic interpretari, ſed euulgare quæ latebant. Digeſta, ordinata. Generatim, per genera, uariaſq; rerum naturas. Componerent, ſuo quæque loco inſtruerent. Hoc uideo dum breuiter uoluerim dicere, dictum à me eſſe paulo obſcurius. Horatius: Breuis eſſe laboro, Obſcurus fio. Obſcurum fit aut longitudine, aut contractione orationis, aut ambiguitate, aut inflexione atque immutatione uerborum. Hæc Cicero in Partitionibus. OMNIA ferè quæ ſunt cōcluſa nunc artibus, diſperſa et diſſipata, &c.] Quæ ſit artis faciendæ ratio, breuiter oſtendit. Id enim facit & ad ius ciuile componendum, & ad quæſtiones tractandas, quæ ſubijciuntur oratori. Ex artibus confectis atque digeſtis qui ſimiles conficiq; digeriq; debeant, perſpicue demonſtrat. In arte facienda duo conſiderantur, finis, & diſtributio. Nam quòd ad finem tendunt omnia, proſpiciendus ab initio finis, ad quem quaſi ad ſcopum præcepta diriguntur. deinde diſtribuenda ex ordine genera, tum generum ſpecies et partes, atque definienda ſunt. Ratio διαιρετικὴ à quibuſdam philoſophorum nominatur. Quoniam autem philoſophorum eſt genera tum ſuprema tum media & infima cognoſcere, formas ſpecieſq; generibus ſubijcire, definire, diuidere, hanc illis condendæ artis ſubijcit facultatem. Res muſicas diuidit in numeros, in uoces, in modos. Numerus eſt rhythmus, qui pertinet ad geſtum quendam. Sic autem definitur à Martiano Capella: Numerus eſt compoſitio quædam ex ſenſibilibus collocata temporibus, ad aliquē habitum ordinemq; connexa. Corporis eſt numerus, cum apte mouetur. Eſt etiam orationis, ex apto decentiq; motu pedum. Eſt ſonorū, ex arſi atque theſi. Hæc interdum coniungi uidemus, cū uerba digeſta atque compoſita conueniente ſono enunciantur, adhibito geſtu corporis aut oratorio, aut mimico, aut ſaltatorio. Vocis ratione Ariſtoxenus muſicus, teſte Quintiliano, diuidit in ῥυθμὸν καὶ μέλος ἔμμετρον, quorum alterum modulatione, canore alterum ac ſonis conſtat. Vox eſt modulationis elementum. Vocum alia intenſa, alia remiſſa, alia flexa. Item alia grauiſſima, alia acutiſſima, alia media. media autem multiplex eſt. Item alia cōtinua, alia diuiſa. Item alia eſt oris, alia neruorum, ac ſonantium corporum. Voces & ſoni in muſica per omnes tropos numero ſunt decem & ſeptem, de quibus in præſentia nihil attinet dicere. Ex numeris & uocibus eſt modus, ſiue modulatio, quæ eſt ſoni multiplicis expreſſio. Ea triplex eſt, ſicuti uox. Nam Hypatoides grauioribus ſonis conſtat, Meſoides medijs, Netoidis acutis. Item alia modulatio dicitur enarmios, alia chromatica, alia diatonos. Geometria proprie ars eſt terræ demetiendæ, ſed et ad alias menſuras pertinet. In geometria conſiderantur lineamenta, formæ, interualla, magnitudines. Lineamenta, linearum ductus. Linea græce γραμμὴ, ſine latitudine longitudo. Extrema lineæ puncta ſunt. Formæ ſunt figuræ. Formarum duo genera. unum ἐπίπεδον, id eſt, planum. eius principium eſt punctum, cuius pars nihil eſt. Alterum στερεὸν, id eſt ſolidum: cuius principium eſt ſuperficies, quæ longitudinem & latitudinē tantū habet. Vtrūque genus multas habet ſpecies, quas apud Euclidem legere potes. Forma eſt, quæ termino uel terminis cōtinetur, ut rotunda, quadrata, procera, triquetra. Interuallum, ſpacium eſt magnitudinibus interceptum. aliud eſt inter lineas, aliud inter ſuperficies, aliud inter altitudines. Item aliud par, aliud impar. Hinc interualla columnarum, cellarum, inſularum, ædium: interualla orbium, interualla ſiderū. Plinius libro ſecundo: Interualla quoque ſiderum à terra multi indagare tentauerunt. Interuallum non eſt inane ſpatium, quandoquidem nihil in natura uacuum eſt, ſed magnitudinis à magnitudine interiectio diſtans. Magnitudo proprie quantitas eſt continua, non diſcreta. numeri enim multi potius quàm magni eſſe dicuntur. Itaque omnis magnitudo eſt quantitas: contra, non omnis quantitas eſt magnitudo. Proprium magnitudinis eſt minus aliquid amplecti, aut ad paritatū referri. Magnitudo, æqualis aut inæqualis dicitur. Alia

aut eſt in linea, alia in ſuperficie, alia in altitudine. De magnitudinibus Euclides plurima in proportionibus. Aſtrologia eſt aſtrorum ratio. uerſatur in cœli conuerſione, in ortu, obitu, motuq; ſiderum. Cœli conuerſio, eſt cœli reuolutio, & quaſi rotatus. Cœli ab omnibus ferè nouem eſſe dicuntur, à quibuſdam plures. Ariſtoteles octo ponit. Supremi unus eſt motus ab oriente ad occidentem. Hoc reliquos orbes ſecum rapere fertur, ac circumuoluere ſpatio horarum quatuor & uiginti. Octaui motus eſt præter communem proprius, qui ſuperiori renititur, uiamq; molitur ab occidente ad orientem. In eo ſidera ſunt omnia quæ fixa dicuntur, quorum multitudo innumerabilis, in octo et quadraginta ſigna colligitur. Ea ſunt, aries, taurus, gemini, cancer, leo, uirgo, libra, ſcorpius, ſagittarius, capricornus, aquarius, piſces, draco, urſa maior, urſa minor, bootes, corona, anguis, engonaſis, lyra, olor, circulus, cepheus, caſſiopeia, andromeda, perſeus, caput meduſæ, auriga, anguis ophiuci, ophiucus, ſagitta, aquila, delphin, pegaſus, deltoton, cetus, eridanus, lepus, orion, canicula, procyon, argo, chiron, ara, hydra, crater, coruus, piſcis notius. Ex his alia ſunt aquilonia, alia auſtrina, alia media. Omnia duplices habent motus, quemadmodum et cœlum in quo fixa ſunt. Ortus eorum & obitus eſt duplex: alter celebratur à poetis, alter ab aſtrologis Poetæ ſidus emergere dicunt, aut id quod cum ſole in ortum rapitur, aut quod oritur ab ſolis occaſu, aut quod ante uicinia ſolis occultum deiñ latere. Aſtrologi referunt ortum & obitum ad medium circulum, qui dicitur æquator. nam cum pars eius circuli, cum qua fertur ſignum, emergit in cœlum noſtrum, tum illud oritur ſignum. Eadem ratione de obitu dicendum eſt. Sunt præterea cœli planetarum numero ſeptem. Primum Lunæ, alterum Mercurij, tertium Veneris, quartum Solis, quintum Martis, ſextum Iouis, ſeptimum Saturni. his proprij ſunt motus, atque communes. Planetæ uarie mouentur, quamobrem appellantur errones: nec eorum eadem eſt celeritas. Saturnus enim ſpatium metitur annis triginta, Iupiter duodecim, Mars duobus, Sol trecentis ſexagintaquinque diebus, & horis ſex. Venus & Mercurius ſimiliter. Luna ſeptem & uiginti diebus, & horis octo. Sed quo progredimur? Non eſt muneris noſtri hæc tā multis explicare. Grammatica in duas partes diuiditur, in recte loquendi ſcientiam, & poetarum hiſtoricorumq; enarrationem. Scribendi ratio coniūcta cum loquendo eſt, & enarrationem præcedit emendata lectio: & mixtum his omnibus iudicium eſt. hæc Quintilianus. Cicero quatuor eius facit partes: unam quæ uerſetur in pertractandis & explicandis poetis, in quo genere Seruius & Donatus grammatici appellantur, et ij quoque qui ſpatia ſyllabarum & quantitates, qui pedes poeticos & metrorum genera tradūt, qui tropos & fabulas explicant. Alteram, quæ in hiſtoriarum cognitione ſit, unde grammatici, ſicut à poetis et oratoribus uerborum ſignificationes, inflexiones, ſyntaximq; deſumunt, emendate & proprie loquendi rationem eliciunt. Aliam, uerborum interpretationem, quam nonnulli dixerunt etymologiam, id eſt, ueriloquium, mollius notationem. eius eſt, propriam uerbi naturam explicare. Quartam, pronunciandi quendam ſonum: quod quidem non modo quantitatem uerborum, & accentum, ſed etiam uocem ſuauem, liberalem, urbanam requirit. De ſono uocis in tertio: Nolo, inquit, exprimi literas putidius, nolo obſcurari negligentius, nolo uerba exiliter exanimata exire, nolo inflata & anhelata grauius. Nam de uoce nondum ea dico quæ ſunt actionis, ſed hoc quod mihi cum ſermone quaſi coniunctum uidetur. Sunt enim certa uitia, quæ nemo eſt quin effugere cupiat, mollis uox ut muliebris, aut quaſi extra modū abſona atq; abſurda. Eſt autem uitium, quod nonnulli de induſtria conſectantur. Ruſtica uox & agreſtis quoſdam delectat, quo magis antiquitatem, ſi ita ſonet, eorum ſermo retinere uideatur. Lege quæ ſequuntur. Rhetorica eſt bene dicendi ſcientia. Partes eius quinque numerantur: inuentio ſiue excogitatio, elocutio ſiue ornatus, diſpoſitio, memoria, actio ſiue pronunciatio. Hæc et ſuperiora ignota quondam omnibus, & diffuſa late uidebantur. Adhibita eſt igitur ars quædam extrinſecus, hoc eſt, ex alio genere quodam, quod ſibi totum philoſophi aſſumunt, propter eas rationes quas ante diximus. Cognitio philoſophiæ, ratio diuidendi, partiendi, definiendi, rem diſſolutam diuulſamq; conglutinauit. SIT ergo in iure ciuili finis hic, legitime atque uſitate in rebus, &c.] In digerendo iure ciuili principio inſpiciendus eſt finis, quò præcepta contendunt omnia deinde genera, poſtea partes, generum partiumq; nomina definienda. In iure ciuili finis eſt, legitime atque uſitate in rebus cauſiſq; ciuiū æqualitatis conſeruatio. Aequalitas eſt æquabilitas, quæ dicitur à Græcis ἰσονομία, quando citra gratiam fauoremq; perſonarum minimus quiſque non aliter quā ſummi principes ius obtinet. eò ſane ius ciuile tendit. Aequalitas dici poteſt æquitas. Ea conſtat natura & inſtituto. natura partes habet duas, tuitionē ſui, & ulciſcendi ius. Inſtitutio autem æquitatis tripartita eſt: una pars legitima eſt, altera conueniens, tertia moris uetuſtate confirmata. Aeque etiam rurſus æquitas tripartita dicitur eſſe: una ad ſuperos deos, altera ad manes, tertia ad homines pertinere. prima pietas, ſecunda ſanctitas, tertia iuſtitia aut æquitas nominatur. Hæc Cicero in Topicis. Ius ciuile legibus & moribus conſtat. Significat his uerbis, legitime & uſitate. Sit igitur hic finis, æquitatis conſeruatio in cauſis ciuium ad legum morumq; rationem. Vlpianus hunc ſtatuit finem, honeſte uiuere, alterum non lædere, ius ſuum cuique tribuere. Omne ius autē (ut ait Modeſtinus) aut conſenſus fecit, aut neceſſitas cōſtituit, aut firmauit conſuetudo. Conſuetudo eſt altera lex, & legum interpres. Paulus iuriſconſul. In ambiguitatibus, quæ ex legibus proficiſcuntur, conſuetudo uim legis obtinere debet. Optima enim eſt legum interpres conſuetudo. Genera iuris quæ ſint, nō opus eſt explicare: ſtultum quidem eſt limites conſtitutos prætergredi, et quod noluerit ſcriptor, id proponere interpretem, cui ſequenda ſunt aliena ueſtigia. Ad hæc, genera & ſpecies iuris nondum deſcripta & ordine conſtituta ſunt, quia non eſt in artem redactum. Genera in arte pauca proponuntur, quoniam in multo numero obſcuritas eſt, explicationi contraria. Euitanda maxime, inquit Quintilianus, conciſa nimium & uelut articuloſa partitio. Diuiſio breuis eſt melior: ut ius aliud publicum, aliud priuatum. Publicum aliud in ſacris et ſacerdotiis, aliud in magiſtratibus conſiſtit. Priuatū, aut eſt ex naturalibus præceptis, aut gentiū, aut ciuilibus. Ius ciuile, aliud ex legibus, aliud ex plebiſcitis, aliud ex ſenatuſconſultis, aliud ex decretis principum, aliud ex authoritate prudentium eſt. Sic itur paulatim à diuiſione ad inferiorem diuiſionem. Genus id eſt, quod ſui ſimiles cōmunione quadam, ſpecie autem differentes, duas aut plures complectitur partes. ut animal eſt genus: duæ ſunt eius ſpecies, homo, beſtia, quæ nominantur à Cicerone partes. Homo et beſtia ſpecie differunt: nam homo, rationalis: beſtia, irrationalis. tamen ſui ſimiles ſunt communione quadam, ideſt communicatione generis. habent enim commune genus, & in hoc ſimiles ſunt, quòd anima uiuūt. Virtus eſt genus, quatuor illius formæ ſpecie differentes, quia definitiones earū re ipſa uariæ ſunt, prudentia, fortitudo, iuſtitia, temperantia: nihilominus ſimiles ſunt inter ſe communione generis, quam nonnulli participationem uocant. Scimus illud, cum de formis genus dicitur, hoc modo, prudentia eſt uirtus, fortitudo eſt uirtus. omnes enim communione generis ſui, habitus laudabiles. Aliter ſcire poſſumus à definitionibus, quæ genere & proprietate conſtant. Partes ſunt, quæ generibus ijs ex quibus emanāt, id eſt exeūt, ut à fonte riui, ſubijciuntur: ut terra, mare, aer, ignis, ſubijciuntur elemento. Nomina generum uel partium, definitionibus quam uim habeant, eſt exprimendū: ut ſi definias hoc modo, Ius eſt ars boni

& æqui

& æqui, Ius publicum eſt quod ad ſtatum Reip. ſpectat, Ius priuatum eſt, quod ad ſingulorum utilitatem pertinet. Definitio eſt earum rerum quæ ſunt eius rei propriæ, quam definire uolumus, breuis & circumſcripta quædam explicatio. Senſus eſt: Definitio eſt quædam explicatio & expoſitio rerum, non illa fuſa, cuiuſmodi narratio eſt, ſed breuis et circumſcripta, id eſt, breuiter comprehenſa, quæ proprietatibus conſtat. Proprietates accipimus, aut differentias, aut propria, aut etiam communia in unum coacta, ut aliquid proprium tandem ſignificent. Animal rationale, definitio hominis eſt, & breuis atque circumſcripta earum rerum explicatio, quæ ſunt hominis propria, quem definire uolumus. Quid? inquies, animal & rationale non ſunt hominis propria? nequaquam, ſi more dialecticorum loquamur. At (ut ante dixi) proprietates à Cicerone dictæ latius euagantur. ſunt enim ea omnia, quæ propriam rei uim naturamq; demonſtrant. Demonſtrant autem genus et differentia. Item genus & proprium, ut, rhetorice eſt bene dicendi ſcientia. Item multa communia, ut, homo eſt animal bipes, implume, oris in cœlum erecti, ac ſpinæ recte ſedentis. Cum multa ſint genera finiendi, nullum repudiare debet is qui condit artem, quia nó ſemper uno modo definire poteſt: & ſi forte poſſet, ſæpe tamen uti uarietate præſtaret. Vidit is qui littus definiuit, quà fluctus alludit. Si mihi facere licuerit, hoc ipſe de ſe Cicero in perſona Craſſi dicere uidetur. quantum poſſet, oſtendit in traducenda philoſophia Græcorum. Scripſit libellum de iure ciuili in artem digerendo. teſtis eſt Aulus Gellius. Diſpertiat, diſtribuat, partiatur. Magnam atque uberem, magnitudinem iuris efficit cautionum & perſecutionum numeris ingens. Sunt enim plurima quæ cauere, plurima quæ perſequi nos oportet. ea nemo paucis amplecti poteſt. Sed quemadmodum ius in artem redactum, magnum erit & copioſum, ita facile & dilucidum: quoniam (ut ait poſt paulo) omnia ſunt poſita ante oculos, collocata in uſu quotidiano, in congreſſu hominum, atque in foro. Tenebras induxerunt infinitæ interpretationes, infinita inter ſe diſſidentia præiudicia, ſed maxime uana quædam myſteria, et conſcriptionum uis immenſa, ac opinionum pelagus. Coguntur, colliguntur. Carpentem & colligentem. alludit aut ad apes, aut ad eos qui percipiunt fructus. C. Aculeonem.] Argumenti ratio eſt, ſi Caius Aculeo, ingenio, non artium beneficio ius ciuile diſperſum diſſipatumq; plane didicit idem, pronius faciet is qui & ingenio & artibus ualebit. Cur autem Scæuolam Aculeoni præferat, duæ ſunt cauſæ, ueritas, & præſentia. nã et Aculeone peritior erat, & aderat Craſſi antea ſocer. Ab hoc, ſcilicet Scæuola. C. Aculeo habuit in matrimonio materteram Ciceronis, ut in exordio ſecundi libri teſtatur ipſe: Aculeo, inquit, cum quo erat noſtra matertera, quẽ Craſſus dilexit ex omnibus plurimum, de Craſſi ſtudio nobis ſæpe narrauit. Omnia ſunt poſita ante oculos.] Facilitatem iuris oſtendit Fabius his uerbis: Omne ius quod eſt certum, aut ſcripto aut moribus conſtat. Dubium, æquitatis regula examinandum eſt. quæ ſcripta ſunt, aut poſita in more ciuitatis, nullam habent difficultatem. cognitionis ſunt enim, non inuentionis. Atque conſultorum reſponſis explicantur, aut in uerborum interpretatione ſunt poſita, aut recti prauiq; diſcrimine. Vim cuiuſque uocis intelligere aut commune prudentium eſt, aut proprium oratoris. Aequitas optimo cuique notiſſima eſt. Hæc ille. Omnia ſunt poſita ante oculos, non ſolum quod conſultorum ars eſt edita & euulgata, ſed etiã quòd æquitas optimo cuique notiſſima eſt. Quotidie iure utimur. In congreſſione, id eſt conuerſatione hominum, de iure ſæpe loquimur, in foro ius frequens tractatur. Neque ita multis, inquit, literis, aut uoluminibus magnis omnia continentur maximis & plurimis, inquies. author eſt Suetonius in Iulio Cæſare: Deſtinabat, inquit, ius ciuile ad certum modum redigere, atque ex immenſa diffuſaq; legum copia, optima quæque & neceſſaria in pauciſſimos cõferre libros. Occurrit Tullius: Eadem ſunt elata, id eſt prolata et euulgata à pluribus poſt decem uirum leges, de quibus hic non agitur, ut ab Appio Claudio Centimalo à Sempronio, à Naſica, à Sexto Aelio, à P. Mutio, qui cum Bruto & Manilio fundaſſe ius ciuile dicitur, à Q. Mutio, et alijs nonnullis, ex quibus non defuerunt qui paucis commutatis uerbis eadem reſcriberent. Hoc pacto res fuit prope eadem, uerborũ cõmutatione libri permulti cõditi ſunt. ACCEDAT uero quò facilius percipi cognoſciq; ius ciuile poſſit, &c.] Iam duos confecit locos, alterum à uerecundia, alterum à facili. ingreditur in tertium, qui ſuauitate ac delectatione capiat animos. Delectatio percipitur ab antiquitatum uetuſtate, à deſcriptis utilitatibus Reipublicæ, à ſententijs ac fontibus philoſophorum, à præſcriptione bene uiuendi. Hac explicat & auget ex ordine, et illud maxime, quod ad uitam pertinet: quæ ſi honeſta eſt, nobis iucunda eſſe debet. Accedat uero, quò facilius percipi cognoſciq; ius ciuile poſſit, mira quædã in cognoſcendo ſuauitas et delectatio. Facilius percipimus cognoſcimusq; quod animum delectat, quia ſuauitas illa non modo excitat attentionem & diligentiam, ſed etiam fallit onus & laborem. Argumento ſic muſica uoluptas, quam natura, inquit Fabius, uidetur ad tolerandos facilius labores uelut muneri nobis dediſſe. Si quidem et remigem cantus hortatur: nec ſolum in ijs operibus in quibus plurium conatus præeunte aliqua iucunda uoce conſpirat, ſed etiam ſingulorum fatigatio quamlibet ſe rudi modulatione ſolatur. Cur autem hanc eſſe delectationẽ in iure minime plerique arbitrantur? an quòd permulta minuta ſunt ac moleſta, ſua ſponte parua, nullo ferè ordine digeſta, ineleganter expreſſa? in poetis, in hiſtoricis, in orationibus, in omni philoſophia naturali moraliq; maior ſit ex re ipſa & ordine uoluptas? opinor hanc eſſe cauſam uel optimam. Nulla quidem ars ingenua, ſi quæſtum & ambitum tollas, minus habet delectationis. Subſeruiens orationi Craſſus, alio contendit. Si quem, inquit, aliena ſtudia, id eſt, alia à ſtudio iuris, delectant, ut omnes delectare debent, plurima eſt in omni iure, & in pontificũ libris, et in duodecim tabulis, antiquitatis effigies & imago quædam. Ius hic intelligitur, quod poſt duodecim tabulas iuriſperiti ad explicandam legum mentem nouaſq; controuerſias in ſcriptum redegerunt. Pontificum libri ius ſacrorum cõtinent, quale modo quod Canonicum et Pontificium uocamus. Ab Numa ceperunt initium, & paulatim (ut omnia) increuerunt. Liuius de Anco: Longe antiquiſſimum ratus, ſacra publica, ut ab Numa inſtituta erant, facere: omnia ea ex commentarijs regis pontificem maximum in album relata proponere in publico iubet. Idem de iure pontificio: Pontificem Numa Martium Marci filium ex Patribus legit, eiq; omnia exſcripta exſignataq; attribuit, quibus hoſtijs, quibus diebus, ad quæ templa, ſacra fierent, atque unde in eos ſumptus pecunia erogaretur. Cætera quoque omnia publica priuataq; ſacra pontificis ſcitis ſubiecit, ut eſſet quò conſultum plebs ueniret, nequid diuini iuris, negligendo patrios ritus, peregrinoſq; adſciſcendo, turbaretur: nec cœleſtes modo cerimonias, ſed iuſta quoque funebria, placãdoſq; manes ut idem pontifex edoceret: quæq; prodigia fulminibus, alio'ue quo uiſu miſſa ſuſciperentur atque curarentur, ad ea elicienda ex mentibus diuinis Ioui Elicio aram in Auentino dicauit: deumq; conſuluit augurijs, quæ ſuſcipienda eſſent. In his rebus ferè uerſabatur ius pontificium. Hæc pluribus explicat uerbis Cicero ſecundo de Legibus. Idem Liuius de numero. Ita octo pontificum, nouem augurum numerus factus. Sylla poſtea ad quindecim collegium ampliauit. De duodecim tabulis ante diximus. In illis omnibus libris erat priſca uerborum uetuſtas, ut habeſſit deos, agat rem duelli, effata habento, arcera non ſternitur, oſcina pianto, ſacrũ clepſerit, herciſcunda familia, perduellionis crimen, ſiuiſſe capitolinæ. In eiſdem actionũ generã quædam antiqua reperiũtur.

..iuſmodi ſunt quæ Gellius exponit libro uiceſima. Index qui ob rem dicendam pecuniam acceperat, capite puniebatur. Fur manifeſtus, ei cui furtum factum erat tradebatur in ſeruitutẽ. Nocturnũ furem ius erat occidendi. Homo in ius uocatus, morbo aut ætate æger, ad ingrediendum inualidus, iumento imponebatur, atque ex domo ſua ad prætorem in comitiũ efferebatur. Qui membrum ruperat, ipſe membra mutilabatur. Membra debitoris dānati diſtrahebantur à creditoribus. Hæc & alia priſca ſunt actionum genera, quæ poſterior mutauit ætas. In eiſdem libris multa ciuilis ſcientiæ deſcriptio eſt. hinc uidemus à iuriſperitis nō iudicia moda, ſed etiam negotia ciuilia tractari. Nam quemadmodum priuatum ius eſt, ita quoque publicum, quod ad Reip. ſtatum pertinet. Differt autem ciuilis ſciētia à iure ciuili. Scientia ciuilis eſt ars politica, & uis ac facultas adminiſtrandæ ciuitatis. Eam tractant & philoſophi, ut Plato de Repub. Ariſtot. in Politicis, in libro de Rep. de regno, de imperio, de politia, de democratia, oligarchia, ariſtocratia, & tyrannide: qui libri non extant. Hanc ſcientiam tractauerat & Cice. libris de Rep. qui nunc luce carent. Eandem plerique uſu magiſtro exercuerunt, et nunc ubique exercent adiuuante prudentia. Multa habet cōmunia cum iure ciuili, adeo ut pleriſque ab eo tota pendere uideatur. Illam Scæuola negabat oratoris eſſe propriam. Quis, aiebat, hoc conceſſerit, utilitates aut inſtituendis aut conſeruandis ciuitatibus non à ſapientibus & fortibus uiris, ſed à diſertis & ornate dicentibus eſſe conſtitutas? Craſſus autem et eam ſubiecit oratori. Si quis ciuilem ſcientiam, πολιτικὴν τέχνην contempletur, & animo conſpiciat, quam Scæuola ante negauit oratoris eſſe propriam, quia putet eſſe cuiuſdam ex alio genere prudentiæ, quòd non oratione inani, ſed conſilia & mente magis agat, totam hanc deſcriptis, id eſt ordine digeſtis omnibus ciuitatis utilitatibus ac partibus, duodecim tabulis contineri uidebis. Dicet aliquis, tota'ne diſciplina ciuilis eſt in duodecim tabulis? Minime uero. Quid igitur hic agit? Subſeruit ſuo theatro. Quomodo? Totam ponit artem pro bona parte. Iam de antiquitatibus & politicis rebus eſt dictum, tranſit ad philoſophiam, quam appellat præpotentem & gloriaſam, propterea quòd potentiæ dignitate & gloria cæteras artes ſuperare creditur. Sic exiſtimant philoſophi, ſic uulgo prædicant, quod ſignificat & Craſſus hoc pronomine Iſta. Plato in Timeo: φιλοσοφίας μεῖζον ἀγαθὸν οὔτ' ἦλθεν, οὔθ' ἥξει ποτὲ τῷ θνητῷ γένει δωρηθὲν ἐκ θεῶν. Nihil melius à ſuperis generi mortaliũ neque uenit, neque ueniet, quàm philoſophiæ donum. O uitæ philoſophia dux, ô uirtutis indagatrix, expultrixq́, uitiorum, quid non modo nos, ſed omnino uita hominum ſine te eſſe potuiſſet? Tu urbes peperiſti, tu diſſipatos homines in ſocietatem uitæ conuocaſti, tu eos inter ſe primo domicilijs, deinde coniugijs, tum literarum & uocum communione iunxiſti. tu inuentrix legum, tu magiſtra morum & diſciplinæ fuiſti. ad te confugimus, à te opem petimus. tibi nos ut antea magna ex parte, ſic nunc penitus totosq́; dedimus. Et autem unus dies bene & ex præceptis tuis actus, penè toti immortalitati anteponendus: Cuius igitur potius opibus utamur, quàm tuis, quæ & uitæ tranquillitatem largita nobis es, & terrorẽ mortis ſuſtuliſti? Hæc eadem ſupra citauimus, ſed in aliā rem. Fontes & capita philoſophicarum diſputationum iure ciuili et legibus contineri uidentur. Philoſophi morales diſputant de uirtutibus & uitijs, ut nos ad bona alliciant, à malis deterreant. auocāt à temeritate, ignauia, intemperantia, fraudibus, ac omni uitiorum genere. Concertant, atque diſputationes uerſant, qui libidines domare debeamus, et coercere cupiditates: qui reſiſtamus ægritudini, uoluptati, metui, et perturbationibus. Virtuti honeſta præmia, uitio dedecora atque ſupplicia proponunt. Leges eadem efficiunt: uerum, iuſtum, atque honeſtum laborem honoribus, præmijs, atque ſplendore decorant: uitia hominum atque fraudes, damnis, ignominijs, uinculis, uerberibus, exilijs, morte mulctant. Philoſophia prolixior, ac opinionum plena magis eſt: lex breuiar, certiorq́;. Illa adducit, hæc cogit: illa rationem ſubiicit, hæc pro ratione ſtatuit imperium. Quærat aliquis, an à legibus philoſophiam deriuatam putet? Nequaquam. Etenim paulo ante de philoſophia dictum eſt: Tu inuentrix legũ, tu magiſtra morum & diſciplina fuiſti. Leges igitur à philoſophiæ fonte manarunt, & a philoſophorum ſententijs decretisq́; profluxerunt. Fuere legumlatores non ingenioſi moda, ſed etiā philoſophi, Lycurgus, Draco, Solon, quorum iura deſcripta magna ex parte Romani ſibi adſciuerunt. Ne mireris igitur, ſi ſcribat ſe dicere audacius: & poſtea, fremant omnes licet. amplificat enim rem ultra ueritatem. Quærat etiam, quibus honoribus & præmijs leges honeſtum laborem decorent? Noſtra quidem nō tam uirtutem adornant, quā celeres in animaduerſionem pœnamq́; rapiuntur: ſed Deus eſt, qui uirtutem nullo præmio donatam abire non ſinat. Leges quondam latæ ſunt de comitijs, de magiſtratibus creandis, de triumphis, de coronis, de ordinibus, de cenſu de collegijs, de carpentis, de laudationibus, de iure trium liberorum, de ciuitate, de prouincijs adminiſtrandis. his & alijs permultis legibus ſenatus populusq́; Romanus honeſtum laborem ſplendore decorabant. Maius eſt, quod bonæ leges bonos uiros efficere contendunt: de quo Vlpianus hæc: Iuſtitiā namque colimus, boni & æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo ſeparantes, licitum ab illicito diſcernentes, bonos non ſolum metu pœnarum, uerum præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes, ueram (ni fallor) philoſophiam, non ſimulatā affectantes. hæc illius. Fontes, capita rerum. Capita genera atque ſumma. Verus labor, rectus, æquusq́;. Splendore, dignitate. Fraudes, crimina omnia. Damnis, ignominijs. Certum tenuit ordinem. Damnum bonorum minimum, ignominia maior, uincula acerbiora, uerbera multo grauiora, exiliũ grauiſſimum, mors longe acerrima. Concertationum, altercationum. Libidines & cupiditates idem ſunt. Mentes, oculos. Hoc diuina lex probat, qua iubemur aliena non capere modo, ſed etiam non cupere. Fremant, indignentur. Bibliothecas, librorum multitudinem.

AC ſi nos, id quod maxime debet patria delectat, etc.]
Alia uis eſt argumentandi. Si nos patria noſtra delectat, eius mens, mos, diſciplina nota eſſe debet. hæc iure ciuili cognoſcimus. Ius itaque ciuile nobis debet eſſe iucundum. Quod autē ius prudentius conditum eſt, illud certe iucundius. Ius Romanum eiuſmodi eſt. Lætitia igitur & uoluptate, ſi quis eam quærat, præferendum. Nos patria noſtra caritate delectat. Cicero Tuſculana prima: Tanta caritas patriæ eſt, ut eam nō ſenſu noſtro, ſed ſalute ipſius metiamur. Idem: Si mecum patria, quæ mihi uita mea multo eſt carior, loquatur. Pro patria mori uiris iucundum eſt. Virgilius:

Pulchramq́; petunt per uulnera mortem.

Calypſo apud Homerum, Vlyſſi, ſi maneat, promittit immortalitatem:

ἐνθάδε κ' αὖθι μένων σὺν ἐμοὶ τόδε δῶμα φυλάσσοις, ἀθάνατός τ' εἴης. Hic mecum ſi maneres, hanc domum ſeruares, & immortalis eſſes. Vlyſſes amore patriæ captus, reſpondet.

ἀλλὰ μὲν ὡς ἐθέλω καὶ ἐέλδομαι ἤματα πάντα
οἴκαδέ τ' ἐλθέμεναι, καὶ νόστιμον ἦμαρ ἰδέσθαι.

At enim uolo cupioq́; ſemper Domũ reuerti ac diē reditus uidere. Hæc ex Odyſſea lib. V. De ſterilitate Ithacæ, idem lib. IIII.

ἐνθ' ἰθάκῃ οὔτ' ἂρ δρόμοι εὐρέες, οὔτε τι λειμὼν
αἰγίβοτος, καὶ μᾶλλον ἐπήρατος ἱπποβότοιο.
οὐ γάρ τις νήσων ἱππήλατος, οὐδ' εὐλείμων,
αἵθ' ἁλὶ κεκλίαται, ἰθάκη δέ τε καὶ περὶ πασῶν.

In Ithaca neque ſunt curricula ſpacioſa, neque pratum: Nec tam eſt ad equos, quàm ad capras alendas expetenda. Nulla inſularum quæ mari continentur, uel equis agitādis commoda, uel alendis, more pratorũ, herbida eſt: Ithaca præter omnes

ſterilis

ſterilis eſt, & infœcunda. Idem ſcribit Cicero ſecundo de Legibus: Hæc eſt mea, inquit, & huius fratris mei germani patria. quare idem neſcio quid et latet in animo ac ſenſu meo, quo me plus hic locus fortaſſe delectet. ſiquidem etiã ille ſapientiſſimus uir Ithacã ut uideres, Immortalitatẽ ſcribitur repudiaſſe. Hic Ithacam diminuit, quo minus expetenda uideatur. Sapientiſſimum opponit Vlyſſem, ne ſtulte feciſſe dicatur. Patriam ſuam extollit, ut ex impari comparetur Ithacæ. Roma autem non in omnibus terris domus eſt imperij, ſed in multis. At more ſuæ gentis loquitur, ac ſuos extollit iactator. Domum uirtutis, accipe domicilium fortitudinis, & rerum bellicarum. Potes & omnem accipere uirtutem. Quæ tam excellens, inquit in Tuſculanis, in omni genere uirtus in ullis fuit, ut ſit cum maioribus noſtris cõparanda? Domum dignitatis interpretare locum honoris et amplitudinis, in quo ſint qui ſumma dignitate præditi cæteris imperent. Cum autem conſtituit hæc tria, mentem, morem, diſciplinam: primum refer ad leges, quæ quodam modo patriæ mentem explicant: Morem, ad conſuetudinem: utrunque ad ius ciuile: Diſciplinam, ad artem politicam, ac ſcientiã adminiſtrandæ Reipublicæ domi foriſq́; quæ magna ex parte legibus ac iure ciuili continetur. Eò pertinebant ſex libri Scipionis de optima republica: eodem libri Scipionis de optima republica: eodem libri Ciceronis de Legibus, & de optimo ſtatu ciuitatis. Quanta ſapientia ueteribus Romanis fuerit in iure conſtituendo, prædicat & in alijs locis: ut in Tuſculana prima. Mores, inquit, & inſtituta uitæ, reſq́; domeſticas ac familiares nos profecto melius tuemur, et lautius: Rem uero publicam noſtri maiores certe melioribus temperauerunt & inſtitutis & legibus. Græcos eleuat more ſuo, à quibus Romani ſuas habuere leges: quas ſi acceptas fecere meliores, & nouas addiderunt, ne ſit hoc ampliſſima laudis. Miſerum eſt inuẽtis nihil adijcere poſſe, nec de multis, quod optimum uidetur, ſegregare. A' pari ducit argumentum. Tanta ſapientia fuiſſe in iure conſtituendo putanda eſt, quanta fuit in his tantis opibus imperij comparandis. Sapientiam poſtea confirmat, Hominum noſtrorum prudentiam cæteris hominibus, et maxime Græcis, antepono & alibi: Meum ſemper iudiciũ fuit, omnia noſtros aut inueniſſe per ſe ſapientius quàm Græcos, aut accepta ab illis feciſſe meliora, quæ quidem digna ſtatuiſſent in quibus elaborarent. Multi fuere legumlatores, ex quibus clariſſimi fuerunt Lycurgus, Draco, Solon: unde Romani multas petiere leges. Lycurgus haud procul ab Homeri temporibus fuit, qui cũ peregrinando permulta didiciſſet à Cretenſibus, ab Aſianis, ab Aegyptijs, ab Indis, ab Afris, leges Spartanis nõ ſine magno diſcrimine periculorum tulit. Ciuitate legibus ſeueris conſtituta, ſeceſſit in Cretam, accepto populi Spartani iureiurando non ante leges ipſius Lacedæmonios ſoluturos, quã Spartam reuerſus eſſet. Veritus autem, ne mortui corpus Lacedæmonij ex Creta aſportarent, ac iureiurando ſoluerentur, cineres ſuos ab rogo ſpargi iuſſit. de quo Cicero Tuſculana quinta: Itaque & illos ſeptem, qui à Græcis σοφοὶ, ſapientes à noſtris & habebantur, & nominabantur: & multis ante ſeculis Lycurgum, cuius temporibus Homerus etiam fuiſſe ante hanc urbem conditã traditur: etiam Heroicis ætatibus Vlyſſem & Neſtorem accepimus & fuiſſe & habitos eſſe ſapientes. Idem de Diuinatione: Lycurgus quidem, qui Lacedæmoniorum Rempublicã temperauit, leges ſuas authoritate Apollinis Delphici confirmauit: quas cum uellet Lyſander commutare, eadem eſt prohibitus religione. De Lycurgi legibus multa Ariſtoteles in Politicis. Draco floruit poſtea apud Athenienſes, ac illis iam ſenex leges impoſuit adeo ſeueras, ut à Demande ſanguine ſcriptæ dicerentur: et omnes propè (ut ait Gellius) nõ decreto iuſſoq́; ſed tacito illiteratoq́; Athenienſium conſenſu obliteratæ ſint. Is cum in Aeginam ueniſſet, theatrum ingreſſus ſic ob legum lationem à populo exceptus eſt, ut coniectis undique in eum ſtragulis & ueſtimentis ſuffocatus, ibiq́; ſepultus ſit. Solon Salaminius ex ſeptem ſapientibus fuit, qui legibus Draconis obſoletis, mitiores tulit, quas Athenienſes axibus ligneis inciderunt: & ut ſempiternæ manerent, pœnis et religionibus ſanxerunt. Res eius & uitam Plutarchus memoriæ prodidit. Obſeruabis autem hos tres legumlatores ordine temporis conſtitutos eſſe. Etenim ſicuti Lycurgus primus, ita Solon poſtremus eorum uixit. Hunc ordinem imperiti hiſtoriarum temporumq́; confundunt. IAM uero ipſa per ſeſe quantum afferat ijs qui ei præſunt, &c.] Suaſit ſtudium iuris à uerecundia & honeſtate, à facilitate, à delectatione: adijcit locũ quartum ab honore, gratia, dignitate. Dignitatem oſtendunt Themis & Dice quondam habitum numen, regia maieſtas in iure dicundo olim præcipua, legumlatorum ſempiternus honos, Decemuirum legibus ferendis poteſtas, interpretum auguſta amplitudo, iudicum in ampliſſimis ciuitatibus decora & ornamenta. Apud Græcos non in honore magno fuerunt iureconſulti, propterea quòd mercedula adducti, miniſtros ſe præberent in iudicijs oratoribus: & quemadmodum apud nos plurimi, nõ ſcientiam & iuſtitiam, ſed calumniam et quæſtum expeterent. Miniſtrabant autem ius ciuile et leges oratoribus, ſubſcribebant ea quæ opus eſſent, inſtrumenta cognoſcebant, interdum et de iure cum aduerſarijs altercabantur. Quintilianus: Neque ego ſum noſtri moris ignarus, oblitus'ue eorũ qui uelut ad arculas ſedent, et tela agentibus ſubminiſtrant, neque idem quoque Græcos neſcio factitaſſe, unde nomen ijs pragmaticorum datum eſt. πραγματικοὶ dicebãtur, ἀπὸ τοῦ πράγματος, hoc eſt, à cauſa negotióq́; ſiue quia agerent cauſas, ſiue quia multis τὰ πράγματα ἐπράττοντο, hoc eſt negotia faceſſerent. Verbum eſt πράττειν, quod eſt agere: inde πρᾶγμα, actio et negotium. hinc πραγματικοὶ, negotiatores forenſes. Negotium in iudicio nonnunquã dicitur. Cicero pro Cecinna: Ego homo imperitus iuris, ignarus negotiorum ac litium, hanc puto me habere actionem. Hoc nominis & Gallis manet, ijs qui in litium tractatione uerſantur, quorum magna pars ut eſt quæſtus auidiſſima, ita meo iudicio infima atque ſordidiſſima. Ampliores multo et clariores Romæ fuerunt, qui magna ſcientia iuris amicos, gratiam, magiſtratus, honores, non inimicos, inuidiam, humile ſordidumq́; uiuendi genus quæſierunt, cuiuſmodi permultos recenſet Pomponius Pandectarum initio, ubi de Sexto Aelio facit mentionem: Sextum Aelium, inquit, etiam Ennius laudauit, & extat illius liber qui inſcribitur Tripartita, qui liber ueluti iuris cunabula continet. Tripartita autem dicitur, quòd lege duodecim tabularum præpoſita, iungitur interpretatio, deinde ſubtexitur legis actio. Eiuſdem eſſe tres alij libri referuntur, quos tamen quidam negant eiuſdem eſſe. hæc Pomponius. Cordatum dixere ueteres, cum cui multus eſſet animus, multaq́; ſapiẽtia. Cicero Tuſculana prima: Quid ſit porrò ipſe animus, aut ubi, aut unde, magna diſſenſio eſt. alij cor ipſum animus uidetur, ex quo excordes, uecordes, concordeſq́; dicuntur, & Naſica ille prudens bis conſul Corculum appellatus, & Egregiè cordatus homo catus Aelius Sextus. hæc ille. Verſiculus eſt Ennianus. Senſus eſt: Sextus Aelius ſapiens, et egregie prudens. Eſt enim catus, ſapiens. Cicero Tuſculana ſecunda: Sed homo catus nunquã terminat nec magnitudinis nec diuturnitatis modum. Horatius: Poſt hæc ille catus quantumuis ruſticus ibit. Multi præterea fuerunt, ut M. Cato, P. Mutius, Brutus, Manilius, P. Rutilius Rufus, Q. Tubero, Sextus Pompeius, Aquilius, Gallus, Seruius Sulpitius, qui cum ingenio authore, hoc eſt duce natura ingenioſa, dignitatem ſibi reperiſſent, perfecerunt ſtudio & labore, ut in reſpondendo, hoc eſt conſulentibus interpretando iure, authoritate plus etiam quã ipſo ingenio ualerent. Authoritatem affert ingenium et ars. Cicero in Topicis: In tempore autem multa ſunt quæ afferant authoritatem, ingenium, opes, ætas, fortuna, ars, uſus, neceſſitas, concurſio etiam nonnunquam rerum fortuitarum. Hoc ergo dicit,

multos in dignitate fuiſſe quòd ingenioſi niderentur, deinde ſibi maiorem comparaſſe ex ſcientia iuris authoritatem. Vt autem dignitati eſt cæteris ætatibus, ita quoque ſenectuti, quã celebrat, id eſt ab ſolitudine uindicat hominum frequentia: ornat, hoc eſt honorat, atque referendo facit auguſtiorem. Itaque comparatur perfugio & ſubſidio, quoniam homo in media Republica hæc uerſatus, ſi negotia ingraueſcente ætate iam perferre non poteſt, ut tamen dignitatem retineat ſenex, eò confugit, & ad hoc quaſi ſubſidium ſe recipit, in quo uidet eſſe decus & ornamentum ſenectutis. Senis eſt hoc officium pulcherrimum, prudentia multos adiuuare. Cicero de Officijs primo: Senibus autem labores corporis minuendi, exercitationes animi etiã augendæ uidentur. Danda uero opera, ut & amicos, & iuuentutem, & maxime Rempublicam conſilio & prudentia quamplurimum poſſint, adiuuent. Nihil autem magis cauendum eſt ſenectuti, quàm ne languori ſe deſidiæq; dedat. Deſidia turpior eſt iis, qui ſunt honoribus & Reipublicæ muneribus perfuncti. Honores autem ſunt magiſtratus: Reipublicæ munera, ſunt negotia ciuitatis et imperij. Apollo nõ à poetis modo, ſed ab oratoribus etiam Pythius uocatur. Cicero pro Fonteio: Hæ ſunt nationes, quæ quondam tam longe ab ſuis ſedibus Delphos uſque ad Apollinem Pythium atque ad oraculum orbis terræ uexandum ac ſpoliandum profectæ ſunt. Hoc nominis à uerbo πυνθάνομαι, quod eſt interrogo, deductum uidetur, aut potius à uerbo πύθομαι, quod eſt putreſco. Sic uiſum quibuſdam poetarum, qui ab Pythone ſerpente cæſo cognomentum factum Apollini fabulantur. Alludunt opinor ad corruptam humorem colluuiem, quæ radijs ſolis quaſi ſagittis perimitur. Nam πυθώ, putris eſt colluuio. Ad Apollinis oraculum confluebant ex omni prope orbe terrarum reges, ut olim Tarquinij: populi, ut quondam Romanus de prodigio lacus Albani: ciues, nullo numero comprehenſi. Non poteſt igitur iureconſultus ſuo iure dicere id quod apud Ennium dicit ille Pythius Apollo, ſe eſſe eum, unde ſibi & populi, & reges, & ciues conſilium expetant, ſed id poteſt ſuo iure dicere, ſe eſſe eum unde ſibi ſi non populi et reges, at ſui ciues conſilium expetant. Sic enim capiendus eſt ſenſus orationis, ut ſit falſum, populos & reges ad Apollinem non uenire. Subijcit treis uerſus iambicos trimetros ex Ennij tragœdia, qui ſic explicandi ſunt: Ciues rerum ſuarum incerti ac dubij, à me conſilium expetunt. quos ex incertis certos, & conſilij compotes mea ope meoq; auxilio dimitto, ut ne temere res tractent turbulentas. Eſt enim domus iuriſconſulti, totius oraculum ciuitatis. Magnifica ſimilitudo eſt, ex eo ducta, quòd ut Apollo, ſic et iuriſconſulti reſpondere dicantur. Et pulchre ducitur exẽplum à Q. Mutio, non ſolum quia perquàm conſultus erat & ſenex, ac ſummorum hominum ſplendore celebratus ſed etiam quòd hominis præſens maieſtas Sulpitium et Cottam plurimum mouere poſſet. Adde L. Craſſi humanitatem & prudentiam, cuius erat benigne excipere uiros honeſtos familiares ſuos, in hoc familiari colloquio animi cauſa comparato. quæ quidem ad Ciceronem decorum rerum perſonarumq; ſeruantem referri uolo. Veſtibulum quid ſit, exponit Gellius. IAM illa non longã orationem deſiderant, quamobrem exiſtimem Pub. &c.]

De iure ciuili multa dixit, de iure publico nunc pauca loquitur. Ius ciuile, priuatum dicitur: eſtq; quod ad ſingulorum utilitatẽ pertinet, ut de hæreditate de fundo, de credita pecunia. hæc et eiuſmodi ſic habent, ut ea ſi quis aut retineat, aut amittat, non ex eo mutetur ſtatus ciuitatis. Publicũ ius ad ſtatũ Reip. pertinet, & in ſacris, ſacerdotibus et magiſtratibus conſiſtit. Ciuitati ſacra neceſſaria ſunt, ad ſacra facienda cõſtituendi ſacerdotes, ad negotia creandi magiſtratus: ac definiendum omnibus, quos ritus, quas leges, quæ iura teneant. Eiuſmodi ſunt eæ leges quas Cicero ſtatuit libris de Legibus, quæ ad ſacra et cerimonias deorum, quæ ad officium magiſtratuũ pertinent. Publicum ius dicitur, ius ciuitatis & imperij. nec idem eſt ius ciuile, & ius ciuitatis, ut ante diximus. Hic quædam eſt regendæ Reipublicæ ratio ac ſcientia. quæ ſumitur à philoſophis. πολιτικὰ dicuntur, aut πολίτειαι, hoc eſt præcepta rationeſq; de Republica. His adde monimenta rerum geſtarum, et uetuſtatis exempla, quæ ferè cõtinentur annalibus & hiſtorijs. Ius ciuile oratori neceſſariũ eſt, quia, ut inquit, in rerum priuatarũ cauſis atque iudicijs depromenda ſæpe oratio eſt ex iure ciuili. Nec ab re dixit hoc, Sæpe: accidit enim ut cauſa priuata ſine iure ciuili trãſigatur, aut capienda coniectura, aut ſimplici iureiurando, aut productis teſtibus et literis, aut diſputatione æquitatis. Publicum ius æque neceſſariũ uidetur, aut in cauſis publicis de ambitu, de repetundis, de perduellione, de cæde, de maieſtate, de beneficio, & id genus rebus: quæ ſi inualeant, ciuitas periclitatur. aut in concionibus, quæ ad populũ habentur de rebus ciuiũ. aut in ſenatu, cum de Rep. conſulitur. In his rebus ferè uerſatur orator, quem mirum in modũ iuuat antiquitatis memoria, quid egerint maiores, quo modo rem omnem adminiſtrauerint. Ea petitur ex hiſtoriarum libris, & à conſuetudine tradita per manus. Iuuat quoque regẽdæ Reip. ſcientia, hoc eſt cognitio uniuerſi generis, cur ſit ciuitas, ad quid ſit, quæ uis eius, quæ ratio, quis ordo, quæ æquabilitas, qui ſtet, qui decidat, quis optimus Reipublicæ ſtatus habẽdus ſit. His ita acceptis, facile eſt diſtinguere quatuor hæc, ius ciuile, ius publicum, memoriã antiquitatis, Reipublicæ gerendæ rationem ac ſcientiam. Hæc modo repetit, quia ſupra dixerat, Perdiſcendum ius ciuile, cognoſcendæ leges, percipienda omnis antiquitas, ſenatoria conſuetudo, diſciplina Reipublicæ, iura ſociorũ, fœdera, pactiones, cauſa imperij cognoſcenda eſt. Dicet quiſpiã, ſine his oratorem ſuum munus obire poſſe, cum multi ſint qui in iudicijs bene uerſentur, qui tamen hæc tã multa neſciant. Reſpõdet, neque cauſidicum, neque proclamatorem, neque rabulam hoc ſermone conquiri. Sicut orator nomen eſt honoris, ita cauſidicus cuiuſdam illiberalitatis. Non enim magnum eſt actitare cauſas, quod facit colonus, inquit Martialis: ſed magnũ eſt, magnas ſuſtinere actiones. In contemptum dixit Martialis: Carpere cauſidicus fertur mea carmina. Cauſidicus, qui egregie clamat uociferaturq;, & quod ratione nõ poteſt, uoce contendit. Proclamator, qui litigioſus eſt, & penè rabie concitus, rabula appellatur. Sunt qui nomen hoc ducant à radendo, quia clamoſus auditorũ radat aures. Hoc rabularum genus auidum pecuniæ eſt. & cauſas omnes iuſtas & iniuſtas recipit. Arguit illud Plato undecimo de Legibus. Quæritur is uir, qui primũ ſit eius artis antiſtes. Primum refertur ad illud aduerbium deinde, quod paulo poſt ſequetur: Primũ orator arte præcellat, deinde agat ex arte. Antiſtes, qui ante ſtat, & in aliqua re excellit. dicitur in ſacris. Cicero Sacerdotes Cereris, atque illius fani antiſtitæ. dicitur in artibus. Quintil. Seruius Sulpitius iuris antiſtes appellatus eſt. Vt iuris antiſtes eſt, qui in iure principatũ tenet: ita artis antiſtes, qui primus eſt in arte. Ars excolit ſermonẽ, cuius ipſa natura magnã homini facultatem dedit: & ſic excolit, ut ipſum quod erat hominis propriũ, non partũ per nos, ſed diuinitus ad nos delatũ eſſe uideatur. hinc fit, ut orator deus putetur. Hic (cum daret) poſuit, pro cum det, & (ut) pro ſic. Artis bene dicendi cũ ipſa natura magnã det homini facultatem, quia propriũ eſt hominis diſtincte loqui, tamen artis antiſtes eſſe deus putatur. ſic ipſum quod erat hominis proprium, uti oratione, nõ partum quæſitumq; per nos, ſed diuinitus ad nos delatum uidetur. Caduceũ Mercurius ab Apolline dicitur accepiſſe, et uſum eſſe more legatorũ. Vim ſcribit eius Virgil. Aeneidos quarto:

Tum uirgam capit, hac animas ille euocat Orco
Pallenteis, alias ſub triſtia Tartara mittit.
Dat ſomnos, adimitq;, & lumina morte reſignat.

Caduceũ præferebant, qui pacẽ petebãt. Liuius: Alij priuſquã ultima adhiberetur uis, ipſos ſe in deditionem conſulis caduceum

præferentes

præferentes permiſiſſe authores ſunt. Legati, caduceatores dicti. Idem: Corpus iam curabit conſul, cum ueniſſe caduceatorem, et quid ueniſſet, nunciatum eſt. In caduceo igitur eſt quædam uis iure gentium firmata: ſed maior in eloquentia, quàm in caduceo dignitas. Eloquentiæ munus diſtribuitur in tempora ac loca: nam interdum inter hoſtium tela uerſatur in legationibus: aliquando ſcelus fraudemq́;, id eſt crimen nocentis accuſando ſubijcit odio, ſupplicioq́; conſtringit, in iudicio præſertim. nonnunquam innocentiam defendit: interim populum uerſat in concionibus: ubique animos tractare, ac quò uult mouere contendit. Primi quidem multa reperies exempla apud Thucydidem et Liuiũ: ſecundi, apud Tulliũ orationibus in Verrem, in Catilinã, in Vatiniũ: tertij, apud eundẽ in oratione pro Sexto Roſcio: quarti, apud eundem in Rullum, in Antonium. Subijcere odio ciuiũ, accuſationis eſt, quæ pœnam antecedit. Supplicioq́; conſtringere, pœnæ eſt, quæ ſequitur accuſationem. Vim, copiã rerum. Inſcientiam, inſcitiam, uerbum notandum. Fontes, tranſlationes ſunt fontes, itinera, digitũ ad fontes intendere. Sumpſit ex ijs qui petunt aquam, ignariq́; uiæ quærunt locum. offertur aliquis qui digitũ intendit ad fontem, uiamq́; monſtrat. MIHI uero, inquit Mutius, ſatis ſuperq́; abs te uidetur iſtorũ, &c.] Dicendi rationẽ principio laudauit, deinde totius artis amplitudinem magnitudinemq́; celebrauit: poſtea quæ à natura petẽda eſſent, quæ à ſtudio et diligentia, quæ à præceptis, quæ ab exercitatione, deſcripſit: tandẽ quæ in oratore maxima ſunt habenda, diffuſius expoſuit quàm cæteri ſcriptores huius artis. In his quidem uidentur eſſe omnia, & certe ſunt. At enim quæ traduntur de quinque orãdi partibus, adeo breuiter decurſa ſunt, ut ueſtigia ingreſſumq́; nõ uideas. Repetenda igitur ac diutius erũt conſideranda duobus libris ſecũdo, tertioq́;. Sed ante excitandus eſt Antonius, qui Craſſum refellere conetur, quoniam (ut inquit in Epiſtolis). ſcripſit Ariſtotelico more, quemadmodum quidem uoluit, tres libros in diſputatione, ac dialogo de Oratore. Ad illam partem fit hic aditus. priora laudantur, poſteriora quæruntur. Antonius petitur, ingreſſus ille tendit in aduerſum. Decuit autem diſſimulatorem artis, nonnihil moliri aduerſus eam artem, quã tantopere ornauerat Craſſus. Decuit quoque Mutiũ, qui maiora quædam, non minima quoque repeti uoluerat, ſic arbitrari, ſtudioſis adoleſcentibus eſſe ſatisfactum. Decuit etiã iuuenem nõ eruditiſſimũ, requirere quæ ualde breuiter à Craſſo eſſent de ipſa arte percurſa. Mihi, inquit Mutius, iſtorum iuuenũ ſtudijs (ſi modo ſunt ſtudioſi) ſatis ſuperq́;, hoc eſt abunde, abs te ſatisfactum uidetur. Cur dubitat ſtudioſi'ne ſint Sulpitius & Cotta, quos adeo ſtudioſos uidebat? Nam Craſſus ante dixit, cũ mihi quoque ſitis moleſti, nimis etiã flagrare intelligo cupiditate. Videbat eos Mutius ſtudioſos eſſe, nec tam dubitabat, quàm hoc genere loquendi quieſcere iuuenes ab interrogando uolebat, cum poſſent ipſi per ſe cætera cognoſcere. Eſt enim ſtudium, ardor quidam amoris, ſine quo cum in uita nihil quidquam egregium, tum certe eloquentiam nemo unquam aſſequetur. Studioſi, quibus hoc ſtudium feruet. Senſus eſt igitur: Horũ ſtudijs ſatisfactum eſt, ſi ſtudio & ardore quodam amoris cætera per ſe ipſi perſequentur. De hoc ſtudio ſupra dictum eſt. Dicta Mutius confirmat Socratis apophthegmate celebrato, quod circũferri & inter doctos iactari ſolitum ſignificat hoc uerbo interpoſito, aiunt: quo tum commode utimur, cum certum proferre nolumus, aut certe non poſſumus authorem, & famam ſumimus pro authoritate. Perfectum opus eſt, inquit, ſi quis ſatis eſt cõcitatus ad cognoſcendam percipiendamq́; uirtutem. Ei qui nihil mauult ſe eſſe quã bonum uirum, reliqua doctrina facilis eſt. hæc de uirtute ſententia artibus accommodari poteſt: ut ſi dicas, Perfectum Craſſo opus eſt, ſi Sulpitius & Cotta ſatis ſunt concitati eius cohortatione ad ſtudium cognoſcendæ percipiendæq́; eloquentiæ. Quibus enim id perſuaſum eſt, ut nihil malint ſe eſſe quàm eloquentes, ijs reliqua doctrina facilis eſt. Hæc interpretatur his uerbis: Sic ego intelligo. ſi in hæc quæ patefecit oratione ſua Craſſus, intrare uolueritis, facile uos ad ea quæ cupitis, peruenturos ab hoc aditu ianuaq́; patefacta. Pronomen hoc, Craſſum demonſtrat, non aditum. Aditum patefacere, intrare ianuam, peruenire, ex allegoria ſunt. Nobis uero, inquit Sulpitius, iſta ſunt pergrata, perq́; iucunda. Præterita commendat, & habet accepta, non ſolum quia iucunda ſunt, ſed etiã quia beneficij gratia promouet agentem. Perq́; iucunda, pro periucunda dixit: ne ſi dixiſſet, iſta ſunt pergrata & periucunda, tarditate ſyllabarum langueret oratio. Pauca etiam, id eſt præterea, requirimus, in primiſq́; ea quæ ualde breuiter à te Craſſe de ipſa arte percurſa, & quaſi currendo tranſmiſſa ſunt. Hæc præparatio ad poſteriores libros. illa te & non contemnere, & didiciſſe confiteris. Apta ratio petentis. reſpexit illa uerba Craſſi: Non negabo me iſta omnium communia et contrita præcepta didiciſſe. & illa, Quod tamen, ut ante dixi, non eijcio. Eſt enim etiamſi minus neceſſarium ad bene dicendũ, tamen ad cognoſcendũ non illiberale. Ea præcepta artis ſi paulo latius dixeris, expleueris omnem expectationem diuturni deſiderij noſtri. Ante Sulpitius hæc dixit: Quod neque precibus unquam, nec inſidiando, nec ſpeculando aſſequi potui, id ſpero nos eſſe adeptos. quibus illud diuturnum deſiderium ſatis oſtendit. Nam nunc quibus ſtudendum rebus eſſet, accepimus. Materiam dicit oratoris. Vias earũ rerum rationemq́; cupimus cognoſcere. artem petit, quæ componit digeritq́; materiam. QVID ſi, inquit Craſſus, quoniam ego quo facilius uos apud me tenerem, &c.] Pulchre fit, ut primum Craſſus honeſta de cauſa deponat onus, deinde dicat illud Antonium ſuſcipere poſſe, poſtea pro ſua authoritate hominem roget: Antonius autem ne ſuſcipiat auide, ne'ue dum res caleſcit, & amicus ab amico rogatur honeſtum laborem, moleſte reijciat. Quo facilius uos apud me, hoc eſt in Tuſculano meo tenerem, ueſtræ potius obſecutus ſum uoluntati, quàm aut conſuetudini, aut naturæ meæ. Humanitatem ſuam retinuit Craſſus, & inde mouit animos. Conſuetudinem refero ad id, quod ante dicebat, ſe à genere hoc toto ſermonis refugiſſe, non ſuperbia, neque inhumanitate, ſed iſtius diſputationis inſolentia, atque earum rerum quæ quaſi traduntur in arte, inſcitia. Naturæ pertinet ad illũ Craſſi pudorem, & hominis ingenũ uerecundũ, et alienũ ab oſtentatione. Quid ſi petimus ab Antonio, ut ea quæ cõtinet, neque adhuc protulit, explicet nobis? Verecunde dictum: Quid ſi petimus? Petitio quoque honeſta uerecundaq́; eſt. Nam & illum continere dicit quod petitur, et integrum habere quod nondum protulit, & ſe quaſi diſcipulum ſubijcit. Explicet, inquit, nobis. Antonius libellum de orandi facultate ſcripſit. Scripſi etiam illud quodam in libello, inquit, qui me imprudente & inuito excidit, & peruenit in manus hominum, diſertos me cognoſſe nõnullos, eloquentem adhuc neminem. Quædam igitur protulit et euulgauit hoc libello, quædam non edita, neque memoriæ literarũ tradita, animo continet. hæc ideo petũtur, quòd alia tanquam nota iure negare poſſit. Myſteria appellauit occulta ſecretaq́; præcepta, quæ nonnulli ſic obſeruant, ut myſtæ ſua myſteria. Vt uidetur, inquit Sulpitius. Nam Antonio dicente, etiã quid tu intelligas, ſentiemus. Conditionem admittit iuuenis, ne fortè Antonium poſthabere uideatur. quòd tamen ille uulgo diceretur artem repudiaſſe, Sulpitius ad Craſſum animum adiecit. hinc addit, Antonio dicente ſentiemus aut nutu, aut geſtu, aut ſigno, aut uoce, quid tu intelligas, mentemq́; concipias. Id ætatis, pro eius ætatis, hoc eſt, ſenes. Quemadmodum Cicero ſummam modeſtiam Craſſo, ſic & prudentiam dat ac moderationem Antonio. Debent. n. oratoris boni amabiles eſſe mores & ſermo ſuauis, ac iucundus, ad eumq́; modũ fingendus eſt. Quòd autẽ fuerit artis diſſimulator Antonius, facit eũ dicentẽ: Sum ignarus atque inſolens: quòd prima Craſſo ſine cõtrouerſia

dabantur, et interim frigidũ eſt magno uiro ſuccedere. attribuit hæc illi uerba, In cauſis fugere ſoleo, ne tibi Craſſe ſuccedã. Dicturus erat aliquis. Qui de arte dicet, qui neſcit artem? Occurrit, nõ ſum de arte dicturus, quã nunquã didici, ſed de mea conſuetudine. Quo' nam igitur pacta de arte libellũ edidiſti? reſpõdet, Quæ in cõmentariũ meũ retuli, non aliqua mihi doctrina tradita ſunt, ſed in rerũ uſu cauſiſq; tractata. Iocatur autẽ Lepidus his uerbis, Veſtrã iniquitatẽ accuſatote, meã facilitatẽ laudatote. Deprehenſum, ex improuiſo occupatum: more eorũ qui dum ſibi nõ cauent, aut opportune cauere nõ poſſunt, cadunt in periculũ. Vergilius: Deprenſis olim ſtatio tutiſſima nautis. Video atque ſentio.] Video tanquã ſpecies, ſentio tanquam genus. Vtrunque hoc loco animi eſt, ex tranſlatione. Ignarus atque inſolens.] Ignarus ad artem, quã nõ didicit: inſolens ad diſputandi cõſuetudinem, quã nõ tenuit, refertur. Vſu uenturum.] Fore ut accidat. Commentarium.] Commẽtarius eſt liber, in quo res breuiter ac ſummatim memoriæ cauſa notantur, ut cõmentariũ Cæſaris. Referre in cõmentariũ, eſt aliquid in eiuſmodi libello ſcribere. Iniquitatem.] Petenda ſunt æqua, et quæ in eius unde petitur poteſtate ſunt. Iniquũ petit, qui quod neſcias, ac præſtare non debeas, petit. Facilitatem.] Faciles dicuntur exorabiles, & ad obſequendum parati: ſicut difficiles, ex cõtrario moroſi. Veſtro ſtudio inductus.] Veſtra cupiditate motus. Grauate.] Aegre et moleſte. Prudenter.] Maluit prudentiã, quæ plurimũ ualebat Antonius, quã artificium, quod habere ſe negabat, uſurpare. Habebat artem, qui & Athenis & Rhodi ſe doctiſſimorũ hominũ ſermonibus dedidiſſet: ſed probabiliorem hoc populo orationem fore cenſebat ſuã, ſi omnino didiciſſe nunquã putaretur. EGO uero, inquit, pergam, & id faciã quod in principio fieri in omnibus, &c.] Duæ ſunt oratorum ſpecies: una abſoluta atque perfecta, quam ſtatuit Craſſus. altera in ſuo genere laudabilis, ſed tamen imperfecta, quã cõplectitur Antonius. Oratorẽ Craſſus definit eũ, qui quæcũque res inciderit, quæ ſit dictione explicãda, prudenter et compoſite, et ornate et memoriter dicat, cũ quadam etiã actionis dignitate. Antonius autem eum putat eſſe, qui & uerbis ad audiendũ iucundis, & ſententijs ad probandum accommodatis uti poſſit in cauſis forenſibus atque communibus, quiq; ſit inſtructus uoce & actione et lepore. Vterque res petit & uerba, item uocem, actionem, affectum, et leporem. at Craſſus illi ſubijcit, omnem quæſtionem oratione explicandam, Antonius modo cauſas forenſes atque communes. Ille quærit admirationẽ ex magnarũ rerũ ſcientia, & arte dicendi maxima: hic laudem petit à prudentia, atque cauſarũ tractatione. Hoc eo pertinet, ut ſi ſummus eſſe non poſſis, in aliquo tamen laudabili genere ſis: utq; ſcias nõ una modo arte fieri ſummos, ſed omnium artiũ concurſione. Antonius igitur de oratore dicturus, quod in principio fieri debet in omnibus diſputationibus, ut quid illud ſit de quo diſputetur, explanetur, initio conſtituit, qui ſit orator. Id eſſe faciundum, ſimilitudinũ collatione demonſtrat. Collatione utitur, alia digniore ab imperatore, à Republica rectore, à iuriſconſulto: alia tenuiore, à Muſico, à Grammatico, à Poeta, à Philoſopho. hæc leuiora artium ſtudia habentur, quoniã priuata ſunt, ac ferè conquieſcunt in otio. Ego uero, inquit, pergã, id eſt proſequar id quod uultis, & id faciam non quod ſemper ſit in principio, ſed quod fieri in omnibus diſputationibus oportere cenſeo, ut quid illud ſit de quo diſputetur, explanetur, ac definitione explicetur, quæ quid res ſit oſtendit: ne uagari ſine certo fine, & errare extra uiam cogatur oratio, ſi ij qui inter ſe diſſenſerint, non idem eſſe illud de quo agitur, intelligent. Cicero in quæſtionibus. Academicis de Peripateticis loquens et Academicis, inquit: Scientiã autẽ nuſquã eſſe cenſebãt, niſi in animi motionibus atque rationibus. Qua de cauſa definitiones rerũ probabant et has ad omnia de quibus diſceptabatur, adhibebant. Quærendũ igitur primũ quis ſit orator. & ſi is eſt quem uoluit eſſe Craſſus, quia de re conuenit, non opus eſt diſputatione, niſi forte qua pars aliqua explicetur. Si alius eſt, conſtituendum primũ quis is ſit, deinde Craſſus refutandus, ut diſputando circunſcripta formetur definitio. Prima collatio ad imperatoriam artem pertinet. Imperator conſtituitur, hoc eſt, definitur, adminiſtrator belli gerendi. Dux copiarum, cuius auſpicio ductuq; bellum adminiſtrabatur, dictus eſt à Romanis Imperator, deinde cœpit nomen eſſe cuiuſdam honoris, nec omnes primarij Duces appellati ſunt Imperatores, tandem abijt in tyrannidem monarcharum. Imperatoris nomen hic accipe non pro omni duce penes quem ſumma belli eſt, ſed pro eo qui rei militaris belliq; gerendi peritus, illud ſcitẽ adminiſtrat. Partes ſunt eius in exercitu, in caſtris, in agminibus, in ſignorum collationibus, in oppidorum oppugnationibus, in commeatu, in inſidijs faciendis, atque uitandis, in reliquis rebus quæ ſunt propriæ belli adminiſtrandi. Nam primũ habere delectum oportet, & idoneum legere militem: deinde parare bello neceſſaria, inſtruere exercitum, proficiſci opportune, capere locũ caſtris, captum munire, ſtationibus & uigilijs tueri. Videndum quando, qua uia, quo ordine, quibus cum impedimentis moueatur agmen (Eſt agmen exercitus incedens, aut certe militum in itinere progreſſio) Si prælium committendum eſt, et ſignis collatis dimicandum, obſeruandus eſt locus, explicanda acies & inſtruenda, exhortandi milites, curſitandum ad ſuſtinendum, ad regendum, ad reſtituendum prælium. Signorum collatio eſt, cum acies aduerſæ ſigna uexillaq; contra ferunt, & congreſſione inſtant, ac conſerunt manus. Oppidorum oppugnatio, cum fit impetus in mœnia, & urbs obſeſſa aggreſſu petitur. Ea perſæpe ſequebatur prælium, quia fuſis hoſtibus, ad oppida milites agebãtur. Illa fuit cauſa cur eam Cicero poſtponeret. Commeatus in bello duplex. quidquid eſt enim quo miles alitur, dicitur commeatus: & cum ab imperatore miles poteſtatem accepit abeundi, qua licet abeſſe ad conſtitutum diem, tum dicitur accepiſſe commeatum. Inſidias non modo hoſtibus facere, ſed etiam hoſtiũ uitare oportet: nec ſatis eſt perſequi, niſi etiam cauere ſcias. Et certe cauere tutius eſt, quia non quiſquis molitur inſidias, fallit hoſtem, quin aliquando ſuo ipſe dolo capitur: cauiſſe neminem pœnitet. Sunt aliæ res propriæ belli adminiſtrandi, patientia ducis, diligentia, conſiliũ præſens, dexteritas, fortuna, humanitas, lenitas, opportuna ſeueritas, eloquentia militaris. Imperator eſt earum rerum compos & animo et ſcientia. Animo res arduas capeſſit, fortiterq; aggreditur: ſcientia conſilia dirigit, quæq; ſuſcipienda ſunt aut cauenda, prouidet. Africani duo, & Q. Fabius Maximus, hiſtorijs notiſſimi ſunt. Maior Africanus Carthaginem tributariam fecit, minor eandem Carthaginem, & decimoquarto anno poſt Numantiã euertit. Quintus Maximus cunctando Annibalem molliuit. Ad exemplorum uarietatem imperatoribus Romanis iungit externos: Epaminondam Thebanũ uirũ illuſtrem, qui contemptor opum, gloriæ ſtudioſus, Lacedæmonios ſubegit, imperiũ ſuis peperit, magna cũ laude parta uictoria diem obijt: Annibalem Carthaginenſem, Amilcaris filium, qui multos annos cũ populo R. de imperio contendit. Hactenus de imperatore. Iam de moderatore Reipub. qui definitur hoc modo: Reipub. moderator eſt, qui quibus rebus utilitas Reipub. paratur, augeturq;, tenet, iiſq; utitur. Talis ut ſit, ad Rempub. moderandam ſtudiũ ſuum conferat, uſum & experientiam, artem ac ſcientiam habeat, neceſſe eſt. Studium ad amorem & operam, uſus ad exercitationem, ſciẽtia ad doctrinã refertur. Reip. moderator, Reip. rector, cõſilij publici autor, idem ſunt. Quos enumerat Antonius, uiri prudentes ac Senatus principes fuerunt. P. Lentulus (inquit Valerius Maximus) clariſſimus et amantiſſimus Reipub. ciuis, cum in Auentino C. Gracchi nefarios conatus & aciem pia ac forti pugna magnis uulneribus exceptis fugaſſet, prælij illius, quo leges, pacem, libertatemq; in ſuo ſtatu retinuerat, hanc

mercedem

mercedem tulit, ne in noſtra quidem urbe moreretur. Inuidia cópulſus in Siciliá ſeceſſit, ibiq; mortuus eſt. Fuere multi P. Lentuli. Vt igitur hunc à cæteris ſegregaret, P. Lentulũ principem fuiſſe dixit. De Tiberio Graccho patre iá dictũ eſt. Is homo prudens et grauis, haud quaquá eloquens, & ſæpe alias, et maxime Cenſor ſaluti Reip. fuit cũ libertinos in urbanas tribus tranſtulit. Quinti Metelli plures celebrati ſunt. Accipimus eũ, cuius quatuor filij conſulares fuerunt, propterea quòd eum Cicero in primis laudat in Bruto, et illic ſtatim C. Lælium, et P. Africanum, quemadmodũ et hic nominat. Quintus Metellus, inquit, is cuius quatuor filij conſulares fuerunt, in primis eſt habitus eloquens, qui pro L. Cotta dixit, accuſante Africano: cuius & aliæ ſunt orationes, & illa cótra T. Gracchũ expoſita eſt in C. Fannij annalibus. Sed C. Lælius et P. Africanus in primis eloquentes, quorum extant orationes, ex quibus exiſtimari de ingenijs oratorum poteſt. De hoc P. Africano Liuius hæc: Cenſores Romæ T. Quintius Flamminius, & M. Claudius Marcellus Senatum perlegerunt. Princeps in Senatu tertiũ lectus P. Scipio Africanus. Alij fuere principes in ſenatu Romæ, ut Cato et Scaurus. Alij in alijs ciuitatibus, ut Pericles, Themiſtocles. A' ciuitatis rectore ac ſummo ſenatore uenit ad iuriſperitum. Iuriſperitus ſiue iureconſultus eſt, qui legum & conſuetudinis eius qua priuati in ciuitate utuntur, & ad reſpondendum & ad agendum & ad cauendum peritus eſt. Partes iureconſulti ſunt in legibus & conſuetudinibus. Leges in comitijs ſancitæ ſunt, conſuetudines uſu probatæ. Conſuetudinem aliæ pertinent ad priuatos, aliæ ad uniuerſam ciuitatem. Illas tenere debet iurecóſultus, has autem rector ciuitatis & imperator. hinc ponitur hæc exceptio, Peritus conſuetudinis eius qua priuati in ciuitate uterentur. Iuriſperitus aut reſpondet de iure conſulentibus (conſultationes et hodie nominantur) aut agit cauſas, maxime quæ iure ciuili tranſigũtur, aut cauet ac prouidet, ne decipiãtur ij, qui decidunt, paciſcũtur, ſtipulantur, obligationes contrahunt, uendunt, emunt, teſtamenta condunt. Sextus Aelius, M. Manlius, P. Mutius inter iuriſperitos celebres à Pomponio nominantur ff. t. Eius uerba ſupra cóſcripſimus. Muſicus in numeris, uocibus, modiſq; uerſatur. Grammaticus in hiſtoriarum cognitione & poetarum, in uerborũ interpretatione, & in pronunciandi quodam ſono liberali. Poeta in imitatione rerum, uerſuq; texendo. Philoſophus unus omnia penè profitetur, tamen eius eſt quædam deſcriptio. Vt enim philoſophia deſcribitur diuinarum atque humanarũ rerũ ſcientia, ſic etiá philoſophus is eſt qui ſtudet omnium rerũ diuinarũ atque humanarum uim, naturam, cauſaſq; noſſe, & omnem bene uiuendi rationem tenere & perſequi. Res diuinas accipe res deorum, cœlos, ſidera, quæq; ſuperiora ſunt: humanas autem propiores, magiſq; hominum proprias. utraſque complectitur philoſophia naturalis, ſicuti bene uiuendi rationem philoſophia moralis. utrique adhæret ſcientia dialecticorum. Nec philoſophũ ſatis eſt bene uiuendi rationem tenere, niſi perſequatur. Non enim diſcimus tantũ ut ſciamus, ſed ut ſcientes bene rectéq; agamus, quandoquidem uirtus in actione perficitur. ORATOREM autem, quoniá de eo quærimus, equidem nó facio eundé quem, &c.] Quæ iá dicturus eſt Antonius, nó tam ad illius explicandam mentem, quá ad refutandũ Craſſum ualent. nam poſtea ſic loquitur: Heri hoc mihi propoſueram, ut ſi te refelliſſem, hos à te diſcipulos abducerem. nunc Catulo audiente et Cæſare uideor debere nó tam pugnare tecum, quá quid ipſe ſentiá, dicere. Vt igitur ineat refutationem, iſta proponit. Oratorem equidem non facio eundem quem Craſſus.] Propoſitum ratione confirmat. Viſus eſt Craſſus omnem omniũ rerum atque artium ſcientiá comprehendere uno oratoris officio ac nomine. Id autem fieri non debet, ſi artis cuiuſque quædam proprietas eſt qua ſecernitur à cæteris. Poſtea definit oratorem. Orator is eſt, qui uerbis ad audiendum iucundis, et ſententijs ad probandũ accommodatis uti poteſt in cauſis forenſibus atque cómunibus, quiq; inſtructus eſt uoce & actione & lepore. Oratio conſtat rebus et uerbis. Verba legenda ſunt non antiquata, nó putida, non humilia, non iniucunda: ſed uſitata, honeſta, grauia, iucunda. Verba iucunda ſunt omnia quibus auris & animus iure non offenditur. Verba cadunt in aurem, auris quærit uoluptatem, uoluptas eſt in iucunditate. Iucunda itaque uerba pro uerbis bonis poſuit, quæ debent auribus placere. Res ſunt inuentionis, & ad finem aliquem tendunt. Finis oratoris eſt probare cauſam. Probatio confirmationem et refutationem cótinet. Res accómodantur ad probandum, quæ ad confirmandam aut refutandam cauſam faciũt. Eò certe tendit omnis oratio. Orator uerſatur in cauſis ciuilibus. Cauſæ ciuiles aut ſunt forenſes, aut cómunes. Forenſes apud iudices, aut eos quibus eſt iudicandi poteſtas, cómunes in ſenatu & in concione tum cum agitur de ciuitate ac de Rep. Ad agendum nó ſolum opus eſt oratione, ſed et oratore. Vt placeat orator, non tantũ eget uoce, ſed uoce modulata, & arte quadam cópoſita. Voci geſtum & actioné tum uultus tum membrorũ conuenire oportet. Et præter hæc omnia, ut ſal et condimentũ cibis inſpergitur, ſic lepos quidam adhibendus orationi ex genere ridiculorum & facetiarũ liberali. Ergo in oratoris definitione duo poſuit ad materiam ſpectantia, res, et uerba. duo item ad uſum orandi, cauſas forenſes, et communes. duo præterea ad pronũciandum, uocem, et actionem. unũ quaſi ad condiendam orationem, leporem. Dicet quiſpiam, ſi probe hoc modo definitur orator: quid opus erat Antonium ſuá conſtituere definitionem, tanquá Craſſus aliter ſentiret? Nihil conſtituit Antonius quod oratori neceſſarium non ſit, ſed detrahit ea quæ ad dignitaté illius officij maxime ſunt expetenda. Quænam? Cognitionem rerũ maximarũ, ſine qua ieiuna et uulgaris eſt inuentio. Quibus hoc intelligitur uerbis? Quibus ſignificat, ſatis eſſe oratorem ſententijs ad probandum accommodatis uel poſſe in cauſis forenſibus atque cómunibus. Videtur neque noua neque magna præcipere, ſed contentus eſſe ſententijs fori, ſenatus, & concionũ, quæ uſu breui diſci queunt. Induitq; perſonam eorum, dictitabant, Verba mea iucunda ſunt. res mihi non deſunt. ago cum dignitate. ſatis eſt. quid opus ardua & alta philoſophorũ aliorumq; ſenſa, quæ uulgo non intelliguntur, inferre? agendum eũ rudibus ex cómuni hominũ opinione. uſus eſt dicendi magiſter. qui docti habentur, agere non poſſunt. Hæc & alia multi ſua ignorantia prætexunt. Conſtituta definitione, ad eius confirmationé Craſſum refutat. Nam detractis alienis ornamentis et uelut emblematis quæ Craſſus adiecit, reliqua propria erũt oratoris, tumq; uidebitur eſſe plena definitio. Summa diſputationis huius eſt, non tam latè patere fines rhetoricæ, quá Craſſus affirmet: in qua urbanũ dicendi genus non aliter ſeruauit Antonius, quá ante Scæuola feciſſet. Vterque ſic egit in utrum, ut illum refellendo cómendaret: alioqui reprehenſio dura & ſubagreſtis erat futura. Craſſus, inquit, uiſus eſt oratoris facultatem, artemq; dicendi, non illius artis terminis, qui minus latè patent, ſed ingenij ſui finibus, hoc eſt, terminis, immenſis penè, deſcribere. tranſlatio ſumpta à terminis agrorũ, qui terræ modũ aliquem definiunt. Primũ agit in illud Craſſi ſæpe repetitũ, oratoris eſſe, noſſe ius ciuitatis et imperij, eumq; conſtitutis ciuitatibus leges, iudicia, iura deſcribere. quod ei Scæuola principio nó conceſſit, ſed tandem quaſi defatigatus, Non luctabor, inquit, tecũ Craſſe amplius. id enim ipſum, quod cótra me locutus es, artificio quodam es conſecutus, ut et mihi quæ ego uellem non eſſe oratoris, concederes, & ea ipſa neſcio quomodo rurſus detorqueres, atque oratori propria traderes. Vtitur duobus exemplis, Scæuolæ & Scauri, ſenatus principis, qui ſcientiá regendæ ciuitatis habuerũt, nec tamé eloquentes fuerũt. Ciuitatũ regendarũ oratori gubernacula (à naui metaphora eſt) ſententia ſua tradidit Craſſus. In quo per mihi mirũ uiſum eſt (diuiſit per mirũ

ut ante per iucundum) Sceuola te hoc illi concedere, cũ ſepiſſime tibi ſenatus nó copioſe politeq; agenti oratorio more, ſed breuiter impoliteq; dicenti, maximis ſit de rebus aſſenſus. Vt quis igitur bonus ſenator et ſit et habeatur, eloquentia nó opus eſt. In manu ſenatus ſunt gubernacula ciuitatis. hoc exemplum grauius habendum, quia præſens eſt. Marcus uero Scaurus, quẽ nó longe ruri (ponitur ut aduerbiũ ruri) apud ſe, id eſt, in Tuſculano ſuo eſſe audio, uir regendæ Reip. ſcitiſſimus, id eſt, ſummus ſenator, ſi audierit hanc authoritatem grauitatis & conſilij ſui uindicari à te Craſſe, iam credo huc ueniat, et hanc loquacitatẽ noſtrã uultu ipſo conterreat. De Scauro Saluſtius in Iugurthino: M. Aemylius Scaurus homo nobilis, impiger, factioſus, audax, ſed uitia ſua callide occultans, cũ eſſet uir conſularis, & in ſenatu princeps, ab eo mittitur ad Iugurtham orator, ut eũ ab oppugnatione Cyrthæ, et à ſeditione Adherbalis amoueret. Cicero in Bruto: De Scauro et Rutilio breuiter licet dicere, quorũ neuter ſummi oratoris habuit laudẽ, et uterque in multis cauſis uerſatus erat. In Scauri oratione, ſapientis hominis et rectè, grauitas ſumma, & naturalis quedã inerat authoritas, nó ut cauſam, ſed ut teſtimoniũ dicere putares cũ pro reo diceret. Hoc dicendi genus ad patrocinia mediocriter aptum uidebatur, ad ſenatoriã uero ſententiã, cuius erat ille princeps, uel maxime, ſignificabat. n. nó prudentiã ſolum, ſed, quod maxime rem continebat, fidem. habebat hoc à natura ipſa, quod à doctrina nó facile poſſet. Idem in oratione pro Fonteio: Ecquem hominẽ uidimus, ecquem uere cómemorare poſſumus, parẽ cóſilio, grauitate, cóſtantia, cæteris uirtutibus honoris, ingenij, rerũ geſtarũ ornamẽtis, M. Aemylio Scauro fuiſſe? tamen huius, cuius iniurati nutu prope terrarũ orbis regebatur, iurati teſtimonio, neque in C. Fimbriam, neque in C. Memmiũ creditũ eſt. In laudibus Scauri nonnihil differunt Saluſtius et Cicero, ſi de eodem loquuntur. Authoritatẽ grauitatis, accipe exiſtimationem et dignitatẽ grauem plenamq; póderis in ijs rebus, quarũ fuerit author. Vindicari.] Tranſlatum à rebus, quæ ab eo, qui dicat ſe propriũ dominũ eſſe, uindiciarũ lege repetuntur. Loquacitatem noſtrã.] Interpoſuit ſuã perſonã, ne quid diceret acerbius. Vultu aſpectuq; cóterreat.] Loquitur hæc, ut authoritas in ſenatore pluris eſſe quã oratio copioſa uideatur. Poſitis argumẽtis hic Craſſus diceret, & Sceuolã et Scaurũ oratores fuiſſe, & maiores futuros, ſi fuiſſent eloquentiores. Nó ſi omnes cóſilij principes nó ſunt eloquentes, oratorẽ iuris publici doctũ eſſe nó oportere. Alterũ eſt argumentũ à differentia, aliũ ſenatorẽ eſſe, aliũ oratorem: aliã Catoni rationem eloquentiæ, aliã eidem Reip. exornandæ fuiſſe. Si quis utrunque poteſt, et orare cauſas, et cóſilia tractare ciuitatis, ille conſilij publici auctor, id eſt, ſenator bonus, nó ob eam ipſam cauſam orator eſt, propter quã eſt cóſilij princeps. Et contra ſi quis eſt diſertus mediocri genere eloquentiæ, aut eloquens ſumma facultate, qui ſit idem in procuratione, id eſt, adminiſtratione ciuitatis egregius, nó aliquã ſcientiã conſilij publici et regendæ ciuitatis conſecutus eſt à copia dicendi. Multum inter ſe diſtant et differunt iſtæ facultates, cauſas perorare poſſe, cóſilio regere ciuitatem: nec eadem ratione ac uia, hoc eſt, arte, M. Cato, et ij de quibus paulo ante dictum, P. Africanus, Q. Metellus, C. Lælius, qui omnes eloquentes fuerũt, orationem ſuã et Reip. dignitatem exornabant. Alia uis eſt eloquẽtiæ, alia prudentiæ. Omnis eloquentia prudentiã, nó omnis autẽ prudentia requirit eloquentiam. Iſta quidem uera ſunt (diceret Craſſus) ſed oratori perfecto ſcientia ciuilis atque tenenda eſt, ac ſi ſit eius propria. NEQVE enim eſt interdictum aut à rerum natura, aut à lege aliqua, &c.] Multas artes unus homo diſcere poteſt. nec enim interdictum eſt, ut ſingulis hominibus, ne amplius quã ſingulas artes noſſe liceat. Cum ſit aliud ius naturale, aliud humanũ, et humanũ lege atque more cóſtet: neque natura interdixit, neque lex, neque mos & conſuetudo. Id quia licet, plerique uarias artes capeſſunt, & ſinguli multis ſcientijs informantur. Quod cum ſit, manet tamen artibus ſua proprietas, qua diſtingui ſegregariq; poſſunt. Exempla ducit à Pericle, à P. Craſſo, à P. Mutio Sceuola, ab Empedocle, à philoſophis, qui cũ plures tenerent artes, propriã tamen agnoſcebant profeſſionem. Non hic repugnet Craſſus, qui ſupra dixerit, Phyſica iſta ipſa, quæ paulo ante, et Mathematica, et cæterarũ artiũ propria poſuiſti, ſcientiæ ſunt eorũ, qui illa profitẽtur: ſed addat quæ ſequũtur: Illuſtrare autẽ oratione ſi quis iſtas ipſas artes uelit, ad oratoris ei confugiendũ eſt facultatẽ. Itaque artes propriæ ſunt eorum, qui tenent eas atque profitentur: ſed quatenus explicantur oratione, oratoris quaſi propriæ ſunt. Illud eſt in quo diſcrepant Craſſus et Antonius, ſi modo inter ſe diſcrepant. Pericles adeo fuit eloquens, ut fulgurare, tonare, permiſcere omnia diceretur. Plurimos annos (ut traditur, quadraginta) princeps cóſilij publici fuit. Cicero in Oratore: Pericles quidem dixit atticè, cui primæ ſine cótrouerſia deferebãtur. Qui ſi tenui genere uteretur, nunquã ab Ariſtophane poeta fulgurare, tonare, permiſcere Græciã dictus eſſet. Idem in eodẽ libro: Siquidem etiã in Phedro Platonis hoc Periclẽ præſtitiſſe cæteris dicit oratoribus Socrates, quòd is Anaxagoræ phyſici fuerit auditor, à quo cenſet eũ, cum alia præclara quedã et magnifica didiciſſet, uberem & fœcundũ fuiſſe, naruniq; (quod eſt eloquẽtiæ maximũ) quibus orationis modis quæque animorũ partes pellerentur. De Publio Craſſo Cicero in Bruto: P. Craſſum ualde probatũ oratorẽ, iiſdem ferè temporibus accepimus, qui et ingenio ualuit, et ſtudio, & habuit quaſdam etiã domeſticas diſciplinas. Nam et ſummo illo oratore Ser. Galba, cuius Calo filio filiã ſuam collocauerat, affinitate ſe deuinxerat. Et cum eſſet P. Mutij filius, fratremq; haberet P. Sceuolam, domi ius ciuile cognouerat. In eo induſtriã conſtat ſummã fuiſſe, maximamq; gratiam, cum et conſuleretur plurimum & diceret. De hoc uiro paulo ante mentionem fecit Craſſus, et Sceuolæ fratrẽ eſſe dixit. De P. Sceuola ſcribit idem Cicero in eodem libro: Iiſdemq; tẽporibus L. Furius Philus perbene loqui latinè putabatur, literatiuſq; quàm cæteri: P. Sceuola ualde prudenter et acute, paulo etiam copioſius. Hic ex parte ius ciuile fundaſſe, de iure decem libellos reliquiſſe, Pontifex maximus fuiſſe à Pomponio dicitur. Illum duodecim ſcrupis luſiſſe, auctor eſt Quintilianus undecimo libro, capite de memoria. An uero, inquit, Sceuola in luſu duodecim ſcruporum, cũ prior calculum promouiſſet, eſſetq; uictus, dum rus tendit, repetito totius certaminis ordine, quo dato erraſſet, recordatus rediſt ad eum qui cum luſerat, iſq; ita factum eſſe confeſſus eſt: minus ordo ualebit in oratione, præſertim totus noſtro arbitrio conſtitutus, cum tantum ille ualeat alternus? Scrupus eſt calculus. Ludus duodecim ſcruporum, uulgo dominarum ludus appellatur. De Empedocle Lucretius libro primo:

> Quorum Acragantinus cum primis Empedocles eſt,
> Inſula quem triquetris terrarum geſſit in oris,
> Rebus opima bonis, multa munita uirum ui.
> Nil tamen hoc habuiſſe uiro præclarius in ſe,
> Nec ſanctum magis & mirum cariumq; uidetur.
> Carmina quin etiam diuini pectoris eius
> Vociferantur, & exponunt præclara reperta,
> Vt uix humana uideatur ſtirpe creatus.

Hic poeta Agrigentinus philoſophiã naturalem uerſu complexus eſt. φυσικοὺς interpretamur naturales, qui uim rerũ cauſaſq; norunt. Geometriã et Muſicã à philoſophia ſeparari ſupra diximus. Aliud eſt enim rerũ cauſas inquirere, ac rationẽ bene uiuendi: aliud magnitudines metiri, & arte cantare. At philoſophus ſi omnia profitetur, cur nó Geometriã quoque et Muſicam? Paulo ante ſic reſpódit: Philoſophi denique ipſius, qui de ſua ui ac ſapientia unus omnia pene profitetur, eſt tamẽ quedã deſcriptio, ut is qui ſtudeat omniũ rerũ diuinarũ atque humanarum

uim

uim, naturam, cauſaſq; noſſe, et omnem bene uiuendi rationem tenere & perſequi. nomine hoc appellatur. Poſteaquam rationibus planũ fecit, nõ unius oratoris omnes artes proprias eſſe, quod Craſſus affirmare uidebatur, partẽ illi cõcedit, partẽ uero negat. Cõcedit omnes artes oratori ſubijci quodammodo poſſe, quoniã dicendi facultas non debet eſſe ieiuna atque nuda, ſed aſperſa atque diſtincta multarũ rerũ iucũda quadã uarietate, quæ paſſim ab artibus colligitur. Negat aũt quæ inde excerpſerit, ut ſua poſſidere, ſed ut aliena libaſſe cõtendit. Sunt ipſa per ſe aliena quidẽ, ſed tamẽ tractando fiunt oratorum propria. Orator, ut uule Ariſtoteles, propriã unã materiã non habet, ſed quæ tractãda ſumit, ut ſua efficit ac poſſidet. Quibus autẽ rationibus uaria libare, hoc eſt, deguſtare oporteat, oſtendit. Quatuor aſſignat. Vna pertinet ad aures, quibus loquẽtes, diſputãtes, docẽteſq; ſubaudimus. Altera ad oculos, qui multa intuentes, eorũ notitiã inferũt animis noſtris. Tertia ad animũ & cogitationẽ, per quã ex notis et cõprehenſis ignota et incomprehenſa ratiocinamur. Quarta ad lectionem eorũ quæ ſcripta ſunt. Hæc genera cognoſcendi, qui diligenter obſeruabit, erit callidus, non tyro, nõ rudis, nõ peregrinus atque hoſpes. Callidus eſt experiẽs, et exercitatus. Rudis, neque arte, neque uſu expolitus. Tyro, rudis miles. Peregrinus et hoſpes, qui res ſuæ ciuitatis ignorat. NEQVE uero iſtis tragœdijs tuis, quibus uti maxime philoſophi ſolẽt, etc.] Craſſus initio cõfirmauit, oratori, niſi philoſophiam teneat, nihil in quo magnus eſſe poſſit, relinqui. quod quia uerbis pluribus fecit, repetere moleſtũ eſt. Id labefactare conatur Antonius. Ambigua diſputatio eſt. Antonius perinde certat, ac ſi omnes omniũ philoſophorum rationes opinioneſq; tenere oportere dixerit Craſſus: qui ſicuti philoſophiam moralem totam eſſe perdiſcendã putat, ita de dialectica & de phyſica aliquid remitti poſſe confitetur. Philoſophandum quidem eſt, ſed paucis, quia omnes omnia non poſſumus. & quod poſſumus, non utique expedit. Locis utitur Antonius his in diſputando, philoſophiam percipere difficile eſſe, rationes philoſophorum tenere nihil eſſe neceſſe, illos inter ſe non conſentire, affectus reijcere, ea dicere quæ abhorreant ab opinione populari. Hæ ſunt propoſitiones, hæc fundamenta diſceptationis ob eo petenda iaciendaq;, qui uelit inſtruere cauſam, quibus poſitis rationes probationeſq; nectuntur. Neque uero iſtis tragœdijs tuis, quibus uti philoſophi maxime ſolẽt, Craſſe, perturbor.] Tragœdias accipimus res nouas, atque πάθη, hoc eſt, affectus atque perturbationes animi, de quibus in Tuſculanis Cicero multa, ſumpta de philoſophis. Tragœdiæ uocantur, non ſolum quòd frequentes in tragœdijs affectus eſſe ſolent, ſed etiam quòd more tragœdiarum in parua materia magnos concitãt ignes. Perturbationes Cicero appellat, propterea quòd mẽtem animumq; ſuperiorẽ de ſtatu deturbant. Et hic quoque uerbo perturbor eſt uſus. Senſus eſt igitur: Alij ſunt affectus oratorum, aliæ concitationes philoſophorum. Affectibus oratorum aliquando perturbor: tragœdijs tuis, quibus uti philoſophi maxime ſolent, non ego Craſſe perturbor. Dices: Quibus utuntur philoſophi? Quærunt quæ ſint perturbationes: ſingulas definiunt: an in ſapientẽ cadant, ſubtiliter & acute diſputant. Alij omnino negant, alij mediocres recipiunt. Eſt alia ratio quædam oratorũ in mouendis affectibus. Ea duplex eſt. aut mentes eorũ qui audiunt inflammare dicendo, aut inflammatos reſtinguere uolunt. In his duobus (ſi Ciceroni credimus) uis oratoris ac magnitudo cernitur. Locũ paulo ante aſſignauimus in Oratore de Pericle, qui Anaxagoræ fuerat auditor. Hæc non repudiat Antonius: ſed à philoſophis aſſumenda negat. Phyſica eſt, quæ rerũ omniũ naturã diligenter inquirit, quæ mores hominũ nõ ut philoſophia moralis, ſed ut ad naturã rationemq; referũtur, inſpicit. Quos mores? Vnde ſit homo? ex quibus elementis? ex quibus humoribus? an abũdet ſanguine? an pituita? an bile? quæ ſit phyſionomia? quæ natura tẽperamenti? qui mores inde naſcãtur? ut naturã mutet educatio? quid opiniones efficiant in eius animo? quiq; ſint animi motus? Hæc etſi nunquã reperiuntur in philoſophia morali, quia permixta ſunt omnia, phyſica tamen ſunt cõtemplationis, de qua nũc agitur. Ne refer mores ad philoſophiã ethicã, quoniã de tragœdijs et affectibus eſt ſermo, quibus aliter alia natura mouẽtur. In ſtudio phyſico hominũ ingenioſiſſimorũ ut Anaxagoræ, Hippocratis, Democriti, totas ætates uidemus eſſe cõtritas: nec mirũ eſt tam late patentẽ, tam uariã naturæ uniuerſitatẽ cognoſci breui nõ poſſe: nec illam rerũ copiã & magnitudinem cognitionis atque artis ſapiens cõtemnet, ſed uehementer admirabitur. Quærat tamen hic, an'ne iuuet oratorem? Reſpõdeat Antonius: Nobis qui in hoc populo foroq; uerſamur, à ratione philoſophorum alieniſſimo, ſatis eſt ea de moribus hominũ & ſcire, & dicere quæ non abhorrent ab hominũ moribus. Rationes philoſophorum magna ex parte abhorrent ab hominũ moribus: nõ ſunt igitur oratori neceſſario ſcienda atque dicenda. Scire prius eſt, poſterius dicere. Quæ non abhorrent ab hominũ moribus? Ea quæ uidere aut audire conſueuerũt. Denudare cicatrices rei, oſtentare ueſtem cruentam, proferre cadauer in cõcionem, ſuſcitare infantes, pueros, ſenes, calamitoſos, ſordidatos, flere miſeros, merita maiorũ narrare, reum lacrymantem commendare à priore uita, inuocare mortuos, implorare Remp. obijcere iudicibus memoriã uxorũ liberumq;, nõ abhorrebat à populi Romani moribus. Hæc ſcire, oſtendere, dicereq;, magnum fuit: maius tamen, noua quadam ratione tractare, ac doctrinæ ſecretiores quaſi ſapore condire. Habes unã probationem, non poſſe oratorem multis occupatum eam artem diſcere, in qua hominum ingenioſiſſimorũ totas ætates conſtat eſſe contritas: nec eſſe neceſſe ſcire quæ à populo abhorrent, et foro. Addit alteram, rationes ac definitiones philoſophorum nihil adiuuare dicentem, qui non quid ſit affectus, quamq; uitioſus ſit, inueſtigat, ſed quemadmodum miſceatur in oratione, perquirit. Ordo diſpoſitionis eſt, ſi πάθη philoſophiamq; ſcire uelit orator, haud facile poſſit: & ſi poſſit, nihil ſit neceſſe. Iracundiam Cicero definit in tertia Tuſculana hoc modo: Iracundia, ulciſcẽdi libido. ab alijs definitur, cupiditas puniendi doloris. ab alijs, feruor mentis. Prima ſecundaq; definitio rem eandẽ ſignificãt, tertia accenſam cupiditatem, non ultionem continet. poteſt. n. feruere mens ſine ulciſcendi cupiditate. Motus animi ſiue perturbationes multa quidẽ ſunt, at generibus quatuor coarctantur. Genera ſunt ægritudo, uoluptas, metus, cupiditas. Aut. n. mouemur opinione boni, aut mali. ſi boni præſentis, uoluptas eſt: ſi mali, ægritudo. ſi boni futuri, cupiditas: ſi mali, metus. Hos motus & eorũ ſpecies Stoici negant in animis eſſe debere. Peripatetici mediocres eſſe uolunt. teſtis eſt Cicero Tuſc. 3. qui poſitis Stoicorũ argumentis ſic colligit: Abeſt ergo à ſapiente ægritudo. Hæc ſic dicuntur à Stoicis, concluduntuŕq; contortius: ſed latius aliquãdo dicenda ſunt, & diffuſius. Sententijs tamen utendũ eſt eorũ potiſſimũ, qui maxime forti (& ut ita dicam) uirili utũtur ratione atque ſententia. Nam peripatetici familiares noſtri, quibus nihil eſt uberius, nihil eruditius, nihil grauius, mediocritates uel perturbationũ uel morborũ animi mihi nõ ſanè probant. Omne enim malũ etiã mediocre, magnũ eſt. Hactenus Cicero. Noſtri dictitant motus primos non eſſe in noſtra poteſtate. quod ſi eſt, id uolũt quod Peripatetici, in ſapientem cadere perturbationes. Si perturbatio omnis uitiũ eſt (ut Stoici uolunt) ij qui eam in iudicum mentibus concitant, ſcelus facere exiſtimandi ſunt. Hanc ſententiam probat Ariſtoteles Rhetoricorum principio: οὐ γὰρ δεῖ τὸν δικαστὴν διαστρέφειν εἰς ὀργὴν προάγοντας, ἢ φθόνον, ἢ ἔλεον. ὅμοιον γὰρ κἂν εἴ τις ᾧ μέλλει χρῆσθαι κανόνι, τοῦτον ποιήσειε στρεβλόν. Iudicem perturbare, & aut in iram, aut in inuidiam, aut in miſericordiam mouere, iniquũ eſt. Haud aliter id fit, ac ſi quis eam regulam qua ſit uſurus ipſe, deprauet. huc pertinet illud Quintiliani: Fuerunt & clari quidam authores,

quibus ſolum uideretur oratoris officiū, docere. Nanque et affectus duplici ratione excludendos putabāt: primū quia uitiū eſſet omnis animi perturbatio, deinde quia iudicem à ueritate depelli miſericordia uel ira ſimilibuſq; non oporteret. Athenis lex fuit, qua actor affectus mouere uetabatur. ORATOR autē *omnia hæc quæ putantur in cōmuni uita, etc.*] *Affectus nō eodem modo philoſophus et orator inſpiciūt. Philoſophus relicta cōmuni uitæ cōſuetudine, quæ frequenter aberrat à uero, ad naturā ueritatemq; deflectit. Orator autem nō ſemper in dicendo ueritatem, ſed cōmunem uitæ conſuetudinem opinionemq; ſpectat. Nam propoſitum illi eſt, ea quæ mala, ac moleſta et fugiēda putātur, etiamſi nō ſunt, amplificare, hoc eſt, multo maiora et acerbiora uerbis facere. Itemq; ea quæ uulgo rudiq; populo expetenda atque optabilia uidentur, augere uerbis et ornare. Nec id Craſſus quidem improbet, ſi ad rectū finem dirigatur. Quòd autē ſæpius oratio popularis eſſe debet, cauendū ne nimiū redoleat doctrinā. Vt enim ineptū eſt, apud mulierculas ſubtiliter et acute theologicas quæſtiunculas tractare: ſic ineptū uideretur, oratorem populo abſtruſas philoſophorū ſententias minutis concluſionibus explicare. quamobrem nō uult ita ſapiens inter ſtultos uideri, uti qui audiāt, aut illū ineptū, qui decorū non ſeruet: aut Græculum apud rudes, in circulo philoſophantē putent. aut etiam ſi ualde probent ingenium, oratoris ſapientiā admirētur, ſe eſſe ſtultos moleſte ferant. Stultū dicimus enim, qui quod oportuerat non prouidit, aut qui improbum admiſit conſiliū, aut qui ſe qui noluit probum: aut quouis alio modo aberrantem. Cicero Tuſculana tertia, loquens de ueteribus Romanis, Stultitiam, inquit, cenſuerunt, id eſt, inconſtantiam ſanitate uacantem, poſſe tamen tueri mediocritatem officiorū, & uitæ communem cultū atque uſitatum. Idem de Natura deorum: Stulti nec uitare uenientia poſſunt, nec ferre præſentia. Idem de Finibus bonorum: Animi autē morbi ſunt, cupiditates immenſæ et immanes diuitiarū, gloriæ, dominationis, libidinoſarū etiā uoluptatum. Accedunt ægritudines, moleſtiæ, mœrores, qui animos exedunt, conficiuntq; curis, hominū nō intelligentiū, nihil dolendum eſſe omnino, quod ſit à dolore corporis præſenti futuro'ue ſeiunctum. Nec uero quiſquam ſtultus non horū morborū aliquo laborat. Itaque cum ſapiens rara ſit auis in terris, neceſſe eſt omnes prope ſtultos eſſe: quorum alij ſapientem ægre ferunt, alij probant et admirātur. apud utroſque ſi conſiſtere cupiat orator, ad illorum captū deſcendat neceſſe eſt. Id uerum eſt: ſed tamen ut ſapias, et ſtultos regere poſſis, philoſophia diſcenda, et pro temporum ac perſonarum utilitate accommodanda eſt: nec ſemper eſt apud ſtultiſſimos habenda oratio. Multa multi ſapiunt, qui eruditiorem expetunt orationem. Hæc igitur haud quaquā Craſſi ſententiā uincunt, nec etiam quæ ſequuntur de deſcriptionibus, ac ſummo bono. Vt enim non omnia in omnibus cauſis locum habent, ita nihil ferè à bonis philoſophis memoriæ proditum eſt, quod nō aliquando commode poſſit uſurpari. Orator ita peragat per animos hominū, ut non deſideret philoſophorum deſcriptiones. Peragrare per animos hominum, eſt oratione partes animorū attingere. Quemadmodum pes ſuo motu loca terræ peruadit, ita motus orationis, id eſt, affectus, irrumpit in animū, atque illū quodam modo peragrat. Talis eſt illa Perſij tranſlatio:*

Omne uafer uitium ridenti Flaccus amico
Tangit, & admiſſus circum præcordia ludit.

Animi cū mouentur affectibus, tractari, hoc eſt, uarie tangi & impelli uidentur. Orator igitur ſenſus menteſq; pertractat. Senſus priores oratione tangit, tandē in mentē penetrat, principē cogitationis. Mentem in bonū et in malū dicimus. Terentius: Mala mens, malus animus. Et quanquā mens à quibuſdam conſtans et ſtabilis eſſe dicitur, tamen perturbationibus ſubijcitur. Deſcriptiones aliæ breuiores, uti definitiones philoſophorum: qualis eſt hæc, Iracundia eſt cupiditas puniendi doloris. aliæ longiores, ut oratorum: qualis eſt deformatio Antonianæ luxuriæ Philippica ſecunda. Deſcriptiones philoſophorum ſic improbat in ſecundo: Definitio primū reprehenſo uerbo uno, aut addito, aut dempto, ſæpe extorquetur è manibus, deinde genere ipſo doctrinam redolet, exercitationemq; penè puerilem: tum et in ſenſum et in mentem iudicis intrare non poteſt. ante enim præterlabitur, quàm percepta eſt. Summum bonum eſt, quò omnia referuntur. De ſummo bono multæ fuerūt opiniones. Alij ſtatuebāt in corpore, alij in animo, alij in uirtute, alij in uoluptate, alij in utraq;. Metrodorus finē bonorū ponit in bene conſtituto corpore, Stoici in animo ſolo: Peripatetici in animo, corpore, et rebus fortuitis. in uirtute ſola Stoici. in uoluptate Epicurus. in uirtute et uoluptate copulata Dinomachus & Calliphon. Verba Ciceronis adſcribemus: Sunt autē hæ de finibus (ut opinor) retentæ defenſæq; ſententiæ: primū ſimplices quatuor: Nihil bonū niſi honeſtum, ut Stoici. Nihil bonū niſi uoluptatem, ut Epicurus. Nihil bonū niſi uacuitatem doloris, ut Hieronymus. Nihil bonū niſi naturæ primis bonis, aut omnibus, aut maximis frui, ut Carneades contra Stoicos diſſerebat. Hæc igitur ſimplicia. Illa mixta tria genera bonorū maxima animi, ſecunda corporis, externa tertia, ut Peripatetici. Nec multo ueteres Academici ſecus. Voluptatem cum honeſtate Dinomachus et Calliphon copulauit. Indolentiā autem honeſtati Peripateticus Diodorus adiūxit. Metrodorus penè aliter quàm Epicurus beatum deſcribit, his ferè uerbis: Cum corpus bene conſtitutum ſit, & ſit exploratum ita futurum. Quibuſdam philoſophorum uiſum, nihil certum percipi poſſe. Cicero in Academicis: Cum Zenone, ut accepimus, Arceſilas ſibi omne certamen inſtituit, non pertinacia aut ſtudio uincendi (ut mihi quidem uidetur) ſed earum rerum obſcuritate, quæ ad confeſſionem ignorationis adduxerant Socratem, & ut ueluti amantes Socratem, Democritum, Anaxagorā, Empedoclem, omnes pene ueteres, qui nihil cognoſci, nihil percipi, nihil ſciri poſſe dixerunt, anguſtos ſenſus, imbecillos animos, breuia curricula uitæ, et (ut Democritus) in profundo ueritatem eſſe demerſam, opinionibus et inſtitutis omnia teneri, nihil ueritati relinqui, deinceps omnia tenebris circumfuſa eſſe dixerūt. Itaque Arceſilas negabat eſſe quidquā quod ſciri poſſet, ne illud quidem ipſum, quod Socrates ſibi reliquiſſet. Sic omnia latere cenſebant in occulto, neq; eſſe quidquā quod cerni aut intelligi poſſit. Socrates in Hippia Platonis: ἐμὲ δὲ δαιμονία τις τύχη, ὡς ἔοικε, κατέχει, ὅστις πλανῶμαι μὲν καὶ ἀπορῶ ἀεί. *Mala quædam me fortuna (ut uidetur) habet. Ego. n. ſemper erro atq; dubito. Orator (ut uult Antonius) peragrat per animos hominū, ſenſus menteſq; pertractat. Idem negat philoſophiam eo eſſe neceſſariā. Oportet igitur aſſignet unde iſtuc haberi diſciq; poſſit. Aſſignat, Acuto homine nobis opus eſt, inquit, & natura uſuq; callido. Naturā uſum uult eſſe pro doctrina. Hæc duo magna ſunt quidē. quippe natura ſine arte multū poteſt, uſus aūt eſt dicendi magiſter: ſed quid obeſt ars his duobus adiuncta? Reſpondet Antonius: Ars philoſophorū à uitæ conſuetudine & à ciuitatū moribus abhorret. At illud ex parte falſum eſt. Sed aliud quiddā longe, aliud Craſſe quærimus, quā philoſophi illi de bonis & malis, de ſcientia et ignorantia tam contentioſi. Acuto homine. i. ingenio acri nobis opus eſt, et natura uſuq; callido ac perito. Natura uſuq; callidus, ſagax erit: itaq; ſagaciter peruestigabit more canū ſagaciū, quid ſui ciues, ijq; homines, quibus aliquid dicēdo perſuadere uelit, cogitent, ſentiant, opinentur, expectent: et pro moribus aptabit orationem. Teneat oportet uenas cuiuſque generis, ordinis, ætatis. Quemadmodum multæ uariæq; ſunt uenæ & aquarum et metallorū, nec omnibus una eademq; ratio eſt, ſic quoque uariæ ſunt hominū quaſi uenæ quædam. Diſtinguuntur homines genere, ætate, ordine. Genus eſt duplex. unū refertur ad ſanguinem. alij. n. genere ſunt nobiles, alij ignobiles. Alterū ad naturam, quæ alios gignit mites, alios feroces, alios ſeruitutis patien-*

tes, alios ſuperbos, & regnandi cupidos, alios aliter. Vtrunque dicenti conſiderandum, ut cuique pro natura adhibeatur oratio. Aetas in pueritiá, in iuuentutem, in ſenectutem partitur: et hæc quoque uariat orationis decorũ. Ordo, cenſus eſt & dignitatis, ut Romæ ordo ſenatorius, equeſter, plebeius. & collegia (qui ſtatus dicuntur á noſtris) ordines appellantur. Non autẽ eadem eſt orandi ratio apud ſenatum, & hominem plebeium: apud primatos, et magiſtratus. Plato nouá quádam finxit in libris ciuitaté. Dialogi Platonis πολιτειῶν ἢ περὶ δικαίου, de Rep. ſiue de iuſto, ſunt decem, in quibus explicat qualem eſſe oporteat ciuitatem. Véq; facilius male conſtitutas ciuitates perſpicere poſſit, ut eum ſet initio conſtituere ſuam. Socrates apud eum ſic loquitur dialogo ſecundo: ἆρ' οὖν ἄν, ἔγὼ, εἰ γιγνομένην πόλιν θεασαίμεθα λόγῳ καὶ τὴν δικαιοσύνην αὐτῆς ἴδοιμεν ἂν γιγνομένην καὶ τὴν ἀδικίαν. δοκῶ οὖν χρῆναι ἐπιχειρῆσαι περαίνειν. Ergo inquam ſi ſtatuamus ciuitatem, & eam diſpiciamus oratione, quæ iuſtitia ac iniuſtitia ſit eius, uidere poterimus. Nobis igitur ut efficiatur, illud conandũ uidetur. Deinceps propoſitũ efficit uerbis, & nono libro ad extremum, μανθάνω, ἔφη, ἐν ᾗ νῦν διήλθομεν οἰκίζοντες πόλει λέγεις τῇ ἐν λόγοις κειμένῃ, ἐπεὶ γῆς γε οὐδαμοῦ οἶμαι αὐτὴν εἶναι. Diſciplinam capio, inquit, in ciuitate poſita uerbis, in qua modo uerſati ſumus. Nam in orbe terrarum illá eſſe nó exiſtimo. QVOD ſi ea probarentur in populis atque ciuitatibus, quis tibi Craſſe, &c.] Alia philoſophorum, alia populi opinio eſt. Sæpenumero dicit facitq; populus, quæ philoſophia grauiter reprehendit. hinc efficere conatur Antonius, oratori cui apud populũ dicendum eſt, nó eſſe philoſophandum. nó id efficit tamen. Alia quidem uis ſentiendi, alia dicendi: nec ſi interdũ opinioni uulgi ſubſeruit orator, illud utiq; neceſſario facit. Scientiam rerum ſibi reſeruat, facta poteſtate dicendi pro perſonis et tẽporibus agit. Quod ſi aliquando dicuntur ab eo quæ philoſophus improbet, id cauſæ tribuendũ uidetur, nó homini. Sapit orator bonus ut ſapiens, loquitur ut cauſa poſtulat. Nec Craſſus cũ diceret, Eripite nos ex miſerijs, ignorabat philoſophorum ſententias, ſed populum Romanum ab opinione recepta concitare cupiebat. Audiamus Antonium: Quòd ſi ea documenta philoſophorum probarentur in populis atque ciuitatibus, uti nó probantur, nemo tibi Craſſe conceſſiſſet, clariſſimo uiro & ampliſſimo principi ciuitatis, ut illa diceres in maxima & frequentiſſima concione tuorum ciuium, quæ dixiſti. Claritas hominis et amplitudo ſicuti illi dant authoritatem, ita clarum & amplũ dicendi genus querunt, ut par uiro ſit oratio. Significat Antonius, illud genus orationis futurum turpius in clariſſimo uiro, & ampliſſimo principi ciuitatis, quàm in obſcuriore & tenuiore perſona. Senatus cum impotentiam ordinis equeſtris in exercendis iudicijs ferre nollet, ſuam cauſam in concionibus apud populum agebat, ut æqua parte iudicia penes ſenatum & equeſtrem ordinem eſſent: ubi Craſſus alias, & cum Philippus inueheretur in principum cauſam, uerba fecit: cumq; populum mouere uellet, hæc dixit: Eripite nos ex miſerijs: et quæ ſequũtur: Eripite nos ſenatores, ò Quirites, ex miſerijs, Quas ab ordine equeſtri patimur. Eripite nos ex faucibus eorũ equitũ, quorũ crudelitas noſtro ſanguine non poteſt expleri. Omnes enim ferè damnant ſenatores, qui in illorum iudiciũ adducuntur. Nolite ſinere nos cuipiam ſeruire, niſi uobis uniuerſis, quibus & poſſumus, et debemus. Equitibus parti populi ſeruire æquo animo non poſſumus: uobis uniuerſis poſſumus, & quia totum ſua parte maius eſt, debemus. In hac oratione philoſophus obſeruatam ueritatem fuiſſe nó arbitretur, quia ſenatus, ſi modo ſapiens eſt, neque miſer eſt, neque iniquum iudicium metuit: neque cuiquam ſeruit, neque ſeruire debet. Sapiens ſemper eſt beatus, nunquam igitur miſer. Cicero de ſentẽtia Stoicorum, illum ſemper eſſe beatum ſic probat: Vir temperatus, conſtans, ſine metu, ſine ægritudine, ſine alacritate ulla, ſine libidine, nóne beatus? at ſemper ſapiẽs talis, ſemper igitur beatus. Sapiens ſine metu eſt, nó timet igitur iniquũ iudiciũ. Metus eſt animi perturbatio. In ſapientem non cadit ulla perturbatio, in ſapientem igitur nó cadit metus. Sapiẽs liber eſt, non igitur ſeruus. Sententia Stoicorũ eſt: πάντες οἱ σοφοὶ ἐλεύθεροι, πάντες δὲ μωροὶ δοῦλοι: Omnes ſapientes liberi, omnes ſtulti ſerui. Cicero: Nos uirtutẽ ſemper liberá uolumus, ſemper inuictá, quæ niſi ita eſt, ſublata uirtus eſt. Sic igitur Antonius: Nó poteſt uirtus ſeruire iſtis authoribus philoſophis, quorũ tu præcepta oratoris facultate cõplecteris, quæ & ſemper & ſola libera eſt, et conſtricta uinculis libertatem tenere debet. An (inquit Cicero) Epicuro, qui tantummodo induit perſoná philoſophi, & ſibipſi hoc nomen inſcripſit, dicere licebit, quod quidẽ, ut habet ſe res, me tamen plaudente dicit, nullum ſapienti eſſe tempus, etſi uratur, torqueatur, ſecetur, quin poſſit exclamare, quá pro nihilo puto. Stoicorum ſententia eſt: αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν. Ex philoſophis eſt aliquis mollis, languidus, eneruatus, omnia ad uoluptatem corporis doloremq; referens, ut Epicurus Epicureiq; omnes, ut Hieronymus. Nam Epicurei quanquam animi uoluptates non excludunt, tamen omnia, ut Cicero uult, ad corporis uoluptatem referunt. Hieronymus autem, dolorem ſummum malum putat. Molles hi ſunt, qui uoluptate capiuntur, dolorem ferre non poſſunt. Langueſcunt otio, neruoſq; fortitudinis amiſerunt. Nec tamen philoſophum ſeruire dicunt, quin enim ſolum liberum magnis rationibus eſſe confirmant. Ergo Craſſum Rutilius Rufus arguebat, Antonius in eodem eundẽ magnopere extollebat. Quid ita? Quia quæ præclara uidentur oratoribus ex affectuum locis, eadem philoſophis eſſe flagitioſa dicuntur. Quamobrem? Philoſophi rerũ ueritatem ſeuere inquirunt: Oratores, animos qua ratione poſſunt, flectere conantur, ut eos perducant quò æquũ bonumq; eſt. Hæc Antonius callide. Artificis eſt ſubſeruire propoſito, & omnibus modis ſua confirmare. Rationes oratorũ et philoſophorũ multũ differre, qui oſtenderet, exemplum ſuum & Rutilij in eius rei confirmationem commode uſurpauit. Craſſi uerba Cicero improbat in Paradoxis: Quid ualet illa eloquentiſſimi uiri Lucij Craſſi copioſe magis quá ſapiens oratio, Eripite nos ex ſeruitute? Quæ eſt iſta ſeruitus tam claro homini, tamq; nobili? Omnis.n. animi debilitata, & humilis, & fracta timiditas, ſeruitus eſt. Nolite ſinere nos cuipiam ſeruire. In ſeruitutem uindicari uult? Minime. Quid enim? Adiungit, Niſi uobis uniuerſis. Dominũ mutare, non liber eſſe uult. Quibus & poſſumus, & debemus. Nos uero ſiquidem animo excelſo et alto, & uirtutibus exaggerato ſumus, nec debemus, nec poſſumus. P. Rutilius Rufus Panætij philoſophi auditor fuit. Is dicere ſolebat, ut nemo pictor eſſet inuentus, qui Veneris eá partem quá Apelles inchoatá reliquiſſet, abſolueret (oris enim pulchritudo reliqui corporis imitandi ſpem auferebat) ſic ea quæ Panætius prætermiſiſſet, & non perfeciſſet, propter eorũ quæ perfeciſſet præſtantiá, neminem eſſe perſecutũ. Hæc Cicero tertio de Officijs. Idem de eodem in Bruto: Rutilius in quodam triſti & ſeuero genere dicendi uerſatus eſt: multaq; opera, multaq; induſtria fuit: quæ erat propterea gratior, quod idem magnum munus de iure reſpondendi ſuſtinebat. Sũt eius orationes ieiunæ, multa præclara de iure, doctus uir, & Græcis literis eruditus, Panætij auditor, prope perfectus in Stoicis, quorum peracutum & artis plenum orationis genus, ſed tamen exile, nec ſatis populari aſſenſioni accommodatum. Itaque illa quæ propria eſt huius diſciplinæ philoſophorum de ſe ipſorũ opinio, firma in hoc uno & ſtabilis inuenta eſt: qui quũ quá innocentiſſimus in iudicium uocatus eſſet, quo iudicio conuulſam penitus ſcimus eſſe Rempub. cum eſſent eo tempore eloquentiſſimi uiri L. Craſſus & M. Antonius conſulares, eorum adhibere neutrũ uoluit, dixit ipſe pro ſeſe, et pauca Caius Cotta, quòd ſororis erat filius, & is quidẽ tamẽ ut orator, quanquam erat admodum adoleſcens. Sed Quintus Mutius, enucleate ille

quidem & polite, ut ſolebat, nequaquam tamen ea ui atque copia, quã genus illud iudicij & magnitudo cauſa poſtulabat. Ex his colligere facile eſt, fuiſſe in L. Craſſo, quod Rutilius, qui Stoicorum ſectæ inhæſerat, improbaret: & inde illuſtratur id quod paulo poſt addit de Rutiliano iudicio: IDEM Q. Ser. Galbam, quẽ hominẽ, &c.]. Exemplo coniungit exemplũ, et ſimili ſimile cõfirmat. Q. Ser. Galba ex pretura Hiſpaniã obtinuit. Is triginta, ut alij uolunt, nouẽ, Luſitanorũ millia cũ perfidia trucidaſſet, et alios diripuiſſet, L. Scribonio quæſtionem in eũ ferente, id eſt, hominis nomẽ deferente, à Marco Catone accuſatus eſt. Cum inuidia & odio populi Galba premeretur, & pœnas daturus eſſe uideretur, Sulpitij Galli filium excitauit, et cũ duobus filijs ſuis paruis tutelæ populi cõmendauit: horũ ætatis fauore, ſe à iudicio liberauit. Cicero in Bruto. Ex hac Rutiliana narratione ſuſpicari licet, uim in Galba fuiſſe: quæ quidem uis tum maxime cognita eſt, cum Luſitanis à Sergio Galba pretore cõtra interpoſitã (ut exiſtimabatur) fidem interfectis, T. Libone trib. pleb. populũ incitãte, et rogationẽ in Galbam priuilegij ſimilem ferẽte, ſumma ſenectute, ut ante dixi, M. Cato legẽ ſuadens, in Galbã multa dixit: quã orationẽ in Origines ſuas retulit paucis, antequã mortuus eſt an diebus, an menſibus, Tum igitur recuſans Galba pro ſeſe, & populo R. fidem implorãs, cũ ſuos pueros, tum C. Galli etiã filiũ flens cõmendabat: cuius orbitas & fletus mire miſerabilis fuit propter recentẽ memoriã clariſſimi patris, iſq; tũ eripuit flammæ, propter pueros miſericordia populi commota, ſicut idem ſcriptũ reliquit Cato. Quem hominem probe commeminiſſe ſe aiebat.] Adoleſcentulus erat Rutilius, ut ibidem Cicero dicit, cum Galba floreret orator: deinde philoſophus factus, hominem probe cõmeminit: hoc eſt, Galbæ integrã memoriã tenuit. In Originibus ſuis.] Origines liber eſt M. Catonis de origine urbium Italicarũ, populorumq;, cuius adhuc principiũ extat. C. Sulpitij Galli.] De hoc Sulpitio Cic. De minoribus autẽ, C. Sulpitius Gallus, qui maxime omniũ nobiliũ Græcis literis ſtuduit: iſq; & oratorũ in numero eſt habitus, et fuit reliquis rebus ornatus atq; elegans. Iam enim erat uictior quadã ſplendidiorq; cõſuetudo loquendi. Hic authore Valerio, peritiſſimus aſtrologiæ fuit, et in exercitu Pauli Aemilij cõtra Perſeũ, unde lunæ eclipſis eſſet, expoſuit. Quintil: An cũ Sulpitius ille Gallus in exercitu L. Pauli de lunæ defectione diſſeruit, ne uelut prodigio diuinitus facto militũ animi terrerentur, non uidetur eſſe uſus oratoris officio? In procinctu teſtamentũ faceret.] Milites Romani præliũ commiſſuri, tribus pluribus'ue commilitonũ audientibus, hæredem ſine tabulis et libra nominabant, ut ſi quid in prælio mali accideret, teſtato mortem oppeterent. Id teſtamentũ in procinctu factũ eſſe dicebatur. Quodcunque autẽ ſubito fit ſine tabulis, hoc nomine dici poteſt, ut quod tum Galba faciebat. Alia teſtamenta ſcribebantur in tabulis, teſtibus adhibitis: ut cũ abalienatio fiebat et quædã emancipatio. Non aliter teſtamentis adhibebatur libra, quã mãcipio, de quo ſupra diximus ex ſententia Caij iuriſcõſulti, Boetijq;. Gellius 27. cap. lib. 15. Tria genera teſtamentorũ fuiſſe accepimus. Vnũ, quod calatis comitijs in cõcione populi fieret. Alterũ in procinctu, cũ uiri ad præliũ faciendũ in aciẽ uocabãtur. Tertiũ per familiæ emãcipationem, cui æs & libra adhiberetur. Inſt. de teſta. ord. Acceſſit deinde tertiũ genus teſtamentorum quod dicebatur per æs et librã, ſcilicet quod per emãcipationẽ .i. imaginariã quandã uenditionẽ agebatur, quinque teſtibus et libripende ciuibus R. puberibus præſentibus, et eo qui familiæ emptor dicebatur. His tragœdijs liberatũ ferebat.] Dicebat Rutilius his affectibus liberatũ eſſe Galbã. Humilitati.] abiectioni animi. Paulũ Cottæ tribuit.] Repete quod paulo ante citauimus ex Bruto Ciceronis. Peſtiferi ciues.] P. Rutilius uir ſummæ innocẽtiæ, qui legatus C. Marij Procõſ. à publicanorũ iniurijs Aſiam defenderat, inuiſus equeſtri ordini, penes quem iudicia erant, repetundarũ damnatus in exiliũ miſſus eſt. Cic. pro Fonteio: Quã multa audiuit in ſuo iudicio P. Rutilius? qui etſi damnatus eſt, mihi uidetur tamẽ inter uiros optimos atque innocentiſſimos eſſe numerãdus. Ille igitur ipſe homo ſanctiſſimus ac tẽperatiſſimus multa audiuit in ſua cauſa, quæ ad ſuſpicionẽ ſtuprorũ ac libidinẽ pertinerent. Hæc ille. Fuerũt itaque peſtiferi ciues equites Romani, qui in gratiã publicanorũ equeſtris ordinis hominũ innocentiſſimũ uirũ damnarũt. Importunitatẽ.] Importunã & incõmodam crudelitatem. In illa cõmentitia Platonis ciuitate.] Plato uult ſuã ciuitatem cõmentitiã à philoſophis adminiſtrari, qui tragœdias affectuum nõ admittant, ſimplicem exponi rerũ ueritatem iubeãt.

Nemo ingemuit.] Genera ſunt affectuũ, gemitus, exclamatio, dolor, querimonia, Reipu. imploratio, deprecatio: quibus oratores et in alijs locis, et in peroratione maxime uti ſolent. Ingemit Cicero pro Milone: O me miſerũ, ò me infelicẽ. Reuocare tu me in patriã Milo potuiſti per hos, ego te in patria per eoſdẽ retinere non potero? Inclamat ibidem: Vos uos appello fortiſſimi uiri, qui multũ pro Rep. ſanguinẽ effudiſtis. Vos in uiri et in ciuis inuicti appello periculo, Centuriones, uoſq; milites. Vobis nõ modo inſpectantibus, ſed etiã armatis, et huic iudicio præſidẽtibus, hæc tanta uirtus ex hac urbe expelletur exterminabitur, eijcietur? Dolet idem pro L. Sylla: Sed iã impedior egomet iudices dolore animi, ne de huius miſeria plura dicã. Queritur idẽ pro Flacco: O nox illa quã iſte eſt dies conſecutus, fauſta huic urbi, miſerũ me, metuo ne funeſta nobis. Qui tũ animus L. Flacci? (nihil dicã .n. de me) qui amor in patriã? quæ uirtus? quæ grauitas extitit? Sed quid ea cõmemoro, quæ tũ cũ agebantur, uno cõſenſu omniũ, una uoce populi R. uno orbis terræ teſtimonio in cœlũ laudibus efferebantur, nũc uereor ne nõ modo non proſint, uerũ etiã aliquid obſint? Implorat idem Remp. pro Milone: Valeant, inquit, ualeãt ciues mei, ſint incolumes, ſint florẽtes, ſint beati. Stet hæc urbs præclara, mihiq; patria chariſſima, quoquo modo merita de me erit. Trãquilla Rep. ciues mei, quoniã mihi cũ illis nõ licet, ſine me ipſi, ſed per me tamẽ perfruantur. hoc implorandi figuratũ genus. Supplicat pro Sylla: Quod fortuna in malis reliqui fecit, ut cum parente, cũ liberis, cũ fratre, cum his neceſſarijs lugere ſuã calamitatem liceat, id ſibi ne eripiatis, iudices, uos obteſtatur. De ſupploſione pedis in geſtu, idem tertio de Oratore: Supploſio pedis in cõtentionibus aut incipiendis, aut finiendis. Quintilianus in undecimo: Pedis ſupploſio ut loco eſt opportuna (ut ait Cicero) in cõtentionibus aut incipiendis, aut finiendis, ita crebra et inepti eſt hominis, et deſinit iudicem in ſe cõuertere. IMITATVS eſt homo Romanus et conſularis ueterem illũ Socratem, qui, &c.] Exemplo Romano cõiungit externũ. Socrates omniũ ſapientiſſimus iudicatus eſt. cauſa Cicero oſtendit in Academicis: Socrates, inquit, mihi uidetur, id quod conſtat inter omnes, primus à rebus occultis, ab ipſa natura inuolutis, in quibus omnibus ante eũ philoſophi occupati fuerũt, auocauiſſe philoſophiã, & ad uitã communem adduxiſſe: ut de uirtutibus, uitijs, omninoq; de bonis rebus & malis quæreret, cœleſtia autem uel procul eſſe à natura cognitione cenſeret, uel ſi maxime cognita eſſent, nihil tamen ad bene uiuendum cõferre. Hic in omnibus ferè ſermonibus, qui ab ijs qui illum audierunt, perſcripti uarie copioſeq; ſunt, ita diſputat, ut nihil affirmet ipſe, refellat alios: nihil ſe ſcire dicat, niſi id ipſum: eoq; præſtare cæteris, quod illi quæ neſciãt, ſcire ſe putent, ipſe ſe nihil ſcire id unũ ſciat: ob eamq; rem ſe arbitrari ab Apolline omnium ſapientiſſimum eſſe dictum: quòd hoc eſſet una omnis ſapientia, non arbitrari ſe ſcire quod neſciat. Idem in libro de Amicitia: Athenis unũ accepimus, et eum quidem etiã Apollinis oraculo ſapientiſſimum iudicatum. Socrates ſanctiſſime uixit, tenuitq; æquabilitatem in omni uita, uultũ eundem, et eandem frontẽ. Vt aduerſas res, inquit Cicero, ſic ſecũdas immode-

rate ferre, leuitatis eſt: præclaráq; eſt æquabilitas in omni uita, & idem ſemper uultus, eadémq; frons, ut de Socrate, itemq; de Caio Lælio accepimus. Plato in Apologia: ἤρετο γὰρ δὴ χαιρεφῶν εἴτις ἐμοῦ εἴη σοφώτερος; ἀνεῖλεν οὖν ἡ πυθία, μηδένα σοφώτερον εἶναι. *Interrogauit autem Chærephon, ecquis ſapientior me eſſet? Reſpondit Pythia, ſapientiorem eſſe neminem. Ibidem:* ἐκ τούτων καὶ μέλιτός μοι ἐπέθετο καὶ ἄνυτος καὶ λύκων. *Ex his calumniatoribus appoſiti ſunt mihi accuſatores Melitus, Anytus, & Lycon. Ibidem.* καὶ λέγουσιν ὡς Σωκράτης τίς ἐστι μιαρώτατος, καὶ διαφθείρει τοὺς νέους, καὶ ἐπειδάν τις αὐτοὺς ἐρωτᾷ ὅ, τι ποιῶν, καὶ ὅ, τι διδάσκων, ἔχουσι μὲν οὐδὲν εἰπεῖν, ἀλλ' ἀγνοοῦσι. ἵνα δὲ μὴ δοκῶσιν ἀπορεῖν τὰ κατὰ πάντων τῶν φιλοσοφούντων, πρόχειρα ταῦτα λέγουσιν, ὅτι τὰ μετέωρα καὶ τὰ ὑπὸ γῆς, καὶ θεοὺς μὴ νομίζειν. *Dicunt aduerſarij, Socrates eſt ſceleratiſſimus. Nam ita corrumpit iuuenes, ut ſi quis eos roget, quid is aut faciat, aut doceat, nó habeant quod loquantur. Ignari ſunt enim. Ac ne quid eorum quæ philoſophis omnibus in manu ſunt, egere aut dubitare uideantur, dictitant, Cœleſtia, & ſubterranea, & deos eſſe non exiſtimat. Idemq; peiorem cauſam meliorem facit. Socrates ita in iudicio capitis pro ſe ipſe dixit, ut non ſupplex aut reus, ſed ut magiſter aut dominus uideretur eſſe iudicum.* ἀλλ' ἀπορίᾳ μὲν ἑάλωκα, οὐ μέντοι λόγων, ἀλλὰ τόλμης καὶ ἀναισχυντίας, καὶ τοῦ μὴ ἐθέλειν λέγειν πρὸς ὑμᾶς τοιαῦτα, οἷα ὑμῖν μὲν ἥδιστ' ἂν ἦν ἀκούειν, θρηνοῦντός μου καὶ ὀδυρομένου, καὶ ἄλλα ποιοῦντος καὶ λέγοντος πολλὰ, καὶ ἀνάξια ἐμοῦ, ὡς ἐγώ φημι, οἷα δὴ καὶ εἴθισθε ὑμεῖς τῶν ἄλλων ἀκούειν. *Damnatus ſum per inopiam, non uerborum, ſed audaciæ & impudentiæ, quodq; nollem apud uos ea dicere, quæ uobis admodũ iucundũ erat audire, me plorantẽ atq; lugentẽ, aliaq; multa tũ facientẽ tũ loquentem, quæ mea ſunt indigna perſona, qualia ferè ab alijs audire conſueuiſtis. Alia permulta in eadem oratione dicit, unde intelligas eum nihil ut reum, nihil ut ſupplicem, ſed ut iudicum magiſtrum peregiſſe. De oratione Lyſiæ Quintilianus hoc modo: Nam quod decet, ferè prodeſt: neque alio magis animi iudicum conciliari, aut, ſi res in contrarium tulit, alienari ſolẽt. Aliquando tamen & hæc diſſentiunt. Quoties autem pugnabunt, ipſam utilitatem uincet quod decet. Nam quis neſcit nihil magis profuturum ad abſolutionem Socrati fuiſſe, quàm ſi eſſet uſus illo iudiciali genere defenſionis, & oratione ſummiſſa conciliaſſet iudicum animos ſibi, crimenq; ipſum ſolicite redarguiſſet? Verum id minime eum decebat: ideoq; ſic egit, ut qui pœnam ſuam honoribus ſummis eſſet æſtimaturus. Maluit enim uir ſapiẽtiſſimus quod ſupereſſet ex uita, ſibi perire, quàm quod præteriſſet. Et quando ab hominibus ſui temporis parum intelligebatur, poſterorum ſe iudicijs reſeruauit, breui detrimento iam ultimæ ſenectutis, æuum ſeculorum omnium conſecutus. Itaque quamuis Lyſias, qui tum in dicendo præſtantiſſimus habebatur, defenſionem illi ſcriptam obtuliſſet, uti ea noluit, cũ bonam quidem, ſed parum ſibi conuenientem iudicaſſet. Quo uel ſolo patet, non perſuadendi, ſed bene dicendi finem in oratore ſeruandum, cum interim perſuadere deforme ſit. Non fuit hoc utile abſolutioni, ſed (quod eſt maius) homini fuit. Idẽ: Lyſias ſubtilis atque elegans & quo nihil (ſi oratori ſatis ſit docere) quæras perfectius. Nihil enim eſt inane, nihil acceſsitum: puro tamẽ fonti, quàm magno flumini proprior. Is cum lex Athenis eſſet, ne quis uteretur oratore, ſed cui lis eſſet, ipſe pro ſe diceret, rudibus eloquẽtiæ ſcribebat orationes quas ediſcerent, & apud iudices pronunciarent. Ea fuit cauſa, cur ad Socratem ſcriptam afferret orationem.* Si mihi calceos Sicyonios attuliſſes, non uterer, quia nó eſſent uiriles.] *Inter Corinthum & Achaiam Sicyonia regio eſt. In ea Sicyon eſt ciuitas in colle prærupto ſita, olea lauroq; frequens. hinc calcei Sicyonij elegantes quidem, ſed parum uiriles, quia multum abhorrebant à calceamento grauium uirorum. Eos in Socrate grauiſſimo uiro non aliter quis reprehendiſſet, atque T. Caſtritius in ſenatoribus Romanis Gallicas, ut apud Aul. Gellium eſt. Calcei habiles, faciles & commodi, apti, congruentes. Calcei uiriles, qui decent uiros graues. Ergo ille quoque Socrates, ſicuti Rutilius, damnatus eſt & primis ſententijs, & ſecundis. Primum iudices ſtatuerunt illum nocentem uideri, deinde interrogauerunt eum, quam pœnæ æſtimationem commeruiſſe ſe maxime confiteretur: cumq; reſpondiſſet ſeſe meruiſſe, ut ampliſſimis honoribus & præmijs decoraretur, ſic iudices exarſerunt, ut capitis hominem innocentiſſimum damnarent.* Quas iterum legibus ferre debebant.] *Sententiam ferre legem. Si fraus capitalis eſſet, ſententias iterum legibus ferre non cogebantur. Si fraus capitalis non eſſet, id eſt, ſi crimen capite plectendum non uideretur, reo damnato ut pœna aliqua digno, pœnæ æſtimatio ex ſententia iudicibus dabatur: hoc eſt, ex ſententia lata, qua pœna reus dignus eſſet, iudices æſtimabãt, non aliter quàm modo in litibus æſtimandis precium conſtituũt, quod mulctæ nomine pendat reus. Pœnæ æſtimatio eſt, ex comparatione criminis pœnæ conſtitutio. Quòd autem pœna & culpa iuſta lance examinari æquiparariq; nequeũt, utitur hac particula, quaſi, qua ſimilitudo quædam deſignari ſolet. Pro eodem pœnam conſtituere dicimus. Cæſar in quinto Commentario: Obſidibus ad diem adductis ut imperauerat, arbitros inter ciuitates dat, qui litem æſtiment, pœnamq; conſtituant. Interrogatus Socrates, reſpondit ſeſe meruiſſe ut ampliſſimis honoribus decoraretur. Id Plato ſcribit in Apologia.* τί οὖν εἰμι ἄξιος παθεῖν τοιοῦτος ὤν; ἀγαθόν τι ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι, εἰ δεῖ γε κατὰ τὴν ἀξίαν τῇ ἀληθείᾳ τιμᾶσθαι, καὶ ταῦτά γε ἀγαθὸν τοιοῦτον ὅ, τι ἂν πρέποι ἐμοί. τί οὖν πρέπει ἀνδρὶ πένητι, εὐεργέτῃ, δεομένῳ ἄγειν σχολὴν ἐπὶ τῇ ὑμετέρᾳ παρακελεύσει; οὐκ ἔσθ' ὅ, τι μᾶλλον ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι πρέπει οὕτως, ὡς τὸν τοιοῦτον ἄνδρα ἐν πρυτανείῳ σιτεῖσθαι, πολύ γε μᾶλλον ἢ εἴτις ὑμῶν ἵππῳ ἢ ξυνωρίδι ἢ ζεύγει νενίκηκεν ὀλυμπιάσιν. ὁ μὲν γὰρ ὑμᾶς ποιεῖ εὐδαίμονας δοκεῖν εἶναι, ἐγὼ δὲ εἶναι. καὶ ὁ μὲν τροφῆς οὐδὲν δεῖται, ἐγὼ δὲ δέομαι. εἰ οὖν δεῖ με κατὰ τὸ δίκαιον τῆς ἀξίας τιμᾶσθαι, τούτου τιμῶμαι τῆς ἐν πρυτανείῳ σιτήσεως. *Quid igitur merui uir eiuſmodi? certe præmium quoddã, uiri Athenienſes, ſi honorẽ ueritati pro dignitate defertis: & illud maxime præmium, quod me talem deceat. Quid igitur uiro pauperi, & benefico, & cui agere otium opus ſi uobis authoribus, dare par eſt? Non'ne multo magis conuenit eum uirum alere in prytaneo, quàm qui de uobis aut equo, aut bigis, aut iugo uicit Olympiæ? Is enim facit, ut uos fœlices eſſe uideamini, ego uero eſſe. Is alimenti non eget, ego autem egeo. Quocirca ſi me pro ratione meriti præmium ferre rectum eſt, equidem merui ut mihi uictus in prytaneo publice præbeatur. Erat autẽ prytaneum, publica domus Athenis, in qua uiri de republica bene meriti, ac rebus geſtis illuſtres, publice alebantur.* Propter eius ingenij magnitudinẽ uellem.] *Zopyrus Phyſiognomos, qui ſe profitebatur hominum mores naturaſq; ex corpore, oculis, uultu, fronte pernoſcere, ſtupidum eſſe Socratem dixit, & bardum, quòd iugula concaua non haberet. obſtructas eas partes et obturatas eſſe dicebat. Addidit etiam, mulieroſum, in quo Alcibiades dicitur cachinnum ſuſtuliſſe. Sed hæc ex naturalibus cauſis uitia naſci poſſunt: extirpari autem & funditus tolli, ut is ipſe qui ad ea propenſus fuerit, à tantis uitijs auocetur, non eſt id poſitum in naturalibus cauſis, ſed in uoluntate, ſtudio, diſciplina. Hæc Cicero de Fato. Itaque ingenij magnitudinem nó tam natura, quàm ſtudio & diſciplina Socrates habebat. Philoſophi à ſe oportere dicunt peti præcepta dicendi: Plato Carneades, Clitomachus, Aeſchines, Metrodorus, multiq; philoſophi nobiles oratorẽ excludebant ab omni doctrina, ut ante dictum eſt, nec eius poterat cauſam ſuſtinere Menedemus.* NAM quòd ius ciuile, Craſſe, tam uehementer amplexus es, &c.] *Craſſus in diſputatione de iure ciuili, non modo ſcientiam iuris oratori neceſſariam demonſtrare, ſed etiam illam uerbis ornare contendit.*

Eo dirigenda eſt omnis Antonij refutatio. Primum igitur de ſcientiæ eius honore, ut de parte faciliori, deinde de neceſſitate contradicit. Prior hæc diſputatio in uniuerſo genere eſt, poſterior in partibus & exemplis. Non hoc ordine rem propoſuit Craſſus, ſed alia confirmantis eſt diſpoſitio, alia refutantis. Nec idem in eadem re perpetuo ſeruatur ordo. In commendatione iuris ſibi dat auctoritatem, ac boni uiri ſeruat officium. Non enim putauit artem ſibi uituperandam eſſe quod uulgo factitant qui nullam operam iuri dederunt: ſed bellum homini intulit, quem multis modis agitare cupiebat, quo res omnis in utranque partem diſputatione confecta planius uideretur. Duæ ſunt eius propoſitiones. Altera eſt, Laudem iuris non ad rem, ſed ad perſonas contuliſti. Altera Non tam ſcientiam iuris ornaſti, quàm ſuis quaſi ueſtibus denudaſti. Singulis ſuæ rationes inferuntur: quoniam cotradicentis eſt, non modo affirmare contrarium, ſed etiam ratione munire. Quòd ius ciuile, Craſſe, tam uehementer amplexus es, id eſt, quaſi amator ornaſti, uideo quid egeris diſputatione confecta: tum cum dicebas, uidebam quid ageres. Primum Scæuolæ te dedidiſti, & in eius gratiam locutus es, quod quidē non improbo non enim ſolus hominem nuper ſocerum tuum amare debes, ſed & omnes amare meritiſſimo optimoq́; iure pro eius eximia ſuauitate ac morum comitate debemus. hæc ſuauiter Antonius Artē Scæuolæ iuriſprudentiā cum indotatam, uti puellam inopem: atq; incomitatam, ut uirginem deſertam: & incomptam, ut mulierem ornamentis carentem uideres: uerborum, non rerum eam dote locupletaſti, comitatu ornamentiſq; decoraſti. Iuris ſcientia uidetur indotata, quia non magnas magnarum artium opes habet, præſertim apud eum, qui alios facit eloquentes, alios iuriſperitos, ut Romano more Antonius. Sed & modo uidemus artis eius pleroſque profeſſores magni nominis, aliarum artium omnium rudes. Quia ſola per ſe conſtere poteſt Incomitata: quia caret oratorijs ornamentis, Incompta dicitur. Non intelligo quid ſibi uelint quidam ſcriptores libellorum, qui monumento literarum confirmant, nihil elegantius, nihil ornatius, nihil expolitius Pandectis inueniri. Videntur aliorum potius quàm ſuum iudicium ſequi, & de re ignota temere pronunciare. Neſciũt ornamenta dicendi conſiſtere figuris rerum atque uerborum, item amplificationibus, coagmentatione, concinnitate, numero, copia. neſciunt quatuor eſſe uirtutes ſplendidæ orationis, ut latina ſit, ut dilucida, ut ornata, ut apta. Legum ſcriptores, & earum interpretes, pure & latine loqui, non ornare dictionem & illuſtrare uoluerunt. Quod modo latinum eſt, ornatiſſimum eſſe falſo exiſtimant. niſi fortaſſe quod maxime proprium eſt uerbis, illud perornatum eſſe putant. Non tam præclarum eſt ſcire latine, inquit Cicero, quàm turpe neſcire: neque tam id mihi oratoris boni quàm ciuis Romani proprium uidetur. Quòd in iure ciuili Craſſe tu plus operæ laboriſq; conſumpſeras, quàm reliqui oratores, ueritus es, niſi iſtam artem oratione exaggeraſſes, id eſt auxiſſes, amplificaſſeſq;, ne operam perdidiſſes. Conſumpſeras autem, quòd eius ſtudij tibi & hortator & magiſter eſſet domi. Intelligitur uel Scæuola, uel Lucius Cœlius Antipater, de quo ſic in Bruto Cicero: Lucius Cœlius Antipater ſcriptor (quemadmodum uidetis) fuit, ut temporibus illis, luculentus, iuris ualde peritus, multorum etiam, ut Lucij Craſſi, magiſter. Sed ego ne cum iſta quidē arte pugno, quáquã multos habet obtrectatores. Hominis eſt improbi, bonis artibus inferre bellum. Sit ſanè tanta, quantam tu illam eſſe uis.] Vt Scæuolæ, ſic & Craſſo aliquid extra diſputationem humano more concedit. Etenim ſine controuerſia, hoc eſt, omnium bonorum confeſſione, & magna eſt, quia ſecunda in ciuitate poſt eloquentiam. & late patet, nempe ad omnes leges & mores ciuitatis. & ad multos pertinet, ad omnes ſanè qui agere iure & experiri uolunt in re dubia atque controuerſa. & ſummo in honore ſemper fuit, ut quæ peteret conſulatum, & interim militiæ ſe anteferret, ut in Seruio atque Murena. & clariſſimi ciues eſt ſtudio etiam hodie præſunt, ut Mutius Scæuola, Caius Aquilius. Sed uide Craſſe, ne dum nouo & alieno ornatu, uidelicet oratorio, uelis ornare iuris ciuilis ſcientiam, ſuo quoque eam conceſſo & tradito ab ciuitate ſpolies, atque denudes. Non enim duas artes conſtituis, inter ſe pares, & eiuſdem ſocias dignitatis, ſed iuris ſcientiam eloquentiæ tanquam ancillulam adiungis. Iuriſconſultum ſine hac eloquentia fateris eſſe poſſe] Non aperte dixit hæc Craſſus, ſed indicauit his uerbis, Vt apud Græcos infimi homines mercedula adducti miniſtros ſe præbent in iudicijs oratoribus, ſic in noſtra ciuitate contra, ampliſſimus quiſque & clariſſimus uir, ut Sextus Aelius, multiq; præterea, qui cum ingenio ſibi auctore dignitatem reperiſſent, perfecerunt ut in reſpondendo iure, auctoritate plus etiam quàm ipſo ingenio ualerent. Oratorē negas, niſi illam ſcientiam aſſumpſerit, eſſe poſſe.] Oratori, inquit, uiris ciuilis ſcientia neceſſaria eſt. Leguleius, cautus, acutus, præco actionum, &c.] Qui ſint leguleij, Quintilianus oſtendit: Verum inquit, ea quæ de moribus excolendis, ſtudioq́; iuris præcipimus, ne quis eò credat reprehendēda, quòd multos cognouimus, qui tædio laboris, quem ferre tendentibus ad eloquentiam neceſſe eſt, confugerint ad hæc diuerticula deſidiæ: quorum alij ſe ad album ac rubricas tranſtulerunt, & formularij, uel (ut Cicero ait) leguleij quidam eſſe maluerunt, tanquam utiliora eligentes ea quorum ſolam facilitatem ſequebantur: alij pigritiæ arrogantioris, qui ſubito fronte conficta, immiſſaq́; barba, ueluti deſpexiſſent oratoria præcepta, paulum aliquid ſederunt in ſcholis philoſophorum. Itaque leguleius eſt formularius, qui relictis cæteris artibus, album ſecutus eſt & rubricas. Cautus, qui ſibi & alijs in iure cauere conſulereq́; poteſt, ne quid in ciuitatis leges moreſq; peccetur. Acutus, qui etiam parua litium momenta uidet. Præco actionum, qui rudibus iuris denunciat quando aut agi lege, aut non agi poteſt, & quo quis genere actionis ſuum ius perſequatur: quiq; ſic intereſt actionibus, ut auctionibus præco. Id enim fuit iuriſperitorũ officium. Cantor formularum.] Qui formulas effert. Sunt autem formulæ, legum & inſtitutorum certæ conceptiones ſiue comprehenſiones, quibus ſic actiones hominum, ut opera artificũ, formulis quibuſdam diriguntur. Cicero pro Cecinna: Quæ iudicia aut ſtipulationes, aut pacti & conuenti formula non infirmari aut conuelli poteſt, &c. Nec ab re formulæ cani dicuntur ab Antonio. nam ueteres eiuſmodi conceptiones carmina dicebant. Liuius: Lex horrendi carminis erat, Duumuiri perduellionem iudicent: ſi à duumuiris prouocarit, prouocatione certato. ſi uincent, caput obnubito, infelici arbori reſte ſuſpendito, uerberato, uel intra pomœrium, uel extra pomœrium. Cicero pro Rabirio perduellionis reo: Tarquinij ſuperbiſſimi atq; crudeliſſimi regis iſta ſunt cruciatus carmina: Caput obnubito, arbori infelici ſuſpendito. Cantor igitur formularum, aut qui fomulas quaſi in carmen aptat, aut qui formulas edita uoce recitat. Auceps ſyllabarum.] Qui literas & ſyllabas & uerba aucupatur in controuerſiam. Cicero pro Cecinna: Si contra uerbo & literis, & (ut dici ſolet) ſummo iure contenditur, ſolent huiuſmodi iniquitati & boni & æqui nomen dignitatemq́; opponere: tum illud quod dicitur ab aduerſarijs, irridente, tum aucupia uerborum, & literarum tendiculas in inuidiam uocant. Aucupia uerborum dicuntur, ut auceps ſyllabarum. Ibidem: Ego inuenio in interdicto uerbum unum ubi deliteſcam. Et pro Murena: Primum, dignitas in tam tenui ſcientia quæ poteſt eſſe? Res enim ſunt paruæ, propè in ſingulis literis atque interpunctionibus uerborum occupatæ. Ex his intelligere facile eſt, iuriſperitos in literis & ſyllabis quæ pariunt ambiguitatem, aliquando immorari, et calumniatoribus anſam præbere artis eleuandæ. Iuris ſcientiam eloquentiæ tanquam ancillulam pediſſequamq́; adiũxiſti.] Attenuandi cauſa ancillulam dixit, & pediſſequam,

ac diminutione uſus eſt. Pediſſequa dicitur ancilla quæ dominam ſectatur. QVOD uero impudentiam admiratus es eorum patronorũ qui aut, &c.] De quorundam patronorum impudentia dixit hæc Craſſus: quamobrem Antonius nobis ſit exceptus. Cæteros uero non dubitabo primum inertiæ condemnare ſententia mea, poſt etiam impudentiæ. Nã uolitare in foro, hærere in iure ac prætorũ tribunalibus, iudicia priuata magnarum rerum obire, qui ius ciuile ignoret, inſignis eſt impudentiæ. Illa uero deridenda arrogantia eſt, in minoribus nauigijs rudem eſſe ſe confiteri, quinqueremes autem aut etiam maiores gubernare didiciſſe. Multa addidit in eandẽ ſententiã. Hæc eleuat Antonius. Vtriuſque rei, inquit, facilis eſt & prompta defenſio. Inſtruit argumenta à differentia, aliud eſſe ſcire quibus uerbis coemptio fiat, aliud defendere mulierem quæ coemptionem fecerit: aliud eſſe ſcire quibus uerbis herciſcunda ſit familia, aliud agere cauſam herciſcundæ familiæ, nec iſta nauigijs bene conferri. Exempla Craſſi quantum poteſt à iure ciuili ad eloquentiam reuocat, ut oratores illo nihil egere uideantur. Argumentorum uim nonnihil imminuit, non autem omnino frangit. Nec enim Craſſus uerba rerum, ut coẽptionis, ut herciſcundæ familiæ, ſolum tenenda eſſe dixit, ſed ritus & iura deſcripta cognoſcenda eſſe confirmauit. Coemptio, inquit Boetius, certis ſolennitatibus peragebatur, & ſeſe coemẽdo inuicem interrogabãt. Vir ita, an ſibi mulier materfamilias eſſe uellet? illa reſpondebat, uelle: mulier, an ſibi uir paterfamilias eſſe uellet? ille uelle reſpondebat. Itaque mulier uiri conueniebat in manum, & erat materfamilias uiro loco filiæ. De matrefamilias Aulus Gellius: Enimuero illud compendio probabilius eſt, quod idonei uocum antiquarum enarratores tradiderunt, matrẽfamilias appellatam eſſe eam ſolam, quæ in mariti manu mãcipioq́;, aut in eius in cuius maritus, manu mancipioq́; eſſet: quoniam non in matrimonium tantum, ſed in familiam quoq; mariti, & in ſui heredis locum ueniſſet. Facere coemptionem, eſt matremfamilias iungere uiro, in quo mancipium quoddam eſt, & utrinque emptio. Eò pertinet quod Virgilius canit. Teq́; ſibi generum Thetis emat omnibus undis. Et quod Cicero pro Muræna, Horum ingenio ſenes ad coemptiones faciendas interimendorum ſacrorum cauſa reperti ſunt. Herciſcere ueteres dixerunt pro eo quod eſt diuidere, & herciſcunda familia pro diuidunda. ubi familia pro tota patrisfamilia poſſeſſione uſurpatur, ut ſupra diximus. Quod in multis libris herciſceri legitur, non approbo. Oſtendit illud Herciſcunda tertiam coniugationem: niſi forte dicamus docũda à doceo, miſcunda à miſceo, monunda à moneo. Actio familiæ herciſcundæ (inquit Paulus iuris conſ.) proficiſcitur ex lege duodecim tab. Nanque cohæredibus uolentibus à communione diſcedere, neceſſariũ uidebatur aliquam actionem conſtitui, qua inter eos res hereditaria diſtribueretur. Lege decimum librum Pandectarum de familia herciſcunda. De M. Curij controuerſia, & C. Mancini, & pueri qui ex altera natus erat uxore, ſupra diximus. repetere dicta nihil eſt neceſſe. Argumentatur Antonius, Nihil adiuuat oratorem in his cauſis iuris ſcientia. Propoſitio eſt, iuriſconſultus ſuperior fuit diſceſſurus, qui eſſet non ſuo artificio, ſed alieno, hoc eſt, non iuris ſcientia, ſed eloquentia ſuſtentatus. Ratio eſt ab effectu ad cauſam colligendam: ſed fallit argumentum, quia multarum ſæpe cauſarum unus eſt effectus, ut uictoria iuriſprudentiæ & eloquentiæ. Nec ſi uicit eloquentia, ſine iuris ſcientia uicit. Inſtat Antonius, & adducit exemplum P. Craſſi & Sergij Galbæ, cuius eſt hæc uis: De iure agebant Craſſus & Galba: Craſſus iure ſcripto, Galba contra ius æquitate nitebatur. Craſſus illi concedebat, diſputationem ſibi probabilem & propè ueram uideri Iuriſconſultum igitur auctoritate nitentẽ, diſputatione æquitatis uincet eloquens. uincat interim. Quid ſi pro ſcripto dicendum erit? quid ſi non erit inique ſcriptum? quid ſi iudex à ſcripto non recedet? quid ſi agetur de ſtipulatione, de obligationibus in quibus uerba maxime cõſiderãtur? Nõ ſemper occurret generis eius cauſa, ut ſcriptũ uideatur ab æquitate receſſiſſe. Maior natu.] Senior. Aſſectaretur.] Affinitatis officio comitaretur obeuntem loca ciuitatis, ac ſuffragij cauſa ciues de more prehenſantem. Deſpondiſſet.] Promiſiſſet. Sic de patre ſponſi Terentius: Nam aliam pater ei deſponderat, natam Chremetis. De ſponſalibus Seruius Sulpitius apud Gellium: Qui uxorem, inquit, ducturus erat, ab eo unde ducenda erat, ſtipulabatur eã in matrimonium ductum iri. qui daturus erat, itidem ſpondebat. Is contractus ſtipulationum ſponſionumq́; dicebatur ſponſalia. tunc quæ promiſſa erat, ſponſa appellabatur: qui ſpoponderat ducturum, ſponſus. Conſulendi cauſa.] Iuris prudentes propriè conſuli dicuntur, cum de iure dubio interrogantur. hinc conſulti iuris appellati. Craſſum ſeduxiſſet.] Ab alijs arbitris ſeuocaſſet. Perſius: Non tu prece poſcis emaci, Quæ niſi ſeductis nequeas cõmittere diuis: Ad eum retuliſſet.] Conſilij cauſa litem expoſuiſſet ſuam. Sic magiſtratus rem ad ſenatum referre dicuntur, cum rem in ſenatu agitandam decernendamq́; proponunt. Reſponſum abſtuliſſet.] Reportaſſet. Vergilius: Legati reſponſa ferunt. Commotum.] Animo perturbatum. Suſpenſo animo & occupato.] Suſpẽſus animus eſt anceps ac dubius, in utram inclinet partem. Occupatus, negotijs diſtractus, & ad conſulendum non ſatis liber. Tibi in mentẽ uenit.] Animo tuo ſuccurrit. Fidenter.] In bonam partem dixit hoc fidenter: audacter in malum dicitur, ut audax. Item confidens atque confidenter. Homo confidẽs Phormio. Alludens uarie.] Varias alluſiones ac rerum collationes uſurpans, ad Craſſum refutandum. Alludit is, qui ad aliud mentem referens, inde ducit quod ad rem de qua agitur facit, & qui quaſi ludens rem ſuam proſequitur. Metaphoræ, allegoriæ, imagines, collationes, ſimilitudines, exempla, ſunt alluſiones: & nunc ad probandum, nunc ad ornandum ualẽt. Similitudines autem in ſtatu legali de ſcripto & uoluntate, plurimum ualent: quoniam ius ambiguum ex alio notiore planum fit. Itaq; Cicero pro Cæcinna, qui contra uerba interdicti defenderet æquitatem, multas ſimilitudines attulit, unde manifeſtum faceret, legum mentem, non utique uerba ſpectanda. Sic quoq; Galba alludebat, & ſimilitudines pro æquitate contra ius ciuile ſcriptum afferebat. Aequitas à iure differt. eſt enim æquitas, quod oratio naturalis perſuaſit ius autem (ut hic ſumitur) lex et legis interpretatio deſcripta. De Publio Craſſo, de Sergio Galba, de P. Mutio fratre Craſſi diximus ex Ciceronis ſententia libro de Claris oratoribus: de Sexto Aelio, ex Põponio iuriſperito. Trãſeamus alio, & breuitati cõſulamus. ATTAMEN quæ cauſæ ſunt eiuſmodi, ut de earũ iure dubium eſſe, etc.] Oratori non opus eſſe iure ciuili, conatur oſtendere hoc dilemmate, id eſt, ſumptione: Cauſæ de quarum iure dubium eſſe nõ poteſt, omnino in iudicium uocari non ſolent. Tum ueniunt à rudibus iuris ad pragmaticos, aut ad iuriſperitos, reſpondent litem cõſtare non poſſe. Nam moris erat prius conſulere cõſultos, quàm oratori deferre cauſam. In eo iure quod ambigitur inter peritiſſimos, non eſt difficile oratori eius partis quancunque defendet, auctorem aliquem inuenire, & eius tueri ſententiam. Ius igitur aut certum eſt, aut incertum. de certo certa reſpondet iureconſultus: de incerto diſputat orator. Exemplum de iure certo propoſuit, Agnaſcendo rumpi teſtamentum. Si paterfamilias ante teſtamentum fecit, quàm ei filius natus eſt: nato filio, aut uiuo, aut etiam mortuo patre, teſtamentum rumpitur: quoniam filius primus eſt agnatorum, à patre nominatim non exheredatus. Aut qui (ut ait Paulus iuriſ.) libero uentri ita proſpexerunt, ut in tempus naſcendi omnia ei iura integra reſeruarent: ſicut apparet in iure hereditatum, in quibus qui poſt eum gradum ſunt agnationis, quo eſt is qui in utero eſt, non admittuntur, dum in-

certum eſt an naſci poſſit. Agnaſci dicuntur ij, qui per uirilis ſexus perſonas ſanguine coniuncti prodeunt in lucem. Teſtamētum rumpitur, quod iure fit irritum. Auctorem inuenire, eſt aliquem reperire, qui ſit illius ſententiæ, quæ quæritur, ſiue ſcripto ſiue uoce confirmet illam. nec refert uiuat, an mortuus ſit, loquatur, an ſcripſerit. Amentum lorum eſt iaculo medio affixum, cui manus inſerta firmatur, longiusq; iaculum mittit. Ab amento, haſtæ dicuntur amentatæ. Per haſtas amentatas hic ex tranſlatione ſume confirmationes in aduerſarium, alterius artis auxilio roboratas. Amentum etiam, quidquid orationi uires adhibet. hinc illud Quintiliani: Quare mihi compoſitione uelut amentis quibuſdam neruis'ue intendi & concitari ſententiæ uidentur. Oratoris lacerti ſunt eloquentiæ uires, quibus ut corpora lacertis partibusq; neruoſis, ſic ualidus in dicendo & robuſtus eſt orator. Iam dilemma confirmat exemplo, Craſſum non præceptis Scæuolæ, ſed patrocinio æquitatis M. Curium defendiſſe. Vtraque ratio infirma eſt. nam ſi ius erit certum, dubium reddetur aliquo negotio & periſtaſi incidenti, & tum cognitionem iudicum quæret. Sin erit incertum, cur malim partis auctorem inuenire, quàm planè ipſe partem utranque cognoſcere? Nec Craſſus in M. Curij cauſa iure non uſus eſt. Vterque noſtrum, inquit, in auctoritatibus, in exemplis, in teſtamentorum formulis, hoc eſt, in medio iure ciuili, uerſatus eſt. De ſe & de Q. Mutio Scæuola collega ſuo in conſulatu loquitur. Duo Q. Mutij fuere temporibus Craſſi: unus æqualis eius & collega, qui Coponij cauſam dixit aduerſus Lucium Craſſum· alter Q. Mutius Craſſi ſocer, quem hoc in libro loquentem facit Cicero. Hunc intelligit Antonius cum dicit hæc: Niſi uero, bona uenia huius optimi uiri dixerim Scæuolæ, tu libellis aut præceptis ſoceri tui cauſam M. Curij defendiſti. Hic uir optimus, & ſocer tuus, unum eundemq; demonſtrant. Alterum nominat paulo poſt, Admirarere ingeniũ Scæuolæ. Arripuit Craſſus patrocinium æquitatis, & ex æquo bonoq; mortui uoluntatem cõtra ſcripta defendit. Aequitas eadem ſemper apud omnes manet: ſcripta uariant, & pro hominum uoluntate mutantur. Aequitas errare non poteſt: ſcripta perſæpe in errore uerſantur. Melius igitur patrocinium æquitatis, quàm literarum & ſyllabarum. Arripuit defenſionem teſtamentorum, ac uoluntatis mortuorum: ho eſt, oſtendit teſtamẽta non literis & uerbis, ſed mortuorum uolũtate explicanda. Hæc coniunctim legenda ſunt in hunc ſenſum, Arripuit defenſionem uoluntatis mortuorum in teſtamentis. Oſtendit autem, ab imperitis ferè teſtamenta condi, qui non adhibito iuriſperito, ſatis ea uere uerbis neſciunt. hinc accidere frequenter, ut aliud dicere uideantur, aliud ſentire. In ſecundo Craſſus hæc loquitur: Itaque illud quod ego in cauſa Curiana Scæuolæ dixi, non dixi ſecus ac ſentiebam. nam ſi (inquam) Scæuola nullum erit teſtamentũ recte factum, niſi quod tu ſcripſeris, omnes ad te ciues cum tabulis ueniemus, omnium teſtamenta tu ſcribes unus. Quid igitur, inquam, quando ages negotium publicum? quando amicorum? quando tuum? quando denique nihil ages? In ea cauſa frequens erat Antonius. Ac mea quidem ſententia, inquit (frequẽs enim, id eſt frequenter, te audiui, atque affui, cum dies aliquot illam cauſam perorares, & teſtis ipſe ſum) multo maiorem partem ſententiarum ſale tuo & lepore & politiſſimis facetijs pellexiſti, id eſt callide, more blandientium, perſuaſiſti. Huc pertinet quod ex ſecundo libro ante tranſcripſimus, Hæc perpetua contra Scæuolam Curiana defenſio tota redundauit hilaritate quadam & ioco, dicta illa breuia non habuit. Parcebat enim aduerſarij dignitati, in quo ipſo ſeruabat ſuam: quod eſt hominibus facetis et dicacibus difficillimum, habere hominum rationem & temporum, & ea quæ occurrant, cum ſalſiſſime dici poſſint, tenere. Et illud: At uero ut contra Craſſus ab adoleſcente delicato, qui in littore ambulans ſcalmum reperiſſet, ob eamq; rem ædificare nauem concupiuiſſet, exorſus eſt ſimiliter Scæuolam ex uno ſcalmo captionis centumuirale iudicium hæreditatis effeciſſe: hoc in illo initio conſecutus, multis eiuſdem generis ſententijs delectauit: animosq; omnium qui aderant, in hilaritatem à ſeueritate traduxit. Illud nimium acumen illuſit, & admiratus eſt ingeniũ Scæuolæ, qui excogitaſſet naſci prius oportere, quàm emori. demonſtrauit hoc uoluiſſe eum qui teſtamentum feciſſet, hoc ſenſiſſe, quoquo modo filius non eſſet qui in ſuam tutelam ueniret, ſiue non natus, ſiue ante mortuus, Curius hæres ut eſſet. Ita pleroſq;, & ualuiſſe ſemper. deinde æquum bonum, teſtamentorum ſentẽtias uoluntatesq; tutatus eſt: quanta eſſet in uerbis captio, cum in cæteris rebus, tum in teſtamentis, ſi negligerentur uoluntates: quantam ſibi potentiam Scæuola aſſumeret, ſi nemo auderet teſtamentum facere poſtea, niſi de illius ſententia. Hæc cum grauiter, tum ab exemplis copioſe, tum uarie, tum etiam ridicule & facete explicans, eam admirationem aſſenſionemq; commouit, dixiſſe ut contra nemo uideretur. hæc Cic. in Bruto. Ex legibus, ex ſenatuſcõſultis, ex uita ac ſermone communi, nõ modo acute, ſed etiam ridicule, ac facete multa collegit: ubi ſi uerba, non rẽ, id eſt ſententiam mentemq; ſequeremur, confici nihil poſſet. Quo modo? oratio pro Cæcinna docebit. Actio eſt in auctorem præſentem his uerbis, Quandoquidẽ te in iure cõſpicio. Hac actione Appius ille cæcus uti non poſſet, ſi tam uere homines uerba conſectarentur, quàm rem cuius cauſa uerba ſunt, non conſiderarent. Teſtamento ſi recitatus hæres eſſe pupillus Cornelius, isq; iam annos uiginti haberet, uobis interpretibus amitteret hæreditatem? multa ſunt in eandem ſententiam. An hoc dubium eſt, inquit, quin neque uerborum tanta copia ſit, non modo in noſtra lingua, quæ dicitur eſſe inops, ſed ne in alia quidem ulla, res ut omnes ſuis certis ac proprijs uocabulis nominentur? Idem de Scæuolæ actione. Cum is hoc probare uellet, M. Curium, cum ita hæres inſtitutus eſſet, ſi pupillus ante mortuus eſſet, quàm in ſuam tutelam ueniſſet, pupillo non nato hæredem eſſe non poſſe: quid ille non dixit de teſtamentorum iure, de antiquis formulis? quemadmodum ſcribi oportuiſſet, ſi etiam filio non nato hæres inſtitueretur? Quàm captioſum eſſe populo, quod ſcriptum eſſet, negligi, & opinione quæri uoluntates, & interpretatione diſertorum ſcripta ſimplicium hominum peruertere? Quàm ille multa de auctoritate patris ſui, qui ſemper ius illud eſſe defenderat? quàm omnino multa de conſeruando iure ciuili? Pater eius fuit P. Mutius, unus eorũ qui ius ciuile condiderunt. At hoc in genere pueri apud magiſtros exercentur omnes. Declamant apud rhetores pueri, ac exercentur quaſi tyrocinio quodam. Et tum in alijs cõſtitutionibus, tum in ſtatu legali deſcripto & ſententia uerſantur, cum ludimagiſter materiam proponit, in qua ſcriptum defenditur, aut æquitas non ſcriptum conſideratur. Inceſti damnata præcipitetur atque moriatur. Præcipitata rediit incolumis. explicanda legis uoluntas, uidendum quid ſcriptum contineat ſi oritur controuerſia, debeat'ne iterũ præcipitari. hæc declamandi materia.

ET *credo in illa militis cauſa ſi tu, &c.*] *Falſus ab exercitu nuncius cum patri filium obiiſſe nunciaſſet, & pater alium feciſſet hæredem, reuenit miles, egitq; lege in hæreditatem paternam, ut ante dictum eſt. Status fuit legalis. Hæres nuncupatus teſtamentum defendit, & ſcriptum: Miles contra ſcriptum, patris uoluntatem tutatus eſt. In ea diſceptatione plus potuiſſe eloquentiam, quàm iuris ſcientiam, contendit Antonius. Actiones ſunt, quæ formam agendi continent. Actiones Hoſtilianæ, quas Hoſtilius iuriſperitus in ſcriptum redegit. Quis fuerit Hoſtilius ille, nuſquam reperio. Miror à Pomponio, qui recenſet iuriſperitos maximæ dignitatis, eſſe præteritum. Appius Claudius Centimalus primus actiones ſcripſiſſe traditur, quas Cn. Flauius publicauit. Non ita multo poſt Sextus Aelius alias actiones compoſuit, & librum populo dedit qui appellatur ius Aelianũ. Scripſere poſtea iuniores. Si quas reliquit Hoſtilius, non ita quondam fuere celebres. Hoſtilius nomen ab rege tertio ad Mancinos*

defluxit,

deſluxit, ut ad eum quem populus Romanus Numantinis dedidit. Si nihil fallunt codices, Hoſtilius eius familiæ pars eſt. ſi quid hic fallunt, alienas actiones ſcriptas fuiſſe conijcimus. Relinquamus hanc difficultatẽ illis qui nihili pendunt alienum laborem. Si multa præclare ante inueneris, aut indicaueris, non te magnopere laudant. Si quid quod uelint omiſeris, certatim uituperant. Ad materiam præſentem nihil facit Hoſtilius. Si hæredem contra militem Craſſe defendiſſes, te ad tuam uim & oratoriam facultatem contuliſſes, ſic egiſſes, ut omne omnium teſtamentorum ius in eo iudicio poſitum uideretur. Quo modo? multa incommoda conſequi, ſi inſtituatur ut à ſcripto recedatur. eos qui aliquid ſcribant, non exiſtimaturos id quod ſcripſerint, ratum futurum. eos qui iudicent, certum quod ſequantur nihil habituros, ſi ſemel à ſcripto recedere conſueuerint. omnia teſtamenta confuſum iri, ſi quiſque ſcriptis relictis pro ſua libidine uoluntatem interpretetur, & multa id genus. Si cauſam militis egiſſes, patrem eius (ut ſoles uti graui προσωποποιΐᾳ) à mortuis excitaſſes, ſtatuiſſes ante oculos mentis, complexus eſſet filium, flensq; eum centumuiris apud quos ea cauſa agebatur, commendaſſet. Perſonarum fictio, earum maxime quæ excitabantur à mortuis, in affectibus mouendis præcipua credebatur: ut Appij Claudij in oratione pro Cœlio, & ad Auguſtum: Si quid illæ maiorum noſtrorum ſepultæ reliquiæ ſapiunt, ſi non unà cum corpore ſenſus omnis uno atque eodem conſumptus eſt igni, quid illis interrogantibus quid agat nunc populus Romanus, reſpondebit aliquis noſtrum qui proximus in illam æternã domum diſceſſerit? aut quem accipient de ſuis poſteris nunciũ illi ueteres Africani, Maximi, Pauli, Scipiones? & quæ ſequũtur. Lapides mehercule omnes flere ac lamentari coegiſſes.] Coegiſſes quàm coegiſſet ſi legas, fortius & aptius erit. Cur lapides flere dicimus? mollia duris facilius mouentur. Hyperbole eſt de grauiſſimo affectu, tantam habere uim nonnunquam πάθος, ut non modo molliores animos, ſed lapidum ſimilia corda mouere poſſit. Qui magna ui uſus eſt orationis, lapides rupiſſe etiamnum uulgo dicitur. Vti lingua nuncupaſſet.] Legendum, nuncupaſſit. Verſiculus erat in 12.tab. Vti lingua nuncupaſſit, ita ius eſto. Refert illum Feſtus Pompeius. Nuncupata pecunia eſt, inquit, ut ait Cincius in libro ſecundo de Officio iuriſconſulti, nominata, certa, nominibus proprijs pronunciata Cum nexum faciet, mancipiumq;, uti lingua nuncupaſſit, ita ius eſto. Nec tantum pertinet ad hæreditatem, ſed ad alia quoque permulta: quod his Ciceronis uerbis ex tertio de Officijs intelligi poteſt: Ac de iure quidem prædiorum ſancitum eſt apud nos in iure ciuili, ut in his uendendis uitia dicerentur, quæ nota eſſent uenditori. Nam cum ex 12.tab. ſatis eſſet ea præſtari quæ eſſent lingua nuncupata, quæ qui inficiatus eſſet, dupli pœnam ſubiret, à iureconſultis etiam reticentiæ pœna eſt conſtituta. Vti lingua nuncupaſſit, lex erat, qua ſolebant uti qui ſcriptum ſequebantur. dicebant enim, nõ eſſe coniecturã de cuiuſque mente faciendam, ſed potius inſpicienda uerba, quandoquidẽ ita haberent 12.tab. Vti lingua nuncupaſſit, ita ius eſto. id eſt, quod quis ore etiam ſine ſcripto pronunciauerit, ratum eſto. Senſus eſt igitur: Si Craſſus cauſam militis egiſſet, ſuis locis effeciſſet, ut totum illud defenſionis genus, uti lingua nuncupaſſit, ita ius eſto, non in 12.tab. ſed in magico carmine ſcriptũ uideretur. Qui dicit heredes aut ſcribi aut nuncupari, non illuſtrat hunc locũ: uera tamen dicit. Licet, inquit Vlpianus, teſtãti uel heredes nuncupare, uel ſcribere: ſed ſi nuncupat, palàm debet nuncupare. Inſt. de militari teſtamento: Quoquo modo uoluntas eius ſuprema inueniatur, ſiue ſcripta ſiue non ſcripta, ualet teſtamentum ex uoluntate eius. Sed quid ſibi uult illud, in magico carmine ſcriptum uideretur? Carmina dicuntur eſſe legum, dicuntur eſſe magicorum. Illa quidem cauent proſpiciuntq; ne quid erres, hæc in errorem pertrahunt. Carmen hoc legis non ad cauendum conſtitutum eſſe, ſed potius magicum præſtigioſumq; uideretur, ſi nullum in ſe haberet præſidium. Carmina formulæq; legum carminibus magicis conferuntur, ut res graues leuibus, uera falſis, ſeria ridiculis. Etenim carmina comprehenſionesq; legum ſi omnibus bibliothecis anteponuntur, ſummam doctrinam ac ueriſſimam continent. In magico carmine perſcripta uerba neque doctrinam redolent, nec ullam certam præ ſe ferunt ueritatem. Pergit Antonius, ac refutat illud Craſſi, Caſtigemus etiam ſegnitiem hominum atque inertiam. Scæuola dicere ſolet, nullius ſibi artis faciliorem cognitionem uideri. Duas rationes obijcit, unam ab eorum teſtimonio qui eius artis arrogantia, quaſi difficillima ſit, ita ſubnixi ambulant. alteram à confeſſione Craſſi, qui concedat iuris artem omnino non eſſe, quæ diſcentem iuuare poſſit. Arrogantia ſubnixi, inſolenti perſuaſione, quæ ſibi plus æquo tribuit, erecti. Animi ſicut uerecundia atque modeſtia deprimuntur, ita inſolentia arrogãtiaq; ſubnituntur, id eſt in arduum tolluntur. Ambulant.] Hoc uerbum latius ac fuſius expoſuit his uerbis: Hæc igitur & horum ſimilia iura ſuæ ciuitatis ignorantem erectum et celſum, alacri & prompto ore ac uultu huc atque illuc intuentem uagari magna cum caterua toto foro, præſidium clientibus, atque opem amicis, & propè cunctis ciuibus lucem ingenij & conſilij ſui porrigentem atque tendentem, nonne in primis flagitioſum putandum eſt? Si quis aliam artem didicerit.] Reſpicit quod dixit Craſſus, Adhibita eſt igitur ars quædam extrinſecus ex alio genere quodam, quod ſibi totum philoſophi aſſumunt. Artem igitur accipe, philoſophiam. Teucrum Pacuuij.] Tragœdia Pacuuij Teucer eſt, de Teucro Telamonio, qui quod frater Aiax periſſet ad Troiam, non auſus in patriam redire, deuectus Cyprum, Salamina condidit, urbem patriæ nomine appellatam. Teucri uox eſt ad exilium perferendum: Patria eſt, ubicunque eſt bene. Quid; inquies, ſuccurrebat huic, ut ex omnibus tragœdijs unam Teucrum Pacuuij nominaret? Suſpicor id eſſe factum, quòd eam Romam plures ediſcerent, ut quoniam permulti, exilij cauſa, ſolum uertere cogerentur, & alios exules, & ſe, ſi ita accideret, exemplo Teucri leuarent. Amarunt fortes animos Romani. Manilianas uenalium uendendorum leges.] Venalia ſunt omnia quæ quis iure uendere uult. In uenalibus uendendis cautio eſt ac formula, ne damnũ accipiat aut uenditor aut emptor. Leges & formulas præſcripſit Manilius, quibus ciues uterentur in uenalibus uendundis. Varro libro ſecundo de re ruſtica: De emptione aliter atque de ouibus dico, quòd capras ſanas ſanus nemo promittit: nunquam enim ſine febri ſunt. Itaque ſtipulantur paucis exceptis uerbis ac Manilius ſcriptum reliquit, ſic, Illas capras hodie recte eſſe & bibere poſſe, habereq; recte licere, hæc ſpondes'ne? Ibidem de bubus: Eos cum emimus domitos, ſtipulamur ſic, Illoſce boues ſanos eſſe, noxiſq; præſtari? cum emimus indomitos, ſic, Illoſce iuuencos ſanos recte, deq; pecore ſano eſſe, noxiſq; præſtari, ſpondes'ne? paulo uerboſius hæc qui Manilij actiones ſequuntur. Ibidem: Emptio equina ſimilis ferè ac boum & aſinorum, quòd eiſdem rebus dominium in emptione mutatur, ut in Manilij actionibus ſunt perſcripta. TV autem quod amore patriæ cenſes nos noſtrorum maiorum inuen. &c.] Nobis patriæ mens, mos, diſciplina nota eſſe debet. Sic ante Craſſus. Vt id confiteatur Antonius, neget tamen patriæ mentem antiquo iure cognoſci, quia leges ueteres aut ſua uetuſtate conſenuerunt, aut nouis legibus ſublatæ ſunt. Conſenuerunt illæ: quæ ſe non ſunt abrogatæ, tamen ætate, ſicut omnia mortalia, uim ac robur amiſerunt. Sublatæ ſunt, quæ perierunt aliarum legum latione. Aut igitur abrogatæ ſunt, aut etiam manent. Abrogatæ non explicant patriæ mentem, aliæ moribundæ conticeſcunt. Hæc ſicuti alia multa quæ obiecit Antonius, ex parte uera ſunt, ex parte falſa. Multæ quidem leges ſunt quæ tempore, non uirtute conſeneſcũt:

multæ abrogantur & antiquantur, quas ſcire tamen operæpretium eſt, ut uetera nouis cóparétur. Nec ab re de legibus antiquis reſpondet Antonius. Craſſus enim de maiorum prudentia in cóndendis legibus fecerat mentionem, eoſq; cum Lycurgo, Dracone, Solone contulerat. Antonius eò etiam tendit, ut illam cognitionem incertam, inſtabilem, pro tempore mutabilem affirmet. Equidè putabam uirtutem hominibus (ſi modo tradi ratione poſſit) inſtituendo & perſuadendo, non minis, & ui, ac metu tradi.] Ab effectu Craſſus ius ciuile laudauit, Antonius hunc effectum alterius cauſa eſſe contendit. Hic duo uidètur eſſe quærenda, quæ reſpondendo dubia fecit, an uirtus tradi ratione poſſit? uirtus inſtituendo ne, an uero metu tradatur? Qui fuerunt ante Zenonem, non omnem uirtutem in ratione eſſe dicebant, ſed quaſdam uirtutes natura, aut more perfectas: Zeno omnes in ratione ponebat. quæ ſententia multo probabilior eſt. Nam (quod Cicero teſtatur) uirtutes uolútariæ, propriæ uirtutes appellantur, multumq; excellunt, propterea quòd ex ratione gignuntur, qua nihil eſt in homine diuinius. Si uirtutes ex ratione gignuntur, ratione tradi queunt, & certe philoſophia traduntur. oſtendunt Ariſtotelis libri. Si quæ natura moreq; perfectæ ſunt, ut nonnulli uolunt, inſtitutione rationis non egét, ut uis ingenij naturalis, alacritas mentis, inſita manſuetudo. Etenim quædam cum homine ſic naſci uidentur, ut ſi natura non dederit, eas cultu habere non poſſis. Illa fuit ei ratio dubitandi. Quod ad ſecundum pertinet, hominum genera duo ſunt diſtinguenda. diſtinguit Cicero in Partitionibus, Alterum indoctum & agreſte, quod anteferat ſemper utilitatem honeſtati. Alterú expolitum, quod rebus omnibus dignitatem anteponat. Illud minis, ui, ac metu coercetur: hoc inſtituendo & perſuadendo honeſtum capeſſit. Horatius:

Oderunt peccare boni uirtutis amore:
Oderunt peccare mali fomidine pœnæ.

Sine cognitione iuris quàm ſit bellum, id eſt pulchrum cauere et fugere malum, ſcire poſſumus. Natura recta cognoſcimus. Quibus enim ratio à natura data eſt, uſdem etiam recta ratio data eſt: ergo & lex, quæ eſt recta ratio in iubendo & uetando. ſi lex, ius quoque. At omnibus ratio. Ius igitur datum eſt omnibus. Ratio Ciceronis eſt: Quod ſi natura ſine doctrina non ſatis eſt, quod quærimus ad cauendum malum, philoſophia ſuppeditat. In ijs cauſis quas in iure poſſem defendere, nunquam ſcientiam iſtam deſideraui.] Cum tres ſint ſtatus, duo, coniecturalis & definitiuus raro in iure uerſantur, iuridicialis autē partibus iuris defenditur. hoc dicit Antonius, Si cauſam recepiſſem in qua non de facto & nomine, ſed de iure agendum eſſet quod tueri poſſem, ſcientiam iuris non deſiderabam, quoniam ego in communi uita & uulgari hominum conſuetudine non hebes aut rudis, habebam inde quæ pro æquitate dicerem. Aliud eſt enim eſſe artificem cuiuſdam generis, hoc eſt, unam aliquam tenere artem: aliud in communi uita, hoc eſt ea qua utuntur omnes, & in uulgari hominum conſuetudine, moreq; uiuendi, non hebetem, nec rudem. Artifex quæ ſuæ ſunt artis, docte ſcienteq; tractat. Inſtructus illo communi ſenſu, & opinione populari, ſi non exacte, tamen ex conſuetudine iura tractare poteſt.

Hoc ad orationem popularem uidetur eſſe ſatis. Id confirmare conatur argumento à ſimili. In agricultura, communi intelligētia contēti eſſe poſſumus: ergo et in iure ciuili. Obire fundos, agi circum agros. Fundus eſt ager. Cicero pro Cecinna: Ceſennia fundum poſſedit, locauitq;. Res ruſticæ ſunt uillæ, pecora, ſtirpes fructus que iuris. Sementis eſt ſeminum in terram miſſio tempeſtiua. Ouidius: Villice da requiem terræ ſemēte peracta. Sementis meſſem neceſſario præcedit. Bono ordine uſus eſt. Meſſis eſt ſatorum matura perceptio. Arborum putatio & uitium eſt, qua partes inutiles & noxiæ arborum ac uitium ſecantur. Sementis fit autumno & uere, putatio ineunte uere. Quo modo? Fieri debet in obliquum, ne aqua pluuia inſidens noxam ferat. Inſpicere fundum, uidere & iudicare probè ne, an improbe operæ locatæ ſint. Inſpectio, cognitio dicitur. Procurator eſt, qui negotia aliena mandato domini adminiſtrat. Villicus, qui agri colendi cauſa, ac paſcendi pecoris, à domino conſtitutus eſt. Procuratorem & uillicum præeſſe uillæ debere, ac diſtinctam ſedem habere, ſcribit Colum. lib. 1. quod intellige de maiore & opulentiore uilla dictum, quam dominus alijs rebus occupatus non adminiſtrat. De Magone Carthaginienſi Varro lib. 2. Vatius parturiam inquit? proinde ut non aliquoties dicatur Romæ peperiſſe mulam: cui ego ut ſuccinerem, ſubijcio Magonem & Dionyſium ſcribere, mulam & equá cum conceperint, duodecimo menſe parere. Idem: Hos nobilitate Mago Carthaginiēſis præterijt pœnica lingua, quòd res diſperſas comprehendit libris duodetriginta, quos Caſſius Dionyſius Vticenſis uertit libris uiginti græca lingua, & Sextilio prætori miſit. Columella de eodem: Veruntamen Carthaginienſem Magonem ut ruſticationis parentem maxime ueneremur. Nam huius octo & uiginti memorabilia illa uolumina ex ſenatuſconſulto in latinum ſermonem conuerſa ſunt. In cauſis, & in negotijs, & in foro conteramur.] Cauſa eſt, controuerſia ac quæſtio finita. Cótinet autem exortationem, deliberationem, iudicium. Negotium eſt congregatio perſonarum, locorum, temporum, cauſarum, modorum, caſuum, factorum, inſtrumentorum, ſermonum, ſcriptorum & non ſcriptorum. Negotium dicitur à quibuſdam circumſtantia, ut à Græcis περίστασις. Hæc differentia cauſarum & negotiorum ex Quintiliano ſumpta eſt. Potes accipere negotium pro lite, ut paulo poſt: Quanquam ipſi omnia, quorum negotiū eſt, conſulta ad nos & exquiſita deferunt. Si differentiá conſtituis, cauſa erit ut genus, negotium pars cauſæ. Forum, exercitatio forenſis: in hunc ſenſum: Conterimur, id eſt aſſidue uerſamur, in omni genere cauſarum, in negotijs περιστάσεσι, in pugna forenſi. Mihi non tam differentiam uerborum, quàm congeriem quæſiſſe ad amplificandū uidetur. In noſtra patria peregrini.] Peregrini & aduenæ ciues dici poſſunt ij, qui res ſuæ ciuitatis ignorát. A C ſi iam ſit cauſa aliqua ad nos delata obſcurior, difficile, &c.] Alias rationes adycit, cur oratori ius ciuile neceſſarium nó ſit: Vnam, Cauſa obſcurior cū iuriſperito communicari poteſt. Alteram, Litigatores omnia conſulta deferunt ad oratorem. Aliam, Res difficiles minuſq; cómunes perdiſcimus, ergo leges & reſponſa communiora poſſumus cognoſcere. Præſtat hæc una ratione cenſeri. In cauſis obſcurioribus conſulendi ſunt iuriſperiti, nec difficile eſt eorum capere reſponſa de legibus, cum res contortas, id eſt perplexas, ac parum cohærentes & difficiles neceſſario perdiſcamus. Cum Scæuola communicare, eſt Scæuolam ac iuriſperitum rem docere, & cóſulere. Liuius: Ea legatione Papyrius audita, perinde ac motus dictis eorum, cum collega ſe communicaturum reſpondit. Ipſi quorum negotium eſt, litigatores κατὰ τὴν περίφρασιν intelliguntur. Conſueuerant, ut ante diximus, ante conſulere iureconſultos ij, quorum erant negotia, deinde ſua negotia conſulta, id eſt prudenter ſtatuta et exquiſita deferre ad oratorem. Nunc quoque litigatores de rebus obſcuris ante peritos conſulunt, quàm oratori actionem cauſæ committant. cóſultationes nominantur. De re ipſa, περὶ αὐτοῦ πράγματος. Rem definitam certamq; monſtrat pronomen ipſa. Eſt igitur res ipſa, ea de qua agitur, certa & aſſignata: quæ eo lege difficilior eſt, quòd lex generalis eſt, res ipſa particularis, genera autem partibus ſunt notiora. Facilius eſt hanc tenere legem, Qui fraudationis cauſa latitat, eius bona poſſideri uendiq; ius eſto, quàm cognoſcere quot latitandi cauſas habuerit Neuius: cur fraudare uoluerit: ubi, quádo, quo modo latuerit: à quo, per quem, quo iure uocatus ſit: quid moliatur, quid reſpondeat, quod ſibi præſidiū paret. Rem ipſam cum lege comparauit, ut rem difficilem cum faciliore.

pauca

pauca deinde ſubiecit exempla de finibus, de tabulis, de præſcriptionibus. Fatebor tamen hoc mihi uerbum ſuſpectum fuiſſe, propterea quod ab uſitata ennmeratione abhorrere uidebatur. Si de finibus cum in rem præſentem non uenimus.] Olim (ut apud Gell. eſt) uindicia correpta manu in re atque in loco præſenti apud prætorem ex duodecim tabulis fiebat, cum prætor in rem præſentem ut in agrum ueniſſet, non erat arduum & difficile eum uidere fines, et cauſam ortam de finibus agrorum cognoſcere, propagatis Italiæ finibus, prætores negotijs occupati in agrum præſentem uenire cum grauarentur, de finibus audire pro tribunali coacti ſunt: quod in rem prætorum, non litigatorum comparatum fuit. Cum igitur Antonius id proponeret quod difficilius eſſet, adiecit hæc, cum in rem præſentem non uenimus. quaſi diceret, de finibus agrorum regundis cauſa difficilis eſt, ſi auribus, non oculis accipitur. Tabulæ ſunt inſtrumenta ac literæ, quarum multus eſt uſus in iudicijs, & frequenter inextricabilis difficultas. Orator ubi tabulas à litigatore accepit, legit, cognoſcit, diſcit, quæ pro cauſa, quæ contra cauſam ſunt uidet, pro tabulis aut contra tabulas argumenta inuenit, moleſtum ſæpe rei genus, & animo legentis inſuaue. Præſcriptiones παραγραφαὶ dicuntur à græcis: & ſunt exceptiones, quibus aut excluduntur actiones, aut actori iudicium purum negatur. Proprium præſcriptionis eſt, in anguſtius coarctare cauſam, & ad certos quaſi limites reducere. Cicero de Inuentione: Prætorijs exceptionibus multæ excluduntur actiones: & ita ius ciuile habemus conſtitutum, ut à cauſa cadat is qui non quemadmodũ oportet, egerit. quare in iure plerunque uerſantur. Ibi enim & exceptiones poſtulantur, & quodammodo agendi poteſtas datur, & omnis conceptio priuatorum iudiciorum conſtituitur. Subijcit exemplum. Cum ad uim faciendam quidam armati ueniſſent, armati contra præſto fuerunt, & cuidam equiti Romano quidam ex armatis reſiſtenti gladio manum præcidit. Agit is cui manus præciſa eſt, iniuriarum. Poſtulat is qui cum agitur, à prætore exceptionem, extra quam in reum capitis præiudicium fiat. Hic is qui agit, iudicium purum poſtulat: ille qui cum agitur, exceptionem addi ait oportere. Vides aliud eſſe iudicium purum, aliud præſcriptum, & præſcriptiones à prætoribus peti ſolitas. Habent autem eas ſpecies, quas eæ leges quibus agitur. Quintilianus: An non præſcriptiones etiam, in quibus maxime uidetur manifeſta tranſlatio, eaſdem omnes ſpecies habent, quas eæ leges quibus agitur. Quintilianus: An non præſcriptiones etiam, in quibus maxime uidetur manifeſta tranſlatio, eaſdem omnes ſpecies habent, quas eæ leges, quibus agitur, ut aut de nomine, aut ſcripto & ſententia, uel ratiocinatione quæratur? Idem in ſeptimo: At fuerunt qui præſcriptionis ſtatum facerent, tanquam ea non iiſdem omnibus quibus cætera leges quæſtionibus continerentur. Cum ex præſcriptione lis pendet, de ipſa re quæri non eſt neceſſe. Ibidem: Vir fortis optet quidquid uolet. nego illi dandum quidquid optauerit. non habeo præſcriptionem, ſed tamen uoluntate contra uerba præſcriptionis modo utor. Hinc collige, alias præſcriptiones uſitatas eſſe, alias æquitate impetrari. Vlpianus Digeſt. lib. 44. Exceptio dicta eſt quaſi quædam excluſio, quæ interponi actioni cuiuſque rei ſolet ad excludendũ id quod in intentionem condemnationem'ue deductum eſt. Exceptiones aut perpetuæ ſunt, ut doli mali, rei iudicatæ: aut temporales, ut pacti, conuenti temporalis. Exceptiones opponuntur aut quia factum ſit quod fieri oportuit, ut in re iudicata: aut quia factum ſi quod fieri non oportuit, ut in dolo malo: aut quia factũ non ſit quod fieri debuit, ut in bonorum poſſeſſione non data. Nomen exceptionis & præſcriptionis (ut ueteres præſcriptionem dicebant, quia nunc aliter uſurpatur) eiuſdẽ eſt rei. Leges, aut hominum reſponſa cognoſcenda ſunt.] Differunt hæc. leges dicit, quæ in comitio populi Romani latæ ſunt, ut leges 12. tab. & quæ poſtea ſunt adiectæ. Reſponſa peritorum, ius ciuile eſt. Pomponius: His legibus latis, cœpit (ut naturaliter euenire ſolet) ut interpretatio deſideraret prudentum auctoritatem, neceſſariamq; eſſe diſputationem fori. Hæc diſputatio, & hoc ius quod ſine ſcripto uenit, cõpoſitum à prudentibus, propria parte aliqua non appellatur, ut cæteræ partes iuris ſuis nominibus deſignantur, datis proprijs nominibus cæteris partibus, ſed communi nomine appellatur ius ciuile. Hoc modo Cicero ius ciuile frequenter accipit. hanc differentiam alibi aſſignaueramus. Eius induſtriam in plura ſtudia diſtrahere nolim.] Scientiam iuris utilem eſſe oratori fatetur Antonius, ſed eius ſtudia diſtrahere non uult. Similibus utitur. Sicut orator non diſcit hiſtrionis geſtum, nec exercet uocem more tragœdorum, cum ſit opus ei uoce atque geſtu: ita ne diſcat ius ciuile more peritorum, ſatis eſt earum rerum non eſſe omnino hebetem ac rudem. Satis erat quidem ad neceſſitatem reorum, non erat ſatis ad ſummi oratoris explendum officium. Opus eſſe.] Neceſſarium eſſe. Hic opus eſt epitheton, pro neceſſario, ut apud Liuium frequens. Roſcium hiſtrionem optimum, pro omni uenuſto actore fabularum, ut paulo ante Scæuolam pro iuriſperito κατ' ἐξοχὴν uſurpauit. Motus, ſtatus, geſtus, uenuſtas, hic ad actionem & pronunciationem pertinent. Motus eſt, decens corporis membrorumq; actio. Status motui contrarius eſt, quemadmodum moueri & ſtare ſunt contraria. Geſtus motum ſtatumq; continet. Venuſtas eſt ex motu ac geſtu decenti. Alius eſt autem geſtus hiſtrionum, alius oratorum. Inſignis eſt & multus hiſtrionum. Oratorem decet uultus ac motus moderatio temperata. Quintilianus: Ne geſtus quidem omnis ac motus à comœdis petendus eſt: quanquam enim utrunque eorum ad quendam modum præſtare debet orator, plurimum tamen aberit à ſcenico, nec uultu, nec manu, nec excurſionibus nimius. Nam ſi qua in his ars eſt dicentium, ea prima eſt, ne ars eſſe uideatur. Neceſſaria uox oratori, quæ cura, ſicut omnia, augeri poteſt. Augetur exercitatione, ambulatione, unctione, Veneris abſtinentia, ciborum frugalitate. In exercenda uoce Græci ſtudioſi fuerunt, & oratores qui dicturi eſſent, & tragœdi qui ludis ſcenicis operam eſſent daturi. Nam utrique annos complures ſedentes declamitabant, & quotidie antequam pronunciarent, uocem cubantes ſenſim excitabant: eandemq; cum egiſſent, ſedentes ab acutiſſimo ſono uſque ad grauiſſimum ſonum recipiebant, & quaſi quodammodo colligebant. Quid eſt cauſæ? ſedenti uis animalis laborat minus, non intenduntur nerui, non diſſipatur ſpiritus ad ſuſtinenda & agitanda membra. quieſcentibus alijs partibus pectus latius difflari, pulmoq; diffuſus in loca thoracis alti, plus concipere animæ & ſpiritus, itemq; largius reddere poteſt. Itaque lateribus firmatis, roborato pectore, diſtenta arteria, uox & grandior & conſtantior emittitur. Aſſueſcunt igitur complures annos, ut abeat in naturam conſuetudo. Vocis inſtrumenta ſunt toroſæ partes, quibus uenter aut inflatur, aut premitur: muſculos uocant medici. præterea latera, pectus, pulmones, arteria aſpera, epiglottis, lingua, nares, dentes, et labra. hæc initio ſi uiolente moueas, ſpiritum urgebis, humorem exprimes, uiam flatui & udo præcludes, atq; fatigabis organa, haud aliter quàm qui ſtatim initio in celerem curſum concitat equum. Quid igitur? alendus eſt humor, retinenda uis illa ſpiritus animalis incluſa neruis, paulatim excitandæ uires, ut diuturniores eſſe poſſint. quamobrem cubantes in lectulo, aut in ſellam demiſſi, ſi eo die eſſent pronunciaturi, uocem ſenſim molliterq; excitabant: ut ij facere ſolent, qui ſubmiſſe exorſi, ad contentionem perueniunt. Cum autem egerunt, ne diſtenta organa ac rigida relicta peius haberent, ut neruus arcus, ut organorum chordæ, ſic illa remittuntur, & quodammodo colliguntur ad uirium conſeruationem. Quoties perſcribitur.] Lego Præſcribitur, pro eo quod eſt, certum tempus ad dicendum ab iudicibus definitur. Senſus eſt:

ptione comœdia, Modos fecit Flaccus Claudij filius tibijs paribus, dextris & ſiniſtris : nonne actoribus adiungitur tibicen? qui non honore magno dignus eſſet, ſi tantum in actuum interuallo paulum concineret, nec grauitatem et lenitatem comœdiarum, aut etiam tarditatem & celeritatem ſatis diſtingueret tibijs dextris & ſiniſtris, niſi ſuo modo occineret comœdijs. Facere modos is dicitur, qui ſonos compoſitos tibia intendit ex arte. Tardior & remiſſior non idem ſignificant. tardior eſt temporis & interualli : remiſſior eſt ſoni depreſſioris, & tendentis ad graues tonos. Eadem modulatio poteſt eſſe tarda atque acuta, contra remiſſa & citata. Certa quadam numerorum modulatione] Comœdia & tragœdia uerſibus conſtant, alijs ſenarijs iambicis, alijs octonarijs, alijs anapæſticis, alijs aliorum generum. Verſus habent numeros certos, id eſt pedes aptatos, & quadam ratione moderatos. Numeri ſuam modulationem & actionem quærunt, eo certiorem & conſonantiorem, quo ſunt compoſitione quadam adſtrictiores. Itaque Roſcius in agendi fabula adſtrictior eſt, certa quadam numerorum moderatione et pedũ, quàm orator in dictione quæ liberiores habet numeros. Hinc illud Quinctiliani : Sit in primis lectio uirilis, & cum ſuauitate quadam grauis, & non quidem proſæ ſimilis, quia carmen eſt, & ſe poetæ canere teſtantur. Colligit, Si Roſcius poteſt remittere & laxare modos carminũ, orator facilius laxabit modos orationum. Quo modo? inquies. Pronunciabit paulo elegãtius, quàm qui in ſermone & quottidiana lingua clare audiuntur, non intendet uehementer, neque inflectet orationem. Quid differunt hæc, laxare modos, & mutare modos? Laxat modos, et qui numeris laxioribus componit orationem, & qui uocis actionem remittit. Mutat, qui alio quodam numero utitur, aut alio genere pronunciandi. Vtrunque igitur eſſe poteſt & in oratione, & in actione. Sicut multi ſunt pedes, ita ſiunt ex illis alij et alij numeri, quos & coarctare & laxare poſſumus, ut multis oſtendimus alio commentario in Ciceronis Oratorem. Multa ſunt & uaria genera dicendi.] Quanquam tria genera dicendi partiuntur oratores, ſubtile, graue, medium: tamen tanta uarietas eſt in illis, ut penè tot genera dicendi, quot oratores eſſe uideantur. In alijs uis eſt, in alijs eximia natura, in alijs acumẽ, in alijs acerbitas, in alijs diligẽtia, in alijs dignitas, in alijs ſanctitas in alijs copia, in alijs maturitas, in alijs iucunditas. Quid? cuiuſque naturæ quodãmodo ſimilis eſt oratio, adeo ut ex oratione mores hominis aliqua ex parte iudicare poſſis. Haud ſciam an tu primus oſtenderis.] Pauci, aut certe nulli fuerunt ante Craſſum eloquentes, qui pro rerum uarietate formam orationis uariare poſſent. hoc feciſſe Craſſum Cicero teſtatur, his uerbis: Multa in illa oratione grauiter, multa leniter, multa aſpere, multa facete dicta ſunt. loquitur de oratione pro Q. Cæpione. In ardore iuuenili dicebat concitatius. Vehemens, inquit Cicero, & interdũ irata, & plena iuſti doloris oratio. In ſenectute remiſit illã contentionẽ. Quo modo? Figuræ ſunt acres interrogationes, atteſtationes deorũ, acclamationes, fictiones perſonarũ, repetitiones uerborũ, amplificationes, congeries. illis ſenex rarius utebatur, ſubmittebat orationem ad lenitatem, quã uox & ætas ſuſtinere poſſent. Lenitas contentioni opponitur, nam contentio eſt, acris & ardens oratio, qua aſpere agit orator, ac ueluti iratus intonat. lenitas, ſuauis & quieta dictio, qua tranquille ſedateq; negotium tranſigit. Lenes fuerunt C. Lælius, & P. Africanus, in primis eloquentes (inquit Cicero.) & latine ac emendate loquentes. Aetatis illius iſta fuit laus. tanquam innocentia, ſic latine loquendi. Eorum orationem ſimilem ſermonis, id eſt quottidianæ linguæ fuiſſe dicit, at paulo intentionem, id eſt & compoſitione & pronunciatione robuſtiorem, qualis eſt eorum qui paulum ultra uulgarem loquendi rationem feruntur. Galba lateribus & clamore contendebat. Ardor animi non ſemper adeſt, inquit in Bruto : iſq; cum conſedit, omnis illa uis & quaſi flamma oratoris extinguitur. Hanc igitur ob cauſam uidetur Lælij mens ſpirare etiam in ſcriptis, Galbæ autem uis occidiſſe. Nam cum otioſus ſtylum prehenderat, motusq; omnis animi tanquam uentus hominem defecerat, flacceſcebat oratio. Vereris ne tua domus talis & uiri & ciuis deſeratur? Virum ad dignitatem & auctoritatem referre debemus, ciuem ad communionem atque ſocietatem. Senſus eſt: Vitæ tuæ dignitas, ac res geſtæ, & ſodalitas hæc ciuilis, efficient, ne tua deſeratur domus. Subſidium, uerbum bellicum. Portus hic eſt requies. Belliſſimum, ueriſſimum & optimum.

RELIQVA uero ſi adiuuant, hiſtoriam dico & prudentiã iuris publici, &c.] Craſſus hæc ſupra : In cauſis publicis, iudiciorum, concionum, Senatus, omnis hæc & antiquitatis memoria, & publici iuris auctoritas, & regendæ Reipublicæ ratio ac ſcientia tanquam aliqua materies ijs oratoribus, qui uerſantur in Republica ſubiecta eſſe debent. Hæc uſui eſſe non neget Antonius : ſi neſcias, ab eo qui ſciat, peti poſſe. Sed ut Quintilianus ait, non ſemper aderit quem conſulere poſſis, nec id ſemper feret tempus. Ius publicum, ut ante diximus, ius eſt non ſingulorum, ſed totius ciuitatis. Antiquitatis iter eſt uia quædam & ratio, quam tenuere ueteres in Republica. Exemplorum copia eſt hiſtoria, quæ quid differat ab antiquitate, ſupra demonſtrauimus. Longo.] Longi à corporis habitu dicti ſunt, ut P. Sulpitius Longus, Titus Sempronius Longus: Hic amicus Antonij Longus ſenator fuit de familia Semproniorum: Non repugnabo quo minus eloquẽtiæ ſtudioſi omnia recte ac utiliter ſcripta legant: omnia audiant, quæ paſſim dicuntur à doctis profeſſoribus, à philoſophis, ab oratoribus, à prudentibus : in omni recto ſtudio (ſunt & ſtudia praua) in omni humanitate, id eſt liberali animi cultu, uerſentur : ſed non ita multũ ſpatij mihi uidetur ad hæc omnia facilitanda. Illa quidem multa ſunt, ætas autẽ perbreuis, exercitatio oratori neceſſaria. De exercitatione leges impoſuit Craſſus propè neceſſarias, quas Antonius ſibi nimis duras eò uideri dicit, ut & in hac parte nonnihil obluctetur. Quinque exercitationũ genera ſtatuta ſunt, quæ ex ordine refert Antonius: Vnum, quo propoſita materia, ſubito citra meditationem declamatur, extemporalis eſt declamatio. Alterum, quo ſumitur ſpatium ad cogitandum, ut accuratius poſt commentationem, id eſt meditationem, dici poſſit : hæc meditata declamatio, nõ ſcripta. Aliud eſt, quo declamatio diligẽter perſcribitur, ediſcitur, pronunciatur. Hæc optima cenſetur, quia ſtylus eſt optimus dicẽdi effector, ac magiſter. Quartũ, uerſibus propoſitis quàm maxime grauibus, aut oratione aliqua lecta, ac memoriæ affixa, certat paraphraſi, & alia ad eundem ſenſum elocutione, atque ſuam orationem cum ſcriptis alienis cõparat. Quintum, omniũ bonarũ artium ſcriptores ac doctores laudat, interpretatur, corrigit, uituperat, refellit, diſputatq; de omni re in contrarias partes. quæ diſputatio non mediocris contentionis eſt, id eſt laboris & exercitationis, uel ad memoriã, uel ad imitandũ. Illud uero fuit horribile.] Craſſus hæc de Roſcio: Hoc iam diu eſt conſecutus, ut in quo quiſque artificio excelleret, is in ſuo genere Roſcius diceretur. Hanc ego abſolutionẽ perfectionemq; in oratore deſiderans, à qua ipſe longe abſum, facio impudenter. Mihi enim uolo ignoſci, cæteris ipſe non ignoſco. Horribile illud eſt (inquit Antonius) hoc eſt, quod ſtudioſos huius artis multum deterrere poteſt. Craſſus alibi : Noluit, inquit, hodie agere Roſcius, aut crudior fuit. oratoris peccatum ſi quod eſt animaduerſum, ſtultitiæ peccatum uidetur. & paulo poſt : Nihil eſt tam inſigne nec tam ad diuturnitatem memoriæ ſtabile, quàm id in quo aliquid offenderis. quæ alijs uerbis ſic reddit Antonius : Non tam quæ recta ſunt, probantur : quàm quæ praua ſunt, faſtidijs adhæreſcunt. nam faſtidijs adhæreſcere, eſt diu contemptui eſſe. Faſtidioſe, contemptim. Nos rauco ſæpe attentiſſime audiri uideo.]

Cur ita? Tenet res ipſa. Quæ res? cauſa. Aeſopus ſi paulum irraucuerit, exploditur. quamobrem? ab eo nihil præter uoluptatẽ aurium quæritur. quid tum? offendit ſimul atque, id eſt cum primum imminuit aliquid de uoluptate. Hoc non utique uerũ. habet enim fabula rem, quæ teneat auditorem, quemadmodum et oratio. Irraucuerit.] Irrauceſco dicimus, & irraucui ab irrauceo, quod eſt raucus ſum. Aeſopus fuit hiſtrio, cuius patina abijt in prouerbiũ, de qua Plinius in 10: Maxime tamẽ inſignis eſt in hac memoria Clodij Aeſopi tragici hiſtrionis patina ſexcentis ſeſtertijs taxata, in qua poſuit aues cantu aliquo aut humano ſermone uocales, millibus ſex ſingulas coẽptas, nulla alia inductus ſuauitate, niſi ut in his imitationem hominis manderet. Valerius libro nono: Aeſopum conſtat cantu commẽdabiles auiculas immanibus emptas pretijs in cœna pro ficedulis ponere, acetóq; liquatos magnæ ſummæ uniones potionibus aſpergere ſolitum, ampliſſimum patrimoniũ tanquam amaram aliquam ſarcinã quàm celerrime abijcere cupientem. In eloquẽtia multa ſunt quæ teneant.] Quæ'nam? Res ipſa de qua agitur, ſi quam habet expectationem: inuentio tum rerum, tũ uerborum, exordia præclara, narrationes aptæ, acuta argumenta, egreſſiones plauſibiles, affectus, facetiæ, ornata elocutio, uox bona, geſtus decens. hæc ſi conueniunt omnia, neceſſe eſt ea populo mirabilia uideri. ERGO ut ad primum illud reuertar, ſit orator nobis is qui, &c.] Craſſus hoc modo comprehendit oratorem: Orator eſt, qui quæcunque res inciderit quæ ſit dictione explicanda, prudenter & compoſite & ornate & memoriter dicat, cum quadam etiam actionis dignitate. Antonius hoc modo, Orator eſt qui accommodate ad perſuadendum poteſt dicere, ex opinione & uſu ciuitatum uulgari ac forenſi. Diſſentiunt de ſtudijs artium maximarum: de cæteris cõſentiũt. Deſcriptio Craſſi, materia & partibus rhetoricæ conſtat: deſcriptio Antonij, fine & materia. Finis autem huius artis eſt non utiq; perſuadere, ſed dicere accommodate ad perſuadendum. Quemadmodũ Craſſus facta diſputatione de oratore perfecto, adiecit quaſi perorationem: ita & Antonius epilogũ impoſuit, quo quid effeciſſet, complecteretur. In hoc uno opere, ut ita dicam, noctes atque dies urgeatur.] Ad quid hæc uerba, ut ita dicam? Significat eſſe aliunde ſumptum, noctes & dies. Ex Ennio tanquam prouerbium decerpſit. Sic Homerus, νύκτας τε καὶ ἤματα πάντα, Omnes noctesq; diesq;. Sic Virgilius.

Noctes atque dies patet atri ianua Ditis.

Sic Horatius,

Nocturna uerſate manu, uerſate diurna.

Imitetur illum Demoſthenem.] Craſſus adhortatus eſt iuuenes ad capeſſenda uaria diuerſáq; ſtudia ſcientiarũ, quas oratoris facultate concludebat: Antonius adhortatur eos ad imitandam Demoſthenis & præſtantiſſimi cuiuſq; oratoris induſtriã, propterea quòd propius iſtud ad oratorem accedere uidetur. Demoſthenes ita balbus erat, ut eius ipſius artis rhetoricæ, cui ſtuderet, primam literam ρ non poſſet dicere. Cicero de Diuinatione: Multi etiã naturæ uitium meditatione atque exercitatione ſuſtulerunt, ut Demoſthenem ſcribit Phalereus, cum ρ dicere nequiret, exercitatione feciſſe ut planiſſime diceret. ρ primũ eſt elementum uerbi ῥητορική, quod ualet r noſtrum. Meditationem poſuit pro exercitatione, ſicut meditando pro exercendo. Cum Demoſthenis ſpiritus, id eſt pulmonum flatus, eſſet anguſtior, continebat animam, id eſt uentum, ut ſpiritus eſſet longiſſimus. Quintilianus undecimo: Exercendus eſt ſpiritus, ut ſit quàm longiſſimus. quod Demoſthenes ut efficeret, ſcandens in aduerſum continuabat quàm poſſet plurimos uerſus. Ille coniectis in os calculis, ſumma uoce uerſus multos uno ſpiritu pronũciare conſueſcebat. at quid? ad efficiendum longiorem ſpiritum, & ut Quintilianus ait, quò facilius uerba ore libero exprimeret. Vna continuatione uerborum (id quod eius ſcripta declarant) binæ ei contentiones uocis & remiſſiones continebantur. Continuatio uerborum eſt περίοδος. Cicero in Oratore: Quem græci περίοδον, nos tum ambitum, tum circuitum, tum comprehenſionem, aut continuationem, aut circumſcriptionem dicimus. Contentio & remiſſio dicitur à Græcis, ἄρσις καὶ θέσις, elatio & poſitio: utraque duplex. Pes omnis habet arſin & theſin, ut hic ſpondeus, ibant. uox enim attollitur & remittitur, ſi duæ ſunt in uerbo pluresúe ſyllabæ. Quod autem pedibus conſtat oratio, cum pronunciando attollitur, contentionem: cum remittitur, remiſſionem habet. Hæc contentio & remiſſio non unius eſt tantum pedis, ſed totius ſenſus, qui uno ſpiritu profertur, ut, animaduerti iudices omnẽ accuſatoris orationem in duas diuiſam eſſe partes. Iam ſi periodus membris duobus conſtet, uidebitur habere duas contentiones, & duas remiſſiones, ut, Quæ in ipſum ualebant crimina, contulit in illum, cauſamq; illius omnem ad inimicos accuſatoresq; detulit. Ne hoc quoq; uoluiſſe Ciceronem puto. Non enim longi ſpiritus eſt, eiuſmodi ſuſtinere comprehenſiones. Cum ambitus & continuatio mẽbris quatuor excurrit, duo priora uoce contenta ſuſtinemus, duo poſteriora uocem aliquantulum remittentes deflectimus. hoc modo binæ ſunt contentiones, & binæ remiſſiones in una contentione. Exemplum proponamus ex Tullio: Quæ fama non iccirco ſolum emanarat, quòd iſte certe ſtatuerat ac deliberauerat non adeſſe, uerum etiam quòd nemo quenquam tam audacem, tam amentem, tam impudentem fore arbitrabatur, qui tam nefarijs criminibus, tam multis teſtibus euictus, ora iudicum aſpicere, aut os ſuum populo Romano oſtendere auderet. Ambitus eſt, qualem Cicero probat, è quatuor partibus, quæ membra dicimus, ut & aureis impleat, & ne breuior ſit quàm ſatis ſit, neque longior. Tales ſi Demoſthenes ſuſtinuit, ex anguſto ſpiritu peruenit ad temperatum. At illud, inquit, eius ſcripta declarant. Extant eius orationes magna ex parte ita ſcripta, quemadmodum pronunciatæ ſunt. In illis non paucæ reperiuntur huiuſmodi continuationes, & etiam aliquando longiores, ut in Olynthiaca prima, δεῖ δ' οὐκ ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι μὴ τὸν αὐτὸν τρόπον, ὥσπερ οἱ δανειζόμενοι ῥᾳδίως ἐπὶ τοῖς μεγάλοις τόκοις, μικρὸν εὐπορήσαντες χρόνον, ὕστερον καὶ τῶν ἀρχαίων ἀπέστησαν. οὕτω καὶ ἡμεῖς ἂν ἐπὶ πολλῷ φανῶμεν ἐρρᾳθυμηκότες, καὶ ἅπαντα πρὸς ἡδονὴν ζητοῦντες, πολλὰ καὶ χαλεπὰ, ὧν οὐκ ἠβουλόμεθα, ὕστερον εἰς ἀνάγκην ἔλθωμεν ποιεῖν, καὶ κινδυνεύσωμεν περὶ τῶν ἐν αὐτῇ τῇ χώρᾳ. HAEC cum dixiſſet Antonius, ſanè dubitare uiſus eſt, &c.] Dubitantem Sulpitium & Cottam facit Cicero, ſignificans tacite in utranque partem ſic diſputatum fuiſſe, ut facile nõ ſit iudicare, utrius oratio propius ad ueritatem uideatur accedere. Scit tamẽ ipſe utrũ generum anteponat, qui non aliam ob cauſam ſcripſit hũc ſermonẽ, quàm ut oratorẽ perfectũ ſummũq; depingeret. Nã ſententiam ſuam ſcripſit in Oratore, quæ ab hoc Craſſi iudicio, ſi modo hoc Craſſi fuit, nihil differt. Itaque quo iuuenes habeant quid ſequantur, tandem colligit Craſſus, aut Antonium aliud ſentire quàm loquatur, aut operarium quendam oratorem facere. Operarium uocant ſcriptores rerum ruſticarum, eũ qui operas facit, ac in duro humiliq; labore deſudat, ἐργάτην dixere græci. uerbum humile tranſtulit Craſſus ad oratorem Antonianum, ut illum abijceret, dignitate exueret, in uili negotio pro mercedula in ſubſellijs laborantem contemneret. Hoc uerbo Cicero uſus eſt in Bruto: Illud minus curo, quòd congeſſiſti operarios omnes, ut mihi uideantur mori uoluiſſe nonnulli, ut à te in oratorum numerum referantur. de parum bonis oratoribus loquitur Atticus: Haud ſcio an aliter ſentias, & utare tua illa mirifica ad refellendum conſuetudine. Omnia (inquit Cicero in Bruto) ueniebant Antonio in mentem, eáq; ſuo quæque loco, ubi plurimum proficere & ualere poſſent, ut ab imperatore equites, pedites, leuis armatura,

tura, ſic ab illo in maxime opportunis orationis partibus collocabantur. Erat memoria ſumma, nulla meditationis ſuſpicio. Imparatus ſemper aggredi ad dicendum uidebatur, ſed ita erat paratus, ut iudices illo dicente nonnunquam uiderentur non ſatis parati ad cauendum fuiſſe. Mirifice refellere poteſt, cui omnia ſubito ueniunt in mentem. Huius facultatis exercitatio oratorum propria fuit, qui non modo in declamatione partes contrarias uerſabant, pro teſtibus & contra teſtes, pro rumoribus et contra rumores, pro tormentis & contra tormenta, pro ſcriptis & contra ſcripta, pro argumentis & contra argumenta, pro accuſatore, pro reo: ſed etiam in pugna forenſi eadem & faciebant ipſi, & aliorum certamina ſpectabant. Quæret aliquis, cur ea refellendi facultas ſit oratorum propria magis quàm philoſophorum? Non eſt difficile reſpondere. Neceſſarium eſt oratorem agere cum aduerſario, & ſuas tueri partes. Philoſophus res docere poteſt ſine tali contentione. Quòd ſi & hoc genus aſſumit, citra neceſſitatem omnem facit, cui ſatis erat ſuam de rebus dicere ſententiã. Academici tamẽ et Peripatetici ſoliti ſunt de omni re propoſita in utrãq; partẽ copioſe dicere, ad quos hæc uerba referũtur. In philoſophorũ conſuetudine uerſatur, maximeq; eorum qui de omni re propoſita in utranque partem ſolent copioſiſſime dicere. Ad confirmandã Craſſi ſententiam pertinent hæc: Ego non ſolum arbitrabar, & quæ ſequuntur. His præſertim audientibus.] Ab auditorum perſona, non ſine ſignificatione ſuæ humanitatis, hanc rationem duxit. Decorum autem poſcit, ut perſonis atque temporibus accommodetur oratio. Informari.] Fingi, & ad formam ideamq; componi. Habitaret in ſubſellijs.] Inuidioſe dictum, habitaret, quaſi hæreat in iudicum ſubſellijs, qui nulla alia in re maiore commode habere ſe poſſit. Præſertim in noſtra Repub.] In ampliſſima ciuitate ſunt grauiſſimæ cõciones, ſunt deliberationes, ſunt legationes, ſunt cauſæ publicæ, quæ uirum nullius ornamenti expertem, nullius magnæ doctrinæ inſcium deſiderant. Facilius nobis expones.] Præparatio ad artis præcepta, quæ ſecundo libro ponentur. Sed opinor ſecundum hunc diem.] Non debuit imperioſe dicere uir excultus & humanus, Hodie nihil in hoc genere fiet. mitius hoc modo, Sed opinor, expones ea ſecundum, id eſt poſt hunc diem. Scæuola in Tuſculanum ire conſtituit.] Scæuola ablegari uidetur, quia nihil iam ſit opus diſputatione iuris ac ciuitatis, & ut eo nuntio ueniant Catulus & Iulius Cæſar. Catulus ad confirmanda quæ ſtatuentur præcepta, Iulius ad exponẽda ridicula. Calor ſe frangat.] Vires ſuas amittat. Id temporis eſt.] Calor, de quo mentio fuit, oſtendit horas circiter meridianas fuiſſe, quibus requieſcunt ij qui ualetudini, id eſt ſanitati, dant operam. Conuenerant ludorum Romanorum diebus menſe Septẽbri, quo tempore nonnihil feruet caloris æſtus. In Tuſculanum.] Hic ſermo in Tuſculano habitus eſſe fingitur. Nũc igitur aliam agri Tuſculani uillam ſignificat. At cur ſe uenturum potius Lælio conſtituiſſe dicitur? Lælius Scæuolæ ſocer erat. auctor eſt Cicero in in Bruto: Lælius, inquit, Q. Scæuolam C. Fannio minorem natu generum prætulerat. Hanc nominandi Lælij cauſam fuiſſe exiſtimo. Non enim hiſtoriam narrat, ſed apta ſermoni fingit. Peruellit.] Perſtringit, ac lacerare conatur, ut ij qui preſſis unguibus extremas corporis partes uellicãt.

COMMENTARII PRIMI IN LIBRVM PRIMVM FINIS.

IN SECVNDVM CICERONIS LIBRVM

DE ORATORE AD Q. FRATREM IACOBI LODOICI

Strebæi Rhemenſis Commentarius II.

MAGNA nobis pueris Quinte Frater, ſi memoria tenes, opinio, &c.] Hoc exordij principium ad operis huius commendationem fuit inſtitutum. Nam ſumma eſt, hunc ſermonem nõ ab indoctis, ut quorundã fuit opinio, ſed à uiris doctiſſimis profectum, ad eloquentiam non modo rhetoricam, ſed omnem ſapientiam eſſe neceſſariũ: quarum alteram tractant hi libri, ad alteram ſtudioſos exhortãtur ea quæ à ſummis oratoribus de eloquentia diuinitus data ſunt huic memoriæ literarũ prodita, Nihil in hoc ſermone eſſe præteritum, quod quiſquam ſummis ingenijs, acerrimis ſtudijs, optima doctrina, maximo uſu cognoſci ac percipi potuiſſe arbitretur. Quis eſt omnium qui ſi propius intueatur, non uideat hæc omnia ad laudem pertinere? à re laudabili ſcripta commendari? commendatione attentionem excitari? Alia quædam interiecta ſunt, quæ maioribus hiſce partibus ſubſeruiunt, quorum ratione metiri principia non debemus. Dicturus igitur à doctis hũc produſſe ſermonem, initio refellit opinionẽ eorũ qui L. Craſſum tenuiter eruditum, M. autem Antonium omnino omnis eruditionis expertem atque ignarum fuiſſe exiſtimabant. Exigit enim ratio collocandi, ut primum quod obeſt, auferatur, deinde quod prodeſt, ex ordine ſtatuatur. Vt opinio illa refutetur, exponitur primum, deinde teſtimonijs conuincitur. Ex quo conſequitur aliud, non inepte & indecore Craſſo & Antonio de ratione dicendi ſermonem attributum fuiſſe. Magna opinio.] Hæc opinio non M. Ciceronis, & Q. Fratris, ſed aliorum multorum fuit. Nobis pueris.] Sextus eſt hic caſus, non tertius: pro eo quod eſt, cum pueri eſſemus. Si memoria tenes.] Hæc cum ſcripta ſint poſt Tullij conſulatum, lapſu tot annorum memoria puerilis uel facile potuit obliterari. Attigiſſe.] Proprie dicitur is attigiſſe doctrinam, qui non eam pertractauit, ſed quaſi extremis digitis modo prehendit. Puerili inſtitutione.] Inſtitutio eſt, præceptorum traditio. Refertur ad omnes artes. Sunt inſtitutiones oratoriæ, grammaticæ, philoſophicæ, mathematicæ, liberales, illiberales. Et quemadmodum doctrina refertur non ad naturam & ingenium, ſed ad magiſtrum: ita inſtitutio præceptionis eſt, non ingenitæ prudentiæ. À doctrina deterrerent.] Cur à magiſtris ac literis reuocabant eos? An quod ingenio nemo ferè cedere uult, iccirco lubens alios manere cupit intra naturæ limites? an quod pleriq; ſoliti ſunt alienũ improbare conſiliũ, qui nullum inuenerunt ſuum? An potius quòd rebus nouis ac mirandis ſtudent mortales, & earum conceptas opiniones uanis rumoribus inaugent? Laus autem eſt & patris & liberorum, uanitati multorum non crediddiſſe. Patrem, ut decuit, laudibus ornauit: optimum & prudentiſſimum uirũ dixit, ut eius bonitatem & ſapientiam ſtulto quo laborare dicebatur ſtudio opponeret. De patre ſuo mentionem facit ſecundo de Legibus: Hanc uides uillam, ut nunc quidem eſt, lautius ædificatam patris noſtri ſtudio: qui cum eſſet infirma ualetudine, hic ferè ætatem egit in literis. Idem contra Seruilium Rullum: Mihi quidem apud uos de meis maioribus dicendi facultas non datur, non quòd non tales fuerint, quales nos illorum ſanguine creatos, diſciplinisq; inſtitutos uidetis, ſed quòd laude populari atque honoris ueſtri luce caruerunt. Vt pueri refutare ſolebamus.] Cur ut pueri? Non afferebant acuta ex Craſſi & Antonij orationibus argumenta, quibus oſtenderent apud eos eſſe permulta quæ doctrinam

magiſtrumq; redolerent: ſed hoc more puerorum dictitabant, à patre audiui, ab Aculeone accepi, à Lucio Cicerone cognoui. Hoc autem ſæpe puerile & anile probandi genus, & maxime cum domeſticum, & è familia noſtra teſtimonium eſt. De C. Aculeone dictum eſt libro primo. Is propinquus Ciceronis fuit, id eſt affinis, quia materteram eius, id eſt matris ſororem, duxerat uxorem. Cum Antonio in Ciliciam profectus.] Antonius hæc de ſe, libro primo: Egomet, qui ſero ac leuiter græcas literas attigiſſem, tamen cum proconſul in Ciliciam proficiſcens Athenas ueniſſem, cōplures tum ibi dies ſum propter nauigandi difficultatem cōmoratus. Cū eo profectus erat Lucius Cicero de more Romanorū, qui præſides prouinciarū aut honoris aut quæſtus gratia affectabantur. Cumq; nos.] Cū nos, ſordide effertur. ſenſit uir bene dicendi magiſter, & coniunctionem interiecit. Quid illud, inquit, nō olet unde ſit, quod dicitur, cū illis, cum autem nobis non dicitur, ſed nobiſcum? quia ſi ita diceretur, obſcœnius concurrerent literæ. Conſobrinis.] Proprie locutus eſt. Conſobrinos (ut eſt apud Inſtit. de gradibus cognatorum) quidam proprie dici putant eos, qui ex duabus ſororibus progenerantur, quaſi conſororinos: eos uero qui ex duobus fratribus progenerantur, proprie fratres patrueles uocari. Ibidem: Amita eſt patris ſoror, matertera uero matris ſoror, utraq; Θεία, uel apud quoſdam τηθὶ appellantur. Ab his doctoribus, quibus ille uteretur, erudiremur.] Cicero in Bruto ſuos præceptores cōmemorat, Molonem Rhodium, qui Romam uenerat, in arte rhetorica: Stoicū Diodorū, qui apud Ciceronem habitabat, in re dialectica: Q. Scæuolā, in iure ciuili: Philonem Academicū domo profugū, in ſtudio philoſophiæ. Si quos habuit alios doctores, haud dubie fuerunt nomine obſcuriores. Nullus autē eſt horum quatuor, quo non honeſte Craſſus, ſi non ut diſcipulus, tamen ut amicus literatorum potuerit uti. Non enim exiſtimare debemus, Craſſum & Tullium quaſi in ludo condiſcipulos fuiſſe, ſed præceptores Ciceronis ad Craſſum uentitare ſolitos, et cum eo diſputare de ſtudio literarum. Illius autem conſilio ſtudia Ciceronis & fratris regebantur. aut quod credibilius eſt, ea dicebant quæ Craſſo placerent, eloquentiæ præcepta in quibus Craſſus erat uerſatus. Nam more comparatū eſt, ut ſua quiſque ſtudia probet Huic ſententiæ reſpondēt ea quæ ſubſcribit. Doctoribus, inquit, noſtris ea ponebat in percunctando, eaq; ipſe omni in ſermone tractabat: ſic loquebatur, ut nihil eſſe ei nouum, nihil inauditum uideretur. Cū eſſemus eiuſmodi.] Modeſte ſuppreſſit id quod ſine arrogātiæ ſuſpicione dici nō poterat. Sūmā in eo puero indolē, ſummū acumē, ſummū ingeniū, ſummā expectationem fuiſſe, Plutarchus ſcriptum reliquit. Erat eiuſmodi, hoc eſt tam acutus, tam ingenioſus, tam breui eruditus, ut uel puer ſentire poſſet quantū Craſſus in omni ferè rerum cognitione profeciſſet. Occurrit autem ſæpius tacitæ multorum cogitationi, qui ſic exiſtimarent, pueros de profectu uirorum in literis bene iudicare nō poſſe. Ex humaniſſimo homine patruo noſtro.] Nō eſt hoc uagū epitheton Humaniſſimo. Facit eius humanitas, ut cū filijs fratris agat familiariter, atq; illis ea quæ uiderit Athenis et Rhodi, cōmoueret, Antoniū uerſatū cū doctiſſimis hominibus Mneſarcho, Carneade, Menædemo, alijſq; multis. Quantū ineuntis ætatis meæ patiebatur pudor.] Pueritia libidinoſorum iniurijs obnoxia fuit, neque bene audierunt in ea ciuitate, qui cum uiris pueri bonæ formæ familiariter egerunt. Hanc igitur ignominiam, ac nefariæ Veneris ſuſpicionem amolitur. Ex multis uarijſq; ſermonibus.] Multum quantitatis eſt, uarium qualitatis. Exiſtimare poſſem.] Iudicare in ætate puerili. In omni genere prudentiam.] In condēdis legibus, in inſtituenda ciuitate, in cauſis agendis, in adminiſtrando bello, in alijs rebus quas legere poſſis in exordio primæ Tuſculanæ. Si omnino didiciſſe nunquam putaretur.] Probabilior eſt oratio populo, quæ minus habet ſuſpecta diſciplinæ, & quæ ad ſenſum communem propius accedit. Vt hæc una fuerit Antonio cauſa, tamen altera maior eſt, id eū feciſſe, quò populo admirabilior eius eſſe natura uideretur. QVORVM conſilium quale fuerit, nihil ſanè ad hoc tempus: illud autem, &c.] Qui diſſimularunt artem, arbitrati ſunt linguam populo eſſe ſuſpectam. Cicero in oratore: Ius, inquit, profitentur etiam qui neſciunt: eloquentia autem, illi ipſi qui conſecuti ſunt, tamen ſe ualere diſſimulant, propterea quod prudentia hominibus grata eſt lingua ſuſpecta. Illorum cōſilium improbat his uerbis: Num igitur aut latere eloquentia poteſt? aut id quod diſſimulat, effugit? aut eſt periculum ne quis putet in magna arte & glorioſa turpe eſſe docere alios, id quod ipſi fuerit honeſtiſſimum diſcere? At fortaſſe cæteri tectiores: ego ſemper me didiciſſe præ me tuli. Aliorum conſilium quale fuerit, rectum'ne an prauum, nihil ſanè ad hoc tempus facit. Non enim quæritur quale ſit eorum conſilium, ſed an docti fuerint & eruditi Craſſus & Antonius. Reſpondet autem, talem exiſtere eloquentiam, qualis fuerit in Craſſo & Antonio, non cognitis rebus omnibus, quæ ad tantam prudentiam pertinerent, tantamq; dicendi copiam, nullo modo poſſe. Ordo collocādi eſt: Craſſus & Antonius præter hominum opinionem eruditi fuerunt, & eruditio ad eiuſmodi eloquentiam neceſſaria eſt. Illud eſt huius inſtitutæ ſcriptionis, id eſt huius rei quæ ſcribitur ad memoriam diuturnam, & huius temporis, in quo de eruditione oratoris futuri quæritur, neminem eloquentia non modo ſine dicendi doctrina, hoc eſt rhetorica, ſed ne ſine omni quidem ſapientia, quæ eſt philoſophia florere unquam & præſtare, hoc eſt excellere potuiſſe. Hoc probandum ſtatuit: rationem reddit ex artium differētia. Cæteræ ferè artes ſe ipſa per ſe tuētur ſingulæ. Quo modo? Non egent aliarum cognitione, ut planè cognoſci percipiq; poſſint. Hoc non utique uerum eſt: quāobrem excepit, addito uerbo, ferè. Arithmeticam ſine alijs artibus totam cognoſcere poſſumus, non item grammaticam. Bene dicere, quod eſt eloquentiæ proprium, non habet definitam aliquam regionem, cuius terminis ſepta teneatur. Rhetorica (ut ait Ariſtoteles rhetoricorum primo) non habet certam definitamq; materiam. Nam & ſi ſæpenumero uerſatur in quæſtione ciuili, non tamen his terminis ſic clauditur, ut per alia libere ſpaciari, ſi cauſa ferat, non poſſit. Omnia quæcunque in humanam diſceptationem & cōtrouerſiam cadere poſſunt, bene ſunt ei dicenda, qui hoc ſe poſſe profitetur. Itaque rhetorica ſe ipſa per ſe non tuetur, ſed eget aliarum artium præſidio. Bene dicere definit, ſcienter & perite & ornate dicere. Tria ſunt, ſcienter, perite, & ornate. Primum ad cognitionem rerum pertinet, alterum ad uſum & exercitationem, tertium ad oratoriā elocutionem. Hæc ſumma dixit.] Eloquentiam ſummæ dignitatis eſſe exiſtimauit. Multos ſine ſumma rerum omnium ſcientia eſſe fateor.] Summa ſcientia eſt, quæ dicitur encyclopædia, orbiſq; doctrinæ: quem pauci admodum, aut certe nulli ſuis omnibus numeris abſoluerunt. Exiſtere.] Excellere, eminere. Ad tantam prudentiam.] Ad tantā rerum cognitionem & ſcientiam. Iam poſitum eſt, huius ſermonis auctores doctiſſimos fuiſſe, talem eruditionem oratori neceſſariam eſſe: reliquum eſt, ut is ſermo memoriæ mādetur. Mandat, & cur id faciat, treis refert cauſas, quarum ſecunda præcipua eſt. Sermonem habuiſſent.] Sermonem habere dicimur, ut orationem. Mandarem literis.] Scriberem. A ſummis oratoribus.] Non erant Craſſus & Antonius ſummi. Multa deerant illis tum ad rerum ſcientiam perfectā, tum ad ornandi uenuſtatem, & affectuum tragœdiā: quod in Bruto idem Cicero & in Oratore non diſſimulat. Cur igitur ſummos eſſe dixit? Subſeruiendum erat huic theatro, & ij commendandi, quorum ſermo memoriæ prodi dicebatur, ut plus auctoritatis eſſet in ſermone. Eò pertinet quod adiungit, ab

git, ab illis multa diuinitus eſſe dicta. Argute quidem. Non poterat ipſe de ſe idem ſine arrogantia confirmare. Cuſtodirê literis.] Dicta auolant, & breui pereunt, niſi aut memoria aut literis cuſtodiantur. Seneſcentem.] Ad interitũ moꝛe ſenum repentem. Alter non multum, quod quidem extaret, alter nihil admodum ſcripti reliquiſſet.] Quòd Antonius à ſe libellũ de arte ſcriptum dixerit, pleriq; male interpretantur hanc ambiguitatem. Cicero Antonij libellum pro nullo habet, quia & paruus erat, & (ut ait) imprudenti & inuito exciderat: unde quantus fuiſſet auctor, ſi liber extaret, haud quiſquam facile cognoſceret. dicendum igitur: Alter Craſſus non multum, quod quidem extaret, alter Antonius nihil admodum: hoc eſt, nihil ferè ſcripti reliquiſſet. Cicero in Oratore: Vterer, inquit, exẽplis domeſticis niſi ea legiſſes: uterer alienis uel latinis, ſi ulla reperirẽ: uel Græcis, ſi deceret. Sed Craſſi perpauca ſunt, nec ea iudiciorũ: nihil Antonij. Ad eius libri finem ex orationibus Craſſi duo citat exempla. Illic perpauca dixit, hic item nõ multũ: illic, nihil Antonij: hic nihil admodum. Viuam memoriam.] Sicut memoria perire & mori dicitur, ita etiam uiuere: uiuit autem aut animis, aut rerum literarum'ue monumentis. Immortalem redderem, ſi poſſem.] Niſi addidiſſet illud, ſi poſſem, decorum uiolauiſſet. Iactatio ſui decorum nõ habet. Quod hoc etiã ſpe aggredior maiore ad probandũ.] Eo facilius eſt mihi laudem Craſſi & Antonij probare neſcientibus, quòd ij uiuunt teſtes, qui duos ſummos uiros ſæpe audierunt. Sergiũ Galbam, & C. Carbonem patrem non uidit Cicero, nec quiſquam eorum, qui quando ſcripta ſunt iſta, uiuebat. C. Carbo filius ad tempora belli ciuilis, & Syllanæ calamitatis, in qua periit, uixit. De filio Cicero in Bruto: In eodẽ igitur numero eiuſdem ætatis C. Carbo fuit, illius eloquentiſſimi uiri filius: nõ ſatis acutus orator, ſed tamen orator numeratus eſt. Hunc audierunt cũ Cicerone multi. Liceat mihi fingere.] Quæ nullius memoria refellit, ea ſi uerisſimilia ſunt, cuique licet more poetarũ fingere. Edo.] Mitto in lucem. Neutrũ illorũ, neque Craſſum, neque Antoniũ. ordo eſt: Edo hæc iis cognoſcenda, qui eos ipſos, de quibus loquor, ſæpe audierũt ut cõmendemus duos ſummos uiros iis, qui neutrũ illorum uiderint: cõmẽdemus, inquã, eorum uiuorum & præſentiũ memoria teſte, quibus ambo illi oratores cogniti ſunt. NEC uero te chariſſime frater atque optime rhetoricis nũc quibuſdã libris, etc.] Diximus hoc proœmiũ ad operis cõmendationẽ, & lectoris exhortationem inſtitutũ fuiſſe. Conſtitutis aliis partibus, & ordine deſcriptis, fratrem, & alios omnes in eius perſona, exhortatur ad legendũ. Quòd autem Q. Frater libellos rhetoricos nõ magnifaceret, & orator eſſe noluiſſet, ne legendo hæc, abutatur opera, maius uulgari opus tractare ſe confirmat, ut & ii qui multum oratione profecerunt, hi libri non inutiles eſſe dicantur. Frater optime.] Virtutem huius exponit in quadam epiſtola: Præclarũ eſt, inquit, ſummo cũ imperio fuiſſe in Aſia trienniũ, ſic ut nullũ te ſignũ, nulla pictura, nullũ uas, nulla ueſtis, nullũ mancipium, nulla forma cuiuſquã, nulla cõditio pecuniæ, quibus rebus abundat iſta prouincia, ab ſumma integritate continentiaq; deduxerit. Quid autem reperiri tam eximiũ, aut tam expetendum poteſt, quàm iſtam uirtutem, moderationem animi, tẽperantiam, nõ latere in tenebris, neque eſſe abditam, ſed in luce Aſiæ, in oculis clariſſimæ prouinciæ, atque in auribus omniũ gẽtium ac nationum eſſe poſitam? Non itineribus tuis perterreri homines? non ſumptu exhauriri? non aduentu cõmoueri? eſſe, quocunque ueneris, & publice & priuatim maximam lætitiã, cum urbs cuſtodem non tyrannũ, domus hoſpitem non expilatorem recepiſſe uideatur? Ex duobus epithetis, chariſſime & optime, alterum ad propinquitatem, alterum ad uirtutem relatum uoluit. Non inſequor, id eſt, non inſto ut erudiam te nunc in ea ætate, in eo profectu literarum, rhetoricis quibuſdam libris, quales ab aliis & à me iuuene ſunt editi. Illos agreſtes eſſe putas, quia neque ſatis urbani & exculti, ſed duri & inculti tibi uidentur. Cum autem oratio tua ſubtilis & ornata ſit, i. eiuſmodi libellis non eges. Sed hi libri tres non erunt in eodem genere, quod poſſit illudi. Oratio ſubtilis eſt, tenuis, acuta, omnia docens, & dilucidiora non ampliora faciens, ſubtili quadam & preſſa figura limata. Sic ille in Oratore. Videtur hic ſubtile poſuiſſe pro eo quod à ſenſu populari multũ recedit, & quod tantum oculo mentis eruditæ uideri poteſt. Ornatũ dicitur, uerbis bonis, & figuris, & digeſta cõpoſitione decoratum. Q. Cicero doctus fuit quidẽ, ſed poema quàm orationẽ ſequi maluit. Hinc illud Ciceronis in epiſtola: Simul & illud (ſine ulla me hercule ironia loquor) tibi iſtius generis in ſcribenddo (de uerſu loquitur) priores partes tribuo quàm mihi. Et illud: At ea uero, quæ ipſe ego ne cogitando quidem conſequor, tu qui omnes iſto eloquendi & exprimendi genere ſuperaſti, à me petis? Et illud: Quatuor tragœdias ſedecim diebus abſoluiſſe cum ſcribas, tu quidquã ab alio mutuaris, et χρέος quæris? Noluit artem oratoriã exercere, qui cũ fratrẽ fuerat in literis educatus. Id autẽ fecit aut iudiciõ quòd iudicaret alias artes eſſe natura præſtãtiores: aut timiditate ingenua: aut quòd putaret ſatis eſſe unum in una familia rhetore. De ſe Iſocrates ſcripſit ipſe.] Verba Iſocratis ſunt hæc in Panathenaico: τὴν δὲ φύσιν εἰδὼς πρὸς μὲν τὰς πράξεις ἀῤῥωστοτέραν καὶ μαλακωτέραν οὖσαν τοῦ δέοντος, πρὸς δὲ τοὺς λόγους οὔτε λείαν, οὔτε πανταχοῦ χρησίμην. οὕτω γὰρ ἐνδεὴς ἀμφοτέρων ἐγενόμην τῶν μεγίστην δύναμιν ἐχόντων παρ' ὑμῖν, φωνῆς ἱκανῆς καὶ τόλμης, ὡς οὐκ οἶδ' εἴ τις ἄλλος τῶν πολιτῶν. Naturam meã ad actiones laborũ infirmiorẽ molliorẽmq;, ad orationes uero neq; facilẽ, neq; omnino cõmodam eſſe cognouerã. Sic enim duo quæ apud nos plurimũ poſſunt, uox et audacia, mihi defuerunt, ut, quod ſciã, nemini ciuium magis defuerint. Iſocrates eloquentiæ pater dicitur, quia primus orationẽ temperauit, & eos docuit qui partim in dicẽdo, partim in ſcribendo principes extiterũt. Cicero in Oratore, Iſocrates, inquit, primus inſtituit dilatare uerbis, & mollioribus numeris explere ſentẽtias. In quo cũ doceret eos qui partim in dicendo, partim in ſcribendo principes extiterunt, domus eius officina habita eloquentiæ eſt. Timiditate ingenua.] Timor & timiditas non idem ſignificãt. timor non ſemper manet: timiditas quia timendi procliuitas eſt, nunquã tolli poteſt. Maluit igitur uerbũ durũ quidẽ, ſed tamen propriũ: ſicut Tuſculana quarta, uitioſitatem quàm uitiũ, propter eandẽ cauſam de peccandi procliuitate dicendã potius eſſe cenſuit. Vt ipſe iocari ſoles.] Iocus eſt hic, nõ res ſeria. Nam quid repugnat, fratres duos plures'ue eſſe rhetores? quid familiæ ornamento officit? Menecles & Hierocles fratres erãt rhetores, et Cepaſii oratores. Ieiunitatẽ bonarũ artiũ.] Senſus eſt: Nihil eſt in his libris, quod merito poſſit illudi atq; contẽni, quia ieiuni & ignari bonarũ artiũ fuerint Craſſus, Antonius, Cæſar, quid de ratione dicẽdi diſputarũt uiri doctiſſimi. Nihil eſt prætermiſſum, id eſt, omiſſum, quod quiſquã arbitretur cognoſci percipiq; poſſe ſummis ingeniis, acerrimis ſtudiis, optima doctrina, atq; uſu maximo, quæ ſunt res quatuor ad eloquentiã neceſſariæ. Ingeniũ & natura, prima eſt. ſtudiũ & amor artis ac diligentia, ſecunda: doctrina & præceptorũ cognitio, tertia: uſus, extremus. Nihil igitur præteritũ eſt, quod ſit ad eloquentiã neceſſarium. Prudentiã rationemq; dicendi.] Alia eſt prudẽtia, alia ratio. Prudẽtia, notio rerũ eſt: ratio, ars & inſtitutio. Adhortatione.] Vel hoc unũ uerbũ contemplanti indicare poteſt, quæ ſit huiuſce proœmii finis ac ſumma. POSTERO igitur die quàm illa erãt acta, hora ferè ſecunda, etc.] Hic futuri ſermonis eſt apparatus, in quo primũ finis eſt ſpectandus, deinde intuendũ decorum. Finis hic eſt, ſpes & ingens expectatio eorũ qui ſubaudient. Decorũ, perſonarum atque rerum apta tractatio. Ea ſuo quæque loco dicentur. Poſtero die.] Nõ ra-

ro poſtero die dicit pro poſtridie, nec rara ſunt hæ locutiones, poſtridie quàm, tertio die quàm, poſtero die quàm, & quæ ſunt generis huius. Illa erãt acta.] Significat ea quæ libro primo diſputata ſunt. Hora ferè ſecũda.] Accipe horã ſecundã ab oriente ſole, nõ à meridie. Nota cuique eſt (ut opinor) ratio numerandi pares horas noctis & diei, quã temporibus illis tenuere Romani. Eam legit horam Cicero, quæ Catulo & Cæſari uenienti non eſſet importuna. Vt enim prima luce ſurrexiſſẽt, cõparatis omnibus ad Craſſum hora ſecunda ferè ueniſſent. Ad de quòd obſeruare oportuit horã diſputandi, quæ poſt quietem recentibus animis, compoſitiſq; ſenſibus, aptior eſt ad hunc laborẽ. Eo ferè tempore, domo ueniebant ad forũ. Nam (ut ait Martialis) Exercet raucos tertia cauſidicos. Ad horam tertiam ferè, cum ſalutando, cum parando ſecunda fuerit exacta, ſumet hac exordium diſputatio. Ne quis autem dicat hæc à Cicerone non eſſe ficta, qui laudatus eſt à Salluſtio quòd hunc ſermonem belle à ſe remouiſſet, ſcribit in Epiſtola ad Q. Fratrem: Salluſtius dixit, oratorum ſermonem in illis noſtris libris qui ſunt de ratione dicendi, belle à me remouiſſe, ad eos tamen retuliſſe, quos ipſe uidiſſem. In lecto Craſſus eſſet.] Cur Craſſus in lecto, Antonius in porticu? Craſſus & ſenior eſt, & apud ſe, & ſe curus proximæ diſputationis, & uarietas quædam perſonarum & temporum petenda. His de cauſis iacere fingitur: non item Antonius, non duo iuuenes Sulpitius & Cotta. Cur Sulpitius apud Craſſum, Cotta cum Antonio? Pulchrum eſt lateri ſeniorum adhærere iuuenes, tum ad diſcendum, tum ad ornandum. Adhærent, Sulpitius Craſſo, cui admodũ familiaris erat ut primo loco ſignificat: alter Antonio. In porticu.] Aliæ fuere porticus publicæ, aliæ priuatæ. Earum uſus eſt ad iniuriam cœli aut pluentis, aut æſtuantis arcendam, & ad corpora deambulatione firmanda. Ad earum ſimilitudinem nonnihil fieri ſolet, & in ædibus magnis, & in monachorum ſeptis, quæ uulgo clauſtra dicũtur. Repente eò Q. Catulus ſenex cum C. Iulio fratre uenit.] Cur repente? Quia ex inopinato & improuiſo. Cur ſenex? quia fuit alter Catulus iunior, quem noluit intelligi. Cur cõmotus eſt Craſſus? quia maiorem aliquam eſſe cauſam eorum aduentus ſuſpicabatur. Quid ita? Seditio tum fuit inter ſenatores & equites, & hinc Reſp. turbulenta: de qua ſeditione mentionem facit initio lib. primi: De Q. Catulo Cic. in Bruto: Fuit, inquit, in Catulo ſermo latinus: quæ laus dicendi non mediocris, ab oratoribus pleriſq; neglecta eſt. Nam de ſono uocis & ſuauitate appellandarum literarum, quoniam filium cognouiſti, noli expectare quid dicam: quanquam filius quidem non fuit in oratorum numero, ſed non deerat ei tamen in ſententia dicenda, cum prudentia, tum elegans quoddam & eruditum orationis genus. Nec habitus eſt tamen pater ipſe Catulus princeps in numero patronorum, ſed erat talis, ut cum quoſdam audires, qui tum erant præſtantes, uideretur eſſe inferior. cum autem ipſum audires ſine comparatione, non modo contentus eſſes, ſed melius non quæreres. Idem ibidem de C. Iulio: Feſtiuitate igitur, & facetijs C. Iulius Lucij filius & ſuperioribus, & æqualibus ſuis omnibus præſtitit, oratorq; fuit minime ille quidẽ uehemens, ſed nemo unquã urbanitate, nemo lepore, nemo ſuauitate conditior. Sunt eius aliquot orationes, ex quibus, ſicut ex eiuſdem tragœdijs, lenitas eius ſine neruis perſpici poteſt. Ipſorum uſus ferebat.] Vſus hoc loco familiaritas & conſuetudo, quæ dicitur etiam conuerſatio. Conſalutarunt amiciſſime, pro ſua familiaritate & uitæ conſuetudine. Nunquidnã.] Verbũ Terẽtio non infrequens. Vides eſſe ludos.] Vides non deeſſe nobis otium, & tempus animi reficiendi: quia dum celebrantur ludi Romani, forum ſilet & curia, nec agitantur turbulentæ cõciones. Ineptos uel moleſtos.] Ineptos dicit, qui neque quid tempus, neque quid perſonarũ dignitas poſtulet, uiderint. Moleſtos, graues, & turbatores quietis. Scæuolã cõuitum.] Cum Scæuola egiſſe ſe uerbis. Conuenire, colloqui eſt. At aliter dicimus, conuentum: aliter, collocutum. Hoc quidẽ actiue, illud autem paſſiue. Ad Græcorum cõſuetudinem.] Non ſemel eſt dictum, Academicos & Peripateticos de omni re propoſita in utramque partem diſputare ſolitos. Frater exorauit.] Melius frater, quàm Caius Iulius: nec indecenter plus cupiditatis audiendi iuueni, quàm ſeni datum eſt, & ſenex audire ſe uelle nõ ſine uerecũda prudẽtia dicit. Familiarius.] Hoc uerbi iuuat interpretationem, quam diximus in illud: Vt ipſorum uſus ferebat, amiciſſime conſalutaſſent. Hanc excuſandi rationẽ Catulo melius, quàm Cæſari tribuit, & Craſſo, quàm Antonio reſponſionẽ. Apud Craſſum res agitur, & primæ partes ſenioribus dantur. Craſſus autem pro ſua humanitate benigne excipere debuit homines ſibi chariſſimos & amiciſſimos, & pro ſuo pudore munus illud diſputandi ab ſe, quantum liceret, amoliri. Ad humanitatẽ pertinent hæc uerba: Lætarer, cũ apud me uiderem homines mihi chariſſimos & amiciſſimos. ad pudorem hæc, Sed tamen uere dicam, quauis cauſa mallem fuiſſet, quàm iſtam quam dicis, & quæ ſequuntur. In his operepræ tium eſt cognoſcere, qualis quæque perſona confingatur, & quid uerbi facti'ue cuique naturæ cõueniat. Facilitate.] Facilitas difficultati & moroſitati contraria eſt. Non uult ſuã diſputationem ad oſtentationem hominis inepti, ſed ad facilitatem hominis benigni & perquam humani referri. Dum obſequor adoleſcẽtibus, me ſenem eſſe ſum oblitus.] Antitheta ſunt hæc, in oppoſitione iucũda. Quæ doctrina aliqua cõtinerentur.] Magna ratione adductus, hæc definit. Stultum quidẽ uideretur de ijs præcipere, quæ nulla doctrina cõtinẽtur. Tranſactis meis partibus.] Eo perfecto, quod mihi muneris impoſitũ eſſet. TVM Cæſar, equidẽ, inquit, Craſſe, ita ſum cupidus te in illa lõgiore, etc.] Poſt omniũ cõgreſſionẽ, & primũ ſenum ſermonem, quia ad rem properandũ eſſet, excitandus aliquis erat, qui maiores ad diſputandũ eliceret. Is uiſus eſt idoneus Cæſar, & audiendi cupidus, & nouiſſime receptus, cui, ſeruenti Sulpitio & Cotta, aliquid impertiendũ uidetur. Cauſam ſtatuit, audiendi cupiditatem. ponit effectum, precationẽ. utitur argumento à pari, Sulpitium & Cottam non plus ualere apud Craſſũ oportere, quàm ſe: ut ſit hæc ſumma: Quia ſum cupidus, te rogabo: & ut Sulpitius, impetrare debebo quæ uerba tandem habita ratione iuuenilis uerecundiæ lenienda exiſtimauit, hoc modo: Non te urgebo, ne me iudices ineptũ. Cupidus.] Ordo eſt: Sum cupidus te audiendi in perpetua diſputatione, quæ longior eſt quàm ſermo, nec interrũpitur, ut altercatio. Eſt enim perpetuum, non interruptum. Sermo, lingua quotidiana eſt: diſputatio, oratio diſertorum. Apud te ualere.] Apud te auctoritatem habere. Exorabo, id eſt, orando impetrabo, ut mihi quoque & Catulo tuæ ſuauitatis, hoc eſt, ſuauis & iucundæ orationis, aliquid imperties. Suaue dicendi genus erit (ut ait in Partitionibus) primũ elegantia & iucunditate uerborum ſonantiũ & leniũ, deinde coniunctione, quæ neque aſperos habeat cõcurſus, neque disiunctos atque hiantes, & ſit circumſcripta non longo anfractu, ſed ad ſpiritũ uocis apto, habeatq; ſimilitudinẽ æqualitatemq; uerborũ: tum ex contrarijs ſumpta uerbis, crebra crebris, paria paribus reſpondeant, relataq; ad idem uerbum, & geminata atque duplicata, uel etiam ſæpius iterata ponantur: conſtructioq; uerborum tum coniunctionibus copuletur, tum diſſolutionibus relaxetur. Fit etiam ſuauis oratio, cum aliquid aut inuiſum, aut inauditum, aut nouum dicas. Delectat enim quidquid eſt admirabile, maximeq; mouet ea, quæ motum aliquem animi miſcet oratio, quæq; ſignificat oratoris ipſius amabiles mores. Mihi quoque & Catulo.] Cur poſtpoſuit Catulum? Quia ſecundus erat in auiditate audiendi. Committam.] In eo peccabo. Tum ille, Ego me Hercule.] Quid ſit ineptus, exponit hic Craſ-

ſus, duabus de cauſis: una, ut intelligatur quid hoc ſit cauſæ, cur diſputare tantopere recuſet: altera, ut arguat Græcos ubique garrire paratiſſimos. Cæſar.] Vocādi caſus eſt, Cæſar. Verbi uim.] Significationē dicit, quæ longe lateq; patet. Verbū explicat primum etymologia, deinde definitione. Notatio eſt: Ineptus dicitur is, qui nō ſit aptus. Ille eſt, qui nō ſeruat decorū. Definitio: Ineptus eſt, qui aut tempus quid poſtulet, non uidet, aut plura loquitur, aut ſe oſtentat, aut eorū quibuſcū eſt, uel dignitatis uel commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere, aut inconcinnus, id eſt, inelegans, aut multus eſt. Summa deſcriptionis eſt, ineptum eſſe, qui neque rationem temporis, neque loci, neq; perſonæ tenet. Hoc uitio cumulata eſt, hoc eſt abundat, illa Græcorum natio: quanquā eſt eruditiſſima, & tantum eruditionis hoc debuit abolere uitium. Literas Græcis negare nō poteſt: prudentiā, conſtantiam, decorū negat. Vim huius mali, quod eſt, ineptum eſſe, Græci non uident: itaque ne nomen quidem ei uitio impoſuerunt. Ineptus dicitur à quibuſdam Græcorum ἀπειρόκαλος, quaſi pulchri & honeſti expers & indoctus. ἀφυὴς autē, & ἀπαίδευτος, & μάταιος, & σκαιὸς, & ſi quæ ſunt eiuſmodi, non magis propria huiuſce rei uerba ſunt, quàm male natus, indocilis, uanus, ſiniſter. Sic enim ſonant hæc uerba, ut interpretamur. Si quidem igitur propriū eſt, illud eſt ἀπειρόκαλος. Atqui proprium non eſt. aliud enim honeſtum, aliud decorū. mente ſeperantur iſta, atque diſtinguuntur: nec decorum dicitur à Græcis καλὸν, ſed πρέπον. Quamobrem rectè Cicero, ut quæras omnia quo modo Græci ineptū appellent, nō reperies. Loquitur enim de proprijs rerum uocabulis, & omnium uſu receptis: euiuſmodi in hac re nullū fuit. Miror eò ueniſſe quoſdā, ut Ciceronem ſolitū declamare Græce, uerſatum plurimum inter Græcos, & eorum lingua doctiſſimū, hac in parte arguerēt, & cū principe eloquentiæ de uerborū ſignificatione cōtenderēt. Suas forte rationes habent. Nos à tanto uiro ne temere diſcedamus. Omnium ineptiarum, quæ ſunt innumerabiles.] Ineptiæ aut ad tempus, aut ad locum, aut ad perſonarum rationē pertinent. Tres igitur ſunt genere: ſed partes, ut rerum multarum, innumerabiles ſunt: nec quiſquā eſt qui numerare poſſit omnes ineptias, quæ admittuntur in geſtu, uultu, motu, cultu, ſupellectili, uerbo, facto, & in omni ratione uitæ. Tria genera tamen ineptiarum conſtituit: unum, ſi quis tempus quid poſtulet, nō uidet. alterū ſi, quocunque in loco uiſum eſt, res eadē agitur. tertiū, ſi quoſcunque inter homines uiſum eſt, fit quod nō decet. Non ignoro hæc ad pauciora genera referri poſſe, ſed gratia docendi ſtatuantur hæc quæ diximus. Tum Catulus.] Senſit Catulus quorſum tenderet Lucius Craſſus, & ex eius oratione cepit refellendi materiam, non omnes Græcos qui diſputant ineptos eſſe. locū idoneum uideri, tempus opportunum, homines ab hoc genere diſputationis nō abhorrere. nihil igitur eſſe cur recuſet hoc munus. Ne Græci quidem in ciuitatibus ſuis clari & magni.] Primo libro nominauit Carneadem, Clitomachū, Aeſchinem, Metrodorum, Mneſarchum, Critolaum Diodorū, Menedemū, qui cum clari magniq; eſſent in ciuitate ſua, ſermones eiuſmodi diſputationesq; uerſabant. Poſſunt alij multi nominari, tum oratores, tum philoſophi, quibus nihil clarius & maius Græcia tulit, Pericles, Demoſthenes, Hyperides, Socrates, Plato, Ariſtoteles, omnes harum diſputationū auctores ampliſſimi, nec inter ineptos moleſtoſue numerari. Qui ſe inculcant auribus noſtris.] Ante tempora Lelij philoſophia non fuit in precio Romæ: cum cœperunt operā dare philoſophiæ Romani, tum Græcorum multi Romam docendi cauſa migrarūt. ſed leuiores ferè, quibus in patria nulla dignitas erat, eò cum ueniſſent, & primoribus ciuitatib ſe dedidiſſent, ſui tandem fecere contemptū: ij ſunt qui ſe inculcant auribus uirorū, nec expectāt leuiculi dum à quopiā rogētur. Palæſtra.] Locū dicit in Craſſi Tuſculano, ubi iuuētus aut ex eius familia, aut ex alia, corpus exercebat. Nā etſi palæſtra luctatorū propria uidetur, tamen etiā pro gymnaſio ponitur, & admittit curſores, pugiles, iaculatores. Virgil. Pars in gramineis exercēt mēbra palæſtris. In gymnaſijs & palæſtris apud Græcos fuere magiſtri gymnaſtæ & palæſtrici, qui docerent pueritiam non modo artem gymnicam, ſed etiam geſtus motuſq; membrorum. Eò quoque philoſophi & artium profeſſores uenire ſoliti ſunt, ac ſuas artes alij ſedentes, alij inambulantes exercere. Hinc gymnaſia pro ſcholis uſurpata ſunt. Non igitur ab re Catulus de porticu & palæſtra mentionem facit. Non enim ſolum ſunt ad corporum exercitationem, ſed etiam ad meditationem literarū. Porticus hæc ipſa igitur, uti Stoa quædam & palæſtra ſub dio poſita, & tot locis ſeſſiones, hoc eſt ſedilia collocata, memoriam quodammodo mouent gymnaſiorum, & in gymnaſijs Græcarum diſputationum. In tanto otio.] Tempus ludorum, otium ultra decimumquintū diem eſſe permittit. Peroptato.] Ex animi ſententia. Sine his ſtudijs nullā uitā eſſe ducamus.] Opportune dicta ſententia, ut ſtudia literarum uoluptatibus ruris anteponerentur. Vita ſine ſtudijs artiū & uirtutū, non tam hominis, quàm pecoris exiſtimāda eſt. Homo iners & ignauus (ut eſt in adagio) uiuū cadauer eſt, & uiuū ſepulchrum, qui nihil hominis præter figuram & nomen retinet. OMNIA iſta (inquit Craſſus) ego alio modo interpretor, qui primum, &c.] Quod Catulus de loco, de otio, de hominibus dixit, Craſſus ex ordine refellit: locum ad delectationem, nō ad diſputationem eſſe comparatum: otij fructum non eſſe contentionem animi ſed relaxationem. melius eſſe nō intelligi, quàm reprehendi. Hanc ſuſcepit refutationem, ne decori uideretur oblitus, qui in media delectatione res ſerias & graues agebat. Adde etiā Craſſi conſuetudinē, adde rationē petendæ uarietatis ad operis ornamentū, adde Catuli et Cæſaris cupiditatē, quæ aliquo ueluti cibo paſcenda fuit. Palæſtra, & ſedes circumpoſita, & porticus, exercitationis corporū, & delectationis cauſa, nō diſputationis, inuēta ſunt à Græcis. Quid eſt argumenti? ſignum eſt, quòd multis ante ſeculis gymnaſia fuerunt, quàm in his philoſophi diſputare cœperunt. Non diſputare, ſed garrire dixit, ad exprimendas eas de quibus egerat Græcorum hominum ineptias. Sic Perſius:

Nec clauſo murmure raucus
Neſcio quid tecum graue cornicaris inepte.

Alterū ſignum, quòd cum omnia gymnaſia, in quibus antea ſolum corpora exercebantur, philoſophi teneant: tamen eorū auditores loco inuitati & cōſuetudine, diſcum audire, quàm philoſophū malunt. Græcū eſt δίσκος, ſignificans molem aut lapidis, aut ferri, aut plumbi, quam in certamine iuuenes ad explorandum robur ultra præſcriptum finem mittere nitebantur. Horatius: Sæpe diſco, ſæpe trans finem iaculo nobilis expedito. Diſcus una ſpecies eſt gymnaſtici certaminis. Aliæ ſunt ſpecies, ut ſaltus curſus, cæſtus, palæſtra, de qua potiſſimū dicuntur hæc. Philoſophū omnes unctionis cauſa relinquunt: hoc eſt, ut ungātur oleo, & corpus exerceant. Quintilianus libro primo: Ne illos quidem reprehendendos putem, qui paulum etiam palæſtricis uacauerint. Non de ijs loquor, quibus pars uitæ in oleo, pars in uino conſumitur, qui corporis cura mentem obruerunt (hos enim abeſſe ab eo quem inſtituimus, quàm longiſſime uelim) ſed nomē aſt idem ijs à quibus geſtus motuſq; formantur, ut recta ſint brachia, ne indocta ruſticæ'ne manus, ne ſtatus indecorus, ne qua in proferendis pedibus inſcitia, ne caput oculiq; ab alia corporis inclinatione diſſideant. Huc pertinet Virgilianum illud:

Exercent pingues oleo labente palæſtras.

Oleū autem illitū ſtipat cutem, neruos cōfirmat, roborat corpus, & ſummos cōſumit humores. Vnctionem igitur etiā medici probāt, tū ad corporis uires, tum ad tuendā ſanitatem, et alendū calorem. Simul ut increpuit.] Cum primum inſonuit. Leuiſſimam delectationem grauiſſimæ, ut ipſi ferunt, utilita-

ei anteponũt.] Antitheta ſunt, leuiſſima, grauiſſima. At cur addit hæc, ut ipſi ferunt? ſenſit à propoſito aliena ſe dicere. Nã Catulus hic diceret, non imitandos eos qui leuiſſima grauiſſimis anteponũt. Ea de cauſa Craſſus, qui dixerit eos garrire, nõ uult à philoſophis utilitatem percipi grauiſſimam confiteri, ſed illam eſſe quorundam Græcorum opinionem. Otij fructus eſt, nõ cõtentio animi, ſed relaxatio.] Senſus eſt, nõ fruimur otio, ut ſic contendamus animum uti neruũ in arcu, ſed ut eum ſic à grauioribus curis relaxemus, ut à contentione funem remittimus. Propoſitum exemplo Lælij & Scipionis probare cõtendit, de quo ſic Valerius Maximus octauo lib. de Otio: Otium, quod induſtriæ & ſtudio maxime contrariũ uidetur, præcipue ſubnecti debet, non quo euaneſcit uirtus, ſed quo recreatur. Alterum etiã inertibus uitandũ, alterum ſtrenuis quoque interdum appetendum eſt. Illis, ne prope uitam inertem exigant: his, ut tempeſtiua laboris intermiſſione, ad laborãdum fiãt uegetiores. Par uero amicitiæ clariſſimũ Scipio & Lælius tum amoris uinculo, tum etiã omnium uirtutũ inter ſe iunctum ſocietate, ut actuoſæ uitæ iter æquali gradu exequebantur, ita animi quoque remiſſioni cõmuniter acquieſcebant. Conſtat nanque eos Caietæ & Laurenti uagos litoribus conchulas & calculos lectitaſſe, idq; L. Craſſus ex ſocero ſuo Q. Scæuola, qui gener Lælij fuit, audiſſe ſe ſæpenumero prædicauit. Exemplũ altius paulo repetimus, quia nonnihil facit ad otium, de quo nunc agitur. Quàm fuerint amici Lælius et Africanus, leges apud Ciceronẽ lib. de amicitia: Ex multis ſeculis uix tria aut quatuor numerantur paria amicorũ, quo in genere ſperare uideor Scipionis amicitiã et Lælij notã poſteritati fore. Ruſticari.] Agere ruri. Repueraſcere.] Ad leuitatem puerilem reuerti. Euolauiſſent.] Deſideriũ ſignificatur hoc uerbo: ſicut et illo, tanquã ex uinculis. Hic enim pro otio Craſſus agit in laborem, ideoq; cauſæ ſubſeruire debet. aliàs non eſt urbs homini ingenuo uinculum, ſed magnanimo uiro domus, & ſumma libertas. Non audeo dicere de talibus uiris.] Vbique Craſſo dedit in dicẽdo prudentiam, ac pudorem. Harum uirtutum eſt, nihil de rebus ignotis temere affirmare. Quid enim temeritate turpius? inquit Cicero de Natura deorum. Quod ne faciat Craſſus, nõ ſemel inculcat Scæuolæ teſtimonium, nec ſuum de re iudiciũ interponit. Scæuolæ autem, quòd Lælij gener eſſet, ut teſti familiari credendum uidetur. Conchas & umbilicos.] Concha durior quorundam piſcium teſta, ut purpuræ, muricis, oſtreorũ, myacum. Quin piſces ipſi, non eorum modo caua tegumenta, conchæ uocantur. ſed hic conchas accipimus uacuas, quales etiamnum multæ in arena & litore colliguntur. Vmbilicus, lapillus rotundus, nitidus, politus, in umbilici noſtri modum collectus: calculum appellauit Valerius. Caieta, portus Inferi maris ad Campaniam, quod nomen ab Aeneæ nutrice acceptum hodie manet. Virgilius in ſeptimo.

Tu quoque littoribus noſtris Aeneia nutrix,
Aeternam moriens famam Caieta dediſti.

Lucrinus, lacus eſt Campaniæ ad Puteolos, qui ſuas quoque conchas habebat: ſed apud Valerium legitur Laurentum, quod oppidum Latij maritimum Virgiliano carmine celebratum eſt. Vtra lectio præſtet, ſententiam non do: Lucrinum tamen quàm Laurentum legere malo. Legere.] Ex multis deligere. Ad animi remiſſionem.] Relaxationẽ paulo ante dixit. Sic enim eſt.] Hanc proſpexiſſe ſimilitudinẽ uidebatur, cũ diceret, ex urbe tanquã ex uinculis euolauiſſent. Aſſumpta autem eſt & ad probandũ, & ad ornandum: & quemadmodũ otiũ, de quo agitur, ſic illa fructum delectationis habet. Fingere.] Formare. Solutas opere.] Labore operis defunctas. Geſtiunt.] Exultant animi, qui ſunt auibus celeriores. Itaque illud quod ego in cauſa Curiana.] Craſſus in ea cauſa quã dixit pro Curio ſecũdo hærede ab Poſthumo, contra Coponios agnationis lege hæreditatẽ petentes, cum mentem non uerba ſpectari oportere contenderet, afferebat hoc argumẽti: nõ omnes teſtatores adhibere poſſe iuriſperitiſſimũ, ut Scæuolam, cuius induſtria ſic uerba mentem exprimerent, ut ab illis recedere nihil eſſet neceſſe. quenque ſuo more loqui, ſententiam ex æquitate examinandam eſſe, uerba non ita ſeuere tenenda. Si nullũ (Scæuola dicebat) erit teſtamentũ recte factũ, niſi quod tu cauendi peritiſſimus ſcripſeris, omnes ad te ciues teſtamenta conditum cum tabulis ceratis ueniemus. omniũ teſtamẽta tu ſcribes unus. Quid igitur, inquã, quando ages negotium publicũ in ſenatu, in comitio, in foro? quando ages negotium amicorũ? quãdo tuũ? quando denique nihil ages? hoc eſt, quãdo eris in otio? Tum illud addidi: Mihi liber eſſe non uidetur, qui nõ aliquando nihil agit. Hæc poſtrema ſententia præſentem diſputationem iuuat. Cum M. Cato in principio ſcripſit Originũ ſuarum, clarorum uirorum atque magnorum non minus otij quàm negotij rationem extare oportere: claris uiris atque magnis otium conceſſit, eius rationem haberi uoluit. Natura omnia animalia alterna reficit quiete. nam quod caret alterna requie, durabile nõ eſt. Libertas, eſt poteſtas uiuendi ut uelis, ut ait Cicero in Paradoxis. Et Perſius: An quiſquam eſt alius liber, niſi ducere uitam Cui licet ut uoluit? licet ut uolo uiuere, non ſum Liberior Bruto? Si uult igitur alterna quiete refici natura, liber eſſe non uidetur, qui nõ aliquando nihil agit. Vitam inſuauem.] Dixerat Catulus nullam: retulit Craſſus inſuauem, quia uita inſuauis pro nulla ſolet haberi. Ad diſputandũ deterret.] Cur ita deterret? quia ſi uitam inſuauẽ ſine ſtudijs putãt, & iccirco in ſtudijs multi ſunt, neceſſe eos multũ proficere, & eſſe periculũ coram tam cupidis doctiſq; diſputare. Confirmat illud exemplo Lucilij poetæ ſatyrici, hominis in ridendis uitijs perurbani, & in multis acerbi. Hinc illud Perſij: Secuit Lucilius urbem,

Te Lupe, te Muti: & genuinum fregit in illis.

Viri doctrinam probat Cicero, eiuſdem lutulentum carmen inſectatur Horatius. Perſium.] De Perſio hoc Cicero mentionem facit in Bruto: Caij filius, inquit, qui cõſul cũ Domitio fuit, unã orationem de ſocijs & nomine latino contra Gracchũ reliquit, ſanè, & bonã & nobilẽ. Tum Atticus: Quid ergo eſt'ne illa Fannij? Nã uaria opinio pueris nobis erat. Alij à C. Perſio literato homine ſcriptã eſſe aiebant, illo quẽ ſignificat ualde doctum eſſe Lucilius. Ex his intelligere facile eſt, temporibus Gracchi floruiſſe Perſium, & oratorem fuiſſe. Aulus Perſius poeta uixit tempore Neronis, de quo nihil in præſentia. Lælium Decimũ accipio, C. Lælium Africani amiciſſimũ, de quo paulo ante dictum eſt. Nullus præter hunc fuit temporibus illis nomine bonitatis & doctrina clarus ad memoriam. Lælius in primis, ut ait Cicero, eloquens habebatur, ſed multo tamen uetuſtior erat, & horridior ille, quàm Scipio. Audiit Diogenem & Panætium doctos homines: & philoſophia duce, tantum doctrina & temperantia ualuit, ut literarũ, eloquentiæ, ſapientiæ denique primas hominum iudicio teneret. Fuit certe bonus, ſi ſapiens, & nõ illiteratus: qui ſuaues, ut tempora ferebant, dixit & ſcripſit orationes. Sed ut à Sergio Galba eloquentia, ſic à Perſio doctrina ſuperabatur. Nihil ad Perſium.] Hoc eſt, Perſio non erat in doctrina comparandus. Fuit alius Decimus Lælius, de quo Valerius mentionem facit quarto libro, capite de Amicitia.

Malo non intelligi orationem meam, quàm reprehendi.] Relata ſunt hæc: rius retulit ad ruſticos, poſterius ad Catulum & Cæſarem. Cur autem Cæſar recuſationem Craſſi non improbet facit ratio libri, quæ longiores extra rem egreſſiones non patitur. Eodem pertinent hæc uerba: Sed cur impedimus Antonium? Nauaſſe operam.] Operepretium tuliſſe. Partes.] Munus & negotium datum. Quid'nam? inquit Catulus.] Interrumpitur ſermo Craſſi propenſa uoluntate Catuli,

te Catuli, qui quiduis potius concedat, quã ut fructu diſputationis excludatur. Aequum eſt enim, ut is ſit dare paratus, qui ab alijs petit. Nec temere dictum eſt, Vt hic ſitis hodie. pręparatio eſt ad pomeridianam diſputationem, de qua agitur in libro tertio. Ad fratrem promiſerat.] Iulium Cęſarem intelligit, quem ueriſimile eſt, cœnam fratri Catulo promiſiſſe (ueriſimilia eſſe debent ea quę finguntur) & promiſſo non ſtetiſſe. Si Catulus ad alium promiſiſſet, fidem pręſtare debuiſſet, ne cui ſit moleſtus. fingatur abeundi cupiens, retineatur tamen ad ea quę ſequuntur. Cęſar audire malit, quàm fratrem excipere. in hoc enim diſputationis eſt expectatio. Nequi domi imperaram.] Non iuſſeram mihi cœnã apparari domi. AVDITE uero, audite, inquit. Hominem enim audietis de ſchola, &c.] Quæri poteſt, cur Antonio, qui ſemper diſſimulator artis fuit, datæ ſint partes explicandi artificij? Ego ſic iudico, quòd Craſſus & grauior & ornatior erat, ideo grauem diſputationem primum tractare potuiſſe de uniuerſa rhetorica, de natura, ſtudio, arte, exercitatione, et ſcientia rerũ maximarum, poſtea de elocutione tertio libro. quòd autem Antonius eſſet et ſubtilior, & ornatus minus, nihil admodum de elocutione, multa de artis ſubtilitate diſſeruiſſe: quam etſi diſſimularet, probe tamen ſciret. hoc forte fingendi Ciceroni conſilium fuit. Exordia ſi parant auditorem, non hic ſunt neceſſaria. non enim modo parati, ſed etiam prope moleſti ſunt ij qui ſubaudiunt: nec tamen in re tranquilla bonum fuit incipere ex abrupto. quid enim erumperet animus? Principium igitur iocoſum ſtatuit, quo ſe modeſte extenuat: in diſſimulatione pergit, animis hilaritatẽ infundit. Legenda ſunt omnia hilari uultu, ore ſubridenti, ut in ironia lepida fieri ſolet. Senſus eſt: Non ſum audiendus, quia non ueni de ſchola, atque à magiſtro, neque ſum Gręcis literis eruditus. impudentia eſt, me apud Catulum latini ſermonis & Gręci doctiſſimũ diſſerere latine de rebus inuentis Gręcorum, idq; uelle docere alios, quod ipſe nunquam didicerim. ſed quia niſi adhibeatur oratio, non poteſt hoc ſtudium explicari: dicam, quandoquidem ita uoluiſtis, quid de omni genere dicendi ſentiam. Confidentius.] Confidens in malum ſumitur, pro audaci. Terentius de Phormione paraſito: Homo confidens. Acceſſit.] Acceſſio eſt incrementũ & adiunctio. Acceſſit ad auditores ſuperioris diei Catulus, & Cęſar. Linguę ſubtilitatem.] Alia eſt lingua craſſa, pinguis & uaſta, ſicuti ruſticorum: alia ſubtilis, gracilis, urbana, quę ſuauius ac liberalius loquitur, ſicut Atticorum. hanc loquendi rationem dicere poſſumus linguę ſubtilitatem. Subtile eſt (ut ſæpe diximus) tenue, gracile, & minutũ. Siue artificium, ſiue ſtudium.] Quę ſit ratio dubitandi, & ante dictum eſt, & modo dicetur. Si ars eſt earum rerum quę ſciuntur, rhetorica non eſt ars. Niſi acceſſit os.] Maluit os quàm orationem collocare. Os enim & locutio omnium eſt, oratio duntaxat oratorum. An uero ſine ore nulla rhetorica eſt? nulla ſanè, quę exerceatur. Nam quęcunque ſcribuntur, eò tendunt, ut in exercitationem oris trahantur. Res mihi uidetur eſſe, inquit.] Pręcepta ſunt artis. Quid aliud eſt ars, quàm pręceptorum ad unum finem tendentium inſtitutio? Dicturus igitur de obſeruationibus rhetoricę, primum inquirit, ſit'ne ars rhetorica. cenſet artem eſſe mediocrem, non omnino nullam. Principio definit artem: deinde probat à definitione, rhetoricam non eſſe proprie artem, ſed eam tamen, quę pręcepta habet peracuta ad pertractandos animos hominum, & ad excipiendas eorum uoluntates. Facultate pręclara, arte mediocris.] Facultas eſt uis agendi facilitas: quę ſic differt ab arte: Ars eſt quę cognitis, penituſq; perſpectis, & in unum exitum ſpectantibus rebus continetur. Facultas, tractandi facilitas, quę quaque de re pręcepta ſunt. Hoc quidquid eſt, bene tractare, pręclarum eſt, ſed in eo multa dicuntur incerta. Ars, earum rerum eſt quę ſciuntur. Interpretatur hæc Quintilianus, perinde atque non ex animo loquatur Antonius. Quidam, inquit, naturalẽ eſſe rhetoricen uolunt, & tamen adiuuari exercitatione non diffitentur, ut in libris Ciceronis de Oratore dicit Antonius, obſeruationem quandam eſſe, non artem. Quod non ideo ut pro uero accipiamus, eſt poſitum: ſed ut Antonij perſona ſeruetur, qui diſſimulator artis fuit. Hanc igitur opinionem habuiſſe Lyſias uidetur. Quintiliano in hac parte non aſſentior. non negat eſſe artem Antonius, ſed rem eſſe dicit arte mediocrem: nec aliud dicit, aliud ſentit. Oſtendit libro primo eam eſſe philoſophorum diſputationem, qui negant artem eſſe opinionum rerumq; dubiarum: ad quorum mentem ſcientia mathematica, quę demonſtrationibus conſtant, proprie dicuntur artes. Ars, inquiunt, eſt earum rerũ quę ſciuntur: ſcientia, eſt cognitio demonſtratione quæſita, ut ait Ariſtoteles. Ars igitur eſt earum rerum, quę demonſtrari certoq; percipi queunt. Pauca in rhetorica demonſtrari certiſſime poſſunt. Res igitur eſt arte mediocris, aut nulla. Aliter accepit artem Fabius, aliter Antonius. hic proprie, ille communiter. Tutum erit hoc ſequi, quod ſuperiore diſputatione collegit, his uerbis: Antonius uehementer ſe aſſentiri Craſſo dixit, quòd neque ita amplecteretur artem, ut ij ſolerent qui omnem uim dicendi in arte ponerent: neque rurſum eam totam (ſicut pleriq; philoſophorum facerent) repudiarent. Oratoris omnis actio opinionibus, non ſcientia continetur.] Opinio eſt, dubiarum rerum: ſcientia certarum: actio, cauſę dictio. Apud eos dicimus qui neſciunt, hoc eſt, qui ſcientiam eorum de quibus agitur, non habent. Nam ſi haberent, quia ſcientia certa eſt, continuo aſſentirentur. perſæpe diſſentiunt ob dubitationem, frequenter igitur neſciũt. Hoc nolim dicere, ſemper eos neſcire apud quos habetur oratio: nonnunquam certa atque perſpecta proferuntur in medium, ut inde dubia & incognita comprobentur. Ea dicimus quę neſcimus ipſi: hoc eſt, quę certa & indubitata ſunt, non utique dicimus, ſed probabilia & ueriſimilia, & quę opinione conſtant, ſæpius uſurpamus. Inſurgit Quintilianus: Rhetoricen, inquit, nonnunquã dicere falſa pro ueris confitebor, ſed non ideo in falſa quoque eſſe opinione concedam: quia longe diuerſum eſt, ſibiipſi quid uideri, et ut alij uideatur efficere. Sit aliud ſanè, aliquando tamẽ falſis opinionibus acquieſcit orator, niſi unus eſt omnium mortalium qui nunquam labi & errare poſſit. Verius Antonius: Ea dicimus quę neſcimus ipſi: quod in uniuerſum dictum fuiſſe nõ exiſtimo. multa ſunt enim in oratione, quę ſcit orator: niſi dicamus, quod Socrates, nihil ſciri, certumq; teneri poſſe. Illi aliàs aliud iiſdem de rebus et ſentiunt & iudicant.] Quibus eſt cognoſcendi poteſtas, interim uarie flectuntur. cum pari utraque probabilis eſt, et prior optime ſuam partem tutatus eſt, aſſentiuntur homines, et in eius ſententiam ueniunt. Si magnus orator inſurgat ex aduerſo, mentes animoſq; uertit in contrarium. hoc modo neſciunt Sulpitius & Cotta, uter oratorem uerius deſcripſerit, Craſſus'ne an Antonius. hoc modo Craſſus qui ruſticano reſpondiſſet, diſputatione Galbę diſtractus eſt. hoc modo proceſſu temporum in alia & alia opinione ſumus. hoc modo pręiudicia ſæpe reſcinduntur. Alterutri neceſſe ſit falſum dicere.] Ad partes orationis omnes non debent hæc referri. Nec enim neceſſe eſt ut ſemper alter patronorum falſa dicat. Referemus ad finem, & iuris ueritatem: quę ſi quando latet, litigant mortales, uerum prætendunt, uiam ſecant diuerſam. damnantur ij qui à ueritate deflexerunt. Quid ſi duo ſunt iuris eiuſdem? Quid? ſi controuerſia eſt, errat ille qui non exiſtimat aduerſarium eſſe iuris eiuſdem, quemadmodũ & ij qui putant habere ſe ius æquius cum habeant iniquius. Vterque noſtrum eadem de re aliàs aliud defendat.] Brutus olim duros lectores in Craſſum excitauit: alteri de Colonia Narbonenſi Craſſi orationem legendã dedit, alteri de lege Seruilia. contraria inter ſe de Rep. capita

contulit. Similis inconſtātia Ciceroni non ſemel obiecta eſt, quē contrarios ſæpe inire locos uidemus. Quinetiam defendit eos, quos grauiſſime accuſauerat, & accuſauit quos ipſe defenderat. Plus uno uerum eſſe non poſſit.] Aut res ita habet uti dicis, aut non. ſi ſic, in defenſione tua eſt ueritas: ſi non, qui ueritas in eo conſtare poteſt? Vnum igitur eſt uerum, cum ſic habet res, ut habere ſe dicitur. In eiuſmodi re quæ mendacio nixa ſit.] Orator interim mendacio utitur, ut Cicero in oratione pro Cluentio, & cum uidet Cepaſios fratres, et cum tenebras offundit iudicibus. Orator ad ſcientiam ſæpe non peruenit, quando probabilibus & opinionibus, non autem certis rebus nititur. ut cum Cicero oſtendere conatur, Cælium Clodiæ uenenum dare noluiſſe, quicum magna familiaritas eſſet. Orator aucupatur & quærit opiniones: ut cum Cicero in oratione pro Flacco ex opinione concepta de Græcis, Græculos teſtes refellit. Aucupatur errores, quæ ſunt animi declinationes à ueritate: ut idem pro Milone, cum aduerſarij aberraſſent, & de inſidijs præter ueritatem mentionem feciſſent, cepit hinc defenſionis anſam: et quo ad potuit, ſuſtinuit cauſam. Nulla oſtentatione uideri eſſe uſurus.] Nullius oſtentationis futura coniectura capitur ab extenuatione, qua ſe imminuit Antonius, à cōfeſſione, qua fatetur ingenue rhetoricā eſſe rem arte mediocrem. Scite Cicero. Nam ſi decorum tenendum eſt, non fuit oſtentator Antonius. ſi dignitas eſt comparanda dicendo, & auctoritas, nulla maioris eſt auctoritatis oratio, quàm quæ ſine ullo fuco perducit animos ad ueritatem. Loquimur de dignitate quæ facit fidem non de ea quæ gloriam captat de qua ſic Catulus: Exorſus es non glorioſe, magis (ut tu putas) à ueritate, quàm à neſcio qua dignitate. Senſus eſt: Vſus ex exordio non glorioſo ambitioſoq́; , ſed ducto à ueritate magis (ut tua fert opinio) quā à quadam ambitioſa & phalerata dignitate, quam arti ſuæ plerique circundare conantur. De ipſo genere.] De tota et uniuerſa rhetorica. Præcepta peracuta.] Leges ſunt quædam aut obſeruationes, quæ acuunt prudentiam, unde acute dicuntur: aut certe quòd ex acutis ſenſibus prodierint. Ea præcepta accommodantur ad perſuadendum. Vt autem quod uelint, efficiant, neceſſe eſt excipiant, id eſt inquirant & aucupentur hominum uoluntates, & eorum animos pertractent, hoc eſt, quò uelint flectant. Huiuſce rei ſcientiam.] Improprie dixit ſcientiam, qui paulo ante dixiſſet, oratoris actionem omnē opinionibus, non ſcientia contineri. Temere ac nulla ratione.] Temere, fortuito: nulla ratione, nulla arte. Callidius, maiore induſtria. Id poſſit notare.] Hæc ratio fuit inueniendæ rhetoricæ. dixerunt multa præclare, quibus erat ingenium felicius, & maior exercitatio. animum mouerunt argute pulchreq́; dicta. notauit aliquis locum, nomen impoſuit, & artem condidit. Quemadmodum reperirentur.] Reperiuntur ea, quæ præceptis cōtinentur. In locis quibuſdam.] Loci ſunt in ſingulis ſtatibus: ſtatus in ſingulis generibus cauſarum. Rationes iſtorum ac diſtributiones ſciat neceſſe eſt, qui reperire & ordine exponere uelit. Scit hæc Antonius, ſed ſuam extenuat artem. SED de me uideo. nunc hoc propono, quod mihi perſuaſi, &c.] Res mihi uidetur, inquit, facultate præclara, arte mediocris. De arte priore loco, nunc de facultate præclara. Quintilianus, hæc aliter collocauit. diſſeruit primum, rhetorice' ne utilis, deinde an ars eſſet. & Craſſus ante laudauit eam, quàm tractaret quæſtionem, quatenus eſſet ars. Ratio quæſtionum ſic eſt, ut ſi ordinem ſeruemus. Initio quæramus an ſit, deinde quid ſit, & quale ſit. An ſit aliqua dicendi facultas, non ambigit. tranſit igitur ad ſecundum genus quæſtionis, & nomen inquirit, recte' ne rhetorice dicatur ars. poſt qualis ſit, exponit. Rectus eſt hic ordo, non eſt prauus alter. Cur autem hæc de arte et eius laudibus repetuntur? Præcepta quæ datur eſt, ad artem quandam pertinent, ut ad ſummum genus. hoc erat initium diſputationis. Iam ne quis eam rem contemneret, quia parum ſcientiæ, multum opinionis teneret, addidit laudem, & facultatem honore cumulauit. Summa rerum eſt: Dicendi facultas in ciuitate dominatur, iucunda eſt, ſubtilis, admirabilis, opulenta, potens in conſilio, in concione, in foro, in deliberatione, in laude, in uituperatione, in accuſando, in defendendo, in ſcribendis hiſtorijs. De me uidero, an quemadmodum ea reperiantur, poſſim uobis exponere: nunc hoc propono de artis laudibus, quod mihi perſuaſi, quamuis ars non ſit, ut quidam philoſophi contendunt, ut uolo, mediocris ſit ars, aut certe quaſi ars, tamen nihil eſſe perfecto ſummoq́; oratore præclarius. Is habet uſum dicendi, id eſt eloquentiæ uim: quæ etiam ſi in populo turbulento, & in unius aut paucorum imperio ſæpius conticeſcit, tamen in omni pacata & libera ciuitate dominatur. In diſſenſione ciuili magis arma regnant, quàm eloquētia: & in ſeruitute debilis eſt orandi facultas: ubique tamen et in omni tempore fert aliquem fructum. Hinc oblectatio, quæ primum delinit aures, ac per eas in mentem penetrat, animumq́; demulcet. Iucunditas eſt in oratione moderata, in apta concluſione, in agenda ueritate. Oratio moderata, pro modo rerum temperata, & rerum uerborumq́; dignitate grauis. Vtitur hoc uerbo in Topicis: Itemq́; narrationes, ut ad ſuos fines ſpectent, id eſt, ut planè ſint, ut breues, ut euidentes, ut credibiles, ut moderata, ut cum dignitate. Et Quintilianus: Nec ego quenquā deceperim, ut diſſimulem Ciceroni quoque plures partes placere. Nam præterquam planam & breuem & credibilem, uult eſſe euidentem, moderatam cum dignitate. Sed in oratione moderata, debent eſſe omnia cum dignitate quæ poterunt. hæc ille. Oratio ſi moderata eſt, nec breuioribus membris concitatur, nec rapitur nimia celeritate, nec etiam lāgueſcit tardiore mora: moderationem ſeruat, & temperantiam. Eſt enim moderatio, temperantia. Cicero: Græci eam uirtutem σωφροσύνην uocant, quam ſoleo equidem tum temperantiam, tum moderationem appellare. Ex contrario immoderatæ uidebuntur orationes, quæ modum in rebus & in uerbis non tenebunt: ut nimium breues, nimiū longæ, nimis affectatæ, minus plus' ue ornatæ. Eſt enim, ut dixi, moderatum, temperatum atque tranquillum. Oſtendit illud Ciceronis in Oratore: Interdum, inquit, curſus eſt in oratione incitatior, interdum moderata ingreſſio. In moderatione quia maior eſt iucunditas, ij qui delectare et ſuaues eſſe nolunt, ea frequenter utuntur: ut Cicero pro lege Manilia de laudibus Pompei: pro M. Marcello de uirtute Cæſaris. Artificioſa uerborum concluſio, clauſula eſt aptè & ſuauiter cadens. Concluſio ſi proprie dicitur, non eſt tota periodus, ſed finis eius, & extrema pars. ut cum Cicero dicit in Oratore: Nunc quot modis mutentur comprehenſiones concluſioneſq́; , dicendum eſt, Comprehenſiones, periodi ſunt: concluſiones, fines earum. Concluſio artificioſe aptatur, ſi duo tres' ue pedes aptè cadentes, & alij conſentanei, ex arte collocentur in fine, ut hic: Neque me diuitiæ mouent, quibus omnes Africanos & Lelios, multi uenalitij mercatoreſq́; ſuperarunt. Pedes ſunt in fine, ſpondeus, tribrachys, ſpondeus: qui non ineptè cadunt ad aurium ſenſum. Suſcipere ueritatem dicitur orator, cum ueras agit cauſas, non argumenta, qualia ſunt tragicorum & comicorum. Argumenta finguntur à poetis, & probabilia ſtatuuntur, non item cauſæ. Actor, id eſt hiſtrio, dum comœdias agit & tragœdias, imitatur ueritatem, non illam ſuſcipit agendo ut orator. Quid autem ſubtilius, quā acutæ crebraq́; ſententiæ?] Sententiarum aliæ ſunt graues, aliæ ſubtiles, aliæ mediæ: omnes ſuo loco laudabiles. Graues, primas habent. Antonius tamen, ut opinor, ſubtiles poſuit, quòd ipſe ſubtilis eſſet. niſi dicamus ſubtile & acutum, quidquid communem ſenſum fugit, acutius ingenium tantum ſubit. Sententias accipimus eas, quæ per exochen nomine generis appellantur: & hoc nominis latius paulo extendimus

tendimus

tendimus, ad omnes res quæ eminent & excellunt in oratione, & ad feriendum ſenſum ſunt acutiores. Oratio autem conſtat rebus & uerbis. ſi res illuſtres, uerba eodem modo illuſtria fuerint, admirabilem facient orationem, ut apparatũ ludorum inſignia. Quid admirabilius, inquit, quàm res, id eſt ſententia bona, illuſtrata & illuminata ſplendore & dignitate uerborum? Quid plenius, id eſt opulentius, quàm omni rerum genere cumulata, hoc eſt, aucta ditataq; oratio? Quo rerum genere cumulabitur? Reſpondet: Nulla non propria oratoris eſt res, quæ quidem ornate dici grauiterq; debeat. Quomodo propria? Propria fit eius accommodatione & tractatione. Quę nam res ornate dici grauiterq; debet? Quę aliquam habet in ſe dignitatem, nõ inferiorem oratoria elocutione. Quoniã in ſenatu uerſatur orator, illius eſt in dando conſilio de maximis rebus cum dignitate explicata ſententia: ut cum agitur de Rep. de imperio, de uectigalibus, de pace, de fœdere, de bello. Idem in concionibus languentem populum incitat, ad leges antiquandas, ad bella capeſſenda, ad ſeruandam libertatem, ad exterminãdos improbos, ad infringendam dominationis poteſtatem. Eundem effrenatum et excitatum temperat atque moderatur. Coorta ſeditione, ſi uirũ eloquentem aſpexere, ſilent, arrectiſq; auribus aſtant. Ille regit dictis animos, et pectora mulcet. In iudicijs eadem orandi facultate fraus hominum, id eſt maleficiũ, ad perniciem, ut mortem, exilium, mulctam: & integritas, id eſt innocentia, ad ſalutem uocatur: accuſantur improbi, defenduntur innocentes. In genere ſuaſorio orator nunc cohortatur ad uirtutem, nunc à uitijs reuocat. In genere laudatorio uituperat improbos, laudat bonos, & ornat. In genere iudiciali, accuſando frangit cupiditatem: & conſolando, id eſt defendendo, mœrorem leuat.

HISTORIA uero teſtis temporum, lux ueritatis, uita memoriæ, &c.] Hiſtoriã breuiter quidem, ſed uehementer extollit. Artificioſa laudatio eſt. eò enim tendit, ut laudetur eloquentia, cuius uoce talis res & tanta immortalitati commendatur. Laus hæc omnis ab utilitatibus & commodis, quæ ſubminiſtrat hiſtoria, ſumitur, & in breues quaſi definitiones deſcriptiones' ue conijcitur. Hiſtoria temporum teſtis eſt, quoniã teſtificatur qui temporum fuerit ordo, quid quoque tempore factum dictum' ue ſit: ut hiſtoria Romana annos commemorat ab urbe condita, regum ætates, conſulum annos, dictatorum dies, illuſtrium rerum tempora digerit in ordinem. Hiſtoria lux eſt ueritatis, illuſtratio rerum geſtarum, non fabularum, quæ non ſinit res geſtas & illuſtres uiros latere in tenebris. Cuius prima lex eſt, ne quid falſi dicere audeat, deinde ne quid ueri nõ audeat, ne qua ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo, ne qua ſimultatis. Hiſtoria, uita memoriæ dicitur, quia non ſinit hominum rerumq; memoriam cadere & aboleri. Viuit in ea monumentum eorum quæ continet, ac multis ſæculis eodem uigore floreſcit. Quòd autem cauſas explicat omnes, uel caſus, uel ſapientiæ, uel temeritatis, hominumq; ipſorum nõ ſolum res geſtas, ſed etiam qui fama ac nomine excellant, uitam exponit, atque naturam: & quæ ſequamur, & quæ fugiamus, haud dubie proponit: magiſtra uitæ, & prudentiæ conſilijq; adminiſtra merito uocatur. Quoniam uero res uetuſtas perfert ad poſteros, & quæ longe à temporibus noſtris amota ſunt, ut reſciamus, efficit, habenda quaſi nuntia uetuſtatis. Illam uox & eloquentia oratoris immortalitati commendat. Artis orandi munus eſt, uerba facere uel deriuatione, uel inflexione, uel compoſitione, uel imitatione: uerba deligere, nunc propria, nunc translata, nunc exilia, nunc ſonantia, pro cuiuſque rei dignitate: formare orationem apto quodã charactere, et genere dicendi, quod ſubiectæ rei conueniat: eam uariare & diſtinguere floribus, & quaſi quibuſdam uerborum ſententiarumq; inſignibus, id eſt, ornamentis figurarum διανοίας καὶ λέξεως: argumenta tradere uel ad probandum, uel ad refellendum: ſententias & res inuenire: inuenta deſcribere, id eſt, ordinare. Hoc, inquam, munus eſt artis orandi, non aliena laus, nec cum aliqua alia arte communis. Obijciet aliquis, eſſe multos & philoſophos, & aliarum ſtudioſos artium, qui ornate & copioſe loquuntur. Diluit obiectionem: id quidem eſſe uerum, ſed non minus ornatum illum eſſe huius unius. Hanc ſententiã confirmat hac comparatione. Quemadmodum orator de iis rebus quæ cæterarum artium ſunt, ut geometria, aſtrologia, philoſophia, ſi modo eas cognorit, optime poteſt dicere: ſic cæterarum artium homines, ut Plato, Ariſtoteles, Theophraſtus, ornatius illa ſua dicunt, ſi quid ab hac arte didicerunt. Didicerunt antè & agricolæ quidam, ut Scropha Tremellius: & medici, ut Aſclepiades: & pictores, ut Apelles, auctore Plinio, qui de rebus ſuis diſerte dixerunt, aut etiam ſcripſerunt. Obijciet iterum: Quid ſi plerique diſerte locuti ſunt, qui nunquam rhetoricas artes attigiſſent? Nihil mirum, quia uis & facultas magna eſt in hominum ingenijs, iccirco multi etiam ſine doctrina, aliquid omnium generum, atque artium conſequuntur: hoc eſt, ut non ſint à magiſtris eruditi, tamen non artes modo, ſed omne genus rerum conſequuntur. Quomodo igitur conſtat illud, quod aiũt, elocutionem totam arte perfici? De raris admodum nulla conditur lex, inquiunt iuriſperiti. Rarum eſt illud ingenium, quod ſine ulla doctrina optime conficiat orationem: & ſi quod eſt huiuſcemodi, quia naturæ ſunt maximæ uires, pro ſumma arte eſt habendum. Quòd ſi quis exiſtimet multorũ communem eſſe eloquentiam, refutari poterit duabus rationibus, quibus illa eſſe oratoris propria demonſtratur. Prior eſt hæc: Singulæ artes habent aliquid proprium, quo diſtinguuntur à cæteris: nulla earũ eloquentiam promittit, præter orandi ſcientiam, quæ hoc unum pollicetur. Poſterior: Omnes artes ſine eloquentia ſuum munus præſtare poſſunt, orator ſine ea nomen ſuum obtinere nõ poteſt. Cæteri ſi diſerti ſunt, aliquid ab hoc capiunt: hic niſi domeſticis ſe inſtruxerit copijs, hoc eſt, niſi ſuis uſus erit præceptis, ut ciuitas ſuis legionibus, non auxilijs, aliunde dicendi copiam petere non poſſit. Hactenus eloquentiæ cõmendatio.

TVM Catulus, Etſi, inquit, Antoni mini. &c.] Eloquentia laude poſita, ſermone Catuli interrumpitur oratio, ut cur & quomodo laudata ſit, intelligatur: uelq; ad tacitã quæſtionem reſpondeatur. Laudata eſt eloquentia, quia cũ ſcriptores id quod tractandum ſuſceperunt, commendationis gratia laudent, nihil aptius fieri poterat, quàm ſi eloquens extolleret eloquentiam, & ad eam laudandam, illam ipſam laudator adhiberet. Laudata eſt ſubtiliter & copioſe. Subtilitas eſt in perſpiciendis eius muneribus, copia in augendis.

Minime impediendus eſt.] Oratori & philoſopho ſeni dedit comitatem. Frequenter accidit, ut moleſta ac ruſtica ſit interpellatio. Hæc Catuli etſi loco interiecta eſt, attamen ueniam petit.

In trinummo.] Trinummus eſt Plauti comœdia, in qua Staſimus ſeruus exclamat ad uerba Lyſitelis adoleſcentis, probitatem præ ſe ferentis:

Non enim poſſum, quin exclamem,
Euge euge Lyſiteles, facile palmam habes.

Perge porrò.] Progredere ultra.

Nox te, inquit, nobis Antoni expoliuit, hominemq; reddidit.] Reſpondet uelut ad tacitam quæſtionem. quærat enim quiſpiam, qua ratione Cicero adductus, Antonium ſibi ipſi diſſentientem fecerit? Id fecit ratio temporis. Libro primo Craſſum refellebat, nunc ſuã de re profert ſententiam: Illic ad controuerſiam, hic ad ueritatem diſſerit. Nox te expoliuit. Senſus eſt: Heſterno ſermone deſcribebas oratorem non expolitum, ſed rudem quendam et inopem humanitatis, atque inurbanum, non hominem, ſed unius operis & unius induſtriæ remigem aut baiulum: qui ueluti ſeruituti natus, propius accederet ad iumenta, quàm ad humanæ rationis diuinã præſtantiam. Quòd ſi talis orator eras, neque expolitus, nec homo planè eras. Nunc deſcribis oratorem expolitum ingenio, humanitate, arte, uſuq; præcellentem: in quo, cum ſis ora-

tor ipſe expolitus eſſe uideris, et homo præſtans. Cæcilius, nomen eſt comici poetæ. Remiges, qui remos impellunt. Baiuli, qui corpore onera portant, corpus non animum exercent, ideoq; ad beluas proxime accedunt. Diſcipulos abducerem.] Iocatur Antonius opportune, ut animi recreati liberali ioco, ſint alacriores ad audienda quæ ſubſequuntur. SEQVITVR igitur, Quoniam nobis eſt hic, &c.] Poſteaquam dictum eſt, qualis & quantus ſit bonus orator, dicendum uidetur, quod negotium, quodq; munus eius ſit, & quæ genera quæſtionum ſuſcipere debeat. Nam Craſſus lib. 1. quædam rhetorica præcepta repetiuit à Græcis: quid ſentiret ipſe de cauſarum generibus, & quæſtionum, de inueniendis argumentis, de conciliandis animis et mouendis, de collocatione, de partibus orationis non expoſuit. Is enim liber erat ad explicandas controuerſias conſtitutus, hic autem comparatus eſt ad deſcribenda præcepta rhetoricæ. In illo Craſſus oſtendit duo prima genera quæſtionum eſſe, in quibus eloquentia uerſaretur, unum infinitum, alterum certum. Infinitum dicit, in quo aliquid generatim, id eſt in uniuerſum genus, ſine certa perſona, certoq; tẽpore quæritur, ut expetenda'ne eſt eloquentia? expetendi'ne honores? Certũ quæſtionũ genus definit id, in quo quid in perſonis et in cõſtituta re et definita quæritur: id eſt, in quo controuerſa res eſt certa perſonarũ rerumq; periſtaſi definita. Res eſt cõſtituta atque definita, quæ certũ conſtituit, et in anguſtias redegit negotiũ. Dico negotiũ, περίστασιν. Vt certe quæſtionis definitio facilius intelligatur, & agatur de munere oratoris, ſubijcit eas cauſas, quæ in foro atque in ciuiũ cauſis diſceptationibusq; uerſantur. Controuerſiæ ſunt iudiciales et deliberatiuæ, ex quibus aliæ agebantur in foro, aliæ in ædibus ſacris, in curia, in comitio, ad haſtas centumuirales. Breuiter dixit, has omnes appellauit ciuiũ diſceptationes. Diſceptationem aliquando dicit κρινόμενον et iudicationem, ut in oratorijs Partitionibus loquens de ſtatu. aliquando cognitionem forenſem & ſuaſoriam, ut in eodem libro: Aut auſcultator eſt modo qui audit, aut diſceptator, id eſt, rei ſententiæq; moderator. Significat laudationes hoc nomine non teneri. Antonius enim quæſtionem finitam diuidit in duas ſpecies, ſicut olim Anaximenes & Plato fecere duo ſumma genera cauſarũ in quibus uerſaretur orator, iudiciale, & concionale. Vnam ponit in lite ordinanda, cauſa iudicialis eſt. alteram in conſilio dando, quæ ſuaſoria aut deliberatoria uocatur. Tertium genus eſt laudatorium, quod poſuit Craſſus libro primo: Non negabo, inquit, me didiciſſe, cauſarum, quæ ſint à communi quæſtione ſeiunctæ, partim in iudicijs uerſari, partim in deliberationibus: eſſe etiam genus tertiũ, quod in laudandis aut uituperandis hominibus poneretur. Idem genus ponit Ariſtoteles primo libro Rhetoricorum: τρία γένη τῶν λόγων τῶν ῥητορικῶν, συμβουλευτικόν, δικανικόν, ἐπιδεικτικόν. Idem Ariſtoteles rhetoricas artes maxime illuſtrauit, digeſtis in multos libros omnium ſuperiorum ſuiſq; de dicendi ratione præceptis, quorum pars excidit, pars adhuc extat. Scire ſe res Ariſtotelis non dicit Antonius, ut ſuo more diſſimulet, ſed ab alijs audiſſe. Nec excludit exornationem: ſed quia non multum tribuebat arti, & uias parum tritas ſequebatur, inductus eſt à Cicerone, qui duo genera cauſarum faceret: tertiũ, etiamſi opus eſſet, id eſt, quodammodo neceſſariũ, putaret tamen minus eſſe neceſſarium, quoniam ex iis fontibus unde omnia ornate dicendi præcepta ſumuntur, licet etiam laudationem ornare: et quæ traduntur in homine laudando, unicuique ſunt obuia: nec omnia quæ cadunt in oratorem, proprijs egent præceptis. Quia igitur non eſt hoc genus difficile, non uult eſſe in præceptis: quanquam de illo ad finem huius libri multa diſputabit. Laudatio plurimum debet habere ſuauitatis, quia ſit magna ex parte ad delectationem comparata. Hoc ſignificat Antonius, cum dicit eo genere & ſe omnes qui affuerunt, delectatos eſſe uehementer, cum Catulus oratione funebri publice matrem ſuam Popiliam laudaret, quo ſermone & generis laudandi proprietatem, et iucundam Catulo præſenti memoriam, et mulieris ornamentũ nouũ breuiter amplexus eſt. Suauis eſt hæc oratio, quæ paruis excurſionibus ornat illuſtres uiros: ut cum paulo poſt de generibus bonorum dicturus, mentionem facit orationis eius quã Craſſus habuit cenſor contra Cn. Domitium collegam ſuum. In his ſimilibusq; apparet, quantus Cicero ſermonum ſit artifex. Popilia ſi matronarum prima laudata eſt, errauit Plutarchus in uita Camilli, qui diu ante Popiliã funebris orationis honorem matronis conceſſum memorat, eò quòd ornamenta ſua ad perſoluendum Apollini uotum contuliſſent: niſi fortè tanto tempore poſt id ſenatuſconſultum nulla ſit laudata: quod nulli credibile eſt. Plutarchum ſecutus eſt Rhodoginus. De oratione Craſſi contra Cn. Domitium, mentionem facit in Bruto: Ipſa illa cenſoria cõtra Cn. Domitium collegam non eſt oratio, ſed quaſi capita rerum, & orationis commentariũ paulo plenius. De inimicitijs Craſſi & Domitij, Plinius capite primo, lib. 17. Nobiliſſimarũ gentium ambo Craſſus atque Domitius cenſuram poſt conſulatũ ſimul geſſere, anno cõditæ urbis dclxij. frequentem iurgijs propter diſſimilitudinem morum. Lege apud eum quæ ſequuntur. lege quoque Valerium Maximum de Luxuria, libro nono. Laudatio, ut ante diximus, quia minus eſt πραγματικὸν, ſæpius ad oſtentationem comparatur, habere debet uoluptatem & ſuauitatem. In ea quædam loquimur, dicimus quædam. loquimur citra orandi facultatem, dicimus ex arte oratoria. Hic præceptionibus non illic opus eſt. non enim omnia quæcunque loquimur, uidentur ad artem, & ad præcepta reuocanda. Quæ dicimus, materia conſtant et ornatu. Ornatus eſt aſſumendus ex iis fontibus, unde omnia ornate dicendi præcepta ſumũtur. Quos fontes ais? Eos qui continent rationes eloquendi, quæ uerba ſint elegantia, grauia, ſonantia, propria, tranſlata, qui ſint tropi, quæ ſchemata uerborũ atque ſententiarum, quæ amplificationes, qui character, quæ iunctura, collocatio, numeroſa compoſitio. Hi ſunt rhetorum fontes, unde omnis ſumitur ornatus, de quibus copioſe diſſerit Craſſus libro tertio. Ea cauſa fuit cur hic præteriret, ne partes confunderentur. Materiam laudis dixit elementa, quia quemadmodum corpus phyſicum ex quatuor efficitur elementis, calido, frigido, humido, ſicco, ſic ex generibus bonorum laus perfecta conflatur. Bona ſunt, aut animi, aut corporis, aut fortunæ. Animi ſunt, ſapientia, rerum diuinarum & humanarum ſcientia. Liberalitas, mediocritas in danda & accipienda pecunia. Fortitudo, uirtus in ſuſcipiendis rectéq; ferendis belli periculis, & conſtantia in rebus aduerſis. Vrbanitas, affabilitas, uenuſtas, Græce εὐτραπελία, habitus moderate ludendi & iocandi, in hominum congreſſione. Iuſtitia, quæ cuique ſuũ reddit. Magnificentia, uirtus in ſumptibus magnis. Pietas, iuſtitia in deos, patriam, & parentes. Gratia, quæ beneficium compenſat acceptũ. Manſuetudo, lenitas animaduertendi, ſiue puniendi. Qui nouit has aliaſq; uirtutes, non ſtatim laudabilis, ſed qui per eas aliquãd præclare aut fecerit, ſi agendum erat: aut tulerit, ſi ferendum. quãobrem uirtutes refert ad actionem, quoniam uirtus actione perficitur. Bona corporis ſunt, forma bona, id eſt, pulchritudo, uires, alacritas, ſanitas, ingenium: quæ etiã fortunæ ſubijcit, propterea quòd ſicut hæc omnia caſus auferre, ita quoque poſſe dare uidetur: aut quòd ea dicuntur eſſe fortunæ, quæ nõ omnibus accidunt, nec ſunt poſita in conſilijs noſtris. Alia ſunt bona fortunæ, Genus, id eſt, honeſta conditio naſcendi: Propinqui, ideſt, cognati & affines: Amici, pecuniæ, opes; & ſimilia non efficiunt bonum uirum atque honeſtum. Laudatur tamen qui habuit, & bene uſus eſt: & qui non habuit, & ſapienter caruit: & qui amiſit, & moderate tulit. Cum ſint tria genera bonorum, alia dat natura, aut fortuna: ut ea quæ non ſunt in noſtra poteſtate, cuiuſmodi ſunt patria, genus, forma, ingenium. Alia ipſi ſibi homines parãt, ut uirtutes. Quamobrem

obrem in illis rebus ſe uinci æquo animo patiatur ſapiens, in his ſuperari ſe moleſte ferat. Ab iis quæ natura dat aut fortuna, neque merito laudamur, neque uituperamur, niſi cum ad uirtutem uitium'ue referuntur. Ab aliis laus eſt omnis & gloria, à uitiis contrariis uituperatio. CVR igitur dubitas, inquit Catulus, facere hoc tertium genus, &c.] Laudatio ineſt in ratione rerum, id eſt, ſic cadit in oratorem, ut copioſe & ornate tractari debeat, quemadmodum res quæ ratione & arte dicendi cõtinentur. Oſtendit iſtud Antonius, qui laudandi præcepta conſtituit, & eſſe generis eius ornatum fatetur. Quærit igitur Catulus: Cur dubitas facere, id eſt, ponere hoc tertium genus [illegible]: quoniam ineſt, id eſt, cum inſit in ratione et arte rerum quas uerſat orator? Et quoniam Antonius dixit, ut laudis elementa nemo tradat, neminem eſſe qui neſciat quæ ſint in homine laudanda: refert in aduerſum genus, hoc quidem eſſe facilius cæteris duobus (liberius eſt enim, nec pugnat in aduerſarium, & habet materiam in ore populi frequentem) non iccirco tamen excerpendum eſſe, id eſt, excipiendum & eximendum de numero cauſarum. Hæc autem quæſtio mota eſt duabus de cauſis: ut intelligeremus duobus generibus notis, iudiciali et ſuaſorio, recte agi poſſe quæcunque cadunt in oratorem: deinde ut ordine ſtatueretur materia, quæ ſæpe tractãda ſit oratori, etiamſi propria non habet præcepta. illam in quinque genera diſtribuit, in teſtimonia, in legationes, in obiurgationem, cohortationem, cõſolationem, in hiſtoriam, in theſin & infinitam quæſtionem, de quibus ordine dicturus eſt. Nolo, inquit Antonius, omnia quæ cadunt aliquando in oratorem, quamuis, id eſt, quantumuis, exigua tenuiaq; ſint, ea ſic propriis diſtinctiſq; præceptis comprehendere, quaſi nihil poſſit dici ſine præceptis ſuis, propriiſq; rationibus. Nam & teſtimonium ſæpe dicendum: hoc eſt, arte dicentis aut confirmandum aut refutandum: nec iſtud leuiter, & uulgari more, ut in pluribus cauſis, ſed nonnunquam etiam accuratiùs ac diligentius pro neceſſitate cauſæ: nec tamen opus eſt aliquid etiam de teſtimoniis dicendis in arte tradere. Vtitur exemplo ſuo, ut propriore atque certiore. Cum Sextus Titius ſeditioſus ciuis & turbulentus (qui tribunus plebis multa contra Rempublicam feciſſet, & imaginem Saturnini propter ſeditiones è ſenatuſconſulto necati apud ſe haberet) accuſaretur, teſtimonium dixit Antonius: explicauit omnia conſilia conſulatus ſui, quibus illi tribuno plebis pro Rep. reſtiterat: quæq; ab eo cõtra Rempub. facta arbitraretur, expoſuit: diu retentus eſt ab accuſatore & iudicibus: multa audiuit tum ab actore, tum à patrono, qui de more in iudicio teſtes interrogabant: multa reſpondit illis interrogantibus. Sic accuratum fuit teſtimonium, quoniam agebatur cauſa Reip. & is erat teſtis, qui haberet auctoritatis plurimum. De hoc Sexto Titio facit mentionem Cicero in oratione pro Rabirio perduellionis reo: Quod tu ſi audiſſes, aut ſi per ætatem ſcire potuiſſes, nunquã profecto iſtam imaginem, quæ domi poſita, peſtem, atque exilium Sexto Titio attuliſſet, in roſtra atque in concionem attuliſſes: neque unquam tuas rationes ad eos ſcopulos appuliſſe, ad quos Sexti Titii afflictam nauem, & in quibus C. Deciani naufragium fortunarũ uideres. Dicet aliquis: Quid eſt quod ait, nihil eſſe de teſtimoniis in arte dicendum, cum uideamus rhetores ea de re præcipere? Qui nunc circunferuntur latini, artes non ediderant Antonii temporibus, nec de teſtimonio multa præcepere, ceu de genere toto, ſed admodum pauca ſicut de particula cauſæ: & quæ tradiderunt de teſtibus, aut nihil, aut parum ſtudia iuuerunt. Nota ſunt præcepta, nec illa referre eſt neceſſe. Tranſit ad aliud genus cauſæ, quod etſi genere orationis accuratiore ſolet uti, nõ tamen propriis, ſed communibus præceptis inſtruitur. Illud eſt legationum, quæ ſummis uiris propter prudentiam & auctoritatem demandari ſolent. Hinc illud Virgilianum: Delectos ordine ab omni Centum oratores auguſta ad mœnia regis ire iubet.

Legationum celebrium genera quatuor facit, unum quod mandata exponit in ſenatu ab imperatore, ut cũ quod legatus à ductore copiarum miſſus è caſtris ad ſenatum, mandata ducis exponit. Solebãt enim ductores exercitus ſcribere literas de rebus geſtis & gerendis, & ad ſenatum populi Romani mittere legatos. Eodem recidit, ſi Romanus imperator mandata det ad externum ſenatum, aut ſi dux exteræ nationis Romam mittat legationem. Alterum contra, mandata ſenatus perfert ad imperatorem, ut olim ad M. Antonium. Tertium ad regem, ut ad Pyrrhum. Quartum ad populum aliquem, ut ad Pœnum. In obeundis legationibus opus eſt eloquentia, non modo ut mandata dilucide exponantur & ornate, ſed etiam ut quod utile eſt, confirmetur: quod inutile, refutetur: ut flectantur animi: ut petita impetrentur. Ad hæc faciunt hæc præcepta quæ de iudiciis tradunt rhetores, et de conſiliis. Confirmat his uerbis: Non deerit homini diſerto in eiuſmodi rebus facultas, ex cæteris rebus & cauſis comparata. Aliud eſt genus obiurgationis, ut quo Cicero obiurgat Fuſium Calenũ octaua Antoniana. Aliud cohortationis, ut quo idem cohortatur populum Romanum ad recuperandam libertatem, Philippica quarta. Aliud conſolationis, quo utitur in quibuſdam epiſtolis, & undecima Philippica ad C. Trebonii mortem, quem grauiſſimo ſupplicio Dolabella affecerat. Ex his epiſtolæ dictæ ſunt obiurgatoriæ, exhortatoriæ, conſolatoriæ, in quibus tandem obſeruata quædam præcepta ſunt, quæ, ſi Antonio credimus, non erant neceſſaria. Obiurgatio, cum ſit propinquorum, amicorum, notorũ correctio, & accuſatio quædam, ad iudiciale genus debet referri. Cohortatio, quæ ſtantem incitat: & conſolatio, quæ languentem erigit, partes ſunt ſuaſoriæ cauſæ. Hæc tria paulo ante cũ eloquentiam laudaret, ſic tribuebat oratori: Quis cohortari ad uirtutẽ ardentius, quis cupiditatem uehementius frangere accuſando poteſt? quis mœrorem leuare mitius conſolando? Non autem ſine cauſa dicit, hæc ſæpe, non ſemper agi diſerte: quia frequenter obiurgant imperiti, cohortantur, & ſuo modo conſolantur.

AGE uero, inquit Antonius, qualis oratoris, & quanti hominis in dic. &c.] Hiſtoria quamuis magnis artibus excolatur, non habet tamen in arte dicendi propria præcepta: communibus inſtruitur, & obſeruatione quadam. Sed ne abeat indonata, ut illam paulo ante commendauit, ſic et nunc à cultu ornatuq; commendat: illius incrementa deſcribit: hiſtoricos illuſtres recenſet: quas optimi quique leges in hoc ſcripti genere ſeruent, paucis amplectitur. Oratoris eſt boni, & hominis in dicendo magni ac eloquentis, hiſtoriã ſcribere. Nam qui ordinem temporum digerit, regiones et loca deſcribit exacte, conſilia tractat, res geſtas commemorat, ſuam de rebus ſententiã recte pronunciat, quiq; celebrat homines fama ac nomine illuſtres, aptat conciones, exhortationes, accuſationes, legationes, facta, dicta, modos, euentus, et hæc omnia eleganti ueſtit oratione: magnus eſt orator. Hiſtoria, ut alia ferè omnia, ſuam habuit infantiã, tum apud Græcos, tum apud Latinos. apud Græcos ſub Pherecyde, Hellanico, Acuſilao: apud Latinos ſub Catone, Pictore, Piſone, qui non tenebant quibus rebus ornetur oratio. Conficiebant breuia quædam commentaria, & annales, reſq; nudas ſine ullis ornamentis memoriæ dabant. Cato ſcripſit Origines urbium Italicarum, ex quibus ſolum breue fragmentum ſupereſt. C. Piſo cenſorius edidit cõmentaria, de quibus Plinius facit mentionem. Liuius non ſemel illum, & Fabium Pictorem nominat. Hi fuerunt exiles & inculti. Cicero de Legibus: Nam poſt annales põtificum maximorum, quibus nihil poteſt eſſe iucundius, ſi aut ad Fabium, aut ad eum qui tibi ſemper in ore eſt, Catonem, aut ad Piſonem, aut ad Fannium, aut ad Vennonium uenias, quanquã ex his alius alio plus habet uirium, tamen quid tam exile, quàm iſti omnes? Publius Mutius Scæuola floruit anno ab urbe condita circiter quingenteſimo & octogeſimo. Eo Cicero uſus eſt

præceptore in iure ciuili. teſtatur ipſe in Lælio: Me ad pontificem Scæuolam contuli quem unum noſtræ ciuitatis, & ingenio et induſtria præſtantiſſimum audeo dicere. Tum eloquentia florente & hiſtorias illuſtrante, annales à Pontifice Max. proponi deſierunt. Pherecydes alius fuit Syrius philoſophus, alius Athenienſis, alius Lerius, ex inſula Lero, de qua agitur in præſentia, ſcripſit de Lero, de Iphigenia, de Dionyſij celebritatibus. auctor eſt Suidas. Hellanici hiſtorici duo nominantur apud ueteres: unus Mileſius, alter Mitylenæus, de quo nunc ſermo eſt. Hic uerſatus eſt cum Herodoto circa tempora Euripidis & Sophoclis: multaq; ſcripſit & hiſtorice & poetice. Acuſilaus uetuſtiſſimus hiſtoricus Argiuus, qui ſcripſit genealogias ex tabulis æreis, quas fama eſt patrem eius aream domus fodientē inueniſſe. Corrupte legitur, Accuſilas. Age uero perſequamur alia, quæ non egent præceptis ſuis. Qualis oratoris, et quanti hominis in dicendo, quaſi dicat boni & magni, putas eſſe hiſtoriā ſcribere? Si hiſtoria ſcribitur ornate et copioſe, quomodo ſcripta eſt ab Herodoto, Thucydide, Philiſto, Theopompo, Ephoro, Xenophonte, Calliſthene, puto eſſe ſummi oratoris illam perpolire. Si uero ducitur ſine ullis ornamentis, ut noſtri, id eſt, Latini ſcripſerunt ab urbe condita ad tempora Syllana, nihil opus eſt oratore. Satis eſt ſcriptorem non eſſe mendacem, &, quod eſt in hiſtoria primum, ſeruare ueritatem. Atqui ne latinos ut ingenij artiúq; ſteriles contemnas, faciunt ueteres Græci, qui initio ſine oratorio cultu ſcriptitarunt. Erat hiſtoria nihil aliud niſi annalium confectio, id eſt, conſcriptio commentariorum, quæ breuiter res ſingulorum annorum perſtringerent. Non ab re dicit, Erat hiſtoria annalium confectio. Fuit poſtea & nunc eſt diſcrimen inter annales & hiſtoriam, quod Gellius oſtendit. cuius rei memoriæq; publicæ retinendæ cauſa, id eſt, ut conficerentur annales, & rerum publice geſtarum memoria teneretur, ab initio rerum Romanarum uſque ad P. Mutium Scæuolam Pontificem Maximum res omnes, quarum memoria publica tenenda eſſet, ſcribebat Pontifex Maximus: ut qui cæteris pontificibus & ſacerdotibus præeſſet, ſacra libroſq; curaret, et otio domeſtico frueretur. Scripta efferebat in album, id eſt colligebat in tabulam, quam proponebat domi, hoc eſt affigebat in ea parte domus, in qua à populo legi cognoſciq; poſſent. Ii libri etiam temporibus Antonij, aut quòd eſſent cōfecti à Pontifice Maximo, aut quòd magnitudine & fide cæteros præcellerent, annales maximi nominabantur. Hanc ſimilitudinem ſcribendi multi ſecuti ſunt, hoc eſt plerique ſcripſerunt annales more Pontificis Maximi, & ſine ullis ornamentis quibus ab oratore ueſtitur oratio, monumēta atque memoriam reliquerunt: ubi res geſtæ notantur, quo tempore, quo loco, per quos homines geſtæ ſint, exponitur. Quid aliud deſideras? Nihil ad neceſſitatem, aliquid ad uoluptatem, ut conciones, ut ſententias, ut iudiciū ſcriptoris, ut iucundas deſcriptiones, ut eloquendi uarietatem. Sed hæc & ſimilia non erant importata. primum uenerunt à Græcis in Italiam temporibus Craſſi. Oſtendit illud Ciceronis in Oratore: Et apud Græcos quidam iam anni propè quadringenti ſunt, cum hoc probatur: nos nuper agnouimus. Antea dum intelligeretur quid dicerent, unā dicendi laudem putabant eſſe breuitatem. Sane breuitas in hiſtoria, ut Salluſtiana, laudatur: ſed ea quæ culta ſit & ornata, non ea quæ ſordeſcit inculta. Paululum tandem ſe erexit hiſtoria, quæ iacebat humi uilis. Addidit illi maiorem ſonum uocis, hoc eſt orationem paulo grandiorem Cælius Antipater, in eo libro quem ſcripſit ad Læliū de bello Punico: Nec modo narrator fuit ut priores, ſed etiam exornator. Ille tamen ut homo neque planè doctus, neque maxime aptus ad dicendum, non diſtinxit hiſtoriam uarietate locorum, id eſt, non apte diſpoſuit uarias deſcriptiones atque rerum uoluptates, quibus delectatur auditor: neque uerborum collocatione, in qua eſt coagmentatio iuncturarum, & numerus: neque tractu orationis æquabili perpoliuit illud opus. De Cælio Antipatro dicit hæc Cicero in Oratore: Ne uerba traijciamus aperte, quo melius aut cadat aut uoluatur oratio: quod ſe L. Cœlius Antipater in proœmio belli Punici niſi neceſſario facturum negat. O uirum ſimplicem, qui nos nihil celat: ſapientem, qui ſeruiendum neceſſitati putet. Sed hic omnino rudis. Et hic quidem, qui hanc à Lælio: ad quem ſcripſit, cui ſe purgat, ueniam petit, & utitur ea traiectione uerborum, & nihilo tamen aptius explet concluditq; ſententias. Hiſtoria trahi debet in longum ceu catena, ac leues & cohærētes habere iuncturas, molleſq; numeros, ut leniter et æquabiliter currat. Cicero in Oratore: In hiſtoria placet omnia dici Theopompeo more, illa circumſcriptione ambituq;, ut tanquā in orbe incluſa currat oratio, quoad inſiſtat in ſingulis perfectis abſolutiſq; ſententijs. Id aſſequi nō potuit Antipater, neque rem perpoliuit, ut ædificia bonus architectus, ſed tamen dolauit, ut trabes rudis extructor. Vitium non hominis, ſed temporis fuit: nemo Romanus ſtudebat eloquentiæ, niſi ut in cauſis atque in foro eluceret. Quiſque pro ſe contendebat, aut bella gerere, aut reſpondere de iure ciuili, aut orare cauſas, ut honores & magiſtratus & gloriam ſibi pararet. Reliquæ artes ingloriæ iacebāt.

APVD *Græcos autem eloquentiſſimi remoti à cauſis forenſibus, &c.*] *Qui floruerint in hiſtoria Græci, commemorat. Cur ante Romanos rerum geſtarum memoriam, & cæteras res illuſtres, ut philoſophiā, mathematicas artes, medicinam, poeſim perpoliuerint, duas cauſas affert. Erant eloquentiſſimi, ut gens eſt ingenij mentiſq; fœcunda, ac omnium ferè artiū creatrix. Erant à cauſis forenſibus remoti & otioſi. Cum eſſet igitur dicendi præclara facultas, & otium, non fuit operoſum monumenta hiſtoriarū compoſite et ornate conficere. Latinis haud fuit ea uis & exercitatio literarum, & populo R. magis inhæſit ſtudium belli, quàm ſcientiæ. Quamobrem annis prope ſeptingentis non excelluit doctrinæ gloria, & multas artes ne ſuo quidem ſermone donauit. hinc rebus in magnis etiamnum laboramus inopia uerborum. Herodotus princeps, id eſt primus inter Græcos, ornauit hiſtoriam ad annum trecenteſimum decimum ab urbe condita. Poſt illum Thucydides Olori filius. de quibus Quintilianus hoc modo: Hiſtoriam multi ſcripſere præclare, ſed nemo dubitat longe duos cæteris præferendos, quorū diuerſa uirtus laudem penè eſt parem conſecuta. & quæ ſequuntur. Veriſque Cicero detrahit laudem numeroſe dicendi. nec dum numerus erat inuentus à Traſymacho, & diffuſus ab Iſocrate. cætera eloquentiæ ornamenta concedit. In Thucydide, inquit, orbem modo orationis deſidero, ornamenta comparent. Iam ſi Herodotus eſt dulcis, effuſus, candidus, ſermonibus et uoluptate præſtans, ſi, quòd affirmat Cicero, ſine ullis ſalebris, quaſi ſedatus amnis fluit: habes cauſam cur Antonius dicat ab eo ſe magnopere delectari. Thucydides autem laudatus eſt ab omnibus, ut rerum explicator prudens, ſeuerus, grauis, non tam ſententioſus, quā ab Antonio per amplificationem dicitur, ſed ſententijs creber, uerbis aptus & preſſus, id eſt, neque tumidus, neque redundans concionibus frequens: adeo charus Demoſtheni, ut eius hiſtoriam edidiciſſe, non tantum legiſſe dicatur. Hic tu Antonij ſententia omnes dicendi artificio facile uicit, ſic et Dionyſij Halicarnaſſei iudicio, [illegible] φίαν. Sic habet ueritas, & illa antiquior: Semper admirandi nominis eſt Thucydides, & maxime diuinus inter ſcriptores. Is cū opibus et honore clarus eſſet, & eo nomine ueniſſet in ſuſpicionem proditionis, miſſus eſt in exilium. Nam Athenienſes inuidia & ſuſpicione nimiæ potentiæ moti, optimos quoſque & florentiſſimos ciues ὀστρακισμῷ damnare, & agere extorres ſolebant. Ariſtoteles tertio Polit. [illegible] Oſtraciſmus eandem quodammodo uim habet quam tyrannis: coercet*

enim

enim præcellentes uiros, & è ciuitate propellit. Herodotum & Thucydidem non egiſſe cauſas ut oratores, inculcat Cicero: ut non ingenio Græci, ſed otio Romanos ſuperaſſe uideantur. Poſt Thucydidē ſcripſit Philiſcus, Siculus natione, patria Syracuſius: homo doctus, & in oratione dilucidus. Sed ne uiri laudemus ingenium, Cicero Græcis infenſus, aliò deriuat facultatem: illi otium fuiſſe, nihil defuiſſe, qui Dionyſij Siciliæ tyranni familiaris eſſet, & regijs opibus & honore fulciretur: habuiſſe Thucydidem, quem poſſet imitari. Quintilianus illi tres anteponit, turbam reliquorum poſtponit. Philiſtus, inquit, meretur qui turbæ quamuis bonorum poſt hos auctorum eximatur, imitator Thucydidis, & ut multo infirmior, ita aliquatenus lucidior. φιλίσκος dicitur à Suida, & φίλιστος. Poſt hunc Theopompus & Ephorus, cum ſtudijs rhetoricis ab optimo magiſtro fuiſſent inſtituti, non ſe ad fori contentionem, ſed ad hiſtoriam contulerunt. Conſilio & ſolicitatione præceptoris ſecuti ſunt genus quietū, & ſuis aptum uiribus. Commendat illos ab Iſocrate clariſſimo rhetore, è cuius ludo tanquam ex equo Troiano innumeri principes exierunt. Commendat ab ingenij præſtantia, de quo ſic iudicabat Iſocrates, Theopompum egere freno, Ephorum calcaribus. Xenophon princeps, hoc eſt primus philoſophorum, ſcripſit hiſtoriā. Diogenes Laertius: ἀκροατὴς Σωκράτους ἦν, καὶ ἱστορίαν φιλοσόφων πρῶτος ἔγραψε. Auditor Socratis fuit, primuſq; philoſophorum ſcripſit hiſtoriam. Eius ſermo uſque eò dulcis eſt, ut eū Gratiæ finxiſſe uideantur, & eius uoce Muſæ quaſi locutas ferant. Indicāt eius opera, quæ uſque ad hodiernum diem florent. Scripſit autem non hiſtoriam modo, ut aſcenſum Cyri, & rerū græcarum commentaria, ſed etiam multos de philoſophia libros edidit, quos Diogenes enumerat. Quemadmodum Xenophon nō à rhetoris officina, ceu Theopompus & Ephorus, ſed à philoſophia Socratica profectus eſt: ita Calliſthenes auditor Ariſtotelis, à Peripatetica diſciplina prodijt, & ſecutus Alexandrum magnū, qui & Ariſtotelem audierat, hiſtoriā ſcripſit. tandem ab Alexandro necatus eſſe cum tragico Nearcho fertur. Calliſthenes etſi ſecundus à Xenophonte philoſophus hiſtoriam ſcripſit, aliter tamen atque Xenophon ſtylum compoſuit. Ille rhetorico more, id eſt uehementer & eleganter utitur oratione: hic modo philoſophorum molliter. ille acerbiore fertur impetu, hic leniore ſono loquitur & dulciore. Mollis eſt, inquit Cicero, oratio philoſophorum, & umbratilis, nec ſententijs nec uerbis inſtructa popularibus. Timæus Siculus hiſtoricus arrogans, Thucydidem minorē ſe grauitate & ſpiritu dicebat. hiſtoriam Philiſti contemnebat. in Ephorum inuehebatur. uitijs corruptus erat. Scripſit de Syria, & urbibus eius ac regibus, libros tres. Lege Plutarchum in Nicia, & Suidam. Timæus eſt minimus natu horum omnium, id eſt iunior ijs qui ante numerati ſunt. In recenſendo, ſicuti par eſt, temporum ſeruauit ordinem: minimum natu loco poſtremo collocauit. Obijciat aliquis Antonio: Qui tu potes de eruditione Græcorum ferre ſententiam, ſi (ut tu uis) non es à Græcis eruditus? Prouidit orator id poſſe dici. & inſeruit hæc uerba, Quantum iudicare poſſum. & paulo poſt ob idipſum digreſſus eſt. In oratione Timæi laudat ſententias & uerba: quæ quidē perfecta laus eſt orationis. Nam ſi res & uerba recte habent, quid aliud deſideratur? His duobus conſtat omnis oratio. In rebus probat copiam & uarietatem: in uerbis, cōpoſitionem. Copia legentem magnifice accipit, uarietas delectat, compoſitio ſine moleſtia res explicat. His rebus ſunt uitia cōtraria, inopia, idem rerū color, locutio diſſipata. Dicet aliquis, Si Timæus eſt omniū longe eruditiſſimus, quomodo Thucydides omnes dicendi artificio facile uicit? Quia poteſt eſſe maior eruditio, ut nō ſit melior oratio. Nequaquam in eruditione ſunt omnia: et oratio in ſuo genere perfecta eſſe poteſt, quæ tamen non eſt optima. Timæo Plutarchus non multum tribuit, Diphilus illo teſte non plura.

HAEC cū ille dixiſſet, Quid eſt inquit Catulo Cæſar, etc.]

Poſteaquam recenſuit celebres hiſtoricos, egreditur, ut ante dixi, quò occurrat uenientibus contra, qui dicant indecorum uideri, eum qui ſe græce neſcire fateatur, inducere de eruditione Græcorum iudicium ferentem. Quibus ſic reſpondet, ut Antonio ſuū morem diſſimulandiq; conſuetudinem relinquat. Quid eſt? inquit Catulo Cæſar: ubi ſunt qui Antonium græce negant ſcire? Cæſarem, ut iuniorem decet, interrogantem facit, ac interrumpentem filum orationis: Catulum ſenem, reſpondentem: Antonium uero, dirigentem ſermones ad eū qui plus habet auctoritatis. Vt ſic faceret, decorum perſuaſit. Quid eſt? admirātis interrogatio. Vbi ſunt qui Antoniū græce negant ſcire? Requiris illos, quoniam ſi adeſſent, & audirent hominem, ſubito mutarent ſententiam. Quot hiſtoricos nominauit? Laus à numero. Quàm ſcienter? Laus ab excellenti cognitione doctrinæ; Quàm proprie de unoquoque dixit? Laus à iudicio & eloquentia. Nam cuiuſque proprietates explicare dicendo, hominis eſt diſerti, & acute iudicantis, quid homo hominem præſtet, et quæ cuique ſit uirtus. Catulus, inquit, admirans. Admiratur, & iā mirari deſinit, & ante mirabatur. Admiratur ſcientiam, nec opinatam. Mirari deſinit, eloquentia eminere Antonium. Admirabatur eum qui græce neſciret, in dicendo poſſe tātum. Non ego, inquit Antonius, utilitatem aliquam ad dicendum aucupans, horum libros legere ſoleo. Vtilitatem à lectione poetarum aliorumq; ſcriptorum percipi, & uberiorem ad dicendum materiam inde ſumi, Cicero in oratione pro Archia poeta, & primo de Oratore libro teſtatur. Sed hæc Antonio conueniunt, qui ſine doctrina uellet orator uideri. Non ego utilitatem aliquam ad dicendum, & ad cauſas orandas aucupans, id eſt, uelut in aucupio quærens, horum quos ante numeraui libros, et nō nullos alios non philoſophorum & poetarum, ſed hiſtoricorū et oratorum, lego: ſed eos delectationis cauſa, & quodā ſtudio cognoſcendi, legere ſoleo. At hinc oratio tua traxit colorem. Videris igitur & ad utilitatem lectitaſſe. Soluit hoc ſimilitudine. Cum in ſole ambulem, etiamſi aliam ob cauſam ambulem, ut propter ſanitatem, aut aliquam neceſſitatem, natura fit ut colorer, hoc eſt ut corpus colore fuſco ſubnigrum fiat: ſic cum iſtos libros ad Miſenum ſtudioſius legerim, ſentio orationem meā illorum cātu quaſi colorari. Sol multos efficit colores in nubibus, in uaporibus, in mari, in longinquis, in propinquis. Hic accipiendus eſt color, qui à ſolis ardore corpori ſuffunditur. Similitudinē ducit à colore, quia nomen hoc frequenter uſurpatum eſt in ſchematis orationis. Ducit autem ab eo qui non eſt nobis inſitus & naturalis, quiq; non expetitur, ſed accidit aliud agenti, ut ſignificetur is color inductus orationi, qui nunquam ab Antonio fuerat expetitus. Quis eſt hic color? Ornatus quidam tam uerborum quàm ſententiarum. A' quo ſumitur cantu? ab eo quem modulantur idonei ſcriptores. Et hic cantus nihil aliud eſt, quā oratio ſuis modulis compoſita. Modulos dico, ſonos aptos, quos quiſque bonus auctor in ſuo genere connectit. Hi ſunt in uerbis, in his autem res, in rebus & uerbis oratio: quæ dum canitur, & ut eſt compoſita pronunciatur, ſe infundit animis noſtris, deinde noſtrum ſermonem colorat, & ſuo quodammodo ueſtit ornatu. Miſenus mons eſt in ora Campaniæ, dictus à quodā Miſeno, qui Aeneā ſecutus erat in Italiam. Virg. libro ſexto:

At pius Aeneas ingenti mole ſepulchrum
Imponit, ſuaq; arma uiro, remumq;, tubamq;,
Monte ſub aerio, qui nunc Miſenus ab illo
Dicitur, æternumq; tenet per ſæcula nomen.

Ad Miſenum, uillam habuit Antonius, in qua ſtudioſus legebat monumenta Græcorū, quia Romæ per impedimenta ciuilia uix licebat. Quomodo ſtudioſum ſe dicit, qui ſtudia diſſimulet? Significat ſe fuiſſe cupidum legendi dum per otiū liceret, non autem magnam operam dediſſe præceptoribus, propterea non late patere ſuam doctrinam, tantum intelligere ſe quod cuique ſit

obuium, uulgóq; notum: philoſophos non capere, poetas ne attingere quidem. In philoſophos ueſtros, id eſt, uobis notos & familiares ò Craſſe & Catule, aliquando incidi, id eſt, ſum lapſus imprudens, & legi, deceptus indicibus & inſcriptionibus librorũ. Quis ſunt ferè inſcripti de rebus notis, ſpero me intelligere poſſe: quia de illuſtribus, cupio cognoſcere: ſed uerbum prorſus nullum intelligo. Qui fit? Sunt anguſtis & conciſis diſputationibus illigati, id eſt, minutis ſubtilibuſq; rationibus implicati. Etenim philoſophi rimantur abſtruſa, et à populi ſenſu longe remota, an res ſit, à quibus cauſis ſit, quid ſit, & qualis: an ſubſtantia, an accidens, quid efficiat, quas habeat proprietates, quorum opinionibus ſtet aut iaceat: quibus argumentis probetur, quibus refutetur. Hæc & ſimilia philoſophicis notata uerbis, nõ aperta ſed anguſta, non grandia ſed conciſa ac minuta dicuntur. Poetæ frequenter utuntur uerbis improprijs atque tranſlatis. Inuſitatos uulgo loquendi modos ambiunt. Inferciunt epitheta, traijciunt uerba, circumducunt περιφράσεις, gaudent allegorijs, & in his Latini quàm Græci moleſtiores. Itaque non græca, non latina, non uulgari, ſed quaſi alia quadã lingua loqui uidentur. Sunt igitur philoſophi & poetæ quos ſine opera præceptoris planè intelligere uix poſſis. SED illuc redeo. uidetis'ne quantum munus ſit &c.] Quia digreſſus eſt à propoſito, eò ſe redire dicit, & id colligere propter quod hæc diſputatio fuit inſtituta, eſſe magnum munus oratoris, hiſtoriam, & flumine orationis et uarietate maximum, nuſquã tamen ſeparatim inſtructum rhetorum præceptis. Flumen orationis eſt copia, tum uerborũ tum ſententiarum: quæ ſicuti flumen, abundat & impetu quodam continuo procurrit. Varietas, alia rerum, alia uerborum. Rerũ uarietas in hiſtoria refert uiros illuſtres, mulieres inſignes, uirtutes generis diuerſi, montes, promontoria, fontes, flumina, lacus, ſtagna, maria, arbores, gemmas, animalia, multa naturæ dona ac miracula, ciuitates, mores nationum, adminiſtrationes Rerump. magiſtratus, legationes, orationes, bellorum cauſas, imperia, prælia, uictorias, triumphos. In his alijſq; rebus deſcribendis uitat hiſtoricus illam ſimilitudinem quam habent ij qui bella & alia quædam perpetuo narrant eodem modo, ut, hæ belli fuere cauſæ, ductus eſt ingens exercitus, uictus hoſtis, ducti triumphi. Verborum uarietas nouas ac nonas monſtrat figuras, & ſingularũ rerũ aut proprias aut aſſumptas appellationes, atque etiam ſtylum mutantem genera dicendi pro rerum dignitate. Quid ergo differt flumen à uarietate? Poteſt eſſe flumen ſimilium rerum atque uerborum, non item uarietas. Iam percurrit hiſtoriæ leges, quæ ſitæ ſunt ante oculos, id eſt, etiam mediocriter eruditis notiſſimæ. Prima lex eſt: Ne quid falſi dicere audeat. Hiſtoria enim teſtis eſt temporum, lux ueritatis, magiſtra uitæ. Hæc autem fabulæ conuenire qui poſſunt? Sane ſi falſa, nõ eſt hiſtoria, ſed fabula. Secunda: Ne quid ueri dicere nõ audeat: hoc eſt, ne quid memoria dignum per metum ſupprimat. Nec enim ſic explet officium: & in metu deprehenſa, ſuſpicione tota laborat. Ne timeat igitur uiros potentes, ne metuat crudeles magiſtratus, ne exhorreat reges, ne formidet tyrannos. Lateat potius ad tempus, donec liberè uagari, & uera canere poſſit. Tertia: Ne qua ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo, ne qua ſimultatis: Præcipit ne quid uel augeat, uel imminuat, uel inuertat, aut per fauorem, aut per odium. Eſt enim gratia, fauor: ſimultas odium, & priuata diſcordia. Differt iſta lex à prima. Aliud quidem eſt affirmare falſum, aliud ſubornare ueritatem, & ſic inſtruere, ut maior minor'ue appareat. In his tribus eſt hiſtoriæ fundamentum, & principium quoddam, ſine quo ſtabilis et firma conſtare non poteſt. In hoc quaſi fundamento exædificanda, id eſt ædificiorũ more extruenda eſt hiſtoria. Omnis autem materia ſubſtructionis huius poſita eſt in rebus & in uerbis. Sunt & his ſuæ leges. Quarta: In rebus ordo temporum ſeruetur, ut cauſæ antecedant, facta ſubſequãtur: omnia exponãtur eo quo geſta ſunt ordine. Vitioſum quidem, à poſterioribus ad priora deuolui, niſi ratio maior id fieri iubet. Quinta: Planè regionum deſcriptiones. Nam cognitis locis, non modo legentibus utilitas & iucunditas affertur, ſed & res geſtæ uidentur in hac luce multo clariores. Sexta: Non tantum ſeruandus eſt ordo rerum, ut conſilia primum, deinde acta, poſtea euentus exponantur: ſed in conſilijs ſignificandum quid ſcriptor probet, in actis declarandum quomodo quid actum dictum'ue ſit: in euentu explicandum quid caſu, quid ſapientia, quid temeritate contigerit. Tres enim ſunt euentuum cauſæ, fortuna, prudentia, hominum temeritas. Fortuna Scæuola occidit regium ſcribam. Marcellus prudentia cepit Syracuſas. Temeritate Flaminius perdidit exercitum. Hæ quidem cauſæ ſunt tres, & omnes. Quod autem hiſtoria maxime facit prudentem, & prudentia conſiliũ rectum ſequitur, fugit prauum, modos rationeſq; quibus quidquam fiat exquirit: ſapienter agere non temere uult. Et quòd eadem uirtus prouida, quò fortunæ ludibria trahunt rem, animaduertit: iccirco ſcriptor, ut iudex æquus, de conſilijs pronũciat, quomodo res geſtæ ſint explicat, atque effectis & euentis ſubijcit cauſas. Septima: In explicandis rebus geſtis dicendum qui homines fama ac nomine excellant, quã quiſque naturam ſequatur ac uitam. Id enim utile eſt lectoribus, ut habeãt quos imitari, et quos fugere poſſint, neq; in ſuaſione & diſſuaſione illorum utantur exemplis. Octaua: Genus orationis fuſum atque tractum, & cum lenitate quadam æquabili profluens, ſine hac iudiciali aſperitate, & ſine ſententiarum forenſium aculeis proſequendũ eſt. Fuſum, quod longis periodis multa membra uincientibus cõſtat. Tractum, cuius partes ita ſunt quaſi cathenatæ atque cõiuncta, ut non ante quieſcat animus, quàm ductus ſit in longum, ut expletam conſequatur ſententiam. Lene, quod molles & iuncturas & numeros habet. Aequabile, quod neque partium prodigioſa diſſimilitudine, neque aſperitate deforme eſt. Iudicialis aſperitas in uerbis, oratio eſt plurimum uerbis grauibus, inciſis & membris breuibus utens, in quibus nec uocalium concurſus, nec conſonantium rixæ, nec aſperi numeri magnopere uitãtur. Aculei ſententiarum forenſium, ſunt affectus acerbi, & ſermones aſperi, qualibus utũtur oratores in foro, cum figunt aduerſariũ. Quæ ſunt compoſitiones, modiq; uerborum, dicentur in tertio libro: quãobrem hic breuiter et anguſte notantur. IN eodem ſilentio multa alia oratorum officia iacuerunt, &c.] Cohortationes & conſolationes ex artificio præcepta non quærere, iam dixit: quid igitur repetit idem? an inculcandi gratia? an amplificandi? an ut ſimilia quædam coniungat? addidit enim alia duo præcepta & admonita. Nihil horum dici non poteſt. Sunt autem in artibus præcepta quaſi leges, ab eo qui diſcit, obſeruanda, ut eo quo tendit, compendioſa obſeruatione & methodo perueniat: Regulæ uulgo nominantur. Latius hic præcipua fundit ad ea omnia quæ maior poteſtas imperat minori, ut dominus ſeruo, pater liberis, magiſtratus populo, imperator militi. Hinc ſæpe cauſæ graues, in eos qui præcipienti non obtemperarunt: in quo Manlius ne ſuo quidem filio pepercit. Admonita, quæ ad perſequendum quid, aut cauendum, animaduertenda ſuggeruntur non uidenti. Peccant & qui bene monentes non audiunt, & qui male monentibus obtemperant. Hinc materia laudis & uituperationis, hinc accuſationis et defenſionis argumentum. In his quæ non habent locum in rhetorum præceptis, eſt theſis & infinita quæſtio: cui ſubijcitur infinita ſylua, quæ eſt propoſitorum copia. Illam plerique oratori dederunt. Omnis ratio (ut ait Craſſus libro primo) aut eſt de infinita rei quæſtione, ſine deſignatione perſonarum & temporum: aut de re certis in perſonis ac temporibus locata. Hypotheſis hic definitur, certa definitaq; cauſa. Verſatur in litibus, in deliberationibus, et in cauſa laudationis. Theſis eſt infinita generis quæſtio, ſine tempore & ſine perſona conſtituta. hæc longe lateq; patet. Comple-

ctitur

ctitur enim quæſtiones innumerabiles, quæ in ampliſſima philoſophia cæteriſq́; diſciplinis habentur. ut in aſtrologia, quanta ſit Solis magnitudo: in geometria, an terra ſit rotunda: in mathematicis, id eſt, arithmetica, geometria, aſtrologia: in muſicis, in philoſophia morali, de bonis & malis, expetendis & fugiendis, honeſtis & turpibus, utilibus et inutilibus, de uirtute et partibus uirtutis: in politicis, de imperio, de re militari, de diſciplina ciuitatis: in iure ciuili, de uſu ciuium, more hominum: in phyſicis, de natura. Quid? nullũ poteſt eſſe genus orationis, quod ſit exceptum. Quas attigimus, enumerat artes. Alias tantũ nominat, in quibus raro uerſatur orator: alias in multas diſtribuit partes, propterea quòd ſæpius cadãt in oratorem. Finis eſt enumerationis, ut quãta ſit infinita quæſtio, quod uulgus ignorat, intelligamus. An oratoris eſt, quæcunque res infinite poſita ſit, de ea poſſe dicere? Eſt, inquit, ſi minus ut ſeparatim, id eſt proprie philoſophorũ more reſpondeat, at certe ut in cauſa prudenter poſſit intexere: hiſce autem ipſis de rebus ut ita loquatur, ut legum latores locuti ſunt. Quomodo? ſimpliciter, nõ qua philoſophi digladiantur perpetua diſputationum ſerie. ſplendide, non cũ ieiuna concertatione uerborum. Solem eſſe terra maiorem, theorematis aſtrologiæ probatum eſt, inquit Ariſtoteles primo libro τῶν μετεώρων. Idem formam terræ rotundam eſſe oſtendit primo libro de cœlo & mundo. Quæſtiones infinitæ uagæ dicuntur ac liberæ, quia nulla certa periſtaſi reductæ ſunt in anguſtias. Res bonæ aut animi ſunt, aut corporis, aut fortunæ. Malæ eodẽ modo. Quid bonæ res differunt ab expetendis, malæ à fugiendis? Non omnia bona omnibus ſunt expetenda, ſed ſua cuique pro natura, ac conditione uitæ: & alijs alia mala fugienda. Aliquid eſt bonum, quod homini & huic homini non eſt expetendum. Quid differunt ab honeſtis et turpibus? Latius fuſa ſunt bona quàm honeſta. Omne quod honeſtum eſt, id quatuor partium oritur ex aliqua, inquit Cicero in Officijs. Honeſtum eſt igitur, quod eſt cum aliqua uirtute: Inhoneſtum, quod cum uitio. Virtus & uitium ſunt habitus animi, non corporis & fortunæ. Honeſtum ab utili non natura ſed conſuetudine loquendi diſſidet. Vtile dicũt, quidquid affert aliquid cõmodi, etiamſi turpe ſit. Quid? exacte ſingula definire nõ eſt opus, cũ iam ſint à nobis pleraque definita. Paucis multa complectamur. Virtute bene uiuimus. Iuſtitia tuemur hominum ſocietatem. Continentia pugnamus in ſæuitem appetitum. Prudentia expetenda ſequimur, fugienda uitamus. Magnitudine animi, res aduerſas et pericula ſuſtinemus. Liberalitate dona dignis ferimus. Amicitia diligimus beneuolentia iunctos. Fide ſtamus in dictis atque conuentis. Officio dicti factiq́; rationẽ reddimus probabilem. Reſp. ſocietas hominũ legibus inſtituta, quæ ſuas opes tueri poteſt. Imperium, poteſtas, magiſtratus, aut populi imperantis. Res militaris, diſciplina bellica. Diſciplina ciuitatis, ratio qua regitur ciuitas, ut ars politica atque legalis. Circumſcriptũ modicis regionibus eſt, incluſum breuibus interuallis. Si orator agens de re ciuili, ſcientiaq́; politica, relictis diſputationũ labyrinthis rem breuiter amplectetur, id circumſcribet modicis regionibus, quod philoſophi, ut Plato & Ariſtoteles, fuderunt ampliſſime: Mores hominum primum dicit, referens ad Rempub. quæ ſuos habet mores ingenijs ciuium et publica diſciplina comparatos: deinde morem hominum, conſuetudinem quæ iuris ciuilis eſt pars: poſtea mores naturales, qui naſcuntur à corporum & locorum temperamentis. Vſus ciuiũ, ius in rebus utendis. Conſuetudo uitæ eſt, ea quæ dicitur conuerſatio. Ratio Reip. ſtatus ciuitatis. Societas ciuilis, ciuium communio. Senſus hominum communis, prudentia natura & uſu comparata. Series diſputationum, in qua quæſtio quæſtionem, difficultas difficultatem ordine connectit, & eadem de re continuat orationem. Ieiuna concertatio uerborum, oratio inornata, et minime copioſa, qua philoſophi in diſputatione concertãt. HOC loco, ne qua ſit admiratio, ſi tot cantarumq́; rerum, &c.] Multa numerauit Antonius, quæ proprias nõ habent præceptiones in arte dicendi. Hæc et ſimilia tractari poſſe notis de genere deliberandi iudicandiq́; præceptis, confirmat ab artiũ reliquarũ ſimilitudine, quo de oratorũ obſeruatione ſatis præcepiſſe uideatur. Si tot ſunt res numero, ſi tantæ magnitudine, cur non habent præcepta ſua? Nulla ſit admiratio: ſic fit in alijs artibus. Cum tradita ſunt cuiuſque artis difficillima præcepta, reliqua tradi non eſt neceſſe. Pictura ſit exẽplo. Qui hominis ſpeciem pingere perdidicerit, hoc eſt qui imaginem humanam delineare perfecte & exacte cognouerit, poterit cuiuſque formæ, ut uirilis, muliebris, auſteræ, & blandæ, elegantis, fœdæ, paruæ, magnæ: poterit cuiuſque ætatis, puerilis iuuenilis, ſenilis, etiamſi non didicerit, ſpeciem exprimere. Sic habet pictura beſtiarũ. Non eſt periculum, hoc eſt, nihil timendum eſt, qui leonem aut taurum pingat egregie, ne idem in multis alijs quadrupedibus facere non poſſit. È feris leonem, è pecore domeſtico taurum legit, quia ſunt animantia generoſa, ac frequenter expreſſa & in pugna beſtiarum, & in rebus geſtis Herculis. Sic igitur res eſt in arte pingendi. In alijs artibus ſimilis eſt ratio. Non eſt omnino ars ulla, in qua omnia quæ illa arte effici poſſunt, à doctore tradantur. Non omnia tradit faber, non architectus, non gubernator, non ſutor, non uaſcularius, non artium liberalium profeſſor. Sic fit in rhetorica: quæ ſi non eſt ars, ut plerique uolũt, tamen eſt ratio quædam, uel obſeruatio, uel exercitatio dicendi. Qui illam uim & facultatem adeptus ſit, ut diſceptatorum mentes ad ſuum arbitrium mouere poſſit, ille de toto reliquarum orationum genere non quærat. Diſceptatores eos uoco, qui cum aliqua ſtatuendi diſcernendiq́; poteſtate audiũt, aut de Rep. ut in deliberatione, aut de rebus oratoris, ut in diiudicatione, aut de ijs contra quos, aut pro quibus dicat orator, ut in forenſibus cauſis. À pictoribus uenit ad Polycletum ſtatuariũ inſignem, qui cum Herculem fingebat, non erat cur quæreret quemadmodum pellem leonis, aut hydram ſeptem capitum ſerpentem fingeret. Poterat informare minus, qui abſoluerat maius. Haud aliter orator, ſi iudicia deliberationesq́; ſuis partibus ſciat formare dicendo, reliqua negotij minoris pulchra atque elegãti pinget oratione. Polycletus, inquit Plinius, Sicyonius Ageladis diſcipulus fecit Herculẽ qui Romæ fuit. Alia ſunt eius opera, quæ loco præſenti nõ afferunt lucem. Tum Catulus.] Catulum ideo facit loquẽtem, quod ex eius ore nõ modo grauior cõmendatio, ſed etiam cautior ac liberior futura eſſet obiectio. Interloquitur, ut ante dicta cõmendet, ut rerum ſummã paucis colligat, ut obijciat quod iure dici poteſt ex aduerſo, difficilia eſſe propoſita, quæ θέσεις appellantur. Ponere ante oculos eſt, rem ſic explicare uerbis, ut non legi ſolum, ſed etiã corãm agi, & oculo ſubijci uideatur. Quæ rem ponit ante oculos figura, dicitur ὑποτύπωσις. Ea utitur genere orationis illuſtri, ac pluſquam dilucido. Diſcere, ut hic ſumitur, eſt arte atque ratione comprehendere. Deduxiſti totum hominem in duo ſolum genera cauſarum, id eſt, totam oratoris artem reuocaſti in iudiciale et ſuaſorium genus. cætera innumerabilia, ut teſtimonia, hiſtorias, cohortationes, monitus, conſolationes, quæſtiones generis uniuerſi, exercitationi & ſimilitudini reliquiſti. Exercitatio frequentioris eſt uſus, qui rerum magiſter eſt: ſimilitudo, collationis. Similitudo, ea quorum præcepta nulla ſunt, cum his quæ continentur arte, confert. Illa ſcribendo, diſputando, dicendo, & res intelligere, & oratione tractare conſueſcit. Videto ne in iſtis duobus generibus quæ facis, ſuaſorio & iudiciali, hydra tibi ſit & pellis, id eſt opus minus: Hercules autem, id eſt alia opera maiora, ne in illis rebus quas prætermittis, nulloq́; egere præcepto ſuo dicis, relinquantur. Alludit ad Herculem Polycleti, de quo paulo ante mentionem facit Antonius: nec reprehendit, ſed monet cum dicit, Videto. Nec temere monet, ſed cur id faciat, oſtendit, cum ait: Non enim mihi minus

operis, & quæ ſequuntur. Non minus operis, hoc eſt difficultatis, uidetur, de uniuerſis generibus rerum, id eſt quæſtionibus infinitis, quàm de ſingulorū cauſis, id eſt quæſtionibus finitis, ac multo etiam maius de natura deorum, quàm de hominum litibus dicere. Præter illa plurima quæ oratori diſcenda confirmat Antonius, ponit Catulus naturam deorum, de qua oratori aliquando diſſerendum eſt, ſi ad eum theſis omnis pertinet. Extat opus Ciceronis de Natura deorum, unde ſcire poſſis quàm magnū putaret ea de re diſputare, quæ propria theologorum materia eſt. Perdifficilis, inquit, et perobſcura quæſtio eſt de natura deorum.

NON eſt ita, inquit Antonius. Dicam enim tibi Catule, non tam doctus, &c.] Ad eleuandā obiectionem negat eſſe uerum id quod Catulo uidetur. Non eſt ita, inquit. Hanc propoſitionem ſuperiori contrariam firmari uult ſuo iudicio. Iudiciū ſuum non arte commendat diſſimulator artis, ſed experientia, quā doctrinæ anteponit, propterea quòd ars ab experientia, non experientia ab arte nata ſit. Dicam tibi Catule, nō tam doctus, quàm (id quod eſt maius) expertus, Ad confirmationē utitur comparatione, cæterarū rerum orationem eſſe ludum, in cauſarum contentionibus magnū eſſe quoddam opus, & de humanis operibus, id eſt de his quæ peragunt homines, forte longe maximum. Comparationis altera pars proponi uidetur, nō probari: ſed ſecundæ probatione ſatis elucet. Nam ſi in cauſarum cōtentionibus, quemadmodum in alijs orationibus, inuenienda res eſt, & exponenda dilucide, & ad hæc alia multa grauioris operæ præſtanda ſunt: hic eſſe tanquā uerum prælium, illic certamen ludicrum uidebitur. Quæ præſtanda ſint ampliora, demonſtrat. Ea ſic comparato. Vis oratoris plerunque ab imperitis exitu & uictoria iudicatur. Eloquentiorem enim eſſe putant indocti, qui cauſam uicerit. Non ſic eſt in alijs rebus, ad quas habendas tria ſunt neceſſaria: ingenium non hebes & obtuſum, exercitatio communium et uulgarium literarum, et politioris humanitatis, id eſt ſcientiæ cognitio. Communes literas habent ferè omnes: politiores autem, liberaliter eruditi. In oratorum cauſis adeſt armatus, & omni certandi genere inſtructus aduerſarius, qui ſit & feriendus, ſi petas uti gladiator: et repellendus, ſi impetum ſuſtineas. In alijs orationibus agere potes ſine aduerſario: in agēdis litibus ſæpe is qui rei dominus, hoc eſt cauſæ moderator futurus eſt, ut iudex, alienus animo atque iratus, aut etiam amicus aduerſario, & inimicus tibi eſt. In ſermonibus iram paucorum & inimicitias non ureris. In orando diſceptator docendus eſt quid ſit in cauſa, quidq; maxime ſit pro nobis: aut dedocendus, quæ falſa aut nobis aduerſa didicit: aut reprimendus affectu mitiore, ſi cōtra nos incitatus eſt: aut incitandus affectu grauiore, ut feratur in aduerſariū: aut omni ratione dicendi ad tempus & ad cauſam oratione moderandus. Aliter enim ac aliter pro temporibus & cauſis agendū eſt. In alijs generibus orationis ſatis eſt docere quid uelis: perturbare nihil eſt neceſſe. In iudicio ſæpe beneuolētia diſceptatoris erga aduerſarios noſtros, ad odiū: odium eiuſdem in nos, ad beneuolentiā deducendum. Is tanquā machinatione aliqua, id eſt quaſi machina uel bellica, uel extructoria, huc illuc contorquendus eſt, nunc ad ſeueritatem in aduerſarios, nunc ad remiſſionem, id eſt lenitatē animi in litigatores noſtros: nunc ad triſtitiam, nunc ad lætitiam. Machinationem tranſlatione dixit πάθος & affectum. Nam quemadmodū machinatione aliqua tela mittuntur, moles murorū atque ædificiorum iactantur in omnes partes, ſic etiā affectibus uariis animi contorquentur. Ad hæc oratoris omnes ſententiæ graues eſſe debent, omnia uerba plena cuiuſdam ponderis, ut oratio, quæ cōſtat rebus & uerbis, tota ſit neruoſa, ac uehemens. Accedat oportet actio et pronunciatio uaria, ne omnis eodem modo dicātur. uehemens, ne nimiū remittatur auditor. plena animi, ne lāngueſcat. plena ſpiritus, ne ſit ſine ullo impetu. plena doloris, ne ludere uideatur. plena ueritatis, ne fictam ſentiā ij qui audiūt. His uirtutibus actionis uitia ſunt cōtraria, ſimilitudo, languor, ſecuritas. Quidā ſimiliter & eodem tenore uocis pronūciant, nulla organorum & ſpiritus contentione excitantur, non ſe transformant in eum qui periclitetur: at ſecure ſine dolore & ueritate, hoc eſt ſine uero dolore tanquam ſoli, quod habent, peragunt. Tandem propoſitū colligit. In his operibus quæ ſunt cauſarū difficillimorum cōtentiones, ſi quis illam artem comprehenderit, id eſt præcipua præcepta norit, ut ſic perficere poſſit orationē iudiciariam ac ſuaſoriam, quemadmodum Phidias ſtatuarius inſignis Mineruæ ſimulacrum effecit: non ſane qua ratione minora illa opera facere diſcat, laborabit: quemadmodum in clypeo Mineruæ idem ille Phidias artifex, qui fecerat maius, non laborauit. Phidias (inquit Plinius) præter Iouem Olympium, quem nemo æmulatur, fecit et ex ebore æque Mineruam Athenis, quæ eſt in Parthenone aſtans: ex ære uero præter Amazonē ſupradictam, Mineruā tam eximiæ pulchritudinis, ut à forma cognomē acceperit. TVM Catulus, quo iſta maiora ac mirabiliora feciſti, eo me maior, &c.] Quæ diſcenda ſint oratori futuro, monſtrauit: quibus præceptis ea tanta uis & copia rerū paretur, ex ordine requirit. Ne præter decorum Catulo ſeni et quieto oratori expectationē artis affectuumq; tribuiſſe uideatur, inuenit cauſam cur audire uelit, ſtudiū cognoſcendi. Vt autem ſua magni faceret, doctores Græcos eleuauit, & Phormioni cuidam comparauit. Eò ſpectat ſermo, ut ad exponenda præcepta ueniatur, quæ meliora uelit quā ueterum, quia non ita uulgaria ſunt, ſed rara quædam, uti de affectibus, & ridiculis, quodq; non ab inexercitato, ſed ab oratore fori experientiſſimo tradūtur. Quanto iſta duo genera cauſarum maiora cæteris rebus ac mirabiliora feciſti, tanto me maior expectatio tenet, quibus'nam rationibus, id eſt quibus artibus, quibus'ue præceptis ea tāta uis, tantaq; facultas cōparetur: non quo mea quidem interſit, hoc eſt ad me pertineat (neque enim ætas mea ſenilis id deſiderat, præceptorū ratione formari: & aliud quoddam genus dicendi ſedatum et quietum, nō illis concitatum affectibus, nos ſecuti ſumus, qui nunquam ſententias de cauſa ferendas, de manibus iudicū ui quadam orationis acri & uehementi extorſimus, at potius placatis eorum animis tantū uictoriæ, quantum ipſi patiebantur, accepimus) ſed tamen iſta tua nullum ad uſum meum futura, tātum cognoſcendi ſtudio adductus requiro. Hac ſententia faciat aliquis fidem, non inutilia eſſe homini præcepta dicendi, etiā ſi illis nunquam ſit uſurus. Etenim ſcientiā rerum maximarū ad animi perfectionem tenere præclarum eſt. Catulū uſum fuiſſe molli et Xenophonteio genere ſermonis, ſcribit Cicero in Bruto: Iamq; Catulus non antiquo illo more, ſed hoc noſtro, niſi quid fieri poteſt perfectius, eruditus. Multæ literæ, ſumma non uitæ ſolum atque naturæ, ſed orationis etiā comitas, incorrupta quædam latini ſermonis integritas, quæ perſpici cū ex orationibus eius poteſt, tum facillime ex eo libro quem de conſulatu & de rebus geſtis ſuis conſcriptū molli & Xenophonteio genere ſermonis miſit ad A. Furium poetā familiarem ſuum. hæc ille. Nec mihi opus eſt græco aliquo doctore, quales plerique Romæ circunferuntur, qui mihi peruulgata protritaq; præcepta, ut notā fabulā, decantet, cum ipſe nunquam forum, nunquam ullum iudiciū nō dico ingreſſus ſit, ſed ne aſpexerit quidem. Hæc de mente Ciceronis, græcis hominibus infenſi, qui multa de bene dicendi ſcientia collegit ab Ariſtotele, à Theodecte, à Theophraſto, nōnulla ab Hermagora, quorum nullus egerat cauſas. Duxerant artem partim à ratione ſapientiæ, partim ab orationibus eloquentiū uirorum. Eiuſmodi rhetores iure deſpicere non poſſit, ſed eos forte qui rudes aliarum artiū pauca rhetorum præcepta didicerant, quæ iactabundi occinerent infantibus. Illud de Annibale & Peripatetico Phormione uſque adeo aperte atque dilucide narrat, ut alia nō egeat expoſitione. Peripateticus Phormio hoc Annibalis elogio notior eſt factus, uir alioqui famæ tenuis apud hiſtoricos.

Annibal Carthagine expulſus.] Annibal quòd Carthaginéſibus legem pertuliſſet, ut in ſingulos annos iudices legerentur, ne quis biennium totum iudex eſſet, quodq́; publica uectigalia extorſiſſet è manibus peculatorum, magnæ partis principum offendit animos. Ii cum à Scipione Africano impetraſſent ut legati Carthaginem mitterentur, qui apud ſenatum agerent, Annibalem cum Antiocho rege conſilia belli faciendi inire, & Annibalem ſe peti à Romanis nõ falleret, tempori ceſſit Pœnus et Africa clanculum exceſſit, proſpero curſu Tyrũ peruenit, paucos moratus dies Antiochiam nauigat: ibi profectum iam Antiochum cũ audiſſet, Epheſi regem eſt conſecutus. Hæc ex Liuio. Eius nomen erat in magna apud omnes gloria.] Res geſta Annibalis per annos ferè triginta ſex, in Hiſpania, in Gallia, in Alpibus, in Italia, magnam apud omnes ubi gloriam fecerant. De imperatoris officio, & de omni re militari.] Ea de re ſcripſerunt Græci, ſcripſerunt Latini, quorũ multa præcepta collegit Vegetius. Sed quia tempus, locus, hoſtis & fortuna, multa cõmutant, experientia ac prudentia pluris eſt in bello, quã præceptio. Non optime græce.] An quia lingua græca imperitus erat homo Pœnus, armorum ſtudioſus, non literarum? An quod non ſeruauit eam quam maxime Græci colebant humanitatem? Libere, inquit, reſpondiſſe fertur, hoc eſt ſubagreſti quidem more et contumelioſo, ſed tamen libero. Hinc illud infra: Dimitto eos non tam contumelioſe, quã philoſophum illum Annibal. Deliros ſenes.] Vbi corpus frigidum ſiccumq́; factum eſt, & animæ inſtrumenta natiuum robur amiſerunt, animus quodammodo ſeneſcit, & mens debilitata ratione delirat. Is eſt morbus ſenectutis, quem Phormioni ſeneſcenti contumeliæ cauſa obiecit Annibal. Arrogãtius, aut loquacius.] Duo ſunt uitia Phormionis. Vnum arrogantiæ, quo nimium multa attribuit ſibi græculus: alterum loquacitatis, quo militiæ rudis loquitur aliquot horas de imperatoris officio, & de omni re militari. Tot annos.] Annibal ſex & decẽ annos de imperio cũ populo R. certauit in Italia. Liuius: Pœnus 16. annorũ in terra Italia res geſtas, tot duces Romanos, tot exercitus occidione occiſos, et ſua cuiq; decora, ubi ad inſignẽ alicuius pugnæ memoria militẽ uenerat, referebat. Græcũ hominẽ.] Græcũ hominẽ dixit, ut ignauũ et imbellum, et ſermonibus, quã bellis aptiorem. Imminuit hominẽ tribus gradibus. Nunquã uidiſſe hoſtem; & quod minus eſt, nunquã caſtra uidiſſe: quod autẽ minore minus eſt, nunquã minimã partem ullius publici muneris attigiſſe. Minima pars publici muneris, eſt curatura, uel præfectura minimæ dignitatis: ut quæſtura, ut plebeia ædilitas, ut curatio murorum. In multos Phormiones.] Phormiones dixit Græcos, arrogãtes et loquaces. Quis eſt enim iſtorũ Græcorũ.] Græci Latinis in re literaria nihil aut parum deferebant, propterea quod admodũ pauci reperiebãtur qui ſecretiores diſciplinas intelligerẽt. Plurimi R. bello, pauci rhetoricæ, pauci iuri ciuili, nulli ferè ſapiẽtiæ dabant operã, quãobrem facile in omni literarũ genere ſuperabãtur à Græcis. Fatetur Cic. 1. Tuſc. cuius uerba ſunt: Doctrina Græcia nos et omni literarũ genere ſuperabat, in quo erat facile uincere nõ repugnantes. De Græcis Antonius: Mihi quidẽ nõ ita moleſti ſunt ut Annibali. Facile omnes et doctos et indoctos perpetior et perfero. Nam aut aliquid afferũt doctiores, quod mihi nõ diſplicet: aut efficiũt indocti et loquaces, ut me nõ didiciſſe minus pœniteat. Malo enim agere uſu ſenſuq́; cõmuni, quã eiuſmodi doctrina loquaci moleſtus eſſe. Dimitto autem eos non tam contumelioſe, quã Phormionem Peripateticũ philoſophũ Annibal, et eo fortaſſe plus habeo negotij, hoc eſt negotiũ me magis urget, quã tum Annibalem, aut eos ego difficilius, quã ille dimitto. SED tamen eſt eorũ doctrina, quantũ ego iudicare poſſum, etc.] Præcepta rhetoricæ duplicia ponit, alia trita ac uulgata, quæ Græci tradiderũt: alia ſua, quæ exercitatione foréſi cognouit. Priora iudicat eſſe ridicula, nõ quo mala ſint et inutilia (non enim talia ſecuti fuiſſent plerique omnes) ſed quoniam græculi rhetores meliorẽ partẽ omiſerũt, aut notiſſima nimis inculcarũt, aut quæ erãt partiũ cõmunia, uni dederũt ut propria, aut exiſtimarũt arte poſſe comprehendi quæ innumerabilia ſunt & immenſa, aut magis flexerũt ad declamationũ ludos, quã ad cauſarũ ueritatem. Has improbandi cauſas ex dictis Antonij colligimus, quem meo iudicio in hac re calumniantem facit Cicero. Doctrina Græcorũ rhetoricãtium, quantũ ego iudicare poſſum, homo non eruditus à magiſtris, perridicula eſt. Diuidunt enim totam rem, ideſt uniuerſam dicendi materiam, in duas partes: in cauſa controuerſiam, & in quæſtionis. Hoc modo faciũt duplicem controuerſiam: alterã cauſæ, quæ eſt finitæ quæſtionis: alterã quæſtionis, quæ infinita dicitur. Cauſam, id eſt ὑπόθεσιν, appellant rem poſitam in diſceptatione rerũ, et controuerſia. Ea res eſt de qua diſceptator, ut iudex aut ſenator, fert ſententiam. Sed quid eſt res in diſceptatione rerum? Materia cauſæ cadens in diſceptationem controuerſiarum. Diſceptatio ut hic ſumitur, eſt quæſtio, de qua maxime agitur aut in iudicio, aut in deliberatione. Quæſtionem appellant rem poſitã in infinita dubitatione, de qua non ſemel ante dictum eſt. De cauſa præcepta dant, quia propriam faciunt oratoris: de infinita quæſtione mirũ ſilentium eſt, quòd eam non in oratorem, ſed in philoſophum cadere arbitrantur. Deinde quinque faciunt quaſi membra eloquẽtiæ. Metaphorã ſignificat hoc aduerbiũ quaſi. Inuenire quid dicas, inuenta collocare, deinde ornare uerbis, & elocutione cõprehendere, poſt memoriæ mãdare, tum ad extremũ, id eſt tandem, agere ac pronunciare. Actio à geſtu, pronunciatio à uoce dicta eſt. hoc & illo nomine dicitur ultima pars rhetoricæ. Notum eſt quinque eſſe rhetoricæ partes, inuentionẽ, diſpoſitionẽ, elocutionẽ, memoriã, pronunciationẽ. Quis enim hoc nõ ſua ſponte, ideſt ſuo ſenſu naturali ſine docente uiderit, neminem poſſe apte et accommodate dicere, niſi et quid diceret, et quibus uerbis, et quo ordine diceret, haberet, et ea meminiſſet? Quid dicatur, inuentio: quibus uerbis, elocutio, cuius comes eſt pronunciatio: quo ordine, diſpoſitio: quæ meminerit, memoria præſtat. Cic. in Oratore: Tria uidenda ſunt oratori, quid dicat, & quo quidque loco, & quomodo. Quomodo autem dicatur, id eſt in duobus, in agendo, & in eloquendo. Idẽ in Partitionibus. Vox, motus, uultus, atque omnis actio, eloquẽdi comes eſt. Partes orationis aliter ab alijs digerũtur, hoc eſt diſtribuũtur. Sunt qui faciãt quatuor, exordiũ, narrationem, cõfirmationem, perorationem. Sunt qui numerent quinque, tertiã partiẽtes in cõfirmationẽ et refutationẽ. Inuenti ſunt et qui partitionẽ ſiue propoſitionẽ et iudiciũ in partibus numerari uellent, ut Hermagoras. Sunt et qui digreſſionẽ. Illi ſex, hi ſeptem cõſtituere partes orationis. Iubent exordiri. ita ut eũ qui audiat, beneuolum nobis faciamus, & docilem, et attentum. Beneuolus uult cauſam eſſe bonam, docilis intelligit, attentus noſſe cupit. Nihil iſtorũ non cõmodum litiganti. Alia exordia beneuolentiã tantum, alia intelligentiã, alia attentionem, alia hæc uniuerſa moliuntur. Deinde iubent rem narrare, ita ut uerisimilis narratio ſit, ut aperta, ut breuis. Veriſimilis fidem, aperta cognitionẽ, breuis memoriã iuuat. Credibilem facilius auditor admittit, dilucidã intelligit, breuem cõplectitur, reſpuit moleſte prolixam. Poſt autem diuidere cauſam iubent, aut proponere. Diuiſio ſiue partitio diſtribuit membra multiplicium cauſarũ. Propoſitio in cauſis ſimplicibus breuiter ac ſummatim ponit id quod eſt in cõtrouerſia ſummũ caput. Partitio & propoſitio melius dicũtur eſſe particulæ confirmationis, quã totius orationis. Confirmatio, noſtra cõfirmat argumẽtis atque rationibus, refutatio cõtraria refellit. Tum autẽ alij cõcluſionem orationis, et quaſi perorationem collocant. Illa quod claudat orationẽ, hæc quòd orationi modũ imponat, nomen habet. Duorũ uerborũ una et eadem uirtus. Alij iubent antequã peroretur, ornandi aut augendi cauſa digredi. Ornatus autem quærit locos amœnos, uarietatis plenos

& iucunditatis. αὔξησις & amplificatio rem uehementer augere contendit. Hæc præcepta ſunt concinne, id eſt pulchre diſtributa, ſed tamen imperite, hoc eſt ſine uſu forenſi. Neceſſe enim fuit hominibus expertibus ueritatis, id eſt ijs qui in ueris cauſis nunquã uerſati fuerãt, præcepta deſcribere nõ perite. QVAE enim præcepta principiorũ et narrationũ eſſe uoluerũt, &c.] Græculos arguebat, qui in oratore ſtatuẽdo nihil omnino de infinita quæſtione loquerentur, quiq; rem nõ reconditã pro difficili & ardua inculcarent. Arguit eoſdem, qui nõ intellexerint exordiorum leges & narrationũ, in totis orationibus eſſe conſeruãdas. Non enim aberrant à uia qui ſic de exordijs & narrationibus præcipiunt, ſed qui non exiſtimant idem quoque de cæteris partibus dici poſſe. Cum ſint cõmunia præcepta, attributa ſunt tamen ijs partibus quibus maxime conuenire uidebantur. Qui ingreditur in cauſam, maxime eget auditore beneuolo, docili, et attento. Hoc igitur unum intuetur, hoc aſſequi ſtudet, huc dicẽdi uim rationemq; conuertit. Vbi fecit aditum, omnia agit liberius, aliũ finem ſibi proponens, cauſæ probationem. Si narratio non intelligitur, ſi teneri nequit, ſi ſit incredibilis, in alijs fruſtra laborabit. Si alia cauſæ particula ſit eiuſmodi, non iccirco res tota periclitatur. Quid igitur ſibi uult hæc Antonij diſputatio? illa quidem eſſe præcepta principiorũ et narrationum, ſed quæ in alijs partibus ſint obſeruanda. Vult etiam artificiũ hoc eſſe diſſimile cæterorum. In cæteris genera rerum diuiduntur, ut in dialectica inuentio et iudicium. in quo uitiũ eſt, ſi genus ullũ prætermittatur: ſic enim erit imperfecta diſciplina. deinde ſingulorũ generũ partes & ſpecies explicantur: ut iudicij duæ ſunt ſpecies, alia in ſimplicibus, altera in cõpoſitis. In quo etiã deeſſe aliquã partem ſiue ſpeciem, & ſuperare, mendoſum eſt, hoc eſt redundare uitioſum. Nam diuiſio uel generum, uel formarum, et partitio totius, neque plura, neque pauciora membra cõtinere debet quã quot rerum natura præſcribit. Tum uerborũ omniũ definitiones exponuntur, nõ ut uerba teneamus, ſed ut quæ ſint res ſubiecta, uerborum definitione cognoſcamus. In definitionibus neque abeſſe quidquã decet, neque redundare. Ariſtoteles Top. libro ſexto. πᾶν γὰρ τὸ περιττόν ἐν τῷ ὁρισμῷ, περίεργον: Quidquid præter rem definitioni adijcitur, ſuperuacuũ eſt. Ars igitur conſtat generum diuiſione, partium & formarum diſtributione, et uerborũ definitionibus. Id quale ſit, expoſuimus apertius in librũ primum, ubi Craſſus dicit ius ciuile in artem redigi poſſe. Eiuſmodi artem poſſe fieri de iure ciuili, de paruis rebus, ut de arithmetica, muſica, grammatica: de mediocribus, ut de philoſophia, ethica, et phyſica, fatetur Antonius: de rhetorica, quæ ſit immenſa, negat. Immenſa autem uidetur, quæ non habet certam materiã, ſed omnem quæ modo orationẽ uelit, ac eloquentiam. Confirmat Ariſtoteles in Rhetoricis, ἀμφότεραι γὰρ περὶ τοιούτων τινῶν εἰσίν, ἃ κοινὰ τρόπον τινὰ ἁπάντων ἐστὶ γνωρίζειν, καὶ οὐδεμιᾶς ἐπιστήμης ἀφωρισμένης. Artes ambæ, logica & rhetorica, eorũ ſunt quæ omniũ quodammodo cõmunia noſcuntur, nõ ullius definitæ ſcientiæ. Hic ſi roges, an ulla ſit ars benedicendi: reſpondet libro. I. certã et cõſtitutã, ut in mathematicis, nõ eſſe, ſed obſeruationẽ quandã, et præceptorũ collectionẽ, quibus rationes dicentis adiuuentur. Si qui arbitrantur artẽ eſſe, deducendi ſunt ad eos rhetores Græcos, qui præcepta docent (ſubridens hæc loquitur εἴρων) Omnia iam explicata & perpolita aſſequentur. & hæc εἰρωνία eſt. Sunt enim innumerabiles de his rebus libri, neque abditi, neque obſcuri. Libros dicit Gorgiæ Leontini, Thraſymachi, Protagoræ, Theodori Byzantij, Ariſtotelis, Theodectis, Theophraſti, Hermagoræ, aliorumq; Græcorum: quos quidem non ridet, ſed eos qui ſe demum putant oratores, ſi eorũ præcepta norint, cum præter hæc ſit opus ingenio præſenti, eruditione multa, imitatione eloquentiſſimorum uirorum. Præcepta ludo laniſtarũ ſimilia ſunt, eloquens oratio pugnæ. Sicut ars ludicra armorum, quã docent laniſtæ et magiſtri campi, gladiatori et militi prodeſt aliquid, & neutrũ perficit: ita præcepta iuuãt oratorem, nõ perficiunt. Aliud pugna & acies, aliud ludus & cãpus Martius, in quo iuuentus exercetur, deſiderat. Eodẽ modo aliud pugna forenſis expetit, aliud umbratilis oratio. In pugna animus acer, & præſtans, et acutus idem atque uerſutus inuictos uiros efficit: nõ difficilius arte cõiuncta, id eſt, facilius ſi iungat artem. In cõtentione cauſarũ, animus acer & præſens, & acutus idem atque uerſutus, inuictos oratores efficit, & facilius ſi dicendi cõiungat artem. Acer impigre ſe uolutat, præſens celeres habet motus, acutus alta & abſtruſa uidet, uerſutus pro re pro tempore conſilia uerſat. QVARE ego tibi oratorem ſic iam inſtituã, ſi potero, ut quod perficere, &c.] In uulgaribus præceptis eloquentiã magnã non eſſe dixit. Quibus alijs rebus poſſit comparari, ne cum uulgo publicam uiam terat, oſtendit. Natura prima eſt. Hinc itaque ducit initium, uidendum eſſe quid efficere poſſit orator adiuuante natura. Sit, inquit, mihi tinctus literis, hoc eſt eruditione doctorum, aut rudem animi colorem mutauerit in aliquem ornatũ cultumq; doctrinæ: audierit aliquid à docentibus: legerit in ſcriptorũ libris: iſta ipſa præcepta quæ tradũt Rhetores, acceperit. talis nõ ſtatim mihi erit orator. Hæc ſunt adiumenta quædã, ſed nequaquã in iſtis ſunt omnia. Quid igitur? Tentabo & experiar quid doceat, pulchre'ne an fœde ſit acturus. Eſt enim in arte primum, dicere. Quid uoce poſſit, uidebo. Nec agere poteſt, cui uox eſt negata: nec bene agere, cui mala. Perſpiciam quid uiribus ſuſtinere queat. Nam dicturo, laterum firmitas ad contentiones, robur corporis ad perferendos labores petendum. Explorabo quid ſpiritu, quid lingua efficere poſſit. Spiritus ille qui pulmonibus inducitur & educitur, ſi breuis eſt, ſi fractus, ſi interclusus, impedit actionem. Lingua etiam tarda, præceps, bleſa, craſſa, nõ parũ officit pronunciationi. Iſta (quemadmodum dictum eſt lib. I.) quia naturæ dona ſunt, donari ab arte non poſſunt. Si à præclaris initijs intelligã poſſe ad ſummos oratores peruenire, non ſolum hortabor ut elaboret in eo capeſſendo, ad quod uidetur eſſe natus, ſed etiam, ſi uir quoque bonus mihi uidebitur, obſecrabo. Illius cauſa adhortabor, nomine Reipubli. obſecrabo. Addit epiphonema: Tantũ ego in excellente oratore, & eodem uiro bono, pono eſſe ornamenti uniuerſæ ciuitati. Excellentia facit ut optime agere poſſit, bonitas ut uelit. Oratorem bonũ eſſe oportere oſtendit illa definitio, quæ ſtatuit oratorem eſſe bonum uirũ dicendi peritũ. Ea de re Cicero & Quintilianus haud pauca. Sin uidebitur, cũ omnia ſumma fecerit, hoc eſt cũ ſummopere laborauerit ut ſibi paret quæ poſſunt uiribus humanis parari, tamen ad mediocres oratores eſſe uenturus, permittam ipſi quid uelit, ſequi'ne uias oratorũ, an aliò curſum deflectere. Moleſtus magnopere nõ ero, propterea quòd ſicut turpe non eſt inter mediocres eſſe, ita certe non eſt maxime glorioſum. Sin planè abhorrebit à dicendi munere, ut ineptus & abſurdus: ut ſe contineat ab actionibus, & ad aliud ſtudium natura eius aptius transferat, admonebo. Poterit eſſe philoſophus bonus, qui ſemper erit malus orator. Tres igitur facit eloquentiæ candidatorum ſpecies, optimorum, mediocrium abſurdorũ. Optimos nõ uult deſeri à cohortatione noſtra, quia optime perorare, diuinitatis cuiuſdã uidetur. Mediocres nõ deterreri, quoniam uel non facere quod non optime poſſis, uel facere quod non peſſime facias, humanitatis eſt. Abſurdos moneri ut ſe contineant, quoniam clamare contra quàm deceat, & quã poſſit, hominis eſt ſtultitiæ ſuæ quãplurimos teſtes domeſtico præconio colligentis. Primis diuinitatem, qua communem hominum laudem ſuperet: Secundis humanitatem, quæ communis eſt hominum ratio: Tertijs ſtultitiam attribuit. hos non dicere, ſed clamare: non meriri teſtes ſuæ laudis, ſed ſtultitiæ: non ab alijs prodi, ſed domeſtico præconio, hoc eſt ſua declamatione patefieri dicit aptiſſime. Hic confirmationis loco locus eſt Catulli, qui de quodam malo declamatore, Hic, inquit,

ſtultitiæ

ſtultitiæ ſuæ quamplurimos teſtes domeſtico præconio colligit. Relictis abſurdis, & tantum mediocribus futuris, agit cum præſtantioribus: quia tales ſunt, inquit, ut cohortandi adiuuandiq́; ſint. Præcepta doctrinæ, qui uult indoctus uideri, non pollicetur. quæ docuit uſus, ea profitetur, ut aliud quã Græci ueritatis expertes, facere uideatur. ATQVE *ut à familiari noſtro exordiar, hunc ego Catule Sulpitium, &c.*] *Inſpicienda primum naturæ dona cenſet: deinde ſi compareant, imitationem. Interſerit exemplum de Sulpitio præſente, quo doceat et qui ad eloquẽtiam ſint excitandi, & quantum illis proſit imitatio. Exemplũ apte confictum uidetur, & Sulpitio potius quàm Cottæ attributum, quia Cotta uaſtus erat atque ſubagreſtis, Sulpitius antè elegans & uenuſtus. Exorditur à Sulpitio, quia familiaris eſt, & obuius in exemplum. Audiſſe ſe dicit, propter uocem de qua iudicandum eſt. Paruulam dat litem, quia rationem habuit adoleſcentuli. Adoleſcentiæ tempus elegit, in quo de futuro profectu opinari, & conſilia non irrita dare poſſet. Laudat in adoleſcente uocem, formam, motum corporis & geſtum, & reliquas res aptas ad munus orandi, ut uires, latera, ſpiritũ, dignitatem oris & membrorum: quæ omnia maxime donantur à natura. Laudat orationem celerem & concitatam, quæ ingenij ſit index: redundantiam quandam, quæ fœcundæ ſit ætatis. Eam eſſe commendabilem in ætate prima confirmat ſimilitudine à muſto, uitibus, & ſucco. Quemadmodum muſtum laudatur ſi in dolijs efferueſcit, hoc eſt feruendo tumeſcit & exundat, quantaq́; uis lateat, ipſa caloris actione ſignificat: ita uerba efferueſcentia, et paulum redundantia in adoleſcente, non ſunt aſpernanda. Ac ueluti in uitibus ſe nimium profundit, atque liberalius excreſcit materies ſurculorum, quæ ferro cohibetur facilius, quã noua ſarmenta, qui ſunt noui ſurculi, cultura excitantur: haud ſecus efferre & effundere ſe debet in adoleſcente fœcunditas, quæ facilius amputatur, quàm cultu doctrinæ copia dicendi cõparatur. Materies proprie lignum dicitur. Sarmenta, & qui amputãtur, & qui manent in ſtirpe ſurculi, dici ſolent. Tertia ſimilitudo: Vt non poteſt in eo eſſe ſuccus diuturnus, quod nimis celeriter eſt maturitatem aſſecutum, cuiuſmodi fructus eſt præcox: ſic non poteſt adoleſcens diu eſſe copioſus, qui iam maturus eſt adeo, ut nihil ſit in eius oratione quod luxuriet. De redundantia adoleſcentiæ ſuæ Cicero in Oratore: Ipſa enim illa pro Roſcio iuuenilis redundantia, multa habet attenuata, quædam etiã paululo hilariora. Ad hæc Quintilia. libro ſecundo: Audeat hæc ætas plura, & inueniat, & inuentis gaudeat, ſint licet illa non ſatis ſicca interim ac ſeuera. facile remedium eſt ubertatis: ſterilia nullo labore uincuntur. illa mihi in pueris natura minimũ ſpei dederit, in qua ingenium iudicio præſumitur. Materiam eſſe primum uolo abundantiorem, atque ultra quàm oporteat fuſam. Multum inde decoquent anni, multum ratio limabit, aliquid uelut uſu ipſo deteretur: ſit modo unde excidi poſſit, & quod exculpi. Erit autem, ſi non ab initio tenuem nimium laminã duxerimus, et quã cælatura altior rũpat. Quod me de his ætatibus ſentire minus mirabitur, qui apud Ciceronẽ legerit: Volo enim ſe efferat in adoleſcente fœcunditas. Hactenus Antonius de Sulpitij natura, de qua Cicero in Bruto: Sulpitio uox cũ magna, tũ ſuauis & ſplendida: geſtus & motus corporis ita uenuſtus, ut tamen ad forũ, nõ ad ſcenã inſtitutus uideretur. Incitata & uolubilis, nec ea redundans tamen, nec circumfluens oratio.*

Tranſit ad imitationẽ. Vidi ſtatim indolem.] *Εὐφυΐαν, id eſt ingenij naturæq́; bonitatem, Græci uocãt.* Neque dimiſi tempus.] *Hoc eſt, nõ prætermiſi occaſionem, & cũ ſum cohortatus, nõ ut iret ad iſtos magiſtros artis rhetoricæ, quos minime laudabã, ſed ut forũ ſibi ludũ ſcholamq́; putaret eſſe ad diſcendũ: magiſtrũ autem quem uellet, eligeret ad imitandum: me quidẽ ſi audiret, id eſt ſi mihi monenti morem gereret, L. Craſſum, qui ſummus erat in ciuitate, quoq́; præſtantiorẽ neminem poſſet imitari. Vt erat adoleſcentis eximius amor diſcendi, continuo monitus meos arripuit, atque etiã addidit, me quoque ſibi magiſtrũ futurũ, non quo idoneus ſim magiſter, ſed addidit gratiæ cauſa, id eſt uirtutis eius, quæ & uenuſtatem, et amicitiã, et accepti beneficij remunerationem quærit. Multa quidem ſignificat gratia, quæ quidem hic accipere omnia, non erit abſurdum. Vix annus interceſſerat, hoc eſt interea lapſus erat, ab hoc ſermone cohortationis meæ, id eſt poſtquam iuuenem allocutus eſſem, & cohortatus, cum iſte accuſauit C. Norbanum defendente me. Incredibile eſt, quid intereſſet inter eum qui tum erat, & qui anno ante fuerat. Q. Seruilius Cæpio uictus à Cimbris, caſtriſq́; binis exutus eſt, octoginta millia hominum cæſa, calonum ac lixarum quadraginta millia. Norbanus Tribunus plebis in eum turbulentas habuit actiones, adeo ut Cæpioni abrogatũ ſit imperiũ, & damnati bona publicata ſint. Norbanũ Sulpitius, quòd de Cæpione egiſſet turbulentius, maieſtatis accuſauit. Accuſationem hanc laudat Antonius. Dicat aliquis: In illud genus eũ Craſſi magnificũ atque præclarũ natura ipſa ducebat. Fuit Sulpitius (inquit Cicero in Bruto) uel maxime omnium quos ego audiuerim, grãdis, & (ut ita dicam) tragicus orator. Occurrit, & de natura confitetur, eam ſatis fuiſſe negat. Natura ad genus Craſſi magnificum nõ ſatis proficere potuiſſet, niſi eodem, hoc eſt in idem genus et ſtudio et imitatione incidiſſet, atque ita dicere cõſueſſet, ut non aliter quã ducem ignari uiarũ oculo ſequũtur, tota mente Craſſum atque omni animo intueretur. Genus magnificum atque præclarũ dicit illud ſublimius, quod in tribus dicendi generibus ſummũ maximumq́; eſt, de quo multa ſcribimus in libro de Electione & oratoria collocatione uerborũ. Mens et animus differunt. Mens eſt ſuperior animi pars, ratione prædita. Animus & mentem & appetitum complectitur. À parte igitur ad totum progreſſus eſt.* ERGO *hoc ſit primum in præceptis meis, ut demonſtremus, &c.*] *Naturæ dona primas habent: ſed quia nõ ſunt in poteſtate noſtra, in præcepta cadere nõ uidẽtur. Imitatio igitur nõ ſimpliciter prima, ſed hic prima eſt in præceptis noſtræ poteſtatis. Imitaturo uidendum primũ, quem uelit imitari. Hoc, inquit, ſit primum in præceptis meis, ut demonſtremus quẽ imitetur ſtudioſus artis orandi. Demõſtrat igitur præſtantes eſſe imitandos, quorũ plerique ſimiles eſſe uolunt. Nam poſteaquam differentias oratorum ex imitandi uarietate diſtinxit, hanc quaſi ſummã collegit in uniuerſum, ſemper eſſe aliquẽ cuius ſe ſimiles plerique eſſe uellent. Vbi legerimus ducem, proximum eſt, ut quæ maxime excellunt in eo quem imitamur, ea diligentiſſime perſequamur. Perſequemur autem exercitatione, qua illum magiſtrum imitando effingemus, hoc eſt ſic exprimemus, ut exemplar referre uideamur. Exercitatio erit frequens dictio cauſæ declamatoriæ, uel etiam ueræ, ſed eius maxime quã ſtylus diligens poliuerit. Sic enim poſtea docet. Hanc ſimilitudinem qui imitatione aſſequi uolet, tũ exercitationibus crebris atque magnis, tum ſcribendo maxime perſequatur. Cauendum ne ſimus κακόζηλοι, at mali imitatores. Vulgus imitantium, ea quæ facilia ſunt. cõſectatur, in quibus nullũ imitandi fructum percipit. Arripit inſignia ac penè uitioſa, hoc eſt ea quæ inſigniter mouẽt audientẽ, adeo ut aut uitio, aut prope uitio dentur: cuiuſmodi eſt ingẽs hiatus, ac uaſta pronunciatio. De facilibus ponit exemplũ. Amictum, id eſt ueſtitũ. Statum, hoc eſt erectam corporis poſitionem. Motum, qui geſtus eſt. Hæc et ſimilia poſita ſub oculos, unuſquiſque nullo ferè negotio poteſt aſſumere: de quo Quintilianus in hanc ſententiam. Ingenij ſignũ in paruis præcipuum memoria eſt, proximũ imitatio. Nam id quoque eſt docilis naturæ, ſic tamen, ut ea quæ diſcit, effingat, non habitũ forte et inceſſum, & ſi quid in peius notabile eſt. Non dabit mihi ſpem bonæ indolis, qui hoc imitãdi ſtudio petet, ut rideatur. In uitioſis ponit oris prauitatem, & uerborum latitudinem, quã Fuſius acepit à Fimbria. De Fimbria Cicero de Claris oratoribus: C.*

Fimbris temporibus iiſdem ferè, ſed longius ætate prouectus, habitus ſanè (ut ita dicam) luculente patronus, aſper, maledicus, genere toto paulo feruidior atque commotior, diligentia tamen & uirtute animi atque uita bonus auctor in ſenatu. Idem tolerabilis patronus, nec rudis in iure ciuili, & cū uirtute tum etiā ipſo genere orationis liber: Idem ibidem: Multū ab iis (de Carbone filio, Q. Vario, Cn. Pomponio loquitur) aberat Q. Fuſius, tamē ex accuſatione M. Aquilij diligentia fructū ceperat. Hunc furere dicit, alludens ad nomen. Furius & Fuſius, quemadmodum Valerius & Valeſius, cōmutantur. Furit autem, qui amiſſa uoce, neruo nulla, praue uaſteq; dicere conatur. Nerui ſunt robur orationis. Oris prauitas, oris contorta deformitas. Verborū latitudo, uaſta ac ruſtica literarū expreſſio. L. Fuſius in imitandi genere duobus modis peccauit, nec deligere ſciuit cuius potiſſimum ſimilis eſſet, & in eo ipſo quem delegerat imitari etiam uitia uoluit. Duæ ſunt contrariæ uirtutes, optimum deligere, excellentiſſima quæque bona delecti perſequi. Quod cum fit, nō duo modo oratores, ſed permulti ſimiles inter ſe eſſe poſſunt. Imitatio cauſa fuit cur ſingulæ ætates extulerint, Id eſt celebrauerint inſigniaq; fecerint ſingula prope genera dicēdi. Vnū quidem multi imitando ſequebantur, & quanquam nonnihil inter ſe diſſimiles erant, tamen magna ex parte exprimebāt eum quem ſibi imitandum propoſuerant. Id eſſe uerum contendit in oratoribus græcis, latinos in exemplum ducturus, ſi quot græci, tot literarū monumenta reliquiſſent. Antiquiſſimi ſunt Pericles, Alcibiades, Thucydides: quos ſubtiles dicit, ab acutis ſententijs, ac ex alto ingenio depromptis: breues autem, quod in illis numero uerborū numerus ſententiarum reſpondeat. Aliter hic ſubtiles dicit, atque cum tenues & graciles dicimus eſſe ſubtiles. Non erat Pericles tenuis, ſed (ut ait Ariſtophanes) fulgurabat, tonabat, concitabat omnia. Conſecuti ſunt Critias, Theramenes, Lyſias: qui retinerent illum Periclis ſuccum, id eſt, multarum ſententiarum copiam, ſed eſſent paulo uberiore filo, hoc eſt abundantiore genere dicendi. Exortus eſt Iſocrates poſteriorum magiſter, cuius diſcipuli partim in pompa, id eſt in oratione ſophiſtica & quieta, aut in hiſtoria, Theopompus, Ephorus, Philiſtus, Naucrates, floruerunt: partim in acie & genere forenſi, ut Demoſthenes, Hyperides, Lycurgus, Aeſchines, Dynarchus, illuſtres eſſe uoluerūt. Poſteaquam extinctis his & mortuis, omnis eorum memoria ſenſim obſcurata eſt & euanuit, alia quædam dicendi minus uirilia, & laxiora genera uiguerunt: in quibus fuerunt Demoſthenes, & Phalereus Demetrius, oratorum ſuæ ætatis politiſſimus. Apud Aſiaticos floruere duo fratres, Menecles, et Hierocles, quos ut principes tota imitata eſt Aſia. De Pericle, Thucydide, Theopompo, Ephoro, Demoſthene, Hyperide, Aeſchine, ante diximus, nec toties idem referre lubet, ubi rhetorica potius quàm hiſtoria tractanda eſt. Alcibiades tātus fuit orator, ut Theophraſtus illū inueniendi facultate cunctis Athenienſibus ante ponendum cenſuerit. Teſtis eſt Plutarchus in Alcibiade, de quo plura apud eū legere poſſis. Critias unus fuit è triginta tyrānis Athenienſium, de quo Cicero facit mentionem Tuſcu. prima, et Plutarchus in Alcibiade. Alius orator, alius ſtatuarius. Theramenes alius ſophiſta, qui ſcripſit declamationes, & de ſimilitudinibus & figuris orationis. Alius ſapiens & fortis, quem Critias et tyranni, ueneno mori iuſſerunt. Lyſias orator ſubtilis & elegans, cuius orationes aliquot extant graciles quidē, ſed neruoſæ atque robuſtæ. Lycurgus alius legum lator, alius rex Thraciæ, alius orator Athenienſis Lycophronis filius, de quo Cicero nunc loquitur. Dynarchus orator Athenienſis tempore Demoſthenis, hiſtoriā rerū geſtarum ſuo tempore, non tam hiſtorico, quā oratorio genere perſcripſit. Demetrius Phalerius Theophraſti diſcipulus, primus flexit orationem, & eam mollem teneramq; reddidit, et ſuauis maluit uideri quàm grauis. Hæc Cicero in Bruto. Alabanda urbs eſt Cariæ. Hierocles, & Menecles Aſiaticorum rhetorum principes fuerunt. Cicero in Oratore: Tertium eſt genus in quo fuerunt fratres illi Aſiaticorum rhetorum principes, Hierocles & Menecles, minime mea ſententia contemnendi. Philiſcus alius eſt ab eo hiſtorico Syracuſio, de quo ſupra diximus. hic Mileſius tibicen audijt Iſocratem, tandemq; permulta ſcripſit. Audijt eundem Naucrates, & libros reliquit. Dicat hic aliquis, Conſtat Lyſiam gracilem & tenuem fuiſſe. id orationes eius indicant, & Cicero confirmat. Is igitur ſi Periclem imitabatur, Pericles erat tenuis ac humilis. Non ualet connexio. non hoc dicit, eos omnino ſimiles fuiſſe, ſed differre naturis, uoluntate ſimiles eſſe. Natura Perili grauior fuit & ſeuerior, Lyſiæ autem lenior, et tranquilla magis. Natura præter imitationem elucent in oratione. Ludus eſt ſchola. Equus troianus à Græcis extructus eſt ad excidium Troiæ: de quo Virgilius Aeneidos ſecundo:

Ductores Danaum tot iam labentibus annis,
Inſtar montis equum diuina Palladis arte
Aedificant, ſectaq; intexunt abiete coſtas.
Votum pro reditu ſimulant, ea fama uagatur.
Huc delecta uirum ſortiti corpora furtim
Includunt cæco lateri, penituſq; cauernas
Ingenteis, uterumq; armato milite complent.

Principes exierunt.] Alludit ad Græciæ principes, qui latebant in equo. In pompa, in acie.] Translatio à certaminibus ludicris, & hoſtili prælio. In genere ueritatis.] Veritatē accipi uult, bonū uerumq; dicendi genus. Memoria euanuit.] Quomodo eorū memoria euanuit, quæ etiamnum floret? Suppreſſa fuit ad tēpus, quēadmodū optimi quique ſcriptores noſtra patrumq; memoria. HANC igitur ſimilitudinē qui imitatione aſſequi uolet, &c.] Optimos eſſe diligendos: quos elegeris, exercitatione aſſequendos: uirtutes eorū, nō uitia capeſſenda: ab acutis acutos, à principibus principes, à mollibus molleis oratores formari, inſtituiq; demōſtrauit. Iterū de exercitatione facit mentionē, ut quā maxime probet, adoleſcētes intelligāt, et inde prōptius atque melius cōficiant orationē. Hanc ſimilitudinem. i. ſimilē orandi uirtutē, qui imitatione aſſequi uolet, tū exercitationibus crebris, tū ſcribēdo maxime proſequatur. Exercitationes, ut declamationes crebra gignūt habitū et celeritatem: magne, ſublimē dignitatē: ſcripta, accuratū genus orationis. Id quale ſit, pluribus demonſtratū eſt lib. I. Præter alias utilitates quas affert ſtylus, hoc etiā parit cōmodi, iuuenilē redundantiā luxuriamq; depaſcit. Si familiaris noſter Sulpitius, quē ut ante, nūc etiā monitū uolumus, ſtylū dicendi magiſtrū exerceret, multo etiā oratio eius eſſet preſſior, hoc eſt cōpoſitior atque limatior. In qua nūc interdū, quando in ſummā ubertatē ſe profundit iuuenilis ingenij fœcunditas, ineſt luxuries, & redundantia quædā, quæ ut pecore ſeges, ſic ſtylo depaſcenda eſt. Quid libro de claris Oratoribus dicit hunc nō redundare? Hic Antonius loquitur, illic Cicero: nō eſt eadem ratio perſonarū. Inter ubertatē et luxuriā uult eſſe differentiam. Vbertas ſolū copiā, luxuries copiā nimis abundantē ſignificat. Me quidē recte mones.] Bonus adoleſcens et docilis habet gratiā monenti, malus autē excandeſcit reprehenſus. Sed ne te quidem.] Non retorquet uitiū Sulpitius, ſed nititur argumento ſimilitudinis ad excuſationem, fieri poſſe ut Antonij more quis aut nihil aut parū ſcribendo bonus ſit orator. Antonius reſpōdet, ac ſi dānaret Sulpitius ipſum, qui quod ipſe non faceret, alijs eſſe faciendum prædicaret. Negat Antonius id ſe nō facere: & ſi nō faceret, poſſe ſe tamen alijs præcipere quæ ſibi ipſi deſunt. Nam præcepta dare, quā exequi data, multo facilius eſt. Sic duplex opponitur ſolutio. poſteriorē firmat exemplo ſimili. Quemadmodum nullas tabulas cōficere exiſtimor, etſi ex re familiari mea, hoc eſt œconomia & laudabili adminiſtratione domus, me conficere tabulas iudicari poteſt: ſic nullam ſcribere orationem uideor, etſi ex eo quod dico, ſtylum exercere me conijcere facile eſt. Tabulas dicit commentarios

mentarios

mentarios domeſticos, in quos olim patresfam. expenſa & accepta rationesq; totius domus referebant. Quantulum id cunque eſt.] Modeſte de ſe locutus eſt, diuiſitq; uerbum quantulumcunque. Iam quod imitationem retulit in præcepta, ne quis eſſe neceſſariam exiſtimet, fatetur eſſe multos qui neminem imitentur : ut ſit hæc ratio præcepti, utile quidem eſſe optimum aliquem imitari, niſi ad aliud præclarũ tua te ferat natura: quod Iulio Cæſari, Cottæ & Curioni dicit accidiſſe. Cæſar Catuli frater, inuſitatum Romanis oratoribus leporem quendam & ſalem ſuapte natura eſt conſecutus: quæ cauſa fuit cur eũ de ridiculis in hoc libro Cicero fecerit diſputantem : de quo ſic in ſuo Bruto : Feſtiuitate igitur & facetijs C. Iulius L. F. & ſuperioribus et æqualibus ſuis omnibus præſtitit, oratorq; fuit minime ille quidem uehemens, ſed nemo unquam urbanitate, nemo lepore, nemo ſuauitate conditior. Inueniebat acute Cotta, dicebat purè & ſolute. Nihil erat in eius oratione niſi ſyncerum, nihil niſi ſiccum atque ſanũ. ad infirmitatem laterum, & ad uiriũ imbecillitatem, dicendi accõmodabat genus. Sulpitius Craſſum uolebat imitari, Cotta malebat Antonium. ſed ab hoc uis aberat Antonij, Craſſi ab illo lepos. Qui fieri poteſt, ut Cotta neminem, & Antoniũ ſit imitatus ? Conatus eſt, ſed aſſequi uirum nó potuit, ideoq; perinde fuit, ac ſi neminem imitatus eſſet. De Curione Cicero de Claris oratoribus : Erat quibus uideretur illius ætatis tertius Curio, quia ſplendidioribus fortaſſe uerbis utebatur, & quia latine nó peſſime loquebatur, uſu credo aliquo domeſtico : nam literarum admodum nihil ſciebat. Illic ſplendida, hic grauia ac elegãtia uerba dicit. Nam quæ rerũ pondere grauia ſunt ac pulchra, inter cætera facile ſplendeſcunt. A' Curione prouerbiũ eſt: quo quis dicitur Curione obliuioſior. De Curione patre, ſuo tempore eloquentiſſimo, idem in eodem libro : Curio fuit igitur eiuſdem ætatis ferè, ſanè illuſtris orator, cuius de ingenio, ex orationibus eius exiſtimari poteſt. Sunt enim & aliæ, & pro Seruio Fuluio de inceſtu nobilis oratio. Scripſit etiam alia nonnulla, et multa dixit & illuſtria, et in numero patronorum fuit. De centumuiris ante diximus. Fratres pro quibus dixit orationem Curio, fuerunt ex antiqua familia Coſſorum, in qua maxime claruit ille Cornelius Coſſus, qui tribunus militum, occiſo Volumnio rege Veientium, opima ſpolia ſecunda retulit. VERVM ut aliquando ad cauſam deducamus illum, quem conſtituimus, &c.] Qui natura donis ad orandi munus præditus eſt, & literis atque uulgaribus rhetorum præceptis tinctus, optimum ducem potuit imitari : uidetur idoneus, qui deducatur ad cauſas, nó illas pueriles aut quietas, in quibus uerſantur, qui dicuntur ſophiſtæ, ſed iudiciales, plenasq; contentionis, in quibus pluſculum, id eſt, aliquanto plus eſt negotij & difficultatis. Venit igitur ad aliam præceptionem de cognoſcendis penitus cauſis, quas erit acturus apud diſceptatores. Quòd autẽ nemo uidetur agere poſſe cauſam quam neque animo concepit, neque cognouit, ueretur ne ſit hoc præceptum ridiculum. Rem igitur præmunit hoc uerborum propugnaculo. Riſerit aliquis fortaſſe hoc præceptum. Eſt enim non tam acutum, & ingenio ſubtili diſcuſſum, quàm neceſſarium, magiſq; monitoris non fatui, quàm eruditi magiſtri. Fatuus eſt inſipidus, & inconditus. hinc & betæ à Martiale fatuæ dicuntur. Significat his uerbis ſapere ſe, nec tam ualere doctrina & arte, quàm uſu & exercitatione. Videtur etiam dici poſſe, nullum de cognoſcendis cauſis dandum eſſe præceptum, cum ſit hoc adeo facile et promptum, ut in ludo declamatorio pueri themata materiasq; facile cognoſcant. Soluit iſtuc argumento à differentia, cauſas et argumenta declamationum facilia ad pueros deferri, cuiuſmodi eſt hoc & Græcis & Latinis rhetoribus agitatum : Lex peregrinum uetat in murum aſcendere. aſcendit, hoſtes repulit. accuſatur. nihil eſſe difficultatis cauſam tam facilem cognoſcere. recte igitur ludimagiſtros de cauſa diſcenda nihil præcipere : longe difficiliores eſſe ueras cauſas, quæ ad oratores deferuntur, in quibus tabulæ, teſtimonia, pacta, conuenta, ſtipulationes, cognationes, affinitates, decreta, reſponſa, uita denique eorum qui in cauſa uerſantur, tota cognoſcenda eſt. Tabulæ, ut iam diximus, ſunt omnia inſtrumenta literarum. Teſtimonium aliquando dicitur, omne quod ab aliqua re externa ſumitur ad faciendam fidem. ſic accipit Cicero in Topicis. Aliquando, quod à teſte confirmatur. Pactum, quod inter aliquos conuenit. Conuentum, auctore Vlpiano, ad omnia pertinet de quibus negotij contrahendi tranſigendiq; cauſa conſentiũt qui inter ſe agunt. Bona pars doctiſſimorũ nihil intereſſe putat. ueteresq; pro eodem dicere ſolitos, pacta, conuenta, quaſi unum uerbum eſſet, exiſtimat. Stipulatio, obligatio quæ contrahitur ex interrogatione & reſponſione, cũ, quid dari, fieri ue nobis ſtipulamur. Cognatio, propinquitas eorũ qui nobis uel paterno uel materno ſanguine cõiuncti ſunt. Affinitas, propinquitas matrimonio contracta. Decretum, aliud eſt principis, aliud iudicum. decretum igitur, quod uel princeps, uel iudex de re controuerſa cognoſcens conſtituit. Dicitur etiam decretum ſenatus, pro ſenatuſconſulto. Reſponſum eſt, prudentiũ uirorũ in rebus ambiguis interpretatio. Hæc omnia frequenter uerſantur in cauſis maxime priuatis, ubi de iure perſonarũ uel rerum agitur citra publicam diſceptationem. Ne fruſtra uideatur hoc tradidiſſe præceptum, refert ambitionem & negligentiam quorundam cauſidicorum ſui temporis: qui cum ueniſſent in forum, huc illuc uolitabant oſtentatores glorioſi, ut operam ſuam multis præſtare uiderentur, & ſæpe cupide atque temere dicebant cauſas incognitas. In quo eſt illa quidem magna offenſio culpæ uel negligentiæ ſuſceptis rebus, uel perfidiæ receptis. Recipimus rogati, ſuſcipimus ultro. Recipimus parua, ſuſcipimus magna. Cicero quinta actione in Verrem : Ego tamen hoc onere ſuſcepto, & recepta cauſa Siciliensi, amplexus animo ſum aliquãto amplius. Suſcepi enim cauſam totius ordinis, ſuſcepi cauſam populi R. Si quis recepit cauſam rogatus, illamq; prodidit ignarus controuerſiæ, perfidus eſt. ſi ſuſcepit ultro, non eſt perfidus, qui fidem non dedit: ſed negligens, qui iuſtum non impendit laborem. Eſt illa maior offenſio, ut Antonius opinatur, quod nemo poteſt ea de re quã ignorat, nó turpiſſime dicere. Cur hoc reuocauit ad opinionem ſuã? Difficile eſt iudicare, an plus offendat homines oratoris negligẽtia ac perfidia, an actio turpiſſima. Perfidia certe deterior eſt natura. Quid enim peius uitio morũ? Sed actio mala uidetur audientem plus offendere. Inertiæ, id eſt negligentiæ ſiue deſidiæ uituperationem, quæ maior eſt quã tarditatis: cõtemnunt, hoc eſt nó fugiunt: aſſequũtur illam quã magis ipſi fugiunt tarditatem. Non enim poſſunt ignota de re expedite uolubiliterq; dicere. Quid ita, metuũt tarditatis uituperationem, non inertiæ? Volunt ingenioſi uideri : quãobrem de re neque laboraſſe ſe, neque cogitaſſe dictitant, et illã tamen extempore & celeriter abſoluiſſe. Tarditas in dicendo nó eſt peior inertia. Inertia ſemper uitiũ eſt, tarditas ſæpe laudabilis. EQVIDEM ſoleo dare operã, ut de ſua quiſq; re me ipſe doceat, etc.] Qui cauſam tractat incognitam, ſæpe cadit in uitium perfidiæ, negligentiæ, tarditatis, & temeraria quandam præ ſe fert oſtentationem. quare prius diſcenda controuerſia, quã apud iudices orare incipias. Hoc itaque poſito, quærendũ uidetur qua ratione lis poſſit optime cognoſci. Quid faciat ipſe, quia non artem, ſed uſum ſuum polliticus erat, oſtendit. Equidem ſoleo adhibere diligentiã, ut de ſua quiſque cauſa me ipſe doceat, non modo quia rem melius nouit, ſed etiam quia aperit illud in quo putat eſſe ſummũ præſidium, et docendo planũ facit quo maxime turbetur affectu. Arbitros omnes remoueo, quo liberius loquatur, et quæ palã dicere nó audeat, mihi ſoli tuto ſecureq; cõmittat. Hoc modo ſcio, quæ pars cauſæ laboret, quæq; ſit ſana. Soleo quoque agere aduerſarij cauſam, ut ille cuius partes ſuſtineo, agat ſuã : & quidquid de ſua re cogitarit, in mediũ proferat. Sic enim partis

bus oppoſitis, & ordine conſtituto, omnia ueniunt in mentem. hæc eſt ratio cognoſcendæ cauſæ à litigatore. Altera ſubtilior eſt, inueſtigatio patroni apud ſe, qui & multa ex arte inuenire poteſt, & delata uel augere ue minuere, uel digerere, uel aliquo pacto facere meliora. Cum diſceſſit litigator, & ſi unus ſolusq; maneo, tres tamen perſonas ſuſtineo, hoc eſt trium officia perſonarum inſpicio. Ago enim meam, aduerſarij, iudicis : nō ut ij qui ſibi blandiuntur, et nihil æquū putant niſi quod ipſi cupiūt: ſed rem omnē perpendo ſumma animi æquitate, ſummaq; iuſtitia. Sic enim uideo quid pro me dicendū ſit, qua uia aduerſario occurrendū, quò flectendus iudex, aut unde auertēdus. Qui locus, id eſt, quæ pars, talis eſt, ut plus habeat adiumenti, quā incōmodi : hanc iudico eſſe dicendam. Dicenda quidem ſunt & ea, quæ ſi non ualent ſola, cū alijs tamen iuncta ferunt opem. Vbi plus mali quàm boni reperio, hoc totum abiudico, hoc eſt adhibito iudicio reijcio. Hac inueſtigatione cauſæ aſſequor, ut alio tēpore cogitem quid dicam, & alio dicam. Quæ duo plerique ingenio freti, et extemporali dicendi facultate, ſimul faciunt. Dicet aliquis, quid ſi facere poſſint? Reſpondit : Certe ydem illi melius aliquanto dicerent, ſi aliud ſumendum ſibi tempus ad cogitandum, aliud ad dicendum putarent. Quid ſi ſæpe dicendū eſt ex tempore? Si nos eò ducat neceſſitas, illi pareatur. Si nulla ſit neceſſitas, cur fallaci fortunæ credere malimus, quā maturo cōſilio? His diligenter exploratis, genus et ſtatus cauſæ quærendus eſt, in quo ſtat cōtrouerſia, quoq; refertur omnis diſputatio. Statū inuenire facile eſt, ei qui rem penitus cauſamq; cognouit. Res eſt, de qua agitur cauſa, de re cōtrouerſia. Qui perſpicit utrāque, ſtatim uidet animo, quæ ſit cauſa ambigui, id eſt quæ ſit ratio quæſtionis. In omnibus cauſis ambigui, ſiue in omnibus cōtrouerſijs, de quibus ambigue contenditur, aut quid factū ſit, aut fiat, futurum' ue ſit, quæritur, aut quale ſit, aut quid uocetur. Tres igitur ſtatus: unus cōiecturalis, præteriti, præſentis, et futuri tēporis: alter qualitatis: alius finitionis : de quibus nimiū multa diximus in primū librum. Genera cauſarū tria ſunt genere, plura ſpecie. Aliæ quidem iudiciales ſunt, & hæ duplices. aut enim ex crimine cōſtant, ut facinoris & flagitij, ſicut cauſæ repetundarum: aut ex cōtrouerſia citra crimē, ut hæreditatis. Aliæ ſunt deliberatiuæ, ut belli : aliæ laudatoriæ, quæ perſonæ laude conſtant, aut uituperatione: aliæ philoſophicæ, in quibus diſputatur in utramque partem, ut de ratione uiuendi. Hæ ſæpius uerſantur in quæſtione generis uniuerſi, quæ dicitur infinita. A C. noſtræ ferè cauſæ, quæ quidem ſunt criminū plerunque, &c.] Cognita cauſa, uidendum genus: genere noto, ſumendus eſt ſtatus, qui cum ſit triplèx, nō omnis in omnes cauſas cadere poteſt. Legendus eſt igitur is quo maxime niti uelimus, aut aliquis neceſſario tenendus. Noſcenda deinde cuiuſque conſtitutionis proprietas. Ea de re à genere ad ſtatum, à ſtatu ad rationes defenſionū progreditur. Noſtræ ferè cauſæ, id eſt eæ, quas oratores ſæpe dicimus, ſi ſunt criminū & maleficiorū, plerūque inficiatione ſiue negatione defenduntur. Quamobrem ſtatū cōiecturalem in quo ferè ſunt, dixere inficiatoriū, qui omniū tutiſſimus eſt. Excepit dicendo ferè, quia ſunt qui fatentur crimen, ſed illud aliò deriuant, aut uirtute compenſant. In cauſis de pecunijs repetundis neganda ferè ſunt omnia: non eſſe captam pecuniā in prouincia, de iure dicundo, de augendis aut diminuendis uectigalibus, de mutandis legibus, de hominibus iniuria uel ſeruandis, uel necandis. Multis modis prouinciæ magiſtratus, à ciuibus extorquere pecuniam poteſt. Quid ſi confiteatur uno aut altero modo iniuria confeciſſe nummos, qui poterit eius cauſa bona uideri? Cauſæ de pecunijs repetundis inuentæ ſunt pro ſocijs populi Romani, aduerſus gubernatores prouinciarum. Maxime dicuntur, non modo quia multa repetuntur, ſed etiam quia maxima res eſt uniuerſam prouinciam contra uirum paulo ante honore & magiſtratu ſpectabilem contendere, ut omni dignitate ſpoliatus, & auctionem bonorum paſſus propellatur extorris. Cauſæ de ambitu, repertæ ſunt in candidatos & petitores honorum, qui largitione ſuffragia tribuum corrumperent. Ambitus eſt, cupiditas honoris, qui per corruptelam inuaditur. Defenduntur controuerſiæ de ambitu duobus modis, aut negando ullam factam eſſe largitionem : aut ſi negari non poteſt, liberalitatem ac benignitatem ab ambitu atque largitione ſeiungendo, hoc eſt, fatendo quidem data eſſe dona, non ad ambitum, ſed ad liberalitatem ac benignitatem. quæ ratio defenſionis eſt difficilis. Benignitas idem eſt quod liberalitas. Liberalitatem ante finiuimus. Cur difficile eſt ambitū et liberalitatem ſeiungere? Quia etiamſi liberalis donaſti, populus tamen in malā partem interpretatur, animū tuum nō uidet, et illum ſi explices, tibi nō adhibet fidem. De ſicarijs, de ueneficijs, de peculatu inficiari neceſſe eſt. Quam enim defenſionem prehendet is, qui nulla cauſa iuſta hominem à ſe ferro cæſum, aut ueneno ſublatum, aut pecuniam publicam auertiſſe ſe fatebitur? Sicarius à ſica dicitur, qui ferro telo'ue hominem iniuria necat. Veneficus, qui ueneno. Peculatus, furtum pecuniæ publicæ. Pecuniā dico, omne genus poſſeſſionis. Id eſt igitur genus primū cauſarum in iudicijs ex cōtrouerſia facti, id eſt coniectura prima eſt in iudicialibus cauſis, qua factum ſit nec'ne quod obijcitur, quæritur. Iudicia autem ſunt de rebus præteritis : deliberationes de futuris, rarò de inſtantibus, hoc eſt præſentibus, aut factis, hoc eſt præteritis. De futuris, an bellum decernendum ſit in Antonium? de præſentibus, an Decius Brutus Mutinæ fame premitur, de præteritis, an Antonius abuſus ſit commentario Cæſaris? Qui dixere deliberationes omnes eſſe de futuro, intellexerunt omnis conſilij finem ad futurum contendere, non autem de præſentibus aut præteritis nunquam conſilia capi. Tempus inſtans dicimus, quod abeſt, quodq; prope eſt, ſiue ſit iam præteritū, ſiue mox futurum. In præſentia (ut uult Ariſtoteles) non tempus habemus, ſed τὸ νῦν, atque momentum. Inſtat igitur, quidquid temporis dicitur eſſe præſens. Redeamus ad ſtatum. Coniectura in iudicijs eſt præteriti, in deliberationibus eſt futuri, nonnunquam inſtantis aut facti. Alius eſt ſtatus qualitatis, nō in quo res an ſit nec' ne, ſed qualis ſit quæritur. Hic iure factum defenditur aut abſolute, aut κατὰ λόγον, ut cū L. Opimiū conſulem, qui C. Gracchum interemerat, reum defenderet Carbo, nihil de C. Gracchi nece negabat, ſed id iure pro ſalute patriæ factū eſſe dicebat. C. Gracchus Tyberij frater, tribunus pleb. eloquentior quā frater, pernicioſas aliquot leges tulit, inter quas frumentariā, ut ſemiſſe & triente frumentū plebi daretur. alterā agrariam, quā frater eius tulerat. tertiam, qua equeſtrem ordinem cum ſenatu conſentientem corruperat : & continuato in alterum annū tribunatu, legibus agrarijs latis effecit, ut complures coloniæ in Italia deducerentur, & una in ſolo diruta Carthaginis, quò ipſe triumuir creatus coloniā deduxit. Seditioſo tribunatu acto, cum Auentinum armata multitudine occupauiſſet, à L. Opimio conſule ex ſenatuſconſulto, uocato ad arma populo, pulſus interemptusq; eſt. L. Opimium accuſauit Q. Decius tribunus plebis, defendit C. Carbo conſul. nihil de nece negauit, nec enim poterit, factā pro ſalute patriæ dixit. Tyberius Gracchus tribunus plebis, agrariā legem tulit, ne quis ex publico agro pluſquam decem iugera poſſideret. Promulgauit et aliā legem agrariā, qua ſi quis latius agrū patefaceret, ut triumuiri iudicarent, quà publicus ager, quà priuatus eſſet. Ad hæc legem ſe promulgaturum oſtendit, ut ijs qui Sempronia lege agrū accipere deberent, & non accepiſſent, pecunia quæ regis Attali fuiſſet, diuideretur. Tot indignitatibus cōmoto ſenatu, cum iterū tribunus plebis creari uellet, auctore Publio Cornelio Naſica in Capitolio à primatibus occiſus eſt, ictus primum fragmentis ſubſelliorū : & inter alios qui in eadem ſeditione occiſi erāt, inſepultus eſt in flumen proiectus. Caius Carbo, qui tum popularis erat, ut tribunus plebis, cū rogationem tuliſſet, ut eundem

tribunum

tribunum plebis quoties quidem uellet, creari liceret: rogationem eius P. Africanus grauiſſima oratione diſſuaſit, qua dixit Tyberium Gracchum iure caſum uideri. hæc ferè ex epitome Flori. Videamus deinceps quæ poſſint iure defendi. Eorum genera tria conſtituit. aut enim factum oportuit, aut fieri licuit, aut neceſſe fuit, aut imprudentia caſu'ue factum eſt. Si factum oportuit, ſtatus eſt iuridicialis abſolutus, qui rectè per ſe quæſtionem continet. Oportere enim, perfectionem declarat officij, quo et ſemper utendum eſt, & omnibus. Si non oportuit, ſed tantum licuit, ſtatus eſt qualitatis, qui dicitur aſſumptiuus quia deriuat alid crimen, culpamq́; transfert. Licet enim, quod lege permittitur, ut nocturnum furem occidere. Si neceſſe fuit, ſtatus eſt qui Conceſſio & purgatio dicitur à quibuſdam. Nam factum purgatur adducta ui neceſſitatis, ut abſentia eius qui morbo retardatus eſt. Quòd autem caſus & imprudentia habent quãdam neceſſitatem, ſolent eodem referri. Hæc fuſius exponeremus, niſi ſatis aperte traddidiſſet, ſecundo libro de Inuentione, et nos iiſdem de rebus ante dixiſſemus. IAM *quid nocetur, quæritur, cum quo uerbo quid appellãdum ſit, &c.*] *Status definitionis ſecundo loco poni ſolet, propterea quòd natura prior eſt quæſtio, quid eſt? poſterior, quale eſt? Nam οὐσίαι, quæ ſubſtantiæ dicuntur à noſtris, priores ſunt accidentibus. Hunc ſtatum tertium fecit, quòd alijs breuiter expeditis, de illo plura dicturus erat, quodq́; negare factum, & factum confiteri, ſunt oppoſita, quorum diſciplina aptiſſime coniungitur. In ſtatu coniecturali factum negatur, in abſoluto conceditur. Definitionis proprium eſt, explicare quid res ſit. quamobrem in ſtatu definitionis non eſt controuerſia de uerbo, ſed de re quo debeat nomine uocari. Eo ſtatu continetur illa cauſa Norbani, de qua paulo ante dicebamus. Accuſat enim Sulpitius Norbanum, quòd is tribunus plebis habuerit turbulentas conciones contra Quintum Cæpionem, quibus imminutam populi Romani maieſtatem eſſe contendit. Antonius fatetur, Norbanum concionem aduocaſſe in Cæpionem, multa egiſſe grauiter, populum ſic excitaſſe, ut Cæpione damnato bona publicaret ab illo maieſtatem imminutam negat, ex quo uerbo lege Apuleia tota illa cauſa pendebat. Apuleius tribunus plebis legem tulit, ut ſi quis publicam maieſtatem minuiſſet, id ei capitale eſſet. idem ſancitum erat lege duodecim tabularum. Eandem legem tulit Iulius, ut uidemus in Pandectis ad legem Iuliam maieſtatis, ubi ſic Vlpianus: Maieſtatis crimen eſt illud, quod aduerſum populum Romanum uel aduerſus ſecuritatem eius committitur. Exponit ibidem, qui læſæ maieſtatis lege teneantur, in quibus eum ſtatuit, cuius opera cœtus conuentus'ue fiat, homines'ue ad ſeditionem conuocetur. Tale quiddam in Norbanum dici potuit. Oportuit igitur definire, quid eſſet lædere maieſtatem. Quod autem definitio ſit oratio, quæ quid res ſit, breuiter explicat, præcipiunt nonnulli rhetores inexperti, ut uerbum illud quod cauſam facit, lucide breuiter uterque definiat. Lucide, quia definitio debet explicare quod inuolutum continet id quod definitur: Breuiter, ut nihil neque deſit, neque ſuperſit. Sic eſſe definiendum docet Ariſtoteles in Topicis, & omnes dialectici confirmant. Antonio uero perquã puerile uidetur ita definire: quia ut ait paulo poſt, redolet exercitationem penè puerilem. Ne tamen ſimpliciter improbet quod auctores magni probarunt, illam breuem & exactam definitionem hominibus doctis dialecticis atque philoſophis, copioſam magis oratoribus relinquit. Philoſophi in tractandis artibus breuiter & circumſcripte definiunt, ut, ars eſt comprehenſio præceptorum ad unum finem tendentium. lex eſt ſanctio ſancta, iubens honeſta, prohibens contraria. ciuitas, ut definit Ariſtoteles in Politicis, ſocietas eſt ex pluribus pagis conſtituta. In eiuſmodi definitionibus hoc præcipit ratio atque logica doctrina, ut uis & ſubſtantia eius rei quam definias, ſic exprimatur, id eſt uerbis exponatur, ut neque abſit quidquam, neque ſuperſit. Sic præcipit Ariſtoteles ſexto libro Topicorũ ad finem. Aliud finiendi genus uolunt controuerſiæ, ubi non ſolum genus & differentia, ſed etiam cauſa & uſus loquendi exponitur copioſe, ut ad captum indoctorum ſe accõmodet oratio. Quamobrem quãtum uterque horum potuit, omni copia dicendi dilatauit quid eſſet maieſtatem minuere. Tribus de cauſis uitanda in iudicio definitio breuis atque dialectica. Prima eſt, reprehenſo uerbo uno, aut addito, aut dempto, ſæpe extorquetur è manibus: ut ſi dicas non eſſe poſitum uerum genus & proximum, aut non inductam generi differentiam, aut non eſſe propriũ quod dictum eſt, aut deeſſe aliquid quod erat neceſſarium, aut contra redundare quidquam. In his enim plurimum dialectici altercantur, cũ uideant Ariſtotelem ea de re multa uerba feciſſe in τοπικοῖς libris, in quibus exempla multa reperies: quæ ideo tranſcribenda non duxi, quòd hic logica non tractarem. Altera cauſa eſt, Definitio genere ipſo doctrinam redolet; exercitationemq́; penè puerilem, hoc eſt, ut genus eius eſt, & natura atque notio, ſcholam ſapit, & uſum quendam logicum tenuiter definiẽdi, qui à more & grauitate cauſarũ multum recedit. Mos enim fuit temporibus Antonij, in agendis cauſis non oſtentare doctrinam. Tertia eſt, Definitio peranguſta in ſenſum & in mentem iudicis intrare non poteſt. ante enim præterlabitur & effugit, quàm percepta eſt. Senſus hic intelligitur, uis animi interior, cui audita primum committit auris. à philoſophis ſenſus communis appellatur. Mens, uis intelligendi, νοῦς dicitur à Græcis.* Sed *in eo genere in quo quale ſit quid ambigitur, etc.*] *Quemadmodum ius omne aut ſcriptum eſt, aut non ſcriptum, ἔγγραφον ἢ ἄγραφον, ita omnis controuerſia uel ſcripto uel non ſcripto continetur.[i] In his quæ ſcripta non ſunt, ſtatus rationales eſſe dicuntur: cum de ſcriptis ambigitur, legales. Hi quidem ſubijciuntur rationalibus, &, ut Antonius ſentit, ad qualitatem referuntur. Vnum eorum genus ponit ambiguum,[i] quòd omnis de ſcripto contentio ex ambiguo naſci uidetur. Subijcit illi duas ſpecies, ambiguitatem ex ſcripto & ſententia, dubitationem ex contrarijs ſcriptis. Quam ponunt amphibologiam, tanquam ſpeciem refer ad ſcriptũ & uoluntatem. In eo genere, in quo quale quid ſit ambigitur, id eſt in iudiciali ſtatu, exiſtit & exoritur contentio, qui oporteat ſcriptum, ut teſtamentum, chirographũ, diploma, decretum, legem, interpretari. In ſcripto nulla poteſt eſſe niſi ex ambiguo controuerſia. Ambiguum eſt, quidquid in duos plures'ue ſenſus uerti poteſt. Ambiguum quoddam eſt, in quo ſcriptum à ſententia diſcrepat, et aliud noluiſſe qui ſcripſit, aliud ſcriptum ſonare uidetur. Interdictum eſt, Vnde hominem ui deieceris tu, aut familia tua, aut tuus procurator, eò reſtituito. Qui hominem ab agro reiecerat, nõ deiecerat, ut Cecinnam Ebutius, uocatus eſt in ius. uſus eſt ſcripto, Non deieci. aduerſarius uoluntate, tam interdicto teneri qui ui reijcit, quàm qui deijcit. Hic genus eſt quoddam ambigui, quod tum explicatur cum ea uerba quæ deſunt, ſuggeſta, id eſt, ſuppeditata ſunt: quibus additis, defenditur ſententiam ſcripti fuiſſe perſpicuam, hoc modo: Vnde hominem ui deieceris reieceris ue tu, aut familia tua, aut tuus procurator, eò reſtituito. Scripta ſæpe uidentur eſſe contraria, nec ipſo iure tamen ſunt: alioqui unum ab altero abrogatur. In his non nouum genus naſcitur, ſed ſuperioris, id eſt, ambigui in ſcripto et ſententia, cauſa duplicatur. nam duo ſcripta, duæ ſententiæ ſunt explicandæ. Idq́; aut nunquam dijudicari poterit ex iure, aut ita dijudicabitur, ut referẽdis præteritis uerbis, id eſt in ſerendis uerbis omiſſis, id ſcriptum quodcunque defendimus, ſuppleatur. Sit lex, Tyrãnicidæ imago in gymnaſio ponatur. & hæc: Mulier in gymnaſio ſtatuã ne habeat. Mulier tyrannum occidit, ſtatuam petit in gymnaſio. hic duæ leges etſi non ipſo iure contrariæ, cauſa tamen colliduntur & euentu. Refer uerba præterita, ut id ſcriptũ quod defendis, ſuppleatur. Tyrannicidæ utriuſq́; ſexus imago in gym*

ediſcere quoſdam locos pro teſtibus & contra teſtes, pro tabulis & contra tabulas, ut quoties erit occaſio, dictionibus inſerãtur? Scribit Quintilianus, quoſdam nec ignobiles in officijs ciuilibus, ſcriptos locos, memoriæq; diligentiſſime mandatos in promptu habuiſſe, ut quoties eſſet occaſio, extemporales eorum dictiones his uelut emblematis exornarentur. Improbat eorum inſtitutũ, propterea quòd ſummam uidebantur infirmitatem de ſe confiteri. Quid, inquit, ſi poſſunt in cauſis, quarum uaria ac noua ſemper eſt facies, proprium inuenire? quo modo propoſitis ex parte diuerſa reſpondere? altercationibus uelociter occurrere? teſtẽ rogare? qui etiam in ijs quæ ſunt communia, & in plurimis cauſis tractantur, uulgatiſſimos ſenſus uerbis niſi tãto ante præparatis proſequi nequeant? Vult igitur Antonius, ut iuuenes meditatas habeant ſententias pro teſtibus, tabulis, & reliquis, generis eiuſdem: non autem uerba compoſita memoriæ tradita, quibus eodem modo ſemper utantur. Id enim ridiculum foret, ſi quis unam uerbis iiſdem recineret cantilenã. Sententias quaſdam iuuenes, ut Sulpitius & Cotta, quibus longus proponitur uſus orandi, memoria teneant, quas alijs & alijs efferant uerbis pro conditione temporum & cauſarum. Locos, inquit, ò Cotta & Sulpici, multa commendatione, id eſt cogitatione, ſiue animi conceptione, multa meditatione, id eſt exercitatione, paratos atque expeditos habere debetis. Pro tabulis & contra tabulas, & item de cæteris rebus eiuſdem generis, duobus modis ſeparatim & definite ſolet dici. Separatim dicitur, quando non de ſingulis, ſed de uniuerſis agitur aut teſtibus, aut tabulis, aut quæſtionibus. Definite, quando agitur de ſingulis temporibus, hominibus, cauſis: hoc eſt, quando conferuntur in tempora, certa, in definitos homines, in quæſtiones finitas. Si dixeris, teſtibus magis quàm argumentis eſſe credendum, multa flagitia graſſaturum iri ſi teſtibus abrogata ſit fides, ſeparatim de genere uniuerſo locutus eris. Sin affirmaueris, Vatinio teſti nullam habendam eſſe fidem eo tẽpore quo detecta eſt hominis perfidia in hac cauſa cui ſit inimicus: definite propriéq; rem tractaueris. De confirmandis & infirmãdis teſtibus, tabulis, quæſtionibus, nulla dat hic præcepta, quia longum eſt ea, quæ his de rebus dici poſſunt, explicare. Pauca tradit Quintilianus in quinto libro, ubi ſic eorum multitudinem deprecatur: Nec tamen in animo eſt, omnia quæ aut pro his dici, aut contra dici ſolent, complecti. Non enim communes locos tradere deſtinamus, quod eſſet operis infiniti, ſed uiam quandam atque rationem. Antonius hæc relinquit ingenijs mediocribus, quòd arbitratur hominem bene natum & exercitatum ſine ulla arte inuenire poſſe quæ dicenda ſunt in hanc uel illã partem. Idem ſuo more præfert exercitationem: quæ ſi maxima eſt, haud dubie haberi debet artis ſummæ loco. Sunt igitur duæ res quæ locos communes excutiunt, & inde referunt materiam copioſam: ingenium, quod eſt naturæ: exercitatio, quæ eſt noſtri laboris. Dicet aliquis, Cur hæc ad præcepta referuntur, ſi arte non egent? Dixit ante, non egere præceptis ſuis, id eſt proprijs: arte communi, quæ traditur de conſilijs & iudicijs, poſſe tractari. Nunc idem confirmat, arte non egere teſtimonia, niſi eatenus, ut certis orandi luminibus ornentur. Dicendi lumina, partim uerba, partim ſententias illuſtrant. Sẽtentias ornant amplificationes, apophthegmata, prouerbia, graues auctoritates, admirationes, commorationes, & alia rerum ſchemata. Verba decorant omnes figuræ quæ σχήματα λέξεως appellantur. Schemata & conformationes ſunt elocutionis. Itaque ex dictis eius efficimus, teſtimonia & alia rationis eiuſdem, ab orandi doctrina elocutionem, ab uſu & exercitatione magis quàm ab ea ſcientia ducere inuentionem. Inuentione quidem opus eſt, ſed (ut ait Cicero in Oratore) magis eſt prudentiæ quàm artis inuentio. Elocutio tota artis eſt. In eamdem ſententiam dicit ea quæ ſequuntur: Quæ tota ab oratore pariũtur, excogitationem non habent difficilem, explicationem magis illuſtrem deſiderant. Excogitatio refertur ad inuentionem: explicatio ad elocutionem, cuius eſt non res gignere, ſed natas artificio quodam perpolire. Inuentioni diſpoſitio, elocutioni pronunciatio coniungitur. Itaque duo nobis quærenda ſunt in cauſis. Primum, quid, deinde, quo modo dicamus. Alterum, quid dicamus, id eſt quid inueniamus, inuentumq; diſponamus, totum arte tinctum & coloratum uidetur iji qui unum habent in arte præſidium, ut Ciceroni uidetur: tametſi artem requirit, tamen eſt prudentiæ penè mediocris, quid dicendũ ſit, uidere. Sic enim iudicat in Oratore: In his partibus, etſi graues atque magnæ ſunt, minus & artis eſt, & laboris: Videt acutus homo, inuenire eſſe commune omnium qui uel ſcribunt, uel loquuntur: eloqui ornate, copioſe, uarie, admodum paucorum. Alterum eſt igitur, quo modo dicamus, in quo oratoris uis illa diuina uirtusq; cernitur. QVARE illam partem ſuperiorem, quoniã ſemel ita nobis placuit, &c.] Dubitet quiſpiam, cur hic de elocutione faciat mentionem, qui propoſuit ſe de rebus, quas experiendo obſeruauerit, eſſe dicturum. Vt id planum fiat, rerum ordo repetendus eſt. Primum dicendum putauit, quo pacto cauſa cognoſceretur: deinde, quis & qualis ſtatus eius eſſet, & quæ ſtatueretur ea diſceptatio, ad quam referri debent omnia: poſtea quæ res inueniendæ eſſent ad confirmandam controuerſiæ diſceptationem. Iam, ut res ordine conſtituetur, inuentionem fecit triplicem: unam ad probandum, alterã ad conciliandos animos, aliam ad eos qui audiunt commouendos. Primam diſtributionis partem ſecuit in ea argumenta quæ non excogitantur ab oratore, ſed in re propoſita ratione tractantur: in ea quæ tota in diſputatione & argumentatione oratoris ſunt collocata. Quæ non inueniat orator oſtendit, & ſine præceptis ad ingenium & exercitationem remiſit. Proxima ſequebantur ea quæ pariuntur ab oratore. Hæc autem non inueniendi modo, ſed etiam eloquendi uiribus egent. Ergo partitionem fecit rhetoricæ, duasq; partes conſtituit. unam in qua quæritur quid, alteram, quo modo dicamus. Priorem ut facilem recipit: alteram Craſſo, cui ſit ſuauius & ornatius dicendi genus, relinquit. hoc modo uentũ eſt in nomẽ elocutionis, de qua tertio libro dicetur à Craſſo. Interea Antonius de quæſtione primum, mox de ratione argumentandi, deinde de locis argumentorum, poſtea de conciliandis & mouendis animis, tãdem de conciliatione dicet. Illam partem ſuperiorem, quæ quid dicamus, in cauſis præcipit, quando ſemel ita nobis placuit, id eſt quoniam hanc in me ſententiam immutabilem protuliſtis, non recuſabo quo minus perpoliam atque conficiam, quibus ex locis ad eas res quæ ad fidem faciendã ſolæ ualent, ducatur oratio. Non dicit arroganter Perpoliam atque conficiam, hoc eſt limabo & perficiam: quia paulo ante dixerat, hæc excogitationem non habere difficilem explicationẽ magis illuſtrem perpolitamq; deſiderare. Nec affirmat id ſe eſſe facturum, ſed ex aliorum ſententia non recuſaturum quo minus id perficiat. Itaque rem ſubijcit illorum iudicio. Quantum conſequar, uos iudicabitis.] Ad faciendam fidem tria numero ponit: ut concilientur animi, ut doceantur, ut moueantur. in quo repetit illam ſuperiorem inuentionis partitionem. Docemus narratione & argumento: mouemus animos τῷ πάθει, affectu & perturbatione: conciliamus dignitate hominis, rebus geſtis, exiſtimatione uitæ. Hæc in locis inuenienda ſunt omnia, & orationi, ut acri ſpiritu uiuat, inſerenda. Ea quemadmodum illuſtrentur elocutione, aut oratione, præſens eſt Craſſus, qui nõ modo eos qui adſunt, ſed etiam omnes docere poſſit. Nam comptum genus orationis & ornatum primus è Græcia in Romanos mores induxit, maxime auxit, ſolus effecit. Hæc quidem Cicero tribuit L. Craſſo, in quo erat ſumma grauitas, & cũ grauitate iunctus facetiarum & urbanitatis orationis non ſcurrilis lepos, latine loquendi accurata & ſine moleſtia diligens elegantia, in differen

do mira explicatio: cum de iure ciuili, cum de æquo & bono diſputaretur, argumentorum & ſimilitudinum copia. hæc inquã tribuit illi, ſed ipſe de ſe tacite canit. indicãt eius uerba in Oratore: Ieiunas huius multiplicis, & æquabiliter in omnia genera fuſæ orationis, aures ciuitatis accepimus, easq́; nos primi, quicunque eramus, & quantulumcunque dicebamus, ad huius generis dicendi incredibilia ſtudia conuertimus. Craſſo tribuebatur ſimile quiddam ab hominibus eius ætatis, qui neminem in latinis oratoribus nouerant perfectiorem. tribuatur etiam hoc nomine, ut quæ tertio libro diſſeret, artificioſe commendentur. At quoniam præſentium laudatio ſuſpicione aſſentationis laborat, id ut amoliatur Antonius, inquit, Dicam non uerens aſſentãdi ſuſpicionem, id eſt non metuens adulator ne uidear. Vt autem ſecundus hic liber, quemadmodum tertius, commendatione tollatur, Antonius qui de arte diſputans fugit artis nomen, confugit ad ea quæ à multis & Græcis & Latinis audiuit, & omnibus L. Craſſum anteponit, quicum ſæpius eſt uerſatus. Audijt non obſcuros illos, unde nihil aut parum diſceret, ſed paulo illuſtriores nomine & fama, quos utiliter imitaretur. Audijt non modo Latinos Romæ, ſed etiam Græcos Athenis, cum proconſul in Ciliciam proficiſceretur. Audijt non ſemel, ut nouitatis auidus: at ſæpe, ut cognoſcendi percupidus. Hinc igitur cõfidit, & maxime cum uideat præclaris ingenijs homines, qui diu ineptias non ferant, tantum operæ ſibi ad audiendum dare. Quòd autem aliquis indoctus & rudis hoc quoque dicat, et ſe multos audiuiſſe: occupans prudenter adiecit hæc uerba: Nihil quiſquam unquam me audiente egit orator, quod non in memoria mea penitus inſederit. Nec iſtud in Antonio incredibile dicetur, quem firma diuturnaq́; memoria conſtat præditum fuiſſe. Auditis oratoribus ſe, non arti adiudicat: ſiue quòd audire actiones multas atque præclaras, maius eſt imitatori, quàm ratio præceptorum: ſiue quòd ſuo more non uult eruditus præceptisq́; formatus uideri. Adiudicatur, qui per ſententiam & iudicium, cui ius eſt, tribuitur. Hanc uerbi tranſlationem duxit è iure ciuili. Quòd ſi effuſe Craſſum laudat his uerbis, Sine ulla dubitatione ſic ſtatuo & iudico, neminem omnium tot & tanta quanta ſint in Craſſo, habuiſſe ornamenta dicendi: attribuit oratorum amplificationi & incremento, attribuit homini Romano ornanti ſuos, & Ciceroniano more Græcos deprimenti. Audijt Græcos, qui temporibus illis nihil omnino cederet Romanis, ad quos ut ad ſummos rhetores Romani tranſfretabant. At cum dialogus eſſet, & ſermo perſonarum, & opus hoc ſibi quæreret dignitatem, non habuit cui iuſtius quàm Craſſo munus eloquendi committeret. Laude igitur extollendus fuit, ut in ſermone plus eſſet auctoritatis. De perſonarum diſtributione ſic Antonius: Si uos quoque hoc idem quod ego de Craſſo exiſtimatis, non erit iniqua & perſonis impar diſtributio: ſi cum ego hunc oratorem quem nunc fingo, id eſt informo & exprimo, ut inſtitui, creâro, aluero, confirmâro, tradam cum Craſſo & ueſtiendum & ornandum. Alludit ad hominum progreſſus, qui primum creantur, deinde aluntur iam in utero, poſtea creſcunt, atque robore confirmantur, tandem ueſtiuntur & ornantur. Inuentio cum diſpoſitione, comparatur corpori & animo, quoniam eſt in ea uis ſententiarum: ueſtimentis & ornamentis elocutio, quia uerba non ſunt in ipſarum rerũ natura, atque (ut ita dicam) ſubſtantia. Oratorem creat, qui prima dat eloquendi rudimenta. Alit, qui illum maioribus auget præceptis atque exercitationibus. Confirmat, qui argumentorum affectuumq́; rationes, in quibus eſt neruus orationis, illi tradit. Veſtit autem, qui ueſtimenta ſuggerit & ornamenta. quæ duo ſi differunt uti diuerſa, ueſtimenta dicentur ea, quæ quaſi neceſſaria ueſtiunt rem: ornamenta, quæ ad pulchritudinem magis quàm ad neceſſitatem aptantur. TVM Craſſus, Tu uero, inquit, Antoni perge, etc.] Quemadmodum laudatus eſt ab Antonio Craſſus, ob eam quam paulo ante ſcripſimus cauſam, ita uiciſſim à Craſſo laudatur Antonius, ut dicturo de tribus propoſitis partibus augeatur auctoritas, & auditoribus attentio nouetur. Id ne faciat ut qui mutuo tanquam muli ſcabunt, commemorat aliquot cauſas in quibus Antonius quantum dicendo poſſet, oſtendit. Locus eſt igitur qui Craſſi monſtret humanitatem, quam magnam fuiſſe conſtat, qui excitet auditorem, qui ſuperiori diſputatione ſuſpenſos paululũ remittat. Tu uero Antoni perge, ut inſtituiſti. Vis huius orationis eſt, Me Antoni præterito: tu uero, qui potes hoc perficere munus, perge quemadmodum cœpiſti. Dictum ſuum ratione munit, ex ea tranſlatione qua fuerat uſus Antonius. Non eſt boni neque liberalis parentis, quem procrearis & eduxeris, eum non & ueſtire & ornare. Senſus eſt: Vbi oratorem procrearis principiorum ſemine, & eduxeris, id eſt eduaueris & nutrieris alimentis eloquentiæ, non eris ut bonus parens, ſi non ueſtieris: non eris pater liberalis, ſi non ornaueris. Pater ſi bonus eſt, liberos ueſtit, quod eſt neceſſitatis humanæ. Si liberalis, non ueſtit modo, ſed etiam ornat, quod honoris eſt atque ſplendoris. Hic dicit Antonius: Pater tenuis & pauper liberos nõ ornare modo, ſed ne ueſtire quidem poteſt. In aduerſum Craſſus, Te locupletem eſſe negare nõ potes, ueſtire igitur & ornare potes. Id quia negare poſſit ille, probat Craſſus ex ijs quæ dixit Atonius in oratione pro M. Aquilio, & in alia pro Norbano, & in alia pro Cn. Manlio, & in alia pro Quinto Rege. Quod ornamentum elocutionis, quæ uis affectuum, qui animus fortiter agendi, quæ dignitas orationis illi oratori (Antonium dicit ad alios conuerſus, ne ſi utatur perſona ſecunda, uirum pudore ſuffundat) quid inquam illi oratori defuit, qui in cauſa peroranda, id eſt in peroratione orationis pro M. Aquilio, non dubitauit à ſubſellijs, ubi mos fuit ſedere reos, excitare, hoc eſt in medium euocare reum conſularem (qui ætate & dignitate grauis, eam miſere iudices mouere nollet) & eius diloricare, id eſt diſſcindere tunicam, quæ ueſtis eſt interior, & iudicibus cicatrices aduerſas, hoc eſt non à tergo more deſertorum, ſed ab anteriore parte corporis honeſte receptas eo tempore quo in exercitu fuerat imperator, oſtendere? Quid illi defuit oratori? De hoc iudicio Cicero ſeptima actione in Verrem. Venit enim mihi in mentem, in iudicio M. Aquilij, quantũ auctoritatis, quantũ momenti oratio M. Antonij habuiſſe exiſtimata ſit, qui ut erat in dicendo non ſolum ſapiens, ſed etiam fortis, cauſa propè perorata corripuit M. Aquilium, conſtituitq́; in conſpectu omniũ, tunicamq́; eius ab pectore abſcidit, ut cicatrices populus Romanus iudicesq́; aſpicerẽt, aduerſo corpore exceptas. Simul & de illo uulnere quod ille in capite ab hoſtium duce acceperat, multa dixit, eoq́; adduxit eos qui erant iudicaturi, uehementer ut uererentur, ne quem uirum fortuna ex hoſtium telis eripuiſſet, cum ſibi ipſe non peperciſſet, hic non ad populi Romani laudem, ſed ad iudicum crudelitatem uideretur eſſe ſeruatus. Florus in Epitome: Marcus Aquilius conſul, in Sicilia bellum Seruile concitatum confecit. Cum de pecunijs repetundis cauſam diceret, ipſe rogare iudices noluit: M. Antonius, qui pro eo perorabat, tunicam à pectore eius diſſcidit, ut honeſtas cicatrices oſtenderet: quibus conſpectis, indubitanter abſolutus eſt. Cicero eius rei ſolus auctor. hæc ille. Idem Antonius accuſante Sulpitio, cũ hominem ſeditioſum Norbanum defenderet, qui trib. pl. Cæpionem, ut paulo ante narrauimus, egerat præcipitem, non dubitauit ſeditiones ipſas ornare, id eſt oratione laudare, ac demonſtrare grauiſſimis uerbis, multos ſæpe impetus & motus populi non iniuſtos eſſe, quos præſtare, id eſt moderari & pacare, nemo poſſit. Multas etiam è Republica hoc eſt ex utilitate Reipublicæ ſeditiones ſæpe eſſe factas, ut cum reges Tarquinij eſſent exacti, hoc eſt è regno ſuo deturbati agente Iunio Bruto, populumq́; ad libertatem uocante uel cum tribunitia poteſtas eſſet conſtituta ad tollendos populi motus.

motus. Plebes cum propter nexus ob æs alienum in Sacrum mõtem ſeceſſiſſet, conſilio Menenij Agrippæ reuocata, impetrauit à Patribus, ut duo tribuni pl. crearentur, C. Licinius, & L. Albinus. Hi tres collegas ſibi creauerunt. Oſtendit igitur Antonius illam ſeditionem, quæ agente cum populo Norbano cõcitata fuerat, ex luctu ciuiũ qui ſuos in prælio Cimbrico mortuos lugebãt, ex Cæpionis odio qui exercitum amiſerat, neq; reprimi potuiſſe, & iure eſſe conflatam. Duo ponit, ſeditionem nec reprimi potuiſſe, & iure eſſe conflatam. Vnum pertinet ad id quod dixerat, multos ſæpe impetus populi non iniuſtos eſſe, quos præſtare nemo poſſit. alterum ad illud, multas è Republica ſeditiones eſſe factas. Si populus odio iuſto ſuccenſus reprimi non potuit, eius impetum non potuit præſtare Norbanus: ſi ſeditio iure conflata eſt, non debuit. Laudantur autem ſeditiones ab Antonio, ne graue ſit à Norbano populum fuiſſe commotum. Totus locus, ſiue tota diſputatio eſt anceps, quia periculum fuit ne iudices in malum uerterent, à patrono ſeditiones & labes Reipublicæ laudari. Inaudita, quia nemo alius tractauit eum locum in iudicio. Lubrica, propterea quòd hic ut in lubrica uia difficile eſt firmare ueſtigium. Idem Antonius defendit Manlium, qui ſicuti Cæpio flagrabat inuidia, quoniã dux in Cimbros unà cũ eo exercitũ amiſerat: de quo ſic Florus in Epitome Liuiana: A Cimbris C. Mãlius et Q. Seruilius Cæpio procõſules uicti prælio, caſtriſq; binis exuti ſunt, octoginta millia militum occiſa, calonum & lixarum quadraginta millia. Ne quis uitio det nobis, quòd idem aliquando repetimus: non diſcedit ab officio, ſi quid interpres inculcat. Idem Antonius in cauſa Quinti regis in commiſerationẽ mouit iudices: de qua nihil alibi, quod meminerim, legi. Nomen eſt hic proprium Rex, nec officium comprehendit. Q. Martius Rex, conſul fuit cum M. Catone Nepote. auctor eſt Gel. lib. 13. cap. 18. & Plinius lib. 2. cap. 31. Florus: Q. Martius conſul Sarnios gentem Alpinam expugnauit. His quatuor exemplis Craſſus efficere uult, Antonium non inuentione tantum, ſed etiam cæteris ornamentis eloquentiæ ualere: quanquam dabant ei acumen, & ſententiarum quandam ſubtilitatem cum optima collocatione, ornamenta uero comptumq; genus orationis negabant. Cicero in Bruto: Omnia ueniebant Antonio in mentem, eaq; ſuo quæque loco, ubi plurimum proficere & ualere poſſent, ut ab imperatore equites, pedites, leuis armatura, ſic ab illo in maxime opportunis orationis partibus collocabantur. Verba ipſa non illa quidem elegantiſſimo ſermone. Itaque diligenter loquẽdi laude caruit, neque tamen eſt admodum inquinate locutus. Ex quibus uerbis effici poteſt, elegantius orationis genus in his libris Antonio tribuiſſe Ciceronem, quàm ſit ille uſu longo dicendi conſecutus. Non erat igitur cur de ornandi uirtutibus diſſereret, etſi Craſſus urbanitatis gratia ſic loquitur: In tuis orationibus hoc enituit, quod tibi omnes dant, acumen quoddam ſingulare: ſed non magis quàm ornatus enituit. Nam hæc ipſa quæ nunc ad me delegare uis, id eſt ornamenta eloquendi, ſemper in te eximia & præſtantia fuerunt. Ne diutius alter alteri partiũ deferat honorem, inducitur Catulus & grauis & ſenex, qui utroque laudato, ne alter ſe imminui putet, diſtribuit officia. Laudat à natura, laudat à doctrina, quòd in his duobus laus eloquẽtiæ poſita eſt. Suauitatem attribuit Craſſo, illam non detrahit Antonio, ſed uoluntatem. Honeſtius eſt enim, aliquid præclarũ dicere nolle te, quàm cum uelis non poſſe. HIC Craſſus, Quin tu, inquit, Antoni omittis iſta, &c.] Cicero dicturus ut animi doceantur, non init innumerabilem locorum multitudinem, quos peruagantur ij qui pueris declamationes partiuntur, quiq; ſingulis generibus cauſarum proprios aſſignant locos. Tam multos peragrare non uult, quia, uti iam dixit, tardi ingenij eſt riuulos conſectari, fontes rerum non uidere. Inducit igitur Craſſum, qui reuocet Antonium à tam moleſta locorum diſtributione, quam polliceri uidebatur cum diceret: Non recuſabo quo minus perpoliam atque conficiam, quibus ex locis ad eas res, quæ ad fidem faciendam ſolæ ualent, ducatur oratio. Non agit autem ut nullos omnino ſtatuat locos, ſtatuet poſtea principes, & ueluti fontes: ſed ne rem minutim partiatur, & hoc opus graue & ſenile deijciat ad dialecticam ſubtilitatem. Itaque ſic decernit Antonius: Tibi ſapienter monẽti L. Craſſe libenter aſſentiemur, ut ſingularum cauſarum defenſiones quas ſolent magiſtri pueris tradere, relinquamus, aperiamus autem ea capita, unde omnis ad omnem & cauſam & orationem diſputatio ducitur. Notum eſt quantum torſerit multos Ariſtoteles, qui mille partitus eſt locos in Topicis libris, ex quibus in ſua Topica Cicero traduxit paucos, qui ſatis eſſe uidebantur. Quin tu Antoni omittis iſta? Attexit rationes quatuor, ut hæc Antonius omittat. Prima eſt, Nemo horum deſiderat. altera, re facilia ſunt. tertia, ſunt præceptis peruagata. quarta, depromenda potius, quæ ſæpiſſime tractas, ſemperq; diuinitus. Hæc eò tendunt, ut pluris æſtimemus hominis exercitati graues obſeruationes, quàm leuicula præcepta Græcorum: quæ ſi tractare uellet, nouo modo præclareq; faceret, id eſt meliora redderet, quàm accepiſſet à Græcis. Quin.] Quare non? Peruagata.] Diuulgata. Deprome.] Quaſi ex penu cellaq; tua profer. Depromam.] Tenuit uerbum Craſſi. Quo facilius id à te, &c.] Ad poſtulandum ſibi parat auctoritatem, & ſimul retinet uerecundiam ingenui oratoris, qui lubentius dicit rogatus. In cælum uerbis extulit.] Prouerbium de maxima laude. Tres ſunt rationes.] Repetit illam inuentionis partitionem, quam bis antea collocauit, ut eſſet diſputationis fundamentum, in qua conciliatio lenitatem orationis deſiderat, id eſt, orationem lenibus ſententijs & moribus inſtitutam (non hic de lenitate ſtyli, ſed de miti quodam rerum ſapore loquitur) Docendi ratio quærit acumen, id eſt acutam & argutam quandam inuentionis ſubtilitatem. Concitatio uim impetumq; affectuum petit. Conciliatione inclinatur uoluntas, & propendet in nos. Docendi ratione inſtruuntur argumenta ad cauſæ defenſionem: concitatione, animi permouentur. Conciliatione fit in nos propenſior is qui cognoſcit, argumentatione adducitur, animi permotione cogitur. Hæc igitur pars omnium potentiſſima eſt, quæ non adducere tantum, ſed etiam cogere poteſt. De conciliatione & permotione pauca in arte traduntur, quoniam ad naturam magis ſpectant: de explicatione & argumẽtatione, permulta. Quamobrem explicatio propoſitionũ narrationumq;, et defenſio argumentorũ uidetur omnẽ huius generis, id eſt inuentionis, nõ certã demõſtratamq; doctrinã, ſed quaſi doctrinam continere. quãobrem de illa agendũ primũ eſt, et breuiter agendũ. Nã etſi multa ſunt quæ in artibus tũ dialecticorũ, tum rhetorum de inuentione ſcribantur, pauca ſunt tamen quæ uſu tractari, & animo quaſi notari debeant. Aperiẽda ſunt ea capita, id eſt primi locorum fontes, unde omnis ad omnem & cauſam finitam, & orationem infinitam diſputatio ducitur. Id ſatis eſſe, probari poteſt ſimilitudine ſcripturæ. Quoties uerbum ſcribendum, ſuiſq; literis pingendum eſt, ut lego, uſu ſcribendi confeſtim literæ ſuccurrunt. l. e. g. o. nec ſunt cogitatione conquirendæ. Haud ſecus, ſi certi habentur loci frequentati, ad cauſam explicandam ſtatim occurrunt, ut nihil ſit opus ad argumenta ſepoſita abſtruſaq; reuolui. Loci autem rhetorici non omnibus proſunt. Quemadmodum metalla concluſa uenis terræ, non omnes temere, ſed exercitati peritiq; reperiunt: ſic argumenta locis incluſa, non cuiuis promptum eſt uidere, ſed illi qui eſt uerſatus in rebus, uel uſu, quem ætas diuturnumq; tempus affert, uel auditione magiſtrorum, & cognitione doctrinæ, quæ ſtudio & diligentia præcurrit ætatem. In quibus rebus uerſatum eſſe oportet? In conſuetudine ciuitatis, in exemplis, in inſtitutis, in moribus, in uoluntatibus ciuium. Cur ita? Si his in rebus fueris hoſpes ſiue peregrinus, non multum loci proderunt tibi, ex quibus argumenta promuntur. Conſuetudo definitur à

iuriſprudentibus, ius moribus utentium probatum. Exemplum, res geſta ad imitandum fugiendum'ue propoſita. Inſtitutum, leges & mores complectitur. Mores ciuium, rationes uiuendi bene uel male quibus feruntur ciues. Voluntates ciuium, appetitus eorum. Dices: Quid hæc faciunt ad excutienda argumenta de locis? Non faciunt ad inuenienda ſimpliciter argumenta, ſed ad talia promenda, qualia probet ciuitas. Etenim quemadmodum ager aliquid producit incultus, ſed id ſæpe quod nolumus, cultus autem id fert quod uolumus: ſic & ingenium rude gignit aliquid frequenter illaudabile: cultum & ſubactum, meliores fructus & grandiores parit. Hinc allegoriam pulchram ducit Antonius: Subacto mihi ingenio opus eſt, id eſt domito et culto, ut agro non ſemel arato proſciſſione, ſed nouato & iterato ſecunda & tertia aratione, quo meliores fructus poſſit & grãdiores edere. Quibus autem rebus ingenium ſubigitur? Vſu, auditione, lectione, literis. Vſus eſt in ſcribendo, uel in dicendo. Auditio, in percipiendis ijs quæ alius dicat. Lectio, in ſcriptis cognoſcendis. Litera, in omni diſciplina genere. AC primum naturam cauſæ uideat, quæ nunquam latet, &c.] Ad explicandas controuerſias opus eſt argumentis. Argumenta igitur tendunt ad quæſtionem. Quæſtio deprehenditur cognita cauſæ natura. quapropter primũ quid faciat cauſam, poſtea de quæſtione uidetur eſſe dicendum. Primum igitur naturã cauſam uideat orator. Eſt autem facile uidere, quia nunquam latet. Videndum enim, factum'ne ſit, ut in coniectura: an quale ſit, ut in ſtatu qualitatis: an quod nomen habeat, ut in definiendi conſtitutione, quæratur. Quo perſpecto, ſtatim occurrit naturali quadam prudentia, non ijs ſubductionibus quas graculi docẽt, quid faciat cauſam, id eſt, quo ſublato controuerſia ſtare non poſſit. Subductiones ſunt numerorum detractiones, quales fieri ſolent ad ſummam colligendam. In hac re ſubductiones dicuntur depulſiones atque firmamenta, quæ ſic habent. Depulſio ſubducit intentionem. Rationem, quod dicitur firmamentum. Quid ueniat in iudicium, id eſt quæ ſit quæſtio princeps, Rhetores ſic iubent quærere. Interfecit Opimius Gracchum. quam defenſionem ſuſcipiet, niſi dicat id ſe cauſa Reipublicæ feciſſe? & ex ſenatuſconſulto populum ad arma uocaſſe? At Decius accuſator negat Opimio licuiſſe contra leges ciuem interficere. Leges enim iubent, ut cauſa dicta apud iudices aut populum, ante reus damnetur, quàm uel occidatur, uel in exilium mittatur. Venit igitur in iudicium hæc quæſtio: Licuit'ne Opimio ex ſenatuſconſulto ſeruandæ Reipublicæ cauſa Gracchum ſeditioſas leges ferẽtem necare? Perſpicua ſunt hæc quidem, & in communi prudentia ſita. Abſtruſiora ſunt argumenta, quæ ab accuſatore & defenſore debent afferri. Sed ante de quæſtionibus eſt dicendũ, quàm ad locos & argumenta ueniatur: quærendumq́; ueniat'ne in iudicium quæſtio infinita? quam à iudicijs reiecerunt rhetorum quidam atque magiſtrorum. Hic, inquit, ſummus eſt error iſtorum magiſtrorum,, ad quos liberos noſtros mittimus. Graculos profeſſores, qui tum Romæ rhetoricabantur, intelligit, qui ſibi uidebantur eruditi, cum eſſent hebetes atque impoliti. hebetes, qui perſpicua non uiderent: impoliti, qui neque doctrinã, neque uſum rerum haberent. In partiendis orationum modis, hoc eſt in diſtribuendis diſputationum formis, conſtituebant duo genera cauſarum. unum infinitum, in quo ſine perſonis atque temporibus certis de uniuerſo genere quæratur. alterum finitũ, quod perſonis certis & temporibus definiatur: & hoc unum oratori ſubiectum putabant. Veritas aliter habet. Quæſtiones finitæ ueniunt in iudicium. nomen enim certum tempusq́; defertur, ſed omnes ad uniuerſi generis uim naturamq́; referuntur: hoc eſt, diſputatione propoſiti ſiue theſeos explicantur. Id oſtendit eſſe uerum in cauſis, in quibus de iure quæritur, qualis fuit Opimij. Nihil, inquit, pertinet ad oratoris locos Opimij perſona, nihil Decij accuſatoris. Non enim inuenienda ſunt argumenta uel in Opimio, uel in Decio, ſed in facto. Itaque de ipſo uniuerſo genere infinita quæſtio eſt: Num pœna uideatur eſſe afficiendus, qui ciuem ex ſenatuſconſulto patriæ conſeruandæ cauſa interfecerit, cum id per leges non liceret? Quod in genere ſtatutũ fuerit, id in ſingulis ſtatui ius eſt. Quæras aliquis, an ſit eadem ratio in alijs ſtatibus cauſarum? Occurrit: Nulla cauſa eſt, in qua id quod in iudicium uenit, ex reorum perſonis, ac non generum ipſorum uniuerſa diſputatione quæratur. Maxime finita uidetur eſſe cauſa coniecturalis, ubi de facto ambigitur: ut Ceperit'ne contra leges pecunias P. Decius? tamen argumenta criminum, id eſt accuſationis, & argumenta defenſionis, reuocentur oportet ad genus, & ad naturã uniuerſam. Quòd ſumptuoſus ſit, de luxuria ac profuſione dicendum. quòd alieni appetens, de auaritia. quòd ſeditioſus, de turbulentis & malis ciuibus. quòd à multis arguitur, de genere teſtium. Contràq́; quæ pro reo dicentur, omnia neceſſario à tempore atque homine ad communes rerũ & generum ſummas reuoluentur. Quid ergo? Nullane quæſtio finita citra genus uniuerſum dicitur? Poteſt quidem orator in certa periſtaſi uerſari: ſed quoniam ius de uno ſolo conditum non eſt, ex uniuerſo genere aſſumat aliquid neceſſe eſt. Et iudices ſententiam pronunciaturi ad commune quiddam reſpiciunt, quod in ſimili re ualet. Nam ſpecies & genera tractant artes: ſingula & indiuidua, quæ ſunt infinita, complecti non poſſunt. Ad generis ergo rationem aliqua communione reuocantur. Hic P. Decius alius eſt ab eo qui ſe pro Republica deuouit. uixit ad Antonij tempora, non infans quidem atque indiſertus, ſed ut uita, ſic oratione etiam turbulentus: de quo Cicero facit mentionem in oratorijs Partitionibus, loquens de ſtatu facti. ATQVE hæc forſitan homini non omnia quæ ſunt in natura, &c.] In quibus cauſis de nomine aut de iure quæritur, nemo dubitet, quin hypotheſis ad ſuam theſim debeat referri, ſed ambigat, ſi de facto quæſtio ſit. Quid, inquiet, agam de parricidij genere, cum mihi probandum ſit reum eſſe parricidam? Quid fruſtra diſſeram de pecunijs repetundis, ſi mihi planum faciendum eſt, reum teneri lege repetundarũ? Factum reorum, non genus uniuerſum demonſtrandum uidetur. Vt tollat eiuſmodi dubitationem Cicero, conſtituit infinita, id eſt innumerabilia crimina uenire in quæſtionem facti, non tamen defenſiones & locos infinitos exiſtimari oportere. Si defenſiones infinita ſunt, quis modus in arte? Si loci tam multi, quis eos tandem reuoluet? quis dabit operam rhetoricæ? quis iuri ciuili ſtudebit? quid proderunt tam pauca præcepta? At propè infinita uidentur ea, quæ ueniunt in iudicium, tum cum de facto quæritur. Videntur, inquit, homini non omnia quæ ſunt in natura rerum, celeriter animo comprehendenti, id eſt tardo & hebeti, non ei qui celeres habet animi motus, rerumq́; naturam facile perſpicit. Prudens generibus paucis omnia concludi uidet, non ſolum in quæſtione facti, ſed etiam in ſtatu definitionis & qualitatis, in quibus de facto non ambigitur, ſed uel de nomine rei, uel de iure. Quòd ſi genera cauſarum ex reis numeres, hoc eſt totidẽ facias, quot rei litigant, & innumerabilia ſunt, & confuſione multitudinis obſcura. Si ex rebus generis eiuſdem numeres, ualde modica, hoc eſt pauciſſima, & admodum illuſtria atque perſpicua. Id quale ſit, aperiatur exemplo. Si Mancini cauſam in uno Mancino, non in omnibus eiuſdem fortunæ hominibus ponimus: quotieſcunque is, quem Pater patratus dediderit, receptus non erit, toties cauſa noua naſcetur. Sin illa controuerſia, ſiue quæſtio cauſam facit, uideatur'ne ei quem Pater patratus dediderit, ſi is non ſit receptus, poſtliminium eſſe: nihil Mancini nomen facit, neque ad artem dicendi, neque ad argumenta defenſionis. De Mancino, de Patre patrato, de Poſtliminio ſatis multa ſupra diximus. Obijciat quiſpiam, eſſe quod afferat præter uniuerſum genus, hominis dignitas, aut indignitas: de litigatoribus & eorum perſonis multa dicere oratores. Soluit hunc nodum.

Hoc

Hoc, inquit, extra quæſtionem, & ad rei ſummam minime neceſſarium eſt. Hic autem ſermo fit de capite ſummoq; genere cauſæ. Adde quòd eiuſmodi oratio de perſona, ad uniuerſi generis diſputationem refertur. Si de magiſtratu uiri, de prudentia, de fortitudine, de fortuna, de calamitate dicas: eadem recident in eos qui eiuſmodi ſunt prediti rebus, quos permultos aut eſſe, aut futuros eſſe certum eſt. Hanc diſputationem ſuſcepit aduerſus Græcos rhetoricæ profeſſores, & ut paucis generibus & locis omnia contineri doceret. At quòd odioſum eſt doctis hominibus inferre bellum, negat eo ſe conſilio diſputare, ut homines eruditos redarguat, ſed quòd pertimeſcenda ſit multitudo cauſarum. Eruditos autē dicit eos qui ſibi uidentur eruditi, etiam ſi hebetes ſunt & impoliti. Aut certe doctiores accipi uult, quàm quos paulo ante reprehendebat. Bona pars hominum doctiſſimorum, qui rhetoricas artes literis mandarunt, redegerunt oratorem in quæſtiones ciuiles, & eas finitas. Reprehendendi ſunt, inquit, qui in genere definiendo, hoc eſt, dum uolunt omnes oratoris cauſas breuiter concludere, iſtas cauſas, de quibus egimus, deſcribunt in perſonis & in temporibus poſitas eſſe. In parte uerum loquuntur, in parte falſum. Incurrere tempora perſonaſq;, uerum eſt: ex ijs omnino cauſas pendere, falſum. Ex quibus intelligitur, ne hoc quidem eos eſſe conſecutos, quòd in tanto otio, quanto Græci fruebantur in ſcholis, ſine forenſi exercitatione, qua Romani atteruntur, efficere potuerunt, ut genera rerum diſcernerēt, hoc eſt diuiderent, eaq; paulo ſubtilius explicarent. Confundunt enim duo genera in unum, & craſſa (quod aiunt) Minerua controuerſias exponunt. Sed hoc nihil ad me, qui ueritatem, non reprehenſionem quæro. Nullum enim nobis certamen cum iſtis eſſe debet, cum dicimus ea quæ nos non eorum doctrina, ſed experientia rerum magiſtra docuit. Illud ad me, ac multo etiam magis ad uos, Cotta noſter & Sulpiti, pertinet: Quo modo nunc ſe iſtorum rhetorum artes habent, pertimeſcenda eſt multitudo cauſarum. Conſtituitur ab illis infinita. Nam ſi in perſonis ponitur, ut ab illis ponitur, quot homines, tot erunt cauſæ. Sin ad generum uniuerſas quæſtiones referuntur, ut referri dicimus, ita modicæ & paucæ ſunt, ut omnes eas diligentes & memores & ſobrij oratores percurſas animo, & propè decantatas habere debeant. Diligentes, qui ſedulo perquirunt ea quæ ſui ſunt officij. Memores, qui quæſita animo tenent. Sobrij, qui tranquilla mente contemplantur, aut agunt. Oppoſiti ſunt negligentes, obliuioſi, bacchabundi, ex quibus nihil magnum egregiumq; ſperare poſſis. Primum eſt, diligenter inquirere genera cauſarum: alterum, quæſita reminiſci: tertium, animo condita ſobrie temperateq; diſpenſare. Cauſas animo percurſas & propè decantatas habere, nihil aliud eſt, quàm eas ſic habere notas, ut omnes animus & perluſtrare & decantare poſſit. Vt confirmet illud, non à perſonis, ſed ab uniuerſo genere pendere cauſas, quarto utitur exemplo. Sumit illam de Poſthumo percelebrem cauſam, à Scæuola & Craſſo diligenter excuſam, de qua ſatis multa primo commentario diximus. Non eſt cur exiſtimetis à Marco Curio, id eſt à ratione perſonæ Marci Curij, quem defendebat, cauſam didiciſſe L. Craſſum, & ea re multum attuliſſe in iudiciū, quamobrem Poſthumo non nato Curium tamen hæredem Coponij eſſe oporteret. Nihil ad copiam argumentorum, quæ multa Craſſo fuit, nihil ad cauſæ uim ac naturam, nomen Coponij teſtatoris, ac Curij ſecundi hæredis ſubſtituti pertinuit. In genere erat uniuerſo rei negotijq;, id eſt cauſæ, & (ut ita dicam) circunſtantiæ, non in tempore ac nominibus omnis quæſtio, cum ſcriptum ita ſit in Coponij teſtamento: Si mihi filius gignitur, iſq; prius moritur, quàm ad annos tutelæ ſuæ perueniat, tum mihi Curius ſit hæres. Verba ſatis nota prætereo. Mortuo Coponio, nullo Poſthumo nato, quæſtio fuit, ſi natus filius non ſit, uideatur'ne qui filio mortuo ſubſtitutus hæres ſit, hæres eſſe? Hæc quæſtio generis uniuerſi, & perpetui iuris, non hominum nomina, ſed rationem dicendi genere comprehenſam, & argumentorum fontes deſiderat. Perpetuum ius quidam iuriſconſulti interpretantur generale: alij, quod non fit ad unius aut alterius commodum, ſed propoſitum manet in longum tempus: ut C. tit. de edendo: Edita actio ſpeciem futuræ litis demonſtrat, quam emendari uel mutari licet, ut edicti perpetui monet auctoritas.

IN quo etiam iſti nos iuriſconſulti impediunt, &c.] Quēadmodum arguendi ſunt rhetores qui totidem faciunt cauſas, quot ſunt perſonæ reorum: ſic & illi iuriſconſulti, qui ſub libris non genera uniuerſa, ſed nominatim quid cuique reſponderint, ſcribunt. Itaque digreditur ad eos, commonitus ulteriorum collatione, & eo hæreditatis iure de quo modo fecit mentionem. Sed alius eſt error iſtorum, alius rhetorum. Rhetores peccabant ignorantia, Iuriſconſulti ambitione & auaritia. Volebant enim ſoli prudentes uideri, cæteros deterrebant à iure cognoſcēdo, quò plus honoris & rei ſibi compararent. Forte ſuberat aliquid inſcitiæ. Non erat ius ciuile in artem redactum: propterea non aliter in ſcripta referebant ſua reſponſa, quàm poſtea imperatores, Hermogenes, Theodoſius, Antoninus, Seuerus, alijq; permulti, quorū pleraque reſponſa Iuſtinianus collegit in Codicem. Eiuſmodi reſponſa Cato ſcripſit, & Brutus. M. Cato Cenſorini filius natu maior fuit, ætatis ſuæ doctiſſimus iuris, qui egregios de iure libros poſteris reliquit. Extat nomen in Inſt. de adoptionibus: Apud Catonem bene ſcriptum refert antiquitas, ſeruos, ſi à domino adoptati ſint, ex hoc ipſo poſſe liberari. & apud Catum de Origi. iur. Hos ſectatus eſt ad aliquid M. Cato princeps Portiæ familiæ, cuius & libri extant, ſed plurimi filij eius, ex quibus cæteri oriuntur. De Bruto ibidem memoriæ proditum eſt: Poſt hos fuerunt P. Mutius, & Brutus, & Manilius, qui fundauerunt ius ciuile. Ex his P. Mutius decem libellos reliquit, Brutus ſeptem, Manilius tres. Illi duo conſulares fuerunt, Brutus prætorius. De eodem Bruto Cicero facit mentionem in oratione pro Cluentio: & in hoc libro de Ridiculis. In quo genere uniuerſo petēdo iſti ambitioſi & auari nos iuriſconſulti impediunt, à diſcendoq; iure deterrent. Video enim in Catonis & Bruti libris nominatim, id eſt, ſcriptis nominibus conſultantium, referri ſcribiq;, quod alicui de iure uiro aut mulieri reſponderint. Mulierem addidit, ut apertius oſtenderet illorum moleſtam arrogantiam, qui non cauſarum modo, ſed etiam ſexuum diſcrimen nequidquam referrent in libros. Id factitabant, credo, ut putaremus in hominibus, non in re, conſultationis aut dubitationis cauſam aliquam fuiſſe: neq; debilitati, id eſt deterriti (metus enim debilitat) à iure cognoſcendo uoluntatem diſcendi ſimul cum ſpe perdiſcendi abijceremus. Sicut minus eſt abijcere uoluntatem, quàm ſpem: ita quoque minus eſt diſcere, quàm perdiſcere. Iccirco uero diſcēdi uoluntas abijcitur, quòd perdiſcendi rem tam multam tamq; confuſam nulla ſpes eſt. A ſermone de iuriſconſultis, incidit in alium ſermonem de iure ciuili redigendo in artem. Craſſus hæc iura nobis expediet, explicata, facilia, breuia reddet: & exponet deſcripta generatim, digeſta ac ordinata in certa quædā genera perſonarum atque rerum conſtituet. Ne fruſtra uideatur id repetere, quod primo libro dixit, dirigit ſermonem ad Catulū, qui tum abfuerat cum Craſſus eſt hæc pollicitus. Eſt enim heſterna diſputatione nobis ille hoc Catule pollicitus, ſe ius ciuile, quod nunc diffuſum & diſſipatum eſt, ſparſum, nullo ordine, nullo modo compoſitum, in certa genera coacturum, & in artē facile redacturum, id eſt collecturum in breuius, & in præcepta digeſta reuocaturum. Docet in Craſſi perſona, quid ſit illi neceſſarium, qui ius in artem facile cogat. Neceſſe primum eſt, ut ius omne penitus didicerit, deinde ut ſuffultus arte dialectica, res acute deſcribere, hoc eſt diuidere & definire ſciat. Ad hæc, ut eloquentia præditus ornare poſſit. hæc duo poſteriora doctoribus Craſſi defuerunt. Non ſatis eſt ad iura deſcribenda ſcientiam iuris, artem ſubtiliter diſſerendi, & eloquentiam tenere, niſi quo-

quæ ſuppetat otium perſcribendi. Addit igitur Antonius. *Iſta tum à Craſſo diſcemus, cum ſe de turba fori, & à ſubſellijs indicum in otium ſolitudinemq; contulerit.* Otium & ſolitudinem turbæ & ſubſellijs oppoſuit. *Ne uideatur uanus augur, qui de re futura incerta pronunciat: interſerit hoc uerbum, Cogitat, et adhibet Catuli teſtimonium.* Scit autem Cicero irritam Craſſi pollicitationem fuiſſe, & hominem ante diem lateris dolore periſſe: ſed rationem habet illius temporis, quo facit eum loquentem. Tum ſpes erat, neque quiſquã diuinare poterat quò res eſſet abitura. Inducit igitur Catulũ, qui aliò uertat omen, & in honorẽ Craſſi loquatur. *Non licebit, inquit, ſtare pollicitis. Neque enim ipſe auxilium ſuum ſæpe à uiris bonis fruſtra implorari patietur, cum ad illũ & Antonium turba reorũ confluat: neque id æquo animo feret ciuitas, quæ ſi uoce & oratione L. Craſſi carebit, ornamento quodam ſeſe ſpoliatã putabit. Etenim bonus orator magnum eſt ornamentũ ciuitatis.* Hic Antonius. *Si hæc uere à Catulo dicta ſunt, tibi mecũ in eodem eſt piſtrino Craſſe uiuendũ.* Piſtrinum dixit forũ, ubi laboribus teruntur oratores, uti ſerui qui in piſtrino molam uerſant. *Iſtam oſcitantẽ & dormitantem ſapientiã, Seæuolarum & cæterorũ beatorum otio cõcedamus.*] Sapientiam uult accipi iuriſprudentiam, quã definiunt iuris antiſtites, rerum diuinarũ et humanarũ ſcientiam, propterea quòd aliquam philoſophiæ moralis partem contineat, aut quòd ſit bona pars τῆς πολιτικῆς, ad quam Ariſtoteles refert alias artes. Vocat oſcitantem et dormitantem, quia languet otio, domiq; ſecura manet. Signum languoris & ſecuritatis eſt oſcitatio, quam Cicero dat iuriſperitis, qui uelit eſſe maius quiddam orare cauſas, quàm domi de iure reſpondere. Tranſlatitie ſignificat iuriſconſultos non agitari tumultu forenſium dictionum, quibus inſudãt cauſidici: in otio ſecuraq; tranquillitate cõſulentibus reſpondere. Scæuolas nominat, quòd in eorum familia ius ciuile hæreditariũ eſſe uidebatur. Beatos appellat, quòd eſſent diuites, quieti, honore conſpicui. *Arriſit hic Craſſus leniter.* Non decuit uirum tantum effundere cachinnos, ſed dictum ſuaue modico riſu & humano more excipere. *Pertexe quod exorſus es.*] Ab artificio texendi duxit hæc uerba. Telam proprie dicimus exordiri, atque pertexere. *Simul atque ad eam confugero, in libertatem uindicabit.*] Alludit ad eos qui iniqua ſeruitute preſſi, cũ ſtatu ſint liberi, confugiunt ad magiſtratum, & ſe uindicant in libertatem. Tempeſtiue uſus eſt uerbis iuriſconſultorum, & eo magis, quòd Antonius oratores ueluti piſtrini ſeruitute premi dixerat. HVIVS *quidem loci, quẽ modo ſum exorſus, hic eſt finis, inquit, &c.*] Quod efficitur à diſputatione ſuperiori, colligit, nõ eſſe innumerabiles cauſas ex infinita hominũ atque temporum uarietate, ſed in generũ cauſis atque naturis omnia ſita eſſe quæ in dubiũ uocarentur. *Huius quidẽ loci.*] Senſus eſt. Hortaris ò Craſſe, ut quod exorſus ſum, pertexã modo. Non eſt opus. Huius loci & diſputationis quã modo ſum exorſus, hic eſt finis. Hic non eſt pronomen, ſed aduerbium. Si dicas: Hic etiam finis? Certe, inquiet. Nam diſputatio fuerat inſtituta, ut intelligeretur non in hominũ innumerabilibus perſonis, neque in infinita temporũ uarietate, ſed in generũ cauſis, atq; naturis omnia ſita eſſe quæ in dubiũ uocantur. Hoc intelligitur: Res igitur aſſecuta finem. Generũ cauſæ ſunt, quæ non proprijs finitaq; periſtaſi totæ continentur, ſed à cõmuni ratione & aliquo toto genere pendẽt, ut pro Quintio cauſa, non à Quintij Næuijq; nominibus pendet, ſed à genere ſponſionis atque ſocietatis. Sponſio & ſocietas dicitur genus aut ſpecies. Hæc enim à rhetoribus interim confundũtur, quia non unius eſt, ſed multorum communis appellatio. Genera rerum definita ſunt non ſolum numero, ſed etiam paucitate. Numero definiuntur, quæ enumeratione colligi poſſunt, etiam ſi multa ſunt: quamobrem certius quiddam paucitate, quàm numero continetur. Quæcunque pauca ſunt, numerari queunt: non contra, quæcunque numerari queunt, ipſa pauca ſunt. Dicet aliquis: Non ſunt pauca genera rerum. Videmus enim tam multa legum capita diuerſa, qui tituli nominantur, ut uix multis libris comprehendi, breuiterq; notari poſſint. Illa ſanè genera multa ſunt, quæ numerantur à iureconſultis: ſed illa non loquitur Antonius. Dicit enim genera rerum, quæſtiones rationales, atque legales. Rationales, quæ uel coniectura, uel definitione, uel qualitate, iureq; continentur. Legales autem, quæ naſcuntur ex ambiguitate ſcripti, uel ex ſcripto & ſententia, uel ex contrarijs legibus. In his eſt omnis materies orationis, quam ſtudioſi dicendi omnibus locis deſcriptam, inſtructã, ornatamq; habere debẽt. Deſcribitur omnis loci materia, quando diſtribuitur & partitur in omnes locos, unde uel cõfirmari, uel infirmari poteſt: ut materia cõiecturalis deſcribitur omnibus locis, cũ ordine ſtatuuntur omnes loci qui ſubminiſtrant argumenta cõiecturæ. Inſtruitur, cum digeritur in ordines certos, uelut exercitus. Idem eſt igitur materiã deſcribi locis, & inſtrui locis: niſi uerbo inſtrui complectitur inſtrumenta cauſarum. Aliud eſt materiã ornari. Nam deſcriptio & inſtructio cauſarum propè neceſſaria eſt, ornatus ſententiarũ pulcher eſt atque utilis, non tamen ita neceſſarius. Ornatur autem materia locis cõmunibus, in quibus ſpacioſius ſe dilatat orator. Adde ſis affectus, tam lenes, quàm aſperos. Sententijs enim cedunt, & inuentioni. Poſtea quàm è locis duxeris res & ſentẽtias, ea ui ſua uerba parient. Quo modo? Rebus impoſita ſunt nomina: ſuccurrunt unà cum ſuis rebus. Si quid aut grauius aut ornatius quærimus, rebus admoniti ducimur ad figuras. Videntur itaque à rebus uerba naſci: quæ ſatis ornata exiſtimantur, ſi non ſunt affectata, non iniecta per uim, ſed quaſi naturalia, & ſic accommodata rebus, ut ea res ipſa peperiſſe uideatur. Dicet quiſpiam: Nunc uidetur elocutionẽ exiſtimare perfacilem, quam ante Craſſo quaſi diuinã relinquebat. Ego quidem cenſeo eũ tum locutum fuiſſe de ornamentis, quæ uerbis adhibentur: nunc autem dicere, partis rebus facilem eſſe uerborũ inuentionẽ, etſi perpolire difficillimum eſt. Iam dictum eſt, In generum cauſis omnia ſita eſſe: genera definita numero & paucitate, eadem locis deſcripta poſſe comprehendi. Quid? inquies: Debentne ante ab oratore comprehendi, quàm ueniat in forum? Sic iudicat. Hoc inſtrumentum cauſarum et generum uniuerſorum in forũ deferre debemus. Inſtrumentum dicitur, quòd illo ſic utitur orator in cauſis, ut inſtrumẽto repoſito paterfamilias in adminiſtrãda re familiari. Quòd autem interſerit hæc uerba, Nihil aliud affirmare poſſum, niſi ſententiam & opinionem meam: eò tendunt, ut ſi iureconſulti & rhetores impoliti, & oratores quidam aliter ſentiant, intelligant oratorem exercitatum & probatum in alia ſententia fuiſſe. Aut certe temperauit illud quod dixerat de uero, nõ affirmare ſe quidquam certo, ſed duntaxat opinionem ſuam. Quòd genera ſint in forum deferenda, ratione confirmat. Vt quæque res, id eſt cauſa delata ad nos erit, tum denique ſcrutari locos, ex quibus argumenta eruamus, tardũ erit, & inopportunũ. Quid ſi nihil eſt locis opus? Argumenta, inquit, pertractata & familiaria eſſe poſſunt ijs qui ea mediocriter modo conſiderarint, ſi ſtudium diligentia, & uſum experientia adhibuerint: tamen animus referendus eſt ad ea capita rerum, & ad illos quos ſæpe iam appellaui locos. Ars enim etſi interdum cedat uſui, tamen plurimum iuuat ſtudium et uſum. Vides ut Cicero cogatur inducere Antoniũ aliquid arti deferentem, qui de arte ſcripſerit libellum, & hic de rebus eloquentiæ acute diſſerat. A T Q V E *hoc totum ſiue artis ſiue animaduerſionis, etc.*] Quia de locis eſt propoſita diſputatio, primum quæri poteſt, an locorum ſit ars? Vt effugiat ea de re altercationem, conſtituit artẽ eſſe locorum, uel animaduerſionem, uel conſuetudinem artem. qua præcepta traduntur: uel animaduerſionem, qua argumentorum genera obſeruantur: uel conſuetudinem, qua moris eſt probare uel improbare cauſas. Locos in artem refert Ariſtoteles: & eorum certe quidem ars eſt, ſi non certa atque demonſtrata,

ſtrata,

ſtrata, tamen obſeruata longa conſuetudine diſputandi. Quærendum deinceps, quid in arte locorum potiſſimum faciundum ſit? Totum eſt, inquit, noſſe regiones intra quas uenatorum more uenere & perueſtiges quod uelis. Regiones ſunt argumentorũ loci, ſiue probationum ſedes, quas non ita multo poſt definiet. Si noueris locum ubi latet argumentum, debes illum ſepire cogitatione, quemadmodum uenator latebras ferarum retibus circundat. Quòd ſi uſum rerum percallueris, nihil te effugiet, ſed omne quod erit in re, occurret atque incidet, haud ſecus atque uenantem uſu percallidum, nulla fera cuſtodibus intercepta fugit, ſed occurrit, et incidit uel in caſſes, uel inſidiatores. Hic oritur alia quæſtio, ſatis'ne ſit ars ad inueſtiganda locis argumenta. Non eſt ſatis. Nec enim quicunque didicit locos, ſtatim capit ex illis quod optimum latebat: ſed qui habet acumen ingenij, deinde rationem & artem, & præter hæc diligentiã. Hæc tria ſunt neceſſaria. Nam ſine ingenio nihil poteſt ars, & ingeniũ ſine diligentia ſopitum iacet. Ingenio primæ partes iure conceduntur, propterea quòd perfectiora ſunt opera naturæ: & quidquid eſt artis huius, natura ingeniumq́; pepererunt. Secundæ labori & diligentiæ debentur, quæ & ipſum ingeniũ ex tarditate inciteat. Inter ingeniũ & diligentiã paululum loci relictum eſt arti. Ne fruſtra de diligentia præcipere uideatur, quãtum poſſit in cauſis, breuiter exponit. Expoſitionis fundamentũ eſt: Diligentia in cauſis defendendis plurimum ualet. ex quo educit iſtud, Diligentia præcipue colenda eſt nobis, hæc ſemper adhibenda. Confirmat iterum: Diligentia nihil non aſſequitur. Vt autem ſtabile ſit fundamentum, ſubijcit ea quæ uirtus illa præſtat in cauſis. Efficit ut cauſam agnoſcamus à litigatore, & noſtra quadam inueſtigatione: ut aduerſarium attente audiamus: ut eius non ſolum ſententias, ſed etiam uerba omnia excipiamus, quò melius ex aduerſo orationem inſtruere poſſimus: ut uultus denique perſpiciamus omnes, qui nobis ſenſum animi plerunque indicant. Qui modus ſeruetur in perſpiciendo aduerſarij geſtu atque uultu, prudenter hic admonet. Sic adhibenda eſt diligentia, ut ne prætermittatur prudentia. Prudentia eſt, diſſimulanter obſeruare aduerſarium patronum, ne ſi ſentiat ſe diligenter audiri, ſibi aliquid proficere uideatur. Illius oratio etſi animo ponderanda, tamen eſt aſpernanda uultu. Efficit præterea diligẽtia, ut in locis rhetoricis peruoluatur animus argumenti quærendi gratia: ut idem animus ſe penitus inſinuet in cauſam, hoc eſt, penetralia cauſæ receſſusq́; rimetur, et in eam quodammodo ſe transformet: ut ſit cura & cogitatione intentus, nõ incuria & inertia remiſſus: ut rebus inuentis adhibeat memoriam, quæ non aliter atque lumen condita ac tenebris obducta detegit: ut uocem et uires perferendi laboris ſubminiſtret. Quid? Diligentia uirtus eſt, qua omnes reliquæ uirtutes continẽtur. Inter artem locorum & diligentiã diſcrimen eſt. Ars locorũ demonſtrat tãtum ubi quæras, atque ubi ſit illud quod ſtudeas inuenire, ut in definitione, in differentia, in comparatione. Diligentia omnem uoluit lapidem, atque comitata cura, attentione animi, cogitatione, uigilantia, aſſiduitate, labore, nihil intactum relinquit. NAM orationis quidem copia uidemus, ut abundẽt philoſophi, &c.] Dictum fuit, argumenta omnibus qui ea mediocriter conſiderarint, ſtudio adhibito & uſu pertractata eſſe poſſe, animũ tamen ad locos referri oportere. Vtrunque cõfirmat exemplis philoſophorum, quorum alij nullis uſi ſunt locis, Stoici: alij ſunt uſi, Peripatetici. Cicero in Topicis: Cum omnis ratio diligens diſſerendi duas habeat partes, unam inueniendi, alteram iudicandi, utriuſque princeps (ut mihi quidem uidetur) Ariſtoteles fuit: Stoici autem in altera elaborauerunt. Iudicandi enim uias diligenter perſecuti ſunt, eam ſcientiam, quam dialecticen appellant. Inueniendi uero artem, quæ Topice dicitur, quæ ad uſum potior erat, & ordine naturæ certe prior, totam reliquerunt. Si orationi copia abundabant Stoici, nec in locis inueſtigabant quod dicerent, ſtudio certe & uſu & diligentia pro locis utebantur. Hoc itaque diligentia affert, ut ſine locorum præceptis inueniamus & multa. Videmus, inquit, ut orationis copia abundent philoſophi, qui (ut opinor) nulla dant præcepta dicendi. Diſſimulat more ſuo. Nam poſtea fatetur aurem admouiſſe Græcis. Quòd autem Catulus operam philoſophiæ dediſſet, & Græcorum ſcripta lectitaſſet, opportune dixit: Sed tu hæc Catule melius, quã orationem ſic perfice: Tu hæc melius quàm ego, noſti. Habes cauſam cur paulo poſt de philoſophis Catulus diſputet. Eſt, inquit, ut dicis Antoni, ut plerique philoſophi, qui nõ ſunt Peripatetici, nulla tradant præcepta dicendi, nullos aſſignent locos, nulla monſtrent inueniendæ rei ueſtigia, & habeant paratum tamen uſu & diligentia quid de quaque re dicant. Confirmauit illam partem quam ſuſcipere uidebatur Antonius, ut cum benigne excepiſſet illius orationem, maiore cum auctoritate contradiceret. Contradicit itaque ſecundo loco. Ariſtoteles is, quem maxime ego admiror, propoſuit quoſdam locos, ex quibus omnis argumentatio non modo ad philoſophorũ diſputationem, ſed etiam ad hanc qua in cauſis utimur, inueniretur. Philoſophi igitur dant aliqua præcepta dicendi. Hinc colligas licet, admirabilem eſſe ſapientiæ ſtudioſis Ariſtotelem, qui de rebus penè omnibus optime iudicauit, optime diſputauit. Colligas etiam, non alios eſſe oratorum locos, alios dialecticorum: quanquam digladiantur contentioſi, hi ut dialecticis uindicent locos, illi oratoribus. Veritas ſic habet: Oratores ante locorum inuentionem uel dixerunt, uel ſcripſerunt. Itidem philoſophi diſputarunt. In utrorunque orationibus obſeruata ratio locorum, & in communem differentium utilitatem propoſita: quam qui propriam facere contendit, aut falſa opinione aut inuidia motus: ſanctam ac intemeratam ueritatem uiolare conatur. Hac omiſſa controuerſia, inſpice quàm ſubtiliter Cicero & Ariſtotelem & Antonium commendarit. illum, quoniam locorum de quibus mox agetur, fuit inuentor: hunc autem, quòd Ciceronis perſonam agit, cui uel ingenium mirum, uel artem, uel utrunque tribui, ad ſermonis auctoritatem bonum fuit. Ab Ariſtotele iamdudum non aberrat oratio tua.] Eaſdem propè diſſerendi uias perſequitur. Hoc duobus modis fieri poteſt: aut quòd Antonius ſimilitudine illius diuini ingenij in eadem incurrit ueſtigia, aut quòd illa ipſa legerit, atque didicerit legendo. Alterũ ſi Cicero uel ſibi uel Antonio tribuat, multis uideatur eſſe ridiculus: nec ridiculus modo, ſed etiam rerum inuentoribus iniurius. Deflectit igitur in ſecundam partem, adductus ſermone ſuperiori, qui ſubolere doctrinam Græcam uidetur. Quod Catulus aſſecutus eſt coniectura, tandem confitetur Antonius. Id fit autem, ne uerba hominis diſſimulantis, aliter quàm Cicero uelit, accipiant lectores: utq́; ingenioſo & erudito uiro plus adhibeatur fidei, quàm ingenioſo tantum. Semper ego exiſtimaui iucundiorem & probabiliorem huic populo oratorem fore, qui primum quàm minimam artificij alicuius, deinde nullam Græcarum rerum ſignificationem daret.] Quamobrem iucundiorem & probabiliorem? An quia populus rudis & indoctus malebat orationem ſuis auribus aptam, quàm eruditam & inſolitam? An quia populus ille imperioſus & ſuperbus deſpiciebat aliorum ingenia? An uero quòd in artificioſa diſputatione, non ueritas, ſed uictoria quæri uidetur? Cicero in Oratore diſputat, non eſſe tegendam eloquentiam. Nam, inquit, aut latere eloquentia poteſt? aut id quod diſſimulat, effugit? aut eſt periculum, ne quis putet in magna arte & glorioſa, turpe eſſe docere alios id quod ipſi fuerit honeſtiſſimum diſcere? Palàm igitur oſtentat transmarinam doctrinam, Antonio dat occultã: eoq́; uenit, ut exiſtimet pecudis eſſe, non hominis, non audire Græcos omnium diſciplinarum genera profitentes. Nam cum proprium ſit hominis ratiocinari, & loqui prudenter, & ratio ſermoq́; augeatur artibus: is propius accedit ad beſtias,

quàm ad homines, qui quod hominis maxime proprium eſt, aſpernatur. Græcorum profeſſionem amplificat, ut eos ſaltem ſubauſcultandos eſſe probet. Magnas res ſuſcipiunt, ut eloquentiam, philoſophiam, omnemq́; doctrinã: nec modo ſuſcipiunt experiendi gratia, ſed etiam profitentur & agunt. Res obſcuriſſimas uident, quæ ſecretiore philoſophia continentur. Bene uiuendi rationem tradunt in arte morum. Copioſe dicendi rationem, & orandi leges conſtituunt. Ea de re non uerebantur optimi quiq́; Romani principes habere domi Græcos, à quibus animi cultũ capeſſerent. Alij dediti ambitioni et auaritiæ, magiſtratus & prælia, ius ciuile, et eloquentiã forenſem perſequebãtur: Philoſophiã ſecretioresq́; muſas dãnabant: id quod etiamnũ faciunt qui curuas habent animas in terrã, & cœleſtium rerũ inanes. Subauſcultauit Græcos Antonius, & iſtorum omniũ ſummatim cauſas & genera ipſa guſtauit, hoc eſt, nõ omniũ Græcorũ quos audijt, omnes cauſas rationesq́; didicit, ſed tantũ ſummas præcipuasq́; cauſas, et genera ipſa delibauit. Ne accipito cauſas oratorias, ſed eas quibus nitũtur artes. Omnis ars habet cauſam finis, propter quã fuit cõſtituta. Itẽ cauſam efficientẽ, ſine qua nõ erat futura. Itemq́; cauſam formæ, qua uis ipſius cõprehẽditur: et aliã cauſam, qua eſt in materia et inſtrumẽtis. Nec huiuſmodi cauſæ ſolũ reperiũtur in arte uniuerſa, ſed etiam in ijs partibus ſingulis, quæ principes ſunt in artis corpore. Differũt à generibus cauſæ. Genera ſunt notiones quædã late patẽtes, quæ multas ſpecies & partes cõtinẽt: ut cũ dicimus, Tria ſunt genera dicendi. Cauſæ uero ſunt, ex quibus, uel propter quas, uel per quas aliquid fit. Ex ijs intelligitur, cauſas & genera guſtaſſe nihil aliud eſſe, quàm alicuius artis non omnes partes, ſed præcellentes modo nouiſſe.

VALDE *hercule, inquit, timide tanquã ad aliquem libidinis, etc.*] *Catulus ſapientiæ ſtudioſus philoſophos tuetur, & exemplis efficit, nõ modo nõ aſpernandũ eſſe philoſophiæ ſtudiũ, ſed etiã palàm capeſſendũ. Quòd autẽ exempla domeſtica plus habẽt auctoritatis apud Antonium, Romana, nõ externa legit. Illa partitur in duo tempora, priſcum recentius. Priſcũ tempus eſt Pythagoræ, recentius Aphricani & Carneadis.* Ad aliquem libidinis ſcopulũ. *Alludit ad ſcopulũ Circes, de quo Virg. in 7.*

Proxima Circeæ raduntur littora terræ:
Hinc exaudiri gemitus iræq́; leonum
Vincla recuſantum, & ſera ſub nocte rudentum,
Setigeriq́; ſues, atque in præſepibus urſi
Sæuire, ac formæ magnorum ululare luporum,
Quos hominum ex facie Dea ſæua potentibus herbis
Induerat Circe in uultus ac terga ferarum.
Quæ ne monſtra pij paterentur talia Troes
Delati in portus, neu littora dira ſubirent,
Neptunus uentis impleuit uela ſecundis,
Atque fugam dedit, & præter uada feruida uexit.

Locus eſt inter portũ Caietanũ & Tyberim, ubi quondam Circe meretricias & ueneficas artes exercuit, & ſocios Vlyſſis transformauit in porcos. Sic autẽ legendũ exiſtimo locũ præſentem. Valde hercule (inquit Catulus) timide, tanquã nauem ad aliquẽ libidinis ſcopulũ, ſic tuam mentem ad philoſophiam appuliſti.] *Proprie quidem naues dicuntur appelli. Poſſis referre mentẽ ad ſcopulos Sirenios, qui etiam abierunt in prouerbium. Hoc eo forte melius eſt quòd Sirenes cum uoluptate ſcientiam pollicebantur. Sic enim Homerus canit, interprete Cicerone:*

Nos graue certamen belli, cladémq́; canemus,
Græcia quam Troiæ diuino numine uexit,
Omniaq́; è latis regum ueſtigia terris.

Itaque non ſcopulum ſimpliciter, ſed aliquem ſcopulum dixit: credo, ut ſignificaret plures eſſe poetarum carmine celebratos. Magna Græcia.] *Apenninus Italiæ mons, qua Siciliam reſpicit, in duo ſe findit cornua, quibus intercipit eam terram, quã ueteres dixere Græciam magnam. Ea tempore Ciceronis neque urbibus, neque Græcis hominibus, neque fama celebritate florebat. Scribit ipſe Tuſc. quarta: Quis eſt enim qui putet, cum floreret in Italia Græcia potentiſſimis & maximis urbibus ea, quæ magna dicta eſt, in hiſq́; primum ipſius Pythagoræ, deinde poſtea Pythagoreorum tantum nomen eſſet, noſtrorum hominum ad eorum doctiſſimas uoces, aures clauſas fuiſſe? Quinetiam arbitror propter Pythagoreorum admirationem, Numam quoque regem Pythagoreum à poſterioribus exiſtimatum. Idem prima Tuſcul. Pythagoras cum regnante Tarquinio Superbo in Italiã ueniſſet, tenuit magnã illam Græciam cũ honore & diſciplina, tum etiam auctoritate: multaq́; ſæcula poſtea ſic uiguit Pythagoreorum nomen, ut nulli alij docti uiderentur. Liuius prima Dec. lib. primo: Auctorem doctrinæ Numæ, quia nõ extat alius, falſo Samiũ Pythagoram edunt, quem Seruio Tullo regnante Romæ, centũ amplius poſt annos in ultima Italiæ ora circa Metapontũ, Heracleamq́;, et Crotonem, iuuenũ æmulãtiũ ſtudia cœtus habuiſſe conſtat. Vides ut Ciceroni cum Liuio non conueniat de Pythagora aduentu in Italiã, ſed conueniat annis permultis ante fuiſſe Numã quàm Pythagoram. Numa regnauit tres annos & quadraginta, Tullus Hoſtilius duos & triginta, Ancus quatuor & uiginti, Tarquinius Priſcus octo & triginta, Seruius Tullus quatuor & quadraginta. Non ſunt duo ſæcula, ſiue anni ducenti à Numa ad Tarquiniũ, ſed duo prope ſæcula, nempe anni centũ octoginta unus. Numa igitur ſapientiã conſtituendæ ciuitatis, id eſt τὴν πολιτικὴν, & ciuilem ſcientiã, duobus prope ſæculis ante cognouit, quàm eã Græci natam eſſe ſenſerunt, ſi principium fuit eius à Pythagora. Sanè maximus legumlator Solon floruit regnãte Tarquinio Priſco, anno ab urbe condita centeſimo ſexageſimo primo: & ante Platonem, qui ſcripſit de Rep. uixit Pythagoras. Sed nõ defuerunt Græcis ſui reges, qui legibus cõſtituerent Græciã, ſicuti Numa ſuã ciuitatẽ.* Certe nõ tulit ullos hæc ciuitas.] *P. Aphricanus et C. Lælius amiciſſimi uiri res præclaras geſſerunt in Aphrica aduerſus Carthaginenſes Aſdrubalem, & Syphacem Numidarũ regem, quem C. Lælius cepit, coegeruntq́; Pœnos, ut Annibalẽ in auxiliũ publicæ ſalutis reuocarent ex Italia. L. Furius Gallos Inſubres rebellãtes, & Amilcarem Pœnũ, bellum in ea parte molientem, acie uicit. Idem cũ C. Marcello Bolos & iterũ Inſubres Gallos ſubegit. Fuerunt igitur hi uiri propter res geſtas gloria clari, propter uitæ dignitatem atq́; ſapientiã auctoritate graues, propter eruditionẽ humanitate & literis politi, qui ſecum eruditiſſimos homines ex Græcia, ut Panætiũ, palàm ſemper habuerũt. Laudantur à Catulo, ut maior auctoritas opponatur Antonio.* Ego ex iſtis ſæpe audiui.] *De hac legatione Gellius lib. 7. cap. 14. Animaduerſa eadẽ tripartita uarietas eſt in tribus philoſophis, quos Athenienſes Romã ad ſenatũ populumq́; Rom. legauerunt impetratum, uti multã remitterent, quam fecerant propter Oropi uaſtationem. Ea multa fuerat talentum ferè quingentũ. Erant iſti philoſophi, Carneades ex Academia, Diogenes Stoicus, Critolaus Peripateticus. & in ſenatũ quidem introducti, interprete uſi ſunt Cæcilio ſenatore. Sed ante ipſi ſeorſum quoque quiſque oſtentandi gratia magno conuentu hominum diſſertauerunt. Tum admirationi fuiſſe aiunt Rutilius & Polybius, philoſophorum trium ſui cuiuſque generis facundiam. Violenta, inquiunt, & rapida Carneades dicebat, ſcita & teretia Critolaus, modeſta Diogenes & ſobria. Hos non audijt Catulus, ætate poſterior, ſed iuuenis accepit à ſenibus, P. Aphricano, C. Lælio, L. Furio, legationem eorum gratam fuiſſe, & à multis diligenter philoſophos auditos. ſuper hac legatione multa Plutarchus in uitam Catonis Cenſorij.* De ſuis rebus maximis.] *De quingentis talentis.* Nobiliſſimos.] *Fama percelebres.* A' ſe.] *Aphricano, Lælio, Furio. In tragœdia Pacuuij Zethus & Amphion altercantur. Zethus muſicam damnat: cum debeat Amphion illam tueri, digreditur aliò, & fruſtra ſapien-*

tiam

tiam laudat. Cic. de Inuẽt. lib. 1. Aut ſi nõ id quod accuſabitur, defendet, ut ſi quis cũ ambitus accuſabitur, manu ſe fortem eſſe defendet, ut Amphion apud Euripidem, item apud Pacuuiũ, qui uituperata muſica ſapientiã laudat. Philoſophari paucis.] *Verſus eſt Ennianus iambicus ſenarius, quẽ Gellius tranſcripſit.*

Philoſophandum eſt paucis. nam omnino haud placet.

Neoptolemus dictus eſt Pyrrhus Achillis filius, propterea quòd νέος εἰς τὸν πόλεμον, id eſt iuuenis in bellum ueniſſet. Ego iſta non improbo, moderata modo ſint. Si quis amat ſolitudinem et contemplationem, inquietæ uitæ moleſtias fugit: multis philoſophetur. Qui uerſatur in hominũ luce, & in media Reip. turba, ut miles, iuriſconſultus, & orator, fit ineptior ciuilibus rebus, ſi plurimũ ſe tradat argutijs philoſophorũ. Sic igitur Antonij dictũ poteſt ex parte uerũ uideri. SED ne eò reuocetur, unde huc declinauit oratio, &c.] *Ne fruſtra de philoſophis mentionẽ feciſſe uideatur, qui philoſophi iuuent oratorem, qui nihil adiuuent eundem, pronunciat. Non iuuant, qui nihil tradunt de inueniẽdo uero, de iudicando nimiũ multa ſpinoſa & moleſta nugantur. Iuuãt ij qui locos ſignant, quiq́; in utranque partẽ uerſant diſputationẽ. Eò reuocetur, unde huc declinauit atq; digreſſa eſt oratio. Dicebamus eſſe philoſophos orationis copia abundantes, qui nulla dant præcepta dicendi. Videamus qui ſint, quidq́; conferant oratori. Ex tribus illis clariſſimis philoſophis qui Romam uenerunt, Diogenes Stoicus dicebat artem ſe tradere bene diſſerendi, et uera ac falſa diiudicandi, quam uerbo Græco διαλεκτικὴν appellaret. διαλεκτικὴ latine dici poteſt diſputatrix, ſed melius ars diſputandi. Ducitur à uerbo Græco διαλέγομαι, quod eſt diſputo aut diſſero diligenter. Cicero interpretatur artem bene diſſerendi, & uera ac falſa diiudicandi: additq́; ueri & falſi iudicium ad excludendam rhetoricam, quæ & ipſa eſt ars bene diſſerendi. Rhetorica ex aduerſo dialecticæ reſpondet, ideoq́; dubitari poteſt, an dialectica ſit ars, quemadmodum quæſtio fuit de rhetorica. quod ut indicaret, inſeruit hæc uerba: Si modo eſt hæc ars. Non eſt enim ars quæ demonſtratione conſtet, ſed quæ obſeruando & ratiocinando quædam præcepta tradat. In ea nullũ eſt præceptum quo modo uerum inueniatur. Nam quæ inuenit argumenta, topice, non dialectice propriè appellatur: Dialecticam uult accipi talem quandam artem, qualem ſcripſit Ariſtoteles libris περὶ ἑρμηνείας καὶ ἀναλυτικῶν, in quibus de uero iudicat. Iudicium eſt de proloquijs ſimplicibus aut compoſitis. In utriſque fit ut aliquid eſſe dicamus, aut non eſſe. hinc illud axioma dialecticum: De unoquoque eſt affirmatio uel negatio, utrunque ſimul de nullo. Si ſimpliciter & extra ſyllogiſmũ dictum ſit, ſuſcipiunt dialectici, ut iudicent uerum'ne ſit, an falſum. Nã ſi quod ſubijcitur, & id quod apponitur ſic habent, ut hoc inſit illi, iudicant eſſe uerũ quod dicitur: ut, uirtus eſt honeſta, proloquiũ uerũ eſt, quia τὸ κατηγορούμενον, quod uocãt prædicatũ, ſic inhæret ſubiecto, ut uirtute poſita neceſſario ſequatur honeſtũ. Si uero ſubiectũ & enunciatũ diſſident, fit oratio falſa, ut, Pecus eſt homo. Contra hæc uera eſt: Pecus non eſt homo. illa falſa, Virtus nõ eſt honeſta. Si cõiunctè ſit elatũ, id eſt editũ uerbis, ut in ſyllogiſmo, in quo tres orationes coniunguntur: iudicant, recta'ne ſit cõiunctio, an duæ primæ quæ ſumũtur ad inferendũ cõſequens, habeãt inter ſe eã qualitatẽ & quantitatẽ, et eũ ordinẽ, quẽ exigit ille modus quo formatur ſyllogiſmus. Iudicãt etiã, uera'ne ſit ſumma, id eſt cõcluſio uniuſcuiuſque rationis, hoc eſt ſyllogiſmi: aut certe ſumma eſt uniuerſa complexio ratiocinationis. Ad iudiciũ ſyllogiſmorum confectæ ſunt artes analyticæ: ad exploranda ſimplicia proloquia, inuentæ rationes affirmationum & negationũ.* Ad extremũ ipſi ſe compungunt ſuis acuminibus.] *Hoc eſt, poſt iudiciũ ſimplicium atque coniunctorum, tandem argutijs & ſophiſmatis quibuſdã quaſi aculeis ſe compungunt, quales ſunt Stoicorũ Soritæ atque Elenchi. Et multa quærendo contradicendi gratia, reperiunt non modò ea quæ iam nõ poſſint ipſi diſſoluere, ut ἀδιάλυτα, quæ noſtri dicunt inſolubilia, ſed etiam quibus ante exorſa, id eſt texi cœpta, & potius detexta, hoc eſt uel tota texta, uel magna ex parte texta, propè retexantur, ferè à textura reſoluantur. Retexere eſt, quod erat contextum reſoluere, ut in prouerbio quo dicitur, Retexi telam Penelopes Hic nos igitur Stoicus Diogenes, & ſi quis eſt alius eiuſdem ſectæ, nihil adiuuat, quoniam quid locis inueniam, non docet: atque idem etiam impedit, quia multa reperit quæ neget ullo modo poſſe diſſolui.* Siccine impedit? Maxime.] *Traducit animum ad abſtruſa quædam ac minuta, et ſic implicat ſententias, ut inuentioni tenebræ offundãtur. Adde quòd non ſolum res commiſcentur ab eo, ſed etiam ſermo. Nam genus ſermonis affert non liquidum & perſpicuum, ſed tam exile & aridum, ut uix animo ſentiri cognoſciq́; poſſit: non fuſum ac profluens, ut tractum flumen, ſed conciſum ac minutum crebris oratiunculis, quæ uulgo propoſitiones uocantur. Genus oratorium reſpuit illud exile & aridum, id eſt nimiam gracilitatem & inopiam tum rerum, tum etiam neruorum. Expreſſius eſſe uult & ſucculentum magis, itemq́; oratione perpetua fuſum, & ambituum comprehenſione profluens, non conciſum membris minutum particulis, qualibus ſyllogiſmi conſtant. Orator aliter probat, aliter dialecticus. Hic obſcure, breui quadã concluſione: ille dilucide, expoſita copioſe animi ſententia. Oratoris oratio auribus indoctæ multitudinis eſt accommodanda ad oblectandos animos, ad impellendos. Sermo dialectici nec à multitudine intelligitur, nec uoluptate delectat animos, nec ullo mouet affectu. Sæpe tractat hic demonſtrationes, & certas argumentationes, quæ tam exactè penduntur à doctis, quàm aurum & argentum examinatur ab aurificis ſtatera, ut nihil deſit, nihil ſuperſit, nihil ſit adulterinũ. Oratio eloquentis, quadam populari trutina atque bilance non iuſta examinatur. Significat hæc tranſlatio ſermonis, philoſophos in argumentis ſummam exercere ſeueritatem, quã uulgus rigorem logices appellat: populum non tam exacte caſtigare ſermones. Statera mediam ſyllabam producit, Trutina corripit. Significant eandem rem. Aurifices ſunt, aurarij fabri. Muta nimium, & nimiũ loquax, antitheta.* CRITOLAVM iſtũ, quem ſimul cũ Diogene ueniſſe commemoras.] *Peripateticos oratori plus conferre quàm Stoicos exiſtimat, & quòd locos oſtendunt, in quibus reperiuntur argumẽta, & quòd in utranque partem de omni re propoſita diſputant.* Erat ab Ariſtotele.] *Id eſt, Peripateticus erat.* Illũ legi librũ, in quo expoſuit dicendi artes omnium ſuperiorum.] *Liber Ariſtotelis in quo expoſuit dicendi artes omnium rhetorum ſuperiorum, non extat. Scripſit ἀτάκτων, hoc eſt indigeſtorum libros duodecim, quos hic ſignificari puto. Extant alij ad Theodectem, in quibus ipſe ſua quædam de eadẽ arte dicit. Inter Ariſtotelem, & huius artis rhetoricæ magiſtros germanos, id eſt ueros, & huic uni rei deditos, hoc intereſt: Ille eadem acie mentis, & acuta iudicandi ui, σύνεσιν dicunt Græci, qua rerum omnium uim naturamq́; uiderat, hæc quoque aſpexit, quæ ad dicendi artem, quam ille deſpiciebat, pertinebant. Illi quaſi germani rhetores, qui ſolum rhetoricam colendam exiſtimabant, laborarunt in hac una ratione tractanda, non eadem prudẽtia qua ille, ſed uſu maiore in hoc uno ſtudio & genere diſciplinæ. Vt Ariſtoteles rerũ omniũ uim naturamq́; uiderit, facile iudicabit is qui opera uiri cognoſcet, ea quæ ſuperſunt, & eorum legerit inſcriptiones quæ deſiderantur. Nihil eſt ferè in uniuerſa natura, de quo non ſit aliquid præclare locutus. Rhetoricam deſpiciebat initio, ſed tandem pomeridianis ſcholis rhetoricari cœpit, inuidus gloriæ & nomini Iſocratis, cuius domus iuuenum frequentia celebris erat. Dicebat è tragœdia uerſiculum.*

αἰσχρὸν σιωπᾶν μὲν, Ἰσοκράτην δ' ἐᾶν λέγειν.

Carneadis uis incredibilis.] *Carneades uiolenta & rapi-*

dæ dicebat, inquit Polybius. Hæc uis eſt in amplificationibus, in crebris argumentis, in affectibus, in actione uehementi. Carneadis uarietas.] Varietas ſententiarum Carneadi fuit, non elocutionis. Cicero in Oratore: Scitum eſt enim quòd Carneades noſter dicere ſolebat, Clitomachum eadem dicere, Carneadem autem eodem etiam modo dicere. Nullá rem defendit, etc.] Defendere & oppugnare, probare & euertere, ſunt oppoſita. Antitheton igitur eſt duplex. Quærat aliquis utrum præſtet, ſtudioſum dicendi operam dare ijs magiſtris qui ſola rhetorica ſæpius inculcant, an ijs qui res maximas profitentur? Duo facit genera eorum qui operam nauant eloquentiæ: unum rude & imperitum, alterum liberaliter inſtitutum, & uſu aliquo iam imbutum. Hoc ad maximos fontes, illud ad riuulos rhetorum mittit. Si quem planè rudem inſtitui ad dicendum uelim, his qui rhetorica, nõ alia tradũt et docent, cõmittam, qui aſſidue ſunt in uno opere, et eandem incudẽ diem noctemq; tundũt. Manſa in os inſerunt.] Sumptũ eſt à nutricibus, quæ cibũ paulo ſolidiorẽ ante mandũt, ac dentibus infringunt, quàm in os infantiũ mittant. Haud ſecus rudibus minima quæq; præcepta interpretatione mollita inſeri uult in aures. Sin ſic is, etc.] Ingeniũ primũ eſt, deinde doctrina et uſus. Ordinẽ mutauit, ut liberaliter inſtitutus et rudis ex aduerſo opponerẽtur. Rapiá.] Rudiores tradit, ut lente docẽdos. liberaliter inſtitutos & acres rapit, ut celeriter firmãdos. Nõ aquula teneatur.] Aquulá flumini cõparauit, á minore. Aquulá ſecluſam tranſtulit ad ſignificãda rhetoricæ minora præcepta, quæ rudibus ſeorſim abſq; alia diſciplina iubet infundi. Vniuerſum flumẽ.] Ad rerũ et argumentorũ copiam, quæ manant ex locis. Locos appellat ſedes et domicilia, quia res in illis ſita ſunt, & perpetuo manent. Sedes breuiter illuſtrare, uerbisq; definire, eſt definitionibus comprehendere quæ cuiuſq; loci natura ſit. QVID enim eſt in quo hæreat, qui uiderit omne quod ſumatur, &c.] Ariſtoteles tres ſummos locos ſtatuit, propriũ, genus, accidens. Propriũ diuidit in definitionem, & in illud proprium quod in quinque Porphyrij uocibus quartum obtinet locum. Differentiam genere comprehendit. Principes igitur loci apud illum, definitio, genus, differentia, proprium, accidens. In his peruoluendis in alios deuenit locos, ut in coniugata, ſimilia, diſſimilia, contraria, adiuncta, conſequẽtia, cauſas, effecta, comparata. quos quidem locos Cicero ex immenſa minorum ſedium turba legit, ne confuſione multitudinis opprimantur ingenia. Omne quod ſumitur in oratione, aut eſt ad probandum, aut ad refellendum. Probamus noſtra, refellimus aliena. Omne quod ſumitur uel ad probandum, uel ad refellendum: aut ex ſua ui atq; natura, aut extrinſecus & foris aſſumitur. Nihil eſt hic, in quo quis hæreat, id eſt, addubitet. Ex ſua ui ſumitur id, quod in eo ipſo de quo agitur, hæret. illud eſt quadripartitum. Aut enim totum quæritur, aut pars eius, aut uocabulum quod habeat, aut quippiam rem illam quod attingat, & ſit affectum quodãmodo ad illud de quo quæritur. Hoc modo ſtatuũtur quatuor loci, definitio, enumeratio partiũ, notatio uerbi, affecta ad id de quo quæritur. Hoc quarto uelut membro continentur genera, ſpecies, ſimilitudines, diſſimilitudines, contraria, conſequentia, conſentanea, præcurrentia, repugnantia, cauſæ, effecta, comparationes. Extrinſecus aſſumuntur ea quæ ſunt foris, neque inhærent in eius rei natura, de; qua agitur, ut rumores, teſtimonia. Definitio in locis prima conſtituitur, quia totum illud explicat de quo quæritur. Eſt autem definitio (ut ſupra diximus) oratio quæ quid res ſit, breuiter explicat. ut maieſtas eſt amplitudo ac dignitas ciuitatis. Latius paulo funditur hoc nomen apud oratores, quàm apud logicos, qui nullam ſtatuunt eſſe definitionem, niſi quæ genere & differentia conſtat. Cum teximus argumentum á definitione, definitio præponitur hoc modo: Rhetorice eſt bene dicendi ſcientia. Bene dicere, laudabile eſt. Rhetorice igitur laudabilis. Si ius eſt ars æqui & boni, et æquitatis utilis eſt cognitio, utilis eſt iuris ſcientia. Si maieſtas eſt amplitudo ac dignitas ciuitatis: is eam minuit, qui exercitum hoſtibus populi Rom. tradidit, non qui eũ qui id feciſſet, populi Romani poteſtati tradidit. Hoc utitur Antonius exemplo, quia Norbanum defendit reum maieſtatis, qui tribunus pl. turbulentus Cepionem populi Rom. poteſtati tradiderat, quaſi Cepio exercitũ Romanũ Cimbris hoſtibus tradidiſſet. Partitio eſt totius in partes diſtributio. Si neque cenſu, neque uindicta, nec teſtamento liber factus eſt, nõ eſt liber, Neq; eſt ulla earũ rerũ: non eſt igitur liber. Si uiuit argentũ, aut ſtirps eſt, aut beſtia, aut homo. nihil iſtorum eſt, nõ igitur uiuit. Aut ſenatui parendũ de ſalute Reip. fuit, aut aliud conſiliũ inſtituendum, aut ſua ſponte faciendũ. Aliud conſiliũ, ſuperbum, ſuum, arrogans: utendum igitur fuit conſilio ſenatus. Id à Carbone ſumptum ex defenſione Opimij, qui C. Gracchũ ex S. C. pro Reip. ſalute interfecerat. Vocabulũ ſiue notatio dicitur à Græcis ἐτυμολογία: ut, Conſul eſt, qui patriæ conſulit. aſſiduus, qui dat aſſes. tumultus, timor multus. philoſophus, ſapiẽtiæ ſtudioſus. Notatio, eſt definitio quædã nominis: à qua duxit argumentũ Carbo pro Opimio: Si conſul eſt, qui cõſulit patriæ: quid aliud in necando Graccho fecit Opimius? Quod rem attingit, dicitur à Cicerone affectũ ad id de quo quæritur: quoniá ad eius naturam pertinet, ſiue ſubſtantiam ſignificat, ut genus: ſiue accidens, ut ſimile: ſiue in re eſt, ut ſpecies in genere: ſiue ante rẽ, ut cauſa efficiens: ſiue poſt rem, ut conſequens. In affectis prima ſunt coniuncta, quæ dicuntur alio nomine cõiugata. Ea ſunt ex uerbis generis eiuſdem. Eiuſdem autem generis uerba ſunt, quæ orta ab uno uarie commutantur, ut ſapiens, ſapienter, ſapiẽtia. Hæc uerborum coniugatio συζυγία dicitur, ex qua huiuſmodi eſt argumentum: Si compaſcuus ager eſt, ius eſt compaſcere. Hæc Cicero in Top. Ariſtoteles dicit caſus, nomen & aduerbiũ, ut iuſtus et iuſte: alia cõiugata, ut iuſtus & iuſtitia. In exemplo Antonij caſus ſiue cõiugata ſunt, pietati & pie, quæ ſunt generis eiuſdẽ. Sũpta ſunt ex hiſtoria. Q. Metellus, unde prodijt exemplũ, cognominatus eſt pius, quoniá patrem ſuum Metellũ Numidicũ ab exilio precibus lachrymisq; reuocaſſet. EX genere autẽ, Si magiſtratus in pop. Romani poteſtate eſſe debent, &c.] Genus eſt, quod habet ſub ſe ſpecies, ut animal, ſtirpes, arbor, elementũ, uirtus, ſcientia, magiſtratus. Sub magiſtratu ſunt, quæſtura, tribunatus, ædilitas, prætura, conſulatus. À genere ad ſpeciẽ itur hoc modo: Magiſtratus omnes in populi Romani poteſtate eſſe debent. Tribunatus igitur in pop. Rom. poteſtate eſſe debet. Non eſt bona connexio, niſi ſumatur genus uniuerſum. Non enim ſi animal eſt, homo eſt: nec ſi eſt arbor, idcirco platanus eſt. Sed ſi uirtus omnis eſt, iuſtitia quidem eſt. Accipit igitur magiſtratus in uniuerſum, ut tribunatum ſpeciem colligat. uis argumentationis eſt huiuſmodi: Magiſtratus omnes in pop. Romani poteſtate eſſe debẽt, id eſt parere uolũtati pop. Romani. Tribunatus igitur debet eſſe in poteſtate. tribunatus Norbani uoluntati paruit ciuitatis in accuſando Cepione. nõ eſt igitur accuſandus, qui fecit id quod debuit. In poteſtate eſſe dicuntur, qui non ſunt ſui iuris, ut ſerui, filij non emancipati, magiſtratus ex quo tempore Valerius Publicola faſces populo ſummiſit. Verbum frequẽs in iure ciuili, eſſe in Poteſtate. Pars alia ſubiecta toti, alia generi, quæ ſpecies proprie dicitur, aut forma. Genus de ſpecie affirmatur hoc modo: Si iuſtitia laudabilis, aliqua uirtus eſt laudabilis. Si rhetorice perutilis, ars aliqua eſt perutilis. Mors eſt, diſſolutio igitur. In his & ſimilibus argumentis ex ſpecie genus colligitur. Sicut autem procedit argumentum à forma ad ſuũ genus, ita à ſpecie ad indiuidua logica, & ad partes formæ ſubditas, ſi forma ſumatur in uniuerſum, hoc modo: Omnis homo eſt mortalis, philoſophus igitur mortalis. Si omnis iuſtitia continet hominum ſocietatem, iuſtitia legum continet hominum ſocietatem. Tale uidetur Ciceronis argumentum. Nam duæ ſunt hominum ſpecies, alij Reipublicæ conſulunt, alij non conſulunt.

ſulunt. In ea hominum ſpecie qui Reip. conſulunt, ſunt imperatores boni. Quòd ſi dixeris omnes qui Reipub. conſulunt, eſſe loco generis, imperatores loco formæ: uidebitur eſſe ratio à genere ad ſpeciem, & ab argumento ſuperiore non differre. Sit igitur argumentum ex ſpecie ad ſubiectam particulam. Species eſt duplex, altera accidentaria, altera ſubſtantialis, ut cum dialecticis loquamur. Nihil refert, hanc an illam quis ſpeciem dicat, ſi in ueniendi argumenti negotium curet. Similitudo, duarum rerũ pluriumúe collatio in qualitate. Differt à cõparatione, quòd hæc ſit quantitatis, illa uero qualitatis. Si feræ partus ſuos diligunt, qua nos in liberos noſtros indulgentia eſſe debemus? Feræ cum hominibus, partus cum liberis conferuntur in qualitate, nempe in dilectione. Partus ſunt cuiuſque animantis fœtus. Indulgentia ſæpe dicitur in malam partem: hic accipi uidetur pro ſumma dilectione, cui licentia quædã comes eſt. Diſſimilitudo opponitur ſimilitudini, illíq; ſubiungitur. Eſt autem diſſimilitudo, differentia qualitatis. Nec enim diſſimilitudine continetur omnis differentia, ſed illa modo, quã facit accidens, aut ſeparabile, aut inſeparabile. Si barbarorũ eſt in diem uiuere, noſtra conſilia in ſempiternũ tempus ſpectare debent. Barbari cum hominibus cultis, dies cũ ſempiterno tẽpore confertur. Diſſimilis utraque collatio. In diem uiuere, curare ſolum præſentia, & in poſterum tempus nihil parare. Similia & diſſimilia cum ſumuntur ex aliorum factis, aut dictis, aut euentis, propriè appellãtur exempla, à Græcis παραδείγματα. Ex factis, Quemadmodum Fabritius honorem magis ſecutus eſt, quàm rem, ſic nos quoque nomen opibus anteferre debemus. Ex dictis, Ennio licuit uetera contemnenti dicere, Verſibus quos olim Fauni uateſq; canebant: mihi de antiquis eodem modo nõ licebit? Ex euentis: Sicut deliciæ Campanæ fregerunt Annibalis exercitum, ita mollis hæc uita noſtra uires animi corporiſq; frangit. Ex fictis narrationibus, Cum mẽbra coniuraſſent in uentrem, & alimentum afferre recuſaſſent, intellexerunt ſine illius miniſterio ſtare ſe non poſſe. Non aliter, ſi plebs negat officium principibus, breui ſentiet ſuo ſe conſilio perditum iri. Contraria dicuntur à Cicerone ἀντικείμενα, id eſt oppoſita, cuiuſmodi ſunt aduerſa, uirtus, uitium. priuantia, amicus, inimicus. relata, longus, breuis. contradicentia, eſt, non eſt. Hæ ſunt contrariorum ſpecies quatuor, quas fuſius exponit in Topicis, & Ariſtoteles in Categorijs. Si Gracchus nefariè, præclarè Opimius. Contraria ſunt nefariè & præclarè, quemadmodum bene & male. Nefariè C. Gracchus fecit in ſalutem ciuitatis, præclarè Opimius pro ſalute Reipublicæ. Ad idem contraria debent ferri, alioqui non ualet argumentatio. Conſequentia definit in Topicis, quæ rem neceſſario conſequuntur: ut, Fluctus eſt, procella igitur eſt. Si reſpirat, habet pulmonem. Si mulier peperit, uirum paſſa eſt. Si meſſis eſt, ſatum eſt. Hoc modo ex conſequenti colligitur antecedens. Dicuntur etiam conſequentia, quæ neceſſario cohærent, ſiue ex antecedentibus conſequentia, ſiue ex conſequentibus antecedentia inferantur. Nec enim facit hic mentionem de antecedẽtibus, quoniam cõſequentia ſine antecedentibus eſſe non poſſunt. ἑπόμενα uocantur à Græcis; non quæ natura & tempore ſequuntur, ſed quæ ſic habent, ut unum ſine altero eſſe non poſſit: ut, Si homo eſt, animal eſt. Omnis uirtus eſt bona, eſt igitur iuſtitia bona. Non poteſt homo eſſe, quin ſit animal: nec omnis uirtus poteſt eſſe bona, quin iuſtitia ſit bona. Quòd ſi non recurrunt hæc cõſecutione reciproca, nihil uetat antecedentia atque conſequentia uocari. Nam conſequentia ponuntur, ut contineãt argumenta ex ijs rebus quæ neceſſario cohærent. Adiuncta uero, ut illa quæ cognata ſunt quidem, ſed non cohærent neceſſario. In exemplo Ciceronis quædã negotiũ antecedunt, ut inimicitiæ, audacia. cauſa quædã ſequuntur, ut gladius cruentus, deprehenſio hominis in loco cæſi. Hæc uniuerſa cõgregata, & unius loco poſita, cædem à reo factã neceſſario demonſtrat. Vniuerſa dico, nõ ſingula, propterea quòd ſingula ſunt adiuncta ſiue conſentanea, nõ autem neceſſaria. Sed enim multa conſentanea in unũ collecta, ſæpe ſunt neceſſaria. Cõſequentia appellantur, non quòd, cædem omnia ſequãtur, ſed quòd ſic annexa ſunt cædi, ſicq; comitantur eã, ut in quo uniuerſa deprehenderis, eũ cædẽ feciſſe ſit neceſſe. At ſi quis ſibi manũ attulerit, alius ad eius cadauer ſit deprehẽſus, cui cõueniant hæc uniuerſa: fallet argumentũ: Sanè: ſed exemplũ intelligitur de eo qui ſit ab alio interfectus, & Cicero pro neceſſarijs habet ea quæ raro aliter eueniũt. Conſentanea ſunt adiuncta, quæ ut cõcurrant frequenter, nõ tamen ſemper, ut timor et pallor, metus & titubatio, riſus & lætitia, defendere bonũ ciuem, et ciuem eſſe bonũ. Hæc et ſimilia quanquã ſæpe colligãtur, aliquando tamen diſſoluũtur, & uno poſito deeſt alterũ: ut poteſt malus eſſe Carbo qui bonũ tamen defendat in cauſa. Præcurrentia ſunt, quæ ex primordijs uel medium uel finem colligunt, hoc modo: Non poſſum togã prætextam ſperare, cum exordium pullum uideam. Quos educere inuitos in prouinciam nõ potuit, eos inuitos retinere qui potuit? Præcurrentia differunt à cõſequentibus. hæc ſemper ſunt neceſſaria, illa poſſunt euenire. Differunt à conſentaneis. Conſentanea naturaliter aliter cõgruunt, ſine temporis obſeruatione. Præcurrentia non eunt pariter ut illa, ſed alterum præcedit: ut in hoc exemplo: Si Opimium Carbo defendit, bonus erit ciuis. Defenſio præcurrit ſignum egregiæ uoluntatis, & quoddam ueluti pignus: bonitas ſubſequitur, ſi modo rectè uixit is, qui ab alio uitæ rationes exegit. Non deerit qui præcurrentia & antecedentia eadem eſſe dicat, quia Cicero in Topicis antecedentia, conſequentia, repugnantia coniungit. Ego aliter ſentio, propterea quòd cõſequentibus antecedentia nõ iunxit, cũ ſint ex ijs quæ referũtur ad aliud, quòd cõſequentia ſine antecedentibus non poſſunt intelligi, ut cũ dicimus omne argumentũ eſſe aut ex cõſequẽtibus, aut repugnantibus: quodq; in Partitionibus, primordia appellauit præcurrẽtia, quo uocabulo non aptè ſignificet ea antecedentia quæ definit ipſe in Topicis. Reperies initio libelli de Partitionibus oratorijs, ubi enumerat locos oratorum. Poſtea quam dixit de conſequentibus, conſentaneis, & præcurrentibus, quæ quandã habent familiaritatem: cõgrue tranſit ad repugnãtia, quæ nunquam cohærere poſſunt. Repugnant hæc, Tyberij Gracchi mortem in concionibus deplorare, & ciuem bonũ eſſe: P. Africani necis ſocium fuiſſe, legem pernicioſam in tribunatu tuliſſe, ſemper à bonis diſſenſiſſe, & ciuem bonum fuiſſe. Repugnant, inquam, ſi conferuntur in idem tempus: ſi in aliud, conſentanea tantũ ſunt, aut præcurrentia. Cum iterum tribunus plebis creari uellet Gracchus, nimiũ popularis, auctore P. Cornelio Naſica in Capitolio à primatibus occiſus eſt. Carbo tribunus plebis rogationem tulit, ut eundem tribunum pl. quoties quidem uellet, creari liceret. rogationem eius P. Africanus grauiſſima oratione diſſuaſit. Seditiones à triumuiris, Fuluio Flacco, C. Graccho, & C. Carbone, de agro diuidundo creatis, excitatæ. quibus cum P. Scipio Africanus aduerſaretur, fortiſq; ac ualidus pridie domum ſe recepiſſet, mortuus in cubiculo inuentus eſt. Hæc Florus ex Liuio, quæ Craſſi adoleſcentis orationem explicant. EX cauſis autem rerum ſic, auaritiam ſi tollere uultis, &c.] Quatuor ſunt genera cauſarum ab Ariſtotele in Analyticis, & ab alijs multis explicata: materia, ex qua aliquid fit: finis, propter quem fit: forma, per quam habet certã ſpeciẽ: agens, à quo mouetur. Ex his omnibus ducuntur argumenta, ſed ex efficientibus cauſis ſæpiſſimè. quamobrem in anguſta locorum poſitione cauſas efficientes maxime conſtituit, quibus cætera comprehenderentur. Nam & illa efficiunt aliquid, uel per ſe, uel alia concurrente cauſa, ut terra poſita inter ſolem & lunam, lunæ per ſe facit eclipſin. Architectus mouente habitandi utilitate domum conſtruit. In efficientibus cauſis ſunt non modo ſubſtantiæ, ſed etiam accidentia permulta: quanquam phyſici referunt actiones ad formam, quòd illa ſit actus

atque perfectio rei. Magna uis eſt accidentibus, quæ formam comitantur à natura, quæq; rei perfectæ & expletæ, uel arte, uel fortuna, uel alia ratione adhæreſcunt: ut calor eſt multarum cauſa rerum, frigus, pondus, caſus, uirtus, ſcientia, uitium, luxuria. ex qua ducitur hoc argumentum: Auaritiam ſi tollere uultis, mater eius eſt tollenda luxuries. Luxuries uti mater parit auaritiam. demõſtrant mali mores. qui cũ luxu parãt ædes, inſtrumenta, uaſa, ueſtes, tabulas, ſigna, conuiuia, multa auare diripiũt, ad implendas ſuas cupiditates: etſi tot tãtæq; ſunt, ut impleri nullo modo poſſint. Auaritiã non tantũ dicimus eam quæ rem auidius cupit, & tenacius ſupprimit: ſed & illam quæ plus quàm debet, aut unde non debet, aut aliter quàm debet, accipit. Si luxuria tollatur, modicæ erunt expenſæ, paruoq; uiuetur. Res tenuis ſatis erit etiam uiro ampliſſimo, tumq; peribit infinita habendi cupiditas, quantam principibus Romanis fuiſſe tempore Ciceronis hiſtoria Saluſtiana commemorat. Cauſas ſequuntur effectus, ex quibus aliquando colligimus cauſas hoc modo: Si ærarij copijs & ad belli adiumenta, & ad ornamenta pacis utimur, uectigalibus ſeruiamus. Vectigalia efficiunt ærarij copiam. Copia igitur effectus eſt uectigalium. Quòd ſi quis uelit effectum, ut idem cauſam uelit neceſſe eſt. Volunt ciues habere ærarium copioſum, quo ad belli adiumenta, et ad ornamenta pacis utantur: uectigalibus igitur ſeruire debent. Eſt autem uectigalibus ſeruire, tributa conſeruare, diligenterq; percipere. Ex effectis alia nunquam diuelluntur à cauſis, ut fluctus à procella: alia ſeparãtur, ut architectus à domo quam fecit. In illis neceſſaria eſt cõplexio, in his non item ſemper. Non enim ſi domus eſt, architectus eius eſt: ſed ſi domus eſt, architectus eius aut eſt, aut fuit. Comparatio quæ confert quantitatem, triplex eſt: ex maiore ad minus, ex minore ad maius, ex pari. Ex maiore, ſi bona exiſtimatio diuitijs præſtat (præſtat autem, ſapientis ſententia) & pecunia tantopere expetitur, quanto gloria magis eſt expetenda? Exiſtimatio & gloria maior eſt, diuitiæ minores. Ex minore ſic eſt argumentũ apud Terentium in Andria, ubi Simo loquitur de Pamphilo & Chryſide: Hic paruæ conſuetudinis

Cauſa huius mortem fert tam familiariter,
Quid ſi ipſe amaſſet? quid mihi hic faciet patri?

Ex pari ſic ratio nectitur: Eſt eiuſdem & eripere contra Remp. & largiri pecunias. Tam peccat is qui contra Remp. eripit pecunias, ut Verres: quàm qui contra eandem pecunias largitur, ut Cæſar. Itaque ſi quis pecunias eripit contra Remp. credibile eſt eundem pecunias largiturum contra Rempub. Vno poſito, fit alterum uериſimile. Foris, id eſt extrinſecus, aſſumuntur argumenta, quæ non ſua ui, ſed extranea ſubleuantur, id eſt fulciuntur: ut ex tabulis, rumoribus, teſtimonijs, quæſtionibus, præiudicijs, alijsq; generis eiuſdem. ex quibus ducta argumenta nõ capiunt uires ab eo de quo agitur, ſed ut ſunt extranea, ſic quoq; extranea ui ſubleuantur. Tria ponit exempla. unum de teſtimonio: Hoc uerum eſt, dixit enim Q. Luctatius. alterum de tormentis: Hoc falſum eſt, habita enim quæſtio eſt, id eſt, tortus eſt is quem oportuit ad excutiendam ueritatem. tertium de tabulis: Hoc ſequi neceſſe eſt, recito enim tabulas. Propoſitiones in genere breuitatis cauſa ſtatuit, hoc uerũ eſt, hoc falſum eſt, hoc ſequi neceſſe eſt. Q. Catulus Luctatius uixit temporibus Antonij oratoris. cũ C. Mario multa Cimbrorũ millia cecidit. Hæc ut breuiſſime dici potuerũt, ita à me dicta ſunt.] Breuitati ſtuduit ex induſtria Cicero, qui ſciret aliud opus locis rhetoricis eſſe deſtinatũ. Ego propter eandem cauſam breuis eſſe uolui, & ne inciderem in illorum uitium, qui fuſe dilatant in commentarijs id quod auctores ſapientiſſimi complicandum eſſe putauerunt. Breuiter agendum fuiſſe de locis, oſtendit ſimilitudine. Vt enim ſi aurum cui, id eſt alicui, quod eſſet multifariam, hoc eſt multis in locis defoſſum, commoſtrare uellem, ſatis eſſe quærenti deberet, ſi ſigna notaſq; locorum monſtrarem, quibus cognitis ille ſibi ipſe foderet, & id quod uellet aurum paruo labore, nullo errore uie inueniret: ſic has ego argumentorum noui notas & indicia quædam, quæ illa mihi quærenti demonſtrant ubi ſint. reliqua omnia quæ latent in locis, cura & cogitatione, ut aurum labore, eruuntur. QVOD autem argumentorum genus, cuique cauſarum generi maxime, &c.] Non omnia conueniunt omnibus cauſis. ſua cuique cauſarum generi maxime conueniũt, ut laudationi & deliberationi utile & honeſtum. cõiecturis, cauſa, effecta, conſentanea. definitioni, conſequentia, ſimilia. qualitati, comparata, genera bonorum malorum, honeſtorum turpium, expetendorum fugiendorum. Quæ cuique cauſarum generi maxime conueniant, non exiſtimat hic eſſe dicendum, quia non eſt artis exquiſitæ, diligentis & exactæ, ea de re præſcribere, id eſt præcipere, ſed eſt mediocris ingenij iudicare. Et ſi artis eſſet, haud tamen præſcriberet, quia non agit ut artem aliquam dicendi explicet: ſed ut doctiſſimis hominibus, Craſſo, Catulo, Cæſari, Sulpitio, Cottæ, uſus & exercitationis ſuæ quaſi quædam admonita tradat. An non id agit? maxime agit. Sed negat Cicero, ut ſeruetur in Antonij perſona decorum, uelq; hanc artem à Græcorum præceptis multum differre uideatur. His igitur locis, etc.] Quemadmodũ quæritur quod argumentorum genus cuique cauſarum generi maxime conueniat, ita quæri poteſt, ad quid ſint utiles, loci? Vt ſint utiles, debent in mente & cogitatione defigi. tardius enim id quod uolumus reperiemus, ſi quo lateat loco neſciamus. Tenendus eſt cogitatione locus: nec tenere mente locum ſatis eſt, ſed in omni re ad dicendum poſita, id eſt in omni quæſtione propoſita, eſt excitandus. Excitatur autem, cum mouetur animo, & inquirendi argumenti cauſa peruoluitur. Hoc modo tanta locorum eſt utilitas, ut nihil ſit quod oratorem effugere poſſit in iudicialibus cauſis, & in omni genere dicendi. In locis enim latẽt omnia omnium generum argumenta, & excuti poſſunt ab eo qui nouit ea, & exercitatus euoluit. Sed in his locis nequaquã ſunt omnia. Suggerunt docendi materiam, nõ conciliandi mouẽdiq;. Animorum conciliatione aſſequitur orator, ut talis uideatur, qualem ſe uideri uult, honeſtum, iucundum, amabilem. Mouẽdis animis efficit, ut qui audiunt, quocunque uelint trahantur rapiãtur'ue. Trahuntur renitentes, rapiuntur faciles. illud eſt moræ, hoc uero celeritatis. In docendo, conciliando, mouendo, poſita eſt eloquentia, nihil præterea ad dicendum requiritur. Ad duas poſteriores partes iam ueniet, quò nunc parat auditorem. Earum mentionem fecit & altera de cauſa, ut interpretaretur illud, Nihil erit quod oratorem effugere poſſit. de rationibus docẽdi illud pronunciatum eſſe demonſtrat: Hactenus dictum eſt ubi, quæq; uia reperiantur argumenta. Locus eſt alter de argumentatione, quæ eſt argumenti tractatio. illa duplex eſt. nam eſt tractatio, quæ tantum dilatat argumentum, non mutat argumentandi uulgatam conſuetudinem. Ea de qua nunc loquitur, ordinem mutat. De illa ſic præcipit: Tractatio uaria eſſe debet. Huiuſce præcepti duæ ſunt cauſæ. Altera, ne cognoſcat artẽ, qui audit ſemper eandẽ argumẽtationis uocem, qualẽ dialecticorũ uulgus inculcat. Altera, ne defatigetur ſimilitudini ſacietate. Quid odioſius, quàm continuatio illius argumentationis, quæ proponit, aſſumit, colligit? Omnis inſidiator iure occiditur, Clodius inſidiator eſt, Clodius igitur iure occiditur. Quicunque inſidet locum ut adoriatur hominem, inſidiatur: Clodius inſidebat uiam Appiã ut adoriretur Milonẽ: Clodius igitur inſidiabatur. Moleſtum probandi genus, nec oratoribus modo, ſed etiam philoſophis bonis inuiſitatum. Varianda eſt non elocutio modo, ſed & partium diſpoſitio, ut ad captum popularem, & ad rationem minus ſuperuacuam ducatur oratio. Proponi oportet quid afferas, & id quare ita ſit, oſtendere: hoc eſt, ſtatuenda propoſitio eſt, deinde ratio ponenda, hoc modo: Voluptas corporis damnanda, frãgit enim animi uires. Oportet interdũ concludere, relinquere aliâs,

alioq;

alioq; tranſire, id eſt, interdum cõcluſione abſoluere argumentationem, aliàs omittere concluſionem. Concluſio affertur hoc modo: Quidquid animum non perficit, magnanimo uiro contemnendum eſt: diuitiæ nihil animum perficiunt. uiro igitur animi excelſi deſpiciendæ ſunt. Omittitur concluſio ſic: Nõ eſt ſummũ bonum quod aliò tendit: uirtus autem aliò tendit. Oportet ſæpe non proponere, ac ratione ipſa afferenda, quid proponendũ fuerit, declarare, id eſt, omiſſa propoſitione ratio afferẽda eſt, ex qua intelligamus quæ ſit propoſitio. Quid ſi accedit eodem ut tenuis antea fueris? quid ſi ut auarus? quid ſi ut audax? quid ſi ut illius qui occiſus eſt, inimiciſſimus? num quærenda cauſa quæ te ad tantũ facinus induxerit? Deeſt hæc propoſitio, Homo tenuis, auarus, audax, inimiciſſimus homini, facile inducitur ad eum necandum, cuius bona impune ſe ſperat habiturum. Si cui quid ſimile dicas, prius ut ſimile confirmes oportet, deinde quod agitur, adiungas. Similitudo cum uulgari more tractatur, duas habet partes. una extrinſecus affertur: altera in eo eſt de quo agitur: ut, quemadmodum fidem debet tutor, ita & procurator. Cum maiore artificio conſtituitur, treis capit partes: ſimile, ſimilis confirmationem, & id quod agitur. Talis eſt illa pro Murena: Quòd ſi è portu ſoluentibus, ij qui iam in portum ex alto inuehuntur, præcipere ſummo ſtudio ſolent & tempeſtatum rationem, & prædonum, et locorum, quod natura affert, ut eis faueamus, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti ſumus, ingrediantur: quo tandem animo me eſſe oportet propè iam ex magna iactatione terram uidentem, in hunc, cui uideo maximas Reip. tempeſtates eſſe ſubeundas? Puncta argumentorum plerunque ut occulas oportet, ne quis ea numerare poſſit: ut re diſtinguantur, uerbis confuſa eſſe uideantur. Puncta argumentorũ dicuntur fines & exitus illorum, qui ueluti puncto terminantur. Præcipit igitur, ut duo plura'ue ſic nectantur argumenta, ut ea numerare non poſſit auditor. Id qui fiat, docet. Numerare illa nõ poſſunt qui audiunt, quando uerbis confuſa ſunt, hoc eſt elocutione ſic commixta, ut facile nequeant diſcerni. Diſtinguuntur hæc. Primum iudices, ſenatores, equiteſq; Romani, in compluribus iã reis, quos contra leges pecunias accepiſſe ſubſcriptum eſt, ſuæ potius religioni, quàm cenſorum opinioni paruerunt. Deinde prætores urbani, qui iurati debent optimum quenque in ſelectos iudices referre, nunquam ſibi ad eam rem cenſoriam ignominiam impedimento eſſe oportere duxerunt. Cenſores denique ipſi ſæpenumero ſuperiorum cenſorum iudicijs (ſi iſta iudicia appellari uultis) non ſteterunt. Hæc ſunt confuſa uerbis. Huic tu moleſtus eſſe uidelicet noluiſti, quem nunc reſpirare libere non ſinis? quem nunc interficere nefarie cupis, eum tum pudenter appellare nolebas? HAEC ut & properans, & apud doctos & ſemidoctus ipſe percurro, &c.] Rationes affert cur locos celeriter percurrerit, ut ad alias dicendi partes apte perueniat. Tres conſtituit: properare ſe ut aliquando ad maiora ueniretur: agere apud doctos, quibus multis uerbis non opus eſt: ſemidoctum percurrere, qui docte & copioſe diſſerere non poſſit. Maiora ſunt ἤθη καὶ πάθη, hoc eſt iudicia morum, atque perturbationes, quæ principio ex arte commendantur. Iudicia morum ſic: Nihil eſt in dicendo maius, quàm ut faueat oratori is qui audiet. Perturbationes hoc modo: Nihil eſt in dicendo maius, quàm ut auditor ſic moueatur, ut impetu quodam animi & perturbatione magis quàm iudicio aut conſilio regatur. Dicet quiſpiam, damnabat hæc Antonius libro primo, nunc autem maiora uult eſſe, quàm quæ dicuntur ad docendum, damnant Stoici, damnant ſapientiſſimi uiri, damnat Ariſtoteles in Rhetoricis, damnat hæc ætas, & certe uidetur eſſe malum, ſi diſceptatores perturbatione magis quàm iudicio aut conſilio regantur. Quid abſurdius, quàm iudicem iudicio non regi? Quid corruptius, quàm conſilium ciuitatis non regi conſilio? Antonius ante loquebatur ad mentem philoſophorum atque ſapientum, & uera loquebatur ſi de ſapientibus agebat. Sed quia raro contingit aduocari ſapientium conſilium, ſæpe accidit cauſas à malis iudicari: neceſſarij uiſi ſunt motus ad eos homines regendos, qui iuſta ratione flecti nequirent. Plurimos eſſe tales oſtendit, ne de motibus animi fruſtra præcipere uideatur. Plura, inquit, homines iudicant odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut lætitia, aut ſpe, aut timore, aut errore, aut aliqua permotione mentis, quàm ueritate, aut præſcripto, aut iuris norma aliqua, aut iudicij formula, aut legibus. Perturbationes animi ſunt, odium, amor, cupiditas, iracundia, dolor, lætitia, ſpes, timor, error: quas ſi perfecte noſſe uelis, lectitanda tibi eſt Ciceronis Tuſculana quarta. Odiũ, ira inueterata. Cupiditas, opinio uenturi boni, quod ſit ex uſu iam præſens eſſe, atque adeſſe. Iracundia, feruor animi uindictam quærens. Dolor, ægritudo crucians. Lætitia, opinio recens boni præſentis, in quo efferri rectum eſſe uideatur. Spes, opinio boni uenturi. Timor, metus mali appropinquantis. Error, falſa opinio. Permotio mentis πάθος à Græcis dicitur, à quibuſdam Latinis affectus, à barbaris animi paſſio. Permotiones ſiue perturbationes animi ſunt impedimento, quo minus mens & ratio uideat quæ recta ſunt. Trahunt nos in prauas opiniones: & quemadmodũ corpus afficiunt morbi, ſic uitiant animũ affectus. Quamobrem dicuntur à quibuſdam morbi, quibus ſi laborant iudices, à legitima rei iudicandæ ratione detorquentur. Legitima ratio iubet, ut cauſæ iudicentur aut ueritate, aut præſcripto, aut iuris norma aliqua, aut iudicij formula, aut legibus. Veritate iudicantur illæ quæ ex æquo, bono, ueroq; iure decernũtur. præſcripto, quæ ex certa conceptione uerborum deciduntur, ut ex præſcriptis uerbis contrahentium. Iuris aliqua norma tranſigũtur cauſæ, quæ communi ſententia & præceptione iuriſperitorum expediuntur. Sunt enim iuris normæ, ſententiæ quædam iudiciariæ omnium conſenſu receptæ, ut quæ nunc dicuntur regulæ iuris, ut multæ ſententiæ Pauli iureconſulti, cuiuſmodi eſt hæc: Qui negotia aliena gerit, & bonam fidem, & exactam diligentiam rebus eius pro quibus interuenit, præſtare debebit. Sunt cauſæ quæ diſſoluuntur iudicij formula, ut ſi prætor det iudices, præſcribat formulam quam ſequantur, illi iudicent ex formula. Et iudicia quaſdam habent formulas, certaſq; ſpecies actionum quibus multæ controuerſiæ liteſq; dirimuntur. Multo plures autem legibus di iudicantur. Qui ordo tibi placet.] Interpellat Antonium Catulus, ut hoc ſermone doceat Cicero, Cur præterierit ordinem argumentorum, quo loco ſedes eorum, tractationemq; monſtrabat. Ordo diſpoſitionis eſt, ſiue collocationis, de qua poſtea dicet, ubi tractarit affectus qui ſunt inuentionis. Videris, inquit, ante tempus à me rationem ordinis & diſponendarum rerum requiſiſſe.] Diuiſit inuentionem in tres partes. unam ad docendum, alteram ad conciliandum, aliam ad mouendum fecit. De una dictum eſt, de reliquis duabus ante dicendum eſt, quàm de collocanda oratione quæratur. In qua tu mihi ſemper deus uideris.] Inijcit deſiderium adoleſcentibus requirendæ ab Antonio collocationis, aut potius ſignificat ſe de diſponenda oratione præclare diſſerere poſſe, quẽadmodum de inuentione: ut illius quoque partis magna ſit expectatio. Non me hercule mihi niſi admonito ueniſſet in mentem.] Diſſimulat Antonius. diſpoſitionem enim conſulto præterierat. Quam ego quia non noram.] Hic quoque aliter dicit, aliter ſentit. Vt ad uincendum nulla plus poſſit.] Quemadmodum militum numerus non potitur uictoria, ſed ordinum ex arte militari inſtructio: ita rerum inuentarum copia non uincit, ſed apta & artificioſa diſpoſitio. Apte igitur alluſit ad belli uictoriam. VALET igitur multum ad uincendum probari mores, & cætera.] Duo ſunt quæ bene tractata ab oratore, admirabilem eloquentiam faciant: quorum alterum eſt quod Græci ἠθικὸν uocant, ad naturam, & ad mores, & ad omnem uitæ conſuetudinem

accommodatum. Alterum, quod iidem παθητικὸν nominant, quo perturbantur animi & concitantur, in quo uno regnat oratio. Hæc Cicero in Oratore. Affectuum, inquit Fabius Quintilianus in ſexto libro, duæ ſunt ſpecies. alterã Græci πάθος uocant, quam nos recte uertentes ac proprie, affectum dicimus. Alterã ἦθος, cuius nomine, ut ego quidem ſentio, caret ſermo Romanus: mores appellantur, atq; inde pars quoq; illa philoſophiæ ἠθική, moralis eſt dicta. Sed ipſam rei naturam ſpectanti mihi, nõ tam mores ſignificari uidentur, quàm morũ quædam proprietas. nam ipſis quidem omnes habitus mentis continentur. Idem refert aliorum ſententiam de affectuum differentia. Affectus hos concitatos, πάθος: illos mites atque compoſitos, ἦθος eſſe dixerũt. In altero uehementer commotos, in altero lenes: denique hos imperare, illos perſuadere: hos ad perturbationem, illos ad beneuolentiam præualere. De morum proprietate primo loco Cicero. Quanti ſint ἤθη, & ad quem tendant finem, ſtatuit. Valent multum ad uincendum, ſpectant ad beneuolentiam, beneuolentia ad uictoriam tendit. Mores ſunt duplices. Oratorum enim & litigantium mores, aut boni, aut mali iudicantur. Boni, ut probentur: mali, ut improbẽtur. Paucis abſoluit treis quæſtiones, quàm ſit utile tractari mores, ad quid utile, quorum mores uel probari uel improbari debeant. Quæ Græci uocant ἤθη, dixit mores, inſtituta, facta, uitam. Et quanquam inſtituta, facta, uita, non ſunt proprie mores, ex illis tamen apparet quales ſint hominis mores. Conciliantur animi tribus maxime rebus, dignitate hominis, rebus geſtis, exiſtimatione uitæ. Natura facit ut iis beneuoli ſimus, qui ueræ dignitatis honorem merito ſunt aſſecuti, qui res præclaras & aliis utiles geſſere, quiq; recte & honeſte uiuere exiſtimantur. Hæc tria aut ſunt in eo cui beneuolentiam conciliamus, aut non ſunt. Si comparent, ornanda ſunt oratione. ſi nulla ſunt, fingere licet, atque aliqua ueri ſimilitudine colorare. Sed hoc ut difficilius eſt, ita quoque bono uiro indignius. Dignitatem proponit in oratione pro P. Sylla: Maxime uellem iudices, ut P. Sylla & antea dignitatis ſuæ ſplendorem obtinere, & poſt calamitatem acceptam modeſtiæ fructum aliquem potuiſſet percipere. Res ſuas geſtas commendat in oratione quam habuit ad populum antequam iret in exilium. Verba ſunt plura, quàm quæ ſcribi debeant. Exiſtimationem refert in Diuinatione: Cum quæſtor in Sicilia fuiſſem iudices, & quæ ſequuntur. Ad conciliandam beneuolentiam ualent & alia quædam minora, ut lenitas uocis in oratore, qualem Demoſthenes in Aeſchine fuiſſe dicit in oratione pro Cteſiphonte. Vultus index animi modeſti, non elatus, non impudens & audax. Pudoris ſignificatio & in uultu, & in oratione: ut pro Sexto Roſcio: Huc accedit ſummus timor, quem mihi natura pudorq; meus attribuit. Verborum comitas, & humana quædam ſuauitas, ut pro Cælio: Sed ego Atracino humaniſſimo atque optimo adoleſcenti meo neceſſario ignoſco, qui habet excuſationem uel pietatis, uel neceſſitatis, uel ætatis. Si uoluit accuſare, pietati tribuo: ſi iuſſus eſt, neceſſitati: ſi ſperauit aliquid, pueritiæ. Si quid perſequare acrius, ut inuitus & coactus facere uideare, efficiendũ eſt uerbis, ne tui mores acerbi ſint & odioſi. Efficit ipſe Antoniana decima: Sed mihi P. C. neceſſitatem attulit paulo plura dicendi, ſententia eius qui rogatus eſt ante me, à quo ita ſæpe diſſenſio, ut iã uerear, ne, id quod minime fieri debet, minuere amicitiã noſtrã uideatur perpetua diſſenſio. Eſt etiã perutile proferri ſigna facilitatis, liberalitatis, manſuetudinis, pietatis, grati animi, non appetentis, non auidi: ut pro Murena: Ego autem has parteis lenitatis & miſericordiæ, quas me natura ipſa docuit, ſemper egi libẽter: illam uero grauitatis ſeueritatiſq; perſonam non appetiui, ſed ab Republica mihi impoſitam ſuſtinui. Pro Milone: Nunc me una conſolatio ſuſtentat, quòd tibi T. Anni nullum à me amoris, nullum ſtudij, nullum pietatis officium defuit. Ego inimicitias potentium pro te appetiui, & cætera. Non opus eſt onerare paginas exemplis, cum paucis res intelligitur. Quæ proborum ſunt atque demiſſorum beneuolentiam conciliant: ut pro Archia poeta: Si quid eſt in me ingenij iudices, quod ſentio quàm ſit exiguum: aut ſi qua exercitatio dicendi, in qua me nõ inficior mediocriter eſſe uerſatum: aut ſi huiuſce rei ratio aliqua ab optimarum artium ſtudiis & diſciplina profecta, à qua ego nullum confiteor ætatis meæ tempus abhorruiſſe: earum rerum omnium uel in primis hic Aulus Licinius fructum à me repetere propè ſuo iure debet. Acres, pertinaces, litigioſi, acerbi, eorum beneuolentiam abalienant, qui audiunt. Nam quemadmodum uirtus concilliat animos, ita uitium maleuolentiam parit: quãobrem damnat aduerſarios uitiorum ſignificatione, ut Næuium, Erucium, Albutium. Sed genus hoc totum.] Dictum eſt quantum ferant utilitatis leniores affectus, quorſum tendant, in quas ſpecies diuidantur, quibus rationibus concilientur. Superſunt duæ quæſtiones: quibus cauſis, quibuſq; partibus orationis adhibeantur. utranque diſſoluit. Genus hoc totũ orationis in iis cauſis excellet, in quibus minus poteſt inflãmari animus iudicis acri & uehementi quadam incitatione. Aut docere tantũ uolumus, aut docere & mouere. Si mouere, aut cõcitare uehemẽter, aut lenire blãde uolumus. Docere tantũ uolumus in cauſis minoribus, quæ nullos requirunt affectus: mouere, in maioribus, grauiter in aduerſarium, leniter in noſtrum litigatorem. Cauſæ ſunt in quibus minus poteſt inflammari animus iudicis acri & uehementi quadam incitatione, hoc eſt graui & tragica perturbatione, propterea quòd ea res agitur, quæ non tantos uelit tumultus: ut hereditas, tutela, ſeruitus prædiorum, defenſiones criminum, quatenus medentur animis incitatis. Talis eſt illa Ciceronis pro rege Deiotaro defenſio, qua Cæſarem iratum lenire non exaſperare conatur. Non enim ſemper fortis, id eſt, uehemens & acris oratio quæritur, ſed ſæpe placida, quæ nullas tragœdias moueat: ſummiſſa, quæ contentione uocis haud utatur: lenis, quæ cõponat animos. huiuſcemodi oratio maxime cõmẽdat reos. Reos dicimus eos qui arguuntur. Veteres appellabant reos, quorum de re diſceptabatur: ut ſunt actores, defenſores: petitores, inficiatores. Hos ſi commendare cupiamus, dicemus eſſe iuſtos, integros, religioſos, timidos, perferentes iniuriarum. Sic enim uidebuntur iniuriam nemini attuliſſe, qui cuique ſuum reddant, qui uiuant incorrupte, qui metuant deum, qui timeant homines, qui patienter ferant iniuriam. Mitiores affectus ualent in principiis, id eſt exordiis, in re narranda, in cauſa perorãda. Nam duæ ſunt partes orationis ad mouendum comparatæ, exordium & peroratio. In exordio ſæpius concilliatur beneuolentia: in peroratione conſumitur affectus. Narratio uero quia non ſolum docere, ſed etiam afficere uult, & mereri fidem, intercipit hunc affectuum motum. Exemplo tibi ſit illa narratio pro Sexto Roſcio, in qua Roſcius pater commendatur. Etſi ſunt tres in oratione loci, in quibus ſæpius eſt commendationis affectus, fatẽdum tamen eſt nullam orationis eſſe partem in qua non liceat hac uti lenitate dicendi. Tractari debet hoc genus orationis ſuauiter, & cum ſenſu, id eſt oratione ſuaui, & afficiente animi ſenſum. Suauitas illa eſt in genere quodam ſententiarum, in genere uerborum, in actione leni, in ſignificandi facilitate. Sententiæ, res ſunt probabiles, pulchræ, plauſibiles, quales de ſe quiſque dici uellet, ut uirtutis eulogium: ut, Omne meũ tempus amicorũ temporibus tranſmittendum putaui. Genus uerborum debet eſſe plenum ponderis, ſignificans, ἐμφατικὸν, uenuſtum, auditu iucundũ, quali in exornatione laudis uti ſolemus, in quo nulla arrogãtia, nulla inſolentia, nulla ſuperbiæ ſuſpicio, nulla ſignificatio amoris eius qui φιλαυτία nominatur: ut, eſt hoc Ciceronis in Diuinatione: Fortaſſe dices, quid? Ergo hæc in te ſunt omnia? Vtinam quidem eſſent. Veruntamen ut eſſe poſſent, magno ſtudio mihi à pueritia eſt elaboratum. Eiuſmodi uerba pronuncianda ſunt actione leni, id eſt pronunciatione demiſſa, modeſta, ſuaui,

ut rebus

ut rebus ac uerbis actio reſpondeat, & moderatione uocis animi leniantur. Accedat his ſignificandi facilitas, ideſt dictio facilis & uolubilis, & quodammodo currens, qua ſignificetur humanitas facilitasq; dicentis. Ambigue dixit illud, & aliter exponi poteſt. Hæc autem, alijs penſitatis, mea ſententia eſt. Conciliatrix oratio mores oratoris effingit, et ſæpe pluſquàm cauſa, id eſt, cauſæ probatio, ualet. Nam uulgus hominum magis affectu quàm ratione gubernatur. HVIC *autem eſt illa diſpar adiuncta ratio orationis, quæ aliò, &c.*] *Quale eſſet genus ἠθικὸν, ubi paucis explicauit, oſtendit quod nam ſit παθητικὸν. Diſpar eſt, inquit. hoc enim turbulentius, illud tranquillius: hoc mouet et perturbat, illud mouet, nõ ita perturbat animum ut deijciatur à ſede ſua. παθητικὸν igitur alio quodam genere uehementiore mentes iudicum permouet. Diuiditur hic affectus. alius eſt in odium, alius in amorem contrarium: alius in inuidiam, alius in contrariam ſalutem: alius in ſpem, alius in aduerſum metum: alius in cupiditatem mouendã, alius in cupiditatem reſtinguendam: alius in lætitiam, alius in oppoſitum mœrorem: alius in miſericordiam & lenitatem, alius in animaduerſionem, & puniendi ſæuitiam, quæ miſericordiæ pugnat. In diuiſione plerunque membra ſunt oppoſita, quia res multiplex hoc modo tuto diuiditur, ac facile comprehenditur. Quod Cicero ſecutus, in hac diuiſione bina ex aduerſo membra compoſuit. Quòd autẽ multo plures affectuũ ſpecies ſunt (quas exponit Tuſculana quarta) addidit hæc uerba: Ad eos motus adducantur, ſi qui finitimi ſunt & propinqui his ac talibus animi perturbationibus. Quibus rationibus iudicum mentes aut oderint, aut diligant, aut aliter perturbentur, poſtea dicet: & nos exemplis præcepta illuſtrabimus. Non repetemus ea quæ de perturbationibus animi ſcripſit Ariſtoteles in ſecundo Rhetoricorum ad Theodectem. Reclamet Antonius, nec his ſunt apertiora. Repetant alij, qui falſo autumant ab Ariſtotele omnia accepiſſe Ciceronem. Ratio mouendi interdum facilior, nonnunquam difficilior. Facilior, ſi quam permotionem ſiue perturbationem animorum ſua ſponte ipſi afferãt ad cauſam iudices, ad id quod utilitas oratoris feret, id eſt uolet, accommodatam: ut ſi ueniant irati, quos ira uolumus inflammare. Ut enim facilius eſt currentem equum incitare, quàm commouere languentem: ſic hominem aliqua ex parte iam perturbatum facilius eſt incitare, quàm commouere trãquillum. Ut autem iudices ſic affecti ueniant ut expedit cauſæ, magis eſt optionis, quàm artificij noſtri, propterea dixit, id optandũ eſſe, non arte faciundum. Id ſi non erit, utendũ uirtutibus orationis: ſi erit obſcurius, odorandum ſagaciter quid ſentiant, ut in eam partem flectatur oratio. Et quoniam affectus eſt morbus animi, ſimilitudinem à medicis morbum explorantibus ducit. Medicus negligens temere & inconſulto adhibet medelam: diligens inquirit primum qui ſit morbus, ex qua prodeat cauſa, quando prehendit, quæ habeat ſymptomata: ut non modo proprium adhibere medicamentum, ſed & quantitatem pendere, tempus obſeruare, pro morbi cauſæq; natura ſciat. nec illud ſatis eſt. Conſuetudo ualentis, et natura corporis cognoſcenda eſt: hoc eſt, ſciendum medico, quam uiuendi conſuetudinem ſecutus ſit æger, quo tẽpore ſanus eſſet: quia, ut ait Hippocrates in Aphoriſmis, condonandum eſt aliquid tempori, ætati, et conſuetudini. Et alibi: In morbis minus periclitantur illi quorum naturæ, aut ætati, aut habitui, aut tempori magis conuenit morbus. Et alio in loco: Deteriora ſi longæ ſunt conſuetudinis, minus ſunt moleſta, quàm meliora nobis inuſitata. Natura corporis à barbaris cõplexio, à latinis temperamentum, à Græcis κρᾶσις appellatur. Nouem corporum naturas facit Galenus in libro de Temperamentis, calidam, frigidam, humidam, ſiccam, calidam & ſiccã, calidam & humidam, frigidam & ſiccam, frigidam & humidam, nonam temperatam. Hæc natura, quemadmodum demonſtrat ille in Methodo medendi, uariat medicamenta, et medicamentorum quantitatem, aut (ut aiunt) δόσιν. Eadem mutat & diætam. Sicut autem medicis morbi quidam ſunt dubij, ita & affectus iudicum ancipites oratoribus: & quemadmodũ morbos graues temperare difficile eſt, ſic & animos pertractare negotioſum. Itaque ſicut medici omni mente cõtendũt, ut morbi genus naturamq; cognoſcant: ita omni mente in ea cogitatione curaq; uerſatur orator, ut odoretur quã ſagaciſſime poſſit, quid ſentiant iudices, quid exiſtiment, quid expectent, quid uelint, quò deduci oratione facillime poſſe uideantur. Odorari ſagaciter dicuntur canes, et animalia quibus à natura datus eſt ſenſus narium acutus. Hinc ducta tranſlatio eſt. Si ſe dant & offerunt iudices, & ſua ſponte, quò impellit orator, propter eandem affectionẽ inclinant, atque uti uentis impulſa uela propendent, quia minimo momento impelluntur ad id unde aliquis flatus oſtenditur: uela dat, hoc eſt ad eam quam mente conceperunt opinionem, commouet. Vela dari tum dicitur, cum libera uentis permittuntur. Vbi dictum eſt de affectibus augendis, alter eſt locus de excitandis: ſi eſt integer quietuſq; iudex, hoc eſt neque animi morbo uulneratus, neque perturbatione commotus, hic eſt plus operis atque difficultatis. Itaque ſunt omnia dicendo excitanda, id eſt uis omnis affectuũ arte dicentis commouenda. quia nihil adimat natura, hoc eſt, non eo ſunt ingenio naturaq; iudices, ut eò quò uelit orator, ſua ſponte moueantur. An tales poterunt moueri? Sanè. Tantam uim habet oratio, ut non modo inclinantem erigere, aut ſtantem inclinare, ſed etiam aduerſantem & repugnantem capere poſſit. Quamobrem ab Ennio bono poeta dicta eſt flexanima, ab animis flectendis, atque omniũ regina rerum: ut ab Euripide τύραννος, à regendis moderandiſq; hominũ rebus. Inclinantes erigit, ut lapſantes animo releuat in ſpem, ſtantem & in propoſito manentem inclinat, repugnantem capit. Iccirco imperatori bono & forti comparatur, qui hoſtes aduerſantes atque repugnantes capit. Hæc uis ne cui falſa uideatur, efficit muſica. Etenim ſi modi qui non loquũtur, miris modis afficiunt animos noſtros, oratio ſapiens atque modulata plus efficiet.* HÆC *ſunt illa quæ me ludens Craſſus modo flagitabat, &c.*] *In Antonio & Craſſo nulla tanta uis mouendi fuit, quantam prædicat alter de altero. Teſtis eſt Cicero in Bruto. Nemo erat, inquit, qui ad iracundiam magnopere iudicem, nemo qui ad fletum poſſet adducere, nemo qui animum eius (quod unũ eſt oratoris maxime proprium) quocunque res poſtularet, impelleret. Hæc quidem refert ad tempus ſuæ ædilitatis atque præturæ, Craſſo & Antonio mortuo. ſed nihilominus etiam de his duobus intelliguntur, qui nonnunquam iraſcebantur & dolebant, ſed arte dicendi non multum concitabant affectus. Iſta alibi diximus, ſed multa repetere, ut Cicero, poſſumus. In hoc ſermone multa falſo defert interlocutoribus, ut in re plus ſit auctoritatis: nec ſermo & dialogus quærit ſemper ueritatem. Satis eſt ſi omnia apte & commode fingas.* Me ludens.] *Extenuat ſe modeſte, & alterius teſtimonio ſignificat id eſſe ſibi, quod in oratione ſummum putat. Nec enim decebat loqui de ſe arroganter, neque profiteri ignarum affectus mouendi, poſteaquàm promiſiſſet ea tantum eſſe dicturum, quæ uſu et experientia noſſet.* Modo flagitabat.] *Craſſus antea: Quod enim ornamentum, quæ uis, qui animus, quæ dignitas illi oratori defuit, qui in cauſa peroranda non dubitauit excitare reum conſularem? & quæ ſequuntur. Idem: Quid ego de Cn. Manlij? quid de Q. Regis cõmiſeratione dicam?* Quæ mehercule ego Craſſe.] *Viciſſim Craſſum laude commendat, non modo ut gratus eſſe uideatur, ſed etiam ut in eius perſona demonſtret, quæ affectuum ratio maxime probetur. In contentione laudat uim animi, impetum, dolorem, uultum, ardentes oculos, geſtum, digitorum ſignificationem, flumen grauiſſimorũ uerborum, integras ſententias, ueras, nouas, minime fucatas. Oculos diſtinguit à uultu: quanquam pertinent ad illum: & de-*

gitorum motum à geſtu,quia in his duobus eſt maxima uis. Animi uis & impetus differunt,ut cauſa & effectus. uis enim acris impetum gignit. Digitum accipe indicem dextræ manus,qui crebro motus ad ſiniſtram interpuncta, inciſa,membra,contentionem ferit. Poteſt etiam numerus ſingularis loco pluralis uſurpari. Flumen uerborum duo fert,copiam,& celeritatem. Integræ ſententiæ, potentes,robuſtæ,uehementes,ut integer miles dicitur, recens,& nullo quaſſus labore. Nouæ, magnæ,præclare,à paucis ſolitæ dici. Pigmenta,colores dicuntur à Plin. libro nono capite quadrageſimo primo : Verum ut ſimul peraguntur nobilia pigmenta,anniculo grano lãguidus ſuccus, idẽ à quadrimo euanidus. Loquitur de coccineo grano. Pigmenta fucumq; puerilem dicit effœminatam & adulterinam quandam elocutionem,quã uti pulchram affectant pueri. Naturalis oratio melior eſt in amplificatione . Cicero in Partitionibus : Omninoq; ſemper quaſi naturalis & non explanata oratio,ſed grauibus referta uerbis, ad augendum accommodatior. Neque fieri poteſt.] Aliquando uere dolemus,aliquando ficte. Si uere,commouemus & aptius, & fortius : ſi ficte,nihil aut parum concitamus auditorem. Nec enim fieri poteſt,ut doleat is qui audit ut oderit,ut inuideat,ut pertimeſcat aliquid,ut ad fletum miſericordiamq; deducatur, niſi omnes ij motus quos orator adhibere uolet iudici, in ipſo oratore impreſſi atque inuſti, hoc eſt affixi & quodammodo ſignati eſſe uidebuntur. Dicet aliquis: Fictus eſt dolor tragœdorum,tamen ſæpe uniuerſum theatrum mouet, cum ſit genus orationis excogitatũ,in quo falſum dicitur,atque imitatione ſimulatum,de Antiopa,de Hecuba,de Polyxena, de Oreſte, de figmentis. Illud quidem uerũ,ſed maior ars in hoc genere quæritur,& agendo commouendus eſt animus. Et hiſtriones quidã aliquando in ſcena flere uiſi ſunt . teſtis eſt Quintilianus. Præſtat igitur uere dolere. Qui fieri poteſt ? tranſformando animũ in cauſam . Quomodo ? apprehendendo rem alienam perinde atque noſtram. Naturæ quædam ſic mouentur, ut ſe continere ſi uelint,non poſſint : de quo Fabius Quintilianus in 6. lib. Sed mihi in animo eſt,quæ latent penitus,ipſa huius loci aperire penetralia : quæ quidem nõ aliquo tradente,ſed experimento meo ac natura ipſa duce accepi. Summa enim, quantũ ego quidem ſentio,circa mouendos affectus in hoc poſita eſt , ut moueamur ipſi . Nam & luctus,& iræ,& indignationis aliquando ridicula fuerit imitatio, ſi uerba uultumq; tantum,non etiam animum accommodauerimus . Gloriatur hic inſolenter, tanquam huius præcepti primus inuentor : niſi forte ſignificet, expetendã magis in hac permotione naturam,quã præceptoris artem. Talem Cicero naturam habebat. Quid ego,inquit in Oratore, de miſerationibus loquar? quibus ego ſum uſus pluribus,quòd etiãſi plures dicebamus, perorationem mihi tamẽ omnes relinquebãt : in quo ut uiderer excellere,non ingenio, ſed dolore aſſequebar. Quod hic tribuit Antonio,non tam habuit Antonius,quàm ipſe qui de ſe ſub aliena perſona loquitur : Nunc ego quid tibi Craſſe,quid cæteris accidat,neſcio. nec enim latentem animi affectũ uidere poſſumus . de me autem cauſa nulla eſt, cur apud homines prudentiſſimos atque amiciſſimos Catulũ & Craſſum mentiar. prudentiſſimi non laudarent mendacium,amiciſſimi grauiter ferrent à me ſe decipi. Non mehercule unquam apud iudices aut dolorem,aut miſericordiam,aut inuidiam, aut odium excitare dicendo uolui, quin ipſe in commouendis iudicibus , ijs ipſis ſenſibus, ad quos illos adducere uellem , permouerer . Hoc prope neceſſarium uidetur . Neque enim facile eſt perficere, ut iraſcatur ei cui tu uelis,iudex, ſi tuipſe id lente,id eſt, ſtupide animumq; quiete ferre uideare · neque ut oderit eum quem tu uelis,niſi te ipſum flagrantem odio ante uiderit : neque ad miſericordiam ducetur,niſi ei tu ſigna doloris oſtenderis. Signa doloris oſtenduntur uerbis, ſententijs,uoce,uultu,collachrymatione . Flagrare odio dixit eum qui alium odiſſet , non qui odio haberetur : utq; impleret metaphoram,duxit παραβολὴν & ſimilitudinẽ ab igni,quæ non eget interpretatione. AC ne forte hoc magnũ ac mirabile eſſe uideatur, hominem toties iraſci, &c.] Paulo ante quærebamus qui fieri poſſit,ut homo toties iraſcatur, toties doleat in rebus alienis . Dicit hoc neque magnum neque mirabile eſſe,quia magna uis eſt earũ ſententiarum, atque eorũ locorum, id eſt partium & argumentationum , quas agas tractesq; dicendo . Quæ dicuntur à nobis , nos in primis mouent : ideoq; nihil opus eſt ſimulatione & fallacijs , cuiuſmodi utuntur quidem hiſtriones,cum aliud uoce & geſtu,aliud animo ferunt . Ipſa enim natura , id eſt propria ratio uirtusq; orationis eius quæ ſuſcipitur ad aliorum animos permouendos , oratorem ipſum magis etiam quàm quenquam eorum qui audiunt,permouet. Cur ita ? Multæ ſunt cauſæ : præcipue,ingenij noſtri exiſtimatio , & noſtra fides . Mouent etiam quæ aguntur cauſæ, quibus eſt aliquid triſtius. mouent iudicia,& terrorẽ incutiũt . mouent pericula amicorum,concurſus hominum, forum,ciuitas in qua uolumus exiſtimari . Ex duabus cauſis præcipuis exiſtimatio leuior eſt bono uiro , fides autem grauior . Exiſtimatio tamen non eſt negligenda, quæ laborat , ſi cum profeſſus ſis te id poſſe facere,quod pauci facere poſſunt, id eſt pro dignitate uerũ perorare,nõ aſſequare quod uelis . Crimen perfidiæ maius eſt quàm ignorantiæ, & fides maior quàm exiſtimatio . Poteſt bonus eſſe uir ſine exiſtimatione populari,non autem ſine fide. Vt autem apertius uideamus quid uelit, utendum eſt comparatione,in qua cauſæ cum argumentis fabularum, iudicia cum ludis ſcenicis,amicorum pericula cum fortunis ignotorum,concurſus hominum ſollicitorum cum ſoluto conuentu, forum cum ſcena, exiſtimatio magni uiri cũ exiſtimatione hiſtrionis leuiſſimi, fides , officium,diligentia, cum mercenaria pactione & miniſterio quæſtuario comparantur. Colligendum tandem. Si tragœdia mouet hiſtrionem,quãto magis oratorem cauſa triſtis ? Cauſa,uera eſt : tragœdia, ficta: atque uerſus poeticus,fabulæ mendaces. tamen in hoc genere fabularum ſæpe accidit, ut ex perſona mihi ardere oculi hominis hiſtrionis uiderentur. Fides oratoris eſt,ne litigatorem ſuum prodat : officium,ut de adminiſtratione cauſæ rationem probabilem reddere poſſit : diligentia , ut rem ſedulo inquirat,quæſitam peragat. Quid poteſt eſſe tam fictum quàm uerſus,quã ſcena,quàm fabulæ ?] Verſus tragicus & comicus , quia complectitur argumentum quod uериſimile eſt,non autem uerum,dicitur eſſe fictus. Scena in qua recitantur fabulæ, non eſt ficta, ſed ea quæ ſignificat carmina ſcenica & theatralia,de qua nunc loquitur. Notum eſt omnibus, actus fabularum in ſcenas eſſe diuiſos . Fabulæ neque ſunt ueræ,neque uериſimiles, fictæ igitur. Perſona eſt oris ſimulacrum, quod frontem,naſum,mentum , & interiectas partes ad aures uſque tegit. Hiſtriones interdum agebant perſonati,interim ſine perſona,quod & hodie ſeruatur, propter eorum de quibus agitur uarietatem. Teſtis eſt Cicero, qui ſcribit Roſcium perſonatũ non magnopere laudatum fuiſſe. Cum hiſtrio Telamonem ageret,ut os regium ſeuerum, triſte, horrendum , ſenile oſtenderet, perſona ac ſpectro hominis utebatur,& imitans regis irati ardorem uerſabat oculos flammantes adeo,ut quà perſona uacuos orbes interciperet,à populo ardere uiderentur , maxime cum pronunciaret hos quatuor uerſus Pacuuij ex tragœdia Teucro :

> Segregare abs te auſus,aut ſine illo Salamina ingredi ?
> Neque paternum aſpectum es ueritus ? quem ætate exacta indigem
> Liberum,laceraſti,orbaſti,extinxti,neque fratris necis
> Neque nati eius paruí,qui tibi in tutelam eſt traditus .

Verſus trochaici tetrametri catalectici dicuntur . octo conſtant pedibus,excepta ſyllaba : recipiunt iambum,choreum, trochæũ, anapæſtum,dactylum, ſpondeum,à quo ſpondaíium nomine uidentur appellari. Ex illo enim tarditatem cũ grauitate capiunt,

ne tenuis

ne tenuis & leuis ſit tragœdia. Verſuum ſenſus eſt: Auſus es ò Teucer ſegregare abs te fratrem tuum Aiacem? et ſine illo ingredi inſulam Salamina? Neque paternum aſpectum es ueritus? Telamonem in ætate exacta atque confecta, indigem & inopem liberorum lacerasti mœrore & ægritudine, orbaſti filio chariſſimo. extinxti, id eſt, extinxiſti capitali dolore. Neque mi ſeritus es necis fratris tui, neque filij eius parui, qui tibi in tutelã eſt traditus. Cum Teucer & Aiax filij Telamonis ad bellum Troianum proficiſcerentur, mandauit pater ut alter alterum tueretur. Aiax propter negata ſibi Achillis arma decidit in ægritudinem, & incenſus furore, ſibi manum attulit. Quo audito, pater Teucrũ reuerſum eiecit, qui fratrem ultus non erat. Salamis inſula in Euboico mari cõtra Athenas ſita, et ciuitas in illa. Aliam Salamina cõdidit Teucer in Cypro. Inflexa uox neque acuta eſt, neque grauis, ſed media, et utriuſque particeps, ad miſerabiles modos apta. Indigem pro indigo dixit Pacuuius, antique. Extinxti legendum eſt, aliter uerſus ſtare non poteſt. Flere & lugere differunt, in fletu ſunt lachrymæ, in luctu uultus triſtis atque habitus, non ſemper lachrymæ. Quæ ſi ille hiſtrio.] Quemadmodum hiſtrio lugubria rectè agere ſine dolore non poteſt, ita nec poeta concitatum et triſte carmen leni animo ac remiſſo ſcribere. Quòd ſi poetæ mouentur in rebus fictis, quanto magis oratores in ueritate cauſarum? Poetæ ſine inflammatione animorum, & diuino quodam calore exiſtere & excellere non poſſunt. Nec enim magna & ardua inuenire, nec opus uarijs rebus aptè diſtinguere, nec omnia bene collocare & eloqui poſſunt, ſine quodam afflatu quaſi furoris, qualis eſt in uatibus. quamobrem dicuntur & ipſi uates. Ouidius. Eſt deus in nobis, agitante caleſcimus illo. Virgilius: Inſanire libet. Platò tertio libro de Legibus: Θεῖον γὰρ οὖν δὴ καὶ τὸ ποιητικὸν ἐνθεαστικὸν ὂν γένος ὑμνῳδοῦν, πολλῶν τῶν κατ᾽ ἀλήθειαν γιγνομένων ξύν τισι χάρισι καὶ μούσαις ἐφάπτεται ἑκάστοτε. Poetarum genus diuinum eſt ſanè, atque numine afflatum, deorumq́; laudibus cõſecratum, & quod interdum multa uera cum gratijs & muſis aſſequitur. Relictum eſſe dicunt.] Nouit Cicero locum Platonis, ſed cum faceret Antonium loquentem, quaſi non legiſſet, ſed audiſſet ab alijs, induxit ſimulationem. QVARE nolite exiſtimare me ipſum qui non heroum ueteres caſus, &c.] Exemplo ſuo docet, qua ratione uerum dolorem concipiat orator. Concipiet, ſi rem non eſſe fictam, ſed ueram meminerit. Si litigatoris dignitatem, honores, triumphos, ſi hominum communem calamitatem, ſi rei ſtatum præſentem, ſordes, luctum, ſi propinquorum & ciuium mœſtitiam uehementer apprehendet. Nolite exiſtimare meipſum, quæ in M. Aquilij cauſa perorãda, id eſt concludenda fecerim, ut diſcinderem tunicam, ut cicatrices oſtenderem, ſine magno dolore feciſſe. Non heroum ueteres caſus, & fortunas fictoſq́; luctus, ut Herculis, Oreſtis, Telamonis, Thyeſtæ, & aliorum qui propter nobilitatem, opes, potentiam, filij deorum eſſe uidebantur, imitari uolebam: neque more tragicorum, qui ueritatis umbram tantummodo delineant, ceu pictores imaginem, argumenta ficta cupiebam adumbrare dicendo. Nolebam actor eſſe alienæ perſonæ, ut hiſtrio, ſed auctor meæ, cum mihi M. Aquilius in ciuitate retinendus eſſet. Hæc uerba uim comparationis habent, ac ſi diceretur: ſi uel tragicus uel actor fabularum fuiſſem, fortuna hominum me mouiſſet. quanto plus mouere debuit oratorem uera et præſens nobilis uiri calamitas? Si ficta mouent, multo magis uera. Fortunæ mutatio, cum quis ex alto gradu fœlicitatis, præceps fertur in extremũ diſcrimẽ, afficit animos noſtros. Is lapſus Aquilio cõtigerat. Cõſul fuerat cũ C. Mario Nepote quintũ conſule, anno ab urbe condita ſexcenteſimo quinquageſimoquinto, & imperator in Sicilia bellum Seruile concitatum confecerat, minore triumpho ornatus erat à ſenatu. Minor triumphus ouatio dicebatur, quæ non curru, ſed equo uel pede agebatur in Capitolium, ubi Ioui Capitolino mactabantur uictimæ, ſpolia inſignia memoriæ cauſa figebantur. Poſtea repetundarum factus reus, afflictus, debilitatus, mœrens, in ſummũ diſcrimen adductus periclitabatur, cum mœſtum ſenem & ſordidatum excitauit Antonius, diloricauit tunicam, oſtendit cicatrices honeſtas, C. Mario collegam commendauit, omnes deos, homines, ciues, ſocios implorauit. Mouit mœſtitia quæ non rogabat iudices, mouit ſenium, mouit ueſtis lugubris & ſordidata, mouere cicatrices aduerſo pectore acceptæ, mouere Marij lachrymæ, qui aduocatus erat, id eſt præſentiam ſuam amico reo commodabat, mouere Antonij lachrymæ, et oratio miſerabilis implorationum frequentia. Afflictus, deiectus atque perturbatus. Mœror, ægritudo flebilis. Communis imperatorum fortuna, caſus qui omnibus belli ducibus accidere poteſt. QVAM obrem hoc uos doceo Sulpiti, bonus uidelicet atque eruditus, &c.] Ex ijs quæ dixit, hoc colligit dicendum eſſe, ut in dicendo iraſci, ut dolore, ut flere poſſimus. Naturam, cauſam, artem, ad id nos iuuare docet. Natura acris doloréq; Sulpitiũ iuuit in accuſatione Norbani, iuuit ipſa cauſa, & ars adoleſcentis. Docet præterea qui reſtinguatur accuſatoris incendium, ut accuſationis et defenſionis exempla affectum quærentibus ne deſint. Vos doceo Sulpiti.] Vnum nominat, duos reſpicit Sulpitium & Cottam. Sic Virgilius: Vos ò Calliope noſtro aſpirate labori. Sulpitium nominauit, non Cottam, quia feruebat magis in concitandis affectibus, & exemplum prodiderat quo aptè uteretur Antonius.

Bonus atque eruditus magiſter.] Luſit εἰρωνικῶς, aut ut molliret id quod dixerat, Vos doceo: aut ut ex induſtria amoliretur ſuſpicionem doctrinæ. Iraſci, dolere, flere poſſitis. Ira adhibetur accuſationi, fletus defenſioni, dolor utrique. Loquor de eo quod uſurpatur frequentius in accuſando ſodali & quæſtore meo. M. Antonius proconſul in Ciliciam miſſus eſt. Cic. 1. lib. de Oratore: Cum proconſul in Ciliciam proficiſcens, Athenas ueniſſem, complures tum ibi dies ſum propter nauigandi difficultatem commoratus. Quæſtorem habuit in ea prouincia Norbanum, quicum more ueterum ſodalitatem & ſanctam amicitiã, quam ſortitio dederat, confirmauit. Quale ſit illud, oſtendit Cicero in Diuinatione: Sic enim à maioribus noſtris accepimus, prætorem quæſtori ſuo parentis loco eſſe oportere: nullam neque iuſtiorem, neque grauiorem cauſam neceſſitudinis poſſe reperiri, quàm coniunctionem ſortis, quàm prouinciæ, quàm officij, quàm publicam muneris ſocietatem. Incendium.] Dixit ab igni translationem, quòd in ira caleat ſanguis ad cor. Non oratione ſolum, &c.] Subſeruit propoſito. Dictum eſt, iudices dolore uero & oratione dicentis cõmoueri. Tribuit hæc duo Sulpitio in concitandis iudicibus, qui tanto aptior erat ad iram mouendam, quanto natura acerbior. Non enim omnibus datũ eſt oratoribus eiuſmodi ſuſcitare flammam. Ad id reſtinguendum.] Reſpexit illud uerbum Incendium, & in eadem metaphora manſit. Habueras enim tu omnia.] Norbanus tribunus plebis concione turbulenta ſic populum cõmouit in Cæpionem, & in eos qui aderant illi, ut cum L. Cotta & Titus Didius tribuni plebis ueniſſent in concionem ut collegæ rogationi intercederẽt, à Norbani factione impetus ſit factus, uis illata defenſoribus Cæpionis, fuga ſecuta, lapides iacti, M. Aemilius lapide percuſſus, duo tribuni plebis ui pulſi atq; uiolati. Hæc omnia faciebant aduerſum Norbanum ſeditionis auctorem. Cauſa igitur per ſe grauis Sulpitium iuuabat, cumq; ſuperiorem uiolentioremq; faciebat: quæ fuit eo acerbior ac crudelior, quòd ad Cæpionis grauem miſerabilemq; caſum, id eſt belli Cimbrici calamitatem, pertineret. M. Aemilius Lepidus, nomen eſt commune multorum. Hic ſæpius lectus eſt princeps ſenatus propter ſapientiam, ac merita in Rempub. Florus ex Liuio: M. Aemilius Lepidus, qui princeps ſenatus ſextis iam cenſoribus erat lectus, antequam expiraret, præcepit filijs, lecto ſe ſtrato ſine linteis ſine

purpura efferrent, in reliquum funus ne pluſquam æris denos cõſumerent: imaginum ſpecie, non ſumptibus nobilitari maximorum uirorum funera ſolere. Ex his colligere promptum eſt, principem ſenatus à cenſoribus legi ſolitum. Amplificãdi gratia dixit principem ſenatus & ciuitatis, ut talem tantumq; uirũ percuſſum fuiſſe, graue haberetur. De L. Cotta, Cicero in Bruto: L. Cotta prætorius in mediocrium oratorum numero, dicendi nõ ita multum laude proceſſerat, ſed de induſtria cum uerbis, tum etiam ipſo ſono quaſi ſubruſtico proſequebatur atque imitabatur antiquitatem. Alius eſt C. Cotta, quem in his libris Cicero facit loquentem. Superiora.] Maiora. Lapidationem.] Iactum lapidum. Crudelitatem hic, ut in oratione pro Ligario, dicit eam quæ miſericordiam oppugnet. Ex templo.] Ex loco augurijs conſecrato, ubi concio habebatur. Nam comitium forum, campus Martius erant templa, id eſt loca conſecrata: nec alibi quàm in templo cum populo agere licebat. Intercedere, interuenire impediendi gratia. Interceſſione ſoluebatur tribunitia poteſtas. Liuius Deca. primæ libro quarto: Appius Claudius nepos eius qui decemuir legibus ſcribendis fuerat, minimus natu ex Patrum conſilio, dicitur dixiſſe, uetus ſe ac familiare exemplũ domo afferre: proauum enim ſuum Ap. Claudium oſtendiſſe Patribus uiam unam diſſoluendæ tribunitiæ poteſtatis, per collegarum interceſſionem. Rogationi.] Legi quæ rogato populo ferretur. Leges conſulares, & plebiſcita, & quæ populo interrogato ferebantur, appellabantur rogationes. Accedebat.] Alij iuuenes accuſabant ulciſcendi gratia, ut Cœliũ Atracinus: alij nulla iniuria laceſſiti, qui nomine Reip. moti uidebantur. Hi apud bonos plus aſſequebãtur gratiæ. Sulpitius accuſabat ex adoleſcentium conſuetudine, querebatur hominem miſerum damnatum fuiſſe. utile Reip. dicebat, auctorẽ ſeditionis luere pœnas: Sic dignitas erat adoleſcenti Remp. capeſſenti. Contra indignum uidebatur, Antonium cenſorium, quem oporteret ſceleratis ciuibus infenſum eſſe, defendere Norbanum ſeditioſum ciuem, & in Cepionis hominis conſularis calamitate crudelem. Hoc tantum excuſationis erat, quòd ſuum quæſtorem ſortis neceſſitudine coniunctũ defenderet. Dicat aliquis: Qui fatetur orator bonus recepiſſe ſe cauſam malã? Non conſtabat eſſe malam, & neceſſarius poſcebat officium, et indicta cauſa non poterat damnari: nec grande uitium eſt aliquid dicere pro mala cauſa, cum iudici relinquitur damnandi poteſtas. Erant optimi ciues iudices. tum iudicabat equeſter ordo multa cum æquitate. Cum Cicero ſcripſit hæc, iudicabant ſenatores praue atque corrupte: quamobrem Cicero laudauit equites ad inuidiam ordinis ſenatorij, & ad gratiã ordinis eius unde natus erat. HIC ego, Quid dicam? me artem aliquã adhibuiſſe, &c.] Si reum grauiter uulnerauit accuſator, ex alio genere affectuum medelam patronus adhibere debet. Quod ut commodius fiat, quæ pro Norbano dixerit Antonius, commemorat: ſtatq; promiſſis. præcepta non dat. quæ exercitatione probauit, docet. Quid, inquit, dicam? me artem aliquam adhibuiſſe? Adhibuit ſanè: & id nõ uult confiteri. adhibuiſſe ſignificat his uerbis: Quid fecerim, narrabo: ſi placuerit, uos meam defenſionem in aliquo artis loco reponetis.] In arte dicendi non eſt abſurdum redigere in præcepta quædam, quod natura ingenioſi hominis effudit: Quæ dixit Antonius, in tres partes diſtribuimus: in refutationem, in concitationem, in commendationem. Sulpitius inuectus erat in ſeditionem tribuni, inuidiã Norbano conflauerat. Refutandi cauſa Antonius oſtendit, ex ſeditionibus iuſtas fuiſſe nonnullas, & propè neceſſarias. probauit exemplis. In eam ſpeciem Norbani ſeditionem redegit. Sulpitius mouerat iudices in miſerationem, ut fortunam dolerẽt Cepionis. Antonius contra, Cepionem adduxit in odium. Quòd autem genus orationis uehemens lenitate ſolet temperari, & dignitas oratoris iuſta precantis ſubleuat reum, tandem conuertit orationem in lenitatem & manſuetudinem, & pro amici periculo eſt deprecatus. Hæc ratio mater artis perſuaſit, ideoq; pro artificioſis ſunt habenda. Seditionum genera.] Multa Romæ fuerunt ſeditionum genera: aliæ populares in reges, aliæ patriciæ in plebem obæratam, aliæ nobiliũ de magiſtratibus creãdis, aliæ plebeiæ de plebiſcitis atque libertate: quas omnes ſi quis exquiſite ſcire uelit, legat hiſtoriam Liuij Decade prima: In ſeditionibus fuere uitia: ut uitium Tarquiniorum in cauſa fuit cur reges expellerentur: uitium creditorum, qui nexos inhumanius ducebant, genuit ſeceſſionem in Sacrum montem. uitium Appij concitauit alteram ſeceſſionem in Auentinum. uitiũ Patrum induxit tribunos plebis. Quid? nulla eſt ſeditio quæ non ex aliquo uitio naſcatur. Sicut autem omnis ſeditio uitium habet, ita quoque periculum. Non enim ſine periculo commoueri ciuitas poteſt. Oſtendit illud, Concordia res paruæ creſcunt, diſcordia magnæ dilabuntur. Seditionum genera collegit, ut iudices recordarentur non eſſe nouum, diſcordias oriri. addidit earum uitia, propter quæ ſuſcitatæ fuiſſent: ut planum fieret, iuſtas fuiſſe nonnullas. Adiecit pericula, ut ſi qui periclitati eſſent in ſeditione Norbani, id propter commodum Reipublicæ tolerandum uideretur. Nam pericula ſubeunda ſunt ad amoliendam Reipublicæ peſtem, & ad commodum conſequendum. Omniũ ſeditionum genera, uitia, pericula collegi: eamq; orationem pro Norbano ex omni Reip. noſtræ temporum, id eſt diſcriminũ & periculorum uarietate repetiui, utq; ad rem præſentem præterita applicarentur, concluſi, ita ut dicerem, etſi omnes moleſtæ ægritudinumq; plenæ ſemper ſeditiones fuiſſent, iuſtas tamen fuiſſe nõnullas, & propè neceſſarias. Tum illa quæ paulo ante Craſſus laudans orationem meam commemorabat, egi, neque reges Tarquinios ex hac ciuitate exigi eijciq; ſine ſeditione Bruti nobiliũq; potuiſſe: neque tribunos plebis creari ſine ſeceſſione, qualis auctore Sicinio facta eſt in Sacrum montem: neque plebiſcitis, id eſt legibus plebeijs, quibus lege Horatia & Hortenſia Patres tenerentur, toties conſularem poteſtatem minui ſine populari motu: neque prouocationem, id eſt appellationem à magiſtratibus ad populum, quæ ciuitati patrocinaretur, & ex magiſtratuum tyrannide populum uindicaret in libertatem, dari ſine nobiliũ diſſenſione potuiſſe: ac ſi illæ ſeditiones ſaluti huic ciuitati fuiſſent, non continuo ſi quis populi motus, id eſt ſeditionis tumultus factus fuiſſet, id C. Norbano in nefario crimine, quale crimen eſt læſæ maieſtatis: atque in fraude, id eſt crimine capitali eſſe ponendum. (fraudem ueteres pro crimine ſæpe dixerunt) Quòd ſi unquam populo Romano conceſſum eſſet, ut iure incitatus et cõmotus uideretur, nullam illa cauſam iuſtiorem fuiſſe. Nullam fuiſſe tantam cladem populi Romani, quæ cæteros motus concitaſſet. Hoc argumento ab exemplorum uarietate ducto confecit, non omnem populi ſeditionem eſſe uitioſam, & à pari uel certe maiore cauſa duxit argumentũ ad Norbani diſcordiam. Poſitum eſt fundamentum defenſionis, ſine quo reliqua firma ſtare non poſſint. fruſtra enim Cepionem accuſet, ſi ſeditionis auctor publicam imminuit maieſtatem. Vt confirmaretur illud quod dixit, nũquam populo iuſtiorem motus cauſam fuiſſe, utq; populus in Cepionem, cuius iniuria ueniebat in quæſtionem, concitaretur: omnem orationem conuertit in increpandam Cepionis fugam. Conſul fugerat è binis caſtris, & exercitum amiſerat, ut ſæpe iam dictum eſt. Sic & eorum dolorem qui lugebãt ſuos patres, fratres, conſanguineos, propinquos, familiares, ut uulnus obductum recrudeſceret, oratione refricabat, & animos equitum Romanorum, apud quos tum iudices cauſa agebatur, ad Q. Cepionis odium, à quo erant ipſi propter iudicia abalienati, renouabat atque reuocabat. Voluerat Cepio ferre legem, qua iudicia ſenatoribus communicarentur, quæ poſtea dedit illis Sylla. Iam clamitabant ſenatores, ſe ab equitibus opprimi, ordinis eius acerbitates ferri non poſſe. Antonius illa affectuum

tractatione

tractatione conſtitit in poſſeſſione iudicij, id eſt iudices quodammodo poſſidere cœpit. Populi beneuolentiā ſibi conciliauit, quòd ius illius ita defenderat, ut ſeditionem coniungeret, hoc eſt, ſeditionem factam eſſe fateretur. Iudicum animos ad cauſam ſuā conuertit. Tribus enim cauſis permouerat: calamitate ciuitatis in bello Cimbrico, luctu ac deſiderio propinquorum, odio proprio in Cepionem, qui iudicia transferre uoluiſſet. Tunc admiſcuit huic generi orationis παθητικὸν, quod uehemens eſt & atrox, genus illud alterum ἠθικὸν, quod lenitatis eſt & manſuetudinis. Quoniam uirtutes homini beneuolentiam conciliant, et uirtus eſt tueri ſodalem & neceſſarium, iudicibus oſtendit agere ſe pro ſuo ſodali Queſtore, quem propter ſortis euentum, in liberum loco, more maiorum, habere deberet: & tanquam amicus alter ipſe, rem alienam egit ut ſuam: dixitq́; ſe pro ſua omni fama fortuniſq́; decernere, id eſt propugnare ac dimicare: nihil ad dolorem acerbius accidere poſſe, quam ſi ſodali chariſſimo auxilium ferre nō potuiſſet ipſe, qui alieniſſimis ciuibus ſaluti fuiſſet. Petebat à iudicibus, ut illud ætati ſuæ graueſcenti, quæ non eſſet oneranda nouo dolore: ut honoribus, id eſt magiſtratibus, quos multos probe geſſerat: ut rebus geſtis in magiſtratibus pro Rep. ſi iuſto, ſi pio dolore ipſum eſſe affectum, hoc eſt ſi commotum uiderent iuſtitia & pietate in ſodalem, concederent, præſertim ſi in alijs cauſis intellexiſſent, omnia ſemper pro amicorum periculis, nihil unquam pro ſe deprecatum. Sodali.] Sodalem appellauit Norbanum, quòd illo Queſtore et conuictore uſus eſſet. In liberum loco.] Qui perinde charus erat atque patri filius, diligenti in liberum loco eſſe dicebatur. Cicero in Oratore: Non dicit liberum, ut plerique loquimur cum cupidos liberum, aut in liberum loco dicimus. Pro fortunis decernere.] Pugnare pro uniuerſa poſſeſſione, quæ noſtra quaſi uita eſt. Quo modo pro fortunis omnibus decernit, qui defendit ſodalem? Improprie dictum eſt, in hunc ſenſum: Videbor & famam & rem perdidiſſe, ſi damnatus fuerit ſodalis. Aut accipe fortunas pro uita proſpera. Nam duo duobus retulit, exiſtimationem pro mala fama, & dolorem proſperitati & uoluptati contrarium.

Alieniſſimis.] Alieniſſimos oppoſuit ſodali: nec dixit ſe alieniſſimis ſaluti fuiſſe, ne arrogans uideretur, ſed exiſtimatum ſuis ciuibus ſaluti fuiſſe. Iuſto, pio dolore.] Si Queſtor eſt proconſuli conſuliq́; liberum loco, iuſtitia ac pietas eſt conſulis in ſuum Queſtorem, quemadmodū patris in ſuos liberos. De lege Apuleia.] Quæ ſit lex Apuleia, ſupra diximus. Minime præceptis artium ſunt perpolita.] De affectibus mouēdis pauca admodū à Græcis tradita ſunt, ut ab Ariſtotele, quoniam oratores Athenis affectus concitare uetabantur. à Latinis non multo plura, propterea quòd illud nō tam artis eſt ac præcepti, quàm prudentiæ & exercitationis. Vt et acerrimus.] Acerrimus perturbationum concitatione, manſuetiſſimus lenitate. Ita magis affectis animis.] Colligit in quibuſdā cauſis plus efficere qui iudices mouet, quā qui docet. HIC Sulpitius, uere hercule, inquit, Antoni iſta commemoras, &c.] Sulpitium interloquentem facit, ut quæ dixit Antonius, eſſe uera confirmet: ut quæ uerecunde ſubticuit, addat: ut nō modo materiam & ordinem, ſed etiam decorum conſiliumq́; demonſtret: ut affectuū uim mirabilem eſſe proclamet. Hercule.] Me hercules dicebant, ſubaudientes uerbum, iuuet: detracta litera s, me hercule. Cicero in oratore: Et pomeridianas quadrigas quàm poſtmeridianas libentius dixerim, & me hercule quā me hercules. Hercule tantum ualet quantum me hercules, uel me hercule, poniturq́; ad confirmationem ſententiæ. E manibus elaberetur.] Tranſlatio eſt ab ijs rebus quæ paulatim ſubducuntur à manibus noſtris, non uno impetu detrahuntur.

Quemadmodum dixiſti.] Repetiuit hæc uerba iuuenis modeſtus, ne ſe ipſe laudare uideretur, cum diceret ſe non iudicium ſed incendium tradidiſſe. Inter iudicium & incendium hoc intereſt. Iudicium petit cognitionem cauſæ, incendium non cognitionem, ſed uiolentam animorum expugnationem. Quid timor? quæ dubitatio?] In re difficili atque periculoſa laudatur ſummiſſum principium, medium paulo ſecurius, finis propè audax. Eiuſmodi rationem laudat Cicero in oratione Demoſthenis pro Cteſiphonte. Sic ait in Oratore: Itaque hic, quem præſtitiſſe diximus cæteris, in illa pro Cteſiphonte oratione longe optima, ſummiſſius à primo: deinde dum de legibus diſputat, preſſius, poſt ſenſim incedens, iudices ut uidit ardentes, in reliquis exultauit audacius. Craſſus in primo libro de Oratore: Mihi etiam quiq́; optime dicunt, quiq́; id facillime atque ornatiſſime facere poſſunt, tamen niſi timide ad dicendum accedunt, & in exordienda oratione perturbantur, penè impudentes uidentur. Cicero pro Cluentio: Equidem quod ad me attinet, quò me uertam, neſcio. Idem in Orotore: Principia uerecunda, non intenſis elata uerbis, ſed acuta ſententijs uel ad offenſionem aduerſarij, uel ad commendationem ſui. Ergo exordium Antonij dicitur admirabile uerecundia, timore, dubitatione, hæſitatione, tractuq́; uerborum. Decet enim hæſitantem trahere uerba, et uti lenta pronunciatione, ut hærentem animum atque ſuſpenſum actio tarda ſignificet.

Vnum ad ignoſcendum homines dabant.] Ignoſcimus culpæ. Vix ſatis honeſtum uidebatur homini cenſorio, ſeditioſum ciuem, et in hominis conſularis calamitate crudelem, defendere. Sed illam deformitatem excuſabat neceſſitudo ſortis. Eſt autem neceſſitudo ſortis, amicitia inter magiſtratus qui eandem prouinciam uel eandem dignitatem ſunt conſecuti, quæ maxima uidetur, propterea quòd illam dij ſortis potentes exiſtimantur copulaſſe. Ex ijs intelliges cur Norbanum Antonio dixerit eſſe perneceſſarium. Serpere occulte cœpiſti.] Quid ſenſim progreditur ad aliquem finem, quem qui audiunt, nō ſuſpicantur: is ſerpere occulte ut anguis in herba dicitur. Sed illam populi Romani iracundiam.] In hoc altum conſilium oratoris fuit: quod obijciebatur uni, deriuauit in uniuerſum populum, qui iuſto dolore fuerat accenſus: ut ſi damnarent unū iudices, ciues omnes damnaſſe uiderentur. Vt tu illa odio, inuidia, miſericordia, miſcuiſti?] Odium eſt ira inueterata. Inuidia, ægritudo ex alterius rebus ſecundis. Cepio adducebatur in odiū, cum eius uitia in adminiſtrādā re militari referebantur. In inuidiam autem, cum diceretur ex malefactis nullum omnino ſenſiſſe incommodum. Miſericordia refertur in eum qui defenditur. In Scauro.] Scaurum potius quàm cæteros teſtes nominauit, quòd plurimum haberet auctoritatis homo prudentiſſimus, & Reipublicæ regendæ ſcientiſſimus, ut dictum eſt lib. primo. Cum teſtes in Norbanum producerentur à Sulpitio, non refutabat eos Antonius inficiando factum, ſed dicebat, impetū populi iuſto dolore commotum, Norbano fraudi eſſe non debere. Quæ cum abs te commemorarentur.] Etſi quæ commemorauit Antonius, poſſunt in aliquo artis loco reponi, nulla tamen præcepta deſiderant. Imitatione ſunt contenta. Id certe quidem uerum eſt, et eò pertinet dictum, ut paucis res omnis abſoluatur. ATQVI, ſi ita placet (inquit Antonius) trademus etiam quæ nos ſequi, &c.] Præcepta nulla pollicetur, ut in inſtituto perſeueret, confugit ad uſum rerum maximarum, quem præceptis imperitorum antepoſuit. Certe tradit is qui ueterū præcepta nouit, Cicero, quiq́; doctus eſt longa uita, atque uſu rerum maximarum. Non in omnibus cauſis animi ſunt mouendi: itaque primum conſiderandum eſt, poſtulet'ne cauſa. Etenim ſi non poſtulet, indecorū eſt ac fœdum quaſi debacchari affectibus. Duo tempora aſſignat, cum motus excitare non debemus. Neque paruis in rebus adhibendæ ſunt hæ dicendi faces, id eſt concitationes ardentes: neque ita animatis & obſtinatis hominibus, ut nihil ad eorū mentes oratione flectendas proficere poſſimus. Paruæ ſunt res, quæ neque uitā hominis petunt, neque

famam, neque rem uniuerſam, ſed aliquam modo partem uel opera, uel bonorum: ut actio de finibus regundis, de conſtituta pecunia, de prędijs ſeruitute. Animatos dicit eos qui ſic animum firmarunt, ut inde nequeant dimoueri. Cur in duobus cauſarũ temporibus non ſint affectus mouendi, ratione demonſtrat. Irriſione digni ſumus, ſi tragœdias & acerbas contentiones agamus in nugis, hoc eſt in rebus leuioris negotij: ut uideatur orator qui deos imploret & homines, agens cauſam de ſtillicidijs. Odio digni putamur, quando conuellere adorimur, id eſt demoliri conamur ea que non poſſunt commoueri. Nam quanto magis urgemus obnitentem, tanto fit acrior, & nobis iratior, & res ipſa talis eſt, ut ui nõ ſit extorquenda. Hoc modo irriſio refertur ad nugas, odium ad ea que non poſſunt commoueri. Cur autem ſit aliquid immotum, due ſunt cauſe. Aut enim facit animorũ peruicacia, aut rerum conditio. quamobrem dixit ante animatos homines, poſtea res que non poſſunt commoueri. Secundo loco conſiderandum eſt, que maxime in iudicum animis, & eorũ apud quos agemus, oratione molienda tractandáq; ſint. Quid enim mouebimus, ſi, quid omnium mouendum ſit, neſciamus? Molimur igitur amorem, odium, iracundiam, inuidiam, miſericordiam, ſpem, lætitiam, timorem, moleſtiam, de quibus ante diximus, & paulo poſt ordine dicemus. De amore primo loco. Amor conciliatur, ſi id uelle uideare, quod ſit utile ipſis apud quos agas, defendere. Cicero ſecunda actione in Verrem: Huic ego cauſe iudices cũ ſumma uoluntate et expectatione populi R. actor acceſſi, non ut augerem inuidiam ordinis, ſed ut infamiæ communi ſuccurrerem. Si aut pro bonis uiris, aut certe pro ijs qui iudicibus boni atque utiles ſint, laborare uideare. Cicero in Diuinatione: Quid eſt, pro deum hominumq; fidem, in quo ego Reipublicæ plus hoc tẽpore prodeſſe poſſim? Quid eſt quod aut populo Romano gratius eſſe debeat, aut ſocijs exteriſq; nationibus optatius eſſe poſſit? aut ſaluti fortuniſq; omnium magis accommodatũ ſit? Populatæ, uexatæ, funditus euerſæ prouinciæ: ſocij ſtipendiarijq; populi Romani afflicti, miſeri, iam non ſalutis ſpem, ſed exitij ſolatium quærunt. Agit pro Siculis utilibus populo Romano, ut oſtendit actione quarta: Hæc res, ſcilicet utilitas eorum apud quos agitur, amorem magis conciliat. Illa uirtutis defenſio, qua boni uiri defenduntur, conciliat charitatem. Charitas eſt ſanctus amor. Amor autem & bonus et malus inuenitur. Plus orator proficit ſi proponitur ſpes utilitatis futuræ, quàm præteriti beneficij commemoratio. Scitum eſt illud Ariſtotelis 8. libro Ethi. Vtilitas non permanet, ſed alia et alia fit. Si tollitur id cuius gratia duo fuerũt amici, diſſoluitur amicitia. Cicero pro Murena: Quem ego uobis, ſi quid habet aut momenti commendatio, aut auctoritatis confirmatio mea, Conſul Conſulem iudices ita commendo, ut cupidiſſimum otij, ſtudioſiſſimum bonorum, acerrimum contra ſeditionem, fortiſſimũ in bello, inimiciſſimum huic coniurationi quæ nunc Remp. labefactat, futurum eſſe promittã & ſpondeam. Proponit ſpem futuræ utilitatis à Murena. Præteriti beneficij commemoratio minus proficit, quoniam beneficiorum apud homines malos rara gratia eſt. Enitendum eſt ut oſtendas, in ea re quam defendas, aut dignitatem ineſſe, aut utilitatem: eumq; cui concilies hunc amorem, ſignifices nihil ad utilitatem ſuam retuliſſe, ac nihil omnino feciſſe cauſa ſua. Inuidetur commodis hominum ipſorũ: quamobrem dicendum eſt eum quem defendas, nihil accepiſſe commodi. ſtudijs hominum cæteris commodandi, id eſt ſtudijs quibus cupiunt alijs commodare, prodeſſeq;, fauetur. Idcirco ſignificanda quæ peruenerit ad alios utilitas. Cicero pro Milone: Valeant, inquit, ualeant ciues mei, ſint incolumes, ſint florentes, ſint beati: ſtet hæc urbs præclara, mihiq; patria chariſſima, quoquo modo merita de me erit. tranquilla Republica ciues mei, quoniam mihi cum illis non licet, ſine me ipſi, ſed per me tamen, perfruantur. ego cedam, atque abibo. Vult habere Milonem utilem non tam ſibi quàm Reip. Videndum hoc loco eſt, ne quos ob benefacta diligi uolemus, eorum laudem atque gloriam nimis efferre uideamur. Laudi atque gloriæ maxime inuideri ſolet. Cicero pro Rabirio Poſthumo: Sed iam omnia timeo. Bonitatis ipſius inuidiam reformido. Hoc præceptũ Cicero ſi tenere potuiſſet, & res ſuas geſtas non tantopere laudaſſet, pauciores multo uiuus & mortuus habuiſſet inimicos. Amori contrarium eſt odium. Contrariorum eadem eſt diſciplina. Iiſdem igitur ex locis odium in alios ſtruere moliriq; diſcemus, et à nobis ac noſtris dimouere. Nã ſi, quod ipſis qui audiunt, perniciosum aut inutile ſit, id factum augeas, odium creatur. Hoc modo creat odium Clodio: Occidi, occidi eum cuius nefarium adulterium in puluinaribus ſanctiſſimis nobiliſſimæ fœminæ cõprehenderunt: eũ cuius ſupplicio ſenatus ſolennes religiones expiandas ſæpe cenſuit: eum quem cum ſorore germana nefariũ ſtuprum feciſſe L. Lucullus iuratus ſe quæſtionibus habitis dixit comperiſſe: eum qui ciuem quem ſenatus, quem populus, quem omnes gentes urbis ac uitæ ciuium conſeruatorem iudicabant, ſeruorum armis exterminauit: eum qui regna dedit, ademit, orbem terrarum quibuſcum uoluit, partitus eſt. & quæ ſequũtur. Si quid in bonos uiros factũ augeas, aut in eos quos lædere quiſque minime debuerit, aut in Remp. tum excitatur ſi non tam acerbum odium, tamen aut inuidia aut odij non diſſimilis offenſio. Quemadmodum quiſque ferè magis amat ſe, quàm alium quempiam: ita certe grauius odit ſibi pernicioſos, quàm alicui cæterorum. Huc accommodare poſſis illud de Clodio, quod paulo ante ſcripſimus: Quod omiſimus breuitatis cauſa, plus facit ad rem illam, quàm quod tranſcripſimus. Poſſis et illud in Verrem: Quapropter de iſtius prætura Sicilienſi non recuſo quin ita me audiatis, ut ſi cuiquam generi hominum, ſiue Siculorum, ſiue noſtrorum ciuium, ſiue cuiquam ordini, ſiue aratorum, ſiue pecuariorum, ſiue mercatorum, probatus ſit, ſi non hoſtis omniũ communis hoſtis prædoq; fuit, ſi cuiquã denique ulla in re unquam temperauit, ut uos quoque temperetis. Exempla longiora ſunt, quàm quæ tranſcribi tota debeant. Affectus enim multis ſententijs infuſus eſt, ac uerbis, ut acerbius exulceret. Eadem genera præceptorum tractanda ſunt in iracundia uel excitanda uel ſedanda. Odium nihil aliud eſt quàm ira inueterata, quæ uel in uitiũ fertur, uel in hominem opinione mali. Excita amorem, ſedabis iracundiam. Molire odium, recrudeſcet iracundiæ uulnus. De iracundia igitur nouis præceptis & exemplis non eſt opus. Vt iracundia ſedetur, oſtendit Cicero in oratione pro Q. Ligario. Vt excitetur, monſtrauit idem in oratione pro Rabirio perduellionis reo contra Labienum. ITEM timor incutitur aut ex ipſorum periculis, aut ex cõmunibus, &c.] Timor incutitur aut ex eorum qui audiunt periculis, aut ex omnium periculis. Interior eſt timor proprius, ideoq; propius animum tangit, & arte minus eget. Communis ad eandem ſimilitudinem eſt perducendus, hoc eſt, artificioſe exaggerandus, ut tam premat quàm proprius. De priore ſit hoc exemplum: Inueterauit enim iam opinio pernicioſa Reip. uobiſq; periculoſa, quæ non modo Romæ, ſed & apud exteras nationes omniũ ſermone percrebruit, his iudicijs quæ nũc ſint, pecunioſum hominem, quamuis ſit nocens, neminem poſſe damnari. Nunc in ipſo diſcrimine ordinis, iudiciorumq; ueſtrorum, cum ſint parati qui concionibus & legibus hanc inuidiã ſenatus inflammare conentur, reus in iudicium adductus eſt C. Verres. Timorem incutit iudicibus à re propria. De poſteriore ſit illud exemplum Ciceronis pro C. Rabirio perduellionis reo: Sic enim exiſtimare debetis Quirites, poſt hominum memoriam, rem nullam maiorem, magis pericuiloſam, magis ab omnibus uobis prouidendam, neque à Tribunis plebis ſuſceptam, neque à Conſule defenſam, neque ad populum Romanum eſſe delatam. Agitur enim nihil aliud in hac cauſa Quirites, quàm ut nullum ſit poſthac in Rep. publi

cum

cum conſilium. & quæ ſequũtur. Par atque una ratio eſt ſpei, lætitiæ, moleſtiæ. Spes eſt opinio boni futuri. Lætitia eſt, opinio boni præſentis. Moleſtia ſiue ægritudo eſt, opinio mali præſentis grauiter urgentis. Ex his definitionibus collige, parem horum affectuum eſſe rationem. Augenda eſt enim opinio concepta, aut inferenda non concepta. Spem conceptam auget Cicero Philip. quarta: Ita uerò Quirit. ut precamini eueniat, quòd huius amētiæ pœna in ipſum familiamq́; eius recidat: quod ita futurum eſſe confido. Iam enim non ſolum homines, ſed etiam deos immortales ad Remp. conſeruandam arbitror cō ſenſiſſe. Multa ſequuntur ad iniiciendam ſpem uictoriæ de Antonio, & de recuperanda libertate. Lætitiam amplificat in ſecũda Catilinaria: O fortunatam Remp. ſi quidem hanc ſentinā huius urbis eiecerit. Vno mehercule Catilina exhauſto, releuata mihi et recreata Reſp. uidetur. Quid enim mali aut ſceleris fingi aut excogitari poteſt, quod ille non conceperit? Multa narrat in Catilinā, ut cognito ciuitatis periculo, ciues liberati gaudeant, lætitia recreati Conſulem amplectantur, & monenti pareant. Moleſtiā exaggerat Philip. undecima, loquens de C. Trebonio, quem crudeliter Dolabella interfecerat: Quid nocturnus introitus in Smyrnam quaſi in hoſtium urbem? quæ eſt fideliſſimorū antiquiſſimorumq́; ſociorum. Oppreſſus Trebonius, ſi ut ab eo qui aperte hoſtis eſſet, incautus: ſi ut ab eo qui ciuis etiam tum ſpeciem haberet, miſer. Ex quo nimirum documentum nos capere fortuna uoluit, quid eſſet uictis extimeſcendum. Conſularem hominem, conſulari imperio prouinciam Aſiam obtinentem, Samario exuli tradidit: interficere ſtatim captum noluit, ne nimis, credo, in uictorijs liberalis uideretur. cum uerborum contumelijs optimum uirum inceſto ore lacerasſet, tum uerberibus ac tormentis quæſtionē habuit pecuniæ publicæ, idq́; per biduū: poſt autem ceruicibus caput abſcidit, idq́; fixum geſtari iuſſit in pilo. reliquum corpus tractum atque laceratum abiecit in mare. Multæ ſunt perorationes eius, in quibus ſummam auditoribus parit ægritudinem. Dictum eſt paucis de amore, odio, iracundia, timore, ſpe, lætitia, moleſtia: nec dictum eo ordine qui propoſitus erat, quia nihil aut parum intererat qui ordo ſeruaretur. Nunc de inuidia pluribus agit, quia (ut ait) acerrimus longe eſt omnium motus inuidiæ: hoc eſt, inuidia maxime perturbat animos mortalium. corrodit inuidentem, nec illum quieſcere ſinit. quamobrem Martialis inuido, tanquam malum grande, imprecatur inuidentiam: Omnibus inuideas liuide, nemo tibi. Inuidia aut comprimitur, aut excitatur. Non minus uirium opus, id eſt neceſſarium eſt in ea comprimenda quàm in excitanda, & forte plus in comprimenda: ſicut difficilius eſt reſtinguere quàm mittere incendium. Inuident homines aut paribus, aut inferioribus, aut ſuperioribus. Paribus, cum uident eos altius euolare. inferioribus, cum ſe relictos ſentiunt ab illis. ſuperioribus, ſi ſuperiores intolerantius ſe iactant, ſi æqualitatem communis iuris, præſtantia dignitatis aut fortunæ ſuæ tranſeunt, id eſt, ſi tam excellunt aut dignitate aut diuitijs, ut reliquis non habeantur in iure pares. Dignitas & fortuna, aut uirtute parta ſunt, aut uitio. Si uitio, maxime dicendum eſt, nō eſſe uirtute parta, deinde etiam uitijs atque peccatis. Si aliqua uirtute, dicendum non eſſe tanti ulla merita, quanta ſit inſolentia & arrogantia hominis, quantumq́; faſtidium, id eſt contemptus aliorum. Inuidiam ſuſcitat liberto Syllæ Chryſogono ut inferiori, in oratione pro Sexto Roſcio: Videant ne turpe miſerumq́; ſit, eos qui equeſtrem ſplendorem pati non potuerunt, ſerui nequiſſimi dominationem ferre poſſe. Quæ quidem dominatio, iudices, in alijs rebus antea uerſabatur, nunc uero quam uiam muniat, quod iter affectet, uidetis. Ictirco ne experrecta nobilitas armis atque ferro Rempublicam recuperauit, ut ad libidinem ſuam liberti ſeruuliq́; nobiliū, bona, fortunas ueſtras noſtraſq́; uexare poſſent? De pari proferamus exemplum ex ſecunda actione in Verrem, ubi Cicero Hortenſium in inuidiam adducit: Nam illud mihi nequaquam dignum induſtria, conatuq́; meo uidebatur, iſtum à me in iudicium iam omnium iudicio condemnatum uocari, niſi iſta tua intolerabilis potentia, & ea cupiditas qua per hoſce annos in quibuſdam iudicijs uſus es, etiam in iſtius hominis deſperati cauſa interponeretur. Nunc uero quoniam hæc te omnis dominatio, regnumq́; iudiciorum tantopere delectat, & ſunt homines, quos libidinis infamiæq́; ſuæ neque pudeat, neque tædeat, qui quaſi de induſtria in odium offenſionemq́; populi Romani irruere uideantur, hoc me profiteor ſuſcepiſſe magnum fortaſſe onus, & mihi periculoſum, ueruntamen dignum in quo omnes neruos ætatis induſtriæq́; meæ contenderem. Inuidiam creat potentioribus ſeptima actione in Verrem ad finem, ubi nominat uiros obſcuri generis, qui ad ſummos magiſtratus magno labore peruenerunt, ad quos nobiles per ludum & per negligentiā perueniunt. Videmus, inquit, quanta ſit inuidia, quantoq́; in odio apud quoſdam homines nobiles, nouorum hominum uirtus & induſtria. Hominum nobilium non ferè quiſquam noſtræ induſtriæ fauet, nullis noſtris officijs beneuolentiā illorum allicere poſſumus. quaſi natura & genere diſiuncti ſint, ita diſſident à nobis animo ac uoluntate. Plura dicit in eo loco. Non opus eſt omnia illuſtrare ſuis exemplis. Satis eſt rem paucis indicaſſe. Ad ſedandam inuidiam maxime dicendum eſt, dignitatem & fortunam ſuam magno labore magniſq́; periculis eſſe parta, nec ad ſuum commodum, ſed ad aliorum eſſe collata ac contributa, ſeſeq́;, ſi quam gloriam labor peperiſſe uideatur, tametſi ea non ſit æqua atque par merces periculi, tamen ea nō delectari, totamq́; more fortium abijcere atque deponere. Omninoq́; perficiendum eſt, ut hæc opinio minuatur, et illa quæ multa eſt in opinione fortuna, cum laboribus et miſerijs eſt permiſcenda. Huc incumbendum diligenter, quoniā plerique ſunt inuidi: maximeq́; eſt hoc commune uitium, & peruagatum, id eſt frequens. Inuidetur autem præſtanti florentiq́; fortunæ, hoc eſt, inuidia ægritudo eſt ex aliena felicitate concepta. Inuidia (ut ait Ouidius) opibus macreſcit opimis. Exemplum reſtinguēdæ inuidiæ reperies in oratione Ciceronis pro P. Sylla, ubi comprimit inuidiam quam uoluerat concitare Torquatus: Hic ait ſe ille iudices regnū meum ferre non poſſe. Quod tandem Torquate regnū? Conſulatus credo mei, in quo ego imperaui nihil, ſed contra, Patribus conſcriptis & bonis omnibus parui: quo in magiſtratu non inſtitutū eſt à me iudices regnum, ſed non permiſſum. Adde quæ ſequuntur. IAM miſericordia mouetur, ſi is qui audit, adduci poteſt ut illa, &c.] Miſericordia eſt ægritudo ex miſeria alterius iniuria laborantis. Miſericordia mouetur uel ex rebus ipſis, uel oratione dicentis. De rebus miſerabilibus Cicero in Oratore: Miſeratione nos ita dolenter uti ſolemus, ut puerum infantem in manibus perorantes tenuerimus: ut alia in cauſa excitato reo nobili, ſublato etiam filio paruo, plangore et lamentatione compleremus forum. Hic loquitur de miſericordia quæ uerbis commouetur. Mouetur autem, ſi is qui audit, adduci poteſt ut illa quæ de altero deplorētur, ad ſuas res reuocet, quas aut tulerit acerbas, aut timeat, aut intuens alium crebro, ad ſeipſum reuertatur. Quàm multi fuere commoti, cum Cicero diceret hæc pro L. Flacco: Nolite iudices exiſtimare, eos quibus integrum eſt, qui nondum ad honores acceſſerunt, nō expectare huius exitum iudicij. Si L. Flacco tantus amor in bonos omnes, tantum in Rep. ſtudium, calamitati fuerit: quem poſthac tam amentem fore putatis, qui non illam uiam uitæ, quam antè præcipitem & lubricam eſſe ducebat, huic planæ & ſtabili præponendam eſſe arbitretur? Quòd ſi talium ciuium uos iudices tædet, oſtendite. Mutabunt ſententiam, qui potuerint: conſtituent quid agant, quibus integrum eſt. Nos, qui iam progreſſi ſumus, hunc exitum noſtræ temeritatis feremus. Singuli caſus humanarum miſeriarum grauiter audiuntur accipiunturq́;, ſi

dicuntur dolenter. Sic eſt hominum natura facilis, ut alienæ calamitatis acerbitate moueatur, maxime ſi ad illam perfertur eo ſenſu, quo lædit miſerum. Singuli caſus miſeriarum mouent, quanto magis uniuerſi? Mouent ſimpliciter editi, quanto magis dolenter expoſiti? Quantum doluit populo Romano Rabirij Poſthumi calamitas, cum Cicero flens diceret: Sed miſerũ me: quãto hæc dixi cum dolore. Hem Poſtume, tu'ne es Curij filius, C. Rabirij iudicio & uoluntate filius, natura ſororis filius? tu'ne ille in omneis tuos liberalis? cuius multos bonitas locupletauit? qui nihil profudiſti, nihil ullam in libidinem contuliſti? Tua poſthume uĩno ſeſtertio à me addicuntur? O meum miſerum acerbumq; præconium. Afflicta & proſtrata, id eſt deiecta uirtus, maxime luctuoſa eſt. Virtutis amans eſt homo, aut certe uirtus in hominum beneuolentiam ſe facile inſinuat. Cum igitur pro bono malum, pro præmio pœnam, pro felicitate calamitatem recipit, magno conficit animos dolore. O fruſtra, inquit, ſuſcepti mei labores. O ſpes fallaces, ò cogitationes inanes meæ. Inter commendantis affectum, & commouentis, hoc intereſt. Qui probitatem commendat, & boni uiri ſpeciem tuetur, lenis atque ſummiſſus eſſe debet. Qui ſuſcipitur ad commutandos animos, atque omni ratione flectendos, intentus ac uehemens. Sicut autem lenis atque ſummiſſus refertur et ad orationem ſuauem, & ad pronunciationem mollem: ita intentus & uehemens eſt in compoſitione graui, & pronunciatione uehementi. Illic ſuaues numeri, cõplanata iunctura, longæ periodi: hic numerus durior, coagmentatio aſperior, breuior circumſcriptio. Miſcentur interdum adeo, ut difficilis ſit ad diſtinguendũ ſimilitudo. Miſcentur autem, ut aſperitas contentionis, oratoris ipſius humanitate condiatur, & remiſſio lenitatis quadam grauitate & contentione firmetur. Sic enim ex duobus quaſi extremis fit oratio temperata. Principia tarda ſunt, quia non eſt aſſiliendum ſtatim ad acre genus orationis. Exitus & fines ſpiſſi et producti eſſe debent, id eſt crebri, & tam multi, ut non celeriter diſcedatur. Ne quid deſideres exempli, uide perorationem illam pro Milone. In principio lenis eſt: Quid reſtat? niſi ut orem obteſterq; uos iudices, ut etiam miſericordiã tribuatis fortiſſimo uiro. deinde aſperior: Me quidem iudices exanimãt & interimunt hæ uoces Milonis, et cætera. Nunc dolenter acclamat, nũc uocem remittit. Interponit etiam uiriles forteiq; uoces Milonis: & quanto dolentius agit, tanto breuiores intercidit orationes. Inter affectum & argumentum diſcrimen eſt. Argumentum ſimul atque, id eſt, mox ubi poſitum eſt, arripitur ab ijs qui audiunt: & ſi primum non ſatis eſt, alterum ſiue ſecundum & tertium poſcitur. Affectus, ut miſericordia, inuidia, iracundia, non ſtatim commouet, ſed paulatim irrepit in ſenſum. Argumẽti ratio ſimul atque emiſſa eſt ac pronunciata, adhæreſcit animis auditorum, facitq; rei dubiæ fidem. Motus orationis non eò tendit, ut cognoſcant iudices, ſed ut perturbentur. Non perturbantur autem, niſi multa & uaria & copioſa oratione, & ſimili contentione actionis, id eſt ſimili pronunciationis concitatione. Qui breuiter & ſummiſſe dicunt, docere iudicem poſſunt, quia argumentum ſimul atque poſitum eſt, arripitur: commouere nõ poſſunt, quia affectus orationem multam & actionem incitatã requirit. Eſt alia differentia inter argumentum & affectum. Affectus ſiue lenis eſt ad conciliandũ, ſiue uehememens ad permouendum, contrarijs commotionibus aufertur, ut odio beneuolentia, miſeratione inuidia. Argumentum non ſemper à contrario refellitur, etſi omnium rerum in contrarias partes facultas, ex iiſdem ſuppeditatur locis, hoc eſt, iidem loci ualent & ad probandum, et ad refutandum. Argumentum aut dilui poteſt, aut non poteſt. Si non poteſt, afferendum grauius, aut æque graue: ut Cicero pro Muræna, cum Cato probaſſet, nulla re allici hominum mentes oportere ad magiſtratũ mandandum niſi dignitate, & id uerum eſſe uiderent omnes boni, æque graue contulit in Catonem, qui tribus rogaret, qui ſalutaret, qui nomenclatorem haberet. Si ſua natura dilui poteſt, aut reprehendendæ ſunt aſſumptiones, aut improbanda cõnexio. Reprehenditur antecedens falſum, aut ambiguũ: improbatur connexio, quæ aliud colligit quam ſit effectum ex propoſitis. Aſſumit Erucius, Sextũ Roſcium F. relegatum eſſe in agrũ à patre ſuo. Hoc ut falſum redarguit Cicero. Quòd ille non ueniret in urbem, colligit Erucius inuiſum fuiſſe patri: Cicero id non effici demonſtrat. Sciũt omnes mediocriter eruditi, ut argumentum ualeat, et uerum colligas, oportere uera confeſſa & inter ſe conſentanea aſſumi, & quod ex propoſitis efficitur, non aliud, colligas. SVAVIS *autem eſt, & uehementer ſæpe utilis iocus & facetiæ, &c.*]

Tria propoſita ſunt ad diſputandum. unum de docendo, alterũ de conciliando, tertium de mouendo, de quibus ex ordine diſputauit. Quæri poteſt, quo membro contineatur iocorum ſuauitas? Rei eſt communis iſtorum omnium. Nam & argumenta labefactat, & animos conciliat, & triſtes affectus diſcutit. Quintilianus: Huic diuerſa uirtus, quæ riſum iudicis mouendo, & illos triſtes ſoluit affectus, & animum ab intentione rerũ frequenter auertit, & aliquando etiam reficit, & à ſatietate uel à fatigatione renouat. Propter hæc commoda Antonius iocos & facetias uehementer utiles eſſe dixit, non omni quidem loco, & omni tempore, ſed ſæpe, cum tempus & perſona & cauſa patiũtur. Cicero in Oratore: Tantummodo aduerſarios figet, nec eos tamen ſemper, nec omneis, nec omni modo. Quæri potuit, an utilis eſſet iocus. reſpondit utilem eſſe, ut illi ab oratore ſtudeatur. Occurrit & alij quæſtioni, an facetiæ tradi arte poſſint? Etiamſi alia omnia quæ pertinent ad oratorem, tradi arte poſſunt, ridicula naturæ ſunt propria certe, neque ullam artem deſiderant. Hoc ſic explicat Quintilianus: Verum hoc quicquid eſt, ut non auſim dicere carere omnino arte, quia nõnullam obſeruationem habet, ſuntq; ad id pertinentia & à Græcis & à Latinis compoſita præcepta: ita planè affirmo præcipue poſitum in natura, & in occaſione. Porrò natura non tantum in hoc ualet, ut acutior quis atque habilior ſit ad inueniendum (nam id ſanè doctrina poſſet augeri) ſed ineſt proprius quibuſdam decor in habitu atque uultu, ut eadem illa minus dicente alio uideantur urbana eſſe. Occaſioni uerò & in rebus eſt tanta uis, ut ſæpe adiuti ea non indocti modo, ſed etiam ruſtici ſalſe dicãt in eum, quiſquis aliquid dixerit prior. Erit qui dicat, ſi facetiæ nullam artem deſiderant, cur Cicero de illis præcepta conſtituit? Ridiculorum non eſt ars propriè dicta, ſed obſeruatio quædam. Craſſus poſtea dicet horũ ipſorum de quibus Antonius tam diu loquitur, artem eſſe nullam, ſed obſeruationem: ſic & facetiarum. In facetijs & ſalibus longe alijs Cæſar excellebat, ut in Bruto Cicero teſtatur. quamobrem eam perſonã legit, cui, quod optime noſſet, diſputandum committeret. In facetijs & iocis tu longe alijs Cæſar excellis. Sic eſt mea ſententia. Alij fortè aliter, ut eſt hominum opinio diuerſa, iudicant. Quare magis mihi etiam teſtis eſſe potes, aut nullam eſſe artem ſalis, aut ſi qua eſt; eam nos tu potiſſimum docebis. Non dixit planè iocorũ nullam artem eſſe: ſed ſi qua eſſet, illam ſe Cæſari relinquere. Quoniã feſtiuitatis obſeruatio difficilis eſt, inducit Cæſarem, qui ante rei difficultatem naturamq; demonſtret, quàm in præcepta colligat. Exponit qui de ridiculis ſcripſerint, qui in eo genere floruerint, quot ſint genera facetiarum, quã leue ſit riſum mouere, quo modo ſint ridicula temperanda. quæ cum ſint utilia ſcitu per ſe; reducit tamen ad unum principium, ad probandum difficile eſſe de facetijs diſputare. Ego omni de re facetius diſputare. Ego omni de re facetius & urbanius puto poſſe ab homine non inurbano & inſulſo, quàm de ipſis facetijs diſputari. Facetiæ quidẽ urbane ſuauiterq; dicuntur: ſed non ita bella eſt diſputatio de facetijs. quemadmodum iucundior eſt muſica modulatio, quã muſicæ artis explicatio: & oratio numeroſa cum aptè pronunciatur,

clatur quã cum reſoluitur in literas, in ſyllabas, in longas & breues, ut unde numeroſa ſit, planũ fiat. Itaque cũ quoſdã Græcos inſcriptos notatoſq; libros eſſe uidiſſem de ridiculis (Theophraſtus enim auctore Diogene Laertio librũ ſcripſit περὶ γελοίου, de ridiculo) nonnullã in ſpem ueneram, poſſe me aliquid ex iſtis diſcere. Ridicula Græcorũ multa, ac ualde ſuauia: ſed qui eius rei rationem quandã conati ſunt artemq; tradere, inſulſi & iniucundi extiterunt. Inueni quidem ridicula & ſalſa multa Græcorum. Siculi, qui græca lingua utebantur, ſalſi fuerũt, ut Gelo, Hieron, Dionyſius uterque, quorũ apophthegmata Plutarchus memoriæ mandauit: itemq; oratores ex eadẽ inſula, qui plurimi fuerunt, in quibus Gorgias ille omniũ diſciplinarũ profeſſor. Rhodij ad atticiſmon propius accedebant. nec enim Siculi optime loquebantur, quod Cicero in Diuinatione ſignificat, ſed tamen quantũ mari, tantũ lepore diſtabant ab Atticis. Rhodi Cicero audijt Molonem, et oratores eius inſulæ cognouit. Byzantij in Thracia, dicti poſtea Conſtantinopolitani, in quibus fuit ille Theodorus quem Plato λογοδαίδαλον appellat, et alij faceti qui memorantur à Plutarcho in apophthegmatis. Attici, maxime Athenienſes, urbani, et lepidi fuerunt, Lyſias, Demoſthenes, Demades, aliiq; permulti. Cicero in Oratore: Caria & Phrygia & Myſia, quòd minime politæ minimeq; elegantes ſunt, aſciuerũt aptũ ſuis auribus opimum quoddã & tanquam adipale dictionis genus, quod eorũ uicini, nõ ita lato interiecto mari, Rhodij nunquã probauerunt, Græci autem multo minus, Athenienſes uero funditus repudiauerũt, quorũ ſemper fuit prudens ſincerumq; iudicium, nihil ut poſſent niſi incorruptũ audire, & elegans. Quare mihi quidem.] Vis argumẽti eſt eiuſmodi Si Græci perquã faceti, & artiũ omniũ inuentores, in deſcribendis ridiculis inſulſi ridiculiq; extiterunt, uidetur iſta res nullo modo doctrina tradi poſſe, niſi quis aptior quàm illi ſuſcitetur. Attenuat Græcos, ut ſe ſuoſq; laudet. Vt probet idem, ridiculorum artem eſſe nullam, utitur partium enumeratione, facetiarũ aliã eſſe cauillationem, aliam dicacitatem: hanc tam ſubitã ut uix poſſit cogitari, alioqui carere uenuſtate. illam natura gigni, quæ fingit homines & creat imitatores, & narratores facetos. Facetias conſtituit genus. Duas illi ſpecies ſubijcit, cauillationem, & dicacitatem. Cauillationem definit, facetias æquabiliter in omni ſermone fuſas, ut in tota lepida narratione. Dicacitatem uero, facetias peracutas & breues: ut ſi interroganti quid latres, reſpondeas, furem te uidere. In oratore ſtatuit genus, ſales: ſubmittit ſpecies, facetias & dicacitatem. Sales in dicendo mirum quantum ualent: quorum duo genera ſunt, unum facetiarum, alterum dicacitatis. Summiſſus orator utetur utroque, ſed altero in narrando aliquid uenuſte, altero in iaciendo mittendoq; ridiculo. Cauillatio leue nomẽ eſt, & dicacitas. quid enim grauitatis eſt in hac appellatione, uel dignitatis? Rei leui ſimile nomen ueteres dederunt. leue enim eſt totum hoc, riſum mouere. Quintil. Ridiculum dictum plerumque falſum eſt, hoc ſemper humile, ſæpe ex induſtria deprauatum, præterea nunquam honorificum. Natura enim fingit.] Vt homo ſit ſalſus, expetenda natura facilis, uultus aptus, uox iucunda. Quid arti uel obſeruationi relinquitur? Salſum genus ſermonis ex omnibus eligendum. Natura igitur & uſu & obſeruatione ridicula conſtant. Emiſſum hærere debeat.] Tranſlatio ducta eſt à ſagittis aut telis, quæ emiſſa figuntur ac hærent. QVID enim hic meus frater ab arte adiuuari potuit? etc.] Exemplis efficere cõtendit, ab arte facetias nõ adiuuari. At iſtud non efficit. Non enim tenet hæc cõnexio, quædã ridicula nõ dicũtur ex arte, ergo nulla dicuntur ex arte. A' paucis ad omnia, uel à parte ad totũ inualida eſt argumentatio. Ad hæc uſus, dicendi magiſter, iuuat eos qui σκώμματα repente mittunt: quamobrem nõ omnino deſtituũtur obſeruatione, quã hic nominamus artem. Quid enim hic meus frater Catulus ab arte adiuuari potuit, cũ à Philippo conſule, qui uehemẽtius inuehebatur in cauſam principum, ut dictum eſt libro primo, interrogatus quid latraret, furem ſe uidere reſpondit? Alluſit Catulus ad canes: qui ſi furem noctu ſenſerint, latrant. & belle Philippũ ſignificauit eſſe furẽ, conuiciumq; latrandi in ipſum retorquens, notauit hominis rapacitatẽ. Quid ab arte adiuuari potuit in omni oratione Craſſus, & maxime in illa quàm habuit apud Centumuiros pro Curio ſecundo hærede contra Scæuolam Copionorum defenſorem? Hæc perpetua contra Scæuolam Curiana defenſio tota redundauit hilaritate quadam, & ioco. Dicta illa, id eſt facetias breues, nõ habuit, propterea quòd parcebat Scæuolæ dignitati. Cicero de claris Oratoribus: At uero ut contra Craſſus ab adoleſcente delicato, qui in littore ambulans ſcalmum repperiſſet, ob eamq; rem ædificare nauem concupiuiſſet, exorſus eſt: ſimiliter Scæuolam ex uno ſcalmo captionis Centumuirale iudicium hæreditatis effeciſſe: hoc in illo initio conſecutus, multis eiuſdem generis ſententijs delectauit, animoſq; omnium qui aderant, in hilaritatem à ſeueritate traduxit. Lege quæ ſequũtur. In illa oratione tam faceta non læſit aduerſarium. Ludere nunquã uelimus, inquit Quintilianus: longeq; abſit propoſitũ illud, Potius amicum quã dictum perdidi. Conſiderandum eſt, & quis, & qua cauſa, & apud quem, & in quem, & quid dicat. parcendum aduerſarij dignitati, retinẽda oratori ſua dignitas, ne leuis & ſcurra uideatur. Habenda ratio temporũ et perſonarũ. Tenenda nonnunquã quæ ſalſiſſime dici poſſunt. At hominibus facetis & dicacibus difficillimũ, habere hominũ rationem & temporum, & ea quæ occurrant, cum ſalſiſſime dici poſſint, tenere. Itaque nonnulli ridiculi homines, hoc eſt ſalſi ac faceti, & ridiculorum periti, hoc ipſum, difficile eſſe facetis habere rationem temporis & perſonæ, non inſulſe, ſed ſcite & apte interpretantur & explicant ex uerbis Ennianis. dicere enim aiunt Enniũ, Flammam à ſapiente facilius ore in ardente opprimi, quã bona dicta teneat. Bona dicta nõ inſulſe interpretantur ridicula atque ſales, etſi in alium ſenſum trahi poſſunt. Sic intelligunt: Si quis non ſolum ſtultus et effuſus ad loquendum, ſed etiã ſapiens, ore in ardente flammam haberet, & in eodem ſalſum dictum: illam facilius opprimeret cohiberetq;, quã exitum petens ridiculum contineret. Flammam quidem poſſet ſi non continere, tamen extinguere: ridiculum uero neque continere, neque prorſus extinguere. quæ ſententia ſi uera eſt, probat illud, eſſe difficillimum faceto, rationem temporũ et perſonarum habere. Cum duo ſint genera facetiarum, Craſſus pro Curio uſus eſt cauillatione, & lepida narratione, quæ perpetuus eſt ac continuus ſermo: idem pro Cn. Plancio & cauillatione, et dicacitate. Hic oppugnabat aduerſariũ dignũ cõtumelia Brutũ, illic Scæuolã optimum uirũ & grauiſſimum. habuit igitur rationem perſonarũ, ut dignitati parceret, acerbe perſtringeret indignitatem. Hoc de Bruto & Craſſo narrat Cicero in oratione pro Cluentio. uerba adſcribamus illius, ut lectorũ minuatur labor, et inde aliquid lucis accedat. Ego uero in iſto genere libentius cũ multorum, tum hominis eloquentiſſimi & ſapientiſſimi L. Craſſi auctoritatem ſequor, qui cum L. Planciũ defenderet accuſante M. Bruto homine in dicendo uehemẽti & callido, cũ Brutus duobus recitatorib. conſtitutis, ex duabus eius orationibus capita alterna inter ſe cõtraria recitãda curaſſet, quòd in diſſuaſione rogationis eius quæ contra coloniã Narbonenſem ferebatur, quantũ poteſt de auctoritate ſenatus detrahit: in ſuaſione legis Seruiliæ ſummis ornat ſenatũ laudibus: & multa in equites Romanos cũ ex ea oratione aſperius dicta recitaſſet, quò animi illorum iudicũ in Craſſum incenderentur, aliquantũ eſſe commotus dicitur. Itaque in reſpondendo primũ expoſuit utriuſque rationẽ temporis, ut oratio ex re & cauſa habita uideretur. Deinde ut intelligere poſſet Brutus, quem hominem, & non ſolum, qua eloquentia, uerum etiam quo lepore & quibus facetijs præditum laceſſiſſet, tres &

Ipſe excitauit recitatores cum ſingulis libellis, quos M. Brutus pater illius accuſatoris de iure ciuili reliquit. Eorum initia cum recitarentur, ea quæ nobis nota eſſe arbitror, Forte euenit ut ruri in Priuernate eſſemus ego & Brutus filius, fundum Priuernatem flagitabat. In Albano eramus ego et Brutus filius, Albanũ poſcebat. In Tyburti forte cum aſſediſſemus, Tyburtem fundum requirebat. Brutum autem hominem ſapientem, quod filij nequitiam uideret, quæ prædia ei relinqueret teſtificari dicebat uoluiſſe. Quod ſi potuiſſet honeſte ſcribere ſe in balneis cum id ætatis filio fuiſſe, non præteriiſſet: eas ſe tamen ab eo balneas, non ex libris patris, ſed ex tabulis & cenſu quærere. Pro Cluentio legitur L. Plancius, apud Quintil. Caius, hic autem Cneus. hæc poſtrema lectio certior eſt. Aculei contumeliarũ.] Aſpera conuicia, quæ ſic animũ pungunt, ut aculei corpus. Quem oderat.] Ius eſſe putabãt ueteres lædere inimicũ. huc facit illud Ciceronis Offi. lib. 1. Iuſtitiæ primũ munus eſt, ut ne cui quis noceat, niſi laceſſitus iniuria. Illa breuia. Subaudi ridicula. Breue ridiculũ eſt hoc. Bruto dicenti in accuſatione Plancij, Ego ſine cauſa deſudo, Craſſus inquit, Minime mirum: modo enim exiſti de balneis. Alluſit ad eos qui è balneis exeũtes deſudant, cũ fruſtra laborare ſe diceret Brutus. Exire de balneis, tradere alteri poſſeſſioné balnearũ. ut enim dicimur adire hæreditatem, ita quoque exire, cũ in manum alterius mittitur. De colonia Narbonenſi.] In prouincia Narbonenſi fuit colonia populi Romani, indigenis bello pulſis: de qua Cicero pro Fonteio: Eſt in eadem prouincia Narbo Martius, colonia noſtrorũ ciuium, ſpecula populi Romani ac propugnaculum, iſtis ipſis nationibus oppoſitum et obiectum. Cum lex aduerſus illam coloniã ferretur, & eam legem diſſuaderet Craſſus, in ſenatũ aduerſarium, quod legis auctores labefactaret, inuectus eſt. Lex Seruilia, quã promulgauit Seruilius Cæpio is qui uictus eſt à Cimbris, qua iudicia ab equitibus transferrentur ad ſenatum, propter quã paulo ante dixit infenſos fuiſſe equites Cæpioni. Hanc rogationem cũ ſuaderet Lucius Craſſus, ornabat ſenatum, ut dignus auctoritate iudicãdi uideretur: Equites minuebat, ut illis abrogaret iudicia.

Capita.] Partes orationis. Tres patris Bruti libros.] De tribus his libris mentionem facit Caius iuriſconſultus in Pandectis de origine iuris. Eius uerba ſupra citauimus. In Priuernati agro.] Priuernum, Alba, Tybur, oppida Italiæ: ex quibus dictus eſt ager Priuernas, Albanus, Tyburs. Habuit ille Brutus iuriſperitus fundos tres: unde initia ducit librorum ſuorum. Vendiderat eos filius, ideoq́; male audiebat, ut gurges, atque patrimonij decoctor. Gurgites appellantur helluones & uoratores, ab aquarũ gurgitibus. Audiui Scæuolã dicere.] Cæſar teſtimonio Scæuolæ nititur, quia non legit opera iureconſultorum. Publicis commentarijs conſignatos.] Libros de iure ciuili cõmentaria publica nominauit, quia ſunt cõceptiones memoriæ cauſa in publicũ diuulgatæ. In illis fundi relicti nõ aliter uidentur conſignati, quã hæreditas in teſtamento ſeptẽ teſtibus puberibus lege cõſignato. Niſi puberem te haberet.] Impuberes filij poterant lauare in balneis cum patribus ſuis. Puberibus autem ob pudorem id non licebat. Teſtis eſt Plutarchus in uitã Catonis Cenſorij. Sunt autem puberes, qui attigerũt annum decimũquartũ, quo tutela ceſſat, & matrimoniũ permittitur. QVIS eſt igitur, qui non fateatur hoc lepore atque iis facetiis, &c.] Vtiles eſſe locos dixerat. id confirmat exẽplo propoſito, ne ſine cauſa rem multis expoſuiſſe uideatur. Hoc, inquit, lepore atque his facetijs nõ minus refutatus eſt Brutus, quã illis tragœdijs triſtibusq́; affectibus quos mouit idem. Cum Plancius à Craſſo defenderetur, caſu cum funere, id eſt, pompa funebri, efferebatur ad rogũ anus Iunia ex illa antiqua familia Iunij Bruti, & accuſatori Bruto propinqua. Vna cum illa more Romano ferebãtur imagines eorum qui in ea familia floruiſſent. Coniecit oculos Craſſus, agnouit mortuæ funus. nec enim forum parietibus occluſum fuit. tum repente præter omnium expectationem, geſtu imminenti, ſumma acerbitate et celeritate uerborum intonuit, Brute quid ſedes? quid illam anum patri nunciare uis tuo? et quæ ſequũtur. Tragœdijs.] Hæc oratio nõ pertinet ad ſales & facetias, ſed ad locũ ſuperiorẽ de mouendis affectibus. Ponitur autem inter ſales, ut horũ uis cum genere pathetico comparetur. Geſtu imminenti.] Geſtus imminere dicitur, cũ uehemẽs eſt, acer, ſublimis, expreſſus. Summa grauitate uerborum.] Grauitas hic dicitur acerbitas et aſperitas quædam, grauiter urgens aduerſarium. In contentionibus opus eſt ardẽti geſtu, acri uoce, grauitate uerborũ, celeritate pronunciandi, oratione cõciſa, duro numero, crebra interrogatione. Sic enim recte uis animi ſtomachantis fertur ad auditorem. Brute quid ſedes?] Sedere nõ eſt uitiũ. Sedere cũ rem tuã agere debeas, eſt uitiũ. Quòd igitur excitet hominem, quòd tanquam diſcedat anus ad inferos, dixit, Brute quid ſedes? Patri nunciare.] Exiſtimabant animos hominũ qui relati non eſſent in deos, deuenire in locos inferorum, agnoſcere ſuos, conferre ſermones. Hinc illud Virgilianũ in 2. libro Aeneidos.

Cui Pyrrhus, Referes ergo hæc, & nuncius ibis,
Pelidæ genitori: illi mea triſtia facta,
Degeneremq́; Neoptolemum narrare memento.

Quid Lucio Bruto?] Poſt Bruti patrẽ, ad quem filij nomen maxime pertinebat, nominauit L. Iuniũ Brutum, qui Tarquinios tyrannis exegit, populũ R. ſeruitute regia liberauit, primus omniũ Romæ cõſul fuit. Eius intereſſe plurimũ uidebatur, quid poſteriores facerent, & qua induſtria alerent acceptam ab ipſo familiæ gloriam. Subijcit igitur, Quid te facere nunciabit anus? cui rei, cui gloriæ, cui uirtuti ſtudere? At id nõ eſt nobilitatis. Senſus eſt, augendo patrimonio nõ debet inuigilare nobilis homo ceu negociator: ſed fac et finge nobilitatis eſſe, augere patrimonium: nihil tibi de bonis tuis ſupereſt: libidines, id eſt cupiditates tuæ totũ diſſipauerunt. Nobiles uiros negotiari turpe ducebatur: quamobrem Cicero obijcit Verri negociationes & emptiones quibus abuſus erat in prouincia. Idem in Offic. ſic iudicat: Nihil eſt tam anguſti animi, tamq́; parui, quã amare diuitias. Nihil honeſtius, magnificentiuſq́;, quam pecuniã contemnere, ſi non habeas: ſi habeas, ad beneficentiam liberalitatemq́; conferre. Ne in rutis quidem & cæſis.] Quæ ſint ruta cæſa, iã diximus in primo cõmentario ex Vlpiani ſententia. In rutis, inquit, & cæſis ea ſunt, quæ terra nõ tenentur, quæq́; opere ſtructili, tectorio'ue non continentur. Talia ſunt in ædibus lecticæ, armaria, ſcrinia, ſubſellia, ſcãna, loculamenta, et ea quæ ſine ulla demolitione domus auferre poſſis. Hæc enim neque terra tenentur, neque ſtruunt ædificiũ, neque tegunt et incruſtant domũ. Recipere ruta cæſa dicuntur ij, qui cũ ædes fundum'ue abalienant, excipiũt ſupellectilem, inſtrumenta, cæſas arbores, eruta ſaxa uel metalla. Cicero in Topicis: Feci quòd ſæpe liberales uenditores ſolent, ut cũ ædes fundum'ue uendiderint rutis cæſis receptis, concedant tamen aliquid emptori, quod ornandi cauſa aptè & ſuo loco poſitum eſſe uideatur. Verba Craſſi ſic interpretamur: Etſi ius ciuile paternum eſt, id eſt, ſcientia patris tui digna uiro nobili, tamen illi operam non dediſti. Si tibi cauere potuiſſes, ut iuriſprudentes ſibi cauere norunt, domũ tibi ſaltem reliquam feciſſes: aut ſi etiam domum uendidiſſes, ruta cæſa recepiſſes: aut ſi ne hæc quidem omnia, minimum tibi reſeruaſſes ſolium paternum. alij ſolium, alij ſolum codices habent. utrunque legi poteſt. Nam ſolum interdum pro ſedili dicimus, quemadmodum & ſolium. Eſt enim ſolum quidquid aliud ſuſtinet. oſtendit illud Virgilij, Et cereale ſolũ pomis agreſtibus augent. Solum uel ſoliũ accipio ſellam (alij forſan aliud excipient) quã libenter recipiat filius in memoriam ſui parentis. Nonne minimum eſt in uendundis ædibus recipere ſibi cathedram patris? Per ſolũ ne intelligas terrã locum'ue, quia nõ eſt in rutis cæſis. nec

forulos,

forulos, & armariola imaginũ, quia paulo poſt dicentur. In iſtũ turpiſſimũ calumniæ quæſtum.] Quadruplatores audiebant male. Cicero libro Officiorum ſecundo: Duri hominis, uel potius uix hominis uidetur, periculum capitis inferre multis. Id cum periculoſum ipſi eſt, tum etiam ſordidum ad famam cõmittere, ut accuſator nominere. Quod contigit M. Bruto ſummo genere nato, illius filio, qui iuris ciuilis in primis peritus fuit. Calumniatores dicebantur, quia nonnunquam auari lucri falſum crimen intendebant. Acquirebant enim quartam bonorũ partem eorum quos iudicio damnauerant. Huic igitur latratori nõ eloquentiam, ſed uocem atque linguam, non gloriam uerã, ſed turpiſſimum calumniæ quæſtum attribuit. Tu lucem aſpicere audes?] Quaſi dicat, pudore cõfuſus latitare debes in tenebris, aut oppetere mortẽ. Tu hos intueri?] Demõſtrat iudices, quorũ eſt irrogare pœnã ſontibus. Tu in foro, ubi gurgites & nepotes puniri debẽt: tu in urbe, quæ priuatã luxuriam odit & calumniã: tu in ciuiũ conſpectu, qui grauiter ferunt te inurere notã generi tuo, eſſe audes? Tu illã Iuniam mortuã tibi conſanguineam, tu imagines tuorũ non perhorreſcis? Eas domi tuæ collocare debes, & imitari illos quorum ſigna ſunt. at illis non modo imitandis, ſed ne collocandis quidem tibi ullum locũ reliquiſti. De imaginibus Plinius capite ſecundo, libro trigeſimo quinto: Aliter apud maiores in atrijs imagines erant, quæ ſpectarentur non ſigna externorum artificum, nec æra, aut marmora. Expreſſi cera uultus ſingulis diſponebantur armarijs, ut eſſent imagines quæ comitarentur gentilitia funera. Semperq; defuncto aliquo, totus aderat familiæ eius qui unquam fuerat populus. Aliæ foris & circa limina animorum ingentium imagines erant, affixis hoſtium ſpolijs, quæ nec emptori refringere liceret, triumphabantq; etiam dominis mutatis ipſæ domus: & erat hæc ſtimulatio ingens, exprobrantibus tectis, quotidie imbellem dominum intrare in alienum triumphum. Facetias Craſſi in duabus orationibus laudauit, laudat & illas quas in Domitium collegam in cenſura plurimas fudit. Faceta, inquit, & urbana innumerabilia ex una concione, id eſt habita ad populum oratione, meminiſtis. Nec enim concio, id eſt, populi conuentus, maior unquam fuit, multis confluentibus propter auctoritatem uirorum: nec apud populum grauior oratio, quæ Domitio grauiſſimo Cenſori luxuriam domus obijcienti reſponderet: neque lepore & feſtiuitate conditior. Erat enim tanta grauitas in Domitio, tanta auctoritas, ut quod eſſet ab eo obiectum, lepore magis eleuandum quàm contentione frangendũ uideretur. Palmam detuliſſe.] Rei palmam deferre, eſt primam laudem primumq; honorem attribuere. A' palma triũphali uidetur eſſe deductum. TVM Antonius, ego uero ita feciſſem, inquit, niſi interdum in hoc Craſſo, &c.] Non iccirco facetiarum palmam Craſſo non detulit Antonius, quòd illi paulum inuideret, ſed quod multum in eo ſtudio Cæſar laboraſſet. Inuenit itaque ridiculum tempeſtiue, quo diſſolueret quæſtionem urbanius, quam poſtea Sulpitius, in quo tragica fuit grauitas, ſalium parum. Antonius opportune luſit in ſermone de iocis, & Craſſum maxime extulit, & illi tamen iocorum palmam non detulit. Ego uero ita feciſſem, id eſt, iocorum palmam Craſſo detuliſſem, niſi interdum in hoc genere illi paulum inuiderem ut nimium fortunato. Eſſe quamuis facetũ atque ſalſum, non nimis eſt per ſe, hoc eſt, ſi tantum id conſideretur, inuidendum. Nam hoc totum leue eſt atque paruum, riſum mouere. Inuidia maioris eſt fortunæ. Sed eſſe omnium uenuſtiſſimum & grauiſſimum, eſſe omnium urbaniſſimum, & ſeueriſſimum uideri, tantæ tamq; uariæ laudis eſt, ut inuidiã mouere poſſit. Plus dixit Antonius ridens: Id, inquit, mihi uix ferendum uidebatur. Pugnant hæc uenuſtiſſimus & grauiſſimus, urbaniſſimus & ſeueriſſimus: nec in eodem ſimul eadẽ ratione eſſe poſſunt, ſed in eodem homine alio & alio tempore et ratione diuerſa. Arriſiſſet Craſſus.] Facete dictum, riſu excepit urbanus homo, ut quo animo ferret Antonium, ſigno aliquo oſtenderet. Dictum eſt utiles eſſe iocos: illorum nullã certam eſſe artem, nullam facilem diſputationem: multos fuiſſe ſalſos, nullos artem facetiarum bene condidiſſe: duo eſſe genera facetiarum: in illis dominari naturam, uultum, uocem: in ridiculis obſeruandam perſonarum temporumq; rationem: nõ minus interdum ridiculis confutari aduerſarium quàm affectuum tragœdia. Ad alia pergendum eſt, quærendumq; an de urbanitate nulla dari præcepta poſſint? Antonius, qui dixerat hilaritati nullam artem deſiderari, in ea quiddam ſentit quod præcipiendum eſſe uideatur. Hoc dico: Cicero in Antonij perſona fatetur ſales nulla arte certa inueniri comprehendiq; poſſe, aliquid tamen habere quod cadat in præceptiones. Aliud eſt autẽ ueram artem condere, aliud dare præcepta. Omnis ars præceptis continetur, non omnia præcepta ad unum finem tendentia conficiunt artem. In facetijs præceptum dari poteſt, ut habeatur hominum ratio, & rei ſiue cauſæ, & temporis: quod ſi nõ fit, uiolatur ubiq; ſeruandum decorum, & inopportunus iocus de grauitate decerpit & oratoris, & auditorum. Id cuiuſmodi ſit, abunde monſtratum eſt in oratione Craſſi contra Scæuolam. propterea cenſet hoc præceptum prætermittendum eſſe facetiarum: & ſi prætexit aliam cauſam, præſentibus uiris qui decorum ſciant, hoc non opus eſſe præcepto, indicare unde illud quidem ſeruari oportere, ſed non eſſe cognitu difficile: difficilius eſſe cognoſcere, quomodo utamur cum opus ſit: ut in aduerſarium, & maxime ſi eius ſtultitia poterit agitari: in teſtem ſtultum, cupidum lædendi, leuem, ſi facile homines laturi uidebuntur. Non omnis aduerſarius eſt ioco lædendus, ſed is cuius ſtultitia aut aliqua deformitas poteſt rideri. nec omnis teſtis perſtringendus eſt dicacitate, ſed ſtultus, aut cupidus, aut leuis. nec ſemper eiuſmodi, ſed ſi facile homines audituri uidebuntur. Attigit præceptum de habenda ratione temporis & perſonæ. alterum, de ridendo, non iudice, ſed uel aduerſario, uel teſte qui dignus ſit illudi. Tertium ponit, omnino probabiliora eſſe quæ laceſſiti dicimus, quã quæ priores. hoc eſt, uidendum oratori ut potius iocũ retorqueat, quã ut laceſſat prior. dictum magis probaturos homines, quoniam ingenij celeritas maior eſt quæ apparet in reſpondendo, & humanitatis eſt reſponſio. Videmur enim quieturi fuiſſe, niſi eſſemus laceſſiti, ut in illa concione Craſſi cõtra Domitium, Nihil ferè dictum eſt à Craſſo, quod quidem facetius dictum uideretur, quod non prouocatus à Domitio reſponderit. Vtiles eſſe facetias in cauſis illa concione demonſtrauit.

Erat autẽ tanta grauitas.] Grauitas et auctoritas differunt. Grauitas eſt cuiuſdã ponderis et æſtimationis; auctoritas amplitudinis ac dignitatis. Lepor & contentio differũt. Lepor eſt dictum facetũ, cõtentio, oratio uehemens & aſpera, quæ animi cõcitantur. Eleuandũ, extenuandum. TVM Sulpitius, quid igitur? inquit, patiemur Cæſarẽ, qui quãquam, &c.] Antonius inducitur primus, qui Cæſarem doceat, eſſe in ridiculis quod præcipiendum eſſe uideatur, quia illius eſt diſputatio præcipua huiuſce lib. 2. Sulpitius ſecundus, Craſſus tertius, ut gradibus hortatorũ creſcat auctoritas. Cæſar nõ ſtatim uincitur à Sulpitio: uincitur à Craſſo. In eo ſtudio multo magis elaborat. Craſſum & Cæſarem ſic comparat in Offic. libro primo: Erat in L. Craſſo, & in L. Philippo multus lepos, maior etiã magiſq; de induſtria in C. Cæſare Lucij filio. Quærit duo Sulpitius, quale ſit iocãdi genus, et unde deducatur. Deducitur ab aliqua deformitate. tale eſt, ut non probetur, niſi liberale, tempeſtiuum, rei & perſonæ accõmodatũ. Sulpitius reticuiſſet.] Non dat Sulpitio iuueni uictoriam, ut ueniat ad maiorem auctoritatem. Craſſus igitur ſuccedit, ut infringat & Cæſaris & Antonij ſententiã, nõ ualere hanc complexionem, ridiculorũ ars certa nulla eſt: de ridiculis igitur nulla ſunt tradenda præcepta. Con-

firmat à ſimili. Horum ipſorum de quibus Antonius tandiu loquitur, ars nulla certa eſt. Obſeruatio quædam eſt earum rerũ quæ in dicendo ualent. Eodem modo de ridiculis eſt iudicandũ. Non eſſe earum rerum certam perfectamq́; rationem, ſignum eſt, ea quæ traduntur, eloquentem facere neminem. Alia ratio eſt in artibus, ut in mathematicis diſciplinis, quas qui nouit, aut aſtrologus eſt, aut arithmeticus, aut geometra. Non ut ad reperiendũ.] Dubitabit aliquis, an præcepta rhetorica nihil iuuent nos ad reperiendum quid dicamus, cum ſæpe dictum ſit in locis argumenta reperiri? Certe quæ cõtinent præcepta, ante ſunt ab oratoribus inuẽta, quàm obſeruata, collectaq́; in artem: & ante fuit oratio & eloquentia, quàm eſſet ars condita. Argumento ſunt exempla quæ ab antiquis oratoribus ducuntur, unde confirmatur hoc quidquid eſt obſeruationis. Vbi ſignata ſunt optima quæque, & in artem quandam redacta, monſtrarunt ubi eſſet illud quod ſtuderemus inuenire, quoq́; pacto iudicaremus quid eſſet rectum, quidq́; prauum. Hanc igitur ante ſententiam tulit. Inter ingenium quidem & diligentiam perpaululum loci reliquum eſt arti. Ars demonſtrat tantũ ubi quæras, atque ubi ſit illud quod ſtudeas inuenire. In partibus rhetoricæ eſt inuentio, quæ monſtrat compendiũ uiarum, atque regiones ubi optima quæque ſita ſunt inuenienda atque iudicãda natura, ſtudio, exercitatione. Nec eſt inuentio quæ inuenit, ſed cuius beneficio natura noſtra facilius inuenit, & inuenta diiudicat. Natura eſt ingenium. Studium, eximius amor eloquentiæ & diligentia. Exercitatio, uſus & experientia. An non ad reperiendum quid dicamus, arte ducimur? Ducimur ita ut dictum eſt. Non ita ducimur, ut arte, non prudentia reperiamus. Quò referenda ſint.] Alia referuntur ad docendum, ad narrandum, ad confirmandum, ad refutandum. Alia ad conciliandos animos, ad exordia cauſarum, ad præparationes. Alia ad inflammandos animos, uel ſedandos. Alia ad iudicium & conſilium. Alia ad capeſſenda ſtudia artium multarum. Alia ad elocutionem, alia ad memoriam & actionem. Hæc & ſimilia tradit ars bene dicendi. quæ bona ſunt, iubet. quæ mala, uetat. In hoc tali cœtu, atque in eã accurato ſermone.] Hæc ſi penitus inſpicias, uidebis quanti Cicero faciat hoc opus, & affirmabis auctoris ſententia & accuratum, & dignũ cœtu doctiſſimorum, atque ita perfectum, ut nihil præterire uideatur. Collectam exigis.] Collecta dicitur, quæ colligitur à multis, ut pecunia quæ colligitur à conuiuis. Tranſlationem hanc ſic explico: Quemadmodum ij qui conuiuas non accipiunt gratis, exigunt ab eis collectam: ſic tu ne me gratis habeas conuiuam, exigis pro collecta diſputationem. Ludit opportune facetus homo, & addit: Non committam, id eſt non hoc admittam uitium, ut ſi defugerim, ſicut illi fugiunt, qui nihil in cœnam conferre uolunt, tibi cauſam aliquã dem recuſandi illam quam exigam poſtea collectam. Exiget enim ſermonem de rationibus eloquendi. Deprecatur impudentiam, quod dicturus ſit apud tantos uiros: & exorditur hac ſimilitudine: Quemadmodum mihi impudentes uidentur, qui agunt in ſcena geſtum ſpectante Roſcio, quia nemo hiſtrio ſeſe cõmouere poteſt, cuius ille uitia non uideat: ſic ego nunc Craſſo audiente ſi loquar de facetijs, uidebor impudens, docebo ſus Mineruam: docebo oratorem ad quem cæteri collati uidentur eſſe tanquam fœnum. Conciliat animos, aliorum commendatio, ſui attenuatio. Hoc autem in prouerbium traxit, agere geſtum ſpectante Roſcio, pro eo quod eſt aliquid uel agere uel facere apud illum qui ſit eius rei peritiſſimus. Conſtat enim Roſcium actorem fabularum tam præclarum fuiſſe, ut qui in aliquo artificio ſummus eſſet, Roſcius in arte ſua diceretur. Cicero in oratione pro Roſcio comœdo loquens de Panurgo: Quid ſciret ille, perpauci animaduertebant: ubi didiciſſet, omnes quærebant. Nihil ab hoc prauũ et peruerſum produci poſſe arbitrabantur. Prouerbiũ eſt etiã, Sus Mineruam, in eos qui ſeipſis doctiores ſapientioresq́; docent. Item fœnum, pro uilibus & abiectis. Non ſine cauſa adagia multa Cæſari dat: nouit illũ adagiorum, apophthegmatum, ridiculorũ ſtudioſum fuiſſe. Ambroſia alendus.] Reſpexit id quod Catulus aiebat, fœnum alios oratores à Craſſo eſſe oportere. Fœno ambroſiam ex impari comparauit, ut ſit hæc ſententia, Si fœnum alij eſſent, Catulus eſſet fœnum, tantũ abeſt ut fœnũ ſit, aut fœno paſcendus, ut ambroſia alendus eſſe uideatur. Ambroſiã dixere ueteres cibũ deorum, intelligentes, ut arbitror, immortalitatem. ἀμβροσία interpretatur immortalitas. Quando epitheton eſt, ſignificat diuinã, uel hominibus deſertam. Homerus enim dixit comas ambroſias, & ambroſiã noctem. In aliquo per opportuno diuerſorio.] Diuerſorium, ut Cæſaris uerba demonſtrant, pro hoſpitio ponit quò quis diuertit è uia. Extrudam.] Vt hoſpites illiberales peregrinos è diuerſorio extrudunt & eijciunt, ſic lepide iocatur Cæſar eiecturum ſe Antonium: quæ allegoria ſignificat breuem fore de lepore ſermonem. In hoc toto proludio fuit uarius atque iucundus, quoniam generis huius oratio comparatur ad animorum relaxationem. DE riſu quinque ſunt quæ quæramus, unũ, quid ſit: alterum, unde ſit, &c.] Non eſt quærendum, ſit'ne riſus. conſtat omnibus eſſe riſum. ueniendum igitur ad ſecundã quæſtionem, quid ſit riſus. Eſt autem quæſtio naturalis, à philoſopho magis quàm ab oratore explicãda. Hanc ad Democritum remittit, non ſolum quòd de natura permulta ſcripſerit, quæ numerantur à Diogene Laertio, ſed etiam quòd ſemper riſerit, unde γελασῖνος eſt appellatus. Riſus eſt uoluptatis, ut ſcribit Plato in Philebo. Concitatur hoc modo: Quæ res aliquid habet uoluptatis, animum pellit. Animus corporis potens mouet ſanguinem & ſpiritus. Sanguis & ſpiritus latera cient: os, uenas, uultum, oculosq́; quatiunt. Sedes eius dicitur à quibuſdam lien, falſo quidem, ſed quoniã ſplen alliciendo bilem atrã, ſiue melancholicam, purgat ſanguinem, ſanguis purus materiã dat bonam ſpiritibus, ſpiritus puri nos reddunt alacriores, inualuit illa opinio. Sedem hilaritatis ſtatuit Plinius in præcordijs. Sic enim ait undecimo libro cap. 37. Huic certe refertur accepta ſubtilitas mentis: Ideo nulla eſt ei caro, ſed neruoſa exilitas. In eadem præcipua hilaritatis ſedes, quod titillatu maxime intelligitur alarum, ad quas ſubit, non alibi tenuiore cute humana, ideo ſcabendi dulcedine ibi proxima. ob hoc in prælijs gladiatorumq́; ſpectaculis mortem cũ riſu traiecta præcordia attulerũt. Repente exiſtit, id eſt erumpit, adeo, ut eum cupientes tenere nequeamus: quoniam ubi animus res corporis mouit, nõ eſt in noſtra poteſtate cohibere. Ex ijs quæ diximus, elici poteſt definitio riſus, aut certe quædam deſcriptio: Riſus eſt motus animi in hilaritatem, latera, os, uenas, uultum, oculos concutiens. Quòd autem dicit id neſcire φυσιολόγους, qui pollicentur, non eò pertinet, ut affirmemus omnem riſus naturam à naturalium cauſarum ſcrutatoribus ignorari, ſed facultatis ridendi non eſſe ſcientiam certam, ſatisq́; perſpectam. Proxime, id eſt ſecundo loco, quæritur unde ſit ridiculũ, & ex qua re prodeat? Locus et regio quaſi ridiculi turpitudine et deformitate quadam cõtinetur. Dicendum uidebatur, locus & quaſi regio, ſed maluit poſtponere aduerbiũ ſimilitudinis, ne duo uerba dure concurrerent, regio ridiculi. Turpitudo nõ omnis intelligitur, ſed parua duntaxat, quæ ſit digna riſu: nec omnis deformitas, ſed ea quæ neque execratione neque pœnã meretur. Ridentur enim uel ſola, uel maxime, quæ notãt, hoc eſt deſignant turpitudinem aliquã, nõ turpiter, id eſt lepide, facete, liberaliter, cũ quadam uenuſtate. Senſus eſt: Ridentur acute dicta, quæ notant turpitudinẽ aliquã, ſi modo non turpiter, at lepide & liberali ioco deſignant. Turpitudo, regio locusq́; ridiculi dicitur, quia ridiculũ eruitur ex aliqua turpitudine, quemadmodũ res è loco ſuaq́; regione. Tertia quæſtio eſt, Sit'ne oratoris uelle riſum mouere? Reſpõdet eſſe planè

oratoris

oratoris mouere riſum. probat ab iis utilitatibus que percipiuntur ex illo. Vtilitates ſex enumerat: beneuolentiam conciliat, admirationem ingenij parit, ledit aduerſarium, eruditum et urbanum hominem ſignificat, relaxat triſtitiam, que argumentis dilui non facile eſt, diſſoluit. Hilaritas beneuolentiam conciliat ei per quem excitata eſt, ut quondam L. Craſſo, qui Sceuolam comparaſſet homini qui ſcalmo in littore reperto nauim extruere uoluiſſet. Amabilis enim et grata eſt uoluptas, ſi honeſta ac liberalis. Admirantur omnes acumen, id eſt uim quandã inuentionis acute uno ſepe in uerbo poſitam, maxime reſpondẽtis, qui non habuit tempus cogitandi. Admirantur homines id quod preter opinionem & preter ſuas uires factum dictum' ue fuit, ut quod Philippo dicenti, Quid latras? retulit Catulus, Furem uideo. Iam ſi admirantur acumen, & illud certe quidem laudant. Ridiculum igitur aliquando laudem parit oratori. Ridiculum frangit aduerſarium, hoc eſt, adeo interdum mollit atque debilitat, ut fractus eſſe uideatur. Si nõ omnino frangit, tamen impedit: aut eleuat, id eſt attenuat atque diminuit: aut deterret, aut refutat. Tale fuit illud Craſſi contra accuſatorem Brutum, cum pro Cn. Plancio diceret: Fregit aduerſariũ, impediuit, eleuauit, deterruit, refutauit. Sales, oratorem politum eſſe hominem ſignificant, & eruditum, & urbanũ. Politus rudi et inculto, eruditus inerudito, urbanus ruſtico opponitur. Qui ingenue facetus eſt, uidetur moribus excultus, artibus inſtitutus, urbica uenuſtate iucundus. Impolitus iocari poteſt, ſed aſpere: ineruditus, ſcurriliter: ruſticus, putide. Cum Ciceronis orationes legimus, eò uirũ magis excultum et eruditum eſſe ducimus, quòd lepore & facetiis tanquam ſale quodam ſeuera reſperſerit, et facilem ac iucundam ingenij uenam oſtenderit. Dictum ſalſum triſtitiam ac ſeueritatem mitigat & relaxat: ut illud Ciceronis pro Cluentio de Cepaſiis fratribus, recreauit iudices, & oſtendit non ui eloquentie damnatũ fuiſſe Fabritium, ſed ſceleris iniquitate. Lepos odioſas res ſepe, quas argumentis dilui non facile eſt, diſſoluit. Documento ſunt iuuenes Tarentini, qui multa de Pyrrho rege ſecurius inter cœnã locuti, cum rationem facti repoſcerentur, & neque negari res, neque defendi poſſet, riſu ſunt et oportuno ioco elapſi. Namque unus ex iis, immo, inquit, niſi nos lagena defeciſſet, occidiſſemus te. Hec ex Quintiliano. Cicero Flaccũ ioci opportunitate de manifeſtiſſimis criminibus exemit, auctor Macrobius. Quarta fuit queſtio, quatenus ſint ridicula tractanda oratori? Nec inſignis improbitas, et cum ſcelere iuncta, ut cedes: nec rurſus, id eſt contra, miſeria inſignis, ut cecitas, agitata & ioco excepta ridetur à bonis. Facinoroſos, quorũ eſt inſignis improbitas, maiore quadam ui orationis, quàm ridiculi, uulnerari uolunt: miſeros illudi nolunt, niſi ſi ſe forte iactant. Quintilianus: Nec accuſatorem atroci in cauſa, nec patronum in miſerabili iocantem ferret quiſquam. Cicero riſit Erucium, qui certum patrem non haberet: non riſit, ſed grauiter inſectatus eſt eundem, quòd periculum faceſſeret innocẽti. Parcendum eſt autem maxime charitati hominũ, ne temere in eos dicas qui diliguntur. Non dixit, quos diligis, ſed eos qui diliguntur: ne tuos ſolum amicos illeſos eſſe uelles, ſed etiam ut parceres omnibus hominibus qui propter uirtutem et uite dignitatem ciuitati chari ſunt, & ab omnibus ferè diliguntur. Dictum potius perdat orator, quàm minuat auctoritatem. Hec igitur adhibenda eſt primum in iocando moderatio, ut ne ledas charitatem. Ceterum ea facillime luduntur, que neque odio magno, ut inſignis improbitas: nec miſericordia maxima, ut inſignis miſeria, digna ſunt. Quamobrem materies omnis ridiculorum, id eſt res que tractatur ab eo qui ſalſe loquitur & facete, eſt in iſtis uitiis que ſunt in uita hominũ neque charorum uel nobis uel ceteris, neque eorum qui ob grande facinus ad pœnã rapiendi uidentur: neque calamitoſorũ atque miſerorum: eaq; uitia belle et ſalſe agitata ridẽtur. Vitia alia ſunt animi, alia corporis, alia utriuſque. Animi, ut iactatio ſui corporis, ut nimia lõgitudo colli: utriuſque, ut iracundia. Omnia cadunt in ridiculũ, ut materia quadã ab artifice tractãda. SED *querimus idẽ quod in ceteris rebus maxime querendũ eſt, quatenus, &c.*] *Eſt modus in rebus, inquit Horatius.* μέτρον ἄριστον. *modus optimus. In omnibus itaq; rebus maxime querendũ eſt quatenus, ideſt qui modus ſit obſeruandus, & quatenus progredi liceat intra limites atque metas decori, quod in genere facetiarum ſi uelis obſeruatũ, uidendũ ne quid inſulſe, id eſt ſine uenuſtate dicas. Quidquid enim inſulſum eſt, ſic afficit animũ quadam moleſtia, ut inſulſa cibaria palatum. Inſulſum, nullo ſale conditum eſt. Videndum etiã ſi quid perridicule poſſis dicere, ne aut ſcurrilis iocus ſit, aut mimicus. Quintilianus: Dicacitas etiã ſcurrilis & ſcenica huic perſone alieniſſima eſt. Perridicula maxime ciẽt riſum, ſed nõ omnia ſeruant dignitatem. Sannio eſt perridiculus, nec tamen imitandus oratori. Scurra laceſſit cachinnos, & effringit ora, ſed & ipſe ridetur. Mimus leuiculos homines in hilaritatem reſoluit, ſed citra dignitatem: uterque decorum modumq; uiolat. Scurra dicitur, qui riſum ab audientibus captat nõ ſalua dignitate perſone. Scurrilitas, procax atque petulans dicacitas. Mimus eſt, uel dictorũ uel factorum impudens laſciuaq; imitatio. Ducitur à greco* μιμοῦμαι, *quod eſt imitor. Sunt et mimi poete, qui mimos faciunt. Et mimi hiſtriones ac ridiculi ſaltatores, cuiuſmodi pleroſque Antoniũ ſecutos eſſe dicit Cicero in Philippicis. Ariſtoteles quarto Ethicorum de ſcurris: Qui modũ excedũt in ridiculis, ſcurre uidentur ac importuni. Affectant riſum, & uehementius cupiunt illum mouere, quàm honeſte loqui. De riſu quinque ſunt que queramus: unum, quid ſit: alterum, unde ſit: tertium, ſit' ne oratoris uelle riſum mouere: quartum, quatenus. Hec paucis expoſita ſunt: reliquũ eſt quintum, que ſint genera ridiculi. Duo, inquit, ſunt genera facetiarum, quorum alterum re tractatur, alterũ dicto. Re tractatur, quod fuſe narratur, ut fabella: dicto, quod paucis uerbis acutis proiicitur. Illic enim fuſa res inſpicitur, hic autem breue acumen. De facetiis in re & in perpetua narratione, proponit exemplũ Craſſi in hoc genere preſtantis. Memmius habitus eſt inter mediocres oratores, accuſator acer & acerbus. Cicero in Bruto: Tum etiam C. L. Memmij fuerunt oratores mediocres, accuſatores acres atque acerbi. Itaque in iudiciũ capitis multos uocauerunt. Plutarchus in uitam Luculli: Reuerſus itaque Romam Lucullus, Marcum fratrem à C. Memmio reperit accuſatum de iis que ſub imperatore Sylla geſſerat queſtor. Mordax erat igitur Memmius. Itaque L. Craſſus in quadam cauſa belle agitauit hominem, ut dignus erat. Memmius, inquit, urbe relicta agebat Tarracine. Erat illi conſuetudo cum muliercula quadam, ad quam Largius uentitabat frequens. Quòd eſſet corriualiũ emulatio, cepit alter alterum moleſte ferre. Quid? Memmius homo contentioſus rixas excitat de amicula, & ne res tantum uerbis ageretur, impetum facit in Largium, atque ut eſt nimium mordax, comedit eius lacertum. Paucis diebus tota Tarracina omnibus in parietibus inſcripte erant litere, tria L L L, duo M M. Cum quererem id quid eſſet, ſenex quidam oppidanus mihi dixit hoc literis deſignari:*

Lacerat lacertum Largi mordax Memmius.

Hec & ſimilia quedam finxit in Memmium L. Craſſus, ut eleuaret ac frangeret aduerſarium, iudiciumq; lepida narratione recrearet. Lacertus eſt brachij pars carnoſior. Tarracina oppidum Italie ad fluuiũ Vfentem, alio nomine Anxur. Amicula dicitur ad contemptũ, quemadmodum muliercula, meretricula. Clauſula pars eſt orationis extrema, à claudendo, id eſt terminãdo uocata. Oppidanus, cui domicilium eſt in oppido. Dixit oppidanũ ſenem, non iuuenem, quia ſenectus experientior eſt ad intelligendum, & grauior ad auctoritatem.

Lacerat lacertum Largi mordax Memmius.

Verſus eſt iambicus trimeter, quem iccirco fecit Craſſus, ut aptius & breuius rem complecteretur, & comprehenſa diutius in memoria hominum maneret. Mendaciolum, ut tuguriolũ dicitur. Diminutione uſus eſt, quia ſi mendaciũ dixiſſet, turpe potuiſſet uideri. iocanti non eſt agendum turpiter. Aſpergendum.] Refer hoc uerbi ad ſalem qui cibis aſpergitur. In perpetuo genere facetiarum utendum figura quæ dicitur euidentia, uel ſubiectio ſub oculos: à Græcis ὑποτύπωσις. Illa ſic facta demõſtrat, ſic mores eius de quo narratio eſt, ſic ſermones & uultus omnes exprimit, ut ijs qui audiunt, tum geri illa fieriq; uideantur. Ridiculũ in re, in duas ſpecies diuiditur. una rem habet ſubiectam ridiculam, altera non rem ipſam, ſed tantũ geſtus & uocis imitationem, de qua hoc modo Cæſar: In re eſt item ridiculũ, quod ex quadam deprauata imitatione ſumi ſolet. Imitatio deprauata eſt, quæ non refert ueritatem, neq; uocẽ geſtumq; animi ſententiæ accommodat: ut cum reos ſupplices imitamur, nec animo tamen deprecamur: ut Craſſus in quadam oratione quam habuit ad populum, uoce et geſtu reum ſupplicem imitabatur, aduerſariũ tamen illudebat. Voce remiſſa.] Vultu ſupplici dicebat, Oro te per tuam nobilitatem, per ueſtram familiam. Cum illudentem uidiſſet concio, ideſt populus in comitio, riſit nõ rem quæ per ſe non fuit ridicula, ſed deprauatam imitationem. Fingebat enim ſe maxime uereri, qui planè ſecurus eſſet. Cõtraxerat brachiũ, ut qui metuit: dicturus autem, Oro te per tuas ſtatuas, extendit illud, et paululum de geſtu addidit, ut qui principio admodum ſupplices atque demiſſi, paulatim capiunt uires, & fortius ac paulo confidentius implorant. Tum uehementius riſit populus, propterea quòd ille uehementius quaſi rogaſſet. Non aſſcripſit Cicero qua in oratione id fecerit Craſſus. Notũ erat omnibus, cum illius oratio circunferebatur, nunc diuinare nec uolumus, nec poſſumus. Sunt qui referunt ad orationẽ quã dixit in Cn. Domitium collegam ſuũ in cenſura: quod quidem non abhorret à uero. Dicet aliquis, quo pacto in re eſt ridiculũ, ſi nõ ipſa res, ſed imitatio deprauata ridetur? Non ipſa res uerbis expreſſa ridetur, ſed alia res, ut imitatio à ueritate detorta, quæ ſe fundit in orationem. Adde quòd ridicula in re dicuntur facetiæ fuſiores, cuiuſmodi fuit hæc lepida imitata, Per tuam nobilitatem, per neſtram familiam, per tuas ſtatuas. Hæc in obſecrationibus ſuis ponunt miſeri & ſupplices, quia nobilitas uult lenis uideri & manſueta: familia obiecta mouet quandã charitatem, qua crudelitas mitigatur. Statuæ confugientibus ad ſe ueniam pollicentur. Magiſtratibus & in urbe & in prouincijs ſtatuæ erigebantur, ad quas ſi quis auxilij cauſa fugiſſet, grande ſcelus putabant, illum abſtrahi atque uiolari. Cicero quarta actione in Verrem: Palàm ſingulis cenſoribus denarij trecenteni ad ſtatuam prætoris imperati ſunt. Ibidem: Non mihi prætermittendum uidetur ut illud quidem genus pecuniæ conciliatæ, quam tu à ciuitatibus ſtatuarum nomine coegiſti. Video enim pecuniæ ſummam eſſe pergrandem ad ſeſtertium C XX millia. De imitatione deprauata poſitum eſt exemplum: addit & alterũ ex alio genere. Illud oratoris, hoc autem hiſtrionis. Roſcius fuit comœdus, hoc eſt actor comœdiarum: oſtendit oratio Ciceronis pro Roſcio comœdo. unde etiam ſcire poſſis, quantum in arte ſua meruerit laudis. Cum ageret comœdiam quandam, & pronunciaret hoc carmen iambicum:

Tibi ego Antipho aſſero, ſenium eſt cum audio:

Sic imitabatur uocem & tremorem ſenis de quo loquebantur adoleſcentes ut nõ modò ſenex, ſed etiã ſeniũ ipſum eſſe uideretur. Ex hoc genere, quod ex quadã deprauata imitatione ſumi ſolet, eſt illa Roſciana imitatio ſenis. i. ridicula atque iucũda pronunciatio Roſcij imitantis ſenem, cũ hoc dicit tremens ſeniliter:

Tibi ego Antipho aſſero, ſenium eſt cum audio.

Senium eſt, id eſt, nõ ſolum ſenex, ſed etiã ſenium ipſum mihi uidetur, cum audio. Erit qui locum ſic interpretetur: Quando Roſcius inquit hoc hemiſtichium, Tibi ego Antipho aſſero, uidetur mihi ſenium eſſe cum audio. ſed præſtat referre ſeniũ ad illum quem imitatur Roſcius cum pronunciat hæc uerba, Seniũ eſt. In imitatione cauendum eſt, ne quid nimis. Dictum eſt, nõ oportere ſcurrilem aut mimicũ eſſe iocum. Eſt autem mimorũ, non oratorum, nimia imitatio. Non igitur nimis aut uox hominis, aut uultus, aut geſtus imitandus. Mimi dicuntur ἠθολόγοι, ethologi, ab effingendis moribus et affectibus cuiuſque perſonæ. ἦθος, mores: λόγος, ſermo uel ratio. Ethologi ab Heſychio et Suida dicuntur θυμελικοί, quia uerſantur in theatro. Appellantur & ἠθοποιοί, quia ſunt effictores morũ perſonæ quã ſuſtinent. Quintilianus in nono: Imitatio morũ alienorũ, quæ ἠθοποιΐα, uel (ut alij malunt) μίμησις dicitur, iam inter leuiores affectus numerari poteſt. Eſt enim poſita ferè in eludendo; ſed uerſatur & in factis, et in dictis. Sicut fugienda eſt mimorum nimia imitatio, ita quoque obſcenitas uitanda ſemper oratori. Quintilianus: Obſcenitas non à uerbis tãtum abeſſe debet, ſed etiam à ſignificatione. Nam ſi quando obijci poteſt, nõ in omni loco exprobranda eſt. Orator ſurripiat, id eſt leuiter & modice aptet imitationem, ut is qui audiat, cogitet plura quàm uideat. præſtet idem ingenuitatem, id eſt ingenuũ pudorem, et ruborem ſuum, & uerborum turpitudinem uitet, et rerum obſcenitatem. Tandem epilogo breui colligit, duo genera eſſe eius ridiculi quod in re poſitum eſt: ambo eſſe propria perpetuarum facetiarum. In illis deſcribi hominum mores, & ita effingi, ut aut re narrata aliqua, ut illa de Memmio, quales ſunt, intelligantur: aut imitatione breuiter iniecta, ut illa Craſſi, in aliquo inſigni ad irridendum uitio reperiãtur. Eſt autem hic inſigne uitiũ, deformitas quædã notabilis, nõ ad puniendũ, ſed ad irridendũ. IN dicto autem ridiculũ eſt id quod uerbi aut ſententiæ quodã acu. &c.] Duo ſunt genera facetiarum, quorũ alterum re tractatur, alterum dicto. In dicto autem ridiculum eſt id, quod uerbi aut ſententiæ quodam acumine mouetur. Dictum igitur tam ad uerbum quàm ad ſententiam refertur: nec aliud ſignificat, quàm breue & argutum iocantis acumen, quod aliquãdo eſt in uerbo, ut in nomine tranſlato: aliquando in ſententia. Si erit in uerbo, non manebit ubi uerbum mutaueris: ſi in ſententia, uerbis mutatis permanebit. In dicto ſcurrilis dicacitas, hoc eſt σκώμματα ſcurrarum magnopere fugienda ſunt. Nam quemadmodum in perpetua narratione & imitatione frequenter accidit, ut ad mimos ethologos accedamus, ita in breui ridiculo ſæpe in ſcurrilem dicacitatem incidimus. Quo fit, ut alij ſint ſcurriliter dicaces, ut Granius & Vargula: alij ingenue & liberaliter ſalſi, ut Craſſus, Catulus, Cæſar. Hi non quotieſcunque potuit dictum dici, leues effundunt: illi ut toti perſtiunt, ſic nulla ridicula poſſunt continere. De Granio Cicero in Bruto: Illud eſt maius quod in uocibus noſtrorũ oratorũ recinit quiddã & reſonat urbanius. Ego memini T. Tincam Placentinũ hominẽ faceti ſſimũ cũ familiari noſtro Q. Granio præcone dicacitate certare. Eon', inquit Brutus, de quo multa Lucilius? Iſto ipſo. ſed Tincam non minus multa ridicule dicentem Granius obruebat neſcio quo ſapore uernaculo. Granius nõ fuit orator, ſed præco dicax & loquaculus. Nec Vargula habitus eſt inter oratores, nec inter honeſta uirorum nomina. dicacitatem effrenatam ſecutus eſt, ut cum Aulo Sempronio candidato, & Marco fratre eius cõplectentibus ipſum, puere dixit, Puer, abige muſcas. Quid ſcurræ differant ab urbanis ac ſalſis oratoribus, ut apertius oſtendat, exempla ſcurrilis cuiuſdam dicacitatis refert: unum Philippi, alterum Appij, tertium Vargulæ. Philippus homo facetus, cauſam agens, cum puſillus, id eſt parui admodum corporis, teſtis ab aduerſario productus in medium proceſſiſſet, ut ab oratoribus coram iudicibus interrogaretur, conuerſus ad quæſitorem, Licet, inquit, hunc rogare teſtem? Quæſitor qui properabat, Licet, inquit, modo breuiter expedias. Tum Philippus:

Non

Non accuſabis me prolixæ interrogationis: perpuſillum rogabo. Ridicule quidem dixit, ſed ſedebat iudex L. Aurifex, breuior ac puſillus magis quàm ipſe teſtis. omnis eſt riſus à teſte in iudicem conuerſus, uiſumq; eſt totum ſcurrile iudiciũ. Ergo hæc quæ cadere poſſunt in quos nolis, ut in iudices, in potentes, in amicos, quãuis ſint bella ac iucunda, ſunt tamen ipſo genere, id eſt ſi in uniuerſum ſpectes, ſcurrilia. Quintilianus: Solet interim accidere, ut id quod in aduerſariũ dicimus, aut in iudicem conueniat, aut in noſtrum quoque litigatorem: quanquã aliqui reperiuntur, qui ne id quidem quod in ipſos recidere poſſit, euitent: quod fecit Longus Sulpitius, qui cum ipſe fœdiſſimus eſſet, eum contra quem iudicio liberali aderat, ne faciem quidem habere liberi hominis dixit. Quæſitor.] Quæſitores, inquit Aſconius, proprie dicuntur criminaliũ quæſtionũ: ut Virgilius: Quæſitor Minos urnã mouet. Idem: Ad hanc enim ſimilitudinẽ poeta Virgilius Minoem iudicẽ apud inferos, tanquã ſi prætor ſit rerũ capitaliũ, quæſitorẽ appellat. Eſt igitur quæſitor, prætor, aut alius in eius locum ſuffectus, qui præeſt cauſis publicis, maxime criminalibus: qui & quæſtor, & iudex quæſtionis appellatur. Quæſitorem, ut iudicij moderatorem, moris erat interrogare, uellet'ne teſtes ab aduerſario patrono rogari, an paucis dicere teſtimoniũ tãtum rogatus ab eo qui produxiſſet. Perpuſillum rogabo.] In ambiguitate uerbi Perpuſillum, uis eſt ridiculi. Perpuſillum accipere poſſis, breuiſſimum corpore, quod intelligi uoluit orator Philippus. poſſis & interpretari perparum, quò uoluit referri animos auditorum. Appius nomen eſt plurimorum. Hic fuit homo impurus, & importune dicax, temporibus Craſſi: qui cum uidiſſet C. Sextium luſcum, id eſt uno oculo captum, Cœnabo, inquit, apud te: uni enim locum uideo. Voluit animum diſtrahi in locũ oculo uacuũ, et in locũ triclinij conuiuæ ſuo uacantẽ: ut ſit hæc ſignificatio, Si quemadmodum uni oculo apud te locum uideo, ita in cœnaculo tuo uni conuiuæ locum uiderem, cœnarem equidem apud te. Improbat Cæſar hanc ſcurrilitatem tribus de cauſis: quia ſine cauſa laceſſiuit, qui tantũ debuit figere aduerſariũ, parcere calamitati: quia id dixit quod in omnes luſcos conueniret. Male dicitur, inquit Quinti. quod in plures cõuenit: & quia eiuſmodi ridicula putãtur eſſe meditata. Sextius ab Appio ſine cauſa laceſſitus, ex tẽpore ſic reſpondit, Manus laua, & cœna. quo dicto ſignificauit hominis impuritatẽ, et opera quædã turpia. uiſus eſt tamẽ hoc dicere, Si cœnare uis apud me, ut ais, manus laua, & cœna. Egregiũ reſponſum. Nam et laceſſitus iocatus eſt, & ſine ulla meditatione refutauit aduerſariũ, nec aperte tanquã ſcurra læſit inſoleſcentem. Scurra neque rationem temporis, neque dicacitatis ſuæ moderationem & temperantiã ſeruant: ſemper & in omnem perſonã petulantius loquuntur. Orator bonus tẽpus obſeruat, moderate & temperate utitur iocis, raro perſtringit alios ridiculo, idq; facit cum cauſa, ut aliquid proficiat. His differentijs ſatiſfacit illi ſuperiori quæſtioni, Qui diſtinguemus à Craſſo, à Catulo, à cæteris familiarẽ noſtrum Granium, aut Vargulam amicum meum? Tertiũ eſt exemplum Vargulæ. Aulus Sempronius, is qui prætor interfectus eſt à fœneratoribus, quoniam ſecundum debitores ius dicebat, magiſtratum cum peteret, circumferebatur cum fratre ſuo Marco, & candidatorum more prenſabat eos quibus ſuffragij ius erat. ad Vargulam cum ueniſſet, & illum cum fratre complexus eſſet, Puer, inquit, abige muſcas. Reiecit petitores, ut leues & moleſtos. in quo riſum quæſiuit, qui eſt tenuiſſimus ingenij fructus. Quid eſt aſſecutus? quaſi dicat, nihil niſi famam ſcurrilitatis. Puer.] Pueri dicebantur ſerui. Cicero pro Sexto Roſcio: Nonnunquam etiam puerum uocaret, credo, cui cœnam imperaret. Abige muſcas.] Proprie dictum Abige.

Tenuiſſimus fructus.] Minima laus. Cõmunis eſt enim cum ſannionibus & ſcurris. Prudentia & grauitate.] Prudẽtia res cognoſcimus, grauitate examinamus. Vtraque uirtus à natura maxime proficiſcitur, ſed (ut omnia) augetur arte & exercitatione. NVNC exponamus genera ipſa ſummatim quæ riſum maxime moueãt, &c.] Species omneis facetiarũ numerare difficile eſt. Quintil. Si ſpecies omneis perſequi uelimus, nec modũ reperiemus, & fruſtra laborabimus. Itaque relictis minoribus formis earũ, exponẽda ſunt genera ſummatim quæ riſum maxime moueãt. Hæc igitur ſit prima partitio ſiue diuiſio. Quod facete dicitur, eſt duplex. Aliud habet in re facetias, aliud in uerbo. Quod habet in re, tum etiã manet, cũ uerba mutaueris, ut illud de furace ſeruo: Solus eſt, cui domi nihil ſit ſignatũ. fac ſic, Vnus eſt, cui apud me nulla res ſit occluſa. manet eadem uirtus. Quod ridiculũ eſt in uerbo, perit ſi uerbũ tollitur, ut illud Catonis in Fuluiũ cognomento Nobiliorem: Non eſt Nobilior, ſed mobilior. Muta ſic, Fuluius eſt non (ut nominatur) Nobilior, ſed mutabilior: perijt παρονομασία, & omnis dicti uenuſtas. Cæſar paulo poſt: Quod quibuſcũque uerbis dixeris, facetũ tamen eſt, re cõtinetur. Quod mutatis uerbis ſalem amittit, in uerbis habet leporẽ omnem. Eſt tertiũ ſalis genus, quod coniuncte re & uerbo mouetur, ut Trachalus Suelio cuidã dicenti, Si hoc ita eſt, is in exiliũ: per iocũ reſpondit, Si nõ eſt ita, redij. Hoc maxime homines delectat, quia duplicatur iucũditas. Dicturus de locis unde ridicula dicuntur, & ea quæ ſunt in re, & quæ in uerbo, docet nos, ex ijſdem locis ferè & ridiculas & graues ſeriaſq; ſententias poſſe dici. Multa enim ſunt ridicula aut tẽpore, aut loco, aut perſona, aut aliqua occaſione, quæ aliàs ſeuera eſſe poſſunt. Hoc initio tradit, ne falſo putemus ex uno eodemq; loco ſemper ridicula duci, & eſſe quoſdam proprios eorum locos. Ita certe proprij ſunt, ut aliud etiã cõtineant. Poſſumus enim eaſdem ſentẽtias, eadem uerba aliò et aliò detorquere, nunc mittere grauiter & honeſte, nunc iacere leuiter & ridicule: ut ſi bono oratori dicas, Magnam in peroratione miſericordiã mouiſti: ſerium eſt ac graue. Idem ſi malo dicas, cuius peroratio miſeranda uiſa ſit, ſalſum & leue. In honeſtis rebus eſt grauitas, in turpiculis iocus. Idem igitur ſi applicemus ſerijs, ſeriũ erit: ſi iocularibus, ioculare: uelut in ijſdẽ uerbis et laudare frugi ſeruũ poſſumus, & ſi eſt nequã, iocari. Nero quondã de furace ſeruo dixit: Solus eſt hic ſeruus, cui domi nihil ſit nec obſignatũ, nec occluſum. Significauit illũ adeo furandi auidũ fuiſſe, ut illi neque ſeræ, neque ſigna, neque repagula impedimẽto fuerint quo minus furaretur. De bono ſeruo idem ſi dicatur, honorificũ erit, et laude plenum. Significabitur illius integritas, & à rebus alienis abſtinentia. His exemplis probatũ eſt, ex eodem loco et ſeria et ioca duci poſſe, manentibus ijſdem uerbis. Ponentur alia, ut probetur ex iiſdem locis et ſeuera & urbana duci, quæ uerba elocutionemq; mutent. Turpiculis.] Turpiculus dicitur, ut leniculus. Epithetõ eſt. Vtitur diminutione, quoniã res planè turpes accuſandæ ſunt grauiter, haud ridendæ. Frugi.] Frugi & nequã cõtraria ſunt. Is dicitur frugi, qui eſt utilis, induſtrius, laborioſus, ſedulus, & homo bonæ frugis. Nequã, inutilis, ignauus, effuſus, malus. Aliquando frugi parcũ ſignificat. hic latius patet, ad alias uirtutes. Neronianum.] Hoc ridiculum uidetur accepiſſe à Catone, qui multa retulit in ſuos libros, nũc obſcuriora: quia Comici ueteres, Lucilius item, et Cato, unde excerpſit hæc Cicero, deſiderãtur. Nerones duo clari fuerunt, C. Claudius Nero conſul, cum Marco Liuio Salinatore: T. Claudius Nero conſul, cum Marco Seruilio Gemino. An alterum ex illis, an aliũ dicat, ignotũ eſt. Hoc autem ſcriptũ uolui, ne quis hiſtoriarũ imperitus referat hoc dictũ uetus ad Neronẽ imperatorem, qui Cicerone lõge poſterior uixit. Furace.] Furax ut rapax dicitur. Eiuſmodi uerbalia uergunt in exceſſum, & in malũ ſumuntur. Obſignatum.] Dolijs, lagenis, arcis, cellis. Romani ſigna annulo impreſſa figebãt, maxime cũ domeſticis aut nihil aut parũ fidebant. Id nũc faciũt regij miniſtri, ſi quid intactũ eſſe uolunt. Occluſum.] Refer ad

ſeras, & ſi quid eſt generis eiuſdem. Ex iiſdem locis omnia naſcuntur.] Quo modo ex iiſdem locis omnia naſcuntur? an hoc dicit, ex paucis locis omnes ſententiæ naſcuntur? Sunt.n. pauca genera, quò omnia quæ dicimus referre licet. An uerò uult omnia & ſeuera et ridicula manare ex iiſdē locis? Sic mihi uidetur. Nam ſunt figuræ quædā rhetoricæ, quæ cōplectuntur & grauia & hilaria: hoc eſt, cōtinent & ſententias graues, et uerba laudabilia in oratione, et arguta facetiarū ſcommata. Figuras extendi uolo ad omnes habitus & confirmationes orationis. Vt ex iiſdem locis & ſeuera & iocantia naſcantur, oſtendit exemplis. Sit locus, ſignū. Claudicatio ſignū ſit uulneris, & animi praui. Alij enim claudicant ex uulnere, alij mente. Ducetur ſententia grauis, ut illa de Spurij Caruilij claudicatione, ducetur leuis, ut illa de Caluini. Spurius Caruilius grauiter claudicabat ex uulnere ob Remp. accepto ob eā cauſam uerecūdanti in publicū prodire, mater dixit: Quin prodis mi Spuri ut quotieſcunque gradū facias, toties tibi tuarū uirtutū ueniat in mentem? Præclare & grauiter mulier dixit apophthegma. Non eſt neque tā præclarū, neque tam graue, quod Caluino claudicanti Glaucia, ubi eſt, inquit, uetus illud, Num claudicat? at hic claudicat. Hoc quidem dictum nō ut prius ſeriū, tamen ut illud, ſic hoc à claudicatione ſumptū eſt. Sūt qui ſcribāt hoc modo: Num claudicat? at hic clodicat. Alij ſic: Non claudicat, ſed clodicat. & ſic interpretantur: Caluinus etſi claudicat pede, nō tamen tā claudicat, quā clodicat, id eſt Clodio fauet. Iſtorum ſententiæ nō adhibeo fidem, quia Cicero confert exempla duo, quæ nō ſic ſunt ex immutatione literæ, ut ea quæ ſequūtur, ſed ex eo quòd ſignat claudicatio. Præterea immutāt codices ſine ratione. Ad hæc quādo fingitur Cæſar hæc tractauiſſe, cumq; uixit Glaucia homo impurus, ut ait Cicero in oratione pro Rabirio Poſthumo, nullus erat Clodius cui deforme eſſet fauere. Nondum cœperat Remp. P. Clodius, quē Milo interemit. Ego igitur ſic interpretor: Glaucia impurus homo cum uideret Caluinum pede claudicātem, recordatus eſt antiqui prouerbij, quo ueteres utebantur in hominē errantem, uel dubiæ fidei: quærebant enim: Num claudicat? hoc eſt, conſtat'ne ſibi, an potius errat, aut uariat? Vbi, inquit Glaucia, eſt uetus illud prouerbiū, Num claudicat? at hic Caluinus claudicat. Ex tranſlatione uerbi & ambiguitate obiecit homini mentis errorem, uel dubiā fidem. Subijcit alia duo exempla, in quibus ſententiæ natæ ſunt ex eodem loco, ex paronomaſia: tamen unum ſeuere & ſerio dictum eſt, alterum ſubridicule. Scipio ſeuere arguens Næuium quendam, quid, inquit, hoc Næuio ignauius? Vſus eſt immutatione literæ. Næuius & Næuius habent ſimilitudinē, habent et ignauius et Næuius. Næuius tres habet ſyllabas: confer cum tribus poſtremis uerbi ignauius, tantū una litera e different. Quod ſequitur ridiculum, in omnibus codicibus quos uidi, deprauatū mutilatumq; eſt. Sic exiſtimo legendum: Video me à te non conueniri, ſed circumueniri. Vbi erit uerbi ad literā immutati ſimilitudo, ſi uerbum cōueniri ſupprimatur? Quidā igitur animæ grauis & male olentis conueniebat Philippum oratorem facetum, qui eū tetro odore premeretur, Video, inquit, me à te non conueniri, ſed circumueniri, id eſt clam opprimi. παρονομασίαι ſunt, Næuius, ignauius: cōueniri, circumueniri. In utroque dicto eſt uerbi ad literam immutati ſimilitudo. Aſſignauit duos locos unde & ſeria et ioca ducūtur. Aſſignat tertiū, ἀμφίβολον dicitur à Græcis, à Latinis ambiguū. Ex ambiguo dicta uel argutiſſima, id eſt acutiſſima ac elegantiſſima putantur: quia amphibologia trahit animū in partes uarias, ac ſuſpenſum tenet: qui dum hæret in ambiguo, miratur acumē inuentoris, et nodo ſoluto cōmendat. Mos fuit Romæ in ſolennibus conuiuijs imponi conuiuarū capitibus coronas. Plinius libro uigeſimoprimo capite tertio: Coronas ſutiles Saliorū ſacris inuenimus, & ſolennes cœnis. Oſtendit idem hiſtoria de Cleopatra, quæ Antonium inuitauit, ut biberent coronas. Cū Aphricanus maior coronam floream ſibi in conuiuio ad caput accommodaret, & ea ſæpius rumperetur, P. Licinius Varus: Noli mirari, inquit, ſi non conuenit: caput enim magnū eſt. Ambiguum eſt, magnum. aut enim eſt corporeæ quantitatis, aut magnitudinis & amplitudinis animi. Varus intelligi uoluit magnum caput, in quo magnus animus ſedē haberet. Videtur & caput eſſe ambiguū. nūc enim pars eſt corporis, nunc ſenſus: ut cū Catilina dicit Antoniū collegam Ciceronis in conſulatu eſſe ſine capite. Ex ambiguo eſt illud Calui (opinor Cor. Licinium Caluum poetam ſignificari) Satis eſt quod dicit. Caluus cū audiret oratorē malum, ſterilem & ieiunū, aut hominē ineptum, & uerborū paucorum, iocatus eſt his uerbis: Satis eſt quod dicit. Ambiguum eſt, Satis eſt. aut enim ſatis quod dicit, ad demonſtrandas hominis ineptias, quem melius ſit tacere, quàm plura loqui: aut ſatis eſt quod dicit, pro eo quod eſt, ſat copioſum eſt quod dicit. Hoc ridiculum ita cōfuſum eſt à quibuſdam per imperitiā, ut Caluus nō tanquā ſalis auctor, ſed is de quo id dictum ſit, eſſe uideatur. Id effecit ſententiæ obſcuritas. Verba Ciceronis ſic accipe: Ex eodē genere quod eſt ambiguum, Caluus hoc ridiculum duxit, Satis eſt quod dicit. Parum'ne multa ſunt exempla ad probandum ex iiſdem locis ioca et ſeuera ac grauia ſumi? Multa ſanè. Nullum genus eſt ioci, quo non ex eodem ſeuera & grauia ſumantur. Collegit tandem id quod propoſuerat, Ex iiſdem locis unde ridicula ducūtur, etiā graues ſentētias poſſe dici. *ATQVE hoc etiā animaduertendū, non eſſe omnia ridicula faceta, etc.*] Facetum dici poteſt, quidquid eſt decorū, excultum, elegans, gratum, uenuſtum. Sic Horatius Virgilij carmen molle et facetum eſſe dicit. In ridiculis nihil eſt facetū, ſi proprie loquamur, quod non idem ſit liberale & decorum. Verum eſt igitur quod ait, non eſſe omnia ridicula, faceta. Multa ſunt enim ſcurrilia, aut mimica, quæ non debent appellari faceta. Sit igitur alia ridiculorum diuiſio: Ridicula aut ſunt faceta, aut infaceta, & illiberalia. Illiberalium genera ſunt quatuor: unum moroſum, ſuperſtitioſum, ſuſpicioſum, glorioſum, ſtultum. Alterum, mimica geſticulatione deprauatū. Tertium, ore diſtorto concitatū. Quartum, obſcœnum. In Oratore alia ponit genera quæ uitet orator. Illud admonemus, inquit, ridiculo ſic uſurū oratorem, ut nec nimis frequenti, ne ſcurrile ſit: nec ſuboſcœno, ne mimicum: nec petulans, ne improbum: nec in calamitatem, ne inhumanum: nec in facinus, ne odij locū riſus occupet: neque aut ſua perſona, aut iudicum, aut tempore alienum. Hæc enim ad illud indecorū referuntur. Vitabit etiā quæſita, nec ex tempore ficta, ſed domo allata, quæ plerunque ſunt frigida. Parcet & amicitijs, & dignitatibus. uitabit inſanabiles contumelias. tantummodo aduerſarios figet, nec eos tamē ſemper, nec omnes, nec omni modo. Vides aperte, quæ ſint ridicula uitioſa. Hic enumerat ea tantū, quæ ſuapte natura non ſunt faceta, tametſi maxime rideantur. Inhumana, odioſa, aliena, excogitata, et quæ lædunt eos quos nō oportet, parū aut nihil ridentur. Sanniones, inquit Nonius Marcellus, dicuntur à ſannijs, qui ſunt in dictis fatui, & in motibus, et in ſcenis: quos μωροὺς uocant Græci. Terentius in Eunucho: Solus ſannio ſeruat domum. Sanniones dicit Cicero, qui ore, uultu, imitandis moribus, uoce, denique corpore ridentur ipſo: qui ſi laudantur, non ut orator, ſed ut mimus & morio laudantur. Tales ſunt apud nos moriones illi, qui leuibus comœdijs aut mimis Gallicis potius adhibentur. Salſos uocare poſſis, facetis non poſſis. Os et uultus differunt. Os carne, ſanguine, uenis, arterijs, neruiſq; cōſtat: oculos, naſum, genas, mentū continet. Vultus in ore eſt, iudiciū quoddā animi motus. *Primū genus non eſt noſtrū.*] Noſtrū dicit oratoriū. *Moroſum, &c.*] Hæc ſunt ſannionū ridicula. Suſtinent enim perſonas eorū qui mores duros ſequūtur & agreſtes, qualis eſt Demea apud Terentium: qui nimia religione & uano deorū metu laborant, cuiuſmodi ferè ſunt mulierculæ: qui nihil non ſuſpicantur, ut ſenes:

qui

qui gloriã auide captant, ut Traſo Terentianus: qui ſtulti ſunt, ut Phædria. Huiuſcemodi perſonas non ſuſtinebit orator, ſed agitabit. Suſtinere eſt, agere & imitari: agitare uero, faceto aliquo dicto aut lepida narratione perſtringere. Alterum genus.] Secundum genus ſic diſſidet à primo. In primo naturæ ridentur ipſæ, cum quis imitatur eas uoce, geſtuq́;. In ſecundo non ipſæ naturæ, ſed imitatio tantum ridetur: ut cum quis uel regem, uel iudicem, uel oratorem bonum ridicule imitatur. Hic duplex imitatio eſt: una modica atque ingenua, qualis illa Craſſi cum diceret, Oro te per tuam nobilitatem, per ueſtram familiam, per tuas ſtatuas. Altera mimica ac hiſtrionica, qua non utetur orator. Alterum igitur genus eſt imitatione, non deformitate naturæ admodum ridiculum. Sed nobis oratoribus tã tum licet furtim, id eſt modice & occulte, ſi quando licet, et curſim breuiterq́; facta dictaq́; imitari. Alterum genus imitandi mimicum minime eſt liberale, quamobrem non decet nos. Tertium genus eſt oris deprauatio, id eſt contortio: quæ uel frontẽ, uel oculos, uel nares, uel labra deflectit in prauũ. Hoc genus differt à ſecundo. Hic enim unius oris eſt deprauatio, in ſecundo geſticulatio etiam reliquarum partium. Quartum, obſcœnitas: quæ pudenda uel loquitur, uel imitatur. Hæc non ſolum non foro digna, ubi grauitas eſſe debet ac ſeueritas, ſed uix conniuio liberorum, ubi liberior eſt licentia. Conuiuium liberorum dicit, ut excludat conuiuium ſeruorum, quod ſæpe ſcurrilitate & obſcœnitate inquinatur. Detractis igitur tot rebus.] Repetit ſuperiorem diuiſionem, & præceptum dat quo ſciamus, quæ facetiæ poſitæ ſint in re, quæq́; uerbo conſtent. Id quale ſit, ſatis eſt à nobis explicatum. AMBIGVA ſunt in primis acuta, atque in uerbo poſita, non in re, &c.] Aſſignat locos unde ridicula eruuntur. Primus eſt ἀμφιβολογία, id eſt ambiguum: & ideo forte primus, quia ambigua ſunt in primis acuta. Nam ingenioſi uidetur, uim uerbi in aliud atque cæteri accipiant, poſſe ducere. Ambigua ſunt in uerbo poſita, non in re, propterea quòd ſi uerbum mutaueris, non permanebit id quod prius erat facetũ. Cum dicimus ambigua eſſe in primis acuta, ne ſic interpretare, ambigua maxime riſum mouere: non enim omnia quæ ſunt acuta, riſum mouent: ſed ea eſſe quæ maxime acumen dicentis oſtendant. Sunt enim illis multa quæ belle & literate, id eſt eleganter & docte coniecta laudantur. Id quale ſit, demonſtrat exemplo: Quidam Titius pila ſtudioſe ludebat, & idem ſimulacra deorum poſita uel pro foribus ædium ſacrarum, uel in compitis & triuijs, noctu frangere putabatur. Cum gregales, id eſt colluſores ij qui in eundem quaſi gregem conuenire ſoliti eſſent, eum in campum Martium, ubi iuuentus exercebatur, non ueniſſe requirerent, excuſauit Veſpa Terentius, quòd eum brachium fregiſſe diceret. Luſit in ambiguitate. Nam poteſt brachium intelligi Titij, poteſt & ſigni ſacri, quò mentem retulit Veſpa. Locus hic oſtendit iuuenes in campo Martio pila ludere conſueuiſſe, uel ad hoc tecto poſito, uel alio quouis modo. Nec modus eſt unus. Videmus enim in pratis cribro poſito pilam à ruſticis exerceri, & paganicam iactari, follemq́; pugillatorum trudi: cuiuſmodi ludos exercuiſſe Romanos ſignificat Martialis. Quod ſequitur Aphricani dicterium, quidam interpretari uoluerunt. & ad obſcœnitatem turpitudinemq́; retulerunt. Satius eſſe duxerunt effutire nugas aniles, quàm ſe neſcire quod neſcirent, confiteri: quaſi uero turpe ſit ignorare, quod non culpa tua, ſed temporũ iniuria ignores. Si Lucilij ſatyræ extarent, non eſſet difficile rem uidere, quam Cicero tanquam notam attigit, non explicauit. Perierunt uel caſu, uel maiorum negligentia. quid facias? unde ſumas notionem? diuinabis'ne, & incerta pro certis habebis? Tanti'ne tibi eſt uerſiculus maxime ridiculus, ut propter illum impudentiam tuam atque temeritatem uendites? Non placet mihi temere augurari: & ſi placeret, nõ referrẽ ad obſcœnitatẽ, quia nec obſcœne loqueretur Africanus, nec obſcœna inter faceta collocaret Cicero. Dicerem potius exortas fuiſſe rixas inter Decium & quendam cognomento Nuculã. Decium multis uerbis acerbis illuſiſſe Nuculæ: tum Aphricanũ dixiſſe, Quid Decius Nuculam exagitat? & conuerſum ad Decium interrogaſſe, & terruiſſe, An uis hunc hominem cõfixum facere? Sic uſum eſſe ambiguo, quia confixum facimus, id eſt cõfigimus ſermone, configimus mucrone, aut alia re. De ſermone auctor eſt Cicero Philip. duodecima: Meminerant eius ſententijs confixum Antonium. Confixum facere pro configere ſic dicemus, ut Plautus: Quo modo me expeditum ex impedito faciam? Dicerem, inquam, aliquid tale, ſi luberet ſomniare, et nihil affirmarem, quod me fugeret incertum. In ambiguo iocatus eſt Granius ille ſcurra Craſſi amicus, de quo ſupra facta eſt mentio. Quidam laudibus ferebatur ut magni pretij uir, aut certe Granio præcone uel homo uel res uenierat in auctione. Hoc enim eſt officium præconum, res proclamare uenales. cum magnũ pretium uideretur, dixit Granius, Non eſt ſex tantis. Hoc uerbum ſi coniuncte pronunciatur, ſignificat ſextam partem aſſis, id eſt uncias duas, quod in re pecuniaria minimum eſt. ſi ſeparate, ſignat ſex tantæ magnitudinis & bonitatis, quantæ illud eſt de quo agitur. Vendas igitur ſeruum pretio ſummo: non eſt ſex tantis, id eſt non æqui paratur ſex alijs eiuſdem pretij atque momenti Granius hic fuit dicax. Ridiculum enim acutum & breue, dicacitas ab antiquis uocabatur. Si quæritis, id eſt ſi ſcire uultis, ſi qua dubitatio ſuboritur, is qui appellatur dicax, hoc genere ambiguo & breui maxime excellit Sed alia ridicula ex alijs deſumpta locis, maiores mouent riſus. Ambiguum potius admirationem quàm riſum mouet. Ambiguum nunc ſimplex eſt, nunc cum alio genere mixtum. Simplex minores mouet riſus, commixtum maiores. Cũ ambiguo miſcetur interdũ τὸ ἀπροσδόκητον, id eſt inexpectatum: quod tum accidit, cum aliud expectatur, aliud dicitur: qui quidẽ error non alijs modo, ſed etiã nobiſmetipſis riſum mouet. Næuius poeta comicus, qui etiam de bello Punico poema reliquit, refert hominem obæratum, & ære alieno oppreſſum, uocatum eſſe in ius à creditore, non fuiſſe ſoluendo. Itaque lege duodecim tabularum creditori addictum fuiſſe, id eſt damnatum ad ſeruiendum fœneratori, donec illi omne debitum perſolniſſet. Cum duceretur in nexorum ſeruitutem, occurriſſe quendam non inurbanum, interrogaſſe tanquam miſericordia motus fuiſſet, quanti addictus eſſet, id eſt quanta pecunia deberetur propter quam damnatus eſſe in temporale ſeruitutem, reſpondiſſe ductores, addictum eſſe pretio mille ſeſtertium nummum: ſperaſſe eos illum percõtatore ſatiſdaturum iudicatum ſolui: non ſatiſdediſſe, neque pecuniam numeraſſe, ſed eluſiſſe his uerbis: Nihil addo, ducas licet. Ambigue dixit, nihil addo. aut enim nihil addo ad ſummam pecuniæ, aut nihil addo uerborum. Præter omnium expectationem ſubiecit illud, Ducas licet. Expectabant enim ut addicti miſertus eriperet illum à ſeruitute. Sic mixtum genus eſt ἐξ ἀμφιβολίας καὶ ἀπροσδοκήτου. Inopinatum aliquando ab aduerſario arripitur in altercatione, tumq́; fit uenuſtiſſimum: quia repentinæ inuentiones plus habent admirationis. Philippus inuectus in cauſam principum, Catulo obſtrepenti, Quid, inquit, latras? Catulus arripuit hoc uerbum, latras, & ad canes referens, Furem, inquit, uideo. Nõ eſt hoc ridiculi mixtum, ſed ponitur à Cæſare, quia proximè loquebatur de inexpectatis & nec opinatis, quæ cum ambiguo aliquãdo miſcentur. Vt reuertatur ad ambiguum, docet plura eſſe ambigui genera, de quibus eſt doctrina quædam ſubtilior dialectica, quæ diſtinguit multiplex, & euoluit ambiguitates: unde ſophiſmata, paralogiſmi, elenchiq́; naſcuntur. De elenchis & ambiguis Ariſtoteles multa in logica, plura in libris alijs qui nobis exciderunt: ubi ſubtilior eſt diſputatio, quàm in rhetorum libris. In tanta ambiguorum multitudine (nullum enim ferè uerbum eſt, quod non in duos plures'ue ſignificatus trahi poſſit) attende-

re & aucupari uerba oportebit. Vt aucupes retia tendunt, & aucupātur eas aues, quæ ſunt pretij maioris, deteriores negligūt: ſic ambigua frigida quæ aucupantur ſcurræ, negliget orator: nō arceſſet, id eſt non petet remota: quæ ſe offerent permulta acute dicet. ALTERVM genus eſt, quod habet paruam uerbi immutationem, &c.] Hoc genus eſt tertium, ſed quoniam inexpectatum miſcuit cum ambiguo, παρονομασίαν, id eſt nominum ſimilitudinem, fecit alterum genus, quo, ne tibi leue ac puerile uideatur, uſus eſt uir ampliſſimus Cato. Marcus Fuluius cognomento Nobilior Abracienſes cum uiciſſet, & crudeliter diripuiſſet, accuſatus eſt, & inter alia crimina illi obiectū tanquam nouum quiddam, quòd Ennium poetam ſecum duxiſſet. Teſtis eſt Cicero in Tuſc. Fuluium à Catone uituperatum, quòd in prouinciam poetas ſecum duxiſſet. Cum igitur altercarentur M. Cato & Fuluius, dixit Fuluium Cato non eſſe nobiliorem, ſed mobiliorem. Mutauit nominis literam primam, & hinc duxit illudendi materiam. Idem Cato cum cuidam dixiſſet, Eamus deambulatum, & ille tanquam reprenderet Catonem, qui fruſtra diceret deambulatum, cum ſatis eſſet, ambulatū obieciſſet quid opus fuiſſet de? Immo uero, inquit, quid opus fuit te? iocatus eſt in paronomaſia, & indicauit hominis uanitatem.

Idem multos habuit inimicos & uituperatores adeo, ut quinquagies in ius ſit uocatus, teſte Plutarcho. Quendam illorum grauiter perſtrinxit his uerbis: Quis te corruptior, ſi tu & aduerſus & auerſus impudicus es? ſignificauit illum & alijs inferre ſtuprum, & ab alijs pati more cinædorum. Nec te moueat obſcenitas indigna liberali ioco. non enim iocabatur Cato cum diceret hæc, ſed qui audierunt figuram cecidiſſe iucunde, ceperunt uoluptatem. Aduerſus & auerſus re multū differunt: una tantum litera diſſident. In uerbis non in re hoc dictum facetū eſt.

Quartus eſt locus ἐτυμολογία, hoc eſt interpretatio nominis. Hic ut reliqui omnes & ad ſerium et ad iocum conuerti poteſt: quapropter ſubijcit hæc uerba, Cum ad ridiculū conuertas quāobrem ita quis uocetur. Poſſis enim honorifice nomen interpretari, ut ſi dicas uirum fortem & ſtrenuum futurum accepiſſe nomen Philippi. Ridiculum Cæſaris ſic habet: Quidam nomine Nummius factus erat diuiſor, id eſt magiſter curiæ, qui pecuniā candidatorum diſtribueret tribulibus. Solebant enim magiſtratuum petitores corrumpere ſuffragia, & tribubus promittere pecuniam, quam deponebant apud diuiſores & ſequeſtres. Aſconius. Verum legitimos habent omnes er.bus diuiſores ſuos? quos Plautus magiſtros curiarum in Aulularia uocat, his uerbis: Nā noſter noſtræ quid eſt magiſter curiæ. Diuidere argenti nummos dicit in uiros, an diuiſores criminis nomen eſt? Cæſar itaque Nūmio, Quemmadmodum, inquit, Neoptolemus ad Troiam, ſic tu in campo Martio, ubi comitia ad creandos magiſtratus habētur, nomen inueniſti. Pyrrhus Achillis filius in caſtris Græcorum ad Troiam dictus eſt Neoptolemus, quòd iuuenis admodum ueniſſet ad bellum. Nummius ſic dici potuit, quòd nummos tribubus in campo diuideret. Eſt autem deformitas quædam, quoniam male audiebant diuiſores, ut adminiſtri corruptionis. Nummius & Numius dicitur, ut nummus & numus. Quartus ridiculorum locus, uerſus eſt interpoſitus facete. Verſus aut fit à dicente, aut ab alio ſumitur. Si ab alio ſumitur, aut ut eſt citatur, aut paululum immutatus. Item uel totus ducitur in iocum, uel pars eius. Nihil iſtorum eſt, quod non aliquando fiat urbane. M. Scaurus Reipublicæ regendæ ſcientiſſimus, atque maximæ auctoritatis orator, in quadam cauſa pro ſeueritate ſua excandeſcebat & ſtomachabatur. Patronus aduerſæ partis Statius, ut hominem reprimeret, iocabundus adduxit in medium duos octonarios uerſus ex poeta comico:

Tacete, quid hoc clamoris eſt? Quibus nec pater nec mater ſit,
Tanta confidentia eſt is? auferte iſthanc nunc ſuperbiam.

Poeta in alium ſenſum cecinit, Statius in hunc modum detorſit, Tace Scaure, quid graui contentione clamitas? quid tanta confidentia es? obſcurus es genere adeo, ut nec patrem nec matrem honeſte nominare poſſis. Depone igitur iſtam tuam ſuperbiam. Nam M. Aemylij Scauri pater quamuis patricius eſſet, tamen ob paupertatem carbonariam exercuerat. Spurij proprie dicuntur non habere patrem: non quòd non habeant, ſed quòd habeant incertum. Comicus dixit eos non habere neque patrem neque matrem, qui nati eſſent adeo obſcuris parentibus, ut illos nemo de populo cognoſceret: & in eum ſenſum locutus eſt Statius iſte. Ex Aemylio Scauro dicebatur eſſe nata lex Craſſi de ciuitate, ſiue quòd illi Scaurus perſuaſiſſet ut eam legem ferret in utilitatem Reipublicæ, ſiue quòd Craſſus ægre ferret ſummum uirum Aemylium Scaurum ab homine exquilino Vario Hiſpano uexatum fuiſſe. Legem tulit Craſſus & Mutius Scæuola de ciuibus regūdis, qua iubetur ut omnes exquilini & externi redigātur in ius ſuæ ciuitatis. Lex à latoribus appellatur Licinia & Mnnia. Verba Cæſaris explica ſic. Scauro ſtomachanti, id eſt excandeſcenti, Statius dixit: Tacete, & quæ ſequuntur. ex quo Scauro nonnulli tuam legem de ciuitate natam Craſſe dicunt. Duæ literæ St, poſitæ ante uerſus, Statium ſignificant, atque ſcriptæ ſunt, quia uerba de alia re fuerant interiecta. Veniamus ad aliud exemplum. Celius, non ille pro quo Cicero dixit orationē, ſed pater eius, ut opinor, aut alius quidam productus teſtis in Antonij litigator, qui contra legem pecuniā accepiſſe dicebatur, confirmauit acceptā eſſe pecuniā, & à ſe profectam. Habebat enim filiū delicatiorem, id eſt uoluptatibus obſequentiorē, qui argentū extorſerat ſeni. Cum diſcederet teſtis qui reum læſiſſe uidebatur, Antonius opportune ad eleuandum ſenis teſtimonium uſurpauit hunc ſenarium uerſum, quem fecit ipſe alludens ad Terentij Phormionem:

Sentin ſenem eſſe tactum triginta minis?

Id ad cauſam utile fuit. uiſus eſt enim Celius non tam teſtimonium dicere, quàm de ſuis incommodis queri. In Celio teſte refutando, ad cauſam quam ſuſceperas Antoni, utile fuit tuum illud ridiculum poſitum in uerſu. cum Celius à ſe pecuniam profectā diceret teſtis, quæ ad reum perueniſſet, & haberet filium delicatiorem, qualis fuit Celius Ciceronis auditor, abeunte iam illo à ſubſellijs uerſum protuliſti, Satin' &c. Quemadmodum uerſus poetarum aliquando belle citantur, ita quoque prouerbia loco dicta pariunt uoluptatem. Prouerbium Cicero notat illo tempore notiſſimum, nunc autem perobſcurum: de quo uir ætate noſtra doctiſſimus in adagijs ſuis noluit proferre ſententiam. Videbat enim orationem imperfectam, ex qua ſententiam perfectam animus non eliceret. Omnibonus, homo indoctus, impudens, audax, omnia interpretatur, id eſt omnia confundit, ut omnimalus ſomniator. Eius ineptias refutare nolui, ne fruſtra tererem tempus. Illi ne temere credito. De re præſenti non habeo certā ſententiam: quæ mea ſit coniectura, licet explicare. Horatius ſatyra prima canit uti prouerbium, Aſellum nunquam poſſe curſum doceri. quando enim accedet ad equi celeritatem? Veriſimile eſt & ueteres eodem uſos eſſe prouerbio, & illud uerſiculo comprehendiſſe, cuius eſt hoc initium, Agas aſellum. quem poteris hoc modo perficere:

Agas aſellum, curſum non docebitur.

Cum uerſus omnibus literatis notus eſſet, non integrum poſuit. Sic ſolet fragmenta carminis Enniani tantummodo notare. ſignificauit rem breuiter, uerba faciens apud doctos. Si ſic habet res, facile eſt explicare Ciceronem. Quidam cognomento Aſellus, ut bonus miles & dux eſſe uideretur, omnes prouincias pop. Romani ſtipendia merentem, hoc eſt, ſub imperatorum ſtipendijs militātem ſe peragraſſe gloriabatur. Scipio qui intelligeret hominis mendacium, quò ſalſius id refutaret, alludens ad nomē, Agas, inquit, aſellum: curſum non docebitur. Sic accipit auditor, Cum ſit aſellus tardior, tot prouincias populi Romani bello

peragrare

peragrare nō potuiſti. Agere aſellum, eſt aſinum ducere uel agitare. Sic dicimus agere iumentum. Inde eſt actus ille iuriſperitorum, qui inter ſeruitutes prædiorum ponitur. E S T etiam in uerbo poſitum non inſulſum genus ex eo, &c.] Quæ poſita ſunt quatuor facetiarum genera, mutatis uerbis non poſſunt retinere eandem uenuſtatem. Eſt etiam quintum genus in uerbo non inſulſum & iniucundum, cum ad uerbum non ad ſententiam rem accipere uideris, hoc eſt, cum diſſimulas te non in totā ſententiam animum uertiſſe, ſed pauca tantum uerba conſideraſſe. Hoc genere iam ludebant ueteres illi adeo, ut mimus nomine Tutor in eo totus ſit. Tutor eſt nomen mimi poetæ, aut certe nomen cuiuſdam carminis mimici, & inſcriptio libelli de Tutorum moribus facti. Qui de poeta nomine Tutore facit mentionem, non reperi: quamobrem in alterum ſum propenſior. Ex mimico poemate magnā exemplorum uim excipere poſſet, ſi res ipſa pateretur. non patitur. hic enim non mimica etiam oppido, id eſt ualde ridicula, tractantur, ſed oratoria. Ergo genus illud ridiculi non totum explicat, ſed tantum notat, id eſt breuiter ſignat. Notat, inquam, non dicto mimico, ſed inſigni & noto ueſtigio facundiæ liberalis. Cum Craſſum interrogaſſet quidam, Non tibi moleſtus ſum futurus, ſi ad te bene ante lucem uenero? Moleſtus, inquit, non eris. Tum ille, Iubebis igitur te uel à me uel à tuis ſuſcitari. Hic Craſſus ac ſi non uniuerſam rem animo concepiſſet, ſed tantum hæc uerba audiſſet, Non tibi moleſtus ſum futurus, Tu certe, inquit, negaras te moleſtum futurum. Bene ante, multo ante. Habebis orationem bene longam, id eſt ualde longam. Inquiſti notandum uerbum. Marcus Scipio Maluginenſis ex centuria ſua renunciabat L. Manlium Acidinum cōſulem. Acidinum tantum nominabat præco, ſiue quòd ignoraret hoc nomen, ſiue quòd prænomen & nomen exprimi uellet. Dic, inquit, de Manlio. Maluginenſis quaſi non intellexiſſet quid præco ſibi uellet, Virum bonum, inquit, egregiumq; ciuem eſſe arbitror. De Lucio Manlio Acidinio Liuius Decade quarta, libro decimo. Seruius Tullius Rex populum R. ex ætate, ordine, cēſu, diſtribuit in ſex claſſes: ſingulas earum in aliquot centurias: ut certa lex eſſet in cenſu, in armis, in comitijs. Cum centuriata comitia habebantur, prodibant in campum Martium claſſes: illic partiebantur in centurias, ut centuriatim colligerentur ſuffragia. Quibus collectis præfecti centuriarum conueniebant ad eū qui comitia habebat, renunciabantq;, hoc eſt declarabant ſinguli, quid centuriæ ſuæ uiſum eſſet. Tum præco ut uniuerſus populus audiret, proclamabat renunciationem. Renunciare conſulē, declarare lectum eſſe conſulem. Cicero pro lege Manilia: Nam cum propter dilationem comitiorum ter prætor primus centurijs cunctis renunciatus ſum, facile intellexi Quirites & quid de me iudicaretis, & quid alijs præſcriberetis. Cenſorius Cato grandæuus puellam Salonij Scribæ filiam duxi uxorem, quæ cum nimium infra Catonis & ætatem & dignitatem eſſe uideretur, multis ridendi materiam dedit. De hac locutum fuiſſe L. Porciū Naſicam exiſtimo. Interrogauit Catonem, Ex animi tui ſententia tu uxorem habes? hoc eſt, Eſt'ne tibi talis uxor, qualem eſſe uis? Cato qui ſciret illud coniugium neque filio ſuo, neque Porcio Naſicæ probari, non directo ad ſententiam reſpondit, ſed uerba repetiuit, Non hercule ex animi tui ſententia. Expectabat Naſica ut diceret, Habeo uxorem ex animi mei ſententia, uel non: quia ipſe interrogaſſet, habes ex tui animi ſententia? retulit, Non habeo ex tui animi ſententia. Huiuſmodi dicta aut frigida ſunt, aut ſalſa. Frigida, ſi non fallitur expectatio: ſalſa, cum aliud eſt expectatum. Natura enim nos noſter delectat error, ex quo cum quaſi decepti ſumus expectatione, ridemus. Si quis igitur fefellit noſtram expectationem, in riſum concitamur. ſi fallere uoluit, non fefellit: nihil mouemur, ideóq; frigeſcit eius oratio. Sextum genus eſt eorum quæ ex immutata oratione ducuntur, aut ex unius uerbi tranſlatione, aut ex inuerſione uerborum. Immutata oratio dicitur ἀλληγορία, quæ eſt perpetua methaphora. Perpetuam dico, quæ non in uno tantum uerbo poſita eſt, ſed in oratione tota, ut, Magnum tranauimus æquor, pro eo quod eſt, multa diſputando confecimus. Vnius uerbi tranſlatio, μεταφορὰ dicitur à Græcis, ut flumen pro copia tracta. Inuerſio eſt cum relicta parte orationis aliud reponitur, cætera particulæ ſeruantur. De allegoria ſit hoc exemplum: M. Pinnarius Ruſca legem ferebat annalem, qua lege cauetur, ne quis magiſtratum pop. Ro. gerat antequam annos lege conſtitutos ſit conſecutus. de qua Cic. Philip. 5. Legibus enim annalibus cum grādiorem ætatem ad conſulatum conſtituebant, adoleſcentiæ temeritatem uerebantur. M. Seruilius in gratiam iuniorum, ſi quos bonum eſſet ante annos capere magiſtratum, legem diſſuadebat. Dic mihi, inquit, M. Pinnari, num ſi contra te dixero, mihi male dicturus es, ut cæteris legis tuæ diſſuaſoribus feciſti? Vt ſementem feceris, ita metes, inquit. Sumpta eſt allegoria ab agricolis, qui ſicuti ſementem fecerunt, id eſt ſemina terræ cōmiſerunt, ita & metunt, niſi aliunde acciderit calamitas. Tranſtulit ad ſignificandum, auditurum aduerſarium bene, ſi bene dixerit: male uero, ſi prior læſerit. Tranſlationis exemplum ſic habet. Mos erat, ut ante diximus, ut ducibus Romanis ſtatuæ in urbe atque in prouincijs ponerentur: quem ſecuti Corinthij, multas imperatoribus in loco urbis ſuæ publico erexerant. ij quò Scipioni maiori uiro fortiſſimo & imperatori celeberrimo gratificarētur, ſtatuam illi pollicebantur eo loco, ubi aliorum eſſent imperatorum. Scipio qui non magnifaceret eſſe in grege & numero, quoniam exiſtimaret egregios uiros & eximios ſingulari honore decorandos, turmales ſtatuas dixit diſplicere. Statuæ turmales proprie dicuntur & trandatæ. proprie dictæ ſunt ſtatuæ equeſtres. Nam turmæ ſunt equitum, non peditum. Improprie & tranſlatitie dicuntur gregales, & in turba collocatæ, cuiuſmodi non expetebat Scipio. Tranſeamus ad inuerſionem. Gratidianus & Aculeio litigabant apud M. Perpennam iudicem. Craſſus pro Aculeone, L. Heluius Lamia deformis pro Gratidiano dicebat. cum interpellaret odioſe Lamia, & ſe non audiri grauiter ferret, Audiamus, inquit, pulchellum puerum, Craſſus. Arriſit corona ad ironiam iocantis, qui deformem corpore pulchellum, uirum autem puerum propter ætatis mollem pulchritudinem dixiſſet. Non potui mihi, inquit Lamia, formam ipſe fingere: ingenium potui. Quod mali natura dedit, nobis non debet uitio dari. Quod negligentia noſtra incultum ſqualidumq; eſt, ut ingenium, merito probro datur. Tum Craſſum quaſi depulſus à priore dicto, uerba inuertit, Audiamus, inquit, diſertum. Arriſum eſt uehementius. S V N T etiam illa uenuſta, ut in grauibus ſententijs, ſic in facetijs, &c.] Septimum genus eſt contrariorum, quæ quidem ſunt uenuſta, ut in grauibus ſententijs, ſic in facetijs. Quòd grauia ſint antitheta, declarant oratores in figuris & cōformationibus orationis. Vt illa ſint in facetijs, paulo ante demonſtratum eſt, cum diceretur, grauium & iocorum unam eſſe rationem, unum eundemq; locum: quamuis alia eſſet materia ioci, alia ſeueritatis. Materia ſeueritatis, res eſt honeſta: ioci, turpicula. Relata cōtrarie late patent. Extendūtur enim ad omnia antitheta, quorū ſpecies undecim facit Quintil. lib. 9. Repetes ex illo, ut hæc de quibus nūc agitur, tibi ſint apertiora, utq; cognoſcas quanto orationi ſint ornamento uerba relata contrarie. De controuerſia Serg. Galbæ, et L. Scribonij Libonis, hæc Cicero in Bruto: Quæ quidem uis (de ui Galbæ in orando loquitur) tum maxime cognita eſt, cum Luſitanis à Sergio Galba prætore, contra interpoſitam, ut exiſtimabatur, fidem interfectis, L. Libone trib. pl. populum incitante, & rogationem in Galbam priuilegij ſimilem ferente, ſumma ſenectute (ut ante dixi) M. Cato legem ſuadens, in Galbam multa dixit: quam orationem in Origines ſuas retulit, paucis ante quàm mortuus eſt an diebus an menſibus? Tum igitur recuſans Galba pro ſeſe, & populi Romani

fidem implorans, cū ſuos pueros, tum C. Galli etiam filium flens commendabat, & quæ ſequuntur. Ibidem: Atque etiam ipſum Libonem non infantem uideo fuiſſe, ut ex orationibus eius intelligi poteſt. De hac re diximus primo commentario. Scribonius ante uocauerat Galbam in iudicium. Ille uero ſibi metuens, accuſatori iudices familiares ſuos ferebat, hoc eſt legebat ſibi iudices familiares, quos offerebat Scribonio, ut illos admitteret, qui reiiciē di poteſtatem haberet. Tum Libo, Quando tandem Galba de triclinio tuo exibis? Cum tu, inquit, de cubiculo alieno. Obiecit ille gulam, cuius ſocios uidebat ferri iudices: hic autem adulteriū. Triclinium ad conuiuium, cubiculum ad ſomnij quietem pertinet. Relata contrarie, id eſt ex aduerſo, ſunt hæc, Ex triclinio tuo, ex cubiculo alieno. Eſt enim ſimilis caſus in diſſimili ſententia, quinta ſpecies contrapoſitorum, apud Quintilianum. Antitheſis uſus eſt Glaucia in Metellum. Cn. Apuleius Saturninus trib. pl. ſeditioſus ac turbulentus, cum legem agrariam per uim tuliſſet, Metello Numidico, eo quòd in eam minime iuraſſet, diem dixit. qui cum à bonis ciuibus defenderetur ne cauſa malorum certaminum eſſet, in uoluntarium exiliū Rhodum profectus eſt. Hæc ex Floro. Qui defendebant Metellum, & uim parabant, conueniebant in palatium, conſuleſq; uocabant aduerſus Saturninum & Glauciam prætorem ſocium eiuſdem furoris. Quamobrem Glaucia homo dicax & impurus, & tum infeſtus Metello, uillam, inquit, in Tyburte habes, chortem in palatio. Chortem dixit, ut cohortem, pro multitudine eorum qui conueniebant in unum, quò Metellum tuerentur. Eſt autem chors ſpatium intra uillæ maceriem. Varro de re ruſtica: Chortes in fundo magno duæ aptiores, una ut interius compluuiū habeat latum, ubi aqua ſaliat. Chors exterior, crebro operta ſtramentis & paleis, conculcata pedibus pecudum, fit miniſtra fundo, ut ſit ex ea quod euehatur. Chortem barbari curiam uocant. A' chorte dicta eſt cohors, quæ eſt decima pars legionis, & aliquando incerta multitudo. Vſus eſt Glaucia tranſlatione. Tranſtulit enim chortem uillicam ad ſignificandum hominum cohortem, ut ſit ſenſus: Qui uillas habent, in illis habent chortes, in quibus aues & pecudes alunt. Tu uero uillam in agro Tyburte, hoc eſt, in agro qui eſt ad oppidum Tybur, habes: chortem Romæ in palatio. Sunt hæc antitheta, quoniam uillæ chors, Tyburti palatium redditum eſt. bina igitur (ut uerbis utar Quintiliani) binis oppoſita ſunt.

RERVM plura ſunt, eaq; magis, ut dixi ante, ridentur, in quibus, &c.] Facetiæ aut in re, aut in uerbo poſitæ ſunt. Facetias in uerbo redegit in genera ſeptem. Rerum genera plura eſſe dicit. Primum genus facit lepidam narrationem, quoniam ea magis ridentur, in quibus eſt narratio, diutius tenent auditorem, & ad uarios ducunt exitus, ac maius oſtendunt ingeniū dicentis. Sed ut eà res eſt perfaceta, ita ſanè difficilis. Exprimenda ſunt enim & ponenda ante oculos ea quæ uideantur, id eſt, quæ quiſque facile intelligat & amittat, & uériſimilia, hoc eſt probabilia. Narrationis enim proprium eſt exponere uerisimilia, & quoad fieri poteſt, illa ponere ante oculos, ut non audiri modo, ſed etiam fieri geriq; uideantur. Exprimenda ſunt etiam ſubturpia, id eſt aliquantulum deformia: quoniam hæc propria eſt ridiculi materia. Talia inuenire, & aperte ac dilucide exponere facile non eſt. Multo facilius occaſione data, breue quiddam ſalſe dicere. Generis huius exemplum ante poſuit illud Craſſi de Memmio, quem brachium Largij morſu laceraſſe dicebat: & illud eiuſdem de luxuria Bruti. Ad hoc genus aſſcribuntur narrationes apologorum, quibus aliquando in iudicijs uſi ſunt oratores diſertiſſimi uel ad probandos mores, uel ad animos recreandos. Argumento eſſe poteſt id quod præcipit is qui rhetorica ad Herennium ſcripſit. Si iudices, inquit, defeſſi erunt audiendo, ab aliqua re quæ riſum mouere poſſit, exordiemur, ab apologo, à fabula uerisimili, imitatione, deprauatione, inuerſione, ambiguo, ſuſpicione, irriſione, ſtultitia, exuperatione, collatione, adiectione, abiectione, literarum mutatione præterea expectatione, ſimilitudine, nouitate, hiſtoria, uerſu, aut ab alicuius interpellatione, aut arriſione. Hæc aſſcribenda eſſe duxi, quoniā breuiter enumerat omnia ferè genera facetiarū, quæ in hoc libro Cicero tractauit: ut nemini dubium ſit, quin ex eodem hauſerit fonte. Apologi dicuntur fabulæ, in quibus beſtiæ loqui finguntur, ut quas inueniſſe dicitur Aeſopus. Poſſis & omneis fabulas apologos nominare. Narrationes apologorum multæ ſunt apud Horatium uenuſta, ut illa de Leone & Vulpe, & illa de mure domeſtico & agreſti. Paucas ſuis orationibus inſcripſerunt oratores, credo ne leue eſſe uideretur opus. Grauior eſt hiſtoria, quamobrem ſæpius aliquid ex ea ducitur ad iocandum, ut cum Sextus Titius ſe Caſſandram eſſe diceret: multos, inquit Antonius, poſſum tuos Aiaces Oileos nominare. Caſſandra Priami filia fuit uates. Virgil. 2. lib. Aeneid.

Tunc etiam fatis aperit Caſſandra futuris
Ora dei iuſſu, non unquam credita Teucris.

Aiax Oileus illam conſtuprauerat in templo Mineruæ, propter quod facinus perijt in mari. Virg. lib. primo:

Pallas'ne exurere claſſem
Argiuum, atque ipſos potuit ſubmergere ponto,
Vnius ob noxam & furias Aiacis Oilei?

Hic Aiax ὀιλῆος dictus eſt à patre ſuo: quemadmodum alter à Telamone τελαμώνιος. Sextus Titius, Caſſandra ſum, inquit. hoc eſt, futura prædico, nec ulla mihi adhibetur fides. Homo loquax & inuiſus ob geſtum molliorem, læſit Antonium: quare ſecutus hiſtoriā de Caſſandra, multos, inquit, poſſum tuos Aiaces Oileios nominare. Significat impudicitiam hominis ſæpe conſtuprati. Secundum genus facetiarum in re (apologum & hiſtoriam ad narrationem reduco) à ſimilitudine ducitur. Similitudo duplex eſt: una eſt παραβολὴ, id eſt collatio: altera imago, εἰκών. De collatione duo ponit exempla, quorum unum paucis explicemus. Galbus olim teſtis in Piſonem confirmabat innumerabilem ab illo pecuniam Magio præfecto per corruptelam eſſe datam. Scaurus qui patronus aderat Piſoni, teſtimonium refellere conabatur tenuitate, id eſt paupertate Magij: non eſſe uerisimile, eū qui innumerabilem pecuniā recepiſſet, tam pauperē eſſe. Tū Galbus facete, Erras, inquit, Scaure in hac tua refutatione. Ego enim Magium non conſeruaſſe pecuniam dico, ſed tanquā nudus nuces legeret, in uentrem abſtuliſſe. Qui nuces legit, id eſt colligit nudus, non poteſt auferre uel in ſinum, uel in manicas: mittit in uentrem. ſic ille Magius compotando omnem pecuniā dicebatur abſumpſiſſe. Collatio eſt. Confertur Magius in abſumenda pecunia cum eo qui nuces demittit in uentrem: Præfectorum multæ ſunt ſpecies. Eſt præfectus frumenti, præfectus fabrum, præfectus claſſis, præfectus impedimentorum. Non eſt huius loci narrare omnia quæ ad perſonas, dignitates, cauſas pertinent. Satis eſt, ridiculorum uim intelligi. M. Cicero ſenex M. Tullij Ciceronis pater, Romanos conferre ſolebat cum uenalibus Syris, hoc modo: Quemadmodum ut quiſque Syrorum uenaliū optime græce ſcit, ita nequiſſimus eſt: ſic ut quiſque Romanorū optime nouit linguam arteſq; Græcorum, ita certe ſolet eſſe peſſimus. Senex.] Addidit ætatem, qui de Cic. oratore loqui Cæſarem putaret. Erat tum Cicero iuuenis, & cum Cotta ac Iulio Cæſare paulo ante Syllanam calamitatem uerſabatur in foro: nullam cauſam publicam dicebat. Quòd autem familiares decet alterum de altero bene loqui, dedit hoc Cæſari, ut amicum diceret eſſe optimum uirū, quod Cicero ipſe de ſe loquens nō diceret. Syri uenales, ſerui è Syria, qui Romam uehebantur ut uenirent, id eſt uenderentur. Teſtis eſt adhuc comœdia, quæ ſeruis interim Syri nomen imponit. Sunt Syri per ſe procaces: at cum lingua ac moribus Græcorū ſunt inſtituti, fiunt nequiores. Græci enim loquaces, mendaces, ignaui, pigri, uafri, adulatores. Plinius: Vſum olei ad luxuriam uertere Græci, uitiorum

omnium

omnium genitores. Apud eundem Cato ſic loquitur: Dicam de iſtis Græcis ſuo loco Marce fili, quid Athenis exquiſitum habeã, & quòd bonum ſit eorum literas inſpicere, non perdiſcere. uincam nequiſſimum & indocile genus illorum: & hoc puta uatem dixiſſe, Quandocũque iſta gens ſuas literas dabit, omnia corrumpet. Tum etiam magis, ſi medicos ſuos huc mittet. Iurarũt inter ſe barbaros necare omnes medicina. Sed hoc ipſum mercede faciunt, ne fides ijs ſit, & facile diſperdant. Nos quoque dictitant barbaros, & ſpurcius nos quàm alios opicos appellatione fœdãt. Interdixi tibi de medicis. Ne mireris igitur ſi plerũq; Cicero eleuat Græcos. Habet hoc uelut hæreditariũ, habet ab antiquioribus. Nõ poteſt ferre barbari nomẽ, quod nobis frequenter imponit. De collationibus eſt dictũ, quæ duo plura'ue in qualitate cõferunt, nõ depingũt. De imaginibus eſt dicẽdũ, quæ nõ conferunt modo, ſed etiam quandã rei imaginem ſubijciunt animis noſtris. Sicut de collatione duo poſuit exempla, ita de imagine duo. Vtrunque Cæſaris hic differentis. Primum ſic narrat Quintilianus libro ſexto: Rarum eſt autem, ut oculis ſubijcere contingat, ut fecit C. Iulius, qui cum Helvio Manciæ obſtrepenti ſibi diceret, Iam oſtendam qualis ſis: iſq; planè inſtaret interrogatione, qualem ſe tandem oſtenſurus eſſet, digito demonſtrauit imaginem Galli in ſcuto Cimbrico pictam, cui Manciatum ſimillimus eſt uiſus. Tabernæ autem erant circa forum, ac ſcutum illud ſigni gratia poſitum. Hoc ſcutum Marianum dicitur, aut quia C. Marij fuiſſet, aut certe quòd Marius uictis Cimbris illud reportaſſet. Sub nodis.] Nodos hic dicit uincula, quibus Gallus captiuus trahebatur. Buccis fluentibus.] Buccæ fluentes ſunt partes oris utrinque prominentes, & quaſi excandeſcentes. Teſtio Penario.] Teſtius Penarius dicendo mentum non aliter intorquebat, quàm qui dentibus frangunt nucem: quod cum Iulius Cæſar animaduertiſſet, excepit aduerſarium ridiculo, Dic, inquit, ſi quid uelis, poſteaquam nucem fregeris. Eſt hic imago frangentis nucem, ut in ſuperiori exemplo Galli ſimilitudo. Tertium genus eſt ὑπερβολή, quæ rem uel auget, uel imminuit incredibiliter. Superlatio dicitur à noſtris, qualis eſt illa Craſſi in Memmium, de quo paulo ante dictum eſt. Ita ſibi ipſum magnum uideri Memmium, ut in forum deſcendens caput ad fornicem Fabij demitteret. Erat Memmius Quintiliano teſte prælongus, ſimulq; ſibi multum ſplendoris arrogabat, quamuis parum ſaperet. Riſit igitur Craſſus hominis longitudinem atq; dementiã. Caput demittere eſt caput inclinare. Fornix eſt arcus in ædificijs. Fornix Fabij, arcus erat in quo Fabius uir triumphalis ad memoriã rerũ geſtarum in Allobroges ſpolia quædã ſuſpẽderat. Fuerũt enim ad uias urbis tales fornices, monumenta uictoriarũ. Stant lapideæ colũnæ, quæ intercipiũt iter, et teſtudinẽ ſiue faſtigiũ cameratũ, ne res ferentibus ſint impedimẽto, peraltũ ſuſtinent. Non eſt hic ueritas, eſſe hominẽ tãlongum, qui ſummum fornicem capite attingat. Metellus Macedonicus homo felix quatuor habuit filios, quos Plutarchus de fortuna Rom. nominat, Q. Balearicum, L. Diadematum, M. Metellum, C. Metellum. Horum humeris portatus eſt pater ad rogum, qui treis conſulares, unum uidiſſet triumphantem. Primus omnium acutiſſimus habebatur, ſecundus paulo obtuſior, tertius ſecundo minus ingenioſus, quartus tribus reliquis hebetior. Scipio igitur qui Numantiam Hiſpaniæ urbem obſidebat, ſtomachans cum C. Metello, dixiſſe dicitur, ſi quintum pareret mater eius, aſinum fuiſſe parituram. ab homine nõ ita ingenioſo ὑπερβολικῶς ad aſinũ, cuius eſt ſtolida natura, trãſcendit. Quartũ genus eſt arguta ſignificatio, et quædam ἔμφασις, quæ pauciora dicit, plura ſignificat. Parua re, et ſæpe uerbo, res obſcuras illuſtrat ac latenteſq;, ut hæc, Malui cõpilari, ꝗ uenire. P. Cornelius Rufinus ſucceſſit in cõſulatu C. Fabricio ſecundũ conſuli, quo tẽpore Pyrrhus in Italia bellũ gerebat. Is Cornelius etſi auarus & furax erat, adeo ut à Fabricio cenſore tandem ſenatu motus ſit, quòd decem argenti pondo facti haberet, tamen quòd egregie fortis & bonus imperator eſſet, opera Fabritij inimici creatus eſt conſul. Agenti gratias, Nihil eſt, inquit Fabritius, quo mihi gratias agas, ſi malui compilari, quàm uenire. Hæc pauca uerba ſi uoles explicare, rem obſcuram & latentem aperient. Sic enim intelliguntur: Malui abs te homine auaro atque furaci compilari, id eſt ſpoliari, diripiq;, quàm uenire, hoc eſt captiuum fieri, & ſub haſta ab hoſte uendi. Africanus & Mummius cenſuram ſimul geſſerunt, more ueteri luſtrum condiderunt, quod quale ſit, abunde ſupra demonſtrauimus. Luſtrum conditum quoniam ſecuta fuerat grauis peſtilentia, Aſellus infamia notatus, poſtea à Mummio reſtitutus, inimico ſuo Africano, quaſi cladis ciuitatis auctor eſſet, luſtrum illud infelix obiecit. ut contumeliam in ipſum retorqueret Africanus, Noli, inquit, mirari. is enim qui te ex ærarijs exemit, luſtrum condidit, & taurum immolauit. Hæc uerba Scipionis: Quæ ſequuntur, Cæſaris ſunt interpretãtis illud dictũ: Tanta, inquit, ſuſpicio eſt in his uerbis Africani, ut religione ciuitatem obſtrinxiſſe uideatur Mummius, quòd Aſellum ignominia leuarit. Ex ærarijs exemit.] Cenſores malos ciues ſic notabant, ut qui ſenator eſſet, ſenatu moueretur: qui eques Romanus, equum publicum amitteret: qui plebeius, fieret ærarius, nec eſſet in albo centuriæ ſuæ tanquam ciuis, ſed tantummodo pro capite ſuo tributi nomine æra penderet. Si quis plebeius hac ignominia leuabatur, illum ex ærarijs eximi dicebant. Luſtrũ.] Luſtrum ducitur à luſtrando, quia Cenſores anno quoque quinto populum luſtrabant, id eſt purgabant in campo Martio. Varro hoc nominis deducit à luendo, quòd quinto quoque anno uectigalia atque tributa luebantur, id eſt perſoluebantur. Seruius rex primus luſtrum condidit, exercitum inſtructum ſuouetaurilibus luſtrant, id eſt ad luſtrandum populum, ſuem, ouem, taurũ immolauit, quod poſtea fecere cenſores. Religione obſtrinxiſſe.] Religione ciuitatem obſtringere, eſt eum metum uiolatæ religionis incutere ciuibus, ut expiandam ciuitatem, & deos eſſe placandos exiſtiment. Quintum genus eſt diſſimulatio, non omnis quidem, ſed urbana, cum alia dicuntur ac ſentias, non illo genere quod per ironiam dicta uertit in contrarium ſenſum, & pulchellum pro deformi, diſertum pro eloquentia rudi ponit, ſed cum toto genere orationis ſeueritatem præ te ferendo ludas, cum aliter ſentias ac loquare, id eſt cum tua oratio tota uerſetur in ironia. C. Gracchus ſeditioſo tribunatu acto, cum Auentinum armata multitudine occupaſſet, L. Opimius conſul ex ſenatuſconſulto perſequens illum, præmiũ pollicitus eſt ei qui tribuni caput auferret, ad ſeq; deferret. Id fecit Septumelius Anagninus, & aurum in præmium accepit. Cum Scæuola in Aſiam proficiſceretur, & Anagninus rogaret, ut eò ſe præfectum duceret: Quid tibi uis, inquit, inſane? tanta malorum eſt multitudo ciuium, ut tibi hoc confirmem, ſi Romæ manſeris, te paucis annis ad maximas pecunias eſſe uenturum. Videtur ſeuere & grauiter homini conſulere, quem ut auarum crudelemq; deludit, quia pro capite malorum ciuium uelit aurum ſibi rependi. Qui in hoc genere ſunt frequẽtes, εἴρωνες hoc eſt diſſimulatores dicũtur à Græcis, ut Socrates et Africanus Aemylianus, cuius eſt proximum exemplum. De Africano teſtis eſt Fannius in annalibus ſuis: de Socrate, ij qui diſputant in eum apud Platonem. frequenter enim dictitant, Ludis ò Socrates. an quod ſentias loquare, neſcimus. Cæſar noluit proferre ſententiam, uter eorum in hoc genere fuerit præſtantior. Iudicium reliquit ijs qui melius hæc norunt. Ferunt illi Socratem in hac ironia, hoc eſt diſſimulantia, longe lepore & humanitate omnibus præſtitiſſe: de qua re Cicero Acad. libro quarto: Socrates autem de ſeipſo detrahens, in diſputatione plus tribuebat ijs quos uolebat refellere. Ita cum aliud agnoſceret atque ſentiret, libenter uti ſolitus eſt ea diſſimulatione, quã Græci εἰρωνείαν uocant, quam ait etiã in Africano fuiſſe Fannius. Idq; propterea uitioſum in illo nõ

putandum, quòd idem fuerit in Socrate. Diſſimulationem iſtam laudat Iulius Cæſar. Genus eſt, inquit, perelegans, & cum grauitate ſalſum, id eſt quod ſeruata grauitate ludat. Quantum pateat oſtendit. Accommodatur, inquit, & oratorijs dictionibus; hoc eſt orationibus, quas dicunt oratores: & urbanis ſermonibus, qui non oratorum modo ſunt, ſed etiam omnium urbanorũ Et quò iſta de facetijs diſputatio uideatur utilior, illam uult & ad actiones forenſes, & ad omnium ſermones pertinere. Sales condimenta uocat, uerbo tranſlato à condituris cibariorum. Teſtimonio Catonis, qui ridicula facetiasq; multas retulit in ſuos libros, probat nullum eſſe uitæ tempus, in quo non deceat leporem humanitatemq; uerſari. Apud Catonem eſt, C. Publicium ſolitum dicere, P. Mummium, cuiuis tempori hominem eſſe, hoc eſt in omni tempore humanum ac lepidum eſſe. Per mihi ſcitum.] Diuidit perſcitũ, quod eſt perelegans. EST huic finitimum diſſimulationi, cum honeſto uerbo uitioſa res, &c.]

Sextum genus eſt diſſimulata appellatio, cum honeſto uerbo uitioſa res appellatur. Hoc ut eſt finitimum & ſimillimum diſſimulationi, ita illi debet oratione connecti. Aemylio Paulo & Terentio Varrone conſulibus & ducibus, cum maxima clade aduerſus Annibalem ad Cánas pugnatum eſt, cæſaq; eo prælio Romanorum quadragintaquinque millia, cum Paulo conſule, & ſenatoribus 80. conſularibus atque prætorijs aut ædilitijs triginta. Poſt quam cladem cum à nobilibus adoleſcentibus propter deſperationem conſilium de relinquenda Italia iniretur, P. Cornelius Scipio tribunus militum, qui poſtea Africanus nuncupatus eſt, ſtricto ſuper capita deliberantium ferro, iurauit pro hoſte ſe habiturum eũ, qui in uerba ſua non iuraſſet: effecitq; ut omnes minime relictum iri à ſe Italiam iureiurando aſtringerentur. Hæc Florus. Is Africanus multo poſt cenſor tribu mouebat, hoc eſt iure ſuffragij ciuiſq; priuabat cum centurionem, qui in Pauli pugna non affuerat. cum ille ſe cuſtodiæ cauſa diceret in caſtris remanſiſſe, quæreretq; cur ab eo notaretur infamia, non amo, inquit, nimium diligentes. Diſſimulauit centurionis ignauiam, & illi diligentiæ nomen impoſuit. Hoc fortaſſe ad ironiam, quæ ſenſum reſpicit contrarium, poteſt referri. Septimum genus eſt Inuerſio alienæ ſententiæ, cum ex alterius oratio aliud excipias atque ille uult. Exemplum eſt huiuſcemodi: Liuius Salinator cum Tarentum amiſiſſet, arcem tamen retinuit, multaq; ex ea, prælia præclara fecit. Cum aliquot poſt annos Q. Maximus id oppidum ex hoſte recepiſſet, rogaretq; eum Salinator, ut meminiſſet opera ſua ſe Tarentum recepiſſe, Quidni, inquit, meminerim? nunquam ego recepiſſem, niſi tu perdidiſſes. Expectabat Liuius à Fabio Maximo gratiam, aliter excepit Fabius eius orationem. Breuius idem narrat Cicero in Catone maiore, apud quem Cato de Q. Fabio Maximo ſic loquitur: Tarentum uero qua uigilantia, quo conſilio recepit? cum quidem me audiente Salinatori, qui amiſſo oppido fugerat in arcem, glorianti, atque ita dicenti, Mea opera Quinte Fabi Tarentum recepiſti, Certe, inquit, ridens. Nam niſi tu amiſiſſes, nunquam recepiſſem. Octauum genus ſubabſurdis quibuſdam ſententijs continetur. Subabſurda ſunt aliquantulũ abſurda. Abſurda autem ἄτοπα, aliena auribus, loco & occaſione. Exempla generis huius ſumpſit ex aliquo mimo poeta. Quamobrem nequis obijciat hunc præcepiſſe ut mimica fugerentur, occurrit. Ea de quibus ago, nó ſolum mimis perappoſita ſunt, ac maxime accommodata, ſed etiam quodammodo nobis oratoribus. Nam eo ipſo nomine ſunt ridicula, quia ſubabſurda. Prima ſententia continetur uerſu iambico octonario catalectico, qui mimis & comicis eſt frequens.

Homo fatuus, poſt quam rem habere cœpit, eſt mortuus.

Subabſurdum et rarum uidetur, hominem fatuum, inſulſum, inſipientem, ex paupere fieri diuitem: & eum qui tenuis & pauper non habebat unde ſe curaret, tamen uixiſſe: eum ditatum atque locupletatum, mortuum eſſe. Sed oſtendit poeta mimus, diuitias eſſe cauſam interitus multorum, aut quia mortales anxietate enecant, aut quia crapula demerſos interficiunt, aut quia dominos ſuos ſubijciunt inuidiæ. Altera ſententia uerſu octonario acatalectico comprehenditur:

Quid eſt tibi iſta mulier? Vxor. Similis medius fidius.

Videtur abſurdum, quòd non ita ſæpe contingat uirum & mulierem nullo ſanguine iunctos eſſe figura perſimiles. Quidam cũ deformem & fœdam mulierem uideret, interrogauit uirum qui aderat illi perſimilis, Quid eſt tibi iſta mulier? Soror, an cognata? Cum reſpondiſſet, Vxor eſt mea: tum ille, Similis, eſt tibi medius fidius. ac ſi diceret, ex lineamentis corporis iudicaueram tuã ſororem eſſe, uel cognatam. Hoc modo facete notauit illius uiri fœditatem. Non deerunt qui ſimilitudinem referent ad mores, quibus non aſſentiar, propterea quòd nihil eſt abſurdum, alienos ſimilibus affici moribus. Tertia ſententia effertur quinque pedibus, uel ſenarij uel tetrametri uerſus:

Quandiu ad aquas fuit, nunquam eſt mortuus.

Hoc de piſcatore, aut portitore, aut uectore uidetur eſſe dictum, qui cum tenuiter & frigide paſceretur in multo labore, non moriebatur. Vbi rem habere cœpit, & in tepidis locis opipare lauteq; ſine ullo negotio & labore paſci, mortuus eſt: aut certe auaritia & grauibus curis contabuit. Nonum genus eſt ſtultitia, quam ponit auctor rhetoricorum ad Herennium. Stultitia duobus modis ſumitur. Aut enim uera ſtultitia eſt, quã mimi lubenter imitantur, ut inde fuſiores mouere cachinnos queãt. Aut ſtultitia uidetur, & non eſt. Hæc ut facetior, ita oratoribus accommodatior eſt. Etſi non eſt ſtultitia, tamen quaſi ſtulte cum ſale fundit aliquid, & quaſi non intelligat quæ maxime intelligit, loquitur ſubabſurde. In hoc genere illud eſt, quod Antonio Glaucia dixit, Aliquando tibi tuum negotium agere licebit. Antonius orator inſignis omne ferè tempus ſuũ contriuerat in alienis cauſis agendis, in adminiſtranda Rep. ſuum negotium non tam diligenter egerat. Cenſor creatus, adiecit animum ad cenſum populi Romani, ad referendos ciues in tabulas, ad locanda uectigalia, ad mores corrigendos. De ambitu poſtulatus, id eſt accuſatus à M. Duronio, cum de ſuis rebus uehementius cogitaret, audiuit illud à Glaucia, qui ſtultitiam ſimulans uidebatur hoc dicere: Nunquam tibi Antoni tuum negotium agere licuit, nunc per leges licebit. hoc autem intelligebat, Nimis occupatus eras in alienis negotijs, & in faceſſendo negotium multis: nunc autem cogeris agere negotium tuum, & tuæ proſpicere famæ. Cur iſtud, Aliquando tibi tuum, negotium agere licebit, uidetur eſſe ſtulte dictum? quia & licuit antea, & nunc non modo licet, ſed etiã oportet: deinde ſic pronunciauit, ut nihil intelligere doli uideretur. Poſſis aliter interpretari. Aliquando tibi tuum negotium agere licebit: Aliquando leuatus omni moleſtia atque aliena cura, quieſces in rebus tuis. Sentit aliud, nullum unquam illi negotium maius fuiſſe, neque periculoſius. Ex hoc genere eſt etiam, non uideri intelligere, quod intelligas. Ita uiſus eſt Pontidius. Interrogabat illum quidam deteſtans, ut opinor, adulteros, aut uituperans incautos (hic enim teſte Quintil. ab aſperioribus ad leniora deflectitur) Qualem exiſtimas, qui in adulterio deprehenditur? Pontidius, quaſi non intelligeret quorſum iret acerbus homo, Tardum, inquit, exiſtimo. Subaudiendum eſt, Fugiſſet ſi celer & habilis fuiſſet. Vidi qui referret animum ad tarditatem ueneris: à cuius opinione diſſentio. Viſus eſt & Iulius Cæſar nó intelligere, quod maxime intelligebat. Habebat Metellus delectũ, hoc eſt, idoneos legebat milites, ſcribebatq; nomina eorum qui ad bellum mitterentur. ut uentum eſt ad Cæſaris nomen, petijt uacationem militiæ, quòd oculorum morbo laboraret. Cum Metellus excuſationem non acciperet, & dixiſſet, Tu igitur nihil uides? Ego uero, inquit, à porta Exquilina uideo uillam tuam. Viſus eſt deſignare quantus eſſet oculorum laborantium proſpectus, & ſine ullo dolo ſpatium illud proponere, quod eſſet Metello nó

lo nó

lo notiſſimum. intellexit aliud tam ſumptuoſas eſſe illius uillæ ſubſtructiones, ut à porta Exquilina, à qua plurimum diſtabant, altitudinem earum & magnitudinem caecutiens oculos uideret. In quo luxuria Metelli tacite arguitur. Exquilina porta, ab Exquilijs monte Rom. dicta. Scipio Naſica cum ad Ennium poetã, quo familiariter utebatur, ueniſſet, eiq; ab oſtio quærenti Enniũ ancilla dixiſſet domi non eſſe, Naſica acutus homo quibuſdam ſignis deprehendit illam domini iuſſu dixiſſe, & illum intus eſſe qui forte literis intentus nollet abuti tempore. Pauci poſt diebus cum ad Naſicam ueniſſet Ennius, ad quem uentitare ſolitus erat, & cum à ianua quæreret, exclamat Naſica ſe domi non eſſe. Tum Ennius, Quid? Non ego uocem tuam cognoſco? Hic Naſica ſubridens, Homo es impudens. Ego cum te quærerem, ancillæ tuæ credidi te domi nõ eſſe: tu mihi non credis ipſi. Vocem, inquit, tuam. Videtur hoc uerbum, inquit, in extremam orationem male reieciſſe. ſed id niſi feciſſet, inciderat in ſenarium uerſum, qui eſt in oratione fugiendus. Sic eſſet, Tum Ennius, Quid? Ego non cognoſco uocem tuam? Mihi nõ credis ipſi.] A' minore ad maius ducit argumentum: Si ancillæ creditur, quanto magis ampliſſimo uiro? EST bellum illud quoque, ex quo is qui dixit, irridetur in eo ipſo genere, &c.] Decimum genus eſt quadam [illegible], aut reiectio, quæ retorquet in aduerſarium illud ipſum, in quo prior alium laceſſebat. Q. Opimius conſularis, qui adoleſcentulus male audiſſet nomine impudicitiæ, Aegilio homini feſtiuo & urbano, qui uideretur mollior, hoc eſt muliebri mollitie effœminatior, nec eſſet, dixit:

Quid tu Aegilia mea?
Quando ad me uenis cum tua colu & lana?

Viri nomen inuertit in fœmininum genus, ut ſignificaret mollitiem, uſuſq; eſt uerſiculis ad morem comicorum, ſiue fecit illos, ſiue potius ex aliquo poeta ſumptos paululum immutauit. Venis: præſens eſt loco futuri, uenies. Colus eſt inſtrumentum muliebre unde fuſo penſa ducuntur. Sicut Opimius ſementem fecit, ita et meſſuit. Vſus erat fœminæ ſexu, reſpondet Aegilius ut fœmina. Obiecerat ille illi mollitiem, retorſit hic pathetice mollitiẽ. Aptauerat uerſiculos, hic eodem modo retorquet obiecta:

Non pol audeo:
Nam me ad famoſas mater uetat accedere.

Pol dicit mulierum ritu, quæ in comœdia locũtur. Eſt enim pol, fœminarum, quæ per Pollucem iurare conſueuerãt. Famoſas.] De Opimio ut de fœmina loquitur, & tota oratione ſignificat illum ignominiam infamiamq; contraxiſſe nomine uiolati pudoris. Mater uetat.] Reſpondet ut puella uerecunda metuens monitus & iuſſa matris. Vndecimum genus eſt ſuſpicioſum, & quod habet ſuſpicionem ridiculi abſconditã, quodq; non dicit id, quod auditor facile ſuſpicatur: quo in genere eſt illud dictum uiri Siculi non amantis uxorem, cui cum familiaris quidam dolens uxoris acerbum caſum, quereretur uxorem ſuam ſuſpẽdiſſe ſe de ficu, Amabo te, inquit, da mihi ex iſta arbore quos ſeram ſurculos. Quintil. lib. 6. Ei confine eſt quod dicitur per ſuſpicionem, quale illud apud Ciceronem: Querenti quòd uxor ſua è fico ſe ſuſpendiſſet, rogo des mihi ſurculum ex illa arbore, ut inſeram. Intelligitur enim, quod non dicitur, hunc uirum optare interitum uxoris ſuæ. Ficus, hic arborem ſignificat. Amabo uerbum comicum blandientibus accommodatum. Surculi dicuntur rami, qui à matre amputati, alienæ ſtirpi inſeruntur. In eodem genere ſuſpicionis eſt quod Catulus dixit cuidam oratori malo, qui cum in epilogo, id eſt peroratione, in qua mouentur affectus, miſericordiam ſe mouiſſe putaret, homo φίλαυτος, poſtquam aſſedit, rogauit Catulum, uideretur'ne miſericordiam mouiſſe. Ac magnam quidem inquit. Neminem enim puto tam durum, cui non oratio tua miſeranda uiſa ſit. Iniecit ſuſpicionem, non illum modo non probari cauſidicum, ſed etiam exiſtimari eius orationem eſſe miſerabilem. Epilogus eſt peroratio, & concluſio orationis. Miſericordia eſt, affectus quo mouentur animi ad ferendam grauiter alterius fortunã: Aſſedit.] Stabat orator, cum diceret. Durum.] Duritiem à corpore transfer ad animum. Miſeranda.] Digna miſeratione, quæ tantum auferat ſecum dedecus. Duodecimum genus eſt ſtomachoſum & moroſum quiddam. Submoroſum, ridiculũ uel à moroſo dicitur, uel à moroſo. Si à moroſo, non ſal & urbanitas, ſed natura moroſa ridetur: quamobrem ad hanc artem non pertinet. Si ab alio, tum liberalius & iucundius eſt & oratori congruũ magis, ut eſt illud apud Næuiũ comicum poetam.

Quid ploras pater? Mirum ni cantem, condemnatus ſum.

Verſus eſt iambicus ex octo pedibus excepta ſyllaba: in quo filius uidens patrem lachrymantem, rogat, Quid ploras pater? quo dicto offenſus ille paulo ante iudicio condemnatus, reſpondet ſtomachans, Mirum ni cantem: condemnatus ſum. Tranquillius reſpondiſſet, Damnatus ſum fili. Decimumtertium genus eſt patienter dictum, quod eſt ſuperiori contrarium. Delectat nos aliena patientia, & ad iraſcendum lenta natura. Cato cũ percuſſus eſſet ab eo qui arcam ferebat, cum ille diceret, Caue, non excanduit, neque duris uerbis aut uerberibus hominem eſt perſecutus, ſed animo patienti lentoq; rogauit, nunquid aliud ferret præter arcam? ac ſi diceret, Arca ſum percuſſus, quid eſt aliud quod mihi cauendum ſit? uis'ne me iterum pulſare? Decimumquartũ genus ſtultitiæ ſalſa reprehenſio, uel potius id quod ſtultitiam cuiuſquam facete reprehendit. Prætor Scipio cuidam Siculo patronum cauſæ dabat hoſpitem ſuum, hominem nobilẽ, ſed admodum ſtultum. Quæſo (inquit, prætor) aduerſario meo da iſtum patronum, deinde mihi neminem dederis. Indicat his uerbis Siculus, malle ſe habere nullum, quàm ſtultum, & cum uictum iri, pro quo ſteterit huiuſmodi patronus. Salſa reprehenſio. Non omnis reprehenſio ad hunc locum pertinet, ſed ſalſa ac faceta. Patronum cauſæ.] Quia patronus eſt libertorum, & patronus clientium, dixit differentiæ cauſa, patronũ cauſæ. Hominem nobilem.] Nobilitas non dat homini ſapientiam, uel prudentiam, ſed aliquam auctoritatem. Decimumquintum genus eſt illorum, quæ coniectura explanantur longe aliter atque ſunt, ſed acute atque concinne. Id fit quando quis non aliorum de re opinionem ſequitur, ſed quadam coniectura mentis exponit ſententiam acutam et elegantem. M. Aemylius Scaurus, & P. Rutilius Rufus competitores erant conſulatus. Scaurus etſi adeptus fuerat magiſtratum, Rutilium qui repulſam tuliſſet, id eſt petitum honorem nó accepiſſet, nihilominus, quaſi largitiones ad obtinendum conſulatum feciſſe, ambitus poſtulauit. Vt inſtrueret accuſationem, domum Rutilij uenit. In eius tabulas, id eſt commentarios de acceptis & expenſis, cæteriſq; rebus domeſticis, manũ inijcit, conſignat, defert tandem in iudicium. Oſtendit in illis quoddam caput, in quo ſcriptum erat id quod Rutilio uitio daretur, ſi eius fide actum fuiſſe probatum eſſet. Literæ erant ſubſcriptæ, A F P R, quibus deſignabat Rutilius, illud ante actum, multo poſt in tabulas relatum, hoc in commentario ſcriptum fuiſſe. Scaurus qui probationem quæreret, literas ſic explicabat, Actum Fide Publij Rutilij, ut inde colligeret eius rei auctorem & ducem fuiſſe Rutilium. C. Cannius eques Romanus, qui Rutilio Rufo aderat patronus, exclamat neutrum illis literis declarari, nec quod Aemylius, nec quod dixerat Rutilius. Tum Scaurus, quid, inquit, declaratur? Aemylius fecit, plectitur Rutilius. Aemylius conſul deſignatus corrupit ſuffragia, non Rutilius, qui repulſam tulit. Ille quidem eſt in honore, hic luit pœnas. Hoc modo Cannius literas explanauit longe aliter atque eſſent, ſed acute atque concinne. De cauſa Rutilij Cicero in Bruto: Itaque cum una conſulatum petiuiſſent, non ille ſolum qui repulſam tulerat, accuſauit ambitus deſignatum competitorem, ſed Scaurus etiam abſolutus Rutilium in iudicium uocauit: multaq; opera, multaq; induſtria Rutilius fuit, quæ erat

Propterea gratior, quod idem magnum munus de iure reſpōdendi ſuſtinebat. Decimumſextum genus eſt diſcrepantium, hoc eſt, illorum quæ inter ſe collata diſſidere pugnareq́; uidentur: ut quidam ſic laceſſiuit hominem pauperem, & nequam. Quid huic abeſt, niſi res, & uirtus? Diſcrepant iſta, nihil abeſſe, rem & uirtutem abeſſe. Videbatur initio omnia homini attribuere: poſtea nihil ferè boni, quod ſit uel fortunæ, uel animi, reliquit. Hoc ſumit Quintilianus: Inopinatum, inquit, & à laceſſente poni ſolet, quale eſt, quod refert Cicero: Quid huic abeſt, niſi res & uirtus? Decimumſeptimum genus eſt reprehenſio non ſeuera aut accuſatoria, ſed bella, non errantis turpiter, ſed quaſi errantis. Eiuſmodi fuit reprehenſio Auli Albini in Granium præconem. Granius ſcurra, ſicuti dictum eſt, Craſſo familiaris erat, & forte illius ſocero Mutio Scæuolæ, qui frequens erat apud generum. Albutius autem utrique inimicus, maxime Scæuolæ, qui apud Lucilium agitat illum, quia componat lexeis ut teſſerulas omnes arte pauimento. Cum Albutius in iudicio ſtare aduerſus Granium, tabulas, aut, quales ante dicebamus eſſe Rutilij, aut certe inſtrumenta literarum protulit Granius, quibus accuſatori quiddam probaretur in rem utilitatemq́; producentis. Cum iudices contra tabulas iudicaſſent, & Granium tamen abſoluiſſent, eáq; de cauſa Scæuola amicus huius, illius inimicus, ualde gauderet, & reus abſolutus non intelligeret contra ſuas tabulas eſſe iudicatum, ſed dictitaret in illis ſibi ſummum præſidium fuiſſe, corripuit illum familiariter Albinus, Erras Grani: quid ſi contra tuas tabulas iudicatum eſt? Notauit hominem, qui falſas haberet tabulas. HVIC ſimilis eſt etiam admonitio in conſilio dando familiaris, &c.] Admonitio in dando conſilio familiaris, ad decimumſeptimum genus ſimilitudine quadam refertur. Nam quemadmodum reprehenſio faceta utitur familiaritate aberrantis, ita admonitio quanquam illudit, amice tamen dirigere uidetur. Cum patronus malus, hoc eſt defenſor in cauſis infans & indoctus, clamitando rabularum more uocem obtudiſſet, raucimq́; gutturi contraxiſſet, ſuadebat Granius, ut mulſum frigidum biberet, ſimulac domum rediſſet, perdam, inquit, uocem, ſi id fecero. Mulſum enim potio eſt ex melle & uino, quæ ſi frigida bibitur, pernicioſa uoci eſt. Hic Granius, Melius eſt, inquit uocem quàm reum perdere. Monuit ridicule, ut deſiſteret ab actione cauſarum. Decimumoctauum genus eſt, dictum conſentaneum moribus cuiuſque. Id enim bellum eſt ac elegans, quòd in aliquem miſſum, moribus illius eſt conſentaneum, & illos paululum & leniter arguit. Scaurus inuidiam ſibi cōcitauerat ex eo quòd Phrygionis Pomdeij locupletis hominis bona ſine teſtamento poſſederat. Videbatur contra ius in alienā inuaſiſſe hereditatem, & agnatos uel ærarium defraudaſſe. Cū ſederet in ſubſellijs aduocatus, hoc eſt præſentiam ac conſilium commodans reo Beſtiæ, & funus, id eſt cadauer cum pompa duceretur, accuſator Beſtiæ C. Memmius mordax homo, Vide, inquit, Scaure, mortuus rapitur ad regum, ſi potes eſſe poſſeſſor. Sic audiendum: Potes irruere in huius bona, quemadmodum incurriſti in bona Pōpeij ſine ullo iure hereditario. Phrygio nomē eſt hic proprium, appellatiuum ſignificat eum qui ueſtes acu pingit. Decimumoctauum genus ea complectitur, quæ iaciuntur præter expectationem, quæ maxime quidem ridentur, propterea quòd animus noua et in expectata reficitur uoluptate. Aliud eſt genus in uerbis, quod diximus inexpectatum & inopinatum. Nunc autem de rebus ipſis loquimur. Huius generis exempla ſunt multa. Quatuor modo ponit, quæ ad rem demonſtrandam ſatis eſſe exiſtimauit. Vnum Appij maioris, alterum Naſicæ, aliud Craſſi, quartum Næuij. Appij fuere permulti, quemadmodum Scipiones, & Catones. Sed quemadmodum Scipiones duos maxime celebramus, maiorem & minorem Aphricanos: itemq́; duos Catones, maiorem Cenſorium, minorem Vticenſem: ita duos Appios præferimus, unum qui decemuir fuit legibus ſcribendis, alterum Appium cæcum, qui pacem cum Pyrrho utiliter diſſuaſit. Neuter iſtorum mihi uidetur intelligi, ſed Appius Claudius ſocer Tib. Gracchi, qui lectus eſt triumuir ad diuidundum agrum publicum. maior dicitur, quia antiquior illo qui ſenator erat tempore Iulij Cæſaris. Appius maior uenerat in ſenatum. Agebatur de agris publicis cuſtodiendis, finibus deſignandis, locādis, ut hinc populus leuaretur. Agebatur de lege Thoria, quæ (ut coniectura moueor à loco præſenti, nec enim alibi me legiſſe memini) lata fuerat in eos qui agrum publicum occuparent, aut in eum proferrent ſuos fines, aut illum priuatim paſcerent, aut alia ratione minuerent. Premebatur Lucullus (legunt alij Luciliū) & grauiter accuſabatur ab ijs qui à pecore eius depaſci agros publicos dicerent. Tum Appius, Erratis, inquit, pecus illud non eſt Luculli. Defendere Lucullum uidebatur, at præter expectationē addidit, Ego liberum puto eſſe: quà lubet paſcitur. Senſus eſt: In nullius domini ſeruitute & poteſtate uidetur eſſe hoc pecus, ſed quemadmodum ſui iuris eſt liber homo, ſic eſt liberum, quādoquidem quà lubet, paſcitur, inferente alijs damnum Lucullo. Marcus Flaccus Scipioni Naſicæ, qui Tiberium Gracchum leges agrarias ferentem ſubſellij fragmento interemit, multa crimina ac probra, id eſt facinora intendebat, de quibus ut lege ageretur, P. Mutium Scæuolam iudicem ferebat, hoc eſt reo exhibebat, ut illum admitteret. Eiero, inquit Naſica, iniquus eſt Mutius. reijcio iudicem. Quod Scæuola eſſet æquiſſimus, ac iuris obſeruantiſſimus, admurmuratum eſt, inique iudicare Naſicam. cum uideretur excuſaturus, adiecit grauius, Ah, inquit, Patres conſcripti, non ego mihi illum iniquū eiero, uerum omnibus. Id autem dicebat, quia cum T. Gracchus fauore populi occupato Remp. oppreſſam teneret, cunctiq; cenſuiſſent, ut M. Scæuola conſul armis Remp. tueretur, Scæuola negauerat ſe quidquam ui eſſe acturum. Naſicæ reſponderat: Quia conſul dum iuris ordinē ſequitur, id agit, ut cum omnibus legibus Romanum imperium corruat, egomet priuatus uoluntati ueſtræ me offero ducem. Vide Valerium libro tertio capite ſecundo. Eiero.] Valde iuro. Silus quidam teſtis læſerat Piſonem, quem defendebat Lucius Craſſus. hic quo teſtem, qui non uidiſſe, ſed audiſſe ſe diceret, patronus refutaret, Poteſt fieri, inquit, Sile, ut is à quo te audiſſe dicis, iratus dixerit, & animi perturbatione motus protulerit falſum. Annuit Silus, hoc eſt, inclinauit paululum caput atque ſupercilium, ut ſignificaret animi conſenſum. Poteſt etiam fieri, ut tu non recte intellexeris. Qui male audit, male refert. Id quoque toto capite annuit, ut ſe Craſſo daret, hoc eſt, ut in Craſſi uoluntatem uti dedititius deſcenderet. Poteſt etiam fieri, inquit, ut omnino quod te audiſſe dicis, nunquam audieris. adduxit illum in ſuſpicionem corruptelæ. Hoc ita præter expectationem accidit, ut teſtem omnium riſus obrueret, id eſt ſic premeret, ut ſua dicta poſtea confirmare non poſſet. Huius generis eſt plenus Næuius comœdiarum uetus ſcriptor: & iocus eſt illius familiaris, id eſt ſatis uulgatus, & omnibus ferè notus, in hoc dimetro iambico:

Sapiens ſi algebis, tremes.

Quia ſapientis eſt rebus aſperis medelam inuenire, & malis obſiſtere, uidetur ſapiens ſi algeat, id eſt frigeat, remedium ſibi parare poſſe. Itaque ubi dixit, Sapiens ſi algebis, aut frigore aut inopia, expectat auditor exitum felicem: præter expectationem infert effectum frigoris: Tremes, inquit. Tremunt enim, qui uehementer algent. Decimumnonum genus concedit aduerſario, quod ille alteri detrahit. ut C. Lælius præclaro genere natus, cū ei quidam malo genere, hoc eſt ſceleratis maioribus natus, diceret, degenerare, & indignū eſſe ſuis maioribus: At hercule, inquit, tu tuis dignus. Conceſſit aduerſario quod ſibi ille detraxerat, ut ex malo coruo malum ouum naſci diceret. Viceſimum genus ſententiam bōnam continet, ut hanc, Eme ſi uti uelis Marcus Cincius quo die legem de donis & muneribus tulit, qua patroni

troni cauſarum dona ac munera ob agendam cauſam accipere prohiberentur, quam legem ſuaſit Q. Fabius Maximus, teſte Cicerone libro de Senectute, cum C. Cincio produxiſſet, & in publicum ueniſſet, & ſatis contumelioſe, diminuto nomine, & contemnentis uoce quæſiſſet, Quid fers? hoc eſt, quid legis ſancire uis, Cinciole? Vt emas, inquit, Cai, ſi uti uelis. Sententioſe dixit, emendum illi qui rebus alienis uti nolit. Fuitq; ridicula ſententia, quia apte iactari cœpit in tabula fori, qui operam ſuam (uelut nunc pragmatici noſtri) magno uenditabant: quod cum ſit & ſordidum, & illiberale, audent tamen ex eo laudare ius ciuile, quòd inde pecuniæ multum reficiunt. Viceſimumprimum genus eſt ἀδύνατον, recentiores Latini impoſſibile uocant. Accidit, cum, quæ fieri non poſſunt, optantur: ut M. Lepidus cum cæteris in campo corpus exercentibus, in herba ipſe recubuiſſet, Vellem hoc eſſet (inquit) laborare. Fieri nõ poteſt, ut quies ſit labor: dixit tamen, Vellem ut otium & quies hæc eſſet labor. Sic enim citra moleſtiã quieſcendo corpus exercerem, uires atque ſanitatẽ mihi ſeruarem. Viceſimũ ſecundũ genus eſt lenta reſponſio præter rogantiũ uoluntatem. ut Cenſor Lepidus, cum M. Antiſtio Pyrgenſi equum ademiſſet (equum publicũ amittebant equites, à cenſoribus notati) amiciq; Antiſtij uociferarentur indignati, & quærerent quid ille patri ſuo reſponderet, cur ademptum ſibi equum diceret, cum optimus colonus (erat ille colonia Pyrgenſis, quæ eſt in Hetruria, dicta à Pyrgis oppido) parciſſimus, qui nihil effunderet ad luxuriam: modeſtiſſimus, qui in omnibus rebus optime ſe temperaret: frugaliſſimus, qui non modo parſimoniam, ſed omnem uirtutum frugem ſecutus eſſet: cum inquam quærerent, & his laudibus uterentur, reſpondebit, inquit, patri, me iſtorum nihil credere. Lente pronunciauit iſta cũ tardo nutu capitis, ubi quaſi reſponſum quærens paulum ſubſtitiſſet. Sunt alia ridicula multa quibus mimi & comici referti ſunt, ut cum execrantur, Dij deæq; te perdant. admirantur, O' beatum me. minantur, Te in piſtrinum dedam. Rident qui hæc audiũt, ſi nulla tanta fuit cauſa cur execrari, admirari, minari oporteret. Epilogo tandẽ dicta colligit duo eſſe facetiarũ genera, unum in uerbo, alterum in re poſitum. pauciora eſſe in uerbo dicteria, in re uero plura. illa magis laudari, quàm excipi riſu: hæc laudari, atque rideri. Rerum genera eſſe præcipua, cum decipitur expectatio, cum ridentur aliorum natura, cum ridicule noſtra naturæ indicantur, cum ſimilitudo à turpiore ducitur, cum diſſimulamus, cum ſubabſurda dicimus, cum ſtulta reprehendimus. Monet etiam imbuendum eum qui iocoſe uolet dicere, aptis moribus: ſeueriorem uultum aptiorem eſſe ridiculis, quàm riſu diſſolutum.

SED iam tu Antoni, qui hoc diuerſorio ſermonis mei libenter, & cætera.] Quæ de facetijs dicenda eſſe uidebantur, peregit Cæſar. Supereſt, ut reliquas obſeruationes ſuas exponat Antonius. Diuiſit inuentionem in tres ſpecies, quarum una docet, altera conciliat, tertia mouet animos eorum qui audiunt. Pauca reſtant de toto genere inuentionis, poſt ſingularum partium explicationem breuiter exponenda. Dicendum præterea de collocatione ſecunda parte rhetorices, & tandem de memoria diſſerendum, quò duæ tantum partes Craſſo relinquantur, elocutio, & pronunciatio: quarum tanta affinitas eſt, ut elocutio quæ uoce depromitur, ſine aliqua actione eſſe non poſſit. Vt hæc ordine tractentur, Antonium Cæſar itineris cœpti monet. Et memor ſermonis eius, qui fuit huiuſmodi, Defeſſus iam labore atque itinere diſputationis meæ, requieſcam in Cæſaris ſermone, quaſi in aliquo peropportuno diuerſorio: à ſua diſputatione, tanquam à diuerſorio quodam ad uiam conficiendam uocat. Ac ueluti hoſpites etiam liberales ueriti ne quid officij præterierint, ueniam petunt, ſua attenuant, auferunt ſuſpicionem repetendæ gratiæ: ſic excuſat urbane Iulius, Antonium ultro in illo diuerſorio ſermonis acquieſcere uoluiſſe, male acceptum eſſe, nihil inueniſſe quo retardetur, & minus iter reliquũ conficere pergat. Similitudinem ducit ab ijs, qui relicto mari Tyrrheno, aut itinere propinquo, diuertunt in Pontinas paludes ſitas non ita procul à portu Caietano, & à Circeijs promontorio Circes, in Volſcorum finibus Campaniam uerſus. In illis calor & Auſter multus quieſcentes corrumpit aquas, locum peſtilentem facit adeo ut illuc ingreſſi quieſcendi gratia, diu incolumes nequeant immorari. Illas deſiccare uoluerat imperator Cæſar, non modo quia inſalubres eſſent, ſed etiam quia agri plurimum occuparent. Morte præuentus, alijs opus iniquum reliquit. Ego uero.] Vt accipientis eſt hoſpitis extenuare ſuam liberalitatem, ne ſit amico grauis, & omnem gratiam perdat: ita acceptum oportet eſſe facilem, humanum, rebus præſentibus contentum, laudatorem beneficij ſuſcepti, ne uel pœnitentiam uel pudorem hoſpiti ſuo moueat. At eum modum res Cæſaris laude fert Antonius. Excuſabat ille inamœnum locum: hic contra. Ego uero atque hilare, hoc eſt, etiam iucunde à te acceptus quieui. Audiui enim tuas facetias, quæ exhilarauerũt animum labore contractum. Nec modo reſpondet excuſantis, ſed ultra progreditur ad laudem. Ego tum doctior per te, tum etiam audacior factus ſum ad iocandum.] Doctior, qui didici præcepta de ridiculis: audacior qui norim auctoritates uirorum quas me imitari deceat. Non enim uereor (ut timidi) ne quis me in iſto genere iocandi leuiorem, uanioremq; iam putet, quoniam ſummos uiros noſtræ ciuitatis Fabritios, Aphricanos, Maximos, Catones, Lepidos protuliſti, quos interim ſeueritate depoſita iocari, facetiasq; mittere laudabile fuit. Pluraliter dixit Fabritios, Catones, quia hoc dicendi genus auctius eſt atque præſtantius. Fabritij eſt illud, Malui compilari, quàm uenire. Aphricani, Non amo nimium diligentes. Maximi, Niſi Tarentum amiſiſſes, nunquam ego recepiſſem. Catonis, Non tu nobilior, ſed mobilior. Lepidi, Reſpondeat patri, me iſtorum nihil credere. Verbis Antonij Cicero locum facetiarum maxime commendat, ut qui reficiat animos hilaritate, qui doctiores faciat, qui reddat audentiores ad ingenue & liberaliter iocandũ. Hactenus de apparatu. Iam de re ipſa diſſerendum, cuius pars eſt diſputatione confecta, pars conficienda poſtea. Quid habeant partes illæ diſcriminis, oſtendit. Habetis, inquit, ea quæ uoluiſtis ex me audire de locis argumentorum, de animorum conciliatione, de mouendis affectibus. de quibus rebus accuratius dicendum & cogitandum fuit. Sunt enim animi inſtar in corpore, quæ niſi ſuſtinent orationem, ut inanis & uana corruat neceſſe eſt. Cætera quæ dicturus ſum, faciliora ſunt, atque ex ijs quæ iam dicta ſunt, reliqua naſcuntur omnia.

Aut enim tradimus de uſu argumentorum, & probatione cauſæ, aut de conciliandis animis, aut mouendis, ſi uincere nequeat argumentum. Hoc modo ſeiungit priora à poſterioribus, & propoſita rei facilitate, tædium laboris aufert. Quæ dixit antea, ſummatim repetit, ut inde ſit tranſitus ad ea quæ ſuperſunt. Primum docuit ut cauſam aggreſſus litigatorẽ interrogaret, ut omnia cauſæ utilia & inutilia, quoad facere poſſet, cogitatione perſequeretur, deinde ut argumenta cauſæ & locos eorum inſpiceret. Poſtea ut perſcrutaretur eos locos quibus animi iudicum conciliantur: & illos quibus permouentur. Nunc alia de toto genere tradit. Primum eſt huiuſmodi. Conſtituendum quid habeat quæque cauſa boni, quid mali. Quid ſi nihil habeat aut boni, aut mali? Vix in controuerſiam uocabitur, niſi forte apud illos iudices, qui lucri gratia infinitas generant lites. Nulla ferè res poteſt in dicendi diſceptationẽm, id eſt in actionem ab oratore formandam aut controuerſiã, hoc eſt, finita quæſtionis lite uocari, quæ nõ habeat utrũque, & bonum, & malum. Oportet enim ut appareat utrinque aliqua ratio ſtandi iudicio. Temporibus illis qui de iure reſpondebãt, homines conſulti, non ſinebant hominem experiri, qui

nihil præter meram calumniam aut fraudem haberet, niſi dolũ latentem improbus animo texiſſet. Vera igitur controuerſia habeat aliquid boni, aliquid mali. Hoc ut uideris, agendum de quantitate utriuſque: quantum bonum, & quantum malum habeat, id refert. Sic enim aut melior eſt, aut deterior. Id boni quod habet, amplectendum, exornãdum ſententijs & uerbis, exaggerandum multis amplificationibus, diu retinendum, ut malum adumbret, ut magis infigatur animis cognoſcentium. Retinetur autem, cum ſæpe alijs uerbis, alijs figuris repetitur citra iudicum moleſtiam: quod & apud nos fit, ſi minus in dicendo, tamen in ſcribendo. A' malo autem uitioq; cauſæ recedendum: quod fit, ſi neque repetas, neque proponas ut aduerſarij, neque colores argumentis, ſed aliquid dicas de bonitate tuæ cauſæ, quod illud obruere uideatur. Hoc modo fit, ut non aufugere quaſi deſertor, ſed pugnãdo cedere uideare, aut certe locum tuũ ualide tueri. Cicero cum uehemẽter amplificat ſtudia atq; induſtriam Celij, hoc aſſequitur, ut de mollitie & libidine adoleſcentis opinio concepta minuatur. Videndum poſtea, quam potiſſimum orator prendat arcem. Aliæ ſunt cauſæ quæ melius defenduntur argumentis, ut cauſa Cecinæ: aliæ conciliatione, ut Q. Ligarij: aliæ permotione & affectibus, ut Auli Cluentij. Si ſtatur argumentorum præſidio, & illorum præ copia delectus eſt, firmiſſima legenda, ac maxime tuenda. Quod ſi unum ſit eiuſmodi, magis eſt firmandum, quia unum. Sapientis eſt optima legere præſidia, & ſi unũ ſit, illud pro uiribus cõmunire. Nõ aliter de conciliatione & permotione dicendũ. Sunt enim quæ magis aut cõciliant, aut mouent. Illa prudens uidebit etiamſi arte non iuuabitur, & in illis malet firmare pedem: ut Cicero maluit mouere iudices ab inopia ſumma Rabirij Poſthumi, quàm ab alijs incõmodis, quoniã tũ Romani qui cenſu ordines et honores diſtinguebant, inopiam grauiſſimam eſſe arbitrabantur.

SVMMA denique huius generis hæc eſt, ut ſi in refellendo aduerſario, &c.] Sũma denique huius generis hæc eſt, id eſt de ſumma totius probationis præceptum generale hoc eſt, ut ſi in refellendo aduerſario firmior eſſe oratio, quàm in confirmandis noſtris rebus poteſt, omnia in illum tela conferamus. Non aliter milites qui locum ſuum tueri non poſſunt, & turpiter abire nolunt, irruunt in hoſtem, redduntq; munitiones eius infeſtas. Cicero qui facile demonſtrare non poſſet, Sextum Roſcium nullum parricidium commiſiſſe, ſua tela confert in aduerſarium, refellit eius argumenta, cædis auctorem eſſe contendit, etſi tam periculoſo tempore tutius erat ſua tantum probare. Sin noſtra facilius probari, quàm illa redargui poſſunt, abducere animos à contraria defenſione, & ad noſtram conemur traducere. Cicero uidit non eſſe facile omnia Claudianorum argumenta refutare, duo ſibi maxime probanda ſumpſit, Milonem inſidias non paraſſe, Peſtiferum Reipublicæ ciuem interficere licere. Alia duo ſunt præcepta quæ antepoſitis commode adiungentur: Vnum, ne cauſæ tuæ noceas, de quo poſtea. Alterum, ne tentes ea quæ nulla ui conuellere & ſuperare poſſis. Illa accidunt parum cautis, inquit Quintilianus, ut impoſſibilia aggrediantur, pro effectis relinquant uix dum inchoata. Quia nihil reſpondere, facile eſt: cauſæ tuæ non obeſſe, nequaquam difficile: duo iſta facillima dicit eſſe. Quòd autem facillima patent etiam indoctis, tanquam indoctus hæc ſumit, aliud ſentiens, aliud enuncians. Et ne quis irrideat leuitatem obſeruationis huius, præuenit, & uerbis indicat, non eſſe periculum docere alios id quod utiliter ſerues. Confitetur ſe moleſto aut difficili argumento, aut loco nonnunquam omnino nihil reſpondere. Moleſtum et difficile interpretatur, quod premit uehementius. Illud eſt, quod tibi plus noceat reſpondenti, quàm conticeſcenti. Quid hic facias? Conijcias te in fugam? Non, inquit, abijciam clypeum, ut ignaui milites, qui deiecto humi clypeo terga uertunt: ſed ne reijciam quidem, ut ij qui ſecum auferunt, ſed illum in tergum ſuum reijciunt, ut minori ſit impedimento tergiuerſantibus. Concedam, ſenſimq; reuocabo pedem. Adhibebo quandam in dicendo ſpeciem atque pompam, id eſt, armorum artificioſum motum, quali ad delectandos ſpectatores utitur gladiator. Adhibebo pugnæ ſimilem fugam: conſiſtam uero in meo præſidio, ſic ut non fugiendi hoſtis, ſed capiendi loci commodioris cauſa ceſſiſſe uidear. Hæc ſumpta ſunt de re militari, & tranſlata ad pugnam forenſem, quibus ſignificat eſſe quoddam genus dicendi ſpecioſum magis quam uerum, & ſimilius pompæ, quàm pugnæ, quo adumbrantur quodammodo & honeſte uitantur ea quæ aperte non poſſunt refutari. Celius erat libidinoſus, hoc crimen obiectarat aduerſarij: Cicero multa dicit de adoleſcentia, de moribus primæ ætatis, de conſuetudine maiorum. Hoc quaſi ludicro certamine retundit aduerſariorum, tela, & in ſuo præſidio conſiſtit. Idem pro Murena dicendo de rationibus candidatorum, de ueterum more efficit, ut largitiones Murenæ, quæ populo Romano notæ erant, uideantur ſcelere uacare. Alterum præceptum, ne cui uideatur eſſe leue, dicendo ſic auget, ut grauiſſimum eſſe uideatur. Nec id facit iniuria. Aut perfidus, aut ſtultus eſt, qui cauſam ſuã prodit. Alterum eſt illud, quod ego oratori maxime cauendũ et prouidendum puto.] Id dixit in uniuerſum, ut propius accedat ad πρᾶξιν. Id me ſolicitare ſumme, id eſt, maxime ſolet. Iam docet quid obſeruet. Non tam ut proſim cauſis, elaborare ſoleo, quàm ut ne quid obſim.] Enitendũ eſt in utroque, inquies, ut proſis, ut nihil obſis. Fatetur, diſcrimenq; conſtituit. Non profuiſſe cauſæ, turpe quidem eſt: nocuiſſe, turpius multo. Militem in prælio ignauum fuiſſe, dedecoroſum: ſocios prodidiſſe, dedecoroſum magis. Nocent tamen ſuæ cauſæ plerique, aut ſcelere inuiſi, aut ſtultitia adducti, aut euagandi temeritate, aut ignoratione cauſæ, aut ab aduerſario corrupti, aut rapti nocendi cupiditate. Sed quid hoc loco uos inter uos Catule?] Admurmuratum eſſe fingit, quò diutius in hac re commoretur. Verecundos facit auditores, qui clara uoce non audent interpellare dicentem. Verba dirigit ad Catulum, quoniam illius reprehenſio magis eſt timenda. An hæc, ut ſunt contemnenda, contemnitis? Fatetur hæc eſſe contemnenda, ne ſibi ipſe nimium placere uideatur, & ut aliorum confirmatione perſuaſi qui legent hæc, ſciant aliquid eſſe quod memoriæ tradit. Minime, inquit Catulus, hæc contemnimus.] Vides'ne ut planè dicat hæc non eſſe contemnenda? Cæſar de iſto ipſo quiddam uelle dicere uidebatur. Cur Cæſar potius? Quia iuuenum eſt obſeruare ſenum uirtutem, & eam laudare. Id datur Cæſari iuueni, qui paulo ante diſputauit: Sulpitio & Cottæ ſuum fuit tempus. Me uero lubente dixerit, ſiue refellendi cauſa, ſiue quærendi. Non timet refutationem, qui ſibi nihil magnum arrogat. Nec metuit quæſtionem exercitatus, qui ſit conſcius doctrinæ ſuæ. Et ſi quid timeret, in dicẽdo tamẽ fiduciam præſtaret. Ad hæc facilem & obuium ſe præbet auditori. TVM Iulius, ego mehercule, inquit, Antoni ſemper is fui, &c.] Laudat Cæſar Antonij cautionem, quoniam homini mediocriter prudenti difficile eſt nunquam lædere illum quem tuetur. Cæſar autem mediocriter prudens uidet quàm ſit illud ſibi arduum & operoſum. Idem illud nõ magnopere laudat ingenioſiſſimus Craſſus, propterea quòd prudentiſſimi ſic exiſtimant, non eſſe magnum munus oratoris, non lædere quem defenſum uelit: ſed potius improbi & proditoris, ei nocere, cui oportuerat prodeſſe. Metiuntur aliorum ingenia ex ſuo, & quod aperte uident, alios quoque idem uidere putant. Id quale ſit, à ſimili demonſtrat. Qui memoria ſunt mediocri, admirantur illos qui omnia ferè meminiſſe poſſunt. Themiſtocles eoſdem nihil admiretur, quoniam diuina præditus eſt memoria. Hac diſputatione docet nos, eſſe quædam artium præcepta, quæ ſummis uiris ſunt leuia ac parua, mediocribus grauiſſima ac maxima. Artes maxime ſcribi mediocribus,

quia

quia res ingenioſiſſimi per ſe uident, hebetes aut parum, aut nihil diſcunt, ideoq; eſſe illa tradenda, quæ iuuent mediæ fortunæ ingenia. Sic prædicarem.] *De te ſic prædicabam, hoc eſt loquebar palàm, & in laudibus tuis ferebam, unum te ex omnibus alijs noſtræ ciuitatis oratoribus in dicendo mihi uideri tectiſſimum, id eſt, minime apertum uulneribus, & eum, qui minime detegeres id quod in cauſa lateret mali, plagis obnoxium. Tranſlatio eſt ab ijs qui armis & ſcuto ſe tegunt, ne membra nuda feriantur: aut certe ab ijs, qui aliquam deformitatem ueſtiunt adeo, ut à nemine uideri poſſit.* Proprium laudis tuæ.] *Non dicit quæ ſint illi cum alijs communia, ne uideatur illum in grege cenſere: ſed quid ſit illi proprium, ut ſi in ea re egregius, & exemptus è numero. Sermo inſtitutus, propoſitus, adductus in medium, cœptus.* Craſſus plurimis uerbis eloquentiam laudaret tuam.] *Optime præpoſuit hanc laudem. Timuit ne ſi tantum diceret illud Craſſi quod ſequitur, Antonio Craſſus aliquid detrahere uideretur. Eò pertinent & hæc uerba, Illum mihi reſpondere memini, cætera in te ſumme eſſe laudanda.* Non opus eſſet.] *Non eſſet bonum, et utile, aut neceſſarium.* Improbi hominis & perfidioſi.] *Improbus eſt iniuſtus, aut alioqui malus: perfidioſus, qui datam frangit fidem. Exiſtimat Craſſus id nō eſſe imperitiæ, ſi quis ſuo litigatori nocet: ſed improbitatis & perfidiæ, quoniam indignus uidetur oratoris nomine, qui labefactat eum quem debet erigere.* Dicam equidem Cæſar.] *Dicet poſtea, ſed ante de Craſſi iudicio reſpondet, & ſic illi contradicit, ut non imminuat uirum, ſed maxime augeat. Mementote, inquit, non me de perfecti oratoris diuinitate quadam loqui (is enim dicendo nunquam uitiū committeret) ſed exercitationis & conſuetudinis meæ mediocritate, cui magnum eſt uidere quæ proſunt, & quæ incommodant. Craſſi reſponſum, etſi in ſe facere uidetur, laudat tamen. Craſſi quidem, inquit, reſponſum, excellentis, & communem hominum naturā ſuperantis eſt ingenij, ac ſingularis: cui quiddam portenti ſimile eſſe, id eſt prodigioſum uiſum eſt, poſſe aliquem inueniri oratorem, qui aliquid mali faceret dicendo, obeſſetq; ei quem defenderet. Facit enim de ſe coniecturam, id eſt, aliorum ingenia ſuo metitur. Illi tanta uis ingenij eſt, ut neminem niſi conſulto, hoc eſt ex animi deliberatione, putet, quod contra ſeipſum ſit, dicere. Sed eo non de præſtanti quadam & eximia prudentia, qualis eſt Craſſi, ſed propè de uulgari & communi, qualis mea eſt, diſputo.* Vt apud Græcos.] *Craſſum Themiſtocli comparat, hominem Romanum Athenienſi, ingenium ingenio, reſponſionem reſponſioni. Themiſtocles Athenienſis Neoclis filius, ingenioſus & prudens, domi foriſq; præclara geſſit, in quibus eſt illa uictoria de Perſis apud Salamina. Ad eum uenit quidam doctus homo, atque in primis eruditus Simonides poeta Ceus, qui primus artem memoriæ inueniſſe fertur. Vt inuenerit, Cicero refert ad finem libri ſecundi. Illam cum Themiſtocli polliceretur eſſe ſe traditurum, reſpondit gratius ſibi illum eſſe facturum, ſi ſe obliuiſci quæ uellet, quàm ſi meminiſſe docuiſſet.* Proferebatur.] *Mittebatur in lucem.* Doctorem.] *Magiſtrum artis memoriæ.* Quanta mens.] *Mens eſt qua ſapimus. complectitur intellectum & memoriam Cicero uocabulo mentis. Vide lib. quintum de Finibus bonorū et malorum.* Infuſum effluere.] *Hæc uerba tranſlata ſunt à liquoribus qui uaſis infunduntur & effluunt.* Sed neque propter.] *Quid effici uelit ex illa ſimilitudine, tandē explicat. Sicut non propter illud Themiſtocles reſponſum memoriæ nobis opera danda non eſt, ita neque illa mea cautio qua prouideo ne obſim, et timiditas qua mea apte natura uereor meis nocere, propter præſtantem prudentiam Craſſi negligenda eſt. Timor & timiditas differunt. Timor eſt perturbatio animi quæ non perpetuo manet: timiditas eſt quædam procliuitas timendi, quæ nunquam recedit. Hæc cauſa eſt cur timiditatem potius quàm timorem dixerit. Nō mihi attulit aliquam facultatem, non me fecit meliorem ingenio, & uirtute dicendi.* ETENIM permulta ſunt in cauſis, in omni parte orationis circunſpiciunda, etc.] *Promiſerat ſe dicturum quare hoc ita magnum putaret, nihil in cauſa mali facere. Stat fide, & quò planum fiat illud eſſe magnum, rationes enumerat, quibus aliquando offendit in re ſua patronus.* Nonnunquam offendit in teſtibus.] *In teſtibus interrogandis & uoluntarijs, & ijs, quibus denunciatum eſt, hoc cauendum, ne quem laceſſas, qui aut non lædit, aut minus lædit niſi laceſſitus. Probos quoſdam (cum Quintiliano dicam) & uerecundos non aſpere inceſſere profuit. Nam ſæpe quid aduerſus inſectantem pugnaſſent, modeſtia mitigantur. Mitius agendum cum bonis uiris ac honeſtis. Non exacerbandi uafri & uerſuti, quibus multæ ſunt artes nocendi. ſpectanda cuiuſque dignitas atque natura, ut perſonæ interrogandi ratio reſpondeat. Hoc etſi in arte præcipitur, plus tamen habet prudentiæ quàm artis. Sed nihil uetat de multis rebus præcipere, ut notis principijs, aptiores ſimus ad multa. Quòd ſi præcepta nec ſemper, nec omnibus, nec omni loco conueniunt, occaſio tamen ſæpe fert, ut nobis opem ferant ardua, ac difficilia quærentibus.* Sit igitur hæc lex: Ne laceſſito, qui minus lædit non laceſſitus. *Hic aliquis malus orator clamitabit, Quid igitur faciam? Orat me reus, urgent eius amici aduocati, ut inuehar in teſtem, ut maledicam, ut interrogem. Quin refutas hominem? inquiunt, quin tractas eum ut dignus eſt? quin eius uitia detegis? Sic læſerit, & tulerit impune? Non moueor his uerbis. Non obtempero uel monentibus uel urgentibus, non ſatisfacio illorum uoluntati. At (inquiet ambitioſus, qui ſibi laudem, non reo ſalutem quærit) nullam tacendo aſſequeris laudem. Verum eſt apud imperitos, ſed dedecus fugio.* Homines enim rerum inſcij facilius quod ſtulte dixeris, reprehendere, quàm quod ſapienter tacueris, laudare poſſunt.] *Præclara ſententia, in qua ſtulte & ſapienter, reprehendere & laudare, ſunt oppoſita ad uenuſtatem. Apud ſapientes & probos nec bonum ſua laude caret, nec malum probro. Quoſdam teſtes lædere malum eſt. Illorum treis ſpecies conſtituit, in quibus ſunt irati, non ſtulti, non leues. Habent irati uoluntatem nocendi in iracundia. Illam ſi grauius irritaueris augebis. Non ſtulti uim habent in ingenio, quam acuent in reum, ſi per te fuerint commoti. Non leues pondus habent in uita. Creditur illis propter uitæ caſtimoniam. Num committes, ut offenſi plura dicant, quàm erant dicturi ſi mitigaſſes? At Cicero qui mandat hæc literis, læſit acerbiſſime Gallos in oratione pro Fonteio, Græcos in defenſione Flacci. Sanè. Iam dixerant teſtimonium, & ſi non auctoritate apud Romanos, tamen turba ac multitudine multum ualebant: quapropter aut erat cauſa cadendum, aut illi grauiter repellendi. Paulo ante dixit, quæ ſtulte dixeris, ab imperitis facile reprehendi. Hoc quale ſit, in re præſenti ſic explicat. Dixerit aliquid orator, aut reſponderit, aut rogarit, coronæ ſermo ſubſequitur: Occidit ille? inquiunt, aduerſarium'ne occidit? Tum ij quibus nota res eſt, immo uero (aiunt) ſe, & eum quē defendit, occidit. Quid turpius audiri poteſt? Hic itaque maximè proſpiciendum, ne tibi tuiſq; noceas, & hanc ignominiam infamiamq; patiare. Etſi nulla te laus in tacendo ſequitur, moueat te dedecus & turpitudo, quā plerique magis fugiunt, quàm honorem & laudem ſequuntur. Rogatum poſuit pro re interrogando quæſita. Occidit, κατ' αὔξησιν, grauiter læſit. Homines minime mali, ſunt ſimplices & incauti: quibus eſt plus bonæ uoluntatis, quàm prudentiæ. In hunc ſenſum Cicero minime malos dicere ſolet.* Quid illud quod ſupra dixi.] *Hoc ſecundum nocendi tuæ cauſæ genus, cum tua præſidia dimittis, id eſt, relinquis id quod bonum firmumq; eſt in tua cauſa. Verſaris in hoſtium caſtris, id eſt tractas cauſam aduerſariorum, & illorum adiumenta confirmas: aut ea quæ ſanare nō*

potes, exulceras: quemadmodum imperiti chirurgi interdum uulnus refricant & exulcerant dum fruſtra ſanare conantur. Quid mihi faciundum cenſes? cede, fuge, eſt, ſæpe quod pro te facit, inculca, in eo commorare, obiectionibus aduerſariorum ne recta uia occure. Dic aliquid uel de tua cauſa, uel de rebus aduerſarij, quod adumbret, aut obruat id quod aperta fronte labefactare non poſſes. Vides'ne quoſdam uafros homines, cum obiectum eſt id quod planè refellere non poſſunt, tergiuarſari, in omnes ſe mutare formas, nunc uti locis, nunc conſcindere maledictis, nunc ſua extollere, nunc quædam tua nota improbare, ſic agere ut multo plus attuliſſe mali quàm accepiſſe uideantur? Ad eundem modum tibi uerſanda ſunt omnia, ut quod ſimpliciter & recto ordine refutare non potes, fugias: & ita fugias, ut in illud optime pugnaſſe uideare. De quo ſit hoc præceptum: Fuge quæ ualde cauſam tuam premunt. Præſidia tua ne dimitte, ut periculoſe in caſtris hoſtium uerſeris. Ne aduerſariorum adiumenta confirma: & quæ ſanari nequeunt, ne exulcera. Quando, quo modo, quibus ſententijs id fiat, non eſt artis huius præcipere. Remittendum ad prudentiam conſiliumq; oratoris. Quid cum perſonarum.] Tertium nocendi genus eſt, cum perſonarum quas defendit orator, ratione non habita, quæ ſunt in ijs inuidioſa, non mitigat extenuando, ſed laudando & efferendo, id eſt, laudibus extollendo, inuidioſiora facit. Laborat aliquis inuidia, aut quia diues eſt, aut gratioſus, aut iudicibus acceptus, aut plebi gratus, aut nouis hereditatibus locuples, aut fauore militum potens, aut in perniciem multorum diſertus, iſta'ne laudabis? Minime uero. Extenuabis potius. Nam quanto minora dicendo feceris, tanto magis decreſcet inuidia. Contra, quò plus extuleris, eò plus acreſcet. At iſta laudantur, & homini afferunt auctoritatem. Laudentur à quibuſdam citra periculum, tu uero cuius eſt officium reſtinguere inuidiam flagrantem, ne laudato, cum faces inuidiæ ſuggerunt. Dicito illa eſſe maiora in aduerſario: ut Cicero pro Quintio queritur maiorem eſſe in Hortenſio eloquentiam, in Næuio gratiam & opes. Eſt etiam genus quartum, ſi in homines charos iudicibusq; iucundos ſine ulla præmunitione orationis acerbius & contumelioſius inuehare. Eiuſmodi uiris eſt parcendum, ſi aliter cauſa agi poteſt commode. Sin acerbe tractare eos neceſſe eſt, utendum præmunitione, id eſt, oratione quadam, qua ſe munit orator aduerſus eos, qui dictum factum'ue ſunt reprehenſuri. Si Cicero pro Muræna, Catonem accuſatorem acerbe tractare uoluiſſet, nonne à ſe iudices abalienaſſet? Illum molli, ut ait Quintilianus, articulo tractauit, cuius naturam ſumme admiratus, non ipſius uitio, ſed Stoicæ ſectæ, quibuſdam in rebus factam duriorem uideri uolebat: ut inter eos non forenſem contentionem, ſed ſtudioſam diſputationem crederes incidiſſe. Quintum genus eſt, ſi, quæ uitia aut incommoda ſunt in aliquo iudice uno aut pluribus, ea tu in aduerſarijs exprobrando, in iudices quodammodo inuehare. Hoc genere peccauit Philippus ridens puſillum teſtem, cũ ſederet iudex L. Aurifex breuior etiam quàm ipſe teſtis. Vitia & incommoda ſic differunt. Vitia ſunt animi & corporis deformitates, uel natura uel habitu contractæ. Incõmoda ſunt detrimenta, quæ aut caſu aut alicuius facto eueniunt. Natus eſt aliquis claudus, uitium eſt corporis: amiſit oculum ſagitta confoſſus, incommodum. Exprobrare, ad uituperandum obijcere. Quæret aliquis, tacendum'ne ſit omne uitium quo laborat iudex unus aut plures? Non exiſtimo tacendum eſſe quod lege punitur: ſed illud quod inurit maculam, non infert publicum ſupplicium. In ſexto genere ſunt qui pro altero dicentes, litem ſuam faciunt, aut efferuntur iracundia læſi, cauſam relinquunt. Hoc modo fit, ut rem ſuam agant, litigatoris ſui non agant. Non procul ab hoc uitio eſſe uidebatur Cicero dicens pro P. Sextio: pio dolori, & iuſtæ iracũdiæ, & communi periculo liberius dicẽdi genus concedi poſtulauit. In hoc genere nimiũ patiens & lẽtus audiendis aduerſariorũ cõuicijs, atq; maledictis exiſtimor, inquit Antonius, nõ quò libenter male audiam, ſed quia ego cauſam receptam, ut meam litem perſequar, non libenter relinquo. Sulpitius homo acerbus & tragicus, cum in accuſatione Norbani Antoniũ appetiuiſſet, et plerique opinarentur Antoniũ illi acerbe & cõtumelioſe eſſe reſponſurũ, tantũ amice obiurgauit illum, quod non aduerſarium Norbanũ, cuius ſuſceperat accuſationem, ſed miniſtratorem, id eſt patronum qui defenſionem eius adminiſtrabat, maledictis peteret. Ex ea patiẽtia atq; moderatione aſſecutus eſt, ut ſi quis illi inter dicendum male diceret, petulans aut planè inſanus eſſe uideretur. Septimum genus eſt in argumentando, cum argumentum ponitur aperte falſum, aut ei quod dictum dicendum'ue eſt, contrarium aut genere ipſo remotum ab uſu iudiciorum, ac foro. Vnius uitio omnibus reliquis detrahitur auctoritas. Si erit palàm falſum, inquit Fab. Quintilianus, negare ſatis eſt, ut pro Cluentio Cicero eum quem dixerat accuſator epoto poculo concidiſſe, negat eodẽ die mortuum. Idem: Palàm contraria, & ſuperuacua, & ſtulta reprehendere, nullius artis eſt. Vides ut palàm contraria, nõ à doctis modo, ſed ab omnibus reprehendantur. Non igitur eſt mirum ſi cauſa nocent eius, qui rem molitur tam inepte. Argumentum genere ipſo remotum ab uſu iudiciorum, eſt probatio ſuapte natura aliena à iudiciorum conſuetudine, qualis eſt frequens apud philoſophos, qua in foro non utantur oratores. Vis probare hominem hunc eſſe libidinoſum, adducis eius temperamentum ad faciendam fidem, illi multum ſanguinis exundare, corpus eſſe molle & delicatum, calorem ſuppetere: tales à philoſophis omnibus cenſeri pronos ad libidinem. Quis audiet hæc iudex? Quis extra tempus hoc modo philoſophantem non reijciet? Loci è philoſophia ueniunt in forum, de uirtute, de officio, de pietate, de religione: ſed ita tractandi ſunt, ut ab omnibus intelligantur. Si philoſophorum ſubtiles argutias trahas in ſubſellia, ut à more iudiciorũ recedes, ita iudicum beneuolentiam & ſtudium amittes.

ITAQVE nunc illuc redeo Catule, in quo tu me paulo ante laudabas, &c.] De partibus inuentionis diſſeratum eſt copioſe. Secundus eſt ordini rerum & collocationi locus. Vbi enim inuenta res eſt: ut aliquid habeat uirium in extructione orationis, cui maxime apta eſt loco, in eo ab artifice debet collocari. Ante Catulus uocabat Antonium ad collocationem, quàm rationes affectuum, quæ ſunt inuentionis, explicaſſet. Quid ordo tibi placet, inquit, & quæ diſpoſitio argumentorũ: in qua tu mihi ſemper deus uideri ſoles. nunc confecta affectuũ ridiculorumq; uia, eò redit, quò uocabatur. Hæc pars rhetoricæ dicitur uel ordo, uel collocatio, uel diſpoſitio. Definitur à Quintiliano hoc modo. Diſpoſitione eſt utilis rerum ac partium in loco diſtributio. Diuiditur à Cicerone in naturalem & in artificialem diſpoſitionem. Naturalis eſt, quam ipſa natura præſcribit; id eſt animis noſtris inſerit quaſi præcipiat. Præſcribit, autem, ut aliquid ante rem dicamus ad conciliandos auditores: deinde ut rem exponamus de qua controuerſia eſt: poſt, ut eam probemus noſtris præſidijs, id eſt argumentis rationibusq; confirmandis, contrarijs refutandis: deinde ut concludamus atque peroremus. Id faciunt imperiti, rudeſq; dicendi, quibus eſt aliquid iudicij recti: unde ſcimus ipſam naturam omnium parentem hæc initia collocationis dediſſe. Altera eſt diſpoſitio, quæ oratorum iudicio & prudentia comparatur. Oratoris iudicium & prudentia à naturæ perſcriptione differt. Hæc enim in omnibus eodem modo ſe habet, illa prudentia uariat pro utilitate cauſarum. Itaque collocatio naturalis, ſi omnium communis eſt non eſt propria oratoris. Artificialis autem propria uidetur eius prudentiæ. In oratoria collocatione rerum, tria ſtatuenda componendaq; ſunt, hoc eſt ordine quamoptimo digerenda. Alia probandi cauſa dicuntur, ut argumenta: alia docendi, ut propoſitiones, partitiones, narrationes, ſententia κατ' ἐξοχὴν appellata. Alia perſuadendi, ut

di, ut affectus mitiores, qui conciliant : permotiones grauiores, quæ animum perturbant. De argumentis quæ & ad probandum & docendum ualent, primo loco dicit : altero, de affectibus. Reliqua quæ pertinent ad docendum, poſtea dicentur in partibus orationis. Si in ſingulis controuerſijs pauca admodum occurrerent argumenta, & ea eſſent generis eiuſdem, non magnopere laboraret orator uel in eorum electione, uel collocatione. Quoniam multa occurrunt, multa, quæ ſtatim prima fronte profutura eſſe uideantur, diligenter habendus eſt delectus, & optima quæque ſuo loco diſponenda. Multa multis.] Augendi gratia duplicauit hoc uerbum. Fertilibus ingenijs mille rationes occurrunt, maxime cum loci peragrantur omnes. Argumentorum partim leuia ſunt, partim grauia, partim mixta. Leuia ſimpliciter, quia pondere carent, contemnenda ſunt, niſi forte multa in unum congerantur, ut in turba capiāt uires. Fur es, paupertas enim te premit : leuis eſt probatio. Mixta aut plus nocent quàm adiuuant, aut contra. Si quid habent adiumenti, & ſunt eiuſmodi, ut inſit in ijs aliquid uitij, neque tanti ſit illud quod prodeſſe uideatur, ut cum aliquo malo coniungatur, id eſt, ſi plus obſunt quàm proſunt, erunt etiam contemnenda. Si contra, cedent in partitionem utilium atque firmorum. Vtilia atque firma ſunt grauia, quia aliquod habent pondus : alia malus alia minus. Ea ſi pauca ſunt, ut omnia collocentur, neceſſitas ipſa cogit. ſi ualde multa, diuidentur in tres ordines. Primum ſecernentur, hoc eſt ſeparabuntur leuiſſima : deinde ex grauioribus ſeligentur conſimilia, id eſt leuiſſima, & cum alijs ab oratione remouebuntur. Ne te moueat quòd leuiſſima poſueris inter utilia atque firma. Leuiſſima ſimpliciter, id eſt ſine comparatione dicta, non habentur utilia : ſed grauium leuiſſima, quoniam & ipſa ſunt grauia, in ſuo genere ſunt firma. Vt id uideant omnes, conſtituamus nummos aureos quinquaginta, ex quibus uigintiquinque leuiores ſint, quinque paulo grauiores, uiginti grauiſſimi. Cum ſint omnes boni, utiles, firmi, graueſq;, tamen uigintiquinque ſunt omnium leuiſſimi : quos reijciat is qui aurum accipit ad pondus. Ex alijs grauioribus quinque ſunt cõſimiles, hoc eſt in hac collatione omniũ leuiſſimi, quos etiam nolit ſeuerus examinator. Non aliter expendenda ſunt argumenta. Equidem, inquit, cum colligo argumenta cauſarum, non tam ea numerare ſoleo, quàm expendere. Imitatur bonos aurifices & numularios, qui non tam ſpectant numerum quàm pondus. fallantur enim ſæpiſſime, ſi quot numiſmata ſint, tantum reſpiciant. Verba Ciceronis mihi uidentur eſſe deprauata: & ubi ſic legitur, Aut alijs grauioribus, conſimilia, hoc modo legendum, aut ex alijs grauioribus cõſimilia. Senſus eſt : Demptis grauium leuiſſimis, ex alijs grauioribus conſimilia leuiſſimis ſunt ex oratione remouenda. Dicet aliquis : Non doces quo ordine argumenta diſponantur, ſed quæ repudianda, quæq; aſſumenda ? Sic eſt. Collocantis eſt in rebus habere delectum, ne quid mittat in aciem, quod omnino pugnæ ſit impedimento. Vbi fortiſſima quæque ſunt è numero ſeparata, illa inſtruere in aciem non eſt difficile : quandoquidē collocatio naturæ magis eſt, & cuiuſdam exercitationis, quàm præceptionis atque doctrinæ. Firma ſtatuentur in principio & in extremo, debilia in medio. Dicendum poſtea quæ ſit affectuũ diſpoſitio. Affectus alij ualent ad conciliandos animos, ut pluribus ante dictum eſt : alij ad permouendos. Vtrique & ſi maximas habent in oratione uires, quia tamen iudices non affici, ſed doceri uolunt, ita ſpargi debent in corpus orationis, ut nihil aliud niſi docere uelle uideamur. Quamobrem non dicit orator, Iam conciliabo mihi animos ueſtros, Incipiam mouere miſericordiam, Veniamus ad iram commouendam. id planè eſt ridiculum. Recte iſta, Rem à principio uobis exponam : Oſtendam hoc primum, deinde illud : Ad eius rei fidem ualido utar argumento. Vna res enim præ nobis eſt ferenda ; id eſt, hoc ſolum planè debemus oſtendere, & habere in conſpectu, ut nihil aliud niſi docere uelle uideamur. Reliquæ duæ res quibus conciliamus & permouemus, ſicut ſanguis in corporibus, ſic illæ in perpetuis orationibus fuſæ eſſe debebunt. Id erit, ſi inter docendum uelut aliud agentes interſeramus ea, quæ de locis ſingulis naſcuntur. Quod enim docemus, affert nobis aliquid unde nobis conciliemus auditorem, aut abalienemus ab aduerſario, aut indignationem aut miſerationem concitemus. Principia igitur & cæteræ partes orationis habere hanc uim magnopere debent, ut ad eorum mentes, apud quos agitur, mouendas permanare poſſint. Irrumpunt in animos affectus, atque penetralia mentis recludũt, uiāq; parant ijs quæ docendi gratia dicuntur. SED his partibus orationis, quæ etſi nihil docent argumentando, &c.] Etſi affectus in omnibus partibus orationis fuſi eſſe debent, proprium tamen habent locum in ijs partibus, quæ etſi nihil docent argumentando, perſuadendo tamen & commouendo proficiunt plurimum. Duæ ſunt huiuſmodi, exordium, & peroratio. Hæ quanquam recipiunt aliquando probationem, tamen ſuapte natura aliò tendunt. exordium ad conciliandum, peroratio ad mouendum. Duæ iſtæ partes igitur propriè nihil docent argumentando, ſed perſuadendo, hoc eſt uincendis animis : & commouendo, hoc eſt perturbandis mentibus proficiunt plurimum. In his proprius eſt locus affectuum, & in digreſſionibus non omnibus, ſed in ijs quæ euagantur ab eo quod propoſitum eſt, atque agitur permouendorum animorum cauſa. Digreſſiones illæ ferè collocari ſolent aut poſt narrationem, aut confirmationem, aut refutationem, aut utroque loco, uel omnibus. Decet enim & utile eſt ubi rem atrocem narraueris, aut argumentis confirmaueris refutaueris'ue, digredi : & illud amplificare quod ſubminiſtrat locus unde prodit egreſſio. Exempla reperies in una Ciceronis oratione pro Sexto Roſcio, in qua ſtatim initio ſibi conciliat animos iudicum, aduerſarios trahit in inuidiam, ac graues iam delibat affectus. Poſt narrationem egreditur : Quid primum querar ? aut unde potiſſimum iudices ordiar ? aut quod aut à quibus auxiliũ petam ? & quæ ſequuntur. Poſt refutationem iterum egreditur ad augendũ ſuppliciũ parricidarum : O' ſingularem ſapientiá iudices. Nonne uidentur hunc hominem ex rerum natura ſuſtuliſſe & eripuiſſe, cui repente cœlum, ſolem, aquã, terramq; ademerunt ? &c. Rurſus ubi probabiliorem in aduerſarijs cædem eſſe demonſtrauit, inuehitur in Chryſogonum: Hic'ne etiam ſeſe putat aliquid poſſe Chryſogonus? hic etiá potens eſſe uult ? O' rem miſeram atque acerbam. Lege quæ ſequuntur. Tandē in peroratione ſic animos permouet, ut adhuc legentes uix lachrymas tenere poſſint. Non fit iſtuc in omnibus cauſis. Quædam minores ſunt, quæ non expetunt eiuſmodi egreſſionum contentiones. Quædam ſunt grauiſſimæ atque pleniſſimæ, quæ plurimos exitus dant ad eiuſmodi digreſſionem. Tales ſunt actiones in Verrem, quæ propter uarietatem grauitatemq; criminum ſubminiſtrant oratori amplificandi, inuehendi, deplorandi copiam. Egreſſiones duplices habent affectus. Alij animos eorum qui audiunt, impellunt, ij qui comparati ſunt ad indignationem, ut ira, odium, inuidia. Alij reflectunt, id eſt reuocant ad aliam conſtitutionem, ut ij qui reſtinguunt inuidiam & irã: amor beneuolētia, miſericordia. Poſteaquã dictum eſt de naturis argumentorum & affectuum, & qui locus ſit proprius horum, utile eſt ſtatuere quæ prima debeant eſſe in acie, quæ media, quæ poſtrema. Peccant enim nonnulli non in his modo, ſed etiam in conſtituendis oratoribus. Quæ minime firma ſunt ſiue argumenta, ſiue uiri, ea prima collocant. Et ſi quando plures adhibent patronos, ut moris erat in iudicijs publicis cauſiſq; difficilioribus adhibere, ut quenque eorum minimum putant eſſe, ita eum primum uolunt dicere. Quo more Hortenſius pro P. Seſtio prior dixit, pro eodem Cicero poſterior. Pro Cornelio Balbo Cn. Pompeius habuit orationem, deinde Cicero rem omnem peregit.

Peccant & in rebus, & in oratoribus. Rationem hanc affert. Res, id eſt cauſa, poſtulat, ut eorum expectationi qui audiunt, quàm celerrime ſuccurratur: cui ſi initio ſatiſfactum non ſit, multo plus ſit in cauſa laborandum. Confirmat hac ſententia: Male ſe res habet, quæ non ſtatim ut dici cœpta eſt, melior fieri uidetur. Ergo oratorum optimus quiſque debet primus adhiberi, dum æque excellens ſeruetur ad perorandum. Eodē modo quod eſt in oratione firmiſſimum uel argumentum, uel pathos, ſit primum, dum æque ualidum ſeruetur ad extremum. Si quæ erūt mediocria, in mediam turbam atque in gregem conijciantur. Vitioſis, ut aperte falſis, contrarijs, leuibus, communibus, nullus eſſe debet in oratione locus. Quæſitum eſt, ut ait Quintilianus, potentiſſima argumenta primo ne ponenda ſint loco, ut occupent animos: an ſummo, ut inde dimittant: an partita primo ſummoq́;, ut Homerica diſpoſitione in medio ſint infirma: an à minimis creſcant? Quæ prout ratio cauſæ cuiuſq; poſtulabit, ordinabuntur, uno (ut ego cenſeo) excepto, ne à potentiſſimis ad leuiſſima decreſcat oratio. HISCE omnibus rebus conſideratis, tum denique id quod primum eſt, &c.] Sicut eſt aliquis ordo partium in oratione quæ uel dicitur, uel ſcribitur, ita quoq; eſſe debet in cogitatione: quæ ſi ordine perturbato confunditur, nihil præclarum gignere poteſt. Primum cogitandum eſt quo modo rem ad utilitatem noſtram explicemus, deinde inuenienda argumenta, poſtea affectus: tandem uidendum quo utamur exordio. Sic fit ut quod eſt in oratione primum, ſit in cogitatione poſtremum. Hiſce omnibus & agumentis & affectibus conſideratis, tum denique id quod primum eſt dicendum, quia cæteris parat aditum, poſtremo ſoleo cogitare, quo utar exordio. Ne id abſurde facere uideatur, innititur hoc argumento. Si quādo id primum inuenire uolui, nullum mihi occurrit, niſi aut exile, quod paruum habet ſuccum, tenuem uim, minutumq́; robur: aut nugatorium, quod res inutiles effutit ſine pondere & dignitate: aut uulgare, quod in plures cauſas poteſt accommodari: aut cōmune, quo nihilo minus aduerſarius poteſt uti. Vitioſa ſunt exordia nugatoria, exilia, uulgaria, communia, affectata, & quæ nō ex ipſa cauſa nata ſunt. Principia non debent eſſe exilia aut nugatoria, ſed accurata & acuta, & inſtructa ſententijs, apta uerbis. Accurata, diligenti cura elaborata: acuta, ingenioſe et ſubtiliter inuenta. Inſtructa ſententijs, armata rebus ijs & uelut inſtrumentis quibus cauſam dignitatemq́; agentium poſſint tueri. Apta uerbis, ornate compoſita, non uerbis tumidis, affectatis, inſolentibus, priſcis, nouis, inuſitatis: ſed preſſis, uerecundis, temperatis, uſitatis: in quibus ſignificatio, dignitas & pondus inſit. Cura ſit maior in aptandis ſententijs, quàm appareat. Compoſitio uerborum diligenter inſtructa, uerecunda tamen & modeſta. Quintilianus. Frequentiſſime uero proœmium decebit & ſententiarum, & compoſitionis, & uocis, & uultus modeſtia. Idem: Minime oſtentari debet in principijs cura. Idem: Illud ex præceptis ueteribus manet, ne quod inſolens uerbum, ne audacius tranſlatum, ne aut obſoleta uetuſtate, aut poetica licentia ſumptum in principio deprehendatur. Exordia cauſarum propria eſſe debet, non uulgaria, non communia. Propria ſunt, quæ in alias cauſas transferri commode non poſſunt, ut illa quæ ex intima cauſæ proprietate depromuntur, in quibus maior eſt laus, maior utilitas, maior ad audiendum uis incitandi. Cur principia citra oſtentationem accurata eſſe debeant, hæc ratio affertur. Prima eſt quaſi cognitio & commendatio orationis in principio, hoc eſt, in exordio non planè quidem, ſed quaſi cognoſcitur oratio: & ſi laudabile eſt, commendatur, ac laudari incipit dictio: quæ continuo, id eſt ſtatim permulcere quadam uoluptate, atque allicere quadam uirtute debet. Exordia Ciceronis etſi preſſa, uerecunda, ſimplicia uidētur, habent tamen occultè munitam uerborum compoſitionem: & eas continent ſententias, quæ non modo concilient auditorem, & aduerſarium ſeriunt, ſed etiam cauſam primo quaſi colore deliniant & effingunt, quæq́; ſic è cauſæ uiſceribus exempta ſunt, ut iam rem agere, non cognitorem parare uideantur. Bonus artifex iure ſuo ſub Antonij perſona redarguit infantes & indiſertos quoſdam cauſidicos, qui tum Romæ uolitabant in foro, multas recipiebant cauſas, & ante ſurgebant ad dicendum temerarij & audaces, quàm illas mediocriter cognouiſſent. Redarguit quidem, non miratur imperitos ſurgere, quia nullam ſcientiæ bene dicendi operam dederunt. Venerunt in forum adoleſcentuli, & uſu quodam ac communi opinione freti cœperunt actitare cauſas. Vehementius arguit Philippum, qui non quemadmodum illi rabulæ, quæ ratio dicēdi ſit ignorat, ſed eſt in primis diſertus atq; eruditus, quo minus illi cōdonandū eſt ſi quid peccat in dicēdo. Is ita ſolebat ad dicendū ſurgere, ut quod primū uerbū habiturus eſſet, neſciret. Cū rogaretur ab amicis cur ita faceret, dicere ſolebat, Cū brachiū concalefecero tū meo more pugnabo. Alludit ad eos pugnatores qui principio frigeſcunt, mox incitati pugnant uel acerrime. Quam ſimilitudinem retorquet illi Antonius, bonos gladiatores non ita inire certamen, ſed primas haſtas ita iactare leniter, ut & uenuſtati uel maxime ſeruiant, & reliquis uiribus ſuis conſulant, id eſt ſuas uires retineant: quæ debilitantur maxime, ſi principio totos conatus & impetus effundas. Rectius aptat ſimilitudinem in hunc ſenſum: Quemadmodum gladiatores qui pro uita ferro decernunt in arena, ante congreſſum multa faciunt, quæ non ad uulnus, ſed ad ſpeciem, id eſt ſpectaculum & ſpectantium uoluptatem ualere uideantur: ſic in oratorio certamine dicenda quædam principio, quæ ad demulcendos auditores ualeant, & eò magis, quòd in illo non tam uis quàm delectatio poſtulatur. Exordium rectè comparatur proludio certaminis, quia non aliter atque primæ petitiones, remiſſus fertur, non uehementer & pugnaciter ut argumenta. Eſt tamen quando uehemens & pugnax eſt principium, cum incipitur ex abrupto, aut aliquid incidit dignum maiore conatu. Propterea excepit inſerens hæc uerba: Non ſæpe.] Addit Aliam ſimilitudinem ex rebus naturalibus. Nihil eſt, inquit, in natura rerum omnium, id eſt in omnibus rebus naturalibus, quod ſe uniuerſum, id eſt ſimul totum profundat, abūde eijciat, quodque totum repente euolet. ſic omnia quæ fiūt quæq́; aguntur acerrime, lenioribus principijs natura ipſa prætexuit, hoc eſt exorſa eſt, ac uelut texens inchoauit. Venti uel maximi molliter exurgunt. Nubes grauiſſima tenui uapore coguntur. Modicè immurmurāt tonitruū antequā fragoſos elidat ſonitus. Mare ante leniter mouetur, quàm ab imo cōuulſum ad cœlū torqueat fluctus. Animalia ſæua, tigres, leones, ſerpentes, excreuerūt à miti principio: immanis homo & efferatus aliquando iacuit in cunis quietus. Eodē modo oratio quāuis contentioſa & grauis futura, tranquillo leniq́; paulatim aſſurgit principio, non ſtatim initio tota ſe profundit. Hæc de naſcēte oratione. Iam dicendū unde naſcatur exordiū. Non eſt, inquit, extrinſecus alicunde quærendū, nec enim quadraret, ſed ex ipſis uiſceribus & intimis cauſæ partibus ſumendum. At frequenter aliunde ſumitur, à loco, à tempore, ab habitu iudicij, ab hominum opinione, à fama, ab expectatione uulgi, ab alicuius interuentu. Ita res habet.] Loquitur hic Antonius de principijs quæ ducēda ſunt à cauſa, quādo nulla ratio melior occurrit. Tum inutile cenſet animo circūuagari, & inquirere paſſim quid primū loquare. Satius eſſe ducit totam cauſam pertentare, eorum more qui res explorant, tentandoq́; cognoſcunt: & perſpicere quid habeat rerum: ut cum loci fuerint inuenti atque inſtructi, id eſt ordine conſtituti, eruatur ex illis principiū. Sic facile reperietur.] Nā dicenda initio ſumentur ex ijs rebus quæ erunt uberrima, id eſt copioſiſſima ac potentiſſima uel in argumentis, uel in ijs partibus affectu conſtantibus, ad quas egrediuntur ſæpe cauſæ. Cicero in Diuinatione, ut conſtituatur accuſator, utitur argumento ex uoluntate Siculorum,

qui

qui ad ipſum ſuã cauſam deferebant. Ex illo duxit exordij partem. in eadem oratione auget crimina C. Verris, ut illa Cecilius nec explicare, nec in ordinem digerere, nec animo complecti poſſe uideatur. Ex illa amplificatione ſumpſit aliquid in proœmiũ. Hoc modo ſumpta principia momenti & utilitatis aliquid afferunt, quoniam ad intimam mediamq; cauſæ defenſionem pertinent. Et apparet ea non modo non eſſe cõmunia utrique parti, nec in alias cauſas poſſe trãſferri ut uulgaria, ſed penitus ex ea cauſa quæ tum agatur, effloruiſſe, hoc eſt ut ex ſtirpibus flores exiiſſe. OMNE autẽ principium aut rei totius, &c.]

Dictum eſt quo ordine excogitandum ſit exordium: ut exile, nugatorium, uulgare, commune fugiendũ ſit: contra accuratũ & acutum, & inſtructum ſententijs, & aptum uerbis, propriumq; ſumendum. Reprehenſi, qui negligunt hanc partem & ſimilitudinibus refutati. Demonſtratũ poſtea unde ſumi debeãt exordia. Videndum eſt præterea quando proœmio ſit utendum, quando nõ. Et ſi ſit utendũ, agamus'ne de rebus, an de perſonis? Et ſi de rebus aut perſonis, ad quid utamur? Tandem quo modo unumquenque finem aſſequamur? Sit'ne aliquid proprium partis huius? et an diuelli ſeparariq; debeat à narratione, ſic ut quiddam affictum, nõ cohærens cũ omni corpore membrũ eſſe uideatur? Has ordine tractat quæſtiones, ut partis huius non modo collocatio, ſed etiã tota natura cognoſcatur. Sæpe cauſæ non egent exordio, ut paruæ & frequentes, id eſt quæ multæ aguntur de rerum poſſeſſionibus, & leuibus iniurijs. Item quæ tempore præſcripto, & horis ad dicendum præſtitutis paucis uerbis expediendæ ſunt, & illæ quæ paratiſſimos habent auditores. In his ſimilibuſq; commodius eſt una, aut altera ſententia prepoſita, ne irrumpere uideare, de re ipſa diſſerere. Quando erit principium, aut rei totius quæ agitur, ſignificationem habere, id eſt ſummam cauſæ breuiter exponere debebis, ut dociles habeantur auditores: aut aditum ad cauſam, & communitionem, id eſt præparationem quæ conciliet auditorum beneuolentiam, & ad introducenda reliqua uiam cõmuniat: aut quoddam ornamentũ & dignitatem, hoc eſt rei cõmendationem, quæ, ut excitetur attentio, cauſam laudibus exornet, & dignitate in ſublime ferat. Quòd autẽ turpe eſt orationem nimis excreſcere in caput, oportet ut ædibus profanis, ac templis augurio conſecratis, ueſtibula, hoc eſt loca tecta inter fores domus & uiam media, ſic cauſis principia pro portione, id eſt analogia rerum præponere. Amplis ædibus & templis magna ueſtibula, paruis parua aut nulla, mediocribus mediocria cõueniunt. Idem modus & decorum ſeruandum eſt in orationum principijs. Omne principium ſumitur uel à re, uel à perſonis. Perſonas diuidit, ut una ſit rei, altera aduerſarij, tertia eorum apud quos agitur. Eſt etiam perſona dicentis, quam in reo intelligi oportere indico. Ex reo, id eſt eo cuius eſt res & cauſa, ſententiæ ducuntur, quæ ſignificent uirum bonum: Neque arrogo, ut Cn. Plancium ſuis erga me meritis impunitatem conſecuturum putem. niſi eius integerrimam uitam, modeſtiſſimos mores, ſummam fidem, continentiam, pietatem, innocentiam oſtendero, nihil de pœna recuſabo. Ducuntur ſententiæ, quæ ſignificẽt uirum liberalem: ut illa pro Rabirio Poſthumo: Nec interea locupletare amicos unquam ſuos deſtitit, mittere in negotium, dare partes, augere, fide ſuſtentare: quid multa? cum magnitudine animi, tum liberalitate uitam patris & conſuetudinem expreſſerat. Sententiæ de calamitoſo, pro Sextio: Uno aſpectu intueri poteſtis eos qui cum ſenatu, cum bonis omnibus Remp. afflictam excitarint, & latrocinio domeſtico liberarint: mæſtos, ſordidatos, reos de capite, de fama, de ciuitate, de fortunis, de liberis dimicãtes. Sententia de miſericordia digno, pro Rabirio Poſthumo: Satis eſt homines imprudentia lapſos non erigere: urgere uero iacentes, aut præcipitantes impellere, certe eſt inhumanũ. Sententia quæ ualeat contra falſam criminationem, pro L. Flacco: Nunquam tamen exiſtimaui, iudices, D. Lælium optimi uiri filium, optima ipſum ſpe præditum, ſummæ dignitatis, eam ſuſcepturum accuſationem, quæ ſceleratorum ciuium potius odio et furori, quàm ipſius uirtuti atque inſtitutæ adoleſcentiæ conueniret. Ex aduerſario iiſdem ex locis ferè contrariæ ſententiæ ducuntur, quæ ſignificent hominem malũ, illiberalem, ſua fortuna abutentem, indignũ miſericordia, calumniatorẽ. Si perſequar omniũ exempla, moleſtus ero. Significatur malus ac impius Caſtor Deiotari nepos, in oratione pro Deiotaro: illiberalis Nænius pro Quintio: idem gratioſus & nimium potens. Fortunatus nimiũ Chryſogonus, pro Roſcio Amerino, indignus miſericordia ac inhumanus Tubero pro Ligario, calumniator Erutius pro Sex. Roſcio. Ex re ſententiæ ducuntur: ſi crudelis, ut perduellio pro Rabirio perduellionis reo. ſi infanda, ut accuſatio regis à fugitiuo pro Deiotaro. ſi præter opinionem, ut Verris defenſio. ſi immerito accidit, ut uis illata Cecinæ. ſi miſera, ut P. Syllæ calamitas. ſi ingrata, ut negotiũ factum Plancio à M. Laterenſe, cuius amicũ contra improbos tutatus erat. ſi indigna, ut Chryſogoni iniuria aduerſus Roſcium. ſi noua, ut quod genus dicendi pro Archia poeta ſibi dari Cicero contra iudiciorum morem poſtulat. ſi quæ reſtitui ſanariq; non poſſit, ut macula iniuſta nomini Cluentij. Ex ijs apud quos agitur, ſententiæ ducuntur, ut beneuolos beneq; exiſtimãtes efficiamus: quod in multis orationibus Cicero facit, maxime pro L. Flacco. Duo ſunt genera eiuſmodi ſententiarũ: aliæ precibus conſtant, ut illa pro Roſcio Amerino: aliæ non rogando, ſed agendo beneuolos reddunt eos apud quos agitur, ut quas dicit ad Quirites poſt reditum ab exilio. Id quod ualet ad beneuolentiam, nõ modo ponendum in exordio, ſed in totam orationem confundendum, id eſt commiſcendum. Nullus eſt enim locus, in quo beneuolentia non ſit nobis utilis: petenda igitur etiam in extrema parte. Sed ideo potius attribuitur principijs, quia multa proœmia ex eo genere gignuntur. Inſimulat tamen Græcos, qui putant exordiorum proprium eſſe facere beneuolos, dociles & attentos; cum iſtuc omnium partium commune ſit, & forte magis proprium aliarũ partium facere dociles & attentos, quàm exordiorum, propterea quòd attenti tum maxime ſunt auditores, cum omnia expectant, & dociles magis cum illuſtriora dicuntur. Sed hæc calumnia eſt. Nemo rhetorum in hac re præcepit aliter quàm Græci, propterea quòd aliæ partes habent officia diſtincta. Narratio rem explicat, cõfirmatio dubias res firmat, refutatio labefactat aduerſarij firmamenta, peroratio uim cauſæ totius oſtendit. Quid habebit exordium? Ad aliquid enim inuentũ eſt: nec aliud dici poteſt quàm beneuolentia, docilitas, attentio: quamobrem hæc ſunt illius propria, non quæ uni & ſoli, ſed quæ omni & ſemper conueniunt. Quæret aliquis, cur dicat illuſtriora eſſe, quæ in principijs, quàm quæ in medijs cauſis dicuntur? Id cenſet, aut quòd media rebus circumpoſitis adumbrantur, non autem principia: aut quòd accuratum eſt exordium, media proijciuntur liberius ubi incaluit oratio. Expoſitũ eſt ut ex cauſis uel perſonis exordia ſumantur: de affectibus dubitari poteſt, ueniant nec'ne in principia? Maxima, inquit, copia principiorum ad iudicem aut alliciendum mitioribus affectibus qui uocantur ἤθη, aut incitandum grauioribus perturbationibus quæ dicuntur πάθη, ex ijs locis trahitur, qui ad motus animorum conficiendos, id eſt excitandos uel regendos inueniunt in cauſa. Quid ergo differunt exordium & peroratio ad mouendum comparata? Totos, inquit, affectus in principio explicari non oportebit; ſed tantum impelli primo iudicem leuiter, ut iam inclinato, hoc eſt aliquanto propenſiori in nos, reliqua incumbat, hoc eſt inſideat oratio. Extrema concluſio totos explicat affectus. Connexum autem ſit principium conſequenti orationi. Quoties, inquit Fab. Quintil. proœmio fuerimus uſi, tum ſiue ad expoſitionem tranſibimus, ſiue protinus ad probationem, id debebit in principio poſtremum eſſe, cui commodiſſime iungi initium ſequentium

poterit. Hoc modo non erit tanquam citharœdi proœmium affictum aliquod, ſed cum omni corpore membrum cohærebit. Recte dixit hic proœmium, quo uerbo proxime non fuerat uſus. Etenim οἴμη cantus eſt, & citharœdi pauca illa quæ antequam legitimum certamen inchoent, emerendi fauoris gratia canunt, proœmium uocauerunt. Certabant olim in ludis publicis, & ad conciliandos ſpectatores theatri proœmio utebantur: non eo quo noſtri incondito & inſuaui, ſed diu ante compoſito atque iucundo, diſſono tamen illi carmini quod modulabantur ad uictoriam. Non ſic eſſe debet affictum, id eſt afformatū & additum oratoris proœmium, ſed quaſi continuum eſſe, & cæteris cohærere. Affictum eſt à uerbo affingo, quod eſt rem afformo & accommodo. Vtitur hoc uerbo in partibus corporis lib. 3. Nullam partem corporis ſine aliqua neceſſitate affictam, totamq; formam quaſi perfectam reperietis. In tranſitu peccāt ij qui cum exordium meditati ediderunt, id eſt pronunciauerūt, ſic ad reliquas partes orationis tranſeunt, ut audientiam, id eſt audiendi patientiam, ſibi fieri nelle uideantur. Atque eiuſmodi illa proluſio, hoc eſt quaſi ludus quidā ante prælium debet eſſe, non ut Samnitum populi bello infelicis, qui uibrant & eiaculando mittunt haſtas ante pugnam, quibus in pugnando nihil utuntur: nec enim iactas recipiunt, nec alias ſecum ferunt: ſed ut ipſis ſententijs quibus proluſerunt, hoc eſt in principij proludio uſi ſunt, etiam pugnare poſſint. Vnum & idem in exordio & in alia parte dici ſæpe utile eſt. NARRARE uero rem quod breuiter, &c.] In ordine rerum narratio ſecunda collocari ſolet. Quòd ſi aliter nonnunquam ratio decernit, id ut rarum eſt, ita quoque in præceptis ultimum. Narrationis ſine ulla controuerſia tres debent eſſe uirtutes: ut ſit breuis, quò facilius memoria teneri poſſit: ut dilucida, quò pronius intelligatur: ut ueriſimilis, quò mereatur fidem. Hoc præcipiunt Græci, præcipiunt Latini. Ariſt. in breuitate diſſentit. Cicero latens in Antonij perſona calumniatur, ut more ſuo imminuat Græcos, has uirtutes eſſe communes aliarum partium: non oportere igitur attribuere potius narrationi: ubique utendum eſſe illa breuitate, quæ nihil redundet: ſemper agendum dilucide ac ueriſimiliter. cui argumento reſpondere facile eſt. Vt iſta conueniant cæteris partibus, tamen quia minore periculo omittuntur in eis, attribuuntur narrationi. Recte quidem Quintilianus litem dirimit hac ſententia: Per totam actionem uitanda eſt obſcuritas, & modus ubiq; cuſtodiendus, & credibilia eſſe oportet omnia quæ dicuntur. Maxime tamen hæc in ea parte cuſtodienda ſunt, quæ prima iudicem docet: in qua ſi acciderit, ut aut non intelligat, aut non meminerit, aut non credat, fruſtra in reliquis elaborabimus. hæc ille. Audiamus Antonium: Narrare uero rem quòd breuiter iubent Græci, non probo. Nam ſi breuitas appellanda eſt cum uerbum nullum redundet, breuis eſt L. Craſſi oratio. Sic enim terſus eſt & limatus orator, ut in eius oratione tota uerbum nullum redundet. Narratio igitur tam longa eſſe poterit, quàm tota oratio quamuis copioſa. Si tum eſt breuitas, cum tantum uerborum eſt, quantum neceſſe eſt, hoc eſt cum nihil dicitur niſi neceſſarium, ad explicandam cauſam, aliquando id opus eſt ac neceſſarium, cum utimur βραχυλογίᾳ καὶ λακωνισμῷ: ſed ſæpe obeſt cum in alijs locis, tum maxime in narrando. Primum obſcuritatem affert: Nam ſi breuis eſſe laboro, obſcurus fio: deinde eā uirtutem quæ narrationis eſt maxima, ut iucunda, & ad perſuadendum accommodata ſit, tollit. Si tantum neceſſaria ponūtur, certe ad exponendum neque uenuſtates neque permotiones animi ſunt neceſſariæ. Argumento ſit annalium ſimplicitas, in quibus res geſtæ ſine ijs rebus exponuntur. Reſpondeant Græci, non intelligere ſe aliquid iſtorum, ſed dicere narrationem breuē, quæ tantum quantum ad cauſam bene explicandam ſatis eſt, amplectitur: non altius repetit, non longius perſequitur, non onerat auditorem inutilium multitudine ſententiarum: cæterum præter docendi neceſſitatem adhibet iucunditatem & affectum. Quòd narratio debeat eſſe iucunda uarietate rerum, & ad perſuadendum accommodata probabilitate eorum quæ geſta eſſe dicuntur, & iccirco progrediatur ultra neceſſitatem exponendi, probare contendit exemplo noto maximeq; laudabili ex Andria Terentij, ubi Simo ſenex Soſiæ narrat quemadmodum Pamphili deprehenderit amorem. Is cum poſſet breuiter rem omnem perſtringere hoc modo, Chryſis mortua effertur, imus, ad ſepulchrum uenimus, in ignem poſita eſt, & quæ ſequuntur: maluit mores Pamphili adoleſcentis exponere, Soſiam ſeruum inducere percunctantem, deſcribere mortem meretriculæ Chryſidis, depingere uultum, formam, lamentationem Glycerij quæ ſoror illius eſſe credebatur, narrationem diſtinguere perſonis, interpungere, hoc eſt diſtinguere ſermonibus, & omnia adeo probabiliter explicare, ac ponere ſub oculos, ut fieri, non audiri modo uideantur. Videlicet.] Declarantis eſt particula. Illa.] Iunge cum ſequentibus, illa quàm longa eſt narratio. Peruarie.] Maxime uarie. Decem uerſiculis.] Verſiculos dicit, qui proxime ſequuntur illud, In ignem poſita eſt. Conciſum eſt.] Breuibus commatis & inciſis expeditum. Nam ſingulas ferè uerba ponuntur, non quo breuitati ſeruiat poeta, ſed magis uenuſtati. Venuſtior eſt narratio, quæ & inciſa, & membra, & periodos loco ponit, quàm quæ unum perſequitur genus dicendi. Feſtiuitatem.] Venuſtatem atque iucunditatem. Diſtincta perſonis.] Narratio diſtinguitur perſonis, quæ ſic ordine quid quiſque fecerit dixerit'ue narrat, ut nulla ſit confuſio perſonarū. Sermonibus interpuncta narratio, quæ ſingulis quaſi articulis nouos memorat ſermones. Altera uirtus eſt narrationis in oratione dilucida. Apertā enim narrationē tā eſſe oportet, q̄ cæteras partes orationis: & hoc, id eſt eo magis in hac elaborandū eſt, quòd & difficilius eſt non eſſe obſcurū in re narranda, quàm aut in principio, aut in argumento, aut in purgando, id eſt refutando, aut perorando. Nam in illis partibus perſonæ, tempora, loca, res geſtæ, inſtrumenta, facultates, modi agendi, non ſic confluunt in unum, nec continuam petunt expoſitionem. Adde rationem hanc, cur in ea magis elaborandum ſit. Maiore periculo hæc pars orationis obſcura eſt, quàm cæteræ. quia ſi quo alio in loco eſt dictum quid obſcurius, tantum id perit quod ita dictum eſt ut non intelligatur: narratio obſcura totam obcæcat ac tenebris inuoluit orationem: uel quòd alia poſſis, ſemel ſi obſcurius dixeris, dicere alio loco planius & apertius: narrationi unus eſt in cauſa locus. Quis enim ferat eum qui bis omnem controuerſiam narret? Vides ut eò ueniat, quò cæteri ſcriptores huius artis, qui dicunt narrationem oportere eſſe breuem, dilucidam, ueriſimilem. Nam etſi tantum de breuitate uidetur contendere, tamen de duobus reliquis eodem modo procedit argumentū. Quo modo perſpicua ſit narratio? Si uerbis uſitatis, ſi ordine temporum conſeruato, ſi non interrupte narrabitur. Contra fit obſcura uerbis inſolentibus & inuſitatis, temporum confuſione, cum quæ ante facta dicta'ue ſunt, poſtponuntur, aut contra. Interruptione, hoc eſt egreſſione, quæ propoſitum interrumpit. Crebræ digreſſiones, ut in poetis, miram pariunt obſcuritatem. An ſemper utendum narratione? Nequaquam. Neque enim ſi nota res eſt de qua agitur, nec dubium ſit quid geſtum ſit, narrari oportet: nec ſi aduerſarius narrauit eo modo quo uolumus. Si quæ ſunt alia tempora, conſilij, non artis eſt uidere. Narrabimus'ne rem ſicuti geſta eſt? Id non ſemper expedit. Tacenda quæ ſuſpicionem & crimen efficiunt, contraq; nos ſunt: & quidquid cauſæ nocet, detrahendum. Cum enim omnis orationis reliquæ fons ſit narratio, & ad ſummam, id eſt uniuerſum momentum totius cauſæ pertineat, acute & prudenter eſt inſtruenda. Fons autem dicitur, quoniam ab eius partibus manant omnia. Quæret aliquis, cur de ueriſimilitudine non dixerit? Attigit cum diceret, Et eſt probabilius

quod

quod geſtum eſſe dicas, cum quemadmodum actum ſit, exponas. & in oratione Terentij ſatis oſtenditur, quid ſit credibiliter narrare. SEQVITVR ut cauſa ponatur: in quo uidendum eſt quid in controuerſiam, &c.] Tertio loco ſtatuitur uel propoſitio, uel partitio. Propoſitio, ſi cauſa ſimplex eſt: partitio, ſi multas habet quæſtiones. Tam in propoſitione quàm in partitione uidendum eſt quid in controuerſiam ueniat. Illud eſt enim quod ante confirmationem proponitur, ut ſciant cognitores quò omnia dirigantur argumenta. Illud iā in iudicium uenit, non occiſus'ne ſit, quod fatemur, ſed iure an iniuria, quod multis antea in cauſis iam quæſitum eſt. Inſidias factas eſſe conſtat, & id eſt, quod ſenatus contra Remp. factum eſſe iudicauit. Ab utro factæ ſint, incertum eſt. De hoc igitur latum eſt ut quæreretur. ita & ſenatus rem, non hominem notauit: & Pompeius de iure, non de facto quæſtionem tulit. Num quid igitur aliud in iudiciū uenit, niſi uter utri inſidias fecerit? Hoc exemplum aperte monſtrat, melius eſſe dilatare propoſitionem, quàm nudam breuemq; conſtituere. Propoſitionem ſequitur confirmatio & refutatio. Confirmatio noſtra confirmat: refutatio infirmat contraria. In hac & in illa, ſuggerenda, id eſt ſubminiſtranda ſunt firmamenta, id eſt, argumenta, nō quælibet, ſed coniuncta cauſæ, & ad rem pertinentia. Quo debeāt ordine collocari, iam dictum eſt. Confirmatio & refutatio unā eandemq; rationem habent. Vtraque enim conſtat argumentis. Eſt, inquit, una in cauſis ratio quædā eius orationis quæ ad probandum argumentationem ualet. hoc eſt, tota pars illa ac oratio quæ probat, & argumentis agit, una ratione conſtat. Quo modo? Ad utramque rem & confirmationem et refutationem ex iiſdem locis inueniuntur argumenta, eodem modo deligūtur, ſimili ordine collocantur, ſimiliter tractantur, una eademq; arte adminiſtrantur. Natura igitur & utilitate & tractatione coniunguntur. Neque reprehendi quæ contra dicuntur poſſunt, niſi tua confirmes: neque hæc confirmari, niſi illa reprehendas. Non enim ſi mea præſidia deieceris, tua ſtatim ſecura ſunt: nec ſatis tuta ſunt tuæ munitiones, niſi meas ſuſtuleris. Refutaſti mea argumenta, nō iccirco omni crimine cares. cōfirmaſti tua: nō ideo uideris innocens, niſi mea diſſolueris. Quid igitur ſunt duæ partes, ſi una ſit ratio? quoniā aliud quiddam eſt ſua cōfirmare, aliud contraria refellere. Hæc officia cauſis & perſonis diſtincta ſunt. Concluſio partium orationis eſt ultima: quæ uel breuiter repetit argumenta, uel mouet affectus. repetitio et ἀνακεφαλαίωσις minus habet difficultatis. hanc igitur omittit. Alteram, quia difficilior eſt, tractat. Conficitur rebus augendis, hoc eſt, amplificatione, cui proprius aſſignatur locus in peroratione, conſtat. Amplificatio uel αὔξησις, ut aliquando miſceat argumenta, maxime tamen intonat, impetumq; facit affectibus. Affectus uel inflammāt iudicem, ut acriores, odium, iracundia, inuidia, moleſtia: uel mitigant, ut mitiores, amor, ſpes, lætitia, miſericordia. Hi defenſoribus, illi accuſatoribus ſunt aptiores. Dominantur in extremo loco, ſed, quod ante dictum eſt, adhibentur etiam ſuperioribus orationis locis. Omnia & argumenta et momenta perturbationum, & ſuperioribus orationis locis, et maxime extremo, id eſt, in peroratione, ad mentes iudicum quā maxime permouendas, & ad utilitatem noſtram uocandas, conferenda ſunt. Hac ſententia uel præceptione de toto genere, optime claudit omnē de partibus orationis diſputationem. NEQVE ſanè iam cauſa uidetur eſſe cur ſecernamus ea præcepta, &c.] Expoſuit ordinem partium, & quid in ſingulis debeat collocari, ſi cauſa iudicialis eſt ac forenſis. Reſtant alia genera, ſuaſorium, & laudatorium: de quibus aliquid dicendum uidetur nō ſolum propter diſpoſitionem, de qua agitur, ſed etiam ut poſitis communibus rebus quæ ualent aut ad docendū, aut ad conciliandum, aut ad mouendum, tandem explicentur ſingulorum generum natura proprietateſq;. Omnium generum quædam ſunt præcepta communia, quæ ſi ſola eſſent, nulla ſanè cauſa uideretur eſſe cur ſecernerentur, id eſt, ſepararentur ea præcepta quæ de ſuaſionibus tradenda ſunt, aut laudationibus. At cum multa ſint propria, non inutile eſt unumquodque genus per ſe cōſiderare. De genere iudiciali ſatis multa diſſeruit. Agit poſtea de ſuaſionibus, quæ uerſantur aut in ſenatu & in curia, aut in populi concione. Deliberatio duas partes: unam ſuadentis, alteram diſſuadentis. Ad utranque expetenda eſt grauitas illa quæ ſapientiæ, honeſtatis, & eloquentiæ pondus habet. Sapientiam hic cū Cicerone dicimus illam ſolertiam ac prudentiā, quæ res & earum uim cognoſcit, atque de maximis rebus conſilia prouidet. Honeſtatem accipimus eam, quæ uirtute & proba ratione uitæ ſibi quæſijt auctoritatem. In conſilijs ſapiente opus eſt, qui mente prouidere: honeſto uiro, qui auctoritate probare: diſerto, qui oratione perſuadere poſſit. Nec ſatis eſt proſpexiſſe, niſi ſit auctoritas ad probandum. Vilium enim hominum conſilia ſpernuntur: nec auctoritas ſemper obtinet, niſi conſilia bene cōcepta refragantibus oratione perſuadeat. Ex his colligere poſſis, habere artem, eruditionem, dotes corporis, parum eſſe, niſi ingenium, prudentia, honeſtas atque auctoritas acceſſerit. Conſilia aliter in ſenatu, aliter in concione tractantur. In ſenatu minore apparatu agenda ſunt. Sapiens eſt conſilium ſenatorum, quod effuſam & affectatam dicendi copiam ægre fert, paucioribus & ſimplicioribus uerbis rem agi uult, & alijs dicendi locum relinqui. Si multos igitur allicere uoles ad ſententiā tuam, tolles omnem affectationem, redundantiam, apparatū ſuperbum, oſtentationem ingenij, & altioris prudentiæ. Hæc enim grauibus uiris odioſa inuiſaq; ſunt. Concio, γένος δημηγορικὸν, populare genus maiorem fert apparatum. Vnus dicit apud multitudinem, quam & ad euincendam cauſam allicere, & in admirationem ſui perducere contendit. Quamobrem adhibet omnem uim, id eſt, uirtutem & impetum orationis: præ ſe fert grauitatem: & quanta poteſt utitur uarietate tum uerborum, tum ſententiarum. Concio, inquit, capit omnem uim orationis, & grauitatem uarietatemq; deſiderat. Imperitæ multitudinis eſt conſiliū, alij nemini dicendi relinquitur locus, nec illic odioſa eſt ingenij & artis oſtentatio. Finis deliberationis eſt dignitas & utilitas. Capimus enim conſilia, quò uel dignitatem noſtrā retinere, et aſſequi maiorem, uel fructum aliquem utilitatis percipere poſſimus. Quòd autem nihil eſt optabilius quàm dignitas, & utilitas cedit honeſtati, recta conſilia non tam ad utilitatem quàm ad dignitatem erunt dirigenda. Deliberatiuas, inquit Fabius Quintilianus, miror à quibuſdā ſola utilitate finitas: ac ſi quid in his unū ſequi oporteret, potior fuiſſet apud me Ciceronis ſententia, qui hoc materiæ genus dignitate maxime cōtineri putat. Id loquitur non quò Cicero ſit unum ſecutus, ſed utilitati prætulerit dignitatem, qui poſtea in partitionibus utilitatem maluit. Ariſtoteles utilitatem ſequitur: τῷ μὲν συμβουλεύοντι τὸ συμφέρον καὶ βλαβερόν. ὁ μὲν γὰρ προτρέπων, ὡς βέλτιον συμβουλεύει. ὁ δὲ ἀποτρέπων, ὡς χεῖρον ἀποτρέπει. Deliberanti proponitur utile & nocuum. Nam qui incitat, ut melius utiliusq; ſuadet: qui reuocat, ut deterius diſſuadet. Qui utilitatem putat eſſe magis optabilem, non quid maxime uelit ſuaſor bonus uir et honeſtus, ideoq; præferēs honeſta, ſed quid interdum magis ſequatur adductus conditione cauſæ, uidet. Nemo eſt enim, præſertim in tam clara ciuitate, quàm eſt hæc, Quiritium, quin putet expetendam maxime dignitatem, cum intelligat non opibus & diuitijs, ſed uirorum dignitate ciuitatem claruiſſe: cumq; uideat primos locos & honores ijs deferri ſolere, qui plus uirtutis & magnificentiæ in maximis rebus habuerunt. Sed uincit utilitas plerūque, cum ſubeſt ille timor, ea neglecta, ne dignitatem quidem poſſe retineri. Quamobrem ſic agit cauſam Quintij, ut amittere facultates & nomen dicat eſſe capitale. Nec enim poterat fieri quin amarent utilitatem qui uiderent ex cenſu ordines conſti-

tui. Controuerſia inter hominum ſententias ex comparatione rerum naſcitur. Aut enim quærunt utrum ſit utilius, aut quid utiliſſimum, aut ſi id conuenit, utrum honeſtati potius an utilitati conſulendum ſit. Sæpe quidem honeſtas & utilitas pugnare inter ſe uidentur. Propter eiuſmodi comparationes Ariſtoteles enumerat ea quæ per ſe magna ſunt, et quæ conferendo maiora uidentur, & quæ minora. Illam enumerationem ut moleſtam nimiumq; ſubtilem noluit amplecti Cicero, qui oratorũ more quærit expreſſiora. Quinque ſunt maxima, de quibus homines deliberant. Ariſtoteles. σχεδὸν γὰρ περὶ ὧν βουλεύονται πάντες, καὶ περὶ ἃ ἀγορεύουσιν οἱ συμβουλεύοντες, τὰ μέγιστα τυγχάνει πέντε τὸν ἀριθμὸν ὄντα. ταῦτα δ' ἐστὶ περί τε πόρων, καὶ πολέμου καὶ εἰρήνης, ἔτι δὲ περὶ φυλακῆς τῆς χώρας, καὶ τῶν εἰσαγομένων καὶ ἐξαγομένων, καὶ νομοθεσίας. De quibus omnes ferè deliberant & agunt ij qui conſilia tractant, maximæ res numero quinque ſunt. Agunt enim de facultatibus, de bello et pace, præterea de cuſtodia regionis, de ijs quæ importantur & exportantur, de legibus ferendis. In his licet aut utilitatem aut honeſtatẽ defendere. Qui utilitatem defendet, enumerabit commoda pacis, opum, potentiæ, pecuniæ, uectigalium, præſidij, militum, utilitates cæterarum rerum, quarum fructum utilitate metimur; itemq; incommoda contrariorum. Exempli gratia, ſuadet aliquis pacem parum honeſtam: enumeret cõmoda pacis, cuiuſmodi ſunt requies, ſecuritas, oblectatio, cultus agrorum, rei familiaris incrementum, artium exercitatio. Dicat etiam incommoda belli, qualia ſunt hæc, uaſtationes agri, euerſiones urbium, direptiones bonorum, captiuitates, ſeruitutes, mortes, ſtupra, ſacrilegia. Colligat utilius eſſe pacem componere, quàm mouere abominandum bellum: fruſtra quærere nos honeſtatem, ſi non adſit utilitas. Si de opibus erit controuerſia, enumeret commoda earũ & incommoda, paupertatis atque inopiæ. Si de potentia, exponat fructum & utilitatem potentiæ, mala & acerbitates impotentiæ. De cæteris eodem modo dicendum eſt. Enumerat enim res Antonius, quæ perſæpe cadebant in conſilium uel ſenatus, uel concionis: ad quas tractandas duos aſſignat locos: unum ex commodis, alterum ex incommodis contrarijs. Quot hic res ponit, totidem tibi conſtitue quæſtiones. in ſingulis quæſtionibus confer ex aduerſo ſuaſionem & diſſuaſionem. ut de uectigalibus finge quæſtionem, diminuenda'ne Siciliæ uectigalia, quoniam ſe grauari nimium Siculi querũtur? Suadenti da locos honeſti, an inhoneſti contrarij: diſſuadenti propone rationes utilitatis atque detrimenti. Honeſtum uidetur populo Romano nimium oneratam uectigalibus leuare Siciliam: contra inutile, enpuerare neruos Reip. et minuere tributa. Sic agi poteſt de pecunia exigenda uel remittenda nomine Reip. de præſidijs collocandis in ciuitatibus uel reuocandis: de militibus ducendis in coloniam, uel retinendis in ciuitate. Et aliæ multæ quæſtiones ijſdem de rebus emanare poſſunt. Qui ad dignitatẽ impellet atque honeſtatem, utatur exemplis ueterũ Romanorum, qui dignitatẽ prætulerunt paci, ut Appius cæcus in Pyrrhum: uel opibus, ut Fabricius in eundem: uel potentiæ, ut populus R. in reges plurimos, quos deuictos noluit ſpoliare ſuis regnis, quãuis inde maiorem ſibi ampliaret potentiam. Dicet etiam utilitatem ex laude naſci, hoc eſt nihil eſſe utile, quod non idem ſit laudabile. uidendum primum ſit'ne honeſtum, deinde exiſtimandum perutile, quod honeſtum eſſe conſtiterit? SED quid fieri poſſit aut nõ poſſit, quidq; etiam ſit neceſſe aut, &c.] Quæ nullo modo fieri poſſe conſtat, & quæ neceſſaria ſunt, omnem tollunt deliberationem. Ariſtoteles: ὅσα δὲ ἐξ ἀνάγκης ἢ ἔστιν, ἢ ἔσται, ἢ ἀδύνατον εἶναι, ἢ γενέσθαι, περὶ τούτων οὐκ ἔστι συμβουλή. Nulla deliberatio eſt de ijs quæ neceſſario uel ſunt uel erunt, neque de ijs quæ uel eſſe uel fore impoſſibile eſt. Atenim non eſt cuiuſuis inſpicere aliquid non poſſe fieri, ut Iſthmon intercidi non poſſe. aut neceſſarium afferri, ut neceſſarium eſſe bellum in Catilinam ſuſcipere. Quamobrem illa ueniunt in controuerſiam, ſi talia eſſe non conſtat. Inciditur omnis deliberatio, ſi conſtat. Et qui id docuit non uidentibus alijs, is plurimum uidit. ut debeamus accipere neceſſarium & impoſſibile (utar hoc uerbo cum Quintiliano, quandoquidem ἀδύνατον aliter reddere non poſſumus) Cicero docet in Partitionibus oratorijs: Neceſſe autem id eſt, ſine quo ſalui liberi'ue eſſe non poſſumus. Ibidem: Bonorum autem partim neceſſaria ſunt. ut uita, pudicitia, libertas: ut liberi, coniuges, germani, parentes. partim non neceſſaria. Ibidem: Cum autem quæritur quid fieri poſſit, uidendum etiam eſt quàm facile poſſit. Nam quæ perdifficilia ſunt, perinde habenda ſæpe ſunt, ac ſi effici non poſſint. Et cũ de neceſſitate attendemus, etſi aliquid non neceſſarium uidebitur, uidendum tamen erit quàm ſit magnum. Quod enim permagni intereſt, pro neceſſario ſæpe habetur. Ad conſilium autem de Rep. dandum caput eſt, hoc eſt primũ præcipuumq; noſſe Remp. Neque enim de rebus ignotis certa conſilia dare poſſumus. Noſſe Remp. non eſt artis rethoricæ, ſed ſcientiæ ciuilis. quamobrem nulla hac de re præcepta dat. Ad dicendum probabiliter caput eſt noſſe mores ciuitatis. Probabile quidem eſt, ut ait in Partitionibus loquens de narratione, quod cum lege, cum more coniunctum eſt. Cum dicimus ea quæ uulgo fieri ſolent, credibilis eſt oratio. Contra ſi dicimus ea quæ legibus & moribus ciuitatis aliena ſunt, incredibilis. niſi demonſtretur. Mores ciuitatis crebro mutantur. aliter uiuebant ueteres Romani, aliter ij qui fuerũt temporibus Gracchorum, aliter Syllani, aliter Cæſariani. Innouant multa principes, leges poſteriores, fortuna, perigrini ciuitate donati, neceſſitas. Quare ſi moribus aptanda eſt ratio dicendi, genus orationis eſt ſæpe mutãdum. Oratio concionalis, quod attinet ad characterem formamq; dicendi, grandis, ſublimis, illuſtris eſſe debet, quia ſumma dignitas eſt populi ad quem habetur, quia grauiſſima eſt cauſa Reip. quæ ſolet agi in concione, quia maximi ſunt motus multitudinis, qui oratione uulgari temperari, regiq; non poſſunt. Quod autem rudis & imperita multitudo magis ducitur affectu, quàm rationibus et argumentis, maxima pars orationis admouenda eſt ad animorum motus. Non uno modo admouebitur. Aliquando concitabit in ſpem, ut Antoniana quarta: interdum in metum, ut concio in Seruilium Rullum: nonnunquam ad cupiditatem, ut oratio pro lege Manilia: ſæpe ad gloriam, ut omnes ferè imperatorũ conciones apud Liuium. Sæpe admouebitur non concitandi, ſed reuocandi gratia. A temeritate, iracundia, ſpe, iniuria, inuidia, crudelitate reuocabit. Horum omnium exempla ſuppeditant hiſtorici. Vt autem orator genus orationis grandius & illuſtrius adhibeat in concione, cauſa eſt multitudo. Nam quia maxima quaſi oratori ſcena uidetur concio, hoc eſt, quia maximus fit populi conuentus ad oratorem audiendum, quemadmodum confluit ad ſpectandos ſcenicos ludos, & apparatum inſignem magnificentiamq; deſiderat: qui dicit, natura ipſa ad ornatius dicendi genus excitatur. Quæ natura? ui quadam inſita, quæ à multitudine mouetur. Habet enim multitudo uim quandam ad excitandum ingeniũ noſtrũ, quod naturæ nomine intelligendum eſt. Fit igitur ut quemadmodum tibicen ſine tibijs canere, ſic orator niſi multitudine audiente eloquens eſſe non poſſit. Comparauit tibias inſtrumenta, cum multitudine audiente, in eo quod eſt non poſſe canere, non quò eadem ratio ſit multitudinis & inſtrumentorum, ſed quia tibicen tibias, orator multitudinem quærit. Quod eſt, non erit opus aliquo præcepto, quo iubeatur ornatius dicere: à natura ipſa docebitur. Huc pertinent illa quæ ſcribit in oratione pro Deiotaro: Dico intra domeſticos parietes, dico extra conuentũ, & eam frequentiam, in qua oratorum ſtudia niti ſolent, in tuis oculis, in tuo ore uultuq; acquieſco, Te unum intueor, ad te unũ omnis mea ſpectat oratio, quæ mihi ad ſpem obtinendæ ueritatis grauiſſima ſunt, ad motum animi & ad omnem impetum dicendi

cendi contentionemq́; leuiora. Populus multis modis offenditur, non paucioribus mitigatur. Quatuor ponit, & totidem medicinas contrarias. Cum ſint populares multi uariq́; lapſus, hoc eſt, cum ſæpe & uarie accidat oratorem labi & errare in populo tractando, uitanda eſt acclamatio aduerſa populi, id eſt, efficiendum eſt, ne populus offenſus acclamet, & clamore turbet oratorem. Acclamabat interdum pro fauore dicentis. Indicat Antoniana 4. Nunc uero multo ſum erectior, quod uos quo hoſtem illum eſſe, tanto conſenſu tantoq́; clamore approbauiſtis. Hæc propitia eſt acclamatio. Alia eſt aduerſa, quam ſuſtinuit cū pro Rabirio perduellionis reo diceret: Nihil me clamor iſte commouet, ſed conſolatur, cum indicat eſſe quoſdam ciues imperitos, ſed non multos. Nunquam, mihi credite, populus R. hic qui ſilet, conſulem me feciſſet, ſi ueſtro clamore perturbatum iri arbitraretur. Talis acclamatio eſt aduerſa, & orationis peccato aliquo & offenſione uitioſa excitatur. Id fit quatuor modis. Vnus eſt, ſi aſpere, ſi arroganter, ſi ſordide, ſi quoquo animi uitio dictū eſſe aliquid uideatur. Aſperitas eſt dure & acerbe nimiumq́; ſeuere loquentis. Arrogantia, attribuentis ſibi plura quàm par eſt. Sordes, hominis illiberalis, auari, ſplendoris & magnificentiæ oppugnatoris. Populus Romanus hoſtis eſt omnium nationum, aſpere dictum. Virtutibus meis nemo ueſtrum poterat denegare conſulatum, arroganter. Non eſt cur tantam pecuniam in ludis, in triumphis, in ædificijs, in epulo conſumatis, ſordide. Sunt alia uitia dicentis, quæ populum non minus irritant. Alter eſt ſi agat orator de ijs hominibus qui populum offenderunt, uel qui inuidia laborant, ſiue iuſta ſit, id eſt, ſiue digni ſint inuidia, ſiue contracta ſit ex criminatione, hoc eſt accuſatione falſa, atque fama. Si de illis habendus eſt ſermo, multa præmunitione & animorum concilatione opus eſt. Tertius eſt, ſi res et cauſa diſplicet, ut ſi lex feratur de coercendis ſumptibus. Quartus eſt, ſi eſt in aliquo motu ſiue cupiditatis aut metus multitudo, ut ſi cupiat leges agrarias ferri, tu diſſuadeas. Si metuat acerbiora iudicia, tu exacerbare uelis. His quatuor cauſis totidem medicinæ & remedia opponuntur, tum obiurgatio, ſi eſt auctoritas in oratore tanta, ut obiurgatione populum continere poſſit. tum admonitio, quæ eſt quaſi leuior obiurgatio. tum promiſſio, qua, ſi audierint, cauſam probaturum ſe confirmat orator. tum deprecatio, quod eſt infimum, quia minus habet dignitatis, minusq́; proficit. Quo remedio uel quibus utendum ſit, prudentis eſt uidere. Hic abundabis exemplis ſi legeris conciones Liuianas. Citaſſem, niſi me terruiſſet minime neceſſaria prolixitas, et eiuſmodi exempla eſſent ignotiora uulgo. Eruditi norunt. Imperiti nō intelligerent aſſcripta. Eſt & quintum remedium, facetiarum urbanitas, ſiue cauillationes erunt in perpetua narratione, ſiue dicacitas, quæ celeritatem habet, & breui dicto perſtringit, non ut ſcurrilitas ſine dignitate, non ut improbitas ſine lepore, ſed cū dignitate & cum lepore. Eò facetiæ in concione ualent, ut multitudo à triſtitia & acerbitate deducatur. Decebunt autem, ſi commode, id eſt, arrepta occaſione, ſi breuiter, ſi acute, ſi hilare iucundéq; dicentur. Opportunitate, breuitate, acumine, hilaritate, ridicula commendantur. EXPOSVI *ferè. ut potui, nobis in utroque genere cauſarum, &c.*] *À genere iudiciali & ſuaſorio tranſit ad laudationum genus. Expoſui ferè ut potui, nobis in utroque genere cauſarum iudiciali et ſuaſorio, quæ ſequi ſolere, quæ fugere, quæ ſpectare, quaq́; omnino in cauſis ratione uerſari. Excipit dicendo, ferè, ne quis exiſtimet ipſum nihil aliud habere quàm quod expoſuit, aut certe quòd nemo omnia præceptis amplectitur. Nec dicit dare ſe præcepta, quaſi ſit artis expers atque doctrinæ, ſed ea exponere quæ ſequatur, quæ fugiat, quaſi omnia debeat uſui & exercitationi. Res aliter habet, ut ſæpe dictum eſt. Quod autem in cauſis aliqua ſunt bona, aliqua mala (nec enim eſt ulla controuerſia quæ non habeat aliquid boni, aliquid mali) expoſuit quæ fugeret, quaq́; ſequeretur. Ad hæc opus eſt multa prudentia, ne tuæ cauſæ noceas in iudicio, ne populum offendas in concione, ne uiros graues afficias moleſtia in ſenatu. quamobrem dixit etiam quæ ſpectaret, quaq́; omnino in cauſis ratione uerſaretur. Tertium genus laudationem & exornationem Cicero appellare ſolet, quoniam laudatiuum, quod eſt ἐγκωμιαστικὸν, & demonſtratiuum, ἐπιδεικτικὸν, uerba dura ſunt, & auribus eruditis ingrata. Hoc genus Antonius, quia non eſſet difficile. quia multa orationum genera & grauiora, & copiæ maioris eſſent, de quibus nemo ferè præciperet, teſtimoniorum, legationum, obiurgationum, cohortationum, conſolationū, hiſtoriæ, quia Romani laudationibus non ita multum uti ſolerent, initio non à ſuis, ſed à rhetorum præceptis ſegregauit. Cum dicit præcepta noſtra, ne accipito illius præcepta qui nolit uideri ineruditus, ſed interpretator rhetorū præceptiones: aut dicito præcepta pro obſeruationibus ſolere poni. Rationes cur laudationem ſecerneret à præceptis, repetit, ne temere feciſſe uideatur. Eius rei memoriam reuocat, ne tanquam ſui oblitus, ſi de hoc genere diſſereret, ſibi putetur eſſe contrarius. Principio diſputationis oſtendit ad quem finem ſpectet exornatio. Græci magis legendi, hoc eſt ut legerentur à multis, aut ut haberent multi quod in otio legerent, aut delectationis, aut hominis alicuius ornandi, quàm utilitatis forenſis cauſa laudationes ſcriptitauerunt. Romani laudatione ſunt uſi aut in foro, ut de aliquo breue teſtimonium ferrent: aut in concione, ut funus exornarent. Ergo laudationes inuentæ ſunt, aut legendi, aut delectationis, aut hominis alicuius ornandi, aut iudicialis elogij, aut funeris exornandi gratia. Græcorum ſunt libri de laudibus, ut Iſocratis aliorumq́; multorum rhetorum, ex quibus ſunt illi duodecim, quorum nunc opera circumferuntur. In ijs uiri clariſſimi laudantur, Athenienſes, ut Themiſtocles et Ariſtides: Lacedæmonij, ut Ageſilaus: Thebani, ut Epaminondas: Macedones, ut Philippus & Alexander, aliiq́; permulti aliarum ciuitatum principes illuſtres. Vnde confirmari poteſt, genus encomiaſticum maxime ad ornandos uiros præclaros inuentū fuiſſe. Quanti qualeſq́; fuerint quos hic nominat uiri, non opus eſt hic pluribus exponere. Id ſi uoles cognoſcere, tibi Plutarchus enarrabit. Teſtimonij breuitatem nudam atque inornatam dicit illam teſtium laudem, quæ digreſſione breui ſine ornatu & apparatu laudatorio ponitur in cauſis, qualis eſt actionibus in Verrem frequentiſſima. Item quæ uel hominem, ut Pompeium in oratione pro Cornelio Balbo: uel prouinciam, ut Siciliam quarta actione in Verrem: aut ciuitatem, ut Syracuſas accuſatione ſexta: aut aliud ſimile commendat. Ad res eiuſmodi frequenter orator uelut à uia recta depulſus egreditur. Funebres conciones, ſunt orationes, quæ de laudibus hominum illuſtrium mortuorum habentur in concione, cuiuſmodi ſunt illæ Philippi non inelegantes. Eiuſmodi laudationes ad orationis laudem minime accommodatas eſſe dicit, aut quia mandabantur pueris & adoleſcentulis, aut quia in luctu atque mœrore non adhibentur ornamenta illa pulcherrima, quibus oratio ueſtita laudatur. Poſteaquam rationes expoſuit quibus adductus laudationem ſegregaſſet à præceptis, & ex conſuetudine illuſtrium ciuitatum demonſtrauit ad quos uſus adhiberetur, treis affert cauſas, cur & hoc genus tractare noluit, quia eſt utendum aliquando uel cauſa, uel amico poſtulante: quia nonnunquam etiam ſcribendum: ut cum propinqui ſuos uita functos laudare publice conſueuiſſent, & P. Tubero Scipionem Aphricanum, quia auunculus, hoc eſt matris ſuæ frater eſſet, laudare uellet, nec ita diſertus eſſet, tum C. Lælius Aphricani amiciſſimus, eloquentia & philoſophia clarus, Tuberoni ſcripſit orationem funebrem, quam in concione pronunciaret. Præterea ut non ſit neceſſario utendū, neque etiam in alicuius gratiam ſcribendum, tamen expetenda eſt facultas ornandi quos uelis: aut encomio, quali Iſocrates Helenā laudauit: aut Panegyrico, quali Plinius celebrauit Traia=*

num imperatorem. Laudatori quærenda materia laudis. Laus omnis eſt in bonis, laus adumbrata in iis quæ uidetur eſſe bona. Tria ſunt genera bonorum, alia ſunt animi, ut uirtutes & ſcientiæ, quæ uere recteq; laudantur. alia corporis, ut forma, uires. alia quæ fortuna dat extrinſecus, ut opes, diuitiæ, amici. utraque ſunt optanda magis quàm laudanda, propterea quod illis tam abuti quàm bene uti poſſumus: nec laudantur niſi quia quis bene uſus eſt. Vni uirtuti laus uera debetur. Ariſt. ἀγαθὸν γὰρ ὄν, ἐπαινετόν ἐστιν. Virtus eſt, qua abuti non poſſumus, quaq; philoſophis conſtat ciuilis felicitas. Hæc quòd in rerũ fortuitarum uſu, ac moderatione, hoc eſt in adminiſtrandis & utendis fortunæ rebus cernitur, tractanda etiã in laudationibus. Hæc ſunt naturæ & fortunæ bona. Natura dat ingenium, memoriam, formam, uocem, latera, uires, bonam corporis conſtitutionem. Fortuna patriam, genus, parentes, nobilitatem, amicos, opes, diuitias, proſperos ſucceſſus. Sed & bona corporis in fortunæ poteſtate ponuntur. In bonis fortuitis eſt ſumma laus, non extuliſſe ſe in poteſtate, ut Cæſarem in uictoria. non fuiſſe inſolentem, arrogantem, iniurium in pecuniis, ut Marcum Scaurum ex paupere factum diuitem. non ſe prætuliſſe aliis propter abundantiam fortunæ, ut illum Cincinnatum dictatorem, ut Cenſorium Catonem. Laudantur opes & copiæ, quæ non ſuperbiæ, ſed bonitati, non libidini, ſed moderationi facultatem & materiam dederunt. Opes & copiæ ferè pariunt ſuperbiam & libidinem: quare laude maiori dignus eſt, quem eæ res non traxerunt in uitium. Superbia deiicit alios infra ſe. Libido cupit quæ cupere uetat ius. Moderatio temperantia eſt quæ modum ſeruat in rebus. Bonitas proprie refertur ad iuſtitiam. À iuſtitia (inquit Cicero) boni uiri nominantur. VIRTVS autem quæ eſt per ſe ipſa laudabilis, & ſine qua nihil, &c.] Ex bonis alia ſunt per ſe laudabilia, quæ non propter aliud, ſed propter ſuam dignitatem expetuntur. Alia propter aliud, non propter ſe, ſunt in precio, ut ueſtis quia tegit et ornat: domus, quia nobis eſt habitationi. Hæc à uulgo laudari ſolent, ut pulchra, utilia, precioſa, magnifica: ſed ea laus eſt rerum, non hominũ. In homine ſine uirtute nihil laudari poteſt, quia ſola eſt quæ illum reddit meliorem atque perfectiorem. Virtus multas habet ſpecies, quas partes uocat. Diuiditur enim in prudentiam, fortitudinem, iuſtitiam, temperantiã. Et ſingulæ ſpecies in partes ſecantur à Cicerone. Ariſtoteles in Ethicis non illa genera conſtituit, ſed poſita uirtute, explicat eius ſpecies ſine iſta ſubdiuiſione, & in rhetoricis eodem modo, μέρη δὲ ἀρετῆς, δικαιοσύνη, ἀνδρεία, σωφροσύνη, μεγαλοπρέπεια, μεγαλοψυχία, ἐλευθεριότης, πρᾳότης, φρόνησις, σοφία. Virtutis autem partes ſunt, iuſtitia, fortitudo, temperantia, magnificentia, magnitudo animi, liberalitas, lenitas ſiue clementia, prudentia, ſapientia. Eandem rationem ſequitur hic Cicero. Ex uirtutibus aliæ ſunt ad laudationem aptiores, eo quòd in utilitates aliorum conferuntur. Aliæ præclaræ quidem, ſed uulgo minus laudabiles, quia ſunt quaſi priuatæ. Sunt aliæ uirtutes, inquit, quæ uidentur in moribus hominum & quadam comitate ac beneficentia poſitæ. hoc eſt, quædam ſunt uirtutes, quibus homo ſe accommodat hominũ moribus, quoniam per eas fit comis, clemens, benignus. Aliquæ poſitæ ſunt in ingenii aliqua facultate, aut animi magnitudine ac robore. In ingenii facultate eſt prudentia, ſolertia, ſapientia. In animi robore, fortitudo, patientia, continentia, magnitudo. Clementia autem, iuſtitia, benignitas, id eſt liberalitas, fides, fortitudo, non illa priuata, ſed ea quæ uerſatur in periculis communibus, poſita eſt in hominum moribus, quæ propter iucunda eſt auditu in laudationibus. Lubentur audiũt omnes quod ſibi utile eſt ac fructuoſum. Hæ uirtutes autem non tam ipſis qui eas in ſe habent, quàm generi hominum fructuoſæ putantur. Clementia peccatum leniter punit. Iuſtitia reddit ſuum cuique, & iniuriam propulſat. Benignitas dat pecuniam dignis. Fides ſeruat pacta conuenta. Fortitudo in periculis communibus grauia ac laborioſa mala ſubit pro Rep. Qui præditi ſunt his uirtutibus, uulgo ſunt notiores, propterea quòd multitudo utilitate ducitur magis quàm honeſtate. Sapientia, quæ eſt rerum diuinarum et humanarum ſcientia, & magnitudo animi, quæ uirtus eſt eius qui magnis eſt dignus, & magnis ſe dignum eſſe cenſet, tenues & pro nihilo putantur, nõ quòd paruæ ſint atque utiles, his enim omnes res humanæ geruntur: ſed quoniam ad eos qui habent, non ad illos qui audiunt, uidentur pertinere. Quo modo ſapientia & magnitudine animi res humanæ geruntur? Non uiribus corporis (inquit Cato de Senectute) res magnæ geruntur, ſed prudentia, conſilio, auctoritate. Sapientia autem conſilium ſubminiſtrat. Magnitudo animi uitia ſpernit, honeſta deligit, & quæ ſapientia iubet, illa perſequitur omnia. Sapientiam & animi magnitudinem philoſophi profitebantur: erant tamen in cõtemptu, quia ſibi ſolis ſapere uidebantur, uti nunc diuinæ ſapientiæ magiſtri. In excogitando uis quædam ingenii, hoc eſt mirabilis inuentio, quam oratores & dialectici ingenioſi doctiq; excogitant, & ipſa eloquentia, quæ inuenta complectitur oratione, & perfert ad auditorem, admirationis habet non minus quàm cæteræ uirtutes, iucunditatis minus. ipſos enim magis uidetur, quos laudamus, ut oratores & philoſophos, quàm illos apud quos laudamus, ut ciues indoctos, ornare ac tueri. Sed tamen in laudando iungenda ſunt etiam hæc genera uirtutum, in quibus eſt philoſophia, rhetorica, dialectica Feriunt enim aures hominum, id eſt, homines excitant ad audiendum & admirandum, illa quæ iucunda ſunt & grata, ut clementia, iuſtitia, liberalitas, & illa quæ mirabilia ſunt in uirtute laudari, ut ſapientia, eloquentia, animi magnitudo. Habes quæ ſint genera bonorum, & quæ per ſe, quæ propter aliud expetuntur. item quæ ſit differentia in partibus uirtutis. Sciendum deinceps, quæ ſint officia ac munera uirtutum, ut unicuique propriam laudem attribuere poſſis. Id aperte monſtrant philoſophi in morali diſciplina. Quamobrem non putauit ea de re exactius hic eſſe diſputandum, et Ariſtoteles in Rhetoricis breuiter attigit, quoniã uidebat id eſſe philoſophorum. Definit ille uirtutes, quia ex definitionibus proprietates apparent: ut ſi rhetorica eſt bene dicendi ſcientia, officium oratoris eſt bene dicere. Iuſtitia uirtus eſt, per quam ſua quiſque obtinet, & ut uult lex. Iuſtitiæ munus eſt, honeſte uiuere, neminem lædere, ſua cuique tribuere, ut imperat lex. Erit igitur explicandum in laude iuſtitiæ, quid innocue, quid cum fide, quid cum æquabilitate, id eſt ἰσονομίᾳ & iure pari, is qui laudabitur, fecerit: propoſitiones erunt huiuſmodi: Honeſta ſecutus eſt ita, ut quædam lex bene uiuendi eſſe uideretur. Nemini mortalium attulit iniuriam. Nullius rem, nullius honorem, nullius charitatem detinuit. Fidem in omnibus dictis factiſq; ſeruauit. Sic uſus eſt iure pari, ut non plus ſibi, quã aliis attribueret. Eiuſmodi propoſitiones inueniendæ ſunt ex uirtutum muneribus, & actionibus eius qui laudatur, explicandæ. Fortitudo eſt, per quã res præclaræ ſiunt in periculis, ut lex iubet. Temperantia uirtus eſt, per quam ad uoluptates corporis ſic ſeſe habent, ut lex iubet. Liberalitas eſt, quæ bene agit in re pecuniaria. Magnitudo animi, quæ magna beneficia exercet. Magnificentia, uirtus quæ magna perficit in ſumptibus. Prudentia uirtus eſt intellectus, per quam bene conſulere poſſunt de bonis & malis ad felicitatem. Hæc ex Ariſtotele, unde officia ac munera uirtutum ſingularũ noſſe, & rebus geſtis illius quem ornandum ſuſceperis, accommodare poſſis. GRATISSIMA autem laus eorum factorum habetur, quæ ſuſcepta, etc.] Non ſatis eſt tenere quæ uirtutes ſint admirabiles, ſed parum multitudini gratæ, quæq; gratæ ſint atque iucundæ. Operæ precium eſt, quod ipſa uirtus in actione perficitur, hoc ſcire, quorum factorum laudes ſint gratiſſimæ, ut in illis explicandis diutius immoremur, & inde maiorem fructum colligamus. Eiuſmodi rerum genera quinque conſtituit.

conſtituit. Primum ſic eſt. Gratiſſima auditoribus laus eorum factorum habetur, quæ ſuſcepta uidentur à uiris fortibus ſine emolumento ac præmio: ut ſi laudetur Hercules, qui gratuitis beneficijs omnes prope mortales ſubleuarit: ſi Ariſtogiton et Hermodius, qui tyrannum ſuſtulerint: ſi Pyrrhus, qui captiuos Romanos ſine pretio reddiderit. Ne mirere ſi grata ſit atque iucunda laus uirtutis huius. Eſt enim uelut rara auis in terris, omnibus ferè emolumentũ præmiumq; expetentibus. Alterum: Quæ cum labore & periculo ſuſcepta uidentur è uiris fortibus, habẽt uberrimam copiam ad laudandum, ut factum Horatij Coclitis, Scæuolæ eius qui Porſenam terruit, Deciorum patris & filij. Hæc & ſimilia dici ornatiſſime poſſunt, et audiri facillime, propterea quòd materiam habent præclaram, quæ etiam per ſe ornata iucundaq; uidetur. Duo genera quæ diximus, in unum colligi poſſunt, hoc modo: Omnis illa uirtus eſſe uidetur præſtantis uiri, quæ eſt fructuoſa alijs, ipſi autem laborioſa, aut periculoſa, aut certe gratuita. Laborioſa, ut tranſitus Annibalis per Alpes: periculoſa, ut pugna Scipionis in Aphrica aduerſus Annibalem: gratuita, ut Scipionis alterius uirtus in reſtituendis bonis eorum quos ſpoliauerant Pœni. Aliud eſt: Magna laus et admirabilis uideri ſolet, tuliſſe caſus ſapienter aduerſos, non fractũ eſſe fortuna, retinuiſſe in rebus aſperis dignitatem, in quo genere Socrates & Regulus principes habentur. Vitium eſt contrarium eorum qui mortem parentum, filiorum, coniugum impatienter ferunt, qui mœrore contabeſcũt ob amiſſionem pecuniæ, domus, pecoris, ſupellectilis, prædiorum: qui inſaniunt ab honore deiecti, uel ſiniſtro rumore læſi, uel ab aliquo cui ſe probari uolebant, contempti atque reiecti. Quartum: Ornant hominem delati honores, decreta uirtutis præmia, res geſtæ iudicijs hominũ comprobatæ. In quibus etiam felicitatem ipſam deorum immortaliũ iudicio tribui, laudationis eſt: ut ſi laudes Hippocratem, cui diuini habiti ſunt honores: ſi Ciceronem, cui ſenatus uirtutis nomine domum publice reficiendam eſſe cenſuit: ſi Q. Fabium Maximum, cuius res geſtæ in Annibalem iudicijs hominũ ſunt comprobatæ: ſi Syllam, cui omnia ferè proſpere ſucceſſerunt. Caſus non habet laudem. Itaque dicendum felicitatem non temere accidiſſe, ſed ipſam deorum immortaliũ iudicio datam fuiſſe. In his enim rebus eſt laus, quæ nititur iudicio uel hominum, uel deorum. Hic animaduertendum, neque paruos honores, neque uſitata præmia, neque uulgaria facinora, neque cómunem felicitatem eſſe ſumendam. Hæc uix tenuem laudis umbram ſequuntur, tantum abeſt, ut ſint in admiratione. Sumendæ res erũt aut magnitudine præſtabiles, ut Numæ uirtus regio honore decorata: aut nouitate primæ, ut ſupplicationes quindecim dierũ nomine Ciceronis decretæ, quot ante nulli homini nouo togato contigerãt: aut genere ipſo ſingulares, id eſt unicæ, ad unum tantum pertinentes, ut ingenium Homeri in rebus heroicis habitum eſt ſingulare, Demoſthenis in arte dicendi, Themiſtoclis in arte memoriæ. Aut ſingulare dicit, quod uni tantũ conuenire poteſt, ut primum aperuiſſe Alpes, prima ſpolia opima ſuſpendiſſe Ioui Feretrio. Quintum: Eſt etiam cum cæteris præſtantibus uiris comparatio in laudatione præclara, ut ſi conferas Virgiliũ Homero, Ciceronem Demoſtheni, Cæſarem Alexandro. Exempla iſtorum omnium ſunt in orationibus Iſocratis, quæ quidem tranſcribi noluimus, ne res creſceret in immenſum, deinde non erat cur exemplis Græcis uteremur, quæ latina deforment, et pariant obſcuritatem. Quas commemorat laudes, uix unquam uni conueniunt. In ſingulis igitur ſumenda quæ maxime inſunt, atque facultate dicendi uehementer ornanda. Alba denigrare, nigra dealbare, non eſt boni uiri, ſed abutentis oratione, qua nihil melius homini poſt rationem deus immortalis dedit. Demonſtrauit antea cur laudationum genus præteritum uellet, nunc cauſam affert, cur paulo plura quàm inſtituerat, dixerit. Voluit oſtendere laudationes eſſe in oratoris officio, ideoq; oratori uirtutum omnium cognitionem, ſine qua laudatio effici non poſſit, eſſe neceſſariam. Quod ſi eſt, philoſophia moralis illi neceſſaria eſt. Vituperandi præcepta contrarijs ex uitijs ſumuntur, ut ex inclementia, crudelitate, iniuſtitia, auaritia, luxuria, ignauia, audacia, intemperantia, ſtultitia, animi paruitate. Vt autem bonum uirum proprie & copioſe laudare non poſſumus ſine cognitione uirtutum, ſic nec improbum notare ac uituperare inſigniter atque aſpere ſine uitiorum notitia. Inſigniter & aſpere dixit, quia uituperare omnium commune eſt: uitia tractare inſigniter, oratorum. Tandem monendi ſunt ſtudioſi rhetoricæ, nullum eſſe genus cauſarum, quod latius euagetur, quàm epidicticon. Nam ſeparate ponitur, et in deliberationibus eſt frequens, & in iudicijs frequentiſſimum. Summam diſputationis colligit, dixiſſe ſe de inueniendis rebus diſponendiſq; quid ſentiret. Ex illo breui epilogo tranſit ad tertiam rhetoricæ partem, memoria artificialis appellatur. Adiungam, inquit, de memoria quid ſentiam, ut Craſſum, cui datæ ſunt partes diſſerendi de reliquis rhetoricæ partibus, labore et onere leuem, neque ei quidquã aliud, de quo diſſerat, relinquam, niſi ea, quibus rebus hæc exornentur, cuiuſmodi ſunt ornamenta elocutionis et pronunciationis. Significat ſe memoriæ non ſeruaſſe proprium locum, ut liber unus elocutioni & actioni aſſignaretur, unus inuentioni, collocationi, memoriæ. Sic enim effectum eſt ut à rebus uerba, nó modo præceptis, ſed etiam libris diſtinguerentur. Perge uero, inquit Craſſus. Verba Craſſi eò feruntur, ut ſimus memores eorum quæ de Antonij diſſimulatione dicta ſunt, utq; breuis interponatur animorum recreatio. Vbi enim dixit, libenter te cognitum iam artificem perſpicio, quòd ſciremus illum non exercitatione modo, ſed etiam arte ualuiſſe, ludit animi cauſa. Aliquãdo euolutum te illis integumentis ac uelamentis diſſimulationis tuæ, nudatumq; perſpicio. Hæc ſubridens. Quòd mihi nihil, aut quod non multum relinquis, percommode facis, eſtq; mihi gratum. Iocus eſt iſte ex diſſimulatione. Nec enim nihil aut parũ relinquit, nec tam fugit illam diſputationem, quàm diſſimulat. Iocatur & Antonius: Si uere agere uolueris, omnia tibi relinquo. quaſi nihil dixerit, quod recte probeq; dictum ſit, aut ſaltem quod non multo melius agat Craſſus. Sin diſſimulare uolueris, & mea laudare falſo, tu quemadmodum his auditoribus, qui omnia audire uolunt à nobis explicatius quàm à Græcis, ſatiſfacias, uideris. Et hæc quoque diſſimulantis attenuatio iucunda eſt. SED ut ad rem redeam, non ſum tanto ego, inquit, ingenio, &c.] De memoria tria numero dicit, unde habuerit originem, quam utilitatem ferat, quibus locis & imaginibus tum rerum tum uerborum ſit utendum. Tandem refutat illorũ ſententiam, qui imaginibus opprimi memoriam putant. hoc modo ſeruat ordinem quæſtionum: Vnde prodijt hæc ars? ad quid in lucem emiſſa ſit? quo modo utendũ ſit? Quòd ante de Themiſtocle fecit mentionem, hinc ducit exordium, arte memoriæ non opus eſſe ijs qui tanto ſunt ingenio, ut nihil obliuiſci queãt, qualis erat Themiſtocles, qui obliuionis artem quàm memoriæ mallet. Vt inuenta fuerit ars memoriæ, Quintilianus exponit his uerbis: Artem memoriæ primus oſtẽdiſſe dicitur Simonides, cuius uulgata fabula eſt: Cum pugili coronato carmen, quale componi uictoribus ſolet, mercede pacta ſcripſiſſet, abnegata ei pecuniæ pars eſt, quòd de more poetis frequentiſſimo digreſſus, in laudes Caſtoris & Pollucis exierat: quamobrem partem ab ijs petere, quorum facta celebraſſet, iubebatur: & perſoluerunt, ut traditum eſt. Nam cum eſſet grande conuiuium in honorem eiuſdem uictoriæ, atque adhibitus ei cœnæ Simonides: nuncio eſt excitus, quòd cum duo iuuenes equis aduecti deſiderare maiorem in modum dicebantur. Et illos quidem non inuenit, fuiſſe tamen gratos erga ſe exitus comperit. Nam uix eo limen egreſſo, triclinium illud ſupra conuiuas corruit, atque ita confudit, ut non ora modo oppreſſorum, ſed membra etiã omnia requirentes

ad ſepulturā propinqui, nulla nota poſſent diſcernere. Tū Simonides dicitur, memor ordinis, quo quiſq; diſcubuerat, corpora ſuis reddidiſſe. Eſt autem magna inter auctores diſſenſio, Glauco'ne Caryſtio, an Leocrati, an Agatharcho, an Scopæ ſcriptum ſit id carmen, et Pharſali fuerit hæc domus, ut ipſe quodam loco ſignificare Simonides uidetur, atque Apollodorus, & Eratoſthenes, & Euphorion, & Lariſſens Eurypilus tradiderunt: an Cranone, ut Apollas Callimachus, quem ſecutus Cicero, hanc famam latius fudit. Scopam nobilem Theſſalum periſſe in eo conuiuio cōſtat. Adijcitur ſororis filius. Putans & ortos pleroſque ab illo Scopa, qui maior ætate fuerit: quanquam mihi totum de Tyndaridis fabuloſum uidetur. Neque omnino huius rei meminit uſquam poeta ipſe, profecto non taciturus de tanta ſua gloria. Hæc ille, ex quibus magna lux affertur loco præſenti. Simonidi illi Chio.] In quibuſdam codicibus legitur Ceo, & ita legendum uidetur. Nam hunc Simonidem ex inſula Ceo, quæ eſt contra regionem Atticam, Suidas eſſe dicit. Alia eſt inſula Chios in Aſiam magis uergens. Nomen patriæ non addidit fruſtra. Multi enim fuerunt Simonides, in quibus eſt illuſtris poeta iambographus patria Teius. Protuliſſe.] In mediū produxiſſe. Cranon, oppidum Theſſaliæ. Scopas, nomen fortunati hominis ac nobilis. In eum ſcripſiſſet.] In laudem uictoriæ, quam aſſecutus erat in certaminibus publicis, compoſuiſſet.

Ornandi cauſa.] Multas egreſſiones dilatandi & ornādi gratia quærunt poetæ. Caſtor & Pollux fratres, filij Iouis et Ledæ, habiti ſunt dij, & maris ac belli potentes crediti. Pugiles fuerant: quamobrem in laude pugilis ad eos carmen egrediebatur Simonidis. Sordide.] Auare & illiberaliter. Pactus eſſet.] Daturum ſe conueniſſet. Tyndaridis.] Caſtore & Polluce filijs Tyndari, quamuis ab Ioue geniti dicerentur. Prodiret.] Egrederetur. Conclaue.] Triclinium dicit Quintilianus. Cœnaculum eſt tribus lectis accumbendi gratia ſtratum. Humare.] Sepelire. Obtritos.] Contuſos, confractos. Quiſque cubuiſſet.] In cubitum iacuiſſet ad menſam. Hac re admonitus inueniſſe fertur, ordinem eſſe maxime, qui memoriæ lumen afferret. Hoc ſit tibi præceptum: Ordine memoria maxime iuuatur. Ordo nō ſemper eſt in rebus, quas tenere uolumus. Quamobrem ijs qui hanc partem ingenij (ingenium duas habet partes, intellectum & memoriam) exercere uolunt, capiendi ſunt loci, ut caſtella, ædes, templa, porticus, uiæ, in quibus certum ſtatuant ordinem, quem facile animo percurrant. Quòd autem loci ordinem, non rem cuius meminiſſe uolumus, deſignant, ea quæ memoria tenere cupimus, effingēda animo, id eſt imaginibus, quas animus fingat, erunt notanda, & in locis collocanda. Sic ars memoriæ duobus conſtabit, locis, & imaginibus. Ordinem rerum, locorū ordo conſeruabit: res autem, ipſas effigies & imagines rerum, ut animalium, ſtirpium, armorum, notabit. Itaque memoria (quod ait in partitionibus) ſimilis erit literaturæ. Vt enim ſcriptura literatura'ue conſtet, opus eſt literis & cera, id eſt tabulis ceratis, in quibus notæ collocentur. Sic opus eſt memoriæ ſimulachris, quæ res notent uti literæ: & locis, in quibus locentur imagines, ut notæ in cera. Id, ſi placet, declaremus exemplo. Aduerſarius accuſauit eum quem defendis, furti primum, deinde ſacrilegij, poſtea crimine uulneris illati, poſt hæc homicidij, tandem læſæ maieſtatis. Vis hæc memoria tenere, & eorum ordinem ſeruare. Conſtituito tibi quinque locos ordine ſitos, quos obliuiſci nō poſſis, ut in cubiculo tuo ianuam, feneſtram, armarium, lectulū, focum. Deinde effingito ſimulachra rerum. Si quem probe noſti furem, illum collocato ad ianuam, qui res tuas aſportare uelit. Ad feneſtram ponito Dionyſium tradentem auream barbā Apollinis, & ita ſacrilegium committentem. Ad armarium ſit chirurgus tibi notus, qui homini uulnus obliget. In lectulo iaceat moriens, qui defleatur à multis. Ad focum ſtet rex, cui audax homo barbam uellicet. Eſt enim barba ſacra maieſtati. Repetito ſemel & iterum tum locos, tum imagines, ut ſis memoria parum felici, tamen cum opus erit, occurrent. Quòd autem imagines pro arbitrio cuiuſque finguntur, potes alijs uti, quàm quæ poſitæ ſunt à nobis. QVI ſit autem oratori memoriæ fructus, quanta utilitas, quanta uis, &c.] Quanta memoriæ ſit utilitas, Quintilianus multis explicat in undecimo libro. Tam multa non tranſtulimus in libellum, ne paginas onerarent, quæ commodius apud eum legi poſſunt. Quidquid animo tenemus, memoriæ uel naturalis uel artificialis beneficio tenemus. Eſt enim memoria, reliquarum partium cuſtos, & uelut theſaurus, unde omnia recondita promuntur. Tenenda ſunt ea quæ didiceris in accipienda cauſa, id eſt quæ detulerit ad te qui tibi cauſam ſuā commiſit: deinde illa quæ ipſe recepta cauſa apud te cogitaris. Omnes figendæ ſunt in animo ſententiæ, quas cogitando inueneris, & collocaris. Figendus in eodem omnis deſcriptus, hoc eſt ordine digeſtus uerborum apparatus. Hoc ita uerum eſt, ſi ſcripta, uel longa meditatione comparata eſt oratio. Cum uentum erit in iudicium, utile erit ita audire eum unde dicas, id eſt tuum litigatorem ſedentem in ſubſellijs, & tuos monitores qui cauſam ſuggerunt à tergo, & aduocatos qui interim conſilium ſubminiſtrant primas habenti, ac reſidenti in media cauſa, dum audiuntur laudatores reorum, dum literæ recitantur, dum monitores et iuriſperiti nonnihil interloquuntur, ita audire inquam à quo dicas, uel eum aduerſarium cui reſpondendum ſit, ut illi nō infundere in aures tuas orationem, ſed in animo uideantur inſcribere, quod eſt inſculpere. Id erit, ſi ſis non audiendi ſimilis, nihilominus utaris arte memoriæ, omniaq; animo figas quæ iactata fuerint ab illis. Habes quatuor genera rerum memoriæ committenda: adde & iſtuc, tenendum eſſe, quid, & quatenus, & quomodo dicturus ſis, cui reſponderis, quid ſuperſit, quid in alijs cauſis egeris, quid ab alijs audieris. In his quinque generibus uides quàm fructuoſa, quā utilis, quā potens ſit memoria. Poterāt hæc unica ſentētia cōprehendi, hoc modo: Memoria cuſtos eſt omniū. Sed cū latius utilitates explicare uolumus, præſtat rem diuidere in ſuas partes. Dicet aliquis, Sint utilitates iſtæ memoriæ, tamen arte nō eſt opus, cū memoria natiua præſtat hæc omnia. Reſpondet idem in omnibus partibus dici poſſe, propterea quòd hæc ars tota dicendi, quæ proprie non eſt ars, ſed artis imago quædam ac ſimilitudo, habet hanc uim, non ut totam inuentionem, uel collocationem, uel pronunciationem, uel memoriam pariat & procreet, uerum ut ea, quæ ſunt orta iam in nobis, & à natura ſenſuq; communi data, educet atque confirmet, hoc eſt alat & augeat alendo. Confitendum eſt memoriæ naturam eſſe principem, hoc eſt, primas & potiores habere partes, ſed nihilo minus quæ procreauit, artis auxilio eſſe adiuuandā. Etenim cum ingeniorum alia ſint acuta, alia obtuſa, alia ſumma atque diuina, ut Themiſtocles & Mithridatis, his fortè non eſt opus arte memoriæ: mediocriter acribus & hebetibus eſt opus: quoniam nemo ferè eſt tam acri memoria, qui ſi non diſpoſuerit res locis, & imaginibus notarit, ordinem uerborum ſententiarum'ue complectatur: neque uero tam hebeti, ut nihil hac conſuetudine, id eſt uſitata obſeruatione adiuuetur. Qui fit, inquies, ut tria, locum, imaginem, rem ſignatam, facilius memoria teneamus, quā unū illud ipſum de quo nobis agendum eſt? Videtur enim multitudine memoria grauari, non adiuuari. Rationem phyſicam affert, quam uidit Simonides, ſi fuit (ut aiunt) artis inuentor, aut alius quiſquis inuenit. ea eſt huiuſmodi: Cum alia mente ſolum, alia ſenſu atque animo cognita habeamus: ea maxime animis noſtris effinguntur, id eſt informātur & apparent, quæ ſunt à ſenſu tradita, atque impreſſa: ut quia leonem uideris, imago manet in animo formatior atque expreſſior, quàm ſpecies iuris, quod mente tantum noſſe potuiſti. Ex ſenſibus acerrimus eſt et acutiſſimus uiſus, auditus hebetior multo. Hinc fit ut perfectius

cognoſcamus

cognoſcamus, diutiusq; mente ſeruemus id quod uidimus, quàm quod auribus percepimus. Itaque ſi audieris quidquam, aut cogitatione complexus eris, tum facillime tenebis, ſi etiam oculorũ cõmendatione animo traditur. Tradetur quodammodo, ſi qua ſtatuatur illius imago cadens in ſenſum uidendi. Imago, quæ et conformatio, & figura, & forma, & ſpecies, & ſimulachrum dicitur, res cæcas, hoc eſt ab aſpectus iudicio remotas, ita notat ac ſignat, ut ea quæ cogitando complecti uix poſſemus, quaſi intuẽdo teneamus: ut philoſophiæ, quæ non cadit in aſpectum, ſi mulierem imaginem animo tradideris, qualem Boetius ille confinxit, illam quaſi intueberis, & rerum eius multo facilius excitabis memoriam. Hoc modo fit, ut locum, imaginem, rem ipſam facilius, quàm hanc unam, facultas memoriæ contineat. Habes cur imaginibus quæ ſub aſpectum ueniant, ſit utendum. Iam quæ cadunt in oculũ, ſunt corpora, id eſt res omnis dimenſionis participes, colore & figura notabiles. Corpus autẽ intelligi ſine loco nõ poteſt, ergo locis quoque utendũ eſt. QVARE ne in re nota & peruulgata multus & inſolens ſim, &c.] Quæ ſit origo memoriæ, quem fructũ ferat, quibusq; rebus conſtet, breuiter atque dilucide expoſitum eſt. Quòd autem non ſatis eſt hoc tenere, artem hanc locis & imaginibus contineri (nec iſtuc in quæſtiones retulimus) aperiendum uidetur, quibus & quã multis utamur & locis, & formis. In ea re tradenda ſummam breuitatem eſt ſecutus, propterea quòd illis temporibus erat nota atque peruulgata, quæ nunc deſuetudine & negligentia uidetur obſcura. Dicebant in iudicijs publicis horas multas. Eò ueniebãt cum periculo ſuæ famæ, niſi quod domi paraſſent, in tanto hominum conuentu, in tanta exercitatione eloquentiæ expedite enunciarent. Cum igitur tempus urgeret, & permulta dicenda forent, quæ memoria naturalis nõ contineret, ad hanc artem confugere erat neceſſe. Ex uerbis eius collige quatuor præcepta de locis eligendis, quæ ſignificantur ab eo totidem uerbis. Primum ſit huiuſmodi. Multis locis eſt utendum. Oportet (inquit ille ſcribens ad Herennium) ſi uolumus multa meminiſſe, multos nobis locos comparare, ut in multis locis multas imagines collocare poſſimus. Secundum: Vtendum locis illuſtribus. Illuſtres ſunt, qui lumine illuſtrantur, & qui multum habent in ſe dignitatis. utrunque genus deligendum. Nam ſi locos obſcuros, ut ſubterraneos, ut in penetralibus ædium abſtruſos: aut ſi ignobiles, uiles, abiectos, ut caſas, ædiculas, ruſticas uaſtitates elegeris, neſcio quo modo imagines tenebris inuoluentur, nec erunt obuiæ quærenti. Loci nec nimis illuſtres, ut aprici: nec uehementer obſcuri eſſe debent, ne aut obcæcentur tenebris imagines, aut ſplendore præfulgeant. Tertium: Vtendum locis explicatis. Nam ſi fuerint aut anguſtijs, aut circumiectis rebus, ut inſtrumentis, ut arboribus, ut fructibus implicati & inuoluti, turbabunt imagines & obuoluent. Quamobrem non capies templum, aut forum, aut curiam, aut porticum, aut baſilicam, quo tempore fertur illic hominum frequentia. Nam tibi multa ſuccurrent, quibus à curſu retardata memoria turbabitur. Quartum: Vtendum modicis, hoc eſt temperatis & mediocribus interuallis. Spatia nimium diſtantia uagas imagines reddunt, ut ſi primam ſpeciem locaueris in porta urbis, alteram in templo medio, aliam in caſtello, quartam in foro. Contra interualla peranguſta implicant formas adeo, ut aperte nequeant diſcerni. Sit igitur interuallum tricenum pedum. Si paulo maius minus'ue, nihil aut parum refert. Si non ſuppetunt eiuſmodi loci, non aliter animo ædificare licet, quàm imagines confingere. De imaginibus tria ſunt præcepta. Vnum eſt: Imaginibus agentibus eſt utendum. Quieta, iacentia, immota non mouent memorem facultatem. Agentia magis commouent, & promptius offerunt ſe. Si conſtitutas animal, dabis actionem. Si quid in animum, pones in manu hominis, uel in alia parte corporis animati, ut aliqua ratione moueatur. Alterum: Acres ſint imagines. Acres intelligo, uehementer impellentes, ut leonum, urſorum, aprorum, luporum, ſerpentum, hominis furioſi, corporis grauiter uulnerati. Parua, uſitata, quotidiana, remiſſa, ideo animum mouere non poſſunt, quòd nullam habent acrem mouendi poteſtatem. Animus noſter nouis, terribilibus, inuſitatis, inſigniter uel pulchris uel turpibus, uel ridiculis mouetur. Aliud: Imagines inſignitæ ſunt locandæ. Fortius impellit, quidquid inſignitum & extra communem ordinem eſt. Inſignitum eſt, quod habet aliquid inſigne, ſiue bonum ſiue malum, ſiue honeſtum, ſiue turpe, ut domus inſignis. Inſigne ſcortum, inſignis deformitas. Huc refer ea, quæ ſumpſerunt aliquid extrinſecus inſigne, ut purpuram, gemmas, aurum, coronam, perſonam, ueſtem cruentam, glaſtum, minyum, cornua. His tribus generibus adde omnia quæ occurrere, celeriterq; percutere animum poſſunt, ut ſunt amici chariſſimi, uiri in hiſtoria præclari, ridicula nomina, & ſi qua ſunt ſimilia. Quæ præcepta de memoria traduntur, ſunt admodum pauca. Ars illa breuis eſt, exercitatio uero longa. Quamobrem ut tibi ſit facultas & locorum & imaginum, opus eſt exercitatione. Facultatem, inquit, exercitatio dabit. Hoc & in alijs rebus eſt uerum. Quo quiſque in arte ſua exercitatior eſt, eo promptius ac facilius quod uult peragit. Ab exercitatione conſuetudo gignitur. Conſuetudo eſt altera natura. Quaſi naturalia nobis ſunt facilia, ac in manu poſita. Oportet igitur inueniendis locis, & imaginibus aſſueſcere, & tales inuenire, quales ante iam diximus. Eſt aliud imaginum genus, quod ut notum & penè puerile breuiter percurrit. Et ne in rebus tã paruis immoretur, mutilata oratione feſtinat ad maiora. Supplenda quæ deſunt, & nobis paulo pluribus explicanda. Similium uerborũ conſeruata notatio memoriam excitat. Leo pro beſtia, Leo pro uiro, nomina ſunt re diuerſa, uocibus ſimilia. Seruetur illorum notatio, ut Leo fera collocetur ad recordationem Leonis uiri. Muræna piſcis, Muræna homo nomen habent ſimile. Si uirum pro piſce, aut piſcem pro uiro ſtatuas, ut alter erit notior, & animo tuo expeditior: memoria firmabitur. Talia ſunt, uerres, lupus, coruus, merenda, nucula, gurges. Immutata caſibus notatio, memoriam iuuat. Immutantur caſibus ea, quæ idem principium retinent, mutant extremum, ut aurum Aurelius, faba Fabius, piſum Piſo, cicer Cicero, mars Martialis, pauſa Pauſanias, lac Lactantius. Si cuius nomen meminiſſe non potes, profueris originem, aut aliquid origini ſimile ſpectaſſe. Traducta ex parte ad genus notatio, memoriæ eſt adiumento. Pars enim uel totum, uel ſpeciem facile in animum inducit, ut Prometheus uel Deucalion humanũ genus, cauda uulpis ſuſpenſa totam uulpium ſpeciem, Sinon doloſus Græcos omneis doloſos. Vnius uerbi imagine, totius recurrit in mentem ſententiæ informatio, id eſt ſimulachrum quoddam in animo. Hoc accidit, cum reliqua facile percurris, ubi primũ uerbum uenit in mentem. Inter orandum uis citare uerſum poetæ,

Diſcite iuſtitiam moniti, & non temnere diuos:

Nihil te remoratur, niſi principium carminis: illius uerbi imaginem exprime, quò totius uerſus ſubeat recordatio. Statue paleſtritam tenentem ſingulis manibus ſingulos diſcos, et oſtendentem, redibis in memoriam duarum ſyllabarum, diſci, quod ſatis eſt. Vtere pictoris cuiuſdam ſummi ratione & modo, formarũ uarietate locos diſtinguentis. Pictor ſummus, id eſt artifex optimus, imagines uarias pingit, & ne confundantur inter ſe, multis ac diuerſis ſeparat interuallis. Hac ratione utendum memoriam confirmanti. Imagines permulta ac uariæ quaſi pingendæ ſunt animo, & locis diſtantibus diſſimilibusq; diſtinguendæ.

SED uerborũ memoria, quæ minus eſt nobis neceſſaria, etc.] Artificioſa memoria duplex eſt: una ſententiarum, altera uerborum. Quæ ſententias continet, oratori magis eſt neceſſaria: quoniam ſi res exciderint, & reum et nomen ſuum perdet. Verborum memoria minus eſt illi neceſſaria, propterea quod nullus eſt tam rudis, & ſermonis inſciens, qui rem animo comprehen-

ſam, uerbis exprimere non poſſit. Sed hæc maiore imaginum uarietate diſtinguitur, quia plura uerba, quàm ſententiæ, magiſq; uaria ſunt. Fuerunt oſtentatores, ut Scepſius Metrodorus, qui ſingulis propè uerbis ſingulas effingerent imagines: ad quos hic alludere Cicero quibuſdam uidebitur, cum dicit, maiore imaginũ uarietate uerba diſtingui, quaſi omnibus ferè uerbis ſua ſint afformanda ſimulachra. Quintilianus hoc in oratione perpetua fieri non poſſe, & ſi poſſet, non expedire, contendit: illud eſſet tum infinitum, tum ſummæ tarditatis. Ego non exiſtimo Ciceronem uoluiſſe omnia uerba deſignari formis, ſed orationẽ ſcriptam diligenter edicſi, pauca uerba fugientia imaginibus notari, deinde perpendi quibus uerbis aduerſarij fuerint uſi, et ſi qua tenenda eſſent, exprimi figuris, ut in reſpondendo ſuccurrerent. Natura tamen maiorem in uerbis, quàm in rebus eſſe imaginum uarietatem: quia uerba multo plura ſunt, & una res alijs & alijs uerbis dici poteſt: & articuli orationis, ut coniunctiones, &, atq;, aſt, at, autem, ſed, formari ſimilitudine nulla poſſunt, quia deſint res conſimiles quibus exprimantur, & eorum fingende nobis ſint imagines. Mitto, inquit Fabius Quintilianus, quòd quædam nullis ſimulachris ſignificari poſſunt, ut certæ coniunctiones. Articuli dicuntur ex tranſlatione. Vt enim corporis articuli membra cõnectunt, ita coniunctiones copulant partes orationis. Quo modo, inquies, ſi quidam articuli formari ſimilitudine nulla poſſunt, eorum fingemus imagines? Verborum imagines à rebus aſſumuntur: ut ſi tenere uelis hæc uerba, Cupiditas radix eſt omnium malorum, fingas magnũ iecur, unde prodeant rami, ex quibus pendeat omne rerum genus mortalibus noxium. Iecur, ut uult Plato, fons eſt cupiditatum, ut cor iracundiæ. Non reperies aliquid tale in quibuſdam coniunctionibus. Itaque accipies aliquid diſſimile, quod animo finges eſſe perſimile, & illo ſemper utere, quoniam hic non ſimilitudo, ſed uſus frequens tibi excitat mentem: ut catenæ Vulcani, quibus Martem ligauit, ſignificent tibi copulationes, Gratiæ auerſæ diſiunctiones. An ideo maior eſt imaginum uarietas in uerbis, quia tales articuli formari ſimilitudine nulla poſſunt? Certe. Fingimus aliquid, quod natura ſimile non eſt, et nouum genus formarum conſtituimus. Memoria uerborũ non ita frequenter utitur orator, ne ſi tot imagines repetere conetur, tarda ſit, nimiumq; langueſcat oratio. Rebus autem ſententijſq; magis incumbit: quo fit, ut rerum memoria, illius eſſe propria dicatur. Eam ſingulis perſonis de quibus agendum eſt, & perſonarum rebus bene poſitis, & ordine conſtitutis, notare, hoc eſt imaginibus deſignare poſſumus, ut ſententias imaginibus, ordinem locis comprehendamus. Prodeſt enim perſonas omnes, ut oratoris, litigatoris eius, aduerſarij, patroni contra ſtantis, iudicum, coronæ circunſtantium, ordine collocare, & quid quæque uelit, imaginibus quibuſdam notare, ut omnium tum rerum, tum perſonarum memoria confirmetur. Cum uiderent inertes, hoc eſt artis expertes, habendam eſſe magnam uim locorum, atque formarum: aduerſus artem, qua non erant uſi, argumento leuiſſimo pugnare cœperũt, ac dicere, opprimi memoriam imaginum pondere, & obſcurari etiam id, quod per ſe natura tenere potuiſſet: faciliùs eſſe unũ quàm multa, rem quàm locum, imaginem, & illius ſignificationem informare mente. Hos ante refutauit phyſica ratione, nũc refellit exemplis. Opponit eis Carneadem, de quo iam ſæpe dixit, Scepſium Metrodorum, quorum uterque cum eſſet diuina propè memoria, nec arte egere uideretur, tamen in ijs locis quos haberet, quæ meminiſſe uellet, perſcripſit. Summos homines.] Scientia maximos. Diuina memoria.] Amplificat, ut oſtendat etiam diuinis hominum mentibus, hanc artem utilitatis aliquid afferre. Scepſium.] Scepſis eſt Aſiæ regio. Scepſius gentile nomen, quod uſurpauit Cicero, quoniam Metrodorus nomen eſt multorum. Male à quibuſdam Sceptius, per t literam ſcribitur. Quare hac exercitatione.] Colligit tandem, neminem eſſe qui non huius artis exercitatione memoriam euocet, hoc eſt excitet & cõmoneat, præter illum, cui nulla memoria naturalis eſt. Si quis eſt eiuſmodi, tam fruſtra colat memoriam, quàm arator agrum omnino ſterilem & infrugiferũ.

HABETIS ſermonem bene longum, hominis utinã non impudentis, &c.] De tribus orandi partibus, inuentione, collocatione, memoria, diſputatum eſt copioſe. Nihil reſtat ex inſtituto, niſi ut auditores bono quaſi cum palato dimittantur, illi gratias agant, et teſtificentur quàm lautè fuerint accepti. Craſſus inuitetur ad ea præſtanda, quæ de elocutione & actione reliqua ſunt. Principio iuuat animorum conciliatio, ſed & maxime in extremo. Conciliat animos orator, cum ſignificat mores ſuos amabiles aliquo genere uirtutis, ut modeſtia, liberalitatis, comitatis. Ea de cauſa modeſte & tenuiter ipſe de ſe loquitur Antonius. Reueretur Catulum & Craſſum, deprecatur impudentiam, ne quid arrogare ſibi, aut inurbanus aut inuerecundus eſſe uideatur. Quòd ſermo longus tædium gignit, & animos auocat defeſſorum, quaſi amoliens odium dicit hæc: Habetis ſermonem bene, id eſt ualde longum. Quòd autem diſputarit Catulo & Craſſo uiris grauiſſimis atque doctiſſimis audientibus, poſſet alicui uideri impudens, aut ſaltem parum uerecundus. Hoc uitiũ depellit: Vtinam haberetis ſermonem hominis non impudentis. hoc enim uitium nollem. Illud quidem certe ſcio eſſe hominis nõ nimis, id eſt parum uerecundi. Catulum anteponit, quòd eſſet inferior Craſſo, in auxeſi grauiora poſtponuntur. Id ſignificãt, cum, & cum, particulæ, quæ diſtribuunt imparia. Cum addit iſta, De dicendi ratione tam multa dixerim, ſignificat hominis eſſe parum uerecundi, apud ſummos oratores diſſerere de arte dicendi, & multa diſſerere, cum intelligentibus pauca ſatis ſint, & artifices maximi nolint ſe à rudioribus doceri. Ne autem iuuenes, Sulpitium, Cottam, Cæſarem uideatur contemnere, non illis artem & eloquentiam detrahit, ſed ætatem. ut cogitent nõ impudenter facere ſenem, qui quod nouit, iuuenes diſcendi cupidos multis docet. His dictis auertit illos à ſe, ut Craſſum reſpiciãt, propter quem impellendum, non recuſauit inſolitam diſputationem. Nos uero, inquit Catulus.] Catulus reſpondet, ut is in quo multum erat auctoritatis, & cauſa minus cur illa tam multa de arte dicendi audire uellet. Pro ſe & pro ſuo fratre Iulio reſpondet, ut duobus, uno ſene, altero iuuene, rem probantibus, intelligamus eam eſſe Antonij diſputationem, quam ſenes et iuuenes probare debeant: nec recuſet Craſſus, qui rem ante laudauit: nec Sulpitius & Cotta, qui tantopere uirum ſectati ſint, & nunc uideant à ſenibus commendari. Ignoſcimus.] Ignoſcit Catulus, non ut aliqua ſit Antonij culpa, ſed ut tollat illud quod dixerat, Mihi ignoſcetis profecto. Diligit, ut humanũ, & facilem. Habet illi gratiam, ut ei qui beneficium contulit. Admiratur, ut doctum & copioſum. Attende igitur eum eſſe ſecundum librum, in quo non modo ſcientis hominis & copioſi deſcribuntur obſeruationes, ſed etiam ubi apparet oratoris humanitas atque facilitas. Quòd autem utile eſt ad artis commendationem, hoc fieri notum, neminem ſapientiæ laudem, & eloquentiã ſine ſummo ſtudio & labore & doctrina conſequi poſſe, comprobatum uult ſuperiori diſputatione, Antonio, quamuis multi putarent eũ ſine ulla magiſtri doctrina perueniſſe ad eloquentiſſimos, artem non defuiſſe. Magno ſum leuatus errore.] Non tam errabat Catulus, qui in oratione M. Antonij ſentiebat doctrinæ ſaporem, quàm plerique rudiores, qui falſo putabant ſuos liberos ſine arte bonos oratores fieri poſſe. Hos fuiſſe plures ſignificat, cum dicit ſe multis cum alijs ſemper admirari ſolitum, unde eſſet illa tanta uiri in cauſis diuinitas. Vt eorum corrigatur error, ſic indicat, Antonium res oratorias diligentiſſime cognoſſe, & undique collegiſſe, uſuq; & exercitatione ductum partim correxiſſe, partim comprobaſſe. Ad Ciceronem referenda ſunt eadem iſta, qui rhetoricas artes puer diligentiſſime

cognouit, undique à Græcis ſcriptoribus collegit tandẽ uſu forẽſi ductus, quædã præcepta correxit, quædam cõprobauit. Diſſimulabat doctrinam Antonius, ut admirabilior eſſet multis ipſius eloquentia. Contradicit Catulus, non ſi quis ſit eruditus, ideo minus admirabilem eſſe illius orandi facultatem, ſed aſſequi diſcendo, ut in admiratione ſit eius uirtus ac diligentia, qui in re perhoneſta tantopere deſudauerit. Neque eo minus, inquit, eloquentiam tuã, & multo magis uirtutem & diligentiã admiror.

Quæ eſt.n. alia cauſa.] Etſi duas eſſe cauſas dicit, quæ Antoniũ in ſermonem impulerunt, ut Craſſo & Catulo rogantibus obtemperaret, ut adoleſcentiũ ſtudio morem gereret: neutra tamen eſt uera, ſed utraque ad decorum ſermonis eſt conficta. Quænam igitur uera eſt? Diximus in primo cõmẽtario. Aptius & maiore cum pondere res tractantur in dialogis. quamobrem reperit ſibi Cicero uiros idoneos quos faceret diſputantes, etſi hoc modo nũquam diſputaſſent. Adimere omnem recuſationem Craſſo uolui.] Quæ ſequuntur, eò tendunt, ut fiat aditus ad ultimam quæſtionem, quæ tertio libro per Craſſum tranſigetur, & tres libri quaſi tria mẽbra nõ diſſipentur, ſed uelut in unũ corpus cõfluant. Auferre cõtendit omnẽ Craſſo recuſationẽ. Diceret enim, Nõ pertinet ad me hæc de præceptis rhetoricæ diſputatio: Sum cõſularis: Sum cẽſorius: Perueni ad ſenectutẽ: Præcepta Græcorũ minime noui: Non eo ſummo ingenio, ut iſta cõmode tractare poſſim. Hæc omnia cõparatione diſſoluit Antonius. Pudentius uel inuitius.] Comparate dixit, in hunc ſenſum, Pudentius et inuite magis Craſſus quã ego, ad hoc genus ſermonis accedit. Noluit dicere faſtidioſius, quia non eſt hominis tam ſuauis humaniq; faſtidire. Eadẽ noſtra cauſa eſt.] Eandẽ afferre cauſam potui, nec minus tu me impuliſti. Cẽſorius, qui cenſurã geſſit. Quadriennio minor.] Minor hic dicitur, nõ iunior, quia iuuenta nomẽ haud accõmodatur ſenectuti.

Sero.] Vltra annos pueritiæ. Arripui.] Curſim didici. Succiſiuis operis.] Operæ ſucciſiuæ, quæ quaſi furto ſubtrahũtur à rebus neceſſarijs. Vt aiunt.] Significat operas ſucciſiuas prouerbialiter dici. A' puero.] Qui natus eſt ingenio ſummo, & à puero literis operã dedit, & ſummũ ſtudiũ adhibuit doctrinæ, et ſummos habuit magiſtros, factus eſt doctiſſimus. hæc igitur attribuit Craſſo, ut eũ de artibus alijs et maxime de rhetoricis egregie diſſerere poſſe cõfirmet. Sui deſpiciẽs.] Qui nihil de ſe ſperat, et ingeniũ artemq; ſuã ac facultatẽ deſpicit, is ſui deſpiciens eſſe dicitur. Tales uiri.] Tam celebres, quibus illudere nõ oportet. Oſtendit Catulum et Iulium Cæſarem, qui à Scæuola cõmoniti uenerant ad hunc audiendum ſermonem: alij quidem ruſticabantur animi cauſa.

Tum ille, ut ita iſta eſſe concedam, inquit, Antoni, quæ ſunt longe ſecus, &c.] Cum recuſandi cauſas multas, ut dicebat Antonius, omnes, Craſſo ſuſtulerit, ſe conuertit Craſſus ad recuſationem, quæ nulla ratione uera nititur. Scit ipſe elocutionem & pronunciationem ab Antonio ſibi relictam: diſſimulat tamen (ut ante diximus) ut & feſtiuus ſit in recuſando, quò paulum animi ſubleuentur: & laudet Antonij copiam, Græciſq; præferat, quo illud Catuli confirmet, Admiramur iſtam ſcientiam & copiã. Scriptores enim ſua cõmendari, et in pretio haberi uolunt: ut Cicero, qui in exordio huius lib. 2. & initio diſputationis, deinde in medio curſu, tandẽ in extremo occulte ſuũ laudauit opus. Quæ ſunt longe ſecus.] Hoc refer ad ea quæ dixit Antonius de ſtudio et ingenio Craſſi, reliqua non ſecus habẽt atque dixit. Quid mihi tu tandẽ hodie, aut cuiquã homini.] Loquitur hæc modeſte Craſſus, quaſi ſit aliquis homo prudentior, eruditior, acutior, et magis exercitatus, qui plura uideat, et multa ſibi relicta putet, quæ animo ipſe nõ cõcipit. Dicã.n. uere.] Hac utitur aſſeueratione, dicturus incredibile. Quis enim credat, è Græcis artium omnium inuentoribus, copioſum in diſſerendo, multis in ornanda aut uituperanda arte dicendi, neminem copioſius in hoc genere quam Antoniũ rudem artis eſſe uerſatũ? Sit uerũ, nõ tamen credibile fuit illis temporibus, cũ Græci Romanos omni doctrina genere ſuperarent. Sæpe ego doctos.] Sæpe audierat Craſſus doctos homines, id eſt philoſophos rhetoricæ minime rudes, partim Athenis, et in Aſia, cũ eò ueniſſet ex Macedonia quæſtor: partim Romæ, ubi ſuas artes Græci multi profitebãtur. Corrigit tamen quaſi falſo dixerit, ne ſibi ſit ipſe contrarius, qui paulo ante negauit ſe à puero ſummo ſtudio, ſummis doctoribus eruditũ fuiſſe. Quid dico, inquit, ſæpe? falſum eſt: immo nõnunquã, id eſt aliquãdo, ſed nõ ſæpe, audij. Sæpe audire Græcos doctos quomodo potui? qui puer in forũ uenerim, cũ oporteret me operam dare magiſtris, nec à foro unquã diutius, quàm quæſtor in Macedonia abfuerim: ſed tamen audiui, ut heri, id eſt, in diſputatione primi libri dicebã, & Athenis cum eſſem, doctiſſimos uiros (philoſophos dico doctiſſimos) et in Aſia iſtum ipſum de quo paulo ante dicebam, Scepſium Metrodorum, cum de his ipſis rebus oratorijs diſputaret. Neque uero quiſquã mihi copioſius, quod attinet ad ubertatem tum uerborũ tum ſententiarũ: neque ſubtilius, quod pertinet ad acumen inueniendi iudicandiq;, uiſus eſt unquã, quã hic Antonius hodie eſſe uerſatus, non dico in illa ſubtilitate rerum dialecticarum, et aliarum partium philoſophiæ, ſed in hoc genere dicendi, de quo inſtituta eſt diſputatio. Quòd ſi eſſet aliter, et aliquid intelligerẽ ab Antonio prætermiſſum, nõ eſſem tam inurbanus, ac penè inhumanus (eſt enim ruſticũ & inhumanum, negare amicis flagitantibus quod honeſte ſine tuo detrimento exhibere potes) ut eo grauarer quod uos tantopere deſiderare ſentirem. Tum Sulpitius.] Antonius qui diſſerendi munus trãſferebat ad Craſſum, iure primus illum ad dicendũ uocauit. Secuti ſunt reliqui, primũ iuuenes, in quibus minor erat auctoritas: deinde Catulus ſenex, cuius preces non renueret Craſſus. Seruatus igitur quaſi ordo militaris, in quo primi et ultimi ſunt fortiſſimi, debiliores intermedij. Inducit orantes Cicero, nõ modo ut auditores paratos eſſe, & rem arduã ac perutilem expectare demonſtret, ſed etiã ut ſeruet illud ubique tenendũ decorũ, quod uiolãt Græci, qui ad diſſerendũ de omnibus rebus obtrudũt ſe nõ rogati. propter quod alio loco ab hoc inepti uocãtur. His adde mirũ Craſſi pudorem, quo repreſſus nunquã tam longo ſermone grauaſſet amicos ſuos ad animum reficiendum ruſticantes, niſi ipſi maxime audire uoluiſſent, atque uerecundantem coegiſſent. Hæc & ſimilia uidens Cicero, ſe munit occultius. Antonium ita partitum eſſe tecum.] Verba Antonij fuerunt: Quare illã partem ſuperiorem, quoniã ita uobis ſemel placuit, non recuſabo quo minus perpoliã atque conficiam. quantũ conſequar, uos iudicabitis, quibus ex locis ad eas res quæ ad fidem faciendã ſola ualent, ducatur oratio, ut & concilientur animi, & docẽtur, et moueãtur. Hæc ſunt enim tria numero. Ea uero quemadmodũ illuſtrentur, præſto eſt qui omnes docere poſſit, qui hoc primus in noſtros mores induxit, qui maxime auxit, qui ſolus effecit. Inſtrumentũ oratoris.] Translatio eſt ab inſtrumento & ſupellectili patrisfamilias, in qua ſunt uaſa, tabulæ, armaria, ſcamna, menſæ, fritilli, ſimulachra, & alia id genus multa. His adde ueſtium ornamenta, quanquam ſupellectili proprie non continentur. Inſignia quando opus eſt, exponuntur, hoc eſt è locis ſuis depromuntur, feruntueq; in mediũ. Tum peritus domus ornandæ, ſi quis eſt apparatus, optima ac pulcherrima quæque diſtinguit, et terſa purgataq; ad ornatum collocat. Non aliter Antonius è locis deprópſit & expoſuit oratoris inſtrumenta, quibus utitur ad docẽdum, cõciliandũ, mouendũ: reliquit polienda & ornãda Craſſo, & ita diſtinguenda, hoc eſt diſtinctis ornamẽtis ueſtienda, ut in orationis apparatu ſpeciem haberent elegantem. Forte dices hæc ab Antonio collocata atque cõpoſita fuiſſe, Id quidem uerũ eſt, neque in ea diſpoſitione ſimilia cõfert, ſed in diſtinctione et ornatu. Elocutio cõponit orationem, res diſtinguit figuris & colori-

bus rhetoricis, ornat uerbis, tropis, iunctura, cõcinnitatibus, numeris. Sic paterfamilias tapetibus ueſtit abacos, lectos, cathedras, ſubſellia, nouum ſplendorem terſis excitat uaſis, appendit emblemata, diſtribuit colores, & omnia diſtinguit nõ modo locis, ſed ornamentorũ uarietate. Quis Antonio permiſit.] *Faceta atque iucunda eſt alluſio. Refert animũ ad ſocios qui cõmuniter aliquid poſſident. In communi diuidundo, ſi alteri illorũ facta eſt poteſtas ex æquo partiendi, ſolet is ſocio dare optionem, poſterior accipere partẽ. Sic enim iuſtus uidetur, & eã quã tulit, ferre legem.* Si ego recte intellexi.] *Bene excepit, qui falſam pronunciaturus erat ſententiã. Pronũciauit autẽ aliud ſentiens, aliud loquens, ut experiretur iuuenũ uoluntatem, aut certe quò iucũdus eſſet hominibus amiciſſimis.* Ille uero, inquit Cotta.] *Cotta perinde loquitur ac ſi Craſſus ſerio locutus eſſet. Vnde apparet quæſitum eſſe hominem omniũ præſentiũ infimũ tardiſſimumq́; , cui hæc perſona tribueretur.* Eloquẽtia nomẽ ipſum inuenit.] *Orator non inuentor ab inuentione, aut diſpoſitor à diſpoſitione, aut pronunciator à pronunciatione, ſed ab elocutione dictus eſt eloquẽs.* Verba mihi reliquit.] *Hæc uerba ioco nõ uacant. Ludit in hunc ſenſum. Cum meliores ſint res, uerba multo uiliora, ut quæ rebus ſeruiant: Antonius inique et callide facit, qui uerba mihi relinquit, rem ipſe ſumit. aut certe ſignificat id quod difficilius eſt, ſibi relictum.* Si quod difficilius eſt, id tibi reliquit.] *Facetus acutusq́; fuit Cæſar: quãobrem urbanũ et acutũ dedit illi Cicero dilemma: Aut quod difficilius eſt, aut quod facilius, tibi reliquit. Si difficilius, eſt nobis cauſa cur te audire cupiamus, qui difficiliũ explicationẽ quærimus. Si facilius, tibi cauſa nõ eſt cur recuſes, cũ ab amicis facilia rogeris.* Quid quod dixiſti.] *Principio Craſſus inquit: Neque Antoniũ uerbum facere patiar, & ipſe obmuteſcam, niſi prius à uobis impetraro, ut hic ſitis hodie. Horum memor Cicero (fingentem ut mentientem eſſe memorem oportet) inuenit argumentũ Catulo, quo iocatus eſt, interpretans grauius, id quod nõ promiſerat, ſed comiter polliceri uiſus erat Craſſus. Non enim dixerat, Morem uobis geram, ſed obmuteſcam. Catulus ac ſi cõuentum ſit, ita fidem requirit. Illi Cotta ſuffragatur, aptior ad aliena adimanda, quàm ad ſua prodenda. Riſit ille, qui cæteros omnes agere facete uideret.* Poſſem tibi, inquit, Craſſe cõcedere, *hoc eſt recuſandi locũ dare,* niſi religio tibi allata eſſet. *Sed uide ne quid Catulus attulerit religionis, id eſt deorũ metus prohibentis uiolare fidem. Opus hoc cenſoriũ eſt, eos infamia notare, qui fidem frangunt. Id autem committere, uide quàm ſit tibi homini turpe cenſorio. Turpius enim peccat aliquis in eo genere quod ipſe reprehendit.* Agite uero.] *Non dixit, diſſerã pro arbitrio ueſtro, ſed agite ut uultis, quaſi illorum impetu feratur.* Id temporis eſt.] *Conſederant paulo poſt horã ſecundam à ſolis exortu: iã propinquabat hora ſexta, id eſt meridies, ut tum metiebantur horas: itaque ſurgendum cenſet et requieſcendũ. De prandio nõ agit, quia moris erat multis Romanis nullum prandiũ ſumere.* Loquemur aliquid.] *Non uſus eſt uerbo quod eſt oratorũ, dicemus, ſed illo quod eſt omniũ, loquemur: quaſi ſermo futurus ſit, nõ oratio.* Statim.] *Quibus dederat ſummã audiendi cupiditatẽ: nõ decuit eos iã patientes inducere ut quod maxime cuperent, id in craſtinum differrent.*

IN TERTIVM CICERONIS LIBRVM DE ORATORE AD Q. FRATREM IACOBI LODOICI STREBAEI RHEMENSIS COMMENTARIVS III.

INSTITVENTI *mihi Quinte frater eũ ſermonẽ referre & mandare, &c.*] *Cum principia ſumantur uel à re, uel à perſona, & beneuolos, aut dociles, aut attentos faciant auditores, initio quærendum mihi uidetur, unde ductum ſit, & quò maxime ſpectet hoc exordium. Tractum eſt non ex ea re de qua agetur, et ex quæſtione de eloquendi pronũciandiq́; uirtutibus, in qua uerſatur omnis hic liber tertius, ſed à perſona L. Craſſi, cui propter eximiam in eloquendo ſuauitatem omnis attribuitur de oratione ſermo. Aſſumpta ſunt & aliorũ perſonæ, quos loquentes fecit auctor in his libris, non ut in illis eſſet proœmij ſumma uis, ſed ut Craſſo infeliciores inferioresq́; eſſe uiderentur: & apparet hominum ſummorum uirtutem à ſceleratis & impijs ciuibus agitari, non extingui ſolere. laudabiles eos eſſe, qui tanta rerum acerbitate uexati, nõ auocantur ab inſtituto: cuiuſmodi fuit Cicero, qui permulta ab inimicis & à ciuili calamitate paſſus, nunquã repreſſit egregios eximiosq́; conatus. Finis huius principij non eſt intelligentia, qua dociles fiunt ij qui audiunt, neque attentio quæ rei de qua agendum eſt, magnitudine, uel nouitate, uel utilitate, uel neceſſitate propoſita ſuſcitat audientem, ſed beneuolentia & amor quidam, quo ducti probari uelimus aliquem atque defendi. Illam ſequitur attentio, ſed tamen ad beneuolentiã maxime animũ uertit. Itaque L. Craſſi actiones, altercationes cum Philippo, morbum mortemq́; narrat, non ut tantum ſciant qui legent, ſic enim ageret hiſtoricum, nõ oratorem, ſed ut ſcientes mirentur eloquentiam uiri, laudent illius in tuenda Rep. fortitudinem, afficiantur eius rebus aduerſis, & amore correpti, quæ dixerit magni faciant, & auidius atque ſæpius lectitent. Quãobrem oportuit hanc expoſitionem implere laude & affectu, ut illa conciliarentur animi, hoc uero mouerentur. Vt res ordine procedat, incipit ab ea cauſa quæ adductus eſt, ut hic L. Craſſi mortem oratione defleret. Ea fuit recordatio, quæ tum ſubijt, cum ſermonem illius huic tertio libro mãdare uellet. Hæc quidem cauſa ficta eſt, ſed ut ratio dialogi cõſtet, omnia ueriſimiliter fingenda ſunt adeo, ut ij qui audiunt legunt'ue, rem eſſe ueram putant, immo ut ſcriptor ipſe tandem aliena nõ ſua legere penè exiſtimet. Cauſam uerã ſubticuit, nec enim debuit aperire ſuam artem. Nihil uidit aptius tum ad ſe, tum ad opus ſuum ornandum, quàm ſi Craſſus humanitate, uirtute, eloquentia ſummus haberetur. Hæc uera cauſa eſt. Id faciat, inquies, ad opus ornandum: quo modo per hæc Cicero laudatur? Oblique ſanè. Cicero nõ illi modo par, ſed multo maior. Dignior igitur laude maiori, ſiue quæritur humanitas, ſiue conſilium uirtus in adminiſtranda Rep. ſiue excellens eloquentia. Ea fuit cauſa cur tandem ad exordij finem ad ſe orationem cõuerteret.* Inſtiuenti.] *Paranti, decernenti.* Sermonẽ referre.] *Quẽ in uilla ſua habuerat ſermonẽ, in ſcripta redigere.* Mandare libro.] *Committere literis.* Acerba.] *Conficiens animum.* Veterem animi curam.] *Olim puer Cicero, qui erudiretur ab ijs doctoribus quibus Craſſus utebatur, ut dictum eſt in principio libri ſecundi, audita morte tanti uiri, curam atque moleſtiam, id eſt ægritudinem animo conceperat. Poſtea recordatio ueterem illũ animi dolorem ægritudinemq́; renouauit. Moleſte ferebat illud immortalitate dignũ ingeniũ, morte extinctum eſſe, illam humanitatem & ſingularem moderationem concidiſſe, illã uirtutem non dicendi ſolum, ſed etiã agendi interitu fuiſſe compreſſam. In fine ſecundi, Catulus hæc tribuit Antonio, humanitatem, copiã quæ eſt ingenij fœcundi, deinde uirtutem. Eadem Cicero dat Craſſo, propterea quòd niſi quis ingenio optimo natus ſit, & conſuetudine uitæ ac liberali cultu diſciplina humanitatem, et eam quã Græci παιδείαν, & quam φιλανθρωπίαν uocant, habeat: niſi denique ſit uirtute, maxime*

conſtantia, fide, fortitudine præclarus, non poterit in ſummis oratoribus habere nomen. Hæc tria ſi Craſſus habuit, optime potuit nó modo & tre cauſas, ſed etiá de ipſa arte dicendi pulchre diſſerere. Si nó habuit: Cicero quod deerat, abunde ſuppleuit. Iſta laus igitur ad ea quæ dicéda ſunt, nó eſt inutilis. Quod dicit immortalitate dignũ ingeniũ, et uirtutem extinctam fuiſſe, nó admittant philoſophi. Nec enim ſi ingeniũ eſt uis intelligendi memorandiq; ex animo & corpore bene temperato, immortale eſſe poteſt: & quod fieri nequit, nó optet ſapiens: nec extrinſecus uirtus extingui poteſt, ſi habitus eſt animi immortalis. ſed aliter philoſophi, aliter oratores maxime in mouendis affectibus loquuntur. Illi uera quærunt, hi, populi morem ſequuntur. Qui ſibi negata á natura peroptat, unà cum corpore uirtutem, quia humano more agere deſinit, interire arbitratur. Vix diebus decem.]

Videtur ſubaudiendum participium, completis, ut ſit, uix diebus decem completis poſt eum diem qui hoc & ſuperiore libro continetur. Dies unus duobus libris conficitur. Horis matutinis Antonius, pomeridianis diſſeruit Craſſus. V T enim Romam rediit extremo ſcenicorũ ludorũ die, uehementer cómotus, &c.]

Propoſuit quid hoc tertio lib. dicturus ſit, ut inde planè excipiat auditor, qua de re agatur in hoc ſermone (non enim uerba in uniuerſum dicta proprie rem demonſtrant: propterea diximus non hoc eò tendere prooemium, ut docilis eſſet is qui ſubaudiret) ſed ut aptè cauſam intelligat cur non ad rem, ſed ad perſonam conuertatur exordium. Hinc aditus eſt & quaſi uia ad expoſitionem quæ cadit in exordium, propterea quòd ad conciliandũ mouendumq;, non ad docendum comparata eſt. Principia quidem conciliãt animos & mouent: ea de cauſa recipiunt eas narrationes quarum finis eſt motus. Explicat initio ut Romam ex agro reuerſus, commotus ſit in Philippum: deinde ut in eum dixerit, poſtea ut cum eo ſit altercatus: tandem ut lateris dolore confectus oppetierit mortem. Sunt igitur narrationis huius quatuor partes ordine temporis & rerum diſtributæ. In his quidem ductus eſt naturalis tenendus ab eo qui recto quaſi filo rem deducere uelit. Oratio Philippi mouet Craſſum, permotio Craſſi prouocat orationem, ex oratione perpetua naſcitur altercatio, ex altercatione ira ac dolor, ex dolore mors. Eſt hoc quidé paruum cũ explicatur, ſed cum diligenter obſeruatur, permaximũ. Nec illud omittendum uidetur, eſſe nonnulla quæ breuiter exponi debeant, ut ea quæ nihil faciunt ad Craſſi commendationem. In alijs autem eſſe immorandum: quoniam in his eſt ſumma uis principij, ut ſunt dicta factaq; Lucij Craſſi. Romã rediit.]

Reuerſus eſt in urbem ex agro Tuſculano, quò ſui colligendi cauſa, ludorum Romanorum diebus uenerat. Quos autẽ primo lib. dixerat ludos Romanos, nunc ſcenicos uocat, propterea quòd in illis actores ſcenici, tragœdi, comœdi, mimi, pantomimi, ethologi magnas habent partes. ij ſunt enim qui cum apparatu magnifico fabulas agũt in ſcena, & populum feriatũ detinent in theatro. De ludis Romanis diximus cõmentario primo. Extremo die rediit Craſſus, quia tũ ab otio quiſque ſe cõuertebat ad ſuas artes. Nam ludis curia, forum, et artificia quotidiana quieſcebãt. Habere orationem, & uerba facere ad populũ diebus nefaſtis, cuiuſmodi ſunt tempore ludorũ, fas erat magiſtratibus. Vt enim tum prætor cũ populo agere nõ poterat, ita certe conſuli omni tẽpore Remp. curare licebat. Itaque Philippus conſul aduerſarius cauſæ ſenatus, de communicandis aut transferendis iudicijs abſente Craſſo orationem habuerat aduerſus ſenatum: multa dixerat de dominatione ſenatorum, de cupiditate regnãdi, de ambitione & auaritia, de diſſenſione quã mouebant in equites, ut ab ijs auferrẽt iudicandi poteſtatem: et, quod grauiſſime tulit ſenatus, dixerat, uidendũ ſibi aliud eſſe conſiliũ, id eſt prouidendũ ſibi ut alij ſenatores ad tractanda conſilia legerentur, aut ut alij cõſultores in alijs ordinibus exiſterent: illo ſenatu, tã ambitioſo, tã auaro, tam ſeditioſo, ſe Remp. gerere non poſſe. quo dicto uidebatur omnem ſenatui abrogare auctoritatem. Ludis peractis, idibus Septembris, hoc eſt decimotertio die Septembris, quia ſenatus haberi non poſſet niſi à magiſtratu uocatus, & conſul iratus uocare nollet, Druſus trib. plebis qui iudicia ordini ſenatorio et equeſtri cómunicare, & ciues in concordiam mittere conaretur (quanquã odium utriuſque ordinis uitare non potuit) ſenatum conuocauit. Senatus quia res eius agebatur, uocatu, id eſt uocatione Druſi frequens in curiã uenit: ibi cum Druſus multa de Philippo queſtus eſſet, (aduerſabatur enim cócionibus Druſi Philippus) retulit ad ſenatum, hoc eſt ſenatores rogauit ſententias de illo ipſo quòd conſul in eum ordinem tam grauiter in concione eſſet inuectus. Dictum eſt breuiter quid L. Craſſum mouerit, ut in ſenatu diceret aduerſus Philippum. Quo modo dixerit, altero loco demõſtrat. Cicero tũ puer nó aderat, quãobrem utitur aliorũ teſtimonio: non omniũ quidem, nec enim omnibus eſt auctoritas, ſed hominum ſapientiſſimorum, qui de rebus iudicare poſſunt, & tanta ſapientia præditi mentiri nolunt, ut teſtatur illud Homericum:

ψεῦδος δ᾽ οὐκ ἐρέει, μάλα γὰρ πεπνυμένος ἐστι.

Sapientibus autem maior adhibenda fides, tum cum in idem conſentiũt. Itaque dicit, inter ſapientiſſimos cõſtitiſſe, id eſt cócordem ſententiam fuiſſe: et paulo poſt, omniũ conſenſu ſic eſſe iudicatũ. quod de ſapientibus, non de omnibus in uniuerſum dictũ puto. Teſtimoniũ eſt, Craſſum in agendis cauſis ſic increuiſſe de bono in melius, ut cum aliquid accuratius diligentiusq; dixiſſet, nunquam dixiſſe melius putaretur, cæteros ab eo ſemper omnes fuiſſe uictos, illo autẽ die etiã ipſum à ſeſe ſuperatũ. Hinc planũ facere uult, ingenium uiro ſummum, nec minorem eloquentiam fuiſſe, qui non omnem debilium more effunderet uim, ſed tãtum creſceret, ut cum alios omnes ſuperauiſſet, etiam ſe ipſe ſuperaret. In ea re certe magna laus eſt parua oratione comprehenſa. Habet quomodo Craſſus dixerit. oſtendit poſtea quid dixerit, etſi prius uidendum quid dicamus, quàm quomodo dicamus. Sed enim in uniuerſum laudauit orationem, ut commodius ad partes ueniret, & propius attingeret id quod iritaſſet Philippũ. Ita fecit, ut partes narrationis melius necterẽtur. Oratio Craſſi maxime uerſata eſt in affectibus. Deplorauit enim caſum, id eſt ruinam atque orbitatem, hoc eſt amiſſionem patris ſenatus. Orbitas eſt liberorũ qui parentẽ amiſerũt. Conſul autem ordinis ſenatorij quaſi parens bonus, aut ſaltem quaſi tutor fidelis eſſe debet. Quemadmodum parens bonus neruos omnes intendit, ut liberũ dignitatem & rem augeat: ita quoque bonus conſul curare debet, ut omnes ciues quorum ſuſcepit adminiſtrationem, & maxime ſenatores, in quibus eſt conſiliũ ciuitatis, auctoritate & utilitatibus reddat auctiores. Et ſicut fidelis tutor quaſi parẽs alter, non modo ſeruat, ſed etiam exaggerat bona pupilli, ita fidelis cõſul commoda ciuium ſuorũ non retinere tantum, ſed etiam amplíare debet. Itaque ut liberi parentibus, pupilli tutoribus amiſſis lugent, maxime cum ab improbis uexantur, ſic tum Craſſus de Philippo querebatur, cõmemorans quanta ſenatus ornamẽta ab alijs conſulibus accepiſſet. illos patres atque tutores, hunc uero nefarium prædonem uocabat, qui ut tutor iniuſtus patrimoniũ dignitatis à maioribus relictum deriperet. Et ne culpa ſenatus eſſe uideretur, ſi conſul illo conſilio Remp. gerere nollet, reijciens in illum crimen L. Craſſus, dicebat non eſſe mirandum ſi eũ ſuis conſilijs Remp. profligaſſet, hoc eſt ut interpretatur Gellius, prodegiſſet & perdidiſſet, conſilium ſenatus à Rep. repudiaret, reijceret, ablegaret. In ſummã collige tres eſſe partes illius orationis habitæ à Craſſo in Philippum: unam de ſenatus dignitate, alteram de caſu illius à conſule, aliã de conſilijs Philippi, quem uidetur accuſare iniuria. Non enim ſuis conſilijs Remp. profligauerat, ſed quia illo conſule fuerant latæ leges à Druſo & Frumẽtaria, & Agraria: et ſocij Italici, quibus erat promiſſa ciuitas non reddita, bellum minabantur, maximiſq; diſcordijs diuiſa

erat ciuitas, horũ omniũ cauſa ab inimicis eſſe dicebatur, quaſi potuiſſet auertere hæc mala, ſi cauſam principũ tuiſſet. Illam dicendi licentiã non tulit Philippus. Erat homo uehemens, qui magno impetu ferebatur: diſertus, qui pulchre orare ſciret: fortis, ad reſiſtendum oppugnatoribus: incenſus uerborum facibus, hoc eſt concitatis affectibus, et in contumeliam admotis: quas ob cauſas grauiter exarſit in Craſſum. Et ut illum coerceret, uſus eſt illa animaduerſione, qua licebat cõſuli uel cunctantem, uel obrectantẽ punire ſenatorẽ. Auferri iuſſit pignora. Sic Antonius Ciceronẽ multauit, qui uocatus in ſenatũ non uenerat: de quo ſic queritur Philip. prima: Quid tandẽ erat cauſa cur in ſenatum heſterno die tam acerbe cogerer? Paulo poſt: Quis autẽ unquã tãto damno ſenatorẽ coegit? aut quid eſt ultra pignus aut multã? Coercere ablatis pignoribus, eſt hominẽ reprimere uel corrigere captis eius bonis. QVO quidẽ ipſo in loco multa à Craſſo diuinitus dicta efferebantur, &c.] Vbi laudauit orationẽ L. Craſſi, et principes locos breuiter notauit, de numero eximit aliquot ſentẽtias breues et argutas, quæ ab eo diuinitus dictæ eſſe uidebãtur. Quapropter excipiebãt eas, & memoriæ mandabant, ac efferebãt in libellos, hoc eſt ſcribebant atque colligebant, nõ aliter quã Pontifex maximus annales efferebat in album. In illis dixit hoc ueluti apophthegma, ſibi illum conſulem nõ eſſe, cui ſenator ipſe nõ eſſet. Huius rei meminit Valerius Max. lib. 6. Lucius uero Philippus cõſul aduerſus eundẽ ordinẽ libertatẽ exercere nõ dubitauit. Nam ſegnitiẽ pro roſtris exprobrãs, alio ſibi ſenatu opus eſſe dixit: tantumq; à pœnitentia dicti abfuit, ut etiã L. Craſſo ſummæ dignitatis & eloquẽtiæ uiro, id in curia grauiter ferenti, manũ iniici iuberet. Ille reiecto lictore, Non es, inquit, mihi Philippe cõſul, quia nec ego tibi ſenator ſum. Hæc ille. Laudatur hæc ſententia, quoniã nihil breuius et opportunius dici potuit ad exprimendã cauſam cur tã licẽter in conſulem diceret, et illi prehendenti nõ obtemperaret. Altera ſententia eſt, An tu cũ omnem auctoritatẽ uniuerſi ordinis pro pignore putaris, eamq; in conſpectu pop. Rom. conciderìs, me his pignoribus exiſtimas poſſe terreri? Senſus eſt: Cum ſenatui detraxeris auctoritatẽ, quæ maior eſt quàm pignus, me nõ terruiſti quo minus in te dicerem. cum igitur auferes pignus longe minus dignitate, nõ terrebis me quò minus in te dicam. Præclara ſententia eſt. Oſtendit nõ tam eſſe metuendum ne pecuniã, quã ne dignitatem amittamus, nec tacere oportere cũ uenit in quæſtionem noſtra auctoritas. An tu cum omnem auctoritatem, hoc eſt dignitatem & amplitudinem, non meã ſolum, ſed etiã uniuerſi ordinis ſenatorij pro pignore putaris, id eſt quaſi pignus tibi ſuppoſitũ æſtimaris, haud aliter atque ſi ſuã auctoritatẽ ſenatus in pignus tibi dediſſet, tum pro libidine diſſipandam, cum aliquid obedientiæ quod putaſſes tibi deberi, negaſſet, eamq; auctoritatẽ in conſpectu pop. Rom. conciderìs, id eſt laceraueris, diſſipaueris: me his pignoribus quæ ſupellectili & pecunia conſtant, exiſtimas poſſe terreri? Pignus eſt, quod ob debiti fidem ſupponitur, tam mobile quàm immobile. Pro pignore putare.] Loco pignoris habere. Comparationem ſumpſit ab auctoritatis pignore, ut inde ueniret ad pignora, quibus ſenatorẽ multare poteſt conſul. At nõ quemadmodum pignora, ita auctoritatem auferre poteſt, quæ uel ſenatuſconſulto uel cenſura tollitur. Tertia ſenẽtia eſt: Non tibi illa ſunt cõcidenda, ſi Craſſum uis coercere. Hæc tibi eſt excidenda lingua, quæ uel euulſa, ſpiritu ipſo libidinem tuam libertas mea refutabit. Hæc nõ tam propter acumẽ laudabilis eſt, quã propter illã quã ſignificat animi fortitudinem. Si Craſſum uis coercere quo minus libere loquatur, nõ tibi auctoritas & pignus concidẽda ſunt, quæ in conſpectu pop. Rom. concidere & minutim frãgere uoluiſti: hæc tibi eſt excidẽda lingua (linguã ſuã monſtrat) quæ nõ ſolum exciſa more ſtipitũ atque truncorum, ſed uel euulſa funditus modo radicum, ſpiritu ipſo, hoc eſt impetu et ui animi libidinem tuã & effrenatã cupiditatẽ libertas mea refutabit.

Sicut antea tranſlatione ſermonis pignus auctoritatis dixerat, ut ad propriũ pignus ueniret: ita conciſionem pignorũ dicit improprie, ut tranſeat ad proprie dictã linguæ exciſionem. Euellere, plus eſt quã cædere, ut in ſtirpibus. Spiritus eſt tenuis uictus, alius in arterijs & partibus corporis, quo fertur et impellitur animal: alius, qui extrinſecus pulmonibus concipitur. Spiritus, exciſa lingua, mouens membra, inflammans oculos, incendens os, inflans buccas atque pectus, uoluntatẽ animi & indignationem indicare poteſt. Aliam decreuit ſententiam, quæ eſt huiuſmodi. Vt populo Ro. ſatisfieret, ſenatus neque conſilium, neque fides Reip. unquam defuit. Dirigebat hanc aduerſus concionem Philippi, nihil eſſe cur ſenatũ tã acerbe accuſaret, qui ſemper fidẽ Reip. præſtitiſſet, & fidele conſilium ſubminiſtraſſet. Eam, quòd breuiter ordinis defenſionem complecteretur, ſenatuſconſulto firmarunt ij qui frequentes in curiam uenerant. Et ut plus haberet ponderis, illã ornatiſſimis & grauiſſimis uerbis complexi, in ſcripta non aliter quàm acta atque auctoritates redegerunt, cumq; ſcriberetur affuit Craſſus, aut ut diligenter curaret inſcribi, aut ut maiorem fidem ſcripta mererentur, quæ nomina teſtium continerent. In auctoritatibus perſcriptis extabãt illa ſententia & teſtificatio præſentiæ Craſſi, cum Cicero ſcripſit hoc opus. Auctoritates hoc loco ſunt decreta, ſic dicta, quòd poteſtas in populo, auctoritas in ſenatu ſit. Cicero tertio de legibus. Nam ita ſe res habet, ut ſi ſenatus dominus ſit publici conſilij, quodq; is creuerit, defendant omnes: etſi reliqui principes ordines conſilio Remp. gubernari uelint, poſſit ex temperatione iuris, cum poteſtas in populo, auctoritas in ſenatu ſit, teneri ille moderatus & concors ciuitatis ſtatus. Liuius libro primo ab urbe condita: Decreuerunt enim, ut cum populus regem iuſſiſſet, id ſic ratum eſſet, ſi Patres auctores fierent: hodieq; in legibus magiſtratibusq; rogãdis uſurpatur. Senatuſconſulta ſcribebantur, & in longam memoriam aſſeruabantur. Contentione.] Impetu, quo neruí et membra tenduntur. Quam ſenatus frequens ſecutus eſt ornatiſſimis & grauiſſimis uerbis.] Sententiam ſequi dicitur ſenatus, quã ab uno dictam arripit atque decernit. Quòd ſi cõprehendit illam ijs uerbis quæ magno ſunt honori uel ei, qui dixit, uel ei cui decernitur, ornatiſſimis & grauiſſimis uerbis illam perſequi dicitur: ut ſi decernat ſupplicationes nomine Ciceronis his uerbis, Cum M. Tullius Cicero conſul detecta coniuratione parricidarum, Catilinæ, ſociorumq;, & impijs ciuibus aut necatis aut eiectis Remp. ſeruarit, decreuit ſenatus, ut eius nomine ſupplicationes quindecim dierum dijs immortalibus fiant. Alijs uerbis & pluribus fiebat eiuſmodi decretũ. Sed hæc ſatis eſt in præſentia ad demonſtrãdum quæ ſint ornatiſſima grauiſſimaq; uerba. Quia nullus honos & ornatus, nulla grauior auctoritas euenire poteſt Ciceroni, quàm ſi iudicatũ ſit ab illo ſeruatã eſſe patriam, hæc uerba, Cum Cicero Remp. ſeruarit, ornatiſſima uiro & grauiſſima eſſe debent. Ornatiſſima, quæ maxime ornant hominem: grauiſſima, quæ pondus amplitudinis magnũ afferunt. Si decreuiſſent Patres Conſcripti eaſdem ſupplicationes nomine diligentiæ, aut cuſtodiæ, non tam honorificũ fuiſſet illud ſenatuſconſultũ. ILLA tanquã cycnea fuit diuini hominis uox & oratio, &c.] Quo modo quidẽ Craſſus in ſenatu contra Philippũ dixerit, hactenus explicatũ eſt: ut eloquentia hominis & uirtus conciliaret ſibi lectores, et tanti uiri memoria permaneret. Locus eſt alter de morte, et aſperitatibus mortis eius, ad permouendos animos comparatus. Vtilis eſt ad memoriã firmandam, ad infigendum altius amorem, ad Ciceronis humanitatem exprimendam. Rem diutius retinent animi noſtri, quam impetus affectuũ animo impreſſit. Et uehementius amamus illũ qui pro Rep. magnopere laborans aduerſa paſſus eſt: atque humanũ eſt, & oratori congruũ deplorare optimi uiri calamitatẽ. Vt autẽ affectus iſti potẽtiores ſunt, quã qui cõciliant auditorẽ: ſic illorum eſt eò nos cogere, quò mitiores alliciũt. Illa tanquã

cycnea

cycnea.] πάθος à parabola & quadam miſerabili collatione, de qua ſic Macrobius: Parabola uero quoniam magis hoc poetæ cõuenit, ſæpiſſime pathos mouit, cum aut miſerabilem aut iracundum uellet inducere. Miſerabilem ſic:

Qualis populea mœrens philomela ſub umbra.

Contulit igitur Cicero uocem Craſſi cũ uoce cycni, ut ſuauitas illa morti propinqua afficeret animos noſtros. Olorem paulo ante mortem ſuauiſſime cantare ferunt poetæ. Ouidius:

Dulcia defecta modulatur carmina lingua
Cantator cycnus funeris ipſe ſui.

Id fabuloſum putat Plinius. Sic.n.ſcribit libro decimo cap. 13. Olorum morte narratur flebilis cantus, falſo, ut arbitror, aliquot experimentis. Illos ſuauiter canere non inſtante fato, teſtis eſt Virg. in. 7. Aeneidos:

Ceu quondam niuei liquida inter nubila cycni
Cum ſeſe è paſtu referunt, & longa canoros
Dant per colla modos.

Κύκνος dicitur à Græcis, olor à Latinis. Quaſi expectantes.] Quemadmodum qui amiſerunt ſuos quos maxime in uita diligebant, paucis diebus ab eorum morte uidere uidentur illos obuerſari ſub oculos, & in loca ubi frequentes erant, tanquam reperturi ueniunt: ſic pueri maxime ſtudio literarũ dediti, poſt interitũ Craſſi ueniebãt in curiã, ut ueſtigium, id eſt ſignũ relictum à pede, uel locũ pede cõpreſſum, in quo ille poſtremũ inſtitiſſet, hoc eſt pedem firmaſſet, cõtuerentur. Et ſi uere nõ expectabant illius orationẽ, quæ nulla erat futura, tamẽ deſiderio & affectu quaſi expectabant. Eſt hoc pathos à miſerabili deſiderio, quod etiam in beſtijs mouet nos. Tum latus ei dicenti condoluiſſe.] Ex multa contentione uocis & iracundia caleſcũt pulmones, et illæ neruoſæ partes, quibus texuntur coſtæ pectoris, muſculos medici uocant. Ex illo calore manat ſudor, quem frigus ſequitur. Inter coſtas et obductam coſtis membranã inflammatur humor. hinc lateris dolor, qui πλευρῖτις dicitur à Græcis, ἀπὸ τῆς πλευρᾶς, quod eſt latus. Vbi ſpiritus ſanguisq; caluerũt, et æſtus præter naturã peruenit ad cor, gignitur febris. Eſt enim febris calor præter naturã, qui cor prehẽdit. Pleuritis, inquit Paulus Aegineta, inflammatio eſt membranæ quæ coſtas cingit. Hinc accidit animæ difficultas, tuſſis, febris continua, dolor à ſummis humeris ad extremas coſtas. Eſt etiam pleuriticus morbus ex iecoris inflammatione, de quo idem auctor ibidem loquitur. Tacuit Cicero cauſam, ut ſanguinem in ira ad cor ebullientem, & pulmonũ agitationẽ, aut quia nõ erat honorifica, aut quia ſatis erat, nota. Ex cõtentione tranſit ad lateris dolorẽ, cui ſudore nectit, quòd eodẽ tẽpore recluſis calore poris, effluit aquæ ſimilis humor et coſtis adhærens pellicula ignea uim cõcipit. Sudori poſtponit horrorẽ, qui eſt tremor ex euacuatione extremarũ partium, & aere crudo ſubeunte latentes meatus per quos ſudor emittitur. Addit febrim, quæ ferè ſemper comes eſt huiuſce morbi. Mortem ultimam pleuriditis effectum conſtituit. A' genere mortis eſt hoc pathos. mouet aliũde, ut ab inani ſpe, et exclamatione. O fallacẽ hominũ ſpem.] Exclamatio, inquit Macrobius quæ apud Græcos ἐκφώνησις dicitur, mouet pathos. Spes Craſſum fefellit, qui poſt decurſos honore fruſtra ſperauerit cũ auctoritate requiẽ ſibi datũ iri. Fragilis fortuna, quæ tot undique ingruentibus malis frãgitur, ut fortuna Craſſi. Inanes et infrugiferæ ſunt cõtentiones. i. conatus & labores, qui in medio ſpatio, ut in fluctibus medijs naues, ſæpe frangũtur & corruũt: et ante in ipſo curſu, malorũ mole obruũtur, quã portũ finemq; tranquillũ conſpicere potuerĩt. Tales fuiſſe ſuas cõtentiones Cicero queritur lib. primi principio. Nam quãdiu.] Interpretatur apertius quod dixit, ſpem eſſe fallacẽ. Quãdiu Craſſi uita deſtricta et impedita fuit ambitionis labore. i. ea cura quæ impẽditur ambiendis et gerendis magiſtratibus, tãdiu priuatis, ideſt ſuis magis uirtutibus et officijs, et ingenij laude floruit, quã fructu, hoc eſt præmio et gloria amplitudinis & auctoritatis, aut Reip. dignitate. Nam cum eſſet in curſu, & dubiã fortunã ſubiret, nõ fruebatur illa ſecura dignitate quã percipiũt conſulares et cenſorij uiri. Reuerebãtur illũ principes magis ob officia, quæ multa exercebat in ciues, & ob egregiã eloquentiã, quã propter illam quæ magiſtratus & res geſtas ſequitur dignitatem. Poſt conſulatũ et cenſurã, ac perfunctionem, hoc eſt exactũ munus aliorũ magiſtratuũ, primus annus omniũ cõceſſu aditũ ad ſummã auctoritatem dare debebat: ſed is eius omnem ſpem, ac omnia uitæ cõſilia peruertit. Nec.n. aſſecutus eſt quã ſperaueras, plenã dignitatis quietem, nec in ſenatu et in conſilijs publicis ea potuit efficere, ad quæ ſuæ uitæ cõſilia dirigebat. Deſtricta.] Valde ſtricta. Legũt alij diſtracta, alij diſtricta. Priuata officijs.] Officia priuata ſunt, quæ quis ut priuatus, nõ ut magiſtratũ gerẽs exercet. Ad ſummã auctoritatẽ.] Qui bene geſſerãt magiſtratus ex ordine, primos honores in ſenatu, et in luce Reip. ferebãt, ſummaq; ceſebãtur auctoritate ceu quædã Reip. lumina. Vitæ conſilia.] Quo modo annus omnia uitæ conſilia morte peruertit? Suſtulit mors anno illo omnia cõſilia quæ uiuus in futurum prouideras quæq; prouiſurus erat. Fuit hoc luctuoſum.] Ordo ſic eſt, ut primi afficiãtur qui propinqui ſunt et familiares, deinde patria, hoc eſt ciues, tandẽ aliarũ ciuitatũ homines boni et humani. Mors ampliſſimi uiri primis eſt luctuoſa, ſecundis acerba, tertijs grauis. Nã imminuitur affectus, ut lõgius procedunt gradus.

SED ij tamẽ Remp. caſus ſecuti ſunt, ut mihi nõ erepta L. Craſſo, etc.] Ne miſer et inuiſus dijs è medio ſublatus eſſe uideatur is quẽ maxime laudas, et ut dolori cõcitato adhibeatur remediũ cõſolationis, neq; de cæteris quos facit loquẽtes in his libris, aliquid dicas, quæ mala ciuibus et Reip. acciderint extincto L. Craſſo, cõmemoras: efficitq; dicẽdo, ut ille uideatur eſſe felix, et diuina prouidẽtia morte donatus, qui Reip. fluctus et tẽpeſtates nõ uiderit. Caſus enim tã graues, et tã acerbæ calamitates ſecutæ ſunt, ut illi nõ eripuiſſe deos, ſed aliquid donaſſe potius dicendũ ſit. Sed ij tamẽ Remp.] In genere dixit caſus, ut aptius ad ſingulas partes deſcẽderet: et tandẽ id quod proponit, colligeret. Nõ uidit flagrantẽ bello Italiã.] Druſus trib. pl. cũ ſocijs Italicis ciuitatẽ promiſiſſet, et uiolẽta morte raptus nõ reddidiſſet, illiq; ut ciuitate donarẽtur, à ſenatu populoq; R. nõ impetraſſent, bellũ mouerũt, Marſi, Picẽtes, Hirpini, Venuſini, Lucani, Sãnites, alijq; populi finitimi: qui cũ uario Marte in Romanos pugnaſſent, omnes ferè uicti ſunt, et poſtea ciuitate donati. Rem omnẽ fuſe narrat Appianus. Nõ ardentẽ inuidia ſenatũ.] Equites qui Druſi trib. pl. potẽtiã à ſenatu in ſe cõcitatã uidiſſent, uiciſſim trib. pl. ſolicitare cœperunt, ut in concionibus ſenatui inuidiã mouerent, ferrentq; legẽ, qua haberẽtur quæſtiones, et iudicia exercerentur in Italos, qui à potẽtioribus ſolicitati perturbabant ſtatũ ciuitatis. qua lege per Q. Valeriũ lata, tãta inuidia ſenatũ ſecuta eſt, ut ex eo multi qui ſocios Italicos donis pollicitationibusq; corrupiſſent, ex urbe fugerent. Id ſcribit Appianus lib. 1. de bel. ciuilib. Eò referendũ eſt quod ait, nefarij ſceleris principes ciuitatis reos eſſe factos. Accuſabantur enim ampliſſimi quique tanquã tyrãni, qui regnũ & dominationẽ affectaſſent. Non exiliũ generi.] Gener L. Craſſi fuit Scipio. Cic. in Bruto faciẽs mẽtionẽ de mulieribus diſertis: Hanc uero Scipionis etiã tu Brute credo aliquãdo audiſti loquentẽ. Ego uero ac lubẽter quidẽ, inquit Brutus: et eo lubẽtius, quòd L. Craſſi erat filia. Is Scipio in exiliũ miſſus, luctũ attulit uxori, et eo maiorẽ, quòd nõ ſuo crimine, ſed aduerſariorũ inuidia pulſus eſſet. Nõ acerbiſſimã C. Marij fugã.] Bellũ ciuile poſt ſociale exarſit. Auctores eius, Marius & Sylla. Cũ P. Sulpitius trib. pl. auctore C. Mario pernicioſas leges promulgaſſet, ut exules reuocarẽtur, & noui ciues libertiniq; diſtribuerẽtur in tribus, et ut Marius aduerſus Mithridatẽ Ponti regẽ dux crearetur, et aduerſantibus coss. Q. Põpeio et L. Sylla uim intuliſſet, occiſo Põpeij cõſulis filio, genero Syllæ, L. Sylla cõſul cũ

exercitu in urbem uenit, & aduerſus factioné Sulpitij et Marij in ipſa urbe pugnauit, eamq; expulit. Fugere Sulpitius & Marius. hic tandé delatus eſt in Aphricã, ille in quadã uilla indicio ſerui ſui proditus, occiſus eſt. Hæc ex epitome Flori tráſcripſimus, ſecuti cōpendia ſermonũ. Si rem explicatius accipere uelis, Appianũ legito. Nõ illã poſt reditũ eius eadem.] Cornelius Cinna pulſus urbe á Cn. Octauio collega, corruptũ Appij Claudij exercitũ in poteſtaté ſuã redegit, et accerſito ex Aphrica Mario cũ alijs exulibus, factaq; magna ui militũ, bellũ inimicis intulit. Confirmati quatuor exercitibus Marius & Cinna, et ab aduerſarijs metu in urbé recepti, eã uelut captã cædibus rapinisq; uaſtarũt, Octauiũ conſulé et omnes aduerſæ factionis principes trucidarũt: inter quos M. Antoniũ oratorem, et C. Cæſaré, quorũ capita in roſtris poſita. Sylla reuerſus ex Aſia, Marianas exercitibus fuſis Italiã urbemq; ab inimicorũ manibus ereptã, cædibus impleuit, ſæuus ea crudelitate quæ in nullo homine unquã fuit. Multa ciuiũ millia interemit, Italos propé infinitos ſuſtulit, qui latebãt proſcripſit, præmia interfectoribus propoſuit, bona uédidit ſub haſta. Tulit acerbiſſimas leges: & ut nihil intactum, nihil integrũ maneret, uniuerſum mutauit ſtatũ ciuitatis. His itaque diſſenſionibus in omni genere deformata eſt ea ciuitas, quæ ante factiones ordinũ maxime floruerat. Felix igitur L. Craſſus, qui cũ in tam florenti ciuitate multũ omnibus gloria præſtitiſſet, in tantã rerũ mutationem nó incidit. Sed quoniã attigi cogitatione.] Non eſt huius inſtituti omnes belli ciuilis calamitates perſequi, ſed ab euentu demóſtrare morté Craſſi æquo animo ferendã eſſe, quæ plurimos & acerbiſſimos inſtantis homini auertit dolores. Quamobrem ſatis erat attingere cogitatione uim uarietatemq; fortunæ, quæ tũ Remp. mirandũ in modũ labefactauit, deiecit, profligauit. Noluit igitur uagari lógius, ſed orationé his ferè ipſis definiuit .i. terminauit clauſitq; uiris, qui hoc ſermone cótinentur, Catulo, Antonio, Iulio, Sulpitio, Cotta: de quibus æquius erat quã de cæteris dicere, quia hoc dialogo & ſermone qué referre cæpit, cótinentur. Si planũ facere uelit alios miſeriores fuiſſe, et multos enumeret qui nó ſunt collocutores in hoc ſermone, præter rem facere uideatur. ſi breuiter alios attingas, ut inde ſumpto arguméto tranſeas ad collocutores, rem ſuã firmiorem reddat, nec ita multũ extra propoſitũ uagetur. Attigi cogitatione.] Attingimus labris, digitis, partibus corporis. nó eſt igitur ab re poſita cogitatio, qua ſola uim fortunæ referre poſſumus. Attigi cogitatione.] Breuiter in memoriã reuocaui. Vim uarietatemq;.] Fortuna ui res maximas, uarietate ſua multas diuerſasq; peruertit. Definietur uiris.] Non extédetur ultra uiros. Quis. n. nó iure beatũ.] Repetit propoſitioné, quia noua ſumit exépla. Horũ ipſorũ.] Demoſtrat eos qui in his libris cũ L. Craſſo loquũtur. Euentũ.] Caſum acerbũ, ut exiliũ aut morté. Tenemus. n. memoria Q. Catulum.] Valerius hæc de morte Q. Catuli: Maioris aliquãto ſpiritus dux Q. Catulus Cimbrici triũphi cũ Mario particeps á ſenatu datus, ſed exitus uiolentioris. Nanque ab hoc eodé Mario poſtea propter ciuiles diſſenſiones mori iuſſus, recéti calce illito, multoq; igni percalfacto cubiculo ſe incluſum peremit: cuius tam dira neceſſitas maximus Marianæ gloriæ rubor extitit. Omni laude præſtabat Catulus, fortis in bello, conſultus in ſenatu, eloquens in foro, domi bonus paterfamilias. Itaque multos habuit amicos, qui pro eius ſalute Marium deprecati, ne hoc quidé impetrarunt ut fugeret, & exilij cauſa ſolum uerteret. Mori iuſſus, calcis & carbonũ uapore ſe peremit. Pathos mouere uult, cum dicit eum omni laude præſtitiſſe: item cum exiliũ & fugam deprecatũ eſſe: item cũ adactũ fuiſſe, ut uita ſe ipſe priuaret. Mitius eſſe uidebatur ab alio necari. Iam M. Antonij in ijs ipſis roſtris.] M. Antoniũ Cinna interemit. Cic. Philip. 1. Itaque ut omittam res aui tui proſperas, acerbiſſimũ eius diem ſupremũ malim, quã L. Cinnæ dominatũ, á quo ille crudeliſſime eſt interfectus. Is, ut refert Appianus, cum in agrum fugiſſet, & ab agricola receptus eſſet, á ſeruo detectus eſt. Miſſus erat emptum uinum. caupon[i], cui tam pretioſum merũ emeretur, interroganti, uoce ſubmiſſa reſpõdit, Antonio. caupo rem Mario defert. Mittitur tribunus militum P. Annius, qui uirum interficiat. Cum tribunus ſtans ad fores milites intromiſiſſet, & eloquẽtia hominis obſtupefacti, diſtrictos iam & uibratos gladios cruore uacuos uaginis reddidiſſent, ingreſſus ipſe crudele imperiũ truculento miniſterio peregit. Caput ad Mariũ detulit. Appianus cædis eius auctorem facit Marium, Cicero Cinnam. Dicendum eſt utriuſque imperio necatũ fuiſſe. Valerius lib. 8. de Antonij ſermone & morte facit mentionem. Item lib. 9. cap. de Crudelitate. Plutarchus in uitã C. Marij. In ijs ipſis roſtris in quibus ille Remp.] Hoc dicit propter eas cóciones quas pro roſtris habuerat conſul ad populũ de Rep. Annus eius turbulẽtus fuit propter leges Agrarias, quas anno proximo tulerat Saturninus adiuuante Glaucia prætore.

Quæq; cenſor imperatorijs manubijs ornarat.] Cenſura á tenui principio adeo increuit, ut ſub poteſtate cenſoria eſſet ius priuatorũ publicorumq; locorũ, uectigalia po. Rom. in ſenatum legere, ſenatus principem deſcribere, cenſum agere, luſtrũ condere, equum adimere, et qui uidebantur indigni, ſenatu amouere. uide Feneſtellam. Ea poteſtate fretus Antonius, cenſor roſtra, id eſt ſuggeſtum publicũ unde conciones habebantur ad populum, inſtaurari iuſſit, et ornari ea pecunia, quam imperatores illis annis uendita præda retulerãt in ærariũ. Manubiæ, inquit Gellius lib. 13. appellatæ ſunt pecunia á quæſtoribus ex uenditione prædæ redacta. A' loco mouit pathos Cicero. Triſte eſt Antonij caput eo loco poni, qui reuocet in memoriã uirtutes eius. Addidit affectũ ex contrarijs, perditum fuiſſe caput, quod multorũ ciuiũ capita ſeruarat. NEQVE uero longe ab eo C. Iulij caput hoſpitis Hetruſci, &c.] Eodem tépore duo fratres C. & L. Iulij Cæſares Syllã ſecuti, in uia deprehenſi trucidantur. auctor eſt Appianus. Fugerant in tectum hoſpitis ſui natione Hetruſci, et homini perfido ſe cómiſerant. Detexit hoſpites, capita amputata, á Mario in roſtris poſita. Locus, ſcelus hoſpitis, fratrũ communis calamitas hic ciet affectũ. Sũt qui L. Cæſaré domi interfectũ ferant: quibus cõſonat illud Iuſtini: Cæſar et Fimbria in penatibus domorum ſuarũ trucidantur. Vt ille qui hæc nó uidit.] De L. Craſſo loquitur, qui hæc ſcelera non uidit, ſed uixiſſe cum Rep. pariter, et cũ illa ſimul extinctus eſſe uidetur. Nulla enim á dominatione Syllæ Reſp. Quiritibus manſit incolumis. Neque enim propinquũ ſuũ.] De morte P. Craſſi Appianus hoc modo: Craſſus et eius filius cũ perſequẽtibus inimicis aufugerét, pater filium prius occidi maluit, ipſe ab inſequentibus occiſus eſt. Iuſtinus: Craſſi pater & filius in mutuo alter alterius aſpectu trucidãtur. Florus: Craſſus filius ab equitibus Fimbriæ interemptus. Pater Craſſus ne quid indignũ uirtute ſua pateretur, gladio ſe transfixit. Sunt qui putãt hunc L. Craſſi fratré fuiſſe. Cicero nó fratrem ſed propinquũ dicit. Vides quantũ ſit diſcrimen inter hiſtoricos. Neque collega ſui.] Q. Mutius Scæuola Pont. Max. L. Craſſi collega in cóſulatu, durũ ſubijt exitiũ. Iuſtinus: Quid funerũ in foro? in circo? in patentibus téplis? Nã Q. Mutius Scæuola Pótifex, Veſtales amplexus aras, tantũ nó eodé igne ſepelitur. Confugerat in ædem Veſtæ, quoniã uirgines Veſtales erãt in cuſtodia Pon. Max. amplexus Veſtæ ſimulachrũ, ut inimici religione arcerẽtur. Furor neque Pont. neque religioni pepercit. Hoc grauiſſimũ pathos á loco et á modo. C. Carbonis inimiciſſimi.] Carbo Marianas partes ſecutus, extincto Mario, Sylla uictore in Siciliã cũ multis alijs qui Syllanã rabié cupiebãt effugere, peruenit. Captus ab inimicis, & ad Pompeiũ adductus, nó ſtatim interfectus eſt: at homo tribus conſularibus inſignis, tanquã reus á Põpeio ſedente in ſella dãnatus, cũ petijſſet ut ſibi aluum deponere liceret, in eo loco dicitur cæſus, in quo naturam leuabat. hæc Plutarchus in uitã Pompeij. Accuſauit

illum

illum Craſſus adoleſcens, & ex illo ſemper inimici fuerunt. Cui mœrori.] Amplificat rem comparatione ducta ab impari. Craſſus uir optima mente in Remp. qui nihil indignũ ciuibus accidere uellet, grauiter tuliſſet C. Carbonis inimiciſſimi hominis mortem nefariam. Quanto grauius paſſus eſſet amicorũ miſerabile exitium? Ordina ſic: Cui Craſſo (qua mente in patriam fuit) non amicorum modo, ſed etiã C. Carbonis inimiciſſimi hominis mors nefaria mœrori fuiſſet. Nõ uidit eorũ ipſorũ.] Sulpitij et Cottæ, qui tũ adoleſcẽtes Craſſo ſe dicarant, hoc eſt tradiderãt, horribiles miſeroſq; caſus, ex quibus C. Cotta. quẽ ille florentẽ reliquerat, paucis diebus poſt mortẽ Craſſi depulſus per inuidiã tribunatu, nõ multis ab eo tẽpore mẽſibus eiectus eſt è ciuitate. Nã cũ ſenatores ante bellũ ciuile arderẽt inuidia, et Q. Valerij lege accuſarẽtur, Cotta in iudiciũ uenit. ſuperbe de ſuis rebus geſtis locutus, cũ equites reprehẽdiſſet, amiſſo tribunatu, priuſquã dãnaretur, urbe egreſſus eſt. Huius rei teſtis Appianus. Sulpitius, ut paulo ante diximus, qui C. Mariũ iuuiſſet, et ueniente Sylla fugiſſet ex urbe, in itinere proditus à ſeruo interfectus eſt. Fuerat in eadem inuidiæ flamma, in qua adiutores Marianæ factionis ſenatores quibuſcũ ante tribunatũ ſuũ coniũctiſſime ſummaq; concordia uixerat, in tribunatu ſpoliare inſtituit omni dignitate. leges enim populares promulgauit, ut exules reuocarentur, ut noui ciues libertiniq; diſtribuerentur in tribus: ut Marius aduerſus Mithridatem mitteretur. à Q. Pompeio conſule odio capitali diſſedit. Cicero in Lælio: Meminiſti enim profecto, ut opinor, Attice, & eò magis quòd P. Sulpitio utebare multum, cum is trib. pleb. capitali odio à Q. Pompeio, qui tum erat conſul. diſſideret, quicũ coniunctiſſime & amantiſſime uixerat, quanta hominum eſſet uel admiratio, uel querela. Abuſus eſt eloquentia Sulpitius, & pœnam ſuæ temeritatis non ſine magno Reip. malo tulit. Ego uero te Craſſe.] Colligit tandẽ quod ſumpſerat, Craſſum diuino conſilio ante bellum ciuile extinctum fuiſſe. confirmat iterũ concluſionem propoſitis duobus, quorũ alterum ſubeundum fuit. Aut enim cum fortibus uiris indigna morte periſſet, aut funerum patriæ ſpectator fuiſſet. Vtrunque pertriſte. Vtitur apoſtrophe, ut maiore cum affectu mutet orationis figuram. Ego uero te Craſſe, cum uitæ flore, tũ mortis opportunitate, diuino conſilio & ortum & extinctum eſſe arbitror. Vitæ flore ortum, quia natus es, ut tua uita maxime floreret. Mortis opportunitate extinctum, quia opportune ante nefariam ciuium ſtragem uitam reliquiſti. Nam tibi aut pro uirtute animi conſtantiaq; tua, quã aduerſus impios fortiter & conſtanter egiſſes, ciuilis ferri ſubeunda fuit crudelitas: aut ſi qua te fortuna ab atrocitate mortis uindicaſſet, hoc eſt liberaſſet, eadem fortuna eſſe te funerum patriæ, id eſt ciuium tuorum ſpectatorem coegiſſet. Neque ſolum tibi improborũ dominatus, ut ſicariorũ Lucij Syllæ, ſed etiã propter admiſtam ciuiũ cædem uictoria bonorum, ut eorum qui non diripere bona aliorum, ſed ſuã tantũ dignitatem tueri uoluerũt, mœrori fuiſſet. MIHI quidem Quinte Frater & eorũ caſus, de quibus ante dixi, etc.] Cum de aliorum caſibus dixiſſet, conſentaneũ uidebatur, in eandem ſententiam aliquid de ſe dicere, aliquo ſolatio ſuæ triſtitiæ mederi, tandemq; pauca ſubnectere, quæ futurũ ſermonem propius attingerent. Sic enim exiſtimauit beneuolentiam ſibi conciliari poſſe, ſi oſtenderet ob amorem in Remp. ſe multa pertuliſſe, nullis malis fractum fuiſſe, quo minus actione uirtutis proficeret. Vidit etiã grauiora fore quæ poſtea dicentur, ſi lectores ſibi perſuaſiſſent maius quiddam de L. Craſſo, quàm quantum his ſcriptis expreſſerit, & iudicaſſent utrunque & Craſſum & Antonium in ſuo genere fuiſſe perfectum. Eorum caſus.] Craſſum, Antonium, Catulum, Sulpitium, Iulium, Cottam, Scæuolam dicit, quorum memoriam ſæpe repetere uult uideri, ne quod facit periculoſe, rerum inſciens ignaruſq; facere uideatur. Honeſtã agendi cauſam ſtatuit amorẽ in Remp. ſingularẽ propter quã tuendã oportet uirũ fortem nullũ periculũ formidare. Quæ pertulerit ac ſenſerit, expoſuimus in exordium libri primi. In conſulatu ſenſit moleſtias Catilinariæ coniurationis, poſt conſulatũ pertulit Clodianas inimicitias, & exilium. Pertulimus ac ſenſimus.] Non omnes qui aliquid perferunt, illud ipſum ſentiunt. Illud ad onus, hoc autẽ ad dolorem refertur. Et quoniam ferendũ eſt onus antequã ſentias, primũ dixit pertulimus, deinde ſenſimus. Vera ac ſapiens.] Multæ ſententiæ ueræ ſunt, quæ ſapientes non habentur, aut quia non reddunt nos ſapientiores, aut quòd à prudentia nõ proficiſcuntur. Duæ ſunt laudes: una ueritatis, altera ſapientiæ, quibus dictũ fratris exornat reuocãtis à cõtentione et dimicatione, hoc eſt à diſcordia pugnaq; ciuili. Contendit nihilo minus ipſe in Seruiliũ Rullum, in Catilinã, in coniuratos, in Clodiũ, in Piſonem, in Antoniũ, et tandem fratris dictũ ſapiens temeritate ſua cõprobauit. Quòd ſi ante oculos habuiſſet tot, tantos, tamq; præcipites caſus, id eſt repentinas grauesq; ruinas clariſſimorũ hominũ, atq; optimorũ uirorũ, aut accuſandi dimicationẽ fugiſſet, aut illã ſapientius atque cõſultius iniuiſſet. Sed hæc, inquit, neque in integro nobis eſſe poſſunt: quia quod factũ eſt, infectũ eſſe nõ poteſt: et ſummi labores noſtri, non in foro ſolum, & in cauſis reorũ, ſed etiã in adminiſtrãda Rep. et in oppugnandis improbis ciuibus ſuſcepti, magna compenſati gloria mitigantur. Quæ gloria? Ornatus eſt magiſtratibus pop. Ro. primas obtinuit inter oratores, honorifice reuocatus eſt ab exilio, domus illi expenſa publica conſtructa eſt. Adde ſenatuſconſulta ornatiſſimis & grauiſſimis uerbis expreſſa, quibus ſupplicationes togati nomine decretæ ſunt, & ille patriæ ſeruator eſt iudicatus. Pergamus ad ea ſolatia literarũ, quæ nõ modo ſedatis & abſentibus moleſtijs iucunda, ſed etiã hærentibus et præſentibus malis tanquã remedia ac medicamenta ſalutaria nobis eſſe poſſunt, ſermonemq; L. Craſſi reliquũ, ac penè poſtremũ (decẽ tantũ dies uixit poſtea) memoriæ prodamus, hoc eſt literis mãdemus: atque ei, etſi nequaquã parem illius ingenio, at pro noſtro tamen ſtudio, meritã gratiam debitamq; referamus. Quemadmodũ Plato Socrati præceptori ſuo in ſcribẽdis eius ſermonibus meritã gratiã retulit, ita Cicero Craſſo, cuius cõſilijs pater Ciceronis in erudiendis liberis utebatur, gratias referet, ſi ſermones eius monumento literarũ prodat. Vt autẽ tantũ aſſequatur, quantũ in ea ætate potuit Craſſus, opus eſt ingenio pari, & ſtudio peræque diligenti. Laudare ingeniũ ſuum, eſt arrogantis: ſtudiũ, conſtantis animi. Quamobrem ut modeſtiã ſeruet, cedit ingenio, & ut aliquid poſſe uideatur, ad ſuũ ſtudium confugit. Poſtulat ut maius quiddã de L. Craſſo, quã quantũ dictis expreſſerit, ſuſpicemur. Id fieri poſſe demõſtrat à ſimili. Qui legũt dialogos Platonis, in quibus Socrates exprimitur, hoc eſt ſic effingitur, ut illũ audire uideantur: maius quiddã de Socrate ſuſpicãtur, quã quantũ Plato diuinus expreſſerit. Sic qui legẽt iſta, maiorem in Craſſo eloquentiã poterũt cogitare, quam hi de ſermonibus eius libri demonſtrant. Hæc dicit, ne præter decorũ uideatur eruditius ac preſſius diſputare, quàm Craſſus antiquior conſueſſet, utq; rem magis amplectamur, quæ prodierit ab eo cuius uirtutes nemo ſatis potuit exprimere. Nec iſta ratione imminuit ſuam laudem, ſed potius modeſtiæ & animi grati fructum percipit, & ſibi conciliat amorem. Quod poſtulauit alios, noluit petere à fratre, propterea quòd nõ erat ſuperbiæ, ſi diceret ſe à fratre omnibus oratoribus anteponi. Dandũ eſt hoc amori et charitati, ut quos diligit, paulo ultra ueritatẽ efferat. Nos enim qui ipſi ſermoni nõ interfuiſſemus.] Non potuit ueriſimiliter fingere ſermoni ſe interfuiſſe, quoniam ſatis conſtabat ipſum per ætatem honeſte non potuiſſe intereſſe: & ſi interfuiſſet, quæ dicerentur, intelligere. Aliam perſonam legit eius qui pueritiã adoleſcens proxime ſequebatur, ut eſſet credibile ipſum puero familiariter hæc narraſſe. Sed nec Cotta potuit omnes ſententias et uerba ſermonis excipere ſcriptis: quare fingit eum tantummo-

do locos ac ſententias huius diſputationis tradidiſſe. Locos dicit principia quædam & argumenta diſputationum, quibus monſtratis reliqua per te inuenire poſſis: ſententias autem, res de quibus agebant. Dicat aliquis: Si neque tu interfuiſti, nec alius tibi uerba atque orationem tradidit, quo pacto cuique ſuum pro decoro attribuiſti genus? ut Craſſus diceret ornate, Antonius ſubtiliter, Catulus eleganter & latine, Iulius facete, Sulpitius grauiter, Cotta tenuiter? Reſpondet: Quo in genere orationis oratores cognoueramus, idipſum ſumus in eorũ ſermone adumbrare conati. Vnde cognoueras? Partim ex eorũ ſcriptis, partim ex conſtanti doctiorum fama. Quo modo adumbraſti? Non potui uerã exprimere imaginem, ſed ut malus pictor, manum primam adhibui, et ſtylum umbris quibuſdam, non extremis lineamentis effigiaui. At ieiunior erat Antonius, quàm quo modo à te inducitur, plenior autem Craſſus. Occurrit, & ait: Vulgus ſic exiſtimabat, ſed aliud habuit ueritas. Non erat ieiunus Antonius, nec Craſſus redundabat: ſed quoniam hic copioſus erat, redundare: quia limatus ille, ieiunus eſſe uidebatur. Plurimum quidem differebant Antonius et Craſſus. hic ſtudioſus uerborũ, ſuauis, ornatus, copioſus, ille uix latinus, ſed acutus, ſubtilis, pene ieiunus. Aequat eos quantũ poteſt (de mortuis facile eſt aliquid fingere) quo minus oporteat mutare genus orationis, cum alternis differentes facit. Tanta generũ diſſimilitudo uix coaleſceret in unũ corpus.

VT igitur ante meridiem diſceſſerunt, pauluſumq; requierũt, &c.] Poſteaquã proœmio lectores uocati, & ad audiendum parati ſunt, uelut in theatrum producendi ſunt ij, quorũ munus eſt habere ſermonem. Sic producit igitur, et in conſeſſum mittit, ut cuique ſuum munus officiumq; ſeruet: Craſſo, quia primas obtinet in dicendo, dat acrẽ meditationem, alijs autem partes excitandi, deligendi loci, ſermonis audiendi. Meridianum tempus attribuit quieti, propterea quòd matutino labore defatigati mortales interquieſcere ſolent tum, cum uires reſoluit ſolis æſtus, & diurnus labor in partes æquas diuidi poteſt. Paululum dat quietis, quoniam longa reſtat uia ſermonis, quam non conficerent, ſi quieſcendo ſpacioſum tempus abſumerent. Cottam facit animaduertentem quid agat Craſſus, non ſolum quòd illius fuit diligens obſeruator, ſed etiã quòd illum dicta, factaq; ad ſe Cicero detuliſſe fingit. Acerrimam atque attentiſſimam, id eſt intento uehementer animo impreſſam cogitationem Craſſo tribuit, ne cui putetur imparatus ueniſſe, & rem de qua dicturus eſſet, parũ cõſideraſſe. Quòd autem latet animus, & ſenſus oculorũ non uidet quid moliatur, ſigna refert ex quibus alta uiri cogitatio deprehendi potuit atque cognoſci. Vultus index eſt animi, & obtutus oculorũ humi defixus cogitationem ſignificat. Sed nec iſta noſſe ſatis eſt (uarius eſt uultus, & multæ cogitationes) niſi cõſuetudine lõga didiceris quã potiſſimũ meditationem talis uultus & obtutus ſignificent. Dicendum fuit igitur hæc probe noſſe Cottam, et in maximis cauſis ſæpe uidiſſe, & tũ dedita opera, id eſt ex induſtria in exedrã ueniſſe, in qua Craſſus lectulo poſito recubuiſſet. Exedram ſine aſpiratione dicimus locũ triclinio et cœnaculo ſimilem, ubi nõ ſunt lecti uel ad dormiendum, uel ad accumbendũ: at ſedes & cathedræ poſitæ ad ſedendũ. noſtri uacuas aulas uocãt. In exedris lectuli portatiles, qualẽ habuit Craſſus, ſtatui poſſunt. Ab eo loco Cottã ſtatim receſſiſſe dicit, quia probũ adoleſcentẽ et eruditũ nõ decet eſſe uiro graui et occupato moleſtũ. Conſumptis in ſilentio duabus horis, & inclinato in poſtmeridianũ, aut (ut ſuauius dicã) pomeridianũ tẽpus die, quia ſatis ſpatij datũ fuerat quieti, et iuuenes ardebant amore diſcendi, adduxit eos ad Craſſum. Habuit rationẽ tẽporis, quo parce utendũ eſt, et diſputationi ſuas horas reliquit. Nec lõga expectatione cruciauit eos quos audiẽdi deſiderio exardere dixerat. Iulio munus excitãdi cẽſuit eſſe tribuendũ, quia iunior Catulo, et horũ rerũ deſideratior: Sulpitio aũt et Cotta poſterior apud Craſſum, cui nouo hoſpiti durius petita res negaretur. Non quærit autẽ Cæſar, uelit'ne Craſſus de elocutione diſſerere, de ea re cõuenit inter eos in fine proximi ſermonis, ſed, inquit, imus'ne ſeſſum? hoc eſt, capimus'ne locũ & ſedes, ubi ſermo quẽ expectamus, habeatur? Interrogatio paulo durior fuit atque urgẽtior. molliuit igitur, et addidit, admonitũ uenimus te, nõ flagitatũ. Admonẽt amici, flagitãt moleſti. Quòd autẽ erubeſcimus uidentes à nobis exigi uehementius uel promiſſa, uel amicis facile cõcedenda, facit Craſſum ita loquentem, An me tã impudentẽ eſſe exiſtimatis, ut uobis hoc præſertim munus putẽ diutius poſſe debere? Rem notauit dicens, hoc præſertim munus, ſignificauit parui eſſe pretij quod ipſu perſolueret. De re cõuenit illis: agendum de loco. Mediam ſyluã legit, aut imitatus Platonem, qui nonnunquã in diſputatione ſub arboribus cõſtituit Socratem: aut ductus cõmoditate loci, qui opacus uix radios ſolis admittit, quorum abſentia frigidus eſt. Itaque in ſyluã uenitur, & conſiditur, hoc eſt ab omnibus ſedetur, quoniam ſedendo prudentior eſt animus, & aptior tum ad loquendum, tũ ad audiendum.

TVM Craſſus, cũ auctoritas, tũ amicitia ueſtra, etc.] Paratis auditoribus uſus eſt breuiſſima præfatione, quæ præ ſe fert ingenuum pudorem, et humanitatem. Pudoris eſt, apud honeſtiſſimos uiros parcere uelle ſermonibus, qui illum parũ decere uideantur. humanitatis, amicis negare nolle, quod ſine ſuo magno incõmodo iuſta petentibus dare poteſt. Fuit autem in Craſſo mirus pudor, & ſingularis humanitas, ut ſupra aliquoties dictum eſt. Quamobrem aptè Cicero ſic illum facit loquentem. Auget cauſas quibus inductus eſt ut diſſereret. unam ponit auctoritatem, hoc eſt dignitatis exiſtimationem apud ſe, qua præſentes tanti facit, ut illis omnia conceſſa uelit. Alteram amicitiam, quæ in rebus mortalium magnam uim habet. tertiã, Antonij facilitatem, qui ſe dedit adoleſcentibus, quò omnem (ut ait) Craſſo præcluderet recuſationem. Ab Antonij perſona commode tranſit ad illud quod in quæſtionem uenit. Incipit à partitione, qua diuiſit ille res à uerbis, et ab ornatu ſententias, ut ſibi de ijs, quæ dici ab oratore oporteret, ſumeret: Craſſo relinqueret explicandum, quemadmodum illa ornari oporteret. Hæc uerba quæ, & quemadmodum, hoc in loco ſic differunt: ut illud quæ, materiam ſpectet quam tractat orator: quemadmodum, ornamenta & actionem. Cum omnis ex re atque uerbis conſtet oratio, antequã de uerbis diſputetur, quærendũ primũ, an res & uerba in oratione ſeiungi ſeparariq; poſſint? Reſpondet neque diuidi poſſe, neque ſeiungi. In quo nõ reprehendit Antonium Craſſus, niſi ſeipſum Cicero uellicat, ſed oſtendit ſententias & uerba ſic efficere orationem, ut corpus & anima ratione prædita cõponunt hominem. Si uel corpus uel animum ſubtraxeris, non conſtabit homo: ſi rem aut uerba ſummoueris, diſſipabitur oratio. Homo tamen & animus duo ſunt, quæ cogitatione ſeparari poſſunt, ut à philoſophis moralibus & naturalibus docendi gratia diducuntur. Sic res et uerba duæ ſunt res, quas ratione dirimere poſſis, ut utriuſque proprietas melius explicetur. Itaque diuiſit has partes Antonius, quò facilius eas docendo traderet. Eaſdẽ cõiungit Craſſus, ut refellat inſcitiam illorum qui oratoribus uerba ſubiecerunt, res autem nõ dederunt. Non uidebant partium copulatione unam orationem conſtitui, ut ex nomine et uerbo ſimplicem dialectici conſtruunt propoſitionem. Itaque partes ſuapte natura coniunctas diuellere conati. Res & materia ſe habent uti fundamentũ, quare in illis uerborum ſedem collocat. Res ſine uerbis latent in animo, nec ſatis intelligi poſſunt: quãobrem uerba luminibus, unde abdita colluſtrentur aptè confert. Vnã eſſe eloquentiam non plures partium abſtractione, probare contendit auctoritate philoſophorum, qui omnia hæc in mundo poſita, quæ ſupra, ut cælos: & ſubter, ut elementa, unum eſſe, & una ui atque una conſenſione & communicatione naturæ cõſtricta colligataq; eſſe dixerunt. Nam Speuſippus & Cleanthes aliiq; permulti, qui mundũ dixerunt eſſe deũ atque animal, ſic omnia

unum

unum poſuere partium coniunctione, ut unũ deum, ut unum animal eſſe dicimus, etſi multis diuerſisq; partibus conſtat. Exiſtimauerunt omnes res concurrere in unum corpus, & illud informari mente, & ex his unum confici mundum. Omnia eſſe unum, Plato ſcribit in Parmenide: οὐδὲν ἔμοιγε ἂν ξένον ἄτοπον δοκεῖ, εἰ ἓν ἅπαντα ἀποφαίνει τις, τῷ μετέχειν τοῦ ἑνός. Non mihi ò Zeno uidetur abſurdum, ſi quis omnes res, eo quòd unius ſunt participes, unum eſſe dicit. Ac mihi quidem ueteres illi ſapientes apud Græcos, ut Socrates & Plato, maius quiddam animo complexi, plus multo etiam uidiſſe uidentur, quàm quantum noſtrorum ingeniorum acies, id eſt uidendi uis intueri poteſt. Omnia quæ ſunt in rerum natura, innumerabilia, ac maxime uaria, nõ dubitant unum dicere: nos res & uerba in oratione unum affirmare nolumus. Non contemnit ingenium ſuum Craſſus, ſed modeſtiæ cauſa prima perſona uſus eſt pro tertia, & noſtra ingenia pro quorundã ingenijs dixit. Cur omnia ueteres dixerint unũ, rationem affert. Nullum, inquit, eſt genus rerum, quod auulſum à cæteris, per ſe ipſum conſtare, aut quo cætera ſi careãt, uim ſuam atque æternitatem conſeruare poſſint. Nec elementa cœlis carere poſſunt, quoniam à cœlis reguntur: nec elementis cœli, quia non poſſint intercipere ſpatium inane, & ſuas uires in medium fruſtra mittere. Nec animalia, ſtirpes, metalla, gemmæ, lapides ſine terra eſſe queunt. Nec terra fruſtra proferat alimenta, ſi illa non ſint. Omnia igitur in unum conſentiunt, ut os, neruus, arteria, uena, caro, in unũ corpus. Sic ſpecies manẽt, quas æternas Ariſtoteles exiſtimauit. Hæc ratio à media philoſophia petita uidetur eſſe maior, quàm ut poſſit hominũ ſenſu (ſenſum dicit hic opinionem) aut cogitatione comprehendi. Certũ eſt naturæ conſenſionem ſenſu corporis percipi non poſſe, ſenſu communi & cogitatione poſſe ab eo cuius animus & ingenium maxime uiget. Non enim negat ſimpliciter poſſe comprehendi, ſed mauult ita loqui, quàm hoc modo: Si hæc maior eſſe ratio uidetur, quàm ut noſtro poſſit ſenſu aut cogitatione cõprehendi. Ab uniuerſitate rerum propius accedit ad liberales artes, quæ ſi in unum coeunt, quanto magis eloquentia una eſt? At Plato cõfirmat omnem doctrinam ingenuarum, id eſt liberaliũ, & humanarum, id eſt earum quæ ad hominem pertinent, artiũ, uno quodam ſocietatis uinculo contineri. In Epinomide, ſiue in philoſopho, poſteaquam numerauit omnes eas artes quæ ſapientiam præſtant, ſic ait δεσμὸς γὰρ πεφυκὼς πάντων τούτων εἷς ἀναφανήσεται διανοουμένοις. Vnum omnium iſtorum uinculum naturale uidebitur contemplantibus. Qui fiat iſtuc, oſtendit. Vbi, inquit, perſpecta uis eſt rationis eius qua cauſæ rerum atque exitus cognoſcuntur, mirus quidam omnium quaſi conſenſus doctrinarum, concentusq; reperitur. Quæ eſt illa ratio? An ars philoſophiæ, quæ cauſas rerum & effectus earum conſiderat, & explorat, quid res aut genere aut ſpecie diuerſæ habeant cõmune? an ratio animis noſtris inſita, quæ principia rerum uidet, & ex illis alia demonſtrat, res inter ſe comparat, ex notis comprehendit ignota? Placet mihi prior interpretatio. Sola philoſophia artium mater uidere poteſt, quem habeant inter ſe conſenſum & concentum diſciplinæ. Nouit enim genera, ſpecies, diuiſiones, definitiones, ſimilia, diſſimilia, eadem, diuerſa, principia, exitus, cauſas, effectus, & alia permulta, ex quibus cõcentus, aut diſcordia rerũ intelligitur. Hæc diſputatio eſt ardua, quam humi ſtrati, id eſt homines humili ingenio nati ſuſpicere non poſſunt, in quorum numero non eſt arduus ſublimisq; Craſſus. ſed uſus eſt illa mutatione perſonæ, de qua paulo ante dicebamus. Eos qui philoſophiæ res abditas nõ intelligũt, reuocat ad eas quas profitentur artes, ut ſi omnia eſſe unum concipere non poſſint, nec uidere unam eſſe diſciplinarum harmoniam, ſaltem quod ſunt amplexi, quod profitẽtur, quod ſuſcepere, noſcant et teneãt. Oratores ſcire debent eloquentiã non poſſe dici uel in uerbis duntaxat, uel in rebus. Rhetorica ars eſt eorum: cuius ignorare naturam, illis quàm cæteris turpius eſt. VNA eſt enim, quod et ego heſterna die & aliquot locis antemeridiano, &c.] Ex ijs quæ de rebus uniuerſi, & concentu artium propoſuit, efficit unam eſſe eloquentiam, ſic omnibus partibus ſuis conſtantem, ut non duæ pluresue res ſeparatæ, ſed unum omnino ſit ueluti corpus. Quàm uariè ſe habeat, oſtendit, ut expoſitis muneribus eius unam ſemper eſſe dicat, et occurrat illis, qui propter quæſtionum, locorum, affectuum uarietatem, exiſtimarunt eloquentiæ genera eſſe diuerſa. Sint quidem multa κατὰ συμβεβηκός, οὐ κατὰ τὴν οὐσίαν. Eſt enim ſemper rhetorica bene dicendi ſcientia, itaque ſubſtantia (ut ita loquar) ſemper una. Hoc dixit heſterna die, hoc eſt lib. primo. Sin, inquit, oratoris nihil uis eſſe, niſi compoſite, ornate, copioſe eloqui, quæro, id ipſum qui poſſit aſſequi ſine ea ſcientia, quam ei conceditis? & alibi: Hæc autem oratio, ſi res non ſubeſt ab oratore percepta & cognita, aut nulla ſit neceſſe eſt, aut omnium irriſione ludatur. Alibi: Tractationem orationis, quæ ſine illa ſciẽtia nulla eſt, ſibi aſſumet. Antonius in antemeridiano ſermone, id eſt in ſecundo libro. Neque enim ulla non propria oratoris eſt res, quæ quidem ornate dici, grauiterq; debeat. Alibi: Nemo dicitur, niſi orator, formare orationẽ, eamq; uariare & diſtinguere quaſi quibuſdam uerborũ ſentẽtiarumq; inſignibus. His & ſimilibus ſententijs pronunciat, non uerba ſolum, ſed etiam res proprias eſſe oratoris, propterea quòd in eius oratione nouam quandam formam capiunt, & cum uerbis in unum corpus coaleſcunt. Eloquentia non ſemper in eodem loco uerſatur, ſed multas in oras diſputationis regionesue defertur. hoc eſt, in uarias quæſtiones, in loca diuerſa, in multos incidit affectus. Nonnunquam de cœli natura loquitur, ut cum de aſtrologia diſſerit, & de ſcientia naturali. Aliquando de terra à cœlo ſummota longiſſime, ut cum dicit de geometria, de uirtutibus elementorum, ut quæ ſint grauia, quæ leuia, quæ frigida, quæ calida, quæ humida, quæ ſicca, quæ quid alant aut non alant: quæ cuiuſque proprietas, & inſita natura. Interdum agit de ui diuina, de theologia, metaphyſica, de maieſtate, bonitate, clemẽtia deorum, de eorum imperio, gubernatione, prouidentia, legibus. Nũc reuoluitur à diuinis ad humana, ut ad moralem philoſophiam, ad conſilia de Republica, ad cauſas forenſes. Nec quæſtiones modo immutat, ſed etiam locos. Aut agit ex inferiore loco, ut ex ſubſellijs ad prætores ſedentes pro tribunali: aut ex æquo parìq; loco, ut ad patres conſcriptos: aut ex ſuperiore, ut ex roſtris ad populum. Mutat officia. nunc impellit homines, ut cum in exordijs conciliat ſibi fauorem. nunc docet, ut cum narrat quid ſit in controuerſia. Interim mouet affectus. aut enim deterret, ut cum minatur accuſationem hominibus improbis & perditis: aut concitat, ut cum languentes animos mouet ad id quod uult: aut reflectit reuocatq; concitatos ad oppoſitum affectum: aut incendit ira & indignatione, aut lenit commiſeratione. Et auditores uariant eloquentiam. aut enim ſe uertit ad paucos, ut tres recuperatores: aut ad multos, ut ad Quirites: aut agit inter alienos, ut in obeunda legatione, & in omni oratione, quæ habetur ad eos qui nulla neceſſitudine iuncti ſunt aut cum ſuis ciuibus, propinquis, amicis, aut ſecum, ut cum ſcribitur oratio, cum tacite mens fruitur hoc bono. In his ſingulis tractandis quaſi riuis diducitur oratio, non fontibus. Vnus enim eſt fons eloquentiæ, qui ſicuti fons aquæ in multos diduci riuos poteſt. Quemadmodum igitur riui diducti non faciunt ut à multis fontibus deriuentur, quia manet unus idem fons, ita multi eloquentiæ riui plures eius fontes non efficiunt. Quocunque eloquentia ingreditur, eodem eſt inſtructu ornatuq; comitata. Inſtructus eſt ſententiarum, ornatus autem uerborum. Inſtructus & ornatus idem ſemper genere, non autem ſpecie & numero. Nam eſt una genere inuentio, una elocutio quæ ſemper in eadem genera præceptorum cadit. Species autem & indiuidua multa ſunt atque diuerſa. Cum una ſit eloquentia, uulgi tamen opinio diuidit, & alium

facit in rebus diſertum, alium in ornatu uerborum eloquentem. Vulgo proxime accedunt leuiter eruditi, qui quæ complecti tota nequeunt, hæc facilius diuulſa & quaſi diſcerpta contrectant. Diſcunt inanem quandam uerborum congeriem, maximas artes negligunt. Dicturi autem ex opinionibus hominum & communi ſenſu & uſu, emendicant neſcio quid, & impudenter effutiunt, dictitantq; non eſſe oratoris artes alias à rhetorica cognoſcere. Sic diuulſione facta quodammodo interimunt eloquentiã ueram. Vt enim ab animo corpus ſine hominis interitu diuelli nequit, ſic à ſententijs uerba ſeiungi ſine eloquentiæ exitio non poſſunt. Opiniones uulgi, & leuiter eruditorum adducit in cauſam cur tanquam à ſententijs uerba disiuncta ſint, de uerbis ſolis & illorum ornatu diſputet in hoc ſermone. At certe hoc melius eſt. Nihil enim uetat totius partes ſingulas inſpicere, ut cuiuſque natura apertius intelligatur. Sed Craſſus diſſerit in eos qui nihil oratori præter uerborum ornatum relinquunt, & falſo putant in uerbis non in rebus eloquentiam dici. Significabo, inquit, breui, & paucis uerbis notabo, neque uerborum ornatum inueniri poſſe non partitis expreſſiſq; ſententijs, neque eſſe ullam ſententiam illuſtrem ſine luce uerborum. Partiuntur ſententiæ, cũ res de qua habenda eſt oratio, diſtribuitur in ſuas partes, & animo tota peruoluitur. Exprimuntur, cum ex animi penetralibus educuntur. Oportet enim partes eius rei de qua agere uis, perſpicere, deinde educere, & eloquendi gratia cuique ſua uerba ornatumq; dare. Si uerba ſunt dilucida, ſplendida, illuſtria, non aliter illuminant ſententias, quàm ſol in ſerenitate lumen rebus affert. SED priuſquam illa conor attingere, quibus orationẽ ornari atque illuminari, &c.] Diſſoluta quæſtio eſt, ex quibus partibus conſtet eloquentia, & an una ſit, an plures. propius accedens ad elocutionem, aliam expedit quæſtionem, ſit'ne unum dicendi genus, an multa. Illam principio collocanit, quoniam ad uniuerſam eloquentiam pertinet. hanc ſubijcit, quia ad unam tantum rhetoricæ partem refertur elocutionem. Quòd autem à genere incipiendum uidetur. & hæc reſpicie uniuerſum dicendi genus, eam propoſuit, priuſquam illa conaretur attingere, quibus ornatur & illuminatur oratio. Multa & uaria genera dicendi laudabilia eſſe demonſtrat ex ſonis, coloribus, odoribus, ſaporibus, arte fingendi, ſcientia pingendi, poetis claris, oratoribus florentiſſimis. Id quidem non tam ad probãdum, quàm ad illuſtrandum & delectandum facit. Incipit à rebus naturalibus, propterea quòd longius diſtant à generibus dicendi. ab illis propius fertur ad eas artes, quæ manu tractantur. Ab artibus quæ dicuntur illiberales, peruenit ad poetas, quorum ars ingenua eſt ac liberalis. Ab his tranſit ad oratores, & in illis diutius commoratur, quòd inſtitutum ſit ac propoſitum oſtendere multis modis uariari genus orationis. Natura nulla, id eſt nulla res naturalis eſt, quæ non habeat in ſuo genere res compluves diſſimiles inter ſe, quæ tamen conſimili laude dignentur, hoc eſt digne ſint & habeãtur. Paſſiue dixit dignẽtur, ut Virgilius:

Coniugio Anchiſa Veneris dignate ſuperbo.

De natura diſſimili propone tibi multa ſpectacula in arboribus, in arborum fructibus, in herbis, in floribus, in equis, in canibus, et in alijs id genus rebus. Vnumquodque genus rerum ſpecies habet, & indiuidua quæ uocãt dialectici, tam diuerſa, ut uix duo per omnia ſimilia reperire poſſis. Sic eſt alia & alia quædam orationum figura, quæ ab alijs prodeunt oratoribus. Veniant in medium, qui percipiuntur auribus iucundi ſoni, non ne omnes ſenſum animumq; delectant? tamẽ ita uarij ſæpe ſunt, ut is quẽ proximum, hoc eſt ultimum audias, iucundiſſimus eſſe uideatur. Sic eſt in uocibus, ſic in ijs rebus quæ audiuntur, cuiuſmodi ſunt quæ recitantur ſuaues comœdiæ. Vbi aliquot partes multum differentes inter ſe auditas probaueris, ultimam, quia proxime hærebit, uel maxime probabis. Sua iucunditate ſuſpenſum tenebit animum tuum, ut neſcias iudicare quæ omnium ſit iucũdiſſima. Deflecte animum ad oculorum ſenſum, cuius eſt uis percipere colores & figuras, unde colliguntur penè innumerabiles uoluptates, quæ nos ita capiunt, hoc eſt lætitia amplectuntur, ut unum ſenſum diſſimili genere delectent. Nam color auri, purpura, cocci, figura procera, rotunda, quadrata, non eodem modo afficiunt oculos, ut illos nihil iſtorum non recreet uoluptate. Reliquos ſenſus odorandi, guſtandi, tangendi, uoluptates oblectant diſpares, quæ percipiuntur ex odoribus generis diuerſi, ex uarijs ſaporibus, ex qualitatibus primis, & ſecundis. Tanta naturarũ uarietas efficit, ut ſit difficile iudicium excellentis maxime ſuauitatis. Si quis duas aut tres fructuum ſpecies optimorum tibi guſtandas dederit, hæſites in iudicio, nec facile pronuncies, qui natura ipſa maxime fructus excellat. At hoc idem quod eſt in naturis rerum tam uarium, tamq; multiplex, transferri etiam poteſt ad artes tum illiberales, tum ingenuas & liberales. Proponatur ars fingendi, quæ, ex auro, argento, ære, ebore, marmore, alia'ue materia ſigna formas atq; ſimulachra. Nonne cum hæc una ſit, gignit tamen artifices etiã præſtantes inter ſe diſſimiles? Præſtantes fuerunt ſtatuarij, Myron, Polycletus, Lyſippus, omnes tamen inter ſe diſſimiles. Molliora quàm qui ante floruiſſent, Myron fecit. Diligẽtia ac decor in Polycleto ſupra cæteros, cui quanquã à plerisq; tribuitur palma, tamen ne nihil detrahatur, deeſſe pondus putant. Nã ut humanæ formæ decorem addiderit ſupra uerum, ita non expleuiſſe deorum auctoritatem uidetur. Quin ætatem quoque grauiorem dicitur refugiſſe, nihil auſus ultra leues genas. Ad ueritatem Lyſippum acceſſiſſe optime affirmant. Hæc Quintilianus libro duodecimo de ſtatuariorum differentia. Multa de ijſdem Plinius ſcribit, quæ tranſcribere nihil eſt neceſſe. Illorum neminem ſui uelis eſſe diſſimilem, hoc eſt, Sic quiſque ſuum tenuit genus, ut nunquã in aliud deflecteret. Itaque ſi plures eandem artem ſequentur, ut nunqam ſint ſui diſſimiles, erunt tamen inter ſe diſſimiles, aut quia naturæ hominum ſunt diuerſæ, & aliud alij placet, aut quia in multa rerũ uarietate duo non aſſequuntur ſimillimum genus. Vna eſt ars ratioq; picturæ, quæ lineamentorum ductu, & illitu collorũ perficitur. Diſſimillimi tamen inter ſe celeberrimi pictores, Zeuſis, Aglaophon, Apelles. Primi (inquit Quintilianus) quorum quidẽ opera non uetuſtatis modo gratia uiſenda ſunt, clari pictores fuiſſe dicuntur Polygnotus atque Aglaophon, quorum ſimplex color tam ſui ſtudioſos adhuc habet, ut illa propè rudia, ac uelut futuræ mox artis primordia, maximis qui poſt eos extiterunt auctoribus præferantur, proprio quodam intelligendi (ut mea opinio fert) ambitu. Poſt Zeuſis atque Parrhaſius non multum ætate diſtantes, circa Peloponeſia ambo tempora. nam cum Parrhaſio ſermo Socratis apud Xenophontem inuenitur, plurimum arti addiderunt. Quorum prior luminum umbrarumq; inueniſſe rationem, ſecundus examinaſſe ſubtilius lineas traditur. Nã Zeuſis plus membris corporis dedit, id amplius atque auguſtius ratus, atque (ut exiſtimant) Homerum ſecutus, cui ualidiſſima quæque forma etiam in fœminis placet. Ille uero ita circunſcripſit omnia, ut eum legumlatorem uocent, quia deorum & heroum effigies, quales ab eo traditæ, cæteri, tanquam neceſſe ſit, ſequuntur. Apelles eſt præſtantiſſimus. Hæc ille. Temporis ordo exigebat, ut Aglaophon nominaretur primus, ſed mutauit ordinem Cicero, ne in hexametri finem decideret. Vides autem ut Cicero, dicat, horum nemini quidquam in arte ſua defuiſſe: Quintilianus, Aglaophontem rudem tantum primordia artis habuiſſe. Hos ſi conuenire uelis, dicendum tibi eſt, Ciceronem haud affirmare omnes perfectos in arte ſua fuiſſe, ſed ita uiſum eſſe poſteris, qui ex operibus iudicarunt artifices. Si hæc uarietas in his quaſi mutis artibus, hoc eſt neque lingua, neque oratione utentibus eſt miranda, & tamen uera, quanto admirabilius in oratione atque in lingua, quæ cum in iſdem ſententijs uerbiſq; uerſetur, ſummas habet diſſimilitudines? Vtantur iiſdem ſententijs

uerbis

uerbiſq; Demoſthenes & Aeſchines, diſſimilia tamen genera conficiant. Non erit eadem neque compoſitio, neque figura. Neuter autem uituperandus erit, ſed uterque laudabilis, in diſpari genere uerſabitur. Summæ diſſimilitudines non efficiunt, ut alij uituperandi ſint, ſed ut ij quos conſtet eſſe laudandos, in diſpari tamen genere laudentur. Atque id primum in poetis cerni licet, quibus eſt proxima cognatio cum oratoribus. Vtriſque electio uerborum, ornatus, numerus, oratio elegantior & maior quàm quotidiana, ſtudium conciliandi, docendi, mouendi. Laudantur tragici Latini Ennius, Pacuuius, Accius, & Græci Aeſchylus, Sophocles, & Euripides, Nemo tamen illorum (etſi omnes unā eandemq; artem ſequuntur τὴν τραγικὴν) alteri in ſcribendo ſimilis eſt. Aeſchylus tragœdias primus in lucem dedit, quarum nonnullæ extant hodie. Sublimis eſt, teſte Quintiliano, & grauis, & grandiloquus ſæpe uſque ad uitium, ſed rudis in pleriſque & incompoſitus. Sophocles præſtantiſſimus, tanta grauitate, tãtaq; ſublimitate canit, ut in prouerbium ceſſerit, Sophocleus cothurnus. Euripides multo demiſſior eſt in ſermone, in mouenda commiſeratione facile princeps. Vterque Aeſchylo multo perfectior compoſitioreq;. Ennius præter alia ſcripſit & tragœdias, uir grandiloquus, & antiqua dignitate uenerãdus. Secuti ſunt Accius & Pacuuius tragœdiæ ſcriptores clariſſimi, grauitate ſententiarum, uerborumq; pondere, & auctoritate perſonarum. Cæterum nitor, & ſumma in excolendis operibus manus, magis uideri poteſt temporibus quàm ipſis defuiſſe. Virum tamen Accio plus tribuitur, Pacuuium uideri doctiorem, qui eſſe docti affectant, uolunt. Hæc ex decimo libro Fab. Quintiliani tranſcripſimus. Nec enim de ijs latinis quos non legimus, iudicare nobis licebat. ASPICITE nunc eos homines atque intuemini, quorum de facultate quærimus, &c.] Quemadmodum naturarum & artium generis eiuſdem, in multis multæ ſunt uarietates, ita facultatis orandi, de qua nunc quærimus, plura ſunt diſcrimina ex oratorum ſtudijs atque naturis. Alij ſuaues ſunt ut Iſocrates: alij ſubtiles, ut Lyſias: alij acuti, ut Hyperides: alij ſonantes, ut Aeſchines: alij acres atque robuſti, ut Demoſthenes. Tanta differentia eſt in principibus græcorum. Nec minor eſt in oratoribus latinis. Grauitas Aphricano, lenitas Lælio, aſperitas Galbæ, profluens quiddam & canorum Carboni placuit. Quid? tot ferè generum diſcrimina reperientur, quot oratores. Catulus purus, Cæſar facetus, Sulpitius tragicus, Cotta tenuis, Antonius concitatus et callidus, Craſſus grauis, & copioſus. Alij item ſua ſunt genera quædam. Feliciſſimus eſt ille qui non ſemper in eodem genere uerſatur, ſed ſuauia molliter, ſubtilia ſubtiliter, grandia elate, mediocria temperate dicit, & rebus aptum genus accommodat. Suauitas fit elegantia & iucunditate uerborum ſonantium & lenium, deinde coniunctione, quæ neque aſperos habeat concurſus, neque diſiunctos atque hiantes, comprehenſione temperata, æqualitate uerborum, figuris iucundis & ſuauibus, ſententijs inuiſis, inauditis, nouis, mirabilibus, ſignificantibus oratoris amabiles mores. Subtilitas uerbis uſitatis quotidianis, dilucidis, ambitu breui, compoſitione quaſi neglecta, in qua hiatus uocalium, & aſperi concurſus literarum non magnopere fugiuntur, numero minuto, & propè ſoluto, figuris ſummiſſis atque uulgaribus, popularibus ſententijs, & ut in ſumma dicam, eo orationis habitu, qui ſermonis quotidiani ſimilis eſſe uideatur, etſi omnia ferè munit occultius. Subtilitas & acumen orationis, interdum dicuntur pro eodem. Hinc autē differunt. Subtilitas eſt humilis, acumen humili paulo ſublimius. Illa omnia facit dilucidiora, non maiora: hoc pauciora dicit, et argutiora. Illa nullum penè uerbum repudiat, hoc ſignificantia legit. Illa ſententias admittit populares, ſiue ſint callidæ, ſiue nõ: hoc calliditati ſtudet, illud uult eſſe familiare: hoc abditum, ingenioſum, penetrans in rerum medullam. Sonitus eſt ex magnitudine grandiq; ſono uerborum, & ex ea compoſitione quæ plenas uoces atque robuſtas magis quàm ſuaues affectat, qualis eſt compoſitio Liuiana. Vis ex amplificationibus, inſtantibus argumentis, figuris acribus. Grauitas ex pondere uerborum & ſententiarum. Lenitas ex ſententijs ueris, caſtis, uerecundis, philoſophicis, compoſitione tranquilla & æquabili. Aſperitas, ut hic dicitur, eſt in incitata & graui & uehementi oratione. quali utuntur ij qui grauiter dolent, & ardeſcentes magno cum impetu feruntur. Illis duræ ſententiæ, figuræ acerbæ, uerba ſonantia, numerus acer, compoſitio aſpera, periodi non multæ, inciſa & mēbra permulta. Galbam (inquit Cicero in Bruto) fortaſſe uis nõ ingenij ſolum, ſed etiam animi, & naturalis quidam dolor dicentem incendebat, efficiebatq; ut & incitata, & grauis, & uehemens eſſet oratio. Canorum & profluens non ſunt rationis eiuſdem. Canorum pertinet ad flexus uocis, & ad uarios habitus orationis, qui multis flexibus, ut graui, acuto, circumflexo, quaſi concinũtur. Quintilianus lib. 1. loquēs de muſica dicit μέλος ἔμμετρον canore & ſonis conſtare, & ad flexus uocis pertinere: unde probari poteſt quo de canoro diximus. Ne dicito flexus uocis genus dicendi non innouare. Sic componi debet oratio, quemadmodum pronunciari. Vis eſſe canorus, & actione uarius? ut talis ſit oratio neceſſe eſt. Profluens, ad copiam ac uolubilitatem refertur. Tranſlatum eſt à fluminibus uerbum, quæ plena per decliuia labuntur. Profluit oratio molli iunctura, numero celeri, ambitu producto. De Carbone hæc Cicero in Bruto: Carbo quoad uita ſuppeditauit, eſt in multis iudicijs cauſiſq; cognitus. Hunc qui audierant prudentes homines, in quibus familiaris noſter L. Gellius, qui ſe illi contubernalem in conſulatu fuiſſe narrabat, canorum oratorem, & uolubilem, & ſatis acrem, atque eundem & uehementem, & ualde dulcem, & perfacetum fuiſſe dicebat. Sed quid ego uetera conquiram.] Vtendum ſæpe uarijs exemplis, græcis, latinis, externis, domeſticis, antiquis, nouis, quod facit hic Craſſus homo copioſus: & ne non cohæreant ea quæ ſunt diuerſa, connectit iniectis uinculis, ut hoc: Sed quid ego uetera cõquiram, cum mihi liceat uti præſentibus exemplis atque uiuis? Viua ſunt exempla, quæ ſumuntur ex hominibus uiuis. Quid iucundius auribus.] Quid differant inter ſe præſentes in genere dicendi, tam facile demonſtrat, ut longa non ſit opus explicatione. Pura.] Oratio pura, quæ ſic ſyncere, integre, incorrupte loquitur, ut non modo non admittat aut barbariſmum aut ſolœciſmum, ſed ne illam quidem multitudinis in loquendo naſtitatem improprietatemq;. In eum ſenſum dicitur eſſe purus Terētius. Sic autem grauis.] Diſparia miſcet, & inde trahit laudem. Longe diſſident grauitas & humanitas ac lepos. Grauitas eſt in quadã ſeueritate dicendi plena dignitatis & amplitudinis, & humanitas & lepos in facetijs, et humili quodam genere delectandi. Miſcentur tamen ab eo qui grauia grauiter & cum auctoritate, iucunda facete, urbaneq; dicit. Quidquid aut addideris.] Tribus modis alia fit oratio, addendo, mutando, detrahēdo. Mutatur duobus. aut enim uerbum ſententia'ue mutatur in aliud, aut de ſede in ſedem trāſponitur. Perfecta ſanè oratio, cui nihil addi, mutari, detrahi, quin deterior fiat, poteſt. Quòd ſi tam perfectus non fuit Catulus, liberum eſt tamen Craſſo, res amicorum præſentium uberius ac liberalius commendare. Noſter.] familiaris. Nonne nouam quandam.] Noua ratio eſt orationis, quæ in nullo unquam fuit. Genus ſingulare, quod in uno ſolum repertum eſt. Quis unquam.] Vt Cæſari nouum ſit genus & ſingulare, demonſtrat, neminem fuiſſe præter illum qui res tragicas penè comice, triſtes remiſſe, ſeueras hilare, forenſes ſcenica propè uenuſtate tractauerit. Res tragicæ quia ſunt graues, ſublimes, acerbæ, tractari debent oratione ſublimi, & plena contentionis: ut ſi honeſti uiri indignam necem deplores, reperiendæ tibi ſententiæ graues, uerba plena ponderis, utendum figuris acribus, numero inſurgente, & actione penè tragica. In eiuſmodi locis

de tanta grauitate remittebat aliquid Cæſar, tantumq; diſſidebat ab aſperis, & (ut ita dicam) tonantibus oratoribus, quantum differt à comico tragicus Oreſtes, de morte patris querens apud Euripidem, à Simone Terentiano de Pamphilo querente. Simoni minor eſt copia, lenior affectus, remiſſior contentio. Res triſtes, quæ dolorem afferunt, quamuis tragico minorem, non perſequebatur Cæſar oratione triſti, ſic ut excitaret mortuos, ardéret affectu, amplificaret acerrime: remiſſius agebat, ut humaniſſimi uiri qui leuiter perſequuntur iniurias. Seuera autem, & cũ ſenatoria dignitate dicenda, miſcebat facetijs & ſalibus, ut iucundiora eſſent ac uenuſtiora. Res forenſes ſuapte natura turbulentas, penè redigebat in eam uenuſtatem, quam in ſcenam parant ſcriptores comœdiarum. Quid multis? in omnibus cauſis erat iucundus, facetus, lepidus, urbanus: & eam adhibebat ioco moderationem, ut rerum grauitati nihil detraheret. Propè æquales.] Eiuſdem ferè ætatis Sulpitius & Cotta, hic paulo quidem iunior: ambo ſtudio eloquentiæ florentes. Cotta limatus, hoc eſt ſic attenuatus in exactam ſimplicitatem, ut nihil ferè niſi cauſæ neceſſarium diceret: ſubtilis, tenuis, humilis, rem explicans proprijs aptisq; uerbis, hærens in cauſa, non excurſionibus uagus & effuſus, eligens quod eſſet in cauſa præcipuum, & in eo mentem defigens & orationem. Dicam breui. Nihil dicebat extra cauſam, & quod erat in cauſa, tenuiter & ieiune peragebat. Sulpitius contra fortiſſimo animi impetu ferebatur, pleniſſima & maxima uoce tragœdorum more contendebat, mouebatur ardente geſtu, & ut animus eius erat acer & uehemens, ſic egerebat copiam grauium uerborum. Itaque ad contentiones non eruditus ille, ſed natus eſſe uidebatur. Ad noſmet ipſos.] Ad Antonium & Craſſum. Comparati.] Quoniam excellebant Craſſus & Antonius, multi confabulantes mouebant quæſtionem, uter eorum eſſet natura & arte præſtantior, & quaſi contentionis, id eſt, certaminis de priore loco iudicio certabant. Quod eo lubentius narrat hic Craſſus, quo minus ipſi de ſe dicere in laudem licet. Figura tamen & ingenioſo ſchemate ſignificat, quod uerecundia dicere aperte uetat. Si nihil Antonio poteſt eſſe præſtantius, ut ait, & illi Craſſus in cõparatione uere coniungitur, nihil poteſt eſſe Craſſo præſtantius. At ne quid ſibi arrogare uideatur, addit: Memet mei pœnitet, hoc eſt, tam parui mea facio, ut mihi ipſi diſpliceam. Forte.] Forte genus robuſtum eſt ui ſententiarum, neruis argumentorũ, fulminé affectuum. Vehemens, quod magno impetu fertur. Cõmotum in agendo, quod dum pronunciatur, incitatos habet motus. Præmunitum, & ex omni parte cauſæ ſeptum, quod adeo caute inſtructum eſt, ut cauſæ ſuæ non officiat, aduerſarium undique petat. Acutum, quod ſubtilitate quadam inuentionis rem uel confirmat, uel infirmat. Acre, quod plenum eſt contentionis. Enucleatum, quod aperte & dilucide cauſam explicat. In una quaque re cõmorans, quod non ante aliò tranſit, quàm rem eam ſatis inculcauit. Honeſte cedens, quod pugnanti ſimile fugit, & quod conuellere non poteſt, relinquit. Acriter inſequens, quod urget aduerſarium in eo quod illi nocet. Terrens, quod incutit animis timorem. Supplicans, quod precibus flectit. Varium, quod multas diſſimiles induit figuras. Non ſatians, quod uſque adeo iucundum eſt, ut nullam pariat auditori ſatietatem. Quicunque in dicendo ſumus.] Modeſta ratio loquendi. Eſſe aliquo in numero nobis uidemur.] Hæc, & quæ ſequuntur, pertinent ad illos mores, quos præ ſe ferre debet orator. Minime ſibi quiſque notus eſt.] Vt te noſcas, monet illud, Noſce te ipſum. quod in tanto pretio non eſſet, ſi ſe quiſque cognoſceret. Difficillime de ſe quiſque ſentit.] In ſua pleriq; omnes cæcutiunt. Ex motus mei mediocritate.] Pauca de ſuo genere loquitur Craſſus, fugiens ſuſpicionem arrogantiæ uel ſuperbiæ. Diſcrimen inter ſe & Antonium ponit in iis quæ uacant crimine iactationis. Genus Antonij commotum in agendo, Craſſi mediocre in geſtu, quòd quibus ueſtigijs primum inſtitiſſet, in ijs ferè ſoleret perorare, hoc eſt graue, ſeuerum, quod dignitatem actionis, non inquietum geſtum poſtularet. Antonius in uerbis legendis propè negligens, Craſſus omnium diligentiſſimus. Verebatur enim ne ſi paulo obſoletior, id eſt inuſitatior, uetuſtior, ſordidior eſſet oratio, non digna expectatione & ſilentio fuiſſe uideretur. Alias Craſſi uirtutes autea prædicauit Antonius, & multis uerbis explicat Cicero in libro de Claris oratoribus. QVOD ſi in nobis qui adſumus, tanta diſſimilitudines tam certæ, &c.] Colligit tandem, quot oratores, totidẽ penè reperiri genera dicendi. In ea uarietate alia eſſe meliora, alia deteriora: hæc ab illis facultate magis quàm genere diſtingui. Quoniam omne laudatur, quod in ſuo genere perfectum eſt: non eſt cura à deteriore melius, ipſo genere diſtinguamus. Quod autem facultas alijs oratoribus eſt maior, unde plura uirtutum genera miſcent: alijs minor, unde pauciora: melius à deteriore diſtinguimus facultate, & dicimus illud eſſe melius, quod ex pluribus uirtutibus eſt conflatum. Vt autem planius intelligas hunc locum, partes hoc modo ſeponito. Si in nobis qui adſumus, magnæ diſſimilitudines ſunt, et certæ res cuiuſq; propriæ: tanta tamq; certæ ſunt in alijs oratoribus qui abſunt. Quòd autem in ſingulis propriæ ſunt facultates, & melius à deteriore, facultate, non genere diſtinguimus, erunt genera diſtincta. Quoniam autem omne laudatur, quod in ſuo genere perfectum eſt, præclare per ſe ſtare poterunt. Itaque quot oratores boni, totidem genera dicendi, diſtincta, & laudabilia conſtabunt. Dicet aliquis: Sunt igitur innumerabiles formæ figuræq; dicendi. quis enim omnes qui ubique ſunt aut fuerunt oratores, numerare poſſit? Quo modo poterunt tot ſpecies inter ſe diſcrepantes iiſdem præceptis atque una inſtitutione formari, hoc eſt in eadem præcepta, eandemq; inſtitutionis formam cadere? Reſpondet, eſſe præcipiendum de eo genere, quod maxime probatur, ut eò contendant omnes, ſic tamen, ut ne quod habent à natura laudabile, relinquant. Sic fieri poſſe, ut omnia genera in eadem præcepta cadant, & tamen ſint inter ſe diſſimilia. Occurrat.] Obijciatur. Quaſi formæ.] Non ſunt uere formæ, neque figuræ, quales in corporibus uidentur, & cadunt ſub oculos, ſed quaſi forma & facies, quæ cadunt in aurẽ. Specie diſpares, genere laudabiles.] Species & genus aliter hic à Cicerone, quàm à dialecticis dicuntur. Species eſt facies & effigies: Genus, ratio & ſubſtantia uniuerſa. Senſus eſt: Figuræ tam multæ, quia aliam ſingulæ oſtendunt faciem & effigiẽ, ſpecie ſunt diſpares: quia uero præclare per ſe ſtant, uniuerſa ratione & ſubſtantia laudabiles. Inſtitutione.] Inſtitutio, præceptorum traditio. Inſtituunt.] Præceptis & arte formant. Videndum quò ſua quenque natura maxime ferre uideatur.] Fruſtra conamur inuita natura ac Minerua. quãobrem ſic præceptis operam demus, ut naturæ non reluctemur. Etenim uidemus.] Confirmat exemplo, ſic eſſe danda præcepta, ut ad cuiuſque naturam inſtitutio doctoris accõmodetur. Iſocrates doctor ſingularis, id eſt, ſummus, & in ſuo genere nulli comparandus, cũ multos & egregios haberet diſcipulos, unumquenque pro ſua natura ac ingenij uiribus docebat. Itaque cum uideret Ephorum ad omnia hæſitantem, nimiſq; uerecundantẽ, Theopompum contra præcipitem, & exultantem uerborum audacia, hunc egere frenis, atque reprimendum, illum calcaribus, & incitandum eſſe exiſtimauit. Quaſi ludo.] Quoniam ludus hic per tranſlationem dicitur, ad ſignificandam uerbi impropriẽtatem uſus eſt aduerbio ſimilitudinis. Artificum & magiſtrorum.] Artifices nominat eos qui exercent artes illiberales, Magiſtros autem qui profitentur igenuas diſciplinas. Neque eos ſimiles effecit.] Neque eos ſimiles effecit, quoniam diſſimilis erant natura, ſed tantum Ephoro affinxit, & per artem adiunxit, de Theopompo limauit, & quaſi lima deraſit id

quod ſuperare uidebatur, ut id confirmaret in utroque, quod utriuſque natura pateretur. Natura unius patiebatur aliquid addi, alterius autem detrahi. Hæc eo mihi.] Duas quæſtiones tractauit, unam de eloquentia, alteram de generibus dicendi. Illam, quo planum faceret eloquentiam non ad uerba tantum, ſed ad res & uerba pertinere, & communia eſſe præcepta quædam de toto genere eloquentiæ. hanc autē, quo doceret nos innumerabilem generum uarietatem non ab arte, ſed à cuiuſq; natura & ingenio prodire. quod laudabile natura miniſtrauit, illud non repudiandum, ſed arte potius eſſe confirmandum. ut denique ſi omnia quæ in arte dicuntur, ad cuiuſque ſtudium nō adhæreſcerent, hoc eſt non conuenirent, nec aptarentur, id aſſequeretur quo poſſet, & intelligeret de optimo genere dicendi præcepta dari. ERGO hæc & agenda ſunt ab oratore, quæ explicauit Antonius, &c.] Partitur id quod ſibi relictum eſt, in actionem, hoc eſt pronunciationem, & in orationem, de qua priore loco præcipiet. Hæc, inquit, & agenda, id eſt pronunciandа ſunt ab oratore, quæ de conciliando, docendo, mouendo, de omni inuentione explicauit Antonius: & dicenda quodam modo, hoc eſt aliquo dicendi genere exprimenda. Actionem in aliud tēpus remittit, quia ante formanda eſt oratio, quàm actione perferatur ad aures. Vt autem de oratione dicat ex ordine, proponit quatuor uirtutes, quibus illa perficitur. Oratio laudabilis debet eſſe latina, dilucida, ornata, congrua. Latina, quæ neque barbariſmum admittit, neque ſolœciſmum, neque peregrina pronunciatione uitiatur. Dilucida, quæ proprijs uerbis, uſitatis, compoſitis ſic utitur, ut nullo negotio, qui audiunt, id quod dicitur intelligant. Ornata, quæ ueſtita eſt inſignibus figuris, compoſita ordine uerborum, modulata numerorū iucunditate. Congrua, quæ loci, temporis, perſonæ, rei decorū ſeruat. De latino ſermone pauca dicit, quia formant illum grammatici, quorum proprium eſt latine loqui, & emendate. De plano & dilucido pauca, propterea quod ingenij recti potius eſt, & conſuetudinis & imitationis, quàm artis exquiſitæ. De ornato plura, quoniam proprius eſt oratoris. De congruo aptoq; non multa, quod poetæ, philoſophi, boni mores, quid deceat, quid dedeceat, ſatis nos docēt. Non arbitror expectari à me rationem et artem puri dilucidiq; ſermonis. Sermo purus, eſt latinus & emendatus. Neque enim conamur & fruſtra nitimur docere eum dicere oratorio more, qui loqui neſciat grammatice. Neque conamur et poſſumus ſperare, qui latine non poſſit, hunc ornate eſſe dicturum. Nec enim poterit maius, qui non potuit aſſequi minus. Nec cum ſermone uitioſo ſtabit ornamentum, ſiquidem ſimia etiam purpurata deformis eſt. Neque uero ſperamus, qui non dicat quod intelligamus, hunc poſſe quod admiremur dicere. Cognitionem enim ſequitur admiratio, ſi non perfectiſſimam, aliquam tamen, & obſcuram. Nec loquimur de plebecula, quæ omnia penè miratur. Agimus de uiris ſapientibus, qui nihil admirantur omnino, niſi quod admiratione dignum eſſe cognouerunt. Iam ſi præcepta rhetorica traduntur, ut ornate & copioſe dicamus: & ornate dicere, niſi latine loquamur & dilucide, non poſſumus: neceſſaria uidetur alia facultas, qua nos ante loquamur planè & emendate, quàm ad orandi præcepta ueniamus. Nec ſi minus eſt pure & aperte loqui, quàm pulchre & ornate dicere, idcirco contemnenda res eſt, quæ habet uſum neceſſarium. Facultas linguæ latinæ traditur literis doctrinaq; puerili, hoc eſt arte grammatica, quæ à literis nomen habet, ac pueris traditur. ἀπὸ τῶν γραμμάτων ἡ γραμματικὴ λέγεται. Facilis uidetur hæc ars, atque obuia, non ambit magnos honores, nec multa fronte promittit: uſque adeo tamen neceſſaria eſt, ut ſine illa cætera omnes ſcientiæ liberales corruant. Dicere planè & dilucide non eſt maxima laudis, nihil eo minus poteſt eſſe: ſed ita eſt neceſſarium, ut ſi abſit ea uirtus, cauſa periclitetur, honorq; dicentis. Non uult igitur has orationis uirtutes negligi: nec tamen in illis commoratur, quia non ſunt præſentis inſtituti. Cum ſumma ſit uirtus orationis, perſpicuitas, ut illud uerū eſt, ea minus nihil eſſe poſſe? Summa uirtus eſt, non ad hominum laudem & admirationem, ſed ad utilitatem neceſſitatemq;. Sed omnis loquendi elegātia.] De ſingulis uirtutibus orationis aliquid dicturus, incipit à grammatica, non quo tradat omnia præcepta emendate loquendi, ſed ut fontes ueluti digito oſtendat, unde puritatem ſynceritatemq; linguæ hauriat orator. Vnde hauriet? à grammatica, à poetis, ab oratoribus. Omnis, inquit, loquendi elegantia, id eſt omnis ſermo purus & latinus, expolitur & excolitur arte grammatica, quæ ſcientia eſt literarum. Gramma græce, litera latine. Augetur legendis oratoribus & poetis, quibus eſt electio uerborum, & ſumma cura pure loquendi. Poetæ metro, oratores ſoluta oratione utuntur. Vtrunque genus perutile nō ad uerborū copiam modo, ſed ad locutionum ſermonumq; uarietatem. Oratoribus iungendi ſunt hiſtorici, qui mirum in modum grammaticum iuuant. Qui poetæ & qui oratores ſunt legendi? Veteres & noui. Veteres, quia præclare locuti ſunt: Noui, quia utuntur præſenti conſuetudine loquendi. Sunt enim illi ueteres, Ennius, Pacuuius, Accius, Cæcilius, Plautus, Gracchi, Cato, qui ornare nōdum poterant ea quæ dicebant, omnes propè præclare & latine locuti, quorum ſermone aſſuefacti qui erunt, ne cupientes quidē poterunt loqui niſi latine. Sed in illis multa ſunt obſoleta, & antiquata: quamobrem non erit utendum uerbis ijs quibus iam cōſuetudo noſtra non utitur. Eſt tamen cum uerbis antiquis utimur, ut antiquior ac grandior ſit oratio: de quo poſtea nonnihil dicet in diuiſione uerborum. Vſitatis multo ſæpius utendum, non omnibus quidem, multa enim ſunt nimium detrita, ſed lectiſſimis, quorum magna copia eſt apud antiquos. His igitur abundabit, qui in ueteribus erit ſcriptis magno ſtudio & longo tempore uerſatus. ATQVE ut latine loquamur, non ſolum uidendum eſt ut & uerba, &c.] Vt latine loquamur, uidendum eſt ut uerba efferamus ea quæ nemo iure reprehendat. Ea ſunt latina, non obſoleta, non detorta in abſurdam ſignificationem, non ita dura & uaſta, ut nemo eruditus niſi aſper & nimis horridus utatur. hoc in ſingulis uidendum eſt. In coniunctis autem, ut uerba ſic & caſibus, & temporibus, & genere, & numero conformemus, ut ne quid perturbatum ac diſcrepans aut præpoſterum ſit. Fit enim ſolœciſmus caſibus, ut urbem ueſtra & temporibus, ut uolo ut uenis. & genere, ut anſer ſata. & numero, ut mors rapient. Perturbatum ac diſcrepans eſt illud quod conficitur ex nomine rei & epitheto, diſſidente uel genere uel numero uel caſu: aut ex uerbo proprie dicto, & nomine uel pronomine diſſentiente uel numero uel perſona: aut ex eo quod aliud refert, ſi cum illo non ei conuenit uel in numero uel in perſona: aut ex caſu qui attribuitur illi cui non oportuit. Præpoſterum, quod inuertit ordine, ut Ego agrum in. Enim bonus es uir. De ſingulis coniunctisq; uerbis præcipiunt grammatici. item de ſyllabis breuibus & longis, de accentuum uarietate: ſed anti qui nullum uerbū faciunt de ſono liberali & urbano, ſiue quòd ad illorum artem non attinet uitia cuiuſque linguæ corrigere, ſiue quòd uitia inſuauitatis ſine præceptione in audiendis hominibus emendantur. Hanc partem ab illis relictam Craſſus aſſumit, & hoc proponit in uniuerſum. Lingua, & ſpiritus, & uocis ſonus eſt ipſe moderandus. Lingua, ne ſit præceps, tarda, blæſa, implicata. Spiritus, ne ſit aut remiſſior, aut uehementior. Sonus, ne ſit exilis, abſonus, uaſtus, agreſtis. Nam qui peccat his rebus, non uidetur loqui neque pure neque latine. Quod dixit in genere, explicat fuſius in partibus. Nolo exprimi ſiue proferri literas putidius, hoc eſt agreſtius, fœdius, inſuauius. Id lingua facit à matre uel nutrice male formata, aut conſuetudo eorum quibuſcū uerſatus eſt qui ſic putide loquitur, ut qui r nimiū exaſperat, e dilatat ore diducto, i conſonans enunciat ut g, x elidit ut s in ſaliua demerſum. Nolo literas obſcurari negligen-

tius, ut ſolent ab iis qui non ipſum dicunt, ſed iſum : non ſublatum, ſed ſulatum : non addo, ſed ado. ſic obſcurant aut potius auferunt literas, ut non exaudiantur. Nolo uerba exiliter exanimata, id eſt quaſi ab exanimatis penéq; mortuis edita exire. Vox mulierum, & ægrotantium, & infantium, & effœminatorum exiliter pronunciat uerba, et aures uirorum, quæ plenum quiddam deſiderant, penè uacuas relinquit. Nolo uerba inflata & anhelata grauius emitti, quo genere peccant qui dicunt commoda pro commodis, hinſidias pro inſidijs : & quaſi rumpere uelint pulmones, effundunt magnam uim ſpiritus, & uerba ſupra modum dilatant : haud aliter quàm robuſtiores illi ruſtici, qui hiante rictu immodicas uoces & aſperas effringunt. Hæc de lingua, & ſpiritu. de uoce nondum ea dico, quæ ſunt actionis, id eſt pronunciationis, quo modo utamur acuta, graui, cita, tarda, magna, parua, leni, aſpera. hoc dico quod mihi cum ſermone & ratione pure loquendi quaſi coniunctum uidetur : nec enim uerus eſt ſermo, ſi ſono putidus eſt. Sunt certa uitia, quæ nemo eſt quin effugere cupiat, mollis uox, & exilis, ut muliebris, aut quaſi extra modum abſona atque abſurda, ut nimium ruſticans. Eſt autem uitium in uoce, quod nonnulli affectatores antiquitatis, ut ij qui Romæ dicebantur Attici, de induſtria conſultóq; conſectantur. Ruſtica uox & agreſtis & dura & horrida quoſdam malos imitatores delectat, quo magis antiquitatem, ſi ita ſonet, eorum ſermo retinere uideatur. Exiſtimãt Catonem et & multos ueteres Romanos ſic aſpera uoce ut ſermone exhorruiſſe. In ea hæreſi fuit L. Cotta, alius ab illo quem Cicero facit in his libris loquentem. Vſus eſt grauitate, id eſt tarda aſperitate linguæ, ſonóq; uocis agreſti. Illud enim quod loquebatur, priſcum uiſum iri putabat, ſi planè eſſet ruſticanum. Cicero in Bruto : L. etiam Cotta prætorius in mediocrium oratorum numero, dicendi non ita multum laude proceſſerat, ſed de induſtria cum uerbis, tum etiam ipſo ſono quaſi ſubruſtico proſequebatur atque imitabatur antiquitatem. Catulus contra ſuauis erat & in uerbis, & in ſono uocis. Me, inquit, tuus ſonus ò Catule, & ſubtilitas iſta delectat. Sonus intelligitur ingenuus, urbanus, ſuauis. Subtilitas, uox neq; exilis, neque immanis, ſed media quędã elegans, audituq; iucunda. Videtur hoc uerbum ductum à cithara ſubtilibus neruis, qui neque ſonum remiſſum, neque acutum nimis, ſed temperatum ſuauemq; mittunt. Subtilitas alia eſt in uerbis, alia in oris ſono. Subtilitas in uerbis, eſt forma quædam elegans uerborum urbanorum & lenium, auribus & animo iucunda. Reijce uerba aſpera, uaſta, immania, caſus præduros, ſeſquipedales uoces : elige quæ quadrata ſunt & perpolita, cuiuſmodi Cæſaris uerba in Commentarijs: conficietur oratio ex partibus ſubtilibus, cuius erit ſonus admodum ſuauis & iucundus. Legendarum, in patrio caſu durum eſt, & alienum à ſubtilitate : Legendi, molle & ſubtile, quod aures nihil offendat. Sic dicendum de ſimilibus, de quibus multa diximus in libro de Electione & oratoria collocatione uerborum. De hac elegantia, quanquam eſt caput, & præcipua pars ſuauitatis, non uult hic diſſerere, quia afferre illam ratio, id eſt ars, docent literæ non grammaticæ tantum, ſed etiam cæteræ omnes quibus eſt electio ornatuſq; uerborum. Confirmat conſuetudo & legendi & loquendi. Subtilitas in oris ſono, ſuauitas eſt uenuſti ſoni qui exit ex ore. Vides'ne ut ſingulæ propè ciuitates habeant peculiarem quendam ſonum? utq; uicini differente organorum motu uoces exprimãt? Alij hauriunt eas ex imis pulmonibus, alij ex arteria, alij uelut ex ore cauo, alij diducunt os, alij rotundum formant, alij labris minimum diuulſis efferunt uoces, alij hiant, alijs ſonus eſt ſtridulus, alijs obſcurus, alijs tardus & languens, alijs citus & uolubilis. Vt multis modis inſtrumenta animæ mouentur, ſic uarios edi ſonos, alios uenuſtos & ſuaues, alios iniucundos & barbaros neceſſe eſt. Ex tam multis ciuitatibus Græcorum nulla præter Athenas alebat hanc ſonandi uenuſtatem : quamobrem uel hoc ſigno facile cognoſcebant qui eſſent Athenienſes, qui'ue aliunde nati. Ex omnibus qui latine loquebantur, nulli quondam uoce iucundiores erant, quàm incorrupti ueriq; Romani. Sed quemadmodum colluuione peregrinorum linguam cõmiſcuerunt Athenæ, ita Roma inquilinorum turba uocata, illud ſuaue & uenuſtum propemodum amiſit. Tempore Ciceronis pueri, acciſæ erant res Athenienſium, à regibus Macedoniæ primum, deinde à populo Romano, ut omittam clades acceptas à Lacedæmonijs, regibuſq; Perſarum. Amiſſa libertate, confluentibus peregrinis, doctrina ipſorum Athenienſium interierat. Non erant indigenæ ueriq; Attici qui literas profiterentur : ſed Aſiani, Rhodij, Byzantij, Cyrenaici, Siculi : alijq; permulti iuuentutem docebant Athenis. Sic domicilium tantum in illa urbe remanſerat ſtudiorum, quibus uacabant, id eſt carebant ciues, peregrini fruebantur. Malebant enim in ea ciuitate tractare ſtudia literarũ, capti quodãmodo nomine urbis olim florentiſſimæ, quàm in ſua quiſque urbe diſciplinas arteſq; profiteri. In illa tamen confuſione inquilinorum, Athenienſes neſcio quo modo retinebãt aliquid ſuauitatis & quaſi ſaporis antiqui. Itaque Aſiatici, qui (ut Cicero dicit in Oratore) aſciuerant aptum ſuis auribus adipale et opimum dicendi genus, ab Athenienſibus ſono uocis & ſuauiter loquendo facile ſuperabantur. Contuliſſes Athenienſem indoctiſſimum cum Aſiatico eruditiſſimo, utente optimis uerbis ac grammatice coniunctis, hic ab illo ſonandi uenuſtate ſuperatus eſſet. Nec enim ſemper ij qui ſunt eruditiſſimi, uincunt indoctiores lenitate uocis, & urbana ſuauitate. Romani minus ſtudebant artibus ijs quæ literis conſtant, quàm Latini (Latinos dico populum qui Latium colebat) tamen ex urbanis, id eſt hominibus in urbe natis, & lingua patria formatis, in quibus minimum eſſet eruditionis & literarum, nemo erat quin litteratiſſimum togatorum omnium Q. Valerium Soranum lenitate uocis, atque ipſo oris preſſu & ſono facile uinceret. Togati ſunt omnes qui ius habent togæ, ſiue ſint nati ciues Romani, ſiue facti. Preſſus oris, eſt aptus labrorum, dentium, linguæ habitus, quo ſonus liberalis et uenuſtus exprimitur. Q. Valerius Soranus natione Latinus fuit, doctus (ut ait Cic. in Bruto) & græcis literis & latinis. QVARE cum ſit quædam certa uox Romani generis, &c.] Hactenus dixit cuiuſmodi eſſe debeat ſonus uocis, ut ſuauiſſime & iucundiſſime audiatur. Nunc exhortatur nos ut rectum ſequamur, Læliam ſuauiterq; loquentes imitemur, Cottam & ſtrepentes barbarum quiddam inſoleniq; fugiamus. Cum ſit quædam certa uox Romani generis, preſſa, lenis, ſuauis, elegans, uenuſta, & urbis ſic propria, ut nullius alterius ſit nominis Latinæ cõmunis, & ea ſit in qua nihil offendi inſuaue, nihil diſplicere ingratũ, nihil animaduerti uitioſum poſſit, nihil ſonare aut olere peregrinum, hanc ſequamur. Neque ſolum ruſticam aſperitatem, quæ non decet urbanum uirum & excultum : ſed etiam peregrinam inſolentiam nouitatemq; fugere diſcamus, ne in noſtra patria externi eſſe uideamur, atque peregrini. Hoc adeo odioſum fuit, ut Liuius ipſe quibuſdam patauinitatem etiam in ſcriptis ſapere uideretur, quanquam ante Liuium urbani ab Antiquitate longe deuiarant, quod exiſtimare potuerunt à ſono mulierum ſenum quæ in ætate prima ſermonis ſtudioſæ fuiſſent. Retinebant enim ueterem linguam, quoniam facilius mulieres incorruptam antiquitatem conſeruant, quòd in gynæcijs deliteſcentes, & ſermonis expertes multorum quibuſcũ habent commercium uiri, ea tenent ſemper quæ prima didicerunt. Adducitur in exemplum Lælia C. Lælij ſapientis filia, cuius filiam Craſſus duxit uxorem. de matre ſic Cicero in Bruto : Auditus eſt nobis Læliæ Caij filiæ ſæpe ſermo. Ergo illam patris elegantia tinctam uidimus. Eam (inquit Craſſus) ſic audio, ut Plautum mihi aut Næuium ueteres comicos poetas uidear audire. ſono ipſo uocis ita recto & ſimplici eſt, ut nihil oſtentationis aut imitationis afferre uideatur. Probat ſonum rectum & ſimplicem,

& ſimplicem, qui nihil affert oſtentationis & affectationis, nihil imitationis exquiſitæ. Comicos ducit in ſimilitudinem, quoniam comœdia quotidiani ſermonis ſimillima eſt. At quo modo iudicare poteſt de illorum ſono quos nunquam audiuit loquentes? Sonus (ut ante diximus) alius eſt uerborum, alius oris. Sonus uerborum manet apud Plautum & Næuium, unde coniecturam capere licet quo ſono uocis fuerint uſi. Ex ſermone Læliæ redit ad linguam paternam, & ex hac ad maiorum ſonum, quia uériſimile eſt loquendi conſuetudinẽ à patre filiam accepiſſe: patrem ut homines id ætatis locutum fuiſſe, non aſpere, ut ille L. Cotta prætorius loquebatur: non uaſte, id eſt putide & immaniter: non ruſtice, non hiulce; hoc eſt cum turpi hiatu, ſed preſſe, & æquabiliter, & leniter. Preſſus oris opponitur uaſtitati, æquabilitas ruſticitati quæ modum non habet, hiulcæ aſperitati lenitas. Vbi uirtutes ſuauitates expoſuit, apte uitia quædam contraria reprehendit. Nec ueritus eſt adoleſcentes, qui ſe erudiendos illi tradiderant, monere uitiorum. Decuit hoc uiri ſummam & eruditionem, & auctoritatem. adde quòd retinuit in ea re humanitatem. Non enim uellicantis eos amare, ſed facete & hilare dixit. Cottam arguit ruſticæ uaſtitatis, quæ os & rictum aperit, literas ac uerba immani hiatu pronunciat: in quo non oratores antiquos, preſſos ac lenes, ſed meſſores uidetur imitari. Meſſores, non agricolas aut ruſticos dicit, quòd urbani tempore meſſis exeant in agrum, & meſſores audiant ruſtice loquentes. Nec appellat Cottam ſimpliciter, ſed Cottam noſtrum, ut intelligant omnes alium reprehendi ab illo Cotta de quo ſupra fecit mentionem: quod etiam ſignificauit, utens perſona ſecunda. In Sulpitio non probat uocem, qua iota literam tollit, & e pleniſſimum profert. Quòd iota literas tenuis eſt, & omnium minima, Sulpitius autem acerbus, grauis, tragicus, grandiloquentiæ appetens, ſic illam obſcurabat, ut omnino tollere uideretur, & filium ut filum, dominum ut domum, muſicum ut muſcum, maium (quod uerbum nonnulli ueteres maijum efferebant) ut maum, maiores ut maores enunciaret. Contra literam e ſic dilatabat, ut æ diphthongum quidam, uel ut ee duplicatum qui gallice dicunt enſem atque ſponſam. Reprehenſi iuuenes non iraſcuntur, ſed arrident, & ut ſua uitia detegat Craſſus, orant. id enim poſcebat ille egregius literarum amor, quo uterque incenſus erat. De Sulpitio hæc dixit Antonius libro ſecundo: Vix annus interceſſerat ab hoc ſermone cohortationis meæ, cum iſte accuſauit C. Norbanum, defendente me. non eſt credibile quid intereſſe mihi ſit uiſum inter eum qui tum erat, & qui anno ante fuerat. Omnino in illud genus eum Craſſi magnificum atque præclarum natura ipſa ducebat. Cicero diuini ingenij uir, qui ſciret eum qui fingit, quemadmodum & eum qui mentitur, memorem eſſe oportere, ſenſit eum locum huic contrarium quibuſdam uideri poſſe, & induxit Craſſum ſic loquentem: Quæ habes à me, non reprehendo, ne me ipſum irrideam. Iuuenis uerecundus non fatetur ſe Craſſo ſimillimum eſſe, id enim eſſet impudentis: ſed ex Antonij uerbis conatur oſtendere, ſe eſſe diſſimilem. Si monuit ille, ut ea quæ in quoque maxima eſſent, imitaremur, & Sulpitius non agnoſcat in ſe maxima, nõ uidebitur ſibi Craſſo ſimillimus imitatione. Quædam facilia ſunt ad imitandum, ut ſupploſio pedis, qua terram pede ferit orator in contentionibus, pauca uerba inſignia, & motus corporis atque membrorum: hæc ſine arrogantia agnoſcit Sulpitius. Ne autem cuiquam uideatur ineptus imitator, id nõ tã uere, quàm modeſte eũ dixiſſe Craſſus dicit, his uerbis: Sunt mea multo & plura & maiora quàm dicis. Loquitur de ijs rebus quas obſeruauit Sulpitius imitando, et tandem peregit. Quo mature uenit ad ſecundam uirtutem orationis, id quod antea demonſtrauerat, iterum cur pauca de loquendo latine dicenda putet, oſtendit: Rationes enumerat, quibus illam uirtutem nobis comparemus. Præcepta latine loquendi pueriliſ doctrina grammatica tradit. Subtiliores artes, ut reliquæ ferè omnes, alunt. Conſuetudo ſermonis quotidiani, quem audimus à multis, & domeſtici libri quos legimus, confirmant, & lectio ueterum oratorum & poetarum. Latine igitur loquemur, ſi grammaticam planè didicerimus, ſi alias artes ſubtiliores fuerimus amplexi, ſi audierimus eos qui latine loquuntur, ſi legerimus domeſticos libros, maxime ueterum oratorum & poetarum. Poetæ & oratores (ut ſupra diximus) diligentius loquuntur, quàm cæteri ſcriptores, & ueteres quàm noui. Domeſtici libri, aut latine ſcripti, aut certe domi poſiti, ut conferantur cum ſermone quotidiano hoc modo, Sermonem hominum etiam foris audimus, libros domi legimus. NEQVE uero in illo altero diutius commoremur, ut diſputemus, &c.] Altera uirtus eſt orationis, qua planè dicitur atque dilucide. In ea diutius non uult commorari, quoniam non eſt hæc propria laus oratoris, & paucis admodum præceptis continetur. unum eſt huiuſmodi, Vt dilucide dicamus, latine & emendate loquendum eſt. Nam oratio barbaris uerbis contaminata, & ſolœciſmis contorta, difficilius intelligitur, Quanto quis eſt terſior & rectior in loquendo, tanto eſt eius oratio dilucidior. Alterum: Vtendum uerbis uſitatis. Inuſitata enim, ut quædã priſca, cuiuſmodi eſt ſimitu pro eo quod eſt ſimul: & noua, ut ſputatilicum, pariunt obſcuritatem. Vſitata ab omnibus intelliguntur. Tertium: Vtendum uerbis proprie demonſtrantibus ea quæ ſignificari ac declarari uolemus. Improprietas obſcura eſt, & animo ſæpe inacceſſa, ut Ten' cirratorum centũ dictata fuiſſe, Pro nihilo pendos? Proprietas contra facilis & obuia, ut, Scripta'ne cirratis centum dictata fuiſſe, Pro nihilo pendas? Non ſolum autem proprie ſignificant, quæ propria nominantur, ſed etiam tranſlate, niſi durius aut longius metaphora ſit petita. Quartum: Nulla ſit ambiguitas neque in uerbo, neque in ſermone. Ambiguum duos pluresue ſenſus facit. non eſt igitur mirum, ſi non prompte animo percipitur. Valetudo ambiguum eſt uerbum, eſt enim bona & mala ualetudo. Itaque diſtinguitur epitheto. Huic ſeruo nihil eſt occluſum, ambigua & obſcura oratio: tam ſignificat ſeruum furacem, quàm fidelem. Quintum: Non eſt producenda nimis longa continuatio uerborum, hoc eſt, abſtinendũ eſt à longis illis periodis, unde uix ſenſus eruitur. Cum poſueris ſeptem aut octo membra in uno ambitu, & illa confuſa redegeris ad unum aut alterum uerbum: quis intelliget quid tibi uelis, niſi qui rem totam in particulas diſſoluerit? Sextum: Non ualde producenda ſunt ea quæ ſimilitudinis cauſa ex alijs rebus trãſferuntur, hoc eſt, non eſt utendum longa allegoria, quæ naſcitur ex multis metaphoris, ut Alij ueſtrum anſeres ſunt, qui tantummodo clamant, nocere non poſſunt. alij canes, qui & latrare & mordere poſſunt. Producta ſimilitudo poteſt accipi metaphora longe petita, ut ſartago loquendi. At potius ſenſu priore ſtandum eſt. Septimum: Diſcerptis ſententijs non eſt utendum. Diſcerptæ ſententiæ ſunt res in oratione diſſipatæ, & male cohærentes, quales ſunt apud Satyricos diſſilientes quaſi per laſciuiã. Cum ſibi cohærent ſententiæ, una per alteram duce ordine explicatur. Cum propoſitum ſæpe mutant, animum diſtrahunt uoluti per ambages uiarum, nec planè uidere ſinunt, quod ſit principium rei, quiq; terminus & finis. Octauum: Ne tempora ſint præpoſtera. Temporum ordo lumen affert orationi. Conſilium de bello gerendo cepit, copias eduxit, cum hoſte conflictatus eſt. Obſcurius dicas hoc modo: Cum hoſte conflictatus eſt, qui copias eduxerat capto de bello conſilio. Nonum: Nulla ſit confuſio perſonarum. Nam cum hic Sextus Roſcius eſſet Ameriæ, Titus autem iſte Roſcius Romæ, cum hic filius aſſiduus in prædijs eſſet, cumq; ſe uoluntate patris, rei familiari, uitæq; ruſticæ dedidiſſet, iſte autẽ frequens Romæ eſſet, occiditur ad balneas Palatinas rediens à cœna Sextus Roſcius. Niſi diligenter hic Cicero diſtinxiſſet quatuor Roſcios, ex perſonarum confuſione tene-

bræ obortæ fuiſſent. filius à patre diſtinguitur pronomine demõſtrante rem præſentem. Titus præſens à Tito abſente eodem modo. Decimum: Ne perturbetur ordo uerborum & ſententiarum. Ex ordinis perturbatione confuſio, ex confuſione gignitur obſcuritas. Quid, inquit, multa præcepta dabo? Tam facilis eſt tota res, ut mihi permirum ſæpe uideatur, cum difficilius intelligatur quid patronus (patronum dicit tam actorem quàm defenſorem) uelit dicere, quàm ſi ille ipſe cuius eſt cauſa, de re ſua diceret. Reperti ſunt tamen qui in explicanda cauſa ſuis litigatoribus obſcuriores eſſent ut, L. Fufius, & Cn. Pomponius. Ille nimirum gloriæ conſecutus eſt in dicendo, niſi quòd ex accuſatione M. Aquilij cepit aliquem diligentiæ fructum. Pomponius lateribus pugnans, incitans animos, acer, acerbus, criminoſus, oratorũ penuria magis quàm eloquentia ſibi locum inuenit. Cũ iſti cauſam agere cœpiſſent, non æque, hoc eſt non tam facile quàm ſi docuiſſent litigatores quid dicerent, auditores etiam eruditi intelligebant. Ita confuſa erat illorum oratio, ita perturbata, ut nihil eſſet primum, nihil ut ſecundum. ut loci ueniebant in mentem, ita ſine ulla recta collocatione, ſine conſecutione rerum, illos temere percurrebant. Accedebat inſolentia, & abſurda nouitas, & indigeſta turba uerborum, qualis eſſe ſolet ingenijs rerum malarum feracibus. Ex ea colluuione uerborum naſcebatur oratio tam inſuauis, tam immodulata, tam moleſta, ut non alios delectare, uel docere, ſed ut anſeres ipſi ſibi obſtrepere uiderentur. Verum ſi placet.] Duas cauſas affert cur hanc de ſermone dilucido diſputationem relinquat. Nemini præſertim docto et exercitato uult moleſtus eſſe, & res adeo facilis eſt, ut longam orationem non deſideret. Si placet, ad reliqua pergamus, quoniam hæc quæ dico de ſermone latino & dilucido, ſatis ſpero uobis quidem ò iuuenes, certe maioribus natu Antonio & Catulo moleſta & putida, id eſt ingrata & inſuauia uideri. Etſi moleſta ſunt & putida quæ commiſcent Fufius & Pomponius, non tamen illa demonſtrat, cum dicit, hæc ſatis ſpero uobis moleſta & putida uideri, ſed omnem oſtendit de latine & aperte loquendo ſusceptam diſputationem. Conuerſus erat ad iuuenes cum paulo ante diceret hæc uerba, Veſter æqualis Pomponius agere cœpit. ad eoſdem habens oculos uerſos, Hæc ſatis, inquit, ſpero uobis quidem putida uideri, aut ſi non uobis, qui maxime nos audire uultis, certe maioribus natu Antonio & Catulo, quos res tam leues tamq; faciles delectare non poſſunt. Vt autem per ſummam modeſtiam & humanitatem ſuas res extenuet, dicit eſſe reliqua aliquãto odioſiora, quaſi odioſa nõ ſuapte natura, ſed ſi tractas dixerit, & quæ ſequuntur, odioſius ſit ipſe tractaturus, quamuis non ſint odioſa per ſe. Quamobrem nõ iuuenes, quos erudiri oportebat, ſed Antonius reſpondet, non eſſe neque ſibi neque alijs moleſtum hoc diſſerendi genus, quod facit credibiles ex otio, ex attentione, ex eloquentia Craſſi. Nihil agimus, te audimus attente. nulla tam parua res quam non magnam dicendo facias: unde ſuſpicaris hæc quæ dicis, nobis putida uideri? Vtitur autem ironia, quæ uertit orationem in contrarium ſenſum. Vides cum alias res agamus, quàm te inuiti audiamus. hoc eſt, nihil agimus, nec te audimus inuiti. Quòd ſic ille horrida, ieiuna, peruulgata tractauit adhuc, nõ eſſe tamẽ cuiquam moleſta confirmat Antonius, quoniam de horridis rebus nitida, de ieiunis plena, de peruulgatis noua eſt illius oratio. Præcepta grammaticæ ſunt ſuapte natura horrida, id eſt quodammodo ſqualida, quæ uix recipiunt ſplendorem orationis. Ieiuna, quæ non facile admittunt eloquendi copiam. Peruulgata, quæ ſunt omnibus ferè trita. quare ut eloquentiſſimus ſit, qui nitide, copioſe, noue dicat illa ac ſimilia, neceſſe eſt. Deiectus ex illo præſidio Craſſus confugit ad alteram cauſam. Faciles, inquit, partes eæ fuerunt duæ, quas modo percurri, uel potius penè præterij, latine loquendi, planeq; dicendi. Ideoq; non eſt cur in his debeam diutius commorari. Reliquæ ornate apteq; dicendi, ſunt magnæ, implicatæ, uariæ, graues. quamobrem de illis eſt grauius & copioſius diſſerendum. Vt in his eſt admiratio ingenij, ſic nemo unquam eſt oratorem, quòd latine loqueretur, admiratus. Si eſt aliter locutus barbare, irrident ij qui audiunt, neque eum oratorem tantummodo, ſed hominem non putant. Cum proprium ſit hominis loqui, & cõmũ tenere ſermonẽ quibuſcũ educatus diuq; uerſatus eſt, non uidetur aliquid hominis habere, qui nutricem, matrem, pueros, uiros, diſertos homines multis annis audijt latine loquentes, & latine loqui non potuit. Temporibus Craſſi nullus erat alius Romæ ſermo, quàm latinus: non omnes tamen eodem modo pure, terſe, emendate loquebantur, ſed uariabant, ut ij qui gallice loquuntur. Nemo extulit uerbis, id eſt laudauit eum qui ita dixiſſet, ut qui adeſſent, intelligerent quid diceret, ſed contempſit eum qui minus id facere potuiſſet. Etenim ſi rerum uilium & inutilium contemptus eſt, & ille orator non eſt pretij magni qui neſcit niſi obſcure dicere, dignus eſt certe qui contemnatur ab ijs, quibus nihil præter moleſtiam appertauit. IN quo igitur homines exhorreſcunt? quem ſtupefacti dicentem intuentur? &c.] Superſunt duæ uirtutes, in quibus laus omnis eſt eloquentis, ornate apteq; dicendi. Illas ut oratoris proprias principio laude proſequitur, ut ſimul excitet attentionem, ſimul doceat in quibus rebus maxime poſitæ ſunt. Quoniam eloquentia ab ijs apud quos agit, uult probari, et ferè ab illorum iudicio pendet, utitur populi teſtimonio, qui uultu, aſpectu, clamore, æſtimatione ſignificat quam maxime probet orationem. In quo oratore homines exhorreſcunt & obſtupeſcunt? quem ſtupefacti dicentem intuentur? in quo exclamant? quem deum inter homines putant? Eò peruenit augendo, ut eloquentẽ hominem deum haberi dicat, quaſi in rebus mortalium nihil ſatis magnum reperiatur. In gradibus huius amplificationis optimum ſeruat ordinem. Audientes eloquentiam ornati aptiq; uiri, primum animo exhorreſcunt: deinde in ſtuporem adducti defigunt oculos in illum: poſtea increbreſcente ui non poſſunt quin exclament, & plauſu ac uoce dicentem excipiant: tandem ubi rem perduxit ad ſummum, non illum iam inter homines, ſed inter deos habent. Hæc euenere Ciceroni adoleſcenti cum diceret orationem pro Sexto Roſcio, & eidem maiori natu pro Cluentio dicenti. Qui diſtincte.] Ornate dicere, eſt diſtincte, explicate, abundãter, illuminate & rebus & uerbis dicere, & in ipſa oratione quaſi quendam numerum uerſumq; conficere. Diſtincte dicit is qui non res crebras & inordinatas congerit in unum, more ſubtilium philoſophorum, ſed argumentum ab argumento, ſententiam à ſententia, locum à loco quibuſdam uelut interuallis diſtinguit ac ſeparat. Cicero de natura deorum: Nõ igitur ille ut plerique, ſed iſto modo ut tu, diſtincte, grauiter, ornate. Significat his uerbis pleroſque philoſophos indiſtincte confuſeq; loqui, ut qui ſemper incumbunt rei ſuæ, quæſtiones & ſententias ac rationes obſcuras exaggerant, & omnia conſtipant in unum locum: quod non faciebat Zeno Epicureus, atque Velleius. In eodem loco oſtendit quid ſit dicere explicate. Ego autẽ, etſi uereor laudare præſentem, iudico tamen de re obſcura atque difficillima à te dictum eſſe dilucide, neque ſententijs ſolum copioſe, ſed uerbis etiam ornatius quàm ſolent noſtri. Qui diſtincte loquitur & abſtruſum loquendi genus, quo qui doctrinam toti ſapiunt, utuntur, reducit in communem linguæ conſuetudinem, is dicit explicate. Dicit autem abundanter, qui ditat orationem copia uerborum & ſententiarum. Illuminate & rebus & uerbis agit, qui orationem illuſtrat inſignibus figuris: quarũ aliæ ſunt in rebus σχήματα διανοίας, aliæ in uerbis σχήματα λέξεως. Sunt enim figuræ quaſi quædam lumina orationis. In oratione autem non oportet neque numerum neque uerſum, ſed quaſi numerum & quaſi uerſum conficere. Non eſt enim in ea numerus purus & perpetuus, qualis apud poetas, ſed aliquid ſimile numerorum, quod paucos obſeruat pedes propterea dicimus

orationem

orationem εὔρυθμον eſſe non oportere : ſic enim numeret pedes omnes, & curſum definite moriatur. Expende ſyllabas longas & breues, & paucos in fine numera pedes idoneos : hoc modo quaſi numerum conficies . Fac tantum currat oratio, quantum ſatis eſt ad explendum aurium ſenſum , ſine pari fine quaſi uerſum metiere . De his rebus poſtea dicetur. Quę idem ita moderantur .] Apte & congrue dicere , eſt ita decorum moderationemq; ſeruare , ut rerum , ut perſonarum dignitates ferunt . Habes quid ſit ornate & apte dicere,quanta in admiratione ſint iſtæ duæ uirtutes,& quibus nomen eloquẽtiæ tribuẽdũ ſit. Quòd autẽ ſine rebus illud ornatũ & congruens,intelligere,& eloquentiã in ſolis uerbis ſtatuere nõ poſſumus,explicandũ uidetur ut cum ſapientia ſit coniuncta eloquentia,neq; nata fuerit opinio,in uerbis tantum uerſari oratoris artificium . Quis autem credet eloquentiam nihil aliud eſſe quàm ſapientiam loquẽtem , qui omnem oratorum uim rhetorum præceptis contineri putabit ? Nec enim mores , nec cauſas naturales , nec hiſtorias & antiquitates , nec ius ciuile tradunt rhetorum libri . Occurrendum fuit igitur illorum opinioni, qui falſo putant ſatis eſſe ſe ad dicendum paratos , ſi libellos rhetorum lectitarint . Negarent enim tantam eſſe eloquentiam , quantam paulo ante prædicauit,aut rem non ita magni pretij uulgatam rhetoricam præter æquum uerbis extollerent . Omnes iſtos rudes cauſidicos, me auctore , id eſt me ſuaſore , deridete ut ineptos , contemnite ut abiectos, qui ſe horum qui cœperunt his annis Romæ rhetorica ri , præceptis omnem oratorum facultatem complexos eſſe arbitrantur. Ad tempora Craſſi nemo in urbe profitebatur artes rhetoricas . Temporibus eius , cum ſtudijs græcis plerique florerent, & multi græculi Romæ eſſent , cœperunt in ſcholis tradere præcepta dicendi : unde uerbo græco appellati ſunt ῥήτορες , nouo tum Latinis, Græcis peruſitato. Pollicebantur adoleſcentibus omnem orandi uim breui ſe tradituros, quos tandem dimittebant falſa opinione ſui tumentes, cæterum neſcientes quam perſonam ſuſtinerent,& quantam ſcientiam profiterentur . Dictum eſt quàm glorioſum ſit ornate & apte dicere : quis ornate, quis apte & congrue dicat : eloquentiæ uim rhetorum libellis non contineri . Exponendum deinceps qualis ſit eloquentia , & eius principia repetenda . Eloquenti omnia quæ ſunt in hominum uita, quæſita,audita,lecta, diſputata, tractata, agitata eſſe debent. Eſt enim illi ſubiecta materies,omnis res de qua dicendum eſt ornate & congruenter: qualẽ continet philoſophia artiũ mater qualem habent cæteræ artes , & prudentia rerum gerendarum . Vt tanta rerum copia habeatur,quærenda ſunt omnia ubi poſſunt inueniri : audienda ab ijs qui loquuntur, legenda apud ſcriptores,diſputanda uoce uel ſtylo,tractanda oratione, agitanda pronunciatione. Cuiuſmodi ſint illa, pluribus uerbis expoſuit libro primo . Nunc autem repetit in genere , ut inde colligas eloquentiam eſſe unam de ſummis uirtutibus : illam ſapientiæ cõiunctam & natura, & ueterum inſtituto : & iccirco tantum bono uiro eſſe tribuendam. Si eloquentia non eſt ſine ſapientia , certe ſapientia eſt uirtus . Nam prudentia minor eſt quàm ſapientia . hæc enim ſcientia eſt eorum quæ ſunt præſtantiſſima natura : illa eſt habitus agendi cum ratione uera in ijs rebus quæ ſunt homini bonæ uel malæ . Prudentia autem uirtus eſt , quanto magis ſapientia ? Quòd ſi uirtus eſt ſapientia cum loquitur, erit & cum dicet ornatius . Philoſophi , ut refert Quintilianus, rhetoricam eſſe uirtutem probant hoc modo : Si conſonare ſibi in faciendis ac non faciendis,uirtutis eſt, quæ pars eius prudentia uocatur : eadem in dicendis ac non dicendis erit. Et ſi uirtutes ſunt ad quas nobis etiã antequam doceremur , initia quædam ac ſemina ſunt conceſſa natura,ut ad iuſtitiam , cuius ruſticis quoque ac barbaris apparet aliqua imago : nos certe ſic eſſe ab initio formatos , ut poſſemus orare pro bonis , etſi non perfecte , tamen ut ineſſent quædam (ut dixi) ſemina eius facultatis , manifeſtum eſt . Quoniam ſequitur Stoicos Cicero , qui confirmant uirtutes eſſe pares,& uidetur affirmare eloquentiam quibuſdam uirtutibus eſſe maiorem , occupat id quod obijci potuit, fatetur omnes uirtutes æquales & pares eſſe . quia ſunt uitia paria, uti demõſtrat in Paradoxis , negat omnes ſpecies eodem modo eſſe formoſas . Si nihil eſt recto rectius , ut in mathematicis, & uirtus omnis eſt recta , pares erunt hoc modo uirtutes. Sed quemadmodum lineis rectis non eſt eadem ſpecies, idemq; color , ita uirtutes æquales τῷ συμβεβηκότι differre poſſunt , & alijs aliæ pulchriores uideri. Sic animæ rationis participes naturæ perfectione ſunt perſimiles , quæ tamen aduentitijs qualitatibus inter ſe plurimum diſſident . At exploſa eſt illorum ſententia , qui paria peccata , pareſq; uirtutes eſſe cenſent : quamobrem in ea re terere tempus , eſt hominis abutentis otio & literis . Eloquentiæ uis ſcientiam complexa rerum , ſenſa, id eſt conceptiones mentis & conſilia ſic uerbis explicans, ut eos qui audiant , quemadmodum oportet impellat ad ueritatem, ſine dubitatione magna uirtus eſt . Si aliter quàm par eſt impellat animos, quod magis eſt hominis quàm artis , talis certe ut improprie dicetur eloquentia, ita dicenda uirtus non erit . Quanto maior eſt uis eius, tanto magis eſt cum probitate iungẽda, ſummaq; prudentia . Si detur improbis , quoniam improbi ſtulti ſunt,& ſtulti inſaniunt,erit ut gladius in manu furentis. Peſſime,inquit Fab. Quintil. mereamur de rebus humanis, ſi latroni cõparemus hæc arma, non militi . Orator igitur bene à M. Catone, finitur,uir bonus dicendi peritus. HANC inquam cogitandi pronunciandiq; rationem , uimq; dicendi ueteres,&c.] Eloquentiam complecti ſcientiam maximarum rerũ,demonſtrare conatur ex ueterum inſtituto , qui non alios fecere intelligendi,alios dicendi magiſtros . Itaque repetit eloquentiæ principia , deinde refert ut homines docti & otioſi dilatauerint artes , & alij alio , quò quenque ſua trahebat uoluptas , ſe contulerint : ut poſtea Socrates fecerit quaſi diuortia ſcientiarũ,& res ſuapte natura coniunctas diſputando ſegregauerit. Quorſum hæc ? ut ſi quis dicat eloquentiam in eligendis ornandiq; uerbis tantummodo uerſari, neges id eſſe uerum, & oſtendas ueteres ex rebus & uerbis eloquentiæ corpus effeciſſe . Deinde ut ſi quis appelletur orator,qui philoſophiam ſapientiamq; nõ teneat , dicas id non fieri eloquentiæ natura , ſed hominum uitio , qui ſic diuiſerunt & amplificauerunt artes, & amplificatas perdiſcere noluerunt. Hanc inquam .] Egreſſus erat à propoſito , quo diceret oratorem bonum uirum eſſe oportere . Redit eò unde digreſſus fuerat, quapropter uſurpat , inquam , uerbum reuertentis ad inſtitutum . Quòd eloquentia debet inuenire quæ dicat, & ſenſa mentis uerbis explicare,illam cogitãdi pronunciandiq; rationem eſſe dicit. Ex rebus & uerbis exiſtit uis illa dicendi,quam tertio loco ponit. Veteres Græci.] Veteres hic accipe doctos homines qui fuerunt ante Socratem , σοφοὶ dicebantur , ars eorum σοφία , quæ poſtea φιλοσοφία dicta eſt à Latinis, & à Cicerone ſapientia . Poſt Socratem qui ſe ad cognitionem rerum tranſtulerunt , penè omnes contempſerunt orationem : qui ad agendas cauſas , ſcientiam . ita uiſa ſunt eſſe duæ artes,cum una principio fuiſſet. Hinc illi Lycurgi.] Orationem ſic perficies , illi quos hic enumerat , habiti ſunt & ſapientes , & eloquentes , nec tamen crediti ſuſtinere duas perſonas,unam philoſophi,alteram oratoris . Singulos dicit numero multitudinis,aut quòd uſus loquendi ſic erat in nominibus proprijs hominũ aut quòd nonnulli modo qui nominantur , ſed etiam illorum ſimiles intelliguntur. Græcos & Latinos commemorat,quò ſit exemplorum uarietas. Græcos anteponit,ut antiquiores,& eruditione præſtantiores. Lycurgus,Pittacus, Solon, fuere legumlatores, qui ſapienter non inſtituiſſent ciuitates , niſi ipſi ſapientes fuiſſent : nec perſuaſiſſent ſuis ciuibus ut onus grauium legum ſuſciperent , niſi ualuiſſent oratione & eloquen-

tia. hinc probari poteſt eos utroque genere ualuiſſe. Lycurgus leges tulit Spartanis, Pittacus Mitylenæis, Solon Athenienſibus. Auctor eſt Ariſtoteles ſecundo libro Polit. qui dicit Pittacum in Repub. non eſſe uerſatum, quanquam ſenex dux belli factus eſt. Hic & Solon habiti ſunt inter ſeptem σοφοὺς, nó Lycurgus. Ab hac ſimilitudine bene agendi & bene dicendi, Coruncanus, Fabritius, Cato, Scipio fuerunt, non tam docti, quoniam tum Romani bello quàm literis magis ſtudebant, ſed impetu mentis ſimili & uoluntate. Dabant enim operam, ut quemadmodũ illi ſuperiores, ſic & ipſi ſaperent, grauiter & copioſe dicerent, & Rep. adiuuarent. Poſſumus, inquit Cicero in Bruto, C. Fabritium ſuſpicari diſertum, quia ſit ad Pyrrhum de captiuis recuperandis miſſus orator: T. Corruncanum, quòd ex Pontificum commentarijs longe plurimum ingenio ualuiſſe uideatur. Is enim primus de plebe Pont. Max. factus. In eodem libro ſcribit Catonem & Aphricanum C. Lælij amicum bonos oratores fuiſſe. Omnes hi quidem ualuere prudentia, lingua, manu, ſed non ij fuerunt qui ſapientes et eloquẽtes nominari iure poſſent. Quid igitur ſibi uult Cicero? dat illis impetum mentis & uoluntatem, non eloquentiam perfectam. Eadem autẽ alij prudentia.] Quos ante nominauit, uerſati ſunt in conſilijs ciuitatis, & in media luce Reipublicæ. Fuerũt alij ſapientes quidẽ, ſed nó ita exercitati oratione populari, propterea quòd Rempublicam non geſſerunt, quietem atque otium ſecuti. Dat illis eandem quam ſuperioribus prudẽtiam, non quòd in ſingularem rerum quæ ſunt utiles humanæ uitæ actionibus, in quibus prudentiam dici proprie exiſtimat Ariſtoteles, æque bene uerſarentur, ſed quòd uerũ expetendarũ fugiẽdarumq; ſciẽtiã tenerẽt, quàm nominat Cicero prudentiã. Differebant itaque prudentia rerum gerendarum, quæ experientiam requirit, itemq; conſilio ad uitæ ſtudia diſpari. Illi moleſtias & labores publicos perferebant: hi quietem atque otium, ſi quies & otium eſt illis qui in re literaria deſudant, ſequebantur. Ferunt & ſuos labores, ſed eſſe quieti & otioſi uidentur, quòd plus animo quàm corpore laborant. In his fuere Pythagoras, Democritus, Anaxagoras, homines ſtudio rerum naturalium florentiſſimi, quorum nomine ueterũ libri referti ſunt. Fuerunt & alij permulti, qui cum uiderent omnia in Repub. ambitione & auaritia teneri, & peſſimos quoſque nó ſolũ bonis æquari, ſed etiam perſæpe antoponi, tranquillitatem, quàm perturbationes, ſcientiæ ſuauitatem, quàm acerbas uulgi moleſtias maluerunt. Videbant enim quod Plato dicit ἐν τῷ Εὐθυδήμῳ, ἀναγκαῖον εἶναι φιλοσοφεῖν, καὶ τοὺς φιλοσόφους εἰκότως μετέχειν τῶν ἐν πολιτείαις πόνων. quanquam felices habentur & beatæ Reſpub. in quibus philoſophi regnãt. Plures, inquit Cicero, quàm utile fuit rebus publicis, ſcientiæ iucunditas & otium delectauit. Illis enim cedentibus, inuaſerunt imperia homines indocti, auari, cupidi, animi impotentes, & optimum ſtatum Reipublicæ peruerterunt. Philoſophi autem ij qui excellentiſſimis ingenijs eſſent, & ſummam facultatem uacui ac liberi à negotio publico temporis haberent, multo plura quàm erat neceſſe hominũ uitæ, curanda ſibi eſſe, ac quærenda & inueſtiganda duxerunt. Sic repertæ ſunt artes inutiles multæ, ſic aucta in immenſum quæ utiles eſſent Reipub. ſic natæ uanæ diſputationes, ſic innumerabiles ſcripti libri. Non deerat illis ingenium, quod per ſe plurimum poteſt: non doctrina, quæ breui compendio ducit ad cognitionem rerum: non tempus uacuum, quo liberius ingenio doctrinaq; fruerentur. Ad hæc ſcientiæ ſuauitas inijciebat animo curam, cura ac diligentia multa quærebat, & inueſtigabat, hoc eſt inueniebat inquirendo. Hoc pacto & Reſp. & ſtudia literarum confuſiora turbulentioraq; fuerunt. Non ſic erat uetus illa doctrina, ut nihil diceret, nullam ciuilem curaret orationem. Eadem erat recte faciendi, hoc eſt bene uiuendi, & bene docendi magiſtra. Neque tum diſiuncti doctores, ut poſtea fuerunt, ſed ijdem erant uiuendi præceptores, atque dicendi. Nunc quæruntur alij qui nos ſapere doceant, ut philoſophi: alij qui dicere, ut rhetores. Hæc officia coniuncta fuiſſe teſtatur poetarũ princeps Homerus Iliados libro nono, apud quem Phœnix ſe à Peleo patre Achilli iuueni comitem eſſe datum dicit ad bellum, ut illum efficeret oratorem uerborum, actoremq; rerum:

Σοὶ δέ μ' ἔπεμπε γέρων ἱππηλάτα Πηλεὺς
ἤματι τῷ, ὅ τε ἐκ φθίης Ἀγαμέμνονι πέμπε
νήπιον, οὔπω εἰδόθ' ὁμοίιου πολέμοιο,
οὐδ' ἀγοράων, ἵνα τ' ἄνδρες ἀριπρεπέες τελέθουσι,
τοὔνεκά με προέηκε διδασκέμεναι τάδε πάντα,
μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων.

*Me tibi eques ſenior Peleus dedit illo
Tempore, quo Phthia regi te Agamemnoni miſit
Expertem puerum Martis, qui eſt omnibus idem,
Conuentuq; rudem, qui fert decora alta uirorum.
Ire igitur comitem iuſſit, quò te iſta docerem
Verborum orator, rerum quoque prouidus actor.*

SED *ut homines labore aſſiduo & quottidiano aſſueti, cum tempeſtatis, &c.*] *Expoſuit ut doctiſſimis hominibus uaria uitæ genera placauerint: ut alij ad Remp. alij ad otiũ literarũ ſe contulerint. Deinceps exponit ut ij qui reliquiſſent publica negotia, alij ad alias artes quiſque pro ſua natura aut imitatione ſint conuerſi. Quod ut facilius demonſtret, ſimilia confert, homines labore aſſiduo, & quottidiano aſſuetos, & tempeſtatis cauſa opere prohibitos ut negotiatores, opifices comparat cum agentibus uitam in tranquillitate ſcientiarum, non quòd ſimile ſit negotio teri, et otio frui, ſed quòd ſimile opere phohiberi, & à negotijs publicis excludi: ſequi diuerſa genera ludorum, ſectari diſſimiles quaſi ludos ſcientiarum. Cum labore aſſiduo & quottidiano teruntur, optime conferuntur cum ijs qui Remp. adminiſtrant. cum tempeſtatis cauſa opere prohibentur, ſimiles ſunt ijs qui in otio & uelut in ludo fruuntur artium contemplatione.*

Tempeſtatis cauſa.] *Tempeſtatem dicit pro tempore, nó pro uento & pluuia, aut ſimili acerbitate cœli. Opere prohibentur tempore certaminum publicorum, tempore ſupplicationum, diebus ſacris Ioui. Iunoni, Mineruæ, et alijs numinibus quibus feriæ ſunt conſecratæ, die triumphi, diebus atris. Adde his iniuriam cœli, cum tempus eſt pluuiæ, niuis, grandinis, procellæ.* *Ad pilam.*] *Alia fuit pila trigonalis, parua, dura, firmo pilo referta. Alia paganica paulo grandior, laxior, mollior: à pagis nomen inuenit. Alia ex pelle ſpiritu inflata: follis dicitur. Alia grandior quàm paganica, quæ lana tomento'ue infercitur. harpaſtum uocant. Illam pedibus & manibus repellũt multi colluſores in duas diſtributi partes oppoſitas. Nulla non eſt in uſu temporibus noſtris.* *Aut ad talos.*] *Teſſeræ ſunt corpuſcula æquatis lateribus quadrata, candida, nigris ſignata punctis, quibus in alueolo luditur. Tali inæqualia habent latera, punctis uacant, ſimilesq; ſunt oſſi cuidã quod in poſteriore ſuffragine pedis biſulci inuenitur. Fiunt ex oſſibus, marmore, ebore, ligno, & numerum laterũ differentia diſtingunt.* *Temporibus excluſi.*] *Difficultatibus & temporũ perturbationibus à Rep. reiecti. Non eſt hic tempus quod χρόνος, ſed quod καιρὸς occaſio dicitur à quibuſdam: quæ cum mala eſt difficultatem & impedimentum rei gerendæ ſignificat.* *Voluntate ſua feriat.*] *Alij doctorum uoluerũt in negotijs publicis uerſari, ſed nullã nacti opportunitatem ſe tradiderunt otio literarũ. Alij uoluntate ſua feriati, hoc eſt otioſi facti: quemadmodum ij qui ferias, id eſt feſtos dies celebrant. Dies feriatus, dies eſt feſtus. Homo feriatus eſt qui diem agit feſtum, uel qui ceſſat à negotio, quaſi opere prohibitus ſit.* *Alij etiam ut dialectici.*] *Philoſophi uſque ad Socratem maxime uerſabantur in cognitione rerum naturalium, & phyſicas artes profitebantur. Socrates etſi uarius fuit in ſuis diſputationibus, tamen philoſophiam ethicam ſiue moralem, quam traxerat è cœlo. maxime ſecutus eſt. Plato in omni parte philoſophiæ*

phiæ eſt uolutatus. Cicero libro primo Acad. Fuit iam à Platone accepta philoſophãdi ratio triplex: una de uita & moribus: altera de natura, & rebus occultis: tertia de diſſerendo, et quid uerum & quid falſum, quid rectũ in oratione prauum'ue, quid cõſentiens, quid repugnans, iudicando. Zeno Eleates primus dialecticam ad cõtentiones altercationeſq; deduxit. Nouum igitur dialecticorum ſtudium tempore Socratis & Platonis, de quo loquitur in præſentia Craſſus. Multis ſæculis ante fuerant muſici, poetæ, geometræ, quæ fuit cauſa Ciceroni cur illos anteponeret. Diogenes Laertius ſic conſtituit tempora partium philoſophiæ. καὶ μέχρι μὲν Ἀρχελάου τὸ φυσικὸν εἶδος ἦν, ἀπὸ δὲ Σωκράτους τὸ ἠθικόν, ἀπὸ δὲ Ζήνωνος τοῦ Ἐλεάτου τὸ διαλεκτικόν. Ab Archelao cœpit philoſophia ſpecies de natura: à Socrate, pars de uita & moribus: à Zenone Eleate, pars dialectica. Archelaus phyſicã nõ inuenit, ſed rudem adhuc ſub Anaxagora, expoliuit. Nec Zeno primus eſt dialecticæ inuentor, ſed dialecticam ſimplicem & rectam acuminibus & ſubtilitatibus impleuit. Ad humanitatem fingerentur.] *Inſtitutione bonarum artium formarentur. Humanitas eſt inſtitutio in bonas artes, quæ uirtuti prępoſuit, quoniam uirtus cultu humanitatis increſcit.* SED quod erant quidam, iiq; multi qui aut in rep. propter, &c.] *Dictum eſt ut primum ſciſſæ ſint artiũ profeſſiones ab iis qui eſſent à ciuilibus negotiis excluſi, aut ſua uoluntate feriati. Longius progreditur Craſſus, ut referat illum qui non modo uoluntate ſeiunxerit ſapienter ſentiendi & ornate dicendi ſcientiam, ut priores, ſed etiam diſputationibus & agitationibus quibuſdam ſeparauerit. Quod ne ille fruſtra feciſſe uideatur, & iam ſeparata dirimiſſe, ſtatuit hic duo genera illorum qui adhuc ſapientiam cum eloquentia coniungerent. Alii uerſabantur in Rep. ut Themiſtocles, Pericles, Theramenes, uiri Athenienſes rebus geſtis & ſapientia clari: de quibus ſupra locuti ſumus. Alii minus occupati ciuilibus rebus, huius tamen eiuſdem ſapientiæ doctores erant: ut Gorgias, Thraſimachus, Iſocrates: qui cum rhetoricas artes magno hominũ conuentu profiterentur, & illas inuentis ſuis augerent, ſimul philoſophiam ſe tradere dicebant: quamobrem dicti ſunt ſophiſtæ.* Propter ancipitem.] *Anceps, inquit Nonius Marcellus, duplex. Lucilius libro 29. Nemo hos ancipites ferro effringat cardines. Sapientia quia tam eſt faciendi quàm dicendi, anceps eſt ac duplex. Quo modo igitur dixit unam eſſe eloquentiam? Vna eſt partium coniunctione: quarum ſi alteram tollas, nec eloquẽtia, nec nomen eius manere poteſt. Duplex autem, partium diuerſa proprietate.* Doctrina & ingeniis abundarent.] *Quòd ingenio & doctrina abundarunt, facile id quod uellent perſuadere potuerunt. Quod autem à re ciuili & à negotiis abhorruerunt, illam exagitarunt dicẽdi exercitationem, quæ in publico uerſabatur, & umbratilem ſapientiã contemnebat.* Animi quodam iudicio.] *Quæri poteſt cur tanti uiri patria nati, à negotiis publicis abhorruerint? Cicero, qui exiſtimat uerius & æquius eſſe non abhorrere, animi iudiciũ pro cauſa ponit, quaſi dicat illos opinione ductos fuiſſe, nõ ueritate iudicaſſe illam uitam eſſe deteriorem quæ ſit ipſa præſtantior. Vtra ſit melior, non eſt hic locus iudicandi. Argumenta ſunt in utranque partem. Nec Cicero idoneus eſt iudex, qui gloriæ cupiditate adeo exarſit, ut à tranquillitate & à philoſophia ualde ſenex ad prodendas Reip. reliquias conuolarit.* Exagitarent.] *Dialogus eſt Platonis Gorgias nomine, de quo ſupra mentionem fecimus. In eo Socrates exagitat Gorgiam & alios rhetores, & eò peruenit, ut dicat rhetoricen eſſe iuſtitiæ adulationem: quemadmodum medicinæ adulatio eſt ars coquorum: gymnaſticæ, mangonum artificium: ſcientiæ legalis, malitia cauillatrix. ἀλλ' εἴπερ βούλει πύθεσθαι, ἐρώτα ὁποῖον μόριον τῆς κολακείας φημὶ εἶναι τὴν ῥητορικήν. Si uis audire, roga qualem adulationis particulam dico eſſe rhetoricam. ἔστι γὰρ ἡ ῥητορικὴ κατὰ τὸν ἐμὸν λόγον πολιτικῆς μορίου εἴδωλον. Rhetorica mea ſententia eſt particulæ ciuilis ſcientiæ ſimulachrum. τί οὖν; καλὸν ἢ αἰσχρὸν λέγεις αὐτὴν εἶναι; αἰσχρὸν ἔγωγε. Quid igitur? honeſtam an turpem dicis illam eſſe? Ego quidem turpem. Multa alia in hanc ſententiam apud Platonem legere poſſis, quæ meo iudicio non ſcripſit in bonos & eloquentes uiros, ſed in rabulas ineptos, ambitioſos, auaros: quales tum plerique Athenis erant, iuris imperiti, quæſtus peritiſſimi.* Princeps Socrates.] *Socratem uehementer extollit ex iis rebus quæ maxima ſunt ad diſſerendum atque perſuadendum, ut ille diſputandi facultate, non ſentiendi ueritate artes ſeparaſſe uideatur.* Princeps.] *Primus.* Eruditorum teſtimonio.] *Quantus fuerit Socrates, Plato multis locis oſtendit. Non recitabo teſtimonia uiri, quoniam fuit amator & familiaris eius, nec referam ut oraculo Apollinis ſapientiſſimus omnium ſit iudicatus. Argumento ſit illum omnium teſtimonio principem fuiſſe, quod omnes ſe philoſophi Socraticos & dici uoluerunt, & eſſe arbitrati ſunt.* Prudentia & acumine.] *Horum uerborum proprietas ſic eſt: Prudentia intelligit, acumen in abdita penetrat, uenuſtas decet: ſubtilitas, quæ pauci uident, oculo mentis inſpicit. Eloquentia grauiter ornateq; dicit. Varietas generum & partium mutatione delectat. Copia quantitate animum implet.* Quam ſe cunque in partem.] *In quãcunque partem ſe dediſſet.* Tractarent agerent, docerẽt.] *Tractatio communis eſt et eorum qui agunt, & illorũ qui docent. Agunt, qui cauſas dicunt & orationes: docent, qui rhetoricæ præcepta tradunt.* Cũ nomine.] *Admiſit cacophaton: quod ne reciperent ueteres, dixere nobiſcum, cum autem nobis dicere noluerunt.* Optimarum rerũ cognitio.] *Cognitio ad philoſophiam, exercitatio ad rhetoricam refertur.* Commune nomen.] *Philoſophia nomen erat commune ſciẽtiæ intelligendi, & facultatis ornate dicendi: & tam eloquentes quàm ſapientes, philoſophi uocabantur. Id ante demonſtrauit in Lycurgo, Pittaco, Solone, & in aliis priſcorum luminibus.* Literam Socrates nullam reliquiſſet.] *Diogenes Laertius ſic diuidit philoſophos. καὶ οἱ μὲν αὐτῶν κατέλιπον ὑπομνήματα, οἱ δ' ὅλως οὐ συνέγραψαν, ὥσπερ κατά τινας Σωκράτης. Ex philoſophis alii monumenta reliquerunt, alii nihil omnino ſcripſerunt, ut, ſi quibuſdam credimus, Socrates.* Linguæ atque cordis.] *Dicendi & intelligendi. Lingua loquitur, cor ſapit. Veteres enim ſapientiam tribuebant cordi, unde prudentes dixere cordatos. Galenus oſtendit animum noſtrum non in corde, ſed in cerebro intelligendi reminiſcẽdiq; uim habere: & in ſuã ſententiam omnes ferè poſteriores adduxit.* NAM cum eſſent plures orti ferè à Socrate, quod ex illius uariis, &c.] *Diſputationibus Socratis non modo ſapientia & eloquentia recoherenter, ſeparata ſunt, ſed etiam profeminatæ philoſophorum diſſentientes inter ſe familiæ, in quibus ſunt Academici, Peripatetici, Cynici, Stoici, Epicurei, Cyrenaici, Eretrici, Erilii, Megarici, Pyrrhonii. Nam cum Socrates nihil affirmaret ipſe, omnes autem interrogaret, & de omnibus rebus in contrarias partes diſſereret, atque ex illius uariis & diuerſis & in omnem partem diffuſis diſputationibus, ſunt hominum ingenia diſſimilia, alius aliud apprehenderet, ortæ ſunt philoſophorum diſſimiles ſectæ, quæ latentem miſeris modis diſtraherent ueritatem, omnes tamen ſe dictis Socratis tuerentur.* Familiæ.] *Quemadmodum ab uno paterfamilias multi tandem profeminantur, & ex illis liberi, nepotes, pronepotes & minores, unde ſunt familiæ, ut Corneliorum, Fabiorum, Cæſarum: ita ab uno philoſopho orti plurimi re & nomine differentes multas familias propagauerunt.* Omnes.] *Non omnes orti erant à Socrate, ſed, ut paulo ante dixit, plures ferè: omnes tamen qui alicuius nominis eſſent, ſe & Socraticos dici uolebant, & eſſe arbitrabantur. Ab ipſo Platone, qui diligenter audierat Socratem, diſciplina formatus eſt Ariſtoteles Stagirites, Nicoma*

chi & Phæſtiadis filius, qui conſtitutus ſcholæ princeps in Lycio, cum deambulans una cum diſcipulis, philoſophiam profiteretur, peripateticus ἀπὸ τοῦ περιπατεῖν, hoc eſt deambulando dictus eſt. Hinc Peripatetici nominati, qui illum ſecuti ſunt. Diſputant in utranque partem, ut Academici. Aliquid affirmant, aliquid ſciri poſſe dicunt: ſummum bonum in uirtute, in bonis corporis & animi ponunt: primos animi motus non habent in uitijs, ut Stoici. Eundem Platonẽ audijt Xenocrates Chalcedonius Agathenoris filius: qui in gymnaſio Athenienſi nomine Academia cũ diu floruiſſet, homo ſeuerus, pecuniæ contẽptor, fœdæ uoluptatis inimicus, cõfirmauit Academicos: et illorũ, ſi nõ primus, attamen alter auctor habitus eſt. Academici & Peripatetici uerbis magis quàm re differũt, teſte Cicerone. Cæterũ Academici, noui præſertim, aliquid ſciri poſſe negant: iudiciũ ſuum nullũ interponunt: ea probant, quæ ſimillima ueri uidentur: cauſas conferunt: & quid in quamque ſententiam dici poſſit, expromunt: nulla adhibita ſua auctoritate, iudiciũ audientiũ integrum ac liberũ relinquunt. Antiſthenes Athenienſis primum & Gorgiam audijt, deinde ex rhetore factus eſt philoſophus Socraticus. In ſingulos dies ſtadia quadraginta conficiebat, ut Socratem audiret. παρ' οὗ καὶ τὸ καρτερικὸν λαβὼν, καὶ τὸ ἀπαθὲς ζηλώσας, κατῆρξε πρῶτος τοῦ κυνισμοῦ. Cicero ſic reddit: Ab Antiſthene, qui patientiã & duritiã in Socratico ſermone maxime adamarat, Cynici ceperunt originem. Fuerunt autem Cynici laborũ patientes, cibi potuſq; parci, diuitiarũ, gloriæ, nobilitatis contemptores, uirtutis obſeruatores ſeueri: ut Diogenes ille uitam agens in dolio. Cynoſarges Atticum eſt gymnaſiũ, unde traxere nomen. In eo cum iuuentutẽ docuiſſet Antiſthenes, & Zeno Citieus alium ſibi locũ Stoam deligiſſet ad docendũ: qui ante Cynici dicebantur, à Stoa appellati ſunt Stoici. Duo nomina quidem, una uero ſecta, una & eadẽ profeſſio. Stoicos in multis probat Cicero, ut in eo quod aiunt uirtutẽ ſolã ſatis eſſe ad bene beateq; uiuendũ. Ab illis magna ex parte παράδοξα deduxit, quos ab Academicis non multũ diſſentire noſſet. Ariſtipus Cyreneus, à Cyrenaica regione Aphricæ, Socratis auditor, ſummũ bonũ in uoluptate corporis conſtituit: qua quidẽ ut frueretur, ſe regibus dedit atque diuitibus, ὅθεν καὶ Διογένης βασιλικὸν κύνα ἔλεγεν αὐτὸν. hoc eſt. Diogenes illum regium canem eſſe dicebat. Cicero in Academicis: Alij uoluptatem finem eſſe uoluerunt, quorũ princeps Ariſtippus, qui Socratem audierat: unde Cyrenaici. Idem: Ariſtippus, quaſi animum nullum habeamus, corpus ſolum tuetur. Ab Ariſtippo, quem illæ magis uoluptariæ diſputationes Socratis, cuiuſmodi ſunt apud Platonẽ in Philebo, in Sympoſio, in Phædro, in Protagora delectarant, Cyrenaica philoſophia manauit. Voluptatem Ariſtippus & eius poſteri ſimpliciter & aperte defenderant: Epicurei uero, qui uoluptate omnia metiebantur, uerecundius id egerunt. dixerunt enim, nõ laudare ſe uoluptates corporis quæ eſſent cum uitio coniunctæ, nec tam agere de corporis quàm de animi uoluptatibus. At nec ſapientiæ dignitati ſatisfecerunt, qui ſummum bonum in re caduca, mortali, ſordida collocaſſent: nec uoluptatem defenſione munierunt: qui nõ auſi pugnare pro uoluptate corporis, ad animi uoluptates ſe recepiſſent. Itaque Cyrenaici fuere ſibi conſtantiores, alijſq; minus peſtilentes quàm Epicurei. Menedemus Eretrias (urbs Eubœæ eſt Eretria) cum miſſus eſſet ab Eretrienſibus in præſidium Megarorum, uenit in Academiam ad Platonem, captuſq; amore philoſophiæ militiam reliquit: cumq; ægre illinc ab Aſclepiade Phliaſio diuulſus eſſet, & Megara ſe contuliſſet, Stilponi philoſopho Megarenſi operam dedit. Qui rationes eius ſecuti ſunt, Ἐρετρικοὶ, Eretrici à patria ſui conditoris appellati. Quorum (ut ait Cicero) omne bonũ in mente poſitum, & mentis acie, qua uerum cerneretur. Erillus Carthaginienſis Zenonis diſcipulus, ſcientiam ſummum bonum, ignorantiam ſummũ eſſe malum dixit. Cicero Acad. libro quarto: Et omitto illa quæ relicta iam uidentur, & Erillum qui in cognitione & ſcientia ſummum bonum ponit: qui cum Zenonis auditor eſſet, uides quantum ab eo diſceſſerit. Idem de Finibus: Et Erillus ſi ita ſenſit nihil eſſe bonum præter ſcientiam, omnem conſilij capiendi cauſam inuentionemq; officij ſuſtulit. Idem in eodem libro: Sæpe ab Ariſtotele & Theophraſto mirabiliter eſt laudata per ſe ipſa rerum ſcientia. Hoc uno captus Erillus ſcientiam ſummum bonum eſſe defendit, nec rem ullam aliam per ſe expetendam. Euclides Megareus Socratis diſcipulus condidit ſectã Megaricorum, qui & dialectici, & Eriſtici, id eſt contentioſi nominati. Cicero libro quarto Academicarũ: Poſt Euclides Socratis diſcipulus Megareus, à quo ijdem illi Megarici dicti: qui id bonum ſolum eſſe dicebant, quod eſſet unum & ſimile, & idem, & ſemper. Hoc unum bonum (ut ait Laertius) multis nominibus appellant: aliquando prudentiam, interdum deum, nonnunquam mentem, ſæpenumero aliter. Pyrrho Eleus philoſophus Pliſtarchi filius primum pictor, deinde philoſophus factus, dicebat nihil eſſe honeſtum, nihil turpe, nihil iuſtum, nihil iniuſtum: ſimiliter in omnibus nihil eſſe uere, ſed lege et cõſuetudine omnia facere mortales. Gellius libro undecimo capite quinto: Quos Pyrrhonios philoſophos uocamus, ij græco cognomento σκεπτικοὶ appellantur. Id fermè ſignificat, quaſi quæſitores & conſideratores. Nihil enim decernunt, nihil conſtituunt, ſed in quærendo ſemper conſiderandoq; ſunt, quid'nam ſit omniũ rerum de quo decerni conſtituiq; poſſit: ac ne uidere quoque planè quidquam, neque audire ſeſe putant, ſed ita pati afficiq; quaſi uideant uel audiant, eaq; ipſa quæ affectiones iſtas in ſeſe efficiant, qualia & cuiuſmodi ſint, cunctantur atque inſiſtunt. Lege apud eũ quæ ſequuntur. Horum ui.] Academicos & Peripateticos dicit quorum diſputationibus fractæ & extinctæ ſunt aliorum præterquam Stoicorum ſententiæ. Ex illis quæ remanent.] Tempore Ciceronis manebant in honore quatuor philoſophiæ: una Academicorum, altera Peripateticorum, tertia Stoicorum, quarta Epicureorum. Cicero primo libro de Natura deorum: Tres enim trium diſciplinarum principes conueniſtis. Marcus enim Piſo ſi adeſſet, nullius philoſophiæ earum quæ in honore ſunt, uacaret locus. Conuenerant autem C. Velleius Epicureus, L. Balbus Stoicus, C. Cotta Academicus, Piſo Peripateticus deſiderabatur. Ex illis, diſciplinis quæ remanent in honore, ea philoſophia Epicureorum, quæ ſuſcepit patrociniũ defenſionemq; uoluptatis, etſi multis maxime Romanis uera uideatur, procul tamen abeſt ab eloquente uiro quem quærimus. Reuocat enim ſapientem ab omni munere publici negotij: nos autem oratorem publici conſilij, & regendæ ciuitatis ducem, & ſententiæ atq; eloquentiæ principẽ in ſenatu, in populo, in cauſis publicis eſſe uolumus. nec ulla tamen ei philoſophiæ fiet iniuria à nobis. Suſcipimus id quod illa repudiandũ eſſe cenſet: quod maxime quærit, uolumus. Nos labore publico, illa priuata uoluptate delectatur. Non repelletur à nobis inde quò aggredi cupiet, ſed in hortulis lociſq; amœnis quieſcet ſuis, ubi uult otiari uoluptatum gratia: ubi etiam recubans molliter & delicate, oratores auocat ab ijs orationibus quæ pro roſtris habentur ad populum, à cauſis iudicialibus, à conſilijs & deliberationibus curiæ. Ridet Epicureos nimium molles & delicatos, qui demerſi in uoluptatum lacum, audent etiam uiros fortes & magnanimos ab egregio opere reuocare. Iſtos, inquit, ſine ulla contumelia dimittamus. Sunt enim boni uiri, nulli faceſſunt moleſtiam: pacem, tranquillitatem, otium maxime expetunt. Sunt beati, ut ſibi uidentur: ſic enim auocant animum ab omni dolore, ut nunquã miſeri eſſe poſſint, etiamſi in tauro Phalaridis exurantur. Iocatus eſt Craſſus hactenus, hæc autẽ grauiter: Admoneamus illos, ut illud uitæ genus, etiam ſi eſt ueriſſimum, ut arbitrantur: tacitum tamen tanquam myſterium, ut arcanum ſacrum Eleuſinæ Cereris teneant, quòd negant uerſari in Republica eſſe ſapiẽtis,

tis, quoniam moleſtijs in illo uitæ genere uacare non poſſit. Nam ſi hoc optimo cuique perſuaſerint, nemo ſapiens ſuſcipiet Remp. quæ deuoluta in manus peſſimi cuiuſque, & ita perturbata, nõ poterunt ipſi eſſe, id quod maxime cupiunt, otioſi. Fortaſſe ſapienter ac præſertim à Rep.] Duæ cauſæ ſunt quæ uidentur mouiſſe Ciceronẽ ut hæc uerba interponeret. Vidit enim illã quæſtionẽ ſemper fuiſſe cõtrouerſam, et probatũ illud prouerbiũ, λάθε βιώσας. Vidit in quas perturbationes et tẽpeſtates incidiſſet ipſe cũ magiſtratus populi Rom. gereret. Itaq; de re dubia ſuſpẽdit ſententiã, quod quidem etiã locus præſens poſtulabat, in quo de oratore alendo Reip. agebatur. STOICOS autẽ, quos minime improbo, dimitto tamen, nec eos iratos uereor, &c.] Cum philoſophia ſit oratori tenenda, & multæ ſint ac uariæ philoſophorum familiæ, utile eſt iudicare qui maxime iuuent oratorem. Probat Academicos atque Peripateticos, reliquos autem ab oratore dimittit. Iam reiecit Epicureos, Stoici reſtant ablegandi. De cæteris enim ſectis nõ exiſtimauit eſſe ſibi pronunciandũ, quoniam ſuo tempore erant exploſæ atque extinctæ. Quos minime improbo.] Cum Cicero ſit Academicus, & Academici cum Stoicis uerbo magis quàm re pugnent, non debuit Stoicos improbare. Ratio noſtra, inquit libro tertio de Finibus conſentit, oratio pugnat. Alloquitur Catonem Stoicum, qui Ciceronis ſententiæ principio refragatur. Nec eos iratos uereor.] Stoici negant in ſapientẽ cadere animi perturbationes. Ira autẽ affectus eſt ac perturbatio, quamobrem nõ cadet in Stoicos, alioqui ſapientes non erunt. Iocatur Cicero. Hanc ab ijs habeo gratiam.] Pro beneficio quod nullum meritum anteceſſit, hic dixit gratiam. Stoici dialecticam & phyſicam uirtutum nomine appellant. Cicero tertio libro de Finibus loquens de Stoicis: Ad eaſq; uirtutes de quibus diſputatum eſt, dialecticam etiam adiungunt & phyſicam, eaſq; ambas uirtutum nomine appellant: alteram, quòd habeat rationem ne cui falſo aſſentiamur, neue unquam captioſa probabilitate fallamur, eaq; quæ de bonis & malis diceremus, tenere tueriq; poſſimus. Nam ſine hac arte quemuis arbitramur à uero abduci falliq; poſſe. Zeno Stoicus rhetoricam palmæ, dialecticam pugno ſimilem eſſe dicebat, quod latius loquerentur rhetores, dialectici autem compreſſius. Ex his efficitur, rhetoricam eſſe uirtutem, ſi dialectica uirtus eſt. Vtrunque.] Quoniã ſeuerius agunt Stoici, & ab opinione populi nimis abhorrent: deinde quòd orationis genus habent exile, inuſitatum, obſcurum, inane, ieiunum, ſummouet eos ab eo oratore quem conſtituit. Idem fecit Antonius libro ſecundo, & eaſdem cauſas attulit. Omnes qui ſapientes non ſint, ſeruos, latrones, hoſtes, inſanos eſſe dicunt.] Paradoxum eſt, ὅτι πάντες οἱ σοφοὶ ἐλεύθεροι, πάντες δὲ μωροὶ, δοῦλοι. Omnes ſapientes liberos eſſe, & ſtultos omnes ſeruos. In quo Stoici ſic diſputant: Qui non poteſt cupiditatibus ſuis imperare, non eſt liber. inſipiens non moderatur ſuis cupiditatibus, non eſt igitur liber. quòd ſi non liber, ſeruus ſit neceſſe eſt. uide Paradoxa Ciceronis: in quibus etiam illud probat, Inſanire ſtultos, quandoquidem mente nõ conſtant. Quòd autem pernicioſi ſunt cæteris ciuibus, & ſtatum Reipublicæ labefactant, latrones & hoſtes in perſona P. Clodij appellat. Idem in oratione pro Murena: Fuit enim quidam ſummo ingenio uir Zeno, cuius inuentorum æmuli Stoici nominantur. Huius ſententiæ ſunt & præcepta eiuſmodi, ſapientem gratia nunquã moueri, nunquam cuiuſquam delicto ignoſcere, neminem miſericordem eſſe niſi ſtultum & leuem: uiri non eſſe neque exorari, neque placari: ſolos ſapientes eſſe, ſi diſtortiſſimi ſint, formoſos: ſi mendiciſſimi, diuites: ſi ſeruitutem ſeruiant, reges. nos autem qui ſapientes non ſumus, fugitiuos, exules, hoſtes, inſanos denique eſſe dicunt: & quæ ſequuntur. Seuera nimis hæc doctrina, quæ talem uult eſſe ſapientem, qualis nemo eſt, nec tam multis ſæculis fuit. Dicet aliquis: Quo modo Academici & Stoici re penè conſentiunt, ſi præcepta Stoicorum rident Academici? Non rident omnino. Duas hic perſonas agit Cicero. Vt philoſophus dixit hæc, Stoicos minime improbo. ut orator amandat illam ſententiarum nouitatem, qua uti ad uulgus nullo modo poſſit. Genus habent fortaſſe ſubtile.] De ſubtilitate dubitat, de acumine pronunciat. Vult igitur eſſe diſcrimen inter acutum atque ſubtile. Nõ ſemper eodem modo utitur his uerbis. Hic ſubtile eſt id quod acriore ingenio repertum, & perſpicacius eſt inuentum: Acutum, quod uelut aculeis & quibuſdam rationum acuminibus urget. Nemini dubium eſt quin Stoici inſtent acuminibus & ſoritis. an fuerint ſubtiles, ut optimi dialectici, ſint'ne comparandi cum Peripateticis in hoc genere, dubitari poteſt. Vt in oratore.] Quod in philoſopho non uidetur exile, in oratore eſt gracile atque ieiunum: quamobrem prudenter habuit rationem muneris utriuſque. Exile genus eſt ratio diſputandi, quæ minutis ac tenuibus ratiunculis innititur: ut, Qui fortis eſt, idem eſt fidens: qui autem eſt fidens, is profecto non extimeſcit. atqui in quẽ cadit ægritudo in eundẽ timor. Ita fit ut fortitudini ægritudo repugnet. Veriſimile eſt igitur, in quem cadit ægritudo, in eundem cadere timorem. Quæ in quem cadunt, in eundem cadit ut ſeruiat, ut uictum ſe quandoque eſſe fateatur. Quæ qui recipit, recipiat idem neceſſe eſt timiditatem & ignauiam. Non cadunt autem hæc in uirum fortem, igitur ne ægritudo quidem. At nemo ſapiens niſi fortis: non cadet ergo in ſapientem ægritudo. Hæc ratio Stoicorum apud Ciceronem Tuſculana tertia. Hoc genus acutum, & longe petitũ, exile minutumq;, inuſitatum populo, abhorrens ab auribus uulgi, obſcurum, inane, quod non impleat animi ſenſum: ieiunum, quod nullum gerat ſuccum, & habitum expreſſiorem, qui ſe mentis oculis oſtentet. Oratori contra petendum genus graue, expreſſum, uſitatum, familiare, dilucidum, plenum, ſucculentum & copioſum. Alia enim bona & mala.] Stoici unam laudi ferunt uirtutem, cæteri ciues laudant etiam bona corporis atque fortunæ. Hi miſericordiam & iram iuſtam probant, illi affectus omnes uituperant. Hi ducunt in bonis honorem, illi pro nihilo pendunt. Hi ignominiam aliquam habent leuem, illi ignominiam omnem iuſtam ſummum malum eſſe putant, iniuſtam omnino deſpiciunt. Hi præmium uirtutis præter rectam conſcientiam petunt, illi nihil extra quærunt, benefeciſſe contenti. Hi ſupplicium corporis exhorreſcunt, illi nihil metuunt quod afferrĩ poſſit corpori. Rectius quidem ſentiunt Stoici, quàm uulgus indoctorum. At ea ſi ſequatur orator, nullam unquam rem dicendo expedire poſſit, quoniam talia non intelligit populus: & ſi intelligit, non adducitur ut uera eſſe credat. hæret conceptæ opinioni, & præſentibus ſe moribus accommodat. Vere an ſecus.] Verè'ne ſentiant Stoici, nihil ad hoc tempus: non enim de philoſophia inſtituta eſt diſputatio. RELIQVI ſunt peripatetici & Academici, quanquam Academicorum, & cætera.] Quoniam Peripatetici & Academici de rebus omnibus diſſerunt in utranque partem, & utuntur ubere copia rerum atque uerborum, & genus orationis ſequuntur quod non ita abhorret ab omnium moribus, illos oratori cuĩ res eſt cum imperita multitudine, relinquit. Excipiat igitur illorum ſententias, & eas maxime quæ populo probãtur: aſſumat illam uim & copiam orationis, & in rem ſuam conuertat. Academia eſt duplex: una uetus, in qua floruerunt Speuſippus, Xenocrates, Polemo, Crantor altera noua, quam induxit Arceſilas, ornauit Carneades. Veteres Academicos, quoniam non magnopere diſſentiunt ab Ariſtotele, etſi copia & uarietate dicendi pares non ſunt, ab oratore legendos eſſe cenſet. Nouos non improbat qui ſequuntur copiam & ubertatem Carneadis. Speuſippus Athenienſis Eurymedontis & ſororis Platonis filius, Platoni ſucceſſit in Academia, nec ab eius rationibus & præceptis receſſit: quòd non omnino fecere Xe-

nocrates, Polemo, Crantor. Xenocrates, de quo paulo ante diximus, poſt Speuſippum ſuſcepit Academiam. Xenocratis auditor fuit Polemo, Philoſtrati filius: qui iuuenis cum intemperantia ac libidine laſciuiret, ſic à præceptore mutatus eſt, ut reliquos omnes arte ſuperaret, & præficeretur Academiæ. Fuit illi condiſcipulus Crantor Solenſis, qui cum in patria admirationi fuiſſet, & Athenas profectus Xenocratem audiſſet, in tanta hominum exiſtimatione fuit, ut illum ægrotantem plurimi aſſectarentur, & poſtularent ut nouum gymnaſium conſtitueret. Poſtea floruit Arceſilas Pitanæus Polemonis auditor, qui ad euitandas cõtradictiones noluit affirmare quidquam, etſi omnia impleuit ipſe contentione. Ex ſermonibus Socraticis quos legebat apud Platonem, hoc maxime arripuit, nihil eſſe certi quod aut ſenſibus aut animo percipi poſſit: quaſi ſenſus fallantur, nec uideant rerum ſubſtantiam oculi, nec audiant aures, nec percipiant illam naris, palatum, aut alia pars ſentiens: & quia nihil eſt in animo quod non fuerit prius in ſenſu, neque ſenſum neque animũ certo iudicare poſſe exiſtimauit. De ſenſibus tale quiddã loquitur Socrates & in alijs ſermonibus et in Phædone: ἆρα ἔχει ἀλήθειάν τινα ὄψις τε καὶ ἀκοὴ τοῖς ἀνθρώποις; ἢ τάγε τοιαῦτα καὶ οἱ ποιηταὶ ἀεὶ ἡμῖν θρυλλοῦσιν, ὅτι οὔτ' ἀκούομεν ἀκριβὲς οὐδὲν, οὔτε ὁρῶμεν; καίτοι εἰ αὗται τῶν περὶ τὸ σῶμα αἰσθήσεων μὴ ἀκριβεῖς εἰσι, μὴ δὲ σαφεῖς, σχολῇ γε αἱ ἄλλαι; πᾶσαι γάρ που τούτων φαυλότεραί εἰσιν. Num habet aliquam ueritatem in hominibus uiſus & auditus? Num & poetæ iſta nobis occinunt, nihil exacte audire nos, neque uidere? Quòd ſi hi corporis ſenſus neque ſynceri neque certi ſunt, non erunt cæteri? Omnes enim his duobus hebetiores. Arceſilas non quid ipſe ſentiret oſtendebat, ſed contra id quod quiſque ſe ſentire dixiſſet, diſputabat. Cicero in proœmio ſecundi libri de Finibus: Socrates percontando atque interrogando elicere ſolebat eorum opiniones, quibuſcum diſſerebat, ut ad ea quæ hi reſpondiſſent, ſi quid uideretur, diceret. Qui mos cum à poſterioribus non eſſet retentus, Arceſilas eum reuocauit, inſtituitq; ut ij qui ſe audire uellent, non de ſe quærerent, ſed ipſi dicerent quid ſentirent. Quod cum dixiſſent, ille contra. Sed qui audiebant, quoad poterant defendebant ſententiã ſuam. Hinc recentior academia emanauit, in qua excelluit diuina quadam celeritate ingenij dicendiq; copia Carneades. De hoc uiro ſatis multa diximus Commentario ſecundo. Eruditionem hominis uidetur probare uelle Craſſus teſtimonio auditorum eius quos cognouerat Athenis, & Scæuolæ qui eũ Romæ audiuit adoleſcens, in ea legatione quàm obijt cum Diogene Stoico & Critolao: & Quinti Metelli, qui adoleſcens Athenis illum dies multos audierat. Id mihi facere uidetur, quòd non haberentur eius ſcripta, quibus planum fieret illum tam doctum tamq; diſertum fuiſſe. Auctores.] Teſtes. Laudare.] Laudabiles producere. Lucij filium.] Quia multi fuere Quinti Metelli, ambiguitatis tollendæ gratia Lucij filium dixit.] Iam affectum ſenectute.] Voluit deſignare longum tempus poſt confectam legationem. Ex Appennino.] Appenninus mons Italiæ ampliſſimus, perpetuis iugis ab Alpibus tendens ad Siculum fretum, ac Italiam diuidens in duas partes. Superum mare, quod Boream uerſus: inferum, quod ad Auſtrum uergit. Superum incipiens à Sicilia ſinum facit Adriaticum, in quo urbs Venetorum poſita eſt: porrigitur ad Iſthmon, ultra non appellatur Ionium. Inferum aliter Thuſcum dicitur, & Tyrrhenum. Alluit Campaniam, Latium, ac Etruriam. Appenninum cum iugo doctrinarum, flumina cum doctrinis, philoſophos cum ijs qui nauigant in Ionio mari, oratores cum ſecantibus mare Tyrrhenum comparat. Quemadmodum ex eodem monte Appennino manantes fluuij alij decurrant in Adriam, & inde in Ionium mare: alij in Thuſcũ pelagus auerſum: ita ex eodẽ philoſophiæ monte, doctrinarũ facta diuortia, & diductæ cõtrariæ ſectæ. Ac ueluti ſecurius uehuntur ij qui ſe mari Ionio, quàm qui Thuſco tradiderũt: ſic philoſophi tutam trãquillamq; uitã, oratores periculoſam inquietamq; legerunt. Græcũ.] Antitheta ſunt græcũ barbarũ, portuoſum ſcopuloſum. Græci fuere ſemper humaniores, ſæuiores cõtra barbari. Portuoſũ mare facile naues recipit in tutũ, ſcopuloſum frangit illiſas. Ioniũ quoniã Græciã alluit, et multos habet portus, græcũ dicitur & portuoſum. Thuſcum barbaras habet inſulas, ut Sardiniam, continentẽ, è regione indomitã, ut Libycã: ſcopulos, ut Scyllã. quamobrẽ dicitur barbarũ, & infeſtũ. In eo Vlyſſem erraſſe, et ad Circẽ ueniſſe ſcribit Homerus Odyſſ. libro decimo. Vt autẽ ille uir omniũ prudentiſſimus errauit in illo mari, ſic orator ſapientiſſimus errabit aliquando in undis & fluctibus Reipublicæ. QVARE ſi hac eloquẽtia atque hoc oratore contenti ſumus, &c.] Vt facta ſint artium diuortia, utq; philoſophia ſectaſit in uarias partes, & qui philoſophi maxime ſint oratori probãdi, hactenus explicatum eſt: ut tandẽ colligeretur nõ ſatis eſſe oratori perfecto doctrinæ particulã, ut rhetoricam uulgarem, ſed illi rerũ cognitionem cũ ſcientia uerborũ eſſe coniungendã, utendumq; potiſſimũ ea ui diſſerendi qua ualuit aut Ariſtoteles, aut Carneades. Paucis igitur exponit quid rhetores præcipiant, ut ars tã parua & anguſta ad eloquẽtiam maximam ampliſſimamq; parum eſſe uideatur, & diſtinguit oratorem illũ rudem & imperitum ac uulgariter inſtitutũ, ab oratore perpolito, exercitato, ſcientia rerũ maximarum abſoluto. Hac eloquentia.] Eloquentia parua oratore uulgari. Quid ſciat.] Aut negandũ eſt quod obijcitur, aut aliqua ratione defendendũ, aut transferendũ, aut cauſa cadendũ. Negare ſi poſſis, tutius eſt, et ſic uti ſtatu cõiecturali. Si id nõ poſſis, tũ oſtẽdere oportet aut recte factũ, ut in ſtatu iuridiciali abſoluto: aut alterius culpa, ut in remotione criminis: aut alterius iniuria, ut in relatione criminis: aut ex lege, aut nõ contra legẽ, ut in ſtatu legali: aut imprudentia, aut neceſſario, ut in cõceſſione et purgatione: aut non eo nomine uſurpandum quo arguatur, ut in definitione: aut nõ ita agi ut debuerit, ut in tranſlatione cauſæ. Hæc apertius explicarem, niſi ſæpius inculcaſſem, et paſſim apud omnes haberentur. Arguere.] Secunda perſona eſt arguere, pro eo quod eſt argueris. paulo poſt tranſit in tertiã perſonã, & cõmittit ἀνακόλουθον. Et ſi ſatis.] In his quæ de ſtatibus cauſarũ paulo ante dixit, nequaquã ſunt omnia rhetorũ præcepta. Itaq; ne reliqua omitteret, addidit hæc: Et ſi ſatis eſſe putatis, ea quæ iſti ſcriptores artis docẽt, diſcere. Simul oſtẽdit quæ nã eſſent, et unde peti poſſent. Sunt ea quæ ſecũdo libro explicauit Antonius. Ne autẽ in illa diſputatione ueterũ inuentis nihil addidiſſe uideatur, quæ addiderit dicit, copiã uidelicet rerum, ornatumq; uerborũ. In exiguũ ſanè gyrũ.] γυρός græce, ambitus dicitur latine. Alludit aut ad equos, qui ex ingenti curriculo in carceres cõpelluntur: aut ad eos ordines militũ qui ex immenſo cãpo quo liberius uagari licebat, in anguſtũ locum coguntur. Sinueterẽ illum periclem.] Pericles & Demoſthenes philoſophiæ ſtudioſi fuerunt. Hic audiit Platonẽ, id quod ſupra ex ipſius epiſtolis oſtendimus. Ille operã dedit Anaxagoræ phyſico, à quo magna ac ſublimia didicit, & maxime qua ratione partes animi flecterẽtur. Itaq; Athenis coruſcauit, tonuit, concuſſit omnia. Extant Demoſthenis multa ac præclara ſcripta. Nomine Periclis circũferebantur ſcripta quædã, illius eſſe Cicero dicit in Bruto: nõnulli diſſentiunt. Eximiã ſpeciem.] Dicit ideã eloquentiæ perfectæ, quã oculis uidere non poſſumus, mente concipere & cogitatione cõplecti poſſumus. Illam ad morem Platonis repetit in Oratore. Carneadia uis.] καρνεάδειον, ἀριστοτέλειον, Latine dici poteſt Carneadea, Ariſtotelea, per e longum: aut Carneadia, Ariſtotelia, per i productum. Nam græca diphthongus ει aut in e mutatur, ut Heraclea: aut in i, ut Darius. Vis autem Carneadis & Ariſtotelis eſt, quæ de omnibus rebus diſſerit in utranque partem grauiter & copioſe:

& quæ

& quæ tanta facultatis eſt, ut nihil ferè attentet, quod non perficiat : nihil oppugnet, quod nõ ſuperet ac uincat. Teſtantur adhuc Ariſtotelis multæ diſputationes, ut ille de rerum naturalium principijs, de uacuo, de loco, de anima, in quibus aliorum refellit opiniones, ſuam confirmat. Cicero tamen maximè reſpicit eam exercitationem, qua uir ille agitabatur in ſcholis, & iuuentutis ingenia formabat. In Carneadia ui intelligitur Academica, in Ariſtotelia uero Peripatetica. Namque (ut ante dixi) ueterum morem iterum inculcat, ut confirmet illud quò tandem peruenit, oratori uim Carneadis aut Ariſtotelis eſſe comprehendendam. Vt ante dixi.] Amolitur obiectionẽ obliuionis. Veteres illi.] Veteres ante Socratem, Phœnix, Lycurgus, Pittacus, Solon, Themiſtocles, Pericles, Theramenes, & æquales plurimi. Ad mores hominum.] Si primus Socrates philoſophiam moralem deduxit è cœlo, quò referemus iſta de moribus, de uita de uirtute, de republica? Cõſtat ante Socratẽ multas ciuitates & reſpublicas fuiſſe, quæ ſine moribus & uirtute neque adminiſtrari neque ſtare potuerunt. Fuit igitur ante illum ratio aliqua morum, uitæ, uirtutis, & Reipublicæ. Illam quiſque in ſua ciuitate conſtituebant legumlatores, ut intelligerent ciues, qui mores eſſent probati, qui lege uetiti, quæ uita honeſta, quæ turpis, quæ dignior, quæ uilior, quæ uirtutes acciperent præmium, quæ uitia punirentur, quæ forma eſſet Reipublicæ, quam magiſtratus integram ſeruarent. Nec philoſophi excluſi à Republica de his omnibus conticebant, ſed quoniã Socrates uniuerſam uim naturamq; honeſti inhoneſti, recti praui, expetendi fugiendi, utilis inutilis excuſſit, ratione tractauit: iccirco primus illam philoſophiæ partem ex alto hauſiſſe dicitur. Diſſociati.] Maiorem ſapienter ſentiendi & ornate dicendi familiaritatem ſignificat hoc uerbo, quàm ſi dixiſſet diſiunctos, aut ſeparatos, aut diſcretos, aut ſegregatos eſſe diſertos à doctis. Diſcrimen autem oſtendit inter doctos & diſertos. Diſerti loquuntur ornate, docti prudenter ſapienterq; ſentiunt. Philoſophi eloquentiam deſpexerunt.] Philoſophiam dicit rerum cognitionem citra ornamenta uerborum, eloquentiam autem facultatem ornate dicendi citra rerum ſcientiam. Quòd ſi altera alterius ope indiget, in hoc diuortio neceſſe eſt philoſophum ab oratore, & oratorem à philoſopho mutuari. Promiſcue.] Communiter. Communione.] Coniunctione, ſocietate. Pontifices ueteres.] Vt Pontifex à Numa ſit inſtitutus in omnia ſacra, narrat Liuius libro primo Ab urbe cõdita Pontificem, inquit, Numa Marciũ Marci filium ex patribus legit, eiq; omnia exſcripta exſignataq; attribuit: quibus hoſtijs, quibus diebus, ad quæ templa ſacra fierent, atque unde in eos ſumptus pecunia erogaretur. Cæterea quoque omnia publica priuataq; ſacra Põtificis ſcitis ſubiecit, ut eſſet quò conſultũ plebes ueniret, ne quid diuini iuris, negligẽdo patrios ritus, peregrinoſq; aſciſcendo, turbaretur. Pontifices teſte Feneſtella fuerunt ab initio quatuor: poſtquã uero maximorũ quoque honorũ partem plebes tribunitijs rogationibus obtinuit, ad ſacerdotia quoque ſacroſanctaſq; poteſtates patere ſibi aditũ uoluit. Quatuor ergo alios creari ex plebe pontifices placuit M. Valerio & Q. Apuleio conſulibus. De epulonibus hæc Pomponius Lætus: Veteres Pontifices (ut ait Cicero) propter multitudinem ſacrificiorum tres epulones eſſe uoluerunt, ut ludorum epulare ſacrificium facerent. id ſacerdotium antiquum fuiſſe conſtat, ſed de ætate nondum legimus. Numerus auctus fuit, duo additi, & quinque fuere epulones. & poſtea theatralium ludorum atque Circenſium ambitione ſeptem fuiſſe epulones leguntur. Epulare ſacrificium eſt epulum publicum, quod in ſacris exhibetur. Illud indicebant curabantq; epulones. Solebat autem epulum publice exhiberi in dedicatione templi, in ludis, in funere magni uiri. Similitudo ſic eſt: Quemadmodum pontifices id quod erat officij ſui, reiecerunt ad epulones: ita Socratici id quod erat philoſophiæ, relegarunt ad oratores. QVAE cum ita ſint, paululum equidem de me deprecabor, &c.] Cum præcepta rhetorum extenuat, ſcientiamq; rerum maximarum attribuit oratori, uidetur aut ſentire de ſe ſuperbe, aut ab alijs exigere quod ipſe præſtare nõ poſſit. Vtrunque uitioſum, & multa de ſe glorioſe prædicare, & alijs quàm ſibi eſſe iniquiorem. Occurrit igitur ita reprehenſuris, & petit ut ea quæ dicet, non de ſeipſo, ſed de oratore dicere putetur. Deinde ſua ſtudia ſic exponit, ut nihil ſibi arroget, indicet tamen illa minime eſſe contemnenda. Deprecabor.] Amoliar, auertam. Summo ſtudio.] ſumma uoluntate ac diligentia. Quòd pueritia ſibi prouidere, & ea quæ ſibi ſunt utilia, curare non poteſt: ut uериſimile ſit illam plurimum profeciſſe, ſtudium patris in illa erudienda honeſte et artificioſe inaugetur. Ea de cauſa de ſtudio patris ſui Cicero in prooemio ſecundi libri facit mentionem. Doctus.] Eruditus. Participium eſt hic doctus. Quantum ipſe ſentio.] Odioſa eſt ingenij iactatio, quamobrem oratori magis eſt illud extenuandũ, ut Cicero facit in oratione pro Archia poeta, quàm uel augendum, uel ſua menſura penſitandum. Perinde ut.] Sic ut. Maturrime.] Citiſſime. Nobiliſſimum hominem.] C. Carbonem dicit, in cuius accuſatione demõſtrauit adoleſcens quantum ingenio & arte poſſet, qui nobiliſſimum hominem & eloquentiſſimum perpulerit. Quanto fuit nobilior, quanto eloquentior, tanto plus fauoris habuit atque defenſionis. Diſciplina fuerit forum.] Actio cauſarum forenſium fuit illi diſciplina: uſus, magiſter: quo duce & leges, & inſtituta populi Rom. moremq; maiorum didicit. Iſtarum artiũ.] Dialecticæ, ethicæ & phyſicæ diſciplinæ. Aequalẽ.] Aeque magnum natu. Ex academia rhetorem.] Philoſophia academica & rhetorica inſtitutum. De cuius memoria commemorauit Antonius: Vidi, inquit Antonius libro ſecundo, ſummos homines, & diuina propè memoria: Athenis Carneadem: in Aſia, quem uiuere hodie aiunt, Scepſiũ Metrodorum: quorũ uterque tanquam literis in cera, ſic ſe aiebat imaginibus in ijs locis quos haberet, quæ meminiſſe uellet, perſcribere. Myſteria non referrent.] Myſteria ſunt arcana ſacra. ſic appellata, quòd qui audiunt, os claudunt, & nemini detegunt. Talia erãt Athenis attributa Cereri Eleuſinæ, nõnulla etiam Baccho, Palladi, Proſerpinæ. Cum ex Aſia quæſtor Craſſus Athenas ueniſſet, & Athenienſes biduum ſacra feciſſent, rogauit eos ut in gratiam ſuam myſteria referrent, hoc eſt denuo arcana ſacra repeterent, quo integra à principio uideret: quod cum impetrare nõ poſſet, iratus Athenis exceſſit. Scribunt enim de litium genere.] Eleuat rhetores ſui temporis, quaſi tantũ præcipiant de litium genere, hoc eſt de tribus generibus cauſarum, & tribus differentijs quæſtionum, de exordijs & de narrationibus. Multa ſunt alia præcepta quæ imminuendi gratia cõticet. Nec ſcio an aliquid adijcere poſſit, niſi forte dicat alias artes eſſe cognoſcendas: quod ueteres minime ignorarũt, nec aliquis noſtrũ hodie neſcit. Omniũ rerũ.] Omnes res dicit in uniuerſum, tanquã omnẽ quæſtionẽ ſubijciat oratori. De re omni tria quæri poſſunt, quam habeat cauſam & originem, quã uim atque naturã, quas mutationes teneat, id eſt quæ accidentia mutabilia atque uariantia gerat. In rebus ſunt uirtutes & officia, quæ philoſophia moralis explicat. Item mores hominũ, quos philoſophia naturalis exponit. Eſt enim phyſicorũ, docere, qui mores temperamentũ corporis ſequantur, quæ ſint animi partes. quæ uis animæ, quæ ratio uitæ ex corporis & animæ coniunctione. Item mores, leges, iura, quæ tractat iuris ſcientia. Item Reſpublica, cuius rationes oſtendit politica diſciplina. Inter mores hominum & mores diſcrimen eſſe uult. Mores hominum, ád agentium ritus naturaſq; referuntur: Mores, ad inſtituta cuiuſque ciuitatis. IN quo genere nos quidem uerſamur tantum quantum poſſumus, etc.] Quanta ſit uis eloquentiæ, cum paucis complexus eſſet, &

omnes qui artes rhetoricas exponunt, perridiculos eſſe dixiſſet: ne aut perridiculus, aut arrogans eſſe uideretur, inuenit modum atque mediocritatem in qua tuto maneret. In genere eloquentiæ, inquit, nos quidem uerſamur tantum quantum poſſumus. *Quòd autem eloquentia tribus rebus comparatur, ingenio, doctrina, exercitatione: ſignificat illa ſibi non deeſſe. In eo genere uerſamur, quantum ingenio, quantum mediocri doctrina, quantum uſu ualemus. De ingenio & uſu iudicium reliquit. nec enim poterat decenter hæc extollere, nec contra deprimere, ubi ſe philoſophis cōparabat. Doctrinam iudicauit ſibi eſſe mediocrem, quoniam ſine ulla iactatione id facere licebat. Iam ne ſibi nimium placeant philoſophi, aut ne uulgaris orator omnino contemnatur, confert mediocrem oratorem cum mediocri philoſopho: utroque maiorem dixit eſſe uere Peripateticum aut Academicum: omnium maximum, qui Ariſtotelicam aut Carneadiam uim habens adiunxit rhetoricum uſum, exercitationemq́; dicendi.* Neque tamen iſtis Epicureis & Stoicis, qui in una ſolaq́; philoſophia quaſi tabernaculū tentoriumq́; uitæ ſuæ, in quo anguſte & in umbra habitent, collocarunt, multum ſanè in diſputatione concedimus. *Vt iſta confirmet, adducit Velleium Epicureum, & quatuor Stoicos, quibus oratorem mediocrem in diſputatione uelit conferre. Cum autem ſint nobiles philoſophorum familiæ quatuor, ut ante dictum eſt, eximit Academicos & Peripateticos, qui de omni re diſputant in utranque partem. De C. Velleio facit Cicero mentionem primo libro de Natura deorum: Offendi eum ſedentem in exedra, & cum C. Velleio ſenatore diſputantem, ad quem tum Epicurei primas ex noſtris hominibus referebant. Idem ibidem de Balbo: Aderat etiam Q. Lucilius Balbus, qui tātos progreſſus habebat in Stoicis, ut cum excellentibus in eo genere græcis compararetur. De Sexto Pompeio libro de Claris oratoribus. Cn. Pompeius Sex. filius aliquem numerum obtinebat. Nam Sextus frater eius præſtantiſſimum ingenium contulerat ad ſummam iuris ciuilis, et ad perfectam Geometriæ & rerum Stoicarum ſcientiam. Epicurei ſtatuunt uoluptatem eſſe ſummū bonum, Stoici uirtutem. Quæſtionem igitur de uoluptate retulit ad Velleium, de uirtute hominū ad cæteros, & ad M. Vigellium, qui Panætium Stoicum P. Africani præceptorem audierat.* Non copioſius.] *Principio dixerat, non multum ſanè concedimus. poſt maius intulit, copioſius ſe poſſe uel tutari, uel refellere.* Hac dicendi exercitatione.] *Significat ſcientiam reconditam ſine exercitatione dicendi non multum poſſe in diſputatione.* Aut ueſtrū quiſquā.] *Modeſte adiecit alios, ne de ſe potius quàm de cæteris loqui uideretur.* Non eſt enim philoſophia ſimilis artium reliquarum.] *Principia uirtutum atque uitiorū natura inſeuit animis noſtris, itemq́; rerum naturalium quandam πρόληψιν. Multa addidit hominum ſermo, & experientia quotidiana. Non ſic eſt in Geometria & Muſica, quæ ſubtili ratione conſtat, adeo ut ſine præceptore non poſſint haberi. Itaque philoſophia de moribus, et de rebus naturæ, nō eſt ſimilis artium illarum quæ remotæ ſunt à cognitione uulgari. Veriſimile eſt igitur, eum qui ethica & phyſica non didicit à magiſtris, ſi modo eſt ingenio ad id quod in quaque re ueriſimile eſt eliciendum acuto & acri, poſſe cum philoſopho conferre pedem. Doctrina enim exercitatione & oratione compenſatur.* Hic hic.] *Conduplicauit pronomē, ut maiore cum auctoritate, quod uolebat, affirmaret.* Exercitatione cōmuni.] *Vſu rhetorico, qui communi hominum opinione conſtat.* Iſtos quidem noſtros.] *Philoſophos Romanos, qui non habent neque eam ſcientiā, neque exercitationē, quam Græci in gymnaſiorum celebritate.* Verberabit.] *Videtur hoc uerbum ductū eſſe de ludo gladiatorio, in quo uincitur ille uerberatur.* Extiterit.] *Excelluerit.* Duas contrarias orationes.] *Vt pro amore cōtra amorem, pro iuſtitia contra iuſtitiam, pro uoluptate contra uoluptatem.* Præcepis illius.] *Rationibus Ariſtotelis cognitis.* Sine forenſibus neruis.] *Nerui forenſes (ut alibi diximus) ſunt in ſententijs popularibus, in affectibus, in amplificationibus, quibuſdā κατηγόρων munitionibus. His enim non utuntur philoſophi, ipſa ueritatis nuda explicatione contenti.* Vehemens.] *Eloquens quatenus philoſophus eſt, politus & ſapiens dicitur: quatenus inſtructus eſt neruis oratorijs, grauis ac uehemens.* QVARE Coracem iſtum ueſtrum patiamur nos quidem pullos, etc.] *Sententiam pronunciauit, Neque ſine forenſibus neruis ſatis uehementem & grauem, nec ſine uarietate doctrinæ ſatis politum & ſapientem oratorem eſſe poſſe. Si nullus eſt orator ſine uarietate doctrinæ, non ſunt oratores ij qui rudibus præceptis, qualia tradiderunt rhetoricæ inuentores & principes Tiſias & Corax, ſunt inſtituti, nihil aliud habent honeſtæ diſciplinæ. Conſentaneum eſt igitur, ut illos parui faciat, ut clamatores odioſos ac moleſtos potius quàm oratores eſſe dicat. Irridet eos, & ait: Coracem iſtum ueſtrum patiamur nos quidem pullos ſuos excludere in nido, qui euolent clamatores odioſi ac moleſti. Coracem ponit pro rudibus magiſtris rhetoricæ. Et quoniam κόραξ coruus eſt latine, ludit in nomine, & ab aue ducit allegoriam. Coracem iſtum, hoc eſt indoctos artis rhetoricæ magiſtros, patiamur nos quidem ſic diſcipulos ſuos in ſcholis fouere & effingere, ut in nido corui pullos ſuos excludunt, & in lucem ab ouo mittunt. Euolent in forum clamatores & rabulæ odioſi ac moleſti, quemadmodum pulli coruorum euolant in auras clamatores odioſi ac moleſti. Videtur alloqui præſentes, dicens ueſtrum Coracem: at ſatius eſt ad abſentes indoctiores hoc referre dictū: niſi forte iocando monet adoleſcentes, qui adſunt ignari philoſophiæ, inſtabilis & infirmi ſui rudimenti. Poſt Coracem huius artis inuentorem, fuit quidam Pamphilus, qui præcepta rhetoricæ depinxit in inſulis, id eſt in faſcijs quibuſdam: quaſi tanta res eloquentia depingi, oculiſq́; ſubijci poſſit. Fuit Pamphilus, auctore Suida, philoſophus dictus πολυπράγμονος, eo quòd multis rebus ac diuerſis curam animumq́; adiecisset. Scripſit imagines ordine elementorum, & artem grammaticam, & de arte pingendi, & de claris pictoribus, & de agricultura. de hoc loqui nunc Ciceronem uerisimile eſt. Quiſquis fuit, imagines excogitauit quibus eloquentiæ quædam præcepta deſignabantur, & eas depinxit in inſulis, ut ordine longo, quemadmodum picti triumphi, ſupponerentur oculis. Eiuſmodi imagines appellat Cicero pueriles delitias, quoniam amant illas pueri, uiri ut inutiles deſpiciunt. Vt autem rudia & infantilia præcepta ridet, ita ſua uult haberi in pretio. Non enim dantur, ut in illis ſit uniuerſa uis & facultas orandi, ſed ut in exigua diſputatione totū oratoris munus & officiū explicetur, et ſciant iuuenes, quas res habere debeāt, & unde ſibi ſingulas earū petant.* Tum Catulus.] *Ratio ſermonis ac dialogi poſtulat, ne quis unus perpetuo loquatur. Vult enim ſeruari interlocutorū uices pro rerū & perſonarum dignitate. Itaq; Craſſi ſatis longā de eloquentia ac philoſophia diſputationē interrumpit Catulus, quem potiſſimum legit is qui fingebat, propterea quòd grauius de re & homine iudicaret uir philoſophus & ſenex, & cum eo aptius de re propoſita ſermonem haberet. Is igitur ſic iudicat, uim, ſuauitatem, et copiam à philoſophia deſumi, & ſine illa uix quempiam more Craſſi orare poſſe. Miratur quo tempore Craſſus illam didicerit, ut reſpondeat hic, quemadmodum in multis occupationibus tantam rem diſcere poſſimus.* Haudquaquam.] *Minime: mediam ſyllabam producit.* Eſſe in te tantam dicendi uel uim.] *Vim ſententiarum maxima ex parte ſubminiſtrat ſcientia rerum maximarum, Suauitatem uarietas, nouitas, magnitudo rerum, Copiam multitudo.* Rebar.] *Verbum priſcum apte Catulo ſeni attributum.* Non ſolum orator ſummus, ſed etiam ſapientiſſimus.] *Poſt diuortium ſcientiarum perinde loquitur, ac ſi non una ſit res eloquentia atque ſapientia.*

ſapientia. *Potiora duxiſſe.*] Cum oratio conſtet rebus & uerbis, et res ſint animi inſtar in corpore, potiora præſtantioraq́; ducenda ſunt quæ ad ſapientiam ſpectant, quàm quæ ad ornamenta uerborum. Sapientia per ſe, ut orationis abſit ornatus, in uiro priuato, nec oratorem agenti, ualde laudabilis eſt. Verborũ optimorum congeries inanis, mera eſt aut infantia, aut inſania.

Omnes gradus ætatis.] Ab ortu ad exitum paulatim gradimur: aliquando aſcendimus, uicíſſim deſcendimus: quãobrem partes ætatis bene appellantur gradus. *Iſtis ſtudijs, hominibus, libris.*] Philoſophicis ſtudijs, hominibus philoſophia deditis, libris de philoſophia ſcriptis. *Statuere.*] Decernere, iudicare. *Iſto modo.*] Vehementer, ſuauiter, copioſe.

HIC Craſſus, Hoc tibi, inquit, Catule primum perſuadeas, &c.] Videtur Catulus indicare talem eſſe Craſſum, qualem Craſſus indicat oratorem ſummum eſſe oportere. quod ut faceret, Cicero fingens noluit, quandoquidem moribus hominum receptum eſt, ut amici & boni uiri citra adulationem ſuos paulo ultra ueritatem ferant. Sed uiolaret decorum, ſi Craſſum induceret, qui in ſe ſapientiam atque eloquentiam ſummã agnoſceret. Inducit igitur, qui etſi de oratore ſummo loquitur, neget tamen ſe eſſe ſummum, & nihilominus putet: quemadmodum hiſtrionis optimi non hiſtrio interim prudens eſt exiſtimator, ita ſe rectè de alieno artificio iudicare poſſe. *Non multo ſecus.*] Eodem propè modo. *Satis facere in geſtu.*] Vt in agendis fabulis hiſtrio ſpectatoribus placeat, quoniam partes eius in pronunciatione poſitæ ſunt, & pronunciationis altera pars geſtus eſt, opus eſt ut apto decentiq́; geſtu delectet oculos. Geſtus autem decentior & aptior eſt in illis qui palæſtram ſaltationemq́; didicerunt. Quamobrem ut ſit hiſtrio perfectus, à paleſtritis atque ſaltatoribus motum membrorum diſcat neceſſe eſt. *Semper enim.*] Rationẽ reddit cur potius de ſummo oratore, qui nuſquam eſt, quã de mediocri facili inuentu loquatur. Semper, inquit, quacunque de arte aut facultate quæritur, de abſoluta & perfecta quæri ſolet. Nec enim aliter exacta eſt diſputatio, nec tota res cõprehenſa, nec uerus ſcopus, quò tendant optimi quique, præfixus. Quare Platonici res de quibus locuturi ſunt, ab idea uſque repetere conſueuerunt. *Si iã me uultis eſſe oratorem.*] Diſtinguit quatuor gradus oratorũ. Tres adire non recuſat, quartum imparem ſibi nõ aggreditur. Poteſt aliquis eſſe nomine orator, qui non ſit ſat bonus orator: & aliquis ſat bonus, qui in genere ſuo ſimpliciter non ſit bonus: & aliquis in genere ſuo ſimpliciter bonus, qui nõ ſit omniũ ſummus. *Si iam me uultis eſſe oratorẽ.*] Modeſtius rettulit rem ad aliorum iudicium. *Quid enim ſim ineptus.*] Senſus eſt: Scio me exiſtimare bonum oratorem. Si quod mihi bonum deferunt omnes, illud inopportune reijcerem, ineptus eſſem. Ineptus enim eſt, qui tempus quid poſtulet, non uidet. tempus autem poſtulat, ut in hac diſputatione aliqua ſit de me exiſtimatio. Quãobrem non recuſabo quod datur, ne ſim ineptus.

Neque enim apud homines.] Quoniam apud homines nec res eſt ulla difficilior, nec maior, nec quæ plura adiumenta doctrinæ deſideret, quàm eloquentia perfecta, non potuit in tot occupationibus ſummus eſſe & perfectius orator. *Ante oculos.*] Ante oculos mentis, nõ corporis. *Hodie.*] Tempus hodiernum ponit, ſignificans aliquando ſe cum philoſophis uixiſſe. *Sepoſitum tempus.*] Totum philoſophiæ deſtinatum. *Foreuſes feriæ.*] Intermiſſiones iudicialium cauſarum. AT ſi quæris Catule de doctrina iſta quid ego, &c.] Philoſophiã oratori eſſe diſcendam, ac potiora eſſe ducenda quæ ad ſapientiam ſpectant, cum paulo ante confirmaſſet, ambigi potuit quatenus oratorem philoſophia operam dare oportet. De ea re iudicat in hanc ſententiam: Si quæris de doctrina iſta ſapiẽtia quid ego ſentiam, et quatenus illi incumbendum eſſe putem, non tantum ingenioſo homini, qualis quæritur orator, & ei qui forum, qui curiam, qui cauſas, qui Remp. ſpectet, opus eſſe arbitror temporis, quantum ſibi ij philoſophi à cauſis & à Rep. remoti ſumpſerunt, quos diſcentes uita defecit ac reliquit. Omnes enim artes aliter ab ijs tractantur, qui eas ad uſum transferũt, ut oratores: aliter ab ijs qui ipſarum tractatione delectati, nihil in uita ſunt aliud acturi, ut philoſophi quidam. Hi minimas quaſque particulas, & omnia quæſtiuncularum momenta, omnesq́; artis ſuæ ſubtilitates anxie ſcrutantur, nec unquã finem faciunt inquirendi. Illi quid optimum ſit atque præcipuum in quauis arte, quærunt. Cognitis generibus, & habita rei ſumma, reliqua ingenio atque rationi relinquunt. Hoc modo maximas artes ſucciſiuis horis ferijſq́; diſcunt, ſi non perfecte et abſolute, tantum tamen quantum ad rem ſuam ſatis eſt. Non eſt igitur cur aliquis queratur ſibi nullum dari tempus ad diſcendum, ſi uelit paucis, ut Neoptolemus ille, philoſophari. *Magiſter hic Samnitiũ.*] Illuſtrat exemplis id quod modo dicebat, omnes artes aliter ab ijs tractari qui eas ad uſum trãſferunt, aliter ab ijs qui ipſarum contemplatione ſolum fruuntur. Samnis quidã qui puer uelociter artes atque eloquentiæ præcepta didiciſſet, primum uſus eſt illis mediocriter, ut ipſa negotia poſtulabant. Dedit operam foro, amicis, rei familiari, & diuerſa ſtudia moderatione quadam temperauit. Cumq́; aptus eſſet ad declamandum, totumq́; illud genus cognouiſſet, ſæpe ut formaret iuuenes declamitauit in ludo, & diligẽtius obſeruauit præcepta dicendi. Exin factus multorum magiſter, totum ſe dedit declamationi, et ad ſummam ſenectutem commentatus eſt, ut ſubtilitates artis explicaret. Hoc modo plurima inuenit cogitando, quibus antea dum uerſaretur in foro, facile carebat. Vides igitur ut aliter in cauſis, aliter in otio literarum tractetur orandi ſcientia. Magiſter Samnitium dicitur, quòd ad eum confluerent Samnites, quoniã & ipſe Samnis eſſet. *Hic.*] Qui nunc in urbe fama clarus eſt. *Commentatur.*] Excogitat aliquid in ſubtiliorem artis ſuæ explicationem. *Nihil enim curat aliud.*] Cum daret operam foro, contentus erat uéterũ inuentis, & uſu quotidiano: deinde plus otij nactus, & uni curæ deditus, non inuenit ullum finem rei. *Atque uelocius puer addidicerat.*] Voluit alijs nectere cauſas immorandi, qui uelocius didiciſſet: et alios plura multo docere, quàm puer ipſe accepiſſet à magiſtris.

Ad illud.] Ad illud genus artis cui ſe tradiderat. *Apud Luciliũ.*] Tempore Craſſi uixit Lucilius ſatyricus qui inducit Scæuolã de genero ſuo Craſſo loquentẽ hoc uerſiculo:

Craſſum habeo generum, ne ῥητορικώτερος tu ſis.

Potuit igitur ludere in hoc Samnite florente temporibus illis, quẽ in alijs forte reprehendit, in officio docendi probauit. *Quamuis.*] Quantumuis. *In ludo.*] In ſchola. *Rudibus cauſis.*] Cauſæ rudes ſunt declamationes, quibus rudes formantur ad cauſas. Alij pro cauſis aliud ponunt, quod mihi non probatur. *Satis aſper.*] Satis acer et uehemens. Hoc uerbi dixit in laudem. *Valerius quotidie.*] Hoc exemplum à ſuperiore differt. Illud enim oſtendebat eandem artem ab eodem homine aliter in ludo, aliter in foro tractatam fuiſſe: hoc uero demonſtrat idem ab eodem ſemper eſſe factitatum. Debet autem conferri cum proxime ſequenti, ut intelligatur aliter tractaſſe muſicam Valerium, qui nihil aliud curaret: aliter Furiũ, qui aliud ageret paterfamilias, et eques R. Valerij permulti celebrãtur hiſtoria. Hic fuit ſcenicus. i. modos fecit in ſcena cũ fabulæ recitarentur. Mos enim fuit comœdis & tragœdis adhibere tibicinem, qui non modo cantu diuideret actus, ſed etiã actionem uerſuum modulatione formaret. Legimus in agendis omnibus comœdijs Terentianis, Flaccum Claudi filiũ feciſſe modos. Flacci autem ſunt de genere Valeriorum, ut colligi poteſt ex oratione Ciceronis pro L. Flacco. An de illo Cicero loquatur, quia res eſt ambigua, ſuſpendo ſententiã. Videtur de mortuo loqui, dicit enim, Valerius canebat. De uiuo ſic loquitur, Furius cãtat.

Paterfamilias.] Mos fuit equitibus Romanis maxime negotiari, rem familiarem curare, redimere uectigalia populi R. quæſtus gratia obire prouincias, militare, ambire magiſtratus, et adeptos gerere. quæ Furius cum faceret, non poterat quotidie cantare. Cantabat igitur cum eſſet commodum, hoc eſt bonum & opportunum. nec quotidie diſcebat aliquid, ut Valerius, ſed quia puer didicerat id muſicæ, quod eſt equiti diſcendum, cũ tempus dabat, quod didicerat, exercebat. Eadem ratio eſt harum artium maximarum.] A' rhetorica ac muſica tranſit ad artes maximas, id eſt ad philoſophiæ partes magnitudine & dignitate ampliſſimas, in qua alij totum ſuum tempus abſumunt, ut Q. Tubero. alij, cum datur remiſſio negotiorum, oblectantur, ut Aphricanus. De hoc Tuberone Cicero in Bruto: Et quoniam Stoicorum eſt facta mentio, Q. Aelius Tubero fuit illo tempore, L. Pauli nepos, nullo in oratorum numero, ſed uita ſeuerus, et congruens cum ea diſciplina quam callebat, paulo etiã durior, qui quidem in triumuiratu iudicauerit contra P. Aphricani auunculi ſui teſtimonium, uacationem augures, quo minus iudicijs operam darent, non habere. Dies & noctes.] Semper. Philoſopho.] Panætium Stoicum, ut opinor, dicit, quem, & Aphricanus habuit præceptorem. Iſta diſcũtur facile.] Poſitis exemplis eò uenit quò maxime uolebat. docet quo modo negotijs occupatus philoſophiam diſcas. Tria iubet obſeruari: ut non omne tempus abſumas in arte perdiſcenda, ſed tantum ſumas quantum opus ſit oratori: ut habeas præceptorem non qui falſa pro ueris habeat, ſed qui docere fideliter poſſit: ut ſcias ipſe diſcere, hoc eſt, ut tradita fideliter accipias, ordine conſtituas, memoria infigas, ac ex illis ratiocinando colligas ea quæ conſentanea ſunt atque conſequentia. Erunt fortè qui hoc referent ad ingenium, dicentq; illos ſcire diſcere, quibus ingenium & ſolertia eſt. Hanc interpretationem minime probo, quoniam ingenium poteſtatis eſt, non ſcientiæ: & aliud eſt poſſe diſcere, aliud ſcire. Sed tota uita.] Si forte non tantum ſumas quantum opus ſit, ſed tota uita nihil uelis aliud agere, ipſa tractatio & quæſtio quotidie ex ſe gignit aliquid: hoc eſt uerſando multa atque dubitando, quotidie ſuboritur aliquid, quod cum deſidioſa, otioſa, ac pigra delectatione neſtige. Quanto diligentius quæres, tanto plura excutienda tibi ſe offerent. Ita fit ut agitatione rerum.] Senſus eſt: Si res agitare uelis, et ſemper aliquid excogitare, rerum eſt infinita cognitio, quia nulla res eſt nobis tam abſolute nota, quæ non perfectius abſolutiusq; cognoſci poſſit. Sin uti uelis mediocritate ſcientiarum, ut difficilis eſt iſta continua commentatio, ſic uſus eſt facilis, doctrinamq; confirmat. Mediocris opera, non illa infinita tribuitur. Memoria non confunditur inuentorum multitudine, ſtudium & amor ſcientiæ permanet. Libet autem ſemper diſcere.] Non eſt cur mirere ſi qui in una arte tota uita laborant. Libet enim ſemper diſcere, hoc eſt, animus noſter artis eius cui ſe dedit, perfectius cognoſcendæ deſiderio ſemper tenetur. Nec iſtuc deſiderium eſt in illis ſolum qui præclare aliquid faciunt, & illo uehementius delectantur, ſed etiam in ijs qui optimum illud aſſequi non poſſunt. Libet ſemper diſcere, ut ſi uelim ego ludum talorum optime ludere, aut pilæ ſtudio tenear, cupiam ſemper aut talos, aut pilam tractare, etiam fortaſſe ſi hoc aſſequi nõ poſſim ut optime ludam. Eodem modo alij, quia præclare faciunt, uehementius quàm cauſa ratioq; poſtulat, delectantur, ut Tytius pila, Brulla talis. Dixit ſecundo libro cap. de ridiculis, Tityum quendam ſtudioſe pila ludere, & ſigna ſacra noctu frangere ſolitum. Vt hic Tityus inſignis fuit arte pilæ, ſic Brulla quidã ſtudio talorum, quibus optime ludebat, celebrauit nomen ſuum. Quare nihil eſt.] Colligit tandem nihil eſſe quòd quiſquam magnitudine artiũ ex eo quòd ſenes diſcunt, pertimeſcat. Nãque aut ſenes ad eas acceſſerunt, quas in ætate prima diſcere commodius eſt, quare nihil mirum ſi diſcunt ſenes facti: aut nihil aliud acturi uſque ad ſenectutem in ſtudijs detinentur: aut ſunt ingenio tardiſſimi, nec niſi longo tempore artem unam capere poſſunt. Oportet autem oratorem futurum habere celeres animi motus, & cito poſſe diſcere. Quod quiſque cito diſcere non potuit, nunquam omnino poterit perdiſcere. Offuit enim tarditas, quæ artium magnarum loginquos fines non aſſequitur.

IAM IAM (inquit Catulus) intelligo Craſſe quid dicas, etc.] Docuit Craſſus quem modum ſeruet orator in diſcendis artibus. Vt ad alia commode tranſeat, inducitur Catulus qui filum ſermonis interrumpat, & quò iudiciũ Craſſi firmius ſit, eat in eius ſententiam, quiũq; dicat, quod dicere Craſſum decorum uetat, ſatis ipſum qui acerrimo ingenio eſſet, et cito didiciſſet, ad perdiſcẽdum temporis habuiſſe. in quo Cicero memor fuit illius, quod ante in perſona Catuli dixerat his uerbis: Cum omnes gradus ætatis recordor tuæ, cumq; uitam tuã ac ſtudia conſidero, neque quo tempore iſta didiceris uideo, nec magnopere te iſtis ſtudijs, hominibus, libris intelligo deditum. Quod de acerrimo ingenio loquitur Catulus, agnoſcere nõ debuit homo uerecundus. Pergis'ne, inquit, me, quæ dicam, de me non de re putare dicere.] Hic Ciceroni uidendum fuit, ne ingenium ſuum ſub alia perſona laudare uideretur. Ad inſtituta redeamus.] Inſtituit dicere de ornata aptaq; oratione. Non ſuſcipiam, inquit, oratione mea plus quam mihi imponitur. Sed quoniam ornata & apta non eſt oratio, niſi ſubſit res oratore digna, de re prius ſibi aliquid eſſe dicendum putauit, non quò repeteret ab Antonio dicta, ſed ut uim naturamq; totius eloquentiæ complecteretur. Ante demonſtrat quorſum ſpectent ea quæ dixit, quàm redeat ad inſtitutum. Quorſum igitur ſpectat.] Mouet hanc quæſtionem, ut quod multis uerbis diſſeruit, paucis, ut fit in epilogo, perſtringat, & ut ſi qui putent tam longam & tam alte repetitam orationem ad elocutionem parum uel nihil ſpectare, illis abunde ſatisfaciat. Quatuor dixit eſſe uirtutes orationis, ut ſit latina, dilucida, ornata, apta ſiue congrua. De duabus primis breuiter dixit. Duæ ſuperſunt, una illuſtrat orationem, altera totam eloquentiam cumulat, id eſt auctiorem facit ijs rebus et uerbis, quæ rerum perſonarumq; dignitates ferunt. Hanc (ut Quintilianus ait lib. 1.) plerique ornatui ſubijciunt, Cicero diſtinguit, & poſt diſputationem de ornatu informat breuibus præceptis. Hæ duæ uirtutes faciunt, ut ſit quammaxime iucunda, quã maxime in ſenſus eorum qui audiunt, influat; & quamplurimis ſit rebus inſtructa oratio. Aptant enim cuique quod illi maxime conuenit, ornant & cumulant eloquentiam. Facile autem admittit animus orationem uariam, pulchram, & aptè congruentem. Quòd ſi neque iucunda eſt oratio, neque maxime influit in ſenſus eorum qui audiunt, neque plurimis eſt rebus inſtructa, cum tantum habet inſtrumentum forenſe, antequam ornandi apteq; dicendi partes exponerẽtur, dicendum fuit quibus alijs rebus ac inſtrumentis egeret. Eſt autem inſtrumentum quaſi ſupellex oratoris. Illius ſunt duo genera: Vnum ex uulgi opinionibus, & communi prudentia, quo utuntur ij qui ſine ſciẽtia ex conſuetudine & uſu quodam cauſas actitant. Hoc autẽ eſt litigioſum, acre, acerbum, exiguum, atque mendicum, ut et hodie uidere licet in foro minorum iudicum. Alterum eſt undique exquiſitum, collectum, comportatum, hoc eſt omni ſcientiarũ genere cumulatum. Apparatu, inquit, nobis opus eſt, & rebus exquiſitis undique & collectis, accerſitis, comportatis, ut tibi Cæſar faciundum eſt ad annũ. Similitudinem ducit ab apparatu ædilitiorum ludorum, ad quos magnifice exornandos ædiles ex omni ferè orbe terrarũ tabulas pictas, ſimulachra, ſigna, uaſa, aulæa, tapetas, ueſtes, margaritas, gemmas, et id genus ornamẽta quærebant, colligebant, arceſſebant, atque comportabant. Hoc ut facias Cæſar deſignatus ædilis, ſuades ipſe, qui ſic in ædilitate ſua feceris, quòd quotidianis et uernaculis, hoc eſt uulgaribus uſitatiſq; ornamentis ſatisfacere ſe poſſe populo rerum tam cupido nõ

putarat

putarat. Exquiſitis.] Diligẽter quæſitis. Acceſitis.] Petitis. Ad annum.] Intra annum. VERBORVM eligendorum & collocandorũ et concludendorũ, etc.] Rationem uerborum cum ſylua rerum comparat. Illam facilem, hanc uero magnam eſſe dicit, ut intelligamus rebus magis quàm uerbis ſtudendum eſſe, pluriſq; ſententias quàm uerba facienda. Deinde egreditur ad indoctos rhetoras tam Græcos quã Latinos, qui temporibus illis rhetoricas artes Romæ profitebãtur, ut ſciamus ab eiuſmodi præceptoribus non eſſe petendam rerum magnarum ſcientiam. Vt perficiatur elocutio, uerba eligenda ſunt propria, aptè translata, grauia, ſonantia, & quæ naturæ earum rerum de quibus agitur reſpondeant. Nec ſatis eſt elegiſſe uerba, niſi collocentur. Collocantur ita ut apta ſit coagmentatio, hoc eſt, ut poſtrema ſyllaba uerbi prioris cum prima ſequẽtis concordem ſuauemq; faciat ſonum, & ut pedes ac numeri fluant ex longarum breuiumq; ſyllabarum moderatione. Præterea concludenda ſunt, hoc eſt ambitu quodam comprehendenda, ne aut curtior aut redundantior ſit oratio, ſed tantum feratur & excurrat, quantum aurium ſenſus eruditus uelit. Verba legere, & collocare & concludere haud quaquam facile eſt. Auctor eſt Cicero in Oratore, & Quintilianus octauo libro. Dicit tamen hanc facilem eſſe rationem, id eſt artem, uel ſine ratione ipſam exercitationem, quoniam comparat cum ſylua & copia rerum, quæ longe difficilior eſt. Eſt igitur ſimpliciter difficilis comparate facilis. Vna quidem & eadem res rationibus diuerſis & facilis & difficilis dici poteſt. Sylua.] Materia ac copia, ὕλη dicitur à Græcis. Græci iam non tenerent.]

Non loquitur hic de omnibus Græcis, ſed de his qui Romæ iuuẽtutem docebant homines ſcioli, & philoſophiæ magna ex parte imperiti. Iam enim oratores à philoſophis diducti fuerant.

Dediſceret penè diſcendo.] Verba ſunt antitheta & oxymora, quæ ſimul ſtare non poſſunt. Iccirco dixit penè, quod uerbum exceptionem aut improprietatem loquendi ſignificat. Senſus eſt: Noſtra iuuentus diſcebat quidem, ſed tam pauca et tã male diſcebat, ut penè dediſcere uideretur. Si dijs placet.]

Adagium eſt in eos qui conantur aliquid ultra uires, quaſi dijs inuitis. Hoc biennio.] De hoc edicto L. Craſſi Gellius hæc lib. 15. cap. 11. Cn. Domitius Aenobarbus, & L. Licinius Craſſus cenſſ. de coercendis rhetoribus Latinis ita edixerunt: Renũciatum eſt nobis eſſe homines, qui nouum genus diſciplinæ inſtituerent, ad quos iuuentus in ludum conueniat: eos ſibi nomen impoſuiſſe Latinos rhetoras: ibi homines adoleſcentulos dies totos deſidere. Maiores noſtri quæ liberos ſuos diſcere, & quos in ludos itare uellent, inſtituerunt. Hæc noua, quæ præter conſuetudinem ac morem maiorum fiunt, neque placent, neque recta uidentur. Quapropter & ijs qui eos ludos habent, et ijs qui eò uenire conſueuerunt, uiſum eſt faciundum, ut oſtenderemus noſtrã ſententiam, nobis non placere. Exacta Lucij Craſſi cenſura iterum extiterunt, hoc eſt prodierunt in medium, ludoſq; fecerũt. Non defuerunt qui famam ſpargerent, Craſſum acui ingenia adoleſcentum nolle, aut ne ſolus ſapere uideretur, aut quod inuideret nouæ fortunæ iuuentutis. Illorum opinioni ſatisfacit. Negat ingenia acui, quæ à rudibus obtunduntur: & illos bene doceri, quorum corroboratur impudentia. Exibãt enim ab illis magiſtris diſcipuli inflati falſa opinione doctrinæ, & quandam uerborũ multitudinem inanem impudenter effundebant. Nam apud Græcos.] Craſſus edicto non ſuſtulit Græcos, quoniam apud eos præter exercitationem linguæ eſſe uidebat doctrinam aliquam, & humanitatem ac eruditionem dignã ſcientia: Etſi nõ tenebant omnem illam rerum ſyluam, quam philoſophi ſunt peruagati, aliquam tamen philoſophiæ partem nouerant.

Auderent.] In oratore pudorem, & in principio dicendi timorem probauit ſuperiore ſermone. Cõſentaneũ eſt, ut improbet & impudentiam, & audaciam. Hæc autem callide tractas Cicero, & cauſam L. Craſſi pro uiribus tuetur, quoniam ualet in eos magiſtros rudes, qui tum cum ſcripſit iſta, rhetoricabantur. Serperet.] Altius radices ageret ac latius, uel paulatim extenderetur. Vt deſſerem latine ea de quibus diſputauimus tradi.] Ante Ciceronem rhetorica & philoſophia latine tradebantur, ſed tanta inopia uerborum, ut planè intelligi nõ poſſent. Vtranque ſic expreſſit uerbis latinis, ut proxime ad copiam Græcorum accederet. Cum facit igitur Craſſum dicentem, opus eſſe hominibus eruditis, qui ſi quando extiterint, etiã Græcis erũt anteponendi: quo loco ſit habendus ipſe, inſinuat. Prudentiam.] Rerum cognitionem. Veterem.] Quæ floruit tẽpore Platonis, Ariſtotelis, et Carneadis. ORNATVR igitur oratio genere primum & quaſi colore quodam, &c.]

Redit ad inſtitutum, & de ornatu præcipit. Principio diſtinguit duas ornatus ſpecies, unam ponit in toto corpore orationis, alteram in partibus quibuſdam. Deinde explicat qui modus in ornãdo eſſe debeat. Qui in toto corpore diffunditur ornatus, quoniam latius patet, & maxime in rebus eſt, de quibus proxime dicebatur, primas habet in tractatione. Ornatur, inquit, oratio genere primum & quaſi colore quodam & ſucco ſuo. Senſus eſt: Si oratio in genere eſt graui, ſuaui, erudito, liberali, admirabili, polito, affectibus prædito, ornatur illo genere ſuo. Et quẽadmodum liberali colore, & ſucco ſuo noſtra corpora pulchriora plenioraq; ſunt, ſic & oratio colore & ſucco ſuo pulchrior eſt ac plenior. Epitheton illud, ſuo, ad tria refertur, ut ſit hæc uis, ornatur oratio genere ſuo, colore ſuo, ſucco ſuo. Tum autẽ habet genus ſuum, hoc eſt propriam debitamq; eloquendi rationem, quando eloquentiæ artificio condita eſt. Nam quæ nullam præ ſe fert eloquentiam, nec habet genus ſuum, nec dicendi colorem, nec ſuccum & materiam copioſam, cuiuſmodi eſt oratio leuis, inſuauis, inerudita, illiberalis, uulgaris, impolita, nullo affectu mobilis, decolor, minime ſucculenta. Vult eloquentia ut oratio ſit grauis pondere rerum atque uerborum, ſuauis uarietate & uoluptate, erudita cultu artium magnarum, liberalis, ingenua ac decora ſpecie dicendi, admirabilis amplificatione, copia ornatuq; præcellenti, polita lima artificis, uiua aliquo genere aut mitium aut grauium affectuum. Cadunt hæc omnia in unã eandemq; orationem, attamen proprietatibus diſtinguũtur, nec ſunt in ſingulis articulis, id eſt ſingularibus quibuſdam partibus, ſed in toto corpore, hoc eſt in uniuerſa oratione ſpectantur. Ornatus eſt alter, qui non eſt fuſus ſparſuſq; æquabiliter per omnem orationem, ſed ita diſtinctus locis, ut inſignia, id eſt excellentia ornamenta diſponuntur in apparatu ludorum, & lumina in ornatu cœli, & flores in uarietate pratorum, hortorum, coronarum. Is eſt in figuris tum uerborum tum ſententiarum, de quibus ſuo loco dicetur. Vterque ornatus eſt aptandus orationi. Fugienda oratio exilis, quia non habet ſuccum. & inculta, quia neque eſt erudita, neque liberalis. & uulgaris, quia nihil habet aut admirationis, aut ſuauitatis. & obſoleta, hoc eſt inueterata, horrida, ſqualida, quoniam eſt impolita. Opponuntur hæc genera ſuperioribus, & tam apertam habent deformitatem, ut illam etiã imperiti uidere poſſint. Quamobrem quaſi præteriens hæc dicit:

Non enim à me iam expectari puto, ut moneam ut caueatis ne exilis, ne inculta ſit ueſtra oratio, ne uulgaris, ne obſoleta.

Aliud quiddam maius & ingenia me hortantur ueſtra, & ætates.] Eſtis ingenioſiores & natu grandiores, quã quibus tam leuia præcepta dari debeant. Genus igitur dicendi eſt eligendum.] Ante docet nos quem modum ſeruare debeamus in ornatu, quàm exponat ornamenta quibus expolitur oratoris elocutio. Hæc autem ſuſcepta diſceptatio eſt, ut caueamus ne ſit ornatus nimium affectatus, & ne ſemper maneamus in eodem genere & colore orationis. Genus dicendi eſt eligendum quod maxime teneat eos qui audiant: ut pictura eligenda non nimium colluſtrata, ſed quæ decenter ornata ſpectatores teneat

atque remoretur. Quod eſt illud dicendi genus? Quod non ſolum delectat, ſed etiam ſine ſatietate delectat. Qui fiet iſtuc? ornatu uario & temperato. Nam eadem ſemper facie & fuco ſatiantur animi noſtri. Res igitur ſint uariæ, aliæ nouæ, aliæ ueteres, aliæ ſublimes, aliæ tenues, graues, leues, ſubridiculæ, exempla diuerſa, ſimilitudines, imagines, adagia, apophthegmata, ſententiæ philoſophorum & aliorum, uerba multa ac uaria, quæ præſtat ea quæ dicitur συνωνυμία. Collocatio uerborum aliquando diligentior, aliquando neglectior. numerus pro rerum qualitate diuerſus, nunc inciſim, poſtea membratim, ſæpe comprehenſim dicatur atque circumſcripte. Nulla ſit affectatio & effuſa luxuries. Hoc modo conficietur genus quod non ſolum delectet, ſed etiam ſine ſatietate delectet. Continuanda non ſunt ea quæ maxime ſenſus noſtros impellunt uoluptate, quoniam ab iis celerrime faſtidio quodam & ſatietate abalienamur. Difficile autem dictu eſt quę' nam cauſa ſit cur quæ maxime ſenſus noſtros impellunt uoluptate, & ſpecie prima, hoc eſt ſentiendi principio, acerrime commouent, ut uehementes colores, molliſſimæ uocis flexiones, odores ſuauiſſimi, ſapores prædulces, corpus tactu leuiſſimum, ab iis celerrime faſtidio quodã & tædio & ſatietate abalienemur. An id fit quòd excellentiſſima quaque ſenſum uehementer feriũt & obtundunt? an quòd uoluptate ſumma afficiunt, uoluptas tanta ſenſum reſoluit atque debilitat? An quòd conſuetudo quaſi altera natura non patitur nos diutius iis rebus uti quarũ perrarus eſt uſus? Cur ea quæ,] Ea uacat. Alioqui ſolœciſmus eſt in hac oratione. Interpoſuit id uerbi, quia durius dixiſſet, cur quæ, quã cur ea quæ. Quanta colorum pulchritudine.] Ex iis quæ cadunt in quinque ſenſus, in uiſum, in auditum, in odoratum, in guſtum, tactumq́; confirmat id quod propoſuit, celerrime ſatiari nos iis rebus quæ ſenſus noſtros acerrime commouent. Confert picturas ſui temporis colorum pulchritudine & uarietate florentes cum ueteribus horridis, incultis, obſoletis, quæ in parietibus et tabulis habebantur. Illas diu non delectare, has diutius nos tenere contendit, ut ſimile quiddam intelligatur in orationis ornatu. Picturæ cadunt in oculorum ſenſum, uoces in aurem. de uocibus igitur ſecundo loco. Quanto molliores ſunt et delicatiores in cantu flexiones, & falſæ uocula, quàm certæ & ſeueræ? Cum ſymphoniaci, tibicines, citharœdi circumferrentur per conuiuia, aut ſacra, aut prophana, aut cum palàm inter ſe contenderent, molliores, ut fit, & delicatiores flexiones cum uocibus certis & ſeueris temperabant. Quòd ſi qui artis oſtentatores molli flexione ſæpius uterentur, auſteri, id eſt uiri graues & ſeueri, & multitudo ipſa uulgu'q; reclamabat. Molliores autem & delicatiores in cantu flexiones, ſunt mutationes uocis per omnes ſonorum gradus, crebræ, celeres, preſſæ, ſuaues. diminutiones uocant muſici noſtri. In tam minuta graduum diuiſione ſunt falſæ uoculæ, id eſt toni tam minuti, ut crebro percurſitante διὰ τατῶν uoce, penè fallant audientem. Falſis uoculis certæ, delicatis opponuntur ſeueræ. Certæ igitur, quæ apertè ſe mittunt in aurẽ, cuiuſmodi ſunt maiores ac tardiores. Seueræ, quæ dignam grauitate moderationem retinent, ut illæ quibus ſæpius utimur in tẽplis. Tertius eſt ſenſus odorandi, cui traditum eſt de odoribus iudicium: de cuius affectu in hunc modum Craſſus: Licet uidere unguentis minus diu nos delectari ſumma & acerrima ſuauitate conditis, quàm his moderatis: & magis laudari quod terram, quàm quod crocum olere uideatur. Vnguenta moderata ſunt mediocriter ſuauia, quibus à balneis ungebantur uiri frugi. Vnguentis etiam utebantur in funeribus, & in potu, & in fucando corpore, & in ungendis ſignis caſtrenſibus. Teſtis eſt Plinius libro decimotertio, ubi multa unguentorum genera colligit. Ex quibus multa ſunt ſumma & acerrima ſuauitate condita, id eſt perfuſa, confecta, permixta, ut quod regale appellatũ eſt. Omnia autem acutiora ſunt coſto, amomo, quæ maxime nares feriunt: craſſiora myrrha, ſuauioraq́;: medicinæ autem utiliora croco, acerrima per ſe amomo. In eodem libro mentionem facit de hac Tulliana ſententia, & ait: In M. Ciceronis monumentis inuenitur, unguenta gratiora eſſe quæ terrã quàm quæ crocum ſapiant, quando etiam corruptiſſimo in genere magis tamen iuuat quædam ipſius uitij ſeueritas. Idem lib. 17. Certe Cicero lux doctrinarum altera, Meliora, inquit, unguenta ſunt, quæ terram quàm quæ crocum ſapiunt. Hoc enim maluit dixiſſe, quàm redolent. Ita eſt profecto. Illa enim erit optima, quæ unguẽta ſapiet. Quòd ſi admonendi ſumus qualis ſit terræ odor ille qui quæritur, contingit ſæpe etiam quieſcente ea ſub occaſu ſolis, in quo loco arcus cœleſtis deiecerit capita ſua, & cum à ſiccitate continua immaduerit imbre, tunc emittit illum ſuum halitum diuinum ex ſole conceptum, cui comparari ſuauitas nulla poſſit. Codices habent non ſapiunt, ut ſcribit ille, ſed olere uideãtur. Veriſimile eſt igitur eum ex alio Ciceronis opere illã tranſcripſiſſe ſententiam. Alius eſt ſenſus, qui dicitur tactus. Explorat primas qualitates, calidum, frigidum, humidum, ſiccum: & ſecundas, graue, leue, durum, molle, aſperum, politum. Exempli gratia ponit mollitudinem & leuitatem: ut ſit leuitas, prima ſyllaba producta, partiũ corporis æquabilitas. Licet, inquit, uidere in ipſo tactu eſſe modũ mollitudinis & leuitatis, hoc eſt, experiri poſſumus ut durioribus & mollioribus tactus offendatur, modo temperantia duritiæ & mollitudinis ſeruetur. Item ut aſperioribus & leuioribus nó gaudeat, modo et mediocritate leuitatis aſperitatiſq́; recreetur. Quintus eſt ſenſus guſtus, & guſtatus dicitur. is eſt ex omnibus maxime uoluptuarius. Datus enim à natura omnibus animantibus ad diſcernendum idoneum cuique alimentum tam ſiccum quàm humidum, & ad percipiendas uoluptates cibi potuſq́;, quibus in uita nihil eſt frequentius. Guſtatus citò id quod ualde dulce eſt, aſpernatur ac reſpuit, etſi ſaporum omnium uidetur amiciſſima dulcitudo. Latinum uerbum eſt dulcitudo, quo uſus eſt Cæcilius auctore Nonio Marcello, Tanta huic inuaſit in corda dulcitudo. Cum utroque in genere.] Quemadmodum utroque in genere, cibi & potus, ea quæ leniter ac modice ſenſum uoluptate mouent, faciliime fugiunt ſatietatem, ut panis et uinum: ſic omnibus in rebus uoluptatibus maximis faſtidium finitimum eſt, hoc eſt, uoluptates maximas, quales interim percipiuntur ex coloribus, ſonis, odoribus, ſaporibus, corporibus tactis, cito ſequitur faſtidiũ.

QVO hoc minus in oratione miremur, in qua uel, &c.] Ab aliis rebus quæ ſentiuntur, redit ad orationem, ut colligat ſenſus non aliter ſuauiſſima orationis continuatione ſatiari, quàm iis rebus quæ acerrime commouent, cito ſatiantur. Poetarum et oratorum proponit elegantiam, propterea quòd illi magis quàm cæteri ſequuntur ornatũ. Quo hoc minus in oratione.] Quo minus, quare minus. hoc, hanc rem ſignificat. Quare minus hoc, uidelicet nimia uoluptate gigni ſatietatem, in oratione miremur, quæ nimium ornata, nó ſenſum modo, ut illa quæ paulo ante dicta ſunt, ſed etiã animum ſatiat, in qua decerpta uel ex poetis uel ex oratoribus, poſſumus iudicare, quod quæritur, cócinnam, diſtinctam, ornatam, feſtiuam, ſine intermiſſione, ſine reprehenſione, ſine uarietate non poſſe in delectatione eſſe diuturna, etiamſi claris ſit coloribus picta uel poeſis uel oratio. Itaque ſtylum uariant boni oratores & poetæ, nec magnifico ſemper utuntur ornatu. Concinnam.] Compoſitam, elegantem. Diſtinctam.] Diſpoſitam, ac diſtincte expreſſam. Ornatam.] Perpolitam pulchris ſententiis, uerbis bonis, coloribus, numeris. Feſtiuam.] Lepidam atque iucundam. Sine intermiſſione.] Sine interruptione fucati coloris, & elegantiſſimi ornatus, hoc eſt continuato ſemper eodẽ ornandi genere. Sine reprehenſione.] Reprehenſionem dicit cultum negligentem, qui uidetur eſſe uitioſus, & non eſt, ſi loco ponitur, & ſi eſt in eo negligentia quædam diligens. Licet

interdum

interdum uſque ad ſermonem quotidianũ demittere orationem, relaxare numeros, admittere uocalium duram concurſionem, et imitari magnos auctores, apud quos grammatici notant permulta, quæ ſi nõ excuſaret auctoritas, uitia eſſent uel ſolœciſmi, uel barbariſmi. Sine uarietate.] *Sine mutatione ſtyli et figura.* Coloribus.] *Figuris.* Poeſis.] *Oratio poetarum.* Oratio.] *Dictio oratoris.* Atque eo citius.] *Quæ ſimilia contulerat, nunc comparat, ut maius et minus. Citius oratio calamiſtrata fucataq́; offendit, quàm quod maxime ſenſum impellit uoluptate: quoniam ſenſus in nimia uoluptate, natura, non mente, id eſt animi iudicio ſatiantur. In oratione uel ſcripta, uel quæ pronunciatur, non aurium ſolum, ſed animi iudicio etiam magis infucata uitia noſcuntur. Breuius dicam: Quæ obijciuntur ſenſibus nimia uoluptate plena, ſatiant illos, nõ animum. Oratio fucata & ſenſum et animum ſatiat.* Cincinni.] *Calamiſtrati & acu maiore criſpati capilli. Per tranſlationem ſignificant cultum nimis affectatum, quemadmodum & fucus ille qui ad ſpeciem adulterinam corpori illinitur.* Offenditur.] *Offenſio eſt. Hic imperſonale uerbum eſt offenditur.* Infucata uitia.] *Suffuſa ut fucus, ornamenta uitioſa.* Quare bene & præclare.] *Cum iuuenes declamitarent in ludo, ſi quid bene præclareq́; dixiſſent, applaudebãt illis condiſcipuli, & acclamabant, bene, præclare, belle, feſtiue, lepide, decenter. ſubauditur uerbum dixit, uel dictum eſt. In ſcholis hunc morem fuiſſe, Quintilianus eſt teſtis. Nec in ſcholis ſolũ id fieri ſolebat, ſed & in foro & in concione populus acclamabat: id quod ſupra demonſtrauimus exemplis. Quin & poetæ cum recitarent ſuos uerſus, ita laudabantur.* Perſius:

Extremumq́; eſſe recuſo
Euge tuum & belle. nam belle hoc excute totum,
Quid non intus habet?

Senſus eſt igitur: Nimium ſæpe nolo clamari ab auditoribus, bene et præclare dixit, quamuis nobis oratoribus ſæpe dicatur hæc laus, belle & feſtiue dictum eſt. Nam ſi nimium ſæpe dicitur belle, et populus recte iudicat, tota ferè oratio bella eſt atque præclara, ideoq́; nimis elucet, ac parit ſatietatem. Illa ipſa acclamatio auditorum, qua uociferãtur, belle, præclare, aut aliquid eiuſmodi, ſit uelim crebra, ut ſignificet multos orationis locos eſſe præcellentes, non poteſt melius contingere uel orationi uel oratori, ſed habeat tamen illa in dicendo admiratio ac ſumma laus umbram aliquam et receſſum, quo magis id quod erit illuminatum, extare atque eminere uideatur. Sumpſit hæc à pictura. Pictores cum aliquam partem corporis extare, id eſt eminere uolunt, illam circumdant nigro colore, & quaſi umbram & receſſum, id eſt abditum quiddam imitantur. Contra interceptã particulam illuminant, ut ſplendeſcat & appareat magis. Sed quæ umbra, quiue receſſus in oratione? Pars eius penè inculta, humilis, & obſcura, quam conficit, qui rebus ſtylum accommodat, & grauia acriter, media temperate, humilia tenuiter dicit.

Nunquam agit hunc uerſum.] *Hiſtriones boni, ut Roſcius & Aeſopus, ſi quando uerſum grauiter & actuoſe eſſent pronunciaturi, ut uehementius & apertius audiretur, proxime antecedentes paulum ultra uerã actionem deprimebant. Sic oratori faciendum eſt, ut partem minus quã poteſt exornet, quo proxime cultæ magis eluceant. Ex ijs quos citat uerſibus duo priores conſtant ſeptenis pedibus & ſyllaba. Sumpti ſunt, ut opinor, ex Ennij tragœdia Hecuba:*

Nam ſapiens uirtuti honorem præmium, haud prædã petit.
Ecquid uideo? ferro ſeptus poſſidet ſedes ſacras.

Præclara eſt prioris uerſiculi ſententia, Sapientem præmium uirtuti ſuæ non prædam, ſed honorem petere: quamobrem uidetur magna cum uoce & ſeuero geſtu pronunciandus. Roſcius tamen abijciebat prorſus, hoc eſt deprimebat, & remiſſe agebat, ut in proximos uerſus incideret, elatiore uoce & acriore geſtu efferendos, & aſpiceret dicens: Ecquid uideo? & admiraretur ac ſtupeſceret hæc referens: Ferro ſeptus poſſidet ſedes ſacras. Hæc autem dicta ſunt in milites Græcos, qui in excidio Troiano cum irrupiſſent in urbem, diripiebant ædes ſacras: nec petebant honorem in uincendis fortiſſimis quibuſque, ſed armati cõuertebantur ad prædam. Quid ille alter.] *Non poeta, ſed hiſtrio intelligendus eſt. Qui ſit ille, certum non habeo. opinor Aeſopum temporibus Craſſi florentem indicari. Verſus citat eoſdem Cicero Tuſculana tertia, ex eadem Hecuba:*

Ex opibus ſummis opis egens Hector tuæ,
Quid petam præſidij aut exequar? quo' ue nunc auxilio
& fuga
Freta ſim? Arce et urbe orba ſum, quò accedã? quò applicẽ?
Cui nec aræ patriæ domi ſtant, fractæ & diſiectæ iacent,
Fana flamma deflagrata, toſti alti ſtant parietes
Deformati. Sequuntur alia, & hoc in primis:
O' pater, ò patria, ò Priami domus,
Septum altiſono cardine templum,
Vidi ego te, aſtante ope barbarica
Tectis cælatis, laqueatis,
Auro, ebore inſtructam regifice.

Hiſtrio hunc uerſum, Quid petam præſidij, et proxime ſequentes leniter, remiſſe, non actuoſe, id eſt ſine multa geſtus & uocis agitatione pronunciabat. ut cum exclamaret, O' pater, ò patria, ò Priami domus, uehementius populum commoueret. Inſtat enim, hoc eſt, proxima incumbit hæc ardens oratio, in qua tanta commoueri actio, id eſt pronunciatio non poſſet, ſi eſſet conſumpta ſuperiore motu & exhauſta. Nec actores & hiſtriones qui fabulas agunt, id prius uiderunt quàm ipſi poetæ, quàm denique illi etiam qui fecerunt modos. Poetæ enim ante comœdias tragœdiasq́; ſcripſerunt, quàm ab hiſtrionibus agerentur: & prius muſici tibicines fecerunt modos, hoc eſt, certas modulationes, inſtoq́; tonos aptarunt fabulis, quàm pronunciarent eas uel comœdi uel tragœdi, qui opera poetarum recitabant ad tibiam, hoc eſt, tibicine à tergo ſuccinente, et modos ſonorum dirigente: ut cum primũ actæ ſunt comœdiæ Terentianæ, modos fecit Flaccus Claudi Tibijs aut paribus aut imparibus, aut dextris aut ſiniſtris, aut utriſque. A' poetis & tibicinibus ſummittitur, hoc eſt deprimitur aliquid, deinde augetur aliud inſtar montis ad uallem. Extenuatur & gracile fit aliquid, deinde id quod proximum eſt, inflatur, & quaſi ſpiritu maiore fertur, multiſq́; modis uariatur & diſtinguitur res ad euitandum ſatietatem. Ita ſit nobis ornatus & ſuauis orator, ut hiſtrio, ut poeta, ut qui facit modos. Nec tamen poteſt aliter eſſe quàm ornatus & ſuauis ad eorum morem, ut, id eſt ſi modo ſuauitatem habeat auſteram et ſolidam, ut uina diu poſtquã deferbuerunt, non dulcem ut muſtum, non decoctam ut mulſum. Non amat nimium ſuauitatẽ, qualis eſt in muſto & uino igne decocto: ſed uult auſteram et ſolidã, cuiuſmodi eſt in uino ueteri quod ſua natura deferbuit, nec abijt in dulcitudinem. NAM ipſa ad ornandum præcepta quæ dantur, eiuſmodi ſunt, &c.] *In ornando uarietatem eſſe debere in uniuerſo genere demonſtrauit. Nunc propius accedit, & uariandi ſpecies explicat eas quæ maxime eminent & excellunt. Ne quis exiſtimet eſſe difficile adhibere ſuauitatem ſine ſatietate, & cum dicimus diſtinguere uarietatem, principio ſtatuit ipſa ad ornandum præcepta quæ dantur, eſſe facilia atque obuia. Ipſa, inquit, ad ornandũ præcepta quæ dantur, eiuſmodi ſunt, ut ea quamuis uitioſiſſimus orator explicare poſſit. His uerbis aditum facit ad ea quæ ſequentur, & confirmat illud quod paulo ante dixit, oratorem non aliter eſſe poſſe, quã ornatum & ſuauem, ſi modo ſuauitatem habeat auſteram & ſolidam, non dulcem atque decoctam. Nam ut talis ſit, facit ipſa præceptorum facilitas. Vt autem conſtet ornatus, materiã oratore dignam ſubijcere neceſſe eſt. Primum ſylua, id eſt ma-*

teria & cop a verum ac ſententiarum comparanda eſt. qua de parte dix a Antonius libro ſecundo. Hæc ſylua formanda, id eſt in aliq am formam ſpeciemq; dicendi redigenda, filo & genere & orationis. Filum tenor eſt, & perpetuus ductus orationis, quo m ateria ſubiecta continuatur atque redigitur in unum corpus. Genus eſt uniuerſa ratio dicendi, grauis, ſuauis, erudita, liberalis, admirabilis, polita, ſenſus habens & dolores. Eadem ſyluæ illuminanda uerbis, uarianda ſententijs. Hoc bonum præſtant ij qui tropi uocantur, & ſchemata uerborum & ſententiarum. Primus igitur ornatus, ut dictum eſt, eſt in genere orationis: alter in figuris, tertius in amplificationibus. Summa laus eloquentiæ eſt, amplificare rem in ornando. Nam ſunt maxime luminoſæ & quaſi actuoſæ partes duæ τάσις καὶ αὔξησις. Sunt autē duæ ſpecies amplificationis: incrementum, quod ualet ad augendum aliquid, & tollendum altius dicendo: ut, Facinus eſt uincire ciuem Romanum, ſcelus uerberare, propè parricidium necare, quid dicam in crucem tollere? Extenuatio, quæ rem abijcit, ac ueluti gradibus imminuit: ut, Pauci tamen qui primi adſtiterant, neſcio quid illum de lege Agraria uoluiſſe dicere ſuſpicabantur. Habes quanta ſit laudis amplificatio, & quas habeat partes. accipe quibus in locis deſideretur. Id ornandi genus deſideratur omnibus ijs in locis, quos ad fidem orationis faciendam adhiberi dixit Antonius ſuperiore ſermone. Fecit autem tres locos, ſiue diuiſit tria oratoris officia. Vnum poſuit in dicendo, alterum in conciliando, aliud in mouendo. Itaque cum explanamus aliquid ad docendum, ut in narratione & in argumentis, utimur amplificatione aut maiore aut minore pro rerum qualitate. Item cum conciliamus animos, ut in exordijs: aut concitamus, ut in perorationibus. Conciliamus etiam & concitamus in alijs partibus orationis, quando cauſa ut id faciamus deſiderat. De amplificatione in docendo ſit hoc exemplum: Sextus Roſcius pater huiuſce, municeps Amerinus fuit, cum genere & nobilitate & pecunia non modo ſui municipij, uerum etiam eius uicinitatis facile primus, tum gratia atque hoſpitijs florens hominum nobiliſſimorum. In conciliando: Quid eſt pro deū hominumq; fidem, in quo ego Reip. plus hoc tempore prodeſſe poſſim? Quid eſt quod aut populo Romano gratius eſſe debeat? aut ſocijs exterisq; nationibus optatius eſſe poſſit? aut ſaluti fortunisq; omnium magis accommodatum ſit? In concitando: Poteſt'ne tibi ulla ſpes ſalutis commoda oſtendi, cum recordaris, in deos immortales quàm impius, quàm ſceleratus, quàm nefarius fueris? Apollinem'ne tu Deliū ſpoliare auſus es? illi'ne tu templo, tam antiquo, tam ſancto, tam religioſo manus impias ac ſacrilegas afferre conatus es? In hoc quod poſtremum dixi, hoc eſt in concitando, amplificatio plurimum poteſt, eaq; una laus oratoris eſt, & propria maxime. Multæ quidem ſunt laudes boni oratoris: ſed ubique ſummam eſſe laudem in cōcitandis affectibus cenſet, quoniā in ea parte ſumma uis eſt: eamq; oratoris maxime propriam eſſe dicit, quia ſolus orator uehementer concitat affectus. Ad amplificandum proderit exercere genus laudandi & uituperandi. Qui res & homines maxime aut laudare aut uituperare nouerit, facile quod uolet amplificare poterit. Maior eſt igitur illa exercitatio laudandi & uituperandi, quam primo ſermone, ideſt principio libri ſecundi reijciebat Antonius, quaſi non oporteret illud genus donare præceptis ſuis. extremo ſermone, id eſt ad finē eiuſdem libri inſtruxit, et rebus ſuis apparauit. Nihil eſt enim ad exaggerandam & amplificandam orationem accommodatius, quam utrumque horum cumulatiſſime facere poſſe, hoc eſt laudare et uituperare copioſiſſime. Alius eſt excellens ornatus in locis communibus, non longe diſtans à priore: qui ſic appellantur, non quia proprij cauſarum, & inhærentes in earū neruis & robuſtis partibus eſſe non debeant (alioqui diſiuncti et ſegregati à toto corpore orationis eſſent, nec cauſam adiuuarēt) ſed quia de uniuerſa re & toto aliquo genere tractari ſolent.

Locorum communium tres ſunt ſpecies. Alij habent uitiorum et peccatorum acrem quandam cum amplificatione incuſationem, aut querelam, contra quam nihil dici ſolet, nec poteſt, quoniam res eſt turpior, quàm quæ defendi debeat, aut poſſit: ut in depeculatorem, id eſt direptorem pecuniæ publicæ, in proditorem, in parricidam. Eiuſmodi locis communibus uti confirmatis criminibus oportet. aliter enim ieiuni ſunt & inanes, atque inutiles. Auxerit quis proditionis crimen in immenſum, nihil hoc reo nocebit, niſi planum factum ſit illum proditorem fuiſſe. Quinetiā illud in actorem retorquebit, et inquiet, id quanto tetrius & abominandum magis eſt, tanto minus ſe committere uoluiſſe. Alij autem loci communes habent deprecationem aut miſerationem, qualis eſt in peroratione pro L. Flacco, ualentq; aduerſus priores. reſtinguūt enim uel precando, uel miſericordiam mouendo, quā illi flammam ſuſcitarunt. Alij uero ancipites atque dubias habent diſputationes, in quibus de uniuerſo genere et infinita quæſtione in utranque partem diſſeri copioſe licet, θέσεις uocantur à Græcis, à Latinis infinitæ quæſtiones. An peſtiferum ciuem indemnatum cuique interimere licet? Præferendus'ne in honoribus miles iuriſperito? an iuriſperitus militi? Poteſt'ne præſes prouinciæ quo tempore gerit magiſtratū populi Romani, in ſua prouincia negotiari? Exercitatio infinitarum quæſtionum nunc poſt diuortium ſcientiarum putatur eſſe propria duarum philoſophiarum, Peripateticæ, & Academicæ. Illæ enim de omnibus rebus in utranque partem diſputant. Apud antiquos, ut Lycurgum, Solonem, Themiſtoclem, Periclem, & reliquos ſapientes qui floruerunt ante Socratem, & artium diſſidia, exercitatio θέσεων erat eorū à quibus omnis de rebus forenſibus dicendi ratio & copia petebatur. Non erant alij magiſtri intelligendi, alij dicendi. Ab iiſdem res & uerba petebantur, & recte. Orator enim perfectus, quemadmodum & philoſophus, de uirtute, de officio, de æquo & bono, de dignitate, honore, ignominia, pœna, ſimilibusq; rebus in utranque partem dicendi animos, ideſt naturales impetus, uim & artem habere debet. His de rebus diſputant philoſophi in ijs libris quos ediderūt de moribus, de Rep. de legibus. Rhetores nihil iſtorum tractant in ſuis libellis. Sunt enim de poſſeſſione ſua deiecti: quamobrem mutuantur à philoſophis: quod Cicero faciundum eſſe cenſet. Quoniam de noſtra poſſeſſione, id eſt cognitione rerum & philoſophia depulſi, ac quaſi per uim deiecti, in paruo et eo litigioſo prædiolo, hoc eſt in forenſi controuerſia relicti ſumus, & aliorum patroni atque defenſores, noſtra bona tenere tueriq; non potuimus, ab ijs philoſophis qui in noſtrum patrimonium irruperunt, quod opus et neceſſarium eſt nobis, mutuemur. Tranſtulit hæc ab ijs qui per uim à ſuis prædijs & patrimonio depulſi deiectiq;, uix ſibi retinuerunt prædiolum, de quo etiam lite contenditur. Litigioſum prædiolum dicit, non propter eas lites in quibus uerſantur oratores, ſed quòd philoſophi ab oratoribus detrahere uolunt iudicialium quæſtionū partem uel optimam. illis enim concedunt finitā quæſtionem, infinitam uero non tribuunt. DICVNT igitur nunc quidem illi qui ex particula parua urbis, &c.] In locis communibus et in oratorio apparatu poſuit θέσεις, quas uocant noſtri infinitas quæſtiones, & eas, quoniam et ad oratorem pertinent, à philoſophis repetendas eſſe dixit. Amplius explicat quam diuiſionem quæſtionum faciant philoſophi Peripatetici et Academici, quid ex illis tribuant oratori, quæq; ſit quæſtionum differentia, unde ornari uariariq; poſſit oratio. Hoc modo notiorem facit non ſolum theſin de qua ſermo fuerat inſtitutus, ſed & hypotheſin, cuius in ornatu eſt alia facies quædam. Peripatetici & Academici ex particula parua urbis & loci nomē habent. Lyceum enim quod à deambulatione περίπατον appellarunt, unde dicti Peripatetici, parua pars erat urbis Athenarum: Academia uero pars loci, qui ab Athenis mille diſtabat paſſibus. Non igitur ab re dixit particulam paruam loci, quandoquidem

non

non eſſet urbis pars Academia, niſi & urbe loca finitima continentur. Anguſtius erat nomen antiquis philoſophis, qui in Rep. uerſabantur. Non enim à particula parua urbis & loci Pittacus, Lycurgus, Solon, & alij permulti, ſed ab uniuerſarum Rerumpublicarũ nomine πολιτικοὶ φιλόσοφοι, id eſt ciuiles ſapientes uocabantur. Condebant leges, inſtituebant Reſpublicas, & adminiſtrabant, nec philoſophiam ab eloquentia, nec eloquentiã à philoſophia ſeparabant. Erant uere politici, qui ratione & eloquentia fluctus Reip. ſedabant. Tum quod Plato in quinto libro de Rep. probat, imperij potentes philoſophabãtur, philoſophi imperium tenebant. Peripatetici & Academici dicunt omnem ciuilem orationem (eſt oratio non ciuilis in contemplatione rerum) in horum alterutro genere uerſari, aut definita controuerſia & hypotheſi, certis temporibus & reis, qui ſunt homines lite contendentes, hoc modo: Placeat'ne à Carthaginienſibus captiuos noſtros redditis ſuis recuperari? de quo in Senatu deliberatum eſt Regulo capto, & ad commutandos captiuos à Carthaginienſibus ad ſuos miſſo, aut infinite de uniuerſo genere quærẽtibus, hoc modo: Quid omnino de captiuo ſtatuendum ac ſentiendum ſit, redimendus'ne, an hoſti relinquendus, ut ij quos ceperat Annibal in clade Cannenſi? Participium quærentis, refer ad orationem, ut ſit, ciuilis oratio hominis de finita controuerſia, aut infinite de uniuerſo genere quærentis. Quæſtionem finitam, cauſam aut controuerſiam appellant, eamq; tribus, lite, aut deliberatione, aut laudatione definiunt: hoc eſt, in genus iudiciale, deliberatiuum, et demonſtratiuum diuidunt. Quæſtio altera nominatur ab eis infinita, quia non habet certos fines temporũ & reorum: & propoſita, tranſlato nomine à Græco θέσις, quod propoſitum uel poſitionem ſignificat: & conſultatio, quòd ſæpe in deliberationem cadat. Hactenus loquuntur.] *Hoc eſt, de infinita quæſtione nihil aliud dicunt, neque uim, neque naturam eius, nec partes, nec genera proponunt, tantummodo nominant, & oratoris eſſe dicunt. Etiam inſtituendo, hoc eſt tradendo præcepta dicendi (loquitur enim de Peripateticis & Academicis, qui more Ariſtotelis & Carneadis aliquando rhetoricabãtur) hac diuiſione utuntur, omnem ciuilem orationem partiuntur in controuerſiam & conſultationem, & utrũque genus ſibi attribuunt, ſed ita occupant finitam quæſtionem, nõ ut iure aut iudicio, ut denique recuperare amiſſam poſſeſſionem, quã in oratione ciuili tenuerunt ante Socratem ueteres philoſophi, ſed ut ex iure ciuili ſurculo defringendo uſurpare uidentur. Hæc ſumpta ſunt à litigantibus: quorum alij iure & iudicio contendebant, & recuperabant amiſſam poſſeſſionem: alij glebam de aruo, uel ſurculum, id eſt ramũ de uineto, uel ſylua, uel olineto auferebant, ut in eo rem totam ex iure ciuili uſurpare uiderentur: qui mos penitus exoleuit. Quomodo igitur irrumpant in alienã poſſeſſionem, oſtendit his uerbis. Illud alterum genus proprium oratoris, quod eſt temporibus, locis, reis definitum, obtinent, atque idipſum lacinia, id eſt aliqua particula lacerata, non uniuerſa poſſeſſione. Lacinia pars eſt extrema ueſtimenti, & caſuræ particulatim conciſæ decoris gratia. Sumitur & pro particula. Columella libro ſeptimo capite quinto: Cum deinde grex ad locũ fuerit perductus, in lacinias colonis diſtribuatur. Erat illis temporibus Philo quidam Academicus, qui non contentus infinita quæſtione & exercitatione philoſophorum, mittebat falcem in oratorum ſegetem, & cauſas ciuiles in ſcholis exercebat. Quamobrem dicit controuerſiam ab Academicis obtineri, aliqua parte à toto genere dirupta. Cum alterum genus infinitum plene poſſideant philoſophi, illud tamen in prima arte tradenda, hoc eſt in principio artis rhetoricæ, quam tradunt ſuis, uel literarũ memoriæ mandant, tantũmodo nominant, & oratoris eſſe dicunt. Sed neque uim, neque naturam eius, hoc eſt ſubſtantiam & accidentia: neque partes, hoc eſt ſpecies: neque genera proponũt, ut hoc præteriri omnino fuerit melius, quàm captum deſeri. Si intactum reliquiſſent, animi iudicio reticere uiderentur: quia attentarunt, non peregerunt, inopia cognitionis tacere intelliguntur. Reprehendit autem non omnes Academicos & Peripateticos (fuerunt enim in his duabus familijs uiri præcellentes) ſed quoſdam qui rerum imperiti ieiune & tenuiter de arte dicendi diſputarunt.* OMNIS igitur res eandem habet naturam ambigendi, &c.] *Quæ de infinitis conſultationibus omiſſa ſunt à philoſophis quibuſdam rhetoricam tradentibus, quoniam & ipſa exornant orationem, ex optimorũ ſententia tradit. Quæ ſit uis earum atque natura, amplectitur paucis. Omnis, inquit, res eandem habet naturam ambigendi, de qua quæri & diſceptari poteſt, ſiue in infinitis conſultationibus diſceptatur, ſiue in ijs cauſis quæ in ciuitate & in forenſi diſceptatione uerſantur: hoc eſt, ſiue ſit quæſtio finita, ſiue infinita, res omnis quatenus in ambiguo eſt, eandem habet naturam. Nam in utranque partem trahitur, & eadem ratione diſceptatur. ijdem enim ſunt loci finitæ quæſtionis, & infinitæ. Id ſic eſſe confirmat Cicero in Partitionibus oratorijs: Aliam ne cenſes et non eandem eſſe rationem in his inueniendi, quæ eſt expoſita, ut ex ijſdem locis ad fidem & ad inueniendum ducantur omnia? Collocandi autem quæ eſt expoſita in alijs ratio, eadem huc transfertur. hæc ille.*

Ambigendi.] *Tenuit ordinem. primum de re ambigimus atque dubitamus, deinde quærimus, poſtea diſceptamus et diſputamus.* Neque eſt ulla.] *Vtranque quæſtionem diuidit, ut uis eius atque natura apertius cognoſcatur. Quæſtiones omnes aut ſunt θεωρητικαὶ, contemplatiuæ, quæ ad cognoſcendi uim rationemq; referuntur: aut πρακτικαὶ, actiuæ, quæ ad agendum pertinent. Aut enim tantum ſcire uolumus animi perficiundi gratia, aut etiam agere ſciendo. In his duobus ſunt mortalium conatus. Aut, inquit, ipſa cognitio rei ſcientiaq; perquiritur, ut uirtus ſuam'ne propter dignitatem, an propter fructus aliquos expetatur. aut agendi conſilium exquiritur: ut, ſit'ne ſapienti capeſſenda Reſp. Superior quæſtio aliter deciditur à Stoicis, aliter à Peripateticis. Stoici ſummum bonũ ſtatuunt in uirtute: propterea dicunt uirtutẽ nõ propter aliud, ſed propter ſe ſuamq; dignitatem eſſe expetendam. Peripatetici felicitatem conſtituunt in bonis animi, corporis & fortunæ: quamobrem exiſtimant uirtutem propter fructus felicitatis eſſe quærendam. Altera quoque habet auctores in utranque partẽ. Epicurei, qui metiuntur omnia uoluptate, negant ſapientis eſſe capeſſere Remp. quoniam in turba ciuili uoluptate frui nõ poſſit. Alij, quorũ mens eſt ſanior, ut Academici & Peripatetici, alteram partem tuentur, non quo putent neminem eſſe ſapientem quin Remp. capeſſat, ſed ſapientiam & Reip. adminiſtrationem in eodem eſſe poſſe. Quæſtio cognitionis ſiue contemplationis tres habet modos & ſpecies inquirendi, coniecturam, definitionem, conſecutionem. In his tribus ſunt & ſtatus oratorum, unde planum fit hæc & ad controuerſiam pertinere: niſi dicamus, cognitionem & contemplationem proprie uniuerſi generis eſſe. Cõiectura quæritur quid in re ſit, aut, an in re ſit aliquid? Sit'ne in humano genere ſapientia? Stoici (ut ante dictum eſt) affirmant neminem eſſe ſapientem. loquuntur enim de ſapientia numeris omnibus abſoluta. Alij multos dixere ſapiẽtes, quoniã ſapientiã dicebãt eã, quæ bonis philoſophis contingeret. Quã autem uim quæque res habeat, definitio explicat. Eſt enim definitio, oratio quæ quid res ſit, breuiter exponit: ut ſi quæratur quid ſit ſapientia, & definiatur, diuinarum rerum & humanarum ſcientia. Conſecutio dicitur à Græcis συμβεβηκός, à noſtris qualitas: ut latius fundatur qualitatis nomẽ ad ea omnia quæ dicuntur accidentia. Nam qualitates ſequuntur ea quæ per ſe ſtant, ſubſtantias uocant. Conſecutio, inquit, tractatur, cũ quid quanque rem ſequatur, inquiritur: ut illud, Sit'ne aliquando mentiri boni uiri? Nigidius apud Aulum Gellium: Vir bonus, inquit, præſtare debet ne mentiatur. Plato ſecũdo libro de Rep.*

ψεῦδος, εἰ ἔστι τοῦτο εἰπεῖν, πάντες θεοὶ καὶ ἄνθρωποι μισοῦσιν. Mendacium, ſi poteſt hoc dici, dij & homines oderũt. Recentiores dicunt eſſe tria genera mendacij, pernicioſum, officioſum, iocoſum: duo poſteriora in bonum uirum cadere poſſe exiſtimant: Poſteaquam breuiter expoſuerunt philoſophi naturam coniecturæ, definitionis, & conſecutionis partiuntur ſingula membra in alias partes. Redeũt itaque ad coniecturã, eamq́; in quatuor genera diſpertiunt. Aut enim an ſit in re, aut quæ ſit origo rei, aut quæ cauſa & ratio, aut an poſſit quid immutari, quæritur. Videndum enim primum, an ſit? deinde, ſi eſt, unde ſit? poſtea, qua ratione hoc ex illo prodierit? tandẽ permaneat'ne, an immutetur. Quid ſit igitur, non ſimpliciter, ut in definitione, ſed quid ſit in re, id eſt an ſit quid in re quæritur: Natura'ne ſit ius inter homines, an opinionibus? Certe ius aliud eſt natura, ut matrimonij: aliud opinione, ut domini in ſeruũ. Quod natura ſtat, idem manet apud omnes: quod opinione, diuerſum eſt ac mutabile: quia aliud alij æquum uidetur & rectum. Quæ ſit origo cuiuſque rei, coniectura quæritur, ut quod ſit initium legum aut Rerump. Primum domus fuit, deinde creuit in multitudinem, tandem multæ familiæ conuenerunt in unum: quæ ut in tranquillitate uiuerent, ſuaq́; tueri poſſent legerunt magiſtratum, & leges tulerunt. Hoc initium legum & Rerump. quod intelligi facile poteſt ex Politicis Ariſtotelis. Cauſa & ratio coniecturæ quæritur hoc modo: Cur doctiſſimi homines de maximis rebus diſſentiant? Nam philoſophi digladiãtur de ſummo bono, de immortalitate animæ, de dijs immortalibus, de multis alijs rebus, quoniam ueritas in alto demerſa latet: quæ ſi quando enatat, iterum opinionum et altercationũ fluctu obruitur. Quæritur etiam coniectura de immutatione, hoc eſt, maneat'ne res an intereat? & ſi interit, pereat'ne omnino, an in aliam conuertatur: ut, num interire uirtus in homine, aut num in uitium poſſit conuerti? Quemadmodum in homine naſcitur uirtus habitu bene agendi firmato, ſic illa in eodem à contrario corrumpitur, nec conuertitur in contrariam ſpeciem, ſed illa uictrice perit. De quatuor coniecturæ generibus dictum eſt, ex ordine diſtribuẽda definitio, quatenus ſubſeruit quæſtionibus. Illius itaque modi quatuor ponuntur: una quæſtio mouetur de genere & ſpecie, altera de proprio, alia de partibus rei, quarta de notis & accidentibus. Genera media & ſpecies infimæ propriè definiuntur. Genus autem proprium, partes & accidentia ueniunt in definitionem. Genus & proprium, ut iuſtitia eſt uirtus quæ cuique ſuum reddit. Hic uirtus eſt genus: cuique ſuum reddere, proprium iuſtitiæ. Partes, ut homo eſt qui corpore & animo rationis participe cõſtat. Accidentia, ut homo eſt animal quod unum ore ſublimi in cœlum eſt, & apte ſedet. Conſul eſt, qui conſulit patriæ. Cum ſpecies definiatur, genus, proprium, partes, accidentia firment definitionem, eas res in quæſtiones reducunt, ut ſint totidem genera quæſtionum, quæ definitionibus explicentur. Genus, quia communis eſt notio ſpecies habens, maxime dici poteſt id quod in cõmuni mente quaſi impreſſum eſt. Sunt enim genera multorum communia, & iccirco ſuapte natura notiora, & in omnium mente quaſi impreſſa. Sed et ſpecies, quia etiam communem habent notionem, eſt in omniũ mente quaſi impreſſa. Sic igitur exponimus hunc locum: Definitionis ſunt diſceptationes, hoc eſt quæſtiones definitione explicãdæ: ut cum quæritur, quid in communi mente quaſi impreſſum ſit, id eſt cum genus ut uirtus, & ſpecies ut iuſtitia, quæ mente conſtant, & multorum communia ſunt, in diſceptationem definitionis adducuntur: ut ſi diſſeratur, id'ne ſit ius, quod maximæ parti ſit utile: diſceptatio eſt quæ debet explicari definitione, hoc modo: Ius eſt ars æqui & boni. eiuſmodi ars maximæ parti eſt utilis, ius igitur maximæ parti utile eſt. Aut dicendum, fuiſſet qui definirent ius hoc modo: Ius eſt, quod maximæ ciuium parti utile eſt. Aliquando quid cuiuſque ſit proprium exquiritur, ut ornate dicere proprium'ne ſit oratoris? an etiam aliquis præter eum poſſit ornate dicere? Quæ diſceptatio ſoluitur definitione, hoc modo: Si orator eſt is qui dicit ornate & copioſe, ornate dicere proprium eſt oratoris. quòd ſi eius eſt proprium, nemini alteri commune eſt. Orator igitur, aut qui fungitur oratoris officio, dicere ornate ſolus poteſt. Cum res diſtribuitur in partes, definitionis eſt diſceptatio: ut ſi quæratur, quot ſint genera rerum expetendarum, ut ſint'ne tria, corporis animi, externarumq́; rerum. Definitur enim expetendum hoc modo. Expetendum eſt id bonum, quod homini conducit ad dignitatem. Tum perficitur res diuiſione, Illud bonum aut in ipſo eſt, aut externum, & ab illo ſeparatum. Si in ipſo, aut in corpore, aut in animo. Tria ſunt igitur rerum expetendarum genera: unum corporis, alterum animi, aliud bonorum extrinſecus aduenientium. Quarta eſt diſceptatio, cum quæ forma et quaſi naturalis nota cuiuſque ſit, deſcribitur: ut ſi quæratur auari ſpecies, ſeditioſi, glorioſi. Forma & ſpecies hic dicitur, imago quædam atque deſignatio rei, quæ multis notis & accidentibus deſcribitur. Forma et ſpecies alia eſt, quam dialectici noſtri uocant uel eſſentialem, uel ſubſtantialem. Illam conſtituit differentia propriè dicta: ut rationale additum animali, ſpeciem humanam conſtituit. Alia, quàm appellant illi accidentalem: de qua nunc Cicero loquitur. Vult accipi notas, quas hic interpretor accidentia, & ex illis deſcriptionem quandam fieri, qua res ſubijciatur oculis mentis: ut, auarus is eſt, qui ardet pecuniæ amore: illam cupit, illam terra mariq́; perſequitur: labores, uigilias, pericula, ignominias ſubit, ut eam poſſideat, poſſeſſam retineat: nullius amicus eſt niſi pecuniæ, nulli munificus & liberalis, nulli ne ſibi quidẽ benignus: quo plus habet, eo plus quærit: anxius, pallidus, inſomnis, humi defixus: quem una res ſolatur & cruciat nummus, & quod nummo æſtimatur. Facile eſt hoc modo deſcribere ſeditioſum & glorioſum. Quòd ſi notam uoles accipi etymologiam, quam interim uocat ipſe notationem, deſcribes hæc aliter: ut, auarus eſt auidus æris: ſeditioſus, ſerens diſcordias: glorioſus, qui uana gloria ducitur. Sanior eſt altera interpretatio. CONSECVTIONIS autem duo prima quæſtionum genera ponuntur, & cætera.] Conſecutionis duo ſunt quæſtionum genera, ſimplex, & comparatum: quæ prima dicuntur habita ratione ſecundorum, de quibus poſtea dicetur. Simplex eſt diſceptatio, quæ unum quærit citra comparationem: ut, expetenda'ne ſit gloria. Inanis gloria nulli expetenda. Veram petet ſapiens. Virgilius: Sed famam extendere factis, Hoc uirtutis opus. Ex comparatione diſceptatio eſt: ut, laus an diuitiæ magis expetendæ ſint? Sapiens ita pronunciat: Melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ. Vtrunque membrum iterum diuiditur. Simplicium quæſtionum in conſecutione ſunt tres modi, de expetendis fugiendiſ'ue rebus, de æquo aut iniquo, de honeſto & turpi. Iſta ſic differunt. Expetimus bona animi, corporis, externarumq́; rerum: fugimus mala contraria. Aequum dicimus id iuſtum, quod ratio naturalis perſuaſit, quodq́; legem, ſi deficit, ſupplet: ſi durior eſt, mitigat: Iniquum, contrarium. honeſtum uero appellamus, quidquid uirtute continetur: prudentia, fortitudine, iuſtitia, temperantia. Quæſtiones ſunt huiuſmodi: Expetendi'ne honores ſint? Expetendi ſanè ij quibus digni ſumus, non ij quibus ſumus indigni. Num fugienda paupertas? Nec fugienda, nec expetenda. Aequum'ne ulciſci iniurias etiã propinquorum? Cenſuerunt ueteres (ſacra cum prophanis haud miſceo) æquum eſſe ulciſci iniurias & ſuas & ſuorum, & eos lædere qui priores læſiſſent: id enim ius naturale ſuadere uidetur. Eſt'ne honeſtum gloriæ cauſa mortem obire? Honeſtum uiſum eſt Codro, Curtio, Decijs, alijsq́; permultis: qui tamen gloriæ ſuæ patriæ ſalutem præferre ſe dicebant. Non eſt igitur honeſtum, ſi ſolus eſt hic finis. Sed quo pacto gloria ſine præclaris aut dictis aut facinoribus acquiretur? Videtur itaque ho

neſtum

neſtum, quoniam comitatur gloria uirtutem, propter quã pulchram petunt per uulnera mortem. Comparationis autem ſunt duo modi: unus, cum idem'ne ſit, an aliquid interſit, quæritur. hic ad definitionem referri ſolet. Quorũ enim definitiones eadẽ ſunt, illa ſunt eadem, et contra: ut ſi uelis cognoſcere, an metuere & uereri, rex & tyrannus, aſſentator & amicus differant, ſingula definienda ſunt, deinde cum proximis cõparanda. Metuere eſt, timere malum quod inſtat: ſiue ſua natura, ſiue opinione malũ eſt. Vereri, timere ne quid inepte inhoneſte'ne fiat. Rex eſt imperij princeps, qui ciuiũ utilitati, nõ ſuæ ſtudet. Tyrãnus, qui imperij potens, ſuæ tantum utilitati deditus eſt. Aſſentator, qui propter utilitatem aut uoluptatem amicitiã ementitur. Amicus, qui propter alterius uirtutem ſic beneuolentia ac familiaritate illi coniunctus eſt, ut ſit alter ipſe. Alter eſt modus comparationis, cum quid præſtet alij, quæritur: ut illud, optimi'ne cuiuſque ſapientes an populari laude ducantur? Laudari à malis, uituperari eſt. optimi cuiuſque laus eſt præſtantior. illã igitur præferunt ſapientes. Expoſitæ ſunt eæ diſceptationes, hoc eſt quæſtiones, quæ ad cognitionem contemplationemq; referuntur. Quæ uero referuntur ad agendum, et practica dicuntur, aut in officij diſceptatione uerſantur, aut in animorum aliqua permotione, aut gignenda aut ſedanda tollenda'ue tractantur: de quibus ille ſic in Partitionibus: Reſtat actionis locus, cuius alterum eſt præcipiendi genus, quod ad rationẽ officij pertinet, ut quẽ ad modum colendi ſint parentes. Alterum autem ad ſedandos animos, & oratione ſanãdos: ut in cõſolandis mœroribus, ut in iracundia cõprimenda, aut in timore tollendo, aut in cupiditate minuenda. Cui quidem generi contrariũ eſt diſſuadendi genus, ad eoſdẽ illos animi motus (quod in amplificanda oratione ſæpe faciendum eſt) uel gignendos, uel concitandos. In officij diſceptatione quid rectum faciendumq; ſit, quæritur: aut cõcitatur affectus, uel remittitur. Nam ſi bene agendi conſiliũ damus, aut agẽdum cũ uirtute dicimus, aut animũ, quò bonũ eſt, permotione inflectimus. Permotio autem ſiue animi perturbatio gignitur & concitatur, ut in cohortationibus, obiurgationibus: aut ſedatur, ut in conſolationibus. In miſerationibus autem indignatio ſedatur, miſericordia concitatur. Item ſi apud noſmetipſos agendi conſilium exquirimus, aut ſpecie recti ducimur. id prudẽter fit, fortiter, magnifice, iuſtè, piè, temperate. agendum igitur. aut animi affectu monemur: hic dolendũ eſt, iraſcendũ, ſperãdum, metuendũ. His et ſimilibus animi perturbationibus ſæpius adducitur ad agendũ hominũ uulgus, quã uirtute & honeſtate. Ex his intelligere facile eſt, cur duas actionis ſpecies uiri doctiſſimi, id eſt philoſophi conſtituãt. EXPLICATIS *igitur his generibus ac modis diſputationũ, &c.]* Quoniã *genera cauſarũ ſatis explicata ſunt ab Antonio, et hic de theſi ſermo eſt inſtitutus, cõſultationes potius quã cõtrouerſias, ut exempla demonſtrant, diuiſit in ſuas formas, ſed & totidẽ genera cõtrouerſiarũ diſtribuenda eſſe cenſet. Quòd autem Antonius de quæſtionibus generis uniuerſi multa dixit, & eas in coniecturam, definitionem, & qualitatẽ diſtribuit: ne idem fruſtra repetere uideatur, quid ab eo diſcrepet, quid ſibi cũ illo conueniat, oſtendit. Explicatis igitur his generibus ac modis, id eſt formis diſceptationum & quæſtionum omnium, ſed maxime infinitarum, nihil ſanè ad rem pertinet, nec habendum eſt ut incommodum, ſi qua in re diſcrepauit ab Antonij diuiſione Craſſi partitio. Eadem enim ſunt membra in utriuſque diſputationibus, ſed paulo ſecus ab hoc atque ab illo partita ac diſtributa. Euoluit hic quidem atque demonſtrauit ea membra, quæ ille ad alia properans reliquerat inuoluta. Si forte quæratur, unde hæc omnia quæſtionum genera confirmari debeant, nõ eſt dicendum hoc loco: ubi nõ de argumentis agitur, ſed ornatu. Breuiter hoc dicit: Ex illis locis quos expoſuit Antonius, omnia ſunt ad quæque genera quæſtionũ argumenta ſumenda. Sed (quod ante dictum eſt) alijs generibus alij loci magis erũt apti: ut Coniecturæ adiuncta, conſentanea, præcurrentia, cauſæ, teſtimonia. Generi, quo quid ſit res, quæritur: definitio, enumeratio partiũ, notatio, ſimilia, antecedentia, cõſequentia. Conſecutioni, cõiugata, genera, cõparata, auctoritates. Exercitato perſpicuũ eſt quid quiſque locus ſuggerere poſſit: quamobrem non eſt in hac parte commorandum. Nunc, inquit, ad reliqua progrediar, meq; ad meum munus penſumq; reuocabo. Munus & officiũ eius eſt, exponere ornamenta dicendi. Penſum eſt, labor ab Antonio diſtributus. Nã penſum dicitur lana uel linum in colo, quale nendo deducendum ancillæ domina diſtribuit. Reuerſus ad rem, colligit primũ cur tam multa de theſi dicta ſint in ſermone de ornatu. Id factum eſt quòd ornatiſſimæ ſunt orationes eæ, quæ latiſſime uagantur per diſceptationẽ generis uniuerſi, & à priuata ac ſingulari controuerſia, hoc eſt ab hypotheſi ad theſin explicandã ſe conferunt & conuertunt: ut ij qui audiant, natura & genere & uniuerſa re cognita, de ſingulis reis & criminibus & litibus ſtatuere poſſint: ut ſi planum factũ ſit, conſuli, cui ſenatus mãdauerat ut uideret ne quid Reſp. caperet detrimenti, ſeditioſum ciuem necare licere, abſoluant iudices Opimium reum, qui C. Gracchum coercuit. Etſi conſtet inſidiatorem iure interfici poſſe ab eo cui inſidiatur, ne ſtatuant crimen in Milone, ſi Clodiũ inſidiatorem ſuſtulit. Etſi manifeſtum ſit, cauſam repetundarum ad ſocios populi Romani pertinere, ſuæ cauſæ quem uelint oratorem deligere poſſe: iudicent cauſam Verris ad Siculos attinere, & ab iis lectum Ciceronem agere debere. Hanc ad cõſuetudinem exercitationis, quæ quæſtio infinita uerſatur, adoleſcentes quibus ætas aptior eſt ad diſcendum, eſt cohortatus, & quaſi currẽtes excitauit Antonius, atque à minutis anguſtiſq; concertationibus, quæ ſunt in certis perſonis atque temporibus, ad omnem uim uarietatemq; differendi traducendos putauit. Quamobrem non eſt opus noua exhortatione, ſed inculcandum quod ſupra dictum eſt, id nec eſſe paucorum libellorum, & ab occupantibus eſſe repetendum. Non eſt paucorum libellorum qui de arte rhetorica traduntur, hoc munus de uniuerſo genere differendi, ut ex iis qui ſcripſerunt de dicendi ratione aliqui falſo arbitrati ſunt: neq; eſt agri Tuſculani, id eſt ſermonis eius qui habitus eſt in Tuſculano ambulando ante meridiem: & eius qui nunc habetur ſedendo pomeridianis horis: non eſt igitur neque ſecundi, neque tertij libri. Non enim omnia quæ tenenda ſunt oratori, continent hi libelli: ſed tantum unde ſumenda ſunt, indicant. Quòd ſi tãtum lingua eſſet acuenda, forte latine ſcienti rhetorum præcepta ſatis eſſent: ſed nõ ſolũ acuenda bono oratori, neque procudenda, ſed onerãdum complendumq; pectus maximarũ rerũ & plurimarum ſuauitate, copia, uarietate. Acuitur lingua præceptis diſſerendi, ut cote ferrum: procuditur, aptatur, & quaſi cudendo formatur arte dicendi, quemadmodum artificio fabrili gladius aut dolabra. Dicendi uim linguæ, intelligendi pectori dedit, propterea quòd uerba format lingua, cor ſapit. De corde diſſentiũt philoſophi. alij affirmant ueteres cordis nomine animum appellaſſe, alij cor ipſum eſſe animum. alij ab animo uim intelligendi exerceri in corde, alij in cerebro. Ad poſtremorum ſententiã accedimus. Aliam Ariſtoteles & Cicero ſecuti. Onerandum complendumq; pectus eſſe maximis et plurimis rebus, ut horreũ meſſibus, confirmat his uerbis: Noſtra eſt enim, & quæ ſequũtur. Senſus eſt: Si oratoris nomine digni ſumus, & ſi in ciuium controuerſiis, ſi in periculis, ſi in deliberationibus publicis adhibendi duces, ſuaſores, principes ſumus: quia nõ poſſunt hæc bene tractari ſine prudentia atque doctrina, noſtra eſt omnis iſta intelligendi, quam uſurpant philoſophi, poſſeſſio. Illi abundantes otio, oratoribus occupatis inuolauerunt in eam quaſi caducam & uacuam, quæ neque erat uacua, neque caduca. Caduca poſſeſſio eſt ea, quæ poſteaquã excidit à uero domino, aut morte, aut alio quouis modo, incidit in eum qui minime ſperabat, ut in*

principem uel fiſcum, in agnatos, in ſecundo: heredes, in alterum legatariũ, in coheredem iure accreſcendi, in uſurpatorem. Cicero in Philip. Quem niſi caducæ hereditates in uia retardaſſent, uolaſſe eum, non iter feciſſe diceres. Poſſeſſionem quaſi caducam atque uacuam dicit rem quaſi uacantem, & poſſeſſore deſtitutam. Non fatis erat philoſophis ſi res omneis maximas oratori ſubtraherent, ſi nihil ei uel parũ doctrinæ concederent, niſi etiã irriderent eum libris ſcriptis, ut Plato, qui Socratem facit diſputantem cum Gorgia rhetore, & irridentẽ artifices orationis, quaſi ars eorum ſit adulatio ſcientiæ ciuilis. In quo cauillator Socrates, hoc eſt iocatur & irridet. Nec eo contenti fuerunt. cum infinitam propè ſibi attribuant ſcientiam, oratorem anguſtis terminis circunſcribunt, de eius arte paucis præcipiunt libellis, ut Ariſtoteles atque Theophraſtus: eoſq; rhetoricos inſcribunt, quaſi nihil aliud habeant oratores, & non illa ſint etiã propria rhetorum, quæ à philoſophis de iuſtitia, de officio, de ciuitatibus inſtituendis & regendis, de omni uiuendi, denique etiam de natura ratione dicuntur. De iuſtitia publica præcipit Plato in libro de Rep. de officio Panætius, de ciuitatibus inſtituendis et regendis Plato de legibus & de Rep. & Ariſtoteles in Politicis. De omni ratione uiuendi, idem Ariſtot. in Ethicis. De ratione naturæ, idem in Phyſicis. Hæc quoniã iam aliunde accipi nõ poſſunt, ſumenda ſunt oratoribus à philoſophis: à quibus expilati, direpti, ſpoliatiq; ſunt: nec diſcenda tractandá'ue eo modo quo ſolent illi, ſed ad ciuilem ſcientiã, cuius pars eſt rhetorice, transferenda: & eorũ fontes uidendi potius, quã omnes omni ætate riuuli conſectandi. Nam qui fontes uiderit (niſi quis autẽ celeriter cognorit, nunquã cognoſcet omnino) quotieſcunque opus erit, ex iis tantum quantũ res petet, exhauriet. Videndos philoſophiæ fontes ideo dixit, quòd nulli eſt tam acris acies, & tam acutum ingenium in naturis hominum, ut res tantæ magnitudinis ac difficultatis quiſquam, niſi monſtratas ab aliis, poſſit uidere. Non enim ab uno aliquo, ſed paulatim à pluribus inuentæ ſunt philoſophiæ partes, in quibus tanta non eſt obſcuritas, ut eas non penitus acri uir ingenio cernat, ſi modo aſpexerit in libris eorũ, qui ueterũ inuenta ac ſua perſcripſerunt. In hoc igitur tanto tamq; immenſo artium campo, ubi omnis omniũ rerum materia eſt, cũ liceat oratori libere uagari (illius enim ſunt δίκαις) atque ubicunque conſtiterit, pedemq; poſuerit, conſiſtere in ſuo, quia iure ueteri illius ſunt ſciẽtiæ omnes, facile ſuppeditat, id eſt ſuppetit et abundat omnis apparatus ornatuſq; dicendi. Vnus eſt autem in rebus, alter in uerbis. Res uariæ ſumuntur ex illo campo ſcientiarum. Rerum copia, uerborũ copiam gignit, quoniã unicuique rei ferè uerbum unum plura'ue reſpondent. Etſi eſt honeſtas in rebus ipſis de quibus dicitur, exiſtit & elucet ex rei natura quidam ſplendor in uerbis. Iam quid deerit præter conſtructionem, & uerborum compoſitionem? quam ne quis requirat à rudibus rhetoricæ profeſſoribus, facit educatio doctrinaq; puerilis, prima rudimenta atque grammatica & ſtudium, hoc eſt ſingularis amor literarum, & animi applicatio ad artes: & natura, quæ uis eſt ingenii: et exercitatio, quæ trahit in uſum diſceptationes & finitas & infinitas, & cognitio atque imitatio eloquentiſſimorum. Hæc omnia ſummo oratori neceſſaria eſſe iam dixerat Craſſus ſermone primo. HIC Catulus, dii immortales, inquit, quantam rerum uarietatem, &c.] Commoratur in eo quod maxime probatum cupit, oratoris eſſe propria, quæ ſibi ſolis attribuunt philoſophi. Catulum producit, qui multis exemplis id uerum eſſe confirmet. Principio laudat orationem Lucii Craſſi, laudemq; facit ampliorem & ornatiorem admiratione, amplificatione & allegoria. Admiratur cum ait, Dii immortales. Amplificat hic, Quantam rerum uarietatem, quantam uim, quantam copiam Craſſe cõplexus es? Tranſlationibus utitur dicens: Quantis ex anguſtiis oratorem educere auſus es, & in maiorum ſuorum regno collocare? Anguſtias dicit uel hypotheſin, uel artem rhetoricam, quæ paucis præceptis continetur: regnum uero maiorum, ſcientiarum uarietatem quibus abundabant eloquentes ante Socratem et diuortia doctrinarum. Quod probandum ſumit, explicat his uerbis: Nanque illos ueteres doctores auctoreſq; dicendi nullũ genus diſputationis à ſe alienum putaſſe accepimus, ſemperq; eſſe in omni orationis ratione uerſatos. Doctores auctoreſq; dicendi ſunt rhetores, qui docebãt ea quæ dicerentur, & principes erant in dicendo. In illis fuit Hippias Eleus ſophiſta ac philoſophus omniſcius, qui ſummum bonum dixit eſſe αὐτάρκειαν, quæ uirtus eſt eius qui contentus eſt ſuo. Eleus dicitur ad differentiã Hippiæ ducis Athenienſis. Elis eius patria, urbs eſt ac regio Peloponneſi inter Meſſenios et Achæos. Olympia oppidum non ita procul à Peneo fluuio inter Oſſam & Olympũ, ubi quinto quoque anno ludi celebres erãt Olympici tota Græcia confluente. maxima quinquennalis celebritas ludorum dicitur à M. Tullio. In ea gloriatus eſt Hippias nihil eſſe ulla in arte rerum omnium, quod ipſe neſciret: audax, qui ſibi tantum arrogarit, & cuncta penè audiente Græcia arrogarit. Non ſolum liberales artes ac ingenuas, quæ non opera manus, ſed animi contemplatione perficiuntur, ut geometriam, muſicam, literarum cognitionem, quam dicimus grammaticam, cui annexa eſt cognitio poetarum: phyſicam, de naturis rerum: ethicã, de hominũ moribus: politicam, de rebus publicis, ſcire ſeſe dixit: ſed etiã artes illiberales, quæ manu exercentur, ut fabrilem, ſutriã, ſarctoriam. Oſtendit enim annulum quem haberet, palliũ quo amictus, ſoccos quibus indutus eſſet, & ait: Hæc mihi mea manu confeci. Scilicet nimis hic quidem eſt progreſſus, qui etiam inuaſerit in ſordidas artes: attamen idoneus eſt qui adducatur in exemplum. Ex eo ipſo coniectura facilis eſt, quantum ſibi illi ipſi oratores de præclariſſimis artibus, cuiuſmodi ſunt philoſophicæ, appetierint: qui ne ſordidiores quidem repudiarint, qualis eſt ueſtiaria. Pallium ueſtis eſt Græcorum, ut toga Romanorum. Pallio utebantur etiam philoſophi. Soccus uulgare Græcorum calceamentum. Cicero pro Rabirio: Conſularis homo ſoccos habuit, et palliũ. Indutus.] Calceatus. Prodicus auctore Suida Ceus, ex inſula Ceo, phyſicus, philoſophus, et rhetoricæ profeſſor, floruit temporibus Socratis & Gorgiæ, apud Athenienſes magnæ auctoritatis. tandem poculo ſucci frigidi, ut qui corrumperet iuuentutem, ſublatus eſt. Thraſymachus Chalcedonius ex urbe Bithyniæ Chalcedone, rhetor et phyſicus: quẽ Cicero in Orat. inueniſſe numeros orationis, ſed minutos ac uerſiculorũ ſimiles dicit. Protagoras Abderites ex Abdera urbe Thraciæ, cũ Democritũ audiiſſet, ac philoſophiã naturalẽ didiciſſet, ſe uertit ad artes rhetoricas, ac primus docuit mercede, primuſq; dictus ſophiſta. Ex illo rhetoricæ profeſſores dicti ſophiſtæ, ut Prodicus, Thraſymachus, Gorgias, Iſocrates. De Leõtino Gorgia diximus ſupra. Hic in dialogo Platonis qui ab ipſo Gorgias nominatur, rhetoricã tuetur aduerſus Socratẽ, et argumentorũ ui tandem uincitur, ita ut illo defenſore ſuccubuiſſe philoſopho uideatur orator. Quod ne uituperio cedat oratoribus, excuſat Cicero: Aut, inquit, nõ eſt uictus unquã à Socrate, neque ſermo ille Platonis uerus eſt: aut ſi eſt uictus, eloquẽtior uidelicet fuit et diſertior Socrates, & ut tu appellas, copioſior & melior orator. Potuit in dialogis fingere Plato id quod nunquã uerũ fuit, quemadmodum in his libris multa Cicero fingit, quæ nunquam uera fuiſſe conſtat. Cum dicit hæc, ut tu appellas, ſignificat Socratem à Craſſo oratorem copioſum dici. Socrates, inquit, cum prudẽtia & acumine, & uenuſtate & ſubtilitate, tũ uero eloquentia, uarietate, copia, quam ſe cunque in partem dediſſet, omnium fuit facile princeps. Nos cõmentario primo uerba citauimus ex Platone, quibus Gorgias de omni re quæcunque in diſceptationem quæſtionemq; uocaretur, ſe copioſiſſime dicturum eſſe profitetur: quæ loco præſenti ſubſeruiunt. ut inde manifeſtum ſit, ueteres dicendi doctores nullum genus diſputationis à ſe alienũ

putaſſe

putaſſe. Is enim princeps, id eſt primus ex omnibus auſus eſt in hominum conuentu poſcere, qua de re quiſque uellet audire, hoc eſt petere, ut qua de re quiſque audire uellet, illam proponeret: ſe copioſe de propoſita eſſe dicturũ. Cuius ſcientiæ teſtis eſt honos illi habitus à Græcis. Huic uni ex omnibus ſtatuã non inauratã, ſed auream ſtatuerunt in loco percelebri Apollinis oraculo. Delphis, quæ urbs eſt in monte Parnaſſo, ſtatuas uiris de Rep. bene meritis erigebant Græci: ut tyrannicidis, præclaris ducibus, egregijs ciuibus: qui mos à Romanis quoque receptus eſt. Statuæ inauratæ, quibus incruſtatũ modo eſt & illitum aurũ: aureæ, quæ tota conflatæ ſunt auri metallo. Poſitis exemplis Catulus quod efficitur ex illis colligit: Quos, inquit, nominaui, multiq; præterea dicendi doctores uno tempore fuerunt, ex quibus intelligi poteſt ita ſe rem habere ut tu Craſſe dicis, oratoriſq; nomen apud antiquos in Græcia maiore quadam uel copia uel gloria floruiſſe. Multiq; præterea.] Vt Theodorus Byzantius, Iſocrates. Maiore quadam.] Maiore copia rerũ et gloria floruit apud antiquos nomen oratoris, quã apud recentiores diuiſis artiũ profeſſionibus. Tandẽ Latini oratoris amplificat laudem, Græci uero imminuit: quod ad ſuã gloriam Cicero uidetur Catulo dediſſe. Proponit hoc modo: Quo quidem magis dubito, tibi'ne plus laudis, an Græcis uituperationis eſſe tribuendũ cenſeam. Laus eſt magna feciſſe præclara in ſummis difficultatibus. Difficultates Craſſo impedimẽto fuerũt, qui in alia lingua ac moribus natus eſſet, & idcirco difficilius Græca ad exactam eruditionẽ neceſſaria intellexiſſet: qui uiueret in occupatiſſima ciuitate, in qua uix liceret otio frui literarũ: qui priuatorũ negotijs & cauſis penè omnibus intereſſet: qui in ſenatu eſſet et in orbis terræ procuratione diſtrictus, in magiſtratu ſummi imperij gubernatione occupatus. In tot difficultatibus magna fecit ille, qui tantã uim cognitionemq; rerũ cõprehenderit, quantã in ſuis dictionibus præ ſe tulit, eamq; omnem rerum copiam ſociarit atque iunxerit cum ſcientia & exercitatione oratoris, qui cõſilio & oratione in ciuitate ualere debet. Græci rhetores multi & oratores nati in literis, non in ea lingua quæ multum abhorruit à doctrina, ardentes ſtudijs literarum, non auocati moribus & ſtudijs populi duri & bellicoſi, otio diffluentes ac diſſoluti, non diſtricti negotijs in occupatiſſima ciuitate, non modo nihil acquiſierunt, ut ignaui liberi accepto à parentibus largo patrimonio, ſed ne relictum quidem & traditum & ſuum conſeruarunt, uti domini negligentes aut hebetes. Plus eſt tradere quàm relinquere, & ſuum amittere quàm alienum. Comparat autem bona relicta aut hæredibus aut legatarijs, cum ſcientia relicta ab oratoribus antiquis, quã philoſophis occupantibus recentiores negligentia amiſerunt. Hæc autem belle magis quàm uere à Cicerone dicuntur. Nec enim oratores Græci deſtituti fuerunt copia rerum: & ſi qui fuerunt, non minus laborarũt in ſua Rep. quàm Latini. Quòd ſi dicta referes ad id tempus quo Græcia amiſſo imperio ſeruijt populo Romano, nihil eſt quod accuſet eos qui excluſi à Rep. in philoſophiæ honore & tranquillitate uiuere, quàm ubi res innumerabiles propè didiciſſent, in ſubſellijs, ubi nullus eſſet honos eloquentiæ, conteri maluerunt, cum grauiter queratur ipſe quòd occupato ab Iulio Cæſare imperio, ſuæ artes forenſes exciderint. TVM Craſſus, Non in hac, inquit, una Catule re, &c.] Perſequitur alia exempla Craſſus, quibus confirmat artes olim coniunctas fuiſſe, quæ nũc diſgregatæ ſunt ac ſeparatæ. Non in hac una arte dicendi, ſed in alijs compluribus diuiſione partium & ſegregatione, haud ſecus atque ſi fluuius abundantiſſimus diſtrahatur in riuulos multos, aut fundus longe lateq; patens diuidatur in multas partes, magnitudines artium, id eſt magnæ artes, ſunt diminutæ. Ars medendi, quæ tempore Hippocratis cõiuncta fuerat, tres in partes poſtea ſecta eſt: ut alij eſſent qui oculis tantum mederentur, de quibus non ſemel mentionem facit Galenus: alij qui uulneribus, alij qui morbis. Illos chirurgos, hos medicos appellamus. Sunt & hodie quibus una cura ſit oculorum, ſed & hanc medicinæ partem profitentur ij qui morbos reliquos curant. Hippocrates ex inſula maris Aegei cuius nomen eſt Cos, tanto in honore fuit, ut illum ueteres pro numine coluerint, & hodie medicorum deus à pleriſque dicatur. Diuina ſunt illius ſcripta, quæ fuſioribus uerbis interpres eius Galenus expanit. Ille medebatur oculis, idem ſanabat morbos, idem curabat uulnera, idem parabat medicamenta, quo nũc officio Pharmacopola fungitur. Eadem omnia & Galenus & Paulus Aegineta et alij tempeſtatis eius celebres medici fecerũt. Indicant & eorum monumenta, quæ nullam medicinæ partem intactam prætereunt. Euclides opere de geometria relicto notus eſt, in quo non modo deſcribit atque demonſtrat ea quæ pertinent ad unam aut alteram artis eius partem, ſed omnem & magnitudinis & multitudinis quantitatem complectitur. Poſtea geometria paſſa eſt diuiſionem: alijq; fuerunt qui tantum in terræ dimenſione uerſarentur, alij in menſuris ædificiorum & machinarum, alij in modo multitudinis, alij in orbium ſuperiorum comprehenſione, & inſtrumentorũ deſcriptione. Geometriæ ſcientiſſimus fuit Syracuſanus Archimedes, qui Syracuſas oppugnanti Marcello cum diu machinarum artificio obſtitiſſet, & urbe capta irruptione prima cæſus eſſet, Marcello qui uirum induſtria & arte inſignem ſaluum eſſe cupiebat, dolorem attulit. Plinius libro ſeptimo: Grande & Archimedi geometricæ ac machinalis ſcientiæ teſtimonium M. Marcelli contigit, interdicto cum Syracuſæ caperentur, ne uiolaretur unus, niſi fefelliſſet imperium militaris imprudentia. Non præterijt illum Plutarchus in uitam Marcelli. Cicero in Tuſculanis gloriatur ſe Syracuſanis oſtendiſſe obſitum uepribus uiri ſepulchrũ, in quo ſphæra eſſet cum cylindro, quæ rei indicat illum ad cœlum uſque geometriam extuliſſe. Damonem muſicũ fuiſſe Plato ſcribit in Axiocho, rhythmos ſiue numeros inueniſſe dicit idẽ tertio libro de Republica, Idem in Lachete, quod ad rem præſentem facit, refert eum Agathoclis diſcipulum fuiſſe, & non ſolum in arte muſica, ſed in alijs quoque rebus omnibus iucundiſſimum. Verba tranſcripſi. καὶ γὰρ αὐτῷ μοι ἔναγχος ἄνδρα προὐξένησε τῷ υἱεῖ διδάσκαλον μουσικῆς, Ἀγαθοκλέους μαθητὴν Δάμωνα ἀνδρῶν χαριέστατον οὐ μόνον τὴν μουσικὴν, ἀλλὰ καὶ τἆλλα ὁπόσου βούλει ἄξιον συνδιατρίβειν τηλικούτοις νεανίσκοις. Ariſtoxenus Tarentinus auditor patris ſui muſici, et Xenophili Pythagorei, & Ariſtotelis philoſophi, non modo de philoſophia atque de muſica libros reliquit, ſed etiam homo nullius propè diſciplinæ rudis hiſtoriam ſcripſit. Poſt tempora Damonis & Ariſtoxeni muſica diſtracta eſt in uarias partes, & proſeminatæ ſunt totidem ferè ſpecies muſicorum, quot ſunt modulationẽ formæ & inſtrumentorum. Quiſque pro ſua infirmitate particulam ſumit & ea contentus reliquas omittit. Ariſtophanes Byzantius diſcipulus Callimachi et Zenodoti et Dionyſij cuiuſdã, adeo profecit in literis, id eſt, in arte grammatica, quæ nomen habet à literis, ut nihil artis eius ignoraret. Alter fuit hoc nomine comicus, de quo non fit hic mentio. Callimachus Cyrenæus grãmaticus, diſcipulus Hermocratis, eò prouectus eſt diligentiæ atque diſciplinæ, ut in omni genere carminis poemata cõfecerit: in quibus contra Apolloniũ, eum qui ſcripſit Argonautica, fecit Ibim, quod poema imitatus eſt Ouidius. Extant & hodie illius quidã non paruæ exiſtimationis hymni. Venere poſtea grãmatici, qui tantum rudimenta loquendi traderent, alij qui linguæ terſioris præcepta quædam, alij qui interpretarentur poetas, alij qui conderent uerſiculos, alij qui explicarent hiſtorias. Ita diuulſa eſt grammatica: quæ ſi perfecta eſt, illa omnia complectitur. Poſteaquam de multiplici ſcientia Græcorum locutus eſt, etſi Romani pares in hoc genere non ſunt, ad hos tamen ut multis artibus inſtitutos exercitatoſq; uerba conuertit. Quos uidit ipſe, de his eſt teſtis oculatus. Qui proximo ſæculo floruerunt,

illorum ſapientiæ teſtimonio patris ſui Craſſi & ſoceri Q. Mutij Sceuolæ fidem facit. Nec dicit omnes qui literis operam dediſſent, ſed eos qui excellere ſapientiæ gloria uellent, uarietate doctrinarum præſtitiſſe: nec hos quidem omnia cognoſſe, ſed ea omnia quæ tum ciuitas noſſet, ſolitos eſſe complecti. Rudior autem erat tum ciuitas, nec ſatis Græcorum diſciplinis inſtituta, cũ in iure ciuili floruit (utar uerbis Ennianis) egregie cordatus homo catus Aelius Sextus, de quo nonnulla diximus Commentario primo. Diximus & de Marco Manilio qui ius ciuile fundauit, & de ea re tres libros poſteris reliquit. Hic Manilium, non Manlium legendum eſſe duco: nec dubitabit qui legerit librum primum, ubi ſic Antonius: Sin autem quæreretur, quis iuriſconſultus uere nominaretur, eum dicerem, qui legum & conſuetudinis eius qua priuati in ciuitate uterentur, & ad reſpondendum & ad agendum & ad cauendum peritus eſſet: & ex eo genere Sextum Aelium, M. Manilium, P. Mutium nominarem. Hic Manilius tranſuerſo foro, hoc eſt à latere fori ad alterum latus more iuriſconſultorum temporis illius ambulabat. Eiuſmodi enim ambulatio ſignum erat, eum qui id faceret, facere ciuibus omnibus conſilij ſui copiam. Ad eum itaque et ad alios ita ambulantes, & in ſolio, id eſt, in ſella domi ſedentes, adibant ij quibus opus erat conſilio, non ſolum ut ad eos iuriſperitos de iure ciuili atque de controuerſijs referrent, ſed etiã ut eoſdem prudentes uiros bonoſq; patresfamilias conſulerent: cui uiro? quando? quo pacto? quo genere nuptiarum potiſſimum filiam collocarent? an emerent fundum? quo uenditore? quãto pretio? quo loco? qua conditione? quibus rebus ferendis? quomodo agrũ colerent? quoties illũ in annũ ſubigerent? quod et quã tum illi ſemen, et quando mandarent? quod eſſet ſuũ officium? quæ ratio uiuendi? qui maxime in hac et in illa re tenendi ſeruandiq; mores? qui commode negotium aut urgens aut propoſitum curare oporteret? De quibus omnibus homo prudens et œconomiæ peritus citra iuris ciuilis prudentiam commode reſpondere poteſt. Fuerunt & alij, qui non modo iure ciuili & prudentia rei familiaris adminiſtrandæ, ſed etiam iure pontificio & ſcientia Reipub. præcelluerunt: ille P. Craſſus de quo diximus in proœmium tertij libri, et T. Coruncanus, cuius paulo antea meminimus, & Scipio Aphricanus proauus illius Scipionis qui Lucij Craſſi filiam duxit uxorem, de quo ſumus locuti principio huiuſce tertij Commentarij. Hi omnes Pontifices maximi fuerunt: & quoniam etiam ſapientes habebantur, & ſapientia eſt rerum diuinarum & humanarum ſcientia, ad eos de omnibus diuinis & humanis rebus referebatur. Cumq; cauſæ ciuitatis et ſingulorũ agitarentur uel in ſenatu, uel in cõcionibus, uel in foro, & hi nihil ignorarent eorum quæ ad diſceptationes pertinerent, uerſabantur & in conſilijs ſenatus, et in ijs quæ deferebantur ad populum, & in cauſis amicorum: nec ſolũ tractabant cõſilia domi, quæ ſi deſunt, fruſtra ſunt arma foris, ſed etiam militiæ conſilium ſuum fidemq; præſtabant, hoc eſt in rebus bellicis bona fide conſilia Reip. utilia dabant. Quibus adde M. Catonem cenſorium, cui nihil defuiſſe uidetur præter illã politiſſimam doctrinam tranſmarinam atque aduentitiam, id eſt peregrinam Græcorum diſciplinam, quæ poſtea copioſius tranſuecta eſt in Italiam: quanquam & græcæ linguæ, quã ut memorat Plinius libro ſeptimo, grauiter oderat, ſtudioſus fuit in ſenectute. Hic ius ciuile didicerat, cauſas actitabat, Remp. ſuo tempore capeſſebat. hoc nemo apud populum fortior, nemo melior ſenator, idem facile optimus imperator, idẽ ſcriptor egregius, qui memoriæ literarum mandauit origines urbium Italicarum: qui multas orationes, & de agricultura librum perutilem poſteris reliquit. Proauus eſt, tertius à patre in aſcendẽte linea recta.

Ad eos referretur.] Illorũ ſententia rogaretur. Domi & militiæ.] In urbe & in expeditione, tempore pacis & belli. Conſilium fidemq;.] Conſiliũ eſt, decernentis quid faciendum dicendum' ue putet: fides autem, conſtantis in dictis & in factis. Hanc.] Demonſtrat elegantiam Græcorum, quæ tum Romæ conualeſcebat. quam dicit tranſmarinam, quia inter Græcos & Italos interiectum eſt mare ionium: & aduentitiam, quia aliunde ueniret ad Romanos. Præſtitit.] Præcelluit. Collectam gratiam.] Gratioſus erat Cato, multiſq; mortalibus acceptus, quod ſuis conſilijs res priuatorum dirigeret. Nemo melior ſenator.] Plinius memorat Catonem fuiſſe optimum oratorem, optimum imperatorem, optimum ſenatorem. Huius erant diſſimillimi qui Rempub. capeſſebant temporibus Craſſi atque Ciceronis. Nunc contra, inquit, plerique ad honores, id eſt, magiſtratus adipiſcendos, & ad Rempub. gerendam, hoc eſt adminiſtrandam, nudi ueniũt atque inermes. Quod ſi quæras cur dicat eos nudos atque inermes, rationem affert hanc. Nulla ſunt cognitione rerum, nulla ſcientia ornati. Magnum erat, ſi quis eorum haberet particulã ampliſſimi uiri. Alius afferebat uirtutem bellicam, aut uſum aliquem militarem: alius iuris ſcientiam, aut certe iuris alterã partem: alius eloquentiam, rectius dixerim contentioſam uerborum loquacitatem. Pauci admodum cumulati erant omnibus ornamentis, quæ tanti imperij moderatoribus ſunt habenda. Plerique.] Non dicit omnes, quia Romæ fuere ſemper uiri multis artibus ac uirtutibus ornati, qui honores magiſtratuſq; petierunt. Nudi atque inermes.] Nudi, qui ornamentis & quaſi ueſtitu animi carebant. Inermes, qui nõ habebant quo tuerentur honorem adeptũ. Effert ſe.] Superbe ſe ſublimem agit. Obſoleuerunt.] Neſcias an Cicero loquatur de tempore Craſſi paulo ante Syllana bella, an uero de eo quo ſcripſit hæc paucis annis ante Cæſarianam monarchiam. Vtroque certe bellica uirtus & uſus militaris obſoleuerunt, id eſt, deſueuerunt, & à more ueterum receſſerunt. Pontificium.]. Ius pontificiũ eſt, quod pontifices ediderunt de ſacrificijs rebuſq; diuinis. Virtutum ipſarum ſocietatem.] Significat artes non ſecus ac uirtutes eſſe coniunctas. Mutuis auxilijs iuuant ſe atque perficiunt uirtutes, eodem modo & artes quaſi ſororis ac Iouis omnes filiæ. Hanc cognationem ſocietatemq; non norũt, qui unam modo laudant ſcientiam, quiq; ſatis eſſe putant ad bene beateq; uiuendum, ſi una aliqua uirtute præcellant.

SED ut ad Græcos referam orationem, quibus carere in hoc, &c.] Cum agitur de uarietate doctrinarum, plura et aptiora ſunt exempla græci nominis quàm latini: quæ cauſa eſt huic, ut à Romanis ad Græcos ſuam referat orationem. Græcis, inquit, carere in hoc quidem ſermonis genere non poſſumus. Sermo habetur de antiquorum eruditione, qui ſinguli in omni genere diſciplinæ uerſabantur. Græcis igitur qui omnium ferè artium inuentores & exornatores fuerunt, doctrinam: Romanis, qui uirtute bellica & adminiſtrandæ Reip. prudentia præſtitere, uirtutem attribuit. Vt uirtutis, inquit, à noſtris, ſic doctrinæ ſunt ab illis exempla repetenda. Maxima ſunt res geſtæ ueterum Græcorum, ſupprimit tamen, infeſtus ei genti: cui ne plena ſit laus, eum unam gloriam attribuit, alteram multo maiorẽ detrahit. Septem fuiſſe dicuntur uno tempore, qui ſapientes & haberentur, & uocarentur. Dicti ſunt enim σοφοὶ nomine ſapientiæ: & quanquam ſapientes non erant, ut ſapientiam definiunt Stoici: quia tamen uirtute, conſilio, prudentia, doctrinaq; præſtabant, tales eſſe putabantur. Diogenes Laertius: σοφοὶ δ᾽ ἐνομίζοντο οἵδε, Θαλῆς, Σόλων, Περίανδρος, Κλεόβουλος, Χίλων, Βίας, Πιττακός. Sapientes habebantur Thales, Solon, Periander, Cleobulus, Chilon, Bias, Pittacus. Idem ex ordine horum genus, doctrinam, amicos, apophthegmata, opera narrat: quæ tranſcribere in hunc commentariũ nihil eſt neceſſe. Hi omnes præter Thalem, ciuitatibus ſuis præfuerunt. Solon Athenienſibus, Periander Corinthijs, Cleobulus Lyndijs, Chilon Lacedæmonijs, Bias Prienenſibus, Pittacus Mitylenæis. Thales etſi

philoſophorum

philoſophorum primus fuit, nõ tamen præfuit ſuis Mileſijs. Sunt autem Mileſij in Aſia, quorũ urbs eſt Miletus Ioniæ caput. Piſiſtratus Athenienſis qui pro ciue factus eſt tyrannus, non fuit ciuibus ſuis utilis, ſed ita doctrina atque eloquentia floruit, ut temporibus eius cum ſeptem ſapientes haberentur, nemo doctior, et literis inſtructior, nemo eloquentia uirtute maior eſſet. Quanta fuerit in illo dicendi uis & facultas, ex eo conijci poteſt, quòd Athenienſes libertate pro qua magnopere laboraſſent, lingua magis quàm armis exuerit, & Solonem uirum ſanctitate & ſcientia inſignem, gratia atque poteſtate ſuperauerit. Is bibliothecam primus Athenis publicauit, primus Homeri libros cõfuſos atque permixtos ſic diſpoſuiſſe & in ordinem redegiſſe dicitur, ut nunc habemus. Non interponit ſuam ſententiam Cicero, forte quòd id ſit controuerſum apud antiquos. Nam Plato in Hipparcho Piſiſtrati filium Hipparchum id feciſſe dicit: οὐ μέντ᾽ ἂν καλῶς ποιοίην, οὐ πειθόμενος πεισιστράτου υἱῷ τοῦ φιλαΐδου ἱππάρχῳ, ὃς τῶν πεισιστράτου παίδων ἦν πρεσβύτατος καὶ σοφώτατος, ὃς ἄλλα τε πολλὰ καὶ καλὰ ἔργα σοφίας ἀπεδείξατο, καὶ τὰ ὁμήρου πρῶτος ἐκόμισεν εἰς τὴν γῆν ταυτηνί, καὶ ἠνάγκασε τοὺς ῥαψῳδοὺς παναθηναίοις, ἐξ ὑπολήψεως ἐφεξῆς αὐτὰ διϊέναι, ὥσπερ νῦν ἔτι οἵδε ποιοῦσι. Equidem non pulchre facerẽ, ſi Piſiſtrati filio Hipparcho non crederem, qui liberorũ Piſiſtrati maximus natu atque ſapientiſſimus, alia multa ac præclara ſapientiæ ſecreta demonſtrauit, & primus in hanc terrã Homeri uerſus intulit, impulitq; actores carminũ ut illos in ludorũ Panathenaicorum celebritate ſicut digerendos eſſe ducerent, ita ordine recitarent. Sunt qui putãt ex eo rhapſodias appellari, hoc eſt, ordinationes contextusq; carminũ: quanquã rhapſodiã partem poematis nonnulli interpretantur. De Pericle nonnulla diximus Commentario primo. Illum copioſum in dicendo fuiſſe Cicero ex eo ducit argumentum, quòd cum loqueretur pro ſalute patriæ contra Athenienſium uoluntatem, & ſeuerius idipſum faceret: id quod ille contra populares & homines gratiam multitudinis ambitioſe captantes diceret, populare, hoc eſt, populo gratũ uideretur atque iucundum. Non enim oratoris eſt humilis & ieiuniſſe oratione populum delenire, ut cuius uoluntati reſiſtas, illi popularis ſis atque iucundus. Fuit autem aliquando popularis, ut ſibi uires aduerſus Cimonis & nobiliũ factionem compararet. At ſeditione extincta, ciuitate pacata, collectis undique uiribus, ubi ſe ſuaq; in tuto eſſe uidit, tum pro ſalute Reipu. diſſolutam atque mollem populi uitam, & quidquid erat in ciuitate nimiũ populare, correxit. Auctor eſt Plutarchus. Et amplius: Oſtendit, inquit, ueriſſimum eſſe illud Platonis, oratoriã uim animis hominum imperare, eosq; ad quoſcunque uelit motus impellere, et eius opus permaximum in morum & perturbationũ cognitione conſiſtere. Quòd autem omnia ſunt obtrectationis & inuidiæ plena, paſſus eſt uir conſilio, eloquentia, uirtute ſummus, inuidiam atque maledicta multorũ, in quibus fuerunt comici poetæ, nimiatum ſcribendi abuſi licentia. His enim licebat, ut ait Horatius in Sermonibus: adulteros, fures, auaros, aut alioqui improbos nominatim carmine lacerare: Quam licentiã cum proijcerent longius, et innocentes etiã atque præclaros ciues ignominia notarẽt, lata lex eſt Athenis, ne quis ultra ea mordacitate ciuiũ nomina uellicaret. Tum ceſſauit comœdia uetus, in cuius locum ſatyrã induxerunt Latini. Noua comœdia argumento ficto prodijt, quæ mores hominum imitatur, nullius famam bonam obſcurat. Non ita Pericli pepercerunt ueteres comœdiæ ſcriptores. Nam Cratinus, & Teleclides, et Eupolis penè genuinum fregerunt in illo, quorum maledicta quædam refert Plutarchus: ex quis Eupolis laudem uituperio miſcens, in labris eius πειθὼ, quam uocat Ennius ſuadam, ſediſſe, & leporem habitaſſe dixit, tantamq; in eo uim fuiſſe, ut in eorum mentibus qui audiſſent, quaſi aculeos quoſdam relinqueret. Aculei per tranſlationem dicuntur affectus, qui non aliter animũ penetrant oratione coniecti, atque animalis partem aculeus infixus apis, ac relictus. Quid Pericles acceperit ab Anaxagora Phyſico Clazomenio (Clazomene oppidum eſt Aſiæ) Plato ſcribit in Phædro: illum oratorem fuiſſe omnium perfectiſſimum, quòd inciderit in Anaxagorã, à quo didicerit rerum ſublimium ſcientiam, & in naturam mentis & dementiæ, de quibus frequenter loquebatur Anaxagoras, penetrauerit: indeq; traxerit in orationes ſuas id quod utile eſſe uidebatur. Periclem obiter cum declamatoribus, Anaxagoram cum declamandi magiſtris comparat, ad eorum cõfirmationem quæ dicebat antea de fugiendis ineptis rhetoribus, & de ſcientia rerum maximarum capeſſenda. Qui declamationem tantummodo nouerunt, illos latrare potius quàm orare: qui philoſophiam rhetoricæ iunxit, cum doctrina, conſilio, eloquentia excellere confirmat. Hunc, inquit, non declamator aliquis ad clepſydram latrare docuerat, ſed ut accepimus (accepit à Platone) Clazomenius ille Anaxagoras uir ſummus in maximarum rerum ſcientia. Maximas res dicit eas quæ philoſophia naturali continentur. Clepſydra autem horologium eſt aquarium, cuius inuentor Scipio Naſica traditur. Vitreum uas aquam guttatim liquat ac deijcit: cuius defluxus & imminutio, quantum exierit temporis, monſtrat. Dicitur à uerbo κλέπτω, quod furari ſignificat: & ὕδωρ, quod eſt aqua. Moris erat ijs qui præcepta dicendi, declamandiq; ratiõe docebant, tot diſcipulis clepſydras apponere, quot horas eos declamare uellent. Dicebant et ad clepſydram oratores in foro. Plinius in epiſtolis: Dixeram horis penè quinque, nam tribus clepſydris quas ſpacioſiſſime acceperã, ſunt additæ quatuor. De Alcibiade et Critia locuti ſumus Commentario ſecundo. Hi quidem fuerunt ciuitatibus ſuis non boni, quia tyranni, ſed certe docti atque eloquentes, & Socraticis diſputationibus eruditi. Alcibiades Athenienſis, Spartanus Critias.

QVIS Dionem Syracuſium doctrinis omnibus expoliuit? & cætera.] Dion Syracuſius philoſophus Platonicus, frater Ariſtomachæ uxoris Siculi tyranni Dionyſij prioris: cuius filiũ Dionyſium cum ſuaſu Platonis adiuuante Speuſippo regno expuliſſet patriamq; in libertatẽ uindicaſſet, non ita multo poſt ab ijs qui cum ipſo in tyrannũ conſpirauerant, dolo interfectus eſt. Quis Dionem Syracuſium doctrinis omnibus expoliuit? non aliquis rhetor diſciplinarum rudis & expers, ſed Plato diuinus ſapientiæ antiſtes, qui non linguam ſolum eloquentia, uerum etiã animum ſapientia, fortitudine & uirtute excolebat. Conon imperator Athenienſis fuit, qui uictus à Lacedæmoniorum duce Lyſandro, libertatem ſuorum amiſit: deinde uictor eiuſdem, patriam in priſtinam libertatem reſtituit. Cuius filius Tymotheus Iſocratis auditor imperio militari ſic excelluit, ut pictores Fortunam iuxta illius imaginem pingerent, quæ retibus urbes incluſas ab eo oppugnandas tenebant. Sed & doctrinã huic gloriæ adiecit. Cicero primo libro de Officijs: Quod idẽ fecit Thimotheus Cononis filius, qui cum belli laude non inferior fuiſſet quàm pater, ad eam laudem doctrinæ & ingenij gloriã adiecit. Vt autem Socrates inſtituit Thimotheum, ſic & Lyſias orator gracilis quidem, ſed homo doctus & diſertus Thebanum Epaminundam, quo duce Lacedæmoniorum uires attritæ ſunt, edocuit. Parum abeſt quin hunc Cicero ſummum uirum unũ omnis Græciæ fuiſſe pronunciet. Etenim ſcientijs atque uirtutibus excultus erat: uirtute bellica nemini cedebat: patriæ, non ſibi imperium quærebat. Non illum ambitio, non auaritia, non munera, nõ improba cupiditas auertebat à recto. Lancea tranſfixus in prælio, non abiecit animũ: ſed ubi reportatus in caſtra ſemianimis audijt uiciſſe Thebanos, & clypeum ſuũ non ueniſſe in hoſtiũ manũ: bene res habet, inquit, atque ueluti gratulabundus expirauit. Xenophon Athenienſis philoſophus Socraticus, qui primus philoſophorum ſcripſit hiſtoriã, et apis & muſa Attica dictus eſt, propter illã ſermonis dulcedinem, quã & hodie in libris eius ſentimus. erudiuit Ageſilaum generoſum et illuſtrem

uirũ, qui rex Lacedæmonijs præfuit, & res maximas geſſit, quæ copioſe narrantur à Plutarcho. Archytas Tarentinus philoſophus Pythagoricus, imperio doctrinaq; præclarus, præter alios celebres diſcipulos quos edocuit multos, habuit Philolaũ Crotoniatam uirum maximæ auctoritatis apud ſuos: qui ſtudio philoſophiæ prouectus, primus ex Pythagoricis naturalia edidit, unde multa Plato traduxiſſe in Timæũ dicitur. Pythagoras Samius in finibus Italiæ Siciliam uerſus, citra Metapontũ & Heracleã, ubi quondam ſedes habuere Græci, & loco nomen Græciæ magnæ dederunt, iuuenes philoſophiam docebat eam, quæ artiũ multarum coniunctione locuples erat & copioſa. Contendit itaque Cicero, Dionem, Thymotheum, Epaminundam, Ageſilaũ, Philolaum, Pythagoraos, tametſi nõ eodem uſi ſunt magiſtro, fuiſſe tamen omnes iiſdem artibus inſtitutos: quoniã etſi in quibuſdã rebus præceptorum uariabãt opiniones, nulli tamen ſacrũ quaſi Muſarũ conſortiũ ſegregabant. Sic enim uideo, inquit, unã quandam omniũ rerũ quæ eſſent homine erudito dignæ, atque eo qui in Rep. uellet excellere, fuiſſe doctrinam. In quo duobus modis peccarunt recentiores, qui natura cõiuncta ſeparauerunt, et multa indigna eo qui in Rep. uellet excellere, tradiderunt: unde factum eſt, ut ex illo pauci aut certe nulli ad eloquentiã peruenerint. Veterem doctrinam qui acceperant, nec erat difficile accipere, ſi iidem ingenio, hoc eſt, natura, quæ dat latera, uires, uocẽ, membrorũ conformationem, ad pronunciandum ualuiſſent, & ſe ad diſcendũ quoque non repugnante natura & quaſi inuita Minerua dediſſent, eloquentia præſtabant. Hic tria ponuntur neceſſaria eloquenti: fecunda uis animi ad recipiendã diſciplinã: doctrina omniũ rerũ quæ dignæ ſunt eo qui in Rep. cupit excellere: ingeniũ atque natura prædita iis rebus quæ ad uenuſte pronunciandũ ualent. Itaque ipſe Ariſtoteles.] A' ueterum more diſceſſerant Iſocrates & Ariſtoteles. Tradebat hic agendi præcepta, nõ eloquendi. Ille contra, ſermonis elegantiã, non rerum cognitionem proſequebatur. Quod animaduertens Ariſtoteles, ſapientiæ rem inſtituit, & Iſocrate in eodem inſtituto manente, rerũ cognitionẽ cũ orationis exercitatione cõiunxit. Itaque à Philippo Macedonũ rege dignus eſt habitus, qui filiũ Alexandrum magnæ ſpei puerum edoceret. Ita numerũ auxit illorum, qui uiros illuſtres doctrina ſcientiaq; formauerunt. Cum floreret Iſocratem nobilitate diſcipulorum uideret.] Ad Socratem optimũ præceptorem nobilis Græciæ iuuentus cõfluebat: nec immerito. Nam ex eius ſchola præſtantiſſimi in omni ſtudiorum genere diſcipuli, tanquam ex equo Troiano multi principes exierunt. Eum laudat Plato, eum Cicero multis in locis grauiſſime, & paulo ante nomen eius celebrauit inter eos qui omni doctrinæ genere diſcipulos inſtruxiſſent. Quam igitur dicit inanem ſermonis elegantiam? Non improbat doctrinam uiri, ſed inſtitutum: qui pluribus de ſermonis elegantia, & cõpoſitione orationis, quàm de cauſis forenſibus & ciuilibus, atque de rerũ cognitione diſputare, & in ſcholis quàm in publico eſſe maluerit.

Mutauit repente.] Philoſophiam ſine ornatus elegantia utriſque horis & antemeridianis & pomeridianis Ariſtoteles explicabat. Cum uidit autẽ frequentiore & nobiliore auditorio celebrari Iſocratẽ, inuidia motus mutauit formã diſciplinæ ſuæ, et pomeridianis ſcholis præcipere artem oratoriã cœpit, uerſumq; quendam de Philocteta, id eſt de tragœdia græca cui à Philocteta Herculis ſocio nomen eſt, paulo ſecus dixit, atque ſcriptus eſſet à tragico poeta, cum ſcripſiſſet hoc modo:

αἰσχρὸν σιωπᾶν, καὶ βαρβάρους ἐᾶν λέγειν.

Tacere turpe, & barbaros dicere pati:

inuertet hoc modo Ariſtoteles:

αἰσχρὸν σιωπᾶν μὲν, καὶ Ἰσοκράτην ἐᾶν λέγειν.

Tacere turpe, & Iſocratem dicere pati.

Itaque armauit, hoc eſt muniuit locis enthymematis, grauibus ſententijs: & illuſtrauit, hoc eſt tum quotidiana interpretatione, tum libris ſcriptis illuſtrem reddidit doctrinam omnem illam, artemq; dicendi, rerumq; cognitionem qua plurimũ ualebat, cum orationis exercitatione coniunxit. Neque uero hoc latuit ſapientiſſimũ regem Macedoniæ Philippum, qui hunc Alexando filio doctorem acciuerit, à quo eodem ut à Phœnice Achilles, ſic ille et agendi acciperet præcepta & eloquendi. Extat epiſtola Philippi ad Ariſtotelem, quam Gellius libro nono, cap. tertio reddit uerbis latinis hoc modo: Filium mihi genitum ſcito, quod equidem dijs habeo gratiam, non proinde quia natus eſt, quã pro eo quòd eum naſci contigit temporibus uitæ tuæ. Spero enim fore ut eductus eruditusq; abs te, dignus exiſtat & nobis, & rerum iſtarũ ſucceſſione. NVNC ſiue qui uolet eũ philoſophũ qui copiã nobis rerum, &c.] Quæri poteſt, ille qui rerum cognitionem cum orationis elegantia coniunxit, ut Cicero, ſit' ne dicendus philoſophus, an orator? Præterea an unum ſine altero ſuapte natura ſit laudabile? et hoc item, Vtra res optanda magis, rerum' ne ſcientia ſine facultate dicendi, an explicandi uis ſine ſapientia? Decidit has quæſtiones, quæ frequenter agitabãtur inter philoſophos & oratores. Si quis eſt philoſophus, ut Ariſtoteles, qui copiam rerum, & orationis, id eſt elocutionis oratoriæ tradat: eum qui uelit, appellet oratorem licet. Contra, Si quis orator eloquentiam ſapientiæ coniunxit, ut Pericles, is philoſophus appellari iure poteſt. Nam ſi quis habet utrumque, quid eum utroque aut altero nomine dici uetat? De altera quæſtione hæc eius ſententia: Conſtat neque infantiam, id eſt, eloquendi imperitiam eius qui rem norit, ſed eam explicare dicendo non queat: neque inſcitiam illius cui res ſint rerum cognitio nõ ſuppetit, uerba non deſunt, eſſe laudandam. Laudatur quidem alterum ſine altero, ſed neque perfecta laus eſt, neque iuſta in eo qui uerſatur in ciuilibus cauſis. De tertia ſic pronunciat: Si alterum ſit optandum, malim equidem indiſertam prudentiam, quàm ſtultitiam loquacem. Indiſerta prudentia eſt, cognitio rerum ſine ulla facultate dicendi. Stultitia loquax, profuſio uerborum ſine ulla dignitate ſententiarum. Cum ſapientia atque eloquentia concurrunt, fit unũ quiddã excellentiſſimum. Itaque ex omnibus iis qui cultum animi cepere, docto oratori, id eſt, eloquenti & ſapienti, palma primaq; dignitas danda eſt: quem ſi philoſophi qui uocantur, patiantur eundem eſſe philoſophũ, ſublata cõtrouerſia eſt. Hoc enim petit abſolutus orator, ut etiã philoſophus habeatur. Sin ij philoſophi diſiungent ſapientem et eloquentem, ut omnes ferè diſiungunt: hoc erunt inferiores, quòd in oratore perfecto ineſt illorum omnis ſcientia, in philoſophorũ autem cognitione non continuo ineſt eloquentia. At, inquiunt, hoc eloquendi et ornandi lenociniũ contemnimus, Improbe quidem. Aliquem enim cumulum, hoc eſt incrementũ & acceſſionem ſapientiæ affert eloquentia: & bonum additum bono, reddit illud melius. Hactenus Cicero in perſona Craſſi de rebus & earum ornatu diſſeruit. Antequã ad ornatũ uerborũ tranſeat, colligit in ſummam quæ ſingulatim percenſuit, ut ſciant lectores de qua re & qua de cauſa diſputatum ſit, et quæ ex ordine ſequãtur, uel; loco peragrato paulum in hoc leniore ſermone animi conquieſcant. In re non ita graui iuuenes facit loquentes, ex quibus Cotta diligens & bonus auditor, ſermonis habiti partes repetit: Cæſar facetus iocatur, Sulpitius ardens reliqua poſcit.

Conticuit.] Silentium inducitur, quia ſuſceptæ diſputationi de rerũ ornatu modus eſt impoſitus. Non poſſum queri.] Non eſt quod is queratur, qui cum unum bonum petiſſet, duo liberaliter accepit. Aliud quiddam.] Cum ſuſcepiſſet explicationem orationis, ſiue oratoriæ elocutionis, aliud quiddam de ſapientia & eloquentia quod à re propoſita non abhorret, quandoquidem in eo maximus & optimus eſt ornatus, diſputauit. Quod obijcit Cotta, facit ut quorſum tendat illa tam alte repetita diſputatio, cognoſcamus. certe ea de re diſputauit, ut impelleret iuuenes ad ſtudium philoſophiæ, & pro

uiribus exornaret hanc artem. Denunciatum.] Non dixit mandatũ, quod eſt imperantis, aut quaſi imperantis: ſed denunciatum, quod eſt uerbo ſignificantis ſuam uoluntatem. Hæ partes fuerunt tuæ.] In repetendo primum ponit finem totius orationis. Hæ partes fuerunt tuæ, de illuſtranda oratione ut diceres, deinde quot in partes uirtutes orationis ſint diſtributæ. In quatuor partes omnem orationis laudem deſcripſeras: Poſtea, ut dictum ſit de ſermone latino & dilucido. De duabus primis, nobis quidem ſatis: ſed ut ipſe dicebas, celeriter exigueq; dixiſti. Ne uitio daretur, quod dicturus erat, exigue dictum eſſe, præpoſuit hæc uerba, nobis quidem ſatis. Præterea quid reliqui eſſet, duas tibi reliquas feceras, quemadmodum primum ornate, deinde etiam apte diceremus: tandem ut alio inclinata ſit oratio, quo omnem rerum ſcientiam complecteretur. Quidam æſtus.] Translatio eſt ab æſtu fluctuq; maris, qui naues procul à terra abripit, atque in altum mare à conſpectu omniũ abſtrahit. Non tu quidem eam nobis tradidiſti.] Sæpe dictum eſt, ſcientiam rerum magnarum libellis rhetoricis non contineri, ſed in illis breuiter notari quid oratori tenendum ſit, & unde ſingula quæque ſibi petat. Me quidem in Academiã totum impuliſti.] Hic fructus eſt aliquis actæ diſputationis. iuuenes impelluntur in Academiam, & in eam ſcientiã quã habuit Carneades Academicus, à Craſſo nominatã Carneadiam.

Velim ſit illud.] Sit breuis atque facilis ratio præceptorum, ut non neceſſe ſit in illis conſumere ætatem, atque ut poſſit is illa omnia cernere, qui tantũmodo aſpexerit. Non eſt res adeo facilis, ſed fuit exhortantis illam paulo proniorem dicere, quam ipſa per ſe eſſet. Si eſt aliquanto ſpiſſius.] Metaphora eſt ab humoribus, qui ſpiſſiores facti non admittunt oculum in profundum. Spiſſius igitur, obſcurius. Aut ſi ego ſum tardior.] Cur quis aliquid quod maxime uelit, haud diſcat, aut impedimẽto eſt rei ipſius obſcuritas, aut certe diſcentis ingenij tarditas.

Profecto nunquã conquieſcã.] Probe adoleſcens. Magnitudinis eſt animi, non ſtatim frangi rerum difficultate. Ancipites uias.] Rationes quibus diſputatur in utrãque partẽ. Quæ ſunt eiuſmodi rationes? An illæ quas tradit Ariſt. in Topicis? Iuuant quidem uel plurimũ: ſed nequaquã in iſtis ſunt omnia. Tenendæ ſunt reliquæ philoſophiæ partes, & exercendus eſt animus in contrarias diſputationes. Vt mihi non ſit difficile periclitari.] Hæc Cæſar facete, cui non dedit Cicero quod Cottæ, uoluntatem non ante quieſcendi, quàm Carneadiã percepiſſet: quoniam ut uaria ſunt hominũ ingenia, ſic in ſermonibus alia ſunt illis tribuenda uerba. Periclitari.] Facere periculum. Ad cœlum extuliſti.] Ὑπερβολικῶς, maxime laudaſti. His noſtris poſſim eſſe cõtentus.] Vulgari prudentia, et arte Romana. Nec philoſophorum quenquam deſidero.] Diſſentit hic à duobus ſuperioribus, qui perſonam agit uulgaris oratoris. Philoſophiam in cauſis agendis non deſiderat: nec tam uult uideri deſperare poſſe illã perdiſcere, quam contemnere: ut non ingenio tardus, ſed in legendis utilioribus prudens eſſe uideatur. Vulgaris hæc cognitio.] Prudentia communis, & mediocris doctrina eorũ qui uerſantur in cauſis ciuilibus, nec ſunt philoſophia inſtituti. ſatis eſt magna ad uulgarem eloquentiã, quã (tametſi perangusta eſt) plerique tamẽ oratores totam nõ tenebant. Ex eloquentia uulgari, inquit, permulta neſcio, quæ tum demũ quæro, cũ cauſa aliqua à me dicẽda deſiderat. Niſi forte es iam defeſſus, & ſi tibi non graues ſumus.] Modeſte agit honeſtus adoleſcens, quo facilius quod uult, impetret. Orationis laudem ſplendoremq;.] Laus & ſplendor orationis eſt in ornatu, & in decoro, de quibus eſt diſſerendum. Non ut deſperarem.] Senſus eſt: Quæ ad ipſius orationis laudem ſplendoremq; pertinent, ego ex te audire uolui, non ut me uocares ad philoſopos, & nimium multa complectendo conijceres in deſperationem eloquentiæ, ſed ut aliquid addiſcerem. TVM Craſſus, peruulgatas res requiris inquit, &c.] De phraſi & elocutione multa ſcripſere græci, Ariſtoteles, Theodectes, Theophraſtus, Ephorus, alijq. non pauci. Multi etiam tam græci quàm latini de iſto genere docuerũt eos à quibus interrogabantur, & in ſcholis inſtituerunt quos ſuſceperant hac arte formandos: quamobrem dicit rem eſſe peruulgatam, & oratori mediocriter erudito, ut Sulpitio, non incognitam. Aliunde igitur quã ex rei difficultate petit cauſam cur de ea ſibi dicendum putet. Vult gerere morem, hoc eſt, obtemperare rogantibus amicis: & ne ſibi uitio detur ſiquid omiſerit, amolitur reprehenſionem, expoſiturum ſe duntaxat quæ ſibi nota ſunt, reliqua præſertim minuta & parua de literis & ſyllabis & earum coagmentatione, de uerbis, & naturis eorum, ab alijs peti poſſe dicit. Hæc minora pluribus exponit in Oratore, nos apertiſſime in libello de Electione & oratoria collocatione uerborum. Omnis oratio conficitur ex uerbis.] Itaque orationem componenti, uerborum uis et ratio uidenda eſt. Duobus modis exploratur: primum ſimpliciter, id eſt, in ſingulis citra complexum orationis: deinde coniuncte, hoc eſt, in cõplexu atque in collocatione. Eſt, inquit, quidam ornatus orationis qui ex ſingulis uerbis eſt, alius qui ex continuatis coniunctiſq; cõſtat. Hic niſi in oratione uideri nõ poteſt, ille ſeorſum elucet in uerbis: ut in ædificijs pulchritudo quædam eſt ex apta ſimplicium coniunctione, quædam ex illuſtribus partibus ſingulis, ut ex marmore, argento & auro. Tria uerborum ſimplicium genera diſtinguit atque definit. Alia ſunt propria, alia tranſlata, alia noua. Propria ſunt certa quaſi uocabula rerum, penè unà nata cum rebus ipſis. Certa dicuntur, quia certæ rei ſignificandæ deſtinata. Penè unà nata cum rebus ipſis, non quod ſimul res et uerba propria nata ſint, ut latina, ſed quòd uſu omnium tam longo recepta ſunt, ut nata cũ rebus ipſis eſſe uideantur. Tranſlata, quæ quaſi alieno in loco collocantur. ut uidere cum proprium ſit oculi, transfertur ad mentem, & loco uerbi quod eſt cognoſcere, collocatur: ut hic, Verborum nobis ratio uidenda eſt. Noua ſunt, quæ nouamus & facimus ipſi: ut Terentius primus dixit obſequium, Cicero beatitatem. Erant tum noua, quæ nunc ſunt uetera. In proprijs autem eſt electio. Abiecta atque obſoleta, hoc eſt uilia, ſordida, ac ab uſu reiecta, fugienda ſunt. Abiecta ſunt impudica, quæ ponũtur à Satyricis et epigrãmaticis: et ſordida, ut podex: & uaſta, ut alienigenarũ: et nimis humilia, ut bubulia, matellio. Obſoleta, ut apluda, antigerio. Adde ſis nimis uſitata tritaq; populo, quorum cõtinuatio abijcit orationem. Delectus eſt igitur in proprijs uerbis. Lectis atque illuſtribus utendum, in quibus plenũ quiddam et ſonans ineſſe uideatur. Lecta, quæ præcellunt in genere ſuo, ut quæ doctiſſimi quique inter ea quæ ſunt eiuſdem rei, deligere ſolent. Illuſtria, quæ lucem & ſplendorẽ afferũt orationi, cuiuſmodi ſunt elegantia atque grauia. Plena, quæ pluribus ſyllabis ſonãtibus cõſtant. Tam cito ueni, ut citius uenire nõ ualuerim, oratio eſt, neque lectis, neque illuſtribus, neque ſonantibus ornata uerbis, quanquã propria ſunt omnia. Tanta celeritate properaui, ut ocyus accurrere non potuerim: hic lectiora, & magis illuſtria ſunt ac ſonora uerba, quæ idem quod priora ſignificãt. Vna et eadẽ res multis modis exprimi poteſt. Videndũ igitur qui ſit omniũ rei locoq; accõmodatiſſimus. Lecta & illuſtria, animi iudicio: plena ac ſonantia, auriũ trutina examinantur. Non eſt auriũ iudicare de uerbis, niſi quatenus ſonant. In hoc uerborũ genere propriorũ, quod habet plenũ quiddam & ſonans, delectus eſt quidã habendus ut corporũ ad bellum, atque is auriũ quodam iudicio ponderandus. Aures enim de pleno & inani ſono, de exilibus & ſonantibus uocibus iudicant. In hac re conſuetudo loquendi ualet plurimũ. Etenim cuius aures ſæpe duris, aſperis, uaſtis, horridis, ſæpe minutis, gracilibus, paruis, abiectiſq; ſonis aſſueuerunt, is amiſit omnem bene iudicandi facultatem. Cui uero ſermo

dulcis & urbanus ex conſuetudine eſt, aſperitate offenditur, & nullo negotio ſuauia, lenia, iucunda continuat. Affert & illa bene loquendi cõſuetudo uerborum copiam bonorum, quæ quodam quaſi naturali ſenſu percipiunt imperiti. Quo tempore latine omnes Romæ docti & indocti, mares & fœminæ loquebantur: qui ſub audiendis cauſis aderant imperiti, de bono oratore dictitabant, Hic bonis uerbis utitur. De malo contra: Non bonis hic uerbis utitur. Inde planum fit, non opus eſſe multis explicare quæ bona ſint uerba, cum id non arte aliqua perpendatur, ſed quodam quaſi naturali ſenſu iudicetur, quemadmodum in ſonorum iudicio plus ualent aures eruditæ, quàm doctorum præceptiones. Locum ſic explica: Hoc quod uulgo de oratoribus ab imperitis dici ſolet, non arte aliqua perpenditur & examinatur, ſed quodam quaſi naturali ſenſu, id eſt longa conſuetudine, quæ tranſit in naturam, iudicatur. De uiro præſenti ſic iudicant, Bonis hic uerbis utitur. Cum autem abeſt aliquis malus, & de illo ſuboritur ſermo, Non bonis, inquiunt, uerbis utitur, aut certe id in foro dicunt ad aurem. Aliquis hic ponitur loco nominis proprij, quiſquis ille ſit. Bonis uti uerbis, magnum erat apud Romanos, quandoquidem ſine illo nullus erat eloquentiæ fructus: ſed non ita magnam aſſequebatur laudem, propterea quòd ſermo latinus uulgaris erat, & omnium cõmunis. Nec enim magna laus eſt apud Gallos oratori gallico, ſi bonis uerbis gallicis utitur: ſed magna uituperatio, ſi contrarijs. Sit ergo quaſi ſolum quoddam, hoc eſt fulcimentum atque fundamentum elocutionis, uerborum uſus & copia bonorum: quæ nunc ut à nutricibus & à uulgo loquentibus haberi nõ poteſt, ita petenda à poetis latinis, & hiſtoricis, & oratoribus: & ut illo tempore, ſic modo arte grammatica dirigenda eſt. Hoc poſito quaſi fundamento, quid ipſe ædificet & conſtruat orator, & in quo componendi adiungat artem, ut omni parata materia architectus, id erit quærendum, & breuiter explicandum. TRIA ſunt igitur in uerbo ſimplici quæ orator afferat, &c. Tria fecit genera uerborum ſimplicium, quorum delectus eſt habendus, deinde probauit illuſtria ac ſonantia, quoniam ſuapte natura cæteris eiuſdem rei præſtant. Proximum eſt, ut quæ ſint illuſtrium ſpecies, apertius oſtendat. Tres itaque formas illorum diuidit. Tria ſunt, inquit, in uerbo ſimplici quæ orator afferat ad illuſtrãdam atque exornandam orationem, aut inuſitatum uerbũ, aut nouatum, aut tranſlatum. Quid? ornant'ne propria uſitata? ornant certe quidem multa, & hoc paulo ante dictum eſt, ſed in his tribus generibus inſignior eſt ornatus. Inuſitata non illuſtrãt omnia. Sunt enim quædã adeo obſoleta et obliterata, ut in uſum reuocari nõ debeãt, quæ Cæſar ut ſcopulũ eſſe fugienda dicebat. Alia ſunt priſca ac uetuſta, & uſu quotidiani ſermonis iamdiu intermiſſa, non omnino tamen à doctis relicta, quibus loco poſitis grãdior atque antiquior oratio ſæpe uideri ſolet: ut proles: Virgilius, Pulchra faciat te prole parentem Soboles: Idem, Chara deũ ſoboles, magnũ Iouis incrementũ. Effari: Idẽ, Nec plura effatus. Rebar: Cicero in hoc tertio, Quem quidem antea natura rebar ita dicere. Catulus eſt qui de Craſſo loquitur. Nuncupo & opinor ſunt peruſitata, nõ igitur de tota cõniugatione, ſed de his duobus caſibus, Nuncupari, & Opinabar, loqui uidetur. Inuſitata ſunt poetarũ licentia liberiora, quã oratoria, propterea quòd poeta ad uoluptatem, orator ad cauſarũ neceſſitatem ſe accommodat. Ea de re Virgilius uſurpat aliqua quibus uti nolit orator, ut actutum, olli, fuat, quianam, compellat. Nonnunquam tamen habet etiam in oratione poeticũ aliquod uerbũ dignitatem, ut tempeſtatem pro tempore dicunt poetæ, ut Ennius: quod uerbum traxit in hiſtoriam de bello Punico Cælius Antipater. in qua ſic loquitur: Qua tẽpeſtate Pœnus in Italiam uenit. Cicero in Oratore: Bonitate potius noſtrorum uerborum utamur, quã ſplendore græcorum, niſi fortè ſic loqui pœnitet, Qua tempeſtate Paris Helenam, & quæ ſequuntur.

Principium eſt uerſus Enniani ex Hecuba: quæ ſequuntur, ponit ad finem huius libri. De Cælio Antipatro idem in eodem libro: Ne uerbo traijciamus aperte, quo melius aut cadat aut uoluatur oratio: quod ſe L. Cælius Antipater in prœmio belli Punici niſi neceſſario facturũ negat: O uirũ ſimplicẽ, qui nos nihil celat. Sapientem, qui ſeruiendũ neceſſitati putet. Sed hic omnino rudis. Verbo tempeſtatis utitur Cicero multis locis. ut hoc in epiſtola quadam ad Q. fratrem: Primã nauigationem, dummodo idonea tempeſtas ſit, ne omiſeris. Redeamus ad inuſitata, atque uideamus quo loco debeant poni, et cur poſitis illis grãdior eſſe uideatur oratio. Virgilius uſus eſt illis in periculo nauis, & in animi perturbatione, in ira Iouis, in exequendo mandato, in re ſeria dignitatis: unde exiſtimare licet, priſca orationi graui & perſonis antiquioribus conuenire, quas parum decet florida noui ſermonis facundia. Quòd autem ueranda antiquitas amplitudinem quandam præ ſe fert atque dignitatem, eiuſmodi uerbis poſitis oratio grandior uideri ſolet. Hactenus de uerbis inuſitatis. De nouatis, quæ ſecunda ſunt in diuiſione, habendus eſt ſermo. Nouantur, inquit, uerba, quæ ab eo qui dicit ipſo gignuntur ac fiunt, uel coniungendis uerbis, uel ſine coniunctione. In partitionibus oratorijs prodit uerba nouari quatuor modis: ſimilitudine, imitatione, inflexione, & adiunctione. Hic igitur ſecundo membro diuiſionis tres nouandi ſpecies continentur. De adiunctione ſiue coniunctione uerborum proponit exempla, expectorat, & uerſutiloquas. Videtis, inquit, & uerſutiloquas & expectorat, ex coniunctione facta eſſe uerba, non nata, hoc eſt (ut cum grammaticis loquar) eſſe compoſitæ figuræ, non primariæ. Quos affert uerſus, ſunt iambici admixto choreo, conſtantq; pedibus ſeptem & ſyllaba. Priorem reperies & quarta Tuſculana. Pauorem, inquit, definiunt metum, mentem de loco mouentem. ex quo illud Ennij:

Tum pauor ſapientiam mihi omnem ex animo expectorat.

Expectorat, ex pectore eijcit. Alterum Nonius Marcellus legit hoc modo:

An num non uis huius me uerſutiloquas malitias? ita legendum cenſeo, quoniam aliter non ſtat ſeptenarius hypercatalecticus. Verſutiloquas malitias interpretare, dolos uerſutis uafriſq; uerbis agentes. Sine coniunctione duorũ uel plurium uerba nouantur, ut per inflexionem ſiue deriuationem: indigenitalis, ab indigena: incurueſcere, ab incuruo: quorum coniunctionem probat auctoritate ueteris poetæ, cuius iſta ſunt fragmenta carminis: Ille ſenſus diſertus indigenitalis, Baccarum ubertate incurueſcere. In ſecundo quinque ſunt pedes poſteriores carminis iambi ſenarij. Scriptum eſt integrum primo Tuſculana:

Hic autem ubi habitamus, non intermittit ſuo tempore
Cœlum niteſcere, arbores frondeſcere,
Vites lætificæ pampinis pubeſcere,
Rami baccarum ubertate incurueſcere.

Tertius modus trãſferendi uerbi latè patet. Nam Ariſtoteles tertio libro rhetoricorũ metaphoram, quæ dicitur à latinis tranſlatio, extendit ad omnes modificationes ſiue tropos, quibus ſignificatio propria mutatur in alienã: cuiuſmodi ſunt, ſynecdoche, metonymia, catachreſis, allegoria. Tranſlationem primum neceſſitas genuit, inopia coacta et anguſtijs. Multis enim rebus nulla cum eſſent uerba attributa, aliunde ſumptis neceſſe fuit illas exprimere. Poſtea metaphoram delectatio iucunditaſq; celebrauit. Nam ut ueſtis frigoris depellendi cauſa reperta primo, poſt adhiberi cœpta eſt ad ornatũ etiã corporis, & dignitatem: ſic uerbi tranſlatio inſtituta eſt inopiæ cauſa, poſtea frequentata gratia delectationis. Duo ſunt igitur genera tranſlationũ, unũ ad neceſſitatem, alterum ad uoluptatem. Neceſſitate ducti ruſtici dixere gemmare uites, cum oculos producerent: & luxuriem eſſe in herbis, cum fœcundius increſcerent: & lætas ſegetes, quæ uberes eſſent & copioſæ. Gemmas à lapillis, luxuriem

& lætas

& lætas ab animantibus tranſtulerunt. Ad uoluptatem celebres uiri flumen eloquentiæ pro copioſo & uolubili genere dicendi, Romam pro Romanis, Venerem pro libidine carnis, & plurima id genus uſurpant. His enim rebus ſua ſunt uocabula. Superius illud genus trãſlatione magis illuſtrat id quod intelligi uolumus, quàm orationem, de qua ſic Cicero: Quod enim declarari uix uerbo proprio poteſt, id tranſlato cum eſt dictum illuſtrat id quod intelligi uolumus, eius rei, quã alieno uerbo poſuimus, ſimilitudo. Senſus eſt: Cum deeſt proprium uerbum, & uſurpatur alienum, rei ad rem ſimilitudo confertur, quæ illuſtrat id quod intelligi uolumus. Tranſlationes uerborum inopia repertæ, quaſi mutuationes ſunt, cum quod non habetur, aliunde quaſi mutuũ ſumas. illæ paulo audaciores, quæ non inopiam indicant, ſed orationi ſplendoris aliquid accerſunt. Audent enim citra ullam neceſſitatem irrumpere in alienum locum, & uerborum munera confundere. Quæ ſit ratio inuenienda metaphorã, & quæ ſint tranſlationum genera, etſi nolle dicere uidetur, ne in hac re diu moretur, ut Ariſtoteles in rhetoricis, & in arte poetica, dicit tamen paucis, ſimilitudinis eſſe tranſlationes, & earum tria genera diſtinguit. Omnes quidem metaphoræ inueniuntur in ſimili. In his enim ſimilitudinis eſt ad unum uerbum contracta breuitas, hoc eſt ſimilitudo, quæ breuiter uno exprimitur uerbo: quod uerbum in alieno loco tanquam in ſuo poſitum, ſi agnoſcitur, id eſt ſi nota ſimilitudine explicat id quod intelligi uolumus, ita ut agnoſcatur, delectat: ſi ſimile nihil habet, repudiatur.. Quatuor genera tranſlationum facit Quintilianus octauo libro: Vnum, cum in rebus animalibus aliud pro alio ponitur, ut, Gubernator magna contorſit equum ui. Alterum, cum inanima pro alijs generis eiuſdem ſumũtur, ut, Claſſiq; immittit habenas. Aliud, cum pro rebus animalibus inanima ponuntur, ut, Sedet inſcius alto Accipiens ſonitum ſaxi de uertice paſtor. Quartum, cum rebus ſenſu carentibus actum quendam & animos damus, ut, Pontem indignatus Araxes. Cicero tria tantum conſtituit: unum, quod clariorẽ facit rem: proximum, quo ſignificatur res tota ſiue facti ſiue conſilij: tertium, quo breuitas conficitur. De primo genere hoc modo: Transferri oportet quæ clariorem faciunt rem: ut illa omnia quæ ſequuntur. Verba ſunt Pacuuij teſte Cic. de Diuinatione Interea propè iam occidente ſole inhorreſcit mare. Tenebræ conduplicantur, noctiſq; & nimbum occæcat nigror.

Flamma inter nubes coruſcat, cœlum tonitru contremit.
Grando imbri largiſluo ſubita præcipitans cadit.
Vndique omnes uenti erumpunt, ſæui exiſtunt turbines.
Feruet æſtu pelagus.

Septenarij ſunt uerſus, hypercatalectici, in quibus inhorreſcit trãſlatum eſt ab animantibus feris, quæ ſæuientes inhorreſcunt: aut à rebus horridis & aſperis, quæ accedenti plagam inferunt. conduplicantur, à ueſtibus, & id genus rebus quæ ſibi apponi geminariq; poſſunt. occæcat, ab oculi uitio. contremit, ab animalis pauida concuſſione, præcipitans, ab animantibus capite priore decidentibus. Sæuitia, à crudelitate animatorum. Feruet, à liquoribus igne æſtuantibus. Aeſtus, à motu liquorum feruentium. Hæc tranſlata per ſimilitudinem uerba ſunt, quo rem ipſam clare & dilucide penè oculis ſubijciant. Eſt aliud genus tranſlationis, quæ rem non facit clariorem, quàm ipſa proprietas ſed occultius & grauius aliquid, ut factum aut conſilium indicat. Hac utitur poeta uetus in hoc ſeptenario:

Quandoquidem iſte circumueſtit dictis, ſepit ſedulo.

Dicuntur hæc in illum qui uerbis occultabat conſulto & ex induſtria, ne id quod ageretur, intelligi poſſet. Tranſlata ſunt, circumueſtit, & ſepit. illud à parte corporis, quæ ne uideri poſſit, ueſte obtegitur: hoc à ſepibus, quæ cratibus, aut muris, aut aggeribus, aut alia materia circũdata aliquid occultant. Inuenuſtius proprij uſus eſſet, nec rem totam ſignificaſſet, hoc modo:

Quandoquidem iſte obſcure loquitur, ne quis intelligat.

Alia eſt metaphora qua breuitas conficitur, ut in hoc fragmento carminis: Si telum manu fugit. Tranſlatum eſt fugit, ab animantibus quæ pedibus celeriter feruntur, & hic ſignificat telum imprudentia & inconſulto miſſum fuiſſe. Verboſior fuiſſet oratio propria, & iniucundior: Telum manu imprudenter eſt iactum. ATQVE hoc in genere perſæpe mihi admirandum uidetur, & cætera.] Rationem quærit, quid ſit quòd omnes tranſlatis & alienis magis delectantur uerbis, quàm proprijs & ſuis. Ratio in promptu eſt in ijs metaphoris quas inopia gignit. Etenim cauſa eſt ipſa neceſſitas, quæ cogit id quod non habeas, aliunde ſumere. hinc pes dictus eſt in naui funis ueli inferior, quo uelum tenditur. Virgilius quinto Aeneidos: Vna omnes fecere pedem. Eſt enim funis ille quaſi pes ueli. Hinc à uinculi nexu, nexum dicitur, obligatio ciuilis, quæ fiebat per æs & libram, adhibitis ſeptem teſtibus Romanis puberibus, & libripende: de quo Caius in Inſtitutionibus, & Boetius in Topica Ciceronis. Cicero pro Cecinna: Deinde quòd Sylla ipſe ita tulit de ciuitate, ut non ſuſtulerit hominum nexa atque hereditates. Hinc in uxore diuortium, ab eorum diſceſſu qui in alias uias diuertunt. Occultior eſt ratio in tranſlationibus quæ comparatæ ſunt ad uoluptatem, cur in ſuorum, id eſt propriorum uerborum maxima copia, tamen homines aliena multo magis, ſi ſunt ratione & arte tranſlata, delectant? Eius rei cauſas affert quatuor, ut par eſt in re dubia explicare coniecturas, quo unam potiſſimum deligamus, aut omnes certe concurrere putemus. Prima eſt huiuſmodi. Ingenij ſpecimen eſt quoddam, hoc eſt argumentum, probatio, & indicium animi acuti, tranſilire ante pedes poſita, & alia longe repetita ſumere. Ante pedes poſita ſunt uerba cuiuſque rei propria & uſitata, quibus qui utitur perpetuo, non uidetur ingenioſus eſſe. Altera: Is qui audit tranſlationes, alio ducitur cogitatione, ad illud uidelicet, ex quo ſimilitudo ſumpta eſt: neque tamen aberrat, quoniam etiam aduertit ad id quod alieno uerbo notatur: qui animi celeres in diuerſa motus, maximam afferunt delectationem. Tertia eſt: Singulis uerbis & res præſens, & illa unde ducitur ſimilitudo, perficitur: in quo uoluptate afficitur animus, uidens plures eſſe res quàm uerba. Quarta: Omnis tranſlatio, quæ quidem ſumpta ratione eſt, ad ſenſus ipſos admouetur, hoc eſt ſumitur ab ijs quæ cadunt in ſenſum, & hoc modo parit duplicem uoluptatem: ut, odor urbanitatis admouetur ad odoratum, in quem non cadit urbanitas: mollitudo humanitatis ad tactum, murmur maris ad auditum, dulcedo orationis ad guſtatum. Illa uero oculorum, acriora, quæ ponunt penè in conſpectu animi quæ cernere & uidere non poſſumus, ut incenſus ira, inflãmatus cupiditate, lapſus errore, generis claritas. Mouent hæc magis, quia ſenſus oculorum, ut ait Ariſtoteles libro de Senſu & eo quod ſentitur, eſt omnium acerrimus: ideoq; ſi quid eſt iucundi, uehementius apprehendit. Nec cui mirum ſit tranſlationes tam uarias eſſe, ut nullus ſit in nobis ſenſus, qui ſuas non habeat. Nihil eſt enim in rerum natura, cuius nos non in alijs rebus poſſimus uti uocabulo communi, uel nomine proprio. quæ res oſtendit late patere metaphorã, ut deus pro homine diuino dicitur, cœlum pro cœlitibus, ſol pro uiro illuſtri, ſtellæ pro conſpicuis fœminis, elementa pro literis, ignis pro amore, aura & flatus pro uanitate, mare pro copia immenſa, terra pro terrigenis, Nero pro crudeli, lupus pro prædone & uoratore, canis pro impudente, arbor mala pro homine uitioſo. Quid moror? Percurre omnes rerum ſpecies, nullam reperies quæ non aliqua ſimilitudine pro alia poſſit uſurpari. Ex omnibus, inquit, ſimile duci poteſt: & unde ducitur, indidem, hoc eſt ex eadẽ parte eodemq; loco uerbum tranſlatũ lumen affert orationi. Dictum eſt quibus de cauſis uenerint in orationem metaphoræ, unde ducantur, quæ ſint earum genera, & quamobrem tantopere delectent: dicendum poſtea de uitijs, quæ in quibuſdã

committuntur ut his relictis utamur optimo genere transferendi. Vitioſa eſt tranſlatio diſſimilis, & longe petita, & turpis, & maior aut minor quàm res poſtulat. In primo genere peccauit Ennius, qui dixit, Cœli ingentes fornices. Cõtulit arcus ædificiorum, qui nec magni ſunt, nec totum complent circulum, cum cœlo ingenti, & ambitu æquabili rotundo. Hanc metaphoram quo probaret populo Romano, ſphæram artificialem in ſcenam dicitur attuliſſe, & in hemicyclo, hoc eſt altera parte circuli, oſtendiſſe figuram cœli, quod aſſurgeret à linea definiente partem uiſam ab occulta, quæ dicitur à græcis ὁρίζων. Sed, ut Cicero uult in ſphæra fornicis ſimilitudo non poteſt ineſſe. Nam in fornice duo latera ab imo recta ſurgunt in certam altitudinem, deinde in teſtudinem faſtigiantur: in dimidiato circulo ſphæra nulla ſic attolluntur latera recta. Probat M. Tullius quæ ſequuntur.

Viue Vlyſſes dum licet,
Oculis poſtremum lumen radiatum rape.

Pars eſt ſenarij uerſus ex ſyllaba & tribus pedibus poſterioribus: & integer ſenarius, in quo rape melius dixit poeta, quàm aut cape aut pete lumen, quoniam hæc uerba deſignarent moram ſperantis diutius ſeſe eſſe uicturum. Rape autem, quod eſt feſtinantis, uerbum eſt ad id aptatum quod ante dixerat, dum licet. Significauerat non longam fore uiuendi poteſtatem. In ſecundo genere peccarunt ij qui dixere Syrtim patrimonij, & Charybdim bonorum. longe quidem ſimile duxerunt. Maluit Cicero dicere ſcopulum quàm Syrtim, uoraginem quàm Charybdim: nã priora ſunt genera quàm ſpecies ac notiora, & ſpecies quàm ſingularia ac indiuidua. Syrtis autem ut tumulis arenæ imitatur ſcopulos, ad ſcopulum tanquam ad genus, & Charybdis ad uoraginem refertur. Addit ipſe rationem: Facilius, inquit, ad ea quæ uiſa, quàm ad illa quæ audita ſunt, mentis oculi feruntur. Scopulus autem & uorago uiſa pluribus, quàm uel Syrtis ſinus quidam maris Aphrici, uel Charybdis uorago quædam maris Siculi. Eſt tertium uitium tranſlationis impudicæ uel ſordidæ. Quoniam ſumma laus eſt uerbi transferendi, ut ſenſum feriat id quod tranſlatum ſit, hoc eſt ut inter cætera maxime ſentiatur, fugienda eſt omnis turpitudo earum rerum, ad quas eorum animos qui audient, trahet ſimilitudo. Offendit in hoc qui dixit morte Aphricani caſtratam eſſe Rempb. & ſtercus curiæ eſſe Glauciam, quoniam in utroque uerbo, caſtrata, & ſtercus, deformis eſt cogitatio ſimilitudinis. Quintilianus octauo libro. Sũt quædam & humiles tranſlationes, ut id de quo modo dixi, Saxea eſt uerruca. & ſordidæ: non enim Cicero recte ſentinam Reipub. dixit, fœditatem hominum ſignificans. iccirco non probem illud quoque ueteris oratoris, Perſecuiſti Reipublicæ uomicas. Optimeq; Cicero demonſtrat cauendum, ne ſit deformis trãſlatio, qualis eſt (nam ipſis eius utar exemplis) caſtratam morte Aphricani Rempublicam: & ſtercus curiæ Glauciam. Hæc ille. Mortuo Aphricano uiſa eſt exciſa uirilitas Reipublicæ. Glaucia impurus homo fuit, & indignus ſenatorio ordine, quãobrem habitus eſt ut ſterquilinium curiæ. Quartum genus eſt, in quo maius aut minus eſt tranſlatum, quàm res poſtulet, ut tẽpeſtas comeſationis, comeſatio tempeſtatis. Tempeſtas illa cœli, quæ uento pluuia grandine deſæuit, longe maior eſt quàm quæ debeat cum inopportuna & intempeſtiua comeſationis crapula comparari: ut ſi dicas, tempeſtate comeſationis iactari corpus humanum atque ſubmergi. Contra comeſatio, id eſt extraordinaria nimiaq; poſt cœnam ingurgitatio, minor eſt quàm quæ poſſit pro intempeſtiua & immodica inundatione tempeſtatis accipi: ut ſi dicas, comeſatione tempeſtatis onerari flumina, terramq; inebriari. Non defuerunt qui his tranſlationibus uterẽtur, quorum inſcitiam notauit hic Cicero. Arguit & poetam qui cecinit hunc uerſum iambicum claudicantem:

Quid'nam eſt obſecro? Quid te audiri abnutas?

Tranſtulit abnutas, quod anguſtius eſt atque minus quàm fuiſſet proprium, uetas, prohibes, abſterres. Et enim cum dixiſſet, Illico iſtinc,

Ne contagio mea bonis, umbra'ue obſit:

Et oſtendiſſet loquentem nolle omnino ſe adiri, ſed quamprimũ uelle illinc auolare, ne cui ipſius umbra uel contagio obeſſet, non debuit uti uerbo lente recuſantis, abnutas, ſed acrius imperantis, uetas, abſterres, & ſi quod eſt id genus proprium. Recipiuntur interdum paulo duriores metaphoræ: quod cum accidit, molliẽdæ ſunt præpoſito uerbo, ut ita dicam, ut ſic loquar, ut hoc utar uerbo: ut ſi olim M. Catone mortuo pupillum ſenatum quis relictum dixiſſet, paulo durius quidem locutus eſſet. Non enim ſic erat Cato pater ſenatus debilis, inconſulti, nec ſe ſuaq; tueri potentis, ut homo prudens rei familiaris adminiſtrator pater fuit liberum impuberum, qui orbati parente tutoribus egent. Quod ſi quis dicat hoc modo: Marco Catone mortuo Senatus (ut ita dicam) pupillus eſt relictus: mitius aget, & aures minus offendet. Id ſæpe faciundum eſt, quia uerecunda debet eſſe tranſlatio, ut deducta eſſe in alienum locum re poſtulante, non irruiſſe contra rei naturam, atque ut precario, non ui ueniſſe uideatur. Precario uenire, precibus adhibitis, & eo concedente cuius eſt poteſtas, uenire. Sic precario poſſidere. Cicero pro Cecinna: Ne id quidem ſatis eſt, niſi do. et ita ſe poſſediſſe, ut nec ui, nec clàm, nec precario poſſederit. Ad eiuſmodi poſſeſſionem alluſit, cum dixit in alienum locum precario ueniſſe. MODVS autem nullus eſt florentior quàm in ſingulis uerbis, nec qui, &c.]

De tranſlatione ſatis multa dixit. Tranſiturus ad alios tropos, illam breuiter hoc quaſi epiphonemate commendat: Modus nullus eſt florentior, quàm in ſingulis uerbis, nec qui plus luminis afferat orationi. Modus τρόπος dicitur à Græcis. Figuræ autem de quibus hic agitur, tropi dicuntur. Modus igitur florentiſſimus, tropus eſt omnium elegantiſſimus atque iucundiſſimus, qui quòd illuſtrat & ornat, atque ueluti ſtellis quibuſdam diſtinguit orationem, multum luminis illi dicitur afferre. Ex multis metaphoris continuatis naſcitur ἀλληγορία, id eſt alius quidam ſermo, quo aliud dicitur, aliud eſt intelligendum: ut, magnum tranauimus æquor, pro eo quod eſt longum ſermonem habuimus. Allegoria (inquit Fabius Quintilianus) quam inuerſionem interpretamur, aliud uerbis, aliud ſenſu oſtendit, ac etiam interim contrarium. Prius: ut, O`nauis referent in mare te noui fluctus, ò quid agis? fortiter occupa portum. Totuſq; etiam ille Horatij locus, quo nauim pro Repub. fluctuum tempeſtates pro bellis ciuilibus, portum pro pace atque cõcordia dicit. Tale Lucretius: Inuia Pieridum peragro loca. & Virgilius,

Sed nos immenſum ſpatijs confecimus æquor,
Et iam tempus equum ſpumantia ſoluere colla.

Oſtendit ille idem eſſe aliam allegoriam ſine tranſlatione, & aliam mixtam, & aliam quæ contrarium oſtẽdit, ironia dicitur. Percurre totum locum. Exempli gratia, Cicero more ſuo ponit uerſus tragœdiæ ueteris. tres ſeptenarij ſunt cum fragmento præpoſito, in quibus duæ allegoriæ qui debeant explicari, obſcurum facit deſideratum poema. Prior ſumpta eſt à periculo claſſis Græcorum ad Caphareum Eubœæ promontorium, Nauplio Palamedis patre ignes proferente, & in ultionem alliciente Græcos in naufragium, & à telo uel Apollinis, qui percuſſit peſte exercitũ eorum, uel ab Hectoris in naues irruentis. Altera ab equo indomito, ualidis habenis & iugo coacto. Senſus prioris eſt: Non repetam quod iam ſubij periculum. Poſterioris: Falleris, leges & imperium cohibebunt petulantiam & audaciam tuam. In allegoria ſumitur res ſimilis, cuius uerba propria in rem aliam trãſferuntur: ut, Iugulum petis, pro eo quod eſt, argumento fortiſſimo uincis hominem. In quo magnum eſt ornamentum orationis, ſed non æque florens, atque in tranſlatione ſingulorum. Hic enim tardior eſt motus animi, & obſcurior intellectus, & una ferè multorum gratia. Allegoria obſcurior dicitur αἴνιγμα, He-

ſychius

ſychius interpretatur πρόβλημα, ζήτημα, ueteres Latini teſte Gellio ſcrupos uocabant. Sermo eſt tranſlatus, nodoſus, difficilis & inuolutus, qui propter obſcuritatem ab oratore fugiendus eſt. Quintilianus octauo libro: Hæc allegoria quæ eſt obſcurior, ænigma dicitur, uitium quidem meo iudicio, ſi quidem dicere dilucide uirtus, quo tamen & poetæ utuntur: Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo, Tres pateat cœli ſpatium non amplius ulnas. Hactenus Fabius. Aenigmate utitur Cicero pro Sextio Roſcio: Te pugna Cannenſis ſat bonum accuſatorē fecit. Multos cæſos non ad Traſimenum lacum ſed ad ſeruilium uidimus. Quis ibi non eſt uulneratus ferro Phrygio? Rarus eſt uſus eius. In tropis eſt ἐναλλαγὴ, quam Cicero dicit traductionem & immutationem, μετωνυμία dicitur à grammaticis. Cicecero in Oratore: Tranſlata ea dico, ut ſæpe iam, quæ per ſimilitudinem ab alia re aut ſuauitatis aut inopiæ cauſa transferuntur. Mutata, in quibus pro uerbo proprio ſubijcitur aliud quod idem ſignificet, ſumptum ex re aliqua conſequenti. Quod quanquam transferendo fit, tamen alio modo tranſtulit cum dixit Ennius arcem et urbem orbas, alio modo ſi pro patria arcem dixiſſet: & horridam Aphricam terribili tremere tumultu cum dicit, pro Aphris immutat Aphricam. Hanc hypallagen rhetores, quia quaſi ſummutantur uerba pro uerbis: metonymiam grammatici uocant, quòd nomina transferuntur. Ne illa quidē traductio atque immutatio quæ dicitur uel hypallage uel metonymia, quia traducit & immutat nomina, in uerbo quādam fabricationem, id eſt molitionem artificis & artem habet, ſed in oratione quoniam ſi uerbum ſolum poneretur, ut Aphrica, non ſumeretur pro Aphris. at cum ingreditur in orationem, illius uē nunc regionem, nunc homines eius loci deſignat: ut in hoc Enniano uerſu,

Aphrica terribili tremit horrida terra tumultu,

Pro Aphris eſt ſumpta Aphrica. Neque factum & ex pluribus compoſitum uerbum eſt, ut ſaxifragis, in hac particula uerſus Enniani, Mare ſaxifragis undis. Neque tranſlatum & metaphoricum, ut mollitur, in uerſu cuius eſt hoc membrum, Mollitur mare: ſed ornandi cauſa proprium proprio commutatum, ut Roma pro Romanis, hic, Deſine Roma tuos hoſtes: Campi pro ijs qui erant in campis, hic, Teſtes ſunt campi magni. Non transcribit integros uerſus, quia temporibus illis erant notiſſimi, qui mala ſorte intercipiente perierunt: deinde quòd ad rem præſentem totos afferre nihil erat neceſſe. Metonymia eſt, cum quis pro opere cui præeſt, nominatur, ut Mars pro bello aut prælio: ut, Mars belli communis eſt. Aut inuentor pro inuento, ut Ceres pro frugibus, Bacchus pro uino: qui etiam Liber dicitur, quia curis liberat mentem. Aut poſſeſſor pro re poſſeſſa, ut Neptunus pro mari. Aut locus pro ijs quæ continentur, ut curia pro ſenatu qui habetur in curia, campus pro comitijs quæ habentur in campo Martio. Aut inſigne pro re ſignata, ut toga pro pace. Aut inſtrumenta pro rebus quibus ſubſeruiunt, ut arma ac tela pro bello. Quo item in genere & uirtutes & uitia pro ipſis in quibus illa ſunt, appellantur, ut luxuries pro luxuriantibus, auaritia pro auaris, fides pro fidelibus aut fidis, iuſtitia pro iuſtis. Fragmenta ſunt orationum, Luxuries quam in domum irrupit, Quò auaritia penetrauit, Fides ualuit, Iuſtitia confecit: quibus id quod uolebat, ſignificaſſe contentus eſt. Grauius eſt hic modus ſiue tropus in ornatu orationis, et ſæpe ſumendus. Videndum tamen diligenter, quouſque procedas. multa ſunt enim hoc in genere, quæ ſibi non permittat orator: ut, Proximus ardet Vcalegon, Cereremq; caniſtris Expediunt. In hypallage res ea quæ ſuo uerbo exprimi poſſet, inflexo commutatoq; nomine aut uocabulo, hoc eſt à propria ſignificatione in aliam cum uirtute mutato, enunciatur ornatius. Videtis, inquit, genus hoc totum, cum inflexo commutatoq; uerbo res eadem enunciatur ornatius. Metonymiæ proxima eſt συνεκδοχὴ, nomen enim inflectis & immutat: ut cum dicimus hominem Romanum pro Romanis, meretriculas pro meretrice, auratum pro aureo, ferreū pro ferrato, etſi nomen uidetur idem, tamen diuerſum eſt atque immutatum. Synecdoche dici poteſt uel conceptio, uel intellectio. Fit, cum plus aut minus quàm dictum eſt, animo concipitur. Id accidit quatuor modis. Aut enim ex parte totum intelligitur, ut pro ædificijs cum parietes aut tecta dicimus. Aut ex toto pars, ut in una turma totus equitatus. Aut ex uno plures, ut Romanus homo pro Romanis. Ennius;

At Romanus homo, tamen etſi res bene geſta eſt,
Corde ſuo trepidat.

Aut cum ex pluribus intelligitur unum, ut in hoc uerſiculo pentametro:

Non ſumus Romani, qui fuimus Rutuli.

Vnus eſt Rutulorum, qui factus ciuis Romanus loquitur. Quintus eſt modus, quoties non ut dictum eſt, in eo genere intelligitur, ſed ut ſenſum eſt, id eſt animo cōceptū: ut cum auratus pro aureo ponitur, et aurea tecta pro auratis. In tropis eſt κατάχρησις, de qua ſic Quintilianus: Ego magis neceſſaria κατάχρησις, quā recte dicimus abuſionem, quæ non habentibus nomen ſuum, accommodat quod in proximo eſt. ſic, Equum diuina Palladis arte Aedificant: Catachreſis (inquit Donatus) eſt uſurpatio nominis alieni, ut cum parricidam dicimus qui occidit fratrem, & piſcinam quæ piſces non habet. Hæc enim niſi extrinſecus ſumerent, ſuum uocabulum non haberent. Abutimur (inquit Cicero) ſæpe etiam uerbo, non tam eleganter quàm in transferendo, ſed etiam ſi licentius, tamen interdum non impudenter: ut cum grandem orationem pro magna, minutum animum pro paruo dicimus. Vides ut catachreſin eſſe dicat, ubi non deficit nomen. Oratio enim quantitatem habet, & proprie magna uel parua dicitur. De animo paruo quæſtio eſſe poteſt. Videtur itaque dicēdum, catachreſin eſſe licentiorem uerbi tranſlationem, ſiue proprium uerbum ſuppetit, ſiue deeſt. Nec iſtuc negabit Quintilianus, qui ſcribit poetas ſolere abuſiue etiam in ijs rebus quibus nomina ſua ſunt, uicinis potius uti. Apparet igitur hanc figurā ſpeciem eſſe tranſlationis, & eius quæ inopiæ cauſa reperta eſt, & illius quæ uoluptatis. & tum capere nomen abuſionis, cum paulo transfert licentius: ut, Equitat in arundine longa, Acres intendunt arcus ſaxa iaculantur. VERVM illa uidetis ne eſſe non uerbi ſed orationis, quæ ex, &c.] Quos expoſuit tropos, tandem reducit ad tranſlationem, ut manifeſtum ſit, ea uerba quæ illuſtrant orationem, omnia eſſe aut inuſitata, aut nouata, aut tranſlata, & nomine tranſlatorum ex Ariſtotelis doctrina plurima contineri. Quæ ex pluribus ſunt connexa tranſlationibus, ut allegorica, non unius uerbi, ſed orationis ſunt, atque citra controuerſiam ad metaphoram pertinent. Immutata per hypallagen uel metonymiam, & aliter intelligenda atque dicuntur, ut quæ inflectit ſynecdoche, ſunt tranſlata quodammodo. Nam propriam ſignificationem in alienam cum uirtute mutāt, & quod proprium eſt metaphoræ, ſimilitudinem quandam cum proprietate retinent. Ita fit, ut omnis ſingulorum uel ſimplicium uerborum uirtus atque laus exiſtat aut à uetuſtis, aut nouatis, aut tranſlatis, quemadmodum propoſitum eſt in diuiſione. Verbum uetuſtum, ut ante diximus, non omne recipiendum eſt, ſed quod conſuetudo ferre poſſit, ut quo ſemper aliquis auctoritatis ſuſſiciendæ uir uſus eſt. In nouatis, auribus conſuetudiniq; parcendum eſt. Auribus, ne quod uerbum durius auditu nouetur, ut Rodilardus. Conſuetudini, ne aliter componatur aut deriuetur, quàm more receptum ſit, ut blandidulus, edoſus. In tranſlatis obſeruandum, ut ſit elegantia & ornatus, & quaſi lumen & ſplendor, ut illis non aliter atque cœlum ſtellis illuſtretur oratio. Hactenus de ſingulis uerbis. Supereſt, ut dicamus de collocatis in oratione. In continuatione uerborum & compoſitione duo ſunt uidenda, collocatio, id eſt coagmentatio, & iunctura,

primum : deinde modus quidam & forma, hoc eſt numerus & comprehenſio. Collocatio, uerba quadrantia componit, ut lapides in pariete : modus, rhythmis modulatur orationem : forma dat figuram uel longam, ut periodo : uel breuiorem, ut membro & inciſo. Collocationis eſt componere, coniungere, ſtruere, connectere uerba, ſic ut ne'ue aſper eorum concurſus, ne'ue hiulcus ſit. Aſpere concurrunt quædam literæ conſonantes, ut ſ & x, diues Xerxes. & x repetita, rex Xerxes. ſ & r, dominus rerum. & n & p, nomen plurimum. & l & d, animal durũ. Hoc modo perpende ultimam ſyllabam uerbi prioris, & primã ſequentis, & conſule aurium ſenſum, ſit ne uox ex illis aſpera, an mollis. Animaduerti iudices omnem accuſatoris orationem in duas diuiſam eſſe partes. Iuncturæ ſunt, ti in, ces om, nem ac, ris o, nem in, as di, ſam eſ, ſe par. Molles omnes, præter eas quæ hiant uocalibus. Hiulcum quiddam & apertum habent concurrentes uocales, maxime ampliores, ut a & e, a & o, ut mare altum, omnia obſcura. Hic igitur habenda ratio omnium literarum, tenendum quæ quibus optime cohæreant, quæ diſſideãt uelut inimicæ. conſentientes copulandæ, diſcordes uerbo interpoſito ſeparandæ. Res puerilis hæc uidetur, ſed tanti quidem momenti eſt, ut ſi non obſeruetur, neque ſuauis, neque numeroſa eſſe poſſit oratio. Quamobrem erudiendæ pueritiæ gratia de ratione literarum copioſe diſſeruimus in libello de Electione uerborum. Cicero paucis hic rem tranſigit, copioſius agit in Oratore, magnam partem aurium iudicio relinquit. Sit, inquit, concurſus quodammodo coagmentatus & leuis. & paulo poſt : Collocatio obſeruanda uerborum, de qua loquor, quæ iunctam orationem efficit, quæ cohærentem, quæ leuem, quæ æquabiliter fluentem. Id aſſequemini, ſi uerba extrema cum conſequentibus primis ita iungetis, ut ne'ue aſpere concurrant, ne'ue uaſtius diducantur. Tranſlationes ducit à lapidibus quadratis & bene cohærentibus, uel à tabulis & corporibus tam apte coniunctis, ut ferè nulla in medio rimula, nullus hiatus proſpici poſſit: Hæc apta iunctura duorum corporum coagmentata dicitur, id eſt proxime coniuncta : & leuis, id eſt polita, tactu non aſpera, & iuncta, & cohærens, & æquabilis. Hinc copia uerborum eandem rem deſignantium. Hanc corporum iuncturam explorat unguis atque oculus: illam uerborum, ſenſus aurium non hebes & ineruditus. Verba extrema dicit extremas ſyllabas uerborũ antecedentium. Conſequentia prima, conſequentium uerborum ſyllabas primas. Aſperos concurſus refert ad uocales: uaſtius deducta, ad conſonantes : quæ ſi diſſonæ ſunt atque diſcordes, uaſtum & agreſtem efficiunt ſonum, & quaſi cornuti lapides deducuntur, hoc eſt amouentur ſic in pronunciatione, ut ſine interſpiratione efferri uoce non poſſint. Coagmentatio uerborum etſi maxime deſiderat diligentiam, fieri tamen non debet operoſius, propterea quòd indicat affectationem hominis in leuibus rebus nimis occupati. Admmittendæ igitur nonnunquam uocalium concurſiones, etiamſi poſſumus uitare. Componendæ quoque aſpera conſonantes, ſi res ita ferat. Cicero in Oratore. Nolo tam minuta hæc conſtructio appareat. Ibidem : Illud primũ uel maxime deſiderat diligentiã, ut fiat quaſi ſtructura quædam, nec tamen fiat operoſe. Nam eſſet cum infinitus, tum puerilis labor. Compoſitionis huius ſtudioſus erat T. Albutius: itaque Mutius Scæuola augur Craſſi ſocer, qui dixit in eum orationẽ de pecunijs repetundis, irridet apud Luciliũ ſatyræ inuentorẽ,

Quàm lepide lexeis compoſtæ, ut teſſerulæ omnes,
Arte pauimento, aut emblemate uermiculato.

Senſus eſt: Lexeis, id eſt, uerba tua ò Albuti, lepide & eleganter compoſita coagmentatáq; ſunt in oratione, ut in pauimento, uel in emblemate uermiculato omnes teſſerulæ ſunt arte compoſitæ. Teſſerulæ ſunt lapilli aut lateres quadrati, quibus ædium ſolum conſternitur. Opus ex teſſerulis apte conſertum, & effigie rerũ animaliumq; diſtinctum, emblema uermiculatum uocatur.

Emblema, quòd ſit inſitium, ἀπὸ τοῦ ἐμβάλλω, quod eſt interſero. Vermiculatum, quod minutim ſectum atque uariatum. Lucilius idem, ne Titus Albutius prima gloria expoliendæ orationis extolleret ſeſe, Scæuolam inducit obijcientem generum ſuum Craſſum, ut æque bonum, aut certe meliorem iungendæ orationis artificem : Craſſum habeo generum, ne rhetoricoteros tu ſis. ῥητορικώτερος cõparatiuus eſt gradus, à nomine ῥητορικὸς, ſignificatq; meliorem oratorem, uel eum qui rhetoricam compoſitionẽ diligentius obſeruet. In uerſu Luciliano s debet elidi, ut ſit rhetoricotero tu ſis. Satyricus illuſit Albutium, & luſit in Craſſo, non tamen illi Craſſus excandeſcit : quem elegantiſſime ludere poſſe dicit, & cuius agnoſcit iocum dicens, Verum in me quidẽ luſit ille, ut ſolet. Probe quidem Cicero ſermonem homini affinxit. Nam ſi grauibus uerbis culpam amolitus eſſet, Lucilij uerbis acriorem dediſſet colorem. Si de re nihil dixiſſet, ſuſpicio maneret nimis affectatum aliquando fuiſſe Craſſum. Leniter igitur, Quid, inquit, iſte Craſſus, quoniã eius abuteris nomine, quid efficit ? Idem illud ſcilicet, ut ille uoluit. Ego uellem melius aliquanto quàm Albutius. Orationis huius eſt hæc uis, Non ſum nominandus in illis qui affectatius ornant orationem : contendo efficere quod ille uoluit, & uerba coagmentare, & ego uellẽ melius aliquanto connectere quàm Albutius. Conatus eſt ille, ſed arte deficiente pueriliter fecit. HANC diligentiam ſubſequitur modus etiam & forma uerborum, &c.] Continuatio uerborum duas res maxime, collocationem primum, deinde modum formamq; deſiderat. De collocatione breuiſſime dixit, quam uim haberet, & quo uitio notaretur. Ex ordine de modo & forma præcipit. Numerum ſolutæ orationis non cognouerant Romani antiquiores, ut Catulus, & alij multi æquales, & priores illo : quamobrem ueretur ne illud rhythmicum Catulo & ſenibus uideatur eſſe puerile, ut modulatio quædam indigna uiri ſeueritate. Habuit enim ſuos inſectatores numerus, ut omnia ferè cum primum prodeunt in publicum. Si qui ſunt quibus illud uideatur eſſe puerile, opponit illis ueterum auctoritatem, qui in oratione ſoluta numeros quoſdam eſſe uoluerunt. Simulq; imagine quadam, quales ſint numeri, depingit, cum dicit eſſe propemodum uerſus. Hoc enim eſt illos habere collocatos ordine pedes, & dimenſo ſpatio comprehendi. Præterea ad quid inuenti ſint, breuiter oſtendit, ad interſpirationem uidelicet, ut cum ad aurium dimenſionem ſatis excurriſſet oratio, interſpiraret, & cum uoluptate audientium quieſceret orator. Id melius fuit, ſeruare modum quendam, quàm procurrere uſque ad ſpiritus defatigationem, & finire clauſulas uerborum & ſententiarum modo, id eſt dimenſione, quàm librariorum, id eſt, eorum qui libros manu ſcribunt, notis & ueluti punctis, quæ interſerunt calamo, ut ſententiam à ſententia diſtinguant. Inuenti ſunt & ad aurium delectationem & uoluptatem numeri, quod exprimit his uerbis : Numeros princeps Iſocrates inſtituiſſe fertur, ut inconditam antiquorum dicendi conſuetudinem, delectationis & aurium cauſa numeris adſtringeret. Eſt igitur numerus propemodum uerſus. nec puerilis eſt, qui ueteribus Græcis ſapientibus placuit, inuentus ab Iſocrate, ut ſcribit diſcipulus eius Naucrates : ut alij uolunt, à Thraſymacho. Curtiores certe et uerſiculorũ ſimiles primus inuenit Thraſymachus, Iſocrates poſtea longioribus atque mollioribus impleuit ſententias. Inuentus autem ad opportunam interſpirationem, ad aurium uoluptatẽ, ad euitandam ſatietatem, quæ ex incondita & incompoſita oratione ueniebat. Inueniendi cauſa fuit poema, quod audiebatur cum uoluptate. Etenim cum muſici, qui erant quondam iidem poetæ, machinati eſſent & excogitaſſent ad uoluptatem uerſum atque cantum, & uerborum numero, & uocum modo, delectatione uiciſſent aurium ſatietatem : oratores qui cum tædio & triſtitia audiebantur, illam uocis moderationem, & uerborum concluſionem ad eloquentiam traduxerunt. Primum igitur fuit

rudis

rudis oratio & incondita, deinde ſecutus eſt uerſus, poſtremo numeri ſunt reperti. Muſicos fuiſſe quondam poetas, teſtatur & Quintilianus in capite de Muſica. Quis, inquit, ignorat muſicen tantum illis tam antiquis temporibus non ſtudij modo, uerumetiam uenerationis habuiſſe, ut iidem muſici & uates & ſapientes iudicarentur? Nominat Orpheum & Linum. Dicebantur autem ἀοιδοί. Sic enim Homerus uocat eum quem Agamemnon profecturus in Aſiam reliquerat uxori. uerſus eſt tertio libro Odyſſeæ:

πὰρ γὰρ ἔην καὶ ἀοιδὸς ἀνὴρ, ᾧ πόλλ᾽ ἐπέτελλεν ἀτρείδης.

Aderat Clytemneſtræ uir muſicus & poeta, cui multa mandauerat Agamemnon. In eum locum ſic interpres: Quondam muſici & poetæ ordinem & locum philoſophorũ tenebant, quapropter ἀοιδὸν male quidam eunuchum reddiderunt. Quod autem Cicero ponit uerſum & cantum, uerborum numerum, & uocum modum, non facit ſine diſcrimine & differentia uerborum. Verſus eſt poetarum, Cantus muſicorum, Verborum numerus in collocatione pedum, Vocum modus inflexus uocis quæ uariatur in pronunciatione. Verſus & cantus iunguntur in carmine, quod uel ore uel organo muſico canitur, ut in lyrico, & etiam quod apte decenterq; pronunciatur. Verborum numerus & uocum modus confluunt in actione ſiue pronunciatione orationis. Vocum modum hic etiam dicit uocis moderationem: numerum, uerborum concluſionem, quia in concluſione quæ eſt periodus, maxime ſpectatur. Dictum eſt á metro poetico numerũ oratorium fluxiſſe. Ne quis hic fallatur, admonitos uoluit rudes huius artis, uerſum in oratione eſſe uitioſum, et tamen in ea uerborum coniunctionem, ſicuti uerſum, numeroſe cadere, & quadrare & perfici oportere. In quo uidendum cur uerſus in oratione uitium ſit, & quid differat ab oratorum numero. Vitium putatur, quia oratio quæ ſolute & libere currere debet, non ea tam adſtricte numeris alliganda: deinde id quod ad negotia ciuilia, ac ſæpe ad hominum uitam tuendam aut etiam ad ſummam Reip. comparatum eſt, non debet ea ratione componi, & ea modulatione molliri, qua poemata cœnis, otijs hominum, theatro cõparata. Verſus igitur totus eſt ex numeris, certum numerum pedum, certam comprehenſionem habet, ut hexameter totus eſt ex dactylo & ſpondeo: ſex pedes, & ambitum in ſexto pede finit. Numerus non ita obſeruat pedes omnes, ſed tempora metitur: nec ſimilis eſt ubique ſui, ſed uariat modos, nunc breuior, ſtatim longior, ut ſententia & aures definiunt. Coniunctio uerborum eſt ea quæ σύνταξις appellatur, id eſt, ordo uerborũ in oratione. Numeroſe cadere, eſt in eum modum terminare clauſulam, quẽ aures eruditæ libenter audiant. Quadrare, quaſi quadratum eſſe & expolitum adeo, ut nihilo plus aures offendantur, quàm in quadrato lapide ducta manus Perfici, in eum finem currendo proferri, quem expetat aurium ſenſus. Numero profecto orator ab imperito dicendi ab ignaroq; diſtinguitur. Ille componendi rudis incondite, incompoſite, tumultuarie fundit & eijcit quãtum poteſt, nec finem facit continuationis uerborum, niſi cũ ſpiritu defatigato inuitus interſpirat, ut ij qui perpetuo conatu pſalmos aut aliquid ſcriptum continuant, nec ante quieſcunt, quàm intercluſus ſpiritus deficiat, & ſine arte determinet atque finiat orationem. Orator autem illigat ſententiam uerbis, hoc eſt uerbis ligatis ſententiam complectitur. Verba ligari numero dicuntur, quia numerus efficit ut uerba de loco in locũ mutentur quo optime ſedeant, & ne uagentur ſine lege, ut quæ fundit impetus naturalis. Ex uerbis ordine poſitis fit quiddam adſtrictum, et ſolutum. Adſtrictum, ſic ligatum uinctumq; pedum connexione, ut non uagetur. Solutum, liberum iure & lege uerſus. Orator enim cum modis & numeris uinxit orationem, non continuat eandem formam ut poeta, ſed relaxat & liberat immutatione ordinis, hoc eſt, alios in ſecũda ſententia collocat pedes, alios in tertia, & ſic deinceps: nec ducit pares ambitus: alios diffundit porrectius, alios curſu modico perficit. Ita laxi & quaſi liberi numeri uidentur. Cum dico numeros, intelligant rudes harum rerum, pedes ſic interſe compoſitos, ut illis decenter & apte currat oratio. Qui ſint, quique componantur, copioſe diſſeruimus in libro de Oratoria collocatione uerborum, & in Commẽtario in Ciceronis Oratorem. QVONAM igitur modo tantum munus inſiſtemus, ut arbitremur nos, &c.] Habes qualis ſit numerus, ad quid inuentus, & á quo, & á qua cauſa, & ut uerſum fugiat, ac maxime á dicendi imperitis diſtinguat oratorem. Poſt hæc differit quàm ſit ille facilis, quàm utilis ꝙ dignitatis plenus atq; uenuſtatis. Quónam igitur modo tantũ munus inſiſtemus, hoc eſt tam præclarũ ornamentum orationis annixe perſequemur, ut arbitremur nos hanc uim atque facultatem numeroſe dicendi conſequi poſſe? Metaphora ac translatio ducta eſt ab ijs qui inſiſtunt & uehementer urgent aut hominẽ aut beſtiam, ut conſequantur & apprehendant. Munus inſiſtemus dicit, ut Plautus, Inſiſte hoc negotium ſapienter, pro eo quod eſt, perſequere hoc negotium. Quæſtioni reſpondet hoc modo: Non eſt res tam difficilis quàm neceſſaria. Facilis eſt, quoniam oratio mollis et tenera ſic ut uolumus flectitur. Neceſſaria, non quidem ſimpliciter. Diu enim caruit numeris oratio. ſed ſi uelimus uitare ſatietatem, & audientium uoluptati nonnihil obtemperare, rem non eſſe difficilem confirmat ex orationis facilitate. Nihil eſt, inquit, tam tenerum, neque tam flexibile, neq; quod tam facile ſequatur, quocunque ducas, quàm oratio. Improprie dicta ſunt iſta: nec enim oratio tenera eſt, & flexibilis, & ſequax, ſed ex ſimilitudine translationis á cera ducta ſumpta ſunt. Cera tepidis aquis, aut alia tempore mollita, tenera eſt & flexibilis, & quocunque ducas, ſequitur, milleq; recipit figuras. Sic oratio mutatione partiũ huc illuc ducitur in multas formas generaq; dicendi. Hoc quale ſit, explicat apertius. Ex hac, inquit, uerſus, ex eadem diſpares numeri conficiuntur, ex hac ſoluta uarijs modis, multorumq; generum oratio. Demonſtrat iiſdẽ uerbis uerſum confici poſſe, iiſdem alium generis diuerſi, iiſdem orationẽ ſolutam, eamq; uel grauem, uel tenuem, uel temperatã.

Diſcite iuſtitiã moniti, & non temnere diuos. uerſus eſt heroicus: commuta ſic: Iuſtitiam diſcite moniti, & non diuos cõtemnere: ex iiſdem uerbis ſeptenarium conficies. Iuſtitiam diſcite, & diuos non temnere, uerſus eſt ſenarius. Moniti diſcite iuſtitiam, & non diuos temnere: abiecta eſt oratio. Diſcite moniti iuſtitiam, non temnere deos: honeſta. Poteſt alijs modis cõmutari. Si tam pauca uerba tam multas recipiunt quaſi figuras, quid fiet in uniuerſa copia uerborum? Non ſunt alia ſermonis & linguæ quotidianæ, alia contentionis, id eſt, orationis maioris apparatus, quæ ultra ſermonem quotidianum contendit: neque ex alio genere ad uſum quotidianum, alio ad ſcenam põpamq;, id eſt ad comœdiam, tragœdiam, mimos, panegyricos laudationes publicas ſumuntur. Tota res poſita eſt in ædificatione. Cum uerba iacentia ſuſtulimus è medio, hoc eſt, cum è ſermone communi uerba nullo honore magnifica ſumpſimus in orationẽ, ſicut molliſſimam ceram ad noſtrum arbitrium formamus & fingimus, non aliter atque architectus qui è media ſylua iacentes arbores ſuſtulit, & in quos uoluit uſus aptauit: aut figulus, qui iacentem terram in uaria fictilium genera finxit. Itaque tum graues ſumus atque ſublimes, tum ſubtiles & graciles, tum medium quiddam & temperatum certo genere componendi tenemus. Qui fit (inquies) mutãtur'ne uerba ac ſententiæ? Quid ni mutantur. Sed iſta mutatio componentis eſt, ædificantiſq;, non autem materiæ quæ è medio colligitur. Inſtitutam ſententiam ſequitur orationis genus, & forma dicendi uſque ad omnẽ rationem, & ad aurium uoluptatem & animorum motum mutatur & uertitur. Quintilianus: Eruditiſſimo cuique perſuaſum eſt, compoſitionem ualere quamplurimum non ad delectationem modo, ſed ad motum quoque animorum. Quid eſt hoc,

inſtitutam ſententiam ſequitur orationis genus? hoc eſt, Cum animo conceptam rem uerbis exprimere uolumus, è medio uerba ſumimus, & ſi artifices componendi ſumus, talem accipiunt figuram, qualem uolumus: & ut ſigillum cera figura, ſic ſententiam genus orationis ſequitur. Hactenus de facilitate orationis. Iam de utilitate, dignitate, & uenuſtate dicendum. Sic rem cõſtituit, numerum eſſe utilem, qui uincit delectatione ſatietatem, qui iuuat pronunciationem, qui torquet affectus, qui dat uim ſententijs. eundem habere plurimum dignitatis & uenuſtatis, ut pleraſque res quas utiles ingenioſa natura fabricauit. Et quo ſe ſpatius fundat in materia copioſa, & amœno loco, uarijs atque iucundis utitur collationibus, & ſuauiſſimo genere dicendi. Prima ſimilitudo ab utilitate eſt, & decore uniuerſi: alia à partibus eius, et ab hominũ artibus. Mundus eſt rotundus, ut ſuo ambitu complectatur omnia, & partibus undique uim ſuam infundat, quod in alia figura tam commode facere non poſſet. Terra media eſt, ut elementum grauiſſimum, centrumq; mundi, quã cætera elementa cœliq; circumcurrunt, ut illi uim genitalem atq; fœcunditatem afferant. Ea ſua ui ſuaq; ſponte, & ſuo nutu, id eſt ſua quadam procliuitate & poteſtate tenetur quaſi ſuſpenſa, ne ſi huc illuc declinet, ſurſum deorſum feratur, ordo partiũ confundatur. Sol circunfertur, non modo ut lucem caloremq; miniſtret animantibus, uerumetiam ut foueat elementa, ſuſcitet omnia quæ naſcuntur, & ſuo uapore ſuſtineat. Accedit is in deſcenſu hyberno ad brumale ſignum, Capricornum uocant aſtrologi: in cuius primo gradu reuertitur in altum à ſtatione brumali, in qua breuiſſimus eſt dies anni. Senſim per ſingulos parallelos et gradus aſcendit in diuerſam partem ſeptentrionalem, uſque ad primum gradum Cancri, ut aſcenſione & deſcenſione in circulo animalium qui zodiacus appellatur, quatuor anni tẽpeſtates conſtituat, & iucunda hyemis, ueris, æſtatis, autumni uarietate diuariet fructus, et animaliũ tẽperamenta. Luna acceſſu ad ſolẽ, lumẽ uidetur amittere, ut in coitu: receſſu ſuo paulatim recipit, ut is curſus in ſingulis menſibus, maris, piſcium, humorũ, corporum ſtatus uel augeat, uel imminuat, utq; habeant animãtes lucem qua nocturnos greſſus dirigere poſſint. Eadem ſpatia zodiaci quinque ſtellæ errantes, quæ planetæ uocantur, Mercurius, Venus, Mars, Iupiter, Saturnus, diſpares motu curſuq; cõficiunt, ut in diuerſis coniunctionibus, quas habent cum duodecim ſignis, aliud & aliud in mundo inferiore perficiant. Hæc & alia omnia utiliter facta, tantam habent uim atque poteſtatem, ut paulum immutata cohærere non poſſint: tantam pulchritudinem, ut nulla ſpecies non modo uideri, ſed ne excogitari quidem poſſit ornatior. Referte nunc animum ad mundi partes, ut ad hominum uel etiam cæterarum animantium formam & figuram, nullam partem corporis ſine aliqua neceſſitate affictã afformatamq; reperietis. Nam cerebrum temperat cor, & molle domicilium eſt ſapientis animæ. oculi uident, aures audiunt, nares odorantur, os loquitur, & intromittit alimenta, humeri ferunt, manus laborant, pectus uitalia continet, cor ſuggerit calorem, iecur conficit ſanguinem, uenter coquit nutrimentum tam ſiccum quàm humidum, pedes ambulant, uenæ deferunt humores, arteriæ ſpiritum calentem, nerui ſpiritum ſentiendi, oſſa ſuſtinent, carnes operiunt. Quid? Nihil eſt otioſum, nihil quod cum ſumma utilitate maximam nõ habeat dignitatem. Omnis ſumma arte conditoris extructa, non caſu facta, ut ſtulte arbitrabatur Democritus & Epicurus. Quid in arboribus, quæ anima uegetante uiuunt? in quibus radix tanquam os aſſumit alimentũ, truncus firmat uniuerſam molem, rami ferunt fructum, folia ramos fructusq; ueſtiunt, omnia conſentiunt ad ſuam retinendam conſeruandamq; naturam: nuſquam tamen eſt ulla pars niſi uenuſta. Linquamus naturam, quam prouidam maxime fuiſſe conſtat, arteſq; uideamus naturæ imitatrices. Quid tam in nauigio ſiue in naui neceſſarium, quàm latera intercipientia ſpatiũ hominibus & rebus uehendis? quàm carinæ ſuſtinentes impoſitam molem? quàm prora à fronte prorumpens et diuidens aquas? quàm puppis à tergo regens et gubernans totum nauigiũ? quàm antennæ ferentes uela? quàm uela cõcipientia uentos, nauemq; impellentia? quàm mali firmamenta nauium atque uelorum? quàm reliqua, ut tranſtra, gubernacula, claui, roſtra? quæ tamen hanc habent in ſpecie & figura uenuſtatem, ut non ſolum ſalutis, ſed etiam uoluptatis cauſa inuenta eſſe uideantur. Reſpiciamus & alia ædificia. columnæ ſuſtinent templa, ferunt porticus, quæ propter repentinos imbres, & captandas umbras, & minus obuiam iniuriæ cœli deambulationem conſtruuntur: tamen habent non plus utilitatis quàm dignitatis. Capitolij faſtigium illud, ſummumq; tectum, & cæterarum ædium tam ſacrarum quàm prophanarum, principio non uenuſtas & decor, ſed neceſſitas ipſa fabricata eſt. Nam cum eſſet habita ratio, quemadmodum ex utraque parte tecti aqua pluuia delaberetur, utilitatem templi faſtigij dignitas conſecuta eſt: ut etiã ſi in cœlo Capitolium poneretur, ubi pluuia quæ in aere medio gignitur, eſſe non poſſet, nullam ſine faſtigio dignitatem habiturum fuiſſe uideatur. Hoc (ut tandem ſimilitudo conferatur propius) in omnibus partibus orationis euenit, ut exordio, narratione, confirmatione, peroratione, ut utilitatem ac ferè neceſſitatem ſuauitas quædam uoluptatis & lepos conſequatur. Clauſulas enim, id eſt, fines ambituum atque membrorum, & interpuncta uerborum, hoc eſt, diſtinctiones quibus interſpiratur, animæ ſiue anhelitus interclusio et ceſſatio, atque anguſtiæ ſpiritus attulerũt. Non enim nobis eſt è pulmonibus perpetuæ uocis ſpiritus, qui citra quietem cauſam uniuerſam pronunciare poſſit. Id inuentũ eſt ita ſuaue atque iucundum, ut ſi cui ſit infinitus ſpiritus datus, tamen eum perpetuare, & ſine intermiſſione cõtinuare uerba nolimus. Id enim auribus noſtris gratum eſt inuentum, quod hominum lateribus, quorum compreſſu uox eliditur, non tolerabile ſolum, ſed etiam facile eſſe poſſit. LONGISSIMA *eſt igitur complexio uerborũ, quæ uolui uno ſpiritu poteſt, etc.*]

Periodus alia quaſi naturalis, de qua ſic loquitur. longiſſima eſt complexio uerborum, quæ uolui uno ſpiritu poteſt: hoc eſt, ambitus is eſt longiſſimus, qui euolui & enunciari uno animæ conatu poteſt, qui modus quoq; menſura non artis eſt, ſed naturæ. Alia artificialis, de qua poſtea dicetur. non effundit quantum poteſt, ſed ubi coagmentatione facta & numeris contextis eſt abſoluta modulatio, quieſcit. Vt abſoluatur, numeri ſunt uidendi. Numeros hic dico pedes orationis, qui quidem ſunt plures, ſpondeus, pyrrichius, iambus, choreus, dactylus, anapaeſtus, trochæus, moloſſus, creticus, amphibrachus, bacchius, palimbacchius. Alij ſunt ex his compoſiti, in quibus maxime nominantur dichoreus, pæan, dochimus. Nullus iſtorum non uenit in orationem, ſed alij deteriores ſunt, alij præſtantiores. Iambum & trochæũ, qui uulgo tribrachus appellatur, frequentem, ſegregat ab oratore Ariſtoteles Rhetoricorum libro tertio: quoniam etſi natura incurrunt in orationem ſermonemq; noſtrum, tamen ſunt inſignes & nimis acres percuſſiones eorum numerorum, & minuti pedes. Iambus enim aſſurgens à breui ad longam, imitatur tympani ſonum: trochæus, id eſt tres breues ſubſultant, & loco manere non poſſunt. ὁ δὲ ἴαμβος αὐτή ἐστιν ἡ λέξις ἡ τῶν πολλῶν· διὸ μάλιστα πάντων τῶν μέτρων ἰαμβεῖα φθέγγονται λέγοντες. δεῖ δὲ σεμνοτέραν γενέσθαι καὶ ἐκστῆσαι. ὁ δὲ τροχαῖος κορδακικώτερος, δηλοῖ δὲ τὰ τετράμετρα, ἐστὶ γὰρ τροχερὸς ῥυθμὸς τὰ τετράμετρα. *Iambus ſermo eſt ipſe multitudinis, idcirco ex omnibus, uerſibus iambicos maxime loquendo ipſa fundit. Opus eſt autẽ orationem grauiorem conſtitui, quàm ſermonem linguæ quotidianæ. At trochæus eſt tripudijs aptus magis, quod octonarij in quibus uolubilis eſt numerus, oſtendunt. Itaque ſententia maximi utri neque iambus neque trochæus eſt frequentandus, quia ſunt inſtabiles & infirmi pedes. Ad heroum nos dactyli & anapæſti,*

anapaeſti, & ſpondei pedem inuitat. τῶν δὲ ῥυθμῶν ὁ μὲν ἡρῷος, σεμνὸς καὶ λεκτικὸς, καὶ ἁρμονίας δεόμενος. Numerorum grauis eſt herous, elegans, harmoniam quærens. Videtur in hac re Cicero ſibi contrarius. Nam in Oratore deterret ab heroo numero, hic ad illum nos inuitat Ariſtoteli, inquit, uidetur ſecus, qui iudicat heroum numerum grandiorem, quàm deſideret ſoluta oratio, iambum autem nimis è uulgari eſſe ſermone. Itaque neque humilem nec abiectam orationem, nec nimis altam & exaggeratam probat, plenam tamen eam uult eſſe grauitatis, ut eos qui audient, ad maiorem admirationem poſſit traducere. Trochæum autem, qui eſt eodem ſpatio quo choreus, cordacem appellat, quia contractio & breuitas dignitatem non habeat. Certe pes herous, id eſt dactylus, & ſpondeus, & anapæſtus eodẽ ſpatio quo dactylus, frequenter incurrit in orationem ſolutam: ſed non eſt continuandus, eo quòd illam grauiorem altioremq́; reddit. Herous dicitur, quòd eo numero heroum res geſta cani ſoleant. Nec te moueat anapæſtus, ſi non habet locum in uerſibus heroicis: dactyli comes eſt in oratorio numero, quia duabus ſyllabis breuibus una longa, quemadmodum in dactylo, reſpondet. Hos pedes (ut dixi) non continuamus in rhythmo, ſed duos aut tres dũtaxat in fine numeramus, ne planè in uerſum aut ſimilitudinem uerſus incidamus. Verſus enim pedes omnes enumerat, & incertum ordinem digerit: oratio poſteaquam libere cucurrit, adſtringuitur duobus aut tribus pedibus certis, ut trochæo & ſpondeo, fugere debet. aut dactylo & anapæſto, texere numeros. aut dichoreo, conquieſcit. aut iambo & moloſſo, flore iucundo: aut iambo & Cretico, minuti pedes. aut alio ſi ne rhythmicis uſitato. Nec enim placet in eo diu commorari, quod alibi apertiſſime demonſtrauimus. Quidam legunt hic duo pedes, ut duo ſit caſus accuſandi: quemadmodũ apud Virgiliũ.

Si duo præterea tales Idæa tuliſſet
Terra uiros.

Aliæ ſunt geminæ, quibus hi tres heroi pedes in principia continuandorum uerborum ſatis decore cadunt. In ſingulis pedibus ſimplicibus, quia habent arſin & theſin, id eſt elationem & poſitionem, ſingulæ ſunt percuſſiones. Si duos in clauſula pedes certos cõſtituimus, geminæ ſunt percuſſiones. Si totidem pedes obſeruamus in principio, aliæ ſunt geminæ in principio continuationis, quam periodon Græci uocant. Senſus eſt igitur: Aliæ ſunt geminæ percuſſiones in principio, in quo duo obſeruantur pedes, quibus hi tres heroi pedes, dactylus, anapæſtus, ſpondeus, in principia continuandorum uerborum, hoc eſt in principium ambitus ſatis decore cadunt. Ponuntur itaque & in principio & in fine uel ipſi tres ordine, quod rarum eſt, uel ſinguli cum alijs mixti, quod potius eſt intelligendum. Animaduerti iudices, anapæſtus eſt atque ſpondeus. Quæ res in ciuitate duæ, ſpondei ſunt duo. Etſi uereor iudices, ſpondeus & anapæſtus. Quid comitatus noſtri, quid gladij uolunt? dactylus & ſpondeus. Inſidiator erat in foro collocatus, atque in ueſtibulo ipſo ſenatus, geminus eſt dactylus. Reuocare tu me in patriam Milo potuiſti per hos, concurrunt tres heroi pedes. Probatur autem ab Ariſtotele maxime pæan, qui eſt duplex: nam aut à longa oritur, quã tres breues conſequuntur, ut hæc uerba, definite, incipite, comprimite: aut à breuibus deinceps tribus extrema producta atq; longa, ſicut illa ſunt, domuerant, ſonipedes. Grammatici duos alios dicunt eſſe pæanas: ſecundum, ut amauimus, docebimus: tertium, ut uideatur, teneatur: de quibus ueteres non faciunt mentionem. Comprehendunt alijs pedibus, ut omnes ferè numeros qui quatuor pluribus'ue ſyllabis conſtant. Ariſtotelis uerba ſunt: οἱ μὲν οὖν ἄλλοι διὰ τε τὰ εἰρημένα ἀφετέοι. καὶ διότι μετρικοὶ, ὁ δὲ παιὰν ληπτέος, ἀπὸ μόνου γὰρ οὐκ ἔστι μέτρον τῶν ῥηθέντων ῥυθμῶν, ὥστε μάλιστα λανθάνειν. Reliqui numeri propterea quæ dicta ſunt, & quoniam metris conueniunt, omittendi, Sumendus eſt pæan, ex quo uno nullus eſt uerſus, unde fit ut maxime lateat. Idem: ἔστι δὲ παιᾶνος δύο εἴδη ἀντικείμενα ἀλλήλοις, ὧν τὸ μὲν ἀρχῇ ἁρμόττει, ὥσπερ καὶ χρῶνται. οὗτος δ' ἐστὶν, οὗ ἄρχει μὲν ἡ μακρὰ, τελευτῶσι δὲ τρεῖς βραχεῖαι. ἕτερος δ' ἐξ ἐναντίας, οὗ βραχεῖαι ἄρχουσι τρεῖς, ἡ δὲ μακρὰ τελευταία, οὗτος δὲ τελευτὴν ποιεῖ. Duæ ſunt ſpecies pæanis oppoſitæ. Alter ut exercet uſus, principio quadrat. Pæan eſt, cuius prima lõga, tres autem deinceps breues. Alter contrarius, priores ſunt tres correptæ, ultima producta. hic in fine collocatur. Eſt autem pæan hic poſterior, non ſyllabarum numero, ſed aurium menſura par ferè cretico. Nam quemadmodum pæan eſt ſeſquiplex, ita quoque creticus. Singuli quina habent tempora & interualla, deſinuntq́; à breui in longam. Sic aures, quarum in hac re acrius eſt ac certius iudicium, quàm aliorum ſenſuum, pares & impares numeros metiuntur: neque ſyllabarum numerum, ſed temporum quantitatem comparant. Creticus eſt ex longa & breui & longa, ut in hoc uerſu tragico ex Ennij Hecuba:

Quid petam præſidij, aut exequar? quoue nunc auxilio
& fuga Freta ſim?

Si fiat colliſio uocalium in uocabulo præſidij, ut duæ poſtremæ in unam trahantur, quatuor erunt continui cretici, Quid petã, præſid' aut, exequar, quo'ne nunc. Nec alia de cauſa propoſuit hunc uerſum. Non enim de numeris poetarum habetur hic ſermo, quanquam ijdem ſunt poetis & oratoribus pedes. Quamobrem mox addit oratorium exemplum ex Fannio: Si quirites minas illius. Multorum nomen eſt Fannius. Dicit (ut opinor) C. Fanniũ, qui conſul cum Domitio fuit, et unam orationem de ſocijs & nomine latino contra Gracchum reliquit, ſanè, ut ait Cicero in Bruto, & bonam, & nobilem. Hunc poſteriorem pæana, & illi parem interuallis creticum, clauſulis aptiorem putat Ariſtoteles, quas uult longa plerunque ſyllaba terminari. Inquit enim. ἀλλὰ δεῖ τῇ μακρᾷ ἀποκόπτεσθαι, καὶ δῆλον εἶναι τὴν τελευτήν. Oportet longa terminari, & minime obſcurum eſſe finem. NEQVE uerbo hæc tam acrem curam diligentiamq́; deſiderant, quàm, &c.] Probauit in numeris oratorijs dactylum, anapæſtum, ſpondeum, pæanas duos, & creticum: nec improbauit iambum & trochæum, ſi modo nõ eſſent frequentes. Sunt alij probabiles ſuo loco. omnes enim incurrũt in orationem. Iam differendum eſt qui debeant à componente collocari, an eo modo quo digeruntur à poetis. Hæc non tam acrem curam diligentiamq́; deſiderant, quàm eſt illa cura ac diligentia poetarum, quos neceſſitas, qua eſt lex carminis in quo uerſantur, & ipſi numeri ac modi, id eſt, rationes & iura modulandi recepta, ſic uerba cogunt uerſu includere, & ordine comprehendere, ut nihil ſit ne ſpiritu quidem minimo breuis aut longius, quàm neceſſe eſt. In uerſu heroico neceſſitas eſt, & lex neceſſario obſeruanda. Sunt numeri ac modi, ut pedes ordine contexti: ſunt uerba ſic incluſa colligataq́; uerſu, ut nihil ſit neque breuius neque longius quàm neceſſe eſt. Ineſt enim dactylus & ſpondeus, quorũ loco nec breuiores nec longiores uſurpare poſſis. Singulis quaterna ſunt tempora, nec poſſunt eſſe plura, nec pauciora: niſi forte argutulus dicat, eſſe aliquam ſyllabam longa longiorem, ut quæ diphthongo produci producitur, aut quæ lõga ipſa poſitione breuem natura ante ſe poſitam producit. Iſta ſubtilitas nullius eſt momenti. Liberior eſt oratio quàm uerſus, & ut ſoluta appellatur, ita planè & uere eſt ſoluta: non ut fugiat tamen, aut erret, ſed ut ſine uinculis ſibiipſa moderetur. Fugit illa, quæ nulla omnino lege fertur: ut uerba confluunt in buccam, ſic arripit, & ſine modo & ordine profundit ſimilisq́; eſt equo, qui frenis abiectis, & relicto compoſito gradu, per ualles, per abrupta, per inuia & cœnoſa currit, nec ullam retinet ſpeciem acceptæ diſciplinæ. Errat, quæ extra uiam cõponendi nũc huc nunc illuc diuagatur: modo tardius, modo celerius incedit, interſiſtit, erumpit, in mille modos ſe uertit. Illa autem ſine uinculis ſibi ipſa moderatur, quæ strictis numerorum quaſi habenis

hæc à philoſophis Ariſtotele & Theophraſto dicta ſunt. Theophraſtus enim dicit orationem politã & factam, non adſtricte, ſed remiſſius numeroſam eſſe oportere, à poetis anapæſticos & dithyrambos libertate pedum relaxatos eſſe, libertatem eiuſmodi uel maiorem orationi eſſe concedendam. Ariſtoteles autem, quæ ſuperſunt. τὸ δὲ σχῆμα τῆς λέξεως δεῖ μήτε ἔμμετρον εἶναι μήτε ἄρρυθμον. Figuram orationis non oportet eſſe neque numeroſam uti uerſum, neque numero deſtitutam. λέγω δὲ εἰρομένην, ἣ οὐδὲν ἔχει τέλος καθ᾽ αὑτήν, ἂν μὴ τὸ πρᾶγμα λεγόμενον τελειωθῇ. ἐστὶ δὲ ἀηδὴς, διὰ τὸ ἄπειρον. Dico tractatum orationem, quæ nullum per ſe modũ habet, niſi res ſubiecta finierit. Eſt illa inſuauis & iniucunda, propterea quòd nullo fine certo determinata eſt. δεῖ δὲ καὶ τὰ κῶλα, καὶ τὰς περιόδους μήτε μειούρους εἶναι, μήτε μακράς. Par eſt & membra & ambitus neq; curta eſſe, neq; prolixa. QVARVM tãdem, inquit Catulus, aut quid diſputatione iſta afferri poteſt, etc.] Quid ſit cauſæ cur L. Craſſus uereatur ne præcipiẽs de numeris ineptus eſſe uideatur, & cur interponit auctoritatem ueterum ſapientiſſimorum hominum, ſupra diximus. Inuidiam patiebatur numerus in principio, & aliquid auctoritati detrahere uidebatur. Prouidit hæc homo circumſpectus, & rationem habuit temporis illius. Atq; hæc quidem, inquit, ab iis philoſophis, quos tu maxime diligis Catule dicta ſunt, quod eo ſæpius teſtificor, ut auctoribus laudandis ineptiarum crimen effugiam. Reducit in memoriam Catuli amorẽ in philoſophos, ut ei minus liberum ſit illorum quos amet, ſententiæ refragari. Metum ineptiarũ dedit Craſſo, quia dictitare ſolebat id ſe uereri, ne magnis uiris, maxime Scæuolæ, ineptus eſſe uideretur. Laudatores actæ diſputationis inducit, non iuuenes qui amant delitias orationis, ſed Catulum & Antonium uiros graues, ut plus ſit ponderis in commendatione. Teſtificor.] In teſtimonium adduco. Ineptiarum.] Ineptias hic dicit quæ perſonæ non conueniunt. De ineptiis dictum eſt principio libri ſecundi. Subtilius.] Acutius. At enim uereor.] Numeroſe dicere non eſt tam difficile, quàm neceſſarium, ut ante dixit: quam igitur obiicit difficultatem? Non pronunciat ſimpliciter rem eſſe difficilem, ſed uereri ſe ne difficilior inuenibus, quia non traditur in uulgari doctrina, eſſe uideatur. Ad quod facit Catulum reſpondentem, ab eo non opera quotidiana & peruagata expectari, ut ſi quid omiſerit leuium rerum, id conſulto feciſſe dicatur. Neque tam dici, quàm iſto dici modo.] Probat non inuentionem modo, ſed etiam tractationem. Inueni tandem.] Definiuit antea quem diceret eſſe diſertum, & quẽ eloquentem. Vtranque definitionem uult modo Craſſo cõuenire, quoniã laus quærit amplificationem & hyperbolen. Aliud dixerat, & nunc aliud ſentit. Sed eo te ne laudandi.] Laudauit ampliſſime Craſſum, & ultra ueritatem: dicit tamen ſe nõ interpellaſſe, ne laudandi quidem cauſa, ne ſi Craſſus reiiciat laudem, diutius extra propoſitum tempus conteratur. Verbo uno meo.] Facete loquitur Antonius. Etenim & interpellauit, & laudauit, & plus uno uerbo locutus eſt: nihil tamen iſtorum feciſſe ſe confirmat. Hanc igitur, Craſſus inquit.] Digreſſus paululum à propoſito, quo ratio dialogi ſeruaretur, redit ad inſtitutum. Docet quibus rebus numerum nobis paremus, quiq; ſit modus in eo ſeruandus. Hanc ad legem cum exercitatione tum ſtylo formanda eſt oratio. Lex eſt, obſeruatio numeri. Exercitatio, uſus numeroſe dicendi. Stylus, ſcriptio numeroſa. Hunc maxime laudauit Craſſus libro primo, & nunc quoque cõmendat, cum dicit ab illo alias orationis partes & hanc maxime ornari atq; limari. Modus is tenendus, ut nõ hæc rhythmicorũ ac muſicorum acerrima norma dirigantur, ſed tantum ne fluat oratio, ne uagetur, ne inſiſtat interius, ne excurrat longius, ut membris diſtinguatur, ut conuerſiones habeat abſolutas. Rhythmicos dicit hic non eos qui cõficiunt rhythmos oratorios, ſed qui ligant numeros poeticos, aut quaſi poëticos, ut canantur. Tales ſunt hymni & odæ lyricorum. Rhythmos eiuſmodi ſumebant muſici, & illis compoſitos aptabãt ſonos, ut ore uel lyra aliõue organo concinerẽtur. Vtriſque & rhythmicis et muſicis adhibendi certi numeri, certæ percuſſiones, æqualia interualla: quæ omnia ſunt oratoribus liberiora. Illis igitur acerrima norma, qua ſuos cantus dirigunt, his minus ſeuera. Fluit oratio, quæ nullas habet diſtinctiones ab arte, ut amnis præcipitans, & ea quæ nulla lege fertur ſoluta. Exemplis ſcatent orationes imperitorum. Vagatur quæ nõ ſeruat quam cœpit uiam, ſed uarie diſſilit, ut hæc: Conſules in adminiſtrãda Reip. uideant diligenter, ne ſeditioſi homines in concionibus quas turbant, regnent, ne in comitiis dominentur, ne uocent operas. Principio uoce cõpoſita fertur, deinde ſubſiſtit, mox reſumit curſum, nec ita multo poſt iterum hæret, tandem relinquit priorem uiã, & ſine modo ſubſultat. Inſiſtit interius, quæ ante deponit pedem, quàm numerus ſit abſolutus, ut illa quæ membra poſteriora ſuperioribus habet curtiora. Excurrit longius, quæ numero perfecto non abſoluit ſententiam, ut, Sed eò te ne laudandi quidem cauſa interpellaui, ne quid de hoc tam exiguo ſermonis tui tẽpore, uerbo uno meo diminueretur & auferretur. Membris diſtinguitur, quæ habet ſuos articulos, modo finitos, non excurrit ut perpetuus amnis. Cõuerſiones habet abſolutas, cui ſunt periodi nõ modo pedibus aptæ, uerumetiã tam longe atque porrectæ, ut non ante finiantur, quàm aurium ſenſus acquieuerit. Conuerſiones dicit λέξεις κατεστραμμένας. Neq; ſemper utendũ eſt perpetuitate, id eſt periodis & circũſcriptionibus: id enim moleſtũ eſt, ac cito parit ſatietatem: ſed ſæpe carpenda, hoc eſt corripienda, & abbreuianda membris minutioribus oratio eſt, ſiue quòd res ſubiecta breuis non uult onerari multitudine uerborum, ſiue quòd oratio uarianda non patitur unam omniũ ſententiarum eſſe menſuram, ſiue quod acriter atq; atrociter ſæpe dicendũ, & crebrioribus numeris tanquam pugiũculis utendum. Sint igitur in oratione membra, quæ κῶλα dicuntur à Græcis, & ea quemadmodum periodi, aut certe diligentius, numero uinciantur. Nihil, inquit, in oratore tam debet eſſe numeroſum, quàm hoc quod minime apparet, & ualet plurimũ. Ex hoc genere illud eſt Craſſi: Miſſos faciãt patronos, ipſi prodeant. Ibidem: Quæ inciſim aut mẽbratim efferuntur, ea uel aptiſſime cadere debent, ut eſt apud me: Domus tibi deerat? at habebas. Pecunia ſuperabat? at egebas. Hæc inciſe dicta ſunt quatuor. At mẽbratim quæ ſequuntur duo: Incurriſti amens in columnas, in alienos inſanus inſaniſti. Numeri nõ ſunt tãti laboris quanti uidentur. Ne nos pæan, inquit, aut herous ille cõturbet, ipſi occurrent orationi: ipſi inquam ſe offerent, & reſpondebunt non uocati. Eſt ſententia, quã uerbis exprimere contendis, uerba rerum ſingularum cateruatim ueniunt in buccam, in quibus ſyllabæ ſunt aut longæ aut breues, aut utriuſque quantitatis participes. ex illis de loco in locum mutatis, quos uoles numeros efficies: & ubi firmata fuerit uel dicẽdi uel ſcribendi conſuetudo, res erit tam facilis, tam prompta, tã obuia, ut non ars, ſed ipſa natura fudiſſe numeros poſſit uideri. Coniunxeris longas multas, non deerunt ſpondei. interpoſueris breues, aderunt dactyli, anapæſti, pæanes, cretici, & generis eius pedes. Aſſueſcendum igitur, ſententias explere & finire uerbis, optimoſq; numeros ſuo quenque ordine collocare. Proceri numeri laudantur in principio. Verborum iunctio, inquit, naſcatur à proceris numeris ac liberis, maxime heroo, & pæane priore, aut cretico. Verborum iunctio eſt, compoſitio & extructio orationis. Proceri numeri ſunt longiuſculi, ut dactylus, anapæſtus, pæan, creticus; qui in principio debent eſſe liberi ac uarii, ne incidant in ſpeciem uerſus. Sæpe enim ſunt numeri proceri in uerſibus heroicis, ſed liberi non ſunt. Breues autem, ut iambus, choreus, ſi multi initio ponantur, cadent in ſimilitudinem uerſus aut ſenarii iambici, aut octonarii. Efficiendum uel diligenter ne à uerſu ducas initium, ne'ue à minuto

numero uel nimium pigro exordiare. Is labor initijs impenditur. Curam maiorem uolunt clauſulæ, & extremæ comprehenſiones, propterea quòd numerus in fine maxime obſeruatur: quamobrem iubet ut illic uarie diſtincteq; conſidat. Varie conſidet, ſi non terminabitur tantum in unum pedem, ut dichoreum, quo ferè ſemper utebantur Aſiani Hierocles et Menecles: ſed aliquando in ſpondeum, interdum in pæana, ſæpe in dichoreum, nonnunquam in creticum: nec raro in alios pedes, qui rem totam ſua firmitate quadam ſuſtinere poſſunt. Sic enim diſtincte quieſcet. Notatur maxime ſimilitudo in conquieſcendo. Itaque ſi in tribus aut quatuor cõtinentibus periodis unum eundemq; pedem extremum collocaueris, notabitur quamprimum: & non modo ſui, ſed aliorum quoque faſtidium gignet. Tanta diligentia medijs adhibenda non eſt, quoniam illa obſcurius audiuntur. Si primi & poſtremi pedes ſint ratione ſeruati, medij poſſunt latere, modo ne circuitus ipſe uerborum ſit aut breuior quàm aures expectent, aut longior quàm uires laterum aut ſpiritus & anima patiatur. Perfectio & abſolutio maxime iudicatur in clauſula: prima pauci cernunt, media ferè nulli, poſtrema plerique: quæ quoniam apparent, uarianda ſunt: ne aut animorum iudicijs repudientur, aut aurium ſatietate. In quo diſſerentia uerſus & numeri diſcerni poteſt. Verſus enim æque prima & media & extrema pars attenditur, qui debilitatur in quacunque ſit parte titubatum. Extrema in numero maxime attendũtur. Duo igitur longiores, aut tres breuiores ſunt ferè extremi ſeruandi & notandi pedes, niſi cum uel membrum uel periodus eſt admodũ parua. Choreus, χορεῖος optime ſedet uel unus, facere uideamur: uel geminus, omnia diſſipauit: uel triplex, uana loquacitate. Herous eſt freq̃uẽs in fine, ut dactylus, uerumetiã numeris ac uocibus. Anapæſtus, in aquas deſiliũt. Spondeus, theatra tota reclamant. Miſcentur inter ſe, quod paulo antea ſcripſimus, & alterni collocantur. Pæana poſteriorem in clauſula apte poni iudicat Ariſtoteles, non magnopere laudant ij qui longis extrema firmari uolunt. Creticus eſt firmior, ut hic, conuerſiones Græci nominant. HORVM uiciſſitudines efficient, ut neque ij ſatientur qui audient, &c.] Pedum uiciſſitudines & uariæ collocationes in clauſulis efficient, ut neque ij ſatientur qui audient, faſtidio ſimilitudinis: nec nos id quod facimus, opera dedita & ex induſtria facere uideamur. Vtrunque cauendum eſt, & affectatum dicendi genus, & ſui ubique ſimile: quoniam faſtidium atque tædium generat. Itaque & in alijs locis, & maxime in extremis, neque ijdem ſunt continuandi pedes, nec in diuerſis conuerſionibus ijdem ſemper collocandi. Offerunt ſe diuerſi ſententia ducente: nec ulli repudiandi, niſi qui aureis aliquo uitio lædunt. Adde quòd in collocandis multis ſpecie diuerſis pronior eſt omnis ratio numeroſe dicendi: quemadmodum facilius eſt uerſiculos licentia uagos effundere, quàm heroicos, & eos qui paucis pedibus feruntur. Numerorum uarietas, & dicendi ſcribendiq; conſuetudo, mollem reddit hanc uiam componendi, adeo ut ſint reperti qui plurimos uerſus funderent ex tempore, in quibus fuit Antipater Sidonius poeta, qui Craſſi temporibus uixit. Ille non hexametros modo, uerumetiã alios uarijs modis atq; numeris extemporali facultate faciebat: quod aſſequebatur ingenio, memoria, & exercitatione. De illo facit mentionem Plinius libro ſeptimo Hiſtoriæ naturalis: Antipater Sidonius poeta omnibus annis uno die natali tantum corripiebatur febre, & eo conſumptus eſt ſatis longa ſenecta. Sidon urbs eſt Phœnicæ. Illud autem ne quis admiretur.] Occurrit tacitæ quæſtioni. Quærat enim quiſpiã, qui Craſſus dixerit poſtrema à pleriſque cerni, & ſimiles numeros notari, cum eorum ſit ignarum uulgus imperitorum? Reſpõdet id ui naturæ fieri, quæ ſua ſponte de rectis ac prauis diiudicat. Notet.] Obſeruet. Vulgus imperitorum.] Indocta multitudo. In omni genere.] In omni arte, omniq; ratione. Tacito quodam ſenſu.] Occulta facultate ſenſuũ atque animi. In artibus ac rationibus. Artes habent præcepta certa ad unũ finem tendentia. Rationes interim ſignificant artes, interdũ obſeruationes, quæ præceptis incertioribus utuntur. Hoc poſteriore modo rationes dixit hoc in loco. In picturis et in ſignis.] Pictura coloribus atque lineamẽtis conſtant, neq; ſolidæ ſunt. Signa ſiue ſimulacra per ſe ſtant in auro, argento, ebore, marmore, lapide, ligno. A' natura minus habent inſtrumenti.] Quædã ſunt artes, ut mathematicæ, ut fabriles, quæ tota penè doctrina & magiſtri præceptione cõſtant, nec ſine ullo doctore intelligi poſſunt. Ad harum intelligentiam à natura minus habemus inſtrumenti. Quædam penè ab omnibus natura ipſa intelliguntur, ut piſcatoria, uenatoria, agricultura, ſcientia morum, philoſophia naturalis. Plus à natura ad illas intelligendas habemus inſtrumenti. In uerborum, numerorũ, uocumq; iudicio.] Verba, ſunt rerum uocabula: numeri, in uerbis modi quidam: uoces, ſoni qui in uerbis pronunciandis eliduntur. In communibus ſenſibus.] In omnium auribus & animis. Verbis arte poſitis.] Verba arte poſita ſunt, quæ uel figura præclara, uel ſeuera electio, uel coagmentatio & pulcher ordo commendat. Is ordo non eſt numerus, ſed ex illo numerus conficitur, & ex impreſſione. Voces artificioſæ numerum ſequuntur. Quotus enim quiſque eſt.] Etſi numerus non eſt res difficilis, pauci tamen tenent artem numerorum ac modorum. Omnes de is ſenſu quodam naturali iudicant. Numeri omnes ſunt modi, non omnes modi ſunt numeri uerborum. Numeros retulit ad uerſus & orationes, modos ad uoces muſicorum. Nam ſubijcit exempla, unum de hiſtrionibus: qui ſi paulum modo offendiſſent, & aut contractione breuius, aut productione longius aliquid feciſſent, theatra tota, id eſt omnes ſpectatores reclamabant. Alterum de muſicis, qui à multitudine & populo eijciebãtur è ſcena, nonnunquam ſinguli ſibi diſcrepantes: aliquando uniuerſi, & cateruæ, atque cõuentus ſimphoniacorum, & inſtrumenta uel inflantium uel pulſantium. Muſicam adhiberi ſolitam ſcenæ, oſtendit Quintilianus cap. de Muſica: Apertius, inquit, profitendum puto, non hanc à me præcipi muſicam, quæ nunc in ſcenis effœminata, & impudicis modis fracta, non ex parte minima, ſi quid in nobis uirilis roboris manebat, excidit. Explodebant malos hiſtriones, eijciebant muſicos ij qui nec artẽ hiſtrionicam nec muſicam tenebãt. Mirum uideri poteſt, ſed natura comparatum eſt, ut cum plurimum in faciendo interſit inter doctum & rudem, non multũ differat in iudicando. Ars enim à natura profecta eſt, & ab illa principia quædã cepit, & eius imitatrix eſt. Itaque niſi naturam noſtram moueat, atque naturale iudicium pulſet, nihil ſanè egiſſe uideatur. Quid erit ſi opera ſua artifices ſoli probent? Ergo natura de numeris & uocibus, quandoquidem cognationem quandã habent cum mentibus noſtris (ſimul enim naſcuntur) non improbe iudicamus. Cognitio ex eo attenditur, quòd numeris & uocibus excitamur, & incendimur, & lenimur, & langueſcimus, & ad hilaritatem & ad triſtitiam ſæpe deducimur. Accidunt hæc omnia ſonos muſicos audienti. Nonne tympanis & tubis milites excitantur & incendũtur? Nonne ſuaui cantico noſtræ curæ leniuntur? Langueſcimus'ne audito triſti cantu & tardo? Quid? quòd in templis hilares, ſæpe etiam triſtes ſumus, ut modi uel hilare uel lugubre ſonuerunt? Accidunt eadẽ, numeros orationis audienti. Vis tamen eſt maior carminibus poetarum, & cantibus muſicorũ, propterea quòd numerus in illis atq; modulatio apertior eſt. Itaq; ad animorũ motum Numa rex epulis ſolennibus, quæ in honorem deorũ parabãtur, adhibuit tibicines & fidicines, qui tibiarũ & fidiũ cantu ſacra facerẽt auctiora. Inſtituitq; Marti carmen, quod ſacerdotes eius dicti Salij ſaltantes & ancilia per urbem ferentes concinerent. Ante Numam ueteres Græci conuiuia muſicorum uocibus ornabant:

ornabant : de quo Quintilianus hæc : Vnde etiam ille mos, ut in conuiuio poſt cœnam circumferretur lyra: cuius cum ſe imperitum Themiſtocles confeſſus eſſet (ut uerbis Ciceronis utar) habitus eſt indoctior. Sed ueterum quoque Romanorū epulis fides ac tibias adhibere moris fuit. Verſus quoque Saliorum habent carmen. Quæ cum omnia ſint à rege Numa inſtituta, faciunt manifeſtum, ne illis quidem qui rudes ac bellicoſi uidentur, curam muſices, quantam illa recipiebat ætas, defuiſſe. De puerilibus his uerborum tranſlationibus.] Metaphoras dicit etiā notas pueris grammaticis, de quibus paulo ante dixit, cuius diſputationis humilitatē reijcit eos in quibus iſta didiciſſe nō inutile eſt. Verum ut in uerſu.] Vulgus & Græcorum & Romanorum ſi quid peccatū eſſet in ijs uerſibus qui recitabantur in ſcena, propter frequentem audiendi conſuetudinem facile uidebat. Quinetiā ad iudicia publica, ubi cū apparatu oratores ampliſſimi dicebant, cum ſæpiſſime uentitaſſet, ſi quid in oratione claudicaret, hoc eſt ſi numerus non incederet recte & decore, ſentiebat. Poeta, quoniam ſcripſiſſet in otio, & ſuā ad uoluptatem comparaſſet, legemq́; certam ſciret ſibi eſſe præfixam, nō dabat ueniā ſi quid in carmine peccaſſet. Oratori, cuius eſt magis ſtudere ſententijs quàm uerbis, ita concedebat, ut illud tamen aptum perfectumq́; in eo deſideraret. Itaque illi ueteres.] Quoniam hominum aures uocem natura modulantur ipſa, & aptum iucundumq́; dicendi genus etiam uulgus audientium quærit, ueteres Romani qui uſque ad tempora Craſſi & Antonij, & penè ad Ciceronem adoleſcentem, circuitum & quaſi orbem uerborum, id eſt numeroſam periodon conficere non poſſent, terna, aut bina, aut nonnulli ſingula etiam uerba dicebant, ut paribus relatis & æquatis interſpirationibus iucundius caderet oratio. Terna, ut, Vicit pudorem libido, fregit timorem audacia. Bina, Ignorare malum, cognoſcere bonum. Singula, Interrogaui, reſpondit: confutaui, ſubticuit. Hæc & ſimilia quia paria paribus relata ſunt, aliquid habent uenuſtatis: propterea ſi non toti in illis, tamē frequentes erāt: & in illa infantia, id eſt imperitia dicendi, quod aures hominū flagitabant, tenebant tamen, ut & illa eſſent paria quæ dicerent, & æqualibus interſpirationibus uterentur. Idem fecere ueteres Græci. Nā Gorgias, ſi Ciceroni credimus, multus fuit in antithetis & paribus relatis, quòd temporibus eius non eſſet numerus inuentus. Hactenus de ſingulorum laude uerborū: quæ ſunt antiqua, nouata, tranſlata, de coniunctione & coagmentatione eorum, de numero & forma, in quibus tribus maximus eſt ornatus orationis. SED ſi habitum etiam orationis & quaſi colorem aliquem requiritis, &c.] Eſt etiā non mediocris ornatus in habitu ac quaſi colore aliquo orationis. Habitus eſt figura, & quædā facies eius. Ἕξις dicitur à Græcis, & σχῆμα. Color eſt ſuffuſus ornatus: qualis in ſummo corpore ſanguis et candor. Habitus et color eſt duplex: unus in toto genere dicendi: alter in partibus orationis. Cum ſint tria genera, ſublime, humile, mediocre, ſingula præ ſe ferunt habitū quendam propriū, et quaſi colorem, unde figuræ formæq́; dicendi nominantur. Alia quidem facies ampliſſimo generi, alia gracili, alia tēperato: nec his omnibus unus eſt et idem color, quandoquidem in graui ſanguinis plurimum eſt, in alijs minus acrioris. Diſtinguit has tres formas hoc modo: Eſt plena quædam oratio, & tamen teres. Et tenuis, & non ſine neruis ac uiribus. Et ea quæ particeps utriuſque generis, quadā mediocritate laudatur. Plenam dicit illam ſublimem & grauē, quia ſucculenta eſt ac copioſa, & omnem recipit ornatum. Vult eſſe teretem & quaſi rotundam, quoniam inflata ac tumida, plena quidem uidetur, ut corpus aqua inter cutem fuſa laborās: ſed non eſt teres, & in ſe uiresq́; ſuas collecta. Sæpe autē accidit, ut ij qui ſe in ſublime attollere conātur, exeant in genus illud ampulloſum, turgidum, ſucco uitioſo grauidum & pregnans. Infima oratio tenuis dicitur, à gracilitate corporis. Illam non uult carere neruis ac uiribus, & ſimilem eſſe quorundam, qui cum tenues & graciles ut Lyſias uideri uolunt, adeo exangue & imbecillum corpus orationis intexunt, ut nullis neruis, nullis præditum ſit uiribus. Hoc enim uitium eſt imo genere abutentibus. Oratio mediocris eſt particeps utriuſq; generis & imi & altiſſimi, aut potius (ut ait in Oratore) neutrius, ſed ſui proprijq; generis & coloris. His tribus figuris (figuras appellat, ut paulo ante habitus & colores) inſidere quidam uenuſtatis non fuco illitus, ſed ſanguine diffuſus debet color. Sine colore pulchro fœdæ ſunt atque deformes. Si fuco illinuntur & adulterino colore ceu ambitioſæ fœminæ, facillime deprehenſæ mouent in ſe cachinnos atq; contēptus. Quis eſt iſte color, quē expetere debemus? Pulchritudo ſic auribus iucunda, ut bonus color oculis, quæ à ſanitate et bonitate ſententiarū uerborumq́; perficitur. Hæc de toto genere dicendi. In partibus orator conformandus eſt & uerbis & ſententijs, hoc eſt, oratio conformationibus, quæ ſunt figuræ & ſchemata uerborū ſententiarumq́; formāda eſt. Hic eſt alter habitus & color orationis, qui in ſingulis partibus elucet. Figuræ, ut ait Quintilianus, orationi uim aut gratiam præſtant. Nam ſchemata ſententiarū, ad grauitatem & uires: uerborū, ad aptam cōpoſitionē & condecentiā adhibentur. itaq; cōparantur rationibus gladiatorū et palæſtritarū. Vt enim gladiator aut palæſtrita nō ſolum ſibi uitandi ictus aut feriendi aduerſarij rationē eſſe habēdam putat, ſed etiā ut cū uenuſtate moueatur: ſic & orator nō ſolum aduerſariū petere, aut impetus eius uitare, ſed etiā id cōpoſite, uenuſte, decenterq́; facere cōtendit. Pugnat inſignibus ſententijs, apte mouetur uerborum concinnitate. Palæſtritæ non omnes feriunt, ſed ij maxime qui pugiles dicuntur. Condecentia uenuſtas eſt & gratia quædam ex decori obſeruatione. Formātur autem uerba & ſententiæ penè innumerabiles, hoc eſt uerborum et rerū figuræ tam multæ ſunt, ut comprehendi numero non poſſint. Quintilianus octauo libro: Duobus modis dicitur figura: uno, qualiſcunque forma ſententiæ, ſicut in corporibus, in quibus quoquo modo ſunt compoſita, utiq; habitus eſt aliquis. Altero, quod proprie ſchema dicitur, in ſenſu uel ſermone aliqua à uulgari & ſimplici ſpecie cū ratione mutatio. Idem: Quare illo intellectu priore & cōmuni nihil non figuratū eſt: quo ſi contenti ſumus, non immerito Apollodorus (ſi tradenti Cælio credimus) incomprehenſibilia partis huius præcepta exiſtimauit. Sunt igitur innumerabiles figuræ, ſi omnem quaſi faciem rerū uerborumúe ab alijs differentem, hoc nomine appellare libet. Sunt paucæ, ſi tantū inſignes illuſtreſq; numeramus. Dat autē præceptū, quo figuras diſtinguere poſſimus. Verborū conformatio tollitur, ſi uerba mutaris: Ah Corydon Corydon, quæ te dementia cepit? figura uerbi eſt in conduplicatione: tolle uerbū unum, Ah Corydon, quæ te dementia cepit? tollitur ſchema. Sententiarum lumen permanet, quibuſcunque uerbis uti uelis. Si uos in eo loco eſſetis, quid aliud faceretis? figura eſt in cōmunicatione. utere alijs uerbis: Si in eandē dubitationem ueniretis, quis eſſet tandem uobis alius exitus? permanet figura. Vtriſque luminibus illuſtrāda eſt omnis oratio, præter ornamenta cætera, quæ paucis hic repetit, ut in unum locum collecta omnia, demōſtrent quam uarius et multiplex ſit orationis ornatus. Quod quidē uos etſi facitis, id eſt putatis, tamē admonendos puto, ne quid eſſe aliud oratoris putetis, quod quidem ſit egregiū atq; mirabile, niſi in ſingulis uerbis, id eſt ijs quæ ſola per ſe citra complexum orationis conſiderantur, illa tria tenere quæ dicta ſunt, ut trālatis utatur frequenter, interdumq́; factis aut cōpoſitione, aut alio modo, raro autem etiā peruetuſtis. In perpetua autē oratione, cum & coniunctionis lenitatem, id eſt coagmentationem, & numerorū rationem tenuerimus, tum eſt quaſi luminibus & ſchematis diſtinguenda & frequentanda omnis oratio ſententiarum atque uerborum. In tranſlatis igitur & factis uerbis, & antiquis, & in coagmentatione, & in numero, & in forma comprehenſionis, & in ſche

matis, eſt is ornatus de quo in præſentia diſſeritur. NAM & commoratio una in re permultum mouet, & illuſtris explanatio, &c.] De figuris quæ ſint, & quibus nominibus appellari debeant, magna eſt controuerſia apud ſcriptores. Si legeris quartum librum rhetorica ad Herennium, ſi Rufinianum, ſi Aquilam Romanum, ſi Quintilianum, ſi recentiores cognoueris, & nominum rerumq; confuſionem uideris, herebis: & quid certum definire debeas, non habebis. Ego nomina quibus uſus eſt Cicero, & græca quædam cum exemplis breuiter conſtituam, ne ubi magnus auctor breuitate utendum putauit, illic ſim prolixus congeſtis in unum tot auctorum ſententijs. Expoſui iam in Commentario in Ciceronis Oratorem, unde nonnulla ſi aſſumam, leuabitur grauis labor exempla quærendi.

Commoratio eſt, cum in loco firmiſſimo quo tota cauſa continetur, manetur diutius, & eodem ſæpius reditur. Huic exemplum ſatis idoneum ſubijci non potuit, propterea quòd hic locus non eſt à tota cauſa ſeparatus ſicut membrum aliquod, ſed tanquam ſanguis profuſus eſt per totum corpus orationis. hæc ille ad Herennium. Tale eſt quod Cicero ſæpius inculcat in oratione pro Cæcina, aduerſarios in una litera conſtituiſſe defenſionē.

Illuſtris explanatio, eſt rerum quaſi gerantur ſub aſpectum penè ſubiectio, ὑποτύπωσις dicitur. Ipſe inflammatus ſcelere ac furore in forum uenit, ardebant oculi, toto ex ore crudelitas manabat, & quæ ſequuntur, ſeptima actione in Verrem. Hæc euidentia & in exponenda re plurimum ualet, & ad illuſtrandũ id quod exponitur, & ad amplificandum: ut ijs qui audiant illud quod augebimus, quantum efficere oratio poterit, tantum eſſe uideatur. Pulcherrimum eſt exemplum Philippica ſecunda, ubi Cicero deſcribit luxuriam Antonij in ædibus Pompeij.

Præciſio, quæ ante ſententiã abrũpit, quàm tota ſit expoſita. Qui iſta forma et ætate nuper alienæ domui, nolo plura dicere, aptius eſt hoc, nimis urgeo, commoueri uidetur adoleſcens.

Significatio eſt, quæ plus ad intelligendum quàm dicitur, relinquit: à quibuſdam ἔμφασις appellatur. Non licuit thalami expertem ſine crimine uitam Degere more feræ? Intelligitur uitã in cœlibatu non hominis eſſe, ſed feræ.

Diſtinctè conciſa breuitas, βραχυλογία dicitur. non ſupprimit rem ut reticentia, ſed diſtinctè & breuiter attingit. Modo conſul, quõdam tribunus, is deinde primus erat ciuitatis. tum proficiſcitur in Aſiam, deinde exul & hoſtis eſt dictus, poſt imperator, & poſtremo eſt factus cõſul. Quæres à me quo iure obtinere poſſim? quo iure mihi Pollenus reliquit, prætor dedit poſſeſſionẽ, leges me defendunt, ad te nõ pertinent, hi ueritatem ſequantur.

Extenuatio, ἐξουθενισμὸς, eſt diminutio quædam. Huic quidem pater, nolo nimium dicere, non tenuiſſimum patrimonium reliquit. Sũt multæ ſpecies extenuationis, ſed rẽ indicaſſe ſatis eſt.

Illuſio, eſt irriſio quam dicit in Oratore. διασυρμὸς καὶ σαρκασμὸς accipitur. Cicero pro Cælio ſic illudit Clodiam P. Clodij ſororem: Quòd facerem uehementius, niſi mihi intercederent inimicitiæ cũ iſtius mulieris uiro, fratrem uolui dicere, ſemper hic erro. Idem Sulpitiũ illudit in oratione pro Murena, de iure ciuili glorиantem. Hæc figura à præceptis Cæſaris de ridiculis & facetijs nõ abhorret. Exagitat enim aliquam deformitatem, ut ea ridicula quæ expoſita ſunt libro ſecundo à fratre Catuli Cæſare.

Digreſſio, declinatio à propoſito, ἔκβασις. duplex eſt: una longius excurrit, quemadmodum poetica: altera, de qua hic agitur, breuiter exit delectandi gratia. Non eſt enim cur orator in grauibus cauſis diutius extra propoſitum uagetur. Talis eſt illa egreſſio Ciceronis ad laudes Siciliæ quarta actione in Verrem: Eſt etiam quædam breuior, de qua paulo poſt loquetur. Ea de qua agitur, ad delectationem eſt. In illa, inquit, cum fuerit delectatio, tum reditus ad rem aptus & concinnus eſſe debebit. Quibus uerbis oſtendit illum reditum eſſe conformationem. In illa digreſſione ad laudes Siciliæ, poſteaquam laudauit Siculos ut Romani nominis amatores, ſic apte redijt ad propoſitum. In neminem ciuitates ante hunc teſtimonium publice dixerunt. Hunc denique ipſum pertuliſſent, ſi humano modo, ſi uſitato more, ſi denique uno aliquo in genere peccaſſet.

Propoſitio, oratio breuiter amplectens id de quo agetur. Primum oſtendam neminem maioribus criminibus, grauioribus teſtibus in iudicium uocatum, quàm Oppianicum.

Seiunctio, ab eo quod eſt dictum, tranſitus eſt ad aliud rei genus. Expoſui P. C. profectionis conſilium, nunc reuerſionis, quæ plus admirationis habet, breuiter exponam.

Reditus ad propoſitum, ſi diſtinguitur ab eo qui ſequitur egreſſionem, uidetur eſſe cõcinna regreſſio ab ijs quæ adſcita ſunt in cauſam, ad præcipuum inſtitutum. Multa mihi neceſſario iudices prætermittenda ſunt, ut poſſim aliquo modo aliquando de his rebus quæ meæ fidei commiſſæ ſunt, dicere. Poteſt accipi reuocatio ſui, qualis eſt hæc: Longius quàm inſtitueram ſum prouectus, ad reliqua pergamus.

Iteratio, dictorum repetitio, ἐπανάληψις. Oſtendam primum cauſam non fuiſſe cur à prætore poſtulares ut bona P. Quintij poſſideres, deinde ex edicto te poſſidere non potuiſſe, poſtremo nõ poſſediſſe. Quæſo C. Aquili, uosq; qui eſtis in conſilio, ut quid pollicitus ſim, diligenter memoriæ mandetis. Nego fuiſſe cauſam cur poſtularet, nego ex edicto poſſidere potuiſſe, nego poſſediſſe. Ego autem, ſi mihi eſſet integrum, ſuſciperem hoc crimen, agnoſcerem, confiterer, libenter inquam confiterer. Huc referri poteſt frequentatio, quæ rem eandẽ alijs et alijs uerbis ſæpius inculcat.

Cõcluſio rationis, argumentationis apta connexio. Quòd ſi pro Repub. oportere accedere ad periculum, & ratione demonſtratum eſt, & exemplo comprobatum: ij ſapientes ſunt exiſtimandi, qui nullum pro ſalute patriæ periculum uitant.

Superlatio atque traiectio ueritatis, ὑπερβολὴ: quæ fertur ultra ueritatem, & modum traijcit, augendi minuendi'ue cauſa. Oceanus medius fidius uix uidetur tot res, tam diſſipatas, tam diſtantibus in locis poſitas, tam cito abſorbere potuiſſe.

Percontatio finitima eſt rogationi. quid differant, Quintilianus oſtendit his uerbis: Quid enim tam commune, quàm interrogare uel percontari? Nam utroque utimur indifferenter, cum alterum noſcendi, alterum arguendi gratia uideatur adhiberi. Cicero uidetur obſeruaſſe diſcrimen, & dixiſſe rogationem, quæ noſcendi gratia adhibetur:

Sed uos qui tandem: quibus aut ueniſtis ab oris? percontationem, quæ non ſiſcitandi cauſa aſſumitur: Quouſque tandem abutere Catilina patientia noſtra?

Expoſitio ſententiæ ſuæ, ad interrogata reſponſio. Domus tibi deerat? at habebas. pecunia ſuperabat? at egebas. Exponit quid de re interrogata ſentiat. Eſt alia expoſitio ſententiæ obſcurioris, quæ & huc ad locum refertur.

Diſſimulatio, εἰρωνεία, aliud dicit ac ſignificat. Scilicet is ſuperis labor eſt, ea cura quietos Sollicitat. Hæc, inquit, maxime quaſi irrepit in hominum menteſ: & eſt periucunda, cum in oratione non contentione, ſed ſermone tractatur. In contentione acrior eſt, ut illa Turni in aduerſarium Drancem.

Meq; timoris
Argue tu Drance, quando tot cædis aceruos
Teucrorum tua dextra dedit?

In ſermone & remiſſo genere dicendi mitior & iucundior. Exẽpla ſunt multa Cap. de ridiculis.

Dubiatio, διαπόρησις, aut ἀπορία. Equidem quo me uertam, neſcio. Negem fuiſſe illam infamiam iudicij corrupti? Negem rem illam agitatam in concionibus? Euellam ex animis hominum tantam opinionem? Cicero pro Cluentio.

Diſtributio. Accuſatoris officiũ eſt in ferre crimina, defenſoris diluere & propulſare. Animaduerti iudices omnem accuſatoris orationem in duas diuiſam eſſe partes.

Correctio

Correctio duplex eſt . una antequam dixeris : Non crudelem , ſed carnificem appellabo : carnifex cruciauit miſerum . Altera poſteaquam dixeris : Quanquam illa non pœna , ſed prohibitio ſceleris fuit.

Relectio criminis à ſe . Quid ? odiſſet Clodium Milo , ſegetē gloriæ ſuæ? Quo in negotio tamen illa me res iudices conſolatur, quòd hæc quæ uidetur accuſatio mea, non potius accuſatio quàm defenſio eſt exiſtimanda . Defendo enim multos mortales, multas ciuitates, prouinciam Siciliam totam.

Præmunitio ad id quod aggrediare : Huic ego iudices ſatisfacere cupio, uosq; adhibere arbitros . Nam cum graue eſt uere accuſari in amicitia, tum etiā ſi falſo accuſeris, non eſt negligendum. & quæ ſequuntur in oratione pro Murena .

Relectio in alium : Tu, tu, inquam, Marce Antoni, princeps C. Cæſari perturbare omnia cupienti , cauſam belli contra patriam inferendi dediſti . Dixerat Antonius, Ciceronem belli ciuilis cauſam fuiſſe.

Communicatio , ἀνακοίνωσις , eſt cum ijs ipſis apud quos dicas, quaſi deliberatio . Quid ſuadetis ? &, Vos interrogo , quid tandem fieri oportuit ? Cōmunem rem agi putatote, ac uos huic propoſitos eſſe.

Imitatio morum, ἠθοποιΐα , uel μίμησις. Cicero in Piſonem: Soles in diſputationibus ſuis oculorum & aurium delectationi abdominis uoluptates anteferre . Nā quòd uobis iſte tantūmodo improbus, crudelis olim furunculus, nūc uero etiam rapax: quòd ſordidus, quòd contumax, quòd ſuperbus, quòd fallax, quòd perfidioſus, quòd impudens, quòd audax eſſe uideatur, nihil ſcitote eſſe luxurioſius, nihil libidinoſius, nihil poſterius, nihil nequius . Fit etiam ſine perſonis, ut in comœdia frequenter . Magnum eſt hoc ornamentum orationis, & aptum ad animos conciliandos : ut, Dicebam habere eos actorem Q. Cæcilium , &c. ſæpe autem etiam ad commouendos, ut illud in Piſonem.

Perſonarum ficta inductio , προσωποποιΐα . Quòd ſi nunc Lucius ille Brutus reuiuiſcat, & hic ante pedes ueſtros adſit , nō hac utetur oratione ? Ego reges eieci, uos tyrannos introducitis . ego libertatem quæ non erat, peperi, uos partam ſeruare nō uultis. ego capitis mei periculo patriam liberaui , uos liberi ſine periculo eſſe non curatis.

Deſcriptio . Quòd ſi iſtum iudices ueſtris ſententijs liberaueritis. ſtatim ſicut è cauea leo miſſus, aut aliqua teterrima bellua ſoluta ex catenis, uolitabit & uagabitur in foro , acuens dentes in ultos in cuiuſq; fortunas , in omnes amicos atque inimicos, notos atq; ignotos incurſans, aliorū famam depeculans, aliorum caput oppugnans, aliorum domum ac omnē familiam perfringens, Rempublicam funditus labefactans . Hæc ex quarto libro rhetorica ad Herennium.

Inductio erroris, ut illa Catonis, de qua dictum eſt in ridiculis , eum dixiſſe quidam , Ex animi tui ſententia uxorem habes ? non hercule , inquit , ex animi tui ſententia . Quis putet hominem tam nobilem, tam ſeuerum, tam grauem, tam honeſtū, ſtuprum intuliſſe ? quis credat ? quis omnium ſuſpicetur ? at id eſſe factum, apertiſſime demonſtrabo.

Impulſio in hilaritatem, χαριεντισμός. Exempla ſunt permulta in facetijs & ridiculis . Facit enim ut uultum ipſius , & illā uſque ad talos demiſſam purpuram cogitetis.

Occupatio , πρόληψις, quod obijci poteſt, occupat. Si quis eſt iudices, qui C. Rabirium , quòd ſuæ fortunæ fundatas præſertim atque optime conſtituta opes poteſtati regiæ libidiniq; commiſerit, reprehendendum putet, aſſcribat ad iudicium ſuum nō modo meam, ſed huius etiam ipſius qui commiſit , ſententiam.

Similitudo, ὁμοίωσις . Non quemadmodum in palæſtra qui tædas ardentes accipit, celerior eſt in curſu continuo , quàm ille qui tradit : ita melior imperator nouus qui accipit exercitum , quàm ille qui decedit.

Exemplum , παράδειγμα . Brutus occidit liberos proditionē molientes, Manlius , uirtutem filij morte multauit .

Digeſtio, ordo rerum & diſtributio . In Oratore poſtquam poſuit exemplum, continuo addidit hæc, ut aliud alij tribuens diſpertiat. Tres ſunt res quæ obſtant hoc tempore Sexto Roſcio, crimen aduerſariorum, & audacia, & potentia. Criminis confictionem accuſator Erucius ſuſcepit, audaciæ partes Roſcij ſibi popoſcerunt, Chryſogonus autem is , qui plurimum poteſt , potentia pugnat.

Interpellatio. Tacete, quid hoc clamoris eſt ? quibus nec pater , nec mater ſit , tanta confidentia eſtis ? auferte iſthanc nunc ſuperbiam.

Contentio , ἐναντίωσις . Inimicis te placabilem , amicis inexorabilem præbes.

Reticentia, ἀποσιώπησις . An huius ille legis, quam Clodius à ſe inuentam gloriatus eſt , mentionem facere auſus eſſet uiuo Milone, ne dicam conſule ? De noſtrum enim omnium, non audeo totum dicere.

Commendatio . Quam quidem uos iudices in nouo genere bonitatem inuſitatam claris ac præpotentibus uiris , non modo non aſpernari ac refutare, ſed complecti etiam & augere debetis , & eo magis , quòd uidetis hos quaſi ſumptos dies ad labefactandum illius dignitatem.

Licentia , παῤῥησία , eſt uox quædam libera atque etiam effrenatior, augendi cauſa . Suſcepto bello Cæſar , geſtio iam ex parte magna, nulla ui coactus, conſilio ac uoluntate mea, ad ea arma profectus ſum quæ erant ſumpta contra te . Auget hoc Cæſaris clementiam ac manſuetudinem.

Iracundia, ἀγανάκτησις . Fero ego te Torquate, iandudum fero. O curas hominum, ò quantum eſt in rebus inane .

Obiurgatio, ἐπίπληξις . Nimium Quirites animis eſtis ſimplicibus .

Non ego te uidi Damonis peſſime caprum
Excipere inſidijs ?

Promiſſio. Sin à nobis (id quod non ſpero) deſerar, tamē animo non deficiam : & id quod ſuſcepi, quoad potero perferam.

Deprecatio , δέησις . Domus miſerere labantis.

Obſecratio . Quapropter uos oro atque obſecro iudices, ut attente bonaq; cum uenia uerba mea audiatis.

Declinatio breuis à propoſito, non ut ſuperior illa digreſſio. Et aſpexit me illis quidem oculis, quibus tum ſolebat, cum omnibus omnia minabatur . Pro Milone.

Purgatio dicitur in Oratore medela. Nunc eiuſdem Appiæ nomen quātas tragœdias excitat? quæ cruentata antea cæde honeſti atq; innocentis uiri, ſilebatur: eandem nunc crebro uſurpatur, poſteaquam latronis & parricidæ ſanguine imbuta eſt .

Conciliatio . Fide ſapientiaq; ueſtra fretus plus oneris ſuſtuli, quàm ferre me poſſe intelligo.

Læſio, cōtraria eſt medelæ & purgationi. Ponitur poſt cōciliationem: quoniā conciliare hominem, et eum lædere, ſunt antitheta. Chryſogonus à nobis iudices hoc poſtulat, ut quoniā in alienā pecuniam tam plenā atque præclāram nullo iure inuaſerit, quoniamq; ei pecuniæ uita Sexti Roſcij obſtare atque officere uidetur, deleatis ex animo ſuo ſuſpicionē omnē, metumq; tollatis. Quēadmodū in cauſis orator conciliat eorū beneuolentiam qui iuuare poſſunt, ita quoque arte pari lædit aduerſarios, & eos quorum auctoritatem minuere aut frangere bonum eſt.

Optatio. Vellem dij immortales feciſſent P. C. ut uiuo potius Seruio Sulpitio gratias ageremus , quàm mortuo honores quæreremus .

Execratio , ἀρά . O ſcelus , ò portentum in ultimas terras exportandum.

ORATIONIS *autem ipſius tanquam armorum eſt uel ad uſum comminatio , &c.*] *Sequuntur σχήματα λέ*

ſtes, quæ ualent aut ad petendũ aduerſarium, aut ad uenuſte loquendum. Habent enim interdum uim, leporem aliàs & uenuſtatem.

Geminatio uerborum, ἀναδίπλωσις, id eſt conduplicatio. Me me, adſum qui feci. Ah Corydon, Corydõ, quæ te demẽtia cepit? Viuis, & uiuis nõ ad deponendã, ſed ad confirmandã audaciã.

Paulum immutatum uerbum atque deflexum, παρονομασία. Hic ſibi poſſet obtemperare, niſi amori mallet obtemperare.

Eiuſdem uerbi crebra à primo repetitio, ἐπιβολή. Nihil'ne te nocturnum præſidium Palatij? nihil urbis uigiliæ? nihil timor populi? nihil conſenſus bonorum omniũ? nihil hic munitiſſimus habendi ſenatus locus? nihil horum ora uultusq; mouerunt?

Eiuſdem uerbi in extremum conuerſio, ἐπιφορά. Pœnos pop. Rom. iuſtitia uicit, armis uicit, liberalitate uicit.

In eadem uerba impetus & concurſio, συμπλοκή. Quis eos poſtulauit? Appius. Quis eos perduxit? Appius.

Adiunctio eiuſdem iterati. Multa ſuper Priamo rogitans, ſuper Hectore multa. Aliter utitur nomine adiunctionis is qui rhetorica ſcribit ad Herennium.

Progreſſio. Vigilas tu de nocte, ut tuis conſultoribus reſpondeas: ille, ut eò quò intendit, mature cum exercitu perueniat. Te gallorum, illum buccinarum cantus exuſcitant. Tu actionẽ inſtituis, ille aciem inſtruit. Tu caues ne conſultores tui, ille ne urbes aut caſtra capiantur.

Repetitio progreditur in multas orationes.

Eiuſdem uerbi crebrius poſiti quædam diſtinctio. Magnus eſt labor dicendi, magna res eſt.

Reuocatio uerbi. Pierides uos hæc facietis maxima Gallo, Gallo, cuius amor tantum mihi creſcit in horas.

Similiter deſinens, ὁμοιοτέλευτον. Turpiter audes facere, nequiter ſtudes dicere.

Similiter cadens, ὁμοιόπτωτον. Cuius omnis in pecunia ſpes eſt, eius à ſapientia eſt animus remotus. Simile cadunt pecunia & ſapientia.

Paria paribus relata, ἰσόκωλα. In prælio mortem pater oppetebat, domi filius nuptias comparabat.

Similia inter ſe. Puppeiq; tuæ, pubesq; tuorum. Non enim tam ſpes laudanda quàm res eſt. Similia ſunt & hæc: Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. Et hæc, Quæro ab inimicis, ſint'ne hæc inueſtigata, comperta, patefacta, ſublata, deleta, extincta per me?

Gradatio, κλῖμαξ. Aphricano induſtria uirtutem, uirtus gloriam, gloria æmulos comparauit.

Conuerſio. Sine inuidia culpa plectatur, & ſine culpa inuidia, ponatur. Eſt alia conuerſio, de qua agitur libro quarto Rhet. ad Herennium.

Verborum cõcinna tranſgreſſio, ὑπέρβατον. Hoc uobis deos immortales arbitror dediſſe uirtute pro ueſtra. Verba ſunt tranſpoſita ac mutata de loco in locum, concinnitatis gratia.

Contrarium, ἐναντιότης. Qui ſuis rationibus inimicus fuerit ſemper, eum quo modo alienis rebus amicum fore ſperes?

Diſſolutum, ἀσύνδετον. Abijt, exceſſit, erupit, euaſit. Acrimonia, uoce, uultu, aduerſarios perterruiſti. Deſunt uincula coniunctionum.

Declinatio, κλίσις. Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter.

Reprehenſio. Puerum appellat, quem non modo uirum, ſed etiam fortiſſimum uirum ſentit & ſentiet. Reprehendit uerbum inepte uſurpatum.

Exclamatio. O' ſcelus incredibile, & ante hoc tempus inauditum. Hanc figuram refert Quintilianus ad ſchemata ſententiarum, ut imminutionem, imaginem, ſibiipſi reſponſionem, digreſſionem, permiſſionem, contrarium. Ciceroni aliter uiſum eſt, cuius dicta explicamus, diſcordiam cum alijs non curamus. Exclamatio non eſt in ſententia, ſed in pronunciatione uerborũ.

Imminutio. Ne uoculam quidem miſit.

In multis caſibus poſitum, πολύπτωτον. Eum tu hominem appellas? qui ſi fuiſſet homo, nunquam tam crudeliter uitam hominis petiſſet.

Relatũ ad ſingula. Quã non didicimus, accepimus, legimus, uerum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus.

Ad propoſitum ſubiecta ratio, αἰτιολογία dicitur. Sed neque accuſatorem eum metuo, qui ſum innocens: neque eum competitorem uereor, qui ſum Antonius: neque conſulem ſpero, qui eſt Cicero.

In diſtributis ſuppoſita ratio, προσαπόδοσις dici poteſt. Præſtat enim nemini imperare, quàm alicui ſeruire. Sine illo enim honeſte uiuere licet, cum hoc uiuendi nulla conditio eſt.

Permiſſio. Vos me quo pacto uobis uidetur, utamini atque abutamini licebit. Hoc utitur exemplo ille qui rhetoricam ſcribit ad Herennium, & permiſſionem ponit in uerborum figuris.

Alia dubitatio ab ea quæ in re poſita eſt: Offuit eo tempore plurimum Reipublicæ Conſulum ſiue ſtultitiam ſiue malitiã dicere oportet, ſiue utrũque.

Improuiſum quiddam. Sapiens ſi algebis, tremes. Accidit ultimum uerbum præter expectationem.

Dinumeratio. Nego in Sicilia tota, tam locuplete, tam uetere prouincia, tot oppidis, tot familijs, tam copioſis, ullum argenteũ uas, ullum Corinthium aut Deliacum fuiſſe, nego ullam gemmam aut margaritam fuiſſe, aut quidquam ex auro aut ebore factum, ſignum ullum æneum, marmoreum, eburneum, nego ullam picturam neque in tabulis neque textilem fuiſſe, quin quæſierit, inſpexerit, quod placitum ſit, abſtulerit.

Alia correctio ab ea quæ mentis eſt ac ſententiæ. Nam poſtquam iſti uicerunt, atque adeo uicti ſunt, eam quo modo appellẽ uictoriam, quæ uictoribus plus calamitatis quàm boni dederit?

Diſputatio (ut opinor) eſt ea ratiocinatio, quam ponunt quidam in figuris uerborum. Bene maiores noſtri hoc comparauerunt, ut neminem regem quem armis cepiſſent, uita priuarent. Quid ita? quia quam nobis fortuna facultatem dediſſet, iniquũ erat in eorum ſupplicio conſumere, quos eadem fortuna paulo ante in ampliſſimo ſtatu collocarat.

Continuatum uel continuatio eſt continens frequentatio uerborum cum abſolutione ſententiarum. Ei non multum poteſt obeſſe fortuna, qui ſibi firmius in uirtute quàm in caſu præſidiũ collocauit. Dicitur etiam continuatum, cui nihil deeſt: ut interruptum, cui unum uerbum aut plura deſunt.

Interruptum, ἔλλειψις. Quos ego, ſed motos præſtat componere fluctus. Nouimus & qui te.

Imago, εἰκών, Os humerosq; deo ſimilis.

Sibiipſi reſpõſio. Ibo'ne ad eam? Non, etiã ſi ultro me uocet.

Immutatio. De hac figura Quintilianus hoc modo: Mutatio ſi ea eſt, quam Rutilius ἀλλοίωσιν uocat, diſſimilitudinem oſtẽdit hominum, rerum, factorumq;. Si latius fiat, figura nõ eſt: ſi anguſtius, in ἀντίθετον cadet. ſi uero hæc appellatio ſignificat ὑπαλλαγὴν, ſatis de ea dictum eſt.

Diſiunctio. Vos enim ſtatuiſtis, uos ſententiam dixiſtis, uos iudicaſtis. Eadem res diuerſis ſeparatur uerbis.

Ordo duplex eſt. Alius, quo dignius anteponitur, ut uir fœmina, dies nocti. Alius quo fortius poſtponitur in augendo, anteponitur in minuendo. Tu iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate: & quæ ſequuntur, Philip. ſecũda.

Relatio, quæ figura ſit, Quintilianus ait ſibi non liquere. Accipiamus ἐπάνοδον, huiuſcemodi:

Diuellimur inde
Iphitus & Pelias mecum, quorum Iphitus æuo
Iam grauior, Pelias & uulnere tardus Vlyſſi.

Digreſſionẽ accipio παρέκβασιν ſiue ἀποστροφὴν, quæ digreditur

à recto

à recto ductu orationis.

Fas omne abrumpit : Polydorum obtruncat, & auro
Vi potitur : quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames ?

Circumſcriptio, aut eſt comprehenſa breuiter ſententia : ut, Liber is eſt exiſtimandus, qui nulli turpitudini ſeruit. aut definitio : ut, Maieſtas Reipublicæ eſt, in qua continetur dignitas & amplitudo ciuitatis.

Vel plura etiam eſſe poſſunt.] Multa ſchemata ponuntur à Rutilio & Cornificio & alijs, quæ apud Ciceronem non reperiuntur, cuiuſmodi ſunt coniũctio, expeditio, occultatio, interpretatio, exhortatio, conſumatio. Conformationibus.] Figuris. Illuminẽt.] Si figuræ ſunt quædam quaſi lumina, ut ſunt, earum proprium eſt illuſtrare orationem, & illuminare. Effudiſſe.] Confuſe & ſubito proieciſſe. Sol me ille admonuit.] Sol ueſpertinus præcipitans, id eſt cadens, admonet ut ad cœnã eatur, et quaſi receptui canit. Sol (etſi ad ſermonis ornamentũ hoc fingitur) cauſa nõ eſt cur breuis ſit hic ſermo in euoluendis figuris, ſed uel rei facilitas & doctrina uulgaris, uel moleſta nominum, definitionum, exemplorum tractatio in tanta opinionum altercatione. Euoluere.] Breuiter explicare. Si nõ ſunt omnes patefacti, at certe cõmonſtrati loci.] Hoc dicit propter ſchemata, quæ breui enumeratione commonſtrauit, non autem patefecit definitionibus & exemplis.

N V N C quid aptum ſit, hoc eſt, quid maxime deceat, &c.] Hactenus de orationis ornatu. Cum autem debeat eſſe emendata, dilucida, ornata & apta, quarta reſtat explicanda uirtus. Deſcribit initio quid ſit aptum, hoc modo : Aptũ eſt, quod maximè decet in oratione. Senſus eſt: Apta eſt oratio, quæ maxime decorum ſeruat. Decorũ, quod tempori & perſonæ conuenit : πρέπον dicitur à Græcis. Huius ignoratione (ut eſt in Oratore) nõ modo in uita, ſed ſæpiſſime & in poematis et in oratione peccatur. Decorũ uariant cauſæ, auditores, perſona & tempora. Id, inquit, perſpicuum eſt, non omni cauſæ, nec auditori, neq; perſonæ, neque tempori congruere oratoris unũ genus. Hæc quatuor ſuo ordine exponit. Cauſas diuidit in publicas & in priuatas. Præterea in deliberatiuas, laudatorias, & iudiciales. Deinde ſubijcit orationum genera quædam, quibus eſt & ſuum decorũ. Cauſæ capitis ſunt publicæ, cuiuis enim è populo dantur. Afficiũt autem homines aut ultimo ſupplicio, aut aquæ & ignis interdictione, aut deportatione, aut pœna metalli. In his cura atq; ſolicitudo multa eſt, acerbitas accuſatoris, uaria pugna defenſoris. Sonus uerborum actori uehemens & acer, depulſori nunc remiſſus, nõnunquã concitatus. Cauſæ priuatæ, quæ non cuiuis è populo, ſed ei cui damnũ, uel iniuria allata fuit, dantur. in his ſonus uerborũ ſummiſſior eſſe debet, et genus orationis preſſius. Quàm, inquit, indecorum eſt de ſtillicidijs, cum apud unum iudicem dicas, ampliſſimis uerbis, & locis uti communibus: de maieſtate uero populi Romani ſummiſſe & ſubtiliter? Deliberationes, grauitatem ſententiarum & temperatum dicendi genus uolunt. Laudationes, ſententias plauſibiles, nec tã ueras quàm pulchras atq; iucundas : orationem uero ſuauem, elegantem, omnibus ornamẽtis affluentẽ. Sermo (quæ lingua uulgaris eſt & quottidiana) nihil magnopere oſtentat, nihil acerrime exagitat, non inſonat ſtrepitu uerborum, non excitat tragicos tumultus, ſed uerecũdus & quietus quod uult ſubtiliter tranquilleq; declarat. Conſolatio debet eſſe ſententioſa, lenis et amica. Obiurgatio, aſpera, ſeuera, ſubirata. Diſputatio, ſubtilis, acuta, inſtans ſibi, et acriter pugnãs. Hiſtoria, tracta, fuſa, lenis, uaria ſententijs & uerbis. Hæc decori uarietas ex diuerſa ratione cauſarum. Mutatur idem ab auditoribus. Refert, inquit, qui audiant, ſenatus, an populus, an iudices, frequentes, an pauci, an ſinguli. Senatus amat orationem ſapientem, breuem, & uerecundam. populus enucleatam, magnificam, plenã cuiuſdam illectationis & blandimenti : iudices apertã, dilucidã, argumentis ualidã, præ ſe ferentem multũ æquitatis ueritatiſq; : frequentes concitatiorem, pauci remiſſiorem, ſinguli propè quottidianam. Immutat etiam decorum perſona, & eius qui agit, & eius pro quo agitur. Quæ ſint ætate, honore, auctoritate, debet uideri. Copia decet iuuenem & modeſtia, ſucculenta breuitas & auctoritas ſenem, magiſtratus grauius agit, uita priuata et honore publico uacans humilius ſe gerit. cui quæſita eſt auctoritas, habet ſe imperantis more. cui nulla eſt, cõciliatione animorũ, & uirtute dicendi, quod uult aſſequitur. Quartũ fuerat in diuiſione tempus, quod ut mutationes patitur, ita quoque commutat decorum. Videndum igitur, tempus'ne pacis an belli, feſtinationis an otij. Tempore pacis liberior eſt et effuſior dicendi ratio, quàm cum bellum premit, & ſuadet ciuibus & ſummæ Reipublicæ prouidere magis quàm eloquentiæ laudi conſulere. Et feſtinatio ſummam rerum breuem petit. Otium longa oratione & ornata tædium fallit. Hæc breuiter dicta ſunt, quoniã hoc loco nihil ſanè eſt, quod præcipi poſſe uideatur, propterea quòd in tãta rerum perſonarumq; mutatione, nihil eſt quod certum, firmum, fixumq; ſtatuere poſſis. In uniuerſum præcipiendum eſt, ut cum ſint tres figuræ ſiue formæ dicendi, una plenior, altera tenuior, alia, media, ad id quod agimus accommodatam deligamus: parua dicamus tenuiter, ſublimia grauiter, media tẽperate. Ornamentis eiſdem, ut uerbis translatis, nouis, coagmentatione, numero, periodo, ſchematis, uti licebit aliàs contentius et uehementius, cum aſſurget oratio : aliàs ſummiſſius ac minus, cum ſubtiliter erit dicendum. Hic opus eſt natura, prudentia, arte. Scire enim quid, quandoq; deceat, prudentiæ eſt : in omni re quod deceat facere, naturæ & artis. Solertia hominis & prudentia uidet quid deceat, natura apte compoſita & ars uſuſq; decẽter facit. Plura de decoro leges apud Quintilianũ libro undecimo & primo libro Ciceronis de Officijs, & paſſim apud interpretes fabularũ.

S E D hæc ipſa omnia perinde ſunt ut aguntur, actio, &c.] Elocutioni, de qua modo copioſe diſputatum eſt, ſubijcitur actio ſiue pronunciatio, quoniam uerba ſunt ipſa quæ ſola proferri poſſunt atque pronunciari. De hac igitur parte rhetoricæ poſt præcepta de eloquendi genere dicendũ eſt. Actionem commendat hac ſententia: Actio in dicendo una dominatur. Quintilianus: Habet autem res ipſa miram quandam in orationibus uim ac poteſtatem. Nec enim tam refert qualia ſint quæ intra noſmetipſos compoſuimus, quàm quo modo efferãtur. Nam ita quiſque ut audit, mouetur. Sententiã confirmat hoc euentu. Sine actione ſummus orator eſſe in numero nullo poteſt: mediocris hac inſtructus, ſummos ſæpe ſuperare. Hac Cn. Lentulus plus opinionis cõſecutus eſt, quàm eloquentiæ. Sine hac L. Cotta aliòqui nõ malus orator, fructũ eloquentiæ percipere non potuit. Cõfirmat idẽ Demoſthenis & Aeſchinis auctoritate. Demoſthenes, quid eſſet in toto genere dicẽdi ſummũ, interrogatus, pronunciationi palmam dedit, eidemq; ſecundum ac tertium locũ, donec ab eo quæri deſierit : ut eam uideri poſſit non præcipuã, ſed ſolam iudicaſſe. Ideoq; ipſe tam diligenter apud Andronicũ hypocritem ſtuduit, ut admirantibus eius orationem Rhodijs, non immerito Aeſchines dixiſſe uideatur, Quid ſi ipſum audiſſetis? Hæc Quintilianus. Aeſchines Athenienſis ſummus orator, cum accuſationem qua fuerat uſus, Rhodi legiſſet, legit & defenſionẽ Demoſthenis, ob quam in illud depulſus fuerat exilium: mirantibuſq;, tum magis fuiſſe miraturos dixit, ſi ipſum orantem audiuiſſent : in calamitate teſtis ingens factus inimici. Hæc Plinius libro ſeptimo. Propter ignominiam iudicij.] Quia uictus fuerat à Demoſthene, & ignominiã contraxerat, ut calumniator. Ceſſiſſet Athenis.] Reliquiſſet Athenas, aliò tranſiturus. Rhodum.] Rhodus nomen eſt & urbis & inſulæ · hic deſignat urbum. In Cteſiphontem.] Accuſabatur Cteſiphon, quòd contra leges in publico Demoſthenem coronaſſet. Edita.] Publicata. Suauiſſima & ma-

xima uoce legiſſet.] Illud eſt qualitatis, hoc autem quantitatis. illud ad delectationem, hoc ad intelligentiam. *Quid fuit in Graccho.*] Caius Gracchus temporibus ſuis magnus habebatur orator. Imbutus fuerat facundia Corneliæ matris, & ingenio & arte plurimum ualebat. Fratrem ſuum Tyberium in Capitolio à Scipione Naſica interemptũ, in oratione quadam defleuit, uſus his uerbis: Quò me miſer conferam? quò uertam? In Capitolium'ne? at fratris ſanguine redundat. An domum? matrem'ne ut miſeram, lamentantemq; uideam? Non ſunt hæc acutæ inuentionis, ut magnopere ferri laudariq; debeant: ſed ſic ab illo agebantur oculis, languentibus, uoce flebili, geſtu mœſto, ut inimici lachrymas tenere non poſſent. *Hæc eò dico pluribus.*] Arguit oratores ſui temporis, quòd actionem ueterum reliquiſſent, quos oportebat magis ſtudioſos eſſe pronunciationis, quàm hiſtriones, cum ueritatis, hoc eſt non fictarum cauſarum actores eſſent, non ueritatis imitatores, ut hiſtriones. Argumentum uerisimiliter fictum, eſt imitatio ueritatis, ut Andria Terentij. Ab hiſtrionibus pronunciatio ſeuere exigebatur. Cicero tertio paradoxo: Hiſtrio ſi paulo ſe mouit extra numerum, aut ſi uerſus pronunciatus eſt ſyllaba una breuior aut longior, exibilatur, & exploditur. *In omni re uincit imitationem ueritas.*] Perfectiora ſunt opera naturæ, quàm artis uel exacte. Id in alijs rebus multis, & maxime in pictura uidetur, quæ tantum ſummam figuram corporis, interna imitari non poteſt. *Ipſa per ſeſe.*] Veritas & natura non ſatis in actione efficit ipſa per ſeſe: quapropter arte & præceptis eget. *Animi permotio.*] Affectus & perturbatio. Vt alij intelligant qui ſit motus animi noſtri, aut declarãdus eſt uoce & geſtu, ſi uerus eſt: aut imitandus actione, ſi fictus. Nam ſæpe ita perturbatur, & implicatur ille animi affectus, ut obſcuretur, atque penè obruatur: hoc eſt, ut parum aut nihil penè uideatur. Quamobrem diſcutienda ſunt ea quæ obſcurant: hoc eſt, uox & geſtus eſt tollendus, qui non oſtendit animi conceptus. Ea quæ ſunt eminentia & prompta, ſumenda, id eſt actio apparens atque manifeſta ſumenda. Tranſlatio eſt ab ijs rebus, quæ nebulis obſcurantur & penè obruuntur, deinde in ſerenitate eminent, ac promptæ uidentur. *OMNIS enim motus animi ſuum quendam à natura habet uultũ, &c.*] Pronunciatio diſtribuitur in uultũ, in ſonum, & in geſtum. Vultus eſt quidam habitus oris ex ſanguine & ſpiritu affectum animi prodente. Sonus eſt, qui aere icto eliditur. Geſtus membrorum motus localis. His tribus rebus animus ſe declarat. Aut enim uultu oſtendit quo modo afficiatur, aut uoce aliqua, aut geſtu corporis & membrorum. Omnis, inquit, motus animi (motum dicit omnem cõceptionem) ſuum quendam à natura habet uultum & ſonũ & geſtum. Quod ut clarius eluceat, ſimilitudine quale ſit oſtendit, his uerbis: Totum corpus hominis, & eius omnis uultus, omneſq; uoces, ut nerui in fidibus, ita ſonãt, ut à motu animi quoque ſunt pulſa. Ira accenſa fuerit: uultus ardens, uox acuta, geſtus cõcitatus irã indicabũt. Lætitia irrepſerit: uultus hilaris, uox iucunda, geſtus exultans patefacient illam. Neruis, id eſt chordis uoces optime conferuntur. Vt enim chordæ organorum ad tactũ quenque digitorum plectri'ue reſpondent, ita quoque uoces animi pulſum conſequuntur. Vocum differentiæ multæ ſunt. alia acuta atque in altum erecta, alia cõtra grauis & depreſſa, alia media atque circumflexa. Item alia cita præcepſq;, alia tarda atque lenta. Item alia magna ac lato ſpiritu diffuſa, alia parua et anguſto flatu coarctata, alia mediocris, ut inter citam et tardã temperata. His & ſimilibus utendum eſt ut ratio perſuadet. Ab his diſcriminibus uocũ delapſa ſunt genera plura. Lene, quod leni uoce pronunciandũ eſt: ut, Dulcia linquimus arua. Aſperũ, quod aſpero ſono elidendũ: Dic mihi Damœta, cuiũ pecus? Cõtractum, quod ſpiritu contracto breuiq; enunciatur: Men' mutire nefas? Diffuſum, quod anima fuſa perfertur ad auditorem:

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Aliud continenti, id eſt non interrupto ſpiritu efferendum:

Aſpera compoſitis miteſcent ſæcula bellis.

Aliud intermiſſo ſpiritu proferendum. Ah Corydon, Corydon, quæ te dementia cepit? Aliud fractũ, quod fracta uoce agitur:

En quò diſcordia ciues
Perduxit miſeros, en queis conſeuimus agros.

Sciſſum, diuiſum inciſis & membris, ac diuiſim exprimendum:

Sed uos qui tandem? quibus aut ueniſtis ab oris?

Aliud flexo ſono circunducendum: Eheu quid uolui miſero mihi? Aliud attenuatum, & uoce gracili ferendum: Et quiſquã numen Iunonis adoret Præterea? Aliud inflatũ, quod inflatis buccis ſonat. Torua mimallonijs implerunt cornua bombis. Nullũ eſt horum & ſimilium generum, quod non arte pronunciantis ac moderatione tractetur. Hi ſunt actori, id eſt ei qui apte pronunciat, ut pictori expoſiti ad uariandum colores. Iracundia ſibi ſumit uocem acutam, incitatam, crebro incidentem. Iratus enim natura acuit uocem, & accelerat, & crebro rumpit. Eiuſmodi uoce enuncianda ſunt hæc, ex Enniano Thyeſte:

Impius hortatur me frater, ut meos malis miſer
Manderem natos.

Et ea quæ protulit Antonius libro ſecundo ex Ennij Telamone, uel Teucro Pacuuij:

Segregare abs te auſus, aut ſine illo Salamina ingredi?
Neque paternum aſpectum es ueritus?

Et illud ex Accij Atreo:

Ecquis hoc animaduertit? uincite.

Et Atreus ferè totus, hoc eſt tota de Atreo fratre Thyeſtæ tragœdia. Miſeratio ac mœror uocem mittit flebilem, flexibilem, hoc eſt molliter circumflexam, plenam, & interruptam. Sic pronunciandi ſunt hi uerſiculi ex Ennij Medea:

Quò nunc me uertam? quod iter incipiam ingredi?
Domum paternam'ne? an'ne ad Peliæ filias?

Et illa ex Ennij Hecuba:

O' pater, ò patria, ò Priami domus.

Et hæc ex eadem tragœdia:

Hæc omnia uidi inflammari,
Priamo ui uitam euitari.

Metus quærit pronunciandi genus demiſſum, & hæſitans, & abiectũ. Nam qui metuit, deprimit uocem, & ſæpe interſiſtit, & interſpirat atque relaxat pronunciationem, ita ut illam abijcere uideatur. Hoc genere actionis proferendi ſunt hi Ennij uerſus:

Multimodis ſum circumuentus, morbo, exilio atque inopia.
Et qui ſequuntur quatuor ſeptenarij.

Vis & impetus uult genus cõtentum, id eſt tenſo quaſi neruis expreſſum, uehemens, imminens: hoc eſt, inſtans & urgens quadam incitatione impulſuq; grauitatis. Huiuſmodi actio decebit hos uerſiculos ex Accij Atreo, uel Ennij Thyeſte:

Iterum Thyeſtes Atreum attractum aduenit,
Iterum iam aggreditur me, & quietum exſuſcitat.
Maior mihi moles, maius miſcendum eſt malum,
Quò illius acerbum cor contundam & comprimam.

Voluptas poſtulat uocis effuſum, hoc eſt libere ſolutum, lene, tenerum, hilaratum ac remiſſum. Qui uoluptate afficitur & gaudio, laxe, ſuauiter, molliter, iucunde & quiete loquitur: Sed mihi cum tetulit coronam: & qui ſequuntur ſeptenarij, hac utantur pronunciatione. Moleſtia & ægritudo ſine commiſeratione graue quiddam in uoce deſiderat, uno preſſu ac ſono obductum, hoc eſt uocem non acutam, ſed grauem, non uariam, ſed uno modo preſſam & ſimili ſono comprehenſam. Sic hiſtrio moleſtum Hecubæ partum recitet:

Qua tempeſtate Paris Helenam innuptis, &c.

OMNEIS autem hos motus ſubſequi debet geſtus, non hic uerba, &c.] Quæ ſint rationes uocis in actione, breuiter ex

positum

poſitum eſt. Dicenda ſunt pauca de geſtu, quæ pars eſt altera pronunciationis. Principio diſtinguit duas ſpecies geſtus, unam ſcenicam, alteram oratoriam. Geſtus hiſtrionum in ſcena multus eſt, & pené nimius imitando. Verba propè exprimit, hoc eſt pené mébris loquitur. Sententiã ferè demõſtrat, ut ille qui ſurdis oſtenditur. Oratoribus non ſingula, ſed uniuerſam rem & ſententiam modica ſignificatione declarat, & laterum inflexione utitur forti ac uirili. Nec à ſcena & ab hiſtrionibus petitur, ſed ab armis, aut etiam à palæſtra. Virilis eſt enim motus armis decertantium, atque palæſtritarum. Totus quaſi corporis truncus uirili utatur inflexione. Manus ſit minus argutа, hoc eſt acuta, citata, mobilis, ne uideatur eſſe præſtigiatoris, aut eius qui micat digitis. Verba ſubſequatur: hoc eſt, ubi pronunciata fuerint uerba, rem ſignificatam quodammodo ſequatur, non exprimat, ut ea quæ ciconiæ roſtrum uel auriculas aſini imitatur. Brachium ne curuetur ad pectus, ſed proceritus ac longius proijciatur à corpore, ut ſit quaſi quoddam telum orationis. Telum orationis dic co, quod uis orationis & impetus proijcit. Pes ne currat, aut deambulet, ſed aliquando modice proferatur, aliquãdo ſupplodat, hoc eſt terram ſolum'ue feriat in contentionibus & grauibus locis, aut incipiendis, aut finiendis. In ore (quæ uulgo facies dicitur) ſunt omnia. Omnes enim conijciunt oculos in os loquentis, & fixi dicentem intuentur. In ore ſunt oculi, quorum dominatus eſt omnis, & ſignificatio præcipua. Quintilianus: Sed in ipſo uultu plurimũ ualent oculi, per quos maxime animus emanat, ut citra motum quoque & hilaritate eniteſcant, et triſtitia quoddam nubilũ ducant. Quinetiam lachrymas ijs natura mentis indices dedit, quæ aut erumpunt dolore, aut letitia manant. Motu uero intenti, remiſſi, ſuperbi, torui, mites, aſperi fiunt: quæ ut actus popoſcerit, fingentur. Rigidi uero & extenti, aut languidi & torpentes, aut ſtupentes, aut laſciui & mobiles, aut natantes & quadam uoluptate ſuffuſi, aut limi, & (ut ſic dicã) uenerei, aut poſcentes aliquid pollicentes'ue nonnunquam eſſe debebunt. Hæc ille. Propter hanc oculorum uarietatem atque uirtutem Romani perſonatum Roſcium, etſi reliquos omnes hiſtriones facile ſuperabat, non magnopere laudabant. Perſonatus eſt, qui os conſictum, & effigiem aſcititiam gerit. Perſona eſt impedimen[illegible] quo minus [illegible] & uultus app[illegible] proficiſcatur, omni[illegible] animi uultus eſt, indices oculi. Hæc eſt [illegible] corporis, [illegible] quot animi motus ſunt ([illegible] tot ſignificationes & commutationes poſſit [illegible] ſunt diuerſa, ut cœlum, [illegible] index, [illegible] officia. [illegible] efficiat ut explæs ſignificationes [illegible] mutatio [illegible] enim reſpiciens terram dicat hæc: O dij immortales [illegible] id quod concipit animus [illegible] Actionem.] [illegible] toto corpore [illegible] ſed oculis. In [illegible] de. Contentus aliquid [illegible] ([illegible] hic uulgo dictam [illegible] accipit [illegible] ſpecies, id eſt non crebro [illegible] ne ad ineptias, aut ad [illegible] Si ſurſum, deorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum, raptim, ſi torqueas labra crebro, & ſimul commoueas finitimas partes, quas fila quædam neruorum intexunt ac mouent, nonne id mimicum ſit, petulans, ridiculum, prauum? Moderandum igitur totum os, & rarius mutandum. Oculi tum intendendi, tum remittendi, tum conijciendi huc & illuc, tum exhilarandi,

ut motus animorũ ſignificemus aptè cum genere ipſo orationis. Eſt enim actio quaſi ſermo corporis. Quemadmodum quæ concepit animus noſter, ſermone ſignificamus auditoribus, ita actione geſtuq; membrorum, qui ſit animi motus, indicamus. Geſtus igitur quodammodo loquitur, nec immerito ſermo corporis appellatur. Sermo rebus conſentaneus eſſe, actio menti congruere debet. Oculos homini natura non ad uidendum modo, ſed etiam ad motus animi declarandos dedit, nó ſecus atque equo et leoni ſetas, caudam, aures, quibus illorum animi proderentur: de quo Plinius libro octauo: Leonũ animi index cauda, ſicut et equorum aures. In oratoria actione ſecundum, id eſt poſt uocem uultus ualet. Hoc ſupplices, hoc minaces, hoc blandi, hoc triſtes, hoc hilares, hoc erecti, hoc ſummiſſi ſumus, hoc pendent homines, hunc intuentur, hunc ſpectant etiam antequam dicamus: hoc quoſdam amamus, hoc odimus, hoc plurima intelligimus, hic eſt ſæpe pro omnibus uerbis. Vultus autem oculis gubernatur, uti nauis clauo & gubernaculo. quamobrem recte dicitur, oculorũ omnem eſſe dominatum. Hactenus de tribus partibus pronunciationis. ATQVE in ijs omnibus quæ ſunt actionis, ineſt quædam uis à natura data, &c.] Laudata ſunt ea ſingula quæ pertinent ad actionem: laudantur hic & uniuerſa, nó modo ut uis illorum explicetur, uerumetiã ut huius quoque partis ſtudioſi ſimus. Actione imperiti, uulgus, & barbari maxime commouentur. Maior itaque & latior eſt quàm uerba. Verba enim neminem mouent, niſi eum qui eiuſdem linguæ ſocietate coniunctus eſt, id eſt qui nouit eandem linguam. Actio quæ præ ſe motum animi fert, omnes mouet. Latius etiam patet, quàm ſententia. Nam ſententiæ etiam acutæ ſæpe hominum non acutorum ſenſus prætereuolant, nec intelliguntur: actio nullius aures et oculos præterire poteſt, quin aut uideatur, aut audiatur. Iiſdé enim omnium animi motibus concitantur, & eos motus iiſdem notis & ſignis & in alijs agnoſcunt, et in ſe ipſi indicant. Cum ſint laudabiles omnes bene conſtitutæ partes orationis, maximã ſine dubio partem uox obtinet. Itaque primum eſt optanda nobis, quia ſi malam natura dederit, illi fruſtra adhibebitur ratio medendi. deinde quæcũque erit, ſi modo tolerabilis erit, ea tuenda, ut ambulatione, unctione, uener[illegible] ciborum [illegible] ſeruendũ [illegible] tamen medicina proprium, nihil ad hoc præcipiendi genus, quemadmodum uoci ſeruiatur. Vnum ſit hoc præceptũ, ad uocem in dicendo obtinendam nihil eſſe utilius, quàm crebrã [illegible] nihil perni[illegible] [illegible] rit. [illegible] Ab arti & [illegible] pronunciatione [illegible] & Caium Gracchos, Tiberi[illegible] [illegible] in illud crimen [illegible] dixit, in hunc ſenſum: Ea factio [illegible] Marius [illegible] nullum popularẽ hominẽ, quales ueteres Romani non tulerũt, multi cupiant habere. Hinc exortum eſt Syllanũ illud malum, quo nullum crudelius unquam fuit. Tela texitur.] Tranſlatio eſt aut ab aranearum telis in capturam muſcarum

IN M. TVLLII CICERONIS LIBRVM DE CLARIS ORATORIBVS, QVI DICITVR BRVTVS, SCHOLION. PER AVLVM ANTONIVM PALMTRAENVM.

CONSVLTO nimirum ſeruat ordinem Cicero. Prius enim aliquot libris Oratorem ſummũ deſcripſit: cum oſtendit eum natura ad hanc facultatem aptum eſſe oportere, ſtudio maximis doctrinis deditum. in ipſis, atque dotibus animi in omnibus non ſolum uſu, ſed etiã exercitatione perculum. Nunc autem exemplis illum ante oculos ponit: nõ cognitũ & præſentẽ, qualis adhuc nullus unquã fuit, ne ipſe quidem: uerũ documentis aliorum quoquo modo ſpectandum. Ac, ut plerunque, ita nunc etiam morem Platonicum imitatur. Dum enim Oratores utriuſque linguæ, Græcos & Latinos recenſet, nec interim ullum inuenit tamen, cuius perfectæ laudis decus proprium faciat, ex tot, et tam uarijs eloquentiæ quaſi coloribus uno ſimul loco repræſentatis, Ideam (ſpeciem ipſe uocat) lectori commouet: ut uiſo multiplici laudatorum numero, & unius cuiuſque proprijs dotibus deprehenſis, cogitet de eo, in quo totum hoc appareat: cogitet, inquam, non uidendi cupiditate laboret. Itaque plurimum lucis ad ſuperiores, quos Oratori inſcripſit, hic liber adfert. Nam præcepta noteſcunt, accedente uſus indicio, & melius intelliguntur, quæ per exempla declarantur. Exempla ſcilicet in altero præceptis utente conſtituta. quod hic perpetua ſerie noſter agit. Primum Græcos, à quibus dicendi diſciplina manarit, iuxta tempus & ætates commemorat. Deinde ſuos ueſtigio conſecutos, eodem ductu refert. Poſtremo ſignificat utra pars præſtantior. Quamuis enim non omnino decernat, diſcrimen luculentum facit tamen, inæquali prædicatione. Sed illud præcipuum eſt, quod exemplis omnem Rhetoricen explicat, atque diducit. Duplicem uero titulum adhibet, eo quod, ut ante dixi, Platonem in ſcribendo affectatur: qui fermè talis eſt, Philoſophiam ſiue Timæum, Alcibiadem ſiue de Natura hominis, Phædonem ſiue de Anima libros appellans. Sic alibi quoque Cicero. Lælius, uel de Amicitia. Cato, uel de Senectute: & ut plurimum in philoſophicis ſcriptis. Videamus igitur Brutum: Oratoria nomina ſonantem Brutum. Qui uel ideo nobis acceptus eſſe debet, quòd ſequitur Craſſos & Antonios: Audiuimus enim hos uolumine trifariam diuiſo, cum omnem Athenarum eruditionem oratori Romano patefacerent, eidem ſtudia ſcientiarum, artificia locutionum, geſtus, uocis, uerborum, oris dignitatem & decora atque uim demonſtrarent. intueamur ſigillatim omnia declarantes in ſe ipſis magiſtros. accommodantem ad imitationem noſtram, præſcripta aliorum imitatione, lectiſſimum auctorem. Non ſatis eſt bona bene diſcere. Oportet etiam bonorum utilitatem bene cognoſcere: nec ſufficit ornamenta tantum comparare, neceſſe eſt uitia quoque euitare, ſi quis locum illum, quem in literarum gloria ſummum uidemus, uelit aſſequi. Id autem ubi commodius? quàm domi, hoc eſt, in libris. quomodo melius unquam fieri poteſt, quàm ſine periculo? Tum prudentes demum ſumus, cũ opportunitati non defuimus. Tum rectè uidelicet ſapimus, cum aliena reprehenſione, nos ipſi correximus. Sed hæc hactenus. Nunc ad librum: cuius initij iſta fermè Ciceroni ratio eſt.

CVM è Cilicia decedens.] *Reuocatus in urbem ab exilio Marcus Tullius, cum Clodio grauiſſime concertauit. quo breui tempore occiſo, Milonem fruſtra defendit. Interea P. Craſſus augur cum patre fuit in Syria à Parthis interfectus. eius igitur in locum uocauit Hortenſius Ciceronem. nõ multo poſt ſortitus Ciliciam, eò proconſul profectus eſt. Qua prouincia annuo ſpatio iuſtiſſime adminiſtrata, naſcente iam ciuili bello reuertit ad Italiam. Prius autem quàm in urbem ueniret, Rhodiq; de recta reſiſteret, obitum Hortenſij accepit: hominis præter alia multa, uoluntatis etiam atque ſtudiorum ſimilitudine conſociatiſſimi. Fuit enim hic uir præclara doctrina, inſigni dignitate, eximia uirtute præditus. Eloquentia uero tanta, quanta quidem exiſtimari merito poſſit, quæ ſit Ciceronianæ proxima. Nam, cum C. Verres, qui Prætor per triennium Siciliam deprædatus fuerat, actione grauiſſima omniũ premeretur, Cicerone Siculorum partes agente, quem in ſua cauſa patronum opponeret, Hortenſio non habuit meliorem. Sed poſtquam ille reum conſilijs, teſtibus, criminibus, ui orationis incredibili iã obruiſſet, pudore coactus & deſperatione ceſſit Hortenſius. Itaque damnato Verre Ciceronis arbitratu, ſuum ille quoque præmium è multa tulit, quod fuit eburnea ſphinx. quia intentatam dictionem cauſa reliquiſſet. Filium habuit degenerem, quemadmodum & alter. De quo paucis ad Atticum Cicero libro ſexto: Hortenſius, inquit, filius fuit Laodiceæ, cum gladiatoribus flagitioſe & turpiter. Hunc ego patris cauſa uocaui ad cœnam, quo die ueni: & eiuſdem patris cauſa, nihil amplius. Is mihi: uide reliqua. Quæ uerba libentius huc attuli, quia mittuntur ex eodem itinere. Mira uero res, ſummorũ uirorũ liberos tam diſſimiles parentum euadere. Nam friuolũ illud, quod Phyſici quidam aiunt, abſentia ſcilicet mentis in generando, cum ſapientes digniora ſemper cogitent, id fieri. Scimus nos, diuinitus animum creari, non ex humana uirtute gigni, iuxta Doctorũ in ſacris ſententiam. Sed ita fieri tamen, mira quidem, ut dixi, planè res, & multum conſideranda. Quare iuſtius adhuc mortem Hortenſio gratulatur Cicero, defugienti moleſtiã, qua acerbiorem accepiſſet nullã, ſi peruixiſſet.*

Cum, inquit, Rhodum ueniſſem.] *Libenter eò diuertebat, ad ciuitatẽ peramicam, & Molonis laudati Rhetoris tunc receptricem, qui & Apollonius. Ibi refert Plutarchus cum rogatu magiſtri renanti gans in urbem ex Græcia, iam defuncto Sylla, cuius metu diſceſſerat, Græce declamaſſet, cæteris admiratione, Apollonium antem etiam ſtupore diu detinuiſſe. tandem uero dixiſſe, reminiſcentem ſeſe Philoſophum: Te nimirum Cicero plurimum laudo, maximiq; facio, quod à nobis hinc migrans, eam laudem unà tecum in patriam migrare cogis, quam hactenus habuit ſemper noſtra Græcia propriam.*

Decedens.] *Aliud excedens, differt etiã diſcedens. Decedere magiſtratus eſt, Excedere neceſſitatis, Diſcedere uoluntatis è regione. Sic Grammatici. At Cicero lib. 6. ad Atticũ: Dedi literas, inquit, ut è Cypro equites ante certã diem decederent. Item lib. ad eundem: Et ſi nẽ diſceſſiſſem quidem è conſpectu tuo. Quo in utroque loco nõ obſeruat hanc differentiã. Superius enim priuatæ perſonæ, poſterius leges præſto ſunt, quæ uerba ſenſum cõtrarie regunt.*

Talis auguris.] *Feſtus: Augur ab auibus, gerendoq; dictus, quia per eum auium geſtus edicitur: ſiue ab auium garritu. unde augurium. Et qui diuinat, aut futura quomodocunque prædicit. Cicero ad Cecinnam: Quare, quando ut augures & aſtrologi ſolent, ego quoque augur publicus, ex meis ſuperioribus prædictis, conſtitui apud te auctoritatem augurij, debet habere fidem noſtra prædictio. Hinc auguratio. Cic. de Diuin. 2. libro: Quæ tandem iſta auguratio eſt ex paſſeribus, annorum potius, quàm aut*

menſium aut dierū? Auguratus uero, officiū augurandi ipſum. hoc Seruius. Cicero 1. de Diuin. *Quid ſi tuus iſte rector? quod clariſſimum eſt inſigne auguratus?* Verbum auguro, & auguror. Seruius: *Auguro dicimus, ſecundum Plinium, cum præſagio mentis futura colligimus. Auguror uero tunc, cum futura ueris captamus augurijs.* Talis.] Hortenſij tam præclari. Cooptatum me.] Nominauit enim Ciceronem, ut diximus, loco iunioris Craſſi. Cooptare, eſt eligere inter pares, aut ferè pares. Valla lib. 5. inde cooptatio, dignitatis proprium.

Iudicium.] Feceras iudicium dignitatis meæ, id eſt, dixeras me præter cæteros auguratu dignum. Inauguratum.] Conſecratū. Inauguro, locū religioni dedico: Liuius. templū inaugurare. Inaugurato facere. i. infeliciter. Alieniſſimo.] Propter ciuile bellū, quod iam iam uigebat. Prius enim, quā Cicero Romā rediret, et ageret triumphū de rebus in Cilicia bene geſtis, tumultuatū fuit in urbe Tribunorū & Coſſ. diſſenſionibus ob Cæſarem et Pompeium. Itaque cōmoratus Brunduſij Cicero, quoad contentio tolleretur, uti beneficio Senatus noluit, dicens ſe malle triumphantem Cæſarem pacata Rep. ſequi, quā perturbata tum, ſua felicitate lætari. Hæc Plutarchus. Glorioſi laboris.] In dicendo pro Rep. pro bonis, contra ciues improbos. Nam quanta Vatinium? quanta Gabinium & Piſonem uehementia exagitauit Cicero? Hortenſius autem nunquā cum turbulentis, ſemper cum Catone, Phauonio, Cicerone ſenſerat. Poetas nobiles.] Ab exemplo minori per collationē. Lugere Rempub.] Malorum ſceleribus euerſam planè, et nulla medicina ſanabilem. Nam ſi id dolemus.] Ratio ſolatij. Amicum amare debemus propter ipſum, non propter nos. Si bene habet, faueamus: ſi extra nos, feramus. Sin tanquam.] Platonis nempè diſcipulus, qui immortalem animā ſeu animum profeſſus eſt. Eſt enim una quidem anima: ſed cum recordatur, mens dicitur: cum iudicat, ratio: cum ſpirat, ſpiritus: cū conſentit, uoluntas: cum proponit, animus: cū animat corpus, anima. auctore Aurelio Augu. in libro de Spiritu et anima. Sic Cicero de Rep. *Vt mundum Deus æternus regit, ita fragile corpus animus ſempiternus mouet.* At Democritus emori cū corpore dixit. Dicæarchus omnino inane uocabulum eſſe. quemadmodum prima Tuſcul. refert Cicero, falſiſſime ſcilicet. Animam autem Phyſici diſtinguunt quadrupliciter. Vitalem in uermibus, uegetatiuā in plantis, ſenſualem in brutis, rationalem eſſe in homine. Et mirū ualde, quod hic Orator dicit, nihil acerbitatis accidere potuiſſe Hortenſio. quaſi affirmet nullum è mortuis percipi dolorem. Transfert tamen ad ciuilem felicitatem uerba rurſus. Etenim cætera fortaſſe.] Legum uim, libertatem populi Rom. Cum forū.] Scripſit hæc Cicero nō in deceſſu è Cilicia ſuo, ſed oppreſſa iam dominatu Cæſaris urbe longo poſt interuallo, quibus ille temporibus publica cōſilia perraro cognouit. Orationes autem uix tres habuit: pro Q. Ligario, pro M. Marcello, pro rege Deiotaro uidelicet. Quaſi theatrū.] Metaphora ab ædificio ducta, unde ſpectacula uel ludi uideantur, ad locum omnium oculis expoſitum. Sic in Verrem: *Meamq; quæſturam quaſi in aliquo orbis terræ theatro uerſari exiſtimarem.* Theatrum etiam pro concione ſumitur ipſa, pro ſpectatoribus. Quintilianus: *Tunc eſt commouendum theatrū, cum uentū eſt ad ipſum illud, quo ueteres tragœdiæ comœdiæq; clauduntur.* Theatrum pro oſtento Plinius accepit. Spoliatum atque orbatum.] Tranſlatitie, ſublata dicendi conſuetudine, uacuis iudicum ſubſellijs, exanimato ſenatu uictoria & poteſtate unius. Equidem angor animo.] Valde doleo omnia ferro geri, non etiam conſilijs ſapientium ciuiū. hoc enim ſolum ego didiceram: nec propterea quidquam magnopere curaram. Arma propagando imperio, togam utilem conſeruando iudicaram. Itidem Hortenſius. Nunc uero neglecta talis uirtus eſt. Propria præſtantis in Repub. uiri.] Prudentia, auctoritas, eloquentia, fortitudo, integritas. Bene morata.] Sequentis dotes eas præſtantis uiri, uirtutiq; libenter. Quod ſi fuit.] Fuit, cum M. Valerius plebem oratione conciliarit ſenatui, Maximus propterea dictus, cum Menenius Agrippa ſimiliter ciues in gratiam reduceret. Liuius 1. Dec. Tum perfecto.] Summum & commodiſſimum tempus. Excluſum.] Vtrinque peccatum, diffidentibus ipſis ſibi ciuibus, inani perturbatione mentis. Nam Cæſar uim ſenatus atque Pōpeij timere uidebatur, Pompeius Cæſaris potentiam & opes.

Ita accidit.] Reuocat ſuam cauſam à publica. Sum his caſibus & ego perindigne oppreſſus. qui cum perpetua tranquillitate, extremis annis perfrui iam æger debui. Diuiſa Repub. duas in partes, alijs Cæſarem, Pompeium alijs adiuuantibus, Cicero qui multum utrique ferret acceptum, diu dubitauit ad utrum ſe conferret. Atticus Pompon. amiciſſimorum unus conſulebat, ut quieſceret. Iulius pari ſtudio nitebatur in Italia uirum retinere. Sed Pompeius hoſtilia minitabatur, quicunque remanſiſſet. Erat autem melior opinio Pompeianæ cauſæ. maior etiam Senatus pars cum eodem. Itaque poſt multa, ſoluit & ipſe demum domo, tranſmittens in Græciam ad exercitum. Quo ſimulatque uenit, pœnitentia facti ſtatim motus eſt, Catone præſertim acceſſum improbante, cuius primaria habebatur exiſtimatio. Dux enim Pompeius diſſimilis ſui planè factus, quid ageret, amiſſa Italia, ſatis proſpicere non poterat. Stetit tamen cū illo conſtanter Cicero, donec & uictus à Cæſare, & interfectus à Ptolemæo per ſcelus eſt. Tum redijt Brūduſium, ibiq; uictorem expectauit, deprecaturus culpā. Breui uero tempore uenia iam accepta, Tuſculanum ſuum uiſit: & priuatus ibidem eas artes exercuit, quas ætate nimirū maturas, quaſiq; canas, in publico, cum uſu Reipub. exercere, ſibi non licitū eſſe, hic conqueritur. Rebus ampliſſimis.] Quæſtura, ædilitate, conſulatu. Non inertiæ.] Philoſophis iſtud concedo. Sed otij.] Quale fuit Periclis, Epaminondæ, gerentiū ſapientia ſua Reſp. Salutariter.] Quia multū ſanguinis effuſum: Pompeius ipſe primū, poſt & Cæſar, occiſi. Itaque ij mihi.] Concluſio prædictorū, propoſitionem continens. Enumerat enim ſequenti oratione eos ipſos, quos beatos fuiſſe, fortunateq; per uitam habuiſſe nunc dicit. In cæteris ciuitatibus.] Athenis, Spartæ, Thebis, Rhodi. Cum auctoritate.] Si bellorum caſibus attriti non fuerunt, nec deſpicati in ſua dignitate propter iniurias fortunæ. Maximis noſtris.] Nam cum Reip. ruina, conflictabatur etiam optimus uir difficultate coniugij, ſaculatum, neceſſitudinum, dimiſerat uxorem Terentiā, dotis renumeratione non ſatis inſtructus: amiſerat obitu repentino Tulliam: laborabat Quinti fratris odio: Conſiliorum delectu neglectus erat, ut ex epiſtolis apparet ad Atticum ſcriptis.

Nam cum.] Ingreſſus in tractationem inſtitutā ex occaſione, priora præfari noluit. In Xyſto.] Græcum uocabulum, latine porticus laxa dicitur, in qua per hyemem pugiles digladiantur, auctore Victruuio lib. 4. Domi.] In Tuſculano. Quid uos?] Subintelligendum, adfertis. Sanè.] Nunc adferimus. Ex Aſia.] Poſt Pharſalicā enim pugnā comitabatur Cæſarem, cōtra Alexandrinū, et Pharnacem. Prudenter.] Tradit Cheroneus, Cæſarē ad primā Bruti orationem dixiſſe, adſtantibus amicis, *Adoleſcens iſte quid uelit, nō intelligo. Quod enim uult, immodice uult.* Teſtatū ſcilicet de prudentia maturiore iuſto iuuenis, atque grauitate.

Totius ualetudinis.] Siue corpus, animū ſiue ſpecies. Atque.] Similitudo feſtiua, cōferens bellicā atrocitatem cū otioſula perturbatione. Locus hiſtoriæ ſic habet: Annibal Pœnus, cū in Italiā arma per alpes intuliſſet, primo cōgreſſu Romanum exercitū ad Trebiā fudit: breui rurſus, ad Traſimenum lacum: Tertio, ſed inſignius, ex nece conſulis, ad Ticinum. Deficientibus igitur ſociorum magis atque magis ciuitatibus,

re præterea

re præterea Conſulum auſpicijs tam malè geſta, dictatorem Romani crearunt, Fabium Maximum : quem quia ſolers ingeniũ et experientia longa perduxerat, nõ potuit hoſtis fallere : neque uero uincere. Continebat enim ſeſe ſemper caſtris : hoc effeciſſe contentus, quod uictor ad unam ſtationem adhærere, fameniq; tali bello interim expectare cogeretur. Cum ecce magiſter equitum, calumnijs apud plebem uſus, ipſi coæquatur imperio. Motus indignitate Fabius, permiſit id tamen. partitis ita copijs, concurrit Tyro facile, cum peritiſſimo Pœno. Nec diu uincitur. Hæc recens & noua iam calamitas, Verum miſerabilis illa, quæ mox ad Cannas eſt conſecuta. Nam profectis in hoſtem Conſſ. cum uniuerſo robore Romanæ urbis, tanta ſtrages accidit, ut parum abfuerit, quin Reſp. concideret. Cæſus alter Conſ. cæſa propè quinquaginta millia : nec pauca ſanè capta Romanorũ ciuiũ, hoc eodem prælio. Quibus tam continuis cladibus conſternata ciuitas, trepidare non deſtitit, quoad M. Marcellus Conſ. Annibalem ad Nolam ab oppugnatione repulit. Hinc enim primũ fidem cœpit, poſſe retundi ferreum ducem. Et comprobauit omnino fiduciam, tempus. Etenim breui recepta Capua, domita Hiſpania, deletus internecione maximus exercitus Carthaginẽſium cum Aſdrubale, Mago oppreſſus, Syphax captus, multaq; proſpera alia, quemadmodum hic dicit Cicero, conſecuta deinceps. De hoc M. Marcello ſolebat Annibal dicere : Fabium Maximũ ut præceptorem, ſe reformidare, Marcellum ut pugilem.

Rerum noſtrarum.] Meæ domeſticæ calamitatis. quia cum coniuge, cum fratre diſſidens, etiam fortunarum detrimenta acceperat. Communium.] Propter extinctam dignitatem Reip. ſublatam libertatem populi R. ciuilibus uictorijs. Cæpio.] Lætor enim. Salutem.] Iocatur ambiguitate uocabuli. Cum enim literæ ſcribebãtur ad amicos, tũ temporis, præponebatur ſemper S.D. Erat autem hoc precantis. Sed alias ſalutẽ afferre, ſalutẽ dare, hominem cõſeruare ſignificat. Quod hic nõ uult Cicero, ut etiã ſe mox interpretatur ipſe : An, inquiens, gratior ſaluatio. Libri.] Narrat mox qualis fuerit liber, & quid cõtinuerit. Iacentẽ excitauit.] Figuratè, pro triſtem recreauit. Tibi nouum.] Viro ſcientia rerũ omniũ primario adhuc incognitũ. Tanto uſui.] Vnde ſalutem reuera caperes, inuſitato modo. Ille uero.] Aperit capita libri. Quantũ intelligere poſſumus, tractarat Atticus cõmunem bonorũ ciuiũ ubique ſortẽ, et eloquentiã. Nam in enumeratione uerſatur mox noſter. Explicatis.] Repetita per ordinem hiſtoria ueterũ. Ipſa tractatio.] Conſideratã fortunã aliorũ. A te ipſo.] Qui tuapte tã cõfirmatus eſſes, tũq; præteritarũ ætatũ exemplo ſolareris tã præclare. Eadem menſura.] Vetuſtiſſimũ dictum, prouerbij gratiã habens, & tritũ uſu nationũ penè omniũ. Nã et ille ſũmus humanæ loquelæ formator ita loquitur, cũ inquit in ſcriptura, QVA MENSVRA metiemini. Quod idem ſignificat, ac ſi dicas mutuũ recipere, uel reddere. Sed Heſiodus ad gratitudinẽ hoc refert. Alias autem in contrariũ : ut res, & uis uocis, quæ quidem latiſſime patet, expoſcit. Plura Chiliades. Profecto. Legendũ eſt fortaſſe, pro facio. Nec enim.] Allegoricũs iſta. Quaſi ſimpliciter diceret : Hoc tempore nihil ſcripſi, quod par tui libri poſſit uideri mecũ habeo. Fecit enim præſens calamitas, ut mente cogitationibus ſtudijs impeditiſſimus ſim. Tum uero, ſi quid propoſiti fuit, ſolitudine fori cõpreſſum eſt, ut poſterius hoc, de luculenta oratione aliqua ſcilicet intelligatur. Tanquã in inculto.] Priuatim in Tuſculano meo, non in celebritate urbana illa, quæ comes eſt ſingularibus ingenijs. Impendijs.] Vt ſuperet æſtimatione librum Pomponi tuum, quantumuis elegantem. Videtur autem de Quæſtionibus Academicis & Tuſculanis promittere. Ager qui.] Nam deſertus ager omnino ſterileſcit, exhauſtus ſegete tandem areſcit. Sic patres familias. Tum ille.] Pomponius inquit. Neque exigam.] Importuna flagitatione, quæ polliceris, extorquebo. Eſt enim in hac ſignificatione Exigo, debitum repeto. hinc Exigere nomina, ſolutionem acquirere. Cicero in Verrem : Satis apparet, te nomina tua exegiſſe. Quanquam alibi poſuit pro rogare, ut ſecundo de Finibus : Exigerem ex te, cogeremq; ut reſponderes, & cætera. Voluntarius procurator.] Vlp. de procu. et defenſoribus : Eſt qui aliena negotia mandatu domini adminiſtrat. addit igitur Cicero, uoluntarius. A te cauero.] Id eſt, mihi prouidero. Pronomen enim ſubaudiri debet. quod ſponſione fiat neceſſe eſt. Velut ſi dicas : Non id præſtabo Brute, niſi prius tua fide, tuo promiſſo, certus atque ſecurus nũc ero, neminem, &c. Eo nomine.] Quo tu quidem ueteris de libro. Cuius petitio ſit.] Qui petere ſuo iure poſſit, cui promiſerim. Tibi repromittere.] Repromitto, magnum aliquid promitto. Sic Donat. Alij idem quod ſimplex, eſſe dicũt. Ad Quir. poſt reditum : In referenda autem gratia id nobis repromitto, ſemperq; præſtabo. Paulus Iureconſultus, Si nunciauero tibi, ne quid contra leges in loco publico facias, repromittere debebis : ideſt, ita te facturum recipere. Repromittere etiam eſt, definire tempus ſpondendo. Cicero pro Roſcio. Repromiſtis tu ab hinc triennium Roſcio. Qui negat.] Atticum, ſcilicet ſe ſtaturum repromiſſioni meæ. Longo interuallo.] Poſt longum tempus, ex intercapedine temporis magna. Quod huic debes.] Permittit hoc ius Bruto, ut perinde atque ſuam cauſam tueatur. Quid nam?] Adde, Eſt, aut ſimile uerbum. De Repub. libros.] E reliquijs illorum librorum, quæ pertenues extant, coniecturam facere poſſumus, qualesnam fuerint. Fuerunt enim omniũ præſtantiſſimi, quod & titulus, & rerum particula, & honorificæ mentiones ipſius Ciceronis ad Pomponium Atticum declarant. adeo, ut his alicubi uerbis illum alloquatur : Quod ſi iſta nobis cogitatio de triumpho iniecta non eſſet, quam tu quoque approbas, ne tu haud multũ requireres illũ uirum qui in ſexto libro informatus eſt. Quid enim tibi faciam, qui illos libros deuoraſti? Sex igitur numero ſcripſerat de Rep. hoc eſt, de optimo ſtatu ciuitatis, de optimo ciue : Platonis philoſophicã politiam, nec non Ariſtotelis, item Xenophontis regnum imitatus. ſed perfectiſſime tamen. Nam & ueterem urbis Romæ diſciplinam retexuit, commemoratis ibidem atque in ſermonem inductis Scipionibus, Lælijs, Scæuolis : quemadmodum ex Atticanis epiſtolis eſt colligere. Nunc nulli ſunt. Sunt quidem miſeri certe, qui uix argumenta tractationum fragmentulis præbent. Rerum naturalium.] Id eſt à natura præclarius prouenientiũ : ut eloquentiæ, ſapientiæ, iuſtitiæ. Niſi fortè uult obſcure polliceri, ſe ſcripturũ aliquid de mundo phyſice. Sed hoc doctrinæ genus. i. Academicæ. Quæſt. profitetur Græcis planè uocabulis, & nominaturum ſe nõ Latine, dicit, ut philoſophiam, rhetoricam, phyſicam, dialecticam. Cum poteris.] Scilicet per otium, & commodo tuo nobis exponere. Animo uacuo.] Si nihil magnopere meditaris, uacuo curis uel à curis animo. Inchoaſti.] Inchoare, rudẽ materiã informare, aliquid incipere. Seru. Apud Latinos unũ uerbũ o habet, ante finalem inchoo : quod tamen maiores noſtri tranſpoſita adſpiratione ſcribebant incoho. Feſtus: Videtur ex Græco originem trahere, quod Heſiodus omnium rerum initiũ eſſe dixerit chaos. Detuliſſem.] Id eſt, narraſſem te proximo colloquio oratores mihi relaturũ. Differunt autem, deferre ad aliquem, & alicui. Deferre ad, eſt nunciare, alicui tribuere. ut, Deferre primas eloquentiæ Ciceroni. Magnopere ſe audire.] Scilicet cupere, libenter tunc ipſum ſermonẽ. Si commodum.] Factu, uel tempus. Ede.] Id eſt, profer. Edo, prima correpta, manduco : longa, pronuncio. Cœperas.] Scilicet, nuper aperire. Si potuero.] Sic aiunt Gramm. futurũ coniũctiui uocalem u amittere, præterita retinere. Ponendum igitur hic eſt Potero. Sed uidemus

etiam alijs in locis id non obſeruari. Relaxa animum, aut libera.] Nempe curis omnibus, & perturbatione ueterum cogitationum iſto tempore. Relaxo, contrarium aſtringo. Cicero ad Atticum: Quidquid ego aſtrinxi, relaxas ille. Cauſam Deiotari.] Rex Galatiæ Deiotarus, ciuili bello Pompeianis partibus auxilium tulerat. Indignabatur ergo Cæſar, parta uictoria Regi. Sed hic ad urbem reuertenti Cæſari ſupplicabūdus occurrit. Eáq; ratione regium nomen, & maiorem regni regionem ab ipſo obtinuit. Antequam uero Cæſar Alexandria ſolueret, & contra Armenium pugnaret, miſerat iam Deiotarus pecunias & equitatum illi. Quod beneficium, ut clementer acciperet, ut depoſita offenſione Regem in gratiam reciperet, præſens Brutus elaborarat. Non multo poſt, eadē in urbe diligentia reo Regi affuerat. Nam delatus erat ad Cæſarem, quaſi per milites in inſidijs collocatos ipſum aliquando uoluiſſet interficere, cum hoſpitem ex uia Aſiatica habuiſſet. Fruſtra tamen Brutus. Index enim, & accuſator cauſam agebat, Regis nepos: quod uidelicet plenum uidebatur exiſtimationis. Præterea conſtabat, initio belli declaratū eſſe odiū in Cæſarem, delectu partis. Itaque difficillimam actionem rogatus ſuſcepit Cicero, tāquam ſummus patrocinij magiſter. Regi uero, ueteri conſuetudine notis affectiſſimus etiam, præſertim iam ſeni. Sed paruo & ipſe profectu. Tam grauis hærebat in animo Cæſaris de crimine ſuſpicio. Quid multis? Deſerere coactus fuit Deiotarus regnum, quoad Cæſar interfectus eſt. Tum enim demum, armis id recuperauit, impedito urbana perturbatione cum cæteris uindice Iulij, Conſ. Antonio. Hæc ex Atticanis partim, partim ex Philip. Bruti uitem.] Tam eloquentis uiri. Neſcio, ſi quid de rectitudine Ciceronis dubitare licet: num hiſce uerbis inſtigare Brutum ad auitam laudem quærendam, hoc eſt, ad tollendum ex urbe dominatum, noſter uoluerit. Hic is certe Brutus eſt, qui non ita diu poſt, princeps conſpirationis in ſenatu Cæſarem per uim occidit.

Iudiciorum maieſtatem.] Quia gerebantur omnia arbitratu Dictatoris, ut aſſolet. Prætor tamē Brutus, ſub hoc ipſum propè tempus de iure reſpondebat audenter. Vnde, cum quidā uehementer conteſtatus ad Cæſarem prouocaret, nihil territus, Me Cæſar, inquit, iuxta leges facere, dicere, non uetat, nec uetabit. Plutarchus in uita Bruti. In te intuenti.] Tuū ingeniū, doctrinam, facundiam, dignitatem perpendenti. Quamuis enim ad Stoicos & Catonem inclinabat, inſtrumenta tamē Reip. gerendæ, quæ ſuppeditarentur his ſtudijs philoſophiæ, non contemnebat. Ecquod' nam.] Id eſt, an unquam celebris apud pop. Romanum orator futurus ſit? iſto ſtatu, tam potente ſemper uno. Quaſi diceret: uix puto. Aetas noſtra.] Me cum æqualibus iam ſeneſcente, breuiq; morituro. Faſces ſummitteret.] Metaphora ſumpta à conſuetudine magiſtratus. Cum enim decedebant è prouincia Prætores, Proconſules, Imperatores, ad præſentiam ſucceſſoris perinde atque dignioris, inter conſalutandum, inſignia ipſa ordinis et honorum, ſiue faſces, quos lictores præferebant ſex, uel duodecim, ſolenni ciuilitate deijciebant. Hic utitur, pro, dignitatis honorem tibi haberet. Cæterarum rerum cauſa.] Scilicet iudiciorum, diſciplinæ, uirtutum. Dicere nemo.] Sic inquit in ſuperiore libro, ni fallor, Craſſus: Malo indiſertam ſapientiam, quā loquacitatem ſtultam. Tam humilis.] Qui ſe nō potuiſſe dicendo uincere aduerſarium aliquando, aut poſſe in foro, putet. Victoria.] Vincit enim ſæpe conditio cauſæ, fauor iudicū, largitio, potentia. Propter.] Id eſt, penè, iuxta ſtatuā Platonis: cuius libros hic ſequens, exprimit. Laudare igitur.] Tractat eloquentiæ propoſitā laudem diſſimulanter. Non enim id agere uideri uult: ſed agit, dum illius ſtudioſos et actores deprædicat. Quin artificioſius, quàm aliàs unquam. Demonſtrat enim, planeq; digitis (ut aiunt) oſtendit, quantū honorem, quam tam utilitatem hæc facultas hominibus attulerit: & ſigillatim, nec uno tantum tempore. Summū autem genus laudationis eſt, rem ſtatim præſentibus oculis approbare: non poſt multa uerba, demum cognoſcendam experientiæ relinquere. Siue arte.] Ad hoc Rhetores tenebant ſcholas. Siue exercitatione.] Propterea Cicero, Cæſar, & alij, Rhodum, Athenaſq; uiſebāt.

Siue natura.] Talis erat C. Marius, eloquens, ut pro militia, uir, ſed omnino literarū ignarus. Ex quinque rebus.] Scilicet Inuentione, diſpoſitione, exornatione, memoria, pronūciatione. Omnes artes.] Quas liberales uocamus. Ita uult: Quæcūque ſtudiorū nomina tradita ſunt, Græci pridem perdidicerūt, et facile. Eloquentiā autē tardiſſime ſibi cōpararūt, atque uix dum eā perfecte tuentur. Athenæ tuæ.] Ratio, quia bello ciuili, quod inter Cinnā & Syllam crudeliſſimos duces geſtum eſt, Pomponius Att. ne partem alterutrā offenderet, Athenas ex urbe commigrauit, ibiq;, donec compoſitæ res ſunt, quietus habitauit. Sed & Athenienſibus præſens tā gratus, ut quos poſſent, eos honores ipſi tum publice deferrent: abſens uero tam charus, ut ſtatuas in celeberrimis locis, unà cum Phidia, nolenti cōponerent. Nepos in uita Att. Orator extulit.] Id eſt, dicendi ſtudium, ars, & laus primū ibi innotuit. Periclem.] Hæc hodie nō extant, neque ſcimus qualia fuerunt. Et Thucydidem.] Hiſtoriam rerum ab Athenienſibus tum temporis geſtarum habemus. Fuit autem & dux, & luculentus orator, arbitro Cicerone, teſte ſcripto. Iam adultis.] Cum non ſeruirent Athenæ Cretenſibus, ut Theſei ætate: nec abſque legibus agerent, ut tempore Solonis: ſed dominarentur penè toti Græciæ, Perſis etiā aliquoties profligatis, & ad maritimas Aſiæ propagato principatu. Piſiſtratum.] Idem de hoc cōpendiarius Trogi Iuſtinus, item Plut. ſcribunt. neceſſarium fuiſſe Solonis: uerum animo, uita, moribus alieniſſimum: lingua potentem tamen. eáq; fraude rerum Athenis potitum, ne quidquā renitente conſanguineo Solone. Cum enim factionibus eſſent diſſociati ciues, Piſiſtratus pauperum obæratorumq; cauſam defendiſſe dicitur: cuiuſmodi hominum ſemper eſt ingens multitudo. Quare repreſſis aduerſarijs, & impetrata militari cuſtodia, quod ferro ſe ſcidiſſet ipſe, uulneratum autem ab inimicis quereretur, breui arcē occupaſſe. Sed qualis qualis fuit: moderatus in poteſtate, &, ut hic teſtatur Cicero, facundus fuit. Solonem.] Memoriæ proditum eſt, ipſum primas Græcis leges tuliſſe: ſuis ſcilicet Athenienſibus. Is etiam aliquando, cum dicere in publico non auderet, ut contra Megarenſes bellum moueretur (erat enim plebiſcito capitale, ſi quis hoc feciſſet) inſaniam ſimulauit, elegiáq; perſuaſit quibuſdam, ut Salamina, belli præmium, ad Rempub. reduceretur. Cum prudentia.] Notum illud oraculum, quod expoſuit, de ſeruāda ciuitate muris ligneis. Naualem enim pugnam cū Perſis paulo poſt init, ampliſſimeq; uicit. Laude clariſſimus.] Adeo, ut diceretur tonare, fulgurare, permiſcere Græciam. Virtutis autem, cuius omni genere florentem fuiſſe Cicero dicit, hoc inſigne documentum, quòd cū amici uictorias & trophæa morienti commemorarent, ipſe præſenti mente: Quid, dixerit, fortunæ beneficium admiramini? Iſtud ego lætor, ciuem nullū propter me ueſte atra adhuc uſum.

Cleonem.] Hic primus Athenienſium orans pallium reſcidiſſe, latusq; manu percuſſiſſe dicitur. turbulentus homo: qui palàm auſus fuit iactare, cæteris oratoribus fauces præcludam, Niciam uero uerbis exanimabo. Suppares.] Id eſt, ferè pares. Alcibiades.] Vir uarius ingenio. de quo dictum Plutarchus hoc habet: Vt Aegyptus, inquit, optima fert, & peſſima medicamenta, ſic Alcibiades in utrāque partem egregius.

Critias.] Triginta tyrannorum Athenis unus. debellatis enim Athenienſibus, Lyſandro duce, Spartani tot numero rectores ciuitati præpoſuerūt. Theramenes.] Hunc Ariſtoteles ait, amantiſſimum patriæ fuiſſe. quanquam ob mobilitatem, eū nunc uni, mox alteri ciuium parti adhæreret, Cothurnus

primo

primo uocabatur. Expulſor tamen Lacedæmonici dominatus. Cæſar etiam, de Cicerone, qui mortuum Catonem laudarat, loquens, ab ipſo Periclis uirtutem, & Theramenis uim in ſcripto expreſſam, apud Plutarchũ ait. Magiſtri dicendi.] *Rhetores, quos hic ſubiungit, uel ſophiſtas potius. id enim profitebantur.* Quemadmodum.] *Id eſt, quo orationis artificio mala cauſa reddi bona poſſet, & contra.* Qui ſubtilitate diſputandi.] *Atque hoc eſt, quod M. Cato Cenſorius in Socrate reprehendebat: Arrogantem, inquiens, & inquietum fuiſſe, qui plus ſua placita, quàm patriæ leges ualere uoluiſſet: antiquos etiam mores, nouis conſuetudinibus & ſtudijs in ciuitate corrupiſſet. Sed quid moroſo ſeni reſpondeas? Fuit omnino præclarum opus, impudentem illorũ iactantiam philoſophica conſtantia coercere.* Doctiſſimi uiri.] *Plato, Xenophon, & alij.* De natura.] *Triſmegiſtus enim multo ante Socratem, de rerũ omnium natura diſſeruerat, item Hippocrates phyſicus.* De bonis.] *Quaſi de iure: & ſignificat philoſophiam politicam.* De moribus.] *Vult ethicam. huius enim modi doctrinæ, primum iſto tempore tradi cœperant.* Quod quoniã genus.] *Non inſtitui philoſophos, eorumq; rationes hic exponere. quamobrem reducam orationem à tali mentione, ad meũ propoſitum, quod eſt, oratores recenſere.* Cuius domus.] *Hinc illud peruulgatum, Turpe ſilere: quod Ariſtotelem diſcipulorum inopem, conſpecta Iſocratici auditorij frequentia dixiſſe ferunt.* Perfectus magiſter.] *Demoſthenes tamen Iſæo rhetore uti maluit, qui tum efficacior, & in dicendo cautior habebatur.* Forenſi luce.] *Id eſt, cauſas publice non egit, quibus inclareſceret.* Intra parietes.] *Propterea Cenſorinũ ex uiſis dicere ſolitum Chæroneus refert: Iſocratis diſcipulos uix tandem reis apud inferos patrocinari.* Cætera melius.] *Artem dicendi.* Modum tamen.] *Alibi ductum orationis, & æquabilitatem uerborum uocat.* Circunſcriptione uerborum.] *Ne ſententia procul poſita neſciatur, aut lateat in animo compreſſa.* Laborare.] *Si quis difficulter ſpiret, & anxie.* Tum Lyſias.] *Hic eſt ille, qui uocato in iudicium Socrati pulcherrimam orationem obtulit, ut ea pro ſe, ſi ita uideretur, cum edidiciſſet, uteretur. Sed is parum uirile exiſtimans, captare uoluntatem iudicum mollibus uerbis, perinde ac Sicyonios calceos, qui, quamuis habiles eſſent, philoſophum tamẽ non decerent, illam habuit.* Cui nihil deſit.] *Vnde rogatus, quam ex orationibus Demoſthenis optimam iudicaret: reſpõdit, longiſſimam. hoc Plut. de Cicerone.* Quas ſcripſit.] *Scripſit autem multas, & uarijs argumentis. Quarum præcipuam conuertit è Græco ipſe Cicero, Cteſiphõti ſcilicet inſcriptã: ſed intercidit. Philippicas etiam imitatus eſt, ad titulum uſque.* Subdole.] *Id eſt, fraudulenter, aſtute, mitigat. non quod male loquatur: uerum quod in Demoſthenis exiſtimationem, male: cum addit, Vt ita dicam.* Subtiliter.] *Id eſt, tecto conſilio.* Preſſe.] *Id eſt, modo uerborum.* Enucleate.] *Per figuram, pro dilucide, explanate. Nonius: ab eo quod nucibus ſeparatis, nucleorum utilis uſus habetur.* Huic Hyperides.] *Diſertum & nobilem oportuit hunc fuiſſe. Nã Antipater, Alexandri Magni in Græcia ſucceſſor, extractum ex Aeaci templo apud Aeginetas, quò tertius ipſe confugerat, mox interfici, linguaq; mutilari iuſſit. ſteterat enim pro repub. contra Macedones.* Aeſchines.] *Noti nominis orator. qui cum in iudicio omnium famoſiſſimo, præter expectationem à Demoſthene ſuperatus fuiſſet, in exilium abijt, & circa Rhodum Ioniamq; rhetoricam docuit.* Lycurgus.] *Non ille Lacedæmonius legiſlator, ſed ille, quem Alexander Magnus unum inter alios octo ſibi dedi, propter inimicitias, ab Athenienſibus poſtulauit.* Dinarchus.] *Corinthius fuit, accuſator apud Caſſandrum regem Demadis: tam uehemens, ut filium in complexu patris rex trucidaret, ipſum uero etiam paulo poſt patrem necaret.* Demades.] *De quo iam dixi, magnus alioqui uir ingenio & eloquentia, qui ſæpe deficienti in dicendo timiditate Demoſtheni, conſurgens extemporali dictione opitulatus eſt. Sed dum ſe regum rebus nimis implicat, perit, ut narrauimus. Hæc autem occaſio mali fuit, quod ad Perdicam regem ſcripſerat: ut ueniret Athenas cum exercitu, tantamq; rempub. à putrido filo (ſenectutem Antipatri notans) pendentem, ipſe conſtabiliret.* Effudit hæc ætas.] *Fuerunt enim hi, quos modo retulimus, omnes coætanei.* Phalereus.] *Familiaris, & propè diſcipulus Demoſthenis. Scribit enim, Plutarcho teſte, hæc de illo, quod hæſitantem linguam calculis in os iniectis correxerit: quod anguſtiam ſpiritus currendo diſtenderit: quod in ſpeculo domi geſtum formarit, ac cætera. Damnatus ipſe quoque capitis à populo, poſt Phocionis necem, abſens.* Quàm palæſtra.] *Sẽſus: Dicere ſolebat, ut ſeſe exerceret, & in fauorem plebis inſinuaret: non ut aduerſarium concitaret, aut uehementia frangeret. Locus erat, ubi luctabantur, apud antiquos iuuenes.* In ſolem & puluerem.] *Figurata loquutio: quanquam alij prouerbium eſſe uolunt: pro, uenerat in forum, quod nunquam eſt, niſi contentionibus & moleſtijs, plenum. Sequitur enim militare tabernaculum, & Theophraſti umbraculum: ut uidelicet correſpondeat in uerbis ſibi tropus.* Concinnitatis ſuæ.] *Id eſt, ſuauitatis, elegantiæ.* Aculeos.] *Id eſt, ſenſum, ut admirarentur eloquentiam.* Seruio Tullo.] *Sexto Romanorum rege.* Temporibus.] *Id eſt, bello Troiano.* Ferbuiſſet Vlyſſi.] *Facundum enim ubique producit. Sed præcipue, cum Aiacem Telamonium, uirtute gratioſiſſimum in exercitu, dicendo ſuperat, & Achillis arma per linguæ uim, in præmium expeditionis obtinet.* Neſtori.] *Nelei filius, conſilijs & eloquentia apud Homerum princeps, unde melliſluum poeta uocat.* Incerta tempora.] *Riſerunt enim ſua ſæcula Mæoniden, inquit Naſo. Et hac poſtea temporis incertitudine abuſæ ciuitates Græciæ, certarunt pro natali poetæ, Smyrna, Rhodos, Salamin, Colophon, Chios, Argos, Athenæ.* Superiorem Lycurgum.] *Aliter Ariſtoteles, cum Eratoſtene. Lycurgum enim unum hi fuiſſe uoluerunt, relatore Plutarcho. Sed Tullius Timæũ in hiſtoria ſequitur, qui fuiſſe duos, & nõ eodem tempore, ſcribit. Superiorem uero, temporibus Homeri. Cuius ideo ſumma gloria, quod eas Lacedæmonijs leges perſcripſerat, ut Apollo conſultus præſenti reſponderet, ſe dubitare, Deum'ne diceret ipſum, an hominem.* Aſtricta.] *Appoſite. nam rigidiſſimam diſciplinam inſtituerat.* Proximo ſæculo.] *Feſtus: Eſt ſpatium centum annorum. Sic & Varro. quam rationem hic Cicero tuetur.* Bellum Volſcorum.] *Quod Conſ. Cominio geſtum eſt, in quo Coriolanus primum dici cœpit, à Coriolis Volſcorum oppido, ſingulari uirtute capto. prius enim Cn. Marcius uocabatur. Huius memorabile factum in hoc bello referũt. quòd cum à Conſule laudibus multis ornatu, omnium rerum è præda decumam ſumere iuberetur ob militiam fortiſſime geſtam, gratijs actis, uti donatiuo noluerit: Vnum autem petierit, ut hoſpes, qui uir bonus eſſet, & nunc ad ſeruitutem redactus, ex hac conditione ſibi reſtitueretur. Hinc noſter, cum iſto loco clariſſimum appellas.* Populi ingrati iniuria.] *De Coriolano ſic eſt. petierat aliquando conſulatum, ſed quia nullis ciues uerbis, neque dextra, quod tum moris erat, ſibi conciliaſſet, repulſam tulerat. Ex eo tempore plebi infenſus eſſe cœpit. Itaque cum annona ciuitas laboraret, & multum è Sicilia frumenti commodum ueniſſet, multum etiam Gelo Syracuſanus dono miſiſſet, grauiſſime Coriolanus obſtitit, ne quid eius in plebem diſtribueretur, Corrumpi largitione ciuium ingenia, dictitans. Quod ubi plebs intellexiſſet, concurſu Senatum penè oppreſſit. Sedata tamen ſeditione breui, citarunt Coriolanum tribuni perduellionis: eiuſq; criminis, non comparentem in foro, per trium tribuum ſuffragia, reliqua plebe exultante, damnarunt. Sic in exiliũ ille, uix qua-*

tuor famulis comitatus, ex urbe profectus eſt. Sed Themiſtocles, nulla quaſi cauſa, niſi quod Dianæ templum dedicarat, Ariſtobulæ Græco nomine dictæ. Videbatur enim multitudini, ſua beneficia commemorare: qui contra Xerxem dubitanti Græciæ quondam optime conſuluiſſet. Tum autem potens erat, & diues, ut uel hinc in ciuium inuidiam poſſet cadere. Eiectus igitur per iniuriam primo in exilium, poſt etiam capitis abſens damnatus, ad regem Perſarum confugit, à quo honorifice ſuſceptus eſt. Verum Cimone iam Aegyptum expugnante, cum repugnare iuberetur, ne ueterem gloriam ſcelere nouo contaminaret, ueneno mortem obijt. Coriolanus autem, in patriam hoſtiliter agere, ſimili exhorrens ratione, poſtquam matris precibus à furore deſtitiſſet, neceſſitatem obſequendi Volſcis, morte præuenit. Nã & ſi Attice.] *Cuius opinionis & Plutarchus eſt, qui Marcium tumultu militari trucidatum tradit: Themiſtoclem uero, ſanguinis infecti hauſtu extinctum: ut hic commemorat de Stratocle Cicero.* Illa mors uulgaris.] *Quia multi mortem ipſi ſibi intulerunt.* Tibi quadrat.] *Id eſt, omnino conuenire uidetur. Sumpta metaphora à quadro, quod inſtrumentũ uel materia dicitur rectis quatuor lineis, & quatuor æqualibus angulis compoſita: ueluti ſaxum quadratum, agmen, lapis.* Præbeba hoſtiam.] *Proprie ſacrificium, quod pro uictoria ex hoſtibus Dijs redditur. Ouidius:*

Hoſtibus à domitis hoſtia nomen habet.

Te audiente.] *O' Attice, quem nullus affectus à uero, nulla difficultas à cognitione ueri remouet.* Ab Anaxagora.] *Clazomenius, propter ſingularem in perſpicienda rerum naturæ prudentiam, Mens uulgo dictus. Phyſicum autem uocat: quia primus in eclipſi lunæ, luminis atque umbræ cauſam deprehendit, & ætate ſua patefecit. Sed, ne quid nimis, dum principia rerũ acutius ſcrutatur, neſcio quos ἀτόμους affert, id eſt particulas concurrentes, ex eiuſq; tradit animam conſtare, per ὁμοιομερείας ſcilicet.* Abſtruſis rebus.] *Quas uix intentione mẽtis homo conſequi poteſt, oculis planè nullis.* Eiuſdem uim.] *Vnde priuſquam eum mater pareret, leonem è ſe progignere ſomniauit, filium Periclem.* Conſtituentibus.] *Vt in Romulo, Solone.* Bella gerentibus.] *Vt in Cæſare, Ageſilao.* Pacis eſt comes.] *Sententia: Non conuenit ſtudijs cum negotioſa uita: nec ualet eloquentia regnantibus armis.* In Sicilia.] *Accidit autem id ſub Ariſtotelis tempus, cum Dionyſius iunior Dionis Syracuſani uiribus è patria pulſus eſſet, Corinthumq; literaria mercede uitam ſuſtentaturus ueniſſet. Fuit enim Dion Platonis diſcipulus: Platoni uero familiaris Ariſtoteles.* Controuerſa.] *Id eſt, natura ad controuerſiam omnia reuocans: interprete Budæo.* Protagoras.] *Incertum, fuerit'ne Abderites, an Theſſalus. Vterque tamen ἄθεος. niſi quod prior, dubitaſſe dicitur.* Coracem.] *Nomen proprium rhetoris Siculi.* Tiſiam.] *Nonnulli citant hunc locum Theſiam. parum intereſt: modo, ne Theſia legatur. eſt enim id, regionis apud Delphos.* Gorgiam.] *Rhetorem illum celebrem uult, non Leontinum, de quo ſupra, philoſophum.* Se audiente.] *Fuit enim Thucydides Athenienſium quoque dux: ſed parum felix.* Primo profiteri.] *Attingit quæſtionem multis rationibus agitatam a'ids, an ars dicendi ſit, nec ne. Sed hic non definit: quia per exempla ſatis ſignificat, quid ſentiat. Exempla autem Iſocratis, & Lyſiæ, duorum ſummorum oratorum ſunt. quorum alter, cum artem non eſſe putaret, neceſſitate coactus eſt contrarium agere: alter, cum eſſe putaret, experimento didicit aliter ſtatuere. Simul igitur utrunque adeſſe debet, & ingenium & ſtudium.* Partus ueteres.] *Ad figuram, ſubauditur eſſe.* De Epaminonda.] *Thebanorum præſtantiſſimus fuit, qui Spartanos, longe lateq; tum dominantes, penè euertit. philoſophia quoque non minus apud Græcos nobilis.* Pauca dicentem.] *Inde Laconiſmus, breuis ſententia uerborum numero.* E' Peireo.] *Alibi legitur, & emendatius, in Peireeo.* Aſiatici oratores. *Imo nec Cicero tutus ab hac nota quondam fuit. Pollio certe nimis alicubi redundantem, id quod Aſiaticorum habebatur, eſſe cenſuit.* Sed de Græcis.] *Scilicet dicta ſint. Et eſt transpoſitio. transponit enim orationem à Græcis ad Romanos, hunc ductum ad finem uſque ſeruans. Summa præcedentium hæc: Plerique principum apud Athenienſes, à Solonis iam tum tempore, uel obſcure uita perfuncti ſunt, uel dicendi laude excelluerunt: ac huiuſmodi facultate ſibi honores, patriæ gloriam cõpararunt.* Difficile eſt.] *Quia nihil ſcriptorum ediderunt: niſi quod Annales noſtri de ipſis, & hiſtoriæ quorundam mentionem faciunt.* L. Bruto.] *Dictus primo L. Iunius, ex Tarquinia Superbi ſorore: cognomen autem Bruti, quòd à rege ſtultus haberetur, inuenit: idq; libenter ſanè, quo ſuum ingenium melius occultaret, prætulit.* De matre ſuauianda.] *Forte Tarquinij, regis Superbi filij, Delphos ſciſcitatum ex Apolline erant profecti, quis eorum loco patris regnaturus eſſet: unàq; Brutus, ſpecie tanquam cognatus, re quaſi ludibrium ductus. Itaque ſonante oraculo, potiturum imperio Romæ, qui primus oſculum matri tuliſſet: illi laborarunt, quo modo præuerterent inter ſe. tres enim fuerunt. At Brutus Pythicum reſponſum celeriter intelligens, ſimulato lapſu, terram ſcilicet, ut communem omnium matrem labijs attigit. & hoc eſt, quod hic Cicero Brutum ſummam texiſſe prudentiam aſſimulatione ſtultitiæ dicit.* Clariſſimi regis.] *Priſci Tarquinij, Quinti Romanorũ regis filius. Potentiã uero occaſione uocabuli probat: quod potẽtes fermè ſint ſuperbi.* Expulerit.] *Nota res ex hiſtorijs, de Lucretia: cuius indigna oppreſſio deinde miſerabilis etiã mors, cauſam eijciendorum ex urbe regum, Bruto, populoq; Rom. præbuit. Sed rectum'ne mulieris facinus, diſputabile eſſet: magisq; crimini affine, ſi ueris rationibus diſcuteretur: ut pulcherrime ſanctiſſimus Auguſti. in lib. de Ciuitate Dei.* Deuinxerit.] *Id eſt, confirmarit, ſtabilierit. Vtitur hoc uerbo commode quia iureiurando populum & primores coniunxerat, non paſſuros ullũ poſthac regnare. talis autem religio quaſi uinculum erat, quo ſe exſoluere nemo bene poſſet.* Collegæ ſuo.] *Lucretiæ marito, Collatino: qui pulſis regibus, alter conſul centuriatis comitijs electus erat. Iuſſit enim in plena concione Brutus, ut quia nomen Tarquinij, quòd regum etiã eſſet, ipſe gereret, ſuis rebus auectis urbe diſcederet, ne regia memoria, tali uoce, populo commoueretur, aut occaſionem afferret reuocãdi dominatus. Quod Collocatinus ilico fecit, & ſe cum domo ſua Lanuuium contulit. Verum miram eſſe uehementiam animi in Bruto oportuit: cũ duos etiam filios ad capitale ſuppliciũ, ob proditionem regi promiſſam, ultro paulo poſt tradidit.* Ad ripam Anienis.] *Anio fluuius, per agrum Tyburtinum currens, dictus, quod Anius Hetruriæ rex in eo perijt. Liuius non Valerium, ſed Agrippam Menenium fuiſſe ſcribit, qui plebem tum à patribus diſſidentem, faceta de uentre reliquorum membrorum miniſterijs deſtituto fabula, ad concordiam permouerit. Erat autem diſſidium propter magiſtratus.* L. Valerium.] *Hic maiuſcula litera ſcribi debet Potitum. Eſt enim cognomen Valerij.* Ne non.] *Id eſt, multum ualuiſſe.* Decemuiralem.] *Nam Appius Claudius Decemuir filiam A. Virginij nefarie concupiuit. Quam pater, ut mancipium iam iam ad libidinem trahendam, cum alio modo liberare non poſſet, occidit cultro. Seceſſit igitur plebs in Auentinum, ibiq; tribunos ſibi præfecit: quoad L. Valerius eam patribus reconciliauit.* Legibus.] *Sanxit, ut tribunatus eſſet ſacroſanctus: item ut prouocare liceret, hoc eſt plebem appellare: nulla tamen patrum iniuria.* Appium.] *Non illum, de quo iam diximus: ſed illum, quem diuturna ualetudo oculorũ acta cenſura domi ſemper detinuit, dictum Cæcum. Is audito, quod Cyneas diſertiſſi-*

mus

mus orator pacem petitum Romam ueniſſet, Senatum adijt, petitaq; negari perſuaſit. VIderat enim Pyrrhus, corpora Romanorum in hoſtem uerſa poſt prælium. De captiuis.] Leuinus Conſ. nõ proſpere pugnarat aduerſus Pyrrhum, territis militibus elephantorum facie. Rex uero captiuos gratis Senatui populoq; Rom. reddidit. Coruncanus.] Qui primus ex plebe Pont. Max. creatus eſt. Habente comitia.] Id eſt, conuentum populi contra leges celebrante. Inde comitium, locus: à coitando, ut ait Feſtus. Interrege.] Aſconius: Creabatur, inquit, interdum comitiorum habendorum cauſa, & eius imperij quinque dies tantũ erant: quod hoc loco intelligi debere puto. Aliàs interrex, qui, dum uacat regnum, omnia adminiſtrat. De plebe.] Conceſſerat enim Senatus, alterũ Conſ. plebeium eſſe, recepta uiciſſim pretura, & curuli ædilitate. Menia lege.] Vt liceret Senatũ cogere edictis, ad impedienda Appij comitia, tuendumq; populi Rom. ius, ſine Tribunis. Cum lena.] Veſtimentum militare, quod ſupra omnia ueſtimenta ſumitur: ita Nonius. Bayſius autem: Pallijs, inquit, ſuperindui ſolebat, cuius etiam uſus fuit in ſacrificijs. Et hæc interpretatio, ſecundum iſtius loci ſententiam eſt. Flamen Carmentalis.] Carmenta mater Euandri, proprie Nicoſtrata. Sed propter carmina, quibus uaticinabatur, & reſpondebat, ſic dicta. Eius ſacerdotes appellati Flamines, quaſi Pilamines. Cum enim incedere pileati per æſtum non poſſent, cogerentur autem religione caput inſignitum habere, filo ſe ſupra circumligare cœperunt: auctoribus, Varrone, Seruio. Apud Traſimenum.] Lacus in Agro Peruſino: ubi circumuentus inſidijs Pœni, peſſimis ominibus, nullo conſilio recte habito, cum 13. Rom. millibus, fortiſſime tamen pugnans, cæſus eſt. Quem uero.] Hactenus coniecturis, ex Annalibus, excerptis, de ueterum in Republica, quadã eloquentia, uſus eſt. Nunc argumenta ſcriptorum, & teſtimonia auctorum ſequitur. Et primum de Cethego citat carmen Ennij, quem hic ſuauiloquentem uocet. Alterum autem, numeris non conſtat: nec facile poſſum exputare, quid addatur. Nam primum, Cornelius ſuauiloquenti, manifeſtum refert archaiſmum, & uocabulo ſimul, & metri ratione, cum oportet, ut inferius s litera elidatur. Sed res eſt minimæ utilitatis. Itaque prætermittenda. Et hercules.] Iurandi aduerbium, pro hercle, uel hercule: quaſi dicas, per herculem: uel, nimirum he quidem extant. Occidiſſet.] Id eſt, mortuus fuiſſet. Eſt enim occido media breui, intereo, ab ob & cado: media uero longa, interficio. Vtitur hic perappoſite: Si quis, inquit, einſdem generis occidiſſet, uidelicet repente mortuus, ut aliã habere laudem nullam poſſet, niſi quam familia conferret. Mendoſior.] Non ſcriptura, literis'ue corruptior, ſed rebus & ueritate falſior, hoc loco. Genera.] Cum in alienam domum, progeniem nobilitatem ſeſe inſeruerint. Ad plebem tranſitiones.] Id eſt, ſeceſſiones à patribus, à Senatu: propter ius aliquod populi Romani leges, æquitatem. Infunderentur.] Metaphora à proprietate nota. pro, mitterentur in alienum genus: ut poſt temporũ interualla dubium eſſet, ita'ne fuerint, an contra. Subiungit exẽplum de ſe. A' Tullio dicerem.] Fuit autem ex regio Volſcorum genere Cicero. Timeus.] Locrenſis hiſtoricus, & Platonis ſummus familiaris. Repetit.] Quia uixerit aliquando Syracuſis, idcirco lege Licinia uult eum eſſe Siculum. Erat enim hæc lex, de ſodalitijs. Grecus ille.] Scilicet Lyſias: habet aliquos, quos ego noui ſtudioſos eius eſſe. Habitus opimos.] Id eſt, non tam conſectentur copiam in dicendo, quàm exilitatem. Quos.] Opinor oportere legi, quos ualetudo, modo bona ſit, tenuior ipſa delectat. Nam ſi legitur tenuitas, ignoro quid ſibi uelit Cicero. Lacerti.] Lacertus, brachium à cubito ad manus in homine. hinc lacertoſus, ualens & robuſtus: per tranſlationem. pro, ſunt uires quædam orationis in Lyſia. Strigoſior.] Id eſt, ieiunior, ineptior. à iumentis, quæ cum fame reſtricta ſunt, aut morbo, macilenta apparent. quaſi ſtringoſa. Aut ſenatorem.] De hoc dictum: optimus ſenator, fortiſſimus Imp. diſertiſſimus orator. Eſt autem iſte Cato maior, ſiue Cenſorius, Vticenſis auus. Luminibus obſtruxit.] Budæus ad hanc figuram: Quemadmodum, inquit, claritati antiqui nominis Thucydidis, officit grandiloquentia ſtili Theopompus hiſtoricus, quaſi luminibus, ædificij altitudine: ſic fuſciorem illum ſplendorem orationis Catonianæ, recentiores oratores ſublimiore dicendi genere, ueluti præumbrantes obſcurarunt. Eſt autem loquendi formula ueterum Iureconſultorum, ſi quis lucem à feneſtris alteri per tectum, uel parietem, aut aliquam huiuſmodi materiam, ut ſæpe fit, prohibet. Ita alibi Cicero uſus eſt: Pro domo ſua: Seuere contendit, ut Q. Veſtius ſibi domum uenderet, cum ille negaret. Primo ſe luminibus eius obſtructurum minabatur: affirmabat Poſthumius, ſe uiuo illam domum iſtius nunquam futuram. id eſt impediturum ſe ſolem, per feneſtras in domum penetrantem, excitata altius ſui muri parte. Einſdem ſignificationis, quod hic proxime ponitur, officere luminibus. Sed & per ſimilem figuram uſurpatum, ſanè quàm elegans. Nec oſſa ſolum.] Pro uelim, ut ulm ingenij quoque, & dotes naturæ exprimerent, non ſolum compoſitionem uerborum. Antiquior eſt.] Obiectio. Poſſunt dicere, Catonem horridius loqui, quia uerbis utitur aliquando obſoletis. Reſpondet: Mutentur illa, corrigatur uitium, abſoluantur numeri, ſiquidem tanta debet eſſe ſermonis religio: tũ apparebit, neminem iure præferri poſſe à Græcis oratoribus Catoni. σχήματα.] Latine forma, cultus, ornamentum dicitur ſchema. Quintilianus: proprie, quod eſt à ſimplici, ac in promptu poſito dicendi modo, poetice, uel oratorie mutatum. Τρόπους.] Idem. Eſt uerbi uel ſermonis à propria ſignificatione ad aliam cum uirtute mutatio. Latine tropus, quaſi conuerſio, modus, figura. Nec uero.] Cõceſſio. Fateor eſſe talem hunc auctorẽ, ut melior requiri debeat, perfectior inueniri poſſit: ſed, quia maius antiquis ſtudium fuit in rerum cognitione, doctrina, tractatione uerſari, atque adeo ſapienter potius loqui, quàm eleganter, cõtenti, cuius cuius rationis eſt, ſimus. Quis enim.] Ab exẽplis artificum. Affert autem ſculptores, ſtatuarios, pictores: ex quorum operibus eluceat, poſteriores ſemper ſolertius artem exercuiſſe prioribus: ſine eorũ tamen contẽptu. Quin hos ipſos adhuc habere, quod præ perfectis artificibus oportet admirari. Signa rigidiora.] Statuas, imagines eſſe rudiores, quàm ut ad rem omnino reſpondeant. Signum enim etiam accipitur pro ſculptili, ſiue fuſili opere, ad effigiem hominum, uel ſimilitudinem rerum aliquam afformato. In Verr. In auctione ſignum Cupidinis æneum, non magnum. Item in eundem: Delum uenit, ibi ex fano Apollinis religioſiſſimo noctu clàm ſuſtulit ſigna pulcherrima. Nihil eſt enim.] Γνώμη. Sic propemodum Terentianus ille iuuenis: Qui nos, inquit, illico nolunt naſci ſenes. Nec dubitari.] Digreditur paulo longius. Et eſt amplificatio per conſequens. Si Faunos Homerus, ueteresq; uates inducit, fuerunt utique qui poetices rudimenta traderent, antequam ille tam perfecte caneret. Hic Liuius.] Non hiſtoriographus ille ſummus, ſed Andronicus: qui primus fabulam, ut inquit Cicero, Romæ docuit, C. Claudio Appij Cæci filio, & M. Tuditano Conſ. Tanquã opus Dædali.] Id eſt, perplicatum ſcriptum, numeris perturbatum, ordine confuſum, ut Labirynthus Dædali. Ludis Luctatijs.] Erant inſtituti, nomine C. Luctatij, qui primũ Punicũ bellum confecerat. C. Salinator.] M. Liuius aliàs, qui ducem Pœnorum Aſdrubalem cum 55. M. hominum ſub Alpibus, ad Annibalem fratrem profectum cecidit. Vouerat.] Id eſt, ſancte promiſerat, præbiturum ſe populo fabulam, ſi Senenſi prælio uictoriam obtineret. quod & fecit. Primum illud. De Accio loquitur, qui carmine Punicum bellum primum deſcripſerat, & quem Ennius inter Fau-

nos ponebat. Defendit autem Accium præclare Cicero. Sed nos cum nihil hic argumenti habeamus, quid aliud quàm uerba legere poſſumus? Itaque potiora uideamus. Acerrimum. In quo Regulus Attilius Conſul, & ciuis optimus, propterea quòd captiuorum commutationem non referret, ab hoſtibus crudeliſſime enectus eſt. Etiamſi minus.] Alloquitur Ennium fictitia reſponſione. Filius quidem.] Neſcio ille'ne fuerit, quem Antiochus captum patri remiſerat, an alius. Hiſtorici certe tacent hic. Sed unum tamen ſcimus: iſtum ob ualetudinem infirmam, non fuiſſe ſatis aptum ad gerendam Rempublicã. Adoptaſſe uero Scipionem Aemylij Pauli filium, poſtea de Carthagine euerſa, aui cognomine dictum Africanum. Non infantem.] Id eſt, diſertum, & eloquentem. Peritiſſimus.] Ideo Q. Ennius, Egregie cordatus homo catus Aelius Sextus. Sulpitius.] Hic primus apud Romanos prædixit eclipſin lunæ, bello Macedonico. Corculum.] Feſtus: à corde dicebant antiqui ſolertem & acutũ. hinc igitur P. Naſica dictus Corculum. M. alium.] Valde uereor, ut male ſcriptum ne ſit. Nec enim inuenire poſſum, quem M. nominet, Naſica filium: & hunc etiam alium, paulo durius ſcilicet. Fortaſſe legendum eſt, Metellum, illius, qui ſacra acceperit filium. Nam annis ante paucis, cum Veſtæ templum arderet, Cæcilius Metellus Pont. Max. ex incendio ſacra rapuit: ut L. Florus ait. Sed de Publio, quod matrem deum intulerit in Palatium, nulla ſacrorum mentione facta, dici ſolet. Hunc autẽ Metellũ fuiſſe, qui ſubacta Macedonia, captoq; Pſeudophilippo, Macedonicus deinde uocatus ſit, ratio temporum, & hiſtoriarũ, ordo mihi probat. Et ne quid hæreat, inter oratores eum numerari. Scitum, quod cum Cenſor eſſet, luculentam orationem habuerit de ducendis uxoribus, liberorum procreandorum cauſa. Nam & Auguſtus Cæſar, ordines ad coniugia cohortaturus, illam, uelut eo tempore ſcriptam, in Senatu recitaſſe fertur. Quæras tamen meliorem ſententiam, ſi quis inueſtigatus dignam rẽ putas. Nobiliorem.] Nomen cõſularis uiri, qui cũ triumuir eſſet, Ennium ciuitate donauit, quemadmodum Sylla Archiam poetam. Eſt autem triumuiratus, trium collegarum unius generis officium. Sed is triplex apud Romanos fuit. Primus carceris cuſtodiam habebat, & animaduerſiones curabat: Alter monetæ, nummularijs, formæ curſoribus præerat, ut ait Liuius: Tertius uigilias in urbe noctu obibat. In Aetolia, etc.] Tum, cum Aetoli, gens in Græcia Acarnanibus, Epirotis, Locrẽſibus finitima, ſollicitatis Antiocho Philippoq; regibus, & Nabide Lacedæmonio in belli ſocietatem aſcito, defeciſſet à pop. Romano. Africani pater.] Scilicet iunioris. Hic Perſem prælio uictum cepit, in triumpho cum filijs duxit, Macedoniã in prouinciæ formam redegit: moderatiſſimus uir. Summa contẽtione. Propterea M. Cato dicitur melius uituperare potuiſſe, quàm laudare: iuxta cenſuram hiſtoricorum. Sequitur autem mox hæc contentio, pluribus uerbis. Tenuit locum.] Pro, fuit æqualis in dicendo huic Albinus. perpulchre dictum. Poſſumus ſic uti, tenuit cum Alexandro magno locum, Iulius Cæſar. Fabius Pictor.] Is Reipublicæ tempora quoque deſcripſit. adducitur enim ſæpius teſtis à Liuio. Cuius quatuor filij.] Puto, L. Metellus, Diadema Metellus, Caprarius, Numidicus. Fuit autem hic cum T. Quintio Apella Conſ. quod ideo retuli, ne ſuperioris nomen reijciatur. alioqui Cicero, cum mentionem eius orationum faceret, illam, quippe primariam, hic non prætermiſiſſet ſilentio. Veterator habitus.] Ciuiliter Cottam ueteratorem uocat: hoc eſt, diu multumq; in cauſis forenſibus uerſatũ. Nam cætera, qui uetus eſt aſtutia, doliſq; plenus, ſic dicitur. Paulum his antecedens.] Noua ad datiuum uerbi adſtructio. Forte legendum, Hos antecedens ætate paulum. Simili quidem modo certe Ciceronem loqui, ego non memini. Nec uerendum, ut offendas aures duorum pronominum idem caſus, quaſi [illegible]. Scribit enim alibi: Quid nos inter nos? Item in Att. Amemus nos inter nos. Sic ſcilicet hoc loco ſtare poſſit: ſed inter hos ætate, paulum hos antecedens. Niſi metaphoricũ eſſe debet participium, pro ſuperans, antecellens. Sed id ſententia non patitur: quia prærogatiuam laudis anni nullam conferunt, præ uirtute, in iuniori conſtituta. Quare etiam atque etiã Lector uideas, quid hic ſequare. Equidem meam opinionem, ut decuit, & debui, paucis explicaui. C. Lælius, &c.] Hũc ſapientem appellatum ait Cic. lib. 2. de Offic. cuius etiam nomine Dialogum de Amicitia poſteritati commendauit. Coniunctiſſimum enim cum Scipione maiore rerum omni modo, conſtat, ipſum ſemper fuiſſe. Aut etiam Catonis.] Nempe tam ſtudioſi priſcæ linguæ auctoris. Viriati bello.] Viriatus primum in Hiſpania paſtor, tum uenator, inde latro, mox etiam dux, exercitu totam Luſitaniam occupauit. Quem reprimere cũ Vetilius prætor conaretur, fuſus & captus eſt. Itidem Plancius prætor, cum non ita diu poſt concurriſſet. Ne multis. opus fuit conſularibus copijs, & duce conſulari. Complures igitur aduerſus eum miſſi. Sed Viriatus aut uicit ſemper, aut æquis conditionibus acquieuit: rariſſime uero ceſſit, quoad à proditoribus (is fuit annus belli decimus quartus) Seruilij Cæpionis opera ſubornatis, occiſus eſt. Sic autem habente communi ſcriptorum hiſtoria, miror hic Lælium, cum egregia laude, à noſtro interponi. Ego mediusfidius inuenire non poſſum hactenus, ubi Liuius, ubi Plutarchus, alij'ue, cum huius belli euentum referunt (quanquã Epitome tantum Flori nobis eſt) Lælianam mentionem faciant. Itaque nec poſſum enarrare, quo modo Viriati bello fuerit egregius, quod hic dicit Cicero, C. Lælius. Primas deferunt.] Id eſt, utrunque iudicant homines ingenij, literarum, eloquentiæ, ſapientiæ ornamentis præclarum, & Africanum, & Lælium: ſed præclariorem tamen Lælium. Habetq; Ciceronis hæc immutatio, primas priores, plurimum elegantiæ. Tribuendo.] Aliàs ſuum cuique tribuere, de iuſtitia dicitur: hic de candore quodam animi, de ingenuitate, ſi propria laus unicuiq; redditur. Memoria ten.] Digreſſio, ſuperius iudicium de Galba, per occaſionem Scipionici Conſulatus, argumento inſigni declarans. Dixit enim ante, Galbam principem in oratorijs artibus omnium Latinorum fuiſſe. Nunc id ex teſtimonio cauſæ, quam Publio Scipione, D. Bruto Conſ. perdifficilem pro publicanis egerit, imo ſolus tranſegerit, ad ſummum probat. Ex P. Rutilio.] Vir innocentiæ ſummæ, quia Aſiam à publicanorum iniurijs defenderat, cum C. Marij proconſulis legatus eſſet, inuiſus equeſtri ordini, penes quem iudicia tum temporis erant, damnatur, exulq; proficiſcitur in Græciam: ubi ſe eum uidiſſe, cum eo colloquutum eſſe, Cicero commemorat. Adoleſcentulo ſe.] Fuit enim Rutilius poſt Catonẽ, ætatis unius quaſi interuallo, temporibus Syllæ, Craſſi, Scæuolæ. In ſylua ſua.] Id eſt, Rutilij ita facta cædes eſſet, atrocior omnino, quàm ut negligi deberet. Liberi ſocietatis eius.] Publicani, qui commertium ſimul habebant, inſimularentur ſceleris, eius parricidij. Quæ pecuaria.] Comprehendebantur hac uoce res, ex quibus colligeret uectigalia populus Romanus ab eo, quod primi reditus hinc Reipublicæ quondam ueniſſent, ex pecuarijs ſcilicet, hoc eſt armentis, pecorum gregibus. Quod igitur hic redimere pecuaria de Cenſ. ponit, intelligi poteſt, pro, datis Senatui pecunijs mutuo, publicum uectigal à Rupub. in ſe transferre. Amplius pronunciaſſent.] Id eſt, reos adhuc cædis audito Lælio reliquiſſent, nondum à crimine ſocios abſoluiſſent. Eſt enim amplius pronunciare, cognitionem, uel certe ſummam ſententiã differre: quo modo dicitur & ampliare. Cicero: Verum, ut opinor, Glaucia primus tulit, ut comperendinaretur reus, antea uel iudicari primo poterat, uel amplius pronunciari. Et hoc loco Budæus ad reum uerbi formulam adiungit, cum tam abſolute ponat Cicero. Præterea ſenſus conſtare poſſit, etiamſi nomen

prioribus

prioribus uerbis dimittatur. Ampliare uero: in Verr, Aut iſtũ hominem nefarium ampliaueritis. Rem eſſe prolatam.] Idem fermè, quod diximus: quaſi porrò latam, in aliud tempus rejectam. Locutum ita.] Semper ad intelligendum, Memoria teneo me ex P. Rutilio audiſſe. Nimirum oblitus ante fui obiter admonere: quòd, cum aliàs infinitiuo præſentis addas memoriæ uerbum Cicero, ſic, Memini me legere, memoria teneo me uidere, hic modo præteriti efferat. Quaſi comperendinatus.] Ego ſanè puto uerbale nomen eſſe. nam participiale non ſatis conuenit, ut hic comperendinatus, huius, & ſimiliter: ſignificare uero idem quod procraſtinationem. Sic enim legimus: Vnum, quaſi comperendinatus, diem medium fuiſſe, quẽ totum Galbam in conſideranda cauſa poſuiſſe. Vbi ſcilicet, niſi temporis interuallum illud, quo publicani Galbam adierant, & à Conſ. cauſa ſuſpenſi fuerant, uix quidquam intelligi poteſt. Nam comperendinare, eſt in aliquod ſpatium differre: comperendinari, ſententia iudicum pendere. Solet autem participiale ſemper alterum comitari caſum. Vt in Verr. Mirari ſtultitiam alij, alij amentiam, cui comperendinato, cum multi teſtes dixiſſent, non quidquam illorum ueniret in mentem. Adhuc correctiua particula Quaſi, uidetur attemperare metaphoricum nomen. Nec enim Galba periclitabatur: ſed cum publicani ſuam illi cauſam à ſenatu prolatam committerent, & ipſi dabatur, quaſi comperendinatus. Hoc pluſculis: quia non extat apud alios. Male mulctatos.] Id eſt, uehementer intus increpitos à Galba, quod aliquid aut non rectè ſcripſiſſent aut negligenter prætermiſiſſent. Quid multa?] Præciſio. addi oportet, dicerentur, afferrentur, & ſimile forſan aliquod uerbum. Silentio.] Fiebat enim ad quamlibet orationis partem concionis acclamatio, ſi præclare illa haberet: quemadmodum ſibilus, murmur, clamor, ſi perperam. Id etiam hic animaduertendum eſt, quod una parte dicendo confecta, licebat oratori interquieſcere: memoriam, uocem, uires recolligere. Poſtremo plures diuiſis partibus unam cauſam orare poterant: ut pro P. Seſtio Hortenſius, Cicero pro P. Sylla, Pompeius, & iydem. Quæſtione liberatos.] Id eſt, ne traherentur in carcerem, & per tormenta de cæde examinarentur, more ſummi iuris. Multoq; plus.] Dijudicat, utrum efficatius, eleganter'ne ſit auditorẽ docere, an grauiter permouere. Poſterius autem alteri præfert. Sed hodie diſtingui rationes oportet. ueluti, ſi principem alloquuturus, detonare magis quàm fari uelis, nullam laudem obtineas. at in eccleſiaſtarum loco, qui ferme ueterum oratorum ſimilitudinem referunt, tum denique efferri ſermone, geſtu, pronunciatione poſſis. Contra fidem.] Sergius Galba (cuius etiam in uita Galbæ Cæſaris Plutarchus meminit) aliquot Luſitanorum millia, qui rebellarant, interfecit: captiuos uero uenum in Gallia dedit. Hic L. Scribonius plebis trib. rogationem tulit, ut quoniam iſti populo Romano dediti eſſent ex fœdere, reſtituerentur omnes in libertatem. Nam, cum inducias agerent, erant oppreſſi. Magnam igitur inuidiam inde ſuſtinuit Galba: ſed maiorem multo, cum M. Cato grauiſſimus uir, idem acerrime ſuaderet: maximam autem omnium, exaſperante perpetuis rogationibus factum apud plebem T. Libone tribuno. Q. Fuluius eum, ut fecit, defendere potuiſſet, niſi criminibus & ipſe tactus, laboraſſet ſuo periculo. Prætulit tamen, quod Luſitani per pacis ſpeciem Romanos adoriri uoluiſſent, eáq; re cõperta, merito trucidati à Galba eſſent. Reo non conueniebat ipſi, pro ſe dicere. Quamobrem priuſquam aperte damnaretur, complexus repente filios, utrunq; prætextatum, item ex C. Sulpitio Gallo pupillum, miſerabilis prodijt, populo flens ſupplicauit, ita breuiter egit, ut miſericordia commotus erga afflictum ſenem, & infelices liberos populus, rogationem antiquaret. Priuilegij ſimilem.] Propter priuatos homines, totq; ſingulatim occiſos. An diebus.] Subaudiendum, neſcio. Quid igitur.] Excurſus ab oratorum perſonis ſiue nominibus, ad eorundem ſcripta. quæ cum ualde non laudet, nec cenſeat odioſe, cur tam ſimplicia ſint, unde tam uulgaria dotibus uideantur, humaniter oſtendit. Multas autem huius rei connumerat cauſas: ſed compendio. Primum, quod ideo ſcriptæ ſint orationes, ut memoriam actionis, non aliquem uſum afferant legenti. Deinde, quod illi maluerint è gloria de ſe exiſtimari potius, q̃ è libris iudicari. Ad extremum, quod plerique non putarint, ſe poſſe tam bene ſcribere, quàm dicere. Intermiſcentur tamen rationes quædam, eas uideamus. Inertia.] Perpropriè. nam ſiue indoctos, quaſi ſine arte putes, ſiue deſidioſos: utrunque ſecundum rationem. Deficit oratorem.] Id eſt, deſtituit. nunquam oratorem deſerit conſilium. Vir egregius.] Hic Pompilius, ad Antiochum regem Aegypti cauſa, legatus à Senatu miſſus, cum intrepide mandata publica coràm expoſuiſſet, & rex deliberaturum ſe reſponderet, uirga quam manu forte tenebat, circumſcripſit regem, ingenti fiducia poſtulans, ut priuſquá eo ſe ſpatio moueret, ſuam uoluntatem ederet. Quare perterrefactus, & merito quidem, Antiochus, facturum ſe ex ſententia ſenatus promiſit. nec longo poſt interuallo, finibus Aegypti, Ptolemæo, quem expulerat ceſſit. Accepta iniuria.] Marcus enim Octauius, eo quod tribunus Graccho maiori leges agrarias promulganti reſtitit, uix ſeruatus eſt, quin in carcerem traheretur. Deinde uero, cum alteri Graccho, tribunus iterum pari conſtantia contradiceret, magiſtratũ abdicare coactus eſt, & uix Corneliæ matri Gracchorum à populo condonatus. Qui ſummos hon.] Fuit hic Q. Pompeius, cum Q. Metello primus omnium è plebe Cenſor. Propterea ſcilicet ait, eum ſummos honores adeptum eſſe, ſine maiorum commendatione. Sed ipſa triſtitia.] Non mirum igitur, ſi Stoicum illud portentum, parricidam Cæſaris Caſſium, iſte Lucius propagauit. Fermè patrum ingenia refert progenies. Eiſdem autem moribus nepotem fuiſſe, Plutarchus in uita Bruti, item Cicero multis locis, & alij ſanè tradunt. Cuius legi tabellariæ.] Quantum ex alijs etiam locis intelligere poſſum, uoluit hæc lex, ut aut magiſtratus tabellis ad populum uteretur, ſublatis concionibus: aut ut populus in eligendo, ſeu in comitijs ſolennibus, tabellis, non uocibus crearent magiſtratus. Nam prior ratio, uiam ad honores, pernicioſe diſertis ciuibus præcluſura uidebatur, ſi nõ permoueretur uulgus, non prenſaretur blanditijs: poſterior, adempturа timorem unicuique de populo, in dandis ſuffragijs, ſi literis tantum oblatis auctor ipſe lateret, ignoratum nomen reijcientis petitorem, uel accipientis eſſet. Pro Publio quidẽ Seſtio, interponit hæc uerba Cicero inter alia: Tabellaria lex, à L. Caſſio ferebatur, populus libertatem agi putabat ſuam: diſſentiebant principes, & in ſalute optimatium temeritatem multitudinis, & tabellæ licentiam pertimeſcebant. Agrariam T. Sed hactenus. Putabat, inquit, agi libertatem ſuam. Quare? Quia non deberet libere uerſari, comparere, loqui, quanquam imperite: melius enim ita potuiſſet, atque tutius. Poſtea, Licentiam, inquit, tabellæ pertimeſcebant. Nimirum ne quando idem ipſis accideret, quod multis quidem Athenienſium, ſed præſertim Ariſtidi. Hic enim oſtraciſmos uulgi de ſe colligens, forte damnabatur ab eo, cui ignotus erat. Cumq; præſens interrogaret præſentem, cur ita faceret? reſpondit ille, Quia diceretur ubiuis Ariſtides nimium iuſtus. Multum cluentes.] Fortaſſe legendum, Clientes multum opera ſubleuabant, & conſilio Cepiones. alioqui neſcio quid'nam hoc ſit. Domeſticas diſciplinas.] Quod domi priuatim operam daret rhetoricæ, iuri ciuili, &c. magiſtris ad id utens. De ſocijs.] Tum temporis, cum Latini, cæteráq; ciuitates Italiæ, ius Romanum expetebant, eáq; gratia adiuturi ſenatum contra Gracchum uidebantur. De Marathено.] Quo Gracchus in orationibus componendis uſus eſſet logodædalo. Fuit autem Rhetor græcus. Elinguis.] Id eſt, cum nunquam Fannius infans habitus ſit, & indiſertus. ab

eo, qui ſi linguam non habet, loqui non poteſt. Soceri inſtituto.] Scilicet Lælij ſapientis: mox etiam idem ſequitur. perinde ac dicas, ſuaſore Lælio, monitore, Panætium philoſophum celebrem audiuerat. Sed de Perſio ſuperius: præterij enim, quem ego magiſtrum dicendi quempiam fuiſſe puto, non Satyricum illum, nobis bene notum. Mutius autem.] Q. Scæuola, grauiſſimus uir, & integerrimus augur, idemq́; conſultiſſimus Pontifex: cuius hoc libro ſæpe facit mentionem Cicero, ſæpiſſime uero etiam alibi. Is oratorum in.] Et tamen hunc nõ ſemel iuriſperitorum uocat eloquentiſſimum: In dialogo quidẽ è tribus primo, certe. L. Craſſi.] De quo pluribus paulo poſt. Nam præter cæteros hunc, admirari Ciceronem, opinor nobis iam cognitum eſt. Vtinam in Tyberio.] Vox optantis animi, commiſeratione plena. Ac quoniam multa ſequuntur ex una actione in eandem fermè ſententiam, uolo paucis repetere quæ pertineant ad uerborum intelligentiam. T. Sempronius Gracchus, ut conijcere equidem poſſum, affuit expeditioni Numantinæ, quando C. Mancinus prælio uictus, & caſtris exutus ab oppidanis, neceſſariam pacem fecit. Sed ſenatuſconſulto breui reiectus propter ignominiam, hoſtibusq́; per fœcialem deditus, eos etiam in dedecus uocauit, quos officij in exercitu præpoſitos habuerat. Itaque Gracchus iam inde Senatui inimicus, ut primum tribunatu potitus eſt, grauiſſimas actiones ſibi ſumpſit, quibus patres, potentia populi contunderet. Tulit de diuidundis agris legem. ea iubebat, neminem optimatum plus denis agri iugeribus poſſidere. Mox diuiſioni ſe tertium, cum C. fratre, & Appio ſocero, præfecit. Quod autem non ſatis agri ſingulis è plebe ſufficeret, conſtituit denique rogationibus nouis ſancire, ut ij pecunia ex Attali regis legato numeraretur, quibus ſolũ aſſignari non poſſet. Tali conatui cum totus incumberet, & tribunum ſe creari iterum curaret, media concione, à Romana nobilitate, Naſicam ducem ſequuta, miſerabiliter occiſus eſt. Caius uero Carbo, factus alteri Graccho in eadem actione ſocius, & ipſo conſulis Opimij armis tandem oppreſſo, ne quid à iudicum odijs grauius pateretur, mortem ſibi conſciuit. A' puero doctus.] Id eſt, à pueritia, ab ineunte ætate, Diophanis magiſtri diſciplina ad dicendum eruditus. ſupra Marathenî mentionẽ habuit: eoq́; dicit, magiſtros è Græcia. Volubilem.] Idem, quod præcipitãtis linguæ, ſermonis prompti, uolubilis orator. Quoad uita ſuppeditauit.] Suppedito fermè, quod confero, ſubminiſtro: ſed cum abſolute ponitur, intelligendum ſumptus. Semel Terentius: Nam ſi pergam, inquit, illis ſuppeditare ſumptibus. Cicero ad Attic: Velim, quoad poteris conſideres, ut ſit, unde nobis ſuppeditentur ſumptus neceſſarij. Hic autem addendum eſt tempus, ita: Quoad uita ſuppeditauit tempus, facultatem, uſum, aut ſimile quiddam. Eodem modo Philipp. 3. Cuius etiam naturalis pater ſi uita ſuppeditaſſet, conſul factus eſſet. Forum tenente.] Synecdoche, totum pro parte, quaſi uerſante circũ roſtra: deſcendente ſæpius, ut patrocinaretur, ut defenderet, ut accuſaret, in forum Carbone. Quæſtiones perpetuæ.] Quæſtio, ait in Academicis Cicero, eſt appetitio cognitionis: quæſtioniſq́; finis inuentio. ueluti ſi quæras de dubia re, uariáq; qualem'nam dicas. Verum hoc loco ſignificat delationem, accuſationem. Mox enim ſequitur, de pecunijs repetundis lata lex: ut ſcilicet hanc occaſionem, quæſtiones Carbonis dederint, cum homines accuſaret. Et huius proximũ, animaduerſio. Notũ aliás, quod etiam ante paulo habuimus, ubi tormentũ ſignificat. Hinc, habere quæſtionem de ſeruis. Euanuerunt.] Id eſt, non apparent, interciderunt, contempui ſunt. Exiliter.] Annales exiliter ſcribere, tantundem ac ſi dicas, propter ſummam feſtinationem breuiter, acciſe. Maximũ ſcipionem.] Maiuſcula litera adiectiuo nomini debet demi. Nec enim proprium Scipionis eſt, ſed honoris cauſa addititium: ut alij cuiuis. Fuit autem iunior Africanus, qui Carthaginem euertit, & Numantiam deleuit, Ciceroni in libris de Repub. chariſſimus. Quo duce.] Priuato, inquit. Nam ueniens bello confecto Romam ex Hiſpania, commodum in triumuiratum C. Gracchi incidit. Eoq́; cum Carbo rogationẽ ferret, ut quoties tribunus plebis uellet, refici per leges poſſet, Scipio grauiſſima oratione diſſuaſit, addens etiam T. Gracchum iure cæſum ſibi uideri. Apparebat igitur, ipſum Senatus cauſam eruxe, nec fruſtra, tanto cum nomine defenſurum. Quod ne fieret, paucis interiectis diebus, ex quo Triumuiris agrarijs rurſus ſe fortiter oppoſuerat, in cubiculo mortuus per noctem, inuentus eſt. Sororis filius.] Pater Vticenſis, Porcius Cato. Tuus gentilis.] Feſtus: Gentilis dicitur, & ex eadem gente ortus, & is qui ſimili nomine appellatur. Sed citat quendam Cincium, dicentem, Gentiles mihi ſunt, qui meo nomine appllantur. Quod hic ego ualdè miror. aliud enim nomen habet, quàm Brutus: & tamen gentilis eſt. niſi forte quis Marci nomen commune uelit. Ita gentiles eſſent Bruti, Catones, Lepidi, Antonij. Debet igitur is gentilis uocari, qui ex eodem genere extat, proprie. Deinde uero, qui nominis eiuſdem eſt, ut indicat locus Ciceronis in Tuſc. Antiquus ſanè: fuit enim meo regnante gentili. uidelicet, Seruio Tullio. Et hoc modo uox uſitatiſſima. In Verr. Reſponde mihi nunc tu Verres, quem tuum penè gentilem Verrucium putes. locatur ſimilitudine nominis. Quod ideo diligentius annotaui, ne quis miretur, hunc Marcum Pennũ, abſque nomine eodem, Bruti tamen Marci gentilem dici. Cyri uitam.] quam Xenophon deſcripſit, titulo τῆς παιδείας Cyri. Comparat autẽ Aemylium Scaurum, & Publium Rutilium. De Scauro ſummam grauitatem orationis, & ſummam dictorum fidem ponit: de Rutilio, prudentiam atque ſeueritatem. Aſſenſioni.] Id eſt, non ſatis accommodatum ingenio populi. Quanquam innocent.] Deplorat iudicium Rutilianum: id quod nos ſupra retulimus. Ac neſcio qui uerba peraſpere nimirum hic currant. Coniunctiua uero particula Quanquam, uix mea quidem opinione ſtare poteſt, ſi ſenſum ad poſteriora referas. Omnino legi oportere arbitror, Qui quoniã innocentiſſimus in iudicium uocatus eſſet, Parentheſis, quo iudicio conuulſam penitus Rempub. eſſe ſcimus, cum eſſent eo tempore eloquentiſſimi uiri, L. Craſſus, & M. Antonius, eorum adhibere neutrum uoluit. Nam ratio occurrit, quærenti: Quare noluit neutrum adhibere? quoniam innocens in iudicium uocatus eſſet. Sed ſi maneat Quanquam, quo modo non ſit hiulca periodus? perturbata ſententia? uiderit quiuis. Statarios appellant.] Id eſt, ad ſtandum diſpoſitos, ut fit in ſcena, cum ſenes ætatis ratione perpetuo quieſcunt, raro geſticulantur, uix unquam diſcurrunt, exemplo reliquarum perſonarum: ſed tantum moderate loquuntur. & tales hic appellat in ſcena ſtatarios. Terent. in prologo Heaut. Date poteſtatem, ſtatariam agere ut mihi liceat per ſilentium: hoc eſt, perſonis ſtantibus, & quietis compoſitam comœdiam. Alias ſtatarij milites, qui ſtantes uno loco, cum hoſte manus conſerunt. non hinc inde per ſpatia mouentur. quales ſunt noſtri, qui ſuos ordines in conflictu rigide ſeruant. Vacationem augures.] Senſus eſt: Aelius Tubero triumuir ſeuerior ſtoica diſciplina uideretur factus: quod contra teſtimonium Africani maioris iudicauerit, augures, liberos & immunes non eſſe, quo minus in iudices allegerentur, atque iudicia cum cæteris ciuibus exercerent. Id enim eſt uacationem non habere, iudicijs operam dare. Tum Brutus.] Obiectum ad ration.m: Cur Stoici cum omnes in diſputando doctiſſimi ſint, in dicendo pueri deprehendantur. Quia nihil, inquit, niſi dialecticam tractant. Architecti.] Id eſt, ſummi uerborum magiſtri, per figuram. Excipio Catonem.] Vult Vticenſem: cuius fuit magna laus, ex opinione facultatis huius. Salluſtius in Catilinario, contra Iulium Cæſarem unam exſcribit. Tuus auunculus.] Hunc ipſum innuit. Erat enim Brutus ex Seruilia, ſorore Catonis. Immo-

ratur

ratur autem hic in perpetua digreſſione de Stoicis. Vbi nihil uideo, quod magnopere explanem. Niſi quod illic, Iouem ſiquidē, concinnius legi poſſe putem: Iouem ſic quidem, aiunt philoſophi, ſi Græce loquatur, loqui. Perſequamur.] Intellige numero, uel oratione. In hac turba uoluminum.] Se ciuiliter attingit. Qui quod omnes arte, elegantia, genere dicendi maiores ſuperaſſet, ſolus, ut haberetur pro magiſtro, & legeretur obtinuit. Meis enim.] Iocatur in ueterū orationes. At puer adhuc, monentibus ut Ciceronis nomen obijceret, ſe clarius, inquit, hoc Scauris & Catulis facturum. Nec hercule multum aberrauit à propoſito tandem. Laudata oratio.] Recipit iudicium de Curione, quem ſupra Seruium Fuluium ab inceſtu defendiſſe dixit. De amore.] Quod ingenuum ſanguinē talis turpitudo nunquam contaminet, ut cum matre rem uelit habere. De tormentis.] Quod ſceleris ultrices furiæ, præcogitantem deterreant à nefario propoſito. De rumore.] ſequatur facile quidem indelebilis infamia. Sic hos communes, ut uocantur, locos Cicero nempe tractaſſet Fuluium defenſurus. Sed quoniam hic de puerilitate dicit, oportet ut Curio orationē ad magis uulgaria deduxerit. Ecce in manibus.] Procatio rhetorica, ſpecies figuræ quæ dicitur μετάβασις. hac enim occaſione continuat orationem, & infert nomen C. Gracchi in oratorium ordinem. Videtur autē ideo repente turbari, quod tantum uirum præter rationem indigniores enumerans, tandiu reticuiſſet. Color rhetoricus. Interitu.] Tam, ait, immaturo. Voluit enim fratris Tyberij cædem ulciſci, idq; per populi uim. Itaque poſt fratris plauſibilem illam legem, alteram quoq; pari gratia promulgauit, ut ſemiſſe & triente frumentum erogaretur plebi. Quod cum adhuc non ſatis uirium habere uideretur ad rem, equeſtri ordine Senatui adhærente, ſummo nimirum uſus dolo, diiunxit ſenatum ab equitibus Romanis tertia poſtremo rogatione. Sic iuſſit ut trecenti quidem è patribus ſenatores manerent, uerum equites ſexcenti ad hunc numerum adderentur, eo quòd plures in ciuitate eſſent, & iure ſuo per tot tēpora priuati. Quid mirum? Protexit omnino ſe, ne quam uim intentaret ſenatus. Mox etiam in ſequentem annum tribunatu donatus, perfecit, ut triumuir frumentariarum legum crearetur, multas in Italia colonias deduceret, atque præcipuam in ſolo iam tū per minorem Aphricanum dirutæ Carthaginis. Sed nullus popularis fauor diuturnus. dum armata multitudine poſt tribunatum, Auentinum occupat, ab Opimio Conſ. populi uiribus adiuto, cum Fuluio Flacco necatur. Hanc igitur mortem, tot uerbis hic miſeratur Cicero. Paternam eſſet.] Nam Sempronius pater maioris Aphricani potentiam, ne tribunatum diſſolueret, ipſe tribunus ſuſtinuit. Auitam.] Eſt iam ante eorū facta mentio. Iugurthinæ coniurationis.] Iugurtha Numidarum rex, nothus Micipſæ, fratres legitimos heredes interfecit. Contra quem Calpurnius Beſtia Conſ. bellum gerere iuſſus, pacem ex corruptela fecit. Quin omnes itidem legatos fermè, ſenatores autem multos, auro ille peruertit. Eam ob rem euocatus Romam fide publica, ut conſcios ederet, paucis etiam diebus interpoſitis Maſſiniſſam regulum confodi media plebe curauit. Itaque cum periclitaretur, clam effugit, inclamitans: O' urbem uenalem, & cito perituram, ſi emptorem inuenerit. At populus indignitate rei commotus, auctore Manilio (ſic enim legi debet, iuxta Salluſtianam hiſtoriam, non Mamilio) tum fortè tribuno, rogationem quæſtionis habendæ ſuaſit. Hinc C. Galbæ, qui reorum unus fuit, iſta damnatio. P. Scipio. Naſica, conſul hoc anno cum Beſtia. Triſtes exitus.] Enarraui nunc rem geſtam. Damnatus autem fuit & ipſe coniurationis Iugurthinæ criminibus. Subleuat eorum famam humaniſſimus orator, tribuens id inuidiæ, cum reuera commeruerint. Magnū Bruti dedecus.] Hic M. Brutus decoxerat. Itaque uir eloquentiſſimus illis temporibus L. Craſſus, ab eo uerbis irritatus, ut mutuum redderet, quadam actione lectorem induxit, qui paternos Bruti cōmentarios ad interrogatum recitaret. Scripſerat enim, cum de iure reſponderet, hoc modo ſenex: Cum ego & M. filius in Priuernati eſſemus. Ad quæ mox uerba Craſſus acclamauit. rurſum: Cum in Albano. deinde: Cum in Tyburti. Perfudit uidelicet rubore præſentem tali, ratione Brutum, inquirens, ubinam fundos haberet? Naturale ſtirpis bonum.] O' quot exemplis probari poſſet, non eſſe nec nouum, nec mirū, ſi degenerent à parentibus liberi. Sed dat aliquid Bruto noſter, cum naturale dicit bonum, quaſi gignantur etiam cū corporibus uirtutes. Illud ſolenne: Maximos quoſque uiros procreare diſſimillimos, aut certe nullos. Neque uero L. ille Brutus, ſi recte perpendimus, tam inſignis uirtute fuit, quin potius impotenti quodam, & tumido ingenio. Multam lege.] Petere multā ab aliquo, tantundem, quod litem intendere de multa. Forte Sabelius egerat iniquis, iniuriarum igitur poſtulabat ipſum Cæſidenus. Id autem iudicium, eam cognitionem lege Aquilia, quæ iuſtitiam tuebatur, ſequi debuit multa. Alij ſubintelligunt petere multam, ut ſcilicet irrogetur: id quod ſalua meliore ratione, ſtare non poteſt. Nam hoc ipſum irrogare multam, actoris eſt, non iudicis. Qui uero multam petit, poſtulat ſibi ſolutione ſatisfieri primum ex iure: poſtea ſi priuatim fruſtra, poſtulat publice per uim iuris, ut iudex uolentem cogat. Ita petere, redit ad accuſatorem, obiecto rei, ſublata iudicis perſona, niſi quòd petitionem adiuuat poteſtate. Pro Cluen. Neceſſe eſt nullo modo multam illam, quæ à Iunio petita ſit, cum Cluentij cauſa eſſe coniunctā. Vbi ſubijciendum, ut iniquius prætor Iunius daret. Præpoſitio enim reum, non arbitrum, aut iudicem notat atque reſpicit. Eſt autem multa notæ ſignificationis, quidquid è rebus pro pœna cōmiſſi ſecundum leges requiritur. Inde etiam dicere multam: id eſt minari, proponere. Contrarium, remittere. Cic. Philip. Conſul Pont. Maximus, collegæ multam dixit, ſi à ſacris diſceſſiſſet: quam multam pop. Rom. remiſit. Minime aptum.] Molle quaſi, delicatum, luxurians, ut Epicuri ſecta uitam inſtituit. Xenophonteio genere.] Dictus eſt tamen Xenophon, Muſa Attica: nimirum propter ſermonis elegantiam, & ſuauitatē. Sed Cicero quiddam perfectius imaginatur. Fortuna belli.] Nam uictus à Cimbris cum collega, caſtra ſimul & octoginta millia militum amiſit. Inuidia populi.] Nam propter temeritatem damnatus, bonis exutus, & magiſtratu priuatus eſt, à populo: quod nulli poſt reges expulſos accidit. Penè prætermiſeram Aurelium Scaurum, de quo ſupra paulo. Hic poſtquā Sardos ſubegiſſet, legatus conſularis aduerſus Cimbros perrexit: à quibus eſt & uictus, & breui captus. Sed adhibitus tamen ad conſilium, ut modū, quo uinci poſſent Romani (quippe ciuis, & dux) exponeret. Ille uero uultu grauiſſime compoſito, cœpit hoſtes ab alpium tranſitu deterrere: multis affirmans uerbis, Romanos minime uinci poſſe. Quamobrem à rege ferocia elato, & perinuene, ſtatim occiſus eſt. Inutile lege.] Vt ex agro publico uectigalia ne colligerentur, quæ non eſſent utili Reipublicæ damnoſa ciuibus: ob fraudem colligentium, uel ſimiliter. Leuare uectigali publicum agrum, id eſt immunem facere, liberum à tributo. Prætorius.] Id eſt qui prætor fuerat, ut mihi quidem uidetur: ſicut conſularis, qui conſul. appellatiuum, ab officio, ſeu magiſtratu. Nam adiectiuum prætorius, ſi cum re coniungitur, cum inſtrumēto aliquo, ſignificat id quod ad prætorem pertinet: quemadmodum dicimus, prætoria nauis, cohors prætoria. prætorium ius. Sequor autem hic alium Ciceronis locum Plan. Cedat conſulari generi prætorium, nec cōtendat, inquit, cum prætorio equeſter locus. Prætorium genus, hoc eſt, quod honoribus præturæ potitum eſt aliquando. Sic iſto loco Cotta prætorius. Subſtantiue prætorium, domus prætoris, ducis, diuitis in agro: item locus ubi ius dicitur. inde prætorium dimittere, ueluti ſenatum. Atque ego.] Excuſatio oppo-

tuna. Poſſis dicere, Cur infimos etiam oratorum quoſque percenſes? Quæ fuerit aſſenſio.] Opinor legi debere aſcenſio. Probant enim id orationis circumſtantiæ, cum perfectiore rudioribus ſuperponit, cum hos ad illos ſemper meliores: cum dicit, ſe è minimis in Demoſthenem maximum oratorem, ac Hyperidem, ordinatim peruenire: pari ratione in Craſſum & Antonium. quaſi uidelicet aſcendentes ex imo ad ſummum in eloquẽtia proponat. Nam aſcenſus ad materiã proprie pertinet. alioqui neſcio, quid hic ſibi uelit aſſenſio. Spiſſe peruenimus.] Id eſt, tarde, difficulter. Spiſſum enim proprie, dẽſum. Quidquid aũt dẽſum eſt, rarius profluit, et lẽtius. Ab imperatore.] Similitudinis exemplũ, quo pulchrius illuſtrat Antonianã laudẽ, ductũ ab arte militari. Non enim.] Ratio dicti. Quare cũ ualde præclarum haud ſit latine loqui, non loqui ſit omnino perturpe. Quia plerique, inquit, id neglexerunt. qui licet ut oratores in hoc ſtudio elaborare non debuerint, debuerunt tamen ut ciues Romani. Vitium hominum, rem odio prægrauat. Superius dixit, inquinate: quod exponitur, obſolete, propter ſermonis negligentiam. ab inquinatus, nempe fœdus, ſordidus. Leporis.] Id eſt, urbanitatis cauſa. Conformationibus.] Paulo poſt Græco uocabulo σχῆμα appellat. In illuminandis.] In ſententijs ornamento uerborum illuſtrandis etiam. Sed cum magna hæc.] Videtur ad id ἐπανόρθωσιν addere, quod non ſatis Latine, non ſatis pure loquutum fuiſſe Antonium, ſuperius dixerit. Mitigat autem certe cum multa connumerat, quæ pertineant ad ſingularem uiri laudem. Supploſio pedis.] Cõmotio deorſum: à ſupplodo, quod terram pede ſubtus percutio eſt. Vox permanens.] Id eſt conſtans, eiuſdem ſemper ſoni. Subrauca.] ſtrepens aliquantum, ſtridula. In quæſtionibus.] Si quem reum capitis defendebat. Quod Demoſthenem.] Ab auctoritate, quam ipſe ſuo iudicio confirmat, & uiciſſim confirmatur iudicans. Huic alij.] Cõmune teſtimonium artis. Omnes ſimul iudicarunt tum temporis, hos ſupra duos, præſtantiorem in dicendo eſſe neminem. Alterutro patrono.] Scilicet exiſtente: uel, qui horum alterutro patrono præmunitus, requireret ullius alij ingenium, atque præſidium. Equidem.] Cognitio. Fert ipſe ſententiam de utriuſque dignitate, ſic, ut ſummus ſit Antonius, maior autem Craſſus. Apud centumuiros.] Iu ius relata tractantes. Erant fermè ſacerdotes, & iureconſulti: lecti tamẽ è ſingulis tribubus, terno numero: quinq; plures. Sed expeditius uno uocabulo dicti centũuiri. Inde centũuirales cauſæ, quæ referri debebant ad centum. Cic. de Or. Nam iactare ſe in cauſis centumuiralibus, in quibus uſucapionum, tutelarum, gentilitatum agnationum, alluuionum iura uerſentur. M. Curij cauſa.] Teſtamentum habebat: ſi filius Poſthumus mihi mortuus fuerit, Curius heres eſto. Hic Scæuola naſci prius oportere, quàm mori. non igitur heredem eſſe Curium. At Craſſus iocabatur in acumen Scæuolæ, qui ita comminiſceretur, Naſci prius, &c. Quis enim hoc ignoret? Defendit tamen æquitatem contra rigorem iuris: ſententiam teſtatoris, contra uerborum regulam. Hoc modo.] Adde, ſint: Licet, inquit, Scæuola, licet Craſſus hac tanta dicendi gloria floruerint (illatio per parẽtheſin) ſed uereor ne quis mediocre ex ſummo me putet fingere, tamen dicendum eſt: ſic enim res habet, uterque medium quoddam in uirtute ſequi uoluit. Attende uero morem humanitatis. Deſiderat nonnihil, & quia perfectam utrique laudem relinquere mauult, hoc ipſum laudis obtextu contegit. Veterum eſt, inquit, philoſophorũ ex Academicis inſtitutum credere, quòd uirtus omnis ſit mediocritas. Atque ſic de duobus his concludit. Tum de Seruio.] Nunc ad Scæuolæ æqualem accedit Sulpitium. Vt enim illum plurimi fecit, ita ſanè plurimis hunc nominibus commendat, & fermè præfert in eloquentia: idq; ſtudij ratione, quo Seruius ſe, nec domeſtico tantum, nec uno ſemel dedidiſſet. Ain tu?] Cõſulta admiratio. quaſi diceret, Antepomis igitur, &c. Quærit autem (ut ſolet) materiam ad prolixiorem de Seruio Sulpitio ſermonem. Artem.] Dicendi. Quanquam dialecticam uelle uidetur, & mox ſubiungit: Sed ea oratori, quem hic inducit, planè neceſſaria eſt, ut nullo modo ſeparari poſſit. Eóq; ponit diuiſionem rei, definitionem, circumſtantias ex uerbis, rationibus, argumentis. Audiui enim.] Præfuit enim toti Græciæ Sulpitius, poſt Pharſalicam pugnam reconciliatus Cæſari. atque hunc ipſum hic tantopere laudat, cuius etiam memoriæ luculentam orationem illico poſt mortem Cicero dicauit, initio: Vellem dij immortales feciſſent. non autẽ Sulpitium illum, quem in ſuperioribus libris de Orat. toties producit. Sami.] Duæ feruntur inſulæ hoc nomine: altera in mari Icario, Iunoni quondam dedititiſſima: altera prope Ithacam, ac Epeirum: teſte Plinio. quam hic nominare uidetur Cicero. Superior Samos patria Pythagoræ, & unius Sibyllæ eſt: Liuio Samothracia, propter uicinitatem ſæpe dicta. Virgilio quoque, ſed per tmeſim, uel inuerſionem potius canenti, Threijciamq; Samum. Aequalitas ueſtra.] Quod ad ætatem. Pares honores.] Vterque conſularis. Artium finitimarum.] Tu orator, ille iureconſultus. Sunt autẽ hæ artes quaſi finitimæ, cum ſint ſummo ciui ſimul neceſſariæ. Ab obtrectatione.] Actiue. neuter laborat in alterum inuidia, quæ mutuo obtrectet: reſpicit tamen actus perſonas. Non exulcerare.] Per figuram, pro corrumpere, exacerbare ueſtram gratiam. proprie enim exulcero, in ulcus adigo, ulcus exprimo, uel medicamento, uel uulnere: ut, Vngue lepram exulcerat. Plin. Varro, Muſcæ canes exulcerant. Itaque doleo.] Querela de tam afflicto tempore, dominatus Iuliani. Sunt, inquit, fato tali fortuna Reipublicæ iam omnes ciuium actiones ad paucos homines deuolutæ. Hic Atticus.] Refugit multum de Republica commentarij, metu uidelicet Cæſaris, & amicorum: ne ſi quando talem Ciceronis animum reſciuiſſent illi, plecteretur ipſe. Solebat igitur interdum in urbem è rure Cicero uenire, ut ſalutaret Cæſarem, nunquam ut in ſenatu conſuleret, quo conſilio gratiam & dignitatem ſuam facile conſeruauit. Eloquentiſſimum.] De C. Carbone iam ante diximus. hunc adoleſcentulus accuſauit Craſſus. Liciniam uirginem.] Scilicet Veſtalem. fuit eius cognata, quã inceſtus inſimulatam defendit, et ſeruauit. Præconem Grannium.] Præco, qui decreta magiſtratus in publico proclamat. Hunc autem Grannium, candidatos in creatione ſuis nominibus appellaſſe coram populo, opinor. huius enim etiam officij, olim præcones erant. ut ut: fuit amicus Craſſi. ſic etenim eum lib. 2. de Orat. uocat. Aetate præſtabat.] Senior me quatuor & triginta annis Craſſus. Erit inquit.] Significat obſcure Ciceronem Brutus, qui maturitatem dicendi iam ad ſummum perduxiſſet. Iſtos oratores.] Craſſum & Antonium. uellem plura quàm ſcripſerint, nobis, inquis, reliquiſſe. Auctoritas ſenatus.] Voluit, ut putare poſſum, Cæpio iudicia ab equeſtri ordine traduci rurſus ad ſenatũ: idq; ſuaſit Craſſus. Contra collegam.] Hæc altercatio fuit inter eos fortaſſe de dicendi magiſtris. Electi certe ſunt ex urbe tandem, ipſis Cenſ. omnes planè rhetores. Qua in re non omnino libenter Craſſum Domitio aſſenſiſſe, credi par eſt. Licet alicubi grauiter id tueatur. Sed quaſi capita.] Notum ex Grammaticis figuræ genus, zeugma cum proximo nomini uerbũ adaptatur: ut in illo, Amantium iræ amoris redintegratio eſt. Sic hoc loco per conuerſum, Non eſt oratio, ſed capita rerum. muta numerum, plurali conueniet. Plenius.] Dicitur enim commentarius & commentarium utrouis genere, libellus in quem rerum ſummam ſigillatim cauſa memoriæ retulimus. Hic pro tabella, quam cauſas acturi neceſſarijs rebus pernotatam ſecum in iudicia deferunt, ne quid prætermittatur, aut ignoretur.

Et uero.]

Et uero.] Confirmandi particula. fuit hercle, fuit omnino. Et popularis.] Non ſolũ ſenatoria, cõſularis dictio, ſed etiam illa lenis, & populi auribus accõmodata dictio. loquitur de Craſſo, nõ de Domitio. Nam Antonij nomen ex collatione quaſi, ſubijcit. M. Herenniũ.] Caij patrem. huic, filio ſcilicet, inſcripſit Cicero quatuor libros Rhetoricorũ, ut conſtat. Cepionis ore.] Id eſt, loco Q. Seruilij, cuius legis iam ante meminit, cũ maieſtatis accuſaretur, reſpõdit Sextus Aelius. Apud maiores noſtros.] Tẽporibus belli Punici primi. ſed hic Papyrius in hiſtorijs obſcurus eſt: niſi quòd Fregellas coloniã deduci impetrauit. Et Brutus.] Celeritatis. Mox ad hæc, inquit Brutus. Cũ in Galliam.] Mittebatur enim eo prætor à Cæſare. Pertinet autẽ hæc ratio ad phyſicos, qui diſputant, cur alius alio, loquẽs, articulatius ſonet. atq; colligũt hic cœli, parentũ, cõſuetudinis, ingenij, totius in homine tẽperamẽti (cõplexionẽ illi uocãt) argumẽta. Rous? inquit.] Præciſio, cũ eo'ne Q. Granio certare Tincã meminiſti? Subde, cũ iſto ipſo. Nomẽ Granij præconis iã habuimus: quẽ dicacitate ciuili, præfert alteri. Hoſpes nõ potes minoris.] Sic enim legendũ eſt, ſcilicet emere quod cupis. Credidit anicula Theophraſtũ aduenã eſſe, non inter ciues Athenis uerſari, quod ab urbano ſono paululũ uoce diſcreparet. Ille uero, qui in ciuitate tãto iam tẽpore tũ uixiſſet, moleſte tulit, adhuc ſe prorſus Attice uerba nõ pronunciare debere. Nec enim in quadrigis.] Cõparatio ducta ab equeſtris curſus ſimilitudine. Non inquit, poſſumus dicere, ſi quatuor equi producti ſint, ut pernicitate cõtendãt ad metã, et unus ex ijs tantũ excurrat, reliqui prope carceres hæreãt, illos eſſe uictori proximos. Vix enim ſeſe loco mouerũt iſti: maximũq; ſpatiũ interiacet inter decurſorẽ et ſtatarios. Quĩ igitur hũc oratori palmario proximũ recte dicamus? quẽ uix idẽ ſtudiũ aſſimilet, cõmunitas autẽ laudis atq; rei plane nulla cũ illo contingat. Quãuis eo quidem ipſo cõpareat nemo melior. Sic infert Cic. ſed paulo uerbis ſuis ſubtilius. Carceres pluralis tantũ, pro limite, qua ſecludũtur equi curſum inituri. Quadrigæ, notũ ſignificato, niſi quod hic pro equis ipſis ponũtur, per agnominationẽ. Curriculũ, deſcriptio terræ, ſeu ſpatiũ ad curſus idoneũ: hic actũ currẽdi ipſum, in eloquentiæ ſtudijs, translatiue ſcilicet, denotat. Libertas in oratione.] Minatus eſt aliquãdo cõſul prima Philip. Craſſo, ſe ablaturũ illi pignora, niſi ueniret in ſenatũ at Craſſus, Non eſt, inquit, mihi cõſul, cui nõ ſum ſenator. Marianos cõſulatus.] Fuit enim C. Marius ſepties in hoc magiſtratu, et cõtinue propemodũ. Anguſtias.] Vocat petitionis anguſtias, eo quòd comitia tũ inſigni cũ perturbatione habebãtur: Cinna, Carbone, Mario, Sylla, Sulpitio, cõcertãtib. Multis cõcionibus.] Propter quas etiã à Cinnanis in tribunali ſedẽs obtrũcatus eſt Cn. Octauius. Sed ab eis.] Correctio. Nõ uult amplius omnes, qui dixerint quãdoque, præſenti numero complecti. Satis eſſe, ſi ueros oratores per ordinẽ pertexat. C. Iulius.] L. Cæſaris filius, Dictatoris pater. Cuius familiæ propriã facit urbanitatẽ, atq; dicẽdi ſuauitẽ ubiq; .: Satis ſuppeditabat.] Adde uerborũ. ſic, ſatis ſuppeditabat Cetheg rerũ ac uerborum oratio. Ponitur enim fermè abſolute. Nã Aphilia.] Propriũ nomẽ Romani ciuis, quẽmadmodũ et ſequẽtia: quæ ego propter obſcuritatẽ prætereo. Rabularũ.] Cõuitij uocabulũ, in eos qui ſine pudore, ſine modo publice rixantur, magis quàm loquũtur. Noſtri ordinis.] Nempe ſenatorij. Et huius Q. Sertorij uitã ſingulari titulo deſcripſit Plutarchus. Atq; ego præclare.] Excuſatio facti, uel potius erroris in enumeratione oratorũ, ita tamen, ut id ratione approbet. Primas tulerunt.] Nec mirũ. tribuit eis in libris de Oratore, primarias perſonas, ut eſt uidere. Quo modo dicis?] Amplificatio teſtimonij de Cotta et Sulpitio. Quid eſt? inquit Atticus, quòd omniũ illi iudicio primas tulerunt. Vulgus nihil ſapit. Sapientiũ auctoritas afferri debet. Reſpondet autẽ interpretatione: nimirũ audies quod omnes nõ probẽt. Adlaboraſſe.] Id eſt multũ ſtuduiſſe doctrinis artiũ & eloquentiæ. Sic oportet ut exponam, qui neminem aliter ſequi poſſum. Quaſi diceret: Non facile tam immenſæ ſcientiæ uiro probaturus es: quæ nunquam prius intelligẽti, maioribus curis occupato. Sed ijs quibus rude ſit ingeniũ, hoc eſt, populo. Mihi cane et Muſis.] In prouerbiũ id abijt. quod uſurpatur, cũ docere uolumus, ut aliquis optimi iudicio ſeruiat, & ſumma arte uel unũ, qui ſapientia ſummus ſit, delectet. Roterodamus ad aliã ſententiã in Chil. deflectit. Poteſt enim uarie accipi. Quẽadmodũ Cic. in Rul. Intelligetis, inquit, Quirites, eũ hoc carmẽ ſibi canere: id eſt, ſuã utilitatẽ per iſtas rogationes Rullũ quærere. Fuit autẽ Antigenidas nobilis tibicen in Attica. Dixerit.] Permiſſiuũ. quare libẽter concedo, dixerit Antigenidas diſcipulo ſuo. uerũ ego contra ſentiã, faciã longe aliter, mea dicẽdi facultate. Tu artifex.] A' ſignis et effectu rem cõfirmat, fingens aduerſariũ interrogantẽ. Nec enim poſſet.] Confutat, ſi quis obijcere uelit: Qua ergo ratione poeta Antimachus, alij quendã philoſophũ citant, cũ auditorio deſtitutus eſſet, prodidit? Vnus, inquiens, Plato eſt mihi inſtar multorũ milliũ. Hic enim ſolus remanſerat. Poema reſpondet, non orationem attulit. Me illũ.] Punctulis diſtinctus eſt locus, quaſi reticentia ſit, aut aliquid ſubintelligi debeat. Ego uero nihil exputare queo. Quod ſi coniungamus pronomina, legamuſq; milliũ? Sic certe ponitur hoc dictum alibi, ut iam ex me recitaui, inſtar omniũ millium. Et facilis eſt ſanè ſimilium literarũ permutatio. Cogitet tamen ad libitũ quiuis. Et recte.] Scilicet ita ſentit poeta, dixit: approbandi aduerbiũ. Vt ſi tibiæ.] A' ſimili uerius ornat, quod cenſet quàm communit. Si tibias, inquit, abijcimus, quæ ſonũ nõ reddunt, ut inutiles. quare uelimus in dicendo perſeuerare, ſi neminẽ dicto delectet? Per hoc enim inanis eſt. Tãquã equus.] Debet tũ diphthõgo legi. faciẽdus eſt, inquit, finis cõmouendi, iniquo auditore, et nos contemnente. Quare quis.] Iam documẽto demõſtrat, rem aliter planè nõ habere. Coponius autẽ hic fuit aduerſarius M. Curij, de qua cauſa paulo ante diximus. hunc enim Craſſus, illũ defendit Q. Scæuola. Nec in hac perpetua narratione quidquam obſcuri uideo. Itaque pergam ad proxima. Vnum ſaltem addo: diligenter ut hunc inſignẽ locum, Lector pertractet. Qui præſtat igitur:] Quid præſtat, ego legerim, exẽplo Terẽtiani dicti. uel certe quoniam ablatiuus interrogationi ſuccurrit; Quo proſtat igitur intelligens imperito. Magna (reſpõdet) re, et difficili præſtat, nempe prudentia. Sequiturq; mox aptiſſima ſimilitudo de fidibus, hãc occupationẽ. Etiam circulantem.] Budeus exponit, in circulo caput conferentem. id intelligas opinor, cum proximo aſſeſſore colloquentem. Poſſit tamen aliquis accipere, meo iudicio, pro oculis circulum totius curiæ & concionis obeuntem, ut fit in leguleiorum ſermone, cum cordati iudices circumcirca diſſiciunt, ſi uerborũ pertæſi ſunt. Nam proprie circulo, recta declinatione aliquid circundo, obduco, ſepio: ſecundum alios actiue ſcilicet. Ego deponentaliter, ut loquuntur Grammatici, pro circulatim obeo, ſequutus auctoritatem Senecæ, qui de Platone loquens, Diſcendi, inquit, ſtudio circulatus eſt totam Aſiã. interpretare, per circulum permenſus eſt ſuis itineribus. atque hæc ſignificatio uidetur eſſe uero magis conſentanea, nunc profecto non omnino inuenientis. Quæ uero de Cotta, de Sulpitio mox continuantur, etiam unius cuiuſque induſtriæ cõmitto. Sunt enim perfacilia: ad hoc, è ſuperioribus libris abunde præſciri poſſunt, ne quem hic teneant. Plures ineuntur gratiæ.] Id eſt, maior beneuolentia hominum comparatur, ſi multas actiones unus ſuſtinet. aſciſcere conſuetudinem, inſtitutum ſignificat ſanctè complecti. In unam arborem.] Solent agricolæ nonnunquam, ſi quando ſucculentæ arboris ramos deſecuerint, diuerſi generis ſurculos in locum deſecti inſerere: idq; uerno tempore, ut temperies aeris atque ſuccus è radice ſurſum cum ſole aſcendens, uegetet plantulam, auctore Columella. Quod ipſe non ſe-

mel ego uidi, uarios etiam eiuſmodi arborem fructus effundere, ex uno quidem ſtipite iuxta proprietatem uniuſcuiuſque generis. Hoc accómodat Cicero per ſimilitudiné ad Scipionis poſtremi laudem: qui fuit à Cæſare ſeruatus, cum poſt conflictũ in Aphrica pater ſe Publius interemiſſet. Sed nó omittédũ, quod penè eſt omiſſum. ſuperius, inquit, uidetur mihi bene ſanè & loqui, & dicere. Grãmatici diſtinctionem hanc tali diſcrimine excuſant, Loqui ſignificat, aiunt, uerba facere ſecundum naturam: hoc eſt, impræmeditato, ut uel pueri poſſunt: dicere autem, ſecundum artem, uidelicet conſulto, ut oratores ſolent. Et rectè quidem, niſi quòd id ſimul animaduerti debere puto: loqui, priuatim eſſe, pro more: dicere, cum officio, nec præter rationé publice. Ex M. Aquilij.] Quem cum defenderet M. Antonius, denudauit ueſtes circa pectus, ut honeſtæ cicatrices apparerent, & animos iudicum ad miſericordiam inflecterent. Cuius facti tulit præſentem reo fructum. Magnus auunculus.] Auiæ frater, teſte Paulo iureconſulto, auunculus matris: maior auunculus proauiæ, uel matris auiæ frater. Seditioſorum omnium.] Promulgauit Saturninus rogationem Agrariam, tribunus per uim factus, Ei cum Metellus Numidicus non uellet ſubſcribere, & à bonis ciuibus protegeretur, ne malorum certaminũ occaſionem daret, in exilium abijt. Mox poſtea Saturninus, Memmium conſularem candidatũ, quia non eſſet ad tales actiones opportunus, interfecit. Sed breui tempore, cũ Glaucia urbano prætore, conſiliorumq; ſocio, optimatum armis & ipſe ſublatus eſt. Simillimus Athenienſis.] Hic Hyberbolus infimæ ſortis homo, omnium audaciſſimus tamen, diſſidente perpetuis ſeditionibus Athenienſi populo, tandem ad ſummos honores obrepſit, auctore Plutarcho. Qua fortuna non contentus, monarchiam auſus eſt affectare: eoq; Niciam & Alcibiadem, potentiſſimos in ciuitate tum quidem uiros, exturbare ſtuduit: cum repente damnatur conſenſione utriuſque principis amicorũ, plebe etiam ſuauiter arridente. Sic malus diuturnitatis cuſtos, dolus. Petitioné extraordinariam.] Perijt enim Iulius Cæſar, in Gallijs adhuc bellum adminiſtrans, ut proximis conſularibus comitijs, abſentis ſui ratio haberetur. Quod Antiſtius plebis tribunus impugnauit, & hanc petitionem uocat extraordinariá. Inter profectionem.] Ad bellum Mithridaticum, & ab eo reditum in urbem. Quo interuallo Cinnanis ſceleribus & Marianis cooperta, uere nimirum, ut ait, ſine omni fuit dignitate Reſpublica. Sulpitius occiderat.] A' ſeruo latens in uilla quadam proditus. Cui deinde Sylla libertatem in præmium dedit: liberum, tanquam proditorem è ſaxo præcipitari iuſſit. Vides igitur.] Epilogus ſermonis habiti de nominibus oratorum, de ipſisq; Romanæ Reipublicæ demortuis oratoribus. Nunc ætatis ſuæ titulos commemorat, & ad finem uſque libri: parata tamen ad id competente uia per Bruti perſonam. Non ita diu.] C. Fimbria, celebris inſaniæ ciuis direpto Eliéſiũ oppido, quod Syllanæ uictoriæ ſe reſeruabat, & Aſia perturbata, priuſquá ad pœnas raperetur, morté ſibi cóſciuit. Ac ideo nó illũ ita diu ſe iactare potuiſſe, dicit Cicero. Niſi quis de ſpirádi difficultate dictum intelligat. Maximeq; ex omnibus.] Laudat plurimũ Piſonem Marcum à Græcis literis: apud quem in dicendo ſuá ætatem Cicero puer exercuit, ſed nó ſine criminis ſuſpicione (ſi modo Salluſtius hoſtis id illi recte obijcit) quòd eloquentiam omnem honeſtatis & uerecundiæ iactura aſſequutus ſit, ibidem in domo Piſonis. Qui ſe ipſe adoptauerat.] Id eſt, ab Aelio Sexto nó adoptatus, nomen Aelij nihilominus poſt morté, ut adoptatus aſſumpſerat, ſuum depoſuerat. Quo autem in facinore fuerit deprehenſus, mihi ſatis non liquet. Quaſi ſecũdarius.] Auctore Budæo, ſecũdæ claſſis in oratoribus poſt Craſſum: aut, ut ego opinor, Craſſi proxime ſimilis: illũ proximo, hoc eſt, ſecundo ante alios eiuſdé dictionis loco ſequés. Aliás apud Suetoniũ, panis ſecũdarius, notæ ſignificationis. item ſecũdarij milites apud Liuiũ, ordinem ſecundũ ducentes. Vt pugiles inexercitati.] Poſſunt ſcilicet eſſe, qui facilius plagas & uulnera corpore perferant, adiuti firmitudine aliqua naturæ, q̃ ſub dio ſolis æſtũ, cute nondũ coloribus aſſueta. Iudicialis anni.] Id eſt, pertinentis ad iudices. Cũ prætore Iunio propter improbas nummationes multi iudicum dignitate moti ſunt, & ſeuere mulctati: quemadmodum ex oratione pro Cluentio ſuſpicari licet. De fæce, inquit, hauris.] Metaphoricus ſermo, prouerbij ſpeciem præferens, quo complectitur idem: ac ſi diceret, obſcuriſſimos etiam quoſque, & minutiſſimos oratores, iamdudũ recenſes. Conueniat, ubi quis de magna re loquatur, & minimas eius particulas ſollicite colligat. Plus quàm non hebes.] Eſt enim hebes, qui alio uocabulo rudis, ſine conſiderantia, ſine mentis induſtria: ueluti pecus per figuram. proprie, quidquid acumine retuſo eſt, teſte Feſto, atq; tũc uim habet generis omnis.

Vidi Mitylenis.] Si bene conijcio, loquitur de M. Marcello, qui cũ Pompeianis uictus una, tantiſper in Græcia permãſit, dum Cæſar illi per Ciceronem & amicos reconciliaretur. Sed prius quàm in urbé rediret, à familiari ſuo Chilone Magio occiſus eſt. intra ſpatiũ anté hoc, cũ adhuc uiueret, Ciceroni hic in méntioné uenit. Extat oratio eius nomine coornata. Licet tamen etiá de Cicerone filio, quem erudiendum in diſciplinam philoſophiæ Cratippo tradiderat, nonnihil opinari. Verum ego priorem ſententiam magis ſequor Subdit enim, Optimi uiri, nobiſq; amiciſſimi. Et continuo, De Cæſare cupio quid. uide reliqua. Huic noſtro.] De Cicerone ipſo loquitur Atticus, quem Cæſar iá dictator in literis quibuſdá inuentorem Latinæ elegantiæ ſalutarit. Nempe Cæſar habuit in animo, Romanum ſermonem expolitiſſimum reddere, & elaborauit in ea re, teſtimonio omniũ hiſtoricorũ: ut in anni legitimo tempore ordinando. Scripſit igitur, laborem cũ Cicerone libenter communicans. Quod autem ait, illum de Ciceronis ingenio nihil obſcure teſtatum: ita planè eſt. Statuit aliquando Cæſar Q. Ligarium damnare. ſed quia Tullius huic patrocinaretur, audijt cauſam æquiſſime: ſemper tamé cóſtás in propoſito cótra Ligariũ, quoad perorare deijt Cicero. Tum tabellas demum, quas ſententiæ dãnationis perſcriptas manu tenebat, exurgens abiecit, reumq; patrono ſaluum repente conceſſit. Ampliſſimum uero eloquentiæ teſtimonium, Cheroneo relatore. Nunc pro relicto habendum.] Facit nó breuis interpoſitio perobſcurum locum. ſic uult: Quia Cæſar te Ciceró principem copiæ, quaſi quendam optime meritum de populi Romani dignitate tua loquédi ratione, ſcripſit, & id teſtimoniũ ab auctore ſummo uenit, iá minimũ eſt, quotidianis uerbis noſſe loqui, poſſe nos uti. Supplicationi.] Propter res in Cilicia præclare geſtas decreta. meminit ſuæ nobilis prouinciæ. Qui Ligariũ caſtella.] Populi Italiæ, intra Padũ & Apenninũ, ad alpes uſque, regione mótoſa, atq; ideo caſtellis frequenti: quorũ caput Ianua, nũc Genua. Diu liberi: tandem omniũ poſtremi circa finem primi Punici belli poſt Apulos, Hetruſcos, Sannites, Vmbros, armis petiti. Ex quibus multi triũphi.] Conſul Aemilius apud Liuiũ ex ijs triumphat, C. Sulpitius Gallus, Q. Opimius. Eſt autem Romanorũ triumphus, trophæum Græcorũ. Sed Athenienſium.] A' ſimili. Domus etiam utilior pictura ſed non propterea præſtantior. Phidias ſtatuarius, arbitro Plinio, nunquam ſatis laudatus, qui, Mineruæ ſignum Athenienſibus pulcherrimum fabricauit, habens in clypeo deorum atque gigantum certamen. item pugnam Amazonum, circum ſoleas uero Lapithas cum Centauris confligentes. Iouem etiam Olympium arte pari inſtruxit. Hinc Ciceronis uerba facile poſſunt intelligi. Quàm obtruſa ratio.] Hoc eſt, uolentibus nolentibus offerenda, qui nunc deprauate loquuntur. Nam obtrudo, per uiolentiam aliquid inuito recuſantiq; trado. Quàm particula, pro ualde multum obtruſa ratio eſt adhibenda, quæ mutari ratio non poſſit. Commentario quoſdam.]

De bello

De bello Gallico, quos hic tam pulchre laudat Cicero: quaſi ſine tegumento veſtis. uenuſtum corpus, ſic abſque colorũ adiumento ornatos. Calamiſtris inurere.] Pro, decentius informare. Figurata loqutio. Calamiſtrum enim, ut docet Varro, ut item Seruius inſtrumentũ ferreũ, ſeu maiuſcula acus, quæ calefacta, ſi ſcienter adhibeatur, intorquet capillos. Noſtrarũ iniuriarũ.] Vltorem uocat P. Lentulũ, eo quòd, ut primũ inierat conſulatũ, de reuocando Cicerone ab exilio retulit, & coercita factione Clodiana hoc ipſum obtinuit. C. Corneliũ defendi.] Hæc oratio non extat. Nam L. Cornelius Balbus, pro quo ſcriptã habemus, fuit nimirũ alius. Pro Aulo Cluẽtio.] Cognomine Habito. pergrauis illa quidem eſt ad manus, in qua crimina ueneficiorũ purgãtur. Vt haſtæ uelitibus amẽtatæ.] Methaphoricum, id eſt argumenta aliunde petita. Sed ego talem uſum occaſioni permitto. Nunc autem iudico proprie poni. Cõparat enim uelitũ ſortem cũ ratione oratorũ. Sic igitur interpretor: Amentatæ haſtæ, pro, Vt uelitibus traduntur haſtę loris religatæ, ne eñ uno mox ictu excidant: ſic Hermagoræ præceptis argumenta præbentur, quæ ualeãt ad uaria cauſarum genera, poſtquã ſemel uſurpata ſint. Amentũ, auctore Seruio, lorũ, quo media ligatur haſta, atque retinetur. Mahometani milites hodie gladijs utuntur amentatis. Velites autẽ quaſi uolites, à celeritate, qui nulla præter ſcutũ & miſſile telũ aliquod armatura grauãtur. ut ſunt Septentrionales, & orientis nationes pleræque, cum in bella prodeunt. Eiuſdem ætatis.] C. Piſo maritus Tulliæ Ciceronis filiæ, perpetuã pietatem laboranti Clodianis temporibus ſocero præſtitit, nec minus in exilio iam agenti. uerum ante defunctus eſt, quàm ille reuerteretur. & iuuenis ualde quidẽ. ob hoc eum tãtopere commendat. M. Cælium.] Quem etiã aliquando ueneficij poſtulatũ à Clodia defendit. at ille paulo poſt in Clodianas actiones delatus, ſimili fortuna cecidit. De Callidio, niſi quantum ipſe Cicero narrat, deq; tota hac cauſa ſcire non poſſum. etenim literis mandata non eſt. Hunc nomẽ honoris.] Siquidem uirtus honorem uerũ, non fortuna confert. fortuna ſæpe euehit indignos, uirtus nunquam niſi dignos. Grauiſſimo ſuo caſu.] Fuit P. Craſſus Diuitis filius, Ciceronis ſtudioſiſſimus, mutauitq; ueſtem cũ multis adoleſcentibus eo eunte in exilium. breui deinde cum patre profectus contra Parthos, ibi fortiſſime pugnans occiſus eſt. Pater etiã imperator intra paruum tempus interfectus. Grauiſſimũ autem uocat eius caſum: quia circumuentus hoſtium inſidijs, dum millibus equitum duobus illos perſequeretur, in patris propè conſpectu occubuit. Curſum tranſcurrerant.] Id eſt, qui nimium multis rebus & periculis ante ætatem, uno tempore uitam tradiderant ſuam: cito collapſi uidelicet. tropus. Nam ſi quis.] Digreſſio à propoſita oratione, tractans de optimo imitandi modo, formam tamen quoque recapitulationis referens. Breuiter enim iudicium de Græcis oratoribus ſuum initio declaratũ rurſus indicat. Vnumq; Demoſthenem præ cæteris omnibus, ut ante, uolenti in eloquentia excellere, proponit imitandum. Id autem agit per quæſitoris proſopopœiam, numero ſemel interdum commutato. Aut Anitium Cons.] Id eſt, ex longiori interuallo iam inueterato. Falernus hic adiectiue ponitur. aliàs ſubſtãtiue: mons ſeu ager Campaniæ, nobiliſſimi uini ferax, quod ipſum Cicero nominat. De dolio.] Id eſt, num is uetus omnino uinũ ſibi putet hauriendũ. ab eo, quod, cũ in dolijs eſt, defecatur. Muſto à lacu.] Lacus ad cætera ſignificat etiam locũ aut uas, quo muſtũ continetur, donec in cupas immittatur. Anitianam notam.] L. Anitius Gallus fuit cum L. Cethego conſul: & horum tempore Terentius Adelphos fabulam docuit. Notã pro ſtylo poni puto. ſic: Cenſuerim Thucydidis illã nimis ueterem in oratione notam, ut maxime tolerabilis ſit, tamen tanquam Anitij uetuſtũ aliquod inſigne, non eſſe ſtudio quærendam. Niſi uelis poſterius hoc de nota Anitiana ad uinũ accommodare. Ironiam illam Socratis.] Cum diceret, Hoc ipſum quod ſcio, ne ſcio. luſit ita ſophiſtas, Protagoram, Prodicũ, Hippiam: ut eſt apud Platonem in philoſophiæ libris. Equidem.] Secũda pars Anacephalæoſis. Et repetit ſummatim ſententiæ ſuæ uerba de Romanis oratoribus: occupans interim maleuolorũ forte obiecta, Cur de hoc & illo dixiſſet ita, cum aliter quaſi debuiſſet. Vt Polycleti Doryphorum Lyſippus.] Fuiſſe quoddam præclarum opus ex ære, poſſum exiſtimare. Sed qualẽ nam, non poſſum. nuſquam enim apud alios inuenio. Opinor tamen de ſigno de effigie ſatellitis alicuius, aut armigeri, nonnihil: uocabuli ſcilicet ſignificationem ſequutus. Vtrunque uero Quintilianus ab eximia arte plurimũ laudat. nec mirum, ſi Lyſippus ſtatuam alterius exprimere æmulando conatus eſt: uel illam per lineamenta poſthac, ut abſolutiſſimam, in operibus ſui ſequutus. Legis Seruiliæ.] Q. Seruilij Cepionis: quam legem de equeſtri ordine à iudicijs ſubmouendo, propter eorundem inſolentiam Craſſus ſuaſit. Eius mentionem ſupra habuimus. Sed, ni fallor, tacui. Longi ſermonis.] Nunc breuiſſime confirmat quæcunque de Romanis hactenus dicta ſunt, ſimul & excuſat. Quòd, inquit, magiſtrum agnoſco Craſſum, quòd item alios interdum inſpexi, materiæ cauſa feci: fructum facilè capio. Quòd autem tam multos recenſui, noſtrorum ultimos etiam, inſtituto feci, ut oſtenderẽ quàm eò pauci peruenerint, quò contenderunt omnes. Reliqua modo ſeponit. Quare ἐἰρωνα me.] Nimirum his ipſis uerbis ſimulatorem agit, cum ſubindignari ſe, & id Atticum cõtemnere fingit. Sed habet gratiam locus. Hortenſius igitur.] Deſcriptio ſuccincta uitæ Hortenſij: cuius dotes, ſtudia, actiones, ætatem, fortunam attingit. Lege uaria.] A' Q. Vario ſæuiente inter Syllam & Marium bello, de dolo malo lata, Valerius Maximus libro octauo. Habitabant in roſtris.] Id eſt, principes erant cauſarum, tam in roſtris frequentes, ut habitare ibi uiderentur. Cum eſt expulſus.] Puto, quia tranſtulerat ad equeſtrem ordinem iudicia prætor, priuatus deinde expulſus. Quotidie concionantis.] Vt Mithridaticum bellum C. Mario ſeni demandaretur contra Syllam & ſenatum. Princeps Academiæ Philo.] Ciceronis præceptor Romæ, clariſſimi nominis, adeo ut dici ſolitum ſit, Aut Plato philonizat, aut Platonizat Philo. Quanquam alij id ad Philonem Iudæũ, qui ſub Caligula principe demum in urbem Romam uenit, referant: ſed perperam. Crudeliſſime interfecti.] Omnes à Marianis militibus & Cinnanis, excepto Catulo, qui uapore carbonum incenſorum ſemet ſuffocauit. In ſtatio.] Paulatim, ſenſim ac ſenſim. Quæ quaſi.] Laus dialecticæ, iuxta & præclara definitio. Scæuolæ.] Mutius enim Scæuola pontifex maximus, cum uniuerſa nobilitas à Mario necaretur, fugiens in ueſtibulo Veſtalis templi cæſus eſt. De Rhodiorum præmijs.] Ob fidem & conſtantiam ſenatui pop. Q. R. contra uim Mithridatis Pontici, quem etiam aliquando nauali pugna uicerant, præſtitam. Non næuo aliquo.] Næuus, in corpore genuinum tuberculum, macula prominentior, quæ pilis aliquot obcreſcere ſolet. Eſtq; notum hic figuræ genus, Pro, Quoniam non tantum à pueritia, quibus ſtudijs, qua ratione adoleuerim in eloquentiam, uis me cognoſcere: ſed etiam quo modo iam adultus egerim, &c. complectar paucis ea quidem ipſa. Cum Antiocho.] Aſcalonita fuit, Stoicæ diſciplinæ non minus quàm Academicæ celeberrimus aſſectator. Romam à L. Lucullo doctrinarum ergò accerſitus, ibidemq; ſummo in pretio habitus, auctore Plutarcho. Sed ante tempus hoc, Athenis adhuc agente, Cicero, ſicut teſtatur, illo uſus eſt. Patrocinio Sicilienſi.] Cum nomine Siculorum Verrem acerrime accuſauit, accuſatum iudicij permiſſu damnauit, damnatum denique mulctauit. De prætura uero nihil literis mandauit ſua. Quin & Plutarchus rerum eius diligens alioqui perſcriptor, parum mentionem de illa facit. Anno

meo.] Cum petere conſulatum per legis primum licuit, & ego petij, factuſq; ſum conſul. Sępe loquitur in hunc modum Cicero: locis aliquot in orationibus contra Rullum certe, Quod aliter ut exponam neſcio. Perſtrinxerat.] Id eſt illum leui dolore affecerat, cũ iunior honoribus ſuperior fieret, ſis ſanè.] Lenis deploratio Reipublicę, ciuilibus armis extincta, quę totum hunc librum concludit, cum initio de felicitate Hortenſij uerbis conſentiens, & Brutum interim amantiſſime confirmãs in ſtudiorum propoſito. Deeſt omnino nonnihil ad extremum. Sed ſententia tamen ſatis euidens. Ego priuatim, inquit, quia ſolus ex illis oratoribus remanſi, ſcriptis orbam eloquẽtiam tuebor. Tu pręſenti Reip. calamitate nequaquã animo cõſternatus, enitere quantũ potes, ut inſtitutum ad laudem teneas tuum, expectationem meã expleas, delectes ſenectutem. Quaſi quadrigis uehentem.] More triumphantium, inſignis metaphora. Sic pro L. Murena: Reſpõdeo igitur, inquit, Poſthumio, primum, qui neſcio quo pacto mihi uidetur pretorius candidatus in conſularẽ, quaſi deſultorius in quadrigarũ curriculum incurrere. Significat autem hic Incurrere, cũ impetu in aliquem inferri. Nam & fortuna dici poteſt, & à Cicerone dicitur, Incurrere: quia prater aequũ impedit ui ſua pulcherrimum ſępe conatũ, perinde ac ſi uectorem pleno quadrigarũ curſu contendentẽ, uelox eques repente deturbet. Perennia uero ſtudia ſunt quę & perpetua, aut continua. De Prouincijs Conſularibus. Hic me meus animus priſtinus ac perennis, cũ C. Cęſare reducit in gratiam. Hactenus annotatum. Supereſt, & ut ea quę iam planè nobis innotuerint, fruſtra ne cognita uideantur.

Finis.

VICTOR PISANVS ANTONIO PICIAMANO VENETO PATRITIO S. P. D.

B affinitatem noſtram, quę iampridem maiores noſtri ſummũ amorem inter ſe inuicem, iucundiſſimumq; conciliauerunt: ac ob uirtutem tuam excellentem, ſcientiamq; illuſtrem, Antoni mi Piciamane dilectiſſime: cogor, uelim nolim'ue, te impenſiſſime diligere: quę quidem affinitas nobis integerrimum ac indiſſolubilem iniuiſſe amorem uidetur. Tua porrò ſcientia non ſolum meum erga te amorem auxit, uerum etiam in maximam tui admirationem me compulit. Is enim uir es, ut non ſolum theologia te delectet, ac mathematice ars diſſerendi, & tota denique philoſophia (in quibus omnibus plurimum polles: quemadmodum in hac urbe pariter & ubique fidem maximam tibi facis) ſed etiam eloquentię ſtudia amplecteris. Cum igitur hoc ipſo anno bonam temporis partem eximio ac omnium ſcientiarum theſauro, Georgio Vallę in eloquentię ſtudijs operã enauaſſem: cumq; excepiſſem quę in Oratore Ciceronis interpretabatur: ita certe mihi peridoneũ uiſum eſt aliqua annotare, tũ exercendi ingenij gratia, tũ ut cõpluribus conferrẽ: qui huius opuſculi incuria hominũ corrupti, et rerũ cognitione parũ intellecti laborarint, ſuppetias occurrerẽ. ſunt nanq; cõplures, qui uehementer aliquas annotationes cõcupiſcunt: et quia eſt Ciceronis, hoc eſt, pręcipui eloquentię luminis: & quia in eloquentię ſtudijs, ipſius ſententia Tullij iam in ſeniũ uergentis, omnium operũ ab ipſo editorum longe pręſtantiſſimum: quin etiam ipſe Cicero ait, omnem ſuam ſtudiorum eloquentię cognitionem, in hoc longe clariſſimo libro concluſiſſe. Cumq; omnia huius obſcura loca pro uiribus annotarim (quod ſanè opus antea à nullis profeſſoribus interpretari conſueuerat) ut magis accurrate à noſtro omnium doctiſſimo pręceptore Georgio Valla interpretatum fuit, ac ad unguem exaratum: ita quędam cognitu digniſſima collegi, & exercitationis cauſa huc congeſſi. Quare ob beneuolentiam inter nos iamdiu cõtractam, obq; tuam eximiam doctrinam, ut cęteris, ita mihi dilectus: par mihi uiſum eſt, te ut põte iuſtiſſimum pariter & prudentiſſimum iudicem, huic operi adhiberi: quo à tua auctoritate in manus perueniens aliorum, plus ſibi aſſequatur, ac tua gratia in maiori exiſtimatione ſit: cum quidem artium liberalium nihil poteſt niſi ſummopere comprobatum iri, quod tuum ſubiuit iudicium: qui nomine & re ipſa in omnibus prorſus liberalibus diſciplinis ſuperiorem habes neminem, ac perpaucos pares. Proinde non parum mihi uidebor adeptus glorię, ſi hanc modo noſtram approbaueris lucubratiunculam: nec ut probes modo, uerum ut duntaxat legendam putes. Vale.

VICTORIS PISANI, PATRITII VENETI, IN M. T. CICERONIS ORATOREM COMMENTARIVS

A BRVTO rogatus Cicero, ut quę nam perfecti oratoris eſſet forma, perfectiſſimum dicendi genus, oratione complecteretur: non uiſus eſt idcirco poſſe tergiuerſari, quòd difficile maximeq; arduũ eſſe uideretur. pluris tamen ſe Bruti feciſſe teſtatur amicitiam. ac in prima libri fronte, ut attentum lectorem facit, beneuolum & docilem: ita in primis Bruti ſibi conciliat amicitiam, dum ait, Vtrum difficilius ac maius eſſet, negare tibi ſępius idem roganti: & quę ſequuntur. Sępius idem roganti.] Ideo minus negare potuit, & quia ſępius, & quia rogabat Brutus, Ciceronis amiciſſ. Diu.] Quia diuturno tẽpore in eodem perſtitit propoſito. Nã id etiam Diu ſignificat: eſt enim perſeuerantis inſectio, quę nõ eſt in Pridẽ aduerbio: nam ſicut Pridem duxi uxorem rectè dixeris ita nõ rectè, diu. Multumq;.] Ideo magis cogitur, quod rogat Brutus, Cicero efficere: quià rogabat, & quia amicus. Sed cũ maxime arduum ſit, nõ iniuria diu ac multum ſe dubitaſſe ait. Brute dubitaui.] Hęc clauſula ſicut à numero cœpit, ita iure in numerum concluditur: Ciceronianuſq; numerus eſt. frequentiſſime ſiquidem trochęo ante pęana tertium in fine utitur clauſula. Nam & negare.] Eſt recuſare, inficiari, uel inficias ire: eſt non factum eſſe aſſerere. Quem unice. Id eſt, quem unum pręter alios. Diligerem, cuiq; me, &c.] Ideo, inquit, cogebar non abnuere, quòd mihi in amore reſpondeas, qui mutuus, quòd reciprocus inter nos amor intercedat. Pręſertim & iuſta petenti.] Ideo minus recuſari poteſt, quia iuſtum, ne iniqui uideamur: & quia pręclarum, quoniã labor ipſe ſumptus à nobis non uileſcit. Et ſuſcipre tantam rem.] Quanta ea ſit, mox explicabitur. Quantam non modo facultate.] Facultas appellatur, quę aliquid facilius fit: unde et nõ ſcientię atque artes modo, uerũ etiam opes ſunt appellatę facultates. facultate igitur, id eſt dicendi poteſtate. Sed etiam cogitatione.] Quoniã quod nuſquã eſt, quod nemo unquam quátuſcunq; eſſet in dicendo conſequi potuit, ut tam cumulatus foret orator, atque conſummatus, ut multa ei addi non poſſent. Qui uereretur reprehenſionem doctorum.] Doctorum quidem, qui putarent tam multiplicem doctrinam, quanta in oratore deſideratur, à nemine comprehendi poſſe. Prudentium uero, qui

ro, qui putarēt onus maius, quàm quod humeris ſuſtinere noſtris poſſimus, ſubeundum non eſſe. Tanta ſit inter oratores diſſim.] Quando alij in humili, alij in grandiloquo, alij in tēperato dicendi genere excelluerūt. Et quaſi figura.] Id eſt character: de quo mox dicetur. Deſiderari à te prudentiā.] Deſideramus ſiquidem abſentia, cupimus præſentia. Tardem ſtudia.] Quoniā rei propoſita immēſa difficultate, à propoſito dicendi ſe ad alia reuocabunt. Sed par eſt.] Id eſt expedit, cōuenit. Præſtantis ingenij uis.] Ad inuenienda nous, & inuenta iudicanda. Magnarū artium diſciplinis.] Artes ipſæ per ſeſe ſunt diſciplinæ, cū diſcuntur appellatæ: quæ cuiuſmodi ſint, deinceps indicabitur. In ſecundis tertijſq; cōſiſtere.] Hoc dicit, honeſtū eſt, ut qui primus in capeſſenda aliqua diſciplina eſſe non poteſt, contentus ſecundo aut tertio loco eſſe uelit: exēploq; docet. nam cū Homerus inter poetas primū ſibi uendicauerit locū, non tamē famā ſuā reliquis eripuit. nō Archilocho Iambographo, nō Sophocli Tragico, nō Pindaro Lyrico: quē & Quintilianus et cæteri decem Lyricorū facile principem eſſe uolunt, ſpiritus magnificentia, ſentētijs, figuris, beatiſſima rerum uerborumq; copia, quodā eloquentiæ flumine: propter quæ merito credit Horatius nemini imitabilem, inquiens:

Pindarum quiſquis ſtudet æmulari,
Iule, ceratis ope Dedalæa
Nititur pennis uitreo daturus
Nomina ponto.
Monte decurrens, uelut amnis, imbres
Quem ſuper notas aluere ripas,
Feruet, immenſuſq; ruit profundo
Pindarus ore.
Laurea donandus Appollinari.

Nec uero Ariſtot.] Hoc dicit Tametſi Plato uberrimus fuit in dicendo, multiplicíq; ſcientia ampliſſimus: ob id tamen ſe Ariſtoteles à ſcribendo nō abdicauit. Neq; ipſe Ariſt.] Vtcūque admirabili quadā præditus fuerit ſciētia: tamē multos alios qui ipſum ſecuti ſunt, deterruit. Qui aut Hyaliſi, etc.] Huius meminit Strabo lib. 14. inquiens, Sunt et Protogenis picturæ, Hyaliſus & Satyrus columnæ adhærens, ſupra quē perdix reſidet: ad quā quidē tabulam, cū expoſita eſt, adeo inhiantes ſpectāt homines, ut perdicē admirātes obſtupeant. Aut Coæ Veneris.] Quæ in Co inſula fuit depicta. Nec ſimulachro Iouis.] Quod Phidias pinxit, admirāda quadā effigie. qui interrogatus (quēadmodū Valerius Max. tradit) quonā mentē dirigeret ſuam, Iouem depingens, adiecit Homericos uerſus illos:

Ἦ καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων,
Ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπεῤῥώσαντο ἄνακτος
Κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο, μέγαν δ' ἐλέλιξεν ὄλυμπον.

Aut Doryphori ſtatua.] Doryphorus, deductū nomen eſt à δόρυ, quod ſignificat lanceā, & φέρω. ſed ponitur pro ualido ſatellite: unde & Quintil. An uero ſtatuarū artifices, inquit, pictoreſq; clariſſimi, cū corpora quàm ſpecioſiſſima fingendo, uel pingendo facere cuperent, nunquam in hunc ciciderunt errorē, ut Bagoam aut Negabuſum aliquē in exemplū operis ſumerēt ſibi, ſed Doryphoron illū aptum uel militiæ uel paleſtræ. Quare non eſt.] Argumentationē concludit, quam multis exemplis illuſtrauit, ut doceret neminem debere expaueſcere rei propoſitæ magnitudine, quòd oratoriæ facultatis apicē ſe contingere poſſe non conſideret, & proinde relinqueret intactam. Neq; illud ipſum quod eſt optimū, &c.] Quoniā in humanis rebus, non in diuinis, eſt collocatū. In perpetuitate dicendi.] Id eſt, perpetua habeatur oratio: aut certe tempore perpetuo. Sed ego ſic ſtatuo.] Senſus eſt, Arbitror autē in nullo dicendi genere nihil tā ſpecioſum, quo nō ſit id ſpecioſius unde quis loquitur, quàm quod loquitur: id eſt, integrius ſit, unde ſumit exemplū, quàm quod in oratione cōtinetur. Cogitatione tantū, etc.] Quoniā ſpecies ipſæ artiū, quæ cogitatione ſola continentur, omnibus in eis facultatibus præceptis inſtructæ ſunt, figuriſq; conſummatæ: in hominibus autē ipſis mutilæ ac truncæ. Nec uero ille artifex.] Subaudi Phidias. Iouis formā, aut Mineruæ.] Nā quemadmodū Ariſtoteles in lib. quē de Mundo ſcripſit, Phidiā ait ſtatuariū, Mineruā in arce Athenienſium ita conſtruxiſſe, et in medio eius ſcuto ſuū ita os formaſſe, ut qui uellet auferre, totā eſſet ſtatuā diſſoluturus. Inſidebat ſpecies.] Id eſt, imago pingēdi, quæ eius animo adhæſerat. Vt igitur in formis, et in figuris.] Figuræ inanimatis, formæ animatis, attribuūtur. figuras enim tunc deſignamus, cū trigonum, uel tetragonum, uel conum, uel cylindrū, uel ſphærā dicimus: formas autem, cum formoſos aſſerimus aliquos, uel deformes. Cuius ad excogitatam ſpeciē.] Id eſt, nō eam quā oculis intuemur, ſed animo metimur. Perfectæ eloquentiæ ſpeciē animo uidemus.] Id eſt, cōtemplamur mente abſolutam illam eloquentiam: ad cuius ſimilitudinem facta hæc eſt, quam perſpicimus. Effigiem auribus quærimus.] Senſus eſt, Illius perfectæ eloquentiæ, cuius imaginem ſolo animo cōprehendimus, auribus cupimus cognoſcere ſimilitudinem. Has rerum formas appellat ideas.] Senſus eſt, Fontes illos, unde omniū rerum demanant ſcaturigines, Plato ideas uocat: quaſi mentis quædā ſimulachra perfecta, ad quæ omnia referuntur: quæ ſint ne in diuino cōceptu atque prouidentia collocata, an in nudis puriſq; intellectibus, an certe in indiuiduis, uaria philoſophorum Platonicorū Peripateticorumq; cōtentio eſt. Eaſq; gigni negat.] Velut in Timæo Plato: & Cicero ipſe Platonē ſequutus in libro de Vniuerſitate oſtendit. Quidquid eſt igitur.] Senſus eſt, Omnia quæ ratione et uia aliqua in diſputationē ueniunt, ſunt ad ultimū ſui generis principium redigenda: ut cui generi, id eſt, categoriæ ſiue prædicamento ſubijciantur, cognoſci poſſint. E media philoſophia repetitā.] Quoniā ſi philoſophia rerū metitur primordia, facilius inde, à qua unaquæque res initiū ducat, dignoſci poteſt. Cū antiquā, tū ſubobſcurā.] Cū, id eſt partim: tū, id eſt maxime. Inuſitatas uias.] A nullo rhetore tactas. Tritas relinq.] Id eſt, quæ ſunt in uſu omniū. Noua.] Quia incognita rhetorib. Peruetera.] quoniā iampridē tractata. Nō ex rhetorū officinis.] Qui rhetores à Græcis dicūtur, à noſtris oratores: qui in foro, et in omni cauſarū genere uerſantur. Rhetores autē Latinè intelligūtur, qui rhetoricā docēt, quos Græci Sophiſtas uocāt. Officina dicitur locus, in quo officium aliquod adminiſtratur, quod ad corpus pertineat: ut tōſtrina ſutrina. Hoc loco igitur officina ad mentē trālata eſt. Sed ex Academiæ ſpatijs ext.] Id eſt, diſputationibus philoſophorū. Fuit aūt Academia, uillula nō lōge ab Athenis diſtās, ab Academo heroe illic ſepulto uocata, ubi philoſophari Plato cōſueuit. Spatijs.] Quoniā ſpatiari ibi ſolebāt philoſophi. Illa enim ſunt curricula.] Currus, curriculus facit. curriculū autē eſt à curſu deductum. unde curriculo aduerbiū, pro cito. Senſus autē eſt, Curſus multiplices et uarij ſermonū, ab ipſa petūtur philoſophia. In quibus Platonis ſunt impreſſa.] Id eſt, in quibus ſermonibus multū uerſatur Plato. impreſſa autē ueſtigia, dicendo. tranſlatio ſumpta eſt ab ijs, qui in aliquo loco obnixiſſime ſe firmarūt. Et quaſi ſylua dicendi.] Sylua aliquando dicitur arborū: ut glandaria ſylua, & cædua ſylua. aliquādo ſylua dicitur materia, unde aliquid gignitur: uelut philoſophi materiā illam uocāt, unde quatuor ſunt elementa. inde Statius Syluas ſuas appellauit, quòd illis tanquam materia uteretur: id eſt, principio ad cætera exactius ſcribenda opera. ideo Cicero etiam ſyluam dicendi philoſophiam uocat: quòd ſine philoſophiæ adminiculo rhetorica conſiſtere non poſſit. Ad forenſes cauſas.] Id eſt, ad genus iudiciale. Agreſtioribus muſis.] Incultioribus diſciplinis. Doctis eloquentia popularis, & diſertis elegans doctrina defuit. Senſus eſt, Eloquentia, quæ

oblectatur populus, doctis deſuit hominibus, id eſt philoſophis: & elegans doctrina, id eſt philoſophia, deſuit oratoribus. Non ut in ea tamen omnia ſint.] Senſus eſt, Nolo tamen oratorē, qui omnes philoſophiæ nodos perſcrutari cōtendat: ſed ut à philoſophia ita adiuuetur, ut à palæſtra hiſtrio. In Phædro Platonis.] Id eſt, in dialogo quem ſcripſit Plato, Phædrum à ſuo diſcipulo appellans: in quo de Pulchro agitur. Anaxagoræ phyſici.] Qui fuit Clazomenius. Phyſici, qui de rerū natura diſputauit. nā Phyſis, natura uocatur: unde phyſicus. Gnarumq;.] Id eſt doctum, inſtructumq; præceptis philoſophiæ. Quàm frequēs fuerit Plat.] Id eſt, quàm frequenter Platoni in philoſophia operā dederit Demoſthenes. Nec uero ſine philoſophorū diſciplina, etc.] Non poteſt, inquit, orator cognoſcere genus et ſpeciē ſine philoſophiæ cognitione. hoc autē dixit iuxta Stoicorum ſententiam. Philoſophi ſiquidem Stoici philoſophiam diuiſerunt in phyſicam, Id eſt naturalem: ethicam, id eſt moralē: logicam, id eſt ſermocinalem. Logica uero, ut multa alia comprehendit, ita quinque uocū, hoc eſt, ut nunc loquūtur multi, prædicabilium cognitionem tradit. Sunt autem uoces quinque, genus, ſpecies, differentia, proprium & accidens: quæ ad unamquanq; rem ſiue diuidendam, ſiue definiendam peropportuna ſunt. id eſt quod ait, ſine philoſophia cerni non poſſe genus & ſpeciem: nec definiri, nec diſtribui in partes, à quibus ad demonſtrationem aſcenditur. Nec iudicare quæ uera, quæ falſa.] Nam cū dialecticus nouerit prædicabilia, atque prædicamenta, tanquā omniū argumentorum ſemina atque elementa noſſe oportet, quo modo omnis texatur argumentatio: quæ ſiue ſit inductio, ſiue ſyllogiſmus, ſiue ſimilitudo, ſiue exemplū, ſiue enthymema, ſiue epicherema, oratione conſtat: quoniam ſola indicatiua uerū uel falſum ſignificat, indicatiua ſit neceſſe eſt, quæ nomine & uerbo ſubſtantiuo conſtet: ſiue ſit uniuerſalis, ſiue particularis, ſiue indefinita, ſiue ſingularis affirmatiua, aut negatiua, una uel multiplex, categorica, uel hypothetica, alij cōparata, contraria, ſubcontraria, ſubalterna, contradictoria, æquipollens, uel non æquipollens, conuerſa, uel non conuerſa: quæ modo caret, uel quæ modo aliquo ex tribus definitur: unde ſyllogiſmi ad aliquid demonſtrandum texuntur. quorum ut alij ſunt categorici, alij hypothetici: ita categoricorum tria ſunt genera, & multæ ſingulorum ſpecies, hypotheticorum ſeptem. Quæ igitur uera, quæq; falſa ſint, iudicari poſſunt facile ex contradictorijs. Neq; cernere conſequentia.] Quæ ſequantur, quæ anteceſſerint: an argumentū ſtet, nec ne. Repugnātia uidere.] Quæ in cōtraria et cōtradictoria diuidūtur. Ambigua diſtinguere.] Quæ in dubiū ſenſum trahi poſſint, ut Taurus eſt mons: ſi intelligatur de terreſtri, uerū: ſin autē de cœleſti, falſum. & Aiax fuit inſanus: ſi de Oileo, falſum: ſi de Telamonio, uerū. diſtinguendum igitur. Quid dicā de natura rerū.] Id eſt, de naturali philoſophia. De uita.] Subaudi, quid dicatur. De officijs, de uirtute.] Quæ omnia moralis ſunt philoſophiæ. Quòd alia intelligendi.] Quæ eſt philoſophia. Ab his.] Subaudi, quæ ad philoſophiā tendūt. Cui uel primas eloquentiæ.] Id eſt, primū in eloquētia locū. Multa & in ſe, & in alijs deſiderās.] Et perinde nullū perfectū oratorē inueniēs. Tria ſunt omnino genera dicendi.] Demetrius Phalereus, Simplices, inquit, characteres ſunt quatuor: Tenuis, Magnificus, Ornatus, Grauis. ueruntamen ornatū Cicero ipſe medio inſeruit: quare & tres ſunt dicendi etiā characteres, de quibus ſingulis, ut multi alij auctores tradiderunt, ſicut alibi, ita hic nobis præcepta reliquit. Et preſſa oratione limati.] Arguti, inquit, & elegantes in humili genere dicendi. Tranſlatio ſumpta eſt à lima, qua ferramenta terguntur. Sed impoliti.] Id eſt, innitidi. eſt autem politū, terſum & candicans: à uocabulo Græco polion, quod ſignificat canū, Nonij Marcelli de indagine doctorū uirorum auctoritate. Et conſulto.] Id eſt dedita opera.

In ead. ie. concinniores.] Id eſt, cōgruentiores, aptiores. Id eſt faceti.] Facetū Quintiliani teſtimonio aliquando urbanū aliquādo elegās et diſertū. Nec fulmine utēs ſuperiorū.] Id eſt, magnifici dicēdi generis: ui, ac poteſtate illa, qua etiā ipſe dicitur fulminare Demoſthenes. Vicinus amborū.] Proximus humili, & grandiloquo. Nihil afferrens.] Id eſt, nihil molitus niſi quantum poteſt. Vt in corona.] Id eſt, tortiles illas eminentias, quibus corona exornatur. Verborum, ſententiarumq;.] De quibus dicetur poſterius. Non quærere.] Id eſt, non labi in Græcos, ſed Latinorum teſtimonijs eſſe contentos. Qui eſt expoſitus in Bruto.] Nam in eo libro, qui Brutus inſcribitur, claros tam Græcos, quàm Latinos recēſuit oratores: in quo cum uideatur Latinos plus quàm conueniat laudaſſe, cur id fecerit, hic reddit rationem. ait enim, uel ut hortarer alios, uel quòd amarem meos. Hoc nec grauior.] Quod grandiloquo cōuenit generi. Nec callidior.] Quod conuenit humili. Nec temperatior.] Quod conuenit mediocri. Qui aut dici ſe deſiderant Atticos.] Quoniam erāt qui exiſtimarēt eſſe genus Atticum unum tantum, et id eſſe humile: in quo longe falſos eſſe oſtendit. Magis credo fuiſſe Atticas.] Id eſt, genere dicendi elimatiores exiſtimatas, tametſi Atticum dicatur ab Attica. Moderatrix fuit auditoris prudentia.] Quoniam præſtantes dicendi facultate uiri ſemper ſeſe auditoribus accommodarunt: taliſq; fuit eorum oratio, ut auribus audientium congrueret. Itaque Caria, &c.] Quæ Aſiæ regiones tumenti, ac inflato dicendi genere uſæ ſunt. Et tanquam adipatæ dictionis genus.] Adipatum ueteres, inquit Nonius Marcellus, honeſte pro pingui, & ſucculento, & opimo poſuerunt. Dictionis.] Elocutionis: non ut Grammatici accipiunt, dictionem pro uocabulo. Eorum religioni, &c.] Religionem Athenienſium uocat prudentiā in dicendo atq; audiendo: ut nec plus, nec minus, nec aliter quàm cōueniat, audire uelint. Nullū uerbū inſolens.] Id eſt, à quotidiano uſu dicēdi remotū. Itaq; hic quē præſtitiſſe diximus.] Id eſt, Demoſthenes, quē alios oratores Græcos diximus antecedere facūdia. In illa pro Cteſiphonte oratione.] Quæ de corona inſcribitur, in qua Cteſiphontē defendit aduerſus Aeſchinē. Summiſſius à primo.] Vt deos deaſq; precatur, ut ſibi ita adſint, ſicut ipſe ſemper Reipublicæ cōmodis fauit. In reliquis exultauit audacius.] Vbi iam in ſua poteſtate uiſus eſt habere auditorem. Facile enim eſt aliquod uerbū ardens.] Id eſt, per irā expreſſum. ſicut etiā Quintilianus ardentem Lucanum dicit. nec ad elegantiam attinet, ſplendoremq; uerborum, quæ in ipſo prorſus non ſunt. In eum.] Subaudi Aeſchinē. Vt putidus.] Id eſt corruptus. Inclinata ululātiq; uoce.] Qua Aſiani utūtur. Aures teretes.] Id eſt, rotundas, atq; cōſummatas. Hi unū modo.] Hi, ſubaudi Latini, qui exiſtimāt unū Atticè dicendi genus. Horride, inculteq;.] Sine numeris, ſine figuris. Eleganter, enucleateq; faciat.] Id eſt, modo proprietate utatur uerborū, preſſeq; & acute dicat. Cui prima ſine controuerſia, &c.] Id eſt, qui primum ſibi locum uendicarat. Fuit enim per id tempus Pericles oratorum facile princeps: & omni, ut ipſe alibi ait, uirtutis genere floruit. Ab Ariſtophane.] Qui ueteris comœdiæ ſcriptor fuit. Dicat igitur Atticè uenuſtiſſ. ille ſcriptor.] Nam ut ipſe quoq; in Bruto inquit, fuit Lyſias ipſe quidem in cauſis forenſibus non uerſatus, ſed egregie ſubtilis ſcriptor, atque elegans: quem iam propè audeas oratorē perfectum dicere. Ita Quintil. Subtilis, atque elegans Lyſias, & quo nihil, ſi oratori ſatis ſit docere, quæras perfectius. nihil enim eſt inane, nihil acceſſitum: puro tamen fonti, quàm magno flumini propior. Aeſchines.] Qui aduerſatus eſt Demoſtheni. is autem, ut Quintilianus inquit, Demoſthene magis fuſus, & grandiori ſimilis, quo minus ſtrictus eſt: carnis tamen plus habet, minus lacertorum.

Demoſthenes

Demoſthenes Atticus.] Qui, ut ait Quintil. omnium decem oratorum, quos ſimul Athenis una ætas tulit, longe princeps fuit, ac penè lex orandi: tanta uis in eo, tam denſa omnia, ita quibuſdam neruis intenta ſunt: tam nihil otioſum, is dicẽdi modus, ut nec quid deſit in eo, nec quid redundet, inuenias. Ipſe quoque Cicero in Bruto: Nam planè quidem perfectũ, & cui nihil admodum deſit, Demoſthenem facile dixeris: nihil acute inueniri potuit in eis cauſis, quas ſcripſit, nihil ut ita dicam, ſubdole, nihil uerſute, quod ille non uiderit: nihil ſubtiliter dici, nihil preſſe, nihil enucleate, quo fieri poſſit aliquid limatius: nihil contra grande, nihil incitatum, nihil ornatum, uel uerborum grauitate, uel ſententiarum, quo quidquam eſſet elatius. Alij qui ſe Thucydidios eſſe, &c.] Id eſt, imitatores Thucydidis. Fuit enim Thucydides hiſtoricus denſus, et breuis in dicendo, & ſemper inſtãs ſibi cõcitatus cõcionibus, magnus, uiq; multũ potẽs. Ad forenſem uſum.] Id eſt, ad iudiciale genus. Et publicum.] Vbi quid cum populo agatur. Vt inuentis frugibus, glande ueſcantur.] Id eſt, cum poſſint meliora, deligant deteriora. Athenienſium beneficium excoli potuit.] Apud quos primum fruges inuentæ. A' Thucydide quidquam duxit.] Id eſt, imitatus Thucydidem, quidquam ab eo ſumpſit. Germanos ſe putant eſſe Thucydidis.] Id eſt, genus dicendi habere, quod planè habuit Thucydides. Qui Xenophõtis ſimilem.] Xenophon Socraticus iucunditate inaffectata precellens adeo fuit, ut nulla eam conſequi affectatio poſſit, ut ſermonem gratiæ finxiſſe uideãtur, ut merito hic dicat Cicero eius ſermonẽ melle fuiſſe dulciorem. Referamus nos igitur.] Senſus eſt, Sed iam perfectum oratorem incipiamus exponere, ita eloquentia inſtructum, ut talem nunquam cognouerit Antonius. Magnum opus omnino.] Summa arte attentum lectorem facit, beneuolentiamq; Bruti ſibi conciliat, miris ipſum laudibus efferendo. Doctiſſimos ſermones requirens tuos.] Dedit enim Brutus operã, non modo eloquentiæ ſtudijs, uerum etiam philoſophiæ. Quæ ſpecie diſpares, prudentia coniunguntur.] Quoniam res bellicas tu, ego res urbanas procuro: & tu ſeuerus in ea tua philoſophia, ego comis. Fuit enim ad reprehenſionem uſque facetus urbanuſq; Cicero, ut aliquando dicax habitus ſit. Sanctior.] Inuiolabilior, incorruptior. unde & ſancta urbis mœnia dicimus: & ſanctos legatos, à ſagminibus herbis, quas geſtabant: ut Vlpianus inquit iuriſconſultus. Vt cum gratia cauſa nihil facias.] Probat incorruptum eſſe ideo, quòd gratia nullius commoueatur ad iudicandum ſecus, quàm ipſa expoſtulet iuſtitia. Vna Gallia.] Quam tu adminiſtras. Communi non ardet incendio.] Id eſt, bello non mouetur. Frueris ipſe te.] Tuis uirtutibus oblectaris. nam id demum frui dicimus: uti uero, ut equo, ut curru, cum uehimur in uillam; qua nobis fruendum ſit. Studia doctrinæ.] Quoniam ſtudium eſt animi ad aliquid agendum pertinacia, aut perſeuerantia. Catone abſoluto.] Quem de Senectute aliqui inſcribunt. Inimica uirtuti.] Cum omnia bellis ardeant. Tanquam quæſtionem.] Quæ eſt, quiſ'nam optimus dici orator poſſit: uel quid ſit, quod conſummatam poſſit efficere eloquentiam. Formam qui χαρακτῆρ.] Relatiuum conſequenti coniunxit: ut ſi dicas, Ciues boni, quæ ſunt uiſcera ciuitatis: tale illud, Eſt locus in carcere, quod Tullianum appellatur. Ennio delector, ait quiſpiam.] Ita Horatius:

Denique non omnes eadem mirantur, amantq;.
Carmine tu gaudes: hic delectatur iambis:
Ille Bioneis ſermonibus, & ſale nigro.

Apud alterum.] Subaudi Ennium. Fac alium Accio.] Id eſt, dic alium Accio delectari tragico poeta. Abdita.] Quæ à conſpectu recedere uideantur & obtenta. Colluſtrata.] Vndique lumine expreſſa: à con & luſtro, nam colluſtrata, quæ ex lacte ſit concreto, à colluendo naſcitur. Præſcriptum aliquod.] Præſcripta dicebantur, quæ magiſtri imitanda diſcipulis dabant: inde præſcribere, præcipere, mandareq; ſignificat. Hac ego religione.] Religionem Seruius Sulpitius eſſe dictam tradit, quæ propter ſanctitatem aliquam remota, ac ſepoſita à nobis ſit: quaſi à relinquendo dicta, ut à carendo cerimonia. Cicero in libro de Natura deorum, religionem à relegendo, tanquam ex legendo legentes, & diligendo diligentes. his enim omnibus uerbis ineſt uis legendi eadem, quæ in religioſo. Lactantius autem libro quarto Diuinarum inſtitutionum, à religando putat, cuius contrarium uitium eſt ſuperſtitio. Religionem igitur, obſeruantiam quandam par eſt accipere. Qui eius rei gnarus eſſet.] Id eſt, qui noſſet. Laudationum.] Vt Panegyrici ſunt: & huiuſmodi aliud ubi quidquã laudatur. Scriptionum.] Vbi quid componas doctrinæ cauſa, qualem Iſocrates fecit Panegyricum: quæ oratio tota in laudatione conſumitur. Qui ſunt nominati Sophiſtæ.] Quos Latini rhetores uocant, cum Græci ſuo uerbo id ſignificent rhetorem, quem nos oratorem appellamus. dicitur ergo ſophiſta, qui diſcipulos in dicendi facultate inſtituit. A' forenſi concione.] Id eſt, à iudiciali genere. Græce ἐπιδεικτικὸν.] Id autem Latine demonſtratiuum nominamus: ſicut encomiaſticon laudatiuum. nam ἐπίδειξις, demonſtratio nominatur, quam tamen aliter mathematici accipiunt. Quem informare uolumus.] Munire, & eius quaſi formam referre, cum nuſquam compertus ſit. Molimur.] Tentamus. Cõſtructio & numerus.] De quibus mox abunde dicetur. Et arguti.] acute inſtituti. Circumſcripti.] Collecti minimeq; fluentes ambitus: qui à Græcis periodi nominantur. De induſtria.] Vnum uerbum eſt, ac aduerbium: quod dedita opera, conſultoq; ſignificat. Non ex inſidijs.] Vt in iudiciali genere: quo iudicũ mens in noſtrã uerti poſſit ſentẽtiã. Verba uerbis quaſi demenſa, & paria paribus reſpondeant.] Nam ideo etiam à Græcis pariſa nominantur, quod caſim aut membratim loquentes, ut abunde paulo poſt dicetur, paribus ſyllabis colligamus, & periodos terminemus. Conferant pugnantia.] Quæ in Topicis repugnantia, uel quæ anthiteta uocare Grammatici ſolent. Pariter extrema terminentur.] Quæ tum ὁμοιόπτωτα, tum homœoteleuta dici ſolent: Id eſt ſimilibus caſibus, aut ſimili ſono terminata. Quæ in ueritate cauſarum, & rarius multo facimus.] Ne dicendi lenociniũ appareat. In Panathenaico Iſocrates.] Oratione quæ ita inſcribitur, de Laudibus Mineruæ, quæ Athenis præſidebat. Studio confectatum fatetur.] Inquiens, ἐπραγματευόμην τοὺς περὶ τῶν συμφερόντων τῇ πόλει, καὶ τοῖς ἄλλοις ἕλλησι συμβουλεύοντας, καὶ πολλῶν μὲν ἐνθυμημάτων γέμοντας, οὐκ ὀλίγων δ' ἀντιθέσεων καὶ παρισώσεων καὶ τῶν ἄλλων ἰδεῶν τῶν ἐν ταῖς ῥητορείαις διαλαμπουσῶν, καὶ τοὺς ἀκούοντας ἐπισημαίνεσθαι καὶ θορυβεῖν ἀναγκαζουσῶν. νῦν δ' οὐδέν. ὅπως οὖν μοι τοὺς τοιούτους ἡγοῦμαι οὐχ ἁρμόττειν καὶ τοῖς ἔτεσι τοῖς ἐνενήκοντα καὶ τέτταρσιν ἃ ἐγὼ τυγχάνω γεγονώς. Non enim ad iudiciorum certamen, ſed uoluptatem aurium ſcripſerat: quod certe ipſe quoque confitetur dicens: καὶ νουθετοῦντας τῶν πρὸς ἐπίδειξιν καὶ χάριν λεγομένων. Quos logodædalos.] Id eſt, uarietate ſermonis diſtinctos: à logos, quæ oratio dicitur: et dædalo, quod eſt uario. Vel potius ineptijs.] Ineptũ ſiquidẽ eſt, in his nimiũ inhærere. Alter enim ſine.] Herodotũ dicit amœniſſimũ. Sine ullis ſalebris.] Id eſt, ſine ſcabro, duroq; ullo dicẽdi genere. Alter incitatior.] Subaudi, Thucydides. Canit quodãmodo.] Quia celſa ac ſublimi quadã uerborũ utitur cõpoſitione. Succeſſit Iſocrates, qui præter.] Ex decẽ qui uno tẽpore fuerũt Athenis oratoribus, unus: quanquã rhetor potius, quàm orator dicendus uideatur. Laudatur.] Quia omnes dicendi ueneres cõſectatus eſt. Præ

fractior, &c.] Quod nimia breuitas facere compulit. Nec ſatis,ut ita dicam.] Quia ut rotunda figura capaciſſima omnium eſt,ita abſoluta undique,cui nihil deeſt : ita oratio cui nihil deeſt,nihilq; ſuperfluit,rotũda nuncupatur. Primus inſtituit dilatare.]. De Iſocrate loquitur. Et mollioribus numeris.] Quia ſunt & aſperiores, ſicut & uoces. Domus eius officina habita eloquentia eſt.] Itaque & in Bruto inquit, Extitit igitur iam ſenibus illis,quos paulo ante diximus, Iſocrates (cuius domus cunctæ Græciæ quaſi ludus quidam patuit,atque officina dicendi) magnus orator,& perfectus magiſter : quanquam forenſi luce caruit, intraq; parietes aluit eam gloriam,quam nemo in eo quidem iudicio eſt poſtea conſecutus. Is & ipſe ſcripſit multa præclare, & docuit alios : & cum cætera melius quàm ſuperiores , tum primus intellexit etiam in ſoluta oratione, dum uerſum effugeret, modum tamen & numerum quendam oportere ſeruari . ante hunc enim uerborũ quaſi ſtructura, & quædam ad numerum concluſio nulla erat : aut ſi quãdo erat,non apparebat eam dedita opera eſſe quæſitam. Quintilianus porrò : Iſocrates, inquit, in diuerſo genere dicendi nitidus , & comptus , & palæſtræ quàm pugnæ magis accommodatus , omnes dicendi ueneres ſectatus eſt : nec immerito. auditorijs enim ſe, non iudicijs compararat,inuentione facilis,honeſti ſtudioſus: in compoſitione adeo diligens,ut cura eius reprehendatur. In extrema pagina Phædri.] Qui dialogus de Pulchro inſcribitur. Phædrum à ſuo appellauit diſcipulo. Socrates auguratur.] Id eſt, prædiuinat,ac coniectatur. In illo epidictico genere quod diximus.] Vt ſupra diximus, demonſtratiuo. Propriũ ſophiſtarũ.] Qui ſe ad laudandũ, uituperãdumq; ſolũ exercuere. Gymnaſij.] Quòd nuda in palæſtra eſſent corpora, perfuſaq; oleo. Palæſtra.] Vnde & palæſtritæ , qui colluctantur in palæſtra , dicuntur. Huius nutrimentis.] Venuſtatibus,& dicendi leporibus demonſtratiui generis. Colorat.] Figuris diſtinguit, uariantibus orationem. Et roborat.] Sententijs. De oratoris quaſi.] De primordijs : unde ipſa ali eloquentia conſueuit. In aciem dimicationemq; ueniamus.] Id eſt, iudiciale genus : in quo cum aduerſantibus nobis colluctantur , & quodammodo manus conſerimus. Quoniam tria uidenda ſunt oratori, quid dicat.] Quod inuentionis eſt. Et quo quidque loco.] Quod diſpoſitionis eſt. Et quo modo.] Quod ad elocutionem pertinet. Quid ſit optimum in ſingulis.] Vt decor ubique ſeruetur : ne quid ineptiarum à nobis emanet. Atque in tradenda arte.] Quam in rhetoricis præceptis exponendis memorauimus. Neque enim id ſuſcepimus, &c.] Subaudi, ut præcepta traderemus. At duo breuiter prima.] Id eſt,inuentionem, & diſpoſitionem. Tanquam animi inſtar in corpore.] Quia ſicut animus corpus regit & mouet , & ut uiuat facit : ita inuentio ac iudiciũ totam orationem complectuntur, uimq; habere , & quaſi ſenſus faciunt. Sed propria magis prudentiæ , quàm eloquentiæ.] Quoniam uel infantiſſimus quiſque poteſt prudenter inuenire, ac de inuentis iudicare. Quæ enim cauſa eſt uacua prudentia.] Quæ, inquit, controuerſia eſt, quæ aliqua non adminiſtretur prudentia ? Alioqui non oratio, ſed inanium uerborum compoſitio. Argumentorum,& rationum locos.] Locus. argumentorum ſedes eſt. Et.] Pro, id eſt. nam nihil aliud eſt argumentum , quàm ratio eius, quod in quæſtione poſitum eſt. De locis autem argumentorum , & qui ſint, & quo modo tractentur,in Topicis à Cicerone traditum, interprete elegantiſſimo præceptore noſtro Georgio Valla. Nam quoniam quidquid eſt.] Cõtrouerſiarũ nunc genera tãgit , quæ tum ſtatus,tum conſtitutiones appellantur. Quidquid in controuerſia.] Id eſt, quidquid cum aliquo controuertatur. Aut in contentione uerſetur.] Id eſt, ſiue id contentionem malis appellare. In eo aut ſit'ne.] Cum enim quæritur, factum ſit nec'ne,conſtitutio coniecturalis, & pariter inficialis appellatur. Aut quid ſit.] Ac tum finitiuus , ſiue definitio ſtatus nominatur. Aut quale ſit quæritur.] Qui ſtatus qualitatis,ſiue de ſummo genere nũcupatur: is in negotialem & iuridicialem diuiſus eſt. Sit'ne ſignis.] Quibus cõiectura excuti ſolet : ut pro Milone contra Clodium , Vter utri fecerit inſidias. Quid ſit, definitionibus.] Vt cum quis læſæ maieſtatis crimine accuſetur,definiendum eſt, quid ſit lædere maieſtatem. Quale ſit recti praniq, partibus.] Tum enim oratori inſpiciendum,quid rectum, quid prauum, & utrinſque ſpecies tractandæ: ut cum quæritur,iure'ne Oreſtes matrem occiderit. & à proprijs perſonis,temporibus, ſemper ſi poteſt,auocat controuerſiam. nunquam enim Cicero probauerit prius Miloni licuiſſe Clodium occidere , quàm conſtet in uniuerſum licere omnibus inſidiatorem ſuum occidere : ubi perſonarum , temporum,& locorum nulla complexio eſt. À proprijs perſonis.] Id eſt, à perſonis, de quibus in infinita quæſtione nulla fit mentio. Et temporibus.] Nam ſi perſonæ reticentur , tempora quoque reticeantur neceſſe eſt. Ad uniuerſi generis orationem.] Id eſt, ad quæſtionem infinitam. Appellatur theſis.] Id eſt, infinita quæſtio : ſiue , ut Cicero alibi, propoſitum. Tenuiter diſſerendi , &cætera.] Id eſt, acute diſputandi. In utranque partem.] Nam cum omnis quæſtio partem habeat negandi unam , alteram affirmandi ; ut, Sit'ne mundus infinitus, nec'ne : Liceat'ne inſidiatorem occidere,an non : exercitationis cauſa in utranque partem Ariſtoteles diſcipulis ſuis ſuggerebat argumenta , non anguſte & preſſe diſputandi , ut ſolent philoſophi : ſed copioſe , ut oratores. Idemq; locos , &cætera.] Idemq; in Topicis. Vnde omnis.] Siue ad affirmandum, ſiue ad negandum. Hic noſter.] Quem inſtituimus declamatorem : qui ficta & umbratili utitur eloquentia, themate propoſito. De ludo.] Id eſt, ſchola cum ſe apud rhetorem exercet. Rabulam de foro.] Id eſt, aduocatum , patronumq; cauſarum. Certi loci.] Cauſæ cuilibet accommodati : ut apud ipſum Ciceronem in Topicis eſt uidere. Generatim dicat.] Genus complectatur ipſum , id eſt, infinitam quæſtionem, quam theſim uocant Græci. Ex quo emanant etiam qui communes appellantur loci.] Qui ideo communes dicti, quod in omni cauſa ſimili eis uti poſſimus : ut contra ſacrilegum , contra furem. eorum autem tractatio præcipua eſt, poſtquam confirmauerimus noſtra, & confutauerimus aliena: id eſt, poſt reprehenſionem , & ante epilogum. Omnia expendet.] Quæ quibus conueniant locis. Et ſeleget.] Quæ argumenta quæſtioni, quam tractamus , maxime conueniant , & quæ non. Ex uſdem.] Subaudi, locis. Argumentorum momenta ſunt.] Rationum pondera, inquit, in omnibus cauſis , non ex eiſdem ſemper locis eruuntur : ſed alij alijs magis congruunt. Sed etiam expendet.] Id eſt, examinabit , ſecum diu uolutabit , quid cuique quæſtioni maxime conueniat. Quæ diſciplinis exculta ſunt.] Nã cum ad diſciplinas accedunt ingenia , undique res abundant : nec deeſſe copia in dicendo poteſt. Sed ut ſegetes fœcundæ.] Elegans & faceta ſimilitudo, feracibus & doctis collata ingenijs. Ex illis locis.] Aſſumptis de uarijs diſciplinis. Leuia quædam.] Id eſt, friuola , frigidaq; , aut parui momenti. Delectus magnus adhibebitur.] Subaudi, qui quibus conueniant locis. Vt molliet dura.] Fugienda, ſi quidem dura locutio eſt: id eſt, ubi rem uerba non conſequuntur. Aut occultabit quæ dilui non poterunt.] Hoc eſt, argumenta aduerſariorum , quæ confutari non poterunt,in noſtra argumenta obuoluentur: ut pariter cum alijs reſponſum uideatur,cum tamen id non fecerimus. Aut abdu-

cet animos.] Id eſt, in aliam reuocabit mentes audientium ſententiam. Aut aliud afferet.] Si modo id refellere nõ poterit, proferet aliud. Quod oppoſitum probabilius ſit.] Quàm quod propoſuerit. Iam uero ea quæ inuenerit, qua diligentia collocabit.] Non ſatis eſt enim optima inueniſſe, niſi ea diligenter collocemus. nam niſi digeramus ea ſuis opportuniſq́; locis, erit quemadmodum qui ſupellectilem habet pulcherrimam, & eam ſuo tempore ac loco promere neſcit: aut in aceruum cõgeſtam profert, ut ſpeciem nullam præ ſe ferat nobilem.

Quoniam id ſecundum erat de tribus.] Dictum ſiquidẽ ſupra eſt, tria potiſſimum conſiderari oportere, inuentionem, ſecundo loco diſpoſitionem, tertio elocutionem. Veſtibula.] Id eſt, primos ad cauſam acceſſus. Honeſta.] Honorem ac copiã præ ſe ferentia. Prima aggreſſione occupauerit.] Ideo prima argumenta ualidiora, probabilioraq́; eſſe oportet.

Infirmabit excludetq́; contraria.] Quæ ab aduerſarijs illata fuerint. Alia prima ponet, alia poſtrema.] Nam debiliora in medio collocabit: quoniam prima oppugnant, ultima in auribus audientium relinquuntur: media uero, utrinque concluſa non apparent. ut in acie inſtructa fieri ſolet: in prima fronte acres bello, In ultima ſubſidiarij milites collocantur: in media autem acie cohortes, in quibus ſpes aut nulla, aut perpauca eſt. Inculcabitq́; leuiora.] In medio loco inferciet.

In primis duabus dicendi partibus.] Inuentione & diſpoſitione. Videre quo nam modo.] Id eſt, qua nam præditum eloquentia eſſe conueniat. Clitomachum ea dicere.] Id eſt, quæ cauſa exigeret. Carneadem eodem etiã modo.] Quo res ipſa dicenda fuerit. Quòd ſi in philoſophia tantum intereſt.] Nam philoſophi fuere ambo, Clitomachus inquam, et Carneades. Vbi res ſpectatur.] Sententia conſideratur. Quibus totis moderatur oratio.] Moderor huic rei dicimus, ut hic: & hanc rem, ut ipſe pro Flacco. ut, Omnia uerba moderatur. Rem difficilem, dij immortales.] Quoniam non de inuentione & diſpoſitione tradi tibi præcepta expoſtulas, quæ peruulgata: ſed quod remotiſſimũ eſt, longeq́; difficillimum, ut optimi oratoris tibi famam uerbis depingam. Qui ponunt in orationis electione eloquentiã.] Id eſt, qui putant facundiã eſſe in delectu orationis. Alios, & interpuncta, interualla, moræ, reſpirationeq́; delectant.] Vt cæſim, membratimq́; loqui, quàm ſimplici periodo malint.

Quid poteſt eſſe tam diuerſum.] Quàm flumen uolubilitatemq́; uerborum amare, & interpuncta interualla, moras &c.

Tamen eſt in utroque aliquid excellens.] In ſuo, inquit, genere eſt aliquid etiam quod emineat. Alij temperati uellent uideri inter graues, & tenues medij. Quot orationum genera.] Quæ tria eſſe diximus: grande, tenue, medium. De actionis.] Subaudi, modo: hoc eſt, quemadmodum pronunciare conueniat. Quomodo autem dicatur.] Qua ratione facundi loquamur. Atque motus.] Totius quidẽ corporis. Totidem ſunt, quot animorum.] Miſerabilium, miſerabiles: fictorum, fictæ: iratorum, iratæ: & id genus alia.

Cum quo iunctus eſt uultus.] Qui faciei forma quædam, & hypocriſis eſt, rei, de qua agitur, accommodata. Nam et infantes actionis dignitate.] Infantem aliquando ad inanimata referimus: ut cum ait Horatius, Infantes ſtatuas. aliquando ad animata, ſed bruta: ut apud Plinium, Eſt (inquit in X X I X naturalis hiſtoriæ) uermiculus in lingua canũ, qui uocatur à Græcis litta: quo exempto infantibus catulis, nec grauidi fiunt, nec faſtidium ſentiunt. Aliquando infantem puerũ dicimus, quòd fari neſciat. Id eſt, uerba, quæ intelligi poſſint, explicare: idq́; propter nimium adhuc teneram ætatem. Denique infantem, minime facundum, ſicut hic Cicero. Vt iam non ſine cauſa Demoſthenes tribuerit & primas, & ſecundas, & tertias actioni.] Nam rogatus iterum ac tertio quid in oratore potiſſimum eſſet, reſpondit, Pronunciatio: nam ea actio etiam dicitur. Nam quemadmodum Quintilianus inquit, Demoſthenes quid eſſet in toto dicendi opere primum interrogatus, pronunciationi palmam dedit, eidemq́; ſecundum ac tertium locum, donec ab eo quæri deſineret: ut eam uideri poſſet nõ præcipuam, ſed ſolam indicaſſe. Contenta uoce, &c.] Quaſi compreſſa: num ita fit truculentior. Inflexo.] Qui fit ex acuto & graui: ideo etiam inflexus uocitatur. Acuto, graui.] Nam tot ſunt accentuum genera: & tot apud muſicos uetuſtiſſimos fuere toni, Phrygius, Dorius, Lydius, qui has uoces exprimebant: inde ad tredecim uſque, ſecundum Ariſtoxenum: ſecundum uero Ptolemæum, qui Ariſtoxenum carpit, octo. Non hic è Phrygia, & Caria.] Quem Græci ut ululantem, ita barbarum dixerunt: & Caras, barbarophonos Homerus appellauit. In omni uerbo poſuit acutam uocem.] Non equidem omne uerbum acutam habet uocem: ſed hoc dicit, In omni genere uerborum, acuta inuenitur uox, in monoſyllabo, ut ex nux: diſſyllabo, ut bonus: in triſyllabo, ut Tullius: in tetraſyllabo. ut Tulliolus: ac ita deinceps. Nec una plus, & cætera.] Nam ſi dictio unam habet acutam uocem, plures acutas habere non poteſt, & ne quidem flexam ullam. idem de flexa intelligendum. at de graui non idem dicere poſſumus. Vbicunque enim acuta, aut flexa nõ eſt, ibi ſit grauis neceſſe eſt. In una tantum ſyllaba eſt arſis: in reliquis, eſt theſis omnibus.

Nec à poſtrema ſyllaba citra tertiam.] Nam raro ultimum tenet locum tam flexa, quàm acuta uox. penultimũ autem, flexa ſemper. acuta autem, & penultimum & antepenultimum. ante uero, nunquam: ſed grauis tantum. Non eſt in nobis, &c.] Potius optare, quàm uendicare nobis bonam uocem poſſumus. Sed tractatio.] Subaudi, in nobis eſt. Nam tractando ipſam, poſſumus efficere meliorem. Intendens.] Id eſt, exacuens. Tum remittens.] Grauans, uel inflectens. Nihil ut ſuperſit in geſtu.] Ne quid in motu corporis ſit nimium, ac redundet. Rarus inceſſus.] Pedum ante commotio. Excurſio.] Pedum celeris commotio. Nulla mollitia ceruicũ.] Ne ceruix molliter proclinetur. Nullæ argutiæ digitorum.] Eleuationes ſurſum, ac deorſum: ante, & ponè. Non ad numerum articulus cadens.] Ne digitorum quidem articuli ad numerandum inflectantur. Trunco magis toto ſe ipſe moderans.] Quod & Quintilianus de pronunciatione ipſe quoque commonet, ut totius corporis uirilis motus ſit. Brachij proiectione.] Vbi quid concitatius pronuncietur. Qui ſecundum.] Id eſt, ſecundo loco poſt uocem uultus præcellit. Aut uultuoſum.] Id eſt, uultus animi expreſſione. moderatum enim uultus motum eſſe decet. Vt imago eſt animi.] Nam inde enim nomen habet. à uoluntate ſiquidem eſt appellatus. Sic indices oculi.] Id eſt, ita mentem oſtendunt tum ſedatam, tum perturbatam, aut moderatis affectibus commotam. Res ipſæ, de quibus agetur.] Quoniam ipſæ res præſcribent, quales nos eſſe conuenit. Hoc uno excellere.] Id eſt oratione. Nam ab oratione, orator eſt appellatus: tametſi Plutarchus in problematis ἀπὸ τῆς ὁρμῆς, id eſt, à concitatione tum animi, tum orationis dictum putet. Cætera.] Quæ ſunt inuentionis, diſpoſitionis, pronunciationis, memoriæ: quæ in oratoris nomine omnia occultantur. Non enim inuentor, aut compoſitor.] Id eſt, qui quæ inuenit, dirigit. Aut actor.] Id eſt, pronunciator. Complexus eſt omnia.] Sicut orator. Sed & Græce ab eloquendo rhetor. Nam à tertia perſona præteriti paſſiui, quæ eſt ἔῤῥηται, id eſt, dictum cum facundia eſt, fit rhetor. Latine, inquit Cicero, eloquens ualet. tametſi rhetora nos dicamus, qui rhetoricam docet. Cæterarum enim rerum.] Inuentionis, diſpoſitionis, memoriæ, pronũciationis. Siquidem et Theophraſtus diuinitate loquendi.] Siquidem Θεὸς, deus:

& φράσις, locutio Latine dicitur. Et Ariſtoteles Iſocratem ipſum laceſſiuit.] Philoſophus oratorem prouocauit. Quorum ſedare animos malunt.] Id eſt, argumentis & ratione mitigare. Quàm incitare fide.] Fidem faciendo. Docendi cauſa.] Non mouendi, ut oratores. Plus nonnullis, quàm neceſſe ſit, facere uideantur.] Id eſt, non tam docendi cauſa dicere uideantur, quàm fallendi. Ab hoc genere.] Subaudi, philoſophico. Nec uincta numeris.] Non numeroſa, id eſt, rhythmica: ut oratorum, de qua mox abunde dicetur. Itaque ſermo potius.] Quo inter nos ſermocinantes utimur. Sophiſtarum, de quibus ſupra dixi.] Ita enim à Græcis dicuntur, qui iuuenes præcepta docent rhetorica. Quod cum ſit his propoſitum.] Cum, inquit, ſibi ſophiſta in declamationibus, uel, quemadmodum Iſocrates ſcribit. Non perturbare animos, ſed placare.] Intexũt fabulas delectandi cauſa: ut de laudibus Helenæ fecit Iſocrates. Paria paribus referunt.] Vtuntur eis figuris, quæ parrheſiæ appellantur, de quibus mox dicetur. Aduerſa contrarijs.] Quæ antitheta uocant. Sæpiſſimeq́; ſimiliter extrema definiũt.] Quæ dicunt homœoteleuta. ⁎ Tria ſpacioſe percurrens.] Nam & tractus, regio, ſpatiumq́; nominatur. Non hæc cõtorta.] Vibrata, & inflammata: quæ proprie oratorũ eſt.

Ab his non multo ſecus, quàm à poetis.] Hoc dicit, Non magis oratori uitanda poetæ eloquentia in dicendo, quàm hiſtorici eſt. Siquidem hiſtoricorum eloquentia proxime ad poetas accedit. Apud oratores iã ipſe numerus increbruit.] Nam non pedum modo cõpoſitione duorum, aut trium clauſulæ clauduntur: ſed integri aliquando uerſus iambici in ſoluta oratione inueniuntur: quamuis id minime laudabile ſit. ideo ſubiũgit, Etiamſi abeſt à uerſu. Numerus uocatur qui Græce rhythmos dicitur.] Definitur autem à Græcis hoc modo: ῥυθμὸς δ' ἐστι χρόνων καταμέτρησις κινήσεως τεταγμένης ποιᾶς τινος. Auguſtinus in tertio de Arte muſica: Latine, inquit, numerus, Græce rhythmus nominatur. quod uero illis metrum, à Latinis menſio, uel menſura dici poteſt. Sed quoniam hæc apud nos nomina late patent, et cauendum eſt ne ambigue loquamur, commodius utimur Græcis. quoniam illud pedibus certis prouoluitur, peccaturq́; in eo ſi pedes diſſoni miſceantur, recte appellatus eſt rhythmus, id eſt, numerus: ſed quia ipſa prouolutio non habet modũ, et neque ſtatutum eſt in quo pede finis aliquis emineat, propter aliquam menſuram continuationis, non debuit metrum uocari. hoc autem utrunque habet. nam & certis pedibus curritur, et certo terminatur modo. itaque non ſolum metrum propter inſignem finem, ſed rhythmus etiam metrũ eſt. rhythmi enim nomen in muſica uſque adeo late patet, ut hæc tota pars eius, quæ ad Diu & ad Non diu pertinet, rhythmus nominata ſit. Cum igitur & longitudinum, & breuitatum multitudinem in fine in primis clauſularum attendit orator, id numerum appellauit.

Niſi quòd uerſiculi ſunt.] Subaudi iambici. Verſiculos autem ideo per diminutionẽ uocauit, quòd mutua reſponſa breuiſſima aliquãdo eſſe neceſſe ſit. Quòd uirtutes oratoris perſequitur.] Quoniam exprimit ſermones, ut orator, quotidianos. Cum uerſu ſit aſtrictior.] Quatenus uerſu comicus utitur: orator autem minime. Licentiam ſtatuo maiorem eſſe.] Quoniam poeta tranſlationibus, reliquiſq́; figuris, nouationeq́; uerborum, & antiquitate liberius utuntur, quàm faciat orator. Vocibus magis, quàm rebus inſeruiunt.] Quoniam magis ad uoluptatem aucupandam inuentum poema eſt, quàm ad res explicandas. Nec uero ſi quid eſt.] Hoc dicit, Nec ſi modo inter poetam & oratorem ſimilitudo eſt aliqua, id erit iudicium, & delectus uerborum: ſiquidem aliter iudicat, ac aliter uterui deligit uerba, quàm alter. Seiunctis igitur.] Alia eſt ergo quæ utitur tum philoſophus, tum ſophiſta, tum hiſtoricus, tum poeta: & alia, qua orator utitur, eloquentia. Qui in foro, cauſiſq́; ciuilibus ita dicet, ut probet, ut delectet, ut flectat.] Orator, inquit, erit, qui in iudicijs forenſibuſq́; controuerſijs uerſabitur: ita ut quæ dicat probet, id eſt doceat, ut oblectet, ut flectat, id eſt, moueat. Docere, debitum eſt: delectare, honorarium: flectere uero, neceſſarium. alioqui perſuadere non poterit. ideo ſubiungit: Nam id unum ex omnibus ad obtinendas cauſas plurimum ualet. Subtile in probando.] Tenui enim filo, ac ſubtili in argumentationibus utimur. Modicum in delectando.] Temperato, inquit et illo mediocri charactere utimur, dum uolumus oblectare. Vehemens in flectendo.] Cum mouere uolumus, grandiloquo utimur. In quo uno uis omnis oratoris eſt.] Quoniam in eo orator uires dicendi ſuas in primis oſtendit. Siquidem hic characler ſolius oratoris eſſe facile comprobatur: cum cæteri etiam aliorum poſſint eſſe ſcriptorum. Sed eſt eloquentiæ, ſicut & reliquarũ rerum, fundamentum ſapientia.] Omniũ enim ſcientiarum atque artium fundamentum eſt, ſapere. Itaque et Horatius: Scribendi recte, ſapere eſt, & principium, & fons. alioqui uerborum ille tinnitus poſtrepentis auiculæ ſonus potius quàm oratio humana eſſe uideatur, neceſſe eſt. Πρέπον appellant hoc Græci.] Quod enim Latini decorum, Græci prepon uocant. Sed ſæpiſſime, & in poematis.] Hæc eſt Latina terminatio nominum in a terminantium Græcorum tertiæ declinationis, auctore Phoca & Diomede: ac ueteres eleganter auctores omnes ita locuti comperiuntur, quidquid dicat Priſcianus. Philoſophi ſolent in officijs tractare.] Ad ipſos enim pertinet, quid in tota uita facere ac loqui deceat, diſſerere: quod oratores quoque tractare conſueuerunt: ſicut ad Demonicum Iſocrates. Grammatici in poetis.] Grammatici certe Critici prius dicti: quod eorum munus adhiberetur in poetis hiſtoriciſq́, iudicandis. Eloquentes in omni genere, & parte cauſarum.] Ita, inquit, eloquentis uiri decorum eſt inſpicere, et in omni genere cauſarum, parteq́; cauſarum quid deceat, & quid non deceat. Quàm enim indecorum.] Exemplo docet, ubi oratori indecorum fuerit. De ſtillicidijs.] Ac cæteris humilibus, ut ſtillicidia: ſicut ſunt de mœnianis, perfectis parietibus, communibus aquis, pluuijs, reliquiſq́. id genus, magnifice ac copioſe dicere. De maieſtate uero populi Romani ſummiſſius, & preſſius.] Subtiliter, ut generi infimo conuenit. Perſona peccant.] Cum non ſeruant perſonæ decorum. Videndum quatenus.] Id eſt, inſpiciendũ quidquid agas, quouſque agendum: quia qui, ut decet, agit, is probatur: improbatur autem contrarius. In quo Apelles.] Qui pictor inſignis, de pictoribus ferre potuit ſententiam. Vſquequaque quantum ſit.] Id eſt, omnifariam quantum.

Etiam cum probam orationem affingit improbo.] Ideo inquit Horatius:

Intererit multum Dauus'ne loquatur, an heros,
Maturus'ne ſenex: an adhuc florente iuuenta
Feruidus: an matrona potens, an ſedula nutrix:
Mercator'ne uagus, cultor'ue uirentis agelli,
Colchus, an Aſſyrius, Thebis nutritus, an Argis.

Penicillo non poſſet imitari.] Quo picturarum lineamẽta explicantur. Sed nihil eſt experienti minus.] Quàm longe id difficilius eſt, acumen inquam illud in dicendo aſſequi, quàm arbitremur. Integra ualetudine.] Tranſlatio à corporibus ſumpta ſanis. E uinculis numerorum eximamus.] Non debet, inquit, humilis ſtylus numeris uinciri aliquibus. In alio genere orationis.] In quo autem, dicetur poſterius.

Non ut licenter uideatur errare.] Id eſt, labi: & nullo teneri uinculo oratio uideatur. Verba etiã uerbis quaſi coagmentare negligat.] Coagmẽtata enim uidentur uerba uerbis, cum uocalium concurſu ſequens uerbum præcedens uidetur excipere: ut, Heri iuit. nam cum in acumine ſenſuum prona

ſit

ſit oratio,non magnopere cura eſt compoſitionis , modo ſit ſana minimeq; inculta oratio . Circuitus.] *Id eſt , periodus : quæ à Latinis clauſula nominatur .* Conglutinatioq; uerborum.] *Id eſt,idonea compoſitio . eſt ſiquidem gluten, unde glutino,quæ cola Græce dicitur. quod uero à Græcis commi, Latine gummi.* Omnis inſignis ornatus, quaſi margaritarũ.] *Quæ Græce margaris margaritis, & margarita margaritæ dicitur penultima correpta : Latine tum bacca,tum unio nominatur.* Nec calamiſtri quidem adhibebuntur.] *Calamiſtrus ferrum incuruum,quo capilli inflectuntur,& cincinni fiunt .*

Fucati uero.] *Fucus quæ Græce phycos , herba eſt cuius ſucco priſtinus lanæ color reparatur. Ergo fucati,medicati .* Medicamenta candoris,& ruboris, omnia repellentur.] *Id eſt,ceruſſa, & purpuriſſus.* Dilucide.] *Vt intelligatur.*

Plane .] *Vt bene rem complectatur : ne quid deſit , ne quid ſuperſit.* Affluens.] *Copioſum.* Et neſcio unde ex abdito eruta.] *Vnde etiam acute dicuntur.* Verecundus erit uſus oratoriæ ſupellectilis.] *Parce,inquit,utetur figuratis ſermonibus, unde oratoria facultas præcipuũ nomen ſibi uendicauit.* In ornamentis,alia rerum,alia uerborum.] *Ideo figuræ dicuntur dianœas,id eſt,intellectus,ac ſententiarum : & lexeos, id eſt, dictionis .* Simplex probatur in proprijs.] *Proprietas,ut Quintilianus inquit,nõ ad nomen, ſed ad uim ſignificandi refertur: nec auditu,ſed intellectu perpendenda eſt. At multis modis proprium dicitur : nam proprium, inter plura quæ ſunt eiuſdem nominis, id unde cætera ducta ſunt : ut uertex,eſt cõtorta in ſe aqua,uel quidquid aliud ſimiliter uertitur. inde propter flexum capillorum, pars eſt ſumma capitis:ex hoc, inquam,in montibus eminentiſſimum . recte dixeris hæc omnia uertices . proprie tamen,unde initium eſt, ſicut ſolea , & turdi , piſces . Tertius eſt huic diuerſus modus , cum res communis pluribus in uno aliquo habet nomen eximium : ut carmen funebre,proprie nænia: & tabernaculum ducis,auguſtale. Item quod commune eſt alijs nomen, intellectu alicui rei peculiariter attribuitur . ut urbem Romam accipimus,& uenales nouitios, & Corinthia æra:cum ſint urbes aliæ quoque,& uenalia multa : & tam aurum & argentum,quàm æs Corinthium . Sed ne in his quidem uirtus oratoris inſpicitur. At illud iam nõ mediocriter probandum,quod etiã hoc modo laudari ſolet, ut proprie dictum id eſt,quo nihil poſſit inueniri ſignificantius: ut Cato dixit Caium Cæſarem ad euertendam Rempublicam ſobriũ acceſſiſſe : ut Virgilius deductum carmen: & Horatius acrem tibiam, Annibalemq; dirum. Ex epithetis quoque fit proprietas. ut cum dicimus , Dulce muſtum,& cum dentibus albis . Item, quæ ſunt in quo præcipua proprij locum accipiunt : ut Fabius inter plures imperatorias uirtutes Cunctator eſt appellatus .*

Quod aut optime ſonat.] *Vt ſi ductorem dicas potius quã ducem.* Aut tranſlatum.] *Vt cum dicis, Hoc mihi excidit: pro, Oblitus ſum.* Aut factum aliunde.] *In aliam aſſumptum ſignificationem : ut , Se iſti mutuo diligunt . cum ſit res mutua , quæ numero, pondere,uel menſura conſtat .*

Aut factum ab ipſo.] *Vt Lucretius Tudicare à ſono mallei formauit : & Perſius Cornicari à cornice fecit .* Aut nouum.] *Vel id per deriuationem : ut à beato, Cicero beatitatem,& beatitudinem inuenit . uel per compoſitionem : ut à ſolo , & uagor , ſoliuagas feras , & thuricremas mactatur ad aras : & infinita huiuſmodi alia, quæ Quintilianus etiam tradidit,quæ elegantiam in oratione faciunt : ut iure dicat in arte poetica Horatius ,*

Dixeris egregie notum, ſi callida uerbum
Reddiderit iunctura nouum .

Aut priſcum & inuſitatum.] *Ne ſit ab ultimis repetitum tenebris,ne cum Romulo loqui uideamur: aut adhuc ſupra cum Euandro. nam ſicut Ne antigerio,& Toper,quæ nimium ex uſu exceſſerunt, pro ualde,& cito nemo dicit : ita facile Exantlare pro perpeti dixit Cicero : & Rebar, pro putabam: & Proſapiam, pro progenie, frequenter legas.* Sed etiam inuſitata,ac priſca ſunt in proprijs.] *Nam & in his proprie dici multa inueniuntur.* Collocata autem uerba.] *In quo primum eſt, ut augeamus,minuamus,concitate dicamus,moderate, læte, ſeuere,abundanter, preſſe, aſpere, leniter,magnifice, ſubtiliter, grauiter urbane .* Ergo ille tenuis.] *Qui in tenui figura eminet.* Gemmare uites.] *Cum in gemmæ modum,tum primum pampinum , uel racemum edunt .* Sitire agros.] *Cum exaruerunt longo tempore ſublatis pluuijs.*

Latas eſſe ſegetes.] *Vnde & Vergilius, Quid faciat lætas ſegetes.* Luxurioſa frumenta.] *Cum nimium herbeſcit ſolum.* Non ludendi.] *Quoniam tranſlatio luſus quidam uidetur : quòd aliud in uocem prætendat , & aliud ſignificet.*

In alia.] *In alterius generis oratione .* Schemata.] *Aliqui habitus interpretantur .* In ſententiarum ornamenta.] *Quoniam ſunt figuræ ſententiarum,quæ dicuntur dianœas .* Niſi quòd ſolum.] *Quoniam omnia tria genera Attica dicuntur : nihilq; aliud eſt Attice dicere, niſi munde,et minime ſordide.* Paria paribus relata.] *Quæ pariſa diximus nominari.* Similiter concluſa.] *Dicuntur homœoteleuta .* Eodemq; pacto cadentia.] *Homœoptota nominãtur.* Et immutatione literæ.] *Quæ agnominatio dicitur: ut beneficium, ueneficium.* Verborum iterationes.] *Vbi idem uerbum ſæpius repetimus.* Continuatione uerborum.] *Id eſt, clauſula ſimplici .* Modo relaxet , & diuidat.] *Subaudi,in membra,& cæſa .* Sententiarum lumina.] *Figuras ſententiarum.* Non faciet Remp. loquentem.] *Id eſt, proſopopœijs non utatur,nec idolopœijs , nec ethopœijs .*

Nec aceruatim multa frequentans.] *Vt cum membratim aut cæſim locutus ſit , clauſulam quandam uerborum crepidine concludat.* Suppreſſior.] *Summiſſior.* Huic tenuitati.] *Id eſt,quæ maximo charactéri conueniunt,torum multa etiam humili conuenient.* Vtetur horridius.] *Non illo uerborum ſplendore,ac apparatu quo magnificus.* Actio tragica.] *Id eſt, ſublimis,elata,qualis in tragœdijs induci ſolet.* Vultu multa conficiens.] *Vt uultuoſe admodũ pronunciet,id eſt,multis uultus inclinationibus utatur.* Os ducere.] *Faciem ipſam nimiũ torquendo.* Aſpergentur etiam ſales.] *Cuiuſmodi ipſe in libro de Oratore tradidit: et Quintilianus dé mouendis in concluſionibus affectibus docet.* Vnũ facetiarum, alterum dicacitatis.] *Facetum,elegans, & urbanum . dicacem ſcurram dicimus . Ideo ipſe pro Cælio: Aliud eſt maledicere,inquit,aliud accuſare . accuſatio,crimen deſiderat,rem ut definiat, hominem ut notet,argumento probet, teſte confirmet . maledictio huius nihil habet propoſiti, præter contumeliam : quæ ſi petulantius iactatur,conuicium : ſi facetius,urbanitas nominatur. Quintilianus: In narrando autem,inquit, Cicero conſiſtere facetias putat , dicacitatem in iaciendo . ſicut hic ſtatim commemorat.* Sed nunc aliud agimus.] *Ideo dicere ſuperſedit : quoniam in libro de Oratore hæc tradidit.*

Vt nec nimis frequenti,ne ſcurrile ſit.] *Quoniam ſcurræ nimium etiam dicaces ſunt .* Nec in calamitatem.] *In calamitoſos enim & pauperes,inhumanum ſit,petulantius loqui.* Nec in facinus.] *Vt ſi quid flagitioſe dictum,uel factum,in riſum uelimus conuertere,cũ carpendum potius,& inceſſendum fuerit.* Vitabit etiam quæſita.] *Nam ridicula,extemporaria eſſe conuenit .* Nec ex tempore ficta.] *Vitabit,inquit,quæ non ſunt è tempore ficta : hoc eſt, quæ non ſunt tum inuenta: quia quæ è tempore inuenta ſunt, ea ſpecioſiora.* Quæ plerunque ſunt frigida.] *Siquidem excogitata plerunque ſecus eueniunt,quàm opinati fuerimus.* Vitabit inſanabiles contumelias.] *Ne dum excitat riſum, in talem*

alumniam adducat, ut pœna dignus ille uideatur, in quem ridiculum iactatum ſit. Ex iſtis nouis Atticis.] Illos Cicero ſemper inceſſit ſui temporis quoſdam, qui dum Attice loqui uideri uolebant, ineptiſſimi inueniebantur. Et germani Attici.] Id eſt, qui proprie Atticus dicendus ſit, cuiuſmodi fermè ſunt Comœdiæ omnes, præſertim Ariſtophanis. Hyperides.] Quem Quintilianus dulcem, et acutum ait. Demoſthenes minus habetur.] Item Quintilianus, de riſu locutus: Quanta autem ſit, inquit, in ea difficultas, uel duo maximi oratores, alter græcæ, alter latinæ eloquentiæ principes docent. nam plerique Demoſtheni facultatem defuiſſe huius rei credunt, Ciceroni modum. nec uideri poteſt noluiſſe Demoſthenes: cuius pauca admodum dicta, nec ſanè cæteris eius uirtutibus reſpondentia, palàm oſtendunt, non diſplicuiſſe illi iocos, ſed non contigiſſe. noſter uero non ſolum extra iudicia, ſed etiam ipſis orationibus habitus eſt nimis riſus affectator. Quo quidem nihil mihi uidetur urbanius.] Secus ergo ac Quintilianus dicat, ſentit Cicero. uerum quid per urbanum intelligat, exponit, cum inquit,

Sed non tam dicax fuit.] Oblectatus riſum commouere. Quàm facetus.] Id eſt, comptus, & mulcens audientis animum. Acrioris ingenij.] Tam repente comparata genera habere ridiculorum. Hoc maioris artis.] Oblectare poſſe animũ, non riſum excitare, ſed exhilarare mentem.

Vberius eſt aliud.] Expoſuit formam: & quaſi ideam Cicero humilis characteris: nunc mediocris & temperati faciẽ docere incipit. Quàm enucleatum.] Hoc humile dicit, de quo iam dictum eſt: plurimumq; eſt in hac oratoris forma ſuauitatis. Ideo Homerus cum Menelao argutum illud genus, & minime errans attribuiſſet: ſuaue, ut melli compararet, Neſtori attribuit. Sed Phalereus Demetrius meo iudicio præſtitit cæteris.] In hoc, inquit, dicendi mediocri charactere Demetrius Phalereus excelluit. de quo Quintilianus: Quando etiã, inquit. Phalereum illum Demetrium, quanquam is primus inclinaſſe eloquentiam dicitur, multum ingenij habuiſſe, & facundiæ fateor: & uel ob hoc memoria dignum, quòd ultimus eſt ferè ex Atticis, qui dici poſſit orator: quem tamen in illo medio genere dicendi præfert omnibus Cicero. Translata ea dico.] In totum, inquit Quintilianus, metaphora breuior eſt, quàm ſimilitudo: eoq; diſtat, quòd illa comparatur rei quam uolumus exprimere, hæc pro ipſa re dicitur. Comparatio eſt enim, cum dico feciſſe quid hominem ut leonem translatio eſt, cum dico de homine leonem. Item quid enim diceret aliud & ſitire ſegetes, & fruticibus laborare. Neceſſitate nos durum hominem, aut aſperum. non enim proprium erat, quod daremus his affectibus nomen. Iam incenſum ira, & inflammatum cupiditate, & lapſum errore, ſignificandi gratia. Illa ad ornatum, lumen orationis, & generis claritatem, & concionum procellas, & eloquentiæ flumina: ut Cicero ipſe pro Milone, Clodium fontem gloriæ eius uocat, & alio loco ſegetem, ac materiam. Id eſt, quod Cicero inquit, per ſimilitudinem translationem fieri aut ſuauitatis, aut inopiæ cauſa. Arcem & urbem orbas.] Quia orbi homines dicuntur. Si pro patria arcẽ dixiſſet.] Quia partem pro toto ponens, fuit ſynecdoche: & tamen translatio. Hanc Hypallagen rhetores.] Metonymia, inquit Quintilianus, quæ eſt nominis pro nomine poſitio: cuius uis eſt pro eo quod dicitur, cauſam propter quam dicitur, ponere. ſed ut ait Cicero, Hypallagen rhetores dicunt. hæc inuenta ab inuentore, & ſubiecta ab obijcientibus ſignificat: ut, Cererem corruptam undis: et, Receptus terra Neptunus, claſſes aquilonibus arcet. Quod fit retro durius. Refert autem, in quantum dictus tropus oratorem ſequatur. Nam ut Vulcanum pro igne uulgo audiuimus: & uario Marte pugnatum, eruditus eſt ſermo: & Venerem quàm coitum dixiſſe magis decet: ita Liberum & Cererem, pro uino & pane licentius, quàm ut fori ueritas ferat. Sicut ex eo quod continet, id quod continetur, uſus recipit: ut, bene moratas urbes, & poculum epotum, & ſæculum felix. Ad id quod contra eſt, raro audeat quis niſi poeta, Iam proximus ardet Vcalegon. Niſi forte hoc potius eſt à poſſeſſore, quod poſſidetur: ut, hominem deuorari, cuius patrimonium conſumitur. Poeta, Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas, regumq; turres: &, Pallentes habitant morbi, triſtiſq; ſenectus: & orator præcipitem iram, hilarem adoleſcentiam, ſegne otium dicit. Quam Catachreſim uocant.] Nam catachrome, abutor ſignificat. Genus hoc Græci appellant allegoriam.] Quaſi allo, id eſt, aliud: agoreuon, id eſt, dicens. Allegoria, inquit Quintilianus, quam inuerſionẽ uocamus, aliud uerbis, aliud ſenſu oſtendit: ut, O nauis referent in mare te noui Fluctus: et, Auia Pieridum peragro loca: &, Sed nos immenſum ſpatijs confecimus æquor: &, Iam tempus equũ ſpumantia ſoluere colla. Cicero: Equidem cæteras tempeſtates, & procellas in illis duntaxat fluctibus concionum ſemper Miloni putauimus eſſe ſubeundas. Et niſi coràm.] Hoc dicit: niſi magnificum illud dicendi genus, et character ille ſublimis conferatur, hic mediocris amplus uidebitur. Eſt enim quoddam etiam inſigne, & florens, & expolitum genus.] Hoc genus quartum multi faciunt, quod antherinon uocant alij, alij uero glaphyron: Cicero autem temperato ipſi annectit. E' Sophiſtarum fontibus.] Qui à Latinis rhetores nominantur. Spretum à ſubtilibus.] Ab ijs qui in humili genere uerſantur. Repulſum à grauibus.] Id eſt, à grandiloquis. Tertius ille amplus.] Nunc formam grauis generis exprimere Cicero molitur. Quam admirarentur, quam ſe aſſequi poſſe diffiderent.] Hanc Homerus Vlyſſi potiſſimum attribuit. de quo Quintilianus: At ille qui ſaxa deuoluat, & pontem indignetur, & ripas ſibi faciat multas torrens, iudicem uel nitentem contra feret, cogetq; ire quà rapit. Inde ſubiungit: Sed ad ſummam regreſſus eſt Homerus, dicens in Vlyſſe facundiam, & magnitudine illum uiciſſe, cum orationem ſimilem nimbis hybernis, & copiam uerborum atque impetum parem attribuit. cum hoc igitur nemo mortalium contendet, hunc ut deũ homines intuebuntur. hanc uim, & celeritatem in Pericle miratur Eupolis: hanc fulminibus Ariſtophanes comparat. Magnus orator eſt.] Qui in illo humili excellens, minimeq; in lubrico uerſabitur: quia humilis labi, planeq; cadere non poteſt. Etiam ſi quando periculum non adibit.] Id eſt, ſe magis non attollet, quàm pati poſſit. Hic noſter.] Id eſt, grandis & magnificus.

Si ad hoc unum eſt natus.] Vt ſit magnificus. Aut huic generi ſtudet uni.] Quod facere non debet, ne tumidus ſemper uideatur: quia aliquando ſummittenda, aliquando temperanda eſt oratio. Ille enim ſummiſſus.] Id eſt, humilis. Et ueteratorie.] Id eſt, uafre, & uerſute. Veteratores enim, callidi: dicti à multa rerum agendarum uetuſtate. Grannius: Mulieri non aſtutæ facile ueterator perſuaſit. Si nihil eſt aliud.] Id eſt, ſi ſemper ſublimis, & excelſus in dicendo. Nihil partite.] Quia inter partiendum genus cõtrouerſiæ ſummittitur oratio. ſimiliter ubi quid definias, ubi diſtinguas, & excipias. Præſertim cum cauſæ.] Præcipue, inquit, cum cauſæ omnes in aliqua parte, ſi non tota, ita tractandæ ſint, ut ſit quod partiare, aut quod definias, aut quod diſtinguas, ubi tranquille, leniterq; agendũ ſit oratori. Non præparatis auribus.] Id eſt, attentis, docilibus, & beneuolis effectis. Inflammare.] Quod eſt grandis generis. Si comprehendiſſem.] Facete Cicero iocatur cum Bruto. Inuentus.] Qui à me dicendo expreſſus eſt. Ad illam Platonis.] Ideá dicit: de qua ſupra, ut locus exigebat, dictum eſt abunde. Parua ſummiſſe.] Id eſt, qui in omni dicendi charactere proprius & copioſus fuerit. Tota mihi cauſa

pro

pro Cecinna.] Ibi acutus, & humilis Cicero : & perinde ſtylo omnia humilia humili conſectatus. In Manilia lege.] Quam Manilius rogauerat, ut cum ſciſceret populus: in quo genere mediocritatem dicendi ſe conſectatum ait. Ius omne retinendæ maieſtatis.] Quod magnifici fuit characteris. In omni genere amplificationis exarſimus.] Specioſe dictum, Exarſimus : ne compotem uoti fuiſſe eius quod tentauerat, ait, Vehementi mentis intentione conati ſumus. In accuſationis ſeptem libris.] In Verrem quem repetundarũ accuſauimus, defendente Hortenſio. Quod in Habiti.] In ea quã pro Poſthumo Habito habuimus. Quod in Cornelij.] Cum defendimus Cornelium. Quod in pluribus noſtris defenſionibus.] Quoniam ferè ſemper defendit : rariſſime autem accuſauit Cicero. Si non perfectio.] Licet intueri quàm ſibi moderetur, arrogantiaq́; fugiat inuidiam. Moroſi.] Qui affectati moris ſunt, & inde ſemper queruli. Illum.] Demoſthenem. Quò contendimus.] Subaudi, ut primi eſſemus Romæ. ſed id reticendo, ut euitet arrogantiam, reliquit nobis proferendum. Nunquam Cotta, nunquã Sulpitius.] Quos facit Cicero in libro de Oratore ſtudioſiſſimos audiendi Craſſum, & Antonium de arte dicendi diſſerentes. Ad omne genus.] In omni charactere. Eaſq́;.] Subaudi, aures detinebamus. Quæ nequaquam ſatis deferbuiſſe.] Quia ſimilia plura alia protulimus, ponitq́; egregiam ſententiæ ſimilitudinem. Et quæ ſequuntur.] Subaudi, illum locũ : quæ poſtea diximus. Ab hac indole iam illa.] Subaudi, etiam protulimus ſuperioribus ſimilia. Pro Roſcio.] Nam ferunt eam primam Ciceronis cauſam fuiſſe, cuius patrocinium ſuſceperit. Iuuenilis redundantia.] Quam ipſe in Bruto ait caſtigatam Rhodi à Molone, cui operam aliquandiu dedit.

Vt ne omnibus locis eadem cõtentione uterentur.] Hoc dicit, An concedemus, ut poetæ uario utantur dicendi charactere : & non ut poetis, hoc idem nobis dederimus? Diuino ingenio profero.] Quoniam ut Plato, ut Democritus inquiebat, naſcitur poeta : ita Cicero etiam de Oratore, & pro Archia. cæteri autem fiunt. Itaque afflari quodam ſpiritu, quaſi diuino ad dicendum ſolos poetas, multis rationibus comprobarunt. Sed & comœdum.] Qui comœdias recitat, comœdus : qui tragœdias, tragœdus appellatur. Iam pridem effectum eſt.] Quia cauſas agere deſiuimus. Vt contra Leptinem.] Quam habuit Demoſthenes, ipſum Leptinem accuſans. Falſæ legationis.] Subaudi, ad Philippum. Pro cauſa Cteſiphontis.] Quæ oratio de Corona inſcribitur : quoniam Cteſiphonteam Demoſtheni attribuerat, non iure, ut Aeſchines arbitrabatur. Illud medium.] Subaudi, dicendi genus. Sed etiam uicinam eius.] Senſus eſt, Non modo debet orator ſcire dicendi copioſe ac fuſim, ſed etiam anguſte, enucleate, preſſe : quod artis diſſerendi proprium eſt, quam dialecticen Græci uocant. Atque etiam ante hunc.] Subaudi, Zenonem Cyticum. nam octo fuere Zenones. Dicit illam artem quaſi ex altera parte reſpõdere dialecticæ.] Id eſt, eſſe antiſtrophon : ita enim inquit : Ῥητορική ἐστιν ἀντίστροφος τῇ διαλεκτικῇ. ἀμφότεραι γὰρ περὶ τοιούτων τινῶν εἰσιν ἃ κοινὰ τρόπον τινὰ ἁπάντων ἐστὶ γνωρίζειν, καὶ οὐδεμιᾶς ἐπιστήμης ἀφωρισμένης, διὸ καὶ πάντες τρόπον τινὰ μετέχουσιν ἀμφοῖν. Qui enim perſuadere dicendo uult, arguat neceſſe eſt : ſicut Plato perſuaſionem in rhetorices definitione poſuit, cum inquit, πειθοῦς δημιουργόν. Et Ariſtoteles, qualiter cum ait : δύναμιν τεχνικὴν τοῦ περὶ ἕκαστον ἐνδεχομένου πιθανοῦ λέγειν. Ita Hermogenes : δύναμις περὶ λόγον τέλος ἔχουσα τὸ πειθεῖν ὅσον ἐφ' αὐτῇ. Dionyſius quoque Halicarnaſſeus inquit : δύναμις τεχνικὴ λόγου πιθανοῦ ἐν πράγματι πολιτικῷ, τέλος ἔχουσα τὸ καλῶς εἰπεῖν κατὰ τὸ ἐνδεχόμενον. Hoc potius quàm ut quidam, δύναμις κατασκευαστικὴ καὶ ἀνασκευαστικὴ δικαίων καὶ ἀδίκων πραγμάτων. uel ut alij, ἐπιστήμη τοῦ λέγειν. tametſi in idem recidit. Ratio dicendi.] Quæ oratoris eſt. Illa loquendi.] Quæ dialecticæ eſt. Spinoſiora multa pepererunt.] Non ut magis Ariſtoteles ipſam aperiat, ſed ut rem redderet obſcuriorem, ingenioſioreſq́; ipſi uiderentur : ut Chryſippus, qui in dicendo, ut cum multi, tum uel in primis Galenus medicus arguit, fuit omnium philoſophorum infantiſſimus, quem ſæpe artis grammatices imperitiæ coarguit. Vim, naturam, genera uerborum.] Id eſt, quinque uoces, & categorias : quæ iuniores prædicabilia, & prædicamenta nominarunt. Simplicium.] Cum per ſe intelliguntur. Copulatorum.] Cum ex eis fiunt orationes. Deinde quot modis quidque dicatur.] Quæ orationes à iunioribus æquipollentiæ nominantur. Qua ratione uerum falſum'ue ſit, iudicetur.] Ex contrarijs contradictorijſq́;, ſubcontrarijs, & ſubalternis. Quid efficiatur, eo quoque quod cuique conſequens ſit.] Ita enim omnis ſtruitur argumentatio, ut ex præmiſſis quibuſdam, unde ſequatur aliquid neceſſario : uel probabiliter, ut in ſyllogiſmis, & inductionibus. Quodq́; contrarium.] Nam plerunque ita ad id quod impoſſibile eſt, aduerſarium adducimus : ut mathematici, et aliquando etiam phyſici. Cumq́; ambigue multa dicentur.] Imo etiam diſtinguendum, ut Ariſtoteles docet in Elenchis. Diuidi explanariq; opor.] Vt totũ in partes, genus in ſpecies : quod ſæpe faciunt in dicenda cauſa oratores. Conſtituendum eſt, quid quidque ſit.] Id eſt, definitione utendum, qua quid ſit aliquid, explicatur : ac cum decem & octo ferè ſint definitionum genera, unum longe præſtantiſſimum eſt, quod per genus & differentiam, uel aliquid differentiæ loco, explicatur. Siquidem eſt definitio oratio, quæ quid ſit id de quo agitur oſtendit, quàm breuiſſime.] Hæc eſt definitionis Platonica definitio. inquit ſiquidem Plato : ὁρισμός ἐστι λόγος σύντομος, δηλωτικὸς τῆς φύσεως τοῦ ὑποκειμένου πράγματος. nam Ariſtoteles in Topicis, licet aliter definire uideatur, idem tamen propemodum dicit, cum inquit : ὁρισμός ἐστι λόγος ὁ τὸ τί ἦν εἶναι σημαίνων. Eius generis ſiue formæ.] Quæ & ſpecies appellantur. Siue partes.] Cum totum diuiditur. Omnis oratio.] Id eſt, tota diuidendi ratiò fiat. Quàm in illis eruditiſſimis diſputationibus.] Subaudi, philoſophorum. Neque prætermittatur, neque redundet.] Quod diuiſionis proprium eſt, ſicut definitionis, per genus ſuum & ſuam differentiam fieri : ut homo eſt animal rationale, ut alijs placet, ſi addere uolueris, propter dæmonas, mortale : & propter nymphas, ſcientiæ & intelligentiæ capax. Quando autem, aut quo modo id facias, nihil ad hoc tempus : quoniam locus fuit in Topicis : & hoc tempore, inquit, oſtendimus, ac circunſcribimus oratorem perfectum, non docemus quidquam. Omnes philoſophiæ notos, & tractatos locos.] Tota ſiquidem philoſophia, ut Ariſtoteles tradit, ut etiam Ptolemæus in principio Magnæ conſtructionis mathematicæ, ut eius quoque interpres Theon, in agendi, & inſpiciendi ſpecies diuiſa eſt : agendi omnis uis ad mores relegata eſt : inſpiciendi autem, diuiditur in Theologiã, & Phyſicam, & Mathematicas ſcientias. Mathematicæ uero ſunt, Arithmetica, Geometria, Muſica, & Aſtrologia. nam Optica, Catopertrica, Geodeſia, Canonica, & prorſus inſtrumentalis omnis, illarum ſunt ſpecies. Sed ieiunius aguntur.] Argutius ſiquidem hæc à philoſophis tractantur, quàm ab oratoribus. De materia loquor orationis.] Quoniam de dicendi modo mox diſſeram. Ne phyſicorum quidem ignarum eſſe uolo.] Id eſt, naturalis etiam gnarum eſſe philoſophiæ. ſiquidem phyſis, natura dicitur : unde phyſicus, & phyſica phyſicorum neutro genere, & rhetorica, et biblia dicimus, quæ res phyſicas, rhetoricas, & libros plures continent. A cœleſtibus rebus.] Quoniam res phyſicæ non modo intelligun-

tur in humanis rebus, ſed etiam diuinis, ut paulo ante diximus.

Cum ſis legum, & ciuilis iuris ignarus.] Lex eſt, inquit Papinianus, commune præceptum, uirorum prudentium conſultum, delictorũ, quæ & ſponte uel ignorantia contrahuntur coertio, communis Reip. ſponſio. lex porrò omnis aut tribuit, aut adimit, aut punit, aut iubet, aut uetat, aut promittit. Ius ciuile autem eſt, ut Papinianus inquit, quod ex legibus, plebiſcitis, ſenatuſconſultis, decretis, placitis principum, auctoritate prudentum uenit. Vt autem Vlpianus inquit, ius ciuile eſt, quod neque in totum à naturali uel gentium recedit, nec per omnia ei ſeruit. Itaque, cum aliquid addimus, uel detrahimus iuri communi, ius proprium, id eſt, ciuile efficimus. *Auctoritatem orationi affert.*] Quia uetera auctoritatem ſemper præ ſe ferunt. *Et fidem.*] Quia facilius adducimur, ut credamus priſcis, quàm nouis. *Habebit genera primum ipſa cognita.*] Demonſtratiuum, deliberatiuum, & iudiciale. *Res, aut de uero.*] Vt ſit quod arguatur uerum, nec'ne. unde coniecturalis et inficialis ſtatus. *Aut de recto.*] Id eſt, de qualitate. unde negotialis, & iuridicialis: & inde multa ex iuridiciali ſpecies, quæ ipſe in rhetoricis complexus eſt. *Aut de nomine.*] Indefinito, ſiue finitiuus ſtatus. *Verba aut de ambiguo.*] Inde ambiguum, ſiue amphibologia ſtatus. *Aut de contrario.*] Ideo de contrarijs legibus appellatur. *Nam ſi quando aliud in ſententia uidetur eſſe, aliud in uerbis.*] Ideo de ſcripto & ſententia nominatur. Res autem tota ita habet: quia lex aut litem habet propter ſe ipſam, aut propter alteram quæſtionem, aut in ſcripto, aut in uoluntate. In ſcripto, aut apertum eſt, aut obſcurum, aut ambiguum. quod de legibus dicimus: idem accipiendum de teſtamentis, pactis, ſtipulationibus, omni denique ſcripto. *Et argumentorum præcepta pauca ſunt.*] Quæ cui quæſtioni accomodentur, in ſecundo Rhetoricorum expoſitum eſt. *Traditi ſunt, è quibus ea ducantur, duplices loci.*] Id eſt, in duo genera diuiſi.

Vni ex rebus ipſis.] Quæ artificiales dicuntur. *Alteri aſſumpti.*] Id eſt, extrinſecus ad cauſam adhibiti. qui artis expertes dicũtur: de quibus in Topicis ampliſſime ipſe Cicero locutus eſt. *Tractatio igitur rerum.*] Quæ eſt in orationis compoſitione. *Niſi ordiri orationem.*] Id eſt, exordium orationis texere. *In quo aut concilietur auditor.*] Id eſt, captet beneuolentiam. *Aut erigatur.*] Id eſt, fiat attentus. *Aut paret ſe ad diſcendum.*] Id eſt, docilem faciat. *Rem breuiter exponere.*] Poſt exordium ſequitur narratio: in qua tria cuſtodienda ſunt, ut breuibus rem complectamur. *Et probabiliter.*] Id eſt, ut credatur quod dicamus: & perinde fidem faciat oratio. *Et aperte.*] Id eſt, ut dilucide quidquid agatur poſſit intelligi. *Sua confirmare.*] Quòd poſt narrationem ſequitur confirmatio. *Aduerſaria euertere.*] Vt cum noſtra confirmauerimus, aliena refellamus. *Non perturbate.*] Non fidem cauſæ auferamus. *Poſt omnia perorationem.*] Quam Græci epilogon uocant. *Inflammantem.*] Si accuſamus. *Reſtinguentem'ue concludere.*] Si defendamus. *Difficile dictu eſt hoc loco.*] Quoniã omnia paucis cõprehendenda: & paucis hæc tradi non poſſunt. *Probabo primum eum qui quid deceat uidebit.*] Id eſt, qui cuſtodiet τὸ πρέπον. *Nec ſatura ieiune, nec grandia minute, nec item contra.*] Quod omnium uitium longe peſſimum eſt, à Græcis cacozelia appellatum. *Principia.*] Id eſt, exordia totius orationis.

Nec hiſtorico.] Vbi hiſtorici delectandi lectorem cauſa, ueneres dicendi omnes conſectari ſolent. *Tenue filum.*] Stylus ſit, inquit, preſſus. *Quanta ad rem, tanta ad orationẽ fiat acceſſio.*] Vt qualis fuerit ſententia, talis ſit oratio. *Cum ea inciderit.*] Subaudi, ſublimis, magnifica.

Tum ſe latius fundet orator.] Illo amplo & grandi dicendi genere utetur: ut tamen omnia quæ ad cauſam accedũt, expoſtulare uidebuntur. *Qui communes appellati.*] Quibus utitur orator antequam concludat, ſtatim cum ſua confirmarit, & aliena confutarit. *Eo quòd uidentur multarum ijdem eſſe cauſarum.*] Subaudi, in eodem genere: inde etiam communes loci ſunt appellati, ut contra parricidam, contra ſacrilegam, contra furem. *Sed proprij.*] Subaudi, loci, qui ad unãquanque pertinent quæſtionem de qua agatur, quæ hypotheſeos ſunt. *Quod Græce κρινόμενον.*] Latine iudicatio: quæ in omnibus ſeparata inuenitur conſtitutionibus, præterquã in coniecturali. in ea enim idem eſt conſtitutio ipſa coniecturalis, & ratio, & iudicatio, & firmamentum: ideo ſubiungit. *Niſi cum de uero ambigitur.*] Quod quæri coniectura ſolet. *Dicetur autem non peripateticorũ more.*] Quoniam obſcurius, & neruoſius loquuntur Peripatetici, quã oratores. *Augendis uero rebus.*] Accuſando. *Et contra abijciendis.*] Cum defendimus. *Et penè infinite in perorando.*] Quia tum amplificatione maxime opus in concluſione, ſi modo mouere affectus, non enumeratione uti ſtudebimus. *Quod Græci ethicon uocant.*] Id eſt, morale, quod uix Cicero dicere audet. ita in principio diſputationis de Fato, Morata ſiquidem ſententia multum capi humanum genus conſueuit. *Alterum, quod idem patheticon.*] Quod neoterici tum paſſibile, tum paſſiuum uocant. *Quo perturbantur animi.*] In affectus uocati ad odium, ad miſericordiam, ad inuidiam, ad iram, & id genus alia. *Illud ſuperius.*] Subaudi, morale. *Come, iucundum.*] *Eſſe expedit.* *Quo cauſæ eripiuntur.*] Quoniam audiendo tam uehementer afficiuntur, ut contra dicere, ac ſentire poſſit nemo. *Familiari reo.*] Subaudi, Verri. *Non reſpondit Hortenſius.*] Ipſum namque defendebat. *Catilina in ſenatu accuſatus, obmutuit.*] Vt ex ipſius inuectiuis apparet. *Nobis priuata in cauſa magna, & graui, cum cœpiſſet Curio pater reſpondere.*] Quia fuit & filius, qui Cæſaris partes ſecutus eſt. *Subito aſſedit, cum ſibi uenenis ereptam memoriam diceret.*] Vt ipſe Cicero in Bruto meminit. nam cũ de ipſo cœpiſſet loqui, paulo poſt ſubiungit: Memoria autem ita fuit nulla, ut aliquoties, tria cum propoſuiſſet, aut quartum adderet, aut tertium quæreret: qui in iudicio priuato, uel maximo, cũ ego pro Titinia Cotta perorauiſſem, ille contra me pro Seruio Næuio diceret, ſubito totam cauſam oblitus eſt: idq; ueneficijs, & cantionibus Titiniæ factum eſſe dicebat. *Sed etiam eſt faciendum, ut iraſcatur iudex.*] Subaudi, aduerſario: & denique ut cauſa tulerit, omnis mouendi ſunt affectus. *Duriorum.*] Vbi duræ res occurrerunt accuſandæ. *Mitiorum, defenſiones, &c.*] Vbi defendimus. *Nec in ueritate crimen arrogantiæ extimeſcerem.*] Quoniam quid fuiſſem aſſecutus, ſi memorem, non putauero arrogantis eſſe. *Vt me ipſe non teneam.*] Vt affectum cohibere non poſſim. *Orationis lumina.*] Schemata & tropos dicit. *Cum aut duplicantur.*] Figuræ duplicationis multis modis fiunt. unde illud Quintiliani, Verba geminantur, uel amplificandi gratia: ut, occidi, occidi non Spuriũ Melium. alterũ eſt enim quod indicat, alterũ quod affirmat. Vel miſerandi: ut, Ah Corydon, Corydon. et, Bona miſerum me (conſumptis enim lachrimis, tamen infixus animo hæret dolor) bona, inquam, Cn. Pompeij acerbiſſimæ uoci ſubiecta præconis. Viuis, & uiuis non ad deponendam, ſed ad confirmandam audaciam. Et ab ijſdem uerbis plura acriter et inſtanter incipiunt, Nihil'ne te nocturnum præſidium Palatij, nihil urbis uigiliæ, nihil timor populi, nihil conſenſus bonorum omnium, nihil hic munitiſſimus habendi ſenatus locus, nihil horum ora uultusq; mouerunt? Et, Quis eos poſtulauit? Appius. quis produxit? Appius. Aut breuiter commutata ponuntur

tur : ut, Abijt, exceſſit, euaſit, erupit. Aut ab eodem uerbo, ut oſtendimus. Aut in idem conijcitur.] Id eſt, ad id uerbum deuoluitur, ut ultimo patuit exemplo. Aut in utrũque.] Cum & incipimus & deſinimus. Aut adiungitur idem iteratum.] Multa etiam ſunt, uariaq́; repetitiones. nam primorum uerborum alterna repetitio : ut, Vigilas tu de nocte, ut tuis conſultoribus reſpondeas : ille, ut eò quò intendit, mature cum exercitibus perueniat. Te gallorum, illum buccinarum cantus exuſcitat : tu actionem inſtituis, ille aciem inſtruit. Tu caues ne conſultores, ille ne urbes aut caſtra capiantur. Poſſunt media quoque reſpondere, uel primis: ut,

Te nemus Angitiæ, uitrea te Fucinus unda. uel ultimis: ut,

Hæc nauis onuſta præda Sicilienſi : cum & ipſa quoque eſſet ex præda. Reſpondent & primis ultima : Multi & graues dolores inuenti parentibus, & propinquis multi. Eſt & illud repetendi genus, quod ſemel propoſita iterat, & diuidit : ut,

Iphitus & Pelias mecum, quorum Iphitus æuo Iam grauior, Pelias, & uulnere tardus Vlyſſi. Epanodos Græce dicitur, noſtri regreſſionem uocant : ut, Forte ſub arguta conſederat ilice Daphnis, Compulerantq́; greges Corydon & Thyrſis in unum : Thyrſis oues, Corydon diſtentas lacte capellas.

Et generibus fit iteratio : Magnus eſt labor dicendi, magna eſt res. Aut cum ſimiliter uel cadunt uerba.] In ſimiles deſinunt caſus : quæ figura Homœoptotos nominatur. ut, Inueſtigata, comperta, patefacta, ſublata, deleta, extincta,

Vel deſinunt.] Vt, Abijt, exceſſit, euaſit, erupit. Aut multis modis contrarijs relata contraria.] Antitheton dicitur, Latine ab alijs contrapoſitum, ab alijs contentio. Non fit uno modo. nam & ſic, ſi ſingula ſingulis opponuntur : ut, Vicit pudorem libido, timorem audacia. & bina binis : Non noſtri ingenij eſt, ueſtri auxilij eſt. et ſententiæ ſententijs : Dominetur in concionibus, iaceat in iudicijs. Subiungitur commodiſſime ea ſpecies, quã disiunctionem dicimus : Odit porrò priuatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit. et ſunt ſimili caſu, diſſimili ſententia in ultimo locati : ut, Quod in tempore male fuit, nihil obſit, quin quod in cauſa boni fuit, proſit. Aut cum gradatim ſurſum uerſus reditur.] Hæc Climax à Græcis nominatur. hæc priorem habet partem, & magis affectatam, ideoq́; rarior eſſe debet : ut, Africano uirtutem induſtria, uirtus gloriam, gloria æmulos comparauit.

Et quale illud : Non ergo magis pecuniarum repetundarum, quàm maieſtatis : nec maieſtatis magis, quàm Planciæ legis : nec Planciæ legis magis, quàm ambitus : neque magis ambitus, quàm omnium legum iudicia perierunt. Aut cum demptis coniunctionibus.] Quæ figura aſyndeton dicitur : ut, Inueſtigata, comperta, patefacta, ſublata, deleta, extincta. Aut cum aliquid prætereuntes, cur id faciamus, oſtendimus.] Vt ipſe : Quid uero nuper cum morte ſuperioris uxoris nouis nuptijs domum uacuam feciſſes, non' ne etiam alio ſcelere incredibili hoc ſcelus cumulaſti? Quod ego prætermitto, & facile patior ſileri, ne in hac ciuitate tanti facinoris immanitas aut extitiſſe, aut non uindicata eſſe uideatur. Aut cum corrigimus noſmetipſos, quaſi reprehendentes.] Vt ipſe : Vnà ſedent, ex accuſatorum ſubſellijs ſurgunt, non diſſimulant, non uerentur. de ſubſellijs queror? unà ex domo prodeunt. Aut ſi eſt aliqua exclamatio uel admirationis, uel quæſtionis.]

Quorum exempla frequentiora ſunt, ac manifeſtiora, quàm ut ſit aliquid proferre. Similiter cũ idem nomen per caſus uariatur. Sæpe etiam ut extenuet aliquid.] Hoc figuræ genus, & quæ ſequuntur, poteſt apud Ciceronem quiſque ſibi inuenire. ſunt ſiquidem eius refertæ his figuris orationes : ut hominũ ſermones, moreſq́; deſcribit, quæ Ethopœia eſt. Vt muta quædam eloquentia inducat.] Vt in Catilinam, patria loquens inducitur, quæ Idolopœia : ambæ autem Proſopopœiæ ſpecies.

Oratorem coerceat.] Subaudi, aduerſantem cauſæ ſuæ.

Sæpe etiã rem dicendo ſubijciet oculis.] Vt Marci Cælij in Antonium, Illum nanque ipſum offenderunt temulento ſopore profligatum, totis præcordijs ſtertentem, ructuoſos ſpiritus geminare, præclaraſq́; contubernales ab omnibus ſpondis tranſuerſas incubare, & reliquas circumiacere paſſim : quæ tamen exanimatæ terrore, hoſtium aduentu percepto, excitare Antonium conabantur, nomen inclamabant, fruſtra ceruicibus tollebant. blandius alia ad aurem inuocabat, uehementius etiam nonnulla feriebat : quorum omnium cum uoce tactuq́; oſcitaret, proximæ cuiuſque collum amplexu petebat : neque dormire excitatus, neque euigilare ebrius poterat : ſed ſemiſomno ſopore inter manus Centurionum concubinarumq́; iactabatur.

Sæpe ſupra feret.] Id eſt, utetur hyperbole : ut cum Cicero Charybdim & Scyllam, Marcum Antonium uocat. Significatio ſæpe erit maior quàm oratio.] Hæc emphaſis dicitur. Quaſi ſyluam uides.] Id eſt, totius facultatis oratoriæ materiam. nam ſicut corporatarum rerum omnium informis illa materia, ſylua uocatur : ita rudis et indigeſta quælibet rerum prima materia, ſylua nominatur. unde & Statius cum materiã ad maiora ſcribenda ſibi membris informem ſuis comparaſſet, librum Syluarum inſcripſit. Sed hæc niſi collocata.] Suo loco digeſta, & numeris ſtructa. Aſpirare non poſſunt.] Quaſi ſpiritu peruenire. nam aliter dicimus : ut Ouidius, Cœptis aſpirate meis. eſt enim fauete.

Occurrebat enim.] Præmunit hic Cicero aduerſum maledicos defenſione ſe : quòd cum ad grammaticam multa pertinentia dicturus ſit, aliquibus forte uideri poſſit tantus orator nimiũ uileſcere; cum in tam humilem deſcendat locum, rationibus cur id facturus uideatur, oſtendit acutiſſimis. Sed ſi profitear.] Id eſt, palàm proferam, ac præ me feram. Primas eloquentiæ tenuerit.] Id eſt, primum ſibi locum defenderit. Secundas iuris ſcientiæ.] Id eſt, ſecundum locum. Cum in altera gratiæ.] Eloquentiam dicit. Ea uero repugnante.] Si eloquentia iuri, inquit, ciuili obſtiterit, nihil poterit proficere. Alteros enim reſpondentes.] Iuriſconſultos dicit. Nos contra fortaſſe melius poſſumus.] Quare minus accuſandus : ac * cedo quid doceam. Si quaſi in ludo.] Si doceas, inquit, quaſi in ludo, tum dignitate caret. Sacrorum alienatio fiat.] Quod noſſe iuriſconſultum oportet.

Atius profitentur etiam qui neſciunt.] Quoniam totum eſt in prudentia poſitum. Se ualere diſſimulant.] Cur ita, dicit ipſe? quia, inquit, lingua ſuſpecta. Præ me tuli.] Profeſſus ſum. Cum abfuiſſem adoleſcens.] Vt in Bruto de ſe ait, Rhodum ad Molonem ſe contuliſſe. De ſyllabis propemodum dinumerandis.] Quia de pedibus, qui numeroſam reddunt orationem, dicturus ſum. Sicut arborũ altitudo.] Aptiſſima uſus ſimilitudine eſt Cicero. Eſſe illa.] Subaudi, altitudo ſine radicibus nõ poteſt : ita magna eloquentia ſine grammatices cognitione non poteſt. Qui uetat artem pudere proloqui.] Ita Horatius in arte poetica, Cur neſcire pudens prauus, quàm diſcere malo? Vt cum mea forenſes artes & actiones publica con.] Quando Cæſaris dictatoris mandato adminiſtrabantur omnia. Aut ut inter ſe quàm aptiſſime cohæreant.] Ne aſper conſonantium concurſus ſit, ne uocaliũ hiatus intolerabilis. Extrema cum primis.] Extremæ antecedentis uerbi ſyllabæ, cum primis ſequentis uerbi ſyllabis.

Conficiat orbem ſuum.] Id eſt, clauſulam. Comprehenſio.] Id eſt, periodus ſiue clauſula. Numeroſe cadat.] Id eſt, numero concludatur. Nec tamen fiat operoſe.] Id eſt, cum magna ſolicitudine. Nam eſſet cum infinitus.] Si quidem in omnibus clauſulis id obſeruandum. Tum puerilis labor.] Quia de ſententijs potius, quàm de uerbis debemus eſſe ſoliciti. In Albutio.] Contra Albutium, ut Luci

lius inducit: ipſiusq; Lucilij uerba apponit. Lexis compoſitæ.] Id eſt, coniunctæ dictiones: eſt enim nominatiuus pluralis Lexis. Vt teſſerula.] A' teſſeris diminutiuum, quibus luditur in alea. Pauimento.] Ita uarietate, ut in pauimento ubi multæ impreſſiones, inde quoque dictum: nam pauire, ferire: unde pauicula, qua ſæpius area feriuntur. Emblemate.] Impreſſione: nam ἐμβάλλω, imprimo. Vermiculato.] Id eſt, minuto: ita enim Nonius ueteres dixiſſe minutum oſtendit. Sed tamen ſtylus.] Qui dicendi artifex eſt, ut inquit alibi Cicero, omnia hæc facilia reddet. Nam in legendo oculus.] Pulcherrima comparatio eſt. Quoniam ſicut oculus oſtendit animo quæ cogitanda, ita animus uoluit quæ dicenda ſunt. adeo in gyrum noſtra uoluitur cognitio: mens à ſenſibus capit, & ſenſus à mente promunt ſibi quæ uelint. Aut hiulcas uoces efficiat.] Quod tum euenit, cum uocalis uocalem excipit. Aut aſperas.] Cum conſona cõſonantem admittit. Quarum iudicium eſt ſuperbiſſimum.] Quia nihil magis ad intelligentiam faciendam accommodatur, quàm aurium ſenſus: quare niſi auribus quod dicimus blandiatur, plerunque etiam grauiſſima collabuntur. Latina lingua ſic obſeruat.] Ideo Latina lingua inquit: quoniam non ita Græci, ut paulo poſt ipſe refert. Qui uocales nolit coniungere.] Id eſt, uitare hiatum. In quo quidam etiã Theopompum reprehendunt.] Subaudi, Græci: nam id Latini probant. De induſtria id faciendum fuit.] Ne tam eloquentiæ, quàm diſputationi deſeruire uideretur. Qua mos eſt Athenis.] Ideo & Demoſthenis, & Hyperidis, & Lyſiæ, tales nobiliſſimæ adhuc extant orationes. Vos qui accolitis.] Verſus eſt Næuij multimodis, ubi s litera ſubtrahitur. Duellum bellum.] Inde perduelles, hoſtes uocitarunt. Cum ſuperiores appellati eſſent ſemper Duellij.] Ita Quintilianus in primo eadem fecit ex duello bellum: unde Duellios quidam dixere Bellios. Non uſus cauſa, ſed aurium.] Non quia, inquit, ita conſuetudine inoleuerit, ſed mulcendarum auriũ cauſa. Veſter Axilla Ala factus eſt.] Qui primus ab axilla brachij nomen acceperat: inde per conciſionem, Ala factus eſt, Publius Seruilius Ala. Apparet ergo, ut à multis aſpiratur, aſpirari non debere. Iam in uno Capſis tria uerba ſunt.] Nam compoſitum à, cape, & (ſi uis) eſt uerbum. Quid illud, non olet, unde ſit.] Eleganter tranſtulit quod proprium eſt olfactus, ad animum, ſicut audio, & uideo, uſitatius eſt pro intelligo poſitum. Obſcœnius.] Turpius. Concurrerent literæ.] Subaudi, m cum n. Vt etiã modo, niſi Autem interpoſuiſſem.] Si, inquit, dixiſſem cum nobis: non, cum autem nobis. Vt eſſet ſimile illis, nobiſcum atque nobiſcum.] Id eſt, ut ſimilis eſſet compoſitio in plurali, quæ in ſingulari, ſi modo compoſita ſunt. nam per anaſtrophen, omnes ferè grammatici pronunciari oportere aiunt: licet ſub uno accentu, qui hæc reprehendunt, neſciant cur ueteres ita loqui maluerint. Nam, Pro deũ.] Deum, pro deorum factum eſt. Ita credo.] Pulchra ironia. Rectè, inquit, iſti corrigunt: quia inſcitia quadam hoc ueteres factitauere. Patris mei, meum factum pudet.] Pro meorum factorum, per conciſionem. Sed, ut iſti uolunt.] Qui ſe antiquitatem correcturos arbitrentur imperiti. Alter in Chryſe.] In fabula quæ ita inſcripta eſt, à Chryſe patre Agamemnonis amica, quæ Chryſeis dicta. unde inter Achillem & Agamemnonem grauiſſima orta contentio: unde & Homeri tota Ilias emanauit. Malorum meum.] Pro meorum. Conſilium ſocij.] Pro conſiliorum. Augurium atque extum.] Pro auguriorum, & extorum. Prodigium horriferum portentum.] Pro prodigiorum, horriferorum, portentorum. Armum iudicium.] Pro armorum. Quàm.] Pro quantum. Cenſoriæ.] A' cenſoribus condita tabulæ. Dico nunquam.] Quoniam ſyncopis potius utor: utpote concinnius ita me loqui ratus. Dua duorum corporum.] Ita Quintilianus rectè dici dua pondo, & trepondo putat. Duum uirum.] Pro duorum uirorum. Quid uerũ ſit, intelligo.] Id eſt, noui equidem quid rectè dicatur, ut ipſa me iubet loqui analogia: ſed malo ſermonis leporem ſequi. Quid quòd ſic loqui, noſſe, indicaſſe uetant.] Ideo uetant, quia conciſa ſunt, non integra. Nec uero reprehenderim, Scripſere.] Hæc uerba dualis eſſe numeri, more Græcorum, aliqui crediderunt. quos ipſe quoque inſcitiæ coarguit Quintilianus, inquiens: Quanquam fuerunt qui nobis adiucerent dualem, ſcripſere, legere, quod euitandæ aſperitatis gratia mollitũ eſt: ut apud ueteres pro male mereri, male merere. Ideóq; quod illi uocant dualem, in illo ſolo genere conſiſtit: cum apud Græcos, & in tota uerbi ferè ratione, & in nominibus deprehendatur, & ſic quoque rariſſimus eius ſit uſus: apud noſtrorum uero neminem hæc obſeruatio reperiatur. quin è contrario, Deuenere locos: &, Conticuere omnes: &, Conſedere duces, aperte nos doceant, nihil horum ad duos pertinere: Dixere quoque (quanquam id Antonius Ruffus ex diuerſo ponit exemplum) de pluribus patronis præco pronunciet. Titus uero Liuius circa initia ſtatim primi libri: Tenuere, inquit, arcem Sabini. & mox: In aduerſum Romani ſubiere. Sed quem potius ego, quàm Marcum Tullium ſequar? qui in Oratore. Non reprehendo, inquit, ſcripſere: ſcripſerunt eſſe uerius ſentio. Eiſdem erat uerbis.] Nam componitur ab is & demum, Priſciani teſtimonio. Cur non medidiem.] Cum à medio & die factum ſit.

Præter hæc duo uerba.] Nam a, præpoſitio nunquam in au mutatur, præter quã in aufero & aufugio. Noti erant, & naui.] Nauus, prudens eſt: unde nauiter, prudenter.

Ex uſu dicunt.] Quod ſignificat ferè utile. In altero.] Si dicas ex Repu. eſſet aſperitas. Ex quo quidem percipium.] Vult ergo percæſum dici. Inclytus dicimus breui prima litera.] Non quia in poſitione producatur: ſed uoce breui dicatur. Quatuor enim modis ſyllaba breuis uel longa dicitur: cum breuis uel longa eſt, in uerſu accipimus: cum natura, quale eſt cum Seruius inquit, Troiam primitiuum corripi, deriuatiuum produci. cum uocem non modo flexam, ſed etiam acutam (quod plerunque fit) in breui habet ſyllaba, ut ſæpe ueteres loquuntur Grammatici. & cum in pronunciatione uoci moram attribuimus, uel celeriter procurrimus: ut hic. Cuius rei Aulus Gellius, Quintilianus, Seruius, Diomedeſq; meminerunt: ubi & Ciceronis teſtimonium afferunt. Purrum ſemper Ennius.] Nam non y Græca litera ueteres utebantur: ſed pro ea, u, ponebant. Quod ex Plautina fabula, quæ Amphytruo inſcribitur, licet etiam intueri. nam cum nomen fabulæ ex argumenti primis uerſuum literis ſignificare Plautus conſueuit, in hac dictione pro y Græca litera, u poſuit, cum inquit: Vterque deluduntur dolis mirum in modum. Phruges.] Quia phrux, nõ phryx dicebant. Nunc et duas.] Quoniam ipſa aſpiratio Græca eſt poſt conſonantes, ubi Græcæ literæ aſpiratæ correſpondent. Barbaris caſibus.] Eſt ſiquidem Phryx barbarum. Poſtremam literã detrahebant.] S ſcilicet, in Lucretianis uerſibus adhuc inuenias frequentiſſime factum. Qui eſt omnibus princeps, non omnibus.] Vt nunc. Quid ab ipſa tandem arte & doctrina poſtulari putamus.] Hoc dicit, Cum imperita multitudo hanc auribus ſuauem inueniret pronunciationem, quid nos facere par eſt, qui ab ipſa doctrina exculti & politi, debemus ita longe melius, ſicut poſſumus, hæc adhibere? In his ſenſus artem.] Senſus exterior, qui aurium eſt. Voluptas eorum.] Qui nos audiunt, à quibus probari deſideramus. Sonus et numerus.] Sonus quidem, qui in ſingulorum delectu eſt uerborũ numerus,

qui

qui eſt in copula uerborum. Superat Tmolum.] Montem Ciliciæ, qui & Timolus (ut ait Plinius) prius dicebatur. Aſias arua tenet.] Genitiuus eſt Aſias. Quæ ſiue caſus habent in exitu ſimiles.] Quæ homœoptota paulo ante diximus appellari. Siue paribus paria redduntur.] Quæ ſtatim memorabuntur. Eſt enim iudices hæc non ſcripta, ſed nata lex.] Scripta & nata ſimiles caſus, & paria paribus correſpondent. Quam non didicimus, accepimus.] Et quæ ſequuntur. Sed etiam uerſus efficitur. Eam, quam nihil accuſas, damnas.] Dimeter eſt iambicus ſcazon, Eam, pro una ſyllaba ponitur, ut ſæpe eo modo loquũtur poetæ. Condemnas dixiſſet, qui, &c.] Quoniam una ſyllaba ſuperat: ſed tamen tales apud tragicos & lyricos, præcipue Pindarum, uerſus inuenias. nã dimeter macrocatalectus uerſus eſt. Sanè hæc ipſa exempla & enthymemata à loco, qui dicitur à contrarijs, ipſe uolens oſtendere, in Topicis poſuit. Bene quàm meritam eſſe autumas, dicis male mereri.] Et hic trimeter eſt ſcazon, ubi facta eſt conſciſio uerbi autumas, pro eo dictumq; autbnas: ſuntq; omnia hæc interrogatiue legenda, ut enthymema fiat à contrarijs. Id quod ſcis prodeſt: nihil id quod neſcis obeſt.] Similiter iambicus eſt uerſus trimeter, non quo comici tragiciq; utantur, ſed iambographi: ſiquidem apud comicos iambus, & ad iambi tardandam uelocitatem ſpondeus adhibetur: ita ut non de ſede ſecunda cederet aut quarta iambus, & ultimus ſemper ſit iambus cum reſolutione aliorum pedum. propter indifferentem enim ultimam, etiam pyrrichius in fine ponitur: & propter reſolutionem iambi ubique tribrachus, ac per reſolutionẽ ſpondei, ubi ſpondeus, ibidem dactilus, anapaſtus, et proceleuſmaticus. Quod ſcis nihil prodeſt, quod, &c.] Trimeter quoque hic iambicus eſt. Numerum oratorium neceſſitate ipſa efficiunt.] Ideo non mirum dicit in Arte poetica Ariſtoteles, qui ait iambicum ideo metrum uideri primo inuentum, quòd plerunque ita loquimur, ut neſcienter imprudenterq́; in ipſum incidamus. In quarto accuſationis.] Subaudi, in Verrem. Quod qui non ſentiunt.] Quæ ferè ſunt, cum clauſula minor eſt quàm ut uno poſſit ſpiritu pronunciari: aut planè ad ſyllabas ipſas retulit. Non erat hoc apud antiquos.] Hoc ex uerbis refert illorum Cicero, quos ſemper carpit. Illa nobis ſit, credo, repetenda.] Quæ nulla colorum uarietate diſtincta: quod quàm turpe uiſu, tam ridiculum auditu fuerit. Nec ego id quod deeſt antiquitati, flagito potius.] Hoc dicit: Sunt aliqua ueterum, quæ uelim ut exempla. deſunt eis aliqua, quæ in nobis perfectiora ſunt quæ quidem nõ poſco.

Quàm laudo.] Quia ſunt alia pluris facienda, quã quæ deſunt. In uerbis et ſententijs.] Subaudi, grauibus ipſorũ.

Quàm in concluſione ſententiarum.] Quàm ut ſententiæ quibuſdam numeris teneantur, uinciantur, concludantur. Quam nõ habent.] Non enim numeros ullos norũt. Inuenta cõcluſio.] Inuentus numerus. Atque uſurpata.] Id eſt, in uſum ueniſſent. Sed habet nomen inuidiam.] Odioſus hominibus numerus, ubi in iudicijs hæc quæri uidetur.

Hoc freti iſti.] Hoc ſolatio ſublati, qui numeris uti neſciũt.

Quàm cum ſententia pariter excurrere?] Subaudi, donec ſuo numero reuinciatur: ac potius ipſam malimus interſcindere ſententiam. Sed plerunque caſu.] Quippe qui neſciunt ſe illis uti. Sæpe natura.] Quia ut eorum natura ac dicendi concinnitate delectatur, ita ſæpe in numerum imprudenter delabitur. Vetera cõtemnenti.] Nam ſi Horatio credimus tradenti: Liuij Andronici ridet Ennius poemata, et Faunos illos, atque Aborigines. Ante hunc.] Subaudi numerum: ut Ennius, qui ueteres inceſſebat: ſed ut nunc eruditi loquũtur oratores. Non eſt eis ſatis non contemni.] Ignaui prorſus & ridiculi, inquit, homines, cum ad hanc dicendi uirtutem aſpirare non potuerint, non eſt ſatis eis quòd nõ contemnuntur, quemadmodum fieri oportuit: ſed etiam laudari quòd neſciant, uolunt. Qui nihil illorum.] Quos ſe imitari dicunt: cum uitia quidem imitentur, uirtutes uero relinquant. Miram Cicero increpationem adhibet aduerſum iſtos, quos non inſcitiæ modo accuſat, quòd numeris uti neſciãt: ſed etiam inſaniæ, qui uitia à uirtutibus diſcernere non queant.

Tam inhumanas.] Id eſt, inculeas doctrina. nam humanitas, doctrina appellatur, ut tam Aulus Gellius, quàm Nonius Marcellus probant ueterum auctoritate, quibus dicendi eſt attributa auctoritas. Ephorum & Naucratem.] Hiſtoricos Iſocratis diſcipulos.] Quis porrò Iſocrati eſt aduerſatus infenſius?] Et perinde ſi quid in numeris Ariſtoteles uidiſſet improbandum, cum inimicus eius Iſocrates numerorum fuiſſet ſtudioſiſſimus: an id tacuiſſet, inquit, uel potius aſperrime non fuiſſet inſectatus? Is igitur.] Subaudi Ariſtoteles.

Atque artifex.] Quia de arte dicendi libros reliquit. Quis ergo iſtos ferat?] Subaudi in calumniã numeros adducentes. Niſi omnino hæc eſſe ab eis præcepta neſciunt.] Iucunde Cicero, maxime eos arguit ignorantiæ, quòd neſciant, qui etiam de numeris ſcripſerint. Nec uero aliter exiſtimo.] Quàm ab inſcitia proficiſci. Nec uero multitudo pedes nouit.] Imperitum uulgus, inquit, haudquaquam nouit pedes.

Cum enim uideret orator.] Numerorum iam originem aggreditur. Quod ab his uere.] Eatenus uere aiunt, quatenus dicunt numeris delectatũ Iſocratem. Quatenus ipſum autem primum numeris uſum ferunt, falluntur: ſiquidem alij ante Iſocratem uſi ſunt numeris. Princeps inueniendi fuit Traſymachus.] Primus inuenit numeroſam, inquit, orationem Traſymachus. huius meminit Plato in dialogis. Similiter definita.] Quæ homœoteleuta diximus appellari. Sed his eſt uſus intemperantius.] Quòd nimius in eis fuerit.

Feſtiuitatibus.] Dicendi ueneres, feſtiuitates Cicero appellat. Propè enim centũ confecit annos.] Panathenaicum enim ſcribens, nonageſimum & quartũ agebat annum: uelut ipſe de ſe locutus, inquit: Ἡγοῦμαι γὰρ οὐχ ἁρμόττειν οὔτε τοῖς ἔτεσι τοῖς ἐνενήκοντα καὶ τέσσαρσιν, ἃ ἐγὼ τυγχάνω γεγονὼς, οὐδ᾽ ὅλως τοῖς ἤδη πολιὰς ἔχουσιν, ἐκεῖνον τὸν τρόπον ἔτι λέγειν.

Relaxat à neceſſitate numerorum.] Quoniã, ut ipſe ait, talis oratio ſeni non congruat. Ipſi ſibi imitandi.] Id eſt, ſequendum fuit eis eam cõcinnitatem, quam ſemel uſurpaſſent.

Aures enim uel animus.] Alij enim concentum muſicum auribus tantum iudicari cenſuerunt: alij ſola ratione: alij porrò melius tum ſenſu, tum ratione, quæ animo inſedit, putauerunt. An diſpares numeri.] Id eſt, diſſimiles in his omnibus inueniantur. Vt numerus interuallis.] Longarũ & breuium, ut in muſicis diaſtemata. Quæ Græci uocant σχήματα.] De quibus ſupra abunde dictum eſt. Finitimũ eſt numero.] Tam enim figurata, quã numeroſa oratio ſplendidam reddunt orationẽ. Per ſe plerunque perfectũ eſt.] Nam luminibus oratio, id eſt, tropis et ſchematis per ſeſe elegans, & ornata ſatis apparet oratio. Iniquũ eſt quod accidit non cognoſcere.] Admodum, inquit, alienum eſt nõ cognoſcere, quo maxime ſenſus noſter afficitur. Neque enim ipſe uerſus ratione eſt cognitus.] At ut Lucretius putat, ex auiũ concentu homines cœperunt primo, ipſiq; modulate aliquid proferre. Notatio naturæ.] Quæ fuit in ſenſu. Et animaduerſio.] Ratione comprehenſa. Peperit artem.] Ita ars ortum habuit. Qui λυρικοὶ à Græcis nominantur.] Nam in his maxime cantilena diuerſa harmonia eſt. Lyrici.] Quòd ad lyram uerſus canerent: ſicut etiam à modulatu Melici ſunt nominati. In Thyeſte.] Tragœdia ueteri: Latina uel Ennij, uel Pacuuij, uel Accij, alterius ue fabula. Cum tibicen acceſſit.] Cum ad tibias canuntur uerſus, ut etiã cantu teneatur auditor. Quo eſt ad inueniendũ

Q

difficilior in oratione numerus. Quoniã numero comœdiarũ adhuc obſcurior. Itaque tranſlata aut facta.] Quoniã hæc admodũ neceſſaria erant, quæ in omni oratione erant uſurpanda. Quandam paleſtram.] Quæ exercendi corporis cauſa inuenta eſt. Et extrema lineamenta orationi attulit.] A' pictoribus ſumpta tranſlatio: hoc eſt, abſoluit ita orationem, ut in ea polita nihil amplius deſideraretur. Tum ſtabilis.] Quia ex longis, ut ex ſpondeis, uel moloſſis. Tum uolubilis.] Quia ex breuibus, ut pæanibus quatuor, uel iambis, aut trochæis. Nam circuitus.] Quem Græci periodum, Cicero multis appellat nominibus: modo enim clauſulam, modo circuitum, modo comprehenſionem, ut aliter etiam uocare ſolet.

Nullus eſt igitur numerus extra poeticos.] Id eſt, qui pedibus eiuſmodi conſtet atque conficiatur, quibus etiam ipſi utuntur poetæ in uerſibus. Nam omnis talis eſt.] Subaudi numerus. nam ſicut hanc pedes, quam ipſe aperit, habent ſectionem: ita numeri, qui ex pedibus conſtant, habeant neceſſe eſt. Partem pedis, aut æqualem eſſe.] Vt in Pyrrhichio ſpondeoq́;. Aut altero tanto.] Vt in trochæo & iambo. Aut ſeſqui eſſe maiorem.] Vt pæanes quatuor. eſt & tripla proportio, ut in amphibracho: & ſeſquitertio, ut in quatuor epitritis, unde etiam nomen habuerunt epitriti. Aequalis dactylus.] Quia una duorum temporũ cum duobus temporibus comparata, æqualem proportionem facit. Duplex iambus.] Quia duo tempora cum uno comparantur. Seſquiplex pæan.] Quoniam tria tempora cũ duobus conferuntur. Qui pedes in orationem cadere qui poſſunt?] Ac ſi dicat, nullo modo accidere poterit. hoc dicit, non quin alij quoque cadant: ſed ſatis habuit aliquos oſtendere, ideo etiam ſubiungit, Incidere uero omnes in orationem etiam ex hoc intelligi poteſt. Quod uehementer eſt uitioſum.] Quoniam dum ſoluta eſſe debet oratio, uitioſe uerſus pangitur.

Neque exaudimus noſmetipſos.] Non ſuſpicimus quid dicamus. Senarios uero.] Id eſt, trimetros iambicos. Et hipponactæos effugere uix poſſumus.] Hipponactæum, ab Hipponacte iambographo carmen appellatum. Eſt autem metrum iambicum hipponactæum, ut Manlius inquit Theodoricus, quod repetit pedes ex lege in alijs comprehenſa: & additur ei in fine pes bacchius, Ibis Liburnis inter alta nauium recurrens. Eſt etiam alterum iambicum hipponactæum, quod à nobis comprobatur, in quo ſextus pes ſpondeus ponitur. huius exemplum, Hic non iambum reddidit pedem ſextum. Sed tamen uerſus uitioſum genus.] Veruntamen, inquit, uitioſi uerſibus utimur. Sed etiam anapæſta.] Subaudi, carmina. Sanè in anapæſtico metro, ut idem Manlius Theodoricus inquit, nullum pedem ita congruere, ut ſpondeum uidemus. nam quamuis dactylum in hoc metro à quibuſdam Græcis poſitum inuenimus, eo tamen adhibito, confragoſus quiddam reſonat, & durius. Itaque tametſi dactylus atque anapæſtus ſunt temporibus pares: id tamen aurium ſenſus, cui eſt maxime parendum, efflagitat, ut quemadmodum intromitti in metrum dactylicum, ne eius ſuauitatem corrumpat, anapæſtus non poteſt: ita metrum anapæſticum, ne eius gratia minuatur, dactylo inhoſpitale erit. accómodatiſſimus uero ſpondeo in hoc metro locus primus: cæteri atque omnes pedes anapæſti. ita tamen ut pro ultimo pede, ſicut in trochaico metro, una tantũ ſyllaba cõſtituatur. primo autem metrum anapæſticum aut dactylicum ab hexametro metro ordimur. huius exemplum, Alte ſuperemicat Aetna, Poloq́; propinquat. Hæc Manlius. Non me fugit, hic de hoc metro poſſe alia plura dici: ſed quod ad hunc locum attinet, pluribus dicendum non fuit. Anapæſticus is, qui Ariſtophaneus nominatur.] Ariſtophaneus conſtat monometro, uel dimetro: ut, Optima Calliope. Sed tamen hic corrector.] Ironicos, Hic corrector: quoniam dum alios corrigit, in eo, in quo corrigit, uitio ipſe reprehendendus. Sunt enim qui iambicum putent.] Vt Ariſtoteles. Quòd ille dactylicus numerus hexametrorum magniloquentiæ ſit accommodatior.] Sicut Demetrius Phalereus putat. Profectus ex optima diſciplina.] Subaudi, Iſocratea. Et trochæum.] Choreus aliquando trochæus, aliquando tribrachus appellatur. Alteram nimis incitatam.] Quæ ex choreis, id eſt tribrachis. Alteram nimis tardam.] Quæ ex ſpondeis. Priores errant.] Ideo non mirandum, ſi numeri nondum eis ſatis noti. Heroum numerum.] Qui ex dactylis conſtet, uel ſpondeis. Trochæum autem.] Qui eſt eodem ſpatio, quo choreus. uterque enim tribus conſtat temporibus.

Cordacem appellat.] Id eſt, laſciuam & procacem exultationem: quòd in breuitate grauitas nulla ſit. Ita pæana probat.] Propter dictionis longitudinẽ. Aut ſeſquiplex.] Qui ab alijs ſeſquialter etiam dicitur Latinis, Græce autem ἡμιόλιος: ut tria ad duo, triginta ad uiginti, in quibus totum & dimidia alterius pars continetur numeri ſuper particularis. quis autem hic in pedibus metiendis ſit, ſicut & duplus, & triplus, & ſeſquitertius, aut par: iam dictum. Iambus enim & dactylus in uerſum cadunt max.] Hoc non dicit quin reliqui quoque uerſum faciant: ſed quia hi coniunctĩ facile uerſum facere dinoſcantur, multi iambi, multiq́; dactyli. Pæan autem minime eſt aptus ad uerſum.] Atqui pæanis cum etiam metrum dicimus. intelligendum ergo uerſum, qui ſonitum aliquem poeticum habeat: & eo metro rariſſime quoque utuntur poetæ. Aequalem dactylo.] Subaudi, temporibus. nam & æqualis eſt etiam ſectio. Nec enim poſſemus effugere animaduerſionem.] Quia cũ ſimilibus omnes clauſulæ pedibus terminarentur, deprehenderetur dicendi aucupium: & proinde ubi uere dicere uideri uelles, ludere uiderere. Alterum nimis eſt uinctum.] Poema. Alterum nimis diſſolutum.] Quod ad ſermonem pertinet: ideo neutro genere protulit: quia ad rem, non ad ſermonem dirigit cogitatum. Ab altero non delectere.] Sermone. Alterum oderis.] Cum ſimile uideas poemati. Optimus auctor.] Subaudi, Ariſtoteles. Hi ſunt inter ſe miſcendi.] Iambus, dactylus, pæan. Et quadrandæ orationis induſtria.] Sicut enim quadrata forma maxime ſtabilis eſt (unde & eam Plato terræ aſcribendam eſſe cenſuit: quia quanquam iactes & uoluas, firmatur) ita inde quadrare, conuenire dixerunt ueteres. Quæ latebit eo magis.] Hoc dicit: Aurium quod quærimus aucupium, occultabitur, ſi pondus erit in uerbis atque ſententijs. Qui tamen ſi abeſſet.] Si nullus foret numerus, propter grauitatem tamen uerborum et ſententiarum aures ad audiendum intentæ eſſent.

Ad numeros proxime accedit.] Siquidem ex pedibus conſtant numeri: nec pars ulla uacat pedibus. clauſula uero ſatis habet, ſi primordia pedibus conſtent, atque adeo uerſuum primordijs: fines pedibus concludantur, uerſum non terminantibus. Tanquam tibicini percuſſionum modi.] Vbi percuſſione digitorum breuitas & longitudo ſyllabæ oſtendatur.

Ponendus eſt enim ille ambitus, non abijciendus.] Quod fieri uidebitur, ſi ſola ultima ſint numeroſa. Non erit difficillimum.] Id uere. nam quoquo modo ſe quiſpiam exercuerit, ita dicit. Vel adeo uerum eſt, ut nobis frequentiſſime ſcribentibus uerſus, extemporalis quædam uerſuum dicendi facultas emanet: uerba concurrunt ad illam afferendam ſententiam, ita ut mens ipſa, qua nihil celerius dici poteſt. Spectare debent ad ultimum.] Quoniã pars ultima potiſſimum mouet audientem. Incitatior.] Si ex breuibus conſtet. In reliquis ornamentis.] Quæ ſunt in ſono uerborũ & figuris. Terna autem ſunt utriuſque partes uerborum.] Id eſt, in tria genera uerborum diſtribuitur ornatus, ut ſint

tranſlata

tranſlata, ut nouata, ut priſca : addunt etiam alij, ut alibi ipſemet Cicero, propria, ſed ſubiungit. Nam de proprijs nihil hoc loco dicimus.] *Quoniam ea magis humili conueniunt characteri.* Concinnitas.] *Vt ſupra oſtenſum, cum commode copulantur.* Aut conſtructione uerborum.] *Vt habent contraria.* Si quando: ſemper.] *In grandiloquo, ſubaudi : ne ſibi ſit ipſe Cicero cõtrarius: ſupra enim humilem characterem ait longe abeſſe à numero oportere.* In tota cõtinuatione uerborũ.] *Id eſt periodo.* Quorum.] *Subaudi uerſuum.* Imparibus, an æqualibus.] *Quibus periodus cõſtat.* Deq́; eorũ particulis.] *Id eſt, caſu, ac membris.* Remotis igitur reliquis generibus.] *Demõſtratiuo, ſiue panegyrico et deliberatiuo : uel etiã alijs generibus, ut dialogorum, et id genus diſputationum. de Iudiciali duntaxat genere loquimur.* Appellamus ἐπιδεικτικὸν.] *Id eſt, demonſtratiuũ, quod alij etiam laudatiuum: quia Græci encomiaſticon uocant.*

In quadrum.] *Id eſt, aptum & concinnum, ut ſupra expoſuimus.* Genus autem hoc orat.] *Subaudi uoluptarie.* Detrahit præterea actionis dolorẽ.] *Quòd ludere in cõpoſitione uideare. Dolorem autem : quia ſeu accuſes, ſeu defendas, dolor exuſcitatur.* Aufert humanum ſenſum.] *Id eſt, ſenſus affectum, qui ferè in humano genere excitari ſolet.*

Si aut laudandum eſt aliquid ornatius.] *Quia ea pars demonſtratiui eſt generis, cui numerus potiſſimum accommodatur.* Vt nos in accuſationis ſecundo.] *Subaudi, in Verrem.* In amplificanda re.] *Quæ quatuor ferè modis fieri ſolet : aut incremento, aut congerie, aut comparatione, aut ratiocinatione.* Ab oratore iam obſeſſus eſt.] *Hoc eſt, non in exordijs, cum attentio, docilitas, & beneuolentia quærenda: ſed cum iam factus auditor in oratoris uidetur poteſtate, ut inſidietur oratori, & obſeruet ne quid dicat, quod minime cauſæ conuenire arbitretur.* Non inquirit, quod reprehendat.] *Id eſt, non circumſpiciens intentus ad ſingula, quærit quid ſibi perſuadeat.* Hæc autem forma.] *Subaudi, in cauſis numeroſe loquendi.* Transferenda tota dictio.] *Totus is loquendi modus.* Cum Græci κόμματα, & κῶλα nominent.] Ἀπὸ τοῦ κόπτειν, *Id eſt ab incidendo. & cola, membra à noſtris dicuntur.* In omnibus hoc ſit artibus.] *Vt uerba nouentur transferanturq́; : ut geometres, rhombum figuram illam quadratam uocant, à rhombi piſcis ſimilitudine : arithmeticus, docidas numeros, quòd lateris gerant effigiem : muſicus, à numeris conſonantias appellauit, ſeſcuplam, ſeſquitertiam, ſeſquioctauam, duplam, triplã, quadruplam, ob illorum menſuram numerorum : aſtronomus, argumentum, quòd ex eo in quo loco ſol ſit arguatur, à dialecticis, uel oratoribus ſumpta ſimilitudine : & ita in reliquis, ne ſim iam in enumerandis locis nimius.* Fluit omnino numerus à primo.] *Quo modo autem fluat, oſtendit.* Cum incitatius breuitate pedum, tum proceritate tardius.] *Id eſt, longis ſyllabis tardius.* Curſum contentiones magis requirunt.] *Confirmatio, inquit, & confutatio magis exigunt ut procurrat oratio.* Expoſitiones rerum, tarditatem.] *Quia grauiter ac ſine affectu efferri debent.* Qui dichoreus uocatur.] *Id eſt, bini trochæi coniunguntur : quod ipſe exponit, cum inquit,* Id eſt, è ſingulis longis et breuibus.] *Nam ut ſupra quoque, choreus etiam tribrachus appellatur.*

Sed in orationis numero.] *Si trochaicum feceris metrũ.* Cadit autem per ſe ille ipſe præclare.] *Dichoreus, inquã, ſi clauſulã concluſerit.* Me ſtante.] *Iam ponit eius quod dixit exemplum Carbonis, quem in Bruto facundum fuiſſe memorat : cuius per inciſa & membra ſtructam numeroſe clauſulam metitur.* Pœnas perſolutas.] *In duos trochæos concluditur, ſpondeo antecedente. & quoniam Perſolutas, ultima ſyllaba longa eſt, ut ſpondeus potius uideatur, ſubiungit :*

Nihil enim ad rem, extrema illa longa ſit an breuis.] *Quoniam ita etiam in uerſu libere ponitur: ſecus autem Quintiliano uidetur, qui ait: Si longa ſit, quiddam uideri ſibi uberius ſonare, quàm ſi breuis. qui accedere Ariſtotelicæ uidetur eatenus ſententiæ, quatenus pæan quartum probat Ariſtoteles in ultima clauſulæ parte collocari. Nobis uero Cicero ipſe prudentiſſime dixiſſe uiſus eſt : ſiquidem ideo breuis pro longa haberi etiam à muſicis ſolet, quòd mora quadam ſit, donec alia exordium ſibi ſumat clauſula, quæ rectè breuem uideri longam facit.* Deinde patris dictum ſapiens, temeritas filij cõprobauit.] *Quæ Carbonis clauſula pars extrema dichoreo terminata, tantum clamorem, inquit Cicero, excitauit, ut admirabile eſſet.* Ordinem immuta.] *Ne ſit in poſtrema clauſula dichoreus, ſed ſit pæan quartus : Comprobauit filij temeritas.* Iam nihil erit.] *Subaudi, quod probet.* Sed id crebrius fieri non oportet.] *Ne ſimilitudo ſaties.* Et eius æqualis pæan.] *Quia totidem temporum, non tamen ſyllabarum.* Qui numerus in primo uiget.] *Primus, inquit, pæan, in principio clauſulæ : ut eſt, Incipite, deſinite.* Totidem breuibus, & longa.] *Vt eſt Temeritas, facilitas, agilitas.* Cenſent ueteres.] *Vt Ariſtoteles.* Hebetior uidetur & tardior.] *Ideo etiam in iambico admiſſus, unde Horatius :*

Tardior ut paulo grauiorq́; ueniret ad aures,
Spondeos ſtabiles in iura paterna recepit.

Et non expertem dignitatis gradum.] *Eſt ſiquidem in ſpondeo grauitas.* Paucitatem enim pedum.] *Quia cum ſit duarum ſyllabarum, bis tantum poſitus, facit numerũ propter longarum tarditatem.* Ne iambus quidem.] *Rectè iambus ante dactylum collocatur: ut pro M. Marcello: Ipſe finem hodiernus dies attulit.* Par choreo.] *Id eſt, tribracho.* Sed ſpatio.] *Id eſt temporibus.* Si eſt proximus à poſtremo.] *Quia tum uerſus uidetur heroicus.* Nunquam enim intereſt uter eorum ſit in pede extremo.] *Propter indifferentem, ut diximus, ſyllabam ultimã, non intereſt ſit'ne ultimus ſpondeus, an trochæus.* Pæana qui dixit aptiorem.] *Pæana, inquit, quartum, qui dicit in extremo collocandum propter indifferentem ultimam.* Vidit parum.] *Hoc Ariſtoteles ait: cui Quintilianus aſtipulatur, ut iam ſupra diximus.* Numerus à quibuſdam non pes habetur.] *Et proinde exiſtimant ſolum hunc eſſe ponendum.* Occurretur ſatietati.] *Cuius mater eſt ſimilitudo.* Quod ante dictũ eſt concinnitatis compoſitione.] *Quia aptam diximus, inquit, ſtructuram compoſitione concinnitatis, id ita intelligendum : quòd tametſi numerus à nobis fiat, non is tamen quæſitus, ſed dum uerba ſtruimus, ſponte ſe numerus obtulit.* Leue præſidium eſt.] *Pyrrichius ante pæana primum, propter indifferentem, quæ à monoſyllabo excepta, partem dictionis facit.* Aptè numeroſeq́; dixerunt.] *Sicut Dionyſius Halicarnaſſeus eos locutos uideri plerunque uult.* Alterum ſi ſit.] *Vt è numeris conſtent, ut iam diximus, fuerit uitioſum.* Alterum niſi ſit.] *Vt ſit numeroſa è quatuor ferè partibus : aliquando ſimplex eſt periodos, & dicitur monocolos, ut Demetrius Phalereus ſcribit : aliquando duobus membris, & dicitur dicolos : ſi tribus, tricolos : ſi quatuor, tetracolos : ultra non progreditur.* Quàm ſatis ſit.] *Quàm uno poſſimus pronunciare ſpiritu : ideo longiſſimi ſpiritus fuiſſe Demoſthenes arguitur, quòd periodis utatur longiſſimis : ergo erit ferè, inquit, ex quatuor hexametris.* Membratim uolumus dicere.] *Vbi urgendum & contentioſius dicendum ſit.* Niſi interuallo dixiſſet, ipſi prodeant.] *Quoniam dicendo, Miſſos faciant patronos, aliquantulum conquieuit : inde intulit, Ipſi prodeant. quòd ſi continuus pronunciatione fuiſſet ſpiritus, trimeter erat iambicus : ſed numeroſius, inquit, erat, Prodeant ipſi, creticus ut ſit ante*

ſpondeum. Cur clandeſtinis conſilijs.] Ex Craſſo ſumpta ſunt exempla. Non longa.] Ab inferiore pede. Eſt enim ordo uerborum, Non longa comprehenſio eſt. Et Craſſus quidem ſic plerunque dicebat.] Grauior enim ex longis, ut diximus, fit oratio. Domus tibi deerat? at habebas.] Similiter deſinens. Tanquam crepidine.] Tanquam fornicato opere, ut rotunda fiat conſtructio: quæ concluſa eſt gemino trochæo, iambo antecedente, Fortunas tuas æſtimaſti.

At diſpondeo proximum illud.] Quod membratim enũciatũ eſt, id diſpondeo terminatur, Inſanus inſaniſti. Nam in ijs, quibus ut propugnaculis.] Recte tranſlatio facta à propugnaculis, ut inciſa, ut membra tanquã propugnacula antecedãt: inde maior uis infertur ex uocũ ingeminatione, per quandã, ut ipſe ait, crepidinẽ. Sæpe enim ſingulis.] Subaudi, pedibus.

Binis, & utriſque.] Hoc eſt, ſingulis: et, binis, poteſt addi pes medius: quod in metris fieri ſolet macrocatalectis. Non ferè ternis amplius.] Non excedunt tres, inquit, pedes. Cum aut arguas, aut refellas.] Id eſt, in argumentationibus. Quia non poteſt eſſe breuior.] Quàm ut ſit dicolos. non ſimplex membrum habere putat Cicero: Demetrius inde Phalereus ipſam monocolon appellauit. Interponit ſe raro numeroſa comprehenſio.] Raro, inquit, ubi membratim dicas, interponitur clauſula numeroſa, quæ fructum oratori ferat, quæ palmam patrono comparet. Non quin ijdem ſint numeri.] Cadunt enim numeri ſub tactum, ſub uiſum, ſub auditum, ut arteria, ſaltatio, & ſonitus ſiue ore, ſiue inſtrumento fiat. Ne infinite feratur ut flumen oratio.] Sed decore numeri tanquam habenis retineantur.

Interductu librari.] Iactari, quaſi ſingultu. Vt enim athletas.] Id eſt pugiles. Habeat paleſtram quandam.] Quæ ludendi, non feriendi cauſa adhibetur: ſed incurſandi ſubducendiq; per ſeſe quædam dexteritas eſt. Nec plagam grauem facit.] Argumentis iaculando. Niſi petitio.] Id eſt inuaſio, ut cum aduerſarium inceſſimus, apertè faciamus.

Nec ſatis tecte.] Ab aduerſarij argumentis. Declinat.] Subterfugit. Α᾽παλαίστους Græci uocant.] Id eſt, paleſtricæ agilitati minime idoneos. Tantumq; abeſt, ut.] Senſus eſt: Tantum abeſt ut eorum non eneruetur oratio, qui aut inopia magiſtrorum, aut ingenij imbecillitate, aut laboris fuga, aſſequi non potuerunt ut numeris uterentur: ut etiam eorum nullus impetus ſit in oratione, nec uis ulla in dicendo eſſe poſſit. Sed magnam exercitationem res flagitat.] Vt omnia certe humana, quæ ad laudem modo aliquam aſpirare poſſe uideantur. Traijciamus aperte.] Ne poetarum more uerba transferamus: ut numerum faciamus, quem ſolent facere poetæ, ut uerſum concludant. Et Aſiaticos maxime.] Quos ſuperius diximus cantum & tumorem quendam in oratione ſecutos, prorſus Atticis contrarios oratoribus. Quaſi complementa numerorum.] Quod cum poetis, qui neceſſitate coguntur eo modo explere uerſum, ut nec deſit, nec redundet, puerile ſit: multo id magis erit oratoribus, quos nulla ducit neceſſitas. Siculorum ſimilimum.] Qui ut Dorica lingua utebantur, ita ruſtica, ut apparet adhuc ex Archimede, Eutotio, & Timæo, qui eadem lingua uſi ſunt. Hierocles.] Qui uerſus Pythagoræ, quos aureos uocant, interpretatus eſt. Neque inferciens uerba.] Quæ momenti nullius ſint: ſicut aduerbia aliquando poetæ interſerunt. Multi uenalitij.] Qui ſeruos mercantur, enunciantq́;, qui & uenalitiarij dicuntur. Vlpianus in XXI: Plerique ſolent mancipia, quæ nouitia non ſunt, quaſi nouitia diſtrahere, ad hoc ſcilicet, ut pluris uendant. Præſumptum enim eſt ea mancipia, quæ rudia ſunt, ſimpliciora eſſe, & ad miniſteria aptiora, & dociliora eſſe, & ad omne miniſterium habilia. Trita uero mancipia & ueterana difficile eſt reformare, & ad ſuos mores formare: Quia ergo uenalitiarij ſciunt facile decurri ad nouitiorũ emptionem, idcirco interpollant ueteratores, & pro nouitijs uendunt. Dicimus etiam uenalitium, quod eſt ad uendendum expoſitum, de hominibus locuti. ut. Pomponius: Qui uir cibaria uxori, familiæ, iumentis'ue præſtiterit: quæ in uſu communi erant, non condicentur: quòd ſi familiam uxoris domeſticam aut uenalitia pauerit, contra puto obſeruari debere. Verba permuta.] Tum uidemus clauſulam ſordidam: quia deeſt numerus. Adde tertium.] Quia duo protulimus. Ad nihilum omnia recidant.] Id eſt, quæ nullius momenti eſſe omnia uideantur. In quadrum redigas.] Id eſt, in aptiſſimam et congruentiſſimam ſenſibus clauſulam: idq; Gracchi, minime numeris utendum, docet exemplo. Hoc modo.] Subaudi, numeroſe: Nemo, inquit, ita ineptus eſt & delirus, qui potius concinne nó cupiat dicere, ſi poſſit. Ita facti ſunt repente Attici.] Ironicos, Dum, inquit, numeris uti neſciũt: & quia Thucydides, aut Herodotus Attici, numeris uſi nó ſunt quoniam per id tempus nondum, numerus cognitus erat, ſe putant Attice loqui, & repente ſe factos Atticos: & quia numeris non utantur, rem ſtatim confectam putant. Si quis Phidiæ clypeum diſſolueris.] In eius medio Phidiæ caput fuit: ſed ſtatua Mineruæ, ſicut ſuperius oſtendimus. Vt in Thucydide, orbem modo orationis deſidero.] In Thucydide, inquit, ſolum deſidero numerum: cætera ſiquidem mihi uidentur abſolutiſſima. Iſti.] Ac ſi dicat, Homines ineptiſſimi, qui ſe Atticos faciunt. Non clypeũ, ſed ut in prouerbio eſt.] Senſus eſt, Thucydides, uel ſi quis alius Thucydidæo more locutus, grauiſſimis ſententijs, electiſſimis, grauiſſimisq; uerbis quod numeroſe, ſi in ordinem ducatur, efferri potuit, non effertur, ſed diſſolui traijciq; numerus uidetur: is iure Phidiæ clypeum diſſoluere dici poteſt. ſiquidem eius grauiſſime dicta, pulcherrimaq; ſententiæ minime clypeo uidentur poſſe comparari. Qui autem ineptiſſimis uerbis ineptiſſimas deuinciunt ſententias, ſi quando iactantiæ cauſa ſimiles Thucydidi, quòd numeris non utantur, uideri uelint: & perinde, quæ numeroſe efferri poterant, diſſoluunt: non illi, inquit, Mineruæ clypeum, ſed ſcopas, ut in prouerbio eſt, diſſoluere iure dici poſſunt: ſtolidiſſimi, qui hoc uno, quo illi deliquerunt, uideri uolunt ſimiles eis, qui nullam eorum uirtutem, in quibus maxime probari ſolent, æmulentur. aut certe cum etiam poſſint, non iniuria diſſoluere ſcopas dicuntur: quoniam eorum dicta nó clypeus Mineruæ ſunt, tanquam longe ab eo abſint, ut iam quæ loquantur, ſcopæ dici poſſint. Etſi humilius dictum.] Quoniam nihil uidetur abiectius ſcopis. Atque ut planè genus hoc.] Senſus eſt, Quòd ſi genus hoc dicendi non probant, ſcribant igitur Socratis more aliquid, & quantumuis diſſoluant: tunc credemus poſſe & hæc, & alia quæuis factitare. Quo Aeſchines.] Subaudi, Socraticus: uel etiam qui Demoſthenis inimicus: uel quo ſcripſit ille Demoſthenes modo. Facilius eſt enim apta diſſoluere.] Quia facilius eſt delinquere, quàm bene uiuere: facilius à circuli centro abſcedere, quàm ipſum centrum inuenire. Res autem ſe ſic habet.] Suam nunc Cicero de ſcribendi iudicio effert ſententiam. Etiam plerunque prudentes.] Poſſibile ſiquidem eſt, ut multi ſenſus, magnæq; prudentiæ, eximijq; iudicij ſis: & tamen dicendi genus nullum habeas. Si liceat.] Quoniam non ſemper opus.

Habes meum de oratore, Brute, iudicium.] Mos Ciceronis ita libros concludens, Habes: uel, Hæc fuerunt. Si aliud quoddam eſt tuum.] Quod tu ſolus tibi inueneris. poteſt enim non ſolum aliud mihi (quoniam mutari hominis prudentia conſueuit) aut aliud alio tempore uideri: alioqui ne Cicero quidem tot libros nobis rhetoricos reliquiſſet: neque, ut fecit, emendaſſet, quæ ante ea multa tenenda pronunciaret

ciaret

ciatae. Quæ ad uulgi aſſenſum ſpectat.] Studium enim oratoris totum ad multitudinis imperitæ iudicium relegatur. Sed ne in maximis quidem rebus.] Quæ altiſſimo reguntur conſilio. Quidquam inueni firmius.] Quod minus poſſet imitari. Quàm ſimillimum ueri uideretur.] Id eſt, probabile. nam, quæ nam, quæſo, diſciplina iam eſt, quæ maxime hoc non ſequatur, præter Mathematicas diſciplinas, in quibus etiam inuenias aliqua aliquando, quæ & ipſa quoque ueriſimilitudinem atque umbram ſequantur. Quæ certe proferrem, nec ullus eſſet labor, ſi mihi id modo propoſitum eſſet. Maius opus inſtitutum putes.] Quia quod nunquam fuit, aut dubium ſit eſſe ne poſſit, nos aggreſſi fuerimus oſtendere: quæ certe quàm magna ſint, uix etiam cogitatione poteſt acutiſſimi cuiuslibet ingenij proſpicere.

FINIS.

IAC. LOD. STREBAEI RHEMENSIS IN CICERONIS ORATOREM COMMENTARII AD GABRIELEM VENATOREM EBVRONICVM EPISCOPVM DESIGNATVM.

s AEPE ueritus ſum, deſignate Pontifex, ne me plerique temeritatis arguendum putarent, ſi quod opus diuinus auctor M. Cicero, omnium difficillimum indicaſſet, ſi quod homines eruditi temporibus noſtris intelligi non poſſe confirmaſſent, hoc & difficultatibus explicare, & commentarijs illuſtrare contenderem. Perſpicuum eſt oratoris eximij iudicium, qui cum multas atque præclaras abſoluiſſet orationes, & cum multa de arte rhetorica grauiter & copioſe præcepiſſet, cumq; iam arcana philoſophiæ myſteria Latinis aperire uellet, unum in oratore ſubinde repetiuit, nihil eſſe tam difficile, nihil tam arduum, quàm quæ ſit optima figura dicendi, iudicare. Nec ignotum quod homo noſtra ætate nominis ampliſſimi, non ſine multorum conſenſu memoriæ prodidit, eum dementem & inſanum uideri, qui quod Cicero de numeris oratorijs & eloquendi generibus hic ſcriptum reliquiſſet, id non modo ſcire ſe, ſed etiã conſequi poſſe profiteretur. Nec ſi res obuia, ac intellectu facilis eſſet, poſſem tamen omni uacare metu. Me premeret eorum ſententia, qui Romæ falſo quidem, ſed tamen appellabantur Attici. Iis antiquius grauiusq; uidebatur inconditum genus orationis, quàm aptè compoſitum, & (ut aiebant) mollibus numeris effœminatum. In Atticorum ſententiam pedibus eunt innumerabiles etiam ſcriptores, qui horrido & confragoſo genere loquendi ſuas exprimunt cogitationes, ornamentorum uoluptates reſpuunt, & numeros. Nec eis ſatis in hoc tetro ſqualore non contemni, laudari etiã uolunt. Accedit his omnibus alia metuendi ratio, ne per uirium infirmitatem aptè opus compoſitum & ornatum non dico exponam, ſed miſceam incompoſite & inornate. Turpe certe quidem de optimo genere eloquendi præcepta referentem, nulla ualere facultate dicendi. Aliud eſt quod etiam mihi negotium faceſſat, ſi flumen hoc eloquentiæ ad ſuos fontes primumq; caput reuocare non poſſim. Etenim reperiuntur amatores Græci nominis, qui uehementer affirmant hæc omnia ferè præcepta Ciceronis, à Græcorum fontibus eſſe deducta, eoq; reducenda exiſtimant, ut inde multo purius hauriantur. Hæc & talia, cogitanti mihi rerum diſcrimen, occurrebant. Auſus ſum equidem ire contra, ſi parum conſulte, non tamen ſine ratione. Nam quod ante clauſum uidebatur & inacceſſum, patefecit eloquentiæ princeps, & ſtrato uiarum ſolo, tranſitum dedit. Incredibile porrò tanto labore muniſſe uiam, quò nemini ſtudioſorum pateret acceſſus. Certe traductus eſt Brutus, alijq; permulti, quorum pars (teſtis eſt Quintilianus) iter ut nimium molle deſeruit, aliud ſibi poſtea conſtrauit. Nec tempus interiectum clauſit aditus, nec excluſit poſteros omnes. quanquam mons ille & aſcenſu editior eſt, quàm mente concipiant audaces, opinione ſua docti, reuera inexperti. Arduum ſanè & longum metiendum eſt animo ſpatium, ſi ad huiuſce doctrinæ lineam ſummam peruenire contendas. At illud Virgilianum in hac quoque parte uerum eſt: Labor omnia uincit Improbus. Quid Attici, quid'ue alij ſequantur, uideant ipſi. Alteros palàm deriſos & exploſos accepimus: alteros ab optimo quoque deſeri uidemus. Quamobrem grauior apud me ſit eorum ſententia & auctoritas, qui orationem uinciunt & expoliunt, quàm qui ſcopas aut ignorantia, aut mala perſuaſione diſſoluunt. Hoc modo, inquit Cicero, dicere nemo unquam noluit, nemoq; potuit quin dixerit. Et alio in loco, Fieri poteſt ut recte quis ſentiat, & id quod ſentit, polite eloqui non poſſit: ſed mandare quenquam literis ſuas cogitationes, qui eas nec diſponere nec illuſtrare poſſit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis eſt intemperanter abutentis otio & literis. Id ergo metuendum magis eſt, ne inter compoſitos ſimus incompoſiti, & inornati. Venio inermis & ſtyli uacuus ad pulcherrimum certamen literarum, quo mihi ſæpius eſt uenia petenda, ac precibus eluendum crimen. Peto equidem, & rationem commentationis haberi cupio. Totum ferè genus commentariorum (niſi quid interim altius & ſplendidius extollitur) haud recedit ab illa tenuitate dicendi. In humili figura ſimus, ut placet, in qua fuere priores interpretes, ut qui leuiter attigerunt paucos operis huius nec abſtruſos locos. De Græcorum fontibus hoc reſpondeo, multo melius præcepta dicendi tractaſſe Ciceronem, quàm ueteres Græcos, unde multa collegit: Ariſtotelem dico, Theodectem atque Theophraſtum, quos nonnunquam ſecutus eſt ſenex, ut Hermagoram iuuenis. Nam Molon tempore Ciceronis, Areus, & Dionyſius Alicarnaſſeus poſt Molonem ediderunt artes, ad quos ij qui putant hæc præcepta referenda, Tullianam maieſtatem magnopere lædere uidentur. Græcis igitur antiquioribus aliquando uſi ſumus, non ad eam oſtentationem, qua male quidam geſtiunt infirmi, ſed ad quorundam locorũ propè neceſſariam interpretationem. Omnino deſperare non debui, ſed quoad mihi licuit in commune laborare, & uiuendi genus inſtitutum perſequi. Ergo uitæ rationibus adductus, meaq; diligenter erudiendæ iuuentutis amore compulſus, ad hæc maxime excitatus, illo tuo mihi perchàro nomine deſignate Pontifex, hoc ingreſſus ſum laboris: qui ſi te forte nihil erudire, tamen ad ſtudia literarum ſponte currentem celerius incitare poſſet. Sic ego mihi perſuaſi, cum ſuaues & iucundæ literæ ueniſſent, quaſi in tuos amplexus, honeſtumq; ſui altius animo fixiſſent amorem, tum plura cognoſcendi ſuauitate captum, nullam dies noctesq; prætermiſſurum diligentiam. Hanc meam ſpem confirmant rationes annorum ſuperiorum. Ex quo Pariſiorum Lutetiam ueniſti, nunquam tibi defuit optima ſtudiorum uoluntas. nunquam remiſſa eſt fortis animi contentio, nunquam reiectum graue laborum pondus. Semper hæſit animo

diti, ſine duce aut uſu longo poſſent animo conſequi, porrexi manum, uiam neſcientibus oſtendi effeciq́;, ni fallor, diligentia, ut ſi quid errarent, minimum tamen errarent. Commemoro hiſtorias omnes, expono omnia uerba difficiliora, expoſitionem eorum ita coniungo, ut frequenter aliud me facere quiſquam putet. In quo monendi ſunt mihi lectores, ut ante diligenter Ciceroniana perlegant, quàm ſe conferant ad noſtra. Id quidem fieri debet in omni commentario, ſed in hoc maxime, qui nuſquā ferè ab inſtituto digreditur, una re propoſita contentus. Adhæc, rerum ſeriem demonſtro. Græca, ſi bonum eſt, admiſceo. præcepta penè omnia illuſtro periphraſi & exemplis. Quæ uitium fecerant, locos in integrum reſtituo. Omnia quæ ad rem maxime facere uidentur, diligenter inquiſita, pro facultate digeſta propono.

CVR HIC LIBER VOCETVR ORATOR.

HVIC *libello nomen fecit Orator, κατ' ἐξοχὴν καὶ ἀντονομασίαν, qua figura aut partem aut ſpeciem primæ dignitatis, nomine generis appellamus: ut Homerum poetam, Platonem philoſophum, Ciceronem eloquentiæ Romanæ principem. Sic & oratorem Cicero nominauit eum, quiſquis in eo genere ſummus eſſet, ac perfectiſſimus. Is eſt quem quærit, is eſt quem fingit & informat. quamobrem diſſerit quæ ſit optima ſpecies & quaſi figura dicendi, quod eloquentiæ genus maxime probetur, qui ſit ille eloquens quem nunquam uidit Antonius. Tum ſic breui tandem complectitur: Is eſt, inquit, eloquens, qui & humilia ſubtiliter, & magna grauiter, & mediocria temperate poteſt dicere. Et paulo poſt: Is erit igitur eloquens (ut illud idem iteremus) qui poterit parua ſummiſſe, modica temperate, magna grauiter dicere. de quo ſic Antonius primo libro de Oratore: Tumq́; ego hac eadem opinione adductus, ſcripſi etiam illud quodam in libello, qui me imprudente & inuito excidit, & peruenit in manus hominum, diſertos me cognoſſe nonnullos, eloquentem adhuc neminem: quòd eum ſtatuebam diſertum, qui poſſet ſatis acute atque dilucide apud mediocres homines ex communi quadam hominum opinione dicere: eloquentem uero, qui mirabilius & magnificentius augere poſſet atque ornare quæ uellet, omnesq́; omnium rerum, quæ ad dicendum pertinerent, fontes animo ac memoria contineret. Ex quibus facile eſt colligere, qui'nam ſit hic Ciceronis orator, quodq́; propoſitum ſit diſputationis argumentum.*

AD QVEM ET QVANDO SCRIPTVM SIT HOC OPVS.

IVLIVS *Cæſar à bello Pharſalico traiecturus in Aphricam aduerſus arma Scipionis & Iubæ, Marcum Brutum Galliæ Togatæ præfecit. Is in communi bellorum incendio ſic prouinciam adminiſtrabat, ut nullam poſtea neque tranquilliorem, neque amore ſui magis incenſam compererit Cæſar: atque etiam in maximis occupationibus nunquam intermittebat ſtudia doctrinæ. Semper aut ipſe ſcribebat aliquid, aut Ciceronem (quo familiariter utebatur) ad ſcribendum uocabat. À quo per literas impetrauit, &, ut uult Cicero, penè extorſit, ut quod eloquentiæ genus probaret maxime, ſcripta ſententia pronunciaret. hiſce de rebus hoc in libello Cicero: Amo, inquit, & ſemper amaui, ingenium, ſtudia, mores tuos. Incendor porrò quotidie magis, non deſiderio ſolum, quo quidem conficior, congreſſus noſtros, conſuetudinem uictus, doctiſſimos ſermones requirens tuos, ſed etiam admirabili fama uirtutum incredibilium, quæ ſpecie diſpares, prudentia coniunguntur. Quid enim tam diſtans, quàm à ſeueritate comitas? quis tamen unquam te aut ſanctior eſt habitus, aut dulcior? Quid tam difficile, quàm in plurimorum controuerſijs diiudicandis ab omnibus diligi? conſequeris tamen, ut eos ipſos quos contra ſtatuas, æquos placatosq́; dimittas. Itaque efficis, ut cum gratiæ cauſa nihil facias, omnia tamen ſint grata quæ facis. Ergo ex omnibus terris una Gallia communi non ardet incendio, in qua frueris ipſe te, cum in Italiæ luce cognoſceris, uerſarisq́; in optimorum ciuium uel flore uel robore. Iam quantum illud eſt, quod in maximis occupationibus unquam intermittis ſtudia doctrinæ? Semper aut ipſe ſcribis aliquid, aut me uocas ad ſcribendum. Itaque hoc ſum agreſſus ſtatim Catone abſoluto: quem ipſum nunquam attigiſſem, tempora timens inimica uirtuti, niſi tibi hortanti, & illius memoriam mihi charam excitanti, non parere nefas eſſe duxiſſem. Sed teſtificor me à te rogatum, & recuſantem hæc ſcribere eſſe auſum.*

IN CICERONIS ORATOREM AD M. BRVTVM

IAC. LOD. STREBAEI COMMENTARIVS.

VTRVM *difficilius, aut maius eſſet.*] *Duæ proponuntur initio tanquam contrariæ cauſæ. altera uocat ad ſcribendum, altera contrà reuocat. Tum uis utriuſque rationibus confirmatur, hoc modo: duæ propoſitiones, duæq́; rationes, & hinc duo enthymemata hoc prætexunt exordium, quibus inter ſe comparatis, à potentiore colligitur, eſſe parendum. Enthymema primum ex propoſitione atque ratione: Difficile eſt negare Bruto petenti, quia præclara cupit, & iuſta petit ſæpius ab ſuo neceſſario. Enthymema ſecundum: Magnū eſt efficere quod petit Brutus. Id enim rogat, quod ſuperat non modo uiri facultatem, ſed etiam cogitationem: quia nihil eſt maius quàm indicare quæ ſit optima figura dicendi, propterea quòd inter oratores bonos multiplex eſt diſſimilitudo. Hæc ratio tripertita, uim habet unius. Comparatio eſt ad colligendum: Melius eſt obſequentis amico bono deſiderari prudentiam, quàm recuſantis beneuolentiam. Sæpius igitur roganti parendum eſt. Hoc principio conſequitur, uti Bruti non modo retineat amicitiam, ſed ut eandem uinculo nouo liberalis officij confirmet. Nec animum Bruti ſolum, uerum etiam cæterorum mereri contendit. Nam (quod ſcribit in Partitionibus) initia beneuolentiæ conciliandæ comparantur ab aliquo genere uirtutis, et maxime liberalitatis, officij, iuſtitiæ, fidei. Hic autem uiro bono amico ſuo iuſta petenti & præclara cupienti præſtat officium, cuius eſt fructus omnium communis. Ad hæc propoſita rei magnitudine ac difficultate, mouet lectoris attentionem: de quo in præceptis: Vt attente, inquit, audiamur, trium rerum aliqua conſequemur. nā aut magna quædā proponemus, aut neceſſaria, aut coniuncta cū ipſis apud quos res agetur. Quinetiā uidit acutus orator, ſi pondus iſtuc ſuſtinere poſſet, & opus*

conficere, non paruum fore gloriæ fructum. Si forte non perferret, tamen ueniam ſibi datum iri, qui rem magnam aggreſſus eſſet, non tam perficiundi ſpe, quã experiundi uoluntate. Putauit igitur hoc quoque prætermittendum, ne quid temere uideretur aggreſſus. Hæc de toto genere dicta ſunt. Nunc pauca de partibus, quod uelit eſſe diſcrimen inter difficilius, & maius, inter diu, multumq́;, inter doctos, atque prudentes, inter ſpeciem, et figuram: deinde quæ ſit uis horum uerborũ, unice diligerem, chariſſimum, ſentire, ſuſcipere: & tandem quæ ſit inter oratores bonos diſſimilitudo. Magnũ & difficile inter ſe diſtant. hic enim difficultas ad amicitiam refertur, magnitudo ad materiã. difficiles duri ſunt & inhumani: unde paulo poſt uſurpauit durum pro difficili. Eſt igitur difficilius id quod durius & inhumanius, maius autem ad efficiendum operoſius, et arduũ magis. Nec uel ſunt eiuſdem, diu, multumq́;. Diu temporis eſt, multum uero cõtentionis animi. Doctos & prudentes ſeparamus. etenim doctrina eſt præceptionũ & artis: Prudentia naturalis eſt intelligentia, quæ doctrina iuuari poteſt. Donatus in Eunuchũ Terentij: Prudens eſt, inquit, qui intelligentia ſua aliquid ſentit. Definitur à Cicerone prudentia, rerum expetendarum fugiendarumq́; ſcientia: quam ſi accipias, acceſſione doctrinæ non caret. Prudentia, ut definit Ariſto. eſt habitus in rebus humanis cum ratione recta. Proprietas eius, bene conſulere. Natura maxime & experientia conſtat. Species autem & figura, utraque ſignificat formam & modum, & faciem quandam rerum, ut hic orationis. Illa ab aſpectu, hæc à fingendo, id eſt formando dicta eſt. Vt autem in corporibus aliud eſt gracile, aliud plenũ, aliud medium, aliud breue, aliud procerum, aliud aliter efformatum: ſic oratio in multas ſpecies fingitur, et uarias fingendo capit figuras. Et ut in picturis effigies eſt optima, quæ rem proxime imitatur, ſic eſt optima ſpecies & figura dicendi, quæ refert humilia ſubtiliter, magna grauiter, mediocria temperate. Vnice diligere eſt, ſingulariter & maxime amare. Vbi uerbum diligo, non eſt leuioris affectus, ut multi putauerunt. Chariſſimũ dicimus, cuius amor à dignitate natus eſt atque uirtute. Cicero in Partitionibus: Cum deorum, tum parentum, patriæq́; cultus, eorumq́; hominum, qui aut ſapientia aut opibus excellunt, ad charitatem referri ſolet. Aeque proprie uerbo Sentire, uſus eſt. Nam quàm diligamur ab alijs, ſenſu prius, deinde mente cognoſcimus: quantum diligamus alios, una ui mentis intelligimus. Cum dicit autem iuſta petere Brutum, ne accipito æqua uiribus exhibentis: ſed quæ iure ſuo petat Brutus. Iam uerbum Suſcipere, magnis in rebus ac publicis uſitate dicitur. Cicero quarta actione in Verrem, Ego tamen hoc onere ſuſcepto, & recepta cauſa Sicilienſi, amplexus animo ſum aliquanto amplius. ſuſcepi enim cauſam totius ordinis, ſuſcepi cauſam pop. Ro. Hinc intelliges quantũ differant, recipere & ſuſcipere. Veniamus ad extremum, quæ ſit oratorum diſſimilitudo. Bonorũ certe proponitur imitatio, non malorum. Sunt autem etiam boni diſſimiles. Alij grandiloqui, ijq́; aut oratione aſpera utuntur, triſti & horrida, neque perfecta, neque concluſa, aut inſtructa & terminata. Alij tenues, in quibus alij callidi, ſed impoliti, alij concinniores. Alij neque grandiloqui, neque tenues; ſed intermedij, et quaſi temperati. id quale ſit, poſtea dicetur. Adde quòd totidem ſunt ferè genera dicendi, quot oratores extiterũt. Sed ut in alijs rebus, ſic et in hac parte nõ poſſunt arte cõprehendi. Quæris igitur, idq́; iam ſæpius.] Nunc ordinem præſcribit ratio diſſerendi, ut aditu patefacto, et ad audiendum paratis animis, tum conſtituatur quæſtio quaſi fundamentum rei, de qua futura ſit oratio. Quæ ſi fuſius explicanda eſt, narratione: ſi breuius, propoſitione declaratur. Proponit ergo breuiter eam, quæ paucis eget uerbis, ſummã Bruti quæſtionem, quod eloquentiæ genus Cicero maxime probet, quodq́; ſummum et perfectiſſimũ iudicet. Ex quibus et hoc accipimus, eloquentiæ imperfectæ, & cuiuſdam facultatis oratoriæ multa quidem eſſe genera laudabilia, unam tamen eloquentiam ſummam, quæ uariantibus rerum naturis aptum cuique genus accommodat.

In quo uereor, ne ſi id quod uis, effecero.] Propoſita quæſtione de qua diſſerendum ſit, & uniuerſo genere conſtituto, de re ipſa iam dicendum uidebatur: uerũ prius quã ingrederetur in aſperiorem diſputandi locum, uiã ſibi muniendam putauit. Id enim ex arte fit, ut duriora dicendo molliantur, & præmunitionibus uelut aggeribus in uia dirigantur animi, ne qui dociles haberi debeant, trahantur in errorem. Quòd igitur optimã dicendi figurã delineare non poſſet, niſi maius aliquid eloquentiæ nota proponeret, quod poſitum ſua mole terreret ſtudia multorum, utilem cenſuit animorum præparationem. Eſt igitur hæc πρoϑεραπεία ad illud facilius intromittendum, quod paulo poſt inducit: Ego in ſummo oratore fingendo, talem informabo, qualis fortaſſe nemo fuit. Facit & ad reliqua generis eiuſdem: & qua ratione parat auditorẽ, exordij pars habenda eſt, quæ quidem exhortatrix eſt, conſtatq́; propoſitione, non eſſe diffidendũ: deinde ratione res magnas eſſe tentandas: poſtea ſimilitudine à curſu, honeſtum eſſe in ſecundis tertijsq́; conſiſtere. præterea, quatuor uarietatis ad iucunditatem exemplis, à poetis, à philoſophis, à ſtatuarijs, ab oratoribus: unde tandem hæc efficit: Non eſt cur eorũ qui ſe ſtudio eloquentiæ dediderunt, ſpes infringatur, aut langueſcat induſtria. Summam poſuimus: pariter explicemus. Expreſſerũ uerbum, à pictura tranſtulit, quæ lineamentis & umbris exprimitur. Ex eadem tranſlatione deriuare poſſis ſpeciem orationis, figuramq́;.

Par eſt omnia experiri.] Sententia præclara ad acuendam animi fortitudinem. Eſt autẽ par, id quod conuenit, & bonum eſt. Tres poſtea numerat uirtutes, è quibus una ſi deſit, non poteſt eſſe perfectus orator. Non erit ſummus, ſi cui aut natura defuerit (cuius hæc ſunt dona, cõformatio bona corporis, uenuſtas oris, linguæ ſolutio, latera, ualetudo, uires) aut ſi præſtantis ingenij uis abfuerit, ad excogitandum acuti, ad explicandum ornandumq́; fœcundi, ad memoriam firmi atque diuturni: aut ſi non erit inſtructus magnarũ artium diſciplinis. Cicero primo de Oratore: Sic igitur ſentio: Naturam primum atque ingeniũ ad dicendum uim afferre maximam. Nam & animi atque ingenij celeres quidam motus eſſe debent, qui ad excogitandum acuti, & ad explicandum ornãdumq́; ſint uberes, & ad memoriam firmi atque diuturni. Et ſi quis eſt qui hæc putet arte accipi poſſe, quod falſum eſt, quid de illis dicet, quæ certe cum ipſo homine naſcuntur, linguæ ſolutio, uocis ſonus, latera, uires, conformatio quædam & figura totius oris et corporis? De magnarũ artium diſciplinis idem in eodem libro: Legendi poetæ, cognoſcenda hiſtoria, omnium bonarum artium ſcriptores ac doctores et legendi & peruolitandi. Et paulo poſt: Perdiſcendum ius ciuile, cognoſcendæ leges, percipienda omnis antiquitas, ſenatoria conſuetudo, diſciplina Reipublicæ, iura ſociorum, fœdera, pactiones, cauſa imperij cognoſcenda eſt. Et in eodem libro: In oratore acumen dialecticorũ, ſententiæ philoſophorum, uerba propè poetarum, memoria iuriſconſultorum, uox tragœdorum, geſtus penè ſummorum actorum eſt requirendus. De primis ſecundis & tertijs partibus in eodem libro. Neque hac in eam ſententiam diſputo, ut homines adoleſcentes, ſi quid naturale forte non habeant, omnino à dicendi ſtudio deterream. Quis enim non uideat C. Cælio æquali meo, maximo honori fuiſſe homini nouo, illam ipſam quamcunque aſſequi potuerit in dicendo mediocritatem? Quis ueſtrum æqualem meum Q. Varium uaſtum hominem atque fœdum non intelligit illa ipſa facultate, quamcunque habet, magnam eſſe in ciuitate gratiam conſecutum? Aeneas apud Virgilium non modo primis in curſu, ſed etiam ſecundis & tertijs ſua reddit præmia. De ordine poetarũ Quintilianus in decimo: Homerus omnes ſine dubio, & in omni genere eloquentiæ procul à ſe

reliquit

reliquit. heroicos tamen præcipue, uidelicet quia clariſſima in materia ſimili comparatio eſt. Idem de Archilocho: Itaque ex tribus receptis Ariſtarchi iudicio ſcriptoribus iamborum, ad ἕξιν maxime pertinebit unus Archilochus. Idem de tragœdia & Sophocle: Sed longe clarius illuſtrauerunt hoc opus Sophocles atque Euripides, quorum in diſpari dicendi uia uter ſit poeta melior, inter plurimos quæritur. Idem de Pindaro, Nouem Lyricorum longe Pindarus princeps. Sunt igitur hi principes: Homerus heroicorum, Archilochus iambographorum, Sophocles tragicorum, lyricorum Pindarus. Si quæris ſecundos & tertios, in eodem capite multos reperies: ut Heſiodum, Nicandrum, Euphorionem, Callimachum. Veniamus ad philoſophos. Plato philoſophorum omnium princeps, plurimis in rebus grauiter & copioſe diſputauit: quæ rerum copia hic dicitur amplitudo Platonis, á qua non ſeparamus dignitatem. Ariſtoteles autem Platoni neque copia neque ſcientia cedit: ſed inuentione rerum, atque grauitate. Nam qui á Platone ſuo permulta cepiſſet, ſecutus eſt eá ſubtilitatem, quæ longe á grauitate poſita eſt. unde fit, ut qui uerſantur in adminiſtranda Repub. præferant Ariſtoteli Platonem: contra qui in otio diſputationum tenui ſubtilitate delectátur, Ariſtotelem malint. Vterque ſanè in ſuo generè optimus eſt. Poſt Ariſtotelem Theophraſtus alijq; multi ſcripſere, quos memorat Diogenes Laertius. Alia ſimilitudo eſt ab opificibus, qui manu ſuas exercent artes, ut pictores & ſtatuarij, qualis Protogenes, Phidias, Apelles. Ialyſum pinxit Rhodi Protogenes Xanthius ex Lycia, quo tempore Demetrius obſidebat Rhodon. Plinius. Propter Ialyſum, ne cremaret tabulas Demetrius rex, cum ab ea parte ſola poſſet Rhodon capere, non incendit. Erat tum Protogenes in ſuburbano hortulo ſuo hoc eſt Demetrij caſtris: neque interpellatus prælijs, inchoata opera intermiſit omnino: ſed accitus á rege, interrogatusq;, qua fiducia extra muros ageret, reſpondit ſcire ſe illi cum Rhodijs bellum eſſe, non cum artibus. Gellius multo aliter extremo capite libri decimiquinti. ſic enim de rebus priſcis diſſident opiniones. Nec minor eſt controuerſia quid fuerit Ialyſus. Alij, quòd Ialyſus una eſt ex tribus antiquiſſimis urbibus inſulæ Rhodi, hic illius accipiunt imaginem. alij uenatorem, alij Satyrum. Quid ſit autem, tradit Suidas, Πρωτογένης ζωγράφος Ξάνθιος ἐκ Λυκίας ὁ κατὰ τὴν γραφικὴν διαπρέποντος ἐπιστήμων ὁ τὸν ἐν Ῥόδῳ Διονύσιον ἱστορήσας, τὸ ξένον καὶ θαυμαστὸν ἔργον, ὃ καὶ Δημήτριος μεγάλως ἐθαύμασεν. Hoc eſt, Protogenes pictor Xanthius ex Lycia, pingendi ſcientia fuit inſignis, qui Rhodium Bacchum & res eius expreſſit, opus & diuinum & admirandum, quod & Demetrius uehementer admiratus eſt. Eo pertinet, quod Strabo Ialyſum & Satyrum, ut duo Protogenis opera numerat. Hoc opus Cicero uidit, cum Rhodi literis operam dabat. De Venere Coa Plinius: Apelles inchoauerat aliam Venerem Cois, ſuperaturus etiam ſuam illam priorem. Inuidit mors, peracta parte: nec qui ſuccederet operi ad præſcripta lineamenta, inuentus eſt. Cos autem inſula eſt ad Cariam. Idem de Ioue Olympio: Ante omnes Phidias Athenieſis, Ioue Olympia facto ex ebore. & paulo poſt: Phidias præter Iouem Olympium, quem nemo æmulatur, fecit & ex ebore Mineruam Athenis. Idem: Polycletus fecit Doryphorum uiriliter puerum. dictus eſt autem ab ea haſta quam gerebat. De eiſdé opificibus Quintilianus & alij faciunt mentionem. uerum breuitati conſulimus. Opificum multitudo magna fuit, & magna in ſuo cuiuſque genere laus, Nam ut omittamus alios, & de genere propoſito loquamur, alij ſunt pictores, alij plaſtæ, alij marmorarij, alij fuſores, alij uaſcularij. Multi etiam uarijq; oratores fuerunt in Græcia: ut temporibus Demoſthenis, Hyperides, Lycurgus, Aeſchines, Dynarchus. Antea fuerant multi, ut Pericles, Alcibiades, Lyſias, Theramenes: nec poſtea defuerunt, ut Demochares, Demetrius. Cicero de Claris oratoribus multos enumerat, & hanc fert ſententiam: Nam planè quidem perfectū, & cui nihil admodum deſit, Demoſthenem facile dixerim. Nihil acute inueniri potuit in eis cauſis quas ſcripſit, nihil (ut ita dicam) ſubdole, nihil uerſute, quod ille non uiderit: nihil ſubtiliter dici, nihil preſſe, nihil enucleate, quo fieri poſſit aliquid limatius: nihil contra grande, nihil incitatum, nihil ornatum, uel uerborum grauitate, uel ſententiarum, quo quidquam eſſet elatius. Addamus & hoc de uocabulo, Induſtria, ſignificare illud quidem agendi ſtudium ac laborem. Cicero Tuſculana ſecunda: Itaque induſtrios homines Græci ſtudioſos, uel potius amantes doloris appellant, nos commodius laborioſos. AT ego in ſummo oratore fingendo talem informabo.] Quoniam aperta eſt uia diſputádi, nunc de propoſita quæſtione dicendum uidetur. Vt autem quæſtio ducatur ab initio ad finem, & ne ordine tractetur, petendum etiam uidetur rei principium. Principium dicimus, aut cauſam, aut naturam, aut Deum, aut ideá. ut qui dixere natam eſſe rhetoricem ab iis qui ſui tuendi cauſa loquebantur accuratius, hanc poſuere cauſam tanquam principium. Qui reduxerunt ad ſeminaria naturæ, uoluerunt aliud eſſe fundamentum rhetoricæ, naturam. Qui uero putarunt illud eſſe Mercurij donū, eam primá ſtatuerunt originé. Sunt qui reuocant ad ideam, ut Plato, & Academiæ ſectatores. Ergo Cicero Platonis imitator de ſummo oratore dicturus, & eo quem nemo uidit unquam, altius initium ab idea petit. Ex qua diſputatione oratorem ſuum facit auguſtiorem. Proponit igitur in ſummo oratore fingendo ſtatuendum illud, quo nihil poſſit eſſe neque pulchrius, neque præſtantius. Vtitur argumento & ſimilitudine pictorum. Colligit eloquentiæ perfectum genus ad ultimam ſui generis formam ſpeciemq; redigendum. Quæris, quid inde bonæ frugis percipimus, cum ad ideam reducimus? Certe illam ſpeciem intuens futurus orator, ſi quoad licet, ad eius ſimilitudinem ſe componat, altius euolabit, quàm ſi cacumen ignorás ad imas ſtirpes deſideat. Qua ratione fingi dicitur orator? Quéadmodum figuræ pictorum lineamentis deſignantur, & fictilia paulatim finguntur & informantur: ſic orator informatur, ſi uis eius & eloquentiæ lineamentis & ſpecie quadam ac figura comprehenditur. Summus orator in perpetuitate dicendi, hoc eſt in toto actionis integræ, filo & oratione continua uix elucet unquam, in aliqua parte ſæpe conſpicuus eſt. Alij ſunt uoce bona, ſed agreſtiore geſtu. Alij ualent arte, ſed hebetiore ingenio tardantur. Alij narrant optime, iidem neſciunt perorare. Alij fidem facere poſſunt, non æque animos affectu concitare. Alij contra in amplificationibus & motu coruſcant, in conſtituenda fide langueſcunt. Quid moror? Sæpenumero laudatores emtiuntur ei quem cœperunt ornandum, nihil omnino deeſſe: uera tamen Horatij ſententia, Nihil eſt ab omni parte beatum. qua ratione moti ueteres, uni eidemq; cauſæ multos adhibebant oratores, & pro cuiuſque facultate partiebantur officia. Felix igitur apud quem bona denſius & copioſius elucent: ſummus tamen, cui nihil deeſt. Ideam Plato perfectam ſtatuit, quam neque oculis, neque auribus, neque ullo ſenſu percipere poſſumus, cogitatione tantum & mente complectimur. Ex ea res exprimi putat, quemadmodum ex ore aliquo, id eſt, ea parte quam uulgus appellat faciem, ducitur imago. Et ne in ſtudijs literarum modo quæramus ideam, Cicero affirmat Phidiam cum faceret Iouis formam, aut Mineruæ, illam eximiam ſpeciem animo uidiſſe, ad quam τέχνην ἀγαλματοποιὸν & manum dirigebat. hinc ſimilitudinem ducit: Quemadmodum quæ ſub oculos ipſa cadunt, ut ſimulachra Phidiæ, referuntur ad excogitatam ſpeciem, hoc eſt ideam excellentem atque perfectam: ſic eloquentiæ perfectæ ſpeciem animo uidemus, effigiem auribus quærimus. Eloquentia explicatur oratione, in autem cadit oratio, ad aurium ſenſum retulit imaginem Plato magiſter intelligendi, qui uim omnium rerum ratione ſcrutatur: idem dicendi grauiſſimus auctor, qui res ornare uerbis, & copioſe tractare nouit, ideas omnium rerū

facis . de quibus Seneca Epiſtolarum .8. Tertium genus eſt, inquit, eorum quæ propriè ſunt. Innumerabilia hæc ſunt, ſed extra noſtrum poſita conſpectum. quæ ſint interrogas? Propria Plato ideas uocat, ex quibus omnia quæ ſunt, fiunt, & ad quas cuncta formantur. Hæ immortales, immutabiles, inuiolabiles ſunt. Quid ſit idea, id eſt quid Platoni eſſe uideatur, audi. Idea eſt, eorum quæ naturaliter fiunt, exemplar æternum. Adijciam definitioni interpretationem, quo tibi res apertior fiat. Volo imaginem tuã facere, exemplar picturæ tuæ habeo, ex quo capit aliquem habitum mens noſtra, quem operi ſuo imponat. Ita illa quæ me docet & inſtruit facies, à qua petitur imitatio, idea eſt. Talia ergo exemplaria infinita habet natura rerum, hominum, piſcium, arborum, ad quæ quodcunque fieri ab illa debet, exprimitur. hæc ille. Omnium hominum una eſt idea, equorum una, ulmorum una, & eodem modo cæterorum. Ab ea multæ quidem res imitatione producuntur, ut uno eodemq; annulo ſexcentæ imagines exprimuntur. Quòd ideas omnium rerum Plato cõſideret, oſtendit ipſe decimo dialogo de Repub. βούλει οὖν ἐντεῦθεν ἀρξώμεθα, ἐπισκοποῦντες ἐκ τῆς εἰωθυίας μεθόδου; εἶδος γάρ πού τι ἓν ἕκαστον εἰώθαμεν τίθεσθαι περὶ ἕκαστα τὰ πολλά, οἷς ταυτὸν ὄνομα ἐπιφέρομεν. πολλαὶ πού εἰσι κλῖναι καὶ τράπεζαι, ἀλλὰ ἰδέαι γέ που περὶ ταῦτα τὰ σκεύη δύο, μία μὲν κλίνης, μία δὲ τραπέζης. οὐκοῦν καὶ εἰώθαμεν λέγειν, ὅτι ὁ δημιουργὸς ἑκατέρου τοῦ σκεύους, πρὸς τὴν ἰδέαν βλέπων, οὕτω ποιεῖ ὁ μὲν τὰς κλίνας, ὁ δὲ τὰς τραπέζας, αἷς ἡμεῖς χρώμεθα, καὶ τ᾽ἄλλα κατὰ ταῦτα. οὐ γάρ που τήν γε ἰδέαν αὐτὴν δημιουργεῖ οὐδεὶς τῶν δημιουργῶν. Hoc eſt: Vis igitur hinc exordiamur, & rem uſitata illa ratione contemplemur? Speciem unam quandam facere ſolemus in ijs pluribus, quibus idem nomen imponimus: ut multi quidem ſunt lecti, multæq; menſæ: idea tamen earum rerum duæ ſunt, una lecti, altera menſæ. Solemus igitur hoc dicere, utriuſque ſupellectilis artifices ſic opus ſuum moliri, ut ideam intuentur, aut lectos aut menſas, quibus nos utimur, et eodem modo cætera. Nullus autem artifex ideam facit. Hæc autem idea rerum prima, eadem eſt ultima generis forma, quam Plato gigni negat, et ait ſemper eſſe, cætera naſci et occidere, nec diutius uno eodemq; ſtatu permanere. A C uideo hanc primam ingreſſionem meã non ex oratorijs diſputationibus ductam.] Cum præter rhetorum morem propoſuiſſet ideam Platonis, altiusq; rem ipſam repetiuiſſet, hoc prouidit, non defuturos qui dicerent, id nihil ad rẽ propoſitam pertinere, idq; diſputandi genus eſſe philoſophorum magis, quàm conſuetudinis oratorum. Occupauit igitur quæ uidebantur obſtare. Non inutilis eſt ratio occupandi, quæ uidetur obſtare: quod ſchema πρόληψις dicitur. Si quiſpiam dicat huc ideam nihil pertinere, illi ſatisfaciet, inquit, res cognita, ut nõ ſine cauſa altè repetita uideatur. Si reprehendat inuſitatum diſputandi genus, occurrit, nec inuſitatum eſſe, nec ſe rhetorũ more diſputare contendit, ſed Academiæ, quòd omnis ubertas & quaſi ſylua dicendi è philoſophia ducta ſit. hoc modo duas obiectiones diluit. Primam ingreſſionem dicit primam diſputationem, in qua ſit rei principium. Mediam philoſophiam dicit illã ſecretiſſimam, quia ſecretiora ſunt ea quæ rebus in medijs latent. Antiquam, accipe Platonicam. Subobſcuram, quòd idearum ſpecies non cadit in ſenſum, ſed in mentem & cogitationem. Vias, μεθόδους, Græci uocant artes, artiumq; rationes, Latini transferunt uias. Id ex tranſlatione eſt. Vt enim uia duce peruenimus ad locum deſtinatum, ſic ad ſcientiæ finem ratione percipiendi tanquam uia progredimur. Ad hoc uerbi methodus alludit, ubi facit Academiæ ſpatia. Curricula ſermonum, Platonis impreſſa ueſtigia, ſunt hæc omnia ex eodem metaphora fonte. Quod autem non audet oratorem ſe confiteri, uitat arrogãtiam: de quo Quintiliani præceptio eſt: Omnis ſui uitioſa iactatio eſt, eloquentiæ tamen in oratore præcipuè, affertq; audientibus non faſtidium modo, ſed plerunque etiam odium. Hoc grauius eſt, quod ingenuè fatetur, oratorem magnum ex rhetorum officinis non poſſe prodire: in quam ſententiam ſcribit hæc primo libro de Oratore: Oratio, ſi res non ſubeſt ab oratore percepta & cognita, aut nulla ſit neceſſe eſt, aut omnium irriſione ludatur. Quid eſt enim tam furioſum, quàm uerborũ uel optimorũ atque ornatiſſimorum ſonitus inanis, nulla ſubiecta ſententia & ſcientia? Et paulo poſt de cognitione ſcientiarum: Atqui totus hic locus philoſophorum putatur proprius, neque orator, me auctore, unquam repugnabit. Senſus autem eſt: Fateor me oratorem non ex rhetorum officinis, id eſt, anguſtis libellis & præceptiunculis, ſed ex Academiæ ſpatijs, hoc eſt philoſophiæ methodo extitiſſe, & maiorem fuiſſe. Philoſophorum diſputationibus exagitatus eſt orator, & adiutus. nã dialogus eſt Platonis Gorgias, in quo Socrates artem dicendi tanquam coquinariam, & rhetoras ineptiores agitat, atque labefactare conatur. ad quod alludit Cicero. Fatetur autem artium magnarum cognitionem à philoſophia petendam, quia omnis ubertas, quæ uaria eſt rerum cognitio & ſylua, ὕλη & materia, ab ea ducta ſit, nec ſatis tamen inſtructa & parata ad cauſas forenſes, quæ pugnãt acrius, magisq; populariter. Quieta & ſecura philoſophorum diſputatio. Aliud eſt in otio uia quadam ac ratione diſſerere, aliud in pugna forenſi mille modis aduerſarium petere, aut adoriri iudices, aut euitare plagas. hoc tamen ſtudium philoſophi contempſerunt. Itaque cum peterent otium & quietem literarum, & rudiores illi quæſtum ſitirent, eloquentia forenſis ſpreta à philoſophis, & agreſtioribus Muſis, hoc eſt rudioribus & impolitioribus relicta, multis adiumentis magnisq; caruit, ut altiore diſciplina, & notionibus artium magnarum, Sed tamen ornata uerbis, & elocutione ueſtita, collectis etiam popularibus ſententijs, & in cõmuni ſenſu poſitis iactationem habuit in populo, id eſt apud imperitorum multitudinem extulit ſe inſolentius: aut ſic agitata eſt in populo, ut nauis in fluctu. Nec paucorum, ut optimorum philoſophorum iudicium, reprehenſionemq; timuit, quòd à populo frequentiore coleretur. Ita & doctis, hoc eſt philoſophis, eloquentia popularis, qua Rempub. adminiſtrarent, animoſq; populi regerent, & diſertis oratoribus elegans doctrina & philoſophiæ cognitio defuit. Diſertos accipit eos, qui ſatis acutè atque dilucidè poſſunt apud mediocres homines ex communi quadam hominũ opinione dicere. POSITVM ſit igitur in primis, quod poſt magis intelligetur.] Quoniam profeſſus eſt ſe oratorem non ex rhetorum officinis, ſed ex Academiæ ſpatijs extitiſſe, philoſophorumq; diſputationibus & exagitatum oratorem & adiutum, progreditur longius, & philoſophiam oratori ſummo neceſſariam demonſtrat. Quæ res eſt uelut appendix & pars loci ſuperioris. Proponit igitur, ſine philoſophia non poſſe effici eloquentem. Argumenta ducit ab exemplis, à tribus philoſophiæ partibus, ab Antonij auctoritate: unde opportunè regreditur ad illud ſuum propoſitum, quodnam ſit eloquentiæ ſummum genus. Iam uideamus quid palæſtra iuuet hiſtrionem. Hiſtriones ſunt actores fabularum, qui mitti ſolebant ad palæſtritas. & id Quintilianus fieri ſuadet, ut exercitatione palæſtra membra decentius & corpus mouerent, aptiusq; geſtum componerent: cuius exactores ſeueros Athenienſes fuiſſe conſtat, atque Romanos, recepta celebritate & magnificentia ludorum ſcenicorum. Vt igitur in ſcena uidentes hiſtrionem prudentiores, operam ne palæſtræ dederit, intelligunt: ita qui dicentem audiunt oratorem, ſentiunt quantum diſciplina & eruditione profecerit: utq; plus habet hiſtrio quàm palæſtrita, ſic ſummus orator, quàm philoſophus ille cui popularis eloquentia deeſt. Hanc collationem, ne uilior eſſe uideretur, oratione adornauit. De Pericle uerba Platonis adſcripſimus, ut tanti uiri iudicium cognoſceret diligens interpres. κινδυνεύει, ὦ ἄριστε, εἰκότως ὁ Περικλῆς, πάντων τελεώτατος εἰς τὴν ῥητορικὴν γενέσθαι. προστυχὼν γὰρ οἶμαι τοιούτῳ ὄντι Ἀναξαγόρᾳ, μετεωρολογίας ἐμπλησθεὶς, καὶ ἐπὶ φύσιν νοῦ τε καὶ ἀνοίας

ἀνοίας ἀφικόμενος, ὧν δὴ πέρι τὸν πολὺν λόγον ἐποιεῖτο Ἀναξαγόρας, ἐντεῦθεν εἵλκυσεν ἐπὶ τὴν τῶν λόγων τέχνην τὸ πρόσφορον αὐτῇ. Hoc eſt, Pericles, ò uir optime, eò contendit, ut ſuo iure ui deretur omnium perfectiſſimus in arte dicendi. Nam cum forte nactus eſſet Anaxagoram magnis artibus inſtitutum, & contemplatione rerum ſublimium captus eſſet, aſſecutus eſt mentis et dementiæ naturam, de quibus multa uerba fecit Anaxagoras, & inde traduxit id quod arti dicendi utile uidebatur. Quod Plato μετεωρολογίαν, Cicero præclara & magnifica dicit, ſicut νοῦ καὶ ἀνοίας partes animi uertit. Narum, ſcium & peritum dicit. Hoc uerbum ſine litera g ſcribendum, hoc eodem libro Ciceronem ſentire putes. Noti erant, inquit, & Naui, & Nari, quibus cũ, in, præponi oporteret, dulcius uiſum eſt ignoti, ignaui ignari dicere, quàm ut ueritas poſtulabat. Cenſet n literam in g mutatam fuiſſe, ſicut in hoc uerbo ignominia, ignobilis. Alij putant hanc literam poſitam κατὰ πρόθεσιν: alij deriuant à uerbo γνωρίζω. Ego quidem exiſtimo iſtud obrepſiſſe aut per abuſum, aut per ignorantiam, ut gnarus & gnotus ſcriberetur. Quæris deinde quæ ſint animi partes, quas ab Anaxagora phyſico Clazomenio Pericles didicit? Id oſtendit Cicero Tuſculana quarta: In perturbationibus explicandis ueterem illam quidem Pythagoræ primum: deinde Platonis deſcriptionem ſequar, qui animum in duas partes diuidunt. Alteram rationis participem faciunt, alteram expertem. In participe rationis ponunt tranquillitatem, id eſt, placidam quietamq; conſtantiam: in illa altera motus turbidos, tum iræ, tum cupiditatis, contrarios inimicosq; rationi. Pars ſublimior mens dicitur, inferior appetitus: cuius eſt iraſcendi uis in corde, cupiendi in iecore. Hæc poſterior mouetur ad quatuor genera pertubationum, ad lætitiam & ægritudinem, ad metum & cupiditatem. Superior habet uoluntatem, cautionem, & gaudium. Lege totum locũ, ne quid te prætereat. Quòd ſi animi partes atque facultates notiores habere uis, habes libros Ariſtotelis de Anima, qui te doceãt. Demoſthenem Platonis auditorem fuiſſe Gellius ſcribit: Hermippus, inquit, hoc ſcriptum reliquit, Demoſthenem admodum adoleſcentem uenticare in Academiam, Platonemq; audire ſolitũ. Hoc intelligitur ex eius epiſtola ad Heracleodorũ: ὁρῶν ὅτι δόξης ἐπιτυγχάνων καὶ παιδείαν ἀποδέχου, καὶ ταύτης τῆς ἀπὸ τοῦ Πλάτωνος διατριβῆς, ἥπερ ἐστὶν ὡς ἀληθῶς τῶν μὲν πλεονεκτημάτων καὶ τῶν περὶ ταῦτα σοφισμάτων ἔξω, τοῦ βελτίστου δὲ καὶ τοῦ δικαιοτάτου πάνθ' ἕνεκα ἐξητασμένη, ὡς μὰ τοὺς θεοὺς τῷ μετασχόντι μὴ οὐχὶ ἀψευδεῖν, καὶ πρὸς ἅπαντας ἀγαθῷ εἶναι, οὐχ ὅσιον ἡγοῦμαι. Hoc eſt: De moribus tuis coniecturã feci, cum uiderem te gloriam adeptum cepiſſe etiam doctrinam à ſchola Platonis, quæ haud dubie procul eſt à cupiditatibus habẽdi, & eiuſmodi uerſutijs, utpote quæ optimum & æquiſſimum omnibus in rebus inquirat, cuius participem uirum non colere ueritatem neminemq; non lædere, nefas eſſe duco. Poſt hæc philoſophiæ partes diſtribuit, ut intelligamus quantum philoſophia iuuet oratorem. Treis autem conſtituit in Academicis. Fuit, inquit, à Platone accepta philoſophandi ratio triplex: una de uita & moribus, altera de natura & rebus occultis, tertia de diſſerendo, & quid uerum, & quid falſum, quid rectum in oratione prauum'ue, quid conſentiens, quid repugnans, iudicando. Hic eandem diſtributionem partium facit. unam dialecticen, alteram phyſicen, tertiam uocamus ethicen. Dialectice genus & ſpeciem cuiuſque rei quærit, definiendo explicat, in partes diſtribuit, eaſq; definit. Iudicat quæ uera, quæ falſa ſint: quæ conſequentia, quæ repugnantia, uidet: ambigua diſtinguit. Hæc intellige dicta de uera germanaq; dialectica, non de garrula captione, qua noſtrum hoc infelix ſeculum abutebatur. nec illa facere poteſt, qui cæteras philoſophiæ partes ignoret, ut in Partitiones oratorias oſtendimus, in quibus genera, ſpecies, partes, diſtribuit & definit Cicero: quæ conſentiunt, quæq; diſſentiunt, oſtendit. Vſus enim dialecticæ præſtantior eſt aut in conſtituendis libris, aut in perpetuitate diſſerẽdi, quàm in illa cõtentioſa uociferatione, quæ raucim gutturi, confuſionem animo parit. Phyſice rerum cauſas naturamq; ſpeculatur. cuius cognitio magnam orationi copiam ſuppeditat, cum dicit orator quid efficiat ira, quid auaritia, quid libido, quid metus, quid uulnus altum, quid uenenum quid exhortatio, quid educatio, quid antecta uita, quid temperamentum, quæ cauſæ ſint & effectus unde coniectura capiatur, unde probetur definitio, unde laus ſit maior minor'ue, unde conſilia dentur. Ethice præcepta continet de uita, de officijs, de uirtute, de moribus: de quibus abunde Plato, & à Platone Cicero. Hanc utilem eſſe oratori, ſicut & dialecticen, notius eſt quàm oratione debeat explicari. Ad has tot tãtaſq; res adhibenda ſunt ornamenta innumerabilia, quæ præceptis eloquendi tenentur, de amplificatione, de ſententijs, de proprietate uerborum, de tropis de ſchematis utriſque, de numeris, & omni ratione cõponendi unde ſumitur ornatus. Hæc ornamenta modo qui ſciũt, ſcientiam dicendi habere dicuntur: qui philoſophiam tenent, diſciplinam intelligendi. Neutra ſine altera diſciplina perfecta eſt. Quæramus poſtea an M. Antonius primas eloquentiæ ſuo tẽpore tenebat. Cicero libro de Claris oratoribus plura maioraq; tribuit Craſſo, quàm Antonio. hic igitur non ſuam, ſed aliorũ refert ſententiam, quoniam uſurus auctoritate uiri, ſe loco accõmodat & orationi: ut ſi Craſſus & Antonius ſummi uidebãtur, in quibus tamen multa deſiderabat Antonius, argumentum ſit, inueſtigandam perfectæ eloquentiæ formam. Quid autem differat ab eloquente diſertus, ex Cicerone ſcripſimus initio noſtræ huius interpretationis. Inueſtigo, interdum ſignificat quod inuenio. Cicero pro Ligario: Diligentia inimici inueſtigatum eſt quod latebat. Nonnunquam quod ueſtigo, cuius intellectus præſens eſt teſtimonium.

TRIA ſunt omnino genera dicẽdi.] Iam poſita quæſtio eſt, & origo prima repetita, ſubiectaq; philoſophorum materia: deinde diſtinguenda ſunt genera dicendi, ut quod illorum ſit optimum, iudicetur. Id certe quidem quærit Brutus, quæ ſit optima figura dicendi, ut qui multa eſſe genera non ignoret. Conſtituit igitur omnino tria genera. unum grande, alterum tenue, aliud intermedium: ut cum imperfectos oſtenderit oratores, tandem definiat eloquentem, qui et humilia ſubtiliter, & magna grauiter, & mediocria temperate poteſt dicere. Nam qui floruerunt in ſingulis, non in omnibus in ſuo genere quidem laudandi, ſed eo tamen habentur imperfecti, quòd illis optima rerum uarietas defuerit. Qui uero pereq;, hoc eſt, eodem modo floruerunt in omnibus, ij tanquam perfecti quidem, ſed perpauci fuerunt. De ſingulis Gellius in ſeptimo: Et in carmine, & in ſoluta oratione genera dicendi probabilia tria, quæ Græci χαρακτῆρας uocant: nominaq; eis fecerunt, ἁδρὸν, ἰσχνὸν, μέσον. Noſq; quem primum poſuimus, uberem uocamus: ſecundum, gracilem: tertium, mediocrem. Vberi dignitas atque amplitudo eſt: gracili uenuſtas & ſubtilitas. Medius in confinio eſt, utriuſque modi particeps. His ſingulis orationis uirtutibus uitia agnata ſunt pari numero, quæ earũ modum & habitum ſimulachris falſis ementiuntur. Sic plerunque ſufflati atque tumidi fallunt pro uberibus, ſqualentes & ieiuni dicti pro gracilibus, inferti et ambigui pro mediocribus. Animaduerſa hæc tripertita uarietas in tribus philoſophis, quos Athenienſes Romam ad S. P. Q. R. legauerant. uiolenta & rapida Carneades dicebat, ſcita & teretia Critolaus, modeſta Diogenes & ſobria. hæc præclare Gellius. Grandiloqui uerbum duriuſculum eſt, ideoq; cum uenia dictum. Definiuntur ex rhetoricæ partibus ij qui utuntur ampla & ſententiarum grauitate, & maieſtate uerborum, uehementes, uarij, copioſi, graues, ad permouendos & conuertendos animos inſtructi & parati. Etenim primum eſt inuenire atque collocare ſententias aptiores, & etiam ad mouendum ampliores, ut omnes quæ uirum granẽ

decent, cum auctoritate et amplificatione uerba facientem, quales à poetis de rebus omnibus in heroica maieſtate ponuntur. Contra omittere uilem rerum minutarum multitudinem, quale eſt in comœdia & epigrammatis. Alterum eſt inuenta digeſtaq; proloqui, ſeruata dignitate uerborum, id eſt, poſitis uerbis grauitate delectis, plenis, ſonantibus, nitidis. figuris apte modificatis, ne quid aut leue ſit, aut inane, aut exile, aut turpe, aut à rebus alienum. Quoniam autem non habetur orator is qui docet tantum, ponatur & tertium munus in augendis rebus, & in mouendis animis grauiterq; concitandis pro dignitate cauſæ. Sic fuit Sulpitius grandis & tragicus orator. Sed ne fruſtra ab iis, quorum ſcripta perierunt, exempla petas, utitur hoc genere dicendi Cicero in tota ferè oratione pro Rabirio perduellionis reo. Ius, inquit, omne retinendæ maieſtatis, Rabirij cauſa continebatur: ergo in omni genere amplificationis exarſimus. Oratorũ grauium duæ ſpecies. Alij utuntur aſpera, triſti, horrida oratione, neque perfecta, neque concluſa, hoc eſt, eorum uerba ſæpe dura ſunt, inelegantia, iniucunda, inæqualia: deinde aſperi literarum concurſus, iuncturæ hiulcæ atque disiunctæ: tum periodi neque numerum perficiunt, neque concludunt ad explendum aurium ſenſum apto quaſi uerborum modo. Contrarium eſt ſuaue genus, de quo præcipit in Oratoria partitione. Sit hoc exemplum Catonis ex oratione pro Rhodijs: Scio ſolere pleriſq; hominibus, rebus ſecundis atque prolixis, atque proſperis, animũ excellentem, atque ſuperbiam, atque ferociam, augeſcere atque creſcere: quod nunc mihi magnæ curæ eſt, quòd hæc res tam ſecunde proceſſerit, ne quid in conſulendo aduerſi eueniat. Aduerſæ res ſe domant, & docent quid opus ſit facto. Secundæ res lætitia tranſuorſum trudere ſolent, à recte conſulendo atque intelligendo. Quo maiore opere dico ſuadeoq; uti hæc res aliquot dies proferatur, dum ex tãto gaudio in poteſtatẽ noſtram redeamus. Sententiæ graues ſunt & copioſæ, uerba pondere & grauitate delecta, ratio dicendi plena maieſtatis: cæterum inamœna compoſitio uerborum, concurſus aſperi, iunctura inſuauis, moleſta quædam repetitio coniunctionum, numerus anguſtior, et nulla arte modulatus. Non deerunt alia exempla Senecam legenti. Alij grauitatem retinent in oratione læui, æquata & cõplanata, quale iuuenile corpus eſt ſucculenta carne ueſtitum: in oratione inſtructa, uerbiſq; digeſta, qualis eſt acies ordine collocata: in oratione terminata, & numeris abſoluta, quæ pedibus excurrit, ſpatiiſq; fertur ad aurium dimenſionem. quod genus reperias apud hunc grauioribus locis, ut Catilinaria prima, ubi grauitate ſeruata ſtudioſe componit orationem. Talis eſt hæc oratio Carbonis: O' Marce Druſe, Patrem appello, Tu dicere ſolebas ſacram eſſe Rempublicam. quicunque eam uiolauiſſent, ab omnibus eſſe ei pœnas perſolutas. Patris dictum ſapiens, temeritas filij comprobauit. E T contra tenues, acuti, omnia docentes.] Alterum dicendi genus tenue uocatur, ſuperiori quodam modo contrarium. Illud autem, quemadmodum cætera omnia, poſitum eſt in rebus & uerbis. Sententiæ erunt acutæ, ſubtiles, & minutæ, quibus paruæ res continentur, ſed, ut par eſt, acutiores paulo quàm in ſermone uulgari, & lingua quotidiana. Etenim orator ille tenuis aſſumit etiam minima, ac multa dicendo, non amplificando: dilucidiora omnia, non ampliora facit. Oratio & elocutio ſubtilis erit, preſſa atque limata: ſubtilis, uerborum tenuitate, & gracili filo. Ea ſunt uerba quæ paucas habent ſyllabas, & exiguas literarum uoces, & tritam ſignificationem: qualia ſunt in hoc Terentij uerſiculo: Si illum relinquo, eius uitæ timeo: ſin opitulor, huius minas. Et in hac oratione Ciceronis: An in coacta multitudine, in armis, in telis, in præſenti metu mortis, perſpicuo periculo cædis, dubium uobis fuit an eſſe uis aliqua uideretur, nec'ne? Quibus igitur in rebus uis intelligi poteſt, ſi in his non intelligitur? Subtilitas & in numero dicitur, cum minutis & conciſis numeris ſine grauitate mouetur oratio. Sunt enim ſpatia grauiora plenioraq;, ut in dactylis, ſpondeis, pæanibus. Sunt leuiora atque graciliora, ut in Iambis, choreis, pyrrichijs, proceleuſmaticis. Ex his curtiſq; periodis efficitur illa tenuitas: ſæpius ex inciſis atq; membris inexpletis. Preſſa dicitur oratio attenuata, non ampla: in qua ferè nihil extat, nihil excellit, nihil eminet ſublimius. Non incedit regio paſſu, non ambitioſe circunflectit articulos, non iactat brachia, non oſtentat ornamenta, neque togã diſtendit, ſed quaſi puella honeſtior & uerecundior, amictu ſimplici, membriſq; decenter preſſis, molitur iter ad propoſitum finem. Cicero de Claris oratoribus: Quoniam, inquit, oratorum bonorum (hos enim quærimus) duo genera ſunt, unum attente preſſeq;, alterum ſublate ampleq; dicentium, etſi id melius eſt, quod ſplendidius & magnificentius, tamen in bonis omnia quæ ſumma ſunt, iure laudantur. Sed cauenda eſt preſſo illi oratori inopia & ieiunitas, amplo autem inflatum & corruptum orationis genus. Hic quidem preſſum genus opponit amplo. Quintilianus in duodecimo preſſum dicit, quod neque tumidum eſt, neque inflatum, neque redundans. Vnde Attici preſſi, Aſiani tumidi eſſe dicuntur. Ea quoque de cauſa limatum dicitur, cui deraſa eſt amplitudo & ubertas augendi, cuiq; extrita eſt illa grauis ſeueritas, æqualitate quadam tenui relicta. Nec ſi dicit omnia tenuis orator, idcirco amplior eſt. Amplitudo dignitatis eſt, non multitudinis: grauitas autem rerum magnarum & amplificationum eſt, non ſubtilium multorumq; ſermonum. Hoc genere dicendi floruit Lyſias apud Græcos, Cotta apud Latinos. Sed & illud Cicero paruis adhibuit rebus. Tota, inquit, mihi cauſa pro Cecinna de uerbis interdicti fuit. Res inuolutas definiendo explicauimus, ius ciuile laudauimus, uerba ambigua diſtinximus. Significat partitiones, diuiſiones, diſtinctiones, ſubtiliter tractari ſolere. In hoc genere ſunt Comici, Bucolici, frequenter Epigrammatici, nonnunquam Lyrici, plerunque ſcriptores epiſtolarum. In eodem genere alij callidi, id eſt exercitati: acuti, in communi hominum opinione uerſati, atque ſubtiliter prudentes. Nam, quod ait tertio de Natura deorum, callidi ſunt, quorum tanquam manus opere, ſic animus uſu concalluit. Vt autem callidi ſunt in rebus atque ſententijs, ita genere elocutionis impoliti & inornati, & conſulto rudium ſimiles & imperitorum, qui cum elegantius ornare poſſint orationem tum uerbis & figuris, tum ſuauiore numerorum tractu, malunt effundere incomptum, inornatum, rudeq; dicendi genus: aut quia dictionem accommodant imperitis, ut Lyſias: aut quia contemnunt elegantiarum delitias, ut antiquorum ſimiliores eſſe uideantur. Alij ſunt oratores in eadem ieiunitate, hoc eſt tenuitate & gracilitate, quæ nihil uehemẽter amplificat. concinniores ij ſunt, faceti, lepidi, iucundi, florentes, & leuiter ornati, quorum elocutio tenuis eſt quidem, ſed uenuſta, grata, facilis, & ſuauitate condita, ueluti quædam Attica Venus: quo genere florent etiam Poetæ, ut Ariſtophanes & Terentius.

E S T autem quidam interiectus intermedius.] Tertium dicendi genus eſt intermedium: illud eſt quaſi temperatum. Nec enim tam ſubtile eſt, tam minutum, tam acutum, quàm quod tenue uocatur: nec tam graue, tam uehemens, tam amplũ, quàm character ille grandiloquus atque ſublimis. Nec fulminat amplificatione, nec ad minima rerum momenta penetrat acumine, ſed uno tenore, hoc eſt, æquabili continuatione in dicendo fluit, nihil afferens præter facultatem, id eſt, facilem quendam ductũ & uolubilitatem, cũ æqualitate pariq; ratione texendi. In neutro excellit: nec inſigniter apparet, nec uehementer auget, nec tenuiter infirma rimatur. Vtriuſque particeps eſt, ut uidetur: ſed ſi uerum quærimus, potius expers: quia neque hoc neque illud habet, ſed interiectam moderationem retinet, atque temperiem. Aequalitas in eo non eſt tam perpetua, tamq; directa, quin aliquando mollius aſſurgat, ubi quid amplius eſt efferendũ. Addit aliquos, ut in corona, toros. Volubile quidem genus &

rotundum

rotundum ut corona, ſuſcipit ad ornamentum partes eminentiores, quaſi toros, ne tanquam politum marmor, iucunditate varietatis exuatur. Huc alij τορόνην, id eſt, clauam reſtituunt: quibus ideo non aſſentior, quòd & græca utat Cicero, & in claua nodi toriq; notabiliter excellunt: non item in aurea corona, unde ſimilitudo & imago ducitur. Iam ſi quæris exemplum, cape tibi orationem pro lege Manilia. Sic enim teſtatur: Fuit ornãdus in Manilia lege Pompeius temperata oratione: ornandi copiam perſecuti ſumus. Huc pertinent & poemata, ut Georgica Virgilij, Faſti Ouidij, inſigniores Odæ Horatij, & id genus multa, in quibus eſt dignitas inferior ampliſſimo genere, ſuperior infima tenuitate. HORVM *ſingulorum generum quicunque uim ſingulis conſecuti ſunt.]* *Non habendi ſunt oratores abſoluti, qui in ſingulis generibus, non in univerſis floruerũt, ut in graui Sulpitius, in tenui Cotta, in temperato medioq; Hortenſius: quanquam hi, & eorum ſimiles magnum in oratoribus nomen habuerunt: quia magnum eſt, uel unum tractare genus. Sed ante Ciceronem nemo Latinorum quod hic quæritur effecit, ut idem ornate & grauiter, ſi eſſet utendum genere ſublimi: idem temperate, ſi medio: idem uerſute, callide, ſubtiliter, acute, ſi tenui, diceret. Quidam ut Craſſus & Antonius præclare fuerunt initiati, & ut uulgus exiſtimabat, ſummi atque perfecti, quos in Bruto, hoc eſt, dialogo de Claris oratoribus uehemẽter ornat: non quòd fuerint abſoluti, ſed quòd Romanus Romanos amet, & extollere conetur, atque ita comparare Græcis, qui nomini Romano nihil attribuebant artium ſecretiorũ. Quoniam autem domeſticos, id eſt, Latinos excellentes tribus illis dicẽdi generibus univerſis, uere nominare non poſſit, etſi putat egregium præclarumq; uti ſuis, non quærere externa & aliena, cogitur tamen Latinis anteferre Græcos, maxime Demoſthenem, non abſolutũ illum quidem, ſed qui uim facultatemq; dicendi accõmodarit ad eloquentiã perfectã, quoniã uarijs in rebus alio & alio uſus ſit genere dicendi. Demoſthenes igitur cæteris abſolutior: & ſi forte malumus hominem quàm Platonis ideam intueri, ad imitationem uidetur eſſe proponendus. Quamobrem caſtigat eos, qui principe eloquentiæ relicto, inferiores quoſque pro libidine imitãtur: cumq; ſit aliquid quod in Demoſthene uel Aeſchines deſideret, ad ideam tandem reducit imitatorem. Sit igitur hæc ratio diſputandi, tria eſſe genera dicendi oratori ſummo neceſſaria, quæ non aſſequetur κακόζηλος & prauus imitator. Hic locus eſt comparatus in oratores quoſdam rudiores, qui fuere tempore Ciceronis. ij ſolum dicebant Atticos eos, qui horride & aſpere funderent orationem, ſi modo rebus ſtuderent: Ciceronem tanquam Aſianum & redundantem contempſerant: de quibus hic alibi: Quoniam, inquit, nonnullorum ſermo iam increbuit, partim ſeipſos Attice dicere, partim neminem noſtrum dicere: alteros negligamus. ſatis enim his res ipſa reſpondet, cum aut nõ adhibeantur ad cauſas, aut adhibiti derideantur. Nam ſi arrideantur, eſſe idipſum Atticorum. Ergo monendi ſunt iſti ij quorum ſermo imperitus, ſimplex, & experientiæ uacuus increbuit, ac diuulgatus eſt ipſos attice dicere: monendi, inquam, ut Demoſthenem admirentur, quo ne Athenas quidem ipſas, id eſt genuinam Athenienſium facundiam lepidaſq; uenuſtates magis credo fuiſſe atticas, hoc eſt facundas, elegantes, ac ſuaues. Quid enim ſit atticum, diſcant, nempe ſyncerum, incorruptum, & elegans: eloquentiamq; metiantur Demoſthenis uiribus, non imbecillitate ſua, qui nec ingenio, nec doctrina ualent. Nõ enim laudant quod optimum eſt, ſed aut quod habent, aut quod imitari poſſe ſe credunt. qui ſi ſtudio ſunt optimo, quia ſectantur atticã eloquentiam, tamen iudicio ſunt infirmo, quia iudicare non poſſunt quæ ſit propria laus Atticorum. Hos eſſe deriſos, memoriæ mandat Tuſculana ſecunda. Reperiebantur, inquit, nonnulli, qui nihil laudarent, niſi quod ſe imitari poſſe cõfiderent, quiq; ſperandi ſibi eundem & bene dicendi finem proponerent: & cum obruerentur copia ſententiarum atque uerborum, ieiunitatem & famam ſe malle quàm ubertatem & copiam dicerent. unde erat exortum genus Atticorum, ijs ipſis qui id ſequi ſe profitebantur, ignotum, qui iam conticuere, penè ab ipſo foro irriſi. Sunt autem Græcorum quinque διάλεκτοι, hoc eſt linguæ proprietates, Attica, Dorica, Aeolica, Ionica, Communis. In illis Attica princeps eſt & dignitate uerborum, & liberali ſono, hoc à cæteris diſtãs, quod ſermo ruſticus ab urbano. Cicero paulo poſt: Athenienſium ſemper fuit prudens ſyncerumq; iudicium, nihil ut poſſent niſi incorruptum audire & elegans. Idem ibidem: Ad Atticorum igitur aures teretes & religioſas qui ſe accommodant, ij ſunt exiſtimandi Attice dicere.* SEMPER *oratorum eloquentiæ moderatrix fuit auditorum prudentia.]* *Paucis ante uerbis aggreſſus eſt Atticos iſtos falſo nominatos. Iã pluribus oſtendit quid ſit Attice dicere: definit à contrarijs, Atticum dicendi genus neque eſſe impolitum, neque inelegans, neq; opimum & adipale, neque inuerecundum, neque durũ & odioſum, neque auditu triſte, neque ululanti uoce declamandum, ſed ſyncerum, incorruptum, & elegans: quæ declaratio facile à dictis eius colligitur. Ea melior eſt ac uenuſtior poſitis exemplis, & inter ſe comparatis. Hunc totum locum Quintilianus occupauit libro duodecimo capite decimo, de genere dicendi. Tu ſi noles, iure repetes, & lege uindicabis. Plurimum confert ad intelligendũ uerum illud dicendi genus. Auditorum prudentia eſt intelligendi iudicandiq; ratio, & facultas in ſingulis: quæ ſi parua eſt, parua deſiderat: ſi mediocris, mediocria: ſi magna, res magnas. Hanc ſpectat orator: quoniam ſi probari uelit, uoluntatem eorum qui audiunt intueatur neceſſe eſt, ut ad eorũ arbitrium, hoc eſt liberum iudicium, & nutum, id eſt, ſignis expreſſam uoluntatem, ſe fingat, componat, accommodet. In primis enim habenda ratio perſonarum, uidendumq; qua quiſque ratione trahi uinciq; poſſit. Id confirmat exemplo Aſianorum, in quibus Phryges, Cares, Myſij, populi in Aſia minore maritimi, fuerunt minime politi, minimeq; elegantes, ſed in loquendo rudes, aſperi, incompoſiti, inflati, redundantes. Quamobrem adſciuerunt ſenſimq; induxerunt aptum ſuis auribus uaſtis & agreſtibus, opimum & craſſum quoddam & tãquam adipale et pingue dicendi genus. Quod eorum uicini, non ita lato interiecto mari Lycio, Rhodij, nunquam probauerunt, apud quos fuiſſe magnos oratores hiſtoriæ teſtantur. Hoc pingue, ſi quæras ubi ſit, inſitum eſt uerbis odioſis, ſonoq; uocis illiberali & iniucundo. Quintilianus octauo: Neque enim Aſiani, aut quocunque alio genere corrupti, res non uiderunt, aut eas non collocauerunt, ſed illis in eloquendo uires defuerunt. Nonius Marcellus non adipale, ſed adipata legit. Adipatum, inquit, ueteres honeſte pro pingui & ſucculento & opimo poſuerunt. & hac utitur Ciceronis auctoritate. Nec deſunt qui adipale uerbum barbarum putent. Arbitror adipale, non adipata ſcripſiſſe Ciceronem, quia cum poſuiſſet hoc epithethon, opimum, recta loquendi ratio poſcebat adipale coniungi, non orationis filum in caſum patrium male detorqueri. Sic enim rectum fuerat, Aſciuerunt aptum ſuis auribus opimæ quoddam & tanquam adipatæ dictionis genus. Cur autem ab adipe non dicamus adipale, ut à lege legale, à ceruice ceruicale, à trabe trabale, à dape dapale? Nam claui trabales, & cœna dapalis eſt dicta. Quæ porro iſta eſt religio? quæ uana potius ſuperſtitio? Neſciunt hoc præcepiſſe Ciceronem, ut ex inflexione uerba noua faciamus? Redeamus in uiam. Quẽadmodum Phryges oratione impoliti fuerunt & incompoſiti, ſic & Athenienſes incorrupti & elegantes, et in dicendo religioſi: quorum religioni, hoc eſt, obſeruantiſſimæ curæ audiendi & loquendi, cum ſeruiret orator, nullum uerbum inſolens inauditũ, inuſitatum, ab Attico lepore alienum, nullum odioſum & auditu moleſtum ponere audebat. Itaque Demoſthenes in illa celeberrima pro Cteſiphonte oratione, quã accuſabat Aeſchines quòd*

contra leges in publico Demoſthenem coronaſſet, ſummiſſius à primo, hoc eſt à principio dixit, ut inſolentiam uitaret & audaciam, ut illum honeſtum pudorem, gratamq; uerecundiam præ ſe ferret: deinde preſſius, id eſt, ſubtilius & acutius, dum de legibus diſputat, quæ uetabant ipſum coronari in theatro populo conuocato, qui locus non eſt legitimæ concionis, cum etiam nihil de Repub. bene meritum ciuem, qui rationes ſuæ curationis non retuliſſet, coronari non liceret. Hæc diſputatio ſubtile dicendi genus, & preſſum, uocem & actionem docentis plenam & ſecuram petit. poſt ſenſim incedens per ea quæ adminiſtrauit in Republica, iudices ut uidit ardentes orationis & affectuum flāma, in reliquis in aduerſarium dictis exultauit audacius, ut ſi quis imperator aditu facto, ſpe uictoriæ fretus petulantius exultet. Aeſchines autem, etſi Demoſthenes examinat & quaſi trutinatur pondera uerborum, exagitat & reprehendit quædam, quæ odioſa, dira, μιαρὰ, quæ intolerabilia, ἀπίθανα eſſe dicit, Demoſthenem belluam appellat κίναδον. ab eo quærit utrum illa uerba ῥήματα, an portenta θαύματα ſint. Aeſchinis uerba ſubſcripſimus, ad hunc illuſtrandum locum: οὐ μέμνησθε αὐτοῦ τὰ μιαρὰ καὶ ἀπίθανα ῥήματα, ἃ πῶς ποθ' ὑμεῖς ὦ σιδήρεοι ἐκαρτερεῖτε ἀκροώμενοι; ὅτ' ἔφη παρελθὼν, ἀμπελουργοῦσί τινες τὴν πόλιν, ἀνατετμήκασί τινες τὰ κλήματα τοῦ δήμου, ὑποτέτμηται τὰ νεῦρα τῶν πραγμάτων, φορμορραφούμεθα ἐπὶ τὰ στενὰ, τινὲς ὥσπερ τὰς βελόνας διείρουσι. ταῦτα δὲ τί ἐστιν ὦ κίναδος ῥήματα ἢ θαύματα; Non meminiſtis eius odioſa & intoleranda uerba? quæ qua patientia audire potuiſtis, homines ferrei? cum prætercurrens, inquit, Sunt qui tanquam uites amputant ciuitatem, ſunt qui exciderunt quaſi palmites populi, ab eis ſucciſi ſunt Reipublicæ nerui. Cogimur in anguſtias, quaſi in tegetem inſuti. Sunt qui nos tanquam acus traiiciunt. Hæc, ô bellua, ſunt uerba, an portenta potius? Sic uerba Demoſthenis aliqua in concione concitati reprehendit Aeſchines: aduerſus quem Cicero purgat Demoſthenem, qui ubi iam incaluiſſet oratio, poſuerit uerba ardentia, quæ reſtinctis iam animorum incendiis, & affectu remiſſo, frigidiora uidebantur. Et ſe ipſe purgat tueturq; Demoſthenes. negat in eo poſitas eſſe fortunas & res Græciæ, τὰ τῶν ἑλλήνων πράγματα, hoc an illud uerbum dixeris in elocutione, huc an illuc manum porrexeris in geſtu. uerba Demoſthenis ſunt: πάντα γὰρ παρὰ τοῦτο οὐχ ὁρᾷς γέγονε τὰ τῶν ἑλλήνων πράγματα, εἰ τουτὶ τὸ ῥῆμα, ἀλλὰ μὴ τουτὶ διελέχθην ἐγώ. ἢ δευρὶ τὴν χεῖρα, ἀλλὰ μὴ δευρὶ παρήνεγκα. Præclare ſanè ſe habeant fortunæ Græcorum, uti uidere potes hoc ſi uerbum, non illud locutus ſim: aut ſi manum huc, non illuc protulerim. Ex his facile eſt intelligere, locū Ciceronis eſſe corruptum, & hoc modo legendum. Negat in eo poſitas eſſe fortunas Græciæ, hoc an illud dixerit uerbum, huc an illuc manum porrexerit. Si Demoſthenes exagitatur & uellicatur ab Aeſchine tanquam putidus, id eſt rancidus, auditu triſtis & inſuauis, quo'nam modo audiretur Myſius aut Phryx Athenis? Omiſit Cares illos barbaros in primis, quia noluit Car nominatiuum ſingularem inuenuſtum ponere, quem uſurpant nonnunquam hiſtorici. Nec in uerbis putidis ſolum eſt opimum genus, ſed etiam ponitur in uoce inclinata, id eſt neq; ſtante, neq; erecta, ſed deflexa ad nimiam quandam ſeueritatem. Cicero infra: Volet orator inclinata uoce uideri grauis. Idem 2. de Oratore: Oratio poteſt inclinantem erigere, aut ſtantem inclinare. Eſt etiam uox Aſianorum in epilogis, ſiue perorationibus, quæ luporum more ululat, & triſte quoddam canticum perſonat, quod in agendo fœdiſſimum eſt. Non enim cantendum, ſed uoce molliter ac decenter flexa pronunciandum, cum mouemus affectus in peroratione. Dixit hic Cicero teretes aures, ſicut Horatius os rotundum: Graiis dedit ore rotundo Muſa loqui. Acron interpretatur os perfectum. Aures ergo teretes, perfectæ, perpolitæ, delicatæ, quæq; ſonis aſperioribus facillime lædantur. Religioſæ uero, quæ nihil corruptum, nihil fœdum, nihil putidum admittunt: contra legunt pura omnia, ſancta & incorrupta, ut fieri ſolet in obſeruatione cæremoniarum. QVORVM genera plura ſunt, hi unum modo quale ſit, ſuſpicantur.]

Tria genera facit eorum, qui falſo exiſtimant ſe Attice dicere. Alii ſubtiliter, ſed horride inculteq; dicendum putant, Lyſiæ more: alii ſe Thucydidios eſſe profitentur, alii Xenophontis imitatores uideri cupiūt. Iſtorū omnium praua iudicia caſtigat. Primi ſectantur illud tenue dicendi genus, quod eſt elegans, id eſt, bonis ſententiis & uerbis informatum: quod eſt enucleatum, hoc eſt dilucidum, cum expoſitione rerum, cum uerbis propriis, uſitatis, compoſitis: horridum tamen, aſperum & incultum figuris & ornamentis minime pulchris, hiante iunctura uerborum, numero neque perfecto, neque concluſo: quo charactere philoſophorum plerique ſunt uſi. Id genus tenue & callidum, ſed impolitum, & conſulto rude, Cicero Atticum fatetur, quia Lyſias Atticus in eo præclare conſtiterit. ſed id Atticum ſolum negat, quoniam graue mediumq; duo reliqua dicendi genera ſuſcipiunt Attici. Nam cum Pericles ciuis Athenienſis uteretur oratione graui, primæ partes illi omnium conſenſu deferebantur: id quod affirmat Socrates in Phædro Platonis, ut paulo ante dictum eſt. Quod oſtendit Ariſtophanes poeta comicus, qui de Pericle ſcribit, ἤστραπτεν, ἐβρόντα, ξυνεκύκα τε πάντα, Fulgurabat, tonabat; permiſcebat omnia. De Pericle Cicero in Bruto: Ante Periclē, cuius quædam feruntur, & Thucydidem; qui non naſcentibus Athenis, ſed iam adultis fuerunt, litera nulla eſt, quæ quidem ornatum aliquem habeat, & oratoris eſſe uideatur. Itaque potuit è ſcriptis coniecturam capere, ſed alterius cuiuſquam eſſe creduntur. Sit igitur argumentum à repugnantibus: Si tenuis orator ſolus eſt Atticus, Pericles ille grauis orator non Atticus fuit. Fuit autem Pericles in primis Atticus, Ergo non tenuis orator ſolus eſt Atticus. Quia uero dicunt imitari ſe Lyſiam, qui ſit tenuis & inornatus, probat eos exiſtimare falſum, ſi putant illud eſſe Atticum. Etenim Demoſthenes non tenuis eſt, ſed copioſus: non inornatus, ſed ornatus, & tamen in primis Atticus. Hoc eſt igitur Atticum in Lyſia, non quòd tenuis ſit & inornatus, ſed quòd nihil habeat inſolens, alienum, peregrinum, abſurdum, ineptum, uitioſum, ingratum, ridiculum. Hic quærendum uidetur, cur Lyſiam ſcriptorem uocet: deinde quo pacto poſſit idē eſſe uenuſtiſſimus ac politiſſimus, idem in eodem tenuis & inornatus? Cauſam prioris ſic oſtendit in Bruto: Tum fuit Lyſias, ipſe quidem in cauſis forenſibus non uerſatus, ſed egregie ſubtilis ſcriptor, atque elegans, quem iam propè audeas oratorem perfectum dicere. Ex quibus intelliges horum ſententiam uerborum, qui Lyſiam ſequuntur, cauſidicum quendam ſequuntur, non illū quidem amplum, atque grandem, ſubtilem & elegantem tamē, & qui in forenſibus cauſis poſſit præclare conſiſtere. Is cum lex Athenis eſſet, ne quis uteretur oratore, ſed ſuam ipſe cauſam diceret, cuius negotium & lis eſſet: ſcribebat imperitis orationes, quibus ad iudices uterentur. Aliquot extant adhuc dilucidæ, tenues, ſermonis illius quotidiani conſimiles, unde propoſuiſſemus exempla ſi opus fuiſſet. ſed qui Græca norunt, ab ipſo fonte credo haurire malunt. Orationes illæ ſubtiles & inornatæ uidentur, quia non ita multum recedunt à ſermone uulgari. Nihilominus uenuſtiſſimæ, hoc eſt decentiſſimæ ſunt, utpote quæ mirū in modum placeant. Sunt & politiſſimæ, quæ nihil omnino redundent. Hæc in oratione non magis repugnant, quàm eundem uirum eſſe gracilibus membris, uulgariter indutis, ut Iulium Cæſarem, eundem decere tamen, & χάριτας habere. Alterum genus cacozelorum proponit ſibi Thucydidem imitandum: quorum iudicium Cicero ſic eleuat: Nouum quoddam imperitorū, & inauditum genus. Deinde ratione refutat, hoc modo: Nihil ab eo transferri poteſt ad forenſem uſum & publicum, quia id maxime liceret è concionibus, in quibus hiſtoricus agit oratorem. At uero illæ conciones, in quibus frequens eſt Tucydides,

ita

ita multas habent obſcuras abditaſq; ſententias, tum ex hiſtorijs congeſtis, tum ex quadã antiqua affectatione grauitatis, uix ut intelligantur: quod eſt in oratione ciuili & oratoria uitiũ uel maximum. Poſtea rhetores Græcos obijcit, quos à Thucydide nihil unquam duxiſſe contendit. Tentas & maius, iſtos nec imitari debere Thucydidem, nec poſſe, qui neſciant uirtutes eius: tantum uiderint horridum & incultum genus orationis. Demoſthenem tamen ferunt Thucydidis orationem adeo probaſſe, ut eam non modo legerit, ſed etiam edidicerit. Quod ſi eſt, qui cõſtare poſſunt dicta Ciceronis? De ſcriptoribus magnæ ſunt cõtrouerſiæ in præſentia omittendæ: hoc ponendum forte, noluiſſe Ciceronem accommodare ſe cauſæ, & Thucydidem non ita improbaſſe, quin aliquid eloquentiæ conferre poſſe arbitraretur, ſed meliores ſemper fuiſſe duces eloquentiæ. de Thucydide paulo aliter Alicarnaſſeus, ὡς δὲ τ' ἀληθὲς ἔχει, ὁ καὶ πελασιώτερος δὲ ὁ δοκιμαζόμενος Θουκυδίδης τ' ὄνομα, ἀφιμονώτατος τῶν συγγραφέων. Sic ueritas habet antiquior. ſemper eſt admirando nomine Thucydides, ut omnium ſcriptorum feliciſſimus. Hanc ſententiam Quintilianus Alicarnaſſei Dionyſij amator probat, nec improbat omnino Cicero, qui fatetur eſſe rerum explicatorem prudentem, ſeuerum, grauẽ, qui præclare narrat res geſtas in adminiſtratione ciuili, bella in expeditionibus, prælia in conflictibus. Et 2. de Oratore dicit: Thucydides omnes dicendi artificio mea ſententia facile uicit. & in hoc opere: In Thucydide orbem modo orationis deſidero, cætera comparent. Quia liber Thucydidis habetur in manibus, legat qui uolet, et in re præſenti iudicium ferat. Semper tamen erit quædam peruerſitas, & praua ſentiendi ratio et agendi, Thucydidem imitari te malle quàm Demoſthenem, cum Thucydides & antiquior ſit, & aliud genus ipſe tractet. Scite comparat eiuſmodi homines ijs qui frugibus inuentis glande ueſcebantur, propterea quòd quæ poſteriores Græci, ut Demoſthenes, ad eloquentiam inuenerunt, tanto præſtantiora fuerunt illa Thucydidis antiquitate, quanto glandibus antiquorum meliores ſunt inuentæ à Cerere fruges. Nam quemadmodum doctore Triptolemo, uictus hominum, beneficio Athenienſium excoli potuit, ſic & oratio potuit. Fabulam de Cerere & Triptolemo ſcribit Ouidius quarto Faſtorũ:

> *Iſte quidem mortalis erit, ſed primus arabit,*
> *Et ſeret, & multa præmia tollet humo.*

Græcos rhetores accipit etiã Oratores. ſic enim ῥήτορας Græci uocant, quos hic imitatus eſt Cicero. Latini appellant eos rhetores, qui præcepta eloquentiæ tradunt. De nobilitate Thucydidis notemus hæc pauca. Thucydides Olori & Aegeſipyles filius, genus ad Aeacum Iouis filium referebat. Is opibus potens & honore clarus erat Athenis: ſed non ita multo poſt cum ueniſſet in ſuſpicionem proditionis, actus eſt in exilium. Ita non eloquentia ciuili, & felicitate rerum geſtarum, ſed hiſtoriæ conſcriptione nomen extendit: quæ cum clara ſit fama, & antiquam redoleat phraſin, imitatores iſti ſibi proponunt. Mutila quædam loquuntur, neque perfecta numeris, neque concluſa, nec que modulata ad explendũ aurium ſenſum: hiantia uaſte pronunciant, & ea quæ ſunt ex aſpero uocalium concurſu, literiſq; rixantibus, tam male coagmentata, ut ore hianti laborantiq; ſint proferenda. Quòd autem Thucydides anguſtiore interim numeros, & aſperas concurſiones admittit, ut in eius concionibus etiam uidemus, ſe putant eſſe germanos, id eſt, ſimiles Thucydidis. Tertium genus imitatorum Xenophontem probat, ſententiarum pondere grauem, oratione prædulcem. Cicero tranquilliorem putat, quàm qui uerſari poſſit in ſtrepitu forenſi. De Xenophonte Diogenes Laertius: Ξενοφῶν γρύλλου μὲν ἦν ἀθηναῖος, τῶν δήμων ἐρχιεύς, αἰδήμων δὲ καὶ εὐειδέστατος εἰς ὑπερβολήν. ἀκροατὴς σωκράτους ἦν, καὶ ἱστορίαν φιλοσόφων πρῶτος ἔγραψε. συνέγραψε δὲ βιβλία πρὸς τὰ τετταράκοντα, ἄλλων ἄλλως διαιρούντων. τήν τε ἀνάβασιν, ἧς μετὰ βιβλίον μὲν ἐποίησε προοίμιον, ὅλης δὲ οὔ. καὶ κύρου παιδείαν, καὶ ἑλληνικὰ ἀπομνημονεύματα, συμπόσιόν τε καὶ οἰκονομικόν, καὶ περὶ ἱππικῆς, καὶ κυνηγετικόν, καὶ ἱππαρχικόν, ἀπολογίαν τε σωκράτους, καὶ περὶ πόρων, καὶ ἱέρωνα ἢ τυραννικόν, ἀγησίλαόν τε, καὶ ἀθηναίων καὶ λακεδαιμονίων πολιτείαν. Xenophon Grylli filius Athenienſis fuit, uico archius, homo uerecundus, & ſupra modum formoſus. is auditor Socratis fuit, primuſq; philoſophorũ ſcripſit hiſtoriam. Conſcripſit autem libros ad quadraginta, alijs aliter partientibus. Aſcenſum Cyri, in quo ſingulorum librorum, non autem totius operis proœmium fecit: Cyri Pædian, rerum Græcarum commentaria, conuiuium, œconomicum, de arte equorum, de uenatione, hipparchicum, Socratis defenſionem, de ſeminibus, Hieronem, uel Tyrannicum, Athenienſium et Lacedæmoniorum Rempublica. Ex operibus illius extant adhuc nonnulla præclara, in quibus ſtylus eſt tenuis quidem, ſed uenuſtus, ac redolens Atticiſmon, genus dicendi acutum, callidum, ſpatioſumq;. De Platonis & Xenophontis æmulatione Gellius multa capite 3. lib. 14. MAGNVM opus omnino & arduum Brute conamur.] *Planum facit, eſſe multa & uaria genera dicendi, laudabilia quidem illa, ſed tamen ſi ſummam eloquentiam requiras, imperfecta omnia: quamobrem ſe refert ad eum quem uult inchoãdũ, eaq; eloquentia informandum, quam in nullo cognouit Antonius. Quoniam autem difficillimum eſt in tanta uarietate iudicare, quæ ſit optima forma dicendi, tanquam magnitudine rei perculſus egreditur, ut expoſitis Bruti uirtutibus, eam cauſam faciat cur onus impar ſuſceperis, & in perferendo multum laborauerit. Alterum ualet ad ueniam promerendam, alterum ad operis huius & Bruti commendationem. Arduum, difficile eſt & moleſtum. Gellius. Arduum Salluſtius non pro difficili tantũ, ſed pro eo quoque ponit, quod Græci δυσχερὲς aut χαλεπὸν appellant, quod eſt cum difficile, tum moleſtum quoque & incommodum & intractabile. Inter ingenium & ſtudia diſcrimen eſt. ingenium natura eſt, ſtudia opera noſtra & diligentiæ. ex ingenio & ſtudijs, mores. His ergo rebus ordine poſitis, amabilẽ Brutum ſignificat: cui ſit ingenium bonum, uatum patriæ, magniſq; rebus: cui ſtudium uirtutis, philoſophiæ atq; eloquentiæ: cui mores ex ſeueritate & lenitate compoſiti. Qualia ſint hæc, Plutarchus in eius uita copioſe narrat. Animaduertendũ quod Cicero dicit, Incendor. Nam amori poſtponit aliquid maius, incendium, qui præcipui amoris eſt ardor. Duas eius incendij cauſas ponit, abſentis amici deſiderium, famam uirtutum incredibilium, à quibus amor ille antea magnus incendi poteſt. Brutus aberat quo tempore C. Cæſar in Africa bellum gerebat in Scipionem, & Iubam, tumq; prouinciam Galliam regebat. eodem tempore Cicero Pompeianus accepta uenia, nunc Romæ, nunc in agro Tuſculano ſcriptitabat libros, confectus, ut ait, hoc eſt penè conſumptus & temporum calamitate, & deſiderio ſuorũ, quorum congreſſus, & conſuetudinem uictus, & ſermones requirebat. quæ tria ſic habent, ut primum ſit, congredi, conuenire ac ſalutare: ſecundum, uerſari cum amico, & ſodalitate recreari: tertium, à conuiuio liberius confabulari. Nec prætereũdum illud, laudes epithetis & adiunctis ad nomen, & rebus magnis & admirabilibus exornari. Hinc iſtuc: Incendor admirabili fama uirtutum incredibilium, quæ ſpecie diſpares, prudentia coniunguntur. Scite etiam uirtutes non contrarias, ſed ſpecie diſpares cenſet. Nulla quippe uirtus alteri uirtuti contraria eſt, ſed ſpecie diſpar, ut ſeueritas, & comitas, quæ dicitur nomine lenitatis, diſpares, non contrariæ ſunt. ad ſeueritatem referes ſanctum, ad comitatem dulce, in hac oratione, Quis tamen unquã te aut ſanctior eſt habitus, aut dulcior? Nam ſanctitas eſt grauitas, & uitæ ſeueritas, quæ nulla ui corrumpitur. Hoc autem dulce, lenitas eſt, & (ut ait in Partitionibus) moderatio animaduertendi, quæ nonnihil de iure ſummo remittit. Vtraque uirtus in iure dicundo maxime cernitur: ut in Bruto præſide*

Galliæ, qui controuerſias eo temperamento iudicabat, ut nó modo uictores, ſed eos ipſos, quos contra ſtatueret, ſententiamq; pronunciaret, æquos, id eſt, æquo animo uinci ferentes, placatoſq; dimitteret. Euitauit illud, contra quos, ut aſperum & inſuaue, et ab anaſtrophe remedium quæſiuit. Gratiam dicit pro fauore. Nomen fauoris tempore Ciceronis non multum inoleuerat. ſic pro Quintio: Quæ res in ciuitate duæ plurimum poſſunt, hæ cótra nos ambæ faciunt in hoc tempore, ſumma gratia, & eloquétia. Eſt ſumma gratia, ſummus fauor. Commune incendium, ſignificat cladem bellorum ciuilium. Brutus, cum prouincias cæteri præſides auare diriperent, Gallos in quiete ſumma regebat, omneiq; accendebat amore Cæſaris. Is igitur in Gallia fruebatur ipſe ſe, id eſt fructum gloriamq; percipiebat illius ſuæ moderationis. In Italiæ luce, id eſt ſplendore magiſtratus. ut in Rullũ: Honoris ueſtri luce caruerunt. Aut certe in Gallia, quæ ſit lux Italiæ. ad quod faciunt hæc in Antoniana tertia: Nec uero de uirtute, conſtantia, grauitate prouinciæ Galliæ taceri poteſt. Eſt enim ille flos Italiæ, illud firmamentum imperij populi Romani, illud ornamentũ dignitatis. Illic Italiæ florem Galliam, hic optimorum ciuium florem: illic imperij firmamentum, hic optimorũ ciuium robur uarie dixit. In tot occupationibus totq; negotijs administrandæ prouinciæ, nec intermittebat ſtudia doctrinæ Brutus, nec interrumpebat illam curam artium liberalium. Adeo literis intentus erat, ut pridie quàm prælio Philippenſi mortem oppeteret, alijs omnibus anxijs de prælio futuro, Polybij epitomen ſcriberet. quæ res uiri conſtantiam demonſtrat, & literarum eximium amorem. Quem autem Catonem ſe dicit abſoluiſſe: Non eſt hic Cato maior, & liber de Senectute, ſed laudatio Catonis Vticenſis, qui ne ueniret in poteſtatem Cæſaris, ipſe ſibi manus attulerat: in quem Cæſar Anticatones edidit, ut Ciceronem refutaret. Ea de re Cicero ad Atticum: Qualis futura ſit Cæſaris uituperatio contra laudationem meam, perſpexi ex eo libro quem Hirtius ad me miſit, in quo colligit uitia Catonis. hinc iſtud eſt: Catonem ipſum nunquam attigiſſem, tempora timens inimica uirtuti, id eſt, Cæſaris tyrannidem, niſi tibi non parere ne fas eſſe duxiſſem: ſed teſtificor me à te rogatum, hæc Catonem & oratorem ſcribere eſſe auſum. Volo mihi tecũ cómune eſſe crimen, id eſt accuſationem: ut ſi ſuſtinere tantam quæſtionem, id eſt tantam cauſam tueri non potuero, iniuſti oneris, iniqui, uiribuſq; maioris, tua culpa ſit, mea recepti: ex hoc tibi dato munere tantum percipiam laudis, quantum uitij detur & uituperij, ſi quis in onere recipiendo fuit error iudicij noſtri. SED in omni re difficillimum eſt, formam, quod χαρακτὴρ Græce dicitur, exponere optimi.] Hæc annecte ſuperioribus: Magnũ opus omnino & arduum Brute conamur, quia non ſolum in eloquentia, ſed in omni re, ut in ratione uiuendi, difficillimum eſt formã ſpeciemq; exponere optimi, quòd aliud alijs uideatur optimum. Ex quo ſubortæ ſunt illæ concertationes philoſophorum de finibus bonorum & malorum, quòd aliud alijs optimum perpetuoq; expetendum uideretur. Nec enim χαρακτὴρ magis eſt eloquentiæ, quàm cæterarum rerum ſpecies & forma quædam. Nã quemadmodum χαράττω ſignificat id quod ſigno, ſpeciemq; reddo: ſic etiam χαρακτὴρ eſt ὁμοίωσις, figura & ſimilitudo rerũ. Sæpe tamen orationis forma character appellatur. Quòd autẽ aliud alijs uideatur optimũ, ſicut in imitatoribus Græcorũ planũ fecit, ſic & in cenſoribus linguæ Latinæ picturæq; demonſtrat. Ennio delectantur alij, quia uerſum ducit horridum & incultum: Pacuuium illum Tragicum præferunt alij, quòd Ennio ſit diligentior in ornando. Fac, id eſt, finge alium Accio tragœdiarum ſcriptore delectari, cuius librum Perſius ut durum & aſperum dicit eſſe uenenoſum. Iam in tã uarijs iudicijs non erit facilis explicatio, quæ forma maxime excellat. Eodem modo iudicia uariant in picturis: alij probant horrida, id eſt, inculta, quia magis referunt antiquitatem: alij contra, nitida, culta, & ornata, quoniam talia magnificentiora creduntur. In illis eſt quædam reuerenda maieſtas, in his pulchritudo & ſplendor illuſtris. Alij optima putãt abdita & opaca, quæ ſunt frequentibus umbris depreſſiora, minuſq; lucentia: quod genus pleraque uidemus admodum iucunda. Illud enim opacum & obſcurum, ſi modo ſcite pictum & adumbratum eſt, minus ſui tædium parit. Alij contra, ſumma iudicant læta atque colluſtrata. Læta porrecta, expreſſa, non reiecta, multiq; uelut triſtibus umbris opaca. Colluſtrata, quodãmodo radiantia, ut quæ lineamentis eminentioribus & colore uiuo ſpectatorum feriunt ſenſum. Idem tertio de Oratore: Quanto colorum pulchritudine & uarietate floridiora ſunt in picturis nouis pleraque, quàm in ueteribus? quæ tamen etiamſi primo aſpectu nos ceperunt, diutius non delectant, quin ijdem nos in antiquis tabulis illo ipſo horrido obſoletoq; teneamur. Sic uaria ſunt iudicia, quid'nam ſit optimum in eloquentia, ut in poetis & pictoribus. Dicet igitur quiſpiã, quid eſt in tanta uarietate quo præſcriptum aliquod aut formulam exprimas, id eſt, cur certam legem, certumq; præceptũ definias, tanquam ludimagiſter, qui literarum formulas quaſdam puero præſcribit ad imitandum, cum in ſuo quodque genere præſtet et excellat, ut graue genus, ut tenue, ut medium, ut poema non diſcedens à communi more uerborum, ut ornatum poema, ut inculta pictura, ut nitida & ornata? Reſpondet, ea ſe religione & ueluti ſancto metu non teneri, quia ſit in omnibus rebus aliquid optimum: quod etiamſi latet, tamen citra crimen ab eo poſſit qui eius rei narus eſt iudicari. Præſcriptum accipere poſſis, eam præſcriptionem, qua prætor aut iudex certo modo certaq; uerborum comprehenſione aliquid ante ordinat. formulam quoque dicere licet, quali actiones & exceptiones comprehendebãtur. Religio cultus eſt deorum, aliquando metus & ſolicitudo. Terentius in andria: Dignus es cũ tua religione hac, odio. SED quoniam plura ſunt orationum genera.] Et ſi tria ſunt omnino genera dicendi, de quibus antea dictum eſt, ſpecies tamen eorum multæ. Aliæ quidem ſunt uelut oratoris incunabula, quas in præſentia tractat: aliæ ad aciem dimicationemq; paratiores, quæ præcipue ſunt in oratore perfecto. Verba ſunt eius infra. Sed quòd educata huius inſtrumentis eloquentia, ipſe ſe poſtea colorat & roborat, non alienum fuit de oratoris quaſi incunabulis dicere. uerum hæc ludorum atque pompæ, nos autem iam in aciem dimicationemq; ueniamus. Ex his intelliges, quem ſeruaris ordinem collocandi. Plura ſunt orationum genera, inquit & ea diuerſa, neque in unam formam cadunt omnia. Vnum genus laudationum eſt, quibus maxime quidem clari uiri, ſed aliæ res quoque laudantur, ut dij, urbes, agri. Hoc genus dicitur à Græcis ἐγκωμιαστικὸν, quo uſus eſt Iſocrates, in Helena encomio. Alterum genus eſt ſcriptionum. Scriptiones autem dicere uidetur omne genus ſcripti, ut ſecundo de Oratore: illud autem eſt inſtitutæ ſcriptionis, ac temporis. & Tuſculana quinta. Impulſi ſumus ad philoſophiæ ſcriptiones. quem ſi ſequamur intellectum, ſcriptiones erunt ingeniorum quædam exercitationes, aut fabuloſæ, ut de rebus Herculis: aut fictitiæ, ut de Icaromenippo: aut ueræ, ut de pace, de bello. Huc χρεῖας & eiuſmodi exercitationes referre licet. Poſſumus etiam deriuare ἀπὸ τῆς γραφῆς. Nam γραφὴ ſcriptio ad uerbum interpretatur. Eſt autẽ γραφὴ, ut Suidas oſtendit, accuſatio legum atque decretorum quæ ſanciri non oportuit, itemq; omnium offenſionum publicarũ delatio. γίνονται δὲ γραφαὶ καὶ νόμων, καὶ ψηφισμάτων, καὶ τῶν δημοσίων ἀδικημάτων. πολλὴ δὲ ἡ χρῆσις τοῖς ῥήτορσι. Hæc ſcriptio ut in iudicijs eſt frequens, ita & ad meditationem proponi poteſt. Nam Iſocrates multa ſcripſit in mores ciuitatis, ut in Areopagitico. Tertia eſt hiſtoria forma, quæ & eloquentiæ nutrix eſt. Cicero ſecundo de Oratore: Qualis oratoris, & quanti hominis in dicendo, putas eſſe hiſtoriam ſcribere? Videtis'ne quantũ munus ſit oratoris hiſtoria? Haud ſcio, an flumine orationis & uarietate

uarietate maximum. Alit eloquentiam, quia narrat, quia conciones aptas, quia oratori ſuppeditat exempla. Quartum genus eſt ſuaſionum, non omniũ (nam ad eloquentiam ſummam pertinet illa ſeria de magnis rebus & conſilijs oratio) ſed talium ſuaſionum, quales ſcripſit Iſocrates in otio. Panegyricus eius extat de rebus & utilitatibus Athenienſium, qui in conuentu commode haberi poteſt, à quo uidetur hoc duxiſſe nomen. Eſt enim Panegyris conuentus, celebritas & laus, quo nomine Plinius orationẽ de laudibus Traiani nominauit. Iſocrates autem Sophiſta dictus eſt, ſicut & cæteri profeſſores tum philoſophiæ, tum diſciplinæ rhetoricæ, ut Protagoras, ut Gorgias, ut alij propè infiniti, qui mercede capti profitebantur artes liberales. Plato in Sophiſta tradit hoc nomine uocandos adoleſcentium nobilium diuitumq; mercenarios uenatores, quiq; diſciplinas emunt, quas alijs poſtea reuendant, quiq; uerbo maiora pollicentur, quàm reipſa præſtare poſſint. Plutarchus in bonam partem Sophiſtas interim nominari dicit. Lege Sophiſtam, & Gorgiam Platonis. Certe omnes ij Sophiſtæ ſunt, qui ſapientes uidentur, & nõ ſunt: ut Mathematici apud Ariſtophanem, ut multi philoſophi apud Platonem, multi rhetores apud eundem. Quintum genus ἐπιδεικτικὸν nominatur, id eſt demonſtratiuum, quod quaſi ad inſpiciendum, & tanquam aliquod ſpectaculum delectationis cauſa comparatum eſt. Quod quid differat à laudatione, Quintilianus oſtendit his uerbis: Sed mihi ἐπιδεικτικὸν non ita demonſtrationis uim habere, quàm oſtentationis uidetur, & multum ab illo encomiaſtico differre. Nam ut continet laudatiuum in ſe genus, ita non intra hoc ſolum cõſiſtit. An quiſquam negauerit panegyricos ἐπιδεικτικοὺς eſſe? atqui formam ſuadendi habent, & plerunque de utilitatibus Græciæ loquuntur. Hæc ille. Vnde ſcias ἐπιδεικτικὸν genus latius patere, quàm quod laudatiuum uocatur. Sunt & aliæ formæ non abſimiles, quibus exercentur ingenia, quales libello collegit Aphthonius: quæ quia rebus & uerbis alunt oratorem, ſunt quaſi nutrices oratoris eius quem informat, hoc eſt, cuius ideam ſpeciemq; proponit, & de quo molitur, id eſt, ut in re difficili conatur aliquid exquiſitius, maius & excellentius dicere. Quid differant à ueritate cauſarũ, quatuor amplectitur rebus. In illis generibus liberior eſt copia uerborum, & exuberantior: deinde numerus omnis & illa perfectio iucundior. Conceduntur argutè certiq; & circunſcripti uerborum ambitus, quæ ſunt periodi concluſa atq; perfecta. Datur etiam uenia concinnitati ſententiarũ. Ea eſt quæſita pulchritudo rerum, quæ magnam audientibus afferunt uoluptatem. Tũ de induſtria ex compoſito palam & aperte figuris ornatur & elaboratur oratio, ut uerbis quaſi demenſa & paria reſpondeant: quod fiet, ſi multa membra eodem ferè ſyllabarum numero conſtet. Sic enim demetimur poſteriora prioribus, ut paria & magnitudine æqualia reſpondeant. Adde repugnantia, & contraria comparata, ſimiliter deſinentia. Has omnes orationis delicias in ueris cauſis uſurpat orator, & rarius, & occultius. De copia uerborum, de numero ſuaui, de periodo concluſa, de paribus membris, de ſimiliter deſinentibus, de concinnitate ſententiarum, ſit hoc breue Ciceronis exemplum, de laudibus Pompeij: Ita tantum bellum, tam diuturnum, tam longe lateq; diſperſum quo bello omnes gentes ac nationes premebantur, Cn. Pompeius extrema hyeme apparauit, ineunte uere ſuſcepit, media æſtate confecit. Hæ res quæ cæteros remorari ſolent, non retardarunt. Non auaritia ab inſtituto curſu ad prædam aliquam reuocauit, non libido ad uoluptatẽ, non amœnitas ad delectationem, nõ nobilitas urbis ad cognitionem, nõ denique labor ipſe ad quietem. De contrarijs & repugnantibus ſit & hoc eiuſdem: Antonij promiſſa cruenta, tetra, ſcelerata, dijs hominibuſq; inuiſa, nec diuturna, neque ſalutaria. Noſtra contra honeſta, integra, glorioſa, plena lætitiæ, plena pietatis. Similia multa colligito: facile ſeparabis hãc ſuauitatẽ ab illa cõtentioſa aſperitate cauſarũ. Iſocrates hæc ornamenta ſtudioſe ſe conſectatum fatetur, quoniã ad aurium uoluptatem multa conſcripſerat. uerba ſunt illius in Panathenaico: περὶ ἐκείνους ἐπραγματευόμην τοὺς περὶ τῶν συμφερόντων τῇ τε πόλει καὶ τοῖς ἄλλοις Ἕλλησι συμβουλεύοντας, καὶ πολλῶν μὲν ἐνθυμημάτων γέμοντας, οὐκ ὀλίγων δ' ἀντιθέσεων, καὶ παρισώσεων, καὶ τῶν ἄλλων ἰδεῶν τῶν ἐν ταῖς ῥητορείαις διαλαμπουσῶν, καὶ τοὺς ἀκούοντας ἐπισημαίνεσθαι, καὶ θορυβεῖν ἀναγκαζουσῶν. νῦν δ' οὐδ' ὅπως ἂν τοὺς τοιούτους. ἡγοῦμαι γὰρ οὐχ' ἁρμόττειν, οὔτε τοῖς ἔτεσι τοῖς ἐνενήκοντα καὶ τέτταρσιν, ἃ ἐγὼ τυγχάνω γεγονώς. οὐδ' ὅλως τοῖς ἤδη πολιὰς ἔχουσιν. Hoc eſt: In illis orationibus elaboraui, quæ conſilia darent utilia noſtræ ciuitati, cæteriſq; Græciæ, quæq; referta eſſent & enthymematis, & oppoſitis & paribus, alijſq; ornamentis & luminibus in oratione lucentibus, quæ quidem & auditores commouere, & eoſdem concitare poſſent. Nunc eiuſmodi delicias relinquo: quia ſic arbitror, illud neque annos meos iam quatuor & nonaginta, neque canos cuiuſquam decere. Hinc illud eſt Ciceronis de Senectute: Eſt enim quietæ, puræ, & eleganter actæ ætatis placida ac lenis ſenectus, qualem accepimus Iſocratis, qui eum librum qui Panathenaicus inſcribitur, quarto & nonageſimo anno ſcripſiſſe dicitur, uixitq; quinquennium poſtea. Panathenæa erant Athenis ludi & certamina, in quibus pueri certabant, & uictores olea coronabantur. Minora fiebant in ſingulos annos, maiora quinto quoque anno. Ab illis nomẽ habet Iſocratis oratio, in qua diſſerit. περὶ τῶν τῇ πόλει πεπραγμένων, καὶ τῆς τῶν προγόνων ἀρετῆς. hoc eſt, De rebus geſtis Athenienſium, et de uirtute maiorũ. Aliquid etiã de ſe præmittit. Hæc tractaſſe Thraſymachũ Chalcedonium primũ.] Quoniã delicias attigit orationis, quaſi prima ſummi oratoris alimenta, altius repetit inuentores earum rerum, docetq; quos imitari maxime debeamus. Thraſymachus ſophiſta Calcedonius ex Bithynia, primus oſtendiſſe periodon & membrũ modumq; rhetorices induxiſſe fertur. Scripſit & orationes, & libros de arte rhetorica. Quòd autẽ ſcriptum reperimus, Iſocratis eum diſcipulum fuiſſe, conſtare non poteſt, ſi uera ſunt quæ Cicero ſcribit: Horum, inquit, ætati ſucceſſit Iſocrates. Scribendum igitur, Socratis & Platonis auditorẽ fuiſſe. Gorgias Leontinus ex Sicilia temporibus Socratis fuit (quod ex Gorgia Platonis intelligere facile eſt) diſcipulus Empedoclis, præceptor Iſocratis, artis inſignis oſtentator. Frequenter uſus eſt tropis, metaphora, allegoria, hypallage, catachreſi, hyberbaſi, anadiploſi, epanalepſi, apoſtrophe, paribus relatis. hæc ferè Suidas. De Gorgia Cicero de Senectute: Iſocratis magiſter Leontinus Gorgias, centũ et ſeptem compleuit annos, neque unquam in ſuo ſtudio atque opere ceſſauit. Theodorus Byzantius ex Thracia, ſcripſit contra Thraſibulum & Andocidẽ, & alia quædã. Hunc Plato in Phedro λογοδαίδαλον, id eſt orationis egregium artificem appellat. προοίμιον μὲν οἶμαι πρῶτον, δεύτερον δὲ δὴ διήγησίν τινα, μαρτυρίας τ' ἐπ' αὐτῇ. τρίτον, τεκμήρια. τέταρτον, εἰκότα· καὶ πίστωσιν οἶμαι, καὶ ἐπιπίστωσιν, τόν γε βέλτιστον λογοδαίδαλον Βυζάντιον ἄνδρα. φαιδ. τὸν χρηστὸν λέγεις Θεόδωρον; σω. τί μήν; καὶ ἔλεγχόν γε, καὶ ἐπεξέλεγχον ὡς ποιητέον ἐν κατηγορίᾳ τε καὶ ἀπολογίᾳ. Meminiſti credo, procemium conſtitui primo loco, narrationem & in ea ipſa teſtimonia ſecundo, argumenta euidentiora tertio, quarto ueriſimilia: ſed & probationẽ, & probationis confirmationem addidiſſe uirũ Byzãtiũ optimũ artificẽ exiſtimo. Theodorũ illũ frugi ſignificas? Equidẽ certe. oſtẽdit idẽ, ut in accuſatione et in defenſione inſtituẽda eſſet reprehenſio, & altera reprehenſio. De Theodoro Cicero in Bruto: Itaq; ait Ariſtoteles, quòd Theodorus eſſet in arte ſubtilior, in orationibus autem ieiunior, orationes cũ alijs ſcribere cœpiſſe, artem remouiſſe. Iſtorum ſatis arguta multa, id eſt, acuta, ſonantia, modulata. Nã ſæpe ſententias & numeros perquã ſuaues natura fundit. Sed ut modo primumq; naſcentia, hoc eſt quòd tum ſuam haberent infantiam, minuta texebantur, et uer-

ſiculorum ſimilis quadam, nimiumq; depicta. Hæc in numeris tria ſunt uitiorum genera. Nam minutus ille numerus & breuis, quia crebro ferit aurem, ſenſumq; quatit, inſuauior eſt multo, quàm qui longiore tractu ueluti per decliuia cũ plena modulatione delabitur. Quamobrẽ periodis longioribus utũtur exornatores, qui ſe compararunt ad auditorum uoluptatem. Cõtra, minutioribus omnes qui inſtant, acres, Aſperi, uehementes, incitati. Numerus autem qui uarietate maxime cõmendatur, uitiũ trahit ex ſimilitudine: ut ſi quis multas continuet ſententias ad modum mẽſuramq; uerſus hexametri, uel iambici, uel hendeca ſyllabi. Nec laudabilis ille rhythmus, figuris ornamentiſq; nimium depictus. Is eſt, qui ex nimium multis paribus relatis, & contrarijs, & repugnantibus, & antithetis conficitur. In his eſt numerus penè naturalis, qui maxime probatur ſi modum nõ excedit. In hac inueſtigatione figurarum & concinnitatum, quæ numerum faciunt, temperatiores fuerunt Herodotus & Thucydides, hiſtorici ſcriptis & fama notiſſimi, non qui delicias orationis & ornamenta repudiarent, quorum ſtudioſos fuiſſe Quintilianus affirmat. Neque, inquit, mihi quamlibet magnus auctor Cicero perſuadebit, Herodotum, Thucydidem, Lyſiam parum ſtudioſos numeri fuiſſe, ſed qui fugerent ineptias, & cultus immoderatiores. De numero ſentio cum Cicerone, acerrimi iudicij uiro, et id exemplis poſtea demonſtrabo. Nec Quintilianus ſuo, ſed Alicarnaſſei Dionyſij iudicio nititur. Cæterum laudandi ſunt auctores illi, qui neque quaſi uerſiculos texuerunt, neque ambitioſe paria, contraria, antitheta, ſimiliter deſinentia, ſimiliter cadentia quæſierũt. Sũt iſta ineptiæ affectatorũ. Quas autẽ appellet ineptias, oſtendit his uerbis ſecundo de Oratore: Qui aut tẽpus quid poſtulet, nõ uidet, aut plura loquitur, aut ſe oſtentat, aut eorum quibuſcum eſt, uel dignitatis uel commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere aut inconcinnus aut multus eſt, is ineptus dicitur. In eodem libro de Herodoto & Thucydide Antonius: apud Græcos autem eloquentiſſimi homines remoti à cauſis forenſibus, cũ ad cæteras res illuſtres, tum ad ſcribendam hiſtoriam maxime ſe applicauerunt. Nanque & Herodotũ illum, qui princeps genus hoc ornauit, in cauſis nihil omnino uerſatum eſſe accepimus. atqui tanta eſt eloquẽtia, ut me quidem quãtum ego græce ſcripta intelligere poſſum, magnopere delectet. Et poſt illũ Thucydides omnes dicendi artificio, mea ſententia, facile uicit: qui ita creber eſt rerum frequentia, ut uerborum propè numerũ ſententiarum numero conſequatur. Ita porrò uerbis aptus & preſſus, ut neſcias utrum res oratione, an uerba ſentẽtijs illuſtrentur. atqui ne hic quidem, quanquam eſt in Republica uerſatus, ex numero accepimus eorũ qui cauſas dictitarunt: & hos libros tum ſcripſiſſe dicitur, cum à Republica remotus, atque id quod optimo cuique Athenis accidere ſolitum eſt, in exilium pulſus eſſet. hæc ille. Vnde conſtat omnibus in rebus à Cicerone Thucydidem probari, præterquam in numeris, quos ille non expleuit. Herodotus ſine ullis ſalebris, id eſt aſperitatibus & inæqualitate dicendi, quaſi ſedatus amnis fluit, id eſt, oratione utitur æquali, dulci, ſuauiter profluenti: quod genus eſt oratio Cæſaris in Commentarijs. Thucydides incitatior fertur, hoc eſt orationi dat affectum impetumq; maiorem, ut Liuius apud Latinos: & de bellicis rebus canit etiam quodammodo bellicum, & ſonanti dictione tubæ ſonitum propè imitatur & clangorem. Quintilianus: Denſus & breuis, & ſemper inſtans ſibi Thucydides: dulcis & candidus & effuſus Herodotus. ille concitatis, hic remiſſis affectibus melior: ille concionibus, hic ſermonibus: ille ui, hic uoluptate. Ab his hiſtoria commota eſt, hoc eſt, ad uberiorem copiam, & ampliori ornatus excitata, quæ quodam modo iacebat in Pherecyde, Hellanico, Acuſila, aliiſq; priſcis auctoribus. id eſſe uerum, confirmat auctoritate Theophraſti philoſophi, qui fuit Ariſtotelis auditor, ſcripſitq; περὶ λέξεως, καὶ παραγγέλματα ῥητορικῆς, καὶ περὶ τέχνης ῥητορικῆς. Iſocrates præter cæteros eiuſdem generis, id eſt, plus quàm ſophiſtæ, à Cicerone laudatur, quia primus inſtituit dilatare uerbis, & mollioribus numeris explere ſententias. Longiores enim periodos extendit ampliato numero, uerbaq; coagmentauit, ut molliores dulcioreſq; efficeret ſonos. Nam etſi Gorgias & Thraſymachus primi traduntur arte quadam uerba iunxiſſe, tamen uterque conciſus eſt minutis numeris, id eſt, neuter abſoluta periodo ſententias explet, neuter ſpatioſe currit, dum impleatur aurium uoluptas. Thucydides autem præfractior, durior & præruptior eſt, cuius oratio non quaſi ſedatus amnis fluit, ſed quaſi torrens inter ſaxa concitatus fertur: quia & aſpera ſunt iuncturæ, & interſiſtentes numeri curſum morantur. Ideo non ſatis eſt rotundus, id eſt, uolubilis in hiſtoria, quæ molliter fluere debet, & catenæ more coniungi. Quòd autem Brutus diſſentiat à Cicerone de laudibus Iſocratis, opinionem ſuam tuetur Cicero à conſequentibus & auctoritate. Conſequentia ſunt, cum doceret eos qui partim in dicendo, partim in ſcribendo principes extiterunt, domus eius officina habita eloquentiæ eſt. Is eſt effectus neceſſariæ cauſæ, ut optimæ eruditionis & doctrinæ. Ea de re ſcribit hoc ſecundo de Oratore, Ecce tibi exortus eſt Iſocrates magiſter iſtorum omnium, cuius è ludo tanquam ex equo Troiano innumeri principes exierunt. Sed eorum partim in pompa, partim in acie illuſtres eſſe uoluerunt. Itaque & illi, Theopompus Ephorus, Philiſtus, Naucrates, multiq; alij naturis differunt, uoluntate autem ſimiles ſunt inter ſe, & magiſtri, & ij qui ſe ad cauſas contulerunt, ut Demoſthenes, Hyperides, Lycurgus, Aeſchines, Dynarchus, aliiq; complures. Enumerat diſcipulos Iſocratis, qui partim in dicendo, partim in ſcribendo principes extiterunt. Platonis elogium de Iſocrate eſt, quod Cicero tranſtulit. νέος ἔτι ὦ φαῖδρε ἰσοκράτης, ὃ μέντοι μαντεύομαι κατ' αὐτοῦ, λέγειν ἐθέλω. φαῖ. τὸ ποῖον δή; σω. δοκεῖ μοι ἀμείνων, ἢ κατὰ τοὺς περὶ λυσίαν εἶναι λόγους, τὰ τῆς φύσεως, ἔτι δὲ ἤθει γεννικωτέρῳ κεκρᾶσθαι. ὥστε οὐδὲν ἂν γένοιτο θαυμαστὸν, προϊούσης τῆς ἡλικίας, εἰ περὶ αὐτούς τε τοὺς λόγους, οἷς νῦν ἐπιχειρεῖ, πλέον ἢ παίδων διενέγκοι τῶν πώποτε ἁψαμένων λόγων, ἔτι τε εἰ αὐτῷ μὴ ἀποχρήσει ταῦτα, ἐπὶ μείζω δέ τις αὐτὸν ἄγοι ὁρμὴ θειοτέρα. φύσει γὰρ ὦ φίλε ἔνεστί τις φιλοσοφία τῇ τοῦ ἀνδρὸς διανοίᾳ. Hæc quia Cicero uertit, noſtra nõ egent neque interpretatione neque declaratione. In perſona Socratis ſcribit Plato, & ſcribit æqualis, id eſt, agens ætatem parem. Et quidẽ exagitator & reprehenſor omnium rhetorum, ut in eius Gorgia uidere eſt, hunc miratur unum. Me autem, qui Iſocratem non diligunt, id de Bruto mitius dixit, unà cum Socrate & Platone errare patiantur. Errorem Bruti caute ſignificat, cui ſunt in diſciplinis duo ſummi uiri Socrates & Plato præferendi. DVLCE igitur orationis genus, & ſolutum, & effluens.] Qui primi ueſtierint orationem, quibuſq; rebus ueſtierint, expoſuit. Redit ad illud quietum genus, ut cum pugna forenſi comparet. In illo epidictico genere, quod & laudationes & panegyricos & expoſitiones quaſdam continet, dulce eſt orationis genus, & auribus et ſenſu tam iucundũ, quàm grata ſunt dulcia palato. ſolutũ, uinctum numero quidem, ſed quietum, ſecurum, remiſſum, nec ad pugnam fori collectum. Effluens, non præfractum & interſiſtens, ſed libere ſine ullis ſalebris excurrens. Sententijs argutũ, cuius pulchræ & crebræ ſententiæ audiẽtem uoluptate demulcent. Verbis ſonans, quorum bona pars multas habet ſyllabas, et eas uocales, quæ ſunt in his uerbis, ἐπαινῶ, μάλιστα: & in his, laudare, obtemperare. Pompæ, id eſt oſtentationi ludorũ, quàm pugnæ forenſi aptius, ut quod habet pulchritudinem cum ſecuritate. Gymnaſijs & paleſtræ dicatum, deſtinatũ certaminibus ludicris, & ſcholaſticis exercitationibus: & id diſtans à ueritate cauſarum, quod ludi Gymnici ab hoſtium conflictu & prælio. Sed quòd huius nutrimentis educata eloquentia, ſe poſtea colorat & roborat, more pueritiæ firmioris à lacte

lacte depulſa: non alienum fuit de oratoris quaſi incunabulis & primis alimentis dicere. Sed hæc ludorum atque pompæ ſunt, & ludicræ exercitationis. Nos in aciem dimicationemq́; ueniamus, id eſt, eloquẽtiã forenſem inſtruamus. QVONIAM tria uidenda ſunt oratoria.] Iam multa conſtat eſſe genera dicendi, & ut in omnibus rebus, ſic & in his generibus aliquid eſſe optimum: deinde laudationes, hiſtorias, & epidicticum genus non optimi nomine cenſeri. dicendum poſtea, quid hoc optimum iudicet. Et quoniam uis oratoris in quinque partes diſtributa eſt, inuentionem, collocationem, elocutionem, pronunciationem, memoriam: decernit quid ſit optimum in ſingulis, præter quam in memoria, quam omittit, quando quidem, ut ait paulo poſt, de memoria nihil eſt hoc loco dicendum, quæ communis eſt multarum artium. Tria uidenda ſunt oratori, quid dicat, id præſtat inuentio: & quo quidque loco, quod eſt proprium collocationis: & quo modo, hoc duarũ partium, elocutionis et actionis. De tribus harum partium pauca dicit, de elocutione permulta: ac de illis aliquanto ſecus atque in tradenda arte dici ſolet, quia nulla præcepta ponit quot & qui ſint loci, quid ſit et quàm multiplex argumentum, quæ collocatio & quàm diuerſa, quæ inueniãtur exordia, quæ ſint leges narrationis, quæ cõfirmationis, quæ perorandi, quæ pronunciandi: ſed excellentis eloquentiæ ſpeciẽ & formam adumbrat, & ueluti pictor quidam lineamentis et umbris effigiat. Nec quibus rebus ea paretur exponit, ſed qualis eſſe uideatur. Quibus autem rebus ea paretur, explicat in tribus libris de Oratore ad Quintum fratrem, & in Oratorijs partitionibus. Nec enim ſatis eſt hanc cogere ſummam, eloquentiam parari natura, arte, & exercitatione. Ac duo breuiter prima, quæ ſit optima inuentio, & quæ præcellens diſpoſitio, percurrit. Nam etſi ſunt ad maximam laudem neceſſaria, quia loquẽdi profluentia ſine ui ſententiarũ, improba eſt garrulitas: nõ tamen inſignia, non excellentia, nõ quæ pariant admirationem, ut ſolet excellens elocutio, & optima ratio dicendi. Sunt enim cum multis, ut dialecticis, phyſicis, medicis, mathematicis, penè, id eſt magna ex parte, communia. Inueniunt & illi quod loquantur, & aliqua ratione diſponunt, nec tamen in admiratione ſunt, quia plerique non habent illam grauiter & copioſe dicendi facultatẽ, quam qui ſunt aſſecuti philoſophi, mirabiles extiterũt, ut Plato & Theophraſtus. Hæc cũ ita ſint in hominum quorundã opinione, fatendum eſt tamen inuentionem & collocationem ſummas eſſe uirtutes, & eas ſine præcellenti elocutione præclare conſiſtere, elocutionem ſine iſtis meram eſſe loquacitatem. Oratio eſt quaſi quoddam corpus: rerum & ſententiarum uis, tanquam animi inſtar eſt, id eſt, animo comparanda in humano corpore: elocutio uero, quaſi ueſtimentum. Sed quemadmodum in ornatu regio, apparatus ille tenet admiratione mentes: ſic & in eloquentia ſplendor omnis et apparatus & magnificentia & admiratio, poſita eſt in artificioſa ratione dicendi. Id natura fecit, ut multorum communia nemo miretur. multorum communis eſt illa prudentia inueniendi magiſtra: ſed pauci res elocutione tractare potuerunt. Hac de re ſic Quintilianus octauo: M. Tullius inuentionem quidẽ ac diſpoſitionẽ prudentis hominis putat, eloquentiã oratoris: ideoq́; præcipue circa præcepta partis huius elaborauit. Eloqui enim hoc eſt omnia quæ mẽte conceperis promere, atque ad audientes perferre: ſine quo ſuperuacua ſunt priora, & ſimilia gladio cõdito, atque intra uaginam ſuam hærenti. Hoc itaque maxime docetur, hoc nullus niſi arte aſſequi poteſt, huc ſtudiũ adhibendũ: hoc exercitatio petit, hoc imitatio: hic omnis ætas conſumitur, hoc maxime orator oratore præſtantior. Ergo elocutio tota artis eſt, inuentio & collocatio etiã prudẽtiæ. Quòd igitur eloquentia ab elocutione nomen habet, & nihil eſt aliud quàm copioſe loquens ſapientia, ut ait in Partitionibus, ea tantum in cauſa eſt uacua prudentia, id eſt, hæc ſola pars non prudentia, ſed arte conſiſtit. Quo motus, ut opinor, Quintilianus plus arti ſummæ tribuit, quàm ingenio naturæ. Sic autem Ciceronem legendum puto: Sed propria magis prudẽtiæ quàm eloquẽtiæ, quæ tamẽ in cauſa eſt uacua prudentia. Nam abſurdum eſt & ſuperuacuũ quod legitur: Nemo negabit, credo, qui nouerit naturam ab arte differre, quin prudentiam naturæ, artem præceptis aſſignauerit, qui elocutionem illam præſtantiorem arti ſoli dederit. NOVERIT igitur hic quidem orator, quem ſummum eſſe uolumus.] Quidquid ratione & arte inuenitur, in locis inuenitur. Loci ſunt argumentorũ & rationũ, hoc eſt probationũ ſedes. Locorum alij ſunt communes, quos decẽ & ſeptem ponit in Topicis: alij proprij ſingularum quæſtionum, an eſt, quid eſt, quale eſt: alij proprij generum, laudationis deliberationis, & iudicij. utroſque poſteriores in Oratoria partitione aſſignat. Hæc tria genera locorum, ſi quæſtiones omnes arte firmare uelis, cognoſcere neceſſe eſt: & hoc etiã noſſe, qui loci faciant ad ſigna quæ cadunt in ſenſum, & aliud oſtendũt, quibus hic omnem coniecturam comprehendi uidere facile eſt, qui ad definitiones, qui ad recti prauiq́; partes, id eſt ad ſtatum qualitatis. Sũt enim tres ſtatus et in cõtrouerſia, id eſt quæſtione finita: et in cõtentione, hoc eſt infinita quæſtione. Omniũ iſtorũ præcepta ſcripſit in alijs libris. Orator excellens à quæſtione finita, quæ proprijs perſonis & temporibus conſtat, ad θέσιν & infinitam quæſtionem auocat cõtrouerſiam, quia copioſius eſſe uult: & latius de genere quàm de parte diſceptare licet: hoc eſt, amplior eſt diſceptatio uel de toto genere, uel de tota ſpecie, quàm de ſingulis formarum partibus. Nam Cicero genere comprehendit & ſpeciem: & quod multi uocant indiuiduum, hic nominat partem. Atque cum agitur de parte, tum finita quæſtio eſt: cum de ſpecie & genere, infinita. Dicat igitur non modo de Seruio Sulpitio iuriſperito, ſed etiam de toto iure ciuili: non modo de Muræna duce, ſed & de arte imperandi: nõ modo de Catone Stoico, uerum etiam de tota diſciplina Stoicorum: non modo de ſeditioſo Norbano, ſed etiam de omni ſeditione populari: non modo de Opimio interfectore Gracchi, ſed etiam de liberatoribus patriæ. Hinc orationis ubertas & copia, hinc ratio probandi duplex: altera in uniuerſo ac in genere conſtituta: altera in parte. Vocatur quæſtio infinita, generalis, & propoſitum, & conſultatio, & quæſtio uniuerſi generis, & θέσις. Hanc θέσιν commode tractabit, qui iam à prima adoleſcentia ſic fuerit inſtitutus & exercitatus, ut de rebus multis in utranque partem diſſerat. Id Ariſtoteles æmulatus Iſocrati fecit, ut adoleſcentes rhetorum more ad uberius & ornatius dicẽdi genus exerceret. Alius eſt mos philoſophorũ diſſerendi tenuiter, hoc eſt ſubtiliter argumentandi ſine ubertate populariũ ſententiarũ, ſine eleganti numeroſóq; orationis ornatu. Idẽ tradidit locos τόπους & octo libros τοπικῶν, ut eſſent quaſi argumentorum notæ & indicia. Ex his locis nihil ferè egregium ducet declamator ille rudis è ludo ſcholaq́; magiſtrorum, qui declamatione quaſi tyrocinio contentus, nunquam uenit in prælij certamẽ. Nihil itidẽ rabula de foro, qui ſit indoctus & impolitus, egregie tamẽ litigioſus, & in uociferando cõtentioſus. Sed orator ille bonus percurret omnes, ut ſi quid forte detur, excipiat. Vtetur aptis generatim, hoc eſt, per ſingula genera quæſtionum, coniecturæ, definitionis, qualitatis. Vtetur ijs argumentis, quæ à locis aptis ſuggerentur: qui quibus generibus conueniant, oſtendit in Topicis. Ad coniecturam maxime apta, quæ ex cauſis, quæ ex effectis, quæ ex coniunctis ſumi poſſunt. Ad definitionem autem pertinet ratio definiendi, antecedentia, repugnantia, cauſæ, & effecta. ad qualitatem, genera bonorum & commodorũ, omnis æquitas, leges, atque mores. Diſcet etiam, ex quo emanant qui communes appellantur loci: de quibus ſic ait in tertio de Oratore: Conſequẽtur etiam illi loci, qui quanquã proprij cauſarũ, & inhærentes in earum neruis eſſe debent, tamẽ quia de uniuerſa re tractari ſolent, communes à ueteribus nominati ſunt. Quorum partim habent uitio-

quo Craſſus primo de Oratore: Audiui enim ſummos homines, cum quæſtor ex Macedonia ueniſſem Athenas, florente Academia, ut temporibus illis ferebatur, quòd eam Carneades & Clitomachus et Aeſchines obtinebant: ὁ δὲ inquit Laertius, εἰς τοσοῦτον ἦλθεν ἐπιμελείας, ὥστε ὑπὲρ τὰ τετρακόσια βιβλία συνέγραψε, καὶ διεδέξατο τὸν Καρνεάδην, καὶ τὰ αὐτοῦ μάλιστα διὰ τῶν συγγραμμάτων ἐφώτισεν. Eo uenit induſtriæ, ut ſupra quadringenta uolumina conſcripſerit, ſucceſſeritq; Carneadi, cuius dicta monumẽtis literarum maxime illuſtrauit. Carneades igitur & Clitomachus uiri quidem magni fuerunt, ſed in quibus tamen aliquid Critici deſiderarint. In philoſophia, non in eloquentia tantum, magni intereſt, quemadmodũ dicas, quaq; elocutione utare. Nam multo maior habetur Plato propter illam uarie & copioſe dicendi facultatem, & Theophraſtus inde diuinum reperit nomen: & Galenus in medicis, magnus, etſi Aſianorũ more tumet & redundat, tamen copia uerborum magis quàm rerũ, cæterorum gloriam adumbrauit. Philoſophia res ſententiasq; ſpectat, nõ uerba pendit, nec quaſi lance trutinatur, ut eorum pondus examinare poſſit. Id in cauſis contra facit orator: quibus totis moderatur oratio, hoc eſt quas totas oratoris elocutio regit. Eſt enim, ut poſtea dicet, oratio oratoris elocutio, quæ regit animos, et pectora mulcet, in partesq; rapit uarias, perq; omnia uerſat. Hoc Brutus philoſophiæ ſtudioſiſſimus uidit, & è Gallia Romã literas miſit, quibus id quæreret, quod genus ipſius orationis, id eſt elocutionis, optimum iudicaret. Cicero uero qui à rebus optimam elocutionem ſeparare nollet, alia quadã adiecit quaſi corpus et animum, ſine quibus eloquentia non conſtet. Sed orationis quaſi de corpore & animo iudicare facile eſt: de decoro autem & ornamentis ueram ferre ſententiam, res eſt difficilius, atque omnium difficillima. Etenim quemadmodum in communi hominum uita perraro quæritur quid aut quale ſit corpus, quid ſit animus, quæq; animi natura, ſed labor omnis adhibetur aut nutriendo corpori & ueſtiendo, aut animo ornando ſcientijs & uirtutibus: ſic & in eloquentia ſtudium ſummũ eſt nutriendæ dictionis, optandi decori, ornandæ uerbiq; decorandæ ſententiæ. Natura nimirum res peperit: homini poliendas ac ornandas reliquit. Ergo ſicuti de rebus hominum multi diſſentiũt, ita diſerti de ratione figuraq; dicendi. Nam oratio mollis eſt & tenera ut cera, & ita flexibilis in omnem figuram, ut ſequatur quocunque torqueas, & quaſi digito flectas. Ex iiſdem uerbis orationẽ conficies aſperam & triſtem: ut, Cn. Põpeius ſuperauit uirtute non modo gloriam eorũ hominum qui nunc ſunt, ſed etiam antiquitatis memoriam. Ex iiſdem mollem atque iucundã: ut Cn. Põpeius nõ modo eorum hominum qui nunc ſunt, gloriã, ſed etiam antiquitatis memoriam uirtute ſuperauit. Quæſo & obteſtor ne pro me unquam uota Reſpub. inuita ſuſcipiat: aut ſi ſusceperit, inuita ne debeat. Ex iiſdem tardã & interſiſtentẽ. Quæſo et obteſtor ne pro me unquam uota, inuita ſuſcipiat Reſpub. aut ſi inuita ſuſceperit, ne debeat. Hic flexus orationis, et uaria hominum natura ac uoluntates, multũ inter ſe diſtantia effecerunt genera dicendi. Nam quòd ante dixit, ſemper oratorum eloquentiæ moderatrix fuit auditorum prudentia: & ſi uerum quærimus, totidem ſunt genera diuerſa, quot hominum naturæ. Verborũ flumen alijs cordi eſt, id eſt, fluxus & celeritas placet, & uolubilitas, rotundaq; figura dicendi. Id aſſequuntur coniunctione uerborum leni, & pede celeri, ut dactylo, pæane, iambo, choreo, proceleuſmatico, periodis catenatis, quo genere frequenter utuntur hiſtorici & oratores in exemplorum narratione. Diſtincta alios & interpuncta interualla, moræ reſpirationesq; delectant. Diſtincta, non cohærentia, ſed conatu pronunciantis interrupto proferenda. Interpuncta interualla, quaſi puncto interiecto ſeparata. Moræ & reſpirationes, ſpiritus intermiſſiones: His omnibus ſignificat orationem curtatam atque conciſam pluribus quidem inciſis & membris, nullis ferè periodis conſtantem, in qua frequentes illæ quæ pauſa nominantur, & ὑποστιγμαί. Cicero tertio de Oratore: Clauſulas atque interpuncta uerborum, animæ interclusio, atque anguſtiæ ſpiritus attulerunt. In hoc genere multus eſt Seneca, multus etiam Plinius in hiſtoria naturali. Et amplificationes acerrimæ hoc ferè genere conſtant. tum enim cæſim membratimq; uehementius dicitur. Alterũ genus habet continuũ quaſi fluminis curſum, hoc ueluti in ſaxo reſilientes undas, & interruptos impetus. In altero uolubilitas, in hoc interpũcta reſpiratio. hæc omnino diuerſa: tamen eſt in utroque aliquid excellens. Illud enim genus in recta tractaq; laudatur, hoc in horrida grauitate commendabile eſt. Elaborant alij lenitate & æquabilitate, & puro quodam & candido genere dicendi: ad quod perficiundũ legenda ſunt uerba lenia, & uenuſta, & æquabilia, modoq; pari dimenſa, ne interiecta diſparia, ut ſeſquipedalia, aut monſtrum pariant, aut ſonos diſpares efficiant. Hoc purũ genus eſt & candidũ, quod nullo diſſimili colore fucatũ eſt: in qua figura totus eſt Cæſar in Commentarijs: & nos in genere cõmentandi, ſi quid in hac re poſſumus, illud nõ inuite ſequimur. Ecce alij duritatem & ſeueritatem quandam uerbis, & orationis quaſi mœſtitiam ſequuntur, hoc eſt, auribus dura, aſpera, triſti cõpoſitione exhorreſcũt, ut Ennius, Cato Cẽſorius, pleriq; philoſophorũ. ET quoniã cœpi iam cumulatius hoc munus augere.] Quæ ſita uis eſſet eloquẽdi, in uniuerſum propoſuit: ut propius accedat, dicendi modum partitur in actionem ac elocutionem. Nam eloquendi comes eſt actio, ut altera quadam mentis interpres. Quod autem natura prima eſt elocutio, actio uero ſecũda, quoniã prius uerba mens cõcipit, quàm tradat actioni, cauſam præmittit cur ſit uſus hoc ordine. Cumulare & augere munus uoluit, neq; tantũ Bruto de orationis genere, id eſt, de modo & ratione eloquendi, ſed etiam de inueniendo & collocãdo & agendo breuiter reſpondere, quas partes anteponi melius putauit, ut liberior elocutioni daretur locus. Ne nunc quidẽ, inquit, ubi tertiũ illud occurrit, quo modo dicat orator, ſolum de orationis modo, hoc eſt habitu & figura dicam: ſed etiã de modo & ratione actionis, quæ pronunciatio dicitur. Ita prætermiſſa pars nulla erit, in qua bonus excellat orator, quando quidem de artificiali memoria nihil eſt hoc loco dicẽdum, quia communis eſt multarum artium, ut ſcientiæ ciuilis, ut philoſophiæ. Principio deſcribit actionem, quaſi corporis quandã eloquentiam: quæ definitio à ſimili ducitur, ut plerunque ſolet. Quemadmodum igitur uis eloquentis animi materiam propoſitæ quæſtioni bonam copioſamq; ſuggerit, uerba rebus apta componit: ſic etiam corporis eloquentia rebus & uerbis flexus uocis & motus accommodat. Et ſicut animi ſapientia per eloquentiam ſe promit, ita etiam corporis facultas utitur inſtrumento uocis & motus. corpus itaque quodammodo loquitur, ſicut & animi uis & facultas. ad hac ſubſcribit Quintilianus undecimo: Pronunciatio à pleriſque actio dicitur, ſed prius nomen à uoce, ſequens à geſtu uidetur accipere. Namque actionẽ Cicero aliàs quaſi ſermonem, aliàs eloquentiam quandam corporis dicit. Secundo loco diuidit actionem in uocem atq; motũ. uox aures, motus oculos tangit: per quos duos ſenſus in animos penetrat orator. Vocis mutationes totidem ſunt quot animorum, qui maxime uoce commouentur. Quæ mutationes animorum ſint, abunde ſcribit Tuſculana quarta. Quæ proponuntur oratori, copioſe ſcribit ſecundo de Oratore Mutantur ad amorem, odiũ, beneuolentiã, ſpem, metum, cupiditatem, ægritudinem, lætitiam, mœrorem, miſericordiam, acerbitatem, & ad finitimas perturbationes. Quòd animi uoce maxime commouentur, oſtendit ars bene canendi, quæ non modo pedem ſaltantis ad numerum regit, ſed animũ quoq; uerſat in omnem affectum. Talis eſt oratio modulata, ſuoq; modo ducta. Cic. 2. de Oratore: Tanta uim habet illa quæ recte à bono poeta dicta eſt flexanima, atq; omniũ regina rerũ oratio: ut non modo inclinatũ erigere aut ſtantem in

clinare, ſed etiam aduerſantem & repugnantem, ut imperator bonus ac fortis, capere poſſit. Itaque ſummus orator utcunque ſe affectum uideri, & animum audientis moueri, uolet, ita certum uocis admouebit ſonum. Certus erit ſonus, ſi rebus fuerit aptus, ut dulcibus dulcis, aſperis aſper, atrocibus atrox, lenibus mitis. Motus diuiditur in geſtum atque uultum. Vultus eſt in ſpiritu, ſanguine, & oris habitu quodam, qui motus animi produnt. Geſtus eſt, motus corporis & partiũ eius. hoc modo cum geſtu iunctus eſt uultus, quoniam in genere motus conueniunt. Vterq; rebus ipſis, ſicut & uox, debet accommodari: quod ut fiat, uſus & exercitatio plus iuuabunt, quàm rhetorum præcepta. Actionem plurimum ualere probant euentus. Nã & infantes, id eſt, infacundi uiri, rudeſq; dicendi, ut Cn. Lentulus, actionis dignitate, bona & decora pronunciatione, eloquentiæ fructum & gloriã tulerunt. Et diſerti, quibus è diuerſo opponũtur infantes, deformitate agendi, hoc eſt indecora & fœda pronunciatione, à multis infantes & indiſerti putati ſunt: cuiuſmodi L. Cottã dicit Cicero fuiſſe. Huc pertinet illa ſentẽtia Demoſthenis, qui ſine actionis dignitate eloquentiam nullam cenſuit: de qua Fabius, Siquidem et Demoſthenes, quod eſſet in toto genere dicendi ſummum interrogatus, pronunciationi palmam dedit, eidemq; ſecundum ac tertium locum, donec ab eo quæri deſierit: ut eam uideri poſſit non præcipuam, ſed ſolam iudicaſſe. Itaque ille perfectus, ut animũ audientis moueri uolet, ita certum uocis admouebit ſonum. Volet autem qui eloquentiæ principatum petet, id eſt, qui ſummus haberi cupiet contenta uoce, forti, & quaſi è chordis cõtentis edita, atrociter dicere: quod eſt uti amplificatione, & graui genere dicendi. ut ſi agat hæc: O' mulieris ſcelus incredibile, O' libidinem effrenatam & inauditam, O' audaciam ſingularem. Volet ſummiſſa uoce, depreſſa, ſuaui, et ea quam uulgus appellat fictam, leniter dicere, & uti genere leni & quieto. Ea uoce efferatur hæc oratio: Ex eius ore, melle dulcior fluebat oratio. Volet uideri grauis, & plenus auctoritatis inclinata uoce, id eſt, neq; erecta, neq; ſtante, ſed deflexa ad mediũ penè temperamentum. ut ſi dicenda eſt hæc oratio: Nolo accuſator in iudiciũ potentiam afferat, non uim maiorem aliquam, non auctoritatẽ excellentem, non nimiam gratiam: ualeant hæc omnia ad ſalutem innocentium, ad opem impotentium, ad auxilium calamitoſorum: in periculo uero & in pernicie ciuiũ repudientur. Volet idem miſerabilis uideri, dignuſq; uenia, inflexa uoce, hoc eſt, ſubinde mutata ab acuto ſono ad grauem. ut ſi ſit hoc pronunciandum: O' me miſerum, ò me infelicem. reuocare tu me in patriam Milo potuiſti per hos, ego te in patria per eoſdem retinere non potero? Tres ſoni uocis omnino ſunt, qui dicuntur accentus, acutus, grauis, inflexus: quorum nomen & ratio defluxit à Græcis, quib. ſunt προσῳδίαι τρεῖς, ὀξεῖα βαρεῖα περισπωμένη. Ex illis acutus habet primas, nõ modo quia natura, quaſi modularetur hominum orationem, in omni uerbo poſuit acutam uocẽ, ut poſtea dicet: ſed etiam quia ſimplex eſt, nec alterius gerit uices. Grauis accentus eſt natura ſecundus: eſt enim ſimplex, ſed frequẽter obit acuti munus. Nã ſi dicimus, Cicero magnus eſt uir, poſtremum acuitur uerbum. Si uero dicimus, Cicero uir eſt magnus, idem uerbum graui profertur accentu. Tum enim acutus in grauẽ mutatur, ne turpiter exultet actio. Circumflexus ex acuto grauiq; componitur, ideóq; numero tertius eſt. unde conſtat illum ordinem Græcorũ à Cicerone mutatũ, aut ut conſuleret orationi, quia languidum erat iſtuc acuto, graui, inflexo: aut quia nõ ingrata eſt negligentia quædam circa res minores. Cur autẽ ex tribus ſonis tanta ſit & tam ſuauis uarietas in cãtibus, ſi forte quæris, hoc dicendum uidetur, innumerabiles eſſe flexus inter acutiſſimum ſonũ & grauiſſimum: uocum genera eſſe perpauca, multas autẽ ſpecies, unde uaria flectitur illa modulatio. hoc modo ex tribus neruis organum muſicum mille diuarias flexus, tum per gradus à ſummo tono deflectitur ad imum. Hæc igitur poſita ſunt, ut orator qui norit tam multos eſſe uocũ gradus, per illos uoce diſcurrere aſſueſcat: quia nihil eſt auribus odioſum magis, quàm uox illa rigida quæ ſemper uno ſonat modo cõtumax.

EST autẽ in dicendo etiã quidam cantus obſcurior.] A' natura datur uox, ab arte flexus à flexu gignitur cãtus. Quòd ſi tẽperatus eſt in actione, decet oratorẽ maxime in affectibus mouendis. Cicero 2. de Oratore Quis enim cantus, moderatæ orationis pronunciatione dulcior inueniri poteſt? Idem ſi nimius eſt, accedit ad cãticũ carmenq; phonaſcorum, nec oratoris actionẽ decet, ſed ne lectionem quidem. Sit, inquit Quintilianus, in primis lectio uirilis, non in canticum diſſoluta, nec plaſmate, ut nunc à plerisque fit, effœminata: de quo genere C. Cæſarem prætextatum adhuc accepimus dixiſſe: Si cantas, male cantas: ſi legis, cãtas. Canticum oratorum ſic agitat Perſius. Men' moueat quippe, & cantet ſi naufragus, aſſem Protulerim? cantas, cum fracta te in trabe pictum Ex humero portes? Vitet igitur orator illam ſcenicam modulationem: uitet ululatus canticum Aſianorum in epilogis ac perorationibus. Affectus animi concitandi ſunt, nõ ad riſus & cachinnos, ſed ad utilitates & commoda cauſarũ. Canunt autem poetæ, ſed obſcurius. Canũt oratores etiã obſcurius, & in omni pronunciatione, & maxime in amplificatione. Nã, quod ait Quintilianus, neque Demoſthenes per Marathonis & Platæarum & Salaminis propugnatores recto ſono iurauit, neq; Aeſchines Thebas ſermone defleuit. Vterq; igitur obſcuriore cãtu modulatus eſt orationem. Quod cũ feciſſet ad rapiendos animos, & ad facilius obtinendam cauſam, non caruit reprehenſione, iniuſta quidem, ſed tamen accuſatoria. Aeſchinis uerba ſunt: ὅλως δὲ τί τὰ δάκρυα; τί ἡ κραυγή; τί ὁ τόνος τῆς φωνῆς; Tandem quid lachrymæ ſibi uolũt? quid uociferatio? quid tonus uocis? Demoſthenes hoc refert, εἶτ' ἀεὶ τούτῳ τῷ καιρῷ ῥήτωρ ἐξαίφνης ἐκ τῆς ἡσυχίας ὥσπερ πνεῦμα ἐφάνη, καὶ τερατευσάμενος καὶ συνειλοχὼς ῥήματα καὶ λόγους, συνείρει τούτους σαφῶς καὶ ἀπνευστί. Deinde nactus opportunitatem, & hoc tempus, orator è quiete ueluti quadam procella ſubito prodijt: & ubi uarie cãtitauit, & uerba meditando collegit & orationes, continuat eas claro & infracto ſpiritu. Cantus hic in oratione, ſicut cætera omnia, cœpit à natura ſeminarium, arte & humana induſtria colendum. Natura modulata eſt hominum orationem, certaſq; uoces ad agendum dedit: & ut impetu quodam proferentur animo concepta, et aurẽ ferirent, in omni uerbo poſuit acutam uocem, nec una plus, ut eſſet uarietas: nec à poſtrema ſyllaba citra tertiam, nequid ſpiritus laboraret. Omne uerborũ aut unius eſt ſyllabæ, aut duarũ, aut trium, pluriumúe. Si in uerbo trium ſyllabarum pluriumúe fuerit accentus in tertia ab extrema, is ſemper erit acutus, ut φιλόσοφος, dominus. Si fuerit accẽtus in ſecũda à fine, aut acutus erit, ἀνθρώπῳ, uirili, λόγος, deus: aut circũflexus, ut ῥωμαῖον, ῥῶμα, Romanus, Roma. Quòd igitur inflexus ex acuto eſt & graui, non defuerit acutus, ſi ponetur inflexus. In ultima nunc eſt acutus, βασιλεύς, dux: nunc circumflexus, βοῦς, bos. Nihil refert an unius ſint ſyllabæ uerba, an uero plurium. Nunquam grauis erit ultima, niſi cũ uerbũ acutum ceperit aliã ab ultima ſedem, propter quod mutarit accentum, ut ὁ βασιλεὺς ἔφη, dux locutus eſt. Iam grauis hic pro acuto. Ergo natura in omni uerbo poſuit acutam uocem, quæ cum altius ederetur, & reliquæ ſummiſſius conſonarent, iucundam è uarietate cieret modulationem. Interim unum uerbum duos habet accẽtus acutus, ſed unum ab alio uerbo ducit, ut φιλόσοφοί τε, dominíue. An acutã uocem dicit eam quæ clarius auditur, magiſq; ferit aures, non illam tantũ, quam proprie dicimus acutã? At uocis quidem bonitas optanda eſt: nõ eſt enim in poteſtate noſtra, ſed à natura datur: tractatio tamen & uſus, hoc eſt ratio regẽdæ uocis et efferendæ, noſtri laboris eſt. Quintilianus: Nam bene pronunciare non poterit, ſi inemendabilia oris incommoda obſtabunt. Sed ne uox quidem niſi liberalis actionẽ habere optimam poteſt.

poteſt. Bona enim firmaq́; , ut uolumus, uti licet: mala uel imbecilla & inhibet multa, ut inſurgere, exclamare : & aliqua cogit, ut ſummittere, deflectere, & raucas fauces ac latus fatigatũ deformi cantico reficere. Sed ille princeps & ſummus orator bonitate uocis fruetur, eamq́; uariabit & mutabit, id eſt, tum intendet, tum remittet per omnes ſonorũ gradus. IDEMQVE motu ſic utetur, nihil ut ſuperſit in geſtu.] Actio conſtat è uoce atque motu. De motu breuiter dixit, nunc atque de motu qui continet geſtum atque uultum. Geſtus, motus eſt aptus corporis atque membrorum, ut capitis, frontis, oculorũ, narium, oris, menti, ceruicis, humerorum, manuum, pectoris, uentris, laterum, pedum. de quibus ſingulis Fabius multa : quia ſicut ambitioſe geſtum ſeruarunt Athenienſes tempore ſuæ libertatis, ita ambitioſius multo Roma captauit. Cicero pauciora dicit: nec enim præcepta ponit, ſed quid optimum ſit in ſingulis, indicat. Motu, inquit, ſic utatur orator, id eſt, ſic in agendo moueat corpus & mẽbra, nihil ut ſuperſit in geſtu : ut ſpectator nihil in geſtu pulcherrimo deſideret. Hoc aſſequetur, ſi, quoniã ſtare debet orator in agendo, fuerit ſtatus erectus & celſus, nõ incuruus, ut ruſticorum : non deiectus, ut uerecundia puellaris : non contractus, ut ſcelerati metus & pudoris : non pronus & titubans, ut ineptorum & inconſtantium. Hoc poſitũ eſt in toto quaſi corporis trũco. Iam ſubijcit præcepta de partibus. Sit rarus inceſſus, nec ita longus. Proferat orator pedem, ne ſtatuæ more ſtet iunctis pedibus, ſed perrarò incedat, aut ſiquando licet. ſit tamen breuis inceſſus, ne qui dicit, ſui prorſus immemor aut ſecurus eſſe, aut deambulare uideatur. Etenim quemadmodũ turpe dicimus eos qui de ſuggeſtu ad populum uerba faciunt, huc illuc curſitare, totamq́; percurrere cathedram : ſic turpe uidebatur oratorem ad ſubſellia dicentem, aut longius incedere, aut celeriter excurrere. Sit igitur excurſio moderata, id eſt, temperatus & modicus à ſtatione profectus gradus. de quo ſic eſt Quintiliani iudicium : Procurſio opportuna, breuis, moderata, rara Conuenit etiã & ambulatio quædam propter immodicas laudationum moras: quanquã Cicero rarum inceſſum, nec ita longũ probat. Diſcurſare uero, &, quod Domitius Afer de Sura Manilio dixit, ſatagere, ineptiſſimum : urbaneq́; Flauius Virginius interrogauit de quodã ſuo Antiſophiſte, quot millia paſſuum declamaſſet. Nulla ſit mollitia ceruicum. nec enim ceruix rigida eſſe debet, ut in homine ceruicoſo : nec mollis, & fluctuanti ſimilis, ut in lepidulo amatore. Dixit autem rectum caſum mollitia, non mollities, propter literam ſequentem : & ceruicum, non ceruicis, quòd illud uerbũ ſingulariter rarius uſurparetur. Nam primus Hortenſius ceruicem ſingulari numero dixiſſe fertur. Nullæ ſint argutiæ digitorum, nullæ celeres & quaſi ſortientes digitorum uibrationes. Nec enim ſummi uiri eſt in dicendo præcipites agitare digitos, nimiumq́; mobiliter aduerbia iaculari. Id præſtigiator ille faciat, qui obſtupẽte plebecula nuces uerſat in cyatho. Ne ad numerum cadat articulus. Is eſt tibicinũ geſtus, qui ad rhythmum numerumq́; carminis articulos flectunt, & uincula membrorum. Trũco magis toto quàm ſingulis corporis partibus ſe ipſe moderetur & decenter gerat orator, & uirili laterũ flexione, id eſt, quæ uirum ampliſſimũ deceat, ſe temperet. Brachium proijciat, longeq́; promoueat in contentionibus, hoc eſt grauioribus in locis & amplificationibus, quæ acriter & uehementer inſtant, ideoq́; contentione uocis egent. Contra brachiũ admoueat corpori in remiſſis orationibus, quæ tranquilla uoce dicuntur. VVLTVS uero, qui ſecundum uocem plurimum poteſt.] Vultus eſt motus pars altera, qui ſecundum uocem, id eſt, poſt uocem in actione principem, plurimũ poteſt. Affert enim tum dignitatem, tum uenuſtatem. Dignitas eſt in maieſtate quadam, uenuſtas in elegãtia, quæ ſpectatori placet. Ea de re Quintiliani uerba ſunt : Dominatur autẽ maxime uultus: hoc ſupplices, hoc minaces, hoc blandi, hoc triſtes, hoc hilares, hoc erecti, hoc ſummiſſi ſumus. hinc pendent homines, hunc intuentur, hunc ſpectant etiã antequam dicamus. hoc quoſdam amamus, hoc odimus, hoc plurima intelligimus, hic eſt ſæpe pro omnibus uerbis. Hanc uarietatẽ in hiſtrionibus uideas, pro ratione perſonarũ quas agunt uultum mutantibus. In uultũ duo uitia cadunt, ut uultuoſum & ineptũ. Vultuoſum, nõ triſte, ut quidam interpretantur (uultus enim triſtis ſæpe decet) ſed uultuoſum, crebro uultu nimioq́; uariatum. Inclinationes in uſus, auctore Nigidio, nimiũ ac præter modum ſignificant, & iccirco in culpas cadunt, ut uinoſus, famoſus, moroſus, ebrioſus. Ineptũ eſt quod aut perſonæ, aut rei, aut tempori, aut loco nõ conuenit. In uultu ſunt oculi teſtatur Quintilianus his uerbis: Sed in ipſo uultu plurimũ ualent oculi, per quos maxime animus emanat, ut citra motum quoque & hilaritate niteſcant, & triſtitia quoddã nubilũ ducant. Id ex hoc fonte deduxit. oculorũ eſt quadã magna moderatio, hoc eſt, magnũ eſt & in primis honeſtũ oculis bene moderari. Oſtendit hac comparatione. Quẽadmodũ uultus plurimũ ualet quia imago eſt animi uultus, id eſt, ſignũ quoddam interioris affectus. ſic oculorũ moderatio plurimũ ualet, quoniam animi ſunt indices oculi. Vt animus igitur erit affectus, ſic erũt oculi regendi, atq́; ratione moderandi. Quòd igitur nũc hilares, nunc triſtes eſſe debent, utrũ modum et utram moderationẽ tenere debeamus, res ipſæ de quibus agetur, et ſubiectæ quæſtiones nos docebũt. Cic. 3. de Oratore : Sed in ore ſunt omnia. in eo autẽ ipſo dominatus eſt omnis oculorũ: quo melius noſtri illi ſenes, qui perſonatum ne Roſcium quidem magnopere laudabãt. Animi eſt enim omnis actio, & imago animi uultus eſt, indices oculi. Nam hæc eſt una pars corporis, quæ quot animi motus ſunt, tot ſignificationes & mutationes poſſit efficere. quare oculorum eſt magna moderatio. Oculi ſunt quorum tum intentione, tum remiſſione, tum coniectu, tum hilaritate, motus animorũ ſignificemus apte cũ genere ipſo orationis. Eſt enim actio quaſi ſermo corporis: quo magis menti congruens eſſe debet. Oculos autem natura nobis, ut equo & leoni ſetas, caudam, aures ad motus animorũ declarandos dedit. hæc ille. Percurre totum locum, ut hæc propè eadem facilius perluſtrare poſſis.

SED iam illius perfecti oratoris & ſummæ eloquentiæ ſpecies exprimenda eſt.] Vt orationem, id eſt, oratoris elocutionem, paulo ante commendarat, quo planum faceret pauciora de cæteris partibus eſſe dicenda : ſic rurſus eam commendat, ut eo plus artis adhibeat. In quo utitur auctoritate Græcorum atque Latinorum: qui cum feciſſent doctrinæ dicendi quinque partes, ab elocutione ſola, quòd ea pars eſſet eloquentium propria, dixere rhetoricen. Orator illorum ſententia hoc uno excellit, id eſt oratione, quæ oratoris eſt dictio. Cæteræ partes in eo latent, quoniam minus illuſtres ſunt, & inſignes, ut res propriæ magis prudentiæ quàm artis, iccirco multarum artium communes. Ea de cauſa non dictus eſt inuentor ab inuentione, neque compoſitor ab artificioſa rerum collocatione, neque actor à pronunciatione: quanquã hæc arte complexus eſt omnia : ſed & græce ab eloquendo ῥήτωρ & latine eloquens dictus eſt. ῥήτωρ, ut ait Suidas, τὸ παλαιὸν ἐκαλεῖτο ὁ δήμῳ συμβουλεύων, καὶ ὁ ἐν δήμῳ ἀγορεύων, εἴτε ἱκανὸς ὢν λέγειν, εἴτε καὶ ἀδύνατος, εἴτε καὶ ἀπὸ τοῦ βελτίστου καὶ δικαιοτάτου συμβουλεύων, εἴτ᾽ ἐπ᾽ ἰδίοις λήμμασι: Rhetor olim dicebatur is qui populo conſilium dabat, quiq́; ad populum conciones habebat : ſiue apte diceret, ſiue id facere non poſſet : ſiue ex optimo iure & æquiſſimo conſilia tractaret, ſiue proprijs captionibus niteretur. Hæc uerba tranſcripſi, ut planum facerem Græcos in rhetore maxime ſpectaſſe dictionem. Eſt ῥῆσις dictio ῥήτωρ eloquens: quæ à ῥέω uerbo antiquo uidentur eſſe deducta. Cæterarum rerum quæ ſunt in oratione, ut inuentionis, diſpoſitionis, memoriæ, partem aliquam ſibi quiſque uindicat, ut dialecticus, phyſicus, muſicus : eloquendi maxima uis huic ſoli conceditur. Nam ſi uis aliqua dicendi multis alijs, ut poetis, hiſtoricis, philoſophis conceditur,

qui de re ſua copioſe & ornate loqui poſſunt, ea tamen uis & facultas & δύναμις neque maxima, neque perfecta, ſed ab oratore & eius libris petita, ac in uno tantũ genere laudabilis. Perſequitur enim eandem propè loquendi uiam, nec periculoſe cũ aduerſario pugnat. Vis illa maxima, quæ more ueteri prælium forenſe cõmittit, in omnes ſe uerſat modos, pro temporibus cauſæ, & eloquentiæ dignitate. Cicero primo de Oratore: Quamobrẽ ſi ornate locutus eſt, ſicut fertur, & mihi uidetur, Phyſicus ille Democritus materies illa fuit phyſici, de qua dixit: ornatus uero ipſe uerborum. oratoris putandus eſt. Et ſi Plato de rebus à ciuilibus controuerſijs remotiſſimis diuinitus eſt locutus, quod ego concedo, ſi item Ariſtoteles, ſi Theophraſtus, ſi Carneades in rebus ijs de quibus diſputauerunt, eloquentes, & in dicendo ſuaues atque ornati fuerunt, ſint hæ res de quibus diſputant, in alijs quibuſdam ſtudijs: oratio quidem ipſa propria eſt huius unius rationis, de qua loquimur & quærimus. Hoc enim eſt proprium oratoris, quod ſæpe iam dixi, oratio grauis & ornata, & hominum ſenſibus ac mentibus accõmodata. Quibus de rebus Ariſtotelem & Theophraſtum ſcripſiſſe fateor. Sed uide ne hoc Scæuola totum ſit à me. Concedit illis uiris eloquentiæ ſpeciem quandã ab oratoribus petitam, non tamen eos dicere, ſed ornate loqui: non orare, ſed ſermocinari exiſtimat. Theophraſtus à diuinitate loquendi nomen inuenit. Laertius: τοῦτον Τύρταμον λεγόμενον, Θεόφραστον διὰ τὸ τῆς φράσεως θεσπέσιον Ἀριστοτέλης μετωνόμασεν. Eum cui Tyrtamus nomen eſſet, ab elocutione diuina Ariſtotiles Theophraſtum nominauit. θεὸς deus, φράζω loquor. Ariſtoteles Iſocratem ipſum, id eſt, tum facundia præcellentem, laceſſiuit. Quintilianus primo capite tertij libri: Iſocratis præſtãtiſſimi diſcipuli fuerunt in omni ſtudiorum genere. eoq; iam ſeniore (octauum enim & nonageſimum impleuit annum) pomeridianis ſcholis Ariſtoteles præcipere artem oratoriam cœpit, noto quidem illo, ut traditur, uerſu ex Philocteta frequenter uſus: αἰσχρὸν σιωπᾶν μὲν, καὶ Ἰσοκράτην ἐᾶν λέγειν. Turpe eſt tacere, & Iſocratem pati dicere. Cicero Tuſculana prima: Ariſtoteles uir ſummo ingenio, ſumma ſcientia copia, cum motus eſſet Iſocratis rhetoris gloria, dicere etiam cœpit adoleſcentes docere, & prudentiam cum eloquentia iungere: Xenophontis uoce Muſas quaſi locutas ferunt. Laertius: ἐκαλεῖτο δὲ καὶ Ἀττικὴ μοῦσα, γλυκύτητι τῆς ἑρμηνείας. Xenophon Attica muſa uocabatur, à ſuauitate & facilitate dicendi. Quintilianus: Quid ego cõmemorem Xenophontis illam iucunditatem inaffectatam, ſed quam nulla affectatio conſequi poſſit? ut ipſæ ſermonẽ Gratiæ finxiſſe uideantur: et quod de Pericle ueteris comœdiæ teſtimonium eſt, in hunc transferri iuſtiſſime poſſit, in labris eius ſediſſe quãdam perſuadendi deam. Longe omnium quicunque ſcripſerunt, aut locuti ſunt, id eſt, uſi tum ſcripto, tum ſermone non ſcripto, extitit & excelluit grauitate princeps Plato. Quid Platoni Cicero tribuat, multis in locis teſtatur. nec res erit obſcura legentibus Platonem, cur tanti fecerit eum Cicero: quanquam ſatis eſt ad maximam laudem, illũ plus omnibus placuiſſe Ciceroni. Hinc eum Quintilianus extollit: Philoſophorum, inquit, ex quibus plurimum ſe traxiſſe eloquentiæ M. Tullius confitetur, quis dubitet Platonem eſſe præcipuum? ſiue acumine diſſerendi, ſiue eloquendi facultate diuina quadam & Homerica? multũ enim ſupra proſam orationem, & quã pedeſtrem Græci uocant, ſurgit: ut mihi non hominis ingenio, ſed quodam Delphico uideatur oraculo inſtinctus. TAMEN horum oratio neque neruos, neque aculeos oratorios ac forenſes habet.] Vt ſeiungatur orator à philoſophorum eloquentia, à ſophiſtarum, ab hiſtoricorum, à poetarum quibuſdam proprietatibus, oſtendit, ut explicet tandem qualis futurus ſit. Philoſophorũ oratio neque neruos neque aculeos oratorios ac forenſes habet: neque enim colluctatur aduerſario, neque neruorũ firmitate contendit, neque aculeis pũgit et inſtimulat obſiſtentẽ. Hoc eſt, nõ munit omnia crebris enthymematis, appendicibus et negotijs rerũ quæ circũſtantiæ uocantur. affectibus, amplificationibus alijsq; munimẽtis, quibus ut propugnaculis belli tẽporibus oppidani muros, ſic orator ſuam firmat cauſam. Sunt oratorij nerui, probationes: aculei, contentiones, affectus, & amplificationes. Ariſtoteles probationem tanquã corpus orationis, & robur cõſtituit: αἱ γὰρ πίστεις ἔντεχνόν ἐστι μόνον, τὰ δ' ἄλλα προσθῆκαι. οἱ δὲ περὶ μὲν ἐνθυμημάτων οὐδὲν λέγουσιν, ὅπερ ἐστὶ σῶμα τῆς πίστεως. Solæ probationes artificiales ſunt: reliqua, quaſi acceſſio quædam eſt. Iſti uero de enthymematis nihil loquuntur, quod corpus eſt probationis. Vtuntur philoſophi probatione & ſyllogiſmo quaſi neruo: ſed is mollior eſt, & laxior, & quietior, nullisq; rebus adiunctis munitus atque firmatus, ut ſentẽtijs popularibus, ut affectu, ut atrocitate, ut numero. Non adducentur artis eius profeſſores, ut id uerum putent, niſi planum fiat exemplo. Proferamus igitur hoc Ciceronis argumentum in T. Roſcium: Quid ſi accedit eodem, ut tenuis antea fueris? quid ſi, ut auarus? quid ſi, ut audax? quid ſi, ut illius qui occiſus eſt, inimiciſſimus? Nũ quærenda cauſa quæ te ad tantũ facinus adduxerit? Quid ergo horum negari poteſt? tenuitas hominis eiuſmodi eſt, ut diſſimulari non queat, atque eo magis eluceat, quo magis occultatur. Auaritiam præfers, qui ſocietatẽ coieris de municipis cognatiq; fortunis cum alieniſſimo. Quàm ſis audax, ut alia obliuiſcar, hinc omnes intelligere potuerunt, quòd ex tota ſocietate, hoc eſt ex tot ſicarijs, ſolus tu inuentus es, qui cũ accuſatoribus ſederes, atque os tuum non modo oſtẽderes, ſed etiã offerres. Inimicitias tibi fuiſſe cum Sexto Roſcio, & magnas rei familiaris controuerſias, concedas neceſſe eſt. Reſtat iudices, ut hoc dubitemus, uter potius Sextum Roſcium occiderit: is ad quẽ morte eius diuitiæ uenerint, an is ad quem mendicitas? Is qui antea tenuis fuerit, an is qui poſtea factus ſit egentiſſimus? Is qui ardens auaritia feratur infeſtus in ſuos, an is qui ſemper ita uixerit, ut quæſtum noſſet nullum, fructum autem eum ſolũ quem labore peperiſſet? Is qui omniũ ſectorũ audaciſſimus ſit, an is qui propter fori iudiciorumq; inſolentiã, nõ modo ſubſellia, uerũ etiam urbem ipſam reformidat? Poſtremo iudices, id quod ad rem mea ſententia maxime pertinet, utrum inimicus potius an filius? Hoc neruoſum atque robuſtũ argumentandi genus, & aculeatum. Nã pugnat acriter, & ſtimulat aduerſariũ. Hic philoſophus argumentetur. In quo plures cauſæ fuerunt, in eo ueriſimilius eſt crimen. In Tito Roſcio plures cauſæ fuerũt, ut tenuitas, quã uident omnes: ut auaritia, qua propinquũ perſequitur: ut audacia, qua adductus ſedet in ſubſellijs: ut inimicitiæ cum Sexto Roſcio notæ: iſtorũ nihil eſt in Sexto Roſcio. Ergo cædes in Tito quàm in Sexto ueriſimilior eſt. Hic neruus mollior eſt, & minores impetus habet. Id autẽ à rerũ uarietate comparatũ eſt. Nam philoſophi loquuntur cum doctis, quorum ſedare animos malunt quàm incitare, quo melius eos docere poſſint. Orator agit etiam apud indoctos, quorum uult animos cõmouere, ut litigatorem ſeruare poſſit. Illi de rebus placatis, id eſt, minime turbulentis, ut de natura atq; uirtute, docendi cauſa non capiendi & fallendi loquũtur: iccirco ſimpliciter argumentantur: hic de rebus agit turbulentis ſæpe, nõ tam docendi cauſa, quàm mouendi atq; capiendi. ea de re uerſat omnẽ lapidem, ne quid intentatũ relinquat. Illi non opus aucupari delectationem, ſed ueritatem: huic tria incumbunt officia, ut doceat, moueat, & delectet. Mollis eſt oratio philoſophorum: neruoſa atque robuſta oratorum bonorum. Vmbratilis illa eſt, otio marcida, & cõtenta priuato: hæc in luce hominũ & in publico uerſatur. Cedat igitur (ut ait pro Murana) ſtylus gladio, umbra ſoli. Illa nec ſententijs nec uerbis inſtructa popularibus, ſed abditis doctisq; ſententijs conſtat, uerbis autem uulgo inauditis nec elegantibus ueſtitur: hæc ſententias aptat populo: cumq; dicit eadem quæ philoſophus, multo facilius dilucidiusq; dicit. uerba de medio ſumit nota omnibus, fortia tamẽ & grauia, ut & intelligantur, & impellant.

impellant. Illa caret numeris, & ſoluta liberius, ut puella incompta fertur: hæc compta puellæ ſimilis, rebus aptat numeros, ut facilius animos afficere poſſit. Illa nihil iratum habet, id eſt, quod iram concitet audienti: nihil inuidum, quod inuidiã moueat: nihil atrox, quod exaggeret facinus: nihil mirabile, quod audienti afferat ſtuporem: nihil aſtutum, quod capiat fallatq; diſceptatorem: ſed eſt caſta ſine popularium opinionum corruptela, cuſtos ueritatis illius naturalis, uirgo incorrupta quodammodo, ſimplex oratio, integerrima uirtutis indagatrix. Intellige orationem Platonis, Xenophontis, Theophraſti, & optimorum, non iſtorum qui ſe uocant philoſophos, cum ſint tamen inſantiſſimi. Oratio eloquentis inuidet, atrociter adauget, admirationes inducit, nolentem trahit, ſe commiſcet populari contagione, ut ad ſanitatem reducat: audax irrumpit, & tanquam uirago & Amazonum fortiſſima aditum rumpit, quæritq; uictoriam. Ergo qui conſueuerunt umbratiles agitare diſputationes, ſi ueniant in publicum, ubi magnis de rebus oratio dicenda eſt, noctuarum more caligant, ac peroſi lucem, uitæ genus umbroſum præferunt. Pauci feliciores ex philoſophis oratores facti, fruſtra ſuadent iſtis querulis bubonibus, quàm difficile ſit in publico bene uerſari. Hinc fit ut oratores boni fuerint pauci, philoſophi permulti. Hinc fit ut mille in ſcholis garriant, pauci admodum populum dicendo cum admiratione teneant. Hinc fit ut plerique ex aratro curſu incitato ſe profiteantur philoſophos, doctiſſimi uiri uix tandem admittantur in cancellos. Itaque philoſophorum ſermo potius quã oratio dicetur. Sermo quidem omnium eſt, oratio paucorum. Ab orando autem dicendoq; nomen eſt oratoris, eiuſq; locutio proprie dicitur oratio. Hæc cum ita ſint, malim ſummum philoſophum, quàm mediocrem oratorem: & ſummum oratorem, quã philoſophum ſummum. SOPHISTARVM, de quibus ſupra dixi, magis diſtinguenda ſimilitudo uidetur.] A' ſophiſta diſtinguit oratorem. Sophiſtas appellatos eſſe philoſophiæ & eloquentiæ profeſſores, diximus, ut Protagoram, Thraſymachum, Gorgiam, Iſocratem: quorum plerique otio freti ſcripſerunt orationes, eaſq; floribus & ornamentis omnibus reſperſerunt. Hoc unum illis deeſſe putes, quòd domi ſcriptæ, non habitæ ſint in conuentu. Quamobrem comparantur militum tyrocinio, qui in campo exercitati, nunquam conſeruerunt prælio manum. Hoc igitur ab oratore ſophiſta differt, quod ueteranus miles à tyrone. Sophiſtarum, inquit, magis quàm philoſophorum diſtinguenda ſimilitudo uidetur, quia perſequuntur & collectos intexunt omnes flores, hoc eſt, dicendi figuras, quibus in cauſis utitur orator. Ea ſunt ornamenta figurarum, tum διανοίας, tum λέξεως, adiunctis etiam numerorum modis. Sed hoc differunt, quòd apertius oſtendant orandi uoluptates, ut allegorias, ut paria relata, ut contraria, ut ſimiliter deſinentia, ut ſuaues numeros, ut concinnas ſententias, ut egreſſiones plauſibiles, ut iucundiores fabulas, quibus omnibus orator in conſilijs et iudicijs parcius & rarius utetur. Huic enim ſæpe propoſitum eſt perturbare animos, non uoluptate mulcere: perſuadere, non tantum delectare: ut in accuſationibus, in querimonijs, in amplificationibus, in omni cauſa graui, in inſtanti periculo. Quibus in rebus ſi comptius ornet orationem, non intempeſtiue dicetur illud Perſianum:

Fur es, ait Pedio: Pedius quid? Crimina raſis
Librat in antithetis, doctas poſuiſſe figuras
Laudatur. –

Parcius ergo interponet delitias orationis, quibus frequenter & aperte utuntur ſophiſtæ ac poetæ, quoniam utriſque propoſitum eſt placare animos atque delectare. Poetæ quidem concinnas magis aptant ſententias, quàm probabiles: ut Virgilius multas de Eliſa, & rebus inferorum. De re ſæpe diſcedunt ad aliquod genus deſcriptionis aut perſonarum, aut rerum, aut loci, aut temporis. Intexunt fabulas et admirationes: uerba apertius transferunt: ut, Luctantur marmore tonſæ. Verba collocant, ut pictor colores: ut Virgilius in alijs multis, & in his uerſibus:

Reſtitit Aeneas, claraq; in luce refulſit,
Os humeroſq; deo ſimilis: namque ipſa decoram
Cæſariem nato genitrix, lumenq; iuuentæ
Purpureum, & lætos oculis afflarat honores:
Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flauo
Argentum Parius' ue lapis circundatur auro.

Paria paribus referunt, ut omnes heroici uerſus ſunt quantitate pares, & in illis paria ſæpe membra: ut,

Hic Dolopum manus, hic ſæuus tendebat Achilles:
Claſſibus hic locus, hic acies certare ſolebant.

Contraria opponunt: ut,

Ingentes animos paruo ſub pectore uerſant.

Similiter extrema definiunt:

O nimium cælo & pelago confiſe ſereno,
Nudus, & ignota Palinure iacebis arena.

Talem propè ſuauitatem quærunt ſophiſtæ. Concinnas magis ſententias exquirunt quàm probabiles, ut hanc Plinius in Panegyrico: Corrupta eſt diſciplina caſtrorum, ut tu corrector emendatorq; contingeres. Inductum peſſimum exemplum, ut optimũ opponeretur. Poſtremo coactus princeps quos nolebat occidere, ut daret principem qui cogi non poſſet. A' re ſæpe diſcedunt, intexunt fabulas: ut Iſocrates in encomio Helenæ facit, repetens res à Theſeo geſtas, ac miſcens admirationes fabularum. Exempla longiora ſunt, quàm quæ ſuis uerbis exponi debeant. Verba apertius transferunt, ut Plinius: Reſiſtimus ut in communi domo, quã nuper immaniſſima bellua plurimo terrore munierat, cum uelut quodam ſpecu incluſa, nunc propinquorum ſanguinem lamberet, nunc ſe ad clariſſimorum ciuium ſtrages cædeſq; proferret. Obuerſabantur foribus horror & minæ, & par metus admiſſis & excluſis. De ſuaui compoſitione, de paribus relatis, de contrarijs, de ſimiliter definitis, hoc eiuſdem unum ſit exemplum: Non enim periculum eſt ne cum loquar de humanitate, exprobari ſibi ſuperbiam credas: et cum de frugalitate, luxuriam: cum de clementia, crudelitatem: cum de liberalitate, auaritiam: cum de benignitate, liuorem: cum de continentia, libidinem: cum de labore, inertiam: cum de formidine, timorem. HVIC generi hiſtoria finitima eſt.] Hiſtoricus et orator communiter utuntur narratione, deſcriptione rerum atque perſonarum, concionibus, exhortationibuſq;: ut Cicero ſæpe narrat, ſæpe deſcribit aut perſonam, ut Piſonis: aut rem, ut Antonij luxuriam. Conciones habet in Seruilium Rullum. Exhortatur populum Romanum in Antonium. Hæc illi & hiſtoriographo communia ſunt. Cæterum in tractatione et figura dicendi, non conuenit ei cum memoriarum ſcriptoribus. Etenim Cicero & oratores boni, quo moueant animos, affectus interijciunt, ad hoc ſumunt amplificationem, acerbum & graue dicendi genus, quod contorqueant more fulminis, ut animũ feriat acris & uehemens oratio. Hiſtoricus autem non tam mouere lectorem, quàm docere contendit. Trahit igitur, & tanquam flumen in longum deducit orationem, ut fluat æquabiliter, & perpetuo quaſi filo decurrat ad finem. Non remoratur curſum, non exilit, non exclamat, non atteſtatur, non interpellat, non acriter exanget, non impetu frangit obſiſtentem. Res geſtas expoſuiſſe contentus, æquabili penè fluxu ad finem uſque prouoluitur. In concionibus, ut magiſtratus ad populum: in exhortationibus, ut imperatoris ad milites, aſſurgit, & agit oratorem: ſed tum ferè ſummas capitaq; rerum colligit, nõ inſiſtit in rebus explicandis: & in otio ſcriptitans, uel nihil uel parum mouetur atrocitate rerum. Quibus de cauſis multo remiſſius ſcribit, quàm qui agitatus eſt & inflammatur acerrima pugna forenſi. In hiſtorijs igitur tracta quadam, id eſt, ſummiſſe

deducta, & fluens, ſimilis aquæ per leuia currenti, expetitur, non hæc, qua utuntur oratores, contorta, huc illuc impetu iacta & acris ac urgens oratio. Id, ſi bonum uidetur, illuſtremus exemplo. Factum Verris in Gauium Coſanum Cicero narrat actione ſeptima: Ipſe inflammatus ſcelere & furore, in forum uenit. ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emanabat: expectabant omnes quò tandem progreſſurus, aut quid'nam acturus eſſet: cum repente hominem proripi, atque in foro medio nudari, ac deligari, & uirgas expediri iubet. clamabat ille miſer, ſe ciuem eſſe Romanum, municipem Coſanum, meruiſſe ſe cum Lucio Precio ſplendidiſſimo equite Romano, qui Panormi negotiaretur, ex quo hæc Verres ſcire poſſet. tum iſte ſe comperiſſe ait, eum ſpeculandi cauſa in Siciliam ab ducibus fugitiuorum eſſe miſſum: cuius rei neque index, neque ueſtigium aliquod, neque ſuſpicio cuiquam eſſet ulla: deinde iubet undique hominem proripi, uehementiſſimeq́; uerberari. Cædebatur uirgis in medio foro Meſſanæ ciuis Romanus, Iudices, cum interea nullus gemitus, nulla uox alia iſtius miſeri inter dolorem crepitumq́; plagarum audiebatur, niſi hæc: Ciuis Romanus ſum. hac ſe commemoratione ciuitatis, omnia uerbera depulſurum, cruciatumq́; à corpore deiecturum arbitrabatur. ò nomen dulce libertatis: ò ius eximium noſtræ ciuitatis: ò lex Porcia, legeſq́; Semproniæ. adde quæ ſequuntur. Hæc oratoria narratio eſt, ſummis affectibus concitata. Hiſtoricus aliter narret: Verres in forum uenit, hominem proripi & uerberari iubet. oſtendit ille ſe ciuem eſſe Romanum, municipem Coſanum, meruiſſe ſe cum L. Precio. Verres ſe comperiſſe ait eum ſpeculandi cauſa in Siciliam ab ducibus fugitiuorum eſſe miſſum. ea de cauſa cæſus eſt in foro Meſſanæ, nec in eo leges Porcia & Sempronia ſeruatæ. Hoc narrandi genus hiſtoricum nullis ardet affectuum incendijs, ſed utitur ſimplici rerum expoſitione, niſi quòd interim ſuam pronunciat de re ſententiam. Hic Ciceroné cum Saluſtio conferre poſſis de Catilinæ coniuratione. Dicet quiſpiam: Antonius ſecundo de Oratore, cũ interrogaſſet, qualis oratoris, & quanti hominis in dicendo eſſet hiſtoriam ſcribere, reſpondit Catulus, eſſe ſummi. quid igitur ſummus orator ab hiſtorico ſummo differet? Dicimus opus eſſe oratore ſummo, id eſt, eo qui unum illud genus optime tractet, non eo qui omnibus in rebus ſummus eſt atque perfectus. Etenim hiſtoria ferè ſui ſimilis eſt, nec tam uarias genera dicendi, quàm eloquentia forenſis. Itaque paulo poſt Antonius: Verborum, inquit, ratio, & genus orationis fuſum atque tractum, & cum lenitate quadam æquabili profluens, ſine hac iudiciali aſperitate, & ſine ſententiarũ forenſium aculeis proſequendum eſt. Hoc quoque in dubium uenire poteſt, cur arbitretur ab hiſtoricis non multo ſecus quàm à poetis eloquentiam perfectam ſeuocandam eſſe? Hanc eſſe cauſam duco, quòd poetæ narrant ſicut hiſtorici, regiones pugnaſq́; deſcribunt, conciones interponunt, et exhortationes, adeoq́; interdum ſimiles ſunt, ut hiſtoriographi eſſe uideantur. Quid enim Lucanus ab hiſtorico differt, niſi poetico numero? Homerus in multis hiſtoriam meram perſequitur, liberius tamen intexit fabulas, liberius egreditur, liberius in eadem re commoratur: quod etiam factitant Græculi mendaces in hiſtoria. NAM etiam poetæ quæſtionem attulerunt.]

Multa ſunt poetarum & oratorum communia. utrique nullá non intentant quæſtionem. utrique docere, mouere, delectare uolunt. utrique ferè diſſerunt ex communi hominum opinione, utrique relicta philoſophorum nimia ſubtilitate, pleniorem magiſq́; popularem dicendi rationem obſeruant. utrique à propria cauſa ad theſin locoſq́; communes egreſſi, longe lateq́; ſpaciantur. utrique admirationes inducunt, & amplificationes, & inopinatos exitus. utrique ſelectis uerbis compoſitis, numeroq́; comprehenſis utuntur. Quas ob res tam pauci reperti ſunt boni poetæ, quàm oratores ſummi atque perfecti: & uulgo dictũ eſt, naſci poetas. & hoc illi de ſe affirmare ſunt auſi: Eſt deus in nobis, agitante caleſcimus illo. Itaque non immerito quæſtionem attulerunt, id eſt, ut dubitaremus effecerunt, quid'nam eſſet illud, quo ipſi differrent ab oratoribus. Numero maxime uidebantur antea, & uerſu, tunc cum Homerus, Heſiodus, Euripides, aliiq; ueteres ſcripſerunt ante tempora Thraſymachi & Iſocratis, qui primi numeros inuenerunt. Ex illo apud oratores ipſe numerus increbuit. Vt autem cætera, ſic etiam numerus poeticus ab oratorio differt. In illo certi atque numerati pedes, ut ſex, partim dactyli partim ſpondei numerantur in hexametro uerſu. In hoc pedes quidem ſunt, ſed neque certi neque numerati: in illo certa ſpatia, certi ordines, certiq́; fines, ut in hexametris ſpatia ſunt temporum quatuor: ordo eſt, ut primæ quatuor ſedes dactylo ſpondeo'ue ſtatuantur, quinta dactyli, ſexta ſpondei propria ſit. Finẽ modumq́; facit pes omnis ſextus. Oratorio numero neque certa ſpatia, neque certi ordines, neque certi fines, ſed ad aurium menſuram longis & breuibus ad finem uſque decurrit. Suauis & iucundus eſt numerus in hac Ciceroniana ſententia: Nihil habet, Cæſar, nec fortuna tua maius, quàm ut poſſis: nec natura melius, quàm ut uelis ſeruare quàm plurimos. Hanc cum Cicero modularetur, neque numerabat pedes, neque certa ſpatia metiebatur, neque pedes ordine præfinito collocabat, neque metam conſtituebat quá prætergredi religioſum eſſet. Quid igitur? longas et breues temperauit, ne quid aut tardius, aut celerius, aut aſperius, aut inæqualitate ſalebroſum foret: nec ante curſum terminauit, quá ſubſiſtendum aures exercitatæ iudicaſſent. Hanc differentiam Quintilianus oſtẽdit in 9. Cicero numeroſum putat omne quod ſub aurium menſuram aliquam cadit, hoc eſt omne quod aptè cadit, auremq́; delectat, finita ſpatiorum comprehenſione. Metiuntur aures & nimium curta, & redundantia & iuſto modulo terminata. Curtiora & redundantia repudiant, temperata & apto modificata numero cenſent. Is numerus orationis eſt uitium, ſi cadit in uerſum metrumq́; cuiuſmodi iſtuc eſt Ciceronis in Rullum: Is excipitur unus, ne manubias referre debeat. Iambicus eſt, octonarius qui uolentibus frequenter excidit in curſu maxime, & in ardore dicendi, quoniam ferè ex iambis noſtra conſtat oratio. Cautius euitandi ſunt heroici & elegi uerſus, deinde hendecaſyllabi, ut ſapphici, ut phaleciį. Vitandi quoque aſclipiadei, ut ſubſultantes: ut, Quid tu uerberibus me miſerum enecas? De uerſibus infra Cicero. Incidere uero numeros omnes in orationẽ, etiã ex hoc intelligi poteſt, quod uerſus ſæpe in oratione per imprudentiam dicimus, quod uehementer eſt uitioſum: ſed non attendimus, neque exaudimus noſmetipſos. Senarios uero & hipponacteos effugere uix poſſumus. Magnam enim partem ex iambis noſtra conſtat oratio: ſed tamen eos uerſus facile agnoſcit auditor. ſunt enim uſitatiſſimi. Inculcamus autem per imprudentiam ſæpe etiam minus uſitatos, ſed tamen uerſus: uitioſum genus, & longa animi prouiſione fugiendum. Cur autem id uitioſum eſt? an quòd indicat dicentis imprudentiam? an uero quia fœdum eſt, orationem quæ fluere debet, uerſiculorum frenis illigare? an potius, quia turpe eſt, oratorem non potuiſſe ſuum obire munus, quin uſurparet alienum? Numerus à Græcis dicitur ῥυθμὸς, quod eſt τάξις ἐμμελὴς, ἀκόλουθον ἁρμονίας μέλος εὔφωνον. Ordo conſonans, ad harmoniæ conſecutionem, ſuauis & arguta modulatio. Heſychius, ῥυθμὸς, κανὼν, μέτρον, μέλος εὔφωνον, ἀκολουθία, τάξις, σύγκρισις. Rhythmus, regula, menſura, modulus in uoce concors, conſecutio, ordo, comparatio. Rhythmus autem ſicut et numerus non in oratione modo nominatur, ſed etiam in pedibus, manibus, ac toto corpore, conſentiens et concors cum iucunditate motus. Quædam oratio numeri magnitudine poema uideri poteſt, ut Platonis ampliſſimi philoſophi & Democriti phyſici locutio, quæ quaſi uibratis numeris incitatius

citatius ac uehementius fertur, & clariſſimis uerborum luminibus, id eſt, præclaris figuris utitur. eorum oratio potius poema putandum, quàm Comicorum poetarum, ſi poema numeroſum quiddam, grande, ornatum, ſonorum dicimus. Nam Comicorum uerſiculi ſunt iambici & trochaici, minuti, leues, ſummiſſi, quotidiani, nulla modulationum plena ſymmetria cõcitati. Grandior & conſonantior Platonis oratio. non igitur opus eſt poetæ maximum, certos aptare numeros, ſed uirtutes oratoris perſequi, cum uerſu ſit adſtrictior, minusq́; libere pedibus feratur. Si quis (quod facile eſt) experiri uolet, Platonis & Ariſtophanis ſententias aliquot, aut Ciceronis & Terentij cantet, ut quaſi tibiarum maiorum minorumq́; ſonitum uariãtem dijudicet. Sicut autem numero differunt oratores & poetæ, ſic etiam differunt licentia uerborum. Etenim quanquam quorundam ut heroicorum, grandis & ornata uox eſt poetarum, quæ ſonitu cum oratione numeroſa certare poſſit, tamen in ea licentia maior eſt faciendorum iũgendorumq́; uerborum. Verba deriuatione fiunt, ut indigenitalis, incurueſcere. Compoſitione iunguntur: ut expectorare, uerſutiloquus. Tum etiam nonnullorum uoluptati, ut otioſorum uocibus magis quàm rebus & ſententijs inſeruiunt, ut cum fabularum uanitate remorantur auditorem. Vnum inter eos ſimile eſt, iudicium, electioq́; uerborum, quod utrique, ut ante diximus, electis uerbis, compoſitis, modificatis, numeroq́; comprehenſis utuntur. Quod accipe dictum de elocutione: alioqui multa ſunt inter eos ſimilia, multaq́; diſſimilia, tum in inuentione, tum in collatione. Sed id nihil habet quæſtionis, id eſt, controuerſiæ: & ſi quid habet, ad id quod propoſitum eſt, non eſt neceſſarium: : quoniam de elocutione, non de inuentione & diſpoſitione propoſita quæſtio eſt. ERIT *igitur eloquens (hunc enim auctore Antonio quærimus.]*

Tria ſunt quæ præſtare debet orator, ut probet, ut moueat, ut delectet. Probare neceſſitatis eſt, quia nulla controuerſia ſine probatione dirimi poteſt: ut dirimatur, exponenda res eſt, & ratione firmanda. id Quintilianus oſtendit in præfatione libri quinti. Delectare ſuauitatis eſt. Nam facetijs & urbanitate delectamus, ut ſuaues eſſe poſſimus. Flectere, id eſt, affectu mouere, uictoriæ eſt & perſuaſionis. Id unum ex tribus ad obtinendas cauſas, id eſt, uincendas, plurimum ualet. Neque enim populus, neque ſemidocti uiri, argumentis tam mouentur, quàm concitatis affectibus. Experimur in reorum ſupplicio animum noſtrum commoueri, & morbo quodam affici, ac protinus obliuiſci maleficiorum, tum rapi quò nolimus, unoq́; uerbo miſerabili concitari uehementius, quàm graui & copioſa argumentorum probatione. Tragœdiarum lachrymæ fictæ, quanto plus animum mouent, quàm argumentoſa philoſophorum ratio? In hoc igitur uis omnis oratoris eſt. Id Quintilianus in ſexto fuſius exponit. Cætera forſitan tenuis quoque et anguſta ingenij uena, ſi modo uel doctrina, uel uſu ſit adiuta, generare atque ad frugem aliquam perducere queat. Certe ſunt, ſemperq́; fuerunt non parum multi, qui ſatis perite, quæ eſſent probationibus utilia, reperirent. quos equidem non contemno, ſed hactenus utiles credo, ne quid per eos iudici ſit ignotum: atque (ut dicam quod ſentio) dignos à quibus cauſas diſerti docerentur. Qui uero iudicem rapere, & in quem uellet habitum animi poſſet perducere, quo dicto flendum & iraſcendum eſſet, rarius fuit: atque hoc eſt quod dominatur in iudicijs. Multa ſunt ſuper eadem re apud eundem. Quod ſi pluris argumenta ſunt in ſchola doctiſſimorum, non tamen falſum quod Cicero de oratione ciuili præcipit. Alia ratio eſt ſcholarum, alia cauſarum ciuilium, ut ſenatus, ut fori, ut concionis. Erit igitur eloquens is, qui in foro, id eſt, in iudiciali controuerſia, cauſiſq́; ciuilibus, ut in conſilio & concione, illa tria præſtabit. Orator enim etiamſi quæſtiones omnes ut communem materiam tractare poteſt, tamen in ciuili quæſtione ſæpius uerſatur, & hæc illius propria poſſeſſio eſt. Tribus officijs oratoris aptanda ſunt totidem genera dicendi. Subtile, probando: quoniam diligens expoſitio rerũ, & argumentatio, ſæpe captat etiam minuta et ſubtilia, ne quid utile cauſæ relinquat, ne' ut grauia tractando minus intelligatur. Modicum, id eſt temperatum, delectando: ut cum laudes optimi cuiuſque narramus, aut in communibus locis fuſe lateq́; ſpaciamur. Vehemens & graue, flectendo: ut in amplificationibus, omniq́; cõtentione grauioris affectus. Hæc genera qui locis aptè & decenter accommodat, is eſt eloquens. Qui unum perpetuo terit, id ſi probe facit, is eſt diſertus, non eloquens.

MAGNI *igitur iudicij, ſummæ etiam facultatis eſſe debebit moderator ille.]* *In omni loco uti omni genere dicendi non poſſumus. Stylus enim & character, fortunæ, ætati, honori, auctoritati, loco, tempori, auditoribus & quæſtioni debet accommodari. Magni ergo iudicij, ſummæ etiam facultatis eſſe debet moderator ille, & quaſi temperator huius tripartitæ uarietatis. Moderator, qui pro rerum modo componat orationem, humilia ſummiſſe, mediocria temperate, magna grauiter dicat. Temperator, qui temperare aptéq́; miſcere nouerit hanc uarietatem, qui & ipſe moderator eſt. Si fuerit iudicij magni, iudicabit quid cuique opus ſit: cuius rei nulla ars condi poteſt, quoniam generum atque formarum ſunt artes, nõ partium. Si fuerit ſummæ facultatis, poterit quocunque modo poſtulabit cauſa dicere, ut ſubtiliter de finibus regundis, temperate de ornandis ciuibus, atrociter de peculatu, et de cæteris cauſis eodem modo. Eſt igitur eloquentiæ, ſicut reliquarum rerũ, fundamentum ſapientia: quæ decorum perſpicit. Sapientiam uult accipi prudentiam magnam: etſi ſapientia, σοφία, prudentia φρόνησις, non eadem eſt uirtus. Hoc modo ſumitur Officiorũ primo: Vt quiſque maxime perſpicit quid in re quaque uerissimum ſit, quiq́; acutiſſime & celerrime poteſt & uidere & explorare rationem, & prudentiſſimus & ſapientiſſimus rite haberi ſolet. Sapientia uero non fundamentum modo, ſed etiam faſtigium eſt. Summa prudentia, ſpeculationis & actionis eſt fundamentum: quamobrem prima uirtutum conſtituitur, tanquam dux et gubernatrix conſiliorum omnium. Itaque ſi condas orationem, ſtatuatur fundamentum prudentiæ ratio. qua ſublata, corruent omnia quæ conſtruxeris. Hac duce & in uita & in oratione uidebis quid deceat. πρέπον appellant hoc Græci: nos Latini, quia melius non poſſumus, dicamus ſanè decorum. Illud eſt duplex: generale quoddam, quod in omni honeſtate uerſatur: & aliud huic ſubiectum, quod pertinet ad ſingulas partes honeſtatis. Hoc ita definitur: Decorum eſt, quod ita naturæ conſentaneum eſt, ut in eo moderatio et temperantia appareat cum ſpecie quadam liberali. Decorum natura monſtrat, & honeſto ſic copulat, ut ab eo ſeparari nõ poſſit. de quo præclare multa præcipiuntur à philoſophis in ethica diſciplina: & res eſt cognitione digniſſima. Huius ignoratione, non modo in uita peccatur, ut ſi calamitoſus ſtipes emendicans proijcit ampullas & ſeſquipedalia uerba: ſed ſæpiſſime & in poematis, ut cum Homerus Iunonem ab Ioue male tractari fingit, & idem in medio prælio longa pugnantium colloquia tanquam ſecura producit. Hic etiam in oratione peccatur, non in ſententijs ſolum, ſed etiam in uerbis: ut ſi quis eſt glorioſus ſui iactator, & indigna ſe profundit. Decorum diſtinguit aut fortuna, ut diuitiæ & paupertas: aut honos, ut magiſtratus: aut auctoritas, ut uitæ dignitas: aut ætas, ut pueritia, iuuentus, ſenectus: aut locus, ut curia, forũ, comitium: aut tempus, ut lætum, triſte, longum, breue: aut auditor, doctus, indoctus, grauis, leuis, conſtans, inſtabilis. Decorum tamen in tribus maxime conſiderandum eſt: in re de qua agitur, in perſonis & eorum qui dicunt, & eorum qui audiunt. Hæc Quintilianus exponit 11. libro. Nec tantum quis, & pro*

quo, ſed etiam apud quem dicas intereſt. Facit enim fortuna diſcrimen et poteſtas, nec eadem apud principem, magiſtratum, ſenatorem, priuatum, tamen liberum, ratio eſt. Nec eodem foro publica iudicia, & arbitrorum diſceptationes aguntur. Nam ut orantem pro capite ſolicitudo deceat, & cura, & omnes ad amplificandam orationem quaſi machinæ, ita & in paruis rebus iudicijſq; uana ſint eadem: uideaturq; merito, qui apud diſceptatorem de re leuiſſima ſedens dicturus, utatur illa Ciceronis confeſſione, non modo ſe animo commoueri, ſed etiam corpore ipſo perhorreſcere. Quis uero neſciat, quin aliud dicendi genus poſcat grauitas ſenatoria, aliud aura popularis? cum etiam ſingulis iudicantibus, non idem apud graues uiros, quod leuiores: non idem apud eruditum, quod militarem ac ruſticum deceat, ſitq; nonnunquam ſummittenda & contrahenda oratio, ne iudex eam uel intelligere uel capere non poſſit. Tempus quoque ac locus egent obſeruatione propria. Nam & tempus tum lætum, tum triſte, tum liberum, tum anguſtum eſt. Atque ad hæc omnia componendus orator, & loco publico priuato'ne, celebri an ſecreto, aliena ciuitate an tua, in caſtris denique an foro dicas, intereſt plurimum, ac ſuam quidque formam & proprium modum eloquentiæ poſcit. Quid moror? Perlege totum locum. Nam Fabius inſtitutionem profeſſus, non ſolum ſcientibus iſta, ſed etiam diſcentibus tradidit, eaq; præceptis amplexus eſt, quæ Cicero tantum notauerat. Hinc ait: Magnus eſt hic locus, & magnum uolumen aliud deſiderat. Perlege quoque quid aptum ſit, tertio de Oratore. Itaque hunc locum longe lateq; patentem, nempe in omnibus honeſti partibus, philoſophi ſolent in officijs, & in ethica diſciplina tractare, non cum de recto ipſo diſputant: nam id quidem unum eſt, quoniam rectum eſt officium perfectum, perfecto nihil eſt perfectius. Perfectum officium, inquit, rectum, opinor, uocemus, quod Græci κατόρθωμα appellant. hoc autem commune officium uocant, atque ſic definiunt, ut rectum quod ſit, id perfectum officiū definiant. Non inquam cum de recto ipſo diſputant, ſed cum moderationem omnium rerum, & pulchritudinem ex honeſto relucentem, uarijs in rebus oſtendunt, quis habitus deceat, quæ ſupellex, quæ ratio uictus, quæ & quanta domus, qui ſermo, qui geſtus, qui inceſſus, qui luſus, qui iocus, & alia id genus à Cicerone collecta & tractata in Officijs. Decorum grammatici tractant in poetis, quos ex officio debent interpretari. Etenim ueteres ſubijcere grammaticis hiſtoricorum & poetarum lectionem. Quintilianus in primo: Grammatice tenuis à fonte, aſſumptis poetarum hiſtoricorumq; uiribus, pleno iam ſatis alueo fluit. De poetarum decoro Cicero in Officijs: Sed cum ſeruare illud poetas quod deceat dicimus, cum id quod quaque perſona dignum eſt, & fit & dicitur: ut ſi Aeacus aut Minos diceret, Oderint dum metuant: aut, Natis ipſe ſit ſepulchrum parens: indecorum uideretur, quòd eos fuiſſe iuſtos accepimus. At Atreo dicente, plauſus excitantur. eſt enim digna perſona oratio. Sed poetæ quid quenque deceat, ex perſona iudicabit. QVAM enim indecorum eſt, de ſtillicidijs cum apud unum iudicem dicas.] Decorum tractant eloquentes in omni & genere & parte cauſarum. In genere, id eſt in controuerſia tota. In parte, ut in aliqua perſona, aut ſententia, aut uerbo. In genere decorum præterit, qui de ſtillicidijs agens apud unum iudicem, uerbis utitur ampliſſimis, locisq; communibus. Nam cauſa minor eſt, quàm quæ ſuſcipiat amplitudinem tum uerborum, tum ſententiarum. Decet hic in re parua dicere ſummiſſe & ſubtiliter. Contra in re graui, ut de maieſtate populi Romani apud multos iudices, ample, copioſe, & grauiter. Actio de ſtillicidijs eſt, ſi aqua pluuia, quæ ex ædificio urbano aut ruſtico nocet, arcenda iure eſt. Ea de re lex eſt unde quadrageſimo Pandectarum. Maieſtas eſt magnitudo quædam populi Romani, in eius poteſtate ac iure retinendo. Sic ipſe in Partitionibus. Ampliſſima uerba ſunt, grandia, grauia, plena dignitatis, ut quibus utitur Cicero in ornando Cæſare. Loci communes ſunt, quæſtiones infinitæ, quæ θέσεις appellantur: quibus, ut ante dictum eſt, ſummus ille ſpatiari debet orator. In parte indecorum eſt, ſi quis aut ſua perſona peccat, ut cum Cicero ſuum cōſulatum ſuumq; Catilinam nimium iactitat: aut perſona iudicum, ut cum Philippus teſtem perpuſillum riſit, cum ſederet iudex L. Aurifex breuior etiam quàm teſtis. Aut etiam aduerſariorum, ut cum relicta dignitate Saluſtius ipſe impura uomit in Ciceronem, Cicero in Saluſtium. Re peccatur, ut cum C. Piſo, qui Cecinnam iuriſperitorum auctoritate oppugnauerat, dixit iuriſconſultorū auctoritati obtemperari non oportere. Sæpe etiam uerbo decorum læditur. Clodium occiderunt ſerui Milonis, parum decebat. aptè Cicero: Fecerunt id ſerui Milonis, (dicam enim nō deriuandi criminis cauſa, ſed ut factum eſt) neque imperante, neque ſciente, neque præſente domino, quod ſuos quiſque ſeruos in tali re facere uoluiſſet. Et pro Cælio: Non ſi quis haberet conſuetudinem, ſed ſi quis paulo liberius ſalutaſſet, aptius dixit. In omnibus rebus uidendum eſt quatenus, ne longius progrediare quàm deceat.

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos ultra citraq; nequit conſiſtere rectum.

Cumq; ſint extrema duo uitioſa, magis offendit nimium quàm parum, ut elegātior ueſtitus, cœna lautior, immodica loquacitas, oratio nimium culta, pronunciatio uolubilior. Sunt qui aliter ſentiant, malintq; nimium quàm parum ut prodigum quā auarum, temulentum quàm ieiunum, audacem quàm timidum. Ariſtoteles cenſet auarum deteriorem eſſe quàm prodigum, quoniam hic ad medium facilius reducitur. Medici redundantiam malunt, quàm nimiam tenuitatem. Sed aliud eſt agere de uitijs corporis & animi, aliud oſtendere quid plus aut minus offendat. Illic agitur de corrigendo malo, hic de hominum exiſtimatione. Cicero non pronunciat in uniuerſum. Sic enim poſtea iudicat. Productiora alia, & quaſi immoderatius excurrentia, quæ magis etiam aſpernantur aures, quòd cum in pleriſque, tum in hoc genere nimium quod eſt, offendit uehementius, quàm id quod uidetur parum. Apelles Cous pictor eximius, de quo ante dictum eſt, eos peccare dicebat, qui non ſentirent quid eſſet ſatis, id eſt, non uiderent quatenus. Nec immerito damnabat. Quid fœdius, quàm quod noſtri pictores frequenter admittunt? qui homines ruſticos, batulos, ſutores, mendicos, ornant coccineo colore, argento, auro, habitu præcellenti: reges autem uilius, non habita locorum temporumq; ratione? Peccatur turpiter & in alijs rebus: ſed turpius eſt quod aut in uita, aut in eloquentia peccatur. Magnus eſt hic locus, hoc eſt copioſa & utilis diſputatio de decoro, et magnum uolumen aliud deſiderat. quamobrem locum paucis attingit, non quòd ad Brutum uirum doctum ſcriberet, ut Quintilianus ſentit, ſed quoniam ad id quod agitur, illud ſatis. Nam propoſita quæſtio eſt de eloquentia ſumma, qualis eſſe debeat, non quod in ea decorum ſeruari oporteat. Ad hæc, decorum ſatis eſt notum: quia cum in omnibus dictis & factis minimis & maximis dicimus hoc decere, illud non decere, id uſque quaque, id eſt, in omni re, perſona, loco, tempore, quantum ſit apparet. Conſiderandum tamen, in alio poni quod dicimus oportere, in alio quod decere: aliudq; totum eſſe, utrum decere an oportere dicas. Sic fiet, ut genera rerum ne permiſceas, & decorum quid ſit apertius intelligas. Oportere, perfectionem declarat officij, id eſt, ſpectat illud κατόρθωμα & officium rectum ac illud honeſtum perſequendum monſtrat, quod nemo rectus & bonus omittit. Obtemperare oportuit, id eſt, rectum fuit. A' matre filiū accuſari non oportuit, idem eſt quod uitioſum prauumq; fuit. Quòd igitur officio ſine culpa deeſſe non poſſumus, eo ſemper utendum eſt, & omnibus mortalibus. Vnum eſt enim rectum, uerum,

iuſtum

iuſtum & æquum, & illud omni tempore retinendum. Decorum, pro rebus, perſonis, temporibus locis, immutatur: quia decere eſt, quaſi aptum eſſe, conſentaneumq́; tempori & perſonæ. Quod in factis, in dictis ualet, ut exemplis ante monſtrauimus. In uultu denique, & geſtu, & inceſſu: quæ Cicero reprehendit in Piſonem, quòd illis indecenter abuteretur. Poſteaquã docuit, quid, & in quo poſitum eſſet decorum, comparatione ducta á poetis, á pictoribus, ab hiſtrionibus, argumentatur illud oratori diligenter obſeruandum. Id quod dicimus dedecere, poeta fugit ut maximum uitium: qui peccat etiam, cum probam orationem affingit improbo: ut ſi Mezentius deum contemptor religionem probet, & apud Virgilium de dijs piè loquatur: aut ſi Therſites ſtultus oblatrator, apud Homerum bene & ſapienter de re graui dicat. Pictor ille Timantes uidit, cum immolanda Iphigenia Agamemnonis filia, triſtis Calchas eſſet, ut alienus, & uates conſtans: mæſtior Vlyſſes, quia mollior & humanior regibus obſequebatur: mœreret, luctuq́; ſolueretur Menelaus patruus, obuoluendum caput Agamemnonis eſſe patris: quoniam ſummum illum luctum penicillo calamoq́; pictorio non poſſet imitari. Plinius: Timanti uel plurimum affuit ingenij. eius enim eſt Iphigenia oratorum laudibus celebrata, quã ſtante ad aras peritura, cum mœſtos pinxiſſet omnes, præcipue patruum: cum triſtitiæ omnem imaginem conſumpſiſſet, patris ipſius uultum uelauit, quem digne non poterat oſtendere. Hiſtrio, actor fabularum, quid deceat, quærit in uoce, in uultu, in motu corporis atque mẽbrorum. Vnde Roſcius hiſtrio dicere ſolebat, in arte primum, decere. Itaque cum hoc tantum ſit, id eſt tam latè pateat, & ubique aptam conformet orationem decorum, uideris orator, id eſt uidere debeas, quid in cauſis totis, quid in earum membris aptè faciat. Sicut enim uariant partes, ita perſpicuum eſt cauſas totas, alias alia forma dicendi eſſe tractandas. Alia forma eſt pro Quintio, alia pro Ligario, alia pro Rabirio. SEQVITVR, ut cuiuſque generis nota quæratur & formula.] Sequitur ut cuiuſque generis, ſubtilis, grauis, & intermedij nota quæratur & formula. hoc eſt, ſignum proponatur, & lex, qua quidque cognoſcere & exercere poſſimus. Magnum opus & arduum, & nauigationi ſimile. Vt enim transfretaturi ante profectionem conſiderant quid agant, ubi autem dederunt uela, uento fluctuq́; ſæpe quò nolint ferũtur: ſic etiam huic ingredienti mare copiamq́; formarum, conſiderandum fuit quid ageret, quidq́; ſequeretur: nunc quocunque feratur per tot generum fluctus, danda nimirum uela ſunt, hoc eſt, in omnem ſortis euentum res ipſa tentanda eſt. His uerbis ſignificat, in uniuerſo genere dictum eſſe de optima ratione dicendi: nunc tranſeundum ad genera ſingula, quorum difficilior eſt explicatio. Quòd autem ab imis ad ſumma conſcenditur, primum informandus eſt & figura quadam exprimendus ille ſubtilis, quem ſolum quidam uocant Atticum. Romani quidem certe illi fuerunt, in quibus etiam Caluus & Brutus, Ciceronis ut exornatoris effuſi, nimiumq́; elegantis, iniqui iudices: quibus id demum placebat, quod eſſet horridum, incultum, ſimplex, quotidianum. Eorum prauum iudicium ſupra caſtigauit. Tenuis orator, ſummiſſus eſt, quaſi ad ima deiectus. Humilis, tanquam repens humi. Conſuetudinem imitantur, uelut ſequens uulgatum loquendi morem: quem quis ab indiſertis nihil differre putet, etſi re plurimum diſtat. Itaque eum qui audiunt, quãuis ipſi infantes ſint, id eſt indiſerti, nullaq́; dicendi arte formati, tamen illo modo confidunt ſe poſſe dicere. Nam orationis ſubtilitas, & illa ſummiſſa tenuitas, imitabilis quidem uidetur eſſe exiſtimanti: ſed nihil eſt experienti minus. Exiſtimat is, qui ducitur opinione rei dubiæ: experitur, qui rem ipſam aggreditur. Hæc ſubtilitas aptè comparatur corpori raræ (ut loquuntur medici) texturæ, temperamentiq́; parum firmi. Corpus eiuſmodi non plurimi ſanguinis eſt, habet tamen ſuccum aliquem & humorem bonum. Quod ſi illis maximis uiribus caret, quibus prædita ſunt conſtitutionis optimæ corpora, tamen eſt integra ualetudine. Eodem modo tenuis oratio, non plurimi ſanguinis eſt, & iuſti roboris, habeat tamen ſuccum aliquem oportet, ut ſententijs & uerbis ſubtilibus nutriatur: ut ſi illis maximis uiribus careat, quibus omnia perrumpit illud graue dicendi genus, ſit tamen integra ualetudine, ut ſine uitio & morbo bene præclareq́; conſiſtat. Proponamus exemplum ex oratione pro Cecinna, quo res facilius intelligatur: Verum ita eſt uti dicis, te deiectum debeo intelligere, etiamſi tactus nõ fueris. non'ne? Age nunc, ſi ne quidem tuorum quiſquam loco motus erit, atque omnes in ædibus aſſeruati ac retenti, tu ſolus prohibitus, & à tuis ædibus ui atque armis perterritus, utrũ hanc actionem habebis, qua nos uſi ſumus, an aliam quampiam, an omnino nullam? Nullam eſſe actionem dicere in re tam inſigni, tamq́; atroci, neque prudentiæ neque auctoritatis tuæ eſt. alia ſi quæ forte eſt quæ nos fugerit, dic quæ ſit? cupio diſcere. Hæc ſi eſt, qua nos uſi ſumus, te iudice uincamus neceſſe eſt. Quàm minutæ ſunt hæ oratiunculæ? quàm tenues? quàm exilibus uerbis contextæ? quàm numeris illis ſonantioribus ſolutæ? Quis non illo modo cõfidat ſe poſſe dicere? Subeſt tamen uis atque robur argumenti: uerba non ſunt otioſa. Venuſtas eſt in tenuitate, quam paucis liceat imitari. Nam ſi uerbis utare grandioribus, & tracta numerorum modulatione compleas ſenſus, aliquid maius altiusq́; conficies. Si negligis uerba, ſi quidquid uenit in buccam, effundis, ſcopæ ſunt diſſolutæ. Tenere medium, & agere honeſte in ſumma frugalitate, difficile eſt. Imitare Catulli ſuauitatem, Terentij uenuſtatem, Martialis ſubtilitatem: nihil minus aſſequeris, ſi te natura quædam, perſimilis ars, & exercitatio iuuet. Illi tamen in multis tenues ſunt, atque ſummiſſi. PRIMVM igitur eum tanquam è uinculis numerorũ eximamus. Oratio, inquit Fabius alia uincta atque contexta: ſoluta alia, qualis in ſermone & in epiſtolis, niſi cum aliquid ſupra naturã ſuam tractant, ut de philoſophia, de Republica, ſimilibuſq́;. Quòd non eò dico, quia non illud quoque ſolutum habeat ſuos quoſdam & forſitan difficiliores etiam pedes: neque enim aut hiare ſemper uocalibus, aut deſtitui temporibus uolunt ſermo et epiſtola: ſed non fluunt, nec cohærent, nec uerba de uerbis trahunt, ut potius laxiora in his uincula quàm nulla ſint. Nonnunquam in cauſis quoque minoribus decet eadem ſimplicitas, quæ non illis, ſed alijs utitur numeris, diſſimulatq́; eos, et tantum communit occultius. hæc ille. quibus interpretari uidetur hæc uerba Ciceronis: Vincula ſunt in iuncturis atque temporibus. Nam cum uerba uerbis molli iunctura cohærent, & tempora ſyllabarum cum ſymmetria quadam perferuntur, tum numeris illigatur oratio. Non multum ligauit hanc orationem Cicero: Sum ex proximi uicini fundo deiectus, quò adibam ad iſtum fundum: ſum de uia: ſum certe alicunde: ſiue de priuato, ſiue de publico, eò reſtitui ſum iuſſus. reſtituiſſe te dixiſti. nego me ex decreto prætoris reſtitutum eſſe. Videre quiſque poteſt minutim diuiſas particulas, iuncturas inſuaues, tempora minuta, ſubinde fractum curſum. Tamen hæc negligentia eſt diligẽs, nec omnino ſoluta eſt oratio. Eſt aliquid quo ſit uenuſtior, ut munda ueſtis, ſed non apparet. Primũ igitur oratorem ſubtilem tanquam è uinculis numerorum non omnium, ſed illorum grandiorum eximamus. Sunt enim oratorij quidam numeri obſeruandi ratione quadam, id eſt, arte, quæ tempora ſyllabarũ rebus aptat, curſumq́; metitur comprehenſionum. Sed alio in genere orationis obſeruandi, ut in graui, & in medio: in hoc omnino relinquendi. Quod accipe dictum non de minutis illis numeris atque leuioribus, quibus utitur ſummus orator, ſed de artificioſa coagmentatione, & illa plena modulandi ſuauitate, quæ ſelectis uerbis & compoſitis extendit orationem, ut gratia uoluptatis expleat aurium ſenſum. Hinc illud ſubdit: Solutũ quid-

dam ſit, id eſt, ut Quintilianus ſentit, laxius uinculum potius quàm nullum. Cui Cicero acquieſcit, cum dicit: Ne ſit uagum tamen, ut ingredi libere, non ut licenter uideatur errare. Proponatur hæc oratio Ciceronis: Hic te, inquit, teneo, non eſt iſtud iudicium pati, neque iudicio defendere, cum auxilium à Tribunis petas. Solutum quiddam eſt, quia ingreditur libere, nec enim metuit partem uerſus, Hic te, inquit, teneo. nec aſclepiadei finem, iudicium pati. nec hiatum uocalium, ut Cum auxilium à tribunis petas. nec membra contracta, & corpus minutum. Non tamen licenter errat, ut is qui ſic loquatur, Hic ego, inquit, teneo te: iſtud non eſt pati iudicium, neque defendere iudicio, cum petas auxilium à Tribunis. hoc nimis ſolutum dicendi genus. Verba etiam uerbis quaſi coagmentare negligat, ne quemadmodum lapides expoliti muro coagmentantur minimum hiante iunctura, ſic ultima prioris uerbi ſyllaba, & ſequentis prima, iunctim & contigue nectantur. Hiulcus hic quaſi numerus erit tenuis ædificij, non ille politus & æquabilis è lapide quadrato. Admittantur hiatus uocalium, & aſperi concurſus, ut in epiſtola: Ego omni officio ac potius pietate erga te, cæteris ſatisfacio omnibus, mihi ipſe nunquam ſatisfacio. Habet ille hiatus è concurſu uocalium molle quiddam, quia uerba non ſuo fine terminantur, ſed interſiſtunt, & in ore quaſi luctantur: tum cona tus ille pronunciandi haud diſplicet, niſi duriorem quendam et agreſtem ſonum reddiderit, ut hoc Terentianum: Eandem illam rationem antiquam obtine. Ea compoſitio quidem aſpera eſt, ſed in hac tenuitate non utique uitanda, quoniam indicat non ingratam negligentiam hominis, de re magis quàm de uerbis laborantis. Liberiora ſunt igitur huic oratori circuitus conglutinatioq; uerborum. nec enim circuitus & periodos complet, nec uerba iungendo molliter conglutinat. Cæterum ne ſit ille putidus ſermo, nimiumq; neglectus, cauendum eſt: quali ſunt abuſi plerique philoſophiæ ſcriptores temporibus noſtris. Illa enim ipſa contracta & minuta, id eſt, conciſæ breuesq; ſententiæ, neque numeris expleta, non negligenter tractandæ ſunt. Sed quædam etiam negligentia eſt diligens, quæ non optime, ſed parce & tenuiter ueſtit orationem. Putet aliquis hæc uerba Ciceronem temere fudiſſe, Satis eſt argumenti nihil eſſe debitum Næuio, quòd tandiu nihil petiuit: ſed adhibuiſſe diligentiam comperies adeo, ut nullius ordinem uerbi mutare poſſis, quin minus digeſtam perturbes collocationem. Eandem ſententiam potueras ornatius & compoſitius illuſtrare. Eſt igitur oratio tenuis, ut mulier ueſte pura aptaq; corpori, modica tamen frugaliq; ueſtita. Quemadmodum frugi mulier neque margaritas aſſumit, neque calamiſtro ſinuat capillum, neque fucat corpus, neque ceruſſam ad candorem, aut lomentum, neque enchuſam, aut minium, aut purpuriſſum ad ruborem linit, neque torques, aut armillas, aut annulos aureos gerit, ſed modicum temperat ornatum: ſic ſubtilis oratio non aſſumit inſigniores figuras, non accuratam elocutionem, non ornamenta pulcherrima, ſed elegantiam tantum munditiamq; ſeruat. Margaritæ non ſunt omnes lapilli. Lapillus genus eſt, ſpecies eius margarita atque gemmæ. Margaritæ è conchylijs & mari eximuntur, dicunturq; latino uocabulo uniones. Calamiſtri, maiores acus, quibus calefactis & adhibitis criſpantur capilli. Vſus eſt genere maſculino, quanquam permulti calamiſtrum uno genere neutro cenſent. SERMO purus erit, & latinus: dilucide, planeq; dicetur: quid deceat, circunſpicietur.] Orationem quatuor habere uirtutes oportet, ut emendata, ut dilucida, ut ornata, ut apta ſit. in qua ſermo purus erit et latinus, emendata: in qua dilucide planeq; dicetur, dilucida: in qua quid deceat, circunſpicietur, apta: in qua ponetur ornatum illud ſuaue & affluens, & acutæ crebræq; ſententiæ, ornata dicetur. Inemendata barbara eſt, obſcura non intelligitur, inepta non eſt conſentanea rebus aut perſonis, inornata uileſcit: quæ uitia omnia maxime uitare debet orator. unde conſtat, iſta in graui quoque genere medioq; ſeruanda. Sed in tenui genere ſimplicior ac uerecundior eſt uſus oratoriæ ſupellectilis. Sermo purus erit & latinus, ſi neque barbariſmus neque ſolœciſmus admittatur. Dilucide planeq; dicetur, ſi uerba erunt propria, uſitata, bene contexta. Quid deceat circunſpicietur, ſi dicantur ea quæ conueniant dicenti, & ijs apud quos dicetur, & rei de qua agetur. Ornatus orationis eſt in uerbis, in figuris, in copia, in compoſitione, & numerorum modo. Ex his affluentibus ac copioſe cócurrentibus, ſuauis emanat oratio. Hinc eſt illud ornatum, ſuaue & affluens, quod animum pulchritudine demulcet, & affluentia copiaq; lautè reficit. Sententiæ acutæ, ſubtiles ſunt & paruæ, ſed acres, quæ uelut acumine feriunt ſenſum, punctimq; mouent animos auditorum. Difficile dictu eſt unde oriantur. À locis quidem ducuntur omnia, tamen alius alia excutit, & inuentio naturam requirit atque prudentiam, quæ diſſimilis in multis, uarietatem inueniendi parit. Eruuntur ergo ex abdito, ut ab ea re de qua agitur, agente quadam ſubtiliore prudentia. Quòd autem uerecundus & parcus eſt hic uſus aliorum ornamentorum, acutæ ſententiæ in hoc oratore dominantur, eiuſmodi ſententijs utitur Cicero etiam in minoribus cauſis, ut pro Quintio: Quid ad hæc Næuius? Ridet ſcilicet noſtram amentiam, qui in uita ſua rationem ſummi officij deſideremus, & inſtituta bonorum uirorum requiramus. Quid mihi, inquit, cum iſta ſumma ſanctimonia ac diligentia? Videant, inquit, iſta officia uiri boni: de me iſta conſiderent: non quid habeam, ſed quibus rebus inuenerim, quærant: & quemadmodum natus, & quo pacto educatus ſum. Memini, uetus eſt, de ſcurra multo facilius diuitem, quàm patremfamilias fieri poſſe. Etenim ſi uult uirorum bonorum inſtituto uiuere, multa oportet diſcat atque dediſcat: quorum illi ætati utrunque difficile eſt. Idem in eadem oratione: Pecuniam ſi cuipiam fortuna ademit, aut ſi alicuius eripuit iniuria, tamen dum exiſtimatio eſt integra, facile conſolatur egeſtatem: at non nemo aut ignominia affectus, aut iudicio turpi conuictus, bonis quidem ſuis utitur: alterius opus (id quod miſerrimum eſt) non expectat: hoc tamen in miſerijs adiumento & ſolatio ſubleuatur. Cuius uero bona uenierunt, cuius non modo ampliſſimæ illæ fortunæ, ſed etiam uictus ueſtitusq; neceſſarius ſub præcone cum dedecore ſubiectus eſt, is non modo ex numero uiuorum exturbatur, ſed, ſi fieri poteſt, infra etiam mortuos mandatur. Etenim mors honeſta ſæpe uitam quoque turpem exornat: uita turpis ne morti quidem honeſtæ locum relinquit. hæc omnia ſententioſa ſunt. Supellex quodammodo, id eſt quadam tranſlatione uerbi, noſtra eſt & oratoria, ac nullius alterius propria. Vt autem patrifamilias ornamento eſt lauta ac nitida ſuppellex, ita & oratori ſplendorem afferunt ornamenta rerum atque uerborum: quæ quia ſunt oratorum propria, nomen eloquentiæ dederunt. Ornatus uerborum duplex, unus ſimplicium, alter collocatorum. aut enim uerba ſingula qualia ſint inſpicimus, aut in oratione coniuncta conſideramus. Simplicia alia propria ſunt, certa quaſi uocabula, penè ſimul nata cum rebus ipſis, nullaq; figura modificata. Alia tanquam aliena, & figuris innouata. Ex proprijs alia alijs natura præſtant, ut in uerbis eiuſdem rei ſonantiora, aut rem maxime explanantia: ut informare plenius quàm inſtituere, deambulare quàm incedere, opportunitas quàm occaſio. Sonantiora in orationis amplitudine meliora ſunt, alia contra. Si uim feſtinationemq; dicimus, rem magis explanabit, erumpit quàm exit, exilit quàm egreditur, fugit quàm abit, & alia id genus rebus aptanda. Cicero 3. de Oratore: In proprijs eſt uerbis illa laus oratoris, ut abiecta atque obſoleta fugiat, lectis atque illuſtribus utatur, in quibus plenum quiddam & ſonans ineſſe uideatur. Sed in hoc uerborum genere propriorum delectus eſt quidam habendus, atque is aurium quodam iudicio ponderandus

derandus

derandus : in quo etiam conſuetudo bene loquendi ualet plurimum . In eodem libro uerba ſimplicia reducit in tria genera : in ea que propria ſunt, in ea que transferuntur, & quaſi alieno in loco collocantur, in ea que nouamus et facimus ipſi. Aliena partitur in tria genera . Tria ſunt, inquit, in uerbo ſimplici, que orator afferat ad illuſtrandam atque exornandam orationem : aut inuſitatum uerbum, aut nouatum, aut translatũ. Eadem eſt hec diuiſio. Nam ad translata pertinent facta aliũde, ut mutuo . Facta autem ab ipſo oratore, & nouo, uno genere nouitatis continentur . Hoc modo ex quinque membris tria facere poſſis . Translata ſunt duplicia : alia neceſſitas genuit, inopia coacta : inde gemmare uites dicimus, & letas ſegetes, & luxuriem in herbis, equitare in arundine, os impeditum . Hec & ſimilia facta ſunt aliunde, ut mutuo. oſtendit his uerbis tertio de Oratore : He translationes, inquit, quaſi mutuationes ſunt, cum quod non habeas, aliunde ſumas . Illic mutuationes dixit, ut hic facta aliunde mutuo . Alias translationes delectatio iucunditaſq; celebrauit : ut, inhorreſcit mare, feruet eſtu pelagus, eloquentie flumen, flos etatis, ſylua rerum, μεταφοραὶ Grace dicuntur, Latine translationes . Alia gignit orator ac facit, aut facta ab alio noua uſurpat : que quia arte facta ſunt, non ſponte nata ex uſu loquentium, ſeparãtur à proprijs. ſic facta ſunt, eliminare, exterminare, expectorare, uerſutiloquus, grandiloquus, uolubilitas . Priſca & inuſitata ſunt in proprijs quidem, ſed quoniam raro utimur, à proprijs abducit : ut, nuncupari, rebar, opinabar, ſoboles, proſapia, aſtutum : quibus loco poſitis, grandior atque antiquior oratio ſepe uideri ſolet . Queret aliquis, cur omittat ſynecdochen ? metonymian ? antonomaſian ? metalepſim ? allegorian ? periphraſim ? hyperbaton ? Hic propria diſtinguit ab alienis . Propria propè nata ſunt cum rebus ipſis . aliena aut transferuntur in aliorum locum, quod eſt proprium metaphore, & allegorie : aut noua ſunt & inuſitata, nedum propria : aut propria proprijs commutata, ut tectum pro domo, Ceres pro frumento. Poſſis etiã metaphoram latè extendere, more Ariſtotelis, ut figuras ante dictas amplectatur . De conformationibus uerborum poſtea precipiet, cum de figuris omnibus agetur . Figure uerborum ſunt, aut in ſimplicibus, ut metaphora : aut in coniunctis, ut gradatio. Que ſunt in collocatis, hoc modo diſtinguuntur à figuris ſententiarum. Ornamenta uerborum uerbis mutatis non manent, manente ſententia : ut, Euita malam famam tanquam pernicioſam flammam figura eſt proſonomaſia . muta uerbum, Euita malam famam tanquam pernicioſum incendium : concinnitas excidit . Sententiarum ornamenta permanent, etiamſi uerba mutaueris . O indomitam libidinem : ſi mutaueris, O effrenatam cupiditatem : eadem concinnitas permanebit. Sunt autem ſententiarũ ornamenta totidem, quot res natura ſpecieq; diuerſe : ſed pauciora que eminent, de quibus infra dicetur .

ERGO ille tenuis orator, modo ſit elegans, nec in faciendis uerbis erit audax.] Que ſuppellex eſſet oratoria, prius oſtendit, ut poſtea quatenus orator ille ſubtilis uteretur, oſtenderet. Vtetur proprijs & uſitatis, ut ſit purus & elegans . ea eſt prima uirtus orationis. Ceterum ne in faciendis uerbis ſit audax. aut enim ingrata uileſcunt, ut biboſus : aut uenuſta orationem extollunt, ſtylumq; floridiorem efficiunt, quàm qui tenuitati debeat adhiberi, ut nitela . In transferendo ſit uerecundus, id eſt, minime audax. Grandioribus enim conueniunt audaciores metaphore, quibus ſcatent heroici poete, ac tragici . Carpebat quietem, frontem rugis arat, induit crines, flamma ſuggeritur coſtis aheni . Sic rebus in magnis Cicero : Te non exiſtimas inuidie incendio conflagraturum ? Hec adulta Reip. peſtis, ſtirps ac ſemen malorum omnium . Sit in priſcis, reliquiſq; ornamentis & uerborum & ſententiarum demiſſior, ne ſi quid excellenter exiſtat, ac in ceteris porrò emineat, feda ſit & prodigioſa inequalitas : qualem uidemus in literis indoctorum, qui partibus abiectis addunt ſplendidius aliquid ab affectatoribus emendicatum, in quo gloriantur, & multum ſapere ſe putant. Translationes in tenuitate frequentiores erunt, non ille audaces, ac longe petite, ſed uerecunde, & è proximo ducte : ut uideo pro intelligo, bona forma pro pulchra, ſcitus pro eleganti . Hoc genere frequentiſſime ſermo omnis & lingua quotidiana utitur, nõ modo urbanorum qui accurate loquuntur, ſed etiam ruſticorũ qui ſermonem negligunt . Siquidem ruſticorum eſt, Gemmare uites, hoc eſt uelut oculos producere, unde racemus educatur. Sitire agros, aridos eſſe, pluuiamq; cupere . Letas ſegetes, uberes et fecundas . Luxurioſa frumenta, exuberantia, in herbiſq; paſcenda . Nihil horum parum audacter, ferendum tamen : quia res ſuum, id eſt, proprium nullum habet nomen : alienum ſumptum eſt, cauſa docendi, non ludendi atque delectandi. Ferendum quoque, quod eſt illi ſimile, unde transferas . Sunt ille metaphore propiores, ut haurire documenta de fonte ſcientiarũ. Omnis translatio ſimile quiddam refert, ſed alia diſſimilior, in oratione tenui minus ferenda : ut, uenoſus liber, & uerrucoſus, ſartago loquendi . Alia ſimilior, quo ornamento liberius paulo quàm ceteris utetur hic ſummiſſus, nec tam licenter tamen, quàm ſi genere dicendi uteretur ampliſſimo . Indecorum certe eſt, mulierem plebeie conditionis, etiam ditiorem, auro, argento, gemmis, & ornatu ampliſſimo colluſtrari. Eiuſmodi eſt genus orationis humile, quod ſi uerecundiam ſeruat, altius tranſlata repudiat : cuiuſmodi ſunt pro Rabirio : Quod tu ſi audiſſes, aut ſi per etatem ſcire potuiſſes, nũquam profecto iſtam imaginem, que domi poſita peſtem atque exilium Sexto Titio attuliſſet, in roſtra atque in concionem attuliſſes, neque tuas unquã rationes ad eos ſcopulos appuliſſes, ad quos Sexti Titij afflictam nauem, & in quibus C. Deciani naufragium fortunarum uideres . Adhibet etiam ſubtilis orator illam concinnitatem, que uerborum collocationem illuminat : id eſt, figuras inſerit uerborum collocatorum, ut mutationem generum, numerorum, partium, repetitionem, duplicationem, gradationem, aſyndeton, polyſyndeton, correctionem. Vocantur he concinnitates, & ornamenta, & lumina, & conformationes, à Gracis σχήματα, id eſt habitus & quaſi geſtus orationis, que ne ſit perſimilis, & eadem facie cõſtans, nouas ſubinde formas ac figuras induit. Adhibebit hec paulo parcius, ne uenuſtates & aucupium delectationis queſiſſe uideatur . nec enim in apparatu magnificus eſſe debet, nec contra ieiunus, et ſordidus, ſed is qui temperanter utatur eleganti parſimonia. Quem niſi quòd ſolum, ceteroquin recte quidam uocant Atticum . Parentheſis eſt in hunc ſenſum, oratorem tenuem quidem Atticum ſolum uocant . quòd Atticum, recte : quod ſolum, prauè . Nam ſunt Atticorum genera multa, ut antea probatũ eſt. Ceterũ, non ceteroquin, multi legẽdum putãt, ceteroquin ut improbã uocẽ repudiant. Tamen ceteroquin dicitur, & alioquin, & ex analogia eodem modo ſignificant, nec ulla cauſa eſt cur repudietur. NAM illa de quibus ante dixi, huic acuto fugienda ſunt.] Propoſita ſunt ea lumina, quibus hic tenuis illuſtret orationem. Sunt alia quibus non utetur, ſi uerecundus & parcus eſſe uolet . Id genus ſunt paria paribus relata, id eſt, ut ante diximus, menſura & quantitatis eiuſdem membra, que ſunt ſua ſponte numeroſa, ut illa Ciceronis in Catilinam : Quòd ſi in uino & alea comeſſationes ſolum & ſcorta quererent, eſſent illi quidem deſperandi, ſed tamen eſſent ferendi : hoc uero quis ferre poſſit, inertes homines fortiſſimis inſidiari ? ſtultiſſimos prudentiſſimis ? ebrioſos ſobrijs ? dormientes uigilantibus ? qui mihi accubantes in conuiuijs, complexi mulieres impudicas, uino languidi, confecti cibo, ſertis redimiti, unguentis obliti, debilitati ſtupris, eructant ſermonibus ſuis cedem bonorum, atque urbis incendia . Similiter concluſa, ſimiliter deſinentia, dicuntur ὁμοιοτέλευτα que à ſimi-

tis cadentibus hoc differũt, quòd ſimiliter concluſa finem tenent, non ſimiliter cadentia. Similiter concluſa ſunt hæc: Bellum in Africa maximum confecit, uictorem exercitum deportauit. Similiter cadentia: Philoſophia excitanda nobis eſt, ut ſi occupati profuimus aliquid ciuibus noſtris, proſimus etiam ſi poſſimus otioſi. Immutatione literæ quaſi quæſita uenuſtates: ut, Pupꝑéq; tuæ, pubeiq; tuorum. Non enim tam ſpes laudanda, quá res eſt. talia ſunt, honori oneri, orator arator, mos mors, emiſſus immiſſus. In his apparet elaborata concinnitas, & affectata elegantia, & aucupium curioſáq; inueſtigatio delectationis. Ab hac ſummiſſione, id eſt, humilitate orationis, alienæ ſunt uerborum iterationes, non omnes, ſed quæ contentionem aliquam uocis & laterum, & clamorem requirunt. Nihil' ne te nocturnũ præſidium Palatij? nihil' ne urbis uigiliæ? nihil timor populi? nihil concurſus bonorum omnium? nihil hic munitiſſimus habendi ſenatus locus? nihil horum ora uultuſq; mouerunt? Hæc acerba eſt iteratio uerborum. Vtatur continuatione uerborum, id eſt, periodo, ſi modo relaxet & diuidat, hoc eſt breuiorem ponat, euitat longiſſimam. Breuior eſt, ex duobus membris aut tribus: ut, illud autem miror, cur uos aliquid contra me ſentire dicatis, cum eum auctorem uos pro me appelletis, noſtrum nominetis. Vtatur uerbis quàm uſitatiſſimis: ut, Quid ergo? iſti homines latine non loquuntur? Immo uero tantum loquuntur, quantum eſt ſatis ad intelligendam uoluntatem. Vtatur tranſlationibus molliſſimis. duriores enim & aſperiores tenuitati nó conſentiunt. Molles ſunt metaphoræ, congregare uiros, omnia tela conijcere, id eſt, omnibus modis homini nocere: reſpiraſſet cupiditas, dare locũ, ſe colligere, in turpitudinem uenire, & ſexcenta id genus. Aſſumat etiam illa ſententiarum lumina, quæ nó erũt uehementer illuſtria, ut interrogationes, admirationes, permiſſiones, conciſam breuitatem, illuſionem, rogationem, ſuperlationem, interpretationem. Non faciet Rempu. loquentem: id maioris eſt contentionis: uſus eſt in deteſtanda coniuratione. Nunc te patria, quæ communis eſt omnium noſtrum parens, odit ac metuit, & iamdiu te nihil iudicat niſi de parricidio ſuo cogitare. huius tu neque auctoritatem uerebere? neque iudicium ſequere, neque uim pertimeſces? quæ tecum Catilina ſic agit, et quodammodo tacita loquitur: & quæ ſequuntur. Nec ab inferis mortuos excitabit. eſt hæc etiam proſopopœia grauior, qua utitur pro Cælio: Sed tamen ex ipſa quæram prius, utrum me ſecum ſeuere & grauiter & priſce agere malit, an remiſſe, leniter ac urbane? Sin illo auſtero more ac modo, aliquis mihi ab inferis excitandus eſt ex barbatis illis, non hac barbula qua iſte delectatur, ſed illa horrida, quam in ſtatuis antiquis & imaginibus uidemus: qui obiurget mulierem, & pro me loquatur, ne iſta forte mihi ſuccenſeat. Exiſtat igitur ex hac ipſa familia aliquis, ac potiſſimum cæcus ille, & cætera. Non aceruatim multa frequentans una complexione deuinciet, id eſt, non utetur exaggeratione rerum atque uerborum, cuius uſus eſt in amplificatione graui. Nunc iam aperte Rempub. uniuerſam petis, templa deorum immortalium, tecta urbis, uitam ciuium omnium, Italiam denique totam ad exitium & uaſtitatem uocas. Valentiorum hæc laterum ſunt, & acriore contentione dicenda, nec ab oratore tenui, quem informamus, aut expectanda, ut eius tenuitatis propria: aut poſtulanda, ut iure impetranda. Erit uoce & pronunciatione ſuppreſſior, quia uox orationi, oratio uoci debet accommodari. Quoniam oratio tenuis eſt, uox quoque careat inſigni cótentione, quæ grauiſſimis illis aptanda figuris eſt, Sed pleraque ex illis ſententiarum luminibus conuenient etiam huic tenuitati, ut quæ non erunt uehementer illuſtria, qualia paulo ante numerabamus. quanquam iiſdem ornamentis utetur horridius, quia ſic in apparatu à magnificentia recedit, ut eleganti tamen utatur parſimonia. ACCEDIT actio, non tragica, nec ſcenæ, ſed modica iactatione corporis.] In rebus & uerbis eſt oratio, quæ ſi dicitur, eget etiã actione, hoc eſt pronunciatione. Tertius eſt igitur locus præcipiendi, de tenuitatis actione. Actio oratoris ſummiſſi ne ſit tragica & grauis inſigni contentione uocis, uultu triſti, geſtúq; turbulento. Nam talis actio penè contentionibus adhibetur. Talis eſt tragœdorum in agendis fabulis: quo qui feruntur impetu, tragœdias excitare dicuntur. Ne ſit etiam actio ſcenæ, hoc eſt hiſtrionum, quorum clamoſa ſæpe & uultuoſa eſt actio. Sit modica & temperata iactatione, motuq; corporis: quoniã rebus in paruis membra uehementer agitare, propè furioſum eſt. Decet autem pronunciatio, quæ reſpondet orationi. Vultu, non iactatione membrorum multa conficiat, ut orationis intellectum iuuet. Non hoc uultu, quo dicuntur inepti & inuenuſti clamatores os ducere, hoc eſt labra, buccas, nares, oculos huc & illuc turpiter contorquere, ſed illo decenti uultu, quo ſignificant ingenue, honeſte et liberaliter, quo ſenſu quidq; pronuncient, acriter an ſuauiter, ſeuere an blande, animo irato an quieto, beneuolo an auerſo. Os Cicero accipit, omnem partem quam uulgus faciem dicit. Singulorum ferè uerborum ſuus quidam uultus eſt, rerum naturis aptè uenuſteq; conformandus. Huic generi orationis adſpergentur etiam ſales, quemadmodum ſal & condimenta cibarijs adſperguntur ad palati uoluptatem. Quippe oratoris eſt nó docere modo, ſed etiam mouere, atque delectare. Delectatio poſita eſt in ſalibus, ac ridiculis, quæ in dicendo mirum quantum ualeant. amabiles enim mores oratoris & acumen oſtendunt, tædium rerum grauium leuãt, affectus aduerſarij triſtes eludunt, controuerſias interim grauiſſimas riſu liberali diſſoluunt. Sales alij ſunt facetiarum, alij dicacitatis: qui quantum inter ſe diſtent, oſtendit 2. de Oratore: Cum duo genera ſint facetiarum, alterum æquabiliter in omni ſermone fuſum, alterum peracutum & breue: illa à ueteribus ſuperior, cauillatio: hæc altera, dicacitas nominata eſt. Hic ſales, illic facetias ut genus poſuit, confuſis nominibus. Hic autem facetias cauillationes uult accipi. Itaque facetia, ſiue cauillationes à ueteribus dictæ, perpetua eſt feſtiuitas in dicendo, qua feſtiue deſcribuntur hominũ mores, ut moueatur hilaritas ex ipſo genere ſermonis, uultu uoceq; adiuuante: cuiuſmodi narratio Ciceronis eſt in oratione pro Cluentio, de maiore Cepaſio: & pro eodem, hiſtoria de Bruto atque Craſſo. Dicacitas autem, feſtiuitas eſt breuis & acuta, ut Catuli, qui à Philippo interrogatus quid latraret? furẽ ſe uidere reſpódit. Superius ergo genus in narrãdo, aliquid uenuſte, poſterius in iaciẽdo mittendoq; ridiculo. i. eo dicto quod riſum ciere poſſit, à Græcis dicitur γέλοιον. Ridiculorum genera ſunt plura. Alia uerſantur in ambiguo, alia in paronomaſia, alia in metaphoris, alia in ironia, alia in contrarijs, ſimilibus, imaginibus, apologis, hiſtorijs. Sunt alia quoque genera, quæ exponit omnia de Oratore lib. 2. Hic ideo omittit, quòd aliud agit, quæ' nam ſit optima dicendi figura. ILLVD admonemus tamen, ridiculo ſic uſurum oratorem.] Temperare iocum, difficillimum eſt. Ennium dixiſſe ferunt, flammam à ſapiẽte facilius ore inardente opprimi, quàm bona dicta teneat. Quamobrem quæ ridicula uitet orator, ut illiberalia, non inutile eſt admonere. Nimium frequens ridiculum, ſcurrile eſt, ideoq; uitandum. Obſeruanda, inquit, temporis ratio, & ipſius dicacitatis moderatio, & temperantia, & raritas. Quod oratores cũ cauſam dicunt, non ut ridiculi uideantur, ſed ut proficiant aliquid: ſcurra totum diem, & ſine cauſa. Scurrile eſt quod Appius in Sextiũ conieciẗ: Cœnabo, inquit, apud te: uni enim locũ uideo. luſcus erat Sextius. Permulta ſunt ſcurrilia apud Plautum, quæ riſum quidem concitant, ſed illiberaliter, et agreſti more. Aliud eſt ridiculum ſubobſcœnum, quale mimi, qui ridicule mores imitantur hominum, ſine dignitate conijciunt: quod non reſpuunt etiam ſatyrici. Cato, ut eſt apud Horatiũ, cum iuuenem exeuntem fornice uidiſſet, hominem laudauit:

cum

cum Cupennius adulter, Nolim me, inquit, hoc modo laudari. De ridiculo mimico Cicero de Oratore : Quid enim poteſt eſſe tam ridiculū, quā Sannio eſt ? ſed ore, uultu, imitandis moribus, uoce, denique corpore ridetur ipſo. Salſum hunc poſſum dicere, atque ita, non ut eiuſmodi oratorem eſſe uelim, ſed ut mimum. Idem : Obſcœnitas non ſolum non foro digna, ſed uix cōuiuio liberorum. Aliud eſt petulans & improbum, quod acerbe laceſſit & inſultat, ut cum candidatus Aulus Sempronius cū Marco ſuo fratre Vargulam cōplexus eſſet, Puer, inquit, abige muſcas. Aliud eſt in calamitatem, quod inhumanum eſt. Aliud in facinus & improbitatem inſignem, quæ nō riſu, ſed odio perſequenda eſt. Propterea ſi ridetur, odij locū riſus occupat. De utroque genere Cicero : Nam nec inſignis improbitas, & ſcelere coniuncta, nec rurſus miſeria inſignis agitata ridetur. Facinoroſos enim maiore quadam ui, quàm ridiculi, uulnerari uolunt : miſeros illudi nolunt, niſi ſi ſe forte iactant. Quintilianus : Nec accuſatorem atroci in cauſa, nec patronum in miſerabili iocantem ferret quiſquam. Materies omnis ridiculorum eſt in illis uitijs, quæ belle agitata ridentur. Aliud eſt ab agentis perſona, aut iudicum, aut tempore alienū : ut cū dicit orator indigna ſe, aut quæ iudicem lædunt, aut quæ non obſeruant temporis opportunitatem. hæc referūtur ad indecorū. Ea quæ dicit uir bonus, omnia ſalua dignitate ac uerecundia decent. Vitabit etiā quæſita, & præparata, & ea quæ non ex tempore ſunt ficta, ſed domo allata, & plerūque frigida. Omnino (ut ait) probabiliora ſunt quæ laceſſiti dicimus, quā quæ priores. Nam & ingenij celeritas maior eſt, quæ apparet in reſpondendo, & humanitatis eſt reſponſio. Idē in eodē loco: Ante illud facete dictū emiſſum hærere debeat, quā cogitari potuiſſe uideatur. Parcet orator amicitijs, ne temere in eos dicat qui diliguntur : & ne ſubeat illud, Potius amicum quàm dictum perdidi. Parcet etiam dignitatibus, id eſt, uiris maieſtatis honorandæ, ne laceſſat quē lædere ſit periculoſum. Vitabit inſanabiles contumelias, quas inimicitiæ graues inſequūtur, & ſæpe turpis ſatisfactio. Tantummodo aduerſariū figat, & acuto dicto confodiet. Nec eos tamen ſemper, ne ſcurrile ſit : nec omnes, ne nulla ratio perſonæ habita eſſe uideatur : nec omni modo, ſed tantum liberali. His ridiculis ineptioribus exceptis, utetur orator ſale, id eſt ridiculo acuto & breui, & facetijs in omni ſermone fuſis. Hic arguit iterum cauſidicos illos inſolentiores, de quibus ante dictum eſt, qui quòd uterentur oratione perhumili, reiecto omni ſplendidiore cultu, ſoli uolebant Attici uideri : quaſi uero Lyſiam imitarentur, & eius uiri tenuem uenuſtatem, quæ ſicut eſt Attica, ita nō ſola dici poteſt Attica. nā quidquid eſt ſalſum & ſalubre, hoc eſt, commodum & utile in oratione, id propriū Atticorum eſt, è quibus Lyſias ſatis eſt facetus, & Hyperides, Demades præter cæteros fertur. nec enim ſcripta extant, unde id ſcire poſſis. Demadis alterius extat adhuc fragmentum. Demoſthenes minus habetur ab indoctis, cum ſit ipſe perurbanus, ſed non tam dicax in conijciendo breui ridiculo, quàm facetus in texenda lepida narratione, quod eſt ingenij maioris. malus enim perpetuos ſales inſpergere, quàm una & altera breui ſententia iocari, quanquā & hoc eſt acris ingenij. De his omnibus oratoribus Cicero in Bruto. VBERIVS eſt aliud, aliquantóq; robuſtius, quàm hoc humile, de quo dictum eſt.] Summiſſi oratoris imaginē delineauit, ex ordine medium genus deſcribit, hoc modo : Medium genus uberius eſt & robuſtius, quā humile : ſummiſſius, quàm ampliſſimum : plenius, quàm tenue : ſummiſſius, quàm graue. Vbertas eſt in ornamentorū copia, non in uerborū multitudine. Robur in grandiore filo orationis, & ampliore numero, non in ſeueritate dicēdi : quoniā hoc in genere facetur minimū eſſe neruorum, propterea quòd plus carnis habet ad decorem, plenumq; corpus, quàm roboris & neruorum ad uim animis inferendam. hinc plenum dicitur, ſicut gracile & tenue uocatur illud enucleatū quod dicis omnis, quaſi minuto corpore macilentum, Itaque uerba leget grandiora, aſſumet ornamenta pulcherrima figurarum, pedes collocabit ampliores, & longiores extendet periodos. Ex his ubertas, ſtylíq; robur, & plena modorum ratio, et erectior cum facies tum ſonus orationis, quàm illa generis imi ſummiſſio. Huic omnis dicendi ornamenta conueniunt, ut ſententiæ, amplificationes, egreſſiones, ſchemata, numeri pleniores, copia rerum atque uerborum. non tamen ideo ſummum putandum eſt. Vt enim ab illa forenſi contentione non differat ornamentorū copia, genere tamen & modo plurimū diſtat : quod multis expoſitum eſt, cum de Sophiſtarum ſimilitudine ageretur : & hic diſcrimen oſtendit, cum ſummiſſius quàm illud ampliſſimum dicit, & plurimum eſſe in hac orationis forma ſuauitatis. Nam graue genus, & quod ſummum dicitur, acre eſt, & uehementer intentum, & aſperitate quadam concitatum. quod paulo poſt aperte docebit. In media ſuauitate Demetrium præfert omnibus, quem fuiſſe omniū politiſſimū ſcribit de Oratore lib. 2. de eodem plura de Claris oratoribus : Phalereus, inquit, ſucceſſit eis ſenibus, adoleſcens eruditiſſimus ille quidem horum omnium, ſed non tam armis inſtitutus, quā palæſtra. Itaque delectabat magis Athenienſes, quàm inflammabat. Proceſſerat enim in ſolem & puluerem, non ut è militari tabernaculo, ſed ut è Theophraſti doctiſſimi hominis umbraculis. Hic primū inflexit orationem, & eam mollem teneramq; reddidit : et ſuauis (ſicut fuit) uideri maluit, quā grauis : ſed ſuauitate ea qua perfunderet animos, non qua perfringeret. Is cum multos annos rexiſſet Athenienſes, ſolum uertit, & Ptolemæi Soteris bibliothecæ præfectus eſt. Ab Attico portu Phalero dictus eſt Phalereus, quod nomen eſt trium ſyllabarum φαληρεύς. Frequenter utebatur metaphora, metonymia, catachreſi, allegoria, luminibus uerborum, locis cōmunibus, & oratione ſedata, placide, et quiete profluenti : quæ Cicero medij generis ornamenta cenſet. Verba transferuntur aut ſuauitatis gratia : ut, Quid enim odiſſet Clodium Milo, ſegetem ac materiam ſuæ gloriæ ? Aut inopiæ : ut, durus homo, fructus laborant. Ne mireris autem quòd nomine ſuauitatis hic metaphoram cenſet. Nam etſi metaphora multiplex eſt, multiſq; de cauſis inuenta, tamen genus illud quod habet plurimum ſuauitatis, tranſlatione ſuaui frequens utitur. Præterea ſi tranſlationem facimus citra neceſſitatem, hoc eo facimus, quòd tranſlatum ſit in eo ſignificando quod agitur, præſtantius, quàm proprium. Quod autem præſtat, id auribus & animo intelligentis ſuauius accidat neceſſe eſt. Id oſtendit tertio de Oratore : Similitudinis eſt ad uerbum unum contracta breuitas, quod uerbū in alieno loco tanquā in ſuo poſitum, ſi agnoſcitur, delectat : ſi ſimile nihil habet, repudiatur. Immutata uerba ſunt, in quibus pro uerbo proprio ſubijcitur aliud quod idem ſignificet, ſumptum ex re aliqua conſequenti : ut ſi pro patria arcem dixeris, & pro Afris Africam, intelliguntur duæ figuræ, συνεκδοχὴ, καὶ ὑπαλλαγὴ quæ eſt uerborū ſummutatio, & μετωνυμία, id eſt, nominis pro nomine poſitio, et nominū quædam tranſlatio. de qua re idem de Oratore lib. 3. Ne illa quidem traductio atque immutatio in uerbo quandam fabricationem habet, ſed in oratione Africa terribili tremit horrida terra tumultu, pro Afris eſt ſumpta Africa. Neque factum uerbum, ut, mare ſaxifragis undis. Neque tranſlatum, ut, mollitur mare : ſed ornandi cauſa propriū proprio cōmutatū. Hactenus Cicero. Percurre totū locū : ut quæ faciant huc, inde referre poſſis. Sic differūt hæ cōformationes. In metaphora ſimilitudo eſt breuiter contracta, ut, Vrbs orba eſt. Hypallage ſiue metonymia eſt, cum pro inuentore inuentum, pro cōtinente contentū, pro efficiente effectum, pro poſſeſſo poſſeſſorem, aut contra capimus. Synecdoche dicitur, cum à parte totum intelligitur, uel numerus à numero : ut, ab uno plures. Notiora ſunt hæc, quàm quæ pluribus uerbis exponi debeant. De catachreſi, id eſt, abuſione,

idem Cicero de Oratore: Abutimur ſæpe etiam uerbo non tam eleganter, quàm in transferendo: ſed etiamſi licentius, tamen interdum non impudenter, ut, cum grandem orationem pro magna, minutum animum pro paruo dicimus. Quintilianus: Eo magis neceſſaria κατάχρησις, quam rectè dicimus abuſionẽ, quæ non habentibus nomen ſuum, accommodat quod in proximo eſt, ſic: Equum diuina Palladis arte Aedificant. Hæc Fabius. Cicero tamen ſignificat catachreſim fieri poſſe, ubi non deficit nomen. & Quintilianus fatetur, his uerbis: Nam poetæ ſolent abuſiue etiam in his rebus, quibus nomina ſua ſunt, uicinis potius uti, quod rarũ in proſa eſt. ἀλληγορία alia eſt oratio, cũ fluxerunt continuæ plures translationes. Fabius interpretatur inuerſionem, quæ aliud uerbis, aliud ſenſu oſtendit: ut hoc, Miror, queror'q; quenquam hominum ita peſſundare alterũ uerbis uelle, ut etiam nauim ipſe perforet, in qua ipſe nauiget. Iſta omnia, metonymiam, ſynecdochen, catachreſim, allegoriam uno genere complectitur Ariſtoteles, et metaphoras uocat Rhetoricorũ tertio: ubi trãslationẽ ſpecie ſexponit adeo fuſe, ut eius uerba citare moleſtum ſit. Satis eſt adſcribere definitionẽ ex eius libro περὶ ποιητικῆς. μεταφορὰ δ' ἐστὶν ὀνόματος ἀλλοτρίου ἐπιφορὰ, ἢ ἀπὸ γένους ἐπὶ εἶδος, ἢ ἀπὸ εἴδους ἐπὶ γένος, ἢ ἀπὸ εἴδους ἐπὶ εἶδος, ἢ κατὰ τὸ ἀνάλογον. Translatio eſt alieni nominis inductio, quæ fit aut à genere in ſpeciem, aut à ſpecie in genus, aut à ſpecie in ſpeciem, aut à ſimilitudine rationis eiuſdem. Hæc frequentat Phalereus maxime, ſuntq; dulciſſima.] Phalereus Demetrius, qui in media ſuauitate uerſatur, frequenter metaphoris utitur, id eſt, translatis uerbis, epithetis, imaginibus, allegorijs, abuſionibus. Vtitur etiam crebro immutationibus, quæ ſunt ſynecdoche & hypallage, quam metonymiam grammatici uocant. Vnde conſtat his quaſi ſtellis illuſtrari modicum genus, quod eſt moderatione quadam temperatum. In idem genus orationis, uerborum cadunt lumina omnia, conduplicatio, iteratio uerborum, commutatio, ſimiliter cadentia, ſimiliter deſinentia, paria relata, gradatio, diſſoluta, coniuncta, & id genus cætera. Multa etiam cadunt lumina ſententiarũ, ut commoratio, interrogatio, deſcriptio. Nonnulla ſunt quæ perraro collocantur, ut acriora, quibus ardet illud ſupremum genus: qualis eſt proſopopœia, urgens interrogatio, apoſiopeſis, execratio. Quòd ſi paulo ante dixit, huic generi omnia dicendi ornamenta conuenire, nũc autem dicit multa cadere, non omnia, ne contraria præcipere putato. Ornamentorum genera conueniunt omnia, quod iterum paulo poſt affirmat. Eſt, inquit, quoddam etiam inſigne & florens orationis pictum & expolitum genus, in quo omnes uerborum, omnes ſententiarum illigantur lepores. Verum eſt tamen, haud conuenire ſpecies omnes, præſertim cum ſuauitati ſtudetur, ut à Phalereo Demetrio. Quod ad inuentionem pertinet, latæ eruditæq; diſputationes de re propoſita ab eodem Demetrio explicantur. Latitudo demonſtrat oratoris copiam, eruditio oſtendit artem. Loci communes, hoc eſt θέσεις, ac infinitæ quæſtiones, ſine contentione ab eo dicuntur: quæ ſi cum graui contentione, id eſt, acerbitate & ardore multo dicerentur, euaderent in illud ardens & acre genus. Recipit ergo medium genus latas & eruditas diſputationes, ac locos communes, ſed ſine contentione & orationis, & pronunciationis. È philoſophorum ſcholis tales euadunt, qualis ille Demetrius, ſedati, quieti, diſerti, ſuaues, copioſi, omnibus propè ornamentis illuſtres ac decori. Illi per ſe ſuoq; genere probantur ut ſummi, niſi quando comparatur, hoc eſt, contra mittitur, ille fortior, qui dicitur eloquentiſſimus. Alterum genus eſt non tam medium, quàm ab ordine ſummo deuolutum, quale compoſuit Iſocrates, cæteriq; quondam uocati ſophiſtæ: aut quòd philoſophia abutebantur ad quæſtum, ut eſt in ſophiſta Platonis: aut quòd id nominis etiam cum honore ferebatur, aut quòd eorum plerique plus oſtentationis quàm ueræ ſcientiæ haberent. Hoc genus floret inſigni elegantia, pictum eſt colorum & figurarum uarietate, expolitũ eſt pulcherrimo quoque cultu & ornamento. In eo omnes uerborum, omnes ſententiarum illigantur lepores, hoc eſt dicendi uenuſtates. Sed quod ante dictum eſt, neque neruos, neque aculeos oratorios ac forenſes habet, ideoq; ſummiſſius habitum eſt, quàm illud graue dicendi genus, quia animos demulcere potius quàm perturbare contendit. Hoc in forum detulerunt Iſocratis aliquot diſcipuli, & ſectatores philoſophorum non pauci, plerique etiam Romani moribus & ſermone elegantes. Hac dicendi figura Cicero frequenter exprimit hominum rerumq; laudes, & conſilia tranquilla, & actiones gratiarum, & philoſophiæ partes. Non eſt hæc forma dicendi ſubtilis, non grauis & ardens, ergo media: ſed grauitati propior quàm ſubtilitati.

TERTIVS eſt ille amplus, copioſus, grauis, ornatus, in quo profecto uis maxima eſt.] Tertio generi ſupremoq; dignitas cõuenit & amplitudo, copia rerũ atque uerborũ, grauitas ſententiarũ, ornatus & elocutio magnifica: ex quibus tertius ille orator amplus, copioſus, grauis, ornatus uidebitur. Ex his quatuor rebus duæ pariunt admirationem, copia & ornatus. Copia quantitatis eſt, ornatus qualitatis. Duæ reliquæ magnæ quidẽ ſunt, ſed minus admirabiles, amplitudo & grauitas. Altera eſt dignitatis, altera uero ponderis. Amplitudo legit digniora grandioraq;: grauitas robuſtiora ac uehemẽtiora. Cæterũ non modo oratorũ, ſed etiam philoſophorũ amplitudo eſt et grauitas: ideoq; minus in admiratione ſunt. Admirantur ardentem hanc eloquentiã gentes, & eò ſuſpiciũt omnes, quòd eã aſſequi poſſe diffidunt: ut quæ magno curſu tanquã rapidum flumen, magno ſonitu quaſi torrens in prærupto feratur. Quòd autẽ gentes hanc eloquentiam ſuſpiciunt, eo in ciuitatibus plurimũ ualere patiuntur. Plurimum ſanè ualuit Athenis & Romæ, plurimũ Rhodi, & in ciuitatibus Aſianis. Hinc ſcribit, C. Carbone in concione uerba faciente, quòd illius aptè numeroſeq; ferebatur oratio, tantum clamorem cõcionis excitatũ eſſe, ut admirabile eſſet. Huius eloquentiæ eſt tractare animos, & omni modo permouere. Hæc perfringit difficiliores aditus, & more fulminis omnia perrumpit, ut illa Periclis. Eadem leniter irrepit in ſenſus eorũ qui utilius callide falluntur, quã aſpere concitantur. Inſerit nouas opiniones: euellit inſitas, ut de cenſoribus pro Cluentio, de Stoicorum placitis pro Murena. SED multum intereſt inter hoc dicendi genus & ſuperiora.] Formas ſingulorum generum, ut per ſe ſolæ uiderentur, effinxit: deinde ordine comparauit inter ſe, ut earum præſtantiſſima dignoſceretur. Subtile genus & intermedium tutiora ſunt: graue in lubrico uerſatur. Illa diu patienter tolerare poſſumus: hoc ſi pergit in longum, ut inſanus contemnimus. Subtilis in hoc magnus eſt orator, quòd callide argutéq; dicit, id eſt ex uſu quodam argutas ſententias & acutas collocat. Non eſt idem maximus, quia nihil quidquã altius cogitat, quod tenuitati ſit impar. Is minime in lubrico uerſatur, ſed ubi ſemel conſtiteris: hoc eſt, quaſi pedem firmaris, nunquam cadet. Via trita eſt, multiſq; conculcata & firmata ueſtigijs, nulla circunſtant præcipitia, nullæ ruinæ. Significatur oratio depreſſa, et in imo poſita, unde non licet graui caſu quaſi ex alto gradu corruere. Nihil enim eminet, ſed omnia ſermoni proxima ſunt, quæ non quemadmodum lubrica retinere facile eſt, & ſi quando titubes, eſt in proximo ſolum, quo gradum ſtabilias. In figura graui res arduæ ſunt, quas ſi continuare nõ poſſis, aut non debeas, uident omnes unde turpiter decidas. Hinc ridiculi fuere mali poetæ, qui poſitis aliquot uerſibus tumidis ac ſonantibus, in miſeros quoſdam uerſiculos maieſtate relicta decidebant: in quos illud eſt: Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu? Hoc inepti faciunt in oratione. Principio uerba affectata ac ſeſquipedalia ferruminant: ubi defecit illa perrara materia, tum ad ſcopas diſſolutas reuoluuntur. Tutius igitur, uti ſubtili figura, ſi gradum ſummum firmare nequeas, aut ſi parauis in

nis in rebus non debeas. Medius ille & temperatus ſi ſatis inſtruxerit, & rebus omnibus apparauerit ſuum illud genus, ut cũ uolet & aptare & continuare poſſit, non extimeſcet ancipites caſus, quæ ſunt ruinæ periculoſa neſcientibus illa ſumma retinere. Quòd autem ſit altior paulo quã ſubtilis, grauius aliquanto cadit. Tamen ſi minus ſuccedit, ut ſæpe accidit in orando aduerſam obſtare fortunam, magnum periculum non adibit, quia alte cadere non poteſt, qui in alto non eſt. Si ſe demiſerit, imo genere ſuſtinebitur, neque maxime claudicabit. At uero hic noſter, hoc eſt, quẽ principem ponimus, ut quem ſuſpiciũt et admirãtur omnes, quia ſit grauis pondere rerum atque uerborum, acer contentione & pugna forenſi, ardens amplificationibus, ſi ad hoc unum eſt natus, quod eſt naturæ acrioris: aut in hoc ſolo ſe exercuit, quod eſt artis ac uſus: aut huic generi ſtudet uni, quod eſt uoluntatis atque delectus, maxime eſt contemnendus. Debet igitur ſuam copiam cum illis duobus generibus temperare, ut ſubtilia & minuta acute dicat, et media temperate. Quòd quia Virgilius etiam fecit, multo fuit auribus gratior quã Lucanus, qui grauiſſimã carminis heroici maieſtatem ubique reſonare cupiebat. Ille ſummiſſus, quòd acute & ueteratorie, id eſt, callide dicit, ſapiens habetur. Acutus ſententijs tanquam ſtimulis animum pungit, præſertim ſi uſu occaluit, ueteratorq́; ſit, et arguti dialectici perſimilis, argumentatione minuta ducit audientem. Propterea ſapere uidetur. Medius ille ſuauis eſt æquabili tranquillitate, ac ornamentorũ uarietate. Hic tam copioſus & acer, ſi nuſquã flectitur ab amplificandi cõtentione, uix ſatis ſanus uidetur. Ergo uerſatur in lubrico, et ignominiæ periculũ ſubit, ſiue cadit, cũ in ſummo ſtare oportet: ſiue in ſummo tonat, cũ agere tranquille decet. Dicet quiſpiam, quando tranquille agere decet? Hic oſtendit, id oportere fieri in partitionibus ac diuiſionibus, in definiendis rebus & uerbis, in diſtinguendis rebus implicatis, in facetis narrationibus, in iaciendo ridiculo. Nihil iſtorũ ardenter & concitate fieri debet, quòd animus nõ perturbatur, ſed docetur. Ergo qui partite, definite, diſtincte, facete dicit, is & tranquille & leniter dicit. Erunt autem cauſæ partim totæ eo modo tractandæ, ut de agnatione, tutela, ſtipulatione: partim aliqua ex parte cum tranquillitate tractanda: aut ubi fama & exiſtimatio laborat, ut pro Quintio: aut ubi uita in periculo eſt, ut pro Celio. Adde quòd raro incipimus ex abrupto, & ab amplificatione uehementi, ſed exordijs & expoſitionibus ante paramus aures, quàm rem contentionibus inflammemus. Aliquid igitur in cauſa grauiſſima quiete tranquilleq́; dicendum eſt; quod qui non fecerit, is furere apud ſanos, id eſt, nullo motu concitatos, et quaſi inter ſobrios, qui cauſæ uim non attigerũt, bacchari temulentus uidebitur. TENEMVS igitur Brute, quem quærimus.] Quærit Brutus, idq́; iam ſæpius, quod eloquentiæ genus Cicero probet maxime, & quod idem ſummum & perfectiſſimum iudicet. quoniam Cicero in uno uiro illud inuenire non poteſt, eloquentiæ perfectæ ſpeciem ad illam Platonis ideam refert. Vt autem cogitatione concipiamus ideam, tria breuiter circumſcribit genera dicendi: deinde latius in ſpecies diſtribuit, ut formæ permultæ laudabiles eſſe uideantur: tandem fuſius exponit generum ſingulorum proprietates: ut hoc demum conficiat, eum ſummum & perfectiſſimũ uideri, qui & humilia ſubtiliter, & magna grauiter, et mediocria temperate poteſt dicere. Tenemus, inquit, quem quærimus oratorem, non manu, quia nemo tãtus inuenitur: ſed animo, qui ideam mente complectitur: ut nõ ſine cauſa idea perfectæ eloquentiæ quæſita eſſe uideatur. Iocatur, ut animi cauſa fieri ſolet. Manu, inquit, ſi prehendiſſem, non modo ille uulgaris orator, ſed ut ipſe quidem ſua tanta eloquentia mihi perſuaſiſſet, ut ſe demitterem. quo dicto ſignificat, ardere ſe amore eloquentiæ perfectæ: quæ ſi uideri poſſet, miros amores ſui, in animis noſtris excitaret. Hanc qui tenet, eſt ille eloquens quem nunquam uidit Antonius: qui diſertos ait ſe uidiſſe permultos, eloquẽtem uero neminem. Quis eſt igitur is? dicet aliquis. Complectar breui, inquit, differam pluribus. Facile eſt rem paucis generibus adſtringere, ſed paucis explicare difficile eſt. Comprehendit oratorẽ perfectum tribus omnino proprietatibus, qui humilia ſubtiliter, magna grauiter, mediocria temperate dicat. Nemo is, inquit, unquã fuit. Nec fuerit, inquit Cicero: hoc eſt, fateamur talem nunquã fuiſſe: ego quid deſiderem, nõ quid uiderim, diſputo. Deſiderat autem rei formã & ſpeciem, quã Plato uocat ἰδέαν, de qua principio diximus. Idea, ut Plato uult, immortalis eſt. eloquens autẽ, mortalis & caducus. Qui quærit igitur eloquentiã ipſam, aut eloquentiæ ipſius ideam, non quærit eloquentẽ, neque quidquã mortale et caducũ, ſed immortale quoddam bonum, quod nullis niſi mentis oculis uidere poſſumus. Mens hoc uidet, cui nihil deſit, id eſſe perfectum, omnẽ eloquentiã tribus in generibus uerſari: eloquentem igitur, qui poſſit parua ſummiſſe, modica temperate, magna grauiter dicere: quæ breuiter notata, res propè innumerabiles cõtinent. TOTA mihi cauſa pro Cecinna de uerbis interdicti fuit.] Aliæ cauſæ totæ ſubtiliter tractantur, aliæ temperate, aliæ grauiter, aliæ miſtæ ſunt & inæquales. Tres itaque ſuas proponit orationes, quæ ferè totæ in uno aliquo genere uerſantur: tres alias miſtas, omniq́; genere uariatas. Suas autem proponere uidetur, quòd extitet exempla Græcorum, nullumq́; unum Romanum reperiat, qui ſit aſſecutus illam tripartitam uarietatem: quoniam ſinguli ſingulis generibus modo floruerunt. Cauſa pro Cecinna ſummiſſa eſt ac tenuis, quia ſic uoluit rerũ decorum. Verba definiuntur, inuoluta explicantur, ambigua diſtinguuntur. decebat igitur definite, partite, diſtincte dicere: hoc eſt, tranquille et leniter, quòd animi docendi ſunt, nõ perturbandi: quodq́; ea res eſt, quæ non deſideret illa pulcherrima ornamenta dicendi, uſus eſt minuto quodam numero ac muſica ſummiſſa: non ſtuduit uerba uerbis quaſi coagmentare: nõ anxie euitauit hiatum uocalium. Sermo purus eſt & Latinus, & inornato ſimilis: dilucide planeq́; dicitur, ſententiæ multæ acutæ. cæterũ uerecundus eſt oratoriæ uſus quaſi ſuppellectilis. in his rebus eſt ſubtilitas, quæ uulgatã loquendi cõſuetudinẽ ſic imitatur, ut aliquid tamẽ muniat occultius. Cecinna & Ebutius cum de fundo quodam lite contenderent, & Cecinna in rem præſentem de more uenire cuperet, nõ eſt paſſus eum Ebutius in agrum uenire, ſed hominem armata multitudine reiecit. P. Dolabella prætor interdixit, ut eſt cõſuetudo de ui hominibus armatis ſine ulla exceptione, ut unde Cecinnã deieciſſet Ebutius, reſtitueret. Hoc Dolabella interdictũ eſt ex alio iſto: Vnde tu, aut familia, aut procurator tuus hominibus coactis armatis ue deieceris, eò reſtituito. Vtriuſq́; interdicti uerba Cicero interpretatur. Eſt autẽ interdictum, quo prætor aliquid fieri iubet, aut prohibet. Verba ambigua ſunt Ebutij, ita cauſam tuentis: nõ deieci, ſed obſtiti: non deieci, ſed nõ ſiui accedere: nõ deieci, ſed te reieci atque perterrui: nõ licet à uerbo legis recedere: non eſt ulla uis illata: age mecũ lege iniuriarũ. Quæ uerba Cicero diſtinguit, quemadmodũ definit quid ſit uis, quoniam interdictum de ui interpoſitum eſt. Iſta quidem minuta ſunt & implicata, eam ob rem enucleato faciliq́; genere tractanda. In oratione pro lege Manilia Pompeius ornatur, ut ſi bellum ſuſcipiatur in Mithridatem, qui ciues Romanos in Aſia necauerit, adminiſtret illud Pompeius imperator. Laus ampliſſimi uiri neque forenſi acerbitate, neque humili oratione, ſed temperata mediaq́; grauitate tractanda eſt. Conueniebat igitur apta modulatione ſuauibuſq́; numeris explere ſententias, uerba uerbis coagmentare, & ad lenitatem modorum ſæpe continuare periodos, uti denique pulcherrimis quibuſque conformationibus & ornamentis, quibus illæ ſententiæ concinnæ magis quàm uera certaq́; ueſtirentur. Pars igitur altera de laude Pompeij tibi legenda eſt, & auribus animoq́; demetienda, ut intelligas aliquid eſſe plenius & maius quàm tenue dicendi genus,

exemptum numerorum uinculis: ut etiam ſentias abeſſe cōtentionem, acrioribus numeris ac figuris intortam, quibus fulminat acre dicendi genus. Oratio pro Rabirio perduellionis reo, omne genus amplificationis, hoc eſt grauiſſimæ contentionis, expoſtulare uidebatur, propterea quòd cum Saturninus decreto ſenatus à Caio Mario conſule cæſus eſſet, & unà cum alijs Rabirius ſæuiſſet, caputq; Saturnini circumtuliſſet, Labienus, cui patruus fuerat Saturninus, contra legem Porciam et Semproniam ſic intendebat actionem, ut ſi Rabirius damnatus eſſet à Duumuiris, in campo Martio infelici arbore penderet. In qua Rabirij cauſa ius omne retinendæ maieſtatis populi Romani continebatur, quòd Caius Gracchus tulerat legem, ne de capite ciuis Romani iniuſſu populi iudicaretur: qui turpe duceret ciuem Romanum ab uno paucis'ue morte damnari. Ergo Cicero ne tā grauis accuſatio inoleſceret, ſimul ut Labieno crearet inuidiam, uehementer & atrociter egit hanc cauſam: quæ quòd in manibus eſt, & ab omnibus cognoſci poteſt, et quàm grauis, acris, & ardens ſit, facile iudicari, non abutar opera in conſtituendis longioribus exemplis. At hæc interdum genera pro rerum uarietate temperanda: hoc eſt, miſcenda uariandaq; ſunt. quod ipſe fecit in accuſationis ſeptem libris, hoc eſt, ſeptem actionibus in Verrem: quod in oratione pro Aulo Cluentio Habito: quod in orationibus pro Cornelio. Hunc reum maieſtatis defendit Cicero prætor, nec una oratione. Nam infra mentionem facit de Corneliana ſecunda. ſed non extant orationes. Libros appellat, ut Quintilianus 3. Et editi, inquit, in competitores, in L. Piſonem, & Clodium, & Curionem libri, uituperationem continent. Longum eſt & inutile exempla ſecernere, & adſcribere. Sat eſt igitur notare locos. Tenue genus eſt actione tertia ferè tota, ubi agit de prætura urbana, & Verris edictis. Medium actione quarta, ubi commemorat Heraclij Syracuſani calamitatem. Graue autē in eadem actione, ubi Verrem urget de accepta à Sopatro pecunia. Pro Cluentio ſubtile eſt, quod Bulbus & Gutta iudices colloquuntur. Temperatum, quo iudices exornat eos qui non abſoluerunt Oppianicum. Ardens, quod excitat poſt cenſoriam notam, ubi acriter exaggerat Oppianici flagitia. Eadem genera uariat in alijs defenſionibus, pro Celio, pro Sextio, pro Milone. Et certe natura ducit nos, ut plus minuſq; conemur, ut ſunt res aut maiores, aut minores. Quæ deceant, ſentimus omnes, ſed conātibus haud æque ſuccedunt. Itaque ſummū eſt, ſtylum rebus aptare poſſe. Monendi ſunt imperitiores, ne locorum diſcrimen ab una altera'ue ſententia diſcant. Tota legenda ſunt non modo pagina, ſed argumentationes abſolutæ. Nec enim ab uno quadrato lapide & aurata columna magnificam domum iudicamus, ſed ab uniuerſa extructione, ac toto ædificij corpore æſtimare debemus. NVLLA eſt enim ullo in genere laus oratoris, cuius in noſtris orationibus non ſit aliqua, ſi non perfectio, at conatus tamen, atque adumbratio.] Poſitis cuiuſque generis exemplis, quid ſentiat ipſe de ſuis & alienis, interpretatur. Laus oratoris eſt in aptanda generum uarietate. Hanc qui perficit, habendus eſt ſummus. Qui uero conatur modo & adumbrat, ut pictor bonus quidem, ſed qui tamen extremam imponere manū neſciat, is eſt ſi nō optimus, tamen in ſuo genere laudandus, qualem Cicero decori ſeruandi aptéq; dicendi gratia ſe fatetur. Ineptus eſſet & ſtultus, ſi quod diuinum ſummumq; putat in nullo uno reperiri poſſe, id ſibi glorioſe arrogaret: quod facere uiſus eſſet, niſi ſuſpicionem præmunitione auertiſſet. Non aſſequimur, inquit. hoc eſt, id quod attingere lubet, haud apprehendimus: at quid deceat, uidemus. nempe decet characteres accōmodare rebus atque perſonis. Nec enim de nobis, qui ſumus homines, ſed de re, hoc eſt, de eloquentia diuina & immortali dicimus. nec noſtra miramur, ut qui φιλαυτίᾳ ducūtur, ſed difficiles & moroſi ſumus, hoc eſt, tā moleſte ſeueri, ut nihil improbū, nihil ineptum, nihil ulla ex parte uitioſum, nihil imperfectū attīdere poſſit. Nobis Demoſthenes ſatisfacere debeat, qui unus eminet inter omnes in omni genere dicendi: ſed nobis non ſatisfacit, quanto minus egomet ipſe mihi? Cur ita? quia non ſemper implet aures meas. Quamobrem? Sunt auidæ & capaces; hoc eſt, plurima capiendi percupidæ. Sic enim uerbalia iſta ſignificant, rapax, uorax, loquax. Quomodo cupidæ? ſemper aliquid immenſum infinitumq; deſiderant. Quid nam? Numerum ſonē, cuius comprehenſione ad implendum aurium ſenſum cum ſuauitate procurrit oratio. Aliud'ne eſt quod deſiderant? Maxime: ne quod tractare cœperis, ante relinquas, aliòq; diuertas, quàm totum impleueris locum, in amplificationibus præſertim, quæ copiam deſiderant. Sentiunt ij qui dicere conantur amplius, aut ſcribere, animum neſcio quid parturire, quod tamē edere non poſſit. Inde fit ut olia quærentes, nec inuenientes, impetu quodam ad antedicta reuoluamur. Is animus cupit quocunque modo cauſa poſtulat, dicere, ſed hoc perraro aſſequitur, quod aſſecutus eſt ferè Demoſthenes. Sic enim Cicero nō omnia, ſed multa perfeciſſe contendit. Eius rei Brutum conſtituit iudicem, qui cum eſſet Athenis, non Demoſthenem ipſum cognouit, aliquot ante ſeculis mortuum, ſed libros eius diligentiſſime cognouit. Erat enim Brutus homo ſtudioſiſſimus philoſophiæ et eloquentiæ, adhibuitq; ſibi uirum perdoctum Pammenem Demoſthenis illius ſtudioſiſſimum, quo in ſtudijs Græcis uteretur. Idem cum reuerſus eſſet in Italiam, Demoſthenis orationes atque Ciceronis frequenter habebat in manibus. Poterat igitur Brutus homo ingenioſus, doctus, diligens, de utriuſque oratoris uirtutibus iudicare. Vides, inquit, illum multa perficere, quod eſt magnæ facultatis: nos multa conari, quod eſt egregiæ uoluntatis: illum poſſe, nos uelle quocunque modo cauſa poſtulat, dicere: quod eſt optime dicere. Si omnibus in rebus ſuccederet, ſummi eſſet artificis: ſed in multis, non in omnibus Demoſthenem hoc potuiſſe, ſuperiora declarāt. An Cicero Demoſtheni cedat quadam modeſtiæ ſimulatione, an re uera inferiorem ſe putet, non eſt facile iudicare. Certe Tuſculana prima non multum, aut nihil omnino Græcorum gloriæ cedit. Oratorem, inquit, celeriter amplexi ſumus, nec eum primo eruditum, aptum tamen ad dicendum: poſt autem eruditum. nam Galbam, Aphricanū, Lælium, doctos fuiſſe memoriæ traditū eſt: ſtudioſum autem eū qui hos ætate anteibat, Catonem: Gracchos deinde ita magnos noſtram ad ætatem, ut non multum, aut nihil omnino Græcis cederetur. Quintilianus in eandem ſententiam: Oratores uero uel præcipue Latinam eloquentiā parem facere Græcæ poſſunt. Nam Ciceronem cuicunque eorum fortiter oppoſuerim. Deinde ſic comparat, ut Cicero par aut maior illius ſententia diſcedat. Percurre, ſi uidetur, locum in eius decimo libro. Quòd ſi Demoſthenes arte ſuperior fuit, id non ingenio & labori uult attribui, ſed tempori, quia ſucceſſit ipſe magnis, ut Pericli, Lyſiæ, Terameni: & maximos oratores habuit æquales: hoc eſt, ætate pares, ut Hyperidem, Lycurgum, Aeſchinem, Dynorchum. Superiores habuit quos imitaretur, æquales à quibus exerceretur. Eodem loci contendit Cicero, ut qualis ille fuit, ſic magnus eſſet: & eò quidem peruenit. quod quia non audet confiteri, modeſtius agit, hoc modo: Nos magnū feciſſemus, ſi quidem potuiſſemus quò contendimus peruenire. quibus uerbis ſignificat ſe magnū in eloquētia feciſſe, nec id gloria carere. Nam quo res difficilior, eo uidetur ad gloriam uictoris eſſe præſtantior. Succeſſit & Cicero multis, de quibus in Bruto multa: ſed ita clari fuerūt oratores, ut unum modo ſequerentur genus, ut Cotta tenue, Sulpitius graue, Hortenſius medium. Craſſus ille, quē maxime laudat, ad granditatem, Antonius ad ſubtilitatem propenſior. Vterque uarius, quantum ferebat ætas illa rudior: qui ſi principes ueterum fuerunt, nec tamen aptè genera uariare potuerunt, iure ſuo dicit aures ſe ciuitatis accepiſſe ieiunas, inopes, & inanes

huius

huius multiplicis orationis, quæ ſe æquabiliter in omnia genera fundit: hoc eſt, æquabiliter apta eſt ad concinnandum quodcunque genus diuerſa materia poſtulabit. Primus igitur aures ciuium conuertit ad incredibilia ſtudia generis huius audiendi: & ita uoluptate ciuitatē affecit, ut dictu ſit incredibile quantopere ſtuderent uelleneq; ciues audire hoc dicendi genus.

QVANTIS illa clamoribus adoleſcentuli diximus de ſupplicio parricidarum?] Subdit exempla, quibus incredibilia audiendi ſtudia, et auditorū clamores excitauit. Alterū eſt ex oratione pro Sexto Roſcio, alterum pro Cluentio. utrunque graue quidem, ideoq; magna contentione, magniſq; clamoribus agendum fuit: quia ſic eſt actio & pronunciatio, ut grauia contente efferat atque uehementer. Sunt alia apud ipſum permulta, pro Cluentio, in Catilinā, pro Murena, quæ multis cū dicerētur, admirationi fuerunt, & nunc dicendi uarietatem oſtendunt. Orationem pro Sexto Roſcio dixit anno ſexto & uigeſimo, ſi Quintiliano credimus. Verba ſunt eius libro 12. Fructum ſtudiorū uiridem, & adhuc dulcem promi decet, dum et ueniæ ſpes eſt, & paratus fauor, & audere non dedecet: & ſi quid deſit operi, ſupplet ætas: et ſi qua dicta ſunt iuueniliter, pro indole accipiūtur: ut totus ille Ciceronis pro Sexto Roſcio locus. Quid enim tam cōmune quā ſpiritus uiuis? terra mortuis? mare fluctuantibus? littus electis? Quæ cū ſex et uiginti annos natus, ſummis audientiū clamoribus dixerit, deferbuiſſe tēpore, et annis liquata, iam ſenior idem fatetur. hæc ille. De ætate Ciceronis ſentit idem Feneſtella. Gellius affirmat annos iam ſeptem & uiginti natum eam orationem dixiſſe, L. Sylla Felice, Q. Metello Pio conſulibus. Ipſe ſe adoleſcentulum tum fuiſſe dicit. Amplificat autem ſuppliciū parricidarum, qui inſuti in culeum, præcipitabantur in mare. E' ſupplicio planū facere uult, quàm atrox facinus habeatur, interficere parentem, quo minus credibile ſit tantum ſcelus admiſiſſe Roſcium. Spiritus, id eſt aer, uiuis ad ſpirandum, terra mortuis ad ſepeliendum, mare fluctuantibus ad deferendum, littus electis ad recipiendum commune eſt. Inſuti in culeum, ducere animam, id eſt, aerem non queunt. eorū oſſa terrā non tangunt, quoniā culeus eſt interpoſitus: quo etiā reſiſtente nō alluuntur, nec ad ſcopulos cōquieſcunt. Hæc ſunt adoleſcētis, aut, ut paulo ante dicebat, ut res admirabilior uideretur, adoleſcentuli, non re & eloquentia uera, ſed ſpe: non maturitate fructus, ſed expectatione laudari. Nam illa tanto plauſu & clamore laudata, nequaquā ſatis deferbuiſſe: hoc eſt, more muſti deferuendo atque refrigerando cocta fuiſſe, poſt aliquāto ſentire cœpit. Deferbuiſſe Quintilianus poſuit pro refrixiſſe, quod & Columella fecit. Paulo aliter hoc uerbi Cicero uſurpauit: et tanquam uerbum interpretaretur, paulo poſt rem dixit immaturam. Quæret aliquis: Cur ea nequaquā ſatis deferbuerant? Plerique deierabant occultari ſecreta quædam myſteria, tanquā Eleuſinæ Cereris. id ſolent quidem multi, ut ſoli ſapere uideantur, qui parum aut nihil ſapiunt. Certe perſpicuum eſt, non hoc in uerbis & bonis & compoſitis eſſe poſitum, ſed in re & inuentione tenui atque ſubtili, quæ multo minor eſt, quàm quæ tantæ contentioni reſpondeat. Voluit enim uideri grauiſſima, quæ natura ſunt leuia, ut oſſa terram non tangere, ut nō allui, ut ad ſaxa non quieſcere: quæ ſi quis diligenter inſpiciat, ridicula potius quàm admiranda uidebuntur: ſed neſcio quomodo placent ubi tandem incaluit oratio, quia parricidā priuare omni uſu elementorū uidentur. Ab hac indole, id eſt natura, bonæq; ſpei ingenio, iam quemadmodum ſuperiora ſunt feruida potius quàm matura, ſic illa matura naturaq; grauia ſunt: Vxor generi, nouerca filij, filia pellex: quæ grauiter à Cicerone pro Cluētio dicta, meruerūt ciuitatis admirationem. Saſſia Cluentij mater Aurium Melinū generum ſuum pellexit in amorem: quod ęgrè ferens uxor Melini Cluentia, diſceſſit à uiro. Tum Saſſia diuortio facto, nupſit Aurio Melino nuper genero ſuo. Nubit, inquit, genero ſocrus, nullis auſpicijs, nullis auctoribus, funeſtis ominibus omnium. et in peroratione: Atque etiā nomina neceſſitudinū, nō ſolum naturæ nomen & iura mutauit, uxor generi, nouerca filij, filiæ pellex. Eò iam denique adducta eſt, ut ſibi præter formam nihil ad ſimilitudinem hominis reſeruarit. Cur, inquies, hæc matura ſunt? Nihil coctius in hoc genere inueniri poteſt, quod animi quaſi palatum iuuet. Inuentio quidem optima eſt, et ipſa rei nouitate potentiſſima. Nec uero hic unus erat ardor in nobis, quæ dicitur contentio, à Græcis σφοδρότης, ut hoc modo & tam grauiter omnia diceremus. Ipſa illa pro Roſcio iuuenilis redundātia habet attenuata, id eſt, ad genus humile delecta, ut cum diſputatur cum accuſatore Erucio de parricidij cauſa. Quædam etiā paulo hilariora, quæ ad generis medij ſuauitatem pertinent, ut cum agitantur accuſatores, & canibus & anſeribus conferuntur. Quam accipimus hic iuuenilem redundantiam? Sanè copiam rerum maiorum, quæ nō tam grauia legit, quā dicit omnia & inculcat. Sunt & aliæ multæ Ciceronis orationes, quæ hanc ipſam habent trium generū uarietatem. Nemo enim orator tam multa ſcripſit, ne in Græco quidem otio, cum ad tempora Socratis lex Athenis eſſet, ut quiſque pro ſe diceret, patrono & oratore ne uteretur, & oratores à foro ſemoti, in otium traducti, domi ſcriberent orationes, quibus uterentur homines infantes, & linguæ forenſis imperiti.

AN ego Homero, Ennio, reliquis poetis, & maxime tragicis concederem.] Etſi commendantur inſignes loci, & plauſum mouēt orationis illæ grauiſſimæ partes, non tamen eodem modo ſemper erit agendū, quòd hæc atrocitas in re minori uideatur inſana. Adhibenda uarietas illa naturæ gratiſſima, quam prudentiſſimi quique etiam citra eloquentiam temperare ſolent. Conſtituit igitur ab illa acerrima contentione ſæpe eſſe diſcedendum, nec eodem modo agendum, nec aliquod cauſarum genus eſſe repudiādum. Hæc ut confirmet, comparationem ducit à poetis & hiſtrionibus: cuius eſt hæc uis: Homerus poetarum omnium facile princeps, & Ennius ante Virgilium Latinorum ſummus, & tragici tam Græci, quàm Latini, ut Euripides & Accius, etſi grandia conſcribunt, tamen à contentione diſcedunt, et aliquando ad quotidianum genus ſermonis accedunt. Hiſtriones etiam ſubinde mutant actionem. Quid oratori faciundum eſt? qui ſi ab elocutione dictus eſt eloquens, hoc certe proprium munus habet, ſuā rebus aptare cōpoſitionem. Homerus, Quintiliani uerbis utar, breuem quidem cū animi iucunditate, et propriam (id enim eſt, non errare uerbis) & carentem ſuperuacuis eloquentiā Menelao dedit, quæ ſunt uirtutes generis illius primi. Et ex ore Neſtoris dixit dulciorem melle profluere ſermonem, qua certe delectatione nihil fingi maius poteſt. Sed ſummam aggreſſus, ut in Vlyſſe, facundiam, magnitudinem illi iunxit, cui orationem niuibus hybernis, & copia uerborum atque impetu parem tribuit. Erit igitur Homerus ipſe de ſe teſtis, non in uno ſemper genere cōſtitiſſe: nec difficile eſt ſeligere locos. Certe Virgilius imitator eius, non modo ſingulis libris uaria genera accōmodat, ſed penè totos libros habet, aut tenues, ut quintum: aut medios, ut ſextū: aut graues, ut decimum: quanquam & in his eſt aliqua uarietas pro conditione rerum. Sed hoc minus in poetis mirandum uidetur, qui ſi tanto nomine digni ſunt, eo certe ualent ingenio, ut afflati numine credantur. Admirabilius eſt in hiſtrionibus, hoc eſt, actoribus fabularum, qui ſi in ſuo genere perfecti ſunt, qualem Cicero Roſcium uidit, in diſſimillimis perſonis ſatiſfaciunt, ut regis, patriſfamilias, militis, paraſiti, lenonis: quod quidem facere non poſſent, niſi genus actionis immutarent, cum tamen in ſuis perſonis uerſarentur, & ijdem ipſi manerent: ut Roſcius agens Agamemnonem, nihil aliud eſt quàm Roſcius. Satiſfacit igitur in diſſimillima perſona, cum tamen in ſua uerſetur. Nec hiſtrio in uno tantum genere fabularum mutat actionem, ſed & ipſa genera mutare poteſt: ut ſi comœ-

diam tragœdus, tragœdiam comœdus aget, in comœdia lenitate pronunciandi, in tragœdia lateribus & contentione uocis utetur. Sic iuuenis orator, ut Brutus, dum per ætatem licet, elaborare debet, ne eodem modo omneis cauſas agat: ſed cum uaria cauſarũ genera receperit, aliud humile, aliud acre, aliud mediũ, tum ſpiritum uimq; dicendi pro rerum natura commutare debebit. Id fecit ille Demoſthenes, cuius auctoritas apud M. Brutũ plurimum ualere debet, qui hominem tam uehementer amet, ut eius imaginem ex ære domi ſeruet, et inter imagines ſuas ac ſuorum perinde ueneretur, ac ſi unus è familia Brutorum Demoſthenes fuiſſet. Nobiles Romanos imagines & ſtemmata maiorum ſuorum, maxime eorum qui uel magiſtratum populi Romani geſſiſſent, uel alia ratione clari fuiſſent, habuiſſe, illisq; ſuas addidiſſe, notum eſt. Habebat imagines ſuorum Brutus, & ſuas, quas in uilla Tuſculana ornamenti cauſa ſeruabat, & in illis Demoſthenis imaginem, cuius induſtriam amplectebatur. Nouit igitur Brutus, ut ille uerſetur in omni genere dicendi: nũc ſubtilia de more Lyſiæ perſequatur, et tenue filum ducat rerum minutarum: nunc erigat ſe paulum ad argutias & acumen Hyperidis oratoris clariſſimi, qui non tam familiaris erat et obuius in oratione quàm Lyſias, de quo ſupra diximus, ſed illo paulo dulcior, & compoſitus magis, ac in fingendis animi ſenſibus acutior: quanquam non ita longe à tenuitate diſcedebat. Nunc genus medium teneat, ac moduletur illam Aeſchinis ſuauitatem, & illuſtret ſplendore uerborum: nunc ut in re grauiſit omniũ grauiſſimus acerrimusq;. Huius uarietatis exempla proponuntur, ut ὁ περὶ ἀτελείας πρὸς Λεπτίνην λόγος, oratio contra Leptinen de immunitate, qui cum ciuitas Athenienſium bene de Republica meritos immunitate donaret, & id è Repub. non eſſe uideretur, legem promulgauit, ne quis immunis eſſet, & qui peteret immunitatem attributorum, & uectigalium, & grauaminum, pateretur extrema. Demoſthenes hanc legem inutilem, inhoneſtam, iniquam putat. agit in eum de ratione legum, de rogationibus populi, rebusq; Gabriæ: & hæc, ut decet, tenuiter explicat. Contra uehementer agit in Philippum Macedonũ regem, propterea quòd dictis inflammare uelit ciuitatem in eum tyrannum, qui cõtendit Athenienſibus auferre libertatem. Quas in eum dixit orationes, hic à Cicerone Philippicæ dicuntur: quo nomine poſtea dixit ſuas Antonianas, quoniam Antonius in occupanda libertate Philippus alter uidebatur. Nonnunquã Demoſthenes idem in eadem oratione, cum rerum uariæ ſunt partes, genera mutat: ut cõtra Aeſchinem περὶ τῆς παραπρεσβείας, hoc eſt, reum falſæ legationis. Aeſchines ſemel & iterum legatus fuerat ad Philippum, & propoſita turpi conditione pacis cum Philocrate conſenſerat, ac in proferendo tempore fuerat in cauſa, cur Athenienſes in Thracia cæderentur. Obijcit etiam Demoſthenes accepta pecunia regis falſum renunciaſſe, propter quod periere Phocenſes. In ea cauſa ſubtiliter tractat aliquot epiſtolas atque decreta. Locus eſt de teſtibus in genere temperato. Sunt & amplificationes graues de proditione legati. Egit in eundem Aeſchinẽ cauſam Cteſiphontis percelebrem, de qua alio loco diximus. Idem illud medium genus quoties uult arripit tanquam bellicum inſtrumentum, et in id genus potiſſimum delabitur, cum à grauiſſima illa et acerrima contentione diſcedit, quæ plurimum efficit ad auditorem clamore perlata. SED ab hoc parumper abeamus, quandoquidem de genere, non de homine quærimus.] Is eſt eloquens, qui humilia ſubtiliter, & magna grauiter, & mediocria temperate poteſt dicere. Hæc, ut ait, complectitur breui, differit pluribus: Incipit igitur ex ordine omnia monſtrare quæ faciunt ad eloquentiam perfectam, ut cognitis rebus, earumq; naturis, & parata dicendi facultate, tria illa genera dicendi facile accommodentur. Ab hoc Demoſthene, inquit, parumper abeamus, rediturí cum expedierit. Quandoquidem de genere perfectæ eloquentiæ, nõ de homine quærimus, rei potius quàm hominis, id eſt, eloquentiæ uim et naturam explicemus, quas habeat facultates, quasq; partes. Hæc parãdi gratia dixit: ubi quærat aliquis, quænam ratio collocandi fecit, ut iſta ſepararet ab inuentione, collocatione, actione, memoria, elocutione: hoc eſt, quinque rhetoricæ partibus, quas ante mutato ordine tractauit? Reſpondeam, uim oratoris breuiter oſtendiſſe, nũc autem fuſius explicare qui mirabiles haberi poſſint tres ex illis ampliſſimæ partes, inuentio, collocatio, & elocutio. Superiora eò tendebant, ut inueniretur ſummus orator: hæc conſilium tractant, quibus ille de rebus ſummus effici poſſit: ſic tamen, ut quaſi digito monſtrentur, non in aliqua præcepta redigantur. Nam dixit antea: Nulla præcepta ponemus (neque enim id ſuſcepimus) ſed excellentis eloquentiæ ſpeciem & formam adumbrabimus. Et hic eadem conſtituit auertendæ calumniæ cauſa. Nihil, inquit, præcipiendi cauſa dicemus, ſed ita potius agemus, ut exiſtimatores, & in æſtimanda re arbitri uideamur loqui, nõ magiſtri atque præceptores. Id eo facit, quòd alijs in libris præcepit, nũc ſuum Bruto de ſumma eloquentia exponat iudicium. Quòd autem partes omneis, ut paulo ante dixi, notauit, nũc amplius exponat opes eloquentiæ, ac minutius rerũ ſpecies diuidat, ideo præfatur id ſe facere, quoniam hunc librũ diuulgari neceſſe eſt, & ad rudiores peruenire, quibus nihil unquam ſatis explicatum eſt. Hic Bruti commendat eruditionem, aut certe ueretur ne uirum doctum plus quàm uelit, docendo moretur. Ad orationis materiã ſumat orator dialecticen, philoſophiam moralem et naturalem, ius ciuile, hiſtoriam: deinde ſe transferat ad cauſas. Hæc qualia ſint, ordine commonſtrat, & eadem tractat libro primo de Oratore. Eſt igitur eloquentiæ perfectæ, non habere ſolum facultatem fuſe lateq; dicendi, hoc eſt, rhetoricen copioſe diſſerentem, quæ ſit eloquentiæ propria facultas & ſcientia: ſed aſſumere dialecticen, quæ ſit arti rhetoricæ uicina atque finitima. Hoc illæ differunt inter ſe. Rhetorices eſt oratio copioſa et ornata: Dialectices autem diſputatio breuis & inornata. hæc loquitur incompte, illa dicit ample et ornate: conſentiũt in alijs. utraque in diſſerendo eſt, utraque inuenit diſſerendi materiam, utraque ad probandum tractat argumentationem, quam aliter orator, aliter dialecticus diſponit. Zeno Stoicorum princeps. nam fuerunt alij, ut Zeno Eleates Parmenidis auditor, ac dialectices inuentor: Zeno Rhodius, qui Rhodiorum ſcripſit hiſtoriã: alius hiſtoricus, qui Pyrrhi res in Italia geſtas, literis mandauit: alius Chryſippi diſcipulus, alius medicus, alius grammaticus, alius Epicureus. Hic Zeno Citticus, à quo diſciplina Stoicorum eſt, cum digitis compreſſis pugnum feceras, dialecticã aiebat eiuſmodi eſſe, preſſam & anguſtam. cum autem diduxeras, & manũ dilatauerat, palmæ illius, hoc eſt, manus apertæ ſimilem eloquentiam, apertam, copioſam et expoſitam eſſe dicebat. Idem de eodem ſecundo de Finibus: Zenonis eſt hoc Stoici, omnem uim loquendi, ut iam ante Ariſtoteles, in duas tributam eſſe partes dicere. Rhetoricam palmæ, dialecticam pugno ſimilem eſſe dicebat: quòd latius loquerentur rhetores, dialectici autem compreſſius. Quintilianus libro 2. Itaque cum duo ſint genera orationis, altera perpetua, quæ rhetorice dicitur: altera conciſa, quæ dialectice, quas quidem Zeno adeo coniunxit, ut hanc compreſſa in pugnum manus, illam explicitæ diceret ſimilem: etiam diſputatrix uirtus erit. Ariſtoteles dixit illam artem quaſi ex altera parte reſpondere dialecticæ ἀντίστροφον. ἡ ῥητορική ἐστιν ἀντίστροφος τῇ διαλεκτικῇ. Rhetorice dialecticæ reſpondet ex altera parte, id eſt, è regione & ex aduerſo, non autem quòd una parte ſint inter ſe diſſimiles. Vult igitur huic ſummo oratori loquendi rationem, hoc eſt, dialecticam eſſe notam, quam cauſidicus ille rabula, nunquam neceſſariam putauit. Quatenus autem ſit expetenda, Gellius hoc modo differit: Huius diſciplinæ ſtudiũ atque cognitio in principijs quidem tetra & aſpernabilis inſuauisq; eſſe & inciuilis uideri ſolet: ſed ubi aliquantum proceſſeris

ceſſeris, tum denique & emolumentum eius in animo tuo dilucebit, & ſequetur quædã dicendi uoluptas inſatiabilis. Cui ſanè ſi modum non feceris, periculum non mediocre erit, ne ut plerique alij, tu quoque in illis dialecticæ gyris aut meandris, tanquam apud Sirenios ſcopulos conſeneſcas. Vſque adeo cõfuſe et barbare tradita nobis eſt, ut non ſit timendum ne in eiuſmodi uoluptate conſeneſcamus. QVAE *quidem res (quod te his artibus eruditũ minime fallit) duplicem habuit docendi uiã.*] *Dialectica uia duplex eſt, quæ* μέθοδος *à Græcis appellatur. Altera ad diſſerendum rectior & apertior, qualem monſtrauit Ariſtoteles, & illo iunior Chryſippus. Altera ſpinoſior, aſperior ac moleſta magis, qualem poſteriores implicarunt. Poſſis addere tertium genus ſæculi noſtri, quod omnes penè literas euertit. Spinoſiora (ut opinor) aſellis exiſtimat eſſe relinquenda: antiqua, ut ab Ariſtotele tradita, & recentiora præcepta Chryſippi, legenda putat, nõ ut in illis conſeneſcat orator, ſed ut ne ſit earũ rerum omnino rudis. In quam ſententiam Antonius libro ſecundo de Oratore inducitur, hæc loquens: Sic decreui, philoſophari potius, ut Neoptolemus apud Ennium, paucis: nam omnino, haud placet. et quæ ſequuntur. Orator inſtituatur uel antiqua, uel hac, id eſt, recentiore Chryſippi diſciplina, qui de re dialectica plurimos fecit libellos, de nominibus dialecticorũ, de coniunctis probabilibus, de connexo, de prologuijs, de ijs quæ negantur, de ijs quæ dicũtur per priuationem, de optimis prologuijs, de differentia indefinitorum, de interrogatione, de reſponſione, de categorijs, de ſyllogiſmis, de ſoritis, de definitionibus. Scripſit alia permulta, quæ numerantur à Diogene Laertio. Idem in re dialectica tãtam ſibi gloriam comparauit, ut plerique dicerent, ſi apud deos uſus eſſet dialectica, non futuram aliam quã Chryſippeam.* οὕτω δ᾽ ἔνδοξος ἐν τοῖς διαλεκτικοῖς ἐγένετο, ὥστε δοκεῖν τοὺς πλείστους ὅτι εἰ παρὰ θεοῖς ἦν ἡ διαλεκτική, οὐκ ἂν ἦν ἄλλη ἢ ἡ χρυσίππειος. *Fuit ille uir* πολύγραφος, *qui compoſuerit uolumina ſeptingenta quinque, in quibus acutiſſime diſputaſſe fertur, ſed ieiune & exiliter. Cicero de Oratore primo libro: Etenim uidemus ijſdem de rebus ieiune quoſdam & exiliter, ut eũ quem acutiſſimum ferunt Chryſippum, diſputauiſſe. Res autem & ſcientia dialecticorum eſt, noſſe uim naturamq́; uerborum, quæ ſignificent ſubſtantiam, quæ qualitatem, quæ quantitatem, quæ referantur ad aliquid, quæ agere, quæ pati, quæ locum, quæ tempus, quæ ſitum, quæ habitum deſignent. Hæc ſimpliciũ uerborum genera decem conſtituit Ariſtoteles in categorijs. Cognoſcenda eſt uis copulatorum, quæ ſunt* ὑποκείμενα καὶ κατηγορούμενα ἐν τῇ προτάσει, *de quibus agit idem* περὶ ἑρμηνείας. *Tenendum quot modis quidque dicatur, quaq́; ratione multiplex euoluatur atque diſtinguatur. de qua re ſcripſit idem librum totum, qui non extat, quot modis aliquid dicatur* κατὰ πρόσθεσιν. *Pauca dicit ea de re Topicorum primo. poſſis accipere quos recentiores uocant æquipollentias. Videndum, qua ratione uerũ falſum'ne ſit, iudicetur. Nã quod ait ſecũdo de Oratore: Omne quod eloquimur ſic, ut id aut eſſe dicamus, aut non eſſe: & ſi ſimpliciter dictum ſit, ſuſcipiũt dialectici, ut iudicent, uerum'ne ſit an falſum: et ſi cõiuncte ſit elatum, et adiuncta ſint alia, iudicent, recte'ne adiũcta ſint, et uera'ne ſumma ſit uniuſcuiuſque rationis. Simpliciter dictum cõſiderauit Ariſtoteles uno libro de propoſitionibus, qui non reperitur: & multa dicit ad eam rem* περὶ ἑρμηνείας. *Conſiderandũ eſt etiã, quid efficiatur è quoque hoc eſt, quid ex aſſumpto colligatur, confecto ſyllogiſmo, et quid medio conſtituto conſequatur, quidq́; ſit contrariũ, id eſt, non ſequatur: de quibus agitur ab eodem in* ἀναλυτικῶν *libris. Præterea noſſe debet, quo modo ambiguũ diuidi explanariq́; debeat. Hinc ſunt paralogiſmi, quorum diſſolutiones traduntur in Elenchis. Hæc quia ſæpe diſſerenti occurrunt, tenenda ſunt oratori: quia tamen ſua ſponte & natura ſquallidiora ſunt ac impuriora, adhibendus erit orationis nitor, ut deterſa et exculta quaſi naſcula eluceſcant.* ET *quoniam in omnibus quæ ratione docentur et uia, primum conſtituendum eſt, quid quidque ſit.*] *Quid à rebus dialecticis aſſumat orator, anguſte breuiterq́; perſtrinxit. addit hæc definitionem & diuiſionem, de quibus permulta Ariſtoteles. Scripſit enim diuiſiones decem & ſeptem, et diuiſionum librum unum, & diuiſibilium librum unum, & ſyllogiſticorum & definitionum libros duos, præterea definitionũ libros tres. Iſtorum nihil peruenit ad noſtrum tempus. Satis multa de definitione loquitur Topicorum libro 6. Diuiſiones & definitiones ad docendum plurimum ualent. Etenim uerũ diſputatio ferè conſtat diuiſione generis in ſpecies, aut totius in partes, ad finem conſtitutas, et earũ definitione. In omnibus, inquit, quæ ratione docentur & uia, id eſt arte & methodo, primum conſtituendũ eſt, quid quidque ſit, hoc eſt, definiendum illud de quo ambigitur: quia niſi inter eos qui diſceptant, hoc eſt, quæſtionẽ controuerſiamq́; tractant, cõuenit quid ſit illud de quo ambigitur, nec recte diſſeri, & ordine diſputari, nec ad exitũ finemq́; certum perueniri poteſt. Sunt qui putant hæc dici de definitione nominis, nos etiam rem accipimus: ut ſi controuerſia eſt, ſacrilegium' ne cõmiſerit, qui priuatim pecuniam de templo ſuſtulit: niſi conueniat quid omnino ſacrilegium ſit, res ad exitum peruenire non poſſit. Ergo mens noſtra non aliter quàm ueſtis complicata, euoluenda eſt & explicanda uerbis, quæ ſunt quaſi quædam inſtrumenta ad res explicandas & illuſtrandas, ut inuolutæ rei notitia ac cognitio definiendo aperiatur. Eſt autem definitio, oratio, quæ quid ſit id de quo agitur oſtendit, quã breuiſſime: ut cum dicimus rhetoricen eſſe bene dicendi ſcientiam, uim ſubſtantiamq́; rhetorices oratione breui cõplectimur. Tria ſunt autem uidenda definienti, ut uim ſubſtantiamq́; rei breuiter explicet: ut definitionem eius de quo agitur (definitum uocant) propriam, nulliq́; alteri communem conſtituat: ut nihil omittat, nihil otioſum et redundans intromittat. Definimus autem res genere & differentia, aut proprietate, aut accidentibus, aut ſimilibus, aut contrarijs, aut cognominatis, quod apertius exponunt Cicero & Boetius in Topicis. Explicato genere cuiuſque rei, hoc eſt, definita ſumma cuiuſque quæſtionis, uidendũ eſt, quæ ſint eius generis formæ, quæ etiã ſpecies ſæpius appellantur: ut explicato genere uirtutis, hoc eſt, uirtute definita, uidendum eſt quatuor eſſe formas illius, prudentiam, fortitudinem, iuſtitiam, temperantiam. Aut ſi genus eſt quiddam totum, uidendũ eſt quæ ſint eius generis totius partes: ut ſi definita rhetorice, conſtituas quinque partes rhetoricæ. Nam formæ ſunt generis, totius autem partes. illa diuiſio, hæc partitio nominatur. Partes'ne ſint, an uero formæ, cognoſces, ſi genus de ſpecie dici, non totum de parte cognoueris. Iuſtitia eſt uirtus, recte dicitur: eſt enim iuſtitia forma. Inuentio eſt rhetorice, dicitur falſo, quia inuentio pars eſt, non ſpecies. Lex diuidentis aut partientis eſt, ut ſi genus uniuerſum in ſpecies certas diuidat, aut in partes diſtribuat, ut nulla neque prætermittatur, neque redundet. Verum que uitioſum, & aduerſariorum ridiculis expoſitum. Id quomodo fiat, nihil ad hoc tempus: quia quid ſit optimũ, iudicat: non præcepto & ratione comprehendit. Nonnihil autem in rhetoricis & topicis oſtendit. Cæterum definitiones in illis eruditiſſimis diſputationibus, hoc eſt philoſophicis, & à ſenſu populari remotis, uult eſſe quàm breuiſſimas & exactiſſimas: quod ſuperior illa circunſcriptio demonſtrat. Sed in oratione perpetua non uult eſſe tam preſſas & anguſtas. Preſſæ quidem ſunt inuolutæ, anguſtæ, breues. Præſtiteris anguſtias explanare, ut ad commune, hoc eſt, populare iudicium, popularemq́; intelligentiam accommodentur. de quo ſic Antonius de Oratore libro ſecundo: Atque in hoc genere cauſarum nonnulli præcipiunt, ut uerbũ illud quod cauſam facit, lucide breuiter uterque definiat: quod mihi quidem perquam puerile uideri ſolet. Alia eſt enim cum inter doctos homines de ijs ipſis rebus quæ uerſantur in ar-*

rium, & uenenum, ut definitione colligamus, ſit'ne amatorium quoddam uenenum. Certe Quintilianus fatetur ſyllogiſmum habere aliquid ſimile ſcripto & uoluntati, & nonullam eſſe illi cum definitione coniunctionem. Hæ quæſtiones ſiue ſtatus initio collocantur, quoniam principio tenenda eſt ſumma cauſæ: deinde inuenienda ſunt argumenta, quibus controuerſia & ambiguum ſoluatur. Argumenta ducuntur è locis. Loci traditi ſunt duplices, uni è rebus ipſis, alteri aſſumpti. Inhærent in ipſa re, definitio, enumeratio partium, notatio, coniugata, genus, forma, ſimilitudo, differentia, contraria, adiuncta, antecedentia, conſequentia, repugnatia, cauſa, effectus, comparatio. Aſſumpti loci ſunt remoti, qui teſtimoniorum genera continent. Locos omnes quoniam in Partitionibus ac Topicis exponit, nunc eos notaſſe contentus eſt. Ego quòd eoſdem amplius in Partitiones eius expoſui, eadem breuitate delector. Res quæ de locis eruuntur, in perfacili cognitione uerſantur, quia pauca inueniendi præcepta ſunt. Tractatio rerum efficit admirabiliorem orationem, quæ quinque partibus abſoluitur, exordio, narratione, confirmatione, refutatione, epilogo. Exordium tribus de rebus aſſumitur, ut conciliet auditorem, beneuolumq́; reddat: ut erigat eius attentionem, ut paret ad diſcendum, docilemq́; efficiat. Narratio rem breuiter exponit, ut mente teneatur: probabiliter ac ueriſimiliter explicat, ut mereatur fidem dilucide & aperte narrat, ut quid agatur, intelligi poſſit. In confirmatione noſtra firmamus: in refutatione, aduerſaria euertimus. Vtraque pars ordinem quærit, perturbationem & confuſionem fugit. Ordo ſeruabitur, ſi argumenta ſuo loco conſtituta ſic concludentur, ut efficiatur colligaturq́; quòd ſit conſequens iis quæ ſumentur ad quanque rem confirmã dam: hoc eſt, ſi recta aſſumptorum complexio nectatur. Peroratio accuſatoris, incendio grauiores affectus inflammat: hoc incendium reſtinguit peroratio defenſoris. quæ officia plerunque mutantur. Hæc breuiter de quæſtione, locis & partibus orationis. HAS partes quemadmodum tractet ſingulas, difficile dictu eſt hoc loco.] Conſtitutis partibus hoc uidendum eſt, quo genere dicendi ſingula tractari debeant. nec enim ſemper tractantur uno modo. Nam cum multa ſint genera cauſarum, quibus elocutio decens accommodetur, non eſt facile præcipere de ſingulis. confugiendum igitur ad oratoris prudentiam. Prudentia tempora perſonaſq; moderatur, id eſt, decorum obſeruat, quod pro tempore perſoniſq; mutatur. In tempore locus intelligitur, ſicut in perſonis ipſa res. Non eſt igitur eadem ratio dicẽdi in bello, in pace, in rebus proſperis, in aduerſis, in foro, in ſenatu, in concione. Perſonarum quadripertita ratio mutat actionẽ, auditorum, aduerſariorum, litigatorum noſtrorum, & noſtra, qui dicimus: quæ genera paucis amplectitur, quòd illis decentẽ uelit accommodari orationem. cuius rei ſi quædam primordia & initia natura dedit indoctis, ut ſciant aptius uariare ſermonem, multo facilius id poterit multis in rebus exercitatus orator. Decorum in ipſa re tenetur, ſi ſatura & copioſa, copioſe: alta, magnifice: ieiuna, ſicce: minuta tenuiter dicantur. Nam debet eſſe rebus ipſis par & æqualis oratio. Huc pertinent illæ orationum formæ, quas ante diſtinxit. Partibus eſt & ſuum decorum. Principia ſiue exordia decent uerecunda, quæ parce utuntur ornamentis & ſupellectile oratorum, nec intenduntur & augentur elatis uerbis ac magnificis, ſed potius locant ſententias acutas quaſi animorum extimulatrices, uel ad conciliandum fauorem, uel ad auertendum ſtudium quod aduerſarius uelit mereri. ad hæc enim duo ferè comparantur exordia. Narrationes decent credibiles, contra ineptæ ſunt fabuloſæ ac aniles. Nec affectant hiſtoricam obſcuritatem, ſed ferè quotidianum ſermonem, ut explicent rem dilucide. In ſubtilibus cauſis decet argumentandi tenue filum, id eſt gracilis ac macilenta dictio, tum in docendo, id eſt, noſtra confirmando, tum in aduerſaria refellenda. Quòd ſi res ipſa cauſaq́; dignitas maior accreſcet, par ad orationem, id eſt, elocutionem fiat acceſſio: hoc eſt, increſcat argumentandi filum, & grandior texatur oratio. quod apte efficiet is, qui rationem componendi adeptus erit. Exempla ſi quæris iſtorũ, optima ſuggeret ipſius oratio pro Sexto Roſcio, in qua principium uerecundum & acutũ, narratio perquam dilucida, confirmatio & refutatio nunc tenuis, nunc paulo grandior pro rerum decoro. Cum uero cauſa ea inciderit, in qua uis eloquentiæ poſſit expromi, ut cauſa publica latæ amplitudinis, magniq́; momenti, qualis erat Auli Cluentij, tum ſe latius fundet et extendet orator. Expatiabitur enim in uniuerſi generis quæſtione, quæ θέσις appellatur. Tum reget & flectet animos incertis affectibus, non quidem ut ſimpliciter uolet (nec enim eloquentiam metimur euentu) ſed ut cauſæ natura, & perſonarum dignitas, & ratio temporis poſtulabit. SED erit duplex omnis eius ornatus ille admirabilis, propter quem aſcendit in tantum honorem eloquentia.] Iam docet quo ſe fundat orator, quoq́; regat & flectat animos. Duæ ſunt partes in dicendo admirabiles, δείνωσις, & αὔξησις. altera facit ad copiam, altera ad affectum. Hæ ſunt maxime luminoſæ, quaſi ſol & luna inter ſidera. Et actuoſæ, hoc eſt, concitatæ ac mobiles, quaſi tragœdiæ partes actuoſæ. Cæteræ minus elucent, minus agitantur: quanquam debent eſſe laudabiles, ſic ut uerbum nullum, niſi aut graue ad pondus orationis & uictoriam, aut elegans ad auditorum uoluptatem excidat. Dicet aliquis, quo pacto laudatur illa humilis Lyſiæ tenuitas, ſi omnia uerba aut grauia aut elegantia eſſe debent? Iſta non pugnant. Nec enim in Lyſia quidquam uacat. Eſt igitur omne uerbum in eo aut ad docendum, aut ad mouendum, aut ad delectandum. Quod docet & mouet optime, graue debet haberi: quod delectat, elegans. αὔξησις eſt amplificatio, quæ in augendis amplificandiſq́; rebus uſurpatur. Ea duplex eſt: altera minor & breuior, quæ toto corpore orationis æquabiliter fuſa eſſe debet, cuiuſmodi eſt hæc: Commoditati ingenium, grauitati ætas, libertati tempora ſunt impedimento. huc accedit ſummus timor, quem mihi natura pudorq́; meus attribuit: & ueſtra dignitas, & uis aduerſariorum, & Sexti Roſcij pericula. Altera eſt maior, amplior ac uehementior, quod genus eſt: Quouſque tandem abutere Catilina patientia noſtra? & quæ ſequuntur. Hæc in communibus locis maxime excellet. Communes loci dicuntur, ut definiuit Fabius ſecundo, quibus citra perſonas in ipſa uitia moris eſt perorare, ut in adulterũ, aleatorem, petulantem: quo intellectu communes locos Cicero uult hic accipi. Communes appellantur, eo quòd uidentur multarũ iidem eſſe cauſarum, ut prædonem multis in cauſis & uariis inſectari licet. Sed proprij ſingularum eſſe debebunt, id eſt, ita reliquis partibus accommodari, ut non inepte appoſiti, ſed proprie inſerti eſſe uideantur. Hæc amplificatio in augendis rebus, & contra abijciendis minuendiſq́; plurimum poteſt. Locus eius frequens in peroratione, ut pro Flacco: nonnunquam in principio, ut in Catilinam: ſæpe poſt argumenta, ut in Verrem. At uero illa pars orationis quæ eſt de genere uniuerſo, hoc eſt infinita quæſtio, neque perſona certa, neque tempore comprehenſa, totas cauſas ſæpe continet, ut Opimij, qui conſul ſenatuſconſulto C. Gracchum interemerat: ut Mancini, qui Numantinis deditus, ius poſtliminij petebat, de qua re copioſe diſſerit Antonius 2. de Oratore, & arguit magiſtros & rhetores qui tum Romæ docebant, tanquam hominum genus hebes atque impolitum. Hic autẽ indicat in definitione & qualitate nihil facere perſonas, quia κρινόμενον, quæ iudicatio uocatur, in qua quaſi certamen eſt cõtrouerſiæ, & ſumma cauſæ, traducitur ad perpetuam, hoc eſt, in infinitam quæſtionem. Si quæritur, ſit'ne peculatus, retinere pecuniam populi Romani, nihilominus frumentum Siculis imperare gratis, nihil faciet perſona Verris. Si inſidiatores occidire licet, & Miloni Clodium inſidias feciſſe planum fiat, nihil addet perſona Clodij uel Milonis. Sed in coniectura cum de uero ambigi-

tur, perſona tollitur. quanquam tum licet argumenta reuocare ad genus, & ad naturam uniuerſam: quòd ſumptuoſus, de luxuria: quòd alieni appetens, de auaritia: quòd ſeditioſus eſt aliquis, de turbulentis & malis ciuibus: quòd à multis arguitur, de genere teſtium dicetur. Ex his colligitur, nullam eſſe cauſam in qua non liceat à propria perſona rem auocare ad infinitã quæſtionem. Quoniam autem philoſophi theſin generalemq́; quæſtionem uerſant, & frequenter utranque partem agitant, ut Socrates apud Platonem, ut Peripateticorum princeps Ariſtoteles in ſcholis ſolebat, de cuius exercitatione in proœmio Tuſculanæ ſecunda mentionem facit: hic admonemur, illorum more non eſſe dicendum. Nudas hinc & inde conijciunt argumentationes: orator aliquanto neruoſius dicet, quando miſcebit affectus aut aſperiores in reos, aut pro reis leuiores. DVO ſunt etiam quæ bene tractata ab oratore, admirabilem eloquentiã faciũt.]

Quantũ ualeant affectus, oſtendit Quintilianus his uerbis: Probationes efficiunt ſanè, ut cauſam noſtram meliorem eſſe iudices putent: affectus præſtant, ut etiam uelint. Sed id quia uolunt, credunt quoque. Nam cum iraſci, fauere, odiſſe, miſereri cœperunt, agi iam rem ſuam exiſtimant. Et ſicut amantes de forma iudicare non poſſunt, quia ſenſum oculorum præripit amor: ita omnẽ inquirendæ ueritatis rationem iudex amittit, occupatus affectibus. æſtu fertur, & uelut rapido flumini obſequitur. Huc igitur incumbat orator, hoc opus eius, hic labor eſt, ſine quo cætera nuda, ieiuna, infirma, ingrata ſunt. adeo uelut ſpiritus operis huius atque animus eſt in affectibus. Idem in eodem loco refert hãc affectuum partitionem: Affectuum, inquit, ſicut antiquitus traditum accepimus, duæ ſunt ſpecies: alteram Græci πάθος uocãt, quam nos rectè uertentes ac propriè affectum dicimus. alteram ἦθος: cuius nomine, ut ego quidem ſentio, caret ſermo Romanus. mores appellantur, atque inde pars quoque illa philoſophiæ ἠθικὴ, moralis eſt dicta. ſed ipſam rei naturam ſpectanti mihi, nõ tam mores ſignificari uidentur, quàm morum quædam proprietas. Nam ipſis quidem omnes habitus mentis continentur. Cautiores uoluntatem cõplecti, quàm nomina interpretari maluerunt. Affectus igitur hos concitatos πάθος, illos mites atque compoſitos ἦθος eſſe dixerunt. perlegito quæ ſequuntur. Ex his dicta Ciceronis apertè cognoſces. Duo ſunt affectuum genera, quæ bene tractata ab oratore, admirabilem eloquentiam faciant: quorũ alterum quod Græci ἠθικὸν uocant, id eſt morale, ad naturam et ad mores, & ad omnem uitæ conſuetudinem accommodatur. Illud eſt quod bonitate commendatur, non ſolum mite ac placidum, ſed plerunque blandum & humanum, & audientibus amabile atque iucundum, quo mores dicentis ex oratione perlucẽt, & quodammodo agnoſcuntur, quod eſt ſine dubio inter coniunctas maxime perſonas, quoties perferimus, ignoſcimus, ſatisfacimus, monemus, procul ab ira, procul ab odio, quo denique cuiq; finguntur apti mores. Paucis complectar: ſic dicet orator, ut mores ſuos, eorumq́; quibus bene eſſe cupit, amabiles oſtendat. cui uirtuti contraria eſt impudentia, arrogantia, inſolentia, feritas agreſtis, maledicendi cupiditas, ſimultas, iracundia, inuidia, odium, oſtentatio. Sicut hæc uitia inter dicendum ſentiuntur, et ex oratione dicentis quodammodo colliguntur, ita contrariæ uirtutes in eo qui decenter & aptè dicit. Cicero 2. de Oratore: Conciliantur animi dignitate hominis, rebus geſtis, exiſtimatione uitæ. ſed hæc adiuuant in oratore, lenitas uocis, uultus pudoris ſignificatio, uerborum comitas. Si quid perſequare acrius, ut inuitus & coactus facere uideare, facilitatis, liberalitatis, manſuetudinis, pietatis, grati animi, non appetentis, non auidi, ſigna proferri perutile eſt: eaq́; omnia, quæ proborum, demiſſorum, nõ acrium, non pertinacium, non litigioſorum, non acerborum ſunt, ualde beneuolentiam conciliant. Alterum genus eſt παθητικὸν, id eſt, paſſiuum, quo perturbantur animi & concitantur, & in quo uno regnat oratio quæ τύραννος, id eſt regina, ab Euripide nominatur, ab Ennio flexamina, à Cicerone omnium regina rerum. Generis huius ſpecies enumerat in rhetoricis, & 2. lib. de Oratore. Genus hoc amplificationibus inſerendum, quia uehemens ut procella, incenſum ut fulmen, incitatum ut torrens, quo cauſa eripiuntur è manibus obſiſtentium: quod cum rapide fertur, ut in amplificationibus ſolet, ſuſtineri nullo pacto poteſt. Exempla ſunt in Verrem permulta, in Antonium non pauca, quibus odium, iracundia, inuidia, timor, moleſtia, & id genus affectus inſtruuntur. In quo genere Cicero mediocris, aut multo etiam minus quàm mediocris, ut hic ipſe de ſe modeſtè loquitur, reuera ſummus inter oratores Latinos, quod de Claris oratoribus fatetur, magno ſemper uſus eſt impetu: hoc eſt, affectuum concitatione, amplificationum ardore, clamore, & contentione dicendi. Sæpe aduerſarios, tum reos, tum actores, de ſtatu omni, id eſt, de præſidio & defenſionis loco deiecit. Nam cum Verrẽ in ius uocaſſet, Verres ad Hortenſium eloquentiſſimum familiarem ſuum confugiſſet, quòd accuſator non oratione perpetua, ſed ſuorum teſtium interrogatione, breuiq́; rerum ſumma nouo more contentus eſſet, nihil egit Hortenſius, qui tamen reſpondere cupiebat, homo Verri familiaris: & poſſe debebat, ſummus orator. in quo uidetur opinione deceptus, non affectuum ui & impetu deiectus, niſi quòd mouerat animos atrox & crebra maleficiorum reprehenſio, teſtiumq́; frequentia & auctoritas, adeo ut Verres ultro exilij cauſa ſolum uerterit. Quòd autem Catilina accuſatus in ſenatu non obmutuerit, oſtendunt hæc uerba Saluſtij: Poſtremo diſſimulandi cauſa, aut ſui expurgandi, ſicuti iurgio laceſſitus foret, uenit in ſenatum. Tum M. Tullius conſul ſiue præſentiam eius timens, ſiue ira commotus, orationem habuit luculentam atque utilem Reipublicæ, quam poſtea ſcriptam edidit. Sed ubi ille aſſedit, Catilina, ut erat paratus ad ſimulanda omnia, demiſſo uultu, uoce ſupplici, poſtulare à patribus cœpit, ne quid de ſe temere crederent: ea familia ortum, ita ab adoleſcentia dicebat uitam inſtituiſſe, ut omnia bona in ſpe haberẽt, neque exiſtimarent ſibi patricio homini, cuius ipſius atque maiorum plurima beneficia in plebem Romanam erant, perdita Republica opus eſſe, cum eam ſeruaret M. Tullius inquilinus ciuis urbis Romæ. Ad hæc maledicta alia cum adderet, obſtrepere omnes, hoſtem atque parricidam uocare. Tum ille furibundus: Quoniam quidem circumuẽtus, inquit, ab inimicis præceps agor, incendium meum ruina reſtinguam. deinde ſe ex curia domũ proripuit. Ex his conſtat, Ciceronem ad gloriam ſuam locutum eſſe. De Curione patre ſcripſit hæc in Bruto: Curio memoria ita fuit nulla, ut aliquoties tria cum propoſuiſſet, aut quartum adderet, aut tertium quæreret: qui in iudicio priuato uel maximo, cum ego pro Titinia Cottæ perorauiſſem, ille contra me pro Seruio Næuio diceret, ſubito totam cauſam oblitus eſt: idq́; ueneficijs & cantionibus Titiniæ factum eſſe dicebat. Ex his colligere facile eſt, tres illas uictorias non modo affectuum impetu, ſed alijs quoque rebus obtigiſſe. Affectus alij ſumuntur ad indignationem, alij ad miſericordiam. Hi ſunt quibus miſeratio mouetur cum in alijs locis, tum in peroratione. Quibus ualuiſſe Ciceronem argumento eſt oratorum iudicium, qui cum de more plures unam eandemq́; cauſam dicerent, & partibus inter ſe diſtributis, quod quiſque optime faceret, hoc ei relinquerent, Ciceroni perorationem relinquebant. Nam quod ait in Bruto, Nemo erat qui ad iracundiam magnopere iudicem, nemo qui ad fletum poſſet adducere; nemo qui animum eius (quod unum eſt oratoris maxime proprium) quocunque res poſtularet, impelleret: hanc Cicero didicerat artem, cum daret operam tum rhetoribus, tum philoſophis Atticis, Aſianis, Rhodijs: & in eam rem iuuabat hominem gracilitas illa corporis, oblongum collum, uox ſubaſpera, ac etiam in ſermone uehemens. Accedebat huc ſenſus hominis & dolor, qui non ficto dolore & imitatione ſimulato mouebatur, ſed ijs ipſis ſenſibus ad quos adducere iudices uellet, maxi-

me

me concitabatur. Neque enim, ut ait Antonius 2. lib. de Oratore, fieri poteſt, ut doleat is qui audit, ut oderit, ut inuideat, ut pertimeſcat aliquid, ut ad fletum miſericordiamq; deducatur, niſi omnes ij motus, quos orator adhibere uolet iudici, in ipſo oratore impreſſi eſſe atque inuſti uidebuntur. De genere pathetico ſi quæruntur exempla, in quibus ſentiatur affectus ille, quo Cicero tantum potuit, apparent in eius orationibus minime pœnitenda, cũ multis in locis, tum in perorationibus pro Sexto Roſcio, pro Milone, pro Rabirio Poſthumo: quæ ſi non modo leguntur, ſed etiam actuoſe pronunciantur, adiuuante ſpiritu, uiuaq; uoce, multo magis apparent. NEC uero miſeratione ſolum mens iudicum permouenda eſt.] Indignatio miſeratioq; quaſi duo genera multas habent ſpecies. Indignationis eſt ira, inuidia, contemptus, odium, cupiditas, ſatietas, metus. Miſerationis, iræ mitigatio fauor, amor, lætitia, dolor. Miſeratio non ſolum uerbis, ſed etiam rebus mouetur. Itaque more Romano Cicero puerum infantem, hoc eſt paruulum in manibus tenuit, cum pro P. Sylla dolenter perorauit: Hic uos orat iudices paruus, ut ſe aliquando, ſi non integra fortuna, at afflita, patri ſuo gratulari ſinatis. huic miſero notiora ſunt iudiciorum itinera & fori, quàm diſciplinarum. Et alia in cauſa á ſubſellijs excitato nobili reo, ut opinor, L. Flacco gentis illius Valeriæ uiro, ſublato etiam filio paruo, ita ut ab omnibus conſpici poſſet, plangore, id eſt, concuſſione pectoris, et lamentatione forũ compleuit: Huic, huic miſero puero, ueſtro ac liberorum ueſtrorum ſupplici, iudices, hoc iudicio uiuendi præcepta dabitis, & quæ ſequuntur. Quemadmodum rebus ipſis mouetur animus, ſic & perſæpe uerbis afficitur. Augenda flagitia, ut iraſcatur iudex: nonnunquam minuenda, aut uirtute compenſanda, ut mitigetur. Extollenda aduerſariorum fortuna, potentia, inſolentia, ut inuideat. Ponenda ſub oculos miſeria & calamitas, ut faueat. Eſt enim, auctore Fabio, naturalis fauor pro laborantibus. Humiles abiectiq; ſi dicentur aduerſarij, contemnentur. Quintil. Potentes ſequitur inuidia, & humiles abiectosq; contemptus, & turpes ac nocentes odium. Admirabitur iudex inſignem hominis aut uirtutem, aut nequitiam: oderit inutiles pernicioſosq;: diliget utiles ſibi, & bonos uiros: iucunda cupiet: ſatiabitur nimijs rebus & iniucundis: bona futura ſperabit, mala uentura metuet: lætabitur opinione boni præſentis: præſentia malorũ dolebit. Prudens igitur orator hoc conſiderabit, quid poſtulet cauſa, & eò iudicum mentes oratione flectet. Iſtorum uim naturamq; cognoſces in quæſtionibus Tuſculanis: materiam & tractationem, de Oratore lib 2. exẽpla in orationibus. Nam duriorum, hoc eſt affectuum grauiorũ, accuſatio Verris ſuppeditabit exempla. Mitiorum, defenſiones eiuſdem, ut pro Cluentio, pro Ligario. In actionibus peccata Verris amplificat, inculcat, infigit, ut admirentur iudices, ut iraſcantur, ut oderint. Intolerandam potentiam prædicat in ſocios, in ciues Romanos, in iudices corrumpendos, ut inuideant. Adulteria uiri & Chelidonem opponit, ut illius præturæ fœditatem contemnant. Proponit amittendorum iudiciorum metum, ſi reum abſoluant: ſpem retinendorum, ſi exilio multent. Pro Sexto Roſcio mitigat omnem iram atrocitate ſceleris excitatam. Quæ mala patiatur Roſcius, oſtendit ad conciliandum fauorem. Aufert á iudicibus de Sylla metum, ſpem Reip. confirmat. Chryſogonũ quamuis potentiſſimum, tamen ut uiliſſimum ſeruum cõtemnit. admiratur illud parricidij crimen. dolorem mouet á miſero ſtatu rerum præſentium. Exempla ſuis uerbis non explicamus, propterea quòd ſic infuſa ſunt uniuerſo orationum corpori, ut in cõpendium reuocari non poſſint: deinde quòd non erat opus id anxie colligere, quod omnibus obuium Cicero reliquiſſet. Has affectuum ſpecies tentaſſe ſe modo, non etiam perfeciſſe dicit. tentaſſe, quia magna uis & impetus animi inflammabat, ut ſe ipſe non teneret: non perfeciſſe, quòd ingenij uis defuerit. Quod cũ ipſe de ſe fatetur, haud dubie crimen arrogantiæ extimeſcit. Nã etſi in ueritate nulla arrogantia & inſolentia eſt, tamen arrogantiæ ſuſpicio uitanda eſt. Cum omnis arrogantia odioſa eſt, tum illa ingenij atque eloquentiæ multo moleſtiſſima: ſententia Ciceronis eſt in Diuinatione, quam ſic transfert Fabius: Omnis ſui uitioſa iactatio eſt, eloquentiæ tamen in oratore præcipue, affertq; audientibus non faſtidiũ modo, ſed plerunque etiam odiũ. Itaque modeſte ſua commendat exempla. Non utitur exemplis domeſticis, id eſt ſuis, quoniam Brutus ea legit. Vteretur alienis, uel Latinis, ſi ulla reperiret: ſed nemo erat, ut eſt in Bruto, qui ad iracundiam magnopere iudicem, qui ad fletum poſſet adducere. Vteretur exemplis Græcis, ſi deceret, hoc eſt ſi ratio Latina decorumq; pateretur: ſed, quod alibi ſcribit, non plus in oratione Latina ſolet uti græcis, quàm Græci latinis. Veteres illi Romani, ut Gracchi, rationes affectuum parum tenebant. Oratores maximi fuerunt tempore Ciceronis Lucius Craſſus, Marcus Antonius, Cotta, Sulpitius, quos omnes libro de Oratore differentes facit, quibus addatur Hortenſius. L. Craſſi perpauca ſunt exempla monumento literarum mandata, quia nullã iudicialem ſcripſit orationem. Suaſorias aliquot reliquit, ut quas olim tanquã locis contrarias agitauit nepos ille Brutus. Nihil præter unum de arte Rhetorica libellum ſcripſit Antonius, qui quantum mouẽdis animis poſſet, oſtendit in Aquilij defenſione: ſed nec ille magnopere iudices ad iracundiam fletum ue ducebat. Nihil Cotta tenuis orator, nihil Sulpitius grauis et ardens, poſteritati reliquit. Dicebat melius quàm ſcripſit Hortenſius. id aſſequebatur elegãti pronunciatione. teſtis eſt Cicero 3. de Oratore. Quintilianus 2. libro de Pronunciatione: Apparet, inquit, placuiſſe aliquid eo dicente, quod legentes non inuenimus. Vis affectuum quanta ſit, aut ſuſpicari, id eſt coniectura aſſequi poſſumus, aut exemplis optimi cuiuſque cognoſcere. Si exempla ſequimur antiquorum, á Demoſthene ſumamus, non illa breuia, quæ minus habent artis: ut, O' incredibile ſcelus, dij te perdant, miſerum me. ſed illa perpetuæ dictionis, id eſt, orationis continuæ, in quibus ſicut in ridiculis facetijsq; perpetuis, ars oratoria dominatur. Arduum magis eſt, Demoſthenem pro Cteſiphonte ſua facta, conſilia, merita in Rempublicam non modo narrare, ut intelligat auditor, ſed etiam rem totã multis affectibus immiſcere, ut moueatur quò uelit: quàm ſi impetum faciente natura, in unum aliquem affectum repente prorupiſſet. quemadmodum multo difficilius eſt, lepidas totas aptare narrationes, quàm breue ridiculũ dictumq; proijcere. De iudicio Cteſiphontis antea mentionem fecimus. Cicero ſic illam commendat orationem, ut includi poſſe arbitretur in eam formam quæ eſt inſita in mentibus noſtris: hoc eſt referre ideam & imaginem eloquentiæ perfectæ, cuius ſpeciem quandam inſeuit natura mentibus noſtris. non quòd ea ſit eloquentia numeris omnibus abſoluta, ut æterna Platonis idea: ſed quòd in ea parte ab homine maior eloquentia non inquiratur. Dictũ eſt enim, eloquentiam perfectam in uno aliquo reperiri nõ poſſe. SED iam ipſa forma reſtat, & character ille qui dicitur.] Artes quibus inſtituatur orator, & genera cauſarum, & locos communes attigit. Forma reſtat. á Græcis χαρακτὴρ, hoc eſt ſpecies & figura dicendi nominatur. Vis eius eſt aptare uerba rebus, & figuras tum rerum, tum uerborum, deinde compoſitionem, & numeros. Qualis eſſe debeat, & ipſis quæ ſupra dicta ſunt, intelligi poteſt. Nam cuiuſque generis nota et formula delineata eſt dictumq; ſuppellectilem oratorum poſitam eſſe in ornamentis, ex quibus alia rerũ ſunt, alia uerborum. Singula uerba, aut propria, aut aliena. In alienis eſſe, aut translata, aut facta aliunde ut mutuo, aut facta ab ipſo Oratore, aut noua, aut priſca, aut inuſitata. Collocata habere ornatum, ſi aliquid concinnitatis efficiunt, quod uerbis mutatis non maneat, manente ſententia. Sententiarũ ornamenta quæ permanent etiamſi uerba mutaueris, eſſe quidem permulta, ſed quæ emineant pauciora. His omnibus uelut luminibus ſic abundabit orator, ut

eſt, eleuatio, ἐξουθενισμὸς: Eieci ego te armatis hominibus, non deieci: ut tantum facinus non in æquitate iuris, ſed in una litera latuiſſe uideatur. Sic extenuauit ſcientiam iuris pro Murena: in quo μείωσις eſſe dicitur, quæ etiam extenuatio quædam eſt. Irriſio, διασυρμὸς, & σαρκασμὸς: Quod facerem uehementius, niſi mihi intercederent inimicitiæ cum iſtius mulieris uiro, fratrē uolui dicere, ſemper hic erro. Declinatio, à propoſito eſt egreſſio, ἔκβασις. qualis eſt pro Sexto Roſcio de accuſatoribus, & altera de ſtatu Reipublicæ. Exempla longiora uito. Propoſitio, ut alia multa, in figuris illuſtrioribus non habetur. Quo modo, inquit Fabius, iudex doceri poteſt, ſi deſit illuſtris explanatio, propoſitio, permiſſio, finitio, ſeiunctio, expoſitio ſentētiæ ſuæ, rationis apta concluſio, præmunitio, ſimilitudo, exemplum, digeſtio, diſtributio, interpellatio, interpellantis correctio, contentio, purgatio, læſio? Propoſitio eſt: Non fuit cauſa cur Næuius poſtularet à pratore, ut Quintij bona ex edicto poſſideret. Tranſacti definitio, ſententiæ ſuæ expoſitio, διορισμὸς & ἐπεξήγησις, qua quod ante dictum eſt, aliquo finiendi genere explicatur. Pro Roſcio: Teſtimonium dicturus eſt, qui & ſector eſt, & ſicarius, hoc eſt qui et illorum ipſorum bonorum de quibus agitur, emptor atque poſſeſſor eſt, & eum hominem occidendum curauit, de cuius morte quæritur. Reuocatio ſuiipſius: Sed finis ſit, neque enim præ lachrymis loqui poſſum. Finis non erit, ſi ſingula perſequamur. Plinius in epiſtolis: Penè præterij quod minime prætereundum fuit, accepiſſe me caryotas optimas. Iteratio dictorum, ἐπανάληψις à Rufiniano dicitur. Pro Quintio: Oſtendam primum cauſam non fuiſſe cur à pratore poſtulares, ut bona P. Quintij poſſideres: deinde ex edicto te poſſidere non potuiſſe: poſtremo non poſſediſſe. Quæſo C. Aquili, uoſq; qui eſtis in conſilio, ut quid pollicitus ſim, diligenter memoriæ mandetis. Nego fuiſſe cauſam cur poſtularet, nego ex edicto poſſidere potuiſſe, nego poſſediſſe. Argumenti cōcluſio figuram nouā induit, cū ratione firmatur: ut, His de cauſis ego huic cauſæ patronus exſtiti, nō electus unus qui maximo ingenio, ſed relictus ex omnibus qui minimo periculo poſſem dicere. Interrogatio, ἐρώτημα: Vbi eos conuenit? qui cum locutus eſt? quo modo perſuaſit? Pretium dedit? cui dedit? per quem dedit? unde & quantum dedit? Ad interrogata reſponſio, dicitur à quibuſdam ἀπόφασις: Domus tibi deerat? at habebas. Pecunia ſupererat? at egebas. Εἰρωνεία eſt, quæ cōtra ac dicat, accipi & ſentiri uelit. Nouum crimen C. Cæſar, et ante hunc diem inauditum, propinquus meus ad te Q. Tubero detulit, Quintum Ligarium in Aphrica fuiſſe. Eo refer & ea quæ falſo per modeſtiam dicuntur. Addubitatio, διαπόρησις uel ἀπορία. Equidem quò me uertam neſcio. Negem fuiſſe illam infamiam iudicij corrupti? negem illam rem agitatam in concionibus? euellam ex animis hominum tantam opinionem? Diſtributio: Animaduerti iudices omnem accuſatoris orationem in duas diuiſam eſſe partes. Alexandro Macedoni neque in deliberando conſilium, neque in prælìando uirtus, neque in beneficio benignitas deerat. Nam cum aliqua res dubia accidiſſet, apparebat ſapientiſſimus: cum autem confligendum eſſet cum hoſtibus, fortiſſimus: cum uero præmium dignis tribuendum, liberaliſſimus. ἀποδιώξις eſt, quæ aliquid relinquit ac negligit: Niſi forte expectatis, ut illa diluam quæ de peculatu ac de eiuſmodi rebus commentitijs inaudita nobis ante hoc tempus ac noua obiecit: de quibus cum uerbo arguit uerbo ſatis eſt negare. Præmunitio, προπαρασκευή: Anna ſoror, quæ me ſuſpenſam in ſomnia terrent? & quæ ſequuntur. Prætexit aliquid ad amorem ſorori detegendum. Reiectio criminis culpam in aduerſarium confert. In Antonium reiecit obiectum crimen: Tu tu inquā Marce Antoni princeps C. Cæſari perturbare omnia cupienti, cauſam belli contra patriam inferendi dediſti. Sic & parricidium refert in accuſatores Sexti Roſcij. Communicatio, ἀνακοίνωσις, aduerſarios conſulit, aut cum iudicibus deliberat. Si uos in eo loco eſſetis, quid aliud faceretis? Deſcriptio morum ſermonumq;, ἠθοποιΐα, hac utitur in Piſonem, & in Chryſogonū pro Sexto Roſcio. exempla longiora non pono. προσωποποιΐα, muta quædam loquentia inducit, ut in Catilinam: Si mecum patria ſic loquatur, Marce Tulli quid agis? quæ tecum Catilina ſic agit, & quodammodo tacita loquitur. Auerſio quæ à propoſita quæſtione abducit audientem, ἀποστροφὴ quædam eſt.

Non ego cum Danais Troianam excindere gentem.
Aulide iuraui.–

Huc pertinet ἀπροσδόκητον quæ audientem ducit in errorem. Hilaritas & riſus, ἀστεϊσμὸς dicitur, id eſt urbana ratio loquendi, ut lepida naratio in Cepaſios fratres pro Cluentio. & in Verrem, Execrabantur ſacerdotem qui tam nequam Verrem reliquiſſet. Occupatio, προκατάληψις. Neque me Argolica de gente negabo. Dicat aliquis, Sic inſtituis mores? Comparatio ſimilitudinū, ὁμοίωσις in qualitate, σύγκρισις in quantitate. Similitudo eſt: Fertur ut torrens. Comparatio: Tantum matri quantum patri debeo. Exemplum, παράδειγμα: Neque enim potuiſſet aut Ala ille Seruilius, aut Publius Naſica, aut Lucius Opimius, aut Caius Marius, aut me conſule Senatus non nefarius haberi, ſi ſceleratos ciues interimere nefas eſſet. Μερισμὸς eſt, qui aliud alij partiendo tribuit: Tres ſunt res quæ obſtant hoc tempore Sexto Roſcio, crimen aduerſariorum, & audacia, & potentia. Criminis confictionem accuſator Erucius ſuſcepit, audaciæ partes Roſcij ſibi popoſcerunt, Chryſogonus autem, is qui plurimum poteſt, potētia pugnat. Interpellatoris correctio, pro Rabirio: Nihil me clamor iſte commouet ſed conſolatur, cum indicet eſſe quoſdam ciues imperitos, ſed non multos. Quin continetis uocem, indicem ſtultitiæ ueſtræ, teſtem paucitatis? Reticentia, ἀποσιώπησις. Demoſthenes: Non pari ego & aduerſarius periculo ad iudicium uenimus, ſed mihi quidem, nolo quidquam initio dicendi ominoſius proloqui. Denunciatio cauentis: Verum homines notos ſumere odioſum eſt, cum & illud incertum ſit, uelint'ne ij ſeſe nominari. Παῤῥησία, id eſt licentia, liberius quid audet: Quid aliud egimus Tubero, niſi ut quod hic poteſt, nos poſſemus? Ira, ἀγανάκτησις: Fero ego te Torquate, iamdudum fero. Obiurgatio, ἐπιτίμησις, aliter ἐπίπληξις: Si quis eſt iudices, qui illam Poſthumi ſiue, inanem ſpem, ſiue inconſultam rationem, ſiue, ut grauiſſimo uerbo utar, temeritatem uituperandam putet, ego eius opinioni non repugno. Alia eſt: Patere tua conſilia non ſentis? Deprecatio, δέησις, Vos obſecro iudices, ut huic optimo uiro, quo nemo melior unquam fuit, nomen equitis Romani, & uſuram huius lucis, & ueſtrum conſpectum ne eripiatis. Supplicatio plus eſt quàm deprecatio. Præclarum eſt exemplum actione ſeptima in Verrē in peroratione, ubi ſupplex deos deaſq; obſecrat, quorum fana Verres depeculatus fuerat: Medela, quæ morbis & uulneribus adhibetur. Morbi dicuntur affectus: uulnera autem, acerba maledicta. Nunc eiuſdem Appiæ nomen quantas tragœdias excitat? Quæ cruentata antea cæde honeſti atque innocētis uiri ſilebatur, eadem nunc crebro uſurpatur, poſteaquam latronis & parricidæ ſanguine imbuta eſt. Eſt etiam medela quæ ἐπιθεράπευσις ab Aſconio dicitur in Verrē: An me taciturum tantis de rebus exiſtimauiſtis? Breuior à re digreſſio: Et aſpexit me illis quidem oculis, quibus tum ſolebat, cum omnibus omnia minabatur: Optatio, Vellem dij immortales feciſſent, ut P. C. ut uiuo potius Seruio Sulpitio gratias ageremus, quàm mortuo honores quæreremus. Execratio, ἀρά: O ſcelus, ò portentum in ultimas terras exportandum. Significatio familiaritatis, quædam eſt συνοικείωσις non illa, quæ duas res diuerſas colligit: Fide ſapientiáq; fretus, plus oneris ſuſtuli, quàm ferre me poſſe intelligo. Breuitas, βραχυλογία: Quæres à me, quo iure obtinere poſſim: quo iure mihi Pollenus reliquit, Prætor dedit poſſeſſionem. Alia ſunt exempla quarto ad Herennium.

Ὑποτύπωσις rem dicendo ſubijcit oculis: Ipſe inflammatus ſcele=

re ac furore,in forum uenit,ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emanabat. Superlatio, ὑπερβολὴ: Oceanus medius fidius uix uidetur tot res tam diſſipatas, tam diſtantibus in locis poſitas, tam cito abſorbere potuiſſe. Significatio maior quàm oratio, ἔμφασις:

Non licuit thalami expertem ſine crimine uitam
Degere, more feræ.

Hilaritas χαριεντισμός: Paulo ante ſcripſit, Sic dicet orator, ut ſæpe in hilaritatem riſum'ue conuertat. Illic accipimus ridiculũ ſalſumq́; dictum,quod riſum mouet: hic lepidum florenſq́; dicẽdi genus, quod etiam citra riſum exporrigit animum audientis, quale eſt in Rullum de obſcura concione. Imitatio μίμησις: Dicebam habere eos actorem Quintum Cæcilium. Quid mihi inquit,cum iſta ſumma ſanctimonia ac diligentia? Viderint, inquit,iſta officia boni uiri. Hæc conformationum ſylua, hoc eſt, confuſa materia eſt,quæ collocata ordine diſponendi, & inſtructa coagmentatione uerborum, & nexa uinculis numerorum, eloquentiæ magnitudinem oſtendit. DE quo cum mihi deinceps uiderem eſſe dicendum.] In elocutione figuræ uerborũ conſiderantur,ut tropi & ſchemata lexeos, deinde lumina ſentẽtiarum, poſtea iunctura ſyllabarum & coagmentatio: de qua cum dicturus eſſet, ueritus eſt,ne minora dignitate ſua tractare uideretur. Præſumit igitur ea,quæ obijci poſſunt, ut ſimul interuallis quibuſdam & egreſſionibus præcepta diſtinguat, ſimul obtrectatoribus occurrat. De collocandis uerbis ſtruendiſq́; cũ mihi deinceps uiderem eſſe dicendum,quia is eſſet locus alter loquẽdi, etſi mouebant me illa,quæ ſupra dixeram de rebus & partibus eloquentiæ perfectæ,tamen ij, quæ ſequuntur uerborum ſtructuris perturbabar magis,eo quòd minus eſt dignitatis in præceptionibus uerborum, quàm ſententiarum. Veniebant in mentẽ inuidi,quibus referta ſunt omnia: ueniebant etiam fauores laudum mearum,qui non cenſerent uiri conſularis eſſe, de artificio dicendi,literis tam multa mandare, quàm multa ſcripta ſunt in libris de Oratore,in Partitionibus, de Claris oratoribus, in fine Topicorum,in Oratore: quæ,etſi omnia plena ſunt auctoritatis quibuſdam,tamen inferiora uideantur honoribus uiri, de cuius meritis in Rempublicã permulta ſenatus iudicia feciſſet. Nam Q. Catulus princeps ſenatus, frequenti ſenatu M. Tullium parẽtem patriæ nominauit. L. Gellius Ciuicam coronam ei deberi à Republica dixit. Eidẽ togato Senatus nomine conſeruatæ Reipublicæ ſingulari genere ſupplicationis,deorum immortalium tẽpla patefecit,exuli patriam reſtituit, domum publico ſumptu refecit. Hæc ita magna ſunt, ut nihil literarum monumenta uincant. Itaque cauſam tuetur & Marci Bruti auctoritate,& exẽplo iuriſperitorum,& rei cum utilitate,tum dignitate. Cur autem M. Bruto ſatisfactum uelit,hæc faciunt,quòd Brutus eſt pars nominis ampliſſimæ familiæ,quòd rogat,quòd amiciſſimus,quòd præſtantiſſimus uir, quòd recta & honeſta petit. Deinde nemo iuſtus rerum æſtimator,qui res omnes æquo metiatur pretio,reprehendet eum,qui ſuo iure profiteatur ſe ſtudioſis dicendi præcepta,& quaſi uias,id eſt,methodos quæ ad eloquentiam ferunt, traditurum. Etenim Romæ non in ſagis, & in re militari, ſed in toga & in urbanis pacatiſq́; rebus,duæ fuerunt artes ampliſſimæ,eloquentia, & iuris ſcientia. Primas eloquentia partes habuit, ſecundas iuris ſcientia. In eloquentia, gratiæ, gloriæ,præſidij plurimum fuit, hoc eſt, oratores gratiam multorum amicitiamq́; iungebãt,magnam ſibi parabant gloriam, multos ueluti præſidio tuebantur. In iuris ſcientia, perſecutionũ cautionumq́; præceptio. Hoc enim officium iuriſperiti, præcipere quid perſequare iuſtum, quid caueas iniuſtum. Summa iuris eſt, Honeſte uiuito. Neminem lædito, Ius ſuum cuique tribuito. Hæc ipſa auxilium ab eloquentia petit,cuius oratione explicat æquitatem, coniecturas euoluit, rationem mentemq́; legis exponit, ſcriptum & uoluntatem,quæq́; leges euentu colliduntur, inter ſe comparat. Nimium muta ſi ſola eſt iuriſprudentia. Quemadmodum princeps opibus & arte bellica inferior aduerſus hoſtem ſuos fines tueri non poteſt,ita iuriſprudentia repugnante & concertãte eloquentia uix ſuas regiones fineſq́; defendit. quod tum aperte uidebatur,cum oratores cauſas dicerent, iuriſperiti ueluti monitores conſiliũ ſuggererent. Ergo ſi ius ciuile docere, ſemper pulchrum fuit,hominumq́; clariſſimorum, ut Scæuolæ,ut Sulpitij, diſcipulis domus floruerunt: cur uituperetur qui eloquentiæ præcepta profiteatur,& ad dicendum acuat, & adiuuet in eo iuuẽtutẽ? Certe quod in eo genere maius eſt, id quoque honeſtius uidetur. Idem ἐκ τῶν πρὸς ἄλληλα, id eſt,ex his quæ ſub eandem rationem ueniunt,& conſequentia ſunt,oſtendi poteſt. Non eſt uitioſum dicere ornate,non igitur uitioſum diſcere ornate. Non eſt turpe diſcere,quod ſcire honeſtum eſt. quod autem noſſe pulcherrimum eſt,id quoque glorioſum docere. Eiuſmodi eſt eloquẽtia: quæ ſi quos ornat, honeſta ſit neceſſe eſt: ornat autem eos penes quos eſt.qui ſunt eloquentes: ornat uniuerſam Rempublicã. Pulchrum quidem ciuitati & imperio, ciues habere eloquentes,qui concilia, iudicia, conciones, legationes oratione moderari poſſint. AT alterum factitatum eſt,alterum nouum.]

Proponit ἀντιπροφορὰς & obiectiones numero tres, quas ordine refutet. Semper,inquiunt aduerſarij, factitatum eſt, ut iuriſperiti docerent,nouum eſt Romæ inſtitutionis oratoriæ genus.

Etenim ſi de ſcriptoribus agimus Romanorum, primus, quantũ ego quidem ſciam,inquit Quintilianus, condidit aliqua in hanc materiam Marcus Cato ille Cenſorius, poſt,Marcus Antonius inchoauit. Si de ludimagiſtris loquimur, eos paulo ante tempora Marci Antonij cœpiſſe conſtat. Diſſoluit iſtuc Cicero,non id eſſe factum rei indignitate, ſed occupatione oratorum & imperitia docendi. Sat erat diſcipulis, ſi iuriſperitos reſpondentes conſulentibus audirent. quamobrem ij qui docebant, nullum ſibi ad docendum tempus ipſi ſeponebant, cum eodem tempore & diſcipulis ſatisfacerent, & conſulentibus. Oratores domeſticum tẽpus adhibebant,primum cognoſcendis à litigatore cauſis,deinde componendis ac digerendis in orationem. Forenſe tempus inſumebant agendis cauſis: reliquum temporis ſpatium in ſeipſis reficiendis curandiſq́; omne conſumebant. Non habebant igitur inſtituendi adoleſcentes,aut docendi,locum,quod eſt tempus opportunum. Ne miremur igitur ſi ante iuriſconſulti, quàm oratores iuuentutem docere cœperunt. Altera cauſa eſt: Plerique Romanorum, non ita multi Græcorum, ingenio naturaq́; plus ualuerunt quàm doctrina. Ingenioſi dicere poterant ex communi illa hominum opinione, ineruditi præcipere de arte dicendi nõ poterant. Nõ præcipiebant igitur ij qui diſſerebant. Ingenium quidem non arroget ſibi Cicero modeſtus, ſed diſcendi laborem, quo præcipere poſſit. Scit autem ſe & ingenio & doctrina ualere. Alterum quod obijcitur,hoc eſt,docere Rhetoricas artes,dignitatem non habet,Romæ maxime, ubi honoribus, magiſtratibus,imperijs & gloriæ ſtudeant omnes,qui nolint eſſe in otio, in ſchola,in umbratili uita, ſed in adminiſtratione Reipublicæ, in luce & ſplendore ciuium. Hic occurrendo duplicem facit doctrinam: alteram ludimagiſtri,quæ ut honeſta eſt, ſic iſto iudice,alta dignitate & ſplendida magnificentia caret: quanquã Socrates,Plato,Ariſtoteles,Theophraſtus, non minorem ſibi gloriam in ſchola quæſierunt, quàm qui Romæ aut ſenatores aut conſules fuerunt: & huic eidem Marco non minus ad gloriæ fructum domeſticæ literæ,quàm res in Republica geſtæ attulerunt. Alterum docendi genus eſt,cum monemus aliquem ſui muneris,cum cohortamur ad ſuſcipiendum aliquid, cum percontamur quæ ſit eius aliqua de re ſententia, cum communicamus ſtudia noſtra,cum unà legimus aliquod ſcripti genus,cum audimus alium uerba facientem, cum docemus rudiores nobis. hoc genus non tollit uiri dignitatem. Nam quemadmodum iuriſperiti nihil amittunt ſuæ dignitatis, ſi tradunt eam formulam &

eam

eam uerborum conceptionem, quæ ſit utendum in alienatione ſacrorum: ſic & orator non amittit dignitatem, ſi docet quibus uerbis qua'ne ratione dicēdi ſacra retineri defendiq; poſſint. Hic cum iuriſperito confertur orator, & uerba iuris cum uerbis orationis. Non profana modo, ſed etiam ſacra familiarum poſſunt alienari. Alienatio profanorum liberior, eaq́; cauſa notior, arte minus eget. hinc itaque non deſumitur exemplum. Alienatio ſacrorum libera minus, formulas & uerborum conceptiones habet occultiores. quærit igitur eruditionem & ſcientiam iuris. Hinc igitur maluit exemplum ducere, in quo partes alienandi iuriſperito, retinendi uero tribuit oratori, quoniam ſecundæ ſunt in actione, & honeſtiores uidentur. Sicut autem nulla ſunt oratori uerba certa & propria, quibus ſacra retinere poſſit, ſed è cōmuni extruendæ orationis artificio propria componit: ita iuriſperitus è genere legum ſpecies educit, è formis autem ſingulas partes. Quibus ergo uerbis ſacrorum alienatio fiat, reſpondebit è communi formula, ſicut orator ex uniuerſo genere præceptionū colliget quibus ſacra uerbis retineri defendiq; poſſint. De ſacris publicis hic non agitur, ſed familiarum, quibus erant ſacra propria ac domeſtica, de quibus Cicero pro Domo ſua: Quæ deinde cauſa cuique ſit adoptionis, quæ ratio generum ac dignitatis, quæ ſacrorum, quæri à pontificum collegio ſolet. Ibidem: Quas adoptiones, ſicut alias innumerabiles, hereditates nominis, pecuniæ, ſacrorum ſecutæ ſunt. Hinc elicias per adoptionem ſacra aliquando alienari. Ibidem: Ita perturbatis ſacris, contaminatis gentibus, & quas deſeruiſti, & quas polluiſti, iure Quiritium legitimo tutelarum & hereditatum relicto, factus es eius filius contra fas, cuius per ætatem pater eſſe potuiſti. Ibidem: Quid? Sacra Clodiæ gentis cur intereunt, quod in te eſt? Horum ſacrorum deteſtatio interim fieri ſolebat in comitijs calatis. Gellius lib. 15. Iiſdem comitijs quæ calata appellari diximus, & ſacrorū deteſtatio, & teſtamenta fieri ſolebant. Tertium eſt quod obijcitur, moris eſſe diſſimulare artificium dicendi, non item iuris prudentiam: quia prudentia qua ualere debet iuris interpres, hominibus grata eſt: lingua dicentis artificio polita, ſuſpicione falſi laborat. quamobrem ius profitentur etiam qui neſciunt, aut prudentia freti, aut quæſtu ducti, aut temeritate impulſi. Eloquentia autem illi ipſi qui conſecuti ſunt, tamen ſe ualere diſſimulāt, ut ille Marcus Antonius diſſimulator artis. hinc effici uidetur, non eſſe diuulganda præcepta dicendi. Occurrit hoc modo, neque artem latere poſſe, neque ſe unquam doctrinam diſſimulare noluiſſe. Eloquentia latere non poteſt: nec ſi diſſimulat artem, ſuſpicionem tamen effugit, quoniā ſubeſſe artem ſentiunt omnes: nec turpe tibi eſt alios id docere, quod tu ab alijs ipſe didiceris honeſtiſſime. Quod igitur neque celari poſſit neq; ſi poſſit debeat, nemo uereatur eius præcepta profiteri. Ac fortaſſe oratores cæteri tectiores ac diſſimulatiores eruditionis fuerunt. Etenim permulti uerebantur, ne ſi detegeretur artificium, minus auctoritatis haberent in dicendo, minusq; aſſequerentur fidei. Ego ſemper, inquit, me didiciſſe præ me tuli. Qui enim poſſem? hoc eſt eruditionē diſſimulare nō poſſem, cū abfuiſſem adoleſcens ab Italia, rhetoricorumq; ſtudiorum cauſa mare Ionium tranſiiſſem in Græciam. Cicero cum Moloni Romæ dediſſet operam, profectus Athenas, cum Antiocho ueteris Academiæ philoſopho, cumq; Demetrio Syro dicendi magiſtro fuit: deinde peragrauit Aſiam, ubi uerſatus eſt cum Menippo oratore florentiſſimo hinc Rhodum uenit, ſeq; ad eundem quem Romæ audiuerat Molonem applicauit. Vbi domum reuerſus eſt, ac in cauſis agendis anteceſſit omnes, doctiſſimis hominibus domus eius referta eſt. Confluebant enim plerique adoleſcentes ad optimum dicendi magiſtrum, ſummumq; temporis eius oratorem. Inerant in ſermone uiri doctrinarum notæ, quæ multarum ſigna ſunt artium. Nec in ſermone tantum doctrinam redolebat, ſed & in ijs orationibus quæ ab eo ſcripta uulgo legebantur: propterea nō erat cui probaret nihil ſe arti dediſſe, niſi parum profeciſſe uideretur, qui plurimum profecerat. QVOD cū ita ſit, tamen ea quæ ſupra dicta ſunt, plus in diſputando, quàm ea de quibus dicendum eſt, dignitatis habuerunt.] Planum factum eſt, orandi profeſſionem nihil habere indignitatis. quod cum ita ſit, tamen ea quæ ſupra dicta ſunt de partibus eloquentiæ perfectæ, plus in diſputando dignitatis habuerunt, quàm ea de quibus poſtea dicendum eſt, cuiuſmodi ſunt iunctura, pedes, numerus. De uerbis enim componendis, & ordine digerendis, & de ſyllabis propemodum dinumerandis & dimetiendis agitur. Verba componuntur ut in muro lapides, ne quid ſit hiulcum, diſſentaneum, inæquale. Dinumerantur autem ſyllabæ, & comprehenduntur temporibus & interuallis, ut breuibus & longis tanquam pedibus apte progrediatur oratio. Hæc etiam ſi ſunt, ſicuti uidentur, neceſſaria, quia nihil intrare poteſt in affectum, quod in aure uelut quodā ueſtibulo ſtatim offendit, tamen fiunt magnificentius quàm docentur. Eſt id omnino, id eſt, rebus in omnibus, uerum, magnificentius aliquid fieri quàm doceri, propterea quòd fini proprior eſt uſus: proprie tamen illud in hac uerborum compoſitione dicitur, quia nihil maius uidetur, quàm perſequi numeros orando: contra nihil humilius, quàm docere ſyllabas & pedes orationis. Id autem natura comparatum uidetur, ut omnium magnarum artium, qualis eſt rhetorice, altitudo nos delectet, radices, & ſtirpes, quæ ſtatim ab radice prodeunt, non eodem modo. Ea quidē prima ſunt artium fundamenta, diſcendi moleſtiora. Quia uero altitudo ſine radicibus imis ac primis ſtirpibus eſſe non poteſt, iaciuntur honeſte fundamenta. Reſponſū eſt eis, quos aliquid reprehenſuros coniectura fuit. huc accedit peruagatiſſimus ille uerſus iambicus trimeter, quem uulgo inter artifices iactari ſolitum ſignificat: Ne pudeat artem proloqui quam factites. cuius eſt hic ſenſus, Turpe non eſt explicare uerbis eam quam factitas artem. Nec enim turpius eſt aliquid proloqui, quàm idem facere. Huc aliquid affert etiam ſtudium Bruti, quæ magna uiro fuit ſciendi uoluntas, à qua uolumen hoc expreſſum & ueluti extortum uideri cupit. Huc adijcienda ratio temporis. Etenim regnāte Iulio Cæſare, & libertatem occupante, conciderunt forenſes artes, id eſt illæ cauſæ iudiciales, quæ magno cum apparatu agi ſolebant. Conciderunt actiones publicæ, id eſt orationes perpetuæ, quæ in ſenatu & concionibus habebantur. Quamobrem Cicero relicta ciuitate ſeceſſit in Tuſculanum: ubi ne ſe aut deſidiæ, ut uoluptuarius, aut mœſtitiæ, ut impatiens imperij dederet, horis matutinis rhetoricari, pomeridianis philoſophari cœpit. Videretur ergo durus & agreſtis homo, id eſt moroſus, indomitus, & inhumanus, qui non daret ei ueniam, ſi quæ literæ antea in iudicia atque in curiam & ſenatum deducebant, poſtea oblectarent domi, quandoquidem ſenectutis dulcis eſt omnis eruditio. Nec uero talibus modo rebus, quales hic liber cōtinet, ideſt rhetoricis artibus ſe dedidit, ſed multo etiam grauioribus & maioribus, quas philoſophia profitetur. Scripſit enim de philoſophia libros tot & tantos, ut illæ domeſticæ & quietæ literæ, forenſibus rebus & ſcriptis orationibus reſpondiſſe uideantur. COLLOCABVNTVR igitur uerba, aut ut inter ſe quàm aptiſſime cohæreant extrema cum primis.] Collocationem uerborū partitur in iuncturam, qua inter ſe quàm aptiſſime cohærent extrema uerbi prioris, cum primis ſyllabis proximi uerbi: in uoces ſonosq; uerborum: in numerum quendam apte cadentem, quo forma ipſa concinnitasq; uerborum, id eſt figura aut ſimiliter cadēs & deſinens, aut paria ac contraria referens, conficit orbem ſuū, id eſt abſoluit periodum: tandem in numerū artificioſum, quo comprehenſio, id eſt periodus citra figuram uerborum numeroſe & apte cadit. In his eſt compoſitio uerborum. Quintilianus diuidit in ordinem, iuncturam, & numerum. Iunctura uel maxime deſiderat diligentiam, ut fiat quaſi ſtructura quædam, & uerba uerbis ſic coagmententur, ut in pauimēto muroq; lapides.

id fiet, ſi quo optime ſedent, eo demum componantur loco. Ne tamen fiat iſtuc operoſe, nimiaq; cura. nam eſſet cum infinitus, tum puerilis labor. Infinitæ quidem ſunt ſyllabæ atque iuncturæ: & puerile eſt, omiſſa grauitate rerum, hærere circa momenta uerborum. Hinc apud Lucilium Satyræ inuentorem Mutius Scæuola augur reprehendit Albutium in oratione, quã dixit de pecunijs repetundis contra T. Albutium, & aduerſarium tanquam nimiũ ſtudioſum compoſitionis inſectatus eſt. Cicero tertio de Oratore: Collocationis eſt componere & ſtruere uerba, ſic ut ne'ue aſper eorum concurſus, ne'ue hiulcus ſit, ſed quodammodo coagmentatus & leuis: in quo lepide ſoceri mei perſona luſit is, qui elegantiſſime id facere potuit Lucilius: Quàm lepide lexeis compoſtæ, ut teſſerulæ omnes Arte pauimento, atque emblemate uermiculato. quæ cum dixiſſet in Albutium illudens, ne à me quidem abſtinuit. Craſſum habeo generum, ne ἐπτοφαύτερος tu ſis. Λέξεις, id eſt dictiones & uerba, quàm ſunt lepide ſuauiterq; compoſita in oratione, non aliter quàm teſſerulæ arte cõponuntur in pauimẽto. Teſſerulæ ſunt lapilli quadrati laterei'ue, quibus ædium ſolum conſternitur: quod opus apte conſertum, & effigie rerum animaliumq; diſtinctum, emblema uermiculatum dicitur. ἔμβλημα, opus inſititium, ἀπὸ τοῦ ἐμβάλλω, quod eſt interſero. Vermiculatum, minutim ſectum atque uariatum. Id operis non in pauimento modo, ſed etiam in pariete ſtrui aptariq; poteſt. Sunt alia emblemata uaſorum, de quibus non hic agitur. Quòd igitur hæc ſolicita coagmentatio præbet anſam male dicendi, non uult tam minuta hæc conſtructio, id eſt, compoſitio appareat, quàm minutum eſt uermiculatum opus. Stylus eſt exercendus, multaq; ſæpe ſcribenda ſunt, ut etiam feſtinanti pateat illa uia componendi. Nam quemadmodum in legendo oculus exercitatus & priora uidet, & ſequentia intuetur, ſic animus in dicendo aliud agens etiam proſpicit quid ſequatur, ne extremorum uerborum cum inſequentibus primis concurſus & iunctura, aut hiulcas uoces efficiat in uocalibus, aut aſperas in conſonantibus, cuiuſmodi ſunt, Non eſt magnum habere aurũ atque argentum: Illa bona natura caduca facilè labuntur. Vſus autẽ compoſitionis eſt, ut ſententiæ leniùs ac molliùs ad aurem perferantur. Quæ ſi inconditis & incompoſitis uerbis efferuntur, offendunt aures: ut ſi dicas, Res paruæ creſcunt concordia, magnæ labuntur diſcordia. Aurium eſt iudicium ſuperbiſſimum. Repudiant enim quidquid incompoſitum & inſuaue eſt. quippe natura modos amamus, & ut muſice, ſic & orandi ſuauitate capimur. Indoctus eſt, ut aiunt, qui à Muſis & Gratijs abeſt. Vitanda eſt igitur aſperitas, quæ acerbius corradit aures, niſi cum ex induſtria affectamus aſperum & ſpinoſum dicendi genus. Quod quidem aurium iudicium latina lingua ſic obſeruat, ut nemo tam ruſticus ſit, & in ſermone durus, quin uocales nolit coniungere. Lego quin, non qui. Senſus eſt: Non urbani modo, ſed etiam ruſtici nolunt uocales coniungere. Inde ſunt multæ conciſiones uſitatæ uulgo ad euitandum uocalium concurſum, de quibus poſtea dicetur. Neque ſi nolunt, ideo ſemper euitant, ſed frequenter euitãt, adeo ut uocales ſine uocalibus breuitatis cauſa contrahãt. Non procedit illud, eum ruſticum cenſeri, qui uocales nolit coniungere. Non enim quia non uult, eſt ruſticus, ſed nimium mollis & delicatus. In hac obſeruatione reprehenditur Theopompus hiſtoricus, Iſocratis ille diſcipulus, quem præceptor egere freno dictitabat. Is uocales tantopere fugit quantopere magiſter eius Iſocrates. Princeps Iſocrates inconditam antiquorum dicendi cõſuetudinem, delectationis atque aurium cauſa, numeris adſtrinxit: qui quantopere uocalium concurſum fugerit, oſtendunt eius orationes, ut Areopagiticus. Thucydides celeberrimus hiſtoriæ ſcriptor, hiatum frequenter admiſit, ut hic: πολλάκις μὲν ἤδη ἔγωγε καὶ ἄλλοτε ἔγνων δημοκρατίαν ὅτι ἀδύνατόν ἐστιν ἑτέρων ἄρχειν. Plato quidem ſcriptor haud paulo maior, id eſt, multo maior quàm Thucydides, in dialogis, id eſt, in ſermonibus ad diſſerendum cõparatis, hiatum uocalium ex induſtria recipit, ut quotidianæ linguæ decorum ſeruet, ut hic, τί τηνάδε δρῖξαι ἢ χεῖρον; ἢ οὐ περὶ ἔτι ἐσί. Vtitur & in oratione, ut in apologia Socratis. Εὖ ἴστε ὅτι ἀληθῆ ἐστιν καὶ τοῦτ' ἐστὶν ὃ ἐμὲ αἱρήσει, ἐάνπερ αἱρῇ, οὐ Μέλητος, οὐδὲ Ἄνυτος, ἀλλ' ἡ τῶν πολλῶν διαβολή τε καὶ φθόνος. Vtitur eodem concurſu in oratione populari, id eſt ea quæ quòd ſit habenda ad populum, delitias aurium uenatur, qua mos eſt Athenis laudari in concione & in conuentu populi eos, qui ſunt in prælijs interfecti, ut ad uirtutem bellicam iuuenes excitentur. Ea ſic probata eſt, ut eam quotannis illo die quo primum habita eſt, recitari neceſſe ſit, quæ legis & moris neceſſitas eſt. Epitaphiũ Platonis ſignificat, & orationem funebrem, quæ extat adhuc, ubi reperias multam uocalium concurſionem, ut: Ναυσὶ δὲ ἔτι νῦν, ἀμάχοι εἶναι δοκοῦσιν ὡς. Demoſthenes in ea uocum concurſione parcior eſt, nec tamen ſuperſtitioſe fugit. Sed Græci uiderint, quibus dedit ore rotundo Muſa loqui, nobis eſſe tam diſertis haud licet. Sermo Romanus, inquit Fabius, non recipere uidetur illam ſolis conceſſam Atticis uenerem. Adde quòd inopia uerborum laboramus, ut ne ſi cupiamus quidem, diſtrahere uoces, & hiulcum concurſum uitare concedatur. Indicant orationes horridulæ, id eſt, aliquantum aſperæ, Cenſorij Catonis, quale eſt hoc ex oratione de præda militibus diuidunda: Fures priuatorum furtorum in neruo atque in compedibus ætatem agunt: fures publici in auro atque in purpura. Indicant omnes poetæ Latini, qui ut ſuauitati ſtuderent, collidebant uocales quidem, nõ tamen ſemper, ſed ut uerſum facerent ſæpe hiabant, ut Neuius ille tragicus, cuius eſt hic uerſiculus ſenarius:

Vos qui accolitis Hiſtrum, atque Algidam.

Hic pronomen Qui, & ſyllaba prima uerbi Accolitis, non conflantur in Syllabam unam. ſic & in poſteriore trimetro:

Quem nunquam nobis Grai atque Barbari.

Poſtrema uerbi Grai, cum prima parte coniunctionis

Atque, non eliditur. Eodem Virgilius uſus eſt hiatu:

Et ſuccus pecori, & lac ſubducitur agnis.

In Actæo Aracyntho.

Aſtant iuniperi, & caſtaneæ hirſutæ. Lucretius.

Sed magis ut merito poſſis euenta uocare

Corporum, atque loci, res in quo quæque gerantur.

Ennius ſemel admiſit hanc figuram ſynalœphæ contrariam, ut in hoc initio carminis heroici: Scipio inuicte. Scipio dactylus eſt ſine ulla colliſione. Et quidem nos ſemel admiſimus hunc hiatum. de ſe loquitur ipſe. Cicero quidem uerſus aliquando ſcripſit, ut ipſe teſtatur epiſtola quadam. Scripſi etiam carmina quædam. nam ab orationibus diſiungo me ferè, referoq; ad mãſuetiores Muſas, quæ me maxime, ſicut iã à prima adoleſcentia, delectarunt. Scripſi etiã uerſibus tres libros de temporibus meis; quos iampridem ad te miſiſſem, ſi eſſe edendos putaſſem. Idem Aratum latinum fecit, cuius carminis hodie fragmenta reſtant. in eo fuit hic uerſiculus heroicus:

Hoc motu radiantis Eteſiæ in uada Ponti.

Pertinet ad hunc Arati locum:

Τῆμος καὶ κελάδοντες ἐτησίαι εὐρέϊ πόντῳ

Ἀθρόοι ἐμπίπτουσι.

Tum obmurmurantes Eteſiæ uaſto mari collecti ruunt. Eteſiæ annui ſunt uenti, qui, ut ait Gellius, certo tempore anni cum Canis oritur, ex alia atque alia parte cœli ſpirant. Ariſtoteles in Meteoris dicit ab Arcto ſpirare. Eteſiæ, inquit, flant ab Vrſa poſt æſtiuam ſolis uerſionem, & ortum Caniculæ, Borealis plagæ niuibus liquatis. flant interdiu, noctu remittuntur. ἐνιαυτὸς annuus redditur. Cicero imitatus eſt Aratum, qui in eodem uerbo non eliſit uocalem. Idem facit Lucretius in 6.

Aut quia ſunt æſtate aquilones oſtia contra

Anni tempore eo, qui Eteſiæ eſſe feruntur.

Hoc Latini frequens haud ferant, Græci etiam laudare ſolent,

quod

quod Homero frequentiſſimum eſt, ut ſtatim initio Iliados, μῆνιν ἄειδε θεὰ πηληϊάδεω ἀχιλῆος: Et primo uerſu Odiſſeæ, ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον. Multos id genus uerſus apud eundem aliosq́; poetas Græcos reperies. SED quid ego? Vocales ſine uocalibus ſæpe breuitatis cauſa contrahebant.] Non hiatus ille modo uocalium offendit aures, ſed etiam quarundam conſonantiũ moleſta concurſio eſt. Ne miremur ergo ſi ueteres Latini uocales ſine uocalibus ſæpe breuitatis cauſa contrahebant, ut ita dicerent, multi' modis, uas' argenteis, palm' & crinibus, & tecti' fractis: pro multis modis, uaſis argenteis, palmis & crinibus, tectis fractis. Nam ſi interrogemus aures, hæc integra durius enunciantur. Similem in Terentio contractionẽ reperies, Modo ut tacere poſſi', abi ſis inſciẽs. hem iſtuc uiri eſt officiũ in me omnis ſp' eſt mihi. Sic ueteres pronũciabant, ut in oratione Græci. Dicet aliquis, cum multi' modis, & tecti' fractis enunciamus, non uocalem contrahimus, ut uult Cicero, ſed s literam tantum ſupprimimus. Ita quidem uidetur, ſed multi' modis proferimus ut omnipotens, correpta contra naturam ti ſyllaba, non in uerſu quidem, ſed in pronũciatione uerborũ. Vocalis igitur in breuius tempus & interuallũ contrahitur. Lucretius hæc duo coiunxit: multimodis agitatur, & omnius accipit in ſe Lætitiæ motus. Hoc uero licentius antiqui, quòd hominũ etiam nomina, quæ ferè manent eadem apud omnes, ut Amilcar, Annibal, contrahebant, quo eſſent aptiora, id eſt, ad uſum faciliora, ac magis decora. Vnde Duelliũ eum qui Carthaginienſes prælio nauali deuicit, Belliũ nominauerunt, cũ maiores appellati eſſent ſemper Duellij. Hoc Quintilianus aſſumit: Nec non, inquit, eadem fecit ex duello bellũ. unde Duellios quidã dicere Bellios auſi. Florus in Epitome, Cn. Duellius Coſ. aduerſus claſſem Pœnorũ proſpere pugnauit, primusq; omniũ Romanorũ ducum, naualis uictoriæ duxit triumphũ: ob quam cauſam ei perpetuus honos habitus eſt, ut reuertenti à cœna tibicines canerẽt, et funale præferretur. Sunt qui Duilliũ ſcribant, inepte, mea ſententia. Eadem ratione à duello, quod duarũ partiũ certamen eſt, fecere bellũ, non ex eo dictũ, quòd minime bellũ pulchrumq́; ſit, ut indocti fabulantur. Eadem ratione à duis, quod aduerbiũ natũ eſt à uocabulo duo, bis particulam fecerũt. Quædam contrahuntur non uſus, id eſt conſuetudinis, cauſa, ut Bellius, ſed auriũ gratia, quæ fugiunt literã uaſtiorem, id eſt rictũ diducentem, et agreſtiorẽ: ut, Verſter Axilla Brute, Ala factus eſt M. Brutus paterno genere à Iunio Bruto duxit originẽ, materna ſtirpe ab Ala Seruilio, qui Spuriũ Meliũ largitione frumentaria regnũ affectantem interemit. Cic. Philippica ſecunda: Etenim ſi auctores ad liberandam patriam deſiderarentur, illis auctoribus Brutos ego impellerẽ, quorũ uterq; Iunij Bruti imaginem quotidie uideret, alter etiã Alæ? His igitur maioribus orti, ab alienis potius conſiliũ peterẽt, quàm à ſuis? & foris potius quàm domi? Is ergo primum dictus Axilla, deinde Ala, poſtea Hala: & tam Axilla quàm Ala nunc propria nomina ſunt, nunc cõmunia. Propter eandem literã x, è maxillis malas, e taxillis talos, è uexillis uela cõſuetudo elegãs Latini ſermonis effecit. Alia contrahuntur in cõpoſitionem, nec ſimplicia mutantur ut ſuperiora. Horũ frequens erat uſurpatio Comicis. Sodes, pro ſi audes. Sis, pro ſi uis. hæc ex duobus ſunt. Capſis ex tribus, cape ſi uis. Terent: Dic ſodes, quis heri Chryſidem habuit? Idem, Abi ſis inſciens. Cicero pro Roſcio: Refer animum ſis ad ueritatem. Ciceroni repugnare uidetur Fabius. Ex tribus corporibus, inquit, uerba coaleſcere noſtræ utique linguæ nõ conceſſerim quamuis Cicero capſis dicat eſſe compoſitũ ex cape & ſi uis. Cõcedat aliquando, non utiq; quod eſt ſemper. Mollius eſt, non autẽ breuius, nequire pro nõ quire: ſed etiã non queo diximus. Cicero pro Sexto Roſcio: Tenuitas hominis eiuſmodi eſt, ne diſſimulari nõ queat. Malle et nolle dicuntur, nõ ita frequenter magis uelle, et nõ uelle, niſi interiectis alijs uerbis: quæ ut ſeparari poſſunt, ita nunquã dicimus uult, ſed nõ uult. Deinde et exinde patiuntur apocopẽ, ac in diſſyllaba reducũtur, dein, exin, quibus uti licet in oratione. Liuius. Exin duabus admotis quadrigis, in currus earũ diſtentum illigat Metiũ. Quid? illud olet unde ſit, nobiſcum? certe ad æſchrologian & cacophaton uitandum, quoniam obſcœnius concurrerent literæ, & ex ſyllaba cum, ac priore parte uerbi nobis, id contexeretur uocabulũ, quo muliebria membra ſignantur. Effugies illam turpitudinem, ſiquid interpoſueris, hoc modo, Cum autem nobis non dicetur. Pullos aufert caſſita cũ ſuo nido. Venerat cum multis nuntis. Hinc illa turpia dicuntur: Arrige aures Pamphile, Incipiunt maria exagitata tumeſcere, Dorica caſtra, Numerum cum nauibus æquat: quia in his omnibus ſe referre poteſt animus auditoris ad id quod natura turpe ſit. Quæret aliquis, cur ergo dicimus, mecum, tecum, ſecum qui cum, nobiſcum, & cætera id genus, quæ nullã fugiunt αἰσχρολογίαν: Vt eſſent, inquit, illi ſimilia nobiſcum. Hoc igitur ad effugiendum cacophaton, illa ad analogian quandam reperta ſunt. Cicero de Oratore: Noluimus cum me, & cum te dicere, ne eidem computationi adiungendum eſſet cum nobis: ſed potius mecũ tecum, & ſecum, & nobiſcum diximus, cum præpoſitione, quæ facit obſcœnum, aſſidue poſtpoſita. ATQVE etiam à quibuſdam ſero iam emendatur antiquitas, qui hæc reprehendunt.] Syncope fit & conciſio, molliendi uerbi gratia. quod qui non intelligunt, & neceſſitate metri ſolum fieri arbitrantur, ſero iam, ideoq́; fruſtra emendant antiquitatem, quæ etiam in oratione dicebat, Proh deum atque hominum fidem. quod & Cicero uſurpauit pro Roſcio Comœdo. Proh deum hom.numq́; fidem, hoc Roſcius unquam à Cluuio petiuiſſet? Nec ſi Terentius dixit in Andria, Proh deum atque hominum fidem, neceſſitate coactus id dixit. ſecutus eſt ueterem illũ morem loquendi. Ridet igitur eos qui ſemper dicendũ putant, proh deorum atq. hominũ fidem, cum utrunq; liceat, deum & deorũ. Ita credo, inquit, hoc illi ueteres neſciebant. quaſi dicat, optime ſciebant id eſſe uerum & integrũ, ſed dabat conſuetudo licentiam, aut potius ratio ſuauitatis inducebat hanc conſuetudinem. Itaq; idem poeta, id eſt unus & idem, ſiue Accius (ut opinor) ſiue alius quiſſ iã nomina neutra in caſu patrio concidit, Meum factum. contra maſculinum ponit integrum, ut liberorũ. unde colligitur id eſſe conſuetudinis & licentiæ eiuſdam: unde paulopoſt auribus indulgere conſuetudinem ſcribit, & indoctam conſuetudinem ſuauitatis artificem. Truncati ſunt iambici tres:

Patris mei meum factum pudet.
Texitur exitium examen capiti.
Nanque Aeſculapij liberorum.

Octonarius eſt unus. Neque tuũ unquam in gremiũ extollas liberorum ex te genus. Nihil eſt autem cur ſenſus horum uerſuũ petamus, quia non extat id opus, unde quod deeſt explere poſſimus. Cæterũ inde colligas licet, neutra concidi, & liberorum & liberum pro natis uſitate dici. Cicero tertia actione in Verrem: Nemo iam Dolabella, neque tui, neque tuorum liberum, quos tu miſeros in egeſtate atque ſolitudine reliquiſti, miſereri poteſt. Plerique ſic loquebantur, ut cupidum liberum dicerent, non liberorum. in liberum haberi loco, qui percharus eſſet. Cicero tertia actione in Verrem, Habitus ſit in liberum loco. Alterius poetæ ſenarij quatuor non oſtendunt maſculina modo, ſed etiam neutra ab antiquis eſſe conciſa:

Ciues antiqui amici maiorum meum,
Conſilium ſocij, augurium atque extum interpretes.
Poſtquam prodigium, horriferum portentum pauor.
Nihil'ne ad te de iudicio armum accidit?

Hic armũ durius eſt, cætera molliora quàm quæ uera ſunt, ut maiorum meorum, conſiliorum ſocij, augurorum & extorum interpretes, prodigiorum, horriferorum portentorum. Pacuuius eſt, qui tragœdiam nomine Chryſen fecit. Chryſes au-

autem ſacerdos Apollinis fuit, & Chryſeidis pater: quam raptam cum patri non redderet Agamemnon, Apollo peſtilentiam in Græcorum miſit exercitum. Eandem loquendi conſuetudinẽ cenſoriæ tabulæ monſtrant, id eſt commentarij et literæ cenſorũ, in quas referunt ciuium nomina, & ſingulorum cenſum. Sunt & cẽſoriæ tabulæ, quibus ignominioſi notantur, in quos à cẽſoribus ſuſcriptum eſt. In ijs legit Cicero fabrum & procum. unde præfectum fabrum dixit in oratione pro Murena: Non auſit fabrorũ dicere, neque procorum, neque duorum uirorum, neque triumuirorũ, neque decemuirorum, ſed hanc perpetuo conſuetudinem ſeruet, duumuirum, triumuirum, decemuirum. Pro Rabirio: Hic popularis à duumuiris iniuſſu ueſtro ciuem Romanum capitis condemnari coegit. In Seruilium Rullum: Sequitur omnes agros extra Italiam cognitio decemuirũ. Ibidem: Decemuirum ſatellitibus agri Campani poſſeſſio tota tradetur. Cæſar de bello ciuili commentario primo: Quod aurum adduxerat Domitius, atq; in publico depoſuerat, allatum ad ſe ab duumuiris Corfinienſibus, Domitio reddit. Ibidem: Reducitur ad eũ deprehenſus in itinere Cn. Magius Cremonæ præfectus fabrũ. Duũuirum iudicium ab rege tertio Hoſtilio conſtitutum eſt in capus M. Horatij: poſtea fuerunt duũuiri, qui perduellionis diem ad populum dicerent, & mortis pœna reum agerent. Alij ſunt duũuiri, de quibus nihil eſt dicendũ in præſentia. Triumuiri capitales curam gerebant carceris, neci deſtinatis incumbebant, de criminibus ipſi aliquando cognoſcebant, ad columnam Mœniam. Decemuiri, cum prætores ad belli munia ab urbe auocarentur, ne iudicia Romæ deeſſent, litibus iudicandis præfecti ſunt. Alij fuere triumuiri & decemuiri, in aliud tempus relinquendi. Ne, quod minime uolumus, aberrare uideamur, duorum & duum poſſe dici oſtendit Accius. Integrum ponit nomen duorum in hoc ſenario tragico:

Video ſepulchra dua duorum corporum.

Concidit in hoc carminis fragmento, Mulier una duumuirum. Dua uetuſto more dixit, Quintilianus barbariſmum eſſe cenſet. Quid, inquit, quòd quædã quæ ſingula proculdubio uitioſa ſunt, iuncta ſine reprehenſione dicuntur? Nam dua & tre & pondo diuerſorũ generum ſunt barbariſmi, at duapondo et trepõdo uſque ad noſtram ætatẽ ab omnibus dictũ eſt, & recte dici Meſſala confirmat. Hæc ratio cõponendi uidetur oſtendere, dua ueteres, ut ſcamna dixiſſe. Et illud quidem uerum eſt. Eſt autem uerum, lege communi & præceptione formatum, ut duorum uirorum, non eſt uerum duumuirũ. Sed aliâs ita loquimur ut cõceſſum eſt, & uaria conſuetudo permittit, ut Proh deum & deorũ ſine uitio dicimus. aliâs ut neceſſe eſt, hoc eſt, ut lex et norma loquendi ſine exceptione iubet, ut numũ dicimus, non numorum. Pro Sexto Roſcio: Duobus millibus numum ſeſe dicit emiſſe. Seſtertiũ, pro Roſcio Comœdo frequentiſſime. QVID quòd ſic loqui, noſſe, iudicaſſe, uetant: nouiſſe iubẽt, & iudicauiſſe?] Arguit eos qui non minus in conciſione uerborum quàm nominum ſero iam emendant antiquitatem. Iſti ſic loqui, noſſe, iudicaſſe: facta ſyncope, uetant: nouiſſe iubent, & iudicauiſſe. His, ut uult Quintilianus, permittamus, et audiuiſſe, & ſciuiſſe, & tribunale, & faciliter dicere. Iidem centũ millia numũ, & fidem deũ, oſtendant duplices quoque ſolœciſmos eſſe, quando & caſum mutant, & numerũ. Neſciebamus enim, ac non conſuetudini & decori ſeruiebamus, ſicut in plurimis quæ Tullius in Oratore diuine, ut omnia, exequitur. Hactenus Fabius. Certe nouiſſe et noſſe recte dicimus: iudicauiſſe, et iudicaſſenõ male. Vtrũ uero dicendũ ſit, aures cõſulẽdæ ſunt in periodi cõprehẽſione: at in uerſu legi carminis inſeruiendum. Ergo Terentius in Phormione, Nouerâs, plenũ, & norâs imminutũ, eodem in loco dicit: Eho tu cognatũ tuũ non norâs? In Terentio ſobrinũ tuũ legitur. Poſt idem poeta, Stilphonem inquam noueras? Eodem modo Sies plenũ eſt uerbũ, Sit autem imminutũ conciſumq; ab illo ſiet. Licet uti utroque. Ergo ibidem, id eſt, in eodem loco poeta cuiuſpiam, non illius Terentij, utrunque uſurpatur his duobus ſenarijs.

Quàm chara ſint, q; poſt carendo intelligunt:
Quamq; attinendi magni dominatus ſient.

Nec uero Tullius reprehenderit ſint & ſient, nec ſcripſere, atque ſcripſerunt. alij quidem uerbũ ſcripſere dixerunt, quod aliquando melius eſt in contextu orationis, ſi uerbũ proximum ducit initium à litera conſonante. Subiere pedites, Deuenere locos. Vtimur & in uocalium concurſu: ut, Conticuere omnes, Tenuere arcem Sabini. Scripſerunt autem uerius eſt, quia legi uerborũ, non indoctæ conſuetudini paret. Non defuerunt qui uerbũ ſcripſere ad duos modo pertinere exiſtimarent, quaſi numeri dualis eſſet, ſcripſerunt autem pluralis: quod Quintilianus redarguit exemplis. Nec enim præceptis inhærendum pertinaciter: quin potius conſuetudini, quæ auribus indulget, ac licentiam concedit, obſequendum. Quemadmodum nouiſſe & noſſe dicimus, aut pro metri neceſſitate, aut pro ratione periodi, ſic eiſdem & iiſdem uariare poſſumus. Rectus eſt caſus, Idem, compoſitus ex duobus corruptis, is, & demum. in qua compoſitione, ſuauitatis gratia litera s aufertur. attamen aures in eo caſu non magis repudiabant iſdem, quàm in plurali uel datiuo uel ablatiuo, ubi dixit Ennius iſdem. ſed ille ex conſuetudine dixit idem ſingulariter in hac penthemimeri uerſus heroici: Idem campus habet. Cum uero præcepti ratio conſtitueret in ablatiuo caſu plurali aut eiſdem, aut iiſdem, neutrum probauit Ennius, ſed iſdem maluit, id quod ſingularis ille rectus euitaſſet. dixit igitur, in tẽplis iſdem, pro eiſdem, uel iiſdem. Nã ſi genitiuus eſt eius, dempta poſteriore ſyllaba datiuus eſt ei, ut uterius utri, illius illi. Hinc datiuo ſimilis eſt rectus pluralis ei, ut illi neutri. cui ſi iungas s literam, tum pruralis datiuus ſic erit, illis, neutris, eis. ergo ab illo genitiuo ſingulari eiuſdem, uerus eſt datiuus eiſdem, non iiſdem. Iam hic nominatiuus is, ſi literam non mutet in obliquo, ut ea quæ recte flectuntur, creabit genitiuum non eius, ſed ius. Hinc erit datiuus ij. hinc poſitio nominatiui pluralis ij, ex illo fiet iiſdem, non iſdem. Qua ratione motus Priſcianus, ut opinor, uerũ putauit eſſe nominatiuũ pluralem ij. Verba ſunt eius: Regula exigit per duas ij, uel per e & i tam nominatiuũ pluralem maſculini, quàm datiuos & ablatiuos omnium plurales ſcribi, id eſt eidem uel ijdem, & iiſdem uel iſdem. Iuuenalis:

Implet, & ad mœchos dat eiſdem ferre cinædis.

Hæc ille. Addit, Solent autem auctores etiam per ſynæreſin unam i ponere pro duabus, ut urbem Patauì. Hic datiuus eſt iſdem ab Ennio lectus, & ex illo contractus, iiſdẽ, quod male ſonat triſyllabum. Ennius igitur uerum, ſed odioſum caſum fugit, iiſdem. Reliquit & alterum æque uerum, eiſdem, qui non erat opimior & pinguior, ſed æque ſiccus & facilis, atque datiuus hic meis. unde colligitur artem cedere conſuetudini atque rationi. Verba Ciceronis hoc modo legenda ſunt, Idem campus habet, inquit Ennius: &, in templis iſdem. Probauit iſdem, at erat uerius, nec tamen opimius, eiſdem. male ſonabat iiſdem. Verborũ facilis erat intellectus, niſi opinantiũ controuerſiæ omnia corrupiſſent. Nec deerũt qui ſuas tenebras uelint, non quam præferimus lucem. Impetratũ eſt à conſuetudine loquentiũ, ut peccare in artem præceptumq; ſuauitatis cauſa liceret. Verũ eſt poſtmeridianus, ſuauius eſt pomeridianus, quia durius concurrunt tres literæ conſonantes. ergo dicebant pomeridianas, non poſtmeridianas quadrigas, quæ curuli certamine in circo à meridie currebant. Hoc ex Cicerone Quintil. aſſumit, his uerbis: Inde belligerare po' meridiem. Mehercule ex arte & ratione dicendũ eſt, quoniam ſubauditur aut iuuet, aut amet: auctor eſt Sex. Pomp. Sedenim poſtrema litera expungitur, ac mehercule uulgo, pro me hercules uſurpatur. Cicero pro Roſcio, Num me hercule uerbum feciſſes, ſi tibi quicquam reſponſurum putaſſes

taſſes. Dicimus etiam me hercules. Non ſcire, iam barbarum uidetur, uſque adeo exoleuit, propterea quòd n & s aſpere concurrunt. Neſcire molliter dicimus. Medidiem pro die medio non dicimus, ſed meridiem, ut Tytidem nō Tydiden. Nam duabus in ſyllabis adiunctis repetita litera d durius auditur: quod & alijs accidit, ut momordi, totondi, murmur, bibebam. Ex tribus præpoſitionibus abs, ab, a, una uera & antiqua incorruptaq́; eſt, abs: duæ reliqua ab, & a, detractis literis inde factæ ſunt, uſumq́; meruerunt frequentiorem. Abs enim, ſi Ciceroni credimus, tantum in accepti tabulis manebat, id eſt, ijs commentarijs quæ Regeſta uocant, ubi accepta & expenſa memoriæ cauſa notari ſolent: ut, Accepi abs Quintio ſeſtertium duo millia, abs Tito Roſcio tria millia. Abs apud Terentium reperies: Abs quiuis homine, cum eſt opus, beneficium accipere gaudeas. Et alibi: Ego dudum nonnihil ueritus ſum Daue abs te. Hinc grāmatici præcipiunt, abs præpoſitionem dari oportere uerbis incipientibus ab ijs literis, quæ primæ ſunt in Quolibet, & Tito Cicero de lingua ſui temporis, non autem priorum locutus eſt. Sed & ipſe dixit abs in Diuinatione: nec ſemel dixit, imitatus ueteres. Et cum tantum manere dicit in tabulis accepti, aliquando uſitatam fuiſſe oſtendit. Ex illa componitur Amouit, duabus literis abiectis, quoniam mouit initium ducebat à conſonante: Abegit, propter uocalem duas retinet literas, a b. Abſtulit, integram ſeruat præpoſitionem, quoniam ſ & t quadam familiaritate iunguntur. inde pulcare, pro pulſare. Abfugit, turpe & auribus fœdum uiſum eſt, & Abfer eodem modo. Maluerunt igitur ueteres aufugit & aufer, quæ præpoſitio, id eſt, quæ præpoſitionis mutatio, aut quæ ſyllaba præpoſita, præter hæc duo nullo alio in uerbo reperitur. Tranſit igitur in u literam, quæ cum uim conſonantis habet, magna cum b affinitate cōiungitur, adeo ut β græcum u noſtrum conſonans penè audiatur. Noti erant, et naui, & nari, ſine g litera: quanquam multi ſcriptitant gnoti, gnaui, gnari, quos quidem ſupra & ratione & auctoritate Ciceronis arguebamus, & nunc in Lucretianis codicibus antiquis ſcriptum reperitur nauiter: Quoniam nec plena nauiter extat, Nec porrò uacuum. In compoſitione dulcius uiſum eſt ignoti quàm innoti, ignaui quàm innaui, ignari, quàm innari: qua de re ceſſit id quod ueritas poſtulabat. Nauus eſt induſtrius, alacer, ſtrenuus. Narus, bene ſcius & peritus. Ex uſu dicimus integra præpoſitione. Terentius: Si ex uſu eſſet noſtro hoc matrimonium, id eſt, utile eſſet. E' Republica, ſæpius quàm ex Republica: ut apud Terentiū, E' re tua. Auferetur enim litera, quæ natura ſit aſperior, annexa cōſonanti. Dicimus igitur exegit, quia uocali ſuſcipitur. Edixit à corrupto et integro eſt quòd x ante d cōſonā aſpere ponebatur. In uerbis refecit et retulit, nihil eſt immutatū, propterea quòd aures nihil aſperū ſentiebant. Reddidit autem nimium leue & tenue effluebat. itaque ad robuſtiorem ſonū adiūcti uerbi, hoc eſt, in componendo ſecunda ſede poſiti, primam literam præpoſitio mutauit: quæ mutatio loci eſt, & ordinis. Elementum ſiquidem natura tertium, in quartā reijcitur ſedem. Nō aliter & præpoſitio ſub, aut integra manet, ut ſubegit: aut corrumpitur in aliam, ut, ſummutauit, ſubſtulit. Poſterioris uerbi partes erūt ſub & tulit, non ſus & tulit, ut imperitiores exiſtimarunt. Nihil te moueat, ſi diuerſa ponit exempla, cum probare uult & præpoſitiones & uerba mutari nō pro ueritate, ſed aurium iudicio. Hæc autem uerba interiecta, Adiuncti uerbi literā præpoſitio commutauit: ad unum uerbum reddidit, non ad alia pertinet. Senſus eſt igitur: Exegit, edixit, refecit, retulit, dicimus ad aurium iudicium: Reddidit, adiuncti uerbi primam literam præpoſitio commutauit, ut ſubegit, ſummutauit, ſuſtulit, non uno modo dicimus. QVID in uerbis iunctis? quàm ſcite inſipientem, non inſapientem?] Præpoſitiones, ut nomen ipſum indicat, anteponuntur in compoſitione. hic ergo iure primas obtinent, ſecundas autem uerba quæ præpoſitionibus adiūguntur. Sit igitur locus alter de uerbis adiunctis, quæ & ipſa mutantur: ut cum dicimus inſipientem, iniquum, conciſum, tricipitem: quia durius audiebantur, inſapientem, inæquum, conceſum, tricapitem. Id facile iudicant aures. Iam quia tædet tæſum, ut cado caſum creat, fuerunt qui analogia ducti pertiſum uellent, non pertæſum, ut conciſum non concæſum: quod eadem conſuetudo indulgens auribus non probauit. Virgilius in quarto,

Si non pertæſum thalami tedæq́; fuiſſet.

Quid uero hoc elegantius, hoc eſt auditu iucundius. quod non fit natura, ſed quodam inſtituto, id eſt, doctorum iudicio probata conſuetudine? In præpoſitio compoſita cum uerbis ſanus & felix, & alijs omnibus quæ primas literas habent eaſdem, ut conſilium, conſueuit, confuſio, confecit, producte dicitur: cum reliquis autem breuiter, ut inclytus, inhumanus, compoſuit, concrepuit. Hic, ut ſupra, Cicero uerba præteriti temporis perſonæ tertiæ legit tanquam uenuſtiora, fugitq́; nomina ſingularum literarum, quibus nimiū attenuatur oratio: nec ſequitur illam grāmaticorum ſuperſtitionem, qui uerba pro uocibus ipſis uſurpata declinare non audet. Sed redamus ad rem. Aulus Gellius cap. 17. lib. 2. commemorat hanc Ciceronis obſeruationem, nec quid uoluerit exponit, quia (ut opinor) intellectu facile iudicabat. Hoc enim uult Cicero, In particulam diutius in lingua & pronunciatione retineri quando ſequuntur hæ literæ ſ & f, quia tum duorum temporum ſit: breuis autem expediri & enunciari, cum uocales aut conſonantes aliæ inſequuntur, quia tum ſit unius temporis. Id igitur totum poſitum eſt in pronunciatione: quæ ſi incorrupta integraq́; maneret, omnium ſyllabarum quantitatem auditu noſceremus. Fruſtra refertur ad accentum. Nā inſanior primam producit, ut inſanus, nec accentum recipit in quartā à fine ſyllabam. Et inſanus circūflectit mediam, quemadmodum & infuſus. Non debet etiam referri ad metrum, ac poeticum uerſum. Etenim uerbum compoſuit, primam quodam inſtituto corripit in oratione. Eandem poeta nunquam corripiet in numero metiendo, non magis quam quieſco, cuius media correpta dicitur, auctore Gellio. Ergo ſi neque iſtuc eſt eminentioris accentus, neque poetici uerſus, ſupereſt ut ſit in ea mora quā trahimus in proferenda ſyllaba: quod & Tullius indicat his uerbis: Producte dicitur, ac breuiter. Quid enim eſt producte dici, atque breuiter, niſi plus minuſue mora trahi in pronunciando? teſtaturq́; non id natura fieri, ſed quodam inſtituto pronunciandi. Conſule, inquit, ueritatem: reprehendet, ſi in particula, cōtra naturam duarum conſonantiū corripitur. Refer ad aures, probabunt. Cur ita? quia ſic iuuantur. Voluptati autem auriū morigerari & ſubſeruire debet oratio. Cum dices igitur, Cōpoſuit, atque breuiter expedi primam, atque ab ultima ſecundam, nō habita ratione poſitionis ac naturæ. Confecit, ac ſi coōfecit ſcriberetur, producendo enuncia. Sunt qui putant dicendū iclytus, n litera ſublata, & Gellium id confirmare: quod quidem non facit. Coopertus, colligatus, conexus, producte dicuntur, inquit, quoniam eliditur n litera. De tribus his uerbis locutus eſt, non de reliquis ante numeratis. Incidi in quoſdam, qui neſcio quid ſubtilius abſtruſiuſq́; latere ſuſpicabantur. Diſſimulabant, opinor, ſuperborum more, qui ſi quid probe dicas, nolint tamen unquam fateri, ne quid à te didiciſſe uideantur. Pariant illud, quod concepere melius: nos autem propoſitum ſequamur. Conſuetudo & uſus aſpirandi ueteribus Romanis fuit, ut nuſquam niſi in uocali aſpiratione uterentur, ut homo, inhumanus, uehicula, trahebat. Hanc ueluti legem ſecutus Cicero, reclamante populo dicebat ſine aſpiratione pulcros, Cetegos, triumpos, Cartaginem, & cætera id genus. Aliquando tamen, idq́; ſero, cum ueritas, id eſt uera loquendi ratio extorta eſſet homini aurium conuicio, hoc eſt auribus ipſius indignantibus, & tacite conuiciantibus illa ſicciora duarioraq́; ſentiri, tum cœpit ire per uiam publicam, & cum

populo dicere pulchros, Cethegos, triumphos, Carthaginem, quæ nunc quoque ſcribendo ſeruamus aſpiratione mollitia: ſed ut pleriſque pronunciatio eſt, aſpiratio non auditur. Craſſius igitur paulo ch, ph, th, quemadmodum θ φ χ proferenda ſunt, quæ tres literæ mutæ apud nos recipiunt aſpirationem. Operæpretiũ eſt aũt animaduertere, quæ ſit huius uiri ſentẽtia. Vſum, inquit, populo conceſſi, ſcientiã mihi reſeruaui. Ex arte præceptiſq; ſciẽtia comparatur, à qua ſi loquendi conſuetudo diſſentit. tum cenſet conſuetudini potius & auribus, quàm ſcientiæ parendum.

Per aurium iudicium citra aſpirationem dicere licet Orcinios, Matones, Otones, Cæpiones, Sepulcra, Coronas, Lacrymas: quæ ſi quis aſpirãdo proferat, hunc Cicero non improbet, propterea quòd ſe recentiorum cõſuetudine tueatur. Hæc autem nomina ſeptem Cicero ſcripſit hic ſine aſpiratione, quod eius uerba demõſtrant. Paulo ante extortam ſibi ueritatem dicebat auriũ conuitio, ideoq; cum populo uti aſpiratione: nunc per aurium iudiciũ licere Orcinios pronunciare. in ijs ergo ſequi ueterum morem.

Orcinius autem, ut n quintum ſit elementum, non Orciuius legimus, ut in oratione pro Cluentio: Nuper apud C. Orcinium collegam meum locus ab iudicibus Fauſto Sylla de pecunijs reſiduis non eſt cõſtitutus. ubi multi codices habent Orchiniũ. quod ut ante dixi, Cicero non improbat: ſed Orcinium, inquit, dicimus, quia per aurium iudicium ſemper licet. Matonis nomen eſt apud Martialem: Parua rogas magnos, ſed nõ dant hæc quoq; magni: Vt leuius pudeat, iam Mato parua roga. Item apud Iuuenalẽ, Cauſidici noua cũ ueniat lectica Matonis. Recẽtiores ſemper aſpirant: quod utiq; nõ fecit Tullius. Inter Otones is fuit, qui legem tulit de quatuordecim ordinibus. Inter Cæpiones is, qui miſſus in Cimbros exercitum amiſit. De aſpiratione Fabius his uerbis: Aſpirationis ratio mutata cum temporibus eſt ſæpius. parciſſime ea ueteres uſi etiam in uocalibus, cum œdos ircoſq; dicebant. Diu deinde obſeruatum, ne conſonantibus aſpiraretur, ut in Graccis & in triumpis. Erupit breui tempore nimius uſus, ut chorona, chenturiones, prachones, adhuc quibuſdam inſcriptionibus maneant. Qua de re Catulli nobile epigramma eſt:

Chommoda dicebat, ſi quando commoda uellet
Dicere, & inſidias Arrius hinſidias.

PVRRVM ſemper Ennius, nuſquam Pyrrhum.] Ennius Pyrrhum Purrum dicebat aſpiratione detracta, literaq; mutata: & Phryges Fruges. ut hic, Vt patefecerunt Fruges. In quo litera græca φ mutatur in noſtrã uirtutis eiuſdem. Nec enim ueteres literã græcã φ aut υ adhibebant. Nunc autem etiã duas illas græcas adhibemus, cum Phryges dicimus. Veteres hanc rationem ſecuti uidẽtur, Latinos caſus non Græcis decere ſcribi literis, ſed ſuis: genitiuum Phrygum, datiuumq; Phrygibus eſſe caſus tantum barbaros, id eſt peregrinos, ac Latinos: φρυγῶν & φρυξὶ græce dici. Quòd igitur obliqui Romanas habere debeant literas, & ab eis rectus caſus diſſentire non debeat, arbitrati ſunt caſus omneis ſignandos eſſe notis Latinis, hoc modo, Fruges, Frugũ, Frugibus: non Phryges, Phrygum, Phrygibus. Cum Phrygum, inquit, & Phrygibus dicendum eſſet aliter atque Græci loquuntur, abſurdum uidebatur antiquis, caſibus his tantum barbaris, id eſt non Græcis (nam quondã præter Græcos, omnes habiti ſunt barbari) Græcam literam adhibere: aut ſi Romana litera notarentur obliqui, recto caſu ſolum græce loqui. Quam rationem repudiant aures, et Phryges & Phrygũ malunt quàm Fruges & Frugũ. Veteres ijdem elidebant s in fine uerborum, ut infantibu' paruis, falcibu' ramos, dignu' loco, quod politum & elegans habebatur: poſtea cœpit haberi ſubruſticum. Qui eſt omnibu' princeps, finis eſt heroici uerſus. Qui ſequitur, eſt Lucilij Satyrici poetæ, in contumeliam Samnitium. Citat eum Tuſculana. 2. Sãnis, ſpurcus homo uita illa dignu' locoq;. Lucretius: Nam fierent iuuenes ſubito ex in fantibu' paruis. Hactenus de natura uerborum, atque iunctura, quam debet ars & doctrina ſeruare, cum uideat indoctorum conſuetudinem tantopere ſtudere ſuauitati. Hæc, inquit, dixi breuius, quàm ſi hac de re una ſolaq; diſputarem. Eſt enim hic locus late patens de natura uſuq; uerborum, de quo ueteres, ut Marcus Varro, totos ſcripſere libros. iam quia de uocibus & numeris dicturus eſt, quid res et uerba differant à ſonis & numeris oſtendit. Rerum, id eſt ſententiarum, & uerborum iudicium, prudentiæ eſt. Prudens quid & quo modo dicendũ ſit, uidet. Vocũ & numerorũ aures ſunt iudices. uoces & numerorum concordia cadunt in aurem. Illa ad intelligentiã, id eſt animi uim intellectumq; referuntur, hæc ad uoluptatem. In illis ratio animiq; conſilium, in his ſenſus aurium inuenit artem. Voluptas auditorum quærenda uidebatur oratori, quoniã alia ratione ſatis probari nõ poſſet. DVAE ſunt igitur res quæ permulceant aures, ſonus & numerus.]

Collocationem partitus erat in iuncturam & uoces, in concinnitatis orbem, in numeroſam comprehenſionem. Hic eſt locus iuncturæ finitimus de uocibus, atque uerborum ſono. Verba legenda ſunt potiſſimum bene ſonantia, non illa nimis exilia, non horrida & aſpera. Sed alius eſt delectus poetis, alius oratoribus. Poetæ uerbis utuntur exquiſitis ad ſonum, nec tam eorum proprietatem quàm ſonitum ſpectant: ut,

–Vaſto rex Aeolus antro
Luctantes uentos, tempeſtateſq; ſonoras
Imperio premit, ac uinclis & carcere frenat.

Oratores autem uerba ſumunt de medio, hoc eſt omnibus uſitata, non tamen inſuauia, humilia ſordida, obſcœna. Ea ſic electa, iunctura numeroq; uinciunt: ut, Si innocentes exiſtimari uolumus, non ſolum nos abſtinentes, ſed etiam noſtros comites præſtare debemus. Hic uerba propria ſunt, ſonantia, de medio ſumpta, non tamen ad ſonum ſtrepitumq; poeticum quæſita. Splendidius aliquid ac ſonantius affectant poetæ: ut,

Quæ pontus Helles ſuperat modum,
Auratus aries Colchorum,
Frugifera & ferta arua Aſias tenet.

Verſus anapaſtici de tragœdia latina, quæ non extat, quorum duo priores ſplendidis nominibus elucent. Tertius eſt inquinatus inſuauiſſima litera, quæ de nare canina ſonat. Idem quoque infinitus eſt uerſus, quòd non exeant in ſuum finẽ uerba, ſed alijs implicentur, ut fit in uocalium concurſione. Aſias autem genitiuus græcus, non magis eſt repudiandus quàm familias, in his paterfamilias, materfamilias. Nec probandi ſunt qui cauſa lenitate permoti, locos inuertunt, alia uerba cõmutant, alia tollunt, alia detrũcant, quod hic facere conati ſunt. Poetæ Latini uerba Græcorum uſurpant libenter ad ſplendorem ſonitumq; magnificum, ut Hellen, Colchos, Aſias, urbium, montium, lacuum, fluminum, hominum, deorum, rerũ etiam nomina, quod parcius faciunt oratores. Bonitate potius noſtrorum uerborum utendum eſt, quàm ſplendore Græcorum. Ne pœniteat nos uſurpaſſe quædam propemodum poetica, ut tempeſtatem pro tempore, de quo ſic agit 3. de Oratore: Habet etiam in oratione poeticũ aliquod uerbũ dignitatem. neq; enim illud fugerim dicere, ut Cælius: Qua tempeſtate Pœnus in Italiam uenit. Cælius Antipater ſic ducit initiũ belli Punici. de quo uiro poſtea facit mentionem. Hoc uero libro ſcriptũ eſt, Qua tempeſtate Paris Helenam. an ſit alterius hiſtoriæ principiũ, an idem hoc in libro corruptũ, quia dubium eſt, nõ equidem uolo ferre ſententiã. Nec iſthuc eſt aut negligentiæ, aut ignorantiæ noſtræ, ſed temporis. Accuſanda maiorum negligentia, qui tot tantoſq; clariſſimorum quondam uirorum labores ſic aboleuerunt, ut uix modo nomina ſuperſint: tot repoſuerunt uolumina nugalia, ut bibliothecæ pondere barbarico grauentur, & officinæ. Non ideo tamen aliquid ædificandum nõ eſt, ſi nobis inſtrumenta ueterũ deſunt: nec ſi nõ poſſumus omnes omnia, relinquendum quod poſſumus. Verba ſonantia, propria, ſuauia ſequamur, aſperitatem fugiamus, ut perterri

crepam

crepam uocem, quæ increpando terret, uerſutiloquas malitias.
Verſiculus eſt tertio de Oratore:

Num uis huius me uerſutiloquas malitias.

Legit Nonius Marcellus, niſi deprauatus eſt codex, An num non uis huius me uerſutiloquax malitia. Multa apud M. Plautũ reperies eiuſmodi, quæ nõ admittit orator. Tullius autem quod hic præcipit, ubique ferè ſeruauit, ut, quantũ poſſet, Græcorum uerba fugeret, ut illa grandia & ſeſquipedalia ne uenaretur, aſpera uitaret, lubrica ne prẽderet, uſitatis, dilucidis, proprijs, bene ſonantibus, iuſta magnitudine conſtantibus uteretur. NEC ſolum componentur uerba ratione, ſed etiam finientur.] Ventum eſt ordine ad ſecundum membrũ partitionis, in quo concinnitas orbem ſuum confecit. Non ſolum, inquit, componentur uerba ratione, hoc eſt arte, quæ iuncturas illigat, & uoces aptat bene ſonantes, ſed etiam finientur, id eſt periodo concludentur ad auriũ menſurã. Nam de clauſuls numero finita iudicant aures, quæ quod expletum eſt, ſi modo ſunt eruditæ, ſentiunt, & probant, imperfectum faſtidiunt. Finiuntur aũt cõpoſitione ipſa, & quaſi ſua ſponte, aut quodã genere uerborũ. Hinc numerus eſt duplex. alter eſt è figura uerborũ, quam dicit concinnitatem: alter autẽ ex ipſa compoſitione & collocatione uerborũ, quæ artificioſe conſtituta, non beneficio concinnitatis & figuræ, ſed ſua ſponte naturaq; conficit orbem ſuũ, de quo poſteriore loco dicetur. Genus eſt quoddam uerborum, in quibus ipſis concinnitas ineſt, ea eſt elegans & iucunda figura dictionis, ut ſimiliter cadens, ſimiliter deſinens, paria paribus relata & contraria. Hæc ſunt ſchemata quatuor numeroſa ſuapte natura, etiãſi nihil eſt factũ de induſtria. Dicet aliquis, Quo modo alter ille numerus ſua ſponte finitur, et hic quoque ſuapte natura cadit? Vtrunque ſanè uerũ eſt. Hic enim poſitus eſt in ſchemate, quod ſuapte natura cadit ad aurium uoluptatem. alter ille conſonat è longis breuibusq; ſyllabis, unde ſunt rhythmici pedes, qui uariãtur alia collocatione uerborum. Eſt igitur is numerus in compoſitione ac collocatione. Apta collocatio ſua ſponte numeroſe cadit. Hæc eſt igitur natura digeſtæ collocationis, illa figuræ & concinnitatis. In illius concinnitatis conſectatione & quaſi aucupio Leontinũ Gorgiam fuiſſe principem, ſupra dictum fuit. Necdum ſciebant illi ueteres uocibus & numeris explere ſententias, quod primus omnium fecit Iſocrates, poſt illũ Thraſymachũ numeri inuentorem: ſed, quod etiam ruſtici faciunt, rhythmum quendam ſimiliter exeuntem, aut certũ numerum ſyllabarum metientẽ delectandi gratia quærebant. Talia ſunt, quæ proponit ẽ ſua Miloniana, in quibus reperies ſimiliter cadentia: ut, ſcripta, nata: docti, facti: inſtituti, imbuti: quæ ſuauitatis aliquid habẽt, etiãſi in medio collocantur. Reperies ſimiliter deſinentia, quæ terminant membrũ, uel totam orationem: ut, Quã non didicimus, accepimus, legimus hoc κῶλον, & membrum. Verum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus: hoc alterum membrũ eodem fine terminatum quo ſuperius. Extrema uerba, Legimus, expreſſimus, ſimiliter deſinunt. quatuor reliqua ſimiliter cadũt. Reperies in eodem exemplo paria paribus relata, id eſt partes conſtantes eodem propè numero ſyllabarũ. nec enim numerari debent, ſed auribus expendi: ut, Nõ ſcripta, ſed nata lex: nõ docti: ſed facti: nõ inſtituti, ſed imbuti. In his omnibus non quæſitũ numerũ, ſed ſecutũ putes, quòd cum remouiſſet unum, alterum neceſſario uidebatur eſſe reponendum. Sed tamen intelligebat artifex, quot una periodo uirtutes amplecteretur. Idem pro Roſcio Comœdo: Qua in re mihi ridicule es uiſus eſſe inconſtans, qui eandẽ & læderes & laudares, & uirum optimum, & hominem improbiſſimum eſſe diceres. eundem tu et honoris cauſa appellabas, & uirum primariũ eſſe dicebas, & ſocium fraudaſſe arguebas: ſed, ut opinor, laudem ueritati tribuebas, crimen gratiæ concedebas, de hoc ut exiſtimabas, prædicabas, Chæreæ arbitratu cauſam agebas. Eodem modo in referendis contrarijs etiamſi numerus non quæritur, tamẽ ſua ſponte ſequitur, adeo ut nonnunquam uerſus imprudentibus nobis excidat: ut, Eam, quam nihil accuſas, damnas: Bene quam meritam eſſe autumas, dicis male mereri. Nihil accuſare, & damnare, repugnantia ſunt: Bene mereri, male mereri, contraria. Cicero nomen contrariorum latius capit pro antithetis omnibus, quæ dicuntur oppoſitiones. Carmen eſt autem iambicum dimetrum hypercatalecticum, ex iambo, dactylo, ſpondeis duobus & ſyllaba: Eam quam nihil accuſas, damnas. quòd ſi dixeris, Eam, quam nihil accuſas, condemnas: tum cadet ſpecies uerſus atque menſura. quia etſi reperiuntur iambici pentametri, nõ tamen tot lõgis pedibus claudicant. Fuerunt qui primum uerbum Eam, colliderent in unam ſyllabam, ut eſſet dimetrum acatalecticum. quod non probo: quoniam qui dixit hæc uerba, nõ uerſum, ſed orationẽ uoluit, nec uerba ſine ratiõne cõtraxit. Alter eſt uerſus iambicus trimeter, comicus: Id quod ſcis, prodeſt: nihil id quod neſcis, obeſt. in quo contraria referuntur, ubi ſi dicas: Quod ſcis, nihil prodeſt: quod neſcis, multum obeſt: ſententia mutabitur quidem, ſed erunt ἀντίθετα, & paria relata, quia ſyllabas ſex totidem excipiunt: nec erit ullum genus carminis, ſed oratio ex concinnitate numeroſa. hæc duo exempla refert idem in Topicis de enthymemate ex contrarijs concluſo, quod propriè nominatur enthymema. Argutias eiuſmodi quærebant olim Gorgias & Thraſymachus iam ante Iſocratem, qui primus, ut ante dictum eſt, mollioribus numeris expleuit ſententias. Gorgiæ nomine circunfertur ὑπὲρ παλαμήδους ἀπολογία, quam nõnulli putant eſſe Gorgiæ iunioris. In ea conciſi ſunt numeri ac minuti, nullæ ferè longiores periodi, & uerborũ comprehenſiones. cæterum multæ ſunt concinnitates ex paribus relatis & contrarijs, paucas adſcribere non inutile putauimus. οὔτε μὴ βουληθεὶς ἐδυνάμην ἄν, οὔτε δυνάμενος ἠβουλήθην ἐπιχειρεῖν τοιούτοις. Neque ſi uoluiſſem, potuiſſem: neq; ſi potuiſſem, uoluiſſem talia conari. Ibidem, μήτ' ἐκείνου πρὸς ἐμὲ πέμψαντος, μήτε παρ' ἐμοῦ πρὸς ἐκεῖνον ἐλθόντος. Fieri non potuit, quòd ille neminem ad me miſiſſet, & à me ad illum nemo profectus eſſet. Ibidem, ἀλλὰ δὴ φίλους ὠφελεῖν βουλόμενος, ἢ πολεμίους βλάπτειν, τοὺς μὲν φίλους κακῶς ἐποίουν, τοὺς δ' ἐχθροὺς ὠφέλουν. Etenim amicos iuuare, aut hoſtes lædere uolens, amicos lædebam, inimicos iuuabã. Ibidem, εἰ μὲν οὖν εἰμὶ σοφὸς, οὐχ ἥμαρτον: εἰ δ' ἥμαρτον, οὐ σοφός εἰμι. Si ſapiens ſum, nihil peccaui: ſi peccaui, ſapiens nõ ſum. Cicero quoque in eodẽ genere frequens, quòd in eo numerus non quæri, uerum ſequi uidetur. ut quarta actione in Verrem, cũ Marcelli uictoriam qui Syracuſas in ditionem receperat, cum prætura Verris qui eaſdẽ Syracuſas furtis affecerat, confert: opponit cõtraria, pacem, bellum: libidinẽ, continentiam: condere, diruere. Quinque paria refert, quot illius periodi membra ſunt. GENVS illud tertium explicetur quale ſit numeroſæ & aptæ orationis.] Primus erat locus de iunctura & uocibus, alter autem de numero qui uerborum figuram conſequitur.

Alius eſt de eo numero qui nõ ab excellenti figura, ſed à quadã uerborum collocatione conficitur. Hunc tertiũ prius commendatione proſequitur, ac tuetur aduerſus obtrectationes, quàm quomodo aptari poſſit, exponat. Is igitur numerus eſt aptæ orationis, id eſt elocutionis rebus aptatæ, nunc longioris, nunc breuioris, nunc celerioris, nunc tardioris, pro uarietate rerum quæ tractantur ab oratore. Quem qui non ſentiunt, aſini ſunt ad lyram. Patulas habent aures, nec audiunt harmoniam, ac dulcem modulãdi ſuauitatem. In ijs igitur nihil hominis ſimile uidetur, qui quod homini iucundiſſimum eſt, ne ſentire quidem poſſunt, & immanes & agreſtes aſpernantur uoluptates orationis. Aures eruditæ perfecto completoq; uerborum ambitu gaudent. Perfectus ambitus eſt numeroſa periodos, qualis hæc eſt. Cum in cõſilium frequentes conueniſſent ijdem qui ſolebant, & hæc una re tota defenſio Sopatri niteretur, conſilij frequentia & dignitate, & quod erant, ut dixi, ijdem qui antea Sopatrum

eodem illo crimine liberarant: cognoſcite hominis apertam, ac non modo non ratione, ſed ne diſſimulatione quidem tectam improbitatem & audaciam. Aures exercitatæ curta ſentiunt, nec amant redundantia. Curta non explent numerum, ut, Meliores illi accuſatores habendi ſunt, qui fecerunt omnia hæc. Corrige, qui hæc omnia fecerunt. Redundantia plus ſatis excurrunt uſq; ad aurium ſatietatem, ut, Nam mihi tot tantæq; res tam præclara facinora dicenda ſunt, tã ſplẽdidi uiri laudandi, ut tanta rerũ magnitudine omnis inferior eſſe uideatur oratio dicentis. Tolle uerbũ, dicentis, reliqua uitio nimiæ longitudinis uacabunt. Sentiunt numerũ duri & imperiti, quod probat exemplo populi Romani, qui in concione frequenter exclamauit cum apte numeroſeq; uerba cecidiſſent, ut illius Carbonis, de quo poſtea dicetur. Id enim expectant aures, ut uerbis colligetur ſententia. Colligatur autem quodam ueluti numerorũ uinculo, cum uerba ſic apte collocata ſunt, ut aliud ex alio pendere uideatur. Non erat hoc numeroſum dicendi genus apud ueteres Romanos. Et quidem nihil aliud ferè quod ad eloquentiam pertineret, non erat. Nam quod attinet ad inuentionem, ſententias graues & ſuaues, quæ pondus haberent, animumq; mulcerent, reperiebant. Quod autem elocutionis eſt, uerba bona ſeligebant: non uincta, ſed diſſoluta ponebant: nec explebant ſententias, hoc eſt neſciebant coagmentare iuncturas, & pedibus eo uſque incitare orationem, dum uoluptate recreata quieuiſſet auris. Hoc durum et diſſolutum antiquorũ me delectat, inquiunt imperitiores illi qui tempore Ciceronis Attici falſò nominabãtur, ſed tamen eo nominabantur, quòd Lyſiam uiderentur imitari: quibus adijciendi ſunt Romanæ uetuſtatis imitatores, qui Catonem quàm Ciceronem ſequi maluerunt, quos arguit Cicero hac ſimilitudine picturæ. Quemamodum pictura recens pluribus ornata coloribus elucet, & inde perfectior eſt quàm uetus, ac præſtantior, ita recentiorum quàm ueterũ multo comptior eſt oratio. Quòd ſi uetus pictura repetenda non eſt, elegans oratio non uidetur eſſe repudiãda. Sed iſti nominibus ueterum gloriantur, quorum uix ſequũtur umbram. Id auctoritate ueterum ducti faciunt. Nam ſicut in ætatibus infantia, pueritia, pubertate, adoleſcentia, iuuentute, habet auctoritatem ſenectus, ſic in exemplis antiquitas: quæ quidem, inquit, apud meipſum, non illos modo κακοζήλους ualet plurimum. nec ſi deeſt antiquitati numerus, eũ flagito potius, quàm laudo quod eſt in ea tum inuentionis, tũ proprietatis, uerborum præſertim: cum ea maiora iudicem quæ ſunt, quàm illa quæ deſunt. Nam ſententiæ ſunt ueluti animus orationis, numerus ut ornamentum: & plus eſt in uerbis & in ſententijs boni, quibus illi ueteres excellunt, quàm in concluſione ſententiarũ, id eſt numeroſa periodi comprehenſione. Hæc concluſio ſiue periodus Romam perlata eſt circa Ciceronem puerum, qua fuiſſent uſi ueteres, ea ſi tum uſurpata res eſſet, quemadmodũ iuuenta maximi quique oratores certatim uſi uidẽtur. ij ſunt qui tẽpore Ciceronis floruerũt, et magna ex parte diſciplinis eius educati ſunt. Quid ergo iſti numerum fugiunt? Habet, inquiunt, hoc nomen inuidiã, cum in oratione iudiciali & forenſi, qua ueritas inquiritur, numerus & ῥυθμὸς ineſſe dicitur ad capiendos animos atque fallendos. Numerum accipit ῥυθμὸν, non μέτρον. propterea diſtinguit, ad tollendam ambiguitatem. Numerus etenim apud Latinos etiam μέτρον ſignificat. Hac ratione freti iſti qui ſoli putãtur Attici, ut Caluus, infracta & amputata, id eſt, multũ fracta mutilataq; non dicunt ut oratores, ſed loquuntur ut imperiti. Hiant uocalibus, rixantes committunt literas, curtas oratiunculas diſſipãt, & eos uituperant qui apta id eſt numeroſa, & finita, hoc eſt ueluti orbe concluſa pronunciãt. In quibus reprehenderũt et ipſum Ciceronem ut redundantem, eneruatũ & elumbem. Sed arguãt eos qui uerbis inanibus, nihilq; boni ſignificantibus & leuibus ſententijs numeros inſeruunt. Si probæ res, bonæq; ſententiæ ſunt, ſi lecta uerba et egregia, quid eſt cur claudicare aut inſiſtere orationem malint, quàm cum ſententia pariter excurrere? Claudicat ea quæ pedes habet inæquales, ut illud Senecæ, Quàm minimum in corpore tuo ſit ſpoliorum. Inſiſtit ea quæ pedes implicat, et curſum moratur, ut hoc Liuianum, Cum Lauinium ab Troia, ab Lauinio Alba, ab Albanorum ſtirpe regũ oriundi Romani eſſent. Quoniam eiuſmodi orationes inſuaues ſunt, ſequamur aliquem numerum: qui ſi putatur inuidioſus, quod habet in oratione iudiciali nomen hoc inuidiam, ut paulo ante dixit, nihil affert niſi ut ſit apte uerbis comprehenſa ſententia: quæ pulcherrima laus eſt orationis, quã frequẽter imprudentibus nobis ipſa natura modulatur. Hinc ſicut apud illos ueteres incõpoſitos, ſic et nũc apud indoctos multa numeroſe dicta reperiuntur. ET apud Græcos quidem iam anni propè quadringenti ſunt] Numeros tẽperauit Iſocrates, inuẽtos à Thraſymacho. Iſocrates iuuenis erat, arte florens ad annũ ferè conditæ urbis trecenteſimũ quadrageſimũ ſeptimũ. Ab urbe cõdita ad tempora Ciceronis ſenis, anni ferè ſeptingenti ducuntur. Vnde facile eſt colligere, nõ fluxiſſe quadringentos annos, ſed propè quadringẽtos, quando Roma numeros recepit, Cicerone puero, et auidius eodẽ adoleſcente: qui cũ græcis inſtitutus modularetur orationem, ut quã tum dixit pro Roſcio Amerino, mirum in modum accendit ſtudia ciuitatis. Nouerat eos M. Callidius, nouerat Craſſus, ſed eam uirtutem parum intelligebat eius rei ieiuna ciuitas, & magis illos & ſimiles cæteris in uirtutibus laudabat. Hinc paulo poſt nemini abſolutã concluſionem tribuit. Legi, inquit, audiuiq; nonullos, quorum propemodum abſolute concluderetur oratio. Numerum concedit, ſed imperfectum. Poſſet igitur in hac parte merito gloriari, quemadmodum Ennius in uerſu gloriabatur, antiquos à ſe Latinos elegantia & ornatu fuiſſe ſuperatos. Oſtendit uerſibus, ex quibus eſt hoc heroicum:

Verſibu' quos olim Fauni uateſq; canebant.

Item hoc principium, Nos auſi reſerare.–

Et hoc, Ante hunc.– Quod multo facilius intelligi poſſet, ſi uel opus illud extaret, uel ſi locũ totũ Cic. traduxiſſet. Gloriatur Ennius auſum ſe reſerare Latinis Helicona Græcorũ, & hinc per Latiũ coronã tuliſſe. Et ante hunc Enniũ, neminem dicti ſtudioſum fuiſſe: quoniam ueteres illi, in quibus fuit Liuius Andronicus, ſtrepebãt uerſibus impolitis, quales Fauni qui dabãt oracula, et uates ac fatidici qui conſulebantur, aſpere canebant. Faunum oracula noctu dediſſe, teſtis eſt Virgilius, qui facit eum Regi Latino reſpondentem: nec obſcurum eſt, uates & fatidicos reſpondere ſolitos ambiguo uerſu. Hoc quoque notum eſt, Enniũ magna de ſe prædicare ſolitum, qui per metapſychoſin Homeri animam recepiſſe ſe, ac triplici corde ſuffultum diceret. Quintilianus exiſtimat, quo tempore Fauni uateſq; canebant uerſus, carmen ortum, non obſeruatum fuiſſe. Ante carmen, inquit, ortum eſt, quàm obſeruatio carminis: indeq; illud, Verſibu', quos olim Fauni uateſq; canebant: Cicero in Bruto dicit tum inuentum, ſed imperfectum. Nihil eſt, inquit, ſimul & inuentum, & perfectum. Quid? noſtri ueteres uerſus ubi ſunt, quos olim Fauni uateſq; canebant? cum neque Muſarum ſcopulos, nec dicti ſtudioſus quiſquam erat ante hunc, ait ipſe de ſe: nec mentitur in gloriando. hæc Cicero. Qui ſi minus arrogare gloriæ uidetur quàm Ennius, tamen irrepit occultius, ut fructũ laudis maiorẽ percipiat. Occurrunt Attici quidã, nec hominẽ regnare patiuntur: qui etſi numeris orationem claudere nõ poſſunt, tamẽ id ſcire ſe fingunt: nec modo nõ contemni, ſed laudari etiã uolunt, ut Caluus ille qui gaudebat exilitate. Laudãdi nimirum ſunt Lyſias Græcus, Cato Romanus, quorũ præcipue ſe iſti imitatores eſſe dicũt: etſi in eis aliquid, ut numerus, deſideratur. Hos uero minime laudemus, qui nihil antiquorũ niſi uitiũ ſequũtur, ut ieiunitatem, inopiam, ſqualorẽ, horridumq; genus dicendi. A bonis rebus & uirtutibus abſunt longiſſime, ut grauitate ſententiarum, uerborumq; delectu. Iſtorum peruicaciam contundit

auctoritatibus

auctoritatibus Iſocratis, Ephori, Naucratis, Ariſtotelis, Theodectis, atque Theophraſti, qui omnes non in oratione modo numerum eſſe uoluerunt, ſed ipſi conſcribendo diligenter obſeruarũt. Quod ſi aures, inquit, tam inhumanas tamq; agreſtes habent, ut nulla ſonorum iucunditate moueantur, cum proprium ſit hominis hiſce rebus oblectari, ne doctiſſimorum quidem uirorum eos mouebit auctoritas? In quibus eſt Iſocrates, orationis ornandæ magnus auctor: cui cõſentiunt diſcipuli Ephorus & Naucrates, hic rhetor, ille rhetor & hiſtoricus: uterque, ſicut Iſocrates, orationis faciendæ, id eſt cõponendæ & ornandæ locuples auctor: quorũ cõmendatio, ſicut Ariſtotelis & Theodectis, addit auctoritatem, & inde confirmat argumentum. Quis omniũ, inquit, doctior eruditione, acutior ingenio, acrior utroque, quàm Ariſtoteles fuit? Is cum florere Iſocratem nobilitate diſcipulorum uideret, quod ipſe ſuas diſputationes à cauſis forenſibus & ciuilibus ad inanem ſermonis elegantiam tranſtuliſſet, mutauit repente totam formam propè diſciplinæ ſuæ, uerſumq; quendam de Philoctete paulo ſecus dixit: ille enim turpe ſibi ait eſſe tacere cum barbaris, hic autem cũ Iſocratem pateretur dicere. Itaque ornauit & illuſtrauit doctrinã illam omnem, rerumq; cognitionem cum orationis exercitatione cõiunxit. Hæc Cicero. Improbaſſet ergo numeros Ariſtoteles, quorũ ſtudioſum ſciebat Iſocratem, niſi hoc orationis ornamentum pulcherrimum indicaſſet. Non improbat, ſed uerſum in oratione uetat eſſe, numerũ iubet. Verba ſunt illius Rhetoricorũ tertio: τὸ δὲ σχῆμα τῆς λέξεως δεῖ μήτε ἔμμετρον εἶναι, μήτε ἄῤῥυθμον. Figura dictionis neque ſolicite uincta, neque ſoluta eſſe debet. & paulo infra, διὸ ῥυθμὸν δεῖ ἔχειν τὸν λόγον, μέτρον δὲ μή. Itaque numerũ, non autem metrum habere debet oratio. Theodectes diſcipulus eius de rhetorica librum uulgauit, adiutus opera præceptoris: ex quo cũ uehementer ſuũ nomẽ auxiſſet, inuidus Ariſtoteles opus illud tanquã ſuum uindicauit. In eo libro Theodectes de numero mentionem facit. Theophraſtus Ariſtotelis etiam diſcipulus de arte rhetorica multa ſcripſit, ut ante diximus ex Diogene Laertio, ſed ad nos illius opera non uenerunt. Iſti uituperatores Attici aut eos auctores ne legere quidem: aut ſi legere, nimiũ contumaces habendi ſunt, cũ poſſint ipſi ſuis ſenſibus, ut auribus, cõmoueri. Auribus aliquid inane uidetur, id quod non explet aures: ut, Neſcio quid huc illeuerit, nequeo legere. Aliquid inconditum, quod incompoſitum eſt & inordinatum: ut, Qui deflexit ſemel à ueritate, hic conſueuit perduci non maiore religione ad periurium quàm ad mendacium. Ordina, Qui ſemel à ueritate deflexit, hic non maiore religione ad periurium, quàm ad mendaciũ perduci conſueuit. De curtis, claudis, redundantibus, ante poſuimus exempla. In uerſu quidem tota theatra exclamant, id eſt ſpectatores ludorum ſcenicorum, ſi fit ab hiſtrione malo, ut à Statilio frequenter exploſo, una ſyllaba aut breuior, aut lõgior. Nec ipſi quidem riſum continemus, ſi quis apud nos uoces aut æquo longius trahit, aut barbare præcipitat. De ſonis igitur optime iudicant aures eruditæ, nonnihil etiam ineruditæ, etiamſi neque pedes metricos, neque numeros oratorios tenent. Nec ſi cur offendantur, ſatis intelligunt, tamen longos & breues ſonos, ſicut uoces acutas & graues, ſentiunt: propterea quòd hoc iudiciũ ipſa natura in auribus noſtris collocauit. Hactenus extra rem. Nunc ad propoſitum. VISNE igitur Brute totũ hunc locũ accuratius etiam explicemus, quàm illi ipſi qui & hæc & alia nobis tradiderunt?] Accuratius explicare numeros, quàm Græci ſcriptores, Ariſtoteles atque Theophraſtus cæteriq;, contendit, de quibus Romani ſumpſerunt hæc, & alia permulta quæ ad uerũ cognitionem pertinent: quæ, ſi Tullio credimus, ſumpta de Græcis omnia fecere meliora. Iam quòd omnis diſputatio methodum ſeruare debet, quatuor ſtatuit ordine quæſtiones: Quis numeris originem dedit? quæ ui fretus dedit? qua natura ac proprietate conſtant? quid tandem afferant commodi? De origine primo loco. Gorgias eos numeros inuenit, qui conficiuntur ex concinnitate uerborum. Thraſymachus eos qui conſonant ex apta quadam collocatione, ſed penè redegit orationem in minutos uerſiculos. Iſocrates autem totũ genus temperauit, ut ne eſſent quaſi uerſiculi, ut ne diſſoluta iaceret oratio. Hæc origo numerorum. Aliter ſentiunt qui mirantur Iſocratem, hominemq; laudant, amatores eius: ac inter uiri laudes hoc etiã memorant, ut uerbis ſolutis, nulloq; uinculo coagmentãdi colligatis, numeros primus adiunxerit. Id autem feciſſe duabus de cauſis ferunt, ut numerus iucunditate mulceret aures, ut idem uariaret orationẽ, cuius una perpetuaq; figura ſatietatem parit, omnibus in rebus euitandam. Sumpſit exemplum de poetis, quorum numeroſi uerſus aut in ſcena, aut in epulis, aut in otio priuato lecti et auditi, plus afferebant uoluptatis, quàm quæ talibus in locis oratorũ monumenta legebantur. Erant enim hæc diſſoluta, nec ulla rhythmorum iucunditate delenita. Ea ratione factum eſt, ut omnes propè nationes, omneſq; linguæ, ſi quid eſſe iucundius uelint, illud rhythmo quodam metiantur. Quæ loquuntur Iſocratis amatores, ut quodam libro Naucrates, quadam ex parte uere loquũtur. Scientius ille & eruditius in ea re uerſatus eſt, quàm ueterum quiſquam. Sed tamen princeps inueniendi, hoc eſt primus inuentor fuit Thraſymachus, cuius omnia ueluti quibuſdam uerſiculis certiſq; pedibus emenſa, iure exiſtimantur nimis eſſe numeroſa. Oratio liberius quàm uerſus excurrit, nec certis unquã dimenſionibus illigatur, cum ſit hoc in numero magnum uitium ſimilitudo. Metiemur igitur non breuitate aut longitudine ſententiarum, ſed aurium menſura. Gorgias paria paribus adiuncta, ſimiliter definita, id eſt uel cadentia uel deſinentia, itemq; contrarijs relata contraria, primus inueniſſe dicitur, de quibus antea duobus in locis diximus. Fuit hæc ſecunda pars collocationis, quæ numerum conficit ex uerborum concinnitate. Gorgias & Thraſymachus ætate præcurrent. Eos igitur non inuentione prima, ſed moderatione ſuperauit, qui temperare potuit Iſocrates, id quo abutebantur intemperantius. Tranquillior eſt hic in transferendis uerbis, illi metaphoris duriores. Hic molliora uerba fingit, illi aſperiora cudunt. Hic numero ſedato fluit, fluctuãt illi more undãtis aquæ per aſpera. Ex quibus Gorgias ſuis illis feſtiuitatibus, id eſt figuris iucundioribus inſolentius & immodeſtius abutitur, quas Iſocrates modeſtius temperauit, non adductus auctoritate Gorgiæ, quem iuuenis audierat ſenem: quinetiã ſe ipſe correxit, ne ſenior uteretur ijs floribus elegantiarum, quibus uſus erat in ætate florenti. Teſtatur ille in oratione ad Philippum Macedonum regem. ἐπέχων πάλιν συγγράψαι περὶ αὐτῶν, οὐκ ἀγνοῶν οὐδὲν τῶν περὶ ἐμαυτοῦ, ἀλλ' εἰδὼς μὲν τὸν λόγον τοῦτον οὐ τῆς ἐμῆς ἡλικίας δεόμενον, ἀλλ' ἀνδρὸς ἀνθοῦντος τὴν ἀκμὴν ἔχοντος, καὶ τὴν φύσιν πολὺ τῶν ἄλλων διαφέροντος. Conſtitui ſcribere rurſum de re eadem quam in Panegyrico tractaui, non quòd mea nõ agnoſcã, ſed quòd intelligam eam eſſe orationem, quæ non deceat hanc meam ætatem, ſed illius qui iuuenilibus annis floreat, alios quæ natura præſtet. QVONIAM igitur habemus aptæ orationis eos principes, auctoreſq;, quos diximus.] Natura quemadmodum cæteris omnibus, ſic quoque numero principium fecit. Eſt igitur cauſa efficiens, quemadmodum Thraſymachus & Iſocrates numeri fuerunt inuentores, et imitati ſunt artifices id quod ſponte natura peperiſſet. Eſt igitur artificis origo cauſa natura. Cæterum artes inuenta ſunt hominum: quapropter in arte, priore loco de artifice dicendum uidetur. Concurrit ad efficiendum natura, ſuumq; comitatur artificem, ſine quo nihil obſeruari, nihil arte colligi poteſt. Natura rerum parens, quo numerum ſubminiſtret, ſæpe aliquid aptũ concluſumq; fundit, hoc eſt fortuito numeroſam periodon abſoluit, id aures primum, deinde animum pellit, & excitat uoluptatem: prudens animaduertit, notat genus, & obſeruat quid illud ſit omnino, quo tantopere capiuntur aures, animuſq; titilla-

tur. Ex hac obſeruatione natum carmen eſt, deinde numerus orationis. Id totum pertinet ad aurium ſenſum, qui nuncius eſt animi, propterea quòd audita ad animũ defert, ut indicem, & æquum exiſtimatorem. Animus autem aure nuncia commonitus, de ſonorum modis ſententiã profert, quia naturalem quandam in ſe continet uocum omnium menſionem: hoc eſt, ui quadam inſita uoces omnes quodammodo metiri poteſt. Eſt menſio idem, quod dimenſio atque menſura. Indicat idem ſenſus longiora, id eſt quæ præter modum longius extendas: ut ſi pronuncies iſthuc, dominem, ſic ut extrema ſyllaba trium ſit temporum, quod pleroſque nunc praua conſuetudine facere uidemus. Indicat idem breuiora, ut ſi mediã corripias huius uerbi docere, formare. Sic enim referimus longiora breuioraq́; ad ſingula: quoniam paulo poſt contexta quædam dicuntur eſſe aut curtiora, aut contra productiora. Idem perfecta ac moderata, hoc eſt ac centu ſuo naturali comprehenſa, ſemper expectat. Idem in oratione mutila ſentit quædam, id eſt quaſi decurtata, & uelut amputando curtiora facta: ut, Credo tum cum Sicilia florebat opibus, magna artificia fuiſſe in ea. his offenditur, tanquã debito iureq́; ſuo fraudetur. Addit aliquid Cicero: Credo tum cũ Sicilia florebat opibus & copijs, magna artificia fuiſſe in ea inſula. Sentit idem productiora alia: Nemo, ſicut ex improbo patre probum filium naſci & oriri, ſic ex peſſimo hiſtrione bonum comœdum fieri poſſe exiſtimaret & crederet. Odioſum dicendi genus, quod rudioribus eſt copioſum. Quemadmodum in plerisque rebus, ut in loquendo, in aptando geſtu, ſic in numeris nimium quod eſt, offendit uehementius, quàm id quod uidetur parum. Qua de re infinitos propè ſenſiculos in minoribus cauſis apud Ciceronem decurtatos reperias, longiores uix unquam reperias. Hoc indicium naturæ eſt. Is igitur uerſus inuentus eſt terminatione aurium, obſeruatione prudentium, cum quid aptè cadens ſenſiſſet auris, et ſolers annotaſſet. ſic in oratione animaduerſum eſt, quoſdam certos eſſe caſus concluſioneiq́; uerborũ, non quòd certi ſint numeratiq́; pedes, ſed quòd ad certam uelut metam currit, auribus definitam, inter quam & carceres interuallum par eſſe non debet. Quod ſi numerus circa Thraſymachum, carmen ante Orpheum & Linum repertum eſt à Phemonoe filia Solis, multo quidem ſerius ῥυθμὸν quàm μέτρον inuentũ eſſe conſtat. QVONIAM igitur cauſam quoque oſtendimus, naturam nunc (id enim erat tertium) ſi placet, explicemus.] De numeri origine cauſaq́; dictum eſt. De natura tertius eſt locus, ubi quid qualiſq́; ſit numerus, quæritur. Quippe natura rerum definitione & accidentibus explicatur. Subſtantia quæ uocatur, ſimplicior eſt: accidentia, locum, tempus, modum, numerum, & id genus περιστάσεις, qualitates & quantitates continent. quæ ſi uelit omnia præceptionibus adſtringere, diſputatio non huius inſtituti ſermonis erit, quoniam antea profeſſus eſt, artis præcepta non dare ſe, ſed quæ ſit optima dicendi forma, indicare. Attamen elocutionem amplius quam cæteras partes extendit, propter quam liber eſt hic inſtitutus. propterea diligenter inquirit uim naturamq́; numeri. Quis eſt orationis numerus? Pes omnis aptè cadens, quo decenter ingreditur oratio, ut dactylus, ſpondeus, pean, trochæus, & cæteri omnes. Vbi poſitus eſt numerus? In omni parte uerborum. nihil enim eſt quod in pedem non cadat. Ex quo natus eſt? Ex aurium uoluptate. Hæc quæſtio referri uidetur ad cauſam, ſed natura rerum etiam petitur à cauſis. Vnus'ne eſt, an duo, an plures? Plures ſanè, nempe totidem, quot ſunt pedes: aut duarum ſyllabarum, ut iambus: aut trium, ut anapæſtus: aut quatuor, ut dichoreus: aut quinque, ut dochimus. Tamen Ciceronem Fabius triſyllabos dicit non excedere, quòd ij ſimplices habentur, reliqui certe compoſiti ſunt. Qua ratione componitur? Accommodatur rei de qua agitur, ac pronunciationi. Grauia grauibus, leuia leuibus, dulcia dulcibus in compoſitione conueniunt. Ad quam rem componitur? Ad delectationem. Quando adhibetur? Semper. nam quamuis oratio laxet interim numeros, nũquam tamen debet tota diſſolui. Quo loco ſtatuitur? In tota cõtinuatione uerborum. Quemadmodum adhibitus aliquid uoluptatis affert? id eſt, quomodo uoluptatem cũ adhibetur affert? Eo modo quo uerſus. Etenim curſus ille dimenſus natura iucundus eſt. In his eſt natura numeri & uſus, qui ad naturã quoque referri poteſt: de quibus amplius eſt diſſerendum. Sed ut in plerisque rebus quas excutiunt philoſophi, ſic in hac duplex eſt conſiderandi uia, quæ methodus appellatur. altera, quæ perſequitur omnes propè quæſtiones, an eſt? quid eſt? quale eſt? quantum? quàm multiplex? ad quid refertur? ubi? quando? quomodo ſe habet? Hac inquam longior, qua ſolent interdum philoſophi res obſcuras inquirere. Et Ariſtoteles conſtituit decem categorias, unde pendeat omnis quæſtio. Breuior altera methodus, quæ pauca explanat, unde cætera intelligantur. Eſt igitur uiæ longioris, quæ altius initiũ repetit, hæc quæſtio, Sit ne omnino ulla numeroſa oratio? Hanc longiorem methodum nonnunquam Quintilianus ſecutus eſt, an ars omnino ſit rhetorice? an memoria & pronunciatio ſint artis? numerus'ne debeat adhiberi? & alia multa diligenter examinat. Numeros autem eſſe conſtat, qui ſi more uerſuum certam non habent comprehenſionem, ut perpetuo quatuor, aut quinque, aut ſex, aut octo pedes, tamen habent comprehenſionem aurium iudicio finitam. Nec ſi non ſunt certi, uti uerſus, ideo tamen non ſunt. Rationem cur ſint, non opus eſt reddere. Interrogandæ ſunt aures, ut ſit pro ratione ſenſus. Certe ſi quæritur cur ſit numerus in oratione, hoc dicere ſolum poſſumus, non eſſe ratione quæſitum, ſed obſeruando notatum, tum cũ ſuauiter in aurem cecidiſſet. Aliæ res quidem ratione ſunt inuentæ, ut in philoſophia multa. aliæ natura datæ & uſurpatæ, quòd utiles aut iucundæ uiderentur. Hæc intellige de inuentione prima. Cæterum numerus, ut muſica, nonnunquam rationes habet: nec qui uariat numeros, ignorat cur hoc aut illo genere utatur, aut cur aliud genus fugiat. Nec quæ de numero dicuntur, ſunt omnia in obſeruatione. pauca admodum ſunt obſeruata, quæ natura obtulerat: reliqua ſimilitudine quadam agente ratione ſunt adiecta. Sed quoniã plurimum poſſunt aures in hac parte, nihil aut parum ratio facere uidetur, etſi à paruis initijs hanc rem perduxit ad ſummũ. Sed redeamus ad quæſtiones, quæramusq́; quid poſteriores à prioribus differant. Priores in genere poſitæ ſunt de tota numeri natura. Hæ rem perſequuntur longius, ac aliud inquirunt. Prima quærit an res ſit, altera quid ſit: quam uidetur omiſiſſe, quoniam ubi notum fuerit qualis & quanta res ſit, difficile nõ erit intelligere quæ'nam ſit. Aut certe quia iam poſuerat illam, nõ repetit. Sit igitur altera quæſtio, qualis ſit numerus, an poeticus, an alius? Poeticus ſanè. Nam poetæ & oratores iiſdem pedibus, ſed aliter utuntur. Ex hac quæſtione naſcitur alia: Quis, poeticorum pedum ſit, aut qui? Omnes in orationem ueniunt, etſi Ephorus alios legit, alios reijcit: et alij unum modo probant iambũ, alij peana. Hinc rurſus oritur quæſtio: Communes'ne ſint omnis generis orationi, an diſpares accommodandi? Diſpares accommodantur: quia alij narrationi conueniunt, alij ſuaſioni, alij communibus locis. Rurſum ſuboritur alia dubitatio: Si diſpares, id eſt diſſimiles adhibeantur, quid interſit? Hoc intereſt: alij tardiores, ut ſpondeus: alij celeriores, ut iambus: alij triſtiores, ut anapæſtus: alij iucundiores, ut pean: alij altiores, ut dactylus: alij humiliores, ut pyrrhichius: alij leues, ut trochæus: alij graues, ut bacchius: alij intermedij. Iam quæ uarietas et artis diſſimulatio efficit, ut non æque in oratione atque in uerſu numerus appareat? Numerantur pedes in uerſu, & iidem perpetuo incurrunt: quod fieri nõ debet in oratione. Hæc itaque quæſtio natura ſequitur priorem, ſint'ne diſpares numeri accommodandi? cui ſubſeruit hæc etiam: Quod dicitur in oratione

tione numeroſum, id uerum numero ſolum efficiatur, an etiam compoſitione quadam, id eſt, iunctura, an genere uerborum, id eſt, figura? Sua cuiuſque natura eſt atque proprietas, & numeri, & iuncturæ, & concinnitatis. Numerus efficitur interuallis, id eſt, temporibus ſyllabarum, breuibus, longisq́;. Compoſitio & iunctura ſpectat uoces quas reddunt poſtremæ ſyllabæ uerborum priorum, & primæ ſequentium. Figura numeroſa, genus eſt uerborũ, & lumen orationis. Horum trium fons, id eſt genus, compoſitio eſt, non illa ſuperior, ſed ordo uerborum ſiue collocatio: quia ex collocatione uerborum numerus efficitur, & coagmentatio, & figuræ concinnitas. Neque eſt unũ & idem quod uoce iucundum eſt, quæ apta iunctura eſt: & quod moderatione, id eſt certa miſtura temperieq́; abſolutum, qui numerus eſt: & quod illuminatum, hoc eſt figuratum genere uerborum. Hoc tertium finitimum eſt proximumq́; numero, quia per ſe plerunque perfectum eſt in periodo. Compoſitio ſiue iunctura ab utroque differt, quia tota ſeruit aut grauitati ponderiq́; uerborum, aut ſuauitati. Hæc interrogatione dubia facere uidetur, ſed tamen oſtendit id quod ſentit: propterea redigimus in affirmationem. Omnino ſunt decem et quinque diuerſæ quæſtiones. unam duobus locis cõſtituit, unus'ne ſit numerus, an duo, an plures: ſed aliud adiunxit, ne fruſtra repetita uideretur: deinde quòd ex ea quæſtione manabant aliæ dubitationes. E S S E *igitur in oratione numerum quendam, non eſt difficile cognoſcere.*] *Propoſitas quæſtiones ordine mutato diſſoluit. Si quæras, ſit'ne omnino ulla numeroſa oratio, reſpondeat, Eſſe in oratione numerum quendam, non eſt difficile cognoſcere. Si cur ita ſit roges, conſtituat argumenti loco iudicium ſenſus. Si grauius agas et inſtes, quòd ratio numeri reddi non poſſit, ſubijciat iniquum eſſe, quod accidit in oratione numeroſum, non agnoſcere, ſi cur id accidat, reperire nequeamus. Si rhythmus & metrum ratione cognita eſſent, ratio redderetur: ſed à natura parta ſunt, à ſenſu notata, ratione dimenſa. quamobrem tantum dici poteſt, rationem menſura comprehendiſſe quæ natura pepeꝛiſſet. ergo ratio uerſum numerumq́; metitur, ſed non parit. Adijcies, cur non æque in oratione atque in uerſu numerus appareat? Occurrit: In alijs uerſibus, ut heroicis, hendecaſyllabis, elegis, res eſt apertior: in alijs æque latet. Verſus autem ubique ſui ſimilis eſt: ea de re magis in eo numerus apparere debet. quanquam etiam à modis quibuſdam, id eſt modulatis uerſibus, cantu remoto uel chori uel tibiæ, ſoluta eſſe uideatur oratio: ſed choro tibicine'ne modulante, compar ſuiq́; ſimilis eſſe rhythmus agnoſcitur. Hoc intelligere licet in poetis lyricis, ut in Pindaro, & apud nos in Horatio, quorum multi uerſiculi ſolutæ orationi ſimillimi ſunt, niſi cum cantus acceſſit aut lyræ, aut tibiæ, aut etiam uocis. Tum enim pares habere curſus (quod poetici numeri proprium eſt) intelliguntur: ut, Lydia dic per omnes, Te deos oro, Sybarim cur properes amando Perdere? Sic eſt illud Ennianum in tragœdia Thyeſte: Quem' nam te eſſe dicam? qui tarda in ſenectute. Senſus eſt inexpletus. Hos modulos tragicos & lyricos, aut in ſcena aut in epulis canebat tibicen, ſuccinentibus ore phonaſcis: quod etiamnum fieri uidemus apud principes, ut tibicines ſymphoniacis immiſti concinant hymnos. Sunt qui opinentur eam conſuetudinem fuiſſe ueteribus, ut fabulam agentibus perſonis adhiberent tibicinem, non in una parte modo, ſed in omni actu atque ſcena. Is faciebat modos, & à tergo recitantium ſuccinebat temperantius, ut eorũ uocem componeret. Ad eum morem alludere uidetur Cicero Tuſculana prima, ubi ridet eos qui timebant mortuorũ cadaueri: Non intelligo quid metuat, cũ tam bonos ſeptenarios fundat ad tibiã. Comicorũ ſenarij, id eſt, uerſus iambici, ſex pedibus conſtantes, quibus utuntur comici, propter ſimilitudinem ſermonis & linguæ quotidianæ ſic ſæpe ſunt abiecti, hoc eſt à maieſtate carminis ad humilitatem remiſſi, ut uix in ijs numerus & uerſus intelligi poſſit: ut, Hiccine me ſi imparatum in ueris nuptijs adortus eſſet, quos mihi ludos redderet? Non eſt igitur cur miremur in oratione latere numeros, cũ certiores in uerſu nonnunquã lateant. Horatius: Idcirco quidam comœdia nec'ne poema Eſſet, quæſiuere, quòd acer ſpiritus ac uis, Nec uerbis nec rebus ineſt.*

O M N I N O *duo ſunt quæ condiant orationem, uerborũ numerorumq́; iucunditas.*] *Quæſtio diſſoluta eſt, ſit'ne numerus in oratione. Pergit oſtendere, ſerò natum fuiſſe numerũ, & ad aurium uoluptatem comparatũ, ut exoluantur illæ quæſtiones, ex quo natus ſit? ad quid adhibeatur: Sicut alia uerba reperta ſunt ad neceſſitatem, alia ad uoluptatem: ſic oratio nuda ac rudis erat neceſſitatis, oratio numeroſa uoluptatis. Natus ergo numerus ab aurium uoluptate, componitur ad delectationem, & quaſi eloquentiæ condimentum. Omnino duo ſunt id eſt, ex omnibus orandi uirtutibus duæ, quæ condiant orationem, ac ueluti ſale quodã iucundiorem efficiant. Altera eſt uerborum, non omnium, ſed florentium iucunditas: altera, numerorum uoluptas. Sententiæ non ut condimenta, ſed ut alimenta neceſſaria ſubminiſtrantur, quemadmodum uerba quæ tantũ conceptus animi declarant, neque uiribus nouis, neque elegantia ſplendeſcunt. In uerbis omnibus ineſt quaſi materia quædam: quia ſicut è materia conſtruit opus artifex, ut è ferro gladium, ſic è uerbis de medio ſumptis, aut innouatis, artifex extruit illigatq́; numeros. In numeris eſt expolitio, propterea quòd uerba ſuis locis apta, numeri beneficio tanquam lapides expoliti coagmentantur. Verba autem fuerunt ante numerum, quia neceſſitatis inuenta antiquiora ſunt, quàm uoluptatis: quanquam non omnia uerba credi par eſt neceſſaria, quia res una multis effertur modis, & è figuris noui ſumuntur intellectus. Herodotus, & eadem ſuperiorq́; ætas, numero arte quæſito caruit, uerbis non caruit. unde conſtat, poſteriorem eſſe numerum. Quintilianus huic ſententiæ refragatur: Non enim, inquit, quamlibet magnus auctor Cicero perſuaſerit, Lyſiam, Herodotum, Thucydidem, parum ſtudioſos numeri fuiſſe. quod Fabius à Dionyſio Alicarnaſſeo accepit, ut ſupra demonſtrauimus. Herodotus multis in locis uerſiculos effundit imprudens, nec uidetur habere delectum pedum, nec iuſto modo debitoq́; fine multas complere ſententias: unde Cicero iudicauit eum caruiſſe numeris, non eò permotus, quòd interim decenter orationem terminaret, cum doctus eſſet, & (ut ait poſtea) ſtudioſus compoſitionis et iuncturæ. Principiũ Melpomenes inſuaue et imperfectũ, μετὰ δὲ τὴν βαβυλῶνος αἵρεσιν ἐγένετο ἐπὶ σκύθας αὐτοῦ δαρείου ἔλασις. Quæ proxime ſequuntur, nõ multo pleniora ſunt: ut illi fines, ὑπὲρ ἔξω ἀδεινῆς. ἦρχον τῆς ἀσίης. καταπαύσαντες τῆς ἀρχῆς μήδους. Credamus ergo Ciceroni, cui quod habet optimum Fabius, debet acceptum referre. Hoc etiam pro Cicerone facere debet, ueteres illos de oratione multa, nihil autem de numero præcepiſſe, Coracem, Tiſiam, Empedoclem, Gorgiam, aliosq́; permultos uſque ad Thraſymachum & Iſocratem primos auctores huiuſce uoluptatis. Quod erat facilius, id ante cognitum eſt, ut uerba tranſlata, quæ ſunt metaphorica: ut, Ruentes animi, fulciendi ſunt. Verba facta: ut, Animi prouiſio. Verba iuncta, id eſt, compoſita: ut, terræ frugiferentes, apud Lucretium. Sumpta ſunt hæc è conſuetudine, quotidianoq́; ſermone, aut quòd illa uulgo dicerentur, aut quòd per analogiam facile nouarentur. Id accidere numero non potuit, quem uulgus ignorabat: Numerus, inquit, non hoc modo depromebatur, quo uerba permulta: neque habebat aliquam neceſſitudinem, id eſt, familiaritatem cũ oratione populari. Ex dictis colligit, ſerius aliquanto numerum et notatum & cognitum fuiſſe, quàm uerba condimenti iucunditatisq́; gratia reperta. Ergo uerba neceſſaria primum fuerunt, deinde uerba ad uoluptatem comparata, deinde carmen, poſtremus omnium numerus. Is quandam palæſtram orationi attulit, hoc eſt, effecit, ut oratio more palæſtritarum ualidius atque decen-*

tius moueretur. Palaſtræ quidem decens eſt motus: quamobrem Fabius ad palæſtritas mittendum oratorem futurum cenſet, ut inde robuſtior honeſtiorq; membrorũ flexus comparetur. Certe in longis ac breuibus interuallis eſt numerus, unde aut tardior, aut mobilior eſt oratio. Idem numerus extrema lineamenta orationi attulit, hoc eſt orationi fuſæ & ueluti in ſtatuam conflata addidit expolitionem. Quemadmodum fuſores puluere deterſo, ſquallore metalli deiecto, extrema ducunt lineamenta: ſic oratio natura conflata, ſenſim depoſuit ſqualorem, tandemq; numerum recepit. Oratio alia anguſta atque conciſa, quæ non conficit curſum, qualem nunc implicaui: alia eſt collata, atque diffuſa, quæ pulchritudinis honore ducta circũcurrit, ſtatumq; metatur, ut qui modulum pedum percipit ſenſus, iucunditate & uoluptate recreetur. Iſtud efficitur non ex natura literarum, uocalium, conſonantiumq;, quarũ coagmentatio & iunctura debet eſſe, ſed interuallorũ longorũ & breuium uarietate, hoc eſt temporibus ſyllabarum, quibus implicata, id eſt contexta oratio, longioribus ſtabilis & firma eſt, breuioribus inſtabilis & uolubilis. Circuitus, quæ periodus appellatur, incitatior numero ipſo, id eſt, contextu pedum fertur & labitur, quoad perueniat ad finem, & inſiſtat, hoc eſt quoad aures quieſcant, pedemq; figi uelint. Eſt enim inſiſtere, ueſtigium premere, & quaſi fixo pede commorari. Si numerus eſt ad aurium uoluptatem comparatus, ſiq; uoluptas maior eſt à uarietate, quàm à uerſuum ſimilitudine, ſi denique tantam diligentiam præ ſe ferre non debet oratio, perſpicuum eſt numeris adſtrictam orationem eſſe debere, carere uerſibus. Habes ex quo natus ſit numerus, & ad quã rem adhibeatur. SED hi numeri poetici ne ſint, an ex alio genere quodam, deinceps eſt uidendum.] Quæſtio fuit, quales eſſent oratorum numeri, ex poeticis ne numeris, an ex alio genere quodam? Reſpondet, nullum eſſe numerum extra poeticos, quia cum ſint omnino tria genera numerorum, nullumq; genus non ueniat in orationem & in uerſum, neceſſe eſt eoſdem eſſe poeticos & oratorios. Sunt, inquit, definita, hoc eſt certo numero comprehenſa genera numerorum. Omnis enim pes eiuſmodi natura eſt, ut unus ſit è tribus, aut par, aut duplex, aut ſeſquiplex: quia pes unde conficitur numerus, id eſt, illa conſtans & definita modulatio, aut par eſt, ſi pars eius æqualis eſt alteri, ut dactylus, anapæſtus: aut duplex, ſi pars eius altero tanto, id eſt duplo maior eſt, ut choreus, iambus: aut ſeſquiplex, ſi pars eius tantundem dimidiumq; continet, ut pæan, bacchius. Transfert iſta Fabius: Rhythmus, inquit, aut par eſt, ut dactylus: unam enim ſyllabam parem breuibus habet. eſt quidem uis eadem et alijs pedibus, ſed nomen illud tenet. aut ſeſquiplex, ut pæan, cuius uis eſt ex longa & tribus breuibus: quiq; ei contrarius, ex tribus breuibus & longa, uel alio quoque modo tempora tria ad duo relata ſeſquiplum faciunt, aut duplex, ut iambus: nam eſt ex breui & longa: quiq; eſt illi contrarius. Hæc ille. Ex his intelliges parem eſſe pyrrhichium, ſpondeum, dactylum, anapæſtum, amphibrachyn ſiue ſcolion: duplices autem, iambum, choreum, tribrachyn, moloſſon: ſeſquiplos uero, bacchium, antibacchium, amphimacrum. Reliquos pedes ex iis componi, uel pueri ſciunt. Hæc autem partitio naturã pedum analogiamq; demonſtrat, ut ex arte numerare poſſimus tempora ſyllabarum, & inter ſe cõparare. Omnes hi pedes in orationem neceſſario cadunt, quia uerba quibus neceſſario utimur, longis et breuibus conſtãt, ac ſimplices numeros perpetuo ſecũ ferunt. ſed numerus ille de quo loquuntur oratores, nõ ex quibuslibet pedibus, qui ſunt etiã in oratione diſſolutiſſima, ſed ex artificioſa pedum collocatione conſiſtit. Pes eſt omniũ loquentium, collocatio doctiſſimorũ. Vult igitur pedes ordine collocari, quòd in collocatione ſint omnia. Omnis oratio pedes habet: neque enim loqui poſſumus, niſi breuibus & longis. Oratio numeroſa pedes ordine componit, ut illis aptè cadentibus decenter incedat. Hinc illud eſt paulo infra:

Sit igitur hoc cognitum, in ſolutis etiam uerbis ineſſe numeros, eoſdemq; eſſe oratorios, qui ſunt poetici. SED quæritur, quo numero, aut quibus potiſſimum ſit utendum.] Quæritur poſtea, quo numero, aut quibus potiſſimum ſit utendum? Antequã reſpondeat, oſtendit numeros omnes etiam nobis imprudentibus in orationem incidere. Id argumento ſit, quòd uerſus ſæpe in oratione per imprudentiam dicimus, hoc eſt uerſus effundimus, etiamſi nihil tale cogitamus: ut Cicero in Piſonem duos ſenarios & dimetrum unum continuat:

Oculi, ſupercilia, frons, uultus denique
Totus, qui ſermo quidam tacitus mentis eſt,
Hic in fraudem homines impulit.

Hoc tamen uehementer eſſe uitioſum putat: ſed excuſat, quia non attendimus, id eſt non animaduertimus, neque exaudimus noſmetipſos, perinde quaſi ſtupidæ ſint aures. Sed cur ita uitioſum? In uiro docto nimiam numerorũ affectationem, in indocto componendi inſcitiam præ ſe fert. Heroicos uerſus & elegos euitare poſſumus: excellunt enim, & feriunt aurem. Senarios uero & Hipponacteos effugere uix poſſumus. Quid ita? magnã partem ex iambis noſtra conſtat oratio. Magna ex parte ferè dicit. ſed hic immutauit, quia dicturus erat, ex iambis: et aſpere audiebatur, magna ex parte ex iambis. Conſuluit auribus, ut par erat. Magnam partem dicere quidem poſſumus, quod ut à Græcis ſupprimitur aliquãdo κατὰ, ſic quoque à Latinis uel per, uel ſecundum, uel circa. ut, cætera formoſus, τ' ἄλλα. ſynecdoche uocatur, quam non repudiat oratio. Liuius, Annibal aduerſum femur tragula grauiter ictus cecidit. Cicero Tuſculana 4. Chryſippus & Stoici cum de animi perturbationibus diſputant, magnam partem in his partiendis & definiendis occupati ſunt. Iam quæramus qui ſenarij hipponacteiq; dicantur, et cur ex iambis noſtra ferè conſtet oratio. Verſus iambici à ſex pedibus ſenarij nominantur. ſextus eſt iambus: primus, tertius, quintus, aut iambus, aut tribrachus, aut dactylus, aut anapæſtus, aut ſpondeus: ſecundus et quartus, aut iambus, aut tribrachus. Hoc ſenario Ariſtophanes in ueteri comœdia & tragici omnes frequenter utuntur: ut,

O mors amoris una ſolamen mali.
O mors pudoris maximum læſi decus.
Confugimus ad te, pande placatos ſinus.

Alius eſt ſenarius comicus, qui non obſeruat pares & impares locos, ſed unũ aliquem de quinque pedibus conſtituit: ut,

Vos iſtæc intro auferte, abite, Soſia
Adeſdum, paucis te uolo. Dictum puta.

Hipponacteus qui dicitur, uel hipponactius, græce ἱππωνάκτειος, latine mutatur ει aut in e aut in i longum: hipponacteus inquam, ab Hipponacte iambographo Epheſio nomẽ habet, nihilq; differt à ſenario tragico, de quo modo locuti ſumus, niſi quòd perſæpe aut catalecticus, aut hypercatalecticus eſt. Catalecticus quinque pedes habet, ac ſyllabam: ut,

Mea renidet in domo lacunar.

Hypercatalectus ſex pedes ac ſyllabam continet: ut,

Fugit umbra falſi, oriente luce ueritatis.

Hipponacteum quoque uocant iambicum claudum: ut,

Nec fonte labra proluì caballino.

Quòd autem ex iambis ferè noſtra conſtet oratio, non eſt meditationis & conſilij, ſed euentus. Nam cum uerba propè omnia longis ac breuibus miſceantur, in compoſitionem ſponte cadunt iambi, niſi cum uerba de multis ſeliguntur. Addamus iſtuc, cur iambicos uerſus uſitatiſſimos putet, & eos facile agnoſcat auditor. In ſingulos annos multi exhibebantur ludi ſcenici, multæ agebantur & tragœdiæ & comœdiæ, ex quibus uerſus illos nõ docti modo, ſed etiam imperita multitudo cognoſcebat. Inculcamus etiã, id eſt, quodammodo inter partes conſtipamus minus uſitatos, ſed tamen uerſus, ut choriambicos: Inſtabilis tyrannis.

Anacreontios

Anacreontios, Relinque turpitudinem ſceleris. Sunt alij propè infiniti. hinc illud Quintiliani: Nihil eſt quod proſa ſcriptum, non redigi poſſit in quædam uerſiculorum genera. In adeo moleſtos incidimus grammaticos, qui carmina in uarias formas coegerunt. Hoc tamen ne ſæpius accidat, longa animi prouiſione fugiendum. Quippe cum Iſocrati uitio dederint quidam Peripatetici, quòd ſtudio compoſitionis in uerſus incidiſſet, ut ſenarios et anapæſticos, qui uel in uno Areopagitico plurimi ſunt, paucos adſcripſimus. πολλοὺς ὑμῶν οἶμαι θαυμάζειν ὅστις. Ἁπάσης γὰρ τῆς ἑλλάδος ὁ πᾶν τὴν πόλιν. περὶ μὲν οὖν τούτων καὶ πρότερον εἰρήκαμεν. Οὔτε γὰρ ἡγοῦμαι τούτους αἰτίους εἶναι. Scazon. Ταῦτ᾽ εἰκότως καὶ ποιοῦμεν, καὶ πάσχομεν. Sunt in eadem oratione anapæſtici, qui quatuor incedunt pedibus, aut anapæſtis, aut dactylis, aut ſpondeis, aut ſæpius mixtis:

Καὶ προσέχειν τοῖς τοιούτοις πράγμασι,
Ὑπὸ τῶν προγόνων καταλειφθείσας,
Νομίμως πράττοντες διατέλεσαν.
Ἀμφότερα γὰρ αὐτοῖς συνέβαινεν.

Si quis obſeruabit illius orationes, eiuſmodi permultos inueniet: unde conſtat Hieronymum illum peripateticum non omnes elegiſſe quos Iſocrates effudiſſet, ſed triginta modo cõtentum fuiſſe, ut illum nimis ſtudioſum compoſitionis oſtenderet. Hieronymus peripateticus uocatur, ad euitandū nominis ambiguitatem. Hoc quidem nomen eſt commune multorum. Hic autem ab Ariſtotelis ſecta nominatus, ſententia peripateticus non fuit. Teſtis eſt Cicero de Finibus. Præterea multos, inquit, in his doctum hominem & ſuauem Hieronymum, quem iam cur peripateticum appellem, neſcio. Summum enim bonum expoſuit uacuitatem doloris. Is igitur doctus, ſuauis, & in primis nobilis, ſed malitioſus, qui ut uerſus notaret, non tota uerba, ſed demptis ſyllabis mutilata ſumebat. hoc modo conflauit anapæſticum ariſtophaneum, ab Ariſtophane nominatum. Ariſtophaneus duplex eſt: aut enim continet tres anapæſtos, hoc modo, Fugis hinc ſcelerate puer. aut octo, ſyllaba dempta: ut, Date uina mihi, date ſerta, iuuat dare tempora tota Lyæo. Dicet quiſpiam, Quomodo ſibi Cicero conſtat, qui uerſum facere in oratione, turpe flagitiū putet, cum fateatur ipſe ne id accidat, neque obſeruari poſſe, neque oportere? Omnino uitare non poſſumus, quod oſtendit ille correctior tam ſeuerus: attamen frequenter in notos incidere uerſus, flagitium eſt. SEQVITVR ergo, ut qui maxime cadant in orationem aptam numeri, uidendum ſit.] Numeros omnes in orationem cadere, planum fecit. Iam tractanda quæſtio eſt intermiſſa, quibus potiſſimum ſit utendum? nec enim dubitatio eſt, quin alijs alij meliores ſint. Pæan optimus habetur: reliqui omnes ſi rebus aptantur, non mali. Sic enim Ciceroni uiſum eſt. Ego, inquit, ſentio omnes in oratione eſſe quaſi permiſtos & confuſos pedes. Caſtigat igitur eos qui iambum cæteris anteferunt, quòd ſit orationi ſimillimus, id eſt quòd præ ſe ferat ſpeciem conditionemq; ſermonis, qui neque abiectus, neque grandiloquus eſſe debet. Hinc rationem ducunt, cur adhibeatur fabulis, ut comœdijs. Nam cum fabulæ ſint ſermoni proximæ, & iambus habeat ſimilitudinem quandam ueritatis, ideſt ueri proprijq; ſermonis, non ab re uidetur accommodari. Id ex parte uerum eſt. Iambus enim frequentiſſimus eſt in ijs, quæ demiſſo atque humili ſermone dicuntur. Ex parte falſum, quippe cum in amplioribus materijs alij ſint aptiores, ut pæan & dactylus, quē repudiant illi, quoniam heroicæ magniloquentiæ uident accommodari: quod non efficit ut repudietur, ſed ut parcius collocetur. Ephorus pæana ſequitur, aut dactylum: ſed non ita magnæ auctoritatis eſt, quia, ut ait, leuis eſt orator. Id oſtendit 2. de Oratore: Poſtea uero quaſi ex clariſſima rhetoris officina duo præſtantes ingenio, Theopompus & Ephorus ab Iſocrate magiſtro impulſi, ſe ad hiſtoriam contulerunt, cauſas omnino nunquam attigerant. Non probo qui malunt hic legere lenem pro ſuaui, cum ſenſus ueritas ſit, illum quidem eſſe parum grauem oratorem, non tamen repudiandum, qui ſit profectus ex optima diſciplina Iſocratis. Nec illud turbare debet nos, quòd hiſtoricus dicatur orator. Nemo enim bonus hiſtoricus, ut Antonius affirmat, qui non idem ſit orator. Ephorus pæana ſequitur, quia cū habeat tres breues & longam, ut curriculum, amauerat, uideatur, facilitas, uolubilem proclinemq; reddit orationem, quemadmodum dactylus qui labitur celeritate breuiū duarum. Sit hoc exemplum: Periodus labitur, ac celeriter fluit, eaq; uolubilitate pæanis, & dactyli breuitate corripitur. In hac oratione collocauimus quinque pæanas, dactylos tres, (quia dactylus & anapæſtus hic pro eodem habentur) tres creticos paulo tardiores: ne, quod non oportet, ijdem continuarentur pedes. De pæane & dactylo rectè indicauit Ephorus, ſicuti de ſpondeo & trochæo, quem tribrachum uocant à tribus correptis ſyllabis, ut legere, facilis. Spondeus ſi frequens eſt, nimium tardam, trochæus nimis incitatā reddit orationem. Exempla ſunt: Felices ij patres, qui liberorum formauerunt diſciplinam, nec eorum mores in prauū declinare permiſerunt: Leuis & impius homo potius habendus eſt, qui uitia ſinit inhærere ſuis. Hic pes à uolubilitate & inconſtantia dictus trochæus. Sunt qui trochæum pro longa breuiq; ſumunt, id eſt pro choreo: ſed quid Cicero uelit, intelligendū eſt. Forte dices, ſi non errat Ephorus in hoc iudicio pedum, quid habet culpæ? quid illi qui putant iambum ſimillimum ſermoni? Non errant in qualitate, ſed in modo, qui pauciores eligant pedes, quā dicendi copia facultaſq; patiatur. Nam priores de pæane nullam faciūt mētionem, qui numerus eſt molliſſimus, idemq; ampliſſimus. Molle, ſuauitatis eſt: amplum, dignitatis. Quid de pedibus opinetur Ariſtote. tertio Rhetoricorū ſcribit hoc modo: τῶν δὲ ῥυθμῶν, ὁ μὲν ἡρῷος σεμνὸς καὶ λεκτικὸς, καὶ ἁρμονίας δεόμενος. ὁ δ᾽ ἴαμβος, αὐτή ἐστιν ἡ λέξις ἡ τῶν πολλῶν. διὸ μάλιστα πάντων τῶν μέτρων ἰαμβεῖα φθέγγονται λέγοντες. δεῖ δὲ σεμνότερον γενέσθαι, καὶ ἐκστῆσαι. ὁ δὲ τροχαῖος κορδακικώτερος, δηλοῖ δὲ τὰ τετράμετρα. ἔστι γὰρ τροχερὸς ῥυθμὸς τὰ τετράμετρα. λείπεται δὲ παιὰν, ᾧ ἐχρῶντο μὲν ὡς ἐν ἀπορρήτῳ ἀπὸ Θρασυμάχου ἀρξάμενοι. οὐκ εἶχον δὲ λέγειν τίς ἦν. ἔστι δὲ τρίτος ὁ παιὰν, καὶ ἐχόμενος τῶν εἰρημένων. τρία δὲ πρὸς δύ᾽ ἐστίν. ἐκείνων δὲ ὁ μὲν εἷς πρὸς ἕν. ὁ δὲ δύο πρὸς ἕν. ἔχεται δὲ τῶν λόγων τούτων ὁ ἡμιόλιος. οὗτος δ᾽ ἐστὶν ὁ παιάν. οἱ μὲν οὖν ἄλλοι διά τε τὰ εἰρημένα ἀφετέοι, καὶ διότι μετρικοί. ὁ δὲ παιὰν ληπτέος. ἀπὸ μόνου γὰρ οὐκ ἔστι μέτρον τῶν ῥηθέντων ῥυθμῶν, ὥστε μάλιστα λανθάνειν. id eſt: Numerorum grauis eſt herous, elegans, harmoniā quærens. Iambus autem ſermo eſt ipſe multitudinis: iccirco ex omnibus metris iambica maxime loquendo fundit. Opus eſt autem ampliorem eſſe orationem, ut eximatur à uulgo. At trochæus eſt tripudijs aptior, quod octonarij oſtendunt. In octonarijs enim uolubilis eſt numerus. Reſtat itaque pæan, quo poſt Thraſymachum repertorem ueluti arcano utebantur, cum quid eſſet, ne ſentirent quidem. Eſt autem tertius pæan & medius inter illos, in quo tria tempora ad duo referuntur, in illis autem aut unū ad unum, aut duo ad unum. Hac ratione & analogia fit hemiolius & ſeſquiplex, qui pæan eſt. Reliqui propter ea quæ dicta ſunt, & quia metris cōueniunt, omittendi. Sumendus eſt pæan. à quo ſolo nullum metrum eſt: unde fit ut maxime lateat. Cicero ad uerbum non reddidit, ſententiam collegit, herounn numerum, quem Fabius interpretatur dactylum & ſpondeum, grandiorem eſſe quàm deſideret ſoluta oratio: iambum nimis humilem & abiectum: neutram orationem probari, nec humilem, nec nimis exaggeratam, id eſt, ueluti aggere & cumulo terræ ſuppoſito editam (tranſlatio eſt à turribus ligneis, quibus in aggere conſtitutis utebantur in oppugnatione) plenā orationem eſſe oportere. trochæum, qui trium temporum eſt, quemadmodum choreus, eſſe cordacem, id eſt tripudijs aptum: cordax enim ſaltationis eſt genus. Lucianus in Icaromenippo: Appollo cithara

canebat, Silenus cordacem ſaltabat. Contractionem id eſt breuitatem pedum, uti trochaei, dignitatem non habere. Paeana reſtare, quo utantur omnes, etiamſi non ſentiant. Tum paeana tertium eſſe, hoc eſt medium inter illos, neque abiectum, neque nimium altum. hoc enim tertium dicit. Ita factos eos pedes eſſe, ut in eis ſingulis modus et menſura ſit, aut ſeſquiplex, ut in paeane: aut duplex, ut in iambo, trochaeo: aut par, ut in dactylo atque ſpondeo. Hi ſunt enim quinque pedes, de quibus erat locutus. Sic eſt Ariſtotelis explicata ſententia. ITAQVE illi de quibus ante dixi, tantùmodo commoditatis habuerunt rationem, nullam dignitatis.] Quid de pedibus alij ſentiant, expoſuit: deinde quid ſentiat ipſe, pronunciat. Illi tantummodo commoditatis habuerunt rationem, qui ſolum probarent eos pedes quos orationi commodos arbitrabantur: hic uult etiã ſeruari dignitatem. Quam, inquies? Dignitas ſeruatur, ſi iambus humilia, herous grauia, trochaeus uolubilia, paean ſuauitate et ample fluentia, nexus illorum omniũ temperata frequentabit. Rerum uarietati uarios adhiberi numeros conuenit. Quòd ſi iambus & dactylus in uerſum cadunt maxime, et iccirco incommodos arbitrantur, adhibet remedium Cicero: euitari iubet continuatos pedes, ne uerſum conficiant. Miſcebis igitur, quia nihil inimicius eſt quàm uerſibus oratio: quòd haec uarietatem, illi numeros pares deſiderant. Mutos eſſe oporteat nos, ſi certis definitisq; numeris alligemur. Paean minime eſt aptus ad uerſum, ſiue quòd poetae fortuito non traxerunt in uſum, ſiue quòd relecerunt conſilio, quia longus & inſtabilis eſſe uidebatur. Ea de cauſa libentius eum recepit oratio. Dactylus & ſpondeus, ſi pedes interuallis, hoc eſt temporibus metiamur, aequales erunt: ſingulis enim tempora ſunt quaterna. Ephorus inaequales putat, quia ſyllabis metiendos pedes, non interuallis exiſtimat. Iambum ſimiliter et trochaeum facit inaequales, quòd ſit iambus duarum, trochaeus uero triũ ſyllabarum. Nam tribrachum accipimus, ſicut et Quintilianus. Cicero pares habet: quia ſingulis terna ſunt tempora. Trochaeus tamen extremus in oratione eo uitioſius ponitur quã iambus, quòd uerba melius in ſyllabas longiores cadunt: ut hoc eſt plenius, Auſus es confiteri, quàm iſtuc, Coeperunt fugere. Sed ut alijs alij meliores ſint, ut ante diximus, tamen omnes in oratione ſunt quaſi permiſti & confuſi pedes. Quamobrem? Quoniam effugere non poſſemus animaduerſionem, ſi ſemper iiſdem uteremur. Auditor animaduerteret aucupium uoluptatis, & accurratam compoſitionem, ſi ſemper iiſdem uteremur. Neque numeroſa eſſe, ut poema: neque diſſoluta, ut ſermo uulgi, debet oratio. Poema nimis eſt uinctum, idcirco de induſtria factum apparet. Sermo uulgi nimium diſſolutus, nimium peruagatus ac tritus. A poemate non delecteris in arte dicendi, ſermonem illum diſſipatum et uagantem oderis. Seruet igitur mediocritatem: ſic utatur illo paeane, quem ſummus auctor Ariſtoteles probauit, ut caeteros tamẽ ne faſtidiat. QVOS autem numeros, cum quibus tanquam purpuram miſceri oporteat, nũc dicendum eſt.] Quaeſitum eſt, numeri qua ratione componantur, communeſ ne ſint omnis generis orationi? Reſpondet non eſſe communes, ſed tanquam purpuram coloribus, ſic optimum numerum deterioribus eſſe miſcendum. Purpura quidem cũ amethyſtino colore et coccineo miſcebatur, quod Plinius queritur. Gemina, inquit, demonſtrata uia luxuriae, ut color alius operiretur alio. Iambus frequentiſſimus, non tamen perpetuus eſt in ijs quae demiſſo atque humili ſermone dicuntur: ut, Quae geruntur, accipies ex Pollione, qui omnibus negotijs non interfuit ſolũ, ſed praefuit. Paean amplioribus adhibetur: ut, Hac utar mode ratione dicendi, non ut in illius poteſtate fortunam poſitam eſſe dicam, ſed ut praeterita meminiſſe, reliqua ſperare uideamur. Dactylus & in humili ſermone, & in dignitate locum habet: quod non eget exemplo. In oratione perpetua cum uaria dicuntur, alia tenuia, alia mediocria, alia ſublimia, miſcendi ſunt pedes & temperandi, ut alios tamẽn frequentius, alios parcius pro rerũ natura collocemus. Hinc eſt orationis quadrandae induſtria, hoc eſt artificium, quo ſic expolitur oratio, ſic coagmentatur, ut in muro pauimẽto'ue quadrati lapides. quod ut noſſe debet orator, ſic occultare in iudicijs maxime & conſilijs debet, ne dum grauia dicenda ſunt puerili more ſyllabas & tempora numerare uideatur. Id aſſequetur tribus ex rebus, ſi uarios miſceat, non eoſdem continuet pedes: ſi uerborũ ponderibus, id eſt uerbis ſignificantibus utatur: ſi ſententiarum grauitate delectet auditorẽ. Tolle ſententiarum uerborumq; grauitatem, apta numeros, quid aliud audietur quàm inanis & effoeminata modulatio? Admirabilis eſt oratio, quae rerum grauitate, uerborum pondere iucunda, clanculum ſubijcit hanc numerorum uoluptatem. Numerorum curſus nimius eſſe non debet, hoc eſt, in orationis curſu non ſic anxie pedes aptentur, ut nimius & poeticus ſit is nexus. Nihil enim fieri debet extra modum. Hic diligentia nimia, & contra ſoluta negligentia, utraque uituperanda, non cum delectare uolumus, & quantum poſſimus experiri, ſed cum in conſilijs aut in iudicijs res agitur, aut cum materia tractatur indigna tanta uoluptate. Quòd autem dicit intelligere ſe numeros orationis, nõ ſine cauſa dicit. Numerus enim cum ſimpliciter dicitur, pes eſt habens arſin theſimq;. Numerus orationis eſt, multorum pedum decens & apta collocatio. Decenter et aptè locabuntur, ſi neque claudicabit, neque fluctuabit, ſed aequaliter conſtanterq; ingredietur oratio. Haec conſtans & aequalis ſententia: Si crudelitas quae hoc tempore in Republica uerſata eſt, ueſtros quoque animos duriores acerbioresq; reddidit, actum eſt iudices: inter feras ſatius eſt aetatem degere, quàm in hac tãta immanitate uerſari. Conſtantem longae ſyllabae reddunt, aequalem parium numerorũ poſitio. Claudicabit & fluctuabit hoc modo: Si crudeles eritis hoc tempore, ſicut alij, quia bella ciuilia uos quoque fecerint acerbiores, perijmus Satius eſt uiuere inter feras, quàm eſſe cũ tam crudelibus hominibus. Profuerit hic tacite cantitare ſententias, & explorare uoce, firmis'ne pedibus ſuſtineatur oratio. Si quod aiunt, uiua uoce hanc ſententiam efferes, reperies fluctuantem: Vtrum potius eſt aequum diſcruciari quòd filiũ amiſeris, an gaudere qui talem habueris? Vide ne parum grati ſit animi, meminiſſe repetiti muneris, non meminiſſe dati. Si rationem quaeres, inuenies in ſingulis articulis inſtabiles poſitos eſſe pedes, qui breuibus quodammodo fluctuant, nec unquam ſtabili ueſtigio ſiſtunt. Firmanda ſunt principia, inciſa, membra, comprehenſionis extrema. Haec obſeruat auris, & eorum conſtantia atque firmitate recreatur. In illis eſt quod in dicẽdo numeroſum putatur. Nam quòd ſingulos numerare pedes nec poſſumus, nec debemus, nõ eſt oratio tota numeroſa, hoc eſt, certis pedibus conſtituta, ſed paucis arte collocatis ad numeros proxime accedit. Nihilominus numerus eſt in omni continuatione uerborum. Diſtat igitur à uerſibus, quòd in illis certa quaedam & definita lex eſt, quam ſequi ſit neceſſe: ut in heroicis duo ſunt omnino pedes, ſingulis tempora quaterna, ſedes aſſignatae uelut ordini ſenatorio & equeſtri in theatro. In dicendo nihil eſt propoſitum quod ſequamur, niſi aut ne immoderata ſit oratio curſu longiore, aut anguſta ſuſpenſo ueſtigio, aut diſſoluta reuinctis numerorum compagibus, aut fluens inſtabilitate breuium multarum. Non ſunt in ea tanquã tibicini percuſſionum modi: quod eſt, nõ habet certos limites, certumq; numerum ſyllabarum, quò cum modulando peruentũ ſit, cadat rhythmus, uocemq; ponat. Ex contrario tibicen & muſicus numeratos habet rhythmos, ac ſpatia longitudinis eiuſdem, & ſingulos in ſingulis percuſſionum modos. Muſicorum uulgus nunc cadentias appellat. Orationis multae ſpecies, multaeq; menſurae. Quantacunque fuerit comprehenſio, ſiue longa, ſiue breuis, ſi modo clauſa et terminata eſt, numeroſa dicetur. Clauſa & terminata eſt, quae ſenſus auris modeſte contentus, quaſi mediocritate homo frugi quieſcit. SOLET autem quaeri,

toto

toto ne in ambitu uerborum numeri tenendi ſint, an in primis partibus,atque in extremis.] Numerus in extremis aptè col locandus,quòd aures extremum ſemper expectent. Ea de re con ceſſum eſt, duos aut tres ad finem certos metiri pedes. Prima etiam diligentiam poſtulant, maxime ne uerſus initiũ ducatur. Media latent,ut currentium ueſtigia : ſed tamen & primis & extremis reſpondere debent. Eſt igitur ubique numerus,etſi pau lo ante dixit,non id totum quod numeroſum putatur, conſtare numeris. Intellexit media conſtanter ad finem ire oportere, nõ metiri tamen certum pedum genus. Solet quæri, toto'ne in am bitu uerborũ,et in tota periodo numeri tenendi ſint,id eſt aptan di pedes, an in primis partibus atque in extremis, quod eſt ini tium & extremum ſententiæ. Plerique cenſuerunt, cadere tan tum numeroſe oportere,terminariq; ſententiam. Numeroſe tan tum cadet, ſi numerus neque prima, neque media, ſed extre ma tantum componet. Cicero cenſet id maxime decere, nume roſe terminari ſententiam,quia ponendus eſt ambitus,ideſt aptè tandem deponendi ſunt pedes ad honeſte quieſcendum non ab ijciendi ad turpiter procumbendum : quia denique aures extre mum ſemper expectant,in eóq; acquieſcunt, id uacare numero non oportere. Sed nequaquam in iſto ſunt omnia. Errant igi tur illi non genere, ſed modo. Componenda ſunt etiam princi pia, mediáq; dirigenda, ut à principio ad exitum feratur illa uerborum comprehenſio, ut à capite ſic fluat oratio, ut ad ex tremum ueniens ipſa conſiſtat. Quamlibet enim compoſiti fi nes amittent gratiam, ſi aſpere & incompoſite ad extrema ue nietur. Dicet aliquis, Miſerum eſt hiſce rebus occupari, & in numero metiendo conſeneſcere. Occurrit homo prudens,id non eſſe difficillimum, ſi quis eſt bona diſciplina exercitatus. Nam ſi multa conſcribamus,ut citharœdorum manus, ſi lingua nobis aliud agentibus compoſite feretur. Qui fit,inquies? addit, Ante circumſcribitur mente ſententia,id eſt mens inuenit & compre hendit rem ipſam, quæ poſtea uerbis ſit exponenda. ſi inuentã proferre nititur, confeſtim uerba concurrunt, ac ueluti agmine facto conueniunt in buccam. Quid tum? Adhibenda mens eſt ad ea uerba dimittenda, ſuiſq; locis & ordinibus educenda. Poteſt'ne tam ſubito? Sanè, quoniam mente nihil eſt celerius. Quid poſtea? Vbi uerborum deſcriptus ac digeſtus ordo eſt, ut militum in agmine, quia alias pauciora, alias plura ſunt, alia ac uaria terminatione concluditur. Iam quoniam iſta omnia ſponte fiunt, mentis eſt exercitatæ ſpectare poſtrema, ut aptè ponantur, eóq; prima & media uerba dirigere. Si dicendum erit incitatius,educes ex omnibus uerbis celeriora,quæ propere fe rantur ad metam. Si decebit moderata ingreſſio, ac tempera tum incedendi genus, tardiora paulo uerba ac longis temperata mittantur ex ore, ut cum moderata dignitate ueniant ad ex tremum. Sic uarius eſt in oratione numerus, imitans quidem uerſum, ſed tamen alienus à uerſu. Hic ut duas explicet quæ ſtiones, cur non æque in oratione atque in uerſu numerus ap pareat, & unde efficiatur id quod numeroſum dicitur, com parat oratores & poetas, ut qui faciant idem & in uerbis & in numeris, ſed non eodem modo. Eſt in poeta & in oratore materia & tractatio. materia in uerbis,ex quibus ſic oratio, ut ex arborum materia nauis,contexitur. Tractatio in collocatione uerborum,quam diſponit artifex,ut in naui trabes architectus. Vt arbores materiáq; uariæ ſunt,ſic et uerba diuerſa. Alia ſunt propria,materia omnium loquentium cõmunis. Idcirco de pro prijs nihil hoc loco dicit. Alia translata,alia noua,alia priſca : de quibus abunde dictum eſt. Hac materia uerborũ ornant ſua poetæ, ut Virgil. In marmore tonſæ, translatum eſt. Igneus eſt olli uigor, priſcum. Deſpiciens mare ueliuolum, innouatum. Eadem genera bonus uſurpat orator. Vt autẽ materiæ tres ſunt partes, ſic & totidem collocationis. Vna eſt compoſitio,alio nomine iunctura. Altera concinnitatis,id eſt,fi gura numeroſa,ut paria paribus relata. Tertius eſt numerus,qui pedum ordine motúq; conſtat. His ternis partibus utuntur ora tores & poetæ. Vnde licet intelligi,uerba & numeros in illis nõ multum eſſe diuerſa,nullo tamen modo coniuncta,quòd liberius omnia poetæ apertiúsq; faciunt, oratores illa ſua ſupellectile par cius utuntur. Hinc fit, ut non eodem modo in oratione atque in uerſu numerus extet, id eſt appareat : & ut numeroſum il lud aut à compoſitione iuncturæ, aut à concinnitate figuræ, aut à numero & ordine pedum componatur. Quas breuiter exoluit quæſtiones, ante tractauimus. Adde quòd ſi priora te neas, noſtra non egent expoſitione. SATIS multa de na tura : ſequitur uſus,de quo eſt accuratius diſputandum.]

De numeri origine,cauſa,naturáq; dictum eſt. Reſtat uſus,qui quartus ordine fuit in partitione. Originem & cauſam aperto diſcrimine ſeparauit. In natura cauſam poſuit, & uſum : quòd partes tametſi ſuapte natura diuiduntur,nõnihil tamen habent inter ſe communionis. Cæterum primum eſt,inuentorem agere: alterum,natura duce imitari : aliud,agendo numeri uim natu ramq; comprehendere : quartum, uti reperto. De uſu accura tius diſputandum cenſet,quia quemadmodũ alia multa facilius eſt intelligere,quã aptè & decenter uſurpare: ſic & numerum noſſe promptius eſt,quàm cum opus ſit,cõtexere,ac locis aptare. Numerus eſt in ambitu præcipuus. Nomine ambitus περίοδον latini reddiderunt. Periodus, ambitus,circuitus, circunſcriptio, comprehenſio,uerba ſunt rationis eiuſdem. Significant enim ge nus orationis, quæ ſuum numeris explet orbem : ſiue translatũ eſt ab equis, qui confecto ſpatio redeunt in carceres : ſiue quòd orbis res eſt abſoluta, & quæ perpetuo ductu in ſe reuoluitur. Continuatio nominatur, quòd non ante interrumpitur curſus, quàm totum ſpatium confectum ſit. Hæc de nominibus ac de finitione periodi, de qua ſic Ariſtoteles: Λέγω δὲ περίοδον, λέξιν ἔχουσαν ἀρχὴν καὶ τελευτὴν αὐτὴν καθ' αὑτὴν, καὶ μέγεθος εὐσύνοπτον. Periodum uoco dictionem, quæ ſola per ſe principium habet & finem,atque perſpicuam magnitudinem. Vt autem de uſu numeri diſputet accuratius, id quod antea de natura fecit, multas proponit quæſtiones,ad quas ſingulas non reſpondet:qui ſic indicet, ex uniuerſi generis diſputatione ſingulas partes intel ligi poſſe. Proponamus,ac ſingulis reſpondeamus. An in toto cir cuitu orationis,an in principijs ſolum,an in extremis,an in utra que parte numerus tenendus eſt? In extremis maxime tenen dus. Principijs cura minor eſt adhibenda, ſed diligens. Media primis ac extremis diſſentire non debent: tamen quia minus au diuntur, negligentius inſeruntur. Quid differunt inter ſe nu merus atque numeroſum? Numeroſum totũ conſtat è numeris, ut carmen. Numerus nõ omnes enumerat pedes, ſed imitatur ex parte numeroſum. Deinde numeroſum cõtinet iuncturã,con cinnitatem,& numerum. nec idem eſt ſimpliciter eſſe numero ſum,& eſſe in oratione numeroſum : quoniam poſterius priore minus eſt. In omnibus'ne numeris decet æqualiter particulas incidere,an facere alias breuiores,alias longiores? Particulæ ſunt ſinguli ſenſus : aliæ ſunt particulæ in periodo,quæ dicuntur in ciſa atque membra. Vtraſque inæqualiter incidimus, nonnun quã etiam æqualiter : hoc eſt, aut impares curſus facimus, aut pares. Quando incidimus æqualiter,& quando inæqualiter? Quando numeroſiores eſſe uolumus, ferè ſemper æquabilitate partium : quando numerum diſſimulamus, inæquabilitate po tius utimur. Cur ita? Aequalitas,ut in uerſibus,habet oſtenta tionem: inæqualitas repit occultius. Aliud alijs locis utile. adde, quòd uarietati conſulendum eſt. Quibus partibus utendum eſt, an inciſis,an membris,an ambitu? Omnibus his oratio miſcen da eſt. Pluribus'ne,an ſingulis partibus utendum? Interdũ ſin gulis,ut,cũ membratim dicimus: interdum pluribus,ut cũ tribus quatuor'ue membris unũ circuitũ conficimus. An imparibus et æqualibus utemur partibus? Imparibus et æqualibus,nec refert,

an partes ſingulas, an periodo coniunctas accipi uelis. Quando aut pluribus, aut ſingulis, aut paribus, aut imparibus utendũ? In exquiſitiore numero paria coniuncta decentiora ſunt. alioqui imparia tum coniuncta tũ diſſoluta, meliora: tamen utriſque ferè ſemper utemur. Quæ particulæ inter ſe quã aptiſſimo collocãtur? quæritur. quæ partes inter ſe collocatæ ſint numeroſiſſimæ? Pares certe maxime procera. Quomodo collocantur aptiſſime? diſtinguendo partiũ naturas: et cõſentaneas intexendo, breuiores ſuſtineamus longitudine ſyllabarum, multas uinciamus una periodo, longiores incitemus. An omnino nulla eſt in eo genere, id eſt, in collocandis partibus diſtinctio? Varia diſtinctio eſt tum propter delectandi uarietatẽ, tum propter earũ rerũ quæ tractantur, genera diuerſa. Qua ratione & ad quẽ finem numeroſa fit oratio? Non quærit de natura, qua fiat arte numerus, ſed de fine & uſu. Fit autem, ut cum ratio locorũ poſtulauerit, utamur. Poſtulabit, ubi res illuſtrare uolet orator. Vnde orta eſt forma uerborũ, ἦθος λέξεως; Ex pedum collocatione. Quantos circuitus facere decet? Longos duobus mẽbris, aut tribus, aut quatuor, aut etiam pluribus: certe quantos ſpiritus indefeſſus ſuſtinere poſſit. Quæ particulæ & inciſiones circuitum ſunt? Inciſa, quæ dicuntur & membra. An inciſa membraq; ſunt unius longitudinis? Nequaquã. Quo loco & quãdo hoc aut illo genere uti oportet? Pari longitudine membrorum in oratione ad uoluptatem comparata melius utemur, in alijs contra. Quæ' nam totius generis huius utilitas, & ad quas res accommodatur? Ad laudes, ad iucundas expoſitiones, ad amplificationes, & locos communes, ad hiſtoriam, ad genus epidicticum, ad omnem orationem, quæ non repudiat illã modulandi uoluptatem. Hæc breuiter de ſingulis quæſtionibus: in quibus moleſtus uideri poteſt, propterea quòd multæ ſunt perſimiles, deinde quòd in hac parte nõ ita neceſſariæ. ſed Græculos ſequitur, qui abditis in rebus arbitrantur hoc modo eluceſcere ueritatem. Profitetur autem ſe maxime tractare numeros forenſium cauſarum, non exornationum deliberationumq;: quippe cũ illo genere cognito, non arduum ſit reliqua duo metiri.

Ergo in alijs, id eſt, in hiſtoria, & in eo quod appellamus ἐπιδεικτικὸν, placet omnia dici, &c.] Etſi propoſitus eſt numerus forenſis de quo diſputetur, pauca tamen de hiſtoriæ numero, generiſq; demoſtratiui, quod ἐπιδεικτικὸν appellat Græcia, præmittit. In alijs generibus à genere forenſi, ut in hiſtoria, & in exornatione, placet omnia dici Iſocrateo Theopompeoq; more. Mos Iſocrateus ad genus ἐπιδεικτικὸν refertur, & panegyricum, quo plurimum uſus eſt Iſocrates: Theopompeus ad hiſtoriam pertinet, quam numeroſe Theopompus Iſocratis auditor expoſuit. Vterque & magiſter & diſcipulus, uſus eſt circumſcriptione & ambitu, quo tanquam in orbe & circulo incluſa currit oratio, donec inſiſtit, id eſt, quieſcit perfectis abſolutiſq; ſententijs. Quid eſt hoc aliud, quàm utrunque omnes ferè perfeciſſe periodos? Ab Iſocrate nata eſt hæc circumſcriptio, qui primus minutos atque conciſos Thraſymachi numeros in longius porrexit. Ex illo nemo qui aliquo eſſet in numero, hoc eſt uel in pretio, uel potius in oratione numeroſa, ſcripſit orationem generis eius quod eſſet ad delectationem comparatũ, quin redigeret omnes ferè in quadrum numerumq; ſententias. Quadrum numerumq; dicit, numerum quadratum. Vbi quiſpiam quæras, qui fiat, uti numerus orbem conficiat forma rotundum, cum ſit figura quadratus, numerus nec rotundus, nec quadratus eſt? hæc ſunt ex tranſlatione uerborum, & nos ad aliud & aliud referentes cogitationem, uerba commutamus. Cur potius in hiſtoria & exornatione numerus expletur? Is eſt auditor, qui non ueretur, ne compoſitæ orationis inſidijs ſua fides attentetur. Quis iſtuc ueretur? Iudex, qui quibus capitur rebus facilius credit. Vtimur' ne genere numeroſo in cauſa forenſi? Hoc genus neque totum aſſumendum eſt ad cauſas forenſes: neque omnino repudiandum. Quid ita, non ſemper aſſumendum? quia ſi ſemper utare, ſatietatem affert, ut obſonia delicatiora. id uitium primum. Alterum, quòd ab imperitis agnoſcitur, deprehenſus contemnitur. Aliud, quòd cum uoluptas et dolor in contrarium uitantur, & numerus ille pariat uoluptatem, actionis dolorem aufert, ut affectibus acerbis contrarius. Quartũ, quòd auferat humanum ſenſum actoris: is eſt ſenſus communis oratoris, & hominum cæterorum, à quo recedere neceſſe eſt eum qui maiora componit, & auditorem qui percipit auribus inſueta. Adde ultium quintum, quo tollit funditus ueritatem & fidem. Receptũ moribus populi Romani ſciebant, arte fallere diſceptatores: ſuſpectos habebant tam præclaros artifices eloquendi, nec eos uera dicere arbitrabantur, nec illis adhibere fidem poterant. Cur non eadem cadunt in hiſtoriam & in exornationem? Quia numerus nec tum ſatiat, cum maxime expetitur: nec cauſæ nocet, quæ nihil periclitatur. Si numeroſum genus aſſumitur in cauſas forenſes, quo loco aſſumitur? cũ expatiamur ad uoluptatem. Quandiu retinetur? breui. Quot modis commutatur? multis. nunc tardius incedit, nunc celerius: nunc aſperius, nunc lenius: nunc cadit in dichoreum, nunc in alium pedem terminatur. Adhibenda eſt igitur numeroſa oratio, ſi laudandum eſt aliquid ornatius. ut cũ in Verrem Siciliam ornare contendit: Atque adeo antequã de incõmodis Siciliæ dico, pauca mihi uidentur eſſe de prouinciæ dignitate, uetuſtate, utilitate dicenda, & quæ ſequuntur. Hunc librum, quem numeramus quartum, conſtituit ſecundum, quia diuinatio eſt in Cæciliũ magis quàm in Verrem. Prima actio non tam oratio perpetua eſt, quàm præparatio quædam ad interrogationem teſtium. In ſenatu laudauit conſulatum ſuum oratione prima in Seruilium Rullum, cuius orationis pars extrema tantum ſupereſt. Laudauit et principio ſecundæ ad populum, de more ueteri, quo nouus conſul Senatui populoq; Romano gratias agebat. Laudauit etiã in Piſonem, in alijſq; multis orationibus: ſed aut illa in Rullum debet intelligi, aut alia deſiderari. De Ennenſi Cerere, de Segeſtana Diana, de Syracuſarum ſitu, dicit in quarto Accuſationis, ut nunc loquimur, actione ſexta: Fuit apud Segeſtanos ex ære ſimulacrũ Dianæ, tum ſumma atque antiquiſſima præditũ religione, tum ſingulari opera artificioq; perfectum: et multa deinceps. Vetus eſt hæc opinio, quæ conſtat ex antiquiſſimis Græcorũ literis atque monumentis, inſulam Siciliam totam eſſe Cereri & Liberæ conſecratam. Fruges in ea terra primum repertas arbitrantur, & raptam eſſe Liberam, quã eandem Proſerpinam uocant, ex Ennenſium nemore: qui locus quòd in media eſt inſula ſitus, umbilicus Siciliæ nominatur. & multa quæ ſequuntur. Vrbem Syracuſas maximam eſſe Græcarum urbium, pulcherrimamq; omniũ, ſæpe audiſtis. Eſt iudices ita ut dicitur. Nam et ſitu eſt communito, tum ex omni aditu uel terra uel mari præclaro ad aſpectum: et cætera. In illis omnibus idcirco lõgiores duxit numeros, quòd ſe ad auditorũ uoluptatem cõparabat. Sæpe etiã in amplificanda re cõceſſu omniũ funditur numeroſe et uolubiliter oratio. Id cõcedunt omnes, quia tum incaluit oratio, et auditor oblectatione ductus non animaduertit. Iam obſeſſus eſt ut oppidanus, & tenetur uel captiuus, nec agit ut inſidietur & obſeruet ut hoſtis, ſed iam fauet ut noſter, proceſſumq; uult & continuationem: et quia uim dicendi miratur, nõ inquirit quod reprehendat. Exempla reperies in omni peroratione, quæ grauiores immiſcet affectus, ut pro Flacco, pro Sylla, pro Milone. Periodus illa circumducta ad flebiles modos & triſtiores actionum flexus optime accommodatur. Quando numeroſo genere liceret uti, præcepit: poſt ex ordine quandiu retinere liceat, oſtendit. Nam paulo ante quæſierat quo loco oratione numeroſa uti deceret, deinde quandiu retinenda eſſet, tum quot modis cõmutanda. Hæc forma numeri longioris retinenda nõ diu eſt in orationis reliquis partibus. Nam de peroratione non opus eſt præ-

cipere

cipere, quam ipſe orator ſic includit ac terminat, ut longior eſſe non poſſit. In alijs cum retinenda non eſt, à periodo transferenda dictio eſt ad inciſa atque membra, ne (quod tædij plenū eſt) diu nimiūq; cōtineamus ambitum. κόμματα reddit inciſa, κῶλα membra, nouitatemq; uerborum & calumniā deprecatur. Rebus ignotis imponenda noua nomina. Poſſe uerba nouari tranſlatione metaphora. Metaphorā aſſumi aut ſuauitatis aut inopiæ cauſa: ut ſuauitatis eſt, Libati flores roſei pudoris. Inopiæ, Sitiunt agri, luxuriat ſeges. Licere uerbum nouū facere, ut beatitatem: aut à ſimili mutuari, ut inciſum, à partibus corporis, & membrum. QVO autem pacto deceat inciſe membratim'ue dici, iam uidebimus.] Quo loco numeroſa periodus adhiberetur, & quamdiu retinenda eſſet, explanauit. Tertium eſt de mutatione comprehenſionum atque concluſionum. Comprehenſio totam periodum amplectitur, quæ cum recipiat numeros, aut celeres aut tardos, aut temperatos, neceſſe eſt eā tribus modis immutari. Incitatam breuibus ſyllabis contentiones, id eſt amplificationes & acriores loci requirunt. Procerem tardamq; pluribus longis, accipiunt narrationes. Amplificantis eſt, celeritate ferri ad animos commouendos: exponentis autem, ſenſim progredi, lenteq; res inculcare. Concluſio finem tantum conſtituit, non uniuerſam circumſcriptionem. Alia eſt igitur comprehenſio, alia concluſio. Inſiſtit, id eſt clauditur & quieſcit ambitus modis pluribus, quàm fluit à primo comprehenſio. Claudunt orationem pedes omnes: ſed frequentiores ſunt in fine qui numerātur ab eo, Dichoreus, Creticus, Pæan, Dactylus, Dochimus, Iambus, Spōdeus, Choreus, Trocheus. Aſiani rhetores, ut Hierocles & Menecles, de quibus paulo infra, omnia ferè concludebant uno modo: Dichoreum ſequebantur. In Dichoreo duo ſunt Chorei ex ſingulis longis & breuibus: ut, temperauit, candidatus. Choreum uocant nomine Trochæi: unde non ab re monet, eoſdem pedes alijs nominari uocabulis. Sic Pyrrhichius periābus dicitur, Spondeus pontificius, Bacchius Oenotrius, Creticus Amphimacer. Dichoreus non eſt ſua ſponte ſuaq; natura uitioſus in clauſulis: ſed in numero uitioſum maxime, quod ſemper eſt idem. Et quo quæq; res, ut in cibis, eſt dulcior, hoc magis repetita ſatietatem parit. Quàm præclare cadat dichoreus, oſtendit C. Carbonis exemplo: O Marce Druſe, patrem appello: Tu dicere ſolebas ſacram eſſe Rempublicam: quicunque eam uiolauiſſent, ab omnibus eſſe ei pœnas perſolutas. Patris dictum ſapiens, temeritas filij comprobauit. O Marce Druſe, inciſum eſt ex antibacchio & choreo, uel ſpondeo et amphibracho (nihil enim refert) in quo inciſo neque ſenſus neque numerus expletus eſt: ut ſi Quintilianus inciſum definit ſenſum, non expleto numero concluſum. Patrem appello, alterum eſt inciſum, ex anapæſto & ſpondeo. Nam uerbum patrem, ſi non elidit, ſecundam ſyllabā corripit, ut priorem. Tu dicere ſolebas, membrum inciſo quidem perfectius, imperfectum tamen, & quod abruptum à corpore, nihil per ſe efficiat. In eo tres pedes, Spondeus, tribrachus, ſpondeus. Sacram eſſe Rempublicam, alterū membrum, ex anapæſto, iambo, dactylo. Quicunque eam uiolauiſſent, ab omnibus eſſe ei pœnas perſolutas: ambitus eſt, cuius pedes quia multi ſunt, numerari non debent. ſatis eſt, extremum notaſſe, reliquos auribus æſtimaſſe: non quòd arduum ſit eos numero comprehendere, ſed quòd nihil expediat, ſi modo orationis curſum neque celeriorem, neque tardiorem, neque claudicantē, neque anguſtum, neque redundantem cognoueris. Vbi periodon ex duobus inciſis, duobus membris, & ſententia longiore perficit, addit ſententiam uelut ſuperiorum abſolutionem: Patris dictum ſapiens, temeritas filij comprobauit. cuius etiā pedes in ſummā referre nihil eſt neceſſe. De Carbone in Bruto Cicero: In eodem igitur numero eiuſdem ætatis C. Carbo fuit, illius eloquentiſſimi uiri filius, non ſatis acutus orator, ſed tamen orator numeratus eſt. Erat in uerbis grauitas, & facile dicebat, & auctoritatem naturalem quādam habebat oratio. In eodem libro de utroque Marco Druſo facit mentionem. Filius poſteaquam leges agrarias tulit, bellumq; Sociale mouit, domi necatus eſt. Dicet aliquis, Concio ad clamorem mota eſt bonitate ſententiæ, non minus pedis ſuauitate. Mouit quidem præclara ſententiā, ſed & numerus commouit. Occurrit igitur & immutat numerum ſeruatis iiſdem uerbis, ſeruata eadem ſententia. Patris dictum ſapiens, comprobauit filij temeritas. Nihil eſt, inquit, nullam uim retinet, alioqui robuſta ſententia. Animo quidem iſtud ſatis eſt ad intelligendum, auribus non ſatis ad probandum. Vnde colligit, pæana, quem probat Ariſtoteles, ut ſupra demonſtrauimus, non ſemper optimum uideri. Nam, temeritas, quartus eſt pæan, ex tribus breuibus, & longa. Alia eſt clauſula quam facit creticus, qui uocatur amphimacer: ut, Neminem mihi neceſſe eſt nominare, uoſmet uobiſcum recordamini. Is creticus pæana ſpatio & temporibus æquat. uterque quinque temporum eſt. Pæan, ut alij uolunt, quadruplex: ut Cicero, duplex: quia ſecundum tertiumq; pæana refert ad alios pedes. Quintilianus ea de re ſcribit in hunc modum. Claudit pæan, qui eſt ex choreo & pyrrhichio, quem aptum initijs putant, uel contra, qui eſt ex tribus breuibus et longa: cui clauſulam aſſignant, de quibus ferè duobus ſcriptores huius artis loquuntur. Alios omnes, quotquot ſunt temporum, qui ad orationem pertineant, pæanas appellant. Primus orationis initio uiget: ut, Quintus igitur Ligarius, cum eſſet adhuc nulla belli ſuſpitio, legatus in Africā cum Coſ. C. Conſidio profectus eſt. Idem iacet in extremo. nec enim breues orationem ſuſtinere poſſunt, ut ibidem: Atque ille non mediocri cupiditate arripuit imperium. Pæan quartus ex tribus breuibus & longa, tametſi peſſimus non eſt, tamen in fine leuis eſt: ut, In capiendo conſilio tarditas, in exequendo probanda celeritas. In hac parte Quintilianus ſuit, qui transferens hunc locum, furtumq; diſſimulans, cenſura graui ſubſcribit in antiquos. Non me capit, ut à magnis uiris diſſentiam. Pæan, qui eſt ex tribus breuibus et longa. nam eſt ipſe una plus breui anapæſto, facilitas, agilitas. quod quid ita placuerit ijs, non uideo, niſi quòd illū ferè probauerint, quibus loquendi magis quā orandi ſtudium fuit. NE ſpondeus quidem funditus eſt repudiandus.] Spondeus etſi tardior, & quodammodo hebetior putatur, non eſt tamen funditus & omnino repudiandus. Habet enim ſtabilem quendam gradum, & plenam dignitatis conſtantiam: ut, Animaduerti iudices omnem accuſatoris orationē in duas diuiſam eſſe partes. Laudatur in inciſionibus et mēbris, quæ nō ita multis pedibus conſtant, quia pedum paucitatem grauitatis ſuæ tarditate compenſet: ut, Non uenit in mentem primam orationem Stratonis conſcribere de furto, poſt aliquid adiungere dictum de ueneno, quod non percontatione quæſitū, ſed dolore expreſſum uideretur. Quemadmodum nominamus extremum pedem in clauſulis, ita proximum ſuperiorem, hoc eſt à fine ſecundum numerare poſſumus: aut etiam tertium, ſi parui ſunt pedes. Quamuis enim bonus ſit extremus, tamen inepte cadet oratio, ſi durius ad illum perueniat. Cur potius duos aut tres numeramus ad finem? quia numerus in extremis optime collocatur, ubi intelligenter auditur: in orationis curſu parum attenditur, ſi modo non claudicet oratio. Deinde frequenter ex tempore dicendum eſt. Extemporalem facultatem remoretur enumeratio pedum ſingulorum. Iambus ex breui & longa, ſi eſt extremus choreus, aut ſpondeus, uolubiliter peruenit ad extremum: ut, Vſus eſt huius uictoriæ crudelitatem poſtea Sylla. In eodem loco uolubilis eſt trochæus, quem tribrachum uocant. Terentianus, Nam ſolet longam trochæus ſoluere in duas breues: unde & appellant trochæum, quem uocamus tribrachyn. Tale eſt, Brute dubitaui. quòd ægre Fabius admittit. Is habet tres breues, eſtq; par choreo ſpatio trium temporum, non ſyllabis: ut, Neque enim turpis mors forti uiro poteſt accidere,

neque immatura conſulari, nec miſera ſapienti. Eodem in loco dactylus ſi ponitur, finis eſt heroici: uitandus igitur, niſi breuis antecedat. In eandem ſententiam Quintilianus deſcendit: Ne dactylus quidem ſpondeo bene præponitur, quia finem uerſus damnamus in fine orationis. Cicero tamē aliquoties uſurpat, uel antecedente breui ſyllaba, uel interrogatione facta, quæ ſuſtineat orationem: ut, Quid hoc tempore Quintio ſtatuendum eſt? Volubiliis eſt igitur, ut affirmat Cicero, ſed alia ratione uitandus. Iidem tres pedes, iambus, trochæus, dactylus, male cōcludunt orationem, niſi pro anapæſto trochæus, pro cretico dactylus collocatur: ut, Seruius hic nobiſcum hanc urbanam militiam reſpondendi, ſcribendi, cauendi, plenam ſolicitudinis ac ſtomachi ſecutus eſt. Ius ciuile didicit, multū uigilauit, laborauit, præſto multis fuit, multorum ſtultitiam perpeſſus eſt, arrogantiam pertulit, difficultatem exorbuit, uixit ad aliorum arbitrium, nō ad ſuum. Hic eſt quod tibi forte negotium faceſſat. Cur enim Fabius magni referre putat, extrema breuis' ne ſit an longa, Cicero nihil intereſſe arbitratur? Deinde ſi nihil intereſt, cum ſit iambus in cretico, cur male iambus concludit, optime creticus? Dicito ad aurium ſonum magni referre breuis an longa ſit extrema, ad quantitatem nihil intereſſe. Iambum leuem per ſe male concludere, creticum grauem ſine alterius adiumento cadere præclare. Cur à quibuſdam pæan numerus, non pes habetur? quia pedes omnes intra ſyllabas tres concludunt, pæan in quatuor excedit. duobus itaque pedibus conſtat: duo pedes etiam uerſum interdū faciunt monometrum. Numerum igitur efficiunt, quoniā uerſus omnis eſt numerus. Pæana, quem probat Ariſtoteles, ante dictum eſt eſſe duplicem: unum uigere principijs, iacere in extremis: alterum nō peſſime quidem terminare clauſulam, ſed melioribus præponi non oportere. Dochimus ex iambo & cretico, uel bacchio & iambo, ut Reipublicæ, pes eſt inſignis, ac Ciceroni frequens. Illum nec iterandum, nec continuandum cenſet, propterea quòd numerum apertum & nimis inſignem facit. quanquā grande flagitium non eſt, aut iterum aut ſæpius collocaſſe: ut, Vtile eſt uiros integros bona mente præditos præfici Reipublicæ. ET quia non numero ſolum numeroſa oratio, ſed & compoſitione fit, & genere, quod ante dictum eſt, concinnitatis.] Commutatione numerorum pedumq; diſſimulatur ars, & occurritur ſatietati, quā gignit ſimilitudo. Duo ſunt alia genera commutandi, iam ſæpe demonſtrata: alterum uerborū compoſitionem, alterū concinnitatem ſequitur. Compoſitio ſtructura uerborum eſt, quæ ſic uocalium concurſiones diſſonaſq; uoces effugit, ut iunctura leuis tranſmittat unguem, hoc eſt orationis uolubilitatem non impediat: ut apud illum Craſſum, quē tantopere Cicero commendat: Nam ubi libido dominatur, innocentiæ leue præſidium eſt. Quod exemplū non eò Cicero proponit, quòd nullum recipiat uocalium concurſum, nullaſq; uoces aſperas (aliter enim res eſt) ſed quòd metuens cōmittere duas uocales, e & i, leue innocentiæ, cecidit in concluſionem pentametri uerſus, innocentiæ leue præſidium eſt: unde uult effici Tullius, numerum iuuari compoſitione. Sic ante numerum repertum ueteres, ut Herodotus & Thucydides, ſtudio coagmentandi iungendiq; uerba perſæpe aptè numeroſeq; dixerunt. Tertium commutandi genus eſt ex genere uerborum, ſiue forma quadam orationis, ſiue figura, ſiue cōcinnitate. hæc enim ſunt eiuſdem rei multa uerba. Figuræ ſunt ſua ſponte numeroſæ quatuor, Par pari relatum, contraria oppoſita & repugnantia, ſimiliter cadentia, ſimiliter deſinentia: quæ facultatem afferunt non ſemper eodem modo deſinendi. Præter illa tria genera commutandi, quarta quadam uarietas adhibebitur, ſi non ſemper oratione arcta et adſtricta numeris utemur, ſed aliquando ueluti negligentes hoc uinculum ſoluemus. melius eſt orationem ſimilem eſſe numerorum, quā totam cōſtare numeris. Quæ tota numeris conſtat, quodammodo uerſus eſt: quod in oratione intolerabile uitium eſt. Quæ autem eſt numero ſimilis, efficit ne ſoluta uinculis, ne ornatu deſtituta, ne ſine modo fluens uideatur oratio. In numeroſa obſeruantur omnes particulæ, in numero temperato ſolum principes. Numeroſum perrarò cadit in ueras cauſas ac forenſes. ſæpe cadit in fictas, ut in declamationes, ut in exornationes, ut in egreſſiones, ut in communes locos. Nam quemadmodum miles in ludicro certamine, uario membrorum flexu, & armorum decora uibratione quærit uoluptatem, in prælio poſtpoſita uoluptate uitam ſuam ſalutemq; defendit: ſic orator in ſecuritate cauſarum & in oſtentatione geſtit, in ueritate controuerſiarum ſaluti quàm uoluptati mauult conſulere. Quod ut commode faciat, relicta numeroſa periodo ſe ſubinde conuertit ad inciſa & membra quæ dicuntur, quòd ea ſint expeditiora, minuſq; ſuſpecta, quàm modificata circumſcriptio. Inciſa igitur & membra ſunt partes comprehenſionis. Quamobrem docet quot partes recipiat illa cōprehenſio: ut quando uolemus, uel coniungere uel ſeparare poſſimus. Periodus aliquando ſimplex eſt, cum una producta eſt ſententia: ut, Animaduerti iudices omnem accuſatoris orationem in duas diuiſam eſſe partes. de qua Cicero non agit. Compoſita periodus duas habet minimum partes. Coniungit interim aut tres, aut quatuor, aut plures. Mediocris autem, ut aures impleat, & ne breuior ſit quàm par eſt, ne'ue longior, quatuor quaſi hexametrorū inſtar uerſuum partibus conſtat. In ſingulis partibus nodi apparent, et quaſi articuli, quibus à membro membrū diuiditur: ut, Eſt hoc in more poſitū Quirites, inſtitutoq; maiorū, ut ij qui beneficio noſtro imagines familiæ ſuæ conſecuti ſunt, eā primā habeant concionem, qua gratiā beneficij ueſtri cū ſuorū laude coniungant. Multo plures ſunt apud eum ex tribus membris, multa ex duobus, multa aut ex quinque, aut ex ſex, aut pluribus membris curtioribus. Exempla reperire facile eſt. SIN membratim uolumus dicere, inſiſtimus.] Quemadmodum membra in ambitu coniūguntur, ita ſingula per ſe collocari poſſunt: quod cum fit, tum membratim dicitur. Sicut autem periodos ab initio per interualla fertur ad extremum, ita membra ſubinde quieſcente ſpiritu inſiſtunt, quaſi figunt pedem, interrumpunt curſum, crebro feriunt, minutam & aſperam ſæpe reddunt orationem. Vtendum membris erit, cum uolemus ab illo curſu deſiſtere, qui continuatus inuidiā oranti mouere poteſt. Membra curſu illo productiore carent, numero nō carent. Nam quanto breuiora ſunt, tanto diligentius & coagmentatione iuncturæ, & concinnitate figuræ, & pedum ſtabilitate firmantur: & quòd in illis minime numerus apparet, eo tutius uincietur. Proponit exemplum Craſſi, ueterum principis in arte dicendi: Miſſos faciant patronos, ipſi prodeant. Cur clandeſtinis conſilijs nos oppugnant? Cur de perfugis noſtris copias comparant contra nos? Duo ſunt inciſa tam compoſita, ut Iambicum trimetrum faciant, Miſſos faciant patronos, ipſi prodeant. Suſtinendus in prioris extremo ſpiritus, ne uerſus appareat: ad quem uitandum Cicero lubentius diceret, Prodeant ipſi. Eodem modo membrum tam compoſitum eſt, ut trimetrū ſcazon efficiat, Cur clandeſtinis conſilijs nos oppugnant? Secundum membrum redigi poteſt in octonarium trochaicum ſcazon. quæ cauſa Ciceroni fuit exempli citandi, qui præcepiſſet nihil tam numeroſum eſſe oportere, quàm quod minime apparet. Id uidebat imprudenti Craſſo accidiſſe, ſtudio componendi. Quòd autem ex duobus uerſibus, id eſt, membris, perfectam ſtatuit comprehenſionem, tantum refert ad illud, Cur de perfugis noſtris copias cōparant contra nos? quod etſi uidetur ſimplex, tamen habet uim duorum: Copias comparant contra nos: & de perfugis noſtris cōparant. ſunt duo Spondei in eo, Comparant contra nos. Cur, inquies, illa inciſa, hæc membra ſunt? quia membra quæ uocant oratores, ſenſu pleniora ſunt ac numero, inciſa utroque imperfectiora. Quid eſt quod ait ſe de genere nunc diſputare?

De toto genere inciſorum atque membrorum, nō de ſingulis eorum pedibus diſputare ſe monet. nam ſi uelit explorare ſingulos alios pedes, aptius ponat: ſed hoc omittit. Quæ inciſim aut membratim efferūtur, ea uel aptiſſime cadere debent. ſignificat illos Craſſi fines ineptius cadere, quia longis ſyllabis torpeſcunt. Probat quidem uniuerſam periodum uiri, ſed non item particulas? Addit exemplum domeſticum ex oratione quæ non extat, pro Scauro credo, cui Triarius accuſator, ut eſt apud Aſconium, pro uitio obijcit, hominem pauperem habere domum tum rebus alijs, tum maxime columnis quatuor magnificam. Quapropter Cicero patronus retorquere ſimile crimen in aduerſariū potuit: Domus tibi deerat? at habebas. Pecunia ſuperabat? at egebas. Incurriſti amens in columnas, in alienos inſanus inſaniſti. Depreſſam, cæcam, iacentem domum, pluris quàm te & quàm fortunas tuas æſtimaſti. Hic inciſa quatuor, membra duo: deinde comprehenſio. Ex inciſis primum & tertiū deſinit in choreum, aut in ſpondeum. Deerat enim, diſſyllabū profertur. Singula reliquorum bacchios habent ſingulos. Idem bacchius eſt in fine membri prioris, diſpondeus ſequentis, dichoreus in extrema comprehenſione: quæ crepidini comparatur, quia non ſecus ac crepido, inſtabiles et fluctuantes particulas firmat. Eſt enim crepido, uel ſaxum, uel moles edita, cuius obiectu inſtabile quippiā ut arena & aqua firmatur. Sunt alia breuiora ex ſingulis pedibus, aut binis, aut etiam ternis, quibus ut pugiunculis uti oportet. Pungunt enim, crebroq; feriunt, ideoq; plurimum ualent cum uehementer aut arguas, aut refellas. In illis breuitas facit ipſa liberiores pedes. Etenim minus libere incedunt, qui cum multis iuncti, & antecedentibus & inſequentibus inſeruiunt. Ponit exemplum ex oratione ſecunda pro Cornelio maieſtatis reo, quem ubi quatriduo defendit, ſuas actiones in duas orationes quæ nunc deſiderantur, contulit. O' callidos homines, ô rem excogitatam, ô ingenia metuenda. Diximus. Teſtes dare uolumus. Quem quæſo noſtrum fefellit, ita uos eſſe facturos? Tria ſunt membra ex binis ternis'ue pedibus, O' callidos homines, ô rem excogitatam, ô ingenia metuenda. Dico ex binis ternis'ue pedibus, quia licet ſumere uel diſſyllabos minores, uel triſyllabos ampliores. Si pedes aſſumas trium ſyllabarum, O' callidos homines, erit membrum ex duobus pedibus, et parte unius: quod fieri poſſe confirmat. Sequitur inciſum pedis unius, Diximus. deinde membrum ex ſpondeo, tribracho, iambo, uel pyrrhichio, Teſtes dare uolumus. Tandem comprehenſio breuis ex duobus membris: Quem quæſo noſtrum fefellit, ita uos eſſe facturos? Forte non uides hic eſſe duo membra: diſſolue, reperies: Id feciſtis, & neminem noſtrum fefellit. Cum cæſim membratim'ue dicimus, inter particulas uarijs clauſulis interponit ſe raro numeroſa comprehenſio: Nam ſi nulla interponitur, conciſa et minuta ſaltitat oratio, crebroq; pulſu tandem obtundit aures, qualem pleranque Seneca inepte continuat. Si frequens inſeritur, tollit impetum, propter quem inciſa & membra permulta coniungimus. Eſt igitur interponenda, ſed raro. Variandæ ſunt eius clauſulæ, ut aliquando breuius inſiſtat, aliquando longius exporrigatur. Vtamur exemplo: Nubit genero ſocrus, nullis auſpicijs, nullis auctoribus, funeſtis ominibus omnium. O mulieris incredibile ſcelus, & præter hanc unam, in omni uita inauditum. Hoc membrum tertium longius eſt, ut inciſa formetur oratio: O libidinem effrenatam & indomitam. ô audaciā ſingularem. Iam interponit comprehenſionem: Non timuiſſe, ſi minus uim deorum, hominumq; famam, at illam ipſam noctem, facesq; illas nuptiales? Redit ad inciſa: Non limen cubiculi? non cubile filiæ? non parietes denique ipſos ſuperiorū teſtes nuptiarum? Hoc poſtremum fulcit illa duo ſuperiora. Deinde rem totā plenius abſoluit: Perfregit ac proſtrauit omnia cupiditate ac furore: uicit pudorē libido, timorem audacia, rationem amentia. Hoc optimum fortiſſimumq; dicendi genus, quod artifex optimus optime nouit. Arguit Hegeſiam oratorem. qui cum nollet imitari Lyſiam tenuem quidem oratorem, ſed bonum, & ſubtilitate dicendi Demoſtheni penè comparandum, decurtatis utebatur inciſis, ſaltabat minutis particulis, nec unquam interponebat numeroſam comprehenſionem. Habet igitur quem appellet ineptum, qui illum cognouerit. Quis ineptior eſt, quàm qui non modo genere dicendi, ſed & ſententijs peccat? Alius fuit Hegeſias philoſophus Cyrenaicus, de quo Cicero prima Tuſculana: Verum ſi quærimus, hoc quidem, miſeram eſſe uitam, à Cyrenaico Hegeſia ſic copioſe diſputatur, ut is à rege Ptolemæo prohibitus eſſe dicatur illa in ſcholis dicere, quòd multi his auditis mortem ſibi ipſi conſciſcerent. De Hegeſia oratore idem in Bruto: At Charisij uult Hegeſias eſſe ſimilis, isq; ſe ita putat Atticum, ut ueros illos præ ſe penè agreſtes putet. At quid eſt tam fractum, tam minutum, tam in ipſa, quam tamen conſequitur, concinnitate puerile? ET quoniam plura de numeroſa oratione diximus, quàm quiſquam ante nos, nunc de eius generis utilitate dicemus.] Quæ generis huius eſſet utilitas, ante quæſierat. hic conſtituit, & ſententias & uerba numeris illuſtrari: oratoris eſſe munus, optimis ſententijs uerbisq; lectiſſimis uti: Sententias neque utilitatis, neque gloriæ fructum afferri dicenti, niſi aptè exponantur, atque abſoluti: abſolutionem à numero petendam: deinde uerba diligenter collocanda, ut eorum lumen appareat: eò numerum pertinere. Numerum oratoriū, numero poetico diſſimillimum eſſe oportere, ſæpe teſtatus eſt. Numerus ſiue ordo pedum facit, ut id quod pronunciatur, aut orationis aut poematis ſimile uideatur. Numeri, ſiue pedes ijdē ſunt oratorū et poetarum, ut ante dictum eſt: ijdem more quotidiano loquentium, quia non poſſunt enūciari duæ ſyllabæ quin efficiant pedem: ijdem ſonantium omnium, id eſt, uoces indiſtinctas edentium: ut ſi cantites: nullum uerbum proferas. erunt tamen percuſſiones aut pares, aut breuiores, aut longiores, quæ cadent in pedem. Ergo uarietas eſt omnis in collocatione. Collocatio uel eſt cōpoſitio quædam, uel perfectio & ornatus, uel numerus oratorius, cuius eſt uſus ne infinite feratur (ut flumen) oratio, ne ſit inornata, ut uiribus deſtituta. Flumen ueluti quodam filo perpetuo cōtinuari, perſpicuū eſt. Is tractus continuus infinite ferri dicitur. Diſſimilis eſt periodus, quæ breui demenſo ſpatio quieſcit. de quo Ariſto. Rhetoricorum 3. λέγω δὲ εἰρομένην, ἣ οὐδὲν ἔχει τέλος καθ' αὑτὴν, ἂν μὴ τὸ πρᾶγμα λεγόμενον τελειωθῇ. ἔστι δὲ ἀηδὴς διὰ τὸ ἄπειρον. τὸ γὰρ τέλος πάντες βούλονται καθορᾶν. διόπερ ἐπὶ τοῖς καμπτῆρσιν ἐκπνέουσι, καὶ ἐκλύονται. προορῶντες γὰρ τὸ πέρας, οὐ κάμνουσι πρότερον. Tractam periodon dico, quæ per ſe nullum conſequitur finem, ſed tum demum terminatur, cum ſubiecta res ad exitum peruenit. Eſt hæc inſuauis, quoniam infinita. omnes enim finem uidere cupiunt. Quāobrem in inclinationibus reſpirant, ac reſoluuntur: et prouidentes finem, in prioribus nō laborāt. Periodus nō ſpiritu pronunciantis, qui in alijs hominibus breuiſſimus, in alijs productiſſimus eſt, ſed numero collecta debet inſiſtere. Quòd ſi ad ſpiritum nonnunquā refertur, tum agitur de mediocritate, non de cuiuſque pronunciantis pulmonibus. Eadem non inſiſtit interductu librarij, id eſt, uirgula, aut puncto quod figit is qui libros manuſcribit. non enim quia punctum eſt, quieſcit ambitus: ſed quia deſeuit comprehenſio, ſignū interducitur. Quòd autem numerus orationi ſit ornamento, nemo eſt credo qui dubitet. Quòd uires addat, teſtimonio ſunt qui ferunt, aliquando ſententiam tanquam fulmen numero uibrari. Cicero confirmat hac ſimilitudine: Quemadmodum athletarū & gladiatorū palæſtra decenti motu uenuſta & fortius petit, & cautius euitat: ſic oratio inſtituta numero tāquam palæſtra, uehementius accuſat, tectiusq; defendit. Athletas Romæ fuiſſe, qui ſpectaculis & maxime ludis publicis adhiberētur, ſatis eſt notum. Hi aut in ſtadio currūt, aut ſaltu cōtendunt, aut diſcū iaciūt, aut luctantur, aut

ceſtu feriunt. Qui ceſtu pugnoq́; feriunt, pugiles appellantur. Hi ſicuti gladiatores & imperũ declinant aduerſarij, & ictu petunt aduerſariũ. Quod ut cõmodius et uenuſtius facere poſſint, à campi magiſtris & laniſtis flexũ palæſtramq́; diſcunt. Flexus ille corporis uenuſtus, & motus membrorũ decens, numerorũ pedibus confertur. quia numeri motu grauior aduerſario plaga incutitur: & eodem, ſi quando aduerſario cedit, tectius ac munitius ſe tuetur orator. Ex contrario oratio numero carens, inepte mouetur & ruſtice, ueluti imperiti palæſtra, quorũ ſubagreſtis & ineptus eſt geſtus. ἀπαλαίστρους Græci uocant, nulla palæſtra exercitatos. παλαίστρα græcum eſt, unde melius deflexeris ἀπαλαίστρους, quàm quod alij ſcribunt ἀπαλαίστους. Nec ſi intelliges originem uerborũ, deriuabis à uocabulo παλαιστής, non magis quàm ἀμούσους ἀπὸ τοῦ μουσικοῦ. Reperimus & apud Fabiũ ἀπαλαίστρους. T A N T V M'Q V E *abeſt ut; quod ij, qui hoc aut magiſtrorũ inopia, aut ingenij tarditate, aut laboris fuga nõ ſunt aſſecuti, ſolent dicere;*] *Poſteaquã numeri uirtutes expoſuit, cõuerſus ad uitia, caſtigat inſcitiã eorũ qui totam hanc artem repudiant, & eorũ qui numeri cauſa inepte uerba traijciunt, & eorũ qui inſerunt inania quædam uerba quaſi cõplementa numerorum, & eorum qui minute infringunt numeros, & eorum qui omnia concludunt eodem modo. Hæc uitia quinque ſiquis uitauerit, omnia ferè uitia uitauerit. Primi, qui cupiebant Attici nominari, numerũ prorſus ignorarunt, aut magiſtrorũ inopia, quòd hanc artem Romæ nemo profiteretur: aut ingenij tarditate, quòd neque obſeruare ipſi, neque è ſcriptis eruere poſſent: aut laboris fuga, quòd magnam dicendo ſcribendoq́; adhibere diligentiã nollent: Ignorantiæ uelum prætendunt, dictitantes eneruari orationem compoſitione uerborum: in quos facit utilitas illa numerorum, quam ſupra demonſtrauit. Secundi numerũ ſequuntur, ſed illum neque tenent, neque apprehendunt, quaſi poſteriores rotæ. Quid ergo? Verba traijciunt, id eſt de loco in locũ transferunt aperte, quò melius aut cadat aut uoluatur oratio: ut ſi dicas, Multa cõmiſit in Rempublicam, quã C. Cæſar abrepta libertate uexarat, Antonius. In quo turpius admiſit ille Cælius Antipater in hiſtoria de bello Punico, qui ultro Lælio pollicetur id ſe niſi neceſſario non eſſe facturum: quod cum facit explendæ ſententiæ cauſa, ne hoc quidem modo explere poteſt. Ille ſimplex & ſapiens uidetur. Simplex, qui nihil celet: ſapiens, qui ſeruiendum neceſſitati putet. Sed neque ſimplex eſt, qui quæ caueas enunciando, uult à lectoribus cantus uideri; neque ſapiens, qui putet id eſſe neceſſarium, quod omnino ſit liberum, quiq́; fateatur id quod nihil ſit neceſſe. Antonius apud Ciceronem ſecundo libro de Oratore, hunc uirum optimũ fuiſſe dicit, & Craſſi familiarem. Tertij inculcant, id eſt inferciunt inania quædam uerba, quæ nihil omnino ſenſum iuuant, quemadmodum poetæ Græci, interijciũt explementa uerſuum, γέ, δή, τοὶ, μὴν, πῶ, μὲν, & id genus multa. Sunt & oratorũ expletiuæ particulæ, de quibus non ſolum loquitur, ſed etiam de omni uerbo quod ad numerum facit, ad ſenſum nihil facit. Quo genere redundantes illi et præpingues Aſiatici abutebantur. Quarti infringunt & concidunt numeros, ut Hegeſias ille, de quo paulo ante mentionem fecit. Hi cæſim membratimq́; perpetuo dicunt, nulla interpoſita numeroſa comprehenſione. Hoc genus Siculorum ſimillimum dicit, propter eos qui Gorgiam Leontinum ſecuti, in minutas particulas ſecuerunt orationem. Quinti ſunt Aſiani ferè, in quodam tertio loci illius uitio, ut Hierocles et Menecles fratres, non indocti, quos Cicero uidit & audiuit: in alijs quidem laudandi, in hoc uituperandi, quòd omnia concludebant uno modo, ut dichoreo. adde quòd recedebant à forma ueritatis, id eſt uero & polito & Attico genere dicendi, ad luxurioſum illud & adipale & illiberale genus Aſianorum. Epilogo ſuperiora uitia comprehendit, non ita eſſe traijcienda uerba, ut id de induſtria factum intelligatur: nõ inferciendа et inferenda uerba inania ad rimas inaneiq́; numeros explendos: non ita concidendas eſſe ſententias, ut delumbari, hoc eſt eneruari decurtariq́; uideantur: non denique ſine cõmutatione pedum in eodem ſemper genere uerſandum.* Q V A N T V M *autem ſit aptè dicere, experiri licet, ſi aut compoſiti oratoris bene ſtructam collocationem diſſoluas permutatione uerborum.*] *Si quanta ſit numeri uis experiri uelis, expediet, non cuiuſque oratoris, ſed compoſiti numeroſiq́; bene ſtructam collocationem diſſoluere permutatione uerborum. hoc modo intelliges, ea quæ numeri dignitate ſunt optima, ſublato numero corrumpi, omnemq́; ſuam amittere dignitatem. Quòd autem nemo ueterum ferè ſit compoſitus orator, ſua quædam ipſe experiundi gratia diſſoluit. Eligit autem, ut par eſt, ea quæ ſententijs & uerbis & compoſitione numerorum pulcherrima uidentur. Neque me diuitiæ mouent, quibus omnes Africanos & Lælios multi uenalitij mercatoresq́; ſuperarunt. Neque ueſtis aut cælatum aurum & argentum, quo noſtros ueteres Marcellos Maximosq́; multi eunuchi è Syria Aegyptoq́; uicerunt. Neque uero ornamenta iſta uillarum, quibus L. Paulum et Lucium Mummium, qui rebus his urbem Italiamq́; omnem referſerunt, ab aliquo uideo perfacile Deliaco aut Syro potuiſſe ſuperari. Valent hæc & bonitate ſententiarum, & ſuauitate numerorum: ſed ſi numerum tolles, et ſententiæ & uerba ad nihilum recident, hoc modo: Neque me diuitiæ mouẽt, quibus omnes Africanos et Lælios multi ſuperarũt mercatores, uenalitijq́;: neque ueſtis, aut cælatum aurum et argentũ, quo noſtros ueteres Marcellos Maximosq́; multi uicerunt è Syria Aegyptoq́;: neque uero ornamenta iſta uillarũ, quibus L. Paulum, L. Mummiũ, qui rebus his urbem Italiamq́; omnem referſerunt, uideo perfacile potuiſſe ſuperari ab aliquo Syro aut Deliaco. Quid ſi reſoluat uniuerſam cõpoſitionem, omnemq́; uerborũ permutet ordinem, cũ finibus mutatis decor omnis abſceſſerit? Non eſt opus in hac parte proſequi uerbis duos Scipiones Africanos ab Africa deuicta nominatos fuiſſe, Lælium ſapientẽ eſſe dictum, Marcellum cepiſſe Syracuſas, Q. Maximũ cunctando reſtituiſſe rem, L. Paulum in triumphũ duxiſſe Perſen Macedonum regem, Mummium Corinthum diruiſſe, ſummos uiros omnes hos fuiſſe, diuitias contempſiſſe, diuitijs honores antepoſuiſſe: hæc omnibus ferè nota ſunt. nec obſcurũ uenalitios appellari uenditores illos maxime, qui corpora mãcipiorum reuendunt. Eunuchos eſſe euiratos & emaſculatos homines, quos diuites cuſtodiæ cauſa emere ſolebant. Deliacos & Syros, ſeruos emptos è Delo atque Syria, qui liberti facti perſæpe diteſcunt. Nihil iſta faciunt ad numerum, ſed uel bene contextorum diſſolutio, uel male collocatorum compoſitio. Vt ſi alicuius inconditi & indigeſti oratoris arripias diſſipatam nulloq́; numero contextam ſententiam, eamq́; ordine uerborum paulum cõmutato in quadrum & ueluti ſeſſile corpus redigas, efficiatur aptum illud numeroſumq́;, quod fuerat ante diffluens ac ſolutum. Age, ſume ſententiam Gracchi ex oratione quam habuit apud cenſores: Abeſſe non poteſt, quin eiuſdem hominis ſit probos improbare, qui improbos probet. Redige in quadrum: Abeſſe non poteſt, quin eiuſdem hominis ſit qui improbos probet, probos improbare. ſentiunt aures, quanto ſit fortior hoc ordine conſtituta ſententia.*

H O C *modo dicere nemo unquam noluit, nemoq́; potuit quin dixerit.*] *Digreditur in eos qui mentiuntur ſe quidem numerum tenere, ſed illum collocare nolle. ij fuerũt, ut ante diximus, inepti quidam oratores tempore Ciceronis, qui cum ornatum contemnerent, & Lyſiæ imitatores uideri, & Attici uellent appellitari, Ciceronem ut nimis ornatũ leuiter abijcerent, mouerunt homini ſtomachum, adeo ut eorum inſcitiam exagitauerit hoc libro ſæpius, & in Bruto, et de Optimo genere oratorum. Numeroſe dicere, inquit, nemo unquam noluit: hoc eſt, omnis homo uoluit, etiamſi non potuit. Et nemo potuit hoc modo dicere, quin dixerit. Mentiuntur ergo qui ſe nolle dicunt, ſe*

poſſe

poſſe gloriantur. Qui aliter, id eſt diſſolute ſparſeq; dicunt, hoc numerorum genus aſſequi non potuerunt. Ita facti ſunt repente Attici, id eſt Attici non potuerunt effici, ironice dixit, ut accipiamus ſenſum contrariũ, non repente factos Atticos, hoc eſt aptiſſimos, qui fuiſſent ineptiſſimi. Quibus opponit Demoſthenem, qui cum ſit Atticorum facile primus, numeroſa tamen compoſitione ferè ſemper utitur. unde efficitur illud, non eſſe Atticorum, numero carere ſed omnia aptare quecunque bona, utilia, uenuſta ſunt in oratione, de quo plura ſupra diximus. Si non mouentur auctoritate Demoſthenis, quid afferent cur nõ ſit ille Atticus? an Trallianum dicent, id eſt barbarũ, redundantem, affectatorem, pinguem, ineptum, quales Aſiani illi fuerunt quos Tralleis oppidum Cariæ & urbes barbare tulerunt? Non eſt neque Trallianus, neque Myſius, neque Phryx, ſed ut natali ſolo, ſic & dicendi genere uerus Atticus: cuius ſententiæ quaſi fulmina uibrantur, quia numeris contorta feruntur. Non uult intelligi Fabius orationis fulmina torqueri numeris, qui certum non habeant finem quo uelut ſagitta perueniant: ſed orationis impetum numero, ſicut equum pedibus, ferri. Sed ſi quos magis delectant ſoluta, ſequantur ea. Nam tolerabile uidetur non abſolutam periodon conficere, ſi modo cætera omnia compareant ornamenta: ut: ſi quis modo, hoc eſt tantum diſſoluerit clypeum, quem Phidias excellens artifex Mineruæ fecit, de quo ante ſcribimus, collocationis eius ſimulachri uniuerſam ſpeciem formamq; ſuſtulerit, non ſingulorum operum, ut membrorum uenuſtatem: ut Thucydides in hiſtoria clypeum diſſoluit, qui non conficit orbem illũ comprehenſionis: cæterum in eo reliqua ornamenta comparent, hoc eſt adſunt, ſuamq; tuentur dignitatem. Iſti autem non clypeum modo orbemq; diſſoluunt, ſed ut eſt in prouerbio (humili uerbo humilia dicenda ſunt) ſcopas habent ſolutas, id eſt res perquam uiles & minutas, præterea inutiles, ut quibus ſolum quidẽ uerrere queant. Infinitos propè ſimiles tulit hæc ætas, qui quod aſſequi non poſſunt, non ignorare ſe quidem, ſed cõtemnere mentiuntur. Si quid aut Iſocratis, aut Demoſthenis, aut Aeſchinis more ſcriberent, & eorum numeris uterentur, planè genus hoc dicẽdi noſſe, non deſperatione aſſequendi reformidare, ſed contemnere, iudicioq; refugere dicerentur. Quòd autem nihil unquã apte numeroſeq; ſcribunt, numeros neſcire ſe tacito quodam indicio cõfitentur. Ne uero putent iniquam ſibi conditionem poni, ſi numeroſe ſcribere cogantur, lege pari certent, ut aut numeros aptent more doctorum, aut admittant eum qui dicat aut ſcribat diſſolute & diſſipate, græce aut latine: tum facilius erit inuenire qui more imperitorum loquatur, quàm qui recte componat orationem. quo propoſito certamine, planum fiet utrum ſit præſtantius uti ſermone triuiali, an oratione compoſita, quæ deceat oratorem. Hiſce de rebus ne longa controuerſia agitetur, hanc ſuam pronunciat ſententiam: Inſanire qui numero quærat, ſententiarum pondus negligat. Nam qui uiliora præponit, meliora poſtponit, is nõ ſapit. qui nõ ſapit, is eſt inſipiens: inſipiẽs autẽ ſtultus eſt: ſtultus inſanit, πάντες οἱ μωροὶ μαίνονται. opponit cõtrariũ. Sententioſe dicere ſine uerborũ ordine & modo, id eſt cõpoſitione & numero, infantiam uideri. Infantia balbutire quidẽ, ſed plane loqui non poteſt. Infantis eſt multa etiam præclare cõcipere, uerbis & elocutione exprimere non poſſe. Quòd autem maior eſt rerum quàm uerborum dignitas, infantes aliquando prudentes haberi poſſunt. Infantes non ætate dico, ſed elocutione. Neſcio quo modo excuſamus eos quos recta concipere putamus, recte loqui non poſſe cognoſcimus. Ex duobus imperfectis unum uult conſtitui perficiq; tertium, quod perfecto ſummoq; ſit oratore dignum: quia ſummus orator ſi approbari uelit, nec approbari modo, ſed etiam admiratione, clamore, plauſuq; cõcionis accipi, omnibus in rebus ut excellat neceſſe eſt. Sententia mens eſt orationis, uerba quaſi corpus, numerus ut ornatus. Hæc optimo cuique coniũgenda, ne clamitent imperiti alios eſſe inuentionis, alios dictionis artifices. De oratore perfecto lata ſententia eſt, quæ ut ab iudice modeſto lata eſſe uideatur, cõtradicendi poteſtas relinquitur. Hic enim iudex aperte nouit aut natura, aut moribus comparatum, ut homo frequenter alijs interdũ ſibi ipſe diſſentiat. Hanc opinionũ turbam ſcriptores omneis ſuſtinere eſt neceſſe, ſed eos maxime, qui leges numerorũ poſteritati tulerunt, propterea quòd numerus ad uulgi aſſenſum ſpectat, & ad aurium uoluptatem, quæ duo ſunt ad iudicandũ leuiſſima. Nam ſi dicit orator in conuentu, frequenter accidit ut imperita multitudo ſubaudiat, eumq; primũ probet oratorem, cuius oratione ſenſus animuſq; delenitur. Alijs alia placent. Incertũ et inſtabile iudicium uulgi. Aures ueritati frequentiſſime repugnant. Vnde fit, ut de ratione numerorum magna poſſit ſuboriri controuerſia. Ne miremur autem hanc minoribus in rebus eſſe opinionum uarietatem, qui uideamus in maximis rebus, ut philoſophicis, in quibus tot tantiq; contriuerunt omne tempus ætatis, nihil adhuc ſtatim firmum: quia ueritas ſic latet in occulto, ut Socrates, ut Plato, ut Academici omnes (in quibus Cicero nomen profitetur ſuum) nihil habeant certi: pro certo ſequantur, id quod eſt ſimillimum ueri. Tandem, quo res ueluti in orbẽ reuoluatur, deſinit in illã, unde ſumebat initium, difficultatem.

[illegible]

Hic libellus tradit nouam quandam Rhetoricam. Continet enim elocutionis præcepta, & maxime in cõpoſitionis præceptis uerſatur, quorum nos in loco de imitatione fecimus mentionem. Proinde continet hic libellus præcepta compoſitionis, quæ eſt elocutionis potiſſima pars. A principio quidẽ obiter inuentionis præcepta, & alia quædam puerilia præcepta adſperſit. Cicero hunc libellum ſenex iam ſcripſit, cum iam abſtineret à Repub. & rurſus C. Cæſaris gratia uteretur. Proinde in hoc libello uoluit indicare Bruto, quæ ratio dicendi omnium maxime eſſet utilis in Rep. Nec quiſquã tam demẽs ſit, qui putet ſe hoc, quod hic traditur, adſecuturũ. Non enim quilibet de populo hoc intelliget, imo nemo omnium qui uiuit hanc rationem de compoſitione intelligit. Interim tamen multa ſunt, quæ uſui nobis eſſe poſſunt, propter multarum rerum cognitionem, quas complexus eſt. Nam cũ de optimo genere ſcriberet, eius generis exemplum exhibet in hoc ſcripto. Itaque conuenit hunc libellum uel in primis à ſtudioſis magnifieri, atque exoſculari. Verum difficilius.] Exordium à dubitatione eſt, & captat beneuolentiam hoc modo, ſignificans uoluntatem gratificandi: & tamen opponit rei difficultatem. Nam & negare.] Ratio. Quid enim.] αἰτιολογία proxima rationis. Quod quoniam.] Concluſio prioris argumenti. Quæris igitur.] Propoſitio, quæ ſit perfecta oratio. Nam argumentum libri eſt de compoſitione, quæ eſt extrema & ſumma pars elocutionis: tametſi obiter repetat etiam, ut diximus, præcepta inuentionis. In quo ueteor.] Occupatio, Nolo quenquam abſterrere. Quod ſi quem.] Correctio. Prima enim ſequentem.] γνώμη. An in poetis.] Exempla correctionis. Nec uero Ariſtotelem.] Si Platonem copia & amplitune orationis non uicit, tamen in methodo uiciſſe cõſtat. Qui aut Hyaliſi.] Loquitur de ſtatuis. De hoc autẽ pictore uide Pliniũ. Plutarchus in uita Demetrij ſcribit, Appellẽ admiratũ eſſe opus Hyaliſi pictum in Rhodo, & emiſiſſe huiuſmodi uocem, Eſſe quidẽ præclarũ & admirabile opus, ſed tamen neſciuiſſe eum manum tollere de tabula. Dicunt autem quidã, Hyaliſum nomen eſſe urbis, & eius uiri qui urbem condidit: quidam uero, monumentũ pi

ctũ. Fuit autẽ hoc nomine urbs in Rhodo inſula. Apud Suidam lego, Bacchũ ab illo pictum: ſed arbitror locum mendoſum eſſe. In oratoribus uero.] Addit exempla ex oratoribus. Quare non eſt.] Concluſio. Nam neque illud.] γνώμη. Atque ego in ſummo oratore.] Redit ad inſtitutam propoſitionem, & præfatur ex præceptis definitionis rem nudam & per ſe conſiderandam eſſe, non qualis eſt in hoc aut illo. Hanc abſolutam & perfectam rei definitionem Plato uocat Ideam. Et recte iubet Ideas concipere, hoc eſt uetat contentos eſſe uulgo collectis opinionibus, ſed iubet perfectam & abſolutam notitiam cõparare, iuxta præcepta dialectices. Hæc demum recte iudicabit, recte gubernabit actiones, ut perfecta idea in animo architecti recte gubernat ædificantem. Illæ uulgares opiniones facile extorquentur hominibus: ſicut uidemus in uulgo accidere, quod aliàs alia probat, quia non habet perfectam notitiam honeſtarum rerum. At perfecta notitia certius iudicat. Quòd uero dicantur ideæ eſſe perpetuæ, intelligendum eſt, ſicut Ariſtoteles inquit, demonſtrationes & definitiones perpetuas eſſe, hoc eſt, ſemper ſui ſimiles. Quia uera definitio & demonſtratio ſemper eſt ſui ſimilis, ubicunque aut quacunque ætate cogitetur. Ex hoc loco Ciceronis iudicari poteſt, ideas apud Platonem intelligendas eſſe non animas aut formas cælo delapſas, ſed perfectã notitiã, iuxta dialecticam. Vt cũ uirtutem definimus, & conſideramus per ſe, non qualis eſt in Catone, aut Socrate, quia in his non eſt integra: ita hic Cicero præfatur, ſe dicturum eſſe de ipſa eloquẽtia, non qualis fuit in pleriſque oratoribus; ſed imaginem ſe propoſiturum eſſe dicit per ſe conſideratæ. Hanc imaginem ſeu definitionem, uocat ideam. Informabo.] Id eſt, in animo inſtituam aut concipiam. nam ſic loquuntur Latini. Sed ego ſic ſtatuo.] Huc quadrat philoſophorum ſententia: Cauſa debet perfectior eſſe quàm effectus. Appellat ideas.] Id quod Plato ideas Ariſtoteles demonſtrationes appellat. Et ait ſemper eſſe.] Id eſt, ſui ſimiles eſſe apud omnes ſanos. Ac uideo hanc primam.] Occupatio eſt. nam imperiti reprehenſuri erant hanc philoſophicam diſputationẽ de ideis, hoc eſt, definitionẽ rei per ſe conceptæ. Huic reprehenſioni reſpondet bifariam, & quòd primum philoſophia inſtruxerit oratorem, & quòd ſine philoſophia exiſtere oratores non poſſint. Tum ſubobſcuram.] Id eſt, non omnes philoſophi tenent eam. Res ipſa cognita.] Id eſt, hic libellus informabit, qualis eſſe debeat eloquentia, non qualis ſit. Ego autẽ & me ſæpe noua.] Eſt duplex reſponſio ad occupationem. Hæc autem prima eſt, quod philoſophia primum inſtruxerit oratorem. Curricula.] Id eſt, ſtudia ſcholæ. Variorumq; ſermonum.] Id eſt, diſputationũ, non de natura ſolum, ſed etiam de ratione dicendi & moribus. In quibus Platonis.] Neminem perinde refert Cicero atque Platonem: multum enim uerborum atque rerum ab illo ſumpſit. Exagitatus.] Acutior factus. Hoc autem dicit propter locos communes, quos oratores à philoſophis mutuantur. Agreſtioribus muſis.] Quaſi diceret, res ſubtilius diſputari in ſcholis, quàm ab illis qui in rebus uerſantur. Sed tamen ornata uerbis.] Id eſt, etiamſi ratio rhetorũ qui in foro dicerent, reprehenſa eſt à philoſophis, quòd careret cognitione rerum & locorum communiũ, tamen quia fuit in admiratione ad uulgus, facile rhetores iudicium paucorum philoſophorũ & contempſerunt, & neglexerunt. Poſitũ ſit, &c.] Altera reſponſio: Sine philoſophia non poſſe fieri oratorem. Nam nec latius.] Quia deſtituunt eum loci communes. Nec uero. Hic incipit partiri philoſophiam in tres partes nempe in dialecticam, de qua primũ loquitur & in doctrinã de moribus, & in cognitionem rerum naturalium. Quid dicam:] φυσικά. De uita.] ἠθικά. Quod alia intelligendi.] Id eſt, quòd factæ ſunt diuerſæ profeſſiones, philoſophia & eloquentia. Inſidebat.] Redit ad inſtitutam præfationem de idea. Tria ſunt omnino genera. Quæ hactenus tractauit Cicero, fuerunt quaſi præfatio. Nunc autem incipit tradere præcepta: & principio dicit de tribus generibus dicendi, quia hic liber maxime uerſatur in elocutionis & compoſitionis præceptis. Quibus in ſingulis.] Liuius in grandi genere, Terent. in exili, Cæſar in medio. Perpauci in omnibus.] Scilicet ut unus Cicero, qui in orationibus eſt grandis, & interdũ mediocris: in philoſophicis uero libellis mirabilem proprietatem & parſimoniam conſeruat. Nam & grandiloqui.] Grande genus. Alij leni.] Medium. Et contra.] Exile. Potius expers.] Elegans eſt correctio: utraque excidunt, quando utrunque leuiter attingitur. Vt in corona toros.] Dicũtur tori, eminens quiddam in quacunque re. Plinius utitur hac uoce ſæpe: & uocat toros, nodos in herbis. Qui uim accommodarit.] Id eſt, qui ſeſe accommodarit ad exprimendam perfectam eloquentiam, & meliorem quàm in omnibus alijs eſt uidere. Cicero uero, quod ad copiam attinet, ſimilior eſt Platoni quàm Demoſtheni: uerum quod ad conſilium, compoſitionem, & diligentiã attinet, ſimillimus eſt Cicero Demoſtheni. Itaque nobis monendi ſunt.] Secundum præceptum, qui ſint Attici. facit autem duas ſpecies, uidelicet quoſdam eſſe tenues, alios aliquanto etiam uberiores & grandiores, qualis fuit Demoſthenes, aut Plato, aut Iſocrates. Et reprehendit errorem iſtorum qui ſolum ieiunos, aridos & ſiccos uocabant Atticos. Non alienũ puto.] Monet utendum eſſe foro, & ſenſus auditorum cognoſcendos. Semper oratorum eloquen.] Oratio plerunq; ſequitur fortunam: & quemadmodum ſumus adfecti, ſic quoque ſcribimus. Sic in oratione pro Marcello uſus eſt medio genere dic endi, id quod in alijs orationibus non facit. Rhodij nunquam probauerunt.] Nam cum apud hos Aeſchines exularet, primum eos inſtituit cultiori orationis generi adſueſcere, & uerecundiori. itaque ab eodem illud ſubtile ac tenue orationis genus didicerunt. In illa pro Cteſiphonte.] περὶ ςεφάνου. Quorum genera. Verſatur adhuc in illa collatione Atticorum. Ecce autem aliqui.] Aliud genus peruerſe Atticum, uidelicet breue, horridum, & obſcurum. An uictus hominum.] Sicut Athenienſes primi oſtenderunt nobis fruges, ſic etiam eloquentiam: itaque non debemus uti oratione, quæ ne quidem ab ipſis probatur. Nomen eius extaret.] Adeo fuit ferè ignotus. Huius tamen nemo, &c.] Id eſt, eius uirtutem non imitantur, ſed tantum uitia. Mutila.] Breuiora iuſto, & obſcura. Inter Xenophontem & Lyſiam non multum intereſt, niſi quòd hic mollior eſſe uidetur: uterque tamen ſuauiſſimus, ac uelut riuuli amœniſſimi decurrentes. Referamus nos igitur.] Epilogus eſt ſuperiorum, & noua propoſitio. Quæ ſpecie diſpares, &c.] Hoc eſt ſumptum ab Ariſtotele, qui omnes uirtutes connexas in prudentia eſſe inquit. Hoc tempore Brutus erat Proconſul in Gallia Ciſalpina, uel Bononiæ, uel Placentiæ. Galli enim cum tranſcendiſſent Alpes, conſederunt in iſtis locis. Catone abſoluto.] Cæſar ſcripſit tres libros Anticatonum, in quibus illum nec prudentem, nec bonum uirũ eſſe iudicauit. Semper enim fuerunt graues inimicitiæ & perpetuæ Cæſari cum Catone. Iſtis libris reſponderunt Brutus & Cicero: de quibus ſic iudicauit, uideri ſe ſibi diſertum, cum legat Bruti, infantem uero, cum legat Ciceronis. Sed in omni re.] Repetit propoſitionem, uidelicet quærendum eſſe, quod genus orationis ſit optimum. Χαρακτήρ.] Eſt planè idem quod ſupra ideam uocauit. Sed quoniam plura.] Tria ſunt genera cauſarum, & ſic perſtringit obiter communia & uulgaria præcepta. Ἐπιδεικτικὸν.] Id eſt, demonſtratiuum, quod quaſi ad pompam & oſtentationem comparatum eſt. Vt uerba uerbis, &c.] Id eſt, ut ſint iuſta & paria ſpatia periodorũ. Aut pariter extrema.] Vt ſint ὁμοιοτέλευτα. In Panathenaico.] Panathenaicã orationẽ ſcripſit Iſocrates,

ANITII MANLII SEVERINI BOETII VIRI CONSVLARIS AD PATRICIVM RHETOREM IN Topica Ciceronis Præfatio.

XHORTATIONE *tua Patrici, Rhetorum peritiſſime, quæ & præſentis honeſtate propoſita & futuræ ætatis utilitate coniuncta eſt, nihil antiquius exiſtimaui. cui muneri libentius acquieui, non quòd ad inſtruendum te commentarios in M. Tullij Topica laborare me crediderim (ridiculus quippe forem, ſi Mineruam docere uellem, ut aiunt, literas) ſed ut ex diſciplinarum liberalium ſumptum penu noſtra apud te ſemper pignus amicitiæ permaneret. Quod enim munus ex animo diligentibus iucundius inueniri poteſt, quàm quod ipſius animi partes formas & inſtruit? Nam cætera ferè caduca, imbecilla, labantia, & ſi ad fortunæ uicem ſpectes, penè ſemper aliena ſunt. At uero opulentiam literarum nec præſens imminuit ætas, earumq́; authoritatem ipſa etiam cuncta conficiens auget potius & confirmat uetuſtas. Accipe igitur opus, non efficientiæ ſecuritate, ſed amicitiæ præſumptione ſuſceptum, apud quam neſcio quo'nam inter ſuos pacto etiam garrire non dedecet: ſimul quia prælato à nobis munere, cum tuorum aliquid operum poſtulauero, iniurius fueris ſi negabis. Sed cum in M. Tullij Topica Victorinus rhetor plurimæ in differendi arte notitiæ commenta conſcripſerit, nō me oportuiſſet meliorihus forſitan attentata contingere, ni eſſet aliquid quo ſe noſter quoque labor exercere atque parare potuiſſet. Quatuor enim uoluminibus Victorinus in Topica conſcriptis, eorum primo in declarandis tantum libri principijs occupatur. Addit etiam, ſi qua in eodem uolumine prædicenda fuiſſe perpendit, ut ab exordio uoluminis Topicorum, quod eſt, Maiores nos res ſcribere ingreſſos Trebati: uſque ad eum locum, qui eſt, Sed iam tempus eſt ad id quod inſtituimus accedere, primi uoluminis Victorini expoſitio terminetur. Secundo uolumine de iudicandi atque inueniendi dialecticæ partibus, & de locorum atque argumenti definitione pertractat: ut ab eo loco Topicorum, qui eſt, Cum omnis ratio diligens differendi duas habeat partes, unam inueniendi, alteram iudicandi: uſque ad locum qui eſt, Itaque licet definire locum eſſe argumenti ſedem, argumentum autem rationem quæ rei dubiæ faciat fidem: ſecundi libri commentariorum explanatio ſubſiſtat. Tertius uero atque quartus diſcretionem locorum inter ſe, eorumq́; exempla multiformiter perſequuntur: ita ut tertius quidem Tulliana ſibi de iure præponat exempla: quartus uero eoſdem locos per alias rurſus ſimilitudines monſtret ex Virgilio uel Terentio poetis, oratoribus Cicerone & Catone: ut quod præceptis oſtenditur, exemplis multipliciter colluceſcat. neque ab eo loco qui eſt in Topicis, ſed ex ijs locis, in quibus argumenta incluſa ſunt, expoſitio progreſſa, cum tranſcendit locum qui eſt, Valeat æquitas quæ paribus in cauſis paria iura deſiderat. Quanta uero pars reliqua Topicorum ſit, ipſius uoluminis magnitudo demonſtrat: quam Victorinus neque attingit, neque attingere potuiſſet, ita eſt rebus minimis immoratus, niſi opus multa librorum pluralitate diſtenderet. Nos uero & hanc ipſam particulam quam Victorinus attigit, diligenter (ut poſſumus) aggrediamur: & longius expoſitione progreſſi, cum Topicorum habemus fine conſiſtere. Quare de tota operis propoſitione conueniens ſumamus exordium. Sed antequàm de Topicæ facultatis ratione pertractem, proœmiū, quo ad Trebatium M. Tullius utitur, paucis abſoluam.*

IN M. T. CICERONIS TOPICA AD TREBATIVM SEVERINI BOETII COMMENTARIVS.

1

MAIORES NOS RES SCRIbere ingreſſos, &c.] *Omne proœmium quod ad componendum intendit auditorem, ut in rhetoricis diſcitur, aut beneuolentiam captat, aut attentionem præparat, aut efficit docilitatem: his tribus partibus ſibi Cicero Trebatium format. Nam quòd ſe à magnarum rerum inchoatione reuocatum, ad amici contulit uoluntatem, fauorem uelut Trebatij iudicis beneuolentiæ partibus meretur. Maiores autem res ſunt, à quarum inſcriptione, ad amici ſtudium uerſus eſt moralis philoſophiæ tractatus. Maior eſt enim morum ratio, quàm peritia differendi. Id autem tempus fuiſſe conijcimus, quo propter turbulenta reipublicæ tempora, in otium ſe contulit, atque philoſophiæ diſciplinas. Sed, quia nobis audientium mentes ueritatis quoque opinio præſumpta conciliat, in eo etiam*

2

præparandæ beneuolentiæ partibus utitur, quod in commemorandis ueraciter ijs, quæ Trebatius nouerat, facit illis fidem, quæ poſterius euenire, & Trebatio ignota eſſe poterant. Hæc autem ſunt, quod in Tuſculano ad ſuum ſtudium uterque libros euoluerit, quodq́; Trebatius caſu in Ariſtotelis Topica inciderit, quòd titulum operis admiratus, à M. Tullio inſcriptionis ſententiam perquiſierit. Illud etiam, quòd ei Cicero ſe expoſuiſſe commemorat, inueniendorum argumentorum illis libris ſcientiam contineri, ut ſine ullo errore ad argumentorum inuentionem uia quadam, & recto filo atque artificio ueniretur, quæ res breuiter enunciata, uelut intentionem operis monſtrat, & docilem perficit auditorem. In hoc nanque uidetur eſſe comprehenſum, quæ ſit intentio Topicorum, quòd ait, diſciplinam eſſe argumentorum, non ut inueniantur, id enim natura ſuppeditat, ſed ut ſine ullo labore, ac ſine ulla confuſione,

4

non caſu ad ea mens, ſed quadam uiæ ductione perueniat. Poſt beneuolentiæ hanc captationem, Trebatij laudem ſubiungit, quòd eius uerecundiam in his commemorat expetendis, quæ ſi poſtulanti amico Cicero præſtitiſſet, & gloriæ præmium ferret, & gratiæ. Sed quòd petenti Trebatio, ut ei Topicam traderet, minime conceſſit, id non proprij laboris fuga, ſed Trebatij potius cauſa factum eſſe contendit, ut in eo quoque Trebatij, ueluti tunc repulſi, ſubiratus forſitan animus, nunc non ſit alienus. Intererat uero Trebatij, ut uel per ſe ipſe legens exercitatior fieret, uel ei perfectius, ſi quæ dubitaret, rhetor doctior expediret. Vtrunque uero à Trebatio ſe narrat audiuiſſe. Nam & expertum eum, ut per ſe ipſe legeret, ſed obſcuritate reiectum, & illum rhetorem à quo Topicorum explanationem petiſſet, illa ſeſe Ariſtotelica ignorare confeſſum. Quæ res per operis difficultatem, neceſſe eſt auditorem reddat attentum. Ea quippe non negligenter inſpicimus, quæ non facilis eſſe intelligentiæ ſuſpicamur. In quo etiam Cicero minime ſe miratum eſſe commemorat, quòd is philoſophus à rhetore neſciretur, qui multis etiam philoſophis uideretur incognitus: quorum etiam iure culpat ignauiam, quos ad Ariſtotelicæ philoſophiæ diſciplinam, non inuentorum utilitas, non orationis nitor illexerit. In quo etiam maioris perſpicaciæ creſcit attentio, quia facile ad ſtudium mentes aliorum ſegnities culpata conuertit. In quacunque uero attentio fuerit, non poterit abeſſe docilitas. In his etiam laus quædam Trebatij latenter inducitur. Magnum eſt enim, philoſophis in ſuo quaſi munere ceſſantibus, hunc Trebatium, ne proprio quidem ſtudio præpeditum, alienæ ſcientiæ ſecreta rimari. Iam uero ſequentia multo etiam clarius beneuolentiam petunt, ueluti hoc, quod elegantiſſime dictum eſt, ueritum ſe eſſe, ne, ſi modeſte poſtulanti uerecundiæ pernegaſſet, ipſi quodammodo iuris interpreti fieri uideretur iniuria, & quod præcedens Trebatij meritum percepti beneficij memor exequitur, id uero eſt, quod uel ipſi, uel ijs, quos ipſe defenderet, plura cauiſſet. Fuit igitur (ut ait) uerendum, ne ſi reſtituere gratiam noluiſſet, aut ingratum id, aut ſuperbum eſſe uideretur. Ingratum quidem, ſi magna Trebatij merita, quibus ipſe uſus fuerat, paruo æſtimare uideretur, cum nullam ei gratiam reſtituendam putaret: ſuperbum uero, ſi ſperneret. ad idem cætera reuertuntur. Quod eiuſdem teſtimonio nititur dum fuerit in urbe, ſe, ne debitam redderet gratiam, occupationum neceſſitate conſtrictum. Quod ut uenerit Veliam, amicorum Trebatij conuentione commonitum, ne tacite quidem eius flagitioni deeſſe noluiſſet: & quòd licet librorum copia nulla ſuppeteret, de memoriæ tamen repetitæ promptuarijs in ipſa nauigatione conſcripſerit, eiq; ex itinere miſerit, ut beneficij cumula parendi etiam celeritas adderetur. Quæ cum omnia benignum captare Trebatij uideantur aſſenſum, quædam tamen breuitas Topicorum memoria repetita, attentionis neceſſe eſt animaduerſione fungatur. Ipſa nanque memoriæ repetitio breue mõſtrat eſſe quod colligit, quodq; diligẽtiæ ſibi fuerint mandata Trebatij, & quòd ad excitandam ſui memoriam quaſi pignus amico aliquod atque monumentum uoluiſſet extare. cui adijcit illud, Etſi admonitore non eges, ne offendat animum ſedulitate admonitionis, ſi quem commonendum credit, obliuionis uideatur arguere. Hæc omnia, ut dixi, beneuolentiæ partibus plena ſunt. Sed de proœmio ſatis dictum eſt. Nunc ad conſequentia tranſeamus, nec ſi quis hæc apud Victorinum latius tractata reppererit, nos neglectæ integritatis ſtringat inuidia. Nam nec in ſingulis, ut ille facit, uerbis hærere uolumus, & ad ampliora huius operis feſtinamus. CVM omnis ratio diligens diſſerendi.] Cum philoſophia maximis in rebus operam ſuam ſtudiumq; conſumat, cumq; & in naturalibus inſpectionem ſpeculationemq; adhibeat, & in moralibus actionem, & ſic formare geſtiat mores, ut uera uitæ ratio perſuaſerit, euenire neceſſe eſt, ut ſecundum id quod ratio tenendum, omittendum'ue, quod faciendum aut non faciendum eſſe decreuerit, uel iudicium conſtituatur, uel exercendæ uitæ dirigatur intentio. Erit igitur neceſſarium, uel in naturali ſpeculatione, uel in moralium actionum cogitatione, ut certa ratio, uel quod in rebus ſpeculandum eſt, inueniat, uel quod in actum uiuendi duci oporteat, ante perpendat. Hæc autem ratio niſi uia quadam proceſſerit, ſæpe in multos neceſſe eſt elabatur errores. Quod ne paſſim fieret, atque ut certis regulis tractatus inſiſteret, uiſum eſt antiquæ philoſophiæ ducibus, ut ipſarum ratiocinationum, quibus aliquid inquirendum eſſet, naturam penitus ante diſcuterent, ut his purgatis atque compoſitis, uel in ſpeculatione ueritatis, uel exercendis uirtutibus ueteremur. Hæc eſt igitur diſciplina, quaſi diſſerendi quædam magiſtra, quam Logicen Peripatetici ueteres appellauerunt, quã Cicero definiens, diſſerendi diligentem rationem uocauit. Hæc uario modo à pleriſque tractata eſt, uarioq; etiam uocabulo nuncupata. Vt enim dictum eſt, à Peripateticis hæc ratio diligens diſſerendi Logice uocatur, continens in ſe inueniendi iudicandiq; peritiam. Stoici uero eandem hanc rationem diſſerendi paulo anguſtius tractauere. Nihil enim de inuentione laborantes, in ſola tantum iudicatione conſiſtunt, deq; ea præcepta multipliciter dantes, Dialecticam nuncupauerunt. Plato etiam Dialecticam uocat facultatem, quæ id quod unum eſt, poſſit in plura partiri, ueluti ſolet genus per primas differentias uſque ad ultimas ſpecies ſeparari, atque ea quæ multa ſunt, in unum generum ratione colligere. Hanc igitur Plato dialecticam dicit, Ariſtoteles uero Logicam uocat. Quam, ut dictum eſt, Cicero definiuit, diligentem diſſerendi rationem. Et huius uno quidem modo trina partitio eſt. Omnis nanque uis logicæ diſciplinæ aut definit aliquid, aut partitur, aut colligit. Colligendi autem facultas triplici diuerſitate tractatur. Aut enim ueris ac neceſſarijs argumentationibus diſputatio decurrit, & diſciplina uel demonſtratio nuncupatur: aut tantum probabilibus, & dialectica dicitur: aut apertiſſime falſis, & ſophiſtica, id eſt cauillatoria, perhibetur: Logica igitur, quæ eſt peritiæ diſſerendi, uel de definitione, uel de partitione, uel de collectione: id eſt, uel de ueris ac neceſſarijs, uel de probabilibus, id eſt ueriſimilibus, uel de ſophiſticis, id eſt, cauillatorijs argumentationibus tractat. Has enim collectionis partes eſſe prædiximus. Atque hæc eſt una logicæ partitio, in qua Dialecticam Ariſtotelem uocat facultatem per probabilia colligendi. Rurſus ex iiſdem logicæ altera diuiſio eſt, per quam deducitur tota diligens ratio diſſerendi in duas partes, unam inueniendi, & alteram iudicandi: hoc autem uidetur etiam ipſa logices definitio monſtrare. Nam quia logica ratio diſſerendi eſt, non poteſt ab inuentione eſſe ſeparata. Cum enim nemo præter inuentionem diſſerere poſſit, diſſerendi ratio inuentionis eſt ratio. Rurſus, quoniam logice diligens ratio diſſerendi eſt, ab ea non poteſt abeſſe iudicium: ipſa enim diligentia rationis diſſerendo poſita, iudicium eſt. Neque enim poteſt quiſquam diligẽter diſſerere, niſi iudicauerit quale ſit id, quod in diſputationem ſumitur. quod ſi ad diſſerendi ordinem diligentia rationis adhibetur, non eſt dubium, quin hoc iudicium ad inuentionum uarietatem ſit accommodatum. His igitur ita expeditis uidendum eſt, hæ diuiſiones quãnam ſe cognitione contingant. Inuentio quippe cæteris omnibus ueluti materiæ loco ſupponitur, hoc modo. Niſi enim inuentio fuerit, non poteſt eſſe uel definitio, uel partitio, quoniam unumquodque generum, uel differentiarũ inuentione, aut diuidimus, aut etiã difinimus. Iam uero, ſi abſit inuentio, nunquã ualet eſſe collectio. Non erit igitur neceſſaria, nec ueriſimilis, nec ſophiſtica. Hæc enim tria inuentioni ſuperueniunt, ut uel neceſſarium, uel probabile, uel cauillatorium ſit argumentũ. Neceſſitas uero, & probabilitas, & cauillatio,

formæ

formæ quædam ſunt, quæ dum inuentionibus aſſiſtunt, neceſſaria, uel probabilia, uel cauillatoria faciunt argumenta. Eadem quoque ratio, partitiones diffinitionesq́; complectitur. Indiſcreta namque inuentionis poteſtas, tum diffinitiua, tum diuiſibilis appellari poteſt, cum definiendis partiendisúe rebus adhibetur. Quæ hoc modo ex inuentionis materia & differẽtiarum ſupra poſitarum forma compoſita, rurſus iudicationi materia fiunt. Nam prior illa partitio logicæ tribus partibus ſegregata, ita partes explicat, ut habeat inuentionem materiam ſingularum, ipſa uero iudicationi materiam præſtat. Etenim cũ definit aliquis, uel rei propoſitæ diuiſionem facit, inuenit quidem diuiſioni diffinitioniq́; differentias accommodatas: ſed an recte uel diffiniat, uel diuidat, iudicatione perpendit. Ita priores logicæ partes ſecundæ diuiſionis membra coniungunt, ut materiam quidẽ ſibi habeant inuentionem, iudicationi uero fiant ipſæ materia. quod in reliqua etiam colligendi parte contingit. Nam & ea quæ de probabilibus tractat, habet inueniendi ſuppoſitam materiam, quæ ueriſimilia reperit argumẽta, & de huiuſmodi argumento iudicatio perpendit. Eſt enim iudicium hoc ipſum internoſcendi, quòd nõ neceſſaria inuentio eſt, ſed ueriſimilitudinem tenet: illa quoque pars, quæ de neceſſarijs argumentationibus aptatur, habet ſubiectam materiam neceſſariæ inuẽtionis, eiusq́; eſt iudicium: ut cum neceſſaria ſunt quæ inuenit, neceſſaria quoque eſſe perpendat, nec non cauillandi pars utraque in ſe continet, quandoquidem & inueniri falſa poſſunt, et falſa eſſe iudicatione diſcerni. Quo fit, ut prior logices diuiſio ſecundam etiam continere uideatur. Nam definitio, partitio, atque collectio inuentionem continent, & iudicium, quia neque exiſtere præter inuentionem, neque agnoſci præter iudiciũ poſſunt. Sed cum omnis inuentio iudicationi ſubiecta ſit, cumq́; prioris diffinitionis partes ſine utroque eſſe non poſſint, euenit, ut prima partitio inuentionẽ iudiciumq́; cõiungat. Secunda uero hæc diuiſio, qua Cicero etiã partitur logicam, ſegregat huiuſmodi facultates, & inueniendi materiã à iudicationis parte ſecernit. Iudiciũ uero colligendi ratione proprias partes habet. nam omnis argumẽtatio, omnisq́; ſyllogiſmus propoſitionibus ſtruitur, omneq́; compoſitum duo in ſe quædam retinet, quæ ſpeculanda eſſe uideantur. Et quod unum, quæ illa ſint, ex quibus id quod compoſitum eſt intelligatur eſſe cõnexum: aliud uero qua'nam ſit ſuarum partiũ coniunctione compoſitũ. ut in pariete, ſi quidem lapides ipſos quibus paries ſtructus eſt, inſpicias, quaſi materiam ſpecies: ſi uero ordinem compoſitionemq́; iuncturæ conſideres, tanquam de formæ ratione perpendas. Item in argumẽtationibus, quas propoſitionibus compaginari atque coniungi ſupra retulimus, gemina erit ſpeculationis & iudicãdi uia. Vna, quæ propoſitionum ipſarum naturam diſcernit, ac iudicat, utrũ ueræ ac neceſſariæ ſint, an ueriſimiles, an ſophiſticis applicẽtur: & hæc quaſi materiæ ſpeculatio eſt. altera uero pars iudicij eſt, quæ inter ſe propoſitionum iuncturas compoſitionesq́; perpendit. Hæc quaſi formam iudicat argumentorum. quæ cum ita ſint, hoc modo fit in continuum ducta partitio, ut ratio diligens diſſerendi unam habeat inueniendi partem, alteram uero iudicandi, tum de ipſa inuentione, tum inuentionis collocatione, quæ forma eſt argumentationis. Atque ea quidem pars, quæ de inuentione docet, quædam inuentionibus inſtrumenta ſuppeditat, & uocatur τοπικὰ. Cur autem hoc nomine nuncupata ſit, poſterius dicam. Illa uero pars, quæ in iudicando poſita eſt, quaſdam diſſerẽdi regulas ſubminiſtrat, & uocatur ἀναλυτικά. Et ſi de propoſitionum iunctura conſideret, ἀναλυτικὰ prior. Si uero de ipſis inuentionibus tractet, ea quidem pars, ubi de diſcernendis neceſſarijs argumentis ἀναλυτικὰ dicitur, poſterior nuncupatur. Ea uero quæ de falſis atque cauillatorijs, id eſt, de ſophiſticis elenchis: de ueriſimilium uero argumentorum iudicio nihil uidetur eſſe tractatum, idcirco, quoniam plana eſt atque expedita ratio iudicandi de medietate, cum quis extrema cognouerit. Si enim quis dijudicare neceſſaria ſciat, idemq́; falſorum argumentorum poſſit habere iudicium: ueriſimilia, quæ in medio collocata ſunt, diſcernere non laborat. Expeditum igitur eſt, ut arbitror, quid ſit quod ait Cicero, rationem diligentem diſſerendi duas habere partes, inueniendi unam, alteram iudicandi. Illud etiam diligentius expoſitum eſt, quæ ſit ratio, quam Stoici Dialecticen uocant. Ea eſt enim, quæ iudicandi peritiam tenet, & quòd eodem nomine Plato partiendi per differentias, atque ad genus reuocandi facultatem uocet, quodq́; eodem nomine Ariſtoteles totam diſſerendi artem, ſed eam tantum nuncupet, quæ propoſita quæſtione ueriſimilibus colligat argumentis. atque ideo perfectius Ariſtoteles de logica tractauit, quoniam de duobus, ultra quæ nihil eſt tertium diſſeruit, de inueniendo ſcilicet, & iudicando, cum Stoici inuentione neglecta, iudicationis tantum inſtrumenta tradiderint. atque ideo iure eos increpat Tullius, quoniam id maxime reliquere, quod & natura prius & uſu potius erat. Natura quidem, quia fieri non poteſt, ut de inuentione iudicetur, niſi ipſa inuentio prius extiterit. Ad uſum uero, quia longe utilius eſt nuda & præter artem prolata naturaliter inuentione ſuſceptum ſæpe tueri negocium, quàm nihil inueniente alio mutum ipſum inermeq́; & tacitum uerſare iudicium. Dat uero Tullius de utroque ſententiam, & ait, ſummam pariter utilitatem in utroque conſiſtere, & ſe de utraque, ſi otium fuerit, uelle diſſerere. Ab ea autem quæ prior eſt, id eſt, inuentione, quam Topicen diximus, ordiendum putat. VT igitur earum rerum, &c.] Poſt diuiſionem logicæ diſciplinæ, quam diligentem diſſerendi rationem eſſe diffiniuit, de Topice, quæ inueniendi ars eſſe prædicta eſt, expedire contendit. Ac primum quid ſint loci termino diffinitionis includit, eiusq́; artis quæ Topice dicitur, ſub exempli quadam claritate intentionem deſignat. Eſt enim Topices intentio, argumentorum facilis inuentio. Non igitur inuenire docet Topice, quod eſt naturalis ingenij, ſed facilius inuenire. Omnis quippe ars imitatur naturam, atque ab hac materia ſuſcepta rationes ipſa uiamq́; conformat: ut cum facilius id quod ars quæque promittit, tum elegantius fiat. uelut parietem ſtruere naturalis ingenij eſt, ſed arte fit melius. Argumentum ratio eſt, quæ rei dubiæ faciat fidem. Multa enim ſunt quæ faciunt fidem, ſed quia rationes non ſunt, nec argumenta quidem eſſe poſſunt: ut uiſus facit fidem ijs quæ uidentur, ſed quia ratio non eſt uiſus, ne argumentum quidem eſſe poteſt. Differentiam uero unam ſumpſit eam, quæ faciat fidem. Omne enim argumentum facit fidem. Si igitur iunxerimus genus ac differentiam, & idem argumentum dicamus, quod rationem quæ facit fidem, num tota argumenti natura monſtrata ſit? minime. Quid ſi eius rei de qua nemo dubitat, aliqua ratione facere quis fidem uelit, num idcirco illa, quòd fidem faciat, uocabitur argumentum? nullo modo. Argumentum namque eſt quod rem arguit, id eſt probat, nihil uero probari niſi dubiũ poteſt. Niſi ergo ſit res ambigua, & ad eam ratio fidem faciens afferatur, argumẽtum eſſe non poterit. Addita igitur alia differentia, quæ eſt rei dubiæ, facta eſt integra diffinitio argumenti, ex genere & duabus differentijs conſtans. Genere quidem ratione: una uero differentia, quòd faciat fidem: altera uero, quòd rei dubiæ. ut ſit tota diffinitio, id eſſe argumentũ, quòd ſit ratio rei dubiæ faciens fidem. Quæ cum ita ſint, neceſſe eſt, ut ubi dubitatur aliquid, ibi ſit quæſtio. Quòd ſi argumentum præter rem dubiam eſſe non poterit, nullo modo eſſe præter quæſtionem poteſt. Quæſtio uero eſt, dubitabilis propoſitio: propoſitio uero eſt, oratio uerum falſum'ue deſignans. Omnis igitur propoſitio ſiue conſtanter atque pronunciatiue proferatur, ut ſi quis dicat, omnis homo animal eſt, ſiue ad interrogationem dirigatur, ut ſi quis interroget, putas'ne omnis homo ani-

mal eſt? retinet proprium nomen, & propoſitio nuncupatur. At ſi eadem uelut dubitabilis proferatur, fit quæſtio: uelut ſi quis quærat, an omnis homo animal ſit. Quot autem modis quæſtio diuidatur, nunc explicandi locus non uidetur accommodatus, ſed in ijs libris dicemus, quos de Topicis differentijs formare molimur. Ad quæſtionem igitur, id eſt, ad dubitabilem propoſitionem omnis intentio dirigitur argumenti, non uero ut totam comprobet quæſtionem, ſed ut partem eius ratione confirmet. Neque enim tota quæſtio defenditur, ſed una eius qualibet pars argumentatione firmatur. Nemo enim defendit cœlum rotundum eſſe, & non eſſe. Si enim ita quis defenderet, totam quæſtionem uideretur probare. Sed cum ita conſideratur, utrum cœlum rotundum ſit an non ſit, in una tantum conſiſtit quæſtionis parte defenſio, ſiue quæ affirmat, ſiue quæ negat. Omnis enim quæſtio cōtradictionibus conſtat. nam ſi qua res altero affirmetur, negetur ab altero, totum hoc contradictio nuncupatur. ut ſi quis dicat, cœlum rotundum eſt: alter neget, dicens, cœlum rotundum non eſt, cœlum rotundum eſſe & non eſſe contradictio perhibetur. Dubitabilis uero propoſitio, quam quæſtionem eſſe prædiximus, & affirmationem in ſe continet & negationem. hoc ipſo enim quia dubitabilis eſt, contradictionem uidetur includere. Cum enim dubitat quis, utrū cœlum rotundum ſit, ſiue adiungat, an non ſit, ſiue reticeat, ipſa dubitatio partem ſecum alteram trahit. Si enim unam partē propoſitio tueatur, dubitabilis nō eſt, atque idcirco nec quæſtio. Cum igitur omnis quæſtio duas habeat partes, affirmationis unam, alteram negationis, neceſſe eſt, ut ſit ſemper ex alterutra parte defenſio, ut unus quidem affirmationis partem, negationis alter defendat. Et hic quidem ad aſtruendam affirmationem, ille uero ad deſtruendam, quæ potuerit argumenta perquirat. Nihil uero intereſt, utrum quis affirmationem ponat, an deſtruat negationem: aut negationem defendat, an oppugnet affirmationem. Age enim ſit quæſtio, utrum cœlum rotundū ſit. Si quis eam ſibi quæſtionis partem aſſumpſerit, qua eſſe defendit, ad eam conſtituendam cuncta neceſſe eſt ſibi comparet argumenta: atque in hanc affirmationem quidem ponit, ſed deſtruit negationem. ſi quis uero id neget, ac dicat non eſſe cœlum rotundum, ſumpſit ſibi partem alteram quæſtionis, quæ fuerat reliqua, id eſt negationem, in eáq; conſiſtit, & ad hanc approbandam perquiſitis utitur argumentis. Itaque negationem ponit, & labefactat affirmationem: quæ cum ita ſint, demonſtratum arbitror, non totam quæſtionem, ſed eius aliquam partem ad defenſionem uenire. Sed quod quiſque defendet, ad id quoque argumenta perquirit. Ad partem igitur quæſtionis aſtruendam deſtruendam'ue, argumenta ſumuntur, atque hæc quidem ſi quis minus intelligit, non ea à nobis obſcure dicta eſſe cauſetur. Si enim quæ in dialectica, uel à nobis dicta latina oratione, uel à Græcis ſcripta ſunt, ignorabit, mirum eſt, ſi quam partem eorū quæ dicimus, aduertere ualeat, nedum ſtupeamus, quòd non omnia comprehendat. Sed quoniam dubitabilē propoſitionem quæſtionē eſſe prædiximus, euenit, ut quas partes habeat propoſitio, eaſdem etiam quæſtio retinere uideatur. Omnis autem ſimplex propoſitio duas habet partes in terminis conſtitutas. Simplex uero propoſitio eſt huiuſmodi: Omnis homo animal eſt. Terminos uero uoco, ſimplices orationis partes, quæ cōtinent propoſitionem, ut animal & homo. Hi uero ſunt, prædicatus atque ſubiectus. prædicatus eſt in propoſitione maior terminus collocatus, ſubiectus uero minor. Maior uero terminus de ſubiecto dicitur, minor autem de maiore nullo modo prædicatur, ut animal: quod quoniam maius eſt quàm homo, de homine prædicatur: dicitur enim, omnis homo animal eſt, homo uero de animali non dicitur. Nemo enim uere dicit, omne animal homo eſt. Hac igitur ratione internoſcere poſſumus, qui terminus in propoſitione maior, qui uero minor. Omnis autem quæſtio, ut dictum eſt, quoniam dubitabiles partes habet, & ad eaſdem comprobandas argumēta ſumuntur, neceſſe eſt, ut quidquid in quæſtionibus comprobetur, id argumentorum ratione firmetur. Argumentum uero niſi ſit oratione prolatum, & propoſitionum contexione diſpoſitum, fidem facere dubitationi non poterit. Ergo illa per propoſitiones prolatio ac diſpoſitio, argumentatio nuncupatur, quæ dicitur enthymema uel ſyllogiſmus, cuius definitionem in Topicis differentijs apertius explanabimus. Omnis uero ſyllogiſmus uel enthymema, propoſitionibus conſtat, omne igitur argumentum ſyllogiſmo uel enthymemate profertur. Enthymema uero eſt, imperfectus ſyllogiſmus, cuius aliquæ partes uel propter breuitatem, uel propter notitiam prætermiſſæ ſunt. itaque hæc quoque argumentatio à ſyllogiſmi genere non recedit. Quoniam igitur ſyllogiſmus omnis propoſitionibus cōſtat, propoſitiones uero terminis, terminiq́; inter ſe differunt eo quòd unus maior eſt, alter minor, fieri non poteſt, ut ex propoſitionibus concluſio naſcatur, niſi per terminos progreſſæ propoſitiones extremos terminos alicuius tertij mediate coniunxerint. id facillimo demonſtratur exemplo. Sit enim quæſtio, utrum homo ſubſtantia ſit, an minime. Sumo mihi quæſtionis partem alteram comprobandam: ea eſt, hominem eſſe ſubſtantiam. in hac igitur duo ſunt termini, ſubſtantia atque homo: quorum maior ſubſtantia, homo uero minor. quod ex eo quoque poterit oſtendi, quoniam poſterius ſubſtantia in prolatione profertur: ut in hoc ipſo quod dicimus, homo ſubſtantia eſt, prius hominem, poſterius ſubſtantiam nominamus. Vt igitur ſubſtantiam atque hominem iungamus, neceſſe eſt medium terminum reperiri, qui utroſque copulet terminos. hic ſit animal: fiatq́; una propoſitio, omnis homo animal eſt. in hac igitur propoſitione animal prædicatur, homo ſubijcitur. rurſus adiungo, omne autem animal ſubſtantia eſt: in hac rurſus animal ſupponitur, ſubſtantia prædicatur. Itaque concludo, omnis homo ſubſtantia eſt: ac per hoc homo quidem ſemper ſubiectus eſt. Animal uero ad hominem quidem prædicatum eſt, ad ſubſtantiam uero ſubiectum. Subſtantia uero ipſa ſemper prædicata permanſit. unde fit, ut minor quidem ſit homo, maior uero homine ſubſtantia. medius autem terminus animal. Quoniam igitur extremi termini medij interpoſitione copulantur, eóq; modo quæſtionis inter ſe membra conueniunt, adhibitáq; probatione ſoluitur dubitatio, nihil eſt aliud argumētum, quàm medietatis inuentio. Hoc enim uel coniungere ſi affirmatio defendatur, uel diſiungere, ſi negatio uindicetur, poterit extremos. Quæ cum ita ſint, duarum propoſitionum & tertiæ concluſionis, maior quidem propoſitio dicitur ea, quæ maiorem terminum continet, id eſt, in qua maior quidē prædicatur, medio uero ſupponitur, ut omne animal ſubſtantia eſt. Minor uero propoſitio, quæ medium quidem terminum prædicat, ſubijcit autem minorem, ut omnis homo animal eſt. Sed quoniam à maioribus neceſſe eſt minora deſcendere, eius concluſionis quæ ex duabus propoſitionibus naſcitur, illa quaſi propria effectrix propoſitio uniuerſalis eſt, quæ prima eſt: hæc autem eſt, omnis homo ſubſtantia eſt. quòd qui priores poſterioresq́; noſtros analyticos, quos ab Ariſtotele tranſtulimus, legit, minime dubitauerit. Sed ſi quis quæ illic ſcripta ſunt, neſciens, ad hæc legenda proruperit, etiam ſi rationes rerum, quas non intelligit, minime comprehendit, ita tamen, ut dictum eſt, eſſe confidat, ſéq; id in Ariſtotelis Analyticis uberius inuenturum eſſe, ſi legerit, arbitretur. Natura igitur rerum fert, ut ubi qui maius aut minus eſt, etiam ibi maximum quoque aliquid ineſſe neceſſe ſit. Quo fit, ut ſint quædam maximæ propoſitiones, quomodo minores maioresq́; eſſe monſtrauimus, quarum natura ex ſimplicium propoſitionum partitione ſumenda eſt. Omnis enim ſimplex propoſitio uel affirmatiua eſt, uel negatiua: earumq́; aliæ ſunt uniuerſales, ut omnis homo iuſtus eſt, nullus homo iuſtus eſt.

Aliæ

Aliæ particulares,ut quidam homo iuſtus eſt,quidam homo iuſtus non eſt . Aliæ indefinitæ, ut homo iuſtus eſt , homo iuſtus non eſt . Aliæ ſingulare aliquid atque indiuiduum continentes,ut Cato iuſtus eſt , Cato iuſtus non eſt . harumq; omnium aliæ ſunt dubitabiles, aliæ indubitatæ . Supremas igitur ac maximas propoſitiones uocamus , quæ & uniuerſales ſunt, & ita notæ atque manifeſtæ,ut probatione nõ egeant,eaſq; potius quæ in dubitatione ſunt,probent . Nam quæ indubitata ſunt. ambiguorum demonſtrationis ſolent eſſe principia : qualis eſt,omnem numerum uel parem eſſe,uel imparem : & æqualia relinqui, ſi ex æqualibus æqualia detrahantur : cæteraq; , de quarum notæ ueritate non quæritur . Maximas igitur, id eſt, uniuerſales ac notiſſimas propoſitiones , ex quibus ſyllogiſmorum concluſio deſcendit,in Topicis ab Ariſtotele conſcriptis, locos appellatos,eſſe perſpeximus . quòd enim maximæ ſunt,id eſt,uniuerſales propoſitiones , reliquas in ſe uelut loci corpora complectuntur. quòd uero notiſſimæ atque manifeſtæ ſunt,fidẽ quæſtionibus præſtant,eoq; modo ambiguarũ rerum continent probationes . Has autem aliquotiens quidem in ipſis ſyllogiſmis atque argumentationibus inhærere conſpicimus, aliàs uero in ipſis argumentationibus minime continentur,uim tamen argumentationibus ſubminiſtrant . ut ſi uelimus oſtendere,regnum melius eſſe quàm conſulatum,dicemus , Regnum cum ſit bonum, diuturnius eſt quàm conſulatus : Omne uero quòd eſt diuturnius bonum,melius eſt eo quod parui eſt temporis : regnum igitur melius eſt conſulatu . Hic igitur maxima propoſitio atque uniuerſalis & per ſe cognita,neque indigens probatione, argumẽtationi inſerta eſt. Ea uero eſt,omnia quæ diuturniora ſunt bona,meliora eſſe his,quæ ſunt temporis breuitate conſtricta. at ſi melius oſtendere uelimus,non eſſe inuidum qui ſapiens eſt, dicimus , Inuidus eſt qui mœret aliena fœlicitate : non autem ſapiens eſt,quem fœlicitas aliena contriſtat : non eſt igitur inuidus ſapiens . Hic maxima propoſitio argumentioni non uidetur incluſa, ſed extrinſecus poſita, ſyllogiſmo tamen uires miniſtrat . Hæc uero eſt : quorum diuerſæ ſunt definitiones,diuerſas eſſe ſubſtantias . Quiſquis igitur uel Ariſtotelis Græca , uel noſtra ab Ariſtotele tranſlata Topica perſpexerit, has illic propoſitiones locos inueniet nũcupari, quæ ſunt maximæ atque uniuerſales,& uel per ſe neceſſariæ, uel per ſe probabiles ac notæ . Sed quoniam has propoſitiones plures ac penè innumerabiles eſſe neceſſe eſt,reſtat adhuc quo amplius ratio ſpeculationis aſcendat . Poſſumus enim diligenti tractatu conſiderationis adhibito,omnium maximarũ atque uniuerſalium propoſitionum differentias perpendere,atque innumerabilem maximarum propoſitionum ac per ſe notarum multitudinem in paucas atque uniuerſales colligere differentias: & ut alias dicamus in definitione conſiſtere,alias in genere,atque alias alio modo, quod paulo poſt apertius demonſtrabo . Omnes igitur maximæ propoſitiones,quæcunque ſub definitionis uel generis ratione cadunt, uno definitionis nomine continebuntur . Et ſicut illæ reliquarũ propoſitionum loci eſſe dicebantur , quòd eas intra ſuum ambitum continerent, ita ipſarum maximarũ atque uniuerſalium propoſitionum,quas minorum propoſitionum locos eſſe prædiximus,illæ differentiæ,& ſi non uera,tamen quadam uelut imagine loci eſſe uidebuntur,in quas fuerint conuenienti ratione reductæ. Sed iſtæ locorum,id eſt, propoſitionum maximarum differẽtiæ, quas etiam ipſos locos nominamus, poſſunt ſubiectarum propoſitionum etiam genera nuncupari . Nam differentiæ continẽtes etiam genera communiter poſſunt uideri , ut irrationale cum à rationali uelut diuiſibili differentia diſſideat, tamen equi uel canis & differentia ſpecifica eſt,& ad eos locum generis tenet. Nanque animal irrationabile equi genus eſt,ita etiam in maximis propoſitionibus . Nam quòd aliæ ſunt ex toto,aliæ ex partibus : hic inter ſe comparata differentiæ diuiſibiles ſunt,ad ipſas uero maximas propoſitiones differentiarum continentiæ uelut generis loco ſunt . Nam propoſitionis ex toto uenientis genus eſt idipſum, quod uocatur ex toto . Itẽ propoſitionis à partibus ductæ,quãuis notæ atque manifeſtæ, genus eſt quòd à partibus,& cæteræ differentiæ earum propoſitionum,quæ cum ſint maximæ,tamen eiſdem uidẽtur includi, uelut quædam genera ſint . Quæ uero ſint hæ differentiæ,paulo poſterius diſſerã. De his igitur nunc locis tractare Tullius inſtituit,qui maximas propoſitiones,quas ſuperius diximus,id eſt, per ſe notas atque, uniuerſales continent atque includunt . Hi uero ſunt , maximarũ differentiæ propoſitionum . De uniuerſalium igitur enunciationum , per ſeq; notarum differentijs diſſerit , ut ſit integre locus argumenti ſedes . Nam ſi argumentum omne per propoſitiones ad concluſionem uſque perducitur,omnes uero reliquæ propoſitiones in prima maximaq; propoſitione continentur , ipſaq; prima ac maxima propoſitio tum eſt pars argumentationis, id eſt ſyllogiſmi,tum extra poſita argumentationi uires miniſtrat, ut utroque modo,quoniam perficit argumentum,pars argumẽtationis quædam eſſe uideatur : non eſt dubium, quin hæ differentiæ quæ propoſitiones maximas continent,eædem omnes etiã contineant argumentationes,ut maximarũ propoſitionum differentiæ iure loci argumentorum & quaſi quædam ultimæ ſedes eſſe uideantur . Nam ex his quatuor ſignificationibus appellationum duarum,argumentationis ſcilicet atque argumenti,unamquamlibet eſſe neceſſe eſt . Aut enim elocutio & contextio ipſa propoſitionum cum maximis propoſitionibus,uel extra ſyllogiſmum poſitis,uel in eodem incluſis,argumentatio uocatur . Argumentum uero mens & ſententia ſyllogiſmi aut elocutio ratiocinationis cum maximis propoſitionibus & ſententia ſyllogiſmi argumentum eſſe dicetur, ut idem ſit argumentũ quod argumentatio . Aut argumentatio quidem uocabitur,tota contextio ſyllogiſmi cum ſententia : ſed argumentum maxima propoſitio . aut integer ratiocinationis ordo, præter maximas propoſitiones, argumentatio dicetur : ſententia uero argumentationis, argumentum : reliqua uero maxima propoſitio , locus . Sed cum hæc ita ſint,ſiue quis ipſarum propoſitionum contextionem , & uſque ad concluſionem continuum ductum cum maxima propoſitione uel extra poſita,uel propoſitioni ratiocinationis incluſa,argumentationem uocare uelit,argumentum uero ſententiam mentemq; ratiocinationis , nihilominus locos intelligimus maximarum propoſitionum differentias : ſiue quis ratiocinationis totius uim atque ſententiam totam cũ maxima propoſitione,uel intra, uel extra poſita argumentationem ſimul & argumentum uocet,non eſt dubium quin totius ratiocinationis locus ille ſit , qui eſt maximæ propoſitionis differentia . Continet enim maximam propoſitionem, in qua propoſitiones cæteræ continentur , ſiue argumentationem quidem totam ratiocinationis contextionem uocari placeat , argumentum uero maximam propoſitionem . Rurſus,recte locus putabitur maximæ propoſitionis differentia,quæ argumentum claudit & continet , quòd ſi argumentum quidem ſenſus ipſe totius ratiocinationis intelligatur,argumentatio uero integra ratiocinationis prolatio , extra uero & ab utriſque diuerſum ualens,uelut locus quidam conſideretur maxima propoſitio ,ſic quoque maximarum differentiæ propoſitionum loci eſſe uidebuntur . Nam cum differentia ipſa maximam propoſitionem contineat, eiuſq; ſit locus,maxima uero propoſitio argumentationi uel argumento uires miniſtret , non eſt dubium quin ea toti argumento locus eſſe uideatur,quod totum intra ſe maximæ propoſitionis ambitum claudit . Demonſtratum igitur eſt , quæ ſint argumentorum ſedes, id eſt, ubi argumenta clauduntur . Hæ ſunt autem maximarum propoſitionum differentiæ,quæ uocantur loci : quid etiam argumentum,quoniã eſt rei dubiæ faciens fidem : quæ ſit uero res dubia, id eſt , pars altera quæſtionis :

quid ſit quæſtio, id eſt, dubitabilis propoſitio : quid ſit ſimplex propoſitio, id eſt, enunciatio quæ prædicato ac ſubiecto termino contineatur, uerum falſum'ue deſignans, quæ omnia meminiſſe oportet. Maximarum enim propoſitionum differentiæ, quas locos eſſe prædiximus, ab his ducuntur terminis, qui prius in propoſitione ſunt, poſterius in quæſtione conſiderantur, prædicato ſcilicet atque ſubiecto. Ex his etiam quæ ſuperius dicta ſunt, quid diſtent Topica Ciceronis atque Ariſtotelis, apparuit. Ariſtoteles nanque de maximis propoſitionibus diſſerit, hos enim locos argumentorum eſſe poſuit, ut nos quoque ſupra retulimus. Tullius uero locos non maximas propoſitiones, ſed earum continentes differentias uocat, ac de his docere contendit. SED *ex his locis in quibus argumenta incluſa ſunt.*] *Poſt definitionem loci atque argumenti, facit pleniſſimam diuiſionem locorum. ac primum, quoniam omnis diuiſio cuncta debet amplecti, nec ſuperfluum quidquam interponere, nec omittere quid ſit neceſſarium : id M. Tullius propoſita diuiſione perfecit, dicens : Ex his locis in quibus argumenta incluſa ſunt, alios in eo ipſo de quo agitur, hærere, alios extrinſecus aſſumi. nihil enim huic diuiſioni poſſe uidetur addi, uel minui, quoniam quidẽ breuiter cuncta complectitur. Argumentorum enim loci quicunque ſumuntur, aut in ipſo de quo agitur, hærent, aut minime. Id autem minime extrinſecus poſitos eſſe deſignat : quòd ſi inter id quod dicimus, in ipſo de quo agitur, hærere argumentorũ locos, & non hærere in ipſo, nihil eſt medium. Inter affirmationem enim atque negationem nulla eſt medietas. cumq; in ipſo de quo agitur, non hærere locum argumenti, id ſit extrinſecus aſſumi, dubium non eſt, quin nihil interſit medium inter ea argumenta, quorum in ipſo hærent loci de quo agitur, & ea quorum extrinſecus aſſumuntur: ſed quid ipſum ſit de quo agitur, facilior explanatio eſt, ſi eorum quæ prius dicta ſunt, meminerimus. Nam cum de quæſtione loqueremur, eandem diximus eſſe quæſtionem, quæ eſſet dubitabilis propoſitio. Sed quoniam propoſitio ſubiecto prædicatoq́; conſtaret, quæſtionem quoque diximus ſubiecto prædicatoq́; coniungi. Prædicatum igitur uel ſubiectum, hoc eſt ipſum, de quo agitur. Nam cum de alterutra quæſtionis parte dubitetur, id in hac ambiguitate quæritur, utrum prædicatus terminus ineſſe ſubiecto uideatur, an minime. Nam cum omnis quæſtio in affirmationem negationemq́; diuidatur, ſi prædicatus ſubiecto ineſt, fit ex eo uera affirmatio : ſi non ineſt, fit uera negatio. Sed in quæſtionibus diſceptandis alter affirmationem, alter negationẽ tuetur, id eſt, alter prædicatũ ineſſe ſubiecto, alter nõ ineſſe defendit. Quod uero ex alterutra parte defenditur, hoc eſt, ipſum de quo agitur. Ipſum igitur eſt prædicatus terminus uel ſubiectus, de quibus agitur. Atque ut id exemplo clarius fiat, ſit quæſtio, an Verres furtum fecerit: hic Verres ſubiectum eſt, furtum facere prædicatum. quòd ſi furtum Verri coniungitur, idq́; argumentationibus comprobatur, quæſtionis affirmatio demonſtrata eſt. Si furtum à Verre ſeiungitur, quæſtionis rurſus negatio comprobatur. Ipſum itaque de quo agitur, nihil eſt, niſi uter licet eorum terminus qui in quæſtione proponitur, ſiue prædicatus, ſiue etiam ſubiectus. Qui quidem termini per ſe argumenta eſſe non poſſunt, neque uero per ſe argumenta præſtare. Si enim ipſi, ut ſunt, argumenta eſſe poſſent, uel argumentorum præſtare materiam, nullam in quæſtione linquerent dubitationem : ſed quoniam de ipſis adhuc in quæſtione dubitatur, an eorum poſſit eſſe rata coniunctio : ipſi quidem neque per ſe argumenta eſſe, nec per ſe argumenta præſtare poterunt : ea uero quæ in ipſis inſunt, uel extrinſecus poſita ſunt, argumentorum copiam ſubminiſtrant. Nam quòd Victorinus quærit, & latius explicat, ne commemoratione quidem mihi dignum uidetur. Quærit enim, quæſtio ipſa de quo agitur, an habeat locum : quod minime oportuit, ut dictum eſt. locus de quo nunc agimus, non cuiuslibet rei locus eſt, ſed argumenti : argumentum uero ratio rei dubiæ faciens fidem, res uero dubia pars quæſtionis. quòd ſi argumentum quæſtio uel pars quæſtionis eſſe non poteſt, locus uero de quo agimus, argumenti eſt locus, non eſt, dubium quin locus quæſtionis eſſe non poſſit. Amplius, omnis quæſtio dubitabilis eſt, argumentum uero omne quæſtionis purgat ambiguum, non eſt igitur idem argumentum quod quæſtio : ſed loci argumentorum ſunt loci, non ſunt igitur quæſtionis. Hoc igitur præmiſſo, intelligamus ipſum de quo agitur, quemlibet terminum in quæſtione propoſitum, ſiue prædicatum, ſiue ſubiectum : qui cum per ſe res ſint, ipſi quidem argumentum eſſe non poſſunt : habere autem in ſe quædam poſſunt, in quibus argumenta ſint collocata, & quæ ſedes argumentorum eſſe intelliguntur. Quæ quidem cum terminis his, de quibus agitur, inhærere uideantur, nondum tamen ſunt argumenta, ſed quaſi iam argumenta complectentes loci, & uelut naturali ſede condentes. Idem de his locis qui extrinſecus aſſumuntur, dicendum eſt. Ipſi nanque poſiti ſunt exterius, & quodam modo à propoſitionis terminis ablegati, & res quædam ſunt, ſed intra ſe argumentorum copiam claudunt, atque, ut breui ſententia colligam, ipſum de quo agitur nihil eſt aliud, niſi quilibet in quæſtione terminus collocatus. Hi argumenta eſſe non poſſunt, neque ab his trahi aliquod argumentum. Quo fit, ut termini ipſi, qui in quæſtione ſunt poſiti, nec argumenta, nec loci ſint, ſed tantum res. Rurſus ea quæ in his hærent de quibus agitur, ipſa quidem res eſſe manifeſtum eſt, ſed claudunt in ſe argumentorum copiam, ut cum ex his ſumi aliquod oporteat argumentum, locorum uice fungantur. Itaque ſi quis per ſe ea ſpeculetur, res ſunt : ſi quis ab his aliquod argumentum quærat adducere, loci fiunt. Et communiter quidem de principalibus ac maximis locis hæc dicta ſint. Hi uero ſunt qui in ipſis de quibus agitur hærent, uel qui aſſumuntur extrinſecus. Vt igitur faciat plenam locorum diuiſionem, quos ſimpliciter ac maximos poſuit locos, eoſdem uelut in quaſdam ſpecies reſecat, dicens : In ipſo tum ex toto, tum ex partibus eius, tum ex nota, tum ex his rebus, quæ quodammodo affecta ſunt ad id de quo quæritur. Locorum, qui in ipſo ſunt de quo agitur conſtituti, quatuor partium facta diuiſio eſt. hi quippe qui in ipſo, de quo agitur, hærent, uel ex toto eo de quo agitur termino, uel ex partium eius enumeratione, uel ex nota, uel ex affectis intelliguntur exiſtere. Id ita eſſe breui ratione firmabitur. Neceſſe eſt enim quemlibet eorum terminorum qui in quæſtione ſunt collocati, & definitiones habere proprias, & partes, & nomina, & ad res alias quadam relatione coniungi ac referri. ergo ex toto locus, qui dicitur, is eſt, quoties argumentum ex alicuius definitione termini, qui eſt in quæſtione, tractatur, ſiue ſubiecti, ſiue prædicati. Ex partium uero enumeratione, quoties ab eius termini partibus qui in quæſtione poſitus eſt, ducitur argumentum. À nota uero, quoties ab eiuſdem termini uocabulo naſcitur argumentum. Ab affectis uero, quoties ab his quæ ad propoſitum terminum relatione aliqua reducuntur, argumentatio proficiſcitur. Quorũ ſimilitudines omnium poſterius explicabo, quando ea quæ ſuper his rebus declarandis Cicero poſuit exempla tractauero. Nunc illud eſt conſiderandum. Ait enim Tullius ex his locis, in quibus argumenta incluſa ſunt, alios in eo ipſo de quo agitur hærere, alios extrinſecus aſſumi : quod ita dictum uidetur, tanquã ſi diuerſi ſint loci, qui in his, de quibus agitur, hærent, & ipſum illud de quo agitur. Nihil enim in ſeipſo hærere poteſt : ac per hoc quod in aliquo hæret, ab eo in quo hæret, diuerſum eſt. Quòd ſi loci ſunt aliqui qui in his hæreant de quibus agitur, nõ eſt dubium qui hi loci ab his de quibus agitur, ſint diuerſi. Rurſus cum dicit ni ipſo, tum ex toto, tum ex partibus eius tanquã non de diuerſis loquatur. Ita ait, in ipſo locos eſſe, tum ex toto, tum ex partibus, tum ex nota : quaſi uero aliud ſit ipſum,*

quam

quàm totum, aut aliud ipſum, quàm omnes undique eius partes. Vnaquæque enim res idem eſt quod totum. Idem nanque eſt Roma quod tota ciuitas. Rurſus idem eſt unaquæque res, quod eius ſingulæ partes in unum reductæ: uelut idē eſt homo quod caput, thorax, uenter, ac pedes, cæteraq; in unum partes coniunctæ atque copulatæ. Quomodo igitur tanquam de diuerſis primum locutus eſt, cum locos hærere in his terminis, de quibus agitur, dixit? Poſt autem uelut de eiſdem loquitur, cum in ipſo locos tum ex toto, tum ex partibus eſſe proponat. Nihil enim differt dicere in ipſo tū ex toto, tū ex partibus, quàm ſi ita dixiſſet, in ipſo, tum ex ipſo. Nam ſi idem eſt ipſum quod totū ac partes, idem eſt dicere, in ipſo hærere locum ex toto aut ex partibus quod in ipſo hærere locum qui eſt ex ipſo, quod ne intelligi quidem poteſt, quemadmodū in ipſo hærere poſſit, quod ipſum eſt, cum nihil ſibi hæreat, ut ſuperius expediui: ſed quemadmodum paulo ante expoſui, unaquæque res cum & definitionem habeat & partes, & ſi pernoſcamus quæ ſit definitionum uis, & quæ partium, cunctus ambiguitatis nodus abſoluitur. Eſt enim definitio, coactæ in ſe atque complicatæ rei explicatio: ut hoc cum dicimus, hominem eſſe animal rationale, mortale. Nā id quod nomen breuiter atque anguſte deſignabat, id explicauit ac protulit, & per ſubſtantiales quodammodo partes definitio patefecit. Alium igitur neceſſe eſt eſſe intellectum rei, quæ complicata eſt in eo quod ſibimet coacta atque in unum redacta eſt: alium eiuſdem rei explicatæ atque diſſertæ, in eo quod expedita atque diffuſa eſt. Nam etſi idem definitio quod nomē ſignificat, illud tamen ipſum quod nomen anguſte confuſeq; deſignat, apertius definitio diſſerit ac patefacit. Recte igitur aliud quiddam eſt ipſum, aliud eius definitio, etiā ſi unum idemq; eſt utriſque ſubiectum. Vt enim dictum eſt, ipſum ſingulum eſt definitio, ipſius ſinguli per partes diſtributio atque enumeratio. Partes autem nunc ſubſtantiales dico, non quæ magnitudinem iungant, ſed quæ proprietatē rationemq; ſubſtantiæ. Sed quod in definitione dictum eſt, ſecundum eas partes quæ ſubſtantiam iungunt, id in partibus intelligendum eſt, quæ magnitudinem copulant, uelut domus, quæ fundamento, parietibus, tectoq; coniunguntur. Nam cum ea nihil ſit aliud, niſi quod partibus copulatur, ipſa tamen una quædam eſt atque coniuncta. Partitio uero eius per quædam membra diſtributio eſt, atque ideo licet unū ſit quod ipſum eſt, & quot ſunt partes undique cōſtituētes, non tamen eundē neceſſe eſt habere intellectum, cum ipſum integrum conſideratur, & cum in partes ipſas, quibus iunctum eſt, diſtribuitur. Ex nota uero locus apertiſſime ab eo termino diuerſus eſt, qui in quæſtione eſt conſtitutus. Quis enim dicat, id eſſe cuiuslibet rei uocabulum, quod res ipſa eſt quam deſignat? Ea uero quæ ad id, de quo agitur, affecta ſunt: etſi extra poſita uidentur, terminum tamen in quæſtione propoſitum uelut è regione reſpiciunt, quæ in multas ſecari neceſſe eſt partes. Omnis enim res, id quod eſt, unum eſt: multa uero ſibimet retinet adiuncta, quæ hoc ab his quæ omnino extrinſecus ſunt, differre intelliguntur, quòd ea quæ affecta ſunt, in relatione ſunt poſita, ut poſt & ipſarum propoſitio, & exemplorum ratio monſtrabit. Ea uero quæ ſunt extrinſecus, in nulla relatione ſunt cōſtituta, atque ideo hæc extrinſecus ſolum. Illa uero affecta ſunt nuncupata. habet enim aliquam quodammodo cognationem ad id, ad quod reducitur, id quod refertur ad aliquid. Sed omnes ferè hos locos quos nunc ſimplices atque indiuiſos ponit, poſteriore tractatu diuidit: ut nunc quoque eos locos, qui in ipſo ſunt, diſtribuit, cum alios ex toto fieri proponit, alios ex partibus, alios ex nota, alios ex affectis: affectaq; ipſa ſuis partibus ſecat, extrinſecus uero locum in teſtimonio poſitum eſſe confirmat. Teſtimonij uero uim in authoritate conſtituit; authoritatem uero deducit in proprias partes: ſed hæc in poſteriore tractatu. Nunc uero eos ſimplices atque indiuiſos locos proponit, & ueluti ſimplicibus ſubdit exempla. Reſtat autem nunc unum quod uidetur eſſe quærendum, an hi loci qui in locos alios diuiduntur, eorum, quos intra ſe continent, locorum, loci eſſe poſſint: ut eorum qui ſunt ex toto, ex partibus, ex nota, ex affectis, is unus quidam quaſi locus ſit, qui eſt in ipſo: nihil quidem prorſus effecerunt, locorum locos putare. Fieri enim poteſt, ut locus amplior intra ſemet anguſtiores contineat locos, uelut in prouincia ciuitates: ſed nunc ſimilitudo non conuenit. Locus enim ex quo ducitur, id eſt, in quo argumentum eſt poſitum. quòd ſi loci locus eſſe poſſet, & is qui eſt in ipſo, de quo agitur, eos qui ſunt ex toto, uel ex partibus, uel ex nota, uel ex affectis, uelut quidam locus includeret, nō eſſent ex toto, ex partibus, ex nota, ex affectis loci ſed argumenta: quoniam in eo hærerent loco, qui in ipſo, de quo agitur, termino eſſe prædictus eſt. Non igitur locus eſſe poterit loci, ſed uelut genera quædam in ſpecies, ita nunc ſit diuiſio locorum: nec hoc ſuperius dictis uideatur eſſe contrarium, cum & maximas propoſitiones, & earum differentias continentes, communi nomine appellauimus locos. Nam maximæ propoſitiones, licet eo ipſo quod maximæ ſint, includant cæteras, & uocentur loci, tamen quia ſunt notiſſimæ, poſſunt rebus dubijs eſſe argumenta. Iure igitur earum differentiæ loci nominantur. quod in locorum ſpeciebus aliter ſeſe habet, quæ prorſus argumēta eſſe non poſſunt. nam in ipſo loco uelut in ſpecies quaſdam diuiditur, in eos qui ſunt ex toto, ex partibus, ex nota, ex affectis. Vnuſquiſque enim horum locorum, primi loci integrum uidetur ferre uocabulum. Nam ut hominem animal dicimus, itemq; equum atque bouem animalia nuncupamus, ſic is locus qui ex toto eſt, in ipſo eſſe dicitur. itemq; qui ex partibus ac nota atque ex affectis in ipſo ſunt: ſed ex his argumenta quidem duci poſſibile eſt, ipſa uero argumenta ut ſint, fieri nequit. SED ad id totum, de quo differitur.] Poſt locorum bifariam diuiſionem, in ipſo ſcilicet de quo agitur, & extrinſecus poſitorum, partitus eſt eum locum, qui eſt in ipſo, in quatuor membra, id eſt à toto, à partium enumeratione, à nota, ab affectis. Nunc igitur antea quàm diuidat eum locum quem ab affectis eſſe propoſuit, ſuperiorum trium, quos in primo interim tractatu minime diuiſurus eſt, ſed indiuiduos relicturus, exempla ſupponit. Hi uero ſunt à toto, à partibus, à nota: ac de eo quidem loco qui eſt à toto, ita diſputat. Tum, inquit, dicimus à toto locum argumenti, quando totum illud quod in quæſtione poſitum eſt, definitione complectimur, quæ definitio rei dubiæ de qua agitur, facit fidem. Sed definitio omnis, ut ſuperius quoque dictum eſt, id quod nomine inuolute deſignatur, euoluit & explicat: atque ideo non tero minus qui in definitione ponitur, ſed quæ in ipſo ſunt, poſſunt argumentis præſtare materiam. Sunt autem in uno propriæ definitiones. Definitio enim eſt oratio ſubſtantiam uniuſcuiuſque ſignificans. quòd ſi ab unaquaque re propria ſubſtantia non recedit, ne definitio quidem recedit: eſt ergo definitio in ipſo termino de quo agitur, quæ definitio totum terminum neceſſe eſt comprehendat. neque enim partim ſubſtantia, ſed totius termini ſubſtantiam monſtrat. Sed quæſtionum ex ea definitione fides ſit rei dubiæ, trahitur ex definitione argumentum, quæ definitio in ipſo termino eſt, de quo agitur, & eius termini totum eſt. itaque argumentum quod à definitione ducitur, ab eo ducitur loco, qui in ipſo termino eſt, qui in quæſtione eſt collocatus. Sed quoniam multi loci ſunt in ipſo hic locus à toto eſt. Definitio enim totum terminum comprehendit, atque id quod inuolute nomine ſignificabatur, euoluit atque aperit: eius argumenti talis eſt formula. Ius ciuile eſt æquitas conſtituta his, qui eiuſdem ciuitatis ſunt ad res ſuas obtinēdas. eius autē æquitatis utilis eſt cognitio, utilis eſt ergo ius ciuilis ſciētia. Eſt enim quæſtio, an iuris ciuilis ſcientia ſit utilis: hic igitur ius ciuile ſupponitur, utilis ſcientia prædicatur.

Quæritur ergo, an id quod prædicatur, uere poſſit adhærere ſubiecto. Ipſum igitur ius ciuile non potero ad argumentum uocare, de eo enim quæſtio cōſtituta eſt. reſpicio igitur quid ei eſſet inſitum: uideo quòd omnis definitio ab eo non ſeiungitur cuius eſt definitio, ne à iure ciuili quidē propriam definitionem poſſe ſeiungi. Definio igitur ius ciuile, ac dico, Ius ciuile eſt æquitas conſtituta his, qui eiuſdem ciuitatis ſunt, ad res ſuas obtinēdas. poſt hæc conſidero, num hæc definitio reliquo termino utili ſcientiæ poſſit eſſe coniuncta, id eſt, an æquitas conſtituta his qui eiuſdem ciuitatis ſunt, ad res ſuas obtinendas, utilis ſcientia ſit: uideo eſſe utilem ſcientiam dictæ ſuperius æquitatis. Concludo itaque, iuris ciuilis ſcientia utilis eſt. Hoc igitur argumentum eſt ex eo loco, qui eſt in ipſo, hoc eſt, in iure ciuili, qui terminus in quæſtione eſt conſtitutus, hic uocatur à definitione, quæ definitio quæſtionum totum eſt, argumentū eſt à toto. Omnis autē locus à toto in ipſo eſt. Nec nos ulla dubitatio perturbet, quòd ius ciuile & rurſus ſcientia utilis. Quædā ſunt orationes quas ut terminos collocamus. Non enim omnis terminus ſimplici orationis parte profertur, ſed aliquoties orationes integræ in terminis cōſtituuntur. In hac igitur argumētatione maxima ac propoſitio per ſe nota eſt ea, per quā intelligimus omnia quæ definitioni alicuius cōiunguntur, ipſa quoque illis quorū definitio eſt, ex neceſſitate copulari. Sequitur enim, cū definitio iuris ciuilis utili ſcientiæ poſſit adiungi, tum quoque iuri ciuili utilem ſcientiam poſſe copulari. eſt igitur hoc argumentum tractum ab eo loco, qui eſt in ipſo. Omnis enim definitio in eo termino eſt, quem definit. Eorum autem locorum qui in ipſo ſunt, eſt à toto. Omnis enim definitio totum monſtrat atque aperit. Maxima propoſitio, quibus aliquorum definitio iungitur: eiſdem neceſſario ea, quæ definiūtur, aptantur. TVM partium enumeratio.] Sit quæſtio, utrū aliquis quem ſeruum eſſe conſtiterit, ſit liber. Faciēdi liberi tres ſunt partes. una quidē, ut cēſu liber ſit. cenſebātur enim antiquitus ſoli ciues Romani. Si quis ergo cōſentiēte uel iubente domino nomē detuliſſet in cenſum, ciuis Romanus fiebat, & ſeruitutis uinculo ſoluebatur: atque hoc erat cenſu fieri liberum, per cōſenſum domini, nomen incenſum deferre, & effici ciuem Romanum. Erat etiam pars altera adipiſcēdæ libertatis, quæ Vindicta uocabatur. uindicta uero eſt, uirgula quædam, quam lictor manumittendi ſerui capiti imponens, eundem ſeruum in libertatem uindicabat, dicens quædam uerba ſolennia, atque ideo illa uirgula uindicta uocabatur. Illa etiam pars faciendi liberi eſt, ſi quis ſuprema uoluntate in teſtamenti ſerie ſeruum ſuum liberum ſcripſerit. Quæ quæſtionum partes ſunt liberi faciendi, ſi quis aliquem quē ſeruum fuiſſe conſtiterit, monſtrare uelit non eſſe liberum factum, dicet, Si neque cenſu, neque uindicta, neque teſtamento liber factus eſt, non eſt liber. at nulla earum parte liber factus eſt: non eſt igitur liber. Si enim omnes partes à qualibet illa re abiunxeris, totum neceſſario ſeparaſti. Nam cum totum in ſuis partibus conſtet, ſi quid nulla cuiuslibet parte coniungitur, à toto etiam ſegregatur: partes autem duobus dicimus modis, uel ſpecies, uel membra. Species eſt, quæ nomen totius integrum capit, uelut homo atque equus animalis: utraque enim per ſe integro nomine animalia nuncupantur. Eſt enim homo animal, & rurſus equus animal. Item membra ſunt, quæ cum totum efficiant, coniuncta totius capiūt nomen, ſingula uero nullo modo: ut cum fundamentum, parietes & tecta domus membra ſint, ſimul omnia domus dicitur: fundamenta uero ſola domus uocabulo minime nuncupantur, neque parietes, neque tecta. In his igitur quæ ſpecies ſunt quæſtionum, nomen totus integrum capiunt, niſi ſigillatim omnes partes ab eo, de quo dubitatur, abiunxeris, non poſſis totum abeſſe monſtrare. Dictum eſt enim, unamquanque partem totius uocabulum integrum capere. Vt quoniam faciendi liberi tres ſunt ſpecies, cenſus, uindicta, teſtamentum, ſi quaslibet duas remoueris, una tamen permanſerit, liberum neceſſario confitebere. Siue enim cenſu tātum, ſiue uindicta, ſiue teſtamento ſit liber factus, liberum eſſe conſtat. Ergo in his niſi omnes ſpecies ſemoueris, non potes deſtruere, quod in quæſtione propoſitum eſt. At ſi affirmare uelis atque aſtruere, ſufficit tantum unamquamlibet ſpeciem demonſtrare, ut ſi uelis oſtendere liberum, ſat eſt ut monſtres aut uindicta, aut cēſu, teſtamento'ue liberum factum: quod ſi deſtruere uelis, nō ſufficit oſtendere, aut cenſu, aut uindicta, aut teſtamento liberū non eſſe factum, ſed nullo modo eorum modorum ad libertatem ueniſſe. Itaque in his partibus quæ ſpecies ſunt, ſi deſtruere uelis, cunctis utendum eſt: ſi aſtruere, una ſufficiat. At uero hæ partes quæ ſunt membra, contrario modo ſunt: ſi deſtruere uelis, ſat erit unam ſeiungas: ſi aſtruere, cuncta adeſſe neceſſario cōprobabis. Nā ſi uelis oſtendere non eſſe domum, ſufficit ut aut fundamenta non eſſe dicas, aut parietes, aut tecta. Nam quicquid horum defuerit, domus non poteſt appellari. At ſi uelis oſtendere domum eſſe, niſi cuncta in unum coniunxeris, id quod proponis, non ualebis aſtruere. Omnes uero hi loci à partium enumeratione ducuntur, quia in his partibus, quæ ſpecies ſunt, cunctæ partes enumerantur, ut deſtruas. Quomodo eſt igitur in propoſito Ciceronis exemplo, argumenti à partium enumeratione deducti? An is quem ſeruum eſſe conſtitit, liber ſit: is quē ſeruum fuiſſe conſtituit, ſubiectus eſt terminus, liber uero prædicatus? neutrum igitur eorum terminum ad argumentum ducere poterimus. de quibus enim non dubitatur, ipſi fidem dubitationi facere non poſſunt. uideo igitur quid in altero eorum ſit. Quoniam uero partes omnes in eo ſunt, cuius partes ſunt, quoniamq; libertas data habet proprias partes, ſumo eas atque dinumero, & requiro an ulla earum partium uideatur ineſſe ſubiecto: ſed nulla ineſt. concludam igitur, non eſſe liberum. Vnde manifeſtius demonſtratur, non ſolum ab eo termino qui ſubiectus eſt, argumētum ſumi poſſe, uerum etiam ab eo qui eſt prædicatus. Nam prius exemplum, quo demonſtrabat, iuris ciuilis ſcientiam eſſe utilem, ius ciuile, quod ſubiectum erat, definiunt, ductumq; inde argumentum rei dubiæ fecit fidem. Hic uero libertatis partes enumerātur, qui eſt terminus prædicatus. Eſt igitur, ut dictum eſt, quæſtio, An quem ſeruum eſſe conſtiterit, liber ſit? Terminus is quidem, quem ſeruum eſſe conſtiterit, ſubiectus eſt, prædicatus uero liber: in ipſo, id eſt, in prædicato partes ſunt quæ enumerantur: è qua enumeratione dum trahitur argumentum, fit argumentum in ipſo ex partium enumeratione. Maxima propoſitio, Cuius partium nihil rei propoſitæ copulatum eſt, ei ne totum quidem eſſe poteſt coniunctum. Hic uidetur eſſe dubitandum, num locus à toto atque à partibus idem ſit, cum omnes partes totum faciant, ſi coniungantur. Sed reſpondebitur, cum ſit argumentum ab enumeratione partium, totum diuiditur, non coniungitur. diuidendo enim argumentatio procedit. nam quiſquis partem cuiuslibet ſumpſerit, eo ipſo quis partem ſumpſerit, rem uidetur eſſe partitus. qui uero rem diuidit, diſſipat potius quàm conficit totum. Sed reſtare adhuc ambiguitas poteſt, num definitio quoque inuoluta nominis ſignificationem explicet, per quandam ſubſtantialium partium enumerationem. Enumeratio uero partium, quædam ipſarum à ſe partium diſſipatio eſt. Sed aliud eſt rei partes enumerare, aliud definitionis. Nam rei partes ea re cuius partes ſunt, ſemper minores ſunt: ut caput, uel thorax, uel cætera membra, toto homine. partes uero definitionis, tota re quæ definitur, ſi ſubſtantiales ſunt, probantur eſſe maiores, ut animal homine maius eſt. itemq; rationale mortale, eūdē hominē uelut maiora cōtinēt, & ſunt ſingula partes definitionis eius, quæ eſt animal rationale mortale. Partitio igitur ſumit partes rei quā partitur ſemper minores. Quæ uero ſumit definitio, uniuerſalia ſunt p ſe, totaq; et cōtinētia definiti, quāuis poſita in definitiōe partes ſiāt,

ut in

ut in his quæ ſuperius exempla propoſui, facile intelligi poteſt. Vnde manifeſtum eſt, locum à toto, qui definitionis eſt, & locũ à partium enumeratione, eſſe diuerſos. TVM notatio, cum ex ui uerbi, &c.] Tertius eorum, qui in ipſo ſunt, locus, à notatione eſt conſtitutus. Notatio eſt, quædam nominis interpretatio. Nomen uero ſemper in ipſo eſt. Vt enim definitio id quod in nomine inuolute declaratur, expedit atque diffundit: ita etiam nomen id, quod à definitione euolute dicitur, inuolute confuſeq́; deſignat. quòd ſi definitio in ipſo eſt, nomen quoque in ipſo eſſe, de quo agitur, non poteſt dubitari. Ex notatione autem locus uocatus eſt, quia nomẽ omnem rem notat atque ſignificat. Vindex igitur eſt, qui alterius cauſam ſuſcipit uindicãdam: ueluti quos nunc Procuratores uocamus. Lex igitur Aelia Sentia aſſiduo uindicem aſſiduum eſſe iubet. Quæritur, utrum cum lex Aelia Sentia uindicem uelit eſſe aſſiduo aſſiduum, locupletem uelit locupleti. Hic igitur ſubiectus quidem terminus eſt, lex Aelia Sentia uindicẽ uolens aſſiduo aſſiduum: prædicatus uero, locupletem locupleti. ipſos igitur terminos non potero ad fidem quæſtionis adducere. De ipſis enim, de quibus ambigitur, nulli effici fides poteſt. Quæro igitur, quid in ipſorum altero ſit. ac uideo unum eorum terminum eſſe legem Aeliam Sentiam, quæ aſſiduum aſſiduo uindicem eſſe decernat: id eſt, ſubiectum huius orationis interpretor partem, quæ eſt aſſiduus. quid enim eſt aſſiduus aliud, niſi aſſem dans? aſſem uero dare niſi locuples nõ poteſt. aſſiduus igitur locuples eſt. Cũ igitur lex Aelia Sentia aſſiduo uindicẽ aſſiduũ eſſe cõſtituat, locupletẽ iubet locupleti: aſſiduus quippe eſt locuples, à dãdo ære nominatus. Argumentũ igitur hoc tractum eſt ex eo loco, qui eſt in ipſo, id eſt, à nominis interpretatione. Nomen enim in ipſo illo eſt, cuius nomen eſt, cuius interpretatio Notatio nuncupatur. Sed ab huius interpretatione factum eſt argumentum. Igitur hoc argumentum ex eo loco eſt, qui eſt in ipſo, id eſt, à nomine, & eorum qui in ipſo ſunt notatione, id eſt, à nominis interpretatione. Maxima propoſitio eſt, interpretationem nominis idem ualere, quod nomẽ. Sed paulo confuſius à Cicerone dicta argumentatio, maximũ præſtat errorẽ. Ita enim dici oportuit, aſſiduus eſt, qui aſſem dat: qui uero aſſem dat, locuples eſt: aſſiduus igitur locuples eſt. Lex autem Aelia Sentia aſſiduum aſſiduo eſſe uindicem iubet, locupletem igitur locupleti uindicem eſſe præſcripſit. Quòd ſi ita dictum eſſet, apertior argumentatio fuiſſet. Tunc uero ita dixit, cum lex Aelia Sentia aſſiduo uindicem aſſiduum eſſe iubeat, locupletem iubet locupleti, &c. Subiunxit, ut oſtenderetur locuples eſſe aſſiduus. hoc autem tantundem ualet, quod ait, legem Aeliam Sentiam aſſiduo aſſiduum uindicem cum iuberet eſſe, locupletem locupleti eſſe præcepiſſe: tanquam ſi diceret, Qui aſſiduus eſt, locuples eſt. Niſi enim is qui aſſiduus eſt, locuples ſit, non conſequitur, ut cum lex Aelia Sentia aſſiduum aſſiduo uindicem eſſe iuſſerit, locupleti: & argumenti concluſionem priorem poſuit, ſubiecti uero probationem. Concluſio nanque eſt, cum lex Aelia Sentia aſſiduum aſſiduo uindicem uelit eſſe, locupletem iubet locupleti: atque hanc præmiſit. probatio uero eſt, aſſiduum eſſe locupletem, ab ære dando nominatum. hanc intulit concluſioni, Reſtat is locus eorum qui in ipſo ſunt, qui ducitur ab effectis. Cuius expoſitionem, quoniam uaria eſt multiplexq́; eius diuiſio, differamus, ac primi uoluminis terminum hucuſque ſiſtamus.

EIVSDEM BOETII IN TOPICA CICERONIS COMMENTARIVS II.

IN tam difficillimi operis curſu non ſum neſcius, mi Patrici, quin labor hic noſter, quem te adhortante ſuſcepimus, dum iudicio multitudinis imperitæ aut eleuatur, aut premitur, facile uarijs reprehenſionibus mordeatur. Nam & illi, quibus hoc totum diſſerendi diſplicet genus, uelut ſuperuacaneum ſtudium familiari prauis mentibus cauillatione deſpiciunt, & qui maximum huius ſcientiæ fructum putant, ſua cæteros ſegnitie metientes, tanto nos operi pares eſſe non exiſtimant. quorum quidem priores, ſi non inuidia laboris alieni æſtimationem premunt, ſed reprehenſionis iudicio quoque conſentiunt, nullo modo ferendos eſſe puto. Multoq́; in me libentius detorſerim prauæ opinionis inuidiã, ac noſtris eos diffidere uiribus facillime patiar, potius quàm tantæ diſciplinæ calcare rationem. Sed prò diuinam atque humanam fidẽ, quæ eſt hæc hominum prauitas, quæ tanta eſt imprudentiæ cæcitas, ut penè ſua ſeſe ipſi confeſſione condemnent? Nullus eſt enim qui ſe uideri nolit peritiſſimum diſſerendi, quin etiã obiectare ipſi aliquid & reſoluere obiecta conantur: & ſi facile id factu eſſet, cuncti ad ſcientiam logicæ diſciplinæ, uelut ad cõmunia quædam ſapientiæ lucra concurrerent. Iam uero quid abſurdum fingi poteſt; quàm quòd probabilibus, ut ipſi exiſtimant, argumentis inutile ſtudium dialecticæ nituntur aſtruere. Quid enim conuenit diſſerendi artem diſſerendo peruertere? ut cuius affectes opinionem, eiuſdem deſpicias ueritatem. Sed ut cantor ille diſcipulũ ſibi ac muſis canere iubebat, ita & ego quoque mihi ac tibi, non muſæ, ſed tanquam muſarũ præſidi cecinerim, atque id quod multo labore ſtudioq́; collegi, non rhetorica tantum facultate, uerum dialectica etiam ſubtilitate depromam. Quæ uero ſequuntur, huiuſmodi ſunt. DVCVNTVR etiam argumenta ex ijs rebus.] Poſtquã locos eos ex quibus argumenta ducuntur, gemina partitione diſtribuit, alios in ipſo de quo agitur, hærere dicendo, alios extrinſecus aſſumi: eumq́; locum qui in ipſo de quo agitur hæret, in quatuor ſpecies ſecuit, id eſt, à toto, à partibus, à nota, ab affectis: ſuperioribus quidem tribus exempla ſubiecit, quæ nos primo uolumine quantum diligenter fieri potuit, explicauimus. Reſtat is locus quem poſuit quartum, id eſt, ab affectis. huius cum multæ ſint ſpecies, integri atque indiuiſi proponi nõ potuit exemplum. Nam quorum facienda partitio eſt, melius per ſingula membra diſpoſitis aperiuntur exemplis. Hunc igitur locum diuidit hoc modo. Locus qui ex affectis eſt, partim ex coniugatis, partim ex genere, partim ex forma deſcendit: ex ſimilitudine etiam, uel ex differentia, uel ex contrario, necnon ex coniunctis, ex antecedentibus, & conſequentibus, & repugnantibus, ex cauſis etiam, atque ex affectis cauſarum, & ex comparatione maiorum aut parium uel minorũ, quæ omnia Tullius paulo poſt conuenientibus rerum ſimilitudinibus illuſtrat. Nunc illud nobis dicendum eſt, quæ ſit affectorum natura, & quid habeant proprietatis. Sunt enim affecta, quæ quodammodo ad aliquid referri poſſunt, ad id, ad quod referuntur. Omnia uero quæ ſe aliqua relatione reſpiciunt, aut amica inter ſe, aut diſſidentia conferuntur. Si amica, uel ſubſtantialiter, ut genus, forma, antecedentia, cõſequentia, cauſa: effectus, uel in qualitate, ut coniugatũ, ſimile, cõiunctũ: uel in quantitate, ut paria. Quæ uero ſibi diſſidẽtia cõferuntur, partim à ſe differẽtia ſunt tantũ, partim aduerſa: ſed aduerſa partim in qualitate, ut contraria uel repugnantia: partim in quãtitate, ut maius aut minus. Quæ cum ita ſint, manifeſtum eſt, & amica ſibi cognationis relatione cõiungi, & diſſidentia hoc ipſo quod ſibi aduerſa ſint, ad ſe inuicem comparari. Nã quæ amica ſunt, amicis amica ſunt, & diſſidẽtia à diſſidentibus diſſident. Ita igitur & genus formæ genus eſt, & forma generis forma, & antecedentia conſequentiũ, & conſequentia antecedentium: & cauſa effectuum cauſa, & effectus cauſarũ effectus: et coniugata, coniugatis coniugata ſunt: & ſimile, ſimili ſimile: & coniunctũ, coniuncto coniunctum: & paria, paribus paria: & differẽtia, differentibus differentia: & maiora, maioribus maiora: & minora, minoribus minora ſunt, et cõ

traria, contrarijs contraria, & repugnantia, repugnantibus repugnantia ſunt. Affecta igitur ſunt, quæ cum à ſe inuicem diuerſa, ad ſe inuicem tamen referuntur. Sed quo ordine Tullius ſuperius deſcripſit locos, nos definitiones omnibus apponemus. Eorum igitur quæ ad ſe inuicem affecta dicuntur, in M. Tullij diſputatione prima ſunt coniugata: ſed coniugata uoco, quæcunque ab uno nomine uaria prolatione flectuntur, ut à iuſtitia iuſtus, iuſtum, iuſte. Hæc inter ſe, cumq; ipſa iuſtitia, unde eorum uocabulum fluxit, coniugata dicuntur. Genus uero, quod de multis ſpecie differentibus in eo quod quid eſt, prædicatur: uelut animal dicitur de homine atque equo, quæ ſpecie differunt, & in eo quod quid ſit prædicatur. Interrogantibus enim nobis quid ſit homo uel equus, reſpondetur, animal. Quod genus licet neceſſe ſit ab eo eſſe diuerſum, cuius genus eſt, cognatum eſt ei tamen, quia ad id ſubſtantiæ relatione coniungitur. Species etiam eſt, de qua genus ſuperius prædicatur, quam Cicero formam uocauit, uelut homo animalis. Similitudo eſt, unitas qualitatis. Nam duo quæ ſibi ſunt ſimilia, eandem neceſſe eſt habere qualitatem: & quoniam ipſum ſibi ſimile eſſe nihil poteſt, aliud neceſſe eſt ſimile conſideretur. Sed aliud eſſe non poterit, niſi fuerit in aliqua parte diuerſum. Ergo ſimilia à ſe in alia quidem re diuerſa ſunt, in alia uero congruunt. In ea uero re quæ ſecundum qualitatem congruunt, in ea eſſe ſimilia intelliguntur, quæ ad ſe ſimilitudinis ipſius copulatione referuntur. Differentia eſt, qua unumquodque differt ab alio, ut homo ab equo rationabilitatis differentia diſcrepat. Hæc igitur prædicatione quidem propria natura ad ea refertur, quorum eſt differentia, ut rationabilitas ad hominem. Diſſimilitudinis uero ratione, ad ea quibus diſcrepat id cuius eſt differentia, ut rationabilitas ad bouẽ. Contraria uero ſunt, quæ in eodem poſita genere, longiſſime à ſe diſcrepant, ut albũ atque nigrum: quæ licet in uno qualitatis genere ponantur, à ſe tamen quàm longiſſime recedunt, ea quoque ad ſe referri nullus ignorat. Aliud eſt enim quod ſunt, aliud quod contraria ſunt. Quod enim nigrum eſt, quale eſt, quod uero contrarium eſt, ab albo plurimum diſcrepans eſt. Coniuncta uero ſunt, quæ unicuique rei finitimam naturam tenent, uelut timori pallor adiunctus eſt. Hæc talia ſunt, ut ſæpius quidem adiunctis ſibi cohæreſcant, neque tamen ex neceſſitate his quibus uicina ſunt, adeſſe cogantur. Nam ſæpe timori pallor aſſiſtit, non tamen ſemper, ueluti cum diſſimulatione premitur metus. atque ideo ueriſimilia ex adiunctis argumenta naſcuntur. Nam quæcunque coniuncta ſunt, ea his quibus adhærent indicio eſſe ſolent. Sed de his in poſteriore diſputatione diligentius diſſeram. Antecedentia uero ſunt, quibus poſitis aliud neceſſe eſt conſequatur: ut, quia bellũ eſt, eſſe inimicitias. Hæc ordinis neceſſitatem tenent. Conſequentia enim ab antecedentibus ſeperari non queunt: conſequens uero eſt, quidquid id quod antecedit, inſequitur: ut inimicitiæ bellum conſequuntur. Nam ſi bellum eſt, inimicitias eſſe neceſſe eſt, habetq; locus hic illud notabile & ſpectandum, quòd ſæpe quæ naturaliter priora ſunt, tamen ipſa ſunt conſequentia. Sæpe & naturaliter antecedunt & in propoſitione priora ſunt. Nanque inimicitiæ prius exiſtere, quàm bella ſolent. Sed non poſſumus proponere inimicitias, ut bellum ſequatur. Non enim poſſumus uere dicere, ſi inimicitiæ ſunt, bellum eſt: ſed præponimus bellum, & inimicitiæ quæ natura priores ſunt ſubſequuntur: ita, ſi bellum eſt, inimicitiæ ſunt. Nunc igitur inimicitiæ, quæ naturaliter bellum præcedunt, eadem bella in propoſitione comitantur. At ſi dicam, ſi ſuperbus eſt, odioſus eſt: ſuperbia et naturaliter & in propoſitione odium præcedit: prius enim ſuperbia conſueuit exiſtere, poſt uero atque ex eadem ſuperbia ueniens odium ſequi. Nec intereſt, utrum naturaliter quælibet res antecedat aliquando, an uero conſequatur, dum id in propoſitione annotemus eam eſſe rem antecedentem, quæ ſiue naturaliter prior ſit, ſiue poſterior, alteram tamen rem ſecum neceſſario trahat. Repugnantia uero intelliguntur, quotiens id quod alicui contrariorum naturaliter iunctum eſt, reliquo contrario comparatur: ut quoniam amicitia atque inimicitiæ contraria ſunt, inimicitias uero conſequitur nocẽdi uoluntas, amicitia & nocendi uoluntas repugnantia ſunt, hæc quoque ad ſe contrarietatis ſimilitudine referuntur. Cauſa eſt, qua præcedente aliud efficitur: ut cauſa diei eſt ſolis ortus. Effectum eſt, quod præcedens cauſa perficit, ut dies quem ſolis ortus emittit. Maiorum uero comparatio eſt, quoties ei quod minus eſt, id quod maius eſt comparatur: ut ſi nemo innocens pelli in exilium debet, multo magis ne Tullius quidem, qui non innocens ſolum, uerum etiam & patriæ fuit liberator: plus eſt enim patriæ eſſe liberatorem, quàm innocẽtem. Parium uero, quotiens inter ſe paria comparantur: ut ſi hic ciuis innocens pelli in exilium non debet, quia innocens eſt, nec ille quidem qui eſt innocens carere patria iuſte poteſt. Minorum uero, quotiens minora maioribus conferuntur: ut ſi Ciceronem liberatorem patriæ præmio nemo dignum putarit, nemo eum putet præmio dignum qui cum tantum innocens fuerit, nulla in remp. contulit merita. Hæc itaque omnia cognata ſibi eſſe, & ad ſe referri inuicem, & ſe uelut è regione reſpicere, nullus ignorat. Nam ut de cognatis primum loquamur, et iuſtitia ad id quod iuſtum, uel id quod iuſte fieri poteſt ſpectat, & eum qui iuſtus eſt perficit. Cætera quoque habent ad ſe non modo uocabuli cognationem, uerum etiam cuiuſdam naturæ congruentiam, ita tamen ut à ſe diuerſa ſint. Neque idem eſt iuſtitia quod iuſtus. Omne enim quidquid ab aliquo inflectitur, eſt diuerſum eidemq; cognatum, à quo etiam probatur inflexum. Genus etiam cognatum eſſe ei cuius genus eſt, id eſt, ſpeciei, quã Cicero formam uocauit, dubium nõ eſt. Genus enim ſpeciei genus eſt, & ſpecies generis ſpecies: itaque ad ſe inuicem referuntur, licet idem genus ac ſpecies non ſint. Illud ſanè uidendum eſt, quoniam quas nos ſpecies nuncupamus, eas Cicero formas uocat. Cui quidem dum quod dicit intelligam, concedam libẽter, quibus uoluerit uti nominibus: mihi uero non idem concedi poteſt. Nam qui explanationis lucem profeſſus eſt, in his uerbis debet quæ ſunt in uſu poſita uerſari. Id autẽ quod ſupponitur generi, ut ſpecies quàm forma potius nuncupetur, uſus obtinuit. Iam uero ſimile, niſi ſimili ſimile eſſe non poteſt: & quod differt, niſi à diſſimili differre nõ poteſt. Contraria etiã contrarijs intelliguntur eſſe contraria, coniuncta etiam coniunctis adhæreſcunt, et quæ ſunt antecedentia aliquid quod poteſt conſequi antecedunt. Id etiam quod eſt conſequens, illud quod anteceſſit inſequitur. Omne etiam repugnans, repugnanti ſibimet intelligitur inimicum. Cauſa etiã effectus ſui cauſa eſt. Quod enim quæuis cauſa efficit, eius rei quam efficit cauſa eſt: effectus quoque cauſa, alicuius effectus eſt. Comparatio uero maiora reſpicit, minorum uero maiora, parium paria, atque in omnibus ea natura eſſe deprehenditur: ut cum per ſe res quædam ſint diuerſa ab his ad quæ referuntur, affecta tamen eſſe dum comparãtur appareant. Diuerſa uero eſſe ab his ad quæ referantur, illa res approbat, quoniam nihil ad ſe ipſum referri poteſt. Quæ cum ita ſint, iure affecta ſunt nuncupata: quæ omnia eius loci qui ex affectis ducitur ſpecies uel formæ ſunt, ipſo etiam teſtante Cicerone, qui ait. Sed hoc genus in plures partes diſtributum eſt. Cum enim genus dixit, quas ſcindit à genere ſpecies eſſe ſignauit. Præterea omnia hæc & nomen generis ſuſcipiunt, & definitionem. Affecta enim ſunt ad aliquid, quæ ad id ad quod affecta ſunt referri queunt: coniugata uero, & genus, & forma, & cætera, ad ea ſemper ad quæ ſunt affecta referuntur. Sed ut in ſuperioribus locis dictum eſt, qui in ipſo de quo agitur hærebant, id eſt, ex toto, ex partibus, ex

bus, ex nota, ut ex toto eo intelligeretur termino qui fuiſſet in quæſtione propoſitus, itemq; ex eius partibus atque ex eius nota. Eodem modo etiam in his quæ affecta ſunt, dicemus ad eũ terminum affecta conſiderari, qui ſubiecti uel prædicati loco poſitus continet quæſtionem. Supereſt nunc illud dicere, cur quæ affecta ſunt, in ipſo de quo agitur eſſe dicantur. Etenim in ipſo de quo agitur termino, quatuor locos eſſe ſignauit Cicero, id eſt, ex toto, ex partibus, ex nota, ex affectis. Quorum tria quidem ſuperiora manifeſtũ eſt in eo hærere, de quo agitur, termino. Definitio enim cuiuslibet rei quod totum eſt, in illo ipſo eſt quod definit. Partes etiam in illo ipſo ſunt, quod collectione coniungunt. Nota etiam in illo eſt, quod appellatione ſignat: affecta uero extrinſecus poſita uidentur, quippe quæ referuntur ad id ad quod affecta ſunt: quæ non referrentur, niſi extrinſecus poſita intelligerentur. Cur igitur ea etiam quæ affecta ſunt ad id de quo agitur, inter eos numerauit locos, qui ipſi de quo quæritur termino cohærent, dicendum eſt. Quoniam id quod adhærere dicitur, non idem eſt ei cui adhærere prædicatur. Quæ cum diuerſa ſint, cognatione tamen quadam intelliguntur eſſe coniuncta, ueluti non idem eſt definitio, quod ipſa res quæ definitione deſcribitur. Si enim definitio clarius efficit id quod definit, nihil uero ipſum ſeſe clarius quàm eſt efficere poteſt, manifeſtum eſt id quod definitur à definitione eſſe diuerſum. Sed idcirco hærere definitionem in eo, quod definitur dicimus, quòd eſt ei cognata atque coniuncta. Quippe quæ dum eius proprietatem ſignificet, ab eius ſubſtantia non recedit. Partes etiam ac notæ diuerſa ſunt ab eo quòd uel copulant, uel deſignant. ſed quia illæ propoſitum terminum iungunt, illæ ſignant, habentes aliquam cum propoſito termino cognationem, in ipſo de quo agitur hærere perhibentur. Ita etiam in affectis licet extrinſecus ſint: neque idẽ ſint quod ea ſunt, ad quæ intelliguntur affecta, neceſſario tamen quia aliquam cognationem cum his habere cõſiderantur, in ipſis hærere dicuntur ad quæ affecta ſunt. Qui uero eorum naturalis ordo ſit, uel quæ differentia, uel quæ ſit alia locorũ partitio, licet in Topicis differentijs opportunius expediendum ſit, tamen cum exempla Ciceronis quæ in his explicandis attulit expoſuero, ſubiungam. CONIVGATA dicuntur, quæ ſunt ex uerbis generis eiuſdem.] Definitio coniugatorum à Cicerone prolata talis eſt. Coniugata dicuntur, quæ ſunt ex uerbis generis eiuſdem, id eſt, quæ ab uno uerbo uarijs inflectũtur modis. Ex eodem quippe genere uerba ſunt, Iuſtitia, iuſtus, iuſte, iuſtũ, & quæcunque alia in diuerſas poſſunt uocabulorum ſpecies inflecti. Quæcunque enim ab uno quolibet orta uarie commutantur, hæc à Græcis quidem συζυγίαι dicuntur, apud Latinos uero coniuga. Nam quod Græci συζυγίας dicunt, nos coniugationem appellamus. Hæc autẽ ſunt, ut ſapiens, ſapienter, ſapientia, quæcunque in uarias partes orationis uariaſq; inflexiones ab uno quodam ducta cernũtur. Ex coniugatis igitur argumenti naſcentis hoc exemplum eſt. Sit enim dubitabile, an in aliquo agro mihi atque uicino ſimul paſcere liceat pecus. Id autem eſt, an ius ſit compaſcere: ſubiectum igitur eſt ager, compaſcere uero prædicatum. faciemus igitur argumentum hoc modo. hic de quo quæritur compaſcuus eſt: in compaſcuo autem licet compaſcere: in hoc igitur agro licet compaſcere. Hic igitur compaſcendi iuris argumentum ex compaſcuo ſumptum eſt, ex coniugato uidelicet. Compaſcere enim & compaſcum coniugata ſunt. Sumptum uero eſt argumentum, ius eſſe compaſcere, quoniam ſit ager compaſcuus: ſed coniugatum eſt compaſcuum ei quod eſt compaſcere. A' coniugatis igitur ſumptum eſt argumentum, quod coniugatum in ipſo eſt de quo agitur, id eſt, in eõ paſcendo. Omnia enim ex eodem fluunt, & ſibi ſunt continentia, atque ſe reſpicientia. Factum eſt igitur argumentum ex eo quod eſt in ipſo ab effectis, id eſt, à coniugatis. Maxima uero propoſitio coniugatorum in eo quod coniugata ſunt. Vnã atque eandem eſſe naturam: uel ſic, Cui conuenit aliquid, huic etiam coniugatum eius poſſe ſociari. A' GENERE ſic ducitur.] Genus eſt, quod de qualibet ſpecie in eo quod quid eſt prædicatur. In eo autem quod quid eſt prædicari dicitur, quod de qualibet ſpecie interrogantibus quid ſit id, reſponderi conuenit, & eius de qua reſpondetur ſpeciei ſubſtantiam monſtrat. Semper uero genus propria ſpecie maius eſt, eamq; intra ambitum ſuæ prædicationis includit. Quo fit, ut quamuis in alia quoque diſpartiri genus poſſit, ſpeciem tamen ſuam nullo modo derelinquat: uelut animal prædicatur quidem de homine, & hominis ſubſtantiam monſtrat. Interrogãtibus enim nobis quid eſt homo, animal reſpondetur. Idem tamen deduci in alia poteſt: uelut in equum atque bouem, quæ animalia nuncupantur. Sed ita deducitur in diuerſa, ut unãquanque earum ſpeciem quas continet non relinquat. Vbicũque enim fuerit homo, neceſſe eſt ut ſit animal: homo enim animal eſt, idemq; de boue, ac de cæteris. Ergo liquido demonſtratum eſt, nomen generis à ſpecie nullo modo ſeparari. Quod ſi aliquando generis uocabulum uniuerſaliter enuncietur, neceſſe eſt omneis ſpecies deſignari: ut ſi quis dicat omne animal, & hominem deſignabis & bouem, & cæteras omnes ſpecies ſub animalis nomine collocatas. Quæ cum ita ſint, quidam teſtamento mulieri argentum omne legauerat: quæritur, an ei etiam numerata pecunia ſit legata? numerata igitur pecunia in hac quæſtione ſubiectum eſt, legata uero prædicatum. Conſidero igitur in alterutro eorũ quid nã inſit, ut ex eo quod in ipſo eſt, aliquod argumentũ requiram: uideo ſubiectum terminum, qui eſt, numerata pecunia, habere argentum genus, quod ſcilicet affectum eſt ad ſpeciem ſuam, ad quam refertur. Quæ enim ad ſe inuicem referuntur, affecta ſunt: ergo quoniam argentum omne legatum eſt, & genus ſpeciem propriam non relinquit, neceſſe eſt ut numerata quoque pecunia ſit legata. Nam cum omne nomen generis legatum ſit, nihil de ſpeciebus uidetur exceptum, uelut ſi quis dicat omne animal uiuere, nõ, ut arbitror, hominem tantum, uel bouem; uel equum, uel ſigillatim cætera, uel unum, uel plura uiuere dicit, ut tamen alia quæ cum ſint animalia, uitæ munere carere contendat, ſed omne prorſus quidquid fuerit animal, uiuere proponit. Cum igitur omne genus, id eſt, omne argentum legatum ſit, nulla ſpecies excipitur. At numerata pecunia argentum eſt: ſit igitur, ut numerata quoque pecunia legati uocabulo poſſit includi. Eſt igitur quæſtio quidem, ut dictum eſt, an numerata pecunia legata ſit, argumentum ab eo quod in ipſo eſt, id eſt à genere, quod ineſt propriæ ſpeciei: quod ita ineſt, ut ad id referatur: hoc autem eſt argentum, ab effectis uero à genere: prædicatur enim ut genus, argentum de numerata pecunia. Interrogantibus enim nos, quid ſit numerata pecunia, iure reſpondemus, argentum. Maxima propoſitio eſt, Cui conuenit omne genus, eidem unamquanque ſpeciem conuenire. Quam Marcus quoque Tullius diuerſis quidem uerbis, ſed eadem ſignificatione propoſuit, dicens. Forma enim à genere, quoad ſuum nomen retinet, nunquam ſeiungitur. A' FORMA generis.] Species eſt, quæ proprijs differẽtijs informata ſub prædicatione generis collocatur. Differentiæ uero propriæ à cæteris eam ſpeciebus ſeparant atque ſeiungunt, uelut homo cum ſit animalis ſpecies, differentijs informatur, rationabilitatis atq; mortalitatis: et ſeiungitur ab his animalibus quæ æterna ſunt, uelut ſol à Platonicis creditur, & ab his animalibus quæ ſunt rationis expertia. Cum igitur omnes ſpecies inter ſe proprijs differentijs diſtent, neceſſe eſt quod de altera ſpecialiter dicitur, id in animalia non poſſe transferri: uelut quod de homine dicitur ſpecialiter, idem de equo atque boue non poſſit intelligi.

Dicitur antem de ſpecie, quoties genus ipſum uelut in quandam contrahitur portionem: uelut ſi quis dicat, illud animal ſibi adduci debere, quod ſit rationale & mortale. Non utique de equo uel boue aut de cæteris, niſi tantum de homine, dictum eſſe intelligitur. Vt igitur generaliter dictum genus omnis ſpecies claudit, cum quis dicit omne animal, ſic quodlibet animal deſignatum ſpeciem facit. Quæ cum ita ſint, à forma generis, id eſt, à ſpecie generis tale fit argumentum: quam formam generis Cicero partem ſæpe nominat, quo id quod dicitur planius fiat. Notius enim nomem partis eſt, quàm formæ. quo autem diſtet forma à partibus, & nos ſtrictim ſuperius diximus, & paulo poſt à Cicerone ipſo latius explicabitur. Nũc de propoſito uideamus exemplo. Vxoris ſpecies ſunt duæ, una matrũfamilias, altera uſu, ſed communi generis nomine uxores uocantur: fit uero id ſæpe, ut ſpecies eiſdem nominibus nuncupẽtur, quibus & genera. Materfamilias uero eſſe non poterat, niſi quæ conueniſſet in manum. hæc autem certa erat ſpecies nuptiarum. Tribus enim modis uxor habebatur, uſu, farre, coemptione: ſed confarreatio ſolis pontificibus conueniebat. Quæ autem in manum per coemptionem conuenerant, hæ matresfamilias uocabantur: quæ uero uſu uel farre, minime. Coemptio uero certis ſolẽnitatibus peragebatur, et ſeſe in coemẽdo inuicẽ interrogabant: uir ita, an ſibi mulier materfamilias eſſe uellet: illa reſpondebat uelle. Item mulier interrogabat, an uir ſibi paterfamilias eſſe uellet: ille reſpondebat uelle. Itaque mulier uiri conueniebat in manum, & uocabantur hæ nnptiæ per coemptionem, & erat mulier materfamilias uiro loco filiæ. Quam ſolemnitatem in ſuis inſtitutis Vlpianus exponit. Quidam igitur extremo iudicio omne Fabiæ uxori legauit argentum, ſiquidem Fabia ei non uxor tantum, uerum etiã certa ſpecies uxoris, id eſt, materfamilias eſſet, quæritur an uxori Fabiæ legatum ſit argentum. Vxor Fabia ſubiectum eſt, legatum argentum prædicatum. Quæro igitur quod nam ex his argumentum ſumere poſſim quæ in quæſtione ſunt poſita: ac uideo uxori duas ineſſe formas, quarum una tantum uxor eſt, altera materfamilias, quæ in manum conuentione perficitur: quod ſi Fabia in manum non conuenit, nec materfamilias fuit, id eſt, non fuit ea ſpecies uxoris, cui argentum omne legatum. Quocirca quoniam id quod de alia ſpecie dicitur, in aliam dici non conuenit, cumq; Fabia præter eam ſpeciem ſit quæ in manum conuenerit, id eſt, quæ materfamilias ſit. & uir matrifamilias legauerit argentum, non uidetur Fabiæ eſſe legatum: quæſtio igitur, ut dictum eſt, an uxori Fabiæ omne argentum legatum ſit: ſubiectum uxor Fabia, prædicatum uero legatum argentum. argumentum ab eo quod in ipſo eſt, de quo quæritur, id eſt, ab eo quod eſt in uxore de qua quæritur. Eſt autem in uxore de qua quæritur, ſpecies uxoris, ea ſcilicet quæ in manum non conuenit, quæ ad eam affecta eſt. Omnis enim ſpecies ad ſuum genus refertur, id eſt, omnis forma. Factum eſt igitur argumentum ab eo quod eſt in ipſo ab affectis forma generis. Maxima propoſitio eſt, Quod de una ſpecie dicitur idem in alteram non conuenire. A' SIMILITVDINE, hoc modo.] Similia dicuntur, quæ eiuſdem ſunt qualitatis, ex quibus hoc modo ſumitur argumentũ. Quidam teſtamento ædium uſumfructum legauit, id eſt conceſſit ædes, ut ijs alius dum uiueret uteretur. hæ cœperunt uel uitium facere, id eſt, ruinam minari, uel etiam corruerunt. Petit igitur ab hærede is cui ædium uſusfructus legatus eſt, ut earum ſibi ædium quæ à teſtatore legatæ ſunt, damna compẽſet, et ædes quæ uitium fecerunt uel corruerunt reſtituat. Quæritur, an earum ædium quarum uſusfructus legatus ſit, uitium uel ruinam hæres reſtituere cogatur. Hic igitur ſubiecta quidẽ oratio eſt, uelut quidam terminus ædium, quarum uſusfructus legatus ſit, ruina uel uitium. Prædicata uero oratio loco termini conſtituta, ab hærede reſtitutio. Sumo igitur à ſimili argumentum, hoc modo. quoniam ſi quis ſerui uſumfructum legauerit, iiq; ſeruus aliquo modo deperierit, non cogitur reſtituere hæres ſeruum. Ne nunc quidem cogetur hæres reſtituere ædes, quæ in uſumfructum legatæ, ruinam uitium'ue fecerũt. Similis eſt enim ſerui uſusfructus legatio, ædium uſusfructus legationi. ſimile etiam ſeruum in uſumfructum legatum ſi deperierit, ab hærede non reſtitui, & ædium in uſumfructum legatarum uitium ruinam'ue ab hærede non refici. Eſt igitur quæſtio quidem, an ædium in uſumfructum legatarum uitium uel ruinam hæres reſtituere cogatur. Termini uero, ſubiectus quidem, ædium in uſumfructum legatarum uitium uel ruinã: prædicatus autem, ab hærede reſtitutio. Argumentum uero ab eo quod in ipſo eſt, id eſt, ab eo quod ineſt uel ruinæ, uel uitio ædium in uſumfructum legatarum. Id autem eſt affectum, id eſt, ſimilitudo. Omnis enim ſimilitudo ei ineſſe perpenditur quod eſt ſimile. Similitudo uero eſt ſerui uſusfructus legati pereuntis, quem reſtituere hæres non cogitur. Maxima uero propoſitio, Similibus rebus eadem conuenire. A' DIFFERENTIA.] In rebus plurimum differentibus quod de altera earum dicitur, non uidetur in alteram conuenire. Id cum ita ſit, quidam argentum ſuum omne legauit uxori. Illa pecuniam quoque quæ in nominibus debebatur, ſuam eſſe dicebat, quòd omnis pecunia nomine uocaretur argenti: quæritur, an id quoque argentum quod in nominibus debebatur, legatũ ſit: hic igitur ſubiectus eſt terminus argentum quod in nominibus debetur, legatum uero prædicatus. A' differentia igitur faciemus argumentationem, hoc modo. Idem de plurimum differentibus rebus intelligi non poteſt. Plurimum uero differt, argentum in arca'ne ſit poſitum, an in nominibus debeatur. Nã quæ poſita in arca pecunia eſt, iuris eſt noſtri. In nominibus uero debita, non eſt noſtra. Nam quod mutuum datur, ex meo fit accipientis: atque ideo non cogitur eandem ipſam pecuniam debitor reſtituere creditori, ſed aliam tantam. In arca uero poſita pecunia, & in nominibus debita, non ſunt argenti uel pecuniæ ſpecies, ſed differentiæ. nam argenti ſpecies ſignatum ac non ſignatum eſſe dicta ſunt: qualitas uero pecuniæ in poſſeſſione poſitæ uel non poſitæ, ſed non modis omnibus alienæ: in his differentijs conſtat, ut alia ſit in arca poſita, reliqua in nominibus debeatur. atque hoc idcirco dictum eſt, ne quis non à differentijs, ſed à ſpecie argumentationem ductam putaret: qualitas enim ſubſtantialis, non ſpeciebus, ſed differentijs annumeratur. Cum igitur ſuum omne quod fuerit argentum uir uxori legauerit, cumq; manifeſtum ſit, id ad eam pertinere quod fuerit ſuum legantis, id eſt, quod in arca fuerit conditũ, non poteſt intelligi de eo quod in nominibus debebatur. Quoniam, ſicut dictum eſt, id quod in nominibus debeatur, ab eo quod in arca poſitum eſt plurimum differt. Facta eſt igitur argumentatio ab eo quod in ipſo inerat, de quo quærebatur: quærebatur uero de argento in nominibus debito. In hoc uero inerat propria differentia, qua ab alio differebat, argento eo ſcilicet, quod in arca poſitum fuerat. Id uero eſt affectum, id eſt à differentia. Maxima uero propoſitio, De rebus plurimũ differentibus idem intelligi non poſſe. EX contrario autem ſic.] Quod de aliqua re dicitur, id in eius contrarium nõ poteſt conuenire. Idem enim de duobus contrarijs intelligi nullo modo poteſt. Quidam igitur ſupremæ uoluntatis arbitrio uxori bonorum ſuorum uſumfructum legauit: mulier igitur cellas uinarias oleariasq; plenas ad uſumfructum proprium deuocabat: quæritur, an penus quoque uſusfructus legatus ſit. penus igitur ſubiectus eſt, legatio prædicatum. à contrario igitur ſumitur argumentum hoc modo: utimur his, quæ nobis utentibus permanent: his uero abutimur, quæ nobis utentibus pereũt: ergo cum permanere ac perire contraria ſint, uſus quoque atq;

abuſus

abuſus contraria neceſſe eſt iudicentur. quòd ſi cætera quidē utendo permanent, cellæ autem uinariæ atque oleariæ utendo conſumuntur, aliarum quidem rerum uſusfructus eſſe poteſt, penus uero non poteſt uſui eſſe, ſed potius abuſus. ergo cum uir uxori uſumfructum bonorum legauerit, non potuit legare contrarium, quod eſt abuſus, eſt uero abuſus uini atque olei. uinum igitur atque oleum ad uſumfructum mulieris non poteſt pertinere. Argumentum ab eo quod in ipſo eſt de quo agitur, id eſt, ab uſusfructus legatione, atque ab effecto, id eſt contrario: contraria uero in contrarijs non ita ſunt tanquam definitio in eo quod definitur, ſed tanquam relatio. Omnis enim relatio in relatiuis, omniaq; contraria non id quod ſunt, id eſt qualitates, ſed hoc ipſum quod contraria ſunt, in contrarijs eſſe dicuntur, quia non ſecundum qualitatem propriam, ſed ſecundum plurimam diſtantiam ſibi inuicem conferuntur. Maxima propoſitio eſt, Quod alicui conuenit, id eius contrario nō conuenire. A B *adiunctis.*] *Adiuncta ſunt, quæ proximum ac finitimum locū tenent, ut ſi unum eorum quodlibet extiterit modo, alterū quoq; uel extitiſſe, uel extare, uel extiturū eſſe uideatur: hæc. n. ſibi quaſi uicina ſunt. quæ uero in exiſtēdo ſibi ſunt proxima, hæc uel antecedere rē uolunt, ut amor ſæpe concubitum, uel ſimul eſſe, ut pallor & timor: uel euenire poſterius, ut poſt iracundiam cædes. Eaq; eſt adiunctorum natura, ut ſeparari quidem poſſint, tamē ſeſe inuicem monſtrent. Nam neque qui amauit neceſſario potitus eſt: & ſæpe qui potitus eſt, non amauit. Nec qui pallet, neceſſario timet, & ſæpe non timens pallet: nec ex neceſſitate iratus occidit, & occidit ſæpe aliquis non iratus. ſed tamen ſi de ſingulis inquiratur, eū concubuiſſe qui amauit, & pallere qui timet, & occidiſſe qui fuerit iratus, ueriſimile eſt: non quòd ita neceſſe ſit, ſed quia ex uicinis uicina colligimus. Nam quod ad exemplum attinet huius argumenti, hæc ſimilitudo eſt. Capitis diminutio eſt, prioris ſtatus permutatio. Id multis fieri modis ſolet, uel maxima, uel media, uel minima. Maxima eſt, cum & libertas & ciuitas amittitur, ut deportatio. Media uero, in qua ciuitas amittitur, & retinetur libertas, ut in Latinas colonias tranſmigratio. Minima, cum nec ciuitas nec libertas amittitur, ſed ſtatus prioris qualitatis immutatur, uelut adoptatio, aut quibuſlibet alijs modis prior ſtatus retenta ciuitate potuerit immutari. Mulieres uero antiquo iure tutela perpetua continebatur: recedebant uero à tutoris poteſtate, quæ in manum uiri conueniſſent. itaque fiebat eis prioris ſtatus permutatio, & erat capite diminuta, quæ uiri conueniſſet in manum. Quædam igitur, quæ ſe nunquam capite diminuiſſet, id eſt, quæ in manum uiri minime conueniſſet, ſine tutoris authoritate teſtamentum fecit. Quæritur, an ſecundum eius tabulas ex dicto prætoris debeat dari poſſeſſio. Hic ſubiectus quidem terminus, mulieris nunquam capite diminutæ tabulæ, prædicatus uero, poſſeſſionis conceſſio. Sumitur ergo ab adiunctis argumētum hoc modo. Nam ſi ſecundum mulieris tabulas nunquam capite diminutæ poſſeſſio detur, nihil cauſæ eſt cur non ſecundum puerulorum quoque & ſeruorum tabulas ex edicto prætoris poſſeſſio permittatur. Quid enim officere poteſt, ut ſecundum mulieris nunquam capite diminutæ tabulas poſſeſſio deferatur. Id ſcilicet, quòd ea quæ teſtamentum confecerat, ſui non fuerit iuris; quod idem & de pueris & de ſeruis dici poteſt, illorum enim ætas, illorum conditio in alterius ſita eſt poteſtate. Adiungitur ergo, ſi ſecundum mulieris quæ in ſuo iure non eſſet tabulas, poſſeſſio detur, ſecundum puerulorum quoque & ſeruorum tabulas poſſeſſionem dari, qui ſui iuris minime ſint. Quoniam quidem illi ſub tutoris, illi ſub domini poteſtate ſunt. Proximū namque eſt rei de qua quæritur, quod eius eſt conſequens & poſtea exiſtens, ut ſecundum ſeruorum puerorumq; tabulas bonorum poſſeſſio detur, ſi illud quod eſt in quæſtione cōceditur. Quæritur enim, an ſecundum mulieris tabulas nunquam capite diminutæ, poſſeſſio detur. Quam rem conſequitur, ut ſi id fiat, ſecundum ſeruorum quoque puerorumq; tabulas deferatur: quod quia fieri non oportet, ne rei quidem præcedentis exiſtere debebit exemplum. Nec tamen neceſſaria eſt cōſequutio, ſed uicina. Nā fieri poteſt, ut id recipiatur ſolum: ſecundum mulieris tabulas poſſeſſionem dari, non uero id ut ſecundum tabulas ſeruorum uel puerorum poſſeſſio concedatur. Sed proximum eſt, ut qui nunc hoc recipit, poſterius illud admittat. Eſt igitur argumentum ab adiunctis, id eſt, ab eo quod in ipſo hæret, de quo quæritur: eſt autem quæſtio de mulieris nunquā capite diminutæ tabulis, ab effectis ſcilicet, ab adiunctis. Maxima propoſitio, Ex adiunctis adiuncta perpendi.* A B *antecedentibus autem.*] *Antecedentia ſunt, quibus poſitis aliud conſequatur, licet illud quod antecedit minus ſit atque poſterius. Minus quidem, ut, Si homo eſt, animal eſt: hoc enim minus eſt animali, & tamen poſito homine conſequitur, ut animal ſit. Poſterius uero, ut, Si peperit, cum uiro concubuit, poſterius eſt enim peperiſſe, quàm concubuiſſe cum uiro. Aliquoties uero & quod æquale, & quod ſimul, & quod prius eſt ponitur, ut antecedens. Aequale quidem: ut, Si homo eſt, riſibilis eſt. Simul uero: ut, Si terræ obiecta eſt luna, deficit. & hæc ſibi conuertuntur, ut conſequentia fiant antecedentia: ut, Si riſibilis eſt, homo eſt: & ſi luna defecerit, terra adſit obiectio. Antecedens uero prius eſt: ut, Si arrogans eſt, odioſus. Illud tamen in omnibus manet, poſitis antecedentibus neceſſario conſequentia trahi. Exempli uero tali eſt explanatio. Ciuitatis Romanæ iure liberi retinentur in patrum arbitrio, uſque dum tertia mancipatione ſoluantur. ergo ſi quando diuortium interceſſiſſet culpa mulieris, parte quadam dotis pro liberorum numero mulctabatur. De qua re Paulus. Inſtitutorum librorum ſecundo, titulo de Dotibus ita diſſeruit. Si diuortium eſt matrimonij, & hoc ſine culpa mulieris factum eſt, dos integra repetetur: quòd ſi culpa mulieris factum eſt diuortium, in ſingulos liberos ſexta pars dotis à marito retinetur, uſque ad dimidam partem duntaxat dotis. Quare quoniam quod ex dote conquiritur liberorum eſt: qui liberi in patris poteſtate ſunt, id apud uirum neceſſe eſt permanere. Facto igitur diuortio contenditur, an dotis pars pro liberis, id eſt, uel liberorū cauſa, uel quia pro numero liberorum retinebatur, apud uirum debeat permanere. Hic ſubiectum quidem eſt, factum diuortium à muliere nunciatum: prædicatum uero, apud uirum ſextæ partis dotis poſt diuortium permanſio. Quæſtio, an poſt diuortium factū muliere nuncium remittente, ſextam dotis partem apud uirum manere oporteat. Quæro igitur, ſi ab antecedentibus argumentum faciendum eſt, quid antecedat, quid conſequatur. At ſi uiri culpa factū eſt diuortium, uideo mulierem dotis parte non mulctari, etiamſi prima repudij nuncium miſit. Quod enim anteceſſit, ut uiri culpa fieret diuortium, id non permittit, ut dotis pars mulieri pareat, quamuis prima repudij nūcium mittat. Non enim quòd prior repudium nūciauit, dotis parte mulctanda eſt, ſed abſoluēda potius damno, quòd non ſua factum eſt, ſed uiri culpa diuortium. igitur antecedens eſt, uiri culpa factum diuortium: conſequens uero, dotis partem non retineri. Nam ſi hoc eſt, illud eſt. argumentationem uero faciam hoc modo. Si uiri culpa factum eſt diuortium, etiam ſi mulier repudij nuncium miſit, nullo modo tamen dotis parte mulctanda eſt. ſed uiri culpa diuortium factum eſt: nō igitur iure mulier dotis parte mulctabitur. quòd ſi nō mulctabitur dotis parte, nihil in uiri domo liberorum cauſa dotis nomine relinquetur. Sed non mulctabitur dotis parte: nihil igitur apud uirū dotis pro liberis relinquetur. utriuſque uero concluſio ſyllogiſmi eſt hæc. Si igitur uiri culpa factum eſt diuortium, pro liberis manere nihil oportet. Argumentum ab eo quod in ipſo eſt,*

de quo agitur. Verſatur quippe intentio de dotis parte, eiusq; apud uirum poſt diuortium quod uxor prima nunciauerat, retentione: hoc uero anteceſſit uiri culpa, quod quia præcedens eſt, affectum eſt. Omne enim quod præcedit, ad id quod ſequitur neceſſe eſt ut referatur. Maxima propoſitio eſt, Vbi eſt antecedens, ibi erit conſequens. at in hac quæſtione eſt antecedẽs, id eſt, uiri culpa factum diuortium: ibi igitur conſequens erit, ſextas non retineri. Cur autem ita ſuperius argumentum conclusionibus intexuerim, cum de his in Tullio latius exequente tractauero, euidentius apparebit. A CONSEQVENTIBVS.] Conſequentia ſunt, quæ cum fuerint antecedentia poſita, conſequuntur: ueluti ſi dicamus, Si homo eſt, animal eſt: animal eſt conſequens: ſed in propoſito exemplo non ſatis apparet à conſequentibus argumentum, ſed ab antecedentibus potius, quod paulo poſt liquebit. filij non iure ſuſcepti, in patrum non erant poteſtate, ſed matres potius ſequebantur. Non autem omnibus erat connubium cum Romanis, nec erant iure nuptiæ contractæ, quæ non aut inter ciuem Romanam & ciuemq; Romanum inibantur, aut cui principes populus'ue ciuitatem uel connubium permiſiſſet, eo ſcilicet modo, ut in poteſtatem parentum liberi redigerentur. Illud quoque uidendũ, quod ex impari matrimonio ſuſcepti, non patrem, ſed matrem ſequũtur: ergo quædam Romana uel cum Latino, uel cum peregrino, uel cum ſeruo, cum quo cõnubij ius non erat, nuptias fecit, dotem contulit: factoq; inter eos diuortio contenditur, an nuptæ mulieris cum eo cum quo connubij ius non erat, apud uirũ dotis pars poſt diuortium debeat permanere? Hic ſubiectũ quidem eſt, nupta mulier cum quo connubium non erat: prædicatũ uero, dotis partis apud uirũ poſt diuortiũ retẽtionis iure permanſio. Sumitur ergo à conſequentibus argumentum hoc modo. Nam quia nuptias fecit cum eo, cum quo connubij ius nullum eſt, id conſequitur, ut liberi patrem non ſequantur. Si autem liberi patrem non ſequantur, ne in patris quidem ſunt poteſtate. at ſi in patris poteſtate nõ ſunt, matriq; applicantur, apud uirum dotis pars non poterit permanere. Hic igitur antecedens eſt, cum eo, cum quo connubij ius non erat, nuptiæ. Conſequens, nihil pro liberis dotis nomine manere oportere. Concludatur argumentatio: quoniam nõ permiſſo connubio, liberi qui procreantur patrem non ſequuntur, ne dotis quidem pars apud patrem pro liberis manere debet, quandoquidem nõ patrem filij, ſed matrem ſequuntur. Probatum eſt igitur, pro liberis manere nihil oportere, ex hoc, quòd cũ eo mulier nuptias fecit, cum quo connubij ius non erat: hoc uero erat antecedẽs. Non ergo à conſequenti, ſed ab antecedenti potius factum deprehenditur argumentum. Quod ſi per id, quod nihil dotis nomine manere oporteret, probaretur eam nuptias cum eo feciſſe, qui cum cõnubij ius non eſſet, rectè à conſequentibus argumentum factum eſſe diceretur. Fieret uero à conſequentibus argumentum, ſi ita poneretur: Si quid ex dote pro liberis manere oporteret, quia patrem liberi ſequuntur, cum eo nupta eſſet mulier, cum quo cõnubij ius erat. aſſumo quod eſt conſequens: ſed mulier cum eo nupta non eſt, cum quo connubij ius erat. concludo antecedens: nihil igitur dotis pro liberis manere oportebit, quia patrem liberi non ſequuntur. Argumentum ab eo quod in ipſo eſt, de quo quæritur. Quæritur enim de his nuptijs, quarum nullum fuerit iure connubium. Ex affectis, Omne enim conſequens ad id quod præcedit refertur. Maxima propoſitio eſt, Vbi conſequens non eſt, ibi ne antecedens quidem eſſe poteſt. ac de his erit alius uberius diſſerendi locus. A REPVGNANTIBVS.] Secundus hæres dicitur, qui hæredi inſtituto ſubſtituitur: ueluti ſi quis filium inſtituat hæredem, ſcribatq;, Si is filius intra pubertatem deceſſerit, nepotem, uel quemlibet alium hæredem eſſe oportere. Nepos igitur, uel quilibet alius ſecundus hæres dicitur: repugnantia ſunt, quæ (ut dictum eſt) contraria cõſequuntur, ſi ipſis cõtrarijs comparentur. Quidam igitur hæredem teſtamento ſcripſit filium, eiq; ſecundum ſubſtituit hæredem, uxoriq; ſuæ ancillarum uſumfructum legauit à filio, dixitq; ut uxori filius eius uſumfructum ancillarum permitteret: neque illud adiecit, ut etiam ſecundus hæres eundem uſumfructum mulieri concederet. Succeſſit filius, & mulieri ancillarum contulit uſumfructum. Illo mortuo intra pubertatem, agit ſecundus hæres, & uſumfructum ancillarum mulieri extorquere conatur dicens, uſumfructum ei à filio legatum: à ſe uero minime. Quæritur, utrum ea mulier legatum quod teſtamento acceperat, inuita poſſit amittere. Hic igitur ſubiectum eſt legatum, quod teſtamenti iure rectè accepit: prædicatum uero, inuitam poſſe amittere. Sumo igitur argumentum à repugnantibus. Repugnans uero eſt, ſi id quod contrario conſequens eſt, alteri contrario comparetur: uelut in hoc ipſo quod tractamus exemplo, rectè accipere & non rectè accipere contraria ſunt: ſed non rectè accipere comitatur inuitum reddere. Iure enim inuitus reddit, qui non rectè accepit. Repugnat igitur inuitum reddere, ei quod eſt rectè accipere. Faciemus igitur argumentum ſic. Qui teſtamento accepit, rectè accepit: quod autem rectè accipitur, inuito ei qui ſemel rectè acceperit, auferri non poteſt. at mulier teſtamento uſumfructum ancillarum accepit: idem igitur inuitæ non poterit auferri. Argumentum ab eo quod in ipſo eſt, de quo agitur, id eſt, de eo quod rectè acceptum eſt. In ipſo uero eſt uelut affectum contrarietatis modo, ut ſuperius dictum eſt. Eſt autem argumentum repugnanti. Maxima propoſitio eſt, Repugnantia conuenire non poſſe. A B efficientibus cauſis.] Cauſarum quidem multa ſunt genera, quæ Cicero paulo poſterius diuidit. Sed nunc de efficientium cauſarum diſſerit argumento. Efficiens uero cauſa eſt, quæ præcedente aliquid effectum eſt, non tempore, ſed proprietate naturæ, uelut in hoc quod nunc declaramus exemplo. Damni infecti promiſſio eſt, quoties quis promittit, ſi quod damnum eius opera contigerit, ſua reſtitutione eſſe penſandum. Ius autem eſt, parieti communi parietem alium, uel fornicatum, id eſt arcum habentem, uel directum continuumq; coniungere. Quidã igitur ad parietem communem alium extrinſecus parietẽ iunxit, dedítq; ſatis damni infecti. Communis autem paries fornicatus fuit, id eſt, arcum habens, uel ſigni eam fabricam ſuſtinens: adiungente igitur eo qui ſatiſdederat, & ut adiungeret, demoliente partem parietis, quo iunctura coheręſceret, uitium communis paries fecit. Quæritur, an damni infecti promiſſio cogat eum qui promiſerit uitium reſtituere. Subiectus terminus, damni infecti promiſſio: prædicatus, uitij reſtitutio. Sumimus igitur argumentum à cauſis, hoc modo. Si enim is qui dãni promiſit infecti, eius uitij cauſa fuit, reſtituere debet uitium quod eius accidit culpa: quòd ſi ea natura parietis fuit, ut ſuſpendi ſuſtineriq; non poſſet (fornicati enim parietis non ea natura eſt, ut ſuſpendi queat) parietis potius forma, quàm demolientis culpa uitium feciſſe uidebitur: atque ita non cogitur reſtaurare uitium, qui ſe damni infecti promiſſione conſtrinxerit. Fiet igitur argumentatio hoc modo. Si penes parietis formam conſtitit, ut eo adiungente parietem qui damni infecti promiſerat uitium fuerit, id uitium fieret, id uitium qui promiſit ſoluere non cogitur. Fuit autem cauſa paries, ut uitium fieret, qui ea fuit natura, ut ſuſpendi ſuſtineriq; non poſſet. Nõ igitur quod fornix uitium fecerit, reſtaurare debet qui damni promiſit infecti. Argumentum ab eo quod in ipſo eſt, de quo agitur, id eſt in uitij reſtitutione: ex affecto, id eſt cauſa. Cauſa enim uitij forma eſt parietis, non culpa coniungentis parietem. Itaque factum eſt, ut fornix uitium faceret, quæ cauſa uitij cũ abſit ab eo qui parietem iunxit, abeſt etiam eiuſdem uitij reſtauratio. Maxima propoſitio, Vnamquamque rem ex cau-

ſis

ſit ſpectari oportere. AB effectis rebus.] Effecta ſunt, quæ aliquibus efficiuntur cauſis, non tempore præcedentibus, ſed natura. uelut ſi quæratur, Vxore defuncta quæ in manũ uiri conuenit, an eius bona ad uirum pertineant. In qua quæſtione bona uxoris defunctæ quæ in manum uiri conuenerit, ſubiectum eſt: ad uirum autẽ pertinere, prædicatum eſt. Quæro igitur argumentum ab effecto, diſpicioq́; quid perfecerit ipſa in manum uiri conuentio, atque ex eo argumentum traho: id autem eſt, omnia uiri dotis nomine fieri, quæq́; mulieris fuere. Ipſa igitur in manus conuentio omnia quæ mulieris fuere uiri fecit dotis nomine, non præcedens tempore, ſed ſtatim propria ui naturæ. Nam ut in manum quæque conuenerit, mox eius bona dotis nomine uirum ſequuntur. Facio igitur argumentum ſic. Si mulier quæ defuncta eſt, in manum conuenit, in manum cõuenientis mulieris bona uiri ſiunt dotis nomine. Hæc quoque bona de quibus agitur, uiri ſunt. Argumentum eo quod in ipſo eſt, de quo agitur, continetur. Agitur enim de eius bonis, quæ in manum conuenerit, ſcilicet ab effectis, id eſt, à cauſæ effectis. Effectum nanque eſt in manum conuentionis, omnia quæ mulieris ſunt, uiri fieri dotis nomine: quanquam hic quoque non ab effectis, ſed à cauſa factum argumentum monſtretur eſſe. Oſtenſum eſt enim, fieri uiri dotis nomine quidquid mulieris fuerit, ex eo quòd mulier in manum conuenirit: ſed hæc cauſa eſt, ut quæ mulieris ſunt uiri fiant dotis nomine. Sed dicat quis, ex eo quod ea quæ mulieris erant uiri ſiunt dotis nomine, id approbari quòd defuncta bona ad uirum debeãt pertinere, ſed quæ mulieris ſunt, ea uiri fieri dotis nomine, & bona ad uirum pertinere, uel idem eſt, uel neutrum alteri cauſa eſt: uel ſi quis dicat eam eſſe cauſam, ut bona mulieris uiro debeant cedere, quod per in manus conuentionem uiri facta ſunt dotis nomine, à cauſa rurſus, ac non ab effectis factum eſſe argumentum putabit, id eſt à dote: ab effectis uero non oportet aliud niſi cauſam probari. Eſſet uero ex effectis argumẽtũ, ut ex eo cauſa probaretur hoc modo. Si quæſtio eſſet, an mulier in manũ uiri conueniſſet, & indubitatum haberetur, omnia quæ fuiſſent mulieris uiri facta dotis nomine dicerentur: ita, ſi omnia quæ fuere mulieris, uiri facta ſunt dotis nomine: ſed omnia quæ fuere mulieris, uiri facta ſunt dotis nomine: mulier igitur in manum uiri conuenit. Maxima propoſitio, Cauſas ab effectis ſuis non ſeparari. EX comparatione autem omnia ualent, &c.] A' comparatione locus qui dicitur, tripartito ſcinditur: aut enim à comparatione maiorum, aut à comparatione minorum, aut à comparatione parium naſcitur. A' comparatione igitur maiorum eſt, quoties maiora minoribus comparantur, hoc modo: ut quod in re maiore ualet, ualeat in minore. Fit enim quæſtio, an in urbe aquam liceat arceri. In hac igitur ſubiectus eſt terminus, in urbe aqua: prædicatus uero eſt, ius arcendi. Regi fines dicuntur, quoties unuſquiſque ager proprijs finibus terminatur. Arcet uero aquam, qui eam per ſua ſpacia meare non patitur. Facimus igitur argumentum ſic. Quoniam plus eſt regi fines, minus uero arceri aquam, ſi in ciuitate fines non reguntur, quod maius eſt, ne id quidem quod minus eſt fiet, ut aqua in ciuitate arceatur. Hic igitur ſumptum eſt argumentum ab eo quod in ipſo hæret, de quo quæritur. Quæritur uero de arcẽdæ aquæ iure, ab effecto ſcilicet, id eſt, à maiore: quod refertur ad id quod minus eſt. Notandum uero, quòd Tullius maximam propoſitionem argumentationi incluſit, hoc modo. Quod in re maiore ualet, ualeat in minore, & deinceps ea niſus argumentationem expediuit, ut manifeſtius appareat id quod primo uolumine commemoratũ eſt, has maximas propoſitiones aliquoties quidem argumentationibus includi, ut in præſenti monſtratur exemplo: alias uero uires argumentationibus dare, ut in ſuperioribus exemplis locorũ. quòd ſi idem conuertamus exemplũ, dicemus, Quod in re minore ualet, ualeat etiam in maiore. at in urbe aqua arcetur, reguntur igitur fines. Hic tamen quæſtio permutatur hoc modo. Quæritur enim, an in urbe fines oporteat regi: ſed à minore ſumitur argumentum, id eſt, ab arcenda aqua: ut ſit hic quoque argumentum ab eo quod in ipſo eſt, id eſt, ab eo quod eſt in regẽdis finibus ab effectu ſcilicet, id eſt à minore. Id enim quod minus eſt, effectum eſt: illud n. ſẽque reſpicit ad quod comparatur. Hic quoque maxima propoſitio à Tullio poſita eſt, eaq́; eſt: Quod enim in re minore ualet, ualeat etiam in maiore. A' paribus uero fit ſimiliter comparatio. neceſſe eſt enim ut ualeat æquitas, quæ paribus in rebus paria iura deſiderat. Plurimarum igitur rerum uſucapio annua eſt, ut ſi quis eis anno continuo fuerit uſus, & firma iuris authoritate poſſideat uelut rem mobilem. Fundi uero uſucapio biennij temporis ſpatio continetur, de ædibus in lege nihil aſcriptum eſt. Quæritur ergo, uſus ædium uno'ne anno an biẽnio capiatur? faciemus à paribus argumentationem. & quoniam immobilium aqua poſſeſſio eſt, ædes uero immobiles ſunt, ut biennio fundus uſucapitur, ita etiam oportet ædes uſucapere biennio poſſidentem. Aequitas enim paribus in rebus paria iura deſiderat. Quæ etiam maxima propoſitio à Tullio clariſſime poſita eſt: ſed exemplum reſtrictius dictum eſt, nec promptiſſime ad intelligendum. Ita nanque ait, ut quoniã uſus authoritas fundi biennium eſt, ſit etiam ædium: hic igitur ædium uſus authoritate biennio fieri ſentit. Sed adijcit, at in lege ædes non appellantur, & ſic ſunt cæterorum omnium quorum annuus eſt uſus. hic rurſus ædes in his uidetur ponere, quæ anno uſu capiuntur: & cõcludit nihil definiens, Niſi ualeat æquitas, quæ paribus in cauſis paria iura deſiderat. ſed uidetur ita dictum, quoniam immobiles ſunt ædes, ut fundus: biennio uero fundus uſucapitur ædes quoque biennio uſucapientur. & ſibi ipſe rurſus opponit: Sed in lege duodecim tabularum de ædibus nihil aſcriptum eſt, & inter eas relictæ ſunt res taciturnitate legis, quarum eſt uſus annus. nam cum de fundo preſcriberet lex biennij uſucapionem, tacuit ædes, & his potius hac taciturnitate eas iunxit, quarum annus eſt uſus. Sed ſoluit obiectionem: ita ſcilicet æquitas paribus in rebus paria iura deſiderat. Itaque quoniam æque fundus atque ædes immobiles ſunt, æque biennio uſucapientur. Factum eſt igitur hic quoque argumentũ ab eo quod in ipſo eſt de quo agitur, id eſt, ab affecto pari. Nam cum agatur de ædium poſſeſſione, argumentum ſumptum eſt ab uſucapione fundorum. Expeditis igitur his locis qui in ipſo de quo agitur inhærebãt, nunc iam loci eius quem dixit extrinſecus ponit exemplum. Hic uero eſt qui ſumitur ab authoritate iudicij, locus ualde probabilis, etiam ſi non maximæ neceſſitatis. Quæ enim neceſſaria ſunt, hæc ex propria conſiderantur natura. quæ uero probabilia ſunt, plurimorum iudicium expectant. Ea nanque ſunt probabilia, quæ uidentur uel omnibus, uel pluribus, uel maxime famoſis atque præcipuis, uel ſecundum unamquanque artem ſciẽtiamq́; eruditis: ut quod medico in medicina, geometræ in geometria, cæterisq́; in propria ſtudiorũ facultate uerſatis, de quo extrinſecus loco ſic loquitur. QVAE autem extrinſecus aſſumũtur.] Alia quippe argumenta ſunt, quæ ipſe elicit orator, atque ipſe quodammodo ex deſignatis locis ſibi comparat, & propria facultate conquirit. Alia quæ extrinſecus poſita, non ipſe inuenit, ſed præſentibus utitur & paratis: ueluti teſtimonia, tabulæ, fama, cæteraq́;, de quibus M. T. latius tractaturus eſt. Non enim ſibi ipſe teſtimonia parat orator, ſed paratis utitur: nec ipſe iudicium facit, ſed iam poſito at ſpontaneo rumore uenientem utitur ad cauſam, atque idcirco hos locos Græci ἀτέχνους uocant, id eſt, inartificiales, atque, ut Tullius dixit, artis expertes. quæ enim non proprio oratoris artificio comparantur, ſed ſe extrinſecus uenientia ſubminiſtrant: hæc iure

artis expertia appellata ſunt. huius exemplum eſt: ut ſi ita reſpódeas. QVONIAM P. *Scæuola id ſolũ, &c.*] *Sed ambitus ædium eſt, quantum ſoli ædium ambitus claudit. Scæuola igitur dixit id eſſe ambitus ædium ſolũ, quod tecti diffuſione tegeretur. Manifeſtum eſt enim tecta latius fundi, nec parietibus adæquari, ut ſtillicidium longius cadat. quæ cum ita ſint, quidam parietem cõmuné tegere nitebatur: quæritur, an ſit aliquod ius tegendi? reſpondeas tu, inquit Cicero, Trebati, id ius eſſe tegendi parietis communis, ut in eum qui tegat aliud quodlibet tectum ſtillicidij aqua fundatur: alias non eſſe iuris ut tegat quis parietem, ſtillicidio in uicini tecta defluente. Hæc enim ſtillicidij ſeruitus noua niſi conſentiente uicino nihil iuris habet. Sed ſi huic reſponſo opponatur, ne ſic quidem ut tegat eſſe iuris, quandoquidem ædium ſolum tantum eſt, quantum cuiuſque parietes claudunt: qui uero tegit tectum, longius mittit. Tu, inquit, reſponſum tuum Scæuolæ authoritate firmabis, dicens Scæuolã reſpondiſſe, hoc eſſe ſolum ambitus ædiũ, quantum tectum proijceretur, non quantum parietes ambirẽt. Ius eſt igitur proijcere tectum, qui intra ambitum adhuc ſuarũ ædium tegit, ſed ita ut in ſuum tectũ aqua defluat, nec uicino noua noceat ſeruitute. In qua quæſtione neque à ſubiecto, neque à prædicato termino ductum eſt argumentum, quod in his locis cõſiderari moris eſt, qui in ipſis herẽt de quibus agitur terminis, ut in omnibus exemplis eſt diligentiſſime declaratum. Sed quia ſumitur argumentum extrinſecus, dubitationi iudiciũ cuiuslibet opponitur, ut nunc Scæuolæ: cuius authoritate reſponſum eſt, atque ideo ex loco qui uocatur extrinſecus, ſumptum dicitur argumentum.* HIS *igitur locis.*] *Omne elementum principium eſt eius rei, cuius elementum eſſe perpenditur. Nam eius quod ex elementis fit, ipſa elementa neceſſe eſt loco eſſe principij: ergo quoniã loci ſuperius deſignati argumentorum quaſi quædam principia ſunt: ipſi enim ſunt qui continent argumenta: omne autem quod continet, eius quod continetur principium eſt. idcirco ait Cicero, ueluti quædam elementa argumentorum uideri locos hos quos ſuperius poſuit, cautiſſimeq́; adiecit quaſi quædã elemẽta. Nõ enim integre elementa, ſed quaſi in ſimilitudine elementorũ ſunt hi loci qui in argumentis efficiendis ſumuntur. Idcirco quoniam argumentorũ quædam uidentur eſſe principia, alioquin elementum omne minima pars eſt eius quod elementũ eſt, & id quod ex elementis efficitur, partis uice coniungit, ut litera orationẽ. at uero locus, non pars argumenti, ſed totum eſt. eſt enim ſignificatio quædam & demonſtratio ad reperiendũ argumentũ data: ut ſi locum reſpexeris, noueris ubi conditur, unde duci debeat argumentũ. Sed reliqua ad Trebatium expeditiſſime dicta ſunt: blanditurq́; ei, etiam breuia poſſe ſufficere acuminis prærogatiua, ſi tempus legendi plura non habeant. Sed quoniam, ut inquit, auidiſſimum ſtudij ad has doctrinarum epulas recepit, nõ uult degustatum, ſed ſatiatum relinquere: ut ne deſit aliquid, ſed de pleno etiam relinquat. factaq́; eſt à continuando tranſlatio iucundiſſima. Declaratis omnibus igitur his locis, eorũq́; exemplis diligenter expoſitis, pauca quædam de locorũ ui atq; ordine diſputabo: quibus pleniſſima diſputatione expeditis, ad ea quæ reſtant explananda tranſgrediar: ſed id tertio iam uolumine faciẽdũ eſt, quoniã liber ſecũdus habet propriũ modũ.*

EIVSDEM BOETII IN TOPICA CICERONIS COMMENTARIVS. III.

ANTEA *quàm latiorem M. T. diuiſionem de numeratis ſuperius locis aggrediar, pauca ut ſum pollicitus de ui atque ordine locorum mihi uidentur eſſe tractanda: ut eorum natura diligentius cognita, facilior ſe argumentorum copia ſubminiſtret. Primum igitur, quoniã loci omnes diuiſi ſunt in eos qui in ipſo hærent, de quo quæritur, et in eos qui extrinſecus aſſumerentur, uidendum eſt qui'nã ſunt hi loci qui in ipſo hærent de quo quæritur, uel quid ab ipſis differant in quibus hærere dicuntur: atque illud quidem planiſſime expeditum eſt, ipſos dici terminos illos qui in quæſtione uerſantur. horum eſſe alterum prædicatum, alterum uero ſubiectum, ſuperior expeditio patefecit. Ab eo igitur termino de quo agitur, quid differt locus à toto, quandoquidẽ idem eſt ipſum eſſe quod totum. Neque enim eſt aliud eſſe quemlibet terminum in quæſtione propoſitum, quàm totum eſſe terminũ eũdem qui in quæſtione eſt conſtitutus: de partibus quoque idem dicemus. Nam ſi omnes partes efficiunt id cuius partes ſunt, terminumq́; in quæſtione propoſitum ſuæ partes efficiunt: non eſt dubium quin partes quoque omnes cõuenientes, id eſſe, quod ipſum eſt in quæſtione propoſitum, rectiſſime intelligantur. Notatio uero eodẽ modo illud ipſum eſt quod in quæſtione proponitur: rem enim unamquamque omne uocabulum deſignat ac denotat. Fit igitur ut totum, partes, ac nota, idem quod eſt ipſum de quo quæritur eſſe uideantur. In tanta igitur ſimilitudine rerum danda eſt differentia: neque enim, ut dictum eſt, ſi locus hæret in ipſo de quo quæritur, atque ab ipſo de quo quæritur capi non poteſt argumentum, fieri poteſt ut locus idem eſſe poſſit quod ipſum eſt. Sed hæc differẽtia eſt, ipſum eſt, quod cõfuſe ac ſingulariter intelligitur: ut homo in eo ineſt totum ſuũ quod eſt definitio. Ipſius igitur totum ab eo quod ipſum eſt intelligentia ſeparatur, quod illud quidem ſingulariter intelligitur: hoc uero ſub generis ac differentiarum enumeratione monſtratur. Diuidit enim diffinitio ac diſpartit, totumq́; patefacit, quod in re ipſa ſingulariter intelligebatur. De partibus quoque eadem ratio eſt. Si enim ad membrorum multitudinẽ, uel ſpecierum omnium enumerationem, ſingularem termini referas intellectum, ſtatim ipſius àc partium differentias comprehendas. Nota etiam ab eo cuius nota eſt facile diſtat, quia illud uox & ſignificatio eſt, illud res ſignificationi ſuppoſita: eorum uero quæ affecta ſunt, non ſunt dubia differentiæ ab his quorum affecta eſſe monſtratur. Quis enim idem dicat eſſe coniugatum, quod eſt id cui coniugatum eſt? Quis idem eſſe iuſte quod iuſtitia, quis genus idem quod forma, quis contraria, quis ſimilia? quandoquidem neque contrarium ſibi ipſi contrariũ eſſe poteſt, nec ſimile ſibi ipſi ſimile, nec genus ſibimetipſi genus: & de cæteris eadem ratio eſt. Nunc illud dicẽdum eſt, propter quod iſta præmiſimus: quandocunque enim ab illis tribus locis, qui primi propoſiti ſunt, argumenta ſumuntur, id eſt, à toto, à partibus, à nota, fit, ut ipſe quidem terminus ad cuius fidem quæritur argumentum, intra quamlibet earum rerum contineatur: quæ cum ad argumentum ducta fuerint, loci eſſe monſtrantur: uelut cum ſit argumentum à toto, ipſe quidem terminus, cui fides affertur, intra totum comprehenditur: totum uero ipſum quod eſt definitio, res eſt. ſiquidem orationem rem uocari placet. At ſi ex ea ſumitur argumentum, fit locus. Iam ipſum quidem de quo agitur, intra totum clauditur: à quo toto cum ſit argumẽtum, fit ipſum totum locus, quod totum quoniam claudit terminum qui in quæſtione uerſatur, eidem termino uidetur inhærere, Quo fit ut locus quoque qui à toto eſt, eidem inhæreat termino, de quo in quæſtione dubitatur. Partium quoque enumeratio eundem terminum claudit, quẽ partium collectione coniungit: ipſaq́; partium enumeratio res quædam eſt, ſi oratio rebus annumeranda eſt: ſed ſi ab ea ducitur argumentum, fit locus. Sed quoniam partium multitudo in eodem termino eſt, quem conuentus partium iungit, neceſſe eſt eum quoque locum qui eſt à coniunctione partium, ipſi illi termino de quo quæritur inhærere. Nota etiam rem deſignat, et ſignatione aliquo modo comprehendit, à qua ſi ducitur argumentum, fit locus. & quoniã nomen omne ei uidetur adeſſe, cuius intelligentiam ſignat: locus quoque qui eſt à notatione, in*

ipſo

ipſo hæret, de quo verſatur intentio. At in affectis, quæ in tredecim partes diuiſa ſunt, non idem eſt. Nam quoniam reſpicientia quodammodo terminum ſunt, & quaſi extrinſecus conſtituta, non uidentur eodem modo coniuncta eſſe cum termino, quo coniuncti ſunt hi loci qui à toto, à partium enumeratione, à nota eſſe prædicti ſunt: ſed tamen id quod affectũ eſt, ad aliquid dicitur. Id uero aliquid iunctũ eſt illi ſemper, quod ad eius ducitur relationẽ, ac ſine eo eſſe nunquam poteſt: quare cum ipſo naſcitur, & quodammodo altero dicto, intelligitur alterũ. Nam ſi id de quo quæritur eiuſq; affecta perpendas, ea quæ perhibentur affecta, extra id de quo ambigitur poſita eſſe conſideres. nihil enim eorum quæ ſunt ad aliquid ex ſe ipſo eſſe poteſt, ſed eſt ſemper ex altero. Vt enim in prædicamẽtis oſtẽditur, omnia quæ ad aliquid dicuntur, oppoſita ſunt, non tamẽ ita diſiũcta ſunt, ut omnino ſint diſtributa, ſed quoniã relatiua prædicatione iungũtur, neceſſe eſt aliquo modo in ipſo ſint ad quod uidetur affecta. omne quippe affectũ ex eo quod affectũ eſt, ſuſcipit formã, et ſine eo eſſe non poteſt, & dicto altero alterius ſe ſtatim ſubijcit intellectus: ut cum dixero dimidium, duplum intelligitur: & cum patrem nominauero, filius ad intelligentiam uenit: & omnia quæcunque ad aliquid ſunt, ex ſeſe pendent, nec à ſe inuicem deſeruntur: igitur omne affectum & ad ipſum reſpicit ad quod refertur, & in ipſo eſt. ad ipſum quidem reſpicit, quoniam ad affectum ſuum uelut ad aliquid relatiue, more prædicationis refertur. In ipſo uero eſt, quòd ea eſt affectorum natura, ut alterum exiſtat ab altero, ſéq; ipſa poſſideant: quandoquidem & id quod affectum uocatur, eius eſt termini ad quem conſideratur affectum, & terminus in quæſtione propoſitus affecto ſuo intelligitur eſſe connexus. Quæ cum ita ſint, cum argumentum ſumitur à coniugatis, quoniam id quod coniungatum eſt, affectum eſt ad id quod ei ex altera parte eſt coniugatum. Id quidem de quo quæritur, in altrinſecus poſito coniugato hæret. Is uero locus unde argumentum trahitur, ab altero ducitur coniugato: ueluti ſi cõpaſcuus ager eſt, ius eſt compaſcere. Igitur compaſcere atque compaſcuum coniugata ſunt. ſed quærebatur an ius eſſet compaſcere. Tractum uero eſt argumentum à compaſcuo. Itaque terminus quidem de quo fuit quæſtio, in altero coniugato poſitus deprehenditur, id eſt, in compaſcendo. Locus uero unde argumentum tractum eſt, in altero eſt, id eſt, in compaſcuo. Item quoties à genere ducitur argumentum; id de quo quæritur in forma hærere neceſſe eſt: ut cum oſtenditur legata eſſe numerata pecunia, quoniam fuerit argentum omne legatũ. Quæritur enim de numerata pecunia, quæ eſt ſpecies argenti: & argumentum tractum eſt ab argento, id eſt à genere. Itaque ipſum de quo quærebatur in forma fuit, id eſt in ſpecie. Argumentum uero tractum eſt ab affecto, id eſt à genere. Quòd ſi à forma generis argumentum fiat, conuerſo modo eſt. Id quidem quod quæritur, in genere eſſe monſtratur: ipſum uero unde ſumptum eſt argumentum, in forma eſſe perpenditur. Nam cum quæratur, an legatum ſit uxori, oſtenditur non eſſe legatum, quia non fuerit uxori tantum legatum, ſed matrefamiliâs uxori: uxor uero genus eſt, materfamiliâs ſpecies uxoris. Quæritur igitur de uxore, id eſt de genere: argumẽtum factum eſt à matrefamiliâs, id eſt, à forma. Quoties uero à ſimilitudine trahitur argumentum, quoniam id quod ſimile eſt, non ſibi, ſed alteri ſimile eſſe perpenditur, res quidem de qua quæritur, in uno eorum quæ ſunt ſimilia, poſita eſt: at uero locus in altero. uelut cum quæritur, an hæres reſtituere uitium ruinam'ue cogatur ædium in uſumfructum relictarum. In hoc igitur quæſtio eſt, locus uero in ſimilitudine: quia non oportet hæredem ædes reſtituere, ſicut nec mancipiũ, ſi id aliqua ratione depereat. Cũ igitur ſimilis ſit ædiũ uſusfructus atque mancipij, quod quæritur in ædium uſufructu poſitũ eſt, locus uero in uſufructu mancipij. In differentia quoque idẽ eſt. eorum nanque quæ differunt, in altero poſitũ eſt id quod quæritur. in altero uero illud à quo id quod eſt ambiguum, cõprobatur: ut cum quæritur, an id quoque argentum quod in nominibus debebatur, legatum ſit. Hic igitur illud eſt quod dubitatur. In eo uero quod ab hoc differt locus, à quo oſtenditur minime legatum eſſe argentum, quod in nominibus debebatur, quia multum differt in arca'ne ſit poſitũ, an in nominibus ſcriptum. A'contrario quoque idem eſt, ut in eo quod quæritur, an uſusfructus plenus legatus ſit. In uſufructu igitur quæſtio eſt. ſed probatur minime eſſe legatus, quia non poteſt eſſe uſus earum rerum quæ utendo pereunt, ſed potius abuſus. In abuſu igitur locus eſt, ſcilicet in altero contrariorum, cum fuerit in uſu quæſtio. Ab adiunctis etiam locus eodem modo ab eo quod quæritur, ſegregatus eſt: ut in uno adiuncto ſit quæſtio, in altero uero ſit locus. Nam cum quæratur, an ſecundum mulieris tabulas nunquam capite diminutæ poſſeſſio detur, in hoc quæſtio eſt. at in huius adiuncto, locus. Oſtenditur enim minime dari debere poſſeſſionem, quia ſit proximum, ut ſecundum puerorum atque ſeruorum tabulas bonorum poſſeſſio concedatur.

Ab antecendentibus uero ita eſt locus, ut quæſtio ſit in conſequentibus. Nam quod quæritur, an aliquid dotis nomine pro liberis manere oporteat, ſumitur argumentum, nullo modo manere oportere, ex antecedentibus, quòd uiri culpa factum eſt diuortium. Locus itaque in antecedenti, quæſtio uero in conſequenti. Conſequutum eſt enim uiri culpa factum diuortium, nihil apud patrem pro liberis permanere, cum uiri culpa præceſſerit. A' conſequentibus uero ſi ſit argumentum, res quæ dubia eſt, in antecentibus eſſe deprehenditur: uelut cum quæritur, an diuortio facto cum eo, cum quo connubium non erat, dotis nomine aliquid pro liberis manere oporteat. ſit argumentum ſic: ſi quid ex dote pro liberis manere oporteret, quia patrem liberi ſequerentur, cum eo nupta eſſet mulier, qui cum connubij ius eſſet. hic antecedens eſt, ſi quid ex dote pro liberis manere oporteret: & in eo quæſtio, an aliquid manere oporteat: conſequens, cum eo mulier nupta, qui cum connubij ius eſſet: à quo ſumitur argumentum, id eſt, à conſequenti. Nam cum manifeſtum ſit, non cum eo eſſe nuptam, cum quo connubij ius erat, oſtenditur quòd minime patrem liberi ſequantur. atque idcirco nihil pro liberis manere oportere. Hic igitur res quidem quæ dubitatur, in antecedenti eſt, in eo ſcilicet, an ex dote pro liberis aliquid manere oporteat. Argumentum uero in eo loco qui eſt in conſequentibus, id eſt, in muliere quæ nupta eſt cum eo, cum quo nulla erant iura connubij. A' repugnantibus etiam quoties argumenta ſumuntur, res quidem dubia in altero repugnanti, in aduerſo uero locus eſt argumenti: ut cum quæritur, an poſſit inuita mulier reddere legatum, quod recte teſtamento ſemel accepit. Locus à repugnanti, minime poſſe inuitam reddere, quod recte acceperit. Quæſtio igitur eſt in eo, quod intelligitur inuitam reddere. Argumentum uero in altero repugnanti, id eſt, in eo quod intelligitur recte accipere. Pugnat enim, inuitam reddere, & recte accipere: ſed quæſtio in uno eorum eſt, locus in altero. Quoties uero à cauſis efficientibus ducitur argumentum, quæſtionem in effectis eſſe neceſſe eſt: ut in exemplo, quo quæritur, an qui ſatisdederit damni infecti uitium parietis præſtare cogatur. In hoc igitur, id eſt uitio parietis, quæſtio eſt: ſed de cauſa trahitur argumentum. Ducitur enim, non oportere præſtare, quoniam natura parietis cauſa fuerit uitij, non is qui de præſtando uitio ſatiſdediſſet. effectum igitur cauſæ, uitium parietis fuit. Itaque quæſtio quidem in effecto, locus uero eſſe conſideratur ex cauſa. At ſi ab effectis aliquid approbetur, locus in effecto, quæſtio in cauſa eſt conſtituta: ueluti cum quæritur, an mulier quædam, cuius bona uiri facta ſint dotis no-

mine, in uiri manum conuenerit. Quoniam ergo in manũ cõuentione perficitur, ut bona mulieris poſt eius mortem uir adipiſcatur argumentum ducimus ab effectis. Efficitur enim per in manum conuentionem, ut quæcunque ſunt mulieris, uiri fiant dotis nomine. Ergo cum ea quæ mulieris fuere, uir nomine dotis adipiſcitur, mulierem in manum uiri neceſſe eſt conuenire. Quæſtio itaque de muliere eſt, an in manum conuenerit. Argumentum uero ab effecto cauſa, id eſt, in manum cõuentionis: hoc uero eſt, quòd ea quæ fuere mulieris, uir nomine dotis acquirit. quo fit, ut quod quæritur in cauſa, locus uero ſit in effectis. A` comparatione uero maiorum ſi fuerit argumentum, quæſtio erit in minoribus: ut ſi quæratur, an in urbe aqua debeat arceri: defendaturq́; minime debere. neque enim fines reguntur. Ita in aqua arcenda quod minus eſt, quæſtio eſt: locus uero in finibus regendis, quod maius eſt. Contrarie uero, ſi à minore argumentum ducatur, erit id quod dubitatur in re maiore: ut ſi dubitetur, an fines in ciuitate regãtur; reſpondeamus, minime: quoniã ne aqua quidem arcetur. Ita id quod dubitatur, in re maiore conſiſtit: illud uero unde argumentum ſumitur, in minore. Et in comparatione parium, ſimilis ratio eſt. In uno enim eorum quæ ſunt paria, quæſtio conſiſtit: in altero locus intelligitur argumenti. ueluti cum quæritur, an ædium uſus biennio capiatur: id approbamus, quoniam fundorum quoque. Cum igitur paria ſint fundus atque ædes, quæſtio quidẽ de ædibus eſt: argumẽtũ uero ducitur à fundo. Ac de ui quidem locorũ, quoq́; à ſe modo quæſtiones et loci argumentorum ſeparentur, hæc dicta ſint. Nunc eorum ordinem breuiſſime cõmemorabo. Ex hoc itaque oritur omne iudicium, qui locus prior, qui ſit poſterior exiſtimandus, ſi eos terminos cõſideremus, qui in propoſita quæſtione uerſantur. Quæcunque enim his terminis propinquiora ſunt, hæc rectiſſime priora numerantur. Poſteriora uero, quantum à propoſitis longiſſime quæque receſſerint, id autem tali ratione clareſcet. Primum nanque locorum eſt diuiſa pluralitas in eos qui in ipſo ſunt de quo agitur, & in eos qui aſſumuntur extrinſecus. in quo præpoſitos eſſe intelligimus eos locos qui in ipſo ſunt, his locis qui trahuntur extrinſecus. Hic uero locus qui in ipſo eſt, in primas quatuor diſtribuitur partes: quarum prima eſt definitio, qui locus à toto eſt nũcupatus. idcirco autem primus à toto ponitur, quoniam nihil eſt alicui tam proximum, quàm propria definitio. Conſequitur enumeratio partium, quia poſt definitionem proximum locum partes tenere debent, quæ totum id, cuius partes dicuntur eſſe, coniungunt. His opponitur nota, quæ quaſi conuerſo modo definitio eſt. nam ſicut definitio explicat quod implicite nota ſignat, ita nota inuoluit, & confuſe indicat, quod patefacit atque expedit definitio. Nota uero tertia ideo eſt, quia definitio ſubſtantiam tenet, partitio ea dinumerat, quæ totum compoſitum iungunt: nota uero nihil efficit, ſed tantum deſignat. Poſt hæc quæ in ipſis terminis principaliter hærent, illa quæ ſunt affecta numerãtur, quæ iam nõ ipſis inſunt terminis, ſed eoſdem uelut exterius poſita conſequũtur. atque idcirco ſolum in ipſis eſſe dicuntur, quoniam ſine his eſſe non poſſunt, quorum prima ſunt coniugata. Nihil enim inter affecta ſic proximum eſt, quàm quod & re & nomine participat, niſi quòd parua nominis inflexione ſeiungitur. Nam id quod iuſtum eſt, & iuſtitia participat, & inflexo iuſtitiæ nomine nuncupatur, & in cæteris quidem coniugatis idem eſt. Poſt hæc adnumeratum eſt genus. Genus uero, quod cuiuslibet uniuerſaliter ſubſtantiã monſtrat, & quod multorum ſpecie diuerſorum ſubſtantialis eſt ſimilitudo, quod à propoſitis terminis paulo longius quàm coniugata ſeiungitur: quia tametſi ſubſtantiam monſtrat, tamen ne inflexo quidem uocabulo cum termini nomine copulatur, ſed longe lateq́; diuerſo. Huic adiuncta eſt ſpecies, quam formam Tullius appellauit, quia nihil eſt tam proximum generi quàm ſpecies. Species uero eſt, ſubſtantialis indiuiduorum ſimilitudo, & quod ſub genere ponitur. Poſt hanc ſimilitudo eſt conſtituta, etenim poſt illud idem quod in ſubſtantijs intelligitur, illud idem recte ponitur, quod in qualitate eſſe perpenditur. Paulatim uero res incipit à ſimilitudine recedere, nec ſtatim ad contrarium uenit, ſed prius differentiæ locum ſtatuit. Nam remota ſimilitudine nihil aliud occurrit prius, niſi differentia. Poſt hanc à contrario locum ducit, id eſt, à maxima differentia: rurſus ad amica ſibi affecta conuertitur, ſed non eo modo amica, quo ſunt ſimilia. adiuncta enim proponit, quæ non ſunt integræ ſimilitudinis, ſed inter ſe indicij & ueluti cuiuſdam rerum ſibi cohærentium propinquitatis. poſt adiuncta uero antecedentia Tullius poſuit. Poſt id enim quod aliquo modo iunctum eſt, aliquid neceſſe eſt aut antecedẽs, aut cõſequens intelligatur, prius itaque antecedens eſt, poſt conſequens collocatum eſt. Poſt hæc repugnantia dixit, ut quodammodo duplex ordo contrarietatum ac ſimilitudinum naſceretur. Prius enim poſuit à ſimili, à differentia, à contrario: atque hic uniuerſus ordo eſt ſimilium & contrariorum. Rurſus ab adiunctis, ab antecedentibus, à conſequentibus, à repugnantibus. Hic rurſus ſecundus ordo ſimilium & contrariorum eſſe deprehenditur. Sed primus ualde euidentior, quàm ſecundus: plus eſt enim ſimile eſſe, quàm adiunctum: plus eſt differre, quàm antecedere uel cõſequi: plus eſſe contrarium, quàm repugnans. & in ſuo quæque plenam retinent formam: uelut quia ſimilitudo propinquitatem quandam tenere debet, propinquius eſt id quod eſt ſimile ei cui ſimile eſſe conſideratur, quàm id quod adiunctum eſt ei, cui naturali uicinitate coniungitur. Rurſus quoniam differentia diſſimilitudinis author eſt, diſſimilius eſt id quod ab alio differt, quàm id quod conſequitur, uel antecedit. Rurſus quoniã contrarium longiſſime ab eo cui contrarium eſt oportet abſcedere: longius abſcedit contrarium quàm repugnans. Poſt hæc quid aliud reſtare poterat, quàm effectorum cauſas quærere? aut poſt effectorum cauſas quid aliud, quàm ipſarum cauſarũ perquirere effectus? Præterea à comparatione loci poſtremum ordinem tenent, quia ſiue ſimilitudinem, ſiue diſſimilitudinem in ſola obtinent quantitate. & de locorum ordine ſatis dictũ eſt. Illud præterea conſiderandum puto, num hi quoque argumẽtorum loci qui in ipſo hærent de quo quæritur, inter affecta iure nominentur: quandoquidẽ quæ affecta ſunt, idcirco eſſe dicuntur affecta, quia ſunt ad aliquid, & propoſiti termini relatione nectuntur. Nam & definitio alicuius eſt definitio, & totum partium totum eſt, & nota ſignificati nota eſt: ſed inſpicienda natura eſt ſingulorum, & uidẽdum, num ſimiliter hæc ad aliquid referatur, ut cætera. Nam definitio rem quam definit quodammodo explicat atque confirmat. Item partes rem cuius partes ſunt propria coniunctione perficiunt: nota uero eius intellectum communiter tenet. & cum hæc cætera quæ uocantur affecta nõ faciant, iure hæc non inter affecta ponũtur, ſed in eo quod uoluti efficiunt atque conformant, ineſſe dicuntur. Sed quoniam de ui atque ordine locorum ſufficienter dictũ eſt, nunc ad ſequentia tranſeamus. Præter omnia enim quæ ſuperius dicta ſunt, illud animaduertẽdũ maxime eſt, quia nõ ſi quid in argumẽtis fuerit ſumptũ, illud eorũ argumentorũ locus dicendus eſt, niſi non ſolum inſit argumentis, uerum etiã ab eo argumenta naſcantur. id quod dico, planiore liquebit exemplo. Si quod enim fuerit argumentum in quo ſumatur genus uel ſpecies, non ſtatim illud argumentum ex genere uel ſpecie tractũ eſſe dicitur, niſi ei argumento uires generis uel ſpeciei qualitas ſubminiſtret. Age enim, ſit quæſtio, an idem ſit animali eſſe, quod uiuere? Fiet argumentatio ſic. Non idẽ eſt animali eſſe, quod uiuere, quia ne inanimato quidẽ idem eſt eſſe, quod mori: plurima quippe ſunt inanimata, neque moriũtur.

nam

nam quæ nunquam uixere, ne mori quidem poſſe manifeſtum eſt. Hic igitur inanimatum genus eſt lapidum ac fuſilium metallorum, & ſumptum eſt in argumento: ſed non ex genere factum eſt argumentum, licet in eodem genus uideatur incluſum ſed potius à contrario. Namque cõtrarium eſt uitæ quidẽ mors animali autem inanimatum: ſed mori non ſequitur inanimatum, igitur ne animali quidem uiuere. Non ergo ex genere locus iſte dicendus eſt, ſed potius ex contrario, quamuis genus huiuſmodi contineat argumentum. Tunc enim locus eſſet à genere, ſi ab animalibus, uel à uiuendi genere argumentatio traheretur: uelut ſi ita fieret argumentũ, Animali eſſe ſubſtantia eſt: ipſum uero uiuere ſubſtantia non eſt, ſed in ſubſtantiam uenit: non eſt igitur idem uiuere, quod animali eſſe. à ſubſtantia igitur tractum eſt argumentum, a genere uidelicet animalis. Hoc igitur argumentum & genus continet, & ex genere ductum eſt: in priore uero & ſi genus continet, à contrario tamen ductum eſſe perpenditur. Illud enim ſemper ſpeculandũ eſt, non quid in argumento ſit, ſed ex quo ducitur argumentum. & in cæteris quidem eadem ratio tenenda eſt: neque eſt enim in ſingulis immorandum. Si quos enim diligentia decurſæ ſuperius expoſitionis exercuit, facile in reliquis colliget, quod uno declaratur exemplo. QVANDO ergo unuſquiſq; eorum locorum, &c.] Propoſitis breuiter argumentorum locis, eoſdem ſubtilius atque enodatius ſtatuit per ſuas partes, & conuenientia membra partiri. Ita enim locorum omnium diligentius natura conſiderabitur, ſi non confuſe ſolum, uerũ & diſtributim, & in ſuarum partium proprietate noſcantur. Dat uero hic multam inueniendorum copiam argumentorum. ut enim de definitione dicamus: ſi cunctas aliquis definitionum partes agnouerit, ex omnibus ſibi poterit argumenta cõquirere, eritq; in inueniendis copioſior argumentis eo qui quot ſint definitionis ſpecies ignorat. Ex tot enim definitionum partibus argumenta producet, quantas quis definitionum partes eſſe cognouerit. Is uero habebit plurimam locorum talium facultatem, quem definitionum diuerſitas non latebit. Ob hoc igitur M. T. quos confuſe atque indigeſte poſuit locos, nunc eoſdem diligentiore ratione partitur. ac primum illud preſſiore conſideratione tractandum eſt: quod ut dictum eſt, etiã loci ipſi res quædam ſunt. ſed eſſe intelliguntur loci, cum ab his trahitur argumentum. Ergo nunc Cicero non principaliter locos, ſed res ipſas diuidit, quæ ad argumentum ductæ ſpeciem ſumũt locorum. Definitio nanque & pars & nota res quædam ſunt: ſed cum ab his argumentum ducitur, loci fiunt. Cũ igitur M. T. res ipſas ita ut ſunt naturaliter partiatur, ſimul cum rebus diuidit locos. Si enim res una eſt à qua duci poterit argumentũ tum unus eſt etiam locus. at ſi illa diuiditur, quot partes eius rei fuerint, tot erunt etiam loci generis eiuſdem de quo argumẽta naſcuntur. Quæ cum ita ſint, cumq; primus omnium locus à toto ſit, id eſt, à definitione, prius quid ſit definitio declarat, ut patefacta rei natura ſpecies eius uel membra conuenienti ordine partiatur. Definitio, inquit, eſt oratio quæ id quod definitur explicat quid ſit: ſicut definitio eſt hominis, Animal rationale mortale. Dictum uero cautiſſime eſt Explicat. Nã quod nomen confuſe denunciat, id definitio per quædam ſubſtantialia membra diffundit. Quod enim confuſe nomine hominis declaratur, id aperit atque explicat definitio, dicens, hominem eſſe animal rationale & mortale. Nã niſi ita dixiſſet, potuerat eſſe cõmunis definitio generi quoque uelut hoc modo. Definitio eſt, quæ deſignat qd eſt id qđ definit, ſed genus quoq; deſignat qd eſt id de quo prædicatur, ſed nõ explicat. Sola. n. definitio explicat quid ſit, quæ oratione perficitur, genus uero &c. quæ ſingulis plerũq; nominibus proferuntur, minime. Explicat autẽ definitio id quod definitur, non quoquo modo, id eſt, non in eo quod quale, uel quantum eſt, non in quolibet aliorum prædicamentorum, ſed quid ſit, id eſt, eius quod definit ſubſtantiam mõſtrat. Ea uero definitio ſubſtantiam digerit, quæ ex genere differentiiſq; conſiſtit. hæc nanque uniuſcuiuſque ſubſtantiam ſignãt, ſicut in his dictum eſt, ubi de genere, ac ſpecie, differentia, proprio, accidentiq; dictum eſt. Ergo omnis definitio explicat, quid ſit id quod definitur. Ariſtoteles uero eodem penè modo definitionem determinat, dicens. Definitio eſt oratio, quid eſt eſſe ſignificans. Hanc M. T. partitur hoc modo. DEFINITIONVM autem duo ſunt genera prima.]

Omnem definitionem manifeſtum eſt ad aliquid dici, alicuius eſt enim ſemper definitio. Quæ uero ad aliquid dicuntur, quandam proprietatem ex his ſumant neceſſe eſt, ad quæ referuntur. Quo fit, ut ex his rebus quas determinat definitio, in ipſas definitiones quædam proprietas trãſferatur: ſed quia quod ad aliquid refertur, id non poteſt idem eſſe ei ad quod dicitur: propriam quoque ipſum quod refertur, ad aliud formam neceſſe eſt poſſidere. Eoq; fit, ut in definitionibus & ſua cuique inſit forma, & ea quam ab his accipiunt quæ definiunt conſideretur. Quod M. T. uidens, primum diuidit definitiones ſecundum ea quæ definiuntur, quarum genera duo eſſe proponit: unum earum rerum quæ ſunt, alterum earum quæ intelliguntur. Has igitur definitionum differentias ex his uidetur ſumpſiſſe quæ in definitione monſtrantur. Omnia enim quæ definiuntur, aut corporalia ſunt, aut incorporalia. Res enim omnes in hæc primitus diuiduntur. Ea uero quæ corporalia ſunt eſſe dicit, ea quæ incorporalia ſunt non eſſe. Non quòd omnino ea quæ incorporalia ſunt non ſint, alioquin nec definitionẽ ſuſciperent. Nam ſi definitio eſt quæ explicatur id quod definitur quid ſit, eius rei quæ omnino non eſt, nec quid ſit explicatio ulla eſſe poteſt. Sed quia humanum genus ſenſibus degit, id maxime eſſe arbitratur, quod ſenſuum comprehenſioni ſubijcitur. Quis enim ſibi non magis lapidem ſcire uideatur, aut hominem, quàm iuſtitiã, uel hereditatem, uel quidquid aliud non ſenſibus, ſed intelligentia comprehendit? unde fit, ut propter euidentiam cognitionis ea magis eſſe uideantur, quæ ſubiecta ſunt ſenſibus; ea minime, quæ intelligentia ratione capiuntur. Sed id ſciendum eſt, M. Tulliũ ad hominum protuliſſe opinionem, non ad ueritatem. Nam ut inter optime philoſophantes cõſtitit, illa maxime ſunt, quæ longe à ſenſibus ſegregata ſint: illa minus, quæ opiniones ſenſibus ſubminiſtrant. Vnde etiam idem Cicero in Timæo ait. Quid eſt quod ſemper ſit, nec ullum habeat ortum? & quod gignatur, nec unquam ſit? Quorum alterum intelligentiæ ratione comprehenditur, alterum affert opinioni ſenſus rationis expers. Hic igitur id quod ſemper ſit, rationi adiecit: id uero quod nunquam ſit, ſenſibus iunxit. Sed, ut dictum eſt, corporea eſſe, & incorporea non eſſe, non ad ueritatem, ſed ad communem quorumlibet hominum opinionem loquutus eſt. Ponit igitur exempla earum quidem rerum quæ ſunt, formas quaſdam corporalium rerum: ut fundum, ædes, parietes, ſtillicidium, atque id genus: quæ corporalis eſſe hac ratione oſtendit, quoniam cerni tangiq; poſſunt. Earum uero rerum quæ non ſunt, exempla poſuit, uſucapionem, tutelam, gentem, cæteráq; quæ ſunt incorporea. quæ ex hoc incorporea eſſe monſtrauit, quòd ait ea tangi demonſtrari'ue non poſſe, ſed intelligentia atque animo comprehendi. Cur uero ea non eſſe dixerit, ſuppoſuit ratione, dicens nullum quaſi corpus earum rerum eſſe, nec molem aliquã quæ feriat ſenſum. Quod enim corpus eſſe poteſt uſucapionis? Nã ipſa quæ uſucapiuntur, corporea ſunt: ipſa uero uſucapio corporea non eſt. Ipſa enim per utendi conſuetudinem poſſidendi firmitudo, quod nam corpus habere poteſt? Item quod quis tutela regit, corporale eſt: homo nanque eſt. Ipſa uero cura tutelæ, atque ipſum ius alium tuendi, nihil omnino corporis habere poteſt. Homines quoque qui in eadem gentilitate

ſunt, corporei ſunt. Ipſa uero gentilitas, id eſt, communis nominis liberorum ſocietas, ut Scipionum, Valeriorum, & Brutorum, certe incorporea eſt: ſed quædam earum rerum incorporalis animi conceptio eſt atque intelligentia, quam notionem uocauit. Ipſa enim imaginatio uſucapionis uel tutelæ atq; intellectus incorporalis rei notio dicitur, quam Græci ἔννοιαν uocant. Diuiſit igitur definitionem in has duas partes, ſcilicet ſecundum ſubiecti differentias, ut alias quidem eſſe diceret definitiones earum rerum quæ ſunt, id eſt, corporalium: alias uero rerum quæ non ſunt, id eſt, incorporalium. Hinc quæri poteſt, quod etiam ſuperius breuiter commemoraui, quónam modo definitio non inter affecta numeretur, cum omnis definitio ad aliquid eſſe uideatur. Idcirco enim affecta eſſe dicta ſunt, ſimilitudo, contrarium, &c. quoniam ſemper ad aliquid referuntur. Quod ſi etiam definitio refertur ad aliquid, nec eſt abſolutæ ac propriæ conſiderationis, ea quoque inter affecta ponenda eſt. ſed occurritur, quoniam ea quæ affecta ſunt tanquam umbræ quædam corpus, ita extra poſita, non poſſunt id relinquere ad quod probantur affecta. & aut omnino ſubſtantiã eorum ad quæ affecta ſunt non ſignant, ut contrarium, ſimile, & cætera: aut ſi quando deſignant, una quædam pars intelligitur eſſe ſubſtantiæ, uelut genus, ſpecies, differentia. Non enim genus tota ſubſtantia eſt ſpeciei, quandoquidem non ſolum genus ſpeciem format, ſed differentia quoque: nec differentia totam ſubſtantiam continet formæ, quandoquidem non ſolũ differentia ſpeciem perficit, ſed etiam genus: ipſa uero ſpecies quædam generis pars eſt. At uero definitio, & ſi ad aliquid eſt, tamẽ totam ſubſtantiam monſtrat, atque exequitur ei rei quã definit, & ſubſtantiam perficit: ut neque extra poſita ſit, ſicut ſimilitudo & contraria, neque pars eius ſubſtantiæ ſit, quam definitione determinat, ſed potius ipſa ſubſtantia ſit. Ac de hac quidem re ſatis dictum eſt: idem uero de partibus dici poteſt. nam coniunctæ partes totum id efficiunt, cuius partes ſunt. Nota quoque totum ſignat id quod deſignat, atque omnia coæquantur, & definitio definito, & partes toti, & nota rei quam ſignificatione declarat, ſi non ſit unica, uel æquiuoca, uel ſi rei quæ deſignatur non ſit multiuoca. Sanè illud dubitari rectè poteſt, cur cum dixiſſet duo genera eſſe definitionum, non ipſas definitiones partitus eſt, ſed quæ definiuntur, id eſt, corporale atque incorporale. Quod idcirco dictum uidetur, quia definitio cum ſit ad aliquid, ut dictum eſt, quandam capit ex his, quorum ſubſtantiam determinat, qualitatem.

A T Q V E etiam definitiones aliæ ſunt partitionum, &c.]

Quoniam definitio ita ex ſubiecta re quam definit proprietatẽ capit, ut tamen formam propriam non relinquat, idcirco poſt eas differentias definitionum, quæ ab his rebus tractæ ſunt, quæ definiebãtur, nunc à propria forma definitionum differentias tradit. Propria uero forma uniuſcuiuſque cõpoſiti in ſuis partibus conſtant. itaque ex partibus definitionum tales differentias docet, quòd aliæ definitiones per diuiſionem, aliæ per partitionem fiunt. Definitur enim res quælibet, dum aut eius ſpecies omnes enumerantur, aut partes. partes uero à ſpecie quid differant, paulo poſterius dicam. nunc exponenda arbitror Ciceronis exempla: dat enim partitionis exemplum hoc. Sit enim propoſitum, definire quid ſit ius ciuile, dicemus ita: Ius ciuile eſt, quod in legibus, ſenatuſconſultis, rebus iudicatis, iuriſperitorum authoritate, edictis magiſtratuum, more, æquitate conſiſtit. Lex igitur eſt, quam populus centuriatis comitijs ſciuerit. Senatuſconſulta ſunt, quæ fuerint ſenatus authoritate decreta. Res iudicatæ ſunt, quæ inter eos qui ſuper aliqua re ambigunt, ſententiis iudicum fuerint conſtitutæ, quarum exemplo cætera quoque iudicãtur. Iuriſperitorum authoritas eſt, eorum qui ex duodecim tabulis, uel ex edictis magiſtratuum ius ciuile interpretati ſunt, probatæ ciuiũ iudicijs creditæq; ſententiæ. Edicta magiſtratuum ſunt, quæ prætores urbani, uel peregrini, uel ædiles curules iura dixere. Mos eſt, quod in ciuitate ſolitum eſt fieri. Aequitas eſt, quod naturalis ratio perſuaſit. Hæc igitur omnia unam formam iuris efficiunt, tanquam partes, uelut hominem, caput, brachia, thorax, uenter, crura, atque pedes. Partitio eſt, ut ipſe ait, quæ unamquamque rem propoſitam quaſi in membra diſcerpit. Alteram uero partem definitionis, quæ per diuiſionem ſpecierum fit, tali monſtrat exemplo. Definit enim quid ſit abalienatio eius rei quæ mancipi eſt, dicens. Abalienatio eſt eius rei quæ mãcipi eſt, aut traditio alteri nexu, aut ceſſio in iure, inter quos ea iure ciuili fieri poſſunt. Nam iure ciuili fieri aliquid non inter alios, niſi inter ciues Romanos poteſt, quorum eſt etiam ius ciuile, quod duodecim tabulis continetur. Omnes uero res quæ abalienari poſſunt, id eſt, quæ à noſtro ad alterius tranſire dominium poſſunt, mancipi dictæ ſunt. Mancipi res ueteres appellabant, quæ ita abalienabantur, ut ea abalienatio per quandam nexus fieret ſolennitatem. Nexus uero eſt, quædam iuris ſolennitas, quæ fiebat eo modo, quo in inſtitutionibus Caius exponit. Eiuſdem autem Caij lib. I. Inſtitutionum, de nexu faciendo hæc uerba ſunt. Eſt autem mancipatio, ut ſupra quoq; indicauimus, imaginaria quædam uẽditio, quod ipſum ius proprium Romanorum eſt ciuium: eaq; res ita agitur, adhibitis nõ minus quam quinque teſtibus ciuibus, Romanis puberibus, & præterea alio eiuſdem conditionis, qui librã æneam teneat, qui appellatur libripens. is qui mancipium accipit, æs tenens ita dicit. Hunc ego hominem ex iure Quiritium meum eſſe aio, iſq; mihi emptus eſt hoc ære, æneaq; libra. Deinde ære percutit libram, idq; æs dat ei à quo mancipium accipit, quaſi pretij loco. Quæcunque igitur res lege duodecim tabularum aliter niſi per hanc ſolennitatem abalienari non poterant. ſui iuris autem cæteræ res, nec mancipi uocabantur, eædem uero etiam in iure cedebantur. Ceſſio uero tali fiebat modo, ut ſecundo cõmẽtario idem Caius expoſuit: in iure aũt ceſſio fit hoc modo. Apud magiſtratum popu. Rom. uel apud prætorem, uel apud præſidem prouinciæ, is cui res in iure ceditur, rem tenens ita uẽdicat. Hunc ego hominem ex iure Quiritium meum eſſe aio. deinde poſtquã hic uindicauerit, Prætor interrogat eum qui cedit, an contra uindicet: quo negante aut tacente, tunc ei qui uindicauerit, eam rem adijcit, idq; legis actio uocabatur. Res igitur quæ mancipi ſunt, aut nexu, ut dictũ eſt, abalienabãtur, aut in iure ceſſione. Has autẽ ſolennitates quaſdam eſſe iuris, ex ſuperioribus Caij uerbis oſtenditur. At ſi ea res quæ mancipi eſt, nulla ſolennitate interpoſita tradatur, abalienari non poterit, niſi ab eo cui traditur uſucapiatur. Quæ cum ita ſint, rectè definita eſt ſecundum diuiſionem ab alienatio rei mancipi, ſcilicet quæ aut nexus traditione, aut in iure ceſſione perficitur. Nam pura traditione abalienato rei mancipi non explicatur. ſpecies uero has eſſe, nõ partes, hinc intelligitur, quia ſi quis nexu abalienet rem mancipi, id quod ſuũ fuit, in alterius poteſtatem pleno iure tranſtulerit, quòd ſi etiã in iure cedat, plenũ abalienationis ius erit: ubi autem plenũ nomen eius quod diuidunt partes ſuſcipiunt, illud genus et has ſpecies eſſe, paululũ quoque dialectica cognitione imbutus intelligit. Quæ cum ita ſint, diuiſæ Cicero definitionẽ in duas partes: unam, quæ partium enumeratione fieret: alteram, quæ per partium diuiſionem. utraque uero definitio partes enumerat: ſed hoc intereſt, quia hæc quidem ſpecies, illa uero membra partitur. Hic ſuboritur quæſtio ualde difficilis. Nam ſi definitio eſt etiam partitio, mirum uideri poteſt, quemadmodum alter ſit à definitione locus, alter à partium enumeratione: quæ res maximam confuſionem præſtat. Nam cum ſuperius in locorũ enumeratione, alter à definitione locus, alter ſit à partium enumeratione propoſitus: cumq; enumerationem nunc partium, uel diuiſionem

definitionis

definitionis ſpecies eſſe confirmet, non eſt dubium, quin cũ idem ſit partium enumeratio, quod definitio (idem nanque eſt ſpecies quod genus) idem locus ſit à definitione, qui eſt à partium enumeratione. Cuius quæſtionis ualde difficilis, facilior abſolutio eſt, ſi definitionum ipſarum formas ac diſtãtias colligamus. Multis nanque fieri modis definitio poteſt, inter quos unus eſt uerus atque integer definitionis modus, qui etiam ſubſtantialis dicitur, reliqui per abuſionem definitiones uocantur. De quibus omnibus paulo poſterius integram faciam diuiſionem. Nũc in commune ſic diſſeram. Nam quia omnis definitio explicat, quid ſit id quod definitur: explicatio autem fit duobus modis: uno quidem, cum pro re minime cognita planius aliquid affertur: alio uero, cum fit quadam partium enumeratione: de priore quidem modo poſterius. Nunc uero de enumeratione partium ita dicẽdum eſt, quòd omnis definitio quæ per partium enumerationem fit, quaſi quædam partitio recte intelligitur. Dictum eſt, id quod in nomine confuſe ſignificatur, in definitione, quæ fit enumeratione partium, aperiri atque explicari: quod fieri non poteſt, niſi per quandam partium nuncupationem: nihil enim dum explicatur oratione, totum ſimul dici poteſt. Quæ cum ita ſint, cumq; omnis huiuſmodi definitio quædam ſit partium diſtributio, quatuor id modis fieri poteſt. Aut enim ſubſtantiales partes explicantur, aut proprietatis partes dicuntur, aut quaſi totius membra enumerantur, aut tanquam ſpecies diuiduntur. Subſtantiales partes explicantur, cum ex genere ac differentijs definitio conſtituitur. Genus enim quod ſingulariter prædicatur, ſpeciei totum eſt: id etiam genus ſumptum in definitione pars quædam fit. non enim ſolum ſpeciem complet, niſi adijciantur etiam differentiæ, in quibus eadem ratio quæ in genere eſt. Nam cum ipſa ſingulariter dictæ totam ſpeciem claudant, in definitione ſumptæ partes ſpeciei fiunt, quia non ſolum ſpeciem quidem eſſe deſignant, ſed etiam genus. huius exemplum eſt, Homo eſt animal rationale mortale. Cum ergo tota definitio homini coæquetur, totiuſq; definitionis partes ſint, tum animal, tum rationale, tum mortale, ipſius hominis partes eſſe uidentur ſingula quæ eiuſdem definitionis partes ſunt. hæc igitur proprio nomine definitio nuncupatur. Item eſt illa definitio, quando in unum accidentia colliguntur, atque ex his unum aliquid efficitur: & eſt ueluti quædam partium enumeratio, non in ſubſtantia, ſed in quadam accidentium collectione poſita. huius exemplum eſt, Animal eſt, quod moueri propria uolũtate poſſit. animali nanque & motus eſt accidens, & uoluntas, & poſſibilitas: ſed hæc iuncta perficiunt animal, non ſubſtantialiter conſtituentia, ſed per quædam accidentia deſignantia, quæ animalis quaſi quædam partes ſunt: & hæc Deſcriptio nuncupatur. At ſi non accidentia rei, ſed quaſi membra quædam dicamus, ex quibus componitur atque coniungitur: atque inde definitionem facere tentemus, hoc modo dicemus. Domus eſt, quæ fundamento, parietibus, tectoq; conſiſtit. Hic membra quædam ſumpta ſunt ad definitionem, quibus res tota coniungitur, & hæc uocatur per enumerationem partium definitio. At ſi quis ita definiat, ut non in definitione ponat membra, ſed ſpecies, à diuiſione ſpecierum definitio nuncupatur: uelut ſi quis hoc modo pronunciet, Animal eſt ſubſtantia, quæ uel ſenſu tantum, uel ſenſu & ratione nitatur. hæc igitur quatuor à ſe differre manifeſtũ eſt. In ea nanque definitione quæ per ſubſtantiales partes efficitur, ſingulæ partes maiores eſſe uidentur, & ſubſtantialiter uniuerſaliores ab ea re quam definiunt: ut animal maius ab homine, mortale etiam atque rationale, ſingula hominis tranſgrediuntur naturã: quæ in unũ conuenientia, eidem quo ſigillatim maiora ſunt, coæquantur. Accidentia uero quæ in definitione ponuntur, omnino à ſubſtantiæ ratione disiuncta ſunt: in ea quoque definitione quæ ex partium enumeratione perficitur, talia ſunt quæ enumerãtur, ut ſingula totius definiti nomen capere nõ poſſint: atque idcirco eodem minora ſunt, ut fundamenta non poſſunt domus uocabulo nuncupari, & fundamenta domo minora ſunt, itẽq; cæteræ partes. At uero in ea definitione quæ per diuiſionẽ fit, ſingula quidem partes tota ea re qua definitur minores ſunt, totum tamen definitæ rei nomen excipiunt: ut rationale nomẽ capit animalis, eodem modo irrationale. Quibus ita diſcretis, quotieſcunque ab ea definitione quæ per ſubſtantiales partes efficitur, uel ab ea quæ per accidentium enumerationem colligitur, argumentatio fit, à definitione, id eſt, à toto tractum dicitur argumentum. Quoties uero ab ea, quæ uel per membrorum enumerationem, uel per ſpecierum diuiſionem perficitur, argumentatio fit, ab enumeratione partium argumentum ductum eſſe perhibetur. Sed M. Tullius quia iam partitionem definitionis ingreſſus eſt, etiam hanc interpoſuit, quæ non ad definitionis, ſed ad locum enumerationis partium pertinebat. Huius uero rei argumentum eſt, quia cum poſt de eiſdem locis latius tractans, de enumeratione partium loqueretur, nullam aliam enumerationem partium poſuit, niſi eã quam nunc definitionis ſpeciem dixit: nec tamen eſt arbitrandum, omnem partitionem definitionis locum poſſe obtinere, ut ſi quis ſic dicat, fundamenta, parietes, & tectum, domus eſt, id non eſſe neceſſe. Poteſt nanque eſſe porticus publicis uſibus deſtinata: poteſt item aliud quodlibet, ut theatrum. quod propter ſonitus ampliores exhibendos tegi ſolet. Sed id nunc intelligere nos oportet, poſſe per partitionẽ aliquid ſæpe definiri, cum partium illa collectio unam rem tãtum poſſit efficere: ut ſi nihil eſſet aliud, quod fundamenta, parietes, atque tectum poſſet habere, niſi domus, iure definitio facta eſſe uideretur, domum eſſe, quã fundamẽta, parietes, tectũq; perficiũt. SVNT & alia genera definitionũ.] Hunc locũ Victorinus unius uoluminis ſerie aggreſſus exponere, et omnes definitionũ differentias enumerare, multas interſerit, quæ definitiones eſſe pene ab omnibus reclamantur. Inter definitiones enim ponit & nomina, quod ſpecialiter Ariſtoteli in omni doctrinarum genere peritiſſimo non uidetur, pernegatq; id in Topicis, nomine fieri definitionem: ueluti ſi quis dicat, quid eſt conticeſcere? & reſpondeatur, tacere: hæ nullo modo definitiones habendæ ſunt, quod etiam ex ipſius M. Tullius definitione approbari poteſt, per quam definitio quid eſſet oſtendit. Dixit enim eſſe definitionem orationẽ, quæ id quod definitur explicat quid ſit: ſed cum nomen non ſit oratio, manifeſtum eſt, nomine definitionem non poſſe conſtitui, cum præſertim ne omnia quidem quæ oratione promuntur, atque aliquid oſtendunt, proprio definitionis nomine ſignẽtur, ueluti deſcriptiones, omniaq; alia quæ non ex ſubſtantialibus partibus. ſed ex quolibet alio modo coniunctis efficitur: quod ne ipſe quidem Victorinus ignorat. Sed uidetur id definitionis loco ipſe ſibi Victorinus ad differendi ſumpſiſſe propoſitum, quòd quoquo modo rem ſubiectam poſſit oſtendere. Idcirco enim nomen quoque in definitionum numerum recepit, quoniã ſæpe notiore uocabulo fit clarius, quod ignotiore antea prolatum latebat. Idcirco etiam nos ſuperius diximus, explicationem fieri duobus modis. Vno quidem, cum pro re minime cognita planius aliquid afferatur. Alio uero, cum fit per quãdã partium enumerationem, ut ea quidẽ explicatio, in qua notius aliquid affertur, nominis ſit: ea uero quæ fit per partium enumerationẽ, orationis. quãquã etiã ipſis orationibus ſemper planius aliquid afferatur, quo notius fiat illud, de quo diſſeritur. Vt igitur nihil expoſitio prætermittat, & definitionis proprietas appareat: itaque omnia in notitiã deducãtur, ut nec uera definitio neſciatur, et quæ nõ ſit proprie ueréq; definitio ſub ſcẽtiã cadat, talis definitionũ differẽtia faciẽda eſt. Definitionum enim aliæ propriæ definitiones ſunt, aliæ abuſiuo nuncupan-

tur modo. ac propria quidem definitiones ſunt, quæ ex genere differentijsq; conſiſtunt: uelut hic homo eſt animal, rationale, mortale. Hic enim animal genus eſt, rationale uero & mortale differentiæ. Earum uero definitionum quæ nõ propriè, ſed abutẽdo definitiones uocantur, aliæ ſunt quæ ſingulis nominibus denotãtur, aliæ uero quas explicat ac depromit oratio. Atque illarum quidem definitionum quæ tantum nomine ſignantur, aliæ ſunt quæ κατὰ ἀντίλεξιν, id eſt, ad uerbum fiunt, cum pro nomine redditur nomen: uelut ſi dicat aliquis. Quid eſt conticeſcere? & reſpondeatur, tacere: quid eſt hauſit? percuſſit. Aliæ uero, quæ exempli gratia ponuntur: ut cum uolumus deſignare, quid eſt ſubſtantia, exempli gratia dicimus, homo. Hæc uocatur græce τύπος. quæ idcirco, ut dictum eſt, inter definitiones ponitur, quoniam id quod quolibet modo aliquid deſignat, eius quod deſignatur, et ſi non propriè, tamẽ aliquo modo uidetur eſſe definitio. Earum uero definitionum quæ in oratione conſiſtunt, neque tamen ſunt propriæ, multæ ſunt diuerſitates: quarum eſt omnium nomen cõmune, deſcriptio. Harum aliæ ſunt partitione, aliæ diuiſione, de quibus ſuperius dictum eſt: aliæ uero ſubſtãtiales quidem differentias ſumunt, ſed genus non adijciunt. atque hæc quidem à Victorino ἐννοηματικὴ dicitur, quaſi quandam communem continens notionem: uelut ſi quis dicat, Homo eſt, quod rationali conceptione uiget, mortalitatiq; ſubiectum eſt. hic igitur genus poſitum non eſt, ſed differentiæ ſubſtantiales. Aliæ uero ſunt, quæ pluribus quidem qualitatibus deſignant, accidentibus tamen, ita ut ſingulæ qualitates etiam nõ coniungantur, poſſint tamẽ quod demonſtrantur efficere: ut homo eſt, ubi pietas, ubi æquitas, & rurſus ubi malitia uerſutia'ue eſſe poſſunt. nam etſi cætera nullus adiungat, ſufficit ad oſtendendum hominem dicere, ubi pietas ineſſe poſſit, uel ubi iuſtitia, uel cætera. hæc uocatur, ποιότης. Aliæ uero ſunt, quæ pluribus in unum accidentibus coniũctis efficiuntur: ut ſi quis luxurioſum definire uelit, dicens, Luxurioſus eſt, qui pluribus & non neceſſarijs ſumptibus in delicias affluit, & in libidinem fertur effuſior. omnia enim coniuncta, luxurioſum uidentur efficere, ſingula uero minime. hæc uocatur hypographice. Aliæ quoque ſunt eo modo, ut ad ſignandam differentiam proponantur in ijs rebus, quæ diſcreto fine coniunctæ ſunt: ut ſi dubitet quis, Nero imperator ne an tyrannus fuerit: dicit eum tyrannum fuiſſe, quoniam crudelis fuerit atque intemperans. Hæc enim adiuncta differentia, ita tyrannum ab imperatore ſeiungit. aut etiam ſi de eodem tyranno atque rege dubitetur, quid uterque ſit, iuncta differentia utroſque deſignat: ut ſi temperantia quidem regi, uel pietas, tyranno uero & intemperantia & crudelitas conuenire dicatur. hæc uocatur κατὰ διαφοράν. Alia, quæ per tranſlationem dicitur: ut eſt, Adoleſcentia eſt flos ætatis. Illa quoque definitio eſſe dicitur, quæ fit ex priuatione contrarij: ut, Bonũ eſt quod malum non eſt. Illam quoque definitionem Victorinus ponit, quæ tantum proprijs nominibus aptari poteſt. quæ etiam ὑποτύπωσις appellatur: ut, Aeneas eſt Veneris & Anchiſæ filius. Præter has etiam illa eſt, quæ fit per indigentiam pleni: ut, Quadrans eſt, cui dodrans deeſt, ut ſit aſſis. Ponit etiã Victorinus inter differentias definitionum illam quoque, quæ per quandam laudem fieri poteſt: ut, Lex eſt mens, et animus, & conſilium, & ſententia ciuitatis, quod maxime ratione caret. Non enim laudis modus ille faciet differentiam. illa enim conſideranda ſunt, quæ in definitione ponuntur, non quo animo conſtituta ſint. Quòd ſi recipienda fuit laudandi uoluntas inter differentias definitionum, cur nõ uituperandi quoque uoluntas aliam differentiam definitionis efficiat? Sed hoc apertiſſime inconueniens, & ueritati uidetur eſſe contrarium. Fiunt etiam definitiones per proportionem: ut ſi quis dicat, Homo eſt minor mundus. ſicut enim mundus ratione regitur, ita quoq; quoniam homo multis partibus iunctus, habet tamen in omnibus rationem ducem, minor mundus dici poteſt. Fiunt etiã definitiones à relationibus, cum dicitur, quid eſt pater? reſpõdetur, cui eſt filius. Cauſa quoque ſolet efficere definitionem, ut cum dicimus, quid eſt dies? reſpõdetur, ſol ſup terrã eſt. cauſam enim, id eſt ſolem, pro re ipſa cuius cauſa eſt, interpoſuimus, atque ita diem definitione monſtrauimus. Hæ ſunt definitionum differentiæ, quas in eo libro quem de Definitionibus Victorinus edidit, annumerauit. quas M. T. prætermiſit eo nomine, quòd eas minime neceſſarias exiſtimauit. Nos uero ne quid perfecto deeſſet operi, etiam quæ ſunt à Cicerone prætermiſſa ſubiecimus.

SIC igitur ueteres præcipiunt.] Definitionis ratione propoſita, diuiſaq; per ſingulas partes, tum materiæ, tum etiam formæ: materiæ quidem, cum definitionem eſſe dixit uel earũ rerum quæ corporea eſſent, uel earum quæ incorporea: formæ uero, cum aut partitionibus, aut diuiſionibus definitiones fieri docuit, prætermiſſisq; cæteris, quæcunque ad propoſitum opus minime pertinerent, nunc quod utiliſſimum eſt, maximeq; totam definitionum intelligentiam ſignificare poteſt, exequitur: id autem eſt, qui ſit in omnibus, quæcunque quomodolibet fiunt, definitionis modus. Eſt autem una atque omnibus communis definiendi ratio, ut ex communitatibus inter ſemet iunctis atque compoſitis, in unam proprietatem rei definitio colligatur. Omnia enim quæ cõmunia atque uniuerſalia ſunt, ſi quid eis fuerit adiectum, determinatione minuuntur, & ad particularitatem redeunt, atque eo ambitu quo concludebant, cuncta cohibentur: ueluti cum generi adijcitur differentia, & fit ſpecies. Nam cum genus per ſe proprio ambitu multas ſpecies cõtineat, ei ſi propriam adijcias differentiam, minuitur, et in quãdã quodammodo particularitatem redit: ueluti cum dicimus animal, hoc nomen multa cõcludit. At ſi ei rationale adijcias, faciasq; animal rationale, minus erit à ſimplici. minus nanque eſt animal rationale, à ſimpliciter animali: ita additio differẽtiæ, quod maius fuit, in particularitatem quandam redegit, atque cohibuit. Quoties igitur aliqua res definienda eſt, ſumitur id quod ei cum plurimis alijs cõmune eſt. huic adijciuntur differentiæ, ſtatimq; neceſſe eſſe minuatur id quod fuerat pluribus cõmune. & ſi hac differentiæ additione in tantum modum decreuerit, ut rei quæ definitur fiat æqualis: alias differentias colligere atque aptare non neceſſe erit, ſed idipſum quod ita decreuit, ut æquale ſit ei quod definitur, definitionem eſſe neceſſe eſt. At ſi adhuc amplior ſit ab ea re quæ definitur, quæramus neceſſe eſt aliã differentiã, qua adiuncta, numerus quidẽ creſcat, uis autem communitatum differentiarum additione decreſcat. Atque id hactenus faciendum, quatenus (ut dictũ eſt) ea quæ ad definitionem ſumuntur, ei quod definiendum eſt, adæquentur. Vt igitur id non ratione ſolum, uerum conuenienti quoq; clarius fiat exemplo, ſumatur res notiſſima ad definitionem: id ſit homo. huius igitur ita quærimus definitionẽ: ſumimus quod ei cũ pluribus alijs cõmune eſt, id eſt, animal. dicimus igitur hominem eſſe animal, nondum eſt definitio. Primum quia, ut dictum eſt, per nomẽ definitio reddi non poteſt. Dehinc, quia animal maius eſt homine. ut igitur minuatur animal, & homini coæquetur, addimus differentiam: qua adiuncta rerum quidẽ numerus creſcit, uis autẽ rei atque amplitudo minuitur. addo igitur rationale, efficioq; animal rationale: minimus eſt igitur animal rationale, quàm propriè animal. Dico aũt hominẽ eſſe animal rationale, ſed id nõdũ coæquatur ad hominẽ: poſſunt enim eſſe animalia rationabilia, ſicut Platoni quoque de aſtris placet, quæ homines nõ ſunt. Addo igitur ruſus aliã differẽtiam, ſi quo modo iterum definitio contrahatur, ut fiat homini quod definitur æquale. Adiungo igitur mortale, ac dico hominem eſſe animal rationale mortale: id æquatur ad hominem. nam & qui homo eſt, animal rationale mortale eſt;

& quod

& quod animal rationale mortale, homo eſt. Dico igitur, hominis hanc eſſe definitionem, quæ ex pluribus communibus iunctis, unum tamen quiddam proprium homini, atque æquale cō fecit. Atque in cæteris definitionibus eadem ratio eſt, ut definitiones fiant collectis communitatibus, in unumq; copulatis, cum neceſſe ſit illa copulatione quæ communia ſunt contrahi, atque in minorem cohiberi modum, eiq; quod definitur ex communitatibus cōiunctis aliquid proprium atque æquale componitur. Hoc eſt igitur quod ait Cicero, hūc eſſe definitionis modum cū ſumpſeris ea quæ ſint ei rei quam definire uelis, cum alijs communia, uſque eo perſequi, ut proprium efficiatur, quòd nullam in aliam rem transferri poſſit, ut his uerbis & hæc ſententia breuiter ſignare uideatur, hanc eſſe definitionem quæ ex ſubſtantialibus cōmunitatibus iuncta, atque in minorem modum redacta, ſit ei rei quæ definitur æqualis. exempla uero quæ ponit huiuſmodi ſunt. Vnum definiendæ hæreditatis, alterū gentilitatis. hæreditatis quidem, hoc modo: Hæreditas eſt pecunia. cōmune hoc, & multis alijs eſt conueniens, quæ hæreditates nō ſunt, uel donationibus, uel furtis, uel quibuslibet alijs pecuniarijs rebus, quæ minime ſunt hæreditates. Huic igitur pecuniæ addendum aliquid fuit, id eſt, quæ morte alicuius ad quempiā peruenit. Hæreditas enim pecunia eſt, ad quempiam morte perueniens: ſed ne id quidem plenum hæreditatis explicat intellectum. Commune nanque eſt, & pecuniæ mortuorum pluribus teneri modis poſſunt: uelut ſi bello quis uictus eſt, ac ſpoliatus. addendum igitur eſt aliquid iure, ut ſit hæreditas pecunia, quæ morte alicuius ad quempiā iure peruenit: hæreditates enim iure capiuntur. Videatur forſitan hoc loco definitionem poſſe cōſiſtere, ſed minime. Quid enim ſi legata pecunia eſt, hæreditas quidem dici non poteſt, capta tamen morte alicuius iure pecunia eſt, Nam teſtamenta iure fiunt, pecunia etiam iure legatur: adijciendum eſt aliquid, id ſcilicet, quo ab hæreditatibus legata ſeparentur, ut dicamus hæreditatem eſſe pecuniam morte alicuius ad quempiam peruenientem iure, quæ legata nō ſit. Num ſatis eſt definitionis? minime. Quid enim ſi meum quidē dominium ſit fundi, uel alicuius pecuniariæ rei: alterius uero uſusfructus. nam morte eius cuius uſusfructus competit, ad me res illa reuertitur, quæ in meo dominio proprietatis iure tenebatur, neque tamen hæreditas eſſe poteſt. adijciendum igitur eſt, minime poſſeſſione eſſe retentam, id eſt, ut proprietatis poſſeſſione id quod morte alicuius iure non legatum peruenit, non retineatur. Hoc autem modo poſſeſſione retineri poteſt, ſi ſit noſtra proprietas, & eius qui deceſſerit uſusfructus. Coniuncta igitur omnia in unum, faciunt hæreditatis definitionē, hoc modo. Hæreditas eſt pecunia, quæ morte alicuius ad quempiā peruenit iure, non legata, neque poſſeſſione retenta. Hæc definitio eſt æqualis hæreditati. nam ut hæreditas pecunia eſt morte alicuius ad quempiam perueniens iure non legata, neque per poſſeſſionem retenta: Ita quæcunque pecunia alicuius morte ad aliquem iure peruenerit, neque legata ſit, neque retenta, hanc hæreditatem eſſe neceſſe eſt. Sed cum M. T. ad eum uſque locum definiendo ueniſſet, ut diceret hæreditatem eſſe pecuniam, quæ morte alicuius ad quempiam perueniſſet, iure ait, iam à cōmunitate res disiuncta eſſe uidebitur, ut ſit explicata definitio ſic. hæreditas eſt pecunia quæ morte alicuius ad quēpiā iure peruenit: idq; ita dictū eſt, quaſi iam plena facta ſit definitio. Quid enim eſt aliud explicatam eſſe definitionem, & à communitate disiunctam, niſi perfectam, & cui deſit nihil? ſed rurſus quaſi non ſit explicata definitio, nec à cōmunitate disiuncta, adijcit, Nondum eſt ſatis: adde nec ea aut legata teſtamento, aut poſſeſſione retenta. Cuius adiectionis hæc ratio eſt. Fecit enim definitionem alijs adiunctis, alijs ſeperatis. Itaque id quod definiebat, uel his quæ adiunxit, uel his quæ ſeparauit, à cæterorū omnium cōmunitate ſegregauit. Hæreditatem enim dixit eſſe pecuniam: huic addidit, morte alicuius ad aliquem peruenientem: ſeparauitq; eam ab his pecunijs, quæ non morte alicuius ad aliquem, ſed contractu uiuentium peruenirent. Addidit iure, ut ab his pecunijs ſepararet, quæ per uim morte alicuius ad quempiam peruenerint. His igitur duobus morte atque iure ea pecunia affecta eſt, quæ ita à cæteris ſeparetur, ut tamen per legitimum acquirendi modum, non inter utroſque uiuos, ſed inter unum uiuum atque alterum mortuū fieret. Hæc igitur una ſeparatio à cæteris facta eſt: atque ideo ait explicatā eſſe definitionem, & à cōmunitate disiunctā. Sed quoniam in ea ipſa pecunia, quæ morte & iure ad aliquē peruenit, inerant quædam quæ hæreditates non eſſent: harum ſeparatione plena effecta eſt hæreditatis definitio. nā cū diceret hæreditatem pecuniam eſſe, itēq; quæ morte alicuius ad aliquē perueniſſet, itēq; quæ iure: hæc omnia efficientia ſubſtantiam hæreditatis appoſita ſunt. Sed quoniā erant in hac collectione quædā, ad quæ huius collectionis intellectus transferri poſſet, nec tamen eſſent hæreditates, uelut legatum, aut poſſeſſionis retentio: his ſubtractis, reliqua fuit hæreditas, de qua intelligi poſſit pecunia alicuius morte ad quempiam iure perueniens. Non igitur legatum, aut poſſeſſionis retentio ſubſtantiam hæreditatis efficiunt, quippe quæ impedirent ad eius ſubſtantiam demonſtrādam, niſi remouerentur. At uero nec negatio quidem cuiuſque ſubſtantiā perficit, ſed tantum quid non ſit, oſtendit. Quod ſi legatum & poſſeſſionis retētio hæreditatis ſubſtātiā nō modo nō complent, uerumetiam impediunt atque corrumpunt, niſi fuerint disiuncta atque ſepoſita, cumq; harum negatio nihil ex hæreditatis ſubſtantia monſtret, ſed tantum quid non ſit oſtendat: relinquitur pars ſuperior, id eſt, pecunia morte alicuius ad quempiā iure perueniens, quæ ſubſtantiam hæreditatis oſtendat, eáq; ſit explicata definitio, à cæteriſq; disiuncta. Sed quoniam rurſus, ut dictum eſt, quædam ſunt, ad quæ deriuari huius definitionis intelligentia poſſit, idcirco ad diſcretionem integram deſignandam reliqua pars additur. Itaque quoniam iſta demonſtrant hæreditatem, efficiuntq; ſubſtantiam: iure dictum eſt, iam à cōmunitate res disiuncta uidetur, ut ſit explicata definitio ſit, ut, Hæreditas eſt pecunia, quæ morte alicuius ad quempiam peruenit iure: ſed quoniam rurſus hic intellectus ad plura intra ſe poſita poterat conuenire, non immerito additum eſt, non eſt ſatis, &c. quæ legatum & poſſeſſionis retentionem ab hæreditatis definitione ſeiungunt. ac de priore quidē hæreditatis exemplo hæc dicta ſint. Ad huius uero ſimilitudinem etiam ſecundū tractat exēplū, quod de definitione gentilitatis eſt poſitum. Gentiles enim ſunt, qui eodem nomine inter ſe ſunt, ut Scipiones, Bruti, & cæteri. Quid ſi ſerui ſint, num ulla gentilitas ſeruorum eſſe poteſt? minime. Adijciendum igitur eſt, qui ab ingenuis oriundi ſunt. Quid ſi libertinorum nepotes ciuium Romæ. eodem nomine nuncupentur, num gentilitas ulla eſt? ne id quidem: quoniam ab antiquitate ingenuorum gentilitas ducitur. Addatur igitur, quorum maiorum nemo ſeruitutem ſeruiuit. Quid ſi per adoptionem in alterius familiam transeat? tunc etiam, ſi eius gentis ad quam migrauit, nomine nuncupetur. Licet ab ingenuis & ab ijs ortus parentibus ſit, qui nunquam ſeruitutem ſeruierint, tamen quoniam in familia gentis ſuæ non manet, ne in gentilitate quidem manere poteſt. Addendum igitur eſt, neque capite ſunt diminuti. hoc fortaſſe, inquit, ſatis eſt ſecundum Scæuolæ pontificis definitionem: nihil enim ulterius adiecit, ut ſit definitio gentilium hæc. Gentiles ſunt, qui inter ſe eodem ſunt nomine, ab ingenuis oriundi, quorum maiorum nemo ſeruitutem ſeruiuit, & ubi gentilitatem nulla capitis diminutio deſtruxit. Hæc quoque definitio facta eſt ex pluribus communitatibus in unum confluentibus. atque unam proprietatem eius rei quæ definiebatur, id eſt, gentilitatis facientibus. Hic igitur

definitionis modus in utroque generum ualet, ſiue quæ ſunt, ſiue quæ non ſunt: id eſt, ſiue corporalium, ſiue incorporalium. Nam, ut ſuperius oſtenſum eſt, id eſſe Cicero dicit, quod corporale ſit: id non eſſe, quod eſt incorporale. Ac poſtremo omniũ definitionum modus hic eſt: ut ex pluribus communitatibus aliqua proprietas fiat. Sed diſtant à ſe definitiones, quòd hæ quæ propriæ definitiones uocantur, ex his communitatibus coniunguntur, quæ ſubſtantiales ſunt: illæ uero quæ non uere, ſed abutendo definitiones dicuntur, ex accidentibus communitatibus congregantur. PARTITIONVM autem & diuiſionum genus quale eſſet, oſtendimus.] Quoniam definitionum formas in partitionem diuiſionemq́; diſtribuit, ne qua rerũ auditor ſimilitudine turbaretur, diuiſionis ac partitionis differẽtias prodit: ac primũ aliud partes, aliud ſpecies eſſe demõſtrat. Species enim ſæpe partes, partes uero nunquã ſpecies appellantur. Differunt uero hæc à ſe, quoniam pars totius mẽbra coniungit: ſpecies uero totum diuidit atque diſpartit. Nã, ut ſuperius quoque dictum eſt, partes eius quod copulant nõ ſuſcipiunt nomen totius. Neque enim fundamenta, uel tectum domus eſſe dici poſſunt. Nam niſi omnia quæ quid efficiunt iũcta ſint, totius uocabulum ſingula non habebunt. At uero ſpecies etiam ſingulæ, generis ſuſcipiunt nomẽ, ut homo animalis. quo fit, ut in his illa quoque differẽtia poſſit agnoſci, quòd partes quidem totius partes, ſpecies uero non totius, ſed uniuerſalis rei, id eſt, generis ſpecies eſſe dicuntur. Differt uero totum à genere, quòd genus uniuerſale eſt, totũ uero minime, quòd probatur hoc modo. Si enim id quod totum dicitur, ut domus, uniuerſale eſſet, partes quoque eius totius ſuſciperent nomen: at nõ ſuſcipiunt, ut ſæpe monſtratum eſt: quod igitur totum eſt, uniuerſale non eſt. Genus uero uniuerſale eſſe manifeſtũ eſt, quoniam eius nomen deductæ ab eo formæ ſuſcipiunt. Item alia differentia: Genus ſemper ſpeciebus ſuis prius eſt, totum uero ſuis partibus poſterius inuenitur. niſi enim partes fuerint, totum non poteſt iungi. Quo fit, ut ſi genus pereat, ſpecies quòque perimantur: ſi ſpecies intereat, maneat genus. quod in partibus totoq́; contrarium eſt. Nam ſi pars quælibet una pereat, totum neceſſe eſt irruere. ſi uero totum quo partes iunxerant diſſipetur, partes maneant diſtributæ: ueluti ſi domus, tecta, et parietes, & fundamenta à ſemetipſis extrinſecus poſita intelligantur, domus quidem non erit, quia coniunctio deſtructa eſt, partes tamen manebunt. Proprijs igitur nominibus M. T. partes quidem ueluti totius membra compellant, ſpecies uero formas, idcirco quoniam non ſatis ei apta uidetur inflexio caſuum ab eo nomine quod eſt ſpecies: & licet plures, inquit, uſurpauerint hoc nomen, tamen quoniam dura huius nominis per caſus inflexio eſt, cum dicitur, ſpeciei ſpecierum ſpeciebus: idcirco commoditatem in dicendo (ut ipſe ait) non arbitratus eſt negligendam, ut formas uocaret, in cuius nominis caſibus nulla eſſe ſentitur aſperitas. & quoniam forma præter genus eſſe non poteſt (nihil enim præter ſuum poteſt eſſe principium) utrorumq́; appoſuit definitiones, dicens, genus eſſe notionem ad plures differentias pertinentem. Notio uero eſt intellectus quidam & ſimplex mentis conceptio, quæ ad res plures pertineat à ſe inuicem differentes. Id uero genus eſſe manifeſtum eſt, quod apertiſſimo liquet exẽplo. Animalis quippe intellectus ad plures differentias pertinet, ad rationale ſcilicet atque irrationale: ad mortale etiã atque immortale, ad ambulabile, reptibile, uolatile, natatile. & eſt eorum omnium quæ ſub his differentijs ſita ſunt, genus. Idem uero ſignat hæc definitio, quod etiam uetus. hæc huiuſmodi eſt. Genus eſt, quod de pluribus ſpecie differentibus in eo quod quid eſt, prædicatur: uelut animal, genus ad plures res ſpecie differentes, id eſt, ad hominem atque equum, in eo quod quid eſt prædicatur. Nam interrogantibus, quid eſt homo, uel equus, animal dicitur. Item formæ definitionem talem dedit. Forma eſt notio, cuius differentia ad caput generis, & quaſi fontem referri poteſt: & recte. Nam ſi formæ à genere deducuntur, ſpecies neceſſe eſt referantur ad genus. Si igitur principium quoddam & fons formæ genus eſt, neceſſe eſt ut intellectus formæ ad primordium ſuum, id eſt, notionem generis reuertatur. Intellectus enim hominis refertur ad animal, itemq́; equi, & cæterorum. Notionem uero appellat, quod Græci ἔννοιαν uel πρόληψιν dicunt: huius eſt hæc definitio. Notio eſt inſita ex antepercepta cuiusque formæ cognitio, enodationis indigens. Hæc uero definitio hinc tracta eſt, quod Plato ideas quaſdam eſſe ponebat, id eſt, ſpecies incorporeas, ſubſtantiasq́; conſtantes, & per ſe ab alijs natura ratione ſeparatas, ut hoc ipſum homo: quibus participantes cæteræ res animalia uel homines fierent. At uero Ariſtot. nullas putat extra eſſe ſubſtantias, ſed intellectam ſimilitudinem plurimorũ inter ſe differentium ſubſtantialem genus putat eſſe uel ſpeciẽ. Nam cum homo atque equus differant rationabilitate atque irrationabilitate, horum intellecta ſimilitudo efficit genus: nã ſimilitudo equi & hominis ſubſtantialis ea eſt, quòd uterque ſubſtantia eſt, uterque animatus eſt, uterque ſenſibilis, quæ iuncta efficiunt animal. Eſt namque animal, ſubſtantia animata ſenſibilis, igitur hominis atque equi ſimilitudo eſt animal, quod eſt genus. Rurſus cum Plato atque Cicero numero accidentibusq́; diſtarent, horum ſimilitudo quæ eſt humanitas, intellecta atque animo formata, ſpecies eſt: ergo cõmunitas quædã & plurimorum inter ſe differentium ſimilitudo notio eſt, cuius notionis aliud genus eſt, aliud forma. Sed quoniam ſimilium intelligentia eſt omnis notio, in rebus uero ſimilibus neceſſaria eſt differentiarum diſcretio, idcirco indiget adhuc notio quadam enodatione ac diuiſione, uelut ipſe intellectus animalis ſibi ipſe non ſufficit. Nam mox animus ad aliquod animal, id eſt, uel hominẽ, uel equũ deducitur inquirendũ: etiã hominis notio uel ad Tulliũ, uel ad Platonẽ, uel ad quẽlibet ſingulariũ perſonarum refertur. Quæ cum ita ſint, quoties genus diuiditur in formas, nullam prætermitti oportebit. Eſt enim uitiũ uel maximum, ſi qua diuidentem forma prætereat: ueluti ſi quis ius diuidere uelit, in legem, morem, atque æquitatem neceſſe eſt partiatur. Nam & lex, & mos, & æquitas, & ſingula, et in commune iuris uocabulo ſubiecta ſunt. Culpat uero illorum inſcitiam, qui idem ſpecies uel formas putant eſſe quod partes, eõturbariq́; eos inſcitia dicit, quòd res à ſe plurimum differentes imperite atque improuide diſtinguere ac ſegregare nõ curant. Sed quoniam de definitione loquebatur, addit aliam ſpeciem definitionis, quam nos ſuperius enumerauimus, quæ per tranſlationem, non proprietatis ueritatiſq́;, ſed ſplendoris atque ornatus ratione perficitur, quod poetarum oratorumq́; eſſe autumat, quibus luculenta oratio curæ eſt. Huius definitionis exẽplum à iure ciuili Tullius petit: aitq́; ſe non aliter ab exemplis notioribus Trebatio receſſurum, quàm ſi neceſſitas cogat. Per tranſlationem uero definitio eſt: ueluti cum Aquilius littus definire uolens dicebat, littus eſſe qua fluctus eluderet. hoc eludere ab ijs tranſlatum eſt qui agitatione aliqua, cauſa luſus mouentur. Itemq́;, adoleſcentia flos ætatis eſt: id ab arboribus ductum eſt, quarum fructus flores præcedunt. & ſenectus uitæ occaſus: id à die ductum eſt, qui definit ſe cum ſol occidit. quæ tranſlationes à proprietate diſcedunt, & quadam ſimilitudine ſubiecta ſignant. Eſt enim tranſlatio, quoties habenti rei nomen propter alterius ſimilitudinem à re ſimili nomen imponitur: ut motus habet proprium nomen, item luſus ſuo uocabulo nuncupatur. Sed qui dicit qua fluctus eluderet, à ſimilitudine agitationis ad fluctuum motum uocabulum transfert. ac de definitionibus quidem diſputationem terminans, ad partitiones tranſitum facit, Sed nunc tertio uolumini ſatis eſt, reliqua in poſterum differamus.

Eiuſdem

EIVSDEM BOETII IN TOPICA CICERONIS COMMENTARIVS IIII.

Xplicare non poſſum, mi Patrici, quantas ſæpe in diffi. illimi operis curſu uires afferat amicitiæ contemplatio, cum & iis ſtudioſius componamus, quos repoſito penitus amore diligimus: & placere cupientibus multa ſeſe rerum copia ſumminiſtret. Huc accedit, quòd ut quæque in mentem uenerint, inıudicata atque etiam incaſtigata promuntur: quandoquidem apud chari pectoris ſecretum nihil eſt periculi proferre quod ſentias. Eſt igitur mihi, cum tuam beneuolentiam ſpecto, pronum omne, atque (ut ita dicam) uoluptarium, quod in tuæ præſcriptum iucunditatis impenditur. Sed cũ me met ipſe perpendo, uereor ne imperato muneri par eſſe non poſſim, & deficientis culpa in adhortantis cedat iniuriam. Quo fit, ut tibi etiam atque etiam prouidendum ſit, ne tuis ipſe meritis emendatus, noſtri alicuius erroris ſarcinam feras. Noſti ob latrantis morſus inuidiæ, noſti quã facillime in difficillimis cauſis liuor iudicium ferat. Quæſo igitur extremam noſtro operi manum communis negocij ſtudioſius imponas, abundantia reſeces, hiantia ſuppleas, errata reprehendas, ſis poſtremo noſtri laboris tuæq; adhortationis aſſertor, cum præſertim ſecurum me peractum reddat officium, quo te amici pudor dignius poſſit conuenire, ſi diſplicet. ſed hæc aliàs. Nunc operis ſuſcepti tramitem perſequamur. Quoniam locorum in ipſis de quibus quæritur terminis inhærentium, alij ſunt à toto, alij à partibus, alij à nota, alij ex affectis. de eo quidem loco qui eſt à toto, & in definitione eſt conſtitutus, ſufficienter diſſeruit ſuperiore tractatu. Nunc de partium enumeratione dicere inſtituit, rectam ordinis uiam ſcilicet inſiſtens, ut non ſolum exemplo qualis eſſet partiũ enumeratio perdoceret, uerum ratione quoque oſtenderet, quomodo partium enumeratione in argumentationibus eſſet utendum. PARTITIONE autem ſic utendũ eſt.]

Senſus huiuſmodi eſt, rerum quæ partibus coniunguntur, aliæ quidem paucas, & facile intelligibiles comprehenſibileſq; partes habent: aliæ uero plures, intellectuq; difficiles. In his igitur partibus quæ ſunt paucæ, ac facile ſub intelligentiam cadunt: uel maximum uitium eſt, ſi partiendo aliquid relinquatur. In his uero quarũ, ut ipſe ait, infinitior numerus eſt, & confuſior perſpectio, minus uitioſum eſt, ſi qua diuidentem pars in enumeratione prætereat. Fit autem hoc non ſolum per eas res quæ aliquibus partibus cõſtant, uerumetiam ſæpe per partes ipſas, quas in diſtributione partimur: ut ſi hominis corpus uelimus intellectu ac ratione per propria membra diſiungere, faciemus ita, caput, humeros, manus, thoracem, uentrem, ſuras atque pedes. Et quoniam maiores partes ſumpſimus ad diuidendum, idcirco nihil prætermiſſum eſſe uidetur. at ſi minutiſſimas particulas perſequamur, tunc oculi quoque, & labia, & nares, atque aures, earumq; partes perſequendæ ſunt. Idq; in toto corpore faciendum: eoq; modo difficilior erit partitio, cum ſit partium numerus infinitior. Sæpe etiam (ut dictum eſt) res ipſæ his partibus iunctæ ſunt, quarum non ſit facilis inſpectio: ut ſi quis ſtipulationum & iudiciorum formulas partiatur, uel etiam ſi figuras loquendi, quæ σχήματα Græci uocant, diuidi neceſſe ſit. Hic igitur ſi quid prætermiſſum ſit, non erit uitium partientis, quia partium natura multiplex ſæpius oſtendit errorem. At ſi quis genus diuidas, pernicioſum eſt aliquam præterire formam, quoniam formarum finita quantitas eſt. Nam quia ſemper in contrarium diuiduntur, aut duæ ſunt ſemper ſpecies generis, aut tres: & tunc tres, cum ea tertia quæ ſumitur ex contrariorum permixtione perficitur. ut ſi colorem diuidamus, dicendum eſt ita. Coloris aliud eſt album, aliud nigrum, aliud medium. Id medium ex albi coloris ac nigri commixtione coniunctum eſt, quamuis in quamlibet aliam coloris ſpeciem transferatur, ſeu purpurei, ſeu rubei, ſeu uiridis. Itaque ſi tale eſt quod diuidis, taleſq; ſunt partes quas ad diuiſionem ſumis, quas non difficulter intelligentia comprehendat, uitium erit ſi quid omiſeris: uelut ſi tutelas partiaris. Tutela quippe quatuor ferè modis eſt: aut enim conſanguinitatis gradu, aut patronatus iure defertur, aut teſtamento patris tutor eligitur, aut urbani prætoris iuriſdictione formatur. & ſunt forſitan plures: ſed nunc iſtæ ſufficiunt. Hic igitur & paucæ partes, & facile comprehenſibiles. At ſi ſtipulationum formulas & iudiciorum comprehendere uelis, quoniam multæ in his partes ſunt, non erit uitioſum ſi quid omiſeris. Improprium uero eſt exemplum partiũ quod de tutelis eſt dictum: magis enim ut genus in formas, quàm ut totum in partes, tutela diuiſa eſt. Nam ſiue per conſanguinitatem ſit tutor, ſiue patronatus iure, ſiue cæteris modis, integrum tutelæ ius habet: quod in ſingulis partibus non ſolet euenire, ut totius integrum capiant nomen. Sed ut conueniens uideatur exemplum, requirendæ ſunt tales tutelarum partes, quæ iunctæ tutelas efficere poſſint, non quæ ſingulæ tutelæ nomine deſignentur: quod neſcio, an quiſquam iuris peritiam profeſſus tales tutelæ partes ediderit. Merobaudes uero rhetor ita intelligendum probabat, ut id quod ait, Partitione ſic utendum eſt, nullam ut partem prætermittas: de diuiſione dixerit, id eſt, de una parte propoſitæ partitionis. Nam & diuiſio & per membra diſtributio, partitio nuncupatur. In diuiſione enim uitioſum eſt aliquid prætermittere, in partitione membrorum minime: ita exemplum de tutelis ei partitioni accommodatum dedit quæ eſt diuiſionis. At ſi diuiſionem facias, id eſt, formarum à genere partitionem, ſummum eſt uitium aliquid prætermittere: quoniam cum ſit finitus formarum numerus, ſi quid omiſſum ſit, inſcitia præteritur: ut ſi oratorias quæſtiones in formas diuidere uelimus, dicemus omnem rhetoricam quæſtionem aut de facto eſſe, aut de qualitate facti, aut de nomine. At ſi locutionum figuras ſententiarumq; diſtribuam, non erit (ut dictum eſt) uitium tranſire aliquid, quandoquidem ſententiarum inter ſe atque locutionum figuræ & multiplices & uaria ratione diuerſæ ſint. Hic quoque figurarum partes non ita uidentur accipi poſſe, quemadmodum totius, ſed ut generis ſpecies: unaquæque enim figurarum quæ infinitæ ſunt, uelut figuræ generalis ſpecies eſt: quod poſſumus intelligere ex his libris rhetorum, ubi de elocutione tractatur. Nullæ nanque ſunt figurarum partes quæ figuras iungant, ita uti ſingulæ figuræ nomen uniuerſalis figuræ non poſſint amittere. Sed obijci nobis poteſt, quo modo infinitæ ſunt figuræ, ſi ſpecies ſunt? Sed reſpondeo leuiter, elocutione mutata, figuram quoque mutari, atque idcirco in poteſtate eſſe dicentis figuras facere, quas is qui tractat difficile antequã fiant poſſit agnoſcere. Hæ uero non ſubſtantialibus quibuſdam differentijs conſtituuntur, ſed potius accidentibus explicantur. unde fit, ut tunc communis nominis in ſignificationes partitio fieri uideatur, cum figura diuiditur potius quàm generis in ſpecies. Omnia uero ſignificata cuiuſque nominis diuiſione includere difficile eſt, quia noua plerunque finguntur, ſed ne id quidem rerum ratio permittit. Nam unaquæque figura generalis figuræ nomine et definitione cõprehenditur: quocunque enim modo figura definitur, eadem erit definitio etiam uniuſcuiuſque figuræ: quæ res unamquanque figuram uniuerſalis figuræ ſpeciem eſſe declarat. uniuoca enim ſunt ſpecies & genus. Sed eſt illud uerius, partitionem figurarum ad elocutionem ipſam Tullium retuliſſe, cuius pars quædam eſt figura, non ſpecies. uarijs enim multiplicibuſq; figuris elocutio luculenta contexitur. Si quis enim elocutionem partiri uelit in figuras, non genus in ſpecies, ſed totum ſecabit in partes. quæ cum ita ſint, ex hoc quoque apparet quid interſit inter diuiſionem partitionemq;, cum partitio interdum talis ſit, ut ſi quid in ea prætermiſſum ſit, nihil adferat uitij. Diuiſio uero formarum talis

eſt, ut in ea non queat aliquid ſine culpa præteriri. Quo factū eſt, ut quia res differebant, diverſa etiam uocabula rebus inter ſe diſtantibus inderent. M V L T A *etiam ex notatione ſumuntur.*] *Poſt enumerationem partium recto ordine de notatione perpendit. Notatione igitur eſt, quoties ex nota aliqua rei qua dubia eſt, capitur argumentū. Nota uero eſt, quæ rem quanque deſignat. Quo fit, ut omne nomen nota ſit, idcirco quòd notam faciat rem, de qua prædicatur: id Ariſtoteles ſymbolum nominauit. ex notatione autem ſumitur argumentum, quoties aliquid ex nominis interpretatione colligitur. Interpretatio uero nominis* ἐτυμολογία *Græce, Latine ueriloquium nuncupatur.* ἔτυμον *Græce uerum ſignificat,* λόγος *orationem: ſed quia id ueriloquium minus in uſu Latini ſermonis habebatur, interpretationem nominis Tullius notationem appellat. Ea eſt huiuſmodi, ut ſi quæratur, quid eſt poſtliminium, in qua quæſtione non illud uidetur inquiri, quæ res poſtliminio reuertantur. hoc enim in diuiſionem caderet, id eſt, earum omnium rerum enumerationem, quæ poſtliminio redeunt poſtularet: uelut ſi ita dicamus, Poſtliminio redeunt homo, nauis, mulus clitellarius, equus, equa, quæ frena recipere ſolet, id eſt, domita. Nunc enim enumeratæ ſunt res quæ poſtliminio reuertantur. At cū quid ſit ipſum poſtliminium quæritur, poteſt ex ipſius nominis interpretatione cognoſci. Poſtliminio enim redit, quiſquis captus ab hoſtibus ad patriam remeauerit. Nanque dum captiuitatem hoſtium patitur, ius ciuis amittit: omnia uero iura recipit, ſi poſtliminio reuertatur. Ergo ex notatione nominis ita ius poſtliminij clareſcere poteſt. unde quia Poſt ſemper id ſignificat quod retro, relinquitur, quòd Poſtliminij uocabulo quædam reuerſio ſignificatur, ut Seruius probat, qui ex aduerbio Poſt, uim nominis interpretatur, reliquam uocali partem protractionem ſolam eſſe confirmans. nam in eo quod eſt poſtliminium, ex eo quod Poſt eſt, dictam interpretationem nominis ſumit: liminium uero ſuperuacuo putat eſſe productum. Ad horum nominum formam meditullium ponit. Prima enim pars medium ſignificat, tullium uero nihil: & legitimum & æditimū. In utriſque enim, lex ibi, ædes ibi aliquid: itimum uero nihil omnino deſignat. Id uero nomen quod eſt poſtliminium, Sceuola P. filius aduerbio poſt & limine putat eſſe compoſitum. Nam quia ad idem limen quod poſt reliquit reuertitur is qui poſtliminio reddit, idcirco ex utriſque ſignificationibus arbitratur nomen eſſe coniunctum. Quæcunque enim à nobis abalienata ad hoſtem perueniunt, cum à noſtro limine exierint, ſi poſt ad idem limen reuertantur, poſtliminio redeunt. Quomodo etiam Mancini cauſa defendi poteſt, quem cum populus Romanus ob fœdus male ictum dedidiſſet, hoſtes eum ſuſcipere noluere: qui cum reuerſus eſſet, poſtliminio rediiſſe uidebatur. Idcirco quia ſi eum hoſtes recepiſſent deditum à ciuibus, etiam ſi quo quo modo ab hoſtibus effugiſſet, nó uideretur poſtliminio regreſſus, qui iudicio ciuium omni libertatis iure fuiſſet exutus. Sed quoniam nec deditio, nec datio, nec donatio præter acceptionem uidetur poſſe conſiſtere: idcirco qui ſuſceptus non ſit, ne deditus quidem intelligi poſſet: recte ergo Mancinus, qui non deditus in hoſtium, ſi eo uti mallent, peruenerat poteſtatem, is cum patriā remeauit, iure poſtliminio rediſſe defenſus eſt.* S E Q V I T V R *is locus qui conſtat ex iis rebus, &c.*] *Eum locum qui in ipſis de quibus quæritur inhæreret, in quatuor differētias ſupra diſtribuit, à toto, ab enumeratione partium, à nota, ab affectis. Quoniam autem diligenter de ſuperioribus tribus paulo ante tractauit, nunc quartum locum, id eſt, affecta perſequitur. & quoniam locus ab affectis in plurimas differentias ſoluebatur, quarum prima à coniugatis propoſita eſt, primum loquitur de coniugatis, quæ multum à notatione non differunt. Nam quia notatio ex ui nominis trahitur, itemq; coniugatio ſimilitudine uocabuli continetur, aliquod inter ſe ueluti confinium tenent: ſed hoc intereſt, quia notatio expoſitione nominis, coniugatio ſimilitudine uocabuli ac deriuatione perficitur. Et quoniam facilis & intellectu & tractatu locus eſt, tantum ponere ſufficit exemplum, quod huiuſmodi eſt. Aqua pluuia eſt, quæ pluendo colligitur & creſcit. Pluendo uero atque pluuia coniugata ſunt. In uno enim eodemq; uocabulo diuerſus nominum terminus differentiam facit. Item ius eſt aquam pluuiam arcere, id eſt, ut ſi in alicuius agro pluuia aqua colligatur, et in alterius agrum defluat, eaq; uicini frugibus nocitura concreſcat, arceat eam ſuis finibus ille qui id ſua putat intereſſe, ne defluat. Si fluuius igitur pluuia creuerit, quæritur, an debeat arceri? Reſpondetur, inquit Mutius, quoniam aqua pluuia à pluendo dicta ſit, fluuium quoque qui pluendo creuerit, aquam eſſe pluuiam, atque arceri debere.* C V M *autem à genere ducetur argumentum.*] *Talis generum ſpecierumq; intelligitur eſſe natura, ut cum colliguntur, uel etiam diuiduntur ab indiuiduis per ſpecies & genera, uſque ad maxima genera poſſit aſcendi. Itemq; à maximis generibus per infra poſita genera ac ſpecies, uſque ad indiuidua ualeat eſſe deſcenſus. Id uero uno clarum fiet exemplo. Cicero quippe, indiuiduum eſt: huius ſpecies homo, huius genus animal, huius ſuperius genus eſt corpus animatum: & ſi longius aſcendas, corpus alterius genus inuenies: ſi prolixius egrediare, ſubſtantia ultimi loco generis occurrit. Cum igitur multa ſint genera, ſi cuiuslibet ſpeciei genus aſſignādum ſit, non neceſſe erit, inquit, maxima & principalia genera ſemper exquirere, uerum eorum quoque aliquid quæ in medio locata ſunt oportebit adhibere. Ille tamen ratione ſeruata, ut ſemper genus ſuperius ſit eo, ad quod prædicatur ut genus. Extrema quippe inſcitia eſt, ſi dū genus ſemper natura ſpeciebus proprijs ſuperponatur, loco generis id quod eſt inferius collocetur. Quocirca uitioſum eſt, ſi quis corporis genus dicat eſſe corpus animatum: quo fit, ut ſi ad ſpeciem aptandum eſt genus, eorum quæ ſuperiora ſint aliquid aptemus, & non erit neceſſe ultimū ſemper genus adhibere: ut ſi homini genus proprium præponere uelimus, non neceſſe eſt ut ſubſtantiam præponamus, ſed uel corpus, uel corpus animatum, uel quod maxime fieri oportet animal. Illa enim ſemper genera ſumenda ſunt, quæcunque proxima formis adhærent, eaq; in definitione maxime requiruntur: ſed in argumentationibus nihil differt, utrum proximum eligas an ſuperius genus. Nam quoniam ex continenti fit argumentatio, plus continet id quod eſt ſuperius genus. quocirca ſi de homine aliquid ambigitur, & à genere argumentandi ſumitur locus, quidquid de animali dicetur, id etiam de homine prædicabitur. Quo fit, ut ſi quid etiam de animato corpore prædicetur, idem de homine dici poſſit. Vt igitur argumentationes ex proximis generibus fiunt, ita etiam ex ulterius conſtituuntur. Sed in his omnibus illud eſt quod maxime conſiderandum uidetur, ne id quod eſt inferius ſuperiori proponatur, ut genus. Et ſententia quidem talis eſt. Quod uero ad exemplum attinet, declarabitur hoc modo, Sit aqua pluuia ea, quæ delectio de cœlo imbri colligitur. Huius ſpecies duplex eſt, alia enim aqua pluuia nocens eſt, alia non nocens. Nocentis quoque duplex ſpecies eſt, alia manu, alia uitio. Sed aqua pluuia manu nocens eſt, quæ ita loco aliquo excipitur, ut inde profluens uicino noceat, ſi locus is non ſit naturaliter talis, ſed manu hominis excipiendæ aquæ fuerit apparatus: uitio uero, quoties naturaliter ita ſeſe locus habet, ut excipere aquam poſſit, & nocere uicino. Si eius igitur aquæ, quam quis arceri uelit, ne ſibi noceatur à uicino, genus uelit exquirere, non neceſſe eſt ab ultimo uſque genere deducere: ut dicat, aquæ eius quā quis uelit arceri, genus eſſe aquam pluuiam: ſed poteſt id quod inquirit genus, paulo inferius inuenire, ut huius aquæ quam arceri deſiderat, id genus eſſe dicat, quod eſt aqua pluuia nocens. Quod ſi genus proximum quæras, illud poterit adhibere, quod eſt aqua pluuia manu nocens.*

ceni. Hoc enim arcere quis cogitur, quod manu fit noxium: quod uero loci forma uel uitio incommoditatis aliquid apportat, arcere non cogitur. Quod autem diximus, eius aquæ quã arceri oporteat, genus eſſe aquam pluuiam manu nocentem: ita intelligendum eſt, ſi aqua quæ arceri debet, plurima ſub ſe habeat indiuidua & ſimilia. Tunc demum enim eius aquæ quæ arceri debet, aqua pluuia manu nocẽs genus eſſe poterit. Quòd ſi aqua quæ arceri debet, in nulla indiuidua deducatur, ipſa eſt indiuidua, nec eius genus eſt aqua pluuia nocens manu, ſed ſpecies. Quòd ſi cui paululum uidetur obſcurius, hic ſi eos commentarios quos de genere, ſpecie, differentia, proprio atque accidenti compoſuimus, libris quinque digeſtos, inſpexerit, nihil horum poterit incurrere, quo caliget. COMMODE etiam tractatur hæc argumentatio.] Dictum eſt, quemadmodum genus ad ſpeciem debeat aptari: atque in eo præſcriptum eſt, ut niſi id quod eſt ſuperius adhiberi non debeat. Nunc illud adiungitur, quemadmodum eius loci qui à genere ducitur, argumentationibus commodior uſus eſſe poſſit. Quotieſcunque enim de re aliqua dubitatur, ſi facta generis alicuius diuiſione ſub aliqua eius generis parte, id de quo ambigitur, potuerimus includere, tunc à genere tractum eſſe argumentum uidetur, hoc modo: ſit dolus malus, quando aliud agitur, aliud ſimulatur. Huius ergo ſi ſpecies diuidantur, & id quod factum arguimus, alicui earum ſpecierum quæ à dolo malo deducta ſunt, potuerimus adiungere: quidquid de dolo malo exiſtimabitur, idem etiam de ea re, quam arguimus, neceſſe eſt indicari: & factum eſt argumentum à genere. Nam de quo quæritur, ſpecies eſt: & id à quo ſumitur argumentum, genus eſt: ſcilicet, ſi ita contigit dolus malus. Locus uero hic ab eo qui eſt à partium enumeratione diuerſus eſt. nec ſi enumeramus partes, id eſt, formas aut ſpecies, idcirco nõ à genere, ſed ab enumeratione partiũ ducitur argumentum. Quoties enim ipſa partium enumeratione utimur ad argumentationem, tunc ab eadem partitione argumentum tractum eſſe dicimus, ut hoc modo. Si fundamenta & parietes & tectum habet, & habitationi eſt deſtinatus locus, domus eſt: ipſa igitur partitione utẽtes, domum eſſe probauimus. Quoties uero ſub genere aliquid collocandum eſt, diuiſiſq; partibus alicui eorum, quæ à genere deducuntur, id de quo quæritur aggregamus, ut hoc modo, ſi Ciceronem animal eſſe monſtremus, dicemus ita: Omne animal aut rationale eſt, aut irrationale: ſed Cicero rationalis eſt, animal igitur eſt: non partitione utimur principaliter ad argumentum conſtituendum, ſed idcirco genus diuiſimus ut in unam quãlibet diuiſionem, id quod nitebamur oſtendere, poſſit includi. id eſt, ut id de quo dubitatur, in aſſumpti continentiam generis redigeretur, atque de ea per generis naturam fides fieret. Sic ergo à genere facta argumentatio iure dicetur. Amplius ita partium enumeratio totius efficere ſubſtantiam ſolet, ſiue illud uniuerſale ſit, ut genus: ſiue partium coniunctione copuletur, ut totum. At uero hæc diuiſio generis, in cuius parte qualibet illa res de qua contenditur includenda eſt, non id efficit, ut totius ſubſtantia conſtituatur, ſed ut illud quod approbare quærimus, intra genus locetur. Quẽ argumentationis modum in primis M. Tullius ualidum eſſe cõfirmat. Illa enim regula ſatis uera eſt ac neceſſaria, Quæ de genere prædicantur, eadem de ſpecie modis omnibus prædicari. Illud uero quæri perutile eſt, cum aliquãd de particularibus rebus probatur, ex ſuperpoſita proxima ſpecie, ut ſi Socratem rationalem eſſe probamus, quoniam ſit homo, cum ſit homo rationalis, utrum ex genere an ex forma argumentum ductum eſſe arbitremur. Nam ſi dicamus ex genere, ultima ſpecies genus non eſt: ſi ex ſpecie, ſuperpoſitum genus ſemper ſpecies probare deſiderat. Socrates uero cui fidem præſtat homo, quoniam rationalis eſt, genus hominis non eſt. Sed dicendum eſt, quoniã ueluti à genere tractum uidebitur argumentum. Nam ex genere quaſi ex continenti atque ampliore, & de ſubſtantia, prædicato fides ducitur, quam ſortem ad ſua indiuidua ſpeciem nemo dubitat obtinere. Nam & continet ea, & de eorũ ſubſtantia prædicatur. SIMILITVDO ſequitur, quæ late patet, &c.] De ſimilitudinis loco planè atque expedite diſſeruit, omnemq; aperuit intellectum, ſimilitudinum diuidens formas, præſcripſitq; apertiſſime, quibus magis ex ſimilitudine argumenta contingerent, id eſt philoſophis, atque oratoribus. etenim ſimilitudo perſuaſionibus uidetur aptiſſima. Nã quod in unam uel plures extra eam de qua quæritur cauſam cadere ſolet, facile credi poteſt in eam quoque de qua ambigitur conuenire. Idcirco ex ſimilitudine tractæ argumentationes, magnũ oratoribus uſum præſtant: philoſophis quoque, quoniam non in omnibus quæſtionibus demonſtratione utuntur, ſed aliquoties uniuerſalia colligunt, quo id facilius perſuadeant, quod nituntur oſtendere. inde ſimilitudo uerum ſæpe eſt conquirenda, atque idcirco locus à ſimilitudine oratoribus maxime philoſophiſq; conducit, non tamen ſolis. Omnes enim loci communes ſunt cuiuſque materiæ, ſed in alias uberius incidunt, in alijs anguſtius inueniuntur. Quocirca cognitis atque anteperceptis locis, quæſtiones ipſæ quæ tractabuntur, quibus uti debeat, ſolertem animum poterunt admonere. Omnis uero ſimilitudo duplex eſt: aut enim ex pluribus rebus ſimilitudo colligitur, & inductio nuncupatur, quod Græci ἐπαγωγὴν nominant: aut ſingulæ res per ſimilitudinem comparantur. ac prior quidem huiuſmodi eſt, ſi tutor fidem præſtare debet, ſi ſocius, ſi cui mandaueris, ſi qui fiduciam acceperit, debet etiam procurator. nam cum in talibus rebus fides præſtari debeat, unaq; ſimilitudo ſit in fide præſtanda, tam in tutore quàm ſocio, atque eo cui mandatum ſit, eoq; qui fiduciam accepit, debet eadem ſimilitudo procuratori etiam conuenire. fiduciam uero accepit, cuicunque res aliqua mancipatur, ut eam mancipanti remancipet: uelut ſi quis tempus dubium timens, amico potentiori fundum mancipet, ut ei cum tempus quod ſuſpectum eſt præterierit, reddat. hæc mancipatio fiduciaria nominatur, idcirco quod reſtituendi fides interponitur. Hac ſimilitudinis collectione plurimum Socrates eſſe uſus dicitur, ut in Platonis aliorumq; eius ſectatorum uoluminibus inuenitur. Quoties uero una res, uni rei per ſimilitudinem comparatur, hoc modo colligitur argumentum. Regendorum finium arbitri eſſe dicuntur, qui finalia litigia diſcernunt, ut ſi fuerit de finibus orta contentio, eorum dirimatur arbitrio, ſed fines in agrorum tantum limitibus eſſe dicuntur, arbitri autem finium regendorum in ciuitate eſſe non poſſunt. Item arceri aquam in agris, tãtum dici ſolet, ubi ſi ex aliquo loco aqua pluuia colligatur, & defluens in campos uicini paſcua frugeſ'ue corrumpat, arbitri arcendæ aquæ à magiſtratibus ſtatuebãtur. Quæritur ergo, an in urbe arcendæ aquæ arbitrũ poſſimus adigere? & argumentum capitur ex ſimilitudine: Si regendorũ finium, quia ſolius agri ſunt, in urbe arbitrum adigere non poſſis, ne aquæ quidem arcendæ, quia ſolorum eſſe uidetur agrorũ, in urbe arbitrum poſſis adigere. Hic igitur una res uni rei ſimilitudine coniuncta eſt: ex eodem etiam ſimilitudinis loco illa ſumi proponit, quæ uocantur exempla: ueluti Craſſus in cauſa Curiana, quæ fuit huiuſmodi. Quidam prægnantem uxorem relinquens, ſcripſit hæredem Poſthumum, eiq; etiam alium ſubſtituit ſecundum, qui Curius uocabatur, ea conditione, ut ſi Poſthumus, qui intra menſes decem proximos naſceretur, ante moreretur, quàm in ſuam tutelam perueniſſet, id eſt, ante obiret diẽ quàm teſtamentum iure facere poſſet, ſecũdus hæres ſuccederet. quod ſi ad id tempus perueniſſet, quo iam firmo iudicio in ſuam tutelam receptus, iure ciuili inſtituto poſſet hærede defungi, ſecũdus hæres, id eſt, Curius non ſuccederet: quæ uocatur ſubſtitutio pupillaris, quæſitum eſt an ualeret ita inſtituta ratio. Craſſus igitur plurima protulit exempla, quibus ita inſtitutus, hæres

obtinuiſſet hæreditatem. quæ exemplorum commemoratio iudices mouit. Dicit etiam ipſos quoque iuriſconſultos uti ſæpius exemplis. ueluti cum fingitur propoſitio uel cauſa, ut caſus de quo agitur per ſimilitudinem intelligatur, hoc modo. Si quis enim iuriſperitus adijciat id quod non iure contractum eſt, nullius eſſe momenti, adhibeatq; exemplum tale, ueluti ſi quis rem non mancipi mancipauerit, num idcirco aut rem alienauit, aut ſe eo facto potuit obligaſſe? minime. Quod enim non iure contractum eſt, nil retinet firmitatis: & alia huiuſmodi apud iuriſperitos inueniuntur, in quibus oratores maxime ualent. quibus etiam in tantum fingere licet, ut eorum oratione etiam mortui ſæpe ab inferis excitentur. quod Tullius in ea facit oratione, qua Cœlium defendit. Sed latior, inquit, eſt illorum campus, id eſt, oratorum, quibus ſpaciari ac deuagari licet: nec idcirco minus cæteris quoque facultatibus ſimilitudines proſunt, quoniam eadem argumenta maximis minimisq; cauſis conueniunt, quo fit, ut loci quoque argumentorum diuerſarum artiũ quæſtionibus accommodentur. SEQVITVR ſimilitudinem differentia, re, &c.] Eiuſdem facultatis eſt ſimilitudines differentiasq; cognoſcere. qui enim ſcit quid ſit, idem noſſe poterit quid ſit diuerſum. Omnis uero ſimilitudo, idem aliquid eſſe conſtituit. Quod enim idem eſt ſecundum qualitatem, id ſimile eſſe neceſſe eſt. Omnes quippe res aut ſubſtantia eadem ſunt, aut qualitate, aut cæteris prædicamentis. quod ſi ita eſt, & animus intelligere hoc idem in pluribus prædicamentis poteſt. ſed cum hoc ipſum idem in prædicamentis notat, eodem modo in eiſdem prædicamentis, quod diuerſum eſt intuetur: ſed ſimile idem eſt, differentia uero diuerſum. Idem igitur animus, eademq; intelligentia, ſimilitudinem, differentiamq; cognoſcũt. Differentiarum uero multæ ſunt ſpecies. aliæ quippe ſubſtantiales, ut homini rationale: aliæ non ſubſtantiales, ſed inſeparabiles, ut nigrum æthiopi, atque coruo. Aliæ uero mobiles, neque conſtantes, ut ſedere, ſtare, & huiuſcemodi cætera, quibus & ab alijs hominibus, & à nobis ipſis ſæpe diſtamus. Item differentiæ aliæ aliquo modo ſunt generũ diuiſibiles, aliquo modo uero ſpecierum conſtitutiuæ. Sed ſi à conſtitutiuis argumentum ducatur, uelut à genere ducitur. nam ſicut genus continet ſpeciem, ita differentiæ continent ſpecies. Sanè ſi differentiæ conſtitutiuæ ut genera intelligentur, fides ab his ad ea aptabitur, quæ cõſtituunt. hæ enim talium differentiarum ueluti quædam formæ ſunt. Sin uero ſint diuiſibiles, ſi quidem ad ea probanda, quæ diuidunt, earum ducitur fides, à forma argumentum fieri uidetur. nam tales differentiæ eorũ quæ diuidunt, formæ quædam ſunt. Quod ſi ad ea probanda referuntur, quæ in contrariam partem genus diuidunt, tunc proprie à differentia fieri argumentum uidetur, quia contrariæ ueluti differentiæ comparantur. Quod uero ad exemplum attinet Tullij, huiuſmodi eſt. Mulieres antiquitus perpetua tutela tenebãtur, pupilli item ſub tutoribus agunt: ſed mulieribus ſi quid debitum fuiſſet, ſine tutoris authoritate poterat ſolui, pupillis uero minime. ergo ſi quæratur, an id quod debeatur pupillo cuilibet, renuente tutore poſſit exolui, à differentia ſumitur argumentũ ſic. Non ſicut mulieri ſine tutoris authoritate debitum poſſis exoluere, eodem modo niſi authoritas tutoris acceſſerit. pupillo ſoluere quod debeas poſſis. illæ enim perpetua tutela etiam prouecta iam ætate cõtinentur, illorum tutelæ certus annorum numerus terminum facit, atque idcirco ſolui pupillo ſine tutoris authoritate non poterit. Differt enim perſona mulierum, à perſona pupillorum, uel in eo, quod pupilli non perpetua reguntur tutela, mulieres uero perpetua: uel quod pupillus nullum ſuæ etiã miniſtrandæ utilitatis indicium habere poteſt, cum ſit aliquis mulieribus etſi non firmus in explicanda familiaris rei utilitate delectus. DEINCEPS locus eſt, qui à contrario dicitur, &c.] Diuiſio differentiæ loco, nunc de contrarijs tractat. Atque ut rerũ ordo clarius colliqueſcat, pauca mihi ex Ariſtotele ſumẽda ſunt. quæ ille uir omnium longe doctiſſimus de hac diuiſione tractauit: quanquam M. Tul. re quidem Ariſtoteli ferè conſentit, ſed ab eo nominum interpretatione diuerſus eſt. Nã quæ Ariſtoteles oppoſita, id eſt ἀντικείμενα uocat, ea Tullius cõtraria nominat. Sed hæc paulo poſterius: nunc Ariſtotelis diuiſio conſideretur. Oppoſitorum igitur ſecundum Ariſtotelem alia ſunt contraria, alia priuatio & habitus, alia relatiua, alia contradictoria. Contraria quidem, ut album atque nigrum. Habitus uero & priuatio, ut uiſus et cæcitas, dignitas & indignitas. Relatiua uero, ut pater filius, dominus ſeruus. Contradictoria, eſt ut, dies, non eſt dies. Horum omnium tales inter ſe differentiæ conſiderantur. Nam quæ cõtraria ſunt, partim mediata ſunt, partim uero medio carent. Mediata ſunt, ut album, nigrum: eſt enim horum cuilibet medius alius color, ut rubeus, uel pallidus. Et horum contrariorum non neceſſe eſt alterum ſemper ineſſe corporibus. Neque enim omne corpus aut album aut nigrum eſt, ſed aliquoties in horum medietate eſt conſtitutum, ut ſit rubrum uel pallidum. Immediata uero contraria ſunt, quorum nihil medium poterit inueniri, ut grauitas & leuitas: horum enim nihil eſt medium. Nam quæ leuia ſunt, ſurſum feruntur: quæ grauia, deorſum. Quid autem ſit corporis, quod neque ſurſum neque deorſum feratur, nihil poterit inueniri. Sed immediata cõtraria talia ſunt, ut alterũ eorũ cui poteſt accidere ſemper inhæreat, ut in propoſito ſuperius exemplo. Neceſſe eſt enim omne corpus uel leuè eſſe, uel graue, quia leuitas & grauitas medium nõ habent, quod præterea ineſſe corporibus poſſit. At ea quæ in priuatione & habitu ſunt, ut cæcitas & uiſus, diſtant quidem ab his contrarijs, quæ claudunt aliquam medietatem, quod ipſa medietatem non habent. Ab his uero contrarijs differunt, quæ ſunt immediata, quoniam horum contrariorum alterum ſemper ſubiecto ineſſe neceſſe eſt, ut corpori grauitatem uel leuitatem: priuationem uero & habitum non ſemper. ut cum ſit habitus quidem uiſus, priuatio autem cæcitas: non omne quod uideri poteſt, aut uidet, aut cæcũ eſt. Infans quippe nondum editus, neque uidet, quia nondum proceſſit in lucem: neque cæcus eſt, quia nõdum habuit uiſum, quem potuiſſet amittere. Idem de catulis dici poteſt, qui ſtatim nati nequeũt intueri: nam tunc eos nec cæcos dicere poſſumus, nec uidentes. Et poſtremo, contraria ſemper in ſuis qualitatibus conſiderantur: priuationes autem, non quod ipſæ ſint aliquid, ſed ex habitus abſentia colliguntur. Neque enim cæcitas eſt aliquid, ſed à uiſus intelligitur abſceſſu. Tam uero priuatio quàm cõtrarietas differt à relationis oppoſitione, eo quod neque contraria neque priuatoria ſimul eſſe poſſunt. Idem enim uno eodemq; tempore, uno eodemq; in loco album nigrumq;, uel uidens cæcumq; eſſe non poterit, ſed relatiua à ſe nequeunt ſeparari. Neque enim poteſt eſſe filius ſine patre, nec ſeruus ſi dominus non ſit. Amplius contraria ad ſe & priuatoria non referuntur. nemo enim dicit album nigri uel nigrum albi, uel cæcitatem uiſus, uel uiſum cæcitatis. Quæ uero in relatione ſunt poſita, in ipſa relationis prædicatione conſiſtunt, ut duplum dimidij, dominus ſerui, & cætera ad hunc modum. Tam uero cõtraria quàm etiã relationes differunt à contradictionibus, quod contradictiones quidem ſemper in oratione conſiſtunt, & in altera earum parte ueritas, in altera falſitas inuenitur: Contraria uero & priuatoria et relationes, in ſimplicibus partibus orationis, & in his neque ueritas neque falſitas ineſt. Nam cum dico album nigrum, cæcitas uiſus, dominus ſeruus, ſimplices orationis partes ſunt, neque uerum neque mẽdacium continentes. In ſimplicibus enim partibus orationis ueritas uel falſitas nulla eſt. Cum autem dico, dies eſt, dies non eſt, utraque propoſitiones, una in affirmatione, altera in negatione poſita, orationes ſunt. Sed M. Tullius non tam proprijs nominibus quàm notio

ribus

ribus utitur. Ait enim, contrariorum alia eſſe quæ aduerſa uocentur, alia quæ priuantia, alia quæ in comparatione ſint, alia quæ aientia & negantia nuncupantur. ſed quæ contraria nominat, oppoſita uerius dicerentur: quæ aduerſa dicuntur, contrariorum melius ſuſciperent nomen: quæ in collatione nominat, ea relatiua uel ad aliquid certius uocarentur. Sed utatur nominibus ut uolet, dum res ipſa certa proprietatis ſuæ ratione ſignentur: nos uero in cæteris quos edidimus libris eo nuncupauimus modo, quo ſuperius in Ariſtotelis dictum eſt diuiſione. Secundum M. T. igitur contrariorum alia ſunt aduerſa, ut ſapiētia, ſtultitia: alia priuātia, ut dignitas & indignitas: alia uero quæ cum aliquo conferuntur, ut duplum, ſimplum: alia uero quæ appellantur negantia, è contrario aientibus conſtituta: ut ſi hoc eſt, illud nō eſt. Aduerſa igitur ſunt, quæ ſub uno genere poſita plurimum differunt: ut album nigrumq́; à ſe plurimum diſtant, ſub uno genere poſita, ſub colore. Item celeritati tarditas aduerſa eſt, poſitis utriſque ſub motu. neque enim celeritati debilitas opponēda eſt, quia debilitati firma ualetudo cōtraria eſt. quod in diuiſione omiſit Cicero, ſed docuit exemplo. Illa quoque dicuntur aduerſa, quæ in diuerſis generibus ſita, plurimū à ſe diſcrepare intelliguntur, ut ſapientia ſtultitiæ. Illa enim ſub genere boni eſt, hæc uero ſub mali. quanquam huiuſmodi exemplum priuationem potius ſpectare uideatur: nam ſtultitia priuatio ſapientiæ eſt, nec quidquā eſt aliud ſtultitia niſi ſapientiæ & rationis abſentia. Sed quæ ſint, quæ priuantia Cicero appellet, poſterius demonſtrabo. Ex his hoc modo argumenta ſumentur. Si ſtultitiam fugimus, ſapientiam ſequamur: ſi bonitatem appetimus, malitiam fugiamus. quanquam malitia quoque ſecundum eundem modum, qui ſuperius dictus eſt, priuationibus poſſit adiungi. Priuantia uero ſecundum Ciceronē ſunt, quæ græci στερητικὰ appellantur, quæ habent eam partem orationis præpoſitam, quæ cum fuerit adiecta, ſemper ferè aliquid demit. ea eſt in præpoſitio. hæc enim ſyllaba cui fuerit appoſita, demit ferè aliquid ex ea ui, quam eſſet res quælibet habitura, ſi in ſyllabam præpoſitam non haberet: ut humanitati inhumanitas. nanque præpoſita in, id de quo dicitur, humanitate priuauit, ut dignitas & indignitas. Et Tullius quidem ea tantum priuantia eſſe confirmat, in quibuſcunque ſyllaba iſta præponitur. priuantium quippe natura, ſecundum Tullium, huius ſyllabæ commemoratione finitur. A' Peripateticis uero accepimus, priuationes tum cum ſimplicibus nominibus, tum cum priuatorijs ſyllabis efferri ſimplicibus nominibus, ut cæcitas: cum priuantibus uero ſyllabis, ut indignitas, inhumanitas. Quocirca ſecundum M. Tullium cæcitas non erit priuatio uiſus ſed ei aduerſum. atque idcirco forſitan ſtultitiam inter aduerſa numerauit, quoniam non habet in ſyllabam, ex qua priuationes arbitratur exiſtere. Ex quibus eodem modo, ut in ſuperius poſitis aduerſis, argumenta ducuntur. Inhumanitatem auerſemur, ſi humanitas conſectanda eſt. Illa uero contraria, ut ait Tullius, quæ cum aliquo conferuntur, talia ſunt, ut duplum ſimpli. id tantundem eſt, tanquam ſi diceret, duplum dimidij: ſimplum enim dupli dimidium eſt. Et pater filij. Eaq́; ſunt ſemper reciprocantia, aliquoties quidem ſeptimo caſu, aliquoties uero genitiuo. nam filius, patris eſt filius, & pater filij, hæc ſecundum genitiuum conuerſio eſt: & duplum ſimplo duplum eſt, hæc ſecundum ſeptimum caſum. ſunt etiam quæ accuſatiuo, ut pauca ad multa, & magnum ad paruum. Item negantia ſunt, quæ in affirmationibus & negationibus poſita ſunt: ut ſi hoc eſt, illud non eſt. ueluti Si dies eſt, nox non eſt. atque hanc oppoſitionem Cicero dicit ualde eſſe contrariam. Ex quibus omnibus ſecūdum ſuperius dictum modum, argumentorum facultas eſt. nam ex relatiuis contrarijs ita ſumimus argumentum, Si pater eſt, fieri non poteſt quin ei filius ſit. Ex negantibus autē, quæ ἀποφατικὰ (ut ait) græci uocant, ita: Si ſol ſupra terram fuit, nox eſſe non potuit. Hæc enim affirmatio, illam perimit negationem. Cur uero hæc negantia eſſe conſtituerit, mirandū eſt. Nam quæ negantia ſunt, aientibus opponuntur, & ſimul eſſe non poſſunt: ut diem eſſe, ac diem non eſſe. hoc uero eſt conſequens, cum ita dicatur, Si hoc eſt, illud non eſt: ut, Si dies eſt, nox non eſt. Atqui affirmationē negationemq́; ualde Tullius dicit eſſe contrariam, ſed in hac conſequentia nequeunt eſſe contraria. nam quod eſt conſequens, contrarium non eſt.

A B adiunctis autem poſui equidem exemplum paulo ante.]

Quid ſit ab adiunctis locus, breui ſuperius monſtrauit exemplo, eo ſcilicet quod dixit, Si ſecundum mulieris nunquam capite diminuta tabulas poſſeſſio bonorum daretur, conſequens eſſe, ut ſecundum quoque puerorum & ſeruorum tabulas poſſeſſio permitteretur. Sed nunc formam ipſam & quaſi ſubſtantiam loci monſtrare proponit, quæ eſt huiuſmodi. Ab adiunctis enim locus eſt, cum ex eo quod proponitur, aliquid aliud uel eſſe, uel fuiſſe, uel futurum eſſe, argumentatione colligitur: ut in eo ipſo quod dudum poſuit exemplo. Approbatur enim, non debere ſecundum mulieris nunquam capite diminutæ tabulas bonorum poſſeſſionem dari: quia ſi id fuerit poſitum, id futurum eſt, ut ſecundum puerorum quoque ac ſeruorum tabulas bonorum poſſeſſio permittatur. Talia uero ſunt quæ dicūtur adiuncta, ut circa rem ferè quæ quæritur, inueniantur, neque tamen neceſſe ſit ei ſemper adhærere. Et forma quidē huius loci talis eſt, ut hāc quoque definitionem poſſit admittere. Ab adiunctis locus eſt, cum ex aliquibus, quæ ſunt proxima eis de quibus quæritur rebus, id quod quæritur uel fuiſſe, uel eſſe, uel futurum eſſe monſtratur: qui locus eſt cōiecturalibus cauſis maxime neceſſarius. Cum enim de facto quæritur, tum ſi id factum eſt quod dubitatur, quid uel fuerit uel ſit uel futurum ſit, conſiderari ſolet.

Multa enim ſunt quæ unicuique adiuncta rei, uariorum euentu temporum colliguntur. Idcirco enim quid ante rem, quid cū re, quid poſt rem euenerit, in coniecturalibus cauſis inquiritur, quæ ab oratoribus tractantur ſolis: neque Iuriſconſultis in huiuſmodi negotijs cum rhetorica facultate ulla communio eſt. Iuris enim peritus de facti qualitate, non etiam de ipſius facti ueritate reſpondet. idcirco quoties ad Gallum peritum iuris facti quæſtio deferebatur, nihil ad nos inquiebat: & ad Ciceronem potius conſulentes, id eſt ad rhetorem remittebat. In quo Tullius facete ad Trebatium iocum miſcuit dicens. Quanquam locus hic ab adiunctis, coniecturalibus cauſis maxime eſt utilis, nihil conſultorum iuris prudentiam iuuet. Patere me tamen, inquit, nullam ſuſcepti operis partem præterire, ne ſi in hoc libro nihil præter tuæ artis exempla conſcripſero, tuæ tantum gratiæ uideatur addictus. Ab adiunctis uero locus, qui non modo iuriſconſultis, ſed ne philoſophis quidem præter oratores non patet, trium ſæpe temporum ratione tractandus eſt. Nam de facto ſi quæratur, quid uel ante id, uel cum eo, uel poſt fuerit, neceſſe eſt neſtigari. ante rem quidum hoc modo: Apparatus, uériſimile eſt enim effeciſſe aliquem, quod ante efficiendum parauit. Colloquia: fieri enim potuit ut amauerit, qui ſæpe fuerit collocutus. Locus: uelut cum ad aliquid faciendum opportunus locus eligitur. Conſtitutum conuiuium: uelut ſi quis cōſtituto ante conuiuio, in eo feciſſe aliquid arguatur, capiaturq́; coniectura facti ex eo ipſo, quod ſit conuiuium conſtitutum. Atque horum omnium ante rem, de qua quæritur, exēpla ſunt. Cum re uero hoc modo: Pedum crepitus: uelut ſi iſſe in quēpiam locum aliquis accuſetur, pedum crepitu deprehenſus eſſe probabitur: uel ſi fuiſſe adulter in cubiculo ex umbra corporis deſignetur, hæc cum ipſis, de quibus quæritur, inſpecta, eiſdē tamen intelliguntur adiuncta. Poſt rem uero, ſi quas conſcientia maculas pallor, rubor, titubatioq́; prodiderit. reſtinctus ignis: uelut ſi clam factum aliquid extincto igni uelimus oſtendere, ut tutius notitiam ſubmonentibus tenebris committeretur. Item

gladius cruentus peractum facinus monſtrat. Hæc omnia poſt rem facto intelliguntur adiuncta. & ſemper ante rem, cum re, & poſt rem, ſecundum rationem temporum intelligendum eſt, neque ita ut in antecedentibus & conſequentibus. Illic enim naturæ ratio conſideratur. omnia quippe ſimul ſunt. nã quod antecedit, ſi poſitum ſit, ſtatim eſt id quod conſequitur: ut ſi ponas hominem, ſtatim animal eſſe neceſſe eſt: nec ante ſecundum tempus eſſe homo dici poteſt, poſt uero ſubſequi animal. ut ante aliquis apparatus eſt ſecundũ tẽpus, poſterior effectus. Itaque illic antecedentia & conſequentia nominantur: hic ante rem, cum re, & poſt rem. Idcirco quòd illud quidem non ſecũdum tempus, ſed ſecũdum principalitatem naturæ ſecum ſimul aliquid trahentis, antecedens dicitur: uel conſequens, id quod antecedens comitatur. Ea uero quæ ſecundum temporis priorem poſterioremúe rationem conſiderantur, ſunt adiuncta. idcirco ante rem, & cum re, & poſt rem cepere uocabulum.

DEINCEPS eſt locus dialecticorum proprius.] Expedito adiunctorum loco, nunc de antecedentibus & conſequentibus & repugnantibus diſſerit. Qui locus cum ſit unus, in tria uelut membra diuiſus eſt. M. quidem Tullius loci huius uocabulum tacuit: mihi autem totus conditionalis appellandus uidetur, cuius cum promptiſſime natura claruerit, nomen quoque ei, quod nos poſuimus, recte inditum manifeſtius apparebit. Primum igitur ſingularum partiũ definitio peruidenda eſt. Itaque antecedens eſt, quo poſito, aliud neceſſe eſt conſequatur. Item conſequens alicuius eſt, quod eſſe neceſſe eſt, ſi illud cui eſt conſequens præceſſiſſe conſtiterit. Repugnans eſt, quod ſimul cum ea re cui repugnare dicitur, eſſe non poſſit. Antecedentium igitur atque conſequentium & repugnantium unum locum eſſe prædiximus: qui quomodo ſit unus, paucis oſtendam. Primum igitur dum quæreretur, quo'nam modo unus eſſet locus à conſequentibus & antecedentibus & repugnantibus, dicebatur, quoniam eiuſdem mentis eſt atque intelligentiæ, tam conſentanea ſibimet quàm diſſidentia præuidere, idcirco hunc quoque locum unum uideri. Conſentaneorum nanque duæ ſunt partes, antecedens una, altera conſequens. Nam cum altero præcedente comitatur alterum, illa ſibi in ipſa naturæ conſequentia conſentire neceſſe eſt. Repugnantium uero tametſi duæ partes ſunt, unum tamen eſt utriſque uocabulum: utraque enim repugnantia nominantur. Duo uero eſſe, quæ ſibimet repugnent, atque à ſe diſſentiant, nullius ignorat. ſed eo diſtant, quod antecedentium & conſequentium duo ſunt nomina, licet unus utriſque conſenſus. Repugnantibus uero unum nomen eſt, cum ſit unus in utriſque diſſenſus. ergo eadem mens, eademq; intelligentiæ ratio id quod præcedit, & id quod comitatur intelligit. neque enim fieri poteſt, ut antecedens aliquid intelligatur, niſi in eodẽ, quid ſit conſequens, conſideretur. Eodem quoque modo nec cõſequens, niſi appareat quid præcedat: item repugnans aliquid intelligere nemo poteſt, niſi intelligat cui repugnet. Sed quoniã eadem ratio poteſt ſimilia diſſimiliaq; perſpicere, antecedẽtium uero & conſequentium conſenſus quidam, & per naturæ ſimilitudinem concordia eſt: diſſenſus uero in repugnantibus, ac diſſimilitudo: neceſſe eſt, ut una atque eadem ratio & antecedẽtium conſequentiumq; naturam & repugnantium ſpectet. quo fit, ut unus quoque locus ſit, quem una intelligentia comprehendit. Sed hic opponebatur: cur igitur alium ex ſimilitudine, alium ex contrario locum Marcus Tullius ſuperius enumerauit? Nam ſecundum propoſitam rationem, quoniam ſimilitudinem & contrarietatem intelligentia una perpendit unus locus ſimilium contrariorumq; eſſe debuiſſet: ſed reſpondebatur, quoniam non eodem modo ſibi antecedentia & conſequentia conſentire dicuntur, ſicut ea quæ ſimilia nuncupantur: In his nanque una tantum qualitas inuenitur, & ſecũdum eandem qualitatem ſimilia eſſe dicuntur. At in antecedentibus & conſequentibus non qualitatis ſimilitudo, ſed quidam naturæ conſenſus eſt. & quæ ſimilia ſunt ſine ſe eſſe poſſunt, antecedentia uero & conſequentia ſine ſe eſſe non poſſunt· atque idcirco non uidetur eſſe conſequentium & antecedentium cum ſimilitudine ulla communio naturæ, quæ ratio nõ ualde uidetur idonea, nec explicat quod demonſtrare conatur. Illud certe firmiſſimũ eſſe conſtitit, quod huius loci tractatus conditionalibus ſemper propoſitionibus accommodaretur. Conditionalis uero propoſitio eſt, quæ cum conditione pronunciat eſſe aliquid, ſi aliud fuerit: ueluti cum dicimus, ſi dies eſt, lucet. Hæc igitur rerum cõſequentia facile in repugnantiam uertitur. Nam ſi rebus conſequentibus negatio interponatur, ex conſequentibus repugnantia redduntur hoc modo: Si dies eſt, lux eſt. Repugnantia ſiunt ita: Si dies eſt, lux non eſt. repugnant enim, diem eſſe, & lucem non eſſe: quæ repugnantia in conditione conſiſtit. Dicimus enim, ſi dies eſt, lux non eſt. nam diei contrarium eſt nox: conſequens uero noctis, lucem non eſſe. quare eſſe diem, & non eſſe lucem, repugnat. Argumento uero eſt hanc repugnantiam in conditione conſiſtere, quia ſi conditio deficiat, nulla eſt repugnantia, hoc modo: Dies eſt, lux non eſt. utraque enim disiunctæ propoſitiones ſuas ſententias gerunt, nec quidquam intelliguntur habere commune. atque ideo diuerſis accepta temporibus uera ſunt, nec repugnant. nam ſicut in his propoſitionibus, dies eſt, lux eſt, nulla eſt conſequentia, quoniam conditio deeſt, quæ propoſitionem facit connexam, ſed utraque à ſe disiunctæ ſuam ſententiam claudunt: ita in his quibus proponitur, Dies eſt, lux non eſt, nulla eſt repugnantia, quoniam ſeruat ſuam utraque ſeparata ſententiam. At ſi his conditio interueniat, ſuperiorum quidem ita ſententia copulatur, ut conſequentes fiant: poſteriorũ uero ita, ut repugnantes, hoc modo, Si dies eſt, lux eſt. Hæc conſequens propoſitio ex duabus per conditionem mediam effecta eſt una. At ſi ſit ita, Si dies eſt, lux non eſt, repugnat. negatum enim, quod ſequitur, repugnare neceſſe eſt. Amplius argumentum quod ex antecedentibus & conſequentibus fit, ex unius propoſitionis connexæ partibus naſcitur. nam conditionalis propoſitionis connexæ una pars eſt antecedens, alia conſequens. quod ſi à repugnantibus argumentum fiat, rurſus ab unius propoſitionis membris tale argumentum naſci oportebit. igitur ex his propoſitionibus dies eſt, lux eſt, una eſſe non poteſt, niſi conditione copulentur, ut unum ſit antecedens, aliud conſequens: & ideo in his ex antecedenti & conſequenti argumentum eſſe non poteſt, quoniam duæ ſunt. Etiam ex illis quoque propoſitionibus quæ ſunt, Dies eſt, lux nõ eſt, una eſſe non poterit, niſi conditionis adiunctione in unius quodammodo propoſitionis ſententiam reducantur, cuius propoſitionis partes ſunt repugnantes. nam ut in connexa propoſitione una pars antecedens, alia eſt conſequens: ita in repugnãti utraque pars propoſitionis à ſemet inuicem repugnat, ac diſſidet. Amplius repugnans propoſitio connexæ partem contrariam tenet. nam ut in illa, quod antecedit ſecum id quod ſequitur trahit; ita in hac propoſitione partes ſimul eſſe non poſſunt. Contrariæ uero differentiæ ſub eodem genere poni ſolent. Si igitur cõnexa propoſitio in conditione eſt conſtituta, repugnans quoque in conditione conſiſtit. quòd ſi & conſequentiam propoſitionum & repugnantiam conditio facit, non eſt dubium quin locus hic iure conditionalis uocetur, ac ſit unus poſitus in conditione diuiſis partibus, id eſt, in antecedentem conſequentemq; & repugnantem. Connexa nanque propoſitionis una pars antecedens eſt, alia cõſequens. Repugnantis uero propoſitionis utraque repugnat ac diſſidet. Itaque connexæ propoſitionis partes, antecedens & conſequens ſunt: repugnantis uero, repugnantes partes ſunt. Nec illud intelligentiam turbet, quòd dies eſt, & lux eſt, quadam ſibi ratione conſentiunt: item, dies eſt, & lux non eſt, quaſi à ſe diſſentiunt atque diſcordant. nam con-

nexa

nexa eſt propoſitio, ſi cum aliud anteceſſerit, aliud cõſequatur. Item repugnãs, ſi uno poſito falſo aliud inferatur, quod eſſe nõ poteſt, niſi id uis conditionis efficiat. Quocirca aperte demonſtratum eſſe arbitror, conditionalem hunc locum uocari, & recte unum eſſe à M. T. conſtitutum. Quomodo uero fiat ab antecedentibus & conſequentibus & repugnantibus argumentum, poſterius dicam. ſed quoniam nullius facultatis alterius eſt, quid quæque rem conſequitur, uel cuique quid repugnet inſpicere, niſi dialectica tantum, quæ huius quàm maxime rei peritiam profitetur: idcirco ait, hunc eſſe locum totum dialecticorum, qui etiam ab adiunctis longe diuerſus eſt. Primum, quòd adiuncta prodere ſeſe, atque oſtentare inuicem poſſunt, non uero perficere atque implere naturã: ueluti ambulationem pedũ ſtrepitus ſignare quidem ac denunciare poteſt, efficere uero nõ poteſt. Neque enim ambulationem efficit pedum ſtrepitus, nec uero ex neceſſitate ambulatio, ut pedum ſtrepitus ſit, author eſt. ſed ſæpe ita ambulatur, ut nullus pedum ſtrepitus exaudiatur: ſæpe non mutato loco moueri pedes, ac ſtrepere præter ambulationem queunt. Præcedentia uero & conſequentia & repugnantia nunquã deſunt. idcirco non ſemper inueniuntur adiuncta: propoſitoq; termino quem probare contendimus, ſæpe ex adiunctis argumenta deficiunt, quia ipſa quoque aliquoties deficere uidentur adiuncta. Præcedentia uero & conſequentia, & repugnantia nunquam deſunt. omne enim quidquid in rebus eſt, habet quod ſe aut ſequatur naturaliter, aut præcedat. eſt etiam à quo naturæ diuerſitate diſſideat. uelut hominem ſequitur quidem animal, præcedit uero ſubſtantiam. dicimus enim, Si homo eſt, animal eſt: ſubſtantiam uero præcedit, cum proponimus, Si animal eſt, ſubſtantia eſt. Repugnat uero mortuo, cum enunciamus: Si animal eſt, mortuum non eſt. Præterea quæ ſunt adiuncta temporibus diſtributa ſunt, ut ante rem, cum re, uel poſt rem: quæ uero ſunt antecedentia, conſequentia, & repugnantia, quomodolibet in temporibus ſint, nihil refert. Nam priora ſæpe temporibus comitantur, & temporibus poſteriora præcedunt: & quæ ſimul tẽporibus ſunt, aliàs præcedunt, aliàs uero conſequuntur, ut ſuperius quoque ſæpe diximus. Amplius, quæ antecedentia ſunt & conſequentia, relinquere ſeſe non poſſunt, nec ſibi repugnantia cohærere, & ſunt neceſſario ſibimet connexa uel inconnexa: quæ uero ſunt adiũcta, nihil obtinet neceſſitatis, quia & iungi ſibimet, & à ſe ſeparari queunt. Quæ cum ita ſint, quæſtio difficilis uehementer oboritur. uidetur enim minus intuentibus, nihil hic locus differre ab his locis, qui dicti ſunt uel à genere, uel à ſpecie, uel à cõtrariis. nam genus ſemper ſpecies ſequitur, ſpecies genus præcedit, contraria ſimul eſſe non poſſunt: quæ ſoluenda eſt hoc modo. Primum, quia non omne cõſequens genus eſt, nec ſpecies antecedens. Repugnantia uero non ipſa contraria, ſed contrariorum ſunt conſequentia: ut in locorum, qui à M. T. propoſiti ſunt, expoſitione, monſtrauimus. Dehinc, quia cum à genere fit argumentum, ipſum genus aſſumitur. eodem quoque modo ſpecies, cum ab ea aliquid uolumus approbare. Cum uero ab antecedentibus & conſequẽtibus aliquid monſtrare contendimus, eo quod in conditionali propoſitione præceſſit, utimur in aſſumptione, etiam ſi non fuerit genus. Item ſi à conſequenti argumentum fiat, etiamſi ſpecies non ſit, à conſequenti parte conditionalis propoſitionis ducitur argumentum. ueluti cum ita dicimus: Si ignis eſt, leuis eſt. Ignis antecedit, leuitas ſequitur. Sed neutrum neutri eſt genus aut ſpecies, aſſumitur itaque, atqui ignis eſt. Nũc igitur id quod antecedebat aſſumpſi, ex quo monſtratur concluſio, Leuis igitur eſt. At ſi ita aſſumatur, Sed non eſt leuis, id quod conſequebatur aſſumpſi. concluditur ergo atque monſtratur, Non eſt igitur ignis. Vides igitur, ut de his præcedentibus & conſequentibus nunc loquimur, quæ in cõditionali propoſitione poſita, uel præcedere uel conſequi intelliguntur. Cum uero fit ex genere argumentum, ſpecies quidem eſt, de qua aliquid probare intendimus: genus uero aſſumimus non quaſi præcedens, ſed quaſi continens, ut quidquid eſſe conſideratur in genere, id etiam formæ quoque debeat aptari. Genus enim quoad permanet, à ſua ſpecie non recedit: cum uero de ſpecie ſumimus argumentum, genus quidem eſt de quo aliquid quæritur: ſed id laboramus, ut id quod de genere conamur oſtendere, ex ſpecie poſſit facilius cognoſci. Vt cum uxori Fabiæ relictum fuiſſet legatum, ſi materfamiliàs fuiſſet, quoniã non conuenerit in manũ, ſcilicet ab in manus conuentione, quæ ſpecies eſt uxoris, uxorem, quod eſt matrisfamiliæ genus, à legati iure ſeiungimus, & legatum ad ſpeciem, id eſt, matremfamiliàs deriuamus. Sed illud interius diſpiciendum uidetur, non locus ab antecedentibus & conſequentibus totus ſuperuacaneus eſſe uideatur, cum quolibet modo fuerint ex eo argumenta compoſita, à cæteris locis, quos ſuperius deſcripſimus, non recedat. Nam quodcunque ab antecedentibus & conſequentibus ducitur argumentum, id uel à toto, uel à partibus, uel à coniugatis, uel ab aliquo reliquorum tractum eſſe perpenditur, hoc modo: Si utilis eſt æquitas conſtituta ad res ſuas obtinendas, utile eſt ius ciuile. ad quod præcedit, quod ſequitur, Igitur. hoc eſt à definitione argumentum, ſcilicet ab aſſumptione præcedentis. At ſi ita dicam: ſed non eſt utile ius ciuile, non eſt igitur utilis æquitas cõſtituta ad res ſuas obtinendas: hic per conſequentis aſſumptionem à definitionis loco ſumptum eſt argumentum. Item, à partium enumeratione: Si neque cenſu, neque cæteris, non eſt liber: at cenſu, uel cæteris, eſt igitur liber. at non eſt liber, neque cenſu: Igitur neque cæteris manumiſſus eſt. Sed notandũ eſt, quæ ſit uis uniuſcuiuſque argumenti, & quo'nam modo proferatur. Sunt enim argumenta quæ prædicatiuis apta ſint ſyllogiſmis, ut à definitione ſic. Ius ciuile eſt æquitas conſtituta, & reliqua: id uero utile eſt, utile eſt igitur ius ciuile. Item à partibus: Qui neque cenſu, neque uindicta, neque teſtamento eſt manumiſſus, hic ex ſeruitute liber factus non eſt: Stichus uero neque teſtamento, neque cenſu, neque uindicta manumiſſus eſt: Stichus igitur liber non eſt. & in cæteris eodem modo. Omnia uero quæcunque per categoricum ſyllogiſmum proferri poſſunt, eadem per conditionalem dici queunt. Omnis nanque prædicatiua propoſitio in conditionalem uerti poteſt, hoc modo. Omnis homo animal eſt, prædicatiua eſt. hæc facile uertitur in cõditionalem, ita: Si homo eſt, animal eſt. Non uero omnis conditionalis in prædicatiuam uerti poteſt, uelut hoc. Si peperit, cum uiro concubuit. Nemo enim dicere poteſt, ipſum peperiſſe id eſſe quod cum uiro concumbere, quomodo dicimus hominem id eſſe quod animal ſit. Alia enim ratio eſt in his propoſitionibus quæ ita dicuntur, Quæ peperit, cum uiro concubuit: hæc enim ſimilis eſt ei quæ dicit, Si peperit, cum uiro concubuit. ſed prædicatiua propoſitio id eſſe, ſubiectum dicit, quod fuerit prædicatum. Conditionalis uero id ponit, ut ſi id quod antecedens fuerit, comitetur neceſſario quod ſubſequitur. Cum uero prædicatiua eſt propoſitio, ſi ea uertatur in conditionalem, alia nimirum redditur propoſitio. Nam cum dicitur, omnis homo animal eſt, ipſe homo animal eſſe proponitur: cum uero, Si homo eſt, animal eſt, non id ſentitur, ut ille qui homo eſt, animal ſit: ſed propoſito eſſe hominem, conſequi, ut ſit animal. Ergo conditionalis ſyllogiſmus in anteceſſione & conſecutione poſitus, licet per definitionem, licet per partium enumerationem, licet per cõiugationem, et quolibet alio fiat modo, tamen in propria forma ſe continet, & eſt conditionalis, id eſt, utens propria conditione, ut quodammodo cætera argumenta ſuæ ueluti naturæ uideatur habere ſubiecta: ut cum ſit à definitione argumentum, ſi quidem per prædicatiuam formam factus fuerit ſyllogiſmus, à definitione deductum eſſe dicatur. Sin uero per ἀκολουθίαν facta fuerit argumentatio, conditionalis ſit ſyllogiſmus: quæ diſcernat

aſſumptio, utrum ab antecedentis, an à conſequentis parte promatur. Quo fit, ut etiam ſi per cæteros locos conditionale argumentum feratur, tamen ſuam quandam habeat formam, quandoquidem in anteceſſione & conſecutione eſt cõſtitutus. Tunc enim definitio partes, cõiugatio, &c. ueluti res ipſa ſunt, ac nõ locus, cum uenerint in conditionem. at ſi conditio ceſſet, ex ipſis perfectum uidebitur argumentum: quòd ſi propoſitionem conditio copulauerit, ipſa quidem ea, quæ in propoſitionibus continentur, ſunt ueluti quædam argumenti partes. locus uero in conditione eſt conſtitutus. Atque hæc ita dicta ſunt, quaſi aliter conditionalis hic locus tractari non ualeat, niſi eorum aliquem quos prædiximus includat. Nam poteſt præter eos etiam ſæpe reperiri, ut cum dicimus, Si homo eſt, riſibilis eſt: ſi coruus eſt, niger eſt. Hic enim nec definitionem, nec partes, nec ullum alium locum ſuperius enumeratorum continet argumentum. Amplius facile eſt in ſingulis eorum differentias præuidere. locus quippe à toto, à ſubſtantia trahitur, à partibus uero, à rei cõpoſitione. nam in ſimplicibus terminis tale argumentum non poteſt inueniri, à notis, ab interpretatione, à coniugatis, ab eo quod ex eodem utrunque deducitur, à genere, à cõtinenti, à forma, ab eo quod continetur, à differentia, ab eo quod diſcrepat, à ſimilibus, ab eadem qualitate, à contrarijs, ab eo quòd à ſe longe diuerſa ſint, à cauſis efficientibus, ab effectis, ab his quæ uim alterius efficientiæ ſuſceperunt, ab adiunctis, à uicinitate naturæ, à comparatione maiorum, parium, uel minorum, à relatione ad æqualem uel inæqualem quantitatẽ. ab antecedentibus uero lõge alius modus eſt. Conſtat enim in eo quod propoſitum quid fuerit, aliud quiddam modis omnibus exiſtat, quod conſequens appellatur. Huius uero intelligentia conſiſtit in eo, quòd præcedente quolibet aliud ſubſecutum eſt. Repugnantium uero intelligentia conſiſtit non modo quòd neque ſequi neque antecedere poſſunt, uerum etiam, quòd ſimul eſſe non poſſunt: quæ in conditione conſiſtere dubium non eſt. His igitur ita expeditis, quoniam M. Tullius proprietatem loci, ut in tranſcurſu potuit, euidenter expreſſit, nunc quibus modis eodẽ loco uti conueniat, adiungit. Quæ Topicorum pars, quoniam diligentius explanãda eſt, finem quarto uolumini faciã, quinto cætera reddituri.

EIVSDEM BOETII IN TOPICA CICERONIS COMMENTARIVS V.

d E omnibus quidẽ hypotheticis ſyllogiſmis, Patrici rhetorum peritiſſime, plene abundanterq; digeſſimus his libris, quos de eorum principaliter inſtitutione conſcripſimus: à quibus integrãm perfectamq; doctrinam, cui reuoluẽdi illa uacuum tempus eſt, lector accipiet. Sed quia nunc Ciceronis topica ſumpſimus exponenda, atque in his aliquorum M. T. modorum meminit, dicendum mihi breuiter exiſtimo de his ſeptem conditionalibus ſyllogiſmis, quæ eorum natura ſit, propoſitionumq; contextio: ut cum hæc ad ſcientiam rite prælibata peruenerint, Tulliana facilius noſcantur exempla. Omne igitur quod in quæſtione dubitatur, aut ueriſimilibus, aut neceſſarijs probabitur argumentis. Argumentum uero omne, aut in ſyllogiſmi ordinem cadet, aut ex ſyllogiſmo uires accipiet. Syllogiſmus uero omnis propoſitionibus conſtat. Propoſitiones autẽ omnes uel ſimplices ſunt, uel compoſitæ. ſimplices, quæ ſimplicibus orationis partibus coniunguntur. Copulant autem incompoſitam propoſitionem ſimplices orationis partes, nomen & uerbum: ueluti cum dicimus, dies eſt, uel dies uernus eſt, uel dies ſerenus eſt. Hic enim omnem uim propoſitionis nomen connectit & uerbum. Omnis autem ſimplex propoſitio ex ſubiecto prædicatoq; conſiſtit. Subiectum eſt, de quo dicitur id quod prædicatur. Prædicatum eſt, quod de eo dicitur quod ſubiectum eſt. Verbum autem aliquoties prædicato nomini adiungitur, aliquoties ipſum prædicatur: prædicato nomini adiungitur in hac propoſitione, quæ dicit, dies ſerenus eſt. dies enim ſubiectus eſt, ſerenus prædicatur: eſt uero uerbum ſereno adiunctum eſt, quod diximus eſſe prædicatum. At ſi talis ſit propoſitio, quæ ſolo nomine conſtet & uerbo, ueluti cum dicimus, dies eſt: tunc dies ſubijcitur, eſt uerbum ſine dubio prædicatur. Sine uerbo autem nulla eſt propoſitio. omnis enim propoſitio, uel uera, uel falſa eſt. niſi autem uerbum ſit quolibet adiũctum, quo eſſe aliquid, aut non eſſe dicatur, nulla ueritas aut falſitas in propoſitionibus deprehenditur. Sæpe autẽ propoſitiones etiam ex totis orationibus conſtant, ut ſi dicamus, Tranſire in Africam utile eſt Romanis: hic enim ſubiectum quidem eſt, trãſire in Africam, utile autem Romanis, prædicatum: eſſe uero, prædicato coniungitur. Huiuſmodi igitur omnes propoſitiones prædicatiuæ dicũtur. Prædicatiuæ uero appellantur, quia aliud de alio prædicant, omneſq; qui ex his propoſitionibus ſunt ſyllogiſmi, ſecundum enunciationum ſuarum formas prædicatiui appellantur. Ex his autẽ prædicatiuis propoſitionibus exiſtunt compoſitæ propoſitiones: quarum aliæ quidem copulatiua coniunctione nectuntur, ut, Et dies eſt, & lux eſt: aliæ uero per conditionem ſunt, quæ etiam conditionales enunciationes uocantur. hæ uero ſunt, quæ coniunctione quadam partibus interpoſita, ad conſequentiam conditionemq; ducuntur. Age enim, ſint duæ propoſitiones prædicatiuæ: una quidem quæ dicit, animal eſt: alia uero quæ proponit, homo eſt. his ſi coniunctio interueniat, faciet, Si homo eſt, animal eſt. Vides igitur, ut duas prædicatiuas propoſitiones in unam conditionem coniunctio copulauerit. quæ cum ita ſint, omnes hæ propoſitiones hypotheticæ, id eſt, conditionales uocantur. atque ex his ſyllogiſmi tales exiſtunt, quibus hypotheticis uel conditionalibus nomen eſt. Omnis autem hypothetica propoſitio, uel per connexionem fit, uel per diſiunctionem. per connexionem hoc modo, Si dies eſt, lux eſt: per diſiũctionem ita, Aut dies eſt, aut nox eſt. Earum uero quæ per cõnexionem ſunt, aliæ ex duabus affirmatiuis copulata ſunt, ut, Si dies eſt, lux eſt. nanque dies eſt, & lux eſt, utraque aliquid affirmant. Aliæ ex duabus negatiuis: ut, Si lux non eſt, dies nõ eſt, utraq; negatio eſt. Aliæ uero ex affirmatiua negatiuaq; coniuncta ſunt: ut, Si dies eſt, nox non eſt. Aliæ uero ex negatiua atque affirmatiua copulantur: ut, Si dies non eſt, nox eſt: omnes tamen in connexione ſunt poſitæ. Aut enim affirmatio affirmationem ſequitur, aut negatio negationem, eiq; cõnexa eſt: aut affirmationem negatio, aut negationem affirmatio. Sed ex connexis repugnantes manifeſtum eſt naſci. nanque ubi affirmatio ſequitur affirmationem, his ſi media negatio interpoſita ſit, repugnantiam facit hoc modo, Si dies eſt, lux eſt: hic affirmatio ſequitur affirmationem. At cum dico, ſi dies eſt, lux non eſt: repugnant inter ſe partes propoſitionis cõnexæ, interpoſita negatione. Item quoties negatio ſequitur negationem, ſi poſteriori propoſitionis parti negatiuum dematur aduerbium, repugnantes ſunt, hoc modo, Si animal non eſt, homo non eſt: hæc connexio eſt ex duabus propoſita negatiuis. At ſi poſteriori parti, homo non eſt, negatiuum detrahatur aduerbium, fiet, Si animal non eſt, homo eſt, quod repugnat. At ſi affirmatio negationem ſequatur, ſiue poſteriori parti negatio iungatur, ſiue priori auferatur, repugnantes ſunt, hoc modo: Si dies non eſt, nox eſt: hic igitur affirmatio ſequitur negationem. ſiue igitur poſteriori parti, nox eſt, negatio copuletur, ut ſit ita, Si dies non eſt, nox non eſt: ſiue priori auferatur, ut ſit ita, Si dies eſt, nox eſt, repugnantem fieri propoſitionem neceſſe eſt. Quod ſi negatio affirmationem ſequatur, & poſteriori parti negatiuum aduerbium ſubtrahatur, propoſitionis connexæ partes in repugnantiam cadunt, hoc modo: Si uigilat, non ſtertit. hic affirmationom ſequitur negatio. ſed ſi poſteriori parti, id eſt, non ſtertit, negatio dematur, fiet, Si uigilat ſtertit: & erit repugnans. Sed in connexis atque diſiunctis propoſitionibus

illud

illud intelligendum eſt, quòd in earum partibus & ui quæſtionis includitur, & argumenti. Age enim dubitetur, an lux ſit: idq́; approbandũ ſit, eo quod dies eſt. Si igitur ita fiat propoſitio, Si dies eſt, lux eſt: ea quidẽ pars totius propoſitionis quæ ſequitur, id eſt, lux eſt, quæſtionis eſt: de ea nãque quæritur, an lux ſit. ea uero quæ prior eſt, id eſt, dies eſt, uim cõtinet argumenti. Ex eo enim quod dies eſt, lux eſſe probabitur. & in cæteris quidem uel connexis, uel diſiunctis eadẽ ratio eſt. In omnibus uero his, quoniã ſyllogiſmus atque argumentatio ad demonſtrandã partem alterã quæſtionis accõmodatur, quæſtio uero omnis dubitabilis eſt, oportet ſyllogiſmos, qui accõmodantur ambiguæ quæſtioni, indubitabiles eſſe, atque perſpicuos. qui ut ſint tales, ex claris atque apertis & in ueritate patentibus propoſitionibus neceſſe eſt conſtent. Propoſitiones uero partim per ſe notæ ſunt, partim aliquibus probationibus indigebunt. Omnis uero ſyllogiſmus enunciatione propoſita, habet alicuius partis aſſumptionem, ut quod eſt in quæſtione concludat. hoc modo: Si dies eſt, lux eſt. ut igitur lucẽ eſſe demonſtrem, aſſumã unam partem propoſitionis ſuperius conſtitutæ, dicamq́;: ſed dies eſt. ac tunc demũ id quod eſt in quæſtione concludã, lux eſt igitur. Ergo cũ ad ſyllogiſmi concluſionẽ, & tota enunciatione in proponẽdo, & in aſſumendo parte enunciationis utamur neceſſe eſt, ut ea quibus utimur nihil habeant dubitabile: ſi quidem ex his ea quæ ſunt ambigua capient fidem. Quòd ſi propoſitio aliquoties quidẽ per ſe nota eſt atque perſpicua, aliquoties uero probationis indigens inuenitur, aſſumptio quoque aliquoties per ſe uera eſſe notabitur, aliquoties approbationis indiget adiumentis. Quo fit, ut ſi & propoſitio & aſſumptio demonſtrandæ ſint, quinque partitus (ut Cicero etiã in Rhetoricis autor eſt) ſyllogiſmus fiat, conſtans ex propoſitione, eiusq́; probatione, aſſumptione, eiuſdemq́; probatione & cõcluſione. quòd ſi neutra ſit approbãda, tripartitus ſit, ex probatione ſcilicet, & aſſumptione, & concluſione. quòd ſi altera earũ demonſtranda ſit, ſit quadripartitus, ex propoſitione ſcilicet, et aſſumptione, atque unius earũ approbatione & concluſione. Concluſionis uero ipſius approbatio præcedente propoſitione atque aſſumptione perficitur: quæ cum ita ſint, cumq́; omnis propoſitio hypothetica in connexionem diſiunctionemq́; diuidatur: in connexis propoſitionibus aliud dicimus præcedens, aliud cõſequens. Idem autẽ conſequens & connexũ uocamus, uelut in hac propoſitione: ſi dies eſt, lux eſt. dies eſt, præcedit: annectitur, lux eſt. In diſiunctis autem nõ eſt eadẽ ratio, quia cũ ea quæ proponuntur ſimul eſſe non poſſunt, nullo modo dicuntur eſſe connexa. Præcedens autem & ſubſequens inde indicatur, quia quod primum ponitur, iure antecedens uocatur: quod poſterius, iure ſubſequẽs dicitur. Ex his igitur propoſitionibus quæ cõnexæ ſunt, fit primus & ſecundus hypotheticorũ ſyllogiſmorum modus. addita uero negatione propoſitioni cõnexæ, ex duabus affirmationibus copulatæ, eaq́; inſuper denegata, tertius accedit. Ex diſiunctis uero propoſitionibus diuerſo modo aſſumptionibus factis, quartus & quintus. Vtriſque uero per negationem compoſitis, ſextus & ſeptimus. atque hæ ſeptem ſunt hypotheticæ concluſiones, quarũ M. T. in Topicis meminit: quarũ omniũ deinceps ordo atque exempla ſubdenda ſunt. Primus igitur modus eſt, cum in cõnexa propoſitione, aſſumpto eo quod præcedit, uolumus monſtrare quod ſequitur, ita eſſe oportere, ut eſt in connexione prolatum. In quo ſi id quod connexum eſt, ac ſequitur, aſſumpſerimus, nullus omnino fit ſyllogiſmus. Huius exemplum tale eſt: ſi dies eſt, lucet. ſi igitur lucere mõſtremus, aſſumamus neceſſe eſt diem eſſe, hoc modo: atqui dies eſt, conſequitur ergo ex neceſſitate lucere. quòd ſi lucere aſſumamus, atque ita dicamus, atqui lucet: non neceſſe eſt diem eſſe, atque ideo nulla neceſſitas euenit cõcluſionis. ubi uero nulla neceſſitas eſt, nec ſyllogiſmus quidẽ intelligi poteſt. Eſt igitur primus modus in hanc formam: Si dies eſt, lucet: dies autem eſt, lucet igitur. inueniuntur tamen, in quibus æquo modo ualet aſſumptio, ſiue præcedens, ſiue ſubſequens aſſumatur, ut in homine atque riſibili: Si enim homo eſt, riſibile eſt: atqui homo eſt, riſibile igitur eſt: atqui riſibile eſt, homo igitur eſt. Sed in his hæc cauſa eſt, quia homo atque riſibile æqui ſunt termini: atque idcirco uno poſito, alterum comitari neceſſe eſt. Sed quia hoc in omnibus non eſt, idcirco dicimus non eſſe uniuerſale, ut aſſumpto poſteriore, quod præcedebat probetur. Secundus uero modus eſt, quoties aſſumpto poſteriore atque cõſequenti, quod anteceſſerat aufertur, hoc modo: Si dies eſt lucet. hic ſi aſſumamus non lucere, contrario modo atque in propoſitione prolatum eſt, aſſumemus dicentes: atqui non lucet, in eo igitur ſequitur, non eſſe diem. Quod ſi diem negemus, id eſt, quod antecedit in aſſumptione contrario modo atque poſitum eſt, & in propoſitione proferamus, non tollitur quod eſt connexum, ut ſi dicamus, atqui non eſt dies, non mox ſequitur non lucere. poteſt enim non eſſe dies, & tamen lucere. Eſt igitur ſecundi modi forma huiuſmodi: Si dies eſt lucet: atqui non lucet, non eſt igitur dies. Primus igitur modus aſſumit quod præceſſit, ut approbet quod connexum eſt. non poteſt uero aſſumere quod connexum eſt, ut probet quod præceſſit. Secundus autem aſſumit è contrario quod ſequitur, ut quod præceſſit euertat. non poteſt autem è contrario aſſumere quod præceſſit, niſi id quod connexum eſt auferatur. Tertius modus eſt, cum inter partes connexæ, atque ex duabus affirmationibus copulatæ propoſitionis negatio interponitur, eaq́; ipſa negatio denegetur, quæ propoſitio ὑπεραποφατικὴ græco ſermone appellatur. ut in hac ipſa quam ſuperius propoſuimus, ſi dies eſt, lux eſt: ſi inter has propoſitiones negatio interueniat, fiet hoc modo: Si dies eſt, lux non eſt: Ac ſi ulterius denegemus, erit ita, Non ſi dies eſt, lux non eſt. cuius propoſitionis iſta ſententia eſt: quia ſi dies eſt, fieri non poteſt: ut lux non ſit. Quæ propoſitio ſuperabnegatiua appellatur. taleſq́; ſunt omnes, in quibus negatio præponitur negationi, ut Non non eſt dies.

Et rurſus:

Nec non Auſonij Troia gens miſſa coloni.

In hac igitur ſi priorem partem, id eſt, diem eſſe, in aſſumptione ponamus, conſequetur etiam lucem eſſe, hoc modo: non ſi dies eſt, lux non eſt: atqui dies eſt, lux igitur eſt. Qui modus à ſuperioribus plurimum diſtat, quod in eo modo qui fit ab antecedentibus, ponitur antecedens, ut id quod ſequitur aſtruatur. In modo uero à conſequentibus perimitur conſequens, ut id quod præceſſerat auferatur. In hoc uero neutrum eſt. nam neque antecedens ponitur, ut quod ſequitur confirmetur: nec interimitur ſubſequens, ut id quod præceſſerat euertatur: ſed ponitur antecedens, ut id quod ſequitur interimatur. Hic autem propoſitionis modus partes inter ſe ſuas continet repugnantes: aduerſum quippe eſt ac repugnat, ſi dies eſt non eſſe lucem. Sed idcirco rata propoſitio eſt, quia conſequentium repugnantia facta, per mediam negationem alia negatione deſtruitur, & ad uim affirmationis omnino reuocatur. Nam quia conſequens eſſe intelligitur ac uerum, ſi dies eſt eſſe lucem, repugnat ac falſum eſt, ſi dies eſt non eſſe lucem. Quæ denegata rurſus uera eſt ita: Non ſi dies eſt lux non eſt, & fit conſimilis affirmationi: ſi dies eſt, lux eſt, quia facit affirmationem geminata negatio. Similiter uero fiunt ex repugnantibus propoſitionis partibus argumenta, uel ſi duabus negationibus, uel ſi negatione & affirmatione, uel ſi affirmatione & negatione iungantur. Quomodo uero fiant ex talibus connexis repugnantes, ſuperius dictum eſt: fit uero ex ea propoſitione, quæ duabus iungitur negatiuis, ex repugnanti argumentum hoc modo. ſit propoſitio, Si non eſt lux, dies non eſt. fiat repugnans ita: ſi non eſt lux, eſt dies. huic iungamus negationẽ ut fiat uera, ita: Non ſi lux nõ eſt, dies eſt: atqui lux nõ eſt, dies

igitur non eſt. Item ſit ex negatione atque affirmatione propoſitio hæc: Si dies non eſt, nox eſt. huic addatur ex poſteriore parte negatio, & ſit ita: Si dies non eſt, nox non eſt: fit repugnans. hæc nihilominus abnuatur ut ſit uera, nõ ſi dies nõ eſt, nox nõ eſt: aſſumimusq́; : atqui dies non eſt: cõcludimus, nox igitur eſt. Item ſi ex eadem propoſitione quæ ex negatiua affirmatiuaq́; coniungitur, & dicit, Si dies non eſt, nox eſt: à priori parte negatio ſubtrahatur, fiet repugnãs hoc modo: Si dies eſt, nox eſt. huic apponatur negatio, ut uera eſſe poſſit, hoc modo: nõ ſi dies eſt nox eſt. aſſumamq́;, atqui dies eſt: cõcluditur, nox igitur non eſt. At ſi ſit ex affirmatione & negatione propoſitio cõiuncta, uelut hæc, ſi uigilat non ſtertit, demitur poſteriori parti negatio, ut fiat ita, ſi uigilat ſtertit: ſed hæc repugnat. Tota rurſus propoſitio denegetur, ut uera fiat hoc modo: nõ ſi uigilat ſtertit. aſſumimus, atqui uigilat: cõcludamus neceſſe eſt, non ſtertit igitur. Sed hæ quatuor ex repugnãtibus cõcluſiones in tertio modo conſiſtere intelliguntur, quarũ quidẽ Tullius tres cõmemorauit, unamq́; præcepto docuit, eam quã propoſitio talis efficit, quæ duabus iungitur affirmatiuis. Duas uero exemplo, ſcilicet eam, quæ ex tali propoſitione naſcitur, quam duæ copulant negationes: & eam, quæ ex tali connexa procreatur, quæ ex affirmatione negationeq́; conſiſtit. Reliquam uero præteriit, quæ illarum ſimilitudine etiam in tertiũ concluſionis modum uidebatur incidere. Quartus modus in disiunctione conſiſtit, hoc modo: Aut dies eſt, aut nox eſt: ſed dies eſt, nox igitur non eſt. Huius hæc ratio eſt, quia disiunctiua enumeratione propoſita, prior pars eius aſſumitur affirmando, ut ſubſequens auferatur. Ex ea enim propoſitione, quæ dicit, Aut dies eſt, aut nox eſt: aſſumimus, atqui dies eſt, ſcilicet affirmantes eſſe diem: quã affirmationem aſſumptionis conſequitur, non eſſe noctem. Quintus modus eſt, cum in eadem disiunctiua propoſitione, id quod primum eſt negando aſſumitur, ut id quod eſt poſterius inferatur, hoc modo: aut dies eſt, aut nox eſt: atqui dies non eſt, per negationem ſcilicet facta eſt aſſumptio: cõſequitur, eſſe noctem. Sextus uero modus ac ſeptimus ex quarti & quinti modi disiũctiua propoſitione deducũtur, una negatione ſcilicet adiecta, & disiunctiua præpoſitione detracta, additaq́; cõiunctiua his propoſitionibus, quæ ſuperius in disiunctione ſunt poſitæ, hoc modo: nõ & dies eſt, & nox eſt. Dudum igitur in disiunctiua ita fuit, ut aut dies eſt, aut nox eſt. Ex hac igitur propoſitione ſublata Aut coniunctione, quæ erat disiunctiua, adiecimus & quæ copulatiua eſt, præpoſuimusq́; negationẽ. Itaque fecimus ex partibus disiunctiuæ propoſitionis copulatis addita negatione, propoſitionem ſexti ac ſeptimi modi, quæ eſt: Non & dies eſt, & nox eſt. in qua ſi aſſumatur eſſe diem, noctem non eſſe conſequitur: atqui dies eſt, nõ eſt igitur nox. Septimus uero modus eſt, cum prima pars propoſitionis negando aſſumitur, ut poſterior ſubſequatur, hoc modo: Non & dies eſt, & nox eſt: atqui dies nõ eſt, nox igitur eſt. Atque hic modus propoſitionum in ſolis his inueniri poteſt, quorum alterũ eſſe neceſſe eſt, ut diem uel noctem, ægritudinem uel ſalutem, & quidquid mediũ non habet. Quo autem modo omniũ ſyllogiſmorum conditionalium ueritas ſeſe habeat, his diligentiſſime explicauimus libris quos de hypotheticis cõſcripſimus ſyllogiſmis. Nunc uero, non quod de his perfectior conſideratio inueniri poteſt, appoſuimus: ſed id, quod ad explicandã M. T. ſententiã poterat accommodari. Vt igitur cuncta quæ diximus, breuiter colligantur, primus modus eſt, quoties in connexa propoſitione primũ ut in propoſitione locatur, aſſumitur ut conſequatur ſecundum, hoc modo: Si dies eſt, lux eſt: atqui dies eſt, lux igitur eſt. Secundus modus eſt, quoties in cõnexa propoſitione ſecundũ è contrario aſſumitur, quàm in propoſitione locatum eſt, ut id quod primum eſt auferatur, hoc modo: Si dies eſt, lux eſt: atqui non eſt lux, non eſt igitur dies. Tertius modus eſt, cũ cõnexæ propoſitionis partes ex affirmationibus iũctæ, negatione diuiduntur, totiq́; propoſitioni negatio rurſus adiungitur, aſſumiturq́; quod prius eſt, ut in propoſitione eſt enunciatũ, ut è contrario concludatur, ſecundũ quam in propoſitione prolatum eſt, hoc modo: Non ſi dies eſt, lux nõ eſt: atqui dies eſt, lux igitur eſt. hic ergo poſito quod præcedebat, id eſt, eſſe diem, euerſum eſt quod ſequebatur, id eſt, non eſſe lucem. negationẽ quippe affirmatio omnis euertit. Vel cum connexæ propoſitionis negationibus iunctæ ſecũdæ parti negatio detrahitur, totaq́; propoſitio denegatur, poſitaq́; priore propoſitionis parte interimitur quod ſubſequitur, hoc modo: Non ſi lux non eſt, dies eſt: atqui lux non eſt, dies igitur non eſt. Vel ſi connexæ propoſitionis ex negatione atque affirmatione cõpoſitæ ſecundæ parti negatio iungatur, eaq́; inſuper denegetur, ponaturq́; quod prius eſt, ut id quod ſequitur auferatur, hoc modo: Non ſi dies non eſt, nox non eſt: atqui dies nõ eſt, nox igitur eſt. Vel ſi in eadẽ propoſitione, qua ex negatione atque affirmatione copulata eſt, priori parti negatio ſubtrahatur, eaq́; denegetur, ponaturq́; quod primum eſt, ut id quod ſequitur auferatur, hoc modo: Nõ ſi dies eſt, nox eſt: atqui dies eſt, nox igitur non eſt. Vel ſi connexæ propoſitionis ex affirmatione et negatione copulatæ poſteriori parti negatio dematur, totaq́; inſuper denegetur, poſitoq́; priore, id quod ſequitur interimatur, hoc modo: Non ſi uigilat ſtertit, atqui uigilat, non ſtertit igitur: Atque hæc omnia in tertio eſſe intelliguntur modo, atque ex repugnantibus fiunt: & ſemper id quod antecedit ponitur, ut id quod ſequitur auferatur. Nã ſicut in propoſitione cõditionali, quæ negata repugnantia partiũ fit, uera prima pars proponitur, ſiue affirmatiue, ſiue negatiue: ita eã reddit aſſumptio. Sed ut prima pars fuerit aſſumpta, reliqua contraria enumeratione concluditur. nam ſi aſſumptio fuerit affirmatiua, erit negatiua cõcluſio: ſi aſſumptio negatiua, erit concluſio affirmatiua. Quartus modus eſt cum in disiunctiua propoſitione primũ ponitur, ut auferatur ſecundũ, hoc modo: Aut dies eſt, aut nox eſt: atqui dies eſt, non eſt igitur nox. Quintus modus eſt, quoties in disiunctiua propoſitione auferatur quod prius eſt, ut ponatur ſecundum, hoc modo: Aut dies eſt, aut nox eſt: non eſt autẽ dies, nox igitur eſt. Sextus modus, cũ his rebus, quæ in disiunctionẽ uenire poſſunt, id eſt, cõtrariis uel repugnãtibus medietate carentibus, negatio præponitur, & copulatiuæ coniunctiones adiunguntur, poniturq́; quod primũ eſt, ut id quod eſt ſubſequẽs auferatur, hoc modo: Non & dies & nox eſt: dies autẽ eſt, nox igitur non eſt. Septimus modus eſt, cũ in eadem propoſitione auferatur id quod præcedit, ut ponatur id quod cõſequitur, hoc modo. Non & dies eſt, & nox eſt: atqui dies nõ eſt, nox igitur eſt. His igitur ita prædictis, ad Ciceronis uerba ueniamus. CVM tripartito igitur distribuatur locus hic, &c.] Eum locũ, qui ex antecedentibus & conſequentibus & repugnãtibus eſſet, unũ rectè uideri, eumq́; in conditione eſſe poſitũ, ſed trina partitione diſtribui, ſuperius explicatum eſt. idq́; M. T. euidentius notat dicens, intellectũ quidem eius conſiderationemq́; in conditione poſitam unam eſſe, ſed per argumentationis tractationem tripartito diuidi. Cuius rei per primum ac ſecundum & tertium hypotheticorum ſyllogiſmorũ modum, ſicut paulo ſuperius diximus, exempla ſubiecit. Quæ quoniam implicatiora uidentur, quàm ut primo ſtatim auditu cõprehendantur, uiſum pauliſper eſt, apertioribus exemplis animum lectoris imbuere, ut in facilioribus primũ exercitata intelligentia, ſine magno negotio quæ ſunt difficiliora perpendat. Ab antecedentibus igitur argumentatio fit, quoties enunciata conditione propoſitionis, ſumitur id quod anteceſſit, ut id quod ſequitur inferatur, hoc modo. Sit enim dubium, an Tullius animal ſit, concedaturq́; eundem Ciceronem eſſe hominem, & ſit rata propoſitio hæc: Tullius ſi homo eſt, animal eſt: homo antecedit, animal ſequitur. Si igitur ex antecedenti uelim facere argumẽtationem, aſſumam id quod præcedit, hoc modo: ſed homo eſt

Cicero,

Cicero, conſequitur animal eſſe Ciceronem. & eſt hic primus, quem ſupra diximus, modus. Rurſus, à conſequenti argumentatio fit, quoties in conditione propoſita id quod conſequitur, tollit aſſumptio, ut id quod præceſſerat interimatur, hoc modo: Si homo eſt Cicero, animal eſt: antecedit homo, ſequitur animal. Si igitur ex conſequenti facere argumentũ uelim, dicam, Atqui nõ eſt animal. ſequitur, eſſe ne hominem quidem. ſed id perſpicue falſum eſt, eſſe enim hominẽ conſtat: falſum eſt igitur, animal non eſſe: Tullius igitur animal eſt. Et hic dictorũ ſuperius ſecundus eſt modus. Quòd ſi à repugnantibus fiat, in tertio ſcilicet modo digeſtarũ ſuperius cõcluſionũ, faciemus ita: Non ſi homo eſt Tullius, animal nõ eſt: repugnat enim, eſſe hominem, & animal nõ eſſe. hic ſi aſſumamus eſſe hominẽ, & animal quoque eſſe recta ratione concludimus, hoc modo: Atqui homo eſt, animal igitur eſt. Atque hic quidẽ modus ex ea propoſitione cõnexa cõuerſus eſt, quæ ex duabus iuncta eſt affirmatiuis. His igitur tribus modis, Tullius qui homo eſſet, animal quoque eſſe mõſtratus eſt. nũc quidẽ, dũ id quod antecedit, aſſumimus, id eſt, eſſe hominem: nunc uero, dum id quod conſequitur, in aſſumptione denegamus, id eſt non eſſe animal. nunc autem repugnantiã denegantes eorũ quæ ſibi ſunt conſequentia, poſito quod præcedebat, id quod ſequebatur intulimus: quibus ita præcognitis, nũc Tullij tractemus exempla. Cũ enim dixiſſet, loci in conſecutione, anteceſſione, & repugnantia poſiti, reperiendi quidem argumenti ſimplicem eſſe intellectũ, tractandi autem triplicem adiecit. Nã quid intereſt cũ tibi ſumpſeris ad demonſtrandam pecuniam numeratã mulieri deberi, cui ſit argentũ omne legatum, utrum id ab antecedentibus, an à cõſequentibus, an à repugnantibus probes. Nanque eadem ſententia in cõcluſione colligitur: & argumentationũ diuerſitas, non in re, ſed in antecedentium & conſequentiũ & repugnantium tractatu eſt conſtituta. Primum igitur ponatur, quòd teſtamento aliquis omne ſuũ argentum mulieri legauerit: quæraturq́; an numerata pecunia mulieri legata ſit, concedaturq́; numeratam etiam pecuniam argẽtum appellari. Argumentũ igitur in primo modo ex antecedẽtibus tali ratione contexitur. Proponimus enim ſi pecunia ſignata numerataq́; argentũ eſt, eadem pecunia numerata atque ſignata, legata mulieri eſt. hic igitur præcedit, numeratam atque ſignatam pecuniam argentum eſſe: ſequitur, legatam eſſe mulieri. Id igitur quod præceſſit aſſumimus, dicentes: at eſt ſignata ac numerata pecunia argentum. concludimus, numeratam ſignatamq́; pecuniam mulieri eſſe legatam: eritq́; totius argumentationis hic textus. Si pecunia ſignata numerataq́; argentũ eſt, legata mulieri eſt: at eſt pecunia ſignata numerataq́; argentum: igitur legata eſt mulieri. In quo ſi ad ſæpius præmiſſa, plurimiſq́; exemplis ſuperius enodata, lectoris animus reuertatur, hanc argumentationẽ in primo modo ab antecedentibus eſſe cõpoſitam nõ ignorabit. À cõſequentibus uero hoc modo. Si numerata pecunia nõ eſt legata mulieri, cui ſit argentũ omne legatũ, numerata pecunia nõ eſt argentũ. Hic igitur præcedit, numeratã pecuniam non eſſe legatã, cum ſit argentũ omne legatũ: ſequitur, numeratã pecuniam argentũ non eſſe. Si igitur id quod eſt poſterius auferamus, id eſt, numeratã pecuniã nõ eſſe argentũ, dicemus. Atqui eſt numerata pecunia argentũ: affirmatio nãque tollit negationẽ. Sequitur igitur, ut pars præcedens auferatur, ea quæ erat non eſſe legatam mulieri pecuniã numeratam, cum argentũ ei fuiſſe omne legatum. Sed cũ omnis negatio affirmatione conſumatur, dicemus in concluſione. Eſt igitur numerata pecunia mulieri legata, cum ei ſit argentũ omne legatum, eritq́; huiuſmodi argumentatio: Si non eſt mulieri legata pecunia numerata, cum ſit ei argentũ omne legatũ, non eſt argentum numerata pecunia: atqui eſt argentũ numerata pecunia, legata eſt igitur mulieri numerata pecunia, cũ ei fuerit argentũ omne legatũ. Sed quod Tullius breuitatis cauſa præterijt, id eſt, illam partem propoſitionis, quæ ait, Cum ſit mulieri omne argentũ legatum: nos apertioris cauſa intelligentiæ ſubiunximus. Nec perturbare lectorem debet, quòd cum in ſuperioribus exemplis in ſecundo modo per negationem facta fuerit ſemper aſſumptio, & per negationem rurſus illata cõcluſio: nunc per affirmationem & aſſumptio & concluſio facta eſt. Cuius rei euidentiſſima ratio eſt. nam cũ in ſuperioribus exemplis prima propoſitio ex affirmationibus fuerit conſtituta, atque in ſecundo modo aſſumptio id quod ſequebatur auferret, ita ut interimeret id quod præcedebat: neceſſarium erat duplicem affirmationem gemina negatione conſumi, hoc modo. Si dies eſt, lux eſt: utraque in affirmatione ſunt conſtitutæ. Vt igitur poſterior pars, id eſt, Lux eſt, quæ affirmatio eſt, interimatur, denegãda eſt. dicam igitur, Atqui non eſt lux: quo fit, ut præcedentẽ quoque partem, id eſt, Dies eſt, quã affirmationẽ eſſe manifeſtũ eſt, negatione tollamus, concludentes. Dies igitur nõ eſt. At in hoc Ciceronis exẽplo utraque pars primæ atque hypotheticæ propoſitionis negationis enunciata eſt, quæ in aſſumptione uel concluſione non alijs niſi affirmationibus auferuntur, hoc modo. eſt enim tale Ciceronis exemplũ: Si legata non eſt mulieri numerata pecunia, nõ eſt numerata pecunia argentũ: uides ut ſit utraque negatio. Nã & non eſſe legatã mulieri pecuniam numeratã, & nõ eſſe numeratã pecuniam argentũ, utræque in negatione ſunt poſitæ: quod ſi auferenda eſt per aſſumptionẽ propoſitionis, conſequens pars quoniã negatio eſt, non eſſe numeratã pecuniam argentũ, dicendum eſt, argentum eſſe pecuniam numeratã. quòd ſi in cõcluſione auferenda eſt pars præcedens ea quæ negatio eſt, id eſt, non eſſe legatam mulieri pecuniam numeratam: dicendum eſt, Legata igitur mulieri numerata pecunia eſt. Et ſecundus quidem modus à conſequentibus factus huiuſmodi eſt. Illud tamen eſt diligentius annotandum, quod ſuperius Tullius cũ locorum omniũ breuiter exempla diſponeret, loci huius qui à conſequentibus ducitur, inconueniens ſecundo conditionalium ſyllogiſmorum modo ſubiecit exemplum: potiusq́; primo conuenit modo, qui non à conſequentibus concluſionem, ſed ab antecedentibus facit. Ita quippe poſuit à cõſequentibus. Si mulier cum fuiſſet nupta cum eo, cum quo connubiũ conceſſum non eſſet, nuncium remiſit, quoniã qui nati ſunt, patrem non ſequuntur, pro liberis manere nihil oportet. Hic igitur cum quæratur, an dotis pars apud uirum debeat permanere: id quod præcedit aſſumitur, ut fiat rata cõcluſio, hoc modo. Mulier cum eo nupta eſt, qui cum connubiũ non fuit: concluditur, quoniã igitur qui nati ſunt, patrẽ non ſequuntur, pro liberis manere nihil oportet. & ita nõ eſt à conſequentibus argumentũ, quia nõ id quod conſequebatur aſſumptum eſt, ſed id quod præcedebat. Erat quippe antecedens, nupta mulier præter cõnubij ius: ſequebatur, cum filij patrem non ſequebantur, pro eis nihil ex dote retineri. Sic igitur Tullius pro eo quod eſt à conſequentibus argumentum, ab antecedentibus potius dedit exemplũ. Poteſt uero fieri à cõſequentibus argumentũ ita, ſi id de quo quæritur prius ponatur, & id quod aſſumendũ eſt poſterius, hoc modo. Si quid ex dote pro liberis manere oportebit, quia patrem liberi ſequuntur, cum eo nupta eſt mulier, qui cum connubij ius eſſet. Sumo igitur id quod conſequitur per negationem, ita: Sed non eſt nupta mulier cum eo qui cum connubij ius erat: atque ideo qui nati ſunt, patrem non ſequuntur. Perimitur ergo in concluſione id, quod in propoſitione præceſſerat, ita: pro liberis igitur manere nihil oportet. Sed de ſecundo modo iſta ſufficiant: nihil nanque, ut arbitror, prætermiſſum eſt. Tertius modus à repugnantibus longe perſpicuus, hoc modo. Non ſi legatum argentũ eſt, non eſt legata mulieri pecunia numerata. Hic nanque cõſequens erat: Si argentum eſſe omne legatũ, pecuniã quoque numeratã fuiſſe legatã. Vt igitur fieret repugnãs huic, conſequentiæ interpoſita negatio eſt, dictumq́; Si argentum

omne legatum eſſet, numeratam pecuniam non eſſe legatam. quod quia pugnet, & falſum eſt, ad ueritatẽ alia negatione reducitur, ſic: Non ſi legatũ argentum eſt, non eſt legata numerata pecunia: ut ſcilicet ei affirmationi cõueniat, quæ dicit. Si legatũ argentum eſt, legatam eſſe pecuniã numeratam. Aſſumimus igitur huic propoſitioni, argentum omne eſſe legatum: & conſequitur, omnem numeratam pecuniã mulieri eſſe legatã. ut ſit forma argumentationis huiuſmodi: Non ſi legatũ argentũ eſt, non eſt legata numerata pecunia: atqui legatum argentũ eſt: legata eſt igitur numerata pecunia. M. uero T. propoſitionẽ ita formauit: Non & legatum argentũ eſt, & non eſt legata numerata pecunia. Sed nos idcirco cauſalẽ coniunctionẽ appoſuimus, eã quæ eſt Si, ut ex quo eſſet genere talis propoſitio monſtraremus. Nanque ex connexo negatione addita, fit repugnans. Connexũ uero, nulla æque ut Si coniunctio poſſet oſtendere, quanquã idem efficiat etiã copulatiua coniunctio. Nã quæ connexa ſunt, etiam coniuncta eſſe intelliguntur ex hoc, quod paulo ante diximus. quod argumentũ ex ea propoſitione profectum eſt, quæ duabus affirmationibus copulabatur, & iũcta negatione inſuper denegata eſt. In omnibus igitur illud eſt approbatũ, pecuniam numeratã mulieri deberi, cum ſit argentũ omne legatũ. Sed nunc quidẽ ex ſupra deſcriptis propoſitionibus, id quod antecedebat, aſſumpſimus: nunc uero id quod conſequebatur: nunc autẽ id quod repugnabat. Ac de explanãdis Ciceronis exemplis, ut arbitror ſatis. Illud autẽ dubitationem mouere poteſt. Nã ſi quis minus callidus ad Ciceronis exempla reſpiciat, eundem locũ arbitrabitur eſſe à genere, quẽ ab antecedentibus & conſequentibus & repugnantibus eſſe diximus: illo falſus errore, quòd in utriſque locis eodem utitur exemplo, argenti uidelicet, & numeratæ pecuniæ. ſed diligentius intuenti, in eiſdem rebus diuerſus argumentationũ uidebitur tractatus eſſe. Aliud quippe eſt dicere, cum argenti ſpecies ſit numerata pecunia, ſi genus legatũ ſit, & ſpeciem eſſe legatam: quoniam nunquam ſpecies à genere ſeparatur. Aliud eſt in concluſione enumerationẽ proponere, & eiuſdẽ partibus aſſumendis argumẽtationẽ uaria ratiocinatione formare, ut ſuperius demonſtratum eſt, cum præſertim huiuſmodi ex conſequentibus, antecedentibus & repugnantibus argumentationes etiã præter genera ac ſpecies fieri poſſint, uelut nos ſuperius indicauimus in die atq; luce. Nam neque dies lucis, neque lux diei ſpecies aut genus eſt, ſed id tantũ in his conſiderari debet, quia poſito altero alterũ neceſſaria ratione ſubſequitur. Differunt igitur loci à genere uel à ſpecie, ab eo loco qui in conditione eſt cõſtitutus: quoniã illi ex uniuerſalitatis ac partis ratione ducuntur, hic autẽ in cõſequentiæ ac repugnãtiæ ordine tractatur. Poſt hæc igitur Tullius hypotheticorũ ſyllogiſmorũ modos cõcluſionesq; dinumerat, hoc modo.

APPELLANT *autẽ dialectici eam concluſionem argumẽti.*] *Etſi multipliciter ſuperius cuncta digeſſimus, nec expoſitionis indiget repetita toties diſputatio, erit tamen operæpretium, ſi quàm breuiſſime potero Marci Tullij uerbis mediocris lucem cõmentationis interſeram. Septem igitur modis hypotheticos enumerans, ait: Cũ in cõnexis propoſitionibus, id quod eſt primum aſſumitur, ut oſtendatur ſecundũ: primum à dialecticis modum uocari, hoc modo. Si hoc eſt, illud eſt: quod dicit Hoc, primũ eſt. quod uero ait Illud, ſecundum: aſſumitur ergo quod primũ eſt, atqui hoc eſt: concluditur ergo id, quod ſecundũ eſt. illud igitur eſt, uelut in his rurſus exemplis. Si homo eſt, animal eſt. aſſumitur: atqui homo eſt. concluditur: animal igitur eſt. Secundũ uero modũ ait eſſe Tullius connexis propoſitionibus textũ, in quo cum ſecundũ negatur, ſequitur, ut id etiã quod primum eſt abnegetur, hoc modo: ſi hoc eſt, illud eſt: illud autẽ non eſt, igitur ne hoc quidẽ eſt. In exemplis ita, Si homo eſt, animal eſt: animal autẽ non eſt, homo igitur non eſt. Tullius ita dixit: Cũ id quod annexũ eſt negaris, ut id quoque cui fuerit annexum, negandum ſit, ſecundum eſſe modũ, quaſi connexa propoſitione affirmatiuis partibus iuncta. Vniuerſaliter autem rectius diceretur, cũ id quod annexum eſt, id eſt, ſecundũ perimitur, perimi illud quoque cui annexum eſt, id eſt, primum: ut ſi affirmatiuũ eſt id quod annexũ eſt, negatione perimatur: ſi uero negatiuũ, affirmatione: & de eo quoque cui annexum eſt, id eſt, primo idem eſt: ut ſi in connexa propoſitione affirmetur, in concluſione denegetur, ſecundũ nunc propoſitũ Ciceronis exemplũ. Si uero negatiua ſit propoſitionis prior pars, in cõcluſione contraria affirmatione tollatur. Tertiũ uero modum ait eſſe Cicero, cũ ea quæ coniuncta ſunt denegãtur, & his alia negatio rurſus adiungitur. ut quia animal homini coniunctum eſt, ita dicamus: Non & homo & non animal eſt. atque ex his unũ ponitur, ut quod relinquitur auferatur, hoc modo. Ponamus eſſe hominẽ, dicentes: Atqui homo eſt. quod ergo relinquitur, nõ eſt animal: auferetur. atque concluditur, animal igitur eſt. Fit enim argumentatio hoc modo. Non & homo eſt, & nõ animal: atqui homo eſt: animal igitur eſt. Ex his naſci dicit enthymemata ex cõtrarijs concluſa, quibus plurimũ rhetores uti ſolent. atque hæc enthymemata nuncupãtur, nõ quòd eodẽ nomine omnis inuentio nuncupari nõ poſſit. enthymema nanque eſt mentis conceptio, quod poteſt omnibus inuentionibus cõuenire. Sed quia hæc inuenta quæ breuiter ex contrarijs colliguntur, maxime acuta ſunt, propter excellentiã ſpeciemq; inuẽtionis, cõmune enthymematis nomen propriũ factum eſt, ut hæc à rhetoribus quaſi proprio nomine enthymemata uocentur. Sicut Græcus quoque poeta Homerus, poeta tantũ dicitur: et quiſquis ex Homero aliquid profert, ita dicere cõſueuit. Hunc uerſum poeta locutus eſt, & tunc nõ alius intelligitur præter Homerum: non quòd cæteri nõ ſint poetæ, ſed quòd excellentia eius cõmune nomen uertit in propriũ. Fiunt uero hæc enthymemata hoc modo, ex cõtrarijs uidelicet texta, hunc metuere, alterum in metu non ponere: uelut ſi de Lentulo, & Cethego, cæteriſq; diceretur: Paucos ciues interfici metuis, ne Reſpublica intereat, nihil laboras. Cõnexum quippe eſt, ut quicunque noluerit interire paucos ciues, Remp. multo magis nolit extingui. Quibus cum interponitur negatio, fit ex repugnantibus argumentũ. Sed hoc breuiter Tullius enunciauit: nos uero argumentũ in ſyllogiſmum redigamus, à repugnãtibus ſcilicet, ex quo enthymemata naſci ſolent, hoc modo. Sit connexũ, ſi quis metuit ciues paucos interfici, is metuit interire Remp. his interponitur negatio ſic: Si quis metuit ciues paucos interfici, is non metuit interire Remp. Iungitur alia negatio ſic: Non ſi quis metuit paucos ciues interfici, nõ metuit interire Remp. Quæ duæ negationes uni affirmationi pares ſunt, quæ dicit: Si quis metuit hoc, metuit et illud. cuius quidem aſſumptio eſt: At metuit hoc. concluſio ſequitur, metuit igitur illud: quæ tantundem ualet, ſi negando interrogetur, ita: Hoc metuis, illud non metuis. Sed quia nõ totus (ut ſupra poſuimus) in his argumentationibus ponitur ſyllogiſmus, ſed propoſitio, cuius aſſumptio & cõcluſio notæ ſunt, idcirco enthymema dicitur, quaſi breuis animi conceptio. Et in cæteris exemplis idem modus eſt. Sed hæc quidem Ciceronis ſimilitudo, non tam ex repugnantibus, quàm ex contrarijs argumentum intelligitur continere. Metuere quippe & non metuere contraria ſunt, niſi hæc ipſa uerborum prolatio à contrarijs argumentum ad repugnantia retrahat. Nam quòd dicit hunc metuere, alterum in metu non ponere, tale eſt, ut repugnantia uideantur. Etenim metuere, & non metuere, uere contraria ſunt: in metu autem non ponere, & metuere prolatione ipſa tam contraria ſunt quàm repugnantia intelliguntur, licet eadem probetur eſſe ſententia. His adiecit alia rurſus exempla: Eam quam nihil accuſas, damnas. Huius enthymematis talis eſt integer ſyllogiſmus, non, ſi nihil accuſas, damnas: ſed nihil accuſas, nõ damnas igitur. Venit ergo hoc argumentum ex ea*

propoſitione

propoſitione connexa, quæ ex duabus componitur negatiuis, ita: Si nihil accuſas, non damnas. Poſteriori uero parti detracta negatio eſt, & inſuper tota eſt propoſitio denegata, hoc modo. Non ſi nihil accuſas, damnas. & ex ea factum eſt argumentũ, quod poſitũ in interrogatione efficit enthymema hoc, Quã nihil accuſas damnas, bene quã meritam eſſe autumas male mereri. huius quoque enthymematis talis eſt collectio: Non & bene meritam eſſe autumas, & male mereri: atqui bene meritã eſſe autumas, non male igitur mereri. quod enthymema ex propoſitione connexa proficiſcitur, quæ conſtat ex affirmatione & negatione, ita: Si bene meritã eſſe autumas, non male mereri. Cuius ex poſteriore parte dempta negatione, totaq; propoſitione denegata fiet propoſitio. Non ſi bene meritã eſſe autumas, male mereri: quod interrogatione deductum facit enthymema, Bene quam meritam eſſe autumas, male mereri. Item, id quod ſcis prodeſt, nihil id quod neſcis obeſt. hoc quoque enthymema tali nectitur ſyllogiſmo. Nã ſi id quod ſcis prodeſt, & id quod neſcis non obeſt. atqui id quod ſcis prodeſt: obeſt igitur id quod neſcis. hoc argumentũ ex ea propoſitione compoſitum eſt, quæ duabus affirmationibus iuncta accepit mediã negationem, & inſuper denegata eſt. Quod interrogatum fit enthymema, hoc modo: Id quod ſcis prodeſt, nihil id quod neſcis obeſt. Omniũ uero ſuperius exemplorũ iſta ſententia eſt: Nam quam quiſquam nihil accuſat, eam damnare recte non poteſt: & eam quam bene meritã eſſe autumat, male eãdem mereri turpe eſt: & ſi id quod ſcit quiſque in cauſa proderit, oberit ſi eſt contrarium id quod neſcit. Hunc uero locum cõmunem eſſe oratoribus ac philoſophis dicit: ſed apud illos tertiũ modum, apud rhetores enthymema nuncupari. Reliqui, inquit, modi plures ſunt. nam cũ tres ſuperius enumeraſſet modos, adiũgens, quatuor plures dixit. Hi ſunt in diſiunctionibus conſtituti, hoc modo: Aut hoc, aut illud: hoc autẽ, nõ igitur illud. qui eſt quartus modus, à nobis quoque ſupra poſitus, ita: Aut dies eſt, aut nox eſt: dies autẽ eſt, nõ igitur nox eſt. & ſemper, quod ait Cicero, hoc ad præcedens ſpectat: quòd uero ait, illud, ad cõſequens, ſiue in cõnexis propoſitionibus, ſiue diſiunctis. itẽ, Aut hoc, aut illud: non autẽ hoc, illud igitur. Hic quoque quintus modus eſt, uelut in his exẽplis: Aut dies, aut nox eſt: nõ autẽ dies, nox igitur eſt. Quarũ cõcluſionũ neceſſitatẽ ex eo dicit euenire, quia quæ in diſiunctione ſunt poſita, mediũ non uidentur admittere, ut eſſe aliud præter eorũ alterum poſſit. atque ideo uno ſublato alterum eſſe, unoq; poſito alterum non eſſe concluditur. quòd ſi ſit medium quod præter alterũ eſſe poſſit, nec uera eſt propoſitio, nec rata cõcluſio: uel ut in his, Aut albũ eſt, aut nigrũ. id falſum eſt, eſſe enim præter ea rubrũ poteſt. Sed ſi ponamus eſſe albũ, uel auferamus, non neceſſe erit non eſſe uel eſſe nigrũ: quia rubrum eſſe quod mediũ eſt, poteſt. Deinde, inquit Tullius, addunt coniunctionũ negantiam, in diſiunctiuis ſcilicet propoſitionibus hoc modo. Nõ & hoc & illud: hoc autẽ, non igitur illud. id eſt, non & nox & dies eſt: nox autẽ eſt, non igitur dies eſt. hic igitur ſextus modus eſſe prædictus eſt. Septimus autem eſt, ex eadẽ ueniens propoſitione, hoc modo. Non & hoc & illud, nõ autem hoc, illud igitur: uelut ſi ita dicamus, Non & nox & dies eſt: non autẽ nox eſt, dies igitur eſt. quæ propoſitiones niſi in diſiunctis, medioq; carentibus rebus, ratã concluſionẽ habere non poterunt. Age enim ita dicamus. Non & album & nigrũ, ponamusq; non eſſe albũ, non conſequitur ut ſit nigrũ: poteſt enim eſſe quod mediũ eſt. Huiuſmodi igitur per negationẽ coniunctionum (ut Tullius ait) propoſitio, ſi ratas factura eſt cõcluſiones, in diſiunctis rebus, medioq; carentibus accommodatur: aliàs non erit rata concluſio. Diſtat uero propoſitio tertij modi à propoſitione ſexti & ſeptimi: quòd tertij modi propoſitio ex coniunctis naſcitur, hæc ſexti & ſeptimi ex diſiunctis terminis exiſtit, ut in ſuperioribus patet exemplis. Ex his igitur, inquit modis, cõcluſiones innumerabiles naſcuntur. unus enim quilibet horum modorum infinitis concluſionibus aptari poteſt: ueluti primus ac ſecundus in omnibus quæ ſibi cõnexa ſunt, quorum nullus eſt numerus, ſi quis proſequi uelit, itemq; repugnantiũ infinita eſt multitudo, in quibus tertius modus eſt utilis. Item plura diſiuncta ſunt, in quibus quartus & quintus, & ſextus et ſeptimus plurimũ ualent. Atque in his, inquit, omnis ferè eſt dialectica: ſed ad topicos locos tres primi modi ſunt neceſſarij, qui anteceſſionẽ, conſecutionẽ & repugnantiã tenent. Reliqui uero cõplendæ diſputationis magis gratia, quàm quòd ad hãc inſtitutionem neceſſarij fuerint, uidentur adiecti. PROXIMVS eſt locus rerũ efficientium.] Poſt eum locũ qui in cõditione eſt cõſtitutus, cõſequens erat is, qui cõſiderabatur ex cauſis. poſt hunc is enumeratus locus eſt, qui in effectis cauſarum poſitus, argumenta præſtabat. Quorũ quidem ſuperius M. T. exempla poſuit, nunc rationẽ latius tractat. Cũ igitur Ariſtoteles quatuor poſuerit cauſas, quibus unũquodque conficitur: primã, quæ mouendi principiũ eſt: ſecundam, ex qua fit aliquid, quã materiam uocat: tertiã, rationem ac ſpeciem, qua unumquodque formatur: quartã, finem, propter quem quodlibet efficitur. At uero M. T. principalem cauſarum diuiſionem facit in ea quæ efficiant aliquid, & in ea ſine quibus effici nequeãt, ut id quod efficit, ad eã cauſam conferatur, in qua motus principiũ conſtitutũ eſt: id uero ſine quo nõ fit aliquid, tum ad intellectũ materiæ transferatur, uel eorũ quæ coniuncta materiæ efficientis adiuuant facultatem, tum ad reliquas cauſas ducatur, ut paulo poſterius apparebit. Eius igitur cauſæ, quæ ui ſua id quod ſub ea ſubiectum eſt efficit, tale ponit exemplũ, ut Ignis accendit. nã accenſionis ipſius cauſa ignis eſt, & id efficere poteſt, atque illud quod accenditur, mouet atque permutat. Eam uero cauſam ſine qua id quod faciendũ eſt, fieri nequit, ab una eius parte deſignat: ueluti cũ dicit, æs cauſam eſſe ſtatuæ, quòd ſine eo ſtatua nõ poſſit exiſtere. Hæc enim ut per faciendã diuiſionem clareſcet, non ea ipſa eſt cauſa ſine qua non efficitur, ſed pars eius eſſe monſtrabitur. Eam uero cauſam ſine qua id quod faciendũ eſt, effici nõ poteſt, diuidit hoc modo. Alia enim eius ſunt quieta, nihil agentia, ſtolida quodãmodo, ac per ſe niſi agendi extra motus acceſſerit immobilia: horũ exempla, ut locus, tẽpus, materia, inſtrumentũ. Omne enim quod fit, locũ neceſſe eſt habere ſubiectũ: in quo niſi aliquid fiat, locus ipſe immobilis eſt ad aliquid explicandũ. Itemq; materia & inſtrumenta niſi manu moueantur artificis, ipſa naturaliter nihil egerint. tẽpus quoque operationi ſubiectum eſt: quæ ſi deſit, nihil ipſum propriæ naturæ ratione perfecerit. Atque hæc quidẽ ſunt quæ nihil per ſe agũt, tamen cauſæ ſunt, ſi his efficiens operatio superuenerit. Alia uero quæ in motu poſita, præcurſionẽ quandam ad efficientiã ac præparationẽ uidentur afferre: ut amoris cauſa eſt cõgreſſio, quæ præceſſit: & amor flagitij. Ex his, inquit, cauſis Stoica diſputatio fatũ connectit. Fatũ enim dicunt eſſe præcedentiũ cauſarũ, ſubſequentiumq; rerũ perplexionem quandã, & cathenæ more continentiã, hoc modo: ideo profectus eſt peregre quoniã parentum iracundiã ferre nõ poterat: idcirco parentũ ſucceſſionem nõ ferebat, quia amicæ amore detinebatur: idcirco amabat, quòd ſæpe fuerat ante congreſſus: ideo cõgreſſus eſt, quia aliquid ut cõgrederetur præceſſit. Itaque ordine præcedentiũ conſequentiumq; rerũ, fatũ (ut dicit) à Stoicis nectitur. Itẽ diuidit eam cauſam quæ ui ſua efficit aliquid, in eã quæ ad efficiendũ ſibi ſufficiat, eamq; quæ extrinſecus adminiculationis indigeat. Sufficit igitur ſibi ad efficiendum cauſa, ut ſapientia efficere ſapiẽtes per ſe nullo penitus adiuta ſolet. Sed hæc an ſola beatos efficere poſſit quæritur, an ei ſint extrinſecus addenda quæ iuuẽt, uel fortunæ bona, uel corporis. Itaque ea cauſa quæ ui ſua efficit aliquid, aut talis eſt, ut ei ſint extrinſecus adiumenta quærenda: ueluti artifici inſtrumenta quæ-

dam, quibus id quod efficiendũ eſt explicet atque conformet. Horum uero omniũ quæ Tullius ſtatuit in alterutra diuiſione cauſarum, illa quidẽ quæ ui ſua explicant ea quorũ cauſæ ſunt omnia tam per ſe ad efficiendũ ualentia, quàm quæ quæſiti extrinſecus iuuaminis indigentia, in ea Ariſtotelicæ diuiſionis cauſa locabuntur, quæ eſt principium motus. Quanquam de ſapientia tali cauſa non cõueniat exemplum, ſed potius ad rationem formamq; contendat. Nanque ſapientia ratione quadam atque forma efficit ſapientes. Eius uero cauſa quã Tullius refert, ſine qua non fit aliquid, materia quidem tempus & locus, id eſt, ex quo fit, uel in quo fit, quæ ſunt efficientis ſubiecta natura: & ut uno intellectu comprehendantur, uel materia ſunt, uel materiæ uice ſuppoſita. Inſtrumenta uero eius cauſæ ſunt, quæ ad finem ſpectant, ſed non ad ipſa finis: quia non finis inſtrumenta reſpicit, ſed hæc finem. Inſtrumenta nanque propter aliquẽ finem parantur. Sed mirũ uideri poteſt, cur congreſſionẽ, amoris cauſam nõ inter ea annumerauit, quæ habent efficiẽdi uim, ſed inter eas poſuerit cauſas, ſine quibus effici non poteſt, cum tamen agat aliquid atque moueat. Nam ipſa congreſſio aliquid uidetur efficere, ſimiliſq; eſt ei cauſæ, quæ ipſa quidẽ habet efficiendi uim: ſed ſine adminiculo non poteſt: ueluti cũ quæritur de ſapientia, an ſola beatum poſſit efficere. Sed Merobaudes rhetor ita diſſeruit, earum cauſarũ quæ efficiendi uim haberẽt, eam eſſe facultatem, ut etiã ſi adiumentis extrinſecus indigeãt, effectus tamen earum ad id ſpectet, quod efficiendũ eſt. At in ijs quæ ſunt præcurſoria, etiamſi eis antecedentibus aliquid exiſtit, non tamen id quod exiſtere intelligitur, præcurſio principaliter operatur. Sed iſta quidem ueluti ſub quadam occaſione præcurrit. illa uero res quæ exiſtere dicitur, alijs operãtibus naſcitur, uelut in congreſſione ſolitũ fieri eſt. Fortaſſe enim non propter amorẽ quiſque congreditur, ſed præcedente congreſſione amor exiſtit, quem non congreſſio principaliter appetebat. Itaque quoniã præter congreſſionem amor exiſtere nõ potuit, recte inter eas cauſas locata uidetur, ſine quibus nõ efficitur. quoniã uero non efficit ui ſua, quandoquidem nec principaliter ut efficiat, ſpectat, ſed tantũ ea antecedente aliquid exiſtit: recte inter præcurſorias, at non inter efficientes cauſas eſt collocata.

QVARE cum in diſputationem inciderit cauſa efficiens aliquid neceſſario.] Prima quidem cauſarum diuiſio ſecundũ Tullium fuit, in ea quæ efficerent aliquid, & ea ſine quibus effici non poſſet. atque illud quidẽ quod efficeret, in gemina itẽ partitus eſt, ſcilicet in id quod ad efficiendũ aliquid neceſſariã uim poſſideret, neque ullius indigeret extrinſecus adiumenti, & in id quod niſi alijs adiuuantibus operari atque efficere nõ poſſet. Ac primum quidẽ de ea loquitur cauſa, quæ efficiendi uim tenet. Eius enim ea pars, cui efficiendi neceſſitas adeſt, ſtatim ſecum concluſionem comitem trahit. Dicta enim cauſa, quæ neceſſario aliquid efficit, effectus etiam neceſſe eſt conſequatur: ueluti ſi ſolem affuiſſe quis dixerit, lucem quoque affuiſſe monſtrabit: aut cum alicui adeſſe ſapientiam dixerimus, ſapientem neceſſe eſt eſſe fateamur. At in his cauſis efficientibus quæ extra poſitis indigent adiumentis, non eadẽ ratio eſt. Neque enim ut quæque huiuſmodi cauſa dicitur, ita neceſſe eſt effectum ſequi. Non enim huiuſmodi cauſa neceſſario efficit quod uult, niſi extra poſitis auxilijs adiuuetur. Idẽ eſt etiã in ea cauſa quæ ipſa quidẽ efficiendi uim non habet, ſed ſine ea prouenit effectus. Nam, ut Tullius quoque commemorat, nullam in efficiendis rebus adhibet neceſſitatem: atque ideo dicta cauſa, non ſtatim ſequitur effectus. Neque enim ſi congreſſus eſt, mox amauit: nec ſi fuit æs, ſtatuam quoque fuiſſe neceſſe eſt: ex quo aliarũ cauſarum partitio naſcitur. Aliæ nanque cauſæ ſunt neceſſariæ, aliæ minime. Non neceſſariarum aliæ ſunt efficientes, aliæ ſine quibus non efficitur. Neceſſariarum uero cauſarum, concluſio non ſolet conturbare: ut enim hæc cauſa fuerit dicta, ſtatim in concluſione ſequuntur effectus. Non neceſſariarum uero, quæ ſunt partim efficientes (quod nunc tacuit, ſed paulo ante prædixit) nõ habent ſubſequentẽ effectæ rei concluſionem. Neque enim ſi liberi ſine parentibus non ſunt, idcirco in parentibus efficiendi cauſa neceſſaria fuit, cum uideamus in hominũ eſſe poteſtate ut gignant. ea uero cauſa, quæ ipſa quidem non efficit, ſed ſine ipſa effici non poteſt, huiuſmodi eſt, quemadmodum Enniano uerſu declaratur. Niſi enim cecidiſſent abiegnæ trabes ad terram, Argo illa facta non eſſet. Ex trabibus nanque Argo facta eſt: ſed nulla inerat trabibus neceſſitas, ut ex eis fieret nauis. At uero ea cauſa quæ eſt efficiens, & quæ in ſe ſuam continet neceſſitatẽ, talis eſt, quale cum in Aiacis nauim igneũ criſpiſulcans fulmen iniectum eſt: ſtatim enim accendi neceſſe eſt nauim, quia ignis accendendi neceſſaria cauſa eſt, & ſenſus quidẽ eſt huiuſmodi. Ordo autẽ paulo confuſior eſt: ait enim hoc modo. Atque illud quidẽ genus cauſarum, quod habet uim efficiendi neceſſariã, errorẽ afferre non ferè ſolet. hoc autẽ ſine quo non efficitur, ſæpe conturbat. quod cũ dixiſſet, cumq; uel utriuſque uel alterius exẽplum ponere debuiſſet, neutri conuenientem exemplo ſimilitudinem dedit. Nanque cũ uel neceſſariam cauſam efficientem, uel eam ſine qua nõ efficitur propoſuiſſet, eius cauſæ ponit exemplũ, quæ efficiat quidẽ aliquid, ſed nõ ſine extra poſitis adiumentis, hoc modo: Nõ enim ſi ſine parentibus filij eſſe non poſſunt, propterea cauſa fuit in parentibus gignendi neceſſaria. Parentes enim, & maxime maſculi ſexus, efficiens cauſa eſt: ſed non ſine fœmina, id eſt, non ſine materia quadam, et ea cauſa ſine qua fieri non poſſit, cum ipſa uim efficiendi non habeat. itaque nec cauſæ neceſſariæ & efficientis poſuit exemplũ, nec eius ſine qua fieri nihil poſſit: ſed efficiẽtis quidem, non tamen neceſſariæ. Sed uidetur tacuiſſe in propoſitione id cuius poſuit exemplũ. ita enim apertius dici potuiſſet: Atque illud quidem genus cauſarum quod habet uim efficiendi neceſſariã, errorem afferre nõ ferè ſolet: hoc autẽ quod non habet efficiendi uim neceſſariam, uel hoc ſine quo non efficitur, ſæpe conturbat. Itaque ſic intelligendum eſt, quaſi ita ſit dictum. nam de neceſſaria cauſa nullũ poſuit exemplũ. Quod uero ſubiecit, utriſque cauſis conuenit poſterius enumeratis, tam efficienti non neceſſariæ, quàm ei ſine qua nihil efficitur. Parentes nanque tam maſculini ſexus quàm fœminini eſſe dicuntur. quorũ quidem maſculini ſexus ea cauſa eſt quæ efficiat, ſed non neceſſaria: fœminini uero ea quæ non efficiat, ſed ſine qua eſſe nõ poſſit. quæ cũ ita ſint, diſcernendæ ſunt cauſæ, & præuidẽda neceſſitas: nec omnis cauſa præmittẽda, ut ſubſequatur effectus, ſed ea tantũ in qua eſt efficiẽdi neceſſitas, etiãſi extrinſecus adiumenta defuerint.

ATQVE etiã eſt cauſarũ aſſimilitudo.] Facit aliã rurſus cauſarũ diuiſionẽ, ita: Cauſarũ enim aliæ ſunt quæ ſua quadã ui ſine appetitione, ſine uoluntate, ſine opinione, unũ atque eundẽ efficiendis rebus ordinẽ tenent: ut eſt, Interire omnia quæ orta ſunt. Nã quia ortum eſt, idcirco etiã neceſſe eſt interire: nec tamen ipſe ortus ut cætera intereant, uel appetitu aliquo, uel uoluntate, uel opinione efficit: ſed ita eſt ab æterno rerũ ſtatu, ut quidquid ortũ eſt, quia cœpit eſſe, aliquando etiã eſſe deſiſtat. Itẽ aliæ ſunt cauſæ, quæ aut in uoluntate, aut in perturbatione animi, aut in habitu, aut in natura, aut in arte, caſu'ue conſiſtunt. Voluntate, ut ſi quæras aliquis, cur Trebatius librum legat? reſpondebitur, quia legendi uoluntas eſt. Perturbatione animi, ut ſi quis timore palleſcat, aut urbem fugiat bellis ciuilibus conturbatus. Habitu, ut ſi idcirco Trebatius facile de iuris ratione reſponderit, quoniam multo uſu conſtantem ciuilis ſcientiæ habitu tenet: uel ſi quis idcirco iraſcatur facile, quia eius animus per iracundiæ habitum efferatus eſt. Natura, ut ſi quis idcirco dicatur iraſci, quia naturaliter iracundus eſt, idq; ei in dies nitium creſcat. Arte, ut ſi idcirco bene quiſque pingat, quia eius artis peritus

eſſe

eſſe proponatur. Caſu, ut quæ in noſtra poteſtate nullo modo ſunt, fiunt tamen, uelut incerto præſertim tẽpore proſperitas nauigandi. Atque horum omnium nihil cauſa uacuum eſt: nec quidquam eſt in rebus quod nõ aliqua cauſa perficiat. Omnia enim quæ fiunt, habent aliquam rationem cur facta ſint: quã ſi quis reddere poſſit, cauſam quoque reddiderit. id enim eſt cauſa, propter quam unũquodque fit. Omnes uero cauſæ quæ uel ex uoluntate, uel perturbatione animi intelliguntur, ad eam cauſam pertinent, quæ eſt mouendi principiũ, ut in Ariſtotelica diximus diuiſione. Hæc enim ut aliquid efficiatur, mouẽdi principium ſunt. at in arte, uel habitu, uel natura, illa cauſa eſt, quæ in ratione conſiſtit. Species enim ac ratio uniuſcuiuſque efficiẽdæ rei, in arte & habitu, uel natura poſita eſt. Caſus uero exterior cauſa, nec inter principales annumeratur, ſecundum Ariſtotelem. Secundũ uero M. T. caſus eſt latens effectæ rei cauſa: quod quale ſit, paulo poſterius deſignabitur. OMNIVM autem cauſarũ in alijs ineſt conſtantia, in alijs nõ ineſt, &c.] Rurſuſq; cauſarum diuiſionem aliam claram ac perſpicuã prodit. Cauſarum nanque aliæ ſunt conſtantes, aliæ uero inconſtantes. Conſtantes ſunt, quarũ non ferè uariatur effectus: Inconſtantes uero, quæ huc atque illuc facilioribus mutationibus transferuntur. Omnia igitur quæ ex natura atque arte deſcẽdunt, conſtantia ſunt. Natura quippe atque ars ſuum ſemper opus efficiunt, niſi ſubiectæ materiæ obeſt incertũ. Nam quod unus idemq; artifex ex eadem ſæpe materia non admodũ ſimiles ſtatuas format, non eſt hæc in arte uarietas, ſed tum in artificis manu, quæ integritatẽ artis aſſequi non poteſt: tum in ipſa materia, quæ efficientiæ atque formæ non æqualiter cedit. Idẽ eſt in natura: ſeruat nanque conſtantiam ſuam cum hominẽ format ex homine. Itaque ſimilia in cæteris ex ſimilibus gignit. at cum monſtruoſum aliquid efficitur, non naturæ uitio, ſed materiæ potius applicatur, ex qua id quod efficere contendebat, nõ ita potuit natura explicare. Sed inter conſtantes cauſas habitus quoque debuit adiungi. Nam quod ex habitu cuiuſque fit, id conſtans, nec mutabile eſſe ſolet. Quandoquidem idcirco habitus dicitur, quia diuturnitate habendi in naturæ ſimilitudinem uertitur. Sed forſitan illud Tullius uidit, quod natura atque ars, non tam in effectibus conſtantes, quàm in propria ratione eſſe intelliguntur, in tantum, ut quod ars ac natura delinquit, materiæ ſæpius imputetur. Habitus uero ipſe conſuetudine quadam collectus eſt, qui nõ ratione aliquid & propria cõſtantia, ſed uſu facit: atque idcirco forſitan habitum, qui inter cætera præter artem uel naturam uidebatur eſſe conſtantior, à cauſis conſtantibus ſegregauit. Ea uero quæ non ſunt conſtantia, in ea diuidit quæ ſunt perſpicua, & in ea quæ latent. Perſpicua ſunt, quæ ab animi quolibet motu uel appetitione, uel iudicij ratione profecta ſunt. Latent uero, quæ fortunæ ſubiacent. Nam quia non ignorat animus, in quã partem declinet, qui tametſi boni aliquando iudicium, nunquã tamen eius rei quã efficit notionem relinquit, præter eos qui funditus mẽte capiuntur, & in quibus iam nulla uoluntas eſt, neceſſe eſt nota eſſe quæ ex uoluntate, uel animi iudicio fiunt. Fortuna uero atque caſus ſemper ignotus eſt: cuius quidẽ natura æque incerta eſt, atque ea quæ ipſis caſibus fiunt. Sed M. T. definit eſſe caſum, euentum cauſis latentibus effectum: quæ non uidetur integra definitio. Quid enim ſi adhuc lateret, quibus cauſis ſolaris defectus & lunaris contingeret, num idcirco caſu ac fortuna fierẽt, quæ cõſtantibus cœli motibus adminiſtrãtur? An caſus quidẽ putaretur ab his qui defectus rationẽ reperire nõ poſſent, per ſe autẽ conſideratus nullo quidẽ modo eſſet caſus? Sed M. T. nõ quã uideretur eſſe caſus his qui eius naturã minime perſpexiſſent, ſed quid omnino fortunæ euentus eſſet, definitionis ratione monſtrauit. Euentũ uero latentibus cauſis, Cicero caſum eſſe ita cõcludit: Cum omnia certis de cauſis fiant, quorum ratio cognoſcitur, eorũ euentus caſu fieri non putatur; ſed putatur aliquid fieri caſu eorũ, quorum cauſa nulla ratione cognoſcitur. Ex quo euenit, ut fortunæ ſit euẽtus, qui latentibus cauſis efficitur. Hic igitur in rebus quidẽ ipſis conſtantiã ponit, caſum uero non re, ſed opinione metitur. Quo fit, ut ſi alter effectæ rei nouerit cauſam, id quod accidit non ſit fortunæ euentus: idem tamen fortunæ euentus ſit, ſi rationem alter ignoret. Quod uero omniũ rerũ cauſas eſſe dicit, non determinat quales, atque ideo nec de fortuna ipſa quarũ euentuũ cauſa ſit, monſtrat. Nec me leues hominũ mentes arrogantiæ notent, quòd uelut affecta authoritate Tullianis ſententijs pugnem, cũ aduerſus eas ſi quid uidebitur non noſtra ſed ab antiquiſſimis tractata cõpenſem. quòd ſi noſtra quoque diceremus, oporteret tamen eos nõ perſonarũ uetuſtatem, ſed eorũ quæ proponuntur conſiderare rationem: nec odiſſe potius quæ aduerſus magni nominis uiros dicũtur, quàm contraria ſi poſſint argumentatione reuincere. Nã ſi eis M. T. in definitione rerũ nimium placet, quæ nam eſt inuidia, nos quoque Ariſtotelicã rationem probare. Quòd ſi intemperanter moleſtiſſimi eſſe pergunt, audiant M. T. ſecundo Tuſculanarũ diſputationũ libro adhortantem potius, atque ad certamen uocantem, hoc modo. Sed tamen tantum ab eſt ut ſcribi contra nos nolimus, ut id etiam maxime optemus. Ipſa enim Græciæ philoſophia nunquã in honore tantũ fuiſſet, niſi doctiſſimorum cõtentionibus diſſenſionibuſq; creuiſſet. Quãobrẽ hortor omnes, qui facere id poſſunt, ut eius quoque generis laudem iam languenti Græciæ eripiant, & transferant in hanc urbem, ſicut reliquas omnes, quæ quidẽ erãt expetendæ, ſtudio atque induſtria ſua maiores noſtri tranſtulere, & rurſus nos qui ſequimur probabilia, nec ultra quàm quod ueriſimile occurrit, progredi poſſumus, & refelli ſine pertinacia, & refellere ſine iracundia parati ſumus. quocirca quæ (malum) ratio eſt, ipſius M. Tullij uoluntatem iudiciumq; conuellere, cum eiuſdem contra nos ſententijs atque authoritate nitantur? ſed ſi cui cõmentarios noſtros inſpicere uacuũ fuerit, ſciat hæc nos ex Ariſtotelis ſecundo Phyſicorum uolumine uertiſſe: quæ tametſi altioris philoſophiæ diſputationes tangunt, non eſt tamen ſtudijs inuidendũ, ſi rhetoricis quoque ac dialecticis diſputationibus admiſceamus, quæ ſunt profundiora naturæ: neque pigreſcere ac dilaſſari animos dignum eſt, quos intentiores ac uegetos ipſa rerum ambiguitas & uariarũ cognitio ſpeculationũ deberet efficere, cum præſertim ea librorũ natura ſit, ut ad legendũ ſtudioſos teneat, nullum cogat ignauum. Dicamus igitur quid euentus ſit fortunæ, uel quarũ rerum ſors cauſa eſſe dicatur. Omnia igitur fiunt uel immutabiliter ac ſemper, ut quòd ſol oritur: uel ſæpius, ut quòd equus quadrupes naſcitur: uel raro, ut ſi equus cũ quinque uel tribus pedibus procreetur: uel æque, ut in quibus faciendarũ rerum nihil intereſt quo potius uoluntate uergamus. Atque illud quidẽ quod ſemper fit, nihil habet oppoſitũ, quod ullo modo aliter fiat. Id uero quod ſæpe contingit, habet aduerſum id quod rarius euenit: neque enim ſæpius fieret, ac nõ ſemper, niſi diuerſum raro quidẽ, ſed aliquando contingeret. Quod igitur ex fortuna fit, in ſempiternis non eſt. quis enim caſu ſolem dicat oriri. Ne in his quidem quæ frequentius fiunt: nullus enim caſu equũ dixerit eſſe quadrupedem. nec uero in his quæ fieri æqualiter ſolẽt. Nã quæ uoluntaria ſunt, nõ uidentur eſſe fortuita. Reſtat igitur, ut in his fortunæ euẽtus ſit, quæ rarius fiũt. Eorũ uero quæ fiũt, partim finem aliquẽ ſpectant, partim minime. Quis enim finis eſſe poteſt, ſi manũ extendã, ſi genua cõplicem, atque aliquid iacens humi tollã, quod nullis uſibus applicem? At uero ea quæ aliquem finem ſpectant, partim uoluntatis ſunt, partim naturæ. Voluntatis, ut ſi quis idcirco domo egrediatur, ut uideat amicum: Naturæ, ut quod in animalibus omnia quæ ab ea fiunt certã animalis reſpiciunt utilitatẽ, atque ad huius ſalutem conſeruationemq; omnium membrorum momenta ſunt conſtitu

ta. Caſum igitur ac fortuitos euentus in his eſſe ponimus, quæ cum rarius fiant, in his tamen per accidens eueniant, quæ propter aliud fiunt: ueluti, quis egreſſus domo. ut amicum uideret, præteriens cadente deſuper lapide ictus eſt: id igitur quod euenit, in rariore cauſa ponendum eſt: acceſſit uero ei uoluntati, quæ certũ reſpiciebat finem. ea uero fuit domo egrediendi cauſa, ut amicum uideret. Rurſus, quoniam lapis naturaliter grauis eſt, grauitas uero terram petit, caſus quidem lapidis propter aliquid naturaliter factus eſt: ad id enim lapis natura tendebat, ut in ſuum locum pondus ueniens conquieſceret. Sed huic naturali intentioni accidit, id quod rarius euenit. ſcilicet ut percuteret: quo fit, ut ſit fortuna uel caſus cauſa per accidens rarius euenientium in his rebus quæ propter aliquid fiunt. quæ cum ita ſint, cumq; definitio Ariſtotelica à Tulliana plurimum diſcrepet, illud tamen in utriſque conſtat, id quod fortunæ ſubiectum eſt, in certis caſibus ſemper eſſe ſuppoſitum. Nam licet in his rebus ſæpe fortuna ſuos experiatur actus, quæ uoluntaria ſunt, & ad aliquẽ finẽ referuntur: extra tamen accidit quod fortunæ eſt, nec ab eo fine uenit, quem ſibi animus ante præſtruxerat. Sed cum Cicero diuiſiſſet cauſas in eas quæ perſpicuæ ſunt, & in eas quæ laterent: cumq; eas quæ perſpicuæ ſunt, diceret eſſe, quæ appetitionem animi iudiciumq; tangerent: manifeſtum eſt eum uel artem, uel uoluntatem, uel perturbationẽ, uel habitum, in his cauſis ponere quæ perſpicuæ ſunt. Voluntas quippe atque animi perturbatio in appetitione ponitur. Sæpe enim perturbatione aliquid appetimus, artem uero uel habitum in iudicio. Arte nanque iudicamus: habitus uero ad utrũque pertinet. Nam & uoluntates cõſuetas miniſtrat, & multo uſu peritiaq; fit quædam conſtantia iudicandi. Caſum in non perſpicuis poſuit: de natura incertum eſt, utrum inter peſpicuas, an inter latentes ipſam naturam collocet. Nam ſi inter latentes ipſam naturam, caſum uideretur putare, cuius opinionis nulla ratio eſt. quòd ſi inter perſpicuas, quænam appetitio animi, uel iudicium in natura eſt? Neque enim appetẽdo aliquid, uel iudicando facit natura, niſi forte quoniam ex ipſa ſæpe habilitas quædam mentis & corporis exiſtit: quæ habilitas ad unã quanque rem adiuuat uoluntates (id enim maxime uolumus, ad quod habiles ſumus) natura inter perſpicuas cauſas ponitur, quo modo iudicio quoque coniuncta eſt: ut ſi naturaliter ſano quiſque iudicio cõpoſitus eſt. appetitioni etiam, ſi naturaliter aliquid animus petat. His adiungit aliã cauſarum diuiſionẽ. Ait enim alias cauſas eſſe uoluntarias, alias ignoratas: uolũtarias eas, quæcunque ex iudicio ueniunt animi: ignoratas, in quibus neceſſitas domina eſt, id eſt, in quibus aut omnino non uolumus, aut ne ſi uelimus quidem aliter facere poſſumus, ut in natura atque caſu. Neceſſitate enim quadam naturæ, grauia deorſum feruntur: neceſſitate item factum dicimus, ut aliquis ignorans iacto trans parietem lapide, prætereuntem hominem peremerit. quæ neceſſitas talis eſt, nõ quòd aliter fieri nõ potuiſſet, niſi ut lapide iacto percuteret: ſed quia uoluntas defuit, & non idcirco quæ uoluit, fecit. Prior uero neceſſitas talis eſt, in qua nulla uoluntas eſt, uel ea eſt, quæ ne id quod cupit efficiat, ualidiore neceſſitate conſtringitur. Nam cũ lapis deorſum propria grauitate deponitur, nulla uoluntas eſt, ſed tantum naturæ neceſſitas. At ſi homo deorſum cadat, eſt quidem non cadendi uoluntas, ſed ferri quo non uult ualidior naturæ cauſa compellit. Voluntatem uero à fortuitis euentibus uno eodemq; aptiſſimo ſecreuit exemplo: ueluti ſi telum manu iaciat, nolensq; feriat prætereuntem. Nam iecisſe, ex uoluntatis principio naſcitur: idcirco enim iecit, quia uoluit. Ignorauit uero quòd percuteret. neque enim iaceret, ſi ſe percuſſurum præuidere potuiſſet: neque iecit quia uoluit percutere: ſi autem non ignoraſſet, non percutere potuiſſet. Vnde etiam machinamentum quoddam atque defenſio in iuriſperitorum reſpõſionibus inuenitur, hoc modo: Si telum manu fugit, magis quã iecit. Nam ſi quis cædis accuſetur, optima ſolet eſſe defenſio, ſi alia non ſuppetit, fugiſſe manu telum, & magis quã uoluiſſet iecisſe: ut non uoluntati, quæ condemnatur in culpis, ſed ignorantiæ factum tribuatur. De perturbationibus animorũ paulo confuſius iudiciũ eſt. Dubitari enim poteſt, ex uoluntate, an neceſſitate, an ex ignorãtia uenerit, quod perturbatione peccatur. Videntur enim eſſe uoluntaria peccata, quoniam qui perturbatus eſt, appetit aliquid aut fugit: ſed in hoc perturbatio eius apparet, quòd non fugienda uitat, & non appetenda nimium exoptat. Porro autem, quoniam in perturbationibus ſunt confuſa iudicia: (neque enim aliter id quod fugiendum eſt ſæpe appetũt perturbati, niſi obcæcato obſcuratoq; iudicio. quod uero fit animi confuſione, ſæpe tale eſt, ut nollet admiſiſſe qui fecit) euenit, ut non inter uoluntarias, ſed inter ignoratas, uel neceſſarias cauſas animorum perturbatio ſit: in tantum uero qui perturbatus eſt à uera diſcretione diſcedit, ut in eam poſſit ſæpe recta bene conſulentium admonitione reduci. quo fit, ut animorum perturbatio iure à cauſis uoluntarijs ſegregetur, & aut in ignorãtia, aut in neceſſitate ponatur. Nam quòd ait, tamen habent tantos motus, ut ea quæ uoluntaria ſunt, aut neceſſaria interdum, aut certe ignorata uideantur, ita intelligendum eſt: quoniam omnis animi paſſio iudicium turbat, confundit uero rectam diſcretionem, ſi acrior fuerit, quàm ut rationis retinaculis temperetur, et fit quædam ex perturbationibus uelut uiolenta neceſſitas, ut dubium ſit, utrum is qui aliquid perturbatus animo facit, ignorãs faciat: ueluti cum caſu ignorans delinquit, cum futurum non prouidet caſum, an ſciens faciat, ſed neceſſitate ducatur. Quod igitur dixit, aut neceſſaria eſſe, aut ignorata, & diuiſit à neceſſarijs ignorata, non pugnat contra id quod ſuperius dixit, ea quæ ignorata ſunt eſſe neceſſaria. Nam id quod eſt ignoratũ, ita quodammodo diuidit: Ignoratorum alia quadam neceſſitate fiunt, dum aut nulla uoluntas eſt, aut ea quæ eſt neceſſitati nequit obſiſtere: alia caſu, cum in his faciendis quæ ignorãtur, nulla uoluntas eſt. Quòd igitur dixit, perturbationes animi aut in neceſſarijs cauſis poni, aut in ignoratis: id ſine dubio ſenſiſſe intelligitur, perturbationes animi aut in his eſſe ignoratis, in quibus ea neceſſitas eſt, ut uoluntas obſtare non poſſit: aut in his in quibus nulla uoluntas eſt, ſed fit delictum cæcitate iudicij. uelut in ijs qui immoderatius amoris cupiditati deſeruiunt: aut enim confuſo iudicio ab honeſtate diſcedunt, & dum quaſi bonum appetunt, in malum decidunt ignorantes, atque ita in caſu quodam atque errore ponitur amor immodicus: aut nouit quidem quod appetit eſſe uitandum, ſed maioris actu cupiditatis impeditur, atque inter ea neceſſaria ponitur, quæ aut non habent uoluntatem, aut eam ita infirmam ac debilem, ut nullo modo ualidioribus paſſionibus obnitatur.

EIVSDEM BOETII IN TOPICA CICERONIS COMMENTARIVS VI.

Fore quoſdam, Patrici rhetorum peritiſſime, non dubitauerim, qui hunc in Topicis altiorem ex philoſophia tractatum uaria obtrectatione reprehẽdant, quia inter logicam diſputationem phyſicã interpoſuerit. Hi uero ſunt, uel quibus hoc totum philoſophari diſpliceat, uel qui in argumẽtorũ locis naturales admiſceri cauſas oportuiſſe non exiſtiment. Sed contra priores quidem, & à M. T. & ab ipſa quodammodo humana ratione, quæ in motu poſita aliquid ſemper inquirit, atque amore ſcientiæ neque decipi patitur, neque ullo modo à ueritatis ratione traduci, ſæpe multumq; reſponſum eſt. His uero, qui ſequeſtrandas ab oratoria facultate philoſophiæ diſciplinas putant, reſpondendum breuiter exiſtimo, ratione quidẽ reperiri quid poteſt, ſed id melius atque facilius artifex faciet, ſi in opere cõſtruendi artis facultatem atque elegantiam cõparet.

In

In argumentis quoque idem eſſe manifeſtum eſt. ui náque naturalis ingenij argumenta promuntur: ſed ars facultatem imitata naturæ uiam quandam rationemq; reperit, qua id effici facilius ac melius poſſit. In quare illorum neceſſe eſt reprehendatur error, qui rhetoricam facultatem naturalem eſſe dixerunt: quoniam quilibet totius artis alienus, & intendere in alterum crimen, & ſeſe purgare ſolet, & argumento aliquid probare contendit. Reprehendendiq; ſunt, qui eandem facultatem in ſola arte poſitam eſſe dixerunt. Oportuit enim eos animaduertere, omnem quidē artem ſui materiam effectus ex natura ſuſcipere, ſed in ea tamen ratione propria facultatem elegantiamq; experiri. Hæc itaque quæ artium ratio perficit, ab imperitis etiam fieri, ut cunque contigerit, poſſunt. Bene autem ac facile nemo efficit, niſi artis ratione fuerit inſtructus. Cum igitur totius operis hæc ſit intentio, ut argumenta quæ confuſa & ueluti clauſa natura ſuppeditat, artificialiter ueſtigentur, quid ſit per quod efficere id quod promittit ars ualeat, ſub exēpli notatione demonſtrat. Vt enim facilius argumenta reperiātur, illa res efficiet, ſi demonſtrentur loci in quibus argumenta ſunt collocata. Etenim ut ſi quis aliquid quærat facilius id inueſtigare poſſit atque inuenire, ſi locus ei monſtretur, ubi ſit poſitum id quod inquirit: ita etiam cum quis argumentum inuenire conatur, ſi ei locus ubi argumentum ſit poſitum, declaretur, facilius argumentum quod quærit ualeat inuenire. Ita enim Ariſtoteles, & ita Tul. appellat eas ſedes, in quibus argumenta ſunt collocata, id eſt locos, qui ab Ariſtotele Topica uocati ſunt. Sed quoniam de ſedibus argumentorum loquimur, hi cuiuſmodi ſint, paulo altius expediamus. Locus enim non uno modo intelligitur: ac relinquamus quidem eos locos, quos Victorinus fruſtra atque incōuenienter interſerit, uelut eos qui corpora concludunt: ac ſimpliciter intelligamus eos locos argumentorum eſſe, qui intra ſe continent argumenta. in quibus exponendis, poſterius quid ſit quod dicimus, clarius apparebit. Nunc communiter de tota locorum ratione, deq; argumentatione, ac de quæſtionibus & propoſitionibus earumq; terminis uidetur eſſe tractandum. Ac primum quoniam locus qui tractatur in Topicis, non cuiuslibet rei, ſed tantum locus eſt argumēti, expoſito prius argumenti intellectu, deinceps de loci ratione tractabimus. Definit igitur Tullius argumentum, hoc modo. Argumentum eſt ratio, quæ rei dubiæ faciat fidem. Sumpſit igitur rationem, ut genus. omnes enim iniurioſi ſunt, qui orationis uirtutem à ſapientiæ ratione ſeiungunt, aliamq; eſſe dicendi artem nolunt, aliam intelligendi. Nam ſi nihil oratione aliud agimus, niſi interius cogitata uulgamus, quæ malum ratio eſt, orationis elegantiam à ſententiarum grauitate ſeponere? quæ porrò ſententiarum grauitas eſſe poteſt, ſine earum rerum de quibus dicendum eſt comprehenſione? quæ uero alia diſciplina naturam proprietatemq; rerum omniū docet? uel quæ omnino eorum quæ intelligi poſſunt ſcientiam profitetur, niſi hæc tantum, ex qua nos pauca præſumpſimus, philoſophia, quæ longe aliter de his ipſis in proprio ſapientium tractatu diſputare ſolet. Neque ita curſim, ut nos: quæ ſi, ut in illorum libris ſolet, prolixius diſſerenda ſumpſiſſem, quis ferret inſolentium hominum temeritatem, prouectus ſuos culpare uolentium, quibus prouectibus proficerent, ſi ſtudioſi potius quàm queruli eſſe mallent. Sed his contentionibus neque antiqua caruit ætas; nec nos ita delicati ſumus, ut quibus patientia doctiſſimorū hominum ſæpius obſtitit, ferre nolimus, dum & pluribus prodeſſe poſſimus, & ſapientium iudicia conſequamur: ad quem finem hic noſter labor & totius operis ſumma cōtendit. Sed hæc hactenus: nunc ſuſceptæ expoſitionis ordinem perſequamur.

TOTO igitur loco cauſarum explicato.] Diuiſo cauſarum loco atque ordine ſuis partibus diſtributo, de loci eiuſdē facultate quibuśq; uberius, quibuśq; anguſtius accommodetur, uti ſæpe Ciceronis mos eſt, diſſerit. Primum enim, inquit, oratoribus ac philoſophis, quorum in diſputationibus larga materia eſt, multa ex cauſarum loco argumētorum ſuppetit copia. Communis quippe oratoribus ac philoſophis hic locus eſſe perſpicitur, qui eſt à cauſis. his naturas rerum, quod eſt philoſophiæ proprium: illis, quod oratoriæ facultatis eſt, facta probātibus. Nam & cum res quælibet quæritur, eius cauſæ à philoſophis ueſtigari ſolent. Quibus præmiſſis, ut ſuperius dictum eſt, comitatur ſtatim quod concludendum eſt, & oratores ad ſuſpicionem mouendam detergendam'ue factorum cauſas requirunt. Hoc quippe ſtabile in hominum mentibus manet, quòd neque factū, neque res ulla præter illam omnium principem naturam ſine proprijs cauſis poſſit exiſtere: quo fit, ut uberrimus cauſarum uſus ſit in rhetorum orationibus, philoſophorumq; tractatu. Sed ut hunc libellum Marcus Tullius ſcribens, pleraque omnia Trebatio dediſſe uideatur, hunc locum iuris quoque conſultis attributum eſſe demonſtrat, dicens: Etſi non tam uberes opportunitates habeat hic locus in iuriſperitorum reſponſionibus, ſubtilius certe atque acutius pro ipſius artis natura tractari poteſt: ſcilicet ubertatē quæ deerat, ſubtilitate quæ poterat ineſſe compenſans. Habent enim etiam ipſi proprium cāpum, in quo eorum uirtus poſſit enitere. Eſt enim iuriſconſultorum prouincia, priuatarum quæſtio cauſarum, maximeq; in illis negotijs hic cauſarum locus examinabitur, in quibus bonæ fidei iudicia nectuntur. In his enim qui fuerit animus contrahentium quæri ſolet, qui deprehendi uix poterit, niſi præcedentibus cauſis intelligatur. In his igitur iudicijs, in quibus additur, ut ex bona fide iudicent, id eſt, ubi ita iudices dantur, ut non ſtrictas inter litigantes ſtipulationes, ſed bonam fidem quærant, plurimus cauſarum uſus eſt. Additur, ut inter bonos bene agier oportet, conſiderantur mores, inquiruntur conſilia: ſtatuitur, quibus quidq; de cauſis adminiſtratum ſit. In primiſq; in iudicio uxoriæ rei uberrimus cauſarum tractatus eſt. Eſt autem iudicium uxoriæ rei, quoties poſt diuortium de dote contentio eſt. Dos enim licet matrimonio conſtante in bonis uiri ſit, eſt tamē in uxoris iure, & poſt diuortium uelut res uxoria peti poteſt. Quæ quidem dos interdum his conditionibus dari ſolebat, ut ſi inter uirum uxoremq; diuortium contigiſſet, quod melius æquius eſſet, apud uirum remaneret, reliquū dotis reſtitueretur uxori: id eſt, ut quod ex dote iudicatum fuiſſet melius, æquius eſſe, ut apud uirum maneret, id uir ſibi retineret. quod uero non eſſet melius, æquius apud uirum manere, id uxor poſt diuortiū reciperet. In quo iudicio non tantum boni natura ſpectari ſolet, uerumetiam comparatio bonorum fit, ut non tam quod æquum, ſed quod melius æquiuſq; eſt, id ſequendum ſit. Quæ omnia ex præcedentibus cauſis inueſtigari ſolent. Nam ſi uiri culpa diuortium factum eſt, æquius melius eſt, nihil apud uirum manere. Si mulieris eſt culpa, æquius melius eſt ſextas retineri. In hiſq; omnibus peritiſſimi iuriſconſulti eſſe debent. quo fit, ut Trebatium quoque hortetur ad ſtudium. Multa enim eſſe dicit, quæ eorum operam expectant: illi enim, inquit, dolū malum, illi bonam fidem, illi æquum bonum, illi etiam quid ſocius ſocio præſtare debeat. Quid is qui alienum in ſe gerendum ſponte negotium ſuſcepiſſet, ei cuius id negotium fuerit? quid is qui mandauerit ei, cui mandauerit ſuorum negotiorum actiones? quid uir uxori, quid uxor uiro tradiderit? quæ omnia ad poſteriora cauſæ ſunt, atque exinde iudicia ſumuntur. Idcirco enim, uerbi gratia, quodlibet illud iudex pronunciare debet in uxoris ac uiri cauſa, quia uirum hoc præſtare oportet uxori. Idcirco etiam mandator ei cui mandauerit obligatus eſſe iudicandus eſt, quia inter mandatorem ſuſceptoremq; negotij illud eſt obſeruandum, omnia quoque quæ quiſque alteri præſtare debet, ea in tractandis iudicandiſq; negotijs cauſæ ſunt. quò circa rectè concluſit, dicens, cognitis argumentorum locis,

oratoribus & philoſophis & iureconſultis argumentorum copiam non defuturam. CONIVNCTVS huic cauſarum locus ille eſt, &c.] Omnia quæ ad ſe referuntur, recte dicuntur eſſe coniuncta: ipſa enim relatio rerum efficit cõiunctionem. quòd ſi cauſa alicuius cauſa eſt, non alterius niſi ſui effectus eſt cauſa. Itemq́; ſi eſt aliquis effectus, ex cauſarũ principijs uenit iure igitur ab effectis locus, cauſarum loco debet eſſe coniunctus. quoniam uero ſemper quæ ad ſe referuntur, æquantur: neceſſe eſt, quæ ubertas ſit cauſarum, eadẽ quoque ſit effectorum. Quoniam enim cauſa præter effectum eſſe non poteſt, cum ſit cauſa ſemper effectuũ, neceſſe eſt ut ex euẽtibus quoque atque effectibus plurima argumenta ſuppetant: ſi quidem ex cauſis etiam plurima contrahuntur. Nam ſicut cuiuslibet effectus poteſt cauſa tractari: ſic ex qualibet cauſa poteſt quid ſit euentus oſtendi. Rectéq; ait, cauſarum cognitio euentorum cognitionẽ facit. ut enim in prædicamentis oſtendĩtur, ſciri relatiuum aliquod non poteſt, præter reliqui ſcientiã relatiui. RELIQVVS eſt comparationis locus.] Omnis comparatio duplex eſt. aut enim æqualia ſibimet comparantur, aut inæqualia. Sed in his quæ ſunt æqualia, ſemper eadem eſſe notatur æqualitas. Inæqualia autem in gemina ueluti membra diuiduntur, minoris ſcilicet atque maioris. Nam quod minus eſt, non per ſe minus eſt, ſed cõparatione maioris. Itemq́; quod maius eſt, minoris comparatione dicitur maius. Quæ cum ita ſint, diuidit atque ante oculos ponit omniũ comparationum modos: &, quod raro in ſupperioribus locis fecit, ipſas maximas propoſitiones ponit in comparationibus conſtitutas: ut ſi quando loco ſit nobis comparationis utendum, habeamus quoddam ueluti inuentionis exemplar, ad quod quærentem animum poſſimus aduertere. Omnis igitur comparatio, aut in numero conſtat, aut in ſpecie, aut in ui, aut in aliqua locata extrinſecus affectione. Nam quodcunque conferre contendimus, aut numero comparamus, & ſecũdum id aliud maius, aliud minus eſſe decernimus: aut ſpeciem ipſam intuentes, eamq́; alij comparantes, de excellentia iudicium damus. Aut illud conſideramus, quid res quæque poſſit efficere, & in quantum eius poſſit progredi natura: aut ex aliorum quodam modo continentia, & ex circumſtantium affectione rem quam alij conferimus intuemur. Numero igitur quæ comparantur, ſi ex eodem ſint genere, plura paucioribus anteponuntur: uelut ſi bona omnia ſint æqualia, iure quiſquam plura bona paucioribus anteponit. Et eſt hæc maxima propoſitio, Plura bona paucioribus anteponuntur. Et in cæteris quoque eadem ratio perſpicitur maximarum propoſitionum. At ſi omnia in contrario ſint genere, pluralitati paucitas præferẽda eſt: ut pauca mala, pluribus malis: mala uero ipſa bonis nullo modo conferuntur. Quæ enim ullo modo compenſantur, in eodem eſſe genere debent, non in contrario. Nam cum aduerſum ſe contraria è regione locata ſint, conferri comparariq́; non poſſunt, quia ſibi intelliguntur eſſe inimica. Eſt etiam ſecundum numerum comparatio in temporis quoque ratione. Nam cum tempus certis quibuſdam ſpacijs diuidatur, uelut horæ, diei, menſis, atque anni: ex æqualibus bonis ea magis eligenda ſunt, quæ diuturnius perſeuerant, quod in numero poſitum eſſe nullus ignorat. Ipſa enim diuturnitas plurimos eſſe uel dies, uel menſes, uel annos fatetur, quibus duret id quod eligitur. Longe & late peruagata bona anguſtis, & in unum minimum locum coarctatis, numeri comparatione præcedunt. Nam quæ longe latéq; peruagata ſunt, ea in plurimas gentes regionesq; diffuſa ſunt. Pluralitas uero cuiuslibet rei numerum ſpectat. Iam uero ex quibus plura propagantur bona, quis non iudicet eſſe meliora his quorum eſt inops bonorum contractiorq́; fœcunditas? Quis etiã bonum quod plures imitentur ut faciant, cæteris quæ ita non ſint excellere non arbitretur? quod in numero cõſtare quis neſciat, quando in numero pluralitas cõſtat? Specie uero comparãtur, quæ per ſeipſa cõſiderata ſuæ quodammodo pulchritudinis merito cæteris anteferuntur. meliora enim ſunt quæ per ſe, quàm quæ propter aliud expetuntur: ueluti ſalus quæ per ſe expetitur, medicina propter ſalutem. quocirca melior eſt ſalus, quàm medicina. Atque hæc non ad aliquem numerum, non poſtremo ad aliquam quantitatem, ſed ad ipſam ſpeciem ſalutis ac medicinæ conſiderationem referentes, iudicium promimus. Illa quoque quæ innata atque inſita ſunt, aſſumptis & aduenticijs meliora iudicantur. Vnde innata moribus grauitas, longe amplius excellit eam quæ per imitationem affectatur. Integra etiã potius quàm contaminata, melioris iudicium ferunt. Nam quæ integra ſunt, ſuam ſpeciem ſeruant: quæ contaminata ſunt, atque ex aliqua parte uitiata, ſi qua etiam inerat, ſpeciei pulchritudinem perdiderunt. Iucunda minus iucundis, meliora communis omnium animalium natura diiudicat. Honeſta utilibus ſapientes anteponunt. Procliuia laborioſis anteferri illa res monſtrat, quòd nemo ad eundem finem per laborioſam atque aſperam uiam tendere cupiat, ad quem poſſit procliui facilíq; itinere peruenire. Labor quippe omnis iniucundus eſt, iucũda eſt facilitas. Neceſſaria etiam non neceſſarijs partim præferri, partim etiam poſtponi debent, quod M. Tul. tacuit. Neceſſaria quippe præferuntur his neceſſarijs, quæ non boni ratione, ſed uoluptatis appetitione ſunt conſtituta: ueluti luxu regio parata conuiuia, nullus ſapiens iudicet eſſe meliora his quæ naturæ expleant indigentiam: quædam uero ſunt quæ ipſa ſpecie boni, cum non neceſſaria ſint, meliora ſunt neceſſarijs. Nã uiuere neceſſarium eſt, & ſine eo ſubſiſtere animal nequit. Philoſophari uero non eſt neceſſarium, melius tamen longéq; excellẽtius philoſophum uiuere, quàm tantum uiuere. Illud enim raro paucisq́; etiam utentibus ratione conceſſum: illud pecudibus cõmune nobiſcum. Sua quoque alienis iure meliora eſſe dicũtur: ueluti hominibus ratio potius, quàm uoluptatis appetitio: illud enim proprium eſt hominis, illud alienum. Rara quoque uulgaribus meliora ſunt. Atque hic locus approbat id quod ſuperius dictum eſt, philoſophantem uitam ipſa uita eſſe meliorem. Nã quæ rara ſunt, facile id quod uulgare eſt antecedunt. Deſiderabilia etiam ijs quibus facile carere poſſis, illa res approbat eſſe meliora, quòd maxime deſiderantur, & ſine his anxia uita eſt: ueluti ſi quis capillis uiſum conferat. ægrius enim toleramus carere uiſu, quàm capillis. Itaque ex hoc meliorem eſſe uiſum capillis iudicamus, quòd his facile, illo æquo animo carere non poſſumus. Perfecta etiam imperfectis naturaliter excellunt: illa enim ſuam formam adepta ſunt, illa minime. Tota etiam partibus eodem modo excellentiora eſſe arbitramur. nã quod totum eſt, habet natura propriam formam: quod uero pars eſt, & ad totius nititur perfectionem, non ſuæ pulchritudinis ſpeciem cepit, niſi ad totius integritatem referatur. Iam uero ratione utentia rationis expertibus nullus dubitat eſſe meliora. Voluntaria quoque neceſſarijs iure anteponuntur. nam quæ uoluntaria ſunt, libera ſunt: quæ neceſſaria, quodam nos ueluti domino neceſſitatis adſtringunt: atque ideo meliora eſſe uoluntaria neceſſarijs exiſtimamus. quanquam in hoc etiam illud intelligi poſſit, quod à nobis ſuperius dictum eſt, non neceſſaria ſæpe neceſſarijs anteponi: quandoquidem ea quæ uoluntaria ſunt, non ſunt neceſſaria: uoluntaria uero meliora ſunt neceſſarijs. non neceſſaria igitur ſæpe neceſſarijs excellunt. Animata quoque inanimatis, ipſius animi uegetatione conſiderata, anteponenda eſſe ratio perſuadet. Naturalia etiam non naturalibus, et artificioſa inartificioſis. Optimusq́; hic gradus eſt, ut naturam arti, artem præferas inertiæ. ars quippe imitatur naturam: quo fit, ut id quod in ſe retinet pulchri, ex natura uenlat, cuius imitari ſpeciem cupit. Lõge uero poſtrema ſunt, quæ cum artificio careant, non à ſpecie ſolum naturæ, uerumetiam

ab

ab imitatione diſcedunt. atque hæc quidem de ſpecie in comparationibus conſiderantur. Vis autem in eo conſiſtit, in quo conſideratur quid unaquæque res poſſit efficere. nam quod quæque res poteſt, ea uis eius rectiſſime dicitur. Efficiens igitur cauſa grauiorem uim habet, quàm ea quæ nihil efficit: uelut artifex melior quàm materia. illa quippe ſtolida eſt atque immota, nec aliquid efficiens, niſi formam ab artifice, id eſt, ab efficiente cauſa ſuſceperit. Item quæ ſeipſis contenta ſunt, meliora eſſe his uidentur quæ egent alijs: ueluti omniũ Deus optimus eſt, quia nullo indiget, & ipſo cuncta ſunt indiga. Item quæ in noſtra ſunt poteſtate magis eligenda ſunt, quàm quæ in aliena manu poſita facile labuntur. quo fit, ut ſic uirtus melior quàm diuitiæ. nam uirtus eſt in noſtra poteſtate, diuitiarum fortuna domina eſt. Iam uero ſtabilia incertis, quæ eripi non poſſunt ijs quæ poſſunt, ſi tamen bona ſunt, quis non intelligat eſſe meliora? Quorum tamen locorum pars contraria contrarium tenet. inſpectis quippe his quæ meliora ſunt, ſi horum aduerſa uideamus, deteriora ſunt. Reſtat in affectione poſita comparatio, quæ ita tractatur, ut non per ſemetipſum res quæ alij confertur, ſed ex alterius cuiuslibet conſideratione penſetur: uelut in tribus quibuſdam rebus, ſi duæ ad ſeinuicem comparentur, eo quòd ad tertiam plus minuſue iungantur. Sint enim duo quædam humanis rebus accommodata, quarum una principibus atque etiam ipſi Reipublicæ accommodatior eſt. hic igitur iudicabimus eam rem eſſe meliorem, quæ melioribus prodeſt, id eſt, aut Reipublicæ, uel principibus: non conſiderantes, ut ſeſe res habeat, ſed quantum Reipublicæ, uel principibus adiuncta ſit. Hæc igitur res ex affectione eſt comparata: meliuſq; iudicatur id quod principibus commodum eſt, quàm id quod aliquibus priuatis, quoniam principes reliquorum etiam continent ſtatum. Eodem modo quæ ſequuntur, ut quæ iucundiora pluribus, quæ clariora inter multos, quæ pluribus comprobata ſunt, meliora ducantur. Nam etiam ſi minus ipſa huius natura ſint, affectione tamen, ut dictum eſt, eorum quibus uel iucundiora, uel inter quos clariora ſunt, aut à quibus probantur, meliora exiſtimanda ſunt. Sed quanquam id quod à pluribus bonum ducitur, ſuperius in ea comparationis parte poſuerit, in qua fiebat ſecundum numerum comparatio, nil tamen impedit eundem locum ſecundum aliam & aliam conſiderationem diuerſis generibus ſubdi: uelut ala auis cum ſubſtantia ſit eadem, tamen ad aliquid eſſe intelligitur, ſi ad alatum conſideretur. Illa quoque ex affectione uidentur eſſe meliora, quæ ab eo laudata ſunt, contra quem dialectica ratione, uel rhetorica facultate diſſeritur. Nam ut reuincere aduerſarium poſſis, ſat eſt, ſi eum tibi conſenſiſſe monſtraueris: atque id aliquando uelut optimum prædicaſſe, quod tu melius re propoſita monſtrare contendas. Dictis igitur omnibus meliorum locis, hi oppoſiti quæ deteriora ſunt continebunt. Parium uero nulla diſcretio eſt. neque enim, quod par eſt, aut intenſionem ſumere, aut remiſſionem poteſt. quibus autem inter ſe maiora minoraq; penduntur, iiſdem inter ſe paria conferuntur. Nam quæ uel numero, uel ſpecie, uel ui, uel affectione fuerint æqua, paria eſſe dicuntur. Commune autem cunctorum exemplum eſt, quod Cicero in æqualitate conſtituit: quæ æqualitas in cunctis paribus æqua eſt, ſed uel numero, uel ſpecie, uel ui, uel affectione paria ſunt. Nam in eorum comparatione quæ maiora uel minora ſunt, una quædam qualitas eſt, ſed horũ acceſſione uariantur. Nam quibus in eadem qualitate eſt maior numerus, pulchrior ſpecies efficaciorq; uis, ad precioſiora cõiunctior affectio, ea meliora eſſe æſtimabuntur: quæ ſi æqua fuerint, in eadem qualitate paria ſunt. Exemplum uero quod poſuit, ad eblandiendum Trebatij animum ualet, cum propriã, id eſt, oratoriam facultatem cum iuriſperitorum laude coniungit, hoc modo. Si conſilio iuuare ciues; quod iuriſperitorum eſt, & auxilio, quod oratorum eſt, æqua in laude ponendum eſt, pari gloria debent eſſe hi qui conſulunt, id eſt, periti iuris: & hi qui defendunt, id eſt, oratores. At quod primum eſt, id eſt, conſilio autem iuuare ciues & auxilio, æqua in laude ponendum eſt: quod ſequitur igitur, id eſt infertur, ea uero concluſio eſt per quam dicimus. Hi igitur qui conſulunt, & hi qui defendunt, pari gloria eſſe debent. Hic autem breuiter dialecticorum more protulit, qui ſic enunciant: Si dies eſt, lucet. At, quod primum eſt, id autem tantundem eſt, ac ſi dicatur. Atqui dies eſt. in propoſitione enim quæ eſt, Si dies eſt, lux eſt: prior eſt propoſitio, dies eſt: concludunt quod ſequitur, id eſt, igitur eſſe lucem. Id enim in prima parte propoſitionis quæ erat, Si dies eſt, lux eſt, ſequebatur, hic quoque Cicero ſic protulit. At quod primum eſt, id eſt, conſilio & auxilio iuuare ciues æqua in laude eſſe ponendum. id enim erat primum in ea propoſitione quæ dicebat: Si conſilio & auxilio ciues iuuare æqua in laude poneretur, pari gloria eſſe oratores iuriſq; conſultos. quod ſequitur igitur, id eſt, pari gloria debent eſſe, qui conſulunt ac defendendunt, id enim erat conſequens in ea propoſitione quæ ſtatuebat: Si conſilio & auxilio ciues iuuare par eſſet, pares eſſe qui conſulunt ac defendunt. PERFECTA eſt omnis argumentorum inueniendorum præceptio, &c.]

Tametſi ex his quæ dicta ſunt, intelligitur nullum argumenti locum eſſe præteritum, breuiter tamen Ciceronis concluſionem, qua ſe nihil omiſiſſe commemorat, ad ampliorem doctrinæ fidem approbandam reor. In his enim nihil omnino prætermittitur, quæ certa ratione tractãtur. Nulla uero certior ratio diuiſione. quod enim quiſque partitur, à communibus in particularia deducens, cum rectum iter inſiſtat, labi atque ad errorem deduci non poteſt. Locorum igitur omnium prima diuiſio fuit, in ea quæ in ipſis hærerent, & ea quæ aſſumerentur extrinſecus. Cuius diuiſionis nihil mediũ reperiri poteſt. aut enim in ipſo eſt aliquid de quo quæritur, aut extrinſecus neceſſe eſt aſſumatur. Videamus igitur nunc, quemadmodum diſputatio per nihil omittentem diuiſionem feratur. Eorum igitur locorum qui in ipſis ſunt, de quibus agitur, nunc ex toto, nunc ex partibus, nunc ex uocabulo, nunc ex affectis ſumitur argumentum. In his igitur quòd nihil relictum ſit, perſpicue apparet. In eo enim quod coniunctum eſt, duplex diſcretio eſt, una ex eo ipſo quod formatum eſt atque compoſitum, quod totum eſt, in quo etiam definitiones adhibentur: alia in eius partibus inſpiciendis, ex quibus compoſiti forma coniuncta eſt. Sed quoniam natura hominum id quod intelligit, uoce ſæpius prodit, neceſſe eſt ut nomẽ quoque quod intellectus declarationem adhibetur. oſtendat aliquam rei quam ſignificat proprietatem. Intellectus quippe qualitatem rei quã intelligit capit, quo circa nomẽ quoque intellectus qualitatem deſignat. Iure igitur dictum eſt, proprietatem quãdam rei uocabulo ſignificari: atque ita ex eo trahi argumentum poteſt, quod uocatur à nota. Horum uero locorum alias partitiones dedit, quas paulo poſt breuius colligemus. Affecta uero, quæ, ut ſuperius dictum eſt, in relatione conſiſtũt, ipſa etiam rite diuiſa ſunt. Nam quæ referuntur ad aliquid, aut ſubſtantialia ſunt, aut accidentia ſubſtantialia, ut coniugatã: nam iuſto, in eo quòd iuſtus eſt iuſtitia ſubſtantiam facit. Nec id dico, quod homini eſſe ex iuſtitia conſtituatur, ſed iuſto, qui iuſtitia diſcedente corrumpitur. ſimilis & de eo quod eſt iuſte aduerbio ratio eſt. Eſt etiam ſubſtantiale genus, ſpecies, differentia, cauſa, effectus. Accidentia, ut contrarium, ſimile, adiunctum, paria, maiora, minora. Conſequentia uero atque repugnantia, quoniam ut ſuperius dictum eſt, in conditione poſita ſunt, nunc ſubſtantialia reperiuntur, nunc uero in accidentibus conſiderantur. Subſtantialia, ut cum genus antecedentem ſpeciem: accidentia uero, ut cum nigredo præcedentem ſequitur coruum, quanquam etiam in cauſis aliquæ antecedentes eſſe

poſſint. de quarum omnium proprietatibus Tullius ſupra diſſeruit. Atque ut in breuiſſimam deſcriptionem tota locorum diuiſio colligatur, erit hoc modo. Omne argumentum aut ex his locis ducitur, qui in ipſo, de quo quæritur, inhærent, aut extrinſecus aſſumuntur. Is uero locus qui in ipſis, de quibus ambigitur, poſitus eſt, diuiditur in eum locum qui eſt ex toto, & in eum qui eſt ex partibus, & in eum qui eſt ex nota, & in eum qui eſt ab effectis. Is autem qui à toto eſt, à definitione locus nocatur. Definitionum uero aliæ ſunt propriæ, aliæ non propriæ. Non propriarum uero, aliæ ſunt quæ ſingulis nominibus denotantur, aliæ quæ oratione panduntur. Earum uero quæ ſingulis nominibus fiunt, alia ſunt in quibus pro nomine redditur nomen, quæ dicuntur κατὰ ἀντίληψιν: alia quæ exempli gratia nomini ſubijciuntur, quæ dicuntur τύποι. Earum uero quæ oratione declarantur, aliæ fiunt à partitione, aliæ à diuiſione, aliæ à differentijs, præter genus quæ ἐννοηματικὴ dicitur. Aliæ quæ ex pluribus qualitatibus fiunt, etiam ſingulis totum id ſignificantibus, quod omnis qualitatum collectio declarat: quæ uocãtur ποιότης. aliæ quæ ex accidentibus non ſingulis, ſed cunctis unum aliquid efficientibus conſtant. aliæ quæ ad differentiam dantur, aliæ quæ per translationem, aliæ quæ ex priuatione contraria, aliæ quæ proprijs nominibus aptantur, quæ etiam ὑποτυπώσεις dicuntur. aliæ per indigentiam pleni, aliæ per proportionem, aliæ per relationem, aliæ per cauſam. Item alia definitionis diuiſio ſecundum Tullium principalis, quòd aliæ corporalium rerum ſint, aliæ incorporalium. & definitionis quidem locus ita diuiſus eſt. A' partibus autem locus diuiditur in partitionem & diuiſionem. A' nota uero locus ſimplex eſt. Ab effectis autem, alij ſunt à coniugatis, alij à genere, alij à forma, alij à ſimili, alij à differentia, alij à contrarijs, alij ab adiunctis, alij à conſequentibus antecedentibus & repugnantibus, alij à cauſa, alij ab effectis, alij à comparatione parium, maiorum uel minorum. Genus uero diuiditur in ſuprema genera, & in ea quæ etiam ſpecies eſſe poſſunt. Species quoque diuiditur in ultimas ſpecies, & in ea quæ etiam genera eſſe poſſunt. Similium quoque alia in ſingulis conſiderantur, & uocantur exempla: alia in pluribus, & appellatur inductio: alia in coniunctis, & uocatur proportio. Item differentiarum aliæ ſunt ſubſtantiales, aliæ etſi non ſubſtantiales, inſeparabiles tamen: aliæ neque ſubſtantiales, neque inſeparabiles. Contrariorum alia dicuntur aduerſa, alia priuantia, alia negantia, alia relatiua. Adiunctorum uero alia ſunt, quæ ante rem exiſtunt, alia quæ cum re, alia uero poſt rem. Locus uero conditionalis diuiditur in antecedens, conſequens, & repugnans. Cauſarũ quoque multiplex locus eſt. aliæ nanque ſunt, quæ ui ſua efficiunt: aliæ, ſine quibus effici non poteſt. Earum uero quæ ui ſua efficiunt, aliæ ſunt neceſſariæ, nihilo indigentes, ut efficiant: aliæ uero indigentes, & non neceſſariæ. Earum uero ſine quibus non efficitur, aliæ ſunt mobiles, alia immobiles. Item cauſarum aliæ ſunt non ſpontaneæ, aliæ ex uoluntate, aliæ ex perturbatione, aliæ ex habitu, aliæ ex natura, aliæ ex arte, aliæ ex caſu. Rurſus, cauſarum aliæ ſunt conſtantes, aliæ inconſtantes. Amplius cauſarum aliæ ſunt uoluntariæ, alia ignoratæ. Ignoratarum pars in caſu, pars in neceſſitate eſt conſtituta. neceſſariũ pars in ui, pars in ſitu poſita eſt: effecta uero in tantum diuidi poſſunt, quantum ad ſuperius dictas cauſas referuntur. Locus uero à comparatione minorum, parium atque maiorum, diuiditur in numerum, ſpeciem, uim, ad res alias affectionem. Quæ cum ita ſint, cumq; nihil ſit in diuiſione prætermiſſum, recte Marcus Tullius partitionem concluſit dicens, nullam argumenti ſedem eſſe præteritam. Reſtat igitur locus qui extrinſecus ſumitur: quẽ quoniã nihil iuriſconſultis eſt utilis, nõ Trebatij cauſa, ſed ne quid perfecto operi deeſſe uideatur, adiungit.

S E D *quoniam ita à principio diuiſimus, &c.*] *Ne locus nihil iuriſperito profuturus negligentem ſui faceret, Trebatium ueluti quibuſdam proœmij machinis orator reddit attentum. Ait enim ita ſeſe diuiſiſſe in principio, ut alios locos in ipſis hærere diceret, de quibus ageretur: alios extrinſecus aſſumi. & cum de ſuperioribus locis idonee diſputatum ſit, intractatam reliquam partem non oportere præteriri. Neque enim hunc eſſe Trebatium, qui ſua arte contentus cæterorum ſtudia negligat, uerum diligentia atque ingenio plurimum ualens, cuncta ad ſe pertinere ducat, quæ liberalibus ſtudijs annumerentur. ſimul dandam eſſe operam dicit, quoniam beneuolo animo Ciceronis opus Trebatius eſſet editurus, ut cum in multorum manus ueniſſet, prodeſſe ijs in integrum poſſet, qui rectis ſtudijs tenerẽtur, hoc quoque Trebatio beneficij nomine concedens, quòd ad eum ſcripta & per eum edita profutura plurimis conſcriberet.*

H AE C *ergo argumentatio, quæ dicitur artis expers, &c.*] *Extrinſecus poſitum argumenti locum, quem M. T. uocat artis expertem, in teſtimonio poſitum eſſe pronunciat. Dubitari autem poteſt, quid hic locus à ſuperioribus differat, quos in affectis locauit. Nam, uti affecta ſemper in relatione ſunt conſtituta, ita etiam teſtimonia ad ea quorum ſunt teſtimonia, referũtur. Omne enim teſtimonium teſtatæ rei eſt teſtimonium. quocirca cur aut ea, quæ affecta dudum uocata ſunt, non extrinſecus collocentur: aut ea quæ nunc uocantur extrinſecus, non inter affecta ponantur, quæri poteſt. Cum præſertim ea quæ adiuncta eſſe negotio ſuperius diximus, ueluti quoddam teſtimonium ſæpe rebus afferant, cum ex eorum quæ præceſſerunt, uel conſecuta ſunt ſignis, quod geſtum ſit conſiderari ſoleat. Quorum omnium communis ſolutio eſt, quòd ex affectis argumenta quæ ſumt ab oratore inueniuntur, eiuſq; opera atque induſtria naſcuntur. Ea uero quæ extrinſecus poſita ſunt, rei tantum teſtimonium præbent. Non enim inueniuntur ab oratore, ſed ijs orator utitur poſitis atque ante conſtitutis. Nam quæ à genere, uel à ſpecie, uel à ceteris affectis argumenta ſunt, ab ipſo quodammodo oratore pariuntur. Teſtimonia uero ſibi ipſe non efficit, ſed ad cauſam utitur ante præparatis. quo fit, ut argumenta ex affectis in cauſa ſtatim atque ex tempore naſcantur: ea uero quæ in teſtimonijs poſita ſunt, ante rem præcurrentia, confirmando uſum negotio poſterius præſtent, & in adiunctis ab oratore coniectura colligitur, et auditorum mentibus intimatur. Teſtimonia uero non in coniectura, aut in ſuſpicionibus, ſed in rei geſtæ narratione conſiſtunt. Oſtendit autem uehementius quid eſſet teſtimonium, cum dicit, id à ſe teſtimonium uocari, quod ab aliqua externa re ſumitur. Omnia quippe affecta ab eis ad quæ affecta ſunt, non uidentur externa. Teſtis uero nulla cum re teſtificata cognatione coniungitur, niſi ſola notitia, quæ nihil ad rem quæ geſta eſt attinet: cum ſi geſtum negotium nullus agnoſceret, nihilominus tamen geſta res eſſet. ſed id poterat etiam ad ſimilitudinem duci. Quid enim minus eſſet aliquid, ſi ei ſimile nihil reperiretur? ſed quod ſimile eſt, ei cui ſimile eſt, eadem qualitate coniungitur, quæ qualitas utrunque conformat. Scientia uero quæuis efficiat teſtẽ, nulla tamẽ qualitate coniungitur cum re, cuius illa notitia eſt. Neque enim ſcientis notitia rei geſtæ qualitas dici poteſt: cum ſi notitia qualitas rei poſſet intelligi, pereuntibus his qui rem norunt, res uel interirent, uel mutaretur. quòd neutrum euenire neceſſe eſt. Quandoquidem abſumptis ſcientibus, res ignorata poterit permanere.*

P E R S O N A *autem non qualiſcunque teſtimonij pondus habet, &c.*] *Quoniam locum artis expertem in teſtimonio eſſe poſitũ dixit: in teſtimonijs uero perſonarum fidem ſuam interponentium authoritas quæritur, neceſſarium fuit, quibus rebus fieri ſoleat authoritas expedire. ac cætera quidẽ clariſſime atque apertiſſime dicta ſunt. Sed quia authoritatem in naturam tempusq; diuiſit, cumq; in tempore ingenium, opes, ætatem, fortunam, artem, uſum, neceſſitatem,*

concurſionem

cócurſionem etiam nó nunquã rerum fortuitarum locauit,quę ri poteſt, Quid enim attinet ad tempus ingenium? quid ars? quid uſus? Nam ætas atque opes, fortuna & fortuitarum rerum cócurſio,ſubiecta ſunt tempori: quoniam unumquodque horum uarijs temporum uicibus permutatur. Ingenium uero naturæ potius oportuit tribui,artem atque uſum tertium quoddã, quoniam neque tempori,neque naturæ ſubijciuntur. Quanquã uirtus quoque ipſa,quam M. T. in natura ratione conſtituit, quibuſdam non naturalis,ſed tum doctrina, tum recta exercitatione uiuendi uideatur aſcita. Sed hæc ita intelligenda diuiſio eſt,quòd omnis authoritas,aut ex magnis atque excellentibus rebus,& per naturam optimis uenit:aut ab iis quæ inferiore loco ſunt conſtituta, fidem non ex naturæ qualitate, ſed ex uulgo inſitis opinionibus capit. Et maximas quidem excellenteiq; res in natura conſtituit,quæ ſemper, ut ipſe Tullius multis in locis defendit,boni eſt appetens. At uero quæ poſteriora ſunt, ſub tempore poſuit, idcirco quòd omnia téporibus ſubiecta, principalis boni non retinent ſtatum. Virtus quidem in deterius flecti non poteſt. Ingenium uero atque opes, fortuna & ars & uſus ſæpe non recta exercitatione deprauantur. Nam quidquid horum fuerit à uirtute ſeiunctum,dignitatem ueræ laudis amittit. Et de uirtute quidem diſtulit dicere. poſteriorem uero partem, id eſt,in tempore poſitæ authoritatis diuiſit,& euidentiſſimis patefecit exemplis. Nam & ingenijs fides adeſt, atque ex ea præſto eſt authoritas plurima. Eos quippe ſapientius loqui homines credunt,quorum ingenium ad expedienda quæ propoſuerint ſufficit. opibus quoque præpollentes, dignos fide iudicant. fortuna quoque & dignitate præclaris maieſtatem authoritatis impertiunt: non recte fortaſſe,ſed & iudicium in negotijs, & exiſtimatio uitæ opinione hominum maxime continetur. quæ quia mutari uix poteſt, ad tam cuncta rediget,eamq; ſibi tractandam regendamq; proponet orator. Ars etiam atque uſus plurimum ualent. in utriſque enim fidem notitia facit. Neceſſitas quoque quaſi id quod latebat extorquens,authoritate ſubnixa eſt,quæ tum ab animo, tum à corporibus uenit:à corporibus,cum igni ferro ac uerberibus uerum quod latet aperitur:ab animo,cum mens quadam perturbationis,uel ignorantia cæcitate confunditur. Tunc enim quid dici,quid taceri debeat, minime diſtinguens,uerum quod occultum erat,prodit,atque effundit in lucem. Nam iracundia ſæpe & qualibet animi perturbatio, quod occultandum foret haud continet. quæ idcirco habent authoritatem ad fidem,quia ſimpliciter prodita ſunt, nec ulla calliditatis arte prolata. Quin etiam ignorãtia puerorum,uinolentia,ſomnus,quædam ſæpe produxit in medium: in quibus ſi iudicium fuiſſet ullum,prolata non eſſent. Sæpe etiam homines præter ullam animi perturbationem imprudentes, propria confeſſione obligati ſunt, dum cuncta ſimpliciter effundunt, quæ ſibi nocitura non æſtiment: ut Staterio eueniſſe propoſuit,qui interpoſito pariete teſtibus audientibus, ea cõfeſſus eſt imprudens, ſe ab inſidiantibus audiri,quibus uulgatis in indiciumq; prolatis, capitali ſententia condemnatus eſt. atque hæc quidem ignorantia in neceſſitate eſt conſtituta. Nam qui neſcit id quod ignorat,ne ſi uelit quidem poterit euitare. Quæ autem neceſſitas extorquet, ipſa quodammodo uidetur ueritas dicere: atque ideo eis ueluti authoritate ſubnixis,fides adhibetur. Concurſio etiam rerum furtuitarum facit fidem. quæ cum aliquoties falſa deſignet,tamé ita eſt uehemens,ut ſe ab ea ueritas explicare uix poſſit. quale eſt quod de Palamede narratur: Phryx extinctus,qui quaſi à Priamo miſſus uideretur,repertæ Priami literæ,Phrygia manus imitata,quæ concurrentia fidem facerét proditionis. hinc dicit, talis etiã fortuitarũ rerũ concurſio eſt.

FINIS.

GEORGIVS VALLA PLACENTINVS BERNARDO SALVATICO GENVENSI PATRICIO. S. D. P.

BSERVANTIA præcipuaq́ue beneuolentia,qua me ex quo tempore diſcipulus iampridem meus fuiſti, in diem uſque hodiernum perpetuo obnixeque proſecutus es, me profecto Bernarde Saluatice adigunt operam dare, ut lucubrationum mearum aliquo ad te munere meum tibi animum mutuo reſpondere deprehendas. Cum igitur Ciceronis librum Topicorum, argumentorum omnium quoddam cellarium, unde tanquam è penu argumentorum omne genus ad propoſitam tibi oſtendendam poſſis depromere materiam, fuerim interpretatus, quod non ſatis obuium legentibus, uel etiam pluribus doctiſſimis eſſe perſpexeram,ipſos tibi deſtinandos eſſe cenſui,quos in huiuſmodi librũ ſcripſi commentariolos. Hos tibi gratiſſimos fore ratus ſum, tum ut Ciceronis paucis admodum cognitus tibi liber innoteſcat, tum ut præcepta longe utiliſſima, uſu aſſiduo mente recondas penitiſſima: quod te facturum cenſeo pro mentis tuæ acie euigilanti, rerumq́ue minus expoſitarum atque adeo inuolutarum cupidiſſima. Quare Bernarde mi, non equidem ero præfatione longior, ne auidã (ut iam mihi uideor intueri) mentem tuam à Ciceroniani operis lectione differam. Vale.

IN M. T. CICERONIS TOPICA GEORGII VALLAE COMMENTARIVS.

N Topicis Ciceronis poſt Marij Victorini Boetijq; ingentes commentarios, gloſſemata, & breues interpretationes poſituris, ſatius nobis fuerat ſiluiſſe, niſi & labori noſtro apud aliquos daretur quo ſe reciperet locus. Propoſitum autem nobis eſt, quæ ab illis explicata pluribus fuere uoluminibus, in breuem ſummam contrahere, ne longius tractata,eademq; inculcata ſæpius, è mente effluant audientis: præcepto monitis Horatiano. Quidquid præcipies, eſto breuis,ut cito dicta Percipiant animi dociles, teneantq; fideles: Omne ſuperuacuũ pleno de pectore manat. Vbi iudicium aliquando noſtrum inſeremus, ſuum tamen linquemus audientibus. Quod eo libentius fecimus, Bernarde Saluatice, ut totus hic Topicorum liber interprete non careret: cum tam Victorinus quàm Boetius totum non fuerint interpretati. nos uero ad finem uſque euecti, commentariolos & breues interpretatiunculas concludamus. ſed ne principijs te longius traham, Ciceronis ad Trebatium epiſtolam paucis, eiuſdem deinceps obſcurius dicta enubilaturi, pro uiribus interpretemur.

MAIORES nos res ſcribere ingreſſos C. Trebati, & his libris quos breui tempore ſatis multos edidimus digniores, è curſu ipſo reuocauit uoluntas tua.] Omne orationis cuiuſcunque proœmium, rhetorum omnium cõſenſu, & conciliat, & attentum facit, & docilem: quibus rebus Trebatium hic Cicero, quod unuſquiſque facile poterit intueri, alloquitur. Quòd enim à magnis ſe rebus, quas inchoauerat, quo Trebatij uotis ſatisfaceret, reuocatum dicit, eum ſibi conciliat, ſed quod ait, maiores ſe res ſcribere ingreſſum, ad amici ſtudium contuliſſe philoſophiam accipimus, quæ pluribus ab eo libris eſt explicata: ut Tuſculanis quæſtionibus, de Fato, de Diuinatione, de Finibus bonorum & malorũ, Timæo, ſimilibusq́;, qui ab eo editi ſunt. E' curſu ipſo reuocauit uoluntas tua.] Attentum facit. Maiores nos res ſcribere ingreſſos.] Tropus eſt ſynecdoche: pluralis enim numerus pro ſingulari poſitus eſt. ſicut è diuerſo ſingularis plerunque pro plurali ponitur: ut cum dicit Liuius, Romanus prælio uictor, cum Romanos uiciſſe ſignificat. quod loquendi genus non orationem modo ornat, ſed etiã quotidiani ſermonis uſus recipit. Curſu ipſo reuocauit uoluntas tua.] Metaphora eſt. etenim è curſu, & reuocauit, tranſlata ſunt: quæ in alienum locum uenictia, plus eo ualent quod expellunt.

Cum tibi expoſuiſſem diſciplinam inueniendorum argumentorũ.] Hic futuri libri intentio dignoſcitur: docilem ergo Trebatium facit. Atqui diſciplinam ait inueniendorum eſſe argumentorum, cum materiam nobis inueniendorum argumentorũ natura ſuppeditet. adducit ergo: Vt ſine ullo errore ad eam rationem uia perueniremus ab Ariſtotele inuenta, illis libris cõtineri, ut ſine ullo labore ac ſine ulla confuſione, non caſu ad ea mens noſtra, ſed quadam uia & ratione perueniat. Verecunde tu quidem ut omnia.] Ἐλλειπτικῶς dictum. deeſt enim poſcis. Facile enim id cernebam debere diutius, ne ipſi iuris interpreti fieri uideretur iniuria.] Etenim cum tu mihi meiſq; multa ſæpe cauiſſes, ueritus ſum ne ſi ego grauarer, aut ingratum id aut ſuperbum uideretur. Veritum ſe eſſe dicit, ne ſi modeſte poſtulanti pernegaſſet, ipſi quodammodo iuris interpreti fieri uideretur iniuria. Fuit igitur uerendum, ne ſi reddere gratiam noluiſſet, aut ingratum id, aut ſuperbum uideretur. ingratum quidem, quod magna Trebatij merita parui æſtimare uideretur: ſuperbum uero, ſi ipſum ſperneret Trebatium. Nec honeſte inter arma uerſari poſſe.] Bella ciuilia dicit. Admonitus huius æris alieni.] Hoc eſt, debiti. tranſlatio ſumpta ab illis qui pecuniam alicui debent. Sed in exordio iam ſatis dictum: nec enim in ſingulis hærere uerbis interpretem decet. cuius officium eſſe duco, obſcura diſſerere, manifeſta perſtringere, in dubijs immorari. Si quis eloquentiã quærit, habet in utraque lingua quos poſſit legere, grauiſſimos & elegantiſſimos auctores prope infinitos. nos ad huius operis grauiora & magis recondita feſtinamus. QVVM omnis ratio diligens diſſerendi duas habet partes, unam inueniendi, alteram iudicandi, utriuſque princeps, ut mihi uidetur quidem, Ariſtoteles fuit.] Cum tota philoſophia maximis in rebus operam ſuã ſtudiumq; conſumat, tum earum quæ in rerum natura ſunt ſpeculatione, tum morum actione, tum cæterarũ animi uerſationum, quæ ui aliqua rationis quodammodo perficiuntur, euenire neceſſe eſt ut quo nos ratio iudiciũq; uocauerit ad quid uis tenendum omittendum'ne, faciendum aut non faciendum, eo ire compellamur. Erit ergo neceſſarium, uel in naturalium rerum ſpeculatione, uel moralium actionum cogitatione, cæterarumq; facultatum animaduerſione, ut certa ratio certumq; iudicium, uel quod in rebus ſpeculandum eſt inueniat, uel quod ad uiuendi actionem duci oporteat, ante perpendat. Hæc autem ratio, niſi uia quadam proceſſerit, ſæpe in multos neceſſe eſt labatur errores. Quod ne confuſe fieret, atque in certis regulis tractatus inſiſteret, uiſum eſt neceſſarium antiquæ philoſophiæ doctoribus, atque præuijs, ut ipſarum ratiocinationum quibus aliquid inquirendum eſſet natura, penitus artem diſcuterent: ut his digeſtis atque compoſitis, uel in ueram rerum ſpeculationem, uel in rectam uirtutum actionem perueniremus. Hanc græci dialecticem, Cicero artem diſſerendi uocat. Huius autem facultatis uis eſt, definire aliquid, partiri, & colligere. Quo pacto definiendum, aut quid partiendum ſit, à nobis dicetur poſterius. Colligere autem tribus modis poſſumus. aut enim ueris ac neceſſarijs argumentationibus diſputatur, & ſcientia uel demonſtratio nuncupatur: aut probabilibus tãtum inſiſtit, & dialectica ſibi proprium nomen aſciſcit: aut apertiſſime falſis innititur illationibus, & ſophiſtica uel cauillatoria nominatur. Omnis igitur dialectica, quam alij logicen appellarunt, uel definit, uel partitur, uel colligit. Rurſum, colligit uel de ueris ac neceſſarijs, uel de probabilibus, hoc eſt uериſimilibus: uel de ſophiſticis, id eſt cauillatorijs argumẽtationibus tractat. Altera eſt diuiſio, per quam hæc tota diligens diſſerendi ratio deducitur. pars enim una inueniendi, altera iudicandi appellatur. Has autem partes uidetur etiam ipſa definitio dialectices monſtrare. nam quia dialectica ratio diſſerendi eſt, non poteſt ab inuentione ſeparari. Cum enim nemo ſine inuentione poſſit diſſere, diſſerendi ratio inuentionis ratio erit. Porro quoniam dialectica diligens diſſerendi ratio eſt, ab ea iudicium abeſſe non poteſt. ipſa enim diligentia rationis in diſſerendo poſita, iudicium eſt. neque enim poteſt quiſquam diligenter diſſerere, niſi quale ſit quod in diſputatione ſumitur iudicauerit. His igitur ita expeditis, uidendum eſt quã'nam hæ diuiſiones cognatione coniũgantur. Planè inuentio cæteris omnibus ueluti materiæ loco ſubijcitur. niſi enim inuentio fuerit, non poteſt eſſe uel definitio, uel partitio: quoniam unumquodque uel differentiarum inuẽtione diuidimus, uel diffinimus. ſi etiam abſit inuentio, ne quidem ipſa poterit eſſe collectio. Porro iudicia ex materia fiunt. quippe quod tres illæ partes iudicio materiam præſtent. Quum enim definit aliquis, uel rẽ propoſitã diuidit, inuenit quidẽ diuiſioni definitioniq; differẽtias accõmodatas: ſed an recte uel definiat, uel diuidat, iudicio perpẽdit. Sunt ergo duæ inuicẽ ſibi cõiunctæ iſtæ diuiſiones, ut oſtendimus. Nunc quomodo inueniendi iudicandiq; artis huius diſſerendi partes ſint accipiendæ, exponamus. Tota logica, quã dialecticen uoco (licet iudicandi proprie partem dialecticen, inueniendi topicen plerique omnes appellauerint) non eſt ipſa ſcientia, ſed ad ſcientiam percipiendã, & quid in ea fugiendum tenendum'ue, uis eſt, & examẽ quoddam: quo adhibito, uix hominis falli mens poteſt, aut à uero multum diuertere. Per hanc igitur cum rerum quæ per ſe conſiſtunt, & (ut nunc multi loquuntur) incomplexarum uim ſcrutemur, ſi per ea quæ naturæ ordine antecedunt, per diffinitionem: ſi per ea quæ ſubſequũtur, per diuiſionem. Sed quoniam ad definitionem diuiſio plerunque, ac ad demonſtrationem definitio uia quædam eſt: ſi quidem in demonſtratione medium definitio eſt, et per demonſtrationem, quæ eſt ſtatus quidam mẽtis, in ſcientia eſt: ſeorſum ars definiendi & diuidendi ab arte demonſtrandi ab Ariſtot. non traditur, ſed ſimul in ſecundo ἀναλυτικῶν ὑστέρων, uel (ut nunc loquitur uulgus) poſteriorum, explicatur. Sed cum omnis argumentatio, omniſq; ſyllogiſmus propoſitionibus ſtruatur, totum illud compoſitum duo in ſe quædam retinet, quæ ſpeculatione aduertendam eſſe uideantur. unum, quæ illa ſint ex quibus id quod compoſitum eſt intelligatur eſſe connexum: aliud uero, quã'nam ſit ſuarum partium cõiunctione compoſitum: ut in pariete, ſiquidem lapides ipſos quibus paries structus eſt inſpicias, quaſi materiam ſpectes: ſin uero ordinem compoſitionemq; iuncturæ conſideres, tanquam de forma ratione perpendas. Sic conſtant priora poſterioraq; analytica.

tica. priora quidem, utrum bene ſint compoſita partes, quæ quaſi formam indicant argumentorum: poſteriora autem, utrũ uera ac neceſſaria ſint. quæ ſophiſticis autem applicentur paralogiſmis, in Elenchorum libro oſtenſum eſt. De ueriſimilium uero argumentationum iudicio nihil uidetur eſſe tractatũ: quoniam plena eſt atque expedita ratio iudicandi de medietate. cũ quis extremam cognouerit. Si enim quis diiudicare neceſſaria ſciat, idemq; falſorum argumentorum poſſit habere iudicium, uériſimilia quæ in medio collocata ſunt diſcernere non laborat.

Porro quoniam omnis argumentatio propoſitionibus componitur, aut ipſum compoſitum cõſiderat, aut ſicut partes per ſe poſitæ: ut ſi compoſitum, ea eſt cõſideratio, quam ſupra retulimus. ſin autem partes per ſe, inſpicitur ex quibus & quot partibus componantur: quæ ſit, qualis'ue, aut quãtum unaquæque propoſitio. ut ſi materiã parietis inſpicias, nõ ut ex ea paries ſurgat, ſed per ſe quæ ſit uis lapidum cum calce hærentiũ: quod ab Ariſtotele in libro qui Perihermenias græce, à noſtris de interpretatione uerbum è uerbo transferentibus inſcribitur, oſtenſum eſt.

Nam prædicamenta (ſic enim noſtri, ille autem Categorias appellarunt) tãquã elemẽta decẽ omnino inſtituit Ariſtoteles, quo res omnes certo ſub numero cõprehẽderentur, ne quæſtiones quæ circa hæc uerſantur, omnes in infinitum profluerent, & incerto numero laberentur, ac per hoc neque ſcienta rerum ulla eſſe poſſet. hanc iudicandi partem Stoicos ſciſſe, & in ea elaboraſſe Cicero dicit. Inueniendi autem, quæ Topice ab Ariſtotele eſt appellata, quæ locos & ſedes argumentorum, id eſt maximas propoſitiones, unde omnes erui poſſint argumentationes, octo libris idem auctor acutiſſime ut omnia, & elegantiſſime primus declarauit: ubi ad definita quædam principia omnem uim argumentationis referri oſtendit. Explicatum igitur, ut reor, eſt, quid ſit quod ait Cicero, rationem diligentem diſſerendi duas habere partes: inueniendi unam, alteram iudicandi. Inueniendi artem, quæ Topice dicitur, quæq; ad uſum potior erat, & ordine natura certe prior, totam reliquerunt.] Iure Stoicos increpat Tullius: quoniam id maxime reliquerunt, quod & natura prius, & uſu potius erat. natura quidem, quia fieri nõ poteſt ut de inuentione iudicetur, niſi ipſa inuentio prius extiterit: uſu uero, quia longe utilius eſt nuda et ſine arte prolata naturali inuentione ad ſuſceptum ſæpe accommodare negotium, quàm nihil inuenire, & ſtolidum ipſum (ut ita loquar) & inertme uerſare iudicium. Argumentum autem, rationem quæ rei dubiæ facit fidem.] Multa enim ſunt quæ fidem faciũt: ſed quia rationes non ſunt, ne argumenta quidem eſſe poſſunt. ut, uiſus facit fidem his quæ uidentur: ſed quia ratio non eſt uiſus, ne argumentum quidem eſſe poteſt, quæ rei dubiæ facit fidem. argumentum nanque eſt, quod rem arguit, id eſt oſtendit & probat: nihil uero probari niſi dubium poteſt: niſi ergo ſit res ambigua, & ad eam ratio fidem faciens afferatur, argumentum eſſe non poterit. Addita ergo alia differentia, quæ eſt rei dubiæ, facta eſt integra definitio argumenti, ex genere & duabus differentijs conſtans. genere quidem, ratione: una uero differentia, quod faciat fidem: altera autem, quod rei dubiæ. Sed ex his locis in quibus argumenta incluſa ſunt, alij in ipſo de quo agitur hærent, alij aſſumuntur extrinſecus.]

Cum enim ſit quæſtio dubitabilis propoſitio, & cum propoſitio ſubiecto prædicatoq; conſtet, quæſtionem quoque prædicato ſubiectoq; conſtare neceſſe eſt. prædicatum igitur & ſubiectum eſt, id ipſum de quo agitur. nam cũ de alterutra quæſtionis parte dubitetur, id in hac ambiguitate quæritur, utrum prædicatus terminus ineſſe ſubiecto uideatur, an minime. ſed in quæſtionum diſputatione alter affirmationem, alter negationem tuetur: id eſt, alter prædicatum ineſſe ſubiecto, alter non ineſſe defendit. quod igitur ex alterutra parte defenditur, id eſt ipſum de quo agitur: & illud ipſum eſt prædicatus terminus, uel ſubiectus, de quibus agitur. Atque ut id exẽplo clarius fiat, ſit quæſtio, An Verres furtum fecerit. hic Verres ſubiectũ eſt, furtum facere prædicatum: ſi furtum Verri coniungitur, idq; argumentationibus ita eſſe oſtenditur, quæſtionis affirmatio, quæ erat Vtrum Verres furtum fecit an non, demonſtrata eſt: ſi furtum à Verre ſeiungitur, quæſtionis rurſus negatio oſtẽditur. Ipſum itaque de quo agitur, nihil eſt, niſi uterlibet eorũ terminus qui in quæſtione proponitur, ſiue prædicatus ſiue ſubiectus: qui quidem termini per ſe argumenta eſſe non poſſunt. quod ſi poſſent, nullam in quæſtione relinquerunt dubitationẽ.

Sed ea quæ in ipſis inſunt, uel extrinſecus poſita ſunt, argumentorum copiam ſuppeditant: illi autem qui poſiti exterius à propoſitionum quodammodo terminis ſunt ablegati, & res quædã ſunt extrinſecus poſitæ, ſed intra ſe argumentorũ copiam claudunt: ut ſi ab exemplo uel auctoritate alicuius præſtantis uiri ſumatur argumentum, cuiuſmodi exempla poſterius à nobis ponentur. Sed ad id totum de quo diſſeritur cum definitio adhibetur, quaſi inuolutum euoluitur id de quo quæritur.]

Supra locos omnes bifarie diuiſit, in ipſo de quo agitur, & extrinſecus poſitorum. poſt partitus eſt eum locum qui eſt in ipſo, in quatuor membra, hoc eſt, à toto, à partibus, à nota, ab his rebus quæ quodammodo affecta ſunt. Nunc antequam diuidat eum locum, quem ab affectis eſſe propoſuit, ſuperiorum trium, quos minime diuiſurus eſt, ſubijcit exempla. Ac de eo quidẽ loco qui eſt à toto, ita diſſerit. Tunc, inquit, dicimus à toto locum argumenti, quando totum illud quod in quæſtionem poſitum eſt, definitione complectimur: quæ definitio rei dubiæ, de qua agitur, facit fidem. definitio autem omnis, id quod nomine inuolute ſignificatur, euoluit & explicat: atque ideo nõ terminus qui in definitione ponitur, ſed quæ in ipſo ſunt, poſſunt argumentis præſtare materiã ſunt aũt in unoquoq; propriæ definitiones: definitio enim eſt oratio, ſubſtantiã cuiuſque rei ſignificans. quod ſi ab unaquaque re propria ſubſtantia non recedit, ut definitio quidem aberit. Eſt ergo definitio in ipſo termino de quo agitur: quæ definitio totum terminum comprehendat neceſſe eſt. neque enim partem ſubſtantiæ, ſed totius termini ſubſtantiam demonſtrat. itaque argumentum quod à definitione ducitur, ab eo ducitur loco qui in ipſo termino eſt, qui in quæſtione eſt collocatus. Sed quoniam multi ſunt loci in ipſo, hic locus à toto eſt. definitio enim, ut diximus, totum terminum comprehendit: atq; id quod inuoluto nomine ſignificabatur, euoluit atque aperit.

Eius argumenti talis eſt formula: Ius ciuile eſt æquitas conſtituta his qui eiuſdem ciuitatis ſunt, ad res ſuas obtinendas: eius autem æquitatis utilis cognitio eſt: utilis ergo eſt iuris ciuilis ſcientia.] Eſt enim quæſtio, an iuris ciuilis ſcientia ſit utilis. hic ius ciuile ſubijcitur: utilis ſcientia prædicatur. Quæritur ergo, an id quod prædicatur uere poſſit adhærere ſubiecto ipſum igitur ius ciuile non potero uocare argumentũ: de eo enim eſt quæſtio. reſpicio igitur quid ei ſit inſitum. uideo omnem definitionem ab eo non ſeiungi, cuius eſt definitio: ergo ne à iure quidem ciuili propriam definitionem poſſe ſeiungi. definio igitur ius ciuile, hoc modo: Ius ciuile eſt æquitas conſtituta his, qui eiuſdem ciuitatis ſunt, ad res ſuas obtinendas. poſt hoc conſidero, num hæc definitio reliquo termino, hoc eſt utili ſcientiæ poſſit eſſe coniuncta: id eſt, an æquitatis conſtitutæ his qui eiuſdem ciuitatis ſunt, ad res ſuas obtinendas utilis ſit ſcientia. hic igitur argumẽtum eſt ex eo loco qui eſt in ipſo, hoc eſt, in iure ciuili: qui terminus eſt in quæſtione conſtitutus, hic uocatur à definitione: quæ definitio quoniam totum eſt, argumentum eſt à toto. omnis locus à toto, in ipſo eſt. Nec nos moueat, quod ius ciuile eſt æquitas: & rurſus, ſcientia utilis eſt. quædam ſunt orationes, quas ut terminos collocamus: non enim omnis terminus una tantum orationis parte ſemper profertur, ſed aliquotiens orationes integræ in terminis conſtituuntur. In hac igitur argumentatione

maxima ac per ſe nota propoſitio eſt ea, per quam intelligimus, omnia quæ definitioni alicuius cõliguntur, ipſa quoque illis quorũ definitio eſt copulari. ſequitur enim, cũ definitio iuris ciuilis utilis ſcientia poſſit adiungi, tũc quoque iuri ciuili utilẽ ſcientiã poſſe copulari. Eſt igitur hoc argumentum tractum ab eo loco qui eſt in ipſo: omnis enim definitio in eo termino eſt quem definit, eorum autem locorum qui in ipſo ſunt à toto. omnis enim definitio totum arguit atque aperit. Maxima propoſitio hæc eſt, quæ per ſe ita manifeſta eſt, ut probatione non indigeat, quæq; locus etiam appellatur, eſt huiuſmodi: Quibus aliquorum definitio iungitur, eiſdem neceſſario ea quæ definiuntur accommodari oportere. Tum partium enumeratio, quæ tractatur hoc modo. ſi neque cenſu, nec uindicta, nec teſtamento liber factus eſt, non eſt liber: neque ulla eſt earum rerum: non eſt igitur liber.] Sit quæſtio. Vtrum quem ſeruum fuiſſe conſtiterit, ſit liber. Cum tres ſint liberi faciendi partes, una quidem cenſu liber fiebat, cum ſe pretio redimebat, aut ab alio dato pretio redimebatur. Plaut. in Aulularia: Quin ego illi inueniſſe dico hanc prædam, atque eloquar, igitur orabo ut manu me mittat. Idem in Caſſina: Vobis inuitis atque amborum ingratis, una libella liber poſſum fieri. Alio autem modo comparabatur libertas, uindicta. Plautus in Curculione: Hoc dicto uindictam para. Perſius:

Vindicta poſtquam meus à prætore receſſi,
Cur mihi non liceat iuſſit quodcunque uoluntas?

Fuit autem uindicta, uirga quam lictor ſerui, eum manumiſſurus, capiti imponens, ſub eadem uirga uertens, in libertatem eum uindicabat. hinc Perſius: Verterit hunc dominus, momento temporis exit Marcus dama. Vnde & uindicta, quod in n̄m indicaret appellata, ut quidam putant. ſed potius à Vindice dicitur, de quo mox dicetur. Tertia pars faciendi liberi eſt, ſi quis ſuprema uoluntate in teſtamenti ſerie ſeruum ſuũ liberum liquerit. quæ partes omnes ſunt liberi faciendi. Si quis igitur aliquem quem ſeruum fuiſſe conſtiterit, monſtrare uelit non eſſe liberum, dicet: Si neque cenſu, neque uindicta, neque teſtamento liber factus eſt, non eſt liber: at nulla earum parte liber factus eſt: non eſt igitur liber. Nam cum totum in ſuis partibus conſtet, ſi nulla illarum parte contingitur, toto eſt ſegregatus. Partes autem duobus modis dicuntur, uel ſpecies, uel mẽbra. ſpecies eſt, quæ nomen totius integrum capit, uelut homo atque equus animalis. utraque enim integro nomine per ſe animalia nuncupantur. eſt enim homo animal, & rurſum equus animal. Membra uero ſunt, quæ cum totum efficiant, coniuncta totius nomen capiunt, ſingula uero nullo modo: ut fundamentum, parietes, & tecta, domus membra ſunt: ſimul omnia, domus dicuntur: fundamenta uero ſola, neque parietes, neque tecta, domus uocabulo nuncupantur. In his igitur quæ ſunt ſpecies, quoniam nomen totius integrum capiunt, niſi ſingulatim omnes partes ab eo de quo dubitatur adiunxeris, non poſſis totum abeſſe demonſtrare: ut quoniam faciendi liberi tres ſunt ſpecies, cenſus, uindicta, teſtamentum, ſi quaſuis duas amoueris, una tantum remanſerit, liberum neceſſario confitebere. Siue enim cenſu tantum, ſiue uindicta, ſiue teſtamento ſit liber factus, liberum eſſe conſtat. Ergo in his niſi omnes ſpecies ſemoueris, non poteſt deſtruere quod in quæſtione poſitum eſt. At ſi affirmare uelis atque aſtruere, ſufficit unam tantum ponere. Hæ autem partes quæ ſunt membra, contrario modo ſunt. ſi deſtruere uelis, ſat erit unam ſeiungas: ſin aſtruere, cuncta adhibeas neceſſe eſt. Nam ſi uelis oſtendere non eſſe domum, ſufficit ut aut fundamenta non eſſe dicas, aut parietes, aut tecta: nam aliquo horum deficiente, domus nullo modo poterit appellari. at ſi uelis oſtendere domum eſſe, niſi cuncta in unum cõiunxeris, id quod ponis non ualebis aſtruere. Omnes tamen hi loci ad partium enumerationes dicuntur. Quæſtio igitur eſt in propoſito Ciceronis exemplo, an is quem ſeruum fuiſſe conſtitit, liber ſit. Is quem ſeruum fuiſſe conſtitit, ſubiectus eſt terminus: liber uero, prædicatus. neutrum igitur eorum terminum ad argumentum trahere poterimus: de quibus enim dubitatur, hi fidem dubitationi facere non poſſunt. dinumero itaque, & requiro, an ulla earum partium uideatur ineſſe ſubiecto. ſi nulla ineſt, concludam, non eſſe liberum. Vnde manifeſte demonſtratur, non ſolum ab eo termino qui ſubiectus eſt, argumenta ſumi poſſe, uerumetiam ab eo qui eſt prædicatus: nam prius exẽplo quo demõſtrabat iuris ciuilis ſcientiam eſſe utilem, ius ciuile quod ſubiectum erat definiuit, ductumq; inde argumentum ad rei dubiæ fidem. hic uero cum ſit, ut dictum eſt, quæſtio, an quẽ ſeruum eſſe conſtiterit, liber ſit: terminus is, quem ſeruum eſſe conſtiterit, ſubiectus: prædicatus uero, liber. In ipſo, id eſt, in prædicato, partes ſunt quæ enumerantur, à qua enumeratione dum deducitur argumentum, fit argumentum in ipſo, ex partium enumeratione. Maxima propoſitio, Cuius partium nihil copulatum eſt, ei ne totum quidem eſſe poteſt coniunctum.

Tum notatio cum ex uerbi ui argumentum aliquod elicitur, hoc modo: Cum lex Aelia Sanctia aſſiduo uindicem aſſiduum eſſe iubeat, locupletem iubet locupleti: locuples eſt aſſiduus, ut ait Aelius, appellatus ab ære dando:], Tertius eorum qui in ipſo ſunt locus, à notatione eſt conſtitutus: notatio autem eſt, nominis interpretatio. Vindex eſt, qui alterius cauſam ſuſcipit uindicandam, ueluti quos nunc procuratores uocamus: unde illud apud Plinium libro. 31.

Quod tua Romanæ uindex clariſſime linguæ,
Sylua loco melius ſurgere iuſſa uiret.

Hinc uindicia, Aſconius Pedianus: Lis uindiciarum eſt, cum litigatur de ea re, cuius apud prætorem certum eſt quis debeat eſſe poſſeſſor. dicta à Vindice ſeruo. Pomponius: Cum Brutus qui primus Romæ conſulfuit, uindicias ſecundum libertatem dixiſſet in perſona Vindicis Vitelliorum ſerui, qui proditionis coniurationem indicio ſuo detexerat. Lex Aelia Sanctia aſſiduo uindicem aſſiduum eſſe iubet.] Quæritur igitur, utrũ cum lex Aelia Sanctia uindicem uelit aſſiduo aſſiduum, locupletem uelit locupleti? Hic igitur ſubiectus quidem terminus eſt, lex Aelia Sanctia uindicem uolens aſſiduo aſſiduum: prædicatus uero, locupletem locupleti. Cum autem ipſos terminos non poſſim ad fidem quæſtionis adducere, ſiquidem de quibus ambigitur nulla effici fides poteſt: quæro, quid in ipſorum altero ſit. ac uideo unum eorum terminum eſſe legem Aeliã Sanctiam, quæ aſſiduum aſſiduo uindicem eſſe decernat: & hunc ſubiectum eſſe, huius orationis partem interpretor, quæ eſt aſſiduus. quid enim eſt aſſiduus aliud, niſi aſſem dans? aſſem uero dare niſi locuples non poterit: aſſiduus igitur locuples eſt. cum ergo lex Aelia Sanctia aſſiduo uindicem aſſiduum eſſe uelit, locupletem iubet locupleti: quippe quod aſſiduus, locuples, à dando ære nominatur. argumentum igitur hoc tractum eſt ex eo loco qui eſt in ipſo, id eſt, à nominis interpretatione. nomen enim in ipſo illo eſt, cui nomen eſt: cuius interpretatio notatio nuncupatur. Sed ab huius interpretatione factum eſt argumentum: igitur hoc argumentum ex eo loco eſt, qui eſt in ipſo, id eſt, à nomine quod in quæſtione poſitum eſt, ex eis qui in ipſo ſunt à notatione, id eſt, à nominis interpretatione. Maxima propoſitio eſt, Interpretationem nominis idem ualere quod nomẽ, cuius eſt interpretatio. Sed paulo obſcurius dictum argumentum eſt. multo enim clarius enunciabitur, ſi dicas, aſſiduus eſt qui aſſem dat: qui uero aſſem dat, locuples eſt: aſſiduus igitur locuples eſt. atqui lex Aelia Sanctia aſſiduum aſſiduo eſſe uindicem iubet, locupletem igitur locupleti uindicem eſſe præſcribit. Dixit autem, cum lex Aelia Sanctia aſſiduo uindicem aſſiduum eſſe iubeat, locupletem iubet locupleti, is eſt aſſiduus, ut ait Aelius, ab ære dando. argumenti igitur concluſionem priorem poſuit:

ſubiecti

ſubiecit uero probationem. Concluſio nanque eſt, cum lex Aelia Sanctia aſſiduum aſſiduo uelit eſſe, locupletem iubet locupleti: atque hanc præmiſit. probatio autem eſt, aſſiduum eſſe locupletem, ab ære dando nominatum: & hanc intulit concluſioni. Ducuntur etiam argumenta ex his rebus quæ quodãmodo affecta ſunt ad id, de quo quæritur. ſed hoc genus in plures partes diſtributum eſt.] Sunt autem affecta, quæ quodammodo ad aliquid referri poſſunt. omnia uero quæ ſe aliqua relatione reſpiciunt, aut amica inter ſe, aut diſſidentia conferuntur. ſi amica, uel ſubſtantialiter, ut genus & forma, antecedentia, conſequentia, cauſa effectus: uel in qualitate, ut coniugatum, ſimile, coniunctum: uel in quantitate, ut paria. quæ uero ſibi diſſidentia conferuntur, partim à ſe differentia ſunt tantum, partim aduerſa. ſed aduerſa partim in qualitate, ut contraria, & repugnantia: partim in quantitate, ut maius & minus. quæ cum ita ſint, manifeſtum eſt, & amica ſibi cognationis relatione coniungi, & diſſidentia hoc ipſo quod ſibi aduerſa ſunt ad ſe inuicem comparari. Coniugata dicuntur, quæ ſunt generis eiuſdem. eiuſdem autem generis uerba ſunt quæ orta ab uno uarie commutantur, ut ſapiens ſapienter ſapientia. hæc uerborum coniugatio συζυγία dicitur, ex qua huiuſmodi eſt argumentum: ſi compaſcuus ager eſt, ius eſt compaſcere.] Coniugata, inquit Cicero, dicuntur, quæ ſunt ex uerbis generis eiuſdem, id eſt, quæ ab uno uerbo uarijs inflectuntur modis. Ex eodem quippe genere uerba ſunt, iuſtitia iuſte iuſtũ, & quæcunque alia, quæ in diuerſas poſſunt uocabulorum ſpecies inflecti. quæcunque enim ab uno qualibet orta uarie commutantur, hæc à græcis σύζυγα dicuntur, apud latinos uero coniugata. quam enim græci συζυγίαν dicunt, nos coniugationem appellamus. Hæc autem ſunt, ut ſapiens ſapienter ſapientia, & quæcunque alia quæ in uarias partes orationis uariaſque inflexiones ab uno quodam ducta cernuntur. Ex coniugatis igitur hoc exemplum eſt: Sit quæſtio, an in aliquo agro mihi atque uicino ſimul paſcere liceat pecus. ſubiectum igitur eſt, ager: compaſcere uero, prædicatum. Faciemus itaque argumentum hoc modo: Hic de quo quæritur ager compaſcuus eſt: in compaſcuo autem agro licet compaſcere: in hoc igitur agro licet compaſcere. Hic igitur compaſcendi iuris argumentum ex compaſcuo ſumptum eſt, idq; ex coniugato. compaſcere enim & compaſcuum coniugata ſunt. Sumptum eſt argumentum, Ius eſt compaſcere, quoniam ſit ager compaſcuus: atque coniugatum eſt, ut diximus, compaſcuum, ei quod eſt compaſcere. à coniugatis igitur ſumptum eſt argumentum, quod coniugatum in ipſo eſt de quo agitur, id eſt, in compaſcendo factum. Igitur eſt argumentum ex eo qui eſt in ipſo ab affectis, id eſt, à coniugatis. Maxima uero propoſitio eſt, Coniugatorum in eo quod cõiugata ſunt, unam atque eandem eſſe naturam. uel, Cui conuenit aliquid, etiam coniugatum eius poteſt ſociari. A' genere ſic ducitur, Quoniam argentum omne mulieri legatum eſt, non poteſt ea pecunia quæ numerata domi relicta eſt, non eſſe legata. forma enim à genere, quoad ſuum nomen retinet, nunquam ſeiungitur. numerata autem pecunia nomen argenti retinet, legata igitur uidetur.] Genus eſt, quòd de qualibet ſpecie in eo quod quid eſt prædicatur. in eo quod quid eſt autem prædicari dicitur, quod de qualibet ſpecie interrogantibus quid ſit, reſponderi conuenit per genus. ſemper uero genus propria ſpecie maius eſt, eamq; intra ambitum ſuæ prædicationis includit. quo fit, ut quamuis in alia quoque diſpartiri genus poſſit, ſpeciem tamen ſuam nullo modo derelinquat: ut animal prædicatur quidem de homine, & hominis ſubſtantiam monſtrat. interrogantibus enim nobis, Quid eſt homo, reſpondetur animal. idem tamen de cæteris quoque animalium ſpeciebus intelligendum: & ubicunque bos, leo, urſus, cæteraq; animalia nominata fuerint, in ſingulis animal eſſe intelligitur: quoniã nomẽ generis à ſpecie diuelli non poteſt. Quamobrem ſi aliquando generis uocabulum uniuerſaliter enunciabitur, neceſſe eſt omnes ſpecies deſignari: ut ſi quis dicat, omne animal, & hominem ſignificabit, & leonem, & quaſcunque alias ſpecies ſub animali collocatas. Quidam igitur teſtamento mulieri argentum omne legauerat: quæritur, an etiam numerata pecunia ſit legata. numerata igitur pecunia, in hac quæſtione ſubiectum eſt: legata uero, prædicatum. Conſidero igitur, in alterutro horum quid nam inſit, ut ex eo quod in ipſo eſt, aliquod argumentum requiram. uideo ſubiectum terminum qui eſt numerata pecunia, habere genus ſuum argentum, quod affectum eſt: quoniam ad ſpeciem ſuam, hoc eſt numeratam pecuniam refertur. quæ enim ad ſe inuicem referũtur, affecta ſunt. ergo quoniam argentum omne, quod eſt genus, legatum eſt: & genus propriam ſpeciem non relinquit: neceſſe eſt, ut numerata quoque pecunia ſit legata, quæ eſt ſpecies. nam cum genus, id eſt argẽtum omne legatum ſit, nulla ſpecies excipitur: atqui numerata pecunia argentum eſt: fit igitur, ut numerata quoque pecunia legati uocabulo poſſit includi. eſt igitur quæſtio, ut dictum eſt. an numerata pecunia legata ſit, argumentum ab eo quod in ipſo eſt, id eſt à genere quod ineſt propriè ſpeciei, quodq; ita ineſt ut ad ſpeciem referatur, id eſt argẽtum: ab affectis ergo, hoc eſt à genere. prædicatur enim utpote genus, argentum de numerata pecunia. interrogantibus enim quid ſit numerata pecunia, iure nos reſpondemus, argentum. Maxima propoſitio, Cui omne conuenit genus, unamquamque ſpeciem conuenire. quam diuerſis uerbis, ſed eodem ſenſu tulit Cicero, inquiens: Forma enim à genere, quoad ſuum nomen retinet, nunquam ſeiungitur. A' forma generis, quam interdum quo planius accipiatur, partem licet nominare, hoc modo. Si ita Fabiæ pecunia legata eſt à uiro, ſi ei uiro materfamiliâs eſſet, ſi ea in manum non conuenerat, nihil debetur, genus eſt enim uxor: eius duæ ſunt formæ. una matrumfamiliâs, hæ ſunt quæ in manum conuenerunt: altera, earum quæ tantummodo uxores habentur. qua in parte quum fuerat Fabia, legatum ei non uidetur.] Species eſt, quæ proprijs differentijs inſtructa, ſub prædicatione generis collocatur: differentiæ propriæ à cæteris eam ſpeciebus ſeparant atque ſeiungunt: uelut homo cum ſit ſpecies animalis, differentijs proprijs conſtat rationabilitatis, & (ut uoluit Plato) mortalitatis. & ſeiungitur ab his animalibus quæ æterna ſunt, & ab his quæ ſunt rationis expertia. Cum igitur omnes ſpecies inter ſe proprijs differentijs diſtent, neceſſe eſt quod de altera ſpecialiter dicitur, id in aliam non poſſe transferri: uelut quod de homine dicitur ſpecialiter, idem de equo atque boue non poſſe intelligi. Dicitur autem de ſpecie, quotiens genus ipſum uelut in quandam portionem contrahitur: uelut ſi quis dicat, illud animal ſibi adduci debere, quod ſit rationale, uel mortale: non utique de equo, uel de boue, aut de cæteris, niſi tantum de homine intelligetur. Quæ cum ita habeant, à forma generis, id eſt à ſpecie generis tale fit argumentum. quam formam generis Cicero partem ſæpe nominat, quo id quod dicitur planius fiat. notius enim nomen partis eſt quàm formæ. Quomodo autem diſtet forma à parte, paulo poſt ab ipſo Cicerone latius explicabitur. Sed de propoſito iam exemplo uideamus. Vxoris ſpecies ſunt duæ: una matrumfamiliâs, altera uſu communi. ratione generis uxor uocatur: materfamiliâs uero eſſe non poterat, niſi quæ conueniſſet in manum. Tribus autem modis uxor haberi poterat, uſu, farre, coemptione. cum farreatio (ita enim dicebatur, à farre, quo ſacrificabatur) ſolis pontificibus conueniebat. quæ autem in manum per coemptionem conuenerant, hæ tantum matresfamiliâs uocabantur. quæ uero uſu uel farreatio, minime. Coemptio uero certis ſolennitatibus peragebatur, & ſeſe coemendo inuicem interrogabant, uir quidem, an mulier ſibi materfamiliâs eſſe uellet: illa reſpondebat, uelle. item mulier

interrogabat,uerum uir ſibi paterfamiliâs eſſe uellet: ille reſſpondebat,uelle. Itaque mulier uiri conueniebat in manum, & hæ nuptiæ per coemptionem uocabantur,eratq; materfamiliâs uiro loco filiæ. Quidam igitur extremo teſtamẽti iudicio omne Fabiæ uxori legauit argentum. ſi autem Fabia ei nõ tantũ uxor, uerum etiam certa ſpecies uxoris,id eſt materfamiliâs eſſet, aut ſi in uiri manum non conuenit,ac ne materfamiliâs quidẽ ſit, quæritur uero potius modo uxori Fabiæ legatum ſit argentum. Vxor.Fabia,ſubiectum eſt.legatum argentum,prædicatũ. quæro igitur,quod'nam ex his argumentum poſſim ſumere, quæ in in quæſtione ſunt poſita. ac uideo,uxori duas ineſſe formas,quarum una tantum uxor eſt,altera materfamiliâs, quæ in manũ coẽptione perficitur. Quod ſi Fabia in manũ nõ cõuenit,ne materfamiliâs quidem fuit. Id eſt,non fuit ea ſpecies uxoris,cui argentum omne legatum eſt. quocirca quoniam id quod de alia ſpecie dicitur,in aliam duci non conuenit, cumq; Fabia præter eam ſpeciem ſit,quæ in manum cõuenerit, id eſt materfamiliâs non ſit,& uir matrifamiliâs legauerit argentum , non uidetur Fabiæ eſſe legatum. quæſtio igitur,ut dictum,eſt,an uxori Fabiæ omne argentum legatum ſit:ſubiectum,uxor Fabia: prædicatum uero,legatum argentum. argumentum ab eo quod in ipſo eſt de quo quæritur , id eſt ab eo quod eſt in uxore de qua quæritur. eſt autem in uxore de qua quæritur,ſpecies uxoris, id eſt ea quæ in manum non conuenit:quæ ad uxorem , quod eſt genus,affecta eſt.omnis enim ſpecies ad ſuum genus refertur . Factum eſt igitur argumentum ab eo quod eſt in ipſis , ab affectis,à forma generis. Maxima propoſitio eſt, Quod de una ſpecie dicitur,id in alteram non conuenire. A' ſimilitudine hoc modo: SI ædes exeſæ corruerunt,uitium'ue faciunt,quarũ uſuſfructus legatus eſt,hæres reſtituere non debet, nec reficere : non magis quàm ſeruum reſtituere,ſi is cuius uſuſfructus legatus eſſet, deperiiſſet.] Similia dicuntur,quæ eiuſdem ſunt qualitatis.ex quibus hoc modo ſumitur argumentum : Quidam teſtamento uſumfructum ædium legauit,id eſt conceſſit ædes , ut his alius dum uiueret uteretur. eæ cœperunt uel uitium facere , id eſt ruinam minari,uel etiam corruerunt. petit igitur ab hærede is cui ædium uſuſfructus legatus eſt,ut earũ ſibi ædium quæ teſtamento legatæ ſunt,damna reficiat,& ædes quæ uitium fecerũt uel corruerunt reſtituat. quæritur,an earum ædium quarum uſuſfructus legatus ſit,uitium uel ruinam hæres reſtituere cogatur. Hic igitur ſubiecta quidem oratio eſt ueluti quidam terminus,ædium quarum uſuſfructus legatus ſit ruina uel uitium prædicta uero oratio loco termini conſtituta,ab hærede reſtitutio. ſumo igitur à ſimili argumentum,hoc modo: Quoniam ſi quis ſerui uſumfructum legauerit,isq; ſeruus aliquo modo deperierit,non cogitur reſtituere hæres ſeruum: ne nunc quidẽ cogetur hæres reſtituere ædes, quæ in uſumfructum legatæ ruinã uitium'ue fecerunt . ſimilis eſt enim ſerui uſuſfructus legatio , ædium uſumfructus legationi. ſimile etiam , ſeruum in uſumfructum legatum,ſi deperierit,ab hærede non reſtitui: & ædiũ in uſumfructum legatarum uitium ruinam'ue , ab hærede non refici. Eſt igitur quæſtio quidem,an ædium in uſumfructum legatarum uitium uel ruinam hæres reſtituere cogatur . termini uero , ſubiectus quidem ædium in uſufructum legatarum uitium uel ruinam;prædicatus,ab hærede reſtitutio . argumentũ uero ab eo quod in ipſo eſt,id eſt ab eo quod ineſt uel ruinæ uel uitio ædium in uſumfructum legatarum. id autem eſt affectũ, id eſt ſimilitudo . omnis enim ſimilitudo ei ineſſe perpenditur, quod eſt ſimile. ſimilitudo autem eſt ſerui uſuſfructus legati pereuntis,quem reſtituere hæres non cogitur. Maxima uero propoſitio eſt, Similibus rebus conuenire ſimilia. A' differentia : Non ſi uxori uir legauit argentum omne quod ſuum eſſet , idcirco quæ in nominibus fuerunt, legata ſunt. multum enim differt,in arca'ne poſitum ſit argentum,an in tabulis debeatur.] In rebus plurimum differentibus quod de altera earum dicitur, non uidetur in altera conuenire. Quod cum ita ſit,quidam argentum omne ſuum legauit uxori. illa pecuniam quoque quæ in nominibus debebatur,ſuam eſſe dicebat: quod omnis pecunia nomine uocaretur argenti. quæritur , an id quoque argentum quod in nominibus debebatur,legatum ſit. hic igitur ſubiectus eſt terminus,argentum quod in nominibus debetur:legatum uero,prædicatus. A' differentia igitur faciemus argumentationem,hoc modo: Idem de plurimum differentibus rebus intelligi non poteſt: plurimum uero differt,argentum in arca'ne ſit poſitum,an in nominibus debeatur . nam quæ poſita in arca pecunia eſt , iuris eſt noſtri , in nominibus uero debita, non eſt noſtra. nam quod mutuum datur, ex meo fit accipientis : atque ideo non cogitur eandem ipſam pecuniam debitor reſtituere creditori,ſed aliam tantam. in arca uero poſita pecunia,& in nominibus debita,non ſunt argenti uel pecuniæ ſpecies, ſed differẽtiæ. nam argenti ſpecies ſignatum ac non ſignatum eſſe dictæ ſunt. qualitas uero,pecuniæ in poſſeſſione poſita,uel non poſita,ſed non modis omnibus aliena. In his differentijs conſtat, ne alia ſit in arca poſita,reliqua in nominibus debeatur. Cum igitur ſuum omne quod fuerat argentum uir uxori legauerit,cũq; manifeſtum ſit id ad eam pertinere quod fuerit legantis , id eſt quod in arca fuerit conditum,non poteſt id intelligi de eo quod in nominibus debeatur. quoniam ſicut dictum eſt , Id quod in nominibus debetur, eo quod in arca poſitum eſt plurimum differt. facta eſt igitur argumentatio ab eo quod in ipſo inerat , de quo quærebatur. quærebatur uero de argento in nominibus debito: in hoc in erat propria differentia,quæ ab alio differebat argento,hoc eſt eo quod in arca poſitum fuit: Id uero eſt affectum,id eſt, à differentia. Maxima uero propoſitio eſt , De rebus plurimum differentibus idem intelligi non poſſe. EX contrario autem ſic: Non debet ea mulier,cui uir bonorum ſuorum uſumfructum legauit, cellis uinarijs & olearijs plenis relictis, putare id ad ſe pertinere: uſus enim, nõ abuſus legatus eſt. ea ſunt inter ſe contraria .] Quod de aliquo dicitur , id in eius contrarium non poteſt conuenire . idem enim de duobus contrarijs intelligi nullo modo poteſt . Quidam igitur ſupremæ uoluntatis arbitrio uxori bonorum ſuorum uſumfructum legauit: mulier cellas uinarias & olearias plenas ad uſum proprium deuocabat: quæritur,an penus quoque uſuſfructus legatus ſit . penus igitur uſuſfructus, ſubiectus eſt: legatio, prædicatus . A' contrario igitur ſumitur argumentum , hoc modo. Vtimur his, quæ nobis utentibus permanent. his uero abutimur , quæ nobis utentibus pereunt. ergo cum permanere ac perire contraria ſint, uſus quoque atque abuſus contraria neceſſe eſt iudicentur . quod ſi cætera quidem utendo permanent , cellæ autem uinariæ atque oleariæ utendo conſumuntur,aliarũ quidem rerum uſuſfructus eſſe poteſt,penus uero nõ poteſt uſus eſſe, ſed potius abuſus. Ergo cum uir uxori uſumfructum bonorum legauerit,non potuit legare contrariũ,quod eſt abuſus . eſt uero abuſus uini atque olei: uinum igitur atque oleum ad uſumfructum mulieris non poteſt pertinere. argumentum ab eo quod in ipſo eſt de quo agitur, id eſt, ab uſufructus legatione : atque ab affecto,id eſt contrario. contraria enim ſecundum plurimam diſtantiam ſibi inuicem conferuntur. Maxima propoſitio eſt, Quod alicui cõuenit,id eius contrario non conuenire . AB adiunctis: ſi ea mulier teſtamentum fecit,quæ ſe capite nũquã diminuit: non uidetur ex edicto prætoris ſecundũ eas tabulas poſſeſſio dari. adiungitur enim,ut ſecundum ſeruorũ, ſecũdum exulum, ſecundũ puerulorũ tabulas poſſeſſio uideatur ex edicto dari.] Adiuncta ſunt, quæ proximum ac finitimum locum tenent: ut ſi unum aliquo conſtiterit modo, alterum quoque uel cõſtitiſſe,uel cõſtare,uel conſtituturũ eſſe uideatur. hæc enim ſibi uicina ſunt. Quæ uero ſunt ſibi proxima , ea uel rem

antecedunt,

anteceduut, ut amor ſæpe concubitũ: uel ſimul ſunt, ut pallor et timor: uel eueniunt poſterius, ut poſt iracundiam cædes. eaq́; eſt natura adiunctorum, ut ſeparari quidem poſſint, tamen ſeſe inuicem mõſtrent. nam neque qui amauit, neceſſario potitus eſt: & ſæpe qui potitus eſt, nõ amauit. nec qui pallet, neceſſario timet: & ſæpe non timens pallet. nec ex neceſſitate iratus cædit, & cædit ſæpe aliquis non iratus. Sed tamẽ ueriſimilia eſſe poſſunt, quia ex uicinis uicina colligimus. Sed redeamus ad exemplum Ciceronis. Capitis diminutio, eſt prioris ſtatus permutatio. id tribus fieri modis ſolet: uel maxima, uel media, uel minima. maxima eſt, cum & libertas & ciuitas amittitur, ut deportatio: media uero, in qua ciuitas amittitur, retinetur libertas, ut in latinas colonias transmigratio: minima, cum nec ciuitas nec libertas amittitur, ſed ſtatus prioris qualitas immutatur, uelut adoptatio, aut quibuslibet alijs talibus modis, ubi prior ſtatus potuerit immutari. Mulieres uero antiquo iure tutela perpetua cõtinebat: recedebant uero à tutoris poteſtate, quæ in manum uiri conueniſſent. quædam igitur quæ ſe nunquam capite diminuiſſet, id eſt, quæ in manum uiri non conueniſſet, ſine tutoris authoritate teſtamentum fecit: quæritur, an ſecundum eas tabulas ex edicto prætoris debeat dari poſſeſſio. Hic ſubiectus quidem terminus, mulieris nunquam capite diminutæ tabulæ: prædicatus uero, poſſeſſionis conceſſio. ſumitur ergo ab adiunctis argumentum, hoc modo. Nam ſi ſecundum mulieris tabulas nunquam capite diminutæ poſſeſſio datur, nihil cauſæ eſt cur non ſecundum exulum puerulorum quoque & ſeruorum tabulas ex edicto prætoris poſſeſſio permittatur. cum autem illorum ætas, illorum conditio, in alterius ſita ſit poteſtate, non poteſt: atqui ſimilis eſt mulieris nunquã capite diminutæ conditio: non uidetur ergo dari poſſe poſſeſſio. proximum nanque eſt rei de qua quæritur, Id quod conſequitur. Etenim ſecundum exulum ſeruorum puerorumq́; tabulas bonorum poſſeſſio dari poſſe uidetur, ſi illud quod in quæſtione protulimus conceditur. quæſitum enim eſt, an ſecundum mulieris tabulas nunquam capite diminutæ poſſeſſio dari poſſit. nec tamen quod ſequitur neceſſarium eſt, ſed uicinum: nam fieri potuit, ut id reciperetur, ut ſecundum mulieris tabulas daretur poſſeſſio: illud autem, ut ſecũdum tabulas exulum ſeruorũ uel puerorum daretur poſſeſſio, non concederetur. ſed tamen proximum eſt, ut qui hoc recipiat, illud admittat. Eſt igitur argumentum ab adiunctis, id eſt ab eo quod in ipſo hæret de quo quæritur: eſt autem quæſtio de mulieris nunquam capite diminutæ tabulis, ab affectis: quoniam ab adiunctis. Maxima propoſitio eſt, Ex adiunctis adiuncta perpendi. A B antecedentibus autem & conſequentibus & repugnantibus, hoc modo. ab antecedentibus, ſi uiri culpa factũ ſit diuortium: & ſi mulier nuncium remiſit, tamen pro liberis manere nihil oportet.] *Antecedentia ſunt, quibus poſitis, aliud neceſſario conſequatur, licet illud quod antecedit minus ſit atque poſterius: minus quidẽ, ut, Si homo eſt, animal eſt: homo enim minus eſt animali: & tamen poſito homine, conſequitur ut animal ſit. poſterius uero, ut ſi peperit, cum uiro concubuit. poſterius eſt enim peperiſſe, quam cõcubuiſſe cum uiro. Aliquotiens uero & quod æquale eſt, & quod ſimul, & quod prius eſt præponitur. ut antecedens æquale quidem eſt, ut, Si homo eſt, riſibilis eſt: ſimul uero, ut, Si terræ obiectio eſt, luna deficit. Et hæc ſibi conuertuntur, ut conſequentia fiant antecedentia: ut, Si riſibilis eſt, homo eſt: &, ſi luna defecerit, terræ adſit obiectio. Antecedens uero prius eſt: ut, ſi arrogans eſt, odioſus eſt. prius eſt enim arrogans, poſterius odioſus. illud tamen in omnibus manet, poſitis antecedentibus neceſſario conſequentia trahi. Sed iam ad Ciceronis exemplum redeamus. Ciuitatis Romanæ iure liberi retinentur in patrum arbitrio, uſque dum tertia emancipatione ſoluantur. ergo ſi quando diuortium interceſſiſſet culpa mulieris, parte quadam dotis pro liberorum numero mulctabatur. de qua re Paulus Inſtitutionum lib. 2. titulo de dotibus diſſeruit, Si diuortium eſt matrimonij, & hoc ſine culpa mulieris factum eſt, dos integra repetetur. quod ſi culpa mulieris factum eſt diuortium, in ſingulos liberos ſexta pars dotis à marito retinetur, uſque ad dimidiam partem duntaxat dotis: quare, quoniam quod ex dote cõquiritur, liberorum eſt, qui liberi in patris poteſtate ſunt, id apud uirum neceſſe eſt permanere. Facto igitur diuortio, contenditur, an dotis pars pro liberis apud uirum debeat permanere. hic ſubiectum quidẽ eſt, factum diuortium à muliere nunciatum: prædicatum uero, apud uirum ſextæ partis dotis poſt diuortium permanſio. quæſtio, an poſt diuortium factum muliere nuncium permittente, ſextam dotis partem apud uirum manere oporteat. quæro igitur, ſi ab antecedentibus argumentum faciendum eſt, quid antecedat, quid conſequatur. at ſi uiri culpa factum eſt diuortium, uideo mulierem dotis parte non poſſe mulctari, etiamſi prima repudij nuncium miſit. quod enim anteceſſit, ut uiri culpa fieret diuortium, id non permittit, ut dotis pars mulieri pereat, quamuis prima repudij nuncium mittat. non enim quia prior repudium nunciauit, dotis parte mulctanda eſt: ſed abſoluenda potius, quia non ſua culpa factum, ſed uiri. Igitur antecedens eſt uiri culpa factum diuortium: conſequens uero, dotis partem non retineri. nam ſi hoc eſt, illud quoque eſt. Argumentationem uero faciam hoc modo: Si uiri culpa factum eſt diuortium, etiam ſi mulier repudij nuncium miſit, nullo tamen modo dotis parte mulctanda eſt: Sed uiri culpa diuortium factum eſt. Non igitur iure mulier dotis parte mulctabitur. quod ſi non mulctabitur dotis parte, nihil in uiri domo liberorum cauſa dotis nomine relinquetur. Sed non mulctabitur dotis parte. Nihil igitur apud uirum dotis pro liberis relinquetur. Argumẽtum ab eo quod in ipſo eſt de quo agitur. Verſatur quippe Intentio de dotis parte, eiuſq́; retentione, apud uirum poſt diuortium, quod id prima nunciauerit. hoc autem uiri culpa anteceſſit. quod quia præcedens eſt, affectum eſt: omne enim quod præcedit, ad id quod conſequitur referatur neceſſe eſt. Maxima propoſitio eſt. Vbi eſt antecedens, ibi erit & conſequens. A conſequentibus: Si mulier cum fuiſſet nupta cũ eo qui cũ connubij ius non eſſet, nuncium remiſit: quoniã qui nati ſunt patrem non ſequuntur, pro liberis manere nihil oportet.*] *A conſequentibus ſunt, quæ cum fuerint antecedentia, poſita conſequuntur: ueluti ſi dicamus, Homo eſt, animal eſt. Sed in propoſito exemplo non ſatis apparet à conſequentibus argumentum, ſed ab antecedentibus potius: quod paulo poſt liquebit. Filij non iure ſuſcepti, in patrum non erant poteſtate, ſed matres potius ſequebantur. non autem omnibus erat connubium cum Romanis: nec erant nuptiæ iure contractæ, quæ non ant inter ciuem Romanam ciuemq́; Romanum inibantur, aut cui principes populuſue ciuitatis connubium permiſiſſet eo modo, ut in poteſtatem parentum liberi redigerentur. Illud quoque uidendum, quod ex impare matrimonio ſuſcepti non patrem, ſed matrem ſequuntur. Ergo quædam Romana, uel cum latino, uel cum peregrino, uel cum ſeruo cum quo connubij ius non erat, nuptias fecit, dotem contulit. factoq́; inter eos diuortio contenditur, an nuptiæ mulieris cum eo cum quo connubij ius non erat, apud uirum dotis pars poſt diuortium debeat permanere. Hic ſubiectum quidem eſt, nupta mulier cum quo connubium non erat: prædicatum uero, dotis partis apud uirum poſt diuortium retentionis iure permanſio. Sumitur ergo à conſequentibus argumentum hoc modo: Nam quia nuptias fecit cum eo cum quo connubij ius nullum eſt, id conſequitur, ut liberi patrem non ſequantur: ſi autem liberi patrem non ſequuntur, ne in patris quidem ſunt poteſtate: at ſi in patris poteſtate non ſunt, matriq́; applicantur, apud uirum dotis pars non poterit per-*

manere. Hic igitur antecedens eſt, cum eo cum quo connubij ius non erat nuptæ: conſequens, nihil pro liberis dotis nomine manere oportere. Concludatur argumentatio: Quoniam non permiſſo connubio, liberi qui procreantur, patrem non ſequuntur, ne dotis quidem pars apud patrem pro liberis manere debet: quandoquidem non patrem filij, ſed matrem ſequuntur. Probatum eſt igitur, pro liberis manere nihil oportere, ex hoc, quod cum eo mulier nuptias fecit, cum quo connubij ius non erat. hoc uero erat antecedens: non ergo à conſequenti, ſed ab antecedenti potius factum deprehenditur argumentum. quod ſi per id, quod nihil dotis nomine manere oporteret, probaretur, eam nuptias cum eo feciſſe qui cum connubij ius non eſſet, rectè à conſequentibus argumentum factum eſſe diceretur. Fieret à conſequentibus argumentum, ſi ita poneretur. Si quid ex dote pro liberis manere oporteret, quia patrem liberi ſequuntur, cum eo nupta eſſet mulier, cum quo connubij ius erat. aſſumo quod eſt conſequens. Sed mulier cum eo nupta non eſt cum quo connubij ius erat. concludo antecedens: nihil igitur dotis pro liberis manere oportebit, quia patrem liberi non ſequuntur. Argumentum ab eo quod in ipſo eſt de quo quæritur. quæritur enim de his nuptijs, quarum nullum fuerit iure connubium. Ex affectis, hoc eſt, à conſequenti. omne enim conſequens ad id quod præcedit refertur. Maxima propoſitio. Vbi conſequens non eſt, ibi ne antecedens quidem eſſe poteſt. A' repugnantibus. Si paterfamilias uxori ancillarum uſumfructum legauit à filio, neque à ſecundo herede legauit, mortuo filio mulier uſumfructum non amittit. quod enim ſemel teſtamento alicui datum eſt, id ab eo inuito cui datum eſt auferri non poteſt. pugnat enim rectè accipere, & inuitum reddere.] *Secundus heres dicitur, qui heredi inſtituto ſubſtituitur: ueluti ſi quis filium inſtituat heredem, ſcribatq́;, ſi is filius intra pubertatem deceſſerit, nepotem uel quemlibet alium heredem eſſe oportere. nepos igitur, uel quilibet alius, ſecundus heres dicitur. Repugnantia ſunt, quæ contraria conſequuntur, ſi ipſis contrarijs comparentur. quidam igitur heredem teſtamento ſcripſit filium, eiq́; ſecundum ſubſtituit heredem, uxoriq́; ſuæ ancillarum uſumfructum legauit à filio: dixitq́;, uxori meæ filius meus uſumfructum ancillarum permittet: neque illud addit, ut etiam ſecundus heres eundem uſumfructum mulieri concederet: ſucceſſit filius, ac mulieri ancillarum contulit uſumfructum. Illo mortuo, intra pubertatem agit ſecundus heres, & uſumfructum ancillarum mulieri extorquere conatur, dicens uſumfructum ei eſſe à filio legatum, à ſe uero minime. quæritur, utrum ea mulier legatum quod teſtamento rectè acceperit, inuita poſſit amittere. hic igitur ſubiectum eſt, legatum quod teſtamento rectè acceperit: prædicatum uero, inuita poſſit amittere. Sumo igitur argumentum à repugnanti. repugnat enim inuitum reddere ei quod eſt rectè accipere. fitq́; argumentum ſic. Quæ teſtamento accipit, rectè accepit: quod autem rectè accipitur, inuito eo qui ſemel rectè accepit auferri non poteſt, at mulier teſtamento uſumfructum ancillarum accepit. id igitur ab ea inuita non poterit auferri. argumentum ab eo quod in ipſo eſt de quo agitur, id eſt, de eo quod rectè acceptum eſt. In ipſo uero eſt uelut affectum contrarietatis modo. argumentum eſt à repugnanti. Maxima propoſitio eſt, Repugnantia conuenire non poſſe. Ab efficientibus cauſis hoc modo. Omnibus eſt ius parietem directum ad parietem communem adiungere, uel ſolidum, uel fornicatum: at ſiquis in pariete communi demoliendo damni infecti promiſerit, non debebit præſtare quod fornix uitij fecerit. non enim eius uitio qui demolitus eſt, dammum factum eſt: ſed eius operis uitio, quod ita ædificatum eſt ut ſuſpendi non poſſit.*] *Cauſarum multa ſunt genera, quæ Cicero poſterius diuidit. ſed nunc de efficientium cauſarum differit argumento. Efficiens uero cauſa eſt, quæ præcedente aliquid effectum eſt, non tempore, ſed proprietate naturæ: uelut in hoc quod nunc declaramus exemplo, damni infecti promiſſio eſt, quotiens quis promittit, ſi quod damnum eius opera contigerit, ſua reſtitutione eſſe penſandum. Ius autem eſt, parieti communi parietem alium uel fornicatum, id eſt arcum habentem, uel directum continuumq; coniungere. quidam igitur ad parietem communem, alium extrinſecus parietem iunxit, deditq́; ſatis damni infecti. communis autem paries fornicatus fuit, id eſt arcum habens. adiungente igitur eo qui ſatis dederat, & ut adiungeret demoliente partem parietis quo iunctura cohæreſceret, uitium communis paries fecit. quæritur, an damni infecti promiſſio cogat eum qui promiſerat, uitium reſtituere. ſubiectus terminus, damni infecti promiſſio: prædicatus, uitij reſtitutio. Sumimus igitur argumentum à cauſa, hoc modo: Si is qui damni infecti promiſit, eius uitij cauſa fuit, reſtituere debet uitium quod eius culpa accidit: quod ſi ea natura parietis fuit, ut ſuſpendi ſuſtineriq; non poſſet (fornicati enim parietis non ea natura eſt, ut ſuſpendi queat) parietis potius forma quàm demolientis culpa uitium feciſſe damni uidebitur. atque ita non cogitur præſtare uitium, qui ſe infecti promiſſione conſtrinxerit. Fiet igitur argumentatio hoc modo: ſi iuxta parietis formam conſtitit, ut eo adiungente parietem qui damni infecti promiſerat, uitium fieret, id uitium qui promiſit præſtare non cogitur. fuit autem cauſa paries, ut uitium fieret, qui ea fuit natura ut ſuſpendi ſuſtineriq; non poſſet. non igitur quod fornix uitij fecerit, præſtare debet qui damni promiſit infecti. Argumentum ab eo qui in ipſo eſt de quo agitur, id eſt, in uitij reſtitutione, ex effecto, id eſt ex cauſa. Cauſa enim uitij, forma eſt parietis, non culpa coniungentis parietem. itaque factum eſt, ut fornix uitium faceret: quæ cauſa uitij cum abſit ab eo qui parietem iunxit, abeſt et eiuſdem uitij reſtitutio. Maxima propoſitio. Vnumſcuiuſque rei effectum ex cauſis ſpectari oportere. AB effectis rebus hoc modo: Cum mulier uiro in manum conuenit, omnia quæ mulieris fuerunt uiri fiunt dotis nomine.*] *Effecta ſunt, quæ aliquibus efficiuntur cauſis, non tempore præcedentibus, ſed natura. uelut ſi quæratur, uxore defuncta quæ in manum uiri conuenit, an eius bona ad uirum pertineant. In qua quæſtione bona uxoris defunctæ, quæ in manum non conuenerit, ſubiectum eſt: ad uirum autem pertinere, prædicatum. Quæro igitur argumentum ab effecto, reſpicioq; quid fecerit ipſa in manum conuentio, atque ex eo argumentum traho. Id autem eſt, omnia uiri dotis nomine fieri, quæcunque mulieris fuerunt: ipſa igitur in manus conuentio, omnia quæ mulieris fuerunt, uiri fecit, dotis nomine, non præcedens tempore, ſed ſtatim propria ui naturæ. nam ut in manum quoque conuenerit, mox eius bona dotis nomine uirum ſequuntur. Facio igitur argumentũ ſic: Si mulier quæ defuncta eſt, in manum conuenit, cum in manũ conuenientis mulieris bona uiri fiunt dotis nomine, hæc quoque bona de quibus agitur uiri ſunt. argumentum ex eo, quod in ipſo eſt de quo agitur, continetur: agitur enim de eius bonis, quæ in manum conuenit, ab affectis, id eſt, à cauſa effectis. Effectum nanque eſt, in manum conuentionis omnia quæ mulieris ſunt, uiri fieri dotis nomine. Sed hoc argumentum à cauſa potius quàm ab effectis uidetur eſſe. oſtenſum enim eſt, uiri fieri dotis nomine quidquid mulieris fuerit, ex eo quod mulier in manum conuenerit. Sed hæc cauſa eſt, ut quæ mulieris ſunt uiri fiant dotis nomine, cum in manum conuenerit. Sed dicat quis, ex eo quod ea quæ mulieris erant uiri ſunt dotis nomine, id approbari quod defunctæ bona ad uirum debeant pertinere: ſed quæ mulieris ſunt, ea uiri fieri dotis nomine, & bona ad uirum pertinere, uel idem eſt, uel neutrum alteri cauſa eſt. uel*

ſi quis

ſi quis dicat eam eſſe cauſam, ut bona mulieris uiro debeant cedere, quod per in manus conuentionem uiri facta ſunt dotis nomine, à cauſa rurſus ac non ab effectis factum eſſe argumentum putabit: id eſt, conuentione in manus ab effectis uero non oportet aliud niſi cauſam probari. Eſſet uero ex effectis argumentum, ut eo cauſa probaretur, hoc modo: Si quæſtio eſſet, an mulier in manum uiri conueniſſet: & indubitatum haberet, omnia quæ fuiſſent mulieris uiri facta dotis nomine, diceretur ita: Si omnia quæ fuere mulieris, uiri facta ſunt dotis nomine, mulier igitur in uiri manum conuenit. Maxima propoſitio, Cauſas ab effectis ſuis non ſeparari. Ex comparatione autem omnia ualent, quæ ſunt eiuſmodi: Quod in re maiore ualet, ualeat in minore. ut ſi in urbe fines non reguntur, nec aqua in urbe arceatur.] A' comparatione locus qui dicitur, tripartito ſcinditur. aut enim à comparatione maiorum, aut à comparatione minorum, aut à comparatione parium naſcitur. à comparatione igitur maiorum eſt, quotiens maiora minoribus comparantur, hoc modo: ut, quod iure maiore ualet, ualeat in minore. ſit enim quæſtio, an in urbe aquam liceat arceri. In hac igitur ſubiectus eſt terminus, in urbe aqua: prædicatus uero, ius arcendi. Regi fines dicuntur, quotiens unuſquiſque ager proprijs finibus terminatur. arcet uero aquam, qui eam per ſua ſpatia meare non patitur. Facimus igitur argumentum hoc modo. Quoniam plus eſt regi fines, minus uero arceri aquam: ſi in ciuitate fines non reguntur, quod maius eſt, ne id quidem quod minus eſt fiet, ut aqua in ciuitate arceatur. Hic igitur ſumptũ eſt argumẽtũ ab eo quod in ipſo hæret de quo quæritur. quæritur uero de arcendæ aquæ iure, ab effecto, id eſt à maiore: quod refertur ad id quod minus eſt. Notandum uero, quod Tullius maximam propoſitionem argumentationi includit, hoc modo: Quod in re maiore ualet, ualeat in minore. & deinceps ea nixus, argumentationem expediuit. Item contra, quod in minore ualet, ualeat in maiore, licet idem exemplum conuertere.] Vt ſi quæratur, an in urbe fines oporteat regere, à minore ſumetur argumentum, id eſt, ab arcenda aqua: ut ſit hoc quoque argumentum ab eo quod in ipſo eſt, id eſt ab eo quod in regendis finibus, ab affecto, id eſt à minore: id, enim quod minus eſt, affectum eſt: reſpicit nanque ad quod comparatur. Hic quoque maxima propoſitio à Tullio poſita eſt, ea quæ eſt. Quod in re minore ualet, ualeat etiam in maiore. Item, quod in ré pari ualet, ualeat in hac quæ par eſt. ut quando uſus autoritasq; fundi biennium eſt, ſit etiam ædium: at in lege ædes non appellantur, & ſunt cæterarum omnium quarum annus eſt uſus, ualeat æquitas quæ paribus in cauſis paria iura deſiderat.] Plurimarum rerum uſucapio annua eſt, ſi eis anno continuo uſus fuerit, & ea iuris firma poſſidet authoritate. fundi uero uſucapio, biennij temporis ſpacio continetur. de ædibus in lege nihil aſcriptum eſt. quæritur igitur, uſu ædium uno'ne anno an biennio capiatur. faciemus à paribus argumentationem: et quoniam immobilium æqua poſſeſſio eſſe uidetur, cum ædes immobiles ſint, fundus quoque immobilis, biennio fundus uſucapitur, ædes biennio uſucapi poſſe uidebuntur. æquitas enim paribus in rebus paria iura deſiderat: quæ maxima propoſitio à Tullio expreſſa eſt. At exemplum paulo obſcurius eſt poſitum. ait enim: ut quoniam uſus authoritasq; fundi biennium eſt, ſit etiam ædium. hic igitur, ædium uſus authoritatem biennio fieri, ſentit. ſed adiecit. At in lege ædes non appellantur, & ſunt cæterarum omnium quarum annuus eſt uſus. hic rurſus ædes in his uidetur ponere, quæ annuo uſu capiuntur. & concludit, nihil definiens. inquit enim. Niſi ualeat æquitas, quæ paribus in cauſis paria iura deſiderat. ſed uidetur ita dictum, quoniam immobiles ſunt ædes, ut fundus, cum biennio fundus uſucapiatur, ædes quoque biennio uſucapi poſſe iure uidebuntur. Et ſibi ipſe opponit. Sed in lege duodecim tabularum de ædibus nihil aſcriptum eſt. nam cum de fundo præſcriberet lex, biennij uſucapionem eſſe, tacuit ædes: & his potius hac taciturnitate lex eas iunxit, quarum annus eſt uſus. Soluit igitur obiectionem ita. Sed æquitas paribus in rebus paria iura deſiderat, itaque quoniam æque fundus atque ædes immobiles ſunt, æque biennio uſucapientur. factum eſt igitur hic quoque argumentum ab eo quod in ipſo eſt de quo agitur, id eſt, ab affecto, hoc eſt, à pari. nam cum agatur de ædium poſſeſſione, argumentum ſumptum eſt ab uſucapione fundorum ad uſucapionem ædium. Sequitur locus earum rerum quæ extrinſecus petuntur, ut fidem faciamus. Quæ autem aſſumuntur extrinſecus, ea maxime ex authoritate ducuntur: itaque græci tales argumentationes atechnos uocant, id eſt artis expertes.] Alia quippe argumenta ſunt quæ ipſe elicit orator, atque ipſe quodammodo ex deſignatis locis ſibi comparat, & propria facultate conquirit: alia, quæ extrinſecus poſita non ipſe inuenit, ſed præſentibus utitur & paratis: ueluti teſtimonia, tabulæ, ingenium, opes, ætas, fortuna, uſus, neceſſitas: de quibus Cicero poſterius tractaturus eſt. non enim hæc ſibi orator parat, ſed paratis utitur: neque ipſe iudicium facit, ſed iam poſito rumore ueniente ad cauſam utitur. quam ob cauſam hos locos græci atechnos uocant, id eſt, ab arte ſepoſitos: uel ut Cicero dicit, artis expertes. quæ enim non proprio oratoris artificio comparantur, ſed ſe extrinſecus uenientia ſumminiſtrant, hæc iure artis expertia appellata ſunt. huius exemplum. Vt ſi ita reſpondeas, quoniam Publius Scæuola id ſolum eſſe ambitus ædium dixerit, quantum parietis communis tegendi cauſa tectum proijceretur, ex quo in tectum eius ædes qui protexiſſet aqua deflueret, id tibi ius uideri.] Scæuola dixit, id ſolum ambitus ædium, quod tecti effuſione tegeretur: manifeſtum eſt enim, tecta latius fundi, nec parietibus adæquari, ut ſtillicidium longius cadat. quæ cum ita ſint, quidam parietem communem tegere nitebatur. quæritur, an ſit aliquod ius tegendi. reſpondeas tu, inquit, Trebati, num id ius eſſe tegendi parietis cõmunis, ut in eius qui tegat aliud quodlibet tectum ſtillicidij aqua deſtillet: an non eſſe iuris, ut tegat quis parietem ſtillicidio in uicini tecta defluente? hæc enim ſtillicidij ſeruitus noua, niſi conſentiente uicino nihil iuris habet. Sed ſi huic reſponſo opponatur: nec ſic quidem ut tegat eſſe iuris, quandoquidem ædium tantum eſt, quantum cuiuſque parietes claudunt: qui uero tegit, tectum longius mittit. Tu, inquit, reſponſum tuum Scæuolæ auctoritate firmabis, dicens, Scæuolam reſpondiſſe, tantum eſſe ambitus ædium quantum tecto proijceretur, non quantum ambirent parietes. ius eſt igitur tectum proijcere, quia intra ambitum adhuc ſuarum ædium tegit: ſed ita, ut in tectum ſuum ſuum'ne impluuium aqua excidat, ne noua uicino noceat ſeruitute. in qua quæſtione neque à ſubiecto neque à prædicato termino ductum eſt argumentum: quod in his conſiderari moris eſt, qui in ipſis hærent de quibus agitur terminis, ut ſupra exemplis diligenter excuſſum eſt. ſed quia extrinſecus ſumitur argumentum, dubitationi iudicium alicuius opponitur, ut nunc Scæuolæ, cuius authoritate ſatiſfactum eſt, atque ideo ex loco qui uocatur extrinſecus ſumptum dicitur argumentum. His igitur locis qui ſunt ex poſiti ad omne argumentum, tanquam elementis quibuſdam ſignificatio atque demonſtratio ad reperiendum datur. uerum igitur hactenus ſatis eſt? tibi quidem tam acuto & tam occupato puto: ſed quoniam auidum hominem ad has diſcendi epulas excepi, ſic accipiam ut reliquiarum ſit potius aliquid, quàm te hinc patiar non ſatiatum diſcedere.] Elementa, rerum quæ generantur omnium ſemina

atque principia quatuor eſſe, manifeſtum eſt. dicuntur ſanè elementa, ut Hieronymus in epiſtolæ Pauli commentario ad Hebræos inquit, quaſi eleuamenta: eo quòd ex ipſis cætera originem ſumant, quòd initia uidelicet ſunt & fundamenta creaturarum. à quibuſdam etiam dicuntur elimenta, per i literam, quaſi fabricamenta, ab eo quod eſt elimo elimas, quaſi ex eis fabricata ſint omnia. Hinc literæ, quod ex eis ſyllabæ, uocabula, & omnis conſtet oratio, elementa dicuntur.

Ergo quoniam loci quos ſupra attigimus, argumentorum quaſi quædam principia ſunt (ipſi enim ſunt, ut oſtendimus, qui continent argumenta) rectè Cicero hos locos ueluti quędã elementa argumentorum uideri dixit, quòd argumentorum quædam principia eſſe uideantur: ſiquidem ſignificatio quædam eſt & demonſtratio ad comperiendum argumentum data, ut ſi locos tenueris, noueris oporteat ubi conditur, & unde erui omne debeat argumentum. Blanditur deinceps Trebatio, cui breuiter decurſa poſſe ſufficere dicit: præſertim cum ſit iuris occupatione diſtrictus, & legendi plura tempus non habeat. Sed quoniam, inquit, te ad has epulas auidiſſimum ſuſcepi, non ſinam ne his deguſtatis abeas, ſed ita dimittam ut non relinquã niſi ſatiatum, ut non tantum non prætermittatur quid, ſed etiam pleno tibi aliquid adijciatur: & quaſi à conuiua ſibi Trebatio, iucundiſſima facta eſt tranſlatio. Quando ergo unuſquiſque eorum locorum, quos expoſui, ſua quædam membra habet, ea quam ſubtiliſſime perſequamur: & primum de ipſa definitione dicatur.] Cum ſuprà argumentorum locos omnes breuiter complexus ſit, eoſdem nunc ſubtilius, & explicatius eſt traditurus, ut locorum omnium natura pateat, & diſtributim in ſuarum partium proprietate noſcantur: quod multam inueniendorum argumentorum copiam dabit. ex ſingulis enim partibus infinitæ erui poterunt argumentationes: quamobrem inueniendis erimus argumentis copioſiores. quod cum ita habeat, cum primus omnium locus à toto ſit, id eſt, à definitione, primum quid ſit definitio, definitione explicat: ut rei natura patefacta, ſpecies eius uel membra conuenienti ordine partiatur. Definitio, inquit, eſt oratio quæ id quod definitur explicat quid ſit.] Sicut definitio eſt hominis, animal rationale mortale: explicat autem quid ſit: ideo dixit, quod id nomen confuſe denunciet, quod definitio per quædam ſubſtantialia membra diffundit. quod enim confuſe nomine hominis declaratur, id aperit & explicat definitio: quæ eſt animal rationale mortale. Eodem penè modo & Ariſtoteles definitionem definit, cum inquit. Definitio eſt oratio, quid eſt eſſe ſignificans: Hanc ergo Tullius hoc modo diuidit. Definitionum autem ſunt duo genera: unum, earum rerum quæ ſunt: alterum, earum rerum quæ intelliguntur.] Omnia enim quæ definiuntur, aut corporalia ſunt, aut incorporalia: & res omnes in hæc primum diuiduntur. Ea autem quæ corporalia ſunt, eſſe dicit: ea quæ incorporalia, non eſſe. non quin omnino ea quæ incorporalia ſunt, non ſint, alioquin nec definitionem ſuſciperent: nam ſi definitio eſt, quæ explicatur id quod definitur quid ſit, eius rei quæ omnino non eſt, explicatio nulla eſſe poteſt. Sed quia hominum genus ſenſibus maxime uiget, id maxime eſſe arbitratur, quod ſenſuum comprehenſioni ſubijcitur. quis enim non magis lapidem ſibi ſcire uidebitur, aut hominem, quàm iuſtitiam, aut hæreditatem, uel quid quid non ſenſibus, ſed intelligentia comprehenditur? idq; Cicero ad opinionem uulgarem retulit: ſiquidem inter philoſophantes cõſtat illa maxime eſſe, quæ longe à ſenſibus ſegregata ſunt: illa minus, quæ opiniones ſenſibus ſubminiſtrant. unde & Cicero ipſe in Timæo inquit: Quid eſt quod ſemper ſit, nec ullum habet ortum? & quod gignatur, nec unquam ſit? quorum alterum intelligentia ratione comprehenditur, alterum affert opinioni ſenſus rationis expers. hic enim quod ſemper ſit rationi, quod nunquam ſit ſenſibus ſubiecit. ponit igitur exempla earũ quidem rerum, quæ habent formas quaſdam corporalium rerum: ut fundum, ædes, parietes, ſtillicidium, atque id genus. alia, quæ corporalia eſſe oſtendit hac ratione, quoniam cerni tangiq; poſſunt. earum uero rerum quæ non ſunt exempla, poſuit uſucapionem tutelam, gentem, cæteráq; quæ ſunt incorporea: quæ, ob hoc eſſe monſtrauit, quod ea non tangi demonſtrarí uę licet: intelligentia animóq; comprehendi poſſe oſtenduntur. Atque etiam definitiones aliæ ſunt partitionum, aliæ ſunt diuiſionum, partitionum, cum res ea quæ propoſita eſt, quaſi in membra diſcerpitur: ut ſi quis ius ciuile dicat id eſſe, quod in legibus, ſenatuſconſultis, rebus iudicatis, iuriſperitorum authoritate, edictis magiſtratuum, more, æquitate conſiſtat. Nunc à propria forma definitionum differentias trahit. propria enim forma uniuſcuiuſque compoſiti ſuis partibus conſtat. proinde aliæ, inquit, definitiones per diuiſionem, aliæ per partitionem fiunt. definitur enim qualibet res, dum aut eius ſpecies omnes enumerantur, aut partes. quid autem ſpecies à parte differant, paulo poſt oſtendetur. Partitionis igitur hoc exemplum dat. Sit propoſitum definire ius ciuile, quid ſit, dicemus. Ius ciuile eſt, quod in legibus, ſenatuſconſultis, rebus iudicatis, iuriſperitorum authoritate, edictis magiſtratuum, more, æquitate conſiſtit. Lex igitur eſt, quam populus centuriatis comitijs aſciuerit. Senatuſconſulta ſunt, quæ fuerunt ſenatus authoritate decreta. Res iudicatæ ſunt, quæ inter eos qui ſuper aliqua re ambigunt, ſententia iudicum fuerint conſtitutæ: quarum exemplo cætera quoque iudicantur. Iuriſperitorum authoritas eſt, eorum qui ex duodecim tabulis, uel edictis magiſtratuum ius ciuile interpretati ſunt: deinde probata ciuium iudicijs creditáq; ſententiæ. Edicta magiſtratuum ſunt, quæ prætores urbani uel peregrini uel ædiles curules iura dixerunt. Mos eſt, quod in ciuitate ſolitum eſt fieri. Aequitas eſt, quod naturalis ratio perſuaſit. Hæc igitur omnia, unam formam iuris ciuilis efficiunt, tanquam partes: uelut hominem, caput, mentum, thorax, uenter, crura, pedes. Partitio enim, ut ipſe ait, eſt, quæ unam quanque rem propoſitam quaſi in membra diſcerpit. Diuiſionum autem definitio formas omnes complectitur, quæ ſub eo genere ſunt, quod definitur; hoc modo: Abalienatio eſt eius rei quæ mancipi eſt, aut traditio alteri nexu, aut in iure ceſſio, inter quos ea iure ciuili fieri poſſunt.] Iure ciuili fieri aliquid non inter alios, niſi inter ciues Romanos poteſt; quorum eſt etiam ciuile ius, quod duodecim tabulis continetur. Omnes uero res quæ abalienari poſſunt, id eſt, quæ à noſtra in alterius tranſire poteſtatem poſſunt, mancipi dicuntur. Mancipi ueteres appellabant, quæ ita abalienabantur; ut ea abalienatio per quandam nexus fieret ſolennitatem, aut ceſſionem in iure. Mancipij igitur, quæ manu capi res abalienariq; poſſunt, ueteres appellarunt: ut ſeruum, equum, librum. Cicero pro Murena. Quod ſi in his repetendis quæ mancipi ſunt, is periculum iudicij præſtare debet qui ſe nexu obligauit, profecto etiam rectius in iudicio conſulis deſignati, is potiſſimum conſul, qui conſulem declarauit, autor beneficij populi Romani, defenſoriq; periculi eſſe debebit. Nexum Manilius eſſe ſcribit, omne quod per libram & æs geritur, in quo ſint mancipia: Mutius autem, quæ per æs & libram fiant, ut obligentur præterquam mancipio detur. hoc uerius eſſe, ipſum uerbum oſtendit de quo quærit. Nam idem quod obligatur per libram, neque ſuum ſit, inde nexum dictum. Liber, qui ſuas operas in ſeruitutem pro pecunia quam debebat, dum ſolueret, nexus uocatur, ut Varro inquit: ſicut ab ære, æratus. Nexus demum eſt, ut alij, quædam iuris ſolennitas: quæ quo modo fieri oporteret, in Inſtitutionibus Caius exponit. Eiuſdem autem Caij libro primo inſtitutionum, de nexu faciendo

hæc uerba ſunt. Eſt autem mancipatio, ut & ſupra quoque indicauimus, imaginaria quædam uenditio, quod ipſum ius proprium Romanorum eſt ciuium: eáq; res ita agitur, adhibitis non minus quàm quinque teſtibus ciuibus Romanis puberibus, & præterea alio eiuſdem conditionis, qui libram æneam teneat, qui appellatur libripens. Qui mancipium accipiat, æs tenens ita dicit: Hunc ego hominem ex iure Quiritium meum eſſe aio, iſq; mihi emptus eſt hoc ære, æneáq; libra. deinde ære percutit libram, idq; æs dat ei à quo mancipium accipit, pretij loco. Quæcunque igitur res, lege duodecim tabularum aliter niſi per hanc ſolennitatem abalienari non poterat. Sui iuris autem cæteræ res, nec mancipi uocabantur: eædem uero etiam in iure cedebantur. Ceſſio autem eo fiebat modo, ut ſecundo Commentario idem Caius expoſuit: In iure autem ceſſio hoc modo, apud magiſtratum populi Romani, uel apud prætorem, uel apud præſidem prouinciæ. is cui res in iure ceditur, rem tenens ita uendicat: Hunc ego hominem ex iure Quiritium meum eſſe aio. deinde poſtquam hic uendicauit, prætor interrogat qui eum cedit an contra uendicet: quo affirmāte, ei cui uendicauerit eam rem adijcit, idq; legis actio uocatur. Res igitur quæ mancipi ſunt, aut nexu (ut dictum eſt) abalienabantur, aut in iure ceſſione. Has autem ſolennitates quaſdam eſſe iuris, ex ſuperioribus Caij uerbis oſtenditur. At ſi ea res quæ mancipi eſt, nulla ſolennitate interpoſita tradatur, abalienari non poſſe uidebitur, niſi ab eo à quo capitur, uſucapiatur. Quæ cum ita ſint, recte definita eſt per diuiſionem: abalienatio eſt, rei mancipi, quæ aut nexus traditione, aut in iure ceſſione perficitur. Nam pura traditione abalienatio rei mancipi non explicatur. Species uero hæc eſſe, non partes, hinc intelligitur: quia ſi quis nexu abalienet rem mancipi, id quod ſuum fuit, in alterius poteſtatem tranſtulerit, pleno iure. Quod ſi etiam in iure cedat, plenum abalienationis ius erit. Sunt & alia genera definitionum, ſed ad huius libri inſtitutum illa non pertinent.] Definitionum aliæ propriæ ſunt, aliæ impropriæ. Propriæ quidem definitiones ſunt, quæ ex genere differentijſq; conſiſtunt: ueluti hæc, Homo eſt animal rationale mortale. Hic enim animal genus eſt: rationale uero & mortale, differentiæ. Earum uero definitionum quæ impropriæ dicuntur, aliæ ſunt quæ ſingulis nominibus denotantur, aliæ uero quas explicat ac promit oratio. Rurſum earum definitionum, quæ nomine ſolo ſignificantur, aliæ ſunt quas Græci κατὰ ἀντίληψιν dicunt, id eſt, quæ per nominis ſiunt interpretationem, cum nomini redditur nomen, uelut ſi dicat aliquis, quid eſt conticere: & reſpondeatur, tacere. quid eſt in eo quod dicit Virgilius, Latus haurit apertum, Haurit? reſpondeatur, ferit. aliæ, quæ exempli gratia ponuntur: ut cum uolumus monſtrare quid ſit ſubſtantia, exempli gratia, dicimus homo. Hæc uocatur græce τύπος: quæ idcirco inter definitiones ponuntur, quoniam idipſum quoquo modo ſignificat, eius quod ſignificatur, licet non propriè, tamen aliquo modo uidetur eſſe definitio: quod tamen Ariſtoteles negat. In Topicis enim, non poſſe nomine fieri definitiones aſſerit. idq; Cicero etiam oſtendit, cum inquit. Definitio eſt oratio, quæ id quod definitur explicat, quid ſit. Earum porro definitionum quæ oratione conſiſtunt, neque tamen ſunt propriæ, multæ ſunt ſpecies: quarum omnium nomen eſt deſcriptio. Harum aliæ ſiunt partitionem, aliæ diuiſione, de quibus ſuperius dictum eſt. Rurſum aliæ ſubſtantiales quidem differentias ſumunt, ſed genus non adijciunt: atque hæ à Græcis ἐννοηματικαὶ dicuntur, quæ ſi communem quandam continentes notionem. uelut ſi quis dicat, Homo eſt quod rationali cogitatione uiget, mortíq; ſubiectum eſt. Hic enim genus poſitum non eſt, ſed differentiæ dúntaxat ſubſtantiales. Aliæ uero ſunt, quæ pluribus qualitatibus demonſtrantur, ita ut ſingulæ qualitates, etiam ſi non coniungantur, poſſint tamen quod demonſtratur efficere: ut Homo eſt ubi pietas, ubi æquitas, uel rurſus ubi malitia aſtutiáue eſſe poſſunt. Nam & ſi cætera nullus adiunxerit, ſufficere uidetur ad oſtendendum hominem, ſi dicas, ubi pietas ineſſe poteſt: uel, ubi iuſtitia: uel quiduis ſimile. Hæc uocatur græce ποιότης. Aliæ ſunt, quæ pluribus in unum coniunctis accidentibus efficiuntur. ut ſi quis luxurioſum definiens, dicat: Luxurioſus eſt, qui pluribus, & non neceſſarijs ſumptibus in delicijs affluit, & in libidinem fertur effuſior. omnia enim coniuncta, luxurioſum uidentur efficere: ſingula uero, minime. Hæc uocatur ὑπογραφή. Aliæ quoque ſunt eo modo, ut ad differentiam ſignificandam proponantur, in his rebus quæ in diſcreto ſine coniunctæ ſunt: ut ſi roget aliquis, utrum Nero imperator an tyrannus fuerit. reſpondebit alius, eum tyrannum fuiſſe, quoniam crudelis fuerit atque intemperans. Hæc adiuncta differentia, ita tyrannum ab imperatore ſeiungit, ut etiamſi de eodem tyranno atque rege dubitetur, quid uterque ſit, iuncta differentia utroſque demōſtrat. ut ſi temperantia quidem regi, tyranno autem intemperantia & crudelitas dicantur conuenire: ut illud Iſocratis, in ea oratione quæ de Pace inſcripta eſt. τῶν μὲν γὰρ ἀρχόντων ἔργον ἐστὶ, τοὺς ἀρχομένους ταῖς ἑαυτῶν ἐπιμελείαις ποιεῖν εὐδαιμονεστέρους, τοῖς δὲ τυράννοις ἔθος καθέστηκε, τοὺς τῶν ἄλλων πόνους καὶ κακοὺς αὐτοῖς ἡδονὰς παρασκευάζειν. uel ut Plato. Βασιλεὺς ἄρχων κατὰ νόμους ἀνυπευθύνως πολιταῖς κατασκευῆς. τύραννος ἄρχων πόλεως κατὰ τὴν ἑαυτοῦ δύναμιν. Hæc uocatur κατὰ διαφοράν. Alia eſt quæ per tranſlationem dicitur: ut, Adoleſcentia eſt flos ætatis. illa quoque definitio eſſe dicitur, quæ fit ex priuatione contrarij: ut, Bonum eſt, quod malum non eſt. ut illud apud Horatium: Virtus eſt uitium fugere, & ſapientia prima Stultitia caruiſſe. Illam quoque definitionem ponunt aliqui, quæ proprijs tantum nominibus aptari poteſt, quæ etiam ἀντονομασία appellatur: ut, Aeneas eſt Veneris & Anchiſæ filius. Præter has etiam illa eſt, quæ fit per indigentiam pleni: ut, Quadrans eſt, cui dodrans deeſt, ut ſit as. Ponunt etiam aliqui inter differentias definitionum illam, quæ per quandam laudem fieri poteſt: ut, Lex eſt mens & animus & conſilium & ſententia ciuitatis: uel, Ciues boni uiſcera ſunt ciuitatis. quod admodum non probauerim. Illa enim conſideranda ſunt, quæ in definitione ponuntur, non quæ animo conſtituta ſunt. Fiunt etiam definitiones per proportionem: ut ſi quis dicat, Homo eſt minor mundus. ſicut enim mundus ratione regitur, ita quoque, quoniam multis partibus homo iunctus eſt, habet tamen in omnibus rationem ducem, & minor mundus dici poteſt. Fiunt etiam definitiones relationibus: ut cum dicimus, Quid eſt pater? & reſpondetur. Cui eſt filius. Cauſa quoque ſolet efficere definitionem: ut cum dicimus, Quid eſt dies: & reſpondetur, Sol ſuper terram. Cauſam enim, id eſt, ſolem ſuper terram, pro re ipſa cuius cauſa eſt interpoſuimus, atque ita diem definitione monſtrauimus. Hæ ſunt ergo definitiones. quas Marcus Tullius conſulto prætermiſit, quod eas huic propoſito minime neceſſarias æſtimauerit. TANTVM eſt dicendum qui ſit definitionis modus. Sic igitur ueteres præcipiunt, cum ſumpſeris, & quæ ſequuntur.] Hoc dicit, Definitionis hic eſt modus, cum ſumpſeris ea quæ ſint ei rei, quam definire uelis, cum alijs communia, eo uſque perſequi, quo proprium efficitur, quódque nullam in aliam rem transferri poſſit. ut his uerbis hanc breuiter ſententiam complecti uideatur. Definitio eſt, quæ ex ſubſtantialibus rebus, quæ alijs ſint communes, iuncta, atque in minorem modum contracta, ut ei rei quæ definitur æqualis ſit. Exemplorum quæ ponit, unum definiendæ hæreditatis, alterum

gentilitatis. Hæreditatis hoc modo, Hæreditas eſt pecunia: commune eſt, & multis alijs conueniens, quia pecuniæ uel donationibus, uel furtis, uel ſimilibus, nullo modo hæreditates ſunt. Addendum ergo, quæ morte alicuius ad quempiam peruenit. Sed ne hoc quidem explicat. mortuorum enim pecuniæ pluribus modis poſſunt teneri, uelut ſi quis bello uictus ac ſpoliatus eſt. Addendum igitur, iure. ut ſit: Hæreditas eſt pecunia, quæ morte alicuius ad quempiam peruenit iure. iure enim capiuntur hæreditates. Sed num uidebitur hoc hæreditatem conficere? Minime. legata enim eſſe poterit: & erit pecunia, quæ morte alcuius ad quempiam iure peruenerit, nec erit tamen hæreditas. Addendum ergo, quæ legata non ſit. Ne id quidem ſatis eſt. poſſum enim fundi, uel cuiuſuis pecuniariæ rei habere dominium, ubi uſusfructus ſit alienus. Adijciendum ergo, quæ minime ſit poſſeſſione retenta. Coniuncta igitur hæc, hæreditatem conſtituent, hoc modo: Hæreditas eſt pecunia, quæ morte alicuius ad quempiam peruenit iure, non legata, neque poſſeſſione retenta. hæc enim definitio æqualis eſt hæreditati. Verum quid eſt, quod Cicero cum definiendo ad id uenerit, ut diceret, hæreditatem eſſe pecuniam quæ morte alicuius ad quempiam perueniſſet, iure ait: Iam à communitate diſiuncta res uidetur. ut ſit explicata definitio: Hæreditas eſt pecunia, quæ alicuius morte ad quempiam iure peruenit quaſi iam ſit abſoluta definitio. Deinde adiecit: Nondum eſt ſatis. Hoc autem ideo dictum eſt, ut ea explicatione eſſe hæreditatis ſubſtantiam expreſſam ſignificaret: & quæ adderentur, eam conficere, non tamen ſubſtantiam hæreditatis oſtendere: quippe quæ ne ſit hæreditas, corrumpunt impediuntq; ad hæreditatis ſubſtantiam demonſtrandam, niſi ſemoueantur definitione. Aliud exemplum de gentilitatis definitione eſt: Gentiles ſunt, qui eodem nomine inter ſe ſunt, ut Scipiones, Bruti, & ſimiles. Quid ſi ſerui ſint? num ulla gentilitas ſeruorum eſſe poteſt? Minime. Adijciendum igitur, Qui ab ingenuis oriundi ſunt. Quid ſi libertinorum nepotes, ciuium Romanorum, eodem nomine nuncupentur? num gentilitas ulla eſt? Ne id quidem. quoniam ab antiquitate ingenuorum gentilitas ducitur. Addatur igitur, quorum nemo maiorum ſeruitutem ſeruiuit. Quid ſi per adoptionem in alteram familiam tranſeat? tunc etiam ſi eius gentis à qua migrauit nomine nuncupetur, licet ab ingenuis & ab his ortus parentibus ſit, qui nunquam ſeruitutem ſeruierint, tamen quoniam in familia gentis ſuæ non manet, ne in gentilitate quidẽ manere poteſt. Addendum igitur eſt, Neque capite ſunt diminuti. Hoc fortaſſe, inquit, ſatis eſt. Scæuola enim pontifex plura non addidit. ut ſit definitio gentilium: Gentiles ſunt, qui inter ſe eodem ſunt nomine, ab ingenuis oriundi, quorum maiorum nemo ſeruitutem ſeruiuit, & ubi gentilitatem nulla capitis diminutio deſtruxit. Hic igitur definitionis modus in utroque genere rerum ualet, ſiue quæ ſunt, ſiue quæ non ſunt: id eſt, ſiue corporalium, ſiue incorporalium. Nam, ut ſupra dictum eſt, id eſſe Cicero dicit, quod corporale ſit: id non eſſe, quod ſit incorporale. IN diuiſione formæ ſunt, quas Græci ideas uocãt.] Plato ideas quaſdã ponebat, id eſt, ſpecies incorporeas, ſubſtãtiasq; cõſtãtes, et per ſe natura ratione ſeparatas. ut hoc ipſum, homo, animal: quibus participantes cætera res, animalia & homines fieri. Ariſtoteles autem nullas putat extra eſſe ſubſtantiales, ſed intellectam ſimilitudinem plurimorũ inter ſe differentium ſubſtantialem, genus putat eſſe, uel ſpeciem. Nam cum homo atque equus differũt rationabilitate & irrationabilitate, horum intellecta ſimilitudo efficit genus. Nam ſimilitudo equi & hominis ſubſtantialis ea eſt, quoniam uterque ſubſtancia eſt, uterque animatus, uterque ſenſibilis: quæ iuncta, efficiunt animal. Eſt nanque animal, ſubſtantia animata ſenſibilis. Igitur hominis atque equi ſimilitudo eſt animal, quod eſt genus. Rurſus cum Plato & Demoſth. et numero accidentibuſq; diſtarent, horum ſimilitudo, quæ eſt humanitas, intellecta, atque animo formata, ſpecies eſt. Communitas igitur illa, & plurimum inter ſe differentium ſimilitudo, notio eſt: cuius notionis aliud genus eſt, aliud forma. Sed quoniam ſimilium intelligentia eſt omnis notio, in rebus uero ſimilibus neceſſaria eſt differentiæ diſcretio, idcirco indiget adhuc notio quadam enodatione, ac diuiſione, uelut ipſe intellectus animalis ſibi ipſe non ſufficit. nam mox animus ad aliquod animal, id eſt uel hominem, uel equum deducitur inquirendum: & hominis notio uel ad Socratem, uel ad Demoſthenem, uel quemlibet ſingularem refertur. Quæ cum ita habeant, quotiens genus diuiditur in formas, nullam prætermitti oportebit. eſt enim ultimum uel maximũ, ſi qua diuidentem formas effugiat. Cum cura itaque intuendum id eſt: quia ſi unumquodlibet omiſerimus, cum riſu quoque tota res ſoluitur. Tutius eſt, quod Cicero pro Cecinna facit, cum interrogat: Si hæc actio non ſit, quid igitur hoc erit? Vt ſi quis ius uelit diuidere, in legem, morem, æquitatem neceſſe eſt partiatur. nam & lex, & mos, etiam æquitas, & ſingula, & in communi iuris uocabulo ſubiecta ſunt. Damnat autem illorum inſcitiam, qui ſpecies uel formas idem putant eſſe quod partes: qui res inter ſe plurimum differentes imperite et improuide diſtinguere ac ſegregare non curant. Sæpe etiam definiunt & oratores & poetæ per translationem uerbi ex ſimilitudine, cum aliqua ſuauitate: ſed ego à noſtris exemplis, niſi neceſſario, non recedam. Solebat igitur Aquilius, collega & familiaris meus, cum de littoribus ageretur, quæ omnia publica eſſe uultis: & quæ ſequuntur.] Hanc quam addit definitionum ſpeciem, nos ſupra poſuimus: quæ non propria eſt, ſed ornatus ſplendoriſq; cauſa ea poetæ utuntur, & oratores. ſed à iure ciuili Cicero petit exemplum, quia ad Trebatium ſcribit: uelut Aquilius, inquit, cum littus uellet definire, dicebat, Littus eſt, quo fluctus eludit. hoc autem eludere ab his translatum eſt, qui agitatione aliqua cauſa luſus mouentur. itemq;: Adoleſcentia eſt flos ætatis: ab arboribus plantiſue deductum, quarum fructus flores precedunt. &, Senectus uitæ occaſus. à die autem ductum id eſt, qui eſſe deſinit cum ſol occidit. Quæ definitiones quoniam à proprietate diſcedunt, licet ſimilitudine ſubiecta ſignificent, non ſunt propriè dicendæ definitiones. Partitione ſic utendum eſt, nullam ut partem relinquas. ut ſi partiri uelis tutelas, inſcienter facias ſi ullam prætermittas.] Hunc locum Merobaudes rhetor mihi recte uidetur interpretatus: ut quod ait Cicero, Partitione ſic utendum eſt, nullam ut partem relinquas, de diuiſione dixerit. nam & ipſa non minus, quàm per membra diſtributio, partitio nuncupatur. in diuiſione enim uitioſum eſt aliquid prætermittere, in partitione uero membrorum minime. Itaque exemplum de tutelis ei partitioni accommodauit, quæ eſt diuiſionis. Hæc ergo dicit, ſi diuiſionem facias, id eſt, formarum à genere partitionem, ſummum eſt uitium aliquid prætermittere: uelut ſi tutelas partiaris. tutela enim quatuor poſſe modis fieri uidetur, aut conſanguinitatis gradu, aut patronatus iure, aut teſtamẽto patris tutor eligitur, aut urbani prætoris iuriſdictione formatur: uel ſi ſint plures, iſtæ ſufficiant. At ſi ſtipulationum aut iudiciorum formulas partiare, non eſt uitioſum in re infinita prætermittere aliquid.] In tutelæ diuiſione pauca partes, & facile comprehendi poſſunt. at ſi ſtipulationum (inquit) formulas & iudiciorum uelis comprehendere, quoniam in his penè infinitæ partes ſunt, utpote totius membra, non autem generis ſpecies, non erit uitioſum ſi quid omiſeris. Itaque in oratorijs artibus quæſtionis genere propoſito, quot eius formæ ſunt, ſubiungitur abſolute. ſi enim quæſtiones uelimus in formas ſecare,

dicemus

dicemus omnem rhetoricam quæſtionem aut de facto eſſe, aut de qualitate facti, aut de nomine. At cum de ornamentis uerborum ſententiarum'ue præcipitur, quæ uocant ſchemata, non ſit idem.] At ſi uerborum, inquit, figuras ſententiarumq; diſtribuam, non erit (ut dictum eſt) uitium, tranſire aliquid: quandoquidem ſententiarum inter ſe atque uerborum figuræ, & multiplices, & uaria tractatione diuerſæ ſunt. Sed quid eſt quòd Cicero figuras in partes diuidi uelit? non enim quemadmodum partes totius, ſed ut generis ſpecies accipiendæ uidentur. etenim unaquæque figura figuræ generalis eſt ſpecies. Quod facile ex ipſo Cicerone poteſt intelligi, & Quintiliano, ubi de elocutione diſſeruerunt. nullæ ſiquidem ſunt figurarum partes, quæ figuras iungant, ita ut ſingulæ figuræ nomen uniuerſalis figuræ non poſſint admittere. nam unaquæque figura generalis figuræ nomine & definitione comprehenditur: quæ res unamquanque figuram, uniuerſalis figuræ ſpeciem eſſe declarat. Intelligendum igitur eſt, figurarum partitionem ad elocutionis continuationem quandam Tullium retuliſſe: cuius pars quædam figura, non ſpecies erit, uarijsq; eius & multiplicibus figuris elocutio luculenta contexitur. Si quis enim elocutionem partiri uelit in figuras, nõ forte genus in ſpecies, ſed totum ſecabit in partes: nec id aliter diluì poſſe uideo. Multa etiã ex notatione ſumuntur. ea eſt, cum ex ui nominis argumentũ elicitur, quam Græci etymologiam uocant, id eſt, uerbum ex uerbo, ueriloquium.] Ex notatione, inquit, ſumitur argumentum, quotiens aliquid ex nominis interpretatione colligitur. Nominis interpretatio Græce etymologia, ab ἔτυμος, uera, & λόγος, locutio. Sed quia ueriloquium dicere Cicero formidabat, notationem appellat: quod uerba rerum quæ in animo ſunt notæ dicantur. Id autem eſt, ut ſi quæratur quid ſit poſtliminium, in qua quæſtione non quæritur quæ poſtliminio reuertantur: hoc enim in diuiſionem caderet, uel earum rerum omnium enumerationem quæ poſtliminio redeunt poſceret: Velut ſi dicas, poſtliminio redeunt homo, nauis, mulus clitellarius, equus, equa, quæ frena recipere ſolet, id eſt, domita. poſtliminio autem redit, quidquid captum ab hoſtibus ad patriam remeauerit. ſiquidem ciuis ius amittit, cum hoſtium ſubit imperium: ſi poſtliminio autem redeat, omnia iura recipit. Poſtliminium, ut ipſe inquit Seruius, ex aduerbio Poſt, uim nominis interpretatus, reliquã uocabuli partem, protractionem quandã eſſe confirmans. nam in eo quod eſt poſtliminium, poſt interpretationem & uim habet: liminium uero, ſuperuacuum: ſicut in finitimo, legitimo, æditimo, finis, lex, ædes ſignificat, timum prorſus nihil: quippe quæ uerbi ſunt ſupplementa, non minus quàm in meditullio tullium. eſt autem æditimus, interior ædiũ pars: æditutus uero aliud eſt, ut omnes intelligunt. ſignificat enim eum qui ædes ſacras tuetur, & templi curam gerit. æditimum tamen Feſtus Pompeius quaſi ædis intimum dici putat: ſicut & meditullium, idem inquit, dicitur, non medium terræ, ſed procul à mari, quaſi Meditellium, ab eo quod eſt tellus. Sed id nomen quod poſtliminium eſt, Scæuola Publij filius ex poſt & limine putat eſſe compoſitum: quòd quæcunque à nobis aliena ad hoſtem perueniunt, cum à noſtro limine exierint, ſi poſt ad idem limen reuertantur, poſtliminio redeant. ueluti & Mancini cauſa defendi poteſt: quem cum populus Romanus ob fœdus male ictum dediſſet, hoſtes eum ſuſcipere noluerunt. qui cum reuerſus eſſet, poſtliminio rediſſe uidebatur: idcirco quia ſi eum hoſtes recepiſſent deditum ciuibus, etiam ſi quoquo modo ab hoſtibus effugiſſet, non uideretur poſtliminio regreſſus, qui in iudicio ciuium omni libertatis iure fuiſſet exutus. ſed quoniam nec deditio, nec datio, nec donatio ſine acceptione uidetur poſſe conſiſtere, hac de cauſa qui ſuſceptus non ſit, ne deditus quidem intelligi poteſt. rectè igitur Mancinus, qui non ſuſceptus ab hoſtibus, nec deditus eſſe uidebitur. Is igitur cum in patriam remigrauerit, iure poſtliminio reuerſus defenſus eſt, à uerbi etymologia, quod poſt ad limen redierit. Sequitur is locus, qui conſtat ex his rebus quæ quodammodo affectæ ſunt ad id de quo ambigitur.] Sanè affecta non uno dicuntur modo. dicuntur enim affecta, ut ædificia, templa, & multa alia quæ abſoluta perfectaq; ſunt. Cicero in Xenophontis Oeconomico, quod ipſe in latinum uertit: Cum uero affecta iam propè æſtate uaſa ſole miteſcere tempus eſt. & alibi in oratione quam habuit de Prouincijs conſularibus: Bellum affectũ uidemus, & uere, ut dicam, penè confectum. & in ſecundo de Diuinatione: etſi ad rem pertinet, quo modo cœlo affecto compoſitisq; ſideribus, quodque animal oriatur, ualeat id neceſſe non in hominibus ſolum, uerum in beſtijs. quod cum nomen fuerit maſculini generis, quartiq; ordinis, id affectus ſignificabit, quod Græci πάθος uocant: quo in genere ſunt, riſus & iracundia: ab afficio, quod cõmoueor ſignificat. Cicero pro Plancio: Etenim cum in omnibus uirtutibus me affectum eſſe cupiam, tum nihil eſt quod malim quàm gratus uideri. Tertio modo affectum genere neutro, ſecundiq; ordinis nomen, quod ad aliquid refertur, nominamus: quod & adiectiuum eſſe poteſt, ubi ſubſtantiuo coniungatur, uelut hic Cicero. Cuius primus locus eſt ex coniunctione, quam συζυγίαν uocant.] Cum affectionum multæ ſint ſpecies, prima eſt quæ à coniugatis appellatur: quæ notationi, de qua dictum, eſt finitima, quod notatio ex ui nominis trahatur, itemq; coniugatio à uocabuli ſimilitudine ducat argumentũ. Sed hoc intereſt, quod illa expoſitione nominis, hæc ſimilitudine uocabuli perficitur. Vt ſi aquam pluuiam eam modo intelligeremus, quam imbri collectam uiderimus, ueniret Mutius, qui quòd coniugata uerba eſſent pluuia & pluendo, diceret omnem aquam oportere arceri quæ pluendo creuiſſet. aqua pluuia eſt, quæ pluendo colligitur, & exundat: pluendo autem, & pluuia, coniugata ſunt: in uno enim eodemq; uocabulo diuerſus nominum terminus differentiam facit. Item ius eſt, aquam pluuiam arceri: id eſt, ſi in alicuius agrum pluuia aqua colligatur, & in alterius defluat, eaq; uicini frugibus nocitura concreſcat, arceat eam à ſuis finibus ille qui ſua putat intereſſe, ne defluat. Fluuius quoque, ſi pluuia creuerit, quæritur an debeat arceri. reſponderet, inquit, Mutius, quoniam aqua pluuia à pluendo dicta ſit, & fluuium quoque qui pluendo creuerit, aquam eſſe pluuiam, atque arceri debere confiteretur. Cum autem à genere ducitur argumentum, non erit neceſſe id uſque à capite arceſſere: ſæpe etiam citra licet, dummodo ſupra ſit quod ſumitur.] Si cuiuslibet ſpeciei genus efferendum ſit, non erit tamen (inquit) neceſſe, maxima & principalia genera ſemper exquirere: ſed ea duntaxat, quæ in medio locata ſunt oportebit adhibere, ſeruata ea ratione, ut ſemper genus ſuperius ſit eo quod probandum eſt: & non erit neceſſe ultimum ſemper genus adhibere. ut, ſi homini genus proprium uelimus præponere, non eſt neceſſe ut ſubſtantiam præponamus, ſed uel corpus animatum, uel (quod maxime fieri oportet) animal. Illa enim genera potiſſimum adſumenda, quæ proxima adhærent formis, eaq; in definitione maxime depoſcuntur. Sed in argumentationibus nihil differt, utrũ proximum, an multo ſuperius eligas genus. Illud autem in his nominibus præter cætera aduertendum, ne id quod inferius eſt, ſuperiori præponatur, ut genus: ut aqua pluuia, ultimo genere ea eſt, quæ de cœlo ueniens, creſcit imbri: ſed propriore, in quo quaſi ius arcendi continetur, genus eſt aqua pluuia nocens, eius generis formæ loci uitio & manu nocens: quo cum altera iubetur ab arbitrio coerceri, altera non iubetur. ſit aqua pluuia ea quæ iacta de cœlo imbri colligitur. huius ſpecies duplex eſt: alia enim aqua pluuia nocens eſt, alia non nocens. nocentis quoque duplex eſt ſpecies, alia manu, alia uitio: ſed aqua pluuia manu nocẽs eſt, quæ ita loco aliquo excipitur, ut inde profluens

uitio noceat, ſi locus is non ſit naturaliter talis ut noceat: ſed licet manu hominis ad excipiendam aquam fuerit idoneus. uitio autem, quotiens naturaliter ita ſeſe locus habet, ut uel excipere aquam, & nocere uicino poſſit. Si igitur eius aquæ, quam quis arceri uelit, ne ſibi noceat à uicino, genus uelit exquirere, non neceſſe eſt ab ultimo uſque deducere, ut dicat, aqua eius quæ quis uelit arceri genus eſſe aquam pluuiam. ſed poteſt id quod quærit genus, paulo inferius inuenire: ut huius aquæ quã arceri deſiderat, id genus eſſe dicat, quod eſt aqua pluuia nocens. quod ſi proximum genus quærit, illud poterit adhibere quod eſt aqua pluuia manu nocens. hoc enim arcere quis cogitur, quod manu ſit noxium. quod uero loci forma uel uitio aliquid infert incommodi, arcere non cogitur. Commode etiam tractatur hæc argumentatio quæ ex genere ſumitur, cum ex toto partes perſequare, hoc modo: ſi dolus eſt.] Cum aliud agitur, aliud ſimulatur, enumerare licet quibus id modis fiat, deinde in eorum aliquem id quod arguas dolo malo factum includere: quod genus argumenti in primis firmum uideri ſolet. quotienſcunque autem de re aliqua dubitatur, ſi facta generis eius rei diuiſione, ſub aliqua eius generis parte id de quo ambigitur poterimus includere, tunc trahi dicetur argumentum, hoc modo: Sit dolus malus, quando aliud agitur, aliud ſimulatur. huius ergo ſi ſpecies diuidantur, & id quod factum arguimus, alicui earum ſpecierum quæ à dolo malo deducta ſunt, poterimus adiungere quidquid de dolo malo æſtimabitur. Idem etiã de ea re quam arguimus neceſſe eſt iudicari: & factum eſt à genere, id eſt, à dolo malo argumentum. nam de quo quæritur, ſpecies eſt: & id à quo ſumitur argumentum, genus eſt. Locus autem hic, ab eo qui eſt à partium enumeratione differt. ab enumeratione partium ducitur argumentum. quotiens enim ipſa partium enumeratione utimur ad argumentationem, tunc ab eadem partitione argumentum tractum eſſe dicemus, ut hoc modo: Si fundamenta, & parietes, & tectum habet, & habitationi idoneus eſt locus, domus eſt. ipſa igitur partitione utentes, domum eſſe probauimus. quotiens autẽ ſub genere aliquid collocandum eſt, diuiſis partibus alicui eorum quæ à genere deducuntur, id de quo quæritur aggregamus. ut hoc modo: Si Ciceronem animal eſſe monſtremus, dicemus, omne animal aut rationale eſt, aut irrationale: at Cicero rationalis eſt: animal ergo eſt. Non partitione utimur principaliter ad argumentum faciendum, ſed hac de cauſa genus diuiſimus, ut in unamquamlibet diuiſionem id quod nitebamur oſtendere, poſſet includi. id eſt, ut id de quo dubitatur, in aſſumptum generis redigeretur, atque de eo per generis naturam fides fieret. ſic ergo à genere facta argumentatio iure dicetur. Item partium enumeratio totius efficere ſubſtantiam ſolet, ſiue illud uniuerſale ſit, ut genus: ſiue partium coniunctione copuletur, ut totum. At uero hæc generis diuiſio, in cuius parte quodlibet illud de quo contenditur includendum eſt, nõ id efficit, ut totius ſubſtantia conſtituatur: ſed ut illud quod approbare quærimus, intra genus locetur, quẽ argumentationis modum in primis ualidum eſſe affirmat. Nec mirum cuiquam uideatur, ſi ultimam ſpeciem aliquando uocamus genus, & indiuiduam ſpeciem: cum ita præſit indiuiduis ea ſpecies, ſicut genus ſpeciebus. Similitudo ſequitur, quæ late patet: ſed oratoribus & philoſophis magis quàm nobis.]

Quoniam uõ in omnibus quæſtionibus demonſtratione utimur, ſed aliquotiens ueriſimilia colliguntur, quo id facilius perſuadeamus quod nitimur oſtendere, ſimilitudo rerum ſæpe eſt conquirenda. atque idcirco locus à ſimilitudine oratoribus maxime philoſophiſq; conducit, non tamen ſolis. omnes enim loci communes ſunt cuiuſque materiæ, ſed in alijs uberius, in alijs anguſtius inueniuntur. quocirca cognitis ante atque perceptis locis, quæſtiones ipſæ quæ tractabuntur, quibus uti debeamus locis, animũ poterunt noſtrum admonere. omnis autem ſimilitudo duplex eſt. aut enim ex pluribus rebus ſimilitudo colligitur, & inductio nuncupatur, quam Græci epagogen nominant: aut ſingulæ res per ſimilitudinem comparantur. ac prior quidem huiuſmodi eſt: Si fidem tutor præſtare debet, ſi ſocius, ſi cui mandaueris, ſi qui fiduciam acceperit, debet etiam procurator. nam cũ in pluribus rebus fides præſtari debeat, unaq; ſimilitudo ſit in fide præſtanda tam in tutore quàm ſocio, atque tam in eo cui mandatum ſit quàm eo qui fiduciam accepit: debet eadem ſimilitudo procuratori etiam conuenire. fiduciam autem accipere eſt, ut ſi quis tempus dubium timens, amico potentiori fundũ mancipet, ut ei cum tempus quod ſuſpectum eſt præterierit, reddat. hæc mancipatio fiduciaria nominatur, quoniam reſtituendi fides interponitur. Item qui defendit alterum à iudicio, ut Aſconius inquit, patronus dicitur, ſi orator eſt: aut aduocatus: ſi aut ius ſuggerit, aut præſentiam ſuam commodat amico: aut procurator, ſi negotium ſuſcipit: aut cognitor, ſi præſentis cauſam nouit, & ſic tuetur ut ſuam. Hac ergo ſimilitudine Socrates plurimum uſus eſt, ut apud Platonem apparet. Quotiens uero una res uni rei per ſimilitudinem comparatur, hoc modo colligitur argumentum. quemadmodum fines qui magis agrorum uidentur eſſe quàm urbis, ſi in urbe de finibus controuerſia eſt, ac finibus regendis adigere arbitrum non poſſis, ex eodem ſimilitudinis loco: ſic ſi aqua pluuia in urbe nocet, quoniam res tota magis agrorum eſt, aquæ pluuiæ arcendæ adigere arbitrum non poſſis. Regendorum finium arbitri eſſe dicuntur, qui finalia diſcernunt litigia: ut ſi fuerit de finibus orta contentio, eorum dirimatur arbitrio. ſed fines in agrorum tantum limitibus eſſe dicuntur: arbitri autem finium regendorum in ciuitate eſſe non poſſunt. Item arceri aquam in agris tantum dici ſolet, ubi in aliquo loco aqua pluuia colligatur, & in uicini campos defluens paſcua fruges'ue corrumpat. arbitri autem arcendæ aquæ à magiſtratibus deligebantur. quæritur ergo, an in urbe arcendæ aquæ arbitrum poſſimus adigere, id eſt apponere. & argumentum ex ſimilitudine capitur: ſi regendorum finiũ, quia ſolius agri ſunt, in urbe arbitrum adigere non poſſis, ne aquæ quidem arcendæ, quia ſolorum eſſe agrorum uidetur, in urbe arbitrum poſſis adigere. Hic igitur una res uni rei ſimilitudine eſt coniuncta. Ex eodem etiam ſimilitudinis loco illa ſumit Cicero dicit, quæ uocantur exempla. ueluti Craſſus in cauſa Curiana, quæ fuit huiuſmodi: Quidam prole grauidã uxorem relinquens, ſcripſit hæredem poſthumum, eiuſq; alium ſubſtituit ſecundum, qui Curius uocabatur, ea conditione, ut ſi poſthumus qui intra menſes decem proximos naſceretur, ante moreretur quàm in ſuã tutelam perueniſſet, id eſt, ante diem obiret quàm teſtamentum iure poſſet facere, ſecundus hæres ſuccederet. quòd ſi ad id tempus perueniſſet, quo iam firmo iudicio in ſuam tutelam receptus, iure ciuili inſtituto poſſet hærede perfungi, ſecũdus hæres, id eſt Curius non ſuccederet: quæ uocatur ſubſtitutio pupillaris. quæſitum eſt, an ualeret ita inſtituta ratio. Craſſus igitur plurima protulit exẽpla, quibus ita inſtitutus hæres obtinuiſſet hæreditatem: quæ exemplorum commemoratio iudices mouit. Dicit etiam ipſos iuriſperitos uti ſæpius exemplis, ut hoc modo. finge mancipio aliquem dediſſe. id quod mancipio dari non poteſt, num idcirco id eius factum eſt qui accipit? aut num is qui mancipio dedit, ob eam rem ſe ulla re obligauit? ſi quis enim iuriſperitus adijciat, id quod non iure contractum eſt, nullius eſſe momenti: adhibeatq; exemplum tale, uelut ſi quis rem non mancipi mancipauerit, num idcirco aut rem abalienauerit, aut ſe reo facto ob id alicui rei obligauit? Minime. quod enim nõ iure contractum eſt nihil habet firmitatis. & alia huiuſmodi apud iuriſperitos inueniuntur, in quibus oratores etiam & philoſophi crebro uerſantur. Sed & oratoribus licet mortuos ab inferis excitare, augendæ minuendæ'ue rei gratia: quod ipſe Cicero facit in ea oratione qua Cœliũ defendit. ſed latius

orator euagatur, & liberioribus habenis fertur, quàm quiuis alius in quocunque ſcribendi genere: quo fit, ut iidem loci multis facultatibus ad fidem faciendam argumentorum copiam ſuppeditent. Sequitur ſimilitudinem differentia, rei maxime contraria ſuperiori: ſed eſt eiuſdem diſſimile & ſimile inuenire. tuius generis hæc ſunt, Non quemadmodum quod mulieri debeas, recte ipſi mulieri ſine tutore autore ſoluas: item quod pupillæ aut pupillo debeas, recte poſſis eodem modo ſoluere. Eiuſdem facultatis eſt, ſimilitudinem differentiasq́; cognoſcere. qui enim ſcit quid id ſit, idem poterit noſcere quid ſit diuerſum. Differentiarum uero multæ ſunt ſpecies. aliæ nanque ſunt ſubſtantiales, ut homini rationale: aliæ non ſubſtantiales, ſed tamen inſeparabiles, ut nigror æthiopi atque coruo: aliæ uero mobiles labilesq́;, ut ſedere, ſtare, & cætera huiuſmodi, quibus & ab alijs hominibus & à nobis ipſis ſæpe diſtamus. Quod autem ad exẽplum attinet Ciceronis, tale eſt: priſcas mulieres perpetua tutela tenuit: porrò pupilli pupillæ'ue ſub tutore ſunt. ſed mulieribus ſi quid debuiſſes, ſine tutoris autoritate ſolui poterat: pupillis uero minime. ergo ſi quæratur, an id quod debeatur pupillo, renuente tutore poſſit exolui? à differentia ſumitur argumentum, hoc modo: Nam ſicut mulieri ſine tutoris autoritate quod debeas, poſſis exoluere: eodem modo niſi tutoris acceſſerit autoritas, pupillo ſoluere quod debeas non poſſis. illas perpetua tutela tenet, illorum autem tutelæ certus annorum numerus terminum facit: atque idcirco diuerſa ſunt. differtq́; mulierũ perſona à perſona pupillorum, quod pupillus nullum ſuæ adminiſtrandæ utilitatis iudicium habere poteſt, cum ſit aliquis mulieribus in rei utilitate diſcernenda delectus. Deinceps locus eſt qui à contrario dicitur. Contrariorum autem genera plura. Vnũ eorum quæ in eodem genere plurimum differunt, ut ſapientia, ſtultitia. quæ Ariſtoteles oppoſita, id eſt ἀντικείμενα uocat: ea Tullius contraria nominat. Oppoſitorum, ut Ariſtoteli placet, alia ſunt contraria, alia priuatio & habitus, alia relatiua, alia contradictoria. contraria quidem, ut album & nigrum: habitus uero & priuatio, ut uiſus & cæcitas, lux & tenebræ, humanitas & inhumanitas: relatiua uero, ut pater & filius, dominus & ſeruus: contradictoria, ut dies eſt, dies non eſt. Cicero autem contrariorũ alia eſſe quæ aduerſa uocentur, alia priuantia, alia quæ in comparatione ſint, alia quæ aientia & negantia nuncupentur. ſed quæ contraria nominat, oppoſita Peripatetici uocant: quæ Cicero diuerſa, Peripatetici contraria: quæ hic in comparatione, illi relatiua & ad aliquid. Vt Ciceroni ergo placet, contrariorũ alia ſunt diuerſa, ut ſapientia ſtultitia: alia priuantia, ut humanitas inhumanitas: alia quæ cũ aliquo conferuntur, ut duplum ſimplum: alia appellantur negantia, à contrario aientibus conſtituta, ut ſi hoc eſt, illud non eſt. Diuerſa igitur, uel aduerſa ſunt, quæ ſub uno genere poſita, plurimum differunt: ut album nigrumq́; à ſe plurimum diſtãt ſub uno genere, ſub colore: item celeritati tarditas aduerſa eſt, poſitis utriſque ſub motu: neque enim celeritati debilitas eſt opponenda, quia debilitati bona ualetudo potius contraria eſſe uidetur. illa quoque diuerſa dicuntur, uel aduerſa, quæ in aduerſis generibus ſita, plurimum à ſe diſcrepare intelliguntur, ut ſapientia ſtultitia: illa enim ſub genere boni eſt, hæc uero ſub mali: licet hoc exemplum priuationem potius ſpectare uideatur. ſtultitia enim ſapientiæ priuatio eſt, ut tenebræ priuatio lucis. Ex his hoc modo argumenta ſumuntur: Si ſtultitiam fugimus, ſapientiam ſequamur: ſi bonitatem expetimus, maliciam fugiamus. Priuantia, inquit Cicero, ſunt quæ græce στερητικὰ appellantur, quæ habent in propoſitionem, quæ cũ fuerit adiecta aliquando pro modo qualitatis, ut, Quem pellis ahenis Implumem ſquamis auro conſerta tegebat: quandoque ſuperuacua, ut, Noſco crines incanaq́; menta. niſi ualde ſignificet, ut, Inſanã uatem. interdum qualitatem habet deterius habentem, ut, Quàm ſemel informes uidiſſe cyclopas. non enim nullius formæ ſignificat, ſed malæ formæ, & quod uulgo dicitur deforme. & pro qualitate ordinatiua, ut cum dicimus, Opus in dies creſcit: ut Virgilius, Inq́; diues auidum caput altius effert. & pro ſpacio temporali, ut apud Virgilium: Fœlix ſi protinus illum Aequaſſet nocti ludum, in lucemq́; tuliſſet. aliquotiens pro ante: Martialis, In lucem ſemper Acerra bibis. Ponitur pro præpoſitione ad: ut cum dicimus, in diem more ferarum uiuunt: & cum dicimus, in uicem, uel in uices. Iuuenalis, Inq́; uices equitant, & luna teſte mouentur. ponitur & pro præpoſitione pro: ut cum dicimus, hoc in munere magno habeo. ut Virgilius, In magno munere Rheſus Eſſe ſui dederat monumentum & pignus amoris: & Saluſtius in primo hiſtoriarum, Et facto in gloria numero. Sed in compoſitione ferè ſemper demit, ut humanitas inhumanitas, ſanus inſanus, doctus indoctus. Cicero quidem ea tantũ priuantia aſſerit, in quibus in præpoſitio præponitur. Sed à Peripateticis accipimus priuationes tum ſimplicibus in nominibus, tum priuatoria præpoſitione efferri. ſimplicibus nominibus, ut cæcitas, tenebræ: cum priuatoria præpoſitione, ut humanitas inhumanitas. quocirca Cicero cæcitatem aduerſum, non uiſus priuationem appellabit. & ob hanc rationem ſtultitiam inter aduerſa enumeraſſe uideri poteſt, quoniã in præpoſitionem nõ habuit, ex qua priuationes arbitratur exiſtere. Illa uero contraria, quæ cum aliquo conferuntur, Tullius uocat: ut duplum ſimpli, uelut etiam pater filij, ſeruus domini: ſiquidem ſimplum dupli dimidium eſt. Item negãtia ſunt in affirmationibus & negationibus poſita: ut, Si hoc eſt, illud non eſt. ut ſi dicas, Si dies eſt, nox non eſt. atque hanc oppoſitionem Cicero dicit ualde contrariam eſſe. Ex relatiuis contrarijs ita ſumimus argumentum, Si pater eſt, non poteſt fieri quin ei ſit filius: ſi duplum eſt, ſimplum ſit neceſſe eſt. Ex negantibus autem, quæ ἀποφατικὰ (ut ait) græci uocant, ita: Si ſol ſupra terram fuit, nox eſſe non potuit. hæc enim affirmatio illam perimit negationem. Sed cur hæc negantia Cicero uocauerit, mirum uideri poteſt. nam quæ negantia ſunt, aientibus opponuntur: ut, dies eſt, dies non eſt. Hoc uero eſt ſequẽs, cum dicitur: ſi hoc eſt, illud non eſt: ut, ſi dies eſt, nox non eſt. Ad diem enim eſſe ſequitur, noctem non eſſe, & contra. Atqui affirmationem negationemq́; ualde contraria eſſe dicit. id ſcilicet ita eſt: ſed in hoc exemplo nequeunt eſſe contraria. nam quod conſequens eſt, contrarium non eſt. nam ſi dixiſſet, hoc eſt, hoc non eſt: nox eſt, nox non eſt: ualde contraria futura erant, quæ Ariſtoteles contradictoria uocat, ut diximus. Ab adiunctis, poſui equidem exemplum.] Qui ſit ab adiunctis locus, breui ſuperius monſtrauit exemplo: ſi ſecundum mulieris nunquam capite diminutæ tabulas poſſeſſio bonorum daretur, conſequens eſſe, ut ſecundum puerorum quoque & ſeruorũ poſſeſſio permitteretur. Sed nunc formam ipſam, & quaſi ſubſtantiam loci monſtrare proponit. Ab adiunctis locus eſt, cum ex aliquibus quæ ſunt proxima eis de quibus quæritur rebus, id quod quæritur uel fuiſſe, uel eſſe, uel futurum eſſe: qui locus cõiecturalibus cauſis maxime neceſſarius eſt. Cum enim de facto quæritur, tum ſi id factum eſt quod dubitatur, quid uel fuerit, uel ſit, uel futurum ſit, conſiderari ſolet. multa enim ſunt quæ unicuique adiuncta rei, uariorum euenta temporum colliguntur. Idcirco enim quid ante rem, quid cum re, quid poſt rem euenerit, in coniecturalibus cauſis inquiritur, quæ ab oratoribus tractantur ſolis: nam iuriſperitus de facti qualitate, non de ipſius facti ueritate reſpondet. quamobrem quotiens ad Gallum iuriſperitum facti quæſtio deferebatur, nihil ad nos, inquiebat, & ad Ciceronem, id eſt, ad rhetorem remittebat, deinde ad Trebatium Cicero. Vrbane immiſcet. Patiare (inquit) Trebati me nullam operis inchoati partem præterire, & aliquando à tuis exemplis diſcedere, niſi uis credi nimium te amare. Ab

adiunctis igitur locus tritum ſæpe temporum ratione tractandus eſt. nam de facto ſi quæritur, quid uel ante id, uel cum eo, uel poſt id fuerit, neceſſe eſt ueſtigari. ante rem quidem, hoc modo: Apparatus. ueriſimile enim eſt feciſſe aliquem, quod ante efficiendum parauit: Colloquia. fieri enim potuit, ut amauerit, qui ſæpe fuerit collocutus: Locus. uelut cum ad aliquid faciendum opportunus locus eligitur: Conſtitutum conuiuium. uelut ſi quis in eo aliquid feciſſe arguatur, capiaturq; facti coniectura ex eo ipſo quod ſit conſtitutum conuiuium. hæc ante rem. Cum re autem, pedum ſtrepitu ſi deprehenſus fuerit: uel ſi fuiſſe adulter in cubiculo, ex umbra corporis oſtendatur. Poſt rem, ſi quas conſcientia iactet maculas, pallor, rubor, titubatioq; crimen prodiderit: reſtinctus ignis, uelut ſi clam factum aliquid extincto igni uelimus oſtendere, ut tutius in tenebris quiduis cõmitteretur: item gladius cruentus peractum iam facinus oſtendit. hæc omnia poſt rem, facto etiam intelliguntur annexa. DEINCEPS eſt locus dialecticorum proprius, ex conſequentibus & antecedentibus & repugnantibus. nam coniuncta, de quibus paulo ante dictum eſt, nõ ſemper eueniũt, conſequentia autẽ ſemper. ea enim dico conſequentia, quæ rem neceſſario cõſequuntur. itemq; & antecedẽtia & repugnãtia. quidquid enim ſequitur quãque rẽ, id cohæret cũ re neceſſario: & quidquid repugnat, id eiuſmodi eſt, ut cohærere nunquam poſſit.] De antecedentibus conſequentibus & repugnantibus Cicero traditurus exempla eſt. at cum unus horum omniũ ſit locus, in tria uelut membra diuiſus eſt. huius nomen Cicero non poſuit: multi conditionalem uocauerunt. Antecedens igitur eſt, quo poſito aliud conſequatur neceſſe eſt. Conſequens eſt alicuius, quod eſſe neceſſe ſit, ſi illud cuius eſt conſequens præceſſiſſe conſtiterit. Repugnans eſt, quod ſimul cum ea re cui repugnat eſſe non poteſt. Sciendum utique primo eſt, unum eſſe locum à conſequentibus & antecedentibus & repugnantibus: quoniam eiuſdem intelligentiæ eſt, tam conſentanea noſſe, quàm eidẽ rei cui conſentanea ea cognoſcimus, noſſe diſſidentia. Conſentaneorũ duæ ſunt partes, antecedens una, altera cõſequens. rurſus unum illud idem eſt, ubi altero præcedente, alterum ſequi neceſſe ſit. Repugnantium ſimiliter tametſi duæ ſunt partes, unum tamen eſt utriſque uocabulum: utraque enim repugnãtia nominantur. quocirca cum non fieri poſſit ut antecedẽs aliquod intelligatur, niſi in eodem quid ſit conſequens conſideretur, eodemq; modo nec conſequens, niſi quid præcedat apparuerit: item repugnans aliquid intelligere, niſi intelligatur cui repugnet: & quoniam eadem ratio poteſt quid antecedat & ſequatur, quidq; repugnet, diſcernere: rectè unus eſt locus à Cicerone in tres diuiſus partes. Sed dicet hic aliquis: Quid eſt igitur cur alios ex ſimilitudine differentia & contrario locos ſupra comprehendit Cicero, cum ſecundum propoſitam rationem unus eſſe debuerit locus? Reſpondendum, non eodem modo ſibi antecedentia conſequentia & repugnantia conſentire, quo modo ea quæ ſimilia differentia & contraria dicuntur. In his enim una tantum qualitas inuenitur, & ſecundum eam qualitatem ſimilia differentiaq; & contraria ſe reſpiciunt. In antecedentibus autem & conſequentibus non qualitatis ſimilitudo, ſed quidam naturæ conſenſus eſt, ſicut & in contrarijs: quod exemplis poſterius liquebit. Conditionalis oratio eſt, quæ cum conditione pronunciatur: ut cum dicimus, Si dies eſt, lucet. Cur ergo hunc locũ conditionalem dixerimus, poſterius ab exemplis apparebit. Sed quoniam nullius facultatis alterius eſt, quid quanque rem conſequatur, uel id cui quidque repugnet inſpicere, niſi dialecticæ artis, quæ huius rei maximè profitetur peritiã: hanc ob cauſam locum dialecticorum hunc eſſe ait Cicero. differre exinde locum ab adiunctis, à loco qui ab antecedentibus & conſequentibus eſt, quòd adiuncta prodere ſeſe atque oſtentare poſſunt, fidem uero neceſſariam prorſus facere nõ queunt: uelut incesſum pedum crepitus. ſæpe enim ita inceditur, ut nullus pedis crepitus audiatur: & ſæpe pedum crepitus eſt, ubi nullus eſt inceſſus. Itaque ab adiunctis argumenta plerunque nos deficiunt: antecedentia uero, & conſequentia, repugnantiaq; nunquam. omne enim quidquid in rerum natura eſt, habet quod ſe aut natura ſequatur aut antecedat. Eſt etiam à quo naturæ diuerſitate diſſideat, uelut animal ſequitur quidem hominem, præcedit uero ſubſtantiam: dicimus enim, Si homo eſt, animal eſt. ſubſtantia uero præcedit, cum præponimus, Si animal eſt, ſubſtantia eſt. repugnat autem mortuo, cum enunciamus, Si animal eſt, mortuum eſt. Præterea quæ ſunt adiuncta, temporibus diſtributa ſunt, ut ante rem, cum re, poſt rem. quæ uero ſunt antecedentia & conſequentia & repugnantia, in quo tempore ſint nihil refert. præterea quæ antecedentia ſunt & conſequentia, relinquere ſe & ſeparari non queunt. Idem de repugnantibus intelligendum: neceſſario enim ſibi reluctantur. adiuncta autem nihil habent neceſſitatis, quo minus ſeparentur. Nec cum quoquam aliorum locorum hic communis eſſe poteſt. ſiquidem locus qui à toto eſt, à ſubſtantia trahitur: à partibus uero, à rei compoſitione. nam in ſimplicibus terminis tale argumentum non poteſt inueniri: à nota, ab interpretatione, à coniugatis, ab eo quod ex eodem utrunque deducit, à genere, à continenti: à forma, ab eo quod continetur: à differentia, ab eo quod diſcrepat: à ſimilibus, ab eadem qualitate: à differentibus, à diuerſa qualitate: à contrarijs, ab eis quæ longè à ſe diuerſa ſunt: à cauſis efficiendi, ab effectis, ab his quæ uim alterius (ut ita loquar) efficientiæ ſuſceperunt: ab adiunctis, à uicinitate naturæ, à comparatione maiorum, parium, uel minorum: à relatione ad æqualem uel inæqualem quantitatem. Ab antecedentibus autem longè aliter: conſtat enim in eo, quòd ſi poſitum quid fuerit, aliud quidãm omnino fuerit quod conſequens appellatur. Repugnantium uero non modo quod neque ſequi neque antecedere poſſit, uerum quod ne ſimul quidem eſſe poſſit: quæ omnia, ut diximus, in conditione ſunt. quamobrem unus locus rectè conditionalis eſt appellatus. CVM tripartito igitur diſtribuatur locus, in conſecutionem, anteceſſionem, repugnantiam: reperiendi argumenti locus eſt ſimplex, tractandi triplex. nam quid intereſt cum hoc ſumpſeris, pecuniam numeratam mulieri deberi, cum ſit omne argentum legatum, utrum hoc modo includas argumentum. ſi pecunia ſignata argentum eſt, legata eſt mulieri: eſt autem pecunia ſignata argentum: legata igitur eſt. an illo modo. ſi numerata pecunia non eſt legata, nõ eſt numerata pecunia argentum: eſt autem numerata pecunia argentum, legata igitur eſt. an illo modo. Non & legatum argentum eſt, & non eſt legata numerata pecunia: legatum autem argentum eſt, legata igitur numerata pecunia eſt.] Cum propoſuerit locos in conſecutione, anteceſſione, & repugnantia poſitos: reperiendi quidem argumenti ſimplicem eſſe intellectum, tractandi autem triplicem adiecit. nam quid intereſt, cum hoc ſumpſeris ad demonſtrandum, pecuniam numeratam mulieri deberi, cui ſit argentum omne legatum, utrum id ab antecedentibus, an à conſequentibus, an à repugnantibus probes? nam eadem concluſio colligitur: & argumentationum diuerſitas non in re, ſed in antecedentium & conſequentium & repugnantium tractatu eſt conſtituta. Ponamus igitur. Aliquis teſtamento omne ſuũ argentum mulieri legauerit, quæraturq;, an numerata quoque pecunia mulieri legata ſit: concedatur, numeratam pecuniam argentum appellari. Argumentum igitur in primo modo ex antecedentibus tali ratione contexitur. Proponimus enim, Si pecunia ſignata numerataq; argentũ eſt, eadem pecunia ſignata atque numerata legata mulieri eſt. hic præcedit, numeratam atque ſignatam pecuniam argentum eſſe: ſequitur, legatã eſſe mulieri. Id igitur quod præceſſit, aſſumimus dicentes: at

eſt

eſt ſignata ac numerata pecunia argentum. concludimus, numeratam ſignatamq; pecuniam mulieri eſſe legatam. eritq; totius argumentationis hic cõtextus : Si pecunia ſignata numerataq; argentum eſt, legata mulieri eſt : at eſt pecunia ſignata numerataq; argentum : igitur legata mulieri eſt. Cum igitur ab antecedentibus, à conſequentibus & repugnantibus omnis argumentatio conditionalis ſit : ab antecedentibus autem quotiens enunciata conditionali propoſitione ſumitur id quod anteceſſit, ut id quod ſequitur inferatur, non eſt quod quiſquam dubitet hanc argumentationem ab antecedentibus eſſe deductam.

AN illo modo, SI numerata pecunia non eſt legata, non eſt numerata pecunia argentum: eſt autem numerata pecunia argentum, legata igitur eſt.] A' conſequentibus, hoc modo: Si numerata pecunia non eſt legata mulieri, cum ſit argentum omne legatum, ſequitur numeratam pecuniam argentum non eſſe : ſi igitur id quod eſt poſterius auferamus, id eſt, numeratã pecuniam non eſſe argentum, dicemus : atqui eſt numerata pecunia argentum : affirmatio nanque tollit negationem : ſequitur igitur, ut pars precedens auferatur, ea que erat, non eſſe legatam mulieri pecuniam numeratam, cum argẽtum ei omne fuiſſet legatum. Sed cum ſit negatio, affirmatione tollitur, dicimuſq; concludentes : eſt igitur numerata pecunia mulieri legata, cum ſit argentum omne legatum. eritq; hoc modo explicata argumentatio : Si non eſt mulieri legata pecunia numerata, cum ei ſit argentum omne legatum, non eſt argentum numerata pecunia : at eſt argentum numerata pecunia : legata eſt ergo mulieri numerata pecunia, cum ei fuerit argentum omne legatũ. Sed quod breuitatis cauſa preterit, id eſt, illam partem propoſitionis, que eſt, Cum ſit argentum omne legatum mulieri : nos ut id fieret apertius, ſubiunximus. A' conſequenti igitur fit argumentatio, quotiens conditione poſita, id quod ſequitur aufert aſſumptio, ut id quod preceſſerat interimatur. uelut ſi dicas : Si homo Cicero eſt, animal eſt. antecedit homo, ſequitur animal. Si igitur ex conſequenti facere argumentum uelim, dicam : atqui non eſt animal, ſequitur, ne hominem quidẽ eſſe. Sed id perſpicue falſum eſt. eſſe enim hominem conſtat: falſum eſt igitur, animal non eſſe. nec tamen miretur quiſquam, quòd in hoc exemplo à conſequentibus per negationem facta fuerit aſſumptio, & per negationem rurſus illata concluſio. in exemplo autem Ciceronis & aſſumptio & cõcluſio per affirmationem facta ſit : ſiquidem huius rei ratio in promptu eſt. nam cum in poſito nunc exemplo prima propoſitio ex affirmatione conſtructa ſit, & in arguendi à conſequentibus modo aſſumptio id quod ſequitur ſemper auferat, interimatq; id quod precedit, neceſſarium fuit duplicem affirmationem gemina negatione auferre. uelut hoc modo : Si dies eſt, lux eſt. utraque affirmationes ſunt, tam id quod antecedit, quàm quod ſequitur. Vt igitur poſterior pars, id eſt Lux eſt, que affirmatio eſt, interimatur, neganda eſt. dicam igitur, Atqui nõ eſt lux: quo fit, ut precedentem quoque partem, id eſt Dies eſt, quam affirmationem eſſe manifeſtum eſt, negatione tollamus. concludemus : Dies igitur non eſt. In Ciceronis autem exemplo utraque pars conditionalis propoſitionis, negationibus enunciata eſt, que in aſſumptione & concluſione non alijs quàm affirmantibus orationibus auferri poſſunt. Eſt enim Ciceronis exemplum hoc : Si legata eſt mulieri numerata pecunia, non eſt numerata pecunia argentum. Vides ut ſit utraque negatio : nam & non eſſe legatam mulieri numeratã pecuniam, & non eſſe numeratam pecuniam argentum, utraque in negatione ſunt demerſa. quocirca ſi auferenda eſt per aſſumptionem illius compoſite propoſitionis pars conſequens, ut in argumentatione que fit à conſequenti fieri oportet, quoniam negatio eſt : dicit enim non eſſe numeratam pecuniam argentum. & ſi per concluſionem auferenda eſt pars precedens, ut in tali argumentione fieri neceſſe eſt, cum ſit & ipſa in negatione occupata : dicit enim non eſſe legatam mulieri pecuniam numeratam : affirmationibus fuerunt efferenda, hoc modo : Atqui numerata pecunia argentum eſt : ergo legata eſt mulieri numerata pecunia. Sed ſi quis ſtatim mihi occurrat exemplo Ciceronis ſupra poſito, cum locorum exempla decurrebat, ac quaſi aliam à conſequenti argumentationum formam uelit iactare, nihil agit. Oſtendimus enim ſupra, ab antecedenti, non à conſequenti exemplum illud eſſe. quod nunc hoc eiuſdem exemplo manifeſtum eſt : & nos quónam pacto dicendum fuiſſet, ibidem monſtrauimus.

AN illo modo : Non & legatum argentum eſt, & non eſt legata numerata pecunia legatum argentum, legata igitur numerata pecunia eſt.] Tertius modus à repugnantibus, Non legatum eſt argentum, & non eſt legata mulieri numerata pecunia. hic nanque conſequens erat, Si argentum eſſet omne legatum, pecuniam quoque numeratam fuiſſe legatam. ut igitur fieret repugnans, huic conſequentie interpoſita negatio eſt, dictumq;, Si argentum omne eſſet legatum, numeratam pecuniam non eſſe legatam. quod quia repugnat, & falſum eſt, ad ueritatem alia negatione reducitur, ſic. Non ſi legatum argẽtum eſt, non eſt legata numerata pecunia. ut ei affirmationi conueniat, que dicit, Si legatum argentum eſt, legatam eſſe pecuniam numeratam. aſſumimus igitur huic propoſitioni, argẽtum omne eſſe legatum : & conſequitur, omnem numeratam pecuniam mulieri eſſe legatam. ut ſit forma argumentationis hec : Non ſi legatum argentum eſt, non eſt legata numerata pecunia : atqui legatum argentum eſt : legata igitur numerata pecunia. Sed Marcus Tullius propoſitionem ita formauit : Non & legatum argentũ eſt, & non eſt legata numerata pecunia. ſed idcirco cauſalem coniunctionem appoſuimus, eam que eſt, Si, ut ex quo eſſet genere talis propoſitio monſtraremus. nanque ex connexo negatione addita fit repugnans. cõnexum uero nullum eque, ut Si coniunctio, poſſit oſtendere, licet idem efficiat etiam copulatiua coniunctio. nam que connexa ſunt, etiam coniuncta eſſe intelliguntur. In omnibus igitur illud eſt approbatum, pecuniam numeratam mulieri deberi, cũ ſit argentum omne legatum. Sed ex ſupra memoratis propoſitionibus, modo quidem quod antecedebat aſſumpſimus, modo uero quod conſequebatur : nunc autem id quod repugnabat. ſiquidem à repugnantibus argumentationem ita faciemus: Nõ ſi homo Cicero eſt, animal non eſt : repugnat enim, eſſe hominem, & animal non eſſe. hic ſi aſſumamus, eſſe hominem, animal quoque eſſe recte concludimus hoc modo : atqui homo eſt, animal igitur eſt. atque hic quidem modus ex ea propoſitione connexa cõuerſus eſt, que ex duabus iuncta eſt affirmatiuis, que dicit : Si Cicero homo eſt, animal eſt. His igitur tribus modis Cicero qui homo eſſet, animal quoque eſſe monſtratus eſt. nunc quidem id quod antecedit aſſumentes, id eſt eſſe hominem : nũc uero id quod conſequitur in aſſumptione denegantes, id eſt non eſſe animal : nunc autem repugnantiam denegantes eorũ que ſibi ſunt conſequentia, poſito quod precedebat, id quod ſequebatur intulimus. Sed ad Ciceronis exempla reſpiciens minus cautus fortaſſe aliquis, eundem locum eſſe arbitrabitur à genere, quem ab antecedentibus, conſequentibus, & repugnantibus eſſe diximus : illo falſus errore, quod in utriſque locis Cicero eodem utitur exemplo, hoc eſt, argenti & numerate pecunie. ſed accuratius intuenti, in eiſdem rebus diuerſa argumentationũ tractatio eſſe uidebitur : quippe quod aliud eſt dicere, cum argenti ſpecies ſit numerata pecunia, ſi genus legatum ſit, & ſpeciem eſſe legatam : quoniam nunquam ſpecies à genere ſeparatur. aliud eſt in conditione enunciationem proponere, & eiuſdem partibus aſſumendis argumẽtationem uaria ratiocinatione formare, ut iamdudum monſtrauimus : nam neque dies lucis, neque lux dici ſpecies aut genus eſt. Ex his tamen etiam argu-

menta ſumpſimus ab antecedentibus, conſequentibus, & repugnantibus. In his ergo conſideratur tantum, ut poſito altero, alterum neceſſaria ratione ſubſequatur. Differunt igitur loci à genere, uel ſpecie, ab eo loco qui in conditione eſt conſtitutus: quoniam illi ex uniuerſalitatis ac partis ratione dicuntur: hic autem in conſequentiæ & repugnantiæ ordine tractatur. nihil enim prohibet, eandem rem diuerſa conſideratione diuerſam nobis poſſe arguẽdi ſuppeditare materiã. APPELLANT dialectici eam concluſionem argumenti, in qua cum primum aſſumpſeris, conſequitur id quod annexum eſt, primum concluſionis modum. Septem modos hypotheticos, hoc eſt, conditionales enumeraturus Cicero, ait, Cum in connexis propoſitionibus id quod eſt primum aſſumitur, ut oſtendatur ſecundum, primum à dialecticis modũ uocari hoc modo. Si hoc eſt, illud eſt: quod dicitur hoc, primum eſt: quod uero illud, ſecundum: aſſumitur ergo quod primum eſt: Atqui hoc eſt, concluditur id quod ſecundum eſt, illud igitur eſt. uelut in his rurſus exemplis: Si homo eſt, animal eſt, aſſumitur: atqui homo eſt, concluditur, animal igitur eſt. nec enim bene aſſumeretur, atqui animal eſt: ut concluderetur, homo igitur eſt. Inueniuntur tamen, in quibus æquo modo ualet aſſumptio, ſiue præcedat, ſiue ſubſequatur: ut in homine atque riſibili: ut, Si homo eſt, riſibile eſt: atqui homo eſt, riſibile igitur eſt: uel, atqui riſibilis eſt: homo igitur eſt. Sed enim hoc eſt in cauſa, quod homo atque riſibile æqui ſunt termini: atque idcirco uno poſito, alterum ſequi neceſſe eſt. Sed quia hoc raro contingit, dicimus uniuerſale eſſe, ut aſſumpto priore, quod ſequitur concludatur. CVM id quod annexum eſt negaris, ut id quoque cui fuerit annexũ negandum ſit, ſecundus is appellatur modus concludendi.] Secundum uero modum Cicero dicit eſſe, ex connexis propoſitionibus textum, in quo ſi ſecundum negatur, ſequitur, ut id etiam quod primum eſt tollatur, hoc modo: Si homo eſt, animal eſt: animal autem non eſt: homo igitur non eſt. nam ſi neges ſumendo quod antecedit, non erit perpetuo uerum, ut dicas, Atqui homo non eſt, non igitur animal eſt. Sed Cicero ita dicit, Cum id quod annexum eſt negaris, ut id quoque cui fuerit annexum negandum ſit, ſecundus is appellatur modus concludendi: quaſi hic locus ex propoſitione conditionali, id eſt hypothetica, affirmatiuis ſemper iunctis partibus, intelligatur: quod minime uerum eſt. Emendatius itaque dici cenſuerim. Cum eius quod annexum eſt conſequens perimitur, perimi quoque quod illi annexum antecedat: idq; ſecundum concluſionis modum uocari. ut ſi affirmatiuum eſt quod annexum eſt, negatione perimitur: uelut, Si homo eſt, animal eſt: atqui animal non eſt: non igitur homo erit. ſi uero negatiuum affirmatione tollitur: ut, Si nox non eſt, dies eſt: ſed dies non eſt, nox igitur eſt. CVM autem aliqua coniuncta negaris, & ex his unum aut plura ſumpſeris, ut quod relinquitur tollendum ſit, is tertius appellatur concluſionis modus.] Tertium uero modum ait eſſe Cicero, cum ea quæ coniuncta ſunt abnegantur. & his alia negatio rurſus adiungitur, ut quia animal homini coniunctum eſt, ita dicamus, Non & homo, & non animal eſt. atque ex his unum ponitur, ut quod relinquitur auferatur, hoc modo. ponamus eſſe hominem, dicentes: Atqui homo eſt. quod ergo relinquitur, non eſt animal, auferetur, atque concluditur, animal igitur eſt. EX hoc illa rhetorum, ex contrarijs concluſa, quæ ipſi ἐνθυμήματα appellant, non quòd non omnis ſententia ἐνθύμημα dicatur: ſed ut Homerus propter excellentiam commune poetarum nomen, efficit apud Græcos ſuũ: ſic cum omnis ſententia enthymema dicatur, quia uidetur ea quæ ex contrarijs conficiatur, acutiſſima ſola, proprie nomen commune poſſedit. eius generis hæc ſunt, Hunc metuere, alterum in metu non ponere. Eam quam nihil accuſas, damnas: Bene quam meritam eſſe æſtimas, male mereri: Id quod ſcis prodeſt, nihil id quod neſcis obeſt. Hoc differendi genus attingit omnino ueſtras quoque in reſpondendo diſputationes, ſed philoſophorum magis, quibus eſt cum oratoribus illa ex repugnantibus ſententijs communis concluſio, quæ à dialecticis tertius modus, à rhetoribus enthymema nuncupatur.] Ex his naſci dicit enthymemata, ex contrarijs concluſa, quibus plurimũ rhetores uti ſolent. atque hæc enthymemata dicunt, non quin omnis ſententia animiq; conceptio enthymema non poſſit appellari. Enthymema enim, quod ab alijs commentum, ab alijs commentatio uerbum uerbo reddentibus transfertur, mentis conceptio, quæ omnibus conuenit inuentionibus, nominatur: ſed illæ inuentiones quæ breuiter ex contrarijs colliguntur, maxime acutæ ſunt. hinc quia excellunt ſpecie inſpectionis, commune enthymematis nomen propriũ ſibi efficere. A' rhetoribus enim quaſi proprio nomine enthymemata ſunt dicta: ſicut cum Homerum Græci aliquid dixiſſe uolunt intelligi, ita loquuntur, ut dicant: Poeta hoc dicit, nec alius ab Homero intelligitur, licet commune ſit omnibus hoc Poetæ nomen uatibus: excellentia enim commune nomen ſibi proprium uendicauit. Fiunt autem hæc enthymemata ex contrarijs, hoc modo: Hoc metuere, alterum in metu non ponere: uelut ſi de Lentulo, Cethego, Catilina, & cæteris dicatur, Paucos ciues interfici metuis, ne Reſpublica intereat nihil laboras. Connexum quippe eſt, ut, Quicunque nolit interire paucos ciues, Rempublicam multo magis nolit extingui. quibus cum interponitur negatio, fit ex repugnantibus argumentum. ſed hoc breuiter nimium retulit Cicero. Nos uero ſyllogiſmum ex hoc texamus, hoc eſt à repugnantibus, unde enthymema naſci doceamus. Sit connexum, Si quis metuit ciues paucos interfici, is metuit interire Rempublicam. interponatur negatio, hoc modo: Si quis metuit ciues paucos interfici, is non metuit interire Rempublicam. præponatur ipſi propoſitioni altera negatio, ut ſit: Non ſi quis metuit ciues paucos interfici, non metuit interire Rempublicam. quæ duæ negationes uni affirmationi pares ſunt, quæ dicit, Si quis metuit hoc, metuit illud: cuius aſſumptio eſt, At metuit hoc. concluſio ſequitur, metuit igitur illud. quæ perinde ualet, ac ſi negando interrogaretur ita: Hoc metuis, illud non metuis? Sed quia non totus in his argumentationibus ponitur ſyllogiſmus, ſed propoſitio, cuius aſſumptio & concluſio notæ ſunt, hac de cauſa enthymema dicitur, quaſi breuis animi conceptio: & in cæteris exemplis idem eſt differendi modus. His adijcit, Eam quam nihil accuſas, damnas: huius enthymematis ſyllogiſmus erit. Non ſi nihil accuſas, damnas: ſed nihil accuſas: non damnas igitur. deſcendit autem hoc argumentum ex ea propoſitione connexa, quæ ex duabus negatiuis componitur, ita: Si nihil accuſas, non damnas. poſteriori parte detracta, negatio eſt: & tota eſt propoſitio denegata, hoc modo: Non ſi nihil accuſas, damnas. ex ea factum eſt argumentum, quod ex interrogatione effici poterit enthymema hoc: Quam nihil accuſas, damnas: bene quã meritam eſſe, autumas, male mereri. Huius quoque enthymematis hæc collectio eſt: Non & bene quam meritam eſſe, autumas, male mereri: atqui bene meritam eſſe, autumas, non male igitur mereri. quod enthymema ex ea propoſitione connexa perficitur, quæ conſtat ex affirmatione & negatione, hoc modo: Si bene meritam eſſe, autumas, male mereri. cuius ex poſteriore parte dempta negatione, totaq; propoſitione abnegata, fiet propoſitio: Non ſi bene meritam eſſe, autumas, male mereri. quod in interrogationem deductum, enthymema efficit: Bene quam meritam eſſe, autumas, male mereri? idq; ἀπὸ κοινοῦ enunciatum eſſe, eſt accipiendum: ut ita ſubaudiatur autumas, perinde ac ſi ſit bis prolatum. Item, Quod ſcis prodeſt, nihil, id quod neſcis obeſt. hoc quoque enthymema tali nectitur ſyllogiſmo: Non ſi id quod ſcis prodeſt, & id quod neſcis non obeſt: atqui id quod ſcis prodeſt: obeſt igitur quod neſcis. Hoc

argumentum

argumentum ex ea propoſitione textum eſt, quæ duabus affirmationibus iuncta, accepit mediam negationem : & prior denegata eſt, quod per interrogationem fit enthymema, hoc modo : Id quod ſcis prodeſt, nihil id quod neſcis obeſt? Omnium autem quæ ſuperius poſita ſunt exempla, ſenſus eſt: Quã quiſque non accuſat, eam damnare recte non poſſe : & eam quã bene meritam eſſe autumat, male eandem mereri æſtimare turpe eſſe : & ſi id quod ſcit unuſquiſque in cauſa proderit, oberit id quod contrarium eſt illi, hoc eſt quod neſcit. Hunc uero locum communem eſſe oratoribus ac philoſophis dicit : ſed apud illos Tertiũ modũ, apud rhetores autem Enthymema nũcupari. RELIQVI dialecticorum modi plures ſunt, qui ex diſiunctionibus conſtant : Aut hoc, aut illud : hoc autem non, igitur illud. itemq́; , Aut hoc, aut illud : non autem hoc : illud igitur. quæ concluſiones idcirco ratæ ſunt, quòd in diſiunctione plus uno uerũ eſſe non poteſt. atque ex his concluſionibus quas ſupra ſcripſi, prior quartus, poſterior quintus à dialecticis modus appellatur. Deinde addunt coniunctionum negantiã, ſic: Non & hoc, & illud : hoc autem non : non igitur illud. hic modus eſt ſextus. Septimus autem : Non & hoc, & illud : nõ autem hoc : illud igitur. Ex his modis concluſiones innumerabiles naſcuntur, in quo eſt ferè tota dialectica : ſed ne hæ quidẽ quas expoſui, ad hanc inſtitutionem neceſſariæ.] Reliqui, inquit, modi plures ſunt. Cum enim tres ſupra modos enumerauerit, adiuncturus quatuor, plures dixit. Hi autem ſunt in diſiunctionibus conſtituti, hoc modo : Aut hoc, aut illud : hoc autem non : igitur illud. qui eſt quartus modus. ita, Aut dies eſt, aut nox eſt : dies autem eſt : non igitur nox eſt. & ſemper quod Cicero ait Hoc, antecedens ſpectat : quod uero ait illud, conſequens: ſiue in connexis propoſitionibus, ſiue diſiunctis. Item : Aut hoc, aut illud : non autem hoc : illud igitur. hic quintus eſt modus, ut exemplo ſit manifeſtus : Aut dies eſt, aut nox eſt : non autem dies eſt, nox igitur eſt. quarum quatuor plures dixit. Hi autem ſunt in diſiunctionibus conſtituti, hoc modo : Aut hoc, aut illud : hoc autem non : igitur illud. qui eſt quartus modus, ita : Aut dies eſt, aut nox eſt : dies autẽ eſt: non igitur nox eſt. & ſemper quod Cicero ait Hoc, antecedens ſpectat : quod uero ait illud, conſequens : ſiue in connexis propoſitionibus, ſiue deſiunctis. item : Aut hoc, aut illud : non autem hoc, illud igitur. hic quintus eſt modus, ut exemplo ſit manifeſtus : Aut dies eſt, aut nox eſt : non autem dies eſt, nox igitur eſt. quarum concluſionum neceſſitatem ex eo dicit euenire, quia quæ in diſiunctione ſunt poſita, medium non admittunt, ut aliquid præter ea quæ poſita ſunt eſſe poſſit: atque ideo uno ſublato, alterum eſſe : unoq́; poſito, alterum eſſe concluditur. Si autem ſit medium eorum utrumlibet, quæ poſita ſunt, nec uera propoſitio eſt, nec rata concluſio. ueluti in his : Aut album, aut nigrum eſt. id falſum eſſe poterit : poteſt ſiquidem præterea eſſe rubrum, uel quiuis alius color. Item ſi ponamus eſſe album, uel auferamus, non neceſſe erit nigrum eſſe, uel non eſſe. Subiungit Cicero. Addunt coniunctionum negantiam in diſiunctiuis propoſitionibus, hoc modo : Nõ & hoc, & illud: hoc autem non : igitur illud. id eſt : Non & nox, & dies eſt: nox autem eſt : non igitur dies eſt. & hic ſextus eſt modus. Sanè ſextus ac ſeptimus modus ex quarti & quinti modi diſiunctiua propoſitione deducuntur, una tantum negatione adiecta, & diſiunctiua dempta coniunctione, additaq́; copulatiua: ut in ſuperiore patuit exemplo. Septimus igitur modus eſt, ex eadem deſcendens propoſitione, hoc modo : Non & hoc, & illud : non autem hoc, illud igitur. ueluti ſi dicamus : Non eſt nox, & dies eſt : non autem nox eſt ; dies igitur eſt. Quilibet autem horum modus infinitis poteſt accommodari concluſionibus : & in his, inquit, tota ferè dialectica. Sed ad Topices ſciẽtiæ locos, tres primi modi ſunt neceſſarij, qui anteceſſionem, cõſecutionem, & repugnantiam tenent : reliqui perficiendæ potius huius rei gratia, quàm quòd ad hanc inſtitutionem attinerent, adiecti ſunt. Vt autem cuncta quæ de hoc conditionali loco diximus, breuiter colligãtur, ac ne tantæ rei quod neceſſarium eſt deſit, quod conſulto ſupra prætermiſimus, cum id Cicero nõ poſuerit, nunc adijciatur. Primus modus eſt, quotiens in connexa propoſitione quod primum in propoſitione locatur aſſumitur, ut quod conſequatur ex duabus conſtet affirmationibus, hoc modo : Si dies eſt, lux eſt : atqui dies eſt : lux igitur eſt. Ex duabus negationibus : Si lux non eſt, dies non eſt: ſed lux non eſt: dies igitur non eſt. Ex affirmatione & negatione : Si dies eſt, nox non eſt : ſed dies eſt : nox igitur non eſt. Ex negatione & affirmatione : Si nox non eſt, dies eſt : ſed nox non eſt: dies igitur eſt. Secundus modus eſt, quotiens in connexa propoſitione ſecundum aſſumitur, ut id quod primum eſt auferatur. Ex duabus affirmationibus, hoc modo : Si dies eſt, lux eſt : ſed lux non eſt : dies igitur non eſt. Ex duabus negationibus : Si lux non eſt, dies non eſt : ſed dies eſt : lux igitur eſt. Ex affirmatione & negatione : Si dies eſt, nox non eſt : atqui nox eſt : dies igitur non eſt. Ex negatione & affirmatione: Si nox nõ eſt, dies eſt : ſed dies non eſt, nox igitur eſt. Tertius modus eſt, cum connexæ propoſitionis partes ex affirmationibus cõiunctæ, negatione diuiduntur, totiq́; propoſitioni rurſus negatio adiungitur, quæ propoſitio Græce ὑμαποφατικὸ appellatur : aſſumiturq́; quod prius eſt in propoſitione, ut è contrario concludatur ab eo quod in propoſitione prolatum fuerat, hoc modo : Non ſi dies eſt, lux non eſt : atqui dies eſt, lux igitur eſt. Hic ergo poſito quod præcedebat, id eſt eſſe diem, euerſum eſt quod ſequebatur, id eſt non eſſe lucem: quòd negantiam affirmatio euertat. uel connexæ propoſitionis ex negantijs iunctæ, ſecundæ parti negantia demitur, totaq́; propoſitio abnegatur, præpoſita priori propoſitionis parti negantia interimitur, quod ſubſequitur, hoc modo. ſit propoſitio : Si eſt lux, dies non eſt. fiat repugnans ita : Si non eſt lux, eſt dies : huic præponamus negantiam, ut fiat uera, hoc modo : Non ſi lux non eſt, dies eſt : atqui lux nõ eſt : dies igitur non eſt. aut ſi connexæ propoſitionis ex negantis & affirmatione compoſitæ, ut, Si dies non eſt, nox eſt : ſecundæ parti negatio iungatur, ut, Si dies non eſt, nox non eſt: fit repugnans. eaq́; porrò abnegetur, ut ſit uera, hoc modo: Nõ ſi dies non eſt, nox non eſt. ponaturq́; quod prius eſt, ut quod ſequitur auferatur, hoc modo : Non ſi dies non eſt, nox nõ eſt : atqui dies non eſt, nox igitur eſt. uel ſi in eadem propoſitione quæ ex negantia atque affirmatione copulata eſt, quæ eſt, Si dies non eſt, nox eſt : priori parti negantia ſubtrahatur, fiet repugnans hoc modo : Si dies eſt, nox eſt : eaq́; abnegetur, ut ſit uera, ponaturq́; hoc modo : Non ſi dies eſt, nox eſt. quod primum eſt, ut id quod ſequatur, auferatur hoc modo : Nõ ſi dies eſt, nox eſt : atqui dies eſt : nox igitur non eſt. uel ſi connexæ propoſitionis ex affirmatione & negantia copulatæ, ut, Si uigilat, non ſtertit : poſteriori parti negatio dematur, ut, Si uigilat, ſtertit: fit repugnans. totaq́; porrò abnegetur, ut fiat uero : poſitoq́; priore, hoc modo, Non ſi uigilat, ſtertit : id quod ſequitur interimatur, hoc modo : Non ſi uigilat, ſtertit : atqui uigilat : non ſtertit igitur. Hæc omnia in tertio eſſe modo facile intelliguntur, quæ ex repugnantibus fiunt, ubi ſemper id quod antecedit ponitur, ut id quod ſequitur auferatur. Quartus uero modus eſt, cum in diſiunctiua propoſitione primum ponitur, ut auferatur ſecundum, hoc modo : Aut dies eſt, aut nox eſt : atqui dies eſt : nox igitur non eſt. Quintus modus eſt, quotiens in diſiunctiua propoſitione aufertur quod prius eſt, ut ponatur ſecundum, hoc modo : Aut dies eſt, aut nox eſt : non eſt autem dies, nox igitur eſt. Sextus modus, cum in his rebus quæ in diſiunctionem uenire poſſunt, id eſt, contrarijs uel repugnantibus, medietate carentibus, negatio præponitur, & copulatiuæ cõiun-

ctiones adiunguntur, poniturq́; quod eſt primum, ut id quod ſequitur auferatur, hoc modo: Non eſt dies, & nox eſt: dies autem eſt: nox igitur non eſt. Septimus modus eſt, cum in eadem propoſitione auferetur quod præcedit negatione, ut ponatur id quod ſequitur, hoc modo: Non & dies & nox eſt: atqui dies non eſt, nox igitur eſt. PROXIMVS *eſt locus efficientiũ rerum, quæ cauſæ appellantur. deinde rerum effectarũ ab efficientibus cauſis, & quæ ſequuntur.*] *Poſterum locum qui in conditione eſt, ſequens fuit ex cauſis. cum igitur Ariſtoteles quatuor poſuerit cauſas, quibus omnia fiunt: primam, quæ mouendi principiũ eſt: ſecundam, ex qua fit aliquid, quam materiam uocat: tertiam, rationem, ac ſpeciem, qua unũquodque formatur: quartam, finem, propter quem unumquodque efficitur: Cicero principalem cauſarum diuiſionem facit in ea quæ efficiunt aliquid, & ea ſine quibus effici nequeat: ut id quod efficit ad eam cauſam referatur, in qua motus principium conſtitutum eſt: id uero ſine quo non fit aliquid, tum ad intellectum materiæ referatur, uel eorum quæ coniuncta materiæ efficientis adiuuant facultatem, tum ad reliquas cauſas trahatur, ut poſt paulum apparebit. Eius igitur cauſæ quæ ui ſua id quod ſub ea ſubiectum eſt efficit, ponit exemplum: ut, ignis accendit. nam accenſionis ipſius cauſa ignis eſt, mouetq́; ac permutat id quod accenditur. Eam uero cauſam ſine qua id quod faciendum eſt, nequit fieri, exemplo oſtendit, inquiens: Vt ſi quis æs cauſam ſtatuæ uelit dicere, quòd ſine eo ſtatua eſſe non poſſit. Eam igitur cauſam, ſine qua id quod faciendum eſt fieri nequit, diuidit hoc modo: Alia enim eius ſunt quieta, nihil agentia, & ſtolida quodammodo: hæc ſi extrinſecus agendi motus nullus acceſſerit, immobilia ſunt. ſunt autem, ut locus, tempus, materia, ferramenta, & cætera generis eiuſdem. omne enim quod fit, fiat in loco neceſſe eſt. locus autem ipſe immobilis eſt, ad aliquid efficiendum. tempus quoque actioni ſubiectũ eſt: fit enim in tempore, quidquid fit. Item materia & inſtrumenta niſi manu moueantur artificis, ipſa nihil utique egerint. Eiuſdem generis etiam ſunt, ſine quibus nihil fit, illa quæ in motu poſita, præcurſionem quandam ad efficiendum ac præparationem uidentur afferre: ut amoris cauſa eſt congreſſio, quæ ab aliquo præcurri poteſt: & amor flagitij. Ex his, inquit, cauſis, fatum Stoica diſputatio connectit. fatum enim dicunt eſſe Stoici, præcedentium cauſarum ſubſequentiumq́; rerum quandam quaſi cathenam ſe continentem. unde & Chryſippus in libro quem περὶ προνοίας inſcripſit, fatum dicit eſſe φυσικήν τινα σύνταξιν τῶν ὅλων, ἐξ ἀϊδίου τῶν ἑτέρων τοῖς ἑτέροις ἐπακολουθούντων, καὶ μετὰ πολὺ μὲν οὖν ἀπαραβάτου οὔσης τῆς τοιαύτης συμπλοκῆς. Exemplo fiat clarius: Quidam domo diſcedens, peregre profectus eſt, quòd parentum iram ferre nõ poterat. ideo autem nõ ferebat, quia amore amicæ detinebatur. amabat autem, quòd ſæpe ante fuerat congreſſus. congreſſus autem fuerat, quòd blandum ſibi amicæ uultum uiderat. uidiſſe autem blandum eius uultum potuit, quòd quiduis aliud antecesſerit. itaque ordine præcedentium conſequentiumq́; rerum à Stoicis fatum nectitur. Diuidit porrò cauſam in eam, quæ ui ſua aliquid efficit, & eam quæ ad aliquid efficiendum ſibi ſufficiat, eamq́; quæ alterius indigeat adminiculis. ſufficit autem ſibi ad efficiendum, ut ſapientia, quæ ſapientes per ſeſe poteſt efficere: ſed num hæc ſola beatos poſſit efficere, quæſitum eſt: & quæ iuuent ſint extrinſecus quoque adijcienda, ut fortunæ bona, uel corporis. illæ autem cauſæ, quæ tam per ſe ad efficiendum ualent, nec alterius indigẽt adminiculo, ab Ariſtotele principium motus appellantur. licet de ſapientia exemplum parum fortaſſe conueniat: ſiquidem ſapientes ſimus ſapientia, id eſt ratione quadam, & quaſi forma. ea autem cauſa quam Cicero dicit, ſine qua non fit aliquid, hoc eſt materia, tempus, locus, quæ ſunt efficientis ſubiecta naturæ, uel materia ſunt, uel uicem materiæ, ſubiecta inſtrumenta eius cauſa ſunt, quæ ad finem ſpectant. nam propter aliquem finem præparantur. Nec mirum cuiquam uideatur, quòd Cicero amoris congreſſionem numerauerit inter eas cauſas, ſine quibus effici non poteſt, cũ agat aliquid ac moueat: & inter eas quæ uim habeant efficiendi, congruentius potuiſſe numerari uiſa fuerit. Merobaudes enim rhetor hanc dubitationem, quæ mentem alicuius ſubrepere potuit, ita diluit: Earum enim, inquit, cauſarum, quæ efficiendi uim habent, cauſam eſſe uim: ut etiamſi adminiculis extrinſecus indigeant, effectus tamen earum ad id ſpectare quod efficiendum ſit: ut ignis ad urendum, aqua ad irrigandum. At in his cauſis quæ præcurrunt, etiamſi quid antecedens fuerit, nõ tamen quidquam agit, ſed quadam futuri effectus occaſione præcurrit. illud uero ipſum quod eſt, ut amor, ex alijs naſcitur agentibus, uelut congreſſione. eſt enim amor ex præcedente, ut diximus, congreſſione. cum ergo amor ſine antecedente congreſſione fuiſſe nõ poſſit intelligi, rectè inter eas cauſas poſita à Cicerone uidebitur, ſine quibus non efficitur. Quare cum in diſputationem inciderit cauſa efficiens aliquid, neceſſario ſine dubitatione licebit quod efficitur ab ea cauſa concludere. cũ autem erit talis, ut in ea non ſit efficiendi neceſſitas, concluſio non ſequitur. Atque illud quidem genus cauſarum quod habet uim efficiendi neceſſariam, errorem afferre non ferè ſolet. hoc autem ſine quo non efficitur, ſæpe conturbat. non autem ſi ſine parentibus filij eſſe non poſſunt, propterea cauſa fuit in parentibus gignendi neceſſaria. Hoc igitur ſine quo non fit, ab eo in quo certe fit, diligenter eſt ſeparandum. Illud enim eſt tãquam, utinam ne in nemore Pelio: niſi enim cecidiſſent abiegnæ ad terram trabes, argo illa facta non eſſet. nec tamen fuit in trabibus efficiendi uis neceſſaria. At cum in Aiacis nauem criſpiſulcans igneum fulmen iniectum eſt, inflammatur nauis neceſſario. Prima cauſarum diuiſio à Cicerone facta eſt, in ea quæ efficeret aliquid, & ea ſine quibus effici non poſſit. ac illud quidem quod efficeret, in gemina partitus eſt: in id quod ad efficiendum aliquid neceſſariam uim poſſideret, neque ullius indigeret extrinſecus auxilio: & in id quod ſine alterius adiumento agere atque efficere non poſſet. ac primum de ea loquitur cauſa, quæ efficiendi uim tenet. eius enim ea pars cui efficiendi neceſſitas adeſt, ſtatim ſecum concluſionem trahit comitem. eam enim cauſam quam diximus, quam aliquid neceſſario efficit, effectus ſequatur neceſſe eſt: ueluti ſi quis ſolem affuiſſe dicat, lucem quoque fuiſſe ſignificabit. aut cum cuiquam adeſſe ſapientiam dixerimus, ſapientem eum eſſe neceſſe eſt fateamur. At in cauſis efficientibus, quæ alterius indigent adiumentis, non eſt neceſſe effectum ſequi, nec ullam in rebus efficiendis neceſſitatem. Ideo dicta cauſa, non ſtatim ſequitur effectus. neque enim ſi congreſſus eſt, mox amabit: nec ſi fuit æs, ſtatuam quoque fuiſſe neceſſe eſt. Proinde aliæ ſunt cauſæ neceſſariæ, aliæ non neceſſariæ: aliæ ſunt efficientes, aliæ ſine quibus non efficitur. Neceſſariarum uero cauſarum concluſio non ſolet conturbare, quòd cauſa dicta, ſequatur effectus: non neceſſariarum uero, quæ ſunt efficientes, non habent ſubſequentem effectus concluſionem. neque enim ſi liberi ſine parentibus non ſunt, idcirco in parentibus efficiendi cauſa neceſſaria fuit, cum in poteſtate hominum ſit gignere. Ea autem cauſa, quæ ipſa quidem non efficit, ſed ſine ipſa effici non poteſt, eſt, ut Ennij uerſu oſtenditur. niſi enim cecidiſſent abiegnæ ad terram trabes, argo illa facta non eſſet: ex trabibus nanque argo facta eſt. ſed nulla erat neceſſitas trabibus, ut ex eis nauis fieret. At uero ea cauſa quæ eſt efficiens, & quæ in ſe continet ſuam neceſſitatem, huiuſmodi eſt, cuiuſmodi cum in Aiacis criſpiſulcans nauim igneum fulmen iniectum eſt. ſtatim enim accendendi nauim neceſſaria cauſa eſt, quia ignis accendendi uis eſt neceſſaria, quantum in ſe eſt. Sed hæc Cicero paulo obſcurius protulit,*

protulit, nimia breuitate conciſus. inquit enim: Atque illud quidem genus cauſarum quod habet uim efficiendi neſſariam, errorum afferre non ferè ſolet: hoc autem ſine quo non efficitur, ſæpe conturbat. Quod cum dixiſſet, exemplum dedit, ſed neutri conueniens. nam cum uel neceſſariam cauſam efficientem, uel eam ſine qua non efficitur propoſuiſſet, eius cauſa poſuit exemplum quæ efficit quidem aliquid, ſed non ſine alterius auxilio, hoc modo: Non enim ſi ſine parentibus filij eſſe non poſſunt, propter id cauſa fuit in parentibus gignendi neceſſaria. parentes enim cauſa ſunt efficiens, ſed per ſe neuter: & ea cauſa eſt, ſine qua fieri non poſſit, cum ipſa uim efficiendi non habet. itaque nec cauſæ neceſſariæ, nec efficientis poſuit exemplum, nec eius ſine qua fieri nihil poſſit: ſed ſi efficientis, non tamen neceſſariæ. Sed uidetur tacuiſſe in propoſitione id cuius poſuit exemplum. ita enim dicere apertius putamus. Atque illud quidem genus cauſarum, quod habet uim efficiendi neceſſariam, errorem afferre non ferè ſolet. quod autem nõ habet uim efficiendi neceſſariam, errorem afferre ferè ſolet: ut & hoc ſine quo non efficitur, ſæpe conturbat. Itaque ſic intelligendum eſt, ac ſi ita dictum ſit. nam de neceſſaria cauſa nullum poſuit exemplum. Quod uero ſubiecit, utriſque cauſis conuenit poſterius enumeratis, tam efficienti non neceſſariæ, quàm ei ſine qua non efficitur. parentes nanque tam ſexus maſculini, quàm fœminini eſſe dicuntur: quorum quidem maſculini ſexus ea cauſa eſt quæ efficiat, ſed non neceſſaria: fœminini uero, ea quæ non efficiat, ſed ſine qua effici non poſſit. ATQVE etiam eſt cauſarum diſſimilitudo, quod aliæ ſunt ſine ulla appetitione animi, ſine uoluntate, ſine opinione ſuum quaſi opus efficiant: uelut omne intereat quod ortum ſit. aliæ autem uoluntate efficiantur, aut perturbatione animi, aut habitu, aut natura, aut arte, aut caſu.] Diuidit rurſum cauſas, hoc modo: Cauſarum aliæ ſunt, quæ ſunt quadam ui, ſine appetitione, ſine uoluntate, ſine opinione, unum in efficiendis rebus ordinem tenent: ut eſt, interire omnia quæ orta ſunt. ortum enim omnem, ſequitur interitus. ea ſiquidem eſt quatuor illorum principiorum natura, ut quidquid ex eis componatur, aliquando diſſoluatur neceſſe ſit. nec ipſe ortus ut intereant, uel appetitione aliqua, uel uoluntate, uel opinione id efficit: ſed quod à rerum primordio ea ſit quatuor illis ſeminibus, unde omnia fiunt corpora, à rerum omnium conditore natura tributa, motuſq; perpetuus, ut quæ ex eis componantur, poſtea diſſoluantur. Aliæ item ſunt cauſæ, quæ aut in uoluntate, aut in animi perturbatione, aut in habitu, aut in natura, aut in arte, caſu'ue conſiſtunt. Voluntate, ut ſi quærat aliquis, cur Trebatius hunc à Cicerone ad ſe miſſum librum legat? reſpondebit, Quia legendi uoluntas eſt. Animi perturbatione, ut ſi quis timore palleſcat, aut bellorum ciuilium, futuraſq; ciuium cædes formidet: aut ſi quis roget, quæ'nam cauſa te animo eſſe perturbato compellit? reſpondeatur, bella ciuilia quæ imminere uideo. Habitu, ut ſi quis Ciceronem interroget, quæ'nam cauſa ſit, quòd tam diſerte omnia & copioſe dicat? reſpondeat, Vſus ſcribendi exercitatióq;, & multa legendi intelligendiq; cura præcipua. uel ſi interroget, quid ſit quod alius tam facile iraſcatur? reſpondeat, habitum non compeſcendi iram, ita factum. Natura, ut ſi interrogetur quiſpiam, quid nam in cauſa ſit, quòd tam iracunde omnibus reſpondeat? iſq; dicat, natura id fieri, idq; uitium in dies excreſcere, ſiue conſuetudine, ſiue natura ita iubente. creſcit enim plerunque ex conſuetudine, qui inſitus natura morbus eſt. Arte, ut ſi quis roget, quæ'nam ſit cauſa cur pingat aliquis tam egregie? & reddatur, pingendi ars. Caſu, ut ſi quis cauſam roget, cur tam proſpere nauiget? reſpondeatur, caſus. Atque horum nihil ſine cauſa eſt: & hæc ſingula uim nobis ſuppeditant argumenti, licet eiuſmodi ſint, ut nullã ferant neceſſitatem. Item omnes cauſæ quæ ex uoluntate uel perturbatione animi intelliguntur, eam ſpectant cauſam, quam mouendi principiũ Ariſtoteles appellauit. hæc enim ut aliquid efficiatur, mouendi principium ſunt. Quæ autem in arte, uel habitu, uel natura ſunt, in ratione conſiſtunt. ratio enim uniuſcuiuſque efficiendæ rei, in arte, & habitu, & natura poſita eſt. caſus autem exterior eſt cauſa, nec inter principales ab Ariſtotele numeratur, licet Cicero id fecerit. OMNIVM autem cauſarum in alijs ineſt conſtantia, in alijs non ineſt. in natura & in arte conſtantia eſt, in cæteris nulla. ſed tamen earum cauſarum quæ non ſunt cõſtantes, aliæ perſpicuæ, aliæ latent.] Cauſarum aliam diuiſionem rurſum adijcit, dicens: Cauſarum aliæ ſunt conſtantes, aliæ uero inconſtantes. Conſtantes ſunt, quarum non ferè uariatur effectus: inconſtantes autem, quæ tranſmutationibus ſunt obnoxiæ. omnia igitur quæcunque ex natura atque arte deſcendunt, conſtantia ſunt. Natura quippe atque ars, ſuum ſemper opus conficiunt, niſi ſubiecta obſtet materia, caſus'ue extra artem ullus offenderit. nam quod idem artifex ex eadem ſæpe materia non admodum ſimiles format ſtatuas non hæc eſt in arte uarietas, ſed tum in artificis manu, quæ artis integritatem aſſequi non potuit: tum in ipſa materia, quæ æqualiter ſemper ſe non ſubijcit. idem in natura eſt. ſeruat enim conſtantiam, cum hominem aut quiduis format, quantum ad eius ſpeciei formam attinuit, integrum, at cum monſtroſe aliquid edituir, non naturæ uitio, ſed materiæ, aut latentis alicuius cauſæ occurſu obueniſſe credendum eſt. Sed inter conſtantes cauſas, habitus quoque potuit adiungi. nam quod ex habitu cuiuſque ſit, id conſtans, nec mutabile eſſe ſolet: quandoquidem habitus nominatur, quod à diuturnitate habendi in naturæ ſimilitudinem uertitur. Aut quamobrem quod immutari penè impoſſibile ſit, dixit Ariſtoteles: ἕξεις δ' εἰσὶν, καθ' ἃς πρὸς ταῦτα ἔχομεν εὖ, ἢ κακῶς. Sed fortaſſis illud ſpectauit Cicero, quod natura atque ars nõ tam in effectibus conſtantes, quàm in propria ratione eſſe intelliguntur: unde & materiæ imputatur, ſi quid in natura arte'ue erratum inueniatur. habitus autem ex conſuetudine quadam colligitur, nec aliquid fortaſſe rationi tribuit. Ea porrò quæ non ſunt conſtantia, in ea diuidit quæ perſpicua ſunt, & in ea quæ latent. Perſpicua ſunt, quæ animi quolibet motu, uel appetitione, uel iudicij ratione perficiuntur. Latent autem, quæ fortunæ ſubiacent. nam quia non ignorat animus in quam potiſſimum partem declinet, neceſſe eſt nota eſſe quæ ex uoluntate uel animi iudicio fiunt. itaque quoniam dementes & inſani nullam uoluntatem habent, nedum mentis iudicium, certi nihil agere poſſunt. quandoquidem belluarum ritu ſenſibus feruntur, non ratione. quamobrem cum ſit uoluntas cum ratione appetitio, unde & à Platone definitur, βούλησις ἐστὶ μετὰ λόγου ὀρθοῦ, ὄρεξις μετὰ λόγου κατὰ φύσιν, non eſt dubium quin à dementis mente ſit aliena. Fortuna uero atque caſus ſemper ignotus eſt: cuius quidem natura atque incerta eſſe perhibetur, atque ea quæ ex ipſis caſibus fortunáq; fiunt. Sed quid'nam eſt quod Cicero caſum definit, euentum cauſis latentibus effectum? num ſi adhuc lateret quibus cauſis ſolis defectus, lunæ'ue euenerit, à fortuna caſu'ue fieri dicerentur, cum ex conſtantibus cœli motibus ratáq; ratione fieri intelligantur? nullus hoc philoſophus dici recte poſſe recipiet. enimuero tam Plato quàm Ariſtoteles aſſerunt, quæ uel rebus uita carentibus, uel ſine ratione uiuentibus animalibus accidunt, non ex natura uel arte, omnia caſu facta dici. quæ uero hominibus accidunt, uel fauentia negotijs eorum, uel aduerſantia, fortuita, & ex fortunæ arbitrio deputari. Itaque id à Cicerone ita dictum crediderim, quia non de hac re ſibi fuit diſſutandum, ſed uepote ad Trebatium ſcribente, paulo minus argute id eſſe conſulto ab eo poſitum: & cum omnia quæ certis de cauſis fiant, iam manifeſto deprehenſa uideantur, nec amplius

quidquam latitare, quod intelligi queat uideatur : caſus autem & fortunæ, nulla omnino ratione fieri intelligi poſſint, ita caſum definiſſe, unde & latenter efficitur, dixit, non dixit, quæ nos lateret : ut eius rei eam eſſe naturam oſtenderet, ut lateret: etiam ut ea quæ fiunt, partim ſint ignorata, partim uoluntaria. ignorata, quæ neceſſitate effecta ſunt : uoluntaria, quæ conſilio. quæ autem fortuna, uel ignorata, uel uoluntaria. His addit aliam cauſarum partitionem. ait autem alias cauſas eſſe uoluntarias, alias ignoratas. uoluntarias eas, quæcunque ex iudicio animi ueniunt : ignoratas, in quibus neceſſitas donatur, id eſt, in quibus aut omnino nolumus, aut ne ſi uelimus quidem, aliter poſſimus efficere : ut in natura atque caſu, neceſſitate. ſiquidem natura grauia deorſum feruntur, & leuia ſurſum. Neceſſitate item factum dicimus, ut aliquis ignorans, qui iacto trans parietem lapide, prætereuntem hominem peremerit, non quo aliter fieri, ſed quòd niſi iacto lapide feriri non potuerit. Voluntatem uero à fortuitis euentibus uno exemplo aptiſſime ſeiunxit : ueluti ſi telum iacientes ferire quempiam nolimus : iacere ex uolũtatis naſcitur arbitrio. idcirco enim iecimus, quia uoluimus : ignoramus autem quem ſimus percuſſuri. neque iecimus. quis percutere uoluerimus. ſi enim non ignoraſſet, non percuſſiſſet. Ex quo, inquit, aries ille ſubijcitur in ueſtris actionibus, Si telum manus fugit, magis quàm iecit. Teſtudo à uectibus contexebatur, quæ ne exureretur iacto igne, corijs uel cilicijs, centonibusq; ueſtiebatur. hæc intrinſecus accipiebat trabem, quæ adunco præfigebatur ferro : cui falx nomen fuit, quòd incuruum more falcis eſſet, ut è muro lapides extraheret. ant certe caput ipſius ueſtiebatur ferro, appellabaturq; aries : uel quod duriſſimam frontem haberet, qua ſubuertebat muros : uel quòd more arietis retrocedebat, ut cum impetu uehementius feriret. Hoc ergo dicit, ex quo aries ille ſubijcitur, id eſt, accuſantis more arietis expugnatio adhibetur, cum defenditur hoc modo, qui percuſſerit, ut dicatur telum manus fugit, quo teli miſſi imprudentiam oſtendamus, nec conſulto iactum fuiſſe oſtendemus. itaque quòd ſi quis accuſetur cædis, aliquando hac ſolet euadere defenſione. De perturbationibus autem animorum dubitari poteſt, ut cum uoluntariæ ſint, an neceſſitate uel ignoratione obueniant. peccata enim omnino uoluntaria eſſe intelliguntur : ſed confuſo obſcuratoq; plerunque iudicio, cæci peccata uidemur incurrere. hinc euenit, ut non inter uoluntarias, ſed inter ignoratas uel neceſſarias cauſas, animi perturbatio eſſe uideatur. tantum enim plerunque animus perturbatur, ut à ratione omnino diſcedat, ac conſulentium recte admonitiones animo cernere non queat. omnis enim animi perturbatio iudicium rationemq; ſubuertit : quamobrem quidquid ex eis obuenerit, uiolenta uidetur neceſſitate potius quàm libera ex uoluntate deſcendere. TOTO igitur loco cauſarum explicato, ex earum differentia in magnis quidem cauſis uel oratorum, uel philoſophorum magna argumentorum ſuppetit copia.] Diuiſo cauſarum loco, atque per ordinem ſuis partibus diſtributo, de loci eiuſdem facultate, quibusq; uberius, & quibus anguſtius accommodetur, uti mos eſt ſuus, Cicero ediſſerit. Primum enim, inquit, oratoribus & philoſophis, quorum diſputationes largius effunduntur, multa ex cauſarum loco copia ſuppeditatur. nam cum de qualibet re quæritur, eius cauſa à philoſophis inueſtigari ſolent: quibus propoſitis, ſequitur quod concludendum eſt : & oratores ad ſuſpicionem mouendã amouendam'ue, factorum cauſas requirunt. Inde quoniam ad Trebatium ſcribit Cicero, hunc quoque locũ iuriſconſultorum reſponſionibus accommodatum eſſe oſtendit, in quibus maxime eorum apparet prudentia. priuatarum ſiquidem quæſtiones cauſarum, in iuriſconſultorum prudentia maxime uerſantur, & in quibus bonæ fidei iudicia nectuntur. In his enim quis fuerit contrahentium animus, quæri ſolet. Cognoſci autem animus qui poterit, niſi præcedentibus cauſis? In his igitur iudicijs, in quibus additur, ut ex bona fide iudicent, hoc eſt, ubi iudices dantur, non ut ſeuero iure inter litigantes ſtipulationes ſtringant, ſed bonam fidem quærant, plurimum cauſarum uſus facit : in quibus etiam additur, ut inter bonos bene agi oporteat. conſiderantur mores, inquiruntur conſilia, ſtatuiturq; quibus quidque de cauſis adminiſtrandum ſit. Item in rei uxoriæ iudicio, cauſarum uberrimus eſt campus, ueluti cum poſt diuortium de dote lis naſcitur. dos enim licet matrimonio conſtante in bonis uiri ſit, non in uxoris iure, & poſt diuortium uideri poteſt. dos enim interdum his conditionibus dari ſolebat, ut ſi inter uirum uxoremq; diuortium contigiſſet, quod melius æquiusq; eſſet, apud uirum relinqueretur, reliquum dotis uxori reſtitueretur. in quo iudicio non tantum boni natura ſpectari ſolet, uerumetiam comparatio bonorum : ut non tantum quod æquum bonum, ſed quod æquius meliusq; eſt, nobis ſequendum ſit. quæ omnia ex præcedentibus cauſis ueſtigari ſolent. nam ſi uiri culpa diuortium factum eſt, æquius meliusq; eſt apud uirum nihil manere : ſi à mulieris, æquius meliusq; eſt ſextam partem retineri. in hisq; omnibus paratiſſimi eſſe iuriſconſulti debent. Quo fit, ut Trebatium quoque ad hæc hortetur intelligenda. multa enim, inquit, ſunt quæ bonorum operam expectant. ſiquidem illi dolum malum, illi bonam fidem, illi æquum bonum, illi etiam quid ſocius ſocio præſtare debeat, ex cauſis præcedentibus dijudicant. is quoque qui gerendum cuiuſquam ſponte ſuſceperit negotium, & is qui mãdauerit, ei cui mãdauerit ſuorum actiones negotiorum, cauſis iudicat, quid uir uxori, quid uxor uiro debeat. hæc omnia cauſarum cognitione iudicari recte queunt. omnia nanque quæ quiſque alteri præſtare, cauſas habere, uel eorum tractandi iudicandiq; negotijs cauſæ ſunt, cur potius hoc quàm illud iudicet faciendum. Quocirca recte concluſit, diligenter cognitis argumentorum locis, non tantum oratoribus & philoſophis, ſed etiam iuriſconſultis, argumentorum copiam non defuturam. CONIVNCTVS huic cauſarum loco locus ille eſt, qui efficitur ex cauſis. ut enim cauſa effectum indicat, ſic quod effectum eſt, quæ fuerit cauſa demonſtrat. hic locus ſuppeditare ſolet oratoribus & poetis, ſæpe etiam philoſophis, ſed his qui ornate & copioſe loqui poſſunt, mirabilem copiam dicendi, cum denunciant quid ex qua re ſit futurum. cauſarum enim cognitio, cognitionem effectorum facit.] Omnia quæ ad ſe referuntur, recte dicuntur eſſe coniuncta : ipſa enim relatio rerum efficit coniunctionem. Quòd ſi cauſa alicuius eſt cauſa, ut eſſe oportet, non alterius niſi ſui effectus eſt cauſa. Iure igitur ab effectis locus, cauſarum loco coniunctus dictus eſt : & cum cauſæ multam argumentorum copiam ſuggerant, effectus quoque idem facere neceſſe eſt. Hic locus licet philoſophis ſuppeditare magnam argumentorum poſſit copiam, quippe quòd non tantum à cauſis effectus demonſtrant, ſed etiam ex effectis cauſam probant, nec id tantum phyſici, uerumetiam aliquando mathematici, quorum ſcientia in demonſtratione tota uerſatur : oratoribus tamen & poetis, qui copioſe loqui poſſunt, uim argumentorum maximam ſuggerunt. Oratoribus quidem, uelut ipſe Cicero, ut exempli gratia aliquid ſubijciamus, pro Flacco : Sua cuique ciuitati religio Læli eſt. noſtra, nobis. ſtantibus Hieroſolymis pacatisq; Iudæis, tamen iſtorum religio ſacrorum à ſplendore huius imperij, grauitate nominis noſtri, maiorum inſtitutis abhorrebat : nunc uero hoc magis, quod illa gens quid de imperio noſtro ſentiret oſtendit, armis quàm chara dijs immortalibus eſſet docuit, quod eſt uicta, quod capta, quod ſeruata. Ex effectu etenim cauſam probat, non eſſe charam dijs immortalibus, cum hæc obuenerint : quæ res in leuiſſimis etiam aliquando deprehenditur. ut idem pro Balbo : Erat accuſatoris interpretatio

Indigna

indigna reſponſione, qui ita dicebat, comiter eſſe communiter. quaſi uero priſcum aliquod aut inſolitum uerbum interpretaretur. Comes, benigni, faciles, ſuaues homines eſſe dicuntur, qui erranti comiter monſtrant uiam, benigne, non grauate: communiter quidem certe non conuenit. cur enim indignum fuiſſe cui reſponderet, oſtendit ex rei leuitate, & ex eo effectu hominis annotauit imbecillitatem: Poetis uero, ut uno ſim Lucretij contentus exemplo: qui ex multis effectibus ingentem peſtem Athenienſes inuaſiſſe, ita oſtendit:

Principio caput incenſum feruore gerebant,
Et duplices oculos ſuffuſa luce rubentes:
Sudabant etiam fauces intrinſecus atræ,
Sanguine uiſceribus uocis uia ſepta coibat,
Atque animi interpres manabat lingua cruore,
Debilitata malis, motu grauis, aſpera tactu.
Inde ubi per fauces pectus complerat, & ipſum,
Morbida uis in cor mœſtum confluxerat ægris,
Omnia tum uero cum uitæ clauſtra labebant,
Spiritus ore foras tetrum uoluebat odorem,
Rancida quæ perolent proiecta cadauera rictu,
Atque animi prorſum uires, ac totius omne
Languebat corpus lethi iam limine in ipſo.

Et denique totus locus ille, ubi quanta ea fuerit uis morbi, ex effectu ipſo deprehenditur. Sed apud oratores & poetas infinita ſunt alia, quæ unuſquiſque ſibi exẽpla poterit inuenire, quid ex qua re ſit futurum. id enim eſt ex cauſa effectum probare, cuius rei apud oratores & poetas exempla ſunt innumerabilia, & repertu facillima. RELIQVVS *eſt comparationis locus, cuius genus & exemplum ſupra poſitum eſt, ac cæterorum nunc explicanda tractatio eſt.]* Omnis comparatio duplex eſt. aut enim æqualia ſibimet comparantur, aut inæqualia. Omnium itaque comparationum modos Cicero nunc perſequitur, cum ſupra inuentionis exemplum duntaxat appoſuerit. Omnis igitur comparatio aut in numero conſtat, aut in ſpecie, aut in ui, aut in aliqua locata extrinſecus affectione. nã quodcunque conferre uolumus, aut numero comparamus, & in hoc aliud maius, aliud minus eſſe diſcernimus. aut ſpeciem ipſam ſpectantes, tamq; alij comparantes, quid excellat indicamus. aut conſideramus quid res quæque poſſit efficere, & in quantum eius poſſit progredi natura. aut ex aliorum quodam modo continentia, & ex circunſtantium affectione, rem quam alicui conferimus intuemur. numero igitur quæ comparantur, ſi ex eodem ſint genere, plura paucioribus anteponuntur: uelut ſi bona omnia ſint æqualia, iure aliquis plura bona paucioribus anteponet. & hæc maxima propoſitio eſt, Plura bona paucioribus anteponuntur. At ſi omnia in contrario ſint genere, pauca pluribus plerunque anteponentur: ut pauca mala, pluribus malis. Mala uero ipſa, bonis nullo modo conferuntur. nam cum ſe contrarijs ſpectent frontibus, conferri comparariq; non queunt. Eſt etiam in numero comparatio, in temporis ratione. nam cum tempus certis quibuſdam interuallis metiamur, uelut horas, dies, menſes, atque annos: ex æqualibus bonis ea magis eligenda ſunt, quæ diutius durant. quod in numero poſitum eſſe, facile intelligitur à quouis. Longe etiam peruagata, anguſtis et coartatis in unum locum, comparatione præcellunt. nam quæ longe lateq; peruagata ſunt, ea in plurimas gentes regioneſq; diffuſa ſunt, quæ plures facere & imitari queant. Species uero comparantur, ac quæ ſua quodammodo pulchritudine merito cæteris anteferuntur. meliora enim ſunt quæ propter ſe, quàm propter aliud expetuntur: uelut ſalus, quæ per ſe expetitur: medicina, quæ propter ſalutem. quamobrem ſalus medicinæ præſtat. illa quoque quæ innata ſunt atque inſita, aſſumptis & aduenticijs meliora iudicantur: ut innata moribus grauitas, longe excellit eã quæ per imitationem affectatur. Integra contaminatis. quæ enim integra ſunt, ſpeciem ſuam ſeruant: quæ contaminata, aut aliqua parte uitiata, ſi qua eis ſpecies inerat amiſerunt. Iucunda minus iucundis meliora, cõmunis omnium animalium natura diiudicat. Honeſta utilibus ſapientes anteponunt. Procliuia laborioſis. omnis enim ad eundem finem facile potius, quàm laborioſe cupit tendere. Neceſſaria non neceſſarijs partim præferri, partim etiam poſtponi debent: quod tacuit Cicero. neceſſaria quippe præferuntur his non neceſſarijs, quæ non boni ratione, ſed uoluptatis appetitione quæruntur. ueluti per luxuriam comparata, ſapiens nullus iudicabit eſſe meliora his quæ naturæ expleant indigentiam.

Quædam uero ſunt, quæ ipſa ſpecie boni cum non neceſſaria ſint, meliora ſunt neceſſarijs. nam uiuere neceſſarium eſt, & ſine eo conſiſtere animal non poteſt: bene uiuere autem, nõ neceſſarium: melius tamen eſt excellentiuſq; unicuique bene uiuere, quàm uiuere tantum. hoc enim rarum etiam inter homines eſt, & ad naturam diuinam proxime accedit: illud autem animantibus etiam brutis commune nobiſcum eſt. Sua alienis: quæ poſt mortem & nos comitantur, quàm quæ relinquuntur: uel quæ ad nos magis attinent, quàm quæ ad alios, debent eſſe cariora. Rara uulgaribus: ut bene uiuere, quàm uiuere: honeſtatem quàm utilitatem ſequi: rationi quàm appetitioni obtemperare: cum bona fama paucas opes, quàm ingentes cum infamia expetere. Deſiderabilia, his quibus facile poſſis carere: ueluti ſi quis capillum alicui attondeat, facilius pati id queat, quàm ut oculo careat, aut manu. Perfecta inchoatis: ut, perfectum iam opus, illo quod fieri iam incipiat. Tota partibus. quod enim totum eſt, id eſt integrum: quod uero pars totius, imperfectum. totum autem imperfecto antecedere, nemo dubitat. Ratione utentia, rationis expertibus, nullus meliora eſſe ambigit. Voluntaria quoque neceſſarijs anteponuntur: ſiquidem quæ uoluntaria ſunt, libera ſunt: quæ neceſſaria, ſeruilutẽ inferunt. Animata inanimatis. quæ animam habent, excellunt ea quæ carent anima. idq; nulli dubium eſt, ſi naturam aſpicies rei, non appetitionem tuam ſpectes: nam tunc aurũ & argentum dices præcellere omne animal, nedum aliquid etiam puſillum. Naturalia non naturalibus, & artificioſa inartificioſis: quia hic gradus in natura eſt, ut eam præferas arti, artem autẽ inertiæ. ars enim naturã imitatur. quidquid enim in natura pulchri eſt, ars cupit imitari. VIS *autẽ in cõparatione ſic cernitur. efficiẽs cauſa grauior quàm nõ efficiens.]* In quo uis cõſiſtat, nũc cõſideratur. Primũ igitur quod unaquæque res poteſt, id eius rectiſſime uis poteſt dici. Efficiẽs igitur cauſa grauiorẽ uim habet, quàm ea quæ nihil efficit: uelut artifex melior quàm materia. illa quippe ſtolida eſt, atque immota, nec aliquid efficiens, niſi formã ab artifice, id eſt, ab efficiente cauſa ſuſceperit. Quæ ipſa cõtenta, ſunt meliora quàm quæ egent alijs. in aliena enim manu poſita facile elabuntur: ueluti omniũ optimus deus eſt, qui nullo indiget: ipſo autem animal. Et quæ in noſtra poteſtate ſunt, meliora quàm quæ nõ ſunt: ut uirtus quã diuitiæ: uirtus in noſtra poteſtate eſt, diuitiarum domina eſt fortuna. Et naturalibus ſcientia præcellit: naturales enim ab alijs ad nos fluxere, ſcientia in nobis eſt, quam nobis ipſi cõparamus. Stabilia incertis: quæ eripi poſſunt, inferiora his omnia quæ eripi nulla ui poſſunt: quæ tamen bona ſunt, nullus dubitat eſſe meliora. AFFECTIO *autem ad res aliquas, eſt huiuſmodi.]* De affectione ultima reſtat tractatio. PRINCIPVM *cõmoda maiora, quã reliquorũ.]* Maiora ſunt principũ cõmoda, & eorũ qui aliquã Remp. gubernẽt, quàm priuatarum perſonarum: comparantur enim hæc ſibi, hoc eſt, affecta ſunt eodẽ modo. Quæ iucundiora pluribus, quæ clariora inter multos, quæ à pluribus cõprobata, & quæ optimus quiſque laudauit, meliora ducuntur. licet quod à pluribus probatur, ſupra in ea comparationis parte poſuerit, in qua fiebat ſecundum

numerum comparatio : nil tamen impedit, eandem rem diuerſa conſideratione diuerſis ſubijci locis. ATQVE ut hac in comparatione meliora, ſic deteriora quæ his ſunt contraria.] Dictis igitur omnibus meliorum locis, his oppoſiti quæ deteriora ſunt continebunt. itaque eos unicuique cognoſcere facile eſt. Parium uero nulla eſt diſcretio. neque enim quod par eſt, aut excedere, aut ſummitti poteſt : & quæ æqualia ſunt uel numero, uel ſpecie, uel ui, uel affectione ſunt paria. Exemplum uero quod ſubiecit Cicero, ut Trebatio blandiretur eſt poſitum, ut oratoriæ facultates cum iuriſperitorum laude coniungat, hoc modo : Si conſilio iuuare ciues, quod iuriſperitorum eſt : & auxilio, quod oratorum eſt : æqua in laude ponendum eſt, paris gloriæ eſſe debent & hi qui conſulunt, id eſt periti iuris, & qui defendunt, hoc eſt oratores. At quod primum eſt, id eſt, conſilio iuuare ciues, & auxilio, æqua in laude ponendum eſt : quod ſequitur igitur, hoc eſt, & qui conſulunt & qui defendunt, pari in gloria eſſe debent. & eſt hæc probatio ab antecedenti ſumpta : ut ſi dicas, Si dies eſt, lux eſt : atqui dies eſt, lux igitur eſt. Ita dictum à Cicerone, ſi conſilio & auxilio ciues iuuare æqua in laude ponitur, paris laudis oratores & iuriſperitos eſſe oportet : atqui in pari ſunt laude qui conſulunt & auxilium præſtant. id enim antecedebat. conſequens eſt, ut paris ſint laudis iuriſconſulti & oratores. HAEC ergo argumentatio quæ dicitur artis expers, in teſtimonio poſita eſt : teſtimoniũ autem nunc dicimus, omne quod ab aliqua re externa ſumitur ad faciendam fidem.) Expoſitis artificialibus, iam inartificiales locos tractaturus eſt. Extrinſecus itaque poſitum argumenti locum, quem Cicero artis expertem uocat, in teſtimonio poſitum eſſe aſſerit. Sed dubium uideri poteſt, quid hic locus differat à ſuperioribus, quæ affecta appellauit. nã ſicut affecta ad ſe referũtur, ita teſtimonia ad ea quorũ teſtimonia ſunt referuntur. Quamobrem cur aut ea quæ affecta dicta ſunt, nõ extrinſecus appellentur : aut quæ nunc extrinſecus, non inter affecta ponerentur, quæri potuit : cum præſertim ea quæ adiuncta eſſe negotio ſupra dixerimus, uelut quoddam teſtimonium ſæpe rebus afferant, cum ex eorum quæ præceſſerunt uel conſecuta ſunt ſignis, quid geſtum ſit conſiderari ſoleat. Quorum communis illa ſolutio eſt, quòd ex affectis argumenta ab oratore inueniuntur, eiusq; opera atque induſtria naſcuntur. ea autem quæ extrinſecus poſita ſunt, rei tantum teſtimonium præbent : nec ab oratore inueniuntur, ſed eis orator utitur inuentis & paratis. Quæ enim à genere uel ſpecie uel à cæteris affectis argumenta ducuntur, ab ipſo oratore comparantur, creduntur q; quodammodo : teſtimonia autem ſibi ipſe non efficit, ſed ad cauſas præparatis utitur. quo fit, ut argumenta ex affectis in cauſa ſtatim atque ex tempore naſcantur : ea uero quæ in teſtimonijs poſita ſunt, rem præcurrentia, uſum negotio poſterius præſtent. Adiuncta ab oratore cõiectura colliduntur: teſtimonia uero non in coniecturis, ſuſpicionibuſue, ſed rei iam factæ narratione conſiſtunt. dici enim à ſe uocari teſtimoniũ, quod ab aliqua externa re ſumitur. PERSONA autem non qualiſcunque teſtimonij pondus habet : ad faciendam enim fidem auctoritas quæritur.] Quoniam locum artis expertem in teſtimonio poſitum eſſe dixit, in teſtimonijs uero perſonarum fidei ſumma auctoritas quæritur, neceſſarium fuit quibus rebus auctoritas fieri ſoleat, expediret. Et cætera quidem clariſſime atque apertiſſime dicta ſunt. Sed quod auctoritatem in naturam tempusq; diuiſit, quod'que in tempore ingenium, opes, fortunam, artem, uſum, neceſſitatem, concurſionem etiam nonnunquam rerum fortuitarum locauit, quæri poteſt. quid enim attinet ad tempus ingenium? quid ars? quid uſus? nam ætas atque opes, & fortuitarum rerum concurſio, tempori rectè ſubijciuntur : quoniam unumquodque horum uarijs temporum uicibus permutatur. Ingenium uero potius naturæ attribui debere uidetur. Quod ſi uelimus propriè diſtribuere, artem uidemur & uſum tertium quiddam conſtituere, quod neque tempori neque naturæ ſubijciatur. licet uirtus quoque ipſa, quam Marcus Tullius in naturæ ratione conſtituit, quibuſdam non tam naturalis, quàm tum doctrina tum recta uiuendi inſtitutione uideatur comparata. Eſt ergo hæc diuiſio ita intelligenda, quod omnis auctoritas aut ex magnis atque excellentibus rebus & natura optimis uenit, aut his quæ infra naturam ſunt : fidem non ex naturæ qualitate, ſed ex uulgo inſitis opinionibus capit : & maximas excellenteisq; res in natura conſtituit, quæ ſemper (ut ipſe Cicero multis in locis defendit) boni eſt appetens. At quæ poſteriora ſunt, ſub tempore poſuit : quoniam omnia tempori ſubiecta, principalis boni ſtatum non retinent : uirtus quidem quoniam firmos iam habitus boni habet, ad uitium flecti non poteſt. quod ſi poſſit, non uirtus, ſed uirtutis fuit ſimulacrum. Ingenium autem, & opes, & fortuna, & ars, uſusq; ſæpe inuertuntur : nam quidquid horum fuerit à uirtute ſeiunctum, ueræ uirtutis dignitatem amittit. Et de uirtute quidem dicere diſtulit : poſteriorem uero partem, id eſt, in tẽpore poſita auctoritatis, diuiſit, & euidentiſſimis patefacit exemplis. Nam & ingenijs fides adeſt, atque ex eo præſto eſt auctoritas plurima, eos quippe ſapientius loqui homines credunt, quorum ingenium uelox ad explicandum extricandumq; quiduis fuerit : opibusq; præpollentes, dignos fide rentur : fortuna quoque & dignitate præclaros, auctoritatis quadam maieſtate digniſſimos quibus credatur exiſtimant. non recte fortaſſis. Sed & iudicium in negotijs, & uitæ exiſtimatio opinione hominum maxime creſcit : quæ quia mutari uix poſſunt, ad eam cuncta orator diriget, eandemq; ſibi tractandam regendamq; proponet. quandoquidem & qui iudicaturus eſt, & exiſtimantis auditoris eã uidet eſſe perſuaſionem. Ars præterea atque uſus etiam plurimum ualent : in utriſque enim fidẽ notitia facit, quæ ex ſciẽtia experiẽtiaq; naſcitur. FACIT etiã neceſſitas fidem, quæ tum à corporibus, tum ab animis naſcitur.] Neceſſitas quoque, inquit, quaſi quod latebat extorquens, auctoritati obnoxia eſt. Hæc tum à corporibus, tum ab animis uenit. à corporibus quidem, cum igni, ferro, uerberibus quod uerum latet, aperitur : ab animis uero, cum mens quadã perturbationis uel ignorantiæ neceſſitate uerum dicere quodam modo compellitur. confuſa enim mens, nec quid dici, nec quid taceri debeat, ſatis diſtinguit : ſiquidem iracundia, uel animi quælibet perturbatio, quod occultandum fuit, non tenet. Quæ idcirco ad fidem faciendam habent auctoritatem, quia ſimpliciter prodita ſunt, nec aliqua calliditate id prolatum eſt. Quin etiam puerorum ignorantia, uinolentia, ſomnijs quædam ſæpe produxerunt in medium, in quibus ſi iudicium ullum ſit, prolata utique non eſſent. Sæpe etiam homines præter ullam animi perturbationem imprudentes, propria confeſſione ſe condemnarunt, dum ſimpliciter cuncta effundunt, quæ ſibi nocitura nõ æſtimant : ut Stagerio tunc eueniſſe dicit Cicero, qui interpoſito pariete teſtibus audientibus ea imprudens cõfeſſus eſt, quaſi ſecurus eſſet ne à quoquã audiretur, quibus uulgatis in iudiciumq; prolatis, capitis damnatus interijt. HVIC ſimile quiddã de Lacedæmonio Pauſania accepimus.] Nã ut Thucydides ſcripſit, & Aemilius Probus ſcriptis teſtatur, Argilius quidam adoleſcentulus cum epiſtolam Pauſaniæ ad Artabagum accepiſſet, eiq; in ſuſpicionem ueniſſet, aliquid in ea de ſe eſſe ſcriptũ, quod nemo eorũ rediſſet qui ſuper tali cauſa eodem miſſi erant, uincula laxauit epiſtolæ, ſignoq; detracto cognouit, ſi pertuliſſet, ſibi eſſe pereundum. Erant in eadem epiſtola, quæ ad ea pertinebãt quæ inter Regẽ, Pauſaniamq; cõuenerant : has ille præfectis urbis tradidit. ſed Lacedæmonij ne huius quidẽ indicio impulſi ſunt, ut Pauſaniã cõprehenderent : neque prius uim adhibendam putauerunt, quàm ſeipſe indicaſſet. Itaque huic indici

quid

quid fieri uellent, præceperunt. fanum fuit Neptuni, quod uiolari nefas putabant Græci: eo ille index confugit, in ara conſedit, hanc iuxta locum fecerunt ſub terra, ex quo poſſet audiri ſi quis quid loqueretur. cum Argilio huc uiri habiti boni ex præfectis, quorum res arbitratu fieret, quidam deſcenderunt: Pauſanias nihil tale cogitans, ſui ſecurus, ut Argilium in aram confugiſſe audiuit, eo peruenit. quem cũ ſupplicem in ara Neptuni ſedentem uideret, quærit quid cauſa ſit tam repentini cõſilij. Huic ille, quid ex literis comperiſſet, aperit. tunc magis pauitans Pauſanias, orare cœpit ne enunciaret, ne ſe meritum optime de illo proderet. quod ſi eam ueniam ſibi dediſſet, tantiſq; implicatum rebus ſubleuaſſet, magno ei præmio futurum. His rebus ab eius uerbo clandeſtine excipientibus. ſatis iam cognitis, putarunt in urbe eum comprehendi oportere. quo cum eſſent profecti, & Pauſanias placato Argilio (ut putabat) Lacedæmona reuerteretur, in itinere cum iam eueniſſet ut comprehenderetur, ex uultu cuiuſdam præfecti qui eum amoneri cupiebat, inſidias ſibi fieri intellexit. itaque paucis ante gradibus, quàm qui ſequebantur, in ædem Mineruæ, quæ Chalcidicos uocabatur, confugit. hinc ne ullum pateret effugium, ſtatim qui ſecuti fuerant ualuas eius ædis obſtruxerunt, tectumq; ſunt demoliti, quo ſub diuo celerius interiret. Sic Pauſanias magnam belli gloriam turpi morte maculauit. nam cũ ſemianimis exinde de templo elatus eſſet, confeſtim animam efflauit. Cuius mortui corpus cum eodem nonnulli dicerent inferri oportere, quo hi qui ad ſupplicium eſſent dati, diſplicuit pluribus, & procul ab eo loco infoderunt, quo erat mortuus. inde poſterius Delphici Apollinis reſponſo erutus, eodem in loco ſepultus eſt ubi uitam poſuerat. Atque hæc quidem in ignorantia, in neceſſitate conſtituta eſſe dicit Cicero. nam id quod quis neſcit, uix poteſt euitare: idq; uidetur ipſa propemodum referre ueritas, quod illi ferunt. Concurſio etiam fortuitarum rerum fidem facit. quæ licet aliquando falſa ſignificat, tamen tantã habet uim, ut plerunque pro uero habeatur. Concurſio quoque fortuitarum rerum fidem facit cum cauſa aut proinde ac ſi uere ageretur aut diceretur aliquid, ita rationibus conuincitur, ut nullo modo falſum uideatur, quod refutari plerunque uix poteſt. Velut de Palamede narratur à Græcis: obrutus enim ſaxis, quod ab Vlyſſe proditionis totius exercitus fuerit inſimulatus, compertis in ſinu interfecti literis falſis, quaſi à Priamo ad Palamedem miſſis. fuerat autem manum imitatus Phrygiam Vlyſſes, & pondus Priamum miſiſſe auri illæ literæ teſtabantur: quo comperto, fides facta proditionis eſt. In hoc etiam genere, inquit Cicero, eſt quod uulgo ab omnibus creditur, & multitudinis imperitæ fama celebratur. QVAE autem uirtute fidem faciunt, ea bipartita ſunt. ex quibus alterum natura ualet, alterum induſtria.] Ea, inquit, quæ uirtute extrinſecus uim nobis argumentorum ſuppeditant, bifario diuiduntur: quorum alterum natura, alterum induſtria fidem faciunt. & utrunque aut ex rebus diuinis, aut ex hominibus, nobis probandi aut refellendi uim argumentorum ſuppeditant. natura quidem diuina ſunt teſtimonia, ut oracula: quæ quoniam deorũ continere creduntur orationem, ſine ulla extrinſecus adhibita induſtria fidem ſolent facere. & quoniam in dei ſunt uoluntate, nec ab ullo dependent, fieri natura Cicero dixit. illa autem, quaſi ſecundaria fidem facerent induſtria quadam uim habere protulit. Huius, inquit, operis & induſtriæ primum eſt mundus: ut ſi in mundo dicas ea fieri ſolere, ut eclipſes, quod in caſtris maxime ſolet accidere, ne terreatur aliquando imperita multitudo, ut dicatur hæc mundi ea natura eſſe ut hæc ferat, nec ob id timendum quicquam: & ordinem hunc eſſe, ut qui ex quatuor elementis componatur, intereat: ornatumq; eſſe, ut rerum uiciſſitudines fiant. Deinde cum ita probamus eſſe, quoniam ex auium uolatu auſpicium, et cantu auguriũ captatum intellectumq; ſit: deinde aeris ſonitus, ut armorum nonnunquã crepitus, futura bella indicarũt. & ardores, unde futura monſtrentur incendia, aut ingentes æſtus futuros. portentis quoque in terra indicantur aliqua, ut in hiſtorijs plerunque legitur. ex inteſtinis quoque uictimarum haruſpices futura diuinant, præſentia hoc eſt fauentia inuenta ſunt rebus de quibus quæritur. A' dormientibus quoque, uiſionibus & inſomnijs, multa ſunt per ſomniorum coniectores ſæpe prædicta, præſertim cum ea ſunt ut oracula uideri poſſint. In homine autem multũ teſtimonij uirtutis præbet opinio: ut non tantum qui eam habeant, ſed qui habere uideantur, multum fidei præſtent. Sed quoniam duplex eſt uirtus, altera quæ intelligentia tota tributa eſt, altera quæ in moribus & bene uiuendi uia conſtituta, recte ita diſtribuit inquiens, quos ingenio, quos ſtudio, quos doctrina præditos uident: ut his uerbis uirtus ea quæ intellectu perficitur, intelligatur. Inde ſubiungit, Quorumq; uitã conſtantem & probatam: ut moralem uirtutem oſtendat, cuiuſmodi fuere plurimi, uelut Cato, Scipio, Lælius. eius autem quæ non tam in actione corporis quàm animi conſiſtit uirtutis exempla poſtponit, quales (inquit) fuere oratores, philoſophi, poetæ, & hiſtorici, ex quorum præceptis aut quomodocunque ſcriptis, alicuius rei petitur authoritas, cum dicimus ita enim eſſe cõuenit, nam hoc Cato faciebat, hoc Scipio. & ita eſſe oportet: nam hoc Cicero ſcribit, hoc dixit Liuius, hoc Virgilius teſtatus eſt, illud Ariſtoteles retulit. Quod autem ſupra dixit Cicero, Naturæ auctoritas in uirtute eſt maxima, ita intelligendum. ut uis ea & natura quæ in uirtute eſt maxima, intelligatur. Inde cum adiecit, Quæ autem uirtute fidem faciunt, ea bipartita ſunt, ex quibus alterum natura ualet, alterum induſtria: ita dixit, perinde ac ſi dixiſſet, uis rerum omnium duplex eſt, altera quidem ad deum attinens, quam naturam fieri uoco: altera ad homines. quæ ad homines, rurſum uirtus proprio nomine appellata, duplex: ut altera in parte intellectiua animæ, altera in moribus conſtituta fidem faciat. Itaque nihil eſt quod ſibi contrarium uideri poſſit, licet uerbi ſimilitudine minus fortaſſis aperte fuerit enunciatum. Expoſitis omnibus argumentandi locis, illud primum intelligendum eſt, nec ullam eſſe diſputationem, in quam non aliquis locus incurrat.] Quod poſt paulum ipſe oſtendet, & quibus quique loci quæſtionibus accõmodentur explicabit. QVAESTIONVM duo ſunt genera, alterum infinitum, definitum alterum.] Cum è quibus locis omnia argumentationum genera erui poſſent oſtenſum ſit, & nihil argumentatione comprobetur, niſi quod dubium uideri potuit, recte Cicero cuiuſmodi ea ſint de quibus quæri poſſit, de quibus dicendum eſſe uidebatur, iam expoſiturus eſt. Quæſtionum inquit, duo ſunt genera: definitum alterum, quod hypotheſin græci, nos cauſam: infinitum, quod theſin illi appellant, nos propoſitum poſſumus nominare. Cauſa à certis perſonis, temporibus, locis, actionibus, negotijs cernitur: aut in omnibus, aut in plerisque eorum. quamobrem hanc ſolam rhetorices materiam aliqui eſſe crediderunt. quam opinionem licet primum Cicero in Hermagoram tenuerit, & infinitam quæſtionem nihil ad oratorem pertinere dixerit, hic tamen (ſicut & alibi licet etiam uidere) eandem Cicero damnauit opinionem. etenim res certas definitaſq; ferè omnes per uniuerſales probat orator. propoſitum autem, in aliquo eorum, non tantum maximis. Cicero theſin propoſitum uocat, alij quæſtiones uniuerſales ciuiles, alij quæſtiones philoſopho conuenientes: Atheneus etiam partem cauſæ cum Cicerone uocat.

Cum igitur finita ſint ex complexu rerum, perſonarum, temporum cæterarumq;, hæ hypotheſes à Græcis dicuntur, cauſæ à noſtris. in his omnis quæſtio uidetur circa res perſonaſq; conſiſtere. Amplior ſemper eſt infinita. inde enim, ut multi exiſtimant, finita deſcendit. Et, ut illi uolunt, infinita eſt: ut, An ducenda uxor. finita, An Catoni ducenda.

Alij putant eas theſes aliquādo nominari, quæ perſonis cauſiſq; contineantur, aliter tantummodo poſitis. ut cauſa ſit, cum Oreſtes accuſatur: theſis, An iure ſit accuſatus, uel, an rectè ſit abſolutus. Hi theſim à cauſa ſic diſtinguunt, ut illa ſit ſpectatiuæ partis, hæc actiuæ. illic enim ueritatis tantum gratia diſputari, hic negotium agi. Hoc igitur dicit Cicero, propoſitum, id eſt infinitam quæſtionem, in aliquo eorum eſſe quæ in cauſa ſunt. partem enim cauſæ eſſe uult, ut diximus. aut pluribus, ut dictum eſt, poſſe fieri, nec tamen in maximis: ſiquidem id quod maximum eſt, in certis perſonis ipſóq; negotio eſt, hypotheſin appellamus. Adijcit porro, Omnis quæſtio quæ de aliqua re naſcitur, eſt eorū quibus cauſa continentur, aut una, aut pluribus, aut nonnunquam omnibus: hoc eſt, eiuſmodi eſt cauſa, ut per omnes decurrat quæſtiones, quæ de ea re naſcuntur de qua quæſtio eſt, perinde ac membra quædam è toto corpore diffuſa. ut ſit res ipſa corpus, de alia multifariè quæri poſſit.

Quæſtionum porrò quæ de quacunque re ſunt, duo (inquit) ſunt genera. hoc enim genus quæſtionis quod de quacunque re dicitur, ſcientia & actione diſtinguitur. nam aut ipſa cognitio rei ſcientiáq; perquiritur: ut Virtus ſuam'ne propter dignitatem, an propter fructus aliquos expetatur? &, an prouidentia mundus regatur? aut agendi conſilium exquiritur, ut Sit'ne ſapienti capeſſenda reſpublica: aut, Sit'ne boni uiri, manus cū hoſte conſerere. COGNITIONIS *quæſtiones tripartitæ ſunt. aut ſit ne, aut quid ſit, aut quale ſit quæritur.]*

Omnis enim res cum eandem habeat naturā ambigendi de qua quæri & diſceptari poteſt, ſiue in infinitis conſultationibus diſceptas, ſiue in his cauſis quæ in ciuitate & in forenſi diſceptatione uerſantur, aut ad cognoſcendi aut ad agendi uim rationemq; referatur neceſſe eſt. Nā aut ipſa cognitio rei ſcientiáq; perquiritur, ut ſi quæratur, Natura'ne ius profectum ſit, an ab aliqua quaſi conditione hominum & pactione. aut agendi aliquid uel non agendi exquiritur cōſilium, ut Sit'ne ſapientis ad rempublicam accedere. Cognitionis porrò tres ſunt modi, coniectura, definitio, & (ut ipſe in libro de Oratore dicere formidat) conſecutio. nam quid in re ſit, coniectura quæritur: ut illud, ſit ne in humano genere ſapientia. quam autem uim quæque res habeat, definitio explicat: ut ſi quæratur, quid ſit ſapiētia. Conſecutio autem tractatur, cum quicquam quod rem ſequitur exquiritur: ut illud, Sit'ne aliquando mentiri boni uiri. Redit rurſus ad coniecturam, eamq; in quatuor genera partitur. nam aut quid ſit quæritur, hoc modo: natura'ne ſit ius inter homines, an opinionibus. aut quæ ſit origo cuiuſque rei: ut, quod ſit initiū legum, aut rerumpub. aut cauſæ tractatio: ut ſi quæratur, cur doctiſſimi homines de maximis rebus diſſentiant. aut de immutatione: ut ſi diſputetur, num interire uirtus in homine, aut num in uitium poſſit conuerti. Definitionis autem ſunt diſceptationes, quæ definitione generis uel formæ explicandæ ſunt: ut cum quæritur, Sit'ne ius quod maximæ parti ſit utile. aut cum quid cuiuſque ſit proprium exquiritur. ut, Ornate dicere proprium'ne ſit oratoris, an id etiā alius præter eum poſſit. aut cum res diſtribuitur in partes: ut ſi quæratur, quot ſint genera rerum expetendarum, aut, ſint ne tria corporis, animi, externarumq; rerum: quæ partitionem oſtendunt, ut ipſe uult. aut cum forma & quaſi naturalis nota cuiuſque ut ſit deſcribitur: ut ſi quæratur, auari ſpecies, ſeditioſi, glorioſi. Conſecutionis autem duo prima quæſtionū genera ponuntur. nam aut ſimplex eſt diſceptatio, ut ſi diſſeratur, expetenda'ne ſit gloria: aut ex comparatione, laus an diuitiæ magis expetendæ ſint. Simplicium tres ſunt modi: de expetendis fugiendis'ue rebus, ut Expetendi'ne honores ſint, Num fugienda paupertas: de quo æquo aut iniquo, æquum'ne ſit ulciſci iniurias: de honeſto & turpi, ut hoc, ſit'ne honeſtum gloriæ cuiuſcunque cauſa mortem obire. Comparationis autem duo ſunt modi. unus, cum idem'ne ſit an aliquid interſit quæritur, ut metuere & uereri, rex & tyrannus, aſſentator & amicus. alterum, cum quid præſtet aliud alij quæritur: ut illud, optimi'ne cuiuſque ſapientes an populari laude ducantur. Atque eæ quidem diſceptationes quæ ad cognitionem referuntur, ſic ferè deſcribuntur. Quæ uero referuntur ad agendum, aut in officij diſceptatione uerſantur: quo in genere quid rectum faciēdumq; ſit quæritur, cui loco hominis quaſi uitiorum eſt ſylua ſubiecta. aut in animorum aliqua permotione aut gignenda, aut ſedenda tollendá'ue tractantur. huic generi ſubiecta ſunt hortationes, obiurgationes, conſolationes, miſerationes, omniſq; ad omnem animi motum & impulſio, & ſi ita res ferret mitigatio. hæc ſunt genera ac modi diſputationū, quibus Cicero de unaquaque re quæri dicit. COGNITIONIS *quæſtiones tripartitæ ſunt: aut ſit'ne, aut quid ſit, aut quale ſit quæritur.]* *Recte cognitionis hæc ſunt. poſſunt enim omnis ignorari.* *Horum prima coniectura.]*

Quæ facti quæſtio dicitur. unde quoniam facti aliquam habet controuerſiam, & coniecturis cauſa firmatur, conſtitutio coniecturalis appellatur. *Secundum definitione.]* *Quæ nominis quæſtio nominatur: unde quia uis uocabuli definienda eſt, conſtitutio definitiua nuncupatur.* *Tertium iuris & iniuriæ diſtinctione explicatur.]* *Et hæc quæſtio qualitas appellatur. At enim quoniam qualis res ſit quæritur, quia & de ui & de genere negotij controuerſia eſt, conſtitutio oritur generalis. non enim ex modo actionis, ut ſuperioribus duabus ſed ex re, id eſt negotio nomen impoſitum eſt. hic enim de negotij genere, id eſt qualitate quæritur, iure'ne id an iniuria factū ſit, diſtinctione explicatur.* CONIECTVRAE *ratio in quatuor partes diſtributa eſt, quarū una eſt cum quæritur ſit'ne aliquid altera, unde ortum ſit: tertia, quæ id cauſa effecerit: quarta, in qua de mutatione rei quæritur.]* *In Rhetoricis idem inquit: At facti quidem controuerſia in omnia tempora poteſt diſtribui. nam quid factum ſit, poteſt quæri hoc modo, occiderit'ne Aiacem Vlyſſes. & quid fiat, hoc modo: Bono'ne animo ſint erga rempub. Fregellani. & quid futurum ſit, hoc modo: Si Carthaginem relinquemus incolumem, num quid ſit incommodi ad rempublicam peruenturum. Sed non ſunt ſibi iſtæ diuiſiones contrariæ. etenim quatuor illæ partes in his tribus includuntur, ut paulo poſt exemplis apparebit. Illud in primis tenendum etiam, non omnia hæc tempora ad iudiciale genus attinere poſſe. nemo enim accuſat, niſi quæ facta ſunt. Sed antequam ad Ciceronis uerba uenio, ſciendum coniecturā omnem aut de re aut de animo eſſe: & utriſque tria eſſe tempora, præteritum, præſens & futurum. De re & generales quæſtiones ſunt, & definitæ. de animo quæri non poteſt, niſi ubi perſona eſt, & de facto conſtat. Ergo cū de re agitur, aut quid factum ſit in dubium uenit, aut quid ſit, aut quid futurum: ut in generalibus, an atomorum concurſu mundus ſit effectus, an prouidentia regatur, aut ſit aliquando caſurus. quantum ad finitas attinet, an paricidium commiſerit Oreſtes, an regnum affectet Gracchus, an rectè Verrē ſit accuſaturus Cecilius. Quod autē dicit hic Cicero, unde ortū ſit, nec minus præteriti temporis eſſe poteſt: ut, quod obrepſit peſtilentia, an ira dei, an intemperie cœli, an corruptis aquis, an noxio terræ halitu: & quæ cauſa ſit, quare ad Troiā quinquaginta reges nauigauerint, iureiurando adacti, an exēplo moti, an gratificātes Atridis. Animi coniectura nō dubiū quin in omnia tempora cadat: ut, qua mente Cæſar in Gallijs certauerit, qua mente Pyrrhus fœdus petat: quomodo laturus ſit Cæſar, ſi Ptolemæus Pomp. occiderit. Quæritur per coniecturā quoque de qualitate circa modū, ſpeciē, numerū: an ſol maior quā terra, luna globoſa an plana an acuta: unus mūdus, an plures. Itē & extra naturales quæſtiones, maius'ne bellū Troianū an Peloponnenſiū, qualis clypeus Achillis, an unus Hercules. In hac autē quæ accuſatione & defenſione*

conſtat,

conſtat,unum eſt genus,in quo quæritur & de facto & de auctore. Sed ad Ciceronem iam redeo,qui inquit, ſit,nec ne. ſit, ut quid'nam ſit honeſtum,& quid æquum reuera: an hæc tantum in opinione ſint. ac in omnia tempora diſtribui poteſt,nec minus: & quæ ſequuntur. ut unicuique intuenti manifeſtum eſt, & omnia qualia ſint, coniectura conſequi poterimus. in Rhetoricis enim tempus quod maxime quærit,in iudicijs oſtenditur. hic autem quaſi in membra diſcerpitur: & ut rebus omnibus coniectura occurrit, explicatur. Et licet illæ non minus infinitæ quàm finitæ eſſe poſſint quæſtiones,hæc tamen in quatuor partes facta diuiſio,ad theſin, hoc eſt infinitã quæſtionem potius attinet, ut & in ſequentibus apparebit magis. Cum autem quid ſit quæritur,notio explicanda,& proprietas,& diuiſio,& partitio: hæc enim ſunt definitioni attributa. additur & deſcriptio,quam χαρακτῆρα græci uocant.] Sequitur coniecturam definitio. qui enim non poteſt dicere nihil feciſſe proximum habebit ut dicat non id feciſſe quod obijciatur. definitio autem rei propoſitæ erit propria,dilucida & breuiter cõprehenſa uerbis. Enunciatio autem ipſa,qua aliquid definitur,conſtat genere ſpecie, differentia, & aliquando proprio. ut ſi definias hominem(noto enim exemplo utar)genus eſt animal,homo ipſe qui definitur ſpecies,rationale differentia, riſibile proprium, uel pro proprio poſitum. ut ſi dicas: Homo eſt animal riſibile,uel homo eſt animal rationale. alij aliam addunt etiam differentiam,mortale. Et quoniam ſæpe definimus(omitto enim omnes modos definitionum,cum abunde eos ſupra tradiderimus, nunc attingere) aut per genus & differentiã, aut per genus & proprium,quod maxime definitioni conuenit: aut diuidentes, aut partientes,aut deſcribẽtes & definiẽtes, omnibus his modis quærere poſſumus. per genus,ut in eodem conſidamus exemplo,an homo ſit idem quod animal rationale mortale. per proprium, an homo ſit id quod animal riſibile. per deſcriptionem,an homo ſit qui in cœlum uerticem rotundumq; caput,geminis utrinque auribus attollens, ſub collo humeros brachiaq; demittens, geminis ambulat pedibus, & cætera in hunc modum. diuiſione, ut an illa rhetorica ſit quæ diuiditur in demonſtratiuum,deliberatiuũ,& iudiciale genus. partitione, ut an rhetorica illa quæ partitur in inuentionem,diſpoſitionem, elocutionem, memoriã, & pronunciationem. Quæ quæſtionũ genera in ea etiã transferri poſſunt,quæ in cauſis uerſantur forenſibus. Sed ne in hac re nimius exiſtimer, plura his non adijciã. Hoc ergo dicit Cic. cum quid ſit quæritur,notio, hoc eſt genus uel formæ explicãda eſt. etenim genere formæ,& formis indiuidua notiora ſunt. CVM *autem quale ſit quæritur,quale quid ſit aut ſimpliciter quæritur, aut comparate.] Eſt qualitas de ſummo genere infinitaq; quæſtione, atque ea quidem non ſimplex. nam & qualis ſit cuiuſque rei natura,& quæ forma quæritur: an immortalis anima, an humana ſpecie deus. & de magnitudine ac numero,quantus ſol,& an unus mundus. quæ omnia coniectura quidem colliguntur: quæſtionem tamen habent, & in eo qualia ſunt. hæc in ſuaſorijs,hoc eſt deliberatiuo genere tractari ſolent. ut definitæ quæſtionis exemplum demus, Si Cæſar deliberet an Britanniam impugnet, quæ ſit Oceani natura, an Britannia inſula(nam tum ignorabatur quantum pateret)quo numero militum aggredienda, ut in conſilium ferendum ſit? eidẽ qualitati ſuccedunt facienda & non facienda,appetenda, uitanda,quæ in ſuaſorijs maxime cadunt. nec ſuaſorijs tantũ, uerũ etiam in iudicijs ſunt frequentia,ac ſola differentia: quia, in ſuaſorijs de futuris,in iudicijs de factis agitur. Item demonſtratiuæ partis omnia ſunt in hoc ſtatu,in quo factum eſſe conſtat,quale ſit factum quæritur: lis omnis eſt aut de præmio,aut de pœna, aut de quantitate. hoc genus aut ſimplex, aut comparatur. illic quid æquum, hic quid æquius, aut quid æquiſſimum ſit excutitur. Cum de pœna iudicium eſt, à parte eius qui cauſam dicit, aut defenſio eſt criminis, aut imminutio, aut excuſatio, aut (ut putant alij) deprecatio. hæc abſoluta appellatur conſtitutio. Sed eſt alterum defenſionis genus, in quo factũ per ſe improbabile aſſumptis extrinſecus auxilijs tuemur. id genus aſſumptiua dicitur cauſa cum dicitur, Occiſus eſt, ſed latro: excæcatus, ſed raptor. Itaque inquit Cic. cũ aut quæritur quale quid ſit, aut ſimpliciter quæritur, aut comparate. ſimpliciter, Expetenda'ne ſit gloria. nulli enim rei comparatur,& qualitas quæritur, non an ſit, uel quid ſit, ut in coniecturam aut definitionem cadat: ſed qualis,an ſit eiuſmodi, ut à nobis ſit expetenda. Comparate, præponenda'ne ſit diuitijs gloria. Et hoc licet coniectura conſequi poſſimus,tamen qualitas quæritur. enimuero cum quærimus,an ſit talis gloria ut ſit præponenda diuitijs, de qualitate quæritur: & cõparate,quia diuitijs comparatur. Diuidit exinde ſimplicia, & ea quæ comparantur. ſimplicia quidem,ut de expetendo fugiendoq;, quale id ſit quod expetendum,& quale quod fugiendum: de æquo & iniquo,quale ſit quod æquum uocamus, & quale quod iniquum nominamus. Idem de honeſto turpiq; intelligendum.* COMPARATIONVM *autẽ duo ſunt genera: unũ de eodem & alio.] Ut quid differant inter ſe amicus & aſſentator, rex & tyrannus. alterum de maiore & minore: ut ſi quæratur,num plus utilitatis eloquentia an iuris ciuilis ſciẽtia afferat. quæ quoniam alijs conferuntur,comparationi ſubijciuntur. Et licet hæc omnia cõiectura definitioneq; qualia ſint colligamus, tamen quia non an ſint, aut quid ſint quærimus, ſed qualia ſint ſcire cupimus, ut ſpectanti unicuique poteſt eſſe manifeſtum,qualitati ſubijciuntur.* ACTIONES *reliquæ ſunt,quarum duo genera: unum ad officium,alterum ad motum animi uel gignendum uel ſedandũ,plané'ue tollendũ.] Diuiſerat ſupra Cicero ita quæſtionum genera,ut alia cognitionis,alia actionis eſſe diceret. Cognitionis genera clariſſime cõprehendit, & ſingula lucida diuiſione. nunc actionis quæſtiones ita diuidit, ut alteram ad officium, alteram ad motum animi attinere dicat. ad officiũ ſic,cum quæritur ſuſcipiendi'ne ſint liberi. etenim quoniam omnis uirtutis laus in actione conſiſtit, de uirtutibus uitijsq; omnis quæ officij eſt quæſtio naſcitur. ad mouendos animos cohortationes,ad Rempublicam efferendam. nam & actionis ſunt, & mouere animos ut id faciant oportet. ad uirtutem quidem attinent: ſed non ut quod proprium uirtutis ſit quæratur potius, quàm quid ex ea uirtutis actione eueniat. enimuero laudem & gloriam conſequimur,quæ uirtutis ſunt præmia. In quo genere ſunt querelæ,uelut de his qui perditum eant rempublicam incitationes, de eis quæ reipublicæ profuturæ ſunt: miſerationes, ſi quid damni ſit uenturũ. quibus rebus maxime prudens et diſerta dominatur oratio. Itaque licet in infinitis quæſtionibus hæc quæſtionum quædam ſint genera auditorii, eadem tamen in cauſas transferuntur,ubi negotij perſoneq; cauſa tractatur, ut ſupra oſtendere uiſi ſumus.* LOCI *autẽ qui ad quaſque quæſtiones accommodati ſunt.] Nunc quibus quæſtionibus loci, quos ſupra abunde explicuimus, accommodentur, breuiter decurrit. Ad coniecturam igitur maxime apta, quæ ex cauſis, quæ ex effectis.] Nam aut cauſa effectis, ut ignis fumo: aut effectus cauſa, ut fumus igni,eſſe intelliguntur in coniectura. À coniunctis quoque locus,ut cum quæritur quid ſit,aut euenerit, futurum'ue ſit,coniecturæ conuenit. etenim qui omnibus locis coniectura excutitur.* AD *definitioné pertinet ſcientia definiendi.] Poſtquam an ſit ſcierimus,proximũ eſt ut quid id ſit intelligamus. id autem definitione colligemus, de qua abunde tractatum ſupra. Atque huic generi finitimum eſt illud, quod appellari de eodem & de altero diximus,quod genus forma quadã definitionis eſt.] Supra poſt eam quæſtionem,quam definitione diximus explicari,oſtendimus eam eſſe quæſtionem,quæ eſt cum*

quæritur quale quid ſit, eiuſq́; quæſtionis duas eſſe partes. alteram quidem, cum ſimpliciter: alteram cum comparate quæritur.) Comparationis duas fecimus partes: alteram, cum de eodem & altero quæritur: alteram, cum quæritur de maiore & minore. De definitione igitur tractans, immiſcet etiam qualitatis unam duntaxat formam, quam de eodem & altero diximus appellari: dicitq́; eoſdem locos conuenire hic formæ comparationis, cum qualitas quæritur: quæ eſt, cum de eodem & de altero quæritur, ut diximus, qui conueniunt definitioni: ſiquidē ſi quæratur, idem'ne ſit pertinacia & perſeuerantia, definitionibus iudicandum eſt. Pertinacia, ut Varro inquit, oſtenditur eſſe à pertendendo. in qua re ſit impoſitum, dicitur, cum demonſtratur in quo non debet pertendi, & pertendit, pertinaciam eſſe: quod in quo oportet manere, ſi in eo perſtat, perſeuerantia ſit. Hac Varronis definitione, quod inter ſe differant pertinacia & perſeuerantia, aperte cognoſcitur. NAM *ſi hanc rem illa ſequitur, hanc autem non ſequitur.)* A conſequenti dat exemplum: ſi hanc rem illa ſequitur, ut ſi homo eſt, animal eſt. antecedit enim homo, & ſequitur animal. hanc autē non ſequitur, ut ſi animal eſt, homo eſt: nō enim ſequitur, ut ſi homo ſit, animal ſit, cum multa præter hominem ſint animalia. *Aut ſi huic res illa antecedit.]* Velut, ſi animal eſt, ſubſtantia animata ſenſibilis eſt. *Huic non antecedit.]* Vt ſi animal eſt, plātæ eſt. *Aut ſi huic repugnat.]* Vt, ſi eſt lux, dies non eſt. *Illi non repugnat.]* Vt dicas, ſi lux eſt, dies eſt. etenim ſi lux eſt, dies eſſe & non eſſe poteſt. non ergo repugnat. *Aut ſi huic rei hæc.]* Vt ſi interpoſitio terræ inter ſolem & lunam cauſa eſt eclipſeos. *Illius alia cauſa eſt.* Vt quod ſolares aut lunares radij nō luceant: non quippe quod intra nubes in ſublimeq́; eleuatos uapores conditi ſint, alia cauſa eſt. *Aut ſi ex alio hoc.]* Velut ſi cometes alia cauſa appareat, quàm ut ex alia ſtella ſit, quæ eo modo, licet raro appareat, emicet. *Ex alio illud effectum eſt.]* Ex alia cauſa eſt, ut in cœlo galaxia colluceat. quos locos in definitā quæſtionem traducere, haud difficile eſt. *Ex quo'uis horum id de quo quæritur, idem'ne an aliud ſit, inueniri poteſt.]* Senſus eſt, ex quolibet horum locorū quos memorauimus, id de quo erit quæſtio, an ſit idem quod aliquis dicat, an quiduis aliud, poteris inueniri. AT *tertium genus quæſtionis, in quo quale ſit quæritur, in comparatione ea cadunt quæ paulo ante in comparationis loco enumerata ſunt.]* Tertium fuit ſupra à Cicerone interpretatum cognitionis genus, & diuiſum in id quod ſimpliciter quæritur, & id quod comparate. rurſum quod comparate, in duas diuiſum formas, in id quod de eodem & altero diceretur, definitionis locos aptos eſſe recenſuimus: & id quod de maiore & minore quæreretur. cui nunc dicit Cicero locum eſſe accommodatum, quem ſupra inter artificiales ultimum tractauit. Comparatio omnis eſt à maioribus, minoribus, & paribus. IN *illud autem genus in quo de expetendo fugiendoq́; quæritur, adhibentur ea quæ ſunt aut animi, aut corporis, aut externa uel commoda uel incommoda, &c.]* Hæc eſt qualitas huius partis, de qua ſimpliciter quæritur pars prima. hoc ergo dicit, ſi de expetendo fugiendoq́; quæritur, adhibentur ea quæ ſunt aut animi aut corporis aut externa, uel commoda, uel incommoda. animi, ut ſcientiæ: corporis, ut robur, forma: externa, ut opes, diuitiæ, quæ commoda putantur. incommoda, his aduerſa: ut debilitas, uel ægritudo, deformitas, uel mancum aliquod membrum, mendicitas, uel paupertas. Cum igitur quæritur, quid in rebus expetendum fugiendum'ue ſit, hæc proferuntur, quibus expetendum fugiendumq́; eſſe aliquid oſtenditur. ITEMQVE *cum de honeſto turpiq́; quæritur.]* Simpliciter intellectæ quæſtionis hæc tertio loco fuit pars enumerata, quæ nunc in ſecundo ponitur, inquiens, Cum de honeſto turpiq́; quæritur, ad animi bona aut mala omnis oratio dirigenda eſt. Supra, quid hæc cum bonis corporis externiſq́; commodi uel incommodi afferre poſſent: hic, quid honeſtatis turpitudiniſq́; afferre poſſint, exponitur. Cum igitur turpe aut honeſtum quicquam ſignificare uolumus, maxime animi probamus bonis: ſiquidem debilem eſſe, aut pauperem, nemini turpe, niſi animi uitio id obuenerit: ſicut nec honeſtum quidem, aut robore corporis, aut genere uel opibus alios excellere eſt, niſi ad mentis commoda referri queant. CVM *autem de æquo & iniquo diſſeritur, æquitatis loci colliguntur.]* Hi à cauſa & effectu loci eſſe uidentur, ſicut & memorati ſupra omnes in his formis eius quæſtionis, quam ſimpliciter dici qualitatis eſſe diximus. Hæc enim, quam ultimam partem poſuit, ſupra ſecundam in ordine fecit: cuius locos eſſe alios dicit natura, alios inſtituto. naturam rurſum duas partes habere, tributionem ſui, & ulciſcendi ius. etenim natura poſcit, ut tribuamus unicuique quod ſuū eſt: & ſi quis uim inferre uoluerit, ulciſci nobis licere natura iubente comprobamus. perinde ac ſi dicamus, cauſam eſſe in natura, ut id faciamus: quod tacuit Cicero. Inſtitutio autē æquitatis tripartita eſt. una pars legitima eſt, quæ lege ſancitur, quæ multorum opinione conſtituta ſunt: altera conueniens, cū conuentum fuerit ab aliquibus ut id obſeruetur: tertia moris uetuſtate confirmata, cum ita oportere fieri arguimus, quòd uetuſto id more confirmatum ſit. atque etiam æquitatis tripartita dicitur eſſe. Diuidit rurſum æquitatis inſtitutionē trifarie, ut una ad ſuperos deos, altera ad manes, tertia ad homines attineat. quæ ad ſuperos, inquit, pietas appellatur. piamus enim deū ſacrificijs, inſtituto, & (ut Auguſtinus inquit) pietas prope cultus intelligi ſolet, quem Græci εὐσέβειαν uocant: uel dei cultum poſſumus dicere. Secunda ſanctitas, quam Cicero ad manes dicit attinere. Dicit autem Apuleius, & animas hominum dæmonas eſſe, & ex hominibus fieri lares, ſi meriti boni ſunt: lemures, ſi mali ſunt, ſeu laruas. manes autem deos dici, ſi incertum eſt, bonorum eos ſeu malorum eſſe meritorum. Sanctum eſt, ut Trebatius libro decimo religionum refert, interdum idem quod ſacrum, idem quod religioſum: interdum aliud, hoc eſt, nec ſacrum, nec religioſum eſt: ut, Nos pauidi trepidare metu, crinemq́; flagrantem Excutere, & ſanctos reſtinguere fontibus ignes. Hic ſanctos, ac ſi ſacros accipiamus, quod diuinitus contigerat. Sicut ergo ſuperius cultū ueteres adhibuere, ita manibus mentis ſinceritatem & immaculatam adhibebant continentiā. Sed hæc in aliud tempus miſſa facio. indigent enim fortaſſis longiore diſputatione, quæ huic propoſito haudquaquam conuenit. TERTIA *iuſtitia & æquitas nominatur.]* Tertiam ad homines attinere dicit, eamq́; uocari iuſtitiam & æquitatem. nam ita iuſtitiam diffinit Plato. Δικαιοσύνη ὁμόνοια τῆς ψυχῆς πρὸς αὑτήν, καὶ εὐταξία τῶν τῆς ψυχῆς μερῶν πρὸς ἄλληλά τε καὶ περὶ ἄλληλα, ἕξις διανεμητικὴ τοῦ κατ' ἀξίαν ἑκάστῳ, ἕξις καθ' ἣν ὁ ἔχων προαιρετικός ἐστι τῶν φαινομένων αὐτῷ δικαίων, ἕξις ἐν βίῳ νόμων ὑπήκοος, ἰσότης, κοινωνική, ἕξις ὑπηρετικὴ νόμων. Aequum ita. Δίκη, ἀπόφασις κυρία περὶ ἀμφισβητουμένου πράγματος. Si quid ergo pietas aut ſanctitas aut iuſtitia uel æquitas poſcat, ob ea id fieri debere arguemus, ut ex cauſa probetur effectus. DE propoſito ſatis multa: deinceps de cauſa pauciora dicenda ſunt. pleraque enim ſunt ei cum propoſito communia. Poſt traditam locorum cognitionem, Cicero ſupra quæſtionem ita diuiſit, ut diceret alteram eſſe infinitam, quam theſin Græci, noſtri propoſitum uocant: definitam alteram, hanc hypotheſin Græci, Latini cauſam nominant. Cum igitur de propoſito, inquit, abunde tractauerimus, ſupereſt ut de cauſa pauca referamus: ſiquidem multa ſunt in cauſa, quæ propoſito conueniunt, ut nos oſtendimus. TRIA *ſunt igitur genera cauſarum.)* Ita penè omnes cōueniunt: iudicij, deliberationis, laudationis, id eſt, demonſtrationis.

nis. Horum fines declarant, quibus (inquit) locis nobis ſit utendum. nam iudicialis generis finis eſt ius, unde iudiciale nomen inditum. iuris autem partes tum ſunt expoſitæ, cum æquitatis. diuiſit enim qualitatis quæſtionem in eam quæ ſimpliciter, & eam quæ comparate diceretur. quæ autem ſimpliciter diceretur, diuiſit in id quod de expetendo & fugiendo, de honeſto & turpi, de æquo & iniquo. unde tria hæc cauſarum genera deſcendunt, eorumq́; materies, & quæ à fine uniuſcuiuſque dignoſcitur. Iudicialis enim generis finis eſt ius. iuris autem partes expoſuimus, cum de ea quæſtione quæ de æquo & iniquo eſt tractantes, ei proprios locos ſubiecimus: qui in iudiciale genus transferri etiam poſſunt, hoc eſt, ad definitam quæſtionem eamq́; in qua de iure quæritur. DELIBERANDI finis utilitas.] Generis deliberatiui finis eſt utilitas, de qua utilitate cum de expetendi fugiendiq́; quæſtionis locis diſſeruimus, abũde diximus. Laudationis finis honeſtas.] De hoc quoque ſupra dictum, ubi locos eius quæſtioni quæ de honeſto turpiq́; fuit, expoſuimus. SED definitæ quæſtiones à ſuis quoque locis, quaſi proprijs inſtituuntur.] Eruuntur ex proprijs locis definitæ quæſtiones, ut cum An factum ſit, quid factum, aut quale ſit quæritur. QVAE in accuſationem defenſionemq́; partitæ, in quibus exiſtunt hæc genera.] Licet enim proprie in iudicijs accuſare aliquid defendereq́; dicamur, tamen & cum ſuademus diſſuademus'ue, aut laudamus reprehendimus'ue, accuſamus quodam modo, aut defendimus. Vt accuſator perſonam arguat facti, defenſor aliquid opponat.] Quod definitæ quæſtionis proprium eſt. AVT non eſſe factum arguitur.] Vnde coniecturalis uel inficialis ſtatus naſcitur. inficialis eſt, cui ab inficiendo nomen eſt. Coniectura dicta eſt à coniectu, id eſt, directione quadam rationis ad ueritatem. itaque quia in eadem quæſtione accuſator coniectura, reus inficiatione utitur, ea nomina ei quæſtioni indita putauerunt. Aut ſi ſit factum, aliud eius facti nomen eſſe.] Aut pro hoc, quoniam definire quod non ſi oportet, definitiua naſcitur conſtitutio. AVT iure eſſe factum.] Hoc eſt, an ſit iure an iniuria factum quæritur: & iuridicialis, quam Græci δικαιολογικὸν nominant, appellatur. Sed id uerbum hanc rem parum exprimere putat Cicero. Sanè, ut ſupra quoque diximus, tertia quæſtio, quoniam de facti qualitate quæritur, qualitas generalis nominata eſt. ea autem diſtributa eſt in negotialem iuridicialẽq́;: iuridicialis rurſum in abſolutam & aſſumptiuam. Sed quoniam de definita quæſtione loquitur, in qua de rebus ipſis quæritur, certis deſtinatisq́; perſonis, quod iuridicialis proprium eſt. nam in negotiali, quam Græci πραγματικὸν uocant, remoto perſonarum complexu, de rebus tantum quæritur: quidquid ipſe in primo Rhetoricorum de inuentione dixerit, ubi iuridicialem dixit appellari. Harum cauſarum propria argumenta ex his ſupra locis, quos expoſuimus in præceptis oratorijs, explicata ſunt.] In ſecundo enim Rhetoricæ artis libro ſingularũ definitarum quæſtionũ locos diligenter eſt proſecutus. Refutatio aũt accuſationis, in qua eſt depulſio criminis, Græce στάσις dicitur, appellatur Latine ſtatus, in quo primum inſiſtit quaſi ad repugnandum congreſſa defenſio.] Quod Cicero ſtatum, id quidam conſtitutionem uocant: alij quæſtionẽ, alij quod ex quæſtione appareat, alij caput, id eſt, κεφάλαιον γενικώτατον, ad quod referuntur omnia quorum appellationis uis eadem eſt. ſtatum quidam dixerunt primam cauſarum conflictionem: ſed non eſt ſtatus prima conflictio, Feciſti, non feci: ſed quod ex prima conflictione naſcitur, id eſt, genus quæſtionis, Feciſti, non feci, an fecerit: Hoc feciſti, nõ hoc feci, quid fecerit: aut, Etiam ſi feci, recte feci. Ex his apparet, primum coniectura, ſecundum finitione, tertium qualitate eſſe quærendum: prima erit quæſtio coniecturalis, ſecunda finitiui, tertia generalis ſtatus: ſed Cicero hic dicit ſtatum eſſe, in quo primo inſiſtit quaſi ad repugnandum congreſſa defenſio. Cui rei repugnat Cornelius Celſus dicens, non à depulſione ſumi, ſed ab eo qui propoſitionem ſuam confirmet. Sed Celſum Quintilianus multis rationibus non recte cenſere conuincit. itaque tutius ita nos definire poſſe ſtatum arbitratur, ut cum ſint frequenter in cauſa diuerſi quæſtionum ſtatus, in eo credere ſtatum cauſæ, quod eſſet in ea potentiſſimum, & in quo res maxime uerſaretur. id autem ſi quis generalem quæſtionem uel caput generale dicere malit, cum hoc mihi non erit pugna: non magis, quàm ſi aliud adhuc quo idem intelligatur, eius rei nomen inuenerit. Atque in deliberationibus & laudationibus ijdem exiſtunt ſtatus.] Subaudi, qui in iudicijs exiſtunt, quod quidam negarunt. Etenim ſtatus ad iudicialem tantum pertinere materiam putauerunt. quorum inſcitiam ipſa ſtatuum tractatio oſtendit, quippe quòd in omnibus generibus eſſe facile inueniantur. idq́; oſtendit Cicero, dicens: Nam & negantur ſæpe ea futura, quæ ab aliquo in ſententia dicta ſunt fore, ſi aut omnino fieri non poſſint, aut ſi ſine ſumma difficultate non poſſint: in qua argumentatione ſtatus coniecturalis exiſtet, cum ſit genus deliberatiuum. Aut cum aliquid de utilitate.] Qui deliberatiui generis eſt finis. honeſtate autem, demonſtratiui: æquitate, iudicialis ſunt fines. Deq́; his rebus, quæ his ſunt contrariæ.] Vt incommodo, turpi, iniquitate: quæ eiſdem generibus, ut prius oſtenſum eſt, ſubijciuntur. Aut iuris, aut nominis.] De coniecturali dixit. adiungit, iuris, qui eſt iuridicialis quæſtionis, hoc eſt, An iure factum ſit, ſtatus: nominis autem, definitiuus. QVOD idem contingit in laudationibus.] In iudiciali eſſe ſtatus omnes conſentiunt aliqui, in reliquis generibus negarunt, in deliberatiuo monſtrarunt eſſe poſſe. non quod in demonſtratiuo quoque eſſe poſſint, oſtendit: Nam aut negari, inquit, poteſt quod laudetur, quod præſentis temporis eſt, demonſtratiuiq́; generis, & coniecturalis. ſtatus erit quæſtio: aut non eo nomine, qui ſtatus definitiuæ quæſtionis erit. Aut omnino non eſſe laudabile, quod non recte, non iure factum ſit.] Qui ſtatus generalis eſſe quæſtionis, facile deprehenditur, quibus. (inquit Cicero) generibus ſubaudi ſtatuum, Cæſar nimis imprudenter uſus eſt in eis libris, quos Anticatones inſcripſit, quòd eos contra Catonem Vticenſem ſcripſerit: qui tyrannidem effugiens, mori melius quàm ſeruire arbitratus ſit. SED quæ ex ſtatu contentio efficitur, eam Græci κρινόμενον uocant. mihi placet id, quoniam quidem ad te ſcribo, quæ de re agitur uocare.] Inuentis quæ ſupra memorauimus, inuenendum deinceps Hermagoræ uidetur, quid ſit quæſtio, ratio, iudicatio, continens. quæſtio latius intelligitur, omnis de qua in utranque partem, uel in plures, dici credibiliter poteſt. Dupliciter enim accipienda eſt. Altero modo primam aduerſariorũ contentionem appellamus, quo etiam minores omnes complectimur: diffuſam enim habet quæſtionem, ut in coniectura, Ceperit ne pecunias Decius: in definitione, Minuerit ne maieſtatem Norbanus: in æquitate, Iure ne occiderit Opimius Gracchum. Hæc quæ primam habent contentionem, ex arguendo & reſiſtendo lata & fuſa ſunt. Altero, quo ſignificamus ſummam illam in qua cauſa uertitur, ex qua naſcitur ſtatus. Theodorus illas capita uocat generalia, ſicut ex illis pendentes ſpecialia. & quæſtiones ex quæſtione naſci, & ſpeciem in ſpecies diuidi conuenit. Ratio, quod αἴτιον uocant alij, eſt ea quæ refertur à reo ad recuſandum, depellendi criminis cauſa. ut ſi Oreſtes accuſetur matricidij, niſi dicat iure feci, illa enim patrem meum occiderat: non habet defenſionem. qua ſublata, omnis quoque cõtrouerſia ſublata eſt. Ergò eius cauſa ratio eſt, quod illa Agamemnona occiderat. hæc ratio nominatur, non quin ea quæ cõtra rationem defenſionis aſſeruntur, non minus quàm ipſæ rationes defenſionis, rationes appellari poſſint: ſed diſtinguendi gratia id factum. Iudicatio, quod Græci κρινόμενον uocant, eſt, ut Cicero in Rhetoricis inquit, quæ ex infirmatione & confirmatione

rationis naſcitur controuerſia. ut ſi Oreſtes dicat, Licuit mihi matrem meam occidere: illa enim meum patrem occiderat. Attamen, inquit aduerſarius, abs te filio matrem necari non oportuit: potuit enim ſine tuo ſcelere illius factum puniri. ex hac deductione rationis illa ſumma naſcitur controuerſia, quam iudicationem appellamus. Ibi ergo iudicatio, ubi quæſtio. nec ut ſi dicatur, Oreſtes occidit recte? non recte, an recte occiderit quæſtio: tamen ſtatim iudicatio contendit, Recte occidi, quando illa patrem meum occiderat. Reſpondetur, ſed non ideo tu matrem debuiſti occidere: an debuerit, hæc iudicatio. Continens, id eſt, συνέχον, quod alij firmamentum uocant, eſt (ut Cicero in Rhethoricis inquit) firmiſſima argumentatio defenſoris, & appoſitiſſime ad iudicationem: ut ſi uelit Oreſtes dicere, eiuſmodi animum matris ſuæ fuiſſe in patrem ſuum, in ſeipſum ac ſorores, in regnum, in famam generis et familiæ, ut ab ea pœnas liberi ſui potiſſimũ petere debuerit. quibuſdam id uidetur eſſe, poſt quod nihil quæritur: quibuſdam id, quod ad iudicationem firmiſſimũ affertur. Sed quod diximus, omne in ordinem digeramus, utamurq; eodem quo omnes uſi ſunt exemplo. Oreſtes matrem occidit. hæc eſt cauſa quæ in iudicium defertur, hoc conſtat. an licuerit Oreſti matrem occidere, quæſtio generalis. dicit ſe iuſte feciſſe, ſtatus erit qualitatis. quæſtio ſpecialis, an iuſte id fecerit? ratio, quia Clytemneſtra Agamemnona maritum ſuum patrem Oreſtis occidit. iudicatio, an oportuerit uel nocentem matrem à filio occidi. Quod ad continens uel firmamentum attinet, ſupra exemplum poſuimus: ſed breuius ueriusq; eſt quod dixerũt aliqui, qui ſtatum & continens & iudicationem idem eſſe uoluerunt. idq; potius quàm quod hæc affectata ſubtilitas circa nomina rerum ambitioſe laborat. ſimpliciusq; eſt & probabilius id facere, quàm per minutas rerum particulas rationem docendi concedere. Sed redeo ad Ciceronis uerba. inquit enim: Sed quæ ex ſtatu contentio efficitur, eam Græci κρινόμενον uocant: mihi placet id, quoniam quidem ad te ſcribo, qua de re uocare. In his ſecum & Cicero paulum diſſentit. In Rhetoricis enim ubi Hermagoram ſecutus, inquit, Conſiderato genere cauſæ, cognita conſtitutione, cum ſimplex'ne an iuncta ſit intellexeris, et ſcripti an rationis habeat, & controuerſiam uideris: deinceps erit uidendum quæ quæſtio, quæ ratio, quæ iudicatio, quod firmamentum cauſæ ſit, quæ omnia à conſtitutione proficiſcantur oportet. Quæſtio ea, quæ ex conflictione cauſarum gignitur controuerſia, hoc modo: non iure feciſti, iure feci. Cauſarum hæc eſt conflictio, in qua conſtitutio conſtat. ex ea igitur naſcitur controuerſia, quam quæſtionem dicimus, hoc modo: Iure'ne fecerit. ratio eſt, ea quæ continet cauſam. quæ ſi ſublata ſit, nihil in cauſa controuerſiæ relinquatur, hoc modo (ut docendi cauſa in facili & peruulgato exemplo conſiſtamus) Oreſtes ſi accuſetur matricidij, niſi dicat: Iure feci, illa enim patrem meum occiderat: non habet defenſionem. qua ſublata, omnis controuerſia quoque ſublata eſt. Ergo ei cauſæ ratio eſt, quòd illa Agamemnona occiderit: iudicatio eſt, quæ ex infirmatione & confirmatione rationis naſcitur controuerſia. nam ſit nobis expoſita ea ratio, quam paulo ante expoſuimus: illa enim meum, inquit, patrem occiderat. Attamen, inquit aduerſarius, abs te filio matrem necari non oportuit: potuit enim ſine tuo ſcelere illius factum puniri. ex hac deductione rationis illa ſumma naſcitur controuerſia, quam iudicationem appellamus. ea eſt eiuſmodi, Rectum'ne fuerit ab Oreſte matrem occidi, cum illa Oreſtis patrem occidiſſet. Firmamentum eſt, firmiſſima argumentatio defenſoris, & appoſitiſſime ad iudicationem. In partitionibus autem inquit: Primus ille ſtatus habet rationem facti criminis ipſa coniectura, inficiationemq; facit: ſecundus, quòd nõ ſit in re, quod ab aduerſario ponitur in uerbo: tertius, qui id recte factũ eſſe defendit, quod ſine ulla nominis controuerſia factum fatetur. deinde unicuique rationi opponendũ eſt ab accuſatore id, quod ſi non eſſet in accuſatione, cauſa omnino eſſe non poſſet. Itaque ea quæ ſic referuntur, continentia cauſarum uocentur. Quanquam non ea magis quæ contra rationem defenſionis afferuntur, quàm ipſæ rationes defenſionis continent cauſas. Sed diſtinguendi gratia rationem appellamus eam, quæ refertur à reo ad recuſandũ, depellendi criminis cauſa: quæ niſi eſſet, quod defenderet non haberet. Firmamentum autẽ appellamus, quòd contra ad labefactandum refertur, ſine quo accuſatio ſtare nõ poteſt. ex rationis autem & ex firmamenti conflictione, & quaſi concurſu, quæſtio quidem exoritur, quam diſceptationem uoco: in qua quid ueniat in iudicium, & de quo diſceptetur, quæri ſolet. Ex his enim primum nobis licet uidere, quod iudicationem in Rhetoricis nominauit, hoc eſt, κρινόμενον, ut hic Trebatio qui erat iuriſconſultus alludens, qua de re agitur appellarit. Deinde ut in Rhetoricis iudicationem eam eſſe dixerit, quæ ex rationis ea cõtrouerſia naſcitur, quæ infirmatione cõfirmatione q; deducitur: hic aũt, ex ſtatu cõfectã cõtentionẽ iudicationẽ eſſe dixit. In Partitionibus uero oratorijs, ut ſupra oſtendimus, firmamentũ id quod opponitur defenſionis, quod ab accuſatore cõtinens quaſi inferatur in reũ, nõ nominauit: hic aũt continẽtia defenſionem, quibus ſublatis, defenſio nulla ſit, firmamentũ appellauit, cum id rationem in Partitionibus dici uoluerit. inquit enim, Quibus aũt quæ de re agitur continetur, hoc eſt, unde iudicatio deſcendit, ea continentia uocentur, quaſi firmamenta defenſionis, quibus ſublatis defenſio nulla ſit.

SED quoniã lege firmius in controuerſijs diſceptandis eſſe nihil debet, danda eſt opera, ut legem adiutricem & teſtem adhibeamus: in qua re alij quaſi ſtatus exiſtunt noui, quæ appellantur legitimæ diſceptationes.] Quadripartitam eſſe in omnibus cauſis rationem, nobis licet intelligere. Prima longe fortiſſima tuendi ratio, ſi negari poteſt: proxima, ſi negari, factum eſſe negetur: tertia, qua recte factum defenditur. quibus ſi deficiamus, ultima quidem et iam ſola ſupereſt ſalus, aliquo iuris adiutorio elabẽdi à crimine. Hæc quatuor, quæ generales ſtatus uocantur, in duo genera deſcendunt, rationale & legale. Rationale ſimplicius eſt, quia ipſius tantum naturæ contemplatione conſtat: itaque in eo ſatis eſt oſtendiſſe coniecturam, finitionem, qualitatem. Legalium plures ſunt ſpecies, propterea quod multæ ſunt leges, & uarias habent formas. Alia eſt cuius uerbis utimur, alia cuius uoluntate, alias nobis cum ipſi nullam habemus adiungimus, alias inter ſe comparamus; alias in diuerſum interpretamur. Sic naſcuntur hæc uelut ſimulachra ex illis tribus, propriã faciem oſtendentia, aut ſcripti, aut uoluntatis: quæ ſine dubio aut qualitate, aut coniectura continentur. Finitio quoque uerique generi, quodq; rerum, quodq; ſcripti contemplatione conſtat, communis eſt. Hæc omnia licet in illos tres ſtatus ueniant, tamen quia habent aliquid uelut proprium, permittitur ut legales ſtatus uel quæſtiones uel capita quædam minora nominentur, dum ſciamus nihil ne in his quidem præter tria quæ diximus quæri. Iam hoc perſpicuum eſt, non magis in legibus quàm in teſtamentis, in ſtipulationibus, in reliquis quæ ex ſcripto aguntur, poſſe controuerſias eaſdem exiſtere. In omni enim ſcripto quæri ea, quæ diximus, poſſunt. In libris explicantur.] Subaudi, ubi præcepta traduntur oratoria. Nec ſolum perpetuæ actiones.] De quibus locuti ſumus. Sed etiam partes orationis.] De quibus iam ſumus dicturi. Hiſdem locis adiuuantur.] Quibuſdam ſedibus, & principijs, quibus conſiſtunt & componuntur. Partim proprijs.] Ut alteri parti non conueniant. Partim communibus.] Quæ omnibus in tali materia poſſint conuenire.

UT in principijs, quibus ut beneuoli, ut dociles, ut attenti ſint qui audiant, efficiendum eſt, proprijs locis.] Beneuolentia enim quatuor ex locis comparatur: ab noſtra, ab aduerſariorum, à iudicum perſona, ab ipſa cauſa. Docilitas duobus ex locis fit, ſi aperte &

breuiter

breuiter ſummã cauſæ exponemus: hoc eſt, in quo cõſiſtat cõtro-uerſia. Attẽtionẽ capitabimus, ſi demõſtrabimus ea quæ dicturi erimus, magna, noua, incredibilia eſſe, aut ad omnes, aut ad eos qui audient, aut ad aliquos illuſtres homines, aut ad deũ immortalẽ, aut ad ſummam Reipublicæ pertinere: & ſi pollicebimur nos breui noſtram cauſam demonſtraturos, atque exponemus iudicationem, aut iudicationes, ſi plures erunt: quæ omnia, qui de præceptis Rhetoricis locuti ſunt, tractauere. Itemq́; narrationes, ut ad ſuos fines ſpectent: id eſt, ut planæ ſint, ut breues, ut euidẽtes, ut credibiles, ut moratæ, ut cum dignitate, hoc eſt, uenuſta rerum complexione, & ea quidem rebus accommodata: quæ omnia tamẽ longius in præceptis oratorijs explicantur. Qui ad perſuadendum loci maxime ualeant, dictum eſt in his, quibus de omni ratione dicendi.] Omnia enim argumentandi genera in arte Rhetorica explicata ſunt, quæ ad defenſionem attinere uiſa ſunt. Peroratio autem & alia quædam habet, et maxime amplificationem.] Concluſionẽ in Rhetoricis in tres ſecat partes, enumerationem, indignationem, cõqueſtionem, quarum partium locos enumerauit, tractauitq́;. Alij diuiſerunt in enumerationem, quam ἀνακεφαλαίωσιν Græci nominant: & amplificationem, quam illi αὔξησιν uocant. Præcepta.] Sub audi, à me & alijs ſunt. Alijs libris.] Qui de arte rhetorica compoſiti. Nam ne præterirem aliquid, quod ad argumẽtum in omni ratione reperiendum pertineret. Cum cœperim, inquit, de ſedibus loqui argumentorum, idq́; tu quoq; me popoſceris, non præterirem quidquam quod ad hanc rem attineret. FECIQVE quod ſæpe liberales uenditores ſolent, ut cum ædes fundum'ue uendiderint, rutis cæſis receptis, concedant tamen aliquid emptori, quod ornandi cauſa apte & loco poſitum eſſe uideatur: ſic tibi nos ad id quod quaſi mancipio dare debuimus, ornamenta uolumus, non debita accidere.] Elegantiſſimo exemplo perorationem Cicero concludit. Hoc enim dicit, Liberalium uenditorum eſt, ut cum fundum aut ædes uẽdiderint, & in uenditione ſibi receperint ruta & cæſa, concedant tamẽ aliquid emptori, quod ornare ædes aut fundũ quod emerit poſſit: idq́; præſertim ſi apte & ſuo loco poſitum uideatur, quo fit ut minus à bono uenditore abnegetur: ſic nos, cũ reddidiſſemus tibi quæ debueramus, ornamenta adiecimus quædã, quæ illis debita & peropportuna acceſſiſſe credidimus. Rutis & cæſis receptis concedant aliquid emptori.] Inquit enim Vlpianus iuriſconſultus, ſi ruta cæſaq́; excipiantur in uenditione, ea placuit eſſe ruta quæ eruta ſunt, ut arena, creta, & ſimilia: cæſa ea eſſe, ut arbores cæſas, & carbones, & his ſimilia. Gallus autem Aquilius, cuius Mela refert opinionem, recte ait fruſtra in lege uenditionis de rutis & cæſis contineri: quia ſi nõ ſpecialiter uenierint, ad exhibendũ de iis agi poſſe. neque enim magis de materia cæſa aut de arena cauendum eſt uenditori, quàm de cæteris quæ ſunt precioſiora. Hinc dixit Cicero, ruta & cæſa recepta à uenditore: quia licet Aquilius Gallus fruſtra in uenditione contineri exiſtimet, quippe quod ſi non ſpecialiter uenierint, poſſint redhiberi: cauendum tamen ſit, non tantũ in precioſis rebus, ſed etiam leuioribus, à uenditore. Sic tibi nos ad id quod quaſi mancipio dare debuimus.] Siquidem & tu popoſceras, & ego promiſeram me traditurum tibi Topicorũ argumentorum rationes. itaque licet non omnino mancipio haberemus, quippe qui laborem hunc potuimus ſubterfugere: tamen meo erga te amore quaſi mancipio hæc dare compellebamur. & ad illa exornanda alia adiecimus: licet non tantũ ego ea promiſerim, ſed ne tu quidẽ popoſceris. idq́; fecimus, ne huic rei conficiendæ quidquam admodum deeſſet, quo tanta res ſuis partibus abſoluta uideretur.

FINIS.

IOANNES VISORIVS COENOMANVS REVERENDO IN CHRISTO PATRI DOMINO RHENATO BELLEYO, ANTISTITI COENOMANORVM GRAVISSIMO S. D.

CVM ego ſtudiis meis (Pontifex grauiſſime) quietem impetrare uellem, quæ multos annos bonis autboribus meæ iuuentuti explicandis impenderã: noua mihi rurſus (idq́ue inſperato) prouincia priore multo difficilior iniungitur. Nam in piſtrinum philoſophicum (quod illæſa tamen ſacroſanctæ ſapientiæ maieſtate dictũ uelim) detrudor, ubi molam illa truſatili Plautina lõge difficiliorem (tametſi lubens, aut certe non inuitus) uerſo. Quam circumagere nõ eo mihi durum uidetur, quòd laborem ipſum inanem aut uanum futurum arbitrer: ut qui non ignorem, ſapientiæ radices amaras eſſe, fructus uero ſuauiſſimos. Sed moleſtum eſt ei facultati incumbere, quam uix milleſimus quiſque ſectetur, probet nemo, negligant omnes: aut certe ſiqui ſacris eius initiati ſint, eos inſtituti ſui pœniteat, ut qui protinus, neſcio quo Genio afflati, militiæ philoſophicæ deſertores fiant. Quos ut reprehendendos eſſe non negarim, ita non omnino ratione deſtituros crediderim. Reprehendendos quidem, quod philoſophiam uitæ ducem, uirtutis indagatricem, expultricemq́ue uitiorum, nec non ſocietatum parentem cuſtodemq́ue uigilantiſſimam deſpiciant, ut ad artes quæſtuarias aduolẽt. Quotus enim quiſque ad rubricas hodie non dicam properat, ſed feſtinat? Non ego ius ciuile (cuius ſum amantiſſimus) arguo: ſed illos improbo, qui uix dum iactis Grammatices rudimentis ad illud concurrunt, καὶ ἀνίπτοις (ut aiunt) πόσιν adeunt. Verum ſicut hos merito arguere poſſumus, ita non poſſumus illos iure reprehendere, qui non aliena modo, ſed & ſua ſapientes inſania facti ſunt. Ii nanque quod bonas horas male collocarint, cum ſua tempeſtate Philoſophiæ non germanæ illi quidem, neque ſinceræ, ſed illegitimæ & adulterinæ uacarent, idem hodie fieri rati ſunt, uerenturq́ue ne idipſum liberis ſuis, quod olim ſibi contigit, accidat. Propterea ſtatim ut liberos ſuos aliquid in literis humanioribus promouiſſe ſentiunt, eoſdem contempta Philoſophia, quamprimum uel ad Pontificium, uel Cæſareum ius audiendum mittunt. Hæ cauſæ ſunt (Antiſtes prudentiſſime) quæ me mouebant, ne philoſophiam profiterer: uetus barbaries qua philoſophia ſcatebat, hominum contemptus, & auditorum infrequentia. Cæterum ut duas priores omittam, de poſtrema dicam, quæ me (ſi quid aliud) à philoſophia prorſus auocabat. Cum enim ordinis mei complures uiderem, qui deſtituti auditoribus, quos ius ad ſe uocabat, mutæ ſolitudini ſurdiſq́ue parietibus canere cogerentur, pertime-

ſcebam, ne eodem miſeriæ redigerer, quò redactos alios audiebam: nec me hercule iniuria, timebam. Nō enim præceptores idem mentis & ſpiritus in diceodo ſingulis tantum, uel paucis præſentibus concipere poſſunr, quod illa celebritare inſtincti concipiuot: & ut ingenue fatear,

Gaudeo quòd ſpectent oculi me mille loquentem.

Contra tacita quædam eſt dedignatio, uim dicendi tantis comparatam laboribus, ad unum auditorē demittere. Itaque diu mecum cogitabundus, qui poſſem huic morbo mederi, tandem rationem iniui, qua futurum confido, ut uulnus, quod pertimeſcebam, ſanari poſſit. Negligebatur philoſophia, quod barbare loqueretur. ego (ſi quid poſſum) adnixus ſum, ut latine loquatur. uolabatur ad leges, operā dedi, ne mei inneoes adhuc implumes eo uolare cuperent: non quòd ab inſtituto ſuo quenquam abduxerim, effeci tamen, ut qui alioqui à philoſophia uix dum ſalutata, protinus deſciuiſſent, hodie ſub duce ſapientia ſtrenue mereant. quos cum legum ſtudio teneri facile cernerem, optimum factu duxi, ſi Topica Ciceroniana illis prælegerem· partim quòd io eis multa de iure ciuili deſumpta paſſim reperiantur, quorum fideli explicatione mihi meos obligarem magis & deuincirem atque demererer: partim quia latina, nec magis dialectica quàm oratoria ſint, ita ut lectorem ſtudioſum in amorem ſui continuo rapere poſſint: partim denique, quòd quæ pluribus libris Ariſtoteles obſcure (ſicut omnia) tractauit, paucis contineant. Quæ qui didicerit, arma ſemper habebit, quibus & ſe tueri, & aduerſarium lædere, nullo negotio poſſit. ſiquidem illa locos (unde nomen habent) explicant, de quibus argumenta cuiuſque rei uel confirmandæ uel refellendæ, ſtudioſus lector pro uoto depromat: quibus cum fuerit inſtructus, nihil tam dubium erit, quod certum non efficiat, nihil cōtra tam uerū, quod controuerſum non reddat, ſi uelit. Ea porro (ut fructum quem ex his relaturi ſumus, oſtendam) cum magnæ parti ſtudiorum humanorum (quandoquidē pleræque in ambiguo hærent) apprime ſunt utilia, tum uero eis præcipue conferunt, qui conſilio Rempublicam gubernant, quos de pace, bello, cæteriſque ciuitatis negotiis, in rem præſentem ſæpe ſenatui, ſæpe populo fidem facere oportet: qui in iudiciis item accuſare, defendere, petere, abnuere, quique populum docere iuſtitiam, religionem, pietatem in profeſſo habent. Inſuper non os tantum armare, ſed & prouidentiam animi, & recte conſulendi quoque aperire uiam uidentur. Poſtremo eadem illa præſtant, ut perſpicere poſſis, quid in quaque re poſitum ſit, ut conſentaoea repugnantiaque, & quo quidque ducat, quidque euenire poſſit, colligas. Tanta igitur utilitate motus, quantam ego ex eorum prælectione iuuentutem meam conſequuturam non deſpero, plus ego laboris quàm à me mei requirerent, ſponte ſuſcepi. Nam qui Ciceronis Topica tantum prælegere conſtitueram, eadem meis qualibus qualibus commentariis illuſtraui, idque egi, non uti aliquid melius (qui poſſem?) Seuerino Boetio ſcriberem, ſed ut explicatius omnia traderem, quæ uir ille ſolis ſcribens dialecticis ſatis inuoluit. Quapropter ego me ad captum iuuentutis magis accommodaui· neque ſolis dialecticis prodeſſe uolui, ſed etiam pro uirili conatus ſum, ut artis oratoriæ candidatis aliquid conferrem: breuiter ita familiari ſum uſus expoſitione, ut uoculas etiam ipſas quæ uidebantur obſcuriores, more gramatici declarare non dubitarim. Cæterum non hæc modo præſtiti, uerum etiam exempla iuris ciuilis, quibus Tullius ad iuriſconſultum ſcribens utitur, difficilia ſatis explicaui: & ur ſtudia iuuentutis magis alerem, locos ipſo ſelectis è claſſicis authoribus ſententiis, illuſtriores reddidi, ne quis ius ciuile ſe ignorare cauſaretur. In his autem omnibus non ſum eum ordinē ſecutus, quem Boetius: ſed diſpoſitionem Ciceronis imitatus, meos commentarios in tres tantum libros diſtribuendos curaui: nec ab re. ſiquidem Tullius locos omnes primum diuiſit, ſuaque ſingulis nondum declaratis exempla ſubiecit. deinde latius & fuſius eos omnes quo diuiſi fuerunt ordine, nobis expoſuit. tum quia omne argumentum ad quæſtionem probādam adfertur. Tertio loco de quæſtione multa locutus eſt. Hanc ego Ciceronis diuiſionem uidens, cōmentarios meos in tres libros partiri malui, quàm in ſex, uel etiam in ſeptem fruſtra lacerare, à medio loci unius, noui libri initium ſumens. ſed recte an ſecus egerim, aliorum ſit iudicium. Ego me liberis hominum ſententiis lubens committo, neque diffido, quin æquus lector omnia æqui boni conſulat. Has meas uigilias tibi conſecratas uelim (Pontifex ſanctiſſime) non quod re dignas eſſe iudicem, ſed ut tuo patrocinio fultæ, liberius & tutius in hominum manus ueniant, neque ancipites uulgi cenſuras reformident. Id enim omne lectorē æquum probaturum arbitror, quod probaueris: & quidquid obeliſco ſignaris, id eundem atro calculo notaturum mihi facile perſuadeo. Neminem enim tam impudenrem puto, qui à tuo iudicio uel latū culmum recedere uelir, cum te eum eſſe norint omnes, qui parem uitæ ſanctimoniam cum incredibili eruditione copularis, ita ut dubitent doctiorne ſis an melior. Sanè, ut quod de te audio, ſemel dicam, hæc eſt una omnium uox communis, O fœlix Cœnomania, quæ tantum talemque antiſtitem tandem adepta eſt. antiſtitem inquam, illum Rhenatum Belleyum, qui uir prærer ſummam doctrinam, etiam optimus eſt, & inregerrimus: in quo formando, natura ſuas uires omnes explicuiſſe non immerito dicitur. Audi, ſanctiſſime Pontifex, quid de te boni omnes ſentiant, quo ſis in precio, quanti ſias apud omnes. Verum ne ſolus de te tacere uidear, quid ſentio, dicam. Cum tuam fratrumque tuorum tibi chariſſimorum, Equitis, inquam, illius generoſiſſimi regii legati, Ambianorumque Proconſulis, & purparati Pariſiorum antiſtitis prudentiam, conſilium, fortitudinem, lireras, fœlicitatem intueor, uos ego mirando prouidentiæ diuinæ munere, generi humano regendo conceſſos eſſe credo. Ita ut Frāciſcus ille Galliarum rex potentiſſimus, id non ignorans, Gallias ſuas ueſtris conſiliis regi uoluerit, uos me hercule præmiis uobis dignis ſuo loco decoraturus. Sed finem facio. Interim ſaxit deus, ut tuis optatis omnia reſpondeant. Bene uale, Pariſiis ex Burgundionum gymnaſio.

IOANNIS

IOANNIS VISORII COENOMANI IN M. T. CICERONIS TOPICA COMMENTARIVS.

ARCVS Tullius eo tempore Remp. reliquit, & ſe totum ad rhetoricen philoſophiamq; tractandam contulit, quo Iulius Cæſar unicus in urbe Roma dominus, oppreſſa libertate, populi tyrannidem exercuit. Quæ tempeſtate cum Cicero in ſuo Tuſculano multos libros rhetoricos ediidiſſet, & iam philoſophicos aggreſſus eſſet ſcribere, Caius Trebatius Iuriſconſultus eum è curſu ſuo, id eſt à philoſophia morali, quam tūc tractabat, ad Topicen ſibi tradēdam reuocauit. Quod negotium Cicero primum recuſauit, ut qui maioribus rebus & dignioribus (nempe philoſophicis libris ſcribendis) detentus eſſet. Verum paulo poſt interfecto Cæſare, cum iam Antonius omnibus bonis ciuibus eſſet formidoloſus, præcipue Ciceroni, qui Caſſii & Bruti interfectorum Cæſaris amicus erat, omneſq; boni eius impotentiam ægre ferrent, Cicero patriam ſibi relinquendam eſſe exiſtimauit. Itaque relicta Italia migrauit Athenas: qui ſimulatque Veliā uenit, Trebatij meminit: nam ea urbs erat amiciſſima Trebatij. Itaque ut primum Velia nauigare cœpit, inſtituit Ariſtotelica Topica conſcribere, quem librum Rhegij ſcriptum, Trebatio miſit cum hac epiſtola, quæ libro ſeptimo Epiſtolarum Ciceronianarum reperitur: Vide quanti apud me ſis, & ſi iure id quidem, non enim amore te uinco. Veruntamen quod præſenti tibi prope ſubnegaram, non tribuere certe id abſenti non potui. Itaque ut primum Velia nauigare cœpi, inſtitui Topica Ariſtotelica conſcribere, ab ipſa urbe commonitus, amantiſſima tui. Eum librum tibi miſi Rhegij ſcriptum, quàm pleniſſime res illa ſcribi potuit. Sin tibi quædam uidebuntur obſcuriora, cogitare debebis, nullam artem literis ſine interprete & ſine aliqua exercitatione percipi poſſe. Non longe abieris. Num ius ciuile ueſtrum ex libris cognoſci poteſt? qui quanquàm plurimi ſunt, doctorem tamen lumenq; deſiderant. Quanquam tu ſi attente leges, ſi ſæpius, per te omnia conſequere ut certe intelligas. Vt uero etiam ipſi tibi loci propoſita quæſtione occurrant, exercitatione conſequere. In qua quidem nos te continebimus, ſi & ſalui redierimus, & ſalua iſta offenderimus. Vale, quinto Calendas Sextiles, Rhegij.

MAIORES *noſtres.*] *Id eſt, philoſophiam, præcepta morum componendorum, uitæq; formandæ ratione. Nam eo tempore Cicero Tuſculanas quæſtiones in ſuo Tuſculano (à quo Tuſculanæ dictæ ſunt) compoſuit, ſicut in principio quæſtionum Tuſculanarum aperte docet. Item Officia paulo poſt, nempe poſt interfectum Cæſarem, ſcripſit, ut in illis teſtatur.* ET *ijs libris.*] *Scilicet rhetoricis. Id enim temporis libros de Oratore ad Quintum fratrem, præterea Partitiones oratorias ad filium: & Oratorem ad Brutum, necnon libellum de Optimo genere oratorum ſcripſerat.*

IN *Tuſculano.*] *Tuſculanus ager Ciceronis, à Tuſcia regione Italiæ in qua erat, dictus eſt. Tuſcia uero ea eſt regio, quæ nunc Hetruria dicitur, ut Cato ſcribit, nempe quidquid inter Macrā & Tyberim fluuios diffunditur.* INCIDISTI *in Ariſtotelis Topica quædam.*] *Topice, ſcientia localis eſt, quæ inueniendorum argumentorum uiam docet. de qua poſtea plura dicemus. Eius facultatis octo libros Ariſtoteles ſcripſit: qui omnia quæ de re quaque quæri poſſunt, ad uniuerſalia capita, definitionem, genus, proprium, & accidens reuocans: primo libro de his quatuor in uniuerſum loquitur: ſecundo uero, tertio, quarto, quinto, ſexto, & ſeptimo de ſingulis. nempe ſecundo & tertio de accidente, quarto de genere, quinto de proprio, ſexto & ſeptimo de definitione, at in octauo argumentātem & reſpondentem dialecticum ſuis armis inſtruit & monuit.* SED *à libris te obſcuritas reiecit.*] *Ariſtoteles uſque adeo fuit obſcurus in ſcribendo, ut ſimilis τῆς Λοξίας, id eſt oraculi diceretur. de quo Rodolphus in hunc modum loquitur: Sed uidetur mihi dolendum eſſe, ſediſſe illud animo grauiſſimi hominis, ut non ſimpliciter & aperte proferret quæcunque inuenerat: ut præter laborem quem ipſa rerum eſſet habitura obſcuritas, alia nobis etiam ex ipſo obijceretur difficultas, quo neceſſe haberemus mentem ipſius uelut oraculi ſuſpenſam, & ambiguam indagine perquirere. Themiſtius itaque primo Phiſicorum author eſt, longe aliter omnia foras eſſe ædita ab illo quàm ſint domi tradita: dementiæ'que ſimile eſſe, ſi quis legendis libris ipſius, ſperet illius ſe ſententiam conſecuturum. Sed quid Themiſtium dico? ipſe de ſe locupletiſſimus eſt teſtis: Scribit enim quadam ad Alexandrum epiſtola, edidiſſe ſe quæ ad philoſophiam pertinent, ſed perinde tamen, niſi qui ab eo audierint, eadem iſta ac ſi ædita non eſſent, futura.* QVIBVS

eo minus eſt ignoſcendum.] *Cicero in libris de Oratore ad Quintum fratrem, & in peroratione Partitionum oratoriarū ſcribit, eloquentiam ſine philoſophia teneri non poſſe: proinde oportere omnem oratorem eſſe philoſophum. Nam ſiue laudet uel uituperet, ſcientiam moralem tenere debet: ſiue ſuadeat uel diſſuadeat, neceſſe eſt ut naturas regionum, locorum, & temporum calleat. denique ſiue accuſet uel defendat, oportet ut definiat, diuidat, diſtinguat, interpretetur, argumentetur, confirmet & refellat, quæ ſanè omnia una philoſophia nos docet.* SED *dicendi quoque incredibili copia.*] *Cicero uocat Ariſtotelem fluuium uehentem aurum, necnon aureum flumen eloquentiæ. Sanè Cicero multis in locis teſtatur, Ariſtotelem eloquentiam cum philoſophia iunxiſſe. Inſuper Quintilianus libro tertio tradit, eundem pomeridianis ſcholis artem oratoriam præcipere cœpiſſe qui Iſocratis rhetoris gloria motus, notum quidem illum (ut traditur) uerſum ex Philocteta frequenter uſurpauit. αἰσχρὸν σιωπᾶν μὲν, Ἰσοκράτην ἐᾶν λέγειν.* VT *autem à te diſceſſi in Græciam.*] *Cicero Antonij Conſulis impotentiam (ut diximus) ægre ferens, abeundum omnino ſtatuit, ea ſpe eoq; conſilio ut Athenas migraret, toto tempore quod ſupererat Antonij conſulatus illic futurus, & tunc demū rediturus, cum Panſa & Hirtius conſulatum iniſſent: profectus itaque eſt, & in Siciliam delatus. Cum in Græciam traijcere uellet, uento ad Leucopetram Calabriæ promontorium relatus fuit: ubi nouum conſilium redeundi Romam cœpit, cum mutatam Antonij uoluntatem intellexiſſet. Sed in urbem propere reuerſus, nihilo meliora reperit, quàm proficiſcens reliquerat: immo aperte Antonius tyrannidem iam affectabat.*

VT *ueni Veliam.*] *Velia oppidum eſt Lucaniæ, in Italia.* AERIS *alieni.*] *Aes alienum metaphoricōs, pro re debita Tullius uſurpat.* TIBI *quæ ex itinere miſi.*] *Puta ex Rhegio, oppido Siciliæ, quod Italiæ proximum eſt. Nam eſt aliud Rhegium in Italia, quæ Gallia Ciſalpina dicitur, non lōge à Mutina: nomen oppido datum eſt à dehiſcendi argumento. Nam & ῥῆγμα Græci rupturam nominant: quo nomine Iuſtinus ait abrupta græce pronunciari, qui tamen Rhegium non oppidum, ſed promontorium facit. Ab illo Rhegio Rhegini, ab hoc uero Regienſes.* CVM *omnis ratio diligens diſſerendi.*] *Cicero dialecticen intelligit: eſtq; uerborum circuitus (quem περίφρασιν Græci, circunlocutionem Latini uocāt) uſus. Nec enim nomen latinum habebat, quod Græco reſpon-*

dere, niſi diſputatricem uel diſputatoriā, ſicut rhetoricen oratoriam & oratricem transferre noluiſſet. Sed eiuſmodi traductiones Fabius ſecundo libro reprehendit, quippe quæ uerius epitheta, id eſt, appoſita ſint quàm appellationes, neque nomē rei, neque ſubſtantiam, ſed qualitatem ſolum ſignificent. Sanè quēadmodum literatura, cenſura, quæſtura, dictatura dicitur: ita diſputatura uel diſſertura dicendum foret, ſi certiſſima dicendi magiſtrata conſuetudo pateretur. Verum Tullius nouitatē uerbi non ſatis uſitati reformidauit, ſicut in Partitionibus oratorijs rhetoricen neque elocutoriā, neque elocutricem, neque elocuturam, ſed doctrinam dicendi, ſermonis ambitu uocauit. & utrobique quod uno uerbo non potuit, pluribus expreſſit. Sed hæc fortaſſe πάρεργα. quapropter ad inſtitutum redeamus. Diligens diſſerendi ratio (quam dialecticen uocauimus) proprie breuiter & dilucide ſic definiri poteſt: Ars ſermocinalis, probabiliter dicendi rationem tradens, probabiliter enim dicere, & diligenter diſſerere, pro eodem accipimus. Eſt autem probabile, quemadmodum Ariſtoteles primo Topicorum ſcribit, quod uel omnibus uidetur, uel plurimis, uel ſapientibus, hiſq; uel omnibus, uel ſpectatis & probatis. ut omnibus uidetur deum eſſe religioſe colendum, exhibendam parentibus pietatem: compluribus, ut eſſe parandas opes, honores expetendos. Deinde ſapientibus omnibus meliorem eſſe diuitijs eruditionem. Compluribus uero ſapientibus tametſi non omnibus, uirtutem maxime eſſe eligendam. Denique ſpectatis: ut quod Plato, quod Ariſtoteles dixit. Vnde liquet id eſſe ſecundum Ariſtotelem probabile, quod neque dubitationis omnino, neque fidei prorſus eſt expers. Credibile & ueriſimile idem facimus. Eſt enim ueriſimile (ſicut in Partitionibus oratorijs Cicero definit) quod plerunque ita fiat: ut adoleſcentiam ad libidinem procliuem eſſe. Credibilium tria genera Quintilianus facit. unum firmiſſimum, quod ſæpe accidit, ut liberos à parentibus amari. Alterum uelut propenſius, ut eum qui recte ualeat, in craſtinum peruenturū. Tertium non repugnans, ut domi factum eſſe furtum ab eo qui domi fuit. Rodolphus autem Agricola probabile latius quàm Ariſtoteles & Cicero cepit, pro eo omni quod apte & conſentanee de re propoſita dicetur. Nam de re quæ non ſolum à fide, ſed etiam à facultate funditus abhorret, probabiliter dici (teſte Rodolpho) poteſt. Vt Lucianus probabile fecit, hominē poſſe in aues mutari. & apud Macrobium, fuerit'ne prius ouum an gallina. quorum utrumuis ſumas, incredibile uidetur, de utroque tamen credibiliter diſſeritur. Inſuper Heraclitus idem bonum & malum eſſe probauit. Denique noua Academia, nihil poſſe ſciri, ueriſimile reddidit. Quo fit, ut probabile uocetur, quidquid pro conditione rei propoſitæ quàm aptiſſime ad fidem dicitur. DVAS habeat partes.] Cicero dialecticen duas in partes, uidelicet inuentionem & iudicium diſtribuit. nec iniuria. Nullus enim diligēter diſſerere poteſt, niſi prius de quo ſit diſputaturus inueniat. deinde quod inuenerit, examinet, perpendat & exploret. Nam inuentio certos locos continet, è quibus argumenta cuiuſque rei uel confirmandæ uel refutandæ depromas. Iudicium uero formulas argumentandi, id eſt, ſyllogiſmos, ἐπαγωγὰς, uel ſi mauis inductiones, item enthymemata & paradigmata (quæ latine dicuntur exempla) tradit. Eſt autem inuentio (ſicut in Rhetoricis eam Cicero finit) rerū uerarum uel ueriſimilium excogitatio, quæ cauſam probabilem reddant. At iudicium prudentia quædam eſt, quæ nos admonet, ut argumenta contraria uitemus, profutura quæramus, communia negligamus, propria ſtudioſe paremus, ſtulta relinquamus, acuta teneamus, quæ quid è quoquo fiat, quid cuique ſit conſequens, quid contra repugnans uidet, quæ quando ſit aduerſarius perfecta cogendus argumentatione, quando truncata fallendus, quando confidens hoſtis directo ductu, quando timidus obliquo ſit capiendus, docet. A' iudicio (ut ſexto libro Quintilianus ait) conſilium non multum diſtat: niſi quòd illud oſtendentibus ſe rebus adhibetur, hoc latentibus, & omnino nondum repertis aut dubijs. & quod iudicium frequentiſſime certum eſt, conſilium uero ratio eſt quædam alte petita, plerūque plura perpendens & comparans, habenſq; in ſe inuentionem & iudicationem. Eandem fermè diſtributionem dialectices, quam nunc Cicero, Quintilianus libro quinto facit, cū de dialecticis loquens, inquit: Illi homines docti, & inter doctos uerum quærentes, minutius & ſcrupuloſius ſcrutantur omnia, & ad liquidum confeſſumq; perducunt, ut qui ſibi & inueniendi & iudicādi partes uendicent, quarum alteram τοπικὴν, alteram κριτικὴν uocant. VTRIVSQVE princeps Ariſtoteles fuit.] Ariſtoteles octo libris Topicorum excogitandi argumenti uiam docet, quemadmodum ſuperius admonuimus. In Analyticis uero libris formam argumentandi, hoc eſt certam argumenti explorandi regulam tradit. STOICI in altera elaborarunt.] Stoici de iudicio dialectico multa literis mandarunt, at de inuentione nihil poſteritati reliquerunt. Stoici dicuntur, qui à Zenone profecti ſunt. ijdem propterea Stoici uocantur, quòd eos Athenis Zeno ſub Stoa porticu philoſophiam doceret. Hi ſunt homines rigidi & ſeueri, fœlicitatem in ſola uirtute reponunt, nihil bonum eſſe præter honeſtum aſſeuerant. Corporis autem & fortunæ commoda uel incommoda, bona uel mala eſſe negant, ſed præpoſita aut reiecta dicunt: ex quorum diſciplinis Paradoxa Ciceroniana deſumpta ſunt. Eos Cicero tertio de Oratore genus orationis habere dicit exile, inuſitatum, abhorrens ab auribus uulgi, abſurdum, inane & ieiunū, quos idem in Bruto mediocres in dicendo, ſed in diſputando doctiſſimos & acutiſſimos eſſe ſcribit. De quibus item Quintilian. lib. 10. Minus (inquit) indulſerunt eloquentiæ Stoici ueteres: ſed cum honeſta ſuaſerunt, cum in eligendo probandoq; quod inſtituerant, plurimum ualuerunt, rebus acuti magis quàm oratione magnifici. Rurſus duodecimo, Stoici ſicut copiam nitoremq; eloquentiæ præceptoribus ſuis defuiſſe concedant neceſſe eſt, ita nullos aut probare acutius, aut concludere ſubtilius contendunt. EAM ſcientiam quam dialecticen appellant.] Non uideo quare partem iudicādi potius quàm inueniendi dialecticen Stoici uocent, cum nomen dialectices inuentioni conuenientius eſſe uideatur. nam uerbum διαλέγομαι (unde dialectica dicta eſt) diſſerere ſignificat. Diſſerere uero non poſſumus, niſi probabile aliquid inuenerimus, quo rei controuerſæ fidem facere conuenit. Itaque Ariſtoteles inuentionis præcepta tradens, dialectices artificium explicare dicitur. Porro Boetius aliud eſſe diſſerere, & aliud diligenter diſſerere, probat, ut inuentionis ſit diſſerere, at diligenter diſſerere iudicij. Atqui (ut ex etymologia dialectices conſtat) nihil eſt aliud dialectica, quàm diſſertura. Quare nomen Dialectices inuentionē melius quàm iudicium ſignificat. Huic obiectioni Quintil. ſatis facit, qui lib. 3. ſic ſcribit. Eum inueniſſe non puto, qui non iudicarit, nec enim quiſquam dicitur contraria, ſtulta & communia inueniſſe, ſed non uitaſſe. INVENIENDI uero artem.] Quónam pacto fieri poteſt, ut Stoici neglecta inuentione quidquam iudicent? cum inuentio naturali ordine iudicium præcedat, nihilq; iudicari niſi quod prius inuentum eſt, poſſit. Eſt enim iudicium (ſicut ante docuimus) inuenti iam argumenti norma, quæ quod rude erat & incultum expolit & adornat. quem tibi nodum ſic ſoluimus: Inuentio, teſte Quintiliano, nobis cum imperitis communis eſt, eamq; natura magis quàm arte comparatam tenemus. Iudicium uero totum eſt artis: unde fit, ut quod ſponte natura nobis etiam nolentibus ſeſe offert, reliquerint. At quod artis indiget, neque niſi magno ſtudio, meditatione longa, diuturnoq; tempore poteſt acquiri, declarandum ſumpſerunt. QVAE ad uſum potior erat.] Certiſſima ratione Cice. mouetur, ut inuentionem iudicio potiorem eſſe dicat.

dicas. Nam inuentioni uis ſumma, robur & pondus totius argumentationis tribuitur. Iudicio uero œconomia, contextus, ſeries & elocutio debetur. Atqui ſententia quantumuis indiſtincta & indigeſta, inani, ieiuna, nec pondus habente diſpoſitione melior eſt, ad uſum præcipue oratorum. Non enim oratores iudicij partem curioſius obſeruant, neque has argumētandi leges, quas iudicium dialecticum continet, ſcrupuloſius ſecuntur. Cum enim iudicij ſit in ratiocinatione primum proponere, tum aſſumere, poſtremo concludere, item in inductione partes toto, formas genere priores dicere: præterea in exemplo ſimilitudinem rei prius introducere, poſtea rem cuius ſimilitudo eſt imago colligere: denique in enthymemate partem antecedentem præponere, tum conſequentem collectione conficere, eam certe legem oratores nec ſollicite nec anxie nec ſuperſtitioſe curant. eſſet enim frigidæ prorſus & friuolæ cuiuſdam neſcio an curæ dicam, an cauillationis, certe infantiæ & faſtidij. Infantiæ quidem, quia nihil poteſt aut minus diſertum, aut magis puerile uideri, quàm omnia uelut puerum à magiſtro dictata ad unam formam certam dicere. Faſtidij quoque, quod neceſſe eſt eos ſequi qui nulla orationis uarietate tædium leuāt. Quapropter orator cuius argumentatio raro ad fidem directo tendit, ad motum uero frequentiſſime ſeſe inflectit: huiuſmodi iudicij præcepta odioſa, quæ faſtidium pariunt, refugit. ORdine naturæ certe prior.] Cicero cum Quintiliano pugnare uidetur. Nam Quintil. inuentionem ſine iudicio nullam facit, neque illam ſine hoc eſſe poſſe, lib. 3. confirmat. At Cicero inuentionem iudicio priorem uult eſſe. poteſt igitur quis inueniſſe, ut non iudicarit. Verum hic ſcrupulus ſic adimi poteſt. Alterum altero quadrupliciter prius eſſe dicitur, natura, tempore, ordine, & dignitate. Natura prius eſt, à quo conſequentia non reuertitur, cuiuſmodi ſunt ἀνακόλουθα. inter quæ mutua uel reciproca conſecutio non eſt, ſed una tantum ex parte ualet. Id autem à quo non ualet, prius natura dicimus. hoc modo ſpecie prius eſt genus: ut platanus eſt, igitur arbor eſt, non autem contra. nam poteſt arbor eſſe, ut non ſit platanus: quare arbor natura prior eſt, quàm platanus. Tempore prius dicitur, quod antiquius & uetuſtius, quodq́; gradu temporis alterum præcedit: ut dies heſternus hodierno, hodiernus craſtino, craſtinus perendino die prior eſt ſecundū tempus. Porro ordine prius eſt, quod ſitu & poſitione præcedit, ut ſi ab Athlātico oceano per fretum Gaditanū ad Nilum nauiges, tibi Mauritania prior eſt quàm Numidia: rurſus hæc prior quàm Africa minor. Inſuper Africa minor prior eſt quàm Cyrenaica regio: tum ſequitur Aegyptus, in qua Nilus eſt. Denique dignitate prius illud eſt, quod præſtantius: ut dictator magiſtro equitum prior eſt, prætor quæſtore, legato conſul, legatus tribuno, tribunus centurione, centurio decano, decanus gregario milite. His igitur expoſitis, uideamus quoto modo inuentio iudicio ſit prior. Cic. natura priorem facit. uerum id expoſitioni Ariſtotelicæ non conuenit. Nam ſecundum naturam, authore Ariſtotele, prius dicitur, à quo conſecutio non reuertitur, utpote quod eſſe poſſit ſine eo quo prius eſt. At ut dictum eſt, inuentio non eſt ſine iudicio. Quare ſecundum naturam inuentio prior eſſe non uidetur. Cæterum huic obiectioni reſponderi poteſt, alios eſſe modos natura priores: ut cauſa efficiens quàm effectus natura prior eſt, tametſi illa ſine hoc eſſe nequeat: ſic, tametſi inuentio ſine iudicio nō ſit tempore, natura tamen eſt. QVONIAM in utraque ſumma utilitas eſt.] Vtraque pars dialectices plurimum utilitatis habet. Inuentio quidem, quæ locos inueniendorum argumentorum ſuggerit: iudicium uero, quoniam diſponendis rebus & ordine collocandis perſpicuitatem gignit, & res ipſas oculis ſubijcit. Neque id modo præſtat, uerumetiam ut laqueos aduerſarij uites, ictusq́; ab illo intētatos eludas, & eundem in tua retia conijcias, implices, inuoluas, unde ſe eximere uel exoluere nequeat. Sanè Craſſus apud Ciceronem libro primo de Oratore, fructum quem ex dialectica conſequimur oſtendens, inquit, dialecticen formandis artibus apprime utilem eſſe, neque fieri poſſe ut cæteras diſciplinas ſine ope & adiumento dialectices adipiſcamur. Porro Cicero in libris de Claris oratoribus de utilitate dialectices loquens, ait, eam artem docere rem uniuerſam diſtribuere in partes, latentem explicare definiendo, obſcuram explanare interpretando, ambigua primum uidere, dein diſtinguere, poſtremo habere regulam qua uera & falſa iudicantur, & quæ quibus propoſitis eſſent, quæ'que non eſſent conſequentia. Idem ſtatim poſt eodem in tēpore, dialecticen artium omnium maximam uocat, quaſi lucem ad ea quæ confuſe ab alijs aut reſpondebantur, aut agebantur. Ariſtoteles in topicis eam tribus utilem putauit, exercitationi diſſerendi, confutando aduerſario, & probandis aliarum artium principijs. VTRAMQVE perſequi cogitamus.] De inuentione & iudicio ſeſe ſcripturum hoc libello pollicetur, qui tametſi de inuentione toto ferme opuſculo loquatur, de iudicio tamen nonnulla præcepta inſerit, cum alibi ſæpiuſcule, tum uero ubi de antecedentibus, conſequentibus, repugnantibus, & concludendi modis loquitur. SI fuerit otium.] Cum hæc ſcriberet, ut diximus, nauigabat Athenas, tyrānidem Antonij conſulis, ſui capitalis inimici fugiens: illic toto Antonij cōſulatu futurus, & tum demum Romam rediturus, cum Panſa & Hirtius conſulatum iniſſent. AB ea quæ prior eſt ordiemur.] Id eſt, ab inuentione nos incipiemus, quæ iudicio prior eſt. Nam prius eſt, ut materiam argumentandi inuenias, deinde inuentam formes, expolias & ornes. Inuentio, materia eſt: iudicium uero, forma. illa urſino partui ſimilis eſt, hæc uero urſæ comparatur. Nam quemadmodū partus urſinus informis eſt, & animalis effigie prorſus caret, eum tamen urſa pariens lambendo format: ita inuentum argumentum, primo formæ eſt expers. at ubi iudicium illi acceſſit, abſoluitur, eiq́; ſuprema manus imponitur. VT igitur.] Venator qui dubius errat & incertus uagatur, neſcius quibus in latibulis feræ deliteſcant, raro prædam domum refert: is contra qui ferarum domicilia cognoſcit, ferè ſemper onuſtus præda diſcedit. ita quiſquis argumenta cupit inuenire, certos quoſdam præſcriptosq́; locos cognoſcat oportet, è quibus uelut è latebris, argumenta ducantur. SIC enim appellatæ.] Ariſtoteles in Topicis locos ſedes, id eſt promptuaria quadā & uelut recōditoria uocat, in quibus argumēta latent, et unde ad rē quāq; cōfirmādā uel infirmādā eruuntur. ITAQVE licet definire locum.] Loci duplex eſt apud rhetores & dialecticos ſignificatio. Prior, qua locos communes intelligimus, qui in digreſſionibus & amplificationibus perſæpe uerſantur, ut in luxuriam, & adulterium, & ſimilia. eiuſmodi locos communes, Rodolphus maiores ratiocinationum propoſitiones appellat. Poſterior, de qua nunc agitur. Itaque quemadmodum in ſanctiore quodā ærario pecuniæ publicæ reconduntur, ut cum ijs opus fuerit, inde petantur: ſic in locis argumenta ſita ſunt, è quibus cū quid aſtruere uel infringere uolumus, ea depromimus. Locum Rodolphus ſignificantiſſime deſcribit, ut ſit communis quædam rei nota, cuius admonitu, quid in quaque re probabile ſit inueniri poteſt. Vt enim ferreæ uel lapideæ manus, quas crucibus in biuijs affixas uidemus, indicant uiatori qua uertendum ſit iter: ita loci eum qui inuenire cupit argumenta, ueluti manu apprehenſum ducunt eo quo tendit. ARGVMENTVM autem.] Argumentum plura ſignificat. nam omnis ad ſcribendum deſtinata materia ſic uocatur. Aliter argumentum eſt ratio, per ea quæ certa ſunt, fidem dubijs adferens: de eo nunc loquimur. Id autem Quintilianus ſic finit: Argumentum eſt ratio probationem præſtans, qua colligitur aliud per aliud, & quæ quod eſt dubium per id quod dubium non eſt confirmat. Vnde

ſit, ut quidquid alterius probationi adhibetur, argumentum uocari debeat. Quare tameſi Quintil. argumentum ſpeciem probationis artificialis eſſe dicit, ita tamen ab eo deſcribitur, ut probationem ſignificare uideatur. Siquidem cum Tullius argumenti nomine probationem omnem intelligat, cum eius expoſitione Quintiliani reſpondet expoſitio: ſic ut recurrat & obambulet. Nihil enim differunt, ratio per ea quæ certa ſunt fidem dubijs adferens, & ratio rei dubiæ fidem faciens: quia quidquid fidem facit, idipſum certum eſſe oportet. dubijs enim dubia qui confirmari poſſunt? Quædam tamen in alterius probationem rei ſumuntur, quæ probanda ſunt: ſed argumenti nomen non retinent, quæſtiones uocantur. Ita ut enim cœperint certa, incertorum argumenta fiant. nulla enim firmiora ſunt ijs quæ ex dubijs certa facta ſunt. Itaque quemadmodum tenebræ oculos nunquã admittent, niſi illate alicunde lumine: ſic omnis res dubia certitudinem ſuam ex alijs probationibus & magis exploratis colligit. Argumentum autem triplex eſt, neceſſarium ut apodixis, probabile ut epicherema, fallax ut ſophiſma. de probabili tantum ſit ſermo. RATIONEM.] Exponas rei probabilis excogitationem. Nam quod in partitionibus probabile inuentum Cicero uocat, id nunc rationem appellat.

QVAE rei dubiæ faciat fidem.] In rebus enim apertis argumentari tam ridiculum eſt, quàm ſtultum eſt in clariſſimum ſolem mortale lumen inferre. Dicit tamen Quintilianus, Græcos indubitata colligere, et probare confeſſa. Verum eos arguit. Præterea non eſt dubium aliquando certa probari, ſed non ut certa ſunt. Nam tameſi ex ſua natura nihil dubij cõtineant, ita tamen de ijs nunc agitur, ac ſi dubia ſint, ut ſi deos eſſe Luciano uel Plinio aut cui uis alij ἀθέῳ qui deos eſſe neget, probes, iam quæ certa ſunt probas. Quid enim certius eſt quàm deos eſſe? non tamen ut certa confirmas, ſed quia tibi negata ſunt. quo modo Cicero libro primo de Diuinatione, diuinationem eſſe probauit, quàm certo eſſe ſcimus: probat tamen ita, ac ſi eam eſſe dubium eſſet, cum ſcribit: Si ſunt dij, neque ante declarant hominibus quæ futura ſunt, aut non diligunt homines, aut quid euenturum ſit ignorant, aut exiſtimant nihil intereſſe hominum ſcire quid ſit futurum, aut non cenſent eſſe ſuæ maieſtatis præſignificare hominibus quæ ſunt futura, aut ea ne ipſi quidem dij ſignificare poſſunt. At neque non diligunt nos. ſunt enim benefici, generiq; hominum amici, neque ignorant ea quæ ab ipſis conſtituta & deſignata ſunt, neque noſtra nihil intereſt ſcire ea quæ euentura ſunt, erimus enim cautiores ſi ſciamus: neque hoc alienum ducunt à maieſtate ſua, nihil enim eſt beneficẽtia præſtantius: neque non poſſunt futura prænoſcere: non igitur ſunt dij. nec ſignificant futura: ſunt autem dij, ſignificant ergo. & ſi non ſignificant, nullas uias dant nobis ad ſignificationis ſcientiam: fruſtra enim ſignificarent. nec ſi dent uias, non eſt diuinatio: eſt igitur diuinatio. SED ex his locis.]

Ante locum definiuit, nunc diuidit. Itaque locorum alij in eo de quo agitur hærent: alij aſſumuntur extrinſecus in ea re de qua quæritur. Illi hærent, quos is qui dicit ex cauſa trahit, & quodammodo gignit, id eſt excogitat & inuenit. eos artificiales Latini, Græci ἐντέχνους appellant. Aſſumuntur autem extrinſecus illi loci, qui extra dicendi rationem accipiuntur: nec ingenio nec arte dicentis parantur, ſed ad eum cum cauſa deferuntur à litigatore, quapropter ἀτέχνους, Id eſt inartificiales eos appellamus, non quòd arte non egeant, ſiquidem arte tractãtur, ſed quia foris ad oratorem ueniunt. Cæterum memineris, Ciceronem καταχρηστικῶς locutum eſſe, qui locos in re dixit hærere, uel extrinſecus aſſumi. Non enim reuera loci, ſed argumenta, quæ ex locis eruũtur, in eo de quo quæritur hærent, aut aſſumuntur extrinſecus. ut ſi mundum caſurum & corruptum iri probes, quia ſit genitus. Nam deficit omne quod naſcitur. Argumentum enim in re de qua quæritur, infixum eſt et inſitum, id eſt in ſubſtantia & natura mundi penitus hæret: cum ea ſit natura rerum genitarum, ut aliquando pereant, & in principia uel elementa reſoluãtur atque redeant ex quibus coaluere, ut ſuæ quidque naturæ reddatur: ut quod igneum eſt in mundo, igni: quod aerium, aeri: quod aqueum, aquæ: quod denique terreſtre mũdus à terra ſuſcepit, id omne terræ reſtituatur, quando mundus occidet. E' contrario ſumetur extrinſecus argumentum, ſi teſtimonio Ariſtotelis mundum eſſe ſempiternum dicas. Nam teſtimonium rei alicuius, extra rem eam eſt, cuius eſt teſtimonium. IN quibus argumenta incluſa ſunt.]

Qui fieri poteſt, ut argumenta omnia in locis incluſa ſint, nonnulla tamen extrinſecus aſſumantur? Sanè ſi incluſa ſunt, intus ſunt clauſa: nec igitur extra ſunt, nec extrinſecus aſſumuntur. Sic huic quæſtiunculæ reſpondemus. Argumenta omnia dicuntur in locis incluſa, propterea quod loci argumẽtorum omnium ſunt ſedes, non autem ideo quòd illa omnia in cauſa ſint, & ab ea trahantur: non enim teſtimonia ſunt eiuſmodi, quæ alioqui uocantur argumenta. HAERENT.] Rodolphus Agricola, quo loco docet, non omnia probandis omnibus cõuenire, ſcribit oportere omne argumentum cognatum, coniunctum & cohærens eſſe cum eo cui probando adhibetur: non igitur argumentorum alia hærent, alia non hærent rei de qua quæritur. Verum huic obiectioni ſic obuiam imus. Rodolphus cohærens accepit pro conſentaneo, & pro eo quod à re propoſita non abhorret: non autẽ ut Cicero qui hærere dixit, quod inſitum infixumq; cauſæ eſt. At contra hanc dilutionẽ ſic itur. Quod contraria, repugnantia in eo de quo agitur ſecundũ Ciceronem hærent: ea tamen, ſiue ſecundum Rodolphum cohærens accipias pro conſentaneo, conſentanea non ſunt: ſiue cohærens more Ciceronis interpreteris, quod inſitum infixumq; cauſa eſt, neque inſita ſunt, neque infixa cauſæ: hærent tamen, ut uult Cicero: non igitur quid ſit hærere, ſatis oſtendiſti. Quòd autem contraria & repugnantia conſentanea non ſint, nec infixa cauſæ, ſic oſtendo: Quòd repugnat, non conſentit cum eo cui repugnat. Deinde quod contrarium eſt, non eſt in ſuo contrario inſitum & infixum: alioqui contrarium de contrario diceretur, & in eodem contraria ſimul eſſent, quod fieri nequit. Sed hic ſcrupus in hunc modum exoluitur. Cõſentanea ſunt cõtraria negata contrarijs affirmatis, & affirmata negatis: & hoc modo repugnantia affirmata negatis, negataq; affirmatis conſentiunt. Simili ratione repugnantia uel contraria affirmata, ſunt infixa repugnantibus uel contrarijs negatis: ut, Iure poſſidet, igitur non iniuria debet reddere. Item, Lex eſt iniqua quæ de iure nihil remittit, ſed ſummum ius ad unguẽ ſequitur: ergo non eſt æqua lex. utrobique ex affirmatione unius illic repugnãtis, hic contrarij, negationem ſeu repugnantis alterius ſeu contrarij collige. & certe affirmatio unius, negationi alterius cõſentanea eſt. nec aliter à repugnantibus aut contrarijs argumentari poſſumus, Quapropter Rodolp. de repugnantibus loquens, ait: Habent autem ij loci proprium hoc, quod non poteſt ex ipſis quidquam confirmari directe, ſed ex diuerſo ut ſi in uno neges, in altero affirmandum eſt: contraq; alterius affirmatione negandũ eſt alterũ. ut ſi dicas: Pater eſt, ſequitur non eſſe filium. & filius eſt, certum eſt patrem non eſſe. ſic, Cæcus eſt, ergo non uidet. cõtra quoque, Videt, igitur cæcus nõ eſt. Verũ (pace Rodolphi dixerim) non uſquequaque uerum eſt quod Rodolphus ait. Nam tameſi ſi unum repugnãtium aut oppoſitorum affirmes, oporteat alterum negari: tamen oratio non reuertitur ſiquidem neceſſe non eſt ut ſi unum neges, alterum affirmes: ut non ſequitur, Non eſt niger lapis ſmaragdus, igitur eſt albus. itaque quomodo repugnantia et contraria ſint rebus, diximus. Neque eſt audiendus recens ille ſcholiaſtes, qui locos tripartito, neque latine locutus, neque Ciceronis ſententiã ſecutus diſtribuit in intrinſecos, extrinſecos et medios. Qua in diuiſione præterquàm

quod

quod intrinſecos & extrinſecos pro internis & externis barbare dixit, dupliciter peccauit. Prius, quod Ciceronis ſententiam explicare uolens, à Ciceronis diuiſione diſceſſerit. nullos enim locos medios Cicero facit, ſed omnes uel internos uel externos eſſe uult. Poſterius inſigniter hallucinatus eſt, qui cum externorum locorum exempla traderet, contraria & repugnantia locos externos eſſe dixit. at Cicero facit internos. neque ulli, ſecundum Ciceronem, præter teſtimonium ſunt externi. ALII aſſumuntur extrinſecus.] Extrinſecus illa iam diximus aſſumi, quæ ab oratore non inueniuntur, ſed ad eum à litigatore deferuntur, ut ſunt teſtimonia. Verum hæc duo pugnare uidentur, quoddam uidelicet ab oratore non inueniri, & argumentum omne probabile inuentum eſſe. Nam ita in Partitionibus oratorijs argumentum à Cicerone definitur: Atqui definitio omni rei cuius eſt definitio, conuenit. Si ergo omne argumentum eſt probabile inuentum, omne argumentum inuenitur. ſed hoc repugnat ei quod dicebamus, ſcilicet extrinſecus argumentum aſſumptum non inueniri. Qui nodus ita ſoluitur. Cicero non uocat inuentum quod eſt artificio dicentis excogitatum, ſed quod è loco in quo latebat depromptũ eſt, quodq; prius in loco ſuo quæſitum, tandem inuentum eſt. non autem ſic ut à cauſa petitum eſſe dicamus, ſed à ſua ſede uelut erutum uocamus. IN ipſo.] Locos diſtribuit qui in eo de quo agitur hærent, id eſt, internos & artificiales, qui quadruplices ſunt, definitio, pars, nota, res affecta. TVM ex toto.] Id eſt, ex definitione. Eſt autem definitio, teſte Quintiliano, rei propoſitæ propria dilucida & breuiter comprehenſa uerbis enunciatio: ut, Virtus eſt medium uitiorum utrinque redactum. Cicero definitionem propterea totum appellat, quod ea totam rei de qua quæritur ſubſtantiam breuiter declaret: uel quod uniuerſam definiti naturam ſuis finibus circunſcribat. Nã cũ id quod definitur, id eſt ſpecies, genere & differentia conſtet: genere inquam, tanquam materia: differenti uero, uelut forma: definitio ſanè partem utranque ſi ad manum habeamus, aut certe nõnihil quod eorum uires ſuppleat, ambitu ſuo comprehendit. quare totum merito uocatur. Sed rogare quiſpiam poterit, Si finitio totum eſt, ut diximus, quo'nã pacto fiet ut ea in ipſo toto de qua quæritur hæreat, atque ad ipſum totum adhibeatur? nihil enim in ſeipſo eſt, ſibi nihil hæret. Illi ſic reſponſum uolo: Definitionem totum ideo dico, quod partes omnes definitæ rei quæ ſunt in toto id eſt genus & differens, contineat: quodq; cum toto, id eſt re definita, reuertatur et obambulet. quòd ſi ipſa in toto proprie non ſit, eius tamen partes in toto ſunt: ut, æquitas eſt, non dura iuris interpretatio. interpretatio iuris non dura, non eſt proprie loquendo in æquitate, quin potius ipſa eſt æquitas. Sed partes, genus inquam & differens, ut interpretatio quæ generis uices ſupplet, & iuris non dura, quod differentiæ officium præſtat, in toto ſunt à quo continentur. TVM ex partibus.] Partium enumeratio eſt, tradente in Rhetoricis Cicerone, quæ pluribus rebus expoſitis, & cæteris infirmatis, unam aliquam neceſſario confirmat. quæ definitio ei partium enumerationi nõ conuenit, quam Cicero paulo poſt facturus eſt. ea eſt huiuſmodi: Si liber eſt factus, igitur uel cenſu uel uindicta, uel teſtamento. non cenſu, non uindicta non teſtamento: non igitur eſt factus liber. non conuenit, inquam: quia quamuis res plures exponantur, non tamen ita, ut cæteris infirmatis una aliqua neceſſario probetur. omnibus enim partibus peremptis in hoc exẽplo, totum perimitur. quare fateamur neceſſe eſt, enumerationẽ à Cicerone preſſius quàm oportet illic eſſe finitam, Eandem profecto Quintilianus latioribus finibus terminat, quam tamen nõ enumerationem partium, ſed remotionem appellat, cum dicit: Eſt argumentorum genus ex remotione, quia nunc efficitur totum falſum, nunc id quod relinquitur uerum oſtenditur. Totum falſum erit, ſi dicas. Si tu es ciuis, igitur natus aut factus: ſed neque natus, neque factus: non igitur es ciuis. Natus & factus partes ſunt, quæ remouentur: & his remotis totum, id eſt ciuis, falſum oſtenditur. Reliquum ſic uerum ita: hic ſeruus quem tibi uendicas, aut uerna tuus eſt, aut emptus, aut donatus, aut teſtamento relictus, aut ex hoſte captus, aut alienus. Non eſt autem uerna tuus, non emptus, non donatus, non teſtamento relictus, non ex hoſte captus: igitur alienus. Partes ſunt, uerna emptus, donatus, teſtamento relictus, non ex hoſte captus. quæ ſic infirmantur, ut hæc poſtrema, id eſt, alienus, neceſſario confirmetur & uera relinquatur. Non ignoro, Rodolphum enumerationem aliter definiſſe, ut eſſet argumentatio perfecta, in qua uel ex partibus totum, uel ex formis genus uniuerſaliter colligeretur. Ex partibus totum hoc modo: Senatus de Milone bene ſentit, item equeſter ordo, nec non plebeius ordo: uniuerſus igitur populus Romanus de Milone bene ſentit. Ex formis uero genus, ita: Iuſtitia, prudentia, fortitudo, modeſtia laudanda eſt omnis igitur uirtus eſt laudanda. TVM ex nota.] Notam uocat Tullius, interpretationem uocabuli, quam Græci ἐτυμολογίαν dicunt. Nos uerbum uerbo reddentes, ueriloquium transferre poſſumus. uocem Cicero tanquam moleſtam, nimiſque duram reformidauit, & notam dicere maluit, Ariſtotelis auctoritate fretus, qui in libro περὶ ἑρμηνείας inquit, uerba rerum notas eſſe. nam σύμβολον græce, latine notam uocat. ut ea ſunt notationes, uel (ſi mauis) interpretationes uocabulorum: ut ſoror dicitur quæ ſeorſum nata in alienam familiam tranſit: ſic temetum, quod mentem tenet, uel teneat: & abſtemius, qui temeto abſtinet. TVM ex his rebus quæ quodammodo affectæ ſunt ad id de quo quæritur.] Boetius res affectas exponit, quæ ad aliquid referuntur, ut genus ad ſpeciem, ſpecies ad genus. Sed ſunt hodie quidam uiri non mediocriter eruditi, qui Boetij expoſitionem reprehendunt. tamen non ſolus Boetius res affectas ita definiuit, ſed & Quintilianus, qui de genere & forma loquens (quæ ſub rebus affectis ſunt) inquit: Cicero genus & ſpeciem, quam eandem formam uocat, à finitione diducit, & ijs quæ ſunt ad aliquid ſubijcit, id eſt, rebus affectis. Non enim ad id totum de quo quæritur adhibetur, quemadmodum finitio, partes, & nota: ſed ſolum res ſunt, ad id de quo quæritur, quodammodo affectæ. Qui Boetium arguunt hac ratione nituntur, quod definitio referatur ad aliquid, eſt enim definiti definitio. Item partes ad aliquid, ad totum puta: Atqui neque definitio neque partes res affectæ ſunt: ſunt tamen ad aliquid: Igitur res affectæ, non ſunt definiendæ, quæ ſunt ad aliquid. Iidem autem Gellium ſequuti affecta definiunt, quæ non ad finem ipſum, ſed proxime finem progreſſa deducta'ue ſunt. ut Annus affectus eſt, qui quamuis nondum ſit confectus, prope tamen abſolutus eſt. hoc ſenſu res affectas à Cicerone dici confirmant, ut genus cum ſit ex affectis, non omnino totum conficit. nam niſi differens addideris, abſolutam totius definitionem non es habiturus: ita differens ſine genere totum non facit, ſed finitionis eius pars eſt. Quorum mehercule poſſumus interpretationem labefactare prorſus, & eleuare. Nam contrarium & repugnans affecta ſunt, at prope finem deducta non ſunt. non enim ea quibus repugnant, contraria'ue ſunt, prope conficiunt. Sanè tantum ab eſt, ut aliqua ex parte conficiant, ut omnino perimant. ſed fallor: conficiunt, & enecant, atque euertunt. Sed eſto conficiant, ergo Tullius res afficientes, non affectas uocare debuit. non enim conficiuntur, uel ipſis conſentientibus: ſed ſicuti uolunt, conficiunt. Adde, quòd media tantum ex parte factum eſt, affectum dici non poſſe, ſicut affecta Gellius accepit. nam affectum (ut interpretantur) prope confectum eſt. Atqui genus, uel differens, ſeorſum ſpeciem dimidia ex parte tantum faciunt. Quare Cicero res affectas ali-

ter quàm uolunt accepit. melius ergo ad aliquid eſſe dicuntur. Quod autem obijciunt, definitionem, partes, & notam ad aliquid eſſe, quæ tamen res affecta non ſunt: illis ego ſic ſatiſfacio: Dicuntur, ad aliquid eſſe, quæ ſecundum idipſum quod ſunt, ad aliud referuntur. Vt igitur relata ſint, eſſe diuerſa non modo ſecundum uocem, ſed & ſecundum rem neceſſe eſt. At definitio & definitum reuera eadem ſunt, etiã ſi uoce differant: ergo ad aliquid non ſunt. quod ſi ſint ad aliquid (ut hodie uolunt omnes) ſola nominum ſimilitudine, non autem collatione rerum id accidet. Sic partes omnes eadem cum toto ſunt. Deinde relata ſimul natura ſunt, partes uero ſingulæ toto priores. Ita nota cum eo cuius eſt nota, nihil prorſus niſi uoce differt. Ergo neque partes neque nota ſunt ad aliquid, ſi rẽ potius quàm uocem inſpiciamus. nam uoce, ſicuti dictum eſt, ad aliquid eſſe poſſunt. uerum de rebus, non de uocibus modo loquimur. Sed quiſpiam dicet: Ergo Boethij definitionem tueris. Sanè nec oppugno, ſicut conſtat: neque tueri uelim. ne autem tuear, Cicero facit, qui relata ſub contrarijs, id eſt, ſub oppoſitis (nam ita uocat oppoſita) complectitur. at contraria ſpecies ſunt rerum affectarum: non igitur res affecta definiendæ ſunt, quæ ad aliud referuntur. Vt igitur quod ſentio dicam, tres locorũ gradus Cicero facit. alios in toto penitus fixos, & uelut in medijs ædibus incluſo, ut ſunt definitio, partes, & nota: quos tres ad totum adhiberi dicit. alios quamuis etiam in toto, non tam tamen in toto, quàm circa totum, & uelut in ueſtibulo miſſos, ſic ut nec omnino ſint intus, nec planè foris, cuiuſmodi res ſunt affectæ. Nã ſicut Gelliana affecta nõ ſunt ad finẽ uſque ducta, ſed proxime finem progreſſa ſunt: ita res affectæ Ciceronis, ad totum uſque non perueniunt, ſed totum uelut attingunt, & iuxta ſunt. Alios denique foras excludit, quos à toto longe diſiunctos & remotos eſſe tradit, ut ſunt teſtimonia. itaque ut epilogo concludam, loci uel ad totum adhibentur, uel ad totum affecti ſunt, uel à toto procul abſunt, longéq; diſiuncti ſunt. Verum antequã finem facio lubens rogarim, quo'nam pacto Quintilianum Ciceroni concordem reddere poſſimus. quorũ ille probationis artificialis tria genera, ſigna, argumentum, & exemplum fecit: hic uero quatuor, definitionem, partes, notam, & res affectas. Sanè concordes ita reddemus. ſigna ſub antecedẽtibus, conſequentibus & adiunctis, item ſub maioribus, paribus & minoribus: exempla ſub ſimilibus, diſſimilibus, contrarijs, atque etiam comparatis intelliguntur: quas res affectas eſſe, nemo negabit. Argumenta uero ab omnibus quæ uel ad totum adhibentur, uel quodammodo affecta ſunt, ad totum trahuntur. quare Quintil. & Cicero conſentanea tradunt. EXTRINSECVS autem dicuntur.] Cuiuſmodi ſunt probationes artis expertes, ut teſtimonia. Nam teſtimonium id omne Cicero uocat, quod ab aliqua re èxterna ſumitur ad faciendam fidem. cuius apud Lucanum hoc exemplum eſt, primo Pharſaliæ libro, de Cæſare & Pompeio:

—Quis iuſtius induat arma?
Scire nephas, magno ſe iudice quiſque tuetur.
Victrix cauſa deis placuit, ſed uicta Catoni.

Simile exemplum eiuſdem rei pro Ligario apud Ciceronem reperias: Principum (inquit Cicero) dignitas erat penè par: non par fortaſſe eorum qui ſequebantur, cauſa tum dubia, quod erat aliquid in utraque parte quod probari poſſet. Nunc melior ea certe iudicanda eſt, quam etiam dij adiuuerunt. Eſt apud Quintilianum locus, qui huic omnino contrarius eſſe uidetur. Dicit enim ille capite de exemplis, teſtimonia cauſæ propria eſſe, omnem uero probationem artificialem extrinſecus in cauſam adduci. quem ſcrupulum tibi in hunc modum remoueo. Teſtimonia Quintilianus cauſæ propria facit, quòd illa per ſe ſine oratoris artificio cauſæ fidem faciant, nec dicẽtis uocem expectent, cum etiam tacente oratore ſæpenumero peragantur, & iudices ipſi ſibi per ea ſuis oculis auribuſq; fidem faciant. Nam teſtis et quæſtio & his ſimilia de ipſa re quæ eſt in iudicio pronũciant. Artificiales uero probationes, extra petitas ideo dicit, quod nihil per ſe ualeant niſi ad aliquam præſentis negotij utilitatem ingenio dicentis applicentur. QVAE abſunt longéq; diſiuncta ſunt.] Sed quomodo teſtimonia longe diſiuncta ſunt? cum teſte Rodolpho neceſſe ſit omnia quæ pro re quaque, uel cõtra rem dicuntur, eſſe quadam naturæ ſocietate coniuncta? diſiuncta eſſe teſtimonia & coniuncta repugnat. Verum hoc ſic diluitur: Omnia quæ probandis alijs conueniunt, conſentire propoſito, nec ab eo diſcrepare debent. At Cicero diſiuncta capit non pro diſſentaneis, aut à præſenti quæſtione diſcrepantibus, ſed pro remotis ab arte, & in eo de quo quæritur non incluſis, uerum ab arte ſeparatis. ut cum Cicero ſecunda Philippica cuiuſdam poetæ teſtimonium citans, inquit: ut eſt apud poetam neſcio quem:

Male parta male dilabuntur.

Hoc inquam teſtimonium ab arte oratoria, id eſt, ab inuentione dicentis, eſt remotum. non enim Cicero illud inuenit, ſed ab alio accepit. Teſtimonia tamen Rodolphus quæri à dicentibus, & inuenìri, necnon alium alio melius ijs uti, & proinde artis eſſe conſtanter affirmat, ſed ut ab ijs quorum ſunt teſtimonia, id eſt, à teſtibus præſentem in rem dicuntur, eatenus arte carere ſcribit. cum teſtes quæ uiderint, audiuerint, intellexerint, tantum dicant, nec quidquam uel addant, uel detrahant, uel immutent, uel inuertant, ex ijs quorum teſtimonium dicunt: ſed fideliter recitent, ut uiderunt, audiuerunt, & intellexerunt. Cicero uero ſecundo de Inuentione libro, teſtimonia probationes artificiales facit. quo in loco ſic habet: Accedunt autem ad cõiecturam ſæpe quæſtiones, teſtimonia, rumores, quæ contra omnia uterque ſimili uia præceptorum torquere ad ſuæ cauſæ commodum debebit. Nam & ex quæſtione ſuſpitiones, & ex teſtimonio & rumore aliquo pari ratione, ut ex cauſa, aut ex perſona, & ex facto duci oportebit. Quare nobis & ij uidentur errare, qui hoc genus ſuſpitionum artificij non putant indigere: & hi qui aliter hoc de genere ac de omni coniectura præcipiendum putant. Expoſitis omnibus probationis utriuſque membris, adijcere commodum fuerit quæ Quintilianus omni probationi communia facit. Primo tradit, probationem omnem ab antecedentibus, conſequentibus uel repugnantibus duci. quod Ciceronianæ diuiſioni prima facie repugnat. Nam Cicero ſub rebus affectis antecedentia, conſequentia, & repugnantia complexus eſt. quare ſi ab antecedentibus, conſequentibus, uel repugnantibus omnis probatio petatur, omnis igitur à rebus affectis erit. Certe Rodolphus Ciceronem ſimul & Boetium reprehendens, antecedentia, conſequentia, & repugnantia communes locorum omnium locos eſſe docet: ſicut ea Boetius definiuit, & ut Cicero tractauit locos eſſe negat. non enim ad inuentionem, ſed ad iudicium pertinere Rodolphus ait. Inſuper Quintilianus argumentum omne uel maius, uel par, uel minus facit. qui tamen tres loci ſicut tres ſuperiores, ſub rebus affectis continetur. Sed hoc ita diluitur. Quintilianus maius, pro latiori uel generaliori cepit: minus, pro contractiori: denique par, pro eo quod reuertitur & recurrit. Itaque par erit definitio definito: genus, ſpecie maius: ſpecies, genere minor. eodem modo de alijs locis iudicandum. SED ad id totum de quo diſſeritur.] Tres locorum gradus ſuperius fecimus. unum eorum qui ad totum adhibentur: alterum eorum qui ad totum quodammodo ſunt affecti: tertium eorum qui à toto remoti, longé'que diſiuncti ſunt. Nunc de primo ſit ſermo, id eſt, de locis qui ad totum adhibentur. A'd totum autem dicũtur adhiberi, qui totam rei propoſitæ ſubſtantiã, uniuerſamq; naturam complectuntur, quiq; toti reſpondent & æquipollent, omninoq; conueniunt, nec latius quàm totum ſe fundunt,

dunt, nec contractius ſeſe cohibent, anguſtius'ue cõtrahunt, ſed pares & aequales & reciproci ſunt. ut definitio definito, omnes partes toti, interpretatio uocabuli uocabulo pares ſunt. qui loci cum tres nomine ſint, unicus tamen reuera locus eſt, quem totius nomenclatura uocare poſſumus. nam & definitio totum eſt, & partes totum ſunt, & eſt totum interpretatio uocabuli. nec eos totius nomenclatura ſolum, ſed & definitionis appellatione uocabimus. nec ſanè iniuria. Nam uniuerſam uim rei definiendo modo complectimur, cum per genus & differentiam definimus. ut, Rhetorice eſt bene dicendi ſcientia. aut definimus per partes, cum res propoſita quaſi in membra diſcerpitur: id eſt, cum rei definiendae partes omnes recenſemus. ut, Rhetorice eſt recte inueniendi, & diſponendi, & eloquendi, cum firma memoria & actionis dignitate, ſcientia. Praeterea ſi nimus aut ui, ſicut ſuperiora: aut ethymologia, cum uocabulum interpretamur: ut, Aſſiduum ab aſſe dando, & locupletem à locorum, & pecunioſum à pecorum copia. Itaque cum hi tres loci, definitio, partes, & nota, ad totum adhibeantur, de his dicamus: & à definitione (quam Laurentius Valla regium quendam cenſorem quaeſtoremq; aerarium uocat) incipiamus. Quanquam ea non tam in toto, id eſt, in ſubſtantia totius eſſe uideatur, quàm ipſum totum ipſa'que rei ſubſtantia eſſe (rectius enim dixeris, cognitionem rerum diuinarum & humanarum philoſophiam eſſe, quàm in philoſophia) tamen quia partes definitionis, puta genus & differens, in toto ſunt, etiam ſi ad totum non adhibeantur, ſed rel us affectis ſubiecta ſint, per definitionem in toto eſſe dicimus. QVAE quaſi innolutum.] Nihil enim eſt aliud definitio, quàm coactae in ſe & complicatae rei explicatio. Res quae definitur pugno, definitio manui in digitos ductae ſimilis eſt. Itaque res ipſa uno nomine continetur. definitio uero eandem in duo, ſcilicet genus & differens, tanquam totum in partes explicat. ut, Iuſtitia uirtus eſt, unicuique ius ſuum tribuens: in qua uirtus, genus eſt: quod reliquum, eſt differentia. IVS ciuile.] Ius, auctore Celſo iureconſulto, Digeſt. de Iuſtitia & iure, hoc modo definitur: Ius eſt ars aequi & boni. Cicero uero de Oratore, ius ciuile hoc pacto finit, ut ſit legitimae atque uſitatae in rebus cauſis'que ciuium aequalitatis conſeruatio. uel ſic: Ius ciuile eſt decretum maioris poteſtatis, ad tuendum ciuitatis ſtatum, ex aequo & bono inſtitutum. Item quod quiſque populus ipſe ſibi ius conſtituit, id ipſius proprium ciuitatis eſt. uocaturq; ius ciuile, quaſi ius proprium ipſius ciuitatis. Sic Iuſtinianus in ſuis inſtitutionibus imperatoriis, tit. de iure naturali gentium & ciuili. Verum quia non ad iuriſconſultos modo ſcribimus, ſed ad philoſophiae chriſtianae parentes ſanctiſſimos, rem noſtram exemplis aliis illuſtriorem reddamus: ut, Virtus eſt animi conſtans affectio conueniensq;, laudabiles eos efficiens in quibus eſt, & ipſa per ſe ſua ſponte laudabilis, ex qua oriuntur honeſtae uoluntates, ſententiae, actiones, omnisq; recta ratio: ſed eiuſmodi conſtans affectio expetenda eſt: igitur expetenda uirtus. TVM partium enumeratio.] Quid ſit enumeratio, ſuperius diximus: eiusq; duas ex Quintiliano partes fecimus. alteram, qua cum plures partes expoſuimus, eas omnes infirmamus ut totum remoueatur: alteram, cum partium expoſitarum nonnullas euertimus, ut quae reliqua eſt cõfirmetur. Prioris hoc eſt exemplum: pecuniam te crediddiſſe dicis, igitur aut habuiſti ipſe, aut ab aliquo accepiſti, aut inueniſti, aut ſurripuiſti: ſed neque domi habuiſti, neque ab alio accepiſti, nec inueniſti, nec ſurripuiſti: igitur non credidiſti. Poſterioris uero tale, Aut ſenatui parendum de republica ſalute fuit, aut aliud conſilium inſtituendum, aut ſua ſponte faciendum: aliud conſilium ſuperbum, ſuum arrogans: utendum igitur conſilio ſenatus. Partium tria ſunt genera, ſubſtantiae, quantitatis, & qualitatis. Subſtantiae, ut materia & forma, quae de proximo rem conſtituunt: uelut brachium, manus, digitus, crus tibia, pes, quae ad ſolam rei integritatem explendam pertinent. Quantitatis, ut cubitus. Qualitatis, ut cum dicimus tres animae partes eſſe. Altricem.] Senſitiuam & rationalem. LIBER factus eſt.] Aliud eſt liberum eſſe, & factum eſſe liberum. Nam liber proprie dicitur ingenuus, qui ſtatim ut natus eſt, ſui iuris eſt. Libertas autem, naturalis eſt facultas eius quod cuique facere licet, niſi quod ui & iure prohibetur. Qui uero facti ſunt liberi, non proprie liberi, ſed libertini dicuntur: de quibus nunc agitur, & ſic in iure definiuntur, qui iuſta ſeruitute manumiſſi ſunt. Manumiſſio uero, datio eſt libertatis. nam manumitti ſerui cum liberi fiunt propterea dicuntur, quod cum domini manui, id eſt poteſtati ſuppoſiti diu fuiſſent, ab ea liberentur. Liberi faciendi plures formas Iuſtinianus recenſet. Nunc Cicero tres tantum numerat: unam quae cenſu, alteram quae uindicta, tertiam quae teſtamento fit. Cenſus eſt, facultatum aeſtimatio. eſt enim cenſere, quod uulgo taxare & appreciare dicunt. Olim ſoli ciues cenſebantur. ſi quis ergo conſentiente uel iubente domino nomen ſuum in cẽſum detuliſſet, cenſu liber fieri dicebatur. Vindicta eſt, ritus quo praetor ſerui caput uirga tangens, declarabat eum manumiſſum eſſe: inde hanc uirgã uindictã appellauerunt. Porro uindex eſt, qui ſeruũ in libertatem aſſerit. & à uindicando, uindicta uindexq; dicitur, non à Vindicio ſeruo, ut Plutarchus aſſerit, & Liuius dubitat. eſt enim uindicare, in libertatem aſſerere. Teſtamento denique fiebat liber, cum dominus ſuprema uoluntate ſeruum ſuum in teſtamenti ſerie ſcripſiſſet. Iuris conſulti teſtamentum quaſi mentis teſtationem interpretantur: quos Gellius & Laurentius arguunt. Gellius quidem, qui capite duodecimo libro ſexto ſic ait: Seruius Sulpitius iuriſconſultus, uir aetatis ſuae doctiſſimus, in libro de Teſtamentis ſecundo, qua ratione adductus, teſtamentum uerbum eſſe duplex ſcripſerit, non reperio. nã compoſitum eſſe dixit à mentis conteſtatione. Quid igitur calciamentum, quid paludamentum, quid pauimentum, quid ueſtimentum, quid alia mille per huiuſcemodi formam producta? etiam'ne iſta omnia compoſita dicemus? Obrepſiſſe autem uidetur Seruio, uel ſi quis alius eſt, qui id prior dixit, falſa quidem, ſed non abhorrens, neque inconcinna quaſi mentis quaedam in hoc uocabulo ſignificatio. Item Laurentius Valla capite triceſimo ſexto, libri ſexti, ait: Teſtamentum, idem inquit, ex eo appellatur, quod teſtatio mentis eſt. Quae definitio quorundam iuriſconſultorum fuit: quos ſi iuſte Aulus Gellius coarguit, quanto ego iuſtius hunc arguere poſſum, qui exploſam atque deriſam ethymologiam inculcat? Nam cur à mẽte potius dicatur, quàm à mento, uel à mentea? quia nihil ad hanc ſignificationem mentum mentea'ue facit, inquies. Quid ergo mens ad ſalſa mentum, ad ornamentum, ad condimentum, ad armamentum, ad pauimentum, ad caementum, ad calciamentum, ad ueſtimentum, & huiuſmodi infinita? nõ eſt ergo uera ethymologia haec. Neq; à mente, neque à mento, neque à mentea, ſed potius haec nomina aſſumunt Tum ſyllabam, cũ exirent antea in men, ut ueſtimen, calciamen, munimẽ, lenimen, nutrimẽ, ſtramẽ, medicamẽ, uelamen: quibus adiecta: Tum, fit munimentũ, lenimentũ, nutrimentum, ſtramentũ, medicamentũ, ueſtimẽtũ, uelamentum, calciamentum. ita teſtamẽ, addita ſyllaba Tum, fit teſtamentũ. quòd ſi à mente deſcenderet teſtamentũ, teſtamentia diceretur, quemadmodum dementia & amentia. TVM notatio.] Notatio dicitur interpretatio nominis. A' notatione uero reducitur argumentum, cum ex ui uerbi elicitur. ut ſi diſſentientes Romanos uideas, ciues eſſe negabis, hoc modo: Ciuitas eſt ciuium unitas: uos autẽ unanimes non eſtis: neque ergo ciues. ſic ſi probare uelis, unam oportere in amicis eſſe uoluntatem, dices: Amicus eſt animi cuſtos. unde & illud uulgo circunfertur,

Corporibus plures, mentibus unus homo.

LEX Aelia Sanctia.] Ab Aelio Sanctio lata. ex duodecim tabulis, authore Gellio, deſumpta eſt, in quibus ita ſcriptum erat: Aſſiduo uindex aſſiduus eſto: proletario ciui, quiuis uolet uindex eſto. Aſſiduus in hac lege, ſicut ait Gellius, pro locuplete & facile minus faciente dictus eſt: ab aſſibus, id eſt ab ære dando, cum tempora Reipublicæ poſtularent: uel dictus eſt à muneris pro familiari copia faciendi aſſiduitate. Hinc aſſiduos teſtes metaphoricos dicimus, quibus eſt adhibenda fides, & qui non facile mētiuntur, & quorum teſtimonium non eleuatur, quales ſunt uiri primariæ authoritatis. Eadem ratione primarios illos linguæ utriuſque principes, anthores aſſiduos, nec non claſſicos dicimus, ut uult Budæus in prioribus Annotat. in Pandect. Proletarius autem dicitur, authore Gellio capite decimo, libri decimi ſexti, à munere officioq; prolis ædendæ, qui cum parua re familiari Rempublicam minus poſſet iuuare, ſobolis tamen gignendæ copia ciuitatem frequentabat. Hinc tranſlatitie proletarios teſtes appellamus, nec non authores, qui nullius uel paruæ ſunt authoritatis. Præterea uindex eſt, inquit Boetius, qui alterius cauſam ſuſcipit uindicandam. cuiuſmodi ſunt hodie, quos procuratores uocamus. Sed de uindice ſuperius ſatis dictum eſt. Rodolphus Agricola Ciceronem reprehendit, quòd locum notationi fecerit inter ea quæ in ſubſtantia ſunt, cum notatio accidentium naturam uel maxime retineat & ſeruet. Nam & rei antequam fiat, & poſtquam eſt, nomen eſt: & aliud quoque nonnunquam eiuſdem eſt rei nomen. ut Romulus poſt mortem eſt dictus Quirinus, à quiri uel curi, quod lingua Sabina haſtam ſignificat. nam haſta Romulus utebatur, uel quia græce κοίρανος rex dicitur, uel propter generis nobilitatem. nam Mars cum ſæuit, Gradiuus: cum tranquillus eſt, Quirinus dicitur. Hæc Seruius in librum primum Aeneidos. Sic Hippolytus poſtquam eſt redditus uitæ, Vrbius eſt appellatus. Is dolis Phædræ nouercæ, à qua de ſtupro interpellabatur, ab Aegeo patre diſcerptus equis. dolo inquam: quia cum illam de ſtupro interpellantem contempſiſſet, falſo ad patrem Hippolyti detulit, Hippolytum ſibi uim inferre uoluiſſe. Hippolytus autem, non cum eſſet incolumis, ſed poſtquam diſtractus eſt equis, appellatus eſt, ἀπὸ τοῦ ἵππου καὶ λύω, id eſt, ab equo & à ſoluo ſiue diſtraho. de quo Vergil. 7. Aeneidos ſic habet:

Ibat & Hippolyti proles pulcherrima bello
Virbius, inſignem quem mater Aricia miſit
Eductum Aegeriæ lucis Hymettia circum
Littora, pinguis ubi & placabilis ara Dianæ.
Nanque ferunt fama, poſtquam Hippolytum arte nouercæ
Occiderit, patriasq; explerit ſanguine pœnas,
Turbatis diſtractus equis ad ſidera rurſus
Aetherea, & cœli ſuperas ueniſſe ſub auras,
Peruijs reuocatum herbis & amore Dianæ.

His exemplis, puta Quirini & Virbij, nomē accidens eſſe rei Rodolphus oſtendit. Publius tamen Nigidius apud Aulum Gelliū cap. 4. lib. 10. argutiſſime docet, nomina non poſitiua eſſe, ſed naturalia. quod caput Gellij quia eſt longè elegantiſſimum, nō pigebit totum aſcribere. Nomina uerbaq; non poſitu fortuito, ſed quadam ui & ratione naturæ facta eſſe Publius Nigidius in grammaticis cōmentarijs docet: rem ſanè in philoſophiæ diſceptationibus celebrē. Quæri enim apud philoſophos φύσει τὰ ὀνόματα ἢ θέσει. In eam rem multa argumēta dicit, cur uideri poſſint uerba eſſe naturalia magis quàm arbitraria. Ex quibus uiſum eſt hoc lepidum & feſtiuum. Vos (inquit) cum dicimus, motu quodam oris conueniente cum ipſius uerbi demōſtratione utimur, & labias ſenſim primores emouemus, ac ſpiritū atque animam porro uerſum, & ad eos quibus cum ſermocinamur, intendimus. At contra cum dicimus Nos, neque profuſo intenſoq; flatu uocis, neque proiectis labijs pronunciamus, ſed & ſpiritum et labias quaſi nos intra noſmetipſos coercemus. Hoc idem fit in eo quod dicimus tu, ego, & tibi, & mihi. Nam ſicuti cum adnuimus & abnuimus, motus quidam ille uel capitis uel oculorum, à natura rei quā ſignificat non abhorret: ita in his uocibus quaſi geſtus quidam oris & ſpiritus naturalis eſt. Eadem ratio eſt in Græcis quoque uocibus, quā eſſe in noſtris animaduertimus. Plato quoque in Cratylo uult, nomina, uerba, et orationes natura eſſe, ut cætera inſtrumenta, quibus natura ad ſuas functiones neceſſarias utitur. Vt enim animæ oculus inſtrumentum eſt ad colorem aliquem uidendum, auris ad audiendum, lingua ad loquendum, & ſimilia quæ natura ſunt, non inſtituto: ita orationem menti ad uerum aliquod percipiendum, inſtrumentum eſſe Plato dixit. Verum dicant quod uolent Nigidius & Plato, nomina ſanè ſunt arbitraria: quippe quæ non ſint apud omnes eadem. Quæ uero naturalia ſunt, eadē apud omnes ſunt. Quare ſunt accidentaria, ſicut ait Agricola, non autē ſubſtantialia. Quid ergo? Cicero lapſus eſt qui ſubſtātialis fecit? minime profecto: ſed eſt intelligendus. Cuius mehercule ſi ſententiam mētēq; capimus, eū à Rodolphi haud dubie calumnia, nullo negotio tuebimur, & ſartum tectum ab omni reprehenſione ſeruabimus. Itaque Cicero, qui notationem uerbi ſubſtantialē eſſe uoluit, nō ſic intellexit, ut nomē ipſum rei ſubſtātiale uel natiuū eſſe diceret. Non enim ignorabat accidens rei, qui librū Ariſtotelis de Interpretatione, ut alibi teſtatur, uiderat. & illic capite de Nomine, nomē, arbitrarium eſſe, nō autē naturale, legerat. Quomodo igitur accepit? audi. tibi Ciceronis conſiliū aperiā, & explicabo paucis. Vt igitur definitio definitæ rei ſubſtantialis eſt, quia eius ſubſtātiā explicat: ita notatio uerbi uocabulo ſubſtātialis eſt. nā uocabuli quandam uelut ſubſtātiam & naturam declarat: ut tumultus dicitur, in quo propter uicinitatem periculi timor multus eſt. Tumultus uocabulū eſt quod explicatur. Hæc uero oratio, timor multus, &c. uocabuli naturam & proprietatem explanat, nec ipſa oratio uocabulo accidit, licet uocabulū rei accidat, ſed eſt natiua & ſubſtantialis. Sic abſtemius eſt, qui temeto, quod priſca lingua uinum ſignificat, abſtinet. hæc oratio, qui abſtinet temeto, interpretatio eſt uocabuli quod eſt abſtemius, et cum eo conuertitur & obambulat. Nā omnis abſtemius abſtinet temeto, & quiſquis temeto abſtinet, ille eſt abſtemius. nec accidit ut abſtemius temeto abſtineat, nam poſſet non abſtinere: ſed neceſſe eſt ut temeto abſtineat ſi abſtemius eſt. ſi enim nō abſtineat, non eſt abſtemius. DVCVNTVR etiam argumenta ex his rebus quæ quodāmodo affecta ſunt ad id de quo quæritur.] Superius Cicero dixerat definitionem, partes, et notam ad ipſum totum adhiberi, qui primus eſt locorū gradus. Nunc ſecūdum ingreditur, id eſt, res affectas ad id de quo quæritur, quas à toto quodāmodo ſeparat, non quod in toto nō ſint, eas enim in toto paulo ante poſuerat: ſed quia ad totum adhiberi non poſſint. Siquidem hi demum loci ad totum adhiberi dicuntur, qui totam & uniuerſam ſubiectæ materiæ ſubſtantiam complent: qui ſe nec latius fundunt quàm id de quo quæritur, nec arctius ſeſe cohibent, ſed cum eo reuertuntur & remeant. Quo fit, ut eos locos καθολικοὺς, id eſt uniuerſales & reciprocos appellare poſſimus, quod καθόλου, id eſt ſecundum totum rei propoſitæ quadrent. ut definitio totum definitum oſtendit, ita toti partes omnes æquipollent: eodem modo notatio uerbi uerbo reſpondet. At res affectæ ſecus ſe habent. non enim cum re propoſita reuertūtur, ut genus plus quàm ſpecies, ſpecies minus quàm genus continet: niſi cū toto obambulare differens dicas. Verum aliter Ariſtoteles ſecundo lib. Poſterioris reſolutionis docet. 14. c. ubi definitionis inueniendæ methodum tradit. quippe qui dicat quæcūque in definitione ſumūtur, ſingulatim latiora eſſe, quàm ſit res quæ definitur: uniuerſa uero paria. Quare ſi differens ſeorſum à genere capiatur, amplius ſeſe porriget quàm ſpecies. Si uero generi fuerit adiectum, definitæ ſpeciei par erit. Rodolphus tamen Agricola libro primo, capite 10. ſcribit Ariſtotelem

in Topicis

in Topicis nomine proprij, quod par eſt & reciprocum, differentiam quoque complexum fuiſſe: quod ſi ita eſt, differentia par erit ei cuius eſt differentia: nam proprium par eſt ei, cuius proprium eſt. Sed pace Rodolphi dixerim, non ſub proprio, ſed ſub genere differentiam Ariſtoteles complexus eſt. propterea quod latius pateat quàm ſpecies, quemadmodum & genus latius diffunditur. Sic enim primo Topicorum inquit. πᾶσα δὲ πρότασις καὶ πᾶν πρόβλημα, ἢ γένος, ἢ ἴδιον, ἢ συμβεβηκὸς δηλοῖ. καὶ γὰρ τὴν διαφορὰν ὡς οὖσαν γενικὴν, ὁμοῦ τῷ γένει τακτέον. id eſt, omnis propoſitio atque omne problema, aut genus, aut proprium, aut accidens indicat. Etenim differentia generalis cum ſit, cum genere collocari debebit. Rurſus obijci poteſt, locum à comparatione parium ſub rebus affectis eſſe: proinde res quaſdam affectas, ei pares eſſe cui affectæ ſunt. Sed hoc ſic diluitur: Paria dupliciter accipiuntur. uno modo pro æqualibus, id eſt pro rebus quamuis diuerſis, tamen quantitatis eiuſdem: aut potius pro his quæ parem inter ſe uirtutem habent, tantumq; poſſunt. hoc ſenſu paria ſub rebus affectis ſunt. Altero modo pro reciprocis accipiuntur, & ſic ad totum adhibentur, neque res affectæ ſunt. Rerum affectarum tredecim ſunt ſpecies. Coniugata, quæ ex eo dicta ſunt, quòd quadam uocis ſimilitudine ſub unum quaſi iugum deuincta ſunt. ea ſic finiuntur, quæ ab eodem orta uarie commutantur, ut ſunt iuſtitia, iuſtus, iuſte. Genus, notio dicitur, quæ ſui ſimiles communione quadam, ſpecie uero differentes, duas aut plures partes complectitur: ut uirtus iuſtitiam & prudentiam, quæ ſunt uirtutes, inter ſe tamen differentes. Species, uel forma eſt, in quam ſub ſe comprehenſam diuiditur genus. ut fortitudo, quam uirtus continet, & in quam uirtus diuiditur. Sed oritur ſcrupus: Quare ſpeciem Cicero rebus affectis ſubiecit, neque eam ad totum adhiberi dixit, cum ſpecies ſit pars generis, partes uero ad totum adhibeantur? Qui nodus ita ſoluetur. Species non reuera partes generis ſunt, neque genus totum, ſed quadã analogia. Quia ſicut totum ſuas partes complectitur, ita genus ſuas ſpecies comprehendit. alioqui genus de ſuis formis pronunciatur, iſiq; prius eſt. Totum de partibus non profertur, et partibus eſt poſterius. Sed inquies: Paulo ante dicebas, partes cum toto eaſdem eſſe, quocirca totum de partibus dicetur. uerum de partibus uniuerſis illud intelligendũ erat, nõ de ſingulis. de illis enim, non de his affirmatur. Rurſus obijcitur eodem argumento, quo partes cum toto facis eaſdem, ſpecies eadem cũ ſuo genere fient. Quemadmodum enim partes uniuerſæ toti æquipollent: ita ſpecies omnes ſuum genus æquant. Ergo ſi partes propterea ad totum adhibeantur, quod toti ſint pares, ſpecies etiam omnes ad totum adhibebuntur: non igitur res erunt affectæ. Hoc ego ſic diluo: Cicero argumentum à ſpecie uel à forma, non autem à formis, rebus affectis ſubiecit. nam ſi formas omnes recenſeas, enumerationem quæ ad totum adhibetur facies. Si uero à formis ad genus uel ad alteram formam argumenteris, ab affectis probabis. Similitudo, rerum eſt diuerſarum eadem qualitas: ut, Terra quo melior eſt natura, hoc magis corrumpitur, ſi negligatur: ita ingenia niſi recte excolantur, quo ſunt feliciora, hoc pluribus uitijs inquinantur. Differentia eſt, quam alibi diſſimilitudinem uocat. ea eſt rerum diuerſarũ diuerſa qualitas: ut Qui pecuniam dat, quantum impartit alijs, tantum ſibi detrahit: at qui hominem iuſtum laudat, quo magis eum laudat, eo magis ipſemet laudandus eſt. Contraria Cicero latius pro oppoſitis accepit, id eſt, aduerſis, priuantibus, relatis, & contradicentibus, quorum omnium ſimilis in argumentando ratio eſt. ut Si Catilina nepharie egit, igitur Cicero præclare. Adiuncta ſunt quæ rem antecedunt, vel cohærent, rem ſequuntur, ita tamen ut nulla neceſſitas intercedat: ut ſunt, amor & concubitus, timor & pallor, iurgium & cædes. Antecedentia dicuntur, quibus poſitis alia ſequantur oportet. Cõſequẽtia uero, quæ poſitis antecedentibus neceſſario colliguntur. ut, Si & ferro interfectus eſt ille, & tu inimicus eius cum gladio cruento comprehenſus es in eo ipſo loco, & nemo præter te ibi uiſus eſt, & cauſa nemini alij, & tu ſemper audax, quid eſt quod de facinore dubitare poſſimus? Cauſa eſt, cuius uirtute aliquid efficitur. Euentus qui ui & impulſu cauſæ prouenit. ut, Si auaritiam tollere uultis, mater eius tollenda eſt luxuries. Repugnans habebis, ſi unius contrarij conſequens cum altero contrario conferas. ut, Virtus & uitium contraria ſunt: uirtutem ſequitur bona actio: quam ſi cum uitio conferas, repugnans es habiturus. Denique cõparata ſunt, quæ minora ex maioribus maiora ex minoribus, paria ex paribus probant. Ea Quintilianus appoſita uocat. A' maiori ſic argumentaberis.

Seruare potui, perdere an poſſim rogas?

A' minori: Naſica priuatus Tyberium Gracchum mediocriter labefactantem ſtatum Reipublicæ, iure cæcidit: ergo Cicero conſul Catilinam uniuerſum orbem terrarum cæde & incẽdio uaſtare cupientem, iure occidet. A' pari uero ſic: Didoni licuit Carthaginem petere, igitur Aeneæ Italiam petere licebit. CONIVGATA dicuntur, quæ ſunt ex uerbis generis eiuſdem.] Paulo ante diximus, ex eo uocata fuiſſe coniugata, quod ipſa uocis ſimilitudine ſub unum quaſi iugum deuincta ſint: ut eſt ſub ſapientia, ſapienter, ſapiens, ſapere. Propterea Cicero ſic ea finit, quæ ſunt ex uerbis eiuſdem generis, id eſt, eiuſdem originis. Genus enim nonnunquam pro origine capitur, qua ſignificatione Iuppiter Agamemnonis genus dicitur, id eſt, eius genealogiæ principiũ. Nã Iuppiter Tãtali pater fuit, Tãtalus Pelopis Pelops Atrei, Atreus Agamemnonis. Eius ſignificationis Porphyrius in ſua quoque Iſagoge meminit, quæ generis ſignificatio quadrat cũ eo quod Cicero ſubdidit dicens: Eiuſdem autem generis uerba ſunt, quæ orta ab uno uarie cõmutantur. Oriuntur ab uno, quæ idem principium dictionis habent. Varie cõmutantur, quorum finis diuerſus eſt. Cuius generis hæ tres uoces ſunt, iuſtitia, iuſtus, iuſte. Nam earum idem eſt caput ius, ius, ius: diuerſus uero finis, titia, tus, te. Eiuſmodi coniugatio Græce συζυγία, coniugata quoque uocantur σύζυγα. SI compaſcuus ager eſt, & cæt.] Si dubium eſt an mihi uicinoq; meo liceat pecus ſimul paſcere in eodem agro, ex loco à coniugatis hoc argumentum depromam, Hic ager compaſcuus eſt, id eſt, cõmunis paſcendo totius uiciniæ pecori: licet igitur cõpaſcere, id eſt, ut meum pecus ſimul tecum in eo paſcam. Compaſcuus & cõpaſcere coniugata ſunt. Coniugatorũ triplex eſt diſtinctio. nã alia ſolius ſimilitudinis nomine, non etiam ſignificationis cõiugata dicũtur, ut officium & officioſus, ſomnus & ſomniculoſus. Alia ſola ſignificatione cõiunguntur, ut uirtus & probus, ſeu uanis ſtudioſus. Alia nomine ſimul & ſignificatione coniugata ſunt, ut ſapiens ſapientia, iuſtitia iuſtus. Coniugatorum non tam creber eſt uſus, quàm aliorũ locorũ. Nã quod ad alterius probationẽ ſumitur, eo certius eſſe debet & notius, cui probãdo adhibetur. Verũ coniugata ferè ex æquo uel nota uel ignota ſunt: quippe quæ parũ diſtent, neque re modo, ſed et nomine plerũque arctiſſime iungãtur. Quo fit ut Quintilianus ridiculũ putarit inter locos ea numerare, niſi Cic. his uſus hoc in loco fuiſſet. Nõ ſunt tamẽ, teſte Rodolpho, negligẽda, Quãdoque enim acuminis, quãdoq; uiriũ multũ, quãdoque utrũque habebunt. Inſpiciẽda ſunt igitur, & pertractãda. nã aliquid fortaſſe uel ex ſeipſis, uel quod ad alios locos pertineat, dabunt. et quod in altero cõiugatorũ quærentes nõ inueniſſemus, illius in altero nos admonebunt: ut ſi potentiæ bona uel mala quæras, ea facilius et expeditius in homine potẽti poſita cõſequeris, cũ eorũ pericula, cautionẽ, beneuolẽtiã, inuidiã, uirtutes, ſcelera, honeſtos fœdoſq; exitus ſpectaueris. Inſuper ad definiendum proſunt. nam ex ſapientis perſona & officijs & actionibus clarius quid ſit ſapientia ſcies, quàm ex ipſo ſapiẽtiæ nomine. Denique exemplorum nonnullorum uis ex hoc lo-

co petitur, ut exul Rutilius, uinctus Regulus, Fabricius pauper, miſeri non fuerunt: nō ſunt igitur exilium, uincula, paupertas, miſera. À genere ſic ducitur.] Quid ſit genus, ſuperius diximus. non pigebit tamen rurſus definire. Genus igitur notio eſt (ſic enim poſtea Cicero definiet) ad plures differentias pertinens. ut ſcientia genus eſt: nam ad plures differentias, id eſt, ad plures ſpecies inter ſe differentes pertinet: ut ad phyſicen, ethicen, logicē. Genus, teſte Quintiliano, ad probandam ſpeciem minimum ualet, ad refellendam plurimum. Nam ſi genus tollas, ſpeciē quoque tolles: ut, Si non eſt uirtus, iuſtitia non eſt. Cōtra, ſi genus affirmes, non protinus ſpeciem affirmabis. quia non cōtinuo ſequitur, iuſtitiam eſſe, ſi uirtus. Cicero tamen contra Quintiliani præceptum argumentari cuipiam in hoc genere minus uerſato fortaſſe uidebitur, utpote qui nunc ex affirmatione generis ſpeciem confirmet. exempli cauſa: Argentum genus eſt, numerata pecunia ſpecies, omnis enim numerata pecunia argētum eſt, non autem contra. Numeratam pecuniam uocat, quæ ad manum eſt, & in promptu: non autem, quæ in nominibus uel tabulis eſt. Sic igitur argumentatur: Omne argentum mulieri legatum eſt: igitur pecunia numerata legata eſt. Verum hic nodus ita diſſoluitur: Dixit Quintilianus, ad probādam ſpeciem minimum ualere genus, non autem minime. Quare aliquo modo ualet: nempe ſi in uniuerſum ſumatur, id eſt, ſi ſignum uniuerſale (quale eſt omnis) generi præponatur. Vt omnis magiſtratus Romanus, eſt in poteſtate populi Romani: Igitur conſulatus. non autem ſic, Magiſtratus Romanus eſt in poteſtate populi Romani, igitur Conſulatus. Nam hæc argumentatio ſimili argumentatione refellitur: ut animal eſt, igitur homo eſt: arbor eſt, igitur platanus eſt, non ſanè ſequitur. LEGATVM eſt.] Eſt autem legare, aliquid teſtamento relinquere, quod ſit ei, cui legatum eſt, ab herede præſtandum. Sic enim Iuſtinianus titulo uiceſimo de Legatis, legatum definit: Legatum donatio eſt, à defuncto relicta, ab herede præſtanda. FORMA enim à genere.] Quamuis genus ſine ſingulis formis eſſe poſſit, tamen ſine omnibus eſſe non poteſt. Nam ſi genus omne dicis, formam etiam dicis: quare forma quoad ſuum nomen retinet, id eſt, quandiu forma eſt, à genere in uniuerſum ſumpto, nunquam ſeiungitur: hoc eſt, genus non eſt ſine ſpecie, ſi totum genus, nō autem partem generis accipias. À forma generis.] Formam generis ſpeciem appellat. formam autem per ſe nō dixit, ſed generis formam. nomen enim formæ uel ſpeciei, ſola comparatione ad genus inditum eſſe uidetur, dictaque ſpecies eſt, uel (ut Cicero maluit) forma, quod confuſum & informe genus explicet, & ſpeciendum (ſic enim ueteres loquebantur) nobis exhibeat, id eſt, adhibitis ſuis differentijs formet. Ipſius enim differentiam ſpeciei ſi generi coniungas, formam habebis. Quapropter Cicero paulo poſt eam ſic finiet: Forma eſt notio, cuius differentia ad caput generis quaſi fontem referri poteſt. À forma dupliciter argumentū trahitur. Nam unius formæ cōfirmatio, uel eſt alterius refutatio, uel generis approbatio. Prioris exemplū hoc eſt: Homo eſt, igitur bellua non eſt. Vides ut illius affirmatione ſpeciei, ſequitur huius infirmatio. Poſterioris uero ſic: Iuſtitia eſt, igitur uirtus eſt. ex illa ſpecie ſequitur hoc genus. Nam ſpecies (authore Quintiliano) ſui generis firmam probationem habet, infirmam refutationem. Nunquam enim à ſpecie tolletur genus, niſi ſpecies omnes quæ ſunt generi ſubiectæ remoueantur. ut non ſequitur, Iuſtitia non eſt, non igitur uirtus. Poteſt enim eſſe fortitudo, uel prudētia, uel aliqua id genus. Verum huiuſcemodi remotio non huius eſt loci, ſed illius qui à partibus dicitur. PARTES enumerare licet.] Partes hoc in loco ſpecies appellat, qui tamē poſtea formas idem eſſe quod partes negabit. Sed hoc iam ſolutum eſt. & rurſus hunc in modum ſoluitur. Partes duplices ſunt, membra ſcilicet & ſpecies. Verum quæſtio naſcitur: Si cum à forma nos argumentamur, partes ut Cicero tradit, enumerentur, non igitur hic locus ab illo differt, quoad enumeratione partium uocatur. Sicut enim partes enumerantur, & propterea partium enumeratio dicitur: ita hic partes enumerandas eſſe Cicero præcipit. At diluitur: Et ſi hoc in loco partes enumerare licebat, non ſic tamen enumerantur, ut totum, id eſt genus, uniuerſaliter colligatur: ſed propterea Cicero iubet eas enumerari, ut ſi in earum aliquam id de quo quæritur includere poſſimus, ſtatim genus concludamus. Cui enim formarum aliqua conuenit, eidem cōueniet genus. Quia (ſicut ante diximus) forma à genere quoad ſuum nomen retinet, nunquam ſeiungitur. Aut ſi genus non includas, reliquas ſpecies negabis. Nam unius ſpeciei affirmatio, alterius negatio eſt: utpote quæ diuerſæ ſint, neque de ſe inuicem dicantur. SI ita Fabiæ pecunia legata eſt.] Vt exemplum Ciceronianum à ſpecie petitum illuſtremus, uoces aliquot huius contextus explicandæ ſunt. Vxor genus eſt: cuius duæ ſunt ſpecies. una materfamilias, quæ uere uxor eſt. Altera matrona, tantum uxor nomine communi dicitur. Matrona autem dicta eſt, ut Gellius & Budæus tradunt, quæ in matrimonium cum uiro conuenit, quoad in eo matrimonio maneat, etiam ſi ſibi liberi nondum nati forent. Dictaq; eſt ita à matris nomine non iam adepto, ſed cum ſpe & homine mox adipiſcēdo. unde ipſum quoque matrimonium dictum eſt. Mater uero familias appellata eſt ea ſola, quæ in mariti manu mancipioq; eſſet, quoniam non in matrimonium tantum, ſed in familiam quoque mariti, & in eius heredis locum ueniſſet. SI ea in manū uiri non conuenerat.] Id eſt, ſi Fabia in poteſtate uiri non ſit. nam manus pro poteſtate capitur. aut potius, ſi in manum per mutuā emptionem non uenerit. NIHIL ei debetur.] Id eſt, pecunia legata ei à uiro non eſt. Tribus autem modis uxor (ut ait Budæus) antiquitus habebatur, uſu, farre, & coemptione. Quæ uſu & farre fiebant, matronæ uocabantur. Quæ uero per coemptionem in manum mariti conuenerant, matresfamiliâs dicebantur. Coemptio certis ſolennitatibus peragebatur. nam uir & mulier ſeſe coemendo interrogabant. uir ita mulierem: An mulier ſibi materfamiliâs eſſe uellet. illa uelle reſpondebat. Item mulier uirum interrogabat, an ille ſibi paterfamilias uellet eſſe: reſpondebat uelle. Et id eſt, quod dicimus in manum mancipiumq; uiri conuenire: quæ ſolennitas coemptio uocabatur. Vt igitur ad argumenti explanationem ueniamus, uir moriens uxori ſuæ Fabia pecuniam legauit, id eſt teſtamento reliquit, ea conditione, ſi materfamiliâs eſſet. quod ſi in manum mariti non conueniſſet, id eſt, ſi materfamiliâs non eſſet, ſed tantum uxor, quæ matrona dicitur, nihil ei legauit. Sic igitur argumentum ſtruitur: Fabia matrona eſt, id eſt, tantum uxor: non eſt igitur materfamiliâs, neque in manum mariti conuenit: quare nihil ei à uiro legatum eſt. À ſimilitudine.] Similitudo eſt, in qualitate collatio: ut ædes exeſæ, quarum uſusfructus legatus eſt, cum ſeruo mortuo cuius itidem legatus eſt uſusfructus, conferuntur in eo quod eſt ab herede, quem iuriſcōſulti proprietariū uocant, ei qui legatarius eſt non reſtitui. Legatarium appello, cui aliquid legatum eſt. Eſt autem uſusfructus, authore Iuſtiniano, ius utendi fruendi rebus alienis, ſalua rerum ſubſtantiam. & eiuſmodi ius in corpore eſt, quo ſublato, ipſum quoque tolli neceſſe eſt. Sic igitur à ſimilitudine argumentum deducitur: Si ſeruus deperijt cuius uſusfructus legatus eſt, heres eum legatario reſtituere non debet: ita ſi ædes exeſæ corruerint, quarum uſusfructus eſt legatus, non ſunt ab herede legatario reſtituendæ. Detur alia ſimilitudo, ut locus hic clarior euadat: Quemadmodum ferrum uſu ſplendeſcit, ſic animi noſtri uigor exercitatione eniteſcit. uel ſic, in facie plus offendit neuus aut uerucula, quàm in reliquo corpore grandes maculæ aut cicatrices: ita exigua delicta

magna

magna uidentur in principe, cuius uita in conſpicuo eſt. Quare Iuuenalis octaua Satyra merito dixit:

Omne animi uitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habẽt, quanto qui peccat maior habetur.

A' differentia.] *Differentia eſt, in qualitate diſſimilitudo. ut plurimum refert, in arca'ne poſitum ſit argentum, an in nominibus. Nomina Cic. pro debitoribus hic accipit, uel tabellis in quibus nomina debitorum conſcripta ſunt, aut etiam pro ſyngraphis creditarum pecuniarum, & rationũ capitibus: quo uerbo in Verrẽ ſæpe utitur. ut inquit: Recita nomina, hoc eſt, res, perſonas, cauſas, in quas ille aut quibus expẽſum tulit. Idẽ actione tertia, Tabulæ ſocietatis à Carpinatio confectæ, ſignificabãt multis nominibus & homines uerſuram à Carpinatio feciſſe. Porro libro tertio Officiorum, eo in loco ubi meminit peramœnæ illius fabulæ Pythij & Canij, nomina eodẽ in ſenſu uſurpauit, cum inquit: Emit hortos Canius, homo cupidus, at locuples, tanti quanti Pythius uoluit, & emit inſtructos: nomina facit, negotium conficit. Nomina facit, dicit Cicero, pro eo quod eſt debitorem ſe conſtituit. Vnde illud prouerbiale apud Columellam in primo: uel optima nomina non appellando fieri mala, fœnerator Alphius dixiſſe fertur: id eſt, quamuis locupletes habeas debitores, tamen ſi diu iudicium ipſis non dictaueris, uſuraſq; non petieris, mala tandem fieri; id eſt ipſos tandem non ſoluendo tanto æri alieno non fieri, ſicq; inanem tandem perſecutionem & nomina caſſa ipſa fieri. Sed ad exemplũ Ciceronianũ reuertamur, quod eſt à diſſimilitudine. Argentum quod eſt in arca noſtra, noſtrũ eſt· quod uero eſt in nominibus, non eſt noſtrum. nam mutuo datũ eſt. Mutuũ aũt, ut inquiunt iureſconſulti, dicitur quod ex meo tuũ fiat. Ergo ſi quis aliquid alteri mutuauit, id eſt, mutuo dedit, deſinit eſſe poſſeſſor eius quod credidit, & is cui creditũ eſt idipſum incipit poſſidere, ſic ut quamuis id quod mutuatus eſt non ſit redditurus, tamen tãtum quantum accepit reſtituere debeat. Poteſt etiam à diſſimilitudine hoc argumentũ ſuperiore facilius depromi, ut ſi mulier laudatur, quæ pecuniam ſuam pluribus erogat, nõ protinus laudabitur ea quæ formam ſuam pluribus largietur. nã alia pecuniæ, alia formæ ratio eſt. Vel etiam ſic: Non timet mare qui nõ nauigat, nõ bellũ qui nõ bellat, non latrones domi manens, non calumniatorẽ pauper, non inuidiam priuatus, non terremotum qui eſt in Galathia, non fulmen qui eſt in Aethiopia: at ſuperſtitioſus omnia timet, terrã, mare, aerẽ, cœlũ, tenebras, lumen, ſtrepitũ, ſilentiũ, ſomniũ.* EX contrario aũt ſic.] *Cõtrariũ eſt, ut inquit in Rhetoricis Cic. quod in diuerſo genere poſitum, plurimum ei repugnat cui contrariũ dicitur, ut frigus calori, uitæ mors.* VSVMFRVCTVM.] *Vſusfructus ſecũdũ iuriſc. conſtituitur in fundo, iumentis, ædibus, ſeruis, & ſimilibus rebus, exceptis his quæ uſu conſumuntur, ut ſunt uinum, oleum, frumẽtũ, ueſtimentũ: quarũ rerũ nobis utentibus ſubſtãtia nulla remanet. quibus proxima eſt pecunia numerata: nã ipſo uſu, aſſidua permutatione quodãmodo extinguitur.* CFLLIS *uinarijs & olearijs, & cætera.*] *Id eſt, penu. nam ea omnia penu cõtineri, quæ ad uictum priuatum pertinent, dicuntur ſi modo domi repoſita ac recõdita ſint. Vel ut Cicero in libris de Natura deorum ſcribit, omne quoueſcuntur homines, penus eſt. Vide caput primũ lib. 4. apud Gellium, ubi de penu ſermo fit.* VSVS *enim, non abuſus, etcæt.*] *Donatus in Andriam apud Terentium, hoc inter uerba uti & abuti diſcriminis eſſe dixit quòd iis rebus utamur, quæ nobis utentibus permanent, neque conſumuntur: illis uero abutamur quæ conſumuntur, nec permanent. ut fundo & ædibus utimur, uino oleo & pane abutimur. Donati autem hæc uerba ſunt: Vtimur fructibus rei quæ ab amantibus ſaluo uſu nobis ſubminiſtratur. Abutimur, quando deperdimus & rem & fructum. nam uſui eſt ager, domus: abuſui oleum, uinum, & cætera huiuſmodi. A' contrario uero argumentũ eſt: ut, uitium eſt fugiendum, igitur amplectanda uirtus.* AB *adiunctis.*] *Adiuncta dicuntur, quæ nullo neceſſario uinculo, ſed ueriſimili quadam ſocietate & probabili uicinia inter ſe coniunguntur: ut furtum & egeſtas, libido & adulteriũ parricidium & temeritas. quæ inter ſe tametſi non neceſſariã, credibilem tamen affinitatem habent.* SI *ea mulier teſtamentum fecit, quæ ſe capite nunquam diminuit.*] *Caput pro ſtatu, ciuitate, & libertate accipitur, ut apud Ciceronianas orationes ſexcentis in locis reperias. unde fit, ut ſerui capite careant, id eſt, ſtatum, ciuitatem, & libertatem non habeant. Capitis autem diminutio, eſt prioris ſtatus mutatio. quæ triplex eſt: maxima, mediocris, & minima. Maxima dicitur, cum aliquis ſimul & ciuitatem & libertatem amittit: quod accidit iis qui ſerui penè efficiuntur, atrocitate ſententiæ: uel libertis, ut ingratis erga patronos, condemnatis: uel iis qui ad precium participandum ſe uenundari paſſi ſunt. Mediocris diminutio eſt, cum ciuitas quidem amittitur, ſed libertas retinetur. quod ei contingit, cui aqua & igni interdictum fuerit: uel ei qui in inſulam deportatus eſt. Denique minima capitis diminutio eſt, cum ciuitas retinetur & libertas, ſed ſtatus hominis cõmutatur. quod euenit iis, qui cum ſui iuris fuerint, cœperũt alieno iuri ſubiectũ eſſe, uel contra. ueluti ſi filiusfamiliàs à patre emãcipatus fuerit, eſt capite diminutus. De minima Cicero nũc loquitur, quæ (ut diximus) libertate & ciuitate remanentibus priore ſtatu mutato contingit. Antiquitus autẽ mulieres in perpetua poteſtate tutoris erant, neque ab ea recedebant, niſi in manum mancipiumq; mariti conueniſſent, id eſt matreſfamiliàs factæ fuiſſent, & tunc mulieres capite minuebantur, cum nubebant. nam priorem ſtatum mutabant: quæ ſi non nupſiſſent, neque capite ſeſe minuiſſent, iuris ſui non erant. At quæ ſui iuris non ſunt, teſtamentum facere non poſſunt: alioqui ſi faciãt, & ſerui & exules & pueri facient. Sicuti mulieres antequam nubant ſui iuris non ſunt, & propterea teſtamentum conficere nequeunt: ita ſerui & pueri ſui iuris non ſunt: ſed illi in domini, hi in tutoris poteſtate ſunt. Adiungitur itaque, ſeruos & pueros teſtamentum conficere poſſe, ſi eiuſmodi mulieres, quæ ſe capite nunquam diminuerunt, teſtamentum facere poſſint. ut ab adiunctis hoc argumentum eſt: Hæc matrona ſola per uiam noctu pergit, mœchum igitur expectat. uel ſic, Hic pauper eſt, & ſumptuoſè uiuit: ergo furatur.* AB *antecedentibus autem & conſequentibus & repugnantibus, & cæte.*

Quidquid rem quanque antecedit, rei neceſſario cohæret, id eſt (ut Cum Cicerone dicam) uel conſentaneum eſt, uel præcurrit. Item quidquid conſequitur, rei quam ſequitur non eſſe comes non poteſt. Denique quidquid repugnat, eiuſmodi eſt, ut cohærere nunquam poſſit. Vnde liquido conſtat, hunc locum tripertito diuiſum neceſſariæ ſemper & exploratæ collectionis eſſe, & indubitatam propoſitæ quæſtioni fidem afferre. Quo fit, ut ſuperiori loco qui ab adiunctis eſt, longe ſit diuerſus: quod ille ſit ueriſimilis, hic uero neceſſarius. Qua de re ſuo loco plura dicentur. Ad Ciceronem redeamus. Non abs re Tullius antecedentia, conſequentia & repugnãtia coniunxit. Hæc enim tria unius loci ſunt, qui quamuis ſit tractatione triplex, inuentione tamen ſimplex eſt: id eſt, licet in argumentatione quæ eſt ab antecedentibus, conſequentibus, & repugnantibus, uaria ſit propoſitionum diſpoſitio, eadem tamen in his tribus formis cõplexio eſt. ut ſi oſtendere uelis Ciceronem uirum bonum fuiſſe, tribus modis id probato. primo ab antecedentibus ita: Si Cicero fuit orator, uir bonus fuit: atqui fuit orator: igitur uir bonus. A' conſequentibus hoc modo: Si Cicero non fuit uir bonus, non fuit orator: atqui fuit orator: igitur uir bonus. Deinde à repugnantibus: Non ſi Cicero fuit orator, non fuit uir bonus: orator autem fuit, bonus uir igitur. Vides itaque eandem in his tribus modis complexionem, quamuis propoſitiones diuerſæ

ſint . Primus modus ab antecedentibus propterea dicitur, quòd in eo pronunciati connexi pars antecedens, id eſt prior, aſſumatur, ut conſequens, id eſt poſterior, colligatur. Secundus à conſequentibus eſt appellatus, quia ex contradicente conſequentis, cõtradicens antecedentis ſequitur. Ex huius euerſione illius remotio concluditur. Poſtremo tertius à repugnantibus uocatur.: ſi quidem parti priori pars poſterior repugnat . Quare pronunciatum repugnans habes hoc modo : Si Cicero eſt orator , non eſt uir bonus . quod cum falſum ſit, negatio toti pronunciato proponenda eſt, quæ partem poſteriorem priori repugnare ſignificet: cuius pronunciati ſic diſpoſiti partem priorem aſſumas, oppoſitum poſterioris partis concludes . Sed alias hac de re copioſius . nunc ad exemplorum explanationem ueniamus .

SI uiri culpa .] Si diuortium matrimonij culpa mariti, non autem mulieris factum eſt, mulier dotem integram à marito repetet . Contra, ſi mulier diuortij cauſa eſt, & non maritus, in ſingulos liberos ſextam partem dotis maritus apud ſe retinebit ad eoſdem alendos . quia quod ex dote acquiritur, liberorum eſt, qui patrem ſequuntur, & in eius poteſtate ſunt . Itaque ſi quæratur an ea mulier quæ à marito diuertit, qui diuortij cauſa eſt, nihil pro liberis qui patrẽ ſequuntur relinquere debeat, ſed totam dotem repetat: hæc ab antecedentibus quæſtio ſic probabitur : Si mulier à uiro cuius culpa diuortium eſt, diuertit, pro liberis qui patrem ſequuntur apud uirum nihil relinquere debet: ſed à Cicerone uiro ſuo Terentia diuertit , qui diuortij cauſa fuit: ergo Terentia pro Tulliolo atque Tulliola liberis patrem Cicero ſequetibus, apud Cice. maritum nihil relinquere debet . A` conſequentibus, ſi mulier .] Olim non omnibus ius erat connubij cum Romanis. Nam hæ demum legitimæ nuptiæ illic habebantur, quæ inter ciuem Romanum & ciuem Romanam contrahebantur. ſi quæ factæ ſecus fuiſſent, illegitimæ dicebantur. propterea pueri eiuſmodi matrimonio illegitimo ſuſcepti, in patrũ poteſtate non erant, ſed matres ſequebantur: quare nihil apud maritum pro liberis alendis remanere oportebat, ſi mulier marito nuncium remiſiſſet . proinde ſic à conſequentibus argumentatio ſtruitur: Si quid dotis pro liberis manere oportet, quia patrem liberi ſequuntur , cum eo nupta eſt mulier cum quo ius connubij erat, ideo nihil dotis apud maritum remanere debet, quoniam liberi illegitimi patrem non ſequuntur. Tradamus & aliud exemplum , inuenuíq; quantũ poſſumus prima diſcentium ſtudia. Si philoſophi ſunt uiri boni, gloriam contemnunt. atqui gloriam non contemnunt, ſed eius ſunt appetentes, igitur philoſophi uiri boni non ſunt . A` repugnantibus, Si paterfamilias uxori ancillarum uſumfructum legauit.] Quid ſit uſusfructus, ſuperius definiuimus hoc modo: uſusfructus eſt ius utendi fruendi rebus alienis ſalua rerum ſubſtantia. Inſuper quarum rerum ſit uſusfructus, dictum eſt: nempe fundi, ædium , ſeruorum & iumentorum : & cæterarum quæ uſu ipſo non conſumuntur. Præterea quid legare ſit, definitum eſt . Itaque legare eſt, aliquid teſtamento relinquere . Nec ſum neſcius, aliam ab hac eſſe huius uerbi ſignificationem, puta pro eo quod eſt quempiam in legationem pro publicis magniſq; rebus mittere. ut apud Salluſtium in Iugurth. Leguntur tamen in Africam maiores natu nobiles, amplis honoribus uſi. Et Cicero in epiſtolis ad Atticum, Me legatum iri non arbitrabar. ſed hæc ſignificatio à propoſito noſtro aliena eſt. de illa nanque, non de hac nunc Cicero loquitur . A` ſecundo herede .] Heredis appellatio non ſolum ad proximum heredem, ſed etiam ad ulteriores heredes refertur . Nam & heredis heres, & deinceps, heredis appellatione cõtinetur: omneſq; ſucceſſores eo nomine ſignificantur, & ſi uerbis expreſſi nõ ſint, ut Vlpianus auctor eſt de Rerum & uerborum ſignificationibus . Secundus autem heres dicitur, qui (ſi primus heres uita defungatur) hereditatem cernit: alias minime . ut apud Suetonium in Cæſare ſic legitur: Cæſar complures percuſſorum in tutores filij, ſi quis ſibi naſceretur, nominauit. Decium Brutum etiam in ſecundis heredibus, id eſt, Si quis Cæſaris filius naſceretur, ille primus Cæſaris heres futurus erat: qui filius ſi moreretur, Cæſaris hereditatem Brutus adijſſet. Eſt autem hoc à repugnantibus argumentum: Non ſi mulier uſumfructum ancillarũ à patre familias ſibi teſtamento legatũ recte accepit: inuita reddet . atqui recte accepit: non igitur inuita reddet . repugnant enim, recte accipere, & inuitam reddere. Vel ſic, Non ſi Medæa Iaſonem amabat , eum perdere uoluit : atqui Iaſonem amabat Medæa: non igitur ipſum perdere uoluit. Nã amare quempiã , & eundem uelle perdere, repugnant. AB efficientibus cauſis.] Quia Ciceronis textus ſatis eſt obſcurus , antequam de natura loci huius quidquam dicamus, exempli Ciceroniani tum ſententiam, tum particulas explicemus. Ius eſt, ſolido uel fornicato parieti (qui communis duobus uicinis) alium parietem directum adiungere. Quidam ergo ad communem etiam parietem extrinſecus adiunxit, deditq; ſatis dãni infecti, id eſt, in ſe ſuiſq; fortunis recepit ſe penſaturum ſi quid ſua culpa uitij fieret. Cõmunis ille paries, ad quem alter iungebatur, fornicatus erat: itaque adiungente uicino, & communem parietem demoliente, ut iunctura cohæreſceret, communis paries uitium fecit, et corruit. quæritur, an is qui communem parietem demolitus eſt , uitium præſtare debeat, quod cõmunis paries fecit. Ab efficientibus cauſis probabis, eum non debere damnum penſare, qui parietem cõmunem eſt demolitus. ſic igitur argumẽtatio conſtruitur: Si penes parietis communis formam conſtitit , ut cõmunis ipſe paries corruerit, dum nouus alter paries ei iungeretur, is qui nouũ parietem iunxit, damnum præſtare nõ debet, quod fecit paries communis. Fuit autem paries ille communis cauſa, ut uitium fieret. nam ea forma erat, ut neque ſuſpendi , neque ſuſtineri poſſet . igitur qui damni infecti promiſit , uitium præſtare non debet , quod fornix fecit . DIRECTVM.] Directus paries contiguus eſt, qui iuxta alterum attollitur, & ei coagmentatur. VEL ſolidum .] Solidum parietem appellat, in quo nullus eſt arcus. VEL fornicatum.] Fornicatus eſt paries, qui arcum habet. Nam fornix eſt arcuata uel camerata in modum teſtudinis ſtructura. Hæc enim uocabula, arcus, fornix, camera, teſtudo, cognata ſunt. Nonnihil tamen inter ſe differunt, ut inquit Budæus. Nam cameratum opus, & concameratio, ad ſimilitudinem pergularum hortenſium fit, quæ iunipero conflectuntur ad ambulationes opacandas: lingua noſtra nomen à cunabulis infantium habet. quo genere in hypogeis uinarijs ſtructuræ fieri ſolent. Teſtudo autem ex duobus arcubus in centro ſeſe ſecantibus conſtat: quatuor enim pilæ arcuatæ, inuicem tranſuerſæ, & crucem configurantes, teſtudinem abſoluunt . At fornix generalius nomen eſt: hinc fornicarij ſunt, opifices & propolæ & inſtitores, uel ſi mauis minutiarij negotiatores, qui tabernas è fiſco conducunt ſub fornicibus, ut ibi merces ſuas uenales habeant: cuiuſmodi ſolent eſſe in porticibus fori uenalium, id eſt macelli, quas ſullas appellant. Aliter, fornices antiquitus erant arcus, in memoriam rerum à triumphalibus uiris geſtarum extructi, quaſi monumenta uictoriarum. in qua ſignificatione Cicero ſecundo de Oratore fornicem accepit: Vt in forum deſcendens, caput ad fornicem Fabij demitteret . Aliter etiam fornix pro lupanari & meretricio loco uſurpatur. ut apud Iuuenalem Satyra 10 de Phiale meretrice loquentem , ſic legitur:

—Bona tota feruntur
Ad Phialem, tantum artificis ualet halitus oris ,
Quòd ſteterat multis in carcere fornicis annis.

DAMNI infecti promiſerit.] Damnum infectũ dicitur, quod nondũ factum eſt, ſed futurum timemus. Inſuper is damni infecti promittere dicitur, qui ſe penſaturũ & inſtauraturũ ſatis dat: id eſt , ſpondet & pollicetur , ſi quid uitij ſua culpa fiat .

fiat. PRAESTARE uitium.] Præſtare interim perficere eſt, ut apud Ciceronem tertio Officiorum: Si autem dictum eſt, Non omne præſtandū quod dictum non eſt, id præſtandum putas? Interim à Iuriſconſ. accipitur pro eo quod eſt, exitium rei in ſe recipere, uel alienæ culpæ diſpendium uelle luere: ut præſtare euentum, præſtare promiſſum alienum. Sic Cicero ad Vatinium, de ſeruo Dionyſio inquit: Si me amas, confice: quamcunque fidem dederis, præſtabo. Idem de Oratore: Perge uere Craſſe. iſtam enim culpam quam uereris, ego præſtabo: id eſt, in me recipio. Expoſitis textus particulis difficilioribus, de natura huius loci & proprietate nonnulla dicamus, et primum quid ſit cauſa definiamus. Cauſa igitur eſt, cuius ui aliquid euenit: ut ignis cauſa eſt incendij. Cauſarū uero quatuor genera ſunt, materia, forma, efficiens, & finis. Materia eſt, ex qua res fit: ut lutum, materia eſt conficiendi uaſis. Forma dicitur, per quam res eſt, uel à qua quæque res nomen ſubit, & ut ſit, habet: ut lapis in Herculis imaginem conformatus, nō lapis, ſed aut Hercules, aut Herculis imago dicitur. Efficiens cauſa eſt, à qua res conficitur: ut figulus uaſis fictilis efficiens cauſa eſt, nam à figulo uas fingitur, unde & figulus appellatus eſt. Finis uocatur, propter quam res eſt, uel gratia cuius aliquid fit: ut, pecunias paramus, ut nullius egeamus: ædificamus, ut à frigore & æſtu tuti ſimus. Nullius egere, & à frigore tutos eſſe, fines ſunt. Itaque cum tot cauſarum modi ſint, de ſolis efficientibus cauſis nunc agitur. non ita tamen, ut Cicero cauſas omnes ad efficientes redegerit, ſicut Agricola Ciceronem notans dicit. nam Cicero paulo poſt de omnibus cauſarum generibus plurima uerba faciet. Nunc autem de ſola efficiente, quemadmodum admonuimus, loquitur: quam & aliter ſic finimus, ut ſit, quæ rei faciendæ operam ſuam præſtat. à qua ſic argumentum elicitur: Ignis eſt, igitur incendium eſt. AB effectis rebus.] Effecta ſunt, quæ ab efficientibus cauſis fiunt: ut domus architecti dicitur effectus. Cicero nomine effectorū, quæcunque ui & impulſu cauſarum perueniunt, id eſt, omnia euenta comprehendit. id quod Agricola notauit, cum alioqui euentus tanquam genus ſit, & effectus uelut ſpecies. Nam euenta duplicia ſunt, effecta ſcilicet & deſtinata. ut effecta ſunt, quæ ab efficientibus fiunt: deſtinata uero, quæ propter finem fiunt, uel ad finem aliquem referuntur atque ordinantur. ut calceus eſt & effectus, & ad quid deſtinatum: effectus ſcilicet artificis, ſed ad tuendos pedes à frigore deſtinatur. CVM mulier uiro in manum conuenit.] Conuentio mulieris in manum manciplumq; mariti, cauſa eſt efficiens, ut quæ fuerant ipſius mulieris antequàm nuberet, efficiātur mariti poſtquam matrimoniū contractum eſt, & nuptiæ completæ ſunt. Ab effectis hoc argumentum depromitur: Si ærarij copijs & ad belli adiumenta, & ad ornamēta paucis utimur, uectigalibus ſeruiamus. EX comparatione.] Comparatio eſt, maiorum cum minoribus, minorum tum maioribus, parium cum paribus in numero, ſpecie, ui, & quadam ad res reliquas affectione contentio. In numero, ut plura bona paucioribus anteponuntur, & poſtponuntur pauciora pluribus. In ſpecie, ut quæ propter ſe expetuntur, pluris habenda ſunt ijs quæ propter aliud amantur: & cōtra, quæ propter aliud deſiderātur, minoris ſunt ijs quæ propter ſe expetuntur. In ui, ut præponenda ſunt ſtabilia, certa, & quæ eripi non poſſunt, mobilibus & incertis: è contrario poſthabenda ſunt hæc illis. In affectione uero ſic, ut principum commoda meliora ſunt quàm reliquorum: & reliquorum minorum commoda quàm principum. non quòd ita ſemper ſit, ſed quia ſic opinantur, ſic putant, ſic afficiuntur homines, ut quæ à pluribus probantur, uel à potentioribus proueniunt, ea meliora credunt, quàm quæ à paucioribus commendantur, aut ab humili et uulgari aliquo proficiſcuntur. Hæc de maiorum & minorum comparatione dicta ſufficiant. Itaque de parium collatione dicamus. Si numerus, ſpecies, uis, & affectio ſint æquales in his quæ conferuntur, parium erit comparatio, quæ nec elationem nec ſubmiſſionem habet: eſt enim æqualis. ut ſi conſilio iuuare ciues, & auxilio, æqua in laude ponendum eſt, pari gloria debent eſſe ij qui conſulunt, & ij qui defendunt: at primum uerum eſt, igitur & id quod ſequitur. Rodolphus Agricola comparationem duorum in uno tertio collationem definiuit. tamq; à ſimilitudine differre ſcripſit, quod ſimilitudo ſit duorū in duobus comparatio: duorum, non in duobus, ſed in uno tertio collatio. Verbi gratia, Comparatio eſt maioris cum minore, ut regis cum homine populari in diuitijs: minoris cum maiore, ut diſcipuli cum præceptore in eruditione. Paris uero cum pari, ut amici cum amico in probitate. At ſimilitudo hoc modo, ut ſenectus & hyems inter ſe ſimiles in ſegnitie & frigore ſunt. ſicut enim frigus eſt hyems, ita ſenectutis eſt ſegnities. Verum cōtra fieri perſæpe docebimus, cum ad huius loci pleniorem expoſitionem, quam poſtea Cicero faciet, uenerimus: Sicut Rodolphum male Ciceronem in pleriſque taxaſſe, in paucis uero recte, nullo negotio probabimus. Interim huius loci contextum declaremus. QVOD in re maiore ualet.] Idem Agricola Boetium arguit, quod ſingulis locis Ciceronianis quandam, ut uulgo loquimur, Maximam dederit, id eſt pronunciatum quoddam, una ſententia multa complexū, cui ſit indubitata fides: ut, De quocunque definitio dicitur, de eodem & definitum: de quocunque ſpecies, de eodem & genus. Arguit, inquam, Boetiū Agricola, propterea quod id nullum in uſum fieret, neque Ariſtoteles, neque Cicero id feciſſent. Quod autem Ariſtoteles in Topicis id non fecerit, uiderit Rodolphus: idq; quàm ſit uerum, diligens lector ſecum expendat. Sanè quantum ad Ciceronem ſpectat, maximas propoſitiones nonnullis locis addidiſſe uidetur. quales ſunt hæ: Quod in re maiore ualet, ualeat in minore, item contra, Quod in re minore ualet, ualeat in maiore. Tum quod in re pari ualet, ualeat in hac quæ par eſt: uel ſi mauis, ualeat æquitas, quæ paribus in cauſis paria iura deſiderat. Hæ ſunt, ſi Boetio credimus, maximæ propoſitiones quas Cicero facit. Verum ut Agricolam non planè falſum fuiſſe doceamus, ſed potius Boetiū, qui has propoſitiones eſſe maximas dixit, quod ſuper hac re ſentimus, aperiamus. Maximæ propoſitioni ueritas uſquequaque certa, & indubitata fides ſemper ineſt, neque ullo modo labefactari uel refelli poteſt. Vnde fit ut maxima uocetur. At ſuperiores non uſquequaque certæ ſunt, neque omnino neceſſariæ, ſed tantum ueriſimiles & quæ falſa atque mendaces eſſe poſſint. Nam non quidquid in re maiori ualet, in re minori ualere neceſſe eſt. neque contra, id omne quod in minori ualet, neceſſum eſt ut in maiori ualeat, ſiue affirmes, ſiue perimas. Exempli gratia: non continuo ſequitur, eum eſſe occidendum qui loris cædi debet: neque ſtatim furtum aliud committere, ſi ſacrilegium commiſit. È contrario, non protinus diſcipulus ignorat, ſi præceptor ignoret. nec ſi non facile & palàm mentitur, ſtatim colliges nō peieraturum. Quapropter hic locus tantum eſt uériſimilis, & nō neceſſarius, ſiue à minori ad maius, ſiue à maiori ad minus argumenteris: idq; uel affirmādo uel negando. Quo fit, ut maximæ propoſitiones non ſint, quas Boetius eſſe dicebat. FINES non reguntur.] Fines regere, eſt diſterminare agros. Proinde fines regi dicuntur, quoties unuſquiſque ager proprijs finibus terminatur. & hæc actio regendorum finium non ad urbana ædificia, ſed ad agros (auctore Iuriſconſulto) pertinet. AQVA arceatur.] Arcet is aquam, qui eam per ſua ſpacia meare non patitur. actio autem aquæ pluuiæ arcendæ aduerſus eum competit, qui in agro foſſam facit, in quam colligat aquam aut deducat, ex qua damnum alteri accidit. quæ actio ad ruſtica tantum prædia, quemadmodum & ſuperior, pertinet. neque aliàs locū habet, quàm ſi aqua pluuia agro noceat. VT quoniā uſus.]

Vſuſcapio, ſecundũ iuriſconſultos, eſt poſſeſſio obtenta certo ſpacio temporis, nec nõ iuris auctoritate formata. quæ duplex eſt: una rerum mobilium, ut pecuniæ, iumenti, bouis, equi: altera rerum immobilium, ut ædium, & fundi. Quæ eſt rerum mobilium, cõmuni nomine uſuſcapio dicitur. quæ rerũ immobilium, proprie præſcriptio dicitur. Rerum autem mobilium uſuſcapio annua eſt: ita ut ſi anno integro poſſederis, res tua ſit. Præſcriptio immobilium rerum, duorum annorum ſpacio ad minimum continetur. Itaque cum ædes ſint immobiles, quemadmodũ fundus, & fundus in lege de præſcriptionibus exprimatur, nulla uero de ædibus illic uerba fiant, ſed inter eas res ædes reponantur, quæ ſunt mobiles, & quarum uſuſcapio annua eſt: tamen quia ædes eiuſdem generis cum fundo ſunt, ideo poſtulat æquitas, ut uſuſcapio fundi biennio terminetur, uſuſcapio quoque ædiũ pari ſpacio contineatur. QVAE autẽ extrinſecus aſſumũtur.] Probationem artificialem iam abſoluit, quam in quatuor ſpecies diſtribuerat, definitionem, partes, notam, & res affectas. Nunc inartificialem perſequitur, quæ teſtimonij nomine comprehenditur. Eſt enim teſtimonium, extrinſecus aſſumpta probatio. extrinſecus aſſumptam uocamus, quæ ab aliqua re externa ſumitur ad faciendam fidem, id eſt, quam orator ex cauſa non trahit, nec excogitat, nec inuenit, ſed extra dicendi rationem accipit. EA maxime ex auctoritate ducuntur.) Perſona, teſte Cicerone, non qualiſcunque teſtimonij pondus habet: ad faciendam enim fidem auctoritas quæritur. Eſt autem auctoritas, in ingenioſis, opulentis, ætatis ſpacio probatis. Item in ijs quos ſtudio doctrinaq; præſtare putamus, quorumq; uitam conſtantem & laudabilem eſſe opinamur. De auctoritate Quintilianus cap. 11. lib. 5. in hanc fermè ſententiam ſcribit: Adhibetur extrinſecus in cauſam & auctoritas. hæc ſecuti Græcos, à quibus κρίσεις dicuntur, iudicia aut iudicationes uocant: non de quibus ex cauſa dicta ſententia eſt (nã ea quidem in exemplorum locum cedunt) ſed ſi quid ita uiſum gentibus, populis, ſapientibus uiris, claris ciuibus, illuſtribus poetis, referri poteſt ab oratore, ſi ad cauſam pertineat. ut ſi de incommoditate uitæ dicas, poteris in tuam cauſam extrinſecus adhibere perſuaſionẽ earum nationũ, quæ fletibus natos, lætitia defunctos proſequuntur. ITAQVE Græci tales argumentationes ἀτέχνους uocant.) Quintil. cap. 1. lib. 5. ſcribit Ariſtotelem ita diuiſiſſe probationes, ut earum alias ἐντέχνους, id eſt, artificiales uocaret: alias uero ἀτέχνους, id eſt, inartificiales. Nam τέχνη græce, latine ars dicitur. Inſuper α litera nomen ea uirtute priuat, quam haberet, ſi propoſita non fuiſſet. Has autem probationes ideo inartificiales dicimus, quod eas oratoris ars non pariat, ſed ad oratorem una cum cauſa deferantur. non enim teſtes inuenit, non tabulas, non rumorem & famam, ſed reus ad oratorẽ defert. Cicero in Partitionibus oratorijs, ait teſtimonia nõ ideo ſine arte dici, quod ſine arte ſint: ſed quod ea non gignat oratori ars, uerum foris ad eum deferantur, & extrinſecus ab eo ſumantur, delata tamen arte tractat. Quo fit, ut inuentione teſtimonia inartificialia ſint, tractatu uero artificialia. Secundo tamen libro de Inuentione, diuerſam ſententiã Cicero ſecutus eſt, ut qui probationes artificiales illic teſtimonia faciat. In qua etiam ſententia Rodolphum eſſe iam prædiximus: his enim teſtimonia quæri & inueniri tradit. Sed hunc ſcrupulum iam ademimus. Quapropter ad reliqua pergamus. VT ſi ita reſpondeas.] Exemplum eſt probationis ab auctoritate ductæ cuius ſenſus hic eſt: Tantum eſt ſolum ambitus ædium, id eſt, planicies & latitudo domus tanta eſt (auctore Scæuola) quantum tectum proijcitur, hoc eſt, diffunditur & extẽditur parietis communis tegendi gratia. Certũ eſt autem, tecta latius diffundi quàm parietes, nec parietibus æquari, ut ſtillicidium longius cadat. ſi quis ergo parietem ſibi uicinoq; ſuo communem tegere uelit, et uicinus impediat, ut Trebati ſi cauſam eius defendis, qui tegere uult, reſponde ius eſſe communis parietis tegendi, modo ſtillicidium uicino non incommodet, quoniam ita Scæuolæ placuit. PROIICERETVR & protexiſſet.] Protegere (ut inquit Budæus hunc locum citans) eſt tectũ proijcere. proijcere dico, id eſt, procul iacere, longe extendere. necnon extra parietes diffundere. À protegendo protecta, ſicut à proijciendo proiecta dicta ſunt. Sunt autem protecta & proiecta, partes domus prominentes, qualia ſunt meniana & podia penſilia, unde aſpectus eſt nobis in uicos & plateas. Proiecturæ uero, teſte Vitruuio, prominentiæ ſunt domus, & ueluti quædam ſupercilia parietum arcendis ſtillicidijs inuenta: fabri larmieros appellant, Latini intabulamenta dicere poſſunt, quæ etiã coronæ nomine proprio uocantur, ſiue ſtructura, ſiue inteſtinio opere (quam minutiariam uulgo dicunt) conſtent.

IN M. T. CICERONIS TOPICA IOANNIS VISORII COMMENTARIVS II.

h IS igitur locis.] Hactenus locorum ueluti quædam ſemina et initia numerumq; ſubtiliſſime deſcripſit, & ſuum cuique loco exemplũ ſubiecit. poſthac à capite rurſus exorſurus, ſingulos exactius & uberius exequetur: quorum breuis hæc ſit enumeratio, quæ mentem lectoris reficiat, & à tædio uindicet. deinde ſi quid elapſum memoria fuerit, animoq; exciderit, in mentẽ reuocet. Sit ergo (ut diximus) hic breuis locorum epilogus, ut alij in eo de quo agitur hæreant, id eſt, in propoſita quæſtione ſint inſiti, nec non ab ea dicentis ingenio præſentem in rem deducantur. quos ideo uocauimus artificiales, quia oratoris ars eos gignebat. qui duplices ſunt: aut enim ad totum adhibentur, aut affecti ſunt. Ad totũ adhiberi dicebamus eos, qui totam rei propoſitæ naturam explicant. ut ſunt, definitio, partes omnes, & notatio uerbi. Qui loci ſunt uniuerſales & reciproci, nec latius patent, nec anguſtius ſeſe contrahunt, quàm res de qua quæritur: ſed cum ea reuertuntur, & obambulant, ut definitum & definitio reciproca ſunt: partes omnes toti æquipollent, interpretatio uocabuli uocabulo æqualis eſt. quocirca tres hi loci ad totum adhiberi dicuntur. Reliqui ſunt affecti, qui quãuis in toto ſint, ad totũ tamẽ nõ adhibentur. quippe qui rei de qua agitur æquales nõ ſint, ſed amplius ſeſe fundant, aut arctius contrahant quàm propoſita quæſtio. Et eos idcirco uocamus affectos, quod uerius iuxta totum quàm in toto eſſent. Sicuti enim qui in ueſtibulo ædium eſſe dicuntur, neque omnino intus, neque foris omnino ſunt: ita loci affecti neque omnino in rei propoſitæ ſubſtantia, neque extra ſubſtantiam eius, ſed uelut in medio quodam interuallo ſunt. quos in tredecim ſpecies diſtribuimus, coniugatum, genus, formam, ſimilitudinem, differentiam, contrarium, adiunctum, antecedens, conſequens, repugnãs, cauſam, effectum: denique comparationem maiorum, parium, & minorum. Alij autem extrinſecus aſſumuntur, quos ideo inartificiales diximus, quod eos oratoris ars non pariat, ſed ad oratorem cum cauſa ueniant, atque à litigatore deferantur: quos omnes teſtimonij nomine Cicero comprehendit. SIGNIFICATIO & demonſtratio datur.] Cicero in principio dixerat: Vt igitur earũ rerum quæ abſcondita ſunt, demonſtrato & notato loco facilis inuentio eſt, ſic cum perueſtigare aliquod argumentum uolumus, locos noſſe debemus. Sunt enim loci uelut communes quædam rerum notæ, quæ nos eorum omnium admonent quæ de re quaque probabiliter dici poſſunt. Quapropter à Rodolpho ſignificantiſſime deſcriptus eſt locus, ita: Locus eſt cõmunis quædam rei nota, cuius admonitu quid in quaque re probabile ſit, inueniri poteſt. TIBI quidem tam acuto & tam occupato.] Hæc ſuccincta deſcriptio locorum, duplici ratione Trebatio ſatiſfacere poterat, nempe ut acuto & occupato. Acuti enim, craſſa & effuſa expoſitione non indigent: eſtq; ſatis admonuiſſe

monuiſſe loci. nam acumine ingenij freti, per ſe diſcunt, ſcrutantur, ueſtigant, inquirunt, & inueniunt. Inſuper occupati uerboſa & perplexa deſcriptione, necnon odioſa præceptorum multitudine turbantur, eorumq; prudentia impeditur, & memoria obruitur confuſa partium copia. Verum tametſi Trebatius & ingenij acumine ualeat, et uarijs negotijs implicitus detineatur, quia tamen locorum tam ſtudioſus eſt, eos Cicero copioſius & explicatius iterum tradet, eorumq; proprietas & naturas ſimilitudineſq; ac differentias aperiet. QVANDO *ergo, &c.*] *Age, uideamus uerum ſit nec'ne quod Tullius ait, unumquenque locum ſua quædam membra habere, & à capite incipiamus. Primū omnibus in confeſſo eſt, uaria eſſe definitionum genera. ſiquidem earum alia ſubſtantiæ eſt, alia accidentis. illa quid ſit res de qua quæritur quàm breuiſſime declarat, et uera legitimaq; definitio eſt: hæc uero qualis ſit res uerbo ſuo explicat, & deſcriptio uocatur. Nihil enim eſt aliud deſcriptio (teſte Valla) quàm qualitatum omnium alicuius rei & eiuſdem actionum uerboſiſſima explicatio. cuius hoc eſt exemplum: Hiſtoria teſtis temporum, lux ueritatis, uita memoriæ, magiſtra uitæ, nuncia uetuſtatis. Inſuper definitionum nonnullæ ſunt rerum earum quæ ſenſibus percipiuntur, id eſt, quæ tangi uideriq; poſſunt: ut ſi pecudem definire uelis. nonnullæ earū quæ ſola mente comprehenduntur, nec uideri tangi'ue poſſunt. Senſibus percipiuntur corpora, res incorporeæ ſolum intelliguntur. Vtrarumque rerum definitio eſſe poteſt. Præterea definitionum quædam per diuiſionem ſunt, quæ formas omnes definiti generis complectuntur: quædam per partitionem, cum res ea quæ propoſita eſt, quaſi in membra diſcerpitur. Definitiones deinde aliæ ſolius ornatus cauſa ſunt, quales ſunt metaphoricæ: aliæ ſignificationis, cuiuſmodi grammaticæ ſunt, quæ non quid ſit res, ſed quid uerbum ſignificet exponunt. Poſtremo aliæ ſunt neceſſitatis, ut cum proprijs legitimiſq; differentijs careamus, cogimur (ut inquit Cicero) per contraria, paria, diſſimila definire. Ex his omnibus liquido conſtat, definitionis plura eſſe membra: quibus ſua ſubijciemus exempla, cum ad ea uenerimus. Nunc ad partes deſcendamus, & ſint nec'ne multiplices ſcrutemur. Partes (auctore Boetio) duplices ſunt, ſpecies & membra. Species generis ſunt partes, membra uero totius. Agricola uero triplicem partium diuerſitatem facit, earumq; alias eſſe ſubſtantiæ, alias quantitatis, alias denique qualitatis ſcribit. Subſtantiæ, ut materia & forma, utq; partes corporis humani ſunt, caput, brachia, crura, pedes. Quantitatis, ut, cubitus, tricubitus, bicubitus. Qualitatis, ut cum dicimus, mearum eſt partium, id eſt, mei muneris eſt meum eſt officium. Ex quo colliqueſcit uaria eſſe genera partium. Ad notationem uerbi progrediamur. Eius certe (ſi Boetio credimus) nulla mēbra ſunt. Inquit enim in locorum epilogo Boetius, locum à nota ſimplicem eſſe & indiuiduum: id quod cum Cicerone pugnare uidetur. quippe qui dicat, uniuſcuiuſque loci membra quædam eſſe. at notatio uerbi locus eſt. uerum membra non habet: ſed (ut Boetio placet) ſimplex eſt & indiuiduus. niſi cum Rodolpho Agricola triplicem huius loci uſum facere uelis: unum ab interpretatione uocabuli, alterum ab homonymia, id eſt ab agnominatione, quæ uulgo æquiuocatio dicitur: alium autem à metaphora. Exemplum primi: ut, Pecunia domus inſtruitur, ergo pecunia domeſticum eſt inſtrumentum. Secundi, Quis negat Aeneæ magna de ſtirpe Neronem? Suſtulit hic matrem, ſuſtulit ille patrem. uel ſic, Peſſime faciunt qui plebem aduerſus patres incitant, cum nullum ſit nomen in terris ſanctius magiſq; uenerandum quàm patrum. Tertij uero hoc modo: Quis enim celauerit ignem, Lumine qui ſemper proditur ipſe ſuo? Primo locorum gradu expoſito, qui ad totum adhibetur, ad ſecūdum ueniamus, qui eſt à rebus affectis, quem eſſe multiplicem nemo neſcit, ut qui tredecim membra habeat: de quibus ſuo loco dicetur. Quapropter ad poſtremum gradum feſtinemus, qui à toto remotiſſimus eſt. Eum uero multa membra habere reperiet, qui legerit quæ Cicero in Partitionibus de teſtimonijs ſcripſit, & quæ in hoc opuſculo cum ad eum locum uenerit, ſcripturus eſt. Scinditur enim teſtimonium in diuinum & humanum. Vtriuſque rurſus multa genera ſunt, quæ nos in teſtimoniorum explicatione detegemus. Ex his itaque ſole clarius euadit, quod Cicero dixit, unumquēque locum ſua membra habere.* PRIMVM *de ipſa definitione dicatur.*] *Conſentaneum eſt ut à definitione incipiamus, quippe quæ uniuſcuiuſque rei ſubſtantia ſit, quā Laurentius regium cenſorem quæſtoremq; ærarium propterea uocat, quòd nihil aliud conſideret quam regium illud uerbum, quid eſt, id eſt quæ res: quemadmodum eius miniſtra interrogatio, eodem uerbo utitur: ut, Quid eſt homo? quid eſt uirtus?* DEFINITIO *eſt oratio, &c.*] *Definitio eſt oratio quæ rei propoſitæ naturā proprie breuiter & dilucide declarat. Signanter autem Cicero definitionem orationem eſſe dixit. nam ea duabus minimum uocibus, id eſt genere & differentia conſtare debet. Id quod & Cicero in Partitionibus confirmat dicens: Non eſt dubium quin definitio genere declaretur, & proprietate quadam aut communium frequentia, ex quibus proprium quid ſit eluceat. Inſuper adijcit Explicat. quaſi dicat, dilatat & diffundit. Nam definitio, ut ante dictum eſt, id quod inuolutū eſt euoluit: neque aliud quidquam eſt definire, ut inquit Rodol. quàm rem intra fines naturæ ſuæ concluſam, explicare, id eſt diducere, & quodammodo amplificare. Bene itaque in Partitionibus Cicero dixit, uerbum in orationem dilatari, ut definitū in definitionem. Contra orationem in uerbum contrahi, cum definitio ad definitum reuocatur. Eſt ergo definitio, coactæ in ſe & complicatæ rei explicatio. Vnde paratum eſt colligere, eas definitiones impropria eſſe, quæ nomen pro nomine reddunt: ut ſi gladium per enſem definias, ædes per domum. Cuiuſmodi ſunt omnia quæ grammatici ſynonyma, & dialectici polyonyma uocant. non ſunt inquam propriæ definitiones, quia orationes non ſunt: neque ſanè explicant, quia pluribus uerbis non efficiuntur.* DEFINITIONVM *autem duo ſunt genera.*] *Rerum aliæ ſunt corporeæ, aliæ incorporeæ. Res ſunt corporeæ, quæ ſenſibus percipiuntur, id eſt, quæ uidentur, audiuntur, tanguntur. Nam, ut inquit Lucretius:*

Tangere uel tangi niſi corpus nulla poteſt res.

Eas uero res incorporeas dico, quæ quamuis ſenſibus humanis nō obijciantur, animo tamen cerni poſſunt. ut uirtus res eſt incorporea, eius enim nullum ſubeſt corpus, eſt tamen quædam cōformatio inſignita & impreſſa intelligentia, quam Græci [illegible] *uocant, latini notionem dicunt. Res uero corporea eſt, ut homo quippe qui uideatur. Vtraque res definiri poſſunt, ut quid ſit uirtus, & quid ſit homo, definimus.* STILLICIDIVM.] *Stillicidium, ut inquit Feſtus Pompeius, eſt quando ſtillæ frigore concretæ decidunt. Eſt enim ſtillicidium aqua, quæ ex tecto ſtillando guttatimq; cadit, id quod ex ipſo nomine liquet. Nā ſtillicidiū à ſtillando & cadendo dicitur, quia diſtillando defluat.* MANCIPIVM.] *Mancipij multiplex eſt ſignificatio. interim enim ſignificat hominem bello captum, & ſeruituti mācipatum: id quod etymologia nominis oſtendit. Mancipium enim nomen eſt, à manu & capiendo dictum. Significat inſuper domini comparationem uel traditionem. aliquando pro iure poſſidendi accipitur, uulgo ſeſinam dicunt. unde mancipare eſt, quod uulgo ſeſire dicitur. Nonnunquam præterea pro domino, & metaphoricōs pro poteſtate & libertate ſumitur. pro poteſtate: ut, Mulier in mancipio mariti eſt. Pro libertate uero: ut, Ego ſum mei mancipij.* PENVS.] *Penus omnia ſignificat quæ eſu potuq; continentur, uel quæcunque ad uictum annuum, non publicum quidem, ſed priuatum domi re-*

condita pertinent. TVTELAM.] Tutela, ut inquit Seruius iuriſconſultus, eſt uis et poteſtas iure ciuili data & permiſſa in capite libero, ad tuendum eum qui ſe ſuaq; per ætatem defendere non poteſt. GENTEM.] Gens, uel ſi mauis gentilitas, eorum eſt qui inter ſe eodem ſunt nomine ab ingenuis orti, quorum maiorum nemo ſeruitutem ſeruiuit & non ſunt capite diminuti. AGNATIONEM.] Agnatio ad eos refertur, auctore Vlpiano, qui per patrem cognati ex eadem familia ſunt: ita ut omnes agnati cognati ſint, non contra. Nam & per matrem cognati eſſe poſſunt, quos agnatos nequaquã dixeris. Dum grammaticum ago, uereor ne à profeſſione mea recedere uidear: ut qui dialectici perſonam ſubierim, quæ tamen ſine dialectici ſilentio prætercam. Nã in lectione Ciceronis interpretandæ, ſcrupum ſubobſcurum præterire uideor, qui non grammatica interpretatione, ſed acumine dialectico nõ parum indiget. Dicit itaque Cicero nõ eſſe ea quæ tangi demonſtrari ue non poſſunt, cerni tamen animo atque intelligi poſſunt: quæ nihilominus definiuntur, ut ipſe tradit. At hæc nimirum pugnantia ſunt. Nam quod non eſt, definiri non poteſt, ut Ariſtoteles capite primo, libri ſecundi Poſterioris reſolutionis teſtatur. Quod enim definitur, neceſſe eſt eſſe, uel Cicerone & Quintiliano teſtibus: qui tria quæſtionum genera faciunt, An ſit, quid ſit, & quale ſit. Primum eſt ſanè, quod ulla de re quæri poſſit, an ſit: deinde ubi conſtiterit eſſe, proximum eſt, ut quid ſit, quæratur, id eſt, ut definiatur. Si uero de re & nomine conueniat, reliquum eſt, ut de qualitate ſit quæſtio. Ex his manifeſtum euadit, nihil definiri poſſe, quod nõ ſit certum eſſe. Quo'nam igitur pacto Cicero dixit, definitionem eſſe rerũ quæ ſunt, aliã rerum quæ non ſunt? Hunc ego ſcrupulum tibi ſic adimo. Cicero ea non eſſe dixit, quæ ſunt incorporea, nõ quod non ſint, alioqui definitionẽ non ſuſciperent: ſed quia genus humanũ maxime ſenſibus degit, id eſſe Cicero arbitratus eſt, quod ſub ſenſus cadit, eoſq; ferit. Ergo quia res incorporeæ ſenſibus noſtris non ſubijciuntur, eas non eſſe, id eſt, non ſentiri dixit. ſunt tamen, ſed intellectu. id quod & ipſe confirmat, cum inquit, Non eſſe ea rurſus dico, quæ tangi demonſtrari'ue non poſſunt, cerni tamen animo atque intelligi poſſunt. ATQVE etiam definitiones aliæ ſunt partitionum, &c.] Quid diuiſio, quid rurſus partitio ſit, Quintilianus libro ſeptimo breuiter oſtendit, qui ſic ait: Diuiſio eſt plurimum rerum in ſingulas, partitio uero ſingularũ in partes diſcretus ordo. Vt hic ſit ſenſus: Diuiſio eſt generis in formas diſtributio, partitio totius in partes ſectio eſt. Erit itaque per partitionem definitio, ſi res definienda in membra ſua diſcerpatur. ut ſi Rhetoricen definias, dices: Rhetorice eſt inueniendi, diſponendi, eloquendi cũ firma memoria & actionis dignitate peritia. rhetorica totũ eſt quod definitur. eius partes ſunt, inuentio, diſpoſitio, & cætera: per quas definitio fit. Huius generis definiendi Quintilianus cap. 10. lib. 5. meminit. Per definitionẽ uero definies, ſi formas omnes definiti generis oratione tua complectaris. ut, rhetorica eſt demonſtrandi, deliberandi, & iudicandi ſcientia. Rhetorica genus eſt definitum: cuius formæ ſunt, demonſtratio, deliberatio, & iudicium. VT ſi quis ius ciuile dicat.] Cicero ius ciuile per partitionem definit. Iuris enim ciuilis partes & quaſi membra recenſet, quæ ſunt, lex, ſenatuſconſultum, res iudicata, iuriſperitorum auctoritas, edictum magiſtratuum, mos, & æquitas, quibus totum ius ciuile tanquam ſuis partibus conſtat. Huius autem definitionis hic eſt ſenſus: Ius ciuile aut ſcriptum eſt, aut non ſcriptum. Sub iure ſcripto ſunt leges, plebiſcita, edicta prætorum, placita principum, reſponſa ſacerdotum. Sub iure non ſcripto mos & æquitas continentur. Cicero plebiſciti non meminit in partibus iuris ciuilis enumerandis: ſed ſub lege comprehenſus eſt, neque iniuria. Nam plebiſcitum, lex eſt tribunitia. Inſuper placitorum principum non meminit, nec immerito. Conſulibus enim Rempublicam gubernantibus, imperium Romanum non unius principis arbitrio, ſed auctoritate ſenatus regebatur. A' Cæſare autem dictatore oppreſſa Republica, languere ſenatus auctoritas, ac deinde poſt Auguſtum interire etiã cœpit. quo demum tempore omnia unius principis arbitrio regi cœperunt. Deinde neque reſponſa ſacerdotum expreſſit, ſed ſub iuriſperitorum auctoritate continentur. Addidit è contrario Tullius, res iudicatas inter partes iuris ciuilis, quas tamen Iuſtinianus in iure ciuili definiendo præterijt, nec expreſſit. Nunc particulas definitionis explicemus, & primum quid ſit lex dicamus: Lex (ut inquit Gellius) eſt generale iuſſum totius populi, rogante magiſtratu. uel, ut Iuſtinianus definit, Lex eſt ius, quod populus interrogante magiſtratu ſenatorio uelut conſule conſtituit. Boetius ita deſcribit: Lex eſt, quam populus Centuriatis comitijs ſciuerit. Sed Boetij pace dixerim, non omnes leges centuriatis comitijs ſciſcuntur. Earum enim aliæ (ut inquit Budæus) centuriatæ ſunt, aliæ uero curiatæ. Curiata dicuntur leges, quæ comitijs curiatis, id eſt, tributim, uel quod perinde eſt, per tribus coactis feruntur. Centuriatæ ſunt, quæ centuriatis comitijs, id eſt, per centurias ex cenſu & ætate diſtributis rogantur. Plebiſcitum, ius eſt ſcriptum, quod plebs plebeio magiſtratu interrogante, uelut tribuno, ſciuit, id eſt, decreuit & iuſſit. Cicero tamen nomine legis (ut diximus) plebiſcitum comprehendit. Nam lege Hortenſia (ut Iuſtinianus ait) plebiſcita pro legibus haberi cœpta ſunt. Quo fit, ut legũ aliæ conſulares ſint, aliæ tribunitiæ. Conſulares, quæ abſolute leges dicuntur: Tribunitiæ uero, quæ communi nomine plebiſcita uocantur. Senatuſconſultum ius eſt, quod ſenatus ſtatuit. Nam cum Populus Romanus uſque adeo creuiſſet, ut unum in locum legum ferendarum gratia congregari non poſſet, placuit uice populi Senatum conſuli, ita ut quod Senatus decreuiſſet, perinde ac ſi populus decreuiſſet haberetur. Reſponſa ſacerdotum ſunt ſententiæ & opiniones eorum, quibus iura condere ius erat. Nam antiquitus nonnulli erant, qui publice iura interpretabantur, quibus à Cæſare ius reſpondendi indultum eſt: unde iuriſconſulti uocabantur. quorum opiniones tantum auctoritatis habebant, ut ab illis iudici recedere nunquam liceret. Placita principum uocamus, quæ cuique principi placuit conſtituere. nam ea pro legibus habentur. cum populus omne ſuum ius & poteſtatem ad principes tranſtulerit. Aedicta magiſtratuum, pro iure honorario ſumuntur. quia hi qui gerunt honores, id eſt, magiſtratus (ut ſunt prætores) illi auctoritatem dederunt. Superiora omnia ſub iure ſcripto ſunt. Ex non ſcripto ius uenit, quod uſus approbauit. nam mores utentium conſenſu probati legis pondus habent. Eſt autem mos (ut ait Budæus) obſeruatio quædam, non lege, ſed iudicio & opinione firmata. uel (ut Iulius Feſtus definit) Mos eſt inſtitutum patrium, ad religiones & ceremonias maiorum pertinens. Inſtitutum uero uoco ius nõ ſcriptum, quod certum tamen auctorem habet, præclarum aliquem uirum, quem imitari reliqui non erubeſcant. Aequitas eſt iuris ſcripti correctio, quæ à iure naturali petitur: id eſt, quod naturalis ratio perſuaſit, quodq; diuina prouidentia inter omnes gentes conſtitutum eſt. ABALIENATIO.] Abalienatio eſt, à noſtro dominio in alienum dominium tranſitio. Res quæ abalienari poſſunt, uno nomine mancipi, pro mancipij dicuntur. Abalienationis duæ ſunt ſpecies. una uocatur traditio, altera uero ceſſio. Traditio eſt, translatio dominij rerum corporalium: Ceſſio eſt. translatio actionum, id eſt, rerum incorporalium. NEXV.] Nexus ritus eſt quidam, ſeu imaginatiua uenditio, quæ fiebat hoc modo, adhibitis quinque teſtibus, & eo qui libripens uocabatur. ibi emptor tenens æs pronunciabat, Hanc rem aio meam eſſe, emptam hoc ære. Deinde librã percutiebat, & æs dabat uenditori, tanquam preciũ. Hoc ritu ſignificabatur translatio dominij rei uenditæ. SVNT

& alia

& alia genera definitionum.] Definitionis nomen tam late ſumimus, ut omnem expoſitionem, qualemcunque definitionẽ uocemus. Cuius cum plurimos modos Boetius faciat, eos tamen omnes ad tria capita generalia reuocari poſſe, cõſtãter affirmamus. Nam expoſitio quecunque ſit, aut quid ſit, aut quale ſit, aut quid ſignificet id de quo queritur, declarat. Prima abſolute definitio uocatur: Secunda deſcriptio: Tertia uero interpretatio grammatica. Definitionis exemplum eſt hoc, Virtus eſt bene agendi conſuetudo. conſuetudo enim, id eſt habitus, uel ſi mauis conſtans affectio, uirtutis genus eſt: bene agere uero, differentie uices ſupplet. hec eſt deſcriptio, que ſequitur: Homo eſt rotundo capite, ſublatis in coelum oculis, ore ſublimi, qui erectus ingreditur, cui uni uirtus, uitium, litera, artes omnes conueniũt: in quo dolus, ſolertia, calliditas reperitur. He ſunt enim hominis qualitates & actiones, quarum explicatio deſcriptio dicitur, Interpretatio uero grammatica ſit hec: Tumultus bellum ſignificat, in quo propter uicinitatem periculi timor ineſt multus. Hec enim expoſitio non tam rei quàm nominis eſt. Itaque cum tria explicationum genera faciamus, primam precipue philoſophorum, ſecũdam maxime oratorum poetarum & hiſtoriographorum, tertiam proprie grammaticorum eſſe manifeſtum eſt. SED ad huius libri inſtitutum illa nihil pertinent.] Definitio nonnunquam per contraria fit: ut Temperans eſt qui nihil intemperanter agit, ſed in omnibus modum & menſurã ſeruat. aliquando per diſſimilia: ut, Aequitas eſt non ipſum quidem ius, ſed iuris emendatio. Interim per paria: ut, Auriga eſt uelut gubernator, & dux currus. nec non per relata: ut, Genus eſt quod multas habet ſpecies, & ſpecies que generi ſubiecta eſt. tum per metaphoram: ut, Mors eſt ultima linea rerum. Poſſem ego per omnes propè locos definitiones inquirere. Per coniugata, Iuſtus eſt qui iuſte facere conſueuit: per cauſas, ut, Lune defectus eſt interpoſitio terre inter ſolem & lunam, que radios ſolis excludit, ne miſſi ad lunam illuſtrare poſſint eam fulgore ſuo: per effecta, ut Architectus eſt qui conficiendarum edium artem callet. Denique (ut ſemel iam dixi) poteſt ab omnibus fermè locis definitio trahi. Quare uerum eſt quod Cicero dixit, alia eſſe definitionum genera, quorum ipſe non meminit. Sed quónam pacto ſint ab huius libri inſtituto iſti modi definitionis alieni, uideamus. Primum contraria, paria, diſſimilia, coniugata, cauſe, effecta, loci ſunt quorum precepta hoc libello traduntur. Quónam igitur pacto Tullius intelligit hec definiendi genera huius inſtituti non eſſe? nodũ hunc ita ſoluimus. Quamuis per contraria, paria, diſſimilia, & ceteros locos quos modo recitauimus, definitiones fieri poſſunt, & eorum locorum ars hoc opere tradatur: ij tamen loci ad totum non adhibentur, ſed tantum affecti ſunt. At definitio ad totũ adhibetur, uel potius ipſum totum eſt. Quare ſuperiora genera definitionum ad preſentem tractatum (qui de definitione eſt, & toto) non pertinent. Inſuper Rodolphus metaphoram ſub notatione comprehendit, qui locus ab eo differt qui à definitione eſt: quòd definitio rei ſit, notatio uero uocabuli. Bene itaque Cicero ſcribit, ceteros definiendi modos ab ijs quos tradidit, ad preſens inſtitutum, id eſt, ad definitionis locum non pertinere. Sed rurſus aliquis obijciet: Ergo definitiones que per diuiſionem & partitionem fiunt, ad preſens inſtitutum non pertinebunt. Nam locus qui à partitione eſt, à definitionis loco differt. Ita tamen hec obiectio diluitur. Paulo ante Cicero dicebat, partes ad id totum de quo queritur adhiberi, id eſt, totam rei propoſite naturam complere, quod ſanè definitionis eſt: igitur definitioni cum diuiſione & partitione bene cõuenit, ita ut neque illa ſine his, neque he ſine illa intelligi queant. SIC igitur ueteres.] Ariſtoteles cap. 14. lib. 2. Poſterioris reſolutionis, hanc inueniende definitionis methodum tradit, à quo Cicero eam mutuatus eſt. precipit autem illic Ariſtoteles: Si quid definire uelis, primum aliquid ſumas quod rei definiende cum alijs rebus que ſimili natura ſunt, commune ſit: id genus eſt. quod cum habueris, proximũ eſt, ut illud diuidas, & uſque eo diuidendo perſequare, dum proprium efficiatur, quod ſoli rei propoſite conueniat, nec in ullam aliam rem competere poſſit, ſed cum re propoſita reuertatur. hoc pacto fiet, ut quecunque ad definitionem rei ſumis, ſeorſum poſita latiora ſint, quàm res que definitur: uniuerſa uero nõ item, ſed coniuncta cõmetent, & reciproca ſint. nam frequentia cõmunium proprium quid ſit elucet. ut ſi hominem definias, primum animal accipies, quod hominis genus eſt: deinde diuides per ſuas differẽtias, que ſunt, rationale, rationis expers. tum alteram generi coniunges, que tuo propoſito quadrabit, ut fiat animal rationale. Verum quia totum hoc ſecundũ ueteres philoſophos latius eſt quàm homo, rurſus animal rationale diſtribues, ut aliud mortale ſit, aliud immortale. Quia uero homo non eſt immortalis, propterea mortalem eſſe dices. que differentia ſi animali rationali fuerit adiecta, quod ante commune erat, proprium efficietur, ſoliq; homini conueniet, & cum eo reciprocabit: ut hec ſit hominis completa definitio, Animal rationale, mortale: cuius ſingule partes definitio ſunt generaliores, uniuerſe uero equales. nam omnis homo eſt animal, ſed non ſolus. Item omnis homo rationalis eſt, ſed non ſolus. omnis homo mortalis eſt, ſed non ſolus. uerum omnis & ſolus homo animal rationale, mortale eſt. VT hoc, hereditas eſt pecunia.] Hereditas ita definitur, Pecunia que morte alicuius ad quempiam peruenit iure, neque eſt legata teſtamento, neque poſſeſſione retenta. primum hereditas omnis eſt pecunia, non tamen contra. Nam (ut inquit Vlpianus) omnia corpora pecunie appellatione contineri, nemo eſt qui ignoret. Deinde omnis hereditas ad quempiam morte alicuius peruenit. Verum non quecunque pecunia morte alicuius ad quempiam peruenit, hereditas eſt. Nam pecunia Pompeij magni, que mortuo Pompeio ad Marcum Antonium uenerat, hereditas dici non poterat: non enim iure uenerat. quare ut ſit hereditas, eam iure uenire neceſſe eſt. Ceterum non ea omnis que iure uenit, hereditas eſt: quia pecunia que legata eſt, id eſt teſtamento relicta, iure uenit, non tamen eſt hereditas: nec ſi legata non fuerit, protinus hereditas erit. Nã ſi ad eum redeat cuius proprietas eſt, mortuo illo cuius erat uſuſfructus, hereditas non dicitur. Nam alio iure quàm hereditatis, res que legata fuit, uſufructuario extincto ad dominum redit. Adijciendum eſt igitur, ut non ſit poſſeſſione retenta. que omnia ſi cõiungas, hereditatem perfecte definies. GENTILES.] Gentiles dicuntur, qui inter ſe eodem nomine ſunt, ut Scipiones, Bruti, Caſſij, & quicunque linea prima ſeſe contingunt: tum qui ab ingenuis oriundi ſunt. nam ſi ſerui ſint, gentiles non erunt. Inſuper quorum maiorum nemo ſeruitutem ſeruiuit: non enim gentiles dicuntur, ſi libertinorum ſint nepotes. denique capite non ſunt diminuti: quia ſi in alienam familiam per adoptionem tranſierint, ut Publius Clodius, gentiles haudquaquam uocabuntur, & hec uniuerſam gentiliũ definitionem complent. ATQVE hec ratio.] Hec definiendi methodus, quam Cicero ab Ariſtotele acceptam tradit, certa eſt & iuſta, quã ad unguem obſeruare debes, ſiue rem corpoream, ſiue incorpoream definias. & illud eſt quod Cicero ait, ſiue illud quod eſt, id eſt, rem corpoream ut fundum: ſiue id quod intelligitur, id eſt rem incorpoream, ut gentilitatem definire debeas. PARTITIONVM autem & diuiſionum genus quales eſſet.] De definitione per partitionem & diuiſionem ſupra locuti ſumus, & quid utraque eſſet, qualiſq; & quo modo fieret, oſtendimus. Nunc de diſcrimine diuiſionis & partitionis dicendum eſt. Itaque partitio & diuiſio ſic inter ſe differunt, quod in partitione quaſi membra ſint, in diuiſione uero forme: quod perinde eſt ac ſi dicamus, diuiſionẽ

eſſe generis in formas diductionem, partitionem uero totius in partes ſectionem. ut partitio eſt, cum dico, corpus humanum conſtare capite, humeris, brachijs. manibus, lateribus, cruribus pedibus, & cæteris. aut etiam hoc modo: Domus in tectum, parietem, tabulatum, & fundamentum diſtribuitur. Erit autem diuiſio, ſi dicas, Virtus eſt aut prudentia, aut iuſtitia, aut fortitudo, aut temperantia. uel ſic: Animal aut eſt homo, aut beſtia. ſicut illic totum in partes diſtributum eſt, ita hic genus in formas diducitur. GRAECI *ἰδέας uocant.]* Idea, *ſecundum Platonem libro ſexto de Repub. nihil aliud eſt, quàm perfecta rei cognitio, natura quidem inchoata, doctrina & uſu perfecta: ut in Cicerone eloquentiæ idea eſt, per quam ſenſit quæ forma orationis eſſet optima, & quam ſecutus atque imitatus optimam orationem effecit.* SPECIES *appellãt.]* Speciei *nomen, ut non omnino aſpernandum eſt, ita nonnullis in caſibus eſt uitandũ: ut in genitiuo. datiuo & ablatiuo pluralibus: in quibus uel latinum non eſt, uel non ſatis uſitatum, uel auribus moleſtum & ingratum, quas in dicendo conſulere ſemper debemus, ita ut quod reſpuunt illæ, uitemus & negligamus.* SI *qui hæc forte tractant.]* Pauci *latini, uel potius nulli, ab urbe condita ad ſeculum uſque Ciceronis, philoſophicas diſciplinas tractarunt, ut Cicero teſtis eſt locupletiſſimus, qui in prima Tuſcul. ſic inquit: Philoſophia uſque ad hanc ætatem latuit, nec ullum habuit lumen literarum Latinarũ, quæ illuſtranda & excitanda nobis eſt, ut ſi occupati profuimus aliquid, noſtris ciuibus proſimus, etiam ſi poſſumus otioſi, in quo eo magis eſt nobis elaborandum, quòd multi iam Latini libri dicuntur ſcripti inconſiderate ab hominibus illis quidem optimis, ſed non ſatis eruditis, & cætera. quo in loco licet præcipue de philoſophia morali Cicero loquatur, de alijs tamen philoſophiæ partibus etiam id eſſe intelligendum ſatis docet.* COMMODITATEM *in dicendo non arbitror negligendam.]* Tullius *in dicendo commoditatem neglig*ẽ*dam non arbitratur. Quare miſocali non ſunt audiendi, qui alienum à dialectico putant, ut uerborum delectum habeat. Nam rerum & uerborũ ſcientia, ſicut Craſſus ait, ita cohæret, ut neque uerba fidem habitura ſint, ſi rem ſubſtraxeris. neque res lumen, ſi uerba ſemoueris. faceſſant igitur iſti, qui uerbis è media barbarie deſumptis, ſanctiſſimam philoſophiam polluunt, & eam ſordidis & rancidis uocum portentis inquinant: qui quemadmodum uillici ſemper allium redolent, ita niſi tertio quoque uerbo in barbariſmum aut ſolœciſmum incurrant, ſe ſuum iſtud Gothicum decorum ſeruare non arbitrantur.* GENVS *eſt notio.]* Definitur *ſic à Cicerone genus, ut notio ſit ad plures differentias pertinens. ad plures dico differentias, id eſt, ad plures eaſq; differentes inter ſe ſpecies, quas omnes genus ambitu ſuo continet, & in eas adiectione differentiæ diuiditur. Quo fit, ut hæc ſit ſpeciei ſignificantiſſima definitio, in quam ſub ſe comprehenſam diuiditur genus. quam Cicero uerbis alijs, ſed eodem tendentibus explicat, dicens: Forma eſt notio, cuius differentia ad caput generis & quaſi fontem referri poteſt. Nec immerito ſic definit. nam ſi formæ differentiam generi coniunxeris, formam habiturus es: necnon genere per differentias diuiſo in ſpeciem, deſcendens formã definis: quæ propterea forma uocatur, quòd rude & informe genus expoliat & adornet: id quod fieri nõ poteſt, niſi eius differentia ad genus referatur. relata autem ad genus differentia, nihil aliud quàm forma uel ſpecies eſt. Cicero genus appellat caput & fontem formæ, quia quemadmodũ primus parens principium omniũ ſuorum nepotum eſt, & proinde genus eorum uocatur: ita genus formarum ſuarum fons eſt & origo. quare genus ideo dicitur, quod ab eo formarum omnium quæ ſub illo ſunt, ſignificationes quodammodo gignũtur.* NOTIONEM *appello.]* Notio *eſt cognitio cuiuſque formæ inſita, & ante percepta, enodationis indigens. Enodationis autem dicitur indigere quia genus ſuapte natura confuſum eſt: & cum per ſe profertur, dubium eſt de qua ſpecie ſit intelligendũ. ut ſi animal mihi proferas, ego qui audio, dubius ſum an de homine, an contra de beſtia loquaris. ſed hæc ambiguitas adimetur, ſi ad genus differentiam ſpeciei retuleris, qua manifeſtum euadat de qua ſpecie intellectum uelis. Nam ſi animali rationale mortale addideris, diluceſcet quod ante ſubobſcurum erat. Itaque quare notio indigeat enodationis, dictum eſt.*

Aliter tamen explicari poteſt, hoc modo: Notio cõceptuſq; mentis gladio ſimilis eſt intra uaginam recondito, qui ſicut nulli rei prodeſt, niſi è uagina fuerit eductus: ita quæ animo concepiſti, nulli nota fient, niſi oratione, quæ mentis eſt interpres, expreſſeris, & ad auditorem pertuleris. exprimes autem oratione, ſi formam rei animo tuo comprehenſam definieris, & eius proprietates & differentias dederis. quem ſenſum eſſe Ciceronis ex eo colligo, quod III *Officiorum de notione quoque loquens, ita ſcribat: At uero ſi quis uoluerit animi ſui complicatam notionem euoluere, iam ſe ipſe docebit eum uirũ bonum eſſe, qui proſit quibus poſſit, noceat nemini, niſi laceſſitus iniuria. deinde paulo poſt ait: Explica atque excute intelligentiam tuam, ut uideas quæ ſit in ea ſpecies, forma, & notio uiri boni. Cadit ergo in uirum bonum mentiri, emolumenti ſui cauſa criminari, percipere, fallere nihil profecto minus. Eiuſmodi notionẽ Græci tum ἔννοιαν, tum πρόληψιν dicunt. πρόληψις uero quandam anticipationem, uel, ſi mauis, præſumptionem ſignificat: ut cũ genus & ſpecies præſumptiones ſint, genus ſanè prius quàm ſpecies, & ſpecies ante quã ſua indiuidua cognoſcitur.* FORMAE *igitur ſunt.]* Maximum *eſt in facienda diuiſione uitium, ſi quam generis formam prætermittas. Sunt enim certa & definitæ numero cuiuſque generis ſpecies. quare ſine ullius prætermiſſione genus in eas diuidi debet. Ideo duplici nomine peccat, qui ius in legem, morem, & æquitatem diuidit. Primum quòd non omnes formas iuris recenſeat. nam ſenatuſconſulta, placita principum, edicta prætorum, res iudicatas, & reſponſa ſacerdotum prætermittit. Deinde fallitur, quòd partes iuris formas eſſe putet. nam lex, mos, & æquitas iuris ſunt partes, non autem formæ: quemadmodum ſupra Cicero docuit, cũ definitionum alias per partitionem, alias per diuiſionem fieri diceret: & definitionis eius quæ per partitionem fit, exemplum tradens, has iuris ciuilis partes numerauerit. Sed fortaſſe quiſpiam obiecerit, totum de ſuis partibus non dicitur, ut fundamentum non eſt domus, pes non eſt animal: ius uero ciuile de lege, more, & æquitate dicitur: quocirca lex, mos, & æquitas iuris partes non eſſe uidentur. Cui ſic ſatiſfactũ uolumus: Quemadmodum pars carnis caro eſt, pars ligni lignum: non tamen pars carnis ea caro eſt cuius eſt pars, neque pars ligni id lignum cuius eſt pars: ita licet ius ciuile de lege, more, & æquitate dicatur, ſitq; lex ius ciuile, mos ius ciuile, æquitas ius ciuile: non tamen lex, aut mos, aut æquitas id ius ciuile eſt, cuius pars uocatur: id eſt, ius ciuile integrum non eſt, neque tota iuris ciuilis ſubſtantia, uel definitio de lege, more, & æquitate dicitur.*

Quare neque ius ciuile genus erit, ſed totum: neque lex, mos, æquitas, formæ, ſed partes. Nam generis integra definitio in unaquaque ſpecie eſt, omniſq; ſpecies perfectam generis ſui definitionem ſubit. Quapropter exemplum ſuperius uitij dicendi cauſa, quod in diuiſione committitur, quando uel non omnes ſpecies recenſentur, uel partes pro formis accipiũtur. FORMAS *qui putat idem eſſe quod partes, confundit artem.]* Quantum *inter genus & totum diſcriminis eſt, tantum inter formas & partes intereſt. itaque genus infirmam ſuæ ſpeciei probationem habet: totum fortiſſimam partis habet probationem. Contra genus ad refellendam ſpeciem plurimum ualet, totum ad partis refutationem parum ualet: ita ſpecies ad genus probandum firma eſt, ad totum probandum pars non eſt firma.*

forma. Species è contrario genus non refellit, pars totum refellit. Denique forma nomen generis habet, pars totius non ſortitur nomen. E T ſimilitudine quadam perturbatus.] Quia ſicut totum partes ſuas continet, ita genus ſuas cõprehendit formas. ideo plerique nomen generis & totius, item partis & formæ confundunt. N O N ſatis acute quæ ſunt ſecernenda diſtinguit.] Pars & forma ſic diſtingui debent, ut genus & ſpecies diſtinguntur. Omnis enim forma pars eſt: at non omnis pars forma. Quòd autem forma ſit pars, ipſemet Cicero lib. 1. de Oratore luculentiſſime teſtatur: quo loco genus & ſpeciem definit. Inquit enim illic, Genus notionem eſſe, quæ ſui ſimiles communione quadam, ſpecie uero differentes, duas aut plures partes complectitur. Partes pro formis haud dubie poſuit, qui paulo poſt ſubiecit: Species eſt pars generis. unde liquet, quod diximus omnem formam partem eſſe, ſed non contra. poteſt enim pars eſſe quæ forma non eſt, ut caput, manus, uel pes animalis pars eſt: nemo tamen animalis formam eſſe dixerit. Duplex igitur partis eſt ratio. una generis, altera totius eſt: illa ſpecies, hæc membrum appellatur. S A E P E etiam definiunt & oratores et poetæ per translationes.] Quid Cicero? paulo ante dixeras alia eſſe genera definitionum, ſed ad huius libri inſtitutum illa nihil pertinere. Inter ea genera definitionem illam, quæ per metaphoram fit, mihi comprehendiſſe uideris, quippe cuius ante non meminiſſes, cum genera definitionum feciſti. Quare ergo definitionis præcepta iam trãſgreſſus, metaphoricæ definitionis meminiſti? quæ, quemadmodũ uis, ad huius libri inſtitutum non pertinet. At reſpondebis, ad dialecticum non pertinere, neque profeſſionis eſſe dialecticæ trandationibus uti: ad oratores tantum & poetas pertinere, qui ſæpe numero cum quadam ſuauitate per translationes uerbi, ex ſimilitudine definiunt: ut ſi quis adoleſcentiam florem ætatis appellet, metaphorice definit. nam florem ab arboribus ad hominis transfert ætatem, quemadmodum & Vergilius in Bucolicis uerbum Florere cœpit, cum ait:

Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo.

Item is qui ſenectutem occaſum uitæ dicit, metaphorica definitione utitur, occaſum à ſole in quo proprium eſt, ad ſenectutem in qua proprium non eſt transferens. Transfertur autem nomen aut uerbum (ut Quintilianus ait) ex eo loco in quo proprium eſt, in eum in quo aut proprium deeſt, aut translatũ proprio melius eſt. idq; uel neceſſitatis, aut ſignificationis, uel ornatus gratia facimus. Neceſſitatis, ut cum gemmare uites, ſitire ſegetes dicimus. iis enim rebus ſignificandis propria uerba deſunt. quare translatis uti cogimur. Significationis, ut ſi quem incenſum ira, inflammatum cupiditate, & lapſum errore dicas. nam hæc ſunt ſignificantiora, quàm ſi iratum, uel cupidum, uel falſum uoces. nihil enim horum ſuis uerbis quàm illis accerſitis magis ſignificans eſt. Ornatus denique gratia, ut ſunt hæc, lumen rationis, generis claritas, concionũ procellæ, eloquentiæ flumina, fons uel ſeges gloriæ. E X ſimilitudine.] Metaphora ſimilitudini uicina eſt. Proinde Rodolphus Agricola iubet ea omnia intueri dicentem, quæ de re qui ſimilitudinẽ quærit per tranſlationem efferuntur. Dabit nanque ſimilitudine nobis ſine cunctatione id, in quo translata illa propria ſunt uel natiua: ut quia metaphoricũ ignem ardere dicimus, ab ea re in qua Ardere uerbum proprium eſt, ſimilitudinem ducemus: ſi ignem laudare uelimus, id eſt ab igne, in quo eſt uerus ardor: ut quemadmodũ rebus ignis immiſſus, calorem ipſis uitæq; præbet uigorem: ſic amor nobis induſtriam ſtrenueq; agendi ſtimulos ſubiicit. Quid inter metaphoram & ſimilitudinem conueniat, oſtendimus: quid modo interſit, breuiter doceamus. Inquit itaque Quintilianus libro octauo: In totum metaphora breuior eſt quàm ſimilitudo, eoq; diſtat, quòd illa comparatur rei quam uolumus exprimere, hæc pro ipſa re dicitur. Comparatio eſt, cum dico feciſſe quid hominem, ut leonem. Trandatio eſt, cum dico de homine, leo eſt. C V M quadam ſuauitate.] Metaphora, teſte Quintiliano, cum ita eſt ab ipſa nobis conceſſa natura, ut indocti quoque ac non ſentientes ea frequenter utantur, tum ita iucunda atque nitida, ut in oratione quamlibet clara, proprio tamen lumine eluceat. neque enim uulgaris eſſe, nec humilis, nec inſuauis, recte modo aſcita ſit, poteſt. copiam quoque ſermonis auget permutando, aut mutuando quæ nõ habet: quodq; difficillimum eſt, præſtat, ut ulli rei deeſſe nomen uideatur. C V M de littoribus.) Littus eſt, auctore Celſo iureconſ. de Verborũ & rerum ſignificationibus quouſque maximus fluctus hybernus à mari peruenit: idq; Marcum Tulliũ aiunt cum arbiter eſſet, primum conſtituiſſe. Littus autem & ripa ſic diſtant, ſecundum Grammaticos, quod littus ſit maris, ripa fluuij. Q V A E omnia publica eſſe uultis.] Littus ſecundum Modeſtinum, eatenus publicum eſt, quatenus maxime fluctus exæſtuat & effluit. T R A N S L A T I O N E enim utens.] Dixi paulo ante, metaphoras ad definitiones dialecticas non pertinere: nunc quare non pertineant, dicendũ eſt. Conuenit autem inter omnes, definitionem dialecticam uerbis proprijs debere confici. at nullum uerbum propriũ trandatum eſt. uerbum enim proprium, ſuam & natiuam cuiuſque rei appellationem cum Quintiliano uoco. Quod autem tranſlatum eſt, id à ſua & propria ſignificatione, ad alienam & nõ propriam tum uirtute mutatum eſt. Inſuper, ut auctor eſt Ariſtoteles capite ſecundo ſexti Topicorum, Omne obſcurum eſt, quod ſecundum metaphoram dicitur. Contingit etiam metaphorice dicentem, tanquam non proprie dicentem calumniari: ut ſi quis definiat ſcientiam, opinionem indeciduam: uel ſi quis terram, nutricem definiendo uocet. nam indeciduum à folijs lauri uel buxi traducitur, quæ decidua non ſunt: ſic nutrix à matre, quæ ubera liberis admouet, transfertur. Si ergo metaphora, teſte Ariſtotele, obſcuram orationem reddit, & oporteat definitionem eſſe perſpicuam, proprijsq; uerbis & uſitatis fieri, non erit dialectico per metaphoram definiendum: permittetur tamen oratoribus & poetis, qui non tam curioſe, ſollicite, ſcrupuloſe, uel anxie uerum inquirunt, quàm dialectici, ſed ſuam orationem ad uoluptatem aurium & delectationem componunt, & accommodant. Sed illud addam, Ciceronem non de dialecticis, ſed de iuriſconſultis intellexiſſe, cum dixit: Translatione utens diſcedebat à uerbis proprijs rerum, & ſuis, uidelicet Aquilius: quem oportebat eſſe obſeruantiſſimum proprietatis, utpote qui iuriſconſultus eſſet. nam iuriſconſulti proprie loqui debent, ut ait Quintilianus lib. 12. ubi dicit quæſtionem iuris, uerborũ proprietate contineri. idem Gellius 12. ſentit, de Labeone Antiſtio loquens. idem, ut Cicero alibi, qui proprietatem iuriſconſultorum propriam eſſe affirmat. P A R T I T I O N E autem ſic utendum eſt.] Expoſito definitionis loco, qui primus eſt, ad partium enumerationem, qui ſecundus eſt locus, pergamus. Inquit itaque Cicero, aliquando uitioſum eſſe, in partitione nonnullas partes omittere, aliquando non eſſe uitioſum. Vitioſum eſt, ſi certæ & definitæ numero ſint. Nam ſi non ſint multæ, tum omnes ſunt enumerandæ: ut ſi tutelas partiaris, omnes tutelæ partes tibi recenſendæ ſunt paucæ. ſunt enim duæ tantum tutelæ partes, una teſtamentaria, altera legitima. Teſtamentaria eſt, quando pater liberis ſuis tutorem teſtamento conſtituit: quòd ſi pater inteſtatus, quantum ad tutelam pertinet, deceſſerit, lege duodecim tabularum tutor inſtituitur, & tum legitima eſt tutela. At ſi formulas ſtipulationum diſtribuas, non uitioſum fuerit partem aliquam prætermittere, quia tam multæ ſunt, ut numerari non poſſint. Eſt autem ſtipulatio, uerborum conceptio, quibus is qui interrogatur daturum facturumq; ſe id quod interrogatus eſt, reſpondet. Stipulari enim nihil aliud eſt, quàm interrogare aliquem, ſi uelis dare: ſi hic

reſpondeat ſe daturũ, eſt ſtipulatio. Quod autem iudiciorum formulas infinitas eſſe Cicero dicat, ſibi ipſi pugnare uidetur: quippe qui multis in locis, duas tantum iudicij partes eſſe dicat, priuatum, & publicum. Sed nunc Ciceronem de indiuiduis et ſingularibus iudicijs, quæ infinita ſunt, intellexiſſe credo. In diuiſione autem uitioſum ſemper eſt, ſpeciem aliquam præterire, quia definitæ ſpecies & certo numero comprehenſæ formæ cuiuſque generis ſunt. Ita quotieſcunque diuidis, inſcienter facis, ſi quam formam diuiſi generis omittas: ut ſi quæſtionem oratoriam diuidendã ſumpſeris, quot eius formæ ſint, abſolute ſubiungere debes. Sunt autem tres ſolum, An ſit, Quid ſit, Quale ſit: ut, An Roſcius parricidium commiſerit, quid ſit tumultus, an Milo Clodium occiderit. prima coniectura, ſecunda definitione, tertia iuris & iniuriæ diſtinctione explicatur. A T cũ *de ornamentis uerborum ſententiarumq́; præcipitur, quæ uocantur σχήματα.*] Σχῆμα *Græce latine figura dicitur. Eſt autem figura (teſte Fabio) conformatio quædam orationis, remota à communi & primũ ſeſe offerente ratione, Cuius duæ ſunt ſpecies, una τῆς διανοίας, & altera τῆς λέξεως, id eſt, ſententiarũ & uerborum.* διανοίας, *ut eſt hæc ἀποστροφὴ apud Ciceronem pro Ligario: Quid tuus ille Tubero in acie Pharſalica gladius agebat?* λέξεως, *ut eſt epanodos prima oratione inuectiua in Catilinam: Nihil'ne te nocturnum præſidium palatij? nihil urbis uigiliæ? nihil timor populi? nihil conſenſus bonorum omnium? nihil hic munitiſſimus habendi ſenatus locus? horum nihil ora uultuſq; mouerunt?* R E S *enim eſt infinitior.*] *Quid Cicero? ſunt'ne infinitæ figurarum partes? Sanè Quintil. ait non eſſe plurimas, nec tam multas, quàm ſint à quibuſdã conſtituta. quare ne infinitæ quidẽ erunt. ſed, ut oſtendimus, omnes ſub duobus certis generibus continentur, id eſt, ſub ſententiarum & uerborum figuris: quæ cum tantum duæ ſint, nec profecto figurarum partes, ſed potius ſpecies, quia figura de illis dicitur, duplici nomine prima fronte falli uideris: primũ, quòd infinitas eſſe figuras dixeris: deinde quòd partes appelles, quæ reuera ſpecies ſunt. Sed dices forſan, te non de figurarum partibus uel formis loqui, ſed de partibus elocutionis, quæ ſunt infinita: cuius ſanè elocutionis figura pars eſt, non ſpecies. Quod autem infinitæ ſunt partes elocutionis, Quintilianus aperte docet, qui ſic inquit: Quidquid loquimur, ſi cum ueterum ſermone comparetur, figura eſt. nam in eo qui dicit eſt ſitum, tot figurarum formulas facere, quot uelit: totq́; modis orationem uariare, quot ſunt genera rerum.* V T *ex hoc quoque intelligatur, quod uelimus inter partitionem & diuiſionem intereſſe.*] *Præter diſcrimen quod Cicero ſuperius inter partitionem & diuiſionem fecit, hoc quoque differẽtia rurſus addit, quòd in partitione non ſemper uitioſum ſit partem aliquam omittere, ſi partes infinitæ ſint. at in diuiſione ſemper uitioſum eſt, formam ullam ſilentio præterire, quia certæ cuiuſque generis ſunt ſpecies.* M V L T A *enim ex notatione ſumũtur.*] *Notatio poſtremus eſt locus, eorum qui ad ipſum totum de quo quæritur, adhibentur: quem Rodolphus à toto ſeparauit, & inter accidentia repoſuit, aliam uiam ſecutus. Nam notatio quatenus rei nomen eſt, dubium non eſt quin ſit accidens, & non ſubſtantia. Cum, ut inquit Ariſtot. res eadem ſunt apud omnes, nomina uero diuerſa. Vt autem notatio pro nominis interpretatione ſumitur, ſubſtantia eſt: non dico rei cuius eſt nota, ſed uocabuli cuius eſt interpretatio. Nemo enim negarit naturam eſſe & ſubſtantiã huius nominis abſtemius, ut ſit quaſi temeto abſtinens, quam Græci* ἐτυμολογίαν *uocant. Notatio uerbi Græce etymologia dicitur, quod nomen ſi uelimus ad uerbum transferre, uériloquium interpretabimur. nam* ἔτυμος *græce, latine uerus, &* λόγος, *id eſt ſermo: uel, ſi mauis, oratio uel locutio dicitur. Itaque ſicut* ἐτυμολογία *ab his uocibus* ἔτυμος *&* λόγος *iunctum nomen eſt apud Græcos, ſic apud nos ueriloquium, à uera locutione coniungitur.* N O S *autem nouitatem uerbi, &c.*] *Aulus Gellius capite ſeptimo libri ſecundi, de uerbis nouis & antiquis ita ſcribit: Verbis uti aut obſoletis exculcatiſq́;, aut inſolentibus, nouitatiſq́; duræ & illepidæ, par eſſe delictum creditur: ſed moleſtius equidem culpatiuſq́; eſſe arbitror, noua, inaudita, & incognita uerba dicere, quàm uulgata & ſordentia. Hactenus ille.* N O N *ſatis.*] *Horatius in Arte nos admonet, ne Græcas dictiones ad uerbum ſemper transferamus, cum dicit:*

Nec uerbum uerbo curabit reddere fidus
Interpres.

Inſuper Gellius cap. 6. libri undecimi, dicit pleraſque uoces Græcas eſſe, quas ad uerbũ ſi uelimus traducere, neceſſe eſt aut barbariſmum cõmittamus, aut in ſolœciſmum incurramus, aut certe duris, aſperis, inſolentibus, & inuſitatis uocibus utamur: ut ſi polyphiliam, polyſarciam, polytropiam, polypragmoſinin transferamus: quarum primam multorum amicitiam circunlocutione utentes inuertimus, ſecundam corpolentiam interpretamur, tertiam multiplices uarioſq́; mores traducimus, ultimam uero curioſitatem uel negotioſitatem parum latino ſermone eloquimur. Quas interpretationes ut aſperas, aures delicatæ fugiunt. Itaque neceſſe eſt quatuor rebus nitatur ſermo, ſi dignus eſt ut recipiatur: ratione, uetuſtate, auctoritate, & conſuetudine: quemadmodum Quintil. cap. 10. libro 1. docet: Rationem præſtat analogia, & nonnunquam etymologia: uetera, maieſtas quædam, &, ut ſic dixerim, religio commendat. Auctoritas ab oratoribus, hiſtoricis, & poeticis petenda eſt. Denique conſuetudo certiſſima dicendi magiſtra eſt. Eſtq́; utendum ſermone, quemadmodum nummo, cui publica forma ineſt: noua tamen non ſemper fugienda ſunt. nam quæ primo dura ſunt, uſu & ætate mollientur. Ea uero ſunt quàm optima, quæ ueterum nouiſſima, uel nouorum uetuſtiſſima ſunt. G E N V S *hoc notionem appellamus.*] *Verba idcirco rerũ notæ & ſigna dicuntur, quòd rem notam faciant, & ſignificent. Itaque idem Ariſt. cap. 1. Perihermenias, ubi de ſignis loquitur, inquit, uoces eſſe earum rerum quas animo concepimus notas, necnon literas uocum indices eſſe.* P O S T L I M I N I V M *quid ſit.*] *Poſtliminium ius eſt amiſſæ rei recuperandæ ab extraneo, & in ſtatum priſtinum reſtituendæ. Nam ueteres poſtliminium uocarunt, quando aliquid hoſtes interceperant, & illud redijt poſtea ad priſtinos dominos: ut ſi ſeruus captus effugeret, & rediret domum. huius dictionis duplex eſt* ἐτυμολογία, *unam Seruius, alteram Scæuola facit. Inquit autem Seruius iuriſconſultus, totam uim à præpoſitione Poſt pendere dicitur. nam quia præpoſitio Poſt, retro ſignificat, ideo eum poſtliminio rediſſe putabat Seruius: qui eo regreſſus eſt, unde exierat. Liminium uero in nomine poſtliminium, tantum productionem nominis eſſe, nihilq́; ſignificare: ut in meditullio nihil niſi medium ſignificat, tullium uero adiectitium eſt, neque quidquam deſignat: ſic in finitimo, legitimo, æditimo, uoces hæ, fines, lex, ædes ſignificant, timus autem nihil ſignificat. & hæc eſt Seruij interpretatio. Scæuola uero ſecus, quippe qui nomen poſtliminium à Limine & præpoſitione Poſt, compoſitum eſſe dicat, hoc ſenſu, ut cum res aliqua à nobis alienata eſt, & à ſuo limine exijt, atque ad hoſtem peruenit, cum eadem res redijt unde abijt, poſtliminio rediſſe dicitur, quaſi poſt ad idẽ limen à quo alienata fuerat, reuertitur.* Q V O *in genere etiam Mancini cauſa defendi poteſt.*] *Caius Mãcinus cum Numantinis, aduerſum quos imperator à populo Romano creatus fuerat, fœdus inijt iniuſſu populo Rom. & ſine auctoritate ſenatus. propterea non probatis conditionibus fœderis, quæ inconſulto ſenatu factæ fuerant, Numantinis à populo Romano deditus eſt: illi Mancinum non receperunt, non receptus ad ſuos Romam redijt. quæritur, an poſtliminio redierit?*

Primo

Primo deditus non eſt (non enim Numantini cum receperunt) quare ius ciuitatis Romanæ non amiſit: quod ſi non amiſerit, poſtlimino rediſſe, cum ad ſuos redierit, dicitur. SEQVITVR locus qui conſtat ex iis rebus, quæ quodammodo affectæ ſunt ad id de quo quæritur.] Quatuor fecimus probationis artificialis ſpecies, finitionem, partes, notam, res affectas. De tribus primis abunde dictum eſt. Reliquum eſt, ut res affectas tractemus, quas ante finiuimus, hoc modo: quæ proxime totum deductæ ſunt & progreſſæ, quippe quæ fines totius propè contingant. qui locus in tredecim partes eſt diſtributus, ut in coniugata, genus, ſpeciem, ſimilitudinem, differentiam, contrarium, adiuncta, antecedentia, conſequentia, repugnantia, cauſas, effecta, comparationem maiorum, minorum, & parium: de quibus omnibus ordine dicetur. CVIVS primus eſt locus.] Si quis rerum affectarũ locus, ad totius ſubſtantiam proxime accedat, ille ſanè eſt quem à coniugatis dicunt. Cum enim coniugata ab eodem orta ſint, uarie tamen commutentur, id eſt ſolo nomine differant: manifeſtum eſt, eorum utrũque in alterius ſubſtantia eſſe. ut ſapiens et ſapientia coniugata ſunt, ſapientia in ſapientis, & ſapiens in ſapiẽtiæ finitione ponitur: neutrum enim ſine altero eſſe poteſt. ſapiẽs enim eſt, qui ſapientiam habet, nec in ullo ſapientia, niſi in ſapiente reperitur. Bene igitur Cicero coniugata tractat ſtatim poſt eos locos qui in ſubſtantia ſunt. FINITIMVS notationi.] Coniugata non multum à notatione uocabuli differunt. nam utraque in nomine poſita ſunt, & à nomine trahuntur: ut timor multus, à nomine tumultus trahitur: & ſapiens, à nomine ſapientia deriuatur. Inter coniugata tamen & notationem hoc intereſt, quòd notatio ex ui nominis elicitur, coniugatio uero non ex uirtute nominis trahitur, ſed ex ſimilitudine petitur: ut uis huius nominis auarus, non'ne eſt auidus æris? uel potius qui amet, id eſt cupit? At ſapiens cum ſapientia nominis ſimilitudinem habet, quippe quæ uerba ſunt eiuſdem generis, id eſt eiuſdem originis & principij, quia ab eodem fonte deriuantur. uel aliter, quod tamen perinde eſt: Differunt coniugatum & notatio, quia notatio fit nominis interpretatione: ut ſeuerus dictus eſt qui uerum ſequitur, ſecurus qui ſine cura, ſecors qui ſine corde, ſegnis qui ſine niſu, uel ſeorſum ab igni (nam ignis uiuaciſſimus eſt) item mens quia eminet in capite, capillus quaſi capitis pilus, & ſexcenta alia, quæ à Varrone petere potes, in quibus ipſe & luſit, & luſus eſt. Coniugatio autem, deriuatione uocum conſtat: ut pauper paupertas, miſer miſeria, dolor dolere. A` coniugatis hæc argumentã ſunt, ex ſecundo libro de Finibus bonorum & malorum apud Ciceronem: Si paupertas malum eſt, mendicus non malus eſſe non poteſt. Si dolere malum, in cruce qui angitur beatus eſſe nequit, quia malus eſt. VT ſi aquam pluuiam.] Aqua pluuia dicitur, quæ pluendo colligitur: uel (ut paulo poſt Cicero definiet) quæ de cœlo ueniens creſcit imbri. pluuia autem & pluendo coniugata ſunt, Ergo ſi quis quærat, an fluuius qui pluendo creuerit, poſſit arceri, id eſt prohiberi, ne in uicini agrum defluat eius frugibus nociturus, fas eſſe arceri à coniugatis probabitur, hoc modo: Licet aquam pluuiam, id eſt, quæ pluendo creuit, arcere: ergo licet fluuium arcere qui pluendo creuit. fluuius enim qui pluendo creuit, aqua pluuia eſt: igitur arcere licet. CVM autem à genere ducetur argumentum.] Quid ſit genus, ſæpius diximus, nempe quod multas habet ſpecies. Si quid autem à genere probare uelis, non erit neceſſe id uſque à capite arceſſere, id eſt, primarium genus ſemper inquirere. Nam modo ſit ſupra id de quo quæritur, eo generalius ſit, ſatis eſt. fas eſt enim aliquando citra caput eſſe, id eſt, infra genus extremum, tamen ſupra rem de qua eſt quæſtio ſemper eſſe neceſſe eſt: ut ſi probare uelis hominem eſſe mortalem, non eſt neceſſe ut dicas, Omnis ſubſtantia præter deum & diuinam mortalis eſt: ergo mortalis eſt homo. ſed eſt ſatis, ſi dicas: Omne animal mortale eſt (nam Platonicorum ſomnia religio Chriſtiana non admittit) igitur omnis homo mortalis eſt. Subſtantia caput eſt, animal eſt citra caput, & ſupra id de quo quæritur, id eſt, animal eſt infra ſubſtantiam, quod ſummum eſt genus: & eſt ſupra hominem, quæ ſpecies eſt. Ex Ciceronis uerbis liquet, duplex eſſe genus, id quod & dialectici uolunt: unum ſupremum, quod ſemper genus eſt, nunquam ſpecies: cum nullum maius eo ſit, nullisq; ſubijciatur, ſed omnia illi in ſuo ordine ſuppoſita ſint, ut eſt ſubſtantia: alterum intermedium, quod citra ſummum eſt, id eſt, infra poſtremum genus: ſed ſupra ſpeciem infimam reponitur, idq; genus eſt & ſpecies: genus quidem, ſi conferatur iis, ſupra quæ ſitum eſt: ſpecies uero, ſi ad id referatur infra quod eſt, & citra quod iacet, ut animal. ſpeciem uero infimam uoco, quæ ſemper ſpecies eſt, genus nequaquam. VT aqua pluuia.] Aqua pluuia genus eſt ſummum, ſi Ciceroni credimus: cuius duæ ſunt ſpecies intermediæ, aqua pluuia nocens, & aqua pluuia non nocens. Aquæ pluuiæ non nocentis duæ ſunt formæ infimæ, quarum altera uitio loci, altera uero manu nocens dicitur. Ea nocens eſt uitio loci, quæ ita loco aliquo excipitur, ut inde ſuapte natura profluens uicino noceat, Manu uero nocet, ſi locus natura ſua talis non eſt, ut ab eo in alterius agri frugibus eius nocitura defluat, ſed manu hominis & opera ſic diſponatur ager, ut aqua inde profluens uicino noceat. Si manu hominis noceat, ius eſt arcere: ſi noceat loci uitio, ius non eſt. VLTIMO genere.] Mirum uideri poteſt, quare Cicero aquam pluuiam ultimum genus uocet, cum decem ſint ultima genera, ſubſtantia, quantitas, relatio, qualitas, actio, paſſio, ubi, quando, ſitus, & habitus: quorum aqua pluuia nullum eſt. ſed ſoluitur: Vltimũ genus remotum uocat, & quod proximum non eſt, aut quod nullum ſit ultra aquam pluuiam genus, quod aquæ pluuiæ nomen retineat. IMBRI.] Ariſtoteles in libello de Mundo ſic inquit: Imber fit expreſſione nubis magnopere addenſatæ, tot habens differentias, quotuplex eſt nobis compreſſio: quippe quæ remiſſa ſi fuerit, molles ſtyrias diſſerget: ſin uehemens, pleniores. hocq; pluuiam appellamus, imbris contortæ ſtillicidia, cum maiuſcula ipſa, tum uero iugi tenore caſitancia. COMMODE etiam tractatur.] Si dubium ſit, antea de re de qua quæritur genus aliquod affirmetur, genus ipſum in ſuas formas diducendum eſt. deinde uidendum an in aliquam formarum res ea de qua quæſtio eſt, includatur: quòd ſi includitur, neceſſe eſt ut de ea genus affirmetur. qui locus eſt apud Ariſtotelem quarto Topicorum. Nam, ut illic Ariſtoteles ait, Cuicunque ſpecies aliqua generi conuenit, eidem neceſſario genus conueniet: ut ſi homo ſpecies animalis, Socrati conueniat, & de eo affirmetur, oportet ut animal genus de Socrate proferatur. CVM ex toto perſequare partes.]. Vides quemadmodum Cicero genus totum uocat, formas uero partes. id quod tamen ante reprehendit, cum diceret: Formas qui putat idem eſſe quod partes, confundit artem. Sed hoc iam dilutum eſt, quia partes ſunt duplices: generis inquam, & totius. Generis partes ſunt, formæ: partes, totius membra ſunt. SI dolus malus.] Dolum malum Seruius ita definit, machinationem quandam alterius decipiendi, cum aliud agitur, aliud ſimulatur. Hæc autem doli mali definitio Aquiliana eſt, ut Cicero tertio Officiorum docet, ubi ait: Nondum Aquilius collega & familiaris meus protulerat de dolo malo formulas, in quibus ipſis cum ex eo quærebatur quid eſſet dolus malus, reſpondebat, cum aliud eſſet ſimulatum, aliud actum. item paulo poſt: Dolus autem malus ſimulatione & diſſimulatione, ut ait Aquilius, continetur. Simulamus ea quæ non ſunt eſſe, diſſimulamus ea quæ ſunt non eſſe. Dolus à uerbo Græco δόλος, id

eſt fallo, à quo uerbo dolo dolonis deductum eſt. Eſt autem dolo flagellum, intra cuius uirgam pugio latet: quod cum ſpeciem ligni præ ſe ferat, ferro tamen decipit. ENVMERARE licet.] Si cum à genere argumentū generis partes perſequamur, & eas enumeremus, quid inter partium enumerationem & argumentum à genere interſit, uideamus. Hoc ſanè intereſt, quòd illæ partes omnes recenſeantur, ut totum probetur: uel remoueātur omnes, ut perimatur: uel denique omnes exponantur, & earum plurimis infirmatis, una reliqua neceſſario confirmetur. At cum dicimus perſequendas eſſe partes cum à genere argumentamur, hoc ſtatim intelligendum eſt, cum formas generis expoſueris, & earum una aliqua de re de qua quæritur, affirmatur, de eadem genus neceſſe eſt: ut ſi equus de bucephalo Alexandri equo uere profertur, oportet de eadē proferatur equi genus, quod eſt animal. QVOD genus argumenti.] Regula eſt quædam apud Ariſtotelem in Categorijs uulgatiſſima, quæ eſt huiuſmodi: Quando alterum de altero prædicatur quæcunque de prædicato proferuntur, eadem de ſubiecto proferri neceſſe eſt: ut cū de indiuiduo proferatur ſpecies, de ſpecie uero genus, de indiuiduo quoque proferri genus oportet. Nam ſi Socrates homo eſt, & homo animal, Socrates animal eſt. hæc regula græce σωρίτης appellatur, id eſt coacervatio. Cicero locum à ſpecie præteriſſe uidetur, quippe qui ſtatim ut locum à genere tractauit, ad ſimilitudinem tranſierit, nec ullum de ſpecie præceptum reliquerit. Verum ſic diluimus, quia genus & ſpecies relata ſunt, quicunque generis meminit, eundem ſpeciei meminiſſe neceſſum eſt. Inſuper ſub argumento generis argumentū ſpeciei incluſum eſt, ſicut ſub ſpeciei probatione generis probatio latet. Nam quemadmodum qui genus uniuerſum affirmat, ſpeciem ſimul affirmat: qui genus perimit, ſpeciem quoque perimit: ita qui ſpeciem probat, probat & genus: quiq; ſpeciem uniuerſam tollit, genus tollit. Eſt igitur generis & ſpeciei locus coniunctus, & idem argumentum à genere & ſpecie haud duble ducitur: ut ſi omnes qui Reipublicæ conſulunt, chari nobis eſſe debent, certe imprimis imperatores nobis eſſe debent, quorum conſilijs, uirtute, periculis, retinemus & noſtram ſalutem, & imperij dignitatem. Hoc, inquam, argumentum Cicero 2. de Orat. à ſpecie eſſe dicit. at etiam à genere eſt. nam eſt huic ſimile quod idem Cicero à genere facit ibidem: ut ſi magiſtratus in populi Romani poteſtate eſſe debent, quid Norbanum accuſas, cuius tribunatus uoluntati paruit ciuitatis? Quod autem inter utrunque argumentum ſimilitudo ſit, & ab eodem loco utrunque definiatur, hinc liquet, quòd in utroque à genere ad ſpeciem deſcendamus. nam in illo ab omnibus qui Reipublicæ conſulunt ad imperatores, in hoc à magiſtratu ad tribunatum deſcenditur. SIMILITVDO ſequitur.] Quid ſit ſimilitudo, ſuperius definiuimus: necnon quot genera ſint, & quis uſus ſimilitudinis, dicamus. Nulli ſanè locorum, ut Agricola ſcribit, contra renitentem auditorem minus eſt uirium, quàm ſimilitudini. Ad eum uero qui ſeſe docendum præbeat, & ſponte ſequatur, accommodatior nullus eſt. Nam ſimilitudo rem aperit, & quandā eius imaginem animo ſubijcit, ut ſi neceſſitatem diſſentiendi non adferat, adferat tamen tacitum definiendi pudorem. Quare ad probandum non ita crebro, ad explanandum & illuſtrandum ſæpius adhibetur. interim tamen probationis ſpeciem habet, quippe quæ qualis ſit res oſtendat. SED oratoribus & philoſophis magis, quàm nobis.] Oratores apud uulgus imperitum ſæpenumero dicunt: imperiti autem & hebetes animi, in res ipſas penetrare nequeunt. quare ut proſpicere poſſint, quale quidque ſit, non alia re aptius quàm imagine & figura notiorum aliarum rerum in id quod oſtendere uolumus ducuntur. Porrò philoſophi ſæpe docent & explanant, ad docendum autem accommodatiſſima eſt ſimilitudo. non enim facilius quiſquam credit, quàm quod iam uidetur in alio probaſſe. At iuriſconſulti probent, & rationibus uincant oportet. Ad probandum uero & uincendum (ſicut diximus) ſimilitudo parum roboris habet. ETSI enim omnes loci ſunt omnium diſputationū.] Hinc Boetij manifeſtiſſimus error euadit, qui libro quarto differentiarum Topicarum, locos alios oratorum, alios dialecticorum facit: ſic ut dialectici ſuos, oratores quoque ſuos habeant. Qua in re hominem non erroris modo, ſed & inconſtantiæ & leuitatis arguo, ut qui ſecum pugnet, ſuoq; ſeſe gladio iugulet, cum hunc locum interpretetur, dicens: Omnes loci cōmunes ſunt cuiuſque materiæ. Certe Rodolphus Agricola cap. 18. lib. 2. rationibus quàm plurimis eoſdem eſſe locos oratorios & dialecticos probat, & reuera multos oratorios eſſe, ſed dialecticos omnes, rhetoraſq; à dialecticis eos mutuari, cum inuentio propria ſit dialectices. Cicero tamen paulo poſt adiuncta, antecedentia, conſequentia, & repugnantia ſic ſeparat, ut adiuncta ſint oratorum, antecedentia uero, conſequentia, repugnantia, dialecticorum. Sed quo modo hic nodus ſolui debeat, oſtendemus, cum ad eos locos uenerimus. Interim ita diluiſſe ſufficiat. Addit hoc in loco Cicero, locos alijs diſputationibus abundantius occurrere, alijs anguſtius. Nam cum adiuncta oratorum & philoſophorum, item antecedentia, conſequentia, & repugnantia communia ſunt, illi tamen ſæpius oratores, & his dialectici frequentius utuntur. ITAQVE genera tibi nota ſint.] Cicero in fine fermè huius opuſculi, poſtquam locos omnes argumentorum expoſuit, inquit: Illud primum intelligendum eſt, nullam eſſe diſputationem, in quam non aliquis locus incurrat, ne: ferè omnes locos incidere in omnem quæſtionem, & quibuſdam quæſtionibus alios, quibuſdam eſſe alios aptiores locos. Rurſus paulo poſt ait: Loci qui ad quaſque quæſtiones accommodati ſunt, deinceps eſt uidendum. Omnes quidem illi quos ſupra diximus ad pleraſque ſunt, ſed alij ad alias, ut dixi, aptiores: id quod ita docemus. Ad coniecturalem quæſtionem loci ſunt utiles, ab adiunctis, cauſis, & effectis. Ad finitiuam, definitio, partes, etymologia, coniugatum, genus, ſpecies, differens, & aliquando cauſæ, & effecta, necnon antecedentia, conſequentia, & repugnantia. Ad iuridicialem denique, ſimilia, & cōparata, necnon aliquot alij loci, quorum omnium ſuo loco ratio reddetur. SVNT enim ſimilitudines.] Duo genera ſimilitudinis Cicero facit, epagogen, id eſt inductionem: & parabolam, id eſt collationem, ſub qua exemplum reperimus. Prius genus eſt ſimilitudinis, quæ ex pluribus ſimilibus peruenit quo uult. Poſterius collatione ſumitur, cum una res uni, par pari comparatur. utriuſque ſit hoc exemplum: Si in humano corpore membrum aliquod affectum eſt, ut nec de eius ſalute ſperari poſſit, & periculum ſit, ne reliquum corpus contagione ſua totum inficiat, tum id membrum ſine contatione præcidi ſolet. Si idem fieri uidemus in ramis arborum, idem in uitium putatione, quis ſit qui hoc membrum tam peſtilens, hunc, inquam, pernitioſiſſimum non dicam ciuem, ſed hoſtem è Reipublica corpore nolit repelli? credite mihi, quemadmodum una ouis totum gregem, ita unus peſtilens ciuis uniuerſam Rempublicam inficit. Item ut,

Sincerum eſt niſi uas, quodcunque infundis aceſcit:
Ita ſi doctrina in malum uirum inciderit, gratiam perdit.

Eſt autem inductio, cum ex pluribus ſimilibus conceſſis, unum aliquod colligimus. uel ſic: Inductio eſt oratio, quæ rebus non dubijs captat aſſenſionem eius qui cum inſtituta eſt, quibus aſſenſionibus facit, ut illi dubia quædam res propter ſimilitudinem earum rerum quibus aſſenſum eſt, probetur. Ab huius definitione Boetius diſcrepat, diuerſam ſectam ſecutus, cuius eſt finitio: Inductio eſt oratio, per quam fit à particularibus ad uniuerſalia progreſſio. in qua definitione tria maxime

neceſſaria

neceſſaria omittuntur, ut uult Laurentius, appoſitio ſimilium, probatio & interrogatio. Quod autem oporteat ſimilium appoſitionem adeſſe, Cicero nunc teſtis eſt. Inſuper quòd probationem Boetius omiſerit, ſic probatur. Non enim aliquot partes uniuerſum probare poſſunt, nec ſemper uniuerſum probandum eſt, quia à partibus ad partem interimitur, ut Cicero quoque tradit. Denique quod interrogationem præterierit Boetius à Socrate receſſit, qui faciendis inductionibus plura interrogare ſolebat, ut Quintilianus cap. de Exemplis refert, cum ait: Illa epagoge, id eſt inductio, qua plurimum eſt uſus Socrates, hanc uiam habuit, cum plura interrogaſſet, quæ concedere aduerſariũ neceſſe eſſet, nouiſſimè id inferebat de quo quærebatur, cui ſimile aduerſarius conceſſiſſet, qualis eſt hæc: Quod pomum generoſiſſimum eſt? num quod ex pulcherrima arbore collectum? minime: ſed quod ſuauiſſimum. Age uero, quem equum generoſiſſimum putas? num qui ex generoſiſſima equa natus eſt? nequaquam: ſed qui curſu reliquos antecellit. Ergo quem hominem generoſiſſimum eſſe arbitraris? non'ne eum qui uirtute præſtat? non autem qui natalium ſplendore & generis antiquitate tumet. At Boetius exemplo Ciceroniano defendi poteſt, non eſſe neceſſariam interrogationem inductioni. Exemplum uero Ciceronis hoc eſt: Si tutor fidem præſtare debet, ſi ſocius, ſi cui mandaris, ſi qui fiduciam acceperit, debet etiam procurator. In hac inductione nulla eſt interrogatio. Quare non fuit Boetius à Laurentio reprehendendus, quòd in definitione inductionis interrogationem omiſerit, ſine qua fieri poſſe Ciceronis exemplo docuimus. Quòd autem Socrates apud Platonem ferè interrogationibus utitur, id non ea de cauſa facit, quòd omnino aliter inductio fieri non poſſet: ſed quòd eiuſmodi ratio elocutionis maxime ſit apta dialogis. Hactenus de priori genere ſimilitudinis; nunc de poſteriori dicamus, id eſt de exemplo. Eſt autem exemplum, commemoratio rei geſtæ, uel ut geſtæ, utilis ad perſuadendum id quod intenderis: ut Saturninus iure cæſus eſt, ſicut Gracchi. At exemplum non ſemper ad poſterius ſimilitudinis genus pertinet. poteſt enim prioris generis eſſe, puta ſi uni rei probandæ plurium rerum ſimilium exemplis utaris: ut Craſſus uſus eſt in cauſa Marci Curij, ſicut Cicero lib. 1. de Oratore teſtatur. Præterea exemplum non ſemper eſt à ſimili, ſed aliquando à diſſimili: ut, Brutus liberos ſuos occidit proditionem molientes: at Manlius uirtutem filij morte mulctauit. Aliquando à comparatione: ut, Naſica Tiberium Gracchum iure occidit, ergo Cicero Catilinam iure occidit. Aliquando à contrario: ut, Marcellus ornamenta ſua Siculis hoſtibus reſtituit; at Verres ſocijs illis ademit. Cæterum ſicut exemplum non huius tantum loci eſt; ita neque inductionem ſub hoc ſolum locũ cõtineri certum eſt. Nam ad partium enumerationem ſæpenumero refertur, & tum expoſitio ſimiliũ in ea non eſt: quod eſt cõtra Laurentiũ. Inſuper ea eſt ad uniuerſale progreſſio, quod contra eundem quoque eſt: ut, Europa uaſtatur armis; Aſia bello infeſtatur; Africa quoque à ſeipſa deſidet: igitur uniuerſus orbis terrarum ſuo ſe gladio iugulat. aliter: Romulus fratrem ſecum regnantem ferre non potuit, neque Sylla Marium, neque Pompeium Cæſar, neque Auguſtus Antonium: igitur nemo eſt qui æquo animo ſit laturus conſortem imperij. Hanc inductionem Lucanus libro primo Pharſaliæ fecit, ubi ait:

Nulla fides regni ſocijs; omniſq; poteſtas
Impatiens conſortis erit, nec gentibus ullis
Credite. nec longe factorum exempla petantur.
Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.

In quo argumento inductio cum exemplo miſcetur: neque iniuria. nam exemplum Ariſtotele, Cicerone, & Quintiliano teſtibus, inductio rhetorica eſt: attamen iſta Lucani inductio, rhetorica non eſt, ſed potius dialectica. Rhetoricam inductionem Tullius hoc in loco definit, cuius ſenſus eſt: Si à pluribus partibus, uel formis ſimilibus, ad aliam partem uel formam argumenteris, inductio rhetorica eſt: ut, Medæa patriam Colchida reliquit, ut Iaſonem Græcum ſequeretur: & Helena Micenas, ut cum Paride Troiano in Phrygiam iret: licebit igitur Cleopatræ patriam ſuam, id eſt Aegyptum, ſuoſq; ut Ptolemæum relinquere, & Marcum Antonium ſequi. Dialectica uero inductio eſt, quãdo ex pluribus, uel partibus, uel formis, unum quid, uel totum, uel genus uniuerſaliter colligitur: cuius exempla ſuperius plura dedimus. ſit tamen & hoc exemplum. Pompeius habet uirtutem, habet peritiam rei militaris, auctoritatem, fœlicitatem: habet ergo cuncta Pompeius in ſummo duce ſpectanda. SI tutor fidem præſtare debet.] Tutor eſt, qui poteſtatem in eum tuendum habet, qui ſe ſuaq; per ætatem tueri non poteſt. Præſtare fidem eſt, exitum rei in ſe recipere: ut apud Ciceronem ad Vatinium: Si me amas, confice: quamcunque fidem dederis, præſtabo. QVI fiduciã acceperit.] Fiduciam Cicero inter bonæ fidei contractus nominauit. Idem lib. 7. Epiſt. ait ad Trebatium iuriſconſ. Sed quo'nam modo ius ciuile defendes, cum omnia cauſa tua facias, non ciuium? ubi porrò erit illa formula fiduciæ, Inter bonos bene agere oportet? Quis eſt enim qui facit nihil, niſi ſua cauſa? Boetius, inquit, fiduciam accepiſſe dicitur, cuicunque res aliqua ea lege mancipatur, ut mancipanti aliquando remancipet: ueluti ſi quis tempus illud dubium timens, amico potentiori fundũ mancipet: redditur, cum tempus illud dubium præterierit. hæc mãcipatio fiduciaria nominatur, idcirco quòd reſtituendi fides interponitur. Sic intelligendus eſt locus Ciceronis pro Flacco: Pecuniam adoleſcentulo grandi cum fœnore, fiducia tamen accepta, occupaſti: hanc fiduciam commiſſam tibi tenes hodie, ac poſſides. cum in teſtem ſpe recuperandi fundi, primum uenire ad teſtimonium dicendum coegiſti. Pecuniam, inquit Cicero, fœneratitiam à te ſumpſit adoleſcens, ob eamq; fundum tibi fiduciarium dedit. Hoc contractu hodie quidam utuntur, qui uectigalia certa ſumma in fundis & poſſeſſionibus comparãt, quas rentas uocant, quaſi reditus. quod ut conditione meliore faciant, fundos mãcipari ſibi iubent tandiu fruendos, quoad uectigalia & penſiones redimantur. Fiduciariam autem emancipationem, uenditionem uocamus ſub redimendi reddendiq; lege factam. PROCVRATOR.] Inquit Aſconius Pedianus: Qui defendit alterum in iudicio, aut patronus dicitur, ſi eſt orator: aut aduocatus, ſi ius ſuggerit, uel præſentiam ſuam commodat amico: aut procurator, ſi negocium ſuſcipit: aut cognitor, ſi præſentis cauſam nouit, & ſic tuetur ut ſuam. ALTERVM ſimilitudinis genus.] Poſterius genus ſimilitudinis exemplum uocabamus. ſed ſub priore genere tam continetur exemplum, quàm ſub poſteriore, & ab utroque genere exemplum duci poteſt. Verum poſterius genus parabola, id eſt collatione conſtat, cum una res uni, par pari confertur: ut, Quemadmodum terra cultu, ſic animus diſciplinis melior & uberior euadit. QVEMADMODVM ſit in urbe.] Quid ſit fines regi, quid item aquam pluuiam arceri, in cõparationis loco dictum eſt. Inſuper quid ſit aqua pluuia, cum de coniugatis & genere loqueremur, expoſuimus. Itaque ſupereſt, ut quid ſit arbiter hic dicamus. Eſt autem arbiter, qui conſenſu utriuſque litigatoris diſceptator cauſæ priuatim cõſtituitur. CRASSVS in Curiana cauſa.] Inſtituit Craſſus hanc controuerſiam aduerſus Scæuolam. Quidam decedens fecit teſtamentum, ut ſi uxor peperiſſet, filius hæres eſſet: ſi autem interiiſſet priuſquam in ſuam tutelam ueniſſet, id eſt, antequam pubes factus eſſet, ut ei ſuccederet. alius hæres quem ſubſtituiſſet: uxor non fuit grauida, iam amici illius defuncti petunt hæreditatem, & ille ſubſtitutus etiam petit. Craſſus ad ſubſtitutum dicit pertinere à teſtamenti uoluntate, eiq;

probando plurimis uſus eſt exemplis, quibus docuit uoluntatem ſcripti ſpectandam eſſe, non ipſa uerba. Huius controuerſiæ Cicero pro Cecinna meminit, & in libris de Oratore, necnon & in Perfecto oratore, ubi hoc exemplum copioſius tractatur. FICTA etiam exempla ſimilitudinis habent uim.] Eadem ratio eſt eorum quæ ex fabulis poeticis ducuntur, niſi quòd eis minus affirmationis adhibetur. Cuius uſus qualis eſſe deberet, idem optimus auctor ac magiſter eloquentiæ Cicero tradit. nam huius quoque generis eadem in oratione reperietur exemplum: Itaque hoc iudices non ſine cauſa etiam fictis fabulis doctiſſimi homines memoriæ prodiderunt, eum qui patris ulciſcendi cauſa matrem necauiſſet, uariatis hominum ſententijs, non ſolum diuina, ſed etiam ſapientiſſima dea liberatum. Illæ quoque fabulæ, quæ etiam ſi ab Aeſopo originem non acceperunt (nam uidetur earũ primus auctor Heſiodus, nomen tamen Aeſopi maxime celebrantur) ducere animos ſolent, præcipue ruſticorum & imperitorum, qui & ſimplicius quæ ficta ſunt audiũt, & capti uoluptate, facile ijs quibus delectantur, conſentiunt. Siquidem Menenius Agrippa plebem cum patribus in gratiam traditur reduxiſſe, nota illa de membris humanis aduerſus uentrem diſcordantibus fabula. quæ ſic eſt apud Titum Liuium: Tempore quo in homine, non ut nunc, omnia in unum cõſentiebant, ſed ſingulis membris ſuum cuique conſiliũ, ſuus ſermo fuerat, indignitas reliquas partes ſua cura, ſuo labore ac miniſterio uentri omnia quæri: uẽtrem in medio quietũ nihil aliud quàm datis uoluptatibus frui, cõſpiraſſe, ne manus ad os cibũ ferrent, nec os acciperet datũ, nec dentes cõficerent. hac ira dum uentrẽ fame domare uellent, ipſa una membra totumq; corpus ad extremã tabem ueniſſe. inde apparuiſſe uentris quoque haud ſegne miniſteriũ eſſe, nec magis ali quàm alere eum, reddentem in omnes corporis partes, hunc quo uiuimus uigemuſq; diuiſum pariter in uenas maturè, confecto cibo ſanguinem comparando. Hinc quàm inteſtina corporis ſeditio ſimilis eſſet, iræ plebis in patres flexiſſe mentes hominum. Et Horatius ne in poemate quidem humilem uſum huius generis putauit, qui ſic ait:

Quòd ſi me populus Romanus forte roget, cur
Non ut porticibus, ſic iudicijs fruar iiſdem:
Nec ſequar, ac fugiam, quæ diligit ipſe uel odit:
Olim quod uulpes ægroto cauta leoni
Reſpondit, referam, quia me ueſtigia terrent,
Omnia te aduerſum ſpectantia, nulla retroſum.

Olim quod uulpes ægroto cauta leoni, αἶνον Græce uocant, & αἰσωποποίητον, & ut dixi, λόγους μυθικούς. noſtrorũ quidam, nõ ſanè recepto nomine in uſum, apologationem: cui confine eſt παροιμίας genus illud, fabella breuior, & per allegoriam accipitur. Nos noſtrum (inquit) onus, nos clitellas. FINGE.] Argumentum eſt, quod Quintilianus κατὰ hypotheſin uocat, id eſt, ex fictione. Fingere autem eſt (ut idem eſt auctor) proponere aliquid, quod ſi uerum ſit, aut ſoluat quæſtionem, aut adiuuet. ID quod mancipio dari non poteſt.] Mancipio dari, id eſt abalienari, non poſſunt res ſacræ, ædes, dona ad miniſterium dei dedicata. MVLTA etiam loquuntur.] Proſopopœia eſt, id eſt perſonæ fictio: de qua Quintilianus libro nono: Quin deducere deos in hoc genere dicendi, & inferos excitare conceſſum eſt? ut pro Cœlio: Exiſtat igitur ex hac ipſa familia aliquis, ac potiſſimum cæcus ille. nimium enim dolorem capiet, qui iſtam non uidebit. qui profectò ſi extiterit, ſic aget, & ſic eloquetur: Mulier quid tibi cũ Cœlio? quid cum homine adoleſcentulo? quid cum alieno? cur tam familiaris huic fuiſti, ut aurum commodares? aut tam inimica, ut uenenum timeres? non patrem tuũ uideras? non patruum, non auum, proauum, atauum audieras conſules fuiſſe? Nõ denique modo te Quinti Metelli matrimonium tenuiſſe ſciebas, clariſſimi & fortiſſimi uiri, patriæq; amantiſſimi? qui ſimulac pedem limine extulerat, omnes propè ciues uirtute, gloria, dignitate ſuperabat? cui cum ex ampliſſimo genere in familiam clariſſimam nupſiſſes, cur tibi Cœlius tam coniunctus fuit? cognatus? affinis? uiri tui familiaris? nihil horum. quid igitur fuit, niſi quædam temeritas ac libido? nonne te ſi noſtræ imagines uiriles non commouebant, ne progenies quidem mea illa Clodia æmulam domeſticæ laudis in gloria muliebri eſſe admonebat? non uirgo illa ueſtalis Clodia, quæ patrem complexa triumphantem ab inimico tribuno plebis de curru detrahi paſſa non eſt? cur te fraterna uitia potius quàm bona paterna & auita, & uſque à nobis cum in uiris, tum etiã in fœminis repetita, mouerunt? ideo'ne ego pacem Pyrrhi diremi, ut tu amorum turpiſſimorum quotidie fœdera ferires? ideo aquam adduxerit, ut ea tu inceſte uterere? ideo uiam muniuerit, ut eam tu alienis uiris comitata celebrares? Vrbes etiam populiq; uoces accipiunt, ut prima oratione inuectiua in Catilinam: Nunc te patria, quæ communis eſt omnium noſtrum parens, odit ac metuit, & iam diu de te nihil iudicat, niſi de parricidio ſuo cogitare: huius tu neque auctoritatẽ uerebere, neque iudicium ſequere, neque uim pertimeſces? Quæ tecum Catilina ſic agit, & quodammodo tacita loquitur: Nullum iam tot annos facinus extitit niſi per te, nullum flagitium ſine te: tibi uni multorum ciuium neces, tibi uexatio direptioq; ſociorum impunita fuit ac libera: tu non ſolum ad negligendas leges & quæſtiones, uerumetiã ad euertendas perfringendaſq; ualuiſti. Superiora illa quanquam ferenda non fuerunt, tamen ut potui tuli. Nunc uero me totam eſſe in metu propter te unum: quidquid increpuerit Catilinam timeri: nullum uideri contra me conſilium iniri poſſe, quod à tuo ſcelere abhorreat, non eſt ferendum. Quamobrem diſcede, atque hunc mihi timorem eripe: ſi uerus, ne opprimat: ſin autem falſus: ut tandem aliquando timere deſinam. QVAE hyperbole dicitur.] Hyperbole eſt oratio ueritatis fidem excedens, augendæ uel minuendæ rei gratia. augendæ rei, ut candidior niue: minuendæ rei, ut tardior teſtudine. Dicta eſt hyperbole, à uerbo Græco ὑπερβάλλειν, id eſt, à ſuperiaciendo. Eſt enim hyperbole (ut ait Quintil.) dimetiens ſuperiectio. cuius exemplum eſt ſecunda Philippica: Quæ Carybdis tam uorax? Carybdin dico, quæ ſi fuit, fuit animal unum. Oceanus medius fidius uix uidetur tot res, tam diſſipatas tam diſtantibus in locis poſitas, tam cito abſorbere potuiſſe. SEQVITVR ſimilitudinem differentia.] Cicero differentiam pro diſſimilitudine ferè ſemper uſurpat. Eſt autem differentia, ſiue diſſimilitudo, rerum diuerſarum diuerſa qualitas. quale eſt hoc exemplum Quintiliani: Vox illa præceptoris non ut cœna pluribus minus ſufficit, ſed ut ſol uniuerſis idem lucis & caloris largitur. Differentiarum à dialecticis triplex genus fieri ſolet. una eſt differentia, quæ communis appellatur, ut mouere, quieſcere. Altera propria eſt, ut cicatrix, ſanitas. Alia ſubſtantialis, ut rationis particeps. Prima ſeparabilis eſt, inſeparabilis ſecunda, ſed utraque accidentia. Tertia uero quãuis inſeparabilis, tamen ingenita eſt, non autem aduentitia. SED eſt eiuſdem ſimile.] Tametſi diſſimilitudo ſimilitudini maxime contraria eſt, in eodem tamen ſimilitudinem & diſſimilitudinem facile reperies: id quod prima facie repugnãs apparet. nam contraria ſimul eſſe in eodem non poſſunt. Sed ſoluitur: Certũ eſt id quod eſt alteri ſimile, non eſſe eidem diſſimile in ea re, in qua ſimile eſt: tunc enim contraria ſunt. At cum Cicero dixit, eiuſdem eſſe diſſimile & ſimile inueniri: ſic intelligendum eſt, aliquid alteri una in re ſimile eſſe, quod eidem in altera re diſſimile eſt. Nam, ut ait Quintilianus cap. de Præiudicijs, libro quinto, uix ulla res alteri per omnia ſimilis eſt. Idem cap. de Exemplis inquit: In ſimili diſſimilitudinem reperiri poſſe, ut apud Vergilium.

Sic

Sic catulos ſimiles canibus, ſic matribus hædos.

Sunt certe ſimiles genere, ſed ætate diſſimiles. ſic muſcam elephanto diſſimilem eſſe dicimus, nempe magnitudine: genere tamen eſt ſimilis. nam muſca & elephantus animal eſt. Verum Quintilianus has ſimilitudines & diſſimilitudines in eadem re deprehenſas minus acutas, paruműq; utiles eſſe dicit. quare aptius & conuenientius exemplum demus, quod licet ut ſimile adferatur, tamen ut diſſimile refutetur. Ergo dicamus, Quemadmodum Seruilius Hala Spuriũ Melium iure occidit, ita Scipio Naſica Tiberiũ Gracchũ merito interfecit. Vides hoc exemplum ad defenſionem Scipionis Naſicæ, tanquam ſimile proferri, ueruntamen diſſimile eſſe ſic oſtenditur. Seruilius Hala magiſter equitum erat, et Scipio Naſica priuatus. Deinde Spurius Melius regnum affectabat: Tiberius uero Gracchus leges Agrarias & populares ferebat. NON quemadmodum, quod mulieri debeas.] Quemadmodum mulieres perpetua tutela tenebantur niſi nupſiſſent. ita pupilli non in ſua, ſed in tutoris erant poteſtate. Quare hoc in mulieribus & pupillis ſimile eſt, ut in tutela ſint. uerum illud diſſimile, quod pupilli tutela perpetua non tenebantur. Nã cum ad pubertatem uenerant, ſuæ poteſtatis erãt, & tutela ceſſabat. Mulieres uero ſemper in tutela, quandiu uiuebant, erant, niſi nupſiſſent. Inſuper hoc quoque refert: Si quid mulieri debebatur, illud eidem ſine tutore ſolui poterat. ſi quid contra pupillo debeatur, ſine tutore ſolui non poteſt. nam illa licet iudicium infirmum, iudicium tamen habet, illiq; eſt in explicanda rei familiaris utilitate delectus: hic uero non modo infirmo iudicio eſt, ſed planè nullo. Bene itaque Celſus iuriſconſultus inquit, Pupillus nec uelle, nec nolle in ea ætate, niſi appoſita tutoris auctoritate, creditur. Nam quod animi iudicio fit, in eo tutoris auctoritas neceſſaria eſt. Eſt autem pupillus, ſecundum Pomponium, qui cum impubes eſt, deſijt in poteſtate eſſe, aut morte, aut emancipatione. uel (ut Grammatici definiunt) qui caret quidem patre, ſed tantiſper dum eſt in ea ætate cui adhibetur tutor, id eſt, quandiu impubes eſt. nam ubi pubes eſſe cœpit, id eſt, ad pubertatem uenit, ſui iuris eſt & poteſtatis. Sed antequam ad alia ueniamus, hoc præceptum ſimilitudinis demus, ut diligenter caueamus, ne ſimilitudinum ſpecies nos fallant. Eſt enim (ut inquit Quintilianus) adhibendum iudicium. ut hæc eſt ſimilitudinis ſpecies, quæ fallit: Sicut nauis noua melior eſt quam uetus, ſic amicitia noua melior eſt quam uetus. item, Quemadmodum mulier laudanda eſt, quæ pluribus pecuniam ſuam largitur: ſic ea quoque uituperãda erit, quæ formam ſuam pluribus communicat. Vtrobique uerba ſunt ſimilia, liberalitatis & largitionis, ſed uis longe diuerſa. DEINCEPS locus eſt qui à contrario dicitur.] Cicero contrariũ dicit, ſpeciei nomen loco generis uſurpans. Nam contrarium ſpecies eſt oppoſiti, & oppoſitum contrarij genus. Quare Cicero non tam proprijs, quam ſignificantibus et apertis uſus eſt. Boetius ſanè commodius oppoſita dici putauit, quam contraria: quoniam ea quæ Græci τὰ ἐναντία uocant, Latini contraria dicerent: quæ Cicero quidem aduerſa uocauit. Quæ uero Græce ἀντικείμενα dicuntur, Latine oppoſita transferuntur. Nos ergo, quoniam ita uſus uoluit, oppoſita uocemus, quæ cõtraria Cicero nominauit: & quæ Cicero dixit aduerſa, contraria dicamus. Sunt igitur oppoſita, ſicut Rodolphus ait, quæ certo ductu unum uni ſic repugnant, ut neque alterum de altero, neque ambo de tertio dici poſſint. Sed Rodolphi pace dixerim, unum non tantum uni, ſed & aliquando multis opponi: id quod Ariſtoteles in ſuis Categorijs, capite de Oppoſitis luculentiſſime teſtatur. quo in loco dicit, malum non ſoli bono, uerumetiam malo contrarium eſſe: ut, timiditas non fortitudini ſolum, ſed audaciæ etiã contraria eſt. Denique mediocritas uirtutum utrique extremo uitioſo, id eſt, exceſſui & defectui contraria pugna reſiſtit: id quod in Moralibus libris idem auctor aperte docet. & Horatius quoque, qui ſic ait:

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos ultra citraq; nequit conſiſtere rectum.
id eſt,
Virtus eſt medium uitiorum utrinque redactum.

Vnde licet, unum non uni tantum opponi: licet Ariſtoteles in Metaphyſicis ſecus ſentire uideatur. Oppoſitorum autem genera ſunt quatuor. contraria, ut uirtus & uitium: priuantia, ut eloquentia & infantia: relata, ut dominus & ſeruus: & quæ contraria aientibus dicuntur, ut ſedet, non ſedet. Contraria ſunt, quæ in eodem genere, quemadmodum Cicero definit, plurimum differunt: ea à Cicerone aduerſa uocantur. uulgus dialecticorum ita deſcribit: Contraria ſunt, quæ ſub eodem genere poſita, plurimum diſtant: ſubiecto uiciſſim inſunt, à quo mutuo ſeſe expellunt, modo alterũ eorum ſubiecto natiuum non ſit. ut uirtus & uitium ſub eodem ſunt genere, puta ſub conſuetudine, id eſt conſtanti affectione, quam habitum uulgo nominant. deinde plurimum inter ſe diſtant: nam uirtus eſt uitij fuga, uitium uirtutis inimicum. Deinde ſubiecto uiciſſim inſunt. nam ex ſtudioſo poteſt quis uitioſus, & ex uitioſo ſtudioſus fieri. ſunt enim uirtutes & uitia in manu & poteſtate noſtra. neque uerum ſemper eſt id quod poeta quidam cecinit:

Qui uires in folijs uenit ab radicibus humor,
Sic patrum in natos abeunt cum ſemine mores.

Præterea mutuo ſeſe expellunt contraria. nam unius præſentia & incolumitas, alterius eſt pernicies & interitus. Sed interim difficultas oritur, quod cum Cicerone contraria in eodem genere poſuerim: cui ſententiæ Ariſtoteles quarto Topicorum repugnat. illic enim ſcribit, contrarias ſpecies non ſemper eiuſdem generis eſſe, ſed tum demum, cum generi nihil contrarium eſt. nam ſi quid generi contrarium fuerit, tum contraria ſub contrarijs generibus reponuntur: ut iuſtitiæ genus eſt uirtus, iniuſtitiæ quoque uitium genus. Quare contraria interim genera ſunt, interim ſpecies eiuſdem generis, interim diuerſorum. Itaque male definiri uidentur contraria, quæ ſub eodem genere poſita, plurimum inter ſe differunt. Inſuper non ſolũ Ariſtoteles Ciceroni ſed ipſe quoque Cicero ſubimetipſi repugnare uidetur, qui ſic in Rhetoricis contrarium definit: Contrarium eſt, quod in diuerſo genere poſitum, plurimũ ei repugnat cui cõtrarium eſſe dicitur. Verum hæc obiectio ſic diluitur: Certum eſt, generum alia eſſe proxima, alia remota, ut ante Cicero cum de genere loqueretur docuit: item alia eſſe ſuprema, alia uero intermedia. Ita contraria ſub eiſdẽ generibus ſummis uel remotis reconduntur. ſub diuerſis intermedijs aut proximis aliquãdo ſita ſunt, ut iuſtitia & iniuſtitia, licet ſub diuerſis generibus collocentur, uirtute & uitio, quæ proxima ſunt: ſub uno tamen & eodẽ remoto genere, puta, cõſuetudine uel qualitate, ut de ſummo quoque genere dicã, reponuntur. Cõtraria Rodolphus aliter quã definiuimus exponit, hoc modo: Cõtraria ſunt expoſita, quorũ utrunque poteſt ſimul exiſtere, & alterũ ſine altero eſſe, poſſunt quidem ſimul exiſtere, quatenus contraria ſunt. Nã quod contrariũ eſt, alteri contrariũ eſt. Itaque unius cõtrarij nõ habetur cognitio, niſi alterũ contrariũ cognoſcatur. id quod Chryſippus apud Gelliũ cap. 1. lib. 6. teſtari uidetur, qui ſic inquit: Nihil eſt prorſus iſtis inſipidius, qui opinantur bona eſſe potuiſſe, ſi nõ eſſent itidem mala. Nã cum bona malis contraria ſint, utraque neceſſariũ eſt, oppoſita inter ſeſe & quaſi mutuo aduerſo quæque fulta niſu cõſiſtere, nullum adeo contrariũ eſſe ſine cõtrario altero. quo enim pacto iuſtitiæ ſenſus eſſe poſſet, niſi eſſent iniuriæ? aut quid aliud iuſtitia eſt, quàm iniuſtitiæ priuatio? Quid itẽ fortitudo intelligi poſſet, niſi ex ignauiæ oppoſitione? Quid continentia, niſi ex intemperantiæ? Quo item modo prudentia eſſet, niſi foret imprudẽtia? Proinde inquit, homines ſtulti cur nõ hoc etiam deſiderant, ut ueritas ſit, & non ſit mendacium? Nãque

itidem ſunt bona & mala, fœlicitas & infœlicitas, dolor & uoluptas. Alterum enim ex altero, ſicuti Plato ait, uerticibus inter ſe contrarijs deligatũ eſt. Si tuleris unũ, abſtuleris utrunque. Vnde paratũ eſt colligere, contraria ſimul exiſtere: ſed ſic ut diximus, ſic cõtraria inter ſe conferantur, & alterum cum altero cõparatur. Si uero utraque ſimul, ſed alterũ cum altero tũc eſſe reperietur. De cõtrarijs hactenus. Ad priuatiua ueniamus. Eſt autem priuatio, defectus rei, in quod rem eã habere natũ eſt. ut cæcitas luminis defectus eſt, nõ in quouis. nã lapis cæcus nõ dicitur, quia uidere natus nõ eſt: ſed in anima, eo demũ tempore quo uidere poteſt, & non uidet. Cicero priuantia ſecus accipit, quippe quæ particula In, nominibus præpoſita definiat. Dicit enim priuatione In, priuari uerbũ ea ui quã haberet ſi In præpoſitũ non fuiſſet. Sed ut ex Ariſtotelis diſciplina liquet, nõ ſemper In particula priuat, uerũ aliquando contrariũ reddit, ut iniuſtitia & improbitas, nõ tam priuatio iuſtitiæ et probitatis eſt, quàm contrariũ. Nam priuatio tollit tantũ, & negat: contrariũ non tollit, neque negat, ſed affirmat. Inſuper præpoſitio In, nonnunquam auget uocabulũ, ſi uocabulo præpoſita fuerit: ut Eraſmus libro priore de copia notauit. & eo in ſenſu apud iuriſconſultos uſurpari docuit, apud quos indifficilis pro ualde difficili ponitur. Deinde multa priuantia reperiuntur, quibus particula In præpoſita non eſt, ut mutus, ſurdus, cæcus, claudus, & pleraque alia quæ nihilominus tamen priuata ſunt, & στερητικὰ græce uocantur. QVORVM tractatio eſt eadem quæ ſuperiorum, quæ aduerſa dixi.] Dicit Cic. contrariorũ et priuantiũ eandem tractationem eſſe, ſed uerũ nec ne ſit, an ſecus, uideamus. Primũ ſecus habere uidetur. nã à contrario in contrariũ mutuus eſt tranſitus, & ab utroque ad alterũ regreſſus. Quãuis autem ab habitu ad priuationem ſit tranſitio, à priuatione tamen ad habitũ non eſt regreſſus, ut Ariſtoteles in Categorijs oſtendit. quod autẽ in ſacris literis legas, cæcos uidere, claudos ambulare, ſurdos audire, mutos loqui, nõ id natũ ſponte, ſed mirãdo prouidentiæ diuinæ dono fit. Legitur tamen apud Gel. & Herod. Crœſi filiũ, & quempiã Samium athletã mutos fuiſſe, deinde uero per omne uita tempus non turbide, neque adhæſe locutos. De quibus Gel. cap. 9. lib. 5. ſic habet: Filius Crœſi regis cũ iam per ætatem fari poſſet, infans erat, et cũ iam multum adoleuiſſet, item nihil fari poterat. mutus autem et elinguis diu habitus eſt. Cũ uero in patrẽ eius bello magno uictũ, & urbe in qua erat capta hoſtis gladio deducto regem eſſe ignorãs inuaderet, diduxit adoleſcens os, clamare nitens, eoq; nixu atque impetu ſpiritus uitiũ nodumq; linguæ rupit, planeq; et articulate elocutus eſt, clamãs in hoſtem, ne Rex Crœſus occideretur. Tum et hoſtis gladiũ reduxit, & rex uita donatus eſt, & adoleſcens loqui prorſus deinceps incepit. Herodotus in hiſtorijs huius memoriæ ſcriptor eſt, eiuſq; uerba ſunt quæ prima dixiſſe filiũ Crœſi refert, ὦ ἄνθρωπε μὴ κτεῖνε κροῖσον. Sed & quiſpiã Samius athleta, nomen illi fuit αἴγλης, cũ antea loquens nõ fuiſſet, ob ſimilẽ dicitur caſum loqui cœpiſſe. Nam cũ in ſacro certamine ſortitio inter ipſos & aduerſarios nõ bona fide fieret, et ſortem nominis falſam ſubijci animaduertiſſet, repente in eum qui id faciebat; ſeſe uidere quid faceret, magnũ exclamauit, atque is oris uinculo ſolutus per omne uitæ tempus, nõ turbide neque adhæſe locutus eſt. Itaque uel nullus eſt, uel admodũ difficilis à priuatione ad habitũ regreſſus. Quocirca nõ eadem eſt contrariorũ & priuantiũ tractatio. niſi aliter interpreteris ut Ciceronem intellexiſſe nõ ambigo. Sic, quemadmodũ ab affirmatione unius cõtrarij ad negationem alterius argumentatio rara eſt: ita ab affirmatione habitationis ad negationẽ priuationis argumentari licet: ut ſapiens eſt, igitur ſtultus nõ eſt: loquitur, ergo nõ eſt mutus. uel etiã ſic: Si ſtultitiã fugimus, ſapientiã ſequamur: Si malum eſt infantia, eloquentia bonũ eſt: ſed hæc de priuãtibus ſatis, ad relata progrediamur. Relata ſunt, quæ cũ aliquo conferuntur, id eſt, quæ mutuã inter ſe relationem ſeruant, ut dux et miles, præceptor et diſcipulus. ea uulgus ad aliquid uocat, quod utriuſque ratio ex alterius notione & intelligentia pendeat. Ex hoc loco manifeſtũ euadit, quàm male Boetius res affectas ad id de quo quæritur definiuerit, cũ eas ad aliquid eſſe diceret, id ſub relatis reponeret, quæ ſub oppoſitis ſunt, uel, ut ait Cic. ſub contrarijs. Cõtraria uero, decimum tertiũ locum rerum affectarũ efficiunt: quo fit, ut ambitu ſuo res affectas non cõprehendant. Sed huius erroris tam manifeſti, ſtudioſos admonuiſſe ſatis eſt. quocirca ad reliqua trãſeamus, & de cõtradicentibus dicamus. Sunt autem cõtradicentia, quorũ uno negatum eſt, quod altero eſt affirmatũ: ut pluit, nõ pluit: friget, nõ friget. Ea Cicero cõtraria aientibus uocat, apud Græcos ἀποφατικὰ dicuntur. Sed antequã finem faciamus, hoc animaduertendũ eſt quod Cic. dicit, nempe hæc eſſe cõtradicentia: Si hoc eſt, illud nõ eſt. in quo notes, id nõ negari quod ante fuit affirmatũ: nam perinde eſt ac ſi dixiſſet, Si dies eſt, nox nõ eſt. TANTVM intelligatur argumento quærendo, cõtrarijs omnibus contraria nõ conuenire.] In hoc quadruplici oppoſitorũ genere notandũ eſt, ab unius affirmatione ad alterius negationem, certã & firmã argumentationẽ eſſe: ut, Si probus nõ eſt, igitur improbus: Si uidet, igitur nõ cæcutit: Si imperator eius eſt, nõ igitur eius eſt miles: Si Socrates philoſophatur, nõ philoſophari non uerũ eſt. Cõplectimur etiã nonnunquã hinc inde oppoſita, atque directe probamus: ut, Si lucrũ eſt habere, damnum eſt perdere: Si utile eſt poſſidere, inutile eſt amittere. & ita de reliquis. AB adiunctis.] Adiuncta prius expoſuimus, quæ rem antecedunt, rei cohærent, rem ſequũtur, ita tamen ut nulla antecedendi, cohærẽdi, uel ſubſequendi neceſſitas intercedat. Rem antecedũt, ut ægritudinem ſpõtanea membrorũ laſſitudo, faſtidiũ cibi, inquietudo peruigiliarũ. Rei cohærent, ut Quintil. ait, nõ eſſe cæci aut ſolliciti percuſſoris uulnus, quãdo ſolum unũ ſit, certioreq; loco, quàm pro cæci uel trepidatione feſtinanti factũ. ſic Cic. docet Catilinam publicũ aliquod malũ meditari, quoniã anguſtia rei familiaris prematur. Rem denique ſequũtur, ut ſceleris aliquos agitaſſe cõſilia, quoniã diducti, nõ conſtiterunt inter ſe uerbis: furtum feciſſe, quoniã res ſit inuenta domi ipſius: cædem admiſiſſe, quoniam fugã uel latebras uel arma circũſpexerunt. & hanc eſſe Ciceronianã mentem in adiunctis explicandis, nõ autem Boetij ſolius (ut Rodolphus ait) ex eo colligo, quod Cic. dicat: Admonet hic locus, ut quæratur quid ante rem, quid cum re, quid poſt rem euenerit. deinde in ſequenti loco dixerit, adiuncta nõ ſemper euenire.] POSVI equidem exemplũ paulo ante.] Hoc ab adiunctis exemplũ, Cicero prius poſuit, cum ſua locis ſingulis iam diſtributis exempla ſubijceret: Si ea mulier teſtamentum fecit quæ ſe capite nunquã diminuit, nõ uidetur ex edicto prætoris ſecundũ eas tabulas poſſeſſio dari. adiungitur enim, ut ſecundum ſeruorum, ſecundum exulum, ſecundum puerulorum tabulas poſſeſſio uideatur ex edicto dari, Cuius ſenſum tametſi prius expoſuimus, eundem tamen repetere, nequaquam abſurdũ fuerit. Mulieres olim perpetua tutela tenebantur, nec unquam ſui iuris erant, niſi ſe capite minuiſſent, id eſt, niſi priorem ſtatum mutaſſent. mutabant autem ſtatum, quæ nubebãt. Quare ſi qua mulier nõ nupſiſſet, teſtamentum facere non poterat, ut quæ in poteſtate tutoris eſſet: aut ſi teſtamentum fociſſet, ratum non habebatur: uel ſi ratum habitum fuiſſet, conſentaneum erat & adiunctum, ut ſerui teſtamentum & pueri facere poſſent, quippe qui (quamuis non ſuæ poteſtatis ſint) teſtari poſſint, ſi mulieres teſtamentum faciant. Nam quemadmodum mulieres in tutoris poteſtate, ſic ſerui ſub domini ditione, & pueri ſub parentum auctoritate ſunt. ergo ſi nihil prohibet, quo minus illæ teſtamentum faciant, nihil ſanè oberit ab his teſtamentum fieri. CVI teſtamenti factio nulla eſſet.] Factionem Latini pro cõiuratione ſæpius uſurpant: hoc tamen

in loco Cicero ſecus accepit, ea profecto in ſignificatione quam Laurentius et plerique Grammaticorum iniuria reprehendunt, quippe qui pro factione fictionem ſicut pro factore fictorē, id eſt uomrio in ſacris literis dicendum eſſe contendant. ſed cum factionis uocabulū Tullius in hac ſignificatione uſurpet, nō uideo cur tantopere uerbū hoc reformidemus. SED locus hic magis ad coniecturales cauſas.] Rodolphus Agricola Ciceronē reprehendit, quod hūc locum ab adiunctis, tantum oratorū eſſe dixerit, nec ad iuriſconſultos aut philoſophos pertinere ſcripſerit, ſed (ut dixi) ſolius oratoris eſſe uoluerit. Verum ut quod ſentio ingenue fatear, Ciceronem Rodolphus improbiſſime ementitur: nunquam enim ad ſolum oratorem pertinere uoluit, licet ad cōiecturales cauſas magis pertinere dixerit, et magna ex parte oratorum eſſe ſcripſerit: ſed aliud eſt, magna ex parte oratorum eſſe, & ſolius eſſe oratoris. Nemo enim uel mediocriter eruditus hoc conſequutum conceſſerit, hic locus eſt magna ex parte oratorius, igitur oratorius tantum. Aliam mehercle Ciceronis mentem eſſe, hinc liquido conſtat, quod cū iuriſconſultorum exemplum poſuiſſet, ſtatim ſubdiderit, hūc locum magis ad coniecturales cauſas ualere: quaſi diceret, tametſi iuriſconſulti poſſint ab adiunctis ſuas probationes deſumere, hoc tamen magis oratorum eſt quam iuriſconſultorū, quod ſi Cicero iuriſconſultorum non eſſe dixiſſet, argumentum è iure ciuili nō deſumpſiſſet: atqui deſumpſit, et cū deſumpſerit, deſumi poſſe docuit: ergo iuriſconſulti ab adiunctis argumentari poſſunt. Adiecit tantū Cic. paulo poſt id quod pro Rodolpho facere uidetur, nihil hunc locum ad ius: deinde non modo iuriſconſultorum, ſed ne philoſophorum quidem eſſe: uerum ad Ciceronem ſolum, id eſt ad oratorem pertinere. quem ſcrupulum Cic. cum de ſimilitudine loqueretur diluit quippe qui ſic illic dicat, Et ſi omnes loci ſunt omnium diſputationum ad argumēta ſuppeditanda, tamen alijs diſputationibus abundantius occurrunt, alijs anguſtius ergo cum adiuncta ſint omnium diſputationū communia, tamen abūdantius oratori, iuriſconſulto uero & philoſopho anguſtius occurrunt. Oratori quidē abundantius, ad coniecturales (ut dictum eſt) cauſas probandas. Eſt autem coniecturalis cauſa cū de facto quaeritur: et ea à coniectura qua explicatur nomen habet. Dicta eſt uero coniectura, Quintil. teſte, à coniectu, id eſt, à directione quadam rationis ad ueritatem. Eſt enim coniectura, incertae rei indicium ex aliquo manifeſto ſigno, aut ex eius uultu qui reus agitur. ut repertus eſt quiſpiam in ſolitudine recens cadauer ſepeliens: ex ſepultura, quae manifeſta res eſt, id quod incertum eſt, id eſt, qui ſit cadis auctor, cognoſcitur hac Hermogenes cap. 3. primi Rhetorices habet. Coniectura eſt, ut ait Cicero, partim in ueriſimilibus, partim in proprijs rerum notis. Veriſimile eſt quod plerunque ita ſit, nec tamē ſemper. Propria rei nota eſt, quae nunquam aliter ſit, certumq́; declarat. Veriſimile à Quintiliano, ſignum nō neceſſarium dicitur ut ueriſimile eſt adoleſcentiam ad libidinem procliuem eſſe. Propria rei nota ab eodem, ſignum neceſſarium appellatur: ut fumus eſt propria rei nota, nam eſt ſignum neceſſarium ignis. Vtraque pari coniectura ad hunc locum ſpectat: quo ſit, ut non tantum ueriſimilis, uerum aliquando neceſſarius ſit hic locus, cum Rodolpho teſte, nōnulla ſigna neceſſaria ad contingentia pertineant, quae ab hoc loco nihil differunt: ut ueſpertinus occidentis rubor, ſignum eſt neceſſarium futurae poſtridie ſerenitatis. Quid Rodolphum dico: non'ne Cicero teſtis eſt locupletiſſimus: qui locum & tempus ſub adiunctis reponit: Verum ab utroque argumentum neceſſarium depromi poteſt, ut Pub. Clodius Interamnae fuit, cum ſacra Bonae deae Romae fierent: non igitur ea polluit. inſuper Cicero in Partitionibus oratorijs auctor eſt, in ueriſimilibus aliquando proprias rerum notas eſſe nam multa ueriſimilia coaceruata neceſſarij argumenti uim habent. Vtraque ſigna Quintilianus ab argumentis remouit.

negauit eum ſigna, ſiue ueriſimilia ſint, ſiue neceſſaria, eſſe argumenta. Veriſimilia quidem, quod dubia ſint, & argumentis egeant: at argumentum certum eſſe debet. dubia enim dubijs qui probari poſſunt? multa tamen ad alterius probationem adferuntur (ut idem auctor eſt) quae ipſa ſunt probanda: ſed tum quaeſtiones, non autem argumenta uocantur: uerum ita, ut cum probata fuerint, argumenta ea eſſe incipiant. Neceſſaria uero. quod nihil dubitationis poſt ſe relinquant, neque unquam niſi in re controuerſa ſit argumentis opus. De ueriſimilibus iam reſponſum eſt, de neceſſarijs dicendum. Sunt qui putant Quintilianum in uniuerſum eſſe locutum, & negaſſe ullum neceſſarium ſignum argumentum eſſe, in qua hereſi Rodolphus eſt, qui contra Quintilianum oſtendere conatur, ſigna neceſſaria argumenta eſſe: iſq; mathematicorum exemplis utitur, quorum probationes neceſſariae ſunt, uerum argumenta dicuntur. Sed uenia Rodolphi dixerim, Quintilianum illi nō intellexerunt, qui omnia ſigna neceſſaria ſecundū eundem Quintilianum, ab argumentorum natura exempta & remota fuiſſe putant. Cum enim Quintilianus ab argumentis ea remoueret, non de mathematicis, ſed de oratorijs tantum argumentis, quae ſolum in re controuerſa locum habent, quippe quae rei dubiae fidem faciant, intellexit, & ut ficta ſint, ita refelli poſſint, nec ut rurſus dicam de mathematicis, ut qui paulo poſt cap. de argumentis, apodixeis (quae ſunt neceſſariae mathematicorum probationes) argumenta uocet. ADMONET autem hic locus, ut quaeratur quid ante rem, quid cum re, quid poſt rem euenerit.] Ante rem quaeritur, ut apparatus, colloquia, locus, conſtitutum conuiuiū. Apparatus quidem, ut pro Milone quaeſtio eſt, uter alteri fecerit inſidias, Milo Clodio, an Clodius Miloni. Cicero Clodium Miloni, non autem Milonem Clodio feciſſe inſidias, ab apparatu utriuſque ueriſimile reddidit, quod Milo ueheretur in rhoda penulatus, una ſederet uxor, & tum ſymphoniacos pueros uxoris & ancillarum greges ille ſecum duceret, quorum nihil eſt non impeditiſſimum. Contra Clodius expeditus in equo, nulla rhoda, nullis impedimentis, nullis Graecis comitibus, ſine uxore, una cum barbaris ſeruis, quibus ſyluas publicas depopulatus fuerat, Miloni obuiam factus eſt. Eodem modo Catilina, Lentulus, & Cethegus in ſuſpicionem coniurationis ab apparatu uenerunt: quòd arma, enſes, gladios, tela denique omnis generis, in Marci Porcij Leccae aedes deferrent.. Inſuper colloquia, ut colloquia legatorum Tarquinij Superbi cū Aquilijs Vitellijs & Bruti liberis, ſaepius facta, futurae proditionis coniecturam mouerunt, tametſi ea proditio à Vindicio ſeruo detecta ſit. Tum locus, ut Cicero à loco probauit, Clodium Miloni, non Milonem Clodio inſidiatum fuiſſe, quod Clodius è loco ſuperiori in Milonem impetum feciſſet. Inſuper ſi quis in loco latronum receptatore & occultatore, quale eſt monumentum Baſilij, repertus fuerit, in ſuſpicionem uenit latrocinij, aut alius improbi facinoris. Denique conſtitutum conuiuium: ut Catilinae Lentuli & Cethegi facta apud Marcum Porciū Leccam conuiuia, coniurationis ſuſpicionē mouerunt, quemadmodū conuiuia à legatis Tarquinij & liberis Bruti cum Aquilijs & Vitellijs celebrata, ad probandam ſuſpicionem proditionis ualuerunt. Et hactenus de adiunctis, quae rem antecedunt. Nunc de ijs quae cum re cohaerent, dicamus. Cum re cohaerent pedū crepitus, ſtrepitus hominum, corporū umbrae. ex ijs enim omnibus aliquid tum geri fieriq;, cū haec adiuncta ſentiuntur, cognoſcimus. Praeterea poſt rē eueniūt rubor, pallor, titubatio, & ſi quae alia ſigna conturbationis & conſcientiae. praeterea reſtinctus ignis gladius cruentus, caeteraq; quae ſuſpicionē facti mouere poſſunt, è quibus argumenta uocantur: uerū ita, ut cum probata fuerint, argumenta ea coniecturalia dicātur. ut ex cruore gladij, factam eſſe caedem probamus: ex reſtinctione ignis, aliquid factū eſſe colligimus, quod celari, latere, & occultari uelint, qui

commiſerunt. ſic ex rubore, pallore, & titubatione, & reliquis conſcientiæ perturbationiſq; ſignis, auctorem facilè cognoſcimus. E S T *igitur magna ex parte locus hic oratorius, non modo non iuriſconſultorum, ſed ne philoſophorum quidem.]* Id *eſt, non tam frequenter ad iuriſconſultos & philoſophos quàm ad oratores adiuncta ſpectant. Interim tamen ad ius & ad philoſophiam ſpectant. Cum enim locus & tempus ſub adiunctis reponantur, de loco & tempore iuriſconſulti atque philoſophi quærunt. Iuriſconſulti quidem, ut Quintil. cap. 10. lib. 5. teſtatur dicens. Ducũtur argumẽta & ex loco. ſpectatur enim ad fidem probationis, montanus an planus, maritimus an mediterraneus, cõſitus an incultus, frequens an deſertus, propinquus an remotus, opportunus conſilijs an aduerſus. quam partem ui demus uehementiſſime pro Milone tractaſſe Ciceronẽ. Et hæc quidem & ſimilia ad coniecturam frequentius pertinent: ſed interim ad ius quoque, priuatus an publicus, ſacer an profanus, noſter an alienus. hinc enim quæſtiones oriuntur. priuatam pecuniam ſuſtuliſti, uerum quia de templo, non furtum, ſed ſacrilegium eſt: occidiſti adulterũ, quod lex permittit, ſed quia in lupanari, cædes eſt. Ad qualitatem quoque frequenter pertinet locus. neque enim idem ubique aut licet aut decorum eſt: quin etiam in qua ciuitate quidque quæratur, intereſt. moribus enim & legibus diſtant. Itaque ex Quintiliano liquet, locum ad ius pertinere. Quod autem & tempus ad ius pertineat, idẽ auctor eſt, qui inquit, à tempore iuris quæſtiones fieri. Inſuper id alia ratione conſtat, quòd duodecim tabulæ furem nocturnum quoquo modo, diurnum uero ſi ſe telo defenderit, impune interfici iubent. Quare leges in tempore diſcrimen ponunt, igitur ad ius tempus pertinet. Ad philoſophos quoque tempus & locum (quæ ſunt adiuncta) pertinere probandum eſt. Phyſici profectò nihil aliud in ore præter locum & tempus habent: & in Phyſicis Ariſtotelicis, libros plenos quæſtionũ de cœlo & tempore reperias. quod & alia uia manifeſtũ reddemus. Non'ne à philoſophis quæritur, unde Nilus oriatur? quia ſit illis incertum, qui ſint Nili fontes. unde illud Lucani lib. 10.*

Arcanum natura caput non prodidit ulli,
Nec licuit populis paruum te Nile uidere,
Amouitq; ſinus, & gentes maluit ortus
Mirari quàm noſſe tuos.

Item Tibullus libro primo:

Nile pater qua'nam te poſſum dicere cauſa,
Aut quibus in terris occuluiſſe caput?

Tum Claudianus ſic habet. de Nilo loquens:

Qui rapido tractu medijs elapſus ab auſtris,
Flammiferæ patiens zonæ, cancriq; calentis,
Fluctibus ignotis noſtrum procurrit in orbem,
Secreto de fonte cadens, qui ſemper inani
Quærendus ratione latet, nec contigit ulli
Hoc uidiſſe caput. fertur ſine teſte creatus,
Flumina profundens alieni conſcia cœli.

Sed hæc præter opus. Non'ne itidem quærunt philoſophi, poſſint'ne diuturnitate ſiccari maria, & ſicca rurſus aquis obrui? Item, an ad ultimum habitantibus orientem Indis, ſol in exortu continuo ſupra uerticem ſit poſitus? item, an ſint populi quibus perpetua dimidio anno nox, dimidio ſit dies? Ex his facile apparet, non ad ſolos oratores, ſed & iuriſconſultos & philoſophos adiuncta pertinere: cum ad eos locus & tempus, quæ ſunt adiuncta, pertineant. D E I N C E P S *eſt locus dialecticorum proprius, ex cõſequentibus & antecedentibus et repugnãtibus.]* *Vt antecedens eſt, quo poſito neceſſe eſt aliud ſequatur: ita cõſequens dicitur, quod antecedente poſito, ſequi neceſſe eſt. ut ſi iuſtitia eſt, uirtus eſt, iuſtitia eſt antecedens. nam ea poſita, neceſſe eſt uirtutem ſequi. unde fit, ut uirtus ſit conſequens: quippe qua poſita, iuſtitia ex neceſſitate colligatur. Repugnans eſt, quod cum re cui repugnat, hærere nunquam poteſt. ut nocendi libido amicitiæ repugnat: nunquam enim amicus ei nocere cupit, quem amat. Quòd autem Cicero dicat hunc locũ ab antecedentibus, conſequentibus, & repugnantibus, dialecticorũ proprium eſſe, non ſic accipiendum eſt, ut ad ſolos dialecticos pertinere intelligat. Nam paulo ante dixit, locos omnes omniũ diſputationum eſſe communes: quo fit, ut nõ dialectorum modo, ſed oratorum quoque & iuriſconſultorum hic locus eſſe uideatur. Id quod poſtea Cicero teſtatur, ubi ait: Hoc differẽdi genus attingit omnino ueſtras quoque in reſpondendo diſputationes. Cicero ueſtras dixit, Trebatium alloquens: id eſt, iuriſconſultorũ. Deinde addit: Sed philoſophorum magis, quibus eſt cum oratoribus illa ex repugnantibus ſententijs communis concluſio: quæ à dialecticis tertius concludendi modus à rhetoribus enthymema nuncupatur. Vnde colligere paratum eſt, non dialecticorũ modo locum hunc eſſe. Nam ſi locus à repugnãtibus dialectico ſit & oratori communis, & itidem ſit locus ab antecedentibus, cõſequentibus & repugnantibus, ut paulo poſt dicet: ſequitur, antecedentia, conſequentia & repugnantia ad oratores quoque pertinere: ita tamen, ut dialectica magis quàm oratoria ſint. Quòd autem iuriſconſultorũ quoque ſint, ideo liquet, quòd è iure ciuili depromp ſerit argumenta, quæ ab antecedentibus, conſequentibus, & repugnantibus erant.* Q V I *etiam ab adiunctis longe diuerſus eſt.]* *Quintilianus eundem locũ ab adiunctis & conſequentibus decimo capite libri quinti facit, quare Ciceroni uidetur aduerſari. nam Cicero conſequentia longe diuerſa ab adiunctis eſſe dicit. Verum Quintilianus adiuncta & conſequentia aliter quàm Cicero cœpit. Nam à Quintiliano dicuntur adiuncta, quæ conſentanea & cõiuncta ſunt cum re, nec non ei cohærent. Item conſequentia Quintilianus uocat, nõ quæ ex antecedentibus conſequuntur, ſed quæ ſimul mutuo & inuicem ſeſe comitantur, id eſt, quæ idem retro ualent, & reciproca ſunt: ut ſi iuſtitia bonum eſt, rectè eſt iudicandũ: ſi perfidia malum, non eſt fallendum. Argumentum conuerte, idem ualebit: ut ſi non eſt fallendum, perfidia malum eſt: ſi rectè iudicandum, bonum eſt iuſtitia. Hæc ut dixi, adiuncta ſimul, id eſt, cognata & coniuncta dicuntur, quia utrunque alteri coniungitur & cohæret. tum conſequentia uocantur, quaſi ſimul ſequentia, quod utrunque ab altero colligatur, & mutua ſic inter ea conſecutio. Conſequentia ſanè differunt à ſequentibus, quòd conſequentia ſint naturæ, ſequentia temporis: naturæ dico, ſiquidẽ unius natura ab alterius natura pendent. Vnde fit, ut cognata rectè uocari dixerim eiuſmodi conſequentia. Græci ἀκόλουθα uocant, Latini mutua uocant uel reciproca, quòd idem retro ualent. Temporis uero ſequentia ſunt, quæ poſt facta futura ſunt. ea Græci ἐπαγόμενα, Latini illata, id eſt collecta nominant. At Cicero ſecus adiuncta & conſequentia quàm Quintilianus accepit, longeq; diuerſa eſſe uoluit. ut adiuncta ſint, quæ uicinam & finitimam naturam cũ re de qua quæritur ſeruant, ita tamen ut rei neceſſario non cohæreant. ſed ſatis eſt, modo uniuerſalia ſint, etiam ſi non ſemper eueniãt, ſæpius tamen euenire poſſint. ut inimicitiæ cædi adiũcta ſunt: non tamen quicunque alteri inimicus eſt, eundem occidit. Conſequentia uero & antecedentia & repugnantia, neceſſitatem quandam, ſicuti dictum eſt, præ ſe ferunt, quippe quæ ex pronunciatis connexis fiant: quorum natura eſt, ut ſi pars prior uera fuerit, poſteriorem eſſe ueram oporteat. Quare cum Cicero dixerit, ab antecedentibus, conſequentibus, & repugnantibus argumentum neceſſarium eſſe, id in pronunciatis connexis intelligendum eſt. ut ſi homo eſt, animal eſt: homo antecedens eſt, & animal conſequens. homine poſito, animal ſequi neceſſe eſt.* N O N *ſemper eueniũt.]* *Adiuncta frequentius uериſimilia ſunt quã neceſſaria: nonnunquã tamen neceſſaria, ut ſuperius de loco & tempore dictũ eſt. quo argumento tanquam*

neceſſario

neceſſario P. Clodius abſolutus eſt, qui ſe Interamnæ fuiſſe probauit, quo tempore ſacra Bonæ deæ Romæ in domo alterius conſulis fiebant. quare fieri non potuit, ut ea Clodius polluerit, qui tum Romæ non erat, ſed Interamnæ. Vides hoc argumentum à loco & tempore petitum, neceſſarium eſſe. at locus & tempus adiuncta ſunt: igitur ab adiunctis argumenta, neceſſaria nonnunquam eruuntur. Inſuper, ut probauimus, in ueriſimilibus propriæ rerum notæ aliquando ſunt: at propriæ rerum notæ neceſſariæ ſunt, ut in his ueriſimilibus coniunctis & coaceruatis propriæ notæ uis ineſt: Illi eras inimicus qui cæſus eſt, mortem minatus es, noctu exiſti, proficiſcentem anteceſſiſti, deprehenſus es in ſolitudine iuxta cadauer, gladium cruentum tenens, & ſtatim rubuiſti uel palluiſti, ut deprehenſus es, deinde latebras quæſiuiſti, illum igitur occidiſti. Horum adiunctorū ſingula ueriſimilia ſunt, & ſeparata refelli poſſunt: collecta uero & congregata, propriæ notæ, id eſt ſigni neceſſarij uim habent. CVM tripertito igitur hic diſtribuatur locus, in conſecutionem, anteceſſionem & repugnantiam.] Vnus eſt hic locus inuentionis, ſed tractatione triplex. Inuentione dicitur unus, quia ſiue ab antecedētibus, ſiue à conſequētibus, ſiue à repugnātibus argumenteris, idē efficis, idē probas, idem colligis, eademq; eſt in his omnibus concluſio. Neque ſicut uoluit Boetius, propterea uocatur unus, quòd eiuſdem mentis eſt atque intelligentiæ, tam conſentanea ſibimet quàm diſſentanea prouidere. Quam Boetij interpretationem ridiculam eſſe, & à Ciceronis ſententia longe abhorrentem deprehendet, qui Ciceronis exemplum legerit & intellexerit. Tractatione uero triplex dicitur, quia diſpoſitio & elocutio propoſitionum in his triplex eſt. ut ſi ab antecedentibus argumentari uelis, accipiendum eſt pronunciatum connexum propoſitionis loco. Deinde in aſſumptione pars prior affirmati connexi affirmanda eſt, ut poſterior in concluſione probetur. exempli gratia: Si omne argentum mulieri legatū eſt, ſignata pecunia legata eſt: atqui omne argētum legatū eſt, igitur pecunia ſignata legata eſt. Quādo autem à conſequentibus aliquid probas, pronunciatum connexum per contrapoſitionem conuertendum eſt. quod ſi ita diſpoſitum ſit, propoſitionis loco dicetur. Deinde in aſſumptione contradicens partis poſterioris accipiendum eſt, ut prioris partis oppoſitum ſequatur: ut, Si pecunia ſignata non eſt legata, non omne argentū eſt legatū: atqui omne argentū legatū eſt: igitur ſignata pecunia legata eſt. Denique à repugnantibus argumentaberis, ſi huic pronunciato duplicem negationem addideris, quod eſt: Si omne argentum legatum eſt, ſignata pecunia legata eſt. adde negationem unam poſteriori parti, & dic: Si omne argentum legatum eſt, pecunia ſignata legata non eſt. quod certe repugnat. quare alteram quoque negationem toti pronunciato præpone, ut uerum pronunciatum habeas, hoc modo: Non ſi omne argentum legatum eſt, pecunia ſignata legata non eſt. & ſit hæc argumentationis propoſitio. Deinde in aſſumptione partem priorem huius propoſitionis affirma, ut poſterioris partis contradicens concludatur, hoc modo: Non ſi omne argentum legatum eſt, pecunia ſignata legata non eſt: atqui omne argentum legatum eſt, igitur ſignata pecunia legata eſt. Vides in triplici argumentatione eandem eſſe concluſionem, quæ eſt hæc, ſignata pecunia legata eſt. Quapropter hic locus à Cicerone uocatur unus. ſed quia uaria eſt diſpoſitio propoſitionum, ideo triplex tractatione dicitur. Quid ſit autem legatum iam dictum eſt, nempe quod teſtamento relictum eſt. Inſuper pecunia numerata dicitur, quæ parata & in promptu eſt. Vnde in numerato habere dicimus, pro eo quod eſt in promptu & in manu. Porro ſignata pecunia eſt, percuſſa & formata: proptereaq; uocatur pecunia, quòd nota pecudis ſignata ſit. Signatæ autem pecuniæ contrarium eſt æs graue, id eſt, rude & informe: Hic fuit ordo nummariæ apud Romanos, ut primum Romani ære graui, id eſt, rudi & informi uſi ſint: poſtea ære ſignato: quod fuit ſub ſexto demū rege, id eſt ſub Seruio, qui primus æs ſignauit. Deinde argento ſignato, anno urbis quingenteſimo octogeſimo quinto. Q. Fabio conſule, quinque annis ante primū Punicum bellum & Pharſal. paruo uero tempore poſt regem Pyrrhum deuictum. ſic habet Plin. lib. 33. Budæus tamen lib. 5. de Aſſe, in numeris annorum apud Plinium mendam eſſe ait, quā ſic caſtigat, ut anno. 478. legendum ſit, pro. 585. Verum hæc fortaſſe plura quàm par eſt eſſe uidebuntur: quare ad Ciceronē reuertamur. Ex ſuperioribus exemplis apparet, hunc locum antecedentium, conſequentium, & repugnantium eſſe argumenti unius, argumentationis uero triplicis. Nam cum argumentum ſententia ſit, & materia, & uis, & robur argumentationis: argumentatio uero forma, nec non elocutio argumenti per propoſitiones, in illis exemplis idem eſt ſenſus, materia eadem & idem effectus. at diſpoſitio & explicatio uaria eſt. Quod autem uis eadem ſit, oſtenditur. Trium enim formarum argumentationis, hæc eſt materia & ſenſus: Cui omne argentum legatum eſt, eidem ſignata pecunia legata eſt. uerum hæc una materia triplicem formam accipit, ita tamen ut idem ſemper efficiatur, et ſic eadem formarum omnium concluſio. Quapropter apertum eſt, Rodolphum Agricolam non recte dixiſſe, qui antecedentia, conſequentia, & repugnantia ſicut à Cicerone ſunt expoſita, non eſſe inuentionis, ſed iudicij tantum dixit, cum utriuſque & inuentionis & iudicij Cicero faciat. Inuentionis quidem, nam Cicero locum hunc reperiendi argumenti ſimplicem tradit: iudicij uero, quia tractatione triplicem eſſe uoluit, cum unius & eiuſdē ſententiæ triplicem diſpoſitionem & tres formas faciat. APPELLANT autem, &c.] Hoc in loco de ſyllogiſmis, quos hypotheticos, id eſt conditionales appellant, agitur: quorum ſeptem ſunt formæ. tres primæ pronunciatis cōnexis ſunt, quarta & quinta disiunctis, ſexta uero & ſeptima copulatis. quare de connexis, disiunctis, & copulatis proloquijs prius eſt dicendū quàm de ſyllogiſmis. Eſt autem connexum pronunciatum, quod pluribus ſimplicibus proloquijs coniunctione Si deuinctis, coaleſcit. cuius ea natura eſt, ut ſignificet partem priorem ſiue poſteriorem ueram eſſe non poſſe, id eſt, poſteriorem ex priore neceſſario ſequi: ut, ſi Lycurgus eſt Lacedæmonius, Lycurgus eſt Peloponneſius. Eiuſmodi pronunciata Græci συνημμένον ἀξίωμα dicunt. Copulatum dicitur, in quo plura ſimplicia proloquia coniunctione Et colligantur: eiuſq; natura eſt, ut ſi unum eſt mendacium, etiam ſi cætera uera ſunt, totum eſſe mendacium dicatur. ut Annibal Scipionem ad Ticinum fudit, & ſauciauit: idē Sempronium ad Trebiam ſuperauit, & ad Traſimenum Flaminium occidit, & ad Cannas Paulum interfecit, Varronemq; fugauit. Hoc proloquium uerum eſt, quia partes omnes ueræ ſunt. quòd ſi ei partem aliquam falſam addideris, totum pronūciatum falſum reddes. ut ſi ſuperioribus adieceris: & idem in Campania Quintum Fabium Maximum cunctando fregit: falſum dices. non enim Annibal Fabium, ſed Fabius Annibalem cunctādo uicit. unde et cunctator dictus eſt, de quo ſic Ennius:

Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem,
Non ponebat enim rumores ante ſalutem.

Superius proloquium, quod nos copulatum uocabamus, Græci συμπεπλεγμένον appellant. Disiunctum denique pronunciatum eſt, quod pluribus conſtat ſimplicibus, coniunctione Aut inter ſe diſtinctis, ut: Aut malum, eſt uoluptas, aut bonum, aut neque bonum neque malum eſt. Omnia autem quæ disiunguntur, pugnantia inter ſeſe eſſe oportet, eorumq; oppoſita ἀντικείμενα Græci dicunt: ea quoque inter ſeſe aduerſa eſſe. Eiuſmodi disiunctū proloquium: Græci διεζευγμένον ἀξίωμα uocant. Ex omnibus quæ disiunguntur, unum eſſe uerum debet, cætera falſa. quod ſi aut nihil omnium uerum, aut omnia plura'ne quàm unū uera erunt. aut quæ disiuncta ſunt non pugnabunt, aut quæ op-

poſita eorum ſunt, contraria inter ſeſe nõ erunt: tunc id diſiunctum mendaciũ eſt, & appellatur παραδιεζευγμένον. *ſicuti hoc eſt, in quo quæ oppoſita non ſunt contraria: aut curris, aut ambulas, aut ſtas. nam ipſa quidem inter ſeſe aduerſa ſunt, ſed oppoſita eorum non repugnant. non obambulare enim, & nõ ſtare, & non currere, contraria inter ſeſe non ſunt: quoniam contraria ea dicuntur, quæ ſimul uera eſſe nequeunt. Poſſis enim ſimul eodemq; tempore, neque ambulare, neque ſtare, neque currere. hæc Gellius, capite octauo libri decimiſexti. Ad Ciceronem reuertamur. Prima forma ſyllogiſmi conditionalis eſt, ſi pronunciati connexi partem priorem aſſumas, ut poſteriorem concludas: ut, Si Cicero eſt orator, eſt philoſophus: atqui eſt orator, igitur philoſophus. Hic modus eſt ab antecedentibus dictus, quòd ex parte antecedente, id eſt priore connexi proloquij, pars conſequens, id eſt, poſterior colligatur. Forma ſecunda eſt, ſi partis poſterioris contradicens in aſſumptione ponatur, ex quo prioris oppoſitum conficiatur: ut, Si Cicero eſt orator, eſt uir bonus: non eſt autem uir bonus, neque igitur orator. Hic modus à conſequentibus eſt appellatus, quia ex contradicente partis conſequentis, id eſt poſterioris, confectum eſt partis antecedentis contradicens. Tertia forma eſt, ſi duplicem negationem pronunciato cõnexo addideris, quarum una toti proloquio præficiatur, altera poſteriori parti præponatur: tum in aſſumptione partem priorẽ affirmes, ut in concluſione poſteriorem perimas, hoc modo: Non ſi Cicero orator eſt, non eſt uir bonus: atqui eſt orator, bonus uir igitur. Hic modus à repugnantibus uocatur. repugnat enim, ut Cicero ſit orator, & non ſit uir bonus. Sub quo genere enthymemata continentur, non quidem omnia, ſed quæ ex contrarijs uel repugnantibus concluſa ſunt, quæ per excellentiam dicuntur enthymemata, non quod ſola, ſed quod omnium acutiſſima ſint. Nam enthymema triplicem intellectũ habet, ut ait Quintil. Vnum, quo omnia mente concepta ſignificamus: alterum, quo ſententiam cum ratione: tertium, quo certam argumenti cõcluſionem uel ex conſequentibus, uel ex repugnantibus. Ex conſequentibus, quod habet propoſitionem, coniunctamq; rei protinus probationem. Cuius forma quadruplex eſt. aut enim propoſitio præcedit & ratio ſequitur, ut, Silent leges inter arma, nec ſe expectari iubent, cum ei qui expectare uelit, ante iniuſta pœna luenda ſit, quàm iuſta repetenda aut contra, rationem propoſitio ſequitur: ut, Quod ſi duodecim tabulæ nocturnum furẽ quoquo modo, diurnum autem ſi ſe telo defenderit, interfici impunè uoluerunt: quis eſt qui quoquo modo quis interfectus ſit, puniendum putet? aut propoſitionem rationi poſtpoſitam ſequitur alia ratio, ut ſi proximo exemplo hanc quoque rationem addas, cum uiderit aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ab ipſis porrigi legibus. aut denique ex propoſitione & ratione fit aliqua complexio: ut Inſidiatori uero et latroni, quæ poteſt afferri iniuſta nex? propoſitio eſt, deinde, Quid comitatus noſtri? quid gladij uoluerunt? ratio, unde fit illa cõplexio quæ ſequitur. Quos habere nõ certe liceret, ſi illis uti nullo pacto liceret. Hactenus de enthymemate à conſequẽtibus. Nũc pauca de eo quod à repugnantibus eſt dicamus. Eius apud Ciceronẽ pro Milone exemplum eſt: Eius mortis ſedetis ultores, cuius uitam ſi putetis per uos reſtitui poſſe, nolitis. Deinde pro eodem latius: Quẽ igitur cum omniũ gratia noluit, hunc uoluit cũ aliquorũ querela: quẽ iure, quem loco, quem tempore, quem impune non eſt auſus, hunc iniuria iniquo loco, alieno tempore, cum periculo capitis non dubitauit occidere. Deinde pro Ligario: Quorum igitur impunitas Cæſar tuæ clementiæ laus eſt, eorum ipſorum te ad crudelitatẽ acuet oratio. De hoc genere enthymematis, quod eſt à repugnantibus, Cicero uerba facit, quod oratori cum dialectico commune eſſe dicit. unde fit, ut locus qui eſt ab antecedentibus, conſequentibus, & repugnantibus, non modo dialecticorũ ſit, ſed, oratorum & iuriſcõſultorum: id quod Cicero plane docet & cum dicit, ut iam admonuimus, Hoc differendi genus attingit omnino ueſtras quoque in reſpondendo diſputationes, id eſt iuriſconſultorum: ſed philoſophorum magis, quibus eſt cũ oratoribus illa ex repugnantibus ſententijs communis cõcluſio, quæ à dialecticis tertius modus, à rhetoribus enthymema nuncupatur. Et hæc de tribus primis ſyllogiſmorum conditionalium formis, quæ pronũciatis connexis conſtãt, dixiſſe ſufficiat. Ad quartum & quintum modos ueniamus, qui ex diſiunctis proloquijs fiunt. Eorum quartus eſt, ſi proloquijs diſiuncti partem priorem aſſumas, ut in concluſione poſteriorem euertas, hoc modo: Aut dies eſt, aut nox eſt: atqui dies eſt, non igitur nox. Quintus modus eſt, ſi pars prior diſiũcti negetur in aſſumptione, ut in cõcluſione poſterior affirmetur, ita: Vel dies eſt, uel nox: non aũt dies, igitur nox. Sextus et ſeptimus modus ex proloquijs copulatis cõponitur. & ſextus eſt, ſi toti copulato negationem præfeceris, deinde copulati membrum prius aſſumpſeris, ut poſterius in concluſione perimas, hoc modo: Non & dies eſt & nox: eſt autem dies, non igitur nox. Septimus uero modus eſt, ſi negati copulati pars prior in aſſumptione perimatur, ut poſterior in concluſione probetur, hoc modo: Non & dies eſt & nox: atqui dies nõ eſt, igitur eſt nox. Animaduertendum eſt autem: hos duos poſtremos modos, id eſt ſextum & ſeptimum, ex quarto & quinto fieri, coniunctione diſiunctiua in copulatiuam mutata, et toti pronunciato præpoſita negatione.* PROXIMVS *eſt locus rerum efficientium quæ cauſæ appellantur: deinde rerum effectarum ab efficientibus cauſis. Harum exempla, ut reliquorũ locorum, paulo ante poſui.*] *Cauſa res eſt, cuius ui aliquid euenit. Eius genera quatuor ante fecimus: materiã, ex qua res fit: formam, per quam res eſt: efficientem, à qua res fit: finẽ propter quam res eſt. Illas priores Rodolphus non cauſas appellat, ſed ſub partibus complectitur. nec immerito. nam materia & forma rei naturalis partes ſunt, ut hominis corpus, animus. Has uero poſteriores ſolas cauſas facit, efficientem dico et finem. nec iniuria. Nam cauſa eſt, cuius uirtute aliquid, ut iam diximus, euenit: ut autem aliquid eueniat, neceſſe eſt id eſſe quod uim efficiendi habeat, cuius efficientia formari res poſſit: deinde id ſi non aliquo ad agendum ſtimulo moueatur, iners ſegneq; manebit, quo fit ut alicuius rei gratia quod agit, operetur. Id ergo cuius uirtute res fit, efficiens eſt: cuius uero cauſa, finis. Hæc autem genera quatuor, ad duo capita Cicero redegit, qui dixit: Cauſarum duo genera ſunt. unum quod ui ſua id quod ſub ea ſubiectum eſt, certe efficit: alterum quod naturam efficiendi non habet, ſed ſine quo effici non poſſit. quam diuiſionem idem quoque in Partitionibus oratorijs facit, dicens Cauſarum ſunt aliæ quæ ipſæ conficiunt, aliæ quæ uim aliquam ad conficiendũ adferunt. Itaque illæ ſuperiores, conficientes uocentur: hæ reliquæ ponantur in eo genere, ut ſine is confici aliquid non poſſit. Ergo cauſarum omnium capita generalia duo ſunt, efficiens, & ſine qua nihil effici poteſt: ad quæ rediguntur, ut diximus, quatuor illa cauſarum genera, quæ philoſophi faciunt. Efficiens cauſa dicitur, quæ ſuã operã rei faciẽdæ præbet: ut architectus ædiũ cauſa eſt efficiens. Sub efficiẽte formã et finẽ cũ Cicerone cõprehendimus. id quod & in Partitionibus ipſe teſtatur, ubi dicit: Sũt ãũt aliæ cauſæ quæ aut propter principiũ, aut propter exitũ conficientes uocantur. per exitum finem intelligit, per principiũ uero formam. Eſt enim forma, ſicuti phyſici definiunt, principium effectiuum motus & quietis. neque placet ut per principium materiam intelligas, ſicuti Georgius Valla homo minime malus diuinat. Nam Cicero materiam non ſub efficientibus, ſed ſub iis ſine quibus nihil efficitur reponit. Itaque iam cõſtat, tres cauſas in idem genus cadere, efficientem, formam, & finẽ. Nam idem efficiens & finis eſſe poteſt, ut is qui ſibi domum ædificat, quatenus ædificat efficiens eſt: ut uero ſibi habitandam domum efficit, eſt finis. Sic forma efficiens eſt, tametſi Rodolphus neget.*

neget. quod autem forma ſit efficiens, ex ſuperiori definitione liquet, quæ eſt hæc: Forma eſt principium effectiuum motus & quietis. Hactenus de iis quæ ad cauſas efficientes rediguntur: nũc de reliquis dicendum, ſine quibus non efficitur. Materia ſub eo genere reponitur, ſine quo nihil effici poteſt: ut æs, ſtatuæ æreæ materia eſt, ſine qua ſtatua ærea fieri nequit. Vnde colligimus, ad hæc duo capita, id eſt, ad efficientes cauſas et ſine quibus nõ efficitur, omnes cauſarum modos à Cicerone reuocari. Quare mihi reprehendendus Agricola uidetur, qui Ciceronem taxat, quòd omnia cauſarum genera ad ſolas efficientes cauſas redegerit, qui tamen non redegit. Id quod ei ſole clarius euadet, qui Ciceronis diuiſionem legerit. Nam cũ Cicero cauſas ita diſtribuiſſet, ut aliæ conficientes eſſent, aliæ non conficientes, ſub his quæ non conficiunt, materiam collocauit: reliquas uero ad efficientes reuocauit. quare non omnes cauſas efficientes eſſe uoluit.

HVIVS generis cauſarum ſine quo nõ efficitur.] Cauſas eas quæ non ſunt efficientes quidem, ſed ſine quibus nihil efficitur, Cicero diſtribuit, ſic ut earũ aliæ ſint quietæ, ſtolidæ quodammodo, & nihil agentes: aliæ quidem ſint in motu, & nonnihil agant. Cauſæ quietæ ſunt, & quæ per ſe nihil agunt, ut locus, tempus, materia, inſtrumentum. nam ſine loco, tempore, materia & inſtrumento nihil efficitur. locus tamẽ, tempus, materia, et inſtrumentum non efficiunt. Verum Rodolphus inſtrumenta ad efficientes cauſas reuocat, nec certe iniuria. Nam eorum quæ efficiunt, alia ſunt κύρια, id eſt præcipua & imperantia: alia uero obſequuntur & miniſtrant. quorum alia agunt, alia agendi ſunt inſtrumenta: ut in domo facienda architectus imperat, qui qua modo fieri quidque debeat iubet: is qui lapidẽ ſculpit, qui parietem extruit, qui cædit aptatq; materiam, miniſtrat & obſequitur. Inſtrumenta ſunt, ſecuris, terebra, mallei, & quæcunque ſunt alia quibus artifex opus ſuum explicat. Illæ autem cauſæ dicuntur eſſe in motu, & nonnihil agunt: quæ tametſi conficientes non ſint, & ſuum effectum directò nõ proſpectent, quandam tamen præcurſionem & præparationem ad efficiendum adhibent, & per ſe adiumenta quædam (licet non neceſſaria) præbent. Hoc modo congreſſio cauſa eſt nonnunquam amoris, & amor aliquando flagitij, non tamen ita ut cõgreſſio in eum finẽ facta ſit, ut amor inde ſequeretur: ſed quia contigit, ut qui ſæpius cum aliquo congreſſus eſt, eum amarit cum quo congreſſus eſt.

EX hoc genere cauſarum ex æternitate pendentium, fatum ex Stoicis nectitur.] Cicero fatum collocat in eo genere cauſarum, quæ præcurrentes appellantur. Fatum uero Gellius capite. 2. libri. 6. ſic definit: Fatum eſt (inquit Chryſippus Stoicus) ſempiterna quædam & indeclinabilis ſeries rerum, & cathena uoluens ſemet ipſa ſeſe, & implicans per æternos conſequentiæ ordines: ex quibus apta connexaq; eſt. Qui huic definitioni obſtrepunt, ſic fatum euertere conantur? Si omnia fato reguntur, neque fati uolumina declinari tranſcendiue poſſunt, peccata non ſunt hominibus inducenda, neque eorum uoluntatibus, ſed illi neceſſitati ineuitabili, quæ rerum omnium domina eſt & arbitra, per quam neceſſe ſit fieri quidquid futurum eſt. Verum Chryſippus hanc obiectionem ſic diluit. Sicut lapidem cylindrum per ſpacia terræ prona ſi iacias, aut pellas, cauſam ei quidem & initium præcipitantiæ feceris: mox tamen ille præceps uoluitur, nõ quia tu iam id facis; ſed quia modus eius & formæ uolubilitas ſeſe ſic habet. ſic ordo & ratio et neceſſitas fati, genera ipſa & principia cauſarũ mouet: impetus uero conſiliorum mentiumq; noſtrarum, actionesq; ipſas uoluntas cuiuſque propria et animorum ingenia moderantur. Inſuper Seneca in libro de Diuina prouidentia, naturam fati ita deſcribit: Fata nos ducunt, & quantumcunque tẽporis reſtet, prima naſcentium hora diſpoſuit. cauſa pendent, ex cauſa priuata ac publica, longus rerum ordo trahit: ideo fortiter omne faciendum eſt, quia non ut putamus incidunt cuncta, ſed eueniunt. Olim conſtitutum eſt quid gaudeas, quid fleas: & quamuis magna uideatur uarietate ſingulorum uita diſtingui, ſumma in unum uenit.

ATQVE ut earum cauſarũ.] Quemadmodũ cauſæ ſine quibus nihil efficitur, diſtributæ ſunt: ſic efficientes diuidi poſſunt. ut earum alia abſoluta & perfecta ſit, quæ ſola per ſe ſuũ opus efficit, nulla re adiuuante: alia uero non ſola, quæ adiuuari uelit, ipſamet quidem etiam adiuuans & efficiendi ſocia quædam. ut ſola uirtus bonos eos efficit, in quibus eſt: ſed an ſola beatos efficiat, an uero ſit adiuuanda, quæritur. Si Stoicis credimus, ſola uirtus beatos efficit: ſi Peripateticis, non ſola, ſed bonis corporeis & fortuitis adiuuanda eſt. Quod autẽ Cicero dicat, ſapientiam ſolam per ſe ſapientes efficere, docet nos, aliquando efficientem cauſam & formã eandem eſſe. nam ſapientia ſapientis forma eſt, ut uult Boetius. eadem uero, ſicut Cicero dicit, ſapientis efficiens cauſa eſt. Quare non eſt quod Rodolphus neget, formam & efficientem interim eandem eſſe.

QVARE cum in diſputationem inciderit cauſa efficiens.] A cauſa ad effectum nonnunquam argumentatio neceſſaria eſt, aliquando non eſt neceſſaria. Neceſſaria eſt concluſio, ſi ab efficiente cauſa argumenteris. nam cauſa efficiens dicitur, quæ uiſua id quod ſub ea ſubiectum eſt, certe efficit. Certe Cicero ſignanter dixit, quaſi neceſſario, uel haud dubie dicere uellet. quòd ſi cauſa efficiens ſuũ opus ex neceſſitate ſortiatur, ab ea ſanè ad effectum rata erit & explorata collectio. ut, ſi ſol adeſt, ergo lux adſit oportet. Nõ eſt autem certa neque neceſſaria argumentatio, ab ea cauſa, ſine qua non efficitur, ad id quod ex ea fit. non enim protinus ſequitur, ſi ſit æs, æream ſtatuam eſſe: quamuis ærea ſtatua ſine ære fieri non poſſit: æs tamen eſſe poſſet, ut ærea ſtatua non ſit. Itaque genus illud cauſæ quod efficiẽdi uim habet, ab eo diligenter ſeparandum eſt, ſine quo res non efficitur. nam illud in argumentando non fallit, nec errorem in colligendo ſolet adferre: quippe quod indubitatæ & exploratæ fidei ſit. hoc uero genus ſine quo non efficitur, ſæpe fallit: neque enim neceſſariam efficiendi per ſe uim habet. quo fit, ut eius effectus non ex neceſſitate colligatur. Illud enim eſt, tanquam, Vtinam ne in nemore Pelio ſecuribus cæſæ cecidiſſent abiegna ad terram trabes.] Trabes illæ quæ in nemore Pelio cæſæ ſunt, cauſæ fuerunt Argo nauis fabricandæ, non quidem conficientes, ſed ſine quibus Argo nauis fabricata non eſt. nam illi fabricandæ materiam præbuerunt. Recte nos admonet Quintilianus capite decimo libri quinti, ne cauſas ab ultimo repetamus. ut ancilla Medeæ coniugis Iaſonis, ſuæ heræ miſeriæ cauſam eſſe dicebat trabes abiegnas in nemore Pelio cæſas. nam niſi cæſæ fuiſſent, neque ad terram cecidiſſent, Argo nauis fabricata non fuiſſet: unde miſeria Medeæ orta eſt, quæ patrem ſuum Aeetam regẽ Colchorum, patriamq; ſuam Colchida reliquit, ut Iaſonem poſt uellus aureum conquiſitum, in Græciam ſequeretur: à quo tandẽ repudiata fuit, tametſi eam poſtea reuocarit, ut Iuſtinus libro. 2. & .4. narrat. Huius rei Cicero meminit, cum alibi, tum ſecundo Rhetor. ad Herennium, ubi de uitioſa expoſitione loquitur. ſic enim ait: Ne Ennium & cæteros poetas imitemur, quibus hoc modo loqui conceſſum eſt: Vtinam ne in nemore Pelio ſecuribus cæſa cecidiſſet abiegna ad terram trabes, ne'ue nauis inchoandæ exordium cœpiſſet, quæ nunc nominatur Argo: in qua Argiui delecti uiri uecti petebant pellem illam inauratam arietis Colchis, imperio regis Peliæ per dolum. nam nunquam hera mea errans Medea pedem efferret domo ægra, et amore ſaucia. Nam hic ſatis erat dicere, ſi id modo quando ſatis erat, curaſſet poeta: Vtinam ne hera mea errans pedem efferret domo, Medea animo ægra & amore ſaucia. Ergo hæc quoque ab ultima repetitione, in expoſitione magnopere ſuperſedendum eſt. non enim reprehenſione, ſicut aliæ complures, ſed ſua ſponte uitioſa eſt. Similis cauſa eſt, ſi quis dicat Publium Cornelium Sci-

pionem cauſam multarum in urbe Roma ſeditionum. nam niſi Corneliam filiam Sempronio ducendam collocaſſet, & Sempronius ex ea Tiberium & Caium Gracchos ſuſcepiſſet, qui multas in urbe ſeditiones excitarunt, ſeditiones illæ ſuſcitatæ non fuiſſent. IN nemore Pelio.] Ouidius libro quinto Faſtorum de nemore Pelio ſic ait:

Pelion Aemoniæ mons eſt obuerſus in auſtros,
Summa uirent pinu, cætera quercus habet.
Phillyrides tenuit, ſaxo ſtant antra uetuſto,
Quæ iuſtum memorant incoluiſſe ſenem.

Hic eſt Pelion, qui (quemadmodum dictum eſt) Argo nauis fabricandæ materiam tribuit, ut Flaccus libro primo teſtatur, & Catullus in Pelei nuptijs:

Peliaco quondam prognatæ uertice pinus,
Dicuntur liquidas Neptuni naſſe per undas,
Phaſidos ad fluctus.

Cicero libro primo Tuſculanarum, Argo nauis meminit, ubi dicit: Etenim ſi nunc aliquid aſſequi ſeſe putant, qui oſtium Ponti uiderunt, & eas anguſtias, per quas penetrauit ea quæ nominata eſt Argo, quia Argiui in ea delecti uiri uecti petebant pellem inauratam arietis, cum Colchos adyſſent. ſed de Argo naui ſatis dictum. De Pelio monte rurſus præter ſuperiora, pauca dicamus. Mons Pelion adeo altus eſt, ut Dicæarchus mathematicus, regum cura montes permenſus, omnium eũ altiſſimum prodiderit. hinc illud eſt Ouidij lib. Faſto. 1.

Sic petitur cælum, non ut ferat Oſſan Olympus
Summaq; Peliacus ſidera tangat apex.

AT cum in Aiacis nauim.] Sicut exemplum cauſæ Tullius ante dedit, ſine qua res non efficitur, quæ nos in colligendo ſæpe fallit, quod ex ea non neceſſario ſequatur effectus: ut ſi trabes in Pelio nemore fuerunt, non protinus tamẽ Argo nauis fabricata eſt, neque continuo Medea miſera fuit: Sic nunc Cicero dat exemplum cauſæ, quæ ſua ui, quod ſub ea ſubiectum eſt, certe efficit: ut ignis cauſa eſt efficiens incendij, neque non urere poteſt, ſi ei apponatur quod uri poſſit, ut igneum fulmen criſpi ſulcans iniectum in Aiacis nauem, non accendere non potuit. nauis enim neceſſario inflammata eſt. Ab eiuſmodi cauſa efficiente, ad effectum rata eſt et inexpugnabilis argumentatio: ut fulmen iniectum eſt in nauem Aiacis, igitur inflammata nauis eſt. Duo fuerunt Aiaces, unus Oileus, et alter Telamonius. ambo furuerunt Oileus quidem amore & ira: Telamonius, amore diro. nam Aiax Oileus per impatientiam amoris Caſſandram filiam Priami, & uatem, in templo Palladis oppreſſit. quam nimirum Pallas ulta eſt. unde Virgilius primo Aeneidos ſic ait ſub perſona Iunonis:

-Pallas ne exurere claſſem
Argiuum, atque ipſos potuit ſubmergere ponto?
Vnius ob noxam, & furias Aiacis Oilei,
Ipſa Iouis rapidum iaculata è nubibus ignem,
Disiecitq; rates, auertitq; æquora uentis:
Illum expirantem transfixo pectore flammas,
Turbine corripuit, ſcopuloq; infixit acuto.

Alter uero, nempe Telamonius Aiax, in furorẽ ira uerſus eſt. de quo poeta ſic loquuntur: Achille ſagitta Paridis interempto, magna inter Aiacem & Vlyſſem contentio orta eſt, uter ipſorum illius armis dignior eſſet. Agamemnon autem ne in alterius odium incideret, illius contentionis iudiciũ ad principes Græcorum reiecit, ut pro uirtute & meritis utriuſque, arma alteri adiudicarent. Iuſſo igitur utroque in conceſſu principum cauſam ſuam agere, Vlyſſes non uirtute, nó meritis, ſed eloquentia, qua plurimum ualebat, effecit ut ſibi arma adiudicarentur. Illam autem repulſam Aiax adeo ægre tulit, ut primum furioſus ſit effectus: deinde cum reſipuiſſet gladio incumbens ſeſe interfecerit. Aiacem autem Telamonium Ouid. lib. xiij. Metamorph. ſic loquentem inducit:

-Agimus proh Iuppiter, inquit,
Ante rates cauſam, & mecum confertur Vlyſſes?
At non Hectoreis dubitauit cedere flammis,
Quas ego ſuſtinui, quas hac à claſſe fugaui.
Tutius eſt igitur fictis contendere uerbis,
Quàm pugnare manu: ſed nec mihi dicere promptum,
Nec facere eſt iſti. quantum ego Marte feroci,
Inq; acie ualeo, tantum ualet iſte loquendo.
Nec memoranda tamen uobis mea facta Pelaſgi
Eſſe reor, uidiſtis enim. ſua narret Vlyſſes,
Quæ ſine teſte gerit, quorum nox conſcia ſola eſt. & cætera,

quæ ab Ouidio repetes. Nunc uero de Aiace Oileo, non autem de Telamonio Cicero loquitur. ATQVE etiam eſt cauſarum diſſimilitudo.] Cicero cauſas alia diſtributione partitur, ut earum aliæ ſint neceſſitatis, aliæ uoluntatis, aliæ perturbationis, aliæ habitus, aliæ naturæ, aliæ artis, aliæ caſus & fortunæ. Cauſæ neceſſitatis ſunt in ijs rebus, quæ rationis & conſilij expertes ſunt. Nam eiuſmodi res omnes, ut ait Rodolphus, neceſſitatem in agendo ſequuntur: ut ignis appoſito ſibi quod uri poſſit, non urere non poteſt. Cauſæ uoluntatis ſunt in ijs rebus, quas homines conſilio, ratione & iudicio adminiſtrant. In ijs enim agendis delectum ſequi uidentur, quas ſi uolunt, agunt: ſi nolunt, nó agunt, ſed ab eis abſtinent. Eſt enim uoluntas, ut philoſophi definiunt, rationalis appetitus: ut cum hunc libellum legis, uoluntas tua cauſa eſt quare legas. nam quia legere uoluiſti, propterea legis. Cauſa perturbationis in ijs eſt, qui ob ebrietatem ad manus & ad ferrum ueniunt, & in omnibus illis qui impetu mentis impulſi quidquam agunt: ut ſi quis euentum horum temporum timeat, id eſt ſi quis urbem relinquat, Antonij tyrannidem timens, cauſa migrationis timor habetur, qui perturbationis eſt ſpecies. Nam timor eſt appropinquantis mali metus. Metus uero, futuri mali opinio. At perturbatio aut eſt præſentis, aut futuri boni uel mali opinio. præſentis boni, ut lætitia: mali præſentis, ut ægritudo. futuri mali, ut metus: boni futuri, ut libido. Has quatuor ſpecies perturbatio comprehendit. Eſt autem perturbatio, ut inquit Cicero lib. 4. Queſtion. Tuſcul. auerſa à recta ratione contra naturã animi incitatio. Habitus cauſa eſt, in eo qui ad aliquid agendum aſſuetus eſt. eſt enim habitus qualitas quædam uſu & meditatione comparata, qua ad aliquid faciendum procliues & prompti ſumus. Vt qui uirtutis habitum ſibi comparauit, ad bene agẽdum paratiſſimus eſt. Natura nonnunquam cauſa eſſe dicitur, ut aliquid fiat. Sed memineris naturam hoc in loco pro facilitate quadam & naturali promptitudine capi ut adoleſcentes ſuapte natura ad libidinem prompti ſunt. Ars eſt recte faciendi conſuetudo. ſicut Ariſtot. 6. Ethic. definit. Quo fit, ut ſit artis bene pingere. Caſus denique cauſa eſt accidentaria, utpote rerum earum quæ temere & inſperato nobis contingunt: ut, Adraſtus filium Crœſi caſu occidit. nam cum telum miſit ut feram configeret, Crœſi filium præter expectationem occidit. Hæ autem omnes cauſæ præter primum modum, non neceſſariæ ſunt, ut uoluntas, perturbatio, habitus, natura, ars, & caſus. VELVT omne intereat quod ortum eſt.] Quintilianus cap. de Argumentis, ubi de rebus mutuam confirmationem præſtantibus loquitur, ſcribit ita. Illa quoque quæ ex rebus mutuam confirmationem præſtantibus ducuntur, quæ proprij generis quidam uiri uolunt & uocant ἐκ τῶν πρὸς ἄλληλα, Cicero ex rebus ſub eandem rationem uenientibus, forte conſequentibus iunxerim: Si portorium Rhodijs locare honeſtum eſt, & Hermocreonti conducere: & quod diſcere honeſtum, & docere. Vnde illa non hac ratione dicta, ſed efficiens idem Domitij Afri ſententia eſt pulchra, Ego accuſaui, uos damnaſtis. Eſt inuicem conſequens, & quod ex diuerſis oſtendit: ut qui nódum naſci dicit, per hoc ipſum et de-

ficere

ficere ſignificat, quia deficit omne quod naſcitur. OMNIVM autem cauſarũ &c.] Cauſarum omnium aliæ ſunt conſtantes, aliæ inconſtantes. Conſtantes ſunt, quæ ſuum ſemper effectum, niſi fuerint impeditæ, ſortiuntur. Sunt enim incõſtantes illæ quæ uariant, & mobiles ſunt. Ars & natura ſub genere priori reponuntur: ſunt enim conſtantes, ut natura ſuum effectum ſemper, niſi aliunde impediatur, habet. Dixi, niſi impediatur. nam impedita ſuum euentum non nanciſcitur: puta cũ monſtra parit, materia impeditur. neque enim naturæ finis eſt, ut monſtra pariat, ſed id materiæ uitio contingit. De arte pari modo iudicandum eſt. nam ars naturam imitatur Ars autem finem ſuum ſemper proſpectat, & ad eum tendit. quod ſi eo nõ nunquam fruſtretur, non arti, ſed materiæ, quæ arte excolitur, tribuendum eſt. Sub genere poſteriore collocantur, uoluntas, perturbatio, caſus. nam ſunt omnes mobiles, neque conſtantes, ſed uariæ & mutabiles. Boetius habitum cauſis inconſtantibus ſubiecit, & eam eſſe Ciceronis ſententiam comprobauit: ſed meo ſanè iudicio falſus eſt. Nam Cicero ſub conſtantibus cauſis habitum repoſuit. ſiquidem ars habitus eſt, ut Ariſtot. 6. Ethic. definit. Quòd ſi ars habitus ſit, & ſubijciatur ars conſtantibus cauſis, eiſdem ſubijcietur habitus. At Boetius forſan dicet, Cicero diuiſione ſuperiori habitum & artem ſeparauit, diuerſaſq; cauſas fecit: non igitur per artem debet habitus intelligi. Aut contra, ſi intelligatur, ſatis erat eorum alterũ dixiſſe. Sed ſoluitur: Omnis ars eſt habitus, non autem omnis habitus eſt ars. Habitus genus eſt artis, ars uero ſpecies. Eſt enim ars, rerum faciendarum habitus & conſuetudo. Cæterum multi ſunt habitus, quos artes uocare non poſſumus, cuiuſmodi ſunt uirtutes omnes morales. ergo qui artem dixit, eundem dixiſſe habitum neceſſe eſt: atqui Cicero dixit artem cauſam eſſe conſtantem, igitur habitum cauſam eſſe conſtantem uoluit, id quòd & ratio ſuadet. Eſt enim habitus conſtans affectio, uel ſi mauis, qualitas longa meditatione firmata. Quare nõ eſt habitus inter eas cauſas collocandus, quæ ſunt inconſtantes. SED tamen earũ, &c.] Cauſarum inconſtantium aliæ ſunt perſpicuæ, aliæ latent. Perſpicuæ ſunt, quarum cognitus eſt euentus: latent, quarum exitus eſt obſcurus. Cauſas perſpicuas Cicero definit, quæ à ratione uel iudicio oriuntur. Nam ratio et iudicium nunquam cognitionẽ relinquit eius rei quam efficere conatur. Latentes cauſas idem deſcribit, quæ fortuitæ ſunt & accidentariæ, quæq; præter ſpem & expectationem noſtram eueniunt: id eſt, quæ ſunt cauſa eorum quæ inſperato contingunt. Sub cauſis perſpicuis, uoluntatẽ comprehendit & perturbationem. Nam perſpicuæ cauſæ ſunt, quæ appetitionem animi iudiciumq; tangunt: atqui uoluntas et perturbatio ſunt eiuſmodi, ergo cauſæ perſpicuæ ſunt. Nam licet perturbatio iudicium non tangat, appetitionem tamen animi tangit. Eſt enim perturbatio, quidam appetitus animi, id eſt animi cupiditas, ut ira, libido, & cætera id genus. Porrò uoluntas cum ſit rationalis, iudicij particeps eſt. Eadem præterea appetitio quædam animi dicitur, quippe quæ definiatur appetitus rationalis. Cæterum quod Boetius ait, procul à ſententia Tullianą abeſt, cum dicat naturam & artem, ſub cauſis perſpicuis à Cicerone comprehendi. Nam quòd hoc à ueritate funditus alienum ſit, id quod Cicero ante dixit, clare docet. Inquit enim Cicero, naturam & artem cauſas eſſe conſtantes. Quòd ſi conſtãtes ſunt, ſanè non erunt eæ cauſæ, quas Cicero perſpicuas appellat. Perſpicuas enim non eſſe conſtantes affirmat, cum ſic diſtribuit: Sed earum tamen cauſarum quæ nõ ſunt conſtantes, aliæ ſunt perſpicuæ, aliæ latent. Sunt autem ars & natura conſtantes cauſæ, ſicut Cicero teſtatur: eas igitur ſub perſpicuis non collocat, qui perſpicuas ſub inconſtantibus reponit. Idem de habitu Boetius affirmat. ſed illud iam refutauimus. ETIAM ut ea quæ ſunt.] Cauſarũ aliæ ſunt uoluntariæ, aliæ ignoratæ. Voluntariæ ſunt cauſæ, rerum earum quas homines conſilio & prudentia dirigunt. Sunt ignoratæ cauſæ, rerum earũ quæ neceſſitate efficiuntur. neceſſitate quidem, non quod non fieri non poſſint, ſed quia ſiue uelimus ſiue nolimus fiant. Id eſt, rerum earum quæ non ſunt in manu & poteſtate noſtra, ut ignis neceſſitate accendit, terra neceſſitate deprimitur, in quibus uoluntas nulla eſt, neque conſilium dominatur, ſed quia ſic à natura ſunt effecta, ideo fiunt. Cæterum cum Cicero caſum partim ignoratũ, partim uoluntariũ appellat, ſeipſum paulo poſt interpretatur, cum dicit: Iacere uero, uoluntatis eſt: ferire quem nolueris, fortunæ, id eſt rei fortuitæ. principium, uoluntarium eſt: exitus uero, ignoratus. ut cum Adraſtus telum miſit, liberũ erat illi mittere, uel non mittere: ſed cum miſſo telo filium Crœſi interfecit, hoc nõ propoſuerat, ſed ignorabat: nam alterius rei cauſa, non huius telum miſerat, ſed ut feram transfigeret. Præterea ſub cauſas ignoratas, animi perturbationes cadunt. Nam tametſi ſunt uoluntariæ aliquando, quippe quæ admonitione et obiurgatione placentur: interim tamen uſque adeo turbulentæ ſunt, & tam uehementes & concitatos motus habent, ut totum hominem occupent, & ſui iuris efficiant, ita inquam, ut homo neque libere neque uoluntarie operari, ſed neceſſitate agere dicatur, eiuſmodi perturbationibus uictus. Quo fit, ut ignoratæ cauſæ perturbationes ſint, id eſt non uoluntariæ. EX quo aries.] Arietem autem pro defenſione μεταφορικῶς capit. defenditur autem reus, ſi quod factum ignorantiæ tribuatur, non uoluntati. Non enim tam exitus rerum, quàm conſilia hominum legibus uindicari debent, ut pro Milone Cicero teſtatur. Aries eſt machina bellica, feriens more arietis, ferrata fronte, & in cornua diſtincta. uel (ut Vegetius definit) cuius caput ferro ueſtitur. quæ propterea dicitur aries, quod duriſſimam frontem habet, ut quæ ſubruat muros: aut quia more arietis retrocedit, & cum impetu uehementius ferit. ut apud Vergilium.

Inſtat ui patria Pyrrhus, nec clauſtra, nec ipſi
Cuſtodes ſufferre ualent, labat ariete crebro
Ianua, & emoti procumbunt cardine poſtes.
Fit uia, ui rumpunt aditus, primoſq; trucidant
Immiſſi Danai, & late loca milite complent.

TOTO igitur loco cauſarum explicato.] Locus à cauſis, oratoribus & philoſophis familiariſſimus eſt. Philoſophis quidem, qui duplices ſunt, theoretici, & practici. quorũ illi naturas & qualitates omniũ quæ terra, mari, cœloq; ſunt, ſcrutãtur: hi uero de rebus bonis et malis earũq; cauſis et rationibus diſſerũt. Oratoribus uero, qui ad ſuſpicionẽ facti mouẽdam cauſas adferũt, quibus facti cõiectura colligatur: deinde qui per eaſdẽ nomẽ quiſ definiunt: denique qui in iudiciali ſtatu, cauſas & rationes tractãt, quibus reũ defendant uel opprimant. EX earũ differẽtia.] Supra dictũ eſt, multas eſſe cauſarum differẽtias, neceſſitatem, uoluntatem, naturam, perturbationẽ, habitum, artem, & caſum. De quibus omnibus tum oratores, tum philoſophi diſputant. De neceſſitate quidem utrique, ſed philoſophi eo in ſenſu, quo neceſſitatem ſuperius accepimus: ut Neceſſitas ſit cauſa, quæ ſine ulla appetitione animi, ſine uolũtate, ſine opinione ſuum quaſi opus efficiat, à qua cauſa omnes prope rerum naturalium motus oriuntur. At oratores eam neceſſitatem ſæpius in cauſam adferunt, quæ ſub purgatione continetur. Purgationem autem uoco, cum reus conſulto ſe feciſſe negat. ea diuiditur in fortunam, imprudentiam, & neceſſitatem. Fortunam, ut Scipio apud Tribunum plebis de amiſſione exercitus. Imprudẽtiam, ut ille qui de eo ſeruo qui dominum occiderat ſupplicium ſumpſit, cui frater eſſet, antequam tabulas teſtamenti aperuit, cum is ſeruus teſtamento manumiſſus eſſet. Neceſſitatem denique, ut ille qui ad diem conuocatus non uenit, quòd eum aquæ intercluſiſſent. Sic utrique de uoluntate quærunt, & oratores, & philoſophi: oratores quidem, qui id de quo quæritur, ab eo factum continuo colligunt, qui reus eſt, ſi uoluiſſe facere et potuiſſe

probatum ſit. Nam in iis controuerſiis in quibus factum nec ne ſit aliquid queritur, colligi ſolet, uoluerit, deinde potuerit'ne quis facere, id quod arguitur feciſſe. quæ ſi probata fuerint, facillima eſt eius quod tertium ſumi ſolet, id eſt, quod fecerit, probandi uia. Philoſophi quoque de uoluntate diſputant, præcipue morales, qui uirtutum & uitiorum cauſam uoluntati & conſilio humano tribuunt, nec iniuria. ſunt enim uirtutes & uitia in manu hominum poſita. Inſuper de arte utrique, & habitu. Philoſophi quidem, qui artem uirtutis intellectualis ſpeciem faciũt: quæ eſt recta faciendarum ratio, quiq; uirtutes omnes & uitia ſub habitu collocant. Sic oratores quoque de habitu in cauſis præcipue coniecturalibus. Nam in quo eſt habitus alicuius rei, ille ad eandem proclinis eſt & propenſus. Item & oratores et philoſophi de perturbatione diſputant. Illi enim cauſam facti non uoluntati, ſed perturbationi tribuunt. proinde rem ſic defendunt, quod non conſulto, ſed perturbatione aliqua motus fecerit. Hi uero perturbationes uirtutum & uitiorum materiam faciunt. Virtutum quidem, ſi rationi pareant: contra uitiorũ, ſi rationi dominentur et imperent. Denique de caſu ſæpius utrique querunt. Philoſophi quidem, ut qui caſum inter cauſas accidentarias reponant. Oratores uero caſum purgationis loco afferunt, ut paulo ante dicebamus. IN noſtris autem.] Apud iuriſconſultos cauſæ materiam & copiam argumentorũ, ſi non uberrimam, at certe ſubtiliſſimam ſuggerunt. Nam cum ſit in iuriſconſultorum prudentia poſitum, de iure & æquo reſpõdere, æquitatẽ et ius perſpicere nõ poterunt, niſi cauſas rerũ earũ, de quibus cõſuluntur, præuiderint. PRIVATA enim iudicia.] Iudicia apud Romanos, alia priuata erãt, alia publica. Priuata, cauſarum erant ciuilium, quas Centumuiri iudicabant: ut de poſſeſſionibus, hereditatibus teſtamentis ruptis uel ratis, uſucapione, telis, agnatione, gentilitate, & aliis id genus, quæ inter ciues litem faciunt. Publica uero iudicia, ad decurias iudicum pertinebant, qui proprio & peculiari nomine iudices uocabantur. Sunt autẽ publica iudicia cauſis capitalibus, quas uulgo criminales appellant: ut de cæde, ueneficio, adulterio, parricidio, furto, ſacrilegio. Vide Ciceronem libro primo de Oratore, & Budæum in prioribus Annot. in Pandectas. NAM & ad ſunt multum, & adhibentur in conſilio.] Iuriſconſulti olim dicebantur, ad quorum prudentiam et conſilium, qui de iure rogabant, confugiebant, illiq; omnibus ad ſe adeuntibus ſui copiam in dando conſilio faciebant: ſicut Cicero libro tertio de Oratore ſcribit, ubi ſub perſona Craſſi loquens ait: Equidem ſæpe audiui de parte, & de ſocero meo, noſtros quoque homines qui excellere ſapientiæ gloria uellent, omnia quidem quæ tum hæc ciuitas noſſet, ſolitos eſſe complecti. Meminerant enim Sextum Aelium, Marium uero Manlium nos etiam uidimus, tranſuerſo foro ambulãtem: quod erat inſigne, eum quid id faceret, facere ciuibus omnibus conſilii ſui copiam. Ad quos olim & ita ambulantes, & in ſolio ſedentes domi ſic adibatur, ut non ſolũ de iure ciuili ad eos, uerumetiam de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colendo, de omni denique aut negotio, aut officio referretur. Hæc fuit Publii Craſſi illius ueteris, hæc Titi Coruncani, hæc Scipionis ſapientiſſimi hominis prudẽtia, ut ad eos de omnibus diuinis atque humanis rebus referretur. iidemq; et in ſenatu, & apud populum, & in cauſa amicorum, & domi, & militiæ conſilium ſuum fidemq; præſtabant. Quemadmodũ autem apud antiquos ſacerdotes ſui ſingulis diis cõſecrati erãt, qui de futuris atque agendis conſulentibus reſponſa dabant: ſic uenerandi illi iuriſconſulti omni genere literarum inſtructiſſimi, gratuitam, non quæſtuariam iuris ſcientiam habentes, in publicum quotidie prodeuntes, unicuique ciui conſulendos ſe antiquo inſtituto præbebant, & tanquam oracula iuſtitiæ promebant, hoc eſt reſponſa boni & æqui plena. Vnde Seruius Sulpitius iuris antiſtes appellatus eſt, auctore Quintiliano, ut ſacrorũ antiſtites antiſtitæq; dicebantur. De iuriſcõſultis Iuſtinianus habet, cum de reſponſis prudentum loqueretur: Reſponſa prudentum ſunt ſententiæ & opiniones eorum, quibus permiſſum erat iura condere. Nam antiquitus conſtitutum erat, ut eſſent qui iura publice interpretarentur, quibus à Cæſare ius reſpondendi datum eſt, qui iuriſconſulti appellabantur, quorum omnium ſententiæ & opiniones eam auctoritatem tenebant, ut iudici recedere à reſponſis eorum non liceret, ut eſt conſtitutum. ET patronis diligentibus.] Aſconius Pedianus, ut ante dictum eſt, in Diuinatione Ciceronis ait: Qui alterum in iudicio defendit, aut patronus eſt, ſi eſt orator: aut aduocatus, ſi ius ſuggerit, & præſentiam ſuam commodat amico: aut procurator, ſi negotium ſuſcipit: aut denique cognitor, ſi cauſam præſentis nouit & tuetur ut ſuam. De patronis nunc agitur, id eſt, de oratoribus, qui alterum in iudicio defendunt. ex quibus illis ad prudentiam iuriſconſultorum confugientibus, & ab eiſdem conſilium petentibus defenſionum haſtæ ſuppeditantur. Haſtas Cicero uocat argumenta defenſionis, qua in ſignificatione idem Cicero in Partitionibus haſtam uſurpat, cum dicit, Accuſator ordinem rerum proſequitur, & ſingula argumenta quaſi haſta in manu collocata uehementer proponit, quòd ita argumenta conuertat, eiſq; compungat reum orator, ut in militia hoſtem miles haſta petit. Itaque Cicero bene dixit, iuriſconſultos haſtas patronis miniſtrare: id eſt, ius ſuggerere quo patronus ſeipſum tanquam miles haſta defendat. EX fide bona.] Fides bona pro æquo bono, uel æquitate ſumitur. Eſt autem æquitas, quæ ex iure ſummo multum remittit. uel ſi mauis, æquitas eſt iuris legitimi emendatio: quæ quod in iure durum eſt & intolerabile mitigat, lenit, caſtigat. Et Cicero libro tertio Officiorum de iudiciis bonæ fidei ſic loquitur, Ita nec ut emat melius, nec ut uendat quidquam, ſimulabit aut diſſimulabit uir bonus. Atque iſte dolus malus, etiam legibus erat uindicatus, ut tutela duodecim tabulis & circumſcriptio adoleſcentum lege Lætoria & ſine lege, iudiciis, in quibus ex fide bona agitur. Reliquorum autem iudiciorum hæc uerba maxime excellunt: in arbitrio rei uxoriæ melius, æquius in fiducia, ut inter bonos bene agier. Quid ergo? aut in eo quod melius æquius eſt, poteſt ulla pars ineſſe fraudis? aut cum dicitur inter bonos bene agier, quidquã agi doloſe aut malitioſe poteſt? VT inter bonos bene agi.] Id eſt, non ſummo iure agẽdũ, neque ad extrema et inimiciſſima iura recurrẽdũ. Nã ſummũ ius ſumma iniuria eſt, et ſummũ ius ſumma crux, ſummũ ius ſumma malitia. Sed ex æquo bono ſtatuendũ eſt, et æqui boniq; conſulendũ. Hanc ipſam eandem locutionẽ Cicero. 2. epiſtola ad Trebatium uſurpat dicens, ubi illa formula fiduciarum inter bonos bene agier oportet. Fiducia inter cõtractus bonæ fidei reponitur. IN arbitrio rei uxoriæ.] Arbitrium rei uxoriæ erat, quoties poſt diuortium de dote contendebatur, ſi culpa uiri diuortium factum fuiſſet, æquius melius erat nihil apud uirum manere: ſi uero culpa mulieris, ipſa dotem perdebat. AEQVVM bonum, &c.] Cum æquum bonum dicimus, abſolutam bonitatem æquitatemq; & iuris medullam, germanamq; iuſtitiam ſignificamus. Inde illa locutio; æqui boni facio, ut apud Ciceronem libro ſeptimo epiſtolarũ ad Atticum: Tranquilliſſimus animus meus, qui totum illud æqui boni facit. Item apud Terẽtium: Cæterum equidem iſtuc Chreme æqui boniq; facio. Inſuper apud Liuium. Cæterũ ſi uos nec cura ciuitatis nec exemplum, nec periculum mouet, nos æqui boniq; facimus: id eſt, non indignamur, æquo animo ferimus, & bene interpretamur. Præterea ab æquo bono hæc formula naſcitur, æquum bonum impetrare, pro eo quod uernacula lingua dicimus, habere rationem ab aliquo: id eſt ius ſuum obtinere, rem ſuam recipere. ut apud Ciceronem Philippica. 2. Igitur à quo uiuo nec præſens nec abſens quidquam æqui boni impetrauit, apud mortuum factus eſt gratus. ILLI dolum malum.]

illi iuriſconſulti ad quorum prudentiam in petendo conſilio patroni confugiunt. Dolum malum, qui ſimulatione & diſſimulatione continetur: fidem bonam, id eſt, ius non acerbum: æquum bonum, id eſt, ſummi iuris interpretationem tradiderunt, id eſt, miniſtrarunt et ſuggeſſerunt. Inſuper quid ſocius ſocio, quid procurator ei cuius negotia curaret, quid item is cui aliquid mandatum eſſet ei qui mādaſſet, quid uiro fœmina aut contra præſtare deberet, illi inquam ſacroſancti iuris interpretes ſuppeditarunt: in quibus omnibus hoc egregium præceptum ad omnem uitam pertinens eſt, hæc uox plena humanitatis obſeruari debet, ut inter bonos bene agatur. id eſt, bonos ex fide debere præſtare, etiam quæ non aperte lingua nuncupata ſint. Eſt enim, ut ait Cicero primo Officiorum, fides fundamentum iuſtitiæ, quæ eſt dictorum conuentorumq; conſtantia & ueritas: quam Stoici ſic appellatam ideo putant, quòd fiat quod dictum eſt.

CONIVNCTVS.] *De cauſis dictum, nunc de euētis dicendum eſt. Sunt autem euenta, quæ ui & impulſu cauſarum eueniunt. Rodolphus ea duplicia facit, deſtinata & effecta. ut ſint effecta, quæ ab efficientibus cauſis eueniunt: deſtinata uero, quæ ad certum finem referuntur. ut domus eſt effectus ædificantis, & calceus pariter effectus calcearij ſutoris, ſed calceus & domus deſtinata quoque dici poſſunt. nam ſicut domus habitationis cauſa fit, ita calceus ad tuēdos pedes à frigore uel æſtu immodico deſtinatur. Verum Cicero deſtinatorum non meminit inter euenta, quemadmodum neque finium inter cauſas. Sed ſicut finem ad efficientem cauſam, ſic deſtinata ad effecta redegit: nec iniuria. ſicut enim idem efficiens & finis eſſe poteſt, ſic deſtinatum & effectus in idem competere poſſunt: ut exemplo ſuperiore conſtat, quo domum & calceum deſtinata ſimul & effecta probauimus eſſe. Coniunctus eſt autem cū cauſis euentorum locus. Vnde fit, ut cauſas & euenta Rodolphus uno nomine cognata uocet, quòd altera alteris naſcendi proueniendiq; origine coniuncta ſint, aut (ut ait Cicero) quia quemadmodum cauſa quid effectum ſit indicat, ſic quod effectum eſt, cauſam demonſtrat. Quia ergo uterque locus cum altero cōiunctus eſt, idem argumentum ab utroque depromi poteſt: ut ſi auaritiam tollere uultis, mater eius tollenda eſt luxuries.*

HIC *locus ſuppeditare ſolet.*] *Cum de cauſis loqueremur, oſtendimus locum cauſarum oratoribus & philoſophis familiariſſimum eſſe. Nunc addit Tullius effecta philoſophis & oratoribus & poetis imprimis conuenire: nec non, mirabilem dicendi copiam eiſdem ſuppeditare. Neque immerito dixit. Si enim oratorum eſt & philoſophorum de cauſis diſputare, eorundem quoque erit de effectis diſſerere. nam cauſarum cognitio euentorum cognitionem facit. Et ſicut ex cauſis effecta, ſic ex effectis cauſas colligere poſſunt.* SED *ijs qui ornate & copioſe loqui poſſunt.*] *Signanter dixit, qui ornate loqui poſſunt, de philoſophis intelligens. Nam pauci, uel potius nulli ab urbe condita ad ſeculum uſque Ciceronis, latini philoſophi ornate locuti ſunt, ut libro primo Quæſtionum Tuſcul. teſtatur, ubi inquit, quemadmodum iam ante citauimus: Philoſophia latuit uſque ad hanc ætatem, nec ullum habuit lumen literarum latinarum, quæ excitanda & illuſtranda nobis eſt, ut ſi occupati profuimus, aliquid ciuibus noſtris proſimus etiam, ſi poſſimus, otioſi: in quo eo magis eſt elaborandum nobis, quod multi iam eſſe latini libri dicuntur ſcripti inconſiderate, ab optimis illis quidem uiris, ſed nō ſatis eruditis. Fieri autem poteſt, ut rectè quis ſentiat, et id quod ſentit polite eloqui non poſſit. Sed mandare quenquam literis ſuas cogitationes, qui eas nec diſponere nec illuſtrare poſſit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis eſt intemperanter abutentis & otio & literis. Itaque ſuos libros ipſi legunt cum ſuis, nec quiſquam attingit præter eos qui eandem licentiam ſcribendi ſibi permitti uolunt. Quare ſi aliquid oratoria laudi noſtra attulimus induſtria, multo ſtudioſius philoſophiæ fontes aperiemus, è quibus etiam illa manabant. Sed non ſolum ad ætatē Ciceronis uſque, latina philoſophia latuit, uerum etiam hodie latet. nec latinorum philoſophorum quenquam habemus præter Ciceronem, qui dignus ſit ut legatur: niſi Senecam, Apuleium, & Boetium, latinos eſſe philoſophos dicimus: & totam Senecæ dictionem Quintilianus & Gellius notant. Apuleium nimia affectatio uitioſum facit. Denique Boetius, ſi Laurentio credendū eſt, de lingua latina male meritus cenſetur: cuius proprietatem non animaduertens, ad græciſandum nos inducit. Cæterum eorum qui hodie philoſophiā tractant, quotus quiſque latinus eſt? Sanè quemadmodum Philoxenus, Euryxidis filius, & Gnato Siculus, gulæ proceres, immo uero extremi perditiq; gulones, conuiuijs adhibiti, emungere ſe in pultarijs ſolebant, ut abſtinentibus cæteris, ſoli epulis ampliter fruerentur. ita hodierni philoſophi uocabulis ſordidis, et ex intima plebei ſermonis fece acceptis, fœdant & contaminant omnia, ut bonis mentibus & præclaris ingenijs inde auerſis, ſoli ipſi rerum potiantur, ac citra æmulum regnent.*

RELIQVVS *eſt comparationis locus.*] *Ex locis affectis ſolus ille ſupereſt explicandus, qui à comparatione uocatur: de quo Cicero ſupra in genere, quemadmodum de cæteris, locutus eſt, eiuſq; exemplum ſicut aliorum è iure ciuili deſumptum poſuit. Nunc uero comparationis uſum & tractationem explicat. Eſt autem comparatio maiorum cum minoribus, minorum cum maioribus, parium cum paribus collatio. Vel (ut Quintilianus ait) Comparata ſunt, quæ maiora ex minoribus, minora ex maioribus, paria ex paribus probant. Minus ex maiore hoc modo probatur: Fas eſt adulterum occidere, loris igitur cædere licet. Contra, maius ex minore ſic: Si furem nocturnum licet occidere, quid latronem? Ex pari denique: Hoſtius qui patrē occidit in eculeo cum gallo gallinaceo ſerpente & ſimia, in profluentem aquæ proiectus eſt: igitur Nero qui matrem occidit, pari pœna debuit affici. Nam pœna quæ aduerſus interfectorem patris iuſta eſt, eadem aduerſus interfectorem matris iuſta eſt, cum ſit uterque parens: & qui utrumlibet occidit, parricida uocetur. Itaque Nero quòd parricida fuerit, parricidæ ſupplicio dignus fuit, ut Iuuenalis octaua Satyra ſcribit:*

Libera ſi dentur populo ſuffragia, quis tam
Perditus, ut dubitet Senecam præferre Neroni?
Cuius ſupplicio non debuit una parari
Simia, nec ſerpens unus, nec culeus unus.
Par Agamemnonidæ crimen, ſed cauſa facit rem
Diſſimilem: quippe ille deis auctoribus ultor
Patris erat cæſi media inter pocula, ſed nec
Electra iugulo ſe polluit, aut Spartani
Sanguine coniugij, nullis aconita propinquis
Miſcuit, in ſcena nunquam cantauit Oreſtes,
Troica non ſcripſit. quid enim Verginius armis
Debuit ulciſci magis, aut cum uindice Galba?
Quid Nero tam ſæua crudaq; tyrannide fecit?
Hæc opera atque hæ ſunt genoroſi principis artes,
Gaudentis fœdo peregrina ad pulpita ſaltu
Proſtitui, Graiaq; apium meruiſſe corona.

Rodolphus Agricola cōparationē aliter atque à nobis definita eſt deſcripſit, ijs uerbis: Cōparatio eſt duorū in uno tertio collatio: ut Pallas potuit ſuos inimicos ulciſci, ergo Iuno ſuos ulciſci poterit. Et licuit Didoni externa regna petere, igitur Aeneæ licebit. Deinde Naſica facinoroſum ciuē iure occidit, ergo Cic. ciuē facinoroſum iure occidet. In his omnibus probationibus duo cōferuntur in uno tertio, quod utriſque conuenit. Sed illæſo nomine Rodolphi dixerim, cōparatio nō ſemper eſt duorū, neque in uno tertio ſemper fit. Quod aūt duorū nō ſemper ſit, ex Cicerone ſatis apparet, qui plura uni, unū pluribus, plura pluribus, unū uni comparat. Quod ſi unum uni non ſemper confertur, aliquando duorum non eſt comparatio. Deinde non in uno tertio ſem-

per fieri ſic oſtenditur, uel ex ipſius Rodolphi exemplis, qui cap. de Comparatione hanc eſſe comparationem dicit, inquit Craſſus orator Philippo conſuli, Ego te meum conſulem putabo, qui me tuum Senatorem non putas? Hæc eſt inquam, auctore Rodolpho, comparatio: in qua duo conferuntur, Philippus & Craſſus: ſed an in uno tertio, uiderit Rodolphus. Sanè nemo neſcit, conſulem & ſenatorem res eſſe diuerſas, quare non ſemper in uno tertio comparatio fiet. Idem Agric. comparationem à ſimilitudine hoc diſcrimine ſeparat, quod illa in uno tertio fiat, hæc in duobus: ut ſit ſimilitudo, duorum in duobus collatio. Sed quẽadmodum oſtendimus, comparationem non ſemper in uno tertio fieri: ſic oſtendendum eſt, non in duobus ſemper ſimilitudinẽ fieri, ſed aliquando in uno, quod exemplo Rodolphi probari poteſt. Similitudo eſt hæc, ut ait: Sicut in fiſtula nihil præter collum laudandum eſt, ita in Demoſthene præter collum nihil laudandum eſſe dicebat Aeſchines. Quia ſi fiſtulæ collum demas, reliquum eſt inutile: eodem modo, Demoſthenes omnem fiduciam in oratione reponebat. At in hac ſimilitudine duo non in duobus, ſed in uno conferuntur: ut Demoſthenes & tibia duo ſunt, quæ conferuntur in uno, nempe in laude colli. Verbi gratia: ſimilitudo eſt, Quemadmodum uaſa inania tinniunt, plena nullum uel exiguum ſonum emittunt: ita imperitiſſimi ſunt loquaces, ſapientes uero pauca loquuntur. uel ſic:

Ac ueluti magno in populo cum ſæpe coorta eſt
Seditio, ſæuitq; animis ignobile uulgus,
Iamq; faces & ſaxa uolant, furor arma miniſtrat:
Tum pietate grauem ac meritis ſi forte uirum quem
Conſpexere, ſilent, arrectiſq; auribus aſtant:
Ille regit dictis animos, ac pectora mulcet.
Sic cunctus pelagi cecidit fragor, æquora poſtquam
Aſpiciens genitor, cæloq; inuectus aperto
Flectit equos, curruq; uolans dat lora ſecundo.

Inſuper hæc eſt ſimilitudo apud Lucanum:

Cæſaris an curſus, ueſtra ſentire putatis
Damnum poſſe fugæ? ueluti ſi cuncta minentur
Flumina, quos miſcent pelago ſubducere fontes,
Non magis ablatis unquam decreuerit æquor,
Quàm nunc creſcit aquis.

In qua ſimilitudine duo in uno, non in duobus conferuntur: puta mare et Cæſar, in eo quod eſt creſcere uel decreſcere. Sed fortaſſe dicet Rodolphus, eadem uerba, ſcilicet creſcere & decreſcere, mari & Cæſari conueniunt, ſed eorum uerborum longe diuerſa uis eſt in Cæſare & mari. Eodem modo in ſuperiori ſimilitudine, Demoſthenes & tibia in laude colli conferebantur: ſed colli in utroque, puta Demoſthene et tibia, non eadem ratio eſt. Quo fit, ut non in uno fiat ſimilitudo, ſi rem potius quàm uerbũ ſpectes. Verum rurſus obijcitur, Similitudo eſt rerum diuerſarũ eadem qualitas, ergo duorum eſt in uno, nempe in eadem qualitate collatio: ut ſicut terra, ſic animus noſter cultu melior euadit. Sed ita diluet Rodolphus, Eiuſmodi ſimilitudines ſub comparatione cõplector: aliud autem ſimilitudinis genus facio, quã analogiam Græci, nos proportionem uocamus: neque de omni etiam analogia, ſed de ea tamen quæ eſt interrupta, non quæ cõtinua eſt, loquor. IN *quibus ſpectantur hæc.*] *In maiorum minorum & parium comparatione quatuor inſpici poſſunt, numerus, ſpecies, uis, & ad res aliquas affectio quædam: perinde eſt ac ſi Cicero dicat, quæcunque comparantur, aut numero, aut ſpecie, aut ui, aut affectione inter ſe conferuntur. Numero, ut plura bona paucioribus præferuntur. Specie, Id eſt pulchritudine, ut integra cõtaminatis, imperfectis perfecta, tota partibus. quæ in comparatione ſpecies pro pulchritudine (ſicuti dictum eſt) ſumitur: ſic enim uulgo interpretantur. Poteſt tamen & pro dialectica forma ſumi, ut ex Ciceronis exemplo liquet, qui ſecundum ſpeciem bona propter ſe expetẽda, bonis alijs propter alud utilibus præfert & anteponit. at bona propter ſe, & propter alud expetenda, diuerſæ ſunt bonorum ſpecies, quorum alia honeſta, alia utilia, alia iucunda ſunt. Præterea ui, id eſt, efficacia, uel ſi mauis uirtute materia ſua præfertur artifex, tanquam efficiens rei ſtolidæ quiete nihil agenti: ſic effectrix cauſa non effectrice grauior eſt, & maius pondus habet, ut qui ædificat, lignis & lapidibus ſecundum uim præfertur. Affectione denique res comparari dicuntur, quando earum una uni rei, altera alteri affecta eſt. quæ meliori rei affecta eſt, præſtantior eſſe dicitur, ea quæ peiori afficitur: ut quod Reipublicæ prodeſt, melius dicitur eo quod priuata conducit, quia Reſpublica melior eſt quàm priuata. Sed poteſt aliter hic locus intelligi, hoc modo: Quæ ſuapte natura uel ſecundum ſe nullam comparationem ſubeunt, ſecundum iudicia hominum & affectus & cupiditates comparari poſſunt, ut cum ea quæ à popularibus ueniunt, poſſunt æque præſtare & excellere, atque ea quæ à principibus oriuntur: tamen quæ à principibus ueniunt, meliora iudicãtur, quàm quæ à quolibet homine proficiſcuntur. & hæc comparatio non ex rerum natura, ſed ex hominum iudicio & affectu fieri ſolet.* ATQVE *ut hæc in comparationem.*] *Quemadmodum ſecundum numerum, ſpeciem, uim, et affectionem maiora cum minoribus comparantur: ſic ſecundum hæc quatuor minora cum maioribus conferri queant, ut ſi ſuperiora exempla conuertas hoc modo. pauciora bona pluribus poſt ponũtur, imperfectiora perfectioribus minoris habentur, incerta ſtabilibus poſtponi debent, quæ à paucioribus probantur, poſthabenda ſunt ijs quæ à pluribus cõmendantur.* PARVM *autem comparatio.*] *Neque lationem, id eſt, maius, nec ſummiſſionem, id eſt, minus recipit. eſt enim æqualis, cuius exemplũ hoc eſt: Qui ob rem iudicandam pecuniam accipit, idem ob teſtimonium falſum dicendum pecuniam accipiet.* PERFECTA *eſt.*] *Mirum uideri poteſt, quare Tullius dicat nullam præterea ſedem argumenti quærendam eſſe, cum à definitione, partibus, nota, rebus affectis profectus fueris. Nam in fronte libri Cicero dixerat, argumenta partim in locis inſitis, partim in ijs quæ extrinſecus aſſumuntur incluſa eſſe. Atqui nihil ex ijs locis quæ extrinſecus aſſumuntur præcepit, ſed extraria ſedes argumentorum explicandæ ſuperſunt: non igitur perfecta eſt omnium argumentorum inueniendorum perceptio. Nam argumenta non ſolum in inſitis locis, uerumetiam in aſſumptis incluſa reperiuntur. Sed hoc ſic diluì poteſt. Cicero ſignanter a dicit, Inueniendorum argumentorum, non quæcunque argumenta inueniuntur à locis inſitis (de quibus omnibus dictum eſt) petuntur. Nam inueniuntur, quæ à locis aſſumptis oriuntur. nam ab oratore non excogitantur, ſed extra dicendi rationem accipiuntur, & foris ad eum deferuntur. Verum obijci poteſt: Ante dixit in Partitionibus Cicero, argumentũ omne inuẽtum eſſe, idq; partim ab inſitis, partim ab aſſumptis locis trahi, in quibus incluſum eſt. quo fit ut argumenta externa inueniri uideantur. id quod ita ſoluimus: inueniuntur quidem, id eſt, depromuntur, oriuntur, quæruntur, petuntur ab ipſis ſedibus & locis, in quibus incluſa ſunt. Cæterum cum inueniri negamus, ita accipiendum eſt, ut Cicero in Partitionibus cepit, qui ea ab oratore non excogitari dixit, ſed ad eũ cum cauſa deferri, delata tamen arte tractari. Rurſus quiſpiã obijcere poterit, Cicero poſteaquã locos omnes in Partitionibus diuiſiſſet, quos in hoc opuſculo declarat, alios quoſdam locos fecit, quorum tamen in hoc opere non meminit: nõ eſt itaque perfecta inueniendorum argumentorum præceptio. Sanè ut quod ſentio aliquando dicã, Cicero nouos alios non fecit locos in Partitionibus, ſed poſtquam omnes primum recenſuit, ſecunda diſtributione non omnes quos antea diuiſerat repetit, ſed eos tantum quibus orator ſæpius uteretur. reliquos uero, quos orator non frequenter uſurparet, conſulto præterijt, utpote notationem uerbi,*

coniugata,

coniugata,antecedentia,& conſequentia: quos locos orator nó ſæpe tractat. Nam ut quod dico,non inualidis auctoritatibus cõfirmem, ſingulorum rationes reddam,quibus auctores non ignobiles,quos dixi locos ab oratore reijciunt. Primo nomē rei Quintilianus ab argumentis excludit, qui.10.cap. lib.5. ſic habet: Quidam in perſona nomen rei ponunt,quod ei proculdubio accidere neceſſe eſt,ſed in argumentum raro cadit. At nomen rei ſecundum Rodolph.notatio uerbi eſt,quare notatio uerbi in argumentum raro cadit,ſi nomen rei raro cadit. Porro de coniugatis idem ſcribit: Ridiculum putarem ijs adijcere , quod Cicero coniugatum uocat,niſi eo uteretur. Præterea de antecedentibus & conſequentibus,ipſemet Cicero teſtis locupletiſſimus eſt : qui antecedentia & conſequentia locos dialecticos eſſe tradit , nec ad uſum oratorium magnopere pertinere, ſed ab adiunctis quæ maxime oratoria ſunt plurimum differre. Ex his igitur apertũ eſt,non nouos à Cicerone locos in ſecunda,quæ eſt in Partitionibus oratorijs locorum diſtributione,factos eſſe:ſed eos tantum repetitos,quibus orator plurimum uteretur:reliquos autem omiſſos,qui ad oratorem non multum pertinerent . idq; ideo Cicero feciſſe uerisimile eſt,quando ad filium ſcribebat , quem locorum omnium confuſa diſtributione turbare uel decipere noluit , ſed conciſa & breui repetitione, quibus uteretur, quoſque negligeret, facere docuit,eos uidelicet locos repetens quos ad oratorem ſpectare diceret,alios uero reſcindens quos ſuperius nominaui.

SED quoniam ita à principio diuiſimus .] In diuiſione locorum duas probationis ſpecies fecimus . alias enim orator ex cauſa trahit, & quodammodo ipſe ſibi gignit: alias uero extra dicendi rationem accipit. Illas Græci ἐντέχνους , id eſt, artificiales uocant, ut ſunt definitio, partes, nota, & res affectæ,de quibus ſatis eſt dictum . has illi ἀτέχνους appellant,id eſt , artis expertes. quæ tametſi ab oratore nó gignantur,ſed foris ad eum deferuntur: eas tamen ad ſe delatas orator arte tractat . de his pauca dicamus . ETSI ea nihil omnino ad ueſtras diſputationes pertinent .] Iuriſconſulti dicuntur, qui iura publice interpretantur, & quærentibus de iure reſpondent . Sed teſtimonium, id eſt,probatio artificialis nihil ad ius pertinet. Quo fit,ut ad iuriſconſultorũ diſputationes hæc probatio quæ extrinſecus aſſumitur,nihil ſpectet . Quod autem ad ius nihil pertineat, ſic oſtenditur. Tunc eſt teſtibus opus, cum factum negatur: at cum de iure quæritur, nó modo de facto, ſed & de nomine facti conſtat: igitur teſtimonium ad ius non ſpectat , ſed potius ad cauſas coniecturales, in quibus factum nec'ne ſit quæritur,pertinet . NEQVE enim tu is es .] Hoc ſimile eſt illi quod ante dixit, Vtrum igitur hactenus ſatis eſt? tibi quidem tam acuto & tam occupato puto:ſed quoniã auidum hominem ad has diſcendi epulas recepi,ſic accipiam,ut reliquiarũ ſit potius aliquid,quàm te hinc patiar non ſatiatum diſcedere . QVAE dicitur artis expers .] Hæc probatio non propterea dicitur artis expers,quod ita ſit. neque enim eſt artis expers, ſed artis indiget,ut in Partitionibus Cicero probat. Verũ ideo ſic appellatur,quod ab oratore non inueniatur , ſed eam à litigatore accipiat. Porrò Cicero nomine teſtimonij omnem probationē artis expertem comprehēdit. Nam id omne teſtimonium uocat, quòd ab aliqua re externa ad faciendum fidem ſumitur:id eſt, quidquid extrinſecus aſſumitur, neque ex cauſa trahitur. Quæ uero ab aliqua re externa trahũtur,multiplicia ſunt,& uarias habent ſpecies,ut ſunt præiudicia,rumor, fama,tormenta, tabulæ iuſiurandum,teſtes, tum iudicium gentis,populi ſapientis,clari uiri, poetæ & uulgi, denique deorum auctoritas , de quibus paulo poſt abunde dicemus . PERSONA autem non qualiſcunque, &c.] Teſtimonium ante definiuimus, id omne quod ab aliqua re externa ſumitur, ad faciendũ fidē. cuius duplex eſt genus, diuinum & humanum . Diuinum teſtimonium dicitur,quod dei alicuius uel numinis uoce perfertur : ut ſunt oracula,auſpicia,uaticinationes, reſponſa ſacerdotum,aruſpicum & coniectorum. Humanum uero eſt, cuius prima origo à nobis eſt. idq; duplex eſt: aut enim in ſcriptis,aut in oratione poſitum eſt. In ſcriptis,ut ſunt chirographa & inſtrumenta litis,quas tabulas Quintilianus appellat:in oratione uero, ut ſunt dicta teſtium. Sed oratio duplex eſt,libera inquam & expreſſa. Liberam uoco , quæ uoluntarie & citra ullam coactionem profertur,ut eſt rumor,& fama populi, ut doctorum & magnorum uirorum ſententiæ:ut denique ſunt teſtium dicta,quẽadmodum iam diximus. Expreſſa oratio dicitur , quæ ui & coactione quadam pronunciatur. idq; dupliciter fieri poteſt,religione & tormentis . Religione, quando quis ad dicendam ueritatem iureiurando adigitur . eam orationem Cicero & Rodolphus teſtimonium iuratum uocant. Tormentis uero, ut cum quæſtione,quam gehennam uulgo dicunt,id eſt cruciatu & tortura corporis ueritas à reo extorquetur , quod teſtimonium ijdē quæſitum appellant. Vt autem paucis finiam, teſtimonium omne humanum,uel ex auctoritate,uel ex uolũtate,uel ex oratione libera aut expreſſa ſpectatur:in quo inſunt ſcripta , pacta , promiſſa,iurata,quæſita. Ea omnia ſiue diuina, ſiue humana, Quintilianus in octo ſpecies diſtribuit. In præiudicium,rumorē, tormenta,tabulas,iuſiurandum,teſtes,iudicium gentis, populi ſapientis,clari uiri, poetæ & uulgi,tum denique in auctoritatem deorum. Eſt autem præiudicium,auctore Aſconio Pediano , res quæ cum ſtatuta fuerit,adfert iudicaturis exemplum quod ſequantur: quale fuit ſenatus iudicium aduerſus Milonem. Senatus enim iudicauerat,ut dicebant Clodiani,cædem Publij Clodij contra rempublicam factam fuiſſe. Fama eſt cõſenſus ciuitatis, & uelut teſtimonium publicum,uel contra. Fama eſt ſermo ſine certo auctore diſperſus:cui malignitas initium dederit, incrementum credulitas,quod nulli non etiam innocentiſſimo poſſit accidere, fraude inimicorum falſa uulgantium . ut ſuperioribus annis in hac ciuitate accidit,cum uulgo ferebatur, externos qui tum in ciuitate erant, puerorum carnibus ueſci: qui rumor eo uſque creuit, ut id à pleriſque creditum ſit,& à ſæuiente plebe nonnulli externi male mulctati ſint . Quæſtio quæ βάσανος græce dicitur , eſt ueritatis per cruciatus & tormenta corporis inquiſitio atque expreſſio, ut ij qui de illo ſacroſancto cruſtulo male ſenſerant,idq; negabant,torqui confeſſi ſunt. Per tabulas omnia litis inſtrumenta, ſicut Quintilianus ait , intelliguntur : ut ſi quis creditorem ſuum neget , proinde eum liberare nolit . creditor productis tabellis,tanquam teſtibus mutis & inanimatis, ſe pecuniam ei qui negat,credidiſſe probet. Porro iuſiurandum eſt, per religionem expreſſa oratio,eruendæ ueritatis gratia:ut ſi te in ſummis meis uerſari, id eſt debitorem meum eſſe neges,ex te iuſiurandum exigo, & ad ueritatem dicendam iureiurando cogo, ut expreſſa per religionem oratione,confitearis an meus debitor ſis. Teſtes noti ſunt,qui ſint : de quorum interrogandorum ratione Quintilianum lege. Iudicium uero eſt , ut ſi quid uiſum eſt gentibus,populis,ſapientibus,claris uiris,poetis, & uulgo,quod ad rem tuam faciat,id referre poſſis. ut ſi de uitæ incommodis diſſeras,te iuuabit earum perſuaſio nationum, quæ fletibus natos,lætitia defunctos perſequuntur:idq; gentis iudicium eſt,tamen ſi miſericordiam iudici commendare uelis,tibi proderit citare prudentiſſimã Athenienſium ciuitatem, quæ miſericordiam non pro affectu,ſed pro numine accepit quòd populi iudiciũ eſt. Deinde ſi qua adultera cauſam ueneficij dicat, M.Catonis clari uiri iudicio dãnabis,qui nullam adulteram nõ eandem ueneficam eſſe dixit. Inſuper ſi ad uirtutē horteris , ex ſeptem ſapientum præceptis auctoritatem deſumes . Præterea à poetis ſententias trahes,quales ſunt hæ Virgilianæ ſententiæ.

Stat ſua cuique dies, breue & irreparabile tempus
Omnibus eſt uitæ, ſed famam extendere factis
Hoc uirtutis opus .

–Facilis deſcenſus auerni,
Noctem atque dies patet atra ianua Ditis,
Sed reuocare gradum,ſuperasq; euadere ad auras,
Hoc opus,hic labor eſt:pauci quos æquus amauit
Iuppiter,aut ardens euexit ad æthera uirtus.

Ea quoque quæ uulgo recepta ſunt,hoc ipſo quod incertum autorem habent,uelut omnium ſiunt: quale eſt, Vbi amici, ubi opes,& conſcientia mille teſtes. Et apud Ciceronem, Pares autem (ut eſt in uetere prouerbio) cum paribus facillime congregantur. neque enim duraſſent hæc in æternum, niſi uera omnibus uiderentur. Poſtremo deorum auctoritas ex reſponſis eſt,quo teſtimonio Cicero pro Ligario uſus eſt,cum cauſam Cæſaris ideo meliorem fuiſſe dixit,quod eam dij approbaſſent. AD faciendam enim fidem auctoritas quæritur.] Cicero ante dixerat,ea quæ extrinſecus aſſumuntur, maxime ex auctoritate duci:nec immerito. Non enim cuiuis facile creditur,non baiulo ſtatim fides adhibetur, non hominis proletarij neque triobolaris uiri teſtimonium ad fidem faciendam pondus habet,neque pauperis oratio in dicendo teſtimonio ſatis ualet,propterea quòd auctoritatem non habeat. Nam,ut inquit Cicero,ad faciendam fidem auctoritas quæritur. ſit enim quamlibet improbus, quantum'uis mendax & periurus, qui pro teſtimonio dicit,ſi tamen auctoritate præditus eſt,ei credetur. è contrario,ſit ille Numa religioſior,Lycurgo iuſtior,ſanctior Solone, ſi auctoritate careat, eius teſtimonium eleuabitur. SED auctoritatem,&c.] Auctoritas aut à natura,aut à tẽpore petitur. Duo ſunt enim quæ auctoritatem adferunt,tempus & natura. uirtus naturæ tribuitur: quia ut natura conſtans & ſtabilis eſt, ſic uirtus firma eſt & immota: nec facile perire poteſt, ſed diutius hæret. Aliter ſi uirtutem naturæ tribuas,Platonicus eſſe uideberis Nã Plato natiuas uirtutes & nobis congenitas eſſe uolebat,id quod Ariſtoteles negaret: quo auctore uirtutes,neque natura, neque præter naturam ſunt. non natura quidem:nam ab his quæ nobis inſunt à natura,nemo laudatur, à uirtutibus uero laudamur. nec denique præter naturam:non enim naturæ humanæ uirtus repugnat, ſed eius igniculos, ſemina, & radices à natura tenemus:uirtutes uero doctrina, uſu, & meditatione longa comparamus. Itaque à natura inchoãtur, tempore perficiũtur.

INGENIVM.] Cicero tempori,non naturæ tribuit ingenium:ueruntamẽ nihil eſt aliud quàm ingenita natura, quæ propter naturæ tribui debebat. Quod autem ingenium ſit natura,teſtatur Horatius,qui in Arte poetica ſic habet:

Ingenium miſera quia fortunatius arte
Credit,& excludit ſanos Helicone poetas
Democritus,bona pars non ungues ponere curat,
Non barbam,ſecreta petit loca,balnea uitat:
Nanciſcetur enim pretium nomenq; poetæ,
Si tribus Anticyris caput inſanabile nunquam
Tonſori Licino commiſerit.–

Deinde paulo poſt,ut hoc in loco ingeniũ pro natura, ſic in illo qui ſequitur naturam pro ingenio uſurpauit:qui ſic ait,

Natura fieret laudabile carmen,an arte,
Quæſitum eſt.ego nec ſtudium ſine diuite uena,
Ne rude quid proſit uideo ingenium:alterius ſic
Altera poſcit opem res,& coniurat amice.

Sed iſta dilui poſſunt. non ſtatim repugnat, ingeniũ tempori tribui, ſi naturæ concedatur. Nam ut artis principium eſt natura,tempus uero finem arti imponit,& quod natura inchoatum eſt,arte perficitur:ſic ingenij rudimenta naturæ debentur, tempori uero perfectio. Nam niſi ingenium excolas, ut ferrũ quod non exercetur rubiginem contrahet. Cæterum tempori tribuuntur ingenium,opes,ætas,fortuna, ars, uſus, neceſſitas, concurſio etiam nonnunquam rerum fortuitarũ,et ideo tribuuntur,quod iniuriam temporis patiantur,& una cum tempore mutentur.

NON recte fortaſſe.] Ingenioſis uulgo creditur, ſed an recte,neſcio. certe quo teſtis ingenioſior eſt,eo callidior,& ad falſum teſtimonium dicendum promptior. Nã id induſtria ſua iudici probabile ſe redditurum confidit,& interroganti uel iudici uel aduerſario prudenter & aſtute ſatisfacturum. Deinde opulenti digni uidentur,quibus credatur,ſed iniuria: indignum eſt enim plus opibus quàm homini tribuere,& illis maiorem fidem quàm huic adhibere. Nõ eſt profecto ex fortuna fides cuiuſque ponderanda:ſed eſt cuiuſque rei teſtis locupletiſſimus habendus, qui de quo agatur,facillime ſcire poſſit. SED uulgi opinio mutari uix poteſt.] Licet ipſa ſanctitate ſis ſanctior,& ueritatis multo omnium amantiſſ. & obſeruantiſſimus, tamen ſi pauper es non tibi credetur. At ſi opulentus es,teſtimonium tuũ magni fiet. Iuuen. Saty. 3. docet,qui ſic inuehitur:

Da teſtem Romæ tam ſanctum,quàm fuit hoſpes
Numinis Idæi,procedat uel Numa,uel qui
Seruauit trepidam flagranti ex æde Mineruam,
Protinus ad cenſum,de moribus ultima fiet
Quæſtio: quot paſcit ſeruos,quot poſſidet agri
Iugera,quàm multa magnaq; paropſide cœnat?
Quantum quiſque ſua nummorum ſeruat in arca,
Tantum habet & fidei. iures licet,& Samothracum
Et noſtrorum aras, contemnere fulmina pauper
Creditur,atque deos, dijs ignoſcentibus ipſis.
Quid quod materiam præbet cauſasq; iocorum,
Omnibus hic idem, ſi fœda & ſciſſa lacerna,
Si toga ſordidula eſt,& rupta calceus alter
Pelle patet,uel ſi conſuto uulnere craſſum
Atque recens linum oſtendit non una cicatrix.
Nil habet infœlix paupertas durius in ſe,
Quàm quod ridiculos homines facit.–

QVI enim his rebus quas dixi excellunt.] Qui ingenio et opibus,& alijs rebus quas Cicero tempori conceſſit,excellunt,uirtute excellere uulgo uidentur. quia rudis & imperita multitudo uirtutem humanam diuitijs metitur:eumq; felicem eſſe, nedum probum ſibi perſuadet,qui omnium opulentiſſimus. unde poeta quidam illud cecinit:

Quiſquis habet nummos, ſecura nauigat aura,
Fortunamq; ſuo temperat arbitrio.

Sed quàm falſa ſit hæc opinio uulgaris teſtis eſt Crœſus ille regum ditiſſimus,qui quòd opulentiſſimus eſſet ſeſe mortaliũ beatiſſimum credebat. ſed cum à Cyro Perſarum rege bello captus eſſet,et in pyram conijceretur,inclamauit, Solon Solon recte dixeras exſpectandã eſſe finem homini,ut beatus cenſeretur. Eodem argumento Gyges,regno Lydiæ,armis & diuitijs abundãtiſſimo inflatus,cum Apollinẽ Pythium ſciſcitatum ueniſſet, an aliquis mortalium ſe eſſet felicior, deus ex abdito ſacrarij ſpecu uoce miſſa,Aglaum Sophidiũ ei prætulit, is erat Archadũ pauperrimus, ſed ætate iam ſenior terminos agelli ſui nunquam exceſſerat,paruuli ruris fructibus ac uoluptatibus contentus. Verum profecto uitæ beatæ finem Apollo,non adumbratum, oraculi ſagacitate complexus eſt. Quocirca inſolenter fulgore fortunæ ſuæ gloriãti,reſpondit, malle probare ſecuritate uigens tugurium,quàm triſtem curis & ſolicitudinibus aulam: paucasq; glebas pauoris expertes, quàm pinguiſſima Lydiæ arua metu referta: & unum aut alterum iugum boum facilioris tutelæ, quàm exercitus & arma, & equitatum, uoracibus impenſis oneroſorum. & uſus neceſſarij horreolum, nimis nulli appetendum, quàm theſauros omnium inſidijs & cupiditatibus expoſitos. Ita Gyges, dum aſtipulatorem uanæ opinionis deum habere concupiſcit, ubi nam ſolida & ſincera eſſet felicitas,didicit. SED reliquis quoque rebus.] Quamuis in arte,& uſu,& ætate nulla ſpecies uirtutis inſit,ad fidem tamen faciendum ætas uſus & ars momentum habent. Nam, ut ait

Cicero

Cicero, magna eſt uis ad perſuadendum ſcientia aut uſus. & plerunque fides adhibetur ijs qui experti ſunt. Sed interim cum de arte et uſu loquimur, ſcrupulus exoritur qui me male habet: Quo'nam pacto Cicero tempori artem & uſum tribuat, potius quàm naturæ, cum ars naturæ ſit imitatrix, & uelut quædam ſimia, cumq; quemadmodum in natura, ſic & in arte conſtantia ſit: neque ars, neque uſus ad ferendam iniuriã temporis paratæ ſint, nec cum tempore mutentur, ſed pertinaciter hæreant. Verum hoc modo diluitur: Quamuis neque ars, neque uſus cum tempore mutentur, tamen quia ars non niſi longo ſpatio tẽporis acquiri poteſt, nec uſus rei cuiuſpiam niſi tempore comparetur: ideo Tullius artem & uſum tempori tribuit. FACIT etiam neceſſitas fidẽ.] Neceſſitas duplex eſt, una à corporibus ab animis altera naſcitur: neceſſitas quæ à corporibus naſcitur, tormentum, uel ſi mauis quæſtio latine dicitur. Nam facinoroſi cum torquentur, neceſſitate uerum fatentur: plerunque tamen ſi infirmo copore ſint, in tormentis mentiri coguntur. alijs uero patientia, mendaciũ facile facit. Quo fit ut hoc uulgo iactetur; mentietur in tormentis qui dolorem ferre poteſt: mentietur qui non poteſt: Quæ uero ab animis oritur, à perturbatione uenit. Eſt autem perturbatio, auerſa à recta ratione contra naturam animi incitatio, quæ tametſi uoluntaria & non neceſſaria (nam obiurgatione & admonitione deijcitur) tamen habet tantos motus, ut non ſpontanea, ſed neceſſaria uideatur.

CVIVS generis etiam illa ſunt.] Sub neceſſitate illa quæ ab animis naſcitur, pueritiam ſomnum, imprudentiam, uinolentiam, inſaniam, & ſimilia, Cicero reponit: nec immerito. Neceſſitatẽ enim prius definimus, quæ ſine ulla appetitione animi, ſine uoluntate, ſine opinione & iudicio ſuum quaſi opus efficiat. Itaque pueri multa frequenter indicant, quæ ignorant ipſi ad quid pertineat. Item per ſomnium unum, inſaniam ſine ulla uoluntate multa ſæpe patefiunt: ut qui dormit, nõnunquã quæ egit recenſet & aperit, alioqui ignota futura niſi ipſe detexiſſet. ſic qui uino obrutus eſt, quæ uidit, audiuit, egit, imprudens narrat. Nã ut uulgo fertur, in uino eſt ueritas. ſic inſani ſæpius indicabunt, quod alius fecit. HVIC ſimile quiddam de Lacedæmonio Pauſania.] Pauſanias Lacedæmoniorum dux, Argilium quendam puerũ adamabat, cui literas ad Xerxem Perſarum regem, aut (ut alij uolunt) Artabanum Xerxis præfectũ dedit: quibus Pauſanias Lacedæmonios Xerxi prodebat, & præcipiebat, ut quoſcunque nuncios ad Xerxem mitteret, interficeret, ne proditio patefieret. Argilius ille nuncius literarum Pauſaniæ inter ferendas literas in animum ſuum induxit, in eis literis aliquid de ſe ſcriptum eſſe: quare literas reſignauit & aperuit, ut quid illud eſſet, præſciret. cognouit ſibi moriendum eſſe, ſi literas ad Xerxem proferret. quapropter eas Ephoris, id eſt, magiſtratibus Lacedæmoniorum tradidit: qui effecerũt, ut Argilius in templum Neptuni confugeret, & illic in quandam aram cõſideret. Erat in eo tẽplo locus quidã ſubterraneus, ex quo quidquid cum Argilio quis locutus eſſet, ab Ephoris exaudiri poſſet. In eum locum Pauſanias ad Argilium deſcẽdit, et eũ orauit ne ſe proderet. Itaque Pauſanias hoc dicto ſeipſum prodidit. nam ab Ephoris exauditus eſt: à quibus comprehenſus eſt, & damnatus. Hoc teſtimonium ab imprudentia petitum eſt. Hanc hiſtoriam Aemilius Probus, & Thucydides ita recenſent. Verum Iuſtinus lib. 3. eandem longe aliter ſcribit; quippe qui dicat nõ ab Argilio, neque à ſeipſo Pauſaniam proditum fuiſſe, ſed à collega ſuo Ariſtide Athenienſium duce. IN hoc genere etiam, &c.] Concurſionis rerũ fortuitarũ exẽplũ tradit, quod eſt de Palamede, qui concurſione rerũ fortuitarũ in proditionis ſuſpicionem uenit. totam hãc ſeu hiſtoriã ſeu fabulam, Seruius in ſecundũ Aeneidos exponit hoc modo: Palamedes, ut ait Apollonius, ſeptimus à Belo, cum delectũ militũ per Græciam ageret, ſimulantẽ inſaniã Vlyſſem duxit inuitũ. ferebat ille ſalẽ, iunctis diuerſæ naturæ animalibus. At Palamedes obiecit illi filium: ſuſtulit aratrũ Vlyſſes, ne eum læderet. Hoc argumento illum non inſanum oſtendit. & ad bellum ductus, habuit iuſtam cauſam doloris. miſſus deinde in Thraciam Vlyſſes, nihil aduexit frumẽti. increpitantiq; Palamedi reſpõdit, non ſua negligentia id eueniſſe, neque illum ſi illuc proficiſcatur, quidquam aducturum. profectus Palamedes, plurimum frumenti aduexit. Vlyſſes inuidia motus, adulterinã Priami nomine epiſtolã ſcripſit, in qua agebat Palamedi proditionis gratiam, & commemorabat ſecretum auri pondus eſſe tranſmiſſum: deditq; captiuo ferendum. Eoq; cæſo, epiſtola ad regem portata, corruptiſq; ſeruis aurum in tentorium inuexit. Citatus eſt Palamedes, epiſtola in conſpectu principum lecta. ſimulabat reo adeſſe Vlyſſes, ſuadebatq; ut aurum in tentorio ſi eſſet inquireretur. Reperto autẽ auro; Palamedes lapidibus obrutus eſt. Hic prudens fuit. nam & tabulam luſoriam ad comprimendas otioſi exercitus ſeditiones, teſte Varrone inuenit. Secundum quoſdam, inuenit literas. Certum eſt autem inueniſſe eum, x, ſ, c, cum h. de quo ſic Virgilius ait:

Fando aliquid ſi forte tuas peruenit ad aures,
Belidæ nomen Palamedis, & inclita fama
Gloria, quem falſa ſub proditione Pelaſgi,
Inſontem infando indicio, quia bella uetabat,
Demiſere neci, nunc caſum lumine lugent.

HVIVS etiam generis.] Sub tempore famam complectitur, eamq; hoc modo definit, ut ſit quoddam multitudinis teſtimonium, de qua ſuperius dictum eſt. QVAE autem uirtute fidem faciunt.] Paulo ante diximus auctoritatem aut à natura, aut à tempore peti. de tempore ſatis multa diximus: de natura dicendum eſt, id eſt de uirtute, quam adfert natura. Igitur quæ uirtute, id eſt, non incerta opinione fidẽ faciunt, ea bipartita ſunt: quaſi dicat, firmiſſima teſtimonia duplicia ſunt. quædam enim natura ualent, quæ à diuinis rebus petita ſunt: quædam induſtria, quæ ab hominibus. De priore genere, hoc eſt de diuinis teſtimonijs, prius loquamur. Eorum duo ſunt genera. nam alia ſunt orationis, alia rerum. Orationis, ut oràcula: quæ ſic ideo appellata ſunt, quòd in ijs quædam inſit deorum oratio. Rerum, ut mundus ipſe, qui diuinæ prudentiæ quoddam teſtimonium eſt. IN quibus inſunt quaſi opera diuina quædam.] Mundus, ut dixi, eſt ſummi illius artificis opus, ut poeta quidam cecinit, hoc modo:

Quidquid habet Phlegeton, quidquid caua uiſcera terræ,
Quidquid ineſt pelago, quidquid ſecat aera pennis
Feciſti, & ſolus totum hoc opus ipſe gubernas.

Item Picus Mirandula:

Alme deus, ſumma qui maieſtate uerendus,
Verè unum in triplici numine numen habes.
Cui ſuper excelſi flammantia mœnia mundi,
Angelici ſeruit turba beata chori.
Cuius & immenſum hoc oculis ſpectabile noſtris,
Omnipotens quondam dextra creauit opus.
Aethera qui torquet, qui nutu dirigis orbem,
Cuius ab imperio fulmina miſſa cadunt.
Parce precor miſeris, noſtras precor elue ſordes,
Ne nos iuſta tui pœna furoris agat.

EIVSQVE omnis ordo & ornatus.] Mundum Latini à mundicie & ornatu (teſte Varrone) quemadmodũ Græci κόσμον eadem ratione uocant. de quo Ariſtot. in libro de Mundo ſic loquitur: Itaque uniuerſorum coagmentationẽ, cœli inquam & terræ, & uniuerſi mundi, motu quodam principiorum ſumme contrariorum commode attemperato, natura ipſa digeſſit, una eademq; concinna, cohærentia quippe ſiccum humido, calidum frigido, graui leue mixtum, & rectum orbiculari. Terram etiam omnem, omne mare, æthera, ſolem, lunam, &

poſtremo totum cœlum, ubi una per omnia pertinens, certo ordine deſcripſit, concinneq; digeſſit, è diuerſis ipſa naturis atque impermixtis aere, terra, igne & aqua mundum architectata. Quē cum etiam globoſa ſuperficie comprehendiſſet, naturas quàm maxime contrarias, ueluti edicta concordia & imperata aſtrinxit ad conſenſum, mutuumq; commercium: cuiuſmodi rerum molitione uniuerſitati ipſi ſalutem machinata eſt. huius autem rei cauſa eſt, concordia elementorum. Concordiæ porrò cum eſt æquabilitas, & quod alterum altero non plus pollet. ad æquilibrum enim adæquant grauia cum leuibus, calida cum iis quæ ipſis oppoſita ſunt. natura utique nos docēte, in maioribus æqualitatem nutricem eſſe concordiæ & ſeruatricem. Concordiā autem mundi eſſe ſalutem, rerum omnium parentis, ac longe omnibus præſtantis pulchritudine. Nam quæ tandem natura præſtabilior ipſa? quam enim dixeris cunque eius utrique ipſius mūdi pars erit. Nam quidquid pulchritudine præditum eſt, id quaſi gentile mundi, habet cum eo nominis ſocietatem: adeo quod recte atque ordine conſtitutum eſt, id à mundi nomine concinne digeſtum, Græco ſermone conſentaneaq; partium compoſitione, ſpecioſum eſſe ſignificatur. Ecquid'nam eſt autem ſingularum partium, quod cum eo æquari poſſit ordine, quo cœleſtis motus temperatus eſt & conſtitutus? Idem paulo poſt ait, uniuerſum ipſum commodius κόσμον nominari, id eſt, compagem recte cōpoſitam, concinnoq; ordine digeſtā, quàm ἄκοσμον, id eſt congeriem confuſam & inconditam. DEINCEPS aeriq; uolatus auium atque cantus.] Vt ſunt auguria & auſpicia à præpetibus & oſcinibus, id eſt à ſecundis & ſiniſtris auibus: præpetibus quidem, id eſt, à ſecundo uolatu auium: oſcinibus uero, id eſt ab auibus quæ ore & cantu ſiniſtro auſpicium faciebant, petita. DEINDE eiuſdem aeris ſonitus & ardores, multarumq; rerum in terra portenta.] Ex eo dicta ſunt portenta, quod rem futuram portendant, ut. 2. anno belli. 2. Punici, uiſus eſt ſol cum luna pugnare, & ſolis orbis minui. prodigium id portendebat, futurum eſſe, ut imperium Romanum decreſceret, minueretur q;, & Romanorum uires ab Annibale (qui per lunam, quemadmodum per ſolem imperium Romanum, intelligebatur) prope frangerentur. ATQVE etiam per exta inuenta præſenſio.] Vt ſunt aruſpicia. Aruſpices enim arigam, id eſt, hoſtiam ab hara, hoc eſt ſtabulo, ad aram, altare agebant & ducebant. eaq; hoſtia duplex erat, aut animalis, aut conſultatoria. Animalem hoſtiam Macrobius uocat, cuius anima deo litatur. ut apud Virgiliū. 2. Aeneidos:

Sanguine placaſtis uentos, & uirgine cæſa,
Cum primum Iliacas Danai uenistis ad oras.
Sanguine quærendi reditus, animaq; litandum
Argolica.-

Conſultatoria uero dicitur, quādo uoluntas dei per exta ſeu inteſtina mactatæ hoſtiæ diſquiritur. ut apud eundem,

-Pecudumq; recluſis
Pectoribus, inhians ſpirantia conſulit exta.

Ex ipſis hoſtiis uel animalibus uel conſultatoriis quædam ſunt iniuges, id eſt, nunquam domitæ ac iugo ſubditæ, quarum Virgilius in ſexto Aeneidos meminit,

Nunc grege de intacto ſeptem mactare iuuencos
Præſtiterit, totidem lectas de more bidentes.

Quædam ſunt eximiæ, ſic dictæ, quòd è grege eximantur, uel quòd eximia ſpecie quaſi offerenda numinibus eligantur. hinc libro quarto Georgicon Virgil. ait,

Quatuor eximios præſtanti corpore tauros.

Aliæ denique ambrales erant, quæ (ut ait Feſtus Pompeius) rei diuinæ cauſa circum arua ducebantur ab iis qui pro frugibus faciebant. huius ſacrificii mentionem in Bucolicis fecit, ubi de Apotheoſi Daphnidis loquitur:

Hæc tibi ſemper erunt, & cum ſolennia uota
Reddemus nymphis, & cum luſtrabimus agros.

Vbi luſtrare ſignificat circuire. hinc enim hoſtiæ nomen acquiſitum eſt, ab ambiendis aruis. unde primo Georgicon Virgilius,

Terq; nouas circum fœlix eat hoſtia fruges.

A' DORMIENTIBVS quoque multa ſignificata uiſis.] Qualia ſunt quæ per quietem uiris flagrantiore diuinorum amore perflatis, aut poſtremorum etiam nunquam ſcelerum obnoxiis territamenta reddi ſolent: ut Cæſar in ſomniis ſibi uiſus eſt matri ſtuprum intuliſſe. quod ſomnium ſignificabat futurum eſſe, ut orbem terrarum ſubigeret. Nam per matrem terra (quæ communis eſt omnium parens) intelligebatur. ut auctor eſt Suetonius, qui in Cæſare ſic habet: In urbe confuſum Cæſarem ſomnio proximæ noctis. Nam uiſus erat per quietem matri ſtuprum intuliſſe, coniectores ad ampliſſimam ſpem incitauerunt, arbitrium orbis terrarum portendi interpretantes, quia mater quam ſubiectam ſibi uidiſſet, non alia eſſet quàm terra, quæ omnium parens haberetur. IN homine uirtutis opinio ualet plurimum.] Paulo ante teſtimonium à uirtute petitum, in naturam & induſtriam diſtribuerat. de teſtimonio naturæ, id eſt, diuino locuti fuimus: de induſtriæ, id eſt, humano teſtimonio loquamur. In hominis teſtimonio plurimū ualet opinio uirtutis. Opinio uero à fide ſic differt, quod fides ſit certa, & ſemper uera: opinio incerta, et nonnūquā fallax. Quare bene Cicero dicit opinionem eſſe, non modo eos uirtutem habere qui habeant, ſed omnes etiam qui habere uideantur. quod perinde eſt ac ſi dicat, opinionem non modo rerum uerarum eſſe, ſed & earum quæ cum non ſint, eſſe tamen apparent. ITAQVE quos ingenio.] A' claro ciue, oratore, philoſopho, poeta, & hiſtorico teſtimonium ſæpe trahimus. A' claro ciue, ut Catone, Lælio, Scipione, qui ſi quid quod ad rem noſtram faciat, dixerit, ſcripſerit, uel egerit, recitamus, tanquam rei noſtræ teſtimonium recenſemus: ut ſuperius de muliere adultera dicebamus, quam Cato ueneficam eſſe uolebat. Ab oratore, ut ſi quempiam ad defenſionem ſui horteris, illud à Cicerone quod eſt in Miloniana mutuaberis. Eſt (inquit) non ſcripta, ſed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus, uerum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus: ad quam non docti, ſed facti: non inſtituti, ſed imbuti ſumus. ut ſi uita noſtra in aliquas inſidias, ſi in uim, in tela, aut latronum aut inimicorum incidiſſet, omnis honeſta ratio eſſet expendendæ ſalutis. A' philoſopho, ut ſi illud Ariſtotelis in rem tuam conuertas: Non eſt ſatis de uirtute ſcire, ſed enitendum eſt eam habere. A' poeta, ut ſi illud Iuuenalis cites, cum de uotis humanis diſſeris:

Orandum eſt, ut ſit mens ſana in corpore ſano.
Fortem poſce animum, & mortis terrore carentem,
Qui ſpatium uitæ extremum inter munera ponat
Naturæ, qui ferre queat quoſcunque labores,
Neſciat iraſci, cupiat nihil, & potiores
Herculis ærumnas credat, ſæuoſq; labores,
Et uenere, & cœnis & plumis Sardanapali.

Denique ab hiſtorico, ut ſi illud Valerii Maximi ad rem tuam faciens cites: Lento gradu ad uindictā ſui diuina procedit ira, tarditatemq; ſupplicii grauitate compenſat.

IN M. T. CICERONIS TOPICA, IOANNIS VISORII COMMENTARIVS III.

XPOSITIS omnibus argumentandi locis.]

e Superiori libro ſedes argumentorum expoſitæ ſunt, nunc de quæſtione dicendum eſt. Nam cum argumētum ad probandam quæſtionem adferatur, neque ulli rei niſi quæſtioni confirmandæ, uel refellendæ adhibeatur: conſequens eſt, ut expoſitis argumentorum naturis, de quæſtione nonnihil dicamus.

dicamus. Eſt autem quæſtio, in controuerſiam adducta propoſitio: quæ tametſi natura ſua nihil dubij in ſe continet, de ea tamen perinde agitur, ac ſi dubia foret. ut quæſtio eſt, An mundus prouidentia regatur: quæ licet per ſe ſumpta certa ſit, (nã mundum prouidentia regi certum eſt) tamen cum hæc propoſitio in quæſtionem uertitur, de ea quæritur tanquam dubitabilis eſſet. NEC ullam eſſe diſputationem, in qua non aliquis locus incurrat.] Quæſtio, rei eſt dubia. Argumentum, ratio eſt rei dubiæ fidem faciens: uel ſi mauis, ratio per ea quæ certa ſunt fidem dubijs adferens. Itaque cum quæſtioni, id eſt rei dubiæ fides non niſi argumentis fieri poſſit, & argumenta omnia depromantur à locis, haud dubie colligitur, nullã quæſtionem eſſe ad quam probandam locus aliquis non ſit idoneus. ut enim illud de quo quæritur probes, oportet è loco argumentũ tuum depromas, quo rei controuerſæ fidem ſis facturus. ut ſi quæratur, An in omnibus iuri ſit parendum: reſpondebis, non eſſe ſemper iuri parendum. Idq; à definitione iuris probabis: Ius eſt, quod omnia recta & inflexibilia exigit. quod autem tale eſt, æquitatis eſt inimicum, quæ de iure multum remittit, quamq; ſequi ſemper debemus. non igitur in omnibus iuri parendum eſt. NEC ferè omnes locos incidere in omnem quæſtionem.] Non omnibus probandis omnia conueniunt. Quid enim differenti de optimo ciuitatis ſtatu & utilius'ne ſit eam principis unius arbitrio quàm populi conſenſu regi, profuerit ſcire, Reſpirent nec'ne ſub aqua piſces? quid item ſuadenti Cæſari, ut bellum inferat Pompeio, adiuuerit, Ecquid habitent ex aduerſa nobis regione orbis terrarum homines, quos ἀντίχθονας Græci uocant. Pari ratione cum multi ſint loci qui rei de qua quæritur non cohæreant, neque ulla ex parte cum ea coniuncti ſint: conſequens eſt, non omnes locos in omnem quæſtionem incidere. Nã quidquid ad alterius confirmationem adfertur, conſentaneum & uelut cognatũ eſſe oportet illi, cui probando adhibetur: ut ſi Cæſari ſuadeas, ut Pompeio bellum inferat, cohærebit & conſentaneum erit hoc argumentum Curionis,

—Socerum depellere regno:
Decretum eſt genero, partiri non potes orbem,
Solus habere potes, igitur bellum inferas:—

Tum Rempub. unius imperio regendam eſſe, cohærenti ratione confirmabis, hoc modo: Vt mundus uno ſole regitur, ita Reſpubl. uno principe gubernari debet. ET quibuſdam quæſtionibus alios, quibuſdam eſſe alios aptiores locos.] Cum tres ſint quæſtiones, una coniecturalis An ſit, altera finitiua Quid ſit, tertia iuridicialis Quale ſit: quidam ſunt loci qui ad coniecturalem quæſtionem probandam aptiores ſunt, quàm ad finitiuam & iuridicialem. quidam contra magis ſunt finitiui, quàm coniecturales aut iuridiciales. quidam iuridiciales magis quàm finitiui, uel coniecturales: ut locus ab adiunctis ad coniecturalem firmandam magis quàm ad reliquas pertinet quæſtiones, ut Aſdrubal ab adiunctis coniecturam collegit, apud Varum fluuium coniunctas eſſe copias Romanas, quoniam ſtrigoſiores equos & coloratiora uideret corpora. Sic Annibal, cũ exercitum urbi Romæ admouiſſet, nondum fractas eſſe res Romanas, argumento ab adiunctis cognouit: quoniam ager in quo tum caſtra locauerat, proſcriptus ſit, & inuenerit emptorem. Vtrunque argumentum Aſdrubalis & Annibalis, quod à loco adiunctorum petitum eſt, tantum eſt coniecturale, non etiã finitiuum aut iuridiciale. ſic locus à definitione tantum finitiuus eſt, & non iuridicialis uel coniecturalis. Ita qualitas ſimplex, uel collata, id eſt ſimilitudo & comparatio, magis conuenit iuridicialibus quæſtionibus probandis, quàm alijs. Verum de his poſtea fuſius loquemur. hoc in præſenti dixiſſe ſatis ſit.

QVAESTIONVM duo ſunt genera.] Quæſtio duplex eſt, una finita, altera infinita. Finitam uoco, in cuius finibus circunſtantiæ ſunt. & propterea finita dicitur, quòd de finitis, id eſt, determinatis, certis, notis, & (ut ſemel finiam) expreſſis circunſtantijs conſtet. Circunſtantiam Græci περίστασιν uocant. Ea eſt congregatio perſonarum, locorum, temporum, cauſarum, modorum, caſuum, factorum, inſtrumentorum, ſermonum, ſcriptorum, & non ſcriptorum. eandem circunſtantiam nonnulli negotium appellant. quam enim circunſtantiæ definitionem dedimus, eandem negotio tribuunt, ut Quintilianus libro tertio docet. Circunſtantia uero ex eo dicta eſt, quòd perſonam uel rem circunſtet. unde fit ut attributum, uel rei uel perſonæ uulgo uocetur. Diuiditur autem circunſtãtia in ea quæ perſonis & rebus accidunt. Id eſt, in perſonarum & rerum attributa. Perſonæ accidunt & attribuuntur hæc, genus, natio, patria, ſexus, ætas, educatio, habitus, fortuna, conditio, natura animi, uictus, ſtudium, affectus, quòd ante uel actum, uel dictum eſt. Temporarius animi motus, id eſt, commotio: ut ira, pauor, conſilium, denique nomen, quæ omnia (ut dixi) perſonam circunſtant. Quare circunſtantiæ perſonæ ſunt. Rei accidunt cauſa, tempus, locus, occaſio, inſtrumentum, facultas, modus. Hæc eſt definita quæſtio: An Cato Stoicæ ſectæ philoſophus, Martiam uxorem repudiare debeat? eſt enim certis perſonis & expreſſis notata, quæ ſunt Cato et Martia. hanc quæſtionem modo controuerſiam, modo cauſam Latini dicunt. Controuerſiam quidem, non ſolum ſæpius quod in iudicialibus cauſis uerſetur, ſed etiam quia circunſtantiæ, quibus inuoluta eſt, rem ipſam de qua quæritur, utrinque controuerſam, id eſt, ambiguam & ancipitem reddant. Nam fieri poteſt, ut uni litigatorum circunſtantia perſonæ proſit, alterum uero litigatorem rerum negotiorumq; attributa iuuent & defendant. ſic efficitur, ut cum unus ſeſe circunſtantia perſonæ defendat, eundem alter loco, tempore, inſtrumentis oppugnet: res ipſa de qua quæritur in controuerſiam ueniat, ſitq; dubium, utri parti fides potius adhiberi debeat. ut uir theologus latrocinij cauſam dicat, ſeipſum quòd theologus ſit defendet, quaſi latrocinium in utrum theologum non competat, neque ueriſimile ſit, ut is qui theologus eſt, latrocinetur. Contra uero, quia in loco latronum receptatore & occultatore repertus eſt, quodq; nocte intempeſta per urbem graſſari, tanquam ſicarius ſit deprehenſus, ideo in latrocinij ſuſpicionem tametſi theologus ſit, uenit. Vides in hac quæſtione, An Socrates (ut ſic eum appellemus) uir theologus in loco latronum receptatore nocte intempeſta repertus, latro ſit. In hac inquam quæſtione uides, rem controuerſam fieri, quia circunſtantiæ perſonæ cum rei circunſtantijs diſſident. quare dubius es animi, & pendes, utri, circunſtantiæ'ne perſonæ an tempori uel loco credas. cum enim illi ſubſcribis, hæc ad ſe te reuocant. cum his uero credis, illa te reuocat ad ſe, & ut ſibi credas inducit. Eandem, ut dixi, propter eas quas expoſui rationes, Latini controuerſiam uocant, quam ſimili argumento, cauſam quoque nominant. quia litigatores uel eorum patroni, nunc perſonam, nunc locum, nunc tempus cauſentur & accuſent, id eſt; in confirmationem facti uel refutationem, perſonam, locum, tempus, tanquam cauſam, id eſt, rationem faciendi uel non faciendi, ſæpius adferunt. Eam quæſtionem Græci ὑπόθεσιν uocant. Rodolphus Agricola ſcribit, ὑπόθεσιν & quæſtionem conditionalem non differre: ſed quàm recte dicat, uiderit. Nemo me hercule negauerit, hanc quæſtionem eſſe conditionalem: An ſi qua mulier eſt adultera, eſt & uenefica? eam tamen quæſtionem quis ὑπόθεσιν dixerit, cum definita quæſtio non ſit? è contrario hæc eſt ὑπόθεσις, An Milo Clodium iure occidit? hæc inquam hypotheſis eſt: nam controuerſia eſt, at quæſtio conditionalis non eſt unde fit; ut quæſtio conditionalis & hypotheſis eædem non ſint. De quæſtione finita hactenus. nunc de infinita dicendum. Ea circunſtantiarum complexu non conſtat, neq;

perſonis,locis,temporibus notata eſt:ut, An ſit regnandum? in qua quæſtione nullam circunſtantiam uides, non perſonam, nõ locum, non tempus, ſed res nuda ſine ſuis qualitatibus per interrogationem proponitur. eam Græci θέσιν nominant, nos ad uerbum poſitionem uocare poſſumus: Latini uero nunc propoſitum, nunc conſultationem appellant. Propoſitum quidem, quia res nuda detractis circunſtantijs in quæſtione ponitur. Ego tamen propoſitum alia ratione uocari, ducta ſimilitudine à propoſitione puto. ut quemadmodum propoſitio eſt rei nudæ in anguſtum contracta expoſitio: narratio uero non rei modo eſt, uerum etiam circunſtantiarum elatior & fuſior explicatio: ſic propoſitum fiet, ſi nudæ propoſitioni interrogatio addatur: & narratio in controuerſiam, id eſt, definitam quæſtionem conuertetur, ſi cum interrogatione proferatur. Nam definita quæſtio ex narratione, infinita ex propoſitione, adiecto interrogandi ſigno deſcendit. Quapropter infinita quæſtio propoſitum à propoſitione in dubium reuocata dicitur. ut enim in narratione res cum ſuis circunſtantijs explicatur, in propoſitione ſimplex & nuda rei ſubſtantia detractis circunſtantijs frequenter exponitur: ſic definita quæſtio rem ſuis implicitam circunſtantijs interrogat, infinita uero de re ſola ſine circunſtantiarum complexu quærit. Vnde non iniuria, ſicuti dictum eſt, propoſitum uocatur. Propter tandem cauſam infinita quæſtio conſultatio uocari poteſt, quòd in conſultatione ſæpius locum habeat quàm controuerſia. Nam in deliberatione frequentius proponimus quàm narramus. Eſt enim, ut inquit Cicero in Partitionibus, narratio præteritarum rerum aut præſentium, deliberatio futurarum. Itaque cum in deliberatione non narremus, ſed rem nudam breuiter proponamus, ſi propoſitioni interrogationem adieceris, ex propoſitione propoſitum, id eſt, conſultationem habiturus es. quare propoſitum non iniuria conſultatio uocatur. Conſultationem Græci θέσιν dicunt. Rodolphus theſin cum prædicatoria quæſtione confundit, nihil inter utranque intereſſe putans. Verum latum eſſe diſcrimen, ratione cõuincemus. Nam quæſtio prædicatoria dicitur, quæ ex prædicatorio pronunciato adiecta interrogatione naſcitur. ut hoc eſt prædicatorium pronunciatum, Milo Clodium iure occidit: quod ſi cum interrogatione proferas, quæſtio prædicatoria fiet, hoc modo, An Milo Clodium iure occidit? at theſis non eſt, ſed ſicut conſtat hypotheſis, utpote quæ circunſtantijs definitis notetur. Itaque quæſtio prædicatoria, & theſis, lato diſcrimine differunt. Propoſitum autem in aliquo eorum aut in pluribus.] Aduerſus ea quæ nuper diximus, obiectio naſcitur: nam cum propoſitum, id eſt, infinitam quæſtionem definiuimus, circũſtantijs carere diximus. Id quod ei repugnat, quod Cicero nunc dicit: Propoſitum autem in aliquo, aut in pluribus, nec tamen in maximis cernitur. quaſi dicat, propoſitum aliqua circunſtantia aut pluribus conſtat. Quo fit, ut propoſitum circunſtantias habere uideatur. Verum hic ſcrupus ſic eximi poteſt. Propoſitum caret circunſtantijs certis & notis, id eſt, expreſſis & definitis: at infinitas & indeterminatas, nec proprijs nominibus explicatas circunſtantias habere poteſt. ut cum quæro, An uxor ducenda ſit? propoſitum eſt, in quo tamen eſt perſona latens, uxor: ſed quænam ſit ea, non definitur. quæ ſi monſtretur, & ſuo nomine deſignaretur, nequaquam propoſitum foret, ſed quæſtio definita, uel controuerſia uerius appellaretur: ut, An Martia ducenda ſit uxor? nunc ergo nomen eius perſonæ, de qua quæritur exprimo, & circunſtantiam eius definio: quippe qui præter uxorem, quod eſt incertum perſonæ nomen, Martiam quoque addam, quod certam perſonã deſignat. Illic uero in propoſito de perſona incerta indeterminate & indefinite quærebam, an uxor ducenda eſſet. quapropter propoſitum indefinitam quæſtionem merito uocabam, cum certis & definitis circunſtantijs careat, infinitas uero habeat. NEC tamen in maximis.] Sunt qui maximas circunſtantias perſonam, locum, tempus interpretantur, hoc modo, ut dicant in propoſito cæteras circunſtantias poſſe reperiri, perſonam uero locum & tempus non poſſe. & in hac ſententia Chriſtophorus Hegendorphinus eſt, neque ab eius interpretatione Philippus Melanchthon recedit, qui hunc locum ſic intelligi putat. Nec tamen in maximis circunſtantijs propoſitum cernitur, id eſt, θέσις non tam multos locos recipit quàm ὑπόθεσις. ut ſi exemplis Philippo Melanchthoni familiaribus uti liceat, Liceat'ne gerere bellum Chriſtiano? habes unum tantum locum, uidelicet Chriſtiano licet magiſtratum gerere? ergo etiam bella. ſic uides ad hanc quæſtionem infinitam, Licet'ne bellum gerere Chriſtiano, unum tantum locum accomodari, qui eſt, Chriſtiano ſcilicet magiſtratum gerere. & ſi quæratur, an bellandum ſit cum Turcis? ὑπόθεσις eſt, ut Melanchthoni placet, ſed an recte, uiderit. quippe quæ circunſtantias definitas non habeat, niſi turcas pro definitis circunſtantijs accipere uelis: quod ſi accipias, illa ſuperior quæ eſt, Licet'ne bellum gerere Chriſtiano? non theſis, ſed ſicut hæc, hypotheſis erit: uidelicet quia nomẽ Chriſtiani in illa determinetur, in hac Turcarum. Sed ſit hæc hypotheſis, inquit Melanchthon, eam recipere longe plures locos quàm ſuperior illa recipiat. ut de Turcico latrocinio, quod mutat religionem & totam priſtinam formam Reipub. Sed neutrum, neque Hegendorphini neque Melanchthonis expoſitionem Ciceronianæ reſpondere cognoſcet, qui legerit id quod paulo poſt Cicero dixerit. Sed omnis quæſtio earum aliqua de re eſt quibus cauſæ continentur, aut una, aut pluribus, aut nonnunquam omnibus. Id enim ſonat; Omnis theſis, aut una circunſtantia, aut pluribus, aut nonnunquam omnibus circunſtantijs cernitur, quia circunſtantiæ ſunt quibus cauſæ continentur. Cauſæ enim certis perſonis, locis, temporibus, actionibus, negotijs cernitur, aut in omnibus, aut in pleriſque eorum. Quod ſi (ut Cicero uult) theſis omnibus circunſtantijs aliquando cernitur, uerum non eſt quod dicebat Hegendorphinus, in theſi perſonam, locum & tempus non eſſe. nam perſona, locus, & tempus, circunſtantiæ ſunt, quas omnes in theſi nonnunquam reperiri Cicero docet. Cæterum ſi falſa eſt Hegendorphini expoſitio, Melanchthonis ſimul expoſitio falſa eſt: qui inquit, theſin non tot locos recipere quot hypotheſis recipit. Nam loci nulli alij ſunt, niſi perſonarum & rerum circunſtantiæ, ut Quintilianus capite octauo libro quinto docet, ubi ait: Nec eſſe argumentorum loci poſſunt, niſi qui rebus aut perſonis accidunt. atqui ea quæ rebus aut perſonis accidunt, rerum & perſonarum circunſtantiæ ſunt. Itaque cum auctore Cicerone theſis omnes circunſtãtias recipiat, omnes quoque locos recipiet: at ſi omnes locos recipit hypotheſis, non plures locos quàm theſis recipiet. De cæteris circunſtantijs dubium non eſt, quin theſis eas recipiat, ut Hegendorphinus ait. ſed idem negat perſonam, locum & tempus in theſi reperiri, quas ille maximas circunſtantias appellat. Sed quòd perſona, locus, & tempus in theſi reperiantur, Quintilianus libro tertio teſtatur, qui hanc eſſe theſin dicit: An in tyrannide Reſpublica ſit adminiſtranda? in qua ſubeſt latens perſona, nec non temporis & qualitatis tacita uis. Itaque teſtimonio Quintiliani conſtat, in theſi, ut in proximo exemplo, perſonam & tempus eſſe. Quod autem locus ſit, probari facillime poteſt: ut, eſt'ne adulterum in lupanari fas occidere? Lupanar locus eſt, in quo omnis quæſtio uerſatur. Nam adulterum occidi lex permittit, in lupanari tamen non permittit. Quare ſi in lupanari occiſus ſit, cædes eſt. Ex ſuperioribus apparet, perſonam, locum & tempus non eſſe maximas circunſtantias. Nam maximæ circunſtãtiæ in theſi, Cicerone teſte, non reperiuntur. At reperiuntur perſona, & locus, & tẽpus, ut probatũ eſt. Quas ergo maximas circunſtantias Cicero uocat? nempe certas, & notas, & proprijs

nominibus

nominibus expreſſas: quo ſenſu maximæ circunſtantiæ, id eſt certæ & notæ in theſi non inueniuntur, ſed ſolum in hypotheſi, id eſt cauſa, locum habent. Nam cum Cicero cauſam definiret, dixit eam certis perſonis, locis, temporibus, actionibus, negotijs cerni, aut in omnibus, aut in pleriſque earum. Quod autem in theſi eiuſmodi circunſtantiæ non notentur, id eſt neque certæ, neque expreſſæ ſint, Cicero in Partitionibus teſtis eſt, ubi inquit: Alterum genus quæſtionis infinitum, nullis neque perſonis, neque temporibus notatum, propoſitum uoco. notatum dixit, quaſi non finitum, neque determinatum dicere uellet, quod in ſuis finibus & terminis nullas circunſtantias quærit. Eſt itaque pars cauſæ propoſitum, cum cauſa propoſitum & præter propoſitum circunſtantias etiam comprehendat. Sed quæri poteſt, ſi propoſitum pars ſit cauſæ, quare ergo propoſitum generalis quæſtio, & cauſa ſpecialis uocatur, cum generalis ſit amplior & latior quàm ſpecialis, pars uero non ſit latior toto. Hæc obiectio ſic diluitur: Quemadmodum, ut inquit Porphyrius capite de Differentia, genus pars eſt ſpeciei, eſt enim materia, & inſuper differentia: pars eſt enim forma, cum ex genere & differentia ſpeciei ſubſtantia tanquam totum ex partibus coaleſcat: ſic propoſitum tametſi ſit generalis quæſtio, cauſa uero ſpecialis, pars tamen cauſæ dicitur. Nam ut ſpecies quæ totum eſt, genus & differentiam tanquam ſuas partes continet: ita cauſa propoſitum, & inſuper circunſtantias complectitur: ideo propoſitum quæſtio generalis dicitur, quod in uniuerſum de re interroget, & per omne genus uagetur, nec huic rei magis quàm illi ſit additum, nullisq; finibus aut terminis coerceatur. Inſuper alia ratione propoſitum pars eſſe cauſæ dicitur, quòd quemadmodum pars eſt in toto, ita propoſitum eſt in cauſa, ut quod in Partitionibus Cicero confirmat, dicens, Sed eſt conſultatio, id eſt, propoſitum, quaſi pars quædam cauſæ, & controuerſiæ. ineſt enim infinitum in definito, id eſt, infinita quæſtio ſub definita continetur. ut ſi quæratur, an Martia uxor ſit ducenda Catoni? prius eſt, ut quæratur, an ducendæ ſint uxores. nam niſi ducendas eſſe conſtiteris, ridiculum erit quærere, ſit'ne Martia Catoni ducenda. Bene itaque Quintilianus inquit, ut non eſt ſatis tractaſſe generalem quæſtionem, ſic ad ſpecialem peruenire non poſſumus, generali prius non diſcuſſa. Quapropter ſpecialis quæſtio, quam definitam diximus, ad generalem, id eſt, ad infinitam quæſtionem deferenda eſt: non autem infinita ad finitam, ut plerique hallucinantur. Id quod ſecundo libro de Oratore Cicero in perſona Antonij probat, ubi dicit: Atque hic illud uidendum eſt, in quo ſummus eſt error iſtorum magiſtrorum, ad quos liberos noſtros mittimus, non quo hoc quidem ad dicendum magnopere pertineat, ſed tamē ut uideatis quàm ſit genus hoc eorū qui ſibi eruditi uidētur hebes atque impolitū. Cōſtituunt enim in partiēdis orationū modis duo genera cauſarū. unū appellant, in quo ſine perſonis atque temporibus definiatur: ignari, omnes controuerſias ad uniuerſi generis uim & naturam referri. Nam in ea ipſa cauſa de qua ante dixi, nihil pertinet ad oratoris locos Opimij perſona, nihil Decij. de ipſo enim uniuerſo genere infinita quæſtio eſt: Num pœna uideatur eſſe afficiendus, qui ciuem ex ſenatuſconſulto patriæ conſeruandæ cauſa interfecerit? cum id per leges non liceat. nulla denique eſt cauſa, in qua id quod in iudicium uenit ex reorum perſonis, ac non generum ipſorum uniuerſa diſputatione quæratur. quin etiam in his ipſis ubi de facto ambigitur, cœperis'ne contra leges pecunias Publius Decius, argumenta & criminum & defenſionis reuocentur oportet ad genus, & ad naturam uniuerſam: quòd ſumptuoſus, de luxuria: quod alieni appetens, de auaritia: quòd ſtudioſus, de turbulentis & malis ciuibus: quod à multis arguitur, de genere teſtium. contráq;, quæ pro reo dicentur, omnia neceſſario à tempore atque homine ad omnes rerū & generū ſummas reuoluentur. Atque hæc forſitan homini non omnia quæ ſunt in naturam rerum celeriter animo comprehendenti, permulta uidentur: quæ ueniunt in iudicium tum, cū de facto quæratur, ſi tamen criminum eſt multitudo, non defenſionum aut locorum infinita. Quæ uero cum de facto non ambigitur, quæruntur, qualia ſint ea, ſi ex reis numeres: & innumerabilia ſunt & obſcura, ſi ex rebus ualde & modica & illuſtria. Nam ſi Mancini cauſam in uno Mancino ponimus, quotieſcunque is quem pater patratus dediderat, receptus nō erit, toties cauſa noua naſcetur, ſin illa controuerſia cauſam facit, uideatur'ne ei quem pater patratus dediderat, ſi is non ſit receptus, poſtliminium eſſe, nihil ad artem dicendi, nec ad argumēta defenſionis Mancini nomen pertinet, ac ſi quid adfert præterea hominis dignitas aut indignitas, extra quæſtionem eſt, ea tamen ipſa oratio ad uniuerſi generis diſputationem referatur neceſſe eſt. Hoc ego non eo conſilio diſputo, ut homines eruditos redarguā, quanquā reprehendēdi ſunt, qui in genere definiendo iſtas cauſas deſcribunt in perſonis & in temporibus poſitas eſſe: nam & ſi incurrant tempora & perſonæ, tamen intelligendum eſt, non ex ijs, ſed ex quæſtionis genere pēdere cauſas. Sed hoc nihil ad me, nullum enim nobis certamen cum iſtis eſſe debet: tantum ſatis eſt intelligi, ne hoc quidem eos eſſe conſecutos, quod in tanto otio etiam ſine hac forenſi exercitatione efficere potuerunt, ut genera rerum diſcernerent, eáq; paulo ſubtilius explicarent. Verum hoc, ut dixi, nihil ad me attinet. deinde paulo poſt: Huius quidem loci, quem modo ſum exorſus, hic eſt finis, inquit Antonius, quoniam intelligitur non in hominum innumerabilibus perſonis, neque in infinita temporum uarietate, ſed in generum cauſis atque naturis omnia ſita eſſe, quæ in dubium uocarentur. Genera autem eſſe definita non ſolum numero, ſed etiam paucitate, ut eā materiam orationis, quæ cuiuſque eſſet generis, ſtudioſi qui eſſent dicendi, omnibus locis deſcriptam inſtructam ornatāq; cōprehenderent, rebus dico & ſententijs. Ex ijs paratum eſt colligere, falſum eſſe Boetiū, qui theſin nō ad oratorē, ſed dialecticū: et hypotheſin nō ad dialecticū, ſed ad oratorē pertinere ſcripſit, cū contrario res potius habeat, id quod Quintilianus lib. 3. clare docet qui cap. 5. dicit: Neſcio an quicquid in cauſis in quæſtionē qualitatis cadit, nō generale ſit, ut Milo Clodiū occidit, iure'ne inſidiatorem occiderit: non'ne hoc quæritur, an ſit ius inſidiatorē occidēdi? ita in coniecturis non'ne illa generalia ſunt: an odium, an cupiditas cauſa ſit ſceleris, an in tormētis credendū teſtibus, an argumentis maior adhibenda fides? nihil denique non in uniuerſum definitione cōprehenditur. omnis enim definitio generalis eſt. quod autem è contrario pertineat ad dialecticos hypotheſis, oſtenditur hoc modo: Dialectici finis eſt ueriſimiliter diſſerere: ueriſimilia uero, ut Cicero in Partitionibus tradit, ex perſonis, temporibus, locis, & cæteris circunſtantijs petuntur. Itaque hypotheſis, quæ eſt in complexu circunſtantiarum poſita quæſtio, ad dialecticum pertinebit, qui ex ueriſimilibus diſſerit. SED omnis quæſtio.] Omnis infinita quæſtio, uel unam uel plures atque adeo omnes nonnunquā circunſtātias, quibus cauſæ continentur, licet latentes, nec determinatas aut definitas habet: ut eſt hæc, Eſt'ne Reſpublica adminiſtranda in tyrannide? in qua quæſtione tres circunſtātiæ latent, perſona tyranni, tempus quo Reſpublica in tyrānide adminiſtratur, & forma, uel ſi mauis qualitas Reipublicæ, puta tyrannis.

QVAESTIONVM autē quæcūque de re ſint, duo ſunt genera, unum cognitionis, alterum actionis.] Omnis infinita quæſtio uel cognitiua, uel actiua eſt, quacunque de re ſit: id eſt, ſiue de perſonis, ſiue de loco, ſiue de tempore, ſiue de alijs circunſtantijs in uniuerſum quæratur. Cognitiua quæſtio eſt, cuius finis eſt ſcientia. ut ſi quæras, an mundus ſit æternus? cognitiua quæſtio erit, quippe qui eum tantum in finem interroges, ut ſcias, non autem ut quidquā agas. Eodem modo ſi

quæratur, an à natura ius profectũ ſit? an ab aliqua quaſi conditione hominum, & pactione? quod ubi ſciueris et cognoueris, nihil amplius quæres, ſed eius rei ſcientia contentus quieſces.

Quod autem Cicero de iure quærit, animaduertendum, ius eſſe quoddam naturale, quod natura omnia animalia docuit, ut eſt tuitio ſui, & ulciſcendi uis: id quod Cicero Officiorum primo teſtatur, cum inquit, Principio generi animantium omni eſt à natura tributum, ut ſe uitam corpusq; tueatur, declinetq; ea quæ nocitura uideantur, omniaq; quæcunque ad uiuendum ſint neceſſaria, acquirat & paret, ut paſtum, ut latibula, ut alia eiuſdem generis. Commune autem animantium omnium eſt, coniunctionis appetitus procreandi cauſa, & cura quædam eorum quæ procreata ſunt. Ex hoc genere (ut Iuſtinianus ait) deſcendit maris atque feminæ cõiugatio, quam nos matrimonium appellamus. Hinc liberorum procreatio, & educatio. quoddam etiam ius ab hominibus inſtitutum eſt, quod ius gentium appellatur, idq; generis humani proprium eſt. Nam uſu exigente & humanis neceſſitatibus, gentes humanæ iura quædam ſibi conſtituerunt. bella enim orta ſunt, & captiuitates ſequutæ, & ſeruitutes, quæ ſunt naturali iuri cõtraria. Iure enim naturali omnes homines ab initio liberi naſcebantur, & ex hoc iure gentiũ omnes penè contractus introducti ſunt, ut emptio & uenditio, locatio & conductio, ſocietas, depoſitum, mutuum, & alij innumerabiles. & hæc de cognitiua quæſtione dixiſſe ſufficiat. Actiuam explicemus. Ea non tam ad cognoſcendum, quàm ad agendum pertinet, utpote cuius finis ſit actio, ut, Sit'ne ſapientis ad Rempublicam accedere? qui hoc quærit, non tam percontatur, ut ſciat, quàm ut ubi ſciuerit agat, id eſt, ubi cognouerit ad Rempublicam accedendum eſſe, ad eandem accedat, & eandẽ adminiſtret, ſi ſcierit ſuum eſſe ad Rempublicam accedere. Bene Cicero, ſit'ne ſapiẽtis ad Rempublicam accedere, interrogat. nam Plato eam demum Rempublicam felicẽ eſſe dicebat, quã philoſophi regerent, uel in qua reges philoſopharentur. COGNITIONIS quæſtiones tripertitæ ſunt.] Quæſtio cognitiua triplex eſt. una coniecturalis, qua ſit nec'ne, aut fuerit, futurum'ue ſit, quæritur. altera finitiua, in qua cum de facto conſtat, de nomine facti quæritur: id eſt quid ſit, quo'ue nomine ſit appellandum id quod factum eſt. Tertia qualitatis eſt, quæ de iure & iniuria quærit, ubi de facto ſimul & nomine facti conuenit. Quæſtio an ſit, propterea coniecturalis appellatur, quòd coniectura explicatur. Nam coniectura facti ſuſpicionem mouent, & factum nec ne ſit, coniecturis colligere poſſumus. Dicta eſt autem coniectura à coniectu, id eſt, à directione quadam rationis ad ueritatem. Eſt enim coniectura incertæ rei iudicium, ab aliquo manifeſto ſigno, aut ſuſpicione, aut ex uultu eius, de quo agitur: Vt deprehenſus eſt quiſpiam, corpus recens in ſolitudine ſepelire. hic cædis reus fit, à ſepeliendo: & ex ſepultura quæ manifeſta eſt, inueſtigamus incertũ, hoc eſt, qui auctor cædis fuerit. hæc Hermogenes capite tertio libri primi Rhetoricorum. Quæſtio quid ſit, ideo finitiua uocatur, quia definitione explicatur, quo nomine ſit afficiendum. Vt ſi quis in templo pecuniam furatus ſit, & ſacrilegij reus agatur, neget tamen ſe ſacrilegum eſſe. Accuſator ſacrilegum definiet: & ſi ſacrilegij definitio ei quod factum eſt conueniat, nomen quoque ſacrilegij conueniet. Eſt autem definitio, ut Quintilianus ait, rei propoſitæ propria, dilucida, & breuiter cõprehenſa uerbis enunciatio: ut, ſacrilegium eſt rei ſacræ in loco ſacro furtum commiſſum. Denique tertia quæſtio propterea dicitur qualitatis, quòd ea iuris & iniuriæ (quæ qualitates ſunt) diſtinctione explicetur. Eſt autem qualitas, animi uel corporis affectio, à qua denominationẽ meremur, ut à iuſtitia iuſti, iuſtéq; feciſſe dicimus. Qualitatis hæc eſt quæſtio, An Clodius inſidiator iure ſit à Milone cæſus? nõ enim de facto quæritur, nã cæſum eſſe conſtat: neque de nomine facti, quia cædem eſſe cõuenit. itaque ſupereſt, ut de qualitate dicatur: id eſt, iure an iniuria ſit cæſus. Rodolphus Agricola cap. 20. libri ſecundi, Ciceronem reprehendit, quòd quæſtionẽ cognitionis tripartitã fecerit, an ſit, quid ſit, et quale ſit: his rationibus in Ciceronẽ utitur: Philoſophus moralis poteſt quærere an ſit uirtus, et quid ſit. atqui philoſophia moralis non eſt cognitiua, ſed actiua: igitur quæſtiones An ſit, & Quid ſit, actionis ſunt, nec magis cognitionis. Ille inſuper addit, male dictum à Cicerone fuiſſe, qualitatem iuris & iniuriæ diſtinctione explicari, ſi qualitas cognitionis ſit, ut Cicero uoluit. Nam ius & iniuria non ad cognitionem, ſed ad actionem pertinent: quo fit, ut ſecundũ ſententiam Rodolphi quæſtiones an ſit, quid ſit, tam cognitionis quàm actionis ſint. qui cognitiuas & actiuas quæſtiones aliter quàm Cicero ſeparat, eas inquiens cognitiuas eſſe, quæ ad artes cognitiuas pertinent, ut ſunt naturales. actiuas uero, quæ ad artes ac ſcientias actiuas referuntur, cuiuſmodi morales ſunt: idq; recte. nec minus recte tamen Cicero, qui cognitionis quæſtiones eas facit, quarum ea facies eſt, ea natura, ut quãtum in ipſis ſit, ad cognitionem referantur, cuiuſcunque ſint artis. Actiuas uero, quæ pari ratione non tam ad cognitionem, quàm ad actionem & uſum pertinent. Idem Rodolphus cap. 7. libri eiuſdem, aliam ob cauſam Ciceronem arguit, quod quæſtionibus oratorijs an ſit, quid ſit, & quale ſit, ſubiecerit, & eas omnes ad oratorem pertinere dixerit, cum tamen Rodolphus coniecturalem quæſtionem & finitiuam oratoris eſſe neget, ſolamq; qualitatẽ oratori ſubijciat: idq; non inualidis argumentis idipſum confirmat. An ſit, primum eſt quod ulla de re quæri poteſt, cuiuſmodi certũ eſt nihil quæri in foro: neque enim an furtũ fecerit Trebius, primũ eſt quod in hac quæſtione quæri poſſit. prius enim dicet reus (ut inquit Quintilianus) Proba te habuiſſe, proba perdidiſſe, deinde proba mea fraude perdidiſſe: hoc poſtremũ eſt, de quo quæritur: ad quod tamen niſi prioribus quæſtionibus explicatis, perueniri nõ poteſt. Sic an Roſcius parricidium commiſerit, negat Rodolphus quæſtionem eſſe an ſit: nõ enim id primum eſt quod de re quæri poſſit: ſed an Roſcius unquam fuerit, an commiſſum ſit parricidium, primum quæritur: poſterius, an à Roſcio commiſſum? Itaque licet ſit coniecturalis quæſtio, non tamen an ſit (teſte Rodolpho) uocari poteſt, quod ea ipſa nullæ alia ſint quæſtiones priores. At ea quæſtio omnium prima eſt, qua an ſit res, quæritur. Verum id ſolui poteſt hoc modo: Primum in cauſis dupliciter dicitur, natura ipſarum rerum de quibus quæritur, & conſuetudine eorum qui in foro cauſas agunt. uerbi cauſa, ut ſi quæratur, an Deiotarus rex inſidias Cæſari fecerit? quantum ad naturam rei pertinet, quæri prius poterat, an fuerat unquam Deiotarus, an Cæſar, an inſidiæ factæ ſint? Deinde an Deiotarus Cæſari fecerit inſidias? atqui illarum quæſtionum quæ hanc præcedunt, nulla in forum cadit. Quo fit, ut ſi rei naturam ſpectes, in forum non ueniat id quod de re primum quæri poteſt. At ſi rationem habeas conſuetudinis eorum qui cauſas agunt, primum erit quod de ſolo nomine quæratur, An Deiotarus rex Cæſari inſidias fecerit: & hoc modo quæſtio an ſit, in forũ uenire poteſt. Addit inſuper ille, nec quæſtionem quidem Quid eſt, forenſem eſſe: idq; ita confirmat, ſi de facto conſtet, proximum eſt ut de nomine facti quæratur. itaque ſolo nomine in quæſtionem uenit, id eſt, quo nomine id quod factum eſt appellari debeat. Nihil de definitione quæritur. ut enim de facto conſtat, ſic de definitione conuenit. ſed hoc in controuerſiam adducitur, an hoc ſit facti nomen: atqui nomen definitio non eſt, cum de eo ſolo quæritur. ergo non de definitione quæretur, ut quiſpiam in loco ſacro pecuniam furatus eſt. Sed Cicero contra Rodolphum ſic defendi poteſt: licet de ſolo nomine quæratur, neque nomen ſit definitio, ſed non poterimus cognoſcere an nomen facto conueniat, niſi natura nominis definitione explicuerimus. Sic enim nomen facto conuenire

colligemus,

colligemus, ſi nominis definitio conueniat, non poteſt cuiquam definitio competere, quin eidem competat id cuius eſt definitio. CONIECTVRAE ratio in quatuor partes diſtributa eſt.] Quæſtio coniecturalis quadripartita eſt, ſit nec ne, unde ortum ſit, quæ cauſa effecerit, mutari nec ne ſic poſſit. quarum partium hæc ſunt exempla. Primæ, ſit nec ne aliquid honeſtum, id eſt, propter ſe expetendum. an quidquam re uera ſit æquum, id eſt, quod ex ſummo illo iure plurimum remittit. an potius honeſtum & æquum opinione, quàm re uera ſint, Secundæ, ut an uirtus à natura ortum ducat, an à doctrina: ab utraque ſanè. nam à natura inchoatur, & doctrina atque uſu perficitur. Tertiæ, ut quibus rebus eloquentia efficiatur. illa certe legendo, dicendo, ſcribendo paratur. Quarta uero ſic, an eloquentia in infantiam mutari poſſit. Infantia autem eſt eorum, qui orationis facultate deſtituti ſunt: id quod etymologia declarat. Dicitur enim infans, quaſi non fans, id eſt qui fari non poteſt. ut apud Ciceronem pro Cluentio, Cum uero ita ſum perturbatus ut omnia timerem, ſi nihil dixiſſem, ne infantiſſimus, ſi multa in eiuſmodi cauſa dixiſſem, ne impudentiſſimus exiſtimarer. Et ad Quintum fratrem: Gabinius abſolutus eſt. nihil illo accuſatore Lentulo ſubſcriptoribuſq; eius infantius: Tum libro tertio de Oratore: Dummodo hoc conſtet, neque infantiam eius qui rem norit, ſed eam explicare dicendo non queat, neque inſcientiam eius cui res non ſuppetat, non deſinat eſſe laudandum, quorũ alterum ſit optandum, malim equidem indiſertam prudentiam quàm ſtultam loquacitatem. Tũ in Oratore perfecto: Res autem ſic ſe habet, compoſite & ornate ſine ſententijs dicere, inſania eſt. Hac de re Gellius & Budæus meminerunt. Has quatuor coniecturæ partes Cicero in Partitionibus ad duo genera reuocat. Vnum eſt, in quo quærimus, poſſit nec'ne aliquid effici. ut cum quæritur: Ecquis'nam perfecte ſapiens eſſe poſſit? Alterum, quemadmodum quidque fiat: ut, quo'nam pacto uirtus pariatur, natura, an ratione, an uſu? Hactenus de coniectura. CVM autem quid ſit quæritur.] Quæſtioni finitiuæ quinque tribuuntur, notio, proprietas, diuiſio, partitio, & deſcriptio. Notionem hic accipe pro ratione ſubſtantiæ, id eſt, pro conceptu & intellectu ſubſtantiali. ut enim rem aliquam probè definire poſſimus, eius naturam cognitam, exploratam, & animo noſtro impreſſam habere debemus. Notionem Cicero paulo ante dicebat à Græcis tum ἔννοιαν, tum πρόληψιν uocari: eamq; hoc modo definiebat, Notio eſt inſita & ante percepta cuiuſque formæ cognitio, enodationis indigens: quale eſt genus, quod ſuam formam cognitione præcedit. Proprietas eſt, quæ ei ſoli conuenit cui propria eſt, ut ſoli homini ſermo. Proprietatem hoc loco pro differentia capere poſſumus, quemadmodum in Partitionibus Cicero cœpit, ubi inquit: Non eſt dubium quin definitio genere & proprietate quadam declaratur, id eſt, differentia. ut hic ſit huius loci ſenſus: Notio & proprietas explicanda eſt, cum quid ſit quæritur, id eſt, genus & differentia explicari debent. Nam notionem appellat genus, quemadmodum ante: & proprietatem differentiam uocat, ſicut in Partitionibus: quibus, id eſt genere & differentia, uera definitio declaratur. Tum diuiſio & partitio definitioni tribuuntur: quia definitionum aliæ ſunt diuiſionũ, aliæ partitionum, ut prius dictum eſt. Partitionum definitio eſt, cum res quæ præponitur, quaſi in membra diſcerpitur. Eſt enim partitio, totius in partes ſectio. Diuiſionum uero definitio formas omnes cõplectitur, quæ ſub eo genere ſunt quod definitur. Eſt enim diuiſio, generis in formas diſtributio. Denique definitioni deſcriptio tribuitur. Nam cum genus & differentia non ſemper ad manum ſuppetant, quibus legitima definitio conſtat: cumq; de proprijs magna cõtentio frequenter oriatur, quod uerborum propriorũ penuria & difficultate laboremus: ideo quibuſdam accidentibus rem explanare cogimur. Hæc autem accidentaria explanatio, proprie deſcriptio uocatur. Vt ſi deſcribas qualis auarus, qualis aſſentator. quippe deſcriptio eſt qualitatum omnium quæ alicui rei adſunt, & eiuſdem actionũ explicatio. ut quærenti qualis eſt elephas? reſpondebo, uaſtũ eſſe, multoq; gradiorem bubalo, nigrum, nullo penè collo, longiſſimo & flexibili naſo, quo tanquam manu ad res capiendas, oriq; præbendas utitur, duobus ſurſum uerſum dentibus tanquam cornibus eminentibus. Harum quinque partium definitionis Tullius exempla ſubiecit. Notionis primum: ut, an id quod eſt utile ei qui potentior eſt ſit æquũ. Vt hoc dijudices, notio tibi explicanda eſt: uidendumq; quis ſit intellectus æqui. Aequum autem in æqualitate conſiſtit, nec uni magis, alteri minus utile eſt, ſed omnibus ſecundum perſonæ dignitatem æquale eſt. Tum proprietatis, quæ ſoli rei de qua quæritur conuenit, & rem ab omni alia tanquam differens ſeparat: ut in hominem ne ſolũ an etiam in belluas ægritudo cadat, id eſt, ſit'ne ægritudo homini propria, an nõ? Reſponderem eſſe propriam, id quod ex eius definitione liquet, quæ eſt opinio præſentis mali, idq; ex genere ægritudinis quoque cõſtat, id eſt, ex perturbatione, quæ eſt auerſa à recta ratione contra naturam animi incitatio. Porro diuiſionis hoc exemplum eſt, ſint nec'ne tria genera bonorum. Peripatetici ſtatim eſſe tria reſponderent, unum animi, ut eſt uirtus: alterum corporis, ut uires: aliud fortunæ, ut ſunt diuitiæ. At continuo Stoici & Academici negarent, ut qui omne genus in una uirtute reponant. Et eodem pacto partitionis exemplum dari poteſt, quo diuiſionis. Nam genus eſt ueluti totum, & formæ uelut partes. Itaque quemadmodũ diuiſione genus in ſuas formas diducitur, ita totum in partes ſuas partitione ſecatur. Quapropter idem exemplum utrique, & diuiſioni, & partitioni ſufficiet, cum plerunque partitionem & diuiſionem confundamus. Denique deſcriptionis, ut aſſentator eſt qui in omnibus placere ſtudet, qualis eſt ille Terentianus, qui inquit, Quando ait, aio negat, nego: quaſi dicat, ſi is cui aſſentior aliquid affirmet, illud affirmo, ut placeam: ſi quid contra negat, illud etiam nego, ob eandem cauſam nimirum ut placeam, quod ab amico uero procul abeſt. CVM autem quæritur quale quid ſit.] Quæſtio qualitatis bipartita eſt: una ſimplex, altera comparata dicitur. Simplex eſt quæſtio qualitatis, cum abſolute & per ſe ſine collatione aliqua uel reſpectu de qualitate quæritur: ut, eſt'ne expetenda gloria? Gloria qualitas eſt, de qua ſimpliciter quæritur. nulli enim ita quærendo, confertur. Gloriam bonũ eſſe expetendum, Ariſtoteles Ethicorum primo docet. Eſt autem gloria, ut Cicero libro tertio Quæſtionum Tuſculanarum ſcribit, conſentiens laus bonorum, uox bene iudicantium de excellente uirtute. Quæſtio comparata eſt, ſi res de qua agitur, alteri rei quærendo confteratur. Vt, præponenda'ne ſit diuitijs gloria? gloria cum diuitijs in hac quæſtione confertur. Vnde fit, ut hæc quæſtio comparata ſit. Quòd autem diuitijs gloria præponenda ſit, ideo conſtat, quòd gloria per ſe ſit amanda, diuitiæ propter aliud. SIMPLICIVM tria genera ſunt.] Quæſtio ſimplex qualitatis triplex eſt, una de utili & inutili, altera de æquo & iniquo, tertia de honeſto & turpi quærit: quæ tria differunt. Nam utile eſt quod maiori bono comparando prodeſt, cuiuſmodi diuitiæ ſunt, quæ ad maius bonum acquirendum, & ad uirtutem comparandam conducunt. Eſt enim difficile, ut qui eget, bene operetur: cum diuitiæ ſint rerum agendarum nerui & inſtrumenta. Aequum dicitur, quod de iure ſummo multum remittit: uel ſi mauis, æquitas eſt legitimi iuris emendatio: hoc eſt, ἐπανόρθωμα τοῦ δικαίου καὶ νομίμου. Denique dicitur honeſtum, quod laudandum, prædicandum, præferendum, quodq; cum uirtute ſemper coniunctum eſt. Harum partium hæc ſunt exempla, utilitatis inquam, hoc modo: Sunt nec'ne diuitiæ expetendæ? Diuitias in uſum bonum expetendas eſſe dicimus. Tum, an fugienda paupertas? Illas autem

expetendas eſſe, hanc uero fugiendã, Peripatetici concederent, ſed negarent Stoici: quorum ſententia robuſta, uirilis, & maſcula uidetur. Nam ſæpenumero diuitiæ ſuis poſſeſſoribus pernicioſæ ſunt, ut Crœſo, Seiano, Craſſo, Senecæ, & alijs quàm plurimis fuerunt. At paupertas multos commendabiles, & ſempiterna memoria prædicandos reddidit: ut Curium, Fabriciũ, Serranum, de quibus Horatius:

Dicitur hinc, quantum paupertas ſobria poſſit.
Pauper erat Curius, cum regem uinceret auro.
Pauper Fabricius, Pyrrhi cum ſperneret aurum.
Sordida Serranus flexit dictator aratra.
Luſtratæ lictore caſæ faceſq; Salinis
Poſtibus affixi collecta conſule meſſes,
Et ſulcata diu trabeato rura colono.

Porro æquitatis hoc exemplum eſt: An ſit æquũ ulciſci à quocunque iniuriam acceperis? Iuſtum profecto ſemper eſt: nam uindicta iuris naturalis ſpecies eſt. uerum non ſemper æquum eſt, ſed aliquando ignoſcendum, & de ſuo iure aliquid cedendum: ut ſi tibi parens iniuriam intulerit, pietas quam erga parentem ſemper habere debes, à uindicta te hortatur. Inſuper honeſtatis: ut, ſit'ne honeſtũ pro patria mori? Sanè trecenti Fabij, Decij, Camilli, item Sinegyrus Athenienſis miles, & Leonidas Lacedæmoniorũ imperator cum ſuis illis ſexcentis Spartanis, honeſtum eſſe pro patria mori te docebunt: quos poſteritas eo nomine maxime cõmendat. mortem autem pro patria impenſam bonum eſſe, ſcribit Horatius, qui ſic habet:

Mors impenſa bonum. Decios uenerare ruentes,
Vel ſolus quid fortis agat te ponte ſoluto
Oppoſitus Cocles, Mutij te flamma docebit.

Item Vergilius:

–Pulchrumq; mori ſuccurrit in armis.

Rurſus idem:

–O terq; quaterq; beati
Queis ante ora patrum Troiæ ſub mœnibus altis
Contigit oppetere.–

Inſuper Cicero prima oratione Inuectiua in Catilinam, Patriã communem omnium parentem uocat, eamq; ſibi longe chariorem ſua uita dicit. Denique Leonidas ille (cuius iam meminimus) dixiſſe fertur, ſe plus patriæ ſuæ quàm uitæ debere, cum apud Thermopylas ſuos milites aduerſus numeroſiſſimam Xerxis Perſarum regis multitudinem hortaretur. COMPARATIONVM autem duo.] Comparata quæſtio bipartita eſt: una de eodem & diuerſo, altera de maiore & minore quæritur. De eodem & diuerſo, ut quid inter regem & tyrannum interſit, hoc fine refert, quòd rex ſit, qui cum unus in Republica imperet, non ſibi tamen, ſed publicæ utilitati ſtudet & conſulit: Tyrannus contra non Reipublicæ, ſed priuatis cõmodis proſpicit. Maioris uero & minoris hoc exemplum eſt, ut ſi quæratur, Eloquentia'ne pluris ſit, an iuris ciuilis ſciẽtia? Eloquentiam pluris eſſe, Craſſus apud Ciceronem primo de Oratore docet, cum dicit cæteras artes ſine eloquentia teneri poſſe, eloquentiam ſine cæteris non poſſe. nam eloquens encyclopædiam abſoluit. Quare quicunque eſt eloquens, eundem iuriſconſultũ eſſe neceſſe eſt. Verum poteſt quis iuriſperitus eſſe, ut non ſit eloquens. Quocirca pluris eſt eloquentia, quàm iuris ciuilis ſcientia. Is enim demum eloquens dicitur, qui de rebus omnibus ornate & copioſe dicere poteſt. Itaque nõ immerito dicebat Antonius, ſe multos nouiſſe diſertos, eloquentem uero neminem. Quia in eloquente, id eſt perfecto illo oratore, plurima deſiderãtur, quæ omnia præſtare difficillimũ eſt. Nam in Oratore, inquit Antonius, acumen dialecticorum, ſententiæ philoſophorum, uerba propè poetarum, memoria iuriſconſultorum, uox tragœdorum, geſtus penè ſummorum artificum eſt requirendus. VNVM de eodem & alio, &c.] Quòd autem Cicero quæſtionem eiuſdem et diuerſi, qualitati ſubijciat, ſibi repugnare uidetur, ut qui in Partitionibus oratorijs, idem et diuerſum definitioni, non autem qualitati tribuerit, quemadmodum & paulo poſt attribuet, qui cum de definitione loquetur, dicet. Atque huic generi finitimum eſt illud, quod appellari de eodem et altero diximus, quod genus forma quædam definitionis eſt. Si enim quæratur, Idem ne pertinacia & perſeuerantia definitionibus iudicãdum eſt: quare ergo Cicero qualitati idem & diuerſum ſuppoſuit? cum definitionis ſint, & eſſe poſtea confirmet. Huic quæſtioni ſic occurritur: Idem & diuerſum duobus modis accipiuntur, ſecundum ſubſtantiam, & ſecundum accidens. Secundũ ſubſtantiam idem & diuerſum ad definitionem pertinent. Nam quæ ſunt eadem, eorum eſt eadem ſubſtantia & definitio. At quod ſecundum accidens, uel idem uel diuerſum eſt, qualitati tribuitur. Nam qualitas non tantum pro categoria, ſed pro omni accidente ſumitur, id eſt, pro nouem accidentium categorijs, ut Agricola capite ſeptimo libri ſecũdi docet. ACTIONIS reliquæ ſunt.] Quæſtionem infinitam paulo ante in cognitiuam & actiuam diſtribuerat. de cognitiua ſatis multa dixit. Proximum eſt, ut de actiua nonnulla dicat. Ea duplex eſt: una ad officium, altera ad motum pertinet. ad officium pertinet ea quæ rectum nec ne, an recte factum faciendum ue ſit, quærit: cui quæſtioni omnium uirtutum & uitiorum materia ſubiecta eſt. Officium autem uulgo ſic definiunt, ut ſit uirtutis actio. uerum quia nomen officij duplex eſt, in genere definiri nequit, ſed diuiſione explicandum eſt. Duplex eſt igitur, ut ait Cicero primo & tertio Offic. unum medium ſiue inchoatum, quod alij imperfectum dicunt: alterum uero perfectum. Perfectum officium ad finem bonorum pertinet, eſtq; cum uirtute coniunctum, quod in ſolum ſapientem cadere poteſt, Græci κατόρθωμα uocant. Cicero tertio de Finibus bonorum & malorum, modo rectum, modo recte factum transfert. Si uerbum uerbo reddere uolumus, ſic interpretabimur: quod ſecundum rectum, id eſt, ſecundum uirtutem factum eſt. Medium autem officium eſt, quod per ſe neque bonum, neque malum uerum ad aliquem uitæ uſum ſumitur. Cuius ratio probabilis reddi poteſt, quare factum ſit. Græci μέσον appellant. Sed de officio ſatis, nunc de motu. Motus ſiue perturbatio, eſt appetitus uehementior. ſed uehementiorem appetitum uoco, qui longius diſceſſerit à naturæ conſtantia. Modo Rodolphus ſic definit, ut ſit quidam impetus animi, quo ad aliquid perſequendũ, uel fugiendum, uehementius quàm pro recta animi conſtitutione impellimur. utraque profecto definitio contractior eſt motu. Nam ei tantum motui qui πάθος appellatur, nec in ullum affectum competit, qui apud Græcos ἦθος uocatur. Quare motum, ſiue affectum diuiſione potius quàm definitione (ut qui ſimplex non ſit) explicemus. Eſt itaque duplex affectus, auctor Quintiliano, πάθος & ἦθος, quorum ille uehemens eſt & concitatus, hic uero lenis & compoſitus. RVRSVSQVE oratio.] Quintilianus libro ſexto, ubi laudat affectus, inquit orationem ſine affectibus ingratam eſſe, & exanguem, affectuſq; ipſos ſpiritum eſſe & ſanguinem orationis, qui quemadmodũ ſanguis per totum corpus funditur, ſic per totam oratione diffundi debent, tametſi in principio & epilogo præcipuas ſedes habent, ubi ſanè dominantur, uerum hic magis quàm illic. Nam in principio ſatis eſt eos uelut extremis digitis attingere, & quaſi poſtremis labris deguſtare. In epilogo uero conſumuntur, eorumq; uires omnes explicantur. Sed hac de re plura dicemus, cum ad poſtremam orationis partem peruenerimus. Hic ſunt affectuum ſpecies explicandæ, quas eſſe quatuor Cicero quarto Quæſt. Tuſculanarum ſcribit, ægritudinem, lætitiam, libidinem, & metum. Sed hic iracundiam pro libidine, nimirum ſpeciem loco generis uſurpat. Nam iracundia libidinis eſt ſpecies. Eſt autem ægritudo, opinio recens mali præſentis, in quo demitti contrahiq;

trabiq; animo rectum eſſe uideatur. Tum lætitia opinio eſt recens boni præſentis, in quo efferri rectum eſſe uideatur. Metus eſt opinio impendentis mali, quod intolerabile eſſe uideatur. Libido uero, opinio uenturi boni, quod ſit ex uſu, iam præſens eſſe atque adeſſe. Opinionem autem quam in omnes definitiones ſuperiores incluſimus, imbecillam aſſenſionem definimus. Sed in ſingulis perturbationibus ante definitis, partes eiuſdem generis plures ſubijciuntur, ut ægritudini inuidentia, æmulatio, obtrectatio, miſericordia, angor, luctus, mœror, ærumna, dolor, lamentatio, ſolicitudo, moleſtia, afflictio, deſperatio, & ſi quæ ſunt de genere eodem. Sub metum autem ſubiecta ſunt pigritia, pudor, terror, timor, pauor, exanimatio, conturbatio, formido: uoluptati maleuolentia, lætans malo alieno, delectatio, iactatio, & ſimilia: libidini ira, excandeſcentia, odium, inimicitia, diſcordia, indigentia, deſiderium, & cætera huiuſmodi. Harũ partium definitiones ex quarto quæſtionum Tuſculanarum petę. longum enim foret, ſi eas omnes recenſeremus. Itaque ſit ſatis in præſens, admonuiſſe loci. Vergilius ſexto Aeneidos, has perturbationes elegantiſſime deſcripſit, his uerſibus:

Veſtibulum ante ipſum, primiſq; in faucibus orci,
Luctus & ultrices poſuere cubilia curæ,
Pallenteſq; habitant morbi, triſtiſq; ſenectus,
Et metus, & male ſuada fames, ac turpis egeſtas,
Terribiles uiſu formæ, letumq; , laborq; .
Tum conſanguineus leti ſopor, & mala mentis
Gaudia, mortiferumq; aduerſo in limine bellum:
Ferreiq; Eumenidum thalami, & diſcordia demens
Vipereum crinem uittis innexa cruentis.

Hactenus de affectibus. quorum alius oratione gignitur, puta πάθος. alius ſedatur, uidelicet ἦθος. alius planè tollitur quibuſdam urbane dictis. nam riſus, triſtes affectus ſoluit: ut libro ſexto docet Quintilianus. HAEC autem.] Sicut propoſitum, id eſt, infinita quæſtio in cognitiuam & actiuam diuiſa eſt, ita cauſa, uel ſi mauis controuerſia, id eſt, definita quæſtio, in cognitiuam & actiuam diſtribui poteſt. & quæcũque de cognitiua & actiua quæſtione, cũ de propoſito loqueremur, dicta ſunt, eadem omnia in quæſtionem definitam transferri poſſunt: hoc eſt, ſicut infinita quæſtio cognitionis aut coniecturalis eſt, aut finitiua, aut qualitatis: ita definita quæſtio coniecturalis, finitiua & qualitatis eſſe poteſt. ut, An acceperit pecuniam Decius? minuerit ne maieſtatem Norbanus? iure ne occiderit Opimius Gracchum? ita uides nõ in propoſito modo, ſed & in controuerſia, an ſit, quid ſit, quale ſit, quæri. Præterea ſicut quæſtio infinita actionis, aut ad officium, aut ad motum pertinet: ita definita quæſtio ad officium uel motum pertinere poteſt. ut infinite quæris, An ſuſcipiendi ſint liberi? definite uero, An Catoni ex Martia ſuſcipiendi ſint liberi? quarum quæſtionum utraque ad officium pertinet. LOCI autem.] Cum tres ſint quæſtiones, coniecturalis, finitiua, & iuridicialis: omnes loci, quos prius expoſuimus, ad earum probationem adhibentur. & quamuis nonnulli ad plures accommodẽtur, alij tamen ſunt ad alias aptiores, ut cauſa et euentus: tametſi ad qualitatem, definitionem, & coniecturam accommodentur, ad coniecturam tamen potius quàm ad illas pertinent, ad quas pariter aptiſſimus eſt adiunctorum locus, Ad definitionem, methodus definiendi, quam Cicero ſuperius tradidit: ad quæſtionem iuridicialem, ſimilia & comparata maxime cõducunt, etiamſi ad reliquas referri poſſint. Quapropter bene dixit Cicero, locorum alios quibuſdam quæſtionibus aptiores eſſe, alios contra minus aptos, de quibus poſtea latius dicemus. AD coniecturam.] Locos cõiecturales enumerat, qui ſunt, cauſa, euentus, & adiunctum. Quòd autem locus ab adiunctis coniecturalis ſit, ſuperius probauimus, cum eum locum explicaremus, ubi Cicero dicit, Sed locus hic magis ad coniecturales cauſas quæ uerſantur in iudicijs ualet. Ab adiunctis coniectura colligitur, hoc modo: Quia Spurius Melius eques Romæ. frumentum populo ſua impenſa largitus eſt, & ob id factum plebem ſibi cõciliauit, unde in ſuſpicionem regni affectati uenit, & ideo à Caio Seruilio Hala magiſtro equitum occiſus eſt: ſic Mãlius Capitolinus, quia obſtrictos ære alieno liberaſſet nexos, crimine affectati regni damnatus, de ſaxo Tarpeio deiectus eſt. Cæterum cauſas & euenta quæſtioni coniecturali maxime conuenire, idem auctor eſt in Partitionibus oratorijs, ubi ſcribit: In coniectura igitur cum eſt in inficiando reus, accuſatori hæc duo prima ſunt: ſed accuſatorem præ omni actore & petitore appello. poſſunt enim etiam ſine accuſatore in cauſis hæc eadem controuerſiarum genera uerſari: ſed hæc duo ſunt ei prima, cauſa & euentus. Cauſam appello, rationem efficiendi: euentum, id quod eſt effectum. In cauſis quibus coniectura mouetur, hæc maxime ſpectantur, auctore Fabio, ira, odium, metus, cupiditas, ſpes. Quorum ſi quid in reum conueniet, accuſatoris eſt efficere, ut ad quidquid faciendum cauſæ ualere uideantur, eaſq; quas in argumentum ſumet augere: ut Cicero pro Milone docet, cauſas in Clodio fuiſſe Milonis occidendi, non in Milone occidendi Clodij. Nam Milone interfecto, non modo ut prætor eſſet, non eo conſule quo ſcelere facere nihil poſſet, ſed etiam his conſulibus prætor eſſet, quibus ſi non adiuuantibus, aut conniuentibus, certe ſperaſſe ſe poſſe Rempublicam eludere in illis ſuis cogitatis furoribus, cuius ille conatus, ut ille ratiocinabatur, nec ſi cuperent, reprimere poſſent, cum tantum beneficium ei ſe debere arbitrarentur: & ſi uellent, fortaſſe uix poſſent frangere hominis ſceleratiſſimi corroboratam iam uetuſtate audaciam. Ex quibus apparet, cauſas ad coniecturã mouendam ualere, ad quam quoque ualet affectus: ut Areopagitæ, cum damnauerant puerum coturnicum oculos eruentem, nihil aliud indicaſſe uidentur, quàm id factum eſſe ſignũ perniciosiſſimæ mentis, multiſq; malo futuræ ſi adoleuiſſet. AD definitionem autem pertinet ratio & ſcientia definiendi.] Loci finitimi ſunt, definitio, antecedens, conſequens, repugnans, necnon duo quos ſuperius coniecturales fecimus, id eſt, cauſa & euentus. Definitio quidem, à qua quæſtio finitiua uocatur. nã quid ſit, definitione declaramus. ſed memineris ſub definitione plures locos intelligi, partes, notam, coniugationem, genus, formam, differens. Hæc enim omnia, ad quæſtionem finitiuam probandam referuntur. Inſuper idem & diuerſum, definitioni uicina ſunt, proinde ad quæſtionem finitiuam pertinent. Nã quorum eædem ſunt definitiones, ipſa nimirum ſunt eadem: & quorum diuerſæ, diuerſa. ut ſi quæratur, idem'ne ſit pertinacia & perſeuerantia, diuerſas eſſe definitionibus cognoſcemus: nam diuerſæ ſunt eorum definitiones. Siquidem perſeuerantia in ratione bene animaduerſa, ſtabilis & perpetua manſio eſt: ut Cicero libro ſecũdo de Inuentione tradit. At pertinacia eſt, ſine ratione ſtabilis & perpetua manſio, ut auctor eſt Cicero primo Officiorum. Varro de Lingua latina ad Ciceronem inquit, Cum quæritur unde pertinacia ſit, à pertendendo. nam cum quis pertendit in eo in quo pertendi non debet, pertinacia eſt: in quo uero oportet manere, ſi in eo perſtet, perſeuerantia dicitur. Inſuper ad finitiuam quæſtionem, ut diximus, adhibentur antecedens, conſequens, repugnans, cauſa ſimul, & euentus. Nam ſi de rebus duabus quæratur, eædem nec ne ſint, ſi quid unam ſequatur quod non ſequatur alteram, ſi quid unius ſit antecedens quod non ſit alterius, ſi quid uni repugnet & idem non repugnet alteri, ſi quæ ſit unius cauſa quæ non ſit alterius, ſi quis denique ſit affectus unius qui non ſit alterius, res ſunt diuerſæ, non autem eædem: earundem enim rerũ eadem ſunt accidentia, conſequentia, repugnantia, cauſæ. ut à conſequentibus probabis, aſſentatorem & amicum non eoſdem eſſe. Nam ſi amicus eſt, bonus eſt: contra, ſi aſſentator, malus.

Bonus & malus diuerſa ſunt conſequentia, quare aſſentator et amicus diuerſa ſunt, ex quibus illa conſequebantur. AD tertium genus quæſtionis.] Locos iuridiciales recenſet, quos unius qualitatis appellatione comprehendit, ſed qualitatem duplicem prius fecit: unam ſimplicem, alteram comparatam. Vtraque qualitas ad iuridicialem quæſtionem confirmandam uel refellendam adhibetur. comparata inquam, quam prius bipartitam eſſe diximus: nam unam de eodem & alio, alteram de maiore & minore eſſe diximus. tum illa ſimplex, in qua de expetendo fugiendoq́; , de honeſto & turpi, de æquo & iniquo quærimus. Expetendorum autem tria genera ſunt, bona animi, corporis, & externa. Honeſtorum ſimplex eſt ratio. Nam ea demum bona, quæ ſunt animi, honeſta dicuntur: reliqua minime. Honeſtum autem eſt, quod cum uirtute coniunctum eſt. Aequitas uero bipartita eſt: una naturalis, altera inſtituta. Naturalis æquitas eſt, quam legem naturæ uocant. Eam Cicero pro Milone legem natam appellat, qua uim ui repellere licet, & de qua poeta quidam ſcribit,

Armaq́; in armatos ſumere iura ſinunt.

Aequitas autem inſtituta, dicitur ius gentium uel humanum, id eſt, ius quod homines introduxerunt, & ſibiipſis urgente neceſſitate quæſierunt. Aequitas naturalis in tuitionem ſui, & ius ulciſcendi diſtributa eſt. de qua Cicero primo Officiorum abunde loquitur, cum inquit: Principio generi animantium omni à natura comparatum eſt, ut ſe uitam corpusq́; ſuum tueatur: & cætera. Ex quo loco conſtat, tuitionem ſui, ius eſſe naturale: Verum quod ulciſcendi ius etiam naturale ſit, ex Miloniana iam docuimus. Cicero duplicem tamen æquitatem naturæ hoc in loco facit, tuitionem ſui, & ulciſcendi ius. At in Officijs procreationem liberorum adiecit, quemadmodum iuriſconſulti, qui matrimonium & liberorum educationem iuri naturali attribuunt. Aequitas autem ab hominibus inſtituta, tripartito diuiditur, In legitimam, conuenientem, & moris uetuſtate confirmatam. Aequitas legitima ius ſcriptum eſt, id eſt, lex ipſa, quæ omnia recta & inflexibilia exigit. Ea eſt, ut ait Gellius, generale iuſſum populi, uel plebis rogante magiſtratu: uel, ut Iuſtinianus ait, Lex eſt ius quod populus Romanus magiſtratu ſenatorio interrogante, uelut conſule confirmabat. Et æquitas conueniens ea dicitur, quæ de iure multum remittit. ea propriè à Græcis ἐπιείκεια uocatur, nos eam nomine cõmuni æquitatem dicimus. à qua æqui boni conſulere dicunt, id eſt, in bonam partem accipere. Aequitas uero, moris uetuſtate confirmata, mos ipſe eſt. Mos, ut inquit Varro, in iudicio animi eſt, quem uidelicet morem ſequitur conſuetudo. uel ſi mauis, mos eſt approbatio quædam, nõ lege, ſed iudicio & opinione confirmata. Morem Iulius Feſtus ita deſcribit, ut ſit inſtitutum patrium, ad religionem & ceremonias maiorum pertinens. Eſt autem inſtitutum, ius non ſcriptum: quod certum tamen auctorem habet, quem imitari cæteri non erubeſcant. quale illud eſt Valerij Publicolæ, qui primus (auctore Liuio) faces populo Romano ſummiſit: unde & Publicolam dictum fuiſſe plerique putant. Inſtituere uero eſt, auctorem alicuius rei & conditorem fieri, nec non exemplũ poſteritati dare. ATQVE etiam rurſus.] Alteram æquitatis diuiſionem Cicero facit, quæ tripertita eſt: una pietas, altera ſanctitas, tertia iuſtitia uocatur. Pietas, ut inquit, æquitas eſt ad deos ſuperos pertinens. quod tamen ei repugnat, quod ab eodem in Partitionibus dictum eſt. Illic enim ait, pietatem iuſtitiam eſſe erga parentes, non erga deos: nã quæ eſt erga deos æquitas, eam religionem uocat. Veruntamen huic quæſtioni ſic occurritur: cum pietatem erga parentes eſſe Cicero in Partitionibus dixerit, illic pro ea quæ uulgo bonitas dicitur, pietatem uſurpauit. Cæterũ in religione pietas eſt, quemadmodum ipſe libro primo de Natura deorum ſcribit, ubi ſuperſtitionem à religione ſic ſeparat, cum de Atheis loquitur. Superſtitio (inquit) timor eſt inanis deorũ: religio pio cultu deorum continetur. Itaque quam in Partitionibus religionem uocauit, nunc pietatem appellat, id eſt, pium cultum deorum: qui diuerſus eſt ab ea pietate, quam uulgo bonitatem nominari diximus. Nam ea pietas, quæ bonitas dicitur, erga parentes eſt. pietas uero quæ religio eſt, in deos eſt. Dicitur autem religio nõ à relinquendo, ut Gellius uult, ſed à relegendo, quemadmodũ Cicero lib. 2. de Natura deorum ait: Nam qui totos dies, inquit, precabantur & immolabant ut ſibi ſuperſtites eſſent liberi, ſuperſtitioſi uocati ſunt: qui uero quæ ad pium cultum deorum pertinent, pertractabant, & diligentiſſime relegebant, religioſi ſunt appellati. Ita illud nomen uitij, hoc uirtutis factum eſt. Hactenus de religione, quam hoc loco pietatem à Cicerone uocari confirmauimus. De ſanctitate dicamus. Itaque ſanctitas, ad deos manes, id eſt, inferos, æquitas eſt pertinens. quod nomen ſanctitatis duplex eſt. Nam ſanctum interim dicitur, ut ait Macrobius, quod neque ſacrum eſt, neque religioſum; ſed incorruptum, intactum, caſtum & inuiolatum. ut apud Vergilium Turnus ait:

Sancta ad uos anima, atque iſtius inſcia culpæ
Deſcendam.

Tum apud eundem:

Tuq́; ò ſanctiſſima coniux,
Fœlix morte tua.

Aliter ſanctum, ſacrum eſt & religioſum. Illud à ſanciendo: hoc à ſagminibus, id eſt, uerbenis (quæ ſacras herbas ſignificant) dicitur. Sequitur iuſtitia, quæ eſt æquitas ad homines ſpectans. Eam Iuſtinianus ſic definit, ut ſit conſtans & perpetua uoluntas; unicuique quod ſuum eſt tribuens. quæ pariter multiplex eſt: nam modo bonitas, modo fides, nunc lenitas, nunc amicitia uocatur. Bonitas erga parentes, fides creditis in rebus. nam ſecundum Stoicos (ut ait primo Officiorum Cicero, quod etiã ſuperius attigimus) fides ex eo dicta eſt, quòd id quod dictum eſt, fiat. In moderatione animaduertendi, aut puniendi, lenitas. In mutua hominum beneuolentia, amicitia. DE propoſito ſatis multa.] De quæſtionibus infinitis hactenus, quas in cognitionem & actionem diuiſimus, dictum ſit. Itaque ſupereſt, ut de finitis, id eſt cauſis & controuerſijs pauca dicamus, & ſanè pauciora dicenda ſunt, quàm ante de infinitis dicta ſunt, propterea quòd quæcunque de infinitis diximus ea omnia ad finitas transferri poſſint, & ut in Bruto Cicero dicit: Quod in genere probatum eſt, neceſſe eſt in parte probatum ſit. & hoc eſt quod ait Cicero; pleraque cauſæ eſſe cum propoſito communia. Communia ſunt, quæcunque de propoſito diximus, ut quæ non in propoſitis modo, uerumetiam in controuerſijs reperiantur. nam ſi in illis ſunt, in ijs quoque eſſe neceſſe eſt, quia propoſitum pars cauſæ eſt: cum præter propoſitum cauſa circũſtantias etiam cõprehendat, ut ante diximus. TRIA ſunt genera cauſarum.] Cauſarum genera, nec plura, nec pauciora quàm tria ſunt. Nam de quibuſcunque dicit orator, ea uel certa ſint, uel dubia neceſſe eſt. Certa laudamus uel uituperamus. hinc & demonſtratiuum genus dicitur, quòd eo genere qualis quiſque ſit laudando uel uituperando demonſtremus, Græci ἐπιδεικτικὸν dicunt, nos oſtenſiuum transferre poſſumus. Nam hoc genus ad ſolum ingenij oſtentationem compoſitum eſt, neque ad uictoriam, ſed ad finem laudis & gloriæ tendit. A' meliori uero parte laudatiuum latine appellatum eſt. quod græce ἐγκωμιαστικὸν dicitur. Dubia uero, de quibus orator dicit, bipartita ſunt. Eorum enim partim ad electionem nobis ſunt libera, de quibus deliberatur, unde deliberatiuum genus: partim aliorum ſententiæ ſunt commiſſa, de quibus lite contenditur, unde iudiciale genus. Itaque tria cauſarum eſſe genera manifeſtum euadit, laudationis, deliberationis, & iudicij. Cicero tamen ſecundo de Oratore, laudatorium genus è numero

cauſarum

cauſarum eximere uidetur, qui illic ſcribit ea quæ in foro atque in ciuium cauſis diſcepationibuſq; uerſantur, aut in lite ordinãda, aut in dando conſilio eſſe poſita. Tertium autem illud genus, puta laudatiuum, quod & à Craſſo tractum eſt, & ut audio, ille ipſe Ariſtoteles (qui hæc maxime illuſtrauit) adiunxit, etiam ſi opus eſt, tamen minus eſt neceſſarium. ſanè Craſſus per ſe in forum uenire laudem & uituperium negat. iudicialibus autem & deliberatiuis cauſis adhiberi fatetur: quæ ſententia & Iſocratis eſt. Horum autem generum hi ſunt fines, honeſtas, utilitas, & æquitas. Honeſtas quidem, laudationis finis eſt. nam quæcunque ſunt cum uirtute coniuncta laudanda ſunt. De honeſtate ſuperius diximus, quam à uirtute nõ ſeparauimus. Vtilitas deliberationis eſt finis. de qua item à nobis eſt dictum, cum de expetendis & fugiendis loqueremur. Iudicij denique finis eſt æquitas, cuius genera & diuiſimus, & definiuimus. Reliquum eſt, ut Quintiliano ſatisfaciamus, qui Ciceroni repugnare uidetur. Inquit enim ille capite quarto libri tertij: Nec ijs acceſſerim, qui laudatoriam materiam honeſtorum, ſuaſoriam utilium, iudicialem iuſtorum, quæſtione contineri dixerunt. Nam in deliberatione nonnunquam honeſtas, in laudatione utilitas, in iudicio ſimul omnia, honeſtas, utilitas, & æquitas interim tractatur. quare hæc mutuis ſtant auxilijs. Verum cum Cicero laudationis finem honeſtatem faciat, deliberationis utilitatem, & iudicij æquitatem: non ſic hic accipienda ſunt, ut honeſtas ſola & ſemper in laudatione uerſetur, in deliberatione ſola & ſemper utilitas, in iudicio ſola & ſemper æquitas. ſed quia ſæpius in laudando honeſtas, de utilibus deliberamus, æquitatem in iudicando ob oculos habere debemus. Cæterum Cicero in Partitionibus alios horum generum fines facit: delectationem in laude, ſpem & metum in ſuaſione & diſſuaſione, ſæuitiam & miſericordiam in accuſatione & defenſione. Verum illic non cauſarum, ſed motuum fines: hic uero cauſarum, & non motuum fines tradit. SED *definita quæſtiones à ſuis quoque locis.*] *Hactenus de quæſtione: nunc de ſtatu dicendum. Cum enim omnis quæſtio ſtatum habeat, non alienum fuerit, de eo quoque pauca dicere. Status autem ex eo dictus eſt, quod in eo tota cauſa conſiſtat, uel quòd in eo primus ſit cauſæ congreſſus. Nam quandiu aduerſarij conſentanea dicunt, tandiu ſtatum non eſſe certum eſt. at ſtatim ut pugnare cœperunt, ſtatus oritur. Eſt enim ſtatus, genus quæſtionis, quod ex prima cauſarum conflictione naſcitur, id eſt, ex intentione & depulſione. Occidit patrem Roſcius, intentio eſt: non occidit, depulſio. unde naſcitur hoc quæſtionis genus, An Roſcius patrem occiderit. Omnis uero ſtatus, aut coniecturalis eſt, aut finitiuus, aut iuridicialis. Coniecturalis eſt, ſi defenſor factum neget: & idem aliter iudicialis dicitur. Coniecturalis quidem ab accuſatore, quòd is factum quibuſdam coniecturalis probet. à defenſore uero inficialis, quòd inficietur & neget. ut rex Deiotarus ſtruxit inſidias Cæſari, inquit accuſator: idq; probare coniecturis intendit. non ſtruxit inſidias, reſpondet patronus qui depellit. An ſtruxerit inſidias, coniecturalis eſt ſtatus, uel (ut diximus) inficialis. Finitiuus ſtatus eſt, in quo tametſi de facto conuenit, de nomine tamen non conuenit: nã de eo quæritur. Vt ſi quis ſacrilegij accuſetur, quòd pecuniam qualemcunque de templo ſuſtulerit: & reus ſi ſacrilegium neget, concedat tamen ſe pecuniam de templo ſuſtuliſſe: quid ſit ſacrilegium, quæritur, et ſtatus eſt finitiuus, quia definitione explicatur. nam cui definitio ſacrilegij conuenit, eidem nomen ſacrilegij conueniet. Tertius iuridicialis, quamuis latine, non ſatis tamen uſitate transfertur, qui Græci δικαιολογικὸς appellatur. & eſt, cum de facto ſimul & nomine facti conſtat: ſed iure an iniuria factum ſit, quæritur. Vt Milo Clodium occidit, non negatur: res quæ facta eſt, cædes appellatur, conceditur. ſed iure an iniuria Clodius à Milone ſit cæſus, hoc eſt quod quæritur. Hos omnes ſtatus Cicero uult potius à depulſione quàm ab intentione naſci, cum dicit: Refutatio accuſationis in qua eſt depulſio criminis, græce στάσις dicitur, latine appellatur ſtatus, in quo primum conſiſtit quaſi ad repugnandum congreſſa defenſio. Et hanc eſſe Ciceronis ſententiam, ut ſtatus ex depulſione naſcatur, Quintilianus libro tertio confirmat his uerbis: Alij ſtatum crediderunt primam eius cum quo ageretur deprecationem: quam ſententiã Cicero his uerbis complectitur, quaſi ad repugnandum congreſſa defenſio. Sed memineris, deprecationem à Quintiliano uocari, quam Cicero hoc in loco depulſionem uocat. Nam uerbum deprecor, ut auctor eſt Gellius cap. 16. lib. 6. noctium Atticarum ſignificat aliquando idem quod deteſtari, execrari, depellere, uel abominari. quo in ſenſu Catullum in hoc Epigrammate cepiſſe dicit:*

Lesbia mi dicit ſemper male, nec tacet unquam
De me: diſperam, me niſi Lesbia amat.
Cui ego quaſi eadem, totidem mox deprecor illi
Aſſidue, uerum diſperam niſi amo.

In eadem ſignificatione Cicero ſecũda actione in Verrem uſurpat: Nunc uero quid faciat Hortenſius, auaritiæ'ue crimina frugalitatis laude deprecetur, an hominem flagitioſiſſimum, inuidioſiſſimum, nequiſſimumq; defendat? Ciceroni, qui ſtatum ex deprecatione, id eſt depulſione naſci dicit, Celſus contrarius eſt: qui ab eo qui intendit ſtatum fieri dicit, propterea quod is in eo probando quod intendit, ſtare cogitur. Sed Cicero melius, ſententia Quintiliani, inquit, ſtatum ex depulſione fieri. Nam ſi aduerſarius nihil dicat, ſi non reſpondeat, ſi non repugnet, certum eſt nullum ſtatum eſſe. Verum depulſio non ſemper eſt defenſoris, neque intentio ſemper accuſatoris. Quare licet à depulſione ſtatus oriatur, aliquando tamen actor, nec ſemper reus ſtatũ facit. In coniecturalibus cauſis depulſio eſt rei, quare reus inficialem ſtatum facit, quippe qui depellat: ut occidiſti, intentio eſt: non occidi, depulſio rei eſt. Status coniecturalis, an occiderit. At in iuridicialibus non reus, ſed actor facit ſtatum, quia eius incipit eſſe depulſio. Vt Milo Clodium occidit, conceditur: cæterũ Milo reſpondet, iure occidi, quæ intentio rei eſt. Contra uero dicit accuſator, non iure occidiſti, quæ eſt depulſio actoris: unde ſtatus iuridicialis oritur, an iure occiderit. ATQVE *etiam in deliberationibus.*] *Status non in ſolas iudiciales cauſas cadit, quemadmodum plerique falſo crediderunt, quos Quintil. cap. 6. lib. 3. reprehendit, ubi ait: Ergo cum omnis cauſa contineatur aliquo ſtatu, priuſquam dicere aggrediar, quomodo genus quodque cauſæ ſit tractandum, id quod commune eſt omnibus, quid ſit ſtatus, & unde ducatur, & quot, & qui ſint, intuendum puto. quanquam id nonnulli ad iudiciales tantum pertinere materias putauerunt: quorum inſcitiam, cum omnia tria genera fuero executus, res ipſa deprehendet. Itaque ſtatus non in iudicialibus tantum cauſis, uerum etiam in deliberatiuis & demonſtratiuis locum habet. De iudicialibus dubium non eſt: de reliquis ergo dicamus, & prius an in ſuaſorijs uerſatur uideamus. Itaque ſæpenumero negantur ea futura, quæ ab aliquo in ſententia dicta ſunt fore: & propterea ſanè negantur, quòd uel fieri nõ poſſint, uel ſine magna difficultate nequeant: & tum ſtatus eſt coniecturalis. ut ſi deliberetur, an palus Pontina ſiccari, an portus Oſtiæ fieri, an iſthmos intercidi poſſit: & ſint qui poſſe dicant, ſint contra qui negent, cauſa ſanè in coniecturali ſtatu uerſabitur. Inſuper in eadem deliberatione, cum de honeſtate, utilitate, & æquitate diſſeritur, aut rebus contrarijs, ſtatus finitiuus, aut qualitatis in eam diſputationem incurrit. Finitiuus quidem, ut apud Demoſthenem quæritur, an Philippus inſulam Halonneſum det Athenienſibus, an reddat. Eſt autem Halonneſus inſula, quæ cum ante ditionis Athenienſis eſſet, capta à piratis, & hinc à Philippo Macedonum rege recepta, diu in ambiguo fuit uerius*

eſſet, Athenienſis populi, an Philippi. Quare cum Athenienſes ipſi repetundarũ agerent, Philippus reddere eam quidem Athenienſibus recuſarit: quòd uidelicet ipſe eis non extorſiſſet, ſed à latronibus redemiſſet. Verum doni & muneris titulo eam ſe Athenienſibus daturum concedit: id quod ignominioſum Athenienſibus uiſum eſt. Quare Demoſthenis conſilio res bello geri cœpta eſt. Hac cauſa quid ſit reddere, quid item donare, definitur. Porro in deliberationem qualitatis ſtatus incidit. ut ſi Saguntini deliberent, an ſe Annibali dedere, an contra fidem Romanis datam ſeruare debeant: utile erat ſeſe dedere, ſed honeſtum ſeruare fidem. Itaque in hac deliberatione, cum inter honeſtum & utile ſit pugna, ſtatus qualitatis eſt. QVOD idem contingit in laudationibus.] In genere demonſtratiuo tres ſtatus reperiũtur, quẽadmodũ in reliquis. Primo coniecturalis: ut ſi quis Romulum laudet, quòd Marte præſide bellorum deo ſit genitus: & alter genitum eſſe neget. ſtatus eſt coniecturalis, an Romulus Marte genitus ſit. Tum finitiuus, hoc modo: Si quis Catonem à conſtantia & perſeuerantia laudet: & alter non conſtantiam uel perſeuerantiam, ſed pertinaciam in Catonem competere dicat: finitiuus erit ſtatus, quid conſtantia, quid pertinacia. Denique qualitatis ita: ut ſi Brutum & Caſſium laudes, quòd Cæſarem occiderint: alter uituperandos ducat, quòd hoc eorum factum non laudabile, non rectum, non iuſtum ſit: iuridicialis ſtatus erit, An Caſſius & Brutus Cæſarem iure interfecerint. QVIBVS omnibus generibus.] Tribus ſtatibus, coniecturali, finitiuo, & iuridiciali Cæſar in duobus Anticatonibus, id eſt, in his libris quos contra Catonem ſcripſit, uituperando Catone utitur. Quapropter omnes ſtatus in materiam laudatiuam cadunt. id quod Quintilianus in calce capitis de genere demonſtratiuo docet, ubi eadem cum Cicerone fermè dicit, hoc modo: Itaque ut non conſenſi, hoc laudatiuum genus circa ſolam uerſari honeſti quæſtionem, ſic qualitate maxime contineri puto. Quanquam omnes tres ſtatus cadere in hoc opus poſſint, iis quoque uſum Caium Cæſarem in uituperando Catone notauit Cicero. Verum hic ſcrupus oboriri poteſt, qui fiat ut ſtatus in genere laudatiuo reperiatur, cũ certa & non dubia laudantur & uituperantur. ubi ſtatus eſt, ibi eſt quæſtio: quæſtio uero non cæterorum eſt, ſed dubiorũ. quare qui fieri poteſt, ut ſtatus in materiam demonſtratoriã cadat? Sed ita ſoluitur: Nihil eſt tam certum, quod adduci in controuerſiam non poſſit. Quid certius eſt, quàm deum eſſe? Plures tamen eſſe negauerunt: unde Athei dicti ſunt. Porro ſi Academiæ credimus, hoc unum ſcimus, quod nihil ſciamus. Itaque in rebus humanis, auctore Academia, certi nihil eſt: uel ſi qua ſint, cõtrouerſa & dubia uiribus ingenij fieri poſſunt. SED quæ ex ſtatu cõtentio efficitur.] Quemadmodum ſtatus ex intentione & depulſione naſcitur, ita iudicatio, quam Græci κρινόμενον dicunt, ex rationis & firmamenti cõflictione et quaſi concurſu exoritur: quam Cicero in Partitionibus diſceptationẽ uocat, quòd in ea quæri ſolet de quo diſceptetur, & quid in iudicium ueniat. Quapropter à iuriſconſultis, Quæ de re agitur, appellari ſolet. Quia ergo iudicatio ex ratione & firmamento naſcitur, quid ſit ratio, quid item firmamentum, dicendũ eſt. Eſt autem ratio, qua rectè factum defenditur: id eſt, qua reus ſe rectè feciſſe confirmare nititur. ut accuſatur Oreſtes quòd matrem Clytemneſtram occiderit: occidiſſe confitetur, ſed iure occidiſſe defendit. Qua ratione defendit? nempe quod illa Agamemnonem patrem Oreſtis occidiſſet. Firmamentum uero eſt firmiſſima accuſatoris argumentatio, quæ ad labefactandam rationem defenſoris adfertur. ut cum hæc ſit ratio, qua ſe defendit Oreſtes, Ideo matrem Clytemneſtram occidi, quòd illa patrem meum occidiſſet. Contra hanc rationem accuſator firmamentum ſuum adfert, quo tanquam firmiſſimo argumento hanc rationem confutat, quod eſt, Indemnatam matrem etiam nocentem occidere non debuit. ex illa ratione defenſoris, & hoc accuſatoris firmamento, iudicatio ſicuti diximus exoritur, quæ eſt, An Oreſtes indemnatam matrem etiam nocentem occidere debuit, quod illa Agamemnonem Oreſtis patrem occidiſſet? Vides hanc poſtremam diſceptationem ratione & firmamento conſtare. FIRMAMENTA defenſionis, quibus ſublatis, defenſio nulla ſit.] Cicero uult hoc in loco firmamentum, uel ſi mauis continens, defenſoris eſſe. Verum in Partitionibus contra ſentit, ubi ait, firmamentum & rationem quæ ſunt inter ſe oppoſita ſic differre, ut ratio ſit defenſoris, firmamentum accuſatoris. quam pugnam Quintilianus capite poſtremo lib. 3. notauit. Verum leuior eſt quàm ut reprehendi debeat: & ſi germanam Ciceronis ſententiam intelligimus, nullam prorſus reperiemus. quod ut manifeſtum euadat, aſcribenda duxi, quæ in Partitionibus oratorijs de firmamento, id eſt, continente dicit. Deinde inquit, unicuique rationi opponendum eſt ab accuſatore, id quod ſi non eſſet, in accuſatione cauſa omnino eſſe non poſſet. Itaque ea quæ ſic referuntur, cõtinentia cauſarum uocentur. quanquam iis non ea magis, quæ contra rationem defenſoris afferuntur, quàm ipſæ defenſionis rationes continent cauſas. ſed diſtinguendi gratia rationem appellamus eam, quæ adfertur à reo ad recuſandum, depellendi criminis cauſa: quæ niſi eſſet, quod defenderet, non haberet. Firmamentum autem, quod contra ad labefactandam rationem adfertur, ſine quo accuſatio ſtare non poteſt. IN quare alij quaſi ſtatus exiſtunt noui, qui appellantur legitimæ diſceptationes.] Statuũ alij ſunt legales, alij rationales. Rationales, qui de re & facto ſunt, λογικοὶ Græce dicuntur, ut eſt coniecturalis, finitiuus, & iuridicialis, de quibus abunde dictum eſt. Legales uero de ſcripto ſunt, & νομικοὶ uocantur. Illi ſtatus ſunt generales, hi uero ſpeciales & minores. nam hi ad illos reuocãtur. Cum enim tres legales ſint, unus ambiguitatis, alter ſcripti & uoluntatis, tertius legum contrariarũ: ambiguitas ſanè ad coniecturam reducitur, ſcriptum uero & uoluntas, item leges contrariæ, modo ad coniecturam, modo ad qualitatem referuntur. Eſt autem ſtatus ambiguitatis, quando ſcriptum duas uel plures ſignificationes recipit, inter ſe differentes & diuerſas: ut quiſpiam paterfamilias duos filios habebat: unus Leo, alter Pantaleo uocabatur. ipſe pater moriens, teſtamentum hac forma confecit: Dono mea bona Pantaleoni. In hoc ſcripto eſt ambiguitas. Nam ex eo duæ ſignificationes colligi poſſunt: una, ſi uox Panta diuidatur à leone: altera, ſi cum leone coniungatur. unus filiorum qui Leo uocatur ſeparat, & propterea bona ſibi legata eſſe dicit, ſic enim legit, Bona mea dono πάντα, id eſt, omnia Leoni. Alter uero, cui nomen eſt Pantaleo, coniungit: quapropter inquit, bona paterna teſtamento ſibi deberi, quippe qui ſic legat, Bona mea dono Pantaleoni. Porro ſcripti & uoluntatis ſtatus eſt, quando legiſlator aliud ſcripſiſſe; & ſenſiſſe aliud dicitur. Nam ita fit, ut cum ſcripto ſententia pugnet: unde ſcripti & uoluntatis ſtatus oritur, cum aduerſariorum alter ſcripto, alter uoluntati & ſententiæ potius innititur. ut lex ſcripta eſt: Qui muros tranſilierit, capite plectatur. quiſpiam muros tranſilijt ut hoſtes à muris arceret, quæritur an capite ſit puniendus. ſcriptum contra eum facit: uerũ ſententia ſcriptoris eum tuetur, longeq; aliter legiſlatorem ſuam legem intellexiſſe quàm uerba ſonent, docet patronus, & ab ea lege eos excipi, qui pro patria pugnant: cum iniquum eſſe uideatur ut is in diſcrimen capitis adducatur, qui ſuos ciues arcendis hoſtibus à muris defendit. Inſuper legum contrariarum ſtatus eſt, quãdo lex legi repugnare uidetur, quæ licet iure nunquam inter ſe repugnent. nam altera alteram antiquaret, tamen caſu & euentu colliduntur. ut lex eſt: Imago mulieris in gymnaſio ne ponatur. Rurſus lex eſt altera, Tyrannicidæ imago in gymnaſio ponatur. Hæ duæ leges caſu & euentu colliduntur.

Accidit

Accidit enim, ut mulier tyrannum occiderit : quo ſit, ut tyrannicida ſit. Quare mulieris imago ſecundum eam legem, in gymnaſio poni debet : id autem lex altera uetat. Leges igitur inter ſe contrariæ ſunt. ITEM ſunt tria genera.] Cicero tres tantum ſpecies ſtatus legalis facit, & hic, & in Partitionibus, & alicubi in libris de Oratore, tametſi omnes in eodem opere ad ambiguitatem reuocet. Verũ in Rhetoricis quartam ſpeciem adijcit, quemadmodum & Quintilianus libro ſeptimo fecit, qui ratiocinationem ſtatum eſſe legalem ſcripſit. & eſt, quando ex eo quod ſcriptum eſt, aliquid quod non ſit ſcriptum, ſimile tamen eſt ſcripto, colligitur. Vt, an Clodius adulter ſit occidendus, ratiocinatione colligimus, Clodius tamen lege non continetur. alioqui priuilegium, id eſt, de primo homine lex foret. neque lex Clodij meminit, quippe qui deprehenſus in adulterio, citra diſcrimen in uniuerſum puniri debeat. IAM hoc perſpicuum eſt, non magis in legibus, quàm in teſtamentis.] Diximus ambiguitatem, ſcriptum cum ſententia, & contrarietatem legum, ſtatus eſſe legales. Sed animaduertendum eſt eos non in legibus modo, uerum in omni ſcripto locum habere. Id quod & Quintilianus admonet capite ſexto libri ſeptimi, ubi dicit : Quod de legibus dico, idem accipi uolo de teſtamentis, pactis, ſtipulationibus. quæ denique de ſcripto, idem de uoce. NEC ſolum perpetuæ actiones.] Orationum (inquit Quintilianus) alia eſt perpetua, alia conciſa. Perpetua eſt, quam unus totam ſine alterius interpellatione dicit : ut ſunt omnes fermè Ciceronis orationes. Conciſa uero dicitur, quæ alterius ſermone interrumpitur ſic, ut modo hic, modo ille per uices inquam, uterque loquatur. quales ſunt altercationes umbratiles, dialecticorum diſputationes, alternantia ſcholaſticorum certamina, dialogi, necnon ſermo qui inter duos uel plures ſuſcipitur. At Cicero perpetuas actiones hoc in loco ſecus accipit quàm definiuimus, nempe pro integris. ut ſit eius ſenſus : Non modo tota oratio uel integra, ſi mauis, actio ſuos locos habet, uerumetiam partes orationis ſuos habent. De locis totius cauſæ ſuperius dictum eſt. Nunc partium locos proſequamur. Partes orationis quatuor ſunt, proœmium, narratio, probatio, & epilogus. Nam eundem ordinem nobis natura præſcripſit, ut aliquid ante rem emerendi fauoris gratia dicamus, tum rem exponamus, deinde expoſitam probemus. Inſuper probatam, perorando uel amplificemus mouendorum animorum cauſa, uel memoriæ iudicum reficiendæ gratia breuiter repetamus. Harum partium duæ ad mouendos animos ualent, principium & peroratio : ad rem docendam duæ, expoſitio, & probatio. Non quod ubique orator non doceat & moueat, ſed quia magis in principio & peroratione quàm in reliquis partibus affectus mouet : eadem ratione licet ubique doceat, id tamen præcipue narrando & probando facit. VT in principijs.] Principium eſt auditorum ad cauſam præparatio. Principij, auctore Quintiliano, nulla alia cauſa eſt, niſi ut auditorem, ut ſit in reliquis accommodatior, nobis præparemus. idq; tribus maxime rebus fieri, inter auctores conuenit : ſi beneuolum, docilem, attentum reddiderimus. non quod hæc per totam orationem diligenter non ſint obſeruanda, ſed quia in principijs maxime neceſſaria ſint : per quæ in animum iudicis, ut ultra procedere poſſimus, admittimur. Vt autem amice & beneuole audiamur, à perſonis noſtris, diſceptatorum, aduerſariorum incipiendum eſt. è quibus initia beneuolentiæ conciliandæ comparantur, aut meritis noſtris, aut dignitate, aut aliquo genere uirtutis, & maxime liberalitatis, officij, iuſtitiæ, fidei, contrarijſq; rebus in aduerſarios conferendis, & cum ijs qui diſceptant aliqua coniunctionis aut cauſa, aut ſpe ſignificanda. Et ſi in nos aliquod odium, offenſio'ue collata ſit, tollenda ea minuenda'ue aut diluendo, aut extenuando, aut compenſando, aut deprecando. Vt autem dociles & attenti ſint qui audiunt, à rebus ipſis exordia ducamus oportet. Docilis enim auditor erit, ſi genus naturamq; cauſæ principio complectaris, ſi definias, ſi diuidas, ſi neque prudentiam eius impedias confuſione partium, neque memoriam multitudine. Inſuper attentus erit, ſi magna, ſi neceſſaria, ſi cum eo coniuncta proponas. Verum neque à perſonis quidem, uel rebus ſemper exordimur. Nam interim à rerum perſonarumq; circunſtantijs incipimus: ut ab habitu pro Milone, à loco pro Deiotaro, à tempore pro Cælio, ab opinione contra Verrem, Cicero principium dixit. ITEM'QVE narrationes.] Narratio eſt rei factæ, uel ut factæ utilis ad perſuadendum expoſitio. Eam Iſocrates apertam eſſe, breuem, & credibilem præcipit. Erit autem aperta primum, ſi fuerit expoſita uerbis proprijs, ſignificantibus, non ſordidis quidem. nõ tamen exquiſitis, aut ab uſu remotis. Deinde, ſi diſtincta fuerit perſonis, locis, temporibus, & cæteris qualitatibus, ipſa etiam pronunciatione in hoc accommodata, ut iudex quæ dicuntur, quàm facillime capiat. Porro breuis erit, ſi inde cœperimus rem exponere, unde ad iudicem pertinet : deinde, ſi nihil extra cauſam dixerimus : tum etiam, ſi reciderimus omnia, quibus ſublatis nec cognitioni quidquam, nec utilitati detrahatur. denique credibilis fiet, ſi primum animum noſtrum conſuluerimus, ne quid naturæ noſtræ contrarium dicamus : deinde ſi cauſas & rationes, factis de quibus quæritur præpoſuerimus : tum ſi perſonas, loca, tempora, & alias circunſtantias idoneas conſtituerimus ijs, quæ facta eſſe dicemus. Ad hæc, ordo, & ductus, & conſecutio narrationem credibilem reddet. Poſtremo utiliſſimũ fuerit, argumentorum ſemina per narrationem ſpargere, et quæ narrata erunt interim breui argumento confirmare. Ita tamen, ut nos in narratione eſſe, non in confirmatione meminerimus. VT euidentes.] Euidentia eſt, quàm Græci ἐνάργειαν καὶ ὑποτύπωσιν, nos illuſtrationem, repreſentationem, & ſub oculos ſubiectionem uocamus. Quæ ſic à Quintiliano definitur, ut ſic propoſita quædam rerum forma, ſic expreſſa uerbis, ut res potius cerni quàm narrari uideantur. Eã Quint. lib. 4. narrationi non eſſe adijciendam dicit, ut quæ ſub perſpicuitate contenta ſit. Tamen inter perſpicuitatem & illuſtrationem, Cicerone teſte, hoc intereſt, quod perſpicuitas faciat ut intelligamus, illuſtratio uero non modo ut intelligamus, uerum etiam ut uidere uideamur. QVAE autem ſequitur narrationem fides.] Fides probatio eſt. Probationem autem uoco noſtrorum confirmationem, & contrariorũ reprehenſionem. De argumentis quibus fit fides, alibi dictum eſt. Itaque peroratio ſupereſt. Ea eſt orationis concluſio, quæ partim in rebus eſt, partim in affectibus. quæ eſt in rebus, enumeratio dicitur : quæ in affectibus amplificatio. Eſt autem enumeratio, antedictorũ breuis repetitio, quam Græci ἀνακεφαλαίωσιν dicunt : nos utcunque, recapitulationem transferimus, quòd enumerando per ſingula capita decurramus. Amplificatio uero eſt, grauior quædam affirmatio, quæ motu animorum conciliet in dicendo fidem. AD id autem quòd te uelle ſenſeram.] Hæc eſt huius operis peroratio, qua Cicero ad Trebatium ſcribit, ſe plura hoc opere complexum fuiſſe, quàm Trebatius deſideraret. Nam Trebatius locorum tantũ expoſitionem à Cicerone quæſiuerat. Ciceroni uero ſatis uiſum non eſt locos omnes expoſuiſſe, uerum etiam è iure ciuili omnium locorum exempla deſumpta tradidit, necnon pleraque oratoria præcepta miſcuit : qua in re uiſus eſt liberales uenditores imitatus fuiſſe, qui cum ædes fundum'ue uendiderint, rutis cæſis receptis, aliquid tamen emptori concedunt, quod ornandi cauſa aptum & poſitũ eſſe uideatur. RVTIS cæſis.] Inquit Murianus iuriſconſultus in libro de Rerum & uerborum ſignificationibus, ea rutis & cæſis intelligi, quæ nec terra nec opere ſtructili tectorio'ue continentur, quale eſt opus inteſtinum. Opus inteſtinũ appello, ut ſunt ſcamna, ſedes, grabati, abaci, ſcrinia, armaria, menſæ, tripodes :

denique quæcunque materia conſtant. nos uulgo minutiarum appellamus. RECEPTIS.] *Recipere, inquit Nonius, eſt exceptum facere, uel ſi mauis retinere. ut Gellius: Quando mulier, inquit, dotem marito dabat, tum quæ ex ſuis bonis retinebat, neque ad uirum tranſmittebat, ea recipere dicebatur: ſicuti nũc quoque in uenditionibus, quæ excipiuntur, neque ueneunt.*

FINIS.

PROBATISSIMO VIRO IOANNI MORINO PRIMARIO GRAMMATICORVM IN COLLEGIO NAVARRAE, BARTHOLOMEVS LATOMVS REGIVS PROFESSOR S. D.

m

AGNAE negligentiæ ſuperior ætas damnanda eſt, Morine uir ſpectatiſſime, quo'd in diſſerendi artibus tractandis, Ciceronem optimum auctorem a' ſcholis alienum habuerit. Nam ut oratoria omittam, quæ ille non uno libro, ſed pluribus præceptis ac ſermonibus diſertiſſime explicauit, hæc Topica certe, quæ dialecticorum propria ſunt, de inueniendi ratione, ita ſcripſit, ut ex ipſis quæ ad hanc diſſerendi partem pertinent, magno compendio & breuitate cognoſci poſſint. Expreſſit enim ſententiam Ariſtotelis, quam ille octo libris late copioſeque perſecutus eſt: in qua explicanda cum omnem rationem præceptionis, certis capitibus comprehenderit, primum illius nos admonere uoluit, eandem rem pluribus & paucis uerbis tractari poſſe. Deinde cum ſit magna & incredibilis ingenij noſtri uis, illud etiam ſignificauit, demonſtratis fontibus, ex quibus manarent omnia: ſtudioſos, ſi modo ingenium & animaduerſionem attuliſſent, facile ex eiſdem per ſe hauſturos eſſe, & ea etiam quæ dicta non eſſent, ſine negotio intellecturos. quod cum ab illo prudentiſſime indicatum ſit, tum in omni præceptione & doctrina, idem puto nobis obſeruandum eſſe, ut conſulatur compendio diſcentium, & ſtudium eorum atque opera omni ratione proue hatur. Itaque dubitandum non eſt, quin ad eandem rationem uir doctiſſimus, ſi ſuperuixiſſet, aut ſi impeditus non fuiſſet reipub. temporibus, iudicandi quoque partem nobis traditurus fuerit purã, ac defœcatam, ut cætera omnia, neque abundantem ſupra breuitatis alueos, ſed modo & genere tractationis intra utilitatis fines comprehenſam. Nam quæ ab alijs, præſertim recentioribus, exceptis paucis, in hoc genere tradita ſunt, quàm immenſæ prolixitatis ſint, qua'm denique confuſa & perturbata omnia commentis nouarum & inutilium præceptionum, quid attinet hoc loco commemorare? præſertim apud te, qui cum multum in his ſtudijs operam poſueris, ipſe teſtis optimus ac iudex eſſe potes. Me certe delectat huius ſeculi felicitas, quo, excitato linguarum ſtudio, atque optimis quibuſque auctoribus in lucem reuocatis, tantum ſplendoris atque ornamenti in literis effloruit, ut profligata ſuperiorum temporum barbarie, quæ longe lateque uelut caligo quædam omnia obduxerat, ſit hac noſtra ætate, quod cum ueterum doctrina & humanitate conferri poſſit. Sed quod pertinet ad Topica, ſcripſit hunc librum Cicero ad Ariſtotelis ſententiam, magna breuitate, ut quæ ab illo latiſſime fuſa ſunt, in compendium redigeret: commoditate uero tanta, ut quæ ſingulari ingenio inuenta ab illo atque in lucem edita ſunt, hic primum in artem incluſiſſe, ac certiore uia conſtituiſſe uideatur. Sed cum in eiſdem adhuc offendat obſcuritas quædam, partim ab exemplis, quæ ex iure ciuili ſumpta ſunt, partim ab ipſo præceptorum genere quod in rerum omnium uim, naturam, ac proprietatem incumbens, non uſquequaque expoſitum eſt ijs, qui primum ad hæc ſtudia accedunt: rem gratam me ſtudioſis facturum eſſe arbitratus ſum, ſi, quæ priori hyeme, cum enarrarem hunc librum in ſcholis, dictaueram auditoribus meis, ea poſt Boetij Commentarios, qui uerboſiores ſunt, in publicum emitterem: non quo'd meliora me prolaturum eſſe ſperarem, qua'm ab illo tradita ſunt, ſed ſi quid aut breuitati ſtudentium hac opera mea, aut cogitationi præceptorum conferre poſſem: id ut a' me debitum publico nomine, communia ſtudia delatum ſibi atque acceptum haberent. Sed utcunque hæc ſint, hunc fructum editionis, quicunque futurus eſt, tibi nuncupo, pro tua ſingulari in me beneuolentia. ut cum hac occaſione admonitus fueris officij tui in re literaria prouehenda, quæ tibi magno cum onere & auctoritate in hoc ampliſſimo gymnaſio commiſſa eſt, tum intelligas me alio genere muneris, quod utrique uoſtrum aptius eſſet, ſtudium atque ſedulitatem erga te meam teſtari non potuiſſe. Vale. Calend. Iunij. M. D. XXXVIII.

IN CICERONIS TOPICA BARTHOLOMAEI LATOMI ENARRATIO.

MAIORES nos res ſcribere ingreſſos.] Præfatio eſt ad Caium Trebatium, in qua eõ memorat, qua occaſione adductus ſit ad ſcribendum hunc librum: & in eo ſtudiũ ſuum erga Trebatium oſtendit. Fuit autem iuriſperitus Trebatius, clarus temporibus Ciceronis, ad quem cum ſcriberet Cicero, omnia exempla ex iure ciuili ſumpſit, ut haberet rationem eius, ad quem ſcribebat. MAIORES res.] Philoſophiam intelligit, ad quam tractandam ſe contulerat, occupata à Cæſare repub. Scripſit autem libros de Finibus bonorũ, & Tuſculanas atque Academicas quæſtiones. Item de Natura deorum, de Diuinatione, de Fato, de Repub. de Legibus, & libros officiorum. IN Tuſculano.] Villa erat Ciceronis hoc nomine, quod eſſet in agro Tuſculano. RHETOR ille magnus.] Ironia eſt in quendam, qui ſe magiſtrum dicendi profitebatur. DICENDI copia.] Copiam rerum intellige, non uerborum, quoniam Ariſtoteles uerbis preſſus & aſtrictus eſt. CAVISSES.] Id eſt, conſuluiſſes: quod aduocatorum eſt, qui in cauſis litigatoribus ius ſuggerunt. Nam ſicut hodie, ita & quondam iuriſperiti conſulti de iure reſpondebant: quod cauere dicebatur. ex quo reſponſa prudentum ſunt appellata, quæ ceſſerunt in partem iuris ciuilis. Eſt etiam cauere, ſatiſdare, item ſatiſdationem ab alio accipere, item uitare. IN Græciam proficiſcens.] Poſt interfectum Cæſarem, cum ad tyrannidem eius aſpiraret Antonius, & ueteranos ſolicitaret, haberetq; palàm circa ſe armatos homines. Nam tunc Cicero impetrata libera legatione, proficiſcebatur in Græciam, ut uitaret arma Antonij, donec conſulatus illius finiretur. VT ueni Veliam.] Oppidum fuit Calabriæ cum portu, iuxta Palinurum. IN ipſa nauigatione.] Cum nauigaret à Velia, ſicut ipſe commemorat libro ſeptimo Epiſtolarum ad Trebatium. Mentionem facit eiuſdem itineris, Phil. 1. CVM omnis ratio diligens diſſerendi.] Diſſerẽdi rationem Logicen appellat Ariſtoteles, eamq; pluribus libris explicat, quibus inueniendi & iudicandi præcepta continentur. Diſſerere enim, diſputare eſt, & rem dubiam argumentis probare. Argumentum autem & inueniendum eſt, & iudicandum. Inuentio locis conſtat, qui hoc libro traduntur. Iudicandi ratio præceptis ſyllogiſmorum continetur, ex quibus intelligitur quomodo exponendum ſit argumentum, & accommodãdum propoſito, ut id quod intenditur, argumentatione rite efficiatur. DEMONSTRATO & notato loco.] Sunt enim loci ut ſedes, ita notæ quædam ac ſigna argumentorum, ſicut ipſe tradit in libro de Oratore: quod & Rodolphus Agricola ſecutus eſt, qui locum definit eſſe notam, cuius admoniti, quid in re quaque probabile ſit, facillime inueniatur. LOCVM eſſe argumenti ſedem.] Sedem dicit per ſimilitudinem, quaſi domicilium & quoddam habitaculum argumẽti, ubi quærendũ ſit diſſerenti, & unde tanquã è latebra eruendum. Illud autem ignorandum non eſt, argumenta & inueniri ex locis, & ex eiſdem uim probandi ducere. Itaque fit, ut quæ locorum natura ac proprietas eſt, eadem ſit & argumentorum: quam qui ſignificare uolunt, non ſolum enumerant locos, ſed & maximas eorum proferunt. Sic enim appellant certas quaſdã et perpetuas ſentẽtias, quibus uis ac poteſtas uniuſcuſque loci cõprehẽditur. Hæ ſunt huiuſmodi. definitio ab eo quod definitur nunquã ſeparatur, neque partes à toto, neque nota ab eo quod ſignificatur. Genus à ſpecie ſeparari poteſt, ſpecies à genere nõ poteſt. Cauſa neceſſaria cũ effectu ſemper cohæret, nõ neceſſaria nõ ſemper cohæret. Differentia, cõtraria, & repugnantia nõ poſſunt in idẽ cõuenire. Adiũcta cohærent cũ eo cui adiungũtur, ſed nõ neceſſario. Antecedentia autẽ & cõſequentia neceſſario cohærent. Pariũ & ſimiliũ eadẽ eſt ratio. In maiori quod nõ ualet, nec in minori: & quod ualet in minori, etiã in maiori ualebit. Quas ſententias Ariſtoteles diligenter perſecutus eſt in Topicis, & pro locis ipſis poſuit: quoniã nõ re ab illis, ſed ſola præcipiendi ratione diſtinguuntur. ARGVMENTVM autẽ rationẽ.] Ratio eſt cauſa cognoſcendi, hoc eſt, id per quod aliud cognoſcitur. Itaque argumentũ adhibetur rei dubiæ, id eſt, quæſtioni probãdæ, ut de ea faciat fidẽ. Exponitur autẽ in probando certis ſententijs, quæ uel neceſſario uel propenſius credũtur: quæ ſi rite & lege argumentationis expoſitæ fuerint, fit neceſſaria concluſio: ſin minus, diſſoluitur quod confectũ fuit. Atque in hoc eſt ſtructura argumentationis, & iudicandæ eius ratio, cum in locis ſit inuentio argumenti. SED ex his locis.] Diuidit locos internos et externos, quos deinde ita tractat. Primo colligit numerũ eorum, et ſingulos exemplis declarat. Deinde reuocatus ad initium, explicat eos uberius, et partes quoque eorũ et tractationẽ oſtendit. Poſt hæc admonet qui loci quibus quæſtionibus conueniant, atque ibidẽ quæſtionũ genera recenſet. Poſtremo addit & partes orationis, breuiter indicãs, quibus locis unaquæque earum tractanda ſit. IN eo ipſo de quo agitur.] Id eſt, in ipſa quæſtione. Nã ſermo iuriſperitorũ eſt, qui omnia ad actiones referunt. Sed dialectici quæſtionem, Rhetores tũ cauſam ſiue cõtrouerſiam, tum propoſitum appellãt, Græci θέσιν & ὑπόθεσιν. Hærent igitur loci in quæſtione, hoc eſt, in rebus in quæſtione poſitis, quæ partes eius ſunt, ſicut et propoſitionis, nempe ſubiectũ & prædicatum. Subiectũ eſt, de quo aliquid dicitur. Prædicatũ, quod dicitur de ſubiecto: ut, an Vlyſſes Aiacẽ occiderit. Vlyſſes ſubiectũ eſt: Aiacem occidiſſe, prædicatũ. quas cũ dico, Vlyſſes occidit Aiacem, de Vlyſſe cædes Aiacis prædicatur. In hac igitur quæſtione, loci argumentorum hærent in perſona Vlyſſis et Aiacis, itẽ in uerbo occidẽdi, ut intuendũ ſit quid argumẽti præbeat deſcriptio utriuſque perſonæ, quid cauſa occidendi, quid locus, quid tẽpus, ſimile adiunctũ, ex quibus argumẽta in utrãque partem ducentur ad quæſtionem confirmandã. Locos in ipſa re hærentes uocat Cicero omnes, qui uel in rei ſubſtãtia ſunt, uel aliqua ratione ad eã referuntur, dũmodo cauſa relationis ſit ex ipſa re. Extrinſecus autẽ adſumptos eos, qui nullã habent coniunctionem cũ re, ſed prorſus ſeparati ſunt, & in ſola auctoritate, quæ ex hominũ opinione eſt, locantur. Subſtantiã uoco, idipſum quod res per ſe eſt, quatenus intra natura ſua cõplexum definitur: ut in homine ſenſualis & rationalis natura, quã animali rationali definimus: in arbore lignũ & uita, in uirtute habitus animi ſecundũ naturã, in uoluptate ſenſus corporis iucũdus. Nã quæ extra hæc ſunt, & rebus prædictis attribuuntur, accidentia ſunt, partim circa ſubſtantiam, partim extra & longe ſeparata: ut in homine doctũ, formoſum, eloquentem eſſe: in arbore procerũ, frugiferum, odoratum: in uoluptate, fractũ, molle, caducũ, imbecillum eſſe: quæ omnia quãuis circa uel extra rei ſubſtantiã ſint, tamen Ciceroni in eo ipſo de quo agitur, hærent. Alij partim locant circa ſubſtãtiam, & internos locos faciunt. Alij ſummouent à re, & in externos locos referũt, quod in diuidendo aliã rationem ſequitur. ALII ſumuntur extrinſecus.] Id eſt, extra res in quæſtione poſitas, quas nulla ex parte cõtingunt, neque ad eas referuntur. IN ipſo tum ex toto, tum ex partibus, tum ex nota.] Hi tres loci in ſubſtantia rei ſunt, quia & hærent in ea ſinguli, & totum complexũ eius obtinent. Itaque unũ ſunt re, ſed ui & ratione differũt. Totũ enim, uniuerſa res eſt ſemel ſpectata: partes, ea in quæ diuiditur: nota, uis ac ſenſus eiuſdẽ uerbo incluſus, qui à re nõ ſeparatur. Præbent igitur diuerſam argumentandi

facultatem, ut quamuis argumenta omnia ex re ducantur, tamen aliud ex toto, aliud ex partibus, aliud ex nota appellatur, atque ex eiſdem uim habeant. Cæterum totum quatenus in ſubiectas formas diuiditur, genus uocatur: quatenus in partes, tanquam in membra, proprie totum dicitur. Partes enim ſunt, tum formæ generis, tum quaſi membra totius. Nota uerbũ eſt, quo res in quæſtione ſignificatur. Hanc Rodolphus ſeparat à ſubſtantia, & inter externos locos refert. Sed ille fortuitã uerbi conditionem ſpectauit, quæ addi poteſt rei & detrahi: Cicero ſenſum eius, qui non ſeparatur à re, ſicut nec definitio ab eo quod definitur, quoniam mutato uerbo, tamen idem ſenſus & notio rei permanet. T V M ex iis rebus, quæ quodammodo affecta ſunt ad id.] Affecta uocat quæ ad rem referuntur, quia cum extra ſubſtantiam eius ſint, tamen aſſiciunt eã quodãmodo, & iunguntur ei ratione aliqua, uel ab ea ſeparantur. Iunguntur, ut coniugatum, genus, forma, ſimilitudo, adiuncta, antecedentia, conſequentia, cauſæ, euenta, comparata. Separantur, ut differentia, contraria, repugnantia. Omnes igitur loci, ut ſummam eorum colligamus, uel in re ſunt, uel extra ſumuntur. In re ſunt alij per ſe, alij ex relatione. Per ſe, ut totũ, partes, nota. Referuntur ad rem, quæ affecta uocantur. Hæc duplicia ſunt, pura & conditionalia. Pura, quæ per ſe ui ſua in argumentum ſumuntur, ut coniugatum, genus, forma, quæ attingunt naturã rei: ſimilitudo & differentia, quæ eandem uel diuerſam qualitatem obtinent: comparata, quæ eandem uel diuerſam quantitatem: adiuncta, quæ eueniunt circa rem: cauſæ & euenta, quæ efficiunt eam, uel ab ea efficiuntur: contraria, quæ ei repugnant. Conditionalia autem ſunt, quæ non per ſe, ſed iuncta alteris in pronunciato ſumuntur, ut antecedentia & conſequentia, quæ neceſſario cohærent cum re: & repugnãtia, quæ ei repugnant. Alij in diuidendo aliã rationem ſequuntur, ex quibus Rodolphus Agricola naturam rei ſpectat, & uariã eiuſdem ad alia habitudinem, ex qua locos colligit atque diſtinguit. Cicero primũ rem per ſe ſpectat: deinde cætera quæ aliqua ratione cum ea coniuncta, uel ab ea diſiuncta ſunt, ad eam refert. Itaque poſt tres locos ſubſtãtiales cæteros omnes ad aliquid facit, & affecta ad rem uocat. Proprium, adiacentia, actus, ſubiectum, connexa quæ apud Rodolphum ſunt, ſi formam ſuam retineant, in quam deſcribuntur ab illo, ſub nullo loco Ciceronis proprie comprehendi poſſint. Diſtinguuntur enim loci inter ſe ſicut recte tradit Rodolphus, non abſoluta rerum

F I G V R A.

- Loci
  - In ipſo hærentes
    - Per ſe
      - Totum
      - Partes
      - Nota
    - Ex affectione
      - Puri
        - Genus
        - Forma
        - Similitudo
        - Differentia
        - Contrarium
        - Adiunctum
        - Efficiens
        - Effectum
        - Comparata.
      - Hypothetici
        - Antecedentia
        - Conſequentia
        - Repugnantia.
  - Extrinſecus aſſumpti: ut teſtimonia, tum diuina, tum humana.

natura quam per ſe obtinent, ſed alia & alia habitudine, quã ultro citroq; inter ſe collata accipiunt. Poſſis tamen ex iis qui neceſſario cohærent cum re, ſubiicere antecedentibus & conſequentibus, ſi conditionali pronunciato incluſi fuerint. Sed hæc ratio cum alijs etiam locis communis eſt. qui cum pure ſumpti ſunt, per conditionem etiam, ut antecedentia uel conſequentia fiant, ſumi poſſunt: de quo infra dicetur. & notatur à Rodolpho de accidentibus. S E D ad id totum de quo diſſeritur. Totum hic accipe quatenus re partes & notam amplectitur. quia hæc tria, ut ſupra dixi, unum ſunt re, & ui & ratione differunt. Totum igitur in diſſerendo trifariam explicatur: definitione, partium enumeratione, & notatione: quorum primum declarat quid ſit ipſum, ſecundum quæ ſint partes eius, tertium quæ uis uerbi eius ſit & origo. Explicatur autem, cum in argumentum ſumitur, ut quæ ſit uis eius intelligatur. Debet enim omne argumentum notius eſſe eo, cui probando adhibetur. Itaque hæc tria cum unum ſint re, & hoc loco nomine totius comprehẽdantur, tamen aliud atque aliud argumentum præbent ex diuerſis locis ductum. Cũ enim per ſe ſpectantur, totum, partes, & nota uocantur: cum in argumenta ſumuntur, in tres alios locos diſcedunt, definitionem, partiũ enumerationem, & notationem: qui non re ab illis ſed tractatione ſeparati ſunt. Etenim quod clauſum eſt in illis, in his apertum & explicatum eſt. I V S ciuile eſt æquitas.] Definitio iſta ſubſtantialis eſt, per genus & differentiam, cuius formula infra tradetur. Declarat enim quid ſit ius ciuile. Aequitas, genus eſt, & omne ius amplectitur, tam ſcriptum quàm nõ ſcriptum: cum alio modo pro æquabili iuris ratione accipiatur, quæ extra ſcriptum eſt in bonorum utrorum ſenſu poſita. Differentia, quoniam uno uerbo ſignificari non poterat, ex materia & fine collecta eſt: inter quos ſit, & quẽ ad finem conſtituta æquitas. Quod additur, Eius autem æquitatis, &c. ad expoſitionẽ argumentationis pertinet, cuius hæc adſumptio eſt, quoniam ſyllogiſmo exponitur. S I neque cenſu neque uindicta.] Enumeratio formarum eſt, quibus omnibus remotis, genus tollitur. Nam ſicut genere remoto, nulla formarum relinquitur, & ex unaquaque earum ipſum confirmari eſt neceſſe: Ita omnibus formis ſublatis, genus relinqui non poteſt: quæ eſt huius loci maxima. Sed hæc in toto & partibus locum non habent, quoniam differunt partes à formis. Cenſus, erat recognitio ciuium per capita, & quantum quiſque haberet in bonis. quod quinto quoque anno fiebat à Cenſoribus, à Seruio Tullio rege inſtitutũ. In hunc igitur, ſi quis ſeruus permittente domino nomen detuliſſet, receptus in numerum ciuium, libertatem conſequebatur. Vindicta, erat ritus manumittendi apud prætorem, tacto ſerui capite uirga, quæ uindicta appellabatur, his uerbis: Aio te liberum eſſe. Teſtamento patresfamiliæ manumittebant ſeruos ſuos quos uolebant, & rata erat ultima uoluntas. Atque his tribus modis ſerui apud ueteres liberabãtur. Sed plures poſtea introducti ſunt principum cõſtitutionibus, qui enumerantur primo Inſtit. de Manumiſſ. & C. Quibus ex cauſis ſer. liber. cõſ. E X ui uerbi.] Id eſt, ex ſenſu & interpretatione uerbi, quã Græci ἐτυμολογίαν uocant. C V M lex Aelia Sanctia aſſiduo uindicem aſſiduum.] Aelia Sanctia nomen eſt legis, ab auctore. Aſſiduo uindicem aſſiduũ, id eſt, diuiti aſſertorem diuitem. Quoniam hac lege cautum erat, ne quis ſeruum pecunioſum in libertatẽ adſereret, niſi ipſe diues & pecunioſus eſſet: ne, ſi tenuioribus id liceret, facile corrumperentur à ſeruis, qui eos in libertatem uindicarent. D V C V N T V R etiã argumenta.] Diximus affecta uocari, quæ referũtur ad rem, ut quæ ratione aliqua cum ea coniuncta, uel ab ea diſiuncta ſint. in quibus illud obſeruandum eſt, ita numerari ea à Cicerone, ut quemadmodum quodque natura proximum eſt ei ad quod afficitur, ita ordine ſuo locari. Primum enim coniu-

gata

gata ſunt, quæ ſola uerbi inflexione à re diſtant. deinde genus & forma, quorũ illud rem, quaſi partem ſui cõplectitur: hac ad eandem, quaſi ad fontem ſuũ refertur. Poſt hæc ſimilitudo eſt, quæ rei in eadẽ qualitate reſpondet. Similitudini opponitur differentia, quare & ſtatim ei ſubijcitur. Differentiæ contrarium ſubiungitur, quod non ſolum differat à re, ſed etiã ei repugnet. Adiuncta ſuccedunt iſtis, quod eueniant quidẽ circa rem, & in ſocietatem eius cadant, ſimilia tamen nõ ſint. Adiunctis ſubijciuntur antecedentia & cõſequentia, cõiuncta neceſſario cũ re, ſed in ordine quodã poſita. His adijciũtur repugnãtia, quaſi in eodẽ genere cõtraria. Poſt hæc cauſæ ſunt, à quibus res efficitur. quibus è regione reſpondent effecta. Extremo loco eſt cõparatio, quæ neque ſubſtãtiã rei, neque qualitatẽ eius attingit, neque exiſtit circa eam, neque eandẽ efficit: ſed extrinſecus ex collatione quãtitatis ei opponitur. CONIVGATA dicuntur.] Differt hic locus ab eo, qui ex notatione eſt: quoniã ille ex uerbo tantũ, hic ex re ſubiecta uim habet. Itaque ex coniugatis eſt, cõpaſcuus eſt ager, ergo licet cõpaſcere, cum in cõpaſcuo quaſi ius cõpaſcendi intelligatur. Ex notatione autem, cõpaſcuum id dicitur, in quo ſimul paſcitur: nempe igitur uicini cõpaſcuus eſt ager, in quẽ tu pecus cõpuliſti. Sic ex coniugatis eſt, ſaxa et fuſtes arma nõ ſunt, ergo armati nõ fuerunt qui his uim fecerunt. At ſi dicas, armarũt ſe ſaxis et fruſtibus, ergo armati fuerunt, ex notatione erit, cũ ex ui uerbi ſit ductũ argumentũ. Armare enim, & inſtruere, & uera arma capere ſignificat. A' genere ſic ducitur.] Huius loci maxima eſt, ſublato genere formas omnes tolli: et uniuerſo genere confirmato, formas quoque omnes, uel unã quamlibet earũ confirmari. Itaque efficitur, ut ſi omne argentũ legatum ſit, pecuniã quoque numeratã legatã eſſe: quoniã numerata pecunia forma eſt argenti, quod in numeratũ et non numeratũ diuiditur. Sic, omne animal fuit in arca Noe, ergo et leonẽ fuiſſe probetur. A' forma generis.] Forma et genus mutui ſunt loci, quia ſicut ex genere ad formã, ita à forma ad genus argumentamur. Sed hoc intereſt, quod genus poteſt ſeparari à forma, niſi uniuerſum ſumatur, forma à genere nunquã ſeparatur. Ergo ſi pecunia numerata legata eſt mulieri, certe argentũ legatũ eſt: quod eſt à forma ad genus. Sed Cicero alio exẽplo utitur, ex alia ui huius loci, nẽpe ut certa forma poſita, ſi ea uera nõ ſit, nihil efficiatur: quod ad differentiã referri poteſt. ut cũ uxori matrifamilias pecunia legata ſit, ſi ea materfamilias non ſit, nihil deberi. Differt enim materfamilias ab ea quæ uſu tantũ uxor habetur. Partes enumerat, cũ dicit: Genus eſt enim uxor, eius duæ formæ, &c. quod facit ut partes in argumẽto planius accipiãtur. Addit in exemplo, ſi ea in manũ uiri non cõuenerat, id eſt, ſi ea materfamilias facta nõ erat. Tribus enim modis ducebatur uxor apud ueteres, uſu, farre, & coemptione. Confarreatio, ritus erat nubendi, qui ad Pontifices tantũ pertinebat. Vſu uxor erat, quæ tantũ cohabitabat uiro, ad ſobolem procreãdã, neque ius ſucceſſionis ab inteſtato habebat, quæ & cõcubina uocabatur. Coemptione mulier in manũ uiri conueniebat, his uerbis: Vis mihi materfamilias eſſe? uolo, inquit mulier. & uiciſſim illa uirum interrogabat. Vis mihi paterfamilias eſſe? uolo, inquit uir: quo facto, mulier filiæ loco erat marito, & materfamilias appellabatur, & ab inteſtato ſuccedebat. Huc reſpexit Virgilius cum dixit de Auguſto, Teq; ſibi generum Thetis emat omnibus undis: nimirũ coemptionem ſignificans, qua ius bonorum inuicem uiro ac mulieri acquirebatur. A' ſimilitudine hoc modo.] Similitudo eſt rerũ differentium eadem qualitas, ſiue ea ſubſtantialis ſit, ſiue accidentalis: ut homo homini ſimilis eſt, uirtus uirtuti, ſapiens ſapiẽti. Huic differentia opponitur, quæ eſt rerum inter ſe collatarum diuerſa qualitas, quam & diſſimilitudinem appellat Cicero: ut inter hominem & leonem, uirtutem & uoluptatem, oratorem & citharœdum, perſeuerantiam & pertinaciam, tyrannum & regem. Ex ſimilitudine argumentũ eſt: Si uſusfructus ſerui extincti præſtandus non eſt, neque ædium ruinoſarum præſtari debet. Item, ſi tutor fidem præſtare debet, debet & procurator, quoniam uterque ex bona fide aliena negotia gerit. Item, ſi continentia laudanda eſt, laudetur & abſtinentia, quia utraque ad moderationem cupiditatis pertinet. Differt ſimilitudo à paribus, quæ inter comparata referentur, quoniam ſimilitudo circa qualitatem eſt, comparatio circa quantitatem. Illud ignorandum non eſt, aliud etiam genus ſimilitudinis eſſe, quod ſumptum à re ſimili quandam imaginem rei oſtendit, quod oratorum & poetarum proprium eſt, neque ad inuentionem argumenti, ſed ad elocutionis ornatum pertinet. Diſtinguitur etiam à ſuperiori hoc modo, quod in illo duo in uno tertio, in hoc autem duo in duobus conferuntur. Eius exemplum ex Quintiliano huiuſmodi eſt. Sicut uaſcula oris anguſti ſuperfuſam humoris copiam reſpuunt, ſenſim autem inſtillantibus replentur: ſic tenera puerorum ingenia quæ magna ſunt non percipiunt, parua & uiribus ſuis apta facilius addiſcunt. Sed de hoc toto genere uide Rodolphum, qui comparata à ſimilibus diſtinguit, & utraque ponit inter locos: ſed ſub comparatis utranque Ciceronis & ſimilitudinem & comparationem comprehendit. Oratorium genus ſimilitudinis nuſquam non eſt obuium quod oratores & poetas, & magnam uim illuſtrandæ orationi adfert. Vitium ædes feciſſe intelliguntur, cum ruinoſæ factæ ſunt. Vſusfructus eſt, ius alienis rebus utendi fruendi, ſalua earũ ſubſtantia. Id autem ius ſeparatur à corpore, hoc eſt, à re in qua conſtituitur, quæ domini proprietarij manet: extincto autem corpore, aut alia cauſa iuris exiſtente, ad proprietatem reuertitur. A' differentia.] Differentia, ſicut iam dictum eſt, ſimilitudini opponitur, quoniam ambo circa ſubſtantiam & qualitatem ſunt. quæ cauſa etiam fuit Ciceroni, cur ea ſtatim poſt genus & formam, item & alterum alteri ſubiungeret. Argumentum ex differentia eſt, Mulieri omne argentum quod uiri fuit, legatum eſt: ergo non eſt legatum argentum quod in tabulis debetur. Differunt enim argentum quod noſtrum eſt, & quod in ære alieno eſt. Sic heredem, ſi quid tibi à defuncto debetur, appellare poſſis legatarium non poſſis: quoniam differt heres à legatario, cum in illum competant actiones defuncti nomine, in hunc nõ competant. Vulgatũ argumentationis genus, et nuſquam non obuium, quotieſcunque ex diuerſis rebus altera confirmata, alteram tollimus. ſed nõ è contrario, niſi ſumantur cõtraria uel repugnantia, quæ ultro citroq; ſiue affirmes, ſiue neges, nunquã in idem conuenire poſſunt. Quod in tabulis dicit, tabulas rationũ intelligit, quæ accepti et expẽſi uocabãtur, et quas creditores ſibi et patresfamiliæ in rebus domeſticis conficiebant. EX contrario.] Contrariũ differt à differentia, quia cõtraria ſunt, nõ tantũ differunt inter ſe, ſed etiam alterum alteri è regione occurrit, ut bonum & malum, turpe & honeſtũ, calidum & frigidum, quæ proprie ab alijs contraria, à Cicerone aduerſa uocantur. Alterum genus eſt priuantium, ut pietas & impietas, firmum & imbecillum, uiuum & mortuum, uiſus & cæcitas. Tertium relatiuorum, ut duplum & dimidium, pater & filius, dominus & ſeruus. Quartum negantium ſiue contradicentium, ut inter affirmationem & negationem, ut ſedere & non ſedere, doctum eſſe & doctum non eſſe, uiuere & non uiuere: quæ quatuor genera ab alijs oppoſita uocantur, de quibus inferius dicetur. Differentia autem inter plura eſt eiuſdem uel diuerſi generis, quorum unum idipſum quod alterum eſt, eſſe non poteſt: ut inter hominem & leonem: prudentiã, iuſtitiam, fortitudinem, temperentiã, quæ ſunt diuerſæ uirtutis ſpecies, contraria minime dixeris. Sic durũ molli opponitur, differt à frigido, ſicco, et calido: & calidũ opponitur frigido, ſed differt ab humido, molli, & ſicco. Ex contrario igitur argumentum eſt: Mulieri uſumfructum bonorum ſuorum

uir legauit, ergo nõ debet ea mulier petere, quæ in cellis olearijs & uinarijs ſunt : quoniam uſusfructus in his eſſe nõ poteſt, ſed abuſus potius, qui uſui contrarius eſt. Vſufructu enim res non conſumitur, ſed fructus capitur duntaxat, ſalua rei ſubſtantia : abuſu autem res perditur, & profligatur. Huius loci maxima eſt, contraria nunquam in idem conuenire poſſe ſiue affirmes, ſiue neges quod ſumpſeris : niſi contraria me diata fuerint, ut album & nigrum, dulce & amarum, inter quæ multi medij colores et ſapores interiecti ſunt. In quibus eadem lex obſeruanda eſt, quæ in diuerſis, nempe ut nunquam ambo de eodem affirmentur, negari de eodẽ quandoque poſſint. Contraria autem, quæ immediata uocantur, nunquam neque affirmando, neque negando in idem coniunxeris. A B adiunctis, Si ea mulier teſtamentũ fecit.] Adiuncta ſunt, quæ eueniunt circa rem, ſed ab ea ſeparari poſſunt, quoniam non ſemper eueniunt. Hæc tria amplectuntur tempora, antecedens, inſtans, & conſequens: ut uidendũ ſit, inquit Cicero, quid ante rem, quid cum re, quid poſt rem euenerit. Alij communiter accidentia uocant, Rodolphus cõtingentia : eaq; in tria prædicta tẽpora diuidit, antecedentia, adiũcta, & conſequentia. Argumentum huiuſmodi eſt: Seruorũ, puerorum, et exulũ teſtamenta edicto prætoris probari uiderẽtur, ſi mulieris, quæ ſub tutela eſt, teſtamentũ probaretur: nõ eſt igitur probandũ. Hic ei quod eſt, mulieris teſtamentũ ratum haberi, adiungitur, ſeruorũ puerorum & exulũ teſtamenta rata habenda eſſe, quoniã illo dato, hoc quoque cõſequens foret. Tollitur igitur id quod cõſequens ſiue adiunctũ eſt, ut id cui adiunctum eſt pariter tollatur. Sed hoc argumentum etiã ad ſimilitudinem referri poteſt. Quare illa apertiora ſunt, nec aliunde quàm ex adiunctis ducta. Clodius dixit Milonem triduo periturum eſſe, armatus fuit, expeditus in equo, ſeruos barbaros homines audaces ſecum habuit, ergo inſidiator fuit. Et contra, Milo in urbem redijt poſt interfectum Clodiũ, in publicũ prodijt, populo ſe & ſenatui cõmiſit, non latuit, non extimuit, in oratione nuſquã titubauit, ergo nulla cõſcientia criminis in eo fuit. Hæc ſigna uocantur apud rhetores, quorum ampliſſima materies ex hoc loco eſt, & in coniectura plurimũ ualent. Quod dicit, mulier quæ ſe capite nunquã diminuit : intelligendum eſt, mulieres quondã ſub perpetua tutela fuiſſe : quæ tamen liberabantur, ſi per coemptionem in manũ uiri conueniſſent, ſub cuius deinceps incipiebant eſſe poteſtate. Ergo mulier quæ ſe capite nunquã diminuit, id eſt, quæ ſtatũ et conditionẽ nunquã mutauit, ac proinde ſub tutela manſit. Tres enim erant, ſicut hodie ſunt, capitis diminutiones ; maxima, qua libertas : media, qua ciuitas amittebatur ; minima, qua tutela uel patria poteſtas mutabatur. Inſtit. 1. de Capitis diminutione. Cũ tabulas dicit, teſtamentum intelligit, quod in tabulis ſcribebatur. Prætor autẽ dabat uel ſecundũ tabulas bonorũ poſſeſſionem, ſi teſtamentũ rite & pie factum eſſet : uel cõtra tabulas, ſi non rite factũ, aut inofficioſum eſſet : ut lib. 2. Inſtit. Quibus modis teſt. infir. & de Inofficioſo teſtamento, & lib. 3. de Bonorũ poſſeſſionibus. A B antecedentibus autem, & conſequentibus, & repugnantibus.] Hi tres loci ut hærent in re, ita uim habent ex ipſa, nõ abſolute, ſed ex ordine eius ad alterã, quo in uicem cohærent certa lege exiſtendi uel nõ exiſtendi : ut ſi hoc ſit, illud eſſe : & ſi illud non ſit, neque hoc eſſe, & non & hoc & illud eſſe. quorum primũ eſt ex antecedentibus, ſecundũ ex conſequentibus, tertiũ ex repugnantibus. Cæterum ſicut ordo rerũ ab ipſis ſeiunctus nõ eſt, ita nec loci iſti ſeparati ſunt à cæteris, ſed ſumũtur ex omnibus quæ neceſſaria cõditione connecti poſſunt cũ re, uel ab ea ſeparari. Sumuntur autẽ, in pronunciato hypothetico, quoniã ex ſola hypotheſi, hoc eſt cõditione, qua proponuntur, argumentũ præſtãt. Quare nec concluduntur niſi argumentatione hypothetica, in cuius propoſitione duo ita iunguntur inter ſeſe, uel diſiungũtur, ut neceſſaria efficiatur concluſio. Non enim neceſſitatem efficit abſoluta rerum natura, ſed ordo earum in conditione propoſita : quæ cum duabus partibus conſtet, in pronunciato hypothetico ſi hæ partes rite connexæ fuerint, non poteſt altera uera pronunciari ſine altera : ſin diſiunctæ, non poſſunt ambæ ſimul eſſe uera. Fit autem connexio, item diſiunctio, tum per affirmationem, tum per negationem, interpoſita hypothetica particula, quæ tanquam uinculum eſt ſententiæ, ex ui cuius uerum uel falſum pronunciatur. Sed ea uel rationalis eſt, uel copulatiua, uel diſiunctiua. Rationalis : ut, ſi homo eſt, animal eſt. Copulatiua, & homo eſt, & animal eſt. Diſiunctiua, aut homo eſt, aut animal rationale non eſt. Item negatiue totidem modis : Non ſi homo eſt, animal rationale non eſt ; & copulatiue, Nõ & homo eſt, & animal rationale non eſt : & diſiunctiue, Non aut dies eſt, aut nox nõ eſt: quæ totidem ſunt genera propoſitionum. ex quibus conſtituuntur tres prædicti loci argumentandi, & ſeptem modi concluſionũ, qui poſterius recenſebuntur. Hærent igitur hi loci in re, ſed argumentum præſtant non niſi ex ordine eius ad alteram in pronunciato hypothetico, & duci poſſunt per cæteros omnes locos, ex quibus materia eorum petitur, modo ſumantur ea, quæ certa lege uel cõnecti cum re neceſſario, uel ab ea diſiungi poſſint. Quæ cauſa fuit Rodolpho tollendi eos ex locorum numero, & inter argumentandi formas referendi, quoniam ad ſtructurã argumentationis potius, quàm ad materiam eius pertinerent. Quintilianus aliter accipit conſequentia & repugnantia, quoniam antecedentia omnino nulla ponit : conſequentia autem ducit ex rerum natura ; repugnantia ad contraria refert. quem uide lib. 5. de Argumẽtis. Sed Cicero, ut dixi, antecedentia uocat, cum ex eo quod alterũ neceſſario antecedit, argumentum ducitur, hoc modo : Si homo eſt, animal eſt ; atqui homo eſt, igitur & animal. Conſequentia, cum ex eo quod ſequitur ex antecedente, efficitur concluſio: ut ſi homo eſt, animal eſt : atqui animal non eſt, igitur nec homo. Repugnantia autem, cum ex neutro iſtorum, ſed propoſitis contrarijs per negationem, & altero eorum ſumpto, alterum tollitur : ut, Non ſi homo eſt, animal non eſt : ſed eſt homo, igitur & animal. Nam hic hominem eſſe, & animal non eſſe, contraria ſunt : pone igitur hominem eſſe, & deme alteri negationem, ut tollas quod negatum fuit, efficieſq; ex repugnantibus concluſionem, ſi homo ſit, animal quoque neceſſario eſſe : quoniam hominem eſſe, & animal non eſſe repugnet. Sed uideamus exempla Ciceronis, quæ ex iure ciuili ſumpta ſunt. A B antecedentibus. Si uiri culpa.] Exemplum ſimpliciter proponitur extra formulã concluſionis. Erit tamen hæc ipſa cõcluſionis propoſitio, ſi tota exponatur, quoniã tribus partibus conſtat, propoſitione, adſumptione, & complexione, hoc modo : Si uiri culpa factum eſt diuortiũ, & ſi mulier nuncium remiſit, tamen pro liberis nihil manere oportet. Hæc propoſitio eſt adſumptio, Atqui uiri culpa factum eſt diuortium. Sequitur cõplexio, Ergo pro liberis nihil manere oportet. Quod exemplum pertinet ad actionem uxoriam de dote, de qua Paulus iuriſconſultus, ut refert Boetius, ſecundo Inſtitutorum de dotibus, ita tradidit : Si diuortium eſt matrimonij, & hoc ſine culpa mulieris factum eſt, dos integra repetetur. Quod ſi culpa mulieris factum eſt diuortium, in ſingulos liberos ſexta pars dotis à marito retinetur, uſque ad mediam partem duntaxat dotis. Quare quoniam quod ex dote conquiritur, liberorum eſt, qui liberi in patris poteſtate ſunt, id apud uirum neceſſe eſt permanere. Nunciũ remittere erat, miſſo libello diuortiũ ſignificare : quoniã nunciũ Latini & rem & perſonã appellant. Scriptus erat libellus his uerbis : Res tuas tibi habeto, res tuas agito : quo miſſo, matrimoniũ diſſoluebatur. uide Cælium lib. 15. Lectionũ antiquarum. fit etiã mentio in iure ciuili. C. de repudijs. A` conſequentibus: Si mulier cum fuiſſet nupta cum eo, cui connubij ius nõ eſſet.] Neque hic ſeruatur forma concluſionis, ſed erit hæc eius adſumptio

ptio

prio ſi tota exponatur, quod quidem eſt neceſſarium ad intelligendam uim huius loci: cum nó perinde ut in antecedentibus, ita in cóſequentibus propria uis eius appareat, niſi expoſita tota argumentatione. Tota igitur eſt huiuſmodi: Si quid pro liberis manere oportet, mulier nupta fuit cũ eo cui connubij ius fuit, ac proinde liberi patrem ſequuntur: Sed liberi patrem non ſequuntur, cum mulier non fuerit nupta cum eo cui connubij ius fuit: Ergo pro liberis nihil manere oportet. Sublato enim conſequente, antecedens tollitur: cum contra fiat in antecedentibus, in quibus ſumpto antecedente, conſequens infertur. Quod dicit: ſi nupta fuiſſet cum eo cui connubij ius non eſſet: & ſtatim addit, quoniam qui nati ſunt patrem non ſequuntur: hæc duo eodem pertinent, cũ prius poſterioris ſit cauſa. Patria enim poteſtas nó niſi ex legitimis nuptijs exiſtit: & niſi qui legitime nati ſunt, patré ſequuntur, cũ cæteri tanquã uulgo quæſiti, matrem ſequãtur. Impeditur autem legitimũ matrimoniũ certis de cauſis, quarũ nonnullæ erant apud ueteres, plures hodie ſunt in uſu ex principũ conſtitutionibus & decretis pontificũ, quæ iure ciuili & canonico continentur. A' repugnantibus, paterfamilias uxori uſum.] Hoc quoque exemplũ extra formã concluſionis eſt, ſed facilius intelligitur. Cũ enim ex contrarijs conſtet, fallere minus poteſt. Forma eius huiuſmodi eſt: Nó ſi uſuſfructus recte legatus eſt mulieri, debet eũ mulier amittere: atqui recte legatus eſt, ergo nó debet eum amittere. Repugnant enim (inquit Cicero) recte accipere, et inuitũ reddere. Sed poteſt eadé formula etiã ex diſiunctiuis concludi, hoc modo: Aut nó recte legatus eſt uſuſfructus mulieri, aut nó debet eum amittere: ſed recte legatus eſt, ergo nó debet eum amittere. Sed uideamus uerba Ciceronis: Si uſuſfructus (inquit) legatus eſt mulieri á primo hærede, & á ſecundo legatus nó eſt, mortuo primo hærede, mulier non debet legatũ amittere. Quod ſic intelligendũ eſt, Teſtamento hæredem feci Titiũ, et ei ſubſtitui ſecundũ hæredem Semproniũ, uxori autem uſumfructũ omnium bonorũ á Titio legaui, hoc eſt, á Titio transferendũ. Moritur poſtea Titius, & Sempronius ſuccedit. Capit nihilominus uſumfructũ bonorũ uxor. Recuſat Sempronius, quoniã á ſe nihil legatũ ſit. Reſpondetur ex repugnantibus, nó impediri oportere mulierem á ſecundo hærede, quo minus perfruatur eo, quod á primo hærede legatũ ſit, quãuis á ſecundo nihil ſit legatum: quoniã repugnent recte accipere, & inuitũ reddere. hoc eſt, cũ diſiunxeris per negationem ea quæ pugnantia ſunt, nempe recte accipere, & inuitũ reddere: ſumpto priori, quod eſt recte accipere, poſterius neceſſario tollis per negationem, & infers, inuitũ amittere nó debere: in quo eſt forma cóncluſionis ex repugnãtibus, quæ poſterius ſuo loco tradetur. Secundus hæres eſt, qui ſubſtituitur primo, ita ut ſi primus hæreditatem nó adierit, ſuccedat ſecundus: quod fit his uerbis: Titius hæres mihi eſto, & ſi Titius hæreditatem meam non adierit, tunc Sempronius hæres eſto, ut primo Inſtit. de Vulg. et pupil. ſubſtitutione. Legatũ ab hoc uel illo hærede intelligitur, quod ab eo ſoluendũ eſt, & ad legatarium transfertur: modus loquendi in iure peculiaris. Ancillarum uſuſfructus eſt, quantũ ex opera & miniſterio earum conquiri poteſt. Nã partus non eſt in fructu, propter dignitatem hominis, cuius gratia cætera in fructu eſſe dicuntur. Illud circa hunc locum ignorandum non eſt, Repugnantia non eodem modo accipi apud omnes, ſed alijs repugnantia dici, quæcunque in idem conuenire non poſſunt: ſicut Rodolpho, cui differentia & oppoſita ſub repugnantibus comprehenduntur. Boetius repugnantia uocat, contraria hinc inde cum annexis ſuis collata: ut amicum & inimicum eſſe contraria ſunt: annexum, amico prodeſſe, inimico nocere uelle. Repugnant igitur, amicum eſſe, & nocere: inimicum eſſe, & prodeſſe uelle. Tertius modus eſt in hypothetica enunciatione, cum duo per negationem ita proponuntur, ut altero ſumpto, alterum tolli neceſſe ſit. de quo hic loquimur. EX efficientibus cauſis.] Sub efficientiũ nomine Cicero omnes cauſas cõplectitur, ut materiã, formã, & efficientem. Sed ita diſtinguit, ut efficiens per ſe ui ſua conficiat, cætera ſint ſine quibus effici non poſſit. Locum etiam & tempus addit, quæ alij ſeparant á cauſis, & per ſe locos faciunt, qui materiam etiam & formam referunt inter partes. Materia eſt, quæ ſubiecta eſt efficienti, et ſine qua effici non poteſt. Efficiens, quod ui ſua efficit. cuius multæ ſunt differentiæ, quæ poſterius explicabũtur. Forma, quæ dat eſſe rei, hoc eſt, unde idipſum quod res eſt, accipit: ut anima rationalis in homine, uita in arbore. Finis eſt, cuius gratia fit. Allicit enim & ſtimulat efficientem ad agendum, ut cum lucri uel nauigandi gratia fit nauis. Atque hæ cauſæ ab Ariſtotele numerantur. Efficientium exemplum á Cicerone ex iure ſumptũ eſt, de damni infecti actione: quæ eſt in eum, qui ædificando uicinum damno affecit. Itaque fit, ut ſi auctor damni non fueris, non tenearis iſta actione. id quod Cicero ex efficientibus probat, hoc modo: Fornix uitium fecit in communi pariete demoliendo: ergo is qui demolitus eſt, damni nó tenetur. Etenim á quo cauſa remouetur, ab eodem etiã remouetur effectus: quæ huius loci maxima eſt. Omnibus eſt ius, inquit, parietem directum ad parietem communem adiungere, uel ſolidum uel fornicatum. Parietem directum appellat, qui iuxta alterum ita ædificatur, ut totus lateri eius applicetur. Hunc ſi adiungas cõmuni parieti, inſerere in eum poſſis, ut cohæreat, & quaſi unum opus efficere: ſi non ſit cómunis, non poſſis, quoniam iure ciuili prohiberis. Communis autem eſt, qui tuus & uicini eſt: ſicut inter continentia ædificia, qui & communi ſumptu ædificatur. Cæterum idem ſolidus (ſicut quiuis alius) uel fornicatus eſſe poteſt, hoc eſt arcu ſuſpenſus: fitq; ut qui fornicatus eſt, periculoſius reſcindatur, eo quod minus ſuſtineri poſſit. Itaque in ædificando ſi quid periculi fore uideatur, uicino damni infecti promitti ſolet, id eſt, damnum te nullum in eo opere facturum eſſe: aut ſi feceris, præſtaturum. Ergo ſi quis, inquit Cicero, in pariete communi demoliendo damni infecti promiſerit, non debebit præſtare, quód fornix uicij fecerit. Quo in loco uitium facere dicit, pro damnum facere, iuriſperitorum conſuetudine. addit deinde rationem, cui argumentum ineſt: Non enim, inquit, eius uitio qui demolitus eſt, damnũ factum eſt, ſed eius operis uitio, quod ita ædificatum eſt, ut ſuſpendi non poſſit. Vitium rurſus dicit, primum pro culpa hominis, qui auctor damni fuerit: deinde pro forma parietis, qua ſuſpendi non potuit. Sunt etiam iſta ex efficientibus: Venenum dedit, igitur occidit: Extraxit ab undis, ſeruauit igitur: Male ſecuit hominẽ medicus, gladium irato præbuit, ergo in culpa eſt necis. Item: non ſuppetit materia, non poſſunt igitur fieri naues. Si non locus, non tẽpus pugnæ conuenit, non eſt confligendũ. Sic, puluis bombardicus deficit, ægrotat miles, ſpes prædæ exigua eſt: ergo ab obſidione deſiſtendũ. quorũ priora duo ſunt ab inſtrumẽto obſidendi, poſterius á fine, qui nobis ad cauſam efficientẽ pertinet. A B effectis rebus hoc modo.] Effecta & cauſæ mutui ſunt loci, quare hinc inde ſe oſtendunt. Itaque argumentũ ex effectis eſt: Omnia quæ mulieris fuerunt, facta ſunt uiri dotis nomine: ergo mulier in manũ uiri conuenit. Vbi, bona mulieris uiri facta eſſe dotis nomine, effectum eſt: in manũ uiri conueniſſe, cauſa. Sed Cicero exemplum conuertere uidetur, & ex cauſa effectum probare, cum ita proponat: Cum mulier in manum uiri conuenit, omnia quæ mulieris fuerũt, uiri ſiunt dotis nomine. Quo in loco attendendum eſt, non totam argumentationem exponi, ſed uim eius duntaxat ſignificari, quæ ab exponendi ratione ſeparata eſt. Itaque ut ex effectis eſſe intelligatur, cauſa adiũgitur, & præponitur effectui, hunc in modum: Cum mulier in manũ uiri conuenit, omnia quæ mulieris fuerunt, uiri ſiunt dotis nomine. Hæc propoſitio eſt, cauſam (ut dixi) cũ effectu complectens. Deinde perſequendum eſt, et addenda adſumptio: atqui omnia

quæ mulieris fuerunt, facta ſunt uiri dotis nomine. ſequitur cõplexio: ergo mulier in manum uiri conuenit. Sed eandem argumentationẽ concludere etiã poſſis negatiue, ſi adſumptionẽ negaueris, hoc modo: Atqui nihil eorum quæ mulieris fuerunt, facta ſunt uiri dotis nomine: ergo mulier in manum uiri non conuenit. Quo genere cõcluſionis proprie tractatur argumentũ ex cõſequẽtibus. Si differunt conſequentia ab hoc loco, quia illa in ſola conditione ſunt poſita, ex qua uim obtinent, nec poſſunt concludi, niſi ratiocinatione hypothetica: ſecus de cauſis & effectis, & cæteris omnibus locis, qui & per ſe uim habent extra hypotheſin, & alijs etiam modis concludi poſſunt. Sunt & illa ex effectis: Magna ſtrages edita eſt, ergo magna pugna fuit: Ingens claſſis ædificata, igitur præſto fuit materia: Non potuit ui expugnari oppidum, uires igitur & belli apparatus defuit. Eodemq; modo de cæteris, niſi quæ ad finem referuntur, deſtinata, quàm effecta appellare malueris: ut, Inſtrumentum bellicum paratum eſt, miles conſcriptus, ſtipendium in ſex menſes conſtitutum: igitur bellum futurum eſt. Sed de fine ſupra dictum eſt, & quæ hic ſumpta ſunt deſtinata ad bellum, etiam ad adiũcta referri poſſunt. ſed tunc alia ratione accipiuntur. Cæterum quo modo idem modo cauſa, modo effectum, modo inſtrumentum, aut deſtinatum dici poſſit, uide Rodolphũ, apud quem hic locus diligenter explicatur. EX *comparatione.*] *Diximus ſimilitudinem & differentiam circa qualitatem eſſe, tum ſubſtantialem, tum accidentalem: comparationem autem circa quantitatem, cum æqualia uel inæqualia, hoc eſt paria, maiora uel minora inter ſe conferuntur. quæ diſtinctio diligenter eſt obſeruanda. Ex maiori argumentum eſt: Si in urbe fines non reguntur, neque in urbe aqua arceatur. Eſt enim maioris negotij, & natura prius, fines regere, quàm aquam arcere. Quod argumentum conuerti poteſt, & pariter ex minori duci, ſed non niſi per affirmationem, hoc modo: Si aqua pluuia arcetur in urbe, & fines in urbe reguntur. Maiora enim per negationem, minora per affirmationem ſumũtur. Fines regere, eſt terminos agrorũ definire: quod ſæpe uſu uenit inter uicinos. & in agris duntaxat locũ habet. Aquam arcere, eſt prohibere, ne aqua pluuia nocẽs, quæ de alieno uenit, uel in agro, uel in urbe, excipiatur finibus noſtris: quod iuſtam ad urbana, quàm ruſtica prædia pertinet. Itaque de eo cauetur ff. de Finibus regundis, & de aqua pluuia arcenda. Ex pari exemplũ eſt: Quoniã uſus auctoritas fundi biennium eſt, ſi etiam ædium: id eſt, quoniam fundus biennio uſucapitur, uſucapiantur & ædes: quoniã utrunque eſt earum rerum quæ ſoli ſunt, hoc eſt, immobilium. Vſum, poſſeſſionem uocat: biennium, tempus poſſeſſionis lege definitum: auctoritatem, ius quod acquiritur, quam uſucapionem appellant. Eſt enim uſucapio, ius acquirendi dominij ex certi temporis poſſeſſione. cui additur in iure, ut ſit bonæ fidei poſſeſſor. Illud ignorandum non eſt, ueteres uſucapionem tam in mobilibus, quàm immobilibus rebus dixiſſe. ſed poſtea diſtinctione facta, in rebus mobilibus uſucapionem, in ijs quæ ſoli eſſent præſcriptionem appellatam. Tempora quoque uſucapionis mutata ſunt, quoniam biennio quondam res immobilis, anno uno mobilis uſucapiebatur. Poſtea conſtitutum fuit, ut mobilis triennio, immobilis decennio inter præſentes, uicennio inter abſentes uſucaperetur. quo iure hodie utimur, ut Inſtit. & ff. de Vſucapionibus. Sed reuertamur ad exemplum Ciceronis: Quoniam uſus, inquit, auctoritas fundi biennium eſt, ſit etiam ædiũ. Huic deinde occurrit, ut uim loci comprobet: At in lege, inquit, ædes non appellantur. Legem 12. tabularum intelligit, in qua fundi duntaxat fit mentio, nõ ædium, cum ibidem ius uſucapionis deſcribatur. Et ſunt cæterarum, inquit, rerum omnium, hoc eſt, hominis, iumenti, ſupellectilis, quarum gratia ædes ſunt comparatæ, quarũ annuus eſt uſus, id eſt, annua uſucapio. Ex quibus effici uult, idem ius ædium quod fundi ſit, eſſe non oportere, cum ædes in lege adſcriptæ non ſint, & ad alias res pertineant. Sed reſpondet, et ſoluit ex pari: Valeat, inquit, æquitas, quæ in paribus cauſis paria iura deſiderat. quæ eſt maxima huius loci in iure, quoties aliquid ſcripto comprehenſum non eſt. Vnde et ſtatus eſt apud rhetores ex ſyllogiſmo ſiue ratiocinatione, cũ cauſa in ſimilitudine conſtituitur.* QVAE *autem extrinſecus aſſumuntur.*] *Hoc eſt alterum genus locorũ, quod in quæſtione non hæret, ſed extra aſſumitur: quia neque in ſubſtantia rei eſt, neque ad eam refertur. ſed in ſola auctoritate eſt poſitum. Græci* ἄτεχνον *uocant, id eſt ad uerbum, inartificiale, non quia arte tractandum non ſit, ſed quia nullis inueniatur artis præceptis, ſed caſu potius oblatum, uel cõquiſitum ab oratore ad cauſam adferatur.* Vt *ſi ita reſpondeas.*] *Reſpondere proprium eſt iuriſperitorum, cum in cauſis conſuluntur: unde reſpõſa prudentũ in iure ciuili appellata.* QVONIAM P. Scæuola.] *Ius non eſt in alieno ædificandi. Sed uicinus parietem communem tegere uult, & ædibus ſuis adiungere. Tu licere negas, quoniam tui etiam iuris ſit paries. Itaque ſi ædificare uelit, permittis, ut intra ambitum ædium ſuarum ædificet. Reſpondit Scæuola, & ambitum ædium definit, ſolum eius id eſſe, non qua paries claudat, ſed quantum communis parietis tegendi cauſa tectum proijciatur, modo aquam pluuiam in tuam partem recipias. Solum dicitur, quod cuique rei ſubiectum eſt, ut area ædificio, & terra pedibus noſtris. Itaque ſolum ambitus ædium intelligimus aream, cui ædes impoſitæ ſunt.* His *igitur locis qui ſunt expoſui.*] *Hactenus expoſuit omnes locos, deinceps tranſit ad uim & uſum eorum uberius explicandum. Significationem & demonſtrationẽ dicit, reſpiciens ad id, quod ſupra locos notas & ſigna inueniendorum argumentorum appellauit.* AD *has dicendi epulas.*] *Per allegoriam loquitur.* DEFINITIO *eſt oratio.*] *Differt definitio à deſcriptione, quod illa quid ſit res, deſcriptio qualis ſit oſtẽdat. Itaque altera philoſophorum, altera oratorum & poetarum eſt propria. quid ſit res, ex genere & differentia cognoſcitur, quæ eſt optima definiendi ratio, ab Ariſtot. tradita. Sed quia proprias rerum differentias ferè ignoramus, ad alia confugiendum eſt, nempe ad ea, quæ ſi non ex ipſa rei ſubſtantia, tamen aliunde ducta, quid ſit res nobis proprie oſtendant. De quo quidem genere definiendi poſterius tradetur certa formula, intra quam ſi conſtiterimus, quid ſit unumquodque, de quo quæritur, animaduerſa natura eius ac proprietate, commode & ſine errore definire poterimus.* DEFINITIONVM *autẽ duo ſunt genera.*] *Hæc diuiſio pertinet non ad formã definiendi, ſed ad res quæ definiuntur. Quare alienior eſt à propoſito: quia non quomodo definiendum ſit, ſed quæ ſint ea, quæ definiuntur, oſtendit.* Earum *rerũ quæ ſunt.*] *Loquitur ſecundũ uulgi opinionem, quod imperitis nõ uidentur eſſe ea niſi quæ cerni tangiue poſſunt.* VT *fundũ, ædes, parietem.*] *Fundus, eſt definita pars agri, ſiue culta, ſiue inculta ſit. Prædiũ latius patet, & tam de urbano quàm ruſtico, nec de ſolo tantũ, ſed etiam de ædificio dicitur. Stillicidiũ eſt, quæ aqua pluuia de tecto excipitur. Mancipiũ, res eſt noſtri dominij, quæ alienari poteſt. Supellex, inſtrumẽtũ eſt in domeſtico apparatu. Pœnus, omne quod ad uictũ longæ uſionis cauſa reponitur, præter panem & uinũ, ſicut definit Gellius. Vſucapio, eſt dominiũ quod ex iuſta & certi temporis poſſeſſione acquiritur. Tutela, eſt poteſtas in libero capite, tuendi eius, qui ſe propter ætatem tueri non poteſt. Gens eſt, eiuſdem nominis & originis coniunctio, nulla capitis diminutione interrupta, quam & familiam appellamus. Agnatio eſt, coniunctio per uirilis ſexus cognationem. Itaque gens latius patet, quàm agnatio.* CONFORMATIO *inſignita.*] *Id eſt, imago mẽte cõcepta, ac certa proprietate diſtincta à cæteris rebus, quã Græci tũ* ἔννοιαν, *tum* πρόληψιν *uocant. Impreſſam dicit, quia notiones ſunt inſitæ animis noſtris, hoc eſt, innatæ,*

cum

cum ſint rerum uniuerſalium intelligẽtia, quas mens noſtra per ſe gignit. Singularium enim rerum cognitiones ſenſuum ſunt propriæ, nec niſi à ſenſibus informatæ ad animum transferuntur: uniuerſalia intellectus facit. ATQVE etiam definitiones aliæ ſunt partitionum.] Hæc diuiſio propior eſt inſtituto definiendi, quoniam ad formam definiendi pertinet. Docet enim & per partes rem definiri. Itaque differt hoc genus à ſuperiori, quoniam quid ſit id de quo quæritur, nõ propriè, hoc eſt, notione generis ac proprietate, ſed partium enumeratione oſtendit. Enumerantur enim tum forma, tum partes, ex quarum natura quid ſit totũ intelligitur. itaque illam diuiſionem, hanc partitionem uocamus. Illud ignorandum non eſt, definitiones, quæ fiunt per partitionem & diuiſionem, non eſſe partitiones & diuiſiones, ſed ui & effectu differre. Quia definitiones ſunt quatenus explicãt quid ſit res: partitio & diuiſio, quatenus partes & formas eius oſtendũt. Itaque ſumuntur & ad definiendam rem, & per ſe argumentum ex partiũ enumeratione præſtant, qui loci inter ſe diſiuncti ſunt. QVOD in legibus, ſenatuſconſultis.] Ex his partibus, quaſi membris, ius ciuile quondam in unum corpus coaluit. Leges erant, quæ à magiſtratibus ad populum ferebantur: dictæ à legendo, quoniam propoſitæ in publicum legerentur. Senatuſconſulta, decreta erant ſenatus. Res iudicatæ, cauſæ de quibus ante iudicatum fuiſſet: quæ in exemplũ trahebantur in ſimilibus cauſis iudicandis, unde & præiudicia appellata. Iuriſperitorũ auctoritas, in interpretando iure uerſabatur, & uim iuris habebat, introducta primum liberæ ciuitate, deinde confirmata à principibus, & ijs cõceſſa duntaxat, quorum induſtria & fides in reſpondendo ſpectata fuiſſet, ſicut Papiniano, Vlpiano, & cæteris, quorum reſponſa libris Pandectarum continentur. Edicta magiſtratuũ, prætorum & ædilium erant, qui quod ſtatuiſſent, id ius erat. Morem, conſuetudinem intellige publico conſenſu receptam, quæ & ipſa uim iuris habet, & eſt extra ſcriptum poſita. Huic additur æquitas, & ipſa extra ſcriptum, cum quid præter morem & legem ex æquo & bono, hoc eſt communis utilitatis cauſa, rectum eſſe ſtatuitur. ABALIENATIO eſt eius rei quæ mancipi eſt.] Hic quid ſit abalienatio, non propriè, ſed per partes oſtenditur. Enumerãtur enim formæ, quibus uniuerſa eius natura continetur. Illud ignorandũ non eſt, duas duntaxat formas abalienationis fuiſſe apud ueteres, eaſq; in ritu et ſolennitate iuris poſitas, quæ in omni dominio transferendo interponebantur: ſed poſtea his ſublatis, rectas ac ſimplices abalienationis ſpecies plures extitiſſe, ut per donationem, uenditionem, permutationem, ceſſionem, ultimam uoluntatem, quæ etiam hodie ſunt in uſu. Quod additur in definitionem, Inter quos ea iure ciuili fieri poſſunt, ad explendã definitionem pertinet, quoniam non quiuis hoc iure uti poteſt, ſed ij duntaxat, qui & domini rerum abalienandarũ, & ſui iuris ſunt, & quibus id iure ciuili permiſſum eſt. de quo uide 2. Inſtit. quibus alienare licet, uel non. Res mancipi, dicebatur res noſtri dominij, quæ alienari poteſt: dicta quod in uindicando manu caperetur: unde & ſerui ex hoſtibus capti, mancipia ſunt appellata. Mancipi, genitiuus eſt per apocopen, pro mancipij, quo ueteres cõmoditatis cauſa libentius utebãtur. TRADITIO alteri nexu, aut in iure ceſſio.] Nexu, uel nexũ (nã utroque modo inuenitur) ſolennitas iuris erat per imaginariam uenditionem, cum certo quaſi precio interpoſito, res abalienabatur, hoc modo: Cũ adeſſent inter quos fiebat abalienatio, adhibebatur æs & libra cum quinque teſtibus: & is qui librã tenens, libripens dicebatur. Tũ is qui emptor appellabatur, æs manu tenens, percutiebat libram his uerbis: Hunc hominem uel hanc rem, inquit, meam eſſe aio, mihiq; emptã hoc ære & hac libra. quo dicto, æs tradebat uenditori, & peracta erat abalienatio. In iure autem ceſſio ſolennitas iuris erat abalienãdæ rei apud prætorem, nullo quaſi precio interpoſito, cũ præſentibus partibus uendicanti rem prætor addicebat. Ius enim, locus appellabatur apud Prætorem. unde, In ius uocare: & in lite uindiciarum, Cum ego te in iure conſpicio. Atque iſta in hanc ſententiam traduntur à Boetio, quorũ etiam mentio extat nõnullis in locis in iure ciuili. SVNT & alia genera definitionum.] Horum multa recenſet Boetius ex Victorino, ſed impropria, ut ipſe uocat, in quibus & diuiſionum ac partitionum genus comprehendit. Sed Cicero omnia genera definiendi, præter ea quæ ipſe poſuit, uult oratorũ ac poetarum magis, quàm diſſerentium eſſe propria, & ab hoc inſtituto aliena. Explicata enim notione ac proprietate rei, aut partibus eius expoſitis, nihil amplius eſſe, quod ad uniuerſæ naturæ eius cognitionem deſiderari poſſit: cum cætera quæ dici poſſint, ad accidentia pertineant, & aut referantur ad prædicta genera, aut non tam ſubſtantiam rei, quàm qualitatem declarent. Boetij diuiſio, qua omnem definiendi rationem colligit, eſt huiuſmodi: Definitio alia propria eſt, ut quæ genere & differentia conſtat, Cicero notitionem & proprietatem appellat: alia impropria, ſed duplex, uerbo reddita & ratione. Verbo, rurſus duplex, cum uerbũ uerbo declaratur, ut condicere, eſt promittere: uel cũ res exemplo indicatur, ut ſi quæras quid ſit fera, & uerbi gratia addas, ut leo, ut tygris. hanc τύπον, illam ἀντίλεξιν nominant. Oratione multis modis fit impropria definitio: per partitionem & diuiſionem, de quibus prædictum eſt: per proprietatem ſeu differentiam, omiſſo genere, ut homo eſt qui rationali natura conſtat, quæ uocatur ἐννοηματικὴ. Per qualitates ut homo eſt, qui mortali corpore, immortali mente præditus, tali corpore, uirtutis ac diſciplinæ eſt capax: quæ uocatur ποιότης. Per accidentia, ut cũ qualis ſit auarus, qualis aſſentator, ex moribus & uita utriuſque deſcribitur, ſicut Gnato apud Terentium. ea uocatur ὑπογραφικὴ. Per differentiam, ſiue κατὰ διαφορὰν, ut quid interſit inter regem & tyrannũ, inter prodigũ & liberalem. Per translationem: ut cũ adoleſcentiam appellamus florẽ ætatis: ſenectutem, uitæ occaſum. Per priuationem contrarij, ut, Virtus eſt uitiũ fugere. Per ſuffigurationem, ſiue κατὰ ὑποτύπωσιν, ut cũ imago rei exprimitur. Per defectionem: ut dodrans in aſſe eſt, cui quadrans deeſt. Per laudationẽ, quæ ſi recipitur, erit & per uituperationẽ, ut illud: Ei autem uiro mors parabatur, in cuius uita nitebatur ſalus ciuitatis. Itẽ leges, ſi eas leges appellare fas eſt, ac nõ potius peſtes ac faces reipub. Per ſimilitudinem, ſiue ἀναλογίαν, ut ciuitas ſine magiſtratu, eſt nauis ſine gubernatore: ſtultus magiſtratus, eſt caput ſine ſenſu. Per relationẽ, ut pater eſt qui habet filiũ. Per cauſam, ut dies eſt ſol ſupra terrã. Quorum omniũ generum primũ duntaxat propriũ & ſubſtantiale eſt, cætera aut referuntur ad illud, aut nõ quid ſit res, ſed qualis ſit oſtendunt. TANTVM eſt dicendũ qui ſit definitionis modus.] Remouendo cætera definitionũ genera, ad id reuertitur, quod primo loco poſuit, quo quid ſit res propriè explicatur. Itaque formulã eius & modum certũ præſcribit, intra quem conſiſtendũ ſit, ne parũ aptè definiamus. Debet enim definitio apta eſſe ei quod definitur: nec plus, nec minus amplecti, quàm natura eius continetur. SIC igitur ueteres præcipiunt.] Ariſtoteles præcipit, genere & differentia definiendũ eſſe. Et genus quidem ferè ſemper in promptu eſt, differentia perſæpe latet: nec uſquam magis apparet mentis noſtræ imbecillitas, quàm in ueris differentijs perſpiciendis. Itaque ut hanc inopiam ſarciamus, utimur ueris quidem ſi poſſumus: ſin deſtituimur earũ facultate, tum proximas quaſque in locum earum adſciſcimus, eaſq; uel uno uerbo ſumptas, uel, ſi hic quoque non ſuppetat, pluribus undecunque contractis, quibus aliquid circunſcribimus, quod uim parem obtineat, quodq; proprium ſit ei quod definitur, ipſumq; à cæteris omnibus rebus diſtinguat. Atque hæc formula eſt, quam præſcribit Cicero, in qua communibus ſumptis, & ad proprietatem redactis,

Id quod primo loco ſumitur genus eſt, aut uicem eius obtinet, cætera deinceps differentia loco ponuntur. Differentia enim & proprium, re idem ſunt, ſed appellatur differentia, quòd rem certa proprietate à cæteris diſtinguat: proprium, quod uni ſoli cõueniat. MVLTIS enim modis ſine hæreditate.] Vt, fraude, legato, retenta poſſeſſione, quæ excludenda ſunt ab hæreditate, ut propriam definitionem efficias. POSSESSIONE retenta. Quod fit in uſufructu mortuo uſufructuario, cum dominus proprietatis uſumfructum retinet, de quo lege ſecundum Inſtit. de Vſufructu. PARTITIONVM autem & diuiſionum genus quale eſſet.] Oſtendit quid partitio & diuiſio inter ſe differãt, quoniam ad definiendum eas adhibui, eodemq; adiungit generis & formarum explicationem. QVAS Græci εἰδέας uocant.] Εἰδέα dicta eſt ab τοῦ εἴδειν, quod eſt cognoſcere: ut cũ formam rei mente concipimus, & quaſi faciem eius intuemur. Hãc Latini uerbum è uerbo, ſpeciem appellant, à ſpecio inuſitato uerbo, cuius compoſita duntaxat ſunt in uſu: ut aſpicio, inſpicio, conſpicio. SED inutiliter.] Id eſt, incommode, & inſuauiter, nempe præter conſuetudinem, cum uerbum nouum eſſet temporibus Ciceronis, & caſus eius in flectendo inſolentiores. AD plures differentias.] Quas complectitur genus, & quibus formæ in diuidendo diſcernuntur. Eſt enim differentia, ut definit Rodolphus, propria & eſſentialis rei nota, qua ſecundũ idipſum quod talis eſt, à cæteris diſtinguitur rebus. QVOD Græci tum πρόληψιν, tum ἔννοιαν uocant.] Horum uim exprimit, cum ſubdit: Ea eſt inſita & ante percepta cognitio. Inſitam dicit, quoniam notiones quæ ſunt uniuerſalium rerum propriæ, quodammodo inhærent, & innata ſunt mentibus noſtris, in quibus exiſtunt, & gignuntur per ſe, ſine ſenſuum adminiculo, quibus etiam natura ſunt priores: unde & προλήψεις dicuntur, id eſt anticipatæ rerum intelligentiæ, quæ priores ſunt ſenſibus, & mentibus noſtris æquales. Singularium autem rerum notitia, poſterior eſt natura, & primum ſenſu conficitur: deinde informata ab illo, tum denique ad animum transfertur. Sed harũ rerum exactior diſputatio ad primam philoſophiam pertinet, iactataq; inter Platonem & Ariſtotelem, magna circa εἰδέας diſſenſione. ENODATIONIS indigẽs.] Id eſt, explicationis, quod fit definitione. Hæc enim inuoluta quodammodo in ſeſe, & complicata notio euoluitur, ut cerni poſſit, dũ res quid ſit explicatur. VT ſi quis ius in legem.] Ius hoc loco dicit, non ius ciuile, ſed uniuerſum, quod in ſubiectas formas diuiditur. Ius enim ciuile, ius Romanum intelligitur, certum uidelicet ac definitum, quod in partes, quaſi in membra diducitur. Ius igitur per ſe dictum, genus eſt, ius ciuile ſpecies, ius ciuile Romanum indiuiduum, quod non niſi ut totum in partes ſecatur, quemadmodum ſupra in leges, ſenatuſconſulta, edicta magiſtratuum, & cæteras partes diuiſum eſt. FORMAS qui putat idẽ eſſe quod partes.] Hoc differũt formæ à partibus, quod in formis ſingulis genus ineſt, totum autem in partibus non niſi uniuerſis. Itaque genus prædicatur de ſingulis formis, totum de partibus ſingulis prædicari non poteſt, quæ eſt uera partium & formarum differentia, quam ſignificat quidem Cicero, ſed non exprimit. SAEPE etiã definiunt oratores & poetæ.] Hoc eſt tertium genus definiendi, quo quid ſit totum per translationem uerbi ex ſimilitudine oſtenditur. Itaque cum in uerbo ſit poſitum, non ex re, ſed ex tota conficitur, ſitq; ut primum genus definiendi ſit ex propria notione notius: ſecundum ex partibus eius: tertiũ ex nota: in quæ tria uis eius ſupra diſtributa fuit. Non fit tamen ut idem ſit notatio quod finitio, cum finitio quid ſit res, notatio uim notæ explicet. Nos autem dicimus, ſicut ex proprietate & partibus, ita ex nota definitionem confici, cum ex translatione uerbi, & ſimilitudine quid ſit res indicatur. AC ſuis.] Id eſt iuriſperitorũ proprijs, qui rectis ac ſimplicibus uerbis utuntur, ſicut & cæteri qui artes tradunt, & in docendi ratione uerſantur. PARTITIONE autem ſic utendũ eſt.] Perſequitur inſtitutum ordinem. nam quod paulo ante de partitione ac diuiſione locutus eſt, id ad definiendi rationem retulit. hic quomodo hæc per ſe tractanda ſint, oſtendit. Poſt definitionem enim totius, ſequitur partium eius enumeratio, deinde notatio, quemadmodum ſupra propoſitum fuit. VT ſi partiri uelis tutelas.] Hoc exemplum una cum ſequenti fictum eſt. Itaque, inquit, ſi partiri uelis, ſignificans neminem ita partiri, cum id fieri non poſſit: quia genus eſt tutela, quod in formas diuiditur, nec partitionis eſt capax. Sic ſtipulationum & iudiciorum formulæ, non partes, & quaſi membra ſunt, ſed formæ, quæ notionibus earum rerum ſubijciuntur. Verum his uſus eſt Cicero, cum alia ex iure nõ occurrerent, quibus id quod propoſitum erat demonſtrare poſſet. Neque enim temere inuenias ullam rem in doctrina iuris poſitam, quæ partitionis ſit capax, ſiue in certas & definitas partes, ſiue in plures partiri uelis, præter ipſum ius ciuile, cuius partitionis exemplo ſupra uſus eſt. Plurimæ autem & in omni parte iuris ſe offerunt, quas diuidi neceſſe ſit, cum non de ſingulis rebus, ſed de uniuerſis cõſtitutum ſit, quarum notiones cum ad plures differentias pertineant, genera ſunt, & in ſubiectas formas diuiduntur. Itaque ex his exempla mutuatus eſt Cicero, cum uera non ſuppeterent: nec dubitauit ficta pro ueris ponere, cum inter partitionem & diuiſionem, quod ad hunc locum pertinet, aptiſſima ſimilitudo ſit. Tutela in teſtamentariam, legitimam, & datiuam diuiditur, quæ ſunt notionis eius formæ, & explicantur 1. Inſtit. de Tutelis. At ſi ſtipulationum aut iudiciorum.] Stipulatio eſt conceptio uerborum, qua per interrogationem & reſponſionem obligatio contrahitur: ut promittis, promitto: fideiubes, fideiubeo. de qua eſt 3. Inſtit. de Verborum obligat. Iudiciorum formulæ non ſunt amplius in uſu, ſed quondam cõcipiebantur à prætore, cum iudicia darentur litigatoribus. Concipiebantur autem uarie pro cauſarum diuerſitate, nec licebat à præſcripto earum recedere. Exemplum earum eſt, & quidem uetuſtiſſimum, apud Liuium 1. ab Vrbe condita, in cauſa Horatij, qui ſororem interfecerat, in quem Tullius ex iudicium dedit, his uerbis: Duumuiri oratio per duellionem iudicent: ſi prouocarit, prouocatione certato: ſi uincent, caput obnubito, infelici arbori ſuſpendito, uerberato intra pomœrium, uel extra pomœrium. Refertur etiã formula iudicij Miloniani ab Aſconio lege Pompeij conſtituta, de Teſtibus audiendis, & quot horis actor, quot reus uti deberet: & ut eodem die reus iudicaretur, quod in cæteris cauſis omnibus à prætore decerni ſolebat. Itaque ſecunda actione in Verrem Cicero agit de conſtituendo iudicio, multaq; fit mentio in ſequentibus actionibus de iudicijs, quæ Verres inique & contra ius in Siculos & ciues Romanos dederat. ſed poſtea, ut dixi, exoleuit hæc iuriſdictio, hodieq; decretis principum, & iuriſperitorum auctoritate hoc ius perpetuum in omnes cauſas cõſtitutum eſt. ITAQVE in oratorijs artibus.] Et hic ponit duo exempla, quorum alterum proprium eſt huius loci, de diuidendi ratione: alterum improprium, quoniam non ad partitionem, ſed ad diuiſionem pertinet. Schemata enim, non partes ſunt (niſi in certo corpore orationis quaſi membra accipiantur) ſed formæ & conformationes quædam dicendi, quæ ſubiecta certo generi in quamuis orationem cadere poſſunt. Vtitur igitur Cicero diuiſionis exemplo loco partitionis, ſicut in ſuperioribus cum aliud non occurreret, eo quod hæc ſimilia ſunt inter ſe, cum ſicut in partitione partes ſæpe infinitiores ſunt, ita in diuiſione. Sed fortaſſe partitioné uocat, non ſolum cum in partes, quaſi in membra fit diſcretio, ſed etiam cum plures formæ enumerantur, in quod exempla etiam ſuperiora congruere uidentur: diuiſionem autem, cum in

certas

certas & definitas formas ſit diſtributio. Sed id fieri non poſſe uel illud arguit, quod neque ſatis exacte formas diſtingueret à partibus, ſi ita ſtatueret, nec diuiſionem re magis, quàm formarum numero à partitione ſepararet. Cæterum quæſtio infinitã & infinitam diuiditur. Græci ὑπόθεσιν & θέσιν uocant: & porrò utraque in coniecturam finitionem, & qualitatẽ: ut, An ſit, Quid ſit, Quale ſit. Schemata partim uerborum ſunt, partim ſententiarum, & utriuſque generis multæ ſpecies, quæ enumerantur in libro de Oratore, & in Orat. ad Brutum, explicantur ab auctore ad Herennium, & à Quintiliano lib. 8. & 9. Eſt autem ſchema figura orationis, & tanquam geſtus eius, cum in aliam & aliam formam in agendo mutatur oratio: ut cum interrogamus, dubitamus, confitemur, illudimus, obiurgamus. Quod dicit genere quæſtionis propoſito formas eius abſolute ſubiũgi, ſignificat perfecte, et ſine ullius prætermiſſione: quod in partitione ſemper fieri negat. MVLTA etiam ex notatione.] Hic tertius locus eſt, per quem ex toto argumentamur: uerum non in re, ſed in uerbo poſitus eſt, ex cuius ui argumentum elicitur. Definitio enim ex ſubſtantia rei eſt, diuiſio & partitio ex partibus, notatio ex uerbo. Ariſtoteles σύμβολον appellat.] Primo περὶ ἑρμηνείας, ubi de enunciatione præcipitur. Notatione eliciuntur.] id eſt uerbi interpretatione, qua uim & originem nominis explicamus. Poſtliminium quid ſit.] Sic definiunt iuriſperiti, Poſtliminium eſſe ius recuperandæ rei ab extraneo: ſed huc addendum uidetur, Quod mutatione liminis amiſſum fuit. cum alijs etiam modis ius noſtrum ab extraneo recuperare poſſimus. Non dico, quæ ſint.] Nam hoc eſt quærere de partibus, quæ uĩ poſtliminio ſubiecta ſint. Mulus clitellarius eſt, qui fert onera. Clitellæ enim ſunt, quibus onera imponũtur, ſicut in equis ſellæ. Mãcini cauſa.] C. Mãcinus, quia turpe fœdus fecerat cũ Numãtinis, deditus fuit illis, ſed nó receptus. Itaque poſtquã domũ redijt, & à ſenatu prohiberetur per tribunũ, poſtliminio egit: uidebatur in illa cauſa eũ poſtliminiũ habere, quoniã deditus cũ eſſet, non eſſet receptus: nimirum ex uerbo dedendi, cum non intelligatur deditio, neque donatio, ſine acceptione. FINITIMVS notationi.] Quia utrunque in uoce conſiſtit, ſed alterum uim habet ex re, alterum ex nomine. Vt ſi aquam pluuiam eam modo intelligeremus.] Exemplum fictum eſt. Non enim hoc modo aqua pluuia accipitur in iure, ſed pro ea duntaxat quæ nocens eſt, quæ ſola arceri iubetur. Sed ſi fingas omnem aquam pluuiam arcẽdam eſſe, ſine diſtinctione, hoc certe propoſito ex coniugatis ſequetur, & fluuium arcendum eſſe, qui pluendo creuerit. CVM autem à genere.] Supra explicauit quid ſit genus, quid forma. hic tractandi utriuſque rationem oſtendit, nempe ut à genere ad formam per diuiſionẽ ducamus argumentum, & uiciſſim à forma ad genus. Sed hoc non ſemper obſeruatur, cum altero ſimpliciter propoſito, alterũ ſæpe auferatur, hoc modo: Omne agentum legatum eſt, ergo et ſignatum: ſignatum argentum legatum eſt, ergo argẽtum eſt legatum. Sed Cicero præcipit, non quæ perpetuo, ſed quæ commode fieri debeant: nempe ut in his locis tractandis genere proximo ſumpto, eoq́; diuiſo, cæteris formis remotis, unam confirmemus: quod argumentum alij ex diuiſione, alij ex remotione uocant. Sed naſcitur ex genere, tanquam ex fonte ſuo: itaque Ciceroni ex genere appellatur: ut, Aqua pluuia alia loci uitio, alia manu eſt nocens: quæ manu nocet, iubetur arceri ab arbitrio: nempe igitur tu aquam arcere debes, quæ manu eſt nocens. Altera forma tractandi eſt, ut itidem genere ſumpto, ac partibus eius enumeratis, oſtendamus id de quo quæſtio eſt, ad aliquam partium earum pertinere, ac proinde ad genus: ut, Dolus malus eſt, cum aliud agitur, aliud ſimulatur. Id autẽ fit uel contrahendo cum altero, uel donando, uel reſtituendo: nẽpe igitur tu dolum malum commiſiſti, qui mancipium quod reſtituere debebas, ante corrupiſti. Prior forma à genere ad ſpeciẽ eſt, poſterior à ſpecie ad genus: quod genus argumenti in primis firmum uideri ſolet, quia eſt à forma, quæ à genere nunquam ſeparatur. SI ſocius, ſi cui mandaris.] Socius eſt, qui cũ bonorũ uel negociationis ſocietas contracta eſt. Cui mandatur in iure, uocatur mandatarius: ut ſi quem rogaueris, ut te abſente uineam tuam colat, & ille ſe facturum promiſerit, habes in eũ mandati actionem, ſi id non fecerit. Debent igitur & ſocius et mandatarius bonam fidem in negotio gerendo præſtare. SI quis fiduciam acceperit.] Fiduciã accipere, eſt eius rei, in quam obligatus non ſis, fidem promittere: ut ſi ita uendam tibi fundum nulla pactione interpoſita, ut poſt certum tempus eodem pretio mihi reuendas: id ſi te facturum eſſe promiſeris, fiduciam à me accepiſti, quam ego tibi detuli. Sic ſi hæredem te ita inſtituam, ut fratrem meum exulem alas, idq́; faciam ſolã fidem tuam ſecutus, diceris fiduciam à me accepiſſe. Eiuſdem generis eſt, quod uulgo dicũt, in manus fideles tradere, quod in beneficijs transferendis fieri ſolet. HAEC ex pluribus perueniens.] Duas formas ſimilitudinum eſſe oſtendit: unam per inductionem, cum ex multis ſimilibus id quod propoſitũ eſt, colligitur: alteram, cum unum uni comparatur, quam ipſe collationem, alij exemplum uocant. Sed ipſe formas ſimilitudinum, alij formas argumentandi appellant, quas quatuor faciunt, ſyllogiſmum, enthymema, inductionem, & exemplum. Sed iſta in omnes locos ſparguntur: Cicero inductionem & collationẽ hoc loco ad ſimilitudinem duntaxat accõmodat. Sed plura de his, & exactiora, uide apud Rodolphum libro ſecundo, de Argumẽtatione. Παραγωγὴ.] Videtur παραγωγὴ legendum eſſe. Quemadmodum ſi in urbe.] Similitudo eſt, finibus regundis non adijci arbitrum, ergo nec aquæ pluuiæ arcendæ: quoniam utrunque agrorum magis, quàm urbis ſit. Adijci arbitrum, eſt arbitrum adhibere ad controuerſiam dirimendam. Eſt autem arbiter, iudex, non datus lege, ſed ab utraque parte electus, qui in certis cauſis, non in omnibus adhibetur. Fines regere, eſt agros diſterminare. ETIAM exempla ſumuntur.] Exempla ſunt, quæ à factis ſumuntur, & proprie ad imitationem pertinent. Sunt autem tum uera, tum ficta. item ſimilia, diſſimilia, contraria. Verum exemplum eſt: Si Decij ſe pro patria deuouerunt, non debet Cicero Catilinam timere. Fictum: Si Clodius reuiuiſcere poſſet abſoluto Milone, non abſoluerent eum iudices: ergo non debent eundem propter mortem Clodij condemnare. quod eſt fictum ex contrario. IN Curiana cauſa.] Quibus exemplis Craſſus in hac cauſa uſus fuerit, non conſtat. Fit mentio eiuſdem in Perfecto oratore, & ſecundo de Oratore, & in oratione pro Cecinna. In tutelam ſuam.] Id eſt, extra tutoris poteſtatem, nempe ut ſui iuris fieret: quod fit quartodecimo anno, quod eſt tempus pubertatis. Secundus hæres eſt, qui primo ſuccedit, teſtamento ei ſubſtitutus, de quo ſupra dictum eſt. Ficta etiam exempla.] Huius generis multa ſunt in oratione pro Cecinna, ubi pro æquitate contra ſcriptum diſputatur. Mancipio dediſſe.] Id eſt alienaſſe, cuiuſmodi ſunt res ſacræ & religioſæ, item homo liber ſi pro ſeruo uendatur: quæ alienari non poſſunt, & ſi mãcipio data fuerint, nihil actum intelligitur. Vt muta etiam loquantur.] Vt Cicero in Catilinam, ubi inducit patriã & ſecum & cum illo loquentem. Et in oratione pro Cælio fingit Appium Cæcum, Clodiam gentilem ſuam obiurgantem.

NON quemadmodum quod mulieri.] Mulieres quondam ſub perpetua tutela erant, donec in manum uiri conueniſſent: pueri ad certum tempus, ſicut hodie. Ergo in hoc conueniebant, quod utrique ſub tutela erant. Differebant autẽ, quòd mulieres firmiore conſilio ſunt, quam pupilli: quapropter idem ius de utriuſque ſtatuendum non erat, de quo uide Inſtitut. Quibus alienare licet, uel non. Sed mulierum tutela iam olim

ſublata eſt. DEINCEPS locus eſt.] De contrarijs ſupra dictum eſt. Hic tantummodo dicendum eſt, contraria, quæ Cicero aduerſa appellat, inter qualitates dũtaxat reperiri: ut calidum & frigidum, humidum & ſiccum, tarditas & celeritas, quæ plurimum inter ſe diſtant, nec unquam ſimul in eodẽ ſubiecto eſſe poſſunt. Præpoſitio enim In, priuat uerbum.] Declarat hoc genus ex ui nominum: ſed id perpetuum non eſt, quoniam multa ex hoc genere alijs nominibus efferuntur: ut uiuum & mortuum, integrum & mancum, lux & tenebræ: in quibus omnibus alterum ſignificat diſpoliationem alterius in ſubiecto, in quo ineſſe natum eſt. nam hæc proprie priuantia dicũtur, neque unquam fallunt. SED locus hic magis ad coniecturales cauſas pertinet.] Recte admonet. Sed ſi hoc uerum eſt, exemplum ſupra, & hoc loco poſitum, parum aptũ eſt. Cum enim ex iure ſumptum ſit, & per hunc locum ad qualitatem iuris accommodatum eſſe debeat, ad coniecturam potius quàm ad qualitatem facit. Probat enim alterum futurum eſſe, ſi alterum fiat: hoc eſt, ſeruorum & exulum teſtamenta ex edicto prætoris rata fore, ſi mulierum rata ſint. In quo duplex eſt ſenſus: unus qualitatis, ſi unum recte fiat, & alterum recte: alter coniecturæ, ſi hoc fiat, & illud futurum eſſe. Priori modo argumentum ex ſimilitudine, qua iuris qualitas oſtenditur: poſteriori ex adiunctis, quòd non ad ius, ſed ad cõiecturam pertinet. AD Ciceronem inquibat Gallus noſter.] Gallum Aquilium intelligit, qui coniecturales cauſas, ſi ad eum deferrentur, referebat ad Ciceronem, tanquam ad oratorem: quoniam non iuris ſcientia, ſed ſignis & ſuſpicionibus, & ingenio oratoris explicarentur. Ad philoſophos autem hic locus non pertinet, quoniam & hi uerſantur circa qualitatem, quæ in rebus expetendis & fugiendis eſt. nam philoſophos morales, quos uocant, intelligit. DEINCEPS eſt locus dialecticorum.] Diximus hos tres locos in ordine quodam rerum, & certa lege exiſtẽdi poſitos. Itaque non ſumi, niſi per conditionem: nec concludi, niſi hypothetico ſyllogiſmo, quia ſumi extra pronunciatum hypotheticum non poſſint. Quæ rẽ neceſſario conſequuntur.] In hypothetico ſcilicet pronunciato, quod cum duabus partibus conſtet, antecedente & conſequente, hæ ita inter ſe iunguntur, ut impoſſibile ſit conſequens eſſe uerum ſine antecedente, & in repugnantibus impoſſibile ſit, utrunque ſimul uerum eſſe. Itaq; fit, quod uulgo dicunt, ut omnis cõditionalis uera ſit neceſſaria, falſa impoſſibilis. Reperiendi argumẽti locus ſimplex eſt.] Simplex, id eſt eiuſdem naturæ, quæ conſtat ex conditione, & certa lege exiſtendi, quæ hypothetico pronunciato comprehenditur. Tractandi autem ratio triplex eſt, id eſt, concludendi forma. In quo ſanè Cicero ipſe fateri uidetur, hunc locum ad formam magis, quàm ad argumentandi materiã pertinere. Quod cum ita ſit, non commodiſſime locos diſtinxiſſe uidetur, cum admiſceat hypotheticas propoſitiones, quas pro locis ponit. Sed mihi hanc rationẽ cũ cæteris, qui iſta eodem modo tradiderunt, ſecutus eſſe uidetur, quòd quemadmodum in categoricis argumentationibus res pura ac ſimplex locum argumento præbet, quæ ſimplici pronunciato comprehenditur: ita in hypotheticis hæc eadem non niſi per conditionem ſumpta argumẽtum ſuppeditat, cum aliter in pronunciato hypothetico ſumi non poſſit.

NON & legatum argentum eſt.] Ponit copulatiuam loco rationalis, quoniam eandem uim obtinet ſumpta ex repugnantibus. Nihil enim intereſt, ſiue ita proponas: Non & legatum argentum eſt, & non eſt legata numerata pecunia: legatum autem argentũ eſt, legata igitur numerata pecunia eſt. ſiue hoc modo: Non ſi legatum argentum eſt, non eſt legata numerata pecunia: legatum autem argentum eſt, ergo legata numerata pecunia eſt. Sed uide num repugnent, legatum argentum eſſe, & non eſſe legatam numeratam pecuniam, niſi conuerteris ordinem, uel pro argento omne argentum ſumpſeris, cũ poſſit argentum legatum eſſe, ut non ſit numerata pecunia legata, contra uero minime. quia omne argentum ad ſignatum & non ſignatum pertinet, quæ formæ argenti ſunt. Forma autem poſita, infertur genus, at contra ex genere forma non ſequitur, niſi uniuerſum genus ſumatur. COIVNCTA negaris.] Id eſt, addita negatione repugnantia effeceris: ut pecunia numerata et argentum coniuncta ſunt, quoniam hoc ex illo ſequitur, eiq; annexum eſt. itaque ſi alteri negationem addideris, repugnantia efficies, hoc modo: Si numerata pecunia legata eſt, argentum legatum non eſt. Sin uero his rurſus aliam negationem à fronte addideris, non ueram modo, ſed & neceſſariam ſententiam conficies, de qua hic loquitur Cicero, ut ea propoſita, ac priore eius parte ſumpta, reliqua tollatur, hoc modo: Non ſi numerata pecunia legata eſt, argentum legatum nõ eſt: atqui legata eſt numerata pecunia, ergo argentum legatum eſt. Verum hæc proponendi ratio in coniunctis duntaxat locũ habet: in his autem quæ per ſe repugnant, duabus negationibus opus non eſt, ſed una ſufficit. de quo datur à dialecticis talis regula, quæ etiam in coniunctis ualet: ut ſumpta propoſitione hypothetica negatiua ex repugnantibus, & priori eius parte poſita, conſequens tollatur, hoc modo: Non ſi dies eſt, nox non eſt: atqui dies eſt, nox igitur non eſt. quod cum etiam, ut dixi, in cõiunctis ualeat, in his altera negatione addita, repugnantia facienda erunt, quemadmodum ſupra demonſtratum eſt.

ET ex his primum ſumpſeris.] Sumere, eſt id ipſum quod pro antecedente uel annexo poſitum fuit, affirmare. Tollere, eſt contrarium eiuſdem ſumere, uel inferre, negatione addita, uel detracta, quemadmodum in exemplis uidere licet. EX hoc illa rhetorum ſunt ex contrarijs.] Rhetorica enthymemata ſunt ex hoc tertio modo concluſionum, ſed formam earum non retinent. Non enim concluduntur ad præſcriptam rationẽ, ſed breuiter ferè, & per interrogationem efferuntur, quo acrius ueniant: ut, Hunc metuere, alterum in metu non ponere? quod ſic concluditur: Non ſi hunc metuis, alterum in metu non ponis: ſed metuis hunc, ergo alterum in metu ponis. quod de Catilina et Republica dici poteſt. item: Quos plures uicimus, eos nũc pauciores timemus? Quam nihil accuſas, damnas? quam bene meritam eſſe autumas, eam dicis male mereri? Id quod ſcis prodeſt, nihil id quod neſcis obeſt? quæ eodem modo explicãda ſunt, & omnia ſunt ex contrarijs. Commune poetarum nomen efficit ſuum.] Quod fit per ἀντονομασίαν, qua nomen pro nomine ponitur. Sed philoſophorum magis.] Qui de rebus expetendis & fugiendis diſſerunt, et nos ad uirtutem hortãtur. RELIQVI dialecticorum modi.] Quatuor ſequẽtes modi, qui ex copulatiuis et diſiunctiuis cõſtãt, ad priores tres, qui rationales ſunt referũtur. Sũt enim omnes uel ex antecedẽtibus, uel conſequẽtibus, uel repugnantibus. Itaque tres dũtaxat ſunt modi, ſi formã concludendi ſpectemus: ſin propoſitionũ diuerſitatem, genere ſeptem, ut tres rationales, duo diſiunctiui, totidem copulatiui: ſpecie autem innumerabiles, cum iſta porrò in alios modos abire poſſint, propter enunciandi uarietatem. Sed ea ad formam argumentandi, & ad iudicandi partem, nõ ad inuentionem pertinent. CAVSARVM igitur genera duo ſunt.] Diuidit cauſam in efficientem neceſſario, & non neceſſario efficientem. Et rurſus utrunque genus duplex facit. Vnum quod ui ſua certe efficit.] Certe, id eſt, neceſſario. Eſt enim uis eius eiuſmodi, ut ceſſare, & in id quod ei ſubiectum eſt, non explicari non poſſit: ut ignis accedens, & omnia quæ ſine appetitione & delectu agunt. SED ſine quo effici non poſſit.] Hoc eſt, ſine quo uel omnino non poſſit, uel facile non poſſit: ut ſine materia, loco tempore, inſtrumentis, quibuſdam in rebus omnino non poteſt effici. ſine adiumentis autem & præcurſionibus quibuſdam alijs in rebus non facile efficitur, in alijs facilius. Nihil autem eſt in omni rerum natura,

quod

quod fine careas, propter quem agit. quare & hic ad efficiendum eſt neceſſarius. PRAECVRSIONEM *quandam.*] *Id eſt, adiumentum & procliuitatem, qualis tum in occaſionibus temporum, tum in ipſa ſæpe rerum natura eſſe ſolet, ut in ſtuppa accendenda, & iracundo inflammando. item cum amantibus locus & tempus ſuffragatur: ut Aeneæ & Didoni ſpelunca in ſylua & ſolitudine.* CAVSARVM *ex æternitate pendentium fatum à Stoicis nectitur.* *Fatum à Chryſippo ſic definitur, ut refert Gellius, eſſe ſempiternã quandam & indeclinabilem ſeriem & cathenam uoluẽtem ſemetipſam ſeſe, & implicantem per æternos conſequentiæ ordines, ex quibus apta connexaq; ſit. Conſtat enim ex cauſis prouehentibus magis, quàm efficientibus: ſicut idẽ Chryſippus exemplo cylindri oſtendebat. Non enim mouetur cylindrus per ſe, niſi impellatur, & tamen forma ſua uolubilis eſt: ut ſi uel leuiter impulſus fuerit, ultro deinceps ac ſponte ſua feratur. Atque hoc eſt quod dicitur à ſapientibus, aſtra non afferre neceſſitatem conſilijs hominum, ſed procliuitatem.* ATQVE *ut earum cauſarum.*] *Ex præcedenti diuiſione ſequens naſcitur. Nam ſi ſunt quædam, ſine quibus effici non poteſt, non omnia efficientia, etiamſi neceſſario efficiant, per ſe ſola efficiunt: ſed alia efficiunt ſola per ſe, alia adiumentis egent.* *Beatos efficiat, necne.*] *Quia uidentur etiam externa bona ad felicitatem neceſſaria eſſe, de quo eſt inter Stoicos & Academicos magna diſſenſio.* *Hoc igitur ſine quo non fit.*] *Vel omnino non fit, uel non facile fit, quemadmodum ſupra interpretati ſumus.* *Vtinam ne in nemore Pelio.*] *Senarij ſunt ex Medea Ennij, quibus ancilla queritur Medeam inter Argonautas Iaſonem ſecutam eſſe, quæ nunc ab illo relicta ſit.* ATQVE *etiam eſt cauſarum diſſimilitudo.*] *Hæc diuiſio eſt cauſarum, non ſecundum uim qua efficiunt, ſed ſecundum modum efficiendi. Ariſtotelici eas appellant ex propoſito & ſine propoſito agentes, hoc eſt, cum delectu, & ſine delectu.* VELVT *omne intereat.*] *Huius cauſa, ipſa rerum natura eſt, quæ ita comparatum eſt, ut quidquid ortum ſit, intereat. Sed affert hanc cõditionem rerum materia, ut tradunt phyſici, quoniam ea aliarũ & aliarum formarum ſit capax. Nec tamen fit, ut ſit cauſa efficiens materia, quæ per ſe ſtolida et inefficax eſt: ſed ea cum ſubiectum ſit efficientis, fit ut aliam atque aliam formã accipiẽdo interitum rerum admittat, eoq; cauſa interitus earum eſſe dicatur.* *Aut natura.*] *Hic naturam accipe, non in uniuerſum, ſicut de eo modo locuti ſumus, ſed pro ingenio cuiuſque, quod cum delectu agit: ut in iracundo & libidinoſo, qui natura tales ſunt, in quibus cum ualet uitium, natura id fieri dicitur. Caſus ad fortunam pertinet, quæ & ipſa multorum euentorum cauſa eſt, ſed latens.* OMNIVM *autem cauſarũ.*] *Et hæc diuiſio non ad uim, ſed ad modum efficiendi pertinet. Nam in his cauſis ineſt conſtantia, quæ ſemper eodẽ modo, quaſi opus ſuum efficiunt: inconſtantia autem, quæ uarie.* *Quæ non ſunt conſtantes.*] *Vt quæ efficiunt uoluntate, perturbatione animi, habitu, caſu.* ALIAE *ſunt perſpicuæ.*] *Nempe ijs qui agunt, & à quorum ſenſu proficiſcuntur, cæteris ignorari poſſunt.* *Etiam ea quæ ſiunt.*] *Diuidit etiam effecta cauſarum, ſed in duo duntaxat genera, ut ſint uel ignorata, uel uoluntaria. Ignorata, id eſt, non prouiſa, nec deſtinata à nobis, ac proinde nec uoluntaria, ut ea quæ conſilij noſtri non ſunt, ſed neceſſario eueniunt. Sed ab hac diuiſione excipiũtur fortuita, quæ utriuſque generis ſunt, & modo uoluntaria, modo ignorata: ut quæ in cæteris ſimplicia ſunt, in his duplicia reperiantur.* *Nam iacere telum, uoluntatis eſt.*] *Iactus teli uoluntarius eſt, quia ex cauſa uoluntaria et perſpicua. Sed ictus eſt fortuitus, hoc eſt, tum imprudens, tum uoluntarius. Nã ſi percuſſeris quem uolueris, uoluntarius eſt: ſin aliter, ignoratus.* EX *quo aries ille ſubijcitur.*] *Aries ille, id eſt, fortiſſima defenſio ad oppugnandum iudicem, & liberandũ reũ, nimirum cum in confeſſione facti ad imprudentiam & fortunam confugitur. Sumpta eſt metaphora ab ariete bellico, quo in oppugnandis urbibus portæ & muri percutiuntur. Sed hodie non eſt in uſu, cum in eius locum bombarda ſucceſſerit.* *Si telum manu fugit, hoc eſt, elapſum eſt. Sunt uerba iuris.* CADVNT *in ignorationem.*] *Soluit dubitationem de perturbationibus animi, quæ quamuis uoluntariæ ſint, tamẽ non immerito ad neceſſitatem, uel certe ad imprudentiam referuntur, propter impotentiam earum, quæ aut uincunt animũ, niſi ualde conſtantes fuerimus, aut impetu quodam conſilium eius anteuertunt. Itaque & hæ defenſiones in iudicijs proferũtur, Adoleſcens fecit, Lapſus eſt, Amauit, Timuit, Iratus fecit: quæ potiſſimum in deprecando ualere ſolent. Quòd autem uolũtati ſubiecta ſint, id ſigni eſt, quòd obiurgatione & admonitione deijciuntur, hoc eſt comprimuntur.*

- *Cauſa*
  - *Efficiens neceſſario*
  - *Sine qua effici non poteſt*
    - *Quieta*
      - *Materia*
      - *Locus*
      - *Tempus*
      - *Inſtrumenta*
    - *Agens, ut præcurſiones & auxilia.*

- *Cauſa*
  - *Cum delectu agens, ut*
    - *Voluntas*
    - *Perturbatio*
    - *Natura*
    - *Habitus*
    - *Ars*
    - *Caſus.*
  - *Sine delectu agens, ut natura ſenſu carens, quæ in hoc mundo, ac deinceps in cæteris omnibus rebus infuſa eſt.*

- *Cauſa*
  - *Conſtanter agens, ut*
    - *Natura*
    - *Ars.*
  - *Inconſtanter agens,*
    - *Perſpicua*
      - *Voluntas*
      - *Perturbatio*
      - *Habitus.*
    - *Latens, ut caſus.*

VEL *oratorum, uel philoſophorum.*] *Oratorum, ut contectis: philoſophorum, ut in officiorum quæſtionibus, & uitæ præceptis explicandis.* PRIVATA *enim iudicia.*] *Hæc erant priuatarum cauſarum apud centumuiros, quæ ſæpe in nullam certam legem cadebant. Itaque auctoritate & prudentia iuriſperitorum explicabantur, qui conſulebantur à patronis cauſarũ, & à iudicibus perſæpe in conſilio adhibebantur.*

Publica autem iudicia, ad cauſas publicas pertinebant: ut ambitus repetundarum maieſtatis, &c. & primum agebantur apud prætorem: deinde ultima actione ad populum deferebãtur. Sed in his cum ferè ſemper lex certa eſſet, quæ pœnam ſtatuebat crimini, minus iuriſperitorum prudentia deſiderabatur. IN omnibus igitur ijs iudicijs.] Subiungit exempla eorũ quæ dicta ſunt. Sanè priuata iudicia uaria erant, & formulæ earum concipiebantur à prætore pro cauſarum diuerſitate. Erant enim ex his alia bonæ fidei, alia ſtricti iuris. de quibus uide Inſtit. de Actionibus. In bonæ fidei igitur iudicijs à prætore addebatur, modo ex fide bona agendum eſſe, modo inter bonos bene agi oportere, modo (ut in arbitrio rei uxoriæ, ubi de dote poſt diuortium reſtituenda agebatur) quid æquius melius eſſet, ſpectandum eſſe. In quibus omnibus iuriſperiti conſulebantur, multamq; illi diſputationum ſuarum materiam ex loco cauſarum ducebant. ILLI enim dolum malum.] Iuriſperiti hæc omnia explicant, quoniam ſcientia eorum tradita et conſtituta ſunt. Dolus malus eſt, cum aliud agitur, aliud ſimulatur, fraudandi cauſa. Fides bona, quæ in omni contractu præſtanda eſt, æquitatis cauſa, etiam ſi non ſis obligatus. Aequum & bonũ intelligitur, quod quamuis lege & more comprehenſum non ſit, tamen communis utilitatis cauſa ſeruandum eſt, et id rectum eſſe iudicatur. Sed his omnibus definiendis, inquit Cicero, iuriſperiti præſunt, qui explicãt quatenus iſta, quoties in controuerſiam ueniunt, præſtanda ſint. ORATORIBUS & poetis.] Vt Cicero pro Milone, Quo furor Clodij euaſurus fuerit, ſi homo ſeditioſus ad præturam & conſulatum perueniſſet. Et Aeneas apud Virgiliũ, Quãtas clades illaturus Latinis & Turno ſit, poſtquam arma Vulcania à matre acceperit. quæ denunciationes euentorum ex cauſis fiunt. NVMERVS, ſpecies, uis.] Numerus ad quantitatem, ſpecies ad ſubſtantiam, uis ad qualitatem, affectio ad relationẽ pertinet. Plura bona paucioribus.] Vt diuitem & ſapientem eſſe melius, quàm ſapientem tantum eſſe. Pauciora mala.] Vt bona perdere ſatius, quàm bona & corpus. Diuturniora bona.] Vt fama poſteritatis melior, quàm præſens nobilitas. Longe et late peruagata.]. Vt totá prouinciam ſeruaſſe melius, quàm unam urbem: & legem ſalubrem tuliſſe melius, quàm puniuiſſe unius delicti flagitium. Specie.] Quæ in generis differentia cernitur, & ad rei ſubſtãtiam pertinet. Propter ſe expetenda.] Vt quæ honeſta & cum uirtute coniuncta ſunt. Innata.] Vt ingeniũ, forma, uires meliora, quàm diuitiæ & nobilitas. Integra contaminatis.] Vt uirginitas melior connubio. Neceſſaria.] Sine quibus uiui non poteſt, ut aqua uino melior eſt neceſſitate, fruges condimentis. Sua alienis.] Vnde prouerbium, Tunica pallio propior. Voluntaria neceſſarijs.] Quia libertas melior quàm neceſſitas. Naturalia non naturalibus.] Vt roſa natiua melior, quàm quæ ſummo artificio picta eſt. Artificioſa non artificioſis.] Vt opera Apellis & Protogenis meliora, quàm rudis uetuſtatis. Vis autem in comparatione.] Sicut ſpecies rei ad ſubſtantiam, ita uis ad qualitatem pertinet, & in facultate ſpectatur. Quæ ſeipſis cõtenta ſunt.] Vt uirtus, quæ ſola per ſe uiget, neque ullius extra ſe indigens, ſola beatos efficit. Affectio.] Id eſt, relatio ad aliud: ut cum principem ad populum referimus, iucundiora ad minus iucunda, plures ad paucos, optimum quemque ad bonos & mediocres. Nam relatio omnis in comparatione eſt, cætera abſolute ſpectantur. Alios aſſumi extrinſecus.] Hos locos inartificiales eſſe ſupra dixi, quòd non inueniantur arte ab oratore, ſicut cæteri, ſed arte tractentur. Sed ab hac Ciceronis & Quintiliani ſententia diſſentit Rodolphus, qui omnes qui arte tractantur, uult artificiales eſſe, cum non ab alio inueniantur in cauſa, ab alio tractentur, ſed utrũ quæ oratoris ſit proprium. Quòd ſi ab imperito adferantur ad cauſam, ut cum à teſte in rem præſentem teſtimonium dicitur, uel cum tabulæ proferuntur in iudicio, ea demum ab arte remota eſſe cenſet, cum non proficiſcantur ab oratoris induſtria, ſed ipſa ſibi fidem faciant: non aliter quàm cicatrix in forti uiro etiam tacente, quòd ab artis ratione alienum ſit. Itaque diuiſionem Ariſtotelis in Rhetoricis, quâ alios locos ἐντέχνους, alios ἀτέχνους fecerit, hunc in modum intelligendam eſſe. ETSI ea nihil omnino.] Vult teſtimonia ad coniecturam tantũ pertinere, non ad iuris quæſtiones, quæ in qualitate poſitæ ſunt. Adhibentur tamen ad confirmationem iuris, ut cum Aquilij uel Scæuolæ auctoritate utimur. Sed hoc cum fit, exiſtit coniectura in qualitate: ut cum quæro, habeat'ne poſtliminium is, qui deditus fuit, & non receptus: de qualitate quæro, quæ ex definitione, genere, forma, ſimili, contrario, cauſis confirmari poteſt. At cum profero Aquilij uel Scæuolæ ſententiam de eadem re, non id ago, ut per hoc confirmem eius quod in æquitate poſitum eſt, ſed ut oſtẽdam certum & exploratum id eſſe, quod ego ſtatuo, quod iam non ad qualitatem, ſed ad coniecturá pertinere manifeſtum eſt. Non enim quia Scæuola hoc dicit, rectum eſt, niſi legis uim habeat eius auctoritas: ſed cum rectum ſit, & ita eſſe tu affirmes, credendum tibi ſit, an non, hoc eſt uerum nec ne dicas, Scæuolæ teſtimonio confirmari poteſt. Ab aliqua re externa.] Hoc eſt, à perſona, in qua auctoritas eſt ad faciendam fidem. Aut tempus.] Id eſt, perſonæ qualitas, quã tempus adfert. De Lacedæmonio Pauſania.]. Hic cum ſuſpectus eſſet, quòd defectionem moliretur, & in templum cõfugiſſet, ſubornatus quidam quaſi conſcius defectionis cum eo expoſtulabat, Ephoris clam ad parietem auſcultantibus: quo facto Pauſanias, cum liberius loqueretur, ipſe ſe imprudenter prodidit. In Palamedem.] Nota eſt hiſtoria, quomodo Vlyſſes Palamedi inſidiatus ſit, confictio in eum proditionis crimine, & rebus uériſimilibus quibus eo argui poſſet, clam comparatis, nempe auro in tentorio eius depoſito, et literis Priami effictis, & interempto ſeruo barbaro, quaſi latore literarum, de deprehenſo eo res indicaretur. Aerei uolatus auium.] Ex his erant auſpicia apud ueteres. per ſonitus tonitrua, per ardores fulgura & cometas intelligit. Cauſa certis perſonis.] Cauſa, quæſtio ſpecialis eſt, quam circunſtantiæ faciunt: quæ quo plures fuerint, tanto arctius eam aſtringunt. Propoſitum, quæſtio generalis eſt, quæ & ipſa pro circunſtantiarum numero aſtringitur, uel dilatatur. Hæc pars eſt cauſæ, ſicut genus ſpeciei, in qua ipſum includitur, ut animal in homine. Eſt autem omnis quæſtio earum, de re aliqua, quibus cauſæ continentur: hoc eſt, de perſona, re, cauſa, loco, tẽpore, modo: quibus per ſe ſpectatis, omnis rerum natura comprehenditur: accedentibus autẽ negotio, circunſtantiæ uocantur, & cauſam efficiunt. CVM autẽ quid ſit quæritur, notio explicáda eſt, & proprietas, etc.] Notio ad genus, proprietas ad differentiam, diuiſio & partitio ad formas & partes pertinent, quæ ſingula ſupra explicata ſunt. TRIA'ne genera bonorum.] Vt animi, corporis, fortunæ. De expetendo.] Expetendum in omni bonorum genere: æquitas erga alterum, honeſtas per ſe ſpectatur. Ex altero autem genere.] Cum comparate quæritur. EX coniunctis.] Id eſt, adiunctis, ſiue (ut alij uocant) cõmuniter accidentibus. De eodẽ altero.] Hoc eſt, quid interſit inter ea quæ eiuſdem generis ſunt, quod differentijs diſcernitur, quibus definitiones conficiuntur. NAM ſi hanc rem illa ſequitur.] Vt legibus imperare, ſequitur principem eſſe, nõ autem ſequitur tyrannum: & per uim occupaſſe Rempublicam, antecedit tyrannum, non autem antecedit principem. Quæ porrò addita negatione inter ſe repugnabunt: ut legibus imperare, & non eſſe principem: & eſſe principem, et legibus non imperare. Aut ſi huic rei hæc, illius alia cauſa eſt.] Vt ius

ciuile

ciuile non idem eſſe quod ius gentium, quoniam hoc ſit ex cunctorum hominum conſenſu: illud, quod quæque ciuitas ſibi conſtuerit. Aut ſi ex alio hoc, ex alio illud effectum eſt.] *Vt ſtatuæ alia ex auro, alia ex argento, alia ex ebore, alia ex marmore: quæ quia differunt materia, & inter ſe differunt.* In comparationis loco.] Vt quæ meliora, uel deteriora ſunt *alijs, numero, ſpecie, ui, affectione.* Quæ ſunt animi.] *Hæc ad eundem comparationis locum pertinent. Item quæ ſequuntur de æqui & iniqui quæſtione.* Conueniens paulo poſt *in diſtributione æquitatis uocat, quod ad æquum et bonum pertinet, neque lege, neque more cōprehenſum,* Græce φύσις.] *In omni cauſa exiſtit ſtatus aliquis, ſed is magis in concertando apparet. Omnis enim oratio circa coniecturam, finitionem, aut qualitatē uerſatur. Sed hæc porrò in certaminibus in aliā quæſtionem deſcendunt, quæ nata hinc inde ex firmamentis, græce κρινόμενον, latine indicatio appellatur.* Status exiſtunt noui.] *Horum exempla uide in ueteri rhetorica, & apud auctorem ad Herennium, & apud Quintilianum libro ſeptimo.* Proprijs locis.] Qui in perſonis & cauſis poſiti ſunt, *& interim extrinſecus ſumuntur.* RVTIS cæſis receptis.] *Verba ſunt iuriſſeritorum in lege prædij, cum prædium ita uenditur, ut omnia quæ à ſolo ſeparata ſunt, recipiantur, ut ſaxum, calx, arena, materia, demeſſa ſeges.* Ruta dicta *ſunt ab eruendo, id eſt, effodiendo.*

FINIS.

[redacted] FINIS.

GEORGII VALLAE PLACENTINI
IN CICERONIS PARTITIONES
COMMENTARIA.

ARCVS Tullius Latini eloquij ſpecimen, inſigne Partitionum ad Ciceronem filium opuſculum ſcripſit iam natu grandior, quo ſuam de rhetorica facultate nobis aperiret ſententiam. ſiquidem rhetorica uolumina admodum ſcripſiſſe adoleſcentem, tam ipſe ad fratrem, quàm Quintilianus in Oratorijs inſtitutionibus memoriæ prodiderunt: de Inuentione quidem (ut ipſe in ſecundo eiuſdem operis oſtendit uolumine) Ariſtotelem & Græcos alios ſecutus auctores: ad Herennium uero, ſuum (uelut ipſe atteſtatur) præceptorum. ut mihi non uideantur audiendi, qui ad Herennium libros negent eſſe Marci Tullij, caſſa nuce inaniores adducendo rationes: quaſi eadem aliquando dici à pluribus auctoribus non poſſint, & quaſi id nuſquam inueniatur, quod frequentiſſimum eſt. Stilum eundem non eſſe Ciceronis ubique, quid mirum? cum ipſe ab Apollonio Rhodio ſe in dicendo ita rediiſſe inſtructum noua quadam dicendi forma dicat, ut à priore dicendi more mutatus, iam alius eſſet: ut etiam diuus dicat Hieronymus, Ipſum, inquam, Marcum Tullium in Xenophontis interpretatione, non iam aureo illo ſuo eloquentiæ genere niteſcere, ſed adeo ſcabris, turbulentiſq; retardari obicibus, ut qui interpretata neſciant, à Cicerone dicta non credant. Nec mirum. erat enim tum adoleſcens, cum tam Oeconomicos, quàm Rhetoricos libros ſcripſit: ut ipſe fateatur, Rhetoricos adoleſcenti ſibi excidiſſe, planeq; ſubruſticos uocet. Cumq; deſint ad comprobandum Ciceronis non eſſe, rationes, citant Laurentij Vallæ teſtimonium, quod nuſquam eſt: ut circunſpectum, planeq; prudentiſſimum uirum, leuiſſimum uideri uelint, quippe qui ubique teſtimonia ex eo Ciceronis citat libro, Ciceroni ipſum ſemper attribuendo. Quàm ridicule deinde aiunt, indicem ſpectari non oportere. Quis nam quæſo improbarit, à Ciceronis tempore propagatum uſque per tot manus uirorum doctiſſimorum, ad noſtra tempora ſinceriſſime perueniſſe? Quis adulterinum eſſe titulum arguat? aut quo modo? Quis inuertit? aut cur? aut quando? proferant ſi poſſint: ſi nequeunt, ſileant peruicaces. Contra uero antiquiſſimi clariſſimiq; eloquentiæ auctores, Ciceroni ſemper, abacta omni dubitatione, id opus deputant. Ii uero quàm maxime dici poſſit ridicule, aiunt eorum tollendam auctoritatem. cũ ipſi falſa Laurentij nitantur auctoritate, antiquiſſimorum eorundemq; præſtantiſſimorum auferri hi iubent auctoritatem: ſatis imperioſe, ſi nacti ſint qui obediant, & peruertant eorum imperio quæ rectiſſime ab alijs poſita ſint. at non ſunt tanti. Aiunt porro, quod in quæſtione ſit, id ratum haberi non oportere. Quis eſt quæſo antiquorum, qui hoc faciat ambiguum? niſi iſti pauculi modo neoterici, parum proſpicientes, reuntur ambiguum. His ergo, quo modo non ſit incerti auctoris liber, probandum eſt, quando id addubitant. Aiunt etiam ideo Ciceronis non uideri, quòd Quintilianus id opus nuſquam nominarit. Quàm id acute? nemo certe negauerit, multos eſſe Ciceronis libros, quorum nullam prorſus facit mentionem Quintilianus. Quid ni? quaſi uero hanc ſibi Quintilianus ſuſceperit prouinciam, Ciceronianos libros nominandi. quos ergo non nominauit, aſcititios adulterinoſq; dicamus? Cum præterea in eodem libro Terentiæ uxoris ſuæ meminerit, aiunt acute ſanè ideo non uideri Ciceronis, quòd ante, quàm uxorem duceret, rhetoricos illos ſcripſiſſe libros neceſſe fuerit: quaſi ariolos habeamus, qui ſine teſtimonio ullo, præterita tam bene noſcitarint, ut neceſſe putent hos libros editos ante, quàm duceret uxorem. quanquam ſi Ciceronis non ſunt, quid hæc dicere attinet? Aiunt præterea, in libro de Oratore, ad Herennium libros damnatos: ſua iam, non amplius aliena innixi auctoritate, alios libros dici, non illos: nec rationem, uel rationis umbellam proferunt. At non eadem præcipit, quæ in alijs. Quaſi uero multis modis eadem præcipere non ſoleat Cicero, aliter in libris de Oratore, aliter in Topicis, in Partitionibus aliter. Et quoniam Hermetis meminit præceptoris Cicero, aiunt opus uideri non oportere Ciceronis, quòd eius nominis nemo Ciceronis tempore fuerit. quaſi uero iſti, Pythagorei Euphorbi ritu, ab eo tempore iteratam generationem ad nos, uitium more propagarint, non alia certe de cauſa, niſi ut id modo indicarent, ad Herennium libros rhetoricos Ciceroni falſo deputatos: qui tam audaculi auſint aſſerere, nullum fuiſſe tum Hermetem. Sanè Aulus Gellius XII. Noctium Atticarum ait, ſe non comperiſſe quenquam ante Auguſti imperium, eorũ qui integre locuti ſunt, dixiſſe barbariſmum. Idem quoque in quinto, neminem aut Latinum, aut Græcum, eorum qui facundi haberentur, dixiſſe barbariſmum, aut ſolœciſmum. Si uerum ſit quod Aulus Gellius inquit, dici profecto potuit, ideo etiam Ciceronem eos libros ſubruſticos appellaſſe. Verum ut in hoc, ita pleriſque alijs in locis Aulus Gellius hallucinatus eſt: ſiquidem elegantiſſimi auctores Græci tam barbariſmum quàm ſolœciſmum dixiſſe facillime arguuntur, ut Ariſtoteles, & Dionyſius Halycarnaſeus, ita alij. Cumq;, ut Strabo docet, id à Græcis confictum ſit uerbum: uſiq; ſint ante Auguſtũ plerique inſignis doctrinæ elegantiæq; auctores: cur tandem eis Latini non utentur uerbis? Ac, ſi poſt Ciceronem idoneum uerbum, quo uteremur, exiſtimatum à clariſſimis eſt auctoribus, cur non fuiſſe ſemper exiſtimabitur? Et quoniam Laurentij Vallæ mentiuntur auctoritatem, proferam ipſe quid Laurentius dicat in Pogium. uerba certe quæ Auli Gellij proferunt (nec enim iterandi ea locus eſt, neque attinet) ſtatim ſubiungit. Imo in utraque lingua Aule Gelli probiſſime. nam & græce Ariſtoteles, tum Atticus, tum elegans ſcriptor, eo utitur in libris Elenchorum, & de Arte poetica: & eum ac cæteros imitati ſunt cum alij, tum Cicero atque Quintilianus. hæc ita Laurentius. Quis hoc ergo opus, Ciceronis eſſe poteſt ambigere? cum incorruptiſſimus ad noſtra uſque tempora eius operis titulus ad nos peruenerit? cum Marcellus, & Seruius, & Priſcianus, & diuus Hieronymus, & diuus Auguſtinus, Ciceronis id opus eſſe

confirment, etiam ex eo, citando teſtimonia? cum ipſemet familiari, ut fieri ſolet, uxoris utatur exemplo: cum in aliorum Rhetoricorum ſecundi libri parte extrema, reliqua rhetorices præcepta ſe deinceps dicturum polliceatur, neque eis quidquam tamen libris addiderit? nã de Oratore libri ſtrictim Antonij & Craſſi de oratore continent ſententiam: Partitiones, aliam rhetoricorũ præceptorum faciem. Quis ergo potuit ambigere, mentis compos, quin ad Herennium ſcribens, omnem rhetoricam præceptionem tradere uoluerit? Ait ſubinde Cicero, cum biennium uerſatus eſſet in cauſis, eiuſq; nomen in foro celebratum, ſe adoleſcentem Athenas conceſſiſſe, & philoſophiæ ſtudium à prima cultum adoleſcentia, nunquam intermiſſum, & ſemper auctum. quod conuenit cum eius operis proœmio ad Herennium: qui Herennius, an is fuerit cuius meminit Propertius, alius'ne, mihi cura non eſt quærere. Velut is, cuius pro Cælio meminit, inquiens: Animaduerti enim iudices audiri à uobis meum familiarem L. Herennium perattente: in quo etſi magna ex parte ingenio eius, & dicendi genere quodam tenebamini. & quæ ſequuntur. Cur inquam hic eſſe Herennius non poſſit? At inquient, Hunc non legeramus locum. Non ergo tam præcipites ad id aſſerendum eſſe debuerunt, non fuiſſe quenquam Herennium, qui tam familiaris eſſet Ciceronis. Et perinde cum à præceptoribus ut alijs, ita Hermete, dicendi præcepta hauſiſſet, ea in libros regeſſiſſe ad Herennium. Quod uiſus eſt annotaſſe Quintilianus: Sunt enim, inquit, ueluti regeſta in hos commentarios, quos adoleſcens deduxerat ſchola: & ſi qua in his culpa, tradentis eſt. ſiquidem de alijs id intelligi rhetoricis qui poteſt? cum in ſecundo eius operis uolumine, quos Græcos ſit ſecutus antiquos auctores, dicat. Denique ne in re apertiſſima diutius commoremur, ſi Cicero non ſcripſit, alius ergo quicunque fuit, poſt Ciceronem ſcripſerit, neceſſe eſt, ſi Quintilianum, ſi alios audiamus auctores. Si id, quid eſt ergo quod ſtupidi iſti non uident in quarti uoluminis eiuſdem operis proœmio dixiſſe, cũ probat ſuis ſibi utendum exemplis, potius quàm exemplis à Catone, à Gracchis, à Lælio, à Scipione, Galba, Porcinna, Craſſo, Antonio, nec Ciceronis ulla facta mentione? Si Ciceronis non eſt: unde, quæſo, magis quàm à Cicerone exempla petere oportuit? aut quis ei rei magis potuit ſuffragari? quis potior? quis dicendi rationis accuratior locupletiorq; adduci potuit? Ait nanque de ſe ipſe: Nulla eſt enim ullo in genere laus oratoris, cuius in noſtris orationibus non ſit aliqua, ſi non perfectio, at conatus tamen, atque adumbratio. Quàm ridiculum ſit putare, cæteros cum quiſquis ſit, multo inferiores nominare, unum uero omittere Ciceronem, non Hortenſium Ciceronis etiam æmulum, Philippum'ue, uel poſt Ciceronem quempiam alium? Faceſſant ergo iſtorũ præſtigiæ, quiſquiliæ, næniæq;: ne in mentes rudium repant, doceantq; non ſcientiam, ſed uecordiam, & imperitia teneras adhuc mentes imbuant. Proinde hæc ſatis. nos id procuremus, ut in hoc opere quidquid minus obuium ſit, id aperiamus, ne utiliſſimum capeſſendæ eloquentiæ librum, in ſitu iacere permittamus, & aliquando ad oratoriam facultatem aſpirantibus innoteſcat. CICERO filius, patrem itaque percunctatus inquit.

STVDEO mi pater.] His uerbis docet nos, patrem Marcum Tullium, filium Ciceronem Græce percunctatũ quæcunque Latine percunctaturus fuiſſet. SI modo tibi.] Magnam filij oſtendit modeſtiam, qui ocium, pariter que uoluntatẽ patris cupit adeſſe. Roma exeundi.] Hinc colligitur non in urbe Roma hæc ſcripta eſſe: ac forte in uilla, dum eo animi mulcendi cauſa conceſſiſſet. Doctrina dicendi?] Quam uoce græca rhetoricam appellamus. Cedo quaſo.] Hoc uerbũ cedo, tam in dicẽdi, quàm in dandi ſignificatione uſurpatur: cuius pluralem numerum Terentius, Cedite patri meo, poſuit. Inuenienda ſunt & collocanda.] Quæ partes ſunt binæ rhetorices, inuentio ac diſpoſitio: ſed diſpoſitio, utcunque tam elocutioni, quàm inuentioni deputetur, ait tamen peculiariter inuentioni deputandã, ut elocutioni pronunciationem: quam in uocem, motum, uultum, & omnem diuidit actionem nempe corporis motum: ut inuentionis, diſpoſitionis, elocutionis, pronunciationis cuſtodem & quaſi theſaurum memoriam eſſe, det intelligi. Quatuor.] Non ita in cæteris præceptionibus rhetoricis. Plures nanque orationis partes eſſe alibi uoluit. At hic ex ſua: alibi ex aliena id pronunciat ſententia. Duæ.] Narratio & confirmatio. Ideo Areopagitæ, ut Trophonius ait, has ſolas admittebant: ad quos cum orator accedebat cauſam dicturus, pro foribus præco, ne exordio atque peroratione uteretur, præſcribebat, inquiens, μὴ προοιμιάζου, μὴ δὲ ἐπίλεγε, Ne proœmio, ne'ue epilogo utare. nempe quo omnis à iudicibus abeſſet affectus. Infinitam.] Quam Græci theſin, noſtri tum infinitam quæſtionem, tum propoſitum, tum conſultationem uocant. Definitam.] Quã Græci hypotheſin, nos modo cõtrouerſiã, modo cauſam nominamus. Quoniã igitur.] Diſtributa omni ratione dicẽdi in partes tres, primã primo ſibi diuidendam, tractandamq; ducit. & quia eius partes inuentio antecedit, præponendam cæteris recte iudicat inuentionem: quam ait ſpectari in fide facienda, alioqui perſuaderi non poterunt auditores, niſi uere dici putent quæ ab oratore ſignificantur: tum etiam in motu, quem animis orator afferat. quid enim poterit obtinere, niſi moueatur auditor? PROBABILE.] Argumentum certe triplex eſt: neceſſarium, quod mathematicis congruit: ſophiſticũ, quod ſycophantis: & topicum, ſeu probabile, quod dialecticis, pariterq; rhetoribus ac oratoribus. Cumq; demonſtratiuũ conſtet ex ueris, neceſſarijs, primis, medio carentibus, notioribus, cauſiſq; concluſionis, ex ſuo primo ac præcipuo modo, atque ſecundo, ea quæ per ſe inſunt prædicato, recipit. Sophiſticum, ex eis quæ non probabilia quidem, ſed uidentur. Probabile porro, ex eis quæ probabilia, quia omnibus placent, aut pluribus, aut clarioribus. Oracula.] Quæ uoce diuina proferuntur. Vnde etiam oracula, Diui Auguſtini teſtimonio in libro de Spiritu & anima, dicimus inſomnia, in quibus, futuris rebus aperiendis diuina quæpiam perſona appareat. Auſpicia.] Ex auium enim aſpectu futura ueteres pronunciabant. Vaticinat.] Quas uates prophetæq; fore protulerint. Reſponſa ſacerdotum.] Quæ coſtodienda obſeruandaq; pontifices præſcripſerint. Haruſpicum.] Ab hariga inteſtinis inſpiciendis, ſunt Haruſpices dicti. Hariga uictima eſt, quòd ex hara, id eſt ſtabulo agatur, dicta. Coniectorũ.] Qui ſomnia quid portendant, prævident, atque prænunciant. EX auctoritate.] Vt uniuſcuiuſque ſua. nam ut Platonis Ariſtotelisq; eſt philoſophia, ita Vergilij poeticæ facultatis, ita aliorum. EX uoluntate.] Vt ſuperioris cuiuſpiam. Aut libera.] Cui non tenetur. Aut expreſſa.] Ideo tenetur ut ſcriptis, pactis, promiſſis, iuratis, quæſitis per tormenta. TVM ex toto.] Vt ſi res tota quæritur, definitione uis uniuerſa explicanda eſt, ſic: Si maieſtas eſt amplitudo ac dignitas ciuitatis: is eam minuit, qui exercitum populi Rom. hoſtibus tradidit, non qui eũ qui id feciſſet, in populi Romani poteſtatem tradidit. Partibus.] Partiendo, hoc modo: Aut ſenatui parendum eſt de ſalute reipublicæ, aut aliud conſilium inſtituendum, aut ſua ſponte faciendum. aliud conſilium ſuperbum, ſuũ arrogans: utendum igitur conſilio ſenatus. Notatione.] Hoc eſt, ex uocabulo: ut, Carbo ſi conſul eſt qui cõſulit patriæ, quid aliud fecit Opimius? QVAE quodammodo affecta ſunt.] Nempe quandam habentes inter ſe inuicem relationem. Definitio adhibetur.] Vt, Quia rhetorica eſt bene

dicendi

dicendi ſcientia, cognoſcenda rhetorica igitur. TVM partium enumeratio.] Si liber eſt, aut cenſu, aut uindicta liber eſt, aut teſtamento: non eſt ulla horum modo, non ergo liber. Tum notatio uerbi.] Aether à perpetuo curſu dictus, ergo perpetuo currit, ut Ariſtoteles ait. Alia coniugata. Si pietati ſumma tribuenda laus eſt, debetis moueri, cum Q. Metellũ tam pie lugere uideatis. Alia ex genere.] Si magiſtratus in Pop. Rom. eſſe poteſtate debent: quid Norbanum accuſas, cuius tribunatus uoluntati paruit ciuitatis? Alia ex forma.] Si omnes qui reipub. conſulunt, chari eſſe debent: certe in primis imperatores, quorum conſilijs, uirtute, periculis retinemus & noſtram ſalutem, & imperij dignitatem. Alia ex ſimilitudine.] Si feræ partus ſuos diligunt, qua nos in liberos noſtros indulgentia eſſe debemus? Alia ex differentia.] Non ſi pluribus cœna non poteſt una ſufficere, uox quoque docentis multis eam excipientibus non poterit ſatis eſſe. Alia ex contrario.] Si Gracchus nefarie, præclare Opimius: ſi amplectenda bonæ artes, fugienda ſunt malæ. Alia ex coniunctis.] Si amanda uirtus, bene uiuendũ eſt. Alia ex antecedentibus.] Si grauida eſt, cum uiro concubuit. Alia ex conſequentibus.] Si ferro interfectus ille, & tu inimicus, & cum gladio comprehenſus in illo ipſo loco, & nemo præter te ibi uiſus eſt, & cauſa nemini imputatur, & tu ſemper audax: quid eſt quod de facinore dubitare poſſimus? Alia ex repugnantibus.] Vt Craſſi adoleſcentis: Non ſi Opimium defendiſti, Carbo, idcirco te bonum ciuem putabunt. ſimulaſſe te, & aliud quæſiſſe perſpicuum eſt: quòd Titi Gracchi mortem ſæpe in concionibus deploraſti, quòd Publij Africani necis ſocius fuiſti, quòd eam legem in tribunatu tuliſti, quòd ſemper à bonis diſſenſiſti. & qui ſapiens eſt, ſtultus non eſt. ALIA ex cauſis.] Auaritiam ſi tollere uultis, mater eius eſt tollenda luxuries. Si doctrinam quæritis, doctiſſimos, quos legatis auctores, & quos adeatis præceptores, uobis deligatis. Alia ab effectibus.] In Topicis ipſe ab effectis rebus, hoc modo: Cum mulier uiro in manum conuenit, omnia quæ mulieris fuerint, uiri fiunt dotis nomine. In locorum tractatione paulo poſt: Coniunctus huic cauſarum loco locus ille eſt, qui efficitur ex cauſis. ut enim cauſa effectum indicat, ſic quod effectum eſt, quæ fuerit cauſa, demonſtrat. Hic locus ſuppeditare ſolet oratoribus, & poetis, ſæpe etiam philoſophis, ſed & his qui ornate & copioſe loqui poſſunt, mirabilem copiam dicendi, cum denunciant quid ex qua re ſit futurum: cauſarum enim cognitio, cognitionem euentorum facit. In libro de Oratore: Ex his autem quæ ſunt orta de cauſis, ſi ærarij corpore, & ad belli adiumenta, & ad ornamenta pacis utimur, uectigalibus ſeruiamus. Quintilianus: Quæ utique ſiunt, talia ſunt. Si ſapientia bonum uirum facit, bonus uir eſt utique ſapiens: ideoq́; boni eſt, honeſte facere: mali, turpiter. & qui honeſta faciunt, boni: qui turpiter, mali iudicantur, recte. Aut, plerunque exercitatio robuſtum corpus facit: ſed nõ quiſquis eſt robuſtus, eſt exercitatus: nec quiſquis exercitatus, robuſtus eſt. neque quia fortitudo præſtat ne mortem timeamus, quiſquis mortem non timuerit, uir fortis erit exiſtimãdus. nec ſi capitis dolorem facit, inutilis hominibus ſol eſt. & hæc ad demonſtratiuum genus maxime pertinent. Virtus facit laudem: ſequenda igitur. At uoluptas infamiam: fugienda igitur. Recte autem monemur, cauſas non utique ab ultimo eſſe repetendas: ut Medea, Vtinam ne in nemore Pelio, & quæ ſequuntur. ALIA ex comparatione.] Maiorum, aut parium, aut minorum. Ipſe in Topicis: Ex comparatione autem omnia ualent, quæ ſunt eiuſmodi: Quod in re maiore ualet, ualeat in minore: ut, In urbe fines nõ reguntur, nec aqua in urbe arceatur. Item contra, Quod in minore, ualeat in maiore. licet idem exemplum conuertere. Item, Quod in re pari ualet, ualeat in hac quæ par eſt: ut, Quoniam uſus auctoritas fundi biennium eſt, ſit etiam ædium: ut in lege ædes non appellantur: & ſunt cæterarum omnium, quarũ annuus eſt uſus. Valeat æquitas, quæ paribus in caſibus paria iura deſiderat, in locorum tractatione. Comparantur igitur ea omnia, quæ ut maiora, aut minora, aut paria dicuntur: in quibus ſpectantur hæc, numerus, ſpecies, uis, quædam etiam ad res aliquas affectio. Numero comparantur: ut, Plura bona paucioribus bonis anteponantur: pauciora mala, malis pluribus: diuturniora bona, breuioribus: longe & late peruagata, anguſtis: ex quibus plura bona propagentur, quæq́; plures imitentur, & faciant. & in hoc genere, quæ ſequuntur. Commonſtrato enim loco, quilibet longius poterit proſpicere. In libro de Oratore: Maiora autem, inquit, & minora, & paria. Sic ex maiore, Si bona exiſtimatio diuitijs præſtat, & pecunia tantopere expetitur: quanto gloria magis expetenda eſt? Ex minore, Si hic paruæ conſuetudinis cauſa huius mortẽ fert tam familiariter, quid ſi ipſe amaſſet? quid hic mihi faceret patri? Ex pari: Si eſt eiuſdem & eripere contra Rempublicam, & largiri pecunias. Quitilianus: Appoſita, uel comparatiua dicuntur, quæ minora ex maioribus, maiora ex minoribus, paria ex paribus probant. Confirmatur coniectura ex maiore, Si quis ſacrilegium facit, faciet & furtum. Ex minore, Qui facile ac palàm mentitur, peierabit. Ex pari, Qui ob rem iudicandam pecuniam accepit, & ob dicendum falſum teſtimonium accipiet. Iuris confirmatio eſt eiuſmodi. Ex maiore, Si adulterum occidere licet, et loris cædere. Ex minore, Si furem nocturnum occidere licet, quid latronem? Ex pari, Quæ pœna aduerſus interfectorem patris iuſta eſt, eadem aduerſus matris. Quorum omnium tractatus uerſatur in ſyllogiſmis. illa magis finitionibus, aut qualitatibus proſunt: Si robur corporibus bonum, non eſt minus ſanitas. ſi furtum ſcelus, magis ſacrilegium. ſi abſtinentia uirtus, & continentia. ſi mundus prouidentia regitur, adminiſtrãda ea Reſpublica. ſi domus ædificari ſine ratione non poteſt, quid agendum in naualium cura & armorum? Fit etiam, inquit Quintilianus, ex pluribus ad unum, & ex uno ad plura comparatio: unde eſt qui ſemel & ſæpius, & ex parte ad totum, ex genere ad ſpeciem, ex eo quod continet ad id quod continetur, aut ex difficilioribus ad faciliora, & ex longe poſitis ad propiora, infinitaq́; eſt rerum comparatio. Iucundiora, grauiora, magis neceſſaria, honeſtiora, utiliora. Ac (ut ex Cicerone, quæ ponit Quintilianus, proferamus exempla). ex maiore, pro Cecinna Cicero: Qui exercitus armatos mouet, is aduocationem non uidebitur mouiſſe. Ex faciliore, ut in Clodium & Curionem: At uide an facile fieri potueris tu, cum is factus nõ ſit, cui tu conceſſiſti. Ex difficiliore, Vide quæſo Tubero, ut qui de meo facto non dubitem dicere, de Ligarij non audeam confiteri. Et ibidem, An ſperandi Ligario cauſa non ſit, cum mihi apud te locus ſit etiam pro altero deprecandi? Ex minore, pro Cecinna, Ita ne uero? ſcire eſſe armatos ſatis eſt, ut uim factã probes? in manus eorum incidere non eſt ſatis? VT definitio, ut contrarium, &c.] Breuiter tractat locos, quos expoſuimus. VT primordia.] Cauſas dicit, hoc eſt locum à cauſis. Contentiones.] Id eſt, comparationes: quoniam comparando alterum cum altero contendimus. Aut naturæ rerum.] Comparationes enim fiunt in naturis rerum, ut dulcibus ad auſtera, utilibus ad inhoneſta. FACVLTATES.] Vt profeſſiones, & artes, & ſcientiæ inter ſe comparantur: & facultates, id eſt opes. Facultates, inquit Cicero, ſunt, aut quibus facilius fit, aut ſine quibus aliquid confici non poteſt. Omnibuſne igitur.] Ex iſtis locis argumenta ſumentur. Sanè docet in ultima Topicorum parte, quibus quæſtionibus qui loci magis congruant. Itaque hic ait, eruenda ex omnibus his locis argumenta: at adhibendum iudicium, ut leuia reijciamus. nã leuia à coniugatis putat argumenta Quin-

tilianus : ſed cauſa una, leuia aliquando habet quæ alia cauſa grauia putauerit . quare hoc ipſe orator poterit perpendere, et proinde reijcere inutilia, et utilia cauſæ accõmodare . Locos tu .] Id eſt, ubi nã motus excitetur, et in qua orationis parte auditoris animus incẽdatur. Cum inueneris .] Cum materiam fueris aſſecutus, in qua tibi orandum . Collocare .] Suo loco digerere. In definita autem.] Hoc dicit, In quæſtione infinita fidẽ faciemus eo modo, quo locos digeſſimus . At in ipſa definita, locos alios adhibebimus : de quibus dicetur ſuo loco, ad motus animorum faciendos . Habeo communia præcepta .] Nam eodem tempore inquit, & fidem faciam, & commouebo ex locis definitæ quæſtionis : Id eſt, quæſtionis quæ in cauſam et complexum uenit perſonarum . Quoniam fides eſt firma opinio.] Ideo ſi mouet animum, obnixe opinatur, Tot ſunt enim motus .] In tot genera diuiditur affectus, ut ipſe in tertio Quæſtionum Tuſculanarum. Itaque uoluptatem nunc pro ſpe, & moleſtiam pro dolore poſuiſſe uidetur hic Cicero, ut Vergilius in ſexto exponit . PARTES plures .] Id eſt, multæ ſunt ſpecies, in quæ hæc genera diuiduntur : ut ipſe in tertio Quæſtionum Tuſculanarum docet . Omnem coli .] Tam fidem faciendi, quàm mouendi in conſultatione, id eſt, definita quæſtione : uel propoſitione, id eſt, infinita quæſtione . In cauſa .] Hoc eſt, definita quæſtione ; nam ita eam Cicero ipſe uocat in Topicis . In qua eſt propoſitum .] Id eſt, quæſtio infinita, ut ipſe alibi uocat . In cauſa autem ideo propoſitum eſſe dicitur, quoniam cauſa id eſt, finita quæſtio, probatur ſemper per propoſitum, Id eſt, per infinitã quæſtionem, neque enim obtinere unquã potuero, licuiſſe Clodium, utpote inſidiatorem, occidere : niſi cõſtet, licere omnibus inſidiatores ſuos occidere . Auditorum eam genere diſtingui .] Id eſt, quot ſunt auditorum genera, tot ſunt etiam cauſarum genera . Auſcultator modo .] Id eſt, ſolum auſcultat, non etiam deliberat, aut iudicat . Aut diſceptator .] Hoc eſt, diſcuſſor propoſitæ ſentẽtiæ. VT aut delectetur .] Quod eſt demonſtratiui generis . De præteritis.] Vt iudex: & inde iudiciale genus . Aut de futuris .] Vt ſenatus : & inde deliberatiuum cauſæ genus. Iudicij.] Id eſt, iudicialis. Deliberationis .] Hoc eſt, deliberatiui generis . Et exornationis.] Hoc eſt, demonſtratiui : quod rebus exornandis accommodatur . Proprium habet nomen .] Quia à multis laudatiuum, & panegyricum nominatur . Delectationem.] Quod in demonſtratiuo, ſiue laudatiuo, uel ut nũc libuit Ciceroni appellare, exornatiuo, nihil ferè aliud ſibi proponit, quàm ut delectet . Iudicio.] Id eſt, genere iudiciali . Sæuitiam.] Si accuſat, quam extorquere uult à iudice . Aut dementiam .] Si defendit. In ſuaſione.] Id eſt, deliberatiuo genere , in quo ſuademus , uel diſſuademus quid; quod fieri oporteat. Aut ſpem .] Cum ſpem habemus ita deliberatum iri. Aut reformidationem .] Cũ metuimus, ne ſenatus contra noſtram deliberet ſententiã. Collocandi.] Propria cuilibet generi accõmodandi. Nam, aut temporũ.] Nanque, inquit Quintilianus, aliàs ætatis gradus geſtarumq; rerum ordinem ſequi ſpecioſius fuit, ut in primis annis laudaretur indoles, tum diſciplina, poſt hoc operum, id eſt factorum dictorumq; contextus. AVT generum.] In ſpecies : Ibidem inquit Quintilianus, uirtutum diuidere laudem, fortitudinis, iuſtitiæ, continentiæ, cæterarumq; : ac ſingulis aſſignare, quæ ſecundum quanque earũ geſta erant . AVT à minoribus.] A` bonis externis uel corporis, ad animi bona : aut quæ puſilla, & inde ad maiora. Aut hæc in æquabili.] De omnibus pariter ac tempore uno bonis tractabimus . Simplicia.] Quæ ſolus quis, aut primus feciſſe dicitur . Coniunctis.] Vt ſi cum paucis, uel etiam pluribus, & eiſdem illuſtribus fecit quis. OBSCVRA.] Minus cognita. Dilucidis.] Quæ palàm ſunt omnibus. Læta triſtibus.] Vbi cordis magnitudinẽ in aduerſis oſtẽderit. INCREDIBILIA.] Quæ credi ſua magnitudine non poſſe uideantur . Principia:] Hoc dicit : In deliberatiuo genere aut breuia, aut nulla eſſe exordia expedit. Præteritarum rerum .] Vt in iudicijs . Præſentium.] Vt in demonſtratiuo genere. Et admotum .] Vt concitatum habeas auditorem . Rerum ordine.] Id eſt, ut reus accuſari pro commiſſis dignus uideatur facinoribus. Quaſi haſta.] Quòd ita argumenta cõtorqueat, eiſq; compungat reum, ut in militia hoſtem ſuum miles haſta petit . Vehementer .] Vehemens eſt & erectus, ut in Verrem Cicero. Cõcludit acriter.] Inſtando, adurgendóq; . Confirmat tabulis .] Hæc ſupra expoſita ſunt, ubi de locis diximus, artis expertibus . Accuratius .] Vt motus animorum maiores faciat . In perorationis .] De quibus ſuo loco dicetur, ubi de partibus orationis præcepta tradentur . Paululum .] Quod facit aliquando in Verrem Cicero, ut in Segeſtana Diana . Vt iratum.] In reũ iudicis animũ exulceret. Aut relinquendæ. Id eſt, nullæ narrationis partes referendæ, ne moleſta quæ narrata ſunt, iudicis mentem adhuc in odium reficiant. Firmamenta.] Quibus ſublatis, defenſio nulla ſit, ut inquit Quintilianus in tertio libro : hoc eſt, firmiſſima argumenta, quibus magnopere nititur aduerſarius. Aut per ſe.] Sine alijs argumentis infirmanda. Aut obſcuranda.] Id eſt, non plana, non aperta eſſe oſtendenda. Aut digreſſionibus.] Hoc eſt, à propoſito reuocanda . Auditorum moderantur aures oratori.] Hoc eſt, audiendo, quid dicendum , & quid fugiendum ſit, oratori oſtendunt: quod ex ipſorum uultu motuq; facile deprehendi poteſt. Vnum genus eſt eloquendi.] Poſtea quàm de inuentione, ſimulq; de diſpoſitione locutus eſt, ſequitur ut de elocutione, unde & eloquentia nomen habet , dicat . Eius itaque duo eſſe ait genera . unum ſua ſponte fuſum , hoc eſt naturale , ut omnes loquũtur. VERSVM atque mutatum .] Hoc eſt, tropis ſchematiſq; diſtinctum. Simplicia.] Hoc dicit : Naturalis oratio, aut in ſimplicibus, aut coniunctis conſideratur uerbis . Simplicia inuenienda, hoc eſt, eligenda : ut Quintilianus libro VIII. inquit, Sunt alia alijs honeſtiora, ſublimiora, nitidiora, iucundiora, uocaliora, ut ſyllabæ è literis melius ſonãtibus ſunt clariores, ita uerba è ſyllabis magis uocalia : & quo plus quoque ſpiritus habent , auditu pulchriùs : & quod facit ſyllabarum, idem uerborum quoque inter ſeſe copulatio, ut aliud alij iunctum melius ſonet . diuerſus tamen eſt uſus . nam rebus atrocibus uerba etiam ipſo uultu aſpera magis conueniunt . QVAE ſignificata ſunt ſenſu.] Id eſt, proprietate intellectus . Proprietas , inquit Quintilianus, non ad nomen , ſed ad uim ſignificandi refertur : nec auditu, ſed intellectu perpendenda eſt . Secundo modo dicitur proprium, inter plura quæ ſunt eiuſdem nominis , & unde cætera dicta ſunt : ut , Vertex eſt contorta in ſe aqua, uel quidquid aliud ſimiliter uertitur . inde propter flexum capillorum, pars ſumma capitis, & ex hoc, inquam, in montibus eminentiſſimum : recte dixeris hæc omnia, uertices . Et tertius eſt huic diuerſus modus, cum res communis pluribus, in uno aliquo habet nomen eximium : ut carmen funebre, proprie nænia : & tabernaculum ducis, auguſtale. Item quod commune eſt & alijs nomen intellectus, alicui rei peculiariter attribuitur : ut urbem , Romam accipimus : & uenales , nouitios : & Corinthia æra : cum ſint urbes aliæ quoque , & uenalia multa, & tam aurum & argentum, quàm æs Corinthium . ſed ne his quidem uirtus oratoris inſpicitur . At illud iam non mediocriter probandum, quod hoc etiam modo laudari ſolet, ut proprie dictum, id eſt, quo nihil poſſit inueniri ſignificantius : ut Cato dixit, C. Cæſarem ad euertendam Rempublicam ſobrium acceſſiſſe . ut Virgilius , Deductũ carmen. & Horatius,

Horatius, Acrem tibiam, Annibalem'que dirum. In quo modo illud quoque eſt à quibuſdam traditum, propriũ genus ex appoſitis, quæ epitheta dicuntur: ut dulce muſtum, & cum dentibus albis. de quo genere poſtea dicemus. Etiam quæ bene tranſlata ſunt, propria dici poſſunt: quæ ſunt in quoque præcipua, proprij locũ accipiunt: ut Fabius inter plures imperatorias uirtutes, cunctator eſt appellatus. REPERTA, quæ ex his.] Id eſt, reperta dicũtur, quæ ex natiuis, hoc eſt, naturalibus, quibus omnes utuntur, à nobis deducta repertaq́; ſunt: ut Cicero ab eo quod eſt beatus beata beatum, finxit reperitq́; beatitas & beatitudo: quæ dura Quintilianus quidem ſentit eſſe. ueruntamen uſu putat poſſe molliri: ac ut à Cicerone etiã ſyllabatum, ita ab Aſinio fimbriatum, & figulatũ. Nouata.] Vt quæ memorauimus. Aut ſimilitudine.] Sicut bonitas dicitur, ita beatitas: beatitudo ita dicitur, ut magnitudo. Aut imitatione.] Vt enim Græci dicunt μεσότητας, ita Cicero de Vniuerſitate, medietates: ac ſicut à Græcis ὂν & οὐσία dicitur, ita à Sergio Flauio, ut Quintilianus ait, ens & eſſentia & quæ à Græcis ἐνάργεια dicitur, à Cicerone in Hortenſio tum perſpicuitas, tũ euidentia. AVT inflexione.] Quemadmodum practicam (ut tradit Quintilianus) ſicut muſicam, à piratis deriuarunt multi, uſiq; eo ſunt uerbo. Nec ideo ait hic Cicero inflexione, quia ſuperiora quoque inflectantur (nam ait primo, Reperta quæ ex his facta ſunt) ſed propter id quod ſequitur. AVT adiunctione uerborum.] Hoc eſt, cum per compoſitionem nouantur: ut Lucretius, terriloquis dictis inquit, & barbigerum pecus: & Cicero, ſoliuagas feras. nam cum ſint eorum ſimplicia natiua, compoſita certe reperta ſunt: quod genus uehementer Horatius in Arte poetica probat, cum inquit, Dixeris egregie notum, ſi callida uerbum Reddiderit iunctura nouum. ALTERA natura, tract.] Diſtinguit Cicero adhuc uerba, ut alia natura dicat, alia tractatu ipſo conſiderari. Natura.] Vt ſonantiora ſint alia: quemadmodum ductor, quàm dux. Grauiora.] Vt uaſtũ pelagus, quàm magnum. Leuiora.] Id eſt, magis lubrica, et quodammodo nitidiora: ut meliuſcule, leniuſcule, & tales molliuſcule pronunciatæ dictiones. ALIA contra.] Vt, Horrida terra tremit, & ſimilia. Tractatione.] Cum aut propria ſumuntur uocabula, eo modo, quo (tradente Quintiliano) diximus fieri: ut cum dicimus ſterilem platanum, tonſaſq; myrtos, maritam ulmum, & uberes oleas. Aut addita ad nomen.] Id eſt, epitheta: ut impium parricidam: euerſorem Carthaginis & Numantiæ, Scipionem intelligimus: principem eloquentiæ, Ciceronem. Aut noua.] Vt Cicero fauorem, & urbanum, tradente Quintiliano, noua putat: ut putat Terentium primo dixiſſe obſequium. AVT priſca.] Qualia, Ciceronis ſententia, in libro de Oratore ſunt, reor, autumo, & (ut Quintilianus inquit) nuncupare, fari, & huiuſmodi multa, quæ certe grandem & ſanctiorem & magis admirabilem noſtram reddunt orationem. AVT ab oratore modificata.] Verba, inquit, in alium modũ trahuntur, aliumq́; flectuntur in ſignificatum, quàm ſit eorum naturalis ſignificatio, per tranſlationem. transfertur ergo nomen aut uerbum, ut Quintilianus inquit, ex eo loco in quo primum erat, in eũ in quo aut proprium deeſt, aut tranſlatum proprio melius eſt. Id facimus, aut quia neceſſe eſt, aut quia ſignificatius eſt: aut, ut dixi, quia decentius eſt. Vbi nihil horum præſtabitur, quod transferetur, improprium erit. Neceſſitate ruſtici gemmam in uitibus dixerunt, inde gemmare etiam uites, inquit Cicero, ſitire ſegetes, & frutices laborare. nos neceſſitate durum hominem, aut aſperum: non enim proprium erat, quod daremus his affectibus nomen. nam incenſum ira, & inflammatum cupiditate, & lapſum errore, ſignificandi gratia. nihil enim horum ſuis uerbis, quàm his accerſitis, magis proprium erit. Illa ad ornatum, lumen orationis, & generis claritatem, & concionum procellas, te eloquentiæ flumina: ut Cicero pro Milone, Clodium fontem gloriæ eius uocat. & in alio loco, ſegetem ac materiem. Quædam etiam parum ſpecioſe dictu, per hanc explicantur: Hoc faciũt nimio ne luxu obtuſior uſus Sit genitali aruo, & ſulcos oblimet inertes. AVT immutantur.] Quæ figura metonymia dicitur: quã, ut Cicero in Oratore inquit, hypallagen eſſe rhetores dicunt. hæc inuenta ab inuentore, & ſubiecta ab obijcientibus ſignificat: ut, Cererem corruptam undis: &, Receptus terra Neptunus. Refert autem, inquit Quintilianus, in quantum dictus tropus oratorem ſequatur. nam ut Vulcanum pro igne uulgo audimus, & uario Marte pugnatũ eruditus eſt ſermo: & Venerem quàm coitum dixiſſe magis decet: ita Liberum & Cererem pro uino & pane licentius, quàm ut fori ueritas ferat. AVT ea quibus tanquam abutimur.] Hæc figura à Græcis catachreſis nominatur, quam, ut inquit Quintilianus, recte dicimus abuſionem, quæ nõ habentibus nomen ſuũ accommodat, quod in proximo eſt: ut parricida, matris quoque aut fratris interfector. Et ſi dicas, ut ſis bonus, hoc ego non metuo. & cum inquit Iuuenalis, Quartanam dudum ſperantibus ægris. pro timentibus. Aut ea quæ obſcuramus.] Hanc Græci allegoriam uocant, quam nos, ut Quintilianus inquit, inuerſionem interpretamur, aliud uerbis, aliud ſenſu oſtendit, ac etiam interim contrariũ. Prius: ut, O' nauis referent in mare te noui Fluctus, ò quid agis, fortiter occupa Portum. Totusq́; etiam ille Horatij locus, quo nauem pro Repub. fluctuum tempeſtatem pro bellis ciuilibus, portum pro pace atque concordia dicit. tale Lucretius, Inuia Pieridum peragro loca. Et Vergilius, Sed nos immenſum ſpatijs confecimus æquor, Et iam tempus equum ſpumantia ſoluere colla. Sine tranſlatione uero in Bucolicis, Certe equidem audieram, quà ſe ſubducere colles Incipiunt, molliq́; iugum demittere cliuo, Vſque ad aquam, & ueteris confracta cacumina fagi, Omnia carminibus noſtrum ſeruaſſe Menalcam. Hoc enim loco, præter nomen cætera proprijs expreſſa ſunt uerbis. uerum non paſtor Menalcas, ſed Vergilius eſt intelligendus. Apud Ciceronem, Equidem cæteras tẽpeſtates & procellas in illis duntaxat fluctibus concionum ſemper Miloni putaui eſſe ſubeundas. Niſi adiecisset, inquit Quintilianus, duntaxat fluctibus concionum, allegoria eſſet: eam nũc miſcuit. eſt ergo mixta cum tranſlatione allegoria. Illud uero longe ſpecioſiſſimum genus orationis, in quo trium eſt permixta gratia, ſimilitudinis, allegoriæ, & tranſlationis: ut pro Muræna Cicero, Quod fretum, quem euripum, tot motus, tantas, tam uarias habere putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes, & quantos æſtus habet ratio comitiorum? Dies intermiſſus, aut nox interpoſita ſæpe perturbat omnia, & totam opinionem parua nonnunquam commutat aura rumoris. Hæc allegoria, inquit Quintilianus, quæ eſt obſcurior, ænigma dicitur, uitium meo quidem iudicio: ſiquidem dicere dilucide, uirtus. qua tamen & poetæ utuntur, Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo, Treis pateat cœli ſpatium non amplius ulnas.

Aenigmata itaque ſunt, quæ niſi quis interpretetur, non intelligas. Ideo dum ait Cicero, Aut quæ obſcuramus: non uériſimile eſt ut ænigma intelligat, ſed allegoriam, quæ paulo obſcurius effert quod ſibi uult, ut tamen poſſit intelligi. Quæ incredibiliter tollimus.] Hanc Græci figurã hyperbolen uocant: ut, Geminiq́; minantur In cœlum ſcopuli. &, Fulminis ocior alis. &, Illa uel intactæ ſegetis per ſumma uolaret Gramina, nec teneras curſu læſiſſet ariſtas. Cicero in Antonium, Quæ Charybdis tam uorax? Charybdin dico? quæ ſi fuit, fuit animal unum: Oceanus medius fidius uix uidetur tot res, tam diſſipatas, tam diſtantibus in locis poſitas, tam cito abſorbere potuiſſe. Et rurſus in Verrem, Pindarum ſecutus: Verſabatur in Sicilia longo interuallo alter, non Dionyſius ille, nec Phalaris (tulit

enim illa quondã inſula multos, et crudeles tyrannos) ſed quoddam nouum mõſtrum, ex uetere illa immanitate, quæ in iiſdem locis uerſata eſſe dicitur. Non enim Charybdin tam infeſtam, neque Scyllam nautis, quàm iſtum in eodem freto fuiſſe arbitror. Quæque admirabilius, quàm ſermonis conſuetudo patitur, ornamus.] *Hanc figuram, periphraſin uocant Græci: Circuitum loquendi ornatum, inquit Quintilianus, petit ſolum: qui eſt apud poetas frequentiſſimus. Tempus erat quo prima quies mortalibus ægris Incipit, et dono diuum gratiſſima ſerpit. Et apud oratores noſtros, ſemper tamen aſtrictior: quidquid enim ſignificari breuius poteſt, & cum ornatu latius oſtenditur, periphraſis eſt.* Numeri quidem.] *Expoſitis ſimplicium uerborum præceptis, nunc tradit coniunctorum: & primo quidem numeros in oratione cuſtodiendos dicit. qui, qualesúe ſint, breuiter & utiliſſime ex omnibus colligemus auctoribus, qui de numeris locuti ſunt. Numerus omnis oratorius, quem Græci rhythmon uocant, tum in principio clauſulæ, tum in fine conſideratur. In principio quidem clauſulæ, modo duo, aut tres, modo qualeſcunque, qui fluant bene, iunguntur pedes: ſed etiam incipitur á carminis principio, & aliquando ab integro uerſu: ut Plato Timæum, orſus á uerſu heroico, εἷς, δύο, τρεῖς, ὁ δὲ δὴ τέταρτος ἡμῖν ὦ φίλε Τίμαιε ποῦ; id eſt, Vnus, duo, tres: quartus porro nobis ubi'nam ô amice Timæe? Ab integro autem ſenario iambico dicendi accuratiſſimus, præter alios omnes oratores Iſocrates, Panathenaicum incepit, cum inquit, νεώτερος μὲν ὢν προῃρούμην γράφειν. Titusq; Liuius (ut Quintilianus putat) á uerſu heroico hiſtoriam ſuam inchoauit: ut melius quam ut nunc legatur, Facturus'ne operæprecium ſim. Ita Diomedes annotat, Saluſtium in principio Iugurthæ, & Ciceronem ſæpiſſimo principia orationum á metris integris incepiſſe. Quare ut in principio clauſula bene á carmine incipitur, ita male deſinit in carmen clauſula, ſiue integrum, ſiue uerſus ultimam partem. luſorium ſiquidem habet quiddam, & proinde contemnendum. Cuiuſmodi ergo pedibus clauſulas recte terminetur, iam uideamus. Cum igitur aures extremum ſemper expectent, in eoq; conquieſcant, id uacare numero non oportet. At & Ariſtoteli et Ciceroni & Quintiliano placet ſententiæ quoque initium, cuiuſmodi diximus, numeroſum eſſe: quòd ſtatim á principio ſententiæ dictionis cõcinnitate multum afficiamur: & ipſa concluſione, ne claudicans ac quaſi fluctuãs, ſed æqualiter habeat oratio. Illud igitur primo nos nó fugiat, non tantũ referre qui pedes, ſed etiam quæ uerba commiſſura quadã claudant orationem. Primo igitur, pedes numerus oratorius nullos, ut etiam Quintilianus exiſtimat, reſpuit: quare non pedes, ſed pedum iuncturæ damnandæ ſunt, aut eligendæ. Commonebimus ergo iuncturas aliquas, ut ex eis aurem ſuam conſulens et iudicium adhibens, cæteras poſſit cuſtodire. Vt ergo de uerbis loquamur, ſi in extrema clauſulæ parte breuiora locaueris, infringitur illa quaſi membrorũ comprehenſio: quare aut paria ſyllabis eſſe oportet poſteriora ſuperioribus: aut, ut Cicero putat, melius iucundius'que longiora claudent. Veruntamen non refert ſi monoſyllabum ſit. in fine enim antecedenti iungi uidetur: ut, auxilium eſt. Spondeus ergo (ut á duarum ſyllabarum pedibus ordiamur) quo Demoſthenes plurimũ uſus eſt, moram affert. ac illud generaliter, tenendum eſt, quòd quo pedes ſunt temporibus pleniores, longiũq; ſyllabis conſtant, hoc ſtabiliores ſunt & grauiores, grauioremq; reddunt orationem: breues autem, celerem ac mobilem. Spondeus præcedente ſe pyrrhichio, bene ſonat: ut, timuerunt. uel trocheo: ut, arma ſumpſi, &, acta res eſt. uel iambo: ut, manus armant. Ipſe autem ſibi male ſpondeus præponi creditur: ut, oratores. præterquàm in cæſis ac membris, ut Craſſi illud, Nos oppugnant. Ne dactylus quidem bene præponitur, quòd finis uerſus uideatur heroici. Sunt tamen qui admittant, ſi anapæſtus antecedat in una parte orationis, lubrica ſtructura eſt: ut, dominabatur. ubi diuerſæ fuerint partes orationis, retentus ſpiritus firmitatem facit: ut, uideant ipſi. Idem de tribracho dicimus: ut, gerere morem, & facilitates. Spondeus recte iambo præponitur: ut, doctus fui. Seipſum præcurrit iambus bene, ut bona fide. & cretico antecedente: ut, proſpera fide. Trochæus bene ſe præcedit, quo frequenter utitur numero Tullius: ut, eſſe ei pœnas perſolutas. & Gracchi illud, Temeritas filij comprobauit. Trochæus autem, ſpondeus, & iambus, ut Cicero putat, male concludunt: uerum tamen tumor, ex ſpondeis atque iambis maxime continetur: ut, Sceptrum mihi liquit Pelops. Pyrrhichius currit: ut, Quid igitur faciam? Dactylus Ariſtoteli amplior, ſicut humanior uidetur. Iambus clauſulam is fortem reddit antecedente trochæo: ut, iure fecimus. Pyrrichio antecedente: ut, bene dicitur. ſpondeo, Cauſas audias, iuſte fecimus. iambo, fide dicitur, dies attulit. Tribrachus dactylum bene præcedit, recole nomina. Anapæſtus, repetes cætera. & moloſſus, quærebat dicere. Facit etiam tribrachus ad clauſulam, præcedente cretico: ut ſi dicas, de cæteris agite, de prælijs redeo, de literis dubito. Amphibrachus quoque recte ponitur in clauſula, ſpondeo ferè antecedente, Ludos habete, recte locutus. Trocheo, iuſta querela: Anapæſtus etiam conuenit, ſed in rhythmi modum profluit: ut innocentiæ leue præſidium eſt. Mollior fiet præcedente ſpõdeo, ut, ſi mutes, leue innocentiæ præſidium eſt. profluit etiam, ſi trochæum anteponas: ut, nomen erat imperij. Creticus antecedens, eum paulo fortiorem reddit: ut, nobiles homines. Ante ſpondeum exultat: ut, de quo nihil dicam, niſi depellendi criminis cauſa. Et, Quouſque tandem abutere Catilina patientia noſtra? Duo autem, aut tres, ut uult Cicero, ſunt fermè extremi ſeruandi pedes, ſi modo ſuperiora breuiora non ſint, aut creticus, aut herous, aut pæon. Creticum bene antecedent uel anapæſtus: ut, populo conferunt. uel pæon ultimus: ut, placat facilitas nobiles. uel epitritus tertius, ſeruare quamplurimos. uel trochæus, turpe ducerem. Hæc de duarum & trium ſyllabarũ pedibus. Nunc alios uideamus. Pæonem primum & quartũ probat Ariſtoteles, cui á priore ordiendum placet, ut hæc uerba ſunt, deſinite, incipite, comprimite. poſteriore autem finire: ut in hæc uerba, agilitas, facilitas, domuerant. Pæona tertiũ aiunt omnes bene concludere: cui Cicero tribrachum anteponit, ut, facere uideamur. aliquando iambum: ut in Catilinam, Cum omnibus potius, quàm ſoli, pati noluerunt. ſæpiſſime autem trochæum: ut, Quantum laboris ſit habitura. &, Diu multumq; mecum Brute dubitaui. &, frequentiſſime eſſe uideatur. Dichoræo quoque frequenter utitur: ut, dicere maluerunt. &, crimina detulerunt. &, exercitum compararunt. &, contra amentiam perditorum. Antiſpaſtum bene dactylus antecedit: ut, Vir optimus uideretur. & trochæus: ut, Interfectam eſſe fateretur. Ionicum maiorem, bene præcurrit tribrachus: ut, Te ad crudelitatem acuet oratio. Nonnunquam trochæus, Veſtit oratio. his Cicero utitur. Ex quinque autem ſyllabis pedes fluxiorem ſtructuram faciunt: ut arbitramini, interrogarunt, deſiderarunt. Omnium quinque ſyllabarum Cicero dochimum probat maxime: cuius ponit exemplum, Amicos tenes. & ubique aptum eſſe dicit, modo ſemel ponatur: quoniam iteratus, apertum faciat numerum. Hæc ſunt quæ breuiſſime dicenda de numeris putauimus. Nunc reliquam proſequamur interpretationem.* Numeros, aures.] *Hoc eſt, ne clauſula quæ numeris clauditur, ſit longior, quàm uno ſpiritu pronuncietur: aut breuior, ut aures fruſtretur audientium.* Conſecutio autem.] *Hoc eſt, ne ſolœciſmum grammaticæ uitium facias.* Vt in ſimplicibus.] *Quod non eſt latinum, ſed barbarum, reprehenditur: ita in coniunctis, inquit, ſolœciſmus. Vitanda ergo hæc duo in oratione uitia monet, barbariſmum, & ſolœciſmum.* Dilucidum.] *Appellat dilucidum, quod etiã apertum in*

tum in

tum in Rhetoricis nominat, ubi narrationis præcepta tradit. Quintilianus: Aperta inquit, & dilucida erit oratio, ſi fuerit primum expoſita proprijs uerbis, & ſignificantibus, & non ſordidis quidem, non tamen exquiſitis & ab uſu remotis: tum diſtincta rebus, perſonis, temporibus, locis, cauſis, ipſa etiã pronunciatione in hoc accommodata, ut iudex, quæ dicuntur, quàm facillime accipiat. Hac de narratione locutus. At de elocutione, Nobis, inquit prima ſit uirtus perſpicuitatis, propria uerba, rectus ordo, non in longum dilata concluſio, nihil neque deſit, neque ſuperfluat, ita ſermo & doctis probabilis, & planus imperitis erit. Hæc eſt eloquendi obſeruatio. Nam rerum perſpicuitas quo modo præſtanda ſit, diximus in præceptis narrationis, ſimilis autem ratio eſt in omnibus. Nã ſi neque pauciora quàm oportet, neque plura, neque inordinata, aut indiſtincta dixerimus, erunt dilucida, et negligenter quoque audientibus, aperta. Recte ergo monet Cicero, ut ſi dilucidam elocutionem uelimus, uſitatis utamur uerbis, id eſt, non à loquendi conſuetudine remotis. PROPRIIS.] *Quod Quintilianus inquit, ſignificantibus: hoc eſt, bene explicantibus.* Diſpoſitis.] *Suo in loco collocatis.* Aut circumſcriptione concluſa.] *Id eſt, clauſa, aſtricta, non uaga.* Aut intermiſſione.] *Cũ parentheſin facimus.* Aut conciſione uerborum.] *Cum uerba ſubticemus non neceſſaria, ut Plinianum illud: An uenaris, an piſcaris, an aucuparis, an ſimul omnia? & infinita huiuſmodi.* OBSCVRVM.] *Tangit uitium dilucido cõtrarium uirtuti. nam corrupta, ut inquit Quintilianus, oratio, In uerbis maxime improprijs, redundantibus, comprehenſione obſcura, cõpoſitione fracta, uocum ſimilium aut ambiguarũ puerili captatione, conſiſtit.* Longitudine.] *Igitur, inquit, longius euagatur oratio.* Contractione.] *Cum oratio conciſa eſt, & uerba neceſſaria ſubticuit.* Ambiguitate.] *Cum ſenſus multiplex eſſe uerborum poteſt.* Inflexione.] *Cum uerborum deriuatio non percipitur: uelut apud Ciceronem in Bruto, cum Siſenna dixiſſet ſputatilica, à Grannio irriſus eſt, quòd pro eo uerbo uilia intelligeret.* IMMVTATIONE *uerborum.*] *Cum alia pro alijs ponuntur uerba: ut qui ſolem aurum, & lunam argentum uocant.* Breuitas autem.] *Quintilianus: Ac merito laudatur breuitas, inquit, integra: ſed ea minus præſtat quoties nihil dicit, niſi quod neceſſe eſt.* βραχυλογίαν *breuitatem uocant, quæ reddetur inter ſchemata. Eſt uero pulcherrima cum plura paucis complectimur, quale Saluſtij: Mithridates corpore ingenti, proinde armatus. Inter ſchemata autem utimur hac figura, inquit, non ſingulis modo uerbis, ſed etiam ſententijs: ut Cicero dicit cõtra concionem Metelli: Qui indicabantur, eos uocari, cuſtodiri, ad ſenatum adduci iuſſi, in ſenatu ſunt poſiti. & totus hic locus talis. Hoc genus* βραχυλογίαν *uocant. Hoc ergo dicit Cicero, Breuitas conficitur ſimplicibus uerbis, non aceruatis.* PROBABILE *autem genus.*] *Probabile autem, inquit Cicero, id genus dicitur, quod non plus minuſue eſt, quàm dicit: non quia comi expolitiõq; non debeat (nam & hæc ornatus pars eſt) ſed quia uitium eſt ubique quod nimium eſt.* Si non nimis compt.] *Quoniam hæc ueritatis fidem tollunt.* Si eſt auctoritas & pon.] *Ne laſciuire compoſitione uideamur.* ILLVSTRIS *autem oratio eſt.*] *Quintilianus quoque cum de probabili loquitur oratione, ſubiungit: Itaque in nobis eſſe oportet auctoritatem, in uerbis ſentẽtias, ut graues, uel aptas opinionibus hominum ac moribus: his enim ſaluis, licet aſſumere ea quibus illuſtrem fieri orationem putamus. delectant tranſlata, ſuperlata, ad nomen adiuncta, duplicia, & idem ſignificantia, atque ab imitatione rerum non abhorrentia. Vbi licet nobis intueri, ad aduerbum, Ciceronis uerba ex hoc loco ſuſtuliſſe, nec tamen eum nominaſſe. Et aliquando poſt: Itaque* ἐνάργειαν, *inquit, cuius in præceptis narrationis feci mentionem, quia plus eſt euidentia, uel ut alij dicunt, repræſentatio, quàm perſpicuitas, & illud quidem patet, hæc ſe quodammodo oſtendit, inter ornamenta ponamus. Magna uirtus eſt, res de quibus loquimur, clare, atque ut cerni uideantur, enunciare. neque enim ſatis efficit, neque ut debet plenè dominatur oratio, ſi uſque ad aures ualet, atque ea ſibi iudex de quibus cognoſcit, narrari credit, non exprimi, & oculis mentis oſtendi. Eſt igitur unum genus quo tota rerum imago quodãmodo in uerbis depingitur: Conſtitit in digitos extemplo arrectus uterque, & cætera, quæ nobis illam pugilum congredientium aciem ita oſtendunt, ut nõ clarior futura fuerit ſpectantibus. Cicero quoque in Verrem: Stetit ſoleatus Prætor Pop. Romani cum pallio purpureo, tunicáq; talari muliercula nixus in littore. Non ſolum qui legit hæc, ipſum os intueri uideatur & habitum: ſed quædam etiã ex his, quæ dicta non ſunt, ſibi ipſe aſtruat. Ego certe mihi cernere uideor & uultum, & oculos, & deformes utriuſque blanditias, & eorum qui aderant tacitam auerſationem, ac timidã uerecundiam. Interim ex pluribus efficitur illa, quam conamur exprimere, facies, ut eſt apud eundem: nempe omnium ornatum uirtutum. Exemplum uel unum ſufficiat in deſcriptione conuiuij luxurioſi: Videbar uidere alios intrantes, alios uero exeuntes, quoſdam ex uino uacillantes, quoſdam heſterna potatione oſcitantes. humus erat immunda, lutulenta uino, coronis languidulis & ſpinis cooperta piſcium. Quid plus uideres, qui intereſſet? Hæc eſt ergo illuſtris oratio, de qua Cicero loquitur, cum inquit, illuſtris eſt autem oratio, ſi & uerba grauitate delecta ponuntur, non ridicula, ſed quæ pondus ſuum habeant.* ET tranſlata.] *Hoc hyperbole, de qua dictum figura.* ET ad nomen adiuncta.] *Quæ dicuntur epitheta. de qua ſanè figura ita Quintilianus: Epitheton quod recte dicimus appoſitum, à nonnullis ſequens dicitur. eo poetæ & frequentius & liberius utuntur. Nanque illis ſatis eſt conuenire uerbo cui apponitur, & ita dentes albi, & humida uina in his non reprehenduntur. Apud oratorem, niſi aliquid efficitur, redundat. Id autem erit huiuſmodi, ut ſi dicas, O facinus indignum, ò durum pectus, quod ob rem ridiculam amiciſſimum perditum ire poſſis. Solet fieri alijs adiunctis epitheton tropis: ut apud Vergilium, turpis egeſtas, triſtis ſenectus. ueruntamen talis eſt ratio huiuſce uirtutis, ut ſine appoſitis nuda ſit, & uelut incompta oratio.* ET duplicata.] *Et idem ſignificantia, ut Ciceronis illud in Catilinam: Tandem aliquãdo Quirites Catilinam furentem audacia, ſcelus anhelantem, peſtem patriæ nefarie molientem, uobis atque huic urbi ferrum flammamq; minitantem, ex urbe uel eiecimus, uel emiſimus, uel ipſum egredientem urbe proſecuti ſumus: abijt exceſſit, euaſit, erupit.* Senſus attingitur.] *Hoc eſt, animus compungitur.* Et cæteris.] *Quæ dicta, & quæ ſtatim dicentur de ſuaui oratione.* Altero fit.] *Dilucidum dicit.* SVAVE *autem.*] *Vt uno Ciceronis modo contenti ſimus exemplo: Si patres conſcripti, pro ueſtris immortalibus in me, fratremq; meum, liberoſq; noſtros meritis parum uobis cumulate gratias egero, quæſo obteſtorq;, ut meæ naturæ potius quàm magnitudini ueſtrorum beneficiorum id tribuendum putetis. quæ enim tanta poteſt exiſtere ubertas ingenij? quæ tanta dicendi copia? quod tam diuinum atque incredibile genus orationis, quo quiſquam poſſit ueſtra in nos uniuerſa promerita, non dicam complecti orando, ſed percenſere enumerando? & totus ille locus.* Coniunctione.] *Id eſt uerborum ſtructura.* Aſperos concur.] *Vt Sextus Roſcius. melius dicas, Sextus quoque Roſcius, & non, ſed rex Xerxes: at pro eo, rex Xerxes, & ſimilia.* Diſiunctos.] *Cum extrema uocalis, uocalem primam uerbi ſequentis includit: ut ſi dicas, ate enim, illi incumbit, fero omnia, & ſimilia. hiat enim iunctura: quæ ſtructior pleniorq; fieret, ſi conſonantes uocalibus applicarentur,*

hoc modo : ære mercatur, illi totus incumbit, fero cætera. Circunſcripta.] *Hoc dicit, ſi clauſula longior non fuerit, quàm ut uno poſſit ſpiritu enunciari, ut in ipſa clauſula pronũciatione uocem mutare non neceſſe fuerit.* Habeatq;.] *Ne alia grandia magnificaq;, alia porro humilia & depreſſa: nam in ſermone tenui, ſublime nitidumq; non conuenit, fitq; corruptum, quia in plano tumet. Ita humilia circa res magnas carpimus: itaque ut uidetur illud,* Prætextam in ciſta mures roſere Camilli: *ita probatur Vergilianum illud,* Sæpe exiguus mus. *nam adiectiuum Exiguus, epitheton aptum, proprium, effecit ne plus expectaremus, & caſus ſingularis magis decuit: & clauſula ipſa unius ſyllabæ non uſitata, addit gratiam. Imitatus itaque eſt utrunque Horatius,* Naſcetur ridiculus mus. Ex contrarijs.] *Hæc figura antitheton appellatur, Latine contrapoſitum: cuius exemplum non uidemus commodius proferri poſſe, quàm Ciceronis illud in Catilinam:* Ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia; *hinc pudicitia, illinc ſtuprum; hinc fides, illinc fraudatio; hinc pietas, illinc ſcelus; hinc conſtantia, illinc furor; hinc honeſtas, illinc turpitudo; hinc continentia, illinc libido: denique æquitas, temperantia, fortitudo, prudentia, uirtutes omnes certant cum iniquitate, cum luxuria, cum ignauia, cum temeritate, cum uitijs omnibus: poſtremo copia cum egeſtate, bona ratio cum perdita, mens ſana cum amentia, bona denique ſpes cum omnium rerum deſperatione confligit. Quintilianus autem de hac figura locutus,* Non uno, *inquit,* fit modo: *nam & fit ſi ſingula ſingulis opponuntur, ut* Vicit pudorem libido, *timorem audacia: & bina binis,* Non noſtri ingenij eſt, *ueſtri auxilij eſt. & ſententia ſententijs,* Dominetur in concionibus, *iaceat in iudicijs.* Relataq; ad idem uerbum.] Vt, Neque is es Catilina, *ut te aut pudor à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio à furore reuocarit. ad idem enim uerbum plura referuntur: quod fit aut præpoſito uerbo, aut in ultima parte collocato, ut hic: aut in medio.* Et geminata.] Vt, Perturbatio *iſtum mentis, & quædam ſcelerum offuſa caligo, & ardentes furiarum faces excitarunt. Et illud : Inueſtigata, comperta, patefacta, ſublata, deleta, extincta. & illud,* Pater *hic tuus, patrem hunc appellas? patris tui filius eſt.* CONSTRVCTIO.] Vt, *Tectumq; laremq;, Armaq;* Amyclæumq; *canem,* Creſſamq; *pharetram.* DISSOLVTIONIBVS.] Vt, Alexandro Aquila *in deliberando conſilium, in prœliando uirtus, in beneficio benignitas nõ deerat, ſed duntaxat in ſupplicio crudelitas. nam cum aliqua res dubia accidiſſet, apparebat ſapientiſſimus; cum autem confligendum eſſet cum hoſtibus, fortiſſimus; cum uero præmium dignis tribuendum, liberaliſſimus; et cum animaduertendum, clementiſſimus. Et apud* Vergilium, Hic *illum uidi iuuenem* Melibœe, *quotannis* Bis *ſenos cui noſtra dies altaria fumãt.* Hic *mihi reſponſum primus dedit ille petenti.* Sed *utrunque horũ, inquit* Quintilianus, *coaceruatio. etenim tantum iuncta aut diſſoluta, omnibus ſcriptores ſua nomina dederunt, ſed uaria, & ut cuique fingere placuit, fons quidem unus, qui acriora facit, & inſtantiora quæ dicimus, & uim quandam præ ſe ferentia uelut ſæpius erumpentis affectus.* FIT *etiam ſuauis.*] Vt *ipſe* Cicero *pro* Cælio: Prægeſtit *animus iam uidere primum lautos iuuenes, mulieris beatæ ac nobilis familiares : deinde fortes uiros ab imperatrice in inſidijs, atque in præſidio balnearum locatos : ex quibus requiram quo'nam modo latuerint, aut ubi: alueus'ne ille, an equus* Troianus *fuerit, qui tot inuictos uiros muliebre bellum gerentes tulerit ac texerit. illud uero reſpondere cogam :* Cur *tot uiri ac tales, hunc & unum, & tam imbecillum, quàm uidetis, non aut ſtantem comprehenderint, aut fugientem conſecuti ſint. qui ſe nunquam profecto, ſi iſtum in locũ proceſſerint, explicabunt. quàm uolent in conuiuijs faceti, dicaces, nonnunquam etiam ad uinum diſerti ſint. alia fori uis eſt, alia triclinij : alia ſubſelliorũ ratio, alia lectorum : nõ idem iudicum comeſſatorumq; conſpectus : lux denique alia eſt ſolis, & lychnorum.* DELECTAT.] Vt *ipſe in* Piſonem : Sed *multa carne ſubrancida ſerui ſordidati miniſtrant, nonnulli etiam ſenes : idem coquus, idem atrienſis : piſtor domi nullus, nulla cella : panis & uinum à propola, atque decupa.* Græci *ſtipati, quini in lectulis, ſæpe plures, ipſe ſolus, bibitur uſq; quo eodem de ſolio miniſtrentur: ubi galli cantum audiuit, auũ ſuum reuixiſſe putat : menſam tolli iubet.* QVAEQVE *ſignificat.*] Vt *pro* Cælio : Adulterum *ego putarem, ſi quis hanc paulo liberius ſalutaſſet?* Et *contra* Catilinã : Serui *mehercule mei ſi me iſto pacto metuerent, ut te metuunt omnes ciues tui, domum meam relinquendam putarem.* Et *rurſus pro* Cælio: *ò magna uis ueritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam, cõtraq; fictas omnium inſidias facile ſe per ſe ipſam defendat.* INFLEXIONE *ſermonis.*] Quæ *figura, apoſtrophe dicitur à* Græcis : *hæc, ut inquit* Quintilianus, *mire mouet, ſiue aduerſarios inuadimus:* Quid *enim tuus ille* Tubero *in acie* Pharſalica *gladius agebat? ſiue ad inuocationem aliquam conuertimur :.* Vos *enim* Albani *tumuli, atque luci, uos inquam imploro : ſiue ad inuidioſam implorationem ;* O' *lex* Porcia, *legeſq;* Semproniæ. Augendi *alterius.*] Vt *in* Tuberonem *memorato in exemplo.* Minuendi *ſui cauſa.*] Vt *pro* Milone, O' *me miſerum?* O' *me infelicem? reuocare tu me in patriam* Milo *potuiſti.* ALIA *dici ab oratore.*] Hæc *figura,* Ironia *dicitur : ut illud in* Catilinam, A' *quo repudiatus ad ſodalem tuum uirum optimum* Metellum *demigraſti.* Vnde, *quoniam* Socrates *ea plurimũ uſus eſt, appellatus eſt* εἴρων, *ſimulator.* QVAE *orationem.*] Ideo *illa à nobis repudiata ſunt præcepta.* CVM *aut proprium.*] Vt *te nemus* Angeriæ, *uitrea te* Fucinus *unda.* Et, Hæc *nauis onuſta præda* Sicilienſi: *cum & ipſa quoque eſſet ex præda.* Et, Multi *& graues dolores inuenti parentibus & propinquis multi.* CVM *aut definitio ad unum uerbum reuocatur.*] Vt, Qui *ſunt qui fœdera ſæpe ruperunt?* Carthaginenſes. Qui *ſunt qui bellum crudeliſſime geſſerunt?* Carthaginenſes. Qui *ſunt qui* Italiã *deformauerunt?* Carthaginenſes. Qui *ſunt qui ſibi ignoſci poſtulãt?* Carthaginenſes. ASSVMPTA.] Per *correctionem :* Hunc *ego non immanem, ſed feram duco.* CIRCVITVS.] Id *eſt, in clauſulam uerba extendũt. ut quod dicit de* Sexto Roſcio : Etenim *cum artifex eiuſmodi ſit, ut ſolus dignus uideatur eſſe, qui in ſcena ſpectetur : tum uir eiuſmodi eſt, ut ſolus dignus uideatur, qui eo non accedat.* AVT *coniunctione.*] Fit *unum uerbum ex duobus nouatione uocabuli, de qua dictum ſuperius eſt.* VT *cum ſemel dictum eſt.*] Quæ *figura* Græce ἐπάνοδος, *regreſſus dicitur, ut propoſitis duobus ſecundum primo, deinde primum capimus. ut apud* Vergilium, Forte *ſub arguta conſiderat ilice* Daphnis, Compulerantq; *greges* Corydon & Thyrſis *in unum,* Thyrſis *oues,* Corydon *diſtentas lacte capellas.* ET *idem quaſi ſurſum.*] Hæc κλῖμαξ Græce, Latine *gradatio nominatur. hæc repetit ea quæ dicta ſunt, & priuſquam ad aliud deſcendat, in prioribus reſiſtit : ut,* Africano *uirtutem induſtria, uirtus gloriam, gloria æmulos comparauit.* Et Calui : Non *ergo magis pecuniarum repetundarum, quàm maieſtatis : neque maieſtatis magis, quàm* Plancia *legis : nec* Planciæ *legis magis, quàm ambitus : neque ambitus magis, quàm omnium legum iudicia perierunt.* DEINDE *interciſe, atque permiſte.*] Vt, Stupere *gaudio t ſimul enim auditur, cœpit.* Permixte : *ut,* Tã *deeſt auaro quod habet, quàm quod non habet.* FACIT *enim & dilucidam.*] Cum *ſit actio rhetorum omnium conſenſu in duas diuiſa partes, uocem & geſtum, quorum altera oculos, altera aures mouet, per quos duos ſenſus omnis ad animum pe-*

netrat

non dubium quin dilucidam orationem, & [illegible]ſilem, & ſuauem, ſi fuerit decora, effectura [illegible]eam eſſe conueniat, copioſiſſime expoſuit. QVAE eſt gemma.] Talis, inquit, eſt memoria, [illegible] gemma, in qua ſculptæ ſunt literæ, quæ in cera deſigantur: nam & ipſa quoque memoria ita rerum figuras continet impreſſas, uel etiam uerba. Eſt autem memoria quidem duplex, alia naturalis, alia arte comparata. Naturalis adiuuari ac augeri arte adhuc poteſt. Arte comparatur aut per imagines, ut Cicero in rhetoricis ad Herennium tradit. aut ſolertia & diligentia, quam exponit Quintilianus, melior euadit. aut tertio medicamine roboratur. Nam quemadmodum medici propemodum omnes & philoſophi tradunt, memoriæ omnis imbecillitas, aut à cerebro frigido eſt, aut à frigido & arido, aut à frigido & humido: aut aliquando etiam uarias mutat imagines, propter calidum in humido, ut in bilioſis ſolet accidere. His omnibus cauſis inſpectis, medelis ſingulis ſuæ poſſunt accommodari. Quoniã igitur.] Quoniam totus hic oratoriarum partitionum liber in treis diuiſus eſt partes, in uim oratoris, orationis partes, & quæſtiones: cum dictum de prima ſit, de reliquis nunc dicendum eſt, primoq; de oratoris partibus. Quarum prima & poſtrema ad motum animi ualent: non quin reliquæ quoque idem præſtent, ſed quòd in his duabus ferè tota uis mouendi explicetur. Ideo in Areopago his uti oratores per præconem prohibebantur: ingredienti ſiquidem oratori præco aiebat, μὴ προοιμιάζου, μηδὲ ἐπίλεγε, Nec procemio, ne'ue epilogo utare. Id autem ideo, quo uerum facilius ab omni affectu ſemoti poſſent diiudicare. Sed amplificatio.] De hac dicemus, ubi de concluſione tractabit. Vt illa docendi.] Hoc eſt, ut confirmatio docendi cauſa adhibetur, ita amplificatio cauſa mouendi. Sumuntur autem.] Ita Quintilianus, cauſa principij nulla alia eſt, quàm ut auditorem, quo ſit nobis in cæteris partibus accommodatior, præparemus. Id fieri tribus maxime rebus inter auctores plurimos conſtat, ſi beneuolum, attentum, docilem fecerimus: non quia iſta per totam actionem non ſint cuſtodienda, ſed quia initijs præcipue neceſſaria, per quæ in animum iudicis, ut procedere ultra poſſimus, admittimur. Quorum primus.] Quintilianus: Sed perſonarum, inquit, eſt, ut plerique tradiderunt, triplex ratio, ex litigatore, ex aduerſario, ex iudice. nam exordium duci nonnunquam ab actore cauſæ ſolet: quanquam enim pauciora de ſeipſo dicit, & parcius, plurimum tamen ad omnia momenti eſt in hoc poſitum. Aut meritis.] Vt ipſe ad Quirites antequam iret in exilium: Si quando inimicorum impetum propulſare ac propellere cupiſtis, defendite nunc uniuerſi unum, qui, ne omnes occideretis, ardoreq; flammæ conflagraretis, mei capitis periculo non dubitaui prouidere. Nam quem uirtutis gloria cum ſumma laude ad cœlum extulit, eundem inimicorum inuidia indigniſſime oppreſſum deprimit ad ſupplicium. Et Demoſthenes pro Cteſiphonte, Πρῶτον μὲν ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι, τοῖς θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις, ὅσην εὔνοιαν ἔχων ἐγὼ διατελῶ τῇ τε πόλει καὶ πᾶσιν ὑμῖν, τοσαύτην ὑπάρξαι μοι παρ' ὑμῶν εἰς τουτονὶ τὸν ἀγῶνα. Primum quidem Athenienſes, deos deaſq; omnes oro, atque obteſtor, ut quo animo ſemper fui in hanc ciuitatem, & ueſtrum quemlibet, eodem me cauſam hanc agentem audiatis. Contrarijs rebus.] Vt ipſe in Vatinium: Si tua tantummodo, Vatini, quid indignitas poſtularet, ſpectare uoluiſſem, feciſſem id quod his uehementer placebat, ut te, cuius teſtimonium propter turpitudinem uitæ, ſordeſq; domeſticas, nullius momenti putaretur, tacitus dimitterem: nemo enim horum ita te refutandum, ut grauem aduerſarium: aut ita rogandum, ut religioſum teſtem arbitrabatur. Demoſthenes contra Midiam: Τὴν μὲν ἀσέλγειαν ὦ ἄνδρες δικασταὶ, καὶ τὴν ὕβριν, ᾗ πρὸς ἅπαντας ἀεὶ χρῆται μειδίας οὐδένα οὔθ' ὑμῶν οὔτε τῶν ἄλλων πολιτῶν ἀγνοεῖν οἶμαι. Petulantiam Iudices, inſolentiamq;, qua in omnes utitur Midias, neminem neque ueſtrum, neque aliorum ciuium eſſe arbitror qui ignoret. Ita Iſocrates in Lochitam: Ὡς μὲν τοίνυν ἐτύπτε με ὁ λοχίτης ἄρχων χειρῶν ἀδίκων, ἅπαντες ὑμῖν οἱ παρόντες μεμαρτυρήκασι. Τὸ δὲ ἁμάρτημα τοῦτο οὐχ ὅμοιον δεῖ νομίζειν τοῖς ἄλλοις. Vt igitur me cædebat Lochites, prior laceſſens iniuria, omnes uobis qui adſunt teſtantur. Peccatum uero hoc non eſt alijs ſimile iudicandum. Aut deprecando.] Deprecor, uehementer precor, & refuto. Statius, Nec deprecor umbram Accipere. Vergil. Equidem merui, nec deprecor, inquit. Luca. Non deprecor hoſti Seruari, dum me ſeruet ceruice reciſa. Ouid. in Faſtis: Ille metu pauidus, mortem non deprecor, inquit. Auguſt. in pſalmo 87. Deprecor commune eſt uerbum: dicimus enim deprecor te, & deprecor à te. Aut deprecando, hic intelligendum eſt recuſando, refutandoq;. Intelligenter autem.] Quia quæ primo dicuntur, illa magis conſiderari ſolent. ut de Prouincijs conſularibus ipſe: Si quis ueſtrum P. C. expectat, quas ſim prouincias decreturus, conſideret ipſe ſecum, qui mihi homines ex prouincijs potiſſimũ detrahendi ſint: non dubitabit, quid me ſentire conueniat, cum quid mihi ſentire neceſſe ſit, cogitarit. Lyſias in epitaphio auxiliantium Corinthijs. Εἰ μὲν ἡγούμην οἷόν τε εἶναι, ὦ παρόντες ἀνδρες, τῷ τάφῳ, λόγῳ δηλῶσαι τὴν τῶν ἐνθάδε κειμένων ἀνδρῶν ἀρετὴν, ἐμεμφόμην ἂν τοῖς ἐπαγγείλασιν ἐπ' αὐτοῖς, ἐξ ὀλίγων ἡμερῶν λέγειν. Si quidem fieri poſſe arbitrarer, ò uiri præſentes, hoc in ſepulchro oratione ut exprimi poſſet eorum qui iacent uirtus, equidem illos accuſarem, qui mihi ex paucis diebus, ut de his orationem haberem, denunciarunt. Si complectare.] Vt ipſe pro Publio Sylla: Maxime uellem iudices, ut P. Sylla & antea dignitatis ſuæ ſplendorem obtinere, & poſt calamitatem acceptam modeſtiæ fructum aliquem potuiſſet percipere: ſed quoniam ita tulit caſus infeſtus, ut ampliſſimo in honore, tum communi ambitionis inuidia, tum ſingulari Autronij odio euerteretur, & quæ ſequuntur. Demoſthenes ad Philippi epiſtolam, ὅτι μὲν ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι Φίλιππος οὐκ ἐποιήσατο τὴν εἰρήνην πρὸς ὑμᾶς, ἀλλ' ἀνεβάλετο τὸν πόλεμον, πᾶσιν ὑμῖν φανερὸν γέγονεν. ἐπειδὴ γὰρ φαρσαλίοις ἅλον παρέδωκε, καὶ τὰ περὶ φωκέας διῳκήσατο, καὶ τὴν Θρᾴκην κατεστρέψατο πᾶσαν, αἰτίας οὐκ οὔσας πλασάμενος, καὶ προφάσεις ἀδίκους ἐξευρὼν, τῷ μὲν ἔργῳ πάλαι πολεμεῖ πρὸς τὴν πόλιν, τῷ δὲ λόγῳ νῦν ὁμολογεῖ διὰ τῆς ἐπιστολῆς, ἧς ἔπεμψεν. Quòd Philippus, Athenienſes, nõ quidem pacem uobiſcum fecit, ſed bellum diſtulit, eſt omnibus manifeſtũ. Poſtquã enim Pharſalijs Halum tradidit, & res Phocenſium ſuo arbitratu conſtituit, ac Thraciam omnem cepit, falſas commentus cauſas, ac prætextu minime iuſto inuento, re quidem ipſa iãpridem bellũ gerit cũ urbe, uerbo autẽ nunc demũ cõfitetur ex epiſtola, quã ad uos miſit. Si definias.] Hoc eſt, determines. ut ipſe in Catilinam: Rempub. Quirites, uitamq; omniũ ueſtrum, bona, fortunas, coniuges liberoſq; ueſtros, atque hoc domiciliũ clariſſimi imperij, fortunatiſſimã pulcherrimamq; urbem hodierno die deorum immortaliũ erga uos ſummo amore, laboribus, conſilijs, periculiſq; meis ex flamma, atque ferro, ac penè ex faucibus fati ereptam, & uobis conſeruatam ac reſtitutam uidetis. Demoſthenes de Cherroneſibus, Ἔδει μὲν ὦ Ἀθηναῖοι τοὺς λέγοντας ἅπαντας ἐν ὑμῖν, μήτε πρὸς ἔχθραν ποιεῖσθαι λόγον μηδένα, μήτε πρὸς χάριν, ἀλλ' ὃ βέλτιστον ἕκαστος ἡγεῖτο, τοῦτο ἀποφαίνεσθαι, ἄλλως τε, καὶ περὶ κοινῶν πραγμάτων καὶ μεγάλων ὑμῶν βουλευομένων, ἐπειδὴ δ' ἔνιοι τὰ μὲν φιλονεικίᾳ, τὰ δὲ, ἥ τινι δήποτε αἰτίᾳ προάγονται λέγειν, ὑμᾶς ὦ ἀθηναῖοι τοὺς πολλοὺς δεῖ πάντα τὰ ἄλλα ἀφέντας, ἃ τῇ πόλει νομίζετε συμφέρειν, ταῦτα καὶ ψηφίζεσθαι, καὶ πράττειν. id eſt: Cõueniebat, Athenienſes, ut omnes qui uerba apud uos facerent, neque odio cuiuſquam, neque gratia, oratione uterentur, ſed quod optimũ quiſque ar-

biraretur, hoc ſimpliciter enunciaret, cum præſertim publicis maximisq́; de rebus conſulteris. Cum uero quidam partim ſtudio cótendendi, partim alis quacũque cauſa adducti accedant ad dicendnne: uos multos, Athenienſes, rebus alijs omnibus prætermiſſis, quæ ipſi intereſſe Reipub. putetis, ea tum ſuffragijs ueſtris comprobare, tum facere etiam oportet. Si diuidas.] Cicero ipſe pro Cluentio Habito: Animaduerti iudices omnem accuſatoris orationem in duas diuiſam eſſe partes: quarum altera mihi niti et magnopere confidere uidebatur inuidia iam inueterata iudicij Iuniani: altera tantummodo conſuetudinis cauſa timide & diffidenter attingere rationem ueneficij criminum, qua de re, lege eſt hæc quæſtio conſtituta. Iſocrates in oratione, quæ ob eo de pace inſcripta eſt. ἅπαντες μὲν εἰώθασιν οἱ παριόντες ἐνθάδε, ταῦτα μέγιστα φάσκειν εἶναι, καὶ μάλιστα σπουδῆς ἄξια τῇ πόλει, περὶ ὧν ἂν αὐτοὶ μέλλωσι συμβουλεύσειν, οὐ μὴν ἀλλ' εἰ καὶ περὶ ἄλλων τινῶν πραγμάτων ἥρμοσε, τοιαῦτα προειπεῖν, δοκεῖ μοι πρέπειν καὶ περὶ τῶν νῦν παρόντων πραγμάτων ἐντεῦθεν ποιήσασθαι τὴν ἀρχήν. ἥκομεν γὰρ ἐκκλησιάσοντες περί τε πολέμου, καὶ εἰρήνης, ἃ μεγίστην ἔχει δύναμιν ἐν τῷ βίῳ τῷ τῶν ἀνθρώπων. Id eſt, Conſueuerunt omnes, qui huc accedunt ad dicendum, ea maxima dicere eſſe, ac multo ſtudio & contentione digna urbi noſtræ, de quibus ſententiam ipſi ſunt dicturi. Enimuero ſi de alijs ullis rebus hæc præfari cóueniat, uidetur mihi de ijs rebus, quæ nunc in deliberatione uertuntur, hinc ducendum initium eſſe dicendi. Venimus enim in conciones, de bello ac pace conſulturi: quæ duæ res maximam in uita hominum uim habent. Nam aut magna.] Vt ipſe in Verrem Cicero: Quod erat optandum maxime iudices, & quod unum ad inuidiam ueſtri ordinis infamiamq́; iudiciorum ſedandam maxime pertinebat, id non humano conſilio, ſed propè diuinitus datum atque oblatum nobis ſummo Reipub. tempore uidetur. Inueterauit enim iam opinio pernicioſa Reipub. uobisq́; periculoſa, quæ non modo Romæ, ſed & apud exteras nationes omnium ſermone percrebuit, his iudicijs quæ nunc ſint, pecunioſum hominem, quamuis ſit nocens, neminem poſſe damnari. & Demoſthenes contra Timocratem, Τοῦ μὲν ἀγῶνος ὦ ἄνδρες δικασταὶ τοῦ παρόντος οὐδ' ἂν αὐτὸν οἶμαι Τιμοκράτην εἰπεῖν, ὅτι αἴτιός ἐστιν ἄλλος τις αὐτῷ, πλὴν αὐτὸς αὑτῷ. χρημάτων γὰρ οὐκ ὀλίγων ἀποστερῆσαι βουλόμενος τὴν πόλιν, παρὰ πάντας τοὺς νόμους νόμον εἰσήνεγκεν οὔτ' ἐπιτήδειον, οὔτε δίκαιον ὦ ἄνδρες δικασταὶ, ὃς τὰ μὲν ἄλλα ὅσα λυμανεῖται, καὶ χεῖρον ἔχειν τὰ κοινὰ ποιήσει, κύριος εἰ γενήσεται, τάχα δ' ἂν καθ' ἕκαστον ἀκούοντες ἐμοῦ λαθήσεσθαι, ἓν δ' ὃ μέγιστον ἔχω, καὶ προχειρότατον πρὸς ὑμᾶς εἰπεῖν οὐκ ἀποτρέψομαι, τὴν γὰρ ὑμετέραν ψῆφον, ἣν ὀμωμοκότες περὶ πάντων φέρετε, λύει, καὶ ποιεῖ μηδενὸς ἀξίαν ὁ τουτουὶ νόμος. Non arbitror iudices ne ipſum quidem Timocratem dicere poſſe, alium huius iudicij auctorem, quàm ipſum ſibi, fuiſſe. Cum enim propoſitum haberet urbem fraudare non modicis pecunijs, contra leges omnes legem ipſe promulgauit neque commodam iudices, neque iuſtam. quæ quàm multis alijs modis corrumpet, ac deteriores faciet res noſtras, perlata ſi fuerit, fortaſſe intelligetis, cum ſingula, quæ dicam, attenderitis. Vnum autem quod maximum, maximeq́; in promptu habeo, dicere interea non grauabor. Sententiam enim ueſtram, quam iurati omnibus de rebus fertis, antiquat, et nullius auctoritatis ac momenti reddit iſtius lex. Sit autem hoc etiam.] Quintilianus: Ad cauſam, inquit, extra pertinet tempus: unde principium pro Cælio. locus: unde pro Deiotaro. habitus: unde pro Milone. opinio: unde in Verrem. deinceps ne omnia enumerem, fama iudiciorum, expectatio uulgi: nihil enim horum in cauſa eſt, ad cauſam tamen pertinet. Et iu perorando.] Hoc eſt, in ipſa concluſione quod dictum fuerit (quoniam ultimo dictũ loco, magis haberet) dabit aliquando exordij nobis occaſioné. Quoniã narratio.] Poſt exordiũ continuo ſequitur narratio. Fundamentũ.] Quoniã narrantur quæ facta ſunt, aut quæ præſentia, ex quibus magna uis argumentorũ inde elicitur. Aſſumpta.] Quæ nó tam neceſſaria, quàm ornãtia ſunt. Vt dilucide.] Quid dilucidũ, quid probabile, quid ſuaue in dicendo ſit, iam memorauimus. Probabilis.] In Rhetoricis ueteribus. Probabilis, inquit, erit narratio, ſi in ea uidebuntur eſſe, quæ ſolent apparere in ueritate, ſi perſonarum dignitates ſeruabuntur, ſi cauſæ factorum extabunt. ſi fuiſſe facultates faciendi uidebuntur, ſi tempus idoneum, ſi ſpatij ſatis, ſi locus opportunus ad eandem rem de qua narrabitur, fuiſſe oſtendetur: ſi res & ad eorum qui agent naturam, & ad uulgi rumorem, & ad eorum qui audient opinionem, accommodabitur: ac ueri quidem ſimilis ex his rationibus eſſe poterit. Quæritur enim ut ſit probabilis narratio, quis, quid, cur, ubi, quando, quemadmodum, quibus adminiculis, natura noſtra, opinio iudicum, uulgi mos: quæ ſunt omnia, perſona, factum, cauſa, locus, tempus, modus, facultas, opinio. Si teſtata.] Id eſt, de quibus teſtimonia habita ſint. Euenti.] Euentus, inquit ipſe in Rhetoricis, eſt exitus alicuius negotij, in quo quæri ſolet, quid ex quaque re euenerit, eueniet, euenturũq; ſit: quare hoc in genere, ut commodius quid euenturum ſit, ante animo colligi poſſit, quid quaque ex re ſoleat euenire cõſiderandum eſt, hoc modo, ex arrogantia odium, ex inſolentia arrogantia. Opinione.] Opinio eſt cunctorum, ad quæ ancipiti feramur ſententia, uni uel pluribus propenſior exiſtimatio. Auctoritate.] Auctoritas eſt, mentis, & corporis quædam dignitas, quæ efficit tum ſua præſentia, tum etiam oratione, ut cæteri ei reuerentiam præſtent. Si cum lege.] Lex, ut Papinianus inquit, eſt cómune præceptum, prudentium conſultum, delictorum, quæ uel ſponte uel ignorãtia contrahuntur, coercio, communis Reipub. ſponſio. Cum more.] Mos eſt, quod inter homines ſolitum eſt fieri. Cum religione.] Religio eſt, quæ diuinæ naturæ cultum & cerimonias affert. Si antiquitas.] Id eſt, ueneratio. Si memoria.] Ne uera exciderint, & falſa narret. Suauis autem narratio.] Vt Cælij in Antonium: Nanque ipſum offenderunt temulento ſopore profligatum, totis ſtertentem præcordijs ructuoſus ſpiritus geminare, præclarasq́; contubernales ab omnibus ſpondis tranſuerſas incubare, & reliquas circumiacere paſſim: quæ tamen exanimatæ terrore, hoſtium aduentu percepto, excitare Antonium conabantur, nomen inclamabant, fruſtra ceruicibus tollebant: blandius alia ad aurem inuocabat, uehementius etiam nonnulla feriebat, quarum omnium cum uoce tactuq; oſcitaret, proximæ cuiuſque collum amplexu petebat, neque euigilare ebrius poterat: ſed ſemiſomno ſopore inter manus centurionum concubinarumq; iactabatur. Quæ ad fidem, & cætera.] Nam tametſi narratio ad fidem faciendam pertinet, in primis tamen confirmatio & confutatio. Quoniam omne.] Genus totius artis eſt rhetorices facultas. Rhetorica uero ſpecies tres, quæ tria genera cauſarum appellantur, iudiciale, demonſtratiuum, deliberatiuum. Materia, quæcunque quæſtio, circa quam uerſari oratoris poſſit oratio. Partes huius materiæ, quæſtio infinita, & definita. Definita diuiditur in conſtitutiones, ſiue ſtatus, ſeu controuerſias libeat appellare. Eæ itaque omnes aut in ſcripti alicuius cauſa uerſantur, aut ex re ipſa ſibi nomen uendicat: & proinde quæ in ſcripto, legitimæ: quæ in re, rationales nominantur. In ſcripto, cũ unus ſcriptoris uerba defendit, alter ſententiam: qui ſtatus, ſcriptum & uoluntas appellatur. Alter, ſi inter ſe leges diſſentiant, & utraque pars defendatur: ſtatus, leges contrariæ. Tertio, cum ſcriptum de quo contendit, ſententiam amplectitur ambiguam: ambiguus ſtatus dicitur. Quarto, cum ex eo quod ſcriptum nó eſt, per collectionem aliquid intelligitur. quod quia per ratiocinationem & per ſyllogiſmi collectionem inueſtigatur, à græcis ſyllogiſmus, à noſtris ratiocinatio nominatur.

Quinto,

Quinto, cum ſcriptum quidem eſt, ſed in quo uis eſt id uerbum non clareſcit, finis uel finitiuus in ſcripto nominatur ſtatus.

Earum porrò conſtitutionum quæ rationales appellantur, ita diſtinguuntur iuxta Ciceronem in Rhetoricis: quanquam uaria eſt de his inter rhetores opinio, ſicut de memoratis. In his ergo quæritur, an ſit, & quale ſit: & præter hoc, an iure, an more poſſit tractari iudicium, quòd ſi quod factum negatur, coniecturalis, uel inficialis ſtatus appellatur: ſi factum conſtet, & quo nomine ſit appellandum quæratur, finitiuus ſtatus: quod ſi utrunque controuerſia careat, ſed quale id ſit quæratur, generalis ſtatus nominatur. In hoc aut quæritur de præterito, aut de præſenti, aut de futuro, ſi de præterito, iuridicialis: ſin de præſenti uel futuro, negotialis. Iuridicialis igitur, cuius inquiſitio præteritum reſpicit, in duas partes diuiditur. aut enim in ipſo facto uis defenſionis eſt, & abſoluta conſtitutio nominatur: aut extrinſecus aſſumitur, & aſſumptiua nuncupatur. Hæc porrò diuiditur quadrifariam: aut enim conceditur crimen, aut remouetur, aut refertur, aut (quod eſt ultimum) comparatur. Conceditur crimen, cum nulla facti inducitur defenſio, ſed uenia poſtulatur. Id fieri duobus modis poteſt: ſi depreceris, aut purges. deprecaris, cum nihil excuſationis attuleris: purgas, cum facti culpa his adſcribitur, quibus obſiſti obuiariq; non poſſit. ſunt autem imprudentia, caſus, neceſſitas, error. Remouetur uero crimen, cum ab eo qui inceſſitur, transfertur in alium. Id duobus fit modis, cum aut cauſa refertur, aut factum refertur. Cauſa cum aliena poteſtate aliquando factum eſſe contenditur. factum uero, cum alius aut potuiſſe, aut debuiſſe facere demonſtratur. Refertur crimen, cum iuſte in aliquem facinus commiſſum eſſe contenditur, quod is prouocarit laceſſiueritq; iniuria. Comparatio, cum meliore de cauſa factum dicitur. Nunc quid hic Cicero dicat, intueamur. Nunc coniecturæ, & cætera.] Hoc dicit, Quoniam rationalium conſtitutionum prima eſt coniecturalis, uelim mihi explices locos, unde in hac quæſtione poſſim argumenta deducere. In ueriſimilibus, & cætera.] Id eſt, quoniam factum eſſe negatur, à ueriſimilibus & proprijs notis rerum argumentandum. proprijs autem notis ait: id eſt, ſignis, unde uideri poſſit aut factum, aut non factum eſſe quippiam. Vt fumus.] Videtur ſiquidem, unde fumus erumpit, ibi ignis eſſe. Ex partibus, &c.] Quod facit Cicero pro Milone, cum in narratione ipſa nihil apparatus fuiſſe Miloni oſtendit, ut inſidias faceret: at contra fuiſſe Clodio. Naturæ.] Sint'ne procliues ad id, an minime. Quemadmodum affecti.] Hoc eſt, an bene educati, an ſecus. Artibus.] Nunquid laſciui, uagi, errabundiq; ſint, nulla arte inſtituti, an ſecus. Inertijs.] Hoc eſt, an ſint artium expertes. Aut quemadmodum commoti.] Vt facilius potuiſſe fieri, aut non potuiſſe oſtendatur, ſi affectuoſus, aut minime, eſſe oſtendamus. ſi nullo, uerbi cauſa, modo ad iram prouocari potuiſſe, ut id fecerint, contendamus. In fortuna.] Quibus omnibus probari poteſt, aliquid facilius fieri potuiſſe. Opes.] Quibus colimur: quæ non tam uſum, quàm lautum uſum rerum nobis ſuggerunt, ut canes uenatici, & ſimilia. Diuitiæ.] Quibus utimur: ut ſi abundemus frumento, uino, oleo, cæteriſq; huiuſmodi. In locis autem, &c.] Loci ad coniectandum argumenta maxime ſuppetunt, cum in omni genere, tum in deliberatiuo: ut ſi quæratur, an Cæſar Rhenum tranſgreſſus, Sueuos obſtantibus locorum iniquitatibus poſſit debellare: an Morinos, qui ſe in paludes condant, & huiuſmodi alia. Leues, &c. Prima producta accipiendum, hoc eſt minime herbidi, uel arboroſi. Opaci.] Crebris arboribus ſolares radios arcentes. Aprici.] Sole gaudentes: unde, Apricis ſtatio mergis: & Apricos meminiſſe ſenes, Vergilius Perſiuſq; dixerunt. Celebres.] A' multis habitati. Obſcuri.] Incogniti. Profani.] Ab omni religione remoti. Ex his propoſita materia cuiuis ducere argumenta minime erit difficile. Tempeſtas.] Tempus quo aliquid agitur: ut cū dicimus, hac tempeſtate hoc non fit: ut, Nulli maior fuit uſus edendi tempeſtate mea, dixit Iuuenalis. Fortuita.] Quæ obueniunt, ut ipſis forte libuerit hominibus colere. Et euentus.] Supra, quid per euentum accipere oporteat, expoſuimus. Caſu.] Eſt ſiquidem proprie caſus aut in ratione carentibus, aut prorſus anima: ſicut fortuna, in ratione utentibus, cum aliqua præter propoſitum eueniunt. Nunc ergo caſum, fortuitum euentum accipiendum. In imprudentia.] Quoniam prudentia ac imprudentia, arbitraria, ac in noſtra optione poſita neutiquam ſunt. Perluſtrandæ.] Vt quoties quæſtio aliqua coniecturalis in quouis genere fuerit oblata, ex his omnibus ſedibus educere poſſimus argumenta. Ex facti.] Quæ ſigna ſuperius diximus appellari, de quibus ſuperius abunde dictum eſt. Quod ſenſu.] Præſertim uiſu et auditu: qui omnium acerrimi ſunt. Multum tamen.] Dixiſſe enim ideo uideri hunc illum occidiſſe, quòd eum oderat, parum eſt: at & quòd minitatus erat ſe occiſurum, & quòd inuentus cum gladio cruento, & quòd argutus titubarit, & cætera huiuſmodi ſi addantur: hac coaceruatione fieri uidetur iam indubitatum. Primum.] Si proferamus alios idem feciſſe, et ſimilitudinem oſtendamus. Pabula.] Quod ex uſu ipſo apparet. Quid definitionis.] Poſt coniecturalem ſtatum ſequitur, ut paulo ante oſtendimus, finitiuus. Tractatis ergo coniecturæ locis, ſequitur iam, ut finitiui quoque ſtatus locos pariter exponat. Non dubium.] Quintilianus ubi hunc ſtatum tractat, Qui priuatam pecuniam, inquit, de templo ſurripit, ſacrilegij reus eſt: culpa manifeſta eſt: quæſtio, an huic crimini nomen quod eſt in lege, conueniat: ergo ambigitur, an hoc ſacrilegium ſit. Accuſator, quia de templo ſit ſurrepta pecunia, utitur hoc nomine. reus, quia priuatam ſurripuerat, negat eſſe ſacrilegium, ſed furtum fatetur. Actor ergo ita finiet, ſacrilegium eſt, ſurripere aliquid de ſacro. Reus ſic finiet: ſacrilegium eſt, ſurripere aliquid ſacri. Vterque finitionem alterius expugnat. Ea duobus generibus euertitur: ſi aut falſa eſt, aut parum plana. Docet ergo Cicero definire, non dubiū, &c. Hoc dicit: definitio fit multis modis, ſed potiſſimum genere & differentia. ut, homo eſt animal, genus expreſſi. rationale, adiecta iam à cæteris ſeparans animantibus differentia, quam Cicero nunc proprium uocat. quid autem interſit inter differentiam & proprium, ab Ariſtotele in Topicis, & Porphyrio in quinque uocibus percipi poteſt. Sed addit aut communiū frequentiam. id autem fit, cum proprio, aut differentia caremus: ut ſi dicas, homo eſt animal bipes, latis unguibus, & protenſis, ſurſum in cœlum ſpectans, cui ab humeris bina demittuntur brachia: & cætera hoc modo. Ex quibus.] Nam ex omnibus uideri poteſt proprium factum eſſe. Definiendū.] Subaudiendum, addita negatione: ut Horat. illud, Virtus eſt uitium fugere, & ſapientia prima Stultitia caruiſſe. id maxime ſolet fieri de principijs, quoniā genera ſuperiora nō habent: ut punctum eſt, cuius pars nulla. Diſſimilibus.] Vt ſi dicas, rhetorica eſt ars liberalis, quæ nec grammatica, nec poetica: & reliquas enumerando, aliam ab alijs eſſe ſignifices. Partibus.] Vt rhetorica eſt, quæ inuentione, diſpoſitione, elocutione, memoria, pronunciationeq; conſiſtit. Quamobrem.] Subaudi, quoniam deſunt propria: ut ſi dicas, homo eſt in quo pietas, in quo iuſtitia, in quo æquitas, in quo religio: & rurſus flagitium, ſcelus, & cætera, quæ tam uitiorum quàm uirtutū nomen habere inueniuntur. Enumeratio.] Quæcūque res id quod definias, cōſequi uideantur. In primisq;.] Hoc eſt, etymologia. Idem ait Quintilianus: Maximus enim, inquit,

uſus in approbando refellendoq; ſine propriorum ac differentium: nonnunquam etiam etymologiæ: quæ tamen omnia, ſicut in cæteris confirmat æquitas, nonnunquam etiam coniectura mentis. Etymologia maxime rara eſt. Quid enim eſt aliud tumultus, niſi perturbatio tanta, ut maior timor oriatur? unde etiam nomen ductum eſt tumultus. Et Cicero, qui (ſicut pro Cælio) per conſequentia definit accuſare hoc modo: Accuſatio crimen deſiderat, rem ut definiat, hominem ut notet, argumento probet, teſte confirmet. Ita pro Balbo aduerſarij etymologiam uerbi carpit, inquiens: Erat accuſatoris interpretatio indigna reſponſione, qui ita dicebat, comiter eſſe communiter: quaſi uero priſcum aliquod, aut inſolitum uerbum interpretaretur. Comes, benigni, faciles, ſuaues homines eſſe dicuntur, qui erranti comiter monſtrant uiam benigne, non grauate. comiter quidem certe, non communiter conuenit.

In hoc genere.] Subaudi, qualitatis. nam poſtea quàm an ſit, & quid ſit nouit, quærit tertio loco quale ſit: hoc eſt, ſtatum qualitatis: qui tertius rationalis eſt ſtatus. Aut iure factum, &c.] Vt Oreſtes, qui ideo ſe matrem defendit occidiſſe, quia illa patrem ſuum occiderat. Neceſſitate.] Hæc in diuiſione qualitatis ſtatus ſuperius expoſuimus. In legitimis.] Quia legum præſcripta iudices ſequi oportet. In liberis.] Vt ſunt apud principes, qui ſtatuunt libere, ut uolunt animaduertendo, ignoſcendo'ue. Ex locorum.] Quos ipſa proferet nobis cauſa. Aut totum eſt.] Poſteaquam de confirmatione dixit, ſequitur locus reprehenſionis, de quo Quintilianus: Patronus, inquit, neget, defendat, transferat, excuſet, deprecetur, molliat, minuat, auertat, deſpiciat, derideat. Quare indirecta ferè, atque (ut ſic dixerim) clamoſa eſt actio. Hinc mille flexus & artes deſiderantur. Tum accuſator meditata pleraque domo affert, patronus etiam inopinatis frequenter occurrit. accuſator dat teſtem, patronus ex re ipſa refellit, &c. Ideoq; accuſationibus etiam mediocres in dicendo ſuffecerũt. bonus defenſor nemo, niſi qui eloquentiſſimus, fuit. Nã ut quod ſentio, ſemel finiam, tanto eſt accuſare quàm defendere, quanto facere quàm ſanare uulnera, facilius, &c. Primum igitur intuendum eſt id cui reſponſuri ſumus, propriũ ſit eius iudicij, an ad cauſam extra accerſitum. nam ſi eſt proprium, aut negandum, aut defendendum, aut transferendum. extra hæc in iudicijs ferè nihil eſt. Deprecatio quidem, quæ eſt ſine ulla ſpecie defenſionis, rara admodum, & apud eos ſolos iudices qui nulla certa pronunciandi forma tenentur. quanquã illæ quoque apud C. Cæſarem, & triumuiros, pro diuerſarum partium hominibus actiones, etiamſi precibus utuntur, adhibent tamen patrocinia. niſi hoc non fortiſſime defendentis eſt dicere, Quid aliud egimus Tubero, niſi ut quod hic poteſt, nos poſſemus? Quòd ſi quando apud principem, aliúm'ue, cui utrum uelit liceat, dicendum erit, morte quidem dignum cum pro quo loquemur, clementia tamen ſeruandum eſſe. Hic non cum aduerſario, ſed cum iudice res erit. inde deliberatiuæ potius quàm iudicialis materia forma eſt. In perſpicue.] Dicemus nanque talia eſſe accuſantis argumenta, ut in manifeſto falſis eadem dici poſſint. Non effici.] Hoc eſt, non ſequi ex eis quæ arguerit. Accedere.] Singulas, inquit, partes reprehendemus, quo uniuerſam argumentationem improbemus. Commemoranda.] Alia in medium proferemus exempla, in quibus licet tales adhibitæ ſint argumentationes, tamen non eſt creditum. Conquirenda.] Hoc dicit, Exclamabimus, & ingemendo, quàm ſit conditio humana periculis obnoxia, oſtendemus, ſi acumine dicentis alicuius, innocentes pericula ſubire cogantur, & infamias, & damna. Ex ijs locis.] Quos in confirmatione & in reprehenſione attigimus hypotheſeos, id eſt cauſæ, ſiue controuerſiæ. nam loci theſeos, id eſt, infinitæ quæſtionis, ante expoſiti: & quemadmodum ex ſingulis argumenta educantur, abunde oſtenſum eſt. Explicatio.] Quid ſit argumentum, ſupra abunde oſtenſum eſt. Argumentatio igitur eſt argumenti extenſio. Argumentationum autem duo ſunt genera: unum ſyllogiſmus græce, latine ratiocinatio: alterum inductio à Latinis, à Græcis epagoge nominatur. nam epicherema parum admodum à ſyllogiſmo differt. nam ut Quintilianus inquit, differt à ſyllogiſmis nullo, niſi quòd illi & plures habent ſpecies, & uera colligunt ex ueris, quemadmodum in mathematicis. Epicherematis frequentior eſt uſus circa credibilia. Quare ferè ſemper epicheremate orator, raro ſyllogiſmis utitur. Vtitur & enthymemate, quòd à ſyllogiſmo naſcitur, propoſitione una modo detracta. Ex quibus id.] Quoniam ſi certum eſt quod argumentatione accuſatoris collectum eſt, ut reſponderi non poſſit, ſtultum eſt contradicere. Argumentandi.] Id eſt, duobus temporibus utimur argumentatione, & cum probare aliquid ex aliquo uolumus, & cum mouere acrius uolumus auditorem. Dirigitur.] Sanè Cic. ipſe in primo Rhetor. ueterum, copioſiſſime argumentationem nobis expoſuit: illincq; petere ſatius eſt, quàm à nobis perdiſcere, quæ in hac re dicenda ſint. Paucis tamen tum ipſius, tum Quintiliani ſententia, quid obſeruandum, dicemus. Quare argumentatio, quæ ratiocinatio eſt appellata, tres habet, Ariſtot. conſenſu & fermè aliorum omnium, partes. nam ita habet iſta natura, ut ſit de quo quæratur, & per quod probetur. tertium additur, ueluti ex conſenſu duorum antecedentium. Prima ergo erit pars intentio, ſecunda aſſumptio, tertia connexio. ut ſe quæratur, an uirtus ſit utilis: ita texatur argumentio, Omnis habitus bene inſtitutæ mentis, eſt utilis: uirtus eſt habitus bene inſtitutæ mentis: ergo uirtus eſt utilis. Sunt qui quinque faciant partes, ut Cicero in rhetoricis oſtendit, ut ſit propoſitio, deinde ratio eius, tum aſſumptio, & eius probatio, quinta complexio. ſed neutram probationem à ſuis ſeparare oportet propoſitionibus, præſertim cum ſint aliquando tam notæ propoſitio & aſſumptio, ut probatione non egeant. Sunt, inquit Cicero, qui putant nonnunquam poſſe & oportere complexione ſuperſederi, cum id perſpicuum ſit, quod conficiatur ex ratiocinatione, hoc modo: Si peperit, uirgo non eſt: peperit autem. hic ſatis eſſe proponere, & aſſumere quod conficiatur, quoniam perſpicuum ſit complexionis rem non indigere. At Cicero exiſtimat omnino inferendam complexionem, hoc modo: Concubuit, igitur cum uiro. hoc ſi nolis inferre, inferas quod ſequitur, Fecit igitur inceſtum. Poterimus etiam breuius colligere, ut dicamus, Quoniam peperit, cum uiro concubuit. uel per interrogationem, Cum peperit, quis dubitat adulterium commiſiſſe? Quòd ſi ad motum tendemus, pluribus uerbis rem ipſam amplificabimus. Comere ergo, & expolire conuenit orationem multa aggerendo, non ſtatim concludendo. Subiungit porrò Cicero, Variare autem orationem magnopere oportebit, nam omnibus in rebus ſimilitudo eſt ſatietatis mater. id fieri poterit, ſi non ſimiliter ſemper ingrediamur in argumentationem. nam primum omnium generibus ipſis diſtinguere conuenit hoc, tum inductione, tum ratiocinatione. deinde in ipſa argumentatione non ſemper à propoſitione incipere: neque ſemper quinque partibus abuti: neque eadem ratione partitionis expolire: ſed tum ab aſſumptione incipere licet, tum à probatione alterutra: tum hoc, tum illo genere complexionis uti. Illud quoque uolumus intelligi, nos probe tenere, alijs quoque rationibus tractari argumentationes in philoſophia multis & obſcuris, de quibus certum eſt artificium conſtitutum. Verum illa nobis abhorrere ab uſu oratorio uiſa ſunt. Illa autem altera.] Quæ percellere audientium animos cupit. Quaſi retro.] Quæ non directe proponit, aſſumit, & concludit: ſed quæ uult concludere, ſibi primo aſſumit, deinde confirmat.

confirmat. Deinde id.] Quod in prima parte collocandum. Permotis animis.] Iam incalentibus ob ea quæ dicta ſunt. Iacit.] Et iacit, inquit, hoc eſt ui aliqua exaggerationis & ardore uerborum profert. Interrogamus, &c.] Quintilianus: Quid enim tam commune, quàm interrogare uel percontari? nam utroque utimur indifferenter, cum alterum noſcendi, alterum arguendi gratia uideatur adhiberi. Interrogamus igitur, cum noſſe uolumus: percontamur, contendendi & inſtandi, urgendiq; cauſa. ut Cicero ipſe pro Ligario, Apud quem igitur hæc dico? nempe apud eum, qui cum hoc ſciret, tamen me antequam uidit Reipub. reddidit. Aliter pro Cœlio, ficta interrogatione: Dicet aliquis, hæc igitur eſt tua diſciplina? ſic tu inſtituis adoleſcentes? & totus ille locus. Cui diuerſum eſt, cum alium rogaueris, non expectare reſponſum, et ſtatim ſubijcere: ut, Domus tibi deerat? at habes. Pecunia ſuperabat? at eges. Aliquando conuiciantes, et tamen interrogantes, quaſi ſcire cupientes: ut in Piſonem, Scire cupio quid tandem iſto in uerſu reprehendas, Cedát arma togæ. Tuæ dicis, inquit, togæ ſummum imperatorem eſſe ceſſurum. quid nunc te aſine literas doceam? non opus eſt uerbis, ſed fuſtibus. non dixi hanc togam qua ſum amictus, nec arma, ſcutum, et gladium unius imperatoris: ſed quod pacis eſt inſigne, et otij togæ: contra autem arma tumultus, atque belli, more poetarum locutus, hoc intelligi uolui, bellum ac tumultum paci atque otio conceſſurum. Imperamus.] ut pro Cluentio: Veſtram, iudices, æquitatem & manſuetudinem una mater oppugnat. at quæ mater? quam cæca crudelitate & ſcelere ferri uidetis: cuius cupiditatem nulla unquam turpitudo retardauit: quæ uitijs animi in deterrimas partes iura hominum conuertit omnia: cuius ea ſtultitia eſt, ut eam nemo hominem: ea uis, ut nemo fœminam: ea crudelitas, ut nemo matrem appellari poſſit, &c. eo iam denique adducta eſt, ut ſibi præter formã nihil ad ſimilitudinem hominis reſeruarit. Quare iudices, ſi ſcelus odiſtis, prohibete aditum matris à filij ſanguine. Aut optamus.] Quod frequentiſſime quotidie ſolet fieri, cum dicimus, ò utinam nunc eluceſcat uerum. taciteq; id ita eſſe uolumus ſignificare. Quæ ſunt.] Quoniam infinitis propemodum inflexionibus uti ad reprehendendum poſſumus, dicendi ornamentis, quæ nos figuræ locutionis docent. Vitare auté.] Docuit, argumentari nos poſſe uarijs modis: docet rurſus, uitare nos poſſe ſimilitudinem, uel ſi non ex ordine, ut res poſtulat, orſi fuerimus: & ſi nõ omnia confirmare cõtendamus: & ſi quæ erunt aperta paucis comprehendamus. Quodq; ex ip.] Id eſt, ſignificatur tota argumentatione. Neceſſe.] Ne fallatur animus audientis, ſi forte minus, quæ inferre oporteat, cognouerit. Quæ ſine arte.] Id eſt, loci quos artis expertes diximus, ſuperiusq; tractauimus: ubi cæteros quoque theſeos locos excuſſimus. Argumenta rerum.] Ad res explicandas. Propria.] Teſtes enim ut ex ſua pronunciant uoluntate, ita res eſſe uideri faciunt: & contra teſtes memorat locos, quibus non credi oportere dicit, quoniam hæc pars reprehenſionis eſt. Quæſtionibus.] Vbi torti homines & excruciati contra nos reſponderint. Inficiando.] Proferendo, ne diutius torquerentur. Inficiari eſt, in factum ire, hoc eſt, negare ſe quidquam deliquiſſe in quo arguatur. Suam uitam.] Et perinde mori maluerunt, ut alios liberarent, quos amarunt. inde nobis naſcentur argumenta, quæ ad nos faciãt. Natura.] Vt Cappadoces. Atque hæc.] Docendo aliquos qui id fecerint. Extrema.] Quoniam de partibus fidem facientibus dictum: de ultima parte, hoc eſt, peroratione dicendum, in qua in primis motus excitari conſueuerunt. Nam eſt.] Amplificationem, & enumerationem (ait Quintilianus) peroratio ſequebatur, quam cumulum quidam, concluſionem alij uocant. Eius duplex ratio eſt, poſita aut in rebus, aut in effectibus. Rerum repetitio, & congregatio, quæ Græce dicitur ἀνακεφαλαίωσις, à quibuſdam Latinorũ enumeratio: & memoriã iudicis reficit, & totam ſimul cauſam ponit ante oculos, & etiam ſi per ſingula minus mouerit, turba ualet. In hac quæ repetemus, quàm breuiſſime dicenda ſunt, & quod Græco uerbo patet, decurrendum per capita. Nam ſi morabimur, non iam enumeratio, ſed altera quaſi fiet oratio. Quæ autem enumeranda uidentur, cum pondere aliquo dicenda ſunt, & aptis excitanda ſententijs, & figuris utique narianda. Augendi autem.] Prima ſanè ſpecies augendi, in nomine ipſo eſt: cum eum qui ſit cæſus, occiſum: qui ſit improbus, latronem dicas. Quatuor tamen maxime generibus conſtat. incremento: ut, Facinus eſt uincire ciuem Rom. ſcelus uerberare, propè parricidium necare, quid dicam in crucem tollere? Comparatione: ut, P. Scipio pontifex maximus Gracchum mediocriter labefactantem ſtatum Reipub. priuatus interfecit: Catilinam orbem terræ cæde atque incendio uaſtare cupientem nos conſules perferemus? Ratiocinatione: ut, Tu iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate. nam reſpicientes ad hæc, poſſumus æſtimare quantum ille uini in Hippiæ nuptijs exhauſerit, quod ferre & concoquere non poſſet illa corporis gladiatoria firmitate. Congerie: ut, Quid enim tuus ille Tubero diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? cuius latus mucro ille petebat? quis ſenſus erat armorum tuorum? quæ tua mens, oculi, manus, ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? Eſt etiam comparatio cum congerie miſta: ut pro Cluentio, Quis P. Octauio Balbo ingenio prudentior? iure peritior? fide, religione, officio diligentior, aut ſanctior commemorari poteſt? non abſoluit. Quis Q. Conſidio conſtantior? quis iudiciorum, atque eius dignitatis, quæ in iudicijs publicis uerſari debet, peritior? quis uirtute, conſilio, auctoritate præſtantior? ne is quidem abſoluit. Longum eſt, de ſingulorum uirtute ita dicere. Quæ quia cognita ſunt ab omnibus, uerborum ornamenta non quærunt. Et pro Quintio: Qui mœror dignus inueniri in calamitate tanta poteſt? Miſerum eſt, exturbari fortunis omnibus: miſerius eſt, iniuria. Acerbum eſt, ab aliquo circumueniri: acerbius, à propinquo. Calamitoſum eſt, bonis euerti: calamitoſius, cum dedecore. Funeſtum eſt, à forti atque honeſto uiro iugulari: funeſtius, ab eo cuius uox in præconio quæſtum præſtitit. Indignum eſt, à pari uinci, aut ſuperiore: indignius, ab inferiore atque humiliore. Luctuoſum eſt, tradi alteri cum bonis: luctuoſius, inimico. Horribile eſt, cauſam capitis dicere: horribilius, priore loco dicere. Omnia circunſpexit Quintius, omnia periclitatus eſt. Iuncta.] Quæ per compoſitionem nouata: de quibus ſuperius dictum, ubi de ui oratoris præcepta expoſuimus. Facta.] Quæ ex ſeſe inuenta: de quibus item dictum. Cognominata.] Vt ſi dicas per antonomaſiam, euerſorem Carthaginis, & Scipionem uis intelligi. In continentibus.] Quæ per diſſolutum figuram proferuntur: de quibus iam dictum. Etiam relata.] Quintilianus de Ciceronis uerbis locutus, Relationem, inquit, quid accipi uelit, non liquet mihi. nam ſi epallagen, aut epanodon, aut metabolen dicit, de omnibus locuti ſumus. Gradatim.] Gradationem figuram dicit, de qua diximus. Naturalis.] Quæ ex naturali ſenſu animi proferri uideatur, nõ in ornamenta ambitioſa diffuſa. Quid quenque deceat.] Vt ſeruemus τὸ πρέπον, decorum. quod perquam difficile eſt. Definitiones.] Sanè definitionem Plato ita definit, ὁρισμός ἐστι λόγος σύντομος, δηλωτικὸς τῆς φύσεως τοῦ ὑποκειμένου πράγματος. id eſt, definitio oratio breuis eſt, quæ ſubiecta rei naturam exprimit. Ariſtoteles autem in Topicis hoc modo, ὁρισμός ἐστι λόγος, ὁ τὸ τί ἦν εἶναι σημαίνων: id eſt (ut uerbum uerbo reddamus) definitio, eſt oratio quid erat eſſe ſignificans. ubi Erat pro Eſt ponitur, ut ſæpe etiam Porphyrius & alij ponunt.

Non differt igitur à Platonica ſententia, Ariſtotelica quoque definitio. Hoc ergo dicit, Multæ definitiones ad amplificandum in concluſione copulabuntur, hoc eſt, expreſſiones rerum: de quibus iam dictum ſupra, ubi de finitiua quæſtione locos tradidimus ad argumenta eruenda. Similitudine.] Nam à ſimilibus exempla ducuntur. Ficta etiam.] Quintilianus: Illa adhuc audaciora & maiorum (ut Cicero exiſtimat) laterum, fictiones perſonarum, quæ προσωποποιΐαι dicuntur. Mire nanque tum uariant orationem, tum excitant. His etiam aduerſariorum cogitationes uelut ſecum loquentium protrahimus: quæ tamen ita demum à fide non abhorrent, ſi eas locutos finxerimus quæ cogitaſſe eos non ſit abſurdum. Et noſtros cum alijs ſermones, & aliorum inter ſe credibiliter introducimus, & ſuadendo, obiurgando, quærendo, laudando, miſerando, perſonas idoneas damus: & quæ ſequuntur. nam pluribus hanc figuram proſequitur, quàm hic ſcribendum exiſtimarim. Muta.] Nam, ut Quintilianus inquit, urbes etiam & populi uocem accipiunt: quemadmodum Cicero ipſe in Catilinam inquit: Etenim ſi mecum patria mea, quæ mihi uita mea multo eſt charior, ſi cuncta Italia, ſi omnis Reſpub. ſic loquatur, M. Tulli quid agis? & quæ ſequuntur. Natura.] Quintilianus in proſopopœia, Quin deducere deos in hoc genere dicendi, & inferos excitare conceſſum eſt. & quæcunque, inquit, inducentur, quæ modo prodeſſe aut obeſſe hominibus poſſint, ad mouendos audientium affectus. Et in eos à quibus uiolata.] Ut Cicero in Catilinam inuectiuis facit. Cito enim areſcit.] Ita in Rhetoricis: Commotis autem, inquit animis diutius in conqueſtione morari non oportebit. quemadmodum enim dixit rhetor Apollonius, lachryma nihil citius areſcit: idq; eſt ibi ultimum de concluſione præceptum.] Nimis enucleandum.] Ne illud arguendi acumen ipſi officiat amplificationi: quod ipſe oſtendit, Minuta eſt omnis diligentia, hoc eſt, ſi humilis & delecta. Ad delectationem.] Hoc eſt, in demonſtratiuo genere. In cohortationibus.] Id eſt, in deliberatiuo. In iudicijs.] Iudiciali genere. Accuſator miſericordiam.] Ut in pupillo compilato. Et defenſor iracundiam.] A' falſo, & à peſſimis accuſatum ſe hominibus dicat. Et reo rarius.] Raro contingit ut reus enumeratione utatur, quoniam contraria ab accuſatore ſibi referenda ſunt. Quorum.] Subaudi, enumeratorum, breuis ponatur diſſolutio. Aculei pungene.] Hoc eſt, acumen inuentionis & reſponſionis: ut quemadmodum animalium aculei in cutem figuntur, ita uis argumentorum animos audientium percellat. ac ſicut accuſator ipſum reum multitudine, ita reus accuſatorem acumine urgeat & obtundat. Denique Cicero in Rhetoricis, concluſionem in tres diuidit partes, enumerationem, indignationem, conqueſtionem. & indignationem quidem quindecim, conqueſtionem uero ſexdecim locis tractandã eſſe docet. Veruenimuero quoniam exemplis plerunque magis quàm præceptis commonemur, atque erudimur, exiſtimo utriuſque eminentiſſimi oratoris, Græci alterius, & alterius Latini exemplis oſtendere, & quomodo enumerandum, & quomodo amplificandum in peroratione eſſe uideatur. Amplificationis itaque unicum, cum multa ſint, exemplum ſatis erit Ciceronis pro Cælio: Quare obteſtor, oroq; uos iudices, ut qua in ciuitate paucis diebus his Sextus Clodius abſolutus ſit, quem per biennium aut miniſtrum ſeditionis, aut ducem uidiſtis: qui ædes ſacras, qui cenſum pop. Rom. qui memoriam publicam ſuis manibus incendit: hominem ſine re, ſine fide, ſine ſpe, ſine ſede, ſine fortunis, ore, lingua, manu, uita omni inquinatum: qui Catuli monumentum afflixit, meam domum diruit, mei fratris incendit: qui in Palatio atque in urbis oculis, ſeruitia ad cædem & inflammandam urbem incitauit: in ea ciuitate ne patiamini illum abſolutum muliebri gratia, M. Cælium libidini mulieris condonatum: ne eadem mulier cum ſuo coniuge, et fratre, turpiſſimum latronem eripuiſſe, & honeſtiſſimum adoleſcentem oppreſſiſſe uideatur. Demoſthenes uero de Haloneſo, Καὶ ταύτην τὴν ἐπιστολὴν τοὺς δεῦρο γεγράφθαι. οἳ πολὺ ἂν δικαιότερον ὑφ' ὑμῶν, ἢ Φίλιππος μισοῖντο. ἐκεῖνος μὲν γὰρ ἑαυτῷ στώμενος καὶ δόξαν, καὶ μεγάλα ἀγαθὰ, πάντα καθ' ὑμῶν πράττει. ὅσοι δὲ Ἀθηναῖοι ὄντες, μὴ τῇ πατρίδι, ἀλλὰ Φιλίππῳ εὔνοιαν ἐνδείκνυνται, προσήκει αὐτοὺς ὑφ' ὑμῶν κακοὺς κακῶς ἀπολωλέναι, εἴπερ ὑμεῖς τὸν ἐγκέφαλον ἐν τοῖς κροτάφοις, ἀλλὰ μὴ ἐν ταῖς πτέρναις καταπεπατημένον φορεῖτε. Atque epiſtolam hanc quidem recte eſſe ſcriptam dicebant, qui multo iuſtius odio ueſtro digni ſunt, quàm Philippus. Ille enim ſibi gloriam, & magna commoda comparans, omnia cõtra uos agit. qui uero Athenienſes cum ſint, beneuolentiam non patriæ, ſed Philippo oſtentant, par eſt, ut ij à uobis mali male perdantur: ſi modo cerebrum uos in temporibus, non etiam in talis inculcatum geſtatis. Enumerationis autem pulcherrimum eſt Ciceronis, ſeptimæ Actionis in Verrem, cum inquit: Nunc te ò Iupiter Optime Maxime, cuius iſte donum regale, dignum tuo pulcherrimo templo, dignum Capitolio, atque iſta arce omnium nationum, dignum regio munere, tibi factum ab regibus, tibi dicatum atque promiſſum, per nefarium ſcelus de regijs manibus extorſit, cuiuſq; ſanctiſſimum & pulcherrimum ſimulacrum Syracuſis ſuſtulit: teq; Iuno regina, cuius duo fana duobus in Inſulis poſita. & totus ille locus, quem, utpote paulo longiorem, annotare ſuperſedimus, præſertim cum eo monſtrato, quilibet ſibi eum poſſit uendicare. Demoſthenes uero contra Ariſtocratem, ὁ πρῶτος νόμος ἄντικρυς εἴρηκεν, ἄν τις ἀποκτείνῃ τινὰ, τὴν βουλὴν δικάζειν. ὁ δὲ, ἄν τις ἀποκτείνῃ, εὐθὺς γέγραφεν ἀγώγιμον εἶναι. τοῦτο φυλάττετε, καὶ μέμνησθε, ὅτι πάντων ἐναντιώτατόν ἐστι τῷ κρίνειν, τὸ μὴ δόντα κρίσιν ἔκδοτον ποιεῖν. οὐκ ἐᾷ μετὰ ταῦτα ὁ δεύτερος νόμος, οὐδὲ τὸν ἑαλωκότα ἀνδροφόνον λυμαίνεσθαι, οὐδὲ χρήματα πράττεσθαι. ὁ δὲ, τῷ ποιεῖν ἀγώγιμον, πάντα ταῦτα δέδωκεν. ἤδη γὰρ τοῖς λαβοῦσιν ἔξεστι ποιεῖν, ὅτι ἂν βούλωνται. ἀπάγειν ὁ νόμος ὡς τοὺς θεσμοθέτας κελεύει. καὶ τοῦτο κἂν ἐν τῇ τοῦ πεπονθότος λάβῃ τις πατρίδι. ὁ δ' ἀγώγιμον αὐτῷ τῷ τὴν αἰτίαν ἐπενεγκάντι δίδωσιν ὡς αὐτὸν, κἂν τῆς ἀλλοτρίας που λάβῃ. ἐστιν ἐφ' οἷς ἀδικήμασι δέδωκεν ἀποκτείνειν ὁ νόμος. ὁ δ' οὐδὲν ὑπειπὼν, κἂν ἤδη τούτοις τις κτείνῃ, δίδωσιν ἔκδοτον τὸν ἄθῳον ἀφειμένον ἐν τοῖς νόμοις. ἄν τις πάθῃ τι τοιοῦτον, δίκας ὁ νόμος κελεύει ἀπαιτεῖν πρῶτον. ὁ δὲ τοὐναντίον οὐδεμίαν κρίσιν οὔτε αὐτὸς εἰπὼν, οὔτε παρ' ὧν ἀξιοῖ λαβεῖν αἰτήσας, ἀγώγιμον ἐποίησε. κἄν τις ἀφαιρῆται, παραχρῆμα ἔκσπονδον ποιεῖ τὸ ἀνδρολήψιον, παρ' οἷς ἂν ὁ δράσας ᾖ, ἂν μὴ διδῶσι δίκας, κελεύουσιν οἱ νόμοι μέχρι τριῶν εἶναι. ὁ δὲ, ἂν ἀφέληταί τις τὸν ἄγοντα, μὴ βουλόμενος πρὸς δίκης ἐκδοῦναι, εὐθὺς ἔκσπονδον ποιεῖ. οὐκ ἐᾷ νόμον, ἂν μὴ τὸν αὐτὸν ἐπὶ πᾶσι τιθῇ τις, εἰσφέρειν. ὁ δ' ἐπ' ἀνδρὶ γράφει ψήφισμα ἴδιον. οὐκ ἐᾷ ψήφισμα ὁ νόμος κυριώτερον εἶναι νόμου. ὁ δ' ὑπαρχόντων τοσούτων νόμων ψήφισμα ποιεῖ κύριον, τοὺς νόμους ἀναιρῶν. ταῦτα φυλάττετε, καὶ μεμνημένοι κάθησθε. Prima lex aperte dixit: Si quis quempiã interfecerit, Senatus cognoſcito. hic autem ſi quis interfecerit, ſtatim addidit, abduci ad ſuppliciũ licere. Hoc ſeruate, ac memoriæ mandate, omnium maxime contrariũ eſſe iudicio, nullo dato iudicio ad ſupplicium dedere. deinde non ſinit ſecunda lex, ne condemnatum quidem homicidam uiolari, ac pecunias ab eo exigi. Is uero dum permittit abduci, omnia iſta conceſſit. Erit enim in poteſtate illorum qui abduxerint, omnia ſuo arbitratu facere. Abduci præterea lex ad Theſmothetas iubet, atque ita demum, ſi in necati patria ſit à quopiam deprehenſus. hic autem illi ipſi qui crimen intenderit, permittit priuatam ſuam in domum abducere, uel ſi alicubi in aliena patria ſit comprehenſus. Sunt delicta, ob quæ lex conceſſit interficere. hic autem, ſine ulla exceptione ſi ob hæc delicta quis interfecerit, abduci permiſit, eum

quem

quem leges noxæ exemerunt. Si cui tale quippiam contigiſſet, ab eo primum rationem iudicio exigi lex imperat. hic autem nullum iudicium neque ipſe promittens, neque à quibus accipi putat oportere requirens, abducendum dedit. Ac ſi quis exemerit, confeſtim fœderum exortem eſſe iubet. Pignerationes in eos, apud quos homicida fuerit, ſi cauſam non dicant, ad tres uſque leges ſtatuunt. hic uero, ſi quis abducenti exemerit, quia nollet cauſa indicta dedere, hunc ſtatim fœderum exortem facit. Non patitur lex legem, niſi propter omnes feratur, promulgari. Hic autem unius hominis cauſa, priuatum decretum ſcribit. Non ſuſtinet lex decreti maiorem uim atque auctoritatem eſſe quàm legis. Hic autem cum tot ſint leges, decretum ratum facit, leges interea abrogans. Hæc ſeruate, ac memoriæ mandantes in conſilium ite. Duo ſunt.] Duabus expoſitis libri partibus & proinde generibus, quod in ui oratoris eſt, & quod in orationis partibus: tertium reſtat genus, quod in quæſtione poſitum eſt, Repetit ergo quod à principio dictum eſt, duo eſſe quæſtionum genera, infinitum unum, finitum alterum. Itaque infinitum, quod propoſitum uocat, in duo rurſus diuidit genera, ſicut & in duobus præterea aliis tradit locis, in libro de Oratore, ac in Topicis. Et quoniam plurimum, tametſi idem dicat in libro de Oratore, differre uideatur, non alienum putamus, eius hic uerba referre. ait itaque: Omnis igitur res eandem habet naturam ambigendi de qua quæri & diſceptari poteſt, ſiue in infinitis conſultationibus diſceptetur, ſiue in his cauſis quæ in ciuitate, & in forenſi diſceptatione uerſantur: neque eſt ulla, quæ non aut ad cognoſcendi, aut ad agendi uim rationemq; referatur. nam aut ipſa cognitio rei, ſcientiaq; perquiritur: ut, Virtus ſuam'ne propter dignitatem, an propter fructus aliquos expetatur. aut agendi conſilium exquiritur: ut, Sit'ne ſapienti capeſſenda Reſpublica. Cognitionis autem tres modi, coniectura, definitio, &, ut ita dicam, conſecutio. nam quid in re ſit, coniectura quæritur, ut illud, Sit'ne in humano genere ſapientia. Quam autem uim quæque res habeat, definitio explicat: ut ſi quæratur, quid ſit ſapientia. Conſecutio autem tractatur, cum quid quanque rem ſequatur, inquiritur: ut illud, Sit'ne aliquando mentiri boni uiri. Redeunt rurſus ad coniecturam, eamq; in quatuor genera diſpartiunt. nam aut quid ſit quæritur, hoc modo, Natura'ne ſit ius inter homines, an opinionibus. aut quæ ſit origo cuiuſque rei, ut quod ſit initium legũ, aut rerumpub. aut cauſa & ratio, ut ſi quæratur, Cur doctiſſimi homines de maximis rebus diſſentiãt? aut de immutatione, ut ſi diſputetur, Nũ interire uirtus in homine, aut nũ in uitium poſſit conuerti. Definitionis autem ſunt diſceptationis, ut cum quæritur, quid in communi mente quaſi impreſſum ſit: ut ſi diſſeratur, id'ne ſit ius quod maximæ parti ſit utile. aut cum quid cuiuſque ſit proprium exquiritur: ut Ornate dicere proprium ne ſit oratoris, an id etiam aliquis præterea poſſit. aut cum res diſtribuitur in partes, ut ſi quæratur, quot ſint genera rerum expetendarũ: aut, ſint'ne tria, corporis, animi, externarumq; rerum. aut cum quæ forma, & quaſi naturalis nota cuiuſque ſit, deſcribitur: ut ſi quæratur auari ſpecies, ſeditioſi, glorioſi. Conſecutionis autem duo prima quæſtionum genera ponuntur. nam aut ſimplex eſt diſceptatio, ut ſi diſſeratur, expetenda'ne ſit gloria. aut ex cõparatione, laus, an diuitiæ magis expetendæ ſint. Simplicium autem tres ſunt modi, de expetendis fugiendis'ue rebus, ut expetendi'ne honores ſint, num fugienda paupertas. de æquo, aut iniquo, æquum'ne ſit ulciſci iniurias etiam propinquorum. de honeſto, aut turpi: ut hoc, ſit'ne honeſtum gloriæ cauſa mortẽ obire. Comparationis autem duo ſunt modi: unus, cum idem ne ſit, an aliquid interſit, quæritur, ut metuere & uereri: ut rex & tyrannus, ut aſſentator & amicus. alter, cum quid præſtet aliud alij quæritur: ut illud, Optimi'ne cuiuſque ſapientes, an populari laude ducantur. atque hæ quidem diſceptationes, quæ ad cognitionem referuntur, ſic ferè à doctiſſimis hominibus deſcribuntur. Quæ uero referuntur ad agendum, aut in officij diſceptatione uerſantur, quo in genere quid rectum faciendumq; ſit quæritur, cui loco omnis uirtutum & uitiorum eſt ſylua ſubiecta: aut in animorum aliqua permotione, aut gignenda, aut ſedanda, tollenda'ne tractantur. huic generi ſubiectæ ſunt cohortationes, obiurgationes, conſolationes, miſerationes, omniſq; ad omnem animi motum & impulſio, &, ſi ita res feret, mitigatio. Vt ueri'ne.] Nam à philoſophis quæſitum eſt, εἰ ἀληθεῖς αἱ αἰσθήσεις καὶ αἱ φαντασίαι, id eſt, an ueraces ſint ſenſus, & imaginationes. Τὰς μὲν αἰσθήσεις, ἀληθεῖς, τῶν δὲ φαντασιῶν τὰς μὲν ἀληθεῖς, τὰς δὲ ψευδεῖς. καὶ ἡ μὲν αἴσθησις μοναχῶς ψευδοποιεῖται κατὰ τὸ νοητὸν, ἡ δὲ φαντασία διχῶς. καὶ γὰρ αἰσθητῶν φαντασία ἐστὶ, καὶ νοητῶν. Id eſt, Senſus quidem eſſe ueraces: imaginationum autem quaſdam eſſe ueraces, fallaces alias. Ac ſenſus quidem unico modo fallit, per intellectilia, imaginatio autem bifariam. eſt enim tum ſenſilium rerum imaginatio, tum etiam intellectilium. Quibus officijs.] Vt, an propter amicos ab honeſtate aliquando declinandum ſit: quod Aulus Gellius quoque quærit, & à plurimis quæſitum fuiſſe oſtendit. Vt ius in.] An ius naturale dici poſſit, an in conſuetudine collocatum. Sanè, ut Vlpianus inquit, ius aliud publicum, aliud priuatum. Publicum ius eſt, quod ad ſtatum rei Romanæ ſpectat. Priuatum eſt, quod ad ſingulorum utilitatem pertinet. Sunt enim quædam publice utilia, quædam priuatim. Publicum ius, in ſacris, & ſacerdotibus, & magiſtratibus conſiſtit. Priuatum ius tripartitum eſt: collectum eſt enim ex naturalibus præceptis, aut gentium, aut ciuilibus. Ius naturale eſt, quod natura docuit omnia animantia. Nam ius iſtud non ſolum humani generis proprium eſt, ſed omnium animalium, quæ in terra, quæ in mari naſcuntur: auium quoque commune eſt, &c. Ius gentium eſt, quo gentes humanæ utuntur: quod à naturali recedere, facile licet intelligere: ueluti, ut inquit Pomponius libro ſexto, erga deum religio, ut parentibus & patriæ pareamus. ac ut Hermogenes libro primo inquit, ex hoc iure gentium introducta bella ſunt, diſcretæ gentes, regna condita, dominia diſtincta, agris termini poſiti, ædificia collocata, commercium, emptiones, uenditiones, locationes, conductiones, obligationes inſtitutæ. Ius ciuile, inquit Vlpianus libro primo Inſtitut. eſt, quod neque in totum à naturali uel gentium recedit, nec per omnia ei ſeruit. Itaque cum aliquid addimus, uel detrahimus iuri communi, ius proprium, id eſt, ciuile efficimus. Pap. autem libro primo Digeſtorum: Ius ciuile, inquit, eſt, quod ex legibus, plebiſcitis, ſenatuſconſultis, decretis principum, auctoritate prudentium uenit. Ius prætorium eſt, quod prætores introduxerunt, adiuuandi, uel ſupplendi, uel corrigendi iuris ciuilis gratia, propter utilitatem publicam. quod & honorarium dicitur, ab honore Prætorum ſic nominatum. In paupertate.] An contentum eſſe oporteat ea conditione, an quærendum quo modo poſſis ipſam deuitare. Rurſus autem.] Primum genus quæſtionum, quod in cognitione uerſatur, hic trifariam diuidit, in Topicis autem in quatuor partes: Coniectura, inquiens, ratio in quatuor partes diſtributa eſt. quarum una eſt, cum quæritur ſit'ne aliquid: altera, unde ortum ſit: tertia, quæ id cauſa effecerit: quarta, qua de mutatione rei quæritur. Ecquis'nam.] Quoniam ſolus eſt deus ſapiens. Quo'nam pacto.] Natura'ne, an ratione, an uſu. nam ſunt qui dicant naturalem eſſe: quæ ſi ita ſit, omnes utique homines, cum ab eadem ui natura oriantur, uirtutem habebunt. Item quod à natura eſt, laudabile non eſt: quoniam mutari nõ poteſt. non igitur uirtus erit laudabilis. atqui mutari poteſt, ſicut & uitium. non ergo à natura. Sunt qui apud

Platonem dicant, eam diuino conceſſu traditam hominibus. Sunt tamen etiam uirtutes naturales: ſed illæ non morales dicuntur, ut appetendi eſcam, concoquendi, & id genus alia. Alij porro uirtutes morales in ratione eſſe collocatas protulerunt: quoniam cum prudentia in ratione poſita ſit, & à prudentia omnes morales uirtutes dirigantur, ipſas in ratione poſitas eſſe duxerunt. quod tamen non ſequitur. Nam tam ex affectibus, qui à parte oriuntur irrationali, quàm ab ipſa proficiſcuntur prudentia, quæ de ratione manat. Alij porro per actum, hoc eſt, aſſuetudinem fieri uirtutes putauerunt: quòd frequentes actus habitus faciant. Naturalibuſq;.] Quæ ſunt in naturali philoſophia. Illius autem generis.] In Topicis uero aliquanto ſecus dicit, quod tamen in idem recidere uidetur. ait enim. Cum autem quid ſit quæritur, notio explicanda eſt, & proprietas, & diuiſio, & partitio. hæc enim ſunt definitioni attributa. additur etiam deſcriptio, ut pertinacia et perſeuerantia. Varro de Lingua latina ad Ciceronem: A' qua re ſit, inquit, pertinacia cum quæritur unde, dicitur eſſe à pertendendo. in qua re ſit impoſitum, dicitur cum demonſtratur in quo non debet pertendi, & pertendit, pertinaciam eſſe. quòd in quo oportet manere, ſi in eo perſtet, perſeuerantia ſit. Tertio autem.] In Topicis autem aliter hunc locum tradit: inquit namque: Cum autem quæritur quale quid ſit, aut ſimpliciter quæritur, aut comparate: ſimpliciter, Expetenda ne ſit gloria: comparate, Præponenda'ue ſit diuitijs gloria. Simplicium tria genera ſunt, de expetendo fugiendoq;, de æquo & iniquo, de honeſto & turpi. Comparationũ autem duo: unum de eodem & alio, alterũ de maiore et minore. Reſtat actionis locus.] Qui ad uirtutem, & uitium totus refertur. Quod ad rationem.] Vt totus Ciceronis Officiorum liber eſt. Alterum ad ſedandos.] Vt cum conſolamur, ut ipſe in quæſtionibus Tuſcul. facit Cicero, & præterea plerũque in Orationibus: qui proprie locus eſt concluſionis, cum aliquid amplificamus, indignationem cómouemus, aut in cóqueſtionem deſcendimus. Collocandi autem.] Quæ eſt expoſita in alijs, quam tradidimus ſupra, ubi de motu, et pariter de collocatione locuti ſumus. Propoſitarum.] Quæſtionũ quæ ſub theſi continentur. Controuerſiarum.] Id eſt, cauſarũ quæ ſub hypotheſi definitaq; quæſtione ſunt. Cauſarum.] Prorſus ſuperſunt tractanda tria cauſarum genera, demonſtratiuum, deliberatiuum, iudiciale. Delectationem.] Demonſtratiuum genus dicit. Alterius ut obtineat.] Quæ eſt deliberatiui & iudicialis generis. Latum genus eſſe.] Laudando ac uituperando. Sanéq; uarium.] Id eſt, admodum multiplex. Vnum ex eo.] Genus enim nullum eſt orationis, quod aut uberius ad dicendum, aut utilius ciuitatibus eſſe poſſit. Quintilianus in huius generis tractandi exordio: Potiſſimum incipiam, inquit, ab ea, quæ conſtat laude ac uituperatione. Quod genus uidetur Ariſtoteles atque eum ſecutus Theophraſtus, à parte negotiali, hoc eſt πραγματικῶς remouiſſe, totamq; ad ſolos auditores relegaſſe. & id eius nominis, quod ab oſtentatione ducitur, proprium eſt: ſed mos Romanus etiam negotijs hoc munus inſeruit. nam & funebres laudationes pendent frequenter ex publico aliquo officio, atque ex ſenatuſconſulto magiſtratibus ſæpe mãdantur: & laudare teſtem, uel contra, pertinet ad momentum iudiciorum: & ipſis etiam reis dare laudatores licet: & editi in cõpetitores in L. Piſonem, in Clodium, & Curionem libri, uituperationem cótinent, & tamen in ſenatu loco ſententiæ habiti ſunt. Reliquũ autem genus.] Id eſt, reliqua duo genera, quæ unũ ſeparatum à ſuperiore genus facere uidentur, quatenus illud in delectatione poſitum: in hoc autem aliquid, ut ſupra dictũ eſt, ſtatuit auditor.] Ad bene dicendum.] Quoniam quæritur delectatio. Ad honeſte.] Quoniam laudatur & uituperatur. Alterius]. Hoc eſt, laudationis finis eſt honeſtas. Alterius.] Id eſt, uituperationis finis eſt turpitudo. Argumentationibus.] Itaque & Quintilianus: Manifeſtumq; eſt, inquit, errare eos qui nunquam oratorem dicturum, niſi de re dubia, putauerunt. an laudes Capitolini Iouis perpetuæ, ſacri certaminis materia uel dubiæ ſunt? uel non oratorio genere tractantur? Vt deſiderat autem laus, quæ negotijs adhibetur, probationem: ſic etiam illa, quæ oſtentationi cõponitur, habet interim aliquam ſpeciem probationis. ergo locus hic intelligendus Ciceronis eſt ſine ullis argumentationibus acribus, acutis, uehementibus, ut ſunt aliorum generum: ut tamen ſcias, ſpeciem argumentationum in hoc quoque genere aliquã adhibendam. Inſignibus.] Id eſt, tropis & ſchematis, quæ orationem comunt, poliuntq;, & eis quæ ſupra ipſe commemorauit. Factis.] Id eſt, nouatis. Vetuſtis.] Non tamen nimiũ ab uſu remotis, ut ſupra diximus. quæ ſequuntur, omnia iam dicta ſunt, ubi de elocutione locuti ſumus. Verſuum.] Admonuimus namque, in oratione uerſum clauſulam concludere, uitioſum eſſe. Explendum aurium ſenſum.] Vt tantum periodus tendatur, ut uno ſpiritu poſſit enunciari: nec breuius contrahatur, quàm poſſit ipſe ſpiritus protrahere, ac ut pedibus iã dictis ambitus ille cócludatur. Modo.] Id eſt, modulatu. Ornamenta rerũ.] Id eſt, figuræ ſententiarũ. Admirabilis.] Cũ ea dicimus, quæ mirentur auditores. Monſtris.] Cum quid naſcitur inſolitũ: ut ſi mula pariat. Prodigijs.] Vt cum arma in cœlo ſplenduiſſe aut crepuiſſe dicuntur. Oraculis.] Quæ Apollo, aut alius dæmon, aut ſanctus etiam uir prophetatus fuerit. Diuina atque fatalia.] Quæ diuinitus & fato quodam proueniſſe uideantur: hoc eſt, quod neceſſario futurum uideretur. Sed quoniã.] Omnia ſiquidem bona, mala'ue, aut animi, aut corporis, aut externa ſunt. animi, ut ſcientiæ, arteſq; omnes, ac morales uirtutes: corporis, ut forma, robur, bona ualetudo: externa, gloria, amplitudo, amicitia. quæ omnia ſuas habent ſpecies: ſed quæ neceſſaria ſunt, eas Cicero attingit. A' genere.] Id eſt, quæ ſibi nomen uendicaut à maioribus, qui excellentes fuerint: aut ſi uituperamus, qui obſcuri, aut infames. Breuiter, modiceq;.] Vt in laudandi genere ne nimij ſimus, ſed paucis attingamus. Infame.] Si infamiæ nota inſignitum ſit, dum reliqua laudamus, ipſum genus prætermittamus. Humile.] Si ignobile præteribimus, inquit, aut augendo gloriam eius quem laudemus, quãtum illuſtrauerit ipſum ſignificabimus. Fortunis.] Quæ fœliciter geſſit, & quas opes iuſte, ac pie, fortiter'ue ſibi cumulauerit, dicemus. Forma laudatur.] Quòd quædam in ea uideatur ſpirare diuinitas, cultuſq; animi: ſicut è diuerſo deformitas, incompoſitos immaneſq; mores ſignificare uideatur. Temporum.] Quia narratur hiſtoria. Recentiſſimũ.] Quoniam facilius perſuademus. Virtutũ genera.] Quæ ad prudentiam, quæ ad fortitudinem, quæ ad iuſtitiã cæteraſq; uirtutes pertinere uidebuntur: quod pro lege Manilia de Pompeij imperio ipſe facit Cicero. Sed hic locus uirtutũ.] Senſus eſt: longe, lateq; de uirtutibus ac uitijs hoc loco poſſemus utique diſputare: ſed cum non philoſophiam doceamus, uerum oratorem quid ſit in laude uituperationeq; tenendum, admoneamus, ſatis eſſe ducimus, ſi anguſte breuiterq; omnia attingamus. Scientia.] Id eſt, quæ ſcientiam parit, ab Ariſtotele ἀποδεικτικὴ appellata: unde & omnis ſcientia, arsq; oritur. Aut actione.] Quoniam uirtutes morales omnes in actione ſunt: ſiquidem, ut Ariſtoteles, Ptolemæus, Theonq; tradunt, aut homo inſpector, aut agens eſt. Inſpicit quidem aut theologica, aut mathematica, aut phyſica. Agitur uero in moralibus uirtutibus iuſte, fortiter, temperate, atque in cæteris eodem modo. Quæ prudentia.] Hæc (ut inquit Ariſtoteles) ſapientiæ ſeruit, cum omnibus affectibus moderatur: ita enim in magnis Ethicis inquit:

ἀλλ' ἴσως

ἀλλ' ἴσως ἔχει ὥσπερ ἐν οἰκίᾳ ὁ ἐπίτροπος. οὗτος γὰρ πάντων κύριος, καὶ πάντα διοικεῖ, ἀλλ' οὔπω οὗτος ἄρχει πάντων, ἀλλὰ παρασκευάζει τῷ δεσπότῃ σχολήν, ὅπως ἂν ἐκεῖνος μὴ κωλυόμενος ὑπὸ τῶν ἀναγκαίων, ἐκκλείηται τοῦ τῶν καλῶν τι καὶ προσηκόντων πράττειν. οὕτω καὶ ὁμοίως τούτῳ ὁ φρόνησις ὥσπερ ἐπίτροπός τίς ἐστι τῆς σοφίας, καὶ παρασκευάζει ταύτῃ σχολήν, καὶ τὸ ποιεῖν τὸ αὐτῆς ἔργον, κατέχουσα τὰ πάθη, καὶ ταῦτα σωφρονίζουσα. Sed fortaſſe talis eſt, qualis in familia eſt is, cui domus curatio eſt mandata. Hic enim omnia in poteſtate habet, omniaq; adminiſtrat, ac moderatur: non continuo tamen omnium dominium tenet, ſed tantum domino otium & quietem parit, ne ille verũ neceſſariarum cura impeditus, facere preclarum, ſeq; dignum quippiam prohibeatur. Ita, & ad eundem modum tanquam procuratrix quædam ſapientiæ eſt prudentia, quæ illi otium cõparet, quo ea quoque ſuo officio fungatur: comprimens perturbationes, eaſq; intra modum cogens conſiſtere. Calliditas.] Cicero de Natura deorum, Verſutos, inquit, eos appello, quorũ mens celeriter uerſatur. Callidos autem, quorum tanquam manus opere, ſic animus uſu concalluit. Sapientia.] Cum ſit ſapientia rerum diuinarum humanarumq; ſcientia. Moderandis cupiditatibus.] Quod prudentiæ, ut diximus, eſt munus. Domeſtica.] Quam œconomicam dicimus. Ciuilis.] Politica à Græcis nominatur. Temperantia autem.] Ariſtoteles autem, σωφροσύνης δέ, inquit, ἐστὶ τὸ μὴ θαυμάζειν τῶν σωματικῶν ἡδονῶν, καὶ τὸ εἶναι πάσης ἀπολαυστικῆς αἰσχρᾶς ἡδονῆς ἀνορεκτόν, καὶ τὸ φοβεῖσθαι καὶ τὴν δικαίαν ἀδοξίαν, καὶ τὸ τάχθαι περὶ τὸν βίον ὁμοίως ἔν τε μικροῖς καὶ μεγάλοις. παρέπεται δὲ τῇ σωφροσύνῃ, εὐταξία, κοσμιότης, αἰδώς, εὐλάβεια. Temperantia eſt, inquit, non admirari corporis uoluptates, & omnis inhoneſtæ uoluptatis fruendæ appetitu non moueri: tum uel iuſtam quoque libertatem metuere: ac eũdem perpetuo in uita ſtatum in paruis ſimiliter magniſq; rebus tueri. Comitantur autem uoluptatem modeſtia, uenuſtas, pudor, cautio. Fortitudo.] De fortitudine inquit Ariſtoteles, ἀνδρείας δέ ἐστι, τὸ δυσέκπληκτον ὑπὸ φόβων τῶν περὶ θάνατον, καὶ τὸ εὐθαρσεῖν ἐν τοῖς δεινοῖς, καὶ τὸ εὔτολμον πρὸς τοὺς κινδύνους, καὶ τὸ μᾶλλον αἱρεῖσθαι τεθνάναι καλῶς, ἢ αἰσχρῶς σωθῆναι, καὶ τὸ νίκης αἴτιον εἶναι. ἔτι δὲ ἀνδρείας, καὶ τὸ πονεῖν, καρτερεῖν, αἱρεῖσθαι, καὶ ἀνδρίζεσθαι. παρέπεται δὲ τῇ ἀνδρείᾳ καὶ ἡ εὐτολμία, καὶ ἡ εὐψυχία, καὶ τὸ θάρσος, ἔτι δὲ ἥ τε φιλοπονία, καὶ ἡ καρτερία. Fortitudinis partes ſunt, nõ excitari terroribus mortis, & confidere in aduerſis: tum audere in periculis, ac optare potius honeſtam mortem, quàm ſalutem turpem, & uictoriæ auctorem eſſe. Quin fortitudinis quoque illa ſunt, laborare, tolerare, deligere, poſſe. Accidunt autem fortitudini, audacia, æquanimitas, confidentia, tum etiam ſuſceptio laborum uoluntaria, & tolerantia. Magnitudo animi dicitur.] Ariſtoteles Μεγαλοψυχίας δέ, inquit, ἐστὶ τὸ καλῶς ἐνεγκεῖν εὐτυχίαν καὶ ἀτυχίαν, καὶ τιμὴν καὶ ἀτιμίαν, καὶ τὸ μὴ θαυμάζειν, μήτε τρυφάς, μήτε θεραπείαν, μήτε ἐξουσίαν, μήτε τὰς νίκας τὰς ἐναγωνίους. ἔχειν δέ τι βάθος τῆς ψυχῆς, καὶ μέγεθος. ἐστὶ δὲ μεγαλόψυχος, οὐδ' ὁ τὸ ζῆν περὶ πολλοῦ ποιούμενος, οὐδ' ὁ φιλόζωος. ἁπλοῦς δὲ τῷ ἤθει, καὶ γενναῖος, ἀδικεῖσθαι δυνάμενος, καὶ οὐ τιμωρητικός. ἀκολουθεῖ δὲ τῇ μεγαλοψυχίᾳ ἁπλότης, καὶ ἀλήθεια. Magnitudinis animi officia ſunt, recte ferre ſecundam aduerſamq; fortunam, honorem & infamiam, & neque uoluptates admirari, neque cultum, neque potentiam, neque in contentionibus uictorias: habere autem profunditatem animi quandam, & magnitudinem. Eſt uero magnanimus, neque is qui uitam magnifaciat, neque qui uiuere expetat: ſed moribus ſimplex ac generoſus, qui iniuriam quidem accipere poſſit, non etiam ad ulciſcendum promptus ſit. ſequitur porrò animi magnitudinem ſimplicitas, atque etiam ueritas. Liberalitas.] De liberalitate inquit Ariſtoteles, ἐλευθεριότητος δέ ἐστι προετικὸν εἶναι χρημάτων ἐπὶ τὰ εἰς δέον τι ἀναλωθῆναι. τὸ βοηθητικὸν εἶναι ἐν τῇ διαφορᾷ, καὶ τὸ μὴ λαβεῖν ὅθεν μὴ δεῖ. ἔστι δὲ ὁ ἐλευθέριος, καὶ περὶ ἐσθῆτα καθάριος, καὶ περὶ οἴκησιν, καὶ κατασκευαστικὸς τῶν περιττῶν καλῶν, καὶ διαγωγὴν ἐχόντων ἡδεῖαν ἄνευ τοῦ λυσιτελοῦντος. καὶ θρεπτικὸς τῶν ζώων, τῶν ἴδιόν τι ἐχόντων, ἢ θαυμαστόν. ἀκολουθεῖ δὲ τῇ ἐλευθεριότητι τοῦ ἤθους ὑγρότης, καὶ εὐαγωγία, καὶ φιλανθρωπία, καὶ τὸ εἶναι ἐλεητικόν, καὶ φιλόφιλον, καὶ φιλόξενον, καὶ φιλόκαλον. Liberalitatis eſt, pecuniarũ amantem eſſe, quas in res honeſtas impendat: & cum inciderit eiuſmodi tempus, ad præſtandum auxilium paratum eſſe: & unde nõ oportet, nihil accipere. Eſt autem liberalis homo in ueſtitu, habitationeq; mundus atque elegans. Libenterq; comparat quæ eximie pulchra ſunt, quæq; uſum habent iucundum ſine utilitate. Animalia alit ea quæ uoluptatis aliquid habent, aut admirationis. Sequitur autem liberalitatem morum, quædam mollities, & facilitas, & humanitas: tum eſſe miſericordem, & amicorum, hoſpitum, elegantiæq; amantem. Iuſtitia dicitur.] De iuſtitia quoque egregie Ariſtot. inquit: Δικαιοσύνης δέ ἐστι τὸ διανεμητικὸν εἶναι τοῖς κατ' ἀξίαν. τὸ σώζειν τὰ πάτρια ἔθη, καὶ τὰ νόμιμα. τὸ σώζειν τοὺς γεγραμμένους νόμους. τὸ ἀληθεύειν ἐν τῷ διαφέροντι. τὸ διαφυλάττειν τὰς ὁμολογίας. ἔστι δὲ πρώτη τῶν δικαιοσυνῶν πρὸς τοὺς θεούς, εἶτα πρὸς πατρίδα καὶ γονέας, εἶτα πρὸς τοὺς κατοιχομένους, ἐν οἷς ἐστὶ καὶ εὐσέβεια. ἀκολουθεῖ δὲ τῇ δικαιοσύνῃ καὶ ὁσιότης, καὶ ἀλήθεια, καὶ πίστις, καὶ ἡ μισοπονηρία. Iuſtitia eſt, quod quemque deceat tribuere, iura, inſtitutaq; patria ſeruare, leges iam ſcriptas tueri, ueritatem ubi quid ambigitur ſequi, ſtare pactis conuentis. Eſt autem iuſtitia princeps ea, quæ ad deum pertinet: proxima, quæ ad patriam parenteſq;: tum quæ erga mortuos eſt: in quibus conſiſtit & religio. Ad iuſtitiam pertinent, ſanctitas, ueritas, fides, & prauitatis odium. Animaduertendi.] Id eſt, ulciſcendi. Lenitas.] De qua Ariſtoteles: Πρᾳότητος δέ ἐστι τὸ δύνασθαι φέρειν μετρίως ἐγκλήματα, καὶ ὀλιγωρίας μετρίας, καὶ τὸ μὴ ταχέως ὁρμᾶν ἐπὶ τὰς τιμωρίας, καὶ τὸ μὴ εὐκίνητον εἶναι πρὸς τὰς ὀργάς. ἄπικρον δὲ τῷ ἤθει, καὶ ἀφιλόνεικον, ἔχοντα τὸ ἠρεμαῖον ἐν τῇ ψυχῇ, καὶ στάσιμον. Lenitatis eſt, ferre poſſe mediocria crimina, & contumelias mediocres: non ad ulciſcendum impelli celeriter, nõ facile in iram commoueri. uacare autem omni morum acerbitate, non eſſe contentioſum, habereq; animi ſedationem quandã & conſtantiam. Sapientia.] Id eſt philoſophia, quæ ſapientia primo dicta eſt, poſtea à Pythagora philoſophiæ nomen ſibi uendicauit. In diſputando uera.] Dialecticam, id eſt, artem diſſerendi dicit, cui hæc attribuuntur omnia. Oratoria.] Quæ Græco nomine rhetorica nominatur. hæc eadem prope quæ & dialectica proſequitur, niſi quòd preſſius dialectica, eloquentia copioſius omnia tractat, motuſq; animi diſputationi adiungit. Habitus.] Utpote uirtutes, & in actione uerſati. Præculti.] Qui propter uirtutem amplectẽdam nos præmuniunt exornantq;. Studia literarum.] Quæ Græco uocabulo grammatices nomen adepta ſunt. Ut numerorum, &c.] Hoc eſt, mathematicæ omnes diſciplinæ, quarum dux arithmetica eſt: quod ut oſtendam, Nicomachi, et nihil amplius, uerba apponam, qui in. 1. Arithmet. inquit, Οὔσης μὲν γεωμετρίας, ἀνάγκη καὶ ἀριθμητικὴν ἐπιφέρεσθαι. ἅμα γὰρ τρίγωνον, ἢ τετράγωνον, ἢ ὀκτάεδρον, ἢ εἰκοσάεδρον, ἢ διπλάσιον, ὁ τριπλάσιον, ἢ ὀκταπλάσιον, ἢ ἡμιόλιον, ἢ ἄλλο τι τοιοῦτον, ἂν γεωμετρία λέγει, ἄνευ τῶν ἐν ἑκάστῳ συνεπιφερομένων ἀριθμῶν ἐπινοεῖσθαι ταῦτα ἀδύνατον. πῶς γὰρ οἷόν τε τριπλάσιόν τι εἶναι λέγεσθαι, μὴ ὑποκειμένου τοῦ τρία ἀριθμοῦ; ὁ ὀκταπλάσιον, μὴ τοῦ ὀκτώ; ἔμπαλιν δέ, τὰ τρία εἴη ἄν, καὶ τὰ τέσσαρα, καὶ τὰ ἑξῆς, μὴ ὄντων ὁμωνύμων σχημάτων; συναναιρεῖ ἄρα ἡ ἀριθμητικὴ τὴν γεωμετρίαν, ἀλλ' οὐ συναναιρεῖται ὑπ' αὐτῆς. καὶ συνεπιφέρεται μὲν ὑπ' ἐκείνης, οὐ συνεπιφέρει δὲ αὐτήν. πάλιν δὲ ἐπὶ τῆς μουσικῆς. οὐ μόνον γὰρ ὅτι πρεσβυτέρα ἐστὶν τὸ καθ' αὑτὸ τοῦ πρὸς ἕτερον,

tilitamus : ſed cauſa una, leuia aliquando habet, quæ alia cauſa grauia putauerit. quare hoc ipſe orator poterit perpendere, et proinde reijcere inutilia, et utilia cauſæ accõmodare. Locos tu.] Id eſt, ubi nã motus excitetur, et in qua orationis parte auditoris animus incẽdatur. Cum inueneris.] Cum materiam fueris aſſecutus, in qua tibi orandum. Collocare.] Suo loco digerere. In definita autem.] Hoc dicit, In quæſtione infinita fidẽ faciemus eo modo, quo locos digeſſimus. At in ipſa definita, locos alios adhibebimus : de quibus dicetur ſuo loco, ad motus animorum faciendos. Habeo communia præcepta.] Nam eodem tempore inquit, & fidem faciam, & commouebo ex locis definitæ quæſtionis : id eſt, quæſtionis quæ in cauſam et complexum uenit perſonarum. Quoniam fides eſt firma opinio.] Ideo ſi mouet animum, obnixe opinatur. Tot ſunt enim motus.] In tot genera diuiditur affectus, ut ipſe in tertio Quæſtionum Tuſculanarum. Itaque uoluptatem nunc pro ſpe, & moleſtiam pro dolore poſuiſſe uidetur hic Cicero, ut Vergilius in ſexto exponit. PARTES plures.] Id eſt, multæ ſunt ſpecies, in quæ hæc genera diuiduntur : ut ipſe in tertio Quæſtionum Tuſculanarum docet. Omnem edi.] Tam fidem faciendi, quàm mouendi in conſultatione, id eſt, definita quæſtione : uel propoſitione, id eſt, infinita quæſtione. In cauſa.] Hoc eſt, definita quæſtione : nam ita eam Cicero ipſe uocat in Topicis. In qua eſt propoſitum.] Id eſt, quæſtio infinita, ut ipſe alibi uocat. In cauſa autem ideo propoſitum eſſe dicitur, quoniam cauſa id eſt, finita quæſtio, probatur ſemper per propoſitum, id eſt, per infinitã quæſtionem, neque enim obtinere unquã potuero, licuiſſe Clodium, utpote inſidiatorem, occidere : niſi cõſtet, licere omnibus inſidiatores ſuos occidere. Auditorum eam genere diſtingui.] Id eſt, quot ſunt auditorum genera, tot ſunt etiam cauſarum genera. Auſcultator modo.] Id eſt, ſolum auſcultat, non etiam deliberat, aut iudicat. Aut diſceptator.] Hoc eſt, diſcuſſor propoſitæ ſentẽtiæ. VT aut delectetur.] Quod eſt demonſtratiui generis. De præteritis.] Vt iudex: & inde iudiciale genus. Aut de futuris.] Vt ſenatus : & inde deliberatiuum cauſæ genus. Iudicij.] Id eſt, iudicialis. Deliberationis.] Hoc eſt, deliberatiui generis. Et exornationis.] Hoc eſt, demonſtratiui : quod rebus exornandis accommodatur. Proprium habet nomen.] Quia à multis laudatiuum, & panegyricum nominatur. Delectationem.] Quod in demonſtratiuo, ſiue laudatiuo, uel ut nũc libuit Ciceroni appellare, exornatiuo, nihil ferè aliud ſibi proponit, quàm ut delectet. Iudicio.] Id eſt, genere iudiciali. Sæuitiam.] Si accuſat, quam extorquere uult à iudice. Aut clementiam.] Si defendit. In ſuaſione.] Id eſt, deliberatiuo genere, in quo ſuademus, uel diſſuademus quid; quod fieri oporteat. Aut ſpem.] Cum ſpem habemus ita deliberatum iri. Aut reformidationem.] Cũ metuimus, ne ſenatus contra noſtram deliberet ſententiã. Collocandi.] Propria cuilibet generi accõmodandi. Nam, aut temporũ.] Nanque, inquit Quintilianus, aliàs ætatis gradus geſtarumq; rerum ordinem ſequi ſpecioſius fuit, ut in primis annis laudaretur indoles, tum diſciplinæ, poſt hoc operum, id eſt factorum dictorumq; contextus. AVT generum.] In ſpecies : Ibidem inquit Quintilianus, uirtutum diuidere laudem, fortitudinis, iuſtitiæ, continentiæ, cæterarumq; : ac ſingulis aſſignare, quæ ſecundum quanque earũ geſta erant. AVT à minoribus.] A' bonis externis uel corporis, ad animi bona : aut quæ puſilla, & inde ad maiora. Aut hæc in æquabili.] De omnibus pariter ac tempore uno bonis tractabimus. Simplicia.] Quæ ſolus quis, aut primus feciſſe dicitur. Coniunctis.] Vt ſi cum paucis, uel etiam pluribus, & eiſdem illuſtribus fecit quis. OBSCVRA.] Minus cognita. Dilucidis.] Quæ palàm ſunt omnibus. Læta triſtibus.] Vbi cordis magnitudinẽ in aduerſis oſtẽderit. INCREDIBILIA.] Quæ credi ſua magnitudine non poſſe uideantur. Principia.] Hoc dicit : In deliberatiuo genere aut breuia, aut nulla eſſe exordia expedit. Præteritarum rerum.] Vt in iudicijs. Præſentium.] Vt in demonſtratiuo genere. Et admotum.] Vt concitatum habeas auditorem. Rerum ordine.] Id eſt, ut reus accuſari pro commiſſis dignus uideatur facinoribus. Quaſi haſta.] Quòd ita argumenta cõtorqueat, eiſq; compungat reum, ut in militia hoſtem ſuum miles haſta petit. Vehementer.] Vehemens eſt & erectus, ut in Verrem Cicero. Cõcludit acriter.] Inſtando, adurgendóq;. Confirmat tabulis.] Hæc ſupra expoſita ſunt, ubi de locis diximus, artis expertibus. Accuratius.] Vt motus animorum maiores faciat. In perorationis.] De quibus ſuo loco dicetur, ubi de partibus orationis præcepta tradentur. Paululum.] Quod facit aliquando in Verrem Cicero, ut in Segeſtana Diana. Vt iratum.] In reũ iudicis animũ exulceret. Aut relinquendæ. Id eſt, nullæ narrationis partes referendæ; ne moleſta quæ narrata ſunt, iudicis mentem adhuc in odium reficiant. Firmamenta.] Quibus ſublatis, defenſio nulla ſit, ut inquit Quintilianus in tertio libro : hoc eſt, firmiſſima argumenta, quibus magnopere nititur aduerſarius. Aut per ſe.] Sine alijs argumentis infirmanda. Aut obſcuranda.] Id eſt, non plana, non aperta eſſe oſtendenda. Aut digreſſionibus.] Hoc eſt, à propoſito reuocanda. Auditorum moderantur aures oratori.] Hoc eſt, audiendo, quid dicendum, & quid fugiendum ſit, oratori oſtendunt: quod ex ipſorum uultu motuq; facile deprehendi poteſt. Vnum genus eſt eloquendi.] Poſtea quàm de inuentione, ſimulq; de diſpoſitione locutus eſt, ſequitur ut de elocutione, unde & eloquentia nomen habet, dicat. Eius itaque duo eſſe ait genera. unum ſua ſponte fuſum, hoc eſt naturale, ut omnes loquũtur. VERSVM atque mutatum.] Hoc eſt, tropis ſchematiſq; diſtinctum. Simplicia.] Hoc dicit : Naturalis oratio, aut in ſimplicibus, aut coniunctis conſideratur uerbis. Simplicia inuenienda, hoc eſt, eligenda : ut Quintilianus libro VIII. inquit, Sunt alia alijs honeſtiora, ſublimiora, nitidiora, iucundiora, uocaliora, ut ſyllabæ è literis melius ſonãtibus ſunt clariores, ita uerba è ſyllabis magis uocalia : & quo plus quoque ſpiritus habent, auditu pulchrius : & quod facit ſyllabarum, idem uerborum quoque inter ſeſe copulatio, ut aliud alij iunctum melius ſonet. diuerſus tamen eſt uſus. nam rebus atrocibus uerba etiam ipſo uultu aſpera magis conuenient. QVAE ſignificata ſunt ſenſu.] Id eſt, proprietate intellectus. Proprietas, inquit Quintilianus, non ad nomen, ſed ad uim ſignificandi refertur : nec auditu, ſed intellectu perpendenda eſt. Secundo modo dicitur proprium, inter plura quæ ſunt eiuſdem nominis, & unde cætera dicta ſunt : ut, Vertex eſt contorta in ſe aqua, uel quidquid aliud ſimiliter uertitur. inde propter flexum capillorum, pars ſumma capitis, & ex hoc, inquam, in montibus eminentiſſimum : recte dixeris hæc omnia, uertices. Et tertius eſt huic diuerſus modus, cum res communis pluribus, in uno aliquo habet nomen eximium : ut carmen funebre, proprie nænia : & tabernaculum ducis, auguſtale. Item quod commune eſt & alijs nomen intellectu, alicui rei peculiariter attribuitur : ut urbem, Romam accipimus : & uenales, nouitios : & Corinthia æra : cum ſint urbes aliæ quoque, & uenalia multa, & tam aurum & argentum, quàm æs Corinthium. ſed ne his quidem uirtus oratoris inſpicitur. At illud iam non mediocriter probandum, quod hoc etiam modo laudari ſolet, ut proprie dictum, id eſt, quo nihil poſſit inueniri ſignificantius : ut Cato dixit, C. Cæſarem ad euertendam Rempublicam ſobrium acceſſiſſe. ut Virgilius, Deductũ carmen. &

Horatius,

Horatius, Acrem tibiam, Annibalemq́ue dirum. In quo modo illud quoque eſt à quibuſdam traditum, propriũ genus ex appoſitis, quæ epitheta dicuntur: ut dulce muſtum, & cum dentibus albis. de quo genere poſtea dicemus. Etiam quæ bene tranſlata ſunt, propria dici poſſunt: quæ ſunt in quoque præcipua, proprij locũ accipiunt: ut Fabius inter plures imperatorias uirtutes, cunctator eſt appellatus. REPERTA, quæ ex his.] Id eſt, reperta dicũtur, quæ ex natiuis, hoc eſt, naturalibus, quibus omnes utuntur, à nobis deducta repertaq; ſunt: ut Cicero ab eo quod eſt beatus beata beatum, finxit reperitq; beatitas & beatitudo: quæ dura Quintilianus quidem ſentit eſſe. uerumtamen uſu putat poſſe molliri: ac ut à Cicerone etiã ſyllabatum, ita ab Aſinio fimbriatum, & figulatũ. Nouata.] Vt quæ memorauimus. Aut ſimilitudine.] Sicut bonitas dicitur, ita beatitas: beatitudo ita dicitur, ut magnitudo. Aut imitatione.] Vt enim Græci dicunt μεσότητας, ita Cicero de Vniuerſitate, medietates: ac ſicut à Græcis ὂν & οὐσία dicitur, ita à Sergio Flauio, ut Quintilianus ait, ens & eſſentia & quæ à Græcis ἐνάργεια dicitur, à Cicerone in Hortenſio tum perſpicuitas, tũ euidentia. AVT inflexione.] Quemadmodum practicam (ut tradit Quintilianus) ſicut muſicam, à piratis deriuarunt multi, uſiq; eo ſunt uerbo. Nec ideo ait hic Cicero inflexione, quin ſuperiora quoque inflectantur (nam ait primo, Reperta quæ ex his facta ſunt) ſed propter id quod ſequitur. AVT adiunctione uerborum.] Hoc eſt, cum per compoſitionem nouantur: ut Lucretius, terriloquis dictis inquit, & barbigerum pecus: & Cicero, ſolinagas feras. nam cum ſint eorum ſimplicia natiua, compoſita certe reperta ſunt: quod genus uehementer Horatius in Arte poetica probat, cum inquit, Dixeris egregie notum, ſi callida uerbum Reddiderit iunctura nouum. ALTERA natura, tract.] Diſtinguit Cicero adhuc uerba, ut alia natura dicat, alia tractatu ipſo conſiderari. Natura.] Vt ſonantiora ſint alia: quemadmodum ductor, quàm dux. Grauiora.] Vt uaſtũ pelagus, quàm magnum. Leuiora.] Id eſt, magis lubrica, et quodammodo nitidiora: ut melliuſcule, leniuſcule, & tales molliuſculæ pronunciatæ dictiones. ALIA contra.] Vt, Horrida terra tremit, & ſimilia. Tractatione.] Cum aut propria ſumuntur uocabula, eo modo, quo (tradente Quintiliano) diximus fieri: ut cum dicimus ſterilem platanum, tonſaſq; myrtos, maritam ulmum, & uberes oleas. Aut addita ad nomen.] Id eſt, epitheta: ut impium parricidam: euerſorem Carthaginis & Numantiæ, Scipionem intelligimus: principem eloquentiæ, Ciceronem. Aut noua.] Vt Cicero fauorem, & urbanum, tradente Quintiliano, noua putat: ut putat Terentium primo dixiſſe obſequium. AVT priſca.] Qualia, Ciceronis ſententia, in libro de Oratore ſunt, reor, autumo, & (ut Quintilianus inquit) nuncupare, fari, & huiuſmodi multa, quæ certe grandem & ſanctiorem & magis admirabilem noſtram reddunt orationem. AVT ab oratore modificata.] Verba, inquit, in aliũ modũ trahuntur, aliumq́; flectuntur in ſignificatum, quàm ſit eorum naturalis ſignificatio, per tranſlationem. transfertur ergo nomen aut uerbum, ut Quintilianus inquit, ex eo loco in quo primum erat, in eũ in quo aut proprium deeſt, aut tranſlatum proprio melius eſt. id facimus, aut quia neceſſe eſt, aut quia ſignificatius eſt: aut, ut dixi, quia decentius eſt. Vbi nihil horum præſtabitur, quod transferetur, improprium erit. Neceſſitate ruſtici gemmam in uitibus dixerunt, inde gemmare etiam uites, inquit Cicero, ſitire ſegetes, & fructices laborare. nos neceſſitate durum hominem, aut aſperum: non enim proprium erat, quod daremus his affectibus nomen. nam incenſum ira, & inflammatum cupiditate, & lapſum errore, ſignificandi gratia. nihil enim horum ſuis uerbis, quàm his accerſitis, magis proprium erit. Illa ad ornatum, lumen orationis, & generis claritatem, & concionum procellas, & eloquentiæ flumina: ut Cicero pro Milone, Clodium fontem gloriæ eius uocat. & in alio loco, ſegetem ac materiem. Quædam etiam parum ſpecioſa dictu, per hanc explicantur: Hoc faciũt nimio ne luxu obtuſior uſus Sit genitali aruo, & ſulcos oblimet inertes. AVT immutantur.] Quæ figura metonymia dicitur: quã, ut Cicero in Oratore inquit, hypallagen eſſe rhetores dicunt. hac inuenta ab inuentore, & ſubiecta ab obijcientibus ſignificat: ut, Cererem corruptam undis: &, Receptus terra Neptunus. Refert autem, inquit Quintilianus, in quantum dictus tropus oratorem ſequatur. nam ut Vulcanum pro igne uulgo audimus, & uario Marte pugnatũ eruditus eſt ſermo: & Venerem quàm coitum dixiſſe magis decet: ita Liberum & Cererem pro uino & pane licentius, quàm ut fori ueritas ferat. AVT ea quibus tanquam abutimur.] Hæc figura à Græcis catachreſis nominatur, quam, ut inquit Quintilianus, recte dicimus abuſionem, quæ nõ habentibus nomen ſuũ accommodat, quod in proximo eſt: ut parricida, matris quoque aut fratris interfector. Et ſi dicas, ut ſu bonus, hoc ego non metuo. & cum inquit Iuuenalis, Quartanam dudum ſperantibus ægris. pro timentibus. Aut ea quæ obſcuramus.] Hanc Græci allegoriam uocant, quam nos, ut Quintilianus inquit, inuerſionem interpretamur, aliud uerbis, aliud ſenſu oſtendit, ac etiam interim contrariũ. Prius: ut, O' nauis referent in mare te noui Fluctus, ò quid agis, fortiter occupa Portum. Totusq; etiam ille Horatij locus, quo nauem pro Repub. fluctuum tempeſtatem pro bellis ciuilibus, portum pro pace atque concordia dicit. tale Lucretius, Inuia Pieridum peragro loca. Et Vergilius, Sed nos immenſum ſpatijs confecimus æquor, Et iam tempus equum ſpumantia ſoluere colla. Sine tranſlatione uero in Bucolicis, Certe equidem audieram, quà ſe ſubducere colles Incipiunt, molliq; iugum demittere cliuo, Vſque ad aquam, & ueteris confracta cacumina fagi, Omnia carminibus noſtrum ſeruaſſe Menalcam. Hoc enim loco, præter nomen cætera proprijs expreſſa ſunt uerbis. uerum non paſtor Menalcas, ſed Vergilius eſt intelligendus. Apud Ciceronem, Equidem cæteras tẽpeſtates & procellas in illis duntaxat fluctibus concionum ſemper Miloni putaui eſſe ſubeundas. Niſi adiecisſet, inquit Quintilianus, duntaxat fluctibus concionum, allegoria eſſet: eam nũc miſcuit. eſt ergo mixta cum tranſlatione allegoria. Illud uero longe ſpecioſiſſimum genus orationis, in quo trium eſt permixta gratia, ſimilitudinis, allegoriæ, & tranſlationis: ut pro Murena Cicero, Quod fretum, quem euripum, tot motus, tantas, tam uarias habere putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes, & quantos æſtus habet ratio comitiorum? Dies intermiſſus, aut nox interpoſita ſæpe perturbat omnia, & totam opinionem parua nonnunquam commutat aura rumoris. Hæc allegoria, inquit Quintilianus, quæ eſt obſcurior, ænigma dicitur, uitium meo quidem iudicio: ſiquidem dicere dilucide, uirtus. quo tamen & poetæ utuntur, Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo, Treis pateat cœli ſpatium non amplius ulnas. Aenigmata itaque ſunt, quæ niſi quis interpretetur, non intelligas. Ideo dum ait Cicero, Aut quæ obſcuramus: non ueriſimile eſt ut ænigma intelligat, ſed allegoriam, quæ paulo obſcurius effert quod ſibi uult, ut tamen poſſit intelligi. Quæ incredibiliter tollimus.] Hanc Græci figurã hyperbolen uocant: ut, Geminiq; minantur In cœlum ſcopuli. &, Fulminis ocior alis. &, Illa uel intacta ſegetis per ſumma uolaret Gramina, nec teneras curſu læſiſſet ariſtas. Cicero in Antonium, Quæ Charybdis tam uorax? Charybdin dico? quæ ſi fuit, fuit animal unum: Oceanus mediusfidius uix uidetur tot res, tam diſſipatas, tam diſtantibus in locis poſitas, tam cito abſorbere potuiſſe. Et rurſus in Verrem, Pindarum ſecutus: Verſabatur in Sicilia longo interuallo alter, non Dionyſius ille, nec Phalaris (tulit

enim illa quondã inſula multos, et crudeles tyrannos) ſed quondam nouum mõſtrum, ex uetere illa immanitate, quæ in iiſdem locis uerſata eſſe dicitur. Non enim Charybdin tam infeſtam, neque Scyllam nautis, quàm iſtum in eodem freto fuiſſe arbitror. Quæque admirabilius, quàm ſermonis conſuetudo patitur, ornamus.] *Hanc figuram, periphraſin uocant Græci: Circuitum loquendi ornatum, inquit Quintilianus, petit ſolum: qui eſt apud poetas frequentiſſimus. Tempus erat quo prima quies mortalibus ægris Incipit, et dono diuum gratiſſima ſerpit. Et apud oratores noſtros, ſemper tamen aſtrictior: quidquid enim ſignificari breuius poteſt, & cum ornatu latius oſtenditur, periphraſis eſt.* Numeri quidem.] *Expoſitis ſimplicium uerborum præceptis, nunc tradit coniunctorum: & primo quidem numeros in oratione cuſtodiendos dicit. qui, quales'ue ſint, breuiter & utiliſſime ex omnibus colligemus auctoribus, qui de numeris locuti ſunt. Numerus omnis oratorius, quem Græci rhythmon uocant, tum in principio clauſulæ, tum in fine conſideratur. In principio quidem clauſulæ, modo duo, aut tres, modo qualeſcunque, qui fluant bene, iunguntur pedes: ſed etiam incipitur à carminis principio, & aliquando ab integro uerſu: ut Plato Timæum, orſus à uerſu heroico, εἷς, δύο, τρεῖς, ὁ δὲ δὴ τέταρτος ἡμῖν ὦ φίλε Τίμαιε ποῦ; id eſt, Vnus, duo, tres: quartus porro nobis ubi'nam ò amice Timæe? Ab integro autem ſenario iambico dicendi accuratiſſimus, præter alios omnes oratores Iſocrates, Panathenaicum incepit, cum inquit, νεώτερος μὲν ὢν προῃρούμην γράφειν. Titusq; Liuius (ut Quintilianus putat) à uerſu heroico hiſtoriam ſuam inchoauit: ut melius quàm ut nunc legatur, Facturus'ne operæprecium ſim. Ita Diomedes annotat, Saluſtium in principio Iugurthæ, & Ciceronem ſæpiſſime principia orationum à metris integris incepiſſe. Quare ut in principio clauſula bene à carmine incipitur, ita male deſinit in carmen clauſula, ſiue integrum, ſiue uerſus ultimam partem. luſorium ſiquidem habet quiddam, & proinde contemnendum. Cuiuſmodi ergo pedibus clauſulas rectè terminetur, iam uideamus. Cum igitur aures extremum ſemper expectent, in eoq; conquieſcant, id uacare numero non oportet. At & Ariſtoteli et Ciceroni & Quintiliano placet ſententiæ quoque initium, cuiuſmodi diximus, numeroſum eſſe: quòd ſtatim à principio ſententiæ dictionis cõcinnitate multum afficiamur: & ipſa concluſione, ne claudicans ac quaſi fluctuã, ſed æqualiter habeat oratio. Illud igitur primo nos nõ fugiat, non tantũ referre qui pedes, ſed etiam quæ uerba commiſſura quadã claudant orationem. Primo igitur, pedes numerus oratorius nullos, ut etiam Quintilianus exiſtimat, reſpuit: quare non pedes, ſed pedum iunctura damnandæ ſunt, aut eligendæ. Commonebimus ergo iuncturas aliquas, ut ex eis aurem ſuam conſulens et iudicium adhibens, cæteras poſſit cuſtodire. Vt ergo de uerbis loquamur, ſi in extrema clauſulæ parte breuiora locaueris, infringitur illa quaſi membrorũ comprehenſio: quare aut paria ſyllabis eſſe oportet poſteriora ſuperioribus: aut, ut Cicero putat, melius iucundius'que longiora claudent. Veruntamen non refert ſi monoſyllabum ſit. in fine enim antecedenti iungi uidetur: ut, auxilium eſt. Spondeus ergo (ut à duarum ſyllabarum pedibus ordiamur) quo Demoſthenes plurimũ uſus eſt, moram affert. ac illud generaliter, tenendum eſt, quòd quo pedes ſunt temporibus pleniores, longiſq; ſyllabis conſtant, hoc ſtabiliores ſunt & grauiores, grauioremq; reddunt orationem: breues autem, celerem ac mobilem. Spondeus præcedente ſe pyrrhichio, bene ſonat: ut, timuerunt. uel trochæo: ut, arma ſumpſi, &, acta res eſt. uel iambo: ut, manus armant. Ipſe autem ſibi male ſpondeus præponi creditur: ut, oratores. præterquàm in caſis ac membris, ut Craſſi illud, Nos oppugnant. Ne dactylus quidem bene præponitur, quòd finis uerſus uideatur heroici. Sunt tamen qui admittant, ſi anapaſtus antecedat in una parte orationis, lubrica ſtructura eſt: ut, dominabatur. ubi diuerſæ fuerint partes orationis, retentus ſpiritus firmitatem facit: ut, uideant ipſi. Idem de tribracho dicimus: ut, gerere morem, & facilitates. Spondeus rectè iambo præponitur: ut, doctus fui. Seipſum præcurrit iambus bene, ut bona fide. & cretico antecedente: ut, proſpera fide. Trochæus bene ſe præcedit, quo frequenter utitur numero Tullius: ut, eſſe ei pœnas perſolutas. & Gracchi illud, Temeritas filij comprobauit. Trochæus autem, ſpondeus, & iambus, ut Cicero putat, male concludunt: rerum tamen tumor, ex ſpondeis atque iambis maxime continetur: ut, Sceptrum mihi liquit Pelops. Pyrrhichius currit: ut, Quid igitur faciam? Dactylus Ariſtoteli amplior, ſicut humanior uidetur. Iambus clauſulam is fortem reddit antecedente trochæo: ut, iure fecimus. Pyrrichio antecedente: ut, bene dicitur. ſpondeo, Cauſas audias, iuſte fecimus. iambo, fide dicitur, dies attulit. Tribrachus dactylum bene præcedit, recole nomina. Anapæſtus, repetes catena. & moloſſus, quærebat diceret. Facit etiam tribrachus ad clauſulam, præcedente cretico: ut ſi dicas, de cæteris agite, de prælijs redeo, de literis dubito. Amphibrachus quoque rectè ponitur in clauſula, ſpondeo ferè antecedente, Ludos habete, rectè locutus. Trochæo, iuſta querela. Anapæſtus etiam conuenit, ſed in rhythmi modum profluit: ut innocentiæ leue præſidium eſt. Mollior fiet præcedente ſpõdeo, ut, ſi mutes, leue innocentiæ præſidium eſt. profluit etiam, ſi trochæum anteponas: ut, nomen erat imperij. Creticus antecedens, eum paulo fortiorem reddit: ut, nobiles homines. Ante ſpondeum exultat: ut, de quo nihil dicam, niſi depellendi criminis cauſa. Et, Quouſque tandem abutere Catilina patientia noſtra? Duo autem, aut tres, ut uult Cicero, ſunt fermè extremi ſeruandi pedes, ſi modo ſuperiora breuiora non ſint, aut creticus, aut herous, aut pæon. Creticum bene antecedunt uel anapæſtus: ut, populo conferunt. uel pæon ultimus: ut, placat facilitas nobiles. uel epitritus tertius, ſeruare quamplurimos. uel trochæus, turpe ducerem. Hæc de duarum & trium ſyllabarũ pedibus. Nunc alios uideamus. Pæonem primum & quartũ probat Ariſtoteles, cui à priore ordiendum placet, ut hæc uerba ſunt, deſinite, incipite, comprimite. poſteriore autem finire: ut in hæc uerba, agilitas, facilitas, domuerant. Pæona tertiũ aiunt omnes bene concludere: cui Cicero tribrachum anteponit, ut, facere uideamur. aliquando iambum: ut in Catilinam, Cum omnibus potius, quàm ſoli, pati uoluerunt. ſæpiſſime autem trochæum: ut, Quantum laboris ſit habitura. &, Diu multumq; mecum Brute dubitaui. &, frequentiſſime eſſe uideatur. Dichoræo quoque frequenter utitur: ut, dicere maluerunt. &, crimina detulerunt. &, exercitum compararunt. &, contra amentiam perditorum. Antiſpaſtum bene dactylus antecedit: ut, Vir optimus uideretur. & trochæus: ut, Interfectam eſſe fateretur. Ionicum maiorem, bene præcurrit tribrachus: ut, Te ad crudelitatem acuet oratio. Nonnunquam trochæus, Veſtit oratio. his Cicero utitur. Ex quinque autem ſyllabis pedes fluxiorem ſtructuram faciunt: ut arbitramini, interrogarunt, deſiderarunt. Omnium quinque ſyllabarum Cicero dochimum probat maxime: cuius ponit exemplum, Amicos tenes. & ubique aptum eſſe dicit, modo ſemel ponatur: quoniam iteratus, apertum faciat numerum. Hæc ſunt quæ breuiſſime dicenda de numeris putauimus. Nunc reliquam proſequamur interpretationem.* Numeros, aures.] *Hoc eſt, ne clauſula quæ numeris clauditur, ſit longior, quàm uno ſpiritu pronuncietur: aut breuior, ut aures fruſtretur audientium.* Conſecutio autem.] *Hoc eſt, ne ſolœciſmum grammaticæ uitium facias.* Vt in ſimplicibus.] *Quod non eſt latinum, ſed barbarum, reprehenditur: ita in coniunctis, inquit, ſolœciſmus. Vitanda ergo hæc duo in oratione uitia monet, barbariſmum, & ſolœciſmum.* Dilucidum.] *Appellat dilucidum, quod etiã apertum in*

tum in

tum in Rhetoricis nominat, ubi narrationis præcepta tradit. Quintilianus: Aperta inquit, & dilucida erit oratio, ſi fuerit primum expoſita proprijs uerbis, & ſignificantibus, & non ſordidis quidem, non tamen exquiſitis & ab uſu remotis: tum diſtincta rebus, perſonis, temporibus, locis, cauſis, ipſa etiã pronunciatione in hoc accommodata, ut iudex, quæ dicuntur, quàm faciliime accipiat, Hæc de narratione locutus. At de elocutione, Nobis, inquit prima ſit uirtus perſpicuitatis, propria uerba, rectus ordo, non in longum dilata concluſio, nihil neque deſit, neque ſuperfluat, ita ſermo & doctis probabilis, & planus imperitis erit. Hæc eſt eloquendi obſeruatio. Nam rerum perſpicuitas quo modo præſtanda ſit, diximus in præceptis narrationis, ſimilis autem ratio eſt in omnibus. Nã ſi neque pauciora quàm oportet, neque plura, neque inordinata, aut indiſtincta dixerimus, erunt dilucida, et negligenter quoque audientibus, aperta. Recte ergo monet Cicero, ut ſi dilucidam elocutionem uelimus, uſitatis utamur uerbis, id eſt, non à loquendi conſuetudine remotis. PROPRIIS.] Quod Quintilianus inquit, ſignificantibus: hoc eſt, bene explicantibus. Diſpoſitis.] Suo in loco collocatis. Aut circumſcriptione concluſa.] Id eſt, clauſa, aſtricta, non uaga. Aut intermiſſione.] Cũ parentheſim facimus. Aut conciſione uerborum.] Cum uerba ſubiicemus non neceſſaria, ut Plinianum illud: An uenaris, an piſcaris, an aucuparis, an ſimul omnia? & infinita huiuſmodi. OBSCVRVM.] Tangit uitium dilucido cõtrarium uirtuti. nam corrupta, ut inquit Quintilianus, oratio, in uerbis maxime improprijs, redundantibus, comprehenſione obſcura, cõpoſitione fracta, uocum ſimilium aut ambiguorũ puerili captatione, conſiſtit. Longitudine.] Igitur, inquit, longius euagatur oratio. Contractione.] Cum oratio conciſa eſt, & uerba neceſſaria ſubticuit. Ambiguitate.] Cum ſenſus multiplex eſſe uerborum poteſt. Inflexione.] Cum uerborum deriuatio non percipitur: uelut apud Ciceronem in Bruto, cum Siſenna dixiſſet ſputatilica, à Grannio irriſus eſt, quòd pro eo uerbo uilia intelligeret. IMMVTATIONE uerborum.] Cum alia pro alijs ponuntur uerba: ut qui ſolem aurum, & lunam argentum uocant. Breuitas autem.] Quintilianus: Ac merito laudatur breuitas, inquit, integra: ſed ea minus præſtat quoties nihil dicit, niſi quod neceſſe eſt. βραχυλογίαν breuitatem uocant, quæ reddetur inter ſchemata. Eſt uero pulcherrima cum plura paucis complectimur, quale Saluſtij: Mithridates corpore ingenti, proinde armatus. Inter ſchemata autem utimur hac figura, inquit, non ſingulis modo uerbis, ſed etiam ſententijs: ut Cicero dicit cõtra concionem Metelli: Qui iudicabantur, eos uocari, cuſtodiri, ad ſenatum adduci iuſſi, in ſenatu ſunt poſiti. & totus hic locus talis. Hoc genus βραχυλογίαν uocant. Hoc ergo dicit Cicero, Breuitas conficitur ſimplicibus uerbis, non aceruatis. PROBABILE autem genus.] Probabile autem, inquit Cicero, id genus dicitur, quod non plus minuſ'ue eſt, quàm dicit: non quia comi expolitiõq; non debeat (nam & hæc ornatus pars eſt) ſed quia uitium eſt ubique quod nimium eſt. Si non nimis compt.] Quoniam hæc ueritatis fidem tollunt. Si eſt auctoritas & pon.] Ne laſciuire compoſitione uideamur. ILLVSTRIS autem oratio eſt.] Quintilianus quoque cum de probabili loquitur oratione, ſubiungit: Itaque in nobis eſſe oportet auctoritatem, in uerbis ſentẽtias, ut graues, uel aptas opinionibus hominum ac moribus: his enim ſaluis, licet aſſumere ea quibus illuſtrem fieri orationem putamus. delectant tranſlata, ſuperlata, ad nomen adiuncta, duplicia, & idem ſignificantia, atque ab imitatione rerum non abhorrentia. Vbi licet nobis intueri, ad aduerbum, Ciceronis uerba ex hoc loco ſuſtuliſſe, nec tamen eum nominaſſe. Et aliquando poſt: Itaque ἐνάργειαν, inquit, cuius in præceptis narrationis feci mentionem, quia plus eſt euidentia, uel ut alij dicunt, repræſentatio, quàm perſpicuitas, & illud quidem patet, hæc ſe quodammodo oſtendit, inter ornamenta ponamus. Magna uirtus eſt, res de quibus loquimur, clare, atque ut cerni uideantur, enunciare. neque enim ſatis efficit, neque ut debet plenè dominatur oratio, ſi uſque ad aures ualet, atque ea ſibi iudex de quibus cognoſcit, narrari credit, non exprimi, & oculis mentis oſtendi. Eſt igitur unum genus quo tota rerum imago quodãmodo in uerbis depingitur: Conſtitit in digitos extemplo arrectus uterque, & cætera, quæ nobis illam pugilum congredientium aciem ita oſtendunt, ut nõ clarior futura fuerit ſpectantibus. Cicero quoque in Verrem: Stetit ſoleatus Prætor Pop. Romani cum pallio purpureo, tunicáq; talari muliercula nixus in littore. Non ſolum qui legit hæc, ipſum os intueri uideatur & habitum: ſed quædam etiã ex his, quæ dicta non ſunt, ſibi ipſe aſtruat. Ego certe mihi cernere uideor & uultum, & oculos, & deformes utriuſque blanditias, & eorum qui aderant tacitam auerſationem, ac timidã uerecundiam. Interim ex pluribus efficitur illa, quam conamur exprimere, facies, ut eſt apud eundem: nempe omnium ornatum uirtutum. Exemplum uel unum ſufficiat in deſcriptione conuiuij luxurioſi: Videbar uidere alios intrantes, alios uero exeuntes, quoſdam ex uino uacillantes, quoſdam heſterna potatione oſcitantes. humus erat immunda, lutulenta uino, coronis languidulis & ſpinis cooperta piſcium. Quid plus uideret, qui intereſſet? Hæc eſt ergo illuſtris oratio, de qua Cicero loquitur, cum inquit, illuſtris eſt autem oratio, ſi & uerba grauitate delecta ponuntur, non ridicula, ſed quæ pondus ſuum habeant. ET tranſlata.] Hoc hyperbole, de qua dictum figura. ET ad nomen adiuncta.] Quæ dicuntur epitheta. de qua ſanè figura ita Quintilianus: Epitheton quod recte dicimus appoſitum, à nonnullis ſequens dicitur. eo poetæ & frequentius & liberius utuntur. Nanque illis ſatis eſt conuenire uerbo cui apponitur, & ita dentes albi, & humida uina in his non reprehenduntur. Apud oratorem, niſi aliquid efficitur, redundat. Id autem erit huiuſmodi, ut ſi dicas, O facinus indignum, ò durum pectus, quod ob rem ridiculam amiciſſimum perditum ire poſſit. Solet fieri alijs adiunctis epitheton tropis: ut apud Vergilium, turpis egeſtas, triſtis ſenectus. ueruntamen talis eſt ratio huiuſce uirtutis, ut ſine appoſitis nuda ſit, & uelut incompta oratio. ET duplicata.] Et idem ſignificantia, ut Ciceronis illud in Catilinam: Tandem aliquãdo Quirites Catilinam furentem audacia, ſcelus anhelantem, peſtem patriæ nefarie molientem, nobis atque huic urbi ferrum flammamq; minitantem, ex urbe uel eiecimus, uel emiſimus, uel ipſum egredientem urbe proſecuti ſumus: abijt exceſſit, euaſit, erupit. Senſus attingitur.] Hoc eſt, animus compungitur. Et cæteris.] Quæ dicta, & quæ ſtatim dicentur de ſuaui oratione. Altero fit.] Dilucidum dicit. SVAVE autem.] Vt uno Ciceronis modo contenti ſimus exemplo: Si patres conſcripti, pro ueſtris immortalibus in me, fratremq; meum, liberoſq; noſtros meritis parum uobis cumulate gratias egero, quæſo obteſtorq;, ne meæ naturæ potius quàm magnitudini ueſtrorum beneficiorum id tribuendum putetis. quæ enim tanta poteſt exiſtere ubertas ingenij? quæ tanta dicendi copia? quod tam diuinum atque incredibile genus orationis, quo quiſquam poſſit ueſtra in nos uniuerſa promerita, non dicam complecti orando, ſed percenſere enumerando? & totus ille locus. Coniunctione.] Id eſt uerborum ſtructura. Aſperos concur.] Vt Sextus Roſcius. melius dicas, Sextus quoque Roſcius, & non, ſed rex Xerxes: at pro eo, rex Xerxes, & ſimilia. Diſiunctis.] Cum extrema uocalis, uocalem primam uerbi ſequentis includit: ut ſi dicas, ære emit, illi incumbit, fero omnia, & ſimilia. hiat enim iunctura: quæ ſtrictior pleniorq; fieret, ſi conſonantes uocalibus applicarentur,

hac modo : ere mercatur, illi totus incumbit, ferro cætera. Circumſcripta.] Hoc dicit, ſi clauſula longior non fuerit, quàm ut uno poſſit ſpiritu enunciari, ut in ipſa clauſulæ pronũciatione uocem mutare non neceſſe fuerit. Habeatq́;.] Ne alia grandia magnificaq́;, alia porro humilia & depreſſa: nam in ſermone tenui, ſublime nitidumq́; non conuenit, fitq́; corruptum, quia in plano tumet. Ita humilia circa res magnas carpimus: itaque ut ridetur illud, Prætextam in ciſta mures roſere Camilli: ita probatur Vergilianum illud, Sæpe exiguus mus. nam adiectiuum Exiguus, epitheton aptum, proprium, effecit ne plus expectaremus, & caſus ſingularis magis decuit: & clauſula ipſa unius ſyllaba non uſitata, addit gratiam. Imitatus itaque eſt utrunque Horatius, Naſcetur ridiculus mus. Ex contrarijs.] Hæc figura antitheton appellatur, Latine contrapoſitum: cuius exemplum non uidemus commodius proferri poſſe, quàm Ciceronis illud in Catilinam: Ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia; hinc pudicitia, illinc ſtuprum; hinc fides, illinc fraudatio; hinc pietas, illinc ſcelus; hinc conſtantia, illinc furor; hinc honeſtas, illinc turpitudo; hinc continentia, illinc libido: denique æquitas, temperantia, fortitudo, prudentia, uirtutes omnes certant cum iniquitate, cum luxuria, cum ignauia, cum temeritate, cum uitijs omnibus: poſtremo copia cum egeſtate, bona ratio cum perdita, mens ſana cum amentia, bona denique ſpes cum omnium rerum deſperatione confligit. Quintilianus autem de hac figura locutus, Non uno, inquit, fit modo: nam & fit ſi ſingula ſingulis opponantur, ut Vicit pudorem libido, timorem audacia: & bina binis, Non noſtri ingenij eſt, ueſtri auxilij eſt. & ſententia ſententijs, Dominetur in concionibus, iaceat in iudicijs. Relataq́; ad idem uerbum.] Vt, Neque is es Catilina, ut te aut pudor à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio à furore reuocarit. ad idem enim uerbum plura referuntur: quod fit aut præpoſito uerbo, aut in ultima parte collocato, ut hic: aut in medio. Et geminata.] Vt, Perturbatio iſtum mentis, & quædam ſcelerum offuſa caligo, & ardentes furiarum faces excitarunt. Et illud: Inueſtigata, comperta, patefacta, ſublata, deleta, extincta. & illud, Pater hic tuus, patrem hunc appellas? patris tui filius eſt. CONSTRVCTIO.] Vt, Tectumq́; laremq́;, Armaq́; Amycleumq́; canem, Creſſamq́; pharetram. DISSOLVTIONIBVS.] Vt, Alexandro Aquila in deliberando conſilium, in præliando uirtus, in beneficio benignitas nõ deerat, ſed duntaxat in ſupplicio crudelitas. nam cum aliqua res dubia accidiſſet, apparebat ſapientiſſimus; cum autem confligendum eſſet cum hoſtibus, fortiſſimus; cum uero præmium dignis tribuendum, liberaliſſimus; et cum animaduertendum, clementiſſimus. Et apud Vergilium, Hic illum uidi iuuenem Melibœe, quotannis Bis ſenos cui noſtra dies altaria fumãt. Hic mihi reſponſum primus dedit ille petenti. Sed utrunque horũ, inquit Quintilianus, coaceruatio. etenim tantum iuncta aut diſſoluta, omnibus ſcriptores ſua nomina dederunt, ſed uaria, & ut cuique fingere placuit, fons quidem unus, qui acriora facit, & inſtantiora quæ dicimus, & uim quandam præ ſe ferentia uelut ſæpius erumpentis affectus. FIT etiam ſuauis.] Vt ipſe Cicero pro Cælio: Prægeſtit animus iam uidere primum lautos iuuenes, mulieris beatæ ac nobilis familiares: deinde fortes uiros ab Imperatrice in inſidijs, atque in præſidio balnearum locatos: ex quibus requiram quó nam modo latuerint, aut ubi: alueus ne ille, an equus Troianus fuerit, qui tot inuictos uiros muliebre bellum gerentes tulerit ac texerit. Illud uero reſpondere cogam: Cur tot uiri ac tales, hunc & unum, & tam imbecillum, quàm uidetis, non aut ſtantem comprehenderint, aut fugientem conſecuti ſint. qui ſe nunquam profecto, ſi iſtum in locũ proceſſerint, explicabunt. quàm uolent in conuiuijs faceti, dicaces, nonnunquam etiam ad uinum diſerti ſint. alia fori uis eſt, alia triclinij: alia ſubſelliorũ ratio, alia lectorum: nõ idem iudicum comeſſatorumq́; conſpectus: lux denique alia eſt ſolis, & lychnorum. DELECTAT.] Vt ipſe in Piſonem: Sed multa carne ſubrancida ſerui ſordidati miniſtrant, nonnulli etiam ſenes: idem coquus, idem atrienſis: piſtor domi nullus, nulla cella: panis & uinum à propola, atque de cupa: Græci ſtipati, quini in lectulis, ſæpe plures, ipſe ſolus, bibiturus; quæ eodem de ſolio miniſtrentur: ubi galli cantum audiuit, auũ ſuum reuixiſſe putat: menſam tolli iubet. QVAEQVE ſignificat.] Vt pro Cælio: Adulterum ego putarem, ſiquis hanc paulo liberius ſalutaſſet? Et contra Catilinã: Serui mehercule mei ſi me iſto pacto metuerent, ut te metuunt omnes ciues tui, domum meam relinquendam putarem. Et rurſus pro Cælio: ò magna uis ueritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam, cõtraq́; fictas omnium inſidias facile ſe per ſe ipſam defendat. INFLEXIONE ſermonis.] Quæ figura, apoſtrophe dicitur à Græcis: hæc, ut inquit Quintilianus, mire mouet, ſiue aduerſarios inuadimus: Quid enim tuus ille Tubero in acie Pharſalica gladius agebat? ſiue ad inuocationem aliquam conuertimur: Vos enim Albani tumuli, atque luci, uos inquam imploro: ſiue ad inuidioſam implorationem; O` lex Porcia, legesq́; Semproniæ. Augendi alterius.] Vt in Tuberonem memorato in exemplo. Minuendi ſui cauſa.] Vt pro Milone, O` me miſerum? O` me infelicem? reuocare tu me in patriam Milo potuiſti. ALIA dici ab oratore.] Hæc figura, Ironia dicitur: ut illud in Catilinam, A` quo repudiatus ad ſodalem tuum uirum optimum Metellum demigraſti. Vnde, quoniam Socrates ea plurimũ uſus eſt, appellatus eſt εἴρων, ſimulator. QVAE orationem.] Ideo illa à nobis repudiata ſunt præcepta. CVM aut proprium.] Vt te nemus Angeriæ, uitrea te Fucinus unda. Et, Hæc nauis onuſta præda Sicilienſi: cum & ipſa quoque eſſet ex præda. Et, Multi & graues dolores inuenti parentibus & propinquis multi. CVM aut definitio ad unum uerbum reuocatur.] Vt, Qui ſunt qui fœdera ſæpe ruperunt? Carthaginenſes. Qui ſunt qui bellum crudeliſſime geſſerunt? Carthaginenſes. Qui ſunt qui Italiã deformauerunt? Carthaginenſes. Qui ſunt qui ſibi ignoſci poſtulãt? Carthaginenſes. ASSVMPTA.] Per correctionem: Hunc ego non immanem, ſed feram duco. CIRCVITVS.] Id eſt, in clauſulam uerba extendit. ut quod dicit de Sexto Roſcio: Etenim cum artifex eiuſmodi ſit, ut ſolus dignus uideatur eſſe, qui in ſcena ſpectetur: tum uir eiuſmodi eſt, ut ſolus dignus uideatur, qui eo non accedat. AVT coniunctione.] Fit unum uerbum ex duobus nominatione uocabuli, de qua dictum ſuperius eſt. VT cum ſemel dictum eſt.] Quæ figura Græce ἐπάνοδος, regreſſus dicitur, ut propoſitis duobus ſecundum primo, deinde primum capimus. ut apud Vergilium, Forte ſub arguta conſederat ilice Daphnis, Compulerantq́; greges Corydon & Thyrſis in unum, Thyrſis oues, Corydon diſtentas lacte capellas. ET idem quaſi ſurſum.] Hæc κλῖμαξ Græce, Latine gradatio nominatur. hæc repetit ea quæ dicta ſunt, & priuſquam ad aliud deſcendat, in prioribus reſiſtit: ut, Africano uirtutem induſtria, uirtus gloriam, gloria æmulos comparauit. Et Calui: Non ergo magis pecuniarum repetundarum, quàm maieſtatis: neque maieſtatis magis, quàm Planciæ legis: nec Planciæ legis magis, quàm ambitus: neque ambitus magis, quàm omnium legum iudicia perierunt. DEINDE interciſe, atque permiſte.] Vt, Stupere gaudio: ſimul enim auditur, cœpit. Permixte: ut, Tã deeſt auaro quod habet, quàm quod non habet. FACIT enim & dilucidam.] Cum ſit actio rhetorum omnium conſenſu in duas diuiſa partes, uocem & geſtum, quorum altera oculos, altera aures mouet, per quos duos ſenſus omnis ad animum pe-

netrat

netras affectus: non dubium quin dilucidam orationem, & illuſtrem, & probabilem, & ſuauem, ſi fuerit decora, effectura ſit, cuiuſmodi autem eam eſſe conueniat, copioſiſſime expoſuit Quintilianus. QVAE eſt gemma.] Talis, inquit, eſt memoria, qualis gemma, in qua ſculptæ ſunt literæ, quæ in cera deſigantur: nam & ipſa quoque memoria ita rerum figuras continet impreſſas, uel etiam uerba. Eſt autem memoria quidem duplex, alia naturalis, alia arte comparata. Naturalis adiuuari ac augeri arte adhuc poteſt. Arte comparatur aut per imagines, ut Cicero in rhetoricis ad Herennium tradit. aut ſolertia & diligentia, quam exponit Quintilianus, melior euadit. aut tertio medicamine roboratur. Nam quemadmodum medici propemodum omnes & philoſophi tradunt, memoriæ omnis imbecillitas, aut à cerebro frigido eſt, aut à frigido & arido, aut à frigido & humido: aut aliquando etiam uarias mutat imagines, propter calidum in humido, ut in bilioſis ſolet accidere. His omnibus cauſis inſpectis, medelis ſingulis ſuæ poſſunt accommodari. Quoniã igitur.] Quoniam totus hic oratoriarum partitionum liber in treis diuiſus eſt partes, in uim oratoris, orationis partes, & quæſtiones: cum dictum de prima ſit, de reliquis nunc dicendum eſt, primoq; de oratoris partibus. Quarum prima & poſtrema ad motum animi ualent: non quin reliquæ quoque idem præſtent, ſed quòd in his duabus ferè tota uis mouendi explicetur. Ideo in Areopago his uti oratores per præconem prohibebantur: ingredienti ſiquidem oratori præco aiebat, μὴ προοιμιάζου, μηδὲ ἐπίλεγε, Nec proœmio, ne'ue epilogo utare. id autem ideo, quo uerum facilius ab omni affectu ſemoti poſſent diiudicare. Sed amplificatio.] De hac dicemus, ubi de concluſione tractabit. Vt illa docendi.] Hoc eſt, ut confirmatio docendi cauſa adhibetur, ita amplificatio cauſa mouendi. Sumuntur autem.] Ita Quintilianus, cauſa principij nulla alia eſt, quàm ut auditorem, quo ſit nobis in cæteris partibus accommodatior, præparemus. Id fieri tribus maxime rebus inter auctores plurimos conſtat, ſi beneuolum, attentum, docilem fecerimus: non quia iſta per totam actionem non ſint cuſtodienda, ſed quia initijs præcipue neceſſaria, per quæ in animum iudicis, ut procedere ultra poſſimus, admittimur. Quorum primus.] Quintilianus: Sed perſonarum, inquit, eſt, ut plerique tradiderunt, triplex ratio, ex litigatore, ex aduerſario, ex iudice. nam exordium duci nonnunquam ab actore cauſæ ſolet: quanquam enim pauciora de ſeipſo dicit, & parcius, plurimum tamen ad omnia momenti eſt in hoc poſitum. Aut meritis.] Vt ipſe ad Quirites antequam iret in exilium: Si quando inimicorum impetum propulſare ac propellere cupiſtis, defendite nunc uniuerſi unum, qui, ne omnes occideretis, ardoreq; flammæ conflagraretis, mei capitis periculo non dubitaui prouidere. Nam quem uirtutis gloria cum ſumma laude ad cœlum extulit, eundem inimicorum inuidia indigniſſime oppreſſum deprimit ad ſupplicium. Et Demoſthenes pro Cteſiphonte, Πρῶτον μὲν ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῖς θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις ὅσην εὔνοιαν ἔχων ἐγὼ διατελῶ τῇ τε πόλει καὶ πᾶσιν ὑμῖν, τοσαύτην ὑπάρξαι μοι παρ' ὑμῶν εἰς τουτονὶ τὸν ἀγῶνα. Primum quidem Athenienſes, deos deaſq; omneis oro, atque obteſtor, ut quo animo ſemper fui in hanc ciuitatem, & ueſtrum quemlibet, eodem me cauſam hanc agentem audiatis. Contrarijs rebus.] Vt ipſe in Vatinium: Si tua tantummodo, Vatini, quid indignitas poſtularet, ſpectare uoluiſſem, feciſſem id quod his uehementer placebat, ut te, cuius teſtimonium propter turpitudinem uitæ, ſordeiq; domeſticas, nullius momenti putaretur, tacitus dimitterem: nemo enim horum ita te refutandum, ut grauem aduerſarium: aut ita rogandum, ut religioſum teſtem arbitrabatur. Demoſthenes contra Midiam: Τὴν μὲν ἀσέλγειαν ὦ ἄνδρες δικασταί, καὶ τὴν ὕβριν, ᾗ πρὸς ἅπαντας ἀεὶ χρῆται Μειδίας οὐδένα οὔθ' ὑμῶν οὔτε τῶν ἄλλων πολιτῶν ἀγνοεῖν οἴομαι. Petulantiam iudices, inſolentiamq;, qua in omnes utitur Midias, neminem neque ueſtrum, neque aliorum ciuium eſſe arbitror qui ignoret. Ita Iſocrates in Lochitam: Ὡς μὲν τοίνυν ἔτυπτέ με ὁ Λοχίτης ἄρχων χειρῶν ἀδίκων, ἅπαντες ὑμῖν οἱ παρόντες μεμαρτυρήκασι. Τὸ δὲ ἁμάρτημα τοῦτο οὐχ ὅμοιον δεῖ νομίζειν τοῖς ἄλλοις. Vt igitur me cædebat Lochites, prior laceſſens iniuria, omnes uobis qui adſunt teſtantur. Peccatum uero hoc non eſt alijs ſimile iudicandum. Aut deprecando.] Deprecor, uehementer precor, & refuto. Statius, Nec deprecor umbram Accipere. Vergil. Equidem merui, nec deprecor, inquit. Luca. Non deprecor hoſti Seruari, dum me ſeruet ceruice reciſa. Ouid. in Faſtis: Ille metu pauidus, mortem non deprecor, inquit. Auguſt. in pſalmo 87. Deprecor commune eſt uerbum: dicimus enim deprecor te, & deprecor à te. Aut deprecando, hic intelligendum eſt recuſando, refutandoq;. Intelligenter autem.] Quia quæ primo dicuntur, illa magis conſiderari ſolent. ut de Prouincijs conſularibus ipſe: Si quis ueſtrum P. C. expectat, quas ſim prouincias decreturus, conſideret ipſe ſecum, qui mihi homines ex prouincijs potiſſimũ detrahendi ſint: non dubitabit, quid me ſentire conueniat, cum quid mihi ſentire neceſſe ſit, cogitarit. Lyſias in epitaphio auxiliantium Corinthijs. Εἰ μὲν ἡγούμην οἷόν τε εἶναι ὦ παρόντες ἄνδρες τῷδε τῷ τάφῳ, λόγῳ δηλῶσαι τὴν τῶν ἐνθάδε κειμένων ἀνδρῶν ἀρετήν, ἐμεμψάμην ἂν τοῖς ἐπαγγείλασιν ἐπ' αὐτοῖς ἐξ ὀλίγων ἡμερῶν λέγειν. Si quidem fieri poſſe arbitrarer, ô uiri præſentes, hoc in ſepulchro oratione ut exprimi poſſet eorum qui iacent uirtus, equidem illos accuſarem, qui mihi ex paucis diebus, ut de his orationem haberem, denunciarunt. Si complectare.] Vt ipſe pro Publio Sylla: Maxime uellem iudices, ut P. Sylla & antea dignitatis ſuæ ſplendorem obtinere, & poſt calamitatem acceptam modeſtiæ fructum aliquem potuiſſet percipere: ſed quoniam ita tulit caſus infeſtus, ut ampliſſimo in honore, tum communi ambitionis inuidia, tum ſingulari Autronij odio euerteretur, & quæ ſequuntur. Demoſthenes ad Philippi epiſtolam, Ὅτι μὲν ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι Φίλιππος οὐκ ἐποιήσατο τὴν εἰρήνην πρὸς ὑμᾶς, ἀλλ' ἀνεβάλετο τὸν πόλεμον, πᾶσιν ὑμῖν φανερὸν γέγονεν. ἐπειδὴ γὰρ Φαρσαλίοις Ἅλον παρέδωκε, καὶ τὰ περὶ Φωκέας διῳκήσατο, καὶ τὴν Θρᾴκην κατεστρέψατο πᾶσαν, αἰτίας οὐκ οὔσας πλασάμενος, καὶ προφάσεις ἀδίκους ἐξευρών, τῷ μὲν ἔργῳ πάλαι πολεμεῖ πρὸς τὴν πόλιν, τῷ δὲ λόγῳ νῦν ὁμολογεῖ διὰ τῆς ἐπιστολῆς, ἧς ἔπεμψεν. Quòd Philippus, Athenienſes, nõ quidem pacem uobiſcum fecit, ſed bellum diſtulit, eſt omnibus manifeſtũ. Poſtquã enim Pharſalijs Halum tradidit, & res Phocenſium ſuo arbitratu conſtituit, ac Thraciam omnem cepit, falſas commentus cauſas, ac prætextu minime iuſto inuento, re quidem ipſa iãpridem bellũ gerit cũ urbe, uerbo autẽ nunc demũ cõfitetur ex epiſtola, quã ad nos miſit. Si definias.] Hoc eſt, determines. ut ipſe in Catilinam: Rempub. Quirites, uitamq; omniũ ueſtrum, bona, fortunas, coniuges liberoſq; ueſtros, atque hoc domiciliũ clariſſimi imperij, fortunatiſſimã pulcherrimamq; urbem hodierno die deorum immortaliũ erga uos ſummo amore, laboribus, conſilijs, periculiſq; meis ex flamma, atque ferro, ac penè ex faucibus fati ereptam, & uobis conſeruatam ac reſtitutam uidetis. Demoſthenes de Cherronenſibus, Ἔδει μὲν ὦ Ἀθηναῖοι τοὺς λέγοντας ἅπαντας ἐν ὑμῖν, μήτε πρὸς ἔχθραν ποιεῖσθαι λόγον μηδένα, μήτε πρὸς χάριν, ἀλλ' ὃ βέλτιστον ἕκαστος ἡγεῖτο, τοῦτο ἀποφαίνεσθαι, ἄλλως τε, καὶ περὶ κοινῶν πραγμάτων καὶ μεγάλων ὑμῶν βουλευομένων, ἐπειδὴ δ' ἔνιοι τὰ μὲν φιλονεικίᾳ, τὰ δ', ἥτινι δήποτε αἰτίᾳ προάγονται λέγειν, ὑμᾶς ὦ Ἀθηναῖοι τοὺς πολλοὺς δεῖ πάντα τἆλλα ἀφέντας, ἃ τῇ πόλει νομίζετε συμφέρειν, ταῦτα καὶ ψηφίζεσθαι, καὶ πράττειν. id eſt: Cõueniebat, Athenienſes, ut omnes qui uerba apud uos facerent, neque odio cuiuſquam, neque gratia, oratione uterentur, ſed quod optimũ quiſque ar-

bitraretur, hoc ſimpliciter enunciaret, cum præſertim publicis maximisq; de rebus conſuleretis. Cum uero quidam partim ſtudio cótendendi, partim alia quacũque cauſa adducti accedant ad dicendum: uos multos, Athenienſes, rebus alijs omnibus prætermiſſis, quæ ipſi intereſſe Reipub. putetis, ea tum ſuffragijs ueſtris comprobare, tum facere etiam oportet. Si diuidas.] Cicero ipſe pro Cluentio Habito: Animaduerti iudices omnem accuſatoris orationem in duas diuiſam eſſe partes: quarum altera mihi niti et magnopere confidere uidebatur inuidia iam inueterata iudicij Iuniani: altera tantummodo conſuetudinis cauſa timide & diffidenter attingere rationem ueneficij criminum, qua de re, lege eſt hæc quæſtio conſtituta. Iſocrates in oratione, quæ ob eo de pace inſcripta eſt. ἅπαντες μὲν εἰώθασιν οἱ παριόντες ἐνθάδε, ταῦτα μέγιστα φάσκειν εἶναι, καὶ μάλιστα σπουδῆς ἄξια τῇ πόλει, περὶ ὧν ἂν αὐτοὶ μέλλωσι συμβουλεύσειν, οὐ μὴν ἀλλ' εἰ καὶ περὶ ἄλλων τινῶν πραγμάτων ἥρμοσε, τοιαῦτα προειπεῖν, δοκεῖ μοι πρέπειν καὶ περὶ τῶν νῦν παρόντων πραγμάτων ἐντεῦθεν ποιήσασθαι τὴν ἀρχήν. ἥκομεν γὰρ ἐκκλησιάσοντες περί τε πολέμου, καὶ εἰρήνης, ἃ μεγίστην ἔχει δύναμιν ἐν τῷ βίῳ τῷ τῶν ἀνθρώπων. Id eſt, Conſueuerunt omnes, qui huc accedunt ad dicendum, ea maxima dicere eſſe, ac multo ſtudio & contentione digna urbi noſtræ, de quibus ſententiam ipſi ſunt dicturi. Enim uero ſi de alijs ullis rebus hæc præfari cóueniat, uidetur mihi de ijs rebus, quæ nunc in deliberatione uertuntur, hinc ducendum initium eſſe dicendi. Venimus enim in conciones, de bello ac pace conſulturi: quæ duæ res maximam in uita hominum uim habent. Nam aut magna.] Vt ipſe in Verrem Cicero: Quod erat optandum maxime iudices, & quod unum ad inuidiam ueſtri ordinis infamiamq; iudiciorum ſedandam maxime pertinebat, id non humano conſilio, ſed propè diuinitus datum atque oblatum uobis ſummo Reipub. tempore uidetur. Inueterauit enim iam opinio pernicioſa Reipub. uobisq; periculoſa, quæ non modo Romæ, ſed & apud exteras nationes omnium ſermone percrebuit, his iudicijs quæ nunc ſint, pecunioſum hominem, quamuis ſit nocens, neminem poſſe damnari. & Demoſthenes contra Timocratem, Τοῦ μὲν ἀγῶνος ὦ ἄνδρες δικασταὶ τοῦ παρόντος οὐδ' ἂν αὐτὸν οἶμαι Τιμοκράτην εἰπεῖν, ὅτι αἴτιός ἐστιν ἄλλος τις αὐτῷ, πλὴν αὐτὸς αὑτῷ. χρημάτων γὰρ οὐκ ὀλίγων ἀποστερῆσαι βουλόμενος τὴν πόλιν, παρὰ πάντας τοὺς νόμους νόμον εἰσήνεγκεν οὔτ' ἐπιτήδειον, οὔτε δίκαιον ὦ ἄνδρες δικασταὶ, ὃς τὰ μὲν ἄλλα ὅσα λυμανεῖται, καὶ χεῖρον ἔχειν τὰ κοινὰ ποιήσει, κύριος εἰ γενήσεται, τάχα δὴ καθ' ἕκαστον ἀκούοντες ἐμοῦ μαθήσεσθε, ὃ δ' οὖν μέγιστον ἔχει, καὶ προχειρότατον πρὸς ὑμᾶς εἰπεῖν οὐκ ἀποτρέψομαι, τὴν γὰρ ὑμετέραν ψῆφον, ἣν ὀμωμοκότες περὶ πάντων φέρετε, λύει, καὶ ποιεῖ μηδενὸς ἀξίαν ὁ τουτουὶ νόμος. Non arbitror iudices ne ipſum quidem Timocratem dicere poſſe, alium huius iudicij auctorem, quàm ipſum ſibi, fuiſſe. Cum enim propoſitum haberet urbem fraudare non modicis pecunijs, contra leges omnes legem ipſe promulgauit neque commodam iudices, neque iuſtam. quæ quàm multis alijs modis corrumpet, ac deteriores faciet res noſtras, perlata ſi fuerit, fortaſſe intelligetis, cum ſingula, quæ dicam, attenderitis. Vnum autem quod maximum, maximeq; in promptu habeo, dicere interea non grauabor. Sententiam enim ueſtram, quam iurati omnibus de rebus fertis, antiquat, et nullius auctoritatis ac momenti reddit iſtius lex. Sit autem hoc etiam.] Quintilianus: Ad cauſam, inquit, extra pertinet tempus: unde principium pro Cælio. locus: unde pro Deiotaro. habitus: unde pro Milone. opinio: unde in Verrem. deinceps ne omnia enumerem, fama iudiciorum, expectatio uulgi: nihil enim horum in cauſa eſt, ad cauſam tamen pertinet. Et in perorando.] Hoc eſt, in ipſa concluſione quod dictum fuerit (quoniam ultimo dictũ loco, magis haberet) dabit aliquando exordij nobis occaſioné. Quoniã narratio.] Poſt exordiũ continuo ſequitur narratio. Fundamentũ.] Quoniã narrantur quæ facta ſunt, aut quæ præſentia, ex quibus magna uis argumentorũ inde elicitur. Aſſumpta.] Quæ nó tam neceſſaria, quàm ornãtia ſunt. Vt dilucide.] Quid dilucidũ, quid probabile, quid ſuaue in dicendo ſit, iam memorauimus. Probabilis.] In Rhetoricis ueteribus. Probabilis, inquit, erit narratio, ſi in ea uidebuntur eſſe, quæ ſolent apparere in ueritate, ſi perſonarum dignitates ſeruabuntur, ſi cauſæ factorum extabunt. ſi fuiſſe facultates faciendi uidebuntur, ſi tempus idoneum, ſi ſpatij ſatis, ſi locus opportunus ad eandem rem de qua narrabitur, fuiſſe oſtendetur: ſi res & ad eorum qui agent naturam, & ad uulgi rumorem, & ad eorum qui audient opinionem, accommodabitur: ac ueri quidem ſimilis ex his rationibus eſſe poterit. Quæritur enim ut ſit probabilis narratio, quis, quid, cur, ubi, quando, quemadmodum, quibus adminiculis, natura noſtra, opinio iudicum, uulgi mos: quæ ſunt omnia, perſona, factum, cauſa, locus, tempus, modus, facultas, opinio. Si teſtata.] Id eſt, de quibus teſtimonia habita ſint. Euenti.] Euentus, inquit ipſe in Rhetoricis, eſt exitus alicuius negotij, in quo quæri ſolet, quid ex quaque re euenerit, eueniet, euenturũq; ſit: quare hoc in genere, ut commodius quid euenturum ſit, ante animo colligi poſſit, quid quaque ex re ſoleat euenire cóſiderandum eſt, hoc modo, ex arrogantia odium, ex inſolentia arrogantia. Opinione.] Opinio eſt cunctorum, ad quæ ancipiti feramur ſententia, uni uel pluribus propenſior exiſtimatio. Auctoritate.] Auctoritas eſt, mentis, & corporis quædam dignitas, quæ efficit tum ſua præſentia, tum etiam oratione, ut cæteri ei reuerentiam præſtent. Si cum lege.] Lex, ut Papinianus inquit, eſt cómune præceptum, prudentium conſultum, delictorum, quæ uel ſponte uel ignorãtia contrahuntur, coercio, communis Reipub. ſponſio. Cum more.] Mos eſt, quod inter homines ſolitum eſt fieri. Cum religione.] Religio eſt, quæ diuinæ naturæ cultum & cerimonias affert. Si antiquitas.] Id eſt, ueneratio. Si memoria.] Ne uera exciderint, & falſa narret. Suauis autem narratio.] Vt Cœlij in Antonium: Nanque ipſum offenderunt temulento ſopore profligatum, totis ſtertentem præcordijs ructuoſus ſpiritus geminare, præclarasq; contubernales ab omnibus ſpondis tranſuerſas incubare, & reliquas circumiacere paſſim: quæ tamen exanimatæ terrore, hoſtium aduentu percepto, excitare Antonium conabantur, nomen inclamabant, fruſtra ceruicibus tollebant: blandius alia ad aurem inuocabat, uehementius etiam nonnulla feriebat, quarum omnium cum uoce tactuq; oſcitaret, proximæ cuiuſque collum amplexus petebat, neque euigilare ebrius poterat: ſed ſemiſomno ſopore inter manus centurionum concubinarumq; iactabatur. Quæ ad fidem, & cætera.] Nam tametſi narratio ad fidem faciendam pertinet, in primis tamen confirmatio & confutatio. Quoniam omne.] Genus totius artis eſt rhetorices facultas. Rhetorica uero ſpecies tres, quæ tria genera cauſarum appellantur, iudiciale, demonſtratiuum, deliberatiuum. Materia, quæcunque quæſtio, circa quam uerſari oratoris poſſit oratio. Partes huius materiæ, quæſtio infinita, & definita. Definita diuiditur in conſtitutiones, ſiue ſtatus, ſeu controuerſias libeat appellare. Eæ itaque omnes aut in ſcripti alicuius cauſa uerſantur, aut ex re ipſa ſibi nomen uendicat: & proinde quæ in ſcripto, legitimæ: quæ in re, rationales nominantur. In ſcripto, cũ unus ſcriptoris uerba defendit, alter ſententiam: qui ſtatus, ſcriptum & uoluntas appellatur. Alter, ſi inter ſe leges diſſentiant, & utraque pars defendatur: ſtatus, leges contrariæ. Tertio, cum ſcriptum de quo contendit, ſententiam amplectitur ambiguam: ambiguus ſtatus dicitur. Quarto, cum ex eo quod ſcriptum nó eſt, per collectionem aliquid intelligitur. quod quia per ratiocinationem & per ſyllogiſmi collectionem inueſtigatur, à græcis ſyllogiſmus, à noſtris ratiocinatio nominatur.

Quinto,

Quinto, cum ſcriptum quidem eſt, ſed in quo uis eſt id uerbum non clareſcit, finis uel finitiuus in ſcripto nominatur ſtatus. Earum porrò conſtitutionum quæ rationales appellantur, ita diſtinguuntur iuxta Ciceronem in Rhetoricis: quanquam uaria eſt de his inter rhetores opinio, ſicut de memoratis. In his ergo quæritur, an ſit, & quale ſit: & præter hoc, an iure, an more poſſit tractari iudicium, quòd ſi quod factum negatur, coniecturalis, uel inficialis ſtatus appellatur: ſi factum conſtet, & quo nomine ſit appellandum quæratur, finitiuus ſtatus: quod ſi utrunque controuerſia careat, ſed quale id ſit quæratur, generalis ſtatus nominatur. In hoc aut quæritur de præterito, aut de præſenti, aut de futuro, ſi de præterito, iuridicialis: ſin de præſenti uel futuro, negotialis. Iuridicialis igitur, cuius inquiſitio præteritum reſpicit, in duas partes diuiditur. aut enim in ipſo facto uis defenſionis eſt, & abſoluta conſtitutio nominatur: aut extrinſecus aſſumitur, & aſſumptiua nuncupatur. Hæc porrò diuiditur quadrifariam: aut enim conceditur crimen, aut remouetur, aut refertur, aut (quod eſt ultimum) comparatur. Conceditur crimen, cum nulla facti inducitur defenſio, ſed uenia poſtulatur. Id fieri duobus modis poteſt: ſi depreceris, aut purges. deprecaris, cum nihil excuſationis attuleris: purgas, cum facti culpa his adſcribitur, quibus obſiſti obuiariq; non poſſit. ſunt autem imprudentia, caſus, neceſſitas, error. Remouetur uero crimen, cum ab eo qui inceſſitur, transfertur in alium. id duobus fit modis, cum aut cauſa refertur, aut factum refertur. Cauſa cum aliena poteſtate aliquando factum eſſe contenditur. factum uero, cum alius aut potuiſſe, aut debuiſſe facere demonſtratur. Refertur crimen, cum iuſte in aliquem facinus commiſſum eſſe contenditur, quod is prouocarit laceſſiueritq; iniuria. Comparatio, cum meliore de cauſa factum dicitur. Nunc quid hic Cicero dicat, intueamur. Nunc coniecturæ, & cætera.] Hoc dicit, Quoniam rationalium conſtitutionum prima eſt coniecturalis, uelim mihi explices locos, unde in hac quæſtione poſſim argumenta deducere. In ueriſimilibus, & cætera.] Id eſt, quoniam factum eſſe negatur, à ueriſimilibus & proprijs notis rerum argumentandum. proprijs autem notis ait: id eſt, ſignis, unde uideri poſſit aut factum, aut non factum eſſe quippiam. Vt fumus.] Videtur ſiquidem, unde fumus erumpit, ibi ignis eſſe. Ex partibus, &c.] Quod facit Cicero pro Milone, cum in narratione ipſa nihil apparatus fuiſſe Miloni oſtendit, ut inſidias faceret: at contra fuiſſe Clodio. Naturæ.] Sint'ne procliues ad id, an minime. Quemadmodum affecti.] Hoc eſt, an bene educati, an ſecus. Artibus.] Nunquid laſciui, uagi, errabundiq; ſint, nulla arte inſtituti, an ſecus. Inertijs.] Hoc eſt, an ſint artium expertes. Aut quemadmodum commoti.] Vt facilius potuiſſe fieri, aut non potuiſſe oſtendatur, ſi affectuoſus, aut minime, eſſe oſtendamus. ſi nullo, uerbi cauſa, modo ad iram prouocari potuiſſe, ut id fecerint, contendamus. In fortuna.] Quibus omnibus probari poteſt, aliquid facilius fieri potuiſſe. Opes.] Quibus colimur: quæ non tam uſum, quàm lautum uſum rerum nobis ſuggerunt, ut canes uenatici, & ſimilia. Diuitiæ.] Quibus utimur: ut ſi abundemus frumento, uino, oleo, cæteriſq; huiuſmodi. In locis autem, &c.] Loci ad coniectandum argumenta maxime ſuppetunt, cum in omni genere, tum in deliberatiuo: ut ſi quæratur, an Cæſar Rhenum tranſgreſſus, Sueuos obſtantibus locorum iniquitatibus poſſit debellare: an Morinos, qui ſe in paludes condant, & huiuſmodi alia. Leues, &c. Prima producta accipiendum, hoc eſt minime herbidi, uel arboroſi. Opaci.] Crebris arboribus ſolares radios arcentes. Aprici.] Sole gaudentes: unde, Apricis ſtatio mergis: & Apricos meminiſſe ſenes, Vergilius Perſiuſq; dixerunt. Celebres.] A' multis habitati. Obſcuri.] Incogniti. Profani.] Ab omni religione remoti. Ex his propoſita materia cuiuis ducere argumenta minime erit difficile. Tempeſtas.] Tempus quo aliquid agitur: ut cũ dicimus, hac tempeſtate hoc non fit: ut, Nulli maior fuit uſus edendi tempeſtate mea, dixit Iuuenalis. Fortuita.] Quæ obueniunt, ut ipſis forte libuerit hominibus colere. Et euentus.] Supra, quid per euentum accipere oporteat, expoſuimus. Caſu.] Eſt ſiquidem proprie caſus aut in ratione carentibus, aut prorſus anima: ſicut fortuna, in ratione utentibus, cum aliqua præter propoſitum eueniunt. Nunc ergo caſum, fortuitum euentum accipiendum. In imprudentia.] Quoniam prudentia ac imprudentia, arbitraria, ac in noſtra optione poſita neutiquam ſunt. Perluſtrandæ.] Vt quoties quæſtio aliqua coniecturalis in quouis genere fuerit oblata, ex his omnibus ſedibus educere poſſimus argumenta. Ex facti.] Quæ ſigna ſuperius diximus appellari, de quibus ſuperius abunde dictum eſt. Quod ſenſu.] Præſertim uiſu et auditu: qui omnium acerrimi ſunt. Multum tamen.] Dixiſſe enim ideo uideri hunc illum occidiſſe, quòd eum oderat, parum eſt: at & quòd minitatus erat ſe occiſurum, & quòd inuentus cum gladio cruento, & quòd arguens titubarit, & cætera huiuſmodi ſi addantur: hac coaceruatione fieri uidetur iam indubitatum. Primum.] Si proferamus alios idem feciſſe, et ſimilitudinem oſtendamus. Pabula.] Quod ex uſu ipſo apparet. Quid definitionis.] Poſt coniecturalem ſtatum ſequitur, ut paulo ante oſtendimus, finitiuus. Tractatis ergo coniecturæ locis, ſequitur iam, ut finitiui quoque ſtatus locos pariter exponat. Non dubium.] Quintilianus ubi hunc ſtatum tractat, Qui priuatam pecuniam, inquit, de templo ſurripit, ſacrilegij reus eſt: culpa manifeſta eſt: quæſtio, an huic crimini nomen quod eſt in lege, conueniat: ergo ambigitur, an hoc ſacrilegium ſit. Accuſator, quia de templo ſit ſurrepta pecunia, utitur hoc nomine. reus, quia priuatam ſurripuerat, negat eſſe ſacrilegium, ſed furtum fatetur. Actor ergo ita finiet, ſacrilegium eſt, ſurripere aliquid de ſacro. Reus ſic finiet: ſacrilegium eſt, ſurripere aliquid ſacri. Vterque finitionem alterius expugnat. Ea duobus generibus euertitur: ſi aut falſa eſt, aut parum plana. Docet ergo Cicero definire, non dubiũ, &c. Hoc dicit: definitio fit multis modis, ſed potiſſimum genere & differentia. ut, homo eſt animal, genus expreſſi. rationale, adiecta iam à cæteris ſeparans animantibus differentia, quam Cicero nunc proprium uocat. quid autem interſit inter differentiam & proprium, ab Ariſtotele in Topicis, & Porphyrio in quinque uocibus percipi poteſt. Sed addit aut communiũ frequentiam. Id autem fit, cum proprio, aut differentia caremus: ut ſi dicas, homo eſt animal bipes, latis unguibus, & protenſis, ſurſum in cœlum ſpectans, cui ab humeris bina demittuntur brachia: & cætera hoc modo. Ex quibus.] Nam ex omnibus uideri poteſt proprium factum eſſe. Definiendũ.] Subaudiendum, addita negatione: ut Horat. illud, Virtus eſt uitium fugere, & ſapientia prima Stultitia caruiſſe. Id maxime ſolet fieri de principijs, quoniã genera ſuperiora nõ habent: ut punctum eſt, cuius pars nulla. Diſſimilibus.] Vt ſi dicas, rhetorica eſt ars liberalis, quæ nec grammatica, nec poetica: & reliquas enumerando, aliam ab alijs eſſe ſignifices. Partibus.] Vt rhetorica eſt, quæ inuentione, diſpoſitione, elocutione, memoria, pronunciationeq; conſiſtit. Quamobrem.] Subaudi, quoniam deſunt propria: ut ſi dicas, homo eſt in quo pietas, in quo iuſtitia, in quo æquitas, in quo religio: & rurſus flagitium, ſcelus, & cætera, quæ tam uitiorum quàm uirtutũ nomen habere inueniuntur. Enumeratio.] Quæcũque res id quod definias, cõſequi uideantur. In primiſq;.] Hoc eſt, etymologia. Idem ait Quintilianus: Maximus enim, inquit,

uſus in approbando refellendoq; ſine propriorum ac differentium: nonnunquam etiam etymologiæ: quæ tamen omnia, ſicut in cæteris confirmat æquitas, nonnunquam etiam coniectura mentis. Etymologia maxime rara eſt. Quid enim eſt aliud tumultus, niſi perturbatio tanta, ut maior timor oriatur? unde etiam nomen ductum eſt tumultus. Et Cicero, qui (ſicut pro Cælio) per conſequentia definit accuſare hoc modo: Accuſatio crimen deſiderat, rem ut definiat, hominem ut notet, argumento probet, teſte confirmet. Ita pro Balbo aduerſarij etymologiam uerbi carpit, inquiens: Erat accuſatoris interpretatio indigna reſponſione, qui ita dicebat, comiter eſſe communiter: quaſi uero priſcum aliquod, aut inſolitum uerbum interpretaretur. Comes, benigni, faciles, ſuaues homines eſſe dicuntur, qui erranti comiter monſtrant uiam benigne, non grauate. comiter quidem certe, non communiter conuenit. In hoc genere.] Subaudi, qualitatis. nam poſtea quàm an ſit, & quid ſit nouit, quærit tertio loco quale ſit: hoc eſt, ſtatum qualitatis: qui tertius rationalis eſt ſtatus. Aut iure factum, &c.] Vt Oreſtes, qui ideo ſe matrem defendit occidiſſe, quia illa patrem ſuum occiderat. Neceſſitate.] Hæc in diuiſione qualitatis ſtatus ſuperius expoſuimus. In legitimis.] Quia legum præſcripta iudices ſequi oportet. In liberis.] Vt ſunt apud principes, qui ſtatuunt libere, ut uolunt animaduertendo, ignoſcendo'ue. Ex locorum.] Quos ipſa proferet nobis cauſa. Aut totum eſt.] Poſteaquam de confirmatione dixit, ſequitur locus reprehenſionis, de quo Quintilianus: Patronus, inquit, neget, defendat, transferat, excuſet, deprecetur, molliat, minuat, auertat, deſpiciat, derideat. Quare indirecta ferè, atque (ut ſic dixerim) clamoſa eſt actio. Hinc mille flexus & artes deſiderantur. Tum accuſator meditata pleraque domo affert, patronus etiam inopinatis frequenter occurrit. accuſator dat teſtem, patronus ex re ipſa refellit, &c. ideoq; accuſationibus etiam mediocres in dicendo ſuffecerũt. bonus defenſor nemo, niſi qui eloquentiſſimus, fuit. Nã ut quod ſentio, ſemel finiam, tanto eſt accuſare quàm defendere, quanto facere quàm ſanare uulnera, facilius, &c. Primum igitur inuenendum eſt id cui reſponſuri ſumus, propriũ ſit eius iudicij, an ad cauſam extra accerſitum. nam ſi eſt proprium, aut negandum, aut defendendum, aut transferendum. extra hæc in iudicijs ferè nihil eſt. Deprecatio quidem, quæ eſt ſine ulla ſpecie defenſionis, rara admodum, & apud eos ſolos iudices qui nulla certa pronunciandi forma tenentur. quanquã illæ quoque apud C. Cæſarem, & triumuiros, pro diuerſarum partium hominibus actiones, etiamſi precibus utuntur, adhibent tamen patrocinia. niſi hoc non fortiſſime defendentis eſt dicere, Quid aliud egimus Tubero, niſi ut quod hic poteſt, nos poſſemus? Quòd ſi quando apud principem, aliumue, cui utrum uelit liceat, dicendum erit, morte quidem dignum eum pro quo loquemur, clementia tamen ſeruandum eſſe. Hic non cum aduerſario, ſed cum iudice res erit. inde deliberatiuæ potius quàm iudicialis materiæ forma eſt. In perſpicue.] Dicemus nanque talia eſſe accuſantis argumenta, ut in manifeſto falſis eadem dici poſſint. Non effici.] Hoc eſt, non ſequi ex eis quæ argueris. Accedere.] Singulas, inquit, partes reprehendemus, quo uniuerſam argumentationem improbemus. Commemoranda.] Alia in medium proferemus exempla, in quibus licet tales adhibitæ ſint argumentationes, tamen non eſt creditum. Conquirenda.] Hoc dicit, Exclamabimus, & ingemendo, quàm ſit conditio humana periculis obnoxia, oſtendemus, ſi acumine dicentis alicuius, innocentes pericula ſubire cogantur, & infamias, & damna. Ex ijs locis.] Quos in confirmatione & in reprehenſione attigimus hypotheſeos, id eſt cauſæ, ſiue controuerſiæ. nam loci theſeos, id eſt, infinitæ quæſtionis, ante expoſiti: & quemadmodum ex ſingulis argumenta educantur, abunde oſtenſum eſt. Explicatio.] Quid ſit argumentum, ſupra abunde oſtenſum eſt. Argumentatio igitur eſt argumenti extenſio. Argumentationum autem duo ſunt genera: unum ſyllogiſmus græce, latine ratiocinatio: alterum inductio à Latinis, à Græcis epagoge nominatur. nam epicherema parum admodum à ſyllogiſmo differt. nam ut Quintilianus inquit, differt à ſyllogiſmis nullo, niſi quòd illi & plures habent ſpecies, & uera colligunt ex ueris, quemadmodum in mathematicis. Epicherematis frequentior eſt uſus circa credibilia. Quare ferè ſemper epicheremate orator, raro ſyllogiſmis utetur. Vtitur & enthymemate, quòd à ſyllogiſmo naſcitur, propoſitione una modo detracta. Ex quibus id.] Quoniam ſi certum eſt quod argumentatione accuſatoris collectum eſt, ut reſponderi non poſſit, ſtultum eſt contradicere. Argumentandi.] Id eſt, duobus temporibus utimur argumentatione, & cum probare aliquid ex aliquo uolumus, & cum mouere acrius uolumus auditorem. Dirigitur.] Sanè Cic. ipſe in primo Rhetor. ueterum, copioſiſſime argumentationem nobis expoſuit: illincq; petere ſatius eſt, quàm à nobis perdiſcere, quæ in hac re dicenda ſint. Paucis tamen tum ipſius, tum Quintiliani ſententia, quid obſeruandum, dicemus. Quare argumentatio, quæ ratiocinatio eſt appellata, tres habet, Ariſtot. conſenſu & fermè aliorum omnium, partes. nam ita habet iſta natura, ut ſit de quo quæratur, & per quod probetur. tertium additur, uelut ex conſenſu duorum antecedentium. Prima ergo erit pars intentio, ſecunda aſſumptio, tertia connexio. ut ſi quæratur, an uirtus ſit utilis: ita texatur argumentio, Omnis habitus bene inſtituta mentis, eſt utilis: uirtus eſt habitus bene inſtitutæ mentis: ergo uirtus eſt utilis. Sunt qui quinque faciant partes, ut Cicero in rhetoricis oſtendit, ut ſit propoſitio, deinde ratio eius, tum aſſumptio, & eius probatio, quinta complexio. ſed neutram probationum à ſuis ſeparare oportet propoſitionibus, præſertim cum ſint aliquando tam notæ propoſitio & aſſumptio, ut probatione non egeant. Sunt, inquit Cicero, qui putant nonnunquam poſſe & oportere complexione ſuperſederi, cum id perſpicuum ſit, quod conficiatur ex ratiocinatione, hoc modo: Si peperit, uirgo non eſt: peperit autem. hic ſatis eſſe proponere, & aſſumere quod conficiatur, quoniam perſpicuum ſit complexionis rem non indigere. At Cicero exiſtimat omnino inferendam complexionem, hoc modo: Concubuit, igitur cum uiro. hoc ſi nolis inferre, inferas quod ſequitur, Fecit igitur inceſtum. Poterimus etiam breuius colligere, ut dicamus, Quoniam peperit, cum uiro concubuit. uel per interrogationem, Cum peperit, quis dubitat adulterium commiſiſſe? Quòd ſi ad motum tendemus, pluribus uerbis rem ipſam amplificabimus. Comere ergo, & expolire conuenit orationem multa aggerendo, non ſtatim concludendo. Subiungit porrò Cicero, Variare autem orationem magnopere oportebit, nam omnibus in rebus ſimilitudo eſt ſatietatis mater. id fieri poterit, ſi non ſimiliter ſemper ingrediamur in argumentationem. nam primum omnium generibus ipſis diſtinguere conuenit hoc, tum inductione, tum ratiocinatione. deinde in ipſa argumentatione non ſemper à propoſitione incipere: neque ſemper quinque partibus abuti: neque eadem ratione partitionis expolire: ſed tum ab aſſumptione incipere licet, tum à probatione alterutra: tum hoc, tum illo genere complexionis uti. Illud quoque uolumus intelligi, nos probe tenere, alijs quoque rationibus tractari argumentationes in philoſophia multis & obſcuris, de quibus certum eſt artificium conſtitutum. Verum illa nobis abhorrere ab uſu oratorio uiſa ſunt. Illa autem altera.] Quæ percellere audientium animos cupit. Quaſi retro.] Quæ non directe proponit, aſſumit, & concludit: ſed quæ uult concludere, ſibi primo aſſumit, deinde confirmat.

confirmat. Deinde id.] Quod in prima parte collocandum. Permotis animis.] Iam incalentibus ob ea quæ dicta ſunt. Iacit.] Et iacit, inquit, hoc eſt ui aliqua exaggerationis & ardore uerborum profert. Interrogamus, &c.] Quintilianus: Quid enim tam commune, quàm interrogare uel percontari? nam utroque utimur indifferenter, cum alterum noſcendi, alterum arguendi gratia uideatur adhiberi. Interrogamus igitur, cum noſſe uolumus: percontamur, contendendi & inſtandi, urgendiq; cauſa. ut Cicero ipſe pro Ligario, Apud quem igitur hæc dico? nempe apud eum, qui cum hoc ſciret, tamen me antequam uidit Reipub. reddidit. Aliter pro Cœlio, ficta interrogatione: Dicet aliquis, hæc igitur eſt tua diſciplina? ſic tu inſtituis adoleſcentes? & totus ille locus. Cui diuerſum eſt, cum alium rogaueris, non expectare reſponſum, et ſtatim ſubijcere: ut, Domus tibi deerat? at habes. Pecunia ſuperabat? at eges. Aliquando conuitiantes, et tamen interrogantes, quaſi ſcire cupientes: ut in Piſonem, Scire cupio quid tandem iſto in uerſu reprehendas, Cedãt arma togæ. Tuæ dicis, inquit, togæ ſummum imperatorem eſſe ceſſurum. quid nunc te aſine literas doceam? non opus eſt uerbis, ſed fuſtibus. non dixi hanc togam qua ſum amictus, nec arma, ſcutum, et gladium unius imperatoris: ſed quod pacis eſt inſigne, et otij toga: contra autem arma tumultus, atque belli, more poetarum locutus, hoc intelligi uolui, bellum ac tumultum paci atque otio conceſſurum. Imperamus.] ut pro Cluentio: Veſtram, iudices, æquitatem & manſuetudinem una mater oppugnat. at quæ mater? quam cæca crudelitate & ſcelere ferri uidetis: cuius cupiditatem nulla unquam turpitudo retardauit: quæ uitijs animi in deterrimas partes iura hominum conuertit omnia: cuius ea ſtultitia eſt, ut eam nemo hominem: ea uis, ut nemo fœminam: ea crudelitas, ut nemo matrem appellari poſſit, &c. eo iam denique adducta eſt, ut ſibi præter formã nihil ad ſimilitudinem hominis reſeruarit. Quare iudices, ſi ſcelus odiſtis, prohibete aditum matris à filij ſanguine. Aut optamus.] Quod frequentiſſime quotidie ſolet fieri, cum dicimus, ò utinam nunc eluceſcat uerum. taciteq; id ita eſſe uolumus ſignificare. Quæ ſunt.] Quoniam infinitis propemodum inflexionibus uti ad reprehendendum poſſumus, dicendi ornamentis, quæ nos figuræ locutionis docent. Vitare autẽ.] Docuit, argumentari nos poſſe uarijs modis: docet rurſus, uitare nos poſſe ſimilitudinem, uel ſi non ex ordine, ut res poſtulat, orſi fuerimus: & ſi nõ omnia confirmare cõtendamus: & ſi quæ erunt aperta paucis comprehendamus. Quodq; ex ijs.] Id eſt, ſignificatur tota argumentatione. Neceſſe.] Ne fallatur animus audientis, ſi forte minus, quæ inferre oporteat, cognouerit. Quæ ſine arte.] Id eſt, loci quos artis expertes diximus, ſuperiuſq; tractauimus: ubi cæteros quoque theſeos locos excuſſimus. Argumenta rerum.] Ad res explicandas. Propria.] Teſtes enim ut ex ſua pronunciant uoluntate, ita res eſſe uideri faciunt: & contra teſtes memorat locos, quibus non credi oportere dicit, quoniam hæc pars reprehenſionis eſt. Quæſtionibus.] Vbi torti homines & excruciati contra nos reſponderint. Inficiando.] Proferendo, ut diutius torquerentur. Inficiari eſt, in factum ire, hoc eſt, negare ſe quidquam deliquiſſe in quo arguatur. Suam uitam.] Et perinde mori maluerunt, ut alios liberarent, quos amarunt. inde nobis naſcentur argumenta, quæ ad nos faciãt. Natura.] Vt Cappadoces. Atque hæc.] Docendo aliquos qui id fecerint. Extrema.] Quoniam de partibus fidem facientibus dictum: de ultima parte, hoc eſt, peroratione dicendum, in qua in primis motus excitari conſueuerunt. Nam eſt.] Amplificationem, & enumerationem (ait Quintilianus) peroratio ſequebatur, quam cumulum quidam, concluſionem alij uocant. Eius duplex ratio eſt, poſita aut in rebus, aut in effectibus. Rerum repetitio, & congregatio, quæ Græce dicitur ἀνακεφαλαίωσις, à quibuſdam Latinorũ enumeratio: & memoriã iudicis reficit, & totam ſimul cauſam ponit ante oculos, & etiam ſi per ſingula minus mouerit, turba ualet. In hac quæ repetemus, quàm breuiſſime dicenda ſunt, & quod Græco uerbo patet, decurrendum per capita. Nam ſi morabimur, non iam enumeratio, ſed altera quaſi fiet oratio. Quæ autem enumeranda uidentur, cum pondere aliquo dicenda ſunt, & aptis excitanda ſententijs, & figuris utique uarianda. Augendi autem.] Prima ſanè ſpecies augendi, in nomine ipſo eſt: cum eum qui ſit cæſus, occiſum: qui ſit improbus, latronem dicas. Quatuor tamen maxime generibus conſtat. incremento: ut, Facinus eſt uincire ciuem Rom. ſcelus uerberare, propè parricidium necare, quid dicam in crucem tollere? Comparatione: ut, P. Scipio pontifex maximus Gracchum mediocriter labefactantem ſtatum Reipub. priuatus interfecit: Catilinam orbem terræ cæde atque incendio uaſtare cupientem nos conſules perferemus? Ratiocinatione: ut, Tu iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate. nam reſpicientes ad hæc, poſſumus æſtimare quantum ille uini in Hippiæ nuptijs exhauſerit, quod ferre & concoquere non poſſet illa corporis gladiatoria firmitate. Congerie: ut, Quid enim tuus ille Tubero diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? cuius latus mucro ille petebat? quis ſenſus erat armorum tuorum? quæ tua mens, oculi, manus, ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? Eſt etiam comparatio cum congerie miſta: ut pro Cluentio, Quis P. Octauio Balbo ingenio prudentior? iure peritior? fide, religione, officio diligentior, aut ſanctior commemorari poteſt? non abſoluit. Quis Q. Conſidio conſtantior? quis iudiciorum, atque eius dignitatis, quæ in iudicijs publicis uerſari debet, peritior? quis uirtute, conſilio, auctoritate præſtantior? ne is quidem abſoluit. Longum eſt, de ſingulorum uirtute ita dicere. Quæ quia cognita ſunt ab omnibus, uerborum ornamenta non quærunt. Et pro Quintio: Quĩ mœror dignus inueniri in calamitate tanta poteſt? Miſerum eſt, exturbari fortunis omnibus: miſerius eſt, iniuria. Acerbum eſt, ab aliquo circumueniri: acerbius, à propinquo. Calamitoſum eſt, bonis euerti: calamitoſius, cum dedecore. Funeſtum eſt, à forti atque honeſto uiro iugulari: funeſtius, ab eo cuius uox in præconio quæſtum præſtitit. Indignum eſt, à pari uinci, aut ſuperiore: indignius, ab inferiore atque humiliore. Luctuoſum eſt, tradi alteri cum bonis: luctuoſius, inimico. Horribile eſt, cauſam capitis dicere: horribilius, priore loco dicere. Omnia circumſpexit Quintius, omnia periclitatus eſt. Iuncta.] Quæ per compoſitionem nouata: de quibus ſuperius dictum, ubi de ui oratoris præcepta expoſuimus. Facta.] Quæ ex ſeſe inuenta: de quibus item dictum. Cognominata.] Vt ſi dicas per antonomaſiam, euerſorem Carthaginis, & Scipionem uis intelligi. In continentibus.] Quæ per diſſolutum figuram proferuntur: de quibus iam dictum. Etiam relata.] Quintilianus de Ciceronis uerbis locutus, Relationem, inquit, quid accipi uelit, non liquet mihi. nam ſi epallagen, aut epanodon, aut metabolen dicit, de omnibus locuti ſumus. Gradatim.] Gradationem figuram dicit, de qua diximus. Naturalis.] Quæ ex naturali ſenſu animi proferri uideatur, nõ in ornamenta ambitioſa diffuſa. Quid quenque deceat.] Vt ſeruemus τὸ πρέπον, decorum. quod perquam difficile eſt. Definitiones.] Sanè definitionem Plato ita definit, ὁρισμός ἐστι λόγος σύντομος, δηλωτικὸς τῆς φύσεως τοῦ ὑποκειμένου πράγματος. Id eſt, definitio oratio breuis eſt, quæ ſubiecta rei naturam exprimit. Ariſtoteles autem in Topicis hoc modo, ὁρισμός ἐστι λόγος, ὁ τὸ τί ἦν εἶναι σημαίνων: id eſt (ut uerbum uerbo reddamus) definitio, eſt oratio quid erat eſſe ſignificans. ubi Erat pro Eſt ponitur, ut ſæpe etiam Porphyrius & alij ponunt.

Non differt igitur à Platonica ſententia, Ariſtotelica quoque definitio. Hoc ergo dicit, Multæ definitiones ad amplificandum in concluſione copulabuntur, hoc eſt, expreſſiones rerum: de quibus iam dictum ſupra, ubi de finitiua quæſtione locos tradidimus ad argumenta eruenda. Similitudine.] Nam à ſimilibus exempla ducuntur. Ficta etiam.] Quintilianus: illa adhuc audaciora & maiorum (ut Cicero exiſtimat) laterum, fictiones perſonarum, quæ προσωποποιΐαι dicuntur. Mire nanque tum uariant orationem, tum excitant. His etiam aduerſariorum cogitationes uelut ſecum loquentium protrahimus: quæ tamen ita demum à fide non abhorrent, ſi eas locutos finxerimus quæ cogitaſſe eos non ſit abſurdum. Et noſtros cum aliis ſermones, & aliorum inter ſe credibiliter introducimus, & ſuadendo, obiurgando, quærendo, laudando, miſerando, perſonas idoneas damus: & quæ ſequuntur. nam pluribus hanc figuram proſequitur, quàm hic ſcribendum exiſtimarim. Muta.] Nam, ut Quintilianus inquit, urbes etiam & populi uocem accipiunt: quemadmodum Cicero ipſe in Catilinam inquit: Etenim ſi mecum patria mea, quæ mihi uita mea multo eſt charior, ſi cuncta Italia, ſi omnis Reſpub. ſic loquatur, M. Tulli quid agis? & quæ ſequuntur. Natura.] Quintilianus in proſopopœia, Quin deducere deos in hoc genere dicendi, & inferos excitare conceſſum eſt. & quæcunque, inquit, inducentur, quæ modo prodeſſe aut obeſſe hominibus poſſint, ad mouendos audientium affectus. Et in eos à quibus uiolata.] Ut Cicero in Catilinam inuectus facit. Cito enim areſcit.] Ita in Rhetoricis: Commotis autem, inquit animis diutius in conqueſtione morari non oportebit. quemadmodum enim dixit rhetor Apollonius, lachryma nihil citius areſcit: idq; eſt ibi ultimum de concluſione præceptum.] Nimis enucleandum.] Ne illud arguendi acumen ipſi officiat amplificationi: quod ipſe oſtendit, Minuta eſt omnis diligentia, hoc eſt, ſi humilis & deiecta. Ad delectationem.] Hoc eſt, in demonſtratiuo genere. In cohortationibus.] Id eſt, in deliberatiuo. In iudiciis.] Iudiciali genere. Accuſator miſericordiam.] Ut in pupillo compilato. Et defenſor iracundiam.] A' falſo, & à peſſimis accuſatum ſe hominibus dicat. Et reo rarius.] Raro contingit ut reus enumeratione utatur, quoniam contraria ab accuſatore ſibi referenda ſunt. Quorum.] Subaudi, enumeratorum, breuis ponatur diſſolutio. Aculei pungent.] Hoc eſt, acumen inuentionis & reſponſionis: ut quemadmodum animalium aculei in cutem figuntur, ita uis argumentorum animos audientium percellat. ac ſicut accuſator ipſum reum multitudine, ita reus accuſatorem acumine urgeat & obtundat. Denique Cicero in Rhetoricis, concluſionem in tres diuidit partes, enumerationem, indignationem, conqueſtionem. & indignationem quidem quindecim, conqueſtionem uero ſexdecim locis tractandã eſſe docet. Verumenimuero quoniam exemplis plerunque magis quàm præceptis commonemur, atque erudimur, exiſtimo utriuſque eminentiſſimi oratoris, Græci alterius, & alterius Latini exemplis oſtendere, & quomodo enumerandum, & quomodo amplificandum in peroratione eſſe uideatur. Amplificationis itaque unicum, cum multa ſint, exemplum ſatis erit Ciceronis pro Cælio: Quare obteſtor, oroq; uos iudices, ut qua in ciuitate paucis diebus his Sextus Clodius abſolutus ſit, quem per biennium aut miniſtrum ſeditionis, aut ducem uidiſtis: qui ædes ſacras, qui cenſum pop. Rom. qui memoriam publicam ſuis manibus incendit: hominem ſine re, ſine fide, ſine ſpe, ſine ſede, ſine fortunis, ore, lingua, manu, uita omni inquinatum: qui Catuli monumentum afflixit, meam domum diruit, mei fratris incendit: qui in Palatio atque in urbis oculis, ſeruitia ad cædem & inflammandam urbem incitauit: in ea ciuitate ne patiamini illum abſolutum muliebri gratia, M. Cælium libidini mulieris condonatum: ne eadem mulier cum ſuo coniuge, et fratre, turpiſſimum latronem eripuiſſe, & honeſtiſſimum adoleſcentem oppreſſiſſe uideatur. Demoſthenes uero de Haloneſo, Καὶ ταύτην τὴν ἐπιστολὴν τινὲς σοῦ ἔφασαν γεγράφθαι. οἳ πολὺ ἂν δικαιότερον ὑφ᾽ ὑμῶν, ἢ Φίλιππος μισοῖντο. ἐκεῖνος μὲν γὰρ ὑπὲρ ἑαυτοῦ κτώμενος καὶ δόξαν, καὶ μεγάλα ἀγαθὰ, πάντα καθ᾽ ὑμῶν πράττει. ὅσοι δὲ Ἀθηναῖοι ὄντες, μὴ τῇ πατρίδι, ἀλλὰ Φιλίππῳ εὔνοιαν ἐνδείκνυνται, προσήκει αὐτοὺς ὑφ᾽ ὑμῶν κακοὺς κακῶς ἀπολωλέναι, εἴπερ ὑμεῖς τὸν ἐγκέφαλον ἐν τοῖς κροτάφοις, ἀλλὰ μὴ ἐν ταῖς πτέρναις καταπεπατημένον φορεῖτε. Atque epiſtolam hanc quidem recte eſſe ſcriptam dicebant, qui multo iuſtius odio ueſtro digni ſunt, quàm Philippus. Ille enim ſibi gloriam, & magna commoda comparans, omnia cõtra uos agit. qui uero Athenienſes cum ſint, beneuolentiam non patriæ, ſed Philippo oſtentant, par eſt, ut ii à uobis mali male perdantur: ſi modo cerebrum uos in temporibus, non etiam in talis inculcatum geſtatis. Enumerationis autem pulcherrimum eſt Ciceronis, ſeptima Actionis in Verrem, cum inquit: Nunc te ò Iupiter Optime Maxime, cuius iſte donum regale, dignum tuo pulcherrimo templo, dignum Capitolio, atque iſta arce omnium nationum, dignum regio munere, tibi factum ab regibus, tibi dicatum atque promiſſum, per nefarium ſcelus de regiis manibus extorſit, cuiuſq; ſanctiſſimum & pulcherrimum ſimulacrum Syracuſis ſuſtulit: teq; Iuno regina, cuius duo fana duabus in inſulis poſita. & totus ille locus, quem, utpote paulo longiorem, annotare ſuperſedimus, præſertim cum eo monſtrato, quilibet ſibi cum poſſit uendicare. Demoſthenes uero contra Ariſtocratem, ὁ πρῶτος νόμος ἄντικρυς εἴρηκεν, ἄν τις ἀποκτείνῃ τινὰ, τὴν βουλὴν δικάζειν. ὁ δὲ, ἄν τις ἀποκτείνῃ, εὐθὺς γέγραφεν ἀγώγιμον εἶναι. τοῦτο φυλάττετε, καὶ μέμνησθε, ὅτι πάντων ἐναντιώτατόν ἐστι τῷ κρίνειν, τὸ μὴ διδόντα κρίσιν ἔκδοτον ποιεῖν. οὐκ ἐᾷ μετὰ ταῦτα ὁ δεύτερος νόμος, οὐδὲ τὸν ἑαλωκότα ἀνδροφόνον λυμαίνεσθαι, οὐδὲ χρήματα πράττεσθαι. ὁ δὲ, τῷ ποιεῖν ἀγώγιμον, πάντα ταῦτα δέδωκεν. ἀλλὰ γὰρ τοῖς λαβοῦσι ἐξεῖναι ποιεῖν, ὅτι ἂν βούλωνται. ἀπάγειν ὁ νόμος εἰς τοὺς θεσμοθέτας κελεύει. καὶ τοῦτο κἂν ἐν τῇ τοῦ πεπονθότος λάβῃ τις πατρίδι. ὁ δ᾽ ἀγώγιμον αὐτῷ τῷ τὴν αἰτίαν ἐπενηνοχότι δίδωσιν ὡς αὐτὸν, κἂν τῆς ἀλλοτρίας που λάβῃ. ἔστιν ἐφ᾽ οἷς ἀδικήμασι δέδωκεν ἀποκτείνειν ὁ νόμος. ὁ δ᾽ οὐδὲν ὑπειπὼν, κἂν ἐπὶ τούτοις τις κτείνῃ, δίδωσιν ἔκδοτον τὸν ἄκοντα ἀφειμένον ἐν τοῖς νόμοις. ἄν τις πάθῃ τι τοιοῦτον, δίκας ὁ νόμος κελεύει ἀπαιτεῖν πρῶτον. ὁ δὲ τοὐναντίον οὐδεμίαν κρίσιν οὔτε αὐτὸς εἰπὼν, οὔτε παρ᾽ ὧν ἀξιοῖ λαβεῖν αἰτήσας, ἀγώγιμον ἐποίησε. κἄν τις ἀφαιρῆται, παραχρῆμα ἔκσπονδον ποιεῖ. τὸ ἀνδρολήψιον, παρ᾽ οἷς ἂν ὁ δράσας ᾖ, ἂν μὴ διδῶσι δίκας, κελεύουσιν οἱ νόμοι μέχρι τριῶν εἶναι. ὁ δὲ, ἂν ἀφέληταί τις τὸν ἄγοντα, μὴ βουλόμενος πρὸς δίκας ἐκδοῦναι, εὐθὺς ἔκσπονδον ποιεῖ. οὐκ ἐᾷ νόμον, ἂν μὴ τὸν αὐτὸν ἐπὶ πᾶσι τιθῇ τις, εἰσφέρειν. ὁ δ᾽ ἐπ᾽ ἀνδρὶ γράφει ψήφισμα ἴδιον, οὐκ ἐᾷ ψήφισμα ὁ νόμος κυριώτερον εἶναι νόμου. ὁ δ᾽ ὑπαρχόντων τοσούτων νόμων ψήφισμα ποιεῖ κύριον, τοὺς νόμους ἀναιρῶν. ταῦτα φυλάττετε, καὶ μεμνημένοι κάθησθε. Prima lex aperte dixit: Si quis quempiã interfecerit, Senatus cognoſcito. hic autem ſi quis interfecerit, ſtatim addidit, abduci ad ſuppliciũ licere. Hoc ſeruate, ac memoriæ mandate, omnium maxime contrariũ eſſe iudicio, nullo dato iudicio ad ſupplicium dedere. deinde non ſinit ſecunda lex, ne condemnatum quidem homicidam uiolari, ac pecunias ab eo exigi. Is uero dum permittit abduci, omnia iſta conceſſit. Erit enim in poteſtate illorum qui abduxerint, omnia ſuo arbitratu facere. Abduci præterea lex ad Theſmothetas iubet, atque ita demum, ſi in necati patria ſit à quopiam deprehenſus. hic autem illi ipſi qui crimen intenderit, permittit priuatam ſuam in domum abducere, uel ſi alicubi in aliena patria ſit comprehenſus. Sunt delicta, ob quæ lex conceſſit interficere. hic autem, ſine ulla exceptione ſi ob hæc delicta quis interfecerit, abduci permiſit, cum

quem

quem leges noxæ exemerunt. Si cui tale quippiam contigiſſet, ab eo primum rationem iudicio exigi lex imperat. hic autem nullum iudicium neque ipſe promittens, neque à quibus accipi putat oportere requirens, abducendum dedit. Ac ſi quis exemerit, confeſtim fœderum exortem eſſe iubet. Pignerationes in eos, apud quos homicida fuerit, ſi cauſam non dicant, ad tres uſque leges ſtatuunt. hic uero, ſi quis abducenti exemerit, quia nollet cauſa indicta dedere, hunc ſtatim fœderum exortem facit. Non patitur lex legem, niſi propter omnes feratur, promulgari. Hic autem unius hominis cauſa, priuatum decretum ſcribit. Non ſuſtinet lex decreti maiorem uim atque auctoritatem eſſe quàm legis. Hic autem cum tot ſint leges, decretum ratum facit, leges interea abrogans. Hæc ſeruate, ac memoriæ mandantes in conſilium ite. Duo ſunt.] Duabus expoſitis libri partibus & proinde generibus, quod in ui oratoris eſt, & quod in orationis partibus: tertium reſtat genus, quod in quæſtione poſitum eſt, Repetit ergò quod à principio dictum eſt, duo eſſe quæſtionum genera, infinitum unum, finitum alterum. Itaque infinitum, quod propoſitum uocat, in duo rurſus diuidit genera, ſicut & in duobus præterea alijs tradit locis, in libro de Oratore, ac in Topicis. Et quoniam plurimum, tametſi idem dicat in libro de Oratore, differre uideatur, non alienum putamus, eius hic uerba referre. ait itaque: Omnis igitur res eandem habet naturam ambigendi de qua quæri & diſceptari poteſt, ſiue in infinitis conſultationibus diſceptetur, ſiue in his cauſis quæ in ciuitate, & in forenſi diſceptatione uerſantur: neque eſt ulla, quæ non aut ad cognoſcendi, aut ad agendi uim rationemq; referatur. nam aut ipſa cognitio rei, ſcientiaq; perquiritur: ut, Virtus ſuam'ne propter dignitatem, an propter fructus aliquos expetatur. aut agendi conſilium exquiritur: ut, Sit'ne ſapienti capeſſenda Reſpublica. Cognitionis autem tres modi, coniectura, definitio, &, ut ita dicam, conſecutio. nam quid in re ſit, coniectura quæritur, ut illud, Sit'ne in humano genere ſapientia. Quam autem uim quæque res habeat, definitio explicat: ut ſi quæratur, quid ſit ſapientia. Conſecutio autem tractatur, cum quid quanque rem ſequatur, inquiritur: ut illud, Sit'ne aliquando mentiri boni uiri. Redeunt rurſus ad coniecturam, eamq; in quatuor genera diſpartiunt. nam aut quid ſit quæritur, hoc modo, Natura'ne ſit ius inter homines, an opinionibus. aut quæ ſit origo cuiuſque rei, ut quod ſit initium legũ, aut rerumpub. aut cauſa & ratio, ut ſi quæratur, Cur doctiſſimi homines de maximis rebus diſſentiãt? aut de immutatione, ut ſi diſputetur, Nũ interire uirtus in homine, aut nũ in uitium poſſit conuerti. Definitionis autem ſunt diſceptationis, ut cum quæritur, quid in communi mente quaſi impreſſum ſit: ut ſi diſſeratur, id'ne ſit ius quod maximæ parti ſit utile. aut cum quid cuiuſque ſit proprium exquiritur: ut Ornate dicere proprium ne ſit oratoris, an id etiam aliquis præterea poſſit. aut cum res diſtribuitur in partes, ut ſi quæratur, quot ſint genera rerum expetendarũ: aut, ſint'ne tria, corporis, animi, externarumq; rerum. aut cum quæ forma, & quaſi naturalis nota cuiuſque ſit, deſcribitur: ut ſi quæratur auari ſpecies, ſeditioſi, glorioſi. Conſecutionis autem duo prima quæſtionum genera ponuntur. nam aut ſimplex eſt diſceptatio, ut ſi diſſeratur, expetenda'ne ſit gloria. aut ex cõparatione, laus, an diuitiæ magis expetendæ ſint. Simplicium autem tres ſunt modi, de expetendis fugiendis'ue rebus, ut expetendi'ne honores ſint, num fugienda paupertas. de æquo, aut iniquo, æquum'ne ſit ulciſci iniurias etiam propinquorum. de honeſto, aut turpi: ut hoc, ſit'ne honeſtum gloriæ cauſa mortẽ obire. Comparationis autem duo ſunt modi: unus, cum idem ne ſit, an aliquid interſit, quæritur, ut metuere & uereri: ut rex & tyrannus, ut aſſentator & amicus. alter, cum quid præſtet aliud alij quæritur: ut illud, Optimi'ne cuiuſque ſapientes, an populari laude ducantur. atque ea quidem diſceptationes, quæ ad cognitionem referuntur, ſic ferè à doctiſſimis hominibus deſcribuntur. Quæ uero referuntur ad agendum, aut in officij diſceptatione uerſantur, quo in genere quid rectum faciendumq; ſit quæritur, cui loco omnis uirtutum & uitiorum eſt ſylua ſubiecta: aut in animorum aliqua permotione, aut gignenda, aut ſedanda, tollenda'ue tractantur. huic generi ſubiectæ ſunt cohortationes, obiurgationes, conſolationes, miſerationes, omniſq; ad omnem animi motum & impulſio, &, ſi ita res feret, mitigatio. Vt ueri'ne.] Nam à philoſophis quæſitum eſt, εἰ ἀληθεῖς αἱ αἰσθήσεις καὶ αἱ φαντασίαι, id eſt, an ueraces ſint ſenſus, & imaginationes. Τὰς μὲν αἰσθήσεις, ἀληθεῖς, τῶν δὲ φαντασιῶν τὰς μὲν ἀληθεῖς, τὰς δὲ ψευδεῖς. καὶ ἡ μὲν αἴσθησις μοναχῶς ψεύδεται κατὰ τὸ νοητὸν, ἡ δὲ φαντασία διχῶς. καὶ γὰρ αἰσθητῶν φαντασία ἐστὶ, καὶ νοητῶν. Id eſt, Senſus quidem eſſe ueraces: imaginationum autem quaſdam eſſe ueraces, fallaces alias. Ac ſenſus quidem unico modo fallit, per intellectilia, imaginatio autem bifariam. eſt enim tum ſenſilium rerum imaginatio, tum etiam intellectilium. Quibus officijs.] Vt, an propter amicos ab honeſtate aliquando declinandum ſit: quod Aulus Gellius quoque quærit, & à plurimis quæſitum fuiſſe oſtendit. Vt ius in.] An ius naturale dici poſſit, an in conſuetudine collocatum. Sanè, ut Vlpianus inquit, ius aliud publicum, aliud priuatum. Publicum ius eſt, quod ad ſtatum rei Romanæ ſpectat. Priuatum eſt, quod ad ſingulorum utilitatem pertinet. Sunt enim quædam publice utilia, quædam priuatim. Publicum ius, in ſacris, & ſacerdotibus, & magiſtratibus conſiſtit. Priuatum ius tripartitum eſt: collectum eſt enim ex naturalibus præceptis, aut gentium, aut ciuilibus. Ius naturale eſt, quod natura docuit omnia animantia. Nam ius iſtud non ſolum humani generis proprium eſt, ſed omnium animalium, quæ in terra, quæ in mari naſcuntur: auium quoque commune eſt, &c. Ius gentium eſt, quo gentes humanæ utuntur: quod à naturali recedere, facile licet intelligere: ueluti, ut inquit Pomponius libro ſexto, erga deum religio, ut parentibus & patriæ pareamus. ac ut Hermogenes libro primo inquit, ex hoc iure gentium introducta bella ſunt, diſcretæ gentes, regna condita, dominia diſtincta, agris termini poſiti, ædificia collocata, commercium, emptiones, uenditiones, locationes, conductiones, obligationes inſtitutæ. Ius ciuile, inquit Vlpianus libro primo Inſtitut. eſt, quod neque in totum à naturali uel gentium recedit, nec per omnia ei ſeruit. Itaque cum aliquid addimus, uel detrahimus iuri communi, ius proprium, id eſt, ciuile efficimus. Pap. autem libro primo Digeſtorum: Ius ciuile, inquit, eſt, quod ex legibus, plebiſcitis, ſenatuſconſultis, decretis principum, auctoritate prudentium uenit. Ius prætorium eſt, quod prætores introduxerunt, adiuuandi, uel ſupplendi, uel corrigendi iuris ciuilis gratia, propter utilitatem publicam. quod & honorarium dicitur, ab honore Prætorum ſic nominatum. In paupertate.] An contentum eſſe oporteat ea conditione, an quærendum quo modo poſſis ipſam deuitare. Rurſus autem.] Primum genus quæſtionum, quod in cognitione uerſatur, hic trifariam diuidit, in Topicis autem in quatuor partes: Coniectura, inquiens, ratio in quatuor partes diſtributa eſt. quarum una eſt, cum quæritur ſit'ne aliquid: altera, unde ortum ſit: tertia, quæ id cauſa effecerit: quarta, quæ de mutatione rei quæritur. Ecquis'nam.] Quoniam ſolus eſt deus ſapiens. Quo'nam pacto.] Natura'ne, an ratione, an uſu. nam ſunt qui dicant naturalem eſſe: quæ ſi ita ſit, omnes utique homines, cum ab eadem ui natura oriantur, uirtutem habebunt. Item quod à natura eſt, laudabile non eſt: quoniam mutari nõ poteſt. non igitur uirtus erit laudabilis. atqui mutari poteſt, ſicut & uitium. non ergo à natura. Sunt qui apud

Platonem dicant, eam diuino conceſſu traditam hominibus. Sunt tamen etiam uirtutes naturales: ſed illæ non morales dicuntur, ut appetendi eſcam, concoquendi, & id genus aliæ. Alij porro uirtutes morales in ratione eſſe collocatas protulerunt: quoniam cum prudentia in ratione poſita ſit, & à prudentia omnes morales uirtutes dirigantur, ipſas in ratione poſitas eſſe duxerunt. quod tamen non ſequitur. Nam tam ex affectibus, qui à parte oriuntur irrationali, quàm ab ipſa proficiſcuntur prudentia, quæ de ratione manat. Alij porro per actum, hoc eſt, aſſuetudinem fieri uirtutes putauerunt: quòd frequentes actus habitus faciant. Naturalibuſq;.] Quæ ſunt in naturali philoſophia. Illius autem generis.] In Topicis uero aliquanto ſecus dicit, quod tamen in idem recidere uidetur. ait enim. Cum autem quid ſit quæritur, notio explicanda eſt, & proprietas, & diuiſio, & partitio. hæc enim ſunt definitioni attributa. additur etiam deſcriptio, ut pertinacia et perſeuerantia. Varro de Lingua latina ad Ciceronem: A' qua re ſit, inquit, pertinacia cum quæritur unde, dicitur eſſe à pertendendo. in qua re ſit impoſitum, dicitur cum demonſtratur in quo non debet pertendi, & pertendit, pertinaciam eſſe. quòd in quo oportet manere, ſi in eo perſtet, perſeuerantia ſit. Tertio autem.] In Topicis autem aliter hunc locum tradit: inquit nanque: Cum autem quæritur quale quid ſit, aut ſimpliciter quæritur, aut comparate: ſimpliciter, Expetenda ne ſit gloria: comparate, Præponenda'ne ſit diuitijs gloria. Simplicium tria genera ſunt, de expetendo fugiendoq́;, de æquo & iniquo, de honeſto & turpi. Comparationũ autem duo: unum de eodem & alio, alterũ de maiore et minore. Reſtat actionis locus.] Qui ad uirtutem, & uitium totus refertur. Quod ad rationem.] Vt totus Ciceronis Officiorum liber eſt. Alterum ad ſedandos.] Vt cum conſolamur, ut ipſe in quæſtionibus Tuſcul. facit Cicero, & præterea plerũque in Orationibus: qui proprie locus eſt concluſionis, cum aliquid amplificamus, indignationem cõmouemus, aut in cõqueſtionem deſcendimus. Collocandi autem.] Quæ eſt expoſita in alijs, quam tradidimus ſupra, ubi de motu, et pariter de collocatione locuti ſumus. Propoſitarum.] Quæſtionũ quæ ſub theſi continentur. Controuerſiarum.] Id eſt, cauſarũ quæ ſub hypotheſi definitaq́; quæſtione ſunt. Cauſarum.] Prorſus ſuperſunt tractanda tria cauſarum genera, demonſtratiuum, deliberatiuum, iudiciale. Delectationem.] Demonſtratiuum genus dicit. Alterius ut obtineat.] Quæ eſt deliberatiui & iudicialis generis. Latum genus eſſe.] Laudando ac uituperando. Saneq́; uarium.] Id eſt, admodum multiplex. Vnum ex eo.] Genus enim nullum eſt orationis, quod aut uberius ad dicendum, aut utilius ciuitatibus eſſe poſſit. Quintilianus in huius generis tractandi exordio: Potiſſimum incipiam, inquit, ab ea, quæ conſtat laude ac uituperatione. Quod genus uidetur Ariſtoteles atque eum ſecutus Theophraſtus, à parte negotiali, hoc eſt πραγματικῆς remouiſſe, totamq́; ad ſolos auditores relegaſſe. & id eius nominis, quod ab oſtentatione ducitur, proprium eſt: ſed mos Romanus etiam negotijs hoc munus inſeruit. nam & funebres laudationes pendent frequenter ex publico aliquo officio, atque ex ſenatuſconſulto magiſtratibus ſæpe mãdantur: & laudare teſtem, uel contra, pertinet ad momentum iudiciorum: & ipſis etiam reis dare laudatores licet: & editi in cõpetitores in L. Piſonem, in Clodium, & Curionem libri, uituperationem cõtinent, & tamen in ſenatu loco ſententiæ habiti ſunt. Reliquũ autem genus.] Id eſt, reliqua duo genera, quæ unũ ſeparatum à ſuperiore genus facere uidentur, quatenus illud in delectatione poſitum: in hoc autem aliquid, ut ſupra dictũ eſt, ſtatuit auditor.] Ad bene dicendum.] Quoniam quæritur delectatio. Ad honeſte.] Quoniam laudatur & uituperatur. Alterius]. Hoc eſt, laudationis finis eſt honeſtas. Alterius.] Id eſt, uituperationis finis eſt turpitudo. Argumentationibus.] Itaque & Quintilianus: Manifeſtumq́; eſt, inquit, errare eos qui nunquam oratorem dicturum, niſi de re dubia, putauerunt. an laudes Capitolini Iouis perpetuæ, ſacri certaminis materia uel dubiæ ſunt? uel non oratorio genere tractantur? Vt deſiderat autem laus, quæ negotijs adhibetur, probationem: ſic etiam illa, quæ oſtentationi cõponitur, habet interim aliquam ſpeciem probationis. ergo locus hic intelligendus Ciceronis eſt ſine ullis argumentationibus acribus, acutis, uehementibus, ut ſunt aliorum generum: ut tamen ſcias, ſpeciem argumentationum in hoc quoque genere aliquã adhibendam. Inſignibus.] Id eſt, tropis & ſchematis, quæ orationem comunt, poliuntq́;, & eis quæ ſupra ipſe commemorauit. Factis.] Id eſt, nouatis. Vetuſtis.] Non tamen nimiũ ab uſu remotis, ut ſupra diximus. quæ ſequuntur, omnia iam dicta ſunt, ubi de elocutione locuti ſumus. Verſuum.] Admonuimus nanque, in oratione uerſum clauſulam concludere, uitioſum eſſe. Explendum aurium ſenſum.] Vt tantum periodus tendatur, ut uno ſpiritu poſſit enunciari: nec breuius contrahatur, quàm poſſit ipſe ſpiritus protrahere, ac ut pedibus iã dictis ambitus ille cõcludatur. Modo.] Id eſt, modulatu. Ornamenta uerũ.] Id eſt, figuræ ſententiarũ. Admirabilia.] Cũ ea dicimus, quæ mirentur auditores. Monſtris.] Cum quid naſcitur inſolitũ: ut ſi mula pariat. Prodigijs.] Vt cum arma in cœlo ſplenduiſſe aut crepuiſſe dicuntur. Oraculis.] Quæ Apollo, aut alius dæmon, aut ſanctus etiam uir prophetatus fuerit. Diuina atque fatalia.] Quæ diuinitus & fato quodam prouenisse uideantur: hoc eſt, quod neceſſario futurum uideretur. Sed quoniã.] Omnia ſiquidem bona, mala'ue, aut animi, aut corporis, aut externa ſunt. animi, ut ſcientia, arteſq́; omnes, ac morales uirtutes: corporis, ut forma, robur, bona ualetudo: externa, gloria, amplitudo, amicitia. quæ omnia ſuas habent ſpecies: ſed quæ neceſſaria ſunt, eas Cicero attingit. A' genere.] Id eſt, quæ ſibi nomen uendicant à maioribus, qui excellentes fuerint: aut ſi uituperamus, qui obſcuri, aut infames. Breuiter, modiceq́;.] Vt in laudandi genere ne nimij ſimus, ſed paucis attingamus. Infame.] Si infamiæ nota inſignitum ſit, dum reliqua laudamus, ipſum genus prætermittamus. Humile.] Si ignobile præteribimus, inquit, aut augendo gloriam eius quem laudemus, quãtum illuſtrauerit ipſum ſignificabimus. Fortunis.] Quæ fœliciter geſſit, & quas opes iuſte, ac pie, fortiter'ue ſibi cumulauerit, dicemus. Forma laudatur.] Quòd quædam in ea uideatur ſpirare diuinitas, cultuſq́; animi: ſicut è diuerſo deformitas, incompoſitos immaneſq́; mores ſignificare uideatur. Temporum.] Quia narratur hiſtoria. Recentiſſimũ.] Quoniam facilius perſuademus. Virtutũ genera.] Quæ ad prudentiam, quæ ad fortitudinem, quæ ad iuſtitiã cæteraſq́; uirtutes pertinere uidebuntur: quod pro lege Manilia de Pompeij imperio ipſe facit Cicero. Sed hic locus uirtutũ.] Senſus eſt: longe, lateq́; de uirtutibus ac uitijs hoc loco poſſemus utique diſputare: ſed cum non philoſophiam doceamus, uerum oratorem quid ſit in laude uituperationeq́; tenendum, admoneamus, ſatis eſſe ducimus, ſi anguſte breuiterq́; omnia attingamus. Scientia.] Id eſt, quæ ſcientiam parit, ab Ariſtotele ἀποδεικτικὴ appellata: unde & omnis ſcientia, arſq́; oritur. Aut actione.] Quoniam uirtutes morales omnes in actione ſunt: ſiquidem, ut Ariſtoteles, Ptolemæus, Theonq́; tradunt, aut homo inſpector, aut agens eſt. Inſpicit quidem aut theologica, aut mathematica, aut phyſica. Agitur uero in moralibus uirtutibus iuſte, fortiter, temperate, atque in cæteris eodem modo. Quæ prudentia.] Hæc (ut inquit Ariſtoteles) ſapientiæ ſeruit, cum omnibus affectibus moderatur: ita enim in magnis Ethicis inquit:

ἀλλ' ἴσως

ἀλλ᾽ ἴσως ἔχει ὥσπερ ἐν οἰκίᾳ ὁ ἐπίτροπος. οὗτος γὰρ πάντων κύριος, καὶ πάντα διοικεῖ, ἀλλ᾽ οὔπω οὗτος ἄρχει πάντων, ἀλλὰ παρασκευάζει τῷ δεσπότῃ σχολὴν, ὅπως ἂν ἐκεῖνος μὴ κωλυόμενος ὑπὸ τῶν ἀναγκαίων, ἐκκλείηται τοῦ, τῶν καλῶν τι καὶ προσηκόντων πράττειν. οὕτω καὶ ὁμοίως ταύτῃ ἡ φρόνησις ὥσπερ ἐπίτροπός τίς ἐστι τῆς σοφίας, καὶ παρασκευάζει ταύτῃ σχολὴν, καὶ τὸ ποιεῖν τὸ αὐτῆς ἔργον, κατέχουσα τὰ πάθη, καὶ ταῦτα σωφρονίζουσα. Sed fortaſſe talis eſt, qualis in familia eſt is, cui domus curatio eſt mandata. Hic enim omnia in poteſtate habet, omniaq́; adminiſtrat, ac moderatur: non continuo tamen omnium dominium tenet, ſed tantum domino otium & quietem parit, ne ille rerũ neceſſariarum cura impeditus, facere preclarum, ſeq́; dignum quippiam prohibeatur. Ita, & ad eundem modum tanquam procuratrix quedam ſapientie eſt prudentia, que illi otium cõparet, quo ea quoque ſuo officio fungatur: comprimens perturbationes, eaſq́; intra modum cogens conſiſtere. Calliditas.] Cicero de Natura deorum, Verſutos, inquit, eos appello, quorũ mens celeriter uerſatur. Callidos autem, quorum tanquam manus opere, ſic animus uſu concalluit. Sapientia.] Cum ſit ſapientia rerum diuinarum humanarumq́; ſcientia. Moderandis cupiditatibus.] Quod prudentie, ut diximus, eſt munus. Domeſtica.] Quam œconomicam dicimus. Ciuilis.] Politica à Grecis nominatur. Temperantia autem.] Ariſtoteles autem, σωφροσύνης δὲ, inquit, ἐστὶ τὸ μὴ θαυμάζειν τῶν σωματικῶν ἡδονῶν, καὶ τὸ εἶναι πάσης ἀπολαυστικῆς αἰσχρᾶς ἡδονῆς ἀνορεκτὸν, καὶ τὸ φοβεῖσθαι καὶ τὴν δικαίαν ἄδειαν, καὶ τὸ τάχθαι περὶ τὸν βίον ὁμοίως ἔν τε μικροῖς καὶ μεγάλοις. παρέπεται δὲ τῇ σωφροσύνῃ, εὐταξία, κοσμιότης, αἰδὼς, εὐλάβεια. Temperantia eſt, inquit, non admirari corporis uoluptates, & omnis inhoneſte uoluptatis fruende appetitu non moueri: tum uel iuſtam quoque libertatem metuere: ac eũdem perpetuo in uita ſtatum in paruis ſimiliter magniſq́; rebus tueri. Comitantur autem uoluptatem modeſtia, uenuſtas, pudor, cautio. Fortitudo.] De fortitudine inquit Ariſtoteles, ἀνδρείας δέ ἐστι, τὸ δυσέκπληκτον ὑπὸ φόβων τῶν περὶ θάνατον, καὶ τὸ εὐθαρσεῖν ἐν τοῖς δεινοῖς, καὶ τὸ εὔτολμον πρὸς τοὺς κινδύνους, καὶ τὸ μᾶλλον αἱρεῖσθαι τεθνάναι καλῶς, ἢ αἰσχρῶς σωθῆναι, καὶ τὸ νίκης αἴτιον εἶναι. ἔτι δὲ ἀνδρείας, καὶ τὸ πονεῖν, καρτερεῖν, αἱρεῖσθαι, καὶ ἀνδρίζεσθαι. παρέπεται δὲ τῇ ἀνδρείᾳ καὶ ἡ εὐτολμία, καὶ ἡ εὐψυχία, καὶ τὸ θάρσος, ἔτι δὲ ἥ τε φιλοπονία, καὶ ἡ καρτερία. Fortitudinis partes ſunt, nõ excitari terroribus mortis, & confidere in aduerſis: tum audere in periculis, ac optare potius honeſtam mortem, quàm ſalutem turpem, & uictorie auctorem eſſe. Quin fortitudinis quoque illa ſunt, laborare, tolerare, deligere, poſſe. Accidunt autem fortitudini, audacia, equanimitas, confidentia, tum etiam ſuſceptio laborum uoluntaria, & tolerantia.. Magnitudo animi dicitur.] Ariſtoteles Μεγαλοψυχίας δὲ, inquit, ἐστὶ τὸ καλῶς ἐνεγκεῖν εὐτυχίαν καὶ ἀτυχίαν, καὶ τιμὴν καὶ ἀτιμίαν, καὶ τὸ μὴ θαυμάζειν, μήτε τρυφὰς, μήτε θεραπείαν, μήτε ἐξουσίαν, μήτε τὰς νίκας τὰς ἐναγωνίους. ἔχειν δὲ τι βάθος τῆς ψυχῆς, καὶ μέγεθος. ἐστὶ δὲ μεγαλόψυχος, οὐδ᾽ ὁ τὸ ζῆν περὶ πολλοῦ ποιούμενος, οὐδ᾽ ὁ φιλόζωος. ἁπλοῦς δὲ τῷ ἤθει, καὶ γενναῖος, ἀδικεῖσθαι δυνάμενος, καὶ οὐ τιμωρητικός. ἀκολουθεῖ δὲ τῇ μεγαλοψυχίᾳ ἁπλότης, καὶ ἀλήθεια. Magnitudinis animi officia ſunt, recte ferre ſecundam aduerſamq́; fortunam, honorem & infamiam, & neque uoluptates admirari, neque cultum, neque potentiam, neque in contentionibus uictorias: habere autem profunditatem animi quandam, & magnitudinem. Eſt uero magnanimus, neque is qui uitam magnifaciat, neque qui uiuere expetat: ſed moribus ſimplex ac generoſus, qui iniuriam quidem accipere poſſit, non etiam ad ulciſcendum promptus ſit. ſequitur porrò animi magnitudinem ſimplicitas, atque etiam ueritas. Liberalitas.] De liberalitate inquit Ariſtoteles, ἐλευθεριότητος δέ ἐστι προαιρετικὸν εἶναι χρημάτων ἐπὶ τὰ εἰς δέον τι ἀναλώσιμα. τὸ βοηθητικὸν εἶναι ἐν τῇ διαφορᾷ, καὶ τὸ μὴ λαβεῖν ὅθεν μὴ δεῖ. ἐστὶ δὲ ὁ ἐλευθέριος, καὶ περὶ ἐσθῆτα καθάριος, καὶ περὶ οἴκησιν, καὶ κατασκευαστικὸς τῶν περιττῶν καλῶν, καὶ διαγωγὴν ἐχόντων ἡδεῖαν ἄνευ τοῦ λυσιτελοῦντος. καὶ θρεπτικὸς τῶν ζώων, τῶν ἴδιόν τι ἐχόντων, ἢ θαυμαστόν. ἀκολουθεῖ δὲ τῇ ἐλευθεριότητι τοῦ ἤθους ὑγρότης, καὶ εὐαγωγία, καὶ φιλανθρωπία, καὶ τὸ εἶναι ἐλεητικὸν, καὶ φιλόφιλον, καὶ φιλόξενον, καὶ φιλόκαλον. Liberalitatis eſt, pecuniarũ amantem eſſe, quas in res honeſtas impendat: & cum inciderit eiuſmodi tempus, ad preſtandum auxilium paratum eſſe: & unde nõ oportet, nihil accipere. Eſt autem liberalis homo in ueſtitu, habitationeq́; mundus atque elegans. Libenterq́; comparat que eximie pulchra ſunt, queq́; uſum habent iucundum ſine utilitate. Animalia alit ea que uoluptatis aliquid habent, aut admirationis. Sequitur autem liberalitatem morum, quedam mollities, & facilitas, & humanitas: tum eſſe miſericordem, & amicorum, hoſpitum, eleganticq́; amantem. Iuſtitia dicitur.] De iuſtitia quoque egregie Ariſtot. inquit: Δικαιοσύνης δέ ἐστι τὸ διανεμητικὸν εἶναι τοῖς κατ᾽ ἀξίαν. τὸ σώζειν τὰ πάτρια ἔθη, καὶ τὰ νόμιμα. τὸ σώζειν τοὺς γεγραμμένους νόμους. τὸ ἀληθεύειν ἐν τῷ διαφέροντι. τὸ διαφυλάττειν τὰς ὁμολογίας. ἔστι δὲ πρώτη τῶν δικαιοσυνῶν πρὸς τὸν θεὸν, εἶτα πρὸς πατρίδα καὶ γονέας, εἶτα πρὸς τοὺς κατοιχομένους, ἐν οἷς ἐστὶ καὶ εὐσέβεια. ἀκολουθεῖ δὲ τῇ δικαιοσύνῃ καὶ ὁσιότης, καὶ ἀλήθεια, καὶ πίστις, καὶ ἡ μισοπονηρία. Iuſtitia eſt, quod quemque deceat tribuere, iura, inſtitutaq́; patrie ſeruare, leges iam ſcriptas tueri, ueritatem ubi quid ambigitur ſequi, ſtare pactis conuentis. Eſt autem iuſtitia princeps ea, que ad deum pertinet: proxima, que ad patriam parenteſq́;: tum que erga mortuos eſt: in quibus conſiſtit & religio. Ad iuſtitiam pertinent, ſanctitas, ueritas, fides, & prauitatis odium. Animaduertendi.] Id eſt, ulciſcendi. Lenitas.] De qua Ariſtoteles: Πραότητος δέ ἐστι τὸ δύνασθαι φέρειν μετρίως ἐγκλήματα, καὶ ὀλιγωρίας μετρίας, καὶ τὸ μὴ ταχέως ὁρμᾶν ἐπὶ τὰς τιμωρίας, καὶ τὸ μὴ εὐκίνητον εἶναι πρὸς τὰς ὀργάς. ἄπικρον δὲ τῷ ἤθει, καὶ ἀφιλόνεικον, ἔχοντα τὸ ἠρεμαῖον ἐν τῇ ψυχῇ, καὶ στάσιμον. Lenitatis eſt, ferre poſſe mediocria crimina, & contumelias mediocres: non ad ulciſcendum impelli celeriter, nõ facile in iram commoueri. uacare autem omni morum acerbitate, non eſſe contentioſum, habereq́; animi ſedationem quandã & conſtantiam. Sapientie.] Id eſt philoſophie, que ſapientia primo dicta eſt, poſtea à Pythagora philoſophie nomen ſibi uendicauit. In diſputando uera.] Dialecticam, id eſt, artem diſſerendi dicit, cui hec attribuuntur omnia. Oratoria.] Que Greco nomine rhetorica nominatur. hec eadem prope que & dialectica proſequitur, niſi quòd preſſius dialectica, eloquentia copioſius omnia tractat, motuſq́; animi diſputationi adiungit. Habitus.] Vtpote uirtutes, & in actione uerſari. Preculti.] Qui propter uirtutem amplectẽdam nos premuniunt exornantq́;. Studia literarum.] Que Greco uocabulo grammatices nomen adepta ſunt. Vt numerorum, &c.] Hoc eſt, mathematice omnes diſcipline, quarum dux arithmetica eſt: quod ut oſtendam, Nicomachi, et nihil amplius, uerba apponam, qui in. I. Arithmet. inquit, Οὔσης μὲν γεωμετρίας, ἀνάγκη καὶ ἀριθμητικὴν ἐπιφέρεσθαι. ἅμα γὰρ τρίγωνον, ἢ τετράγωνον, ἢ ὀκτάεδρον, ἢ εἰκοσάεδρον, ἢ διπλάσιον, ἢ τριπλάσιον, ἢ ὀκταπλάσιον, ἢ ἡμιόλιον, ἢ ἄλλό τι τοιοῦτον, ἂν γεωμετρία λέγῃ, ἄνευ τῶν ἐν ἑκάστῳ συναπεμφαινομένων ἀριθμῶν νοηθῆναι ταῦτα ἀδύνατον. πῶς γὰρ οἷόν τε τριπλάσιόν τι εἶναι λέγεσθαι, μὴ ὑποκειμένου τοῦ τρία ἀριθμοῦ; ἢ ὀκταπλάσιον, μὴ τοῦ ὀκτώ; ἔμπαλιν δὲ, τὰ τρία εἴη ἄν, καὶ τὰ τέσσαρα, καὶ τὰ ἑξῆς, μὴ ὄντων ὁμωνύμων σχημάτων; συναναιρεῖ ἄρα ἡ ἀριθμητικὴ τὴν γεωμετρίαν. ἀλλ᾽ οὐ συναναιρεῖται ὑπ᾽ αὐτῆς. καὶ συνεπιφέρεται μὲν ὑπ᾽ ἐκείνης, οὐ συνεπιφέρει δὲ αὐτήν. πάλιν δὲ ἐπὶ τῆς μουσικῆς. οὐ μόνον γὰρ ὅτι πρεσβυτέρα τὸ καθ᾽ αὐτὸ τοῦ πρὸς ἕτερον,

ἀλλ᾽ ὅτι καὶ αἱ μουσικαὶ συμφωνίαι διὰ τεσσάρων, διὰ πέντε, διὰ πασῶν, κατ᾽ ἀριθμὸν αὗται ὀνομασμέναι, ὁμοίως καὶ τοὺς ἁρμονικοὺς λόγους ἀριθμητικοὺς πάντως ἔχουσιν. ἡ μὲν διὰ τεσσάρων, ἐπίτριτον. ἡ δὲ διὰ πέντε, ἡμιόλιον, ἡ δὲ διὰ πασῶν, διπλάσιον. τριπλάσιον δὲ, ἡ διὰ πασῶν ἅμα, καὶ διὰ πέντε. τετραπλάσιον δὲ ἡ τελειότης, ἡ δὶς διὰ πασῶν. ἐκδηλότερον γε μὴν ἡ σφαιρικὴ δι᾽ ἀριθμητικῆς τυγχάνει πάντων τῶν προσηκόντων αὐτῇ σκεμμάτων. οὐ μόνον ὅτι πολὺ μεταγενεστέρα γεωμετρίας ἐστὶ (ἡ γὰρ κίνησις φύσει μετὰ τὴν μονήν) οὐδὲ ὅτι ἁρμονίας ἐμμελοῦς ἐκ πάντος τὰ τῶν ἀστέρων κινήματα ἔτυχεν, ἀλλὰ καὶ ὅτι ἀριθμῶν περιόδοις καὶ ποσότησιν ἀνατολαί τε, καὶ δύσεις, καὶ προποδισμοὶ, καὶ ἀναποδισμοὶ διαφέρονται. *Exiſtēte geometria, neceſſe eſt etiā arithmeticam eſſe. ſimul enim trigonum, aut tetragonum, aut octaedrum, aut duplum, aut triplum, aut octuplum, aut ſeſcuplū, aut aliquid aliud eorum quibus geometria utitur: ac ſine iis numeris, qui una compoſiti apparent, cogitari iſta non poſſunt. Quo enim modo triplum aliquid eſſe dici poſſet, ſi non tria numerus ſubſiſteret? aut octuplum, ſi non octo? Quin contra potius, & tria eſſe poſſunt, & quatuor, & cætera deinceps, & ſi cognomines iis figuræ nullæ ſubſint. Sublata igitur arithmetica, ſimul geometriā perimit, nō etiā ab ea perimitur. Et hæc illa ſimul ſubinfertur, nō etiā ipſam ſubinfert. Rurſum aūt et in muſica eodē modo, non ob id tantū, quòd quæ per ſe conſtant, priora ſunt iis quæ ad aliud relationem habent: ſed quòd ipſæ etiā muſicæ modulatione, diateſſaron, diapente, diapaſon, numerorū nominibus ſimiliter notantur: eodem modo & harmonicas proportiones, arithmeticas omnino habent: diateſſaron, ſeſquitertiā: diapente, ſeſcuplam: diapaſon, duplam. triplam, diapaſon ſimul & diapente. quadruplam denique, perfectio, quæ diſdiapaſon eſt. Manifeſtius autem ſphærica ſuas omnes conſiderationes per arithmeticam conſequitur: non ideo tantum quòd geometria poſterior ſit (motus enim natura poſt quietem eſt) neque quòd harmonicis modulationibus motus celebretur aſtrorum, ſed etiam, quòd per numerorū circuitus ac quantitates, ortus, occaſusq́; & progreſſiones regreſſionesq́; cōſtituūtur.* Vt numerorū.] *Hoc eſt, arithmetices.* Sonorum.] *Hoc eſt muſices.* Menſuræ.] *Id eſt geometriæ.* Siderum.] *Id eſt aſtrologiæ.* Propenſiora ſtudia.] *Hoc eſt, in quibus ſcientiis magis ſe exerceat is, quem laudemus.* Diuinis.] *Operam dando religioni.* Vitiorum.] *Poſteaquam uirtutes omnes amplexus eſt, earum nunc ad uituperationis materiam ſuggerit cōtraria.* Nam & prudentiam.] *Prudentiæ contraria enumerans Ariſtoteles, inquit,* Ἀφροσύνης δέ ἐστι τὸ κρίνειν κακῶς τὰ πράγματα. τὸ βουλεύσασθαι κακῶς. τὸ ὁμιλῆσαι κακῶς. τὸ χρήσασθαι κακῶς τοῖς παροῦσιν ἀγαθοῖς, τὸ ψευδῶς δοξάζειν περὶ τῶν εἰς τὸν βίον καλῶν, καὶ ἀγαθῶν. παρακολουθεῖ δὲ τῇ ἀφροσύνῃ, ἀμαθία, ἀπειρία, ἀκρασία, ἐπαριστερότης, ἀμνημοσύνη. *Imprudentia autem eſt perperam de rebus iudicare, male conſulere, male congredi, præſentibus bonis male uti, corrupte exiſtimare de bonis maliſq́; ad uitam pertinentibus. Sequitur porro imprudentiam imperitia, inexperientia, intemperantia, ſiniſteriorū ac deteriorum delectus, obliuio.* Et temperantiam.] *Hoc dicit: Sunt qui dum temperantes uideri uolunt, ac uoluptates aſpernari immanes fiant, truces, immites.* Et magnitudinem.] *Hoc eſt, Alij dum magnanimi uideri uolunt, dum animos extollunt, elati nimium animo, ſuperbi & intolerabiles fiunt, quod ſanè genus hominum odit deus. quare & Auguſtinus in Pſalmo quinquageſimo octauo Dauid: Illud eſt uitium, inquit, capitale, quòd cum quis bene profecerit, ſuperbia tentatur, ut perdat totum quod profecit. Denique omnia uitia in malefactis timenda ſunt: ſuperbia in benefactis plus metuenda eſt.* Et deſidientia.] *Sunt enim qui dum honores contemnere uidētur, & minime ambitioſi uideri uolunt, in aliud maius uitium deuoluuntur, dum omnes homines contemnunt.* Et liberalitatem.] *Alij dum liberales eſſe cupiunt, effuſi ſunt, & prodigi.* Et fortitudinem.] *Alij exiſtimant ſe fortes uiſum iri, ſi audaces extiterint.* Duritia immanis.] *Alij dum nimis patientes uideri uolunt, incidunt in duritiam quandā immanem.* Et iuſtitiam acerbitas.] *Alij dum nimium ad unguem iuſti eſſe uideri cupiunt, agreſtes, duri, barbariq́; efficiūtur. inde, ut inquit Cicero, ſummum ius, ſumma iniuria, factum iam tritum ſermone prouerbium eſt.* Et religionem.] *Seruius Sulpitius religionem eſſe dictam tradit, quæ propter ſanctitatem aliquam remota ac ſepoſita à nobis ſit, quaſi à relinquendo dicta: ut à carēdo ceremonia. Lactantius aūt in quarto: Nimirū, inquit, religio, ueri cultus eſt: ſuperſtitio falſi: Superſtitioſi aūt uocantur, non qui filios ſuperſtites optant (omnes enim optamus) ſed aut hi qui ſuperſtitē memoriā defunctorū colunt, aut qui parentibus ſuis ſuperſtitibus, colebant imagines eorum domi, tanquam deos penates. nam qui nouos ſibi ritus aſſumebāt, ut deorum uice mortuos honorarent, quos ex hominibus in cœlum receptos putabant: hos ſuperſtitioſos uocabant. eos uero qui publicos, et antiquos deos colerent, religioſos nominabant. unde Virgilius:*

Vana ſuperſtitio, ueterumq́; ignara deorum.

Idem quoque Lactantius rurſus de religione locutus: Hanc ſequamur, inquit, hoc uinculo pietatis obſtricti deo & religati ſumus, unde ipſa religio nomen accepit: non ut Cicero interpretatus eſt, à relegendo: qui in libro de Natura deorum ſecundo, ita dicit: Non enim philoſophi ſolum, uerū etiam maiores noſtri ſuperſtitionem à religione ſeparauerunt. nam qui totos dies precabātur & immolabant, ut ſui ſibi filij ſuperſtites eſſent, ſuperſtitioſi ſunt appellati: qui autem omnia quæ ad cultum deorum pertinerent, diligenter retractarent, & tanquam relegerent, hi ſunt dicti religioſi à relegendo, ut eligentes ex eligēdo, tanquā à diligendo diligentes. his enim in uerbis omnibus, ineſt uis legendi eadem quæ in religioſo, ita factum eſt in ſuperſtitioſo & religioſo, alterum uitij nomen, alterum laudis. Et lenitatem.] *Vt qui lenis haberi uult, plerunque nimium remoleſcit.* Et uerecundiam.] *Vt qui uerecundi ſunt, in proximum uitium delabuntur, timiditatem.* Et illam diſputandi prudentiam.] *Hoc eſt, qui dialectici eſſe uolūt, ſophiſtæ ſint, ut captiunculis ſermones aucupentur, & illi rei ſoli ſtudeant.* Et hanc oratoriam.] *Hoc eſt, Fit etiam, ut qui oratores uideri cupiant, inani uerborum tinnitu, & loquaci utantur, ac inutili oratione.* Studijs autem bonis.] *In omni, inquit, ſtudio quidquid eſt nimium, carpi poteſt.* Generatus.] *Quales parentes habuerit.* Educatus.] *Molliter ac delicate, an contra.* Inſtitutus.] *Quibuſcum uerſatus ſit, peritis'ne, an imperitis: quales mores habuerit, & ſi quid diuinitus ei apparuerit.* Propoſita ſunt.] *Vt ſi iuſte, ſi fortiter, ſi argute, ſi facunde dixerit feceritq́; quidpiam, id illis ipſis uirtutibus adiungatur, de quibus illum laudantes locuti ſumus.* Neque uero mors.] *Hoc dicit: Si quid nobile in morte euenerit, ne id quidem ſilentio prætereundum eſt: uel quòd mortem conſtantiſſime tulerit. & ſi quid poſt mortem ipſam laudabile acciderit, obliterandum ſilentio non eſt.* Eſt igitur in deliberando finis utilitas, ad quam omnia referuntur in conſilio.] *Traditis in demonſtratiuo genere præceptis, nunc iam deliberatiui generis præcepta explicat, eiuſq́; finem facit utilitatem. à quo planè diſſentit Quintilianus, inquiens: Deliberatiuas quoque miror à quibuſdam ſola utilitate finitas. Ac ſi quid in his unū ſequi oporteret, potior fuiſſet apud me Ciceronis ſententia, qui hoc materiæ genus dignitate maxime contineri putat. Nec dubito, quin ij qui ſunt in illa priori ſententia, ſecundū opinionem pulcherrimam, ne utile quidem, niſi quod honeſtum eſſet, exiſtimarint. Et hæc eſt ratio ueriſſima, ſi conſilium contingat ſemper bonorum atque ſapientium. Verum apud imperitos,*

apud

apud quos dicenda frequenter ſententia eſt, populumq; pręcipue, qui ex pluribus conſtat indoctis, diſcernenda ſunt hęc, & ſecundum magis communes intellectus loquendum. Cicero tamen ut hic, ita in Topicis, finem facit utilitatem. Vtilia prima.] Quintilianus autem: Quare in ſuadendo, inquit, & diſſuadendo tria primum ſpectanda erunt: quid ſit de quo deliberetur, qui ſint qui deliberent, qui ſit qui ſuadeat. Rem de qua deliberatur, aut certum eſt poſſe fieri, aut incertum. ſi incertum, hęc erit quęſtio ſola, aut potentiſſima. ſępe enim accidet, ut prius dicamus, ne ſi poſſit quidem fieri, eſſe faciendum: deinde fieri non poſſe. Cum autē de hoc quęritur, coniectura eſt: An Iſthmos intercidi, an ſiccari palus Pontina, an portus fieri Hoſtię poſſit, an Alexander terras ultra Oceanum ſit inuenturus. Sed in his quoque quę conſtabit poſſe fieri, coniectura aliquādo erit: ut ſi quęratur, An utique futurum ſit, ut Carthaginem ſuperent Romani: ut redeat Annibal, ſi Scipio in Africam exercitum tranſtulerit: ſeruent fidem Samnites, ſi Romani arma depoſuerint. Quędam & fieri poſſe, & futura eſſe credibile eſt. Et paulo poſt: Poſſibile, fas, iuſtum, pium, ęquum, manſuetū, ſubijci poſſunt honeſtati. An ſit autem facile, magnum, iucundum, ſine periculo, ad quęſtionem pertinet utilitatis, qui loci oriuntur ex contradictione. Eſt quidem utile, ſed difficile, paruum, iucundum, periculoſum. Tamen quibuſdam uidetur eſſe nonnunquam de iucunditate ſola conſultatio: ut ſi de ędificando theatro, inſtituendis ludis deliberetur. Itaque cum conſtet hoc genus cauſarum.] Subaudi, difficile atque neceſſariū. Sic ſuaſori.] Subaudi, & utile eſſe, & fieri poſſe. Diſſuaſori.] Si alterum infirmat, ſat eſt, ut aut inutile eſſe, aut fieri non poſſe dicat. Sita ſunt.] Eſt autem (ut in tertio de Finibus bonorum & malorum Cicero inquit) officium, quod ita factum eſt, ut eius facti probabilis ratio reddi poſſit. Atque uirtutibus.] Eſt autem uirtus, ut inquit Ariſtoteles, μεσότης τῶν παθῶν, mediocritas perturbationum. Plato autem, Ἀρετὴ, inquit, ἐστὶν ἡ καθ' αὑτὴν ἐπαινετὴ ἕξις καθ' ἣν τὸ ἔχον, ἀγαθὸν λέγεται. Virtus eſt habitus per ſe laudabilis, ſecundum quem id quod illam habet, bonum dicitur. Laudabilia.] Nam, ut Ariſtoteles docet in Ethicis, in anima eſſe dicuntur bona, alia honorabilia, alia laudabilia. Honorabilia quidem, ut memoria, conſilium, iudicium, ingenium, intelligentia, & huiuſmodi alia, unde artes ſcientięq; ſcaturiunt: laudabilia autem, ut uirtutes ſunt morales omnes. Valetudo.] Quę tamen uocabuli ſignificatione anceps eſt. Quę ſint contraria.] Et perinde uituperanda. Optima tenere.] Senſus eſt: Habenda apud malos, aliquando indoctos, eſt oratio, apud quos cōſultandum, ſi non quid honeſtum, ſaltem quid utile. quòd ſi optima teneremus, nullus eſſet conſultationi locus: quilibet enim quid ſibi pręſcribendum foret, cognoſceret. Opportuna.] Subaudi, quę in ipſa eſt honeſtate. Ad opiniones.] Nam orator totum ſe ferè audientium accommodat ſententię, aut nō multum ab ipſorum mente ſe abdicat: ita enim ſiue utilia, ſiue honeſta, tum demum poteſt obtinere. Illi autem alteri.] Subaudi, agreſti & ſordido generi, quęſtus, emolumentum, fructuśq; proponitur: hoc eſt, undecunque poſſit utilitatem enanciſci. Voluptas.] Subaudi, corporis: quoniam ea eſt uirtuti inimica. nā́ uirtutis uoluptas auget animi bona. Boniq;.] Quia dum quis id bonum exiſtimat, quòd imperet, pecuniā habeat, & reliqua huiuſmodi, ſiue iure, ſiue iniuria, non quęrit, dum uideatur laudandus & honorandus, accedere quę bona ſunt uirtutis. Neceſſarijs.] Vt patrię, ut parentibus, ut liberis: quod in primis quęri oportuit. Quarum rerum.] Ignominię, infamię, contumelię, dedecoris. Atque hęc non publicis modo conſilijs, ſed etiam priuatis: atque adeo magis in priuatis ſpectanda ſunt. Malo cultu.] Quòd ſi male colatur, ut ſi inhoneſtum uideatur, in alterius adduci non poſſit ſententiam. Bene inſtitutos.] Qui rebus bonis inſtructi fuerunt. Addantur etiam contumelię.] Subaudi, ut deuitari poſſint. Quamq; expediat quęri ſolet.] In deliberatiuo, inquit, genere quęri ſolet, quàm ſit utile, quàm fieri aut non fieri poſſit aliquid. Cauſarum autem genera ſunt plura.] Sicut ipſe in Topicis docet. Nam ſunt alia quę ipſa conficiunt.] Quę efficientes cauſę nominantur. Ad conficiendum afferunt.] Id eſt, cauſę quę adiuuantes nominari ſolent: ut in libro de Fato ipſe quoque oſtendit. Principium.] Vt eſt cauſa materialis, ac formalis. Exitum.] Vt Cauſa finalis. nam cum Ariſtoteles cauſarum genera, materialem, formalem, finalem, efficientemq; fecerit, Plato his etiam addidit exemplarem atque inſtrumentalem. Quę aduerſentur.] Stultum ſiquidem ſit, quę proſint inſpicere: & quę officere poſſint, non conſiderare. Contentione.] Quę ſolet in ſententijs uarijs pronunciandis naſci. Diſſuadentibus.] Commonuit ac inſtruxit ſententiam ſuā pronunciantes, & conſilium proferentes: nunc quid pariter facere oporteat deterrentes ab alieno propoſito, docet. Suaſionis locis.] Hoc eſt, ex eis locis quibus alter ſuaſit, ex eiſdem diſſuadebimus. Vterque uero.] Idem quoque docet Quintilianus, inquiens: Tota autem oratio ſimplex, & grauis, & ſententijs debet ornatior eſſe, quàm uerbis. Vſum exemplorum nulli materię magis conuenire merito ferè omnes conſentiunt: cū plerunque uideantur reſpōdere futura pręteritis, habeaturq; experimentum uelut quoddam rationis teſtimoniū. Breuitas quoque ac copia, non genere materię, ſed modo conſtant. Ad explendas cupiditates.] Si agreſtes erunt auditores. Reprimēdi.] Hoc eſt, à cupiditate illa uehemēti fuerint reuocādi. Principia aūt.] Quintilianus aūt, Proœmio, inquit, quale eſt in iudicialibus, nō ubique eget, quia conciliatus eſt ei quiſque quē cōſulit. initiū tamē quodcunque, debet habere aliquā proœmij ſpeciem: neque enim abrupte, nec unde libuit incipiendum: quia eſt aliquid in omni materia naturaliter primum. In ſenatu utique, & in concionibus eadem ratio quę apud iudices, acquirenda ſibi plerunque eorum, apud quos dicendum ſit, beneuolentia, nec mirum, cum etiam in panegyricis petatur audientiū fauor, ubi emolumentum non utilitate aliqua, ſed in ſola laude conſiſtit. Nunc quę.] Quintil. Nunc de iudiciali, inquit, genere, quod eſt pręcipue multiplex, ſed officijs conſtat duobus, intentionis, & depulſionis. cuius partes, ut plurimis auctoribus placuit, quinque ſunt, proœmium, narratio, probatio, refutatio, peroratio. his adiecerunt quidam partitionem, propoſitionem, exceſſum: quarum priores duę probationi ſuccedunt. nam proponere quidem quę ſis probaturus, neceſſe eſt: ſed & concludere. Inde porrò ſubiungit: Verum ex his quas conſtitui partibus, non ut quidque primum dicendum, ita primum cogitandū eſt: ſed ante omnia intueri oportet, quod ſit genus cauſę, quid in ea quęratur, quę proſint, quę noceant: deinde quid confirmandū ſit, ac refellendum, tum quo modo narrandum. expoſitio enim, probationum eſt pręparatio, nec eſſe utilis poteſt, niſi prius conſtiterit, quid debeat de probatione promittere. poſtremo intuendum, quemadmodum iudex ſit conciliandus. neque enim, niſi totis cauſę partibus diligenter inſpectis, ſcire poſſumus, qualem nobis facere animum cognoſcentis expediat, ſeuerum an mitem, concitatum an remiſſum, aduerſum gratię an obnoxium. Neque tamen ideo eos probauerim, qui ſcribendum quoque proœmium nouiſſime putant. nam, ut conferri materiam oportet, & quid quoque loco ſit opus, conſtare ante quàm dicere aut ſcribere ordiamur: ita incipiendum ab ijs quę prima ſunt. Inſpiciēda igitur materia eſt, quo pręcipimus ordine: ſcribenda, quo dicimus. Hęreditatis.] Hic ſtatus negotialis appellatur: ut ipſe oſtendit in Rhetoricis Cicero. Fortunatianus aūt, & in ſcripto, & extra ſcriptum eſſe contendit. De conſtituendo ipſo

iudicio.] Hic ſtatus in Rhetoricis tranſlatio appellatur: quoniam de actione transferenda contentio eſt. Concertata.] De qua ante factum ſit certamen. Dijudicata.] Et tamen nondum definita. Neceſſaria uidetur.] Propter cauſas iudiciales, in quibus de iure ſæpe quæritur. Conſtitué dis actionibus.] Qua demum actione cum reo agatur. nam mos fuit, nunc uero ablatus eſt. Separo á iudicijs.] Quoniam in eo iudicium non eſt, in quo tranſlatio eſt, & cum qua actione agendum ſit, quæritur. Tempore agendi.] Quoniam id eſt, quod in quæſtionem uenit. Diſſimilitudine.] Quoniam non utique abſimile id á iudicio uidetur. Formam.] Vt iudicialis nomine appellentur. Quale quid ſit.] Vbi qualitas de ſummo genere eſt, de qua ſupra mentionem fecimus, ipſamq; in ſuas diſtribuimus ſpecies. Tres ſunt gradus.] Quintilianus autem: Diſcant igitur, inquit, ante omnia quadripartitam in omnibus cauſis eſſe rationem, quam primam intueri debeat, qui acturus eſt. nam, ut á defenſore potiſſimum incipiam, longe fortiſſima tuẽdi ſe ratio eſt, ſi, quod obijcitur, negari poteſt. proxima, ſi non id quod obijcitur, factum eſſe dicitur. tertia honeſtiſſima, qua recte factum defenditur. Quibus ſi deficiamur, ultima quidem, ſed iam ſola ſupereſt ſalus, aliquo iuris adiutorio elabendi ex crimine, quod nec negari, nec defendi poteſt: ut non uideatur iure actio intẽdi. hinc illæ quæſtiones ſiue actionis, ſiue tranſlationis ſunt. ſunt enim quædam non laudabilia natura, ſed iure conceſſa: ut in duodecim tabulis debitoris corpus inter creditores diuidi licuit, quam legem mos publicus repudiauit. Et aliquid æquum, ſed prohibitũ iure: ut libertas teſtamentorum. Accuſatori nihilo plura intuenda ſunt, quàm ut probet factum eſſe, hoc eſſe factum, non recte factum, iure ſe intendere. ita circa ſpecies eaſdem lis omnis uerſabitur, translatis tantum aliquando partibus, ut in cauſis, in quibus de præmio agitur, recte factum petitor probat. Conſiſtendum.] Contra aduerſarium eſt reſpondendum. Factum neges.] Inde coniecturalis, uel inficialis conſtitutio nominatur. Eam uim habere.] Hoc eſt, nõ debere eo nomine appellari: & proinde cum lis ſit de nomine, & ui ipſius rei, deueniendum ad definitionem: quare etiam finitiuus ſtatus appellatur. Aduerſarius criminetur.] Vt ſi aduerſarius uerbi cauſa ſacrilegium uocet: tu defendas, furtum, non ſacrilegium dici oportere. Neges tale eſſe.] Quoniam ſi aduerſarius iniuſte factum dicat, tu iuſte aſſeras. Informatione.] Quoniam qui definit, circa uerbi formam uerſatur. Non ſolum reſiſtas.] Quintil. Alij ſtatum crediderunt primá eius, cum quo ageretur, deprecationem. quam ſententiam Cicero his uerbis complectitur: In quo primum conſiſtit, quaſi ad repugnandum cõgreſſa defenſio. Vnde rurſus alia quæſtio: An eum ſemper is faciat, qui reſpondet? Cui rei præcipue repugnat Cornelius Celſus, dicens, non á depulſione ſumi, ſed ab eo qui propoſitionem ſuam confirmet: ut ſi hominem occiſum reus negat, ſtatus ab accuſatore naſcatur, quia is uelit probare. ſi iure occiſum reus dicit, tranſlata probationis neceſſitate, idem á reo fiat, & ſit eius intentio. cui non accedo equidem. Ná eſt uero propius, quod contradicitur, nullam eſſe litem, ſi is cum quo agitur nihil reſpondeat, ideóq; fieri ſtatum á reſpondente. Mea tamen ſententia uarium id eſt, & accidit pro conditione cauſarũ: quia uideri poteſt propoſitio aliquando ſtatum facere, ut in coniecturalibus cauſis. utitur enim coniectura magis qui agit. Quo moti quidam, eundem á reo inficialem eſſe dixerunt, & in ſyllogiſmo tota ratiocinatio ab eo eſt qui intendit. Et aliquanto poſt porro ſubiungit Quintilianus: Noſtra opinio ſemper hæc fuit, ut cum eſſent frequenter in cauſa diuerſi quæſtionum ſtatus, in eo crederem ſtatum cauſæ, quod eſſet in ea potentiſſimum, & in quo maxime res uerteretur. Id ſi quis generalem quæſtionem, uel caput generale dicere malit, cum hoc mihi non erit pugna, non magis quàm ſi aliud adhuc, quo idem intelligatur, eius rei nomẽ inuenerit. Sané ſtatus ac ſtatuum nomina ſupra memorauimus. Status.] Qui coniecturalis appellatur. Rationem habet iniqui criminis.] Quoniá negat. in ipſa enim negatione ratio iniqui criminis incluſa eſt. Secundus.] Qui finitiuus, uel definitiuus, uel finis appellatur. Quod ſit in re.] Vt ſi ſacrilegij accuſetur reus, & oſtendatur id furtum eſſe, non utique ſacrilegium, & huiuſmodi alia: ubi id definire opus ſit, in quo quæſtio poſita eſt. Tertius.] Qui qualitatis ſtatus appellatur. Rationi.] Subaudi, quá profert reus ſe defendendo. Opponendum eſt ab accuſatore.] Subaudi, ad rei refellendam rationem, quod continens uocitatur. hanc ſané totá rem ita explicat Quintilianus: His, inquit, inuentis, intuendum deinceps Hermagoræ uidetur, quid ſit quæſtio, ratio, iudicatio, continens, id eſt συνέχον, uel, ut alij uocant, firmamentum. Quæſtio latius intelligitur, omnis de qua in utrãque partem, uel in plures dici credibiliter poteſt. In iudiciali aũt materia dupliciter accipienda eſt: altero modo, quo dicimus multas quæſtiones habere controuerſiam: quo etiam minores omnes complectimur: altero, quo ſignificamus ſummam illam, in qua cauſa uertitur. de hac nunc loquor, ex qua naſcitur ſtatus, An factum ſit, quid factum ſit, an recte factũ ſit. Has Hermagoras, & Apollodorus, & alij plurimi ſcriptores proprie quæſtiones uocant. Theodorus, ut dixi, capita generalia: ſicut illas minores, aut ex illis pẽdentes, ſpecialia. Ná & quæſtioné ex quæſtione naſci, & ſpecié in ſpecies diuidi cõuenit. Hanc igitur quæſtionem uelut principalem uocant ζήτημα. Ratio auté eſt, quia id quod factum eſſe conſtat, defenditur. & cur non utamur eodem, quo ſunt uſi omnes feré, exemplo? Oreſtes matrem occidit: hoc conſtat. Dicit ſe iuſte feciſſe: ſtatus erit qualitatis. Quæſtio: An iuſte fecerit. Ratio: Quia Clytemneſtra Agamemnoné maritum ſuum, patrem Oreſtis occidit: hoc αἴτιον dicitur. κρινόμενον autem, iudicatio, An oportuerit uel nocentem matrem á filio occidi. Nec multo poſt ſubiungit Quintilianus: Paulum in his ſecum etiam Cicero diſſentit. nam & in Rhetoricis, quemadmodum ſuperius dixi, Hermagoram eſt ſecutus: in Topicis autem, ex ſtatu effectam contentionem κρινόμενον exiſtimat: Idq; Trebatio, qui iuris erat conſultus, alludens, quæ de re agitur, appellat: quibus id cõtineatur, cõtinentia, quaſi firmamenta defenſionis, quibus ſublatis defẽſio nulla ſit. At in Partitionibus oratorijs, firmamentũ quod opponitur defenſioni, quia cõtinens quod primũ ſit, ab accuſatore dicatur, ratio á reo, ex rationis et firmamẽti quæſtione diſceptatio ſit iudicationũ. Verius ergo & breuius, qui ſtatũ, & cõtinens, & iudicationé idé eſſe uoluerunt: cõtinens auté id eſſe, quo ſublato, lis eſſe non poſſit. hoc mihi uidetur cauſam utranque complecti, & quòd Oreſtes matrem, & quòd Clytemneſtra Agamemnonem occiderit. Iidem iudicationem & ſtatum conſentire ſemper exiſtimant. Quæſtio exoritur.] Hæc eſt κρινόμενον, id eſt iudicatio. Ceperit'ne pecunias.] Reus pecuniarum repetundarũ. Norbanus.] Qui Sylla ſe oppoſuit, prælium circa Canuſium, á proconſulibus aduerſus Norbanum geſtum, in quo ad ſex hominum milia ex Norbani exercitu cæſa, Syllani ſeptingenti milites tantum occiſi, Norbanus Capuam fugit. Opimius.] Qui conſul Gracchanas inſectatus factiones eſt, ut multi narrant hiſtorici, ita Appianus. Primam contentionem.] Vt, iure non feciſti. feci. Tota contentio eſt, an iuſte fecerit. Lata & confuſa.] Quoniam an iuſte fecerit, uarie multiſq; modis tractatur. Rationum autem.] Contentionem adducit in anguſtam diſceptationem. nam ea paucis comprehenduntur. Coniectura.] Neque enim ratio, aut firmamentum eſſe poteſt, ubi nulla confeſſio. quod ipſe docet, cum inquit: Nemo enim eius quod negat factum, rationé aut poteſt, aut debet reddere. In his.] Subaudi, coniecturalibus. Eadem & prima.]

Siquidem

Siquidem unum ſemper eſt quærendi & diſceptandi genus:ut, Occidiſti, non occidi: an occiderit. Secus uero cum dicitur, Iure occidi. hic enim multa diſceptatio:an iure occiderit. Maieſtas autem.] Ad definitiuum uenit ſtatum, ut uim uerbi de quo quæratur, definiat. Quæ ſunt.] Subaudi, in ſtatu qualitatis. Infinita.] Quoniam cum finita ſit, iure ne Opimius Gracchum occiderit, quia complexum habet perſonarum. fit rurſus hæc infinita, cum dicitur: Poſſit ne recte ſalutis Reipublicæ cauſa, ciuis euerſor ciuitatis necari indemnatus. Ad conſultationis formam.] Id eſt, infinitæ quæſtionis: quã à Græcis theſin diximus appellari. Scripto legis.] Quo æquum, iniquum'ue aliquid comprobatur. Verborum ipſius iudicij.] Verborum quibus uſi ſint, qui aliquid iudicarunt. Stipulationis.] Per interrogationem promiſſionis. Cautionis.] Vbi de aliqua re ſcripto cautio eſt: ut chirographi. Genus.] Subaudi, probationis, quod ſcripto continetur. In definitionem.] Hoc eſt, in ſtatum finitiuum. De ſcripto.] Nam & legitimus eſt etiam ſtatus finitiuus. Penus.] Hoc apud Aulum Gellium inuenias. Quæ ſint ruta cæſa.] Vlpianus: Si ruta, inquit, cæſaq; excipiantur in uenditione, ea placuit eſſe ruta, quæ eruta ſunt, ut arena, creta, & ſimilia. cæſa ea eſſe, ut arbores cæſas, & carbones, & his ſimilia. Gallus autem Aquilius, cuius Mela refert opinionem, recte ait, fruſtra in lege uenditionis de rutis & cæſis contineri: quia ſi non ſpecialiter uenierint, ad exhibẽdũ de iis agi poſſe. neq; enim magis de materia cæſa, aut arena cauendum eſt uenditori, quàm de cæteris, quæ ſunt pretioſiora. Scripto.] Qui ſtatus dicitur ἀμφιβολία. Vel à uerbis uoluntatem & ſententiam ſcriptoris abducere.] Qui ſtatus ex ſcripto & ſententia nominatur. Vel alio ſe ea dem de re.] Qui ſtatus ex contrariis legibus nominatur. Diſceptatio ſcripti.] Hic ſtatus græce ſyllogiſmus, latine ratiocinatio nominatur. Cum eſt inficiando.] Id eſt, cum inficiatur, in quo accuſatur. In ſuaſionis locis.] Vbi deliberatiuum genus tractauimus. Capiendo.] Subaudi erãt. Præcipiebantur.] Cũ hæc tradebamus. His ferè rebus.] Locos aperuit, quibus in coniecturali ſtatu uti accuſator poterit. Voluntatis.] Quare uoluiſſe uideri poſſint. Facultas.] id eſt, poteſtatem faciendi habuiſſe uideri poſſint. Quid.] Subaudi, animi motus. Hæc dicta de cauſis.] Quoniam ut ſuperius oſtendimus, octo circunſtantiæ ſunt, unde argumenta in coniecturali quæſtione duci poſſunt, perſona, factum, cauſa, locus, tempus, modus, facultas, opinio. Inſimulare.] Hoc eſt inceſſere. eſt autem inſimulo, idem quod ficto proſequor crimine. Adiuncta illa.] Id eſt adiuncto illo, quod communiter in diſputationem uenire poteſt. Dictáq; quæſtionis.] Quæ in quæſtionis.] Quæ in quæſtione torquendi reſponſa ſunt. Defenſionis.] Expoſitis accuſatoris locis, nunc pariter tela ſua ſuggerit defenſori. Non tantas.] Subaudi, cauſas. Communia.] Expoſitis locis coniecturæ omnibus, nunc ad quæſtionem finitiui ſtatus deſcendit, in quo accuſatori & defenſori communia ait tradi præcepta oportere. Vter enim.] Hoc dicit, Siue accuſator, ſiue defenſor ſit, uter eorum melius rẽ de qua quæſtio eſt, definierit: is qui ad ſenſum iudicis melius penetrarit, & ad eam perceptionem, quæ animis audientium inſidet: is obtineat cauſam neceſſe eſt. Definiendi uero modum, ſupra abunde, ut nobis uiſi ſumus, attigimus. Sed tanquam explicando.] Hoc dicit, Non obtinetur cauſa argumentatione, ſed potius definiendi quadam peritia. Præuaricationem.] Præuaricatores, inquit Feſtus, à prætergrediendo ſunt uocati. Vlpianus de iis qui infamia notantur, dictia prætoris interpretatus, ſuper illo uerbo, In te præuaricator: Præuaricator autem, inquit, eſt, quaſi uaricator, qui diuerſam partem adiuuat, prodita cauſa ſua: quod nomen Labeo à uaria cunctatione tractum ait. nam qui præuaricatur, is ex utraque parte conſiſtit, quinimmo ex diuerſa. Verbiq; uim.] Definiet alio modo, ut uis uerbi contrarium ſignificare uideatur. Quaſi ex uero.] Tanquam nomen præuaricationis à uero inclinetur. • Ex conſequentibus.] Ex eis quæ ſequuntur id nomen. Confugiendum.] Non tantum definitio inſpicienda. Auctoritatem.] Ad auctoritatem eorum qui iudicarunt quid uerbum id ſignificaret. Communéq; ſit.] Subaudi, tam accuſatori, quàm defenſori.. Confiteatur.] Ut ſe ſuſtuliſſe. Interpretatione.] Vt nolit ſacrilegium, ſed furtum appellare. Queratur.] Hoc eſt lamentetur, quòd in cauſa urgeatur, non quòd deliquerit, ſed mala uerbi interpretatione. Percenſere.] Adiicere, quæ pariter poſſint ita male interpretari, ſicut quod contra ſe proferatur. Tamen reus.] Tametſi, inquit, tã accuſator quàm reus id poſſit facere, tamen commodius id præſtabit reus. Antepoſita.] Quæ ad amplificandum idonea diximus. Nunc ea.] Expoſita finitiui ſtatus tractatione, nunc ſtatum qualitatis quo modo tractare conueniat, docet. Quod diuiditur.] Hoc nos quoque ſuperius tractauimus, & iuriſconſultorum auctoritate uſi, diuiſimus. Et, ut dicitur, æqui.] Ita ſiquidem loqui conſueuerunt iuriſconſulti. Sine literis.] Quod appellatur ius non ſcriptum. nam, ut etiam iuriſconſulti diuidũt, aliud eſt ius ſcriptum, aliud non ſcriptum: ac, ut Græci aiunt, τὸ δίκαιον ἐςι διττὸν, τὸ μὲν ἄγραφον, τὸ δὲ νόμιμον. Ius duplex eſt, alterum non ſcriptum, legitimum alterum. Aut gẽtiũ.] Itaque & Paulus libro quarto ad Sabinum: Ius, inquit, pluribus modis dicitur. Vno quidem modo, id quod ſemper æquum ac bonum eſt, ius dicitur, ut eſt ius naturale: altero modo, quod omnibus, aut pluribus in quacunque ciuitate utile eſt: ut eſt ius ciuile. nec minus recte ius dicitur, in ciuitate noſtra ius honorarium. Prætor quoque ius reddere dicitur, etiam cum inique decernit, relatione ſcilicet facta, non ad id quod ita prætor fecit, ſed ad illud quod prætorem facere conuenit. Alia ſignificatione ius dicitur, locus in quo ius redditur, appellatione collata ab eo quod fit, in id ubi fit. quem locum determinare hoc modo poſſumus: Vbicunque prætor ſalua maieſtate imperij ſui, ſaluoq; more maiorum ius dicere conſtituit, is locus recte ius appellatur: hæc Paulus. Martianus autem libro primo Inſtitutionum: Non nunquam, inquit, ius etiam pro neceſſitudine dicimus: ueluti, Eſt mihi ius cognationis, uel affinitatis. Iuris autem præcepta, ut Vlpianus inquit, ſunt hæc: Honeſte uiuere, Alterum nõ lædere, Ius ſuum unicuique tribuere. Iuris prudentia eſt, diuinarum & humanarum rerum notitia, iuſti & iniuſti ſcientia. Aut gentium iure, &c.] Hoc eſt, iure gentium, & iure ciuili, de quo ſupra abunde dictum. Publicum.] Definit quod ſit ius publicum. Pactum conuentum, ſtipulatio.] Vlpianus de Pactis: Pactum autem, inquit, à pactione dicitur: unde & pacis nomen appellatum eſt. Eſt autem pactio, duorum pluriumúe in idem placitum & conſenſus. Conuentionis uerbum generale eſt, ad omnia pertinens, de quibus negotij contrahendi tranſigendíq; cauſa conſentiunt, qui inter ſe agunt. nam ſicuti conuenire dicuntur, qui ex diuerſis locis in unum locum colliguntur, & ueniunt: ita qui ex diuerſis animi motibus in unum conſentiunt, id eſt, in unam ſententiam concurrunt. Adeo autem conuentionis nomen generale eſt, ut eleganter dicat Pedianus, nullum eſſe contractum, nullam obligationem, quæ non habeat in ſe cõuentionẽ, ſiue re, ſiue uerbis fiat. nã et ſtipulatio quæ uerbis fit, niſi habeat conſenſum, nulla eſt. Sed conuentionum pleraque in aliud nomen tranſeunt, ueluti in emptionem, in locationem, in pignus, uel in ſtipulationem. Paulus autem libro. 2. Labeo ait, inquit, conuenire poſſe uel re, uel per epiſtolam, uel per nuncium inter abſentes, ſed etiam tacito conſenſu conuenire intelliguntur. & ideo ſi debitori meo reddiderim cautionem, ui-

detur inter nos conueniſſe, ne peterem, profuturamq; ei conuentionis exceptionem placuit. Naturali iure præſcriptum eſt.] *Mandatum, ſtatutum. Cæſar in Commentarijs, Quid fieri oporteret, non minus commode ipſi ſibi præſcribere, quam ab alijs doceri poterant.* De natura.] *Subaudi, maiorum.* Ad eius facti deprecationem.] *De qua parte ſuperius in diuiſione aſſumptiuæ conſtitutionis diximus.* Quale ſit, cum diſceptatio.] *Supra diximus, in diuiſione ſtatuum, alios dici rationales, alios legitimos. De rationalibus, an ſit, quid ſit, & quale ſit, hactenus dictum. Sequuntur legitimi, qui ex ſcriptis eliciuntur.* Ambigui.] *Ambiguum, hoc eſt, amphibologiam primo tractat: Lex omnis, inquit Quintilianus, aut tribuit, aut adimit, aut punit, aut iubet, aut uetat, aut permittit. Litem habet, aut propter ſeipſam, aut propter alteram. Quæſtio eſt, aut in ſcripto, aut in uoluntate. In ſcripto, aut apertum eſt, aut obſcurum, aut ambiguum. Quod de legibus dico, idem uolo accipi de teſtamentis, pactis, ſtipulationibus, omni denique ſcripto, idem de uoce. De ambiguo porro aliquãto poſt inquit: Amphibologiæ ſpecies ſunt innumerabiles, adeo ut philoſophorũ quibuſdam nullum uideatur eſſe uerbum, quod non plura ſignificet, genera admodum pauca: aut enim uocibus accidit ſingulis, aut coniunctis. Singula afferunt errorem, cum pluribus rebus, aut hominibus eadem appellatio eſt: ὁμωνυμία dicitur, ut gallus. utrum enim auem, an gentem, an nomen, an fortunam corporis ſignificet, incertũ eſt. Idẽ aliquãto poſt: In coniunctis, inquit, plus ambiguitatis. fit autem per caſus: ut, Aio te Aeacida Romanos uincere poſſe, & quæ ſequuntur.* Cum autem aliud ſcriptor.] *Statum tangit, qui ex ſcripto & ſententia nominatur.* Renouare.] *Id eſt, repetere ſæpius, ut affectus moueat.* Contra.] *Id eſt, è diuerſo.* Amplificet.] *Quaſi in locum communem deſcendens.* Quibus alij.] *Subaudi, uſi ſunt.* Inuidioſa querela.] *Quintilianus: Inuidia nanque, inquit, altera inuidum, altera inuidioſum facit: hoc autem hominis, illud rei eſt.* Si ſcripta inter ſe diſſentiant.] *Hic ſtatus ex contrarijs legibus nominatur.*

FINIS.

IAC. LOD. STREBAEI RHEMENSIS IN PARTITIONES ORATORIAS CICERONIS COMMENTARIA, AD IACOBVM VILLONOVANVM.

c

VM per annos decem & quatuor in erudienda iuuentute laboraſſem, etſi ne tum quidem grauiſſimo labori quietem modumq́ue reperiſſem, me tamen ad colligenda mea ſtudia plerique amicorum adhortabantur. Quo propoſito, diu multumq́ue dubitaui, utrum monitus & cohortationes admitterem: an potius ita me compararem, neque perferre inſauſtum pondus, neque laborioſum uiuendi genus nouo ſudore cumulare. In hanc partem ſemper fueram propenſior, propterea quòd ad ſcribendum feliciter, opus eſt naturæ & ingenii uiribus, multarum rerũ ſcientia, uſu & exercitatione dicendi, quæ in me perquàm exigua ſentiebam. Et ea ſi forte mihi contigiſſent, tamen quoniam à ſapientiſſimis uiris ſcripta ſunt nimium multa, ſilendum putabam. Quòd ſi quid noui ratio poſtularet, rurſus exiſtimabam ceſſandum temporibus noſtris, cum labor honeſtus nullum præmium ferat, ſed uel contemptum, uel inuidiam. Sciebam quoque bonas artes, quibus tum Græci, tum Latini, non ſine magna dignitatis auctoritate floruerunt, nunc apud eos qui omnia quæſtu metiuntur, ita uileſcere, ut earum profeſſores infra mortales omneis eſſe uideantur. His rebus adductus, eos imitari decreueram, memoriæ noſtræ doctiſſimos uiros, qui frui ſilentio literarum malunt, quàm in opere pœnitendo bonas horas male collocare. Sed nitebantur in aduerſum cauſæ ualidiores: Hominem non ſuis, ſed aliorum natum commodis: Eſſe proprium optimi cuiuſque, aliquid in commune laborare, ſereneq́ue mittere, cuius alii percipiant fructum. Alios ædium monumenta ſuis relinquere, alios nobilitatem generis, alios gloriam uirtute partam, omnes penè teſtimonium quoddam ſui laboris: Non aliter oportere artium liberalium profeſſores, non modo uiuos, ſed magis etiam prodeſſe mortuos. Id feciſſe ueteres noſtroſq́ue ſcriptores, quorum monumentis acuitur æternæ poſteritatis induſtria. Hanc reliquiſſe librorũ uelut hæreditatem, quam partim amiſiſſe, partim neglexiſſe, partim deprauaſſe, decoctricis ignauiæ eſt poſterorum: contra hæredis boni frugiq́ue, ſeruaſſe legata, ac diligenter auxiſſe: ne qui omnia ab omnibus accepit, nemini quidquam omnium contuliſſe arguatur. Quòd igitur ſtudia literarum ſecutus eſſem, bonamq́ue partem ætatis in eo curriculo tranſegiſſem, nec otium languidum ac ferè mortuũ probarem, ſtatuebam mihi more meo ſemper aliquid in literis agendum, quod & alios fortè iuuare poſſet, & acceptam à ſcriptoribus hæreditatem adaugere. Quo me ducebat illud, Quam quiſque norit artẽ, in hac ſe exerceat. Nec iam conſtare uidebantur, quæ feruntur in contrariũ. Si non ſubeſt ingenii magna uis, tamen etiam pariunt aliquid infœcundiores agri, ſi modo arte & diligentia percoluntur. Scripta ſunt ab aliis permulta, ſed alia perierunt, alia in bibliothecis & puluere deliteſcunt, alia palam negliguntur, multa repudiat hæc ætas, multa queritur obſcura: quamobrem relinquitur nobis & poſteris ſcribendi locus. Nec honeſta & utilia capeſſenti, metuenda eſt inuidia: quæ cum gloriam florentem perſequatur, quid habet in me quod toruo faſcinet aſpectu? Nec laboro de cõtemptu eorum, qui quòd nimium ſpectant honores & diuitias, ingenuas deſpicantur artes. Neſcierunt quid in rebus eſſet optimum: fortuita quidem maluerunt & mortalia, quibus temporis momento deſtituti, ſine re, ſine animi cultu, ſine nomine, ſiue uero honore pereunt. Fateamur itaque longe optimum, uerſare literas, quarum beneficio uiuit, quidquid in rebus mortalium pulchrũ diuturnumq́ue eſt. Hic igitur experiamur aliquid, & initio tanquam ludentes, explicemus artes eorum, qui principes in ratione dicendi fuerunt. Nec opus eſt longa meditatione, quid omnium primum ſequamur. Occurrunt enim Ciceronianæ Partitiones, auditoribus noſtris propediẽ exponẽdæ: quibus in eo genere nihil arbitror neque breuius, ne-

que

que difficilimus,neque magis utile iuuẽtuti.Breuitas memoriã iuuat , ſed parit obſcuritatẽ:obſcuritas
& utilitas quærũt interpretationẽ.Duæ ſunt igitur cauſæ,cur hæc interpretemur,difficultas & utilitas.
Totidẽ cur ediſcamus,breuitas & fructus.Nã partitur hãc artẽ ſubtiliter, membra circunſcripte breui-
terque definit,uim & uſum rerũ notat. A' ſummis generibus ad partes imas rectũ perducit ordinẽ,om-
niaque prope' rhetoricæ præcepta anguſtiſſimo cõſtipat libello:quẽ cũ perutilem filio ſuo nõ uulgari
ter erudito iudicat,eadem ſententia pronunciat,quanti facienda ſit hæc præceptionum deſcriptio. Fa-
tebor autem nihil opus fuiſſe commentariis noſtris,ſi Georgius Valla,homo non indoctus , propius in
ſpexiſſet,rem cognouiſſet, ueramq́ue ſententiam ſeruata ratione interpretis,protuliſſet . De quo uiro ,
qui certe prodeſſe uoluit,nihil dicã,niſi neceſſario.Stat enim mihi,nullius neque uiui, neque mortui uel
licare nomẽ,niſi cõtraueniat ratio neceſſaria. Sed ſi diligẽter oẽs illuſtraſſet obſcuriores locos,equidem
multis impudens & ingratus uiderer,qui rebus alienis ornatus, debitam uiro gratiam ſupprimerem .
Verum teſtes erunt huiuſce rei permulti,Georgium plura ſcripſiſſe in Partitiones oratorias, quæ nihil
faciunt ad rem, exemplis alieno tempore citatis,totos confudiſſe locos , bonam partem reliquiſſe per-
obſcuram,præcepta Ciceronis trecenta & amplius in ſenſum prauum detorſiſſe,pro argumentis figu-
ras,pro figuris argumenta cenſuiſſe:medio itinere,ac ſi longis erroribus & onere defeſſus eſſet , abieciſſe
rerum grauium pondus,tantum pauca leuiora tenuiſſe.Sed quia inuitus feci ut hæc dicerem, taceo reli
qua,& aliorum iudicio relinquo. Quid ab eo diſſentiam,planum facient hæc noſtra commentaria. Ego
quidem ducem meum pone' ſecutus ſum,nuſquam ab itinere propoſito digreſſus. Vſus ſum fere' ſem-
per expoſitione rerum perpetua,quoniam lacerat animum,memoriamq́ue perturbat illa minuta rerũ
uerborumq́ue conciſio. Si quod occurrit uerbum ignorius,alterum,uelut aliud agens,attexui prioris in
terpretamentum. Atque etiam quæcunque uidebantur obſcura,diligenter illuſtraui, non modo para-
phraſi,alioq́ue ſermone,ſed etiã conquiſitis ab optimis auctoribus exemplis , quibus ad hæc præcepta
cognoſcenda nihil utilius afferri poteſt. Eorum multitudine ſi nimium fuſa uidetur oratio , id factum
ſcias ab innumerabili rerum frequentia:quæ ſi uel anguſtis ſegregãtur interuallis, uniuerſum obtinet
campum,& tantum non extra ſpacia proferuntur. Quid tum? in explicandis eloquẽtiæ præceptis nõ
expauenda eſt ulla copia,niſi quæ inani uerborum fluxu redundat. Si quando opus eſt , excutio cau-
ſas,definio quamplurima . Vtor & demonſtratione rerum,quæ in abſtruſo poſitæ ſunt. Si quædam fa
ciliora interpono,id non tam docendi cauſa facio,qua'm membra coniungendi. in quo etiam habenda
ratio eſt imperitorum,quibus omnis fere' deſtinatur interpretatio. Stylum preſſi,ne lõge diſiliret a' ge
nere commentandi. Quid effecerim,aut quid fecerim potius , iudicent æqui rerum æſtimatores . non
enim mea ipſa uendito,ſed amolior præcipitem multorum licitationem: qui quoniam nihil ſecum pre
tũ ferunt,ne pilo quidem licentur uel optima. Sed iſta non uendo,inquam: dono tibi Iacobe Villono-
uane chariſſime,tuoq́ue nomini dicata uolo: ut quod ſtudium rhetoricum uehementer amplexaris, ale
re poſſim,nõ modo uoce, & quotidiana lectione,ſed etiam ſcripto & memoria literarum. Quod ut fa-
ciam,cum tui candidi mores,& ex opera bona profectus bonus meretur, tum auunculus tuus Guliel-
mus Abotus,ſenator ac Iudex lectiſſimus in primario Lutetiæ conſilio. Is pro ſumma in ſuos charita-
te,cum te loco filii haberet,tuamq́ue diſciplinam formare uellet,mihi delegauit hanc inſtituendi curã :
nec ullis unquã rebus,nec laboribus,nec uerbis cõmẽdatoriis pepercit,quo te bonis & moribus & diſci
plinis perpoliret. Itaque mihi tibiq́ue magnopere prouidendũ eſt,ne cõcepta de te optimi uiri fallatur
expectatio. Ego quidẽ de meipſo uidero: tu autem ut & docte ſcire,& bene agere poſſis, propone tibi
domeſticum egregii ſenatoris exemplum. Complectere cogitatione,qua'm diligenter cum multas alias
artes,tum ius ciuile didicerit,qua ſemper fuerit integritate & innocentia,qua'm admirabili modeſtia &
humanitate,qua'm acuto ad res agendas conſilio,quanta diligentia in obeundo munere , qua æquitate
leges interpretetur,qua'm temperata ſeueritate mores cenſeat. Hæc & alia multa ſi mente ſequeris,faci
le reperies eas regiones uiarum,quibus peruenit ad auctoritatem. hac iter facito,ut eo progrediare,quo
te uocat & is qui uirtutis iter tenuit auunculus,& nobilis ac illuſtris ille dux copiarum pater tuus Lu
douicus Villonouanus .

*VR Partitiones oratorias inſcripſerit,id initio demonſtrandum uidetur. Quid partitio nominetur, oſtendit
in Topicis: Partitionum,inquit,& diuiſionum genus quale eſſet, oſtendimus: ſed quid inter ſe differant,pla
nius dicendum eſt. In partitione quaſi membra ſunt,ut corporis,caput,humeri,manus,latera,crura, pedes.
In diuiſione formæ ſunt,quas Græci ἰδέας uocant,noſtri ſpecies. Hæc ille. Inuentio autẽ,diſpoſitio, elocutio,
memoria,pronunciatio,non ſpecies aut formæ rhetorices, ſed ab omnibus partes nominãtur, propterea quòd
ex iis ueluti membris ars oratoria componitur. Nec enim inuentio eſt rhetorica, ut laurus eſt arbor: nec di-
ſpoſitio eſt ars bene dicendi , ut iuſtitia eſt uirtus : quia genus de ſpecie, non de parte totum dicitur . unde
partes,non ſpecies eſſe conſtat . Cum ſint igitur hæ quinque partium primæ , quæ ex ordine in minora quædam partiantur , cumq;
minora membra partitione ſæpius quàm diuiſione diducantur, nomen partitionis aptius fuit , quàm diuiſionis . Sed & multæ di-
uiſiones in hac arte reperiuntur , ut cum diſtribuuntur ſpecies locorum, orationum, cauſarum , quæſtionum, bonorum : quæ ſicut
nomine partis & ſpecies interdum uocãtur , à Cicerone præſertim,ita quoque non inepte dicuntur partitiones . An dictæ ſunt par
titiones , quòd oratoriæ ſcholæ, hoc eſt, rhetoricæ diſputationes, ſic appellitari ſolerent ? Non eſt hæc nominis prima cauſa, ſed me-
thodus atque ratio docendi , in qua propoſito fine quo dirigantur omnia, tum genera ſtatuuntur , deinde ſubiiciuntur partes, &
generum partiumq; nomina definitionibus explicantur . Ab hac uia diſſerendi nomen hoc ductũ fuiſſe ſignificat in fine libri , cum*

dicit: Expoſitæ ſunt tibi omnes oratoriæ partitiones, quæ quidem è media illa noſtra Academia floruerunt: neque ſine ea aut inueniri, aut intelligi, aut tractari poſſunt. Is titulus autem aptior eſt huic libello, quàm cæteris eius de arte dicendi, propterea quòd in hoc ad dialecticum morem breuiter & acute, in alijs ad Q. Fratrem, & ad Brutum, ample & copioſe diſſeritur.

QVO tẽpore Iulius Cæſar unus amiſſa Romæ libertate dominabatur, Cicero, qui nõ parum ſuæ auctoritatis amiſiſſet, egreſſus in Tuſculanũ, cũ iuuentute rhetoricas artes philoſophiãq; tractabat. Hinc illud: Otiũ primũ & ſummũ eſt, quoniã aliquãdo Romæ exeundi poteſtas data eſt. Id in eius uita Plutarchus habet. Quòd igitur otiũ eſſet, & hæc ad ſcribendũ propoſita materia, et is filius qui inde caperet fructũ, quodq; præcepta Græcorũ nõ modo Latino ſermone, ſed etiam Romana grauitate donare uellet, ſuſcepit hanc partitionum deſcriptionem, & ab his cauſis hoc duxit exordium, quod plerunque ſcriptores artium factitant, ut quibus impulſi cauſis fuerint, initio proponant. Primam facit, ſtudium & inſtitutionem filij: alteram, præceptorum Græcorum Latinam explicationem: tertiam, uoluntatem ſuam: quartam, otium ſummum. quas omnes ſic cõnectito: Cum uelis rhetorica non modo græce, ſed etiam latine audire; ego uero nihil malim, quàm te doctiſſimum eſſe; & otium mihi ſummum ſit: faciam ut dicendi præcepta cognoſcas, eaq; latine ſcias: nec abutar otio, qui tua ſtudia uel maximis occupationibus meis anteferre debeo. Cauſas diducimus, quoniam per ſe ualet, & filius honeſta petens, & explicatio rhetoricæ latina, & paternus affectus, etiam ſi nihil petat filius, & opportunitas ac occaſio. Hæ rationes efficiunt, ut ſuſcipiatur ſcribendi negotium. Ratio uiaq; docendi facilior, in cauſa eſt, cur interrogationibus agatur. Ergo initio propoſuit quæ ſcriberet, cui maxime ſcriberet, quo ſermone, quo ſtudio, quo tẽpore, qua methodo uteretur. Tenuit decorum, qui dubitantem fecit adoleſcentulum, reſpondentem ſenem, quiq; ſeruauit illud ἦθος, & ingenuos animi mores, obiecta filij perſona, ſignificans paternæ charitatis affectum. Otiũ primum & ſummum eſt.] Hoc eſt, primum & ultimum. Horatius:

Prima dicte mihi, ſumma dicende camœna.

Primum itaque, quoniam aliquando Romæ exeundi poteſtas data eſt à Cæſare. Vltimum, non quòd ſint hæc extrema ſenectutis, aut ſcribendi, ſed quòd haud tempeſtiuius unquã hæc filij ſtudia iuuare poſſit, cum pater ad philoſophiam, filius ad eandem, honorumq; contentionem traijciat. Erunt qui ſummum accipiant maximum, ut à nobis in ambiguitate uerborũ diſſentiant, & inde uideantur eſſe docti. Scio equidem, ſummum pro maximo ſæpe dici. Quis hoc neſcit? At in ambiguis habeo mihi meã ſententiam, ſicut & illi ſuam. Et quia quod facilius eſt, ſciunt omnes, quod occultũ & probabile uidetur, traho in lucem: ut ſi quis hoc malit, accipiat. At nõ fuit ultimũ otiũ. quid ita? Scripſit poſtea. Quid ſi rhetoricandi fuit occaſio poſtrema? quid ſi uoluntas ultima? quid ſi extrema ſpes? Non'ne ſic ultimum dicimus, quod ſimpliciter nõ eſt ultimum? Stabat uerſus Horatianus hoc modo: Prima dicte mihi, extrema dicẽde camœna. Sũma dixit: Quãobrẽ? niſi ſic erat conſuetudo loquendi. Habeo idoneum exẽplum locutionis huius: ſi contradicis, habe tuum, & planũ fac, primum & ſummum dixiſſe ueteres pro principe & maximo. non enim ualet complexio: Summum aliquando ſignificat maximum, ergo primum: & ſummum ſignificat primum & maximum. Habenda ratio totius orationis, non unius tantum particulæ. Nec ſi pugnabis exemplo, ſtatim cedam, deferens æque probabile. tantum fatebor utrunque poſſe defendi. Tu me græce ſoles ordine interrogare.] Cicero libro Officiorum primo: Ipſe ad meã utilitatem ſemper cum græcis latina coniunxi. idem tibi cenſeo faciendum. Quid fecerit uterque, hic quidẽ locus oſtendit. Ordo interrogantis eſt, qui & condentis artem. Huius autem eſt, ut rem omnem in genera digerat, quæ perpauca ſunt: deinde eorum generum quaſi quædam membra diſpartiat: tum propriam cuiuſque uim definitione declaret. Sic Craſſus de iure ciuili apud Ciceronem lib. I. QVOT in partes diſtribuenda eſt omnis doctrina dicendi?] Locus eſt obſcurus, quiq; egeat illuſtratione. Nam uis oratoris quinque rhetoricæ partes amplectitur: quinque partes uniuerſam rhetoricẽ. Qui locus eſt igitur in partitione duabus reliquis partibus, orationi, ac quæſtioni? Deinde, oratio eſt opus oratoris, uidetur ergo nõ eſſe pars rhetorices. Præter hæc, quæſtio tertium membrum partitionis, materia eſt, non pars: naturaq; præcedit orationem, propterea ſolet artis initio tractari. Cur hic poſthabetur? Breuiter expediamus hunc nodum. Iudicandum eſt (inquit Fabius lib. 2.) rhetoricen in actu conſiſtere, idcirco practicen eſſe. Quæ cũ ſit in agendo, & ipſo perficiatur actu, nullum poſt actum, quod oculis ſubijciatur, opus relinquit. Actus autem quærit artificem, in quo uis ſit oratoris: quærit orationem, qua ſe explicet: quærit & quæſtionem ſiue materiam, ſine qua conſtare nõ poteſt oratio. Quòd ſi oratio ſcribitur, non pronunciatur, tamẽ hæc erunt eodem ferè modo neceſſaria. Ex his tribus conflatur ea quæ uocatur ab eo doctrina dicendi. Alia ſunt præcepta de rebus & uerbis, in quibus eſt uis oratoris: alia de partibus orationis, in quibus oratio: alia de quæſtionibus & ſtatibus, in quibus ratio quæſtionum. Illam rerum uarietatem continet hæc partitio. Vt enim bene dicat orator, & rhetorica actu ſiue eloquentia utatur, habeat quãdam uim communium præceptionũ neceſſe eſt: deinde rationes exordiorum, narrationum, & partium cæterarum: poſtea quæſtionum diſcrimina, proprietateſq;. Non igitur dico rhetoricen illam, qua quis peculiariter utitur agẽdo, uel doceri, uel à Cicerone tradi, ſed rhetoricam πρακτικὴν hanc genuiſſe partitionem, hoc eſt, uſu monſtraſſe quæ partes ad bene dicendum neceſſariæ eſſent. Ad Actionem præcepta tendunt, & ad eum finem diriguntur: quamobrem & initio ſpectandus erat finis. Ex his facile diſſoluuntur argumenta. Quinque rhetoricæ partes abſolutæ, perficiunt uniuerſam rhetoricam. ſed uis oratoris (ut hic dicitur) anguſtior eſt, tantumq; tertiam doctrinæ dicendi partem continet, reliquas autem oratio & quæſtio. Vtraque dicitur duobus modis. Aut eſt oratio, dictio oratoris ex arte confecta, & opus artificis: aut pars rhetoricæ de legibus principij, narrationis, confirmationis, & perorationis. Quæſtio de qua agitur, non eſt pars rhetoricæ, ſed illa quæ quid theſis, quid hypotheſis, qualiſq; utriuſque natura ſit, arte comprehendit. Hanc diſtributionem partium refert paulo poſt, cum rogat: In quo eſt ipſa uis? Quid, orationis quot ſunt partes? Quid, quæſtio quaſnam habet partes? Ordo ſic eſt in illis. Primum eſt, officium ſuũ noſſe: alterum, quibus partibus extruatur oratio: aliud, ut tractetur quæſtio pro ratione naturæ ſuæ. In quo eſt ipſa uis?] In rebus & uerbis eſt omnis oratio. Quintil. Omnis oratio conſtat aut ex iis quæ ſignificãtur, aut ex iis quæ ſignificant: Id eſt, ex rebus & uerbis. At cur oratoris facultati Cicero res & uerba ſubiecit, quæ tribuit Quintil. orationi? Quoniam oratoris eſt inuenire, diſponere, eloqui, memoria tenere, pronunciare: his autem partibus ſolum res & uerba tractantur: neceſſe eſt igitur in hæc duo cadere uim oratoris. Quæ cũ fuerint inuenta, ſuiſq; partibus deſcripta, component orationem. ſic orationis erunt. In iis itaque uis eſt oratoris, ut cauſa efficiens: oratio, ſicut effectũ. SEDET res, & uerba inuenienda ſunt, & collocanda.] Vis oratoris. prima pars eſt tripartitæ rhetoricæ. & ea uerſatur in ſententiis & uerbis. Res autem & uerba, pariuntur atque tractantur quinque uirtutibus. Pariuntur, hoc eſt, eruuntur ab oratore,

oratore, inuentione: reliquis tractantur, collocatione, elocutione, memoria, pronũciatione: quas partes eſſe neceſſarias partitio demonſtrat, hoc modo: Res, inquit, & uerba inuenienda ſunt, & collocanda. Nec enim uoluntas enunciari poteſt, ſi non hac inueneris: nec ſi inueneris, pro rerum dignitate & ordine enunciantur, niſi tua inuenta collocaris. Sed enim res collocantur, et uerba. Rerum collocatio, diſpoſitio eſt proprie dicta: collocatio uerborum eſt, elocutio. Iam reperta eſt ratio trium partium, inuentionis, diſpoſitionis, & elocutionis. Ex quibus alteram communem facit diſpoſitionẽ: ſed magis propriam ſententiarũ, propterea quòd res uerbis potiores ſunt, quodq; elocutio ipſa comprehendit uerborum compoſitionem. Verum hæc cuncta corrũpit indecora uel uoce, uel geſtu pronunciatio. Huic igitur tribuẽdus eſt quartus locus, non actionis ordine (ſic enim uidetur extrema) ſed elocutionis affinitate. Nam quòd elocutio eſt mentis interpres, & ad eam interpretationem magnas habet partes artificioſa pronunciatio, quadam ueluti ſocietate coniunguntur.

Quòd autem earum omnium rerum cuſtos eſt memoria, communis officij cauſa poſtrema pars habetur. Niſi forte quiſpiam ad pronunciationem nihil memoriam facere arbitretur. cui repugnare uidetur hæc Ciceronis traditio, qui cum pronunciationem in uocem, motum, uultumq; diuiſiſſet, quorum ſemper oratorem meminiſſe oporteret, ſi quid hiſce de rebus aut cogitaſſet, aut præceptione didiciſſet, poſtremam non ſine ratione memoriam fecit. Ergo inuentio prima eſt, collocatio ſecunda, quæ non nihil ſpectat elocutionem, cui tertius eſt locus: huic finitima pronunciatio, poſtrema memoria. Qui rhetoricen ſcribit ad Herennium, memoriam in partibus quartam facit. Idem Cicero ſentit de Inuentione. At 1. de Orat. nunc quartam, nunc ultimam conſtituit. Quintilianus, & omnes ferè, proximam faciunt elocutioni. Et quidem certe ſi pronunciatio eſt ultima, actio iure poſtrema eſt. Si uero ſpectes id quod ad actionem decoram excogitaueris, et memoriæ mandaueris, merito præcedit. Itaque mihi uidetur aliquid habere, quod memoriæ committas: & rurſus aliquid in ore & membris, quod ſit memoria poſterius. Nec propterea duæ ſunt pronunciationes, ſicuti non ſunt duæ inuentiones: una in ratione, altera in memoria. ſed pro mẽte memoria quod ſeruabat, continuatur pronunciatio, quæ partim artificialis, partim naturalis eſt: quemadmodum uox, uultus atque motus, partes actionis. Dicet aliquis: Quid ſi memoriæ nihil eſt commiſſum, ut erit omnium cuſtos? Fieri non poteſt ut habeatur oratio, & nihil memoriæ mandetur. Etenim ſi animus tria uerba inuenerit ex tempore, & alia continuandi cauſa moliatur, niſi priora ſeruet memoria, excidant, & inuentio ſit fruſtra. Ergo memoria cuſtos eſt, & eorum quæ multo ante excogitantur, & illorum quæ ſubito & inter dicendum reperiuntur. Eadẽ tenet quæ concepit animus de moderatione uocis, de membrorum totiuſq; corporis geſtu, de uultu, & uniuerſa pronunciatione oratoria. Pronunciatio diuiditur à Quintiliano in uocem, & geſtum. Geſtus uultum continet, motumq; corporis & membrorum. Vultus eſt motus quidem, ſed non qualis eſt manuum uel pedum, ſed motus animi, qui ſigno quodam exteriore ſe prodit: quamobrem ſeparatur à motu. QVID? orationis quot ſunt partes?]

Oratio ſecundum fuerat membrum partitionis, quam diuidit in quatuor partes, principium, narrationem, confirmationẽ, & perorationem. Sic enim eſt natura comparatum, ut ad audiendum paremus auditorem. cum præſtet aures, id de quo agitur, exponamus: ubi cauſam controuerſiamq; cognouit, rem noſtram firmemus argumentis, & aduerſarij demoliamur: poſtremo cum affectu rei ſummam colligamus. Ex hoc ſeminario natura prodierunt quatuor partes, non ubique neceſſariæ, ſed pro ratione cauſarum plures pauciores'ue ponendæ. Vna tantum confirmatio non omittetur unquam, quod etiam Quintilianus affirmat. Etenim comparauit confirmationem oſſibus & neruis, reliquas partem ſuperinducto corpori, quam uocamus carnem. Neruus eſt ad neceſſitatem, caro ſæpius ad decorem. Eodem negotio Cicero partes, & earum tradit officia, ut duæ ualeant ad rem docendam, narratio, & confirmatio: ad impellendos animos duæ, principium, & peroratio. Quæ numerantur ab alijs partes orationis, ut partitio, propoſitio, egreſſio, iudicium, refutatio. ad has quatuor reducuntur duæ priores ad confirmationem, cuius erunt quaſi fundamentum: egreſſio ad eam partem unde pendet. Iudicium fuſum eſt per omnem orationem. Refutatio confirmationis eſt: à qua tamen aliquando diducitur, aut melius docendi gratia, aut quòd noſtra confirmemus, aliena refutemus. quæ duo ſunt officia, uno tamen genere comprehenſa: quia ſunt rationis eiuſdem, quòd in utraque tractantur argumenta. hæc de partibus. Quæris, ſint'ne tria, quæ præſtare debeat orator? ut doceat, moueat, delectet? nam Cicero & Quintil. hæc tradiderunt. Cur igitur hic prætermittit delectationem? Deinde, ſit'ne affectus omnium partium? quod uterque confirmauit. Dicam, Ciceronem tradidiſſe, non quæ omnino ſunt in oratione, ſed quæ præcipua uidentur. Operæpretium eſt autem docere, & mouere, non item delectare, quod ipſum motu & affectu comprehenditur. An qui delectat, etiam mouet? Sunt enim qui aliquando exordiendum putant ab iucunda re, quali mouit iudicium Craſſus in Scæuolam. An affectus melius diſtinguit partes, quàm delectatio? Non ita mihi uidetur. Partes enim dicerentur eſſe confuſæ, niſi diſtinguerentur affectu. At non omnia principia habent affectum & perturbationem: quamobrem dicendum potius eſt, uerbum impellendi, quo Cicero uſus eſt, ad utrunque motum, & iucundum, et triſtem pertinere: aut (quod paulo ante dicebam) habitam eſſe rationem eorum, quæ oranti præcipua ſunt & maxima. Sũt autem illa, finis. Finis orationis eſt, ut diſceptator cauſam edoctus impellatur: quapropter in omnibus orationis partibus licet & docere, & mouere: ſed præcipiendum maxime, quod commodius eſt, ac frequentius. QVID? quæſtio quas'nam habet partes?] Poſteaquã duo priora membra partitus eſt, uim oratoris, & orationem: partitur & ordine quæſtionem. Alteram facit infinitam, definitam alteram. Priorem, conſultationem appellat: aut, quoniam ſæpius cadit in deliberationem, ut cum de toto genere rerum conſultatur, ſint'ne maiora uectigalia exigenda? aut quòd conſultare, & proponere, interdum ſignificant idem. Theſis autem dicitur à Latinis propoſitum. Aut quòd conſultare eſt aliquid inquirere, etiam citra periſtaſin certam atque definitam. Poſteriorem quæſtionem dicit controuerſiam, aut quia ſic erat conſuetudo loquendi, aut quia in iudicijs à contrarijs partibus ſemper uerſatur, aut certe quòd ſolet plus habere aſperæ contentionis. Erunt qui referent ad eas quas dicunt circunſtantias, & maxime fallentur. Non enim pariunt illæ circunſtantiæ controuerſiam, niſi ueniunt in quæſtionem. quòd ſi ueniunt, tam ſunt controuerſa in theſi, quàm in hypotheſi. Ad hæc multæ cauſæ omiſſa perſona agitant infinitã quæſtionem, ut de maieſtate læſa, de ui, de iure ſocietatis. Quæro, ſint ne controuerſiæ? Non ſunt iſtorum iudicio, quia non habent plures circunſtantias de quibus agatur, quàm infinita quæſtiones: id quod Cicero multis uerbis oſtendit ſecundo libro de Oratore. Itaque multitudo nihil facit, ſed ratio pugnæ forenſis apertior & acerbior. Quæſtio infinita nominatur etiã quæſtio generalis, quæſtio uniuerſalis, quæſtio philoſophica, à Cicerone propoſitum, ab eodem conſultatio, à Græcis θέσις. Quæſtio finita, nunc cauſa dicitur, nunc controuerſia, nunc quæſtio particularis, nunc quæſtio ſpecialis, à Græcis ὑπόθεσις. Cauſa, id eſt quæſtio finita, definitur in Topicis, quæ certis perſonis, locis, temporibus, actionibus, negotijs cernitur, aut in omni-

bus, aut in plериſque eorum. Propoſitum, id eſt quæſtio infinita, in aliquo eorum, aut in pluribus, nec tamen in maximis. Colligimus iſtuc, quæſtionem oratori propoſitam ut materiam, et omnem quæſtionem, ſed præcipue ciuilem, eamq́; de certo negotio, uel (ut aiunt) de circunſtantia moueri, aut de re uniuerſa: hanc infinitam, illam finitam uocari. QVONIAM igitur primum eſt inuenire oratoris, quid quæret?] Vis oratoris eſt in rebus, & uerbis: & ut ante dixit, res & uerba inueniēda ſunt. Inuentio rerum, natura prior. Hæc duplex, una fidei, motus altera. Fides eſt firma opinio: motus, animi incitatio aut ad uoluptatem, aut ad moleſtiam, aut ad metum, aut ad cupiditatem. Hoc enim modo poſtea finiuntur. Ex hac definitione refellitur opinio illorum qui negant delectationem motu contineri, niſi uoluptas nullam habet delectationem: quod nemo ſanæ mentis affirmet. Nec ualet iſta connexio: Nullam poſtea facit mentionē delectationis, ergo ſecludit eam. Eadem ratione colligeretur, excluſa fuiſſe ab arte ſchemata ſententiarum, de quibus non egit in hoc opere. Nec uerum eſt, quod aiunt, in uerbis potius quàm in rebus eſſe delectationem. Nā facetæ narrationes, quæ in hoc genere præcipuæ ſunt, non habent in uerbo ridiculum: nec illa omnia breuiter dicta, quæ mutatis uerbis eundem ſeruant leporem. Quamobrē neque Cicero, neque Quintilianus hanc partem attribuit elocutioni, ſed uterque inter partes inuentionis collocauit: de delectatione facit mentionem in exornatione. Redeamus ad propoſitum. Ad fidem omnia referuntur argumenta: ad impellendos animos amplificationes ſunt optimæ, quæ ſicut argumenta deſiderant, ſic etiam permulta alia ſumunt. Quid igitur? motus animorum faciet'ne fidem, ſicut argumentatio? Iuuabit quidem. Affectus enim quocunque irrumpunt, plurimum ualent. ſed quia commotus animus etiam quærit argumentum, Cicero putauit aliud eſſe facere fidem, aliud animos impellere. Quid ſi motus capiet argumentum? Hac ratione pertinebit ad fidem. Quid ſi magis argumentis quàm alijs rebus mouemur? Id uero negat Cicero: negant ij qui uerſati ſunt in Republica: quanquam Ariſtoteles Rhetoricorum primo iſtuc ſentire uidetur, ſummum eſſe in argumentando præſidiū. quod tum uerum fortaſſis eſt, cū apud philoſophos agitur. Alia mens eſt imperitæ multitudinis. QVIBVS rebus fides fit?] Argumentis fit rei dubiæ fides. Argumenta ducuntur è locis. Loci uocantur argumentorum ſedes. In locis argumēta latent, ſicut res ſuo quæque loco ponuntur. Argumentum diuidit ac definit. Definitione priore loco dicemus. Argumentum Cicero dicit, omnem probationem. A' uerbo ducitur arguo, quod eſt demonſtro: Degeneres animos timor arguit. Quintilianus argumētum facit ſpeciem probationis, apertiorem, ut arbitratur, uiā ſecutus. Sed hæc eſt breuior, expeditior, & minus moleſta: illa forte melior ad diſtinguendas rationum proprietates. Argumentum ἔντεχνον, id eſt artificiale, inuenitur ab oratore. ἄτεχνον, ſi non inuenitur ab eo, tamen ab alio in medium adducitur: quod ſine aliqua inuentione fieri non poteſt. Eſt igitur inuentum, hoc eſt inuenta ratio & probatio: inuenitur'q; ad aliquid probandum. Sit igitur probabile. Nam ſi credibile non eſſet, ut alterius faceret fidem? Nec erit argumentum, niſi propoſitioni adhibeatur: & fruſtra adhibeatur, ſi propoſitio certa eſt. Ergo reperitur ad faciendam propoſitionis dubiæ fidem, Vbi facere fidem, non eſt neceſſario ac certo probare, ſed ad credendum impellere. Sic eſt argumenti definitio conſtituta in hunc ſenſum. Argumentum eſt inuenta ratio probabilis, unde dubitantem impellat orator ad credendum. Quid ſi non impellitur? non ſtat per argumentum. Atqui debile eſt. & debile poteſt, ſi non uincere, tamen impellere. At non facit fidem. Certe non facit totam, nec opus eſt: ſed facit ex parte: alioquin adiuncta quo'nā modo haberentur argumenta, ſicut & enthymemata prope infinita? Eſt & hic quod dubitare poſſis. Etenim ſi Quintilianus aliud facit argumentum neceſſarium, aliud probabile, aliud nō repugnans: cur hic Cicero probabile tantum ponit? an quia ſi neceſſarium eſt, nulla lis eſt, & idcirco non eſt argumentum, quod Fabius de ſigno neceſſario dicit: non repugnans autem ſit infirmum, & ideo nihil prope faciat ad fidem? Ad hæc Cicero primo de Inuentione probabile definit, id quod ferè fieri ſolet, aut quod in opinione poſitum eſt, aut quod habet in ſe ad hoc quandam ſimilitudinem, ſiue id falſum eſt, ſiue uerum. Diuiditq́; paulo ante argumentationem in probabilem, & neceſſariam. Ariſtoteles primo Topicorum ſic probabilia definit: Probabilia ſunt ea quæ probant omnes, aut permulti, aut ſapientes, & hi quidem aut cuncti, aut plurimi, aut percelebres. Dicendum mihi uidetur, argumumentum probabile ſæpius dici pro eo quod nō eſt neceſſarium, illudq́; reperiri in omni oratione frequentiſſimum: ideoq́; oratorum eſſe maxime propriū. Ea de cauſa Ciceronem probabile dixiſſe, non qui excluderet neceſſarium (nam & Fabius ἀπόδειξιν argumento complectitur) ſed qui uellet hoc intelligi, non oportere probationes omnes eſſe neceſſarias, ſat eſſe ſi credibiles forent & probabiles. Non dicā probabile, quidquid probat, ut quidam. Nec enim eſt credibile quod credit, nec amabile quod amat, nec oratio probabilis quæ probat. Nec etiam dicam probabile, quod adhibetur ad probandum. Nam ſenſus definitionis eſſet, argumentum eſt quod adhibetur ad probandum ad faciendam fidem: quod ineptum eſt, atque abſurdum. Dicam potius, neceſſarium probabile eſſe: ut ſint omnia neceſſaria probabilia, non omnia probabilia neceſſaria. Diuiſio locorum ſic habet. Locus eſt aut internus, aut externus: nil omnino tertium eſt. aut enim rem de qua agitur inſpicimus, aut aliud quod ad eam referri poſſit. Hoc modo ſit duplex ratio locorum. Perſonæ autem & accidentia hic nomine rei continentur. Quintilianus libro quinto. Nec eſſe argumentorum loci poſſunt, niſi qui rebus aut perſonis accidunt. An quæ rei inhærent, illam conſtituunt? Non, inquit argutulus quidā: ſed inhærent, quæ oblata cauſa interna agitatione quæruntur. Ergo tua definitione ſi non quærerentur, non inhærerent. Ineſt definitio: an rem non conſtituit? Inſunt genus & differentia: nonne rem continent? Age proprium & accidens & ſi non formant ſpeciem, nihil'ne iuuant rei naturam? Iſta ſunt quæ Ariſtoteles rebus ineſſe dicit, & illarum uim naturamq́; totam continere. Quid igitur aliud eſt rem conſtituere? Quid ſi tua interna agitatione quærerentur, & non inuenirentur, inhærerent'ne? Maxime. Quid igitur facit inueſtigatio? Quanto melius Agricola? qui aliquot rationes locorum aſſignat in rei ſubſtantia, non refert ad inueſtigationem. Sed de his ſatis. Priore loco tractat ea quæ extrinſecus aſſumuntur, quæ in Topicis poſteriore tractauit. Illic progrediebatur à propiore ad remotius: hic remotiorem facilioremq́; anteponit materiam. Et ſi iſta prius inquiri ſolent, non tamen ſemper in arte prima tractari: nec res in artibus eo ſemper ordine collocantur, quo quæruntur in agendo. Teſtimonium extrinſecus aſſumitur, & aliunde adducitur ad cauſam. Eſt autem, ut definit in Topicis, omne quod ab aliqua re externa ſumitur ad faciendam fidem. Teſtimoniorum multæ ſpecies, ut præiudicia, rumores, tormenta, tabulæ, iuſiurandum, teſtes. In his enim quoddam eſt teſtimonium, aut iudicum, aut populi, aut eorum qui torti ſunt, aut ſignatorum, aut iuratorum, aut teſtium. Hæc autem dicuntur ἄτεχνα, id eſt inartificialia, quia non pariuntur ab oratore, ſed à litigatore afferuntur: Quamobrem Cicero, quæ ſine arte putantur, inquit, eà remota appello, ut teſtimonia. Sunt alia quæ numerat eodem modo inartificialia, ſi ad oratorem perferuntur, ut oracula, ut pacta quæ citantur à uulgo. Tamen permulta ſunt teſtimonia quæ non accipit orator, ſed ipſe quærit, ut quæ ſecretioribus continentur literis, auctoritates, ſenatuſconſulta, edicta, plebiſcita, leges.

qua

qua de cauſa Cicero non affirmat eſſe ſine arte teſtimonia, ſed talia putari. Eadem ratione Quintilianus exẽpla diuiſit à ſex generibus teſtimoniorũ. Ergo ſi ſpectes inuentionem, non omnia ſunt in arte: ſi tractationem, omnia ad præcepta referuntur.

diuinum eſt, uel humanum: nam ſolis dijs & hominibus mentem uerbis exprimere datum putauit. Diuina teſtimonia ſunt oracula, id eſt deorum uoces: quæ ſic appellantur, quòd ineſt his deorum oratio. Auſpicia, quæ ſeruabant augures, quorum erat obſeruare de cœlo: quæ non in auibus tantum poſita fuerunt, ſed & in tonitruis, & in fulminibus, & tempeſtatibus, & procellis, & id genus rebus. quod in Antonium Cicero multis locis oſtendit. Vaticinationes, uatum diuinationes, ut Sibyllarum, Calchantis, & Caſſandræ apud Homerũ. Reſponſa ſacerdotũ, rerũ diuinarũ interpretationes. quæ ſacerdotũ nõ aliter eſſe putabantur, quàm iuris humani declaratio iuriſperitorum. Aruſpicum reſponſa, ſunt diuinationes quæ ſumuntur ab extorum inſpectione. Exta quidem à uictimis exempta & reddita, putabantur indicare deorum uoluntatem. Aruſpices etiam prodigia interpretabantur: ut quid portenderet equus Iulij Cæſaris, auctore Suetonio. Reſponſa coniectorum, interpretationes ſomniorum, ſi quæ uenire ab Ioue crederentur. Si quis apertius hæc intueri uolet, inſpiciat lib. Ciceronis de Diuinatione. Cæterum ex illis argumenta ducere non eſt magni negotij, quandoquidem iſtuc imperiti factitant, adeo, ut hæc eſſe ſine arte dicantur.

Quòd ſi alia religio noſtra eſt, alia antiquorum, & hæc omnia accommodare tempori neque poſſumus, neque debemus, non tamen omnino ſunt inutilia. Plura nobis quàm illis oracula, multa ſigna & prodigia, multæ uaticinationes, multa reſponſa ſanctorum uirorum, nonnullæ ſomniorum interpretationes: & ſi nulla ſint, tamen res antiquorum noſſe, neminem pœniteat. Humani teſtimonij partes, auctoritas, uoluntas, oratio: quarum diſcrimen eſt. Auctoritas habet dignitatem, ac præ ſe fert aliquid quod uideatur imitandum: ut ſi quid uiſum gentibus, populis, ſapientiſſimis uiris, legumlatoribus, claris ciuibus, poetis, magniſq; rerum ſcriptoribus. Quarum rerum plenæ ſunt orationes, plenæ diſputationes omnium: nec ullum doctis & indoctis frequentius argumentum eſt. Quæ ſint autem quæ faciant auctoritatem, Cic. tradit in Topicis. Voluntas non eſt ad imitandum propoſita, ſed pro affectu ſuum de re præſcribit iudicium: ut uoluntas teſtamentorum, ut mandatorum, ut priuilegiorum. Et huc forte pertineat illud, Sit pro ratione uoluntas. Ea ſæpe rebus ſcriptis inquiritur: unde ſtatus eſt legalis, de ſcripto & uolũtate. Oratio eſt omnis expreſſa uerbis ſententia, ut populi ſermo, teſtium dicta, & ea uerba litigatorum, quæ de cauſa circunferuntur. Oratio aut libera eſt, aut expreſſa. Libera ſunt eorum teſtium uerba, quibus non eſt lege denunciatum, & ſi quæ de re ſponte iactantur. Orationis expreſſæ ſunt ea quæ dicuntur in tormentis, & quæ ui argumentationis, aut metu, aut alia ratione exprimuntur, id eſt, extorquentur. An expreſſa dicis aſſeruata, & ſic notata, ut negari non poſſint? Minime. Qui ſcis? Libera & expreſſa ponuntur contraria, ſicuti libere loqui & coacte. Expreſſa autem, pro aſſeruatis, non opponuntur liberis uerbis. Ad hæc qui libere loquitur, nonne uoces exprimit, id eſt ſic edit, ut notari queant? Teſtis liberum & uoluntarium teſtimonium dixit apud iudices: negari iam non poteſt. Erit igitur expreſſum iſtorum ſententia, & idem erit liberum & expreſſum: quod eſt abſurdum. An oratio expreſſa genus eſt ſcripti, pacti, promiſſi, iurati, atque quæſiti? Nam qui abutuntur hoc uerbo, putant eſſe genus iſtorum. Falſo putant. Sunt enim pacta quædam libera, & promiſſa, & iurata, & quodammodo quæſita, ut ſi qui ultro ſe dedit in quæſtionẽ, uerba dixit: quod plerique ſerui factitarunt. Ad hæc, quãdo tranſacta ſunt, nõ ultra ſunt libera. Audio. Multa quoque libere dicta ſunt, quæ ſuis auctoribus attulerunt exitiũ. Non enim poterant negari, nec erant ultra libera. Iurauit aliquis remotis arbitris, ſe ducturũ puellam. adductus in iudicium, iuraſſe ſe negauit. abſolutus eſt. Dicunt orationẽ iuriſiurandi liberam fuiſſe, quia potuit negari: & tamen iurata referunt ad orationẽ expreſſam, et ſibi repugnant.

Ad teſtimonium ſcripta referuntur, ut chirographa, ſyngraphæ, ſtipulationes, commentarij, uulgo regeſta dicuntur. Edicta literis propoſita, quæ prope infinita prodeunt à magiſtratibus. Item acta, ut ſenatus, & leges, & rerum geſtarum teſtata memoria.

Adde etiã pacta, promiſſa, iurata, quæſita. Pactum, quod inter aliquos conuenit, ualebit, etiã ſi nihil ſcriptum eſt. differt à promiſſo: quia pactum minimum duorũ eſt, ut in ſponſalibus: promiſſum, unius eſſe poteſt. Pactũ firmius, promiſſum debilius. Iurata dicit ea, quæcunque dixerit iuratus, aut teſtis, aut alius, ſiue apud iudices, ſiue apud alios loquatur. Quæſita proprie tormẽtorum ſunt. unde tormenta nominantur quæſtiones. Eo tamen referre poſſis, quæcunque fuerint expreſſa, ſiue à recuſantibus extorta, ut extorquentur multa pollicitationibus, minis, metu, dolo, uerberibus. Iſtorũ omniũ genus eſt oratio. QVAE ſunt quæ dicis inſita?] Locus eſt aut inſitus, aut aſſumptus. Et argumentũ aliud infixum, aliud remotũ, quod extrinſecus adducitur in cauſam. Aſſumptũ partitur. Inſitũ diuidit in quatuor partes, in definitionẽ, in partiũ enumerationẽ, in notationẽ, in affecta ad id de quo quæritur. Affecta in decẽ & treis ſpecies diſtribuit. Hæc eadẽ uno ad eã rem cõparato libello Topicorũ tradit ex Ariſtotele: unde quod ad rem præſentẽ faciat, petere poſſis. Ridiculum putarẽ, multa quæ Cicero, plura quæ Boetius tradidit, his inferre cõmẽtarijs. Liber eſt ad manũ, in quo ſunt præcepta de ratione locorũ digeſta. Paucis igitur definitiones et exẽpla perſtringamus. Inſita dicuntur, infixa rebus ipſis de quibus eſt cõtrouerſia, quæ uel οὐσίαν, id eſt ſubſtantiam, uel συμβεβηκότα, id eſt accidentia ſignificant. Hæc duo ſunt in rerum natura, ad quæ omnia referũtur à ſapientiæ profeſſoribus. Subſtãtiæ ſunt, totum, & eius definitio, partes, notatio, quæ definitionis eſt ſpecies, genus, forma, differentia, quæ ſpeciẽ conſtituit. Accidentium uero ſunt multæ differentiæ, propria, ſimilia, cõtraria, adiuncta, cõparationes. Antecedentia autẽ, conſequentia, repugnantia, cauſæ, & effecta, mediam ſeruare naturam uidentur, quæ Boetius ad ſubſtantiã refert. Certe non poteſt antecedens eſſe, quin ſit conſequens: nec conſequens, quin ſit antecedens: nec effecta, quin ſint aut fuerint cauſæ. Sic res habet in ijs quæ dicũtur ad aliquid, ut non eſt dominus ſine ſeruo, nec ſeruus ſine domino. Hoc tamẽ non efficit, id quod antecedit, ſubſtantiam ſemper eſſe: ut, ſi peperit mulier, cum uiro cõcubuit. Scientia eſt qualitas: nec tamen eſſe poſſit, niſi ſit quod ſciri queat. Si igitur res ſubiectas inſpicimus, alia erunt ſubſtantiæ, alia accidentia.

Verba hæc, antecedens, conſequens, repugnans, & cætera, quandoquidem referuntur ad aliud, in accidentibus erunt. rationes rerum, quæ relatione quadam conferuntur, hoc ipſum quod ſunt, aliò referunt, nec tamen in ſubſtantijs collocantur, niſi quadam ſimilitudine ducta ab ijs quæ proprie, per ſeq; ſunt.

Sunt qui repugnantia ad accidentia tantum pertinere exiſtimant. atqui ſi eadem ratio eſt argumentandi ab antecedentibus & conſequentibus & repugnantibus, ut Cicero uult, latius oportet extendere repugnantiæ nomen. Non autem proprie dicimus, Socrates & Plato repugnant, ſed repugnantia ſunt hæc, eundẽ numero hominem Socratem eſſe, & eundem Platonem: quod in illis eſt ratio ſubſtantiæ diuerſa, propter quam phyſici nõ modo repugnare formas, ſed eſſe contrarias quaſdam, dicere interdũ non uerentur. Affecta Boetius finit, quæ quodãmodo ad aliquid referri poſſunt, ut ad id cui natura cohærent, ut genus eſt formarũ, formæ generis, antecedẽtia conſequentium, conſequẽtia antecedentium: cætera eodem modo. Cæterum, quod notauit Gellius, affecta Cicero dicit, quæ non ad finem ipſum, ſed proxime finem progreſſa deducta'ue ſunt: ut de prouincijs cõſula-

ribus, Bellum affectum uidemus, & (uere ut dicam) prope cōfectum. Quem ſi capiamus intellectum, dicentur affecta ad id de quo quæritur, ea quæ totum non conficiunt, ſed ex parte faciunt: nec ſunt ipſa per ſe confecta, ſed affecta, quæ rebus alijs adiuncta, plenam recipiunt abſolutionem: ut nec animal hominem, nec rationale conſtituit, ſed utrunque animal rationale. Quod eo firmius eſt, quod hic auctor frequenter in hunc ſenſum affectorum nomen uſurpauit, & quòd in Topicis relatiua quæ dicuntur à Boetio, non affecta dixit, ſed ea quæ cum aliquo conferuntur. Quamobrem treis facit locos, quibus totum comprehenditur, finitionem, partium enumerationem, ac notationem: reliquos autem ſegregat, ut qui non ad totum adhibeātur, ſed ad totius aliquam partem, quod affectorum proprium eſt. SI quis eſt cui non arridet hæc nominis ratio, ſciat me non ut certā firmamq; pronunciare, ſed inquirere uerborum ſignificationes, & experiri, poſſint'ne propoſito conuenire. An affecta dixit, ut nunc iuris prudentes, rei principi adiuncta atque connexa? an cognata & affinia? an ὑπάρχοντα καὶ κατηγορούμενα: an ſubiecta rei de qua agitur? Quidquid eſt, affecta ſunt inſita ac inhærentia, nec adhibentur ad totum probandum. Iam ad ſingula ueniamus. Definitio eſt auctore Cicerone, earum rerum, quæ ſunt eius rei propriæ, quam definire uolumus, breuis & circunſcripta quædam explicatio. Rhetorice eſt bene dicendi ſcientia. bene dicere præclarum eſt. Igitur Rhetorice præclara eſt. Partium enumeratio, quæ duas plures'ue partes numero ponit, ut aliquid inde colligatur. Ciuis eſt, ergo natus, aut factus. non eſt natus, ergo factus: non eſt neque natus neque factus, non igitur ciuis. In partium enumeratione intelligitur & diuiſio formarum. Sunt qui diuiſionem in locis habendam negent, forte quòd Ariſtoteles oſtenderit definitionem à diuiſione non poſſe demonſtrari. At idem Ariſtoteles in Topicis locum à diuiſione ſemel & iterum ponit. Verba philoſophi eran ſcriberem, niſi breuitati ſtuderem. Notatio uis eſt uerbi, quam Græci ἐτυμολογίαν uocant, id eſt ueriloquium: quod uerbum tanquam durius euitat, notationemq; ſubijcit, quia ſunt uerba rerum notæ. Si conſul patriæ conſulit, Marcus Antonius autem patriam euertit, non eſt habendus conſul. Non aſſentior ijs qui nomen ſubijciunt accidenti: propterea quod nomen inuoluit atque implicat, quod definitio pluribus exponit. Nomen igitur & definitio ſunt eiuſdem rei, non alterum eſt rei, alterum accidentis. Quod ſi nomen mutatur ut accidentis, nihil eſt ad Ciceronem improbandum: qui rem, non uerba ſpectat, niſi quatenus ſubſeruiunt rebus. Notatio exprimit uim nominis. Nomen dum manet, confertur ad rem, totumq; deſignat. Indignum eſt, meo iudicio, uana quadam ſubtilitate uiolare atque diſſipare grauitatem ſummi uiri, cui penè omnia referre debent acceptum, qui grauiter et copioſe aliqua de re diſſerere poſſunt. Nomen ut eſt uox, rei accidit: ut ſubſtantiam ſignificat, ſequitur rem, ſine qua inane eſt. Coniugata ſunt, quæ ab una origine deducta, uarie flectuntur, ut paſcuum, paſco, compaſcuus: Iuſtus, iuſtitia, iuſte. Iuſte facit, iuſtus eſt igitur. Mori miſerum non eſt, non igitur miſera mors eſt. Coniugatis frequenter utitur Ariſtoteles in Topicis, & ea ſeparat à caſibus, qui ferè ſunt nomen & aduerbium, ut ſapiens ſapienter, temperatus temperate. Genus eſt, quod habet formas, ut animal hominem & beluam, Virtus prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem, temperantiam. Virtus non eſt agere maligne, non igitur prudentia eſt malitia fallendi. Forma uel ſpecies, quæ genere continetur. SI furtum eſt, uitium eſt. Nouit artem, qui nouit grāmaticen. In ſpecie continentur & ſingula quæ dialectici uocant indiuidua. Odit ſe nemo, non igitur Cato, qui ſibi manus attulit, oderat ſe? Similitudo rerum, collatio per qualitatē. Cicero, Vt curſu curſus, ſic in uiris fortibus uirtus uirtute ſuperatur. Differentia, quæ res à re differt, ſiue in rei ſubſtantia eſt, ut rationale: ſiue proprium eſt, ut roſtrum habere (proprium enim nomine differentiæ continetur) ſiue accidens, ut album eſſe, ſedere, dormire. Complectar uno uerbo: Quidquid ſimile non eſt, differens eſt, ut hic ſumitur differentiæ nomen. Seruit, ergo ſeruus eſt. hæc ſunt coniugata. Diſſolue per differentiam: Aliud eſt ſeruum eſſe, aliud ſeruire. addictus quidem ſeruit, neque is eſt ſeruus. Nam differentia ad refellendum plurimum ualet. Dicet aliquis, per differentiam intelligi tantum diſſimilitudinem. ſic enim ſimilitudini opponitur. Non eſt ita: non ſecluditur illa differentia ſubſtantialis, de qua tam multa Ariſtoteles, à quo rationes locorum duxit Cicero. Nec differentia & ſimilitudo ſunt contraria: ſed differenti ſubſtantia, idem: differenti quantitate, par: differenti qualitate, ſimile opponitur. Contrariorum, quæ ab alijs oppoſita dicuntur, quatuor ſunt genera. Vnum eorum quæ Cicero dicit aduerſa, ut ſapientia, ſtultitia. alterum eſt priuantium, id eſt, habitus & priuationis, ut dies nox, lux tenebræ, uidens cæcus. Huc refert Cicero, quæ negantur per præpoſitionem In, ut dignitas indignitas. Aliud eorum quæ cum aliquo conferuntur, relatiua nominant, ut maius minus. Aliud contradicentium, ut, Eſt, non eſt. Coniuncta uocantur aliter adiuncta: uocantur etiā à Quintiliano conſequentia. Sunt ea quæ natura finitima, ſæpe quidem, non tamen neceſſario cohærent, ut metus pallor, ut uerecundia rubor, ut amor ſtuprum. Venenum dedit nouerca. Non læſit filium mater. Fuit mali conſcius. Adultera eſt, lauat cum iuuenibus. Admonet hic locus, ut quæratur, quid ante rem, quid cum re, quidq; poſt rem euenerit: ut cædem antecedunt rixæ, comitatur perturbatio, ſequitur fuga. Hinc oratoribus innumerabilia ducuntur argumenta. Eo ſiquidem multa ſigna referuntur: deinde multæ cauſarum, quæ nō agunt neceſſario, ut ira, ſuperbia. ad hæc multa περιστάσεις, id eſt appendices & circunſtantiæ rerum atque perſonarum, ut patria, genus, educatio. Antecedentia ſunt, quibus poſitis aliud conſequatur neceſſe eſt: ut incumbente mari procella, ſequitur fluctus. Item ab antecedentibus argumentum ducitur, cum aſſumimus antecedentia ad inferenda conſequentia. ſi dies eſt, nox non eſt. dies eſt autem, nox igitur non eſt. Conſequentia quæ rem neceſſario conſequuntur. ſi meſſis eſt, ſatum eſt. SI ſpirat, uiuit. Et conſequentia, quæ ſic inferunt antecedentia, SI homo eſt, animal eſt: non eſt animal, non eſt igitur homo. Repugnantia, quæ contrarijs adiuncta, cum re nunquam cohærere poſſunt: ut amare, odiſſe, contraria ſunt: odio cædes adiungitur: repugnant igitur, amare, occidere. Repugnant etiam, quidquid eiuſmodi eſt, ut cohærere nunquam poſſit. Cicero in Topicis: Adiuncta, inquit, de quibus paulo ante dictum eſt, non ſemper eueniunt, conſequentia autem ſemper. Ea enim dico conſequentia, quæ rem neceſſario conſequuntur: item quæ & antecedentia & repugnantia. Quidquid enim antecedit quamque rem, id cohæret cum re neceſſario. Et quidquid repugnat, id eiuſmodi eſt, ut cohærere nunquam poſſit. Hæc ille. Quæ ſententia cum uera eſſet, et perſpicua, ac propter adiuncta, quæ neceſſario non cohærent, inuentus eſſet hic locus, non defuerunt tamen qui diuinum oratorem, tanquam parum uidiſſet, arguerint. Nos optimum ducem ſequemur: dicemusq;, plurima eſſe in rerum natura ſibi cohærentia: ſi non ſemper, adiuncta ſunt: ſi ſemper, antecedentia, aut conſequentia, aut ex contrario repugnantia. Cur non arguunt Ariſtotelem, qui hunc locum aſſignauit ſecundo Topicorum? Habet illum ducem Cicero. Hi tres loci natura, ſed eſt una ratio inueniendi argumenti. Quamobrem fruſtra deſudat Boetius, qui probare contendit, unum eſſe locum quem Cicero tripartitum facit. Si unus eſt ac idem numero locus, cur ſunt tres uariæ definitiones? cur rationes diuerſæ? cur argumentum ad antecedens referri poteſt, ut non referatur ad repugnans?

cur

cur Cicero in numerandis his alia & alia repetit, ut in diuerſis? Cauſa eſt, quæ rem efficit uel ſola, uel cum alijs iuncta. Auaritiæ captus, nunquam quieſcit. Cauſarum alia neceſſaria, ut, ſi corpus eſt in luce, umbra eſt. alia non neceſſaria, ſi amat eam, ducet uxorem. Rurſus cauſarum genera duo ſunt. unum, quod efficit, ut ignis accendit. alterum, ſine quo res non efficitur, ut materia, tempus, locus: quæ cauſæ ſtolidæ ab ipſo nominantur in Topicis. Ad hoc ſecundum genus pertinet illa cauſa formalis toties recantata, materialiſq;: ad prius autẽ, cauſa efficiens atque finalis. quæ uerba ſpinoſa non tractat Cicero. Vide ſecundam romanũ partẽ. Cauſa formalis eſt duplex. Eſt enim forma, quæ ſpeciem conſtituit. eſt forma accidentaria. Prior, ut ait, eſt cauſa efficiens. Auctor eſt Ariſtoteles ſecundo de Anima. Hanc inepti referunt ad differentiam, qui tamen nomine differentiæ fabulantur ſolam intelligi qualitatem. Cum dico cauſam formalem pertinere ad ſecundum genus, intelligo cauſam accidentariam. qua Quintilianus oſtendit in poetas, non potuiſſe uolare Dædalum. Addo etiam formam ſubſtantialem, cum accidentibus tribuuntur actiones, ut à medicis quædam, & ab alijs qui more phyſicorum non loquuntur. Hoc modo calor naturalis alimentum conficere dicitur, quod nequeat ſine forma nluentis. hoc modo abundantia parit iniuriam. Effecta ſunt quæcunque efficiuntur ex cauſis: ut, Titubat, ergo ebrius eſt. Comparatio, maior & minor rerum collatio eſt in diſpari quantitate. A' ſimilibus utranque ſegregare, nihil difficile eſt. illa ſunt qualitatis, hæc autem quantitatis. Comparatio parium non facile ſeparatur, niſi dixeris eſſe tantum in quantitate. Qui ſeparare conati ſunt, exhauſto labore rem fecerunt incertiorem. In ſimilibus aiunt nó eſſe tertium quiddam, quod ſit in comparatione, quod falſum puto. Nam duo minimum conferuntur, & accidens eſt tertium, in quo conueniunt. Relinquamus igitur hanc ſubtilitatem, neque enim propter eam ſimilitudo & comparatio diuidũtur. Exempla ſunt, Si quis ſacrilegium facit, faciet furtum. Qui facile ac palam mentitur, peierabit. Qui ob rem iudicandam pecuniam accipit, & ob dicendum falſum teſtimonium accipiet. Hæc de locis anguſte locuti ſumus. VT definitio, ut cõtrariũ, ut ea quæ ſunt ipſi contraria'ue eius aut ſimilia aut diſſimilia.] Quæſiere permulti quid ſibi uellet hic Cicero, cur hic locos repeteret, quòd nec alijs libris ipſe feciſſet, nec ſcriptores cæteri qui topicam rationem tradiderunt. Arbitrabantur ex ijs quos uidimus nonnulli, ſummatim colligi ſuperiores locos. In quo mihi falli uidebantur, quòd earum rerum fiat coacervatio, quæ ſparſæ fuerunt: hic autem locos tanta breuitate numerauit, ut nulla fuerit opus repetitione. Dicam quod ſentio. Poſtea quàm poſuiſſet argumentorum ſedes, quæ uere & ſtabiles eſſent, uidit alias eſſe non ita diſſimiles, quæ quoniam parum diſtarent, nihil diſtare uiderentur: unde quoque liceret oratoribus argumenta producere. ijs porrò nomina defuerunt: ſuperioribus igitur quadam ſimilitudine comparauit. quod oſtendunt hæc aduerbia, ut quaſi, ſæpe repetita: quæ tum demum congruunt, ſi qua forte ducitur aliunde tranſlatio ſermonis. Eſt igitur uera finitio, quædam imago finitionis. Sunt uere contraria, quædam ſimilia contrariorum. An hæc repetitio pertinet ad fictionem, quàm omnes peragrare locos ſcribit Quintilianus in quinto? Nõ opinor. Nihil habet noui fictio præter hypotheſim, quæ quidem non mutat locum, ſed fingit id eſſe quod non eſt. quamobrem potius eſt figura, ſicut fictio perſonarum. Hic autem non agitur de figuris, neque de fictis locis, neque de fictis rationibus & argumentis, ſed de ſedibus quadam ſimilitudine conſtitutis. Nec aduerbium quaſi fingentis eſt, ſed ſimilia conferentis. Sicut ſyllogiſmus qui ducit ad incommodum, ſiue εἰς τὸ ἀδύνατον, quiq; fit per ὑπόθεσιν, nihil uariat figuras, ita nec fictio locos. Et ſicut non eſt geographi ſcribere loca, quæ ars memoriæ fingit: ita non eſt rhetoris, in artem referre quos quiſque ſibi fingat locus inuentionis. An hæc repetitio fit, ut oſtendantur principes oratorum loci? Non enim repetiuit omnes. Neque iſtuc quidem. Fruſtra enim hæc duo aduerbia, ut, & quaſi, toties inſererentur enumerationi: & facilius excepiſſet incultos (ſi qui ſunt inculti & infrequentes) quàm regreſſus eſſe per omnes cultos. An priore loco ſtatuit uocabula artis, poſteriore nomina exemplorum? hoc eſt, an definitio in enumeratione prima nomen eſt loci, in ſecunda ſignificat aliquam definitionem ad eum locum reducendam? Hoc ſi affirmem, multa me incommoda ſequantur? Primum exempla, quæ rem illuſtrare debent, nihil afferent lucis eiſdem nominibus, pariq; breuitate deſignata. Deinde non aptius dicetur, Definitio eſt locus ut definitio, quàm, narratio pars eſt orationis ut narratio. Nemo aũt ſic exponit idẽ per idẽ. Quis ita loquitur? Prima coniugatio uerborum habet a productum in ſecunda perſona tempore præſenti indicantis modi, ut prima coniugatio? Non'ne iſtud abſurdum eſt, & inauditum? Non aliud eſt prima coniugatio quàm prima coniugatio, nec definitio quàm definitio. Præterea definitio erit in definitione, & contrarium in contrario, & contentio in contentione, & idem in ſeipſo. Nam in ſecunda enumeratione definitio nó unam ſignificat orationem, quæ quid res ſit, breuiter exponit. Alioqui ſenſus erit, definitio locus eſt, ut aliqua una definitio. hoc autem tam ridiculum, quàm iſtud eſt, Exclamatio color eſt rhetoricus, ut aliqua exclamatio. quaſi nomen artis ſit color rhetoricus, non id quod ſignificatur per illud nomen. Ad hæc cum hæc oratio, animal rationale, definitio hominis appellatur, quæro an artis nomine dicitur, an non? Artis, inquies. Nonne quoties definitio appellabitur, nomine artis appellabitur? ut animal genus? Sanè. Quomodo igitur hic definitio nomen erit artis, & non erit? Conſtat enim aĩal rationale definitione comprehendi, & ea quæ loci, & ea quæ exempli ſignificatrix eſt. Et quemadmodum in hac oratione, Omne genus habet ſpecies, genus eſt ſecundæ ſignificationis, ut dialectici loquuntur: ſic & in hac, Quoddam genus habet ſpecies. Eodem modo dicendum de definitione in uniuerſum, & de aliqua definitione. Alij comminiſcentur aliud: quàm bene, uiderint. Ego de locis per ſimilitudinem dictis hanc eſſe factam deſcriptionem exiſtimo. Iam experiamur exempla. Vt definitio.]

Si comœdia eſt imitatio uitæ, ſpeculum conſuetudinis, imago ueritatis: illa certe legenda eſt. Vt contrarium.] Nihil educationi pueritiæ contrarium magis, quàm patris indulgẽtia, tollenda igitur. Educatio & indulgentia non ſunt contraria, ſed quemadmodum contraria ſe demoliuntur, ſic bonos corrumpit indulgentia. Hoc modo in orationibus multa facit contraria uideri, quæ nó ſunt ipſa contraria, ut iudicium cenſorũ pro Cluentio. Vt ſimilia.] Cice. Philip. 5. Quid intereſt utrum hanc urbem oppugnet, an huius urbis propugnaculum? Similia uult eſſe, urbem obſideri à M. Antonio, & coloniam Mutinenſem: quæ tamen ſimilia non ſunt. Vt diſſimilia.] Accipe quæ ſimilia tradit Cicero: Si fidem præſtare debet tutor, & procurator. Diſſolue hoc modo: Non quemadmodum fidem debet tutor, & procurator. Nam loco parentis relictus eſt tutor, non item procurator. Hæc ſunt ut diſſimilia, & tanquã differentia. De conſentaneis, & præcurrentibus & repugnantibus Cice. 2. de Oratore facit mentionem, & hoc proponit exemplum: Non ſi Opimium defendiſti Carbo, Idcirco te iſti bonum ciuem putabunt. Simulaſſe te, & aliud quid quæſiſſe perſpicuum eſt, quòd Tul. Gracchi mortem ſæpe in concionibus deploraſti, quòd P. Africani necis ſocius fuiſti, quòd eam legem in tribunatu tuliſti, quod ſemper à bonis diſſenſiſti. Conſentanea ſunt, Carbonem non eſſe bonum ciuem, & iſta male adminiſtraſſe. Diſſentanea uero & repugnantia. Hæc feciſſe, & ciuem bonum eſſe. At quid differunt conſentanea & adiuncta? in priore locorũ enumeratione

conuenieb ant in unum genus adiunctorum: nunc autem diſtrahuntur hac differentia. Coniuncta, quod & nomen oſtendit, tẽpore ſunt finitima, & prope cohærentia, ut metus, pallor. Conſentanea ferè quidem conſequuntur, ſed tempore nonnihil diſtant, nec proxime cohærent: ut illa Ciceronis. Quaſi pugnãtia demonſtrantur exemplo ſuperiore. neque enim pugnant, male anteacta uita, præſeniq; ratio melior: ſed ut pugnantia conferuntur. Quaſi cauſæ. Cic. Pphilip. Tibi certe confitendum, eauſam pernicioſiſſimi belli in perſona tua conſtitiſſe. Non M. Anton. cauſa belli ciuilis erat, ſed à Cicerone cauſa dicebatur. Vt euentus, exemplum proximum in contrarium recurret. Diſtributiones capiunt, & partitionem, & diuiſionem. Si diuidas ſpecies, & conferas ad enumerationem partium, conſtitues formarum tanquam partium diſtributionem: ut cũ ſuperior locus fuerit de numeratione partium, hic ſit de numeratione formarum: ut, ſi ſpongia neque herba eſt, neque frutex, neque arbor, haberi planta nullo modo poteſt. Diſtributio inter colores habetur in Rhetoricis ad Herennium. Verum Cicero poſuit enumerationem partium, diuiſionem autem ut enumerationem eſſe uoluit. Genera ſunt formarum, non partium. Rurſus partes erunt totius, haud generis. Hæc ergo dicuntur ex ſimilitudine, Si T. Gracchus & Saturninus in tribunatu ſunt iure caſi, magiſtratum ſeditioſum necare licet. Magiſtratus eſt genus, Tribunatus ſpecies, Tyberius & Saturninus partes. Vt primordia, & quaſi præcurrentia. Vide conſentanea. Quintilianus, Ex initijs ſumma colligitur: Non poſſum togam prætextam ſperare, cum exordium pullum uideam. Certe inter conſentanea, & adiuncta, & præcurrentia, non ita magnum diſcrimen eſt, quin poſſint adiunctorum nomine contineri. Vt rerum contentiones, id eſt, ut comparationes, quando res natura maior pro minore, aut minor pro maiore, aut impar pro pari ſumitur. Ouidius ſecũdo Faſtorum: Romule concedas, facit hic tua magna tuendo Mœnia, quæ dederas tranſilienda Remo. Maius eſt Romulum mœnia condidiſſe, quàm Cæſarem Auguſtum condita ſeruaſſe: hoc uult tamen ut minus haberi. Facultas uis eſt in rebus, δύναμις. Comparatur autem aut natura rerum, aut affectio, aut tempus, aut facultas. Auctor eſt Cicero in Topicis. OMNIBVS'NE *igitur ex his locis argumenta ſumemus?*] *Poſteaquam locos eorumq; naturam cognoueris, ſi propoſita fuerit ad dicendum materia, ſingulos perſcrutabere. Quærenti ſi nihil dederit locus primus, aut ſi quod attulerit, non ita multum faciet ad rem propoſitam, uenies ad ſecundum, & ita deinceps, donec excutientur argumenta, quæ nec leuia ſint, nec communia. Leuia contemnuntur, communia rapiuntur in diuerſas controuerſias, & plus nocent quàm proſunt, niſi iacta retorquentur. Ex argumẽtis optimum, quòd firmiſſimum: deinde credibile. Quæ ſunt communia, ut quibus uterque litigator uti poſſit, & tantum non repugnantia, ſæpenumero prætermittenda. Tamen eſt & apud hunc in orationibus ſuus leuibus argumentis locus, & communibus. Quid ergo? leuia ſemper reijcienda arbitratur: quia præcepta feruntur in id quod eſt optimum, deinde quod optimo proximum. Si quid ſua natura ſit improbandum, quo tamen utamur, non tam præcepti fuerit, quàm inopiæ atque neceſſitatis. Ergo ſemper leuia reijciemus in delectu. Si uero tempus requiret, utemur tanquam ſeruis in bello poſt prælium Cannenſe. An leuia dicis ea quæ nullius ſunt ponderis? an etiam illa quæ parũ grauitatis habent in oratione? De priori genere quid attinet præcipere? Nemo ſanæ mentis inducit argumentum, quod nihil omnino iuuat. Debilia frequenter aſſumunt, qui negligentius fortia quæſierunt. Monẽdi ſunt igitur, ut leuia reijciant, grauia legant, ſi modo grauium copia ſuppetunt. Non ſtatim bonus eſt dux, qui non legit ad bellum pueros, ſenes, mulieres & inualidos: ſed qui ex ijs qui robur aliquod præ ſe ferunt, optimos quoſque & fortiſſimos eximere nouit, & in album referre. Sic in argumentorum delectu parum eſt ea quæ nullis ſunt uiribus, reijcere, niſi & ea quæ leuiter pugnant, prætereat. Cum autem uocabit tempus, omnes qui arma ferre poſſunt, illis erit locus, nõ ut in delectu, ſed ut in repentino tumultu. Non neceſſaria ſunt, quæ detracta cauſa nullum afferunt incommodum, & quæ in re de qua agitur, ſuperuacua ſunt.* QVONIAM *de fide reſpondiſti, uolo audire de motu.*] *Loco tu, id eſt ex ordine tu quidem quæris. Nam propoſitum fuerat oratori, inueniendum, quemadmodum fidem faceret ijs quibus perſuadere uellet, & quemadmodum motum eorũ animis adferret: ex quibus alterum reſtabat. Ne (quod multi faciunt) locos hic legeris. Nulli reperiuntur loci præter aſſignatos, niſi qui minores his maioribus continentur. At affectuum ſunt loci. Credo. Num propterea qui uult audire de motu, locos quærit? At quærere poteſt. Poteſt quidem. Num Cicero deſcripſit in hoc libello, cum de oratione egit, ac quæſtione? Cur fruſtra quæreret locos? Notauit quoſdam in amplificatione quæ maxime perorationis eſt. Notauerit quædam præcepta, locos non dixerim nouos, quòd aſſignatis omnes res continentur. De uerbis autem nõ agitur in præſentia. Contemplare potius, quemadmodum ſit affectus inſertus orationi, ac quæſtioni. Orationis, inquit, partes quatuor. Duæ ualent ad impellendos animos, principium, & peroratio. Has itaque partes qui præceptis aſſequitur, eodem negotio de motu præcipit. Iam quæſtio uel in demonſtrationem cadit, uel in deliberationem, uel in iudicium. Quibus cum ſit propria quædam facies, atque diſtincta ratio tractandi, quæ arte colligitur, neceſſe eſt inter præcipiendum ea conſtitui quónam quodque genus affectus inuenitur. Ergo permiſta ſunt de motu affectuq; præcepta, niſi cum ratio amplificandi traditur.* QVID *ſequitur igitur?*] *Diſpoſitio ſecunda pars eſt Rhetorices, eáq; inuentionis propria, quia rerum eſt diſpoſitio. uerborum compoſitio. Diſpoſitio, quoniam accommodatur ad finem quæſtionis: diuiditur in eam quæ eſt quæſtionis infinitæ, & eam quæ finitæ. Diſpoſitionis in infinita quæſtione ordo eſt idem ferè, inquit, quem expoſui locorum. Tamen poſtea dicet, utriuſque quæſtionis ſimilem eſſe diſpoſitionem. Id arbitror factum, quòd utroque modo tractari poteſt conſultatio. In conſultatione finis eſt fides, quæ fit argumentis: argumenta ut tractantur à philoſophis, ordine locorum optime collocantur. Locorum non eſt idem ordo apud omnes (quod in Ariſtotele & Cicerone uidere licet) non etiam eadem ratio diſponendi omnibus qui propoſitum tractant. Suum cuique conſilium eſt, & quæſtiones aliæ diſponuntur ordine naturæ, aliæ ducũt initium ab ijs quæ notiora ſunt nobis, & hinc progrediuntur ad ea quæ planiora ſunt natura. Perſequamur, ſi placet, infinitã quæſtionem ea diſpoſitione quam Cicero fecit locorum. Sit hæc, An mors ſit contemnenda? A' finitione, Nihil eſt cur morte terreamur. quid enim mors eſt aliud quàm corporis & animæ diſſolutio? qua membris ut carcere cum anima liberetur, nobis & ſuauis & iucunda eſſe debet. Ab enumeratione: Etenim ſiue natura morimur, parenti omnium rerum obtemperandum eſt: ſiue fato, deorum uoluntati: ſiue caſu, ferendum æquiore animo, quòd optimum ſit non naſci, aut ocyus aboleri. Ab etymologia. Morte quidem diſſoluimur: qua de re mors à nobis, ut à Græcis μόρος, à ſeparandis partibus nominatur, quæ ſeiunctio quid habet mali? quid non potius boni, ſi coniunctio fuerat miſera, omnibuſq; fortunæ procellis obnoxia? A' coniugatis: Mori igitur bonum eſt, & ideo mors bona: quam ſicut moleſtia antecedit, ita quoque ſubſequitur felicitas. A' genere: Nulla diſſolutio timenda eſt, quam diuina lege patiuntur omnes. eiuſmodi obitus eſt. A' ſpecie: Mors omnis aut uiolenta, aut naturalis eſt. uiolentã cõtemnunt fortes atque ſapientes: naturalẽ omnes qui naturæ parenti non repugnant. mors igitur omnis cõtemnẽda. A' ſimilitudine: Ab arboribus fructus uel ſua ſpõte cadunt,*

ſemina

ſemina frumentorũ ſponte moriuntur, ut tranſeant in meſſem: ſolus homo traducetur inuitus? A' differentiis: Hominis exitus non eſt ut cæterarum rerum: cætera corrumpuntur nullo tempore reditura: homo ſolus tum maxime uiuit, quando mori uidetur. A' contrario: Hæc uita in corpore, moleſta, grauis, miſera: mors igitur ſuauis, facilis, & beata. Ab adiunctis: Sed improbi mortem impatienter ferunt. quia qui in uoluptatibus ſummum bonum collocarunt, iis omnibus interitus grauis eſt. Si probe uixeris, migrare iucundum eſt: ſi improbe, pertriſte. Leuis eſt hæc uia ſapientiſſimis quibuſque. propterea quòd nõ grauius putant è uita migrare, quàm in hanc lucem uenire. Ab antecedentibus & conſequentibus: Nihil eſſe graue exiſtimant, quod ſit à natura conſtitutum. Naſcimur, ergo morimur. Et quia morimur, idcirco naſcimur. A' repugnantibus: Ab utero prodimus ad mortalitatem: à morte progredimur ad immortalitatem. Nõ hoc bonum mors affert, & non erit bona: affert autem: bona igitur, neque metuenda. A' cauſis: Porro ubi mortale corpus elangueſcit, anima ſe liberat mẽbrorum compagibus: ut pro ſeruitute libertatem, pro tenebris lucem, pro labore præmium cõſequatur. Ab affectis: Quæ ſi bona à morte pariuntur, nõ poterit illa niſi à dementibus improbari. A' comparatione: Fac tamen malam eſſe, cur diuturniores moleſtias anteponimus? cur tot caſus, tot pericula, tot ærumnas uni diſſolutioni, eiq; perbreui præferimus? Huc adde, ſi uoles, exempla. Hæc ſcripſimus, ut oſtenderemus eſſe uerum, quæſtiones infinitas ordine locorum poſſe tractari. Quod autem non utique fieri oporteret, excepit his uerbis, Ordo eſt idem ferè quem expoſui locorum. Interpoſuimus quædam, non argumentationis, ſed iungendæ orationis gratia, quòd nudum corpus argumentorum deforme ſit, & aſperum. Nec diximus omnia quæ ad propoſitum duci poſſunt è locis. ſatis eſſe duximus indicare paucis, ut rudes infinitæ quæſtionis argumenta collocarent. IN definita autem adhibenda ſunt etiam quæ ad motus animorum pertinent.] Videtur hoc uelle, nihil motum pertinere ad infinitam quæſtionẽ, quo tamen utitur in oratione pro Sexto Roſcio de toto genere parricidij: qui locus eſt communis. Rurſus in quæſtione finita non utique motus erunt: quod Quintilianus affirmat, & Athenienſium probatur exemplo, qui diu oratione quidem, non ita motu uſi fuerũt. Quid igitur hæc præcepta uolũt? Præcepta rhetoricæ non ſunt de re neceſſaria, ſed accommodatiore. In quæſtione propoſiti ſunt rariores affectus: in cauſa & hypotheſi frequentiores. Sic enim multo melius, & ad obtinendum tutius tractatur. Qui diſſerit tantum probandi gratia, non contendit afficere auditorem: quamobrem motu non eget. Qui uero non ſatis confidit argumentis, pugnat affectibus: nec docere modo uult, ſed & mouere. Itaque miſcet ea quæ dicuntur à Græcis πάθη: nunc hac nunc illac impetum facit, uiamq; molitur qua maxime capi poſſit auditor. hinc fit, ut aliter ac aliter acies inſtruatur. Omnem collocationem, inquit, ad finem accommodo quæſtionis. In propoſito, finis eſt fides: in cauſa, fides & motus. Ex quibus uerbis colligitur, propoſitum, id eſt infinitam quæſtionem, non deſiderare motum, ſed probationem: cauſam uero, id eſt, finitam quæſtionem, probationem motumq; uelle. Iam ſi finis eſt fides & motus, animiq; pro cauſarum generibus uarie mutantur, neceſſe eſt ad motum ex parte referri diſpoſitionem. Quod autem non ſit res eadem, fidem facere, et commouere, definitionibus, ut par eſt, oſtendit. Quoniam fides eſt firma opinio, motus autem eſt animi incitatio, aut ad uoluptatem, &c. Fides argumentis efficitur, motus autem locis affectuum. Argumenta porro niſi ſe accommodarent ad utilitatem cauſæ, ordine naturæ ferè locarentur. Sed quia refert, qua ratione, quo'ue ordine doceantur & moueantur animi, digeruntur omnia pro utilitate cauſæ. Reſtat inquirendum, qui fiat, ut motus omnis animi quatuor generibus cõſtet, cum mille modis, moueatur animus? Deinde ſi cauſa minor eſt, propoſitum maius, quo pacto propoſitum cauſa contineri dicatur. Motus omnis (quod ait Cicero. 3. Tuſcul.) aut boni aut mali opinione excitatur. Voluptas eſt ex opinione boni præſentis: cupiditas autem boni futuri, quod immoderate appetitur. Aegritudo contra, ex opinione malorum præſentium: metus autem futurorum. Sic quatuor affectuum genera ſtatuuntur, uoluptas & ægritudo ſiue moleſtia in rebus præſentibus, cupiditas & metus in futuris. Quoniam autem multæ ſunt uoluptatum partes, & cupiditatum, item moleſtiarum terrorumq;, aſſeuerat partes eſſe plures generum ſingulorum. Veniamus ad ſecundum. Propoſitum eſt ut genus, cauſa ut ſpecies. In ſpecie autem eſt genus, quin etiã genus eſt pars una formæ. Hoc definitio commõſtrat. Homo eſt animal rationale. hominis duæ partes: altera eſt animal. genus. Hoc modo in cauſa propoſitum eſt ut illius pars. An ideo propoſitum in cauſa eſt, quòd ex quæſtione infinita & appendicibus (περιστάσεις dico) componitur cauſa? Dici poteſt. nã in idem penè recidit quod de genere et ſpecie dixi. Rurſum cauſa eſt in propoſito, ut res anguſtior in ampliore. Eſt igitur propoſitum in cauſa, & cauſa in propoſito, diuerſa ratione mutante. QVID habes igitur de cauſa dicere?] Tria genera cauſarum. Cuique ſua quædam propria diſpoſitio, propter quã fit. hic diſtributio generum, finiumq;. Tentatum, inquit Fabius, & prope impulſum, ut non modo plura genera, ſed etiam penè innumerabilia uideantur: quærendumq;, quo moti priores rem tam late fuſam, tam breuiter adſtrinxerint. Ergo tria faciunt genera auditorum. Vnum, quod ad delectationem conueniat: alterum, quod conſilium accipiat: tertium, quod de cauſis iudicet. Cicero quidem auditorum genera diſtinguit. Aut, inquit, auſcultator eſt modo qui audit, id eſt, tantum auditor: aut diſceptator, id eſt, qui de re cognoſcat: uel, ut interpretatur, rei ſententiæq; moderator. Si auſcultator eſt modo qui audit, res comparatur ad delectationem, et genus eſt demonſtrationis. Si diſceptator eſt is qui audit, aut ſtatuit de præteritis, iudiciale genus eſt: aut de futuris deliberatio eſt, quæ ſi cadit in præteritum, ratione futuri cadit. Quia dubitatio diu tenuit multos, hac demonſtratione colligit eſſe tria genera cauſarum, neque plura, neque pauciora: demonſtratiuum, deliberatiuum, iudiciale: quæ uerba ut duriora uitat, primumq; genus exornationem appellat, quod ad delectationem comparatum, res exornare debet, à parte meliori & frequentiori nominatum, non ab ea quæ eſt uituperationis. Senator, non ſenatus à quibuſdam legitur, ut ſenator & iudex ſe reſpiciant. at hoc mihi non probatur, quia ſimile non eſt. Iudex unus ſtatuit frequenter, non itẽ ſenator. Cicero non ita loquitur, ſtatuit aut decernit ſenator: nec iſtud mos populi Romani patitur. QVAS res ſibi proponet in iſtis tribus generibus orator?] Conſtituuntur hic fines non generum, ſed motuum, qui ſingulis generibus conueniunt: ad quos ſe diſpoſitio accommodat. Poſt enim generum fines alios aſſignat. In exornatione, id eſt, demonſtratione, ſibi proponit orator delectationem audientis, in iudicio ſæuitiã aut clementiam iudicis. Illud ut accuſator, hoc ut patronus. In ſuaſione aut ſpem aut reformidationem deliberantis. Illud ut ſuaſor, hoc ut diſſuaſor. Delectatio autem, ſæuitia, clementia, ſpes, reformidatio, ſunt motus animi in oratione ſpectandi: quod ſupra commonuit, Indefinita, inquit, adhibenda ſunt etiam quæ ad motus animorum pertinent. Hæc autem de generibus proponuntur collocandi gratia: qua de re nũc agitur. Planius explicabuntur cum ad orationis ipſius, quæſtionumq; rationem uentum erit. Sed quid omnino ad collocationem pertineant, non ſine re quæri poteſt. Nam collocatio uel diſpoſitio eſt ordinis ratione quadam conſtitui: hæc autem ferè per omnem orationem fuſa ſunt. Iam reſponſum uidetur ex eo quod ante dicebamus, in quæſtione finita propter

affectus ordinem ſolere commutari: quoniam & iucunda, & acerba, & mitia, et ſimilia, ex aliqua parte ſuboriri neceſſe eſt. quæ pars ad eum locum reijcienda eſt, cui maxime eiuſmodi cõuenit affectus. Propterea percontatur, Cur exponis hoc loco genera controuerſiarum? Vt rationem collocandi ad finem cuiuſque accomodem. Atqui finis etiam motus eſt, ut ante dicebat. Hæc igitur tractantur ab eo ad inſtruendam collocationem. Non hic agit de tota ratione demonſtrationis, de qua grauiter & copioſe in hoc opere tandem præcipiet. Sed quoniam de collocatione ſermo fuerat inſtitutus, ex plurimis ea tantum deſumit, quæ ad collocationem facere uidentur. In demonſtratione duo ſunt ordines collocandi. nam aut temporum ſeruantur gradus, aut generum diſtributiones. In temporum gradibus ea ſunt quæ fuerunt ante nos: ut natio, patria, genus, id eſt, parentes atque maiores. Deinde quæ nobiſcum, ut ſexus, ætas, indoles, habitus corporis, animi natura, facta dictáq; pueritia, iuuentutis, ſenectæ. Poſt nos erunt exequiæ, funera, pompa, honores, hominũq; exiſtimationes. Hũc ordinem Cicero ferè ſeruat, reſq; deſcribit temporibus in Verrem, in Piſonem, in Antonium Philip. 2. Hoc enim modo recta eſt expoſitio, & amplior materia, promptiorq; memoria. Generum diſtributiones non uno modo diuiduntur. Nam diuidimus bona mala'ne in externa, corporis, & animi. Aut facta dicta'ue reducimus in quædam genera uirtutum, ſiue uitiorum: non utique quatuor, ſed quot res ipſa tradiderit: ut pro lege Manilia, bona ſummi imperatoris partitur in ſcientiam rei militaris, uirtutem, auctoritatem, fœlicitatem: ubi ſubeſt quædam ratio temporis. Aut res geſtas concidimus in maiores, & minores: ut pro Marcello comparat reliqua Cæſaris facta cum miſericordia in uictos, tanquam minus cum maiore. Hoc modo trifariam genera diuiduntur. Quòd autem in illis rerum quædam diſſimilitudo eſt, ſingula rurſus progrediuntur, aut à minoribus ad maiora, aut à maioribus ad minora, aut inæquabili uarietate diſtinguuntur. aliter infra præcipit his uerbis: Sed quoniã in tribus generibus bona mala'ne uerſantur, externis, corporis, & animi: prima ſunt externa, poſtea corporis bona, deinde eſt ad facta ueniendum: quorum collocatio triplex eſt. aut enim temporum ſeruandus eſt ordo: aut in primis recentiſſimum quodque dicendum: aut multa & uaria facta in propria uirtutum genera ſunt digerenda. Quæ ut conſentiant iſtis, primo generum diſtributio eſt, deinde temporum gradus, quibus uel aſcendimus uel delabimur: tandem inæquabilis uarietas. Res eſt prope eadem, tractatio & uerba diuerſa. Inæquabilis uarietas coniungit res generis diuerſi. Cato bellum gerebat ut ſummus imperator: rem familiarẽ adminiſtrabat ut bonus paterfamilias. Nec facile iudices, an fuerit domi foris'ne præſtantior. Hæc inæqualia: hic parua magnis intexuntur. Simplicia unam modo rationem, coniuncta plures habent. Cicero Philip. 2. Patruũ in ſeptemuiratu non'ne deſtituiſti? Hoc crimen eſt ſimplex. Probri inſimulaſti pudiciſſimam feminam. Hoc quoque ſimplex eſt. Contentus eo non fuiſti: frequentiſſimo ſenatu, Calendis Ianuarij, ſedente patruo, hanc tibi eſſe cum Dolabella odij cauſam auſus es dicere, quòd ab eo ſorori & uxori tuæ ſtruprum oblatum eſſe comperiſſes. Quis interpretari poteſt, impudentior'ne, qui in ſenatu; an improbior, qui in Dolabellam; an impurior, qui patre audiente; an crudelior, qui in illam miſeram tam ſpurce, tã impie dixeris? Vides'ne ut in uno delicto multa ſunt ſcelera coniuncta? Ne dixeris ſimplicia dici, quæ ſolus quis aut primus fecerit: coniuncta uero, quæ cum paucis, uel etiam cũ pluribus. Cicero hoc ſi forte intelligere uoluiſſet propria non ſimplicia, communia non coniuncta dixiſſet. An ſimplicia dicis quæ ponuntur ſingulatim, coniuncta quæ gregatim? Non opinor. Hic enim agit de natura & qualitate rerum: quod oſtendunt reliquæ partes. Complexio, ſiue coniunctio duorum plurium'ue, non ad naturam, ſed ad tractationem refertur. Factorum præterea alia obſcura, alia dilucida. ea ſunt maioris minoris'ue ſplendoris: qua tranſlatione dicimus claros natales, & obſcuros: ut quod Horatius Cocles pontem aduerſus hoſtem ſolus tenuit, dilucidum præclarumq; eſt factum: reliqua uiri facta ſunt obſcura. Læta et triſtia, quæ uel arridente uel aduerſante fortuna geſta ſunt. Cicero de Senectute, poſteaquam Quinti Fabij Maximi lætiora quædam facinora commendauit, addit: Multa præclara in eo uiro cognoui, ſed nihil eſt admirabilius, quàm quo modo ille mortem Marci filij tulit, clari uiri, & conſularis. An læta dicit, quæ audientes afficiunt uoluptate: triſtia, quæ mœſtitia? Id probabile uidetur, ſed mihi potior eſt altera ſententia. Incredibilia, quæ ſuperant hominum fidem. Probalia contra. Cicero in Paradoxis: Sed nihil eſt tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile. Cæſar ad Alexandriam eruptione hoſtium ſubita compulſus, cum deſiluiſſet in mare, nando per ducentos paſſus euaſit ad proximam nauem, elata læua, ne libelli quos tenebat, madeſierent: paludamentum mordicus trahens, ne ſpolio poteretur hoſtis. Factum quidem iſtud, ſed multis eſt incredibile. Iunge ſimili facto: Idem Cæſar, ſi flumina morarentur, nando traijciebat, uel innixus inflatis utribus: probabile eſt.

QVID in deliberatione? quid ſpectas?] De deliberatione permulta atque præclara ſcribit ad huius operis finem: nunc tantum præcipit, hoc genus quo'nam ordine dirigatur. Principium, ſi quod erit, initio collocabitur: deinde narratio: cui proxima confirmatio: extrema peroratio. Confirmatio ad fidẽ, peroratio ad motum pertinebit. Quod ſi principium nullum fuerit, nullaq; narratio, duo reſtant collocanda. Probatio antecedet, motus autem ſubſequetur. Principia ne ſint longa, ut Philip. 4. Aliquando nulla, ut Philip. 13. & 14. Cauſam ponit utriuſque. Sunt, inquit, ad audiendum, qui deliberant, id eſt, conſilium petunt, ſua cauſa parati. Quibus uerbis non ſignificat omnia principia deliberationum, ſed ea tantum quæ uel attentionem uel beneuolentiam mouent. Hæc igitur Quintil. interpretatur his uerbis: Pars deliberatiua procemio, quale eſt in iudicialibus, non ubique eget, quia conciliatus eſt ei quiſque, quem conſulit. initium tamen quodcunque debet habere aliquam procemij ſpeciem. nec enim abrupte, nec unde libuit incipiendum: quia eſt aliquid in omni materia naturaliter primum. In ſenatu utique, & in concionibus, eadem ratio quæ apud iudices, acquirendæ ſibi plerunque eorum apud quos dicendum ſit, beneuolentiæ. Affirmat & in ſenatu & in concionibus procemia ad beneuolentiam comparandam duci poſſe, quæ plerunque longa ducuntur. Eiuſmodi principium eſt Ciceronis in Seruilium Rullum ad populum. Nec mirum, quia rationi paret ars, ut optima duci. In hoc genere non multum ſanè ſæpe narrandum eſt, quia narratio eſt præteritarum rerum aut præſentium, ſuaſio aũt futurarũ. Quintilianus & hæc interpretatur: Narrationem, inquit, nunquam exiget priuata deliberatio eius duntaxat rei, de qua, dicenda ſententia eſt: quia nemo ignorat id de quo conſulit. Extrinſecus poſſunt pertinentia ad deliberationem multa narrari. In concionibus ſæpe eſt etiam illa quæ ordinẽ rei docet, neceſſaria: & affectus, ut quæq; maxime poſtulabit. Hac ſentẽtia Quint. duplicem facit narrationem. Vnam eius rei de qua dicenda ſententia eſt, quam Cicero uoluit hic accipi. Ea in priuata deliberatione minime neceſſaria: in cõcione ſæpe texẽda. Exponimus enim & quid factũ ſit, et quid fiat, et quid ſit futurũ: quæ omnia in Rullũ facile reperies. Narratio tamẽ proprie dicitur eſſe præteritarũ rerũ, aut præſentium. Dicet aliquis: uerba Ciceronis, quibus dicit non multum ſæpe narrandum eſſe, intelliguntur de propoſitione, non de narratione: quia nulla poteſt eſſe narratio ſententiæ de futuro. Cur igitur non dicit nũquam eſſe narrandum, ſed non multum ſæpe? Cur Quintilianus id

refert

referſt ad priuatam deliberationem, non ad publicam: niſi quod publica narratio fieri poteſt, & ſæpe ſit propter eos qui rem de qua agitur, ignorant? Propoſitio frequens eſt: ſed & narratio rei, de qua dicenda eſt ſententia. Ad hæc Cicero digerit ordinem partium: propoſitio non eſt, pars rhetoricæ. Iam, quid uetat narrare quæ hoſtili more faciat Antonius, ſi dicenda ſententia eſt ut is declaretur hoſtis patriæ? nam debilis eſt hæc ratio. Sententiæ de futuro narratio non texitur. Non dicimus narrari ſententiam, ſed rem de qua ſententia dicenda eſt: ſicut non dicimus narrari iudicium, ſed id de quo iudicandum eſt. Non ita Cicero intellexit, cum dixit, Suaſio eſt rerum futurarum: ſed ſenſit, eſſe poſſe multas ſuaſiones, quæ nihil habeant neque præteriti, neque præſentis, & illis nō opus fore narratione: alijs, quæ aliquid petant, aut præſens aut præteritum, conuenire narrationem. QVID? in iudicijs quæ eſt collocatio?] De genere iudiciali, poſtremo loco tandem plurima. Nunc de collocatione. Ea duplex eſt: una accuſatoris, altera rei, id eſt, eius qui uocatus eſt in ius. Accuſator rerum ordinem proſequitur. quod ipſe facit in Verrem, ut exponat quæ commiſerit quæſtor, quid legatus, deinde prætor urbanus, tandem Siciliæ prætor. In rerum gradibus ſingula argumnta, quaſi haſta in manu collocata, uehementer proponit. Non debet in acie conſertim denſéq; ſua argumenta collocare, ſed fuſe et ſparſim porrigere, ut ſingula aduerſarium ſuperare uideantur. Propoſita concludet acriter: ut tanquam ſecunda ſubſtruatur acies, nunc è ſimplici complexione, nunc ex enumeratione multorum. ſic enim acerbitas exaſperatur, quòd plus colligamus, quàm quod efficiatur argumentis, & miſceamus affectus. Extendet argumenta, id eſt, ſingulorum factorum probationes, ſi immoretur, multumq; loci capiat. Immorabitur, ſi non modo ratione uiq; argumentandi á rebus internis contentus fuerit, ſed etiá extrinſecus aſſumpſerit aut tabulas, id eſt, literas, quales ſubinde producit in Verrem: aut decreta, ut ſenatuſconſulta ciuitatum Siciliæ in eundem: aut teſtimonia: aut ſi fieri poteſt, uniuerſa. Iam duo ſunt ordines. Vnus temporum, tanquam legionū uniuerſarum. Alter ſingulorum quæ reprehenduntur, uelut cuiuſque cohortis in exercitu. Tertius eſt ſubſidiorum auxiliorumq;. Is eſt ordo potentiſſimus affectuum. Hos in acie uult collocari poſt ſingulos quoſque grauiores locos, ut hinc ad affectum egrediatur & erumpat impetus. In quo proponenda ſingula, deinde grauiter exponenda, lateq; firmanda, tandem colligenda. Subſequitur affectus, quo in reum accuſator inuehitur, uelut ira grauiore percitus. Exempla multo prolixiora ſunt, quàm quæ ſcribi debeant. Lege actiones in Verrem. hunc ordinem ſcite collocatum reperies. Rerum ordinem proſequi, eſt res eo quo geſtæ ſunt ordine explicare. Singula argumenta dicuntur probationes ſingulatim collocatæ. Argumenta, aut ſingula ponūtur, aut conferta & conglobata: ut milites aut ſinguli, aut collecti atque coniuncti. Conferuntur haſtæ, quoniam illis ut haſtis petitur aduerſarius. Vehementer proponere, eſt proferre cum amplificatione & affectu. Concludere acriter, colligere quæ confecta ſunt, exponendo narrandóq; cum motu & auxeſi.

QVID faciendum eſt contra reos?] Hæc ſtatuuntur de collocatione patroni ſiue defenſoris. Sit in acie prima principium ad beneuolentiam comparatum, quia auditores exaſperauit accuſator. Narratio, ſi tota pro nobis, ordine ſecundo ponetur. Si tota contra nos, relinquetur, ne intromiſſa fundat aciem. Si partim pro nobis erit, partim contra nos: Id quod proderit, inſtruendum; quod nocebit, arcendum. Succedet acies argumentorum, quæ quidem argumentis aduerſarij conferuntur. Ea firmamenta uocat, quod illis cauſa confirmatur. Aduerſarij probationes, aut ſuperari poſſunt, aut inuictæ conſtant. Vt uincantur per ſe, id eſt, ipſa ratione firmamenti, initio tentandum eſt. ſi nequeūt expugnari, aut obſcurandæ, aut digreſſionibus obruendæ. Obſcurantur, ſi multa dicendo faciamus ne uirtus earum ſplendeſcat: & eludendo uerbis, uim omnem obtundamus, & lucem. Adulter eſt, inficiari non poteſt. Non reſpondeo, inquit, ad omnia maledicta quæ inimicus excogitauit, nec ſi quid eſt commune magnorum uirorum, & frequenter eorum, qui cæteros accuſant: quorum ſi uitam, ſi libidines, ſi adulteria requiramus, metuo ne penè omnibus periculum creetur. Condonemus aliquid uoluptati, quod citra Reipub. perniciem fiat: aut omnes quicunque peccauerint ciues, extermine-mus. His & ſimilibus res obſcuratur, ut Cælij incontinentia. At ſunt quæ obſcurare non poſſis. Sine, ut uis: hæc præceptio cadit in ea quæ obſcurari queunt. Plus autē eſt obruere quàm obſcurare. Obſcura uideri poſſunt: obruta non poſſunt. Seditioſus quis fuit? Exponendum magnifice præclaras illius egregiaſq; uirtutes. Hac digreſſione conſequeris, ut unius facti memoria deleatur, ſi non in perpetuum, tamen in iudicium præſens. Peroratio ſubſidebit, ueluti cum triarijs. In ea collocabuntur affectus mitiores, quibus iudex iratus mitigetur. De quibus aliàs ſuo loco dicetur. SEMPER'ne igitur ordinem collocandi quem uolumus.] Animaduertenda præceptio, & cōſilium tenendum. diſpoſitio frequenter eum ſeruat ordinem, quem ante per genera deſcribit. Tamen utilitas cauſæ, perſona, tempus, locus, plurima commutant. Hinc ante narrationem refutatio eſt pro Milone. Hinc interruptiones narrationū pro Cluentio. Verum igitur quod Quintilianus iudicat: Mutantur, inquit, pleraque cauſis, temporibus, neceſſitate, occaſione. Atque ideo res in oratione præcipua, conſilium eſt: quia uarie, & ad rerum momenta conuertitur. Et paulo poſt: Neque rogationibus plebiſ'ue ſcitis ſancta ſunt iſta præcepta, ſed hoc quidquid eſt, utilitas excogitauit. Aures auditorum moderari oratori prudenti & prouido, eſt oratorem circunſpectum auribus auditorum ſe accommodare. Expone deinceps quæ ipſius orationis, uerborumq; præcepta ſunt.] Vis oratoris in quinque rebus poſita eſt, ex quibus expoſuit inuentionem atque diſpoſitionem: nunc ordine perſequitur elocutionem, quam uocat orationem: quoniam pars illa eſt unde nomen duxit eloquētia, unde rhetores & oratores nominati. Non abſurde igitur nomine totius appellatur. Et ne maneret ambiguitas, orationem interpretatus eſt præcepta uerborum. Id ſic explicat in Oratore: Quanquam, inquit, omnis locutio oratio eſt, tamen unius oratoris locutio hoc proprio ſignata nomine eſt. Diuiditur eloquendi genus in ſua ſponte fuſum, & in uerſum atque mutatum. Genus uerſum atque mutatum eſt, quod uerba aut orationem in plura dilatat, aut contrahit, uel orationis ordinem commutat. Quod ut intelligas, ea tibi legenda ſunt, quæ paulo poſt aſcribit de conuerſa oratione atque mutata. Genus ſua ſponte fuſum eſt, quod ipſo naturæ impetu, id eſt, trita loquendi conſuetudine, quæ eſt uelut altera natura, occurſante proijcitur, per ſe numero ac lege componendi ſolutum. Quod perraro (niſi ſponte fluant numeri) bonus uſurpat orator. Proponitur tamen ab auctore, quia cum ſit in cogitatione primum, arte perficitur: haud aliter quàm lapides & materia quæ natura parit, expoliuntur artificis induſtria, & ædibus aptantur. Proponamus exemplum quod rudiores uelint. Nuſquam enim longius aberrant à uia multi profeſſores, quàm cū elocutionis iter recta ſequendum eſt. Milo occidit Clodium in uia Appia. Sermo naturalis, & ſponte fuſus. rectus enim antecedit, uerbum ſubſequitur, uerbo ſui caſus apponuntur: nec aut conuerſione, aut mutatione uariatur. Hoc ſermone non utetur orator, quia poſterior ſyllaba uerbi primi cū prima ſequēti interſiſtit, uaſtumq; reddit ſonitum. Eodem modo tertium uerbum cum quarto, quintum cum ſexto diſſentiunt: quodq; peius eſt, nullus eſt curſus orationis, utpote quæ claudicat, hiulca, aſpera, inſuauis atque ſuſpenſa. Quid igitur? uerte, muta, ut ex ſponte fuſa compo-

natur illud uerſum atque mutatum: Caſus eſt à Milone Clodius in uia maiorum ſuorum. Omnia uitia ſuſtuliſti. Ergo ſi quod genus ſua ſponte fuſum eſt, proprium uerbis, numero decorum, nihil immutabis. Si uero non reſpõdeant aut impropria uerba, aut ſonus orationis, aut figura dicendi, quærendum genus illud uerſum atque mutatum. Erunt qui diſſentiant, ſtudioſi redarguendi, dicentq́; genus ſponte fuſum, non temere proiectum, ſed numeris uinctum, conſecutione uerborum copulatum, à uerbis non coactis, ſed ſponte occurrentibus dictum. Illis oppono uerba Ciceronis: In coniunctis autem uerbis (inquit) triplex adhiberi poteſt commutatio, non uerborum, ſed ordinis tantummodo: ut cum ſemel dictum ſit directe, ſicut natura ipſa tulerit, inuertatur ordo, & idem quaſi ſurſum uerſus retroq́; dicatur, deinde idem intercisè atque permiſtè. Eloquendi autem exercitatio maxime in hoc toto conuertendi genere uerſatur. Si ordinis commutatio pertinet ad genus uerſum, non'ne erit ſponte fuſum, quod ordinem non mutauerit. Vt igitur aſtringes numeris, niſi uenias ad ordinis commutationem? Niſi numerus ſponte fluit, illigari nequit eiſdem uerbis, quin ordo uerborum mutetur. Quid aliud Cicero dicit his uerbis, Eloquẽdi exercitatio maxime in hoc toto cõuertendi genere uerſatur, niſi genus uerſum eſſe oratorium, ſponte fuſum, non item niſi ſponte fluat numerus & compoſitio? Itaque recte dicimus hoc genus eſſe directũ, quaſi naturale, neque uerſum, neque immutatum: cui ſi uirtutem dat orator, in altero genere uerſatur. At huc Cicero refert numeros & conſecutionem. Certe. Aut enim ſponte occurrũt, & huc pertinent: aut arte nectuntur, & tum genus ſponte fuſum mutant. Genus ſua ſponte fuſum, duas habet uirtutes: unam in ſimplicibus uerbis, in coniunctis alteram. quas ubi confeceris, perſæpe fiet illud genus immutatum, quod eſt natura poſterius. Simplicia inuenienda ſunt ab oratore, quibus optime res exprimatur, quibusq́; uis ea perferatur ad aures, quam mens ante concepit. cuiuſmodi eſt iſtuc Ciceronianum: Importuni gladiatoris amentia, pro Antonio crudeli. Quanto uerba ſunt ad ſignificandum uehementiora? In uerbis quæritur ſenſus, uis ſignificandi, & figura. Coniuncta collocãda ſunt, ut numeroſe cadant cum decenti conformatione. ut pro Cælio: Etenim ſemper magno ingenio adoleſcentes, refrenãdi potius à gloria, quàm incitandi fuerunt. Tolle orationis compoſitionem: Etenim adoleſcentes ingenio magno fuerunt ſemper refrenandi potius à gloria, quàm incitandi: periјt uirtus illa coniungendi, ut aures optime iudicant. Ergo prima uis in ſimplicibus uerbis, in coniunctis ſecunda. Simplicia uerba partim natiua ſunt, partim reperta. Natiua, ea quæ ſignificata ſunt ſenſu. Reperta, quæ ex his facta ſunt. Natiua & reperta dico, quæ primitiua & deriuatiua grammatici uocant. Quid porrò eſt aliud uerbum natiuum, quàm primitiuum, & id quod eſt primæ poſitionis? Cuius originem ſi quæras, non referes ad aliud uerbum, quia nullũ eſt, ſed ad ſenſum, id eſt, intelligendi facultatem. Senſus enim qui uellet expectorare quod intelligendo concepiſſet, inuenit ſigna: ea ſunt uerba rerum notæ, quæ ore promuntur. Verba ſignificata igitur ſunt, ſigna rerum, facta ſenſu, id eſt, hominum conceptione, qui loqui uellent. Si quæritur unde ſit uerbum Intelligentia, referemus ad participium intelligens, hoc rurſus ad uerbum intelligo, hoc deinceps ad uerbum lego, hoc poſtremum (ſiue Græcum eſt λέγω, ſiue latinum) referetur ad ſenſum. Conſtat igitur infinita eſſe quæ reperta dicantur, ut denominatiua, ut poſſeſſiua, ut uerbalia, ut uerba & aduerbia permulta, ut participia: quæ ſi ad ſenſum referri poſſunt ut primam omnium cauſam, tamen propiorem habent fontem unde deriuantur. Quamobrem Quintilianus natiua dixit ſignificata primo ſenſu: quia ſecundo reperta, facta ſunt. ET nouata aut ſimilitudine, aut imitatione, aut inflexione, aut adiunctione uerborum.] Quæ dicuntur hic nouata uerba, capi poſſunt duobus modis. aut enim reperta intelliguntur ea, quæ à natiuis facta ſunt ab antiquis, aut facta à poſterioribus, quæ nobis proprie noua dicuntur. De his Cicero tertio de Oratore. Nouantur, inquit, uerba, quæ ab eo qui dicit ipſo gignuntur ac fiunt, uel coniungendis uerbis, uel ſæpe ſine coniunctione. Hæc itaque ſunt diſtincta temporibus, & in repertis ſunt utraque nouata. Nouantur autem quatuor modis, ſimilitudine, imitatione, inflexione, adiunctione uerborum. Similitudinem tertio de Oratore uocat metaphoram, quam hic accipere non poſſumus: quia eodem loco nouatũ diſtinguit à tranſlato, & iam ponet ea quæ trãſferuntur. Accipimus analogiam, de qua Quintilianus in quinto: Analogiam quidam à ſimili ſeparauerunt: nos eam huic generi ſubiectam putamus. Analogiam appellat hic ſimilitudinem. Eius hæc uis eſt (ut eiuſdem uerbis utar) ut id quod dubium eſt, ad aliquid ſimile, de quo non quæritur, referat, ut incerta certis probet. Qua ratione infinita propè uerba naſcuntur, ut ſomnolentia, ſicut uinolentia: curuitas, ut prauitas: pœnitendus, ut pudendus: rapturio, ut parturio, detonſare, ut deſponſare: conſiderate, ut docte: ſedenim, ut etenim. Hæc & ſimilia ad inflexionem pertinere poſſunt: tamen alia eſt ratio ſimilitudinis, alia inflexionis. Inflexio, deriuationis eſt, ſine ulla comparatione: ut ſit nomen finitimus in hoc genere primum, cui poterat comparari antequam reperta eſſent legitimus, æditimus, & conſimilia. Quàm multa ſunt quæ nulli cõparantur? Laberius Mimus inflexit à bibo biboſum: ſimile nõ reperies. À detero inflexum deterius, ſine conſorte. À credo credibile: nullum ſimile à ludo, cado, & reliquis id genus. À pede & tento, pedetentim. À fido fiducia, producit enim primam. À puero puſio. À poſt & limine, poſtliminium. Ergo inflexio frequenter eſt ſine analogia, quamobrem non ſine cauſa diuiduntur. Analogia ſi uera eſt, quærit ſimile genus, ſimilem finem, ſimile declinamentum, quæ non ſpectat inflexio. Analogia comparat, inflexio deriuat. Imitatio de ſono uerba trahit: tinnio, rugio, uagio, balo, rudentes, murmur, clangor, baubator. In his latinorum minima felicitas. Adiunctio uerborum, eſt compoſitio. Incuruiceruicum pecus, uelivolũ mare, uelificari, ara thuricrema, barbigera capella, apri bidentes, belligena puellã. Hic Græci feliciores: καλλιπάρῃος, καλλιπλόκαμος, ῥοδοδάκτυλος. Tertia eſt uerborum partitio, natiuis repertisq́; communis. Altera natura ſunt præſtantiora, deterioraúe, cum ipſa per ſe conſiderantur, non habita ratione tractãdi. Altera tractatione ſunt talia. Ex ijs quæ ſynonyma uulgo dicuntur, natura quædam ſunt conſonantiora: ut tempeſtas quàm tempus, moderatio quàm modeſtia, concertare quàm confligere, frequenter quàm frequens, quanquam quàm etſi. Quædam grandiora, ut illud Virgilianum: Regnatorem Aſiæ, grandius quàm ſi regem Aſiæ dixiſſet. Et illud Ciceronianum, In tuis illis immanibus poculis, quàm magnis poculis. Grandiora bene legebantur, ſed immutarunt imperiti in grauiora, quia leuiora ſequebantur: non animaduertentes, auctorem non oppoſuiſſe contraria. ſed poſtremo dixiſſe pro contrarijs, Alia contra. Quædã leuiora, hoc eſt uiribus infirmiora: ut amor quàm charitas, comedere quàm uorare, tangere quàm percutere, niti quàm conari, ire quàm uadere. Quædam nitidiora, quæ ſunt ſplendentiora, ſordidis aduerſa, ut Quintilianus dicit in VIII. ut boues pro uaccis, ſus pro porco, minus humilia ſunt. Nec orator uſurpabit Epigrammaticorum pudenda uerba, & Satyricorum: ſed pro decoro nitidiora inueniet. Tractatione autem, cum aut propria ſumuntur rerum uocabula.] Quæ de uerbis ante dicta ſunt, quodam quaſi naturali ſenſu iudicãtur: quanquam & de illis nonnulla præcepta reperiuntur: & artificis eſt noſſe materiam, non tantum eligere atque cõiungere. In tractatione uero eſt quod ædificet orator, et in quo maiorem adiungat artem. Vbi uerborum copiam ſibi comparauerit, ac

diligenter

diligenter exploraueris eorum naturam, tum pro rei dignitate, quæ conuenientiora uidebuntur, aptabit orationi. Hæc enim tractandi lex eſt & oratio, ut ex multis ea legamus, quæ res de qua agitur, & orationis poſcet ornatus. quemadmodum architectus haud omnem, ſed aptiorem ſubſtructioni materiam legit, & collocat: hoc modo collocabit orator aut propria rerum uocabula, aut addita ad nomen, aut noua, aut priſca, &c.

Addita ad nomen, ſunt epitheta, præcipue quæ ſenſu dicuntur adiectiua, ut pater, mater, frater, lictor, africanus, quæ cadunt in antonomaſiam. Sunt alia quoque interim apponenda, quæ dicuntur adiectiua uoce, ut, homo improbus uexauit Aſiam: interim omittenda, ut uaga quæ dicuntur. Igitur utendum erit aliquando proprio, & proprium nonnunquam proprio mutabitur, quod eſt additum ad nomen. Saſſia fuit Cluentij mater. Hic proprijs utendum fuit: quia prima rei expoſitio eſt, nec ulla alia uis deſideratur. Poſt hæc ſi dixeris, Oppugnat Cluentium Saſſia: imperite dixeris. Quid igitur? Intromitte addita ad nomen, Oppugnat filium mater. Hinc duplex uirtus. & moleſtia repetendi uitatur, & res dicitur grauius: quia in matre & filio eſt aliquid, cur oppugnatio impia ſit, quod non erat in proprijs. De eadem Cicero: Nubit genero ſocrus. quanto melius eſt quàm iſtuc, Nubit Melino Saſſia? nam priora cauſas habent, cur impias nuptias fieri non oportuerit. Eſt etiam quando priſca nouis, nouaq; priſcis anteponãtur. Res eſt grauis, animus permotus, natura de uerbo non ita multum ſolicita eſt. Tũ priſca longe optima. Virgilius, Heu quianam tanti cinxerunt æthera nimbi. Idem in decimo: Tros Rutulus'ue fuat, nullo diſcrimine habebo. Conueniunt item ſermonibus priſcis, & fictionibus perſonarum: ut rebar, opinabar, eſſari, ſoboles, proſapia, actutum, olli: ex quibus loco poſitis, grandior atque antiquior oratio ſæpe uideri ſolet. Noua contra in rebus floridis, & amœnitatibus, lociſq; iucundioribus non temere conueniunt: ut plurifariam, cohibilis, qualia innumerabilia fecit Apuleius, & recentiorum puerilis affectatio. Cicero, Terra diffundit & elicit herbeſcentem ex eo uiriditatem. Idem, Quæ ex fici tantulo grano. Idem, Ne ſyluescat ſarmentis. & permulta conſimilia, ubi natura uoluptates, uerborum iucunditate, gratiaq; nouitatis efficit amœniores, quibus in foro & in concionibus multo uerecundius utebatur. Alia ſunt ab oratore modificata & inflexa quodammodo. tropi nominantur: quæ figura eſt, uerbi uel ſermonis à propria ſignificatione in aliam cum uirtute mutatio. Quibus addi poſſunt, & reliquæ figuræ uerborũ. Sed quæ ſequuntur exempla, tropos maxime capiendos eſſe demonſtrant, niſi per ea quæ mirabilius quàm ſermonis conſuetudo patitur, ornamus, ſignificamus omnes uerborum figuras. Cur autem eo modo immutata uerba, modificata & inflexa dicat, in dubium uenire poteſt. Sanè ultra modum menſuramq; propriam fuſius extenduntur, quadam prioris intellectus ſeruata dimenſione, ut metaphoræ. A' qua modificatione & competentia (ut cum Gellio dicam) modificata dici poſſe exiſtimauit. Niſi forte ſit hoc proprium omnium figurarum, nouam quandam accipere formam, quæ alia uelut lineamenta oſtentet: propterea dici figuras & conformationes, quas quidẽ in modum quendam cadere ſcimus: inflectuntur autem ab eo quod rectum, quodq; proprium eſt, ad aliud propter uirtutem & ornatum. Prima ſunt, quæ transferuntur: ea uulgo metaphorica dicuntur, ut concionum procellæ, eloquentiæ flumina, gloriæ ſeges, os roſeum, feruet æſtu pelagus, eloquentiæ tympana, exemplorum ſylua. Eorum frequentiſſimus eſt uſus oratori, quia ſæpe proprijs aut uirtute potentiora ſunt, aut iucũdiora. Immutantur autem per metonymian dicta, quod oſtendit de Oratore lib. 3. Ne illa quidem traductio atque immutatio in uerbo quandam fabricationem habet, ſed in oratione. Hic immutatio eſt hypallage. Eiuſdem rei nomen eſt metonymia, quæ (ut ait) proprium proprio commutatur: ut Africa pro Afris, id quod continet pro eo quod continetur. Mars pro bello, inuentor eſt pro re inuenta. Campus pro comitijs, locus eſt pro illo quod fit in loco. Neptunus pro mari, poſſeſſor eſt pro re poſſeſſa. Toga pro pace, ſignum eſt pro ſignato. Arma pro bello, inſtrumentum pro re quæ efficitur. Scelus pro ſcelerato, res pro perſona cui conuenit. Hoc modo diſtinguuntur ſeptem metonymiæ ſpecies, quarum pleraque ſunt amiciores poetis quàm oratoribus. Ea quibus tanquam abutimur, rationem ſeruant translationis, κατάχρησις dicuntur, hoc eſt, per abuſum uſurpata, quæ neceſſitas genuit, inopia coacta, & anguſtijs, poſt autem delectatio uoluptaſq; celebrauit: ut, gemmat uitis, luxuriatur herba, læta eſt ſeges, equitat in aſino, inhorreſcit mare, tenebræ conduplicantur, grando præcipitatur. Hæc tria poſteriora ſunt iucunditatis, non inopiæ: ſicut minutus animus pro paruo, grandis oratio pro magna. Hæ ſunt translationes paulo audaciores. Ea quæ obſcuramus, ſunt ænigmatica. Quintilianus: Hæc allegoria quæ eſt obſcurior, ænigma dicitur, id eſt obſcurus ſermo: in quo multa ſunt obſcuriora prouerbia, ut, Similes habent labra lactucas. multæ ſententiæ, Coronam ne carpſeris. multæ parabolæ, Bos laſſus fortius figit pedem. imagines quædam, Quid tu? porrigis aſſem elephanto? Cicero utitur pro Sexto Roſcio, Te pugna Cannenſis accuſatorem ſat bonum facit. Ibidem: Nihil mali eſt canes ibi quamplurimos eſſe, ubi permulti obſeruandi, multaq; obſeruãda ſunt. Quæ incredibiliter tollimus, ſunt hyperbolica: Ferit æthera clamor, Frigidius glacie pectus amantis erat, Tu niue candidior, Veneris tu clarior aſtro. Cicero Philippica ſecunda de bonis Pompeij: Quæ Charybdis tam uorax? Charybdin dico? Oceanus mediusfidius uix uidetur tot res, tam diſſipatas, tam diſtantibus in locis poſitas, tam cito abſorbere potuiſſe. Quæ mirabilius quàm ſermonis conſuetudo patitur ornamus, non uidentur eſſe tantum quæ circumlocutione enunciantur. nam cur potius hæc quàm gradationes, repetitiones, coacervationes, paria, contraria, & ſplendidiores uerborum figuræ? Hæc enim tam mirabiliter ornant, quàm periphraſis: qualis eſt hæc, Candida uenit auis longis inuiſa colubris. Aliquot tropos ante poſuerat, nũc uno genere reliquas uerborum conformationes uidetur amplexus.

HABEO *de ſimplicibus uerbis: nunc de coniunctione quæro.*] *Ex ſimplicibus uerbis, quæ natura uel tractatione ualent, coagmentatur & coaleſcit oratio. Huic igitur ſecundus aſſignatur locus. In coniunctione uerborum duo ſeruanda, numerus, & conſecutio. Numerus eſt ῥυθμὸς, id eſt quædam orationis muſica, quæ pro rei natura de qua agitur, longarum breuiumq; ſpatio decurrit ad aurium dimenſionem. Numerus tempora metitur. Nã breues ſyllabæ orationem præcipitant celerem: ut, Stolidus homo fuit, qui ſophiſmata legere uoluerit. Longæ, conſtantem tardamq; reddunt: Vtebatur tanta grauitate ſententiarum, tanta uerborum dignitate, ut illum iure ſuorum lumen, regni firmamentum exiſtimarent.*

Miſtæ, temperatum faciunt curſum: Animaduerti iudices omnem accuſatoris orationem in duas diuiſam eſſe partes. A' breuibus ad longas durius inſurgimus: Num te pudet? Quid hic agis? ſcelerate fugis hinc? A' longis ad breues, molliore uia & expeditiore curſu delabimur: Ex eius ore melle dulcior fluebat oratio. Ergo prius id uidendum, quibus utare pedibus: quos ideo reliquit, quòd in alijs artibus ea de re grauiter & copioſe diſſeruit. Pedes autem ratione atque arte, non auribus iudicantur. Non ſecludo iudicium aurium, ſed dico pedum rationes in artem cadere & grammaticorum, & rhetorum. Curſus orationis, de quo hic facit mentionem, non aliud quàm aurium iudicium habere poteſt. Curſus erit, ſi neque aſpere interſiſtat, neque ſubſultet, neque ſuſpendatur oratio. Hæc eſt inſuauis: Vita improborum urget illos, dat ſpem aliquam, poſtea

detur inter nos conueniſſe, ne peterem, profuturamq; ei conuentionis exceptionem placuit. Naturali iure præſcriptum eſt.] *Mandatum, ſtatutum. Cæſar in Commentarijs, Quid fieri oporteret, non minus commode ipſi ſibi præſcribere, quam ab alijs doceri poterant.* De natura.] *Subaudi, maiorum.* Ad eius facti deprecationem.] *De qua parte ſuperius in diuiſione aſſumptiuæ conſtitutionis diximus.* Quale ſit, cum diſceptatio.] *Supra diximus, in diuiſione ſtatuum, alios dici rationales, alios legitimos. De rationalibus, an ſit, quid ſit, & quale ſit, hactenus dictum. Sequuntur legitimi, qui ex ſcriptis eliciuntur.* Ambigui.] *Ambiguum, hoc eſt, amphibologiam primo tractas: Lex omnis, inquit Quintilianus, aut tribuit, aut adimit, aut punit, aut iubet, aut uetat, aut permittit. Litem habet, aut propter ſeipſam, aut propter alteram. Quæſtio eſt, aut in ſcripto, aut in uoluntate. In ſcripto, aut apertum eſt, aut obſcurum, aut ambiguum. Quod de legibus dico, idem uolo accipi de teſtamentis, pactis, ſtipulationibus, omni denique ſcripto, idem de uoce. De ambiguo porro aliquãto poſt inquit: Amphibologiæ ſpecies ſunt innumerabiles, adeo ut philoſophorũ quibuſdam nullum uideatur eſſe uerbum, quod non plura ſignificet, genera admodum pauca: aut enim uocibus accidit ſingulis, aut coniunctis. Singula afferunt errorem, cum pluribus rebus, aut hominibus eadem appellatio eſt: ὁμωνυμία dicitur, ut gallus. utrum enim auem, an gentem, an nomen, an fortunam corporis ſignificet, incertũ eſt. Idẽ aliquãto poſt: In coniunctis, inquit, plus ambiguitatis. fit autem per caſus: ut, Aio te Aeacida Romanos uincere poſſe, & quæ ſequuntur.* · Cum autem aliud ſcriptor.] *Statum tangit, qui ex ſcripto & ſententia nominatur.* Renouare.] *Id eſt, repetere ſæpius, ut affectus moueat.* Contra.] *Id eſt, è diuerſo.* Amplificet.] *Quaſi in locum communem deſcendens.* Quibus alij.] *Subaudi, uſi ſunt.* Inuidioſa querela.] *Quintilianus: Inuidia nanque, inquit, altera inuidum, altera inuidioſum facit: hoc autem hominis, illud rei eſt.* Si ſcripta inter ſe diſſentiunt.] *Hic ſtatus ex contrarijs legibus nominatur.*

FINIS.

IAC. LOD. STREBAEI RHEMENSIS IN PARTITIONES ORATORIAS CICERONIS COMMENTARIA, AD IACOBVM VILLONOVANVM.

VM per annos decem & quatuor in erudienda iuuentute laboraſſem, etſi ne tum quidem grauiſſimo labori quietem modumque reperiſſem, me tamen ad colligenda mea ſtudia pleriqne amicorum adhortabantur. Quo propoſito, diu multumque dubitaui, utrum monitus & cohortationes admitterem: an potius ita me compararem, neque perferre infauſtum pondus, neque laborioſum uiuendi genus nouo ſudore cumulare. In hanc partem ſemper fueram propenſior, propterea quòd ad ſcribendum feliciter, opus eſt naturæ & ingenii uiribus, multarum rerũ ſcientia, uſu & exercitatione dicendi, quæ in me perquã exigua ſentiebam. Et ea ſi forte mihi contigiſſent, tamen quoniam à ſapientiſſimis uiris ſcripta ſunt nimium multa, ſilendum putabam. Quòd ſi quid noui ratio poſtularet, rurſus exiſtimabam ceſſandum temporibus noſtris, cum labor honeſtus nullum præmium ferat, ſed uel contemptum, uel inuidiam. Sciebam quoque bonas artes, quibus tum Græci, tum Latini, non ſine magna dignitatis auctoritate floruerunt, nunc apud eos qui omnia quæſtu metiuntur, ita uileſcere, ut earum profeſſores infra mortales omneis eſſe uideantur. His rebus adductus, eos imitari decreueram, memoriæ noſtræ doctiſſimos uiros, qui frui ſilentio literarum maluut, quã in opere pœnitendo bonas horas male collocare. Sed nitebantur in aduerſum cauſæ ualidiores: Hominem non ſuis, ſed aliorum natum commodis: Eſſe proprium optimi cuiuſque, aliquid in commune laborare, ſemenque mittere, cuius alii percipiant fructum. Alios ædium monumenta ſuis relinquere, alios nobilitatem generis, alios gloriam uirtute partam, omnes penè teſtimonium quoddam ſui laboris: Non aliter oportere artium liberalium profeſſores, non modo uiuos, ſed magis etiam prodeſſe mortuos. Id feciſſe ueteres nouoſque ſcriptores, quorum monumentis acuitur æternæ poſteritatis induſtria. Hanc reliquiſſe librorũ uelut hæreditatem, quam partim amiſiſſe, partim neglexiſſe, partim deprauaſſe, decoctricis ignauiæ eſt poſterorum: contra hæredis boni frugique, ſeruaſſe legata, ac diligenter auxiſſe: ne qui omnia ab omnibus accepit, nemini quidquam omnium contuliſſe arguatur. Quòd igitur ſtudia literarum ſecutus eſſem, bonamque partem ætatis in eo curriculo tranſegiſſem, nec otium languidum ac ferè mortuũ probarem, ſtatuebam mihi mote meo ſemper aliquid in literis agendum, quod & alios fortè iuuare poſſet, & acceptam à ſcriptoribus hæreditatem adaugere. Quo me ducebat illud, Quam quiſque norit artẽ, in hac ſe exerceat. Nec iam conſtare uidebantur, quæ feruntur in contrariũ. Si non ſubeſt ingenii magna uis, tamen etiam pariunt aliquid infœcundiores agri, ſi modo arte & diligentia percoluntur. Scripta ſunt ab aliis permulta, ſed alia perierunt, alia in bibliothecis & puluere deliteſcuut, alia palam negliguntur, multa repudiat hæc ætas, multa queritur obſcura: quamobrem relinquitur nobis & poſteris ſcribendi locus. Nec honeſta & utilia capeſſenti, metuenda eſt inuidia: quæ cum gloriam florentem perſequatur, quid habet in me quod toruo faſcinet aſpectu? Nec laboro de cõtemptu eorum, qui quòd nimium ſpectant honores & diuitias, ingenuas deſpicantur artes. Neſcierunt quid in rebus eſſet optimum: fortuita quidem maluerunt & mortalia, quibus temporis momento deſtituti, ſine re, ſine animi cultu, ſine nomine, ſiue uero honore pereunt. Fateamur itaque longe optimum, uerſare literas, quarum beneficio uiuit, quidquid in rebus mortalium pulchrũ diuturnumque eſt. Hic igitur experiamur aliquid, & initio tanquam ludentes, explicemus artes eorum, qui principes in ratione dicendi fuerunt. Nec opus eſt longa meditatione, quid omnium primum ſequamur. Occurrunt enim Ciceronianæ Partitiones, auditoribus noſtris propediẽ exponẽdæ: quibus in eo genere nihil arbitror neque breuius, neque

que difficilimus,neque magis utile iuuẽtuti.Breuitas memoriã iuuat , ſed parit obſcuritatẽ:obſcuritas & utilitas quærũt interpretationẽ.Duæ ſunt igitur cauſæ,cur hæc interpretemur,difficultas & utilitas. Totidẽ cur ediſcamus,breuitas & fructus. Nã partitur hãc artẽ ſubtiliter, membra circunſcripte breuiterque definit,uim & uſum rerũ notat. A' ſummis generibus ad partes imas rectũ perducit ordinẽ,omniaque prope' rhetoricæ præcepta anguſtiſſimo cõſtipat libello:quẽ cũ perutilem filio ſuo nõ uulgariter erudito iudicat,eadem ſententia pronunciat,quanti facienda ſit hæc præceptionum deſcriptio. Fatebor autem nihil opus fuiſſe commentariis noſtris,ſi Georgius Valla,homo non indoctus, propius inſpexiſſet,rem cognouiſſet, ueramq́ue ſententiam ſeruata ratione interpretis,protuliſſet. De quo uiro, qui certe prodeſſe uoluit,nihil dicã,niſi neceſſario.Stat enim mihi,nullius neque uiui, neque mortui uellicare nomẽ,niſi cõtrauenìat ratio neceſſaria. Sed ſi diligẽter oẽs illuſtraſſet obſcuriores locos,equidem multis impudens & ingratus uiderer,qui rebus alienis ornatus, debitam uiro gratiam ſupprimerem. Verum teſtes erunt huiuſce rei permulti,Georgium plura ſcripſiſſe in Partitiones oratorias, quæ nihil faciunt ad rem, exemplis alieno tempore citatis,totos confudiſſe locos, bonam partem reliquiſſe perobſcuram,præcepta Ciceronis trecenta & amplius in ſenſum prauum detorſiſſe,pro argumentis figuras,pro figuris argumenta cenſuiſſe:medio itinere,ac ſi longis erroribus & onere defeſſus eſſet, abieciſſe rerum grauium pondus,tantum pauca leuiora tenuiſſe.Sed quia inuitus feci ut hæc dicerem, taceo reliqua,& aliorum iudicio relinquo.Quid ab eo diſſentiam,planum facient hæc noſtra commentaria. Ego quidem ducem meum pone'ſecutus ſum,nuſquam ab itinere propoſito digreſſus. Vſus ſum fere' ſemper expoſitione rerum perpetua,quoniam lacerat animum,memoriamq́ue perturbat illa minuta rerũ uerborumq́ue conciſio. Si quod occurrit uerbum ignotius,alterum,uelut aliud agens,attexui prioris interpretamentum.Atque etiam quæcunque uidebantur obſcura,diligenter illuſtraui, non modo paraphraſi,alioq́ue ſermone,ſed etiã conquiſitis ab optimis auctoribus exemplis, quibus ad hæc præcepta cognoſcenda nihil utilius afferri poteſt.Eorum multitudine ſi nimium fuſa uidetur oratio, id factum ſcias ab innumerabili rerum frequentia:quæ ſi uel anguſtis ſegregãtur interuallis, uniuerſum obtinẽt campum,& tantum non extra ſpacia proferuntur. Quid tum? in explicandis eloquẽtiæ præceptis nõ expauenda eſt ulla copia,niſi quæ inani uerborum fluxu redundat. Si quando opus eſt, excutio cauſas,definio quamplurima. Vtor & demonſtratione rerum,quæ in abſtruſo poſitæ ſunt. Si quædam faciliora interpono,id non tam docendi cauſa facio,qua'm membra coniungendi. in quo etiam habenda ratio eſt imperitorum,quibus omnis fere' deſtinatur interpretatio.Stylum preſſi,ne lõge diſiliret a' genere commentandi. Quid effecerim,aut quid fecerim potius, iudicent æqui rerum æſtimatores. non enim mea ipſa uendito,ſed amolior præcipitem multorum licitationem:qui quoniam nihil ſecum pretũ ferunt,ne pilo quidem licentur uel optima.Sed iſta non uendo,inquam:dono tibi Iacobe Villonouane chariſſime,tuoq́ue nomini dicata uolo:ut quod ſtudium rhetoricum uehementer amplexaris, alere poſſim,nõ modo uoce, & quotidiana lectione,ſed etiam ſcripto & memoria literarum. Quod ut faciam,cum tui candidi mores,& ex opera bona profectus bonus meretur, tum auunculus tuus Gulielmus Abotus,ſenator ac Iudex lectiſſimus in primario Lutetiæ conſilio.Is pro ſumma in ſuos charitate,cum te loco filii haberet,tuamq́ue diſciplinam formare uellet,mihi delegauit hanc inſtituendi curã: nec ullis unquã rebus,nec laboribus,nec uerbis cõmẽdatoriis pepercit,quo te bonis & moribus & diſciplinis perpoliret.Itaque mihi tibiq́ue magnopere prouidendũ eſt,ne cõcepta de te optimi uiri fallatur expectatio.Ego quidẽ de meipſo uidero: tu autem ut & docte ſcire,& bene agere poſſis, propone tibi domeſticum egregii ſenatoris exemplum.Complectere cogitatione,qua'm diligenter cum multas alias artes,tum ius ciuile didicerit,qua ſemper fuerit integritate & innocentia,qua'm admirabili modeſtia & humanitate,qua'm acuto ad res agendas conſilio,quanta diligentia in obeundo munere, qua æquitate leges interpretetur,qua'm temperata ſeueritate mores cenſeat. Hæc & alia multa ſi mente ſeqtieris,facile reperies eas regiones uiarum,quibus peruenit ad auctoritatem.hac iter facito,ut eo progrediare,quo te uocat & is qui uirtutis iter tenuit auunculus,& nobilis ac illuſtris ille dux copiarum pater tuus Ludouicus Villonouanus.

VR Partitiones oratorias inſcripſerit,id initio demonſtrandum uidetur. Quid partitio nominetur, oſtendit
in Topicis: Partitionum,inquit,& diuiſionum genus quale eſſet, oſtendimus:ſed quid inter ſe differant,pla
nius dicendum eſt. In partitione quaſi membra ſunt,ut corporis,caput,humeri,manus,latera,crura, pedes.
c *In diuiſione formæ ſunt,quas Græci ἰδέας uocant,noſtri ſpecies. Hæc ille. Inuentio autẽ,diſpoſitio, elocutio,*
memoria,pronunciatio,non ſpecies aut formæ rhetorices,ſed ab omnibus partes nominãtur, propterea quòd
ex iis ueluti membris ars oratoria componitur. Nec enim inuentio eſt rhetorica, ut laurus eſt arbor: nec di-
ſpoſitio eſt ars bene dicendi, ut iuſtitia eſt uirtus: quia genus de ſpecie, non de parte totum dicitur. unde
partes,non ſpecies eſſe conſtat. Cum ſint igitur hæ quinque partium primæ, quæ ex ordine in minora quædam partiantur, cumq́;
minora membra partitione ſæpius quàm diuiſione diducantur, nomen partitionis aptius fuit, quàm diuiſionis. Sed & multæ di-
uiſiones in hac arte reperiuntur, ut cum diſtribuuntur ſpecies locorum, orationum, cauſarum, quæſtionum, bonorum: quæ ſicut
nomine partis & ſpecies interdum nocãtur, à Cicerone præſertim,ita quoque non inepte dicuntur partitiones. An dictæ ſunt par
titiones, quòd oratoriæ ſcholæ, hoc eſt, rhetoricæ diſputationes, ſic appellitari ſolerent? Non eſt hæc nominis prima cauſa, ſed me-
thodus atque ratio docendi, in qua propoſito fine quo dirigantur omnia, tum genera ſtatuuntur, deinde ſubiiciuntur partes, &
generum partiumq́; nomina definitionibus explicantur. Ab hac uia diſſerendi nomen hoc ductũ fuiſſe ſignificat in fine libri, cum

dicit : Expoſitæ ſunt tibi omnes oratoriæ partitiones , quæ quidem è media illa noſtra Academia floruerunt : neque ſine ea aut inueniri, aut intelligi, aut tractari poſſunt . Is titulus autem aptior eſt huic libello, quàm cæteris eius de arte dicendi , propterea quòd in hoc ad dialecticum morem breuiter & acute , in alijs ad Q . Fratrem , & ad Brutum , ample & copioſe diſſeritur .

QVO tẽpore Iulius Cæſar unus amiſſa Romæ libertate dominabatur, Cicero, qui nõ parum ſuæ auctoritatis amiſiſſet, egreſſus in Tuſculanũ, cũ iuuentute rhetoricas artes philoſophiãq; tractabat. Hinc illud: Otiũ primũ & ſummũ eſt, quoniã aliquãdo Romæ exeundi poteſtas data eſt . Id in eius uita Plutarchus habet. Quòd igitur otiũ eſſet, & hæc ad ſcribendũ propoſita materia, et is filius qui inde caperet fructũ, quodq; præcepta Græcorũ nõ modo Latino ſermone , ſed etiam Romana grauitate donare uellet, ſuſcepit hanc partitionum deſcriptionem, & ab his cauſſis hoc duxit exordium , quod plerunque ſcriptores artium factitant , ut quibus impulſi cauſis fuerint , initio proponant . Primam facit , ſtudium & inſtitutionem filij : alteram , præceptorum Græcorum Latinam explicationem : tertiam , uoluntatem ſuam : quartam , otium ſummum . quas omnes ſic cõnectito : Cum uelis rhetorica non modo græce, ſed etiam latine audire; ego uero nihil malim , quàm te doctiſſimum eſſe ; & otium mihi ſummum ſit· faciam ut dicendi præcepta cognoſcas, eaq; latine ſcias: nec abutar otio, quĩ tua ſtudia uel maximis occupationibus meis anteferre debeo. Cauſas diducimus, quoniam per ſe ualet, & filius honeſta petens, & explicatio rhetoricæ latina, & paternus affectus, etiam ſi nihil petat filius, & opportunitas ac occaſio. Hæ rationes efficiunt, ut ſuſcipiatur ſcribendi negotium. Ratio uiaq; docendi facilior, in cauſa eſt , cur interrogationibus agatur . Ergo initio propoſuit quæ ſcriberet , cui maxime ſcriberet, quo ſermone, quo ſtudio, quo tẽpore, qua methodo uteretur. Tenuit decorum, qui dubitantem fecit adoleſcentulum, reſpondentem ſenem, quiq; ſeruauit illud ἦθος, & ingenuos animi mores , obiecta filij perſona, ſignificans paternæ charitatis affectum . Otiũ primum & ſummum eſt .] Hoc eſt, primum & ultimum. Horatius:

Prima dicte mihi, ſumma dicende camœna.

Primum itaque , quoniam aliquando Romæ exeundi poteſtas data eſt à Cæſare. Vltimum, non quòd ſint hæc extrema ſenectutis, aut ſcribendi, ſed quòd haud tempeſtiuius unquã hæc filij ſtudia iuuare poſſit, cum pater ad philoſophiam, filius ad eandem, honorumq; contentionem traijciat. Erunt qui ſummum accipiant maximum, ut à nobis in ambiguitate uerborũ diſſentiant, & inde uideantur eſſe docti. Scio equidem, ſummum pro maximo ſæpe dici . Quis hoc neſcit? At in ambiguis habeo mihi meã ſententiam, ſicut & illi ſuam. Et quia quod facilius eſt , ſciunt omnes, quod occultũ & probabile uidetur, traho in lucem : ut ſi quis hoc malit, accipiat. At nõ fuit ultimũ otiũ. quidita? Scripſit poſtea. Quid ſi rhetoricandi fuit occaſio poſtrema? quid ſi uoluntas ultima? quid ſi extrema ſpes ? Non'ne ſic ultimum dicimus, quod ſimpliciter nõ eſt ultimum? Stabat uerſus Horatianus hoc modo: Prima dicte mihi, extrema dicẽde camœna. Sũma dixit: Quãobrẽ? niſi ſic erat conſuetudo loquendi. Habeo idoneum exẽplum locutionis huius: ſi contradicis, habe tuum, & planũ fac, primum & ſummum dixiſſe ueteres pro principe & maximo. non enim ualet complexio: Summum aliquando ſignificat maximum, ergo primum: & ſummum ſignificat primum & maximum. Habenda ratio totius orationis, non unius tantum particulæ. Nec ſi pugnabis exemplo, ſtatim cedam , deferens æque probabile. tantum fatebor utrunque poſſe defendi . Tu me græce ſoles ordine interrogare .] Cicero libro Officiorum primo: Ipſe ad meã utilitatem ſemper cum græcis latina coniunxi. Idem tibi cenſeo faciendum. Quid fecerit uterque, hic quidẽ locus oſtendit. Ordo interrogantis eſt, qui & condentis artem . Huius autem eſt, ut rem omnem in genera digerat, quæ perpauca ſunt: deinde eorum generum quaſi quædam membra diſpartiat: tum propriam cuiuſque uim definitione declaret. Sic Craſſus de iure ciuili apud Ciceronem lib. 1 . QVOT in partes diſtribuenda eſt omnis doctrina dicendi ?] Locus eſt obſcurus, quiq; egeat illuſtratione. Nam uis oratoris quinque rhetoricæ partes amplectitur: quinque partes uniuerſam rhetoricẽ. Qui locus eſt igitur in partitione duabus reliquis partibus, orationi, ac quæſtioni? Deinde, oratio eſt opus oratoris, uidetur ergo nõ eſſe pars rhetorices. Præter hæc, quæſtio tertium membrum partitionis, materia eſt, non pars: naturaq; præcedit orationem, propterea ſolet artis initio tractari. Cur hic poſthabetur ? Breuiter expediamus hunc nodum. Iudicandum eſt (inquit Fabius lib. 2.) rhetoricen in actu conſiſtere, idcirco practicen eſſe. Quæ cũ ſit in agendo, & ipſo perficiatur actu, nullum poſt actum, quod oculis ſubijciatur, opus relinquit. Actus autem quærit artificem, in quo uis ſit oratoris: quærit orationem, qua ſe explicet: quærit & quæſtionem ſiue materiam, ſine qua conſtare nõ poteſt oratio. Quòd ſi oratio ſcribitur, non pronunciatur, tamẽ hæc erunt eodem ferè modo neceſſaria. Ex his tribus conflatur ea quæ uocatur ab eo doctrina dicendi . Alia ſunt præcepta de rebus & uerbis, in quibus eſt uis oratoris : alia de partibus orationis , in quibus oratio: alia de quæſtionibus & ſtatibus , in quibus ratio quæſtionum. Illam rerum uarietatem continet hæc partitio. Vt enim bene dicat orator, & rhetorica actu ſiue eloquentia utatur, habeat quidem uim communium præceptionũ neceſſe eſt: deinde rationes exordiorum, narrationum, & partium cæterarum: poſtea quæſtionum diſcrimina, proprietateſq; . Non igitur dico rhetoricen illam, qua quis peculiariter utitur agẽdo, uel doceri, uel à Cicerone tradi, ſed rhetoricam πρακτικὴν hanc genuiſſe partitionem, hoc eſt, uſu monſtraſſe quæ partes ad bene dicendum neceſſariæ eſſent. Ad Actionem præcepta tendunt, & ad eum finem diriguntur: quamobrem & initio ſpectandus erat finis. Ex his facile diſſoluuntur argumenta . Quinque rhetoricæ partes abſolutæ, perficiunt uniuerſam rhetoricam . ſed uis oratoris (ut hic dicitur) anguſtior eſt, tantumq; tertiam doctrinæ dicendi partem continet, reliquas autem oratio & quæſtio. Vtraque dicitur duobus modis. Aut eſt oratio, dictio oratoris ex arte confecta, & opus artificis: aut pars rhetoricæ de legibus principij, narrationis, confirmationis, & perorationis. Quæſtio de qua agitur, non eſt pars rhetoricæ, ſed illa quæ quid theſis, quid hypotheſis, qualiſq; utriuſque natura ſit, arte comprehendit. Hanc diſtributionem partium refert paulo poſt, cum rogat: In quo eſt ipſa uis? Quid, orationis quot ſunt partes? Quid , quæſtio quasnam habet partes? Ordo ſic eſt in illis. Primum eſt, officium ſuũ noſſe: alterum, quibus partibus extruatur oratio: aliud, ut tractetur quæſtio pro ratione naturæ ſuæ . In quo eſt ipſa uis?] In rebus & uerbis eſt omnis oratio. Quintil. Omnis oratio conſtat aut ex iis quæ ſignificãtur, aut ex iis quæ ſignificant: id eſt, ex rebus & uerbis. At cur oratoris facultati Cicero res & uerba ſubiecit, quæ tribuit Quintil. orationi? Quoniam oratoris eſt inuenire, diſponere, eloqui, memoria tenere, pronunciare: his autem partibus ſolum res & uerba tractantur : neceſſe eſt igitur in hæc duo cadere uim oratoris. Quæ cũ fuerint inuenta, ſuiſq; partibus deſcripta, component orationem. ſic orationis erunt. In iis itaque uis eſt oratoris, ut cauſa efficiens: oratio, ſicut effectũ. SEDET res, & uerba inuenienda ſunt, & collocanda.] Vis oratoris. prima pars eſt tripartitæ rhetoricæ. & ea uerſatur in ſententijs & uerbis. Res autem & uerba , pariuntur atque tractantur quinque uirtutibus. Pariuntur, hoc eſt, eruuntur ab oratore,

oratore, inuentione: reliquis tractantur, collocatione, elocutione, memoria, pronūciatione: quas partes eſſe neceſſarias partitio demonſtrat, hoc modo: Res, inquit, & uerba inuenienda ſunt, & collocanda. Nec enim uoluntas enunciari poteſt, ſi non hæc inueneris: nec ſi inueneris, pro rerum dignitate & ordine enunciantur, niſi tua inuenta collocaris. Sed enim res collocantur, et uerba. Rerum collocatio, diſpoſitio eſt propriè dicta: collocatio uerborum eſt, elocutio. Iam reperta eſt ratio trium partium, inuentionis, diſpoſitionis, & elocutionis. Ex quibus alteram communem facit diſpoſitionē: ſed magis propriam ſententiarū, propterea quòd res uerbis potiores ſunt, quodq́; elocutio ipſa comprehendit uerborum compoſitionem. Verum hæc cuncta corrūpit indecora uel uoce, uel geſtu pronunciatio. Huic igitur tribuēdus eſt quartus locus, non actionis ordine (ſic enim uidetur extrema) ſed elocutionis affinitate. Nam quòd elocutio eſt mentis interpres, & ad eam interpretationem magnas habet partes artificioſa pronunciatio, quadam ueluti ſocietate coniunguntur.

Quòd autem earum omnium rerum cuſtos eſt memoria, communis officij cauſa poſtrema pars habetur. Niſi forte quiſpiam ad pronunciationem nihil memoriam facere arbitretur. cui repugnare uidetur hæc Ciceronis traditio, qui cum pronunciationem in uocem, motum, uultumq́; diuiſiſſet, quorum ſemper oratorem meminiſſe oporteret, ſi quid hiſce de rebus aut cogitaſſet, aut præceptione didiciſſet, poſtremam non ſine ratione memoriam fecit. Ergo inuentio prima eſt, collocatio ſecunda, quæ non nihil ſpectat elocutionem, cui tertius eſt locus: huic finitima pronunciatio, poſtrema memoria. Qui rhetoricen ſcribit ad Herennium, memoriam in partibus quartam facit. Idem Cicero ſentit de Inuentione. At. 1. de Orat. nunc quartam, nunc ultimam conſtituit. Quintilianus, & omnes ferè, proximam faciunt elocutioni. Et quidem certe ſi pronunciatio eſt ultima, actio iure poſtrema eſt. Si uero ſpectes id quod ad actionem decoram excogitaueris, et memoriæ mandaueris, merito præcedit. Itaque mihi uidetur aliquid habere, quod memoriæ committas: & rurſum aliquid in ore & membris, quod ſit memoria poſterius. Nec propterea duæ ſunt pronunciationes, ſicuti non ſunt duæ inuentiones: una in ratione, altera in memoria. ſed pro mēte memoria quod ſeruabat, continuatur pronunciatio, quæ partim artificialis, partim naturalis eſt: quemadmodum uox, uultus atque motus, partes actionis. Dicet aliquis: Quid ſi memoriæ nihil eſt commiſſum, ut erit omnium cuſtos? Fieri non poteſt ut habeatur oratio, & nihil memoriæ mandetur. Etenim ſi animus tria uerba inuenerit ex tempore, & alia continuandi cauſa moliatur, niſi priora ſeruet memoria, excidant, & inuentio ſit fruſtra. Ergo memoria cuſtos eſt, & eorum quæ multo ante excogitantur, & illorum quæ ſubito & inter dicendum reperiuntur. Eadē tenet quæ concepit animus de moderatione uocis, de membrorum totiusq́; corporis geſtu, de uultu, & uniuerſa pronunciatione oratoria. Pronunciatio diuiditur à Quintiliano in uocem, & geſtum. Geſtus uultum continet, motumq́; corporis & membrorum. Vultus eſt motus quidem, ſed non qualis eſt manuum uel pedum, ſed motus animi, qui ſigno quodam exteriore ſe prodit: quamobrem ſeparatur à motu. QVID? orationis quot ſunt partes?]

Oratio ſecundum fuerat membrum partitionis, quam diuidit in quatuor partes, principium, narrationem, confirmationē, & perorationem. Sic enim eſt natura comparatum, ut ad audiendum paremus auditorem. cum præſtet aures, id de quo agitur, exponamus: ubi cauſam controuerſiamq́; cognouit, rem noſtram firmemus argumentis, & aduerſarij demoliamur: poſtremo cum affectu rei ſummam colligamus. Ex hoc ſeminario naturæ prodierunt quatuor partes, non ubique neceſſariæ, ſed pro ratione cauſarum plures pauciores'ue ponendæ. Vna tantum confirmatio non omittetur unquam, quod etiam Quintilianus affirmat. Etenim comparauit confirmationem oſſibus & neruis, reliquas parteis ſuperinducto corpori, quam uocamus carnem. Neruus eſt ad neceſſitatem, caro ſæpius ad decorem. Eodem negotio Cicero partes, & earum tradit officia, ut duæ ualeant ad rem docendam, narratio, & confirmatio: ad impellendos animos duæ, principium, & peroratio. Quæ numerantur ab alijs partes orationis, ut partitio, propoſitio, egreſſio, iudicium, refutatio. ad has quatuor reducuntur duæ priores ad confirmationem, cuius erunt quaſi fundamentum: egreſſio ad eam partem unde pendet. Iudicium fuſum eſt per omnem orationem. Refutatio confirmationis eſt: à qua tamen aliquando diducitur, aut melius docendi gratia, aut quòd noſtra confirmemus, aliena refutemus. quæ duo ſunt officia, uno tamen genere comprehenſa: quia ſunt rationis eiuſdem, quòd in utraque tractantur argumenta. hæc de partibus. Quæris, ſint'ne tria, quæ præſtare debeat orator? ut doceat, moueat, delectet? nam Cicero & Quintil. hæc tradiderunt. Cur igitur hic prætermittit delectationem? Deinde, ſit'ne affectus omnium partium? quod uterque confirmauit. Dicam, Ciceronem tradidiſſe, non quæ omnino ſunt in oratione, ſed quæ præcipua uidentur. Operæpretium eſt autem docere, & mouere, non item delectare, quod ipſum motu & affectu comprehenditur. An qui delectat, etiam mouet? Sunt enim qui aliquando exordiendum putant ab iucunda re, quali mouit iudicium Craſſus in Scæuolam. An affectus melius diſtinguit partes, quàm delectatio? Non ita mihi uidetur. Partes enim dicerentur eſſe confuſæ, niſi diſtinguerentur affectu. At non omnia principia habent affectum & perturbationem: quamobrem dicendum potius eſt, uerbum impellendi, quo Cicero uſus eſt, ad utrunque motum, & iucundum, et triſtem pertinere: aut (quod paulo ante dicebam) habitam eſſe rationem eorum, quæ oranti præcipua ſunt & maxima. Sūt autem illa, finis. Finis orationis eſt, ut diſceptator cauſam edoctus impellatur: quapropter in omnibus orationis partibus licet & docere, & mouere: ſed præcipiendum maxime, quod commodius eſt, ac frequentius. QVID? quæſtio quas'nam habet parteis?] *Poſteaquā duo priora membra partitus eſt, uim oratoris, & orationem: partitur & ordine quæſtionem. Alteram facit infinitam, definitam alteram. Priorem, conſultationem appellat: aut, quoniam ſæpius cadit in deliberationem, ut cum de toto genere rerum conſultatur, ſint'ne maiora uectigalia exigenda? aut quòd conſultare, & proponere, interdum ſignificant idem. Theſis autem dicitur à Latinis propoſitum. Aut quòd conſultare eſt aliquid inquirere, etiam citra periſtaſin certam atque definitam. Poſteriorem quæſtionem dicit controuerſiam, aut quia ſic erat conſuetudo loquendi, aut quia in iudicijs à contrarijs partibus ſemper uerſatur, aut certe quòd ſolet plus habere aſperæ contentionis. Erunt qui referent ad eas quas dicunt circunſtantias, & maxime fallentur. Non enim pariunt illæ circunſtantiæ controuerſiam, niſi ueniunt in quæſtionem. quòd ſi ueniunt, tam ſunt controuerſæ in theſi, quàm in hypotheſi. Ad hæc multæ cauſæ omiſſa perſona agitant infinitā quæſtionem, ut de maieſtate læſa, de ui, de iure ſocietatis. Quæro, ſint ne controuerſiæ? Non ſunt iſtorum iudicio, quia non habent plures circunſtantias de quibus agatur, quàm infinitæ quæſtiones: id quod Cicero multis uerbis oſtendit ſecundo libro de Oratore. Itaque multitudo nihil facit, ſed ratio pugnæ forenſis apertior & acerbior. Quæſtio infinita nominatur etiā quæſtio generalis, quæſtio uniuerſalis, quæſtio philoſophica, à Cicerone propoſitum, ab eodem conſultatio, à Græcis θέσις. Quæſtio finita, nunc cauſa dicitur, nunc controuerſia, nunc quæſtio particularis, nunc quæſtio ſpecialis, à Græcis ὑπόθεσις. Cauſa, id eſt quæſtio finita, definitur in Topicis, quæ certis perſonis, locis, temporibus, actionibus, negotijs cernitur, aut in omni-*

bus, aut in pleriſque eorum. Propoſitum, id eſt quæſtio infinita, in aliquo eorum, aut in pluribus, nec tamen in maximis. Colligimus iſtuc, quæſtionem oratori propoſitam ut materiam, et omnem quæſtionem, ſed præcipue ciuilem, eamq; de certo negotio, uel (ut aiunt) de circunſtantia moueri, aut de re uniuerſa: hanc infinitam, illam finitam uocari. QVONIAM igitur primum eſt inuenire oratoris, quid quæret?] Vis oratoris eſt in rebus, & uerbis: & ut ante dixit, res & uerba inueniẽda ſunt. Inuentio rerum, natura prior. Hæc duplex, una fidei, motus altera. Fides eſt firma opinio: motus, animi incitatio aut ad uoluptatem, aut ad moleſtiam, aut ad metum, aut ad cupiditatem. Hoc enim modo poſtea finiuntur. Ex hac definitione refellitur opinio illorum qui negant delectationem motu contineri, niſi non lupeas nullam habet delectationem: quod nemo ſanæ mentis affirmet. Nec ualet iſta connexio: Nullam poſtea facit mentionẽ delectationis, ergo ſecludit eam. Eadem ratione colligeretur, excluſa fuiſſe ab arte ſchemata ſententiarum, de quibus non egit in hoc opere. Nec uerum eſt, quod aiunt, in uerbis potius quàm in rebus eſſe delectationem. Nã facetæ narrationes, quæ in hoc genere præcipuæ ſunt, non habent in uerbo ridiculum: nec illa omnia breuiter dicta, quæ mutatis uerbis eundem ſeruant leporem. Quamobrẽ neque Cicero, neque Quintilianus hanc partem attribuit elocutioni, ſed uterque inter partes inuentionis collocauit: de delectatione facit mentionem in exornatione. Redeamus ad propoſitum. Ad fidem omnia referuntur argumenta: ad impellendos animos amplificationes ſunt optimæ, quæ ſicut argumenta deſiderant, ſic etiam permulta alia ſumunt. Quid igitur? motus animorum faciet'ne fidem, ſicut argumentatio? Iuuabit quidem. Affectus enim quocunque irrumpunt, plurimum ualent. ſed quia commotus animus etiam quærit argumentum, Cicero putauit aliud eſſe facere fidem, aliud animos impellere. Quid ſi motus capiet argumentum? Hac ratione pertinebit ad fidem. Quid ſi magis argumentis quàm alijs rebus mouemur? Id uero negat Cicero: negant ij qui uerſati ſunt in Republica: quanquam Ariſtoteles Rhetoricorum primo iſtuc ſentire uidetur, ſummum eſſe in argumentando præſidiũ. quod tum uerum fortaſſis eſt, cũ apud philoſophos agitur. Alia mens eſt imperitæ multitudinis. QVIBVS rebus fides fit?] Argumentis fit rei dubiæ fides. Argumenta ducuntur è locis. Loci uocantur argumentorum ſedes. In locis argumẽta latent, ſicut res ſuo quæque loco ponuntur. Argumentum diuidit ac definit. Definitione priore loco dicemus. Argumentum Cicero dicit, omnem probationem. A' uerbo ducitur arguo, quod eſt demonſtro: Degeneres animos timor arguit. Quintilianus argumẽtum facit ſpeciem probationis, apertiorem, ut arbitratur, uiã ſecutus. Sed hæc eſt breuior, expeditior, & minus moleſta: illa forte melior ad diſtinguendas rationum proprietates. Argumentum ἔντεχνον, ideſt artificiale, inuenitur ab oratore. ἄτεχνον, ſi non inuenitur ab eo, tamen ab alio in medium adducitur: quod ſine aliqua inuentione fieri non poteſt. Eſt igitur inuentum, hoc eſt inuenta ratio & probatio: inuenitur'q; ad aliquid probandum. Sit igitur probabile. Nam ſi credibile non eſſet, ut alterius faceret fidem? Nec erit argumentum, 'niſi propoſitioni adhibeatur: & fruſtra adhibeatur, ſi propoſitio certa eſt. Ergo reperitur ad faciendam propoſitionis dubiæ fidem. Vbi facere fidem, non eſt neceſſario ac certo probare, ſed ad credendum impellere. Sic eſt argumenti definitio conſtituta in hunc ſenſum. Argumentum eſt inuenta ratio probabilis, unde dubitantem impellat orator ad credendum. Quid ſi non impellitur? non ſtat per argumentum. Atqui debile eſt. & debile poteſt, ſi non uincere, tamen impellere. At non facit fidem. Certe non facit totam, nec opus eſt: ſed facit ex parte: alioquin adiuncta quo'nã modo haberentur argumenta, ſicut & enthymemata prope infinita? Eſt & hic quod dubitare poſſis. Etenim ſi Quintilianus aliud facit argumentum neceſſarium, aliud probabile, aliud nõ repugnans: cur hic Cicero probabile tantum ponit? an quia ſi neceſſarium eſt, nulla lis eſt, & idcirco non eſt argumentum, quod Fabius de ſigno neceſſario dicit: non repugnans autem ſit infirmum, & ideo nihil prope faciat ad fidem? Ad hæc Cicero primo de Inuentione probabile definit, id quod ferè fieri ſolet, aut quod in opinione poſitum eſt, aut quod habet in ſe ad hoc quandam ſimilitudinem, ſiue id falſum eſt, ſiue uerum. Diuiditq; paulo ante argumentationem in probabilem, & neceſſariam. Ariſtoteles primo Topicorum ſic probabilia definit: Probabilia ſunt ea quæ probant omnes, aut permulti, aut ſapientes, & hi quidem aut cuncti, aut plurimi, aut percelebres. Dicendum mihi uidetur, argumnmentum probabile ſæpius dici pro eo quod nõ eſt neceſſarium, illud'q; reperiri in omni oratione frequentiſſimum: ideo'q; oratorum eſſe maxime propriũ. Ea de cauſa Ciceronem probabile dixiſſe, non qui excluderet neceſſarium (nam & Fabius ἀπόδειξιν argumento complectitur) ſed qui uellet hoc intelligi, non oportere probationes omneis eſſe neceſſarias, ſat eſſe ſi credibiles forent & probabiles. Non dicã probabile, quidquid probat, ut quidam. Nec enim eſt credibile quod credit, nec amabile quod amat, nec oratio probabilis quæ probat. Nec etiam dicam probabile, quod adhibetur ad probandum. Nam ſenſus definitionis eſſet, argumentum eſt quod adhibetur ad probandum ad faciendam fidem: quod ineptum eſt, atque abſurdum. Dicam potius, neceſſarium probabile eſſe: ut ſint omnia neceſſaria probabilia, non omnia probabilia neceſſaria. Diuiſio locorum ſic habet. Locus eſt aut internus, aut externus: nil omnino tertium eſt. aut enim rem de qua agitur inſpicimus, aut aliud quod ad eam referri poſſit. Hoc modo ſit duplex ratio locorum. Perſonæ autem & accidentia hic nomine rei continentur. Quintilianus libro quinto. Nec eſſe argumentorum loci poſſunt, niſi qui rebus aut perſonis accidunt. An quæ rei inhærent, illam conſtituunt? Non, inquit argutulus quid.i: ſed inhærent, quæ oblata cauſa interna agitatione quæruntur. Ergo tua definitione ſi non quærerentur, non inhærerent. Ineſt definitio: an rem non conſtituit? Inſunt genus & differentiæ: nonne rem continent? Age proprium & accidens & ſi non formant ſpeciem, nihil'ne iuuant rei naturam? Iſta ſunt quæ Ariſtoteles rebus ineſſe dicit, & illarum uim naturamq; totam continere. Quid igitur aliud eſt rem conſtituere? Quid ſi tua interna agitatione quærerentur, & non inuenirentur, inhærerent'ne? Maxime. Quid igitur facit inueſtigatio? Quanto melius Agricola? qui aliquot rationes locorum aſſignat in rei ſubſtantia, non refert ad inueſtigationem. Sed de his ſatis. Priore loco tractat ea quæ extrinſecus aſſumuntur, quæ in Topicis poſteriore tractauit. Illic progrediebatur à propiore ad remotius: hic remotiorem faciliorem'q; anteponit materiam. Et ſi iſta prius inquiri ſolent, non tamen ſemper in arte prima tractari: nec res in artibus eo ſemper ordine collocantur, quo quæruntur in agendo. Teſtimonium extrinſecus aſſumitur, & aliunde adducitur ad cauſam. Eſt autem, ut definit in Topicis, omne quod ab aliqua re externa ſumitur ad faciendam fidem. Teſtimoniorum multæ ſpecies, ut præiudicia, rumores, tormenta, tabulæ, iuſiurandum, teſtes. In his enim quoddam eſt teſtimonium, aut iudicum, aut populi, aut eorum qui torti ſunt, aut ſignatorum, aut iuratorum, aut teſtium. Hæc autem dicuntur ἄτεχνα, id eſt inartificialia, quia non pariuntur ab oratore, ſed à litigatore afferuntur: Quamobrem Cicero, quæ ſine arte putantur, inquit, eà remota appello, ut teſtimonia. Sunt alia quæ numerat eodem modo inartificialia, ſi ad oratorem perferuntur, ut oracula, ut pacta quæ citantur à uulgo. Tamen permulta ſunt teſtimonia quæ non accipit orator, ſed ipſe quærit, ut quæ ſecretioribus continentur literis, auctoritates, ſenatuſconſulta, edicta, plebiſcita, leges.

qua

qua de cauſa Cicero non affirmat eſſe ſine arte teſtimonia, ſed talia putari. Eadem ratione Quintilianus exēpla diuiſit à ſex generibus teſtimoniorū. Ergo ſi ſpectes inuentionem, non omnia ſunt in arte: ſi tractationem, omnia ad præcepta referuntur. diuinum eſt, uel humanum: nam ſolis dijs & hominibus mentem uerbis exprimere datum putauit. Diuina teſtimonia ſunt oracula, id eſt deorum uoces: quæ ſic appellantur, quòd ineſt his deorum oratio. Auſpicia, quæ ſeruabant augures, quorum erat obſeruare de cœlo: quæ non in auibus tantum poſita fuerunt, ſed & in tonitruis, & in fulminibus, & tempeſtatibus, & procellis, & id genus rebus. quod in Antonium Cicero multis locis oſtendit. Vaticinationes, uatum diuinationes, ut Sibyllarum, Calchantis, & Caſſandræ apud Homerū. Reſponſa ſacerdotū, rerū diuinarū interpretationes. quæ ſacerdotū nō aliter eſſe putabantur, quàm iuris humani declaratio iuriſperitorum. Aruſpicum reſponſa, ſunt diuinationes quæ ſumuntur ab extorum inſpectione. Exta quidem à uictimis exempta & reddita, putabantur indicare deorum uoluntatem. Aruſpices etiam prodigia interpretabantur: ut quid portenderet equus Iulij Cæſaris, auctore Suetonio. Reſponſa coniectorum, interpretationes ſomniorum, ſi qua uenire ab Ioue crederentur. Si quis apertius hæc intueri uolet, inſpiciat lib. Ciceronis de Diuinatione. Cæterum ex illis argumenta ducere non eſt magni negotij, quandoquidem iſtuc imperiti factitant, adeo, ut hæc eſſe ſine arte dicantur. Quòd ſi alia religio noſtra eſt, alia antiquorum, & hæc omnia accommodare tempori neque poſſumus, neque debemus, non tamen omnino ſunt inutilia. Plura nobis quàm illis oracula, multa ſigna & prodigia, multæ uaticinationes, multa reſponſa ſanctorum uirorum, nonnullæ ſomniorum interpretationes: & ſi nulla ſint, tamen res antiquorum noſſe, neminem pœniteat. Humani teſtimonij partes, auctoritas, uoluntas, oratio: quarum diſcrimen eſt. Auctoritas habet dignitatem, ac præ ſe fert aliquid quod uideatur imitandum: ut ſi quid uiſum gentibus, populis, ſapientiſſimis uiris, legumlatoribus, claris ciuibus, poetis, magniſq; rerum ſcriptoribus. Quarum rerum plenæ ſunt orationes, plenæ diſputationes omnium: nec ullum doctis & indoctis frequentius argumentum eſt. Quæ ſint autem quæ faciant auctoritatem, Cic. tradit in Topicis. Voluntas non eſt ad imitandum propoſita, ſed pro affectu ſuum de re præſcribit iudicium: ut uoluntas teſtamentorum, ut mandatorum, ut priuilegiorum. Et huc forte pertineat illud, Sit pro ratione uoluntas. Ea ſæpe rebus ſcriptis inquiritur: unde ſtatus eſt legalis, de ſcripto & uolūtate. Oratio eſt omnis expreſſa uerbis ſententia, ut populi ſermo, teſtium dicta, & ea uerba litigatorum, quæ de cauſa circunferuntur. Oratio aut libera eſt, aut expreſſa. Libera ſunt eorum teſtium uerba, quibus non eſt lege denunciatum, & ſi qua de re ſponte iactantur. Orationis expreſſæ ſunt ea quæ dicuntur in tormentis, & quæ ui argumentationis, aut metu, aut alia ratione exprimuntur, id eſt, extorquentur. An expreſſa dicit aſſeruata, & ſic notata, ut negari non poſſint? Minime. Qui ſcis? Libera & expreſſa ponuntur contraria, ſicuti libere loqui & coacte. Expreſſa autem, pro aſſeruatis, non opponuntur liberis uerbis. Ad hæc qui libere loquitur, nonne uoces exprimit, id eſt ſic edit, ut notari queant? Teſtis liberum & uoluntarium teſtimonium dixit apud iudices: negari iam non poteſt. Erit igitur expreſſum iſtorum ſententia, & idem erit liberum & expreſſum: quod eſt abſurdum. An oratio expreſſa genus eſt ſcripti, pacti, promiſſi, iurati, atque quæſiti? Nam qui abutuntur hoc uerbo, putant eſſe genus iſtorum. Falſo putant. Sunt enim pacta quædam libera, & promiſſa, & iurata, & quodammodo quæſita, ut ſi qui ultro ſe dedit in quæſtionē, uerba dixit: quod plerique ſerui factitarunt. Ad hæc, quādo tranſacta ſunt, nō ultra ſunt libera. Audio. Multa quoque libere dicta ſunt, quæ ſuis auctoribus attulerunt exitiū. Non enim poterant negari, nec trant ultra libera. Iurauit aliquis remotis arbitris, ſe ducturū puellam. adductus in iudicium, iuraſſe ſe negauit. abſolutus eſt. Dicunt orationē iuriſiurandi liberam fuiſſe, quia potuit negari: & tamen iurata referunt ad orationē expreſſam, et ſibi repugnant. Ad teſtimonium ſcripta referuntur, ut chirographa, ſyngraphæ, ſtipulationes, commentarij, uulgo regeſta dicuntur. Edicta literis propoſita, quæ prope infinita prodeunt à magiſtratibus. Item acta, ut ſenatus, & leges, & rerum geſtarum teſtata memoria. Adde etiā pacta, promiſſa, iurata, quæſita. Pactum, quod inter aliquos conuenit, ualebit, etiā ſi nihil ſcriptum eſt. differt à promiſſo: quia pactum minimum duorū eſt, ut in ſponſalibus: promiſſum, unius eſſe poteſt. Pactū firmius, promiſſum debilius. Iurata dicit ea, quæcunque dixerit iuratus, aut teſtis, aut alius, ſiue apud iudices, ſiue apud alios loquatur. Quæſita proprie tormētorum ſunt. unde tormenta nominantur quæſtiones. Eo tamen referre poſſis, quæcunque fuerint expreſſa, ſiue à recuſantibus extorta, ut extorquentur multa pollicitationibus, minis, metu, dolo, uerberibus. Iſtorū omniū genus eſt oratio. QVAE ſunt quæ dicis inſita?] Locus eſt aut inſitus, aut aſſumptus. Et argumentū aliud infixum, aliud remotū, quod extrinſecus adducitur in cauſam. Aſſumptū partiuit. Inſitū diuidit in quatuor partes, in definitionē, in partiū enumerationē, in notationē, in affecta ad id de quo quæritur. Affecta in decē & treis ſpecies diſtribuit. Hæc eadē uno ad eā rem cōparato libello Topicorū tradit ex Ariſtotele unde quod ad rem præſentē faciat, petere poſſis. Ridiculum putarē, multa quæ Cicero, plura quæ Boethius tradidit, his inferre cōmētarijs. Liber eſt ad manū, in quo ſunt præcepta de ratione locorū digeſta. Paucis igitur definitiones et exēpla perſtringamus. Inſita dicuntur, infixa rebus ipſis de quibus eſt cōtrouerſia, quæ uel οὐσίαν, id eſt ſubſtantiam, uel συμβεβηκότα, id eſt accidentia ſignificant. Hæc duo ſunt in rerum natura, ad quæ omnia referūtur à ſapientiæ profeſſoribus. Subſtātia ſunt, totum, & eius definitio, partes, notatio, quæ definitionis eſt ſpecies, genus, forma, differentia, quæ ſpeciē conſtituit. Accidentium uero ſunt multa differentiæ, propria, ſimilia, cōtraria, adiuncta, cōparationes. Antecedentia autē, conſequentia, repugnantia, cauſæ, & effecta, mediam ſeruare naturam uidentur, quæ Boetius ad ſubſtantiā refert. Certe non poteſt antecedens eſſe, quin ſit conſequens: nec conſequens, quin ſit antecedens: nec effecta, quin ſint aut fuerint cauſæ. Sic res habet in ijs quæ dicūtur ad aliquid, ut non eſt dominus ſine ſeruo, nec ſeruus ſine domino. Hoc tamē non efficit, id quod antecedit, ſubſtantiam ſemper eſſe: ne, ſi peperit mulier, cum uiro cōcubuit. Scientia eſt qualitas: nec tamen eſſe poſſit, niſi ſit quod ſciri queat. Si igitur res ſubiectas inſpicimus, alia ſunt ſubſtantiæ, alia accidentia. Verba hæc, antecedens, conſequens, repugnans, & cætera, quandoquidem referuntur ad aliud, in accidentibus erunt. rationes rerum, quæ relatione quadam conferuntur, hoc ipſum quod ſunt, aliò referunt, nec tamen in ſubſtantijs collocantur, niſi quadam ſimilitudine ducta ab ijs quæ proprie, per ſeq; ſunt. Sunt qui repugnantia ad accidentia tantum pertinere exiſtimant. atqui ſi eadem ratio eſt argumentandi ab antecedentibus & conſequentibus & repugnantibus, ut Cicero uult, latius oportet extendere repugnantia nomen. Non autem proprie dicimus, Socrates & Plato repugnant, ſed repugnantia ſunt hæc, eundē numero hominem Socratem eſſe, & eundem Platonem: quod in illis eſt ratio ſubſtantiæ diuerſa, propter quam phyſici nō modo repugnare formas, ſed eſſe contrarias quaſdam, dicere interdū non uerentur. Affecta Boetius finit, quæ quodāmodo ad aliquid referri poſſunt, ut ad id cui natura cohærent, ut genus eſt formarū, formæ generis, antecedētia conſequentium, conſequētia antecedentium: cætera eodem modo. Cæterum, quod notauit Gellius, affecta Cicero dicit, quæ non ad finem ipſum, ſed proxime finem progreſſa deducta'ue ſunt: ut de prouincijs cōſula-

cur Cicero in numerandis his alia & alia repetit, ut in diuerſis? Cauſa eſt, quæ rem efficit uel ſola, uel cum alijs iuncta. Auaritia captus, nunquam quieſcit. Cauſarum alia neceſſaria, ut, ſi corpus eſt in luce, umbra eſt. alia non neceſſaria, ſi amas eam, ducet uxorem. Rurſus cauſarum genera duo ſunt. unum, quod efficit, ut ignis accendit. alterum, ſine quo res non efficitur, ut materia, tempus, locus: quæ cauſa ſtolide ab ipſo nominantur in Topicis. Ad hoc ſecundum genus pertinet illa cauſa formalis toties recantata, materialiſq́; ad prius autẽ, cauſa efficiens atque finalis. quæ uerba ſpinoſa non tractat Cicero. Vide ſecundam commũ partẽ. Cauſa formalis eſt duplex. Eſt enim forma, quæ ſpeciem conſtituit. eſt forma accidentaria. Prior, ut ait, eſt cauſa efficiens. Auctor eſt Ariſtoteles ſecundo de Anima. Hanc inepti referunt ad differentiam, qui tamen nomine differentiæ fabulantur ſolam intelligi qualitatem. Cum dico cauſam formalem pertinere ad ſecundum genus, intelligo cauſam accidentariam. qua Quintilianus oſtendit in poetas, non potuiſſe uolare Dædalum. Addo etiam formam ſubſtantialem, cum accidentibus tribuuntur actiones, ut à medicis quædam, & ab alijs qui more phyſicorum non loquuntur. Hoc modo calor naturalis alimentum conficere dicitur, quod nequeat ſine forma uiuentis. hoc modo abundantia parit iniuriam. Effecta ſunt quæcunque efficiuntur ex cauſis: ut, Titubat, ergo ebrius eſt. Comparatio, maior & minor rerum collatio eſt in diſpari quantitate. A' ſimilibus utranque ſegregare, nihil difficile eſt. illa ſunt qualitatis, hæc autem quantitatis. Comparatio parium non facile ſeparatur, niſi dixeris eſſe tantum in quantitate. Qui ſeparare conati ſunt, exhauſto labore rem fecerunt incertiorem. In ſimilibus aiunt nõ eſſe tertium quiddam, quod ſit in comparatione, quod falſum puto. Nam duo minimum conferuntur, & accidens eſt tertium, in quo conueniunt. Relinquamus igitur hanc ſubtilitatem, neque enim propter eam ſimilitudo & comparatio diuidũtur. Exempla ſunt, Si quis ſacrilegium facit, faciet furtum. Qui facile ac palam mentitur, peierabit. Qui ob rem indicandam pecuniam accipit, & ob dicendum falſum teſtimonium accipiet. Hæc de locis anguſte locuti ſumus. VT definitio, ut cõtrariũ, ut ea quæ ſunt ipſi contrario'ue eius aut ſimilia aut diſſimilia.] Quæſiere permulti quid ſibi uellet hic Cicero, cur hic locos repeteret, quòd nec alijs libris ipſe feciſſet, nec ſcriptores cæteri qui topicam rationem tradiderunt. Arbitrabantur ex ijs quos uidimus nonnulli, ſummatim colligi ſuperiores locos. In quo mihi falli uidebantur, quòd earum rerum fiat coaceruatio, quæ ſparſæ fuerunt: hic autem locos tanta breuitate numerauit, ut nulla fuerit opus repetitione. Dicam quod ſentio. Poſtea quàm poſuiſſet argumentorum ſedes, quæ ueræ & ſtabiles eſſent, uidit alias eſſe non ita diſſimiles, quæ quoniam parum diſtarent, nihil diſtare uiderentur: unde quoque liceret oratoribus argumenta producere. ijs porrò nomina defuerunt: ſuperioribus igitur quadam ſimilitudine comparauit. quod oſtendunt hæc aduerbia, ut quaſi, ſæpe repetita: quæ tum demum congruunt, ſi qua forte ducitur aliunde tranſlatio ſermonis. Eſt igitur uera finitio, quædam imago finitionis. Sunt uere contraria, quædam ſimilia contrariorum. An hæc repetitio pertinet ad fictionem, quàm omnes peragrare locos ſcribit Quintilianus in quinto? Nõ opinor. Nihil habet noui fictio præter hypotheſim, quæ quidem non mutat locum, ſed fingit id eſſe quod non eſt. quamobrem potius eſt figura, ſicut fictio perſonarum. Hic autem non agitur de figuris, neque de fictis locis, neque de fictis rationibus & argumentis, ſed de ſedibus quadam ſimilitudine conſtitutis. Nec aduerbium quaſi fingentis eſt, ſed ſimilia conferentis. Sicut ſyllogiſmus qui ducit ad incommodum, ſiue εἰς τὸ ἀδύνατον, quiq́; fit per ὑπόθεσιν, nihil uariat figuras, ita nec fictio locos. Et ſicut non eſt geographi ſcribere loca, quæ ars memoriæ fingit: ita non eſt rhetoris, in artem referre quos quiſque ſibi fingat locos inuentionis. An hæc repetitio fit, ut oſtendantur principes oratorum loci? Non enim repetiuit omnes. Neque iſtuc quidem. Fruſtra enim hæc duo aduerbia, ut, & quaſi, toties infererentur enumerationi: & facilius excepiſſet incultos (ſi qui ſunt inculti & infrequentes) quàm regreſſus eſſe per omnes cultos. An priore loco ſtatuit uocabula artis, poſteriore nomina exemplorum? hoc eſt, an definitio in enumeratione prima nomen eſt loci, in ſecunda ſignificat aliquam definitionem ad eum locum reducendam? Hoc ſi affirmem, multa me incommoda ſequantur? Primum exempla, quæ rem illuſtrare debent, nihil afferent lucis eiſdem nominibus, pariq́; breuitate deſignata. Deinde non aptius dicetur, Definitio eſt locus ut definitio, quàm, narratio pars eſt orationis ut narratio. Nemo aũt ſic exponit idẽ per idẽ. Quis ita loquitur? Prima coniugatio uerborum habet a productum in ſecunda perſona tempore præſenti indicantis modi, ut prima coniugatio? Non'ne iſtud abſurdum eſt, & inauditum? Non aliud eſt prima coniugatio quàm prima coniugatio, nec definitio quàm definitio. Præterea definitio erit in definitione, & contrarium in contrario, & contentio in contentione, & idem in ſeipſo. Nam in ſecunda enumeratione definitio nõ unam ſignificat orationem, quæ quid res ſit, breuiter exponit. Alioqui ſenſus erit, definitio locus eſt, ut aliqua una definitio. hoc autem tam ridiculum, quàm iſtud eſt, Exclamatio color eſt rhetoricus, ut aliqua exclamatio. quaſi nomen artis ſit color rhetoricus, non id quod ſignificatur per illud nomen. Ad hæc cum hæc oratio, animal rationale, definitio hominis appellatur, quæro an artis nomine dicitur, an non? Artis, inquies. Nonne quoties definitio appellabitur, nomine artis appellabitur? ut animal genus? Sanè. Quomodo igitur hic definitio nomen erit artis, & non erit? Conſtat enim aĩmal rationale definitione comprehendi, & ea quæ loci, & ea quæ exempli ſignificatrix eſt. Et quemadmodum in hac oratione, Omne genus habet ſpecies, genus eſt ſecundæ ſignificationis, ut dialectici loquuntur: ſic & in hac, Quoddam genus habet ſpecies. Eodem modo dicendum de definitione in uniuerſum, & de aliqua definitione. Alij comminiſcentur aliud: quàm bene, uiderint. Ego de locis per ſimilitudinem dictis hanc eſſe factam deſcriptionem exiſtimo. Iam experiamur exempla. Vt definitio.] Si comœdia eſt imitatio uitæ, ſpeculum conſuetudinis, imago ueritatis: illa certe legenda eſt. Vt contrarium.] Nihil educationi pueritiæ contrarium magis, quàm patris indulgẽtia, tollenda igitur. Educatio & indulgentia non ſunt contraria, ſed quemadmodum contraria ſe demoliuntur, ſic bonos corrumpit indulgentia. Hoc modo in orationibus multa facit contraria uideri, quæ nõ ſunt ipſa contraria, ut iudicium cenſorũ pro Cluentio. Vt ſimilia.] Cice. Philip. 5. Quid intereſt utrum hanc urbem oppugnet, an huius urbis propugnaculum? Similia uult eſſe, urbem obſideri à M. Antonio, & coloniam Mutinenſem: quæ tamen ſimilia non ſunt. Vt diſſimilia.] Accipe quæ ſimilia tradit Cicero: Si fidem præſtare debet tutor, & procurator. Diſſolue hoc modo: Non quemadmodum fidem debet tutor, & procurator. Nam loco parentis relictus eſt tutor, non item procurator. Hæc ſunt ut diſſimilia, & tanquã differentia. De conſentaneis, & præcurrentibus & repugnantibus Cice. 2. de Oratore facit mentionem, & hoc proponit exemplum: Non ſi Opimium defendiſti Carbo, idcirco te iſti bonum ciuem putabunt. Simulaſſe te, & aliud quid quæſiſſe perſpicuum eſt, quòd Tul. Gracchi mortem ſæpe in concionibus deploraſti, quòd P. Africani necis ſocius fuiſti, quòd eam legem in tribunatu tuliſti, quod ſemper à bonis diſſenſiſti. Conſentanea ſunt, Carbonem non eſſe bonum ciuem, & iſta male adminiſtraſſe. Diſſentanea uero & repugnantia. Hæc feciſſe, & ciuem bonum eſſe. At quid differunt conſentanea & adiuncta? in priore locorũ enumeratione

conuenìebant in unum genus adiunctorum: nunc autem diſtrahuntur hac differentia. Coniuncta, quod & nomen oſtendit, tẽpore ſunt finitima, & prope cohærentia, ut metus, pallor. Conſentanea ferè quidem conſequuntur, ſed tempore nonnihil diſtant, nec proxime cohærent: ut illa Ciceronis. Quaſi pugnãtia demonſtrantur exemplo ſuperiore. neque enim pugnant, male anteacta uita, præſensq; ratio melior: ſed ut pugnantia conferuntur. Quaſi cauſa. Cic. Philip. Tibi certe confitendum, cauſam pernicioſiſſimi belli in perſona tua conſtitiſſe. Non M. Anton. cauſa belli ciuilis erat, ſed à Cicerone cauſa dicebatur. Vt euentus, exemplum proximum in contrarium recurret. Diſtributiones capiunt, & partitionem, & diuiſionem. Si diuidas ſpecies, & conferas ad enumerationem partium, conſtitues formarum tanquam partium diſtributionem: ut cũ ſuperior locus fuerit de numeratione partium, hic ſit de numeratione formarum: ut, ſi ſpongia neque herba eſt, neque frutex, neque arbor, haberi planta nullo modo poteſt. Diſtributio inter colores habetur in Rhetoricis ad Herennium. Verum Cicero poſuit enumerationem partium, diuiſionem autem ut enumerationem eſſe uoluit. Genera ſunt formarum, non partium. Rurſus partes erunt totius, haud generis. Hæc ergo dicuntur ex ſimilitudine, Si T. Gracchus & Saturninus in tribunatu ſunt iure cæſi, magiſtratum ſeditioſum necare licet. Magiſtratus eſt genus, Tribunatus ſpecies, Tyberius & Saturninus partes. Vt primordia, & quaſi præcurrentia. Vide conſentanea. Quintilianus, Ex initijs ſumma colligitur: Non poſſum togam prætextam ſperare, cum exordium pullum uideam. Certe inter conſentanea, & adiuncta, & præcurrentia, non ita magnum diſcrimen eſt, quin poſſint adiunctorum nomine contineri. Vt rerum contentiones, id eſt, ut comparationes, quando res natura maior pro minore, aut minor pro maiore, aut impar pro pari ſumitur. Ouidius ſecũdo Faſtorum: Romule concedas, facit hic tua magna tuendo Mœnia, quæ dederas tranſilienda Remo. Maius eſt Romulum mœnia condidiſſe, quàm Cæſarem Auguſtum condita ſeruaſſe: hoc uult tamen ut minus haberi. Facultas uis eſt in rebus, δύναμις. Comparatur autem aut natura rerum, aut affectio, aut tempus, aut facultas. Auctor eſt Cicero in Topicis. OMNIBVS'NE *igitur ex his locis argumenta ſumemus?*] *Poſteaquam locos eorumq; naturam cognoueris, ſi propoſita fuerit ad dicendum materia, ſingulos perſcrutabere. Quærenti ſi nihil dederit locus primus, aut ſi quod attulerit, non ita multum faciet ad rem propoſitam, uenies ad ſecundum, & ita deinceps, donec excutientur argumenta, quæ nec leuia ſint, nec communia. Leuia contemnuntur, communia rapiuntur in diuerſas controuerſias, & plus nocent quàm proſunt, niſi iacta retorquentur. Ex argumẽtis optimum, quòd firmiſſimum: deinde credibile. Quæ ſunt communia, ut quibus uterque litigator uti poſſit, & tantum non repugnantia, ſæpenumero prætermittenda. Tamen eſt & apud hunc in orationibus ſuus leuibus argumentis locus, & communibus. Quid ergo? leuia ſemper reijcienda arbitratur: quia præcepta feruntur in id quod eſt optimum, deinde quod optimo proximum. Si quid ſua natura ſit improbandum, quo tamen utamur, non tam præcepti fuerit, quàm inopiæ atque neceſſitatis. Ergo ſemper leuia reijciemus in delectu. Si uero tempus requiret, utemur tanquam ſeruis in bello poſt prælium Cannenſe. An leuia dicit ea quæ nullius ſunt ponderis? an etiam illa quæ parũ grauitatis habent in oratione? De priori genere quid attinet præcipere? Nemo ſanæ mentis inducit argumentum, quod nihil omnino iuuat. Debilia frequenter aſſumunt, qui negligentius fortia quæſierunt. Monẽdi ſunt igitur, ut leuia reijciant, grauia legant, ſi modo grauium copia ſuppetunt. Non ſtatim bonus eſt dux, qui non legit ad bellum pueros, ſenes, mulieres & inualidos: ſed qui ex ijs qui robur aliquod præ ſe ferunt, optimos quoſque & fortiſſimos eximere nouit, & in album referre. Sic in argumentorum delectu parum eſt ea quæ nullis ſunt uiribus, reijcere, niſi & ea quæ leuiter pugnant, prætereas. Cum autem uocabit tempus, omnes qui arma ferre poſſunt, illis erit locus, nõ ut in delectu, ſed ut in repentino tumultu. Non neceſſaria ſunt, quæ detracta cauſæ nullum afferunt incommodum, & quæ in re de qua agitur, ſuperuacua ſunt.* QVONIAM *de fide reſpondiſti, uolo audire de motu.*] *Loco tu, id eſt ex ordine tu quidem quæris. Nam propoſitum fuerat oratori, inueniendum, quemadmodum fidem faceret ijs quibus perſuadere uellet, & quemadmodum motum eorũ animis adferret: ex quibus alterum reſtabat. Ne (quod multi faciunt) locos hic legeris. Nulli reperiuntur loci præter aſſignatos, niſi qui minores his maioribus continentur. At affectuum ſunt loci. Credo. Num propterea qui uult audire de motu, locos quærit? At quærere poteſt. Poteſt quidem. Num Cicero deſcripſit in hoc libello, cum de oratione egit, ac quæſtione? Cur fruſtra quæreret locos? Notauit quoſdam in amplificatione quæ maxime perorationis eſt. Notauerit quædam præcepta, locos non dixerim nouos, quòd aſſignatis omnes res continentur. De uerbis autem nõ agitur in præſentia. Contemplare potius, quemadmodum ſit affectus inſertus orationi, ac quæſtioni. Orationis, inquit, partes quatuor. Duæ ualent ad impellendos animos, principium, & peroratio. Has itaque partes qui præceptis aſſequitur, eodem negotio de motu præcipit. Iam quæſtio uel in demonſtrationem cadit, uel in deliberationem, uel in iudicium. Quibus cum ſit propria quædam facies, atque diſtincta ratio tractandi, quæ arte colligitur, neceſſe eſt inter præcipiendum ea conſitui quó'nam quodque genus affectus iuuetur. Ergo permiſta ſunt de motu affectuq; præcepta, niſi cum ratio amplificandi traditur.* QVID *ſequitur igitur?*] *Diſpoſitio ſecunda pars eſt Rhetorices, eáq; inuentionis propria, quia rerum eſt diſpoſitio. uerborum compoſitio. Diſpoſitio, quoniam accommodatur ad finem quæſtionis: diuitur in eam quæ eſt quæſtionis infinitæ, & eam quæ finitæ. Diſpoſitionis in infinita quæſtione ordo eſt idem ferè, inquit, quem expoſui locorum. Tamen poſtea dicet, utriuſque quæſtionis ſimilem eſſe diſpoſitionem. Id arbitror factum, quòd utroque modo tractari poteſt conſultatio. In conſultatione finis eſt fides, quæ fit argumentis: argumenta ut tractantur à philoſophis, ordine locorum optime collocantur. Locorum non eſt idem ordo apud omnes (quod in Ariſtotele & Cicerone uidere licet) non etiam eadem ratio diſponendi omnibus qui propoſitum tractant. Suum cuique conſilium eſt, & quæſtiones aliæ diſponuntur ordine naturæ, aliæ ducũt initium ab ijs quæ notiora ſunt nobis, & hinc progrediuntur ad ea quæ planiora ſunt natura. Perſequamur, ſi placet, infinitá quæſtionem ea diſpoſitione quam Cicero fecit locorum. Sit hæc, An mors ſit contemnenda? A' finitione, Nihil eſt cur mortem terreamur. quid enim mors eſt aliud quàm corporis & animæ diſſolutio? qua membris ut carcere cum anima liberetur, nobis & ſuauis & iucunda eſſe debet. Ab enumeratione: Etenim ſiue natura morimur, parenti omnium rerum obtemperandum eſt: ſiue fato, deorum uoluntati: ſiue caſu, ferendum æquiore animo, quòd optimum ſit non naſci, aut ocyus aboleri. Ab etymologia. Morte quidem diſſoluimur: qua de re mors à nobis, ut à Græcis μόρος, à ſeparandis partibus nominatur, quæ ſeiunctio quid habet mali? quid non potius boni, ſi coniunctio fuerat miſera, omnibuſq; fortunæ procellis obnoxia? A' coniugatis: Mori igitur bonum eſt, & ideo mors bona: quam ſicut moleſtia antecedit, ita quoque ſubſequitur felicitas. A' genere: Nulla diſſolutio timenda eſt, quam diuina lege patiuntur omnes. eiuſmodi obitus eſt. A' ſpecie: Mors omnis aut uiolenta, aut naturalis eſt. uiolentã cõtemnunt fortes atque ſapientes: naturalẽ omnes qui naturæ parenti non repugnant. mors igitur omnis cõtemnẽda. A' ſimilitudine: Ab arboribus fructus uel ſua ſpõte cadunt,*

ſemina

ſemina frumentorū ſponte moriuntur, ut tranſeant in meſſem: ſolus homo traducetur inuitus? A' differentia: Hominis exitus *non eſt ut cæterarum rerum: cætera corrumpuntur nullo tempore reditura: homo ſolus tum maxime uiuit, quando mori uidetur.* A' contrario: *Hæc uita in corpore, moleſta, grauis, miſera: mors igitur ſuauis, facilis, & beata.* Ab adiunctis: *Sed improbi mortem impatienter ferunt. quia qui in uoluptatibus ſummum bonum collocarunt, ijs omnibus interitus grauis eſt. Si probe uixeris, migrare iucundum eſt: ſi improbe, pertriſte. Leuis eſt hæc uia ſapientiſſimis quibuſque: propterea quòd nó grauius putant è uita migrare, quàm in hanc lucem uenire.* Ab antecedentibus & conſequentibus: *Nihil eſſe graue exiſtimant, quod ſit à natura conſtitutum.* Naſcimur, *ergo morimur. Et quia morimur, idcirco naſcimur.* A' repugnantibus: *Ab utero prodimus ad mortalitatem: à morte progredimur ad immortalitatem. Nó hoc bonum mors affert, & non erit bona: affert autem: bona igitur, neque metuenda.* A' cauſis: *Porro ubi mortale corpus elangueſcit, anima ſe liberat mēbrorum compagibus: ut pro ſeruitute libertatem, pro tenebris lucem, pro labore præmium cōſequatur.* Ab affectis: *Quæ ſi bona à morte pariuntur, nó poterit illa niſi à dementibus improbari.* A' comparatione: *Fac tamen malam eſſe, cur diuturniores moleſtias anteponimus? cur tot caſus, tot pericula, tot erumnas uni diſſolutioni, eiq; perbreui præferimus?* Huc adde, ſi uoles, exempla. *Hæc ſcripſimus, ut oſtenderemus eſſe uerum, quæſtiones infinitas ordine locorum poſſe tractari. Quod autem non utique fieri oporteret, excepit his uerbis, Ordo eſt idem ferè quem expoſui locorum. Interpoſuimus quædam, non argumentationis, ſed iungendæ orationis gratia, quòd nudum corpus argumentorum deforme ſit, & aſperum. Nec diximus omnia quæ ad propoſitum duci poſſunt è locis. ſatis eſſe duximus indicare paucis, ut rudes infinitæ quæſtionis argumenta collocarent.* IN *definita autem adhibenda ſunt etiam quæ ad motus animorum pertinent.*] *Videtur hoc uelle, nihil motum pertinere ad infinitam quæſtionē, quo tamen utitur in oratione pro Sexto Roſcio de toto genere parricidij: qui locus eſt communis. Rurſus in quæſtione finita non utique motus erunt: quod Quintilianus affirmat, & Athenienſium probatur exemplo, qui diu oratione quidem, non ita motu uſi fuerūt. Quid igitur hæc præcepta uolūt? Præcepta rhetoricæ non ſunt de re neceſſaria, ſed accommodatiore. In quæſtione propoſiti ſunt rariores affectus: in cauſa & hypotheſi frequentiores. Sic enim multo melius, & ad obtinendum tutius tractatur. Qui diſſerit tantum probandi gratia, non contendit afficere auditorem: quamobrem motu non eget. Qui uero non ſatis confidit argumentis, pugnat affectibus: nec docere modo uult, ſed & mouere. Itaque miſcet ea quæ dicuntur à Græcis πάθη: nunc hac nunc illac impetum facit, uiamq; molitur qua maxime capi poſſit auditor. hinc fit, ut aliter ac aliter acies inſtruatur. Omnem collocationem, inquit, ad finem accommodo quæſtionis. In propoſito, finis eſt fides: in cauſa, fides & motus. Ex quibus uerbis colligitur, propoſitum, id eſt infinitam quæſtionem, non deſiderare motum, ſed probationem: cauſam uero, id eſt, finitam quæſtionem, probationem motumq; uelle. Iam ſi finis eſt fides & motus, animiq; pro cauſarum generibus uarie mutantur, neceſſe eſt ad motum ex parte referri diſpoſitionem. Quod autem non ſit res eadem, fidem facere, et commouere, definitionibus, ut par eſt, oſtendit. Quoniam fides eſt firma opinio, motus autem eſt animi incitatio, aut ad uoluptatem, &c. Fides argumentis efficitur, motus autem locis affectuum. Argumenta porro niſi ſe accommodarent ad utilitatem cauſæ, ordine naturæ ferè locarentur. Sed quia refert, qua ratione, quo'ue ordine doceantur & moueantur animi, digeruntur omnia pro utilitate cauſæ. Reſtat inquirendum, qui fiat, ut motus omnis animi quatuor generibus cōſtet, cum mille modis, moueatur animus? Deinde ſi cauſa minor eſt, propoſitum maius, quo pacto propoſitum cauſa contineri dicatur. Motus omnis (quod ait Cicero. 3. Tuſcul.) aut boni aut mali opinione excitatur. Voluptas eſt ex opinione boni præſentis: cupiditas autem boni futuri, quod immoderate appetitur. Aegritudo contra, ex opinione malorum præſentium: metus autem futurorum. Sic quatuor affectuum genera ſtatuuntur, uoluptas & ægritudo ſiue moleſtia in rebus præſentibus, cupiditas & metus in futuris. Quoniam autem multæ ſunt uoluptatum partes, & cupiditatum, item moleſtiarum terrorumq;, aſſeuerat partes eſſe plures generum ſingulorum. Veniamus ad ſecundum. Propoſitum eſt ut genus, cauſa ut ſpecies. In ſpecie autem eſt genus, quin etiā genus eſt pars una formæ. Hoc definitio commōſtrat. Homo eſt animal rationale. hominis duæ partes: altera eſt animal, genus. Hoc modo in cauſa propoſitum eſt ut illius pars. An ideo propoſitum in cauſa eſt, quòd ex quæſtione infinita & appendicibus (περιστάσεις dico) componitur cauſa? Dici poteſt. nā in idem penè recidit quod de genere et ſpecie dixi. Rurſum cauſa eſt in propoſito, ut res anguſtior in ampliore. Eſt igitur propoſitum in cauſa, & cauſa in propoſito, diuerſa ratione mutante.*

QVID *habes igitur de cauſa dicere?*] *Tria genera cauſarum. Cuique ſua quædam propria diſpoſitio, propter quā ſit hic diſtributio generum, finiumq;. Tentatum, inquit Fabius, & prope impulſum, ut non modo plura genera, ſed etiam penè innumerabilia uideantur: quærendumq;, quo moti priores rem tam late fuſam, tam breuiter adſtrinxerint. Ergo tria faciunt genera auditorum. Vnum, quod ad delectationem conueniat: alterum, quod conſilium accipiat: tertium, quod de cauſis iudicet. Cicero quidem auditorum genera diſtinguit. Aut, inquit, auſcultator eſt modo qui audit, id eſt, tantum auditor: aut diſceptator, id eſt, qui de re cognoſcat: uel, ut interpretatur, rei ſententiæq; moderator. Si auſcultator eſt modo qui audit, res comparatur ad delectationem, et genus eſt demonſtrationis. Si diſceptator eſt is qui audit, aut ſtatuit de præteritis, iudiciale genus eſt: aut de futuris deliberatio eſt, quæ ſi cadit in præteritum, ratione futuri cadit. Quia dubitatio diu tenuit multos, hac demonſtratione colligit eſſe tria genera cauſarum, neque plura, neque pauciora: demonſtratiuum, deliberatiuum, iudiciale: quæ uerba ut duriora uitat, primumq; genus exornationem appellat, quod ad delectationem comparatum, res exornare debet, à parte meliori & frequentiori nominatum, non ab ea quæ eſt uituperationis. Senator, non ſenatus à quibuſdam legitur, ut ſenator & iudex ſe reſpiciant. at hoc mihi non probatur, quia ſimile non eſt. Iudex unus ſtatuit frequenter, non itē ſenator. Cicero non ita loquitur, ſtatuit aut decernit ſenator: nec iſtud mos populi Romani patitur.*

QVAS *res ſibi proponet in iſtis tribus generibus orator?*] *Conſtituuntur hic fines non generum, ſed motuum, qui ſingulis generibus conueniunt: ad quos ſe diſpoſitio accommodat. Poſt enim generum fines alios aſſignat. In exornatione, id eſt, demonſtratione, ſibi proponit orator delectationem audientis, in iudicio ſæuitiā aut clementiam iudicis. Illud ut accuſator, hoc ut patronus. In ſuaſione aut ſpem aut reformidationem deliberantis. Illud ut ſuaſor, hoc ut diſſuaſor. Delectatio autem, ſæuitia, clementia, ſpes, reformidatio, ſunt motus animi in oratione ſpectandi: quod ſupra commonuit, Indefinita, inquit, adhibenda ſunt etiam quæ ad motus animorum pertinent. Hæc autem de generibus proponuntur collocandi gratia: qua de re nūc agitur. Planius explicabuntur cum ad orationis ipſius, quæſtionumq; rationem uentum erit. Sed quid omnino ad collocationem pertineant, non ſine re quæri poteſt. Nam collocatio uel diſpoſitio eſt ordinis ratione quadam conſtituti: hæc autem ferè per omnem orationem fuſa ſunt. Iam reſponſum uidetur ex eo quod ante dicebamus, in quæſtione finita propter*

affectus ordinem ſolere commutari: quoniam & iucunda, & acerba, & mitia, et ſimilia, ex aliqua parte ſuboriri neceſſe eſt. quæ pars ad eum locum reijcienda eſt, cui maxime eiuſmodi cõuenit affectus. Propterea percontatur, Cur exponis hoc loco genera controuerſiarum? Vt rationem collocandi ad finem cuiuſque accomodem. Atqui finis etiam motus eſt, ut ante dicebat. Hæc igitur tractantur ab eo ad inſtruendam collocationem.

Non hic agit de tota ratione demonſtrationis, de qua grauiter & copioſe in hoc opere tandem præcipiet. Sed quoniam de collocatione ſermo fuerat inſtitutus, ex plurimis ea tantum deſumit, quæ ad collocationem facere uidentur. In demonſtratione duo ſunt ordines collocandi. nam aut temporum ſeruantur gradus, aut generum diſtributiones. In temporum gradibus ea ſunt quæ fuerunt ante nos: ut natio, patria, genus, id eſt, parentes atque maiores. Deinde quæ nobiſcum, ut ſexus, ætas, indoles, habitus corporis, animi natura, facta dictaq́; pueritiæ, iuuentutis, ſenectæ. Poſt nos erunt exequiæ, funera, pompa, honores, hominũq́; exiſtimationes. Hũc ordinem Cicero ferè ſeruat, reiq́; deſcribit temporibus in Verrem, in Piſonem, in Antonium Philip. 2. Hoc enim modo recta eſt expoſitio, & amplior materia, promptiorq́; memoria. Generum diſtributiones non uno modo diuiduntur. Nam diuidimus bona mala'ue in externa, corporis, & animi. Aut facta dicta'ue reducimus in quædam genera uirtutum, ſiue uitiorum: non utique quatuor, ſed quot res ipſa tradiderit: ut pro lege Manilia, bona ſummi imperatoris partitur in ſcientiam rei militaris, uirtutem, auctoritatem, fœlicitatem: ubi ſubeſt quædam ratio temporis. Aut res geſtas concidimus in maiores, & minores: ut pro Marcello comparat reliqua Cæſaris facta cum miſericordia in uictos, tanquam minus cum maiore. Hoc modo trifariam genera diuiduntur. Quòd autem in illis rerum quædam diſſimilitudo eſt, ſingula rurſus progrediuntur, aut à minoribus ad maiora, aut à maioribus ad minora, aut inæquabili uarietate diſtinguuntur. aliter infra præcipit his uerbis: Sed quoniã in tribus generibus bona mala'ue uerſantur, externis, corporis, & animi: prima ſunt externa, poſtea corporis bona, deinde eſt ad facta ueniendum: quorum collocatio triplex eſt. aut enim temporum ſeruandus eſt ordo: aut in primis recentiſſimum quodque dicendum: aut multa & uaria facta in propria uirtutum genera ſunt digerenda. Quæ ut conſentiant iſtis, primo generum diſtributio eſt, deinde temporum gradus, quibus uel aſcendimus uel delabimur: tandem inæquabilis uarietas. Res eſt prope eadem, tractatio & uerba diuerſa. Inæquabilis uarietas coniungit res generis diuerſi. Cato bellum gerebat ut ſummus imperator: rem familiarẽ adminiſtrabat ut bonus paterfamilias. Nec facile iudices, an fuerit domi foris'ne præſtantior. Hæc inæqualia: hic parua magnis intexuntur. Simplicia unam modo rationem, coniuncta plures habent. Cicero Philip. 2. Patruũ in ſeptemuiratu non'ne deſtituiſti? Hoc crimen eſt ſimplex. Probri inſimulaſti pudiciſſimam feminam. Hoc quoque ſimplex eſt. Contentus eo non fuiſti: frequentiſſimo ſenatu, Calendis Ianuarij, ſedente patruo, hanc tibi eſſe cum Dolabella odij cauſam auſus es dicere, quòd ab eo ſorori & uxori tuæ ſtuprum oblatum eſſe comperiſſes. Quis interpretari poteſt, impudentior'ne, qui in ſenatu; an improbior, qui in Dolabellam; an impurior, qui patre audiente; an crudelior, qui in illam miſeram tam ſpurce, tã imple dixeris? Vides'ne ut in uno delicto multa ſunt ſcelera coniuncta? Ne dixeris ſimplicia dici, quæ ſolus quis aut primus fecerit: coniuncta uero, quæ cum paucis, uel etiam cũ pluribus. Cicero hoc ſi forte intelligere uoluiſſet propria non ſimplicia, communia non coniuncta dixiſſet. An ſimplicia dicit quæ ponuntur ſingulatim, coniuncta quæ gregatim? Non opinor. Hic enim agit de natura & qualitate rerum: quod oſtendunt reliquæ partes. Complexio, ſiue coniunctio duorum plurium'ue, non ad naturam, ſed ad tractationem refertur. Factorum præterea alia obſcura, alia dilucida. ea ſunt maioris minoris'ue ſplendoris: qua tranſlatione dicimus claros natales, & obſcuros: ut quod Horatius Cocles pontem aduerſus hoſtem ſolus tenuit, dilucidum præclarumq́; eſt factum: reliqua uiri facta ſunt obſcura. Læta et triſtia, quæ uel arridente uel aduerſante fortuna geſta ſunt. Cicero de Senectute, poſteaquam Quinti Fabij Maximi lætiora quædam facinora commendauit, addit: Multa præclara in eo uiro cognoui, ſed nihil eſt admirabilius, quàm quo modo ille mortem Marci filij tulit, clari uiri, & conſularis. An læta dicit, quæ audientes afficiunt uoluptate: triſtia, quæ mœſtitia? Id probabile uidetur, ſed mihi potior eſt altera ſententia. Incredibilia, quæ ſuperant hominum fidem. Probalia contra. Cicero in Paradoxis: Sed nihil eſt tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile. Cæſar ad Alexandriam eruptione hoſtium ſubita compulſus, cum deſiluiſſet in mare, nando per ducentos paſſus euaſit ad proximam nauem, elata læua, ne libelli quos tenebat, madeſcerent: paludamentum mordicus trahens, ne ſpolio potiretur hoſtis. Factum quidem iſtud, ſed multis eſt incredibile. Iunge ſimili facto: Idem Cæſar, ſi flumina morarentur, nando traijciebat, uel innixus inflatis utribus: probabile eſt.

QVID in deliberatione? quid ſpectas?] De deliberatione permulta atque præclara ſcribit ad huius operis finem: nunc tantum præcipit, hoc genus quo'nam ordine dirigatur. Principium, ſi quod erit, initio collocabitur: deinde narratio: cui proxima confirmatio: extrema peroratio. Confirmatio ad fidẽ, peroratio ad motum pertinebit. Quod ſi principium nullum fuerit, nullaq́; narratio, duo reſtant collocanda. Probatio antecedet, motus autem ſubſequetur. Principia ut ſint longa, ut Philip. 4. Aliquando nulla, ut Philip. 13. & 14. Cauſam ponit utrinſque. Sunt, inquit, ad audiendum, qui deliberant, id eſt, conſilium petunt, ſua cauſa parati. Quibus uerbis non ſignificat omnia principia deliberationum, ſed ea tantum quæ uel attentionem uel beneuolentiam mouent.

Hæc igitur Quintil. interpretatur his uerbis: Pars deliberatiua proœmio, quale eſt in iudicialibus, non ubique eget, quia conciliatus eſt ei quiſque, quem conſulit. Initium tamen quodcunque debet habere aliquam proœmij ſpeciem. nec enim abrupte, nec unde libuit incipiendum: quia eſt aliquid in omni materia naturaliter primum. In ſenatu utique, & in concionibus, eadem ratio quæ apud iudices, acquirendæ ſibi plerunque eorum apud quos dicendum ſit, beneuolentiæ. Affirmat & in ſenatu & in concionibus proœmia ad beneuolentiam comparãdam duci poſſe, quæ plerunque longa ducuntur. Eiuſmodi principium eſt Ciceronis in Seruilium Rullum ad populum. Nec mirum, quia rationi paret ars, ut optimæ duci. In hoc genere non multum ſanè ſæpe narrandum eſt, quia narratio eſt præteritarum rerum aut præſentium, ſuaſio aũt futurarũ. Quintilianus & hæc interpretatur: Narrationem, inquit, nunquam exiget priuata deliberatio eius duntaxat rei, de qua, dicenda ſententia eſt: quia nemo ignorat id de quo conſulit. Extrinſecus poſſunt pertinentia ad deliberationem multa narrari. In concionibus ſæpe eſt etiam illa quæ ordinẽ rei docet, neceſſaria: & affectus, ut quæq; maxime poſtulabit. Hac ſentẽtia Quint. duplicem facit narrationem. Vnam eius rei de qua dicenda ſententia eſt, quam Cicero uoluit hic accipi. Ea in priuata deliberatione minime neceſſaria: in cõcione ſæpe texẽda. Exponimus enim & quid factũ ſit, et quid fiat, et quid ſit futurũ: quæ omnia in Rullũ facile reperies. Narratio tamẽ proprie dicitur eſſe præteritarũ rerũ, aut præſentium. Dicet aliquis: uerba Ciceronis, quibus dicit non multum ſæpe narrandum eſſe, intelliguntur de propoſitione, non de narratione: quia nulla poteſt eſſe narratio ſententiæ de futuro. Cur igitur non dicit nũquam eſſe narrandum, ſed non multum ſæpe? Cur Quintilianus id

refert

refert ad priuatam deliberationem, non ad publicam: niſi quod publica narratio fieri poteſt, & ſæpe fit propter eos qui rem de qua agitur, ignorant? Propoſitio frequens eſt: ſed & narratio rei, de qua dicenda eſt ſententia. Ad hæc Cicero digerit ordinem partium: propoſitio non eſt, pars rhetoricæ. Iam, quid uetat narrare quæ hoſtili more faciat Antonius, ſi dicenda ſententia eſt ut is declaretur hoſtis patriæ? nam debilis eſt hæc ratio. Sententiæ de futuro narratio non texitur. Non dicimus narrari ſententiam, ſed rem de qua ſententia dicenda eſt: ſicut non dicimus narrari iudicium, ſed id de quo iudicandum eſt. Non ita Cicero intellexit, cum dixit, Suaſio eſt rerum futurarum: ſed ſenſit, eſſe poſſe multas ſuaſiones, quæ nihil habeant neque præteriti, neque præſentis, & illis nō opus fore narratione: alijs, quæ aliquid petant, aut præſens aut præteritum, conuenire narrationem. QVID? in iudicijs quæ eſt collocatio?] De genere iudiciali, poſtremo loco tandem plurima. Nunc de collocatione. Ea duplex eſt: una accuſatoris, altera rei, id eſt, eius qui uocatus eſt in ius. Accuſator rerum ordinem proſequitur. quod ipſe facit in Verrem, ut exponat quæ commiſerit quæſtor, quid legatus, deinde prætor urbanus, tandem Siciliæ prætor. In rerum gradibus ſingula argumnta, quaſi haſta in manu collocata, uehementer proponit. Non debet in acie confertim denſéq; ſua argumenta collocare, ſed fuſe et ſparſim porrigere, ut ſingula aduerſarium ſuperare uideantur. Propoſita concludet acriter: ut tanquam ſecunda ſubſtruatur acies, nunc è ſimplici complexione, nunc ex enumeratione multorum. ſic enim acerbitas exaſperatur, quòd plus colligamus, quàm quod efficiatur argumentis, & miſceamus affectus. Extendet argumenta, id eſt, ſingulorum factorum probationes, ſi immoretur, multumq; loci capiat. Immorabitur, ſi non modo ratione uiq; argumentandi à rebus internis contentus fuerit, ſed etiā extrinſecus aſſumpſerit aut tabulas, id eſt, literas, quales ſubinde producit in Verrem: aut decreta, ut ſenatuſconſulta ciuitatum Siciliæ in eundem: aut teſtimonia: aut ſi fieri poteſt, uniuerſa. Iam duo ſunt ordines. Vnus temporum, tanquam legionū uniuerſarum. Alter ſingulorum quæ reprehenduntur, uelut cuiuſque cohortis in exercitu. Tertius eſt ſubſidiorum auxiliorumq;. Is eſt ordo potentiſſimus affectuum. Hos in acie uult collocari poſt ſingulos quoſque grauiores locos, ut hinc ad affectum egrediatur & erumpat impetus. In quo proponenda ſingula, deinde grauiter exponenda, latéq; firmanda, tandem colligenda. Subſequitur affectus, quo in reum accuſator inuehitur, uelut ira grauiore percitus. Exempla multo prolixiora ſunt, quàm quæ ſcribi debeant. Lege actiones in Verrem. hunc ordinem ſcite collocatum reperies. Rerum ordinem proſequi, eſt res eo quo geſtæ ſunt ordine explicare. Singula argumenta dicuntur probationes ſingulatim collocata. Argumenta, aut ſingula ponūtur, aut conferta & conglobata: ut milites aut ſinguli, aut collecti atque coniuncti. Conferuntur haſtæ, quoniam illis ut haſtis petitur aduerſarius. Vehementer proponere, eſt proferre cum amplificatione & affectu. Concludere acriter, colligere quæ confecta ſunt, exponendo narrandóq; cum motu & auxeſi.

QVID faciendum eſt contra reos?] Hæc ſtatuuntur de collocatione patroni ſiue defenſoris. Sit in acie prima principium ad beneuolentiam comparatum, quia auditores exaſperauit accuſator. Narratio, ſi tota pro nobis, ordine ſecundo ponetur. Si tota contra nos, relinquetur, ne intromiſſa fundat aciem. Si partim pro nobis erit, partim contra nos: id quod proderit, inſtruendum: quod nocebit, arcendum. Succedet acies argumentorum, quæ quidem argumentis aduerſarij conferuntur. Ea firmamenta uocat, quod illis cauſa confirmatur. Aduerſarij probationes, aut ſuperari poſſunt, aut inuictæ conſtant. Vt uincantur per ſe, id eſt, ipſa ratione firmamenti, initio tentandum eſt. ſi nequeūt expugnari, aut obſcurandæ, aut digreſſionibus obruendæ. Obſcurantur, ſi multa dicendo faciamus ne uirtus earum ſplendeſcat: & eludendo uerbis, uim omnem obtundamus, & lucem. Adulter eſt, inficiari non poteſt. Non reſpondeo, inquit, ad omnia maledicta quæ inimicus excogitauit, nec ſi quid eſt commune magnorum uirorum, & frequenter eorum, qui cæteros accuſant: quorum ſi uitam, ſi libidines, ſi adulteria requiramus, metuo ne penè omnibus periculum creetur. Condonemus aliquid uoluptati, quod citra Reipub. perniciem fiat: aut omnes quicunque peccauerint ciues, exterminemus. His & ſimilibus res obſcuratur, ut Cælij incontinentia. At ſunt quæ obſcurare non poſſis. Sine, ut uis: hæc præceptio cadit in ea quæ obſcurari queunt. Plus autē eſt obruere quàm obſcurare. Obſcura uideri poſſunt: obruta non poſſunt. Seditioſus quis fuit? Exponendum magnifice præclaras illius egregiaſq; uirtutes. Hac digreſſione conſequeris, ut unius facti memoria deleatur, ſi non in perpetuum, tamen in iudicium præſens. Peroratio ſubſidebit, ueluti cum triarijs. In ea collocabuntur affectus mitiores, quibus iudex iratus mitigetur. De quibus aliàs ſuo loco dicetur. SEMPER'ne igitur ordinem collocandi quem uolumus.] Animaduertenda præceptio, & cōſilium tenendum. diſpoſitio frequenter eum ſeruat ordinem, quem ante per genera deſcribit. Tamen utilitas cauſa, perſona, tempus, locus, plurima commutant. Hinc ante narrationem refutatio eſt pro Milone. Hinc interruptiones narrationū pro Cluentio. Verum igitur quod Quintilianus iudicat: Mutantur, inquit, pleraque cauſa, temporibus, neceſſitate, occaſione. Atque ideo res in oratione præcipua, conſilium eſt: quia uarie, & ad rerum momenta conuertitur. Et paulo poſt: Neque rogationibus plebiſ'ue ſcitis ſancta ſunt iſta præcepta, ſed hoc quidquid eſt, utilitas excogitauit. Aures auditorum moderari oratori prudenti & prouido, eſt oratorem circunſpectum auribus auditorum ſe accommodare. Expone deinceps quæ ipſius orationis, uerborumq; præcepta ſunt.] Vis oratoris in quinque rebus poſita eſt, ex quibus expoſuit inuentionem atque diſpoſitionem: nunc ordine perſequitur elocutionem. quam uocat orationem: quoniam pars illa eſt unde nomen duxit eloquētia, unde rhetores & oratores nominati. Non abſurde igitur nomine totius appellatur. Et ne maneret ambiguitas, orationem interpretatus eſt præcepta uerborum. Id ſic explicat in Oratore: Quanquam, inquit, omnis locutio oratio eſt, tamen unius oratoris locutio hoc proprio ſignata nomine eſt. Diuiditur eloquendi genus in ſua ſponte fuſum, & in uerſum atque mutatum. Genus uerſum atque mutatum eſt, quod uerba aut orationem in plura dilatat, aut contrahit, uel orationis ordinem commutat. Quod ut intelligas, ea tibi legenda ſunt, quæ paulo poſt aſcribit de conuerſa oratione atque mutata. Genus ſua ſponte fuſum eſt, quod ipſo naturæ impetu, id eſt, trita loquendi conſuetudine, quæ eſt uelut altera natura, occurſante proijcitur, per ſe numero ac lege componendi ſolutum. Quod perraro (niſi ſponte fluant numeri) bonus uſurpat orator. Proponitur tamen ab auctore, quia cum ſit in cogitatione primum, arte perficitur: haud aliter quàm lapides & materia quæ natura parit, expoliuntur artificis induſtria, & ædibus aptantur. Proponamus exemplum quod rudiores uelint. Nuſquam enim longius aberrant à uia multi profeſſores, quàm cū elocutionis iter recta ſequendum eſt. Milo occidit Clodium in uia Appia. Sermo naturalis, & ſponte fuſus. rectus enim antecedit, uerbum ſubſequitur, uerbo ſui caſus apponuntur: nec aut conuerſione, aut mutatione uariatur. Hoc ſermone non utetur orator, quia poſterior ſyllaba uerbi primi cū prima ſequēti interſiſtit, uaſtumq; reddit ſonitum. Eodem modo tertium uerbum cum quarto, quintum cum ſexto diſſentiunt: quodq; peius eſt, nullus eſt curſus orationis, utpote quæ claudicat, hiulca, aſpera, inſuauis atque ſuſpenſa. Quid igitur? uerte, muta, ut ex ſponte fuſa compo-

natur illud uerſum atque mutatum: Cæſus eſt à Milone Clodius in uia maiorum ſuorum. Omnia uitia ſuſtuliſti. Ergo ſi quod genus ſua ſponte fuſum eſt, proprium uerbis, numero decorum, nihil immutabis. Si uero non reſpódeant aut impropria uerba, aut ſonus orationis, aut figura dicendi, quærendum genus illud uerſum atque mutatum. Erunt qui diſſentiant, ſtudioſi redarguendi, dicentq; genus ſponte fuſum, non temere proiectum, ſed numeris uinctum, conſecutione uerborum copulatum, à uerbis non coactis, ſed ſponte occurrentibus dictum. Illis oppono uerba Ciceronis: In coniunctis autem uerbis (inquit) triplex adhiberi poteſt commutatio, non uerborum, ſed ordinis tantummodo: ut cum ſemel dictum ſit directe, ſicut natura ipſa tulerit, inuertatur ordo, & idem quaſi ſurſum uerſus retroq; dicatur, deinde idem intercíſe atque permiſte. Eloquendi autem exercitatio maxime in hoc toto conuertendi genere uerſatur. Si ordinis commutatio pertinet ad genus uerſum, non'ue erit ſponte fuſum, quod ordinem non mutauerit. Vt igitur aſtringes numeris, niſi uenias ad ordinis commutationem? Niſi numerus ſponte fluit, illigari nequit eiſdem uerbis, quin ordo uerborum mutetur. Quid aliud Cicero dicit his uerbis, Eloquẽdi exercitatio maxime in hoc toto cóuertendi genere uerſatur, niſi genus uerſum eſſe oratorium, ſponte fuſum, non item niſi ſponte fluat numerus & compoſitio? Itaque recte dicimus hoc genus eſſe directũ, quaſi naturale, neque uerſum, neque immutatum: cui ſi uirtutem dat orator, in altero genere uerſatur. At hoc Cicero refert numeros & conſecutionem. Certe. Aut enim ſponte occurrũt, & huc pertinent: aut arte nectuntur, & tum genus ſponte fuſum mutant. Genus ſua ſponte fuſum, duas habet uirtutes: unam in ſimplicibus uerbis, in coniunctis alteram. quas ubi conſeceris, perſæpe fiet illud genus immutatum, quod eſt natura poſterius. Simplicia inuenienda ſunt ab oratore, quibus optime res exprimatur, quibuſq; uis ea perferatur ad aures, quam mens ante concepit. cuiuſmodi eſt iſtuc Ciceronianum: Importuni gladiatoris amentia, pro Antonio crudeli. Quanto uerba ſunt ad ſignificandum uehementiora? In uerbis quæritur ſenſus, uis ſignificandi, & figura. Coniuncta collocãda ſunt, ut numeroſe cadant cum decenti conformatione. ut pro Cælio: Etenim ſemper magno ingenio adoleſcentes, refrenãdi potius à gloria, quàm incitandi fuerunt. Tolle orationis compoſitionem: Etenim adoleſcentes ingenio magno fuerunt ſemper refrenandi potius à gloria, quàm incitandi: perijt uirtus illa coniungendi, ut aures optime iudicant. Ergo prima uis in ſimplicibus uerbis, in coniunctis ſecunda. Simplicia uerba partim natiua ſunt, partim reperta. Natiua, ea quæ ſignificata ſunt ſenſu. Reperta, quæ ex his facta ſunt. Natiua & reperta dico, quæ primitiua & deriuatiua grammatici uocant. Quid porrò eſt aliud uerbum natiuum, quàm primitiuum, & id quod eſt primæ poſitionis? Cuius originem ſi quæras, non referes ad aliud uerbum, quia nullũ eſt, ſed ad ſenſum, id eſt, intelligendi facultatem. Senſus enim qui uellet expectorare quod intelligendo concepiſſet, inuenit ſigna: ea ſunt uerba rerum notæ, quæ ore promuntur. Verba ſignificata igitur ſunt, ſigna rerum, facta ſenſu, id eſt, hominum conceptione, qui loqui uellent. Si quæritur unde ſit uerbum Intelligentia, referemus ad participium intelligens, hoc rurſus ad uerbum intelligo, hoc deinceps ad uerbum lego, hoc poſtremum (ſiue Græcum eſt λέγω, ſiue latinum) referetur ad ſenſum. Conſtat igitur infinita eſſe quæ reperta dicantur, ut denominatiua, ut poſſeſſiua, ut uerbalia, ut uerba & aduerbia permulta, ut participia: quæ ſi ad ſenſum referri poſſunt ut primam omnium cauſam, tamen propiorem habent fontem unde deriuantur. Quamobrem Quintilianus natiua dixit ſignificata primo ſenſu: quia ſecundo reperta, facta ſunt. ET nouata aut ſimilitudine, aut imitatione, aut inflexione, aut adiunctione uerborum.] Quæ dicuntur hic nouata uerba, capi poſſunt duobus modis. aut enim reperta intelliguntur ea, quæ à natiuis facta ſunt ab antiquis, aut facta à poſterioribus, quæ nobis proprie noua dicuntur. De his Cicero tertio de Oratore. Nouantur, inquit, uerba, quæ ab eo qui dicit ipſo gignuntur ac fiunt, uel coniungendis uerbis, uel ſæpe ſine coniunctione. Hæc itaque ſunt diſtincta temporibus, & in repertis ſunt utraque nouata. Nouantur autem quatuor modis, ſimilitudine, imitatione, inflexione, adiunctione uerborum. Similitudinem tertio de Oratore uocat metaphoram, quam hic accipere non poſſumus: quia eodem loco nouatũ diſtinguit à translato, & iam ponet ea quæ trãſferuntur. Accipimus analogiam, de qua Quintilianus in quinto: Analogiam quidam à ſimili ſeparauerunt: nos eam huic generi ſubiectam putamus. Analogiam appellat hic ſimilitudinem. Eius hæc uis eſt (ut eiuſdem uerbis utar) ut id quod dubium eſt, ad aliquid ſimile, de quo non quæritur, referat, ut incerta certis probet. Qua ratione infinita propè uerba naſcuntur, ut ſomnolentia, ſicut uinolentia: curuitas, ut prauitas: pœnitendus, ut pudendus: rapturio, ut parturio, detonſare, ut deſponſare: conſiderate, ut docte: ſedenim, ut etenim. Hæc & ſimilia ad inflexionem pertinere poſſunt: tamen alia eſt ratio ſimilitudinis, alia inflexionis. Inflexio, deriuationis eſt, ſine ulla comparatione: ut ſit nomen finitimus in hoc genere primum, cui poterat comparari antequam reperta eſſent legitimus, æditimus, & conſimilia. Quàm multa ſunt quæ nulli cõparantur? Laberius Mimus inflexit à bibo biboſum: ſimile nõ reperies. À detero inflexum deterius, ſine conſorte. À credo credibile: nullum ſimile à ludo, cado, & reliquis id genus. À pede & tento, pedetentim. À fido fiducia, producit enim primam. À puero ipuſio. À poſt & limine, poſtliminium. Ergo inflexio frequenter eſt ſine analogia, quamobrem non ſine cauſa diuiduntur. Analogia ſi uera eſt, quærit ſimile genus, ſimilem finem, ſimile declinamentum, quæ non ſpectat inflexio. Analogia comparat, inflexio deriuat. Imitatio de ſono uerba trahit: tinnio, rugio, uagio, balo, rudentes, murmur, clangor, baubator. In his latinorum minima felicitas. Adiunctio uerborum, eſt compoſitio. Incuruicerulcum pecus, uelíuolũ mare, uelificari, aræ thuricremæ, barbigeræ capellæ, apri bidentes, belligena puellà. Hic Græci feliciores: καλλιπάρηος, καλλιπλόκαμος, ῥοδοδάκτυλος. Tertia eſt uerborum partitio, natiuis repertiſq; communis. Altera natura ſunt præſtantiora, deteriora'ue, cum ipſa per ſe conſiderantur, non habita ratione tractãdi. Altera tractatione ſunt talia. Ex ijs quæ ſynonyma uulgo dicuntur, natura quædam ſunt conſonantiora: ut tempeſtas quàm tempus, moderatio quàm modeſtia, concertare quàm confligere, frequenter quàm frequens, quanquam quàm etſi. Quædam grandiora, ut illud Virgilianum: Regnatorem Aſiæ, grandius quàm ſi regem Aſiæ dixiſſet. Et illud Ciceronianum, In tuis illis immanibus poculis, quàm magnis poculis. Grandiora bene legebantur, ſed immutarunt imperiti in grauiora, quia leuiora ſequebantur: non animaduertentes, auctorem non oppoſuiſſe contraria ſed poſtremo dixiſſe pro contrarijs, Alia contra. Quædã leuiora, hoc eſt uiribus infirmiora: ut amor quàm charitas, comedere quàm uorare, tangere quàm percutere, niti quàm conari, ire quàm uadere. Quædam nitidiora, quæ ſunt ſplendentiora, ſordidis aduerſa, ut Quintilianus dicit in VIII. ut boues pro uaccis, ſus pro porco, minus humilia ſunt. Nec orator uſurpabit Epigrammaticorum pudenda uerba, & Satyricorum: ſed pro decoro nitidiora inueniet. Tractatione autem, cum aut propria ſumuntur rerum uocabula.] Quæ de uerbis ante dicta ſunt, quodam quaſi naturali ſenſu iudicãtur: quanquam & de illis nonnulla præcepta reperiuntur: & artificis eſt noſſe materiam, non tantum eligere atque cõiungere. In tractatione uero eſt quod ædificet orator, et in quo maiorem adiungat artem. Vbi uerborum copiam ſibi comparauerit, ac

diligenter

diligenter explorauerit eorum naturam, tum pro rei dignitate, quæ conuenientiora uidebuntur, aptabit orationi. Hæc enim tractandi lex eſt & oratio, ut ex multis ea legamus, quæ res de qua agitur, & orationis poſcet ornatus. quemadmodum architectus haud omnem, ſed aptiorem ſubſtructioni materiam legit, & collocat: hoc modo collocabit orator aut propria rerum uocabula, aut addita ad nomen, aut noua, aut priſca, &c.

Addita ad nomen, ſunt epitheta, præcipue quæ ſenſu dicuntur adiectiua, ut pater, mater, frater, lictor, africanus, quæ cadunt in antonomaſiam. Sunt alia quoque interim apponenda, quæ dicuntur adiectiua uoce, ut, homo improbus uexauit Aſiam: interim omittenda, ut uaga quæ dicuntur. Igitur utendum erit aliquando proprio, & proprium nonnunquam proprio mutabitur, quod eſt additum ad nomen. Saſſia fuit Cluentij mater. Hic proprijs utendum fuit: quia prima rei expoſitio eſt, nec ulla alia uis deſideratur. Poſt hæc ſi dixeris, Oppugnat Cluentium Saſſia: imperite dixeris. Quid igitur? Intromitte addita ad nomen, Oppugnat filium mater. Hinc duplex uirtus. & moleſtia repetendi uitatur, & res dicitur grauius: quia in matre & filio eſt aliquid, cur oppugnatio impia ſit, quod non erat in proprijs. De eadem Cicero: Nubit genero ſocrus. quanto melius eſt quàm iſtuc, Nubit Melino Saſſia? nam priora cauſas habent, cur impias nuptias fieri non oportuerit. Eſt etiam quando priſca nouis, nouaq́; priſcis anteponãtur. Res eſt grauis, animus permotus, natura de uerbo non ita multum ſolicita eſt. Tũ priſca longe optima. Virgilius, Heu quianam tanti cinxerunt æthera nimbi. Idem in decimo: Tros Rutulus'ue fuat, nullo diſcrimine habebo. Conueniunt item ſermonibus priſcis, & fictionibus perſonarum: ut rebar, opinabar, effari, ſoboles, proſapia, actutum, olli: ex quibus loco poſitis, grandior atque antiquior oratio ſæpe uideri ſolet. Noua contra in rebus floridis, & amœnitatibus, locisq́; iucundioribus non temere conueniunt: ut plurifariam, cohibilis, qualia innumerabilia fecit Apuleius, & recentiorum puerilis affectatio. Cicero, Terra diffundit & elicit herbeſcentem ex eo uiriditatem. Idem, Quæ ex fici tantulo grano. Idem, Ne ſylueſcat ſarmentis. & permulta conſimilia, ubi naturæ uoluptates, uerborum iucunditate, gratiaq́; nouitatis efficit amœniores, quibus in foro & in concionibus multo uerecundius utebatur. Alia ſunt ab oratore modificata & inflexa quodammodo. tropi nominantur: quæ figura eſt, uerbi uel ſermonis à propria ſignificatione in aliam cum uirtute mutatio. Quibus addi poſſunt, & reliquæ figuræ uerborũ. Sed quæ ſequuntur exempla, tropos maxime capiendos eſſe demonſtrant, niſi per ea quæ mirabilius quàm ſermonis conſuetudo patitur, ornamus, ſignificamus omnes uerborum figuras. Cur autem eo modo immutata uerba, modificata & inflexa dicat, in dubium uenire poteſt. Sanè ultra modum menſuramq́; propriam fuſius extenduntur, quædam prioris intellectus ſeruata dimenſione, ut metaphoræ. A' qua modificatione & competentia (ut cum Gellio dicam) modificata dici poſſe exiſtimauit. Niſi forte ſit hoc proprium omnium figurarum, nouam quandam accipere formam, quæ alia uelut lineamenta oſtentet: propterea dici figuras & conformationes, quas quidẽ in modum quendam cadere ſcimus: inflectuntur autem ab eo quod rectum, quodq́; proprium eſt, ad aliud propter uirtutem & ornatum. Prima ſunt, quæ transferuntur: ea uulgo metaphorica dicuntur, ut concionum procellæ, eloquentiæ flumina, gloriæ ſeges, os roſeum, feruet æſtu pelagus, eloquentiæ tympana, exemplorum ſylua. Eorum frequentiſſimus eſt uſus oratori, quia ſæpe proprijs aut uirtute potentiora ſunt, aut iucũdiora. Immutantur autem per metonymian dicta, quod oſtendit de Oratore lib. 3. Ne illa quidem traductio atque immutatio in uerbo quandam fabricationem habet, ſed in oratione. Hic immutatio eſt hypallage. Eiuſdem rei nomen eſt metonymia, quæ (ut ait) proprium proprio commutatur: ut Africa pro Afris, id quod continet pro eo quod continetur. Mars pro bello, inuentor eſt pro re inuenta. Campus pro comitijs, locus eſt pro illo quod fit in loco. Neptunus pro mari, poſſeſſor eſt pro re poſſeſſa. Toga pro pace, ſignum eſt pro ſignato. Arma pro bello, inſtrumentum pro re quæ efficitur. Scelus pro ſcelerato, res pro perſona cui conuenit. Hoc modo diſtinguuntur ſeptem metonymiæ ſpecies, quarum pleraque ſunt amiciores poetis quàm oratoribus. Ea quibus tanquam abutimur, rationem ſeruant translationis, καταχρηστικὰ dicuntur, hoc eſt, per abuſum uſurpata, quæ neceſſitas genuit, inopia coacta, & anguſtijs, poſt autem delectatio uoluptasq́; celebrauit: ut, gemmat uitis, luxuriatur herba, læta eſt ſeges, equitat in aſino, inhorreſcit mare, tenebræ conduplicantur, grando præcipitatur. Hæc tria poſteriora ſunt iucunditatis, non inopiæ: ſicut minutus animus pro paruo, grandis oratio pro magna. Hæ ſunt translationes paulo audaciores. Ea quæ obſcuramus, ſunt ænigmatica. Quintilianus: Hæc allegoria quæ eſt obſcurior, ænigma dicitur, id eſt obſcurus ſermo: in quo multa ſunt obſcuriora prouerbia, ut, Similes habent labra lactucas. multæ ſententiæ, Coronam ne carpſeris. multæ parabolæ, Bos laſſus fortius figit pedem. imagines quædam, Quid tu? porrigis aſſem elephanto? Cicero utitur pro Sexto Roſcio, Te pugna Cannenſis accuſatorem ſat bonum facit. Ibidem: Nihil mali eſt canes ibi quamplurimos eſſe, ubi permulti obſeruandi, multaq́; obſeruãda ſunt. Quæ incredibiliter tollimus, ſunt hyperbolica: Ferit æthera clamor, Frigidius glacie pectus amantis erat, Tu niue candidior, Veneris tu clarior aſtro. Cicero Philippica ſecunda de bonis Pompeij: Quæ Charybdis tam uorax? Charybdin dico? Oceanus mediuſfidius uix uidetur tot res, tam diſſipatas, tam diſtantibus in locis poſitas, tam cito abſorbere potuiſſe. Quæ mirabilius quàm ſermonis conſuetudo patitur ornamus, non uidentur eſſe tantum quæ circumlocutione enunciantur. nam cur potius hæc quàm gradationes, repetitiones, coaceruationes, paria, contraria, & ſplendidiores uerborum figuræ? Hæc enim tam mirabiliter ornant. quàm periphraſis: qualis eſt hæc, Candida uenit auis longis inuiſa colubris. Aliquot tropos ante poſuerat, nũc uno genere reliquas uerborum conformationes uidetur amplecti.

HABEO de ſimplicibus uerbis: nunc de coniunctione quæro.] Ex ſimplicibus uerbis, quæ natura uel tractatione ualent, coagmentatur & coaleſcit oratio. Huic igitur ſecundus aſſignatur locus. In coniunctione uerborum duo ſeruanda, numerus, & conſecutio. Nmmerus eſt ῥυθμὸς, id eſt quædam orationis muſica, quæ pro rei natura de qua agitur, longarum breuiumq́; ſpatio decurrit ad aurium dimenſionem. Numerus tempora metitur. Nã breues ſyllabæ orationem præcipitant celerem: ut, Stolidus homo fuit, qui ſophiſmata legere uoluerit. Longæ, conſtantem tardamq́; reddunt: Vtebatur tanta grauitate ſententiarum, tanta uerborum dignitate, ut illum iure ſuorum lumen, regni firmamentum exiſtimarent. Miſtæ, temperatum faciunt curſum: Animaduerti iudices omnem accuſatoris orationem in duas diuiſam eſſe partes. A' breuibus ad longas durius inſurgimus: Num te pudet? Quid hic agis? ſcelerate fugis hinc? A' longis ad breues, molliere uia & expeditiore curſu delabimur: Ex eius ore melle dulcior fluebat oratio. Ergo prius id uidendum, quibus utare pedibus: quos ideo reliquit, quòd in alijs artibus ea de re grauiter & copioſe diſſeruit. Pedes autem ratione atque arte, non auribus iudicantur. Non ſecludo iudicium aurium, ſed dico pedum rationes in artem cadere & grammaticorum, & rhetorum. Curſus orationis, de quo hic facit mentionem, non aliud quàm aurium iudicium habere poteſt. Curſus erit, ſi neque aſperè interſiſtat, neque ſubſultet, neque ſuſpendatur oratio. Hæc eſt inſuauis: Vita improborum urget illos, dat ſpem aliquam, poſtea

ſperantes perdit. Alia ſunt numeris abſoluta: ut, Domuiſti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes: ſed tamen ea uiciſti, quæ naturam et conditionem ut uinci poſſent, habebant. Quod ut ſentias, modulatione quadam uelut cantico periodos enunciare, ac propè cantare profuerit, ſed in primis aures exercitatas habere. Alia non implent uerbis id quod propoſitum eſt, hoc eſt, minus quàm par erat decurrunt: ut, Si nihil eſt uirtute præſtantius, ſi morũ dignitate nihil optabilius, bene uiuendum eſt. Clauſula eſt ex tribus membris: duo priora non indecenter mouebantur: tertium multo breuius eſt, quàm quod æquare ſuperiora poſſit. Corrigamus: Si nihil eſt uirtute præſtantius, ſi morum dignitate nihil optabilius, earum rerum ſeruata ratione uiuendum eſt. Alia redundant: Nulla eſt tantis, tanta copia, quæ non ferro ac uiribus debilitari frangiq; poſſit: uerum animum uincere, iracundiam cohibere, uictoriã temperare, aduerſarium nobilitate, ingenio, uirtute præſtantem, non modo extollere iacentem, ſed etiam amplificare eius priſtinam dignitatem, hæc qui faciat, non ego eum ſummis uiris cõparo, ſed ſimillimum deo iudico. Hæc oratio pulcherrima, numeris abſolutiſſima, redundabit ſi quid adijcias, hoc modo: Sed ſimillimum deo iudico, nec fallor. Exempla multa proferre in medium poſſum, quibus ſcatent imperiti. Sed quid opus eſt tantulum famæ, ſi quid habent, obſcurare? Ego quidem non ubique numerum compleo, neque ſemper eſt neceſſe, neque Cicero multis in locis perficit: quia non optimis quibuſque ſemper utendum. Conſecutio dicitur ἀκόλουθον, uitium contrarium ἀνακόλουθον, de quo Donatus aliquoties in Terentium. Nec tam Cicero præcipit de ſolœciſmo (quanquam uitandus eſt) quàm de conſecutione, quæ digerit orationem. Quid enim attinebat inferre prima infantium rudimenta, poſteaquam de numero & compoſitione præcepiſſet? Eſt igitur ἀνακόλουθον, quod orationem generibus perturbat: ut, uaſtabat agros, regionem populabatur, oppugnabat urbes, multiq; mortales ab eo cadebantur. Recte dictum putes, ſed uerbi genus eſt immutatum. Rectum eſt igitur, Multoſq; mortales trucidabat. Quod idem exemplum eſt de numerorum perturbatione, quale eſt iſtuc: Interimit bonos, mali relinquuntur: Innocentes damnat, nocentes abſoluuntur. De temporibus, Terentius in Andria: Principio amicum filio reſtitueris, illi generum firmum, & filiæ inuenies uirum. Reſtitueris & inuenies, ἀνακόλουθα. De perſonis Perſius: Secuit Lucilius urbem, Te Lupe, te Muti, & genuinum fregit in illis. De caſu, Cluentius fuit pater huiuſce Iudices. huic homini municipium fuit Larinum, ab eo filia nubilis relicta. Quid hac oratione contortius? dicendum igitur, Cluentius fuit pater huiuſce Iudices, homo municipij Larinatis. is reliquit filium grandem, & nubilem filiam. Si complectaris & ſolœciſmum, (per me quidem licebit) ſuppeditabunt exempla grammatici. Ego certe de recto contexendi filo dictum puto.

COMMVNIA autem ſimplicium coniunctorumq; ſunt hæc quinque quaſi lumina.] Singulorum quædam uirtutes & uitia, deinde coniunctorum, tandem ſimplicium coniunctorumq; communia ſunt hæc quinque quaſi lumina, dilucidũ, breue, probabile, illuſtre, ſuaue. Tria ſolent aſſignari narrationi, quæ ſunt etiam totius orationis, dilucidum, breue, probabile. Antonius ſecundo de Oratore: Iam uero narrationem quòd iubent ueriſimilem eſſe, & apertam, & breuem, recte nos admonent. Quòd hæc narrationis magis putant eſſe propria, quàm totius orationis, ualde mihi uidentur errare. Duo poſteriora illuſtre & ſuaue, ad illam magnificentiorem ſplendidioremq; pertinent orationem: qualis adhibetur locis communibus, & generi demonſtrationis, ubi uerborum uoluptatibus, & iucunde fluentibus numeris indulget orator. Adhibentur etiam quibuſdam narrationibus, quibus res omnis ſic exponitur, ut non audiri modo, ſed etiam geri uideatur. Adhibentur & alijs partibus, cum res ipſa poſtulat. Sit oratio dilucida, quo facilius intelligatur. Breuis, ne grauet memoriam, tædiumq; pariat. Probabilis, ut mereatur fidem. Illuſtris, ut digna ſit oratore, magniſq; rebus, ut remq; ponat ſub oculos. Suauis, ut animum delectet. An hæc quinque cadunt in omnem orationem? nihil eſt neceſſe. non omnis oratio probabilis ſuauis eſt, & illuſtris. Vt ſunt hæc communia ſimplicium atque coniunctorum? Vtrorunque habenda ratio eſt, ut fulgeant hæc lumina. Quomodo ſe habent ad tria genera dicendi, ſubtile, graue, intermedium? In horum nullum nõ ueniunt. DILVCIDVM fit uſitatis uerbis.] Dilucidum genus orandi ubique ferè locum obtinet, ſed præcipue rebus exponendis: quod optima ratio perſuaſit. Nam ſi uitioſum eſt obſcure loqui, & abdite narrare, contrarium eſt uirtus. Inuſitata uerba, ut Caſnar. Impropria, ut ferre pedem. Indigeſta, ſiue de loco in locum male reiecta, confundunt orationem: ut, Pedem Caſnar in templũ labans ferebat tarde. Quid igitur? uſitatum, ſenex: propriũ, ire: diſpoſitum, quod bene & ordine coniunctum eſt. ut, Senex infirmus tardus ibat in templum. Poetæ ſunt obſcuri, quòd improprijs, inuſitatis, permiſtiſq; uerbis, id quod uolunt, enunciant: nec intelliguntur ſermonis affectatores, quoniam placuerunt illis uitia obſcuritatis. Cicero contra facilis eſt captu: uerba ponit uſitata, propria, digeſta. Proprium & uſitatum eſt in ſimplicibus: in coniunctis obſeruanda ratio componendi. Ea triplex. alia eſt clauſula, quæ eſt periodos numero concluſa. aliud mẽbrũ uelut à corpore ſuo diductũ. aliud inciſum, κόμμα dicitur. Dicendum aliquando membratim, aliquando caſim, aliquando plena continuatione. Periodon appellat concluſam circunſcriptionem, hoc eſt numeris orbeq; circunductam comprehenſionem. Membrum uocat intermiſſionem, quia deflectentes à periodo, perfectam illam continuationem, ut inuidioſam intermittimus, hoc eſt deſerimus: quod ait ipſe in Oratore: Sin mẽbratim, inquit, uolumus dicere, inſiſtimus: idq; cum opus eſt, ab iſto curſu inuidioſo facile nos & ſæpe diſiungimus. Verborũ conciſionem, dicit inciſum. Ponit exemplum in Oratore: Domus tibi deerat? at habebas. pecunia ſuperabat? at egebas. Hæc inciſe dicta ſunt quatuor: at membratim quæ ſequuntur duo: Incurriſti amens in columnas, in alienos inſanus inuaſiſti. Deinde apponitur circunſcriptio concluſa: Depreſſam, cæcam, iacentem domum, pluris quàm te, quàm fortunas tuas æſtimaſti. Hæc tria ſunt, non alia genera diſpoſitionis, quibus utuntur ij qui ſua præclare atque uarie diſponunt. Ex qua collocatione ac diſpoſitione uerborum, lux affertur orationi, & periucunda uarietas. At periodus, membrum, & inciſum, alijs etiã figuris formiſq; dicendi conueniunt. Sanè. Sed propria ſunt luminis dilucidi, quando uerbis uſitatis, proprijs, diſpoſitis formantur. Non refero intermiſſionem & conciſionem ad uerba ſingula, quia nihil faciunt eiuſmodi uerba ad orationis claritatem. Intermiſſio membrum dici poteſt, facta collatione cũ periodo. Periodus curſum continuat: hinc continuatio uocatur. membrum non ita continuat, ſed intermittit & interrumpit. Cur potius intermiſſionem conciſionemq; uerborum dicit, quàm orationis? Sic dicimus circunſcriptionem uerborum, quemadmodum intermiſſionem: quia uerborum compoſitione quadã numerus innectitur. Ergo obliquus ille caſus uerborum, ad tria refertur. Obſcurum genus dilucido contrarium, quale Cicero damnat in Rullum: Vnum erat, inquit, quod mihi uitioſum uidebatur, quòd tanta ex frequentia inueniri nemo potuit, qui intelligere poſſet qui diceret. Ex quo facile cognoſcas hoc traditum genus potius ad euitandum, quàm inſequendum. Niſi forte locus obſcuritatis aliqua ratione quæretur: ut cum mores hominum occultius inſectamur, aut tenebras ultro offundimus, uſi contecto quodam genere dicendi. Orationis autem longitudo

parit

parit obſcuritatem: cuius rei permulta ſunt exempla etiam doctiſſimorum uirorum, qui continuantes ambitum uerborum, uix tandem ſententiam perficiunt. Plura ſunt imperitorum, qui mediis uerbis inferentes ter quaterq; parentheſin, duabus clauſulis abſoluunt epiſtolam etiam longam. Exempla proferre nihil eſt neceſſe. Orationis contractio, longitudini opponitur: de qua notum eſt Horatij præceptum, Breuis eſſe laboro, Obſcurus fio. In quo genere multus Saluſtius, & Suetonius, & Valerius Maximus. In eo frequentiores poetæ latini, qui fabulas & hiſtorias attigiſſe contenti, palpabilem propemodum euaporarunt caliginem. Virgil. Manet alta mente repoſtum Iudicium Paridis, ſpretæq; iniuria formæ, Et genus inuiſum, & rapti Ganymedis honores. Quàm multa breuiter amplexus eſt? Ambiguitas eſt duplex: in ſingulis, & coniunctis. In ſingulis, ut, Rem præclare geſſit in Gallia. In coniunctis, Ergo pacis alumnus, an qui pacem aluit? an'ne potius quem pax aluit? Sic iniuria uiri, Mulieris amor, Beneficium patris. Inflexionem accipe, immutationem. nam cætera diuiſit, hæc autem coniunxit, quod prioris eſſet interpretamentum ſecundum. Per utrunque, uerborum figuras obſcuriores accipimus, quia paulo ante figurata dixit ab oratore modificata, & inflexa quodammodo, hoc eſt immutata ab illa propria ſignificãdi natura, ad id quod improprium eſt quidem, ſed ratione quadam proximum. Nemini autem dubium eſt, quin ſi proprijs uerbis dilucida conſtat oratio, quod paulo ante dixit, eadem obſcura reddatur improprijs atque figuratis. Perſius: O' Iane, à tergo quem nulla ciconia pinſit. dilucidum magis erat, Ianus à tergo ſubſannantem uidet. Ne dicas inflexionem eſſe deriuationem. hoc enim modo, ſi obſcurius eſt uerbũ, id fit quod ſit inuſitatũ, non quod aliunde deducatur. Sunt qui per immutationem uerborum ſignifiari uolunt ordinis inuerſionem contrariã conſecutioni. Non repugno. In ambiguis uariæ ſunt opiniones. Sed talis immutatio non ſemper eſt obſcura: & ſi qua eſt, nomine obſcurioris figuræ continetur. BREVITAS autem cõficitur ſimplicibus uerbis ſemel unaquaque re dicenda, nulli rei niſi ut, &c.] Breuitate commendatur hiſtoria, narratio quoque, & omnis illa tenuis et nuda ratio loquendi, in qua ferè totus eſt Cæſar in Commentarijs. Conficitur autem uerbis ſimplicibus, detractis epithetis circunlocutione & aggeratione ſummota. Cicero latinæ facundiæ parens, cauſas forenſes & iudiciales egit. Breuius iſtuc, Cicero cauſas egit. Ratio diſſerendi, & dicendi facultas, & illa uis oratoria, multitudini legibus & magiſtratibus: conſtituta perquã neceſſaria eſt circunlocutio eſt. expeditius iſtuc, Rhetorice ciuitati neceſſaria. Dilatat etiam uerborum multitudo. Cicero Antoniana ſeptima: Equidem non deero, monebo, prædicabo, denunciabo, & teſtabor deos hominesq; quid ſentiã. ſatis erat ad explicandum, denũciabo quid ſentiam. Breuitas etiã fit ſemel unaquaque re dicenda, nulla facta commoratione, nulla geminata repetitione. Proponatur illud Catonis apud Gellium, Succidias humanas facis, decem funera facis, decem capita libera interficis, decem hominibus uitam eripis. Quater dixit idem: breuitas unum modo collocaſſet. Breuitas etiam conficitur, ſi nulli rei, niſi ut dilucide dicas, ſeruies: hoc eſt, uteris proprijs uerbis, uſitatis, & diſpoſitis. Quantum uoles exemplorũ ſuppeditabit Cæſar. Si non ſolum dilucide, ſed etiam ornate, copioſe, grauiter agere uoles, creſcet oratio: ut ſi Commentaria Cæſaris magnificentius ornare contendas, auctoris ſeruata breuitate nõ poteris. PROBABILE autè genus eſt, &c.] Sæpenumero oratio eadem breuis eſt, probabilis, et dilucida, ſiue narratio eſt, ſiue confirmatio, ſiue alia pars orationis. Sed iſtorum ratio diuerſa eſt. Non eſt probabilis ille nimius ornatus, et eloquentia, ut ait Fabius, libidinoſa, & reſupina uoluptate molliter effeminata, ubi rerum grauitas negligitur, unum quæritur lenocinium uerborum. Contra probabilis eſt oratio, compta quidem, & expolita. nec enim ſordes patitur, ſed robuſta, uirilis, maſcula, minime fucata. quo genere ſemper utetur orator, & in quo (ne quid deſideretur exempli) Cicero totus eſt. Vbi figura dicendi recta fuerit, & proba, quæretur pondus in uerbis, grauitas in ſententijs. his enim duobus omnis conſtat oratio. Cicero pro Cluentio: Tum uero illa egregia ac præclara mater, palàm exultare lætitia, ac triumphare gaudio cœpit, uictrix filiæ, non libidinis. Itaque diutius ſuſpicionibus obſcuris lædi famam ſuam noluit. Lectum illum genialem, quem biennio ante filiæ ſuæ nubenti ſtrauerat, in eadem domo ſibi ornari et ſterni, expulſa atque exturbata filia, iubet. Nubit genero ſocrus, nullis auſpicijs, nullis auctoribus, funeſtis hominibus omniũ. Quid hac auctoritate uerborum grauius? quæ ſententiæ grauiores eſſe poſſunt? Pondus eſt grauitas: grauitas autem, ſignificandi uis multa. Contraria leuitas & uerborum & ſententiarum. Probabile genus eſt & illud, quod interſerit argumenta ualida, aut argumentorum ſeminaria, & quod aptum eſt atque conſentaneum hominũ apud quos agitur opinionibus. Facile enim probant quod eſſe uerũ opinãtur, quodq; reſpõdet moribus: ut quod loquitur paraſitus apud Terentium, paraſitorũ moribus aptiſſimum eſt. ILLVSTRIS autem, &c.] Illuſtre genus, ut ipſe definit, pars eſt orationis, quæ rem conſtituit penè ante oculos. Ferit & alios ſenſus, ut aurem, mouetq; mentem. Sed oculos dicimus, quia is maxime ſenſus attingitur. Id confirmat Ariſtoteles libro de Senſu, & ijs quæ ſentiuntur. αὐτῶν δὲ τούτων πρὸς μὲν τὰ ἀναγκαῖα κρείττων ἡ ὄψις. id eſt, Ex his ſenſibus uiſus ad neceſſaria præſtantiſſimus. Vſus generis huius eſt, ut nõ modo intelligamus, ſed ut uidere uideamur, quæ dicitur ὑποτύπωσις & ἐνάργεια, & repreſentatio, & euidentia. Virgilius 8. de Cyclopibus.

Ocyus incubuere omnes, pariterq; laborem
Sortiti: fluit æs riuis, auriq; metallum:
Vulnificusq; chalybs uaſta fornace liqueſcit.
Ingentem clypeum informant, unum omnia contra
Tela Latinorum: ſeptenosq; orbibus orbes
Impediunt: alij uentoſis follibus auras
Accipiunt, redduntq;: alij ſtridentia tingunt
Aera lacu: gemit impoſitis incudibus antrum.
Illi inter ſeſe magna ui brachia tollunt
In numerum, uerſantq; tenaci forcipe maſſam.

In hoc genere illuſtri uerba grauitate delecta ponuntur: ut, Ocyus incubuere, uaſta fornace, ingentem clypeum informant, tollunt in numerum. neque enim ſignificantiora, neque meliora inueniri poſſunt. Ponuntur & ſuperlata, unum eſſe clypeum omnia contra tela Latinorum, ſeptenos orbibus orbes impediri. Sunt ad nomen adiuncta, quæ dicuntur adiectiua. Sonitus autem ab imitatione rerum non abhorret, uel hoc maxime, Stridentia tingunt Aera lacu: &, Illi inter ſeſe magna ui brachia tollunt In numerum: qui uerſus laborat pedum tarditate, ut conatus ille grauior oſtendatur. Quid multis? Sic omnia ſunt illuſtria, ut rem & audire & uidere uideamur. Cic. in Philip. 2. de bonis Pompeij: Oceanus mediusfidius uix uidetur tot res, tam diſſipatas, tam diſtantibus in locis poſitas, tam cito abſorbere potuiſſe. Nihil erat clauſum, nihil obſignatum, nihil obſcriptum. Apotheca tota nequiſſimis hominibus condonabantur: alia mimi rapiebant, alia mimæ, domus erat aleatoribus referta, plena ebriorum totos dies potabatur, atque id locis pluribus. Suggerebantur etiam ſæpe, non enim ſemper iſte felix, damna aleatoria conchyliatis Cn. Pomp. periſtromatis, ſeruorum in cellis lectos ſtratos uideres. Hic ſuperlata, hoc eſt hyperbolica, hic uerba delecta, uerba duplicata, ad nomen adiuncta, idem ſignificantia: quæ pluribus oſtenderem, niſi breuitati ſtuderem, & res ipſa per ſe intelligeretur. Itaque illuſtris oratio eſt, & probabilis, et dilucida, et plus aliquanto quàm dilucida.

Dilucida uult intelligi, illuſtris & intelligi et prope uideri: hoc eſt tam ſignate deſcribi, ut uideatur eſſe ſub oculos. SVAVE autem genus erit dicendi, primum, &c.] Suaue dicendi genus ex tribus conficitur: ex elegantia & iucunditate uerborum ſonantium & lenium: ex ſuauitate collocationis & numeri: ex bonitate figurarum. Elegantia & iucunda uerba ſunt, non affectata, non illa minus uſitata, magniſq; laboribus à uetuſtis rerum ſcriptoribus pueriliter emendicata: ſed omnia ſonauola, & lenia ex ſuauibus literis, in quibus uerbis eſt praeclara ſignificandi uis, ſine obſcuritate: ut elegantia, iucunditas, modulatio, florere, magnopere, feſtiue. Coniunctio, iunctura à Quintiliano dicitur, quae ſi proxime cohaeret, ut lapides coagmentati, foedos & aſperos fugit concurſus priorum ſequentiumq; uerborũ, ut caeca caligine, clara Roma, tuba bona, mors turpis, lex Sanctia. Euitat etiã disiunctos hiatus, ut ama omnes, arma Aeneae, ſeditio exoritur, frugi homo. In Oratore Cicero conuerſionem uocalium dicit: quamobrem concurſus aſperos ad uocales, hiatus ad conſonantes referre poſſis. Ad ſuauitatẽ facit & circunſcriptio, quae eſt abſoluta numeris, & aurium iudicio comprehenſa periodus. pro lege Manilia: Statui Quirites, ueſtram uoluntatem, & Reip. dignitatem, & ſalutem prouinciarum atque ſociorum, meis omnibus commodis & rationibus praeferri oportere. Decurrit haec oratio cum ſuauitate, nec anfractu longo, id eſt circunductione longe producta, ſpiritum uocemq; debilitat. Nec ſatis eſt orationem bene cohaerere, ſi nõ habet ſimilitudinem aequalitatemq; uerborum. Nec enim ſi minutim lapides grandioribus ſaxis in muro cohaerent, pulcherrimam faciunt ſtructuram, ſed potius inaequalem, aſpectuq; deformem, ſic in oratione ſuauiori quaerenda uerborũ ſimilitudo. Ponamus inaequalis, & improbanda: Ferebatur ea uolubilitate linguae, eaq; dicendi celeritate, ut nihil eſſet leue magis. Quin quae poſteriora uerba caeteris multo minora ſunt. aequiparemus hoc pacto, Ferebatur ea uolubilitate linguae, eaq; dicendi celeritate, ut nihil omnium uolubilius accelerari et expediri poſſit. In quo ſyllabas haudquaquam metimur, ſed diſcordiam magnitudinum repudiamus. Sunt qui ſimilitudinem referunt ad ſimiliter deſinentia cadentiaq;, aequalitatem ad paria membra. Quia de paribus membris poſtea facit mẽtionem, et ſimilitudo pro ſimiliter cadentibus atque deſinentibus longe petitur, malo ſtare priore ſententia, & ſimilitudinem referre ad concordiam uerborum, aequalitatem ad parem uel ferè parem magnitudinem. Sunt & figurae iucundiores, cum crebra crebris, paria paribus relata reſpondent. Cicero pro Milone: Eſt igitur iudices non ſcripta, ſed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus: uerum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus. Hic paribus numeris comprehenſa crebro conferuntur. Contraria relata ſunt in eadem oratione: Quem cum omnium gratia noluit, hunc uoluit cum aliquorum querela? quem iure, quem loco, quem tempore, quem impune non eſt auſus, hunc iniuria, iniquo loco, alieno tempore, cum periculo capitis non dubitauit occidere? Relata ad idem uerbum: Africano uirtutem induſtria, uirtus gloriam, gloria aemulos cõparauit. Relata ad uerbum non capio epiphoram, qua in idem uerbum coniiciuntur clauſulae, quoniam epiphora nomine ſaepius iteratorum melius comprehenditur. Geminata atque duplicata accipimus eadem. Quintilianus: Nam & uerba geminantur, ut, Occidi occidi, Ah Corydon Corydon. Cicero Philip. ſecunda, Bona (miſerum me, conſumptis enim lachrymis, tamen infixus animo haeret dolor) bona inquam Cn. Pompeij acerbiſſimae uoci ſubiecta praeconis. Saepius iterata ſunt: Vos enim ſtatuiſtis, uos ſententiam dixiſtis, uos iudicaſtis. Coniunctionibus copulantur haec pro lege Manilia: Aſia tam opima eſt & fertilis ut ubertate agrorum, & uarietate fructuum, & magnitudine paſtionis, & multitudine earum rerum quae exportantur, facile omnibus terris antecellat. ἀσύνδετον in celeritate, πολυσύνδετον in tarditate melius eſt. utrunque ſuo loco ſuaue atque iucundum. Diſſolutionibus haec relaxantur, hoc eſt, ſine coniunctione ponuntur, in octaua Antoniana. At uero erecti, incitati, parati, armati animis iam eſſe debemus. Vtemur autem ſuaui genere dicendi, quando uoluptatem afferre cupiemus, ut in laudationibus; aut motus animorum componere, aut admiratione retinere mentes. FIT etiam ſuauis oratio, cum aliquid aut inuiſum, aut inauditum, &c.] Suauis oratio conficitur uerbis, ut ante dictum eſt, & rebus, de quibus nunc agitur. Res numero quinque ſunt. Inuiſum, id eſt, non ante uiſum: Inauditum, nouum, affectus, & oratoris amabiles mores. Delectant haec omnia, ſuſcitant attentionem, animumq; paſcunt. ea de re ſuauia dicuntur. Inuiſum & inauditum differre ſciunt omnes. Res geſtas priſcorum non uidimus, ſed audiuimus. hoc ad aurem, illud ad oculum pertinet. Verum ab his duobus noua quantum differant, haud forte cuique notum eſt, quia inuiſa et inaudita uidentur eſſe noua. Nouum temporis eſt: inauditũ & inuiſum ignorationis, & rei quae non uenit in ſenſum. Tamen aliquando confunduntur. Cicero in Academicis: In rebus inuſitatis utamur uerbis interdum inauditis. Et paulo poſt de re eadem: Noua ſunt rerum nouarum facienda nomina. Hic inaudita uerba & noua dixit eadem. Hoc itaque mihi uidetur, Ciceronem duos praecipue facere ſenſus, aſpectum & auditum, quibus orator multa cognoſcat: reliquos oratori non ita ſaepe conſiderandos exiſtimare. Deinde inuiſa & inaudita non accipere, quae nemo unquã uel uiderit, aut audierit (hoc enim modo noua eſſent omnia) ſed quae nemo eorum qui ueluti nouitate capiuntur. Praeterea noua appellare, quaecunque recenter acta ſunt. Laudauit poetas Cicero in oratione pro Archia poeta, hoc nouum fuit in iudicio Romano: Vtar, inquit, ueſtra benignitate, quoniam me in hoc nouo genere dicendi diligenter attenditis. Saſſia Cluentij mater, filiae diuortium fecit, nupſit genero ſuo Melino. Hoc Romae dicit inauditum. O mulieris, inquit, ſcelus incredibile, & praeter hanc unã in omni uita inauditum. Octauius Caeſar penè puer exercitum ſua ſponte comparauerat in Marcum Antonium. Hoc inuiſum & inauditũ Cicero ponit Philippica quarta. Laudo, laudo uos Quirites, cũ gratiſſimis animis proſequimini nomen clariſſimi adoleſcentis, uel pueri potius. Sunt enim facta eius immortalitatis, nõ aetatis. Multa memini, multa audiui, multa legi, nihil ex omnium ſeculorum memoria tale cognoui. Suauis oratio, multumq; popularis. Iam quaeris orationem quae motum aliquem animi cõmiſcet. In perorationibus frequẽter inuenies, & in alijs partibus actionum, ſed multo pulcherrima eſt tertia actione in Verrem de caſu Philodami: at longior eſt quàm quae commentarijs inſeri debeat. Amabiles mores oſtendit orator aut commendatione uirtutum, aut inſectatione uitiorum, aut indicio animi liberalis, & ad officia ſubeunda prompti. Multa ſunt exempla in Seruilium Rullum, & in Verrem, & hoc pro Cluentio. Abs te peto Oppianice, ut me inuitum de patris tui cauſa dicere exiſtimes, adductum fide atque officio defenſionis. Sermonis inflexio non eſt apoſtrophe ut quidam fabulatur, ſed uelut egreſſio, cum deflectit orator à curſu, aut augendi alterius, aut minuendi ſui cauſa. Cicero pro Cornelio Balbo: Ei ſuccedo orationi, quae nõ praeteruecta ſit aures neſtras, ſed in animis omnium penitus inſederit, ut plus uoluptatis ex recordatione illius orationis, quàm non modo ex mea, ſed ex cuiuſquam oratione capere poſſitis. Hic ſe comitate & benignitate quadam imminuit, ut Pompeiũ Craſſumq;, qui pro Cornelio ante dixerant, augere poſſit. Nec id facit per ironiam atque diſſimulationem, ſed, ut ipſe dicit, per comitatem. Poſtea uideamus quae ſuauitatis praecepta magis obſcuram, minusq; probabilem faciunt orationem. Elegantia uerborum, atque iucunditas perſaepe figurata, deinde compo-

ſitio

ſitio quæ tranſgreſſione ſæpe utitur, hoc eſt uerba de loco in locũ traducit, & figura comptiores, & ſermonis inflexiones, non ſemper quidem, ſed plerunque orationem aut magis obſcuram, aut minus probabilem faciunt. Obſcuram, quòd ab uſitata uulgariq; ratione dicendi recedunt, quiddam ornatius quærunt. Minus probabilem, quia probabile, ut paulo ante dixit, non nimis eſt comptum atque expolitum, ſed habet pondus in uerbis, in ſententijs auctoritatem. Quamobrem ſuauitati non utique dabitur locus, ſed nobis eſt ipſis quid cauſa poſtulet iudicandum.

RELIQVVM *eſt igitur, ut dicas de conuerſa oratione atque mutata.]* Diuiſio facta eſt orationis. Genus eſt, inquit, eloquendi ſua ſponte fuſum, alterum uerſum atque mutatum: nunc de conuerſa oratione præcipit, atque mutata, in cuius non dicam interpretatione, ſed inuerſione, interpres ille Georgius fruſtra laborauit: doctus quidem, bene tradita in improbum ſenſum conuertere atque mutare. Vidit Cicero proprijs & ſimplicibus uerbis, & oratione ſponte fuſa atque naturali, non ſemper utendum: quòd neque iucundum ſit, neque uarium, neque uehemens, uno ſemper uti genere dicendi. uoluit igitur & uerba ſingula, & coniuncta aliquando mutari, ut plus uarietatis, plus iucunditatis, plus cuiuſdam uirtutis eſſet in oratione. Eſt itaque id genus totum ſitum in commutatione uerborum. Commutatio duplex. Altera uerba de loco mutat in locum, aptius ordinandi gratia: altera dilatat aut contrahit uerba, aut ad petendam uarietatem, aut ad ſignificandi uim ampliorem. In qua mutatione plurimum uerſatur orator. Hinc illud infra: Eloquendi, inquit, exercitatio maxime in hoc toto conuertendi genere uerſatur. Nam (quod ante dixi) genere ſponte fuſo perraro uti poſſumus, propterea quòd ordo naturalis ut eſt multo optimus quando reſpondet, ita uotis eloquentiæ non ſæpe reſpondet. Quòd ſi antea de commutatione uerborum facta mentio uidetur, cum de numeris, de conſecutione, de quinque generibus orationis eſt dictum, nihil eſt quòd mirere. Id factum eſt duabus de cauſis. Aliquando ſponte fiunt iſta: ſæpe arte innectuntur generi ſponte fuſo, uerbis aſſumptis idem quod primum occurrentia notantibus, ordine non mutato. Si mutant ordinem, ad genus uerſum pertinent. habent igitur aliquid cõmune, propter quod ad utrunque genus referri poſſunt. Iam de mutatione. Verba dilatantur, oratio in pauciora quædam contrahitur, uel etiam in unum uerbum. Proprium eſt uerbum, bellum. Idem ſignificans aſſumpta figura, Mars. neque enim dicit idẽ ſignificantia ſynonyma, quæ & ipſa propria ſunt: ſed in figuris uſurpata loco propriorum. Factum, id eſt compoſitum, de quo maxime fit hic mentio, (quãuis quatuor modis uerba fiãt) ut armipotens bellum ducitur in plura, ut motus armorum in hoſtili diſcordia. Quid tum? hoc & illo ſic utemur, ut res ipſa perſuadebit. Bello uicit Aphros, honeſto marte ſuperauit Aſiaticos, & in hoc armorum motu ac hoſtili diſcordia nunquam ceſſit rebus aduerſis. Hoc modo & copia, & uarietas, & iucunda uerborum compoſitio miſcetur. Armipotens dicitur à poetis, nec enim omnia ſuccedunt, neque tot membris ſeparantur. Experiare licet ſimilem uariandi legem. Cicero non dicit ubique rhetoricen, ſed etiam oratoris artem, orandi facultatem, rationem diſſerendi, bene dicendi ſcientiam, dicendi facundiam. dices tamen, non quod primum ueneris in buccam (ſic faciunt imperiti) ſed quod optime prioribus ac poſterioribus cohærebit. quod ipſe facit libro de Oratore. Definitio ad unum uerbum reuocatur: hoc modo rem finit orator, deinde quod pluribus intelligendum propoſuit, uno complectitur uerbo: quæ ratio dicendi ſit amplior & grauior, quàm ſi quid ieiune atque ſicce uerbo tantum notetur: quod quando ſit uſurpandum, res ipſa mõſtrabit. Cicero, Nos deorum immortalium templa, nos muros, nos domicilia, ſedesq; populi Romani, penates, aras, focos, ſepulchra maiorum, nos leges, iura, libertatem, coniuges, liberos, patriam defendimus. Partibus definit patriam, deinde uerbo comprehendit, partesq; toto complectitur. Dicet quiſpiam, hic uerbum in plura uerba diducitur. Fatebor quidem: ſed aliud eſt progredientem ab uno ad plura peruenire, aliud à pluribus ad unum. Referuntur hæc, dilatatio, & contractio: ideoq; in contrarium ducuntur. Tale eſt illud Virgilij, Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuere coloni, Carthago. Nam deſcriptio Carthaginis reuocatur ad uerbum. Aſſumpta uerba remouentur per negationem, non per correctionem, quæ nihil remouet, ſed magis idoneum ſubiungit. Etenim Quintilianus appellat argumentũ à remotione, cuius una pars pluresue negando tolluntur. De correctione ſit hoc exemplum, ex actione tertia in Verrem: Nõ enim furem, ſed ereptorem: non adulterũ, ſed expugnatorem pudicitiæ: non ſacrilegum, ſed hoſtem ſacrorum religionumq;: non ſicarium, ſed crudeliſſimum carnificem ciuium ſociorumq; in ueſtrum iudicium adduximus. Hæc ita remouentur, ut in breuius non contrahantur. Quæ de re non idoneum ſit exemplum, ſed ea cauſa poſitum, ne quis arbitretur eiuſmodi remotiones ab auctore ſignari. In breuius contrahuntur hoc modo: Errauit imprudens, ſenſu lapſus eſt, exiſtimauit eſſe Pompiliũ, qui eſſet Octauius: ſceleri non adiecit animum. Nihil eſt iſtorum. Quid igitur? Occidit inimicum. Priora tolluntur, ut apertius conficiatur hoc extremum, quæ rei totius eſt ſumma. Circuitus autem comprehenſio eſt, ſiue circunſcriptio longioribus numeris comprehenſa, quæ dicitur à Græcis periodos: de qua Cicero in Oratore, Quintilianus in nono, permulta dixerunt. Difficilius iſtuc expedire, quid circuitus ad orationis cõtractionẽ omnino faciat. Ego quidem ſic exiſtimo, eſſe plurima quæ dicendo ab oratore longe lateq; funduntur: tandem una periodo anguſtius omnia contrahuntur: ut fit in peroratione frequentiſſime, quando repetuntur argumenta. Nec in peroratione ſolum, ſed in omni quæſtione, ſi quid fuſius ſparſum parit obſcuritatem, id circunſcribimus, unoq; circuitu comprehendimus, ut quid ſit effectum, manifeſtius oſtendamus. Et ne tædium afferamus in longioribus exemplis, ponamus hoc noſtrum. Irrita ſunt apud te preces amicorum: nulla te mouet neceſſitudo: non te reddit exorabilem affinitas: nihil te flectunt propinquorum uoces: nulla parentum mouet te charitas. quid eſt igitur quod ipſi ſperare poſſimus? Hæc membra ſex breuiter in circuitum diriguntur hoc modo: Si neque preces amicorum, neque neceſſariorum, neque affinium, neque propinquorum, neque etiam parentum te mouent, quid eſt quod ipſi ſperare poſſimus? Vnde conſtas illum circuitum, quo frequenter utuntur hiſtorici, plurimum iuuare breuitatem, ac diſſipata diſperſaq; in unum cõgregare, atque etiam leuare tædium audientis, ſi forſan immorandum eſt, unumq; & idem ſæpius alio & alio modo enunciandum, aut ſi repetitione priorum argumentum colligendum. In coniunctione, hoc eſt in compoſitione uerborum, fit unũ uerbum ex duobus: ut, Patrem occidit parricida: poteſt omnia fortuna omnipotens: ſalutem feret ſalutifer exercitus.

IN *coniunctis autem uerbis triplex adhiberi poteſt, &c.]* Orationis ordo triplex eſt: directus unus, inuerſus alter, alius permixtus. Cicero Philippica ſeptima. Num hoſtem Antonium iudicauiſtis? Nec tum hoſtis eſt à uobis iudicatus Antonius? Et paulo poſt, Tum non hoſtem iudicaſtis Antonium? Et iterũ, Tum ille hoſtis non eſt iudicatus? Et rurſus, Non eſt iudicatus Antonius hoſtis? Quoties unam & eandem commutauit ſententiã? Ouidius, Anna ſoror, ſoror Anna. Directum, Omnia parent homini. Inuerſum, Homini parent omnia. Permiſtum, Omnia homini parent. Hæc eſt illa commutatio non uerborũ, ſed ordinis tantummodo, quam tradit auctor, & ad eligendum id quod omnium eſt optimum, & ad uariandam repetendorũ collocationem. Ideo enim eloquendi exercitatio maxime in hoc toto cõuertendi genere uerſatur, quia orationũ copia, coagmen-

tatio, numerus, figura uerborum quædam, ex ordinis commutatione ducuntur. ACTIO igitur ſequitur, ut opinor.] Actio pronunciatio eſt, quarta pars artis Rhetoricæ, ut hoc in opere Cicero cóſtituit. Et ante rationem cómonſtrauimus, eóq; fecimus, quòd alibi quintam fecerat partem. Omnis actio cum rerum & cũ uerborum momentis, id eſt uarijs crebriſq; immutationibus cómutanda maxime eſt. Eſt enim actio ſententiarũ, & actio uerborum. Nec in oratione plura ſunt: & omnis actio eſt in uarietate uocum, motus corporis, uultus. Vox autem ferit, motus corporis & uultus tangit oculum. Per quos duos ſenſus (inquit Fabius) omnis ad animum penetrat affectus. Vox eſt in quantitate grãdis, exigua, media. In qualitate, candida, fuſca, plena, exilis, lenis, aſpera, cõtracta, fuſa, dura, flexibilis, clara, obtuſa. Voce utimur acuta, graui, flexa, lenta, citata. Motus corporis eſt, uel in toto, uel in partibus, ut capite, humeris, brachijs, manibus, pectore, lateribus, pedibus. Vultus in fronte, ore, & adiunctis partibus, non cum de loco in locum mouentur, quod ad motũ pertinet, ſed cum indicio quodam & nota ſanguinis aut ſpiritus interiorem animum produnt. Produnt autem naturaliter, non cũ diſſimulatione & arte imitantur ueritaté. Hæc tria plurimum ualebunt, ſi cum orationis genere, réq; ſubiecta conſentient, eius'que uim ac uarietatem ſubſequentur. Dilucidam faciunt orationem, diſtinctione: illuſtrem, rei imitatione: probabilem, dignitate: ſuauem, tacita quadam modulatione. Quæ rebus & uerbis quidem fiunt, tamen meliora fiunt cum pronunciatione adiuuantur. Cur autem hiſce de rebus Cicero tam breuiter? Quia limari quidem, ſed donari ab arte nó poſſunt. quod ipſe libro de Oratore teſtatur. Hæc, inquit, cum ipſo homine naſcuntur, linguæ ſolutio, uocis ſonus, latera, uires, conformatio quædam & figura totius oris et corporis. In Oratore tamen paulo plura ſcribit expreſſiora: ſed nos ad ea melius componet imitatio, quàm multa præceptorum traditio. Quintilianus uoluit rem omnem late fuſéq; tractare, ac eloquentiæ ueſtire: quod ut minus eſt neceſſarium, ita certe ad cognoſcendum non inutile. NVNQVID nam de oratore ipſo reſtat?] In partibus extremam memoriam facit, ut aliarum cuſtodem. Ea eſt duplex. naturalis, quæ non cadit in præceptum. Artificialis, quam una ratione & ſimilitudine perſtringit. Vtendum, inquit, locis pro charta, imaginibus pro literis: quia memoria eſt germana, id eſt ſimilis, literaturæ, quæ eſt conformatio & uelut pictura literarum. Literatura & conſcriptio conſtat ex notis & ſignis literarum, & ex eo in quo imprimuntur notæ, ut charta, membrana, pugillaribus. Sic confectio memoriæ, quæ eſt ars conficiendæ memoriæ, locis utitur pro ceratis tabellis, imaginibus pro literis. Loca memoriæ ſunt, ædes, caſtella, templa, uiæ. Imagines autem quiſque pro ſuo arbitrio fingit, ut leonũ, urſorum, armorum, rerumq; cæterarum. Verba collocantur, & ſententiæ. Verba quidem, ſi admodum pauca ſunt, quia permulta collocare nunquam expediet. Sententiæ melius deſignantur, ut ſi dicturus orator quinque faciet partes, & in ueſtibulo domus ſtatuat armatum Annibalem, quia deliberandum ſit de bello Punico. In atrio argentarium nummis onuſtum, quòd de cogenda pecunia locus alter habeatur. In impluuio treis uiros ingentes in equis, quia tertius eſt locus de præficiendis tribus imperatoribus. In aula prima duas manus in latum diuulſas & armatas, quoniam ſit quarta pars de ſupplendis legionibus decem. In aula ſecunda fingat duas lunas, quòd ultimus eſt locus, ſecundo menſe copias educi oportere. Hæc indicare ſatis eſt. Etenim memoria non tam arte quàm uſu & exercitatione firmatur. Pauca de memoria præcepta, multus eſt uſus, exercitatióq; longa. QVONIAM igitur uis oratoris omnis expoſita eſt, quid habes, &c.] In treis partes diſtributa eſt omnis doctrina dicendi: primum in ipſam uim oratoris, deinde in orationem, tum quæſtionem. Porrò tranſit ad ſecundũ, quæ præceptis orationis continetur. Orationis partes ſunt quatuor: ſi refutatio confirmatione concluditur, duæ quidem ad docendum, totidem ad mouendum: quarum uis & ratio ab interpretatione ſuperiori peti poteſt. Principium delibat affectus, peroratio conficit & abſumit. Narratio docet quid ſit in cauſa. Confirmatio, quid certi incerti'ue ſit. Probationis eſt, ea quæ dubia pendebant, certioribus oſtendere: & quæ certa uidebantur, incerta demonſtrare, uel falſa. Partibus iungit amplificationem, quoniam cum de motu animi paulo ante dixiſſet, & ad eam rem amplificatio plurimum ualeret, annectenda uidebatur: ſimul ut interpretaretur quo ſenſu motũ animi duabus tantum partibus dediſſet, cũ in reliquo curſu orationis adhibeatur. Non eſt igitur amplificatio una de quatuor partibus orationis, ſed è grauioribus locis uehemens quædam argumentatio deducta, eiq; parti ſubijcienda unde deducta eſt. Quintilianus quatuor amplificationum genera facit, incrementum, cóparationem, ratiocinationem, congeriem. quæ quidem aperte monſtrant, quid per amplificationem accipere debeamus. Cicero in hoc libro tam aperte quàm Quintilianus amplificandi rationem monſtrat. quamobrem debemus hic eſſe breuiores. Amplificatio habet proprium locum perorationem, quod ipſe teſtatur his uerbis: Augendi, inquit, hic eſt proprius locus in perorãdo, ſæpe etiam primum obtinet locum. Quouſque tandem abutere patientia noſtra Catilina? Quandiu nos etiam furor iſte tuus eludet? Quem ad finem ſeſe effrenata iactabit audacia? Nihil'ne te nocturnum præſidium palatij? nihil'ne urbis uigiliæ? nihil timor populi? nihil occurſus bonorum omnium? nihil hic munitiſſimus habendi Senatus locus? nihil horum ora uultuſq; mouerunt? & quæ ſequuntur. Sunt amplificationes in exordijs multæ tranquilliores: quæ tantum acerbitatis habeant, quantum illa in Catilinam, paucæ. Poſtremũ ferè ſemper amplificatio locum tenebit. Videre licet perorationes alias, & eam quæ eſt in Verrem actione ultima, & pro Milone. Longiora ſunt exempla, quàm quæ ſuis uerbis exponi debeant. Reliquo in curſu orationis amplificatio adhibenda eſt, maximéq; cũ aliquid aut confirmatum eſt, aut reprehenſum. Etenim ante non conuenit, quia turpe facinus, id augere quod probandũ eſt. Multa ſunt exempla in Verrem, quale iſtuc de Sopatro, à quo pecuniam Verres acceperat. Quod ubi reprehendit Cicero, ſubdit: Scelus eſt accipere ab reo, quanto magis ab accuſatore? quanto etiam ſceleratius ab utroque? Fidem cum propoſuiſſes uenalem in prouincia, ualuit apud te plus is qui pecuniam maiorem dedit. Concedo. Forſitan aliquis aliquando eiuſmodi quippiam fecerit. Cum uero fidem ac religionem tuam alteri addictam pecunia accepta habueris, poſt tandem aduerſarijs tradideris maiore pecunia, utrunque falles? & trades cui noles? & ei, quem fefelleris, ne pecuniam quidem reddes? Quem mihi tu Bulbum? quem Stalenum? quod unquam huiuſmodi monſtrum aut prodigium audiuimus, aut uidimus? Amplificatio ad fidem plurimum ualet: quia uehemens eſt argumentatio, &, ut ipſe poſtea dicit, grauior quædam affirmatio, quæ motu animorum conciliet in dicendo fidem. Facit autem duas argumentationum ſpecies: unam, quæ docendi cauſa fit: Ea eſt probatio, rei dubiæ faciens fidem. Alteram, quæ ſit probatio, cum animi motu: ea fit aut argumentis, aut aſſeuerationibus argumentorum loco. PERGE igitur ordine quatuor mihi iſtas, &c.] Quoniam de principijs omnes omnia fabulantur, & nihil aliud etiam triuiales ſcholæ perſonant, non ſtat mihi hac in parte diutius immorari, nec aliorum more Græca proferre monumenta, quo planum fiat ignotum per ignotius. Principij & initij uerbum Ciceroni frequens, quia proœmium Græcum eſt, exordium tranſlatitium. Principia ducuntur aut ex perſonis, aut ex rebus ipſis. Certe in hæc duo recidunt quæcunque ſubijciuntur oratori. quamobrem iſtuc

aliarum

aliarum partium commune eſt. Sumuntur autem trium rerum gratia: ut amice, ut intelligenter, ut attente audiamur. amice, cum beneuolentia: intelligenter, cum docilitate. Hoc pacto tritiora fugit uerba: quorum moleſta repetitio ut tedium affert, ſic eſt eloquentiæ inimica. Sunt et hæc tria cæterarum partium communia, ſed eorũ eſt præcipuus uſus in exordijs. Perſonarum tria facit genera. Vnum in nobis: alterum diſceptatorum, id eſt eorum quibus eſt cognoſcendi poteſtas: tertium aduerſariorum, in quibus aduerſæ partis oratores intelliguntur: ſicut & in noſtris noſtri litigatores. Beneuolentiam conciliamus à meritis noſtris: quia benefactorum recordatio gratiam iure ſuo poſtulat. Cicero: Siquando inimicorum impetum propulſare ac propellere cupiſtis, defendite nunc uniuerſi unum, qui, ne omnes occideretis, ardoréque flammæ cõflagraretis, mei capitis periculo non dubitaui prouidere. À dignitate litigatoris ducitur initiũ. Maxime uellem iudices, ut P. Sylla & antea dignitatis ſuæ ſplendorem obtinere, & poſt calamitatem acceptam modeſtiæ fructum aliquem potuiſſet percipere. Idem pro Flacco: Quod enim eſſet præmium dignitatis, quod populus Romanus cum huius maioribus ſemper detuliſſet, huic denegaret? cum L. Flaccus ueterem ueteris gentis in liberanda patria laudem, propè quingenteſimo anno Reipublicæ retuliſſet. Parcius Cicero de ſua dignitate, ut pro Murena: Idem Conſul eum ueſtræ fidei commendat, qui antea dijs immortalibus commendauit. Et in eodem principio: Ac ſi, ut nonnullis in ciuitatibus fieri ſolet, patronus huic cauſæ publice conſtitueretur, is potiſſime honore affecto defenſor daretur, qui eodem honore præditus non minus afferret ad dicendum auctoritatis, quàm facultatis. Ab aliquo genere uirtutis ſumuntur initia, maxime liberalitatis, officij, iuſtitiæ, fidei. quæ uirtutes ideo gratiores ſunt, quod in aliorum commoditates & uſus conferuntur. Cicero pro Rabirio perduellionis reo: Me cum amicitia uetuſtas, tum dignitas hominis, tum ratio humanitatis, tum meæ uitæ perpetua conſuetudo, ad C. Rabirium defendendum eſt adhortata. At uero ut id ſtudioſiſſime facerem, ſalus Reipub. conſulare officium, conſulatus denique ipſe mihi una uobiſcum cum ſalute Reipub. commendatus cogit. Hic eſt liberalitas operam perpetuo dantis, officium amici, iuſtitia uiri pericula propulſantis, conſuliſq; fides in Rempublicam. Contraria uitia in aduerſarios conferuntur, ut in Ebutiũ pro Cecinna. Cum his qui diſceptant, ut iudicibus, aliqua coniunctionis aut ſpes aut cauſa proponitur, id eſt oſtenditur, eam rem de qua agitur, aut commodum aut incommodum diſceptatoribus allaturam, illiſq; communem eſſe, et quodammodo coniunctam. Cicero pro C. Rabirio: Sic exiſtimare debetis Quirites, poſt hominum memoriam, rem nullam maiorem, magis periculoſam, magis ab omnibus uobis prouidendã, neque à Trib. pleb. ſuſceptam, neque à conſule defenſam, neque ad P. R. eſſe delatam. Idem in Verrem proponit iudicibus ſpem bonæ exiſtimationis, ſi Verrem damnauerint. Odium et offenſio, ut ſi litigator aut orator odium contraxit, aut aliquem offendit, aut tollitur, aut ſaltem minuitur. Tollitur, aperta certáque refutatione: minuitur, ſi diluamus probabili argumento, ſi extenuemus figuris, qualis eſt ironia pro Ligario. ſi compenſemus aliquo genere uirtutis, ſi deprecemur, id eſt amoliamur honeſta poſtulatione. Quæ penè omnia Cicero facit in exordio pro Cluẽtio: ſed longius eſt, quàm quod perſcribi debeat. INTELLIGENTER autem ut audiamur, &c.] Intelligenter audimur, cum facillime auditor diſcit, & quid agatur intelligit. quod expeditius fiet, ſi à rebus ipſis, quàm ſi longius à perſonis ordiamur. Complectitur à principio genus naturamq; cauſæ Cicero in Verrem: Multa mihi neceſſario iudices prætermittenda ſunt, ut poſſim aliquo modo aliquando de ijs rebus quæ meæ fidei commiſſa ſunt, dicere. Recepi enim cauſam Siciliæ. ea me ad hoc negotium prouincia attraxit. Tamen hoc onere ſuſcepto, & cætera. Hic expoſuit ſummam totius accuſationis. Proponit aliter in Antonium oratione quarta. Fundamenta ſunt iacta reliquarum actionum. nam eſt hoſtis à Senatu nondum uerbo appellatus, ſed re iam iudicatus Antonius. Poetæ ferè ſemper initio proponunt genus & caput argumenti, non ita frequenter oratores. À definitione ſæpenumero ſumunt initium ſcriptores artium, remq; totam breui circunſcriptione uerborum enunciant. Quæ ratio diſſerendi non ita decenter conueniat oratoribus. Latius paulo dilatant finitionem: quod ut faciamus, præcipit Cicero ſecundo libro de Oratore: & ipſe actione ſexta in Verrem, inſigne furtũ partibus deſcribit: Venio nunc ad iſtius, quemadmodum ipſe appellat, ſtudium: ut amici eius, morbum & inſaniam: ut Siculi, latrocinium: ego quo nomine appellem, neſcio. Rem uobis proponam: uos eam ſuo nominis pondere penditote. Genus ipſum prius cognoſcite iudices: deinde fortaſſe non magnopere quæretis, quo nomine appellandum putetis. Nego in Sicilia tota, tam locuplete, tam uetere prouincia, tot oppidis, tot familijs, tam copioſis, ullum argenteũ uas, ullum Corinthium, aut Deliacum fuiſſe: nego ullam gemmam aut margaritam fuiſſe, aut quidquam ex auro aut ebore factum, ſignũ ullum æneum, marmoreum, eburneum: nego ullam picturam, neque in tabulis, neque textilem fuiſſe, quin quæſierit, inſpexerit, quod placitum ſit abſtulerit. Hoc initium eſt, quod complectitur genus naturamq; cauſæ, quod deſcribit finitq; latius explicanda, quod diuidit ſpecies quæſtionis. Diuidit Antoniana prima: Antequã de Rep. P. C. dicam ea, quæ dicenda hoc tempore arbitror, exponam uobis breuiter conſilium & profectionis & reuerſionis meæ. In partitione uitanda partium confuſio, quia prudentiam, hoc eſt intelligendi uim atque facultatem implicat. Vitanda multitudo, quia memoriam confundit. Quærendum genus illud obuiũ & dilucidum, quo facilius omnes dicta percipiant. VT attente autem audiamur.] Attentionẽ excitant aut magna, aut neceſſaria, aut coniuncta cum ipſis apud quos res agetur. Magna pariunt admirationem, neceſſaria uim incutiunt animis: coniuncta, ſpe boni, fuga mali, mortales ſolicitant. Magna proponuntur initio pro Rabirio perduellionis reo, quod paulo ante citabamus. & Aegloga quarta Virgilij: Sicelides Muſæ, paulo maiora canamus. & Aeneidos. 7. Maior rerum mihi naſcitur ordo, Maius opus moueo. Neceſſaria proponit Cicero Antoniana tertia: Serius omnino P. C. quam tempus Reipub. poſtulauit, aliquando tamen conuocati ſumus: quod flagitabam equidem quotidie, quippe cũ bellum nefariũ contra aras & focos, contra uitam fortunaſq; noſtras, ab homine profligato ac perdito non comparari, ſed geri iam uiderem. Hic tempus Reipub. dicit neceſſitatem more ſuo. Coniuncta cum ipſis apud quos res agebatur, poſuit in Verrem. Quod erat optandum maxime iudices, & quod unum ad inuidiam ueſtri ordinis, infamiamq; iudiciorum ſedandam maxime pertinebat, id non humano conſilio, ſed propè diuinitus datum atque oblatum uobis ſummo Reipub. tempore uidetur. SIT autem hoc etiã in præceptis, ut ſi quando tẽpus ipſum.] Principia ſumuntur extrinſecus à tẽpore, ut pro Cælio. À re aliqua, ut à præſidijs armatis in foro, pro Milone. À loco, unde pro Deiotaro. Ab interuentu alicuius, unde in Verrem, qui præter opinionem aderat iudicio. Eſt enim hoc quodammodo interuenire, quanquam impropriè dictum. Ab interpellatione, Antoniana quarta, cum propoſuiſſet hoſtem iudicatum Antonium, & populus acclamando interpellaſſet, adiecit: Nunc uero multo ſum erectior, quòd uos quoque hoſtem illum eſſe, tanto conſenſu, tantoq; clamore approbauiſtis. Ab aduerſarij dicto, maxime in perorando, quia res eſt recentior. ut Philippica nona: Nihil præter ſententiã dicerem, niſi P. Seruilio reſpondendum putarem, qui hunc honorem ſtatuæ nemini tribuendum cenſuit, niſi qui ferro

eſſet in legatione interfectus. Que ſuo loco de amplificatione dicentur, multa ex iis poterunt ad princicipiorum præcepta transferri. Nam & amplificatio ſæpe etiam primum locum habet, quod ante monſtratum eſt: & principium atque peroratio communiter ad effectum comparantur, & ſunt uerba quædam figuræq; communes utriuſque partis, & principia finibus, fines principiis optime reſpondent. Quibus de cauſis initia & perorationes habere quædam præcepta communia, nihil eſt cur miremur. Legito infra de amplificatione præcepta: & que tráſferri poſſunt ad initia, traducito. QVID? in narratione que tandem conſeruanda ſunt?] In partibus orationis narratio ferè ſecunda eſt. Ea finitur ab auctore, rerum explicatio. Vſus illius ab eodem traditur, ut ſit quædã quaſi ſedes ac fundamentum conſtituendæ fidei: quia quod argumentorum continet breuis expoſitio, fuſius & apertius extendit & explicat narratio: unde & propoſitio breuis pro narratione collocari poteſt. Quod ſi propoſitio eſt ſedes ac fundamentum argumentationis, erit & narratio, ex cuius partibus ferè naſcũtur argumenta. Tertio loco narratio diuiditur in ea quæ ſunt neceſſaria, & in ea quæ ſunt aſſumpta ad ornandum. Dilucide probabiliterq; narrare neceſſariũ eſt, ut res intelligatur, fidemq; mereatur: ſed aſſumimus ſuauitatem. Ex quo Quintilianus deduxit hoc præceptum: Ego narrationem, ut ſi ullam partem orationis, omni qua poteſt gratia et uenere exornandam puto. Cur autem ſuauitas adhibeatur, idem Fabius oſtendit: Nec in ulla parte, inquit, intentior eſt iudex, eoq; nihil recte dictũ perit: præterea, neſcio quomodo, etiã facilius credit, quæ audienti iucũda ſunt, & uoluptate ad fidem ducitur. Hæc ille. In quo refellit eorum fallacem opinionem, qui arbitrabantur eſſe narrationem ſimplicem, nudam, figuris, ornamentis, probationibus deſtitutam. Prima narrationis eſt uirtus, explicandi, & illuſtrandi: ad quod facit illud ante dictum genus orationis dilucidum, & illuſtre, quod eſt plus quàm dilucidum. Altera uis eſt breuiter exponendi, de qua breuitate ſupra diſſerebat. Igitur cadunt in narrationem genus dilucidũ & illuſtre, & breue: & duo quæ ſequuntur, probabile, & ſuaue. His quinque uirtutibus optimum narrandi genus perficitur. Breuitas ſi non ſemper, tamen ſæpiſſime in narratione laudatur, quia non diu ſuſpendit animos, & memoria facile tenetur. PROBABILIS autẽ erit.] Quæ tradit hic Cicero de narratione probabili et ſuaui, ea multis oſcitanter omnia legentibus, obuia, facilia, dulcida uidentur. Res aliter habet. Quotus enim quiſque intelligit, aut illuſtrat exemplo? Omnes id dictitant, narrationem debere eſſe breuem, dilucidam, uerisimilem, & probabilem: cum uentum eſt ad narrationis expoſitionem, mirum eſt, quàm cæcutiamus, non uidentes id quod in arte loquebamur: &, quod fœdius eſt, ſcriptores cõmentariorum hæc ſubinde præcepta repetunt, nõ ſine lectorum ſumma moleſtia, nec tamen uſquam monſtrant locum ubi talia uſu tractata reperiantur. Itaque facturus opera pretiũ uideor, ſi paulo diligentius id, quod quæritur, exemplo patefeciã. Sumamus igitur narrationem Ciceronis actione tertia in Verrem, de Lampſaceno Philodamo, cuius honeſtam ac pudicam filiã Verres rapere, transferre, uiolare contendebat: unde exortus eſt tumultus, miniſtri Verris alii cæſi, alii uulnerati, ipſe penè domi cõbuſtus eſt: Philodamus tandem cũ filio damnatus, atque ſecuri percuſſus. Raptus ille idoneis perſonis attribuitur, ut Rubrio, homini facto ad Verris libidines, qui miro artificio, quocunque uenerat, hæc inueſtigare omnia ſolebat. Datur negotium comitibus nequiſſimis, turpiſſimisq; hominibus: Vt, inquit, mos erat Verris, & eum ſuæ libidines facere admonuerãt. Age, quod tempus erat opportunum magis ad rapiendam mulierem, quàm nocturnũ? quàm poſt cœnam lautiorem? quàm cũ frater abeſſet, & propinqui? quàm cum frequentes cõueniſſent comites illi Verris, qui more Græco bibiſſent? qui popoſciſſent maioribus poculis? qui celebraſſent omnium ſermone lætitiæq; conuiuiũ? Quid autem maturius, quàm quòd Lampſaceni poſtridie mane in cõcionem ueniunt? quærunt quid optimũ factu ſit? in Verrem prodeunt? ignẽ ſubiiciunt ædibus? Sic enim facta cõſilio uidentur omnia. Ne dicas ea ſic expoſita: quia hoc modo geſta ſunt, ſed ita ab oratore quæſita & digeſta, ut probabilis eſſet expoſitio. Porrò conſiderauit orator ſapientiſſimus, qui locus rei conueniret. migraret'ne Verres ad Philodamum? quod erat facturus, niſi retinuiſſet hoſpes. Deinde, cur ne mitteret Rubrium delicias ſuas, in omnibus eiuſmodi rebus adiutorem ſuum & cõſcium? Præterea quo ſeruos loco cõſtitueret Rubrius? quos ad fores ſtare iubet, ut ingredientem auferant? Poſtea ut Verres Philodamũ uocarit in Aſiam ad Neronem, ut iniquitate loci facilius damnaretur? ut in foro Laodiceæ ſpectaculo acerbo ſit necatus? Pergamus. Quàm diligenter cuiuſque facti & euenti cauſam poſuit? Lampſaceni, inquit, maxime ſedati & quieti: non irruunt igitur niſi laceſſiti, niſi conſilio capto, niſi re decreta. Mittitur Rubrius, quia factus ad Verris libidines: dantur idonei comites, quia nequiſſimi. Hæc mulier præter cæteras appetitur, quia eximia pulchritudine, & quæ uirum non habebat. Rubrius reliquit hoſpitam, quia parũ laute diuerſari mentiebatur. Philodamus ægre Rubrium admittit, qui Prætores & conſules, non legatorum aſſeclas recipere ſoleret: ut maior ſit eius hominum auctoritas, & eius offenſio multo grauior. Quid moror? nihil enim dictum ſine ſua cauſa, ut fit in neruoſo quodã genere dicẽdi. Veniamus ad id quod quartũ eſt. Teſtata dici uidentur, et aperta atque uulgata, Quia, ut inquit, ciues Romani, qui Lãpſaci negotiabantur affuerũt. Quia Verres nullã cauſam excogitare potuit, quãobrem commiſerit, aut quid euenerit ut in tantum periculũ ueniret: quia Cicero ea ſe Lampſaci cognoſſe dixit, & C. Varro ex Philodamo audiſſe. Quod quintum eſt, quis non opinetur grande flagitium à Verre cõmiſſum, propter quod Lampſaceni ſocii Pop. Rom. legatum ſaxis, ferro, igni aggrediuntur? ægre diuelluntur? Quanta auctoritas & in Philodamo, & in toto oppido, concione uocata? dictis ſententiis? omnibus uno animo conſentientibus? Contra, quis non exiſtimet id feciſſe Verrem pro ea auctoritate, qua legatus abutebatur? Quis non iudicet iniuria damnatum Philodamum auctoritate Dolabellæ, corruptiq; iudicii? Lex hoſpitalis à Philodamo ſeruatur. Rubrius laute de more tractatur. probabile eſt. Homo nequam legem uiolat hoſpitii, morem honeſtum repudiat. & hoc probabile. Sanctimoniam, religionemq; hoſpitalem ſternit adulter impudens. credibile eſt. Eadem religioſe conſeruat homo, genere, honore, copiis, exiſtimatione facile princeps Lampſacenorum. hoc etiam credibile. Quid tandem? Probitas narrãtis ſignificatur his uerbis: Nemo iamiam Dolabella, neque tui, neque tuorum liberũ, quos tu miſeros in egeſtate atque in ſolitudine reliquiſti, miſereri poteſt. Quanto dicit affectu, quanta probitate? quia Dolabella Philodamum damnauerat. Quanta memoria, quanta fide, totam conficit narrationem? qui locos, qui tempora, qui perſonas, qui facta, qui dicta, qui omnia et tenuit, & digeſſit? Quàm cõmode ſignificatur & conſuetudinum et antiquitatum obſeruatio? Græco, inquit, more bibebatur, hoſpes hortatur, poſcunt maioribus poculis. Hæc & alia permulta probabilem faciunt narrationem: quæ notaſſe breuiter idcirco uolui, ut interpretis officio ne deeſſem. Quid quòd in eadem expoſitione ſunt omnia quæ de ſuauitate tradit? Admirabere incredibilem ſceleratorum audaciam, ſed magis fratris eius mulieris aduentum, pugnam, cædes, uulnera: & iterũ concurſus in concionem, fidem Lampſacenorum in Philodamum, Philodami cõſtantem animũ ad ulciſcendam iniuriam. Vbi principiũ audieris, illectus rei nouitate, in longum uocabere, non ſine expectatione iucunda, quid Rubrius ſit facturus, quid frater mulieris, quid Lampſaceni, quid tandem Verres immanis & ferox.

Cumq;

Cumq; ex leni principio, rixas, pericula, uerbera, cædes ortas cognoueris, tenebunt animum exitus inopinati: tumq; ſenties interpoſitos motus animorum, quando mollitus animo, haud temperabis à lacrymis. Ibidem colloquia perſonarum. Quæſo inquit, Philodame, cur non ad nos filiam tuam intrò uocari iubes? Hic tum alius ex alia parte, Enimuero ferendum hoc non eſt, uocetur mulier. Hic dolores patris & filij, metus totius domus, tum Philodami: tum Verris lætitia in conuiuio, cupiditates ſtupri, iracundia in ulciſcendo. Huc adde dilucidum genus ex uerbis proprijs, uſitatis & diſpoſitis. adde genus illuſtre, quo res ob oculos ponuntur. adde breuitatem eam quæ nihil fruſtra petit. In una hac iſta narratione cuncta reperies, quæ proponuntur ab eodem auctore ſeruanda. Vt autem res ſit apertior, uitare contrarijs, dicq; narrationem incredibilem, quæ neque perſonis, neque temporibus, neque locis conſentit: quæ nullius facti et euenti cauſam ponit, in qua inteſtata dici uidentur: quæ nititur aduerſum hominum opinionem, auctoritatem, morem, legem, religionem: quæ narrantis improbitatem ſignificat, aut eius nouitatem, aut obliuionem, aut mendacium, aut uitæ incõſtantiã. Suauitas autem percipitur ex uaria humanæ mutationis contemplatione: tædium à ſimilitudine. NEMPE ea ſequuntur, quæ ad faciendam fidem pertinent.] Narrationi iuncta ferè partitio eſt, ſed ipſa confirmationi cedit, cuius eſt fundamentum. Confirmatio pars orationis eſt tertia. Ea eſt duplex: aut noſtra confirmamus, aut redarguimus contraria. Prior dicitur proprie confirmatio: poſterior reprehenſio & refutatio. Omnis autem confirmatio adhibetur quæſtioni, alioqui fruſtra tela conijcias, ſi nihil eſt quod petatur. Quæſtiones omnes numero ſunt tres: An eſt? Quid eſt? Quale eſt? Nã ſi rem non conſtet eſſe, quæritur an ſit. Si conſtet: aut quid ſit, aut qualis ſit: propterea quod omnia ſunt aut res ipſa conſiſtens, aut rei accidentia. Ex tribus quæſtionibus oriuntur tres oratorum ſtatus. Coniectura, quæ rem ſuſpicionibus inquirit. Definitio, quæ uim rei definiendo, uerum nomen accommodat. Ratio, quæ eſt rerum qualitas, & oſtendit cuiuſmodi ſit illud de quo agitur. Hic qualitas latius extenditur, quàm in Categorijs Ariſtotelis, qui & quæſtiones aliter tradit Poſterioribus analyticis. Proponuntur autem conſtitutiones, quia omnes loci (quod ait in Topicis) ad pleraſque quæſtiones ſunt, ſed alij ad alias aptiores. TENEO iſtam diſtributionem. Nũc coniectura locos quære, &c.] Aſſignat coniecturæ locos, qui partes eorum ſunt qui principio libri numerabantur. Argumenta coniecturalia, aut ſunt ueriſimilia, aut propriæ rerum notæ, ut quæ dicuntur εἰκότα καὶ τεκμήρια. Veriſimilia definit, quæ plerũque ita ſunt: ut adoleſcentiam procliuiorem eſſe ad libidinem. Proprias notas appellat ſigna & argumenta neceſſaria, quæ aliter eſſe nõ poſſunt, certumq; declarant, ut fumus ignem. quæ ſi cadunt in coniecturam, litem controuerſiamq; diſſoluunt. Veriſimilia reperiuntur aut in perſonis, aut in rebus ipſis. Res ſunt περιστάσεις, quæ circunſtantiæ uocantur, ut locus, tempus, facta, euenta, rerum negotiorumq; natura. Nam Quintilianus res omnes, unde argumenta ducit orator, ut à negotijs, complectitur cauſis, loco, tempore, modo, facultatibus. Alia tamen eſt ratio rerum quæ dicuntur ſimpliciter, alia περιστάσεων. Res perſonis conferuntur, ut omnia dicantur aut res, aut perſonæ. Periſtaſeis, id de quo agitur, ambiunt quodammodo, atque comitantur, & eſſe perſonarum quemadmodum rerum dici ſolent. In perſonis tria ſpectantur, quot ſunt genera bonorum, & quot malorum. Alia enim corporis, alia animi, alia fortunæ. In corpore ſpectantur, ualetudo, figura, uires, ætas, ſexus. In animo, uirtutes, uitia, artes, & ex contrario inertia: motus item, qui ſunt quatuor, ut ante monſtrauimus ex tertio Tuſcul. cupiditas, metus, uoluptas, moleſtia. In fortuna, genus, ut parentum, maiorumq;: amicitiæ: liberi, ut filij filiæue: propinqui, id eſt cognati: affines, ex connubio: opes, in hominibus & rebus: honores, in magiſtratibus: poteſtates, in auctoritate et gratia: diuitiæ: libertas. & ea quæ ſunt contraria, ut inimicitiæ, orbitas, inopia. Nam contraria non ad poſteriora tantum, ſed etiam ad priora refert. Proferamus ex ſingulis ſingula enthymemata, quoniam in una cauſa omnia reperiri nequeunt: ut, Qui aduerſa ualetudine uteretur, domo non exijt. pulcher & formoſus libidine ferebatur. robuſtus petulanter egit. auare fecit ſenex, uenenum propinauit mulier, non deſeruit uir fortis. latuit miles ignauus. ignarus rerum forenſium ruſticus. fallet præuaricator. cupiditate regni bella in patriam geret Cæſar. nullum bellum ſuſcipiet timidus. uoluptate literarũ captus operam dabit. moleſtum uitæ genus deſeret Cato. gloriabatur inſolenter loco nobili natus. fretus amicis has ſuſcepit inimicitias. nihil magni faciet proletarius. propinquos inopes ditare cupiebat. affinitate noua Pompeij fretus Cæſar, res nouas mouebit. Næuius, qui opibus & gratia plurimum ualeret, Quintium ſine re uocauit in ius. Antonius prouinciam adeptus, nihil non licere arbitrabitur, homo potens non metuit, ne ab ruſtico & bonis euerſo traheretur ad iudices. diues iniuriam facit. liberari cupit ſeruus. Ego quidẽ Ciceronis exempla proferre poſſum, ſed immenſa rerum magnitudo me terret, qui breuitati maxime ſtudeo. Quocirca ſatius eſſe duxi, compendioſis enthymematis omnia notari, quàm ingenia confundi immodica rerum prolixitate. Nec illud nouum eſt, quòd argumentum uerbo concludimus. Etenim uideas oratorum narrationes inſpergi probationũ ſeminarijs: ex quibus argumentationes fieri totidem poſſunt. Singulis enim uerbis ſingula perſæpe notãtur argumenta. Quod cum ſit, ea uerba aſſignari debent, & mutata pronunciatione auribus infigi: ut in hac oratione, Nullum bellum ſuſcipiet timidus. tertium uerbum ſuſpenditur, ut in diſtinctione cõpuncta, deinde paulo ſummiſſius enunciatur ultimum uerbum. Sic alia debent actione adiuuari, ut notetur argumentum. IN locis autem & illa naturalia.] Veriſimilia quoniam poſita ſunt in perſonis, & locis, & temporibus, & reliquis, altera pars diſtributionis eſt locus. In locis quædam naturalia, quædã fortuita. Illa talia ſunt ſine hominum induſtria, & fortunæ temeritate: hæc contra. Membra partitionis huius bina iungenda ſunt, propterea quòd contraria cõtrarijs opponuntur, & in hac diſpoſitione facilius intelliguntur. Maritimi loci, ſunt mari finitimi. Remoti à mari, mediterranei dicuntur. Verbum montuoſi improbarunt uiri doctiſſimi, & montoſos dicere maluerũt: quibus ego conſentio, ſicq; legendum contendo. Enimuero à monte ducitur montoſus, ut à facinore facinoroſus, dedecore dedecoroſus. Virgil. 7. Et te montoſæ miſere in prælia Nurſæ. Quintilianus, qui & alia multa, & hunc locum tranſtulit in ſuos libros, montanos locos nominauit. Læues opponuntur aſperis, differunt à planis, in quibus ſpectatur ſitus æquabilitas, & aperta porrectio campeſtris. In leuibus aliud conſideratur, ut raſa terræ facies, dorſumq; læuigatum. Vaſti ſunt uacui, neque ædificati. Obſcuri, ignobiles. Hoc in coniectura quale ſit, illuſtremus exemplo. Scipio miſſus aduerſus Annibalem, deliberat qua ſit facturus iter Pœnus in Italiam. Non traijciet Annibal per Alpes, loca montoſa, aſpera, inſalubria, opaca, inculta, deſerta, uaſta, ubi ſit extrema pernicies hominum atque iumentorum. Maritima ſectabitur, propiora ſubſidijs, & Carthagini. Mediterranea uitabit, ubi timeat exercitum intercludi: quodq; turmis equitum præſtat, planis feretur campis & facilibus, qua uideas cultiores agros, & frequentiores populos, unde ſpes oriatur prædæ amplioris. Teneamus igitur oram Liguriæ, & Galliæ fines. Locum Cicero tractauit pro Milone, pro Quintio, contra Seruilium Rullum, ubi coniecturam facit, locos peſtilentes uentum iri. Pro Cœlio, pro Deiotaro, ſed in Verrem frequentiſſime, tum ad coniecturam,

tum ad qualitatem. Abſtinui longioribus exemplis, quæ minimo negotio peteres è fonte. IN temporibus autem, præſentia, & præterita & futura cernuntur.] Temporum partitio eſt, in præſentia (quæ aliquoties Quintilianus appellat inſtantia) in præterita, in futura. Præterita diuiduntur in uetuſta, et recentia, Futura partiuntur in futura paulo poſt, & olim futura. Sunt qui recentia et inſtantia paulo poſt, referunt ad præſens: quos forte iuuet ratio philoſophorum, qui docent nullum tempus eſſe præſens, ſed tantum momentum, quod à Græcis τὸ νῦν uocatur: ſed dici præſens καταχρηστικῶς id quod adeſt. Cicero ſecutus eſt tritam loquendi conſuetudinem, qua non dicimus recentia, aut inſtantia paulo poſt, eſſe præſentia, ſi nihil habent præſens, ſed præſentia quæ nunc ſunt, id eſt, præſenti momento non interrumpuntur, etiam ſi quid eorum præteritum eſt, & futurum. Qui autem recentia dicit, aut inſtantia paulo poſt, nihil loquitur præſens. Præterea in temporibus quædam naturalia, quædã fortuita. Naturalia duplicia. Alia temporis quaſi naturam notant, & opportunitatem uel agendi, uel non agendi, καιρὸς dicitur. à quibuſdã latinis ſpeciale tempus, ut hyems, uer, interdiu, noctu. Alia ſunt anni tempora, quæ generalia dicuntur, non habita ratione agendi negotij: ut menſis, dies, nox, hora, tempeſtas, quod eſt tempus ſimpliciter dictum, ut hic ſumitur. Sic Quintilianus, Diuidit tempora in naturalibus naturalis occaſio, in fortuitis fortuita. Fortuita ſpectant humanas actiones: ut ſacrificia, dies feſti, in bello, in conuiuio. Ex præterito colligitur præſens. Virgilius:

Non tu in triuijs indocte ſolebas
Stridenti miſerum ſtipula diſperdere carmen?

Rerum difficultatem etiam tempus oſtendit. Idem:

Quinetiam hyberno moliris ſidere claſſem,
Et medijs properas aquilonibus ire per altum
Crudelis.

Tempore laudabilior eſt uirtus. Idem,

Nox erat, & terras animalia feſſa per omnes,
Alituum pecudumq; genus ſopor altus habebat,
Cum pater in ripa, gelidiq; ſub ætheris axe,
Aeneas triſti turbatus pectora bello
Procubuit, ſeramq; dedit per membra quietem.

À tempore atrocitas rei colligitur. Cicero pro Cœlio: Si quis iudices forte nunc adſit ignarus legum, iudiciorum, conſuetudinis ueſtræ, miretur profecto quæ ſit tanta atrocitas huiuſce cauſa, quòd diebus feſtis, ludiſq; publicis, omnibuſq; negotijs forenſibus intermiſſis unum hoc iudicium exerceatur. Tempus in oratione pro Milone Cicero tractat, ut in narratione, & in argumentis: ut Clodius uideret ita tracta eſſe comitia anno ſuperiore, ut non multos menſes præturam gerere poſſet: ut prætura manca ac debilis eſſet futura conſule Milone: ut ſciret iter ſolenne Miloni eſſe Lanuuium: ut Roma pridie profectus ſit: ut Milo in ſenatu fuerit quoad ſenatus dimiſſus eſt: ut ſit domi cõmoratus: ut profectus ſit id temporis, cum iam Clodius redire potuiſſet: ut factus ſit obuiam Clodio hora ferè undecima, aut non multo ſecus. Quem ſi interficere uoluiſſet, inquit, quantæ, quoties occaſiones, quàm præclaræ fuerunt? In his omnibus eſt quædam ratio concluſa temporibus. Talia reperies pœnè infinita in Verrem: ſed mihi ſat eſt monſtraſſe uiam, & digitum ad fontem intendiſſe. Facta in diſtributione ueriſimilium quarta fuerant. Ea aut conſilij ſunt, aut imprudentiæ: quia rem facimus aut conſulto, aut ignoranter. Imprudentia autem & eius modi ignoratio eſt aut in caſu, cũ aliter accidit ac putabamus: aut in quadam animi permotione, id eſt perturbatione, ut obliuione, errore, metu, cupiditate, quibus mortales ſenſus frequenter occæcantur. Habet igitur imprudentia quandam neceſſitatem, quoniam errore ducta, quo alioqui minime uelit, pertrahitur. Euentus eodem modo diuiduntur, iiſq; factis adiunguntur: quia ſecundum facta eueniunt & ſubſequuntur: ut bellum factum atque confectum ſequitur clades, captiuitas, ſeruitus, exilium. Hi ſunt belli grauiores euentus: feliciores autem, uictoria, corona, trophæum, ouatio, triumphus. Facta & euenta melius ita diſtinguuntur, quàm cum ſumuntur pro eodem: nec prodeunt ſemper à cauſis apertis, ſed frequenter à fortuna. quanquam poſtea definit euentum, id quod eſt effectum: & euentu ſigna complectitur. À facto coniectura ducitur. Virg.

At non ille, ſatum quo te mentiris, Achilles,
Talis in hoſte fuit Priamo.

À crudeli facinore Pyrrhi ducit argumentum, Achillis eum nõ eſſe filium. Ab euentu, Cic. pro Ligario: Cauſa tum dubia, quòd erat aliquid in utraque parte, quod probari poſſet: nunc melior certe etiam ea iudicanda eſt, quam dij adiuuerunt. De imprudentia, & animi permotione, Cicero pro Sexto Roſcio 2. Conſilium ceperunt plenum ſceleris & audaciæ, ut nomen huius de parricidio deferrent, ut ad eam rem aliquem accuſatorẽ ueterem compararent, qui de ea re poſſet dicere aliquid, in qua re nulla ſubeſſet ſuſpicio: denique ut quoniam crimine non poterant, tempore ipſo pugnarent. Ita loqui homines, quòd iudicia tandiu facta non eſſent, condemnari eum oportere, qui primus in iudicium adductus eſſet. huic autem patronos propter Chryſogoni gratiam defuturos: de bonorum uenditione, & de iſta ſocietate uerbum eſſe facturum neminem: ipſo nomine parricidij, & atrocitate criminis fore, ut hic nullo negotio tolleretur, cũ ab nullo defenſus eſſet. hoc conſilio, atque adeo hac amentia impulſi, quem ipſi cum cuperent non potuerunt occidere, eum iugulandum uobis tradiderunt. Hic Roſciorum explicatur error, & amentia, & imprudentia, ad probãdum falſum crimen intentatum. RERVM autem bonarum & malarum tria ſunt genera.] Rerum ipſarum negotiorumq; natura, poſtrema fuit in uerisimilium diuiſione. In quo quidem hærere poſſis, qua ratione motus recidat in ea bona ac mala quæ paulo ante perſonis attribueras: deinde res & negotia à factis & euentis quid quantumq; differant, & tandem quod ſit hoc argumentãdi genus. In perſonis hæc tria rerum genera ſpectamus, ut perſonarum momenta deprehendamus. Eadem & per ſe citra complexum perſonarum conſiderantur, quam uim habeãt, quid efficiant: quæ maiora, quæ minora, quæ conſentanea, quæ contraria, quæ repugnantia; qua ratione non incommode ſeparantur à perſonis, ac ſola tractantur & in demonſtratione, & deliberatione, ſæpe etiã in iudicio. Differuntq; à factis, quia rerũ negotiorumq; naturæ præcurrunt, ut impulſiones, cauſæq; motrices, facta & euenta ſubſequũtur. Nã quid aliud Cicero ſignificare uoluit per rerũ negotiorũq; naturas, quas tribus bonorũ & malorum generibus concludit, quàm cauſas efficientes illas, unde colligit orator aut aliquid eſſe factũ ſuadente opinione boni, aut non eſſe factũ diſſuadente opinione mali? Rerũ enim bonarum opinione ad faciẽdũ quid impellimur, à malis rebus auocamur. Quærendũ igitur in ſuſpicione coniecturæ, quale ſit negotiũ, & quæ uis eius atque natura: ut quid efficiat in animis noſtris, intelligatur. Verũ relegatio Sexti Roſcij, qua pater eum relegauerat in agrũ, potuit efficere parricidiũ: quid odium, ira, amor, ebrietas efficiant: quid commiſerit Verris audacia, quid facturа ſit Antonij libido: quid ambitio mouebit: an pudorem uincet libido, auaritia magnificentiã. inuidia'ne poſſit eſſe cũ amicitia, grauis amor ſine probro. Quidquid fit igitur, ab aliquo fieri neceſſe eſt, & in tempore, & in loco, & aliqua de cauſa fieri, & ad aliquem exitũ perduci. Quãobrem partiebatur uerisimiliũ fontes in perſonas, tẽpora, locos, negotiorũ naturas, facta, & euentus. Hæc eſt probationũ materia. ὕλη dicitur, & ſylua quædam, unde conficiuntur argumenta. Igitur perluſtrandæ animo, & diligenter excutiendæ partes erunt omnes, ut ad id quod agetur, ex ſingulis, ſi quid modo ſubminiſtrent, coniectura capiatur.

capiatur. EST etiam genus argumentorum aliud.] Facti ueſtigia ſigna dicuntur, quæ Quintilianus ſeparauit ab argumentis. Cicero ad aliud argumentorũ genus retulit, quàm quæ animo, non ſenſu ut uiſu audituq́; capiuntur. Hæc popularia magis, illa artificio maiore conſtant. Signum eſt, quod ex eo de quo quæritur, natũ, ſub oculos uenit, ut ſanguis ex cæde. E ſignis aliud eſt neceſſarium, ut cicatrix perpetuũ eſt indiciũ uulneris. aliud non neceſſarium, ut telum repertũ in uulnere, uel cruentum, ut cruor aſperſus: clamor editus, id eſt emiſſus. titubatio, quod eſt conſternatæ mentis indicium. permutatio coloris, uacillantis animi ſignum. oratio inconſtans, mendacij ſcelerisq́; nota: tremor, timoris index. Et eorum aliquid, quod ſenſu percipi poſſit, ut ſtrepitus, eiulatus, imploratio, tumor, ſudor, uultus iratus, diuulſa coma, diſſecta ueſtis. Si præparatum aliquid, ut Clodius palàm agere cœpit, & aperte dicere occidendum Milonem, ſeruos agreſtes & barbaros ex Apennino deduxerat. Si communicatum cum aliquo, ſi poſtea uiſum, auditum, indicatum: ut coniuratio Catilinæ primum cũ Curio fuit communicata: deinde cum Fuluia: tum poſtea indicata, audita, uiſa: hisq́; ſignis manifeſto comprobata.

VERISIMILIA autem partim ſingula mouent ſuo pondere.] Aſſignauit locos unde eruuntur argumenta coniecturalia. Nunc ut inuenta digeramus, in aciemq́; ducamus utendi cauſa, præcipit. Veriſimilia ſi mouent ſuo pondere, ſingula collocantur: ſi ſunt infirma, tamen coaceruata proficiunt. De quo Quintilianus in hanc ſententiam, Firmiſſimis argumentorum ſingulis inſtandum: infirmiora congreganda ſunt, quia illa per ſe fortia non oportet circunſtantibus obſcurare, ut qualia ſint appareant. Hæc imbecilla natura, mutuo auxilio ſuſtinentur. Itaque ſi non poſſunt ualere, quia magna non ſunt, ualebunt quia multa ſunt, quæ ad eiuſdem rei probationem omnia ſpectant, ut ſi quis hæreditatis gratia hominẽ occidiſſe dicatur. Hæreditatem ſperabas, & magnam hæreditatem, & pauper eras, & tum maxime à creditoribus appellabaris, & offenderas eum cuius hæres eras, & mutaturum tabulas ſciebas. Singulis inſtat in Clodium, ut initio confirmationis, magnam ei cauſam, magnam ſpem in Milonis morte propoſitam, magnas utilitates fuiſſe demonſtrat. Coaceruatis utitur pro Sex Roſcio: Quid ſi accedit eodem ut tenuis antea fueris? quid ſi ut auarus? quid ſi ut audax? quid ſi ut illius qui occiſus eſt, inimiciſſimus? &c.

ATQVE in his ueriſimilibus inſunt nonnunquam etiam certæ rerum & propriæ notæ.] Si propriæ notæ argumentum ſupra definijt, quod nunquam aliter fit, certumq́; declarat: ueriſimile, quod plerunque ita fit: qui fieri poteſt, ut in ueriſimilibus inſint etiam certæ rerum & propriæ notæ? Sic enim erit argumentum neceſſarium, idemq́; minime neceſſarium: quòd fieri non poteſt. Id Cicero non dicit, ſed in ueriſimilibus coaceruatis certas eſſe propriasq́; rerum notas, hoc eſt, ex his argumenta nonnunquam ſuboriri neceſſaria: quemadmodũ paulo poſt dicet, ex communibus proprium quid ſit elucere. ut, Eras in eo loco cum telo, ſolus eras, furens agitabare, rediſti cruentus, titubaſti, mente concidiſti: hominem igitur occidiſti. Nullũ iſtorum neceſſarium eſt, uniuerſa ſunt neceſſaria, ut Rhetores utuntur appellatione neceſſarij. Aliò trahi poſſunt uerba Ciceronis, fieri poſſe ut quæ prima fronte ueriſimilia uidebantur, poſtea excuſſa diligentius reperiantur neceſſaria. Hoc non probo. non enim dicit, In illis quæ prima fronte ueriſimilia uidentur, inſunt nonnunquam etiam certæ rerum & propriæ notæ, ſed in his ueriſimilibus id eſt quæ prius expoſita ſunt. Non expoſuit quæ falſo uidebantur ueriſimilia, ſed quæ ſunt ſimilia ueri coaceruata, ad quæ pronomen illud His, debet referri: ut ſint hæc continua, Multũ tamen cum ſunt coaceruata, proficiunt, atque in his ueriſimilibus inſunt, &c.

MAXIMAM autem facit fidẽ ad ſimilitudinem ueri primũ exemplũ.] Exemplum maximã facit fidem ad ſimilitudinem ueri, hoc eſt ut res ueriſimilis eſſe uideatur. Differt à ſimilitudine, & fabula. Nã exemplum eſt rei geſtæ utilis ad perſuadendum cõmemoratio. Similitudo, collatio rerum in qualitate. Fabula, quæ neque ueras neque ueriſimiles continet res: propterea dicit eam incredibilem. Exemplum eſt pro Cluentio, ad capiendam coniecturam de Staleno iudice corrupto. Iam hoc ignoratis iudices, ut etiam beſtiæ fame dominante plerunque ad eum locum ubi paſtæ aliquando ſint, reuertantur? Hæc ſimilitudo eſt. ſubdit exemplũ, Stalenus ille biennio ante cum cauſam bonorum Safinij Atellæ recepiſſet, ſexcentis millibus nummum ſe iudicium corrupturũ eſſe dixerat. Quæ cum accepiſſet à pupillo, ſuppreſſit, iudicioq́; facto, nec Safinio, nec bonorum emptoribus reddidit. quam cũ pecuniã profudiſſet, & ſibi nihil non modo ad cupiditates ſuas, ſed ne ad neceſſitatem quidem reliquiſſet: ſtatuit ad eaſdem ſibi prædas ac ſuppreſſiones iudiciales reuertendum. Fabula eſt coniecturalis in Antoniana quarta: Quid legio Martia? quæ mihi uidetur diuinitus ab ipſo deo traxiſſe nomen, à quo populum Romanum generatum accepimus: non ne ipſa ſuis decretis prius, quàm Senatus, hoſtem iudicauit Antonium? Si Mars genuit populum Romanum, ueriſimile eſt & hunc Martiæ legioni ſuũ nomen dare uoluiſſe. quod Cicero fabuloſum nouit, ut oſtendit libris de Natura deorum. Nonne in ſeceſſione plebis Romanæ in ſacrũ montem mouit animos infenſos Agrippæ fabula de membris & uentre commemoratione? Hæc ideo propoſuimus exempla, quod arbitrantur multi, in cõiectura cum probanda res eſt, non habere locum exemplum, non ſimilitudinem, & multo minus fabulam. Quæ tamen potentiſſima ſunt, ac frequentiſſima, & maxime ſi coniectura ſumitur de futuro, ut in deliberatione. Exempla reperies infinita & in hiſtorijs, & in concionibus, & in omni ferè ſententia.

QVID? definitionis quæ ratio eſt, & quæ uia?] Quæſtio quid eſt, in ordine ſecunda, per definitionem explicatur: quo ſenſu definitio uenit in iudicium. Nam cum tota uis explicandæ cauſæ ſit in definitione, eiuſq́; confirmatione, nõ immerito genus illud cauſæ ab eo quòd præcipuũ eſt, definitio nominatur. Quare miror, haud defuiſſe recentiores, qui tanto uiro obſtreperent, cum diceret in iudicium uenire definitionem. Eſt autem definitio (utar Quintiliani uerbis) rei propoſitæ propria & dilucida, & breuiter cõprehenſa uerbis enunciatio. Ab Ariſt. 1. lib. Topic. ſic finitur: Definitio eſt oratio, quæ quid res ſit ſignificat. Cõficitur à genere et à differentia quã uocant eſſentialẽ, ſi modo nominari poteſt: quod perraro contingit. ut, animal eſt corpus animatũ ſenſu præditũ, homo eſt animal rationale, pecus eſt animal rationis expers. Sunt iſtæ propriæ definitiones, ac breuiſſimæ: ſed adeo paucæ, ut oratori copiã quærenti nũquã ferè reſpondeant. Quamobrem differentiam tacet Cicero: proprietatem generi coniungit, qua etiam differentiam aliquam accidentariam complecti poſſumus. Nam res à rebus etiam proprietate diſtinguuntur: & late patet differentia accidentaria, ut oſtendit Porphyrius: et proprij nomen eſſe multiplex, ſcribit Ariſt. 5. lib. Topic. Omnis autem differentia aut in ſubſtãtia eſt, aut in accidente. Illam genere poſſis includere, ſicut Ariſtoteles hanc cõmunibus accidentibus, de quibus hic facit Cicero mentionem. Quid? in re quæ uidetur ambigua, ſi fero ſententiã, calumniatores arripiũt aliũ ſenſum, ut turbæ puerorum ſapere uideantur. Definitiones ex genere & proprietate: ut, ignis eſt elementum calidiſſimũ, eſt ignis proprium calere. Ales eſt animal uolatile. Sacrilegium, ſacri direptio. Tyrannicida tyranni percuſſor, accepto conſilio reipublicæ liberandæ. Rhetorice eſt bene dicendi ſcientia. grammatice loquendi, dialectice differendi, phyſice cauſarum naturalium. Prudentia uirtus eſt intelligendi, longa experientia quæſita. Eiuſmodi finitiones ex genere & proprietate quadam multæ reperiuntur. Quod autem propria

ad communia referuntur, annectit ſecundum finiendi genus à communium frequentia, ex quibus proprium quid ſit eluceat. Vtamur Cic. exemplo: Hæreditas eſt pecunia: commune adhuc, multa enim genera ſunt pecuniæ. Adde quod ſequitur: quæ morte alicuius ad quempiam peruenit. nondum eſt definitio: multis enim modis ſine hæreditate teneri mortuorum pecuniæ poſſunt. Vnum adde uerbum, iure. Iam à communitate res diſiuncta uidebitur: ut ſit explicata definitio ſic, Hæreditas eſt pecunia quæ morte alicuius ad quempiam peruenit iure. Nondum eſt ſatis, adde, nec ea aut legata teſtamento, aut poſſeſſione retenta: confectum eſt. Hæc duo, inquit Boetius, nõ ſunt in ſubſtantia definitionis: quãobrem definienti non exacte atque perfecte, ſed interpretandi cauſa, inchoate & imperfecte, reliqua ſatis ſunt. Nolo quas trado definitiones ſubijci limæ dialecticorum, qui tam multa tradunt definitione ex genere & differentia maxime proprie dicta: de cæteris aut nihil, aut perparum. Rhetoribus aut obmuteſcendum, aut agendũ liberius.

Tradit alia definitionum genera, propterea quod de proprijs oritur plerunque magna diſſenſio: quoniam quid ſit cuiuſque rei proprium, ſæpe dubitatur: ut an lucere & calere ſint ignis propria? proprium'ne ſit oratoris argumentari, an'ne dialectici? amici fauere? ſenis agere parce? meretricis exigere? ſerui fallere? lenonis blandiri? amatoris polliceri? Vnde Quintilianus ita ſubſcribit: Sæpiſſime autem quid ſit propriũ cuiuſque, quæritur: ut ſi proprium tyrannicidæ negemus tyrannum occidere, quia ſi carnifex eum occidat, non ſit tyrannicida, neque ſi quis imprudenter occidat. Ad eas diſſenſiones euitandas aliquando finiemus ex contrarijs. Horatius in epiſtolis, Virtus eſt uitium fugere, & ſapientia prima, Stultitia caruiſſe. Iuſtus, qui neque ſibi neque alteri ſit iniurius. Prudens, qui non decipitur ignoratione rerũ quas noſſe oporteat. Aliquando ex diſſimilibus: Rex eſt, qui pietate & iuſtitia in ſuos utitur: Tyrannus, qui iniuſtitia & crudelitate. Sunt definitiones, ut ipſe teſtatur in Topic. partitionum: ut, Ius ciuile eſt quòd in legibus, ſenatuſconſultis, rebus iudicatis, iuriſperitorum auctoritate, edictis magiſtratuum, more, æquitate conſiſtit. Tamen quia diſſimilia propoſuit, quibus ex aduerſo paria reſpondent, legamus ex paribus non ex partibus. Nam & Quintilianus comparationes prodeſſe finitionibus dicit. Et ſi definimus à diſſimili, id poſſimus à pari: ut, Continentia eſt in rebus noſtris, quod abſtinentia in alienis: per quam cupiditas conſilij gubernatione regitur. QVAMOBREM deſcriptiones quoque ſunt in hoc genere ſæpe aptæ.] Definitiones omnes, præter eam quæ conſtituitur genere & differentia, quidam putant eſſe deſcriptiones: in quo mea ſententia falluntur, ſaltem uerbis abutuntur. Non uident hic octo definiendi ſpecies Ciceronem facere, et à reliquis partibus deſcriptiones ſeparare, quia uocet deſcriptiones, perſonarum rerumq; fuſas & apertas explicationes, quibus omnia dilucidius exprimuntur: quæ ſunt definitiones ὑπογραφικαὶ, ex accidentium congerie. Nec obeſt, eas deſcriptiones figuras uideri. Alia ratione ſunt figuræ, alia ratione ſunt earum rerum quas definire uolumus, explicationes. Quod ſi qualitates oſtendunt quale ſit potius id quod definitur, quàm quid ſit, id ne te moueat. Ex qualitatibus enim rerum natura perſæpe cognoſcitur. Et hoc contendit orator aperte demonſtrare, quod explicandum ſuſcepit. quod quia facere non poteſt illa ſubtili & ad morem dialecticorum formata definitione, ac præciſa comprehenſionis neceſſitate, ideo latius fundit orationem: & ut intelligant omnes, hoc aſſequitur euidenti rerum deſcriptione. De quo Fabius: Rariſſima, inquit, apud oratores reperietur illa ex conſuetudine philoſophorum ducta ſeruitus. Eſt enim certe ſeruitus, ad certa ſe uerba adſtringendi. Ergo ſi, quid ſit lædere maieſtatem, definire uoles, utilius erit explicare multis, qui lege, qui conſuetudine, qui ſermonibus hominũ dicantur lædere maieſtatem: quæ uis ea ſit uerbi, quæ ratio, quæ natura: utilius erit, inquã, hæc explicare, quàm circunſcriptam breuemq; implicare definitionem. Cic. de Oratore lib. ſecũdo. Quantum uterque noſtrum potuit, omni copia dicendi dilatauit quid eſſet maieſtatem minuere. Etenim definitio primum reprehenſo uno uerbo, aut addito, aut dempto, ſæpe extorquetur è manibus: deinde genere ipſo doctrinam redolet, exercitationemq; penè puerilem: tum & in ſenſum & in mentem iudicis intrare non poteſt. Hæc ille. Ex quibus intelligas oratori magis conuenire deſcriptiones, quàm dialecticorum definitiones. Sic Saluſtius Catilinã deſcribit, Annibalem Liuius, Piſonem Cicero, Famem Ouidius, Paraſitum Terentius. Sic explicat quid ſit afferre uim, Cicero in oratione pro Cecinna. Definimus enumeratione conſequentium, cũ quæ neceſſario, uel tanquam neceſſario conſequũtur, enumeramus, ad explicandũ quid ſit unde prodeunt. Etenim ex prioribus poſteriora, & ex poſterioribus priora monſtrantur. Hoc definiendi genere utitur octaua Philippica: Dñ Brutus oppugnatur, non eſt bellum? Mutina obſidetur, ne hoc quidem bellum eſt? Gallia uaſtatur, Claterna recepta eſt, fugati equites, prælium commiſſum, occiſi aliquot, delectus tota Italia decreti: ſublatis uacationibus, ſaga cras ſumentur: utrũ hoc bellum non eſt? Enumerauit ea quæ bellum ſuſceptum cõſequi ſolent: quæ ſi poſita ſint, neceſſe eſt eſſe bellum. Conſequentia quidem Cic. dicit ea quæ rem neceſſario conſequũtur: tamen adiũcta etiam conſequentia dicuntur. nec incommodũ eſt, in enumeratione poſuiſſe uel adiuncta, uel cõſentanea, quanquam fortiora ſunt neceſſaria. Si mortuus eſt homo, neque ſpirat, neque ullam ſentiendi facultatem habet. Poſtremum definiendi genus eſt, explicatio uocabuli ac nominis. Cicero eadem octaua Philippica: Quid eſt enim tumultus, niſi perturbatio tanta ut non maior timor oriatur? unde etiam nomen ductum eſt tumultus. hæc ille. Tumultus eſt timor multus, & tantus ut non maior timor oriatur, quia eſt omnium maximus. Ergo quia definitio eſt locus, & ex ea ducitur argumentum, & hic ſingulorum ſtatuum proprij loci deſignãtur, hæc de definitione tradita ſunt. quæ iuuatur à contrarijs, à diſſimilibus, à paribus, à notatione, ab enumeratione: qui quidem loci per ſe ſunt, ſed tum iuuant definitionem, cum materiam definiendæ rei præſtant. SVNT expoſita iam ferè ea quæ de facto quæq; de facti appellatione quæruntur.] Factum coniectura quæritur: facti nomen, & appellatio, definitione. Tertius eſt ſtatus qualitatis. I. eſt duplex, unus abſolutus, quo iure factum depellitur, tanquam per ſe probabile. hoc eſt, ad facti defenſionem nihil extrinſecus aſſumitur: ut Cicero fatetur Ligarium in Africa fuiſſe, quod ipſa rei natura non erat improbandum. Alter eſt κατ' ἀντίληψιν, à latinis dicitur aſſumptiuus, in quo factum per ſe improbabile, aſſumptis extrinſecus auxilijs tuemur: ut Clodiũ inſidiatorem Milo iure interemit: aſſumitur inſidiarũ crimen, ut factũ iure uideatur, quod alioqui nõ licebat. Hæc aſſumptiua pars iterũ multiplex. Aut enim aſſumit in defenſionẽ cauſam doloris ulciſcendi, quando crimen alterius facti cauſa tuemur, noſtraq; defenſio conſtat eius accuſatione qui uindicatur: ut, Occiſus eſt Clodius, qui uim inferebat. Hæc relatio criminis appellatur, aut translatio. Aut aſſumit pietatis, aut pudicitiæ, aut religionis, aut patriæ nomen: id eſt, factũ tuetur ex aliqua utilitate reipub. aut hominũ multorũ, aut ipſius aduerſarij. Hæc remotio criminis eſt dicta. Differt à relatione, quòd illa cauſam tuetur ex cõtrario facto, hæc ex utilitate defenſionẽ ſuſcipit: ut, Si Naſica fateatur à ſe occiſum eſſe Tyberiũ Gracchũ, ſi Brutus Cæſarem, idq; pietatis, religionis & patriæ nomine, ſimul utetur & relatione criminis, & remotione, quia dominationis adferet crimen, cædemq; Reipub. cõmodis adiunget. At ſi quæ mandata legatus acceperat, haud expoſuit, reus factus utilitate nitetur, quòd exponi talia nõ expedire patriæ duxerit.

SI Trebonius miles excuſet à ſe factam cædem, pudicitiæ nomine remouebit crimen. Aſſumitur etiam neceſſitas, inſcitia, caſus. purgationem uocat libro de Inuentione. Neceſſitas, ut ſi quis obire munus ingraueſcente morbo nõ potuit. Inſcitia, id eſt ignorantia, ut ſi tenueris alienum, quòd putaras eſſe tuum. Caſus, ut ſi cupiens in ſylua confodere feram, imprudenter hominem conficiat: ſiq; ludo certans, aduerſante fortuna concertatorem interimat. Colligamus paucis: Qualitas eſt abſoluta, cum iure factum depellitur. Relatio criminis, cum factum depellitur ulciſcendi doloris gratia. Remotio criminis, cũ pietatis, aut religionis, aut patriæ nomine factum defenditur. Purgatio ſiue conceſſio, cũ ducitur in defenſionem neceſſitas, inſcitia, aut caſus. Poſtrema deprecatio, quia minus eſt in ea præſidij, minusq; firmamenti: ea tum neceſſaria, cum quid fecimus motu animi & perturbatione, ſine ratione, ueniamq; deprecamur. Et hæc, inquit, defenſionem contra crimen in legitimis iudicijs non habet, quòd ordinarij iudices & legibus & iureiurãdo atque religione teneantur: ſed in liberis diſceptationibus, cum qui diſceptat atque cognoſcit, legibus eſt ſolutus: ut rex, ut populus uniuerſus, miſereri quidem poteſt, ac ueniam dare ſupplicanti, qui omni præſidio relictus ad unam confugit miſericordiam. Altera eſt deprecatio iuncta defenſioni, in omni ferè iudicio perutilis, & in peroratione frequens. Poſteaquàm partes generis huius oſtendit, ut locos ad confirmationem monſtret, hoc addit: Ex controuerſiæ naturaq; quæſtionis huius quæri ſolet, Sit'ne actũ iure, hoc eſt legibus & iure ciuili. Recte'ne, hoc eſt ex æquo & bono. Quorum duorum diſputatio ex locorum deſcriptione ſumenda eſt, tum ea quæ principio digerit locos rhetoricos, tum ea quæ poſtea tradetur in explicatione cauſarum forenſium. Ex his enim multa repetentur in tribus illis generibus dicendi, quia ſe mutuis auxilijs omnia iuuant. AGESIS ergo, quoniam in confirmationem, & reprehenſionem diuiſeras orationis fidem.] Quæ ad faciendam fidem pertinent, in confirmationem & reprehenſionem diuiduntur. Dictum de altera, nũc exponenda reprehenſio, ſiue refutatio. Qui refellit aduerſarium, aut ficta falſa'ne negat, aut redarguit ea quæ pro ueriſimilibus ſumpta ſunt, in quibus aduerſarius arbitratur eſſe firmum præſidium. Extra hæc duo nihil eſt. Nam ſi quem reprehendimus, aut negamus ab eo dicta, aut admittimus. Sic conſtituuntur duæ partes. Si quid admittimus, id à cauſa noſtra tribus modis amolimur. aut enim certum eſt, aut dubium. Si dubium, contemnimus, eludimus. Si certum, dicimus aut in perſpicue falſis idem poſſe dici, aut ex eo non effici quod uelit aduerſarius. In hæc genera reprehenſiones omnes cadent. Ariſtoteles octauo Topicorum. Quod ſimpliciter eſt improbãdum, quodq; ſimpliciter non uidetur probabile, & quod minus probabile concluſione, non eſt ei qui reſpondet, admittendum. Ibidem de refutatione multa dicit: ſed hæc propoſito ſunt accommodatiora. Proponamus exempla. Si erit palàm falſum, negare ſatis eſt, inquit Fabius: ut pro Cluentio Cicero, eum quem dixerat accuſator epoto poculo concidiſſe, negat eodem die mortuũ. Ficta ſunt pro Sexto Roſcio: Poſtquam iſti intellexerunt ſumma diligentia uitam Sexti Roſcij cuſtodiri, neque ſibi ullam cædis faciundæ poteſtatem dari, conſilium ceperunt plenum ſceleris et audaciæ, ut nomen huius de parricidio deferrent. Eſt alia quidem ratio falſi, alia ficti. Comœdias fictas, non itidem falſas dicimus. Contra ſunt argumenta falſa, quæ non dixeris eſſe ficta: quamobrem à Cicerone diuiduntur. Dubia pro certis aſſumuntur. ut qui Cluentij nomen detulerunt, nitebantur argumento tãquam neceſſario, iudicium pecunia fuiſſe corruptũ, non ab Oppianico qui damnatus eſſet, ſed à Cluentio qui uiciſſet. Cicero trahit in dubium, facitq; ueriſimile, ab Oppianico, quamuis poſtea damnato, iudiciũ pecunia tentatum. Idem pro Sexto Roſcio ſic refellit aduerſariorum crimina, ut eadem conuenire dicat accuſatoribus, & ſi putant perſpicue falſum uideri, Roſcium ab ſe de medio ſublatũ. Idem pro Cluentio, ex ijs quæ ſumpſerant aduerſarij de nota Cenſoria, demonſtrat non effici quod uelint, Cluentium pecunia circumueniſſe innocentem, ſed à ueritate deuiaſſe Cenſores. ACCEDERE autem oportet ad ſingula.] Hic tria ſunt de refutatione præcepta. Primum Quintil. interpretatur. Quæ turba ualebunt, inquit, diducenda erunt, quod paulo ante dixi. Eras heres, & pauper, & magna pecunia appellabaris à creditoribus, & offenderas, et mutaturum tabulas teſtamenti ſciebas. Vrgent uniuerſa: at ſi ſingula quæque diſſolueris, iam illa flamma, quæ magna congerie conualuerat, diductis quibus alebatur, concidet. Alterum commune præceptum, de exemplorum commemoratione tractat in oratione pro Roſcio Amerino, ubi narrat Clœlij Tarracinenſis adoleſcentes filios iudicio abſolutos, & ſuſpicione omni liberatos, quorum nomina de parricidio delata fuerant: quia neque ſeruus quiſquam reperiretur, neque liber, ad quem ea ſuſpicio pertineret, præter duos adoleſcentes filios, qui cum patre iugulato dormierant. in qua diſputatione actoribus creditum nõ eſt. Deinde locus eſt communis, in quo conquerenda, id eſt, deploranda conditio communis periculi, ſi ingenijs hominum criminoſorum, qui ſunt accuſatores in falſum crimen proniores, ſit expoſita uita innocentium. quod idem in oratione pro Quintio facit: Quintus Hortenſius, qui hoc iudicio partes accuſatoris obtinet, contra me dicturus eſt, cui ſummam copiam facultatemq; dicendi natura largita eſt. Ita fit, ut ego qui tela depellere, & uulneribus mederi debeam, tum id facere cogar, cum etiam telum aduerſarius nullum iecerit: illis autem id tempus impugnãdi detur, cum & uitandi illorum impetus poteſtas adempta nobis erit, & ſi qua in re, id quod parati ſunt facere, falſum crimen quaſi uenenatum aliquod telum iecerint, medicinæ faciendæ locus non erit. Hic & de conditione cauſæ, & accuſatoris ingenio, & periculo imminente cõqueritur. QVONIAM unde inueniuntur quæ ad fidem pertinent.] Quintilianus hunc ſequutus auctorem, de confirmatione primum, poſtea de refutatione, poſtremum de enthymemate & epicheremate dicendum putauit: quia natura prius eſt inuenire quo pugnemus argumento, ſiue noſtra confirmare, ſiue obiecta refutare cupiamus. Poſterius eſt, ex argumenti ſeminario producere argumentationem. Argumentatio definitur, argumenti explicatio, hoc eſt, materiæ ad faciendum fidem comparatæ tractatio. Ea ſumitur ex locis tum cõmunibus, tum proprijs ſingulorum ſtatuũ, ex quibus omnia deriuari neceſſe eſt. Argumentatio conficienda & diſtinguenda dilucide eſt, quia argumentum proprie dictum, non confectum ſed inchoatum, non diſtinctum ſed implicatum, non dilucidum ſed obſcurum eſt. Argumentatio multo fuſior explicat argumentum. Argumentum eſt, Ne perſequare filium pater. Argumentatio eſt, Natura parentibus ingenuit amorem & charitatem liberorum, firmumq; uinculum propinquorum colligauit, ut patres filios, filij patres pie ſancteq; tuerentur. Quo fœdere, qua neceſſitudine deuinctus es optime parẽs? Ne tu igitur filium, tuumq; ſanguinem multo chariſſimũ perſequare. Non'ne uides ut uno uerbo res eadem inuolui, & argumentatione explicari poteſt? Sunt qui faciunt hoc diſcrimen, ut ſit argumentum res quæ probationi alterius adhibetur: argumentatio, argumenti elocutio. illic ſententiæ, hic uerba intelliguntur. quod quidem in idem recidit, quia explicatio & elocutio plura uerba deſiderant, certumq; conſtituunt ordinem.

Ad conficiendam argumentationem ſumenda ſunt aut non dubia, quæ certa ſunt: aut probabilia, quæ ſi non certa, tamen ueriſimilia ſunt. Ex indubitatis efficies & colliges id quod erat dubium, ex probabilibus minus probabilia. Hoc quale ſit, explicat Quintilianus his uerbis: Cum ſit argumentum ratio probationem præſtans, qua colligitur aliud per aliud, &

quæ quod eſt dubium, per id quod dubium non eſt, confirmat: neceſſe eſt eſſe aliquid in cauſa, quod probatione non egeat. alioqui nihil erit quo probemus, niſi fuerit quod aut ſit uerum, aut uideatur, ex quo dubijs fides fiat. Certum eſt, Antonium Cæſari diadema imponere uoluiſſe. uidit enim totus ferè pop. Romanus. Ex illo conficies, Antonium ſeruire uoluiſſe: quod dubium uidetur. Probabile eſt, á filio ruſtico frugi bonoq́; non interfectum patrem. Ex illo Cicero conficit, non eſſe Roſcium parricidam, quod erat minus probabile. Dialectici materiã probandi ducunt è locis, ut à coniugatis: argumentum eſt. Conijciunt in figuram aut primam, aut ſecundam, aut tertiam, argumentatio fit, & ſyllogiſmus. Aſſumunt autem aut non dubia, aut probabilia: quia dubia & improbabilia non facile admittuntur, nec probat eum ſyllogiſmum, cuius pars antecedens non eſt apertior & notior concluſione. Idem factitant & oratores: ſed illis tractatio diuerſa. ARGVMENTANDI *autem duo ſunt genera.*] In argumentatione ſpectatur fides, & motus, ut ante dictum eſt. quamobrem duo facit argumentandi genera: alterum quod ad fidem, id eſt rei dubiæ probationem ſine affectuum ratione ſpectat: alterum quod ſe inflectit ad motum, hoc eſt, ſuſcipitur magis ad mouendos animos, quàm ad ſimplicem propoſitionis fidem: quanquam plurimum adiuuat eam, ſed aliud etiam ſpectat officium. Prior argumentatio ferè directo, non ſemper conſtituitur, hoc eſt, recto modo, rectoq́; ordine digerendæ argumentationis. Dirigitur, inquit, ſi propoſitio primum, deinde aſſumptio ponatur, & utraque confirmetur, ſi modo confirmationis eget: deinde complexio & concluſio propoſiti conſequatur: ut, Bonum eſt uirtus. nam id demum bonũ eſt, quo nemo male uti poteſt: uirtute nemo male uti poteſt: bonum eſt ergo uirtus. Syllogiſmus dicitur, quo perraro bonus utetur orator, quia puerile quiddam ſapit. ſed utetur epicheremate, paulo remotiore ab illa conciſa & moleſta concluſione: quæ, ut Quintilianus ait, contemptum ex humilitate, & odium ex quadam ſeruitute, & ex copia ſatietatem, & ex amplitudine faſtidiũ parit. Epicherema eſt Philippica ſecunda: Cur prouinciæ Caſſio & Bruto datæ? cur quæſtores additi? cur legatorum numerus additus? Atqui hæc acta per te: non igitur homicidæ. Sequitur, ut liberatores tuo iudicio ſint, quandoquidem tertium nihil poteſt eſſe. Peius hoc modo collegiſſet, Prouinciæ per te Caſſio & Bruto datæ: prouincias non dediſſes homicidis: non igitur homicidæ ſed liberatores tuo iudicio ſunt. Dicat quiſpiam, Sunt'ne enthymemata argumentationes? Quædam ſe explicant: ut, bonum eſt uirtus, quo nemo male uti poteſt. Quædam inuoluta & implicata ſunt: ut, uincetur infirmus. Hic enim in duobus uerbis eſt propoſitio, atque ratio. Priora ſunt argumentationes, poſteriora non ſunt argumentationes, ſed argumenta. nam argumentatio eſt, argumenti explicatio. Altera eſt argumentatio, quæ ſe inflectit ad motum. ea prius ſumit quæ uult, ut quæ poſſunt animos hominum mouere: eaq́; confirmat, ſi natura debilia ſunt: deinde propoſitionem permotis animis & affectu concitatis iacit, & impetu dicendi contorquet ad extremum. Id autem eo fit, quòd ſi initio rem proponeret, eamq́; ſimpliciter confirmaret, non tam uehementer arderet affectus: ut in argumentatione dialectica nullæ graues excitantur tragœdiæ, quando rectiſſimum argumentandi ductum proſequitur. Huiuſce rei proferamus exemplum, ex actione tertia in Verrem. Nam quæro abs te circumſeſſus'ne ſis Lampſaci? cœpit'ne domum in qua diuerſabare, illa multitudo incendere? uoluerint'ne legatum populi Romani cõburere uiuum Lampſaceni? negare non potes. Hæc Cicero ſumpta uoluit, deinde confirmat: Habeo enim teſtimonium tuum, quod apud Neronem dixiſti: habeo quas ad eundem literas miſiſti. Addit alteram confirmationem: Bellum'ne populo Romano Lampſaci ciuitas facere conabatur? defecere ab imperio ac nomine noſtro uolebat? Video enim, & ex his quæ legi & audiui, intelligo, in qua ciuitate non modo legatus pop. Rom. circumſeſſus, non modo igni, ferro, manu, copijs oppugnatus, ſed aliqua ex parte uiolatus ſit, niſi publice ſatisfactum ſit, ei ciuitati bellum indici atque inferri ſolere. Hactenus confirmationes. Aſſumit aliud: Quæ fuit igitur cauſa, cur cuncta ciuitas Lampſacenorum de concione, quemadmodum tute ſcribis, domum tuam concurreret? Iterum confirmat: Tu enim neque in literis quas Neroni mittis, neque in teſtimonio cauſam tanti tumultus oſtendis ullam. Obſeſſum te dicis, ignem allatum, ſarmenta circundata. Lictorem tuum occiſum eſſe dicis: prodeundi tibi in publicum poteſtatem factam negas: cauſas huius tanti terroris occultas. Deinde quod proponendum fuerat, iacit ad extremum: Cum igitur quæ cauſa illius tumultus fuerit, teſtes à nobis producti dixerint, ipſe celaris, non'ne cauſam hãc quã nos propoſuimus, tum illorum teſtimonia, tum iſtius taciturnitas perpetua confirmat? Hæc multo uehementiora, quàm ſi more ſyllogiſmi tractentur. Vim afferre uolueras Philodami filiæ. nam Lampſaceni non ſine cauſa te incendere uoluerunt. Nulla eſt alia cauſa præter illam, ergo ea eſt. Quòd ſi grauiores affectus & exempla quæris, inuenies duobus locis ubi tractamus amplificationem. Noluimus hoc argumentandi genus cum amplificatione permiſcere, & ſi aliquid habet commune cum illa, nec eam Cicero excludit: ſed exemplum proponere rubuſtius, amplius, & concitatius, quàm quod rectam argumentandi rationem obſeruat. In quo ſi dicat ſe ipſe propoſuiſſe cauſam quam iacit ad extremum, non hic quidem, ſed narratione ſuperiore propoſuit, nec tritam ſecutus eſt argumentandi uiam, ut uehementius urgeret aduerſarium. EST *autem illa uarietas in argumentando.*] Quia ſimilitudo parit ſatietatem, contra uarietas iucunditatem, qua ratione uariemus argumentationes oſtendit. Varietas eſt aut in figuris, aut in ordine. Figuræ numerantur quatuor, quibus interrogamus noſmetipſos, aut percontamur, aut imperamus, aut optamus. Quæ quoniam non ſolæ ſunt, in his accipi uult & alia plura ſententiarum ornamenta, id eſt figuras, ut communicationem, permiſſionem, exclamationem. Ordo tribus modis dirigitur. Vnus immutat tres illas argumentationum partes, ne ſemper anteponatur propoſitio, deinde ponantur aſſumptio & connexio. Alter interſerit quædam præter argumenta, ut oſſa neruiq́; confirmationis, alijs quibuſdam rebus ueluti carne & cute contegantur: quòd nihil eſt odioſum magis, quàm crebra, ieiuna, nuda, litigioſa argumentorum frequentia. Alius ordo breue enthymema collocat, pro longa partium diſpoſitione ac concluſione. Interrogamus noſmetipſos. Terentius: Quid igitur faciam? non eam, ne nunc quidem, cum accerſor ultro? Enthymema eſt. Ire debeo, quia me accerſit ultro. Percontari quid ſit, oſtendit Quintilianus his uerbis: Quid tam commune, quàm interrogare uel percontari? Nam utroque utimur indifferenter, cum alterum noſcendi, alterum arguendi gratia uideatur adhiberi. Hæc ille. De percontatione luculentum eſt exemplum, quod paulo ante citauimus ex actione tertia in Verrem. Imperamus. Cicero pro Rabirio: Quin continetis uocem indicem ſtultitiæ ueſtra, teſtem paucitatis? Increpat, ac imperat. Facies enthymema nudum hoc modo: Tacere uos præſtat, quia clamor hic oſtendit & ſtultitiam ueſtram, & paucitatem. Optamus. Idem in eodem loco: Vtinam hanc mihi facultatem cauſa concederet, ut poſſem hæc prædicare, C. Rabirij manu Lucium Saturninum hoſtem populum Rom. interfectum. Fiet enthymema purum ſine figura: Auderem prædicare à Rabirio Saturninum eſſe caſum, quia hoſtis erat pop. Rom. A' propoſito non orditur Cicero pro Milone: Quòd ſi duodecim tabulæ nocturnũ furem quoquo modo, diurnum autem ſi ſe telo defenderet, interfici impune uoluerũt: quis

eſt qui

eſt qui quoquo modo quis interfectus ſit, puniendum putet? Hic ratio, deinde intentio. de altero ordine, qui multa commiſcet ornamenta & motus, non eſt exemplum exponendum, quia nimium prolixum. Conſtat autem inter argumentationes eſſe locos communes, figuras, ſententias, affectus, expoſitiones, commorationes, quæ ſunt argumentationis ornamenta, & quæ ſic interferuntur, ut imperiti uix ſentiant argumenta, dicantq́; oratores nulla pugnare argumentatione. Breuiter interdum, quæ erũt ſatis aperta ponemus, neque concludemus. Cicero pro Milone: Eius mortis ſedetis ultores, cuius uitam ſi putetis per uos reſtitui poſſe, nolitis. Fuſius iſtuc explicari poteſt: Eius ulciſci mortem iniquũ eſt, cuius ipſi uitam reſtituere nolitis: P. Clodij uitã reſtituere nolitis, ideo mortis eius ultores ſedere non debetis. QVID illa, quæ ſine arte appellantur, quæ iamdudum aſſumpta dixiſti.] Quoniam cauſis alijs alij ſunt aptiores loci, proprios ſingulorum ſtatuum locos aſſignauit, eos quidem certe, qui ſæpius occurrunt. Nunc autem ex ordine ac ratione ſcribendi, ſtatuũ omnium communes arte metitur, ut teſtimonia, & quæſtiones: quibus etiam primas aſſignare non erat alienum à conſuetudine collocandi. Ad teſtimonia pertinent rumores, iuſiurandum, præiudicia, tabulæ, uaticinationes, auctoritates. hæc eſſe teſtimonia ſupra commonſtrauimus. Teſtimonia dicuntur inartificialia, quòd ea non parit oratoris ars, ut argumenta ratione collecta: ſed à litigatoribus ad ſe delata, tamen arte tractat, ut uires & robur accipiant, uel amittant. In teſtes alter eſt locus communis de toto genere teſtium, qui ratione multitudinis in arte præcedit: alter eſt proprius de ſingulis. In genere dicendum eſt, plus adhibendum fidei rationibus, quàm teſtibus: quoniam argumenta ſunt rerum propria, id eſt, natura monſtrant ea quorum ſunt & oſtenduntur argumenta, & inde nomen habent à demonſtratione. Teſtimonia autem ſunt uoluntatum: idcirco quiſque pro ſua libidine confingere poteſt. Vtendumq́; eſt exemplis, quibus teſtibus creditum non ſit. Singuli refelluntur, ſi natura uani, hoc eſt ueritatis inanes, & rerum bonarum uacui, nulliuſq́; bonæ frugis homines, in ſermone ſi leues, ſine grauitate, pondere, conſtantiaq́; dictorum. Si cum ignominia, ut adulteri deprehenſi. Si ſpe, boni aſſequendi. Si metu, mali impendentis. Si iracundia, id eſt, feruore animi. Si miſericordia impulſi, ſi præmio, ſi gratia, id eſt, fauore uel amicitia inducti. Comparãdúq; ſuperiore cum auctoritate teſtium, quorum exemplis paulo ante dixerat utendum: ut ſi melioribus creditum non ſit, deterioribus multo minus credatur. Vſus eſt hac arte pro Flacco, ubi primum inſectatur uniuerſum genus teſtium Græcorum, tã quam diffluens uanitate atque leuitate: Teſtimoniorum, inquit, religionem & fidẽ nunquam iſta natio coluit, & quæ ſequuntur. Deinde comparat eos Romanis teſtibus, ijs quibus etiam credi non uult. poſtea accedit ad ſingulos, tandemq́; colligit, nihil religione teſtatum, nihil ueritate fundatum, nihil dolore expreſſum: contraq́; omnia corrupta libidine, iracundia, ſtudio, precio, periurio reperientur. quæ quoniam longiora ſunt, apud eum legenda tibi relinquo. Argumenta teſtibus antepoſuit pro Cælio: Vos abducam à teſtibus, neque huius iudicij ueritatem, quæ mutari nullo modo poteſt, in uoluntate teſtium collocari ſinã: quæ facillime fingi, nullo negotio flecti ac detorqueri poteſt. Argumẽtis agemus. Reliqua ſumes ex oratione in Vatinium teſtẽ. Hæc & ſimilia dicuntur in teſtes. Pro teſtibus autem dicenda ſunt contraria. Aſſumpta, extrinſecus in cauſam recepta. Ecquo'nã modo, an aliquo modo. SAEPE etiam quæſtionibus reſiſtendum eſt.] Quæſtiones tormenta ſunt, quibus exquiritur ueritas. Illis non eſſe credendum probatur, quòd alijs patientia facile mendacium faciat, alijs infirmitas neceſſariũ. Infirmi dolorem fugiunt, ideoq́; falſum confitentur. Robuſti metu ſupplicij aut mortis, uim tormentorum perferunt. alij ementiuntur in eos quos oderunt, ut Caſca pro Milone: aut pro charis amicis ne uitæ quidem parcunt. Id eo frequentius accidebat, quòd Romæ ſerui, miſerum hominum genus, non liberi, tormento cruciabantur. De ſeruis in tormenta coniectis, quædam pro Cluentio, quædam pro Milone: ſed nihil ad hæc præcepta, quæ temporibus noſtris & ſi uſu euenire poſſunt, non tamen apud nos habẽt firmum præſidium. In utranque partem ſunt exempla, ut argentarij cuiuſdam ſeruus innocens, qui dolorem ferre nõ poſſet, in tormentis ementitus, ſupplicio mortis affectus eſt. Contra ſeruus Antonij oratoris noluit uerum confiteri. Item ad coniecturam faciendam loci ſunt, quales aſſignauit in ſtatu coniecturali, unde ſumuntur argumenta. Adhæc, teſtimonia & quæſtiones refelluntur, ſi quid ambigue dictum, quod in alium ſenſum trahi poſſit: aut inconſtanter, ut diſſentaneum prioribus: aut incredibiliter, quod alienum à ueritate: aut aliter ab alio teſte dictum. Cicero pro Cæcinna Fidiculanum teſtem arguit, quoniã aliter dixiſſet quàm cæteri teſtes, quoniam inconſtanter, qui multos armatos fuiſſe cũ dixiſſet, poſtea ſeruos ſuos armatos fuiſſe dixit. EXTREMA tibi pars reſtat orationis.] Peroratio eſt extrema concluſio, quæ natura ſequitur alias partes, ut finis ac modus orationis. Diuiditur in duas partes, amplificationem, & enumerationem. aut enim mouere uolumus affectus, facilius obtinendæ cauſæ gratia: aut diſſipata ſparſaq́; argumẽta in unũ colligere, ut quid efficiant, intelligat auditor. Verũque locis utile. Inde natæ duæ partes, duplexq́; ratio perorandi. Motus eſt prior. Is in amplificatione maxime conſiſtit. Amplificationi locum attribuit, eam deinde finit: & demum qua ratione conficiatur, oſtendit. Locus eſt ei proprius in perorãdo. Sed & aliquando primas habet: aliquando ſequitur in curſu quæſtiones, cum egreditur & declinat orator ad amplificandum, quod argumentando probauit. Exempla utriuſque ſupra citauimus. Amplificatio eſt grauior quædam affirmatio, quàm ſimplex illa argumentatio, quæ motu animorum magis quàm rebus probandis conciliet in dicẽdo fidem. ijs enim, quibus animus mouetur, multo facilius credimus. Conficitur amplificatio, quemadmodum omnis oratio, certo quodam genere uerborum ac ſententiarum. Prius autem uerba tractat, deinde ſententias, & ſi natura ſententiæ uerbis ſunt priores, & inuentio rerum præfertur elocutioni. ſed initio faciliorem maluit expedire partem. Nam quemadmodum ordine naturæ progredi poſſumus ab animi cõceptione ad explicationem uocis, ita cõtra à notioribus nobis ad occultiora, ab ore ad animum mentemq́; penetrare. Vtranque uiam methodici probant. Verba ponenda ſunt quæ uim habeãt illuſtrandi illa inſignia, quæ rem conſtituant penè ante oculos, & orationis lumina, ac uerba figurata: ut, importuni locutores nullo rerum pondere innixi, uerbis humidis & lapſantibus diffluunt. His uerbis res euidenter exprimitur. Ponenda ab uſu nihil abhorrentia, quoniam inuſitata ſunt illuſtribus aduerſa: & abſurdum uidetur, in illuſtri genere dicendi reperiri uerba paucis aut nemini cognita, ut Silenta, Manciolæ, Triſeclíſenex. Sũt autem grauia uerba cum pondere & auctoritate, ut, Patrẽ patriæ parricida trucidauit: grauius eſt, quàm iſtuc, Cæſarem Brutus occidit. Plena à ſonantibus differunt. Sonus eſt in amplitudine literarum, ut a, o, r: thrax, bos, ros, ampla uerba & ſonantia, etiam ſi conſtant una ſyllaba. Plenum illud eſt in magnitudine uerborum, quæ complet actionem, & illam pronunciandi contentionem, & ex illa mole uerborum res quodammodo facit uideri grandiores: ut, Luctantes uẽtos, tempeſtateſq́; ſonoras. Cæſar deorum immortalium beneficio, cum ſua uirtute, tum approbatione auctoritatis meæ incitatos latronis impetus retardauit. His adde iuncta, quæ ſunt compoſita, ut conſceleratus, perturbare, condolere, & ſi qua ſunt compoſitione grauiora. Facta, quæ facit orator: ut, Dictitabat impotens animi, & æſtuabat colluuione uerborum teterrima. Facies autẽ parcius in hac miſera ſuperſtitione Latinorum. Cognominata reddidit ad uer-

bum συνώνυμα, quæ re ſunt eadem, ſed nomine diuerſa, ut immanis, tetra, crudelis, & importuna bellua. Non uulgata, non adeo trita, ut nihil moueant animos, qui ſolent excitari noua dignitate uerborum: ut uulgatum eſt, De re tanta nemo poteſt mediocriter loqui. non uulgatum, & ideo robuſtius, Tanta rerũ magnitudine omnis inferior eſſe uidetur oratio. Extollitur ultra uulgare dicendi genus. Vulgatum eſt, Nos patriam fugimus. Amplius eſt, Extorres à patria profugimus. Sic oratio in amplificatione ſummouetur à uulgo, non ut ambiat affectationem, & inauditum uerborum genus, ſed ut ampliorem acquirat ex uerbo dignitatem. Superlata, hyperbolica, Ferit æthera clamor. An ſuperlata, quæ grammatici ſuperlatiua dicunt? iis enim frequenter utuntur illi qui res amplificant. Translata, metaphorica. Habet Lucium fratrem, quam facem dij immortales? quod facinus? quod ſcelus? quem gurgitem? quam uoraginem? Soluta ſunt, quæ dicũtur ſine coniunctione, ut plura eſſe uideantur. Soluuntur autem ſingula, ſoluuntur & continentia, quæ ſunt cohærentia, et ſic inter ſe iuncta, ut uno conatu pronunciari debeant. Cic. Nos penates, aras, focos, ſepulchra maiorum: nos leges, iura, libertatem, coniuges, liberos, patriam defendimus. hæc ſingula: M. Antonius id molitur, id pugnat, ut hæc omnia perturbet, euertat, prædam Reipub. cauſam belli putet, fortunas noſtras partim diſſipet, partim diſpertiat parricidis. Hæc continentia diſſoluta. Relata uerba dicuntur, cum propoſitis aliquot, & conſtitutis, totidem penè referuntur. Cicero: Antonij promiſſa cruenta, tetra, ſcelerata, dijs hominibusq; inuiſa, nec diuturna, neque ſalutaria: noſtra contra honeſta, integra, glorioſa, plena lætitiæ, plena pietatis. Iterata ſunt, uerba repetita. Cicero pro Milone: Vbi nunc ſenatus eſt quem ſecuti ſumus? ubi equites Romani illi, illi, inquit, tui? Vbi ſtudia municipiorum? ubi Italiæ uoces? Duplicata ſunt in eadem peroratione: Valeant, inquit, ualeant ciues mei &, equites Romani illi, illi tui. Ea quæ aſcendũt gradatim ab humilioribus uerbis ad ſuperiora, ſic habent, ut maius alio gradatim ſuperueniat. Cicero in Verrē: Facinus eſt uincire ciuem Romanum: ſcelus uerberare: prope parricidium, necare: quid dicam in crucē tollere? In amplificatione ſemper quaſi naturalis oratio, hoc eſt, uelut ſponte fuſa, & ſi latet aliquid ornatus, accommodatior eſt quàm explanata, id eſt, elegantia uerborum plana ac molli perpolita. Quærenda igitur grauia, non ambitioſe ac nimis eleganter ornata. HAEC igitur in uerbis, quibus actio uocis, uultus, & geſtus congruens.]

Nihil proderit optimis uerbis uti, niſi qualia ſunt, talia in aurem perferantur: quod fiet apta pronunciatione, quam ante diſtribuit in uocem, in uultum, & in geſtum: cauſamq; ſcripſimus. Sed & in uerbis, & in actione cauſa erit tenenda, ut ſciamus, ſit'ne digna tam grauibus tragœdijs, quia furioſum eſſet paruis in rebus deos atque homines commouere. Hic igitur ut in alijs rebus, obſeruandum eſt in arte præcipuum decorum. Qui nihil poteſt tranquille, nihil leniter, nihil partite, definite, diſtincte, facete dicere, præſertim cum cauſæ partim totæ ſint eo modo, partim aliqua ex parte tractandæ, ſi is non præparatis auribus inflammare rem cœpit, furere apud ſanos, & quaſi inter ſobrios bacchari uinolentus uidetur. Hæc Cicero in Oratore. Idem ibidem: Quàm enim indecorum eſt, de ſtillicidijs cum apud unum iudicem dicas, ampliſſimis uerbis, & locis uti cõmunibus, de maieſtate uero populi Romani ſummiſſe & ſubtiliter. In omnibus rebus, uidendum eſt, quatenus. Etſi enim ſuus cuique modus eſt, tamen magis offendit nimium quàm parum. RERVM amplificatio ſumitur eiſdem locis omnibus.] quibus argumenta eruuntur: ut definitione, conſequentibus, contrarijs, diſſimilibus, repugnantibus, cauſis, effectis, & exemplis: quorum uim naturamq; prius expoſuimus. Definitiones ualent conglobatæ, & in unum collectæ, quia rem uehementer illuſtrant. Antonius ſecundo de Oratore ſic amplificat hiſtoriam: Hiſtoria uero teſtis temporum, lux ueritatis, uita memoriæ, magiſtra uitæ, nuncia uetuſtatis, qua uoce alia niſi oratoris immortalitati commendatur? Hic quinque ſunt tanquam definitiones. Tibi'ne uilis eſt illa doctrina Rhetoricæ? quæ ſit orandi facultas? ars benedicendi? ſcientia grauiter & copioſe diſſerendi? inueniendi magiſtra atque diſponendi, cum elocutione, memoria, & apta pronunciatione? quæ dicit accommodate ad perſuadendum? quæ docet, mouet, atque delectat? hic ſex definitiones conglobatæ. An definitiones cõglobatas dicit ſingulas deſcriptiones, quæ rerum frequentia denſæ, rem auctius commonſtrant? Certe definitio multis & uerbis & rebus grauibus aucta, non tantum genere et proprietate uel differentia comprehenſa, ad demonſtrandum quid res ſit, plurimum ualet, & eiuſmodi conglobata dici poteſt. Conſequentium frequentatio eſt, enumeratio conſequentium crebra, qualis eſt in concluſione pro Milone, Quid uos iudices? quo tandè animo eritis? memoriam Milonis retinebitis, ipſum eijcietis? & quæ ſequũtur. Damnationē Milonis hæc ſequuntur, eiectio uiri, & digniorem eſſe locum in terris qui hanc uirtutem excipiat, & milites quondam fortiſſimos, ignauos fuiſſe in ciuis inuicti periculo, & à Cicerone in patria non eum potuiſſe retineri, à quo reuocatus erat in patriam, & eundem non habiturum quod reſpondeat liberis, Quintoq; fratri. Idem facit in oratione pro Murena multo fuſius ac uehementius. Contraria ſi conferuntur, eluceſcunt, & inde uires addunt orationi. Cicero, O' ſpectaculum illud nõ modo hominibus, ſed undis ipſis & littoribus luctuoſum, cedere patria ſeruatorem eius, manere in patria perditores. Diſſimilia ſunt differentia, quæ differunt à pugnantibus: quòd & ſi omnia pugnantia ſunt diſſimilia, tamen omnia diſſimilia nõ ſunt pugnantia: ut luxuries & arrogantia non repugnant, ſed diſſimilia ſunt. Cicero de uilla M. Varronis: O' tecta ipſa miſera, quàm diſpari domino tenebantur? Studiorum enim ſuorũ M. Varro uoluit eſſe illud, non libidinum diuerſorium. Quæ in illa uilla ante dicebantur? quæ cogitabantur? quæ literis mandabantur? iura pop. Rom. monumenta maiorum, omnis ſapientiæ ratio, omniúq; doctrina. Atenim te inquilino, non enim domino, perſonabant omnia uocibus ebriorum, natabant pauimenta uino, madebant parietes, ingenui pueri cum meritorijs, ſcorta inter matresfamilias uerſabantur. Repugnantia ſunt 10. Philip. Quæ eſt enim iſta tua oratio Calene? quæ mens? qui nunquam poſt Calendas Ianuarias idem ſenſeris, quod is qui te ſententiam prius rogat? Cur nunquam tã frequens ſenatus fuit, quo unus aliquis tuam ſententiam ſecutus ſit? Cur ſemper tui diſſimiles defendis? Cur cum te & uita & fortuna tua ad otium & dignitatem inuitet, ea probas, ea decernis, ea ſentis, quæ ſunt inimica & otio communi, & dignitati tuæ? Hæc in repugnantibus pono, quia (ut ait) dignitas hominis & eius uerba pugnant, & ſui diſſimiles, id eſt, probus improbos ille defendit. Aptius eſt exemplum pro Roſcio Comœdo, Qua in re mihi ridicule tu uiſus eſſe inconſtans, qui eundem & læderes, & laudares: & uirum optimum, & hominem improbiſſimum eſſe diceres: eundem tu & honoris cauſa appellabas, & uirum primarium eſſe dicebas, & ſocium fraudaſſe arguebas. Cauſæ, & ea quæ ſunt de cauſis orta, id eſt effecta, iuuant amplificationem. Cicero: Tantæ'ne tuæ Verres libidines erunt, ut eas capere ac ſuſtinere non prouinciæ pop. Rom. non nationes exteræ poſſint? Tu'ne quod uideris, quod audieris, quod concupieris, quod cogitaris, niſi id ad nutum tuum præſto fuerit, niſi libidini tuæ cupiditatiq; paruerit, immittentur homines, expugnabuntur domus, ciuitates non modo pacatæ, uerumetiam ſociorum atque amicorum, ad uim atque arma confugient, ut ab ſe atque è liberis ſuis, legati pop. Rom. ſcelus atque libidinē propulſare poſſint? Cauſam præmittit effrenatam libidinem, deinde effecta poſtponit, & inde uehementer amplificat. Similitudines: Cicero pro Archia poeta: Saxa & ſolitudines uoci reſpondent, beſtiæ ſæpe immanes cãtu

flectuntur,

flectuntur, atque conſiſtunt : nos inſtituti rebus optimis, non poetarum uoce moueamur? Hic tres ſimilitudines addit . Exemplum : Homerum Colophonij eſſe dicunt ſuum, Chij ſuum uindicant, Salaminij repetunt, Smyrnæi uero ſuum eſſe confirmãt, itaque etiam delubrum eius in oppido dedicauerunt . Permulti alij præterea pugnant inter ſe, atque contẽdunt. Hæc poſuit ad amplificandam poetæ laudem. Fictæ perſonæ, pro Cælio : Puſio frater, Appius ſenex. Muta loquũtur, ut Cicero in Catilinam, loquentem facit patriã. Exempla propoſuimus hinc & inde ſumpta, quia non poterant uno eodemq; loco uniuerſa reperiri. Nec eo data ſunt præcepta, ut omnibus omni loco ſine gratia uarietatis uteremur, ſed ut è multis optima quæque materiæ præſenti accõmodaremus. Ne quis autem exemplorũ multitudinem ut opus laborioſum relinquat: hoc apud ſe cogitet, inutilia fore et hæc & reliqua præcepta, niſi exemplorum demõſtratione uſuq; cognoſcantur. OMNINOQVE ea ſunt adhibenda, ſi cauſa patitur.] Non omnis cauſa patitur adhiberi magna: ſed ſi quando patietur, orationem efficient ampliorem. Cicero: Non uult pop. Rom. obſoletis criminibus accuſari Verrem: noua poſtulat, inaudita deſiderat: non de prætore Siciliæ, ſed de crudeliſſimo tyranno fieri iudicium arbitratur. Includuntur in carcerem condemnati, ſupplicium conſtituitur in illos, ſumitur de miſeris parentibus nauarchorum. Adire ad filios ſuos, liberis ſuis cibum ueſtitumq; introferre prohibentur. Patres hi quos uidetis, iacebant in limine, matreſq; miſeræ pernoctabant ad oſtium carceris, ab extremo complexu liberum excluſæ: quæ nihil aliud orabant, niſi ut filiorum extremum ſpiritum excipere ſibi liceret. Hæc Cicero uelut admiranda proponit. Alia ſunt magna natura, alia uſu. Natura, ut cœleſtia, tonitrua, imbres, tempeſtates, ſiderum ſtellarumq; inſolitæ mutationes, ut diuina oracula, uaticinia, reſponſa, ſomnia: ut ea quorum obſcuræ cauſæ latent, ut luce uideri cometen, lupos ululare in ciuitate, monſtra gigni, triſtem apparere naturã. Omnium iſtorum pulcherrimum reperies exemplum in fine libri primi Georgicon, ubi Virgilius admirabiliter amplificat illam Cæſarianæ mortis atrocitatem. Cicero tertia actione in Verrem, loquens de ſimulachris ex fano Apollinis à Verre ſublatis, utitur hoc amplificandi genere: Tum ſubito tempeſtates coortæ ſunt maximæ, iudices: ut nõ modo proficiſci cum cuperet Dolabella, non poſſet, ſed uix in oppido conſiſteret. ita magni fluctus eijciebantur. Hic nauis illa prædonis iſtius onuſta ſignis religioſis, expulſa atque eiecta fluctu, frangitur. in littore ſigna illa Apollonis reperiuntur. iuſſu Dolabellæ reponuntur, tempeſtas ſedatur. Vſu & conſuetudine uiuẽdi magna ſunt, quæ proſunt uel obſunt homini uehementius, ut hæc tria, charitas, amor, uirtus, & contraria. Charitas eſt in deos, in patriam, in parentes. Amor in fratres, coniuges, liberos, familiares. Charitas, amor eſt ſanctus: amor autẽ latius patet. Honeſtas eſt in omni genere uirtutum: & quædam citra uirtutem honeſta ſunt, ut elegãs ratio loquendi, ut geſtus decens. Quidam fuſius utuntur nomine uirtutis, eiuſmodi paruas honeſtates dicunt eſſe uirtutes. Hiſce rebus utitur in peroratione pro Milone, cuius in patriam charitatem, in ciues amorem, in agendo uirtutem uehementer explicat. Ex ijs & cohortationes ſumuntur, ad ea retinenda: & in eos à quibus ea uiolata ſunt, odia incitantur, quæ tractat ipſe grauiter 11. Philip. in Dolabellam conſulẽ, qui Trebonium crudeliter occiderat. In amplificationibus mouẽtur affectus à patribus pro liberis, à liberis pro patribus, ab infantibus, à propinquis, à familiaribus, ab ijs qui uel auctoritate uel miſeratione poſſunt commouere iudices. exempla pro Sylla, & pro Flacco. NIHIL eſt enim tam miſerabile, quàm ex beato miſer.] Quale ſit hoc, intelliges ex oratione pro Rabirio Poſthumo. Occultat pecuniam Poſthumus. latent regiæ diuitiæ. Ecquis eſt ex tanto populo, qui bona C. Rabirij Poſthumi nummo ſeſtertio ſibi addici uelit? Sed miſerum me: quãto hæc dixi cum dolore? Hem Poſthume, tu'ne es Curij filius? C. Rabirij iudicio & uoluntate filius? natura, ſororis filius? tu'ne ille in omnes tuos liberalis? cuius multos bonitas locupletauit? qui nihil profudiſti? nihil unquam in libidinem contuliſti? Tua Poſthume nummo ſeſtertio à me addicuntur? O meum miſerum acerbumq; præconium. Hoc inſigne amplificandi genus. In miſeratione non eſſe cõmorãdum, monuit rhetor Apollonius: quia cito areſcit lacryma, præſertim in alienis malis. quod ſic Quintilianus expoſuit: Nunquã debet eſſe longa miſeratio. Nec enim ſine cauſa dictum eſt, Nihil facilius quàm lacrymas inareſcere. Nam cum etiam ueros dolores mitiget tempus, citius euaneſcat neceſſe eſt, illa quam dicendo effinximus imago, in qua ſi moramur, lacrymis fatigatur auditor, & requieſcit, & ab illo quem ceperat impetu ad rationem redit. Obſeruandum præterea, ne quidquam nimis enucleatum ſit, hoc eſt, fuſe & ſubtiliter explicatum, quia minuta eſt omnis diligẽtia, multaq; parua dicit, qui omnia dicere conatur. Amplificatio grandia requirit, qualia ſunt quæ paulo ante uerbis & rebus diuiſa ponebat. Faciendus ergo delectus, nitendumq; iudicio, quo quaque in cauſa genere utamur augendi. aliud enim alijs conueniet locis. Nec quæ de amplificatione dicuntur, in unã cauſam cadunt omnia. Nã cũ ſint tria genera cauſarũ in exornatione, ſiue demonſtratione, quæ ad delectationem comparantur, ij loci tractãdi ſunt, qui mouere poſſunt expectationem, admirationem, uoluptatem. Expectatio eſt, ex nouo genere dicendi, quo laudauit Archiam poetam, in cuius admirationem ducit auditores cum uoluptate. Demonſtratio ferè conſtat ſuaui narratione. Suauis autem narratio eſt, quæ habet admirationes, expectationes, exitus inopinatos. In cohortationibus & genere ſuaſorio, bonorum ac malorũ enumerationes & exempla ualent plurimum: ut in orationibus contra Seruilium Rullũ uideas: quale eſt iſtuc luculentiſſimũ. Vnum'ne fundum pulcherrimum pop. Rom. caput ueſtræ pecuniæ, pacis ornamentum, ſubſidium belli, fundamentum uectigalium, horreum legionum, ſolatium annonæ, diſperire patiemini? Subdit exemplũ: An obliti eſtis, Italico bello, amiſſis cæteris uectigalibus, quantos agri Campani fructibus exercitus alueritis? In genere iudiciali diſceptatores concitat accuſator, ut ipſe facit in Verrem frequentiſſime. Contra mitigat patronus, ut idẽ pro Milone. Aliquando mutantur officia pro quæſtionum uarietate, ut ipſe erga Sthenium miſericordiam mouet accuſator. Defenſor idem iracundiã in Roſcios Sexti Roſcij propinquos, quod nunquam faceret in litigatorem ſuum. ENVMERATIO reliqua eſt, non unquam laudatori, ſuaſori nõ ſæpe, accuſatori ſæpius quàm reo neceſſaria.] Rerum repetitio, quod ait Quintilianus, & congregatio, quæ græce dicitur ἀνακεφαλαίωσις, à quibuſdam Latinorum enumeratio, & memoriam iudicis reficit, & totam ſimul cauſam ponit ante oculos, et etiam ſi per ſingula minus mouerat, turba ualet. Enumeratio laudatori nunquam, & ſuaſori non ſæpe neceſſaria. Ille memoriæ auditorum non diffidit, quia nihil periclitatur. Genus eſt ad uoluptatem ferè comparatum, fuſum, copioſum, ſecurum: in quo tam multa repetendo, noua quædam ducetur oratio. Hic ſententiam dicit eam, quam diceret ſi non uteretur argumentis: ſtudet breuitati, neque uerſatur in cauſa tam moleſta, quàm qui iudicia tractant. Adde, quòd in utroque genere ſunt rerum expoſitiones & amplificationes, quæ repetitione decreſcunt. Nihil obeſt tamen aliquãdo breuiter argumẽta firmiora collegiſſe, ut quid efficiatur ex illis aperte cognoſcat auditor, præſertim in confuſiore cauſa. Quod ſi fiet, non erit tamen enumeratio neceſſaria, præſertim in laudatione, cum poſſit ſine ullo periculo omitti. Enumeratio accuſatori ſæpius quàm reo neceſſaria, quia multa iactat accuſator, infirma forte ſingula, ſed quæ tãdem collecta, turbæ multitudine roborantur. Reo ponẽda ſunt contraria, quorum diſſolutio in breuitate latebit, aculei pungent. Sic ille paulo

poſt. ſenſus eſt: Reo ponenda ſunt contraria iis quæ obiicit accuſator, quorum diſſolutio & refutatio in breuitate & anguſta enumeratione minus intelligetur, aculei pungent, hoc eſt, accuſatoris frequentata firmamenta, repetitione defenſoris iterum ferient aures, pungent animos, et comparata breui diſſolutioni, maiorem uim habere uidebũtur. Non ſunt aculei defenſoris argumenta, ſed acria illa tela, quæ uehementer intorſit accuſator, ut aurem ferirent. quæ quidem reo ponenda ſunt, ſi medelam contrariam in enumeratione uelit adhibere. Poſteaquam præcepit á quo fiat enumeratio frequentius, & in quo genere cauſarum, temporis aſſignat opportunitatem. Fit igitur aut quia memoriæ diſceptatorum diffidit orator, aut quòd frequentatis firmamentis, id eſt argumentis unum in locum ſtipatis, uim eſt habitura cauſa maiorem. Memoriæ diffidit eorum, apud quos agit uel interuallo temporis, ſi quis eandem cauſam multos dies egit. quod ſæpe accidebat in difficilioribus cauſis, ut ultra decimum diem agendo producerentur: uel longitudine orationis, quæ memoriam confudit. Cicero paucis enumerationem conficit in frumẽtaria, pluribus in ultima actione, modice in oratione pro Cecinna: Cum iudicium de ui ſit, is qui arguitur, uim ſe hominibus armatis feciſſe fateatur, & quæ ſequuntur. Ea eſt enumeratio pro reo. In enumeratione uitandum, ne oſtentatio memoriæ ſuſcepta, uideatur eſſe puerilis. Etenim puerile eſt artis memoriæ ſignum dare, oſtentare ingenium, præ ſe ferre nimiam diligentiam: quod feciſſe multos hac præceptione monſtrat. Ergo ſingula delibanda, ſeruato rerum pondere. QVONIAM & de ipſo oratore, & de oratione dixiſti.] In treis partes diſtributa eſt omnis doctrina dicendi: in ipſam uim oratoris, deinde in orationem, tum in quæſtionem. Nunc de quæſtione tertia parte, quæ eſt materia rhetorici. Nec enim ſi cadit in præcepta, ideo non eſt materia rhetorica. Eſt autem quæſtio, quæ in utranque partem diſputatione trahi poteſt. Quæſtio infinita, in qua aliquid generatim quæritur: ut, expetenda'ne eſt eloquẽtia? Quæſtio finita, in qua quid in perſonis atque certa & conſtituta re quæritur. Neceſſe eſt quidem, aut de toto genere quæſtiones fieri, aut de eius aliqua parte: ut de toto genere parricidii, uel de uno aliquo parricidio: ut de uniuerſo hominum genere, aut natione, aut ordine, uel de uno, paucis'ue certis. Nam infinitum non tantum genus, ſed etiam ſpeciem in hac parte complectitur. Sic natura rerum duas genuit quæſtiones, certam & incertam. Priorem ex ſingulis, uel tanquam ſingulis: quæ logica indiuidua, á Græcis ἄτομα dicuntur. Alteram ex tota ſpecie, uel uniuerſo genere. Quæſtio infinita dicitur conſultatio, de quo nomine ſupra diximus. dicitur & propoſitum, quod eſt græce θέσις. Quæſtio finita, cauſa dicitur, & controuerſia. Quærat aliquis: Cur & hic, & 2. lib. de Oratore, finitam quæſtionem ſolis cõprehendat perſonis & tẽporibus, qui latius in Topicis metiatur? Cauſa, inquit, certis perſonis, locis, tẽporibus, actionibus, negotiis cernitur, aut in omnibus, aut in pleriſque eorũ. Nã & cõtrouerſiæ ſunt de loco ſolo, de certa actione, de certo negotio. Arbitror eũ perſonas et tẽpora ut frequentiora poſuiſſe, in quibus ea quæ ſunt eiuſdem rationis intelliguntur. Conſultatio eſt tanquã genus, & ideo pars cauſæ quæ d.i., & cõtrouerſia, quia ineſt infinitũ in definito, ſicut in ſpecie genus, quod explicabamus per definitionẽ: Homo eſt animal rationale. Duæ ſunt partes hominis, animal, quod eſt genus: rationale, quæ differẽtia eſt. Aut conſultatio dicitur pars cauſæ, quia cauſa ex periſtaſi & propoſito conficitur, ut ante diximus. Ad genus tamen referuntur omnia, ut partes referuntur ad totum, ſummamq; comprehenſionem. Genus itaque natura poſtremum, arte & tractatione primum. quamobrem incipit á conſultatione. Scio Ariſtotelem & Porphyrium dicere, genus eſſe natura primum: ſed alter ſpecies fecit æternas, alter poſuit ideas Platonis. Ego uero dico, ἄτομα primas eſſe ſubſtantias, ut Ariſtoteles: ſpecies autem & genera, ſecunda: & partes natura toto priores, & ſpecies genere: eodem modo, & eum fuiſſe ordinẽ rerum conditarum. aliam eſſe naturam logicam, qua genus, ſi tollitur, perimit ſpeciem, non ſpecies genus. aliam naturam phyſicam, de qua loquor. Ariſtoteles in Politicis dicit totum prius eſſe natura partibus, ſed prius intelligit excellentius. nam ibidem oſtendit, ciuitates á ſocietatum partibus duxiſſe originem. Quæſtionis infinitæ genera ſunt duo. Cognitionis alterum, cuius finis eſt ſcientia: alterum actionis, quod refertur ad efficiendum quid. Etenim in mortalibus ſolus homo rerum uim naturamq; ſpeculatur, & illius propriæ ſunt quæſtiones. Si quid inquirit cognoſcendi gratia, non agendi, quæſtio eſt contemplationis: ut, Veri'ne ſint ſenſus, an'ne fallaces? Sol'ne maior eſt terra? Vbi cõcreſcunt pluuiæ? Vnde fit tonitruum? Sunt'ne octauo cœlo poſitæ ſtellæ? & innumerabiles eiuſmodi quæſtiones, quæ in philoſophia tractantur. unde quæſtio infinita á quibuſdã quæſtio philoſophica nominata eſt. Hæc & ſimilia ſunt animi notiones, & ornamenta ad agendum nõ ita neceſſaria. Si quid inquirit homo agendi cauſa, quod uel perſequatur tãquam bonum, uel fugiat tanquam malum, quæſtio eſt actionis. His duobus membris omne propoſitum continetur: quia ſi quæſtio eſt humanæ perſcrutationis, homo aut tantum ſcire cupit, aut etiam agere ſciendo. Neceſſe eſt his duobus omnia contineri. Dicat aliquis: Hæc diuiſio conuenit etiam controuerſiæ, ac finitæ quæſtioni: ut quæſitum eſt, an Socrates eſſet omnium ſapientiſſimus, quod eſt contemplationis: et an idem uiolaſſet religionem, quod eſt actionis. Exiſtimo utrinſque partis eſſe diuiſionem. Sic enim confirmat in Topicis: Quæſtionum, quæcunque de re ſint, duo ſunt genera: unum cognitionis, alterum actionis. Quod non magis abſurdum, quàm diuiſionem proximam utriuſque quæſtionis eſſe cõmunem, ſit nec ne? quid ſit? quale ſit? Cur ergo tribuuntur infinitæ quæſtioni? Quia quod in genere monſtratum eſt, illud in ſpecie quoque planum factum eſt. Quæſtio ſpeculationis igitur in tria genera partitur: Sit nec'ne? quod eſt coniectura. Quid ſit? quod eſt definitionis. Quale ſit? quod eſt qualitatis. Plura de re quæri non poſſe, ante demonſtrauimus: quoniam ſi rem non conſtat eſſe, ſit nec'ne quæritur. Si conſtat, aut de accidentibus agitur, aut de eo cui accidunt. Hic quid ſit, illic quale ſit quæritur. Exempla non ſunt huius interpretationis. Hoc noſſe ſatis eſt, ſenſus plerunque ueros haberi. Nam Ariſtoteles libro de Senſu, exiſtimat in propria materia non decipi ſenſum, ut oculum in ueris coloribus. Aliquando in communi decipi: ut oculũ in figura ac magnitudine. Cicero 1. de finibus: Quod porrò animo cernimus, id omne oritur à ſenſibus: qui ſi omnes ueri erunt, ut Epicuri ratio docet, tum denique poterit aliquid cognoſci & recipi. Quos qui tollunt, & nihil poſſe percipi dicunt, ii remotis ſenſibus, ne idipſum quidem expedire poſſunt, quod diſſerunt. Hiſce uerbis fuiſſe rem controuerſam de ſenſibus oſtendit, & ea de re ſuam pronunciat ſententiam, Ius tum natura, tum more conſtat, ut omnibus eſt notum. Nam è iure naturali profluxere bonæ leges, boniq; mores. Non ſemper ius eſſe, quod maiori parti ſit utile, iudicarunt ii qui à legibus agrariis abhorruerunt, quiq; paſſim uenari piſcari'ue prohibuerunt. Iuſte uiuere utile eſt, ſi utile ab honeſto non ſepares. Quibus officiis colatur amicitia, cognoſces ex eiuſdem libro de Amicitia. Amico concedenda ſunt omnia, uſque ad aras & deos, ut dicebat Pericles. Gellius de hac re capite 3. lib. 1. Cicero de Amicitia paucis complectitur: Virtus, inquam, C. Fanni, & tu Q. Muti, & conciliat amicitias, & conſeruat. In ea eſt enim continentia rerum, in ea ſtabilitas, in ea conſtantia. Ariſt. Ethicorum 7. Quatenus communicant, eatenus eſt amicitia. Eodem modo ſe habet iuſtũ: & prouerbium rectè, ea quæ ſunt amicorum, communia dicit eſſe, Eſt enim amicitia in cõmunione quadam atque ſocietate. Hæc ille. ACTIONIS autem duo ſunt genera.]

Tria ſunt rerum genera noſtræ mortalitati comparata: quædã bona, quæ natura perſequimur, ut gloria: quædam mala, quæ declinamus, ut inuidia: quædam media, ut paupertas, & adminiſtratio Reipub. quibus et bene uti, et abuti poſſumus. Hinc quæſtiones actionis. una de bono perſequendo, & de malo uitando: altera, de commodo uſuq; rerum utroqueuerſus ſpectantiũ, quo pacto uertamus in commodum noſtrum. Sunt hæc & in ὑποθέσιν, & controuerſia. Gloria uera uirtute comparatur. Inuidia modeſtiæ nomine, & aliorum commoditate uitatur, quod Auguſtus Cæſar optime uidit. Reſpublica adminiſtratur bonis legibus, maturo conſilio, & uiribus conſilio obtemperantibus. Hæc late patent, ut apud Platonẽ uidere eſt, et Ariſtotelẽ in Politicis. In paupertate ita uiuendũ, ut te tuo pede metiare, tuoq; ſis contentus. RVRSVS autem ex cognitionis conſultatione, ubi ſit, nec'ne ſit, aut fuerit, futurum'ue ſit, quæritur.] Quæſtio infinita coniecturalis eſt præteriti temporis, & inſtantis, & futuri. Ea natura prior eſt. Hoc quærit, poſſit'ne aliquid effici? quod eſt omniũ primum. Si non poteſt fieri, ſubſiſtimus. Si poteſt, ultra progredimur. et proximum eſt inuenire cauſam, unde aliquid oriatur, & quemadmodum quidque fiat, quod phyſicorum proprium eſt, cauſas rationeſq; rerum explicare: ſed & orator perſæpe retrolegit cauſas, ut effecta deprehendat. Id eſſe phyſicorum, naturamq; contemplantium, demonſtrat his uerbis: In quibus ut in obſcuris naturalibuſq; quæſtionibus cauſæ, rationeſq; rerum explicantur: Cauſa refertur ad quæſtionẽ, An ſit, ut ait in Topic. Nam rem eſſe tum cognoſcimus, quaq; ratione fiat intelligimus, cum cauſas eius & principia ſcimus. Sapiẽtia duplex eſt, una philoſophiæ eius quæ natura poteſt homini contingere, & hac aliquis perfecte ſapiens eſſe poteſt, ut is qui Ariſtoteli felix eſt in uita contemplationis: altera, perfectæ ſummæq; uirtutis, quam Stoici negant cuiquam contigiſſe. Hoc modo nemo perfecte ſapiens eſſe poteſt, niſi numinis afflatu longe ultra communem hominum conditionem euolarit. Virtutẽ à natura ſeminariũ, ab ratione uſuq; incrementum accepiſſe, Cicero docet in Officijs. Ariſtoteles negat uirtutes eſſe naturales, quia ſint habitus ratione uſuq; contracti. Sed & ipſe de uirtute naturali facit mentionem 6. Ethicorum: Ad fortitudinem, inquit, & ad temperantiam nati, & cæteras ex ortu uirtutes habere uidemur, ſed tamen quærimus aliquid aliud, quod eſt proprie bonum. Certe à temperamento corporis eſt inclinatio, à ratione & uſu uirtutis perfectio. ILLIVS autem generis, in quo quid ſit id de quo agitur.] Coniecturam partitus, ex ordine partitur definitionem. Duo ſunt tempora, cum adhibemus definitionem. Si diſputatur, an aliud, an idẽ ſit, utrunque definire oportet: quorumq; definitiones erunt uiſſimiles, eadem eſſe iudicabimus, & contra: ut perſeuerantia & pertinacia ſunt alia, non eadem. Perſeuerantia, eſt in ratione beneconſtituta, ſtabilis, permanenſq; conſtantia. Pertinacia, in ratione male conſtituta, firma permanſio. Ariſtoteles 6. Topic. Videndum ſi genus utriuſque non idem, ſed hoc quidem bonum, illud autem malum: hoc uirtus, illud ſcientia. & ſi genus eſt idem, an differentia de utroque non dicantur. Tradit alia præcepta, quibus cognoſcamus idem & aliud. Transcribere nihil eſt neceſſe. Alterum definiendi tempus eſt, quando uim naturamq; rei breui deſcriptione uolumus explicare. Id fit dupliciter: aut accidentium enumeratione rerum imaginem exprimimus, ut ſi pingas auarum ſuis coloribus. aut genere, ac proprietate uim totam comprehendimus: ut ſuperbia eſt animi elatio, prætergrediens meritos honores. TERTIO autem in genere, in quo quale ſit quæritur.] Hæc eſt partitio qualitatis, quæ tertia fuerat in ſpeculatione. In qualitate aut ſimpliciter quæritur, aut comparate. Comparate quærimus dupliciter, aut comparatione facta duorum, aut multorum ſuperlatione, in qua re nulla eſt difficultas. Cicero Offic. lib. 1. Earum autẽ ipſorũ quæ honeſta ſunt, poteſt incidere ſæpe cõtẽtio, et cõparatio de duobus honeſtis, utrũ honeſtius. qui locutus eſt à Panætio prætermiſſus. Simpliciter quæritur, aut de honeſtate, aut de utilitate, aut de æquitate. Hic obrepit cogitatio, utrũ ne omnia ſint honeſta, aut utilia, aut æqua? poſſit'ne tam fuſa qualitas hiſce tribus partibus cõprehẽdi? Ego quidẽ ſic exiſtimo, uoluiſſe Ciceronẽ tractare quæſtiones pro oratorũ dignitate: idcirco nullã habuiſſe rationẽ earũ quæ rebus humanis utilitatẽ nullã ferunt. nec putauit artem eſſe proponendam de uiliſſimis quibuſque, ſed optima quæque ſcribenda cenſuit, atque ſpeculatione digniſſima.

Valeant igitur argutuli nugatores, qui minutim ſectis infinitis prope quæſtionibus, arbitrantur ingenium ſummi uiri alta quadam ſpeculatione ſuperaſſe: quibuſcum actum præclare uideretur, ſi centeſimam tanti uiri partem eſſent aſſequuti: quem cũ reprehendunt, ſuſpicionem de ſe relinquunt omnibus doctis, ſingularis ingenij uirtutes nõ potuiſſe cõplecti. An potuerit eſſe Fabius? an fuerit? unde fuerit creatus? an arma ceperit? an in bello fuerit? an bellũ geſſerit in Veiẽtes? Non'ne ſi cõſtat bellũ geſſiſſe Fabiũ in Veientes, reliquæ ſunt ſuperuacuæ quæſtiones? Ergo ſi rerum qualitas in dubitationem uenerit, aut quæremus illa media: ut alborem, pallorem, frigus, ſapores, odores, pondus, quæ raro perſcrutatur orator: aut de bonis & malis agemus, in quibus oratoris frequens uerſatur oratio. Relictis itaque uanioribus ad meliora progreſſus, in treis partes bona & mala diſtribuit, in honeſta turpia, in utilia inutilia, in æqua iniqua: quæ quidẽ plurimum iuuant oratorem, & in demonſtratione, & deliberatione, & iudicio. Honeſta quid ab utilibus differant, ſciunt omnes: quid ab æquis, non item ſciunt. Honeſtum, iuris eſt etiam ſummi; æquum, clementiæ, mitiorisq; iuris. illud ſpectat officium citra turpitudinem: hoc & officium, & quid cuique bonum ſit, obſeruat. Aequum bonum, ut docet nos Ariſtoteles quinto Ethicorum, eſt emendatio legis ea parte quæ deficit. Lex omnis in uniuerſum ſcribitur. Fieri autem non poteſt, ut de quibuſdam in uniuerſum bene dicatur. Quod igitur omiſit lex (id quod plerunque fit amplectẽs) illud ſupplet æquum bonumq;. Homo, inquit, bonus & æquus, qui non exacte iuſtum in deteriorem exequitur partem, ſed & ſi ad illud legem habet adiutricem, in mitius reducit. Honeſtum ne ſit pro amico periculũ ſubire? Pericula ſubiiſſe dicuntur, Achilles pro Patroclo, Theſeus pro Pirithoo, Pilades pro Oreſte, Niſus pro Eurialo. In paupertate, inquit Ariſtoteles, cæteriſq; calamitatibus unicum eſſe perfugium amici putantur. Sit'ne utile in Repub. adminiſtranda uerſari? Vtile ſanè, & honeſtum, ſi Rempublicam bene adminiſtres: quanquam Demoſthenes aliiq; multi tum philoſophi, tum regendæ Reipub. periti, cæteros ab eo munere terruerunt. Sit'ne æquum amicos cognatis anteferre? Gradus ſocietatis collocat Officiorum lib. 1. Vltimus eſt hominis alieni & ignoti, propior eiuſdem gentis, nationis, linguæ, interior, hominum eiuſdem ciuitatis, præterea familiaritatis: arctior, eſt colligatio ſocietatis propinquorum. RESTAT actionis locus, cuius alterum eſt præcipiendi genus.] Hæc duo membra non tibi uidebuntur abſoluere totum corpus actionis, niſi proprius inſpicias. Proponamus igitur hic poni quæſtiones, quæ utiliter oratione tractantur. Conſtituamus oratorẽ, qui proponat aliquid, uel agendum, uel non agendum. Neceſſe eſt eum ſuadere quid ut bonum & utile, aut quid ut malum & inutile diſſuadere, aut animos quodãmodo afficere. Sic duo genera naſcuntur: unum, quod ad rationem officij & uirtutis: alterum, quod ad mouendos animos pertinet. Motus animorũ duplices, alij grauiores, alij mitiores. Rurſum affectus ſunt numero quatuor, ut ante dictum eſt: duo præſentium rerum, uoluptas, ægritudo: duo futurarum, cupiditas, metus. Metum ponit & cupiditatem. Mœrorem & iracundiam refert ad ægritudinem. horum definitiones pete à ſuperiore Commentario. Affectus mi-

tiore ſedamus animos, grauiore motu concitamus. Similis erit partitio finitæ quæſtionis. Nam eſt aut cognitionis, aut actionis rerum ſingularum. Et quærit, An eſt, quid eſt, quale eſt: nec ſimpliciter, ſed aliter & aliter, ut conſultatio. Ad agendum autem proponit certa quædam perſequenda, & declinanda, et ad uſum transferenda. Item officia quærit ſingula, uel motus animi. Nullum eſt ex iis quæſtionũ genus, quod non incidat in orationem. Orator enim treis habet ſtatus, & totidem quæſtiones, multiſq; loco diſſerit, non ad agendum modo, ſed etiam cognoſcendum: idq; facit aliquando generatim, ſæpenumero ſingulatim, in quibus uerſatur omnis ratio quæſtionum. Quemadmodũ colendi ſint parentes, id oſtendit in Officiis. In ipſa autem communitate ſunt gradus officiorũ, ex quibus quid cuique præſtet, intelligi poſſit, ut prima diis immortalibus, ſecunda patriæ, tertia parentibus, deinceps gradatim reliqua reliquis debeantur. Ariſtoteles 9. Ethicorum: Liberi parentibus alimentum miniſtrare, opem ferre, honorem ſicuti diis exhibere debent, & illis ſine quibus non fuiſſent, potius quàm ſibi ſubuenire. COGNOVI: ſed quæ ratio eſt in his inueniendi & diſponendi, requiro.] Qui θέσιν & propoſitum tractare uolet, è definitione, genere, ſpecie, differentia, aliiſq; locis ducet argumenta: nec alia ratione diſponet, quàm quæ ſunt finitæ controuerſiæ. At hæc uidentur repugnare ſuperioribus. dicebat enim: Collocationis in infinita quæſtione ordo eſt idem ferè, quem expoſui locorum. In definita autem, adhibenda ſunt etiam quæ ad motus animorum pertinent. Illic diuerſam ſtatuebat collocationem: hîc conſtituit eandem. Dicemus utroque modo theſin collocari poſſe, & ordine locorum, & diſpoſitione cauſæ. Quamobrem ſubdiderat: Cũ de cauſa dixero, in qua eſt propoſitum, de utroque dixero. Si docere tantum uolumus, ordinem locorum ſeruare poſſumus: ſi docere & mouere, eadem eſt diſpoſitio conſultationis, & controuerſiæ. Ad hæc de inuentione potius quàm de collocatione reſpondet, quod hæc uerba ſignificant: Ex eiſdem locis ad fidem & ad inueniendum ducantur omnia. COGNITA igitur omni diſtributione propoſitarum conſultationum.] Propoſitæ ſunt conſultationes, & quæſtiones infinitæ, ad quas referuntur omnia, ut ad genera prima. Subſident in ordine controuerſæ cauſæ, quæ ſunt finitæ quæſtiones, in tria genera diſtributæ. In quo putet aliquis, inſcite nos affirmaſſe omnem conſultationum diuiſionem cauſæ conuenire, quia poſtea cauſam diuidat. Superioris, inquit, genera ſunt tria, ſit nec'ne, quid ſit, quale ſit. An non hæc pertinent ad cauſam? Negari non poteſt. At aliter ad propoſitum, aliter ad cauſam pertinent. Sanè eſt alia ratio generis, alia partis. ſed quæſtiones in arte proponũtur ſimplices, An eſt, quid eſt, quale eſt: ut utroque referantur. An non eſt contemplatio & actio rerum ſingularum, id eſt ὑποθέσεις, ſicut & θέσεις? An Scipio euertet Numantinos? actionis eſt quæſtio definita. An Scipio ſatus eſt à ſerpente? contemplationis quæſtio definita. At contemplatio generis eſt uniuerſi. Hoc dicitur, quia intellectus apprehendit genus uniuerſum, non ſenſus. ſed & intellectus à ſenſu capit ſingula, ac ducit in contemplationem. Etſi ſcientia non eſt eorum quæ ſentiuntur, ab illis tamen colligitur, oportetq; percurrere et explorare ſingula, ut perfecte ſciamus uniuerſa. Et tria genera poſtrema, infinitæ quæſtioni conueniunt. Nam & in genere laudamus, ut omnem uirtutem: & conſultationes aliquando cadunt in deliberationem. Pugnandum'ne auxiliis, an ciuibus? Et theſis frequens eſt in iudicio, An ciuem perniciosum indemnatum liceat occidere? At ſunt diuerſæ proprietates. Quis neſcit? Sed uocabula quæſtionũ ſunt eadem, An eſt, quid eſt, quale eſt? quomodo, quo pacto? an laudabile, an utile? an æquum, an iniquum? Quid? nulla theſis ſine hypotheſi, nulla hypotheſis ſine theſi? Sunt igitur quæſtiones utriuſque generis communes: ſed aliæ diuerſæq; rationes, quibus finitum diſtinguitur ab infinito. Sic Ariſtoteles quæſtiones ponit ſimplices, An ſit, quid ſit, an hoc inſit illi, quamobrem inſit. Quòd tria genera cauſarũ ferè tractat orator, ad eumq; deferuntur cauſæ, & finitæ quæſtiones, ſubiecit illi parti, cui propius adhærere uidebantur: unde genera cauſarum dicuntur, non item conſultationum. Id cognoſcere non erit operoſum, ſi retro flectas iter. Vbi cauſam detulit ad oratorem litigator, primum contemplatur eius uim atque naturam, & quo genere dicendi contineantur: deinde qui ſtatus quæſtionis: poſtea ad quẽ finem contendat oratio: tandem qua probatione finem aſſequatur. Remotiores ſunt ſtatus, & actiones, & cõtemplationes, quæ cadunt in probationem. quod qui ſpectauerit, uidebit apertius omnem quæſtionum partitionem. Genus eſt cauſæ, quod ſpectatur aurium delectationem: demonſtratio nominatur, & exornatio. Alterum contendit, ut obtineat, probet, efficiat quod agit. Id ſi uerſatur in prouiſione, id eſt, cautione poſteri temporis, deliberatio eſt: ſi in præteriti diſputatione, iudicium. Ex qua partitione tria genera cauſarum nata ſunt. Genus demonſtrationis, inquit, latum, ſaneq; uarium eſſe poteſt, quia nihil eſt in uniuerſitate naturæ, de quo non aliquid in utrãque partè dici queat, aut ornandi gratia, aut improbandi, aut certe docendi. Sed quoniam hominum præcipua laus eſt, hoc unum ex omnibus deligitur, ex quo cæterorum ratio cognoſcatur. Poſteaquam propoſuit, qui'nam uteretur nomine demonſtrationis, eam commendat. Nullum genus uberius ad dicendum, quoniam in eo explicare libere poteſt orator omnes eloquentiæ uirtutes, eo quòd magna ex parte comparatum ſit ad uoluptatem. Nullum genus utilius ciuitatibus, quia, quod paulo poſt affirmat, nõ ad bene dicendum ſolum, ſed etiam ad honeſte uiuendum ualet. Hortatur ad uirtutes, reuocat à uitiis. Commendat bonos, uituperat improbos. Implet animos admirabili quodam amore uirtutum: cumq; plurimum orator in cognitione uirtutum uitiorumq; uerſetur, non aliorum modo, ſed ſuos ipſe mores meliores efficit. Adde, quòd deliberatio conſtat iiſdem rebus aliter poſitis, honeſtis et utilibus. Ariſtoteles auctor eſt Rhetoricorum 1. Et iudicia laude ac uituperatione miſcentur. Vnde conſtat, magnas generis huius eſſe partes, ideoq; principio non incommode tractari.

QVAMOBREM de primo primum, ſi places, diſputemus.] Principia laudandi & uituperandi ſunt, habere notata omnia, quæ laudi, quæq; uitio cedunt. ea paucis amplectitur. Omnia, inquit, ſunt profecto laudanda, quæ coniuncta cum uirtute ſunt: & quæ cum uitiis, uituperanda. Omnes enim uirtutes, & omnia quæ referuntur ad uirtutes, iure laudantur. Ariſtoteles enumerare conatur omnia quæ laudari ſolent. At, inquit Fabius, nimium multa dixit, nec tamen totum: quamobrem maluit Cicero paucis admodum comprehendere, quod ingenio quiſque ſuo capere poſſet. Hæc ſi principia tenebit orator, finem ſibi proponet aut honeſtatem, aut turpitudinem: non quòd omnis demonſtratio tantum uerſetur circa honeſti quæſtionem (id enim Fabius improbat) ſed quòd ad eum finem præcipuũ contendunt omnia, quem qui prouiderit, eo ſine ullis erroribus facilius perueniet. Hoc genus habet liberũ proœmium. De proœmio communiter ante dictum eſt. qua ratione adductus, omiſit hanc partem. Conficitur genus hoc dictionis, id eſt, perpetuæ orationis, narrandis exponendiſq; factis, quibus etiam dicta & indicia quædam uirtutum comprehendito. Sic eſt demonſtratio, perpetua quædam factorum dictorumq; narratio. In ea nullæ ſunt argumẽtationes. Cauſam ponit hãc, quia non dubia firmantur, ſed ea quæ certa, aut pro certis poſita ſunt, augentur: quibus argumentationem adhibere tam ſtultum eſt, quàm lucem afferre ſoli. Quæ uerba ſic accipimus, argumentationem firmamq; probationem, & elocutioné diſtinctam, huic generi non eſſe neceſſariam, ſpargi tamen ſeminaria argumentorum, & ex aliis alia colligi. Nam robuſtius eſt illud dicendi genus, quod inſpergit argumenta, quodq; loco dilatat argumentationem.

menetationem. quod & Cicero facit, & Quintilianus probat, his uerbis: Vt deſiderat autem laus que negotijs adhibetur, probationem, ſic etiam illa que oſtentationi componitur, habet interim ſpeciem aliquam probationis. Quale ſit iſtuc, intelligemus exemplo propoſito. Cicero pro Milone ſumit in defenſionẽ Clodium fuiſſe inſidiatorem. Hoc ſi ualere debet, neceſſario probandum eſt, quia iudicium eſt: non ita res habet in demõſtratione. Idem proponit, Antonium decoxiſſe, uulgare ſcortum fuiſſe, Curioni proſtitutũ, familiarem Clodio in tribunatu fuiſſe, & alia complura, que non probat, quia genus eſt demonſtrandi. Idem pro Cornelio Balbo, Pompeij uirtutes argumentatione firmat, quoniam & ſi laus eſt, negotijs tamen adhibetur. Hoc & ſimilia precepta non ſunt aliqua neceſſitate firmata, ſed his de rebus tradita, que frequenter accidunt. Deinde ſi que ſunt argumentationes, non tam ſunt ad fidem faciendam accommodate, quod propriũ eſt argumẽtationis, quàm ad animi motus leniter ſuauiterq́; tractãdos: ut ſit potius amplificatio, quàm illa ſimplicior argumentatio. Quòd ſi genus hoc expoſitione cõſtat, & amplificatione, certe iuuabitur his que de narrãdo amplificandoq́; ſuperiore loco dicta ſunt. ET quoniam in his cauſis omnis ratio fert ad uoluptatem auditoris.] Materiam laudandi poſuit, deinde finem, poſtea tractationem. Nunc addit ornamẽta uerborum & ſententiarum. Quoniam in his cauſis omnis ratio, id eſt, doctrina dicendi, ad uoluptatẽ auditoris refertur, utendum erit inſignibus, id eſt ornamentis, que habent plurimũ ſuauitatis. Inſignia non modo appellat inſigniores uerborum figuras, ſed omnia uerba illuſtriora, que maiori quodã lumine ſplendeſcunt: ut facta, ut uetuſta, ut ſonantia, ut grauia, ut tranſlata. Inſigniores figure ſunt, paria paribus, ſimilia ſimilibus relata, contraria, geminata, amplificationis figure. His omnibus accedit numeroſa circunſcriptio, que ſuauis eſt periodus & compoſitio, & ad auriũ uoluptatẽ pedibus excurrens oratio. Cicero in Oratore: Omnino duo ſunt que cõdiant orationẽ, uerborũ numerorũq́; iucũditas. In uerbis ineſt quaſi materia quedã, in numero autẽ expolitio. Iſtorũ quidẽ poſuimus exẽpla, iterũ tamen illuſtraſſe locũ nõ pigebit. Sumamus illud de laudibus Sicilie prouincie, quarta Actione in Verrẽ: Et quoniã quaſi quedã predia populi Romani ſunt uectigalia noſtra, atque prouincie, quẽ admodum propinquis uos ueſtris predijs maxime delectamini, ſic populo Romano iucũda ſuburbanitas eſt huiuſce prouincie. Iam uero hominum ipſorum, iudices, ea patientia, uirtus, frugalitasq́; eſt, ut proxime ad noſtram diſciplinam illam ueterem, nõ hanc que nunc increbuit, uideantur accedere. Nihil ſimile Grecorum, nulla deſidia, nulla luxuria: contra ſummus labor in publicis priuatiſq́; rebus, ſumma parſimonia, ſumma diligentia. Tres hic ſunt numeroſe circunſcriptiones, non certis pedibus ad ſimilitudinem uerſuum incedentes, quod uitioſum eſſet, ſed ad explendum aurium ſenſum apto quaſi quodam uerborum modo, hoc eſt, ſuaui quadam menſura atque modulatione confecte. Paria paribus relata ſunt periodo prima. Nã tria ſunt mẽbra eodem prope numero ſyllabarum: nec enim ſyllabe in pari relatione numerantur exacte, ut cenſet auctor ille qui ſcripſit ad Herennium. Contraria ſunt deſidia & diligentia, luxuria & parſimonia. Verbum factum, ſuburbanitas. Ad hec repetitio uerborum, aggeratio, diſſolutio coniunctionum, imago, ſimilitudo, uerba ſonantia, grauia, epithetis aucta, in hac oratione breui reperiuntur. Tranſlatio eſt paulo ante, Cella penaria, nutrix plebis Romane: & poſtea, Ara legum. Similia ſunt eodem in loco: Sed ita reliquit ornatam, ut eſſet idem monumentum uictorie, manſuetudinis, continentie, cum homines uiderent & quid expugnaſſet, & quibus pepercisſet, & que reliquiſſet. Nã paria referimus ad numerum ſyllabarũ, ſimilia ad ſimiliter cadentia & deſinentia, & uerba finitima: ut poſſis, profis: fama, flãma: de quibus multa Quintilianus in nono. Paria certe ſunt quantitate, ſimilia qualitate. Vetuſta ſunt:

Egregie cordatus homo, catus Aelius Sextus
Cethegus, dictus ollis popularibus olim,
Qui tum uiuebant homines, atque euum agitabant,
Flos delibutus populi, ſuadeq́; medulla.

Infinita ſunt apud ueteres, nõ tum uetuſta cum dicerentur, ſed iam uetuſta, ſi quis utatur, quod more Ciceronis parce decẽterq́; faciendũ eſt. Geminata: Vidit, uidit homo ſapientiſſimus quid ſe deceret. Geminatis autem omnis repetitio uerborum includi mihi uidetur. ADHIBENDA'QVE frequentius etiam illa ornamenta rerum ſunt.] Poſteaquam leuiora poſuit ornamenta uerborum, quorum pulchritudine iucundior efformatur exornatio, grauiora ponit ornamenta rerum, id eſt, ſententias que habent aliquam in audiendo uoluptatem: ut mirabilia, nec opinata, monſtra, prodigia, oracula diuina, atque fatalia. Hec porrò complent expectationem atque deſiderium audientis: inducunt admirationem, eoq́; ſepenumero perueniunt, quò uentum iri non ſuſpicabatur auditor, qui exitus improuiſus gratiorem inijcit uoluptatem. Quòd ſi nihil eſt huiuſmodi in eo qui laudatur? Sunt in eo uirtutes, & res geſte, que uiribus eloquentie ad cœlum tolli, diuineq́; dici poſſunt. Quedam commode finguntur. Cũ Virgilius ad ampliorem Aenee gloriam Turnum exornare uellet, mirabilia, nec opinata finxit: hoc eſt inſolita, & hominum opinione maiora. Nam lib. 9. Turnum, qui hoſtium mœnibus incluſus eſſet, ſummoq́; periculo uerſaretur, interritum, conſtantem, & ſecurum facit.

Olli ſubridens ſedato pectore Turnus,
Incipe, ſi qua animo uirtus, & conſere dextram.

Iſtuc profecto mirabile, ubi accepit auditor incluſum unum uirum, magna hoſtium manu circumuentum, mirabundus expectat, quo'nam res ſit abitura: tum nec opinatum ſubijcit, (ſic inopinatum uocat Cicero, etiam Philippica prima.)

Tum demum preceps ſaltu ſeſe omnibus armis
In fluuium dedit.–

Idem poeta ad matrimonij commendationem, quo Lauiniam diuinitus adſcitus Aeneas ducturus erat, excogitat monſtrum, libro ſeptimo:

Laurus erat tecti medio, in penetralibus altis:
Huius apes ſummum denſe, mirabile dictu,
Obſedere apicem.–

Id pro monſtro poſuit à uatibus explicando, & ſi poteſt natura factum uideri. Paulo poſt de eadem re attulit prodigium:

Viſa, nefas, longis comprendere crinibus ignem,
Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari.

Continuo ſuperiora firmat oraculo Fauni:

Ne pete connubijs natam ſociare Latinis,
O' mea progenies, thalamis neu crede paratis:
Externi ueniunt generi.–

Nec ita multo poſt reperies accidiſſe diuina atque fatalia, cum penuria adegit edendi uiolare malis audacibus orbem fatalis cruſti. Aeneaſq́; dixit: Salue fatis mihi debita tellus. Hec ex arte ſunt omnia, ideoq́; conuenientiora. Si oratoria queris exempla, ſuppeditabit Panegyricus ad Traianum, ſubminiſtrabunt orationes Iſocratis. Id querendum potius, quid à monſtris differant prodigia. Cicero de Diuinatione libro 1. confundere uidetur. Portentorum, inquit, exercitatiſſimi interpretes extiterunt, quorum quidem uim, ut tu ſoles dicere, uerba ipſa prudenter à maioribus poſita declarant. Quia enim oſtendunt, portendunt, monſtrant, predicunt: oſtenta, portenta, monſtra, prodigia dicuntur. Valerius Maximus etiam monſtra prodigijs complectitur. Donatus in Eunuchum Terentij, monſtrum finit, quidquid eſt contra naturam, & prodigium contra naturam eſt. Hoc tãtum differunt, quòd monſtrum minus eſt admirabile quàm prodigiũ. Mõſtrat hic Cicero, qui in enumeratione à minimo pro-

greditur ad maximum. SED quoniam in tribus generibus bona mala'ue uerſantur.] Tria ſunt genera bonorum, malorum'ue. hic enim bona & mala ad hominem ſolum comparata dicuntur. Aut igitur extrinſecus aſſumuntur, ut externa: aut in eius corpore & animo ſunt, ex quibus homo componitur. Prima ſunt externa, non dignitate, ſed ordine naturæ, quoniam ante nos eſt natio, patria, genus, & quædam facultates. Ex genere naſcitur corpus, animus autem poſtremus accedit, aut certe ab extremis incipit, ut ad propiora conſcendat.

Genus eſt in maioribus & parentibus noſtris. Eius ratio triplex. aut illuſtre eſt, aut infame, aut humile. Laudatur illuſtre breuiter, modiceq;, id eſt temperate, modoq; ſeruato, ne quid nimis: quoniam uera laus eſt animi, non generis, & externorum. Caius Cæſar in ea laudatione qua quæſtor Iuliam amitam laudauit è more pro Roſtris: Amitæ meæ Iuliæ maternum genus ab regibus ortum, paternum cum dijs immortalibus coniunctũ eſt. Nam ab Anco Martio ſunt Martij reges, quo nomine fuit mater: à Venere Iulij, cuius gentis familia eſt noſtra. Eſt ergo in genere & ſanctitas regum, qui plurimum inter homines pollent: & ceremonia deorum, quorum ipſi in poteſtate ſunt reges. Hæc è Suetonio. Infame genus prætermittitur in laude, tractatur in uituperatione. Cicero Philippica tertia. Quæ porro amentia eſt, eum dicere aliquid de uxorum ignobilitate, cuius pater Numitoriam Fregellanam proditoris filiam habuerit uxorem, ipſe ex libertini filia ſuſcepit liberos? Si genus Antonij fuiſſet infame, ut acerbe notaret, qui uellicat uxorium? Humile præteritur, uel ad augendam eius quem laudas gloriam tangitur. Cicero contra Rullum: Mihi quidem apud uos de meis maioribus dicendi facultas non datur, non quin tales fuerint, quales nos illorum ſanguine creatos, diſciplinisq; inſtitutos uidetis, ſed quòd laude populari atque honoris ueſtri luce caruerunt.

Ex his efficit conſulatum ſuum paulo celebriorem. exempla duco à partibus orationum, quoniam nihil refert unde ſumas, ſi modo pars eſt generis huius, ueræq; demonſtrationis. In rebus externis fortunæ ſunt, hoc eſt diuitiæ. Sunt etiam facultates; quæ ſunt opes in hominibus rebusq; poſitæ. Plinius Secundus Epiſtol. libro primo, uerecunde commendat Aciliani facultates: Neſcio an adijciam, eſſe patri eius amplas facultates. Nã cum imaginor uos, quibus quærimus generum, de facultatibus ſilendum puto. cum publicos mores, atque etiam ciuitatis leges intueor, quæ uel in primis cenſus hominum ſpectandos arbitrantur, ne id quidem prætereundum uidetur. Et ſanè de poſteris, & his pluribus cogitanti, hic quoque in conditionibus deligendis ponendus eſt calculus. Poſtea de bonis corporis agendum, de ualetudine, robore, laborum patientia, agilitate, forma. In quibus quæ uirtutem ſignificat, facillime forma laudatur. Plato in Georgia refert, iſtuc in conuiuijs ſolitum cani: Primum bonum, proſperam eſſe ualetudinem: alterum, egregiam formam: tertium, diuitias. Certe forma, id eſt, corporis totius elegantia, habet aliquid liberale, dignumq; laude, maxime cum uirtute coniuncta. Inde pulcher Iulus à Virgilio dicitur, Et præſtanti corpore Turnus. Et formoſus Eurialus, quo pulchrior alter Non fuit Aeneadum. Plinius in epiſtola modo citata, de Minutio Aciliano: Eſt illi facies liberalis, multo ſanguine, multo rubore ſuffuſa. Eſt ingenua totius corporis pulchritudo, & quidam ſenatorius decor, quæ ego nequaquam arbitror negligenda. Sæpe tamen forma ducitur in argumentum libidinis: quamobrem non ſine re dicit, eam formã poſſe laudari, quæ uirtutem maxime ſignificat. Factorum dictorũq; collocatio triplex eſt. Aut enim temporum ſeruãdus eſt ordo, ut quo quæque facta ſunt ordine, ſic exponendo digerantur: quod Ciceronẽ plerunque ſeruare, ſuperiori commentario diximus. Sic enim res eſt dilucidior, & memoria firmior, ſi ratio narrandi, & temporis ordo ſeruatur. Aut in primis recentiſſimum quodque dicendum, & à nouiſſimis ad prima ueniendum, ut ſit temporis ordo ſuperiori contrarius. Aut uaria facta permiſcentur, non habita ratione temporum, ſed uirtutibus in genera partitis, ad prudentiam reducuntur facta prudenter: ad fortitudinem, geſta fortiter. Sunt hi tres ordines, nec pauciores. Aut enim recta progredimur à primis ad ultima, aut reuoluimur ab ultimis ad prima, aut tempora confundimus. Primò ordine uſus eſt in Antonium Philippica ſecũda: poſtremo, pro lege Manilia, cum dicit de Pompeij ſcientia militari, de uirtute, de auctoritate, & felicitate, quæ pro ratione cauſæ tum maxime laudanda uidebantur. De medio apud eum nullam reperies integram orationem, ſed tantũ fragmenta quædam: ut cum Antoniana tertia C. Octauium commendat à patre adoptionis Iulio Cæſare, deinde à patre naturali, poſtea à Iulia, unde uenit Accia mater Auguſti. Hoc modo genus retrologiæ. SED hic locus uirtutum atque uitiorum latiſſime patens.] Si laus omnis ad uirtutem reducitur, fons & origo laudationis eſt uirtus, & inde ſumuntur argumẽta laudis. Ergo locum uirtutum latiſſime patentem, tritumq; diſputatione philoſophorum, ut Platonis, Ariſtotelis, atque Theophraſti, in anguſtam quandam breuemq; formam concludit: ut locus generis huius aperiatur, non ad exactam philoſophorum diſputationem, ſed ad uera laudis eruẽdam probationem. Quid quid autem inde ſumetur, ad genus & ſpeciem communes locos pertinebit: ut ſi conſtet omnem uirtutem eſſe laudabilem, ſingulæ ſpecies generis ſui participes ad laudis ornamenta referantur. Id uerum eſt, cum uirtus aliqua ſimpliciter ut laudabilis proponitur: alioqui poteſt definiri, comparari, cauſa ſtatui, ad alios locos referri. Virtus omnis aut ſcientia, & contemplatione, quæ non in appetitu, ſed in conſideratione intellectus eſt, cernitur, ut prudentia: aut actione, quæ non una & ſola ſpeculatione contenta, operam actumq; deſiderat, ut temperantia. In priore genere ſunt prudentia, calliditas, atque ſapientia. Prudentia eſt, quæ conſtat ſcientia rerum bonarum & malarum. Hoc modo definit ipſe de Natura deorum tertio. & eodem libro: Callidos, inquit, appello, quorum tanquam manus opere, ſic animus uſu concaluit. Sic definit Ariſtoteles Ethicorum 6. Prudentia habitus eſt agendi cum ratione uera, in ijs quæ ſunt homini bona ac mala. Quid autem à ſapientia diſtet prudentia, diſtinguit Officiorum lib. 2. Princeps omnium uirtutum eſt illa ſapientia, quam σοφίαν Græci uocant. Prudentiam enim, quam Græci φρόνησιν dicunt, aliam quandam intelligimus, quæ eſt rerum expetendarum fugiendarũq; ſcientia. Illa autem ſapientia quam principem dixi, rerum eſt diuinarum & humanarum ſcientia, in qua continetur deorum & hominum communitas, atque ſocietas inter ipſos. Hæc ille. Quibus uerbis oſtendit eſſe multo inferiorem prudentiam, quæ tantum circa res expetendas fugiendaſq; uerſatur: Sapientiam multo ſuperiorem, quæ expetenda fugiendaq; uidet, rationes omnium rerum ſcrutatur, uera & falſa, diuina & humana cognoſcit, quæ princeps eſt omnium uirtutum, nec ab illis ſeparari poteſt. Sapientia, inquit Ariſtoteles, ſcientia eſt & intellectus eorum quæ natura primi ſunt honoris. Prudentia eſt actionis, ſapientia contemplationis, Illa res ſingulas & uniuerſas, & ſingulas magis, hæc uniuerſas inſpicit. Prudentia eſt duplex. Altera uerſatur in rebus domeſticis, οἰκονομικὴ dicitur, ea eſt ſcientia diſpenſationis uniuerſæ domus: altera eſt prudentia ciuilis, græce πολιτικὴ, quæ ratio eſt & ſcientia bene adminiſtrandæ ciuitatis. Igitur prudentia, calliditas, et ſapientia pollent, uimq; ſuã oſtendunt una ſciẽtia, quoniam ſunt uirtutes intellectus, non appetitus. In actione quidem capiunt aliud nomen. Etenim ut bene quis agat, in primis cognitione rerum opus eſt, ut prudentia, ſapientiaq;: deinde actione, quoniam uirtus in agendo perficitur. Virtutis, inquit Officiorum primo, laus omnis in actione conſiſtit. Hæc

uirtus

uirtus agendi, temperantia nominatur. cuius proprium eſt, moderari cupiditatibus, regere motus animi, ſedare perturbationes, modumq; rebus adhibere. Hic autem nomine temperantiæ complectitur omnes uirtutes, quæ in actione conſiſtunt, & morales uocantur: & ab una temperantia, tanquam ab uno fonte, deriuat alia genera uirtutum: unde conſtat hoc nomen extendi latius, quàm cum temperantia quarta uirtutum ſpecies conſtituitur. Sic accipi uidetur ab Ariſtotele Ethicorum libro ſexto, cum temperantiam dicit eſſe conſeruationem prudentiæ, quia moderatur uoluptatibus & doloribus, à quibus corrumpitur principium bene agendi. illa autem non modo ſunt guſtus & tactus, ſed (ut ait) eorum quæ cadunt in actionem. Ad temperantiam Cicero refert decorum: quod, ut late patet, ita oſtendit uirtutis huius amplitudinem. Temperantiam facit duplicem, unam priuatis in rebus, quæ nomine generis appellatur, aut moderationis: alteram in publicis, quæ propriè iuſtitia nominatur. Temperantia priuatis in rebus eſt duplex. Aut enim res commodæ ſunt, aut incommodæ. Temperantia in rebus commodis, iterum duplex. aut enim adſunt, aut abſunt commoda. Hinc continentia eſt in prætermittendis uoluptatibus, quod affirmat ipſe. Voluptates autem ſunt, ex opinione boni præſentis. auctor idem in quæſtionibus Tuſculanis. Hinc etiam abſtinentia, quæ res abſentes non concupiſcit. Continentiam dicit Ariſtoteles, eam uirtutem, quæ uoluptates guſtus ac tactus moderatur, non ut temperantia, quæ domat appetitum, ſed ut pugnatrix aduerſus inferiorem animum, bella ferè perpetua ſuperioricientem. Abſtinentiam & continentiam alij dicunt idem, alij id eſſe abſtinentiam in rebus alienis, quod eſt continentia in noſtris. Certe abſtinentia in noſtris, & in alienis eſt. Alia eſt temperantia in rebus incommodis. Quæ autem futuris incommodis obſtat, fortitudo: quæ præſentia tolerat & perfert, patientia nominatur. Fortitudinem atque patientiam magnitudo animi complectitur: quia præſentibus incommodis & futuris opponitur. Ea duplex. aut enim in rerum externarum deſpicientia ponitur, & pecuniam tribuit, id eſt, quodlibet poſſeſſionũ genus: ea uocatur liberalitas. aut res gerit magnas, plenaſq; laborum & periculorum. hæc uocatur altitudo animi: quæ capit incommoda, iniurias, grauia, inſedata, turbulenta, qualia ſuſcepiſſe ſe pro Republ. gloriatur. De fortitudine & magnitudine animi, Officiorum primo. Omnis fortis animus & magnus duabus rebus maxime cernitur: quarum una in rerum externarum deſpicientia ponitur: altera eſt, ut res geras, magnas illas quidem, & maxime utiles, ſed uehementer arduas, plenaſq; laborum & periculorum tum uitæ, tum multorum, quæ ad uitam pertinent. Patientia ſic definitur ab eo ſecundo de Inuentione: Patientia eſt, honeſtatis, aut utilitatis cauſa, rerum arduarum ac difficilium uoluntaria ac diuturna perpeſſio. Ex his colligas licet, fortitudinem à Cicerone longius extendi, quàm ab Ariſtotele.

IN communione autem, quæ poſita pars eſt, iuſtitia dicitur.] Temperantia, in ſuas res & in communes diſtributa eſt. In communione, & hominum ſocietate poſita pars eſt iuſtitia nomine, quæ cuique ſuum reddit. Iuſtitia multiplex. Alia erga deos, quæ religio uocatur: alia erga parentes & patriam, quæ pietas aut bonitas appellatur: alia creditis in rebus, ut in pactis, atque conuentis. Ea fides eſt, quæ finitur, dictorum conuentorumq; conſtantia & ueritas. Alia in moderatione & temperantia animaduertendi, hoc eſt, maleficij corrigendi, cui lenitati nomen eſt. Alia in beneuolentia, & animorum coniunctione, quæ dicitur amicitia. In his omnibus officium eſt tribuere cuique ſuum, atque ſeruare hominum communionem ac ſocietatem. Hæc ſunt igitur nomina uirtutum, ſcientia, prudentia domeſtica & ciuilis, calliditas atque ſapientia. Actionis autem ſunt, temperantia; continentia, abſtinentia, fortitudo, patientia, liberalitas, altitudo animi, iuſtitia. Iuſtitiæ partes, religio, pietas, fides, lenitas, amicitia. Quòd ſi philoſophi, & idem Cicero aliam fecerunt uirtutum diuiſionem, non ea de cauſa hæc traditio repudianda eſt. Quid enim uetat idem aliter & aliter dici? cum ſit ea uirtutum affinitas, ut una perfecta ſine alijs eſſe non poſſit: & quancunque poſueris, aliæ ueluti catenata ſequantur? Quis unam perpetuo miſer anguſte perſequitur orbitam? Quis unquã breuius, aut melius iſta partitus eſt? Ridere poſſis inanem Georgiorum gloriam: qui totos Ariſtotelis locos huc adijciunt, non ut apertius expatiari, remq; circunſpectare liceat, quod faceret bonus interpres: ſed ut extincto lumine, confuſis omnibus, peregrina et Græca tenere uideantur. Nec arduum eſt Ariſtotelis Ethica ſumere in manum, & inde multa tranſcribere, niſi aliter Ariſtoteles, aliter Cicero tractare uoluiſſet: & melius eſſet ex ipſo petere fonte, quæ poſſunt accommodari. Ego quidem exiſtimo ad Ciceronis interpretationem nihil eſſe melius, quàm dicta Ciceronis opportune citata. In tradendis uirtutibus naturam ſecutus eſt. Quia nulla eſt ſine cognitione uirtus, hinc auſpicandum fuit. Cognitio rerum excellentior eſt prudentia. Hæc uſu firmata, calliditas: perfecta, & omnibus numeris abſoluta cognitio, ſapientia eſt. Quòd autem uirtus actione perficitur, alter fuit locus de uirtutibus actionis. Temperantiam, ut animi quandam moderatricem in componendis affectibus, ſummum genus conſtituit, ut quæ fuſa eſſet per omnia, ſicut & decorum, quod genus ante fecerant ij qui dixere, Optimum eſſe modum, & Nihil nimis, &, Modum ſummam eſſe uirtutem. Nam temperãtia, ut hic ſumitur, propemodum ſignificat mediocritatem. Ex eo fonte deriuauit fortitudinem, quæ ſe, non alium ſpectat: deduxit iuſtitiam, quæ uirtus eſt ad alios comparata: ſubiecit illis ſpecies, ut prima quæque uidebatur, propriumq; ſingularum doclerandi cauſa dedit. Secuerunt alij minutius: ſed profeſſus eſt hunc locum uirtutum latiſſime patentem, in anguſtam quandam reuocaturum diſputationem. SVNT autem aliæ, quaſi miniſtræ comiteſq; ſapientiæ.] Miniſtra comiteſq; ſapientiæ, dialectice & rhetorice. Dialectice uera diſtinguit à falſis: quid è rebus poſitis uere colligi poſſit, ut in ſyllogiſmo indicat. cuius proprium eſt, ratione & ſcientia diſputare. Rhetorice ex eodem hauſta genere, ueluti ſeminario diſſerendi, uberior eſt atque latior, &, ut Zeno dicebat, tanquam manus aperta ad motus animorum, quos frequenter admiſcet, & ad uulgi ſenſus accommodatior. Vulgus facilius capit expreſſum dicendi genus, quàm preſſas abſtruſaſq; dialecticorum ſubtilitates. Cur, inquies, hæ dicuntur miniſtræ comiteſq; ſapientiæ, non item cæteræ diſciplinæ? Arbitror hanc eſſe cauſam. Reliquæ diſciplinæ uerſantur in cognitione rerum, ſuntq; ſapientiæ quædam particulæ. Ratio diſſerendi & eloquentia cognitione rerum poſteriores ſunt, quoniam ante rem animo cogitaſſe, & cognouiſſe oporteat, quàm ore & uerbis enuncietur. Nec unum quid proprium ſpectant, ſed omnium ſunt communes artium, quod affirmat Ariſtoteles Rhetoricorum primo. Ea de cauſa comites ſunt, miniſtræq; ſapientiæ, quòd ſubſeruiant in exprimendis ac ſermone explicandis animi conceptis, ut uis illa ſapientiæ condita uirtute dicendi ad alios perferatur. Nam dialectica eſt diſputans ſapientia, eloquentia copioſe loquens ſapientia. Quid igitur eloquentiam ſapientiamq; facit eandem? Verba ſunt eius libro tertio de Oratore. Hanc cogitandi pronunciandiq; rationem, uimq; dicendi, ueteres Græci ſapientiam nominabant. Et paulo poſt: Stoicis, inquit, habeo gratiam, quòd ſoli ex omnibus eloquentiam uirtutem ac ſapientiam eſſe dixerunt. Fateor eloquẽtiam cognitioni omnium rerum coniunctam, atque uirtuti, ſapiẽtiam eſſe. Tamen ſemper hoc manebit, eloquentiæ uim elocutione & actione monſtrari, cuius officij ratione dicitur miniſtra

o

comesq; ſapientiæ. Id oſtendit illius oratio: Nihil eſt, inquit, aliud eloquentia, niſi copioſe loquens ſapientia. Hoc modo ſapientia non eſt eloquentia, niſi cum loquitur, & copioſe dicit. Hoc etiam quæri poteſt, putet ne dialecticen, ſiue rationem diſſerendi, & eloquentiam eſſe uirtutes? Certe alibi affirmat, eloquentiam unam eſſe de ſummis uirtutibus. & id Quintilianus argumentatione confirmat 21. cap. libro ſecundo, ubi cenſet reliquas artes eſſe medias, quæ neque laudari per ſe, neque uituperari poſſint, ſed utiles, aut ſecus ſecundum mores utentium fiant. rhetoricen autem, & illam dialecticen diſputatricem, uirtutes eſſe demonſtrat & auctoritate philoſophorum, & argumentorum probatione. quam opinionem firmaſſe, ueriſimile eſt ex eo, quòd Cicero duas artes in uirtutibus haberet, propterea quòd opera dicentis præſtantiora ſunt, ac hominum ſocietati magis expetenda. Addamus & hoc, Quamobrem initio ſapientiam propoſuit, ut quæ ſcientia contineretur, & tamen alio comites eius tranſtulit? Cauſa eſt. aliæ uirtutes per ſe ſunt expetendæ, proprieq; hoc nomine dicuntur: ſapientiæ comites, niſi cum uirtute coniunctæ, nulla uim retinere poſſunt, & nomen amittunt, ideoq; ſapientiam & uirtutes natura ſequuntur. Sic uerecundia poſtrema collocatur, quia uirtutum eſt omnium cuſtos, cuius eſt natura dedecus fugere, laudemq; maxime conſectari. Ariſtote. Ethicorum libro quarto. De uerecundia, ut de aliqua uirtute non eſt loquendum. eſt enim potius affectus; quàm habitus. Definitur, φόβος τις ἀδοξίας, id eſt, timor quidam ignominiæ. huic oppoſita impudentia uidetur.

ATQVE hi ſunt quidem ferè quaſi quidam habitus animi.] Tria numero omni uirtuti conueniunt. Nam uirtus omnis eſt habitus animi. Habet aliquid proprium. Honeſta eſt, ſummeq; laudabilis. Virtus habitus animi dicitur, ut quædam qualitas ſtabilis, ac diu manens, uſu & conſuetudine comparata, qua mouetur animus ad illud genus rerũ, ex quo nata firmataq; eſt. Virtutem habitum facit Ariſtoteles, Ethicorum 2. ἔστιν ἄρα ἡ ἀρετὴ ἕξις προαιρετική, ἐν μεσότητι οὖσα τῇ πρὸς ἡμᾶς ὡρισμένῃ λόγῳ, καὶ ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειε. id eſt, Virtus eſt habitus electionis potens, in eo medio conſtitutus, quod humanæ uitæ ratio prudensq; definiat. Habitus illi ſunt inter ſe proprio uirtutis genere diſtincti. Aliter conſtituitur animus ad liberaliter agendum, aliter habet ſe ad pericula capeſſenda, aliter afficitur ad pietatis officia. Nam pro uirtutum diſtincta uarietate, animum uarie comparari neceſſe eſt. Alij ſunt habitus animi, & conſtitutiones eius in cognoſcendis artibus. Etenim artium cognitio, qualitas eſt animi, ſicut & uirtus. Cicero in Academicis, ſcientiam nuſquam eſſe cenſebat, niſi in animi motionibus atque rationibus. Habitus iſti perfecti uidentur, quòd animum excolendo perficiunt, quodq; rectis ſtudijs & honeſtis artibus ad uirtutem præparantur. Poſſis epitheton perfecti referre ad animum, ſicut ad habitum: & forte rectius. Ii ſunt duplices: alij uerſantur in ſuis rebus, hoc eſt proprijs, non communibus, alij uero in communibus. In proprijs ſunt hæc: ut ſtudia literarum, quæ grammatica eſt: ut ſtudia numerorum, arithmetica: ut ſonorum, muſica: ut menſuræ, geometria: ut ſiderum, aſtrologia: ut equorum, ἱππικὴ, ars equorum domandorum, ut uenandi, κυνηγετικὴ, de qua Xenophon ſcripſit libellum, ſicut & περὶ τῆς ἱππικῆς. dicitur & ὁπλιτικὴ ab Ariſtotele in Politicis: ut armorum, tyrocinium: de quo Plato in Lachete, καὶ δὴ καὶ τὸ ὁπλιτικὸν τοῦτο, εἰ μέν ἐστι μάθημα, ὅπερ φασὶν οἱ διδάσκοντες, καὶ Νικίας λέγει, χρὴ αὐτὸ μανθάνειν. Hæc ſtudia nonnunquam conferuntur in commune. Tamen ex eo propria dicuntur, quòd haberi ſine communicatione queunt, nec ſi aliorum commoda ſpectant, ut ſtudia iuſtitiæ. Ex ijs autem capit incrementum prudentia, atque ſapientia: quamobrem pro uirtutibus quibuſdam habentur, quia ad uirtutem quaſi præcoluntur, ut ſint animi præclaræ quædam facultates. In communibus autem rebus, hoc eſt, ad iuſtitiam communionis hominum ſeruatricem pertinentibus, etiam ſunt ſtudia propenſiora. Ii ſunt habitus animi tanto præſtantiores uirtute populari, quanto liberalium artium cognitio communi ſenſu maior eſt. Ea ſunt ſtudia morum, quæ in philoſophia uerſantur: præcipue ſtudia iuſtitiæ, religionis, pietatis, amicitiæ, fidei, beneuolentiæ. Hæc enim referre debemus ad iuſtitiam, quoniam paulo ante dixit, eam uirtutem in communione uerſari, ceteras in ſuis rebus eſſe. Studia propenſiora dicuntur, quia nó modo poſita ſunt in uulgari opinione, communiq; omnium ſenſu, ſed etiam inſtitutione ac doctrina magiſtri percoluntur, quo ſint in commune bonum propenſiora. Aut certe propenſiora, quòd inclinatiora ſunt ad uirtutem, quàm ſuperiora. nam ſapientiæ ſtudium magis quàm artium reliquarum, uirtutes alit. Ergo ſtudia philoſophiæ moralis & in ſuis rebus, & in communibus collocantur. Id ex actione cognoſces. Viuit aliquis frugi, ſuo contentus eſt, ſuo ſe pede metitur: hæc uirtus, & ſtudium uirtutis huius, in ſuis eſt rebus. Propulſat aliquis à quibus debet & poteſt iniuriam, deos colit, parentes officio pietatis adiuuat, ſolatur amicos, benigne tractat hoſpites: hæc ſtudia, & ex ſtudijs actiones, in communionem conferuntur. Hic ſtudia potius intelligenda, quàm actiones: quoniam numerat artes & habitus animi perfecti. Id planum fit ex proxima collatione, in qua ſtudia bona poſtrema ſunt. ATQVE hæc quidem uirtutum: uitiorũ autem ſunt genera contraria.] Si contrariorum diſciplina perſimilis eſt, ex uirtutum diuiſione cognoſcimus uitiorum genera contraria, qualia ſunt imprudentia, imperitia, ſtultitia, intemperantia, libido, effrenata cupiditas, incontinentia, intolerantia, ignauia, deſidia, impietas, inertia. Cum uirtus ſit mediocritas quædam, ponitur inter duo extrema uitioſa. in altero defectus eſt, in altero exceſſus. Ex quibus intelligitur, plura eſſe uitia quàm uirtutes. Extrema quædá nominantur, ut audacia, timiditas, profuſio, auaritia. quædam nominibus carent, ut uitia oppoſita intẽperantiæ, ambitioni, iracundiæ. Vitia quæ uirtutem uidentur imitari, trahunt nos in errorem, et ad praua deducunt, ut turpium rerum laudem ſequamur: quod uir bonus euitabit orator, niſi communi utilitate ducetur. Tum licere putant malis rebus nomina bona imponere, de quo Quintilianus in 3. Idem Ariſtoteles præcipit id quoque, quod mox Cornelius Celſus propè ſupra modum inuaſit, quia ſit quædam uirtutibus ac uitijs uicinitas, utendum proxima deriuatione uerborum: ut pro temerario fortem, pro prodigo liberalem, pro auaro parcum uocemus: quæ eadem etiam contra ualent. quod quidem orator, id eſt, uir bonus, nunquam faciet, niſi forte communi utilitate ducatur. Prudentiam imitari uidetur malitia, quam definit de Natura deorum libro tertio. Eſt malitia, uerſuta & fallax ratio nocendi. Et Tuſcul. 4. Malitia, inquit, certi cuiuſdam uitij nomen eſt, uitioſitas omnium. Cicero malitiam, dolum fallacem, malumq; uulgus autem uitioſitatem capit. Immanitas eſt, feritas quædam aſperitasq; morum in uoluptatibus aſpernandis, qualis eſt in nimia & prorſus inhumana uiuendi ſeueritate. Quia proprium nomen huic uitio non eſt impoſitum, illud periphraſi ſupplenit. Magnitudo animi eſt inter ſuperbiam, quæ præter modum extollit animos: & deſpicientiam, quæ deſpicit honores. Effuſio, eſt prodiga largitio. Audacia, eſt inconſulta in periculum propenſio. Duritia immanis, eſt indigna ac belluina toleratio malorum. Acerbitas, in exigendo iure acrior & immanior ſeueritas. Quæ iuſtitiam ambiunt uitia, proprijs carent nominibus. Superſtitio, uana, importuna, inepta, formidoloſa religio. Mollitia animi, remiſſior eſt indulgentia. Diſputandi prudentiam, id eſt dialecticen, imitatur concertatio, captatioq; uerborum, quæ eſt ſophiſtarum contentioſa garrulitas. Eodem modo oratoriam uim & eloquentiam

affectatur

affectatur inanis quedam profluentia loquendi, hoc eſt, immoderata uerborum redundātia, ſine ullo pondere ſententiarum. Studijs autem bonis, ut grāmaticæ, arithmeticæ, geometriæ, ſimilia uidentur ea que ſunt in eodem genere nimia: ut ſuperuacue rerum ſubtilium inueſtigationes, & inanis illa diligentia, que curioſitas appellatur: de qua Cicero 5. lib. de Finibus: Omnia quidem ſcire, cuiuſcunque modi ſint, cupere, curioſorum eſt: duci uero maiorum rerum contemplatione ad cupiditatem ſciētiæ, ſummorum uirorum eſt putandum. QVAMOBREM omnis uis laudandi uituperandiq́; ex his ſumetur uirtutum uitiorumq́; partibus.] Materia laudandi uituperandiq́; ſumitur è locis uirtutum atque uitiorum. Virtutes igitur argumentorum loci dicentur, non ampliſſimi loci, generibus pauci, qui rhetorici nominantur, ſed illorum ſpecies, propioreſq́; loci. Nam uirtutis eſt uelut unum corpus, partes eius plurimæ: quæ cum ad unum genus ut corpus reducuntur, uno loco generis continentur. Eſt enim uirtus, genus: cuius ſpecies paulo ante numeratæ ſunt. Non dico, omnia, quæ ſumuntur è uirtutibus, ad genus referri: ſed ut minores loci ad maiores referantur, oſtendo. Quæ ſumentur ab iis locis, ſiue erunt argumenta, ſiue materia dicendi, in toto quaſi contextu orationis & ſtilo quodam perpetuo erunt illuſtranda maxime, hoc eſt, exponēda genere orationis illuſtri: quod quale ſit, ante declarauit. In temporum gradibus generatio præcedet, educatio ſubſequetur: deinde inſtitutio, morumq́; diſciplina: tum ordine naturali cogitata, dicta, facta ponentur, ſuoq́; generi ſingula accommodabuntur, ut prudentiæ, ut fortitudini, ut temperantiæ. Magna, incredibilia, diuina, quoniam animis afferunt uoluptatē, ornate & ſuauiter erunt explicanda: qualia exempli gratia paulo ante ex Virgilio citabamus. Cauſæ mirum in modum faciunt ad laudem: propterea quæritur, qua de cauſa quidq́; factum ſit. ut ſi Spurius Melius annonam leuaſſet, ſolo nomine liberalitatis id erat factum laudabile. credita eſt alia cauſa, ut ambitio regni, quæ turpem uidebatur effeciſſe largitionem. Conſtituēdæ ſunt igitur honeſtæ cauſæ, ut ſimiles eſſe uideantur effectus. Ex cauſis agunt aliæ neceſſario, aliæ ſine ulla neceſſitate. Ex illis conſequentia, quæ neceſſario conſequi dicit in Topicis: ex his profluunt euentus, qui non eueniunt ex cauſis neceſſario. ut cum Cicero D. Brutum laudat, Antoniana tertia: O ciuem natum Reipublicæ, memorem ſui nominis, imitatoremq́; maiorum. Ponit euentum cauſæ minime neceſſariæ. Nam genus illud à Iunio Bruto, qui Tarquinios exegit, uidetur impuliſſe D. Brutum ad interficiendum Cæſarem, ſed non fuit neceſſe. Cū uero Seruium Sulpitium exornat his uerbis: Nec uero ſilebitur admirabilis quædam & incredibilis, & penè diuina eius in legibus interpretandis, æquitate explicandis, ſcientia: ponit conſequentia. Neceſſe eſt enim poſita penè diuina ſcientia, conſequi gloriam, & nomen eius apud multos. Hic ne quis requirat illam philoſophorum neceſſitatem, neceſſaria cum Cicerone dicimus ea, quæ nix unquam fiunt aliter agente ſponte natura. Cauſæ rerum, & euentus, & conſequentia requirentur ex illis inueniendi locis, qui principio numerabantur: non ex his minoribus, unde laudandi uituperādiq́; materia depromitur. NEQVE uero mors eorum, quorum uita laudabitur, ſilentio præteriri debebit.] Ab ipſo genere mortis, & ab iis rebus, quæ poſt mortem erunt conſecutæ, laus accipi poteſt: ſicut à maioribus ac parentibus ante nos, & à modo naſcendi capitur: ut laudatus eſt Iulius Cæſar, qui uulneribus acceptis, ſinum ad ima crura deduxit, quo honeſtius caderet, etiam inferiore corporis parte uelata. Laudatus & ab iis rebus quæ poſt mortem erant conſecutæ. nam relatus eſt in deos, ac percuſſorum ferè neque triennio quiſquam amplius ſuperuixit, neque ſua morte defunctus eſt. Hactenus de ratione uirtutum, quarum tractatio ſicut ad laudem facit, ita etiā ad bene beateq́; uiuendum. Sic enim uoluit optimam diſciplinam, quam magnifaceret, ab utilitate commendari.

VIDEAMVS igitur deinceps, in ſententia dicenda, quā uiam, & quæ præcepta teneamus.] Dicere ſententiam, eſt aliquid oratione decernere: quod fit in deliberando. An hoc genus ſtatuitur ſecundum, quòd à facilioribus ad difficiliora, à leuioribus ad grauiora penè progredimur? An quòd theſis prior eſt hypotheſi, ſæpiuſq́; cadit in exornationem & deliberationem, quàm in iudicium? Quòd autem honeſtas in demonſtratione finis eſt, in deliberatione utilitas, quæ complectitur honeſtatem, propoſuit illud genus, in quo quæritur quid honeſtum ſit: quia poſterius eſt, an honeſtum utile ſit. Eundem ordinem Quintilianus tenuit. Ariſtoteles non anxie ſeruat hunc ordinem. Sic ille, Τρία γένη τῶν λόγων τῶν ῥητορικῶν, συμβουλευτικὸν, δικανικὸν, ἐπιδεικτικόν. Paulo poſt, Διαφέρει περὶ ὧν συμβουλὴ, καὶ περὶ ὧν οἱ ἐπιδεικτικοὶ λόγοι. τρίτον δὲ περὶ ὧν αἱ δίκαι. Principio conſtituit finem, ut ad quem referuntur omnia. Hoc eo fit, quòd natura finem ſpectans initio, quem poſtremum aſſequatur, ad eum reducit omnia. In deliberatione rectè ſtatuitur finis utilitas, & ſi Quintilianus improbat. Deliberationes, inquit, miror à quibuſdam ſola utilitate finitas. Eos excuſat poſtea: nec dubito quin ſecundum opinionem pulcherrimam, ne utile quidem, niſi quod honeſtum eſſet, exiſtimarint. Sic res habet. Cicero paulo poſt: Vtilitas, inquit, in diſcernendis bonis maliſq́; uerſatur. Bonis ſubijcit honeſta, quæ proficiſcuntur à uirtutibus. hoc modo utilitate comprehendit honeſtatem. Sed uir ſapiens intellexit in deliberando honeſta conſiderari, non ſimpliciter, & ut ſunt honeſta, ſed ſæpius ut nobis utilia, uel ad gloriam, uel ad boni conſecutionem: quod cum ſit, utilitas poſtremus eſt finis. Deliberationis ſunt duæ partes, ſuaſio, & diſſuaſio. Vtriuſque eſt uidere, primum quid aut poſſit fieri, aut non poſſit: & quid neceſſe ſit, aut non neceſſe. Si quid effici non poteſt, deliberatio tollitur, quamuis utile ſit: ut ſi conſtet Iſthmon intercidi non poſſe, fruſtra in poſterum deliberet Cæſar. Neceſſe, quid accipi uelit, oſtendit. uidebat enim fore qui dicerent neceſſarium hic non habere locum, quod Quintilianus arripuit: Quantalibet, inquit, uis ingruat, aliquid fortaſſe pati neceſſe ſit, nihil facere. Neceſſarium eſt igitur, & quod aliter fieri non poteſt, & quod ſi fieri poteſt, tamen ſaluis nobis, aut ſalua dignitate noſtra fieri non poteſt. Hic neceſſe eſt, quod arbitratur reliquis honeſtatibus in ciuili ratione & commodis anteponendum: ut Antoniana ſeptima, bellum cum Antonio neceſſarium dicit, quia pax eſſe non poteſt, ſalua libertate populi Romani. Pax eſt tamen ſua natura & honeſtior, & commodior, quàm pugna ciuilis. Rurſus utranque partem diuidit: Quærendum eſt, an omnino fieri poſſit, & quàm facile poſſit. Nam quæ perdifficilia ſunt, perinde habenda ſæpe ſunt, ac ſi effici nō poſſint: ut effici potuit, Annibalem in Italia uinci: uerum, quia perdifficile erat, non putarunt id effici poſſe Romani, ideoq́; reuocauerunt in Africam. Quærendum eſt eodem modo quid omnino neceſſarium, quidq́; magni interſit tanquam neceſſarium. Mancinus facere fœdus illud Numantinum neceſſarium uidit, ſi militem ſeruare uellet: fecitq́; neceſſitate ductus. Roma ſeruos armauit in Annibalem prope neceſſario: id enim uidebat opem ferre poſſe Reipublicæ. Hoc quoque neceſſe duxit. Suaſori proponitur una ratio, ſi & utile eſt, & fieri poteſt, fiat. Vna ratio dicitur, cum uideatur eſſe duplex: quia utrunque docendum eſt, ac ne unum colligendum, ſi & utile eſt, & fieri poteſt, fiat. Sic Cicero bellum ſuadet in Antonium Philippica ſeptima: Si pace frui uolumus, bellum gerendum eſt: ſi bellum omittemus, pace nunquam fruemur. Vtile proponit, pace frui. Quòd autem bellū fieri poſſit, oſtendit: Eos conſules habemus, eam populi Romani alacri-

tatem, cum conſenſum Italiæ, eos duces, eos exercitus, ut nullam calamitatem Reſpublica accipere poſſit, ſine culpa ſenatus. Diſſuaſori duplex ratio proponitur. Vna, ſi non utile eſt, ne fiat: altera, ſi fieri non poteſt, ne ſuſcipiatur. Idem in eadẽ oratione, in qua partes ſuaſoris & diſſuaſoris agit: Cur igitur pacem nolo? quia turpis eſt, quia periculoſa, quia eſſe non poteſt. Suaſor igitur utrunque docet, diſſuaſor altero contentus eſſe poteſt. Illi proponitur unica uia, hic habet optionem, utram malit uiã tenere. QVARE quoniam in his uerſatur omne conſilium duobus.] Vtilitas in diſcernendis bonis maliſq; uerſatur, id eſt rebus expetendis atque fugiendis. Bonorum, quibus utilitatẽ metimur, alia neceſſaria, hoc eſt ſine quibus ſalui liberi'ue eſſe nõ poſſumus (ſic ante definit neceſſaria) ut uita, pudicitia, libertas: ut liberi, coniuges, germani, parentes. Tolle uitã, perimus. Si liberi, coniuges, germani, aut uita, aut fama periclitãtur, iterum quodammodo perimus, aut periclitari uelle debemus: quoniam illorum uita nobis æque chara debet eſſe, atque noſtra. Si adimitur libertas, aut pudicitia, miſere turpiterq; ſeruimus. Seruitute mors omnis optabilior eſt, ſi Ciceroni credimus. Dicamus uno uerbo, Nullam exiſtimat uitam ſine libertate, & honeſta conditione uitæ. Hæc autem plurimum ualent ad perſuadendum, & in Antonium frequenter uſurpat. Bonorum partim non neceſſaria, quibus deſtituti, uitam libertatemq; retinere poſſumus, non uniuerſis quidem deſtituti, ſed aut ſingulis, aut multis eorum. Ea ſunt duplicia. Alia ſunt per ſe expetenda, ut officium, quod ab Ipſo finitur hoc modo: Officium eſt, quod ita factũ eſt, ut eius facti probabilis ratio reddi poſſit. Quanquam officium ad alium finem tendit, ut ad felicitatem: tamen ut ea non ſequatur, per ſe honeſtum eſt, & expetendũ: quod & Ariſtot. in Ethicis non modo de uirtutibus, ſed etiam de gloria & honore confirmat. Alia non per ſe expetuntur, ſed quòd aliquid commodi efficiunt, ut opes & copiæ. Eorum quæ propter ſe expetuntur, partim honeſtate ipſa, partim commoditate aliqua expetuntur. Quæ diuiſio mirabilem quandam uidetur habere difficultatem. Nam ſecundum membrum confundit, & priore commiſcet. Et paulo poſt diuitias referre uidetur ad ea quæ ſunt per ſe expetenda, quas ante ſubiecerat his quæ aliquid commodi efficiunt. Deinde tria genera bonorum reuocat ad ea quæ propter ſe expetuntur. Quomodo propter ſe expetuntur? Hæc mihi relinquenda uidebantur iis, qui putant omnia eſſe peruia. Non erat uerendum, ne uitio darent meam negligentiam, ſi quid intactum reliquiſſem: ſed timendum potius, ne meam accuſent diligentiam, quæ multo facilius ſui tædium parit: & ſi uereri non debeam, eloquentiæ præcepta copioſe tractare, ſi qua mihi data fuiſſet eloquendi facultas, quis turpe ſit in copioſa ratione dicendi, inopia & ieiunitate laborare. Illi ſciunt, neſcimus. Perficiunt, uix bene conamur. Cõpendia uiarum ſequuntur: longiora, ſi modo ſunt apertiora, malumus. Nihil uſquam reperiuus impedimenti, nos circa momenta luctamur. Impellamus igitur & hunc ſcopulum. Expetendorum tria ſunt genera. Aliud eſt ſimpliciter honeſtum, ut officium et uirtus. Aliud honeſtum utilitati copulatum, ut gloria. Aliud uero ſimpliciter utile, ut diuitiæ. Primũ genus honeſtate ſola petitur, qua nihil eſt utilius. Alterum non honeſtate modo, quæ potior eſt, ſed etiam commoditate quadam expetitur, ut honos & gloria. Tertium utilitate ſola ducitur, ut uires, forma, ualetudo, nobilitas, diuitiæ, clientelæ. Sunt igitur duo genera commodorum, unde totidem diuiſiones. Diuitiæ pertinent ad ſecundum genus, nec ſunt propter ſe expetendæ. Bonorum tria genera ſunt propter ſe expetenda, ſi modo iunguntur honeſtati. Sed quædam bona ſunt diuerſa, hoc eſt nulla cum honeſtate coniuncta, ut diuitiæ, clientelæ. Ex his obiecta diſſoluimus. Hanc autem rerum diuiſionem hic uideas, cum dicit, Quorum, ſcilicet commodorum, alia ſunt quaſi quodammodo cum honeſtate coniuncta, ut honos, ut gloria: alia diuerſa, ut forma, uires, ualetudo. Videas & 2. lib. de Inuentione: Rerum expetendarum, inquit, tria genera ſunt. Nam eſt quiddam quod ſua ui nos alliciat ad ſeſe, non emolumento captans aliquo, ſed trahens ſua dignitate: quod genus uirtus, ſcientia, ueritas eſt. Aliud autem non propter ſuam uim & naturam, ſed propter fructum atque utilitatem petendum: quod genus pecunia eſt. Eſt porrò quiddam ex horum partibus iunctum, quod & ſua ui & dignitate nos inducit, & præ ſe gerit quandam utilitatem, quo magis expetatur, ut amicitia, bona exiſtimatio. Hæc ille. Prima diuiſio ſatis aperta eſt. Alia ſunt per ſe expetenda, ut ea quæ ſita ſunt in officiis atque uirtutibus. alia, quòd aliquid commodi efficiunt, ut opes & copiæ. Secunda eſt obſcurior. Eorum quæ propter ſe expetuntur, partim honeſtate ipſa, partim commoditate aliqua expetuntur. Priore membro ſignificat ſimpliciter honeſta, ut eius uerba demonſtrant: poſteriore honeſta & commoda, quæ differunt ab iis, quæ tantum aliquid cõmodi efficiunt, quia laudem & utilitatem afferunt, ut bona corporis, & fortunæ non ſimpliciter, ſed cum ad exercendum uirtutem conferuntur. uã poſſunt cum honeſtate iungi, ut honos & gloria. poſſunt & citra uirtutem haberi, ut uires, forma, ualetudo. An ponit differentiam inter ea quæ ſunt expetenda, & ea quæ propter ſe expetuntur? Per ſe expetenda ſunt laudabilia ipſa per ſe, ut uirtutes, & quæ ab illis proficiſcuntur. Propter ſe expetuntur omnia bona animi, corporis, & fortunæ: propter ſe inquam, hoc eſt propterea quòd ipſa bona ſunt, aut propter ſuam naturam bonam. Hæc interpretatio & breuior eſt, & apertior.

EST etiam quaſi quædam materies ſubiecta honeſtati.] Quæ maxime ſpectatur in amicitiis: hoc eſt, amicitia partim honeſtate ipſa, partim commoditate aliqua expetuntur: ex quibus ut è materia ducitur argumentum deliberanti. Amicitia, inquit ſecundo de Inuentione, uoluntas eſt erga aliquem rerum bonarum, illius ipſius cauſa quem diligit, cum eius pari uoluntate. Hic quia de ciuilibus cauſis loquimur, fructus ad amicitiam adiungimus, ut eorum quoque cauſa petenda uideatur. ne forte qui nos de omni amicitia dicere exiſtimant, reprehendere incipiant. quanquam ſunt qui propter utilitatem modo petendam putant amicitiam: ſunt qui propter ſe ſolum: ſunt qui propter ſe, & utilitatem: quorum quid uerißime conſtituatur, alius locus erit conſiderandi. Nunc hoc ſic ad uſum oratorium relinquatur, utranque propter rem amicitiam eſſe expetendam. Hactenus Cicero. Ex his colliges, cur amicitiam ab iis quæ per ſe expetuntur, ſeperauerit, quam paulo ante numerauit inter iuſtitiæ partes. Certe magna affinitas eſt amicitiæ & iuſtitiæ. Amicitia, inquit Ariſtoteles, & iuſtitia in eiſdem uidentur eſſe. In omni ſocietate aliquid eſt iuſti, aliquid amicitiæ. Eſt enim amicitia in communicatione. Amicitiæ duplices. Nam charitate & amore cernũtur. Charitas eſt ſanctus amor & cultus deorum, parentum, patriæ, ſapientium & illuſtrium uirorum. Hæc charitas eſt amicitia quædam excellentior ac ſanctior, quam colere debemus. In hoc genere inferiores ac impares, & obſeruantes magis officium noſtrum, quàm quo nos amant, amorem. Altera eſt amicitia, quæ amore maxime continetur: hoc eſt, quæ tum firma ac ſtabilis eſt, cum utrinque certatim caleſcit amor. In charitate ſuſpicimus maieſtatem, in amore beneuolentiam. Dicet aliquis, coniuges, fratres, liberi etiam charitate iunguntur, nec in illis ſuſpicitur maieſtas: Non eſt ita. Veremur coniugium, & ſanguinis propinquitatem, & familiaritatem: quorum nihil non maximum eſt, atque ſanctiſſimũ: et præter hæc habemus rationem amoris eius quo nos perſequuntur aut pares, aut minores. QVOD ſi ſemper optima tenere poſſemus.] Ad deliberandum parata materia eſt, ut omnia genera bonorum, quæ uel honeſtate ipſa, uel commoditate expetuntur. Quid proxime cohæret? Proximum uidetur id,

ſpectare

ſpectare qui ſint qui deliberent, ut habita ratione perſonarum, ex utilitate cauſæ ſpectet orator quæ quibus bona debeant accommodari. Si ſemper optima tenere poſſemus, ut in conſilio bonorum atque ſapientium, haud ſanè conſilio multum egeremus, quoniam quidem perſpicua ſunt optima quæque, niſi mortalitatem noſtram obcæcaret utilitas. In aliena cauſa optima quæque facile uidemus, & illa ſequentem laude ferimus: in noſtra plerunque cæcutimus. Nam uaria temporum conditio, & opportunitas agendi, capit hominum mentes. Diuortium facit honeſtorum & utilium. Inde ſuccreſcit populare deliberandi genus, in quo opportuna cum dignitate, honeſta cum utilitate certant. Opportunitas autem, ut ait de Finibus, eſt εὐκαιρία, & temporis occaſio, rebus agendis conueniens, in qua maxime ſpectatur utilitas, ſicut honeſtas in dignitate. Vtrunque deliberandi genus oratori uidēdum, cuius oratio ad opiniones eorum qui audiunt, accommodatur, ut animos tractare, & ad ſuum finem perducere queat, ſi non ueritate rectaq; uia, certe errore uiarum quæ ducunt ad ueritatem. Is igitur indoctum & agreſte hominum genus, hoc eſt neque literis, neque ciuili prudentia politum, utilitate pelliciet. Expolitum uero diſciplinis, & honeſta ratione uiuendi, facilius dignitate rerum commouebit.

Huic generi polito, laus, honor, gloria, fides, iuſtitia, omniſq; uirtus proponitur. Laus eſt omnium rerum bonarum. Honos exhibetur in teſtimonium uirtutis aut dignitatis: & in re, non in uoce poſitus eſt. Gloria eſt incorrupta uox iudicantium de excellente uirtute. Sic finit ipſe Tuſculana tertia, illi generi indocto, quæſtus, emolumentum, fructuſq; proponitur. Quæſtus eſt pecunia. Emolumentum dicitur quidquid prodeſt, ὠφέλημα græce. Huic contrarium, detrimentum. Fructus hic omne commodum accipitur. Quid autem differat ab emolumēto, tradit ipſe tertio de finibus. Illa quæ proſunt, aut quæ nocent, id eſt emolumenta & detrimenta, aut bona ſunt, aut mala: quæ ſint paria neceſſe eſt. Commoda autem & incommoda in eo genere ſunt, quæ præpoſita & reiecta dicimus: ea poſſunt paria non eſſe. Significat emolumenta bona eſſe, fructus indifferentes, per ſe nec bonos, nec malos. Indocti etiam uoluptate capiuntur. quam Stoici definiunt, ſublationem animi ſine ratione opinātis ſe magno bono frui. Habet lætitiam in animo, commotionem ſuauem iucunditatis in corpore. Voluptas eſt maxime inimica uirtuti, quia, ut inquit primo de Legibus, imitatrix boni uoluptas, malorum autem mater omnium: cuius blanditijs corrupti non cernunt ea quæ natura bona ſunt, quia res honeſtæ dulcedine hac & ſcabie carent. Hæc ille. Quòd igitur imitatrix boni uoluptas, blandiſſima domina eſt, & eadem illecebra turpitudinis, honeſti boniq; naturam fallaciter imitando adulterat: quippe quæ habeat quiddam ſimile naturali bono. lenitatis eſt enim, & ſuauitatis. Multæ uoluptates, ſunt laudabiles: quod oſtendit Ariſtoteles decimo Ethicorum. quamobrem non eſt abſurdum quod ait Cicero, Voluptas ſæpe ſanè laudanda eſt. Nemo bonus obſcenam fœdamq; laudet, quæ turpibus tantum & perditis eſt uoluptas: ſed eam laudet, quæ retinet aliquam ſpeciem honeſti. Voluptatē immaniſſimus quiſque acerrime ſequitur: quoniam quanto immanior eſt quiſque, tanto propius accedit ad belluas, quæ uoluptate ducuntur. Atqui uidentur hæc repugnare ſuperioribus. dicebat antea, Temperantiam immanitas imitatur in uoluptatibus aſpernandis.

Sed immaniſſimum capit hic, qui ſenſum ſecutus, à naturali bono longiſſime receſſit: immanitatem capiebat, atrociorem uimiamq; temperantiam.

E T *illud uidendum, quanto magis homines mala fugiant, quàm ſequantur bona.*] *Quid rudibus & politis maxime conueniret, oſtendit. Nunc utriſque deliberando proponenda mala cenſet, quia multo magis homines mala fugiunt, quàm ſequuntur bona: neque honeſta tam expetunt, quàm deuitant turpia. Ergo ſumēda etiam contraria ſuaſori, ut honos, ignominia, gloria, infamia, laus, cōtumelia, decus, dedecus. Hoc ſi feceris, honos, gloria, laus, decus te ſequetur. Si non feceris (quod omen dij auertant) peſſundabit te ignominia, infamia, contumelia, dedecus. Hominem ad honeſtatem eſſe natum, ſic oſtendit Ariſtot. 1. lib. Ethic. Vt homini, ſic ſtirpibus eſt facultas alendi. Vt homo ſentit, ſic et beſtia. Reſtat igitur actio rationis. Eſt itaque hominis opus, actio animæ per rationē, uel non ſine ratione. Quo fit, ut humanum bonum ſit actio animi per uirtutem. Sed qui fit, ut genus hominum ad honeſtatem natum, non tā honeſta expetat, quàm deuitet turpia? Subijcit cauſam, quòd malo cultu prauiſq; opinionibus omne corruptum eſt, nec uirtute & ſcientia excolitur, nec certa rectaq; conſectatur. Etenim utilitas & uoluptas, iactura & dolor, tenebras offuderunt oculis mortalium, & effecerunt ne honeſtū poſthaberetur, ut mala pro bonis, bona pro malis eſſent. Ergo docebit orator in conſilio, qua in bona conſequi quaq; ratione mala uitare poſſimus. Ex bonis aūt plurimū ualent, quæ in cōmuni hominū utilitate tuenda augendaq; uerſantur: quod genus eſt iuſtitia, fides, liberalitas, omniſq; uirtus quæ ſpectat hominū ſocietatē. Exēplorū quæ ferant hanc ſpeciem, plenæ ſunt Liuianæ conciones.*

Q V I D *autem poſſit effici, necne poſſit, in quo etiam quàm facile poſſit, quamq; expediat, quæri ſolet.*] *In duobus uerſatur omne conſilium. ſi & utile eſt, & fieri poteſt, fiat. De utili, priore loco dictum eſt, quod quidem uidebatur eſſe natura ſecundum. Nam uidetur omniū primū, cognoſcere, poſſit'ne aliquid fieri: quia ſi quid effici nō poteſt, deliberatio tollitur. Sed utilia cupimus: qui fruamur, inquirimus: idcirco hunc ordinem ſequimur. Si ueniat in dubiū, poſſit'ne aliquid effici, quoniā coniectura ducitur, à cauſis ſumetur argumentum. Nā ut efficiatur aliquid, neceſſe eſt cauſam efficientē eſſe, & eā ſine qua res effici non poteſt: cuiuſmodi ſunt materia & inſtrumentū. Nihil eſt enim quod ſine cauſa naturaliter fiat. Itaque ſi dubitatio ſit, poſſit'ne aliquid effici, à cauſis ducitur probatio. Cice. in Diuinatione: In quo ſi te multū natura adiuuaret, ſi optimis à pueritia diſciplinis & artibus ſtuduiſſes, in his elaboraſſes: ſi literas Græcas Athenis, non Lilybæi, Latinas Romæ, non in Sicilia didiciſſes, tamen eſſet magnū, tantā cauſam, tā expectatā, & diligētia conſequi, & memoria complecti, & oratione exponere, et uoce & uiribus ſuſtinere. Cæciliū cauſam ſuſtinere non poſſe mōſtrat, cui natura, ars, & exercitatio, tres eloquentiæ cauſæ, defuerunt. Cauſa iudicialis eſt quidem, ſed pars illa cohortantis, ne quid tentet Cæcilius ſupra uires. Cauſarū aliæ cōficiunt, quæ efficientes inde uocitantur: ut pudor efficit ruborē. Aliæ uim aliquam ad conficiendum afferunt, ut inſtrumenta, tempus, locus, ſine quibus aliquid effici non poteſt. Efficiens autem cauſa, alia eſt abſoluta & perfecta per ſe, quæ ſola certo rem efficit: ut ſol diem, ignis calorem. Alia aliquid iuuans, & efficiendi ſocia quædā: ut terra ſtirpes efficit, ſed adiuta cultu, ſole, pluuia, rore. Hæc aut maior eſt, aut minor: ut natura & uſus ad eloquentiā plus faciunt, quam cognitio præceptorū. Sūt aūt aliæ cauſæ quæ per ſe non conficiunt, ſed quia iuuant, conficientes, inquit Cicero, uocantur. Iuuant aūt, aut propter principiū: ut materia, quod eſt principium rerum: aut propter exitum, ut finis rei quæ ſuſcipitur. Ferrum, gladij cauſa eſt, quia materia. Artium finis eſt ſciētia. Quæ pertineant ad cauſas, alia tradit in Topicis. Hactenus de utilitate, & efficiendi poteſtate. Nunc uſus eſt eorū, ut ad aſſentiendū impellant animos: quod facilius obtinebunt, ſi quæ rerum dicuntur appendices, uulgo circunſtantiæ, ponentur, quibus cum, contra quos, quo tempore, quo loco, quibus facultatibus utamur: ſi noſtra & aduerſa inter ſe comparemus, ut ex duobus procliuiora uideamus. Quod ſi ex contentione, id eſt comparatione, procliuiora, hoc eſt faciliora noſtra uidebuntur, non erit ſatis ita nobis uideri, ſed erunt oratione demonſtranda, ut non modo dicenti, ſed alijs etiam facilia, procliuia, iucunda ui-*

deantur. Cicero Antoniana quarta facit hanc rerum contentionem ad cohortandum populum Romanum aduerſus Antoniū, Quibuſcum bellū ſuſcipiat, ut D. Bruto, C. Cæſare, ueteranisq́. Contra quem, ut alterum Spartacum Antonium. Quo tempore, ut cum ad recuperandum libertatem exarſit omnis Italia. Quibus facultatibus, ut Republica, Senatu, ærario, quæ non habet Antonius. Hinc ſua facilia, proclinia, iucūda colligit, his uerbis, Vt igitur Catilinam diligentia mea Senatus auctoritate, ueſtro ſtudio & uirtute fregiſtis: ſic Antonij nefarium latrocinium, ueſtra cum ſenatu concordia tanta, quanta nunquam fuit, felicitate & uirtute exercituum ducumq́, ueſtrorum, breui tempore oppreſſio eſſe audietis. Quemadmodum autem ſuaſori proponitur una ratio, ſi & utile eſt, & fieri poteſt, fiat: ita diſſuaſori duplex. aut utilitas ab eo labefactanda eſt, quod agit in Seruilium Rullum: aut efficiendi difficultates efferendæ, quod facit in diſſuaſione pacis, Antoniana ſeptima. VTERQVE uero ad augendum habeat exemplorum, aut recentiū, quo notiora ſint: aut ueterum, quo plus auctoritatis habeant, copiam.] A' propijs argumentorum locis ad communes ordine perducitur. Vnus eſt exemplorum, alter contentionis honeſtorum & utilium, tertius affectuum, quartus autem figuræ orationis. De exemplis in hoc genere Quintil. hoc modo: Vſum exēplorum nulli materiæ magis conuenire merito ferè omnes conſentiunt, cum plerunque uideantur reſpondere futura præteritis, habeaturq́; experimentum uelut quoddam rationis teſtimonium. Alia exempla ſunt recentia, eáq; notiora ſunt: alia uetera, in quibus plus eſt auctoritatis: utraque Ciceroni frequentiſſima. Alterum eſt commune præceptum, oratorem in hoc genere deliberandi eſſe oportere meditatum, hoc eſt exercitatū ſchola, & priuata cogitatione, ac paratos habere communes locos, ut promptius dicat, aliquando pro utilitate [illegible] dignitatem, aut pro dignitate contra opportunitatem [illegible] hæc aliquando conflictantur. ut qui uoluerunt [illegible] Syllam [illegible], non dignitate, ſed utilitate firmarunt: Aduerſarij contra: ſed uicit utilitas. Cicero de actis Cæſaris: Primum igitur acta Cæſaris ſeruãda cẽſeo: nõ quo probem, quis enim id quidem poteſt? ſed quia rationẽ habendã maxime arbitror pacis & otij. Ponit exēplū Quintilianus in tertio de Opiterginis. Honeſtum & utile, conſuetudine, non re, diſſentiunt. Cicero in Officijs: Hoc aūt de quo nūc agimus, id ipſum eſt quod utile appellatur. In quo uerbo lapſa conſuetudo deflexit de uia, ſenſimq́; eo deducta eſt, ut honeſtatẽ ab utilitate ſecernens, conſtitueret honeſtum aliquod, quod utile non eſſet: & utile, quod non honeſtum. qua nulla pernicies maior hominum uitæ potuit afferri. Aliud præceptum cõmune de monendis affectibus. Aut incitantur animi, aut mitigantur atq; reprimuntur. Si incitandi erunt, huiuſmodi ſententiæ proficient quæ ad explendas cupiditates, hoc eſt implenda deſideria concepta opinione boni futuri pertinebunt. Aut ad odium ſatiandū, id eſt ad conficiendum quod ira inueterata (ſic odium finit) affectat. Aut ad ulciſcendas iniurias. Etenim ex quatuor animi motibus duo incitant, ægritudo, cupiditas: duo reprimunt, uoluptas, metus. Non dico uoluptatem & metum nunquam incitare, ſed affirmo, quod Cicero, animos ægritudine et cupiditate ſæpius incitari, metu & uoluptate reprimi. Ad ægritudinẽ odium pertinet, ad cupiditatem libido ulciſcendi. Sic pro lege Manilia; odium cupiditatemq; populi Romani concitat in Mithridatẽ, qui ciues Romanos in Aſia necauerat: exhortatur ad ulciſcendam iniuriam. Videte quem uobis animum ſuſcipiendum putetis. Maiores ueſtri ſæpe mercatoribus ac nauiculatoribus iniurioſius tractatis, bella geſſerunt: uos tot ciuium Romanorum millibus uno nuncio atque uno tempore necatis, quo tandem animo eſſe debetis? & quæ ſequuntur. Si reprimendi erunt animi, tum ualebit metus: ad quem pertinet incerta fortuna, dubius euentus rerum futurarum, & periculum. ualebit & uoluptas, quæ retinere ſecūdã fortunã uelit. quibus rebus utitur in Rullum frequentiſſime, ut legis Agrariæ cupiditas inflãmata reſtinguatur. Dicet aliquis, Quæ ſunt illæ ſententiæ quæ ſumuntur ex affectibus? Non eſt artis huius omnes explicare: opus eſt cõſuetudine & exēplis. Natura non deerit, quæ ſuggerat ſententias ad odium commouendum, ad explendas cupiditates, ad ulciſcendas iniurias. Sæpe eiuſmodi rerum citra artem nimis abundamus. Quarta præceptio de modo & figura orationis. In deliberatione utendū breuibus principijs, oratione ſimplici & graui, & ſententijs quàm uerbis ornatiore: quod præceptum Quintilian. ut alia multa arripuit atque dilatauit. In principio proponet quæ mente dicat, ut Antoniana quarta: quid uelit, ut ſeptima: quibus de rebus dicturus ſit, ut prima: hortetur ad ſe breuiter dicentem audiendū: Peto à uobis Patres Conſc. ut eadem benignitate, qua ſoletis, uerba mea audiatis. Tota oratio ſimplex, non exultans inſolentia uerborum & ſententiarum: non eleganter exornata, ut demonſtratio: non contentioſa & ſubtilis, ut iudicialis actio: ſed grauis, ſententioſa, plena ponderis & auctoritatis. Quintilianus tamen ſic iudicat: Ciceronis ſententiæ, inquit, & conciones, non minus clarum, quàm eſt in accuſationibus ac defenſionibus, eloquentiæ lumen oſtendunt. COGNOVI iam laudationis & ſuaſionis locos.] In omni genere tractando ſtatim initio proſpiciendus eſt finis, ut rectius ad eum cætera dirigantur. Sicut igitur in exornando finis ponitur honeſtas, in deliberando utilitas, ſic etiam in iudicijs æquitas. Eſt autem æquitas, quam ratio naturalis perſuaſit: quæ & ſi à iuſtitia non ſeparatur, tamen alia eſt æquitas, alia iuſtitia. Cicero primo de Officijs: Difficile eſt cum præſtare omnibus concupieris, ſeruare æquitatem, quæ eſt iuſtitiæ maxime propria. Aequitatem & iuſtitiam non eandem fecit, quia æquitas eſt optima ratio iuris, recta moderatio legis & moris, uis honeſti perpetuo conſtans, quæ neque legibus neque ſcriptis continetur, ſed unde profluxere bonæ leges, & à qua malæ corriguntur, per quam reguntur ea quæ non ſunt lege comprehenſa, quæ infinita ſint neceſſe eſt. Hac utuntur omnes boni, hanc requirunt qui ſummo iure uexantur: hãc ore uerſat omne genus hominum, cum ſubinde refert, Rationabile eſt iſthuc, (ſic enim uulgo dicitur) id eſt, æquum bonumq́. Inde lex & æquitas interdum uidentur ita diſcordare, ut relicta lege appelletur æquitas. Leges igitur, & quæ proficiſcuntur à legibus, & à iure ciuili, ſemper ad facilitatem æquitatemq́; referenda. Cicero de Seruio Sulpitio. Penè diuina eius in legibus interpretandis, æquitate explicandis, ſcientia. Et paulo poſt: Itaque quæ proficiſcebantur à legibus, & à iure ciuili, ſemper ad facilitatem æquitatemq́; referebat. Cum igitur æquitate nemo lædatur, permulti legibus iniquis & moribus uexentur, iudiciorum finis conſtituitur æquitas, ad quam omne ius, lex omnis, & conſuetudo referuntur. Hanc æquitatem ſecuti ſunt oratores illi ueteres, qui nullum ius ciuile didicerant, & ea certe diſputatio propria eſt oratorum materia. Oratores hic accipi uolo, qui ſint optime inſtituti ſapientiæ præceptis, ſine quibus æquum bonumq́; non facile cognoſcitur. Aequitas ſimpliciter ſpectatur. An æquum pro amico peierare? Et ex comparatione aut duorum aut multorum: ut, Cæcilius ne an Cicero uerior erit accuſator? quæ controuerſia, diuinatio nominatur: quæ quòd agitatur ante legitimum iudicium, hic primas obtinet. Eodem modo fiet comparatio inter multos competitores hæreditatis, ſi tres pluresúe petent ſine lege, aut ſine teſtamento. Nam ſi lex eſſet, ut agnationis, aut teſtamentū, de re ipſa contenderetur: ſed quia non eſt, agitur ante iudicium, cui detur hæreditatis actio. Quintilianus lib. 3. Diuerſum his genus quod dicitur comparatiuum, cuius rei tractatus in parte cauſæ frequens eſt, ut cum apud centumuiros poſt alia quæritur & hoc, uter dignior hæreditate ſit. Sicut autem agi poteſt de accuſatore ſtatuendo, ita etiam nonnunquam de conſtituendo iudicio, quæ tranſlatio nominatur:

tur: an huic? an cum hoc? an hac lege? an apud hunc? an hoc tẽpore liceat agere? & ſi quæ ſunt talia: ut Non debes apud prætorem petere fidei commiſſum, ſed apud conſules. maior enim prætoria cognitione ſumma eſt. Non licet tibi agere mecum. cognitor enim fieri non potuiſti. Non debuiſti interdicere, ſed petere. Formulas tradit, ſit'ne actio illi qui agit? ut filio qui uocet in ius dementiam patris. Aut, iam ne ſit? ut Fabio repetenti creditum, antequam cœptum ſit deberi. Aut iam ne eſſe deſierit? ut qui uindicet agrum poſt decennium. Aut illa'ne lege? ut, poſſit ne cum Ebutio Cecinna ab agro prohibitus agere lege de ui, an potius iniuriarum? Aut hiſce ne uerbis ſit actio? ut Hipſeo qui petebat à Craſſo prætore, ut ei, quem defendebat, cauſa cadere liceret. Hæc & ſimilia non antequam in iudicium ueniunt, concertata ſunt, id eſt à partibus diſputata: aut ſi concertata, non tamen diiudicata, hoc eſt ſententia diſceptatoris pronunciata: aut ſi diiudicata, non tamen confecta, & omnino abſoluta. Poſteaquam igitur res in iudicium uenerit, illa permagnum habebunt pondus uel ad declinandum iudicium, uel etiam ad firmandam defenſionem. Hæc tranſlatio pertinet ad actiones. Actio ius eſt perſequendi iudicio, quod ſibi debetur. Vis eius in rebus & in perſonis, ſed in utriſque multiplex, & ea cauſa perdifficilis: de qua permulta iuriſperiti, nec tamen ſcribunt omnia. Quamobrem hoc cauſarum genus poſitum dicit in iure ciuili. Ius autem ciuile, conſtat legibus & more. Lex & mos, aut priuata ſpectant, ut bona ſingulorum: aut publica ut ius totius ciuitatis. Iuris ſcientia neglecta ab oratoribus pleriſque, ut à Galba & Antonio præſtantiſſimis oratoribus, nobis, hoc eſt Ciceroni, ad dicendum neceſſaria uidetur. Cuius rei cauſas explicat 1. lib. de Oratore. QVARE de conſtituendis actionibus accipiendis ſubeundiſq; iudicijs.] Diuinationem & comparationem tranſlationemq; initio ſtatuit, quòd hæc ante iudicium ſummum ueniant in certamen. Separantur ergo à iudicijs, temporibus agendi, quia ante legitima iudicia agitantur: non diſſimilitudine generis, quoniam cadunt in eadem præcepta quæ poſtea tradentur. Conſtituere actionem, eſt actorem admittere, qui intendat actionẽ, hoc eſt recipere in cauſam. Accipere iudicium, eſt illum unde petitur, admittere intentionẽ actoris, ſecluſa tranſlatione. Excipere iniquitatem actionis, eſt agentis dolum malum & iniuſtitiam excludere, ne ſubeunti iudicium fiat iniuria. Antiquum eſt, Inter bonos bene agier oportet, & ſine fraudatione. Aequitatem comparare, eſt diſcernere ex duobus accuſatoribus aut petitoribus uter ſit dignior, aut quis digniſſimus ex multis. Si quæris ad has controuerſias unde petatur facultas argumentationum: reſpondet hæc eſſe de iure ciuili, & de æquo & bono, hoc eſt de æquitate: idcirco pertinere ad qualitatem, in qua quale quid ſit ambigitur. Eſt autẽ aliud ius ciuile, alia æquitas. Hæc legis & iuſtitiæ uera & recta moderatrix, illud eſt quod iuriſprudentes condiderunt. quamobrem æquitatem à iure ſeparat. IN omnibus igitur cauſis tres ſunt gradus.] Ex depulſione rei, id eſt defenſoris aut inficiatoris, tres ſunt ſtatus, ex quibus oritur tripartita ratio iudicij tractandi. Sunt, inquit, tres gradus, qui ſunt tanquam fundamenta defenſionis, ex quibus unus aliquis capiendus eſt, ſi plures nõ queas ad reſiſtendum. Nam ita conſiſtendum, & uelut in gradu pes firmandus eſt, ut quod obijcitur, factum neges: aut ſi fateare, neges id eſſe quod aduerſarius criminetur, & de appellatione ac nomine cõtendas. Si neque de facto, ut in coniectura; neque de facti appellatione, ut in definitione, ambigitur: tertium eſt quod dicas, rectum eſſe quod feceris, ut fit in qualitate abſoluta: concedendum'ue defendas, ut fit in aſſumptiua. Ita primus ille ſtatus, qui eſt quaſi conflictio cum aduerſario (ut interpretatur) coniectura tractandus eſt. Secundus definitione ex genere & proprietatibus: aut deſcriptione ex iis quæ rebus accidunt, ut eſt qualitas & quantitas: aut informatione uerbi, hoc eſt definitione ex notatione & etymologia: quæ tria ſunt definiendi genera. Tertius æqui & ueri & recti & humani, ad ignoſcendum diſputatione tractatur. Quid æquum ſit aperte monſtrauimus. Verum hic dicitur iuſtum, ac iure factum, ſicut pro Murena. Atenim agit mecum auſtere & Stoice Cato. negat uerum eſſe allici beneuolentiam cibo. Verum, id eſt iuſtum. Rectum dicitur κατόρθωμα, id officium quod ab omni uitio prauitatis alienum eſt. Nam de Finibus: Recta, inquit, omnes numeros uirtutis continent. Hinc licet intelligas, inter æquum, uerum, rectumq;, nullum eſſe ferè diſcrimen. Humanum dicitur clementia atque manſuetudo, & lenitas animaduertendi, qualis fuit in Iulio Cæſare: quod plurimum ualere ad ignoſcẽdum, ſatis oſtendit ipſe pro Marco Marcello, & pro Quinto Ligario. ET quoniam ſemper is qui defendit, non ſolum reſiſtat oportet aliquo ſtatu.] Status in exornatione ſunt, & deliberatione: quia ſi nulla quæſtio eſt, nulla erit dicendi materia: Si qua uero eſt, habeat aliquid in quo ſtet orator, neceſſe eſt: qui ſanè dicatur ſtatus, quoniam in eo ſtat uniuerſa diſputatio. Sed ſtatus in genere iudiciali maxime ſpectantur: propter intentionem atque depulſionem. Quamobrem ſtatuum rationem in hoc genere præcipue conſiderauit. Quid alij de ſtatu loquantur, nihil ad locum præſentem, quia mentem Ciceronis inquirimus. Hoc tenendum, Ciceronem accipere ſtatum, in quo primum conſiſtit quaſi ad repugnandum congreſſa defenſio. Verba ſunt eius in Topicis: Refutatio accuſationis, in qua eſt depulſio criminis, græce στάσις dicitur, latine appelletur ſtatus, in quo primum inſiſtit quaſi ad repugnandum congreſſa defenſio. Itaque ſi is qui defendit, hoc dicat, Non feci: aut, aliud feci: aut, recte feci: hanc primam defenſionem Cicero ſtatum uocabit, quoniam ſtat, pedemq; ſiſtit is qui refellit. Quod Ciceronis conſilium qui redarguunt, à natura ueraq; ratione diſcedunt. Quintilianus lib. 3. poſteaquam ſententiam Ciceronis uerbis eius expoſuit, inquit: Noſtra opinio ſemper hæc fuit, ut cum eſſent frequenter in cauſa diuerſi quæſtionum ſtatus, in eo crederem ſtatum cauſæ, quod eſſet in ea potiſſimum, & in quo res maxime uerteretur. Idem alibi: Verius igitur & breuius, qui ſtatum, & continens, & iudicationem, idem eſſe uoluerunt. Cicero perſpexit, oculatus homo, cauſam forenſem quoddam eſſe certamen. In certamine & armorum digladiatione, primum omnium eſſe loco conſiſtere, ſtationem in bello uocant: alterum, tueri locum ratione captum: tertium, hoſtem ſuſtinere. Simile eſt in actionibus. Etenim indicto litium bello, capit locum defenſor, aut coniecturam, aut definitionem, aut qualitatem. hæc prima ſtatio. Vt autem eum locum tueri poſſit, ratione firmat, tanquam foſſis & aggeribus: Ratio nominatur. Inſurgit aduerſarius, & omnia labefactare conatur: tum continens eſt, atque firmamẽtum: quia cominus pugnatur, manuſq; uelut prælio conferuntur. Hoc modo uerba, quorum ſtudioſiſſimus eſt, accommodauit: quod non ita multo poſt ſe diſtinguẽdi gratia feciſſe ſcribit. ut qui prouideret calumniatores nunquam defuturos, quiq; noſſet nimium multas de ſtatu rhetorum opiniones. Id meum de bello ſi cui minus arridet, permittat tamen me cum rudibus agere pingui Minerua. Status ergo Ciceroni prima congreſſio eſt: non feci, non hoc feci, iure feci. Si progrediare lõgius, rationem ſubijcies recuſationis tuæ, quæ nulla datur in coniectura, ſed negatio & inficiatio pro ratione habetur. In definitione ratio eſt, quòd non ſit in re, ut in priuata pecunia ſublata de ſacro, quòd ab aduerſario ponitur in uerbo, ut ſacrilegio. In qualitate ratio datur, quod æquitas id uelit. His gradibus ab intentione ad ſtatum, & à ſtatu ad rationem deuenitur, qua ui depulſor offirmat aciem. Quid faciat aduerſarius? Vniuſcuiuſque rationi opponendum eſt ab accuſatore, id quod ſi non eſſet in accuſatione, cauſa omnino eſſe non poſſet. hoc eſt, ratio rationi componenda, ut in aciem confertur acies. Accuſatoris hæc

ratio συνέχον dicitur, & continens, cauſaq́; firmamentum, ſine quo accuſatio ſtare non poteſt. Non ubique ſic utitur nomine cōtinentis atque firmamenti. In quo docuit nos nimis anxios eſſe de uerbis non oportere, ſi modo res intelligamus. Clodium occidiſti: intentio eſt, recte occidi: ſtatus, quia inſidiabatur inuia. ratio, Immo tu inſidiator eras, non Clodius: hic firmamentum continens, & συνέχον. An inſidiatus eſt Miloni Clodius? quæſtio eſt, quam diſceptationem uocat, & κρινόμενον, & iudicationem: quoniam ſumma eſt iudicij, totiusq́; diſceptationis. Ex his, quid ſibi Cicero uelit, facile eſt intelligere, quidque differant hæc uerba, intentio, ſtatus, ratio, continens, firmamentum, quæſtio diſceptationis, κρινόμενον, & iudicatio. Quinctilianus in tertio: Cicero, inquit, in Partitionibus oratorijs firmamentum appellat, quod opponitur defenſioni: quia continens, quod primum ſit, ab accuſatore dicatur: ratio, à reo: ex rationibus & firmamenti quæſtione, diſceptatio ſit iudicationum. NAM prima aduerſariorum contentio diffuſam habet quæſtionem, & cætera.] In iudicio duplex eſt quæſtio: altera diffuſa eſt, altera anguſta. Diffuſa naſcitur ex prima contentione, & ſtatu cauſæ: ut, Cepit'ne pecunias Decius? Quæſtio coniecturalis eſt ex hoc ſtatu, Cepiſti, non cepi. Minuit'ne maieſtatem Norbanus? ex hoc, Minuiſti maieſtatem, non minui. Iure'ne occidit Opimius Gracchum? ex hoc, Occidiſti, iure occidi. hæc quæſtio ex arguendo, id eſt accuſando, & reſiſtendo, hoc eſt depellendo, late funditur, quia nulla ratione adducitur in diſceptationis anguſtias. Anguſta quæſtio eſt diſceptatio, ſiue iudicatio ex rationis & firmamenti contentione, quæ rem propius attingit, minusq́; confuſa eſt. Nam quanto quid latius eſt, tanto confuſius: quanto anguſtius, tanto facilius euoluitur, ut quod uno certo genere defenſionis, certaq́; ratione conſtat. Hoc genus quæſtionis in coniectura non erit. Furtum feciſti, non feci. Feciſti'ne, quæſtio prima, & diſceptatio extrema. In definitione non item: Minuiſti maieſtatem, non minui. An minuit? prior eſt quæſtio, ſed à re longior, quia nondum propoſita eſt ratio defenſionis. Accede propius: Non minui maieſtatem, quia ſic agere me noluit maieſtas Populi Rom. quæ eſt magnitudo quædam popu. Rom. in eius poteſtate ac iure retinendo. Ex definitione maieſtatis refert accuſator, Maieſtatem minuit is, qui per uim multitudinis rem ad ſeditionem uocauit. Exiſtit & exoritur illa diſceptatio & quæſtio anguſtior, poſita ratione cum firmamento: Minuerit'ne maieſtatem Norbanus, qui uoluntate populi Romani rem gratam & æquam per uim egerit? Eſt igitur in his cauſis, quæ definiendo nomen accommodant, intentio, depulſio, ſtatus; quæſtio diffuſior, ratio, firmamentum, & quæſtio diſceptationis. Idem fit in qualitate: Occidiſti Gracchum, Iure quidem occidi. An iure occiderit, quæſtio eſt remota. Iure feci, conſeruandæ Reipublicæ cauſa: hæc ratio eſt. Refert aduerſarius: Ne ſceleratiſſimum quidem ciuem contra leges patriæ occidere potuiſti. Hoc firmamentum eſt. Oritur illa diſceptatio, id eſt iudicatio, Potuerit'ne ſalutis Reipublicæ cauſa ciuem euerſorem ciuitatis contra leges necare? Hinc tolle perſonas Opimij et Gracchi, quæſtio erit infinita, quæ conſultatio uocatur: Licet'ne pernicioſum ciuem contra leges necare Reipubli. cauſa? Cicero ſecundo de Oratore: Nam in ea ipſa cauſa de qua ante dixi, nihil pertinet ad oratoris locos Opimij perſona, nihil Decij: de ipſo enim uniuerſo genere infinita quæſtio eſt, num pœna uideatur eſſe afficiendus, qui ciuem ex Senatuſconſulto patriæ conſeruandæ cauſa interfecerit, cum id per leges non liceret? Gracchus ſeditioſo tribunatu acto, cum Auentinum armata multitudine occupauiſſet, à L. Opimio Conſule ex ſenatuſconſulto uocato ad arma populo pulſus interemptusq́; eſt. L. Opimius accuſatus eſt apud populum à Q. Decio Tribuno plebis etiam, quòd indemnatos ciues in carcerem conieciſſet. Decius autem accuſatus eſt, quòd contra leges pecunias accepiſſet.

Cicero ſecundo de Oratore: Quinetiam in ijs ipſis cauſis ubi de facto ambigitur, ceperit'ne contra leges pecunias P. Decius, argumenta & criminum & defenſionum reuocentur oportet ad genus, & ad naturam uniuerſam. Norbanus trib. pleb. turbulentas conciones habuit aduerſus Q. Cæpionem flagrantem inuidia, quòd à Cimbris proconſul uictus eſſet. Cæpio damnatus, bona publicata: Norbanus maieſtatis eſt accuſatus à Sulpitio, defenſus & liberatus ab Antonio. de qua defenſione multa Cicero ſecundo de Oratore. SED in grauiſſimis firmamentis & illa ponenda ſunt.] In rationali ſtatu quid eſſet continens, ſiue firmamentū, diſſeruit. Ex ordine ſcrutatur, poſſit'ne reperiri in ſtatu legali. Cenſet autem neque in coniecturam, neque in definitionē incidere firmamentū, ſi cauſa ſcripto continetur, ſed ſolum in qualitatem: ut, non eſt tua hæreditas: mea eſt: ſum enim ſcriptus hæres. Refert aduerſarius: Non eſt conditum lege teſtamentum: prodigus erat is qui teſtatus eſt, cui bonorum ſuorum adminiſtratio fuerat interdicta. Hoc eſt ex lege firmamentum. Hæreditatem retinere non potes. Poſſum, quoniam mihi uenit teſtamento legitimo. Atqui in eo teſtamento quo tu ſcriptus es hæres, ſcriptum eſt, ut ſtatuas in palæſtra ſtatuere debeas: nego autem ex teſtamēto eſſe poſitas. Hoc è teſtamento ducitur firmamentum. Non debuiſti me prehendere: immo debui, quoniam iudicatum erat, niſi perſoluiſſes mihi, ius prehenſionis eſſet. Tum alter, En tibi ſententia & iudicatum: Intra calendas Aprilis niſi perſolueris, ius in eo prehenſionis eſto. Hodierno die ſunt Idus Martiæ. Id firmamentum eſt, ex uerbis ipſius iudicij. Intentio eſt, Alimentum filio peto. Depulſio, Dare non debeo. Quid enim mihi cum filio tuo? Firmamentum ex ſtipulatione: Pro meis in te meritis, in omnem pueritiam eius alimentum daturum te ſpopondiſti. Eſt in manibus ſtipulatio. Stipulatio autem eſt obligatio, quæ cōtrahitur ex interrogatione atque reſponſione, qua quid dari fieri'ne nobis ſtipulamur. Firmamentum ex cautione, id eſt, promiſſione. Campanus ager meus eſt, inquit ueteranus ab agro delectus: Immo meus ex tabulis patris. tum ille: Sum ueteranus miles, cui Cæſar ille cuius acta defenditis, cum uellet eſſe cautum, mihi fundum aſſignauit. Hoc modo cadit in qualitatē legale firmamentum, non in coniecturam: quia quod factum negatur, id argui ſcripto non poteſt. Non etiam in definitionem genere ſcripti ipſius, hoc eſt, propter idipſum, quòd ſententia ſcripto continetur, id eſt, propter rem ſententiamq́; ſcripto comprehenſam: quia non ipſa res, ſed uerbi interpretatio controuerſiam parit. Nam ſi quid in ſcripto ambiguum eſt, id uerbis non ſatis eſt expreſſum. Quòd ſi in definitione agitur de facti appellatione, non ex uerbo quidem, ſed ex re quæritur appellatio. Neque proprium definitionis eſt, uerbum definire, ſed rem circumſcribere. Eſt enim definitio, quid res ſit, ſignificans oratio. Quid penus? quid ruta cæſa? Quintus Scæuola, auctore Gellio: Penus eſt, inquit, quod eſculentum aut potulentum eſt, hoc eſt, omne illud quod conditum eſt ad alimentum. De rutis cæſis Martius de Verborum ſignificationibus: In rutis, inquit, & cæſis ea ſunt quæ terra non tenentur, quæq́; opere ſtructili tectorio'ue non continentur. Ergo ruta cæſa in ædibus, ſunt fulcra, ſedes, ſcrinia, armaria, & ſimilia: quæ ſi tollas, ſolidæ manent ædes. In agris ruta ſunt, arena, creta, lapides, metalla, & ſi qua eiuſmodi ſunt eruta. Cæſa uero, arbores cæſæ, herbæ ſegetes. Prædia ſunt domus & agri, quæ dicuntur bona immobilia. Lex prædij, quæ eſt de prædij mancipio & poſſeſſione. In ſtatu legali firmamentum ſolum cadit in qualitatem. Tres autem hic facit ſtatus legales. unum in ambiguitate, alterum in ſcripto & ſententia: tertium in contrarijs legibus. In primo ſic conſtituit firmamenti quæſtionem, cum plura ſignificantur ſcripto propter uerbi aut uerborum ambiguitatem, ut liceat ei qui contradicat, eo trahere ſignificationem ſcripti, quò expediat, aut uelit.

uelit. Tum diſceptatio, id eſt, quæſtio quæ à ratione & firmamento naſcitur, ex ſcripti contentione exiſtit, hoc eſt oritur, quid in ambiguis maxime ſignificetur: ut teſtamentum eſt, Hæres meus uxori meæ det argenti, quod elegerit, pondo centum. Debeo, inquit uxor, eligere. Imo ego, inquit hæres: mea eſt hæreditas. Tum illa, Fruſtra ſcripſiſſet, quod elegerit, ſi mihi non detur eligendi facultas. Hoc firmamentum eſt. Tum diſceptatio & quæſtio, quo pertinent hæc ambigua uerba, Quod elegerit. In altero ſtatu cum liceat à uerbis uoluntatem & ſententiam ſcriptoris abducere, diſceptatio et quæſtio eſt, utrum potius ſequatur iudex: ut lex eſt, Fur quadruplum ſoluat. Duo ſurripuerunt pariter decem millia. Petuntur ab utroque quadragena, offerunt illi uigena. A' ſingulis peto quadragena, inquit is unde ſublatum eſt. Damus, inquiunt ſinguli uigena, ut ſit tibi quadruplum, quia lex non habet ut exigas octuplum. Tum ille, uerba ſunt legis: Fur quadruplum ſoluat. hoc firmamentum eſt, poſtea diſceptatio: utrum potius ſequatur iudex, ſcriptum'ne, an uoluntatem. Quintilianus ponit hoc exemplum libro ſeptimo de ſtatu ex ſcripto & uoluntate. Inuentus eſt tamen qui diceret abſurdum. In tertio ſtatu, cum alio ſe eadem de re contrarie ſcripto defendere licet, quæſtio eſt, utrum magis ſit probandum: ut in hac controuerſia: Rapta uitam necem'ue raptoris optet. Duæ ſunt ab eodem raptæ: altera uitam optat, mortem altera. Quæſtio eſt, utrum magis ſit probandum.

DISCEPTATIO autem cum eſt conſtituta, propoſita eſſe debet oratori.] Poſteaquam diſceptatio eſt cóſtituta, hoc eſt, extrema quæſtio ex conflictione litigantium reperta: ea propoſita eſſe debet oratori tanquam ſcopus, et finis, & ſumma quædam, quo conijciantur, id eſt, referantur argumentationes. Ea eſt enim quæſtio, de qua iudices pronunciare debent, & inde iudicatio nominatur. Fuit qui ſubſcriberet in me, quia dixiſſem, de qua iudices pronunciant, non propter quam. Quintilianus ita locutus eſt ad finem tertij libri. Ita, inquit, iudicatio maxime propria, de qua pronunciatur. Argumentationes, autem ſumuntur ex inueniendi locis, quos ante numerauit: ut ex definitione, notatione', genere, ac cæteris. Hoc ſatis eſt ei qui uidet ex arte & exercitatione quid in quoque loco lateat, quiq; locos tanquam theſauros in quibus condita lateant argumenta, notatos ac ſignatos habet. Sed illi quoniam ſunt ampliores loci, non ſtatim quæ continentur oſtendunt: quáobrem non inutile eſt eorum partes propius aſſignare, ut è locis communibus et proprijs, facilius eruantur argumenta. proprij dicuntur hic loci, non ij qui uni tantum cauſæ ſubſeruiunt, ſed qui certis cauſis, ut coniecturalibus, argumenta ſubminiſtrant.

IN coniectura igitur, cũ eſt in inficiando reus, accuſatori hæc duo prima ſunt.] Accuſatio, eſt criminum; petitio, rerum debitarum. Hic tamen accuſatio pro actione criminum, & petitione rerum uſurpatur. nec enim tantum controuerſiarum genera uerſantur in accuſatione, ſed etiam in petitione & inficiatione reperiuntur. In coniectura cum eſt in inficiendo reus, factumq; negat, accuſatori duo prima ſunt uidenda, cauſa, & euentus. Nam quia factum probare contendit, & ſine cauſa nihil omnium ſuſcipitur, à cauſis ordiendum eſt, unde ſequatur is effectus, quo tendit omnis oratoris accuſatio. Cicero pro Sexto Roſcio: Sic uita hominum eſt, ut ad maleficium nemo conetur ſine ſpe atque emolumento accedere. Cauſam definit efficiendi rationem, ut quidquid impulit ad id efficiendum quod arguitur. Euentum uocat effectum, quod antea monueramus. Præcepta cauſarum & euentuũ, deliberationis & coniecturæ ſunt communia: quia quemadmodum ſuaſor oſtendit & utile, & effici poſſe quod agit: ſic etiam qui coniecturam capit, & utile ei quem arguit fuiſſe, & ab eo effici potuiſſe demonſtrat. Vtilitas oſtenditur à ſpe bonorum, & malorum metu, ut pro Milone: Quo'nam igitur pacto probari poteſt inſidias Miloni feciſſe Clodium? Satis eſt quidem in illa tam audaci, tam nefaria bellua docere, magnam ei cauſam, magnam ſpem in Milonis morte propoſitam, magnas utilitates fuiſſe. Itaque illud Caſſianũ: Cui bono fuerit, in his perſonis ualeat: & quæ ſequuntur. Cauſæ ſunt, ira recens, odium uetus, ulciſcendi ſtudium, iniuria dolor: ut in eadem oratione: At ualuit odium, fecit iratus, fecit inimicus, fuit ultor iniuriæ, punitor doloris ſui. Quid ſi hæc non dico, maiora fuerunt in Clodio quàm in Milone, ſed in illo maxima, nulla in hoc? quid uultis amplius? Item honor in rebus, gloria in uerbis, imperium, id eſt, principatus omnis ut hic ſumitur, periculi timor, æs alienum uel fœnore uel alia ratione debitum, anguſtiæ & tenuitates rei familiaris, audacia, leuitas, crudelitas, impotentia animi, imprudentia, inſipientia, amor, animi commotio, uinolentia, ſpes efficiendi, opinio celandi, ratio defendendi criminis, ſpes maioris præmij, aut uoluptatis. Pro Sexto Roſcio: Quid ſi accedit eodem, ut tenuis antea fueris? quid ſi ut auarus? quid ſi ut audax? quid ſi ut illius qui occiſus eſt, inimiciſſimus? Idem pro Cælio: Poſſum omnes latebras ſuſpicionum peragrare dicendo. Non cauſa, non locus, non facultas, nó conſcius, non perficiendi, nó occultandi maleficij ſpes, non ratio ulla, non ueſtigium maximi facinoris reperietur. Sed hæc, quæ ſunt oratoris propria, breuitatis cauſa relinquo omnia. Hactenus Cicero. Quid hæc & ſimilia poſſint in animis mortalium, diſces ab Ariſtotele in 2. lib. Rhetoric. Exempla multa citare poſſumus, ſed aperuiſſe uiam in tanta rerum frequentia, ſatius eſt, quàm dum mouentur omnia properantem expectatione cruciare. De cauſis breuius Quintil. Proxima eſt, inquit, ex cauſis probatio, in quibus hæc maxime ſpectantur, ira, odium, metus, cupiditas, ſpes. nam reliqua in has ſpecies cadunt: quorum ſi quid in reum conueniet, accuſatoris eſt efficere ad quid faciendum cauſæ ualere uideantur, eaſq; quas in argumentum ſumet, augere. Cicero rem late patentem cogit in anguſtum, ſuſpicionem facti duobus argui, uoluntate & facultate. Quintilianus tria ponit: Is eſt ordo, inquit, ut facere uoluerit, potuerit, fecerit. Quæſtio, an fecerit, incipit à ſecundo tempore, id eſt, præſenti, ac deinde coniuncto, hoc eſt, inſequenti: quorum ſunt ſonus, clamor, gemitus, latitatio, metus, ſimilia. Hæc ille. Voluntatem inducit utilitas. Ea duplex: una eſt ex adeptione commodi, ut hæreditatis; altera ex uitatione incommodi, ut ignominiæ. In illa ſpes, in hac metus poſitus eſt. Reliqua genera cauſarum pertinent aut ad uoluptatem, aut ad ægritudinem. In utraque ſunt repentini motus animi, quales in amore & dolore.

Teneo: & quæro qui ſint illi euentus, quos ex cauſis effici dixiſti.] Coniectura ſpectat cauſas & euentus. Euentus ante definiuit effecta: declarat hic apertius, euentus eſſe conſequentia quædam ſigna præteriti, & quaſi impreſſa facti ueſtigia, & quaſi tacita criminum teſtimonia. Hæc cum ſint aut ante factum, aut cum facto, aut poſt factum, ut poſtea tradit, non eo conſequentia dicuntur, quod poſt factum eueniant, ſed quod ſint adiuncta facto, & ἀκόλουθα, & quodámodo cohærentia. Sic enim Quintilianus in quinto conſequentia interpretatur. Cicero tamen uidetur aliud ſentire, cum dicit, eſſe conſequentia quædam ſigna præteriti, & impreſſa facti ueſtigia. Quod ſi accipias, ut quadrabit illud quod poſtea dicit? Hæc, inquit, & talia ſunt, quæ aut in re ipſa, aut etiá antequam factum eſt, aut poſtea, ſuſpicioſum crimen efficiant. Certe ſigna ſunt præteriti ſæpius, & facti ueſtigia, ſed etiam futuri: ut apparatus armorum, properatioq;, ſignum eſt futuræ cædis: & oſculum adulterij. ſed accepit id quod frequenter, non quod, ſemper euenit. Nam ſignorum multa factum ſequuntur, tanquam ueſtigium pedem. ſi qua uero factum præueniunt, cauſam ſubſequuntur. Illa antepoſuit aut ut frequentia, aut ut certiora: hæc tandem uoluit annexo. Nec ualet, ſi dicas indicium eſſe præteriti. Accuſatoris eſt uidere quæ ante

rem facta ſint quæ ſigna anteceſſerint, ut facilius inducat ad id quod erat futurum. Talia & ſi in iudicio præterita ſunt, tamen ſua natura ſunt rei futura, quoniam factum antecedunt. Signa ſunt in arguendo grauiora cauſis: quia cauſæ communiter, ſigna uero proprie attingunt eos ipſos qui arguuntur. Omnibus ferè propoſita eſt cauſa peccandi, ſed pauci ſunt maleficij ſignorumq; ueſtigio notati. Signa enumerat: telũ, quod in hoſtem uel inimicum mitti ſolet: ueſtigium, notam pedum: cruorem, ſanguinem fuſum: deprehenſum aliquid, ut enſem, ueſtem. pecuniam: reſponſum inconſtanter, cum poſteriora diſſentiunt prioribus, ut fit in animi perturbatione: hæſitatum, lingua atque ſermone, ut in metu: titubatum, uacillante gradu præ timore: uiſum eſſe cum aliquo ſuſpecto, ut ſicario, latrone, homine facinoroſo: uiſum eo ipſo in loco, in quo facinus eſt commiſſum, ut in ædibus, unde pecunia ſublata eſt: pallorem, metus indicium: tremorem corporis, ex animo conſternato: ſcriptum aut obſignatum quippiam, ut literas Lentuli in cõiuratione Catilinæ: depoſitum quippiam, ut arma cuſtodiæ tradita. Ex his collige, à cauſis & facta et ſigna deriuari. Quæ ſi nõ erunt, tamen cauſis ipſis, & efficiendi facultatibus niti oportebit.] Si non erunt ſigna, factiq; ueſtigia, quod aliquando contingit aſtute peccantibus, tum cauſis utilitatem monſtrantibus, & efficiendi facultatibus niti oportebit, ut quia utile putaret, & facere poſſet, feciſſe dicatur. Ad probationem utendum eſt loco cõmuni, non fuiſſe tam amentem eum qui arguitur, ac conſilio deſtitutum, ut indicia facti, id eſt ſigna, locumq; crimini relinqueret. ut Erucius, qui Sextum Roſcium accuſauit, cauſam affert paternæ cædis, odium patris in filiũ: uult eam utilem fuiſſe Roſcio filio, quòd hoc modo uitaret exhæredationem. Efficiendi facultate nititur, quia tum multi ſicarij impune graſſabantur. Signa ſunt admodum pauca, ut nunquam eſſe cũ patre, nunquam in conuiuium uocari. Vtatur hic & loco communi, in tam multis ſicarijs, tempore nocturno, alieno in loco indicia facti nulla reliquiſſe Roſcium, præter corpus exanime. Quo quidem præſidio, quoniam infirmum eſt, non temere nitatur Cicero, qui hanc Erucij nimium debilem putat accuſationem. Ne quis igitur hoc genus accuſandi firmum putaret, oppoſuit quod ex altera parte dicatur, facere periculoſe, eſſe audaciæ: indicia facti occultare, eſſe prudentiæ: audaciam & prudentiam non poſſe coniungi. Vt ſit autem audacia cum temeritate coniuncta, pro Cluentio dicit: Hi qui ad fraudem callidi ſunt, non tantum audent, quantum excogitant: illi quorum eminet audacia, atque proiecta eſt, à conſilijs malitiæ deſeruntur. Quod ſi aut confidens aſtutia, aut callida eſſet audacia, uix ullo obſiſti modo poſſet. Alter eſt accuſatori locus communis, non tam ad probandum, quàm ad augendum, non eſſe expectandum dum fateatur crimen is qui arguitur, quoniam non ſola confeſſione, ſed etiam argumentis peccata conuincuntur. Et hic etiã exempla ponentur: Expectatis iudices dum Verres crimen fateatur? in manifeſto peccato tenetur, argumenta ſunt in eum luce clariora. ſic habent ſe tabulæ, ut uidetis. quid expectatis? quid quæritis amplius? tu ipſe Verres quid ſedes? quid moraris? Cum M. Scaurus à Cn. Dolabella uexatam Aſiam planũ feciſſet, iudices reum pertinaciter inficiantem damnare non dubitauerunt. SIN autem erit etiam teſtium facultas.] De toto genere teſtimoniorũ præcepta tradidit. Nunc autem quantum attinet ad cõiecturalem accuſationem, præcepta ſubnectit. Primum genus erit ipſum laudandũ, quod ſubinde facit in Verrem, ut laudet totas ciuitates, & earum decreta. Laudantur & ſinguli teſtes. Idem in eadem accuſatione: Quo me igitur uertam? rem tam improbam, crimen tantæ audaciæ, tantæq; impudentiæ, propter inopiam teſtium ac literarum prætermittam? Non faciam, iudices: utar teſte. quo? P. Vectio Chilone, homine equeſtris ordinis honeſtiſſimo, atque ornatiſſimo: qui iſti ita amicus & neceſſarius eſt, ut etiam ſi uir bonus non eſſet, tamen quod contra iſtum diceret, graue uideretur. Ita uir bonus eſt, ut etiam ſi inimiciſſimus iſti eſſet, tamen eius teſtimonio credi oporteret. Dicendũ præterea, ne argumẽtis teneretur reus, ipſum ſua cautione, hoc eſt, calliditate feciſſe: ut Cicero, Verrem ſuſtuliſſe literas publicanorum queritur. Sed, inquit, habeo ex ijs qui affuerunt, quos producam, homines honeſtiſſimos ac locupletiſſimos, iſtos principes equeſtris ordinis. Deinde argumento, ut ſæpe fallaci, non eſſe credendum dici poteſt: uiro bono & firmo ſemper eſſe credendum. Tale ferè eſt quod pro Cælio dicit, argumenta oratoris propria ſe relinquere, quòd habeat L. Lucceium grauiſſimum hominem, & ſanctiſſimum teſtem, qui tantum facinus in famam atque fortunas ſuas neque non audiſſet illatum à Cælio, neque neglexiſſet, neque tuliſſet. Hoc quidem exemplum in defenſione eſt, ſed nihil refert. At argumento firmo cur non creditur? ſi firmum, ut ſæpe falſum eſt? Non dicit argumentum firmum, quod eſt neceſſarium & certum, ſed quod eſt ualde probabile. Multa ſunt autem falſa probabiliora ueris. Deinde fieri poteſt ut argumentum firmum non aſſequatur fidem eorum qui uel non intelligunt, uel pertinaciter obſiſtunt, uel pecunia aut gratia corrupti deſſiciunt. Ad hæc ſi obſcuri teſtes erunt genere, nomine, & fama, aut tenues paupertate & inopia, dicendum erit, nõ eſſe ex fortuna, hoc eſt, ex fortunæ bonis, fidem ponderandam. Vir eſt haud magna cum re, ſed fidei plenus. Dicendum, teſtes eſſe uiros bonos, & id, de quo agitur, facile ſcire poſſe. Hoc tamen uidetur accuſatori minus conuenire in oratione perpetua, cum teſtibus datur auctoritas, quàm in altercatione cum teſtes interrogantur. Certe fecit ipſe dicendo, ſuos teſtes ornatiſſimos et ampliſſimos uideri. SIN quæſtiones habitæ, aut poſtulatio ut habeantur, cauſam adiuuabunt.] De quæſtionibus & tormentis alio loco dictum eſt. Quæſtiones aut habitæ ſunt ante accuſationem, aut in accuſatione poſtulantur. Quæſtiones ſolitæ ſunt poſtulari. Oſtendit Cicero in oratione pro Sexto Roſcio: Te nunc appello P. Scipio, te Metelle: uobis aduocatis, uobis agentibus aliquoties duos ſeruos paternos in quæſtionem ab aduerſarijs Sextus Roſcius poſtulauit: etiam nunc ut ex his quæratur poſtulo. Has ferè cõfirmat accuſator, tum à re ipſa, quòd uis doloris extorqueat ueritatem: tum ab opinione maiorum, qui id genus inquirendi nõ repudiarunt. Accedunt exempla populorum, ut Athenienſiũ atque Rhodiorum, qui non ſeruos modo, ut Romani, ſed etiam liberos ciuesq; torquent. quod non facerent, ſi quæſtionem inutilem Reipub. putarent. Liberum caput Romani torqueri noluerunt, ſed ne ſeruos quidem in dominorum caput torſerunt, niſi de inceſtu, & coniuratione. Martianus: Si quis uiduam uel alij nuptam cognatam, cum qua nuptias contrahere non poteſt, corruperit, in inſulam deportandus eſt, quia duplex crimen eſt: inceſtum, quia cognatam uiolauit contra fas: & adulterium uel ſtuprum adiungit. Denique hoc caſu ſerui in perſonam domini torquentur. Hæc ille: In eodem titulo edictũ eſt Auguſti: Quæſtiones neque ſemper, neque in omni cauſa & perſona deſiderari debere arbitror, ſed cum capitalia & atrociora maleficia nõ aliter explorari et inueſtigari poſſunt, quàm per ſeruorum quæſtiones. In coniuratione Catilinæ, de ſeruis in dominos quæſitum eſt, propter ſceleris atrocitatem. Diſputatio eſt ante tradita, qua ſolent uti ad infirmandas quæſtiones, cum dicunt plurimos ementiri aut dolore corporis adductos, aut ſuorum charitate, aut metu ſupplicij, aut odio inimicorum. Hæc, inquit, irridenda diſputatio eſt, puerilisq; dicenda. Poſtremo utendum erit argumentis ad ea probanda, quæ quis in quæſtione dixerit, credibilia eſſe quæ dixerit, inter ſe conſtantia, ſignis notata, rumoribus iactata: cõuenire tempori, loco, rei, perſonæ. DEFENSIONIS autem, primum infirmatio cauſæ.] Defenſionis argumenta ducuntur è contrarijs locis. Loci ſunt

cauſe. facultates,conſequentia, teſtimonia . Tum conſtabit firma defenſio,ſi criminis idonea cauſa nulla reperietur,nulle efficiendi facultates,nulla ſigna, nulla teſtimonia . Dicendum igitur , cauſas non fuiſſe . Quid odiſſet Clodium Milo,ſegetem ac materiem ſue glorie ? Non modo nihil prodeſt, ſed obeſt etiam P. Clodij mors Miloni . Aut non tantas fuiſſe. Clodio magna cauſa, magna ſpes in Milonis morte propoſita erat . In Milone non modo non tantas , quantas in Clodio, ſed nullas occidendi Miloni cauſas fuiſſe dicit , aut non ſibi ſoli . Cauſam tu nullam reperiebas in Sexto Roſcio, at ego in Tito Roſcio reperio . Aut commodius idem potuiſſe conſequi . Potuit'ne ciue egregio & uiro fortiſſimo P. Seſtio collega ſuo uulnerato? Quem cum omnium gratia noluit,hunc uoluit cum aliquorum querela occidere ? Aut non his eſſe moribus, non ea uita . Reliquum eſt, ut iam illum natura ipſius conſuetudoq; defendat, hunc autem hec eadem coarguant . Nihil per uim unquam Clodius,omnia per uim Milo . Aut nullos animi motus, aut non tam impotentes fuiſſe. Quid ſimile Milonis? cuius uis omnis hec ſemper fuit, ne P. Clodius cum in iudicium detrahi non poſſet,ui oppreſſam ciuitatem tenere poſſet. Facultatum infirmatione utetur,ſi aut uires,aut animum, aut copias abfuiſſe demonſtrat . Alter uehebatur in rheda penulatus, una ſedebat uxor . quid horum non impeditiſſimum ? ueſtitus,an uehiculum,an comes? quid minus promptum ad pugnam ? Deinde comparat Clodianas facultates . Aut alienum tempus . Quid ſi, ut ille ſciuit Milonem fore eo die in uia , ſic Clodium Milo ne ſuſpicari quidem potuit ? Aut locum non idoneum . Videamus nunc, id quod caput eſt, locus ad inſidias ille ipſe ubi congreſſi ſunt , utri tandem fuerit aptior &c . Aut multos arbitros , quorum crederet nemini . Patrem Sextus Roſcius occidit : quero , quomodo occidit ? ipſe percuſſit,an alijs occidendum dedit? Si ipſum arguis,Rome nõ fuit . ſi per alios feciſſe dicis,quero, ſeruos'ne, an liberos ? quos homines ? indidem'ne Ameria ? an hoſce ex urbe ſicarios ? Si Amerie,qui ſunt hi ? cur non nominantur? ſi Rome,unde eos nouerat Roſcius ? qui Romam multis annis non uenit , neque unquam plus triduo fuit . Vbi eos conuenit ? quicum locutus eſt ? quomodo perſuaſit ? pretium dedit ? cui dedit ? per quem dedit ? unde , aut quantum dedit ? Non'ne his ueſtigijs ad caput maleficij peruenire ſoles ? Confirmat arbitros quidem non defuturos , ſed quibus non crederet Roſcius . Conſequentia ut hoc loco ſumuntur , ferè ſigna ſunt,que,auctore Fabio, ſi neceſſaria ſunt, ſoluunt queſtionem : ſi non neceſſaria , ad tollendã dubitationem ſola non ſufficiunt, tamen adiuncta ceteris plurimum ualent . Conſtat autem Ciceronem euentus appellare nomine conſequentium : conſequentia nominare indicia , non ea ſemper que neceſſaria ſunt, ſed que ferè eueniunt . Conſequentia tamen collecta, efficiunt argumentum penè neceſſariũ. Ad ea diluenda ſumes propoſitionem hanc, non eſſe illa certa indicia facti . rationem afferes,quia nullo admiſſo, nulloq; peccato conſequi poſſunt . quod in ſingulis probandum eſt . Cicero pro Roſcio : Nam illa,opinor , tu quoque concedis leuia eſſe atque inepta . Conuiuia cum patre non inibat, quippe qui ne in oppidum quidem niſi perraro ueniret . Domum ſuam iſtum non ferè quiſquam uocabat : nec mirum , qui neque in urbe uiueret, neque rure uocaturus eſſet. Verum hec quoque tu intelligis eſſe nugatoria . Conſequentia poſſunt alio conferri , ut ad ea que nos eſſe facta dicemus : ut ſi pallorem referamus ad morbum, cruorem ad profluuij conſuetudinem . Aliquando cum accuſatore communia eſſe dicuntur,& idcirco ualere debere pro periculo,non contra ſalutem : hoc eſt,eo pertinere,ut caueamus periculum, non ipſi iudicio opprimamur . aut pro periculo ualere debent indicia,id eſt accuſatori periculum faceſſere . In teſtes dicit ipſe pro Flacco grauiter & copioſe , in queſtiones pro Milone . HARVM cauſarum principia ſuſpicioſa ad acerbitatem ab accuſatore ponentur .] Partium ratio ſic habet in coniectura . Principia ſiue proœmia ſuſpicioſa ad acerbitatem, hoc eſt, ſuſpicionum plena , ponentur ab accuſatore , ut acerbe pugnent in reum eiuſmodi coniectura,& iacta criminum ſignificationes : denunciabiturq; inſidiarum commune multorũ periculum . tale eſt principium in Verrem : Neminem ueſtrũ ignorare arbitror iudices . Hic ſuſpiciones acerbe tum in Verrem , tum in iudices : hic commune multorum periculum . Accuſatoris eſt enim exacerbare iudices,& ſic augere crimen,ut Reip. periculoſum eſſe uideatur . A' reo querela conflati criminis, collectarumq; ſuſpicionũ,& accuſatoris inſidie proferentur. quod in Chryſogonum facit Cicero pro Roſcio , & tandem colligit : His de rebus tantis,tamq; atrocibus,neque ſatis me commode dicere, neque ſatis grauiter conqueri, neque ſatis liberè uociferari poſſe intelligo . Et item commune periculum proferetur. In eadem oratione : Hoc cogitetis , niſi in hac cauſa qui ueſter animus ſit oſtendetis,eo prorumpere hominum cupiditatem, & ſcelus & audaciam, ut non modo clãm, uerum etiam hic in foro ante tribunal tuum M. Fanni, ante pedes ueſtros iudices, inter ipſa ſubſellia cedes future ſint . Animiq; ad miſericordiam allicientur : & modice,hoc eſt,iuſta moderatione,beneuolentia iudicum colligetur , in peroratione uehementer imploranda . In eadem oratione : Quapropter uos oro atque obſecro iudices , ut attente, bonaq; cũ uenia uerba mea audiatis . Fide ſapientiaq; ueſtra fretus plus oneris ſuſtuli , quàm ferre me poſſe intelligo . adde que ſequuntur . Narratio autem accuſatoris erit quaſi membratim geſti negotij ſuſpicioſa explicatio . Nam membra narrationi quàm periodo conuenientiora ſunt , quia pauciora breuioraq; facilius animo comprehenduntur, & ſepius ad aſperitatem ſenſum feriunt . Membratim referre poſſis ad res que ſingula ex ordine narrantur . Cum loquor de modo uerborũ , rem ſubiectam minime excludo. Verba ſunt conceptionum animi note . Suſpiciones autem ſunt argumenta cõiecturalia,que interijciuntur ad ſuſpicionem criminis,qualia ſunt infinita propè Ciceronis in Verrem : ut, Iſte homo omnium equiſſimus,atque à cupitate remotiſſimus, ſe cogniturũ eſſe confirmat . Hinc due ſuſpiciones, Sthenium innocentem à Verre damnatum iri, quòd Verres iniquiſſimus eſſet,& percupidus, quodq; ipſe cõtra legem Rupiliam de re uellet cognoſcere . Facile eſt talia reperire . Defenſiones obſcurantur, cum id quod referre poſſet aduerſarius,animo prouidentes,iactis argumentorum telis obruimus : quod in eadem de Sthenio narratione facit. Narratio defenſoris aut preterit ſuſpicionis argumenta : aut ſi preterire non poteſt,nec bonum eſt,ueluti tenebris quibuſdam obſcurat . Cicero, qui negare non poſſet odium Cluentij in matrem, & diſceſſionem ab ea,his nubibus obtexit : Tulit hoc commune dedecus tã familie,cognationis, nominis, grauiter filius . Augebatur autẽ eius moleſtia quotidianis querimonijs , & aſſiduo fletu ſororis . Statuit tamen nihil ſibi in tantis iniurijs , ac tanto ſcelere matris, grauius faciendum , quàm ut illa matre ne uteretur : ne quam uidere ſine ſummo animi dolore non poterat,ea ſi matre uteretur,non ſolum uidere, ſed etiam probare ſuo iudicio putaretur . Deinde quid euenerit, quid inciderit, hoc eſt euentus cauſiq; narrat, ad utilitatem ſui litigatoris . In confirmatione ſepius accuſator motus animorum incitat . Hinc amplificationes ille creberrime in Verrem. Reus autem mitigat,ut ipſe pro Celio miris modis obiectum impudicitie crimen attenuat , & eius inuidiam tollit . In peroratione utetur accuſator frequentatione argumentorum,& coaceruatione uniuerſa,hoc eſt,enumeratione confirmationum,ut Cicero ſeptima in Verrem . Defenſor ſi cauſam explicarit,hoc eſt, ſi copioſe tractauerit,utetur enumeratione,& miſeratione ad extremum . utrunque facit ipſe pro Cluentio. SCIRE mihi iam uideor quemadmodum coniectura tractanda ſit.] In definitione cõmunia dantur accu=

ſatori defenſoriq́; præcepta, ſi non omnia (nam & ipſe ſeiungit) tamen ipſa permulta. Vterque definit, uterque definitionem ſuam confirmat, et alterius infirmat, uterque nititur æquitate, uterque tractat ſimilia, cōtraria, conſequentia. Vter autem definiendo uerbo breuiter et circumſcripte, aut deſcribendo fuſe lateq́;, magis ad ſenſum iudicis, hoc eſt, ad opinionem mētemq́; penetrarit, & uter ad communem uerbi uim, qua ferè utuntur omnes, et ad præceptionem, hoc eſt, conceptam intelligendi rationem, quam inchoatam habebunt in animis ij qui audient, magis & propius acceſſerit, is uincat neceſſe eſt. Nam ſumma diſputationis huius in definitione, eiuſq́; explicatione poſita eſt. Non enim argumentando, crebriſq́; enthymematis & epicherematis hoc genus tractatur, ut coniectura, & qualitas: quanquam etiam recipit argumenta: ſed tanquam explicando excutiendoq́; uerbo, eiuſq́; uim aperte monſtrando, quod eſt argumentationum loco. Id quale ſit, demonſtrat exemplo. Qui reus eſſet ambitus, pecuniaq́; iudicium corrupiſſet, abſolutus eſt. Accuſator ægre ferens ſibi cauſam eripi, defert iterum nomen eius de præuaricatione, corruptoq́; iudicio. Reus negat eſſe præuaricationem, quā dicit accuſator, ſi iudices à ſe de re iudicanda ceperint pecuniam: eaq́; lege negat ſe teneri. Quæritur quid ſit præuaricatio. definit accuſator: Præuaricatio eſt, omnis iudicij corruptela ab reo, quomodocunque reus iudiciū damnationemq́; uitarit, ſiue accuſatore corrupto, ſiue iudicibus, contendit accuſator eſſe præuaricationem. Defenſor autem definit hoc modo. Præuaricatio eſt accuſatoris corruptela ab reo. Accuſatorem autem, quòd ipſe fateatur, negat eſſe corruptum. Hæc prima de uerbo contentio, in qua propius accedit ad conſuetudinem, mentemq́; ſermonis, hoc eſt, ad communem loquendi conſuetudinem, defenſoris illa definitio. nam præuaricatores proprie nominantur accuſatores ſubornati, qui prodita ſua cauſa aduerſam iuuant partem, & relicta uera criminum probatione, cum reo colludunt. Quid hic accuſator? Quia ſtare uerbo non poteſt, ſententia legis nititur: uoluiſſe legiſlatorem, ſi unus accuſator corruptus eſſet, iudicium reſcindi: multo magis irritum fieri, ſi totum corruptū fuiſſet. Deinde nititur æquitate. Aequū eſſe legem ſic interpretari, quæ de accuſatore quidem præuaricāte ſcripta eſſet, ſed comprehenderet uerbo uno præuaricationis, quæcunque complecteretur in iudicijs corruptis, hoc eſt, omnem iudicij corruptelam ab reo. Defenſor, quoniam agitur de ſcripto & uoluntate, & magis ſcripto iuuatur quàm ſententia, teſtatur loquendi conſuetudinem: ſic omnes loqui ſolere, ut præuaricationem uſurpent accuſatoris corruptelam ab reo. Deinde utitur argumento à contrario, ad inueniendam uerbi ſignificationem, hoc modo: Si quo in iudicio uerus eſt accuſator, qui ab officij præſcripto neque aberrat, neque uarie fluctuat, etiam ſi pecunia inter iudices uerſata eſt, nunquam tamen præuaricatio nominatur: contra in quo uariat accuſator, ueramq́; prætermittit accuſationem, in eo dicitur præuaricatio: dubitare poſſumus, ad quem hoc nomen pertineat? Si uolet, ducet argumentum ex conſequentibus, hoc modo: Si præuaricatio eſt omnis iudicij corruptela ab reo, tabella quidem de omnibus corruptoribus datur iudici. Non de omnibus autem, uerum de accuſatore litera dari ſolet. præuaricatio igitur unius eſt accuſatoris. Conſequentia ſunt, in iudicio præuaricationis literam de uno accuſatore dari, & unum accuſatorem præuaricari. Notum eſt tabellas, in iiſq́; literas aut abſolutionis, ut A, aut damnationis, ut C, aut ampliationis, ut N. L. ſolitas dari iudicibus: quarū miſſione in urnam, ſententiæ colligebantur. An non ſignificat eiuſmodi literam, ſed eam quæ calumniatoribus affigebatur? illam dicit accuſatoribus inimicam, in oratione pro Sexto Roſcio: Si ego hos bene noui, literam illam cui uos uſque eo inimici eſtis, ut etiam eas omnes oderitis, ita uehementer ad caput affigent, ut poſtea neminem alium, niſi fortunas ueſtras, accuſare poſſitis. Hæc imprimebatur fronti ignominiæ ſignum. Ad hæc utetur argumento ex notatione & ui nominis, hoc modo: Quis eſt præuaricator, niſi qui in contrarijs cauſis quaſi uarie poſitus eſt? quod accuſatoris unius eſſe quis non intelligit, cum ſecundū alteram partem pronunciet iudex, ſolus accuſator diuariare poſſit? Iam poſita ſunt defenſori quatuor argumentandi genera: ex conſuetudine, ex contrarijs, ex conſequentibus, ex notatione. Quintum genus eſt, ex æquitate. Sextum ex auctoritate rerū iudicatarū, & ex fine aliquo periculi, id eſt ex eo periculo quod impendet à præuaricatione. Septimum commune eſt, à ſimilibus & exemplis. Dicet enim æquum eſſe, grauius in accuſatorem animaduerti, qui cauſam receperit, fidem dederit, iudices cluſerit, omnia ſubuerterit: quo ſtante, & officium fidemq́; præſtante, iudex errare non poſſit. Si quos nouerit damnatos, pronunciabit: ad quem finem tendat præuaricandi periculum, oratione monſtrabit. Vtetur & ſimilibus, & exemplis: quod in oratione pro Cecinna frequens eſt, in qua agitur de ſcripto & ſententia ad explicandā ſponſionem: ut, Si quis me exire domo coegiſſet armis, haberem actionem: ſi quis introire prohibuiſſet, non haberem? Quoniam autem accuſator in hac controuerſia, ſententia legis nititur, hoc dicet minime eſſe concedendum, ut is qui de re confiteatur, & conſentiat omnem iudicij corruptelam eſſe legibus perſequendam, uerbi ſe interpretatione defendat: quod ipſe uehementer agitat in oratione pro Cecinna, Ridiculum uideri, unius literæ momento peruerti iudicium: Non deieci, ſed eieci. Hic defenſor etiam æquitate nititur, tanquam æquitate repellat iniquitatem. Mecum, inquit, facit æquitas, meq́; iuuat: tu uero æquitate poſthabita, unius uerbi deprauatione atque contorta interpretatione, iudicium inuertere contendis. Quo in genere percenſere poterit pleroſque inueniendi locos.] Si defenſor in hoc genere percenſere, id eſt ordine recognoſcere poterit pleroſque inueniendi locos, cur antea dicebat non argumentando hoc tractari genus? Deinde quid repetit eos locos, qui paulo ante aſſignati fuerunt? Dicendum puto, definiendi genus explicando magis quàm argumentando confici, argumenta recipere tamen ad confirmandam definitionem, à ſimilibus, à contrarijs, à conſequentibus. quæ quidem repetuntur ab eo, quoniam hæc quibus etiam accuſator uti poſſit, uni defenſori attribuere uidebatur. Aut certe repetitio fit, ut aliud dicatur, utrunque ijs locis uti poſſe, ſed reum frequentius. His autem non ita frequenter utetur accuſator, non ipſo genere materiæ, ſed quia contentus eſt expoſuiſſe definitionem, certaſſe lege, ſententijs quibuſdam uulneraſſe. Defenſor anxie cauſam uerſat, omnia rimatur, nihil omittit eorum quæ iuuare poſſunt. Itaque his utetur frequentius, niſi planè erit abſurda cauſa, ut quæ mala ſine argumētorum præſidio, ſine firma defenſione periclitatur. Cum laborat cauſa defenſoris, facile eſt accuſatorem, aut totidem, aut plura argumenta reperire. Amplificatio ab utroque tractari poteſt, nunc in digreſſione poſt grauiores locos, nunc in peroratione. Quibus rebus & uerbis fiat amplificatio, quoq́; ſtatui loco debeat, ſupra diligenter oſtendit. Sed cū amplificatio grauis ſit ac uehemens, tum demum conueniet, ſi rerū magnitudo, aut perſonarum ratio poſtulabit. Furioſum profecto uidetur, paruis in rebus tragœdias excitare. Cicero ſecundo de Oratore: Equidem primum conſiderare ſoleo, poſtuletne cauſa. nam neque paruis in rebus adhibendæ ſunt hæ dicendi faces, neque ita animatis hominibus, ut nihil ad eorum mentes oratione flectendas proficere poſſimus: ne aut irriſione, aut odio digni putemur, ſi aut tragœdias agamus in nugis, aut conuellere adoriamur ea quæ non poſſint commoueri. Pro Cecinna de uerbo contentio eſt, amplificationes non inſigniter graues, ſed quales poſtulat agri uindicatio. Habeo iſta. nunc ea, quæ cum quale ſit quippiam diſceptatur, quæri ex utraque parte.]

Qualitatis eſt extremus ſtatus, cuius partes ante diſtributæ ſunt.

nunc

nunc explicandum, quibus nam locis contineatur, & unde petantur argumenta, ſi de re, qualis ſit, oratio naſcetur. Aſſignat igitur fontem iuris, unde ſtatus iuridicialis appellatur, ex quo argumentationũ uis omnis hauritur, Ius autẽ partitur, ut unde commodum ſit, ducamus argumentum, aut à toto genere, aut à partibus. Verum faciendum erit, cum cauſa deliberandum: id certe non artis inſtitutio, ſed prudentia monſtrabit. Ius à Celſo definitur, teſte Vlpiano, ars boni & æqui, id eſt recta ratio perſequendi boni, fugiendi mali. Ius diuiditur in duas partes primas & ſummas, naturam atque legem. Ius naturale eſt, quod natura omnia animalia docuit. hinc matrimonium, hinc liberorum procreatio, hinc educatio. Cicero de Inuentione ſic definit: Naturæ ius eſt, quod nobis non opinio, ſed quædam innata uis affert. Hoc ius ſemper eſt æquum & bonum, nec à recto deuiare poteſt: omniq́; bono uiro inſitũ, quodammodo prælucet ad cognoſcendam ueritatem. Lex interdum pro ſumma æquitate, utroq́; iure ponitur, ut de Legibus primo: Lex, inquit, eſt recta ratio imperandi, atque prohibendi: quam qui ignorat, is eſt iniuſtus, ſiue eſt illa ſcripta uſpiam, ſiue nuſquã. Et paulo poſt, Lex ratio eſt recta ſummi Iouis. Hic aliter ſumitur, pro ea quæ ſcripta eſt, aut quæ iure gentium, aut multorum more firmata. Hæc à Papiniano ſic definitur: Lex eſt cõmune præceptum, uirorum prudentium conſultum, delictorum quæ ſponte uel ignorantia contrahuntur correctio, communis reipub. ſponſio. Hæc lex ſi bona eſt, à natura non deuiat: ab ea tamen differt, quia lex eſt communium, natura etiam ſingulorum. Naturale ius, aliud diuinum, quod eſt religionis: aliud humanum, quod eſt æquitatis. Sic ab eo docendi gratia nomina diſtinguũtur. Diuiſionis huius explicationẽ nonnihil forte iuuet id quod Cicero ſcribit de Legibus: Eſt igitur, inquit, quoniam nihil eſt ratione melius, eaq́; & in homine, & in deo. prima homini cum deo rationis ſocietas: inter quos autem ratio, inter eoſdem etiam recta ratio communis eſt: quæ cum ſit lex, lege quoque conciliati homines cum dijs putandi ſumus. Inter quos porrò eſt communio legis, inter eos communio iuris eſt. Hæc ille. Ex hac communione iuris facile eſt colligere, naturæ ius non minus ad Deum quàm ad hominem referri: quæ quidem deo poſterior, in traditione diſciplinarum prior eſt, quoniam ea duce ad cognitionem deorum hominumq́; peruenimus. Ea ſi fons eſt & origo iuris humani, quia ſeminarium dedit, erit etiam diuini prudens & ſapiens magiſtra. Hoc iure naturali (hoc ſcribit ipſe ſecundo de legibus) dominos eſſe omnium rerum ac moderatores deos perſuaſum eſt ciuibus: Ea quæ geruntur, eorum geri ditione ac numine: Eos optime de genere hominum mereri: qualis quiſque ſit, intueri. Hinc iuſiurandum, hinc fugam mali manere, hinc uim omnem religionum, diuinæq́; legis. Idem in eodem libro: Lex eſt iuſtorum iniuſtorumq́; diſtinctio, ad illam antiquiſſimam & rerum omnium principem expreſſa naturã, ad quam leges hominum diriguntur, quæ ſupplicio improbos afficiunt, & defendunt & tuentur bonos. Quam uocat hic legem, ad deum & hominem pertinet, tamen refertur ad naturam. Ergo natura, id eſt recta ratio iuris, eſt & diuina, & humana, nec uſpiam ſcripta, ſed animis noſtris inſita. Lex alia diuina, de cultu & cæremonia deorum, qualis eſt in iure pontificio multa. Alia humana, de communione & hominum ſocietate, qualis eſt in iure ciuili. Aequitas eſt duplex. altera directi, & ueri, & iuſti, & æqui, & boni ratione defenditur: id eſt, altera eſt ſimpliciter illa ipſa uera iuſtitia. Hæc idem ſignificant, ius, directum, uerum, iuſtum, æquum & bonum. nempe rectam rationem imperandi atque prohibendi. Altera eſt æquitas, recta quidem, ſed non item ſimplex: quippe quæ referatur ad aliud, ut ad uiciſſitudinem referendæ gratiæ, hoc eſt, uelut ad talionem quandam, ſine qua non eſſet æquitas. Parere patri bene monenti, æquũ ſimpliciter: iniuriam ulciſci, æquũ uidetur comparata alterius iniquitate. Hæc poſterior æquitas duplex. altera, gratia eſt in referendo beneficio: altera, ultio, quæ uerſatur in ulciſcenda iniuria. Hanc libro de Inuentione appellat uindicationem: per quam contumeliam defendendo aut ulciſcendo propulſamus à nobis, & à noſtris qui chari nobis eſſe debent, & per quam peccata punimus. Eam naturæ facit partem, quia à natura eſt æquitas, ex æquitate manat ultio. Communia ſunt quædam naturæ atque legis: utraque diuina eſt & humana, utraque ſpectat æquitatem, utraque ad uiciſſitudinem referendæ gratiæ pertinet. Legis autem propria ſunt ſcripta. neque enim ius naturale ſcribi poteſt, ſed ſi quid eſt cõmune, quod ab illo fonte deriuatur, id ſcriptum, nomine legis appellatur. Lex præterea ius gentium non ſcriptum comprehendit, & conſuetudinem, quia utrunque pro lege ſeruatur, ac legis eſt ſcriptæ quiddam ſimillimum. Ius gentium definit Vlpianus, quo gentes humanæ utuntur. Differt à naturali, quòd hoc omnibus animalibus, illud ſolis hominibus inter ſe commune ſit. Ex illo bella, diſcretæ gentes, regna condita, diſtincta poſſeſſiones, agris termini poſiti, ædificia collocata, commercium, uenditiones, emptiones, locationes, conductiones, obligationes inſtituta. magna pars horum eſt ἄγραφος, neque literis continetur. Ius conſuetudinis hoc modo à Cicerone definitur, quod uoluntate omnium ſine lege uetuſtas comprobauit, quo quidem iure plurimũ utuntur omnes. Ius legale ſcriptum, aliud eſt priuatum, aliud publicum. Publicum eſt, quod ad ſtatum reipub. pertinet, ut lex ea qua tenentur omnes, ut ſenatuſconſultum de ſtatu ciuitatis, fœdus, ſocietas cum externo populo. Etenim neque lex omnis publica eſt, neque omne ſenatuſconſultum publicum: ſed publicum ius in ſacris, in ſacerdotibus, magiſtratibus, & communione ciuium. Priuatum ius, quod ad ſingulorum utilitatem pertinet: ut tabulæ, id eſt omnes literæ quibus ineſt teſtimonium iuris noſtri: ut pactum, quod inter aliquos conuenit: ut conuentum, quod quid à pacto differat, ex Vlpiano colligi poteſt ſecundo Pandectarum. Eſt, inquit, pactio, duorum pluriumúe in idem placitum & conſenſus. Conuentionis uerbum generale eſt, ad omnia pertinens de quibus negotij contrahendi tranſigendiq́; cauſa conſentiunt qui inter ſe agunt. Hæc ille. Pactũ, & conuentum ſæpe confunduntur. Stipulatio, genus eſt obligationis, ex interrogatione & reſponſione contrahentium firmatũ. de ea ſupra diximus. Ius legale non ſcriptum, duplex. Alterum conſuetudine aut gentium, aut populorum, aut ſingularum ciuitatum obtinetur. alterum conuentis hominum, & quaſi conſenſu ualet. Ne mireris autem conuenta & ad ſcriptum genus, & ad non ſcriptum referri: cum ſint alia cõuenta ſcripta, alia nuſquam ſcripta: ſicut & conſuetudines aliæ ſcriptæ ſunt, aliæ ueluti per manus poſteritati traduntur. Ex his omnibus eruuntur argumenta. Deinde locus eſt communis, à natura præſcriptum, ut noſtros mores legeſq́; tueamur: quo genere diſputãdi uehementer eſt uſus in oratione pro Cluentio: Indignius, inquit, in ea ciuitate quæ legibus teneatur, diſcedi à legibus. Hoc enim uinculum eſt huius dignitatis, qua fruimur in repub. hoc fundamentum libertatis, hic fons æquitatis, mens & animus & conſilium & ſententia ciuitatis poſita eſt in legibus. ut corpora noſtra ſine mente ſic ciuitas ſine lege, ſuis partibus & neruis, ac ſanguine & membris uti non poteſt. Legũ miniſtri, magiſtratus: legum interpretes, Iudices: legum deni que idcirco omnes ſerui ſumus, ut liberi eſſe poſſimus. Hæc qui perpenderit, intelliget qua oratione noſtros mores legeſq́; defendere debeamus. ET *quoniam breuiter aperti fontes ſunt, &c.*] *Aperti ſunt fontes æquitatis, unde liceat haurire probationem, ſi modo exercitatio & facultas anteceſſerit. Nihil enim ferè loci conferunt imperitis & inexercitatis: nec aurum terræ uenis includi profuerit, niſi collegerit fodientis induſtria. Ergo exercitatione eſt opus, ut diſcamus à philoſophia quæ ſit*

naturæ uis & ratio, quod'nam ſit conſilium legum. Hoc autem ſuppeditabunt libri Platonis, nec non Politica Ariſtotelis. Dicendum de more maiorum ex libris de repub. atque hiſtorijs. Dicendum de propulſanda iniuria, de ulciſcenda, de omni parte iuris, & id quidem ex iure ciuili. Itaque ſententia Ciceronis eſt, neminem optime poſſe tractare qualitatem, qui neſciat philoſophiam eam quæ eſt de officijs, de legibus, de repub. de iure ciuili. Nec ſatis eſt iſta nouiſſe, niſi meditando et exercendo produxeris in contentionem. Pars eſt iuridicialis ſtatus, in qua factum per ſe improbabile, aſſumptis extrinſecus auxilijs tuemur. Aſſumimus aut imprudentiam, quæ ignoratione lapſa eſt: aut neceſſitatem, quæ uim attulit: aut caſum, qui ſine hominum conſilio accidit: factumq́; deprecamur & amolimur locis æquitatis, quæ penſitatis omnibus ſuum cuique reddit iuſtitiæ pondus. Hæc expoſuimus loco ſuperiore, ubi qualitatem partiebatur. Expoſitum eſt, ut potui breuiſſime, de omni controuerſiarum genere.] Legales ſtatus rationalibus quidem continentur: ſeparantur tamen in traditione preceptorũ, ut ſit proclinior ac mollior omnis uia docendi. Quatuor ferè numerari ſolent, unus ex ambiguo, alter ex ſcripto & uoluntate, alius ex contrarijs legibus, quartus è ſyllogiſmo. Paulo ante treis modo faciebat, præteriens ſyllogiſmum: quod hic etiam facit, quia ſyllogiſmus eſt ambiguitatis. ut, Sit'ne amatorium uenenum. Sit'ne idem occidere ferro, quod lapide. Secundo de Oratore unum facit omnino ambiguum. nec enim eſt eadem ratio docendi, nec teritur ſemper eadem uia. Primus eſt ſtatus ambigui, dicitur amphibologia, cum uoces aut ſingulæ aut coniuncta diuerſos intellectus habent. Vtamur eius exemplo: Paterfamilias cum filium heredem faceret, uaſorum argenteorum centum pondo uxori ſuæ ſic legauit, Hæres meus uxori meæ uaſorum argenteorum pondo centum quæ uolet dato. Poſt mortem eius uaſa magnifice & pretioſe cælata petit à filio mater. Ille ſe quæ ipſe uolet debere dicit. Hic duobus aduerſarijs præcepta communia. uterque enim hanc ſignificationem, qua utetur ipſe, dignam ſcriptoris prudentia defendet: ut hæres contendet relictam ſibi liberam dandi poteſtatem, quia uidebat teſtator homo prudens oriri poſſe ea de re controuerſiam. Mulier autem, nihil attinuiſſe adſcribi, quæ uolet, ſi hæredis permitteret uoluntati. eo enim non adſcripto, nihil ineſſe dubitationis, quin hæres quæ ipſe uellet, daret. idcirco prudenter adſcripſiſſe. Vterque alterius improbabit ſententiam, aut quia ſit abſurda & diſſentanea, aut inutilis, aut iniqua, aut etiam turpis: ut hic hæres: Enimuero abſurdum eſt id arbitrari, patrem mihi omnium rerum feciſſe poteſtatem, uaſorum delectum ſuſtuliſſe: turpe, ueterem domũ, quo ſe recipiant hoſpites, ornamentis uaſisq́; nudaſſe: iniquum, plus habere iuris eam quæ rem percipit extra ſortem, quàm qui legitimus eſt hæres: inutile uero mulieri, quæ uidua facta nihil poſthac elegantium uaſorum in medio ſit habitura. Contra nitetur mulier è diuerſis locis. Vterque dicet, alterius ſententiam diſcrepare cum cæteris ſcriptis, uel aliorum, uel eiuſdem: ut ſi dicat hæres, teſtamento contineri ſententiam, qua pater filio demandat omnem rerum ſuarũ ordinationem, ut fiat quod hæredi uiſum fuerit ex æquo bonoq́;: id non poſſe ratum haberi, ſi mulier excipiat quæ uolet. Vterque laudabit hominem, ut iuſtum, ut prudentem, qui ſatis cauerat quidem: ſed qui tamen, ſi integrum daretur, ſcripturus eſſet planius, ne cui præberetur anſa calumniandi. uterque tandem ſuam ſententiam dicit nihil habere aut capti nis, aut uitij: contrariam autem ſi probarit, fore ut multa uitia conſequantur. Quid porrò captionis, inquiet, aut uitij eſt, eium pro arbitrio uaſa dare, cuius omnia iure, lege, teſtamento facta ſunt? cui pater reliquit omnem rei familiaris adminiſtrationem? Quàm multa ſequuntur incommoda, ſi teſtamenti ratio uertatur? à iure ſuo depelletur hæres: ſtultitiæ pater accuſabitur, qui domum ſpoliarit ornamentis. inutile eſſe uidebitur filio, cui maxime cautum uolebat. cõtraria ſcripſiſſe, ac deliraſſe arguetur. quo iudicato, nihil oberit quo minus omnia reſcindantur. Hactenus de locis ambiguitatis, qui finitimi ſunt æquitati, & ex parte uergunt ad loquendi conſuetudinem. Cum autem aliud ſcriptor, &c.] Alter eſt ſtatus legalis ex ſcripto & ſententia, cum aliud ſcriptor ſenſiſſe uidetur, & aliud ſcripſiſſe. Paterfamilias qui grauidam, ut putabat, uxorem relinqueret, hoc modo teſtamentum condidit: Si poſthumus meus ad annos tutelæ ſuæ peruenerit, hæredem faciet quem uolet. Si antequam in tutelam ſuam uenerit moriatur, Marcum Curium ſecundum hæredem inſtituo. Pater deceſſit. poſthumus non eſt natus. Curius init hæreditatem. Contra petit Coponius agnatus. apud Centumuiros Scæuola Coponij cauſam agit, Craſſus autem M. Curij. Scæuola ex ſcripto teſtamentorum iura defendit: Craſſus ex ſententia. Fingamus igitur, uel Scæuolam ea ratione dicendi, quam Cicero præſcribit, quo facilius præcepta uideamus. Vbi fecerit aditum cauſæ, rem omnem ut geſta ſit exponet: deinde utetur recitatione teſtamẽti: quo recitato, inſtabit aduerſario, hoc eſt, urgebit aduerſariũ, quid audiat? quid ſentiat? quid iudicet? quid uelit? Iterabit eam partem, qua ſcriptum eſt, Marcum Curium hæredem inſtitui ſi poſthumus ante annos tutelæ ſuæ deceſſiſſet: quòd in ea uerſatur omnis controuerſia. Rogabit, num aut ſcriptum neget, cum ſit in manibus teſtamentum: num fecerit contra teſtamentum Curius, qui adierit hæreditatem? Poſt iudicem ad uim ſcripti uocet, hoc eſt tractet argumentationem, qua demõſtretur à uerbo recedi non oportere: quod Aquilius iuriſconſultus Ciceroni reſpondit. Hac confirmatione uſus amplificet rem lege laudata: quod ſcriptum defendit, id ampliſſime commendet: ut retinere poſſit, dicat hic teſtamentum bene prudenterq́; conſtitutum: omnia quæſita, omnia explorata, omnia meditata, omnia ſapienter eſſe confecta. Ex eo loco deueniat ad M. Curij audaciam, qui cum palàm contra fecerit, idq́; fateatur, adſit tamen, factumq́; defendat. Quid autem amplificando ſumi oporteat, & augeri, tum exercitatio, tum Ciceronis oratio pro Cæcina ſubminiſtrabit. Poſt infirmet defenſionem, non eſſe ferendum, à quoquam potius latoris ſenſum, quam à lege explicari: hoc eſt, indignum uideri, à quopiam homine, neque ita docto, neque probo, ſcriptoris ſenſum ad libidinem deprauari, ſcriptum relinqui, eius uiri prudentiam negligi, in quo ſtet aduerſarij præſidium. Cur, inquit, ita ſcripſit, ſi non ita ſenſit? cur planè & dilucide ſcripta negliguntur, ut tua nuſquam ſcripta, & eadem abſurda, comprobentur? Cur prudentiſſimos in ſcribendo uiros, ſummæ ſtultitiæ putas eſſe damnandos? Qui te hominem imperitum ſapere arbitraris, quid impediebat teſtamenti ſcriptorem, quo minus exciperet illud, quod fatearis te ſecutum, ut ſi forte poſthumus nullus naſceretur, hæres inſtitueretur Curius? Vides ne ut aliæ teſtamenti partes optime deſcriptæ ſint? ut excipienda exceperit? ut iungenda coniunxerit? quod cum in hac parte non eſſe factum cõtendis, uniuerſum teſtamentum praua interpretatione diſſoluis. Ad hæc rationem quæret, quamobrem non ſit exceptum, quia uidebat homo ſapiens, ſi nullus eſſet poſthumus, fore ut agnati, quod maxime nolebat, lege tenerent hæreditatem: ſi quis autem natus eſſet, quoniam Curius illi beneficia paterna contuliſſet, ut dignus hæreditate cenſeretur. Dicet etiam aliam cauſam obtemperandi, aliam abrogandi. Obtemperamus, ad percipiendum bonum: abrogamus, id eſt uirtute & poteſtate eximimus, ad euitandum malum. aduerſarium obtemperare nolle, quia non putet in rem ſuam futurum: non eſſe committendum, ſi obtemperare nolit, ut abroget ſcriptum. Tandem amplificandi cauſa de conſeruandis legibus, de periculo rerum publicarum atque priuatarum, ſi leges & ſcripta cõtemnantur, cum in alijs locis, tum in peroratione maxime, grauiter erit uehementerq́; dicendum. quod cum pro Cluentio &

Cæcina

Cæcina facere uidemus. Ille autem qui ſe ſententia legis uoluntateq́; defendet, in conſilio atque in mente.] Quæ poſſent arte leges & ſcripta defendi, ſi uerbo ſtandum putemus, breuiter quidem, ſed aperte monſtrauit. E contrario ſuggerit argumenta illi qui ſe ſententia legis & uoluntate defendet: quæ propè omnia tractauit in oratione pro Cæcina. Primum eſt, in conſilio atque in mente ſcriptoris, non in uerbis ac literis uim legis eſſe ponendam. An hoc, inquit, dubium eſt, quin neque uerborum tanta copia ſit, non modo in noſtra lingua, quæ dicitur eſſe inops, ſed ne in alia quidem ulla, res ut omnes ſuis certis ac proprijs uocabulis nominentur? neque uero quidquam opus ſit uerbis, cum ea res, cuius cauſa uerba quæſita ſint, intelligatur? Alterum eſt, quòd nihil exceptum ſit, id eſſe laudandum, ne diuerticula peccatis darentur, atque ut ex facto cuiuſque iudex legis mentem interpretaretur: hoc eſt, ſpectandam ubique uoluntatē, ne omne ſcriptū facile conuelli poſſit. Idem: Quod magiſtratus edictum, quod fœdus aut pactio, quod, ut ad priuatas res redeam, teſtamentum, quæ iudicia, aut ſtipulationes, aut pacti & conuenti formula non infirmari & conuelli poteſt, ſi ad uerba rem deflectere uelimus, conſilium autem eorū qui ſcripſerunt, & rationem & auctoritatem relinquamus? Tertium eſt, utendum exemplis, in quibus omnis æquitas perturbetur, ſi uerbis legum ac non ſententijs pareatur. Idem: Actio eſt in auctorem præſentem, his uerbis: Quandoquidē te in iure conſpicio. Hac actione Appius ille cæcus uti non poſſet, ſi tam uere homines uerba conſectarentur, quàm rem, cuius uerba ſunt, non cōſiderarent. Teſtamento ſi recitatus hæres eſſet pupillus Cornelius, iſq́; iam annos uiginti haberet, uobis interpretibus amitteret hæreditatem. Alia ſunt apud eum permulta. Quartum eſt genus eiuſmodi calliditatis & calumniæ, retrahendū in odiū iudicis, cum quadam inuidioſa querela. Idem: Atque illud in tota defenſione tua mihi maxime mirū uidebatur, te dicere iuriſconſultorū auctoritati obtemperare nō oportere: quod ego tametſi non primū, neque in hac cauſa ſolum audio, tamen admodū mirabar, abs te quāobrem diceretur. Nā cæteri tum ad iſtam orationem decurrunt, cum ſe in cauſa putant habere æquum & bonum quod defendat. Si contra uerbis & literis, & (ut dici ſolet) ſummo iure contenditur, ſolent eiuſmodi iniquitati & boni & æqui nomen dignitatemq́; opponere. Tum illud quod dicitur, irrident, tum aucupia uerborū & literarum tendiculas in inuidiam uocāt, tum uociferantur, ex æquo & bono, nō ex callido uerſutoq́; iure rem iudicari oportere: ſcriptum ſequi, calūniatoris eſſe: boniq́; iudicis, uoluntatē ſcriptoris, auctoritatemq́; defendere. Eſt etiam cum peccet aliquis imprudentia. Quicunque in forum tulerit enſem, det ſeſtertia ducenta. Peregrinus qui de lege nihil audiſſet, enſem tulit. Is imprudentia lapſus eſt, non ad delictum, ſed ad caſum neceſſitatem'que: cui ſi creatur periculum, deprecandum et auertendum erit ex æquitatis ſententijs, contra acerbitatem uerborū quibus nititur accuſator.

SIN ſcripta inter ſe diſſentient, tanta ſeries artis eſt, et ſic inter ſe ſunt pleraque connexa, & apta, ut quæ paulo ante &c.]

Tertius eſt ſtatus legalis ex contrarijs legibus, quæ ἀντινομία dicitur, non quod iure ipſo lex legi poſſit eſſe contraria, quia ſi diuerſum ius eſſet, alterum altero abrogaretur: ſed quod leges caſu colliduntur, & euentu: Eius rei ponit exemplum ſecundo de Inuentione. lex eſt, Qui tyrannum occiderit, Olympionicarum præmia capito, & quam uolet ſibi rem à magiſtratu depoſcito, & magiſtratus ei concedito. Et altera lex eſt: Tyranno occiſo, quinque eius proximos cognatione magiſtratus necato. Alexandrum qui apud Pheræos in Theſſalia tyrannidem occuparat, uxor ſua, cui nomen Thebe fuit, noctu cum ſimul cubaret, occidit. Hæc filium ſuū, quem ex tyranno habebat, ſibi in præmij locum depoſcet. Sunt qui ex lege puerum occidi dicant oportere. res in iudicio eſt. Hic, quia ſeries artis eſt, hoc eſt quòd in arte ſunt pleraque connexa, pertinent ea præcepta quæ data ſunt tum de ambiguo, tum de ſcripto & uoluntate. Ex ambiguo ſumetur illa diſputatio, qua tuemur legem eſſe præferendā, quòd ſit æquior & utilior, quòd nihil habeat captionis & uitij, nihil abſurdi, ſtulti, iniqui, contrarij. Ex ſcripto & uoluptate ſumitur utriuſque legis interpretatio, & eius quæ pro nobis facit, è locis idoneis confirmatio. In explicandis conſtitutionibus legalibus uti potui uerbis atque præceptis rhetorum multorum, maxime eius qui ſcripſit ad Herennium, & Ciceronis in ſecundo libro de Inuentione, & Quintiliani in ſeptimo & Victorini, & Maturantij: ſed ita iudicaui, eam rem ſuperuacuam fore, & ingenijs rudibus, quibus ferè commentaria parantur, obfuturam. Expoſita ſunt tibi omnes oratoriæ partitiones, quæ quidem è media illa noſtra Academia floruerunt.] De ratione partiendi poſtremam fecit hanc partem, ut ſimul ab arte commendetur opus, ſimul ad ſtudia magnarum rerum tum Cicero filius, tum cæteri adoleſcentes incitentur. Artem partitionum deriuat à media Academia, hoc eſt philoſophia Platonica, cuius illud fuiſſe ſtudioſum, notum eſt. Philoſophiæ eſſe cenſet, partiri totum in ſuas partes: definire quæ ſunt definienda: diuidere ambigui partitiones, hoc eſt illud omne quod eſt multiplex, ut cum genus diuiditur in formas: argumentorum locos noſſe, quæ ſcientia Topica eſt: argumentationem ipſam concludere, quæ facultas eſt ſyllogiſmorum: noſſe quæ ſumenda in argumentando ſunt, ut omnia confeſſa & probabilia: quid ex iis quæ ſumpta ſunt efficiatur, id eſt quæ concluſio ſequatur: uera à falſis, ueriſimilia ab incredibilibus dijudicare & diſtinguere: aut male ſumpta, cuiuſmodi ſunt falſa, contraria, repugnātia, ſtulta: aut male concluſa, ut ab aſſumptis abhorrentia, reprehendere, et eadem uel anguſte diſſerere ſine ulla copia dicendi, ut dialectici qui appellantur: uel, ut oratorem decet, late exprimere. Hæc, inquam, omnia eſſe cenſet illius exercitationis & philoſophiæ, in qua Platonici uerſantur. Nonnulli dialecticorum & rhetorum ſibi impudenter arrogant iſtorum omnium ſcientiam, propterea quòd in arte ſua uident aliquot iis de rebus præceptiunculas. Iſtuc neque libellis rhetorum, neque dialecticorum continetur. Oſtendit Ariſtoteles ſeptimo Topic. Exacte, inquit, & exquiſite tradere quid ſit definitio, quiq́; definire oporteat, non huius negotij eſt. À philoſophia igitur maiori petendum eſt, ſine qua nulla eſt rerum artificioſa cognitio. Partiri autem, & diuidere, & definire, & aliquid argumentando aſſumere, & rerum differentias tractare aut reprehendere ſine cognitione rerum, ſumma dementia eſt. Itaque qui nihil aliud quàm dialecticorum præcepta norunt, nihil iſtorum cōmode facere poſſunt. Sed Academici, qui de rebus omnibus in contrariam partem diſputabant, qui rerum naturas uirtuteſq́; exploratas habebant, qui nullas artes non tenebant, diſciplinas omnes illa ſua infinita ſcientia, ſummaq́; exercitatione tractare potuerunt. Adde quòd nemo poteſt eſſe conſumatus uel dialecticus, uel orator, qui cæteras ignoret artes. Nam ſi utrinſque eſt de re propoſita diſſerere, certe ad diſſerendum neceſſe eſt uim rerum naturamq́; percepiſſe. Ea autem à philoſophia ſubminiſtratur, ſicut ratio tractandi à dialecticis atque rhetoribus. De Academia ſcribit iſtuc Academicarum quæſtione prima. Fuit à Platone accepta philoſophandi ratio triplex: una de uita & moribus, altera de natura & rebus occultis, tertia de diſſerendo, & quid uerum, & quid falſum, quid rectum in oratione prauum'ue, quid conſentiens, quid repugnans, iudicando. Tertiam facit partem dialectica atque rhetorica, quia ordine diſſerendi cæterarum artium cognitionem ſubſequuntur. Inde colligitur, à philoſophia ſuppeditari dicendi materiam, à dialectica & rhetorica ueluti formam rationemq́; eligendi atque extruendi. Pleni ſunt philoſophorum libri diſputationum de bonis rebus & malis, animi, corporis, & fortunæ, de æquis &

iniquis, utilibus, inutilibus, honeſtis, turpibus. Hæc oratori tractanda ſunt & in exornatione, quæ bona et honeſta commendat: & in deliberatione, quæ honeſta ac utilia quærit: & in iudicio, cuius eſt finis æquitas. Vnde igitur petet? A' philoſophis: Omnis enim ubertas, & quaſi ſylua dicendi ducta ab illis eſt. Cicero in Oratore: Poſitum ſit igitur in primis, quod poſt magis intelligetur, ſine philoſophia non poſſe effici quem quærimus eloquentem. Sunt igitur ſapientiæ fontes, ad quos qui peruenerit, & hæc ipſa melius, & multo maiora alia cognoſcet.

FINIS.

ORNATISSIMO VIRO D. CASTELLANO EPISCOPO TVLLENSI ET REGIO ANAGNOSTAE, PETRVS GALLANDIVS S. P.

q

VI IN aliorum locum ſuccedunt, eorum qui decedunt rogatu, conſilio, & hortatu Caſtellane doctiſsime, prouidere magna cura debent, ne potius in locum ſucceſsiſſe, quam in eadem ſtudia, uoluntateſque uideri poſsint. Quid enim tam æquum aut honeſtum, tanta cum laude adiunctum, tam denique illuſtre, quàm qui uirtutis nomine tibi plurimum defert, eidem omni officiorum genere ſatisfacere conari, & dignitatem eius, modis omnibus, amplificando, quæque illi grata fore cognoſcis faciendo, teſtatam præbere animi grati ſignificationem? Quid tam illiberale & ſceleratum, quàm eum, cui tu fortunarum rerumque omnium poteſtatem facias, diſpenſationem & procurationem mandes, omnia aut interuertere, aut negligere, aut denique de ijs aliquid ſtatuere contra uoluntatem tuam? Cum itaque Latomus noſter commeatu a' Rege per te impetrato, decreta ſubſtitutione noſtra, in Italiam, cuius uidendæ deſiderio multis iam annis flagrabat, ſuperioribus diebus proficiſceretur, enarrationeſque ſuas in Ciceronis Partitiones oratorias confuſe congeſtas, urgente diſceſſu præfeſtino emaculatius deſcribere, & ordine digeſtas calcographo typis excudendas, ut uolebat, tradere non poſſet, omniumque recognoſcendorum, & ſuo tempore iudicio meo edendorum, curam mihi demandaret, nihil prius faciendum eſſe duxi, quam ut poſthabitis negotijs omnibus meis, quibus grauiter impediebar, cum Latomi, tum etiam ſtudioſorum literarum nomine, de eorum editione primo quoque tempore cogitarem. Nam cum ea bene dicendi cupidorum ſtudia plurimum iuuare poſsint, maligne omnino & contra ingenium meum feciſſe uidebor, ſi ijs ſtudioſos carere ſinam diutius. Neque uero aduerſus Latomum æquior multo iudicari poſsim, ſi quo minus ille laborum optimorum fructū capiat, eius ſcripta ſupprimam, aut eorum editionem in aliud tempus differam. Capiet autem ex ijs uel maximum, cum ea omnium manibus teri, ab omnibus in ſinu geſtari, ex ijs ad bene dicendi ſtudioſos utilitatem incredibilem peruenire cognoſcet. De quibus quia & tu, & docti quique facile iudicabūt, hoc tantum dicam, germana locorum obſcuriorum enucleatione, qualia permulta ſunt in genere uerſo & mutato, ut alia multa ſilentio tranſmittam: exemplis ad ea appoſitiſsimis, breuitate & perſpicuitate nihil me uidiſſe in hanc uſque diem perfectius. Neque inficior, eſſe permulta in noſtris æqualibus hominibus doctiſsimis, qui in eodem ſtadio cucurrerunt, quæ laude & admiratione proſequar: ſed hæ uirtutes, liceat hoc citra cuiuſquam offenſionem dicere, in hoc libro Latomi propriæ quodammodo mihi uidentur. Hoc quidquid eſt uir ornatiſsime, quod ille facturus erat, ſi non abeſſet, ſub tui nominis auſpicio in publicum prodire uoluimus, ut qui in florentiſsima Regis aula, ad rerum grauium ſtudia, Regem ipſum proceresque excitas & inflammas, ad has quoque manſuetiores artes, ſine quibus languent ſordentque omnia diſciplinarum genera, nobilitate florentes adoleſcentes extimules & acuas. Vale literarū ornamentum, & præſidiū ſingulare. Pariſijs e' Gymnaſio noſtro Pleſſeo, Idib. Nouemb.

ARGVMENTVM.

ſ

CRIPSIT *hunc librum Cicero dominante C. Cæſare in repub. cum ſe in otium contuliſſet: & ſcripſit ad filium, qui eodem tempore Athenis ſtudebat, cum antea Romæ ſub pædagogis, & à patre ipſo Græce inſtitutus fuiſſet. Nulla enim ferè extabant latina in his artibus, quæ cognitione digna haberentur, exceptis paucis Antonij oratoris, ſicut ipſe teſtatur in libris de Oratore. Itaque cum hæc & alia ſuis traderet, ſcripſit multa, non ſolum de dicendi ratione, ſed etiam de philoſophia, quibus diſciplinas Græcorum princeps ſua ætate latinis literis illuſtrauit. Partitiones appellauit, quòd dicendi doctrinam diſtributam partibus ſuis uniuerſam complectantur, quæ uia artium tradendarum propria eſt, & à Græcis μέθοδος appellatur. Quidquid enim unum eſt, & partes habet, ſiue hæ formæ ſint, ſiue membra quædam totius, id ita rectiſsime cognoſcitur, ſi quæ latent in eo, digerantur ordine, & diuidendo definiendoq; explicentur. Rhetorice autem una eſt ſine bene dicendi. Capita tria habet, uim oratoris, orationem, quæſtionem, ad quæ accommodatur omnis dicendi præceptio. Ita fit, ut his tribus explicatis tota dicendi doctrina explicata teneatur.*

STVDEO mi pater.] Principium aptũ eſt à perſona patris, & ſtudijs filij: in quo cauſa ſcribendi exprimitur. Latine ſcire uult filius, quia artes dicendi, ſicut modo dixi, à græcis petebantur. Otium autem.] Dicit ſcribendi facultatem nunc primam ſibi oblatam eſſe, eamq; maximam, quoniam propter rempub. ante non licuerit. Deinde iſta tua ſtudia.] Ad illud refertur, quod dixit filius, Et ſi uis. Vis'ne igitur.] Oſtendit utilitatem dialogi. Primũ in ipſam uim oratoris.] Hæc princeps partitio eſt, ex qua deinceps cætera deducuntur. Vis oratoris eſt, qua quæ in oratione ſunt, induſtria eius efficiuntur. Hæc primũ natura cõſtat, deinde arte perficitur. poſtquã uſu confirmata eſt, & in promptu habita, facultas appellatur. Oratio, opus eſt oratoris: quæſtio, materia circa quã uerſatur. Ita fit, ut horũ trium præceptione, tota dicendi doctrina, cõprehendatur. In rebus & uerbis.] Vis dicendi primũ in oratore eſt, ut in ſubiecto: deinde in rebus & uerbis, ut in materia. quemadmodũ ſculpendi artem tũ in artifice, tum in marmore & ære eſſe dicimus. Sed & res & uerba inuenienda ſunt.] Inuentio & collocatio rerũ ſunt propria, quãuis uerba etiã inueniri & collocari dicãtur, hoc eſt, eligi & cõſtrui in dicendo. Eliguntur enim grauiora, leniora, ſignificãtiora. Conſtruuntur apta, & bene cohærentia. Elocutio & actio, uerborũ ſunt propria. Cuſtos horũ omniũ eſt memoria. Orationis quot ſunt partes. C. P. Quatuor.] Alij plures faciunt, adduntq; propoſitionem, diuiſionem, refutationem, egreſſionem. Sed propoſitio ſub cõfirmatione cõprehenditur. Diuiſio pars eſt propoſitionis. Refutatio à cõfirmatione nõ ſeparatur, cũ eiuſdem ſit & probare ſua, & aliena refellere. Egreſſio pars eſt eius, ex quo egredimur. Ad impellendos animos.] Quia oratoris officiũ eſt, non ſolũ docere, ſed etiã mouere auditorẽ. Quid? quæſtio, &c.] Infinita quæſtio generalis eſt, de re uniuerſa quærens. Finita ſpecialis, in certis perſonis, locis, cauſis, modis, temporibus locata. Itaque infinita cõſultatio appellatur, quod ad eã definita referenda ſit, & ex cõſultatione eius ſtatuenda: ut, An inſidiator iure interficiatur. Finita cõtrouerſia uocatur, quod cũ in diſceptatione poſita ſit, tamen niſi ad infinitã referatur, explicari non poſſit: ut, An Clodius iure interfectus ſit. Hoc enim, niſi inſidiatorem, uel ſeditioſum iure interfici cõſtet, cõtrouerſum manet. Itaque recte præcipiunt in cauſis finitã quæſtionẽ ad infinitã reuocandã eſſe, ut per hanc illa explicetur. de qua re etiam Agricola de prædicatiua & conditionali quæſtione loquitur.

- Doctrina dicendi,
  - Vis oratoris.
    - Inuentio
    - Collocatio
    - Elocutio
    - Memoria
    - Pronunciatio.
  - Orationis partes.
    - Exordium
    - Narratio
    - Contentio
    - Peroratio.
  - Quæſtio.
    - Infinita
      - Cognitionis.
        - An ſit
        - Quid ſit
        - Quale ſit
      - Actionis.
    - Finita, quæ eſt cauſa.
      - Demonſtratiua
      - Deliberatiua
      - Iudicialis.

VT inuenias quemadmodum.] Ergo non ſolum argumenta, ſed etiam affectuum materia inuentioni ſubiecta eſt, de quo uide Agricolam lib. 2. Motum eorum animis afferas.] Sub motu grauiores et leniores affectus comprehenduntur. Quos uocas locos?] Locus, ſedes argumenti eſt, ut ipſe docet in Topicis, ubi hæc omnia latius explicantur. Ariſtoteles tum τόπους tum στοιχεῖα uocat, hoc eſt, & locos & elementa, quod in his & lateant argumenta, & ex eiſdem tanquam ex principijs oriantur. Probabile inuentum.] Hoc eſt, res ſiue ratio probabilis, quæ ex certo loco ducta ualet ad faciendã fidem. In hac, materia eſt argumẽti: in exponendo forma, quæ argumentatio appellatur. Materia eadẽ eſt apud rhetores et dialecticos, quare et loci hic ijdem qui in Topicis. Forma plurimum differt, cũ aliter diſſerat dialecticus, aliter dicat orator, finibus diuerſis propoſitis: cũ alter docere tãtummodo conetur id quod ſuſcepit, alter mouere etiam atque affectu impellere auditorem. Quo modo igitur duo genera iſta diuidis.] Ariſtoteles ἔντεχνα et ἄτεχνα uocat, hoc eſt, artificialia et remota ab arte. Artificialia ducũtur ex ipſa quæſtione, per induſtriam oratoris: atque idcirco uocantur inſita. Remota, extra quæſtionem ſunt, et citra inuentionem oratoris ſuppeditantur, ut teſtimonia. quæ quia extra ſunt, aſſumpta uocantur. Sed hæc quoque etſi arte carent in inueniendo, tamen arte tractãda ſunt. Itaque placet Agricolæ, etiã arte inueniri poſſe. quod uerum eſt, ſed tunc ſunt artificialia. lege caput primi lib. Agricolæ de Pronunciatis. Diuinũ, ut oracula, ut auſpicia.] Oracula ſunt, quaſi diuino ore prolata. Auſpicia, ſignificationes per aues, item prodigia, ſortes, exta, omina. Vaticinationes, uatũ prædictiones, ut Eſaiæ, Sibyllæ. Reſponſa ſacerdotũ, ſunt pontificũ & augurum decreta, qui iuri diuino & religionibus præerant. Haruſpices exta inſpiciebant, & fulmina, cæteraq; prodigia interpretabantur. Coniectores ſomnia cõiectabant, ut Daniel in ſacris literis. Humanũ, quod ſpectatur ex autoritate & ex uoluntate.] Auctoritas eſt in doctis, ſapientibus, cæteriſq; fide dignis hominibus. Volũtas, in legibus & magiſtratibus, qui ex cõſenſu publico imperãt. In oratione, ſcripta, pacta, promiſſa libera ſunt: iurata et quæſita, expreſſa. Scripta, intelliguntur quæ pacta aut promiſſa non ſunt: quæſita, tormentis expreſſa. Hæc omnia in Topicis uberius explicãtur. Tũ ex toto, tum ex partibus.] Totũ eſt, quod definitur. Partes, tum forma, tũ membra totius. Notatio, uerbũ quo totũ ſignificatur. Quæ tria quamuis per ſe ſingula eandem rem ſubiectam habeant, tamen differunt ratione & inueniendi materia. itaque diuerſos locos efficiunt. Quæ quodammodo affectæ ſunt, &c.] Affectas res uocat, quæ ad aliud referuntur, quas in Cathegorijs πρός τι appellat Ariſtoteles. Sub quo genere hic omnia cõprehenduntur, quæ extra rei ſubſtantiã ſunt, & prioribus tribus, definitione, partibus, & notatione nõ continentur. Et ad id totũ, &c.] Monet prædictos locos in diſſerendo certis formulis includendos eſſe, ut recte atque utiliter proferantur, nempe ut in toto ſumendo definitione, in partibus enumeratione, in uerbo nominis interpretatione utamur. Sed ſunt qui hæc etiam ſimpliciter ſumant, & conuertant in argu

mentando,ut à definito ad definitionem,à toto ad partes, à nomine ad ipſius interpretationem. quæ ſanè inutilia & nugatoria ſunt,cum uel obſcuriora ſint ijs quibus adhibentur, uel certe æque nota ignota'ue. Illa ueriora,cum ex una parte totum colligitur. ut nauigium inſtructum non eſſe,cui uela deſint: interire hominem,cui caput ablatum ſit: exercitum ,cuius dux perierit. Quæ tamen perpetua non ſunt, ſed ex partium conditione pendent, quarum diuerſitas explicatur ab Agricola. Argumentum ex definitione eſt: legem eſſe,quod populus iuſſerit. A' partium enumeratione: quod ſenatui,equitibus,& plebi Rom. placuerit, id uniuerſa ciuitati placuiſſe. A' notatione: conſulem Piſonem non fuiſſe, quoniam reip. non conſuluerit. Alia coniugata appellantur.] Coniugata ſunt: ut, homo ſum, humani nihil alienum à me puto. Scelera tum eſſe Antonium, qui quotidie aliquid ſceleris moliatur. *Ex genere.]* Nihil egiſſe Clodium in tribunatu, itaque legem nullam de capite ſuo latam fuiſſe. *A' forma.]* Bellum eſſe,ſi tumultus ſit. Antonium diſſoluiſſe acta Cæſaris, cum legem illius de prouincijs ſuſtulerit, quia leges ſint in actis. *A' ſimilitudine.]* Similitudo ad qualitatem, comparatio ad quãtitatem pertinet. Sed paria & ſimilia Ciceroni in idem recidunt,quæ ab Agricola exactius diſtinguuntur. A' ſimili igitur eſt: Ergo Spartacus hoſtis,ciuis Antonius? Sicut Helena Troianis,ita Antonius cauſa belli, cauſa, peſtis, atque exitij pop. Rom. fuit. Sunt & ſimilitudines quæ lucem rebus afferunt, quæ non ſunt huius generis, ſed ad ornandũ pertinent: ut aliquem ex concione tanquam ex incendio effugiſſe, Ventum ut tempeſtatem Siciliam totam peruaſiſſe. *A' differentia.]* Hæc ſimilitudo eſt,et tum ad formas diuerſas, tum ad alias diſſimilitudines pertinet, ut differre principem à tyranno, quia legibus imperet. Non ut Neptunum ita Herculem deum fuiſſe: quia hic mortalis,ille immortalis fuerit. Non ut ſacrificij, ita conſilij certum diem expectandum eſſe. Vocem unam auditoribus multis ſufficere,nõ ita cœnam eſurientibus. *A' contrario.]* Si Cos. Brutus,hoſtis Antonius: ſi Antonius hoſtis,conſul Brutus. Si pax turpis cum Antonio, bellum honeſtum: Si honeſtum bellum, pax turpis. *Ex coniunctis.]* Hæc adiuncta uocantur in Topicis: cõtingentia à Rodolpho,ab alijs communiter accidentia appellantur: ut formoſam adulteram eſſe, bene coloratum ſanum: qui læto pectore ſit, fortem: qui fugerit,expalluerit: inconſtanter locutus ſit,criminis conſcium. *Ex antecedentibus.]* Hi tres loci non ſimplices ſunt, ſed connexi: nec abſolute in re, ſed in certa lege exiſtendi ſunt poſiti. Itaque ſumuntur ex conditione,et certa formula conſtant: cumq; ex cæteris ducantur locis, non ualent ulla in re,niſi conſecutionem neceſſariã efficiant. Cohærent igitur neceſſario antecedentia cum conſequentibus & econuerſo hæc cum illis. Repugnantia autem neceſſario dirimuntur. Argumentũ ex antecedentibus eſt, Si locare licet,& conducere: ſi cognoſcere,& iudicare: ſi abſoluere,& condemnare. Deinde ſumitur id quod anteceſſit. licet autem abſoluere, ergo & condemnare. Et rurſus ex conſequentibus, ſed tollendo quod annexum fuit: Atqui cõdemnare non licet,ergo nec abſoluere: nec cognoſcere cauſam,ergo nec iudicare. Ex repugnãtibus autem: Non ſi condemnare non licet,& abſoluere: non licet autem condemnare,ergo nec abſoluere: uel, ſi licet abſoluere,& condemnare. Pugnant enim inter ſe, licere unum & alterum non licere. quare altero poſito,alterum tollendum eſt: & econtrario,ſublato altero,alterum ponendum. Quomodo autem hæc ſumenda ſint,& quando ponenda tollenda'ue, dantur certa regulæ à dialecticis, ex quibus concluſiones multæ & uariæ conficiuntur. Sed hæc dialectica ſunt. Oratoria autem hæc ipſa, niſi quod in eloquendo aliter tractantur. Aut enim diriguntur in circuitus,ut breuius dicãtur: aut quo acrius ueniant, in enthymemata conijciuntur. Circuitus eſt: Cum par ius ſit ut abſoluendi,ita condemnandi eius, de quo iudicium fieri oportuit: non debet iniquo animo ferre reus, ſi cum legibus abſolui potuerat,legibus cõdemnatus ſit. Enthymema autem: Qui iure abſolui potuit,damnatũ eodem iure improbas? Ex repugnantibus: Quæ fuiſſet igitur cauſa reſtituendi mei,niſi fuiſſet iniuſta eijciendi? hoc eſt,reſtitutus ſum iuſte, ergo iniuſte electus ſum. quod ſic cõcluditur: Nõ ſi iuſte reſtitutus ſum,iuſte electus fui: atqui reſtitutus ſum iuſte,ergo iniuſte electus fui. quã concluſionem uocant in tertio modo cõditionalium,quę uide in Topicis. *Ex cauſis.]* Vt, Bibit uenenũ,ergo morietur. Metuit ab homine, ſperauit commodum, iratus, inimicus fuit: occidit igitur. *Ex effectibus.]* Magnas res geſſit Põpeius, ergo magnus imperator fuit. Perijt in legatione Seruilius,ergo reſpub. ei cauſa mortis fuit. *Ex cõparatione.]* A' maiori: Cũ Cæſarem nõ tulerimus, Antoniũ feremus? A' minori: Si propter legatorum uiolationẽ deleta Corinthus fuit, quãto dolore ulciſcẽda eſt urbs deleta à Gallis? Si Annibal hoſtis,hoſtis Antonius. A' pari: Qui Bauiũ non odit,amet tua carmina Meui. Si tutor fidẽ præſtare debet,debet & procurator,debet is cui alienũ negotiũ mãdatur. *Vt definitio,ut contrariũ.]* Hic locus corruptus fuit, cũ aliquoties aut,pro ut legeretur. Legendũ eſt igitur,ut cõſentanea,ut ea quæ ſunt quaſi cõiũcta,ut earũ rerũ de quibus agitur, cauſæ,ut cauſarũ euentus. Cætera ſunt integra. Subiũgit aũt locorũ enumerationi exẽpla,quibus ſingulos in re poſitos curſim indicat. Exẽpla dico nõ παραδείγματα,ſed ea quæ Græci τύπους uocãt,qualia ſunt paulo ante de teſtimonijs: Diuinũ,ut oracula,ut auſpicia,ut uaticinationes. & infra, Aut anni tempora, ut mẽſis,ut dies,ut nox,hora,tempeſtas. ubi quæ propoſita ſunt, ſubiectis exẽplis declarãtur. Quod nominibus pleriſque eiſdẽ utitur (quæ res nõnullos perturbat) idcirco factũ eſt,quod eiſdẽ nominibus & loci ex inſtituto artis,hoc eſt ſedes argumentorũ,& res ſubiecta eiſdẽ appellantur: ut definitio & notã argumenti ſignificat,& definitionem hominis,poſtliminij, ſeruitutis,id quo definitur unũquodque appellamus. Hanc primã intentionẽ ſcholaſtici,illã ſecundam uocant. Illud etiã offendit,quod cũ inter locos coniuncta & repugnantia ſimpliciter dicta ſint, hic inter exempla quaſi cõiuncta,& quaſi pugnãtia dicantur,quaſi alij loci ſignificentur. Sed non eſt ita. Nã cum locos recenſeret,uocabulis certis & perpetuis uſus eſt,quod docendi ratio poſtulabat: cũ exempla poneret, de rebus ipſis eſt per ſimilitudinem liberius cõmodiuſq; locutus. Coniuncta enim proprie ſunt,quæ inter ſe cohærent,ut collo coniuncta ceruix: pugnantia, quæ dimicant inter ſe,infeſtaq; ſunt,ut qui armis certant. Ergo hæc cum aliò trãſferenda eſſent,non potuerunt cõmodius, quàm per ſimilitudinem,quaſi cõiuncta & quaſi pugnantia,appellari. Sed uideamus nunc ſingula,ut res ipſa loquatur. Vt definitio, inquit,ut contrariũ. Cur hoc ordine? quia contrariũ ſtatim è regione occurrit, & aliorũ interim locorũ exempla adiungat quæ ſequuntur: ut quæ ſunt ipſi contraria'ue,eius ſimilia aut diſſimilia,itẽ conſentanea,aut diſſentanea. Ergo naturæ ordinem in locis,in exẽplis,declarandi cõmoditatem ſecutus eſt. Cõtraria quæ ſint, ſupra indicatũ eſt,ut rectum & prauũ, eloquentia et infantia, pax & bellũ,hoſtis & ciuis,quæ ſupra etiã poſita ſunt. *VT quæ ſunt ipſi.]* Similia ſunt,ut paci trãquillitas, bello tempeſtas. Diſſimilia,ut paci tẽpeſtas,bello tranquillitas: quæ cũ ſeparata inter ſe,eodemq; ordine collata, cõtraria ſint,ut pax bello, tranquillitas tẽpeſtati, facile apparet quomodo inter ſe mixta commutataq; ſimilia ac diſſimilia efficiant. Eadem ratio in cõſentaneis diſſentaneiſq; eſt,quæ ſtatim ſubiungũtur. *Conſentanea aut diſſentanea.]* Hæc cõiuncta modo appellata ſunt, in Topicis adiuncta uocari diximus,ab alijs cõtingentia,ab alijs cõmuniter accidentia. Cõſentanea dicuntur,quod ferè conſentiant cũ ijs circa quæ eueniunt. Eueniunt autem frequenter,nõ perpetuo: idcirco probabile argumentũ præſtãt. ut pallere ægrotũ,bene

tũ,bene

tū,bene coloratū ualentē eſſe. Diſſentanea,horū cōtraria ſunt: ut ægrotū bene coloratū,ualentem pallidum eſſe. Sic formoſam adulteram, deformem pudicam, conſentaneū & probabile eſſe dicimus: adulterā deformem,pudicam formoſam, diſſentaneū & improbabile. Quæ omnia,ut dixi,coniuncta ſiue adiuncta uocātur inter locos,& ex contrarijs, ſicut ſimilia & diſſimilia oriuntur. VT ea quæ ſunt quaſi coniuncta.] Cōiuncta hoc loco intellige antecedentia & conſequentia,quæ neceſſario cohærent,ſicut ea quæ in corporibus coniuncta ſunt, nec diuelli poſſunt, ut collocare & conducere: hominem eſſe,& animal eſſe: quæ hinc inde per conditionem ſumpta, antecedentia & cōſequentia ſunt. de quibus dictū eſt ſatis. Vt ea quæ ſunt, &c.] Vt hominem eſſe,& animal non eſſe: locare,et non conducere: diem eſſe,& lucem non eſſe: odiſſe,& benefacere: diligere,& nocere. quæ quaſi pugnant inter ſe,quia contrarijs conueniunt,atque idcirco repugnātia in locis appellātur. Vt diſtributione, &c.] Per diſtributiones, partes intellige, hoc eſt, tum formas,tum quaſi membra totius,quæ hoc tandem loco ſubiungūtur,quia ordo interruptus fuit. Genera partiū,ad locū generis pertinēt: partes generū,formæ ſunt, quæ ſub genere cōprehenduntur. Partes totius ſunt,ut ſenatus,equites,plebs,partes ciuitatis. Itē uis oratoris,oratio,quæſtio,partes doctrinæ dicēdi. Sed et genus eſt doctrina,cuius formæ ſunt multæ,ex quibus una eſt Rhetorica,quæ dicēdi doctrina appellatur. Vt primordia rerū.] Hæc inter cauſas numeratur: ſed longinquæ et remotæ ſunt cauſæ,quarū ui nō efficitur,ſed tamē ad euētū rei ſunt neceſſariæ. Præcurrunt enim,& efficiendi ordinē iungūt: ex quibus fatū,ut ipſe ait in Topicis,ſecūdū Stoicos connectitur. Hoc modo Helena cauſa fuit iniuriæ Troianorū in Græcos: iniuria cauſa belli,ex bello Aeneas fugit in Italiā, hinc Alba cōdita eſt,inde Roma,ex qua effloruit orbis terrarū imperiū. Horū igitur extremū ſi ad primū referas,dices Helenā cauſam & primordiū fuiſſe Romani imperij. Eiuſdem generis eſt illud,Vtinā ne in nemore Pelio,quod ex Medea Ennij citatur. Ipſe quoque pro Milone hinc argumētatus eſt: Omnes in me meoſq; redundāt ex illo fonte dolores.cōſulatū ſuū ſignificās,in quo Catilina oppreſſus fuit. Hac enim de cauſa ipſe expulſus fuit à Clodio, inde à Milone reuocatus, hinc odiū Milonis & Clodij,inde pugna & cædes,& iudiciū Milonis, in cuius periculo deprecando hoc dictū fuit. Vt rerū cōtentiones.] Hæ comparationes ſunt,maiorū,pariū,minorū: de quibus prædictū eſt. Fieri dicit comparationes in naturis et facultatibus. In naturis,ut ſi Annibal hoſtis,hoſtis Antonius: ſi tutor fidē præſtare debet, debet et ſocius. In facultatibus: Pallas ulciſci potuit inimicos, ergo & Iuno poterit. Sed hæc duo in Topicis in quinque partes diducūtur, naturā,uim, ſpeciem, numerum, affectionem,quæ ibidem explicantur. Vt leuia ſemper,&c.] Leuia infirma ſunt, idcirco inutilia. Cōmunibus æque uti poteſt aduerſarius,quare nocēt.Cōmune enim qui dicit,ut inquit Fabius,contrariū facit. Proſunt tamē cū ſe offerunt,et in noſtram partē plus ualent,ut inimicū fuiſſe Milonē Clodio,quod etiam pro Milone ualebat. Itaque hoc primum eludit Cicero. Deinde compenſant maiore odio Clodij,quod maximū fuiſſe oſtendit. Ergo nonnūquā ſunt iſta,ut inquit Cicero,nō ſemper prætermittenda. Nō neceſſaria moleſtam orationem faciunt,quare & ipſa relinquenda. Lege Fab. lib. 5. dē refutatione. SED planius quod uis explicabatur.] Dicit ſe de motu in principijs et perorationib. & in cauſarū generibus commodius dicturū eſſe. itaque hæc pars inuētionis eodē differtur. Cū inueneris collocare.] Sicut inuentio,ita collocatio rerū eſt propria: hoc eſt,argumentorum et partiū orationis,quæ tū ad fidē faciendam,tū ad motus animorū accommodātur. Agricola etiā quæſtiones diſponit,de quibus hic nihil præcipit Cicero,ſed inferius in explicāda quæſtione ordinem quoque earundem indicabit. Quintilianus quæſtionū diſpoſitionem ſolam tradit toto libro 7. argumentorū collocationem libro 5. breuiſſime attingit,ſed hæc propriè in iudicialibus. Cæterorum diſpoſitionem, ut in demonſtratiuo et iudiciali genere,ſeparatē libro 3. oſtendit. Ordo eſt idem ferè,&c.] Ordinem argumentorum intelligit, quia infinita quæſtio motu caret,quare & principiorum & perorationum collocatione. Ordo locorum naturalis eſt,cum priora ſint inſita,quàm aſſumpta natura: & ex inſitis priora quæ ad ſubſtantiam rei pertinent,quàm quæ ad eam affecta ſunt. Ergo aptus eſt hic ordo ad faciendam fidem, quam ſolam infinita quæſtio deſiderat. Exemplum ſi requiris propone, uoluptatem ſapienti expetendā eſſe: quod probaturus,ſequeris locorum ordinem,hoc modo: Ex definitione: ſenſum corporis ſecundum naturam, expetendum eſſe. A' partibus: in uictu,in cultu,in procreandis liberis,in reliquo uitæ uſu uoluptatem nobis inſitam eſſe. A' coniugatis: iucunde uiuere ſapientis eſſe. A' genere: quæ apta ſint naturæ, ea expetenda eſſe. A' forma: Muſicam laudari,ergo uoluptatem. A' ſimilitudine: Sicut diem feſtum ſine ludis triſtem,ita uitam ſine uoluptate uitalem nō eſſe. A' diſſimilitudine uinum intemperanti uenenum eſſe, non ita uoluptatem ſapienti. A' contrario: Dolorem fugiendum eſſe,ergo uoluptatem expetendam. Ab antecedentibus: ſi uiuere ſecundum naturam ſapientis ſit,& uoluptatem. A' conſequentibus: Sublata uoluptate, ſenſum naturæ tolli. A' repugnantibus: aut probandam eſſe uoluptatem, aut nihil diſcriminis in dolore ponendum. A' cauſa: uoluptatem à natura datam eſſe. Ex effectis: uoluptate homines ad labores excitari. Ex cōparatione: ſi animi uoluptas expetenda ſit,& corporis expetendam eſſe. A' teſtimonio: Homines doctos uoluptatem laudare. In quibus omnibus ſola notatio prætermiſſa eſt, quia nihil argumenti præbet. TOT enim ſunt motus genera &c.] Oritur motus ex opinione boni uel mali. Boni præſentis opinio uoluptatem facit, abſentis cupiditatem: mali præſentis moleſtiam, abſentis metum. ſic quatuor omnino ſunt genera, & tanquam fontes. at ſpecies plures,quæ in tertio Tuſc. quæſt. explicantur. Horum alij leniores ſunt,& ἤθη uocantur: alij uehementiores,& πάθη latinis mores & perturbationes. Nam eſt in propoſito finis.] Propoſitum fidem tantum ſpectat,non ſolum ex conſilio dicentis,ſed etiam ex natura quæſtionis,quæ fidei tantum eſt capax. Cauſa autem & fidei & motus eſt capax,quia & natura talis eſt: & non tantum fidem, ſed multo magis etiam uictoriā ſpectat. Natura enim talis eſt, quia omnis motus ex opinione boni uel mali naſcitur. Nihil autem bonum uel malum niſi perſona. Perſonam autem ſola cauſa continet,cui deinceps cæteræ circumſtantiæ, res,cauſa,locus,tempus,modus,adiungūtur. Itaque fit,ut ſola etiam cauſa motus ſit capax. Sed hæc pluribus ab Agricola explicantur. Aut ſæuitiam.] Sæuitia in accuſando,clementia in defendendo. in ſuadendo ſpes,in diſſuadendo reformidatio deliberantis proponitur. Varij ſunt ordines.] Horum quinque hic enumerantur, quorū primus eſt temporū,ut uituperatio Antonij in 2. Phil. & tota in Piſonem oratio. Secūdus,cū quæ dicenda ſunt,in certa capita diſtribuūtur,ut laus Pōpeij pro lege Manilia,in ſcientiā rei militaris, in uirtutē,in auctoritatem,in felicitatē. Tertius,cū à minoribus ad maiora aſcēdimus,qui ordo proprius eſt amplificationis,quæ in exornando neceſſaria eſt, ut pro Marcello in extollenda clementia Cæſaris, & in oratione poſt Reditū ſuum, ubi beneficiū reſtitutionis ſuæ amplificat. Quartus huic cōtrarius eſt,cū à maioribus ad minora delabimur. Eſt enim amplificationi cōtrarius, & ad deprimendū eleuandumq; pertinet: ut ſi in uituperando Annibale res eius extenuare uelis, expediat à maximis incipere, et ad minora delabi,ut ipſa collocatione rerū magnitudo ad ima deferatur. Sic in 1. Phil. à rebus primū præclare ab Antonio geſtis,paulatim ad ſcelera delabitur. Quintus ex his mixtus eſt,et

æquabiliter temperatus, ut in ipſa rerum inæqualitate, æqualem tamen & conſtantem orationem efficias, ut 2. Philip. in Antonium. in qua præter temporum ordinem hoc etiam ſeruatur, ut leuiora, quæ ad ſordes & nequitiam hominis pertinebant, grauioribus quæ in ſenatum & remp. commiſſa erant, intexerentur. Sed de tota diſponendi ratione diligentiſſime Agricola, qui hæc omnia complexus, unus penè in hoc genere legendus eſt. Simplicia coniunctis.] Simplicia ſunt, ut ſi de ingenio, de liberalitate ſingulatim dicas. Coniuncta, ſi de ingenio & doctrina, de liberalitate & magnificentia coniuncte dicamus. Obſcura dilucidis.] Vt de deorum natura, de animorum immortalitate. Incredibilia.] Vt Romulum ex deo ortũ, à lupa nutritum, in cœlum ſublatum fuiſſe. Principia uel non longa.] Hic denique fit mentio partium orationis, quia infinita quæſtio ſola confirmatione, exornatio ſola expoſitione conſtat. In deliberationibus & iudicijs principia & perorationes, ſæpe etiam narrationes ſunt neceſſariæ. In deliberatione igitur principia non longa ſunt, ut pro lege Manilia, & Philip. 2. 3. 4. 5. 9. 11. Nulla, ut Philip. 1. 6. 7. 8. 10. 12. 14. Eſt tamen longum principium in Orat. contra Rullum, quia cauſa id poſtulabat, cum contra legem agrariam apud populũ diceretur. Nec multum ſanè ſæpe, &c.] Narratio eſt enim aliqua extra cauſam, ad eã tamen pertinens, ut pro Pompeio de rebus geſtis Luculli: Propria nulla eſt, quia id de quo deliberatur, ſemper futuri eſt temporis, ut bellum Pompeio eſſe mandandũ. Quare & ad.] Hoc quo modo, & quo ordine faciendũ ſit, explicabitur in quæſtione, cum ad cauſam deliberatiuã uentũ erit. Quod accuſator rerũ ordinem, &c.] Ordinem uel temporũ intelligit, ut in criminibus in Verrem: uel quẽ ipſe ſibi fingit orator diſtributione aliqua, ut in eundem de prætura Siculienſi, quã in quatuor partes diſtributã eodem ordine proſequitur, ut iuriſdictionem, rem frumentariã, ſigna, ſupplicia. In his autem ita ſe geret accuſator, ut obiectis criminibus argumenta in promptu habeat, quibus ſingula probet. Concludat acriter, urgẽdo quod efficitur. Tabulis, decretis, teſtibus, ſi poſſit, confirmet. Tum in ſingulis ita cõmoretur, ut paulũ digreſſus à propoſito cõmoueat iudices, idq; cũ in confirmatione tractanda, tum in reliqua oratione faciat, ſed maxime in peroratione. Exẽpla multa ab ipſo in Verrem expreſſa ſunt. Itaque in Lampſaceno crimine expoſita re ita proponit: Quæro ex te, circũſeſſus'ne ſit Lampſaci. Deinde cõcludit, Cũ igitur quæ cauſa illius tumultus fuerit, teſtes à nobis producti dixerint, ipſe tacuerit: non'ne cauſam hanc quam nos propoſuimus, tum illorũ teſtimonia, tum iſtius taciturnitas cõfirmat? Deinde cõmoratur eodem, & inſtigat iudices, Huic homini parcetis igitur iudices? & quæ ſequũtur, Act. 3. Quaſi haſta in manu.] Similitudo à pugnãtibus, quibus tela ſuppeditantur: ut apud Verg. Suggere tela mihi. Sumenda principia.] Hic igitur principijs opus eſt ad placandum animũ irati iudicis. Narrationes amputandæ ſunt, hoc eſt, circumcidendæ, ablatis iis quæ cõtra nos ſunt. aut ſi totæ noceant, relinquendæ. de quo diligenter præcipit Fab. Firmamenta ad.] Firmamenta proprie ſunt accuſatoris, ſed defenſoris etiã firmiſſimæ rationes firmamenta appellãtur: quæ ſi deſint in cauſa, nulla eſt cõtrouerſia. Itaque cõtra Milonem firmamenta ſunt, lex Cornelia, decretũ ſenatus, rogatio Põpeij. Pro defenſione eiuſdẽ, inſidiæ Clodij, reip. utilitas. Hæc aũt per ſe diluenda ſunt, aut obſcuranda, aut digreſſionibus obruenda. Diluuntur quæ ficta, aut falſa ſunt. Ficta, ut Roſciũ filiũ exhæredare uoluiſſe. Falſa, Oppianicũ innocentem fuiſſe. Obſcurantur quæ dilui non poſſunt, atque adeo dubia & incerta eſſe demonſtrantur, ac proinde nihil efficientia. Hæc autem ſunt uerisimilia, quæ uel per ſe dubia ſunt, ut ſperaſſe aliquem impunitatem delicti: uel ſi certa ſint, tamen non efficiunt quod intenditur, ut pecuniã in iudicio Oppianici uerſatã fuiſſe. Hoc enim quãuis certum ſit, tamen nõ confirmat crimen in Cluentio, cum etiã ab reo pecunia proficiſci potuerit, ſicut in eadẽ cauſa docet Cicero. Digreſſionibus obruuntur, quæ nec dilui, nec obſcurari poſſunt, ſed cõpenſantur oppoſita re aliqua uel in cauſam, uel in perſonã aduerſarij, qua amplificata auertatur animus iudicis ab eo quod obiectũ eſt, & in contrariam partem auferatur. Itaque ipſe pro Murena auctoritatem Catonis, qua ualde premebatur reus, hilaritate orationis obruit, illudendo in Stoicos, et ſeueritatẽ iudicij riſu diſſoluendo. Pro Cælio autẽ mentionẽ ueneni, quod Cælius in ſeruo expertus fuerat, diſcutit cõmiſeratione Q. Metelli, cuius interitum deplorando, iudices à propoſita re auertit. Immutandũ eſt.] Vt pro Milone, ubi confutatio ante narrationẽ locatur: et pro Sylla, ubi extremo loco de uita dicitur. Vnũ igitur genus.] Sponte fuſum, eſt ſimplex et rectũ dicendi genus, cũ unũquodque ſicut fert natura, ſemel & recto ordine dicitur, hoc modo: Cn. Põpeius paucis diebus piratas toto mari expulit. Verſum, eſt immutatũ tractatione oratoria, et latius anguſtius'ue dictũ, quàm fert ſermonis natura. aut etiã ordine ipſo cõmutatũ: ut, Cn. Põpeius lumen et decus Ro. imperij, prædones maritimos, hoſtes omniũ gentiũ, non longo difficiliq; bello, ſed ſexaginta dierũ ſpacio uicit, expulit, profligauit, nõ ex una aliqua regione ora'ue maritima, ſed ex omnibus portubus, fretis, inſulis, terris, littoribus, quãtũ à Gadibus fretoq; Herculeo, per ingentẽ mediterranei maris tractũ, uſque ad intimas Ciliciæ anguſtias porrectũ eſt. hos inquã maritimos latrones, omniũ portuum littorumq; uexatores, ſubegit, domuit, expugnauit uictor gentiũ, pop. Ro. lumen & gloria Cn. Pompeius. Vtrunque genus cõſtat proprijs, tranſlatis, priſcis, nouatis uerbis: & in utroque numerus ineſt ex pedibus & temporũ interuallis. ſed in cõuerſa oratione etiã numerus cõficitur ex ordine & concinnitate uerborũ, de quo ſuo loco admonebimus. Illud ignorandũ non eſt, hæc quãuis præceptis diſtincta ſint, tamen opere ipſo miſceri, & cõfundi plerũque in unum corpus elocutionis, ut ſponte quidẽ fuſa oratio ſeparata eſſe poſſit. quales ſunt epiſtolæ ipſius, et inuectiua in Saluſtiũ: cõuerſa nunquã ferè extra ſponte fuſam reperiatur. Prima uis eſt in ſimplicibus uerbis.] Vtrũque genus & ſimplicibus et cõiunctis uerbis cõſtare dicit: ſed primo ſimplicia, deinde cõiuncta cõſiderãda ſunt. Quæ ſignificata ſunt, &c.] Significata ſenſu dicit, quæ per ſe cognita ſunt loquentibus non ab oratore profecta, qualia ſunt prima ac propria rerũ uocabula, quæ ſenſu primæ impoſitionis, uel eo qui in locũ eius ſucceſſit, cõſtant, ſiue ea primitiua ſint apud Grammaticos, ſiue deriuatiua, cũ utroque genere primũ loquentes uſi ſint. Hæc inquã ſignificata, hoc eſt, notificata ſunt loquẽtibus nõ induſtria oratoris, ſed ſuopte ſenſu, ex quo per ſe nata quodãmodo, et originẽ à ſeipſis traxiſſe uidentur. Reperta aũt, ſunt facta ex illis per induſtriã oratoris, qui ea ſibi fabricat quotidie, tũ ſignificandi, tũ ornãdi cauſa. ut uerbi gratia, urbs, rus, ager, ago, ruſticus, agreſtis, natiua ſunt, quia ſic dicta primũ, et à loquẽtibus primo ſenſu accepta. reperta aũt, urbanus et urbanitas, temporibus Ciceronis nũc etiã ſuburbanitas, et perurbanus, ſubagreſtis, ſubruſticus, peragreſtis, quæ ſignificãdi cauſa facta ſunt, & tũ flexione, tũ adiunctione nouata. Illud ignoradũ nõ eſt, nõ omnia nouata quondã, nũc etiã noua et oratoria eſſe, ſed multa ex his cõmunia et uulgaria facta, quædã etiã obſoleta, ut fauor, agricola, urbanus, noua quondã, poſtea uſitata, ut etiã in locũ natiuorum ſucceſſiſſe uideãtur. At multa quæ ſunt in Apuleio, et apud alios quoſdã nouatores, quãuis recentiora ſint, tamẽ nemo ferè poſtea libẽter uſus eſt: ut unã et orta fuiſſe, et cõſenſu loquẽtiũ interiiſſe uideãtur. Et nouata aut ſimilitudine.] Similitudo hic eſt, quã Græci ἀναλογίαν uocãt, cũ uerbũ aliquod ad ſimilitudinẽ alterius effingitur: ut, Et picis in morẽ ad digitos lenteſcit habendo. &, Igneſcũt iræ. et apud Horat. Lætis iuueneſcit herbis, quæ ſunt ſicut ferueſcit. Et in nominibus, perſpicientia apud

Ciceronem,

Ciceronẽ, ſicut ſapientia: fratricida, ſororicida, ſicut parricida: commilito apud Cæſarem. ſicut Gnato: obſequiũ apud Terent. ſicut colloquiũ. quorum illud adhuc nouũ eſt, quia rarius, alterũ uſitatum. ſicut & parricida uſitatum: fratricida, ſororicida, noua. Verbi enim nouitas non tam ex tempore, quàm ex uſu ſpectanda eſt, quem penes arbitriũ eſt, & uis, & norma loquendi. Aut imitatione.] Imitatio eſt, cum in effingendo uerbo rei naturam imitamur, quam Græci ὀνοματοποιίαν uocant, ut hinnire, balare, clamorq́; uirum clangorq́; tubarum, & taratantara ex Ennio apud Virgilium. Sic bombos, fremitus, ſtridores, tumultus dicimus, quorum primum adhuc nouum eſt, cætera uſitata. Bombarda etiam noſtro ferè nata ſeculo, & campana multo ante audita, ex eadem origine nomen habent.

Aut inflexione.] Hæc inclinatio uerbi eſt, ſiue deriuatio, nõ quòd omnis deriuatio noua ſit, aut quondam fuerit, ſed quòd inflectendo uerbum, atque aliud ex alio deriuando, nouum facere liceat. id quod tunc denique fit, cum inflectendo ab uſitata forma recedimus, ut beatitas pro beatitudine, neceſſitudo apud Salluſtium pro neceſſitate, mæſtitudo & mæſtitia pro mærore, plangor pro planctu, ſanctimonia pro ſanctitate, curatura pro cura apud Terentium, & apud Ouidium curuatura pro curuitate, quæ duo etiam ἀναλογικῶς dicta ſunt, ſicut cultura. Etenim in his quoque analogia ſeruãda eſt. Sed hoc intereſt, quòd hic natiuum uel factum uerbum noue inflectitur ſine mutato: analogia prorſus nouum facit, ad natiui ſimilitudinem. Sic in uerbis: aſſentior eſt pro aſſentio, reuertor pro reuerto, quæ iam uſu recepta ſunt: item, populatq́; ingentem farris aceruũ, pro populatur, multaq́; alia. Et in aduerbijs, ſingulatim, ſingulate; caſim, membratim, circunſcriptim, & membrate, circunſcripte: in quibus utrum nouius ſit, haud facile dixeris, cũ utriſque utatur Cicero. ſed puto ἀναλογίαν ſequendam eſſe. Fit etiam in caſibus nominum, ut penus huius penus, & peni, & penoris: item huius fici & ficus, ficis pluraliter & ficubus, quæ aliquando noue inflexa fuerunt, nunc indifferenter utimur. Et in uerbis parſi, peperci, à parco: explicui & explicaui, item liui & leui à lino.: ſanxi, ſanciui, à ſancio: omnia haud dubie nouata aliquando commoditatis cauſa, ſed pariter ferè in uſu relicta. Hodie caſus nouare non licet. quædam de integro formare licebit nouitatis uel utilitatis gratia, ſed id quoque parce, ne noui ſermonis auctores eſſe uideamur. Aut adiũctione.] Adiunctione nouantur uerba, cum alijs adiungendis procuduntur noua, ut expectorare, et uerſutiloqua malitia, quæ ponuntur à Cicerone in tertio de Oratore. Item ignipotens, armipotens & undiſonum, horriſonũ mare, quæ poetica ſunt omnia. Oratoria autem, circumretitum, interclusum, contrucidatum, compranſores, colluſores, combibones, adminiſtri libidinum, percrepare, perfringere, perſonare, perpuſillus, grandiloquus, infinitaq́; alia, quæ adhuc ſunt noua. Atque etiam eſt hæc diſtinctio.]

Prior diuiſio ad originem uerborum, hæc ad qualitatem eorum pertinet. Qualitas enim eſt tum in natura eorum, quatenus auribus accidunt: tum in tractatione, quæ eſt in uſu oratoris. Cõſonantiora igitur ſunt uocaliora, hoc eſt, acutius, clarius, melius ſonantia, non ſingula tantum, ſed etiam coniuncta, quod in uocalibus ſyllabarumq́; natura poſitum eſt. V enim & I, cum certis literis acutius ſonant: a, & o, præſertim longæ, grauius: e uero lenitatem quandam & temperamentum habet. Sed hæc mutantur aliarum literarum acceſſione & cum uocales breues aut longæ ſiunt. Ergo, Oculis micat acribus ignis, et, Dulces ante omnia Muſæ, acuta & conſonantia ſunt. Ductores Danaum, In tuis illis immanibus poculis, grauia & magis plena. Lenia autem & temperata, Niſæaq́;, Spioq́;, Thaliaq́;, Cymodoceq́;, Cæſariem effuſa nitidã per candida colla. Contraria his ſunt obtuſa ſono, quæ ſiunt uocalibus coeuntibus, ut Vaccæ anea. Exilia, ut Exiguus mus. Aſpera, ut Stabat acerba fremens, Hæc te lacerat, hæc te cruentat oratio. Itaque in hoc uerſu, Stabat acerba fremens maternis ſæuus in armis, priora aſpera ſunt & irato cõuenientia, poſteriora ſonantia & iucũda, quibus pulchritudo in armis exprimitur. Tractatione autem, &c.] Tractatione uerba differunt, quibus orator aliter atque aliter utitur. Itaque fit aliud quodammodo & aliud genus uerborum. Vtitur autem modo proprie uerbo aliquo, modo addit ad nomen quod per ſe poni poterat: modo profert nouum, aut priſcum reuocat: modo quod proprium erat, modificat ratione aliqua, & in alium ſenſum inflectit. Itaque quinque ſunt genera, proprium, additum ad nomen, nouũ, priſcum, modificatum. Propria ſunt, ut imperator uincit, luget agricola. Addita ad nomen, quæ uocantur ἐπίθετα, ut fortis imperator, bonus agricola: quæ etiã per ſe ponuntur, ut Fortes creantur fortibus & bonis. Noua, id eſt, nuper nata, uel certe nondũ frequentata loquentibus, quibus noue utimur, ut Lucifugus, agripeta, ruricola. Agricola autem quamuis nouatum ſit, tamen nouum non eſt, quia poſtea uſitatum. Aliud eſt enim nouum, aliud nouatum eſſe, ſicut ſupra admonui: cum hoc ſit originis, illud uſus & tractationis. Itaque nouata ſunt apud Ciceronem, fratricida, ſororicida, quæ & noua, quia rarior eorũ uſus. At parricida, nouatum quidem eſt, nouum dicere nõ poſſis, quia loquentibus & fuit poſtea in uſu, et hodie eſt peruulgatum. Priſca, nouis ſunt contraria, ut quæ ueteribus fuerunt in uſu, & uſque inde repetuntur: ut, Illius ergò uenimus, &, Extaq́; ſalſos Porricit in fluctus. Et Cicero, Mulctam irrogarat, actionem perduellionis intenderat. Et apud Liuium, Lex horrendi carminis erat, duumuiri perduellionem iudicanto, caput obnubito, infelici arbori ſuſpendito, uerberato intra pomœrium, uel extra. Modificata, tranſlata ſunt ſecundum Ariſtot. cum uerbum à proprio in alium ſenſum inflectitur. Itaque μεταφορὰς ille uocat. Cicero hic modificationem, quem alij τρόπον appellant. Quinque eius modos ponit Cicero per tranſlationem, quam proprie metaphorã uocant: per immutationem, per abuſionem, per obſcurationem, per amplificationem. Tranſlatio eſt, cum per ſimilitudinem ſenſus uerbi inflectitur, uel neceſſitatis cauſa, ut Gemmant in palmite uites: uel ſignificandi, ut Si telum manu fugit: uel ornandi, Magno inflammatus amore. Sub hac etiam allegoria comprehenditur, quæ eſt perpetua quædã metaphora, ut Nauim perforare in qua ipſe nauiges, id eſt, rempublicam perdere in qua ciuis ſis. Hæc ſi obſcurior eſt, αἴνιγμα uocatur. Immutatio μετωνυμία eſt apud grammaticos, apud Rhetores ὑπαλλαγὴ, cum citra ſimilitudinem ex propinquo uerbum immutatur, ut Diſſilijt mucro, ferrum in manu eſt Lucretiæ: & cum Cererem pro frugibus, Bacchũ pro uino dicimus. Abuſionem κατάχρησιν uocant Græci, ut Sperare pro timere, apud poetam: parricida pro fratris interfectore: piſcina in qua lauamus, etiamſi careat piſcibus: ò mea ſemper fruſtra auguria, pro prædictionibus in republica. &, Augurijs agimur diuum, pro oraculis. Obſcuratio in ijs eſt, quæ αἰνίγματα uocantur: ut, Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo: Tris pateat cœli ſpacium non amplius ulnas? & quæ ſequuntur. Fit, ut placet Ariſtoteli, cum res minime inter ſe conueniunt, ut terram aliquam eſſe, nec amplius ibi cœlum quàm tres ulnas patere. Itaque inflectantur uerba, ſed citra ſimilitudinem. Alij uocant ænigma, omnem obſcuram tranſlationem, qualia ſunt illa Pythagorica: Ignem gladio ne fodias, Abſtinendum ab ijs quibus atra eſt cauda, Contra ſolem meiendum non eſſe, A' fabis abſtinendum. Amplificamus bifariam, uel incredibiliter tollendo rem, quam ὑπερβολὴν uocant, ut, Saxa uoce reſpondent, beſtiæ cantu flectuntur. & pro Marcello, Parietes medius fidius tibi gratias agere geſtiunt. & in Antonium, Quæ Charybdis tam uorax? & quæ ſequuntur. Vel mirabilius quàm conſuetudo patitur, ornando, ſed non ſupra fidem, ut de

Pompeio, cuius in uiri uita nitebatur ſalus ciuitatis. et de eodē: Qui ea uirtute ac ſapientia eſt, ut ea ſemper potuerit, quæ nemo præter illum. Non enim hæc ipſa uera ſunt, ſed tamen magna intelliguntur, neque ea impoſſibilia, ſed ſic dicitur humanitate quadam principis uiri ornandi gratia. Qui putat figuras ſententiarum hic comprehendi, multum fallitur, ſicut res ipſa indicat. Numeri quidam ſunt in coniunctione ſeruandi.] De ſtructura orationis loquitur, quæ pedibus conſtat: ſed ita, ne uerſus efficiatur, neue aut longius procurrat oratio, aut breuius ſubſiſtat, de quo diligentiſſime in Bruto diſputatur. Conſecutio, eſt congruitas orationis: cui opponitur ſolœciſmus, ſicut barbariſmus latinitati in ſimplicibus uerbis. Sunt enim hæc uitia, alterum inconſequentis, alterū illatiuæ orationis. Communia ſimplicium coniunctorumq; uerborū ſunt, & cætera.] Communia dicit non in altero tantum, ſed in utroque genere uerborum. Lumina, ornamenta elocutionis appellat, quæ eminent in dicendo, & inſignem orationem efficiunt. Multæ enim uerborum ſententiarumq; figuræ in his quinque comprehenduntur. Itaque tria illa, ſublime, medium ſubtile, magnam ornatus partem hinc ducunt, cum in ſublimi genere, illuſtri: in medio, ſuaui: in ſubtili, dilucida & breui & probabili oratione utamur. Dilucidum fit uſitatis uerbis.] Vſitata uerba ſunt, quibus utuntur omnes. Propria, ſua rerum uocabula, non tralata. Diſpoſita, ſtructa recto ordine, non perturbata, nec longe traiecta. Perturbata enim ſunt.

Tris notus abreptas in ſaxa latentia torquet,
Saxa uocant Itali, medijs quæ in fluctibus aras.

Traijciuntur, quorum ſententia longe ſuſpenditur: ut Act. 7. Non argentum, non aurum, non ueſtem. deinde longe poſt redditur, Eſt hic Stenius: & quæ ſequuntur. Circunſcriptio concluſa, periodus eſt, apte finita ſententia. Intermiſſio fit membris: conciſio articulis, quibus utimur hoc modo, Tu ingredi illam domum auſus es? tu illud ſanctiſſimum limen intrare? tu illarum ædium dijs penatibus os illud importuniſſimum oſtendere? quæ membratim dicta ſunt. Deinde inſtituitur periodus duobus membris, Quam domum aliquando nemo aſpicere poterat, nemo ſine lachrymis præterire. Concluditur, Hac te in domo tam diu diuerſari non pudet? Et altera concluſio, In qua quamuis nihil ſapias, tamen nihil poteſt tibi eſſe iucūdum. Deinde cæſim dicitur, An tu illa ueſtibula, roſtra, ſpolia, cum aſpexiſti? Iterum membratim: domum tuam te introire putas? Fieri non poteſt. Sequitur concluſio tum intermiſſa, tum cæſa: Quamuis enim ſine mente ſis, ut es, tamen & te, & tua, & tuos noſti. Obſcurum autem.] Obſcurum dilucido contrarium eſt, quare ei ſubijcitur. Longitudo orationis eſt in hyperbatis, quibus ſuſpenditur ſententia, traiectis longe uerbis: ut, Non argumentum, non aurum, non ueſtem, ut ſupra. Contractio fraudat intellectum auditoris, ambiguitas diſtrahit, inflexio & immutatio obſcurant ſenſum orationis. Contractum genus notatur ab Horat. Breuis eſſe laboro, Obſcurus fio. Ambiguum eſt, Aio te Aeacida Romanos uincere poſſe. Inflexum, hoc eſt tranſlatum: ut, Vxorem Antonij Pop. Rom. penſionem tertiam debere. Immutatum: ut, Periere mœnia Troiæ, propter Laomedontem, qui Neptuno & Apollini promiſſa non ſoluit. Breuitas autem cōficitur ſimplicibus uerbis.] Breue genus dicendi fit, cum amputatis non neceſſarijs uerbis, ſoli perſpicuitati ſeruitur, quod σύντομον appellatur. qualis fuit uetus Atticorum dictio, quam expreſſit Salluſtius, & quo genere ipſe in narrationibus ferè & in diſputationibus ſubtilioribus uſus eſt. Sed eſt & alterum genus uelociter ponendi rem: ut, Veni, uidi, uici. Effertur, imus, In ignem poſita eſt, fletur. quam βραχυλογίαν uocant. Vtrunque oratoris eſt proprium, & hoc priori adiungitur, cū in cōuerſo genere dicendi aſſumpta uerba remouentur, nō fit hoc genus, ſed uerba uerbis cōmutantur, ſicut infra docebitur. Probabile genus orationis eſt, &c.] Probabile, Id eſt, credibile, non argumentis, ſed ipſo genere elocutionis, quod in uerbis poſitum eſt. Non nimis comptum & expolitum eſt, quod caret eo ornatu, qui ad uoluptatem aurium adhibetur, qualis demonſtratiui generis proprius eſt, ut ex contrarijs pariter relatis, duplicatis uerbis, iteratis, comparibus, ſimiliter deſinentibus, agnominatis, quæ paulo poſt explanabimus. Auctoritas & pondus eſt in uerbis, quæ ſignificant grauitatem, ſanctitatem, prudentiam dicentis: ut, Quo uobis mentes, quondā quæ ſtare ſolebāt Antehac, præcipiti ſeſe flexere ruina? Et Cic. Quæ, malum, eſt iſta uoluntaria ſeruitus? fuerit aliqua neceſſaria. Et pro Sex. Roſc. Quid tam eſt commune, quàm ſpiritus uiuis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus eiectis, & quæ ſequuntur de parricidarū ſupplicio. Item illa pro Cluentio: Vxor generi, nouerca filij, filiæ pellex. Sententia grauis eſt, Mortem nec forti uiro turpem, nec immaturam conſulari accidere poſſe. Apta opinioni hominum & moribus, Fecerunt ſerui Milonis quod quiſque in tali re ſeruos ſuos facere uoluiſſet. Item, Oderunt quem metuunt, Nihil eſt quod pecunia expugnari nō poſſit. Illuſtris oratio eſt, ſi & uerba.] Illuſtre eſt, quo res penè ſentitur, atque ante oculos conſtituitur. ut in Verrem: Ipſe inflammatus ſcelere & furore in forū uenit, ardebant oculi, toto ex ore crudelitas eminebat. Expectabant omnes quo tādem progreſſurus, aut quid'nam acturus eſſet, cum repente hominem proripi, atque in foro medio nudari, ac deligari, & uirgas expediri iubet: & quæ ſequuntur. Verba grauitate delecta ſunt, quæ uim & ἐνέργειαν habent, ut ſcelere & furore, & crudelitas eminebat: item proripi, deligari. quæ omnia grauiora ſunt, quàm ſi iratum Verrem, hominem productum & ligatum diceret. Tranſlata, ut inflammatus ſcelere, ardebant oculi. Superlata, quæ fidem excedunt. ut in Antonium, Is fruſtris eſculentis, uinum redolentibus totum tribunal impleuit. Ad nomen adiuncta, ut hæc ipſa, Fruſtis eſculentis, uinum redolentibus: quæ euidentiora ſunt, quàm ſi fruſtis tantum dixiſſet. Duplicata: ut, Aſpicite aſpicite iudices ſquallorem, ſordeſq; ſororum. Idem ſignificantia: ut, Hæc tanta uirtus expelletur, exterminabitur, eijcietur: Abijt, exceſſit, euaſit, erupit: quæ non ſolum demonſtrant rem, ſed etiam uim afferunt orationi. Ab actione ipſa, atque ab imitatione rerum non abhorrent: ut in Verrem: Inter dolorem, crepitumq; plagarum, in quibus uerbera ipſa ſonare uidentur. Et apud Virg. Sonat icta bipennibus ilex. Item, turris illa cadens: Ea lapſa repente ruinam Cū ſonitu trahit, quæ ſimili ſenſu aures feriunt, & coram geri uidentur. Ergo hoc totum genus uerborū non mentem tantū, ſed etiam ſenſus mouet, et maxime oculos, qui ſunt cæteris acriores. utunturq; eo præclare cū poetæ, tum oratores, & quicunq; res geſtas deſcribunt. Suaue autē genus.] Hoc genere maxime utimur in laudando, ſicut in contendendo illuſtri. Sed ſicut laudatio frequenter in cætera quoque genera incidit, ita & ſuauitas in eiſdem uerſatur, nempe in deliberationibus & iudicijs. Itaque in his etiam ſuauitatis exempla multa, & inſignia, obſeruare licebit. Elegantia eſt lenium ac nitidorum uerborum, iucunditas ſonantiū, quæ ſupra notata ſunt. Lenia enim ſunt: ut, Niſæ, Spioq;, Thaliaq;, Cymodoceq;, Cæſariem effuſæ nitidam, per candida colla. Sonantia & iucunda, Dulces ante omnia Muſæ: &, Os humeroſq; deo ſimilis. Item illa pro Marcello, Tantam enim manſuetudinem, tam inuſitatā, inauditamq; clementiam, tantum in ſumma poteſtate rerum omniū modum, tam denique incredibilem ſapientiam, ac penè diuinā, tacitus nullo modo præterire poſſum: quæ non ſolum per ſe iucunda, ſed apta etiam, & molliter iuncta ſunt. Aſperos enim concurſus habent, Sola mihi tales caſus Caſſandra canebat, & Bactra premunt. Hiantia ſunt, cum uocales concurrunt, uel cum eiſdem in litera, ut Aeria aues, tantum audent. Itaque altera

tera

tera eliditur apud poetas, ut Maleum ille & terris. Circumſcripta oratio, eſt periodica, quæ non longo anfractu circumducenda eſt, ne lædat ſpiritum oratoris, & hoc ipſo auditori moleſta ſit. Similitudinem habent agnominata uerba, quam παρονομασίαν uocant: ut, non ex urbe emiſſus, ſed in urbem immiſſus: ex oratore arator factus: in gremijs meretricum mentum mentemq́; deponere. Item ſimiliter deſinentia & cadentia: ut, Abijt, exceſſit, euaſit, erupit: Omnia audienti, magna metuenti, nonnulla etiam credenti. hæc ὁμοιόπτωτα, illa ὁμοιοτέλευτα uocant. Aequalitatem habent, quæ in membris ſunt comparia, ἰσόκωλα dicuntur: ut, Non minus nunc in iudicio cederet Sexti Ebutij impudentiæ, quàm tum in ui facienda ceſſit audaciæ. Item, Domus tibi deerat? at habebas. pecunia ſupererat? at egebas. Similitudo enim in uoce eſt, æqualitas in numero uerborum. Contraria crebro ſumpta, & pariter reſpondentia, ſunt in antithetis: ut, Eſt hæc non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, uerum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus, ad quam non docti, ſed facti: non inſtituti, ſed imbuti ſumus. Relata ad idem uerbum: ut, Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia, quam ζεῦγμα grammatici, auctor ad Herenn. adiunctionem uocat. Geminata atque duplicata penè eadem ſunt. Geminata tamen, Me me adſum qui feci, Tu tu Antoni: &, Iam iam minime miror. Duplicata: Occidi occidi, Confiteretur confiteretur inquam: ut hæc plurium ſyllabarum ſint, illa diſſyllaba. Iterata ſunt, ex interuallo repetita: ut, Nihil'ne te nocturnum præſidium Palatij, nihil urbis uigiliæ, nihil timor populi. in Catil. Copulata: ut, Et nomẽ pacis dulce eſt, & res ipſa ſalutaris. Itẽ illa, Niſæe, Spioq́; Thaliaq́; Cymodoceq́;. Diſſoluta: Expelletur, exterminabitur, eijcietur: Veſtibula, roſtra, ſpolia. Inuiſum eſt. non ante oculis uſurpatum. In quo In priuat, non auget: ſicut in inuideo. Itaq; uerbo uſitato noue utitur. Inuiſum igitur eſt, elephantos uel leones ad currum iunctos fuiſſe: inauditum, ſocrum expulſa filia genero nupſiſſe: nouum, Antonium nuper Brunduſij centuriones occidiſſe. Motum aliquem miſcet oratio, quæ una cum re affectum ſignificat: ut illi me comitem et conſanguinitate propinquum, Pauper in arma pater primis huc miſit ab annis. Et, Cui me moribundam deſeris hoſpes? Hoc quoniam ſolum nomen de coniuge reſtat. Et ipſe in Verrem: Grandis natu parens adductus ad ſupplicium, ex altera parte filius. Flebat uterque non de ſuo ſupplicio, ſed pater de filij morte, de patris filius. Item Terentius: Filiũ habeo, ah quid dixi habere me? immo habui Chreme. Fit enim frequẽter, non ſolum cum proprie hoc agimus, ſed etiam cum argumentamur uel narramus. Amabiles mores exprimuntur ex animo humano ac liberali, non cum hæc dicuntur uerbis, ſed cum ultro ex oratione intelliguntur: ut, Patria, quæ mihi uita ipſa charior eſt: in Cat. Et in Antonium: Hæreditatem negaſti mihi uenire. Vtinam hoc tuum crimen uerum eſſet, plures amici mei et neceſſarij uiuerent. Et pro Milone: Quid poſſum putare me reſtitutum, ſi diſtrahor ab ijs per quos ſum reſtitutus? Sed ubique exempla occurunt. Inflexio ſermonis ſupra declarata eſt, cũ de ſimplicibus uerbis loqueremur. Fit enim, cũ admirabilius aliquid, quã patitur ſermonis cõſuetudo, ornamus: idq́; uel augẽdi alterius cauſa, ut P. Lentulus deus ac parens uitæ noſtræ: uel ſui minuendi, ut Ad me unum hominem fractũ ac diſſipatum reſtituendum uenirent. Fractum & diſſipatum dicit, exilium ſuum ſignificans, in Senat. poſt redit. ſuum. Hæc præcepta conſilio moderanda ſunt, ne uel obſcurent orationem, uel minus probabilem efficiant. ſi omnia ſuauitatis momenta ſine delectu conſectemur. Itaque adhibendum eſt iudicium, & non ſolum uoluptati, ſed etiam utilitati ſeruiendum. Reliquum eſt igitur ut dicas.] Quæ ſit ſponte fuſa, quæ conuerſa oratio, ſupra dictum eſt. ubi illud etiam admonuimus, ſponte fuſam ſeparate fieri, conuerſam nunquam extra illam, ſed contexi cum eadem, & miſceri in unum corpus elocutionis. Non enim idcirco conuerſa dicitur, quòd omnibus in uerbis, totoq́; curſu dicendi mutata ſit: ſed cum natura omnis ſimplex & recta ſit oratio, hæc ipſa tunc conuerſa dicitur, cum artificio dicendi modo dilatatur ex uerbo aliquo, modo rurſus ad naturã & ad ſimplicem dicendi formam reuocatur. Vt aut ex uerbo dilatetur.] Ergo omnis ſimplicium uerborum conuerſio in dilatando & contrahendo poſita eſt, non quod dilatatio omnis & contractio uertat orationem: ſed cum hæc fiunt uerbis, non rebus in dicendo, hoc eſt, cum uerborum, non rerum gratia adhibetur, uerſanturq́; in eloquendi non inueniendi ratione. Oratoriæ enim facultatis eſt, rem quamuis modo late, modo anguſte dicere, & commutare uerba, præſertim in magno & ornato genere dicendi, ut non ſolum uberius ac ſpecioſius dicantur ea quæ ornanda ſunt, ſed augeatur etiam uoluptas auditoris, et magna atque affluens oratio admirabilior efficiatur. Cum aut proprium, aut idem ſignificans.] Quæ ſint propria, quæ facta uerba, ſupra dictũ eſt. Idem ſignificans intelligitur, quod loco proprij poſitum tantundem ualet: ut Thalamo quæ fixa reliquit Impius, pro Aenea. Sic conſul, imperator, dictator, pro Cæſare: Sector Pompeij, pro Antonio: Iam'ne ſentis bellua, nunc aude ò furia, pro Piſone quæ per antonomaſian & translationẽ dicta ſunt. Hæc in plura deducuntur dupliciter, uel idem dicendo commutatis uerbis, uel eadem de re. Idem dicitur definiẽdo, interpretando, attollendo, multiplicando, idq́; tum ſimplicibus, tum coniunctis uerbis. Definitio intelligitur quæuis rei uel perſonæ deſcriptio, qua quid latius, quàm uerbo, exprimitur. Ea additur uerbo, uel etiam in locum eius aſſumitur, tum ſimplex, tum frequens & conglobata. Simplex, ut Cn. Pomp. lumen & decus popu. Romani. P. Lentulus deus ac parens uitæ noſtræ. Ille gurges atque helluo, natus abdomini ſuo, non laudi atque gloriæ: pro Gabinio ubi in locum uerbi definitio ſubijcitur. Frequens & conglobata eſt: P. Lentulus ultor ſceleris illius, propugnator ſenatus, defenſor ueſtræ uoluntatis, patronus illius publici conſilij, reſtitutor ſalutis meæ. Item, Verres ille uetus proditor conſulis, translator quæſturæ, auerſor pecuniæ publicæ. Et de curia incenſa in funere Clodij: Vidimus templum ſanctitatis, amplitudinis, mentis, conſilij publici, caput urbis, aram ſociorum, portum omnium gentium, ſedem ab uniuerſo pop. Romano conceſſam uni ordini, inflammari, excindi, funeſtari. Interpretationem uocamus, cum id quod ſemel dictum eſt, uerbis idem ualentibus, aut etiam eundem ſenſum efficientibus iteratur. Quod fit tum ſingulis, tũ coniunctis uerbis. Singulis hoc modo, ut in Verrem: Tibi ſeuebo, te inquam adiuuabo. Quid cum ignes ardenteſq́; laminæ admouebantur? Si te illius acerba imploratio, & uox miſerabilis non inhibebat. Item, Hic locus unus eſt, hic portus, hæc arx, hæc ara ſociorum. Coniunctis: Hac ſe commemoratione ciuitatis omnia uerbera depulſurum, cruciatumq́; à corpore deiecturum arbitrabatur. ead. Act. 7. Item Rempub. radicitus euertiſti, ciuitatem funditus deleuiſti: quam proprie interpretationem uocat auctor ad Herẽnium, eodemq́; exemplo utitur. Nos Verbum latius extendimus, atque hanc etiam interpretationem uocamus: Verres'ne tibi tanti fuit, ut eius libidinem hominum innocentium ſanguine lui uelles? Idcirco'ne exercitum atq; hoſtem relinquebas, ut tua ui & crudelitate iſtius hominis improbiſſimi pericula ſubleuares? Item, Philippica tertia. Quid niſi in hac repub. natus eſſet, Rempub. ſcelere Antonij nullam haberemus: ſic enim perſpicio, ſic iudico, niſi unus adoleſcens illius furentis impetus crudeliſſimoſq́; conatus cohibuiſſet, rẽpub. funditus interiturã fuiſſe. Et Philip. 2. Tu ingredi in illã domũ auſus es? tu illud ſanctiſſimũ limen intrare? tu illarũ ædiũ dijs penatibus os illud importuniſſimũ oſtendere? quo in loco duorũ uerborũ ter cõmutatio facta eſt inuehendo, cum in priori interpretatio affirmauerit. Attollendo commutantur uerba, cum aſſumũ-

tur grauiora in eandem rem, & maxime gradatim aſcendentia. Itaque fit collatione uerborum, correctione, & gradatione. Collatione: Non furem, ſed ereptorem, non adulterum ſed expugnatorem pudicitiæ, non ſacrilegum, ſed hoſtem ſacrorum religionumq́; non ſicarium, ſed crudeliſſimum carnificem ciuium ſociorumq́; in ueſtrum iudicium adduximus: ubi leuiora grauioribus commutantur. Correctione, Quas ille leges, ſi modo leges nominandæ ſunt, ac non faces urbis & peſtis Reipub. item, Cuius autem, qui in eo numero fuiſſet, nomen oculatum? oculatum dico, cuius non ſtatim diuulgatum? Et in Verrem: O clementiam populi Romani, ſeu potius patientiam miram ac ſingularem. Gradatione: Abijt, exceſſit, euaſit, erupit. Item inflammari, excindi, funeſtari: quæ ſimplicia & abſoluta ſunt. Suſpenſa autem & poſtea concluſa: Si quis rex, ſi qua ciuitas exterarum gentium, ſi qua natio feciſſet aliquid in ciuem Romanum, non'ne publice uindicaremus? non'ne bello perſequeremur? poſſemus hanc iniuriam ignominiamq́; nominis Rom. inultam impunitamq́; dimittere? in quibus poſterioribus interpretatio eſt, in prioribus incrementum. Quod ſequitur, pluribus gradibus aſcendit: Si hæc non ad ciues Rom. non ad aliquos amicos noſtræ ciuitatis, non ad eos qui populi Rom. nomen audiſſent, ſi non ad homines, uerum ad beſtias, aut etiam ut longius progrediar, ſi in aliqua deſerta ſolitudine ad ſaxa & ad ſcopulos hæc conqueri & deplorare uellem, tamen omnia muta atq; inanima tanta, & tam indigna rerum atrocitate commouerentur: quæ omnia in altum excurrunt. Sed ab inferiori etiam repetuntur. ut, Facinus eſt uincire ciuem Rom. ſcelus uerberare, propè parricidium necare, quid dicam in crucem tollere? Et in Verrem: Scelus eſt accipere ab reo, quanto magis ab accuſatore? quanto etiam ſceleratius ab utroque? Quomodo etiam exaggerantur quæ in re, non in uerbis poſita ſunt? ut in Antonium: Sororem tuam eieciſti, alia conditione quæſita & ante perſpecta. non eſt satis, probri inſimulaſti pudiciſſimam fœminã, quid eſt quod addi poſſit? contentus eo non fuiſti, frequentiſſimo ſenatu Calend. Ian. ſedente patruo tuo, hanc tibi eſſe cum Dolabella odij cauſam auſus es dicere, quod ab eo ſorori et uxori tuæ ſtuprum oblatum eſſe comperiſſes. quis interpretari poteſt impudentior'ne, qui in ſenatu, &c. quæ non ſunt huius loci, ſed ad ſimplicem augendi rationem pertinent: quia non uerbis aſſumptis, ſed re ipſa attolluntur. Multiplicando commutatur oratio, cum non augendi, neque interpretandi gratia aſſumuntur uerba, ſed frequentantur in eo quod dicitur, ut non unum, ſed multa eſſe uideantur. Fit tum idem ualentibus uerbis, tum diuerſis, & ex his, alijs ut partibus totius, alijs adiunctis uel conſequentibus, alijs ut penitus diuerſis. Idem ualentia aſſumuntur quaſi interpretando, ut pro Marcel. Tantam enim manſuetudinem, tam inuſitatam inauditamq́; clementiam, tantũ in ſumma poteſtate rerum omnium modum, tam deniq; incredibilem ſapientiam ac penè diuinam tacitus nullo modo præterire poſſum. quæ quamuis interpretari uidentur, tamen hoc nõ agitur, ſed congeruntur multa in eandem rem, ut tot dici uideantur. Simile eſt pro Ligario: Quid enim Tubero tuus ille in acie Pharſalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? quis erat ſenſus armorum tuorum? quæ tua mens, oculi, manus, ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? quam congeriem uocat Quintilianus, non rerum, ſed uerborum multiplicationem. Aſſumptis partibus multiplicamus, hoc modo: Horum flagitiorum ille ueſtigijs omnia municipia, præfecturas, colonias, totam denique Italiam impreſſit. Et in Piſonem: Oculi, ſupercilia, frons, uultus denique totus. Adiuncta ſunt accidentia, uel quæ conſequuntur rem aliquam: ut, Ego cædem, incendia, rapinas, uaſtitatem à tectis huius urbis, & à capitibus ueſtris depuli: pro coniurationis periculo. Sic econtrario, ubertatem agrorum, frugum copiam, otium, tranquilitatem, iudicia, leges, pro pace dicimus, quod hæc eam conſequantur. Diuerſa congeruntur & commutant orationem, non cum in re ſunt, ſed cum multiplicandi cauſa aſſumuntur. ut, Quid eſt in Antonio præter libidinem, crudelitatẽ, petulantiam, audaciam? nihil eſt in eo ingenuum, nihil moderatum, nihil prudens, nihil pudicum. Et in Verrem: Huius furta, rapinas, cupiditatem, crudelitatem, ſuperbiam, ſcelus, audaciam imperatorijs laudibus tegere conaris? Quæ etiam in totidem alia diſtribui poſſunt: ut, quas res luxuries in flagitijs, crudelitas in ſupplicijs, auaritia in rapinis, ſuperbia in contumelijs efficere potuiſſet. Et in deſcribendo: Perſonabant omnia uocibus ebriorum, natabant pauimenta uino, madebant parietes, ingenui pueri cũ meritorijs, ſcorta inter matresfamilias uerſabantur. Ergo his quatuor modis, eandem rem cõmutatæ dicimus. Quod ſi cui plures eſſe uidebuntur, ſciat genera quatuor eſſe, ſpecies fortaſſe plures, quæ tamen eodem referentur. Illud ignorandum non eſt, miſceri hæc interim inter ſe, & unum genus in alterum cadere: ut, Tantæ'ne Verres libidines tuæ erant, ut eas non prouinciæ pop. Rom. non exteræ nationes capere poſſent? Tu'ue quod uideris, quod audieris, quod concupieris, quod cogitaris, niſi id ad nutum tuum præſto fuerit, niſi libidini cupiditatiq́; tuæ paruerit, iuitentur homines? expugnabuntur domus? ciuitates non modo pacatæ, uerumetiam ſociorum atque amicorum ad uim atq; ad arma confugient, ut ab ſe atque ab liberis ſuis legati populi Romani ſcelus atque libidinem propulſare poſſint? Quæ comprehenſiones duæ ſunt, quarum poſterior priorem interpretatur: ſed incrementum interim, & rurſus interpretatio, item congeries in eandem incidunt. De eadem re commutatis uerbis dicitur, cum id quod ſimpliciter dici poterat, explanatur pluribus uerbis, & in hanc uel illam partem uerſando dilatatur. Commorationem uocat Cicero in tertio de Oratore auctor ad Herennium expolitionem. Conſtat ratione, contrario, ſententia, ſimili, exemplo, quæ cum in unum quaſi corpus conferuntur, id quod aliquando fit, non ſemper, tunc initio additur propoſitio, & concluſio in fine, qua totus locus abſoluitur: Ratione fit hoc modo: Etſi turpe eſt iudices pro fortiſſimo uiro dicere incipientem timere, & quæ ſequuntur. Deinde ratio, Hæc enim noua iudicij forma terret oculos, qui quocunque inciderint, ueterem conſuetudinem fori minime uident. Eadem interim duplicatur: ut, Me quidẽ miſeret parietum ipſorum, atque tectorum. Ratio: Quid enim unquam domus illa uiderat niſi pudicum, niſi ex optimo more, & ſanctiſſima diſciplina? Cui altera ſubtexitur: Fuit enim ille uir P. C. ſicut ſcitis, cum foris clarus, tum domi admirandus, neque rebus exteris magis laudandus, quàm inſtitutis domeſticis. Priorem ἐξεργασίαν, poſteriorem ἐπεξεργασίαν Græci rhetores uocant, hoc eſt, probationem, & eiuſdem probationis repetionem, ut Fabius interpretatur. Contraria aſſumuntur hoc modo: Fidem ſanctiſſimam in uita qui putat, poteſt ei non inimicus eſſe, qui quæſtor conſulem ſuum conſilijs commiſſis, pecunia tradita, rebus omnibus creditis, ſpoliare, relinquere, prodere, oppugnare auſus ſit? Pudorem & pudicitiam qui colit, poteſt animo æquo iſtius quotidiana adulteria, meretriciam diſciplinam, domeſticum lenocinium uidere? Qui religiones deorum immortaliũ retinere uult, ei qui fana ſpoliarit omnia, qui ex thenſarum orbitis prædari ſit auſus, inimicus non eſſe qui poteſt? & quæ ſequuntur, Actione 5. cuius totum illud principium in hoc genere conuertendæ orationis uerſatur. Sententia, eſt uox uniuerſalis, ut ait Fab. quæ etiam citra complexum cauſæ poſſit eſſe laudabilis. ut pro Ligario: Nihil eſt tam populare quàm bonitas. item: Nihil habet Cæſar nec fortuna tua maius, quàm ut poſſis: nec natura melius, quàm ut uelis ſeruare quamplurimos. Etiã duplicatur: ut, Obſequium amicos, ueritas odium parit. Sed iſta pluribus explicantur à Fabio. Illud obſeruandum eſt, ſententiam modo per ſe poni ornandi cauſa, modo rationem efficere, quod natura ad id apta ſit, ut in illo exordio, quod paulo ante citauimus: Omnes

qui

qui alterum, iudices, nullis inimicitijs, nulla priuatim læſi iniuria, &c. Deinde ratio, quæ & ſententia: Legem enim ſibi ipſi indicunt innocentiæ, continentiæ, uirtutumq; omnium, qui ab altero rationem uitæ repoſcunt: atque eo magis, ſi id, ut ante dixi, faciunt nulla re commoti alia, niſi utilitate commune. Superaddit ἐπιτιμητικῶς, Nam qui ſibi hoc ſumpſit, ut corrigat mores aliorum, ac peccata reprehēdat, quis huic ignoſcat, ſi qua in re ipſe ab religione officij declinarit? Similia in explanando magnam uim habent, et illuſtrant orationem, quibus ipſe ſic utitur in Antonium: Vt igitur in ſeminibus cauſa eſt arborum & ſtirpium, ſic huius luctuoſiſſimū belli ſemen tu fuiſti. Et paulo poſt: Vt Helena Troianis, ſic iſte Reipub. cauſa belli, cauſa peſtis atque exitij fuit. Et in Verrem: Verſabatur in Sicilia longo interuallo, alter nō Dionyſius ille, nec Phalaris (tulit enim illa quōdam inſula multos & crudeles tyrannos) ſed quoddam nouum monſtrum, ex uetere illa immanitate, quæ in eiſdem locis uerſata eſſe dicitur. Non enim Charybdim tam infeſtam, neque Scyllam nautis, quàm iſtum in eodem freto fuiſſe arbitror. Exempla eiuſdem generis ſunt, niſi quod ex factis ducuntur, & ad mores ferè pertinent: ut, Quod nos uitium in priuatis ſæpe tulimus, id maiores noſtri ne in rege quidem ferre potuerunt. Iunius Brutus regem ſuperbum non tulit, D. Brutus ſceleratum atque impium regnare patietur Antonium? Et in Catilinam? P. Scipio Tyberium Gracchum rempubl. mediocriter labefactantem priuatus interemit, L. Catilinam orbem terrarū cæde atque incendijs uaſtare cupientē, nos conſules perferemus? Hæc cum ſumuntur probandi cauſa, non ſunt huius loci, ſed cū ornant, & immutatione uerborum explanant orationem.

Ex oratione, cum aut definitio ad unum uerbum reuocatur.]

Ex oratione contrahitur oratio, cum quæ ad dilatandum adhiberi ſolent, remouentur. Eſt enim contraria dilatationi contractio. Itaque definitio reuocatur ad unum uerbum, cum ea omiſſa uerbum ſolum ponitur: ut ſi pro eo qui Carthaginem & Numantiam deleuit, Scipionem: pro eo qui de Mithridate, Africa & Hiſpania triumphauit, Pompeium dicas. Aſſumpta uerba quomodo remoueantur, ex interpretandi, augendi & multiplicādi ratione intelligitur, nempe detrahendo ea quæ ornādi cauſa adiuncta fuerunt: ut, Eſt hæc non ſcripta, ſed nata lex: hoc ſimplex eſt. Additur interpretatio: Quam non didicimus, accepimus, legimus, expreſſimus: & quæ ſequuntur. Quæ ſi remoueris, contractam orationem efficies. ſed uidendum erit, ne contrahas quæ dilatanda erunt, aut contra dilates quæ ſimpliciter dicta plus eſſent approbationis habitura: quod erit primum ex cauſis ipſis, deinde in ſingulis elocutionis partibus, ex rebus, perſonis, locis, temporibus ſpectandum. In circuitum diriguntur uerba, quæ cum membratim ac ſolute dici poſſent, in periodum includuntur: quod fit non ſolum in concludenda ſententia, ſed etiam in reliquo curſu orationis. Eſt enim circuitus omnis breuior quàm ſoluta oratio, non quòd pauciora uerba contineat, ſed cum ex eiſdem uerbis ſit confectus, tamen orationem uelut in orbem includens, certo principio ac fine complectitur. Exemplum eſt ſtatim in principio pro Milone, ne quis longe quærat: Etſi uereor Iudices, ne turpe ſit pro fortiſſ. uiro dicere incipientē timere, minimeq; deceat, cū T. Annius Milo ipſe magis de Reipu. ſalute, quàm de ſua perturbetur, me ad eius cauſam parem animi magnitudinem adferre non poſſe: tamen hæc noui iudicij noua forma terret oculos, qui quocunque inciderint, ueterem conſuetudinem fori, & priſtinum morem iudiciorum minime uident. quæ una ſentētia eſt, ſed in expoſitionē eius aſſumpta interpretatio, & directa in eundē circuitum: quæ ſi extra aſſumpta eſſet, longior fieret oratio. Summa enim eius eſt. Etſi uereor iudices, ne turpe ſit pro fortiſſimo uiro dicere incipientem timere, tamen hæc noui iudicij noua forma terret oculos. Huic ſi addas interpretationem extra circuitum, uidebitur nō minus longa, quàm prima fuit. Verear enim ne minime deceat, cum T. Annius Milo ipſe magis de Reipub. ſalute quàm de ſua perturbetur, me ad eius cauſam parem animi magnitudinem afferre non poſſe. Sed omnia plena exemplorū ſunt, præſertim in amplo ornatoq; dicendi genere, ut pro Milone, pro Seſtio, pro Domo ſua. Itaque pro Seſtio eſt: Denique cum omnia ſemper ad dignitatem retuliſſem, nec ſine ea quidquam expetendum eſſe homini in uita putaſſem, mortem quam etiam uirgines Athenis, regis opinor Erechthei filiæ, pro patria contempſiſſe dicūtur, ego, uir conſularis tantis rebus geſtis timerem? Vbi interpretatio & exemplum breuiter comprehenduntur: quæ ſi remoueas, erit contractior, ſed iam ſimplex & ſponte fuſa oratio, hoc modo: Denique cum omnia ſemper ad dignitatem retuliſſem, mortem ego uir conſularis tantis rebus geſtis timerem? Sed adduntur priora ornandi cauſa quæ ſi extra circuitum adderentur, dilatarent orationem. nunc cum periodo incluſa ſint, contrahunt eandem, & ex diuerſo genere immutant. In coniunctione fit unū uerbum ex duobus, cum nouantur adiunctione uerba & componūtur: ut parricida pro patris interfectore, plebicola pro cultore plebis, circumretitus pro undique capto & implicato.

In coniunctis autē uerbis triplex adhiberi poteſt cōmutatio.] Coniunctorum uerborum commutatio in ordine & collocatione eorundem uerſatur. Itaque directe dicitur: Pompeius piratas toto mari expulit. Surſum uerſus ac retro, Toto mari piratas expulit Pompeius. Interciſe: Piratas toto mari, toto inquam mari piratas non expulit dico, ſed profligauit toto mari, exterminauit, deleuit Pompeius. Sic in Antonium ipſe Philippica ſecunda primū directe, deinde ſurſum uerſus: Suſtulit illum diem fortuna pop. Rom. tum etiam tuum de auſpicijs iudicium interitus Cæſaris ſuſtulit. Et pro Milone: Negat enim ſe, negat ingratis ciuibus feciſſe quæ fecerit, timidis et omnia circumſpicientibus pericula nō negat. Et paulo poſt: Vos uos appello fortiſſimi uiri, qui multum pro Repub. ſanguinem effudiſtis, uos in ciuis inuicti appello periculo centuriones, uosq; milites. Interciſe autem: Veſtrum iam hic factum deprehenditur P. C. non meum, ac pulcherrimum quidem factum, uerum ut dixi, non meum, ſed ueſtrum. Item ad Brutum: Ego cum in gratiam redierim cum Ap. Claudio, et redierim per Cn. Pompeium, te ego ergo cum redierim. quam πλοκὴν à quibuſdam appellari Fabius tradit. Hoc genus commutationis numeroſam orationem efficit, non pedibus ac temporum interuallis, quæ ſyllabarum natura conſtant, ſed ordine & collocatione uerborum, quem numerum concinnitatis ipſe in Bruto appellat.

Eloquendi autem exercitatio.]. Idem admonet auctor ad Herennium de expolitione, quæ ad conuerſum genus dicendi pertinet. ſicut paulo ante explicatum eſt.

Si cum orationis genere conſentient.] Hoc eſt, ſi læta hilariter triſtia meſte, magna grauiter, atrocia uehementer agemus, nec eodem corporis motu omnia, nec uultu eodem. Eſt enim alia gaudentis, alia irati, alia miſerantis actio.

Germana literaturæ.] Id eſt, ſimilis ſcripturæ.

Imagines ut literas collocat.] Rerum & uerborum imagines intelligit, quæ finguntur ab oratore, & certis locis diſponuntur, ut in memoria repetenda ordinē eundem ſequatur: de quo uide auctorem ad Herennium, qui totum hoc artificium explicat.

Maximeq; cum aliquid.] Debet enim amplificationem præcedere probatio, ut fidem motus ſequatur. Nemo enim mouetur ea de re, de qua ſit ita, necne, dubitat.

Itaque ad fidem.] Non directo ad fidē ualet amplificatio, ſed ex animorum permotione, ut cum affectu impulſi facilius credimus. Itaque argumentationi adiungi, uel implicari ſolet. ut pro Milone: An uero iudices uos ſoli ignoratis quas ille leges (ſi modo leges nominandæ ſunt, ac non faces urbis ac peſtes Reipub.) fuerit impoſiturus nobis omnibus, atque inuſturus. quæ legum inſectatio facit, ut facilius credatur cauſa inſidiarum in Clodio. Sic in Verrem ſæpe interponitur affectus

criminum expoſitioni, ut permotis animis fides proclinior conſequatur: ut, Quæ, malum, eſt iſta tanta audacia, atque amentia. & , Tanta'ne tuæ Verres libidines erunt. multisq́, alijs in locis. Ex rebus ipſis.] Id eſt, cauſis. Diſceptatorum, id eſt, deliberantium, uel iudicum. Aut meritis noſtris.] Horum exempla obſeruabis in orationibus, in quibus tamen raro ſingula, ſed duo ſæpe plura'ue ad beneuolentiam coniunguntur. ut pro Seſtio, meritum Seſtij erga Rempub. & ſuum officium, cũ aduerſariorum inſectatione: pro Deiotaro, dignitas regia, merita in Rempub. crudelitas & indignitas accuſatorum, perſona Cæſaris, locus iudicij. Virtutis.] Vt ſi Coriolanus, uel M. Manlius defendatur. Contrarijsq; rebus.] Vt licentia in accuſatores Roſcij, calliditate in Ebutium, pro Cecinna. Coniunctionis cauſa.] Vt ipſe in Verrem: Se in accuſando Verre ad leuandam iudiciorum infamiam acceſſiſſe. Coniunctionẽ enim commune commodum & periculum intelligit. Et ſi in nos aliquod odium.] Sub hoc genere inſinuatio comprehẽditur, quæ traditur ab auctore ad Herennium. Ipſe pro Murena & P. Sylla offenſionem in ſe collatam tollit. Contra Rullũ præmunit, ne oratio ſua parum gratis auribus accipiatur, quæ ad hunc locum, & ad inſinuandi rationem pertinent. Aut diluendo.] Diluitur, ſi falſum eſt: extenuatur, ut leuius efficiatur. Compenſamus, tantundem referendo in aduerſarium, quo offenſio in illum conuertatur. Deprecamur, petendo ut ignoſcatur: quod fit frequentius in peroratione, ut pro Milone, pro Sylla, pro Planco. Si complectare à principio genus naturamq;.] Quod fit ſignificando eo, in quo controuerſia eſt. ut pro Milone in fine exordij: Quãquã in hac cauſa iudices, T. Annij tribunatum. Si definias.] Vt Act. 6. Venio nunc ad iſtius, quemadmodum ipſe appellat, ſtudium: ut amici eius, morbum & inſaniam: ut Siculi, latrocinium: ego quo nomine appellem neſcio, rem nobis proponã: & quæ ſequuntur. In quibus eſt generis definitio, per ſubiectarum partium enumerationem. Si diuidas.] Vt ſtatim pro Cluentio: Animaduertite iudices. & in Verrem act. 3. ante criminum expoſitionem. Vocant etiam diuiſionem, cum ab eo, de quo conuenit, controuerſia ſeiungitur. ut pro Milone, non quæri de facto, ſed uter utri inſidias fecerit. Aut magna.] Vt pro Rabirio. Aut neceſſaria.] Vt Philippica. 7. Paruis de rebus, ſed fortaſſe neceſſarijs conſulimur. Coniuncta.] Ad commune commodum uel periculum pertinentia, ut pro Rabirio. Sit autem hoc etiam in præceptis.] Hoc genus extra cauſam eſt, ab occaſione aliqua petitum. ut pro Murena, à comprecatione ſolenni, quæ in comitijs fieri ſolebat: pro Milone, ab armato præſidio: pro Cælio, à tempore. Quæ tamen raro ſola, ſed cum officijs, laudibus, inſectationibus perſonarum ſumuntur. Et quæ ſuo loco de amplificatione dicemus.] Nempe quo genere uerborum in amplificando utendum ſit, de quo in peroratione dicetur. Si perſonis, ſi temporibus, ſi locis.] Vt cædẽ à ſicario nocte in deſerto loco factam: uenenũ ab uxore adultera in balneo datum. Si cuiuſque facti & euenti cauſa.] Exempla ferè omnium iſtorũ ſuppeditat narratio pro Milone. Item uaria & multiplex in Verrem, & pro Cluentio. Si teſtata dici.] Teſtata, teſtibus cognita: ut Fauonium, dictum Clodij de Milone ad Catonem detuliſſe. Si cum hominum opinione, auctoritate, &c. coniuncta.] Id eſt, ſi opinioni hominum, auctoritati, mori, legi, erunt conſentanea. Si antiquitas.] Id eſt, antiquitatis notitia. Si memoria.] Superiorum temporum recordatio. Si orationis ueritas.] Id eſt, uera dicendi conſuetudo. Vitæ fides.] Id eſt, dictorum factorumq́; conſtantia. Quæ habet admirationes.] Quæ efficit, ut admiretur auditor, ut expectet exitũ rei, idq; inopinatus ponatur. Motus autem animorum habet narratio, quæ ſignificat in exponenda re, quomodo hic uel ille affectus fuerit, & interim inducit colloquia perſonarum, & dolentes, iratos, metuentes, lætantes, cupientes exprimit. Hinc illa ſunt in comœdijs: Quid ais? occidi, perij, miſerum me, diſcrucior animi, ô cælum, ô terra, pro deum atque hominum fidem, mi Pamphile, euge Carine. Et Apud Ciceronem: Tum uero illa egregia ac præclara mater exultare lætitia, ac triumphare gaudio cœpit. Ille inflammatus ſcelere ac furore in forum uenit. Hærere homo, auerſari, rubere. Tum appellat hilari uultu hominem Balbus, ut blandiſſime poteſt, Quid tu, inquit, Pacete? Ecce tibi eiuſmodi ſortitio, Attendite exitum. Quid deinde, quid cenſetis? Furtum fortaſſe aut prædam expectatis aliquam: quorũ plenæ ſunt narrationes pro Cluentio, in Verrem, & in cæteris cauſis.

In primo coniectura ualet, &c.] Coniectura ueriſimilibus & proprijs rerum notis conſtat. Definitio, genere & proprietate declaratur: ſæpe etiam communium frequentia. Item contrarijs, diſſimilibus paribus, conſequentibus. & interim deſcriptio adhibetur. Ratio, probatio eſt, non ad coniecturam, neque ad definitionem, ſed ſimpliciter ad fidem accomodata. Sed hæc omnia ex locis ducuntur, qui ſupra deſcripti ſunt, tametſi alij alijs quæſtionibus aptiores ſint. Itaque ſingulorum generum proprij ſunt loci: In ueriſimilibus & proprijs.] Veriſimilia probabilia ſunt. Propriæ rerũ notæ, ſigna certa ac neceſſaria: quæ uel naturæ ſunt, ut fumus ignem ſignificans: uel è factis exiſtũt, ut cicatrix ex uulnere. Veriſimilia reperiuntur ex partibus.] Ex partibus, hoc eſt, iis quæ in cauſa ſunt, & in narrationem ueniunt. Hæc ab alijs uocantur circumſtantiæ, ut quis, quid, cur, ubi, quando, quomodo. Ipſe in ueteri Rhetorica, attributa perſonarum & negotiorum appellat. Omnis eorum materies in locis cauſarum, euentorum, coniunctorum uerſatur, qui ſupra notati ſunt. Exempla multa ſuppeditat cauſa Milonis, in qua eſt perſona Clodij, ſeditioſi ac uiolenti hominis, inimici Milonis. Locus pugnæ, Appia uia, ante fundum Clodij. Tempus, quo conſulatum petebat Milo, præturam Clodius, pugna ante ueſperã cõmiſſa. Facti conſilium in Clodio, qui odit Milonem, ſperauit cõmodum, noluit conſulem fieri Milonem, ſperauit impunitatem, armatus expeditus fuit, comites delectos habuit. Euentus antegreſſ: iter Milonis neceſſarium, concio tribuni plebis eodem die habita, neglectaq; à Clodio, ſenatus ſero dimiſſus. Poſt cædem reditus Milonis in urbem, rumores contempti, dictorum factorumq́; conſtantia. Natura negotij, uis, cædes, inſidiæ, quæ ſunt inimica legibus, periculoſa, inuiſa, maximeq; offenſa in candidatis. Iam facta & euentus aut conſilij ſunt.] Factis & euentis cauſæ ſubijciuntur, quæ tum conſilij ſunt, tum imprudentiæ. Conſilij, ut telum miſiſſe: imprudentiæ, ut percuſſiſſe quem nolueris. Caſus incertus euentus eſt, cuius cauſa ignoratur, ut ſi agrum fodiens theſaurum inuenias. Permotio in obliuione, errore, metu, cupiditate poſita eſt, quoniam hæc quoque imprudentibus nobis atque inuitis efficiuntur: ut Icarus oblitus præceptorum patris in mare decidit, errore Mutius obtruncauit ſcribam pro rege: metus aliquis ſe hoſti prodidit, fugit incautus, præcipitauit: cupiditate aurigandi Phaeton perijt. Ex his iam intelligitur, in imprudentia etiam neceſſitatem uerſari, cum quid imprudenter commiſſum, quo minus eueniat, uitari nõ poteſt: ut ſi tormento emiſſo, ferias quem nolueris: aut naui conſcenſa iacteris tempeſtate, aut inito itinere fluuio intercludare. Rerum aũt bonarum & malarum.] Hæc ad naturas rerum & negotiorum pertinent, ſed poſterius explicabuntur in deliberatiua quæſtione. Eſt etiam genus argumentorum aliud.] Hoc quoque genus factis adiunctum eſt, ſed differt à cæteris, quod illa intellectu tãtum, hoc etiam ſenſu comprehenditur, ut quæ oculis, auribus, cæterisq; ſenſibus in facto ipſo, uel ante, uel poſt percipiuntur. Ea propriè ſigna uocantur, ut telum & cruor ſigna cædis, fumus ignis, cicatrix uulneris, dictum Clodij, Milonem triduo periturũ eſſe, ſignum futurarum inſidiarum, quod cædem anteceſſit.

Multum

Multum tamen cum ſunt coacervata, proficiunt.] Vt pro Milone: Video adhuc conſtare omnia iudices, Miloni etiam utile fuiſſe Clodium uiuere, illi ad ea quæ concupierat optatiſſimũ interitum Milonis, & quæ ſequuntur. Item pro Sex. Roſcio: Quid ſi accedit eodem ut tenuis antea fueris? quid ſi ut auarus? quid ſi ut audax? quid ſi ut illius qui occiſus eſt inimicus? Atque in his ueriſimilibus inſunt.] Ea intelligit, quæ paulo ante ex facti ueſtigijs ſumi dixit, nempe ſigna propria ac neceſſaria, ut cicatrix uulneris, lac concepti fœtus, ruina portarũ ſtãtis quondam urbis. Hæc enim quamuis oriantur ex factis, & idcirco communi nomine ueriſimilia appellentur, tamen quia re ipſa ueriſimilia non ſunt, ſed propriæ ac certæ rerum notæ, idcirco eximuntur de numero, & ad diuerſum genus, quod in prima diuiſione ſeiunctum fuit, referuntur. Maximam autem facit fidem.] Exemplum eſt, ut Antonium centuriones Brũduſij in conſpectu uxoris occidiſſe, ergo inimicis ſuis Romæ parſurum non eſſe. Similitudo pro Cluentio: Iam hoc ignoratis iudices, ut etiam beſtiæ fame dominante plerunque ad eum locum ubi paſtæ aliquando ſint, reuertantur? Deinde adiungit exemplum de iudicio bonorum Safinij Atellæ, quod cũ Stalenus corrumpendum ſuſcepiſſet, pecuniam ſuppreſſerit. Eiuſdem generis eſt pro Seſtio, ubi nocendi facultas etiam in ignauis magiſtratibus oſtenditur: Sed ita eſt iudices, ut ſi gladium paruo puero, aut ſi imbecillo ſeni, aut debili dederis, ipſe impetu ſuo nemini noceat: ſin ad nudum uel fortiſſimi uiri corpus acceſſerit, poſſit acie ipſa uel ferri uiribus uulnerare: ita cum hominibus eneruatis atque exanguibus conſulatus tanquam gladius eſſet datus, qui per ſe pungere neminem unquam potuiſſent, hi ſummi imperij nomine armati Remp. trucidauerunt. Fabula, eſt res ficta, nec ueriſimilis, ad mores pertinens, ut apologi Aeſopi. Hoc genere ſæpe utitur Horatius. nam in Cicerone non occurrit. ut Epiſtolarum libro primo:

Quòd ſi me populus Romanus forte roget, cur
Non ut porticibus, ſic iudicijs fruar iiſdem:
Aegroto uulpes quondam quod cauta leoni
Reſpondit, referam, quia me ueſtigia terrent
Omnia te aduerſum ſpectantia, nulla retrorſum.

Quibus uerbis negat ſe ciuilibus rebus implicari uelle, quod multi in ijs perierint: facit credibile à fabula. Eiuſdem generis eſt diſſidium illud membrorum apud Liuium, in oratione Menenij Agrippæ, qui plebem diſſidentem à patribus, & in monte ſacro ſedentem, collatione fabuloſa ad concordiam reuocauit. Quid definitionis, quæ ratio eſt?] Definitionem intelligit quæſtionem Quid eſt, quæ definiendo explicatur. ut cũ quæritur quid ſit ſacrilegium, quid maieſtas, quomodo utrunque definiendum, ut ſitne ſacrilegium ſurreptio pecuniæ de loco ſacro, an aliter definiendum ſit. Ea declaratur genere & proprietate, quã differentiam uocat Ariſtoteles: ut, Rhetorica eſt bene dicẽdi ſciẽtia. Sed cum proprietas deeſt, utimur communium frequentia, ex quibus proprium quid ſit, eluceat: ut, Hæreditas eſt pecunia, quæ morte alicuius ad aliquem peruenit iure, eaq́; nec legata teſtamento, nec poſſeſſione retenta. Sed quoniam de proprijs oritur.] Proprietas ſi uera eſt, ueram definitionem efficit: ſin contra, falſam. quare tota ferè diſputatio circa eã uerſatur. Habet enim magnam obſcuritatem in rerum natura; ſuntq́; qui nullam ueram ac propriam teneri putant, ſed ſumi pro uera quæcunque proxime accedat. Itaque non ſufficit breuis illa & circunciſa definiendi formula, quæ à dialecticis traditur, cum alius aliam ferè proprietatem afferat, ſed definiendum eſt planius, & quid ſit res pluribus ſæpe uerbis demonſtrandũ. Itaque definiemus non ſolum ex genere & proprietate, ſed etiã ex contrarijs, diſſimilibus, paribus: & interim deſcriptiones adhibebimus, & enumerabimus conſequentia, & interpretatione uocabuli ac nominis utemur. quæ omnia iam nõ unam definitionem efficient, certa lege comprehenſam, ut apud dialecticos: ſed latius uagabuntur, & longa diſputatione quæſtionem explicabunt. Id fiet igitur ex contrarijs, hoc modo: Etenim cum inter bellum & pacem medium nihil ſit, neceſſe eſt tumultum, ſi belli non ſit, pacis eſſe. quo quid abſurdius dici aut exiſtimari poteſt? Philip. 8. Item Horatius:

Virtus eſt uitium fugere, & ſapientia prima
Stultitia caruiſſe.

Ex ſimilibus: Si quis nauim in qua ipſe uehitur, cum poſſit in tẽpeſtate, non ſeruat: non'ne idem in patria ſi fecerit, proditor merito appellatur? Quæ uera ſimilitudo eſt, ſecundum Agricolam, & in docendo ualet plurimum, parum in probando. At Cice. ſimilitudinem cum exemplo & paribus confundit, quemadmodum ſupra in locis explicandis, & in Topicis admonuimus. Itaque à ſimili ei eſt: Ergo Annibal hoſtis? ciuis Antonius? quid ille fecit hoſtiliter, quod hic aut non fecerit, aut non faciat, aut non moliatur & cogitet? totum iter Antonij quid habuit, niſi depopulationes, uaſtationes, cædes, rapinas? quæ nõ faciebat Annibal, quia multum ad uſum reſeruabat. A' diſſimili autẽ: Nõ eundem eſſe exulem, & patria expulſum: quoniam exilium delicti pœna ſit, ſe benemeritũ de Rep. ui & armis expulſum fuiſſe. Et pro Cluẽtio, cenſoriã notã nõ eſſe iudiciũ, quoniã in iudicẽ cõſentiat litigator, in cenſorẽ nõ conſentiat is qui notetur. Eodẽ modo ex repugnantibus fiet, ut ipſe tradit in Topicis, ubi plures locos definitioni attribuit: ut, Et ſi ille nullo modo cõſul, uel quod ita uiuit, uel quod ita Remp. gerit, uel quod ita factus eſt. quæ repugnant conſulatui, & ſub differentibus uel diſſimilibus comprehendi poſſunt. Ex paribus definitio eſt: Si tutoris eſt fidẽ præſtare, & procuratoris. Si fortem uirum appellas, qui hoſtem occidit. ergo & qui malum ciuem. Si liberatorem patriæ qui tyrannum, ergo & qui malum tribunum. Quæ uice uerſa refelli poſſunt à diſſimili. Non idem eſſe malum ciuem, quod hoſtem occidere: quod hic armis uincendus ſit, illum in iudicium uocare poſſis. Nec idem eſſe tribunum ſeditioſum, quod tyrannum necare: quod illum priuatum accuſare poſſis, hunc non poſſis: ille legibus ſacer ſit, hic legibus inimicus. Sic pro Cecinna ex pari, uel potius à maiori ipſe definit hoc modo: Ego exercitus maximos ſæpe pulſos et fugatos eſſe dico terrore ipſo, impetuq́; hoſtiũ, ſine cuiuſquam non modo morte, uerumetiam uulnere. Etenim recuperatores, non ea ſola uis eſt, quæ ad corpus noſtrum uitamq́; pertinet, ſed etiam multo maior ea quæ periculo mortis iniecto, formidine animum perterritum, loco ſæpe & certo de ſtatu demouet. Itaque ſaucij homines cum corpore debilitantur, animo tamen non cedunt, &c. quibus uerbis probat uim factam eſſe animo perculſo, etiamſi corpus tactum non ſit. Deſcriptiones, ex rebus adiunctis & conſequentibus fiunt, ut fama apud Vergilium:

Fama malum, quo non aliud uelocius ullum,
Mobilitate uiget, uireſq́; acquirit eundo. & quæ ſequuntur.

Sed ibi definitur ornandi cauſa. Docendi aũt, in oratione pro Seſtio, de popularibus & optimatibus: ubi cum breuiter definiſſet, qui eſſent populares, qui optimates, eandemq́; in rem exemplis uſus eſſet, poſtea deſcribit his uerbis: Itaque temporibus illis qui populares erant, offendebant illi quidem apud graues & honeſtos homines, ſed populi iudicijs atque omni ſignificatione florebant. His in theatro plaudebatur, hi ſuffragijs quod contendebant, conſequebantur: horum homines nomen, uultum, inceſſum amabant. Qui autem aduerſabantur ei generi, graues & magni homines habebantur, ſed ualebant in ſenatu multum, apud bonos uiros plurimum, multitudini iucundi non erant, ſuffragijs offendebatur ſæpe eorum uoluntas: plauſum uero etiam ſi quis eorum aliquando acceperat, ne quid peccaſſet pertimeſcebat. Enumeratione conſequentium definimus, cum ex rerum adiunctarũ conſequentiumq́; frequentia, quid ſit oſtẽditur, hoc modo:

Dici in hac cauſa poteſt, ubi arma fuerint, ubi hominum multitudo, ubi inſtructi, & certis in locis cum ferro homines collocati, ubi minæ ac pericula, terroreſq; mortis, ibi uim non fuiſſe? pro Cecinna. Et in Antonium Philippica octaua, bellum eſſe, cũ tumultus ſit: Dũ Brutus oppugnatur, non eſt bellũ? Mutina obſidetur, ne hoc quidem bellum eſt? Gallia uaſtatur, quæ poteſt pax eſſe certior? Illud uero quis poteſt bellum non eſſe dicere, quo fortiſſimum uirum cum exercitu miſimus. Et paulo poſt: Deiecti præſidium, Claterna potitus ſum, fugati equites, prælium commiſſum, occiſi aliquot, quæ pax poteſt eſſe maior? delectus tota Italia decreti ſublatis uacationibus, ſaga cras ſumentur, conſul ſe cum præſidio deſcenſurum dixit. Verum hoc bellum non eſt? an etiam tantum bellum, quantum nunquam fuit? quæ omnia ſunt ex conſequentium enumeratione. Explicatione nominis, ipſe quoque in eadem oratione utitur: Quid eſt enim tumultus, niſi perturbatio tanta, ut timor maior oriatur: unde etiã nomen ductum eſt tumultus. Itaque maiores noſtri tumultũ Italicum, quòd erat domeſticus, tumultũ Gallicum, quòd erat Italiæ finitimus, præterea nullũ tumultũ nominabãt. Sic in officijs fidem, quia fiat quod dictum eſt, à ueteribus dictam fuiſſe dicit. Quæ ſunt igitur in eo genere partes?] Qualitatis partes duæ ſunt: una abſoluta, cum iure factum depellitur, ut hoſtem, furem nocturnum, proſcriptum, interfectũ eſſe. altera aſſumptiua, cum, ut recte factum defendatur, cauſa aſſumitur: eaq; aut doloris ulciſcendi, ut inſidiatorem cæſum eſſe: aut pietatis, ut parentem, fratrem, propinquum defenſum eſſe: aut pudicitiæ, ut adulterum, raptorem punitum eſſe: aut religionis, ut ſacrilegum interemptum: aut patriæ, ut proditorem, tyrannum, ſeditioſum interfectum eſſe. Neceſſitate denique cauſamur aliquid factum eſſe, ut fœdus Numantinum, pactio Caudina. Inſcitia, ut ſi ciuem pro hoſte imprudens interemeris. Caſu, ſi in feram iaculatus, hominem percuſſeris. Has ſpecies aſſumptiuas, alij in relationem, comparationem, remotionem, & purgationem diuidunt. ut relatio ſit in dolore ulciſcendo: comparatio in pietate, pudicitia, religione, patria tuenda: remotio & purgatio in neceſſitate, inſcitia, in caſu uerſentur.

Nam quæ motu animi & perturbatione.] Motus animi uehementiores neceſſitatẽ habere uidentur, ſed nõ eſt ita: quia uoluntarij ſunt. Itaque in legitimis iudicijs, & apud iuratos iudices defenſionem non habent: apud principem, uel populum, uel ſenatum habere poſſunt. Hi enim non iudicant legibus, ſed liberi & iniurati ſunt. itaque ignoſcere poſſunt, ut Cæſar Ligario, quam cauſam egit Cicero, ſola ferè deprecatione uſus. At pro Milone, & pro Seſtio, recte factum defendit, deinde extremo loco deprecationem adhibuit. Itaque intelligendum eſt, in legitimis iudicijs ſolam deprecationem non ualere: in cæteris ita ualere, ſi quaſi ex abundanti addatur ad commouendos iudices. Si fictum aut falſum eſſe poſſis dicere.] Fictũ plus eſt quàm falſum, nempe quod commentitium eſt: falſum ab errore profectum, ut ficti rumores in Milonem, falſa de eodem Põpeij ſuſpiciones. Sic finxerant in Sex. Roſcium argumenta criminis accuſatores, quòd patri inuiſus fuiſſet, quòd pater eum exheredare uoluiſſet: falſa erat opinio hominum de innocentia Oppianici, item falſo crimine Iuniani iudices damnati fuerant. Primum dubia ſumpta eſſe pro certis.] Dubia, id eſt, ueriſimilia, ſed incerta, nec confeſſa: ut Milonem ſperaſſe commodum ex morte Clodij, Sex. Roſcium à patre odij cauſa rus ablegatum fuiſſe, quæ non ſolum ut dubia reprehenduntur in eiſdem defenſionibus, ſed etiam in contrarium uertuntur. Deinde etiam in perſpicue falſis eadem poſſe dici.] Vt pro Roſcio, Multos filioſfamilias qui parentibus chariſſimi ſint, ruri haberi: tum contra ſpem utilitatis dicemus, eandem ſuſpicionem in quemuis innocentiſſimum conferri poſſe.

Tum ex iis quæ ſumpſerint, non effici quæ uelint.] Vt, Non quiſquis commodum ſperet, maleficio ſe obſtringere: nec ſi negligentius habuerit filium Roſcius, idcirco illum exheredaturum fuiſſe: neque ſi id ſciret ac metueret filius, tamen ea cauſa parentem interfecturum fuiſſe. Commemoranda ſunt etiam exempla.] Tale eſt in eadem defenſione Roſcij, de duobus adoleſcentibus, apud quos cum pater in eodem cubiculo mortuus repertus eſſet, illi autem dormientes, creditum nõ ſit eos paternæ necis conſcios fuiſſe, itaque iudicio abſolutos.

Conquirenda conditio communis periculi.] Quod fit in eadem etiam cauſa, ubi monetur, improbitati & licentiæ calumniatorum reſiſtendum eſſe, propter commune periculum: idq; exaggeratur à tempore. Quæ eſt argumenti explicatio.]

Argumentum res eſt, quæ in probationem ſumitur, nempe probabile inuentum ad faciendam fidem. Argumentatio, oratio, qua id inuentum dilucide atque diſtincte explicatur: proponendo, confirmando, concludendo, quæ eſt confectio argumentationis. Cum ſumpſeris aut non dubia, aut probabilia.]

Non dubia, id eſt, certa & perſpicua, ut peccandi conſuetudinem fuiſſe in Clodio, quod manifeſtum erat. Probabilia, hoc eſt, per ſe credibilia, quamuis certa & confeſſa non ſint. ut eundem habuiſſe impunitatis ſpem, ſperaſſe Milone interfecto ſe regnaturum eſſe. Sic non dubium eſt, quin Medea filium interemerit: probabile autem filios diligi à parentibus. Itaque exẽplum Medeæ ut non dubium ſumere poſſis, ad faciendam fidem, charitatem parentum in liberos, ut probabile. Argumentandi autem duo ſunt genera.] Directa argumentatio eſt, quæ propoſitione, confirmatione, & concluſione conſtat. Sed his non ſemper utimur, quare perfecta has partes habebit. Tum enim propoſitionem, tum concluſionem omittimus, quando uidelicet hæc ultro ſe offerunt, uel cum breuitati ſtudemus. Ipſe in ueteri Rhetorica, ratiocinationem tradit quinquepartitam, ex propoſitione, approbatione, aſſumptione, eiuſdem approbatione, concluſione. Auctor ad Heren. collectionem tradit, eamq; totidem partium, ut ſit in ea propoſitio, ratio, confirmatio, expolitio, concluſio. Sed hæc utrinque ad tria rediguntur. Etenim ſumma ratiocinationis eſt in propoſitione, aſſumptione, concluſione, ut docet Fab. libro quinto de Epicheremate. Collectio, ut differat à forma ratiocinationis, tamen & ipſa ad tria recedit, quæ hic ponuntur à Cicerone, ut ſit quod proponatur ad probandum, deinde probatio ipſa, poſtremo concluſio. Ita ſub probatione ratio, confirmatio, expolitio comprehenduntur: in ratiocinatione autẽ approbationes ſuccedunt iis quibus adduntur, nec niſi duo efficiunt. Sed hæc quoque duo non ſunt niſi una probatio, cui ſi addas propoſitionem à fronte, & ſequatur concluſio, erit huius loci argumentatio. Exemplum eius eſt in oratione pro Milone: Quonam igitur pacto probari poteſt inſidias Miloni feciſſe Clodium. hæc propoſitio eſt. deinde probatio ſiue confirmatio, Satis eſt quidem in illa tam audaci, tam nefaria bellua docere, magnam ei cauſam, magnam ſpẽ in Milonis morte propoſitam, magnas utilitates fuiſſe, & quæ ſequuntur. Habet enim probatio rationem, confirmationem, & expolitionem ſiue amplificationem, quas collectionis partes eſſe diximus. Poſtremo additur concluſio, P. Clodij præturam non ſine maximo rerum nouarum motu, &c. At ſimplicior eſt poſtea in eadẽ oratione, et citra collectionis partes: Sed huius beneficij gratiam Iud. fortuna populi Romani, & ueſtra felicitas, & dij immortales ſibi deberi putant. hæc propoſitio eſt. Deinde confirmatio: Nec uero quiſquam aliter arbitrari poteſt, niſi qui nullam uim cœleſtem exiſtimat, &c. Deinde concluſio: Ea uis, ea eſt igitur quæ ſæpe incredibiles huic urbi felicitates atque opes attulit. Sed breuior adhuc quæ ſequitur, & ſine concluſione: Non eſt humano conſilio, ne mediocri quidem, uſque, Niſi forte hoc etiam caſu factum eſſe dicimus. quæ & ipſa per ſe argumentatio eſt, ſed iam ſine propoſitione & concluſione,

uſque,


uſque, Niſi uero non tadem: Nam uarie tractatur hoc genus, ſicut paulo poſt præcipitur. Inflexa ad motum argumentatio cōtraria priori eſt, & quodammodo præpoſtera. Nam cum omnis ſit præceps & inconſultus affectus, iſq; exprimendus orationis genere quod non abhorreat à natura ipſius, nulla propoſitione facta, ſtatim apprehenditur id quod ualet ad incitandos animos, eoq; prolato, iacitur ad extremum quod proponendum fuit, non exponendo id quidem, uerum tangendo ſignificandoq; ut intelligatur, cui efficiendo motus adhibeatur. Exemplorum omnia plena ſunt, ſed proferamus unum atque alterum ex actionibus in Verrem, in quibus hoc genus argumentationis criminum obiectioni crebro interponitur. Septima igitur actione expoſitis ciuium Romanorum ſupplicijs, ipſe in affectum ſic prorumpit: O' nomen dulce libertatis, ò ius eximium noſtræ ciuitatis, ò lex Portia, legeſq; Semproniæ. Deinde in fine tangit id ad quod inſtigantur iudices, nempe tantam crudelitatem uindicandam eſſe: Etenim uerebatur ne pop. Romanus ab iſto eas pœnas ui repetiſſe uideretur, quas ueritus eſſet ne iſte legibus & ueſtro iudicio non eſſet perſoluturus. Item in eadem actione de ciuibus in Latumias coniectis: Si quis rex, ſi qua ciuitas exterarum gentium, ſi qua natio feciſſet aliquid in ciuem Rom. eiuſmodi, &c. Deinde in fine quaſi inſultans iacit: Num ego tibi ullam ſalutem, ullum perfugium putem, cum te implicatum ſeueritate iudicum, circumretitum frequentia pop. Rom. eſſe uideam: ſignificans pœnam crudelitatis euaſurum non eſſe. Videtur alicubi eſſe propoſitio in principio, ut Actione 3. Huic homini parcetis igitur iudices. Et rurſus ſeptimo. Per deos immortales iudices, quo tandem animo feretis? Sed hæ inſtigationes ſunt, non propoſitiones, quia non proponitur, efficiendum eſſe ut iudices damnent reum, ſed iam re ipſa impelluntur. Illa autem uera eſt, pro Milone: Quid reſtat? niſi ut orem obteſterq; uos iudices, ut etiam miſericordiam tribuatis fortiſſimo uiro, quam ipſe non implorat. Item in ſubiecta mox argumentatione: Nolite, ſi in noſtro omnium fletu. In quibus adhuc quieta eſt oratio, & ad fidem magis quàm ad motum accommodata, Miloni ut fortiſſimo uiro miſericordiam tribuendam eſſe. At paulo poſt liberius, pleniſq;, ut aiunt, uelis erumpit, O' fruſtra ſuſcepti mei labores. et, ò me miſerum, ò me infelicem: quæ iam pleno ardentiq; motu ſine lege & quaſi per abrupta feruntur. Ergo in uehementioribus affectibus hæc forma argumentandi locum habebit, in temperatis alia eſſe poterit. Cū interrogamus noſmetipſos, aut percontamur.] Interrogamus noſmetipſos docendi gratia, Cur igitur incendium curiæ, oppugnationem ædium M. Lepidi, cædem hanc ipſam contra Remp. ſenatus factam eſſe decreuit: quia nulla uis unquam eſt in libera ciuitate ſuſcepta inter ciues non contra Rempub. Item: Quid ergo tulit? nempe ut quæreretur. quid porro quærendum eſt? factum'ne ſit? at conſtat à quo? at patet. Et paulo poſt, Nū igitur ulla quæſtio de Africani morte lata eſt? certe nulla. quid ita? quia non alio facinore clari homines, alio obſcuri necantur. Percontamur autem inſtandi cauſa, nempe quod negari uel dici non poteſt: ut, Dixit'ne tandem cauſam C. Fidiculanius Falcula? &, An uero iudices uos ſoli ignoratis? uos hoſpites in hac urbe uerſamini? ueſtræ peregrinantur aures: neque in hoc peruagato ciuitatis ſermone uerſantur: Item, Quem igitur cum omnium gratia noluit, hunc uoluit cum aliquorū querela? &, Quid enim Tubero tuus ille in acie Pharſalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? quod ultimum arguit, priora tum affirmant, tū negant inſtando. Imperamus hoc modo. Non arma expedient, totaq; ex urbe ſequentur, Ferte citi flammas, date uela, impellite remos. I, ſequere Italiam uentis, pete regna per undas. Et pro Milone. Excitate, excitate eum ab inferis, frangetis impetum uiui, cuius uix ſuſtinetis furias inſepulti. Optamus autem: Vtinam dij immortales feciſſent, ut P. Clodius non modo uiueret, ſed etiam prætor, conſul, dictator eſſet, antequā hoc ſpectaculum uiderē. Ex hoc genere ſunt etiam dubitationes, obiurgationes, comprecationes, deteſtationes, adhortationes, aliaq; id genus quibus affectus in dicendo exprimuntur. Vitare autem ſimilitudinem poterimus.] Huius præcepti exempla paulo ante attigimus, in declaranda directa argumentationē: ſed plura ubiq; ſunt obuia uel in coniectura pro Milone, uel in alijs diſputationibus. Quod dicit, interdum quæ aperta ſint breuiter poni, id non ſolum de oratione intelligendum eſt, ſed etiam de ſingulis uerbis: ut, I, ſequere Italiā uentis, pete regna per undas: ubi periculum nauigationis duobus uerbis expreſſum eſt. Hæc ſæpe frequentantur pluribus: ut, Recordamini per deos immortales, quæ fuerit celeritas reditus eius? qui ingreſſus in forum ardente curia? quæ magnitudo animi? qui uultus? quæ oratio? & quæ ſequuntur. Quid illa quæ ſine arte appellantur.] Dixit de argumentis inſitis, quomodo in confirmatione & reprehenſione tractanda ſint: nunc de aſſumptis loquitur, quæ priuatam præceptionem habent. De toto genere teſtium ipſe diſputat in oratione pro Flacco, ubi Græcos teſtes reprehendit. Argumenta & teſtimonia cōfert in oratione pro Cælio: item pro Sylla, ubi uitam anteactam teſtimonijs opponit. De ſingulis teſtibus dicit in eadem oratione pro Flacco, item pro Cæcina. Sæpe etiā quæſtionibus reſiſtendum eſt.] Quæſtiones ſunt tormenta, quæ & confirmari & reprehendi ſolent, ut pro Milone, pro Cælio, pro Cluentio. Sed tota diſputandi ratio & in his, & in teſtibus circa perſonas, & circa ea quæ dicta ſunt, uerſatur. Itaque in perſonis ſpectatur natura, affectio, fortuna. In dictis, ſi quid ambigue, inconſtanter, incredibiliter, uarie dictū ſit, de quo toto genere eſt apud Fabium lib. 5. Extrema tibi pars orationis reſtat.] Peroratio in amplificationem et enumerationem diuiditur. Amplificatio earundem rerum eſt, quarum confirmatio. Sed in exornando ad uoluptatem, in ſuadendo ad ſpem, in diſſuadendo ad metum, in iudicijs ad ſæuitiam, uel ad clementiam iudicis, accommodatur. Enumeratio pertinet ad capita & firmamēta orationis. Eſt igitur amplificatio grauior quædam affirmatio.] Amplificatio, argumentatio eſt inflexa ad motum, de qua prædictū eſt. Grauior hic appellatur, quod uehementior ſit. Tota enim uis eius in augendo poſita eſt, ut id quod ſumitur ad mouendū grauius efficiatur. Itaque nomen amplificationis eodem accommodatū eſt, cum argumentationis generale ſit. Ea fidem conciliat, hoc eſt, firmā opinionem in hanc uel illam partem efficit, nō docendo, ſicut directa ad fidem argumentatio, quæ dubia ex certis uel probabilibus colligit, ſed motu animorū in hanc uel illā partem impellendo. Vt enim quiſque affectus eſt, ita ferè iudicat, neque idem in eadem cauſa inuido ac beneuolo, irato ac miſeranti uerū eſſe uidetur, ſed ſuā ſibi quiſque opinionem ex affectu induit. Itaque nō ſolū in perorādo amplificationes adhibentur, ſed implicātur etiā argumentationibus, & in toto curſu dicendi loco aliquo interponuntur. Verba ponenda ſunt, quæ uim habeant illuſtrandi.] De hoc toto genere uerborum dictum eſt, ſed rurſus ſingula percurremus. Illuſtrant, quæ rem quaſi ante oculos conſtituunt: Non abhorrent ab uſu, quæ nota ſunt omnibus: Noua enim, aut obſoleta uetuſtate, quia obſcurant orationem, ideo nec mouent. Grauia ſunt aſpera intellectu, atque atrocia, ἐνάργεια Græcis ut, Quem tu in crucē rapiebas. Plena, grandia: ut illud ipſum, rapiebas: & ductores. Danaum, regnatorem Aſiæ, immania pocula. Sonantia, uocalia, ut quæcunque aures clare, iucunde, acrius feriunt. Iuncta, compoſitione nouata: ut hominem proripi ac deligari, conſcelerata mens, quæ etiam grauia & ſonantia ſunt. Facta, nouata ſunt aut ſimilitudine, aut inflexione, aut imitatione: ut, ſtridentes laminæ, crepitus plagarum, quæ rerum naturam imitantur. Cognominata συνώνυμα & idem

ſignificantia : ut, confici, concidi, expelli, exterminari, eijci. Non uulgata, quia communia quæ ſunt, humilem orationem efficiunt: ut, Milo domum uenit, calceos & ueſtimenta mutauit, pauliſper dum ſe uxor, ut fit, comparat, commoratus eſt, quæ narrationi conueniunt illo in loco, amplificationi non eſſent idonea, quæ noua, inſignia, magna requirit. Superlata, ut, ſaxa & ſolitudines uoce reſpondent. Tranſlata, flumen eloquentiæ, tempeſtas ſeditionis, inflammatus animus. In continentibus ſoluta, quæ membratim & ſine coniunctione dicuntur: ut, Me patria expulerat, bona diripuerat, domum incenderat, liberos coniugemq; meam uexauerat. Relata: ut, Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia: ubi tria ad unum uicit, referuntur. Iterata, Num ego tibi ullum perfugium, ullam ſalutem putem? Duplicata, Iam iam minime miror, occidi occidi. Et quæ aſcendunt gradatim: ut, Inflammari, excindi, funeſtari: Facinus eſt uincire ciuem Romanum, ſcelus uerberare, prope parricidium necare, quid dicam in crucem tollere? Omninoq; ſemper quaſi naturalis & non explanata oratio.] Naturalis, quæ ex affectu erumpit. Non explanata, quæ non plene expoſita eſt, ſed quaſi abrupta: ut, En cui liberos tuos committas. Quæ, malum, eſt iſta tanta audaci atque amentia? &, Tanta'ne tuæ Verres libidines erunt? Talis eſt ferè tota peroratio pro Milone, præſertim ubi ardet. Nam initio ſedatior eſt, ut paulo ante dixi, ac proinde explanatior: Nolite ſi in noſtro omniũ fletu nullam lacrymam aſpexiſtis Milonis. At quanto uehementiora illa, proinde & breuiora: O' fruſtra, inquit, ſuſcepti mei labores, ò ſpes fallaces, ò inanes cogitationes meæ. Ardentiſſima uero illa, ac proinde abrupta, Quid iam reſtat? quid habeo? quid dicam pro tuis in me meritis? item, O' me miſerum, ò me infelicem. Quod etiam ualet plurimum in exprimendis affectibus, ut non tantum ſubita & quaſi erumpens ſit oratio, ſed etiam interclusa motu, ac ſenſu ipſo abrupta: ut,

Quos ego, ſed præſtat motos componere fluctus.

Et apud Terentium: Ego'ne illam? quæ me? quæ illum? quæ non? mori me malim. Hæc grauibus referta uerbis eſſe debet, quia ea adiuuant amplificationem, ſine qua nullus magnus affectus excitari poteſt. Quibus actio uocis, uultus, & geſtus congruens accommodata eſt.] Actio elocutionis eſt propria, idcirco uerbis adiungitur. Sed in hac moderanda cauſa noſcenda eſt, & pro re agendum, ut ut in capitis periculo, ita in re pecuniaria contendamus. Rerum amplificatio ſumitur eiſdem locis omnibus.] Ex eiſdem locis & argumenta ad fidem, & materia affectuum ducitur, id quod Agricola libro ſecundo demonſtrat. Definitiones conglobatæ ſunt: Vidimus templum ſanctitatis, aram ſociorum, portum omnium gentium, quod exemplum ſupra poſitum eſt. Conſequentium frequentatio: Hanc uero in palatio, atque in pulcherrimo urbis loco porticum eſſe patiemini, furoris tribunitij, ſceleris conſularis, crudelitatis coniuratorum, calamitatis Reipublicæ, doloris mei defixum indicium, ad memoriam omnium gentium ſempiternam? pro Domo ſua. Et in Verrem: Conſtitue nihil opis eſſe in hac uoce, Ciuis Romanus ſum, iam omnes prouincias, iam omnia regna, iam omnes liberas ciuitates, iam omnem orbem terrarum, qui ſemper noſtris hominibus maxime patuit, ciuibus Romanis iſta defenſione præcluſeris. Contraria, diſſimilia. & inter ſe pugnantia ferè cohærent, id quod ſupra etiam demonſtratum eſt. Contraria enim ſunt, ut bellum & pax. Diſſimilia, ut paci tempeſtas, bello tranquillitas. Repugnantia, contrariorum conſequentia: ut cædes, incendia, rapinæ conſequuntur bellum, paci repugnant: otium, iudicia, leges conſequuntur pacem, bello repugnant. Ergo ex his amplificationes ducuntur, hoc modo. Ex contrarijs: ut, Quam damnatis ſeruis crucem fixeras, hanc indemnatis ciuibus reſeruares. Ex diſſimilibus. Sic habete, iudices, plures eſſe à Syracuſanis iſtius aduentu deos, quàm uictoria Marcelli homines deſideratos. Ex repugnantibus: Quid me reducem eſſe uoluiſtis? an ut inſpectante me expellerentur hi per quos eſſem reſtitutus? Valent etiam cauſæ ad amplificandum: ut, Verres'ne tibi tanti fuit, ut eius libidinem hominum innocentium ſanguine lui uelles? Et paulo poſt: Tu'ne quod uideris, quod audieris, quod concupieris, quod cogitaris, niſi libidini tuæ cupiditatiq; parueris, immittentur homines, expugnabuntur domus, ciuitates non modo pacatæ, uerum etiam ſociorum atque amicorum, ad uim atque ad arma confugient? Item effecta ex cauſis: ut, Doletis tres exercitus populi Romani interfectos, interfecit Antonius. Deſideratis clariſſimos ciues, eos quoque uobis eripuit Antonius. Auctoritas huius ordinis afflicta eſt, afflixit Antonius. omnia denique quæ poſtea uidimus (quid autem mali non uidimus?) ſi recte ratiocinabimur, uni accepta referemus Antonio. Item ſimilitudines: ut, Hic dolor erat tantus, ut Verres, alter Orcus, ueniſſe Ennam, & non Proſerpinam aſportaſſe, ſed ipſam abripuiſſe Cererem uideretur. Et alio in loco: Non enim Charybdim tam infeſtam, neque Syllam nautis, quàm iſtum in eodem freto fuiſſe arbitror. Exemplis ipſe utitur in eundem Verrem, ubi Marcellum & Africanum aliquoties cum Verre comparat. Item act. 6. Eriphylam accepimus in fabulis ea cupiditate, ut cum uidiſſet monile, ut opinor, ex auro & gemmis, pulchritudine eius incenſa ſalutem uiri proderet. Similis iſtius cupiditas, &c. Et actione ſeptima. Verſabatur in Sicilia longo interuallo alter non Dionyſius ille, nec Phalaris, & quæ ſequuntur. Ficta perſona eſt, ut Appij Cæci in oratione pro Cælio. Muta loquuntur, ut patria cum ipſo in Catilinam: Marce Tulli quid agis? Omninoq; ea ſunt adhibenda, ſi cauſa patitur, quæ magna habentur.] Omnis affectus ex opinione boni uel mali naſcitur, & perſonam ſubiectam habet, cui quid dignum uel indignum accidere, accidiſſe, caſurum eſſe uideatur: eaq; aut noſtra perſona eſt, aut coniuncta, aut aliena. Itaque fit, ut quanto maius apparet id eſſe, quod alicui accidit, tanto grauior affectus oriatur. Magna autem uidentur, alia natura, alia uſu, quæ in bonis maliſq; rebus colliguntur argumentatione ex eiſdem locis, ex quibus paratur fides, quæ amplificatio appellatur. Natura magna uidentur, ut cœleſtia ac diuina, quæ ad naturam poteſtatemq; deorum pertinent. Obſcuræ cauſæ eorum ſunt, quæ in terris mundoq; admirabilia ſunt: ut ardorum cœli, terræmotuum, tempeſtatum, defectionis ſolis ac lunæ, uiciſſitud nis temporum, æſtus maris, inundationum, quæ explicantur à philoſophis, & à uulgi ſcientia remota ſunt, atque idcirco admirabilia. Valent maxime in demonſtratiuo genere, ubi mouent expectationem, & orationem admirabilem efficiunt. Vſu magna uidentur, quæ prodeſſe nobis uel obeſſe uehementius poſſunt, eaq; tum ad charitatem, tum ad amorem, tum ad honeſtatem pertinent. Chari nobis ſunt dij, patria, parentes. Amore fratres, coniuges, liberos, familiares complectimur. Honeſta ſunt, quæ cum uirtute coniuncta ſunt, ex quibus ea maxime fiunt, quæ ad ſocietatem hominum tuendam, & ad liberalitatem ualere. In his obtinendis, tuendis, recuperandis, contrariiſq; eorum uitandis, amplificationes uerſantur, per cohortationem, ut Philippica tertia. Aliquando per deos immortales P. C. patrium animum uirtutemq; capiamus, aut libertatem propriam Romani generis & nominis recuperemus, aut mortem ſeruituti anteponamus. Odia incitantur in eos qui hæc uiolant, ut in Verrem de religionibus locisq; ſacris ſpoliatis, act. 6. item de uiolatis pupillis ac uiduis, act. 3. de ui, libidine, & crudelitate, act. 4. & 7. ſed cæteris etiam multis in locis. Miſeratio mouetur ex eiſdem rebus per conqueſtionem, ut de Philodamo & filio ſecuri percuſſis.

Nemo iam Dolabella, neque tui, neque liberum tuorum, quos tu miſeros in egeſtate & ſolitudine reliquiſti, miſereri poteſt. Verres'ue tibi tanti fuit, &c. deinde odium incitatur, ut in Ipſum Verrem: Tanta'ue tuæ Verres libidines erant. Item act. 7. de ciue Rom. in crucem acto: Si hæc non ad ciues Rom. non ad aliquos amicos noſtræ ciuitatis, non ad eos qui populi Rom. nomen audiſſent: denique ſi non ad homines, uerum ad beſtias, aut etiã ut longius progrediar, ſi in aliqua deſertiſſima ſolitudine ad ſaxa & ad ſcopulos hæc conqueri & deplorare uellem: tamen omnia muta atque inanimata tanta et tam indigna rerũ atrocitate commouerentur, & quæ ſequuntur. Proprius locus augẽdi in his omnibus eſt aut amiſſis, aut amittendi periculo. Amiſſis, ut act. 3. de pupillis ſpoliatis. Itaque de Iunio pupillo: Quod ornamentum pueritiæ pater dederat, indiciũ atque inſigne fortunæ, hoc ab iſto prædone ereptum eſſe grauiter & acerbe homines ferebant. Et pro Sylla: Domus erit, credo, ornata, aperiẽtur maiorum imagines, ipſe ornatum ac ueſtitum recuperabit. Omnia, iudices, hæc amiſſa ſunt, omnia generis, nominis, honoris inſignia atque ornamenta unius iudicij calamitate ociderunt. Amittendi periculum tractatur pro Milone, pro Sylla, pro Murena. Sed in his breuiter omnia exprimenda erunt, ne lãgueſcat affectus, qui in medio etiam dolore abrumpendus eſt, ut pro Milone: Sed iam finis ſit: neque enim præ lacrymis iam loqui poſſum. Nec nimis in augendo quidquam enucleandum eſt, nempe perſequendo ſingula, ſed præcipua duntaxat, atque obuia proferenda erunt. Enumeratio reliqua eſt.] Enumeratio in perorando duabus de cauſis adhibetur, memoriæ reficiendæ, et cauſæ cõfirmandæ gratia. Memoria reficiatur, ſi interrupta fuerit actio mora aliqua, aut ſi longior fuerit oratio. Cauſa confirmetur, ſi conductis in unum firmamentis ac frequentatis, uis eorum maior futura ſit. Sed hoc reo quàm accuſatori rarius faciendum eſt, quia contraria, hoc eſt, firmamenta aduerſarij, ponenda ſunt in enumerando, ut cum ijs noſtra diſſolutio conferatur. Hoc autem in breuitate enumerationis commode pro nobis fieri non poteſt. Quia poſitis contrarijs pungent aculei in animis iudicum: diſſolutio autem noſtra, quia explicari enumerando non poteſt, latebit. Controuerſiam & cauſam appello.] Controuerſia appellatur, quòd diſceptationem in ſe contineat. Cauſa, quòd in diſceptando in cauſam aliquam recidat: qua ſublata, quæſtio eſſe non poſſit. Propoſitum Græci θέσιν uocant, quòd in diſputationem proponatur. Sed idem quia conſultandum eſt in cauſa explicanda, conſultatio à Cicerone nominatur. Ea pars cauſæ eſt, ſicut genus ſpeciei, cum ſit conſultatio generalis de uniuerſa re, cauſa ſpecialis. Sicut igitur animal ineſt in homine, ita conſultatio in cõtrouerſia: neque tamen explicari hæc ſine illa poteſt, ſicut nec ſpecies ſine genere. Itaque in explicanda cauſa ad conſultationem referuntur omnia. Veri'ne ſint ſenſus.] Id eſt, fallant'ne nos ſenſus, ſicut opiniones. Vide Ariſtotelem de ſenſu & ſenſibili. Ius in natura ſit, an more?] Id eſt, à natura ortum'ne ſit ius, an à more, & hominum conſenſione. Sit'ne ius id quod maiori parti ſit utile.] Hoc eſt, an hoc pacto ius definiatur. Duo ſunt genera.] Horum alterum ad perſequendum uel declinandum pertinet, alterum ad utendum. Rurſus autem.] Hæc iterata partitio eſt, qua priora rurſus in alias partes diuiduntur. Subdiuiſionem in ſcholis uocant. Aut de honeſtate.] Separat æquitatem ab honeſtate, ſicut laudabile à recto, non re, ſed fine quærendi. Exoritur aliud quoddam.] Nempe comparatiuum, cum alterum ſimplex ſit.



Cuius alterum eſt præcipiendi.] Alterum ad rationem officij, alterum ad regendos affectus pertinet. Vberius ad dicendum.] Quia cæteris generibus intercurrit, & ad amplificandum magnam uim adfert. Vtile eſt ciuitatibus, quia in concionibus, iudicijs, conſilijs, cõmendat uirtutes, uicia & ſcelera inſectatur. Narrandis exponendiſq; factis.] Vt pro lege Manilia de laudibus Pompeij, & in Antonium ſecunda Philippica, & in Piſonem, quibus crebræ amplificationes interponuntur. Factis uerbis aut uetuſtis.] Hæc enim delectant. Itaque factis ſæpe utitur Horatius, Virgilius uetuſtis. Circunſcripta numeroſe.] Id eſt, apto numero comprehenſa, ſicut ipſe explanat in Bruto. Illa ornamenta rerum.] Quæ magna & mirabilia ſunt natura, ut de Romulo, Tarquinio Priſco, Iunio Bruto. Modice.] Id eſt modeſte. Ad augendam eius quem laudas, gloriam facto.] Vt ipſe de ſe: Satius eſt me meis rebus geſtis florere, quàm maiorum opinione niti: in Salluſtium. Forma laudatur.] Vt laus Helenæ. &, Gratior eſt pulchro ueniens è corpore uirtus. Temporum ordo.] Vt in Antonium & Piſonem. In propria uirtutum genera.] Vt pro Pompeio, in uirtutem, ſcientiam rei militaris, auctoritatem, felicitatem. Scientia pollet una.] Id eſt, ſola ſcientia & rerum agendarum cognitione, quæ conſtat. Itaque ſubiectam materiam habet ueritatem. Domeſtica.] Οἰκονομία: ciuilis, πολιτεία. Temperantia autem in ſuas.] Temperantiæ ſubijcit cæteras uirtutes, quæ actionis ſunt propriæ, eaſq; rebus ſubiectis, hoc eſt, materia diſcernit. Sunt autem aliæ quaſi miniſtræ.] Artes diſſerendi & dicendi intelligit, quas prudentiæ quaſi comites & miniſtras facit. Altera enim ad iudicium ueri falſiq; comprehendendi, altera ad eloquendum pertinet. Cuſtos uero uirtutum omnium.] Hæc proprie temperantia, uel modeſtia, uel etiã uerecundia appellatur, in quarto genere honeſtatis

locata in officijs, ut certo ordine ac modo decorum in omnibus dictis factisq; tueatur. Sunt autem alij.] *Diſciplinas & ſtudia bonarum artium intelligit, quibus ad uirtutem & ad omnem humanitatem formamur. Hæc differunt ab artibus dialecticis & rhetoricis, quòd illa instrumenta ſunt prudentiæ exercendæ: hæc nos inſtituunt ad actionis officia, ut in his ſine errore & difficultate uerſemur.* Malitia.] *Fraus, aſtutia, calliditas.* Immanitas.] *Duritia, quæ humanitati contraria eſt.* Acerbitas.] *Nimia ſeueritas.* Profluentia.] *Verbum nouum eſt, ſicut paulo ante deſſicientia.* In ipſo genere mortis.] *Vt ipſe de ijs qui ad Mutinam occubuerant, Philip. 14. Cæſar autem laudari poſſit à cometa & prodigijs, quæ poſt mortem eius conſecuta ſunt, quaſi diuinitatis ipſius & iræ deorum teſtimonia.* Eſt igitur in deliberando finis utilitas.] *Tota deliberatio ad utilitatem refertur. ſed quia res futuri temporis eſt, uidendum erit, ecquid poſſit fieri, quid non poſſit, quid ſit neceſſe, quid non neceſſe, quæ ſunt partes deliberationis, quibus in utranque partem tractanda eſt. Nam ſi utile eſt, & fieri poteſt, fiat: multo autem magis, ſi etiam neceſſe eſt. Sin uero inutile, aut non poteſt fieri, ne fiat: multo minus etiam, ſi non neceſſarium eſt. Ergo priores tres ſuaſoris partes ſunt, poſteriores diſſuaſoris. Sed hoc intereſt, quod ſuaſori ſemper duo confirmanda ſunt, utile eſſe, & fieri poſſe, nec opus eſt docere, quod ſit neceſſe. Diſſuaſori è duobus alterum ſufficit, aut non eſſe utile, aut fieri non poſſe: nec ſatis eſt docere, quod non ſit neceſſe. Simplex igitur eſt ſuaſoris ratio, quia duo ſemper confirmanda ſunt: duplex diſſuaſoris, quia duobus propoſitis, alterum infirmare ſatis eſt. Cæterum quamuis plures ſint partes deliberationis, tamen omnes ad duo referuntur, utilitatem & facultatem, hoc eſt, quid expediat, & quid fieri poſſit, ad quæ duo omnis præceptio refertur.* Si utile eſt, & fieri poteſt, fiat.] *Vt, Antonium bello perſequendum eſſe, Octauio Cæſari imperium mandandum.* Vna, ſi non utile eſt, ne fiat.] *Vt, Non eſſe pacem faciendam cum Antonio, quia turpis ſit, quia periculoſa Reipub. quia fieri non poſſit.* Eſt etiam quaſi quædam.] *Dicit charitatem & amorem honeſtati ſubiectam eſſe, quaſi materiam quandam, quòd in eos, quos charitate & amore complectimur, certa officiorum genera conſeruemus.* Quòd ſi ſemper optima tenere poſſemus.] *Monet unde in conſultationibus oriatur bonorum quæſtio, præſertim cum optima quæque perſpicua ſint. & dicit id fieri temporibus, hoc eſt cauſis, quibus accidat, ut bona uideantur pugnare cum utilibus, & contra utilia quædam uideri, quæ honeſta non ſint, quæ diſtrahantur in diuerſas ſententias. Itaque conſultationibus opus eſſe, & quid ueri in his ſit, oratione explicandum.* Et quoniam non ad ueritatem.] *Præcipit non ſolum ad ueritatem, ſed etiam ad opiniones auditorum deliberationem accommodandam eſſe. Itaque diſtinguit duo auditorum genera, in quibus non ſit eadem bonarum & malarum rerum opinio.* Et illud uidendum.] *Hoc præceptum generale eſt, ad oẽs pertinens, quare à priori ſententia ſeparatur.* Eſt genus hominũ.] *Hoc additur ἐπιφωνηματικῶς, et eſt prioris ſentẽtiæ approbatio. Genus hominũ dicit, pro cunctorũ hominũ.* Quare in cohortando.] *Concludit & præcipit, quæ ratio ſuadendi ſit, ſiue apud hos, ſiue apud illos dicamus.* Quid autẽ poſſit effici.] *Tranſit ad alterum principẽ locũ, de eo quod effici poſſit, uel non poſſit. & quàm facile poſſit, qui totus ſpectatur ex cauſis, et ad facultatem pertinet.* Illæ ſuperiores cõficientes uocentur.] *Conficientes, quæ ui ſua agunt, & conficiunt aliquid: ut duces, legati, auxilia, legiones in bello: magiſtratus, leges, ſenatus, populus, in Repub. adminiſtranda.* Vt ſine his confici non poſſit.] *Hoc genus nihil agit, ſed quietum per ſe & ſtolidum eſt: confert tamen ad efficiendum. itaque ſine eo effici non poteſt: ut ſunt, materiæ, inſtrumenta, locus, tempus, cæteriq; apparatus.* Alia eſt abſoluta & perfecta per ſe.] *Vt ſapientia per ſe ſapientem efficit, poeta, pictor, muſicus, quiſque ſuum opus per ſe ac ſolus. Sic prætor iudicia, & bonorum poſſeſſiones ſolus dabat, magiſtratus promulgabant leges, decernebat ſenatus, populus de capite iudicabat.* Alia aliquid adiuuans.] *Vt auxilia & legiones in bello: duces, centuriones, cohortes, in prælio: remiges, in claſſe: magiſtratus & iudices in Repub. Adminiſtranda.* Quæ maximam uim habet.] *Vt imperator in bello, gubernator in claſſe. Sic ipſe contra Catilinam, Rempub. ſeruaſſe dicitur, Marius contra Cimbros.* Propter principium.] *Vt Romulus conditor urbis, Cato auctor deletæ Carthaginis, qui id bellum ſuaſit: Helena cauſa belli Troiani.* Aut propter exitum.] *Vt Africanus minor confector belli Punici, Pompeius Mithridatici, Craſſus ſeruilis.* Cum autem quæritur, quid ſit optimum factu.] *Hoc eſt comparatiuum deliberationis genus, quod eiſdem locis tractatur, utilitatis & ſpei efficiendi.* Vt poſſit uel utilia, uel neceſſaria.] *Vt, Turpe eſt Ciceronem fugere, ſed utile patriæ: quare uincat utilitas, quæ honeſtatem ad ſe conuertit. Velle non irritare Antonium, nec bellum ſuadere: ſed turpe uiro conſulari deſerere Rempub. & libertatem prodere: quare uincat honeſtas, quæ etiam ſi moriendum ſit, tamen à uera utilitate non ſeiungitur, cum ſatius ſit emori, quàm tyranno ſeruire.* Tota autem oratio ſimplex.] *Simplex, id eſt, minus compta ornataq; cum ea probabilior ſit, quales ſunt Philippicæ ferè omnes, excepta ſecunda, quæ demonſtratiui generis, ac proinde liberius ornata eſt.* De ueriſſimo accuſatore.] *Vt 1. act. in Verrem, quæ diuinatio appellatur: uter accuſare debeat, Cicero an Cæcilius.* Aut cum hereditatis ſine lege, aut ſine teſtamento.] *Vt inter emancipatum fratris, & ſororis filiũ, ab inteſtato. Nullo enim teſtamento facto, lex 12. tabularum poſt ſuos heredes, agnatos uocabat. Agnatus autem, non eſt ſororis filius, nec fratris emancipatus, cum agnatio per emancipationem rumpatur. Itaque neuter hæreditatem lege petere poterat: petebat tamen uterque bonorum poſſeſſionem à prætore, apud quẽ ea de re ex comparatione æquitatis diſceptabatur. Sed hoc ius hodie mutatum eſt, & res certa conſtituta.* De conſtituendo ipſo iudicio.] *Vt in cauſa Milonis, de quo actum fuit in ſenatu, ueteribus legibus, an nouis quærendum eſſet: ſicut tradit Aſconius, & oratio ipſa declarat.* Sit'ne actio illi.] *Vt uxori in maritum, liberto in patronum, pupillo in tutorẽ, de quibus iure ciuili conſtitutum eſt.* Aut iam'ne ſit.] *Vt ante diẽ dictã in contractu, ante impletã conditionẽ.* Num iam eſſe deſierit.] *Vt in petenda bonorũ poſſeſſione, & in iniurijs perſequendis, in quibus certũ tempus agendi præfinitum eſt.* His'ne uerbis.] *Quia ex præſcripta formula agebatur, quam definiebat prætor, à quo iudicia petebãtur. Ab hac formula qui recedebat in agendo, cauſa cadebat: hoc eſt, litẽ eo iudicio amittebat.* Plus petiſti, ſero petiſti.] *Hæc uerba exceptionis erant, quibus iniquitati actionis occurrebatur, uel ante iudicium, ſicut modo dictum eſt, uel in ipſo iudicio actione reprehẽdenda. Itaque ipſe pro Planco queritur de iniquitate aduerſarij, qui cum accuſet de ambitu, utatur lege de ſodalitijs, ut iudices edat in reum.* Paulum ea ſeparo.] *Quamuis hæc ante tractantur, quàm ad cauſam ueniatur, tamen & cauſa ipſa ſæpe, & hæc omnia eodem genere quæſtionis continentur, in quo quale ſit quæritur.* Tres ſunt gradus.] *Has tum quæſtiones, tum ſtatus uocant in cauſis. Itaque res eadem eſt, nominibus diuerſis appellatur.* Itaque ea quæ ſic referuntur, continentia cauſarum uocentur.] *Referuntur, id eſt, opponuntur. Cõtinẽtia cauſarũ, quaſi fundamẽta intelliguntur, de quibus Fab. libro 3. ubi explicat, quid quæſtio, quid ratio, quid continens, quid iudicatio ſit in cauſa.* Quam diſceptationem uoco.] *In*

Topicis

Topicis indicationem uocat, Græci κρινόμενον appellant.

Ceperitne pecunias Decius.] Eadem exempla in libris de Orat. ponuntur. Q. enim Decius repetundarum accuſatus fuit, quod pecunias contra leges accepiſſet. Norbanus accuſaverat Cæpionē maieſtatis, quod culpa eius, contra Cimbros clades accepta fuiſſet, eundemq; reū preſſerat turbulentis conditionibus apud populū, ex qua re ille dānatus fuerat. L. Opimius Coſ. C. Gracchum ſeditioſum tribunum interemit, & poſtea accuſatus fuit, à Q. Decio, quod in diuiſione regni inter Iugurtham & Hiempſalem ſe corrumpi paſſus fuiſſet, quo in iudicio Gracchana quoque cædes obiecta, reum propter inuidiam condemnauit.

Sed in grauiſſimis firmamētis.] Hoc genus firmamētorū in ſcripto poſitū eſt, ſed neque in cōiectura, neq; in definitione, ſed in ſola qualitate uerſatur. Verba iudicij, intelligit formam præſcriptam à prætore, in quam iudicium dabatur, quod poſtea in uſu eſſe deſijt. Stipulatio, obligatio eſt, quæ uerbis contrahitur promittentis & accipientis. Cautio, obligatio eſt ſcripto interpoſita, ut ratum ſit, quod actum fuit.

Quod enim factum negatur.] Quod negatur factum eſſe, id argui non poteſt ſcripto, hoc eſt, iure ſcripti. Poteſt tamen argui ſcripto teſtimonio, de quo hic non loquitur Cicero, ſed de genere ſcripti.

Ne in definitionem quidem uenit.] Negat firmamenta ex ſcripto in quæſtionem definitionis uenire, quia ſcripti genus ad ius, ac proinde ad qualitatem pertinet, ut cum lege uel teſtamento petimus aliquid, uel recuſamus. Poteſt tamen uerbum aliquod definiri de ſcripto, cum non de genere ſcripti, hoc eſt, recténe an ſecus ſcriptum ſit, ſed de uerbi interpretatione quæritur: ut quid ſit penus, ſi forte penus legatum ſit: uel ex lege prædij, quæ ſint ruta cæſa. Lege enim prædij ita fundus uenditur, ut ruta cæſa recipiantur, niſi aliud in uendendo actum ſit. Ruta autem cæſa appellatur, quidquid à ſolo ſeparatum eſt, ſiue natum in ſolo ipſo, ſiue manu factū: ut demeſſa ſeges, fructus decerpti, calx, ſaxum, arena, cæſa materies. Ruta enim à ruendo dicta ſunt, hoc eſt uertendo, ut Virg. Cumuloſq; ruit male pinguis arenæ.

Cum autem plura ſignificantur ſcripto.] Colligit diſceptationes, quæ ex ſcripto naſcuntur, quas alij legitimas uocant. Sunt autem tres, ambigui, ſcripti, & ſententiæ contrariorum ſcriptorum. Ambiguum eſt, ut pro Cæcina, quid uerbum Deieci ſignificet. Et de Aruſp. reſpon. quos ludos minus diligenter factos pollutoſq; aruſpices interpretentur. Scriptum & ſententia eſt, ut pro eodem Cæcina, cum prætor edixerit, Vnde tu illum deieciſti, uoluerítne eum quoque reſtitui qui ab ingreſſu fundi prohibitus eſſet, & utrum potius uerbum interdicti an uoluntas prætoris ſequenda ſit. Contraria ſcripta ſunt, ut leges Cæſaris & Antonij de iudicijs & iure prouinciarum, cum alter duas decurias iudicum faciat, alter tertiam adijciat: alter præfiniat tempus obtinendarum prouinciarum, alter liberam ordinationem populo relinquat.

Quæ in conſilio capiendo.] Sicut in deliberationibus cauſæ ualent ad arguendam utilitatem futuri temporis, uel efficiendi facultatem: ita in coniecturis ad arguenda conſilia facti. nempe utile fuiſſe ei qui arguitur, & in eodem fuiſſe ſpem perficiendi: quorum alterum cauſa finalis eſt, alterum efficientis. quas tamen non diſtinguit Cicero, ſed utranque in Topicis ſub efficientibus comprehendit.

Quod ſit acrius, quo illa.] Vt pro Milone in Clodium, qui ſe, interfecto Milone, regnaturum putaret. Cæterorum quoque exempla oratio eadem multa habet, multa ea quæ pro Roſcio Amerino, quoniam in coniectura uerſantur.

Cum & uoluntatis in reo.] Itaque Fabius coniecturam in hæc tria capita diuidit, An uoluerit, an potuerit, an fecerit. Cicero uoluntatem & facultatem, hoc eſt, an uoluerit, & an potuerit, ſub cauſis comprehendit. Euentus, ſigna facti appellat.

Conſequentia quædam ſigna.] Ea ſunt, quæ ſupra ueſtigia facti nominauit, quo etiam in loco declarata ſunt. Differunt à cæteris, quòd in facto ſenſu deprehenduntur, illa ingenio et induſtria oratoris ſubiecta ſunt.

Vt reſponſum inconſtanter.] Inconſtanter, modo affirmando, modo negando, aut etiam pugnantia dicendo. Hæſitat qui reſiſtit in ſermone, quaſi dubitans, & quærens quid dicat. Titubat qui reuocat quod dixit, et quaſi lapſus eadem iterat, quæ conſcientiæ ſunt ſigna.

Audaciam temeritati, non prudentiæ eſſe coniunctam.] Sic ipſe pro Cluentio: Fraudulentos audacia, audaces fraude & malitia deſtitui dicit.

Facillime ſcire poſſunt.] Vt ipſe pro Sylla: Sibi potius de coniuratione, quàm Torquato credendum eſſe.

De inceſtu tamen & coniuratione.] Idem dicitur pro Milone, in quæſtionibus refutandis.

Irridenda etiam diſputatio eſt.] Locum communem intelligit contra quæſtiones, quo ipſe etiam pro Sylla utitur: Tormenta illa gubernat dolor, moderatur natura cuiuſque tum animi, tum corporis, regit quæſitor, flectit libido, corrumpit ſpes, infirmat metus, ut in tot rerum anguſtijs nihil ueritati loci relinquatur. Quam diſputationem tanquam meditatam & puerilem, irridendam eſſe dicit.

Defenſionis autem primum infirmatio cauſarum.] Horū exempla extant in oratione pro Roſcio, & pro Milone, & pro Sylla, in quibus obſeruare licebit.

Conſequentis autem diluet.] Conſequentia, ſigna dicit, de quibus prædictum eſt. Certa ſigna, ſunt propria ac neceſſaria, quæ infirmantur, ſi oſtendantur non ſemper conſequi: hoc eſt, non eſſe propria ac neceſſaria, ut non ſolum ueneno, ſed etiam morbo corpus tumeſcere, non ſemper metum eſſe ex delicti conſcientia. Aut alio uertenda erunt, et docendum cuiuſuis potius eſſe, quam criminis propria: ut ſepeliſſe ex miſericordia, non ut crimen celaret: extimuiſſe, titubaſſe, fugiſſe propter falſam, ſuſpitionem, & quòd calumniatores ſciret paratos ſibi eſſe. Aut ſi communia ſint cum aduerſario, hoc eſt, tam pro illo, quam pro nobis ualentia, dicendum erit pro periculo potius, quàm contra ſalutem ualere oportere: ut quod ſepelierit, in bonam non in malam partem interpretandum eſſe, occurrendum hominum periculis, & ſubleuandos potius qui laborent, quàm affligendos eſſe.

Obſcuratis defenſionibus.] Obſcuratis, hoc eſt infirmatis, & in dubium incertumq; reuocatis: ſicut ſupra explanatum eſt, de tractanda confirmatione.

Motus animorum incitandi.] Accuſatori incitandi ad ſæuitiam, defenſori ad lenitatem reuocandi.

Vter enim definiendo deſcribendoq;.] Vt maieſtas populi, ſitne in poteſtate imperij eius, an in dignitate? Sacrilegium, ſitne cuiuſuis rei ſurreptio de loco ſacro, an ſacra duntaxat.

Non enim argumentando hoc genus tractatur.] Proprie definitio adhibetur ad explicandum quid ſit id de quo quæritur: ſed ea argumentis confirmatur, de quo ſupra dictum eſt, de confirmatione.

Vt ſi in reo pecunia abſoluto, rurſuſq; reuocato.] Lex eſt, Reus præuaricatione abſolutus reuocetur. Quidam iudices corrupit, & reuocatur. Negat ſe lege teneri, quia nō ſit præuaricatione abſolutus. Quæritur quid ſit præuaricatio. Definit accuſator, præuaricationem eſſe, omnem iudicij corruptelam ab reo. Contra defenſor non omnem, ſed tantummodo accuſatoris corruptelam ab reo. Quæ definitiones inter ſe confligunt. Accuſator nititur ſententia legis & æquitate, ex minori: Si propter unum accuſatorem corruptum, iudicium reſcindatur, multo magis ſi totum corruptum ſit, reſcindendum eſſe. Contenditq; legem commode ſic ſcriptam eſſe, quoniam uno præuaricationis uerbo comprehendat ea, quæ ſi alijs ſcripta eſſet uerbis, de iudicijs corruptis complecteretur. Contra defenſor teſtatur conſuetudinem ſermonis in uerbo præuaricationis, in quo non totum iudicium, ſed accuſator unus corruptus intelligatur. Probat à contrario, quoniam uerus accuſator præuaricatori opponatur. Nam ſi accuſator, qui corruptus non eſt, uerus accuſator appellatur, è contrario præuaricator non niſi corruptus accuſator intelligetur. Item ex conſequentibus, quòd

in preuaricationis iudicio litera ad condemnandum, abſoluendum, ampliandum'ue reum, dari ſoleat iudici, nó de iudicio corrupto, ſed de accuſatore iudicando. Item ex nomine ipſo preuaricationis, quo ſignificetur is, qui in contrarijs cauſis quaſi uarie poſitus eſſe uideatur. Tum ad æquitatis locos confugiet, non æquum eſſe, cum de preuaricatore lex loquatur, id ad iudices transferri, proferetq; exempla rerum iudicatarum, in ſimilibus cauſis idem iudicatum fuiſſe: nec ſolum iniquum, ſed etiam periculoſum fore demonſtrabit, ſi aduerſarij ſententia recipiatur. qui loci omnes & in Veteri rhetorica, & apud auctorem ad Heren. explicantur. Exempla eorum quæ ſequuntur, ipſe omnia ferè in orat. pro Cecinna obſeruabis. Quod diuiditur in duas partes primas.] Ius omne tum in natura, tum in lege poſitum eſt. Natura intelligitur uis mentis noſtræ, qua quidquid pium æquum'ue eſt, ultro approbatur. Lex, omnis obſeruatio, quæ aut ſcripto comprehenſa eſt, aut ſine ſcripto, uel ex iure gentium, uel ex more maiorum obſeruatur. Vtrunque & ad deos, & ad homines pertinet. itaque ius duplex eſt, diuinum & humanum. Diuinum religionis eſt, humanum æquitatis. Aequitas tum per ſe ſpectatur, in eo quòd rectum, uerum, iuſtũ, æquum, bonumq; eſt: tum ad alterum refertur, in uiciſſitudine gratiæ bonæ uel malæ referendæ. Bona gratia in beneficio eſt, mala in iniuria referenda. & ultio nominatur. Cætera per ſe plana ſunt. Illud equidem quod iam unum reſtare uideo.] Hoc totum genus ſatis aperte ſcribitur, eiſdemq; locis ac partibus explicatur in Veteri rhetorica, & apud auctorem ad Herennium, item apud Quintilianum: quare commentario non indiget. Exempla obſeruare licebit in orationibus (neque enim difficile erit) in quas ſcripti tractatio incidit, qualis eſt tota pro Cecinna.

[redacted]

Cur de partitione oratoria? Quia in hoc libro partitur Cicero in partes, omnem dicendi doctrinam.

Quid dialogus? Dialogus eſt, ex interrogatione & reſponſione compoſitus de ea re, quæ uel philoſophiam, uel Reipublicæ partes attingat, cũ decenti & congrua expreſſione perſonarum quæ aſſumuntur, accurataq; compoſitione uerborum. Ita Diogenes Laertius in uita Platonis. Porrò deriuatur ἀπὸ τοῦ διαλογίζομαι. *Quæſtio: Eſt cum interrogatione elata oratio: ut, An heliotropium cum ſole uertatur? An Euangelium leges ciuiles approbet?*

Quæſtio
- *Infinita, quæ eſt, quando ſine perſonis atque temporibus de uniuerſo genere quæritur. Græci τὴν θέσιν uocant: ut, An oratoria ſit utilis.*
- *Finita, quæ perſonis & temporibus definitur: ut, An oratoria in iſſe rito ſit utilis. Græci τὴν ὑπόθεσιν appellant.*

Ita Cicero 2. de Perfecto orat.

Docere, eſt rem ex ignota facere notiorem. Conſultatio & quæſtio infinita idem. Quæſtio definitatis & controuerſia idem. Locus eſt illud, in quo argumenta latent. Argumentum eſt, probabile inuentum ad faciendam fidem.

Locorum alij ſunt
- *Extrinſeci*
  - *Teſtimonia*
    - *Diuina*: *Oracula, Auſpicia, Vaticinationes.* — *De quibus Valerius.*
    - *Reſponſa*: *Sacerdotum, Aruſpicum, Ariolorum.*
  - *Humana*
    - *Scripta, huc refer*: *Teſtimonia, Codicillos, Chirographa.*
    - *Pacta, Promiſſa, Iuramenta, Quæſita* — *Rumores, Præiudicia.*
- *Intrinſeci*
  - *Finitio, Enumeratio partium, Notatio uel etymologia.* — *Vt*: *Eſt motus ciuium erga magiſtratus, ergo ſeditio eſt. Ordo plebeius eſt, ordo equeſtris eſt, ordo patricius eſt: ergo totus populus Romanus eſt.*

Locorum alij ſunt adfecti uel medij.

A coniugatis: ut ſtultus ſtulta loquitur: μῶρος γὰρ μῶρα λαλεῖ. Euripides in Bacchis.

A ſimilitudine: ut ignis aurum, ita res *adflictæ* amicum probant.

A diſſimilitudine: ut, Non ſi lætitia bonũ, etiam uoluptas.

A genere: Si omnibus magiſtratibus obtemperandum, ergo etiam conſulibus.

A ſpecie: Fagus eſt, ergo arbor eſt.

A differẽtia: ut, Annibal rationis capax eſt, ergo homo eſt.

A contrario: ut, Iuſtitia Chriſti iuſtificat, ergo nõ humana.

A conſentaneis: ut, Homo eſt, ergo animal eſt.

A coniunctis: ut, Si Chriſtiano magiſtratum gerere licet, ergo etiam bellum.

Ab antecedentibus: Si hæc parua et moritura corpora mente aliqua reguntur, ergo mundus hic mente aliqua regitur. Sic colligit Cicero pro Milone.

A conſequentibus: Ex deo eſt, ergo uerbum dei audit. Pie uiuit, ergo *adflictiones* patietur. Sic colligit Paulus 2. Tim. 3.

A cauſa: Diligenter exercet ſtylum, ergo eloquentiam parabit. Spiritus eſt incluſus terræ, ergo terræmotus eſt.

Ab affectibus: Eloquentiam parauit, ergo ſtylum diligenter exercuit.

A maiorũ comparatione: Qui fallere conſueuerit patrem, tanto magis audebit cæteros.

A parium comparatione: Quæ pœna in malefactorem iuſta eſt, eadem in impulſorem iuſta erit.

A minorum comparatione: Quæ lædunt oculos, feſtinas demere, ſi quod eſt animum, differs curandi tempus in annum. Horatius lib. Epiſt. 1.

A primordijs rerũ, id eſt, ab ijs quæ rem aliquã antecedunt: Interfeciſti hunc, ſiquidem inimicus eius fuiſti capitalis, ſubinde illi minatus es. Huc & prodigia referre poteris, de quibus Valerius libro primo. *Quæ ſunt inſita.*] Hoc eſt, qui loci in eo ipſo de quo agitur, hoc eſt, uocibus in quæſtione aliqua poſitis, *ſubiecto ſcilicet & prædicato*, hærent ita ut ab illis argumenta ducantur. ut ſit quæſtio: An ſeditio ſit bellum ſimplex. Prior uox eſt ſubiectum, poſterior eſt prædicatum. Ex illis uocibus ducuntur argumenta à finitione, uel ex toto, ut inquit Cicero hic. Quid eſt ſeditio? motus ciuium aduerſus magiſtratus. Quid bellum? diſſenſio hoſtilis, per quam arma concitantur. Porro hic locus finitionis inſitus eſt uocibus: educitur uero, ut declaretur, an ſeditio bellum ſit ſimplex. Item ſi ab alicuius termini in quæſtione poſiti partibus argumentum ducatur, eſt locus à partibus: ſi à nota nominis, eſt locus à notatione. *Quæ infixa*

ſunt rebus.] Id eſt, incluſa ſunt uocibus in quæſtione aliqua poſitis, quæ licet per ſe res ſint, tamen ſi quis ab his argumenta deriuet, loci ſunt. Tum ex toto.] Id eſt, finitione. quæ totum appellatur, quod totam rei naturam & eſſentiam explicet: ut Orator eſt uir bonus dicendi peritus. Pietas eſt rectus dei cultus. Ex notatione.] Id eſt, nota nominis, hoc eſt ſignificatione, quia nomen omne rem notat atque ſignificat. quod nomen ſemper in ipſo eſt, quod interpretatur: ut, de Deo differit, ergo theologus eſt. Debet, ergo debitor eſt. Quodam modo adfecta ſunt.] Adfecta hic dicuntur, quæ quodammodo ad aliquid referri poſſunt. Omnia uero quæ ſe mutua relatione reſpiciunt, aut concordia inter ſe, aut diſcordia conferuntur. ſi concordia, uel οὐσιωδῶς, id eſt ſubſtantialiter: ut genus, forma, antecedentia, conſequentia, cauſa, effectus: uel qualitate, ut coniugatum, ſimile, coniunctum: uel quantitate, ut paria. Si uero diſcordia conferuntur, & hoc in qualitate, quantitate, maiori, minori. Vide Boethium in Topicis Ciceronis. Ad id de quo quæritur.] Id eſt, terminum in quæſtione poſitũ. Coniugata.] Dicuntur, quæcunque ab uno nomine uaria terminatione flectuntur: ut à iuſtitia iuſtus iuſte. Ab illis ſic colligimus: Iniuſta facit, ergo iniuſtus eſt. Animalis ſapit, ergo animalis homo eſt. Similitudo.] Eſt unitas qualitatis. illa enim ſimilia ſunt, quæ in qualitate una conueniunt. Ab illa ſic colligere poteris: Iuſtitia eſt uirtus, ergo etiam prudentia: ſi iuriſconſulto uerecundiæ eſt loqui ſine lege, L. ut C. de Colla. ergo etiam theologo ſine literis ſacris loqui pudori fuerit. Differentia.] Eſt, qua unum differt ab alio, ſic homo differt ab equo differentia rationali. Ab illa ſic colligimus: Animal rationale eſt, igitur homo eſt: animal rugibile eſt, ergo leo eſt. Contraria.] Dicuntur, quæ in eodem genere poſita, longiſſime à ſe diſcrepant: ut album, nigrum. Ab illis ſic collige: Color albus eſt, ergo niger eſſe non poteſt. Iuſtitia Chriſti iuſtificat homines, ergo non iuſtitia humana. Coniuncta.] Quæ ita coniunguntur, ut unum alterum ſequatur, ut timori pallor coniunctus eſt. ab illis ſic ratiocinari poſſimus: Pallet, ergo timet. Sic Paulus 1. ad Corint. 3. Aemulatio, contentio, factiones inter uos ſunt, ergo carnales eſtis. Antecedentia.] Sunt, quibus poſitis, aliud neceſſe eſt ut conſequatur, ut bellum & inimicitiæ. à quibus ſic collige. Bellum eſt, igitur inimicitiæ ſunt. Cicero pro Milone: Neque in ijs corporibus, atque in hac imbecillitate noſtra ineſt aliquid quod uigeat & ſentiat, et non ineſt in hoc tanto naturæ tam præclaro motu. Conſequentia.] Dicuntur, quæ id quod antecedit, inſequuntur: ut, Ex deo eſt, ergo uerbum dei audit. Chriſtianus iudex eſt, ergo non indicta cauſa aliquem condemnabit. Pie uult uiuere, ergo adflictiones patietur 2. ad Timotheum 3. Ex repugnantibus.] Repugnantia eſt, diſſimilis rerum habitudo: ut, Amicitia eſt, ergo inimicitia non eſt. Cauſa.] Eſt, qua præcedente aliquid efficitur. Ab effectibus.] Effectum eſt, quod præcedens eam efficit. Maiorum comparatio eſt, quoties ei quod minus eſt, id quod maius eſt, comparatur: ut, Si bellum gerere licet, ergo etiam litigare in iudicio licebit. Parium comparatio eſt, quoties inter ſe paria comparantur: ut, Si puniendus eſt qui patrem occidit, ergo etiam qui matrem. Minorum comparatio, quoties maiora minoribus tribuũtur. Cur iſti loci adfecti dicantur.] De coniugatis primum dicam: Iuſtitia ad id quod iuſtum, uel iuſte fieri poteſt, & eum qui iuſtus eſt reſpicit. Genus, cognatum eſt eius, cuius eſt genus, id eſt ſpeciei. Species, generis ſpecies eſt. itaque ad ſe inuicem referuntur. Iam ſimile, niſi ſimili ſimile eſſe non poteſt. Contraria, contrarijs intelliguntur eſſe contraria. Coniuncta, coniunctis adhæreſcunt. Antecedentia, referunt id quod conſequitur. Conſequens, ad id quod antecedit. Repugnans, repugnanti ſibimet eſt inimicum. Cauſa, effectus ſui cauſa eſt. Comparatio, maiora reſpicit. Minorum uero maiora, parium paria, &c. Conſentanea.] Sunt, quorum alterum de altero prædicatur: ut homo & animal, iuſtitia & uirtus. Diſſentanea.] Quorum alterum de altero non prædicatur, ut homo & brutum. Diſtributiones.] Diſtributio eſt, cum aliquid in partes diducitur: auctor Cicero in Topicis: ut Reſpub. in tres ordines, plebeium, equeſtrem, patricium diſtribuitur. Generumq; partes.] Cicero, ut mea fert ſententia, accipit genus pro omni illo quod in partes diſtribuitur. Primordia rerũ.] Signa & prodigia intelligit. de quibus Valerius Max. lib. 1. cap. de Prodigijs. Rerum contentiones.] Id eſt collationes: ſic Cicero lib. Offic. 1. uitam publicam & priuatam, ſiue umbraticam inter ſe confert. Naturæ comparantur.] Vt cum duæ eiuſdem naturæ res finitionibus, officijs inter ſe comparantur, per quæ declaratur ſic alterum cũ altero conuenire, ut uel prorſus eadem ſint, uel altero poſito, non poſſit alterum non ſequi: ut, pietas eſt, ergo uirtus eſt. Concupiſcentia eſt, igitur peccatũ eſt. Homo eſt, igitur animal eſt. Eſt animal rationis capax, igitur homo eſt. Temporum ſeruantur gradus.] Id eſt, quibus temporibus ætatis quælibet facta ſint, quæ in pueritia, adoleſcentia, iuuenta, ſenecta alicuius facta fuerit. Generũ diſtributiones.] Scilicet bonorum: ut primo laudibus tollantur in aliquo bona animi, deinde bona fortunæ, poſtremo bona externa. Decretis.] Id eſt præiudicijs. Vnum igitur genus eloquendi, &c.] Duo ſunt elocutionis genera.

Simplex
Verſum { Conſiſtit in uerbis } Simplicibus. Coniunctis.
Mutatum

Verſum.] Tropis ſcilicet. Eſt enim tropus, uerbi uel ſermonis à propria in aliam ſignificationem mutatio. ut in illo.

Omnia nunc rident, nunc almus parturit ager.

Mutatum, figuris ſcilicet.] Eſt enim figura conformatio quædam, uel dictionis, uel orationis à ſimplici & in promptu poſito dicendi modo commutata. Et ſic uel mutatur compoſitio: ut,

Tranſtra per & remos. apud Virgilium. aut mutatur eloquendi forma: ut, Eloquar, an ſileam? Natiua.] Id eſt, uerba propria & certa, quaſi uocabula rerum penè una nata cum rebus ipſis. Reperta ex his, id eſt, proprijs facta: ut ab homo, homuncio, homunculus, &c. Nouata, id eſt, ab eo qui dicit genita & facta. quale eſt illud Ennij: Sapientiam mihi omnem ex animo expectorat. Vide Ciceronem lib. 3. de Perfecto oratore. Aut imitatione rei alicuius: ut, Taratantara pro cantu tubæ, ſibilus, murmur, mugitus. Aut inflexione, cum eadem uoce modice deflexa, uarietatis nonnihil conciliatur: ut edax edo, bibo biboſus bibax. uide Eraſmum in commentario de Copia uerborum. Aut adiunctione uerborum: ut in illo Ennij, Tum pauor mihi ſapientiam omnem ex animo expectorat. Num non uis huius me uerſutiloquas malitias. Videtis enim & uerſutiloquas, & expectorat, ex coniunctione facta eſſe uerba, non nata. ita Cicero libro tertio de Perfecto oratore. Natura.] Magis ſonora, ut apud Virgilium in 1. Egloga: Ille meas errare boues, ut cernis idipſum, &c. Item: Quadrupedante putrem ſonitu quatit ungula terram. Grauiora.] Illum expirantem transfixo pectore flammas. Virg. Sic illud Ciceronis in oratione pro L. Manilia. Conſilio explicauit. Leuiora.] Atque humiles habitare caſas, & figere ceruos, &c. Virgilius. Tractatione.] Id eſt cõpoſitione: ut Ager ridet, damnum dedit, iniuriam dedit non item. Aut priſca: ut duellum pro bello. Cicero lib. Offic. 1. Hoſtire pro penſare. inde illud Plautinum in Aſinaria: Opera hoſtimentum pro pecunia eſt. Ab oratore modificata: Quid ſi legatur mollificata? id eſt, uſu mollia facta uerba. Compleas.] Ne quid deſit: ut, Quo tandem tu nebulo. Aut redundet.] Vt multa mala, & non bona accepimus.

Perturbetur.

Perturbetur oratio.] Solœciſmum intelligit, de quo Gellius lib. 6. cap. 21. Circumſcriptione.] Vt ars dicendi pro rhetorica, ſapientiæ ſtudioſus pro philoſopho. Aut intermiſſione.] ut,

Quo mihi fortuna, ſi non conceditur uti.

Horatius. Conciſione uerborum.] Vt explicuit pro explicauit, fabrum pro fabrorum, apud Ciceronem in epiſtolis. Duplicata.] ut,

Me me adſum qui feci, in me conuertite ferrum.

Idem ſignificantia.] ut, Rempublicam radicitus euertiſti, ciuitatem funditus deieciſti. Eſt uero ſυνωνυμία. Eſt enim hæc orationis pars, &c.] ὑποτύπωσιν intelligit, cum uel ob oculos luculenta quadam deſcriptione ponitur. Fabius energiã uocat lib. 8. Verborum leuium.] Vt, Nos patriam fugimus, & dulcia linquimus arua. Virg. Aſperos cõcurſus.] Vt, arma horrida, Martia turma. Hiantes atque diſiunctos.] Vt, uacca ænea amœniſſima erant. Vide Ciceronem lib. ad Heren. 4. ſic ille uerſus Ciceronis.

O' fortunatam natam me conſule Romam.

Habeatq; ſimilitudinem.]. Id eſt, uerba quæ eiuſdem ſunt qualitatis, & modi, & formæ. Aequalitatem, id eſt, parium penè ſyllabarum: ut, illi fortuna dedit felicitatem, huic induſtria uirtutem comparauit. quod alioqui compar graue appellatur: auctor Cicero libro ad Herennium quarto. Relata ad idem.] ut, Vicit pudorem libido, amorem audacia, rationem amentia: Cicero. Geminata.] Id eſt, bis repetita: ut, Scipio Numantiam ſuſtulit, Scipio Carthaginem deleuit.

Coniunctionibus copuletur.] Polyſyndeton intelligit, ut Ignemq; horribilemq; feram, fluuiumq; liquentem. In quarto Georg. Tum diſſolutionibus relaxetur.] Diſſolutum intelligit, cum multa ſine coniunctione cohærent: ut, Ferte citi flammas, date uela, impellite remos. apud Virgilium. Ex animo humano, id eſt, more hominum. Verbo proprium, in plura uerba deductũ, &c.] Ridet, cachinnat, riſu defluit, riſu proſequitur, deridet, ſubſannat, deludit, naſo ſuſpendit. Ex contractione, &c.]. Vt, ſtudium ſapientiæ ad unum uerbũ reuocatis, nempe philoſophiam. Aſſumpta remoueantur.] Intelligit correctionem, quæ remouet uerbum, quod aſſumptum eſt, ſupponens aliud magis idoneum: ut theologus, immo cacologus, &c. Aut in circuitus diriguntur.] Periphraſim intellige: ſic Troiani belli ſcriptorem maxime Lolli, pro Homero dixit Hora. Vnum uerbum ex duobus.] Vt floccifacere, naucifacere. Inuertatur ordo.] Vt qua de re confabularis, intelligit τὴν ἀναστροφήν. Surſum uerſus. nam ut dico, qua de re, ita quoque dico, de qua re. Interciſe atque permixte, ut maximopere, operæpretium. Cũ ſumpſeris aut non dubia.] Vt cum ſic colligo: Omne quod lege permittente fit, iure conceditur. Adulterum occidere, lege permittente fit: ergo adulter iure occiditur. Aut probabilia.] Probabilia ſunt, quæ uidentur omnibus, aut pluribus, aut ſapientibus, & his uel omnibus, uel pluribus, uel maxime notis. Ita Ariſtoteles libro Elenchorum primo. Exemplum: Omnia ſpirant quæ fiſtulam habent, & recipiunt aerem: auctor Ariſt. lib. de Nat. ani. 6. cap. 12. Delphinus habet fiſtulam, & recipit aerem: ergo delphinus ſpirat. Directo ſpectat, &c.] Directa argumentatio eſt, cum proponitur propoſitio maior, & eius confirmatio: deinde ſubiungitur aſſumptio, & eius confirmatio: poſtremo concluſio, ὥσπερ coronis additur. Exemplum: Solus ſpiritus ſanctus fingit animos hominum primo Regum decimo. Inſiliet in te ſpiritus domini, & mutaberis in alium uirum. Sed literæ ſacræ adflant ijs, qui eas uel audiunt, uel legunt, ſpiritum ſanctum. Sic enim inquit Lucas Actorum 11. Cum autem exorſus eſſet ſermonem, illapſus eſt ſpiritus ſanctus in eos, &c. Ergo ſola literæ ſacræ animos hominum fingunt. Illa autem altera, &c.] Sic apud Demoſthenem, apud Ciceronem, inter argumentandum ſæpe minor proponitur, deinde maior propoſitio ſubſtituitur, ſæpe concluſio præponitur. Aut frequentatis firmamentis, id eſt, in unum locum coactis, quo aut grauior, aut crimino ſior oratio ſit. Fit enim frequentatio, cum res diſperſæ in unum locum coguntur. ita Cicero libro ad Herennium quarto. Quæſtiones cognitionis.] Vt artium aliæ poſitæ ſunt in inſpectione, id eſt, cognitione & æſtimatione rerum, qualis eſt aſtrologia, nullum exigens actum, ſed ipſo rei intellectu contenta, quæ θεωρητικὴ uocatur. Aliæ in agendo: quarum in hoc finis eſt, ut ipſo actu perficiantur, quæ πρακτικὴ appellatur. Ita quoque ſunt quæſtiones, aliæ quidem cognitionis, aliæ actionis. Exempla quæſtionũ cognitionis require apud Ariſtotelem in Problematis, & Alexandrum Aphrodiſeum. Hic locus uirtutum, &c.] Virtus eſt habitus, qui incitat ad agendum ſecundum rectam rationem. Recta ratio eſt, cognitio earum ſententiarum, quæ natura nobis inſunt: ut,

1 Neminem eſſe lædendum.

2 Benemerendum de benemerentibus: &, ut Græci dicunt, χεὶρ χεῖρα νίπτει.

3 Obtemperandum eſſe magiſtratibus, id quod Græci uno uerbo exprimunt, πειθαρχεῖν. Quid autem poſſit, &c.]. Cauſæ quæ conficiunt, ut ignis calorem facit. Deus omnium in nobis uirtutum effector. Oppreſſio plebis ſeditionem in urbe facit. Iniuriæ rixas pariunt. Abſoluta, &c.] Vt, Deus per ſe agit omnia in omnibus: concionatores ſunt cauſæ adiuuantes, ut uerbum dei in pectoribus hominum fructum producat, 1. ad Corinth. 3. Maior cauſa.] Vt ſpiritus incluſus in terra, eſt maior cauſa terræmotus, quàm aqua ſubter in terrarum cauis undans fluctibus. Vide Gellium libro ſecundo cap. 6. Quo toto genere, &c.] Exemplum habes in prima Philippica τοῦ Δημοσθένους. Ad explendas cupiditates.] Sententia eſt, oratio ſumpta de moribus, quæ aut quid ſit, aut quid in uita oporteat fieri, breuiter oſtendit: auctor Cicero libro ad Herenninm quarto: ut, Hominis eſt cordati, quo iure, quaq; iniuria, quod ſuum eſt, uindicare. Ad odium.] Præſtat odioſum eſſe, quàm miſerabilem: Seneca. Ad ulciſcendas iniurias.] Vim ui repellere licet. Si bene dixiſſes, audiuiſſes bene. Cicero uidetur nonnihil ſeparare ſuaſionem ab hortatione, id quod & plerique alij faciunt. ita quod ſuadendo id agatur, ne quis uelit: hortando, ut audeat: ſuaſio probationibus doceat, exhortatio ſtimulis excitet: ſuaſor ſententiã mutet, exhortator animum addat. Suadeamus aut errantibus, aut certe hæſitantibus. Exhortemur ceſſantes. Vide Eraſm. in de Conſcrib. epiſtolis. Verbis, &c.] Recipit tamen hoc genus orationis uerba ſonantia, ampla, grauiter tanslata, ſignificantia. Sonantia. Soluite uela citi. Deus æthere miſſus ab alto, &c. Virgilius in quarto Aeneid. Ampla: Immortalia tuarum rerum decora, nulla unquam obliuio obliterabit. Significantia: Fratrem ne deſere frater. Item Egregiam uero laudem & ſpolia ampla refertis Tuq; puerq; tuus. Virgilius in quarto Aeneid. Sine lege.] Id eſt, lege nulla approbante: ut ſi filius ſpurius peteret hæreditatem paternam, à qua lege arcetur in Autent. de inceſtis nup. Secus eſt, ſi peteret maternam hæreditatem L. ſi qua, C. ad ſenatuſconſ. Orifici. Sine teſtamento.] Id eſt, ab inteſtato, de quo Inſtit. de Hæred. quæ ab inteſtato defe. Actio.] Eſt ius perſequendi in iudicio, quod ſibi uidetur. §. Actio autem. Inſtit. de Actio. Plus petiſti.] De quo eſt L. unica. C. de plus petitio. ut in Inſt. Cano. de plus pe. Petitur autem plus, re, loco, tempore. Excipere, eſt elidere actionem actoris. Aequum & bonum ius eſt, non illud quidem lege comprehenſum, id eſt legitimum, ſed legitimi iuris emendatio. Ariſtoteles in quinto Ethicorum, τὸ κατὰ τὸν νόμον δίκαιον, καὶ τὸ ἐπιεικὲς appellat.

Ius eſt, quod omnia iuſta & inflexibilia exigit: auctor Don. in Adelp. Teren. Rectum eſt, quod cum uirtute et officio fit. Verũ eſt, quod monet, ut rem ſicuti eſt, et ſicuti ſcimus, dicamus. Decius.] *De quo Cicero in ſecundo de Perfecto oratore. De Graccho, uide Pliniũ de Illuſtribus uiris. De Norbano, uide Ciceronem lib. 2. de Oratore perfecto.* Relatum à Decio.] *Vide Florum Epitome 61.* Penus.] *Quintus Mutius ſcribit lib. 2. iuris ciuilis, penu legata cõtineri, quæ eſui potuiq; ſunt accommoda. L. qui penu legata. ff. de Penu legata. Quid ſibi uelint Ruta caſa, uerba peculiaria iuriſconſultis, abunde patet ex Pandectarum lib. 12. L. 18. Si ruta, inquit Vlpianus, caſa excipiantur in uenditione, ea placuit eſſe ruta, quæ ruta ſunt, ut arena. & ſimilia. caſa uero, arbores caſæ, & carbones, & his ſimilia.* De inceſtu, &c.] *L. 3. ff. de Quæſtionibus contrarium ſtatuit. De inceſtu, inquit, ut Papinianus reſcripſit, ſeruorum tormenta ceſſant. Cæterum interpretes dicunt, iſtam L. de ſimplici inceſtu intelligi. L. Quæſt. Cro. Et quæſtionem de ſeruis contra dominos haberi nõ oportet, exceptis adulterij criminibus. Item fraudati cenſus, & crimine læſæ maieſtatis.* Prævaricator.] *Eſt quaſi uaricator, qui aduerſam partem prodita ſua cauſa adiuuat, quod nomen Labeo à uaria certatione tractum ait. Nam qui prævaricatur, ex utraque parte conſiſtit, L. 1. ff. de præua. Prævaricari eſt, uera crimina abſcondere. L. 1. ad Senatuſc. Turpilian.* Ratum habere iudicium, &c.] *Hoc eſt, negat L. de prævaricatoribus uelle, ut cum propter unum accuſatorem corruptum, iudicium reſcindendum ſit, ſi totum iudicium corruptum ſit, ratum habendum eſſe.* Pactum.] *A' pactione dicitur, inde etiã pactum nomen appellatũ eſt. & eſt pactio duorum pluriumq; in idem placitum & conſenſus. Porro conuentionis nomen generale eſt, adeo ut eleganter Pedius dicat, nullum eſſe contractum, nullam obligationem, quæ non habeat in ſe conuentionem, L. 1. ff. de Pactis. Ex ambiguo ſcripto contentio eſt, cũ una ſententia, una lex, uel aliud quoddam ſcriptum multifariam exponitur. Ex ambiguis ſcriptis contentio eſt, quando uidetur ſcriptoris uoluntas in ſcriptis diſſentire.* Ille autem qui ſe ſententiã legis, &c.] *Et hoc probat L. leges ſcire. ff. de Leg. & L. inſſcicbam, C. de lib. preteritis, & L. omne uerbum, C. communia, de Leg. & fideiuſſ.* Academia.] *Locus Athenienſis in ſuburbano nemoroſus, à quodam heroe Academo nomine appellatus, in qua Plato commorabatur. auctor Diogenes Laertius in uita Platonis.*

FINIS.

PRO RHETORICIS M. T. CICERONIS AD C. HERENNIVM, NICOLAI ANGELII BVCINENSIS AD PHILIPPVM STROZAM DEFENSIO.

IBRARIORVM *quidem deprauatione, Philippe Stroza, & temporum uitio, Cicero in hiſce Rhetoricorum ad Herennium libris à ſeipſo hactenus per mendas ita ſenſim abijt in deformitatem, uix iam ut ſuorum pleriſque agnoſcatur. Vnde in celebres lectionis eius, quibus macularum fœditas diuinæ eloquentiæ multum ſubtraxit, titulum huius operis ſubdititium eſſe contendunt: & auctoris inopes, Virginio, uel Cornificio cuidam, quem penitus non norunt, quod maxime uideas, leuiſſima quadam, imo nulla coniectura pueriliter tribuunt. Sed quamobrem tam bonas dicendi rationis præceptiones ſummi opificis artificio ſurripiant, diſcas. Primum aiunt Quintilianum cum ſuas Inſtitutiones oratorias, crebris orationum Ciceronis, & omnium eius de arte rhetorica operum exemplis confirmet, Rhetoricos ad Herennium nuſquam citaſſe: utique citaturum, ſi Ciceronis eſſe ſciuiſſet. Tum Plutarchum in Ciceronis uita, enumeratione uoluminum quæ Cicero reliquerit, libros ad Herennium tacuiſſe: nec Hermeſtem quendam, de quo in illis fit mentio, inter præceptores per quos Cicero profecerit nominaſſe. Deinde legi quædam in his, quæ de Oratore ad Q. Fratrem libris magnopere repugnant: nec eſſe ferendum, quenquam ſibi in ſuis ſcriptis diſſentire. Dicendi poſtremo figuram multo humiliorem ac ſicciorem cognoſci diſputant, quàm quæ Ciceronis ſublimitatem atque opulentiam referat. His tenuibus coniecturis, hoc opus à ſuo parente per inſcitiam reuulſum, Cornificio, aut Virginio, nec id quidem ſibi ſi reuiuiſcant aſſerturis, ridicule addicunt. Verum exigui eſt negotij, tam eſt aperta ueritas, horum refellere pueriles opiniones. Primo loco aiunt, Ciceronis opus ideo non eſſe, quod nuſquam à Quintiliano citetur: quaſi ſit neceſſe ea omnia ſuo auctore ſpoliare, quæ à Quintiliano non citentur. Quod ſi ita eſt, nullius opus eſſe relinquitur, quod nemini ſua citatione Quintilianus adiudicet. Locis tamen non paucis, horum librorum uerbis & ſententijs uſus, eos Ciceronis eſſe, grandem coniecturam facit. Eius enim libro primo, de Elocutionis uirtutibus uerba hæc ſunt: Vſitatis tutius utimur, noua non ſine quodam periculo fingimus. Nam ſi recepta ſunt, modicam laudem afferunt orationi: repudiata etiam in iocos exeunt. Audendum tamen, nanque, ut Cicero ait, etiam quæ primo dura uiſa ſunt, uſu molliuntur. Cicero in præfatione libri IIII Rhetoricorum, hunc ſenſum his uerbis expreſſit: Quæ enim res apud noſtros non erant, earum rerum nomina non poterant eſſe uſitata: ergo hæc aſperiora primo uideantur neceſſe eſt. Eiuſdem lib. IX. de Verborum coloribus: Qui ſunt qui fœdera ſæpe ruperunt? Carthaginenſes. Qui ſunt qui bellum crudeliſſime geſſerunt? Carthaginenſes. Qui ſunt qui Italiam deformauerunt? Carthaginenſes. Qui ſunt qui ſibi ignoſci poſtulant? Carthaginenſes. Exemplum hoc eſt Ciceronis Rhetoricorum IIII. de Complexione. Ibidem: Amari iucundum eſt, ſi curetur ne quid inſit amari. Animum dulcedo, ad animum ducit. Sic Cicero in Rhetoricis de Traductione. Nec obſtat, quod Quintilianus ſubiunxerit paulo poſt, Cornificius hanc traductionem uocat. Nam ea quæ iocandi cauſa ferebantur in ore uulgi, obuia erant exemplis pluribus ſcriptoribus. Plenus eſt hoc loco Quintilianus exemplis, quibus utitur etiam Cicero de uerborum figuris. Quod autem hanc Rhetoricen inter cætera M. Tullij uolumina negant à Plutarcho enumerari, infirmiſſimum ſanè eſt. Quid ſi Plutarchi memoriam in tanto librorum numero fugit, cuius negligentia ſuper Ciceronis rebus nemini uel mediocriter erudito obſcura eſt? præterijt nanque & alia multa. Quid ſi conſulto tacuit? ne ſummi oratoris alia de facultate oratoria diuina opera tractatu tam familiari deformaret? Quid ſi ea uerba apud quem legerunt Plutarchum deſunt? multa enim in omnibus ſcriptoribus & deeſſe, & ſupereſſe paſſim intelligimus: quale hoc ipſum quod aiunt de Hermeſte. nam in uetuſtiſſimis ac fideliſſimis codicibus, quorum plurimos legendos ſumma diligentia curauimus, nullum Hermeſtem inuenient. Leonardus enim Aretinus, ſummæ eruditionis uir, hoc opuſculum cæteris Ciceronis uoluminibus proculdubio annumerat, ubi in ea re Plutarchum latinum facit. De quo id acceptum oſtenditur. Indignum tertio loco clamitant, & nullo animo ferendum, in ſuis ſcriptis ſibi quenquam diſſentire. Fateor ergo indignum, ſi loco, tempore, uolumine eodem ſibi quiſquam diſſentiat, aut de uniformi ſcientia. Hic uero non de numeris, aut de terræ menſuris, non de ratione ſiderum agitur: ſed ea de arte, de qua mira eſt ſcriptorum traditionis uarietas. qua de cauſa Quintilianus ſe opus ſuum ſuſcepiſſe ſcribit, ut inter auctores tam uarios quid putet ſequendum doceat. Quin Peripateticis nullus eſt datus labor durior, quàm conari, ne dogmatis princeps ſibi ipſi in ſuis libris repugnare uideatur. Quæro hoc loco, an libros de Inuentione, & Partitiones ad filium, Ciceronis eſſe negent, quòd in ijs pariter multa uerbis mutatis, quædam in pauciores ſpecies aut plures partita, alia ita diſſidentia ab illo diuino de Oratore opere legent, ut utique diuerſa cognoſcant. Alium ſcriptorem alio loco Cicero ſecutus eſt. Nec enim unus eſt ad perſuadendum callis, nec ſemita eadem, ſed quauis ratione quis appoſite ad perſuaſionem dixit, is nimirum functus officio oratoris fuerit. Formam poſtremo dicendi haud eſſe Ciceroni ſimilem contendunt. quo equidem multo ſum æquior illis, quàm in cæteris. Ego enim ipſe nonnunquam uix in his libris Ciceronis uultum agnoſcebam, adeo erant uocum perturbatione, mutatione, detractione, adiectione, omnia uitio temporum & librariorum culpa inuerſa & deprauata, nec ſuus orationi numerus aſſurgebat. nec uerus ille nitor plurimis in locis renidebat. At nunc opera noſtra diſiecta magna ex parte nebula, iam propemodum aperta eſt ſua Ciceroni facies, iam nulla ibi figura tenuitas aut exilitas apparet, ſed nuda, uenuſta, pura uerborum caſtitas, ingenioſiſſima ac lucidiſſima docendi breuitas, maxima præceptionum uirtus omnibus ingenijs præterquam unius Ciceronis erepta ubique cernitur. His opinor ſatis diluimus aduerſariorum argumentationes. nunc adiumenta noſtra confirmemus, ac ueritatem ipſam, quæ eſt luce meridiana clarior, paucis tueamur. Qua in re omittimus omnem antiquitatem, cuius maieſtati & in fabuloſis ſemper fuit habita multa fides, quæ ſola grauiſſimo ſuo teſtimonio aſſerit Ciceroni opus, cuius titulum ab eo acceptum ſeruat adhuc ad noſtra tempora incolumem: nec tam longa ſeculorum fluxura inuentus eſt, qui aut ei ademerit, aut de ea re quidquam ſe dubitare ſcripſerit. Dicant hoc loco iſti, ſi poſſunt, quæ cauſa hominem (quiſquis ille fuit) impulerit, ut titulum auctori ſuo ereptũ, Ciceroni adſcripſerit: uel qua id ratione in tot uoluminibus ſparſum, facere potuerit. Omitto plurimos & grauiſſimos teſtes, Leonardum Aretinũ, annumerantem hanc Rhetoricen (ut dictũ eſt) inter alios Ciceronis libros: Trapezuntiũ, I. Rhet. citantem Ciceronem ad Herenniũ: Priſcianũ lib. III. de Superlatiuo, & lib. X. de Præteritis, ſæpius confirmantẽ artem ſuã uerbis Ciceronis ad Herennium: Hieronymũ, doctrina & antiquitate grauiſſimũ: & alios permultos, quorũ tenui teſtimonio multo difficiliorẽ cauſam apud*

ſeueriſſimos iudices tenerem. Quis obſecro eſt tam hebes, & ut Græci aiunt ἀναίσθητος, qui primis ſtatim operis uerbis Ciceronem nō agnoſcat? cuius plurimam operam defendendis amicorum negotijs periculiſq; uerſatam, multis in locis legimus: quod in præfatione Tuſculanarum ſcribit, & Philippica 7. his uerbis: Omne enim curriculum induſtriæ noſtræ in foro, in curia, in amicorum periculis propulſandis elaboratum eſt. & alibi ſæpius. Atqui pro foribus Ciceronem aſtare diximus, ingredere bone Lector limen, circunſpice, totus tibi Cicero aperta facie ad ſummam tegulam, niſi diſſimules, paſſim occurrit. Equidem non grauarer proferre plurimos ubique locos eiſdem uerbis, cum cæteris de facultate oratoria ſcriptis, tum præcipue de Inuentione libris communes: ut manifeſtum appareat, hic familiarius perfeciſſe, quod id Cicero iuuenili calore ambitioſius inchoauerat. O ridiculum hominum genus. Tanta'ne ille iſtorum Cornificius uerborum infelicitate laborauit, ut ſuam artem alienis uerbis ueſtiuerit? moturus maiores riſus, quàm cornicula Horatiana, furtiuis nudata coloribus: ſi repetat Cicero, quod ibi ſuum eſt. nam nihil ibi relinquetur Cornificio, præter furti infamiam, quod ſuum ſit. Verum ne in ſcyrpo nodum inueniri poſſe arguat defenſio noſtra, ipſe Cicero aduerſus iſtiuſmodi calumniam, & plagiariorum iniurias, nullius omnino patrocinio indiget: ſui enim eſt acerrimus defenſor, & ſibi ipſe multis in locis inconuincibilis teſtis. Nam primo ad Herennium ſic ſcriptum reliquit: Adhuc quæ dicta ſunt, arbitror mihi conſtare cum cæteris artis ſcriptoribus, niſi quia de inſinuationibus noua excogitauimus, quod eas ſoli nos præter cæteros in tria tempora diuiſimus, ut planè certam uiam, & perſpicuam rationem exordiorum haberemus. Et libro primo de Inuentione, tripartita eſt inſinuatio, his uerbis: Inſinuatione igitur utendum eſt, cum admirabile genus cauſæ eſt, hoc eſt, ut ante diximus, cum animus auditoris infeſtus eſt. id autem tribus ex cauſis maxime fit: ſi aut ineſt in ipſa cauſa quædam turpitudo: aut ſi ab his qui ante dixerunt, iam quiddam auditori perſuaſum uidetur: aut ſi eo tempore locus dicendi datur, cum iam illi quos audire oportet defeſſi ſunt audiendo. Quod ſi ſe ſolum præter cæteros inſinuationem in tria tempora diuiſiſſe profitetur, et eſt inſinuatio utrobique in tria tempora diuiſa, utriuſque rhetorices eundem fuiſſe auctorem neceſſe eſt. Hic profecto nihil eſt quod quiſquam amplius dubitet, aut quod iſti citra ſui riſum calumnientur. Planius adhuc hoc ipſum præfatione libri quarti ad Herennium facit, his uerbis: Poſtremo hæc quoque res nos ducit ad hanc rationem, quod nomina rerum græca quæ conuertimus, ea remota ſunt à conſuetudine. quæ enim res apud noſtros non erant, earum rerum nomina non poterant eſſe uſitata: ergo hæc aſperiora primo uideantur neceſſe eſt. idq; fiet rei, non noſtra difficultate. σχήματα, id eſt uerborum ſententiarumq; lumina, quæ latinis uocabulis antea caruerant, à ſe conuerſa eſſe teſtatur, quæ & hic, & in tertio de Oratore, Romana ciuitate ab eo donari manifeſtiſſimum eſt, quod à Cicerone alius ſcribere nullo modo potuit. Inſuper pollicetur tertij libri initio, ſe de Republica, req; militari ſcripturum: quod utrunque poſtea præſtitit. Vereor ne prudentioribus uidear, quod in ſole lucernam afferre laborem. quid iſtorum cæcitati clarius proferri poteſt? libro enim primo, ne quid cuiquam addubitationis reliqui faceret, inquit: Tullius hæres meus Terentiæ uxori meæ X X X pondo uaſorum argenteorum dato, quæ uolet. Quam hic calumniam iſti comminiſcantur, equidem non uideo. Præterea cætera ſi deſint argumenta, unum illud euidentiſſimum eſt, quo ſolo claret, eos libros eſſe nobis à Cicerone relictos: cuius ſi non conceſſerint manu ætate tamen ſcriptos, figura in ijs dicendi cæcis clariſſimum facit. Nam ſi ueterum monumenta repetas, triplicem præcipue doctiſſimorum hominum foeturam, uaria eloquentiæ & figura & uultu Romanis illuxiſſe comperies: Vnam Lælij & Scipionis ferè ætate, qua poſt Liuium Andronicū plurimi & poetæ & oratores floruerunt ſumma eloquentiæ gloria, de quibus Plauti, Catonis, Terentij, Lucretij, ſuperſtes eſt adhuc illa eloquij ueneranda maieſtas. Alteram, omnium temporum feliciſſimam, Iulio & Auguſto Imp. qua ætate clariſſima oratorum & poetarum & hiſtoricorū lumina floruerunt. Tertiam ſub gente Flauia Cæſarea, ſed tum dicendi genus mutatum animaduertimus: quale eſt utriuſque Plinij, Taciti, Suetonij, Quintiliani, & reliquorum ſcriptorum eius ætatis. Faciem uero elocutionis huius uoluminis dicendi formæ, tum primæ, tum tertiæ foetura diſſimilem, ſi inſicias, cognoſces. Ac ſimillimam ſecundæ foeturæ, qua naſcitur Cicero, feliciſſimo dicendi genere cognoſces. Quod ſi hanc argumentationem tenui coniectura colligi dicas, nec quæ eam de ratione dicendi præceptionem à Cicerone ideo compoſitam confirmet, hoc certe uel ſi duriſſimæ ceruicis & inauditæ pertinaciæ ſis, negare nullo modo potes, neceſſe eſſe operis auctorem aut ante Ciceronis tempora, aut cum Cicerone ſimul, aut poſt fuiſſe. Eum ante Ciceronis ætatem ſcripſiſſe, negant exempla eorum quæ proferuntur in ijs libris, ut Cepionis, & L. Caſſij, & aliorum quos cum Cicerone uixiſſe manifeſtiſſimum eſt. Infra Ciceronem hos libros editos non fuiſſe, indicat non modo dicendi figura, nihil à figura ſecundæ foeturæ immutata, quam ſemper cum temporibus immutatam fuiſſe cernimus, & quod nullū ibi hiſtoriæ aut exempli ueſtigium citra ætatem Ciceronis progreditur, ſed id quod mox ſubiungam, planum facit. Relinquitur ergo, ut operis auctor cum Cicerone uixerit, & eum iam grandem, id eſt, ubi eloquentiæ ſplendore, & multis ſuis ſcriptis uniuerſo orbi factus fuerit illuſtris, norit, cum Terentiam eius uxorem, & liberos, ſuperiore exemplo norit. Quod cum ita ſit, cur in Præfatione libri quarti, ubi docet, ad comparandam eloquentiam exempla eſſe ſumenda à Catone, à Gracchis, à Lælio, à Scipione, Galba, Porcina, Craſſo, Antonio, Ciceronem, Virgilium, Horatium, ne plures commemorem, linguæ noſtræ lumina utique tacet? An, ſi dijs placet, melioribus relictis, quos ſibi proponere ad imitandum oportuit, deteriores nominat? Sed agnoſcant hi aperte Ciceronem, qui de ſe ut decuit, prudenter tacuit, & magnos poetas, cæteroſq; ſcriptores, qui mox à ſe claruerunt, noſſe nondum potuit. Quare garrire iſti deſinent, & ad melioris iudicij ſanitatem iam redeant, nec poſt tot ſecula, tam graues teſtes, firmiſſimas coniecturas, ualidiſſima argumenta, fraudent Ciceronem hac tantula induſtriæ gloriola: nec litem inſuper de Caio Herennio intendant, qui cum ſibi Cicero in fine operis cognationem fuiſſe ſcribit. de quo meminit Salluſtius, auctore Gellio, libro nono Noctium Atticarum. & pro M. Cælio Cicero ſcribit, L. Herennium ſibi eſſe familiarem.

QVOD

QVOD LIBRI RHETORICI AD HERENNIUM A' FAMILIA CICERONIS AMOVERI NON DEBENT; IBI'QVE

confutata illorum opinio, qui de his litem intendunt, probatumque multis argumentis & auctoritatibus, Ciceronis opus eſſe: Marinus Becichemus Scodrenſis ad Ioannem Antonium Montis cognomine iureconſultum, Brix. R. P. legatum.

NARRAVIT mihi Lucas Tertius collega tuus, & librum Epiſtolarum mearum in quibus de literarum quæſtionibus agitur, ad cœlum extolli, & actionem à te meam ualde probari, qua Raphaelis Regij arrogãtiam mirabiliter frangere, penitus conterere tuo iudicio uiſus ſum: quod tanti facio, quanti olim Scæuolæ oraculum faciebant. Addiditq́;, te publicis negotijs interceptum, non potuiſſe exordio concionis (prout deſtinaueras) intereſſe: optare idcirco eam partem legere, quam ab ore meo pendenti audire non licuit: hoc eſt, diſputationem de Rhetoricorum ad Herennium auctore. Hæc ille, nimis me ſuis uerbis extollens, ſimul & tuis: quæ neque admittere poſſum, neque reijcere debeo. Facit præclare humanitas & eruditio ueſtra, eloquentiæ ſplendore illuſtrata, ut nihil antiquius ducam, aut officioſius, quàm ueſtræ morem gerere uoluntati. Curaui illã orationis portiunculam tibi tranſcribere: orationis dixi, quoniam interruptis ſermonibus cum iſta hominum intemperie, quam ridebant ſuperioribus diebus docti & indocti, diſputare nolui. Quid diſputare? immo pudendis conuicijs, tumultuoſis congreſſibus, fœmineis contumelijs, ineptis & puerilibus altercationibus, ubi per tot dies omnibus ſtomachum mouentes, nõ Muſis & Apollini, ſed illiteratæ factioni, & opificum turbæ canebant, clamore non ratione, ſtrepituq́; non aſſeueratione utebantur: demum enim moleſtiſſimi certaminis exitum ſortiebantur, ut plus pertinacia quàm ueritas, pluſq́; irridentium & inuidentium conſpiratio quàm aut uniuerſa Academiæ ſententia, aut principum Academiæ diffinitio ualeret. Vidiſti quantus tumultus imperitæ turbæ, abſonuſq́; tumultuantium puerorum clamor, quantus ſtrepitus, qualis concionis facies erat, dum rabula iſte aduerſus competitores, iſtas inſanias ſtudio iactaret inani. Contraq́; quàm mirum ſilentium, quàm incredibilis omnium attentio, me differente, & approbatio fuit. Et qui auditorum, dij boni, cœtus? ſummorum ſenatorum, doctiſſimorum patriciorum, clariſſimorum ingenuarum artium & omniũ doctrinarũ profeſſorum: & denique quoruncunque, qui aut literati, aut ſaltem literatores, & haud illiterati Venetijs cenſentur: qui in maximo dolore, quem concipiebant ex iſtius barbarie, riſum continere non poterant, ex ineptijs, quibus ridens primo affectu riſum captabat: mox deinde uelut furijs agitatus Oreſtes, inſanire uidebatur. Sed tu, clariſſime Iuriſconſulte, & conſultiſſime orator, quietiore animo haſce nugas, quibus Regulus terram commouit, mare miſcuit, cœlum perturbauit, uide.

LITEM etiam Ciceroni Raphael intendit, de Rhetoricis ad Herennium, P. C. Vtq́; quæſtionem pulcherrimam tractatu ſibi uiſam, nobis pulchriorem uideri faceret, orſus eſt à Laurentij Vallenſis auctoritate: quem mendaciter ait, perquam acri iudicio aſſerere, id opus Cicerone omnino eſſe indignum: quod Ciceroni non eſſe aſcribendum, ex ſtili qualitate compoſitioniſq́; & ſententiarum, quæ pueriles ſunt: ex ordine peruerſo, & uarietate præceptorum ſit argumentatus. Adduxit item & hæc argumenta, quod Hermetis cuiuſdam doctoris ſui meminerit eiuſdem operis auctor, qui nuſquam Ciceronis temporibus memoratur: & quod Fabius Quintilianus nunquam Rhetoricorum ad Herennium meminit: nunquam prætermiſſurus, ſi Ciceronis eſſe putaſſet, aut certe ſuo tempore extitiſſet; quodq́; Gellius ſcribit, nullum antiquorum uſque ad Auguſti tempora, hoc nomine Barbariſmo uſum fuiſſe: cũ in Rhetoricis ad Herennium barbariſmus definiatur, & ſolœciſmus. Cuius autem ſit, modo Cornificij ſomnias, modo Virginij, modo Timolai ad Herennianum confingis, qui fratres fuerunt Zenobiæ filij, cum qua (ut ſcribit Treuellius Pollio) ſuperati, & in triumphum ducti, ab Aureliano imperatore, in Tiburti agro otioſam uitam uixerunt. Vnde concludit, Timolai rhetoris obſcuri in Tullium oratorum clariſſimum, & Herenniani in Herennium, nominibus facile commutatis, propter nominum ſimilitudinem ab imperitis rudioribuſq́;, artem Rhetoricam falſo Ciceroni fuiſſe inſcriptam. Quæ quidem rationes (ſic ipſe appellauit) uidentur mihi caſſæ (ut aiunt) puerorum nuces. Nam ne omittam, quod mentitur Vallam id negare, cum uir ille doctiſſimus ſexcentis in locis citet M. Tullij Rhetoricos ad Herennium, ut palàm omnibus eſt, notiuſq́; quàm ut ex eius operibus exempla citentur auctoritates & teſtimonia: ut inquam omittam hoc falſum teſtimonium, quod ex Laurentio allegas, qui ſemper & ubique Rhetoricos ad Herennium Ciceroni attribuit: dici poteſt, propter ſtilum eos libros ſubruſticos ab ipſo Cicerone appellatos. ex huiuſmodi uarietate ſtili & compoſitionis, male dijudicari poſſunt opera Ciceronis: cuius ſtilus non eſt idem ubiq́;, ſed diuerſus, pro materiæ qualitate, non modo in diuerſis operibus, ſed etiam in uno eodemq́; opere. Quid miraris Raphael? quid ſubrides? Non'ne Plutarchus et alij ſcribunt, Ciceronem omnes dicendi magiſtros audiuiſſe? nec ijs contentum, in Aſiam & Rhodum nauigaſſe, ut conueniret Xenoclem, Dionyſiũ, Menippum, Apollonium Molonis, & alios clariſſimos rhetores, ut apud eos ſe exercendo reformaretur? Non'ne ipſemet fatetur, ab Apollonio Rhodio ſeſe in dicendo ita rediſſe inſtructum noua quadam dicendi forma, ut à priore dicendi more mutatus, iam alius eſſet? Non'ne Fabius Quintilianus, cum diuerſas oratorum uirtutes, uaria dicendi genera ponat, M. Tullium in omni eloquentiæ genere excellere teſtatur? docetq́;, non modo pro cauſa modo", ſed pro partibus cauſæ, faciem eloquentiæ & ſtilum mutari debere? Non'ne diuus Hieronymus ipſum Ciceronem in Xenophontis interpretatione, nõ iam aureo illo ſuæ eloquentiæ genere niteſcere, ſed adeo ſcabris turbulentiſq́; obicibus retardari ait, ut qui interpretata neſciant, à Cicerone dicta non credãt? Nec mirum. Erat enim tum adoleſcens, cum Oeconomicos Rhetoricoſq́; libros ſcripſit: nondum limatus in dicendo, nondum in ſcribendo expolitus, nondum in tot Rhetorum gymnaſijs excultus, nondum in tot oratorum eloquentiæ uarietate uerſatus. Et ipſe auctor in ijs ipſis & in alijs de Oratoria facultate libris docet, qualis figurarum dicendi uſus eſſe debeat: monetq́; huiuſmodi figuras in dicendo ita uariandas, ut non ſtatim ab uno extremo ad aliud ueniamus: ut à graui ad humilem, aut contra ab humili ad grauem; ſed uti grauem mediocris excipiat, mediocrem humilis, ſeu attenuata. Et hoc quidem duabus de cauſis faciendum: & ut ſatietas, quæ perpetua maxime ſimilitudine alitur, opportuna uarietate uitetur: & non minus, ut ſuum dicendi genus, rebus de quibus agitur accommodetur. Impoſſibile nanque eſt, aut uix contingens, quæ perpetua in oratione dicuntur, ea unius generis eſſe. Quod exemplo clarius fiet. Certum eſt, Maronem poetam diuinum, tres illas figuras ſuo carmine ſeparatim expreſſiſſe: humilem Bucolico, ubi ſimplex illa ruſticitas, & paſtoralis uita diſcribatur, cui alia dicendi figura non conueniebat: Georgico medio-

crem, quod carmen præcipiendo & docendo fere conſumitur, eſtq; eius rei materia illi figuræ accomodata: heroico illo de Aenea & Romanorum geſtis, grauem, quibus rebus alia figura minime conueniebat. At ſi attenderimus, inſpexerimuſq; diligentius, facile uidebimus, in quauis materia pro locorum ratione has ſibi figuras inuicem ſuccedere: ut poſt attenuatum illud:

En unquam patrios longo poſt tempore fines,
Pauperis & tuguri congeſtum ceſpite culmen,
Poſt aliquot mea regna uidens mirabor ariſtas?

Altius paulo, & ad mediocrem figuram aſcendit:

Impius hæc tam culta noualia miles habebit?
Barbarus has ſegetes?

Hoc quoque altius, & graui figuræ ſimillimum:

En quo diſcordia ciues Perduxit miſeros?

Contra in Aeneide, pro ratione negotiorum & perſonarum, ſæpe ab heroica grauitate, & alto illo ac florido dicendi genere multum deflectitur. ut de ludis ad Anchiſæ tumulum, de Didonis amoribus, de ceruo à Syluia nutrito: quæ facillime à quouis non omnino imperito dignoſci poſſunt. An ſtultum, inquit, & dementem Ciceronem fuiſſe putas, & ſibi inconſtantem? An prudentem, circunſpectum, & in hoc genere literarum ſummum? Si hoc, non illud credis, unde eam uarius præceptorum ordo, peruerſus, ac iis quæ à Cicerone ipſo traduntur contrarius? Ante de memoria atque pronunciatione, quàm de elocutione illis natura priore, in eo opere præcepta tradit. Exordiendi narrandiq; rationes ante quàm de conſtitutionibus præcepit. Nihil ultra afferes calumniarum? Docebo ut agmen huiuſmodi adhuc cauillationum adducas. Docebit & M. qui adeſt iudex, qui ut eſt maxime omnium ingenuus, & ueritatem, non opinionis pertinaciam tuetur, nuper dixit ſe de hac re ſententiam iam mutaſſe, publiceq; mutaturum. Ad Herennium quiſquis auctor fuit, damnat amphibologias, quas ad Quintum fratrem Cicero probat. Quid quod hic ſcriptum, & ſententias, & contrarias leges, ut diuerſa inter ſe diuiſit: inibi unum ait eſſe genus, quanquam cauſa duplicetur. Illic ſub legitima quæſtione omne quod in ſcripti interpretatione uerſatur, ponitur tanquam finitioni agnatum: hic ad qualitatis quæſtionem pertinere dicitur. hic oris deprauatio reiicitur, ut oratore indigna: illic præcipitur. Ad Quintum fratrem, ſuaſorium genus ad dignum & honeſtum refertur: ad Herennium, ad honeſtum & utile. ad hunc, inuentio, diſpoſitio, elocutio, memoria, & pronunciatio, oratoris partes dicuntur, quod & Fabius non probat: ad illum membra eloquentiæ nominantur. Ibi docilem fieri auditorem magis in diſcurſu orationis oſtenditur, quàm breui explicatione proœmii: hic aliter ad Herennium ſcribitur, officium oratoris eſſe de his rebus poſſe dicere, quæ res ad uſum ciuilem moribus & legibus conſtitutæ ſunt. Craſſus in primo de Oratore dicit oratoris officium eſſe, dicere ad perſuadendum accommodate. In Arte ueteri ſua ipſe perſona inquit, Officium eius facultatis eſſe uidetur, dicere apposite ad perſuaſionem. Scribitur etiam ad Herennium, enumerationem non plus quàm trium partium numero contineri, quod & periculoſum ſit, ne quando plus minuſue dicamus, & ſuſpicio afferatur auditori meditationis & artificii, quæ res fidem abrogat orationi: quam opinionem improbat Quintilianus, & in ſuis orationibus Cicero contempſit. In lib. de Orat. cum omnia dicendi lumina nominatim Cicero expediat, traductionis nullam mentionem facit, quæ in quarto ad Herenniũ ponitur. Alia item inter ſe re & nomine diſcrepantia ſunt, quæ Cicero in aliis libris damnaſſet, ſi ſua fuiſſent: aut ſi damnare noluiſſet, ſaltem cur prius aliter ſcripſiſſet, aut ſcripta non correxiſſet, teſtatus eſſet. O friuolum argumentum, ex tanta congerie formatum. Quaſi neſciat hic eruditorum cœtus, quaſi hæc Academia neſciat, Ciceronis morem eſſe, eadem multis uariiſq; modis præcipere, aliter in Rhetoricis ad Herennium, aliter in illis de Inuentione, aliter in lib. de Orat. In Topicis aliter, in Partitionibus aliter, aliter denique in orationibus ſuis artificio rhetorico uti quàm in omnibus & rhetoricis & oratoriis uoluminibus præceperit. Si quædam præcepit in Rhetoricis quæ in Oratoriis libris non inueniuntur, non ea neglexit quod damnaret, ſed quod minora illa eruditione & ætate duceret. Proinde Fab. dicit, Poſt Ciceronem tacere modeſtiſſimum fuiſſe, niſi & Rhetoricos ſuos ipſe adoleſcenti ſibi elapſos diceret: & in oratoriis hæc minora, quæ plerique deſiderant, ſciens omiſiſſet. In Rhet. de Inuent. quatuor ſtatus facit: in oratoriis & aliis operibus, quæ ætate matura prouexit, tres tantum. In Rhet. de Inuent. reprehendit Hermagoram, quod materiam rhetorices in theſes & cauſas diuiſerit, theſimq; nihil ad oratorem pertinere contendit, totumq; hoc genus quæſtionis ad philoſophos refert. In Oratore, atque his, quos de Oratore ſcripſit, libris, & Topicis præcipit, ut à propriis perſonis atque temporibus auocemus controuerſiam: neque tamen aut hic & illic dicit, cur ſcripſerit aliter in Rhetoricis, aut quod ſcripſerit aliter, aut cur opinionem illam non caſtiget. Ergo Ciceronis non ſunt, libri de Inuentione. In rhetoricis ad Herennium de complexione ſcripſit, antiſtrephonta Græci dicunt: in cæteris libris quos de hac arte compoſuit, non ſcripſit: ſequitur, ut hi aut illi ſubditicii & nothi ſint. In Rhetoricis de Inuentione hæc leguntur: Ratio eſt, quæ continet cauſam. quæ ſi ſublata ſit, nihil in cauſa controuerſiæ relinquitur. hoc modo (ut docendi cauſa in facili & proulgato exemplo conſiſtamus) Oreſtes ſi matricidii accuſatur, niſi hoc dicat, Iure feci, illa enim occidit patrem meum: non habet defenſionem. qua re ſublata, omnis controuerſia quoque ſublata ſit. Ergo eius cauſæ ratio eſt, quod illa Agamemnonem occiderit. Iudicatio eſt, quæ ex infirmatione & confirmatione rationis naſcitur controuerſia. nam ſit ea nobis expoſita ratio, quam paulo ante appoſuimus: Illa enim, inquit, meum occiderat patrem. At non, inquit aduerſarius, abs te filio matrem necari oportuit. potuit enim ſine tuo ſcelere illius factum puniri. Ex hac deductione rationis illa ſumma naſcitur controuerſia, quam iudicationem appellamus. ea eſt huiuſmodi: Rectum'ne fuerit, ab Oreſte matrem occidi, cum illa Oreſtis patrem occidiſſet. Firmamentum eſt, firmiſſima argumentatio defenſoris, & appoſitiſſima ad iudicationem. ut ſi uelit Oreſtes dicere, eiuſmodi animum matris ſuæ in parentem ſuum, in ſeipſum ac ſorores, in regnum, & in famam generis & familiæ, ut ab ea pœnas liberi ſui potiſſimum petere debuerint. In Topicis uero de iudicatione & firmamento hæc uerba protulit: Sed quæ ex ſtatu contentio efficitur, eam Græci κρινόμενον uocant. mihi placet id, quoniam ad te ſcribo, Qua de re agitur, uocari. Quibus autem hoc, Qua de re agitur, continetur, hæc continentia uocentur, quaſi firmamenta defenſionis: quibus ſublatis, defenſio nulla ſit. In Partitionibus autem ſic ſcribit: Deinde unicuique rationi opponendum eſt ab accuſatore id quod ſi non in accuſatione eius, cauſa omnino eſſe non poſſet. Itaque ea quæ ſic referuntur, continentia cauſarum uocentur. quanquam non ea magis quæ contra rationem defenſionis afferuntur, quàm ipſæ defenſionis rationes, continent cauſas. Sed diſtinguendi gratia rationem appellamus eam, quæ affertur à reo ad recuſandum, depellendi criminis cauſa: quæ niſi eſſet, quod defenderet non haberet. Firmamentum autem, quod contra ad labefactandam rationem refertur, ſine quo accuſatio ſtare non poteſt. Ex rationis autem & ex firmamenti conſultatione,

& quaſi

& quaſi concurſu, quæſtio quædam exoritur, quàm diſceptationem uoco : in qua quid ueniat in iudicium, & de quo diſceptetur, quæri ſolet. Quintilianus de eodem Cicerone, in tertio de Orat. inſtit. Paulum in his ſecum etiam Cicero diſſentit. nam in Rhetoricis, quemadmodum ſupra dixi, Hermagoram eſt ſecutus : in Topicis, ex ſtatu effectam contentionem, κρινόμενον exiſtimat. idq; Trebatio, qui iuris erat conſultus, alludens, De qua re agitur, appellat. quibus id contineatur, continentia, quaſi firmamenta defenſionis : quibus ſublatis, defenſio nulla ſit. At in Partitionibus oratorijs, firmamentum, quod opponitur defenſioni, quia continens quod primum ſit, ab accuſatore dicatur, ratio à reo, ex rationis & firmamenti quæſtione diſceptatio ſit indicationum. Ex his, ſi tibi credendum, ne Vetus quidem ars ex Ciceronis fœtura prodijt. In Partitionibus quatuor orationis partes facit, initium, narrationem, confirmationem, perorationem. In Veteri arte, inq; cæteris rhetoricis præceptionibus, non ita. Num Partitiones Ciceronis eſſe negabimus ? an ipſam artem, & cæteros oratorios libros ? Partes quoque rhetor. In Partitionibus inuentionem eſſe ſcribit, elocutionem, & memoriã : reiq; ac diſpoſitionem inuentioni, uerba & pronunciationem elocutioni dedit. In lib. de Perfecto oratore ad Brutum, illis aſtipulatus eſt, qui plures quàm quinque partes eſſe uoluerunt, inuentioni iudicium ſubſtituens : quam opinionem tangens Quintilianus, memoriæ uitio lapſus eſt. Et Cicero quidẽ, inquit, in Rhetoricis iudiciũ ſubiecit inuentioni : at in Ciceronis Rhetoricis nihil tale reperitur. Quinimo in illis, ut ex omni cõſtat editione, ex manuſcriptis & ſinceris exemplaribus hæc legũtur : Partes autem hæ ſunt quas plerique dixerunt, inuentio, diſpoſitio, elocutio, memoria, pronunciatio. quam lectionem ſic approbat & Victorinus, & eorum ſententiam Cicero ſecutus quinque partes eſſe confirmat : inuentionem, diſpoſitionem, elocutionem, memoriam, pronunciationem. De iudicio, neque in auctore, neque in interprete ulla fit mentio. Quid inde ? Vetus ars alterius cuiuſuis, nõ Ciceronis eſt ? In ueteri arte eſt præceptum quoddam, quod & ad Herennium : Cum erit honeſtum cauſæ genus, licere nobis præterire, uel uſurpare principium. Id ex Hermagora, qui in genere honeſto præfandum eſſe negauit. quod nihil attineat apparare quod eſt paratum. cum tamen aliàs ex Ciceronis & Fabij non tantum præceptione, ſed uſu, non incongruum ſit, benignos iudices benigniores præfatione facere : & cum offenſos aduerſarios uideamus, offenſionem illam augere. Hermagoræ ratio aliquid momenti tum haberet, cum cauſæ honeſtas ante auditoribus perſpecta eſſet, quàm cœptum ſit agi. Cæterum cum non eſt honeſtas hæc prius cognita, primo orationis ingreſſu eam auditoribus patefacere debemus. Vnde non modo liberum nobis non eſt, uti uel non uti principio : ſed utique ſemper, quo cauſæ honeſtatem oſtendamus, præfandũ eſt. In hoc genere principia debent eſſe breuiora, paulo erectiora, plena dignitatis ſine iactantia, ſed cum confidentia. Tali prooemio uſus eſt Cicero, cum de coniuratorum animaduerſione loqueretur. Video, inquit, P. C. in me omnium ueſtrum ora atque oculos eſſe conuerſos. Et deinceps in Veteri arte iubet, narrationem magis in breuitate quàm in copia peccare debere : quoniam ſæpe res parum eſt intellecta, longitudine magis quàm obſcuritate narrationis. alibi contrarium ſentit : contraq; hoc præceptum aliquid in omni eius narratione redundare, quàm deeſſe facit. Et Fabius eum ſecutus, ſatius ducit aliquid narrationi336 ſupereſſe, quàm deeſſe. quòd ſuperuacua cum tædio dicuntur, neceſſaria cum periculo ſubtrahuntur. Finis non eſſet, præſtantiſſimi Patres, ſi uellem omnia perſequi quæ in Rhetoricis de Inuentione ſcripta ſunt, quæ aut in alijs Ciceronis libris non reperiuntur : aut ſi reperiuntur, diuerſa & contraria ſunt, uario'ue modo tradita. Nuſquam tamen aut cur ita ſcripſerit in Rhetoricis, aut cur non ſe emendauerit, aut cur hoc modo, non illo præceperit, rationem reddit, aut meminit, aut uerbum facit Cicero. Quid iactas igitur, tam friuolum & inane argumentũ ? Si ſua fuiſſent ſcripta ad Herennium, damnaſſet : aut cur non damnaſſet, teſtatum reliquiſſet. Cur potius hoc in Rhetoricis ad Herennium, quàm in Rhet. de Inuentione facere debuit ? Si non in his, cur in illis ? Sequitur quod Hermeſtis præceptoris ſui meminerit, quo nomine Ciceronis temporibus fuit nemo, quem nec Cicero nec Plutarchus nominat. Quàm audaculus, P. C. homo iſte ? quàm perturbata mente fertur ? Equidem non auderem ego hodie affirmare, non in uniuerſa Italia, ſed in urbe quauis neminem unum hodie uiuere qui Hermes (cum in principibus unum eſſe ſciam) nominetur. At iſte Ciceronis temporibus neminem fuiſſe clamitat. Quid hominis ? ex quo hominum genere ? Puto Pythagorei Euphorbij ritu ab ea ad hanc diem iterata generatione, ad nos ultium more propagatum. & ea tempeſtate diuina quadam nomenclatura inclytum : aut quod Appion grammaticus ſcriptum reliquit, ex facie hominum addiuinantem, quos Metopoſcopus uocabant, ut Plinius ait : ex ijs illũ eſſe, qui futuræ mortis annos & præteritæ olim dixerit, nunc autem dicat nomina omnium ſuperiorum, præſentium, poſterorum. Sed uere dicis Hermeſtis nullam fieri in antiquorum monumentis mentionem. Hermes enim, ſiue Hermetes Hermetis dicitur, Hermeſtes nuſquam legitur, quod ſciam : ſed Hermes, ſiue Hermetes. Neſcis Plutarchum, cum Ciceronis præceptores nominat excellentiores, deinde addere : Et alios. In quibus nominandis feſtinans ad lumina artis, noluit immorari. Cur in his Hermeſtes eſſe non potuit ? nec Cicero pueritiæ præceptores, niſi in pueritiæ operibus nominare debuit. Et ſi nuſquam nominaſſet, quid propterea ? Non animaduertis uir docte, Ciceronem in utraque arte plures & uarios auctores ſecutũ. In prologo ſecundi de Inuentione obſeruaſti quid dicat ? Sed omnibus unũ in locum coactis ſcriptoribus, quod quiſque commodiſſime præcipere uidebatur excerpſimus, & ex uarijs ingenijs excellentiſſima quæque libauimus. Hermagorã & antiquos in Rhet. de Inuentione, Hermeſtem & recentiores in Rhet. ad Herenniũ ſecutus eſt. Vnde & tanta præceptionũ uarietas orta, & hæc uulgo Noua ars, & illa Vetus, etiã à Hieronymo dicta. Satis fuit Ciceroni utraque damnaſſe, cũ dicat, Rhetoricos adoleſcenti ſibi excidiſſe, planeq; ſubruſticos uocet. Nã quod dicis, nõ eſſe credendũ opus de Inuentione à Cicerone imperfectũ fuiſſe relictũ, libroſq; de diſpoſitione ac reliquis partibus Rhetorices fuiſſe amiſſos : ſi quẽ habes huius falſitatis figulũ (hui fictorẽ ſiue aſſertorem dicere uolui) manus dabo. Sin aũt, ſtultiſſimus es, qui aduerſaris opinioni ipſius Ciceronis. nã in præfatione de Orat. dicit, ſibi excidiſſe cõmentariola quædã inchoata, non aũt perfecta, ut ipſe aſſeris. Inchoata quidem dicuntur, quæ incœpta ſunt, & nõ finita. Plinius : Ex illis nos uelim intelligi. pingiq; cõditoribus, quos in libellis his inuenies abſoluta opera. & illa quoque, quæ mirando nõ ſatiamur, pendenti titulo inſcripſiſſe : ut Apelles faciebat, aut Polycletus, tanquam inchoata ſemper arte & imperfecta. Idem : Arrepto carbone extincto è foculo, imaginem in pariete delineauit, agnoſcente uultum plani rege ex inchoato protinus. Et mox paulo : Apelles inchoauerat aliam Venerem Coijs, ſuperaturus etiam ſuam illam priorem : inuidit mors, peracta parte : nec qui ſuccederet operi, ad præſcripta lineamenta inuentus eſt. Infra : Neque interpellatus prælijs, inchoata opera intermiſit omnino. Omitto Victorini teſtimonium, qui non ſemel, ſed ſæpius affirmauit, duos tantum libros de Inuentione à Cicerone ſcriptos. At libri ad Herennium ideo Ciceronis non uidentur, quod Quintilianus id opus nuſquam citauit. Quàm fortis ratio, & inſolubile argumentum ? Nemo certe in tanta uirorum corona neſcit, multa fuiſſe & extare Marci Tullij opera, quæ nunquam Fabius Quintilianus nominauit. Quis neget ? quaſi uero hoc Quintiliano propoſitum fuerit, hoc Oratore inſtitutionum inſtitutum, Tullianos libros omnes & ſingulos nominare. Si hanc ſibi Quintilianus ſuſcepit prouinciam, quoſcunque non nominauit, aſcititios adulterinoſq; iudicare par eſt. Quid ni ? Si non ſuſcepit, cur libros

ad Herennium potius quàm cæteros alios, quorum nullam prorſus facit mentionem? Sed ſatis meminit Quintilianus, qui libros rhetoricos Ciceroni excidiſſe ait, & ab eo damnatos, & ab adoleſcente ſchola deductos: & ſi qua eſt in his culpa, tradentis eſſe. Vnde aperte innuit, quod ait Cicero in Rhetor. ad Herennium: illum ex Hermetis & aliorum præceptorum ſuorum opinionibus, eos libros confeciſſe, quas regeſſit in commentarios. Sunt enim, inquit, uelut regeſta in hos commentarios, quos adoleſcens deduxerat ſchola. Et ſi qua eſt in his culpa, tradentis eſt. Sed quo modo non fuerunt hi rhetorici libri Quintiliani temporibus? Si idem ait, de nomine Rhetorica agens, Denique cum M. T. etiam ipſis librorum, quos de hac re primum ſcripſerat, titulis græco nomine utatur; non titulo inquit, ſed titulis. Cum ſciret duas artes à Cicerone ſcriptas, quomodo non fuerunt, ſi integræ clauſulæ, nedum uerſus, ad uerbum apud eundem inueniuntur? ſi multæ auctoritates, & exempla, quæ ad literam ex ipſis Rhetoricis in Orat. inſt. tranſumpta ſunt? Quædam damnat ipſius operis præcepta, ut in quarto, de Partitione: Quapropter ne illos quidem probauerim, qui partitionem uetant ultra tris propoſitiones extendere. Quid ais Raphael? Ne huiuſmodi exemplis obſtrepam? Quid ita? Quoniam non nego, inquit, hoc: ſed fateor. indeq; rationem certiſſimam elicio ad probandum, quòd Rhetorica ad Herennium minime ſit Ciceronis: quoniam auctorem Fabius non nominat. non taciturus, ſi Ciceronis illud eſſe opus putaſſet. Puerilis eſt, mi Raphael, hæc ratio. Solet enim cum aliquam Ciceronis opinionem damnat Fabius, aut ueniam præfari, aut auctorem ſilere, Ciceronemq; diſſimulare. Vide in III. Statum, inquit, quidam dixerunt primã cauſarum conflictionem: quos recte ſenſiſſe, parum elocutos puto. non enim eſt ſtatus prima conflictio: Feciſti, non feci: ſed quòd ex prima conflictione naſcitur. Hoc ſi non immemores, non niſi in Rhet. de Inuent. legiſti: ubi talis eſt diffinitio ſtatus: Conſtitutio eſt prima conflictio cauſarum, ex depulſione intentionis profecta, hoc modo: Feciſti, non feci, aut iure feci. Non nominauit Cic. auctorem Fabius: ergo Rhet. de Inuentione libri non ſunt Ciceronis? Friuolam rationem, ridiculum argumentum. Quod ſi aliquid ualeret, ipſius Quintiliani auctoritas reijcit, cuius uerba in ſecundo ſunt hæc: M. Tullius ipſis librorum quos de hac re primum ſcripſerat titulis, græco nomine utatur. Hæc, ubi de nomine Rhetorices, quam in latinum transferentes tum. oratricem tranſtulerunt aliqui. Si Cicero unam artem, quam ueterem dicimus, & non duas, hoc eſt & ueterem & nouam ſcripſiſſet, nunquam tantus auctor Titulis, ſed Titulo dixiſſet. Non tu, qui omnia peruertis, diceres Virgilium ſcripſiſſe libros titulis Aeneidos, aut titulis Georgicorum, titulis ne Bucolicorum: ſed titulo. unus eſt enim titulus Aeneidos, unus Georgicorum, unus Bucolicorum: non duo, non plures. Dixit Fabius Titulis, quoniam & Artis ueteris titulus eſt Rhetoricorum, & artis ad Herennium titulus eſt Rhetoricorum. Denique, inquit, cum M. Tullius etiam ipſis librorum, quos de hac re primum ſcripſerat, titulis græco nomine utatur: profecto non eſt uerendum, ne temere uideamur oratori maximo de nomine artis ſuæ credidiſſe. Et notanter dixit Titulis, ut oſtenderet ſe non temere ipſi Ciceroni quamuis adoleſcenti, credere, qui non ſemel ea inſcriptione fuerit uſus. Ait præterea A. Gellium. 21. Noct. Atticarum ſcribere, ſe non comperiſſe quenquam ante Auguſti imperium, eorum qui integre locuti ſunt, dixiſſe Barbariſmum: & in libris ad Herennium eſſe & barbariſmi & ſolœciſmi definitionem: ideo Ciceronis libros non cenſendos. Minimi certe ſtudij es Raphael, ſi non legiſti: aut nullius memoriæ, ſi non te legiſſe recordaris: Gellium in quinto tradidiſſe, neminem aut latinum aut græcum, eorum qui facundi haberentur, dixiſſe barbariſmum aut ſolœciſmum. Miror etiam te non adduxiſſe, eundem auctorem ſcribere, Ciceronem abſtinuiſſe hac uoce Nouiſſimus: unde ſi in opere ad Herennium reperitur id nomen, ſi alio in opere quod Ciceronis titulum habeat, ea eſſe ſubditicia: cum præſertim M. Varro ſcribat, quod extremum dicebatur, eo tempore dici cœptum nouiſſimum: quod ſua memoria ſeniores tanquam nimis nouum uerbum uitabant. Nam ut tibi cenſori acutiſſimo credamus, ut A. Gellius hallucinari minime uideatur, affirmabimus, nec Rhetorica ad Herennium, nec epiſtolarum ad Brutũ, ad Q. Fratrem, ad Atticum, & ad alios, nec orationum uolumina, nec Oratorem ad Brutum. Cic. opera eſſe. In epiſtola enim ad Octauium hæc leguntur: Nam ut ordiar ab initio, & perducam ad extremum, & nouiſſima conferam primis. Et in oratione pro Roſcio Comœdo: itaque perbreui tempore, qui in nouiſſimis quidem erat hiſtrionibus, ad primos peruenit. In Oratore; Nec in hac modo re quæ ad uulgi ſenſum ſpectet, & ad aurium uoluptatem: quæ duo ſunt ad iudicandum nouiſſima. Sanè in nouiſſimo errauit, non in ſolœciſmo, quod ego dicere oblitus eram: non in barbariſmo, quod dixi. Sic inquis? Eſto, ſi uerum eſt, quod Aulus Gellius ſcribit, reſpondere poſſum quod ante dictum eſt: ideo Ciceronem libros ad Herennium ſubruſticos dixiſſe: ſi falſum eſt, non eſſe locum huic calumniæ, & utroque modo Ciceronis eſſe fatendum. Verum & in nouiſſimo, ut in pleriſque alijs, longe à ueritate aberrauit Gellius, auctor alioquin præſtabilis. Siquidem & elegantiſſimi & clariſſimi auctores ante Ciceronis ætatem, ante Auguſti tempora, barbariſmum & ſolœciſmum dixerunt. Nam Dionyſius Halicarnaſſeus eas uoces protulit, & eo maior & antiquior Ariſtoteles his uſus eſt in Elenchis: ubi σολοικισμὸς, & σολοικίζειν uerbum, & σολοικισμοὶ pluralis numeri legitur. & in alijs libris ſuis, ut in Poetica: in qua docet alijs etiam modis barbariſmum fieri quàm à grammaticis, quos hactenus uiderim, traditum ſit. Laertius Diogenes teſtatur, Chryſippum ſcripſiſſe tres libros de ſolœciſmis ad Dionyſium, & Theophraſtum unum. Strabo in 14. docet, quomodo antiquitus à Græcis ea nomina conficta fuerint, his uerbis: Nam Cares per totam Græciam errauerunt ſtipendium merentes. quare barbari ex illo ſunt appellati, ex quo in Græciam militarunt. At poſteaquam apud inſulas habitarunt, id multum in eis eminuit. Inde in Aſiam profecti, nec ibi ſine græcis uiuere potuerunt. nam Iones cum eis ac Dores traiecere. Ab eadẽ quoque cauſa barbariſmus dictus eſt. Eũ enim in his dicere conſueuimus, qui male græciſſant, non autem in his qui Carice loquuntur. Sic etiam Barbariloquos, & barbari ſermonis homines, eos accipere debemus, qui male græca pronunciant. Carico autem more Barbariſmum ad græca orationis artem tranſtulerunt: & ſolœciſmum, ſiue id nomen à Solis ductum ſit, ſiue alio modo. Si illi & alij elegantiſſimi græcorum auctores, barbariſmum & ſolœciſmum dixerunt, cur non Latinis uti eis uerbis licebit? Si Fabio Quintil. & alijs illius ætatis inſigni doctrina & eloquentia licuit: cur tandem non licebit Ciceroni, qui Latinæ linguæ pomœriũ protulit, qui Romanũ ſermonem locupletauit, qui tot græca uocabula latina fecit, qui tot noua excogitauit qui patrij ſermonis pater eſt? Non licet, talibus nugamentis in bonam, ne ſecus dicam, partem? Et quoniam modo Cornificio id uendicas opus, modo Virginio, modo Timolao; leuitatem hominis uel in hoc maxime perſpicitis. Virginij quidem opus eſſe minime poteſt, cum multa à Fabio eius dicta citentur, quæ in Rhet. ad Herennium aut non ſunt, aut aliena ſunt. Fortaſſe, inquit, alia opera illius extabant. Tibi certe per Fortaſſe fides habenda, qui nulli uiuentium, nulli defunctorum, etiam magna auctoritate & religione adiuratiſſimis teſtibus fidem habendam cenſes. Cornificium auctorem eodem argumento eſſe haudquaquam poſſe conſtat, quanquam quod garris de eo, Amari iucundum eſt, ſi curetur ne quid inſit amari; ſine hoc adiumento ut futile redarguere poſſum. Quid'ni? quaſi non eadem ſæpius à pluribus dicantur ſcriptoribus, & non magis hic auctor quàm ille allegetur, & non fallat homines aliquando memoria: ut quæ ſcripſerit Fabius, ego reminiſcar, non quæ eadem Cicero: contra tu quæ

Cicero

Cicero ſcripſerit, recorderis, non quæ eadem Fabius: & non decentius ſit approbatũ huius ſcriptoris opus, qualis erat ars Cornificij, cum præſertim Ciceroni contemporaneus fermè fuerit, & rhetor eminentiſſimus, quàm damnatũ illius citare, qualis eſt Ars noua. Timolao aſcribere Rhet. ad Heren. qui poteſt? qui poſt Fabium tot annos fuit. Cum confiteatur, multa ad literam transcripta à Fab. ex ipſis rhetoricis. Qui aſcribere poteſt? cum nemo eũ de rhetorica facultate libros edidiſſe teſtetur. At Treuellius Pollio, nõ indiligens hiſtoricus, ſcribit Timolaũ unũ è triginta Ro. tyrannis & grammatices, & rhetorices fuiſſe peritiſſimũ. Quid inde? Nunquid ait eum artem rhetoricen ſcripſiſſe? Quot ſunt hodie eruditi qui nihil ſcribunt? Quot fuerũt qui nihil unquam ſcribere uoluerũt? Quæ iſtæc ſtultitiæ ſpecies? quod iſtuc temeritatis genus? per ſomnia ægri hoc & illud aſſerere, id & iſtud confingere, in nullo loco pedem ſiſtere, meras inſanias, manifeſta mendacia impudenter iactare, anilia deliramenta effutire, latrare, & contra ueterum fidem contendere, nullo monumento, nullo rationis colore, nulla uel unius argumenti firmitate: ueritatem, ut aquam rabidi canes, effugere: & quod à Ciceronis ætate ad hunc diem creditũ eſt, firmum & ratum habitum, ſummorum grammaticorum illuſtriumq; ſcriptorum ſententia receptum, auctoritate ſancitum, teſtimonio confirmatũ, negare. Sunt libri Rhetorici non modo qui ex omnibus impreſſorũ officinis exierunt, ſed antiqui, ſed manuſcripti, ſed incorrupti, quotquot ſunt in omnibus bibliothecis publicis & priuatis, hoc titulo: M. T. Cic. libri Rhetoricorum ad Heren. Titulus autem dictus eſt quaſi tutulus, eo quod factum nomen & memoriam tueatur auctoris: & ſi quis alterius opus eſſe contendat, ueri opificis indicet nomen. Apud Ouidium,

Legerat huius Amor titulum nomenq; libelli:

Non libellum, & cognouit auctorem, cognouit & bella ſibi parari. Iſte porro acutus uir ait, quod in quæſtione ſit, id ratum haberi non oportere. Facileq; Timolaum rhetorem obſcurum in Tullium, & Herennianum in Herennium à poſterioribus qui rudibus ſæculis fuerunt commutari potuiſſe. Cui nanque potius lib. de arte Rhetorica ſcripti quàm M. Tullio eloquentiæ parenti ab imperitis rudioribusq; temporum infelicitate hominibus aſcribi debuerint? Quis eſt quæſo grammaticorum, rhetorum, cæterorumúe ſcriptorum ex antiquis à Cicerone, qui hoc in quæſtione poſuerit? qui ambiguum uel unico uerbo fecerit? Nullus certe: & per tot manus doctiſſimorum uirorum ad noſtra uſque tempora ſincerus titulus peruenit. An ſi, quæ tibi dementia, & mihi foret, ut dubium dicerem mihi eſſe, an Epiſtolæ ad Atticum Ciceronis eſſent: titulus ipſarum epiſtolarum antiquiſſimus, & per tot ſæcula probatus, pro nihilo haberetur? Sed per deum, quem titulum ſupponis? Timolai libri Rhet. ad Herennianum. Vnde tibi? A meo ingenio. Quem auctorem? Nullum. Quo argumento? Quoniam imperiti homines facile mutare potuerunt Timolaum & Herennianum, in Tullium & Herennium. Fac prius conſtet, Herennianum ſcripſiſſe rhetoricam artem, & hanc, non aliam artem. Eſt mihi poteſtas, inquies, ex nomine ipſo: uolo, iubeo, edico, impero, ita fuiſſe. Regijs edictis parere neceſſe eſt. Adulterinus ſit index: qui fuerunt tam temerarij, qui peruerterunt? Cur? quando? profer ſi potes? Dixi, imperitos & rudes immutaſſe. Qui ſunt iſti imperiti, & rudes? An Marcellus, Seruius, Priſcianus? an Hieronymus, Ruffinus, Auguſtinus? an Plutarchus? qui (ut uidere eſt in hoc ueneranda uetuſtatis codice manu græca ſcripto, quem Calphurnius rhetor, ſi quiſquam eſt hodie, ſummus, Sabellico huic noſtro uidendum ex Academia Patauina miſit) præter Aretini Leonardi fidem, in nomenclatura operum Ciceronis Rhetoricen ad Herennium ponit. Quæ res (opinor) fecit, ut de hac re ſuam improbaret ſententiam. Imperitiſſimi ſunt, hic & illi? Rudes, hic & illi? Taces? Si non ſunt, ſi hic & illi clariſſimi ſcriptores, Ciceronis id opus eſſe confirmant, ſi omnes ferè teſtimonia ex eo citant, quid contendendo inſanis? Ridiculam rem, & cachinno digniſſimã audite, excellentiſſimi auditores. Quid muſſas Regi? horum & omnium antiquiſſimorum & clariſſimorum uirorum auctoritatem tollendam. Satis imperioſe, uereq; non regio, ſed tyrannico more. Memento te Venetijs eſſe, ubi regis nomen, ne dum tyranni inuiſum: ubi à primis incunabilis uera dulciq; libertas uiguit, Deiq; munere uiget, uigebitq; in perpetuum. Neminem inuenies, qui tibi pareat. Sed & literæ ipſæ tibi obedire nolent: non enim es tanti, ut peruertant tuo imperio, quæ à maioribus noſtris rectiſſime poſita ſunt: quæ ab eminentiſſimis auctoribus nõ ſub dubio inuolucro, ſed aperte affirmantur, qui quidem Ciceronem ad Herennium allegantes, id eſſe Ciceronis opus clariſſime teſtãtur. Præterea cum Cicero à ſe ipſo lib. 1. ad Herenniũ ducat exemplum tale, Tullius heres meus Terentiæ uxori meæ triginta pondo uaſorũ argenteorum dato quæ uolet: poſt mortem eius uaſa pretioſa & cælata magnifice illa petit: Tullius ſe, quæ ipſe uolet, in triginta pondo ei debere dicit: & reliqua (quod eſt firmiſſimũ argumentũ, Ciceronis, non alterius eſſe) pertinax iſte tergiuerſator contendit, hoc quidem argumento non modo nõ probari Ciceronis opus, ſed contra non eſſe, proculdubio ſibi demonſtrari. Nam M. Tullius aut nunquam, inquit, aut certe dum adhuc puer eſſet, antequam aut uxorem duxiſſet, aut filios ſuſtuliſſet, Rhetorica ad Herennium ſcripſit. neque mihi fieri ueriſimile poteſt, ut eos matura iam ætate compoſuerit libros, in quibus puerilia magis deprehenduntur errata, quàm in his quos ſibi ipſe puero adhuc excidiſſe in proœmio de Oratore teſtatur. Non enim de Rhetoricis ad Herennium eo in loco Tullius loquitur, ut quidam omnia temeritate ſua peruertentes opinantur: ſed eam, in qua Hermagoram ferè eſt ſecutus, cuius duo tantum de Inuentione libri extant. Quare exemplum illud de Ciceronis filio uxoreq; compoſitum, facile demonſtrat Rhetoricam ad Herennium ab alio quàm Cicerone fuiſſe conſcriptam. Hæc ſunt uerba tua Raphael? Annuit. Hæc ad uerbum dixiſti? Etiam. Fatetur, Patres ampliſſimi: non quod uelit uerum fateri, à quo ſemper abhorruit: ſed quia hæc ad literam iam pridem ſcripſit, edidit q;. Attendite quæſo uiri eruditiſſimi, ſobrietatem hominis iſtius. Prima balbutientium elementa puerorum ſunt huiuſmodi, ut ſciant dicendum eſſe, de Rhetoricis ad Herennium loquitur, ſed eos, uel ea, in quibus Hermagoram ſecutus eſt, damnat. At iſte elementarius ſenex ait, Non de Rhetoricis ad Herennium loquitur, ſed eam, in qua Hermagoram ſecutus eſt, damnare uidetur. Eam, hoc eſt, rhetoricos libros, ſiue rhetorica. Quid facitis ò Veneti magiſtri, ò triuiales, ò auditores ſiue pædagogi? Cur ferulæ non ſubijcitis hunc ſexagenarium puerum? Si odiſtis eius linguæ uitia, cædite eum, ne Latinam linguam corrumpat. Sin amatis ueteratorem iſtum, uerberate, ut diſcat. Scriptum eſt enim: Qui parcit uirgæ, odit filium. Sed condonemus ei puerilia huiuſmodi errata, quæ non tam ex craſſa, ut aiunt, ignorantia, quàm ex deſperatione perpetrauit: ut mille alios ſolœciſmos donauimus, & ſyllabas barbare pronunciatas ignouimus, quod munus hic publice profitendi aſſequi non potuit. Quid illud, quod toties dixit, & ſcripto mãdauit? Rhetoricam ad Herennium, in rhetorica ad Herennium. apud Quintilianum legit hunc ſermonem, uel apud quemuis elegantiſſimorum ſcriptorum? Nemo niſi triuialis & barbarus dicit, Cicero ſic ſcribit in rhetorica, in primo rhetoricæ. Latini dicunt in Rhetoricis, in primo Rhetoricorum. nam in plurali Rhetorica, ſignificant libros de arte ipſa: in ſingulari Rhetorica ſignat rem ipſam. Vnde Fabius ait, Non omnia nos ducentes ex græco ſequi: ſicut ne illos quidem, quoties ſuis utique uerbis ſignare noſtra uoluerunt: & hanc interpretationem, oratoriam et oratricem pro rhetorice non minus duram eſſe, quàm illam Plauti eſſentiã atque entiam. Sed ne propriam quidem eſſe. Nam oratoria ſic effertur, inquit, ut elocutoria, oratrix ut elocutrix. Illa autem de qua loquimur

Propertius,an cuius lib. IX Gellius,neſcio. Sed ſi coniectura iudicare licet,cum reor potius,cuius ipſe Cicero in oratione Cœliana facit mentionem: ubi familiarem fuiſſe illum ſuum, ingenioq; & dicendi genere præſtantem oſtendit. Hunc, an alium ad Atticum (ut ſunt hominum ingenia, & uoluntatum mutationes) flagitioſum & temerarium uocet, uos uideritis. Satis eſt mihi, iſtius retundere inſolentiam: qui (ut ſolet omnia temere & negare & affirmare) aſſeruit, non fuiſſe quenquam Herennium, qui familiaris fuiſſe Ciceroni uſquam memoretur. Patet iam tibi, Nouam quam dicunt artem, Ciceronis eſſe? An adhuc quæris nodum in ſcirpo? Adhuc argumentum quæris certum? Certiſſimum dabo. Certum uis? Certo certius dabo. Vide in I. ad Herennium lib. quid dicit, ubi de inſinuatione agit: Adhuc quæ dicta ſunt arbitror mihi conſtare cum cæteris artis ſcriptoribus niſi quia de inſinuationibus nos noua excogitauimus, quod eas ſoli nos præter cæteros in tria tempora diuiſimus, ut planè certam uiam & perſpicuam rationem exordiorum haberemus. Hæc non'ne ferè ad uerbum excerpta ſunt ex Rhetoricis de Inuentione? Si infíciaris, audi. ſi legere piget,ipſe legam: Nunc inſinuationes quemadmodum tractari conueniat,deinceps dicendum uidetur. Inſinuatione igitur utendum eſt, cum admirabile genus cauſæ eſt, hoc eſt (ut ante diximus) cum animus auditoris infenſus eſt. Id autem tribus ex cauſis maxime fit: ſi aut ineſt in ipſa cauſa quædam turpitudo: aut ſi ab his qui ante dixerunt, iam quiddam auditori perſuaſum uidetur: aut ſi eo tempore locus dicendi datur, cum iam illi quos audire oportet, defeſſi ſunt audiendo. Non eſt hoc argumentum firmiſſimum? Eſt: quia taces. Elinguis factus es, qui prius bilinguis. Patet'ne iam, Rhetoricos ad Herennium Ciceronis eſſe? Audebis amplius contendere, negare, tergiuerſari? Scriptor alius nunquam ſe primum faceret, & ſolum auctorem eius rei, quæ à principe Ro. eloquij, à rege eloquentiæ latinæ ſcripta fuiſſet tot annis ante. Poſſem infinita alia huius generis adducere, quibus ſole clarius oſtenderem. Rhetoricos ad Herennium libros non eſſe cuiuſquam niſi Ciceronis, ſi de hac re quenquam ueſtrum ambigere uiderem, & non potius cupere de fœditate pronunciationis Regiæ audire, qua barbareſcunt iam hi parietes & marmora, &c.

IN RHETORICORVM AD HERENNIVM

OBSCVRIORA ALIQVOT LOCA GYBERTI LONGOLII ANNOTATIONES.

IN LIBRVM I.

ETSI negotijs familiaribus.] Prooemium nuncupatorium eſt,quo captat beneuolentiam à perſona & ſua et Herennij: ſua, quia amico tantum tribuit,quãtum putat maximum: Herennij,quòd illius cauſa de arte ſcribat. Negotijs familiaribus.] Conqueritur id alibi ad Atticum, ſe à familiaribus negotijs et amicorum clientelarumq; appellationibus,propemodum & animo et corpore labefactari. Non enim parum fructus.] Approbatio prioris rationis, ab artis utilitate. Commoditas orationis.] Commoditas dicta pro facultate,ſiue commoda uſurpatione. ut Cæſ. de bello ciuili, Commodũ pro facile dixit. Definita animi moderatione.] Lege prooemium libri primi de Inuentione. Quas ob res.] Antiſagoge per apodioxin: Græcos reijcimus, quod ſine moderatione ſcripſerint. Sumpſimus.] Non adſumpſimus, ut arrogantes Græculi. Significat autem hoc uerbũ,ex uarijs auctoribus electionem. Non enim ſpe quæſtus.] Captat beneuolentiam à ſua perſona. Nunc ne nimium.] Admonitio ſui,uice epilogi. De re dicere.] Peculiaris loquendi formula, pro de inſtituto & propoſito: quod prooemia parum ad rem ueluti facere uideantur. Sed ſi te illud.] Claudit admonitione prooemium,idq; per locum ab omnium artium natura,quæ exercitatione acquiruntur. Ad exercitationem.] Artis enim pater(ut iactatum eſt) ſenario peruetuſto,uſus eſt: & Græci exercitationem omnia poſſe dixerunt. Oratoris officium.] Quod Cicero officium,id Ariſtoteles ἔργον, id eſt opus appellat. Sed longe amplius officium Ariſtoteles oratori adſignauit, tradita definitione, ab effectibus & fine, cum diceret, Rhetoricen eſſe uim quãdam artificioſam perſuadendi in unaquaque re. Sed nos cum Halicarnaſſeo dicimus,officium Rhetoris uel oratoris, ut hic à Cicerone definitum eſt, eſſe maxime proprium & principaliſſimum officium. Nam etſi philoſophus artificioſa quadam facultate perſuadet, id non ut rhetor agit, ſed ut philoſophus. Tria ſunt genera cauſarum.] De horum differentia, poſt Fabium eleganter diſſerit Laur. Valla, in Apologia contra Raudenſem. Libet tamen obiter & aliud diſcrimen perelegans, à Græcis animaduerſum addere. Aiunt enim, iudicialem ſpeciem ex iraſcibili parte animæ prodijſſe, cum ſcilicet quilibet homo uel accuſetur, uel excuſetur: deliberatiuam,ex appetibili, cum ſcilicet deliberare uolens de re aliqua, ut plurimum in eam deliberationem feratur, quam mouerit appetitus, perſuaſus à ratione: demonſtratiuam ex rationabili, cum uidelicet quicunque utitur laude uel uituperatione, afferat de utroque rationes. Sed & ut ſingula hæc genera ſuos fines habent, iudiciale quidem æquum & iuſtum (iudex enim ad æquitatem reſpectum habens ſedet & iudicat) deliberatiuum autem utilitatem, demonſtratiuum autem bonum: ita & ſua loca habent, prætorium iudicialis ſpecies, deliberatiua ſenatum, demonſtratiua theatrum uel eccleſiam. Quod attribuitur, &c.] Attribuitur, inquit: ob id, quod tota in attributis, hoc eſt, circunſtantijs conſiſtit eius tractatio. Oportet igitur.] Tranſitio ad partes officij. Accommodatio.] Id eſt, commoda ordinatio. Pronunciatio eſt, &c.] Pronunciationem uideri poterat non ſatis perfecte definyſſe, cum id non ſolum agat, uerum in proferendo (ut & nomen teſtatur) tota propemodum conſiſtat, niſi præcipuas in geſtibus moderandis partes haberet. quare pleraque omnia exemplaria & Vocis in definitione addunt. Quasq; res habere conueniat.] Aliàs, Oporteat. Confutatio eſt,contrariorum locorum diſſolutio.] Addunt aliqui,Cum deſtructione: ignorantes, & Græcis διαλύειν, & Romanis diſſoluere,idè ſignificare ſubinde quod deſtituere. Genera cauſarum ſunt quatuor.] Et ſupra Cicero genera cauſarũ quædam recenſuit: ſed illa ut præcipuas materiarum & negotiorũ partes,hæc uero ut partium illarum partes. Qua de re lege Victorinum. Quidam uero ut hanc amphiboliam fugiant,ſuperiora iſta non cauſarum, ſed dicendi & ciuilium quæſtionum genera uocant. Quod græce προοίμιον.] Græcarum uocum etymon et proprietatẽ exponit docte Fabius, cap eod. Si turpe genus.] Vt ſi pro ebrietate dicatur. Vel nõ uti principio.] Negant hoc oratorũ præcipui, qui nõ putant ita nude irrumpendũ ad orationes,ſine præparatione auditorũ: quod et ignauiam dicentis,& confidentiã eius deſignet. In foro tamen & iudicijs locum aliquem habere uidetur, quoties tanta iudi-

cis feſtinatio eſt, ut moram nullam patiatur: aut auditorum animi tales ſunt, uel ira, uel odio, ut mox caput cauſæ audire ſe uelle conclament. In ſcholaſticis autem diſputationibus & declamationibus ſecus fieri debet, quod auditores habemus dicto audientes. Sed & hoc admonendum duxi, in quo plerique omnes noſtro ſeculo qui declamant, peccant: exordium non in principio ſed poſt reliquas partes abſolutas eſſe conſcribendum. Nam & Cicero, quod primum eſſet dicendum, poſtremo ſolet cogitare, quo uteretur exordio. Qua de re longe doctiſſima quædam in ſecundo de Oratore. Tria ſunt tempora.] Tria inſinuationis tempora. Si cauſa turpitudinem.] Vt ſi pro ſtultitia dicamus. Interiectione uerborum.] Id eſt ἐμβολῇ, quæ uox clancularium et quaſi inſidiatricem uerborũ rerumq; machinationem ſignificat. Tamen hoc per exordiũ, &c.] Addunt aliqui & epilogum, quod utriuſque partis eadem ſit intentio, ſaltem quod ad beneuolentiam. Item uitioſum eſt.] Vide Lucianum, quo pacto ſcribere hiſtoriã oporteat. In quo etiam tranſlatũ.] De cauſa in cauſam. Vincendi cauſa quod pert.] Medium eſt, nam & accuſator uincit, qui reum peragit: & uincit defenſor, qui cauſam aduerſarij labefactat. Primum autem narrationis genus, oratorium appellant, quod in cauſa expoſitionem inuentum eſt: quod poſt exordium poni ſolet. Alterum, apparatum, quod non eſt pars orationis, ſed in confirmatione aut confutatione interſeritur, aſſeuerandi aut deſtruendi gratia: quod ipſum & probatiuũ appellarunt. Poſtremũ, grammaticum uocarunt: quod rarius in oratoris uſurpatione ueniat. Primũ perorata narratione.] Sunt qui hoc ipſum non partem, ſed figuram orationis eſſe contendant: quod & alibi Cicero approbare uidetur. Cum dicemus numero.] Id eſt, aut breuiter, aut certo numero. ut Cicero pro Sexto Roſcio: Tres ſunt res, de quibus me arbitror dicere oportere. Nam cum adiumenta.] Alias, argumenta. Noſter doctor Hermetes.] In quibuſdam antigraphis Hermagoras ſcribitur: ut non dubitem, Hermagoras eſſe legendum. Prima deprecatio.] Nõ conceſſio, & per preces auerſio, ſed aduerſariorum illationis depulſio, quod ipſum ſignificat & deprecor. In demortui locum qui petat, &c.] Ob legis breuitatem obſcurior redditur locutio, propter eclipſim reciproci pronominis. Eum qui petat, id eſt quicunque petierit ſuffici ſe debere, &c. De ſemiſſibus. &c.] Diuidũdis ſcilicet, in capita omniũ ciuium. Pontes diſturbat.] Pontes lignea trabes tranſuerſim poſitæ, & altius collocata, contectaq; tabulis, unde à populo legislator uideri poſſet. Ciſtellam autem, publicarum literarum ſcrinium denotat, in quo tabulæ legum continebantur. Prætoriæ exceptiones. Prætor enim, cum expoſita illi cauſa eſſet, actionis formulam præſcribebat, ſecundum quam ageretur, ut in iure ciuili nuſquam non occurrit. Cauſa autem cadere dicitur, qui rem amittit, & cauſam perdit, ut uulgo dicimus. Culeo deuehatur.] Cicero pro Roſcio Amerino: Quanto maiores noſtri ſapientius, qui cum intelligerent nihil eſſe tam ſanctum, quod non uiolaret aliquando audacia, ſupplicium in parricidas excogitauerunt, ut quos natura retinere in officio non potuiſſet, magnitudine pœnæ à maleficio ſummo arcerentur. Inſui uoluerunt in culeum uiuos, atque ita in flumen deijci. O ſingularem ſapientiam iudicum. Non'ne uidentur hunc hominem ex rerum natura ſuſtuliſſe & eripuiſſe, cui repente cœlum, ſolem, aquam terramq; ademerunt: ut qui eum necaſſe, unde ipſe natus eſſet, careret ijs rebus omnibus, ex quibus omnia nata eſſe dicuntur. Eſt autem culeus ſaccus coriaceus cui reus inſuebatur, ſimul intruſa uipera & gallo gallinaceo. Hunc ipſum uocat & folliculum lupinum, paulo poſt. Vbi animaduertendum, quanta fuerit legis ſeueritas, qui non bouis, non equi corio ad ſupplicium utebantur, ſed lupi, beſtiarum omnium rapaciſſimi. Inteſtatus.] Non condito teſtamento. Statim folliculo lup.] Quòd indignum iudicabant, qui ſolem, lunam, elementa, cæteroſq; homines inſpiceret. Et ſolea lignea.] Ne pedibus terram contingeret. De Malleoli autem facinore ſcribit Eutropius, de bello Cymbrico. Cũ eo Accius iniuriarum agit.] Poetarum enim auctoritatem minui arbitrabantur, ſi ſe ſcenicis adiunxiſſent. Itaque quoties in proſceniũ prodibant, perſonã inducere ſolebant. Vt Cepio ad tribun.] Qui Martem dicebat cõmunem: & fortunam accuſabat, quod ſubito aquis exercitum ſuum clauſiſſet, irruentibus Cymbris. Niſi quando pro eo dicimus, &c.] Vt Cicero pro Milone. Aut ante Imperatorẽ.] Ex hoc loco ſunt qui conuincere ſtudeant, non eſſe Ciceronis hoc opus, quòd poſterius ad Imperatores iudicia peruenerint. Sed hi ignorant, & Ciceronis temporibus Imperatores quoque fuiſſe, qui cauſas militũ cognoſcerent. Cum à nobis non crimen.] Crimen, facinus: Culpa, facinoris cauſa. Ex comparatione.] Hæc eſt pars cõpenſatiui ſtatus, quoties minore incommodo maiori proſpectum eſſe dicimus. Nunc quomodo eas.] Tranſitio ad conſtitutionis inuentionem. Ratio eſt.] αἴτιον, proprius accuſatoris locus. Peruertit defenſionem.] Id eſt, defenſionis rationes omnes deſtruit, nec cauſam dat qua ſe defendat. Firmamentum quærendum.] Συνέχον. defenſoris locus. Græci κρινόμενον.] Κρινόμενον, examinatio huius ipſius, quod ad defenſionẽ reus attulit. Locus eſt cõmunis & accuſatoris et defenſoris. Intentione.] Id quod prima parte proponitur, quod Græci κατάφασιν dicũt. Inficiatione.] Id quod ſecunda parte reſpondetur. aliqui depulſionem, Græci ἀπόφασιν appellant. Intentio, Occidiſti Aiacem: Inficiatio, Non occidi. Sedulo dedimus operam.] Epilogum, qui per breuem enumerationem rem tractat, in principiũ libri ſubſequentis differt. Sed hic tranſitione ad ſecundum librum uiam ſibi parat.

IN LIBRVM II. GYBERTI LONGOLII ANNOTATIONES.

i N primo Heren.] Quæ hactenus dixerit, breuiter recenſet omnia. Deinde docuimus, iudicationem, &c.] Quæ facit ſcilicet cõſtitutionem: unde à quibuſdã tam ipſa, quàm ſtatus ipſe, caput cauſæ, ſumma, orationis ſcopus, & intentio uocatur. Reliquum uidebatur.] Quæ deinceps dicturus ſit recenſet. In cauſa coniecturali.] Narratio in coniectura qualis eſſe debeat. Cauſa eſt ea.] Hoc loco meminiſſe oportet, cauſam eſſe duplicem: quod quamuis non aperte, ſatis tamen Cicero hic expreſſit. Eſt enim alia impulſiua, ut ira, odium: hanc Græci ὀρεκτικὴν αἰτίαν uocant: alia uero ratiocinatiua, ut lucrum, hæreditas: & hæc ipſa ab illis λογικὴ αἰτία appellatur. Reperiat diſpar.] Diſpar, hoc eſt, loquendi ratione, ſed ab ipſa re quam quærimus parum abludens. Non enim facile quiſpiam corrumpitur, nec perfide agit, aut alium corrumpit, niſi pecuniæ gratia. quantulum ergo hæc ab auaritia diſtant? Igitur diſpar non reipſa, ſed nominis ſimilitudine & ſignificatione. Stulti enim foret, cum pecuniæ gratia aliquem aliquid feciſſe dicere intendat, eum aut prodigum, aut timidum dicere. Vtatur extrema defenſione.] Hoc eſt, tranſlatione, qua iudiciũ differtur, nõ tamen aufertur. Nam parui refert, ſatis ſpacij fuiſſe.] Quare recte dixit alibi, Cuiuſuis ſpacij conſiderationem in deliberatione futuri temporis conſiſtere. Argumentũ eſt.] Oportet hic argumentum intelligere pro ſtatus ratione, quæ eſt coniecturalis. alioquin ſemper eſt certa probatio. Nam quiuis horũ ſenſus poteſt cõflare ſuſp.] Recte autem ſcholaſtici rhetores dixerunt, guſtus ſenſum nunquã incidere poſſe in inſtãt., niſi in declamationibus ut cæci et ueneni. Quid quæſitor uelit audire.] Quæſitor, qui in crimina inquirit, & in tormentis de maleficijs cognoſcit. Sic Vergil. Quæſitor Minos urnam mouet. Quod & difficil

lima

lime tractatu eſt conſtit. coniect.] Tranſitio ad aliam conſtitutionem, Deinde dicemus, &c. negligere uoluntatem.) Quæ ſanè uoluntas tribus modis conſideratur. Primo, quando cum legis ſcripto aut uerbis apparet, eam impoſſibile eſſe ſeruari. ut lex eſt: Qui parentes non aluerit, uinciatur. certum eſt iuxta hanc legem liberos infantes, aut debiles alere non poſſe. Secundo conſideratur, cum certum eſt uel omnibus ex uerbis legis, intelligi aliud uoluiſſe latorem eius: ut qui nocte cum ferro deprehenſus fuerit, uinciatur: annulum ferreum uir ferens noctu inuentus, à magiſtratu cædis alligatur. Hic ſanè apparet, legiſlatorem de telo, non de annulo intellexiſſe. Poſtremo, cum exemplo multorum legum probamus præſentis quoque legis uoluntatem talem, qualem nos defendimus, ut Cicero pro A. Cæcina fecit. *Recitatione.*] Non eſt idem quod expoſitio, recitatio: nec etiam ſimplex propoſitio, cum ita præcedere deberet. Sed recitationem intelligito, exemplorum ſubiectionem, aut rerum iudicatarum per legem & approbatarum enumerationẽ. *Sunt qui arbitrantur.*] Confutat quorundam opinionem, qui ambiguitatem uerborum ediſcendam præcipiebant, ſed eam quæ à dialecticis profertur, hoc eſt, ſuperſtitioſe curioſis, & cauillatoribus. Secus autem iudicandum de proprietate & differentia uocum, quæ à grammaticis docetur. *Item ex contrario.*] Quam uocant ἀντίθετον definitionem, qua non tantũ crimen negamus, uerum etiam commodum aliquod aſſerimus. *Num alio modo.*] Alibi negat modũ eſſe præſcriptionem, ſeu translationem. Sed hic modum pro re accipiamus. *In cauſa rationali.*] Cauſam rationalem Græci συλλογιστικὸν appellant, quod quidam Latini uertentes, collectionem & ſtatum collectiuum interpretati ſunt. Fit modis quinque. A' ſimili: Qui patrem pulſat, rapitur ad pœnam. quidam matrem pulſauit, reus fit facti. A' conſequenti: Adulteros deprehenſos liceat cæcare. quidam deprehenſus excæcatus eſt: poſtea per famulũ ad adulteram reductus, excæcatus famulus eſt miniſter adulterij: conſequens enim eſt, ut eius oculi eruantur, cuius miniſterio adulterium perpetratum eſt. A' contrario: Deſertor capite plectatur. deſertor quidam fortiter fecit, petit præmium, & contra dicitur. A' maiori ad minus: Exulem intra fines deprehenſum liceat occidere. quidam exulem deprehenſum tantum uulnerauit, & petitur ad pœnam. A' minori ad maius: Qui commilitonem in acie protexit, petat præmium. ipſum imperatorem quidam protexit, petit præmium, & contradicitur. *Naturæ ius eſt.*] Sciendum autem, longe latius hoc naturæ ius patere, quàm hic exemplis declarauit. quare ad eã rem cognoſcendam, inſpiciantur iuriſperitorum commentarij.

Quod cum hærede mandati ageretur.] Cum hærede mandati agere, eſt actionem intendere in eius hæredem, cui mandaueras ut hoc uel illud perficeret, uenderet, expediret. quod quia ab eo factum non eſt, eo diſcedente, in hæredes actionem producis. *Cognitorem det.*] Cognitorem dare eſt, ſubſtituere aliquem qui in iudicio uices tuas ſuppleat, quem alias procuratorem uocat, nempe quod cauſam tuam omnem cognitam habeat per tuam inſtructionem, non de cauſa cognoſcat, quod eſt iudicis tantum. *Rem ubi pagunt.*] Lex eſt ex Tab. xij. huc allata, ex cuius forma pacta fiebant, hoc modo. Verbis pepigi cum aduocato meo, ut cauſam meam differret in comitio aut foro, & illic ante meridiem adeſſet. Aſſenſit ille, nec ad fuit. Ago cum illo de pactis, & hinc creſcit ſtatus. *Translatio criminis eſt.*] Hic ſtatus à pleriſque relatiuus uocatur, cum reus culpam refert in eum, propter quem arguitur. Vt miles in acie exclamauit, Vincimur: occiſus eſt ab imperatore: reus fit imperator læſæ reipub. Contradicit enim, militem peccaſſe, & ideo occidi debuiſſe, quod hic clamauerit, &c. *Conceſſio eſt.*] Eadem & uenia, & uenialis ſtatus appellatur.

Ea diuiditur in neceſſitudinem.] De neceſſitudine exemplum ſit. Orator ab hoſtibus captus eorum laudes conſcripſit, iubentibus hoſtibus, & publice recitauit, gratuitòq; dimiſſus eſt: ad ſuos reuerſus læſæ reipub. reus damnatur. Hic dicit, non uoluntate, ſed neceſſitate feciſſe. *Si autẽ imprudẽtia.*] Exemplũ eſto legis, Exulẽ intra fines deprehenſum liceat occidere. Ex duobus geminis fratribus ſimilibus alter exulabat: fratrem eius non exulẽ quidã interficit, reus fit cædis. Hic dicit, ſe errore feciſſe.

Cũ in fortunam cauſa conferetur.] Venator quidã haſtã in feram miſit, in hominem incidit, eo uulnere homo perijt, reus fit cædis. hic enim dicit, ſe non uoluntate, ſed caſu feciſſe. *Quæritur ex ijs locis.*] Qui ſanè ab alijs traduntur in compenſatiuo uocato ſtatu, quoties delicto meritum comparamus, aut quãdo maiori incommodo proſpectum eſſe per facinus dicimus. *Aut in rem, aut in hominem.*] Addunt aliqui, in legem: ſed idem eſt, quod in hominem. Exemplum perſonæ ſit. Legatus intra xxx. diem nauiget: legatus nõ accepto à quæſtore uiatico, non nauigauit intra xxx. diem: reus fit male geſtæ legationis. Hic enim remouet crimen in quæſtorem, à quo uiaticum nõ accepit. In rem uero, eſto hoc. Miſſus eſt cum exercitu ad expugnationem ciuitatis imperator: poſtquã acceſſiſſet, inuenit peſtilentia eam laborare: reduxit exercitum: reus eſt læſæ reipublicæ. In legem uero, exemplum eſt apud Ciceronem libro præcedente. *Ergo abſolutiſſima.*] Argumentationis perfectæ partes. *Cauſam oſtendimus.*] Propoſitio. *Inimicum enim.*] Ratio propoſitionis. *Videbat illo incolumi.*] Rationis confirmatio, ex uarijs locis ſumptis argumentis. Primum à probabili cauſa, quæ tractatur per antitheſin mortis et ſalutis: deinde ab anteacta uita, quod exemplo facti ſeu mortis Palamedis confirmatur. Forma perfectæ argumentationis rhetoricæ, quæ uerborum & ſententiarum copia ueſtita, oſtendit quãtum à dialectica breuitate oratoria maieſtas recedat. Quod ut clarius pateſiat, hanc ipſam argumentationem ſyllogiſmo breui perſtringamus. Omnes qui ab aliquo periculum metuunt, eũ interfectum cupiunt: A' Palamede Vlyſſes ſibi metuebat, utpote à probiſſimo improbus: Igitur probabile eſt, ab Vlyſſe interfectũ Palamedem. *Omnes enim cum minima pec.*] Exornatio primum à minore ad maius. *Virum fortiſſ.*] A' collatione. *Nam cum feras.*] A' ſimili. *Si ergo pollicitus.*] Complexio. *Duo ſunt genera.*] Argumentationes uitioſæ. *Omnes qui in paupertate ſunt.*] Expoſitio plerunque, teſte Ariſtotele, uniuerſalem quandam ſententiã; & communem approbationem habet: quæ tum uera eſt, cum in neceſſaria materia expeditur. Verum ſi quando eam contingẽtem eſſe contigerit, tum quia tantum probabilis eſt, nũquam nõ poterit ſubuerti. *Nemo poteſt uno aſpectu.*] Contrariũ eſt de Cherea Terentiano. *Item uitioſa expoſitio eſt.*]

Hæc eſt ratio, qua imperfectæ inductiones diſſoluãtur. Lege Trapezuntium. *Vtinam ne in nemore Pelio.*] Vide Crinitum lib. 15. cap. 6. & Politianum in Miſcell. cap. 27. *Saxiq; inſtar.*] Alias, Saxoq; inſtare globoſo, &c. *In confirmatione rationis.*] Confirmatio uitioſa. *Nam ſi improbum eſſe Creſſontem.*] Alias, Threſſontem. *Aut ex contrario conuertentur.*] Sed hæc concluſio ex contrario fieri non poteſt, niſi ſit falſa prior confirmatio. *Neceſſe eſt, quoniam pallet ægrotaſſe.*] Poteſt enim uel animi affectibus pallere.

Quoniam ſuſtinet puerum.] Sed & nutricula, quem non peperit infantem, brachijs ſuſtinet. *Si non cætera quoque ſimilia concurrant.*] Euiuſmodi ſignorum multitudinem ob id recte συνδρομὸν Ariſtoteles appellat, quod ubi ſimul concurrant, aliquam probationem efficere poſſunt: ut in priore exemplo, Pallet, ergo ægrotauit. Niſi enim frequentius in ædibus uideris medicum, niſi amicorum ſolicitudinem & triſtitiam, niſi uota dijs facta, non facile fidem dabis, cum multi ex ſceleroſa cõſcientia in pallorem inciderint. Si quis dicat iniuriam eſſe

nullam, &c.] Cum quoduis contra ius factum, iniuria uocetur. Aperte fatur dicto.] Aiax pro Achillis armis adipiſcendis, exponit in Græcorum concilio Apollinis oraculum. Auditu exiſtimet.] Aliàs, auditum. Vti apud Pacuuium Zetus.] Inducti ſunt & eadem ratione in tragœdia Euripidis concertantes, ut teſtatur Athenæus in encomio muſices. Item uitioſum eſt artem, aut ſcientiam, &c.] Quamobrem qui uanitatem artium, quod profeſſores earum plerunque uani eſſent, noſtro ſeculo aſſerere ſtuduit, non immerito ab omnibus quoque doctis uaniſſimus iudicatus eſt. Sed hoc non ignorandum eſt, quod multa ſunt quæ per artem ita ſcribuntur, ut uel expoſitiones, uel rationes, uel confirmationes uitioſa alijs uideri poſſent, cũ id diligentia uel neceſſitate callidi oratores faciunt: quale & in hoc exẽplo uitiũ eſſe, & non eſſe poteſt. Quoniã exornatio.] Exornatio uitioſa. Quod ex aliqua parte diſſimile eſt.] Nec quidquam facilius reprehendi poteſt, quàm hoc ipſum propterea quod, auctore Ariſtotele, nihil eſt tam ſimile undecunque, quod non aliquid diſſimilitudinis, acriter cum alio collatum obtineat. In quatuor locis uti poſſumus concluſionibus.] Sciendum autem eſt, quod epilogo & in alijs orationis partibus uti liceat, ſed tũ præcipue, quando aut partitionẽ facimus, aut quando in multas quæſtiones cauſa proceſſit. Deinde etiam, ubicunque iudicis memoria retinenda eſt. Sed plerunque tunc ab artificibus nõ ἐπίλογος, ſed ἐπιμερισμὸς appellatur. Enumeratio eſt.] Quæ ἀνακεφαλαίωσις à Græcis dicitur. Vt renouetur, nõ redintegretur oratio.] Renouantur ædes, quæ longa uetuſtate propemodum abſumptæ reſtaurantur. Redintegrantur uero, quæ penitus collapſæ, omnino nouæ fiunt. Sic & oratio renouatur, quæ propemodum in obliuionem ueniens, ad memoriam reuocatur: redintegratur uero, cuius omnino oblitæ, tanquam ab integro nouam audimus. Loci communes.] Loci communes δεινώσεως, id eſt amplificationis, per quas orationem reddimus ex uehemente uehementiſſimam, & uerborũ ſententiarumq; magnitudine ad augendum efficaciſſimam. Quod genus iniuria mulierum.] Vt Helena, fax Troiani belli. Commiſerationem breuem eſſe oportet.] Quoniã iudex commotus, ſtatim dimittendus eſt ad ſententiam ferendam, cum aduerſario iraſcitur, & cum in noſtram miſericordiam prouocatus eſt lacrymis, & commotus ſtatim debet ferre ſententiam, dum pro nobis mouetur. Nihil enim lacryma citius areſcit.] Addit Cicero dictum Apollonij rhetoris, οὐδὲν θᾶττον ξηραίνεσθαι δακρύου. Nihil enim quod uehemens eſt, diutius in uno ſtatu durare poteſt: præſertim in affectibus qui alioqui ſunt momentanei & fugaces.

IN LIBRVM III. GYBERTI LONGOLII annotationes, quibus Claudij Pontani quoq; Scholia inſeruimus, præmiſſo tamen ubique * ſignata.

a D omnem iudicialem cauſam.] Tranſitio per breuem dictorum dicendorumq; enumerationẽ, quæ Ciceroni perfamiliaris eſt in hiſce libris. Reliquæ quatuor partes erant artificij.] Non hoc ita intelligas, ut inuentionem ab artificio remotam exiſtimes (cum ea uel maxime τεχνικὴ ſit) ut plerique uoluerunt: ſed ſimpliciter, ut uerborum per ſe ſenſus apertus eſt. Reliquas eſſe, pro ſupereſſe: quod tamen familiarius eſt apud Ciceronem. Rideo commentum eorũ, qui inuentionem extra artificium omne exiſtimabant, quod ſolummodo naturæ ſit inuenire, artificij uero iudicare. * Deliberationes partim.] De genere deliberatiuo lege Fab. lib. 3. c. 10. Cic. de Inuen. lib. 2. ſub finem, & in Partitionibus Trapezont. lib. 4. In quibus cauſis rei natura faciet deliberationem.] Tunc res deliberationem facit, cum per ſe inſpecta ſola ipſa in cauſa eſt, cur hoc uel illud fieri, aut nõ fieri debeat. Vt ſi ſenatus deliberet, captiuos ab Hannibale liberet, an non. Conſultatio eſt duplex, & rei circunſtantia exquirenda eſt. primum captiuitatem eſſe ſeruitutem, qua nihil miſerius, turpius, damnoſius. deinde uidendum, an ſic captiuos relinquere debeant, ſub illo imperatore crudeli, quiq; exitium populo Romano meditetur. deinde illo tempore, cum eorum opera Reſpub. maxime indigeat. deinde illo loco, in Italia, ut ignominia perpetuo ante oculos præſto ſit. deinde illo modo, ut ſint in pœnis, in laboribus, & ſimilia. Sciendum autem eſt, me multa etiam extra cauſam adiecisse, quæq; non ſunt proprie ex ipſius rei natura, quoniam oſtendere uolui, quomodo ex theſi ſubinde fiat hypotheſis. Propria enim conſideratio rei theſis eſt: quæ eſt de natura captiuitatis. In quibus extranea cauſa.] Extranea cauſa eſt, quæ non ex ipſa rei natura, ſed aliunde adiungitur. hæc uel adaugeri, uel deprimi poteſt, prout ipſa conſiderata, utilis aut inutilis, leuis aut grauis, magni momenti aut parui exiſtimatur. ut in Scipionis exemplo, ubi extranea cauſa legum eſt auctoritas, quæ conſiderata deliberationem facit. Finis autem legum eſt, utilitas reipublicæ. Iam ſi lex ſeruata inutilis deprehẽdatur, ob maiorem utilitatem illi aliquid derogari poteſt: Nempe præter Scipionem uix ullum eſſe, qui cum hoſte confligere audeat. Hæc breuiter addidi, ut locis aliquid loco non omnino obſcuro propter imperitiores adderem. * Bello Italico.] Hiſpanico legendum uidetur. Cum Hannibal ad tertium ab urbe lapidem ſupra Anienem caſtra poſuiſſet, & P. & Gn. Scipiones in Hiſpania cum exercitibus cæſi eſſent, quæſitum in Senatu eſt, cui imperiũ mandaretur: nullo id ſuſcipere uolente, P. Cornelius Scipio Pub. filius, qui in Hiſpania ceciderat, ſe iterum profeſſus eſt, & ſuffragio populi conſenſuq; omnium ſolutus eſt lege, & conſul creatus uno anno ante legitimũ tempus. xxiiij. enim annum tum agebat. Vide Liuium de bello Punico lib. 6. * Socijs ciuitatem.] Lege Florum lib. 3. cap. 8. & Abbreuiatorem Liuij lib. 71. Vtilitas in duas partes.] Hic locus multis non ſatis placet, propter rei diuiſionem, & quod in alijs libris artis horum locorum omnino non meminit, nec frequentia argumenta ex ipſis ducantur. Itaque non diſplicet, quod alibi honeſtatem, quam & dignitatem uocat, & utilitatem, conſultationis fines eſſe dicit. Sed utilitatem quidem præponere uidetur, quod ſine ea dignitas ſeruari uix poteſt. Loci autem pro utilitatis defenſione ſunt, enumeratio commodorum. pacis, opum, potentiæ, pecuniæ, uectigalium, præſidij militum, & utilitates cæterarum rerum, quarum fructum utilitate metimur: itemq; incommoda contrariorum. Qui ad dignitatẽ impellet, maiorum exempla, quæ erunt uel cum periculo glorioſa, colliget: poſteritatis immortalem gloriam augebit, utilitatem ex laude naſci defendet, ſemperq; eam cum dignitate eſſe coniunctam. * Vtilitas in duas partes.]. Vtilitas an ab honeſtate ſeparari poſſit, diſputat in Officijs Cicero. Porrò ad præſentem auctoris diuiſionem faciunt, quæ ſcribit Fabius lib. 3. Dicturi, inquit, in concilio bonorum & ſapientum, nihil utile exiſtimabimus, niſi quod honeſtum. Verum apud imperitos, apud quos frequenter dicenda ſententia eſt, populumq; præcipue, qui ex pluribus conſtat indoctis, diſcernenda ſunt hæc, & ſecundum communes magis intellectus loquendum. Sunt enim multi qui etiam quæ credunt honeſta, non tamen ſatis eadem utilia quoque exiſtiment: quæ turpia eſſe dubitare non poſſunt, utilitatis ſpecie ducti probent, ut fœdus Numantinum, iugumq; Caudinum, &c. * Vtilitas tuta.] Exemplum eſt in oratione pro Pomp. Ab omnibus enim ferè locis iam enumeratis bellum ſuſcipiendum ſuadet. A' ui, cum ſignificat potentiſſ. reges magnis uiribus Aſiæ incumbere, & propter periculum depoſci atque experiri Pompeium ducem, & periculum eſſe proditionis uectigalium, &c. Porrò uis aperta eſt: dolus autem occultus cum fraude. * Reuocationes.] Vt Camilli, de quo Li-

uius

nius lib. 5. & Hannibalis ex Italia. * Pollicitationes.] Vt Catilina apud Saluſtium magnis præmijs inuitat coniuratos. * Diſſimulationes.] Quæ ſtrategematis conſtant, de quibus. Frontinus & Valerius lib. 7. cap. 4. * Maturationes.] Vt Cl. Druſus Nero, qui breuiſſimo tempore ex Apulia clam in Vmbriam uenit, ut collegæ Liuio Salinatori ſe cõiungeret. Liuius & Frontinus lib. 1. cap. 1. * Prudentia eſt calliditas.] Callidos appello, inquit Cicero, quorum tanquã manus opera, ſic animus uſu concalluit. * Diſciplinabilem.] Vt Hannibal cum apud Pruſiam exularet, & regi, ut prælium iniret, ſuaderet, rexq́; facturum ſe negaret, quod periculum portendere exta uiderentur: Ergo uitulinæ, inquit, carunculæ credes, ueteri Imperatori non credes? Val. lib. 3. de fiducia ſui. * Cuius rei geſtæ aut præſentem, &c.] Vt ſi ſuadebimus, Heluetijs non eſſe faceſſendum negotium, ab exemplis, quæ patrum memoria contigerunt. * Item ſi quo pacto.] Huc faciunt quæ apud Saluſtium ait Cato: Iã pridem, inquit, nos uera rerum uocabula amiſimus, quia bona aliena Longini liberalitas, malarum rerum audacia fortitudo uocatur. Lege Fabium lib. 2. cap. 13. * Cum igitur erit demonſtratum.] Sic Ciceroni non ſatis fuit oſtendere quàm honeſtum ſit pro ulciſcendis iniurijs, & ſociorum ſalute conſeruanda, bellum contra Mithridatem ſuſcipere, ſed id etiam cum alijs locis à laudabili ductis, tum illic præcipue, cum ait, Et quoniam appetentes gloriæ præter cæteras gentes, atque auidi laudis fuiſtis, delenda eſt uobis illa macula bello Mithridatico ſuperiore ſuſcepta. Sic & Ilioneus apud Virg. 7. Aeneid.

Dijs ſedem exiguam patrijs, littuſq; rogamus
Innocuum:
Non erimus regno indecores, nec ueſtra feretur
Fama leuis, tantiq́; aboleſcet gratia facti.

* Exordiri licebit.] In deliberatione principia ſunt, uel nõ longa, uel ſæpe nulla. Sunt enim ad audiẽdum, qui deliberant, ſua cauſa parati. Vide Ciceronem in partitionibus, & Fabium lib. 3. * Si cuius rei narratio.] Non enim ſemper narratur, ut inquit Cice. utuntur autem ferè propoſitionibus uice narrationum: ut uindicare Germaniam à pontificia tyrannide, & pium & neceſſarium eſt, hoc tempore. Nonnũquam breuibus narrationibus utuntur, ut cum aliquid ante ea de re geſtum eſt, de qua deliberant. * Qui à Pœnis circunſeſſi.] Aut eos intelligit, qui Caſſilini, quod eſt Campaniæ oppidum, obſeſſi à Pœnis fuerunt, quod à Liuio lib. 3. belli Punici deſcribitur, & ita fame uexati ſunt, ut lora et pelles ſcutis detractas, item mures ederint. aut Saguntinos, qui nouem menſibus feſſi fame, machinis, ferro, & igne, uerſa denique in rabiem fide, immanem in foro excitant rogum, &c. Vide Florum lib. 2. cap. 6. & Liuium. * De Genere demonſtratiuo.] Vide Fabium lib. 3. cap. 9. Rodolphum lib. 3. cap. 13. Trapezontium Lib. 4. Laus igitur poteſt eſſe rerum externarum & corporis & animi.] Mirum eſt, cur hunc ordinem in recenſendis bonis ſeruet, cũ inter triplicia bona uel maxime excedãt quæ ſunt animi, quæ & uera eſſe, & ſola ab Ariſtotele recte exiſtimata ſunt. Niſi ob id dicamus hæc duo & fortunæ & naturæ bona præcedere, quod ipſa uirtus in earum rerum uſu & moderatione maxime cernitur. * Dignitas.] Τὸ ἀξιωματικὸν græci uocant, id eſt uenerandam oris maieſtatem, qualis in Pompeio fuit, & quam Cicero etiam dignitatem uocare ſolet. * A' noſtra, ſi laudabimus dicemus.] Vt eſt Nazanzeni in Baſilium, debere ſe laudare, tum propter amicitiæ rationes, tum propter memoriam pulcherrimarum uirtutum, tum ut habeat eccleſia exemplum optimi & ſanctiſſimi epiſcopi. Cæterum narratio, ſicut nunquam ferè incidit, cum laudamus cuius facta nota ſint, at ſola amplificatione indigent: ſic ſemper inuenitur, cũ quod fecerit ignotum ſit: quæ nõ uno in loco tota, ut in alijs generibus cogitur, ſed paſſim, ut quidquam amplificandum eſt, breuiter narratur. hæc Trapezontius lib. 4. * Petemus ut cognoſcant.] Aliàs, ignoſcant. * Diuiſione utemur.] Ea utemur commode, ſi naturam eius rei, quam laudamus, diligenter quibus conſiſtat, conſiderabimus. Non enim oportet, ut plurimi putant, quoniam omnis demonſtratio aut ex rebus, quas externas appellant, aut ex ijs quæ corpori aut animo attribuuntur, in has partes ſemper orationem diſtribuere. Nam & faſtidium auditoribus pareret, ſi ſæpius fieret: & ignorantiæ uitium non euitaret, ſi quis rei naturam relinqueret, & his communibus ſemper eſſet occupatus. Quare optimum factu erit, cum omnia, quibus facile abſolui poſſit cauſa, conſiderauerimus, ea reducamus in pauciſſima quædam genera. Vt ſi poeta aut orator laudandus eſt, danda eſt opera ut intelligamus, quibus rebus poeta eximius, aut eloquentiſſ. orator ad tantam facultatem profectus ſit, quæ omnia ad quàm pauciora maxime poſſumus, reducemus. Deinde unumquodque eorum, ſi in plura diuiditur, ſuis locis diſtribuemus. Sic pro Pomp. fecit Cicero, in qua ſummas imperatoris laudes perſecutus eſt. Vide Trapezontium.

* Quomodo ab animo tractata ſint.] Huc faciunt quæ ſcribit Fabius. Omnia, inquit, quæ extra nos bona ſunt, quæq́; hominibus forte obtigerunt, non ideo laudãtur, quod habuerit quis ea, ſed quod his honeſte ſit uſus. Nam diuitiæ, & potentia, & gratia, cum plurimum uirium dent in utranque partem, certiſſimum faciunt morum experimentum. Aut enim meliores propter hæc, aut peiores ſumus. Animi ſemper uera laus eſt. Sed nõ una per hoc opus uia ducitur. Nanque aliàs ætatis gradus, geſtarumq́; rerum ordinem ſequi ſpecioſius fuit: ut in primis animi laudetur indoles, tum diſciplinæ, poſt hoc operum, id eſt factorũ dictorumq́; contextus. aliàs in ſpecies uirtutum diuidere laudẽ fortitudinis, iuſtitiæ, continẽtiæ, cæterarumq́;, ac ſingulis aſſignare, quæ ſecundum quanque earum geſta erunt. Hæc ille. Ab extremis rebus.] Miror autem cur non addat & nomen, ut Cato ſapiens: & nationem, ut Græcus: & patriam, ut Athenienſis: affectionem, ut equorum, canum, armorum: ſtudium, ut medicus, orator: conditionem, ut ſeruus, addictus: conditionem aliam quæ ad liberos ſpectat, ut nupta, adoptiuus, abdicatus, & cæteras circũſtãtias, quæ ſubinde oratori aptiſſima uel ad laudẽ uel ad uituperationẽ argumẽta ſubminiſtrant. * Concluſionibus breuibus per enumerationẽ.] Id eſt, ut breuiter quæ in tota oratione dicta ſunt, colligantur. Nunc abſoluta nobis.] Tranſitio ad alia præcepta. * De diſpoſitione.] Vide Quintil. lib. 7. cap. 1. & ult. Trapezontium lib. 4. Rodolphum lib. 3. cap. 6. & [illegible]ſ. 2. de Copia, cap. ultimo. Ab inſtitutione artis profecta.] Quam hic uocat artis inſtitutionem, Cicero de Orat. 2. naturam, & naturalem ordinem appellat, his uerbis: Nam ut aliquid ante rem dicamus, deinde ut rem exponamus, poſt ut eam probemus noſtris præſidijs confirmandis, contrarijs refutandis, deinde ut concludamus, atque ita peroremus, hoc dicendi genus natura ipſa præſcribit. Quam uero hic diſpoſitionem, ad caſum temporis accommodatam Cicero, quæ ex oratorum iudicio & prudentia cõparatur, hoc eſt, artificioſam, quod utilitatis neceſſitate hic ordo ſeruari non poteſt, appellat. * A' literarum recitatione.] Vt ſi quis Lentulum accuſet, quod Allobrogum legatos ad coniurationem inuitauerit, & literas ab eo legati miſſas habeant. * Si narratio parũ probabilis.] Exemplum habes in Miloniana. Tranſlationibus partium tum uti.] Aliàs, ſæpe uti. * Tanquam inſtructio militum.] In acie enim non tam refert, quantis copijs dimices, quàm quo conſilio inſtructis ac diſpoſitis: ita in oratione ſummum eſt, non quàm optimis uti argumentis, ſed quàm aptiſſime diſpoſitis. Proinde non contemnendum eſt artificium diſpoſitionis. Ea enim, ut Cicero 2. de Orat. ait, tantum poteſt in dicendo, ut ad uincendum nulla plus poſſit. * De pronun-

ciatione.] Lege Ciceronem.3.de Orat. Fabium lib.11.ca.3. Fortunatianum lib.3. Trapezontium lib.4. Habet, inquit Fabius, pronunciatio miram quandam in orationibus uim ac poteſtatem. Nec enim tam refert, qualia ſint quæ intra noſmetipſos compoſuimus, quàm quomodo efferantur. Nam ita quiſque, ut audit, mouetur. Quare nec probatio ulla, quæ aliquo modo uenit ab oratore, tam firma eſt, ut non perdat uires ſuas, niſi adiuuetur aſſeueratione dicentis. Affectus omnes langueſcant neceſſe eſt, niſi uoce, uultu, totius prope habitu corporis inardeſcãt. Documento ſunt uel ſcenici actores, qui & optimis Poetarum tantum adijciunt gratiæ, ut nos infinite magis eadem illa audita quàm lecta delectent. &c. Pronunciationem multi maxime oratori utilem dixerunt eſſe.] Ob Demoſthenis dictum, qui primas, alteras, & tertias, hoc eſt omnia, pronunciationi tribuebat. Hanc Cicero ubique actionem appellat, quod hæc ſola ſit, quæ orationis uelut uita uocitata eſt, ut teſtatur Aſconius. Hoc autem ſupra modum admiror, quod ordinem naturalem in partibus docendis non obſeruauerit: cum neminem lateat, hanc natura ſua poſtremam eſſe tradendam, quod reliquas omnes partes pronunciatio ſubſequatur. Niſi forte ob id factum eſt, aut quod integrum elocutioni librum dedicauerit, aut quia & ipſe uoluerit non exiguam huius partis demonſtrare dignitatem. * Ad ſenſus noſtros.] Rerum omnium quædam ad intelligentiam, quædam ad ſenſum referuntur. Illæ ad intelligentiam ſpectant, quæ doceri uerbis poſſunt, ut grammaticarum. Illa uero ad ſenſum, quas uerbis docere ſatis non eſt, niſi alicui ex quinque ſenſibus ſubijciantur, ut Citharizare. Figura uocis.] Quæ eadẽ & bonitas. * Ratione & induſtria.] Ratio ad præcepta refertur, induſtria ad exercitationem. Notãdum hic, quod & Fabius admonet, in pronunciatione eſſe primas partes naturæ. Nam certe bene pronunciare non poterit, cui aut in ſcriptis memoria, aut in ijs quæ ſubito dicenda erunt, facilitas prompta defuerit, nec ſi inemendabilia oris incommoda obſtabunt. Corporis etiam poteſt eſſe aliqua tanta deformitas, ut nulla arte uincatur. Nos igitur, inquit Fabius, de eo loquamur, cui non fruſtra præcipitur. Quapropter de magnitudine uocis.] Quam alij claritatem appellant. Altera cura comparatur.] Eam autem curam triplicem eſſe aiunt, qua ſcilicet uocem bonam alimus, qua cuſtodimus, et qua reſtituimus. Alimus eam, ſi mox à ſomno exigua ambulatiuncula corpus exercitemus: ut ſi quid crudi adhuc inſideat, id omne deducatur. Poſt id mox ad ſtudia nos conferre debemus, nec mox tunc ſcripturi ſumus, ſed prius aliquid tacite, uel cum leui murmure legemus: tum deinde ſcribemus, ſed uoce ſubmiſſa, non clara, ut quidam. Poſtea ad curam uocis nos transferemus, ut ſedendo uerſus paucos pronunciemus. Cuſtoditur autem uox, ſi quoties declamandum fuerit, cum per occupationes liceat, aliquid ante pronuncies, quo uocis itinera præmollias. Si uero ſubito dicendum ſit, hoc ipſum in actionis moderatione conficies, ut in principijs uox tua ſubmiſſa ſit, deinde ſenſim ſe intendat. Hic etiam ſtomachi curam habere conuenit, ut eiuſcemodi cibi genere utare, quod facile concoquatur. Summopere autem à frigida potione tibi caueas, qua nihil inimicum magis tracheæ arteriæ medicorum filij tradidere. Calidus autem potus arteriã aperit, ut facilius uocem tranſmittat. Reſtituitur uox, ſi leuiter uitiata fuerit, acrioribus cibis, quibus ſi quid obſtat uoci perrumpatur: quare iubent, experrectos ſorbere aliquid aceti acrioris. Quod ſi uehementer uox fracta fuerit, reſtituemus eam ſiti, ut eius itinera ſiccentur. Item frequenti ambulatione, ut humores nimij ad inferiora ex ſuperioribus deuocentur. Hic etiam ab uino omni abſtinebimus, quoniam uoci læſæ eſt infeſtiſſimum. Vtemur autem cibis quàm poteſt fieri leniſſimis. Hæc de uocis cura plerique ſcripſerunt quæ ob id adiunxi, ut admonerem ſtudioſos, & rationem oſtenderem, qua ratione uocis curam, rei ſanè maximæ, habere debeant. * Qui non inſcij, &c.] Medicos intelligit, aut potius φωνασκοὺς, id eſt, formandæ uocis magiſtros, quales apud antiquos fuerunt, quorum ars φωνασκία à Theophraſto dicitur: qui tamen hodie non inutiles, ut opinor, eſſent, ijs qui cauſas in foro agunt, aut quibus in magna hominum celebritate aliquando dicendum eſt. * Si quammaxime ſedata.] Docet quo pacto in principio, medio, & fine orationis pronunciare debeamus, ut firmam uocem conſeruemus. Arteria eſt conceptaculum ſpiritus naturalis, mixti confuſiq; cum ſanguine, in quo plus ſpiritus eſt, minus ſanguinis. Gellius lib.18.c.10. * Interuallis.] Id eſt, mora & ſpatio longiore. Meminerimus tamen non tanta mora utendum eſſe, ut noſtra uideamur orationis obliti, & dum eam ad memoriã reuocemus, diu conſiſtamus ſilentes: quo nihil deformius. Et uulnus arteriæ.] Aliàs, & uulnerantur arteriæ. * Sæpe rerum natura.] Oſtendit præcepta, quæ ſuperius dedit, non ad conſeruendam tantum uocis firmitudinem, ſed ad delectationem etiam pertinere. * Vtile eſt ad firmitudinem.] Primum præceptum repetit. * In extrema oratione continens.] Id eſt, æqualis, & uno ſpiritu prolata. * Remedio eſt uoci.] Id eſt, uocis firmitudinem conſeruat. Mollitudo igitur uocis.] Hæc eadem & ſuauitas. * Sermo eſt oratio, &c.] Sermo quotidianis & uſitatis uerbis conſtat, uoce quammaxime modtrata. Vnde editi ab Horatio Satyrarum libri, Sermones inſcribuntur, quod uerbis penè uulgaribus illic poeta utitur, et ſerpere humi, quod ipſa uidetur exigere materia. Quid enim illa oratione in ipſo ſtatim principio remiſſius? Qui fit Mæcenas? &c. Conuenit ſermo in exordijs. ut pro Archia: Si quid eſt in me ingenij iudices, quod ſentio quàm ſit exiguum, aut ſi qua exercitatio dicendi, in qua me non inficior mediocriter uerſatum. &c.] * Contentio.] Contentionis exemplum, Ilionèus apud Virgilium.

Quod genus hoc hominum? quæ'ne hunc tam barbara morẽ
Permittit patria? hoſpitio prohibemur arenæ?

* Demonſtratio.] Demonſtrationis exemplum, ex Miloniana: Satis eſt quidem in illa tam audaci, tam nefaria bellua docere. Magnam enim cauſam, magnam ſpem in Milonis morte propoſitam, magnas utilitates fuiſſe, &c. * Contentio diuiditur in cõtinuationem.] Contentionis per continuationem exẽplum, pro Sylla: Quid ſi hoc non poſtulo, ſi ille labor meus priſtinus, ſi ſolicitudo, ſi officia, ſi operæ, ſi uigiliæ deſeruiunt amicis, præſto ſunt omnibus, ſi neque amici in foro requirunt ſtudiũ meum, neque reſpub. in curia, &c. Aliud, Contentionis per diſtributionem, in Verrem: Illud uiris fortiſſimis iudicarunt dimittere de ſumma non potuiſſe, te mulieri deterrimæ recte remiſiſſe ſenatores iudicabãt. Ille de quo lege Po. Ro. iuſſerat, ut ipſius uoluntas poſſet, & eſſet pro lege, tamen uno in hoc genere ueterum religione legum reprehenditur: tu qui omnibus legibus implicatus tenebare, libidinem tuam tibi pro lege eſſe uoluiſti. * Narratio.] Narrationem non ſolum eam intelligimus, quæ orationis pars eſſe dicitur, ſed quidquid aut tanquam geſtum, aut quod fieri debeat, in alijs quoque partibus orationis exponitur, hac narrationis pronunciatione proferendum putamus Exempla uide apud Trapezontium. * Ad tragicam.] Hac qualitate nobis pronuncianda eſt, quæ de natura rerum, quæ de moribus aut repub. habetur oratio, & omnis earum rerum expoſitio, quibus eius ipſius, qui dicit, uirtus quædam & dignitas aperiri uidetur: ut illud pro Archia: Nullam enim uirtus aliam mercedem laborum periculorumq; deſiderat, præter hanc laudis & gloriæ. &c. Mæſte, hilare.] Aliàs, mæſte, hilariter, &c. Vocem quoque iungere.] Aliàs, uocem quoque adaugere. Pudorem & acrimoniam.] Id eſt, ne neque inuerecunde nimis dicamus, ſed uehementia quadam, quæ tamen non excedat modum. * Venuſtatem.] Id eſt,

ne ſpecioſitas

ne ſpecioſitas quædam nimia ad faſtidium uſque ſpectantium accedat, ſi omnes perſequamur argutias, geſticulationes, delitias, &c. Aut operarij uideamur eſſe.] Ἐργολάβοι, quos hiſtriones eſſe conducticios ſcribit Athenæus, nempe qui hiſtrioniam quidem non facerent, ſed quoties opus eſſet operam ſuam hiſtrionibus collocabant. *Stantes in ueſtigio.] Stare in ueſtigio eſt, non adæquatis utrinque pedibus, promoto ac porrecto paulum pede altero, ita ut impares ſint pedes, & paſſus fieri uideatur: in eodem loco conſiſtere, minimeq́; corpore commoueri. Idem Fabius ait, dextrum pedem proferendum. *Leui dextræ motu.] Manuum geſtus neceſſarius eſt, ſine quo inanem & truncam actionem Fab. eſſe dicit. Nam cæteræ partes loquentem adiuuant, manus uero ipſæ penè loquuntur. *In ambulatione.] Quod modeſte tamen faciendum, ne ſi crebro diſcurſauerimus, tale quid in nos dicatur, quale à Flauio Virginio rhetore in quendam eius temporis antiſophiſtam dictum eſt. de quo, quia crebro et inepte diſcurſaret, urbane Flauius interrogauit, Quot millia paſſuū declamaſſet? Fab. Memoria utrum habeat quiddam artificij, &c. aliud dicendi tempus.] Quæſtionem eam ſatis uidetur explicaſſe in 2. de Oratore, ubi ex Simonidis inuento, & Sceptij Metrodori, Carneadiſq́; philoſophorum auctoritatibus, artificialem memoriam eſſe definiuit. Locos appellamus eos qui breuiter, &c.] Breuiter, hoc eſt, modicis interuallis. diſtantia enim locorum notabilis, omnē memoriæ coniunctionem diſſipat. Quod genus equi, leones, &c.] Vides ut in imaginibus acres inſignitaſq́; collocet, quæ occurrere paſſim celeriterq́; percutere animum poſſunt. quod ſanè Mnemoniſtarum inſcitiam arguit, qui uilibus, abſurdis, uulgaribus & contemptis imaginibus rē tractant. Loci enim cera aut charta.] Hæc ex ſimilitudine Carneadis dicta ſunt, qui tanquam literis in cera, ſic ſe aiebat imaginibus in ijs locis, quos haberet, quæ meminiſſe uellet, perſcribere. Edere ac proferre.] Aliâs, uidere ac proferre. Quare placet et ex ordine locos comparare.] Quia ſi loci eſſent confuſi inter ſe, uarietates imaginum tolerari non poſſent: ſed uarietas formarum facit, ut inter ſe diſtincti ſint. Si tu quinto loco manum auream, &c.] Propter numerum quinarium, qui digitis ſignificatur. Medico teſticulos arietinos tenentem.] Vide Politiani Miſcellanea, qui locum hunc exponit cap. 61. Iam domi ultionem Reges.] Obſcurum exemplum, quod per uerba memoratur. Primum ultionem ſignificant manus ad cœlum eleuatæ, & à ſummo Ioue uindictam implorātes. Domi uero hic ſubſtituitur nomen aliquod proprium, quod ſimilitudine literarū affine ſit: ut Domitius Cauſidicus. Reges ſunt Martij Ro. dicti Reges. Sed ut ab ipſo uocabulo Regum ad ſingularia nomina perueniam, hoc eſt, Agamemnonem & Menelaū, ſuppono duas perſonarum imagines, Aeſopum actorem tragœdiarum, qui ſolebat repræſentare perſonam Agamemnonis, & Cimbrum hiſtrionem, qui Menelaum agere ſolebat. Sed ut dicebam, obſcurum eſt exemplum: quare aliud, & facilius, in uerbali imaginum forma ponamus. Verbi gratia: Si uirginem uiolatam meminiſſe, uoluero, in eo loco ponam uirgam quandam, & in hac uiolas. Cum igitur iam locos poſuero, in altero uiolam, uidebor quodammodo uidere quaſi inſcripta. Nam & uirga erit litera, quæ admoneat uirginis: & uiola erit quaſi nota quædam, quæ admonebit uiolatam. At quod recens.] Aliâs, Itaque quas res ante ora uidemus, aut, &c. Sed aliquid notum agentes.] Aliâs, Sed aliquid nouum agentes. Scio pleroſque Græcos, &c. ut multorum uerborum imagines conſcriberent.] Hoc ſanè ob id Græci fecerunt, quia uidebant maiorem eſſe uarietatem imaginum, quibus uerba ac dictiones meminiſſe uolumus, quàm rerum. Nā res ſæpe una pluribus dicenda uerbis eſt. Quot autem ſunt uerba, tot fermè imagines ſunt. Ergo, quia una res dicendo pluribus uerbis, & ſingula uerba ſuam habent imaginem, ſequitur maiorem eſſe oportere uarietatem imaginum in uerbis ac dictionibus. Sed Græcorum ſententiam in ea re non accepimus. Quia res de qua agitur, ſemper memoria ſeruanda eſt, uerba non item. Nam alijs uerbis eadem res agi poteſt, ſi ſententia forte exciderit. Si tenueris rem, adhuc cauſam agere poteris, etiamſi uerba non tenueris: quia uerba non ſemper eadē in cauſa neceſſaria ſunt: igitur maior eſt uſus rerum, quàm uerborū. Accedit ad hoc, quod pleraque ſunt uerba, quibus nullas imagines applicare poterimus: quales ſunt articuli, ut, &, ac, at: ſed & reliqua aduerbia coniunctioneſq́;. Pluribus uerbis ad eam te hortari, &c.]

Quandoquidem ardua quædam, & ui maximis ingenijs imitabilia, de memoria Cicero ſcripſit, non inutile mihi uiſum eſt, ſi & aliam exercitationis memoriæ rationem, à præclariſſimis rhetorum traditam ſubijcerem. Maximam itaque memoriæ partem, exercitationem & laborem recte dixerunt. Hæc autē exercitatio commodius fieri non poteſt, quam primo in poematibus, deinde orationibus, poſtremo operibus durioribus. qualia ſunt ſcripta iuris, & ſimilia. Deinde ut uoce modica, & magis murmure ediſcamus: ea tamen ratione, ut ſæpe nos tentemus, an teneamus. ac ſemper ad uerbum ediſcendum eſt, ſi tempus permiſerit: ſin minus, res ipſas tenebimus, dehinc his uerba de tempore accomodabimus. Obſeruandum autem eſt in hac re, ne conſueſcamus nobis ignoſcere. nam & admoneri, & cum dicas ad librum reſpicere, uitioſum eſt. Quod ſi autē natura memoria durior fuerit, aut temporis ratio, & anguſtia non permittet, non te ad omnia uerba alligabis. Nam obliuio unius uerbi, aut deformem hæſitationem habet, aut etiam ſilentiū inducet. In oratione autem longiore ediſcenda, hoc præcipuum præceptum inuenio, ut per partes ediſcatur. Quoniam dandi ſunt quidam termini, ut contextum uerborum, qui eſt difficillimus, continua & crebra meditatio, partes deinde ipſas repetitus ordo coniungat. Et his qui difficilius hæſerint aliquas apponemus notas, & eas ſæpe repetamus, & iiſdem chartis ediſcamus, quibus ſcripſimus. Optimum autem mandandi aliquid memoriæ tempus eſt, ut noctu priuſquam ſomnum capias, ediſcas: quoniam nuſquam auocatur intentio, & poſt iſtam cogitationem uel lectionem nihil amplius animo cogitamus, & ſtatim capimus quietem. Ne aut tuo ſtudio diffiſi.] Aliàs, Ne aut tu noſtro, aut nos tuo ſtudio diffidere, &c. In animo frequentia.] Aliàs, in animo frequenti quod maxime, &c. *Libet adſcribere, quæ huc potiſſimum facere uidentur, memoriæ præcepta ex Fabio Quintiliano, in ordinem tamē ea atque compendium redacta, hoc modo.

1 Si longior complectenda memoria fuerit oratio, proderit per partes ediſcere. & hæ partes non ſint perexiguæ: alioqui nimis multæ erunt, & eam diſtinguent atque concident.

2 In his quæ ſcripſimus complectendis multum ualent, & in his quæ cogitamus continendis prope ſola, excepta quæ potiſſima eſt exercitatione, diuiſio & compoſitio. Nam qui recte diuiſerit, nunquā poterit in rerū ordine errare, quā Cicero memoriæ lumē ait. Etiam quæ bene compoſita erunt, memoriam ſerie ſua ducent. Nam ſicut facilius uerſus ediſcimus quàm proſam orationem, ita proſam uinctam quàm diſſolutam.

3 Ediſcendum eſt tacite. Hæc uox ſit modica, & magis murmur.

4 Ediſcendum legendo. Nam qui legente alio ediſcit, in parte tardatur, quòd acrior eſt oculorum quàm aurium ſenſus.

5 Subinde tentare teipſum debes: quia continua lectio, & quæ magis & quæ minus hærent, æqualiter tranſit. In experiēdo, teneaſne, & maior intentio eſt, & nihil ſuperuacui temporis perit.

6 Semper ad uerbum ediſcendum eſt, ſi tempus permiſerit: ſin minus, res ipſas tenebimus. Nam ſi tempus non ſuffragabi-

tur, etiam inutile erit, ad uerba omnia ſe alligare, cum obliuio unius eorum cuiuslibet, aut deformem hæſitationem, aut etiam ſilentium inducat.

7 *Cauendū eſt in primis, ne nobis diſcamus ignoſcere. Ideoq; admoneri cum dicas, & ad libellum reſpicere, uitioſum: quòd libertatem negligentiæ facit, nec quiſquam ſe parum tenere iudicat, quod ne ſibi excidat timet.*

8 *Ea quæ noctu meditamur, facilius ac firmius tenemus, quoniam nuſquam auocatur intentio: & poſt iſtam cogitationem uel lectionem nihil amplius animo cogitamus, & ſtatim capimus quietem.*

9 *Si quis tamen unam maximamq; à me artem memoriæ quærat, exercitatio eſt & labor, multa ediſcere, multa cogitare: &, ſi fieri poteſt, quotidie, potiſſimum eſt. Nihil æque uel augetur cura, uel negligētia intercidit. Quare et pueri ſtatim quàm plurima ediſcant, & quæcunque ætas operam iuuandæ ſtudio memoriæ dabit, deuoret initio tædium illud, & ſcripta & lecta ſæpius reuoluendi, & quaſi eundem cibum remandēdi. Quod & ipſum hoc fieri poteſt leuius, ſi pauca primum, & quæ tædium non afferant, cœperimus ediſcere. Hæc ex Fabio.*

Supereſt elegans etiā de memoriæ uſu locus apud Plutarch. περὶ ἀγωγῆς, quem hic quoque adſcribere haud alienum fuerit. ait enim.

Πάντων δὲ μάλιστα τὴν μνήμην τῶν παίδων ἀσκεῖν καὶ συνεθίζειν. αὕτη γὰρ ὥσπερ τῆς παιδείας ἐστὶ ταμεῖον. καὶ διὰ τοῦτο μητέρα τῶν μουσῶν ἐμυθολόγησαν εἶναι τὴν μνημοσύνην, αἰνιττόμενοι καὶ παραδηλοῦντες, οὕτως οὐδὲν γεννᾶν καὶ τρέφειν, ὡς ἡ μνήμη πέφυκε. *Hoc eſt, Omnium uero maxime puerorum exercenda, conſueſcendaq; memoria eſt. ea enim eruditionis ſiue diſciplinæ tanquam promptuarium eſt. Atque idcirco ſanè Muſarum matrem eſſe Mnemoſinem fabulis prodiderunt, obſcure innuentes atque ſignificantes, nullam natura rem ita gignere atque alere, ut memoriam ſolere.*

IN LIBRVM IIII. GYBERTI LONgolij annotationes, & Cl. Pontani Scholia.

QVoniam in hoc libro.] *Paraſceue, id eſt, præparatio quædam ad ſequentem quæſtionem, de exemplorum uſurpatione. Oritur autem hæc diſputatio à facto neceſſitatis, quod niſi defenderet, in uitio eſſe uideri poterat. Hoc itaque proœmium contentioſum eſt, quo Græcorum ſuperſtitioſam curam in alienis exemplis probandis reprehendit.*

* *Initio purgat ſe, quod præter quorundam morem proprijs ſit uſus exemplis, diluens quæ ab aduerſarijs obijci poterant. Eſt autem tota hæc diſputatio in genere deliberatiuo. Cōſultūrū enim, alienis'ne an proprijs exemplis, quæ dicuntur, cōprobari debeāt. Argumenta à partibus honeſti ſumuntur, ut à prudentia. Item à conſuetudine, à decoro, &c.* *Neque ante rem.*] *Hoc eſt, cum ordinem obſeruauimus, ut quodque ſuo loco diceremus.* *Compluribus de cauſis putant oportere.*] *Didaſcalicum ordinem ſeruat, ut aduerſariorum opinionem, rationes, confirmationesq;, prius ſupponat, quàm ad deſtructionem & ſuam aſſeuerationem perueniat. Sic enim facilius perſuadebit, & incidentes dubitationes omnes tollere facilius poterit. Eſt autem primum argumētū à dignitate ſumptū.* * *Prima aduerſariorū argu gumētatio eſt quadripertita: cuius propoſitio eſt, Merā eſſe oſtētationē cū præcepta de dicēdi ratione, abs te tradita ſint, nolle adhibere ueterū exempla, ſed potius propria fingere. Impudenter enim & parum modeſte fit, ſi quis ſua duntaxat amet, uetera uero negligat. Deinde ſuperuacaneum eſt, cum ex ueteribus abūde ſatis exemplorum ſuppetat, confingere noua. Præterea cū ueterum exempla teſtimoniorum locum obtineant, recens autem atque adeo abs te inuenta non eam habeant auctoritatem, illis uti præſtat quàm noſtris. Induſtriæ denique ſingularis argumētum eſt, ex antiquorum ſcriptis exempla collecta tuis præceptis ita poſſe accomodare, ut hæc non temere edidiſſe uidearis.*

Vt enim teſtimonium.] *Ab exempli natura.* *Etenim neceſſe eſt.*] *Dilemma.* *Quid igitur ipſa auctoritas antiquorum?*] *Arguit rurſus ab utilitate, idq; imitationis facultate.* *Poſtremo hoc ipſum.*] *Ab eruditionis & ingenij admiratione.* *Hoc igitur ipſum.*] *Complexio.* *Hæc illi cum dicunt.*] *Confutatio. Captat autem principio beneuolentiam ab aduerſariorum falſa aſſeueratione, qui auctoritatibus plus quàm ueritati tribuebant. Diluit autem ſingula capita, iuxta ordinem quo propoſita fuerunt.* *Quaſi ſi quis ad Olympiacum.*] *Confirmatio à ſimili.* *Quomodo Ladas aut Boius.*] *Ladæ et Boij inſignium curſorū meminerunt apud Græcos Pauſanias, Athenæus, Lucianus: apud Latinos, Catullus, Martialis. & Solinus capite 5.* *Quid enim tibi uis.*] *Proſopopœia diſputantis.* *At exempla quoniam.*] *Aliud aduerſariorum argumentum, de teſtimoniorum ratione: quod diluitur ab interpretatione nominis diuerſa, & etymologia.* *At hoc ipſum difficile.*] Ὑποφορά. *Quid dicitis difficile?*] *Anthypophora, quæ tractatur dilemmatica argumentatione.* *Multum eſt artificio ſuis.*] *Aliàs, Multo eſt artificioſius, &c.* *Contra ea quæ ab iis dicuntur.*] *Tranſitio, ad reliquas obiectiones.* *Dicimus ergo eos omnes.*] *Propoſitio duplex.* * *Dicimus ergo eos.*] *Si ſumenda aliunde exēpla ſunt, non à multis, ſed ab uno ſumenda eſſe dicit: deinde nullo modo ſumenda eſſe demonſtrat.* *Si concederē aliena oportere, &c.*] *Hæc argumentatio omnem imitationis ſpem & utilitatem ſubuertere conatur.* *Ergo ab uno ſumenda.*] *Tranſitio ad alteram propoſitionis partem.* *Primum omnium.*] *Confirmatio, à diſſimilibus uarijs.* *Iſti magiſtri.*] *Applicatio.* *Si qui ſe fontes.*] *Alia confirmatio, ab exemplo diſſimili.* *Chares à Lyſippo.*] *Ab Exemplo contrario. Huius autem ſtatuarij meminit Plinius lib. 34. cap. 7.* *Præterea nec poſſunt.*] *Aliud argumentum à poſſibili.* *Poſtremo, hæc quoque res.*] *Arguit à neceſſario, non omnia exempla reperiri apud Latinos auctores.*

Nunc tempus poſtulat.] *Epilogus diſputationis. Sunt igitur tria genera, tres dicendi figuræ.* * *Trium generum dicendi meminit Gellius lib. 7. cap. 14. Porrò graue, alij grande, ſublime alij uocant. Quibus autem formulis oratio grandis contineatur, erudite, ut omnia, Hermogenes, & poſt hunc Trapezontius.* * *Nam quis eſt ueſtrum iudices.*] *Oratio eſt in genere deliberatiuo. Conſultatur enim, eijciendus ex urbe ſit necne, is qui patriam hoſtibus prodere tentauit.* *Nam quis eſt ueſtrum iudices.*] *Propoſitio, figurata interrogatione, quæ maxime rem urget.* *In iis qui uiolaſſent.*] *Arguit à minore ad maius. eſt autem amplificata argumentatio per* ἄθροισιν *uerborum ſtuprare, pulſare, necare.* *Atque in alijs maleficijs.*] παράθεσις *rerum per collationem.* *O feros animos.*] *Exclamatio indignationis plena.* *Quo pacto hoſtes.*] Ὑποτύπωσις, *quæ ſub oculos ponit incommoda proditæ hoſtibus patriæ.* *In mediocri figura uerſabitur oratio.*] *Aliàs, ratio.* * *In mediocri exemplum.*] *Conſtitutio eſt coniecturalis. Quæritur enim, ſponte'ne ſua ſociæ ciuitates populo Ro. bellum intulerint, an à Liuio Druſo cōcitatæ. Vide Florum lib. 3. cap. 18.* * *Virtute & induſtria.*] *Virtus ad uires, induſtria ad conſilia ſpectat.* * *Hi cum ſe.*] *Argumentum à ſpe perficiendi, quam oſtendit ſocijs eſſe non potuiſſe.* * *Cum non multitudinem.*] *Argumentum à facultatibus, quas non adfuiſſe indicat. Facultatum autem nomine, commeatus, milites, duces, arma, &c. continentur.* *Quibus cum bellum gerimus.*] *Defenſio: Non ſumpſiſſe aduerſus Roma. Pop. arma, ſocios. Arguit autem ab anteactis, & officio ſociorum*

rum

rum. Aliud argumentum eſt deliberatiuum, à tuto & poſſibili. Si cum finitimis.] Confirmatio à minore. *Exornatio eſt per comparationem à minori. Queret aliquis.] Ὑποφορὰ aduerſariorum. Confutat autem ab euentu & fine defectionis. *Que obijci poterãt refutat. Nota aũt cõparationes: De finibus, nõ de imperio. alterũ minuitur, alterũ augetur. Nulla igitur.] Occupatio. Quid aliud.] Altera occupatio. Nam ut forte hic, &c.] Narratio ſimplex rei geſte, nullis grandioribus aut mediocribus figuris ornata. Exercitatus ſis.] Aliàs, exercitus ſis. Eſt autem cauendum.] Vitia abutentium figuris dicendi. Si ſuffulta nominabitur.] Aliàs, Suflata. legitur & in quibuſdã antigraphis, Subſultans: quod non diſplicet. Quemadmodũ enim res quæ inſlantur, ſubſultant, & ſupra quàm natura decet attolluntur, ita etiam oratio. Si præceps in Neptunias, &c.] Hæc figura per circũlocutionem, quia poetica eſt, & incerta pro mari, non conuenit omnino orationi ſolutæ. Montes autem belli, et campos pacis duriter aliunde translata ſunt, pro fluctibus & tranquillitate. nec metaphora hæc neceſſaria eſt, nec uenuſta, nec intentionem declarans: quæ ſunt translationis cauſa principales. Barbariſmus eſt.] Hoc ipſo uocabulo quidam leuiter contendere ſtudent, non eſſe hoc Ciceronis opus, quod A. Gellius tradiderit, Latinos ea uoce ante ſua tempora non uſos. O Tite tute, etc.] Sic, Soſia in ſolaria ſoleas farciebat ſuas. *Hæc & in uerborum & ſententiarum exornationem, &c.] Tres ſunt figurarum ordines. Primus ad dictionẽ pertinet, quale eſt hoc, Pierides uos hæc facietis maxima Gallo, Gallo cuius amor tantum mihi creſcit in horas. eſt enim dictionis repetitio, quæ paulo illuſtriorem reddit orationem. Secundus ordo pertinet ad orationem, ita ut oratio figuretur tantum, non etiã addatur aliquid, quo corpus orationis creſcat. Huiuſmodi ſunt interrogationes, nihil enim ad orationis corpus interrogatio facit, tantum figurat modum orationis, ut uehementius uideatur dici, quàm ſi ſimpliciter ſine interrogatione efferretur. Vehementius enim eſt, Quò me uertam? quàm non habeo quò euadam. Tertius ordo ſic ad orationem pertinet, ut nõ ornet tantum, ſed augeat quoque orationis corpus, poteſtq; eximi orationi qualis eſt Diſtributio: Rẽp. læſit, ſenatum uiolauit, equitum ordinem adflixit, plebis opes diripuit. Huiuſmodi figuris oratio augeſcit. Atque hinc facile apparet, quomodo numeret exornationes Cicero, aut quomodo Fabius. Cic. enim duos priores ordines complectitur exornationibus uerborum, et tertium ordinem uocat exornationes ſententiarũ. Quintil. duos priores ordines tantum pro ſchematis ſeu figuris (non autem nũc ſeparo Tropos) habet: tertium ordinem non numerat inter ſchemata, ſed partim inter amplificandi formas, partim uult argumenta uocari. Hæc ex Melanchthone. Eſt autem hoc quidem Tropi & ſchematis diſcrimen. In tropo mutatur ſignificatio: in figura non, ſed tantum uariatur eius inflexio, aut in oratione compoſitio: ut, quo de. aut cum eloquendi forma mutatur, Quid non mortalia pectora cogis? Nam hoc aliter effertur, quàm ſi dicam, Nihil non cogit habendi cupiditas. *Repetitio.] Rufiniano & Aquilæ dicitur ἐπαναφορά. Alexander Sophiſta uocat ἀναφοράν. Quintilianus eam inter ſpecies τῆς πλοκῆς numerat, παρίσωσιν quidam uocant. de ea ex Hermogene Trapezont. lib. 5. ubi de pulchritudine orationis, quo in loco & quid diſcriminis inter παρίσωσιν & epanaphoran ſit, explicatur. Repetitionis etiam ſpecies eſt, Rutilio & Alex. quoties uaria uerba, eandem tamen uim inter ſe habentia, in principio commatum aut membrorum ponuntur: ut, Dolui Quirites, ubi illum clandeſtinum hoſtem intra murum uidi. Aegre tuli, quod domini ueſtri facilitatem unius fallacia tentatam intellexi. Commouit me, quod in accipienda iniuria pleroſq; lætitiam oſtentantes cognoui. ἐπιβολήν quidam uocant. *Conuerſio.] ἐπιφορὰν Rutilius, ἀντιστροφὴν Aquila uocat.

*Complexio.] Ab Aquila dicitur συμπλοκή, à Rutilio κοινότης. Porrò cum ea quæ in ſuperiori membro poſtrema ſunt poſita, in poſteriore prima repetuntur, Aquilæ uocatur ἀναδίπλωσις, ut eſt illud Terent. Negat Fannium eſſe hanc ſibi cognatam Demipho, hanc Demipho negat eſſe cognatam. Huc etiam referenda eſt, ἐπαναδίπλωσις, de qua Rutilius. Eſt & alia repetitionis ſpecies, quam παλιλογίαν dicunt. Hæc repetito eodem uerbo, aut nomine non diuerſa uult intelligi, ſed idem quod ſignificauit, efficere uehementius: ut, Tu tu Antoni Cæſari omnia permiſcere cupienti cauſam belli ciuilis dediſti. In ploce contra, quam Copulationem uertunt, à Rutilio uero διαφορὰ dicta, idẽ uerbum aut nomen bis continuo poſitum diuerſa ſignificat: ut eſt illud, Sed tamen ad illum diem Memmius erat Memmius. Ita enim hoc bis poſitum eſt, ut ſuperius quidem nomen tantum hominis ſignificet, poſterius uelit intelligi eũdem, qui ſemper fuerit, ac ſui ſimilem. Plura apud Romanum Aquilam de his habes. πολύπτωτον etiam huic ordini adnumerari poteſt. Fit aũt, cum plures ſententias alio atque alio modo efferimus. ut, Pater hic, tuus nunc denique eſt, ut egeſtatem tuã debere alere uideatur. Patrem nunc appellas, quem prius egentem auxilio tuo, ut alienum deſeruiſti. Patri tu filius es ad potiundas opes, cuius ad ſenectutem uiolandam crudeliſſimus hoſtis fuiſti. Nimirum nullo conſilio filios procreamus, nam maiorem partem ex illis doloris & contumeliæ capimus. Verum hoc ſchema ab auctore noſtro infra inter ſpecies agnominationis enumerabitur. *Traductio.] Ἀντανάκλασις Fabio, ἀνάκλασις Rutilio, alijs πλοκή. Sunt qui ταυτολογίαν uocant, ut eſt apud Quin. lib. 8. ca. 3. id eſt eiuſdem uerbi aut ſermonis iteratio, quanquã non magnopere ſummis auctoribus uitata. Interim uitium uideri poteſt, in quod ſæpe incidit etiam Cicero, ſecurus tã paruæ obſeruationis. ſicut hoc loco: Non ſolũ igitur illud iudiciũ iudicij ſimile iudices nõ fuit, &c. *Qui nihil habet in uita, &c.] Exempla hæc ad ſecundã ſpeciẽ τῆς πλοκῆς pertinent apud Fab. lib. 9. *Ex eodẽ genere exornationis.] Paranomaſiæ affinis eſt hæc exornatio, de qua inferius. *Contentio.] Huius ſpecies enumerat Fab. lib. 9. cap. 3. Contrapoſitũ, inquit, uel ut quidã uocant, contentio. (ἀντίθετον dicitur) non uno fit modo. nã & fit, ſi ſingula ſingulis opponuntur, ut, Vicit pudorem libido, timorẽ audacia. Et bina binis: Non noſtri ingenij, ueſtri auxilij eſt. Et ſententiæ ſententijs: Dominetur in concionibus, iaceat in iudicijs. Cui cõmodiſſime ſubiungitur & ea ſpecies, quam diſtinctionẽ diximus: Odit Po. Ro. priuatã luxuriã publicã magnificentiã diligit, &c. Diligenter de hac exornatione Rutilius lib. 2. *Exclamatio.] Ἐκφώνησις græce dicitur. Figura eſt augendis affectibus accõmodata Fab. lib. 9. Huc pertinent imprecationes, ut O ſcelus ò portentũ in ultimas terras exportandũ. Græci, ut eſt apud Aquilã, uocant ἀράν. Huc item refer δέησιν, quam obteſtationẽ uertit Aquila, qua ſcilicet deos oramus aut homines: Per ego has te lacrymas, dextramq; tuam. Item ominationes: Turno tempus erit, magno cum optauerit emptum Intactum Pallanta. His & cognata eſt Adhortatio, προτροπὴ Rufiniano dicta: Nunc nũc inſurgite remis, Hortor uos ſocij. Sed de his in Pathopœia. Huc adde, ſi libet, obiurgationẽ, quã Aquila uocat ἐπίπληξιν, ſiue ἐπιτίμησιν, Non ego te uidi Damonis peſſime caprũ. *Interrogatio.] Cum aut noſcendi gratia interrogamus, aut arguendi cauſa percontamur. Interrogatio figuræ nomen non obtinebit. At ea res utrocunque modo dicatur, etiam multiplex habet ſchema. Simplex eſt, ſic rogare: Sed uos qui tãdem, quibus aut ueniſtis ab oris? Figuratum autem, quoties non ſciſcitandi gratia aſſumitur, ſed inſtandi: Quid tuus ille Tuberone diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? Et, Quo uſque tandem abutere patientia noſtra Catilina? Quanto enim magis ardet, quàm ſi diceretur, Diu abuteris patientia noſtra. Interrogamus etiam quod negari non poſſit: Dixit'ne tan-

dem cauſam Falcula? Aut ubi reſpondendi difficilis eſt ratio, ut uulgo uti ſolemus, Quomodo? Qui fieri poteſt? Aut inuidiæ gratia, ut apud Senecam Medea: Quas peti terras iubes? Aut miſerationis, ut Sino apud Verg. Heu quæ me tellus, inquit, quæ me æquora poſſunt Accipere? Aut inſtandi, auferendæ'ue diſſimulationis: ut Aſinius: Audis'ne, furioſum non officioſum teſtamentum reprehendimus. Reliqua ex Fab. lib. 9. cap. 2. Cice. 3. de Orat. Diſcrimen eſt inter hæc, Et rogatio, inquit, atque huic finitima quaſi percunctatio. Inter πύσμα, id eſt quæſitum, & ἐρώτημα, id eſt interrogatū, id eſt diſcriminis, Aquila teſte, quod ad interrogatum una uoce tantum reſponderi poteſt uel à negante, uel à confitente. quæſito autem occurri non niſi pluribus poteſt, hoc eſt quoties multa rogantur: ut, Qua igitur ratione bellum geremus? quæ auxilia nobis parata erunt? quis erit, qui ſubuenire uelit, cum tam acerbe ſocios tractauerimus? Vide Rufinianum lib. 3. * Ratiocinatio.] Fabius ratiocinationem ſub interrogatione comprehendit. Cæterum, inquiens, & interrogandi ſeipſos & reſpondendi ſibi ſolent eſſe non ingratæ uices, ut Cicero pro Ligario: Apud quem igitur hæc dico? Nempe apud eum, qui cum hoc ſciret, tamē me antequam uidit, Rei pub. reddidit. Iulius Rufinianus tum ἀπόφασιν, tum αἰτιολογίαν uocat. Ab hac eo tantum differt προσαπόδοσις, quod illa fit ferè cum interrogatione, hæc ſine interrogatione. Exempla habet apud Rutilium initio libri prioris. Vocatur & quibuſdam αἰτιολογία, cum ſimpliciter cauſam recitamus. uerum hæc figurata non eſt. Quare melius ſchema hoc definit Rutilius, qui id ait effici ratione breui & ſententioſa, ita ut quod dubiū eſt uiſum, ad certam fidem adduci uideatur: Etſi acerbum nobis, quod dicturus ſum uidebitur, tamen æquo animo audiendum. Nam ferè conſilium uerum, quod initio auditu graue eſt, in poſterum cognita utilitate fit iucundum. * Sententia.] De generibus ſententiarum Fab. lib. 8. cap. 5. Eraſ. in ſecundo de Copia commentario. Trapez. quædam lib. 5. ubi de Magnitudine orationis. Eſt & ſententiæ genus quod Plutarchus ἐπιφώνησιν, alij ἐπιφώνημα, Fabius acclamationem uocat: ea eſt rei narratæ uel probatæ ſumma acclamatio. Narratæ, ut apud Verg. Tantæ molis erat Romanam condere gentem. Probatæ: Facere enim probus adoleſcens periculoſe, quàm perpeti turpiter maluit. Nec tamen quoduis epiphonema continuo ſententia eſt, etiam ſi plerunque eſt. Verum quidquid in clauſula argute aurem ferit, id ἐπιφώνημα dici poteſt. quod genus proprium eſt epigrammatis. unde apud Martialem ſæpenumero carmen epiphonemate clauditur. Vtitur & Val. Max. frequenter hoc genere. Item Seneca. Eſt & Noema ſententiæ genus, alludens ad ſententiam aut locum communem: non effert tamen ſententiam generaliter, ſed uerba ſumit ex loco communi, quæ ad præſentem cauſam accōmodat, ut rectè ad locum communem alludere intelligatur: ut, Dignus erat Socrates ut Periclis eloquentiam haberet. ſcilicet intelligitur, ut ſe defenderet innocens. Ouid. 13. Metam. Fortiſq; uiri tulit arma diſertus: Bene collocaui beneficium, cum in uirū optimum, cum in hominem gratum contuli. Inſunt quædam latētia enthymemata. Et profectò danda eſt opera, ut oratio abūdet huiuſmodi uerbis ſententia tinctis, ut Fabius ait. Eraſ. D. Ambroſium commendans: Vix alius, inquit, crebrius aut frequētius utitur ſententiarum genere quas appellant νοήματα, in quibus latet aliquid arguti ſenſus, quod cum non exprimatur intelligitur, ob hoc ipſum gratius, quia dictum obſcurius, &c.

* Sententias interponi raro.] In hoc genere, inquit Fab. cuſtodiendum eſt, & id quidem ubique, ne crebræ ſint, ne palàm falſæ: quales frequenter ab iis dicuntur, qui hæc catholica uocāt, et quidquid pro cauſa uidetur, quaſi indubitatū pronunciant. Et ne paſſim, & à quocūque dicātur. Magis enim decet eos in qbus eſt auctoritas, ut rei pōdus etiā perſona cōfirmet. Quis enim ferat puerum, aut adoleſcentulum, aut etiam ignobilem, ſi iudicet in dicendo, & quodammodo præcipiat? * Qui adoleſcentium peccatis, &c.] Exemplum illud non admodum arridet Eraſmo. Tale igitur ſubſtituit, Iuuentutem decet induſtria. Adijcitur ratio: Nam turpe ſit eas dotes, quas natura ad bonas artes comparandas illis animis attribuit, in otio fœdiſq; uoluptatibus conſumere. At ſenectutem opulentia decet. Huic quoque ſubijcitur ratio. Vt ætas naturæ præſidijs deſtitutior exterarum rerum adminiculis utcunque fulciatur. Nam neceſſe eſt animo eum comprobet.] Alias, eam. Contrarium eſt, &c.] Contrarium Græci ἐναντίωσιν, contentionem ἀντίθετον καὶ ἀντίθεσιν, cum differentia tamen aliqua dicunt. * Contrariū.] Ἐναντιότης græce dicitur, Fabio teſte. A' contentione uero hoc differt, quod hic ſemper duobus propoſitis alterum alterius infirmatione probatur, quod in contentione non eſt neceſſe. * Et abſolutam concluſionem.] Hinc inter figuras ſententiarum enumerat Rufinianus enthymema, quoties ſcilicet periodus orationis ex contrarijs ſententijs adſtringitur. * Membrum.] Membrum, inquit Fabius lib. 9. cap. 4. eſt ſenſus numeris concluſus, à toto corpore abruptus, & per ſe nihil efficiens. Id enim, O callidos homines, perfectum eſt: at remotum à cæteris, uim non habet, ut per ſe manus, & pes, & caput. Quando ergo incipit corpus eſſe? cum uenit extrema concluſio. Quem quæſo noſtrum fefellit, id nos ita eſſe facturos? quam Cicero breuiſſimam putat. Itaque ferè inciſa & membra mixta ſunt, & concluſionem uel quæ deſiderant. Membrum κῶλον Græci uocant, de qua li. 5. Trapezont. ex Hermog. * Articulus.] Diſſolutionē Fabius lib. 9. ca. 3. uocat. apta eſt, cum quid inſtantius dicimus. Nam & ſingula inculcantur, & quaſi plura fiunt. Græci ἀσύνδετον appellant. Rutilius διάλυσιν, alij διάλυτον. Plutarchus ἀσύνδετον γίνεσθαι φησι, οὐ μόνον τάχους, ἀλλὰ καὶ ἐμφάσεως παθητικῆς χάριν. * Continuatio.] Species hæc eſt comprehenſionis. Vide Trapez. lib. 5. Pronunciatione autem præcipue fieri ſolet, cum ſub uno ſpiritu oratio ipſa profertur. Compar.] ἰσόκωλον. Rutilio dicitur, id eſt, exæquatum membris. Fabius inter ſpecies ploces enumerat. * Similiter cadens.] Et hanc cum ſequenti inter ſpecies ploces numerat Fabius, ὁμοιόπτωτον græcis dicta, quam Rutilius in duobus uerbis eundem habentibus caſum, aut eandem nouiſſ. ſyllabam, fieri ait. Ὁμοιοτέλευτον autem minus euidens eſt quàm ſuperius, & minorem affert auribus iucunditatem, &c. * Agnominatio.] Παρονομασία uulgo, ab Aquila παρονομία uocatur. Fabius, & hanc inter ſpecies ploces reijcit. Huic cognata eſt cōmutatio, de qua infra. Venit à te antequam Roma uenit.] Aliâs, Vænijt à te, &c. * Subiectio.] Trapez. lib. 3. & Eraſ. hanc inter argumentationum modos, quibus utuntur rhetores, ponunt. Reprehenditur autem hæc argumentatio, ut & enumeratio, à qua non multum differt, ſi aut aliquid prætermiſſum oſtenditur, aut infirmatur aliquid ex enumeratis. Perutilis eſt hic dicendi modus. Nam cum locorum, temporum, rerumq; rationes & cauſas omnes ante oculos ponat, facit non nunquam, ut etiam quæ probabilia ſunt neceſſaria eſſe uideantur. Species ſubiectionis eſt forma illa reſpondendi, quam ἀνθυποφορὰν uocat Quint. lib. 9. cap. 3. De qua & in Commentarijs linguæ græcæ Budæus. Rufinianus & Aquila ἀντιπαραγωγήν, hoc eſt compenſationem. Ea fit, cum ueluti concedimus quiddam ab aduerſario propoſitum, ſed ſubijcimus aliud, quoad nos detorquemus aduerſarij obiectionem: ut, Incredibile eſt quod dico, ſed uerum. Diſcrimen inter ἀνθυποφορὰν, ἀντίθετον, & ἀντίθεσιν, uide apud interpretem Demoſth. in primam Olynthiacam. Huc refer ex Rufiniano σχέσιν & ἀνασκευήν. ex alijs προκατάληψιν, Latinis præſumptionem dictam. Grandi ſponſione uinctus eſt.] Al. uictus eſt. Credo inimicum.] Aliâs, Cædo inimicum. Gradatio.] Climax Fabio. Alij κλιμάκωτον Rutil. ἐπιπλοκὴν uocat. Apertiorem habet artem, & magis affectatam, ideóq;

eſſe

eſſe rarior debet. Plura de gradatione Aquila. ⁎ Definitio.] *De hac erudite Melanchthon in ſuis Rhetoricis.* Laborum perpeſſione.] *Aliàs, laborũ perpenſione.* ⁎ Tranſitio.] Παραγραφὴ *quibuſdam dicitur. De hac uide Quintil. lib. 9. cap. 2. Quando & cur ſit adhibenda, eleganter exponit Trapez. in cõmentario orationis pro Ligario.* Proficit hac aliquantum.] *Prodeſt ad orationis claritatẽ & euidentiá.* ⁎ Correctio.] Ἐπανόρθωσιν *Rufinianus, &* ἀφορισμὸν, *uel* διορισμόν. *Rutil.* μετάνοιαν *uocat. Quin. lib. 9. emendationem.* Occupatio eſt.] *Ea Græcis* παράλειψις. *Vocarunt & aliqui præteritionẽ. Eſt & occupatio, quam Græci* προκατάληψιν, *id eſt, præoccupationẽ appellarunt.* ⁎ Occupatio.] *A' Cicerone dicitur Præſumptio. Græci* προκατάληψιν *uocant. Neceſſaria figura eſt, & ſingularem prudentiam requirit. Videndum eſt enim, quæ ſint hominũ tacita iudicia, quò propendeant animi, quid offendat, quid probetur. Vtimur igitur occupatione, cum emendamus aliquod dictum, aut mitigamus, uel tecte uel palàm. Lege Rhetorica Ariſt. ad Alexandrum.* ⁎ Diſiunctio.] *Diſiunctum, ſiue iniunctũ Aquila uocat, Rufinianus* ὑπόζευξιν, *ſubiunctionem, uel ſubinſertionem, uel ſubnexionem.* ⁎ Adiunctio.] Ἐπεζευγμένον *Aquilæ.* ⁎ Conduplicatio.] Ἐπανάληψις *Rutilio & Aquilæ, Cognitum eſt Rempub. uenalem te habuiſſe, cognitum eſt.* ⁎ Interpretatio.] Συνωνυμίαν *Aquila uocat, Quin. uerborum congeriem. Diſcrimen inter expolitionem & interpretationem habes apud Trapez. in Ligarianá.* Parenti manus ſcelerate intuliſti.] *Aliàs, attuliſti.* ⁎ Cõmutatio.] Ἀντιμεταβολὴ *Fab. lib. 9. cap. 3.* A' qua te ſuſpicione uel Coleri, uel Coleti grauiſſ. teſtimoniũ citra tuos mores, uel citra cuiuſquam teſtimoniũ tui mores abunde uindicant. ⁎ Permiſſio.] *Permiſſionem Fab. lib. 9. cap. 2. uocat, cum aliqua ipſis iudicibus relinquimus æſtimanda, aliqua nonnunquam aduerſarijs. Hanc Communicationem alij, Græci* ἀνακοίνωσιν *nominant. Affinis eſt huic* ἐπιτροπὴ, *de qua apud Rutilium. Pertinet huc ſuſtentatio, græcis dicta* παράδοξον *ſiue* ὑπομονὴ, *ut eſt apud Fabium & Rufinianum. Fit autem, cum nonnunquam cõmunicantes aliquid inexpectatum ſubiungimus, aut cum ſententia ſuſpenſa ſubijcitur aliquid cõtra expectationem auditoris, ſiue magnum ſiue minus. ut pro Ligario, Hinc prohibitus nõ ad Cæſarem, ne iratus: non domũ, ne iners: non in aliquam regionem, ne condemnare cauſam illam quam ſecutus eſſet, uideretur in Macedoniam, in Pompeij caſtra peruenit.* ⁎ Dubitatio.] Ἀπορία *Rutilio,* διαπόρησις *Aquilæ, & alijs.* ⁎ Expeditio.] *Enumeratio Trapezon. & Eraſ. de Conſcribendis epiſtolis, inter argumentationes rhetoricas ponitur.* Expeditio eſt.] *Hoc autem non tã ſchema eſt, quàm argumentationis genus, quod per enumerationem fieri dictum eſt. Sed non erit tanquam in pleriſque.*] *Aliàs, Tam.* Præciſio.] *Græce* ἀποσιώπησις. ⁎ Præciſio.] Ἀποδίωξις, *uel* ἀποπλάνησις *Rufiniano. Reiectio eidem. cum ſcilicet eludimus aliquid ab aduerſario propoſitum, & ſignificamus uel indignum eſſe de quo dicatur, uel monemus ſeruaturos nos in alium oportuniorem locum. Hac de re quid attinet dicere, quando ad inſtitutum non ita multum facit. Cicero: Quid enim odiſſet Clodium Milo, ſegetem ac materiam gloriæ ſuæ? Huc referenda eſt &* ἀποσιώπησις, *id eſt, reticentia, de qua apud Quintil. &* παράλειψις, *hoc eſt, Præteritio.* ⁎ Nominatio.] Ὀνοματοποιΐα *Græcis inter maximas habita uirtutes, nobis uix permittitur. Ac ægre illa, quæ* πεποιημένα *uocant, quæ ex uocibus in uſum receptis quocunque modo declinãtur, nobis permittimus, qualia ſunt Syllaturit, proſcripturit, &c. Fab. lib. 8.* ⁎ Pronominatio.] Ἀντονομασία, *quæ aliquid pro nomine ponit, Poetis quoque modo frequentiſſima: & per epitheton, quia detracto eo, cui opponitur, ualet pro nomine, ut Tydides, Pelides, &c.* ⁎ Denominatio.] Μετωνυμία *Fabio. Sed, ut ait Cicero, hypallagen rhetores dicunt. Vide Quint. lib. 8. cap. 6. Huius ſeptem ferè ſpecies faciunt. aut enim inuentor ponitur pro re inuenta, ut Mars pro bello: aut quod continet pro eo quod continetur, Aphrica pro Aphris: aut locus pro eo quod eſt in loco, Campus pro Comitijs: aut poſſeſſor pro re poſſeſſa, Neptunus pro mari: aut ſignũ pro ſignato, Toga pro pace: aut inſtrumentum pro re quæ efficitur, Arma pro bello: aut res pro perſona cui conuenit, ut Scelus pro ſcelerato. Vide Strebæũ in Partitiones Ciceronis.* ⁎ Circuitio.] περίφρασις, *circuitus loquendi, qui nonnunquam neceſſitatem habet, quoties dictu deformia operit: ut Saluſtius, Ad requiſita naturæ. Interim ornatum petit ſolum, qui eſt apud poetas frequentiſſimus, & apud oratores non rarus, ſemper tamen adſtrictior. Quidquid enim ſignificari breuius poteſt, & cum ornatu latius oſtenditur, periphraſis eſt. Verum hæc, ut cum decorũ habet, periphraſis: ita cum in uitium incidit,* περισσολογία *dicitur. Obſtat enim, quidquid non adiuuat. Fab. lib. 8. cap. 6. Porro elegans eſt, cum fit notatione, de qua infra. Variandi rationes per periphraſin habes in priore de Copia commentario apud Eraſmum.* ⁎ Tranſgreſſio.] *Quæ peruerſione fit,* ἀναστροφὴ *dicitur: quæ tranſiectione, Hyperbaton, hoc eſt, conſtructionis perturbatio. Multa erudite Fabius lib. 8. cap. 6.* ⁎ Superlatio.] *Hyperbole multos habet modos; de qua elegantiſſ. Quintil. in fine lib. 8. Huic oppoſita eſt* μείωσις. *Vtriuſque uariandi rationes habet Eraſ. in Copia. De hyperbole locus eſt elegans apud Senecam lib. 7. de Beneficijs, cap. 22. & 23.* ⁎ Intellectio.] Συνεκδοχή. *Hæc uariare ſermonem poteſt, ut ex uno plures intelligamus, parte totum, ſpecie genus, præcedentibus ſequentia, uel contra. Multa Fab. lib. 8.* ⁎ Abuſio.] κατάχρησις. *Differt hæc à tranſlatione. Abuſione enim utimur, ubi nomen omnino deeſt: tranſlatione, ubi aliud eſt. Patribus ouis lapidare,* καταχρηστικῶς *dicitur. Ita & Plin. lib. 9. Perequitantem, ait, in delphino.* ⁎ Tranſlatio.] Μεταφορά, *de qua copioſe Fabius lib. 8. cap. 6. tropus cum frequentiſſimus, tum longe pulcherrimus, ut indocti quoque & non ſentientes ea frequenter utantur: tum ita iucunda atque nitida, ut in oratione quamlibet clara proprio tamen lumine eluceat. Cauendum uero ne ſit humilis, ſordida, maior, minor, diſſimilis, redundans, dura, poetica. Debet ea aut uacantem occupare locum, aut ſi in alienũ uenit, plus ualere eo quem expellit. Plutarchus cum ait* ἡδίονα *[?]* καὶ ἐναργέστερον ποιεῖν τὸν λόγον, *lege quæ ex 3. Rhetor. Ariſt. Sturmius in Partitiones Ciceronis collegit.* Ea utimur, rei ante oculos ponendæ cauſa.] *Hoc eſt, intentionis gratia. ſic enim* διδακτικοὶ *loquuntur.* ⁎ Permutatio.] *Huius prima ſpecies ab auctore poſita, græcis dicitur* ἀλληγορία, *quam inuerſionẽ interpretamur. Vt Horat. O nauis, referent in mare te noui Fluctus, ò quid agis, fortiter occupa Portum. totoq; ille locus, quo nauim pro repub. fluctuum tempeſtates pro bellis ciuilibus, portum pro pace & concordia dicit. Huius uſus eſt frequentior ænigmatis, ſententijs prouerbialibus, ac prouerbijs:* παροιμίαν *enim Diomedes & Donatus allegoriæ ſpeciem faciunt. Altera ſpecies permutationis continet & ironiam & antiphraſin.* Εἰρωνεία *è locutiuncula Saluſtiana commodiſſime exprimitur, cum aliud in pectore clauſum, aliud in lingua promptum habemus, & ſententia enunciationis in contrarium à uerbis accipitur: ut, Scilicet is ſuperis labor eſt. Rufin. Multis diſſutat Fabius lib. 9. cap. 2. Ironiã aliquando ſchema eſſe, aliquando tropum. Huius ſex ſpecies enumerat Rufinianus: chleuaſmon, charientiſmum, aſtyſmum, diaſyrmum, exuthenifmum, & ſarcaſmum. Cleuaſmos ſiue epicertomeſis, cum aliquos amare oratione non ſine deriſu inſectamur: En agros, & quam bello Troiane petiſti Heſperiam metire iacens.* Χαριεντισμὸς, *ſiue ſcomma. Hæc figura fit feſtiua dictio, cum amœnitate mordax. ut apud Ciceronem: Facis enim, ut uultum ipſius, et illam uſque ad talos demiſſam purpurã cogitetis. Quæ duriora re ipſa ſunt, hac figura gratioſiſſ. uerbis molliuntur.*

Terent. Bona uerba quæſo: cum piſtrinū deprecaretur Dauus. quod Plato εὐφημεῖν dicit, primo de Repub. Ἀστεϊσμὸς, urbanitas, longe petitus iocus eſt, adeoq; in expectatus de re aliqua abſurda: Atque idem iungat uulpes, & mulgeat hircos. Διασυρμὸς fit, cum rem aliquam, aut perſonam eleuamus. Cicero: Sed repente tanquam epoto pharmaco factus eſt Verres, redit ad ſe, atque ad ſuos mores. Aquila deriſionem, uel eleuationem uocat. Ea ſolemus etiam ludentes diſſoluere, quæ dicuntur ab aduerſarijs. Qualis eſt locus pro Murena in Sulpitium, totus de iure ciuili. Ἐξουθενισμὸς. figura hæc fit, cū rem aliquam extenuamus & contemptam facimus. Cato: Antiochus epiſtolis bellum gerit, calamo & atramento militat. Σαρκασμὸς, hoſtilis deriſio. eadem uidetur eſſe cum Chleuaſmo: Meq; timoris Argue tu Drāce. Ἀντίφρασις, unius uerbi eſt ironia: Bellum minime bonum. cum ſtolidum & pinguem, acutum dicimus. ✱ Diſtributio.] Μερισμὸς Rutilio, διαίρεσις Rufiniano: Cuius omnes corporis partes ad nequitiam ſunt appoſitiſſimæ, oculi ad petulantem laſciuiam, manus ad rapinam, uenter ad auiditatem, pedes ad fugam, prorſus ut aut ex hoc uitia, aut ipſe ex uitijs ortus uideatur. Vide Eraſ. 2. de Copia, ab initio, ✱ Quæſitores.] Qui iudicio præerant, ut ex Aſcon. Budæus. ✱ Licentia.] Παῤῥησία. Hac figura quoties utimur, inuitos nos dicere fingimus, ne magis confidentia quàm dolore excitati uideamur. atque ita non fides, ſed odium iudicum conſequatur. Rutil. Vide Fab. lib. 9. cap. 2. ✱ Hominem nefarium ampliaueritis.] Cū obſcura eſſet cauſa, & differretur, ampliari dicebatur, &, Amplius, pronunciari. Hinc ampliati rei, quorum damnatio differtur, aut quia coram ſiſtendi teſtes ſunt, & cum illis committendi: aut quia nondum plane liquet aut de crimine, aut de pœnæ modo. Budæus ex Aſcon. & alijs. ✱ Diminutio.] Λιτότης alijs, Eraſmo λιτότη dicitur. Quidam λεπτολογίαν uocant: ut, Munera nec ſperno. Rem magnam extenuat, modeſtiæ cauſa. Facit hæc figura, ne quod neceſſario dicitur, arroganter dictum uideatur. faſtidioſæ ſunt hominum aures, nec quidquam minus ferunt, quàm ut quiſquā aliquid de ſe prædicet magnificentius. ✱ Deſcriptio.] Deſcriptio, quæ rerum conſequentiā ponit ob oculos, non uideo quamobrem inter ſchemata ponenda ſit. Nā hypotypoſis eximia uirtus eſt orationis, ſed ad omne tempus pertinet, de qua mox dicetur. Acuens dentes multos.] Aliàs, inultos. ✱ Diuiſio.] Complexio Latinis dicitur, Græcis δίλημμα, quo ſcilicet utrinque aduerſariū capimus. Plura de hac Trapezunt. lib. 3. Sin improbus, num commoueris.] Aliàs, non commoueris. ✱ Frequentatio.] Quidam συναθροισμὸν uocant. Nil ea ferè aliud eſt quàm probatio quædam περιεκτική. Vide ſupra lib. 2. circa decimum locum communē, qui alijs collectio καὶ ἀπ᾽ ἀρχῆς ἄχρι τέλους dicitur. Infeſtus cognatis.] Aliàs, infeſtus in cognatos. Fortunæ familiares attenuatiſſ.] Aliàs, fortunæ familiaris rei, &c. In iſtum caſu cecidiſſe.] Aliàs, in iſtum caſum. ✱ Expolitio.] Etſi tam interpretatione quàm expolitione eadē res ſit, & aliud atque aliud dici uideatur, inter eas tamē id intereſſe putat Trapez. ut in interpretatione, quēadmodū nomen ipſum oſtendit, ad clarius deuenire plerūque ſoleamus, & duorū mēbrorū numerū excedere nō debeamus. Expolitionē nō interpretādi cauſa adhibemus, ſed ut immoratione locupletius, atque politius quod dicitur, reddamus, ac ideo certū mēbrorū numerū nō obſeruamus. Hæc Trapez. in Ligarianā. Idem lib. 3. duas ſpecies facit expolitionis, enthymematicā & fictoriā. Copioſe de expolitione Eraſ. 2. de Copia. Græci ἐνδιατριβὴν uocant. Vide Quint. lib. 8. cap. 3. Sed commutare.] Aliàs, ſed commutato. Multi incolumes euaſerunt.] Aliàs, incolumes fuerunt. ✱ Commoratio.] Ἐπιμονὴ Græcis, ut Cicero in Miloniana, in exponendis inſidijs commoratur. ✱ Similitudo.] Παραβολὴ, quam Cic. collationem uocat. ὁμοιώσεως genus eſt ad paradigma et paraboleen, teſte Aquila. De hac erudite in 2. de Copia Eraſ. uide etiam Quin. lib. 8. cap. 3. Qui tædas ardentes accipit.] Aliàs, candentes. lege Chiliades, Curſu tibi lampada trado. Sumitur & apertius dicendi cauſa ſimile.] Aliàs, ſimilitudo dicitur. Qui reprehendat eos.] Alias, reprehendant. Vti citharœdus cum prodierit.] Vide Lucianum, in indoctum multos libros coementē. ✱ Non enim res tota, &c.] Non enim neceſſe eſt ut parabola per omnia congruant. Aug. de doctr. Chriſt. & lib. 16. contra Fauſtum, multis capitibus. Chryſoſt. in Matth. homil. 65. Eraſ. ſuper Matth. cap. 21. & 1. Corint. 7. ✱ Exemplum.] Παράδειγμα. Complectitur fabulas, apologos, prouerbia, iudicia, ſiue κρίσεις. item χρείας, & cætera. Doctiſſime de exemplis & uſu ipſorum, Eraſ. in Copia. Lege Fab. lib. 5. ca. 11. & Rodolphum Agricol. lib. 1. cap. 25. & lib. 2. cap. 14. ✱ Imago.] Εἰκὼν, cum quippiam ad imaginem alterius rei quaſi deſcribimus: ut, Os humerosq; deo ſimilis. Hic enim ad dei imaginem comparauit Aeneam poeta. Clamat & delirat.] Aliàs, clamat & delerat. ✱ Notatio.] Hæc ab alijs, ſub periphraſi comprehenditur, quoties ſcilicet accidentium indicio aliquid deſignatur, ut iram poetæ crebro ferueſcentem bilem deſcribunt: ut Homerus Iliad. α'. μένεος δὲ μέγα φρένες ἀμφὶ μέλαιναι πίμπλαντο, ὄσσε δέ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ἐΐκτην. Eiuſdem generis eſt & illud. Qui digito ſcalpit uno caput: quo mollis & parum uir ſignificatur. ✱ Choragium gloriæ.] Choragium, Feſto ſcenicum eſt inſtrumentum, quo ſcilicet ſcena inſtruitur & apparatur, cuius præfectus dicitur Choragus. Generali tamen uocabulo dicitur inſtrumentum, & cuiuslibet rei apparatus, ut hoc: Et apud Apuleium 5. de Aſin. Iam feralium nuptiarum uirgini choragium ſtruitur. Libanum & Soſ.] Aliàs, Libanium. Qui iſtum ſplendide.] Al. quàs iſte ſplendide, dum peregrinaretur, inuitauerat. Verum ite mecum.] Al. uerum euntem eum. Viſit triſt. ſtrat. probat.] Al. probant. Huc nos decima.] Al. ad decimam. Angiportu toto.] Al. angiporto. ✱ Sermocinatio.] Διάλογος, uel διαλογισμὸς, cum apte perſonam aliquam loquentem fingimus, ita ut ſermo ætati, generi, patriæ, uitæ, inſtituto, animo, moribusq; congruat. Vnde tot Thucydidis, Saluſtij, Liuij orationes effinguntur. Demum & cogitationes uelut hominis ſecum loquentur, quanquam hoc poetis familiarius. Illæ propriè προσωποποιΐας nomen merentur, quoties perſonam hominis procul abſentis, aut iam olim defuncti loquentem facimus, ſeruato decoro. Vide Eraſ. de Cop. lib. 2. Heus, inquit, Georgia.] Al. Gorgo. ✱ Conformatio.] Prima ſpecies conformationis προσωποποιΐα dicitur, de qua iam dictum eſt ex Eraſ. & Aquila. Altera ſpecies, qua ſcilicet res mutas, loquentes facimus, προσωπογραφία uocatur, quamuis hæc latius pateat, quàm ab auctore noſtro explicetur. Vide Eraſ. & Fabiū lib. 9. cap. 2. De Proſopopœia & rhetorica & poetica lege Vlpianum in 1. Olynthiacam Demoſthenis. Ab homunculis deterrimis.] Aliàs, teterrimis. ✱ Significatio: Qui plurimū cernis.] Cernere hæreditatē dicebant pro adire, auctore Feſto. Cicero, ad Dolabel. A te aūt peto, ut me hanc quaſi falſam hæreditatē alienæ gloriæ ſinas cernere. Sic accipitur in L. Cretionū, de iure deliberandi in Cod. &c. ✱ Breuitas.] Βραχυλογία Fab. lib. 8. ca. 3. alijs συντομία, cū breui & cōpendioſo uerborū ambitu res quāuis ingens pro dignitate redditur. Virg. Naſcetur pulchra Troianus origine Cæſar, Imperiū Oceano, etc. βραχυεπίαν Rutilius fieri ait, cū orator breuitate ſentētia præcedit auditoris expectationē: ut, Quæres à me, quo iure obtinere poſſim, quo iure mihi Polianus reliquit, Prætor dedit mihi poſſeſſionē, leges me defendūt, ad te nō ptinēt, hi ueritatē ſequūtur, etc. ✱ Demōſtratio.] Χαρακτηρισμὸς Rutilio, ἐνάργεια Rufin. ὑποτύπωσις alijs. De ea ſic Fab. li. 9. Illa uero, ut ait Ci. ſub oculos

los ſubiectio, tum fieri ſolet, cum res non geſta indicatur, ſed ut ſit geſta oſtenditur, nec univerſa, ſed per partes, quem locum proximo libro ſubiecimus Euidentia. Celſus hoc nomen iſti figuræ dedit, &c. Vide Eraſ. 2. de Copia, & in Eccleſiaſte.

* illi præco faciebat audientiam.] Vtitur eodem uerbo Cicero, prima in Verrem, &c. At iſte ſpumã ex ore reijciens.] Al. ſpumans ex ore ſcelus, &c.

FINIS.

E LIBRO IIII RHET. AD HERENNIVM PETRI VICTORII CASTIGATIO.

ON tam cito Sariſſa Græcia potita ſunt. Aut idem Gallos ſignificans, dicat, Nec tam facile ex Italia ar-matura tranſalpina depulſa eſt.] Vetuſta lectio, Materis tranſalpina: quam rectã eſſe puto. Eſt enim Materis telum, quo utebantur Galli. Non. Marcellus de genere armorũ hæc duo loca Siſennæ citat in qui-
B bus huius teli mentio eſt: Siſenna hiſtoriarum lib. 3. Gallia materibus, Suevi lanceis confligunt. Idem lib. 4. Alij materibus aut lanceis tamen medium perturbant agmen. Per hoc autem telũ Gallos intelligi uult, quorum peculiare erat: ut per ſariſſas ſuas, Macedonas. Quia ignotius, iuuentuq; rarius erat hoc uerbum, ideo hinc deletum fuiſſe puto, quod etiam ei contigerat in 7. libro hiſtoriarum T. Liuij, ubi prælium cum Gallis factum narratur. Sic enim legi debet: Stetitq; ſuppreſſo impetu Romanus, & quia iterum feſſis ſubeunda dimicatio erat, & quòd Cos. dum inter primores incautus agitat, leuo humeri materi prope traiecto, ceſſerat parumper ex acie. Non Machera: ut in cunctis impreſſis libris olim erat. Germani autem nuper eum locum reſtituerunt, qui T. Liuij libros, quos temporis uetuſtas & hominum incuria non abſumpſit, ſumma cura & diligentia emendatos ediderunt. Vidi etiam priſcum Liuij exemplar, quod eam uocem incorruptam retinebat.

HIERONYMVS CAPIDVRVS PARENTINVS, GEORGII VALLAE, VIRI CLARISS. DISCIPVLVS DOMINICO CAPIDVRO MEDICO. S. D.

VM ſuperioribus diebus Rhetoricos Ciceronis ad Herennium libros, omni uirtute atque ſcientia cumulatiſſimus rhetor & philoſophus Georgius Valla interpretaretur, exiſtimaui mihi quæcunque ille proferebat, annotanda, ne exciderent, ſed memoriæ hærerent perpetuæ. Quod cum perfeciſſem, impreſſoribuſq; oſtendiſ-
C ſem, doctiſſimorum in hac facultate uirorum iudicio exiſtimauerunt, eum Ciceronis ad Herennium libris eſſe imprimenda. Ita demum rati ſe multis prodeſſe poſſe, & non mediocrem allaturos utilitatem iuuenibus ad Rhetoricam facultatem aſpirantibus: præſertim cũ is Ciceronis liber ſordidiſſimos ac ruſticanos quoſdam commentarios ante nactus fuiſſet, indignoſq; ut ipſi circunfunderentur Ciceroni, quando etiam ipſius ſenſus non modo non aperirent, ſed etiam inquinarent. Statui igitur, Dominice patrue obſeruandiſſime, hos tibi deſtinare commentarios: tum quod excellentiſſimi præceptoris mei Georgij Vallæ nomine te multum ſcio commoueri, plurimumq; eius tribuere auctoritati certo ſcio, cum hæc ab illo interpretante me excepiſſe profitear, ac præ me feram: tum ut lucubrationũ mearum tibi primi labores innoteſcant, & rudis adhuc mei ingenij fomes eluceſcat, cum nondum per ætatem mea poſſim, deſcribam ſignificemq; tibi aliena: quo ex his tibi animi mei imaginem liceat intueri, & in reliquum de meis ſtudijs ſpem aliquam concipere, quam non arbitror futuram inanem: & adiutus præcellentiſſimi uiri Georgij Vallæ doctrina, & laboribus, quos ipſe ſtudijs impendero perpetuos, hæc tecum me loqui iuuat: quando tu is es, quem non modo philoſophia medicináq;, in quibus plurimum excellis, ſed etiam hæc noſtra benigniora leuioráq; ſtudia oblectant, & profectus in his mei. Sed ne præfatione te longius ducam, me iam ad Ciceronis uerba transferam interpretanda.

IN M. T. CICERONIS RHETORICAE AD HERENNIVM LIBRVM PRIMVM HIERONYMI CAPIDVRI PARENTINI COMMENTARIVS.

QVONIAM in cuiuſcunque generis orationis principio hæc tria ſunt adhibenda, ut auditores faciamus attentos, beneuolos, dociles: hic Cicero beneuolum C. Herennium ſibi facit, cum dicit familiaribus ſe diſtrictũ negotijs, uix ullum habere otium, & id ipſum quod ſupereſt otij in, erutandis philoſophorum rationibus libentius, quàm in cæteris quibuſcunque ſtudijs ſe conſumere: tamen Herennij uoluntate tantum ſe affectum, ut id quod poſtulabat (poſtulabat autem, ut de ratione dicendi conſcriberet) tergiuerſari, ac ſubterfugere nullo modo poſſe uideretur. Attentum eundem porro reddit, cum non parum fructus copiam dicendi ſecum ferre dicit, & ſe deciſurum quæcunque ſuperflua græci ſcripſere, pollicetur. Docilem uero, cum quid ſit facturus, oſtendit. Præterea cum in omni exordio, dum auditorem beneuolum, attentum, docilem facimus, quatuor hæc adhiberi poſſint, expoſitio, ratio, redditio, comprobatio: ex his omnibus Cicero compoſuit hoc exordium. Rem enim expo-nit, cum inquit, Et ſi negotijs familiaribus impediti: & quæ ſequuntur. Ratio autem expoſitionis eſt, cum dicit, Et eo ſtudioſius hoc negotium ſuſcepimus, quod te non ſine cauſa uelle cognoſcere rhetoricam intelligebamus. Comprobatio rationis eſt, Non enim parum habet in ſe fructus copia dicendi, & commoditas orationis, ſi recta intelligentia, & definita animi moderatione gubernetur. Redditio autem eſt, cum infert, Quas ob res illa quæ Græci ſcriptores inanis arrogantiæ cauſa ſibi aſſumpſerunt, relinquimus. Etenim ſe ſcripturum rhetorica præcepta rurſum refert, & quid in eis maxime obſeruaturus ſit. Ratio redditionis eſt, Nam illi ne parum multa ſciſſe uiderentur, ea conquiſiuerunt, quæ nihil ad propoſitum attine-

bant, ut ars difficilior cognitu putaretur. Reditionis uero comprobatio, Nos autem ea quæ uidebantur ad rationem dicendi pertinere, ſumpſimus: & quę ſequuntur. Denique totum concludens exordium, & ſe & auditorem ad ea quæ ſequuntur præparans, ſubiungit: Nunc ne nimium longa ſumatur oratio, quod datur otij, de re.] Subaudiendum, quæ tam rerum naturas, quàm morum ſcrutatur rationes. In utraque enim Ciceronem ſcripſiſſe manifeſtum eſt. Ut de ratione dicendi conſcriberemus.] Ut rhetorices præcepta traderemus. Nec dixit de ratione loquendi: ſiquidem rectè loqui grammaticus docet, rhetor autē dicere. loquitur enim is, ut Varro inquit, qui quodque uerbum ſciens ponit. Is autem dicit, ut & Quintilianus inquit, qui diſpoſite, ornate, copioſe dicit. Non ſine cauſa uelle cognoſcere rhetoricam intelligebamus.] Rhetoricam in Latinum alij transferentes, tū oratricem, tū oratoriam protulerunt. ſed nō uideo cur potius oratricem, aut oratoriam iſti dicere maluerint, quàm eloquentiam: cum ſicut ab eloquor eloquentia inflexa, ita ἀπὸ τοῦ εἴρειν ῥήτωρ, & inde ῥητορικὴ. unde fit ut rhetorica, uerbum è uerbo, à Latinis eloquentia expreſſum, manifeſto appareat. Si recta intelligentia & definita moderatione animi gubernetur.] Rectam intelligentiam animi, prudentiā dicit: qua ſingula metimur, ut ſuo loco, ſuo tēpore dicamus. Definire, partiri ac diuidere eſt: genus in formas definire, determinare. ut Lactantius definiuit religionem eſſe ſummū bonū. Definita ergo animi moderatione, ne credat rhetoricā artē in infinitū profluere, ac omnes ambire diſciplinas, ſicut exiſtimauit Hermagoras: quem in libris Rhetoricis, quos de inuentione compoſuit, ipſe inceſſit. Licet in Libro de Oratore ad Q. fratrē, & in oratore ad Brutum, eandem quam exploſerat, teneat ſententiam. De re dicere incipiemus.] Quam ſumpſimus explicandam.

DE ORATORIS OFFICIO.

Oratoris officium eſt, de his rebus poſſe dicere, quæ res ad ciuilem uſum, moribus ac legibus conſtitutæ ſunt, cum aſſenſione auditorum, quoad eius fieri poterit.] In libris quos de Inuentione conſcripſit, oratoris officium, dicere appoſite ad perſuaſionem, eſſe uoluit. ſed ſi hoc & illud rectè contemplamur, inter ſe nobis differre minime uidebuntur. Oratoris officium.] Officium, inquit ipſe de Finibus bonorum & malorum libro tertio, eſt, quod ita factum eſt, ut eius facti probabilis ratio reddi poſſit. unde & Officiorum liber ipſius inſcriptus: ſed hæc philoſophorum officij definitio eſt. Poſſumus autem, ut hic intelligitur, ita definire: Officium eſt, unicuique perſonæ congruens & debita actio, attributa ſecundum ciuitatis & domus mores, ac uniuſcuiuſque delecti ſibi uitæ curſus intentionem. ſiquidem & boni & mali uiri officium hoc & illud dicere conſueuimus. Quæ res ad uſum ciuilem.] Non enim ſibi orator concionatur, ſed ciuibus, ſiue in foro, ſiue in ſenatu, ſiue in campo Martio dicat: hoc eſt, in omni cauſarum genere. Moribus ac legibus.] Mos eſt, ex quauis conſuetudine uſurpata actio. Lex eſt, ut hic inquit, ratio ſumma, inſita in natura, quæ iubet ea quæ facienda ſunt, prohibetq; cōtraria. Eadem ratio cum eſt in hominis mente confirmata et confecta, lex eſt. Itaque arbitrantur prudentiam eſſe legem, cuius ea uis, ut rectè facere iubeat, uetet delinquere. Eamq; rem illi Græco putant nomine, ſuum cuique tribuendo appellatam. Ego noſtro à legendo. Nam ut illi æquitatis, ſic nos intellectus uim in lege ponimus, & proprium tamen utrunque legis eſt. Quod ſi ita rectè dicitur, ut mihi quidem plerunque uideri ſolet, à lege ducēdum eſt iuris exordium. Ea eſt enim naturæ uis, ea mens ratioq; prudentis, ea iuris atque iniuriæ regula: ſed quoniam in populari ratione omnis noſtra uerſatur oratio, populariter interdū loqui neceſſe erit, & eam legem, quæ ſcripto ſancit quod uult, aut iubendo, aut uetando, ut uulgus, appellare. Hæc Cicero in libro cuius index de Legibus eſt. Cum aſſenſione auditorum, quoad eius fieri poterit.] Nam cum finis ſit oratoris, ut ipſe alibi dixit, perſuadere dictione, qui poterit niſi auditores dicenti aſſentiantur, id facere? Quoad eius fieri poterit.] Ἐλλειπτικῶς dictum, ut in Plutarchi figuris, quas conuertimus in latinū, ſcripſimus. Nam quoad eius uim uel facultatem fieri poterit, plenum fuit. Ergo ita dictum ſit intelligamus. Eſt autem horū uerborum hic ſenſus: Orationis officium eſt, de his rebus, quæ res ad ciuium utilitatem, pro conſuetudine ac rogationibus, quæ leges appellantur, conſtitutæ ſunt dicere, quantum in ipſo fuerit, ad perſuadendum. Quod enim facere debet orator, officium dicimus oratoris: finem uero, perſuadere dictione. ſicut medici officium, curare appoſite ad ſanandum: finem, ſanare curatione. Tria genera ſunt quæ recipere debet orator, demonſtratiuū, deliberatiuum iudiciale.] Id enim eruditiſſimi, qui de hac facultate præcepta dederunt, penè omnes fatentur. ſed cur ea, & tot ſint cauſarum genera, alij alias aſſerunt rationes. ſiquidem alij unum, quod ad delectationem conueniat, eſſe aiunt: alterum, quod conſilium accipiat: tertium, quod de cauſis iudicet. Alij, quòd cum omne oratoris officium aut in iudicijs ſit, aut extra iudicia: eorum de quibus iudicio quæritur, manifeſtū eſſe genus iudiciale. Ea quæ ad iudicem non ueniant, aut præſens tempus, aut futurum habere aiunt. Atqui præſentia laudamus, aut uituperamus: ſicut de præteritis iudicamus, de futuris deliberamus. Tria ergo tantum uideri poſſunt. Itē, omnia de quibus dicēdum eſt, aut certa ſint neceſſe eſt, aut dubia. Certa, ut cuique eſt animus, laudat, aut culpat. Ex dubijs, partim nobis ipſis ad eligendum ſunt libera, de his deliberatur: partim aliorum ſententiæ commiſſa, de his lite contenditur. Nam hortari, dehortari, queri, mitigare, concitare, conſolari, deſolari, conciliare, terrere, confirmare, præcipere, obſcure dicta interpretari, narrare, deprecari, gratias agere, gratulari, obiurgare, maledicere, deſcribere, mandare, renunciare, optare, opinari, docere, delectare, augere, minuere, & id genus alia, quibus componendis concitādis'ue affectibus animos audientium fingere conſueuimus, tribus illis cauſarum generibus communia eſſe cognoſcuntur. Tria genera ſunt quæ recipere debet orator: deliberatiuum, demōſtratiuum, iudiciale.] Cauſa, ut Appollodorus definit, eſt negotium omnibus ſuis partibus ſpectans ad quæſtionem: aut, cauſa eſt negotium, cuius finis eſt controuerſia. Negotium porro ſic definit: Negotium eſt congregatio perſonarum, locorum, temporum, cauſarum, modorum, caſuum, factorum, inſtrumentorum, ſermonum ſcriptorum, & non ſcriptorum. Iſocrates ait cauſam eſſe aut quæſtionem finitam ciuilem, aut controuerſiam in perſonarum factorumq; complexu. Cicero autem in Topicis inquit: Cauſa certis perſonis, temporibus, locis, actionibus, negotijs cernitur: aut in omnibus, aut in pleriſque eorum. Huiuſmodi igitur cauſarum, quas ſuſcipere oratorem oportet, tria omnino ſunt genera: Demonſtratiuum, deliberatiuum, & iudiciale. Demōſtratiuū genus eſt, quod tribuitur in alicuius certæ perſonæ laudem uel uituperium.] Demonſtratiuum genus cauſarum, in quo laus uituperatioq; continetur, Laudatiuum tum Cicero alibi, tum & alij appellarunt: ſed utraque huius rei appellatio ex Græcis effluxit. Illi enim id genus modo ἐγκωμιαστικὸν, modo ἐπιδεικτικὸν appellarunt. Demonſtratiuum quidem, quòd multum oſtentationis habere uideatur. Laudatiuum autem quod in laudibus plurimum habeat operæ. Deliberatiuum eſt, quod poſitum in conſultatione habet in ſe ſuaſionē & diſſuaſionē.] In præceptis de Inuentione, hoc genus ita definit: Deliberatiuum eſt, quod poſitum in diſceptatione ciuili habet in ſe ſententiæ dictionem. Senſu tamen inter ſe non differunt. Iudiciale eſt, quod poſitum in controuerſia, habet accuſationem in ſe, aut petitionē cū defenſione.] In Rhetoricis de Inuentione definit hoc modo: Iudiciale eſt, quod poſitum in iudicio, habet in ſe accuſationem

cuſationem & defenſionem, aut petitionem & recuſationem. Ex his autem tribus cauſarum generibus, materia conſtat oratoris. Siquidem aut auſculator eſt rei, ſententiæq; moderator, ita ut delectetur, quod demonſtratiuum genus eſt: aut ita, ut ſtatuat aliquid. ſtatuit autem de præteritis, ut iudex: hinc iudiciale. aut de futuris, ut ſenatus, hinc deliberatiuum genus appellatur. Quæcunque enim res ſibi proponit orator, ea in his tribus generibus inueniuntur. Delectationẽ in exornatione, quæ demonſtratiui eſt gñeris: in iudicio aut ſæuitiam, aut clementiã iudicis: in ſuaſione aut ſpem, aut reformidationem deliberantis habet. Itaque cum in his ſingulis rhetorica tota ſit, quia & inuẽtionem & diſpoſitionem & elocutionem & memoriam unumquodque horum deſiderat: non fortaſſis abſurde quidam genera ea tria Rhetorices dicere, quàm cauſarum maluerunt.

Oportet igitur in oratore eſſe inuentionẽ, diſpoſitionem, elocutionem, memoriam, pronunciationem.] Omnis orandi ratio, ut plurimi maximiq; auctores tradiderunt, quinque partibus cõſtat, Inuentione, diſpoſitione, elocutione, memoria, pronunciatione, ſiue actione: utroque enim modo dicitur. Omnis uero ſermo, quãtũcũque habere uis, quo quidem uolũtas noſtra explicatur, habeat rem & uerba neceſſe eſt. At oratio longior, plura exigit. non enim tantum refert, quid, aut quomodo dicas, ſed etiam quo loco. Opus ergo eſt & diſpoſitione. ſed neque omnia quæ res poſtulat dicere, neque ſuo quæque loco poterimus, niſi adiuuante memoria. quapropter ea quoque pars quarta erit. Verũ & hæc cuncta, corrumpit, ac propemodum perdit, indecora uel uoce uel geſtu pronunciatio. huic ergo tribuendus fuit neceſſario quintus locus. His adiecerunt quidam ſextam partem, ita ut inuentioni iudicium ſubnecterent: quia primum eſſet inuenire, deinde iudicare. Sed quo pacto inueniſſe quiſpiam dicetur, ſi contraria, communia, ſtulta, iudicio euitare neſciuerit? Itaque ſicut alij iudicium inuentioni ſubijciunt, ita alij tribus permixtum partibus eſſe uoluerunt: quod neque diſpoſitio ſine eo, neque elocutio aut pronunciatio ſine iudicio eſſe poſſit.

DE QVATVOR CAVSARVM GENERIBVS.

c Auſa poſita, genus cauſæ eſt conſiderandum. Genera cauſarum ſunt quatuor, honeſtum, turpe, dubium, humile.] In libris de Inuentione, Sex inquit eſſe omnino partes orationis nobis uidentur, Exordium, narratio, partitio. confirmatio, reprehenſio, concluſio: ſed ab hac diuiſione non differt. At ſubiungit: Genera cauſarum ſunt, honeſtũ, admirabile, humile, anceps, obſcurum, id eſt ἔνδοξον, ἄδοξον, ἀμφίδοξον, παράδοξον, δυσπαρακολούθητον, id eſt, honeſtum, humile, dubium uel anceps, admirabile, obſcurum. Hic admirabile, quod & obſcurum, tacuit, turpe autem adiecit. Hoc autem ideo fecit, quod diuerſos ſequebatur auctores, & utraque per generum enumeratio ei probabilis uiſa eſt. Hermagoram enim in illis, in his iuniores ſecutus eſt Cic. Vnde & illa uetera, et hæc noua à uulgaribus. Rhetorica nominatur. Admirabile genus cauſæ uocant, quod eſt præter opinionem hominum conſtitutum. In ancipiti maxime beneuolum iudicem, in obſcuro docilem, in humili attentum parare debemus. Nam honeſtum eſt, quod ad cõciliationem ſatis per ſe ualet. admirabili & turpi remedijs opus eſt. Sed hic iam aliquibus ſuccurram oportet, qui quærent quid ſit, quod ſupra Cicero dixit, genera cauſarum tria eſſe, demonſtratiuum, deliberatiuum, iudiciale: hic rurſus genera cauſarum quinque eſſe dicat. Hic Victorinus: Res multæ (inquit) ſunt, quarum una ſubſtantia: reliquæ accidunt. Itaque cum ſubſtantiæ acciderit una qualitas, poteſt & alia accidere: ſed quæ non ſit in eodem genere, in quo prima qualitas fuit. uepute ſi dicas, foliorum genera duo ſunt, de membrana et de charta. Hic ſolum ſubſtantia eſt: acceſſit ei una qualitas, mẽbrana & charta. Poteſt tamen eidem ſubſtantiæ, uel folio, alia qualitas accidere, quæ non ſit in eodem genere, in quo prima qualitas: ut ſi dicas, foliorum genera ſunt tria, eſt oblongum, eſt latum, & eſt quadratum. Quare ſi circa primam qualitatem numerus diuiſionis uarietur, uitium eſt: ſin autem in eadem ſubſtãtia circa alias qualitates numerus diuiſionis uarietur, non eſt uitium, ut hic ait. Primum cauſarum tria genera ſunt. Cauſa hic ſubſtantia eſt, accidit ei una qualitas, ut ſit demonſtratiuũ genus, deliberatiuum, iudiciale. Deinde ait, quinque cauſarum ſunt genera: Licet eadẽ ſit ſubſtantia, alia tamen ei qualitas accidit. In iudiciali enim, ſiue alio quocunque genere cauſa, inuenitur & honeſtũ cauſæ genus, & admirabile, & humile, & anceps, & obſcurum. Sed Victorinus id mihi non admodum, quid ſit, aperuiſſe quidem uidetur. Nam omnis cauſa aut in lite eſt, aut extra litem eſt. Si in lite, iudicialis: ſi extra litem, aut in conſultationẽ uenit, quod eſt deliberationis: aut prout nobis libido fuerit laudamus uituperamuſue, quod eſt generis demonſtratiui. At illa alia ſiue quatuor, ſiue quinque ſint, non ſunt niſi proœmij, quæ eſt una pars orationis: nec cõmunia ambarum partium, ueluti tria illa, quæ prius recenſuimus. Eſt enim iudicialis cõmunis actoris & rei, ut Milonis & Clodianorũ: utraque ſiquidẽ iudicialis nominatur. Similiter deliberatiua, ut Creanduſne ſit Coſ. Auguſtus, an nõ, quia puer. Cõmunis quoque demonſtratiua, ubi Catonem Cicero laudat, C. Iulius Cæſar uituperat. At in exordio ſecus quodã modo fit: ut pro uiro forti contra parricidam, cauſa erit iudicialis: & hæc tã ad parricidã pertinet, quàm ad uirum forte. ergo una erit amborũ. In proœmio autem diuerſa . nã ſua cuiuſque erit: altera uiri fortis altera parricidæ. Illa quidem honeſta, quæ pro uiro forti: & eo honeſtior, quod cõtra parricidam. hæc uero turpis, quod pro parricida: & eo turpior, quod contra uirũ fortẽ. Sunt itaque duæ cauſæ, & inter ſe plurimũ differentes, ut cõmunes nullo modo eſſe poſſint. Nec uero hæc cauſæ honeſtas, aut turpitudo, ad cauſam illã quæ lis eſt, & cõtrouerſia, in qua iudicium pendet, aliquid pertinet. Sed eſt quædã hominũ habita opinio de actoris parte, uel rei: quod partẽ hanc honeſtã eſſe exiſtimant, illam turpem. Ideo quod orator, cum intelligit partem quam tuetur laborare infamia, apud iudices cæteroſue expurget infamiam, conciliatq; eorum animos ad bene ſperandũ de cauſa quã acturus eſt. Et quantum fieri poteſt, contrahit in exordio beneuolentiã ſibi, & ab aduerſario alienat: quo de probatione ipſius cauſæ, in qua iudiciũ omne pendet, de iure noſtro bene, de aduerſario male opinentur. Exordiorũ duo ſunt genera.] Quod principium Latine, uel exordium dicitur, maiore quadã ratione Græcos προοίμιον nominaſſe Quintilianus putat quòd noſtri initium tantũmodo ſignificent, illi ſatis clare partẽ hanc eſſe ante ingreſſum eius de quo dicendũ eſt oſtendant. Nam ſiue propterea quòd οἴμη cantus eſt, & citharœdi pauca illa, quæ ante quàm legitimũ certamen inchoent, emerendi fauoris gratia canunt, proœmium cognominarunt, oratores quoque ea quæ priuſquam cauſam exordiantur, ad conciliandos ſibi iudicum animos præloquũtur, eadem appellatione ſignarunt: ſiue quod οἶμον uiam Græci appellent, id quod ante ingreſſum rei ponitur, ſic uocare eſt inſtitutum. Eſt etiam ubi proœmium uniuſcuiuſque rei uocemus principium. Sic Iuuenalis in primo Satyrarum: Miſeræ cognoſce proœmia rixæ. Nam quod iam penè in omnibus legitur codicibus, Cognoſce præmia rixæ: corruptũ eſt, ut facile eſt lectu cognoſcere. Et inſinuatio, quæ ἔφοδος nominatur.] Epos, ut in Artis poeticæ Horatij commentarijs ſcripſimus, carmen dicitur heroicum, & declinatur ſicut Chaos. Epodi autem dicuntur uerſus, quodlibet metro ſcripti, & ſequentes clauſulas habentes particularum ipſorum uerſuum: quales ſunt Epodi Horatij, in quibus ſingulis uerſibus ſingulæ clauſulæ adijciuntur: Vt Nox erat, & cœlo fulgebat luna ſereno. Deinde, Inter minora ſidera. &, Altera iam teritur bellis ci-

uilibus aetas. Deinde, Suis & ipſa Roma uiribus ruit. & quae cunque ſunt ſimiles. dictiq; epodi συνωνυμοχικῶς, à partibus uerſuum, quae legitimis uerſibus ἐπᾴδονται, id eſt, accinuntur. Eſt etiam epodos, ut & Demetrius Triclinius exponit, cantus apud Graecos, uno in loco conſiſtens· cum ſtrophe à dextro, antiſtrophe à ſiniſtro fit. cuiuſmodi eſt apud Pindarum. Epodos etiam inſinuatio nominatur, ab ἐπὶ praepoſitione effictum nomen, quod eſt ſupra, & ᾠδὴ cantus: ſiquidem penultima producta eſt. Nam ſi ſit correpta, ephodos diceretur. Exordiorũ duo ſunt genera, principium, quod Graece προοίμιον appellatur: & inſinuatio, quae ἔφοδος nominatur.] In praeceptis de Inuentione inquit· Igitur exordium in duas partes diuiditur, in principium & inſinuationem. Principium eſt oratio, perſpicue et protinus perficiens auditorem beneuolum, aut docilem, aut attentum. Inſinuatio eſt oratio, quadã diſſimulatione & circuitione obſcure ſubiens auditoris animum. Id ita ſumitur, ut attentos, ut beneuolos, ut dociles auditores habere poſſimus.] Principium, inquit, eſt, ubi ſtatim quae dicuntur, & ex perſonis ſumuntur, & ex rebus ipſis. Rerum autem tria ſunt genera, ut amice, ut intelligenter, ut attente audiamur. Quorum primus locus in perſonis noſtris, diſceptatorum, aduerſariorum eſt, quibus initia beneuolentiae cumulandae cauſa comparantur, aut meritis noſtris, aut dignitate, aut aliquo genere uirtutis, & maxime generalis officij, iuſtitiae, fidei: contrarijſq; rebus in aduerſarios conferendis, & cum his qui diſceptant aliqua coniurationis cauſa, aut ſpe ſignificanda: & ſi in nos aliqua odia offenſionis ſint collata, ea tollendo, minuendo ue aut diluendo, aut extenuãdo, aut compenſando, aut deprecando. Intelligenter autem, ut audiamur etiam attente, à rebus ipſis ordiendum eſt. Sed facillime auditor diſcit, & quid agatur intelligit, ſi complectare à principio genus naturamq; cauſae, ſi diuidas, ſi definias, ſi neque prudentiam eius impedias confuſione partium, nec memoriam multitudine. Vt attente etiam audiamur, trium rerum aliquam ſequemur: nam aut magna quadam proponemus, aut neceſſaria, aut coniuncta cum ipſis, apud quos res agitur. Si genus cauſae dubium habebimus, à beneuolentia principium conſtituemus, nequid turpitudinis pars illa nobis obeſſe poſſit. Si humile erit genus cauſae, faciemus attentos. Si turpe erit genus cauſae, inſinuatione utendum eſt, de qua poſterius dicemus: niſi quid nacti erimus, quare aduerſarios criminãdo, beneuolẽtiã capere poſſimus. Si honeſtũ genus cauſae erit, licebit recte uel uti, uel non uti principio.] Vbi de Inuentione diſſerit, quinque illa genera ita tractat: In admirabili (inquit) genere cauſae, ſi non omnino infeſti auditores erunt, principio beneuolentiam comparare licebit. Sin erunt uehementer abalienati, confugere neceſſe erit ad inſinuationem. nam ab iratis ſi perſpicue pax & beneuolentia appetitur, non modo ea non inuenitur, ſed augetur atque inflammatur odium. In humili autem genere cauſae, conceptionis tollendae cauſa neceſſe eſt attentum efficere auditorem. Anceps genus eſt cauſae, ſi dubiam iudicationem habebit, ab ipſa iudicatione exordiendum eſt: ſin autem partem turpitudinis, partem honeſtatis habebit, beneuolentiam captare oportebit, ut in genus honeſtum cauſa tranſlata uideatur. Cum autem erit honeſtum cauſae genus, uel praeteriri principium poterit: uel ſi commodum fuerit, aut à narratione incipiemus, aut à lege, aut ab aliqua firmiſſima ratione noſtrae dictionis. ſin uti principio placebit, beneuolentiae partibus utendum eſt, ut id quod eſt honeſtũ augeatur. In obſcuro cauſae genere. per principium dociles auditores efficere oportebit. Dociles auditores habere poterimus, ſi ſummam cauſae breuiter exponemus: et ſi attentos eos faciemus. nam docilis eſt is, qui attente uult audire.] In libris de Inuent. Dociles auditores, inquit, faciemus, ſi aperte et breuiter ſummã cauſae exponemus: hoc eſt, in quo conſiſtat controuerſia. Nã & cũ docilẽ uelis facere, ſimul attentum facias oportet. Nã is eſt maxime docilis, qui attentiſſime eſt paratus audire. Dociles auditores facere poterimus, ſi ſummam cauſae breuiter exponemus, & ſi attentos eos faciemus. nam docilis eſt ille.] Hoc eſt, ea in quibus cõſiſtit controuerſia, de qua dicturi ſumus: quod poetae etiam, tum docilitatis, tũ attentionis cauſa obſeruant. Hac enim ratione & Homerus in Iliade & Odyſſea, & Vergilius in Georgicis & in Aeneide, caeteriq; poetae inſignes exordia compoſuerunt. Attentos habebimus, ſi pollicebimur nos de rebus magnis, nouis, inuſitatis, uerba facturos.] In libris de Inuentione: Attentos, inquit, faciemus ſi demonſtrabimus ea quae dicturi erimus, magna, noua, incredibilia eſſe: aut ad omnes, aut ad eos qui audiunt, aut ad aliquos illuſtres homines, aut ad deos immortales, aut ad ſummã reipublicae pertinere: & ſi pollicebimur nos breui noſtrã cauſam demonſtraturos, atque exponemus iudicationem, aut iudicationes, ſi plures erunt. Attentos habebimus, ſi pollicebimur nos de rebus magnis.] Vt Vergilius: Maius opus moueo. Nouis, inuſitatis, uerba facturos.] Si noua, inquit, nos dicturos eſſe dicamus. Vt Vergilius:

Tentanda uia eſt qua me quoque poſſim
Tollere humo, uictorq; uirum uolitare per ora:

Et totus ille locus qui ſequitur. Aut de rebus his quae ad rempublicam pertinent, aut ad eos ipſos qui audirent.] Quod ſaepe Cic. facit, ut dicat id de quo agatur, non ſolum ad reum, ſed ad omnium fortunas pertinere. Ad deorum immortalium religionem.] Vt cum ipſe Cicero dicit: Iudicio deorũ immortalium, teſtimonio ſenatus, conſenſu Italiae, confeſſione inimicorum, beneficio diuino, immortaliq; ueſtro, maxime laetor Quirites. Ad deos enim pertinere, quod tum expulſus eſſet, dicebat. Aut ſi rogabimus ut attente audiant.] Vt rurſus Feſtus:

Indefeſſa tuae ſint mentis acumina Lector,
Sudoriſq; mei patulo cape carmina rictu.

Et pulcherrime in quarto Georgicon Vergilius:

Hanc etiam Moecenas aſpice partem.
Admiranda tibi leuium ſpectacula rerum,
Magnanimoſq; duces, totiuſq; ordine gentis
Mores & ſtudia & populos & praelia dicam.

Et ſi numero exponemus res de quibus dicturi ſumus.] Vt in ſuperiore Vergilij exemplo patet, ut & ipſe quoque Cicero in Cluentiana, cum inquit: Animaduerti iudices omnem accuſatoris orationem in duas diuiſam eſſe partes: quarum altera inniti et magnopere confidere uidebatur inuidia inueterata iudicij Iuniani, altera tantummodo conſuetudinis cauſa timide & diffidenter attingere rationem beneficij terminũ. Beneuolos auditores quatuor modis facere poterimus: à noſtra, ab aduerſariorũ, ab auditorum perſona, et à rebus ipſis.] In libris de Inuentione: Beneuolentia, inquit, quatuor ex locis comparatur: à noſtro, ab aduerſariorum, à iudicum perſona, ab ipſa cauſa. A noſtra, ſi de noſtris factis & officijs ſine arrogantia dicemus, ſi crimina illata, & aliquas minus honeſtas ſuſpiciones iniectas diluemus· ſi quae commoda acciderint, aut quae inſtent difficultates, proferemus, ſi prece & obſecratione humili ac ſupplici utemur. Ab aduerſariorum autem, ſi eos aut in odium, aut in inuidiã, aut in contemptionem adducemus. In odium ducentur, ſi quod eorum ſpurce, ſuperbe, crudeliter, malitioſe factum proferetur: In inuidiam, ſi uis eorum, potentia, diuitiae, cognatio, pecuniae proferentur, atque eorum uſus arrogans & intolerabilis, ut his rebus magis uideantur, quàm cauſae ſuae confidere: In contemptionem adducentur, ſi eorum inertia, negligentia, ignauia, deſidioſum ſtudium, & luxurioſum otium proferetur. Ab auditorum perſona beneuolentia captabitur, ſi res ab his fortiter, ſapienter, manſuete geſtae proferentur, ut neque aſſentatio nimia ſignificetur: & ſi de his quàm honeſta exiſtimatio, quantaq; eorũ iudicij & auctoritatis expectatio ſit, oſtenditur. A rebus ipſis, ſi noſtrã cauſam laudando extollemus, aduerſariorum cauſam per

contemptionem

contemptionem deprimemus. Beneuolos auditores quatuor modis facere poterimus.] Beneuolẽtiã aut à perſonis ducimus, aut à cauſis accipimus. Sed perſonarum eſt, ut plerique crediderũt, triplex ratio: ex nobis ex aduerſario, ex iudice. A` noſtra perſona beneuolentiam contrahemus, ſi noſtrum officium ſine arrogantia laudabimus.] Quale illud pro A. Licinio: Si quid eſt in me ingenij iudices, quod ſentio quàm ſit exiguũ: aut ſi qua exercitatio dicendi, in qua non inficior mediocriter me eſſe uerſatum: aut ſi huiuſmodi ratio aliqua, ab optimarum artium ſtudijs ac diſciplina perfecta, à qua ego nullum cõfiteor ætatis meæ tempus abhorruiſſe, earum rerum omnium uel in primis hic A. Licinius fructum à me repetere proprio iure ſuo debet. Aut in rempublicam, aut in parentes, aut in amicos, aut in eos ipſos qui audiunt.] Quales fuerimus oſtẽdemus, dum hæc quæ omnia noſtro officio facta cõmemoramus, ad cauſam pertineant. Quale illud pro L. Flacco: Cum in maximis periculis huius urbis atque imperij, grauiſſimo atque acerbiſſimo reipublicæ caſu, ſocio atque adiutore conſiliorum periculorumq; meorum L. Flacco, cædem à nobis, coniugibus, liberis noſtris, uaſtitatem à templis, delubris, urbe, Italia depellebam, ſperabam Iudices honoris potius L. Flacci me auditorem futurum, quàm miſeriarum deprecatorem. Quod enim eſſet præmium dignitatis? quod P. R. cum huius maioribus ſemper detuliſſet, huic denegaret. Aut in rempublicam quales fuerimus.] Quodq; noſtra interſit: & neceſſitate commotos, ad hanc rem acceſſiſſe dicamus. Vt pro C. Rabirio: Et ſi Quirites nõ eſt meæ conſuetudinis, initio dicendi rationem reddere, qua de cauſa quemque defendam, propterea quod cum omnibus ciuibus in eorum periculis ſemper ſatis mihi iuſtam cauſam neceſſitudinis eſſe duxi, tamen in hac defenſione capitis, famæ, fortunarumq; omnium C. Rabirij, ponenda ratio uidetur officij mei, propterea quod quæ iuſtiſſima cauſa eſt mihi, eadem nobis ad abſoluendũ uideri debet. nam me tum amicitiæ uetuſtas, tum dignitas hominis, tum ratio humanitatis, tum meæ uitæ perpetua conſuetudo, ad C. Rabirium defendendum eſt adhortata. At uero ut id facerem, ſalus reipublicæ, conſulare officium, conſulatus denique ipſe mihi una uobiſcum cum ſalute reipublicæ commendatus, cogit. Item ſi noſtra incommoda proferemus, inopiam, ſolitudinem, calamitatem, &c.] Quibus per commiſerationem beneuolentia captatur: quod tamen ſine nimia amplificatione faciemus. In hoc enim exordium ab oratione differt, quod quæ in exordio attinguntur, in oratione ampliſſime exaggerantur: idq; aut à perſona alterius, quem defendimus, fiet: aut noſtra. alterius perſona, huiuſmodi pro P. Sylla eſt exordium. Maxime uellem iudices, ut Pub. Sylla & antea dignitatis ſuæ ſplẽdorem obtinuiſſet, & poſt calamitatem acceptam modeſtiæ fructum aliquem potuiſſet percipere. Sed quoniam ita tulit caſus infeſtus, ut ampliſſimo in honore tum communi ambitionis inuidia, tum ſingulari Antronij odio uerteretur, & in his priſtinæ fortunæ reliquijs, miſeris & afflictis, tamen haberet quoſdã, quorum animos ne ſupplicio quidem ſuo ſatiare poſſet, quãquã huius incommodis magnam animo moleſtiam capio, tamen in cæteris malis facile patior oblatum mihi tempus, in quo boni uiri lenitatem, miſericordiamq; notam omnibus quondam, nunc quaſi intermiſſam agnoſcerent. Aut ſi orabimus, ut nobis ſint auxilio, & ſimul oſtendemus, nos in alijs ſpẽ noluiſſe habere.] Quale illud Ciceronis exordium ad Equites, antequam pelleretur in exilium, in quo etiam à perſona ſua beneuolentiã captat: Si quando inimicorum impetum propulſare ac propellere cupiſtis, defendite nunc uniuerſi unum, qui ne omnes occideritis, ardore flammæ conflagraretis, mei capitis periculo nõ dubitaui prouidere. nam quem uirtutis gloria cum ſumma laude ad cœlum extulit, eundẽ inimicorum inuidia indigniſſime oppreſſum deprimit ad ſupplicium. Si liberorũ conceptam dulcedinẽ animo incluſam continetis, nolite eo uelle carere, qui cariſſimam ueſtram procreationem ſibi eſſe duxit. Eſt enim liberale officium, ſerere beneficium, ut metere poſſis fructum fidei. Conducit in loco debitum retribuere: illic enim animi uoluntas propenſa comprobatur, hic memoria collaudatur. Itaque ſi omnibus graue ſeruitutis iugum eſſe debet, in libertate educatis, ſit is animis ueſtris acceptiſſimus, qui à ueſtro corpore iugum acerbiſſimum repulit ſeruitutis. Et ſi maiores ueſtri eos imperatores, qui militum uirtute hoſtium fregerunt furorem, iucundiſſi. fructu libertatis recõciliato, non ſolum ſtatuis dignos putauerunt, ſed etiã æterna triũphi laude decorarunt: tum uos eum conſulem, qui non militum præſenti fortitudine, ſed ſua eximia animi uirtute hoſtilem ciuium mentem ſenatus auctoritate uindicauit, exiſtimate uobis retinendum eſſe in ciuitate. Si quæ beneficia ſingulis ciuibus priuatimq; dantur, ea ſolent his eſſe fructuoſa à quibus ſunt profecta, iure & merito poſſum ego uos ad defenſionem meæ ſalutis adhortari, quos conſeruaui uniuerſos. Ab aduerſariorum perſona beneuolentiam captabimus, ſi eos in odium & inuidiã, in contemptionem adducemus. In odium rapiemus, ſi quid eorũ ſpurce, ſuperbe, perfidioſe, crudeliter, confidenter, malitioſe, flagitioſe factum proferemus.] Velut ipſe in Saluſtium: Ea demum magna uoluptas eſt tibi, Criſpe Saluſti, æqualem ac parẽ uerbis uitam agere, neque quidquã tã obſcenum dicere, cui non ab initio pueritiæ omni genere facinoris ætas tua reſpondeat, ut omnis oratio moribus conſonet. Neque enim qui ita uiuit ut tu, aliter ac tu loqui poteſt: neque qui tam illoto ſermone utitur, uita honeſtior eſt. Quò me uertam P. C. unde initium ſumã? maius enim mihi dicendi onus imponitur, quo notior eſt uterque noſtrum. Quod ſi autem de mea uita atque rebus noſtris huic conuiciatori reſpondebo, inuidia gloriam conſequitur: aut ſi huius facta, mores, omnem ætatem nudauero, in idem uitium incidam procacitatis, quod huic obijcio. In inuidiam trahemus, ſi uim, ſi potentiam, ſi factionem, diuitias, incontinentiam, nobilitatem, clientelas, hoſpitium, ſodalitium, affinitatem aduerſariorum proferemus.] Quale illud pro P. Quintio: Quæ res in ciuitate duæ plurimum poſſunt, hæ contra nos ambæ faciunt hoc tempore: ſumma gratia, & eloquentia. quarum alteram C. Aquili uereor, alteram metuo. Eloquentia Q. Hortenſij, ne me dicendo impediat, nõnihil uereor: gratia Sexti Neuij ne Quintio noceat, id uero non mediocriter pertimeſco. nec hoc tantopere querendum uideretur, hæc ſumma in illis eſſe, ſi in nobis eſſent ſaltẽ mediocria. Verum ita res ſe habet, ut ego qui nec uſu ſatis, & ingenio parum poſſum, cum patrono diſertiſſimo comparer: & P. Quintius, cuius tenues opes, nullæ facultates, exigua amicorũ copiæ ſunt, cum aduerſario gratioſiſſimo contendat. In contemptionem adducemus, ſi ignauiam, inertiam, deſidiam, luxuriam aduerſariorum proferemus.] Quale illud in Vatiniũ teſtem principium eſt: Si tua tantummodo, Vatini, quid indignitas poſtularet, ſpectare uoluiſſem, feciſſem id quod his uehementer placebat, ut te, cuius teſtimonium propter turpitudinem uitæ, ſordeſq; domeſticas nullius momenti putaretur, tacitus dimitterem. Nemo enim horum te refutandum, ut grauem aduerſarium: aut ita rogandum, ut religioſum teſtem arbitrabatur. ſed fui paulo in te intẽperatior fortaſſe quàm debui: odio enim tui, in quo & ſi omnes propter tuum in me ſcelus ſuperare debeo, tamen ab omnibus penè uincor, ſic ſum incitatus, ut cum te non minus contemnerem, quàm odiſſem, tamen uexatum potius quàm deſpectum uellem, dimitterem. Ab auditorũ perſona beneuolentia captatur, ſi res illorũ fortiter, ſapienter, &c.] Quale Darij illud apud Q. Curtiũ: Si cũ ignauis & plurimis, qualemcunque uitam honeſta morte æſtimantibus, fortuna iunxiſſet, tacerem potius quàm fruſtra uerba conſumerẽ. ſed maiore quàm uellem documento, & uirtutẽ ueſtrã expertus, magis etiã cõniti debeo, ut dignus talibus amicis ſim, quàm dubitare an

ueſtis ſimiles adhuc ſitis. Si res eorum fortiter, ſapienter, manſuete, magnifice iudicatas proferemus.] Vt ipſe Cicero: Si Patres Conſcripti, ueſtris in me immortalibus, fratremq; meum liberoſq; noſtros meritis parũ nobis cumulate gratias egero, quæſo obteſtorq;, ne uitæ noſtræ potius quàm magnitudini ueſtrorũ beneficiorum id tribuendum putetis. Quæ tanta enim poteſt exiſtere ubertas ingenij? quæ tanta dicendi copia? quod tam diuinum atque incredibile genus orationis? quo quiſquam poſſit ueſtra in nos uniuerſa promerita, nõ dicam complecti orando, ſed percenſere enumerando? qui mihi fratrem optatiſſimũ, me fratri amantiſſimo, liberis noſtris parentes, nobis liberos, qui dignitatem, qui ordinem, qui fortunas, qui ampliſſimam rempublicam, qui patriã (qua nihil poteſt eſſe iucundius) qui denique noſmetipſos nobis reddidiſtis. Quod enim tempus erit unquam, quo ueſtrorum in nos beneficiorum memoria ac fama moriatur?

Si quæ de his exiſtimatio, quæ iudicij expectatio ſit aperiemus.]

Quale Apuleij illud de Magia: Certus equidẽ eram, proq; uero obtinebam maxime, Claudi, quiq; in conſilio eſtis, Sicinium Aemilianum ſanè notiſſimæ temeritatis accuſationem noſtri prius apud te cœptam, quàm apud ſe cognitam, penuria criminum ſolis conuicijs impleturum: quippe inſimulari quiuis innocens poteſt, reuinci niſi nocens non poteſt. Quo ego uno præcipue confiſus, gratulor medius fidius, quod mihi copia & facultas te iudice obtigit purgandæ apud imperitos philoſophiæ. A' rebus ipſis beneuolum faciemus auditorem, ſi cauſam noſtrã laudando extollemus, & aduerſarium per contemptionem deprimemus.]

Quale quarti eſt huius libri totum omnino exordium. Tria ſunt tempora, quibus uti principio non poſſumus, quæ diligenter ſunt conſideranda. aut cũ turpẽ cauſam habemus, hoc eſt, cum ipſa res animũ auditoris alienat à nobis: aut cũ animus auditoris perſuaſus uidetur ab his eſſe, qui ante contra dixerunt.]

In alijs præceptis Rhetoricis: Inſinuatione igitur utendũ, inquit, eſt, cũ admirabile genus cauſæ eſt, hoc eſt, ut ante diximus, cum animus auditoris infeſtus eſt. Id autem tribus ex cauſis fit maximè. ſi aut ineſt in ipſa cauſa quædam turpitudo: aut ab his qui ante dixerunt, iam quiddam auditori perſuaſum uidetur: aut eo tẽpore locus dicendi nõ datur, cum iam illi quos audire oportet, defeſſi ſunt audiendo. Nam ex hac quoque re non minus quàm ex primis duabus, in oratore nonnunquam animus auditoris offenditur. Docuit ſupra Cicero, in principijs tria à nobis adhibenda eſſe, ut aut beneuolos, aut attentos, aut dociles faciamus auditores. Idem & in inſinuatione faciendum eſt: ſed ſecus. In principijs enim id aperte faciemus: in inſinuatione autẽ occulte, & quibuſdam circuitionibus, nec in alio cauſæ genere, niſi in admirabili, per quod etiam turpe datur intelligi, ut ſupra ex eius interpretatione colligi ſatis potuit, & tunc cum audientium animi erunt uehementer offenſi: oſtenditq; quibus potiſſimum rebus offenſos iudicum animos poſſimus agnoſcere.

Si cauſa turpitudinẽ habebit, exordiri poterimus his rationibus: & quæ ſequuntur.] In alijs præceptis: Si cauſa, inquit, turpitudo contrahet offenſionem, aut pro eo homine in quo offenditur, alium hominem qui diligitur interponi oportet: aut pro re in qua offenditur, aliam rem quæ probatur: aut pro re hominem, aut pro homine rem, ut ab eo quod odit ad id quod diligit auditoris animus traducatur: & diſſimulare id te defenſurum quod æſtimeris. Deinde cum iam melior factus erit auditor, ingredi pedetentim in defenſionem, & dicere ea quæ indignentur aduerſarij, tibi quoque indigna uideri. Deinde cum leniueris eum qui audiet, demonſtrare nihil pertinere eorũ ad te, et negare te quidquam de aduerſarijs eſſe dicturum, neque hoc, neque illud, ut neque aperte lædas eos qui diliguntur: & tamen id obſcure faciens, quoad poſſis alienes ab eis auditorum uoluntatem, & aliquorum iudicium ſimili de re, aut auctoritatem proferre imitatione dignam. Deinde aut eandem, aut conſimilem, aut maiorem, aut minorem agi rem, in præſenti demonſtrare. Hic, Turpis aut res erit, inquit, aut perſona. ſi perſona turpis fuerit, aut alium hominem ſubijcies, qui amatur: aut rem pro perſona. Deinde ſi res turpis fuerit, aut aliam rem quæ honeſta eſt ſubijcies, aut pro re homines. Illic uero dicit, ſi genus turpe ſit, hominem non rem, aut rem non hominem ſpectari debere, dicendum nobis. Hæc igitur præcepta ab illis penè nihil in hoc differunt: ſed nobis ſubaudiendum eſt, ſi utrunque turpe fuerit, & res & perſona, commodum eſſe cauſas non ſuſcipere: tamen ſi quid leuiter turpe fuerit, poſſe ſuſcipi: deinde adijcere, ea quæ aduerſarijs diſpliceant, ſibi etiam diſplicere: ſed nihil horum ad tuum negotium pertinere, mirariq; te dicas, cur tam fœtida dicant: & occulte de aduerſarijs detrahendo rem amplificabimus. Deinde, inquit, de ſimili negotio aliquorum iudicium afferre oportebit exemplum, ne nouum id eſſe uideatur. Animaduertendum hic eſt, ut in inſinuatione quatuor locis præceperit beneuolentiã comparari poſſe: id eſt, ab ipſa cauſa, à noſtra perſona, ab aduerſariorum, à iudicum. A' cauſa dixit poſſe beneuolentiam comparari, ubi ait hominem, non rem, aut rem, non hominem ſpectari oportere. A' noſtra perſona, cum ait: aut non placere nobis ipſis quæ facta dicantur ab aduerſarijs, & eſſe indigna, aut nefaria. Deinde pedetentim cum rem auxerimus, nihil ſimile nobis factum eſſe oſtendemus. Ab aduerſariorum uero perſona quemadmodum beneuolentiam comparemus oſtendit, cum ait: Item ſi negabimus nos de aduerſarijs, aut de aliqua re dicturos, & tamen occulte dicemus interiectione uerborum. Poſtremo docet, ut à iudicum perſona beneuolentiam comparemus, cum ait: Aut aliquorum iudicium de ſimili cauſa, aut de eadem, aut de minori, aut de maiori proferemus. Verũ quod ait, de ſimili cauſa, aut de minori, aut de maiori, imitatione dignum eſt, ut poſt exemplum facienda ſit comparatio. Comparatio porrò nunc à pari, nunc à maiori, nunc à minori fiat neceſſe eſt. His igitur rationibus oſtendit, ſi per cauſæ turpitudinem auditores offenſi extitiſſent, quibus modis ab his poſſit beneuolentia comparari. Si perſuaſus auditor fuerit, id eſt, ſi oratio aduerſariorum auditoribus fidem fecerit: neque enim non facile ſcire poterimus, quoniam non ſumus neſcij quibus rebus fides fieri ſoleat. Ergo ſi fidem factam putabimus, his nos rebus inſinuabimus ad cauſam, de eo quod aduerſarij firmiſſimum ſibi adiumentum putarint, primum nos dicturos pollicebimur, aut ab aduerſarij dicto exordiemur, & ab eo maxime quod ille nuperrime dixerit: & quod ſequitur.] In alijs præceptis ita reliquit: Sin oratio aduerſariorũ fidem uidebitur auditoribus feciſſe, idq; ei qui intelligit quibus rebus fides fiat, facile erit cognitu, oportet aut de eo quod aduerſarij ſibi firmiſſimum putarint, & maxime hi qui audient probarint, primum te dicturum polliceri: aut ab aduerſarij dicto exordiri, ab eo potiſſimum, quod ille nuperrime dixerit: aut dubitatione uti, quid primũ dicas, aut cui potiſſimum loco reſpondeas, cum admiratione. Nam auditor cũ eum quem aduerſarij perturbatum putant oratione, uidet animo firmiſſimo contradicere paratum, plerunque ſe potius temere aſſenſiſſe, quàm illum ſine cauſa confidere arbitratur. Hoc dicit. ſi oratio aduerſariorum dictis fidem fecerit, & ideo iudices uidentur abalienati, trib. modis beneuolentiam comparamus: ſi aut ab eo argumento quod ſibi firmiſſimũ crediderant aduerſarij, te dicturũ eſſe promittas: aut ſi ab eo dicto incipias, quod aduerſarius nuper dixerit: aut ſi, inquit, cum admiratione dubites, cui potiſſimũ reſpondeas quæſtioni. nec enim, inquit, cognitu difficile erit, an perſuaſus iam ſit auditor: aut (inquit) eum riſu reſpondentes, hominis admirabimur audaciã. Hic Ciceronianis uerbis Quintiliani adijciã ſententiam: Par eſt, et quid in hac re ſummi ſcripſerint ſenſerintq; oratores, auditores quoque mecum intelligãt, quod utiliſſimum fore cenſuimus: Inſinuatio, inquit, ſurrepit animis maxime, ubi frons cauſæ nõ ſatis honeſta eſt, uel

quia

quia res ſit improba, uel quia hominibus parum probetur, aut facie quoque ipſa premitur, uel inuidioſa conſiſtentis ex diuerſo patroni aut patris, uel miſerabilis ſenis, cæci infantis. Et quidẽ, quibus aduerſus hæc modis ſit medendum, uerboſius tradũt, materiasq; ipſi ſibi fingunt, & morem actionum perſequuntur. Sed hæc cum oriantur ex cauſis, quarũ ſpecies conſequi omnes non poſſumus, niſi generaliter comprehendantur, in infinitum ſint extrahenda, quare ſingulis conſilium cum propria ratione naſcetur. Alijs in uniuerſum præcepimus, ut ab his quæ lędũt ad ea quæ proſunt confugiamus. ſi cauſa laborabimus, perſona ſubueniat: ſi perſona, cauſa: ſi nihil quod nos adiuuet erit, quæramus quid aduerſarium lædat. nam ut optabile eſt, plus fauoris mereri: ſic proximum, odij minus. In his quæ negari non potuerint, elaborandum, ut aut minora quàm dictum eſt, aut alia mente facta, aut nihil ad præſentem quæſtionem pertinere, aut emendari poſſe pœnitẽtia, aut ſatis iam punita uideantur: idq; agere aduocato quàm litigatori facilius, quia & laudat ſine arrogantiæ crimine, & aliquando etiam utiliter reprehendere poteſt. Nam ſe quoque moueri interim finget, ut pro Rabirio Poſthumo Cicero, dum aditus ſibi ad aures faciat, & auctoritatem induat uera ſentientis, quo magis credatur uel defendenti eadem, uel neganti. ideoq; hoc primum intuemur, litigatoris an aduocati perſona ſit utendum, quotiens utrunque fieri poteſt. His etiam de cauſis inſinuatione uidetur opus eſſe, ſi aduerſarij actio iudicum animos occupauerit. Si defeſſi erunt audiendo, ab aliqua re, quæ riſum mouere poſſit, exordiemur, & quæ ſequuntur.] In alijs præceptis ita reliquit: Sin auditoris ſtudium defatigatio abalienabit à cauſa, te breuius quàm paratus fueris eſſe dicturum, commodum eſt polliceri, non imitaturum aduerſarium. Sin res dabit, non inutile eſt ab aliqua re noua, aut ridicula incipere, aut ex tempore quæ nata ſit, quod genus ſtrepitu, acclamatione: aut iam parata, quæ uel apologum, uel fabulam, uel aliquam contineat irriſionem. aut ſi rei dignitas adimet iocandi facultatem, aliquid triſte, nouũ, horribile, non incommodum eſt ſtatim inijcere. Nam ut cibi ſatietas, & faſtidium, aut ſubamara aliqua re releuatur, aut dulci mitigatur: ſic animus defeſſus audiendo, aut admiratione integratur, aut riſu renouatur. Si forte iudices defatigati fuerint multos audiendo, primum (inquit) captare beneuolentiam oportebit, rebus nouis, uel ridiculis, riſum iudicibus mouentibus, ſicut ab apologo, uel quacunque fabula, quæ propoſito conducat noſtro. Et hoc duplici modo: aut ex tempore, ſi forte clamor aut ſtrepitus aliunde fuerit exortus: aut cogitatis paratiſq; literarũ inuerſione, & immutatione uerborum, cæteriſq; rebus quæ nouitate aut iucunda inuentione animi quoquo modo ſuſcitent audientes. Vrbanitas enim opportuna reficit animos, & undecunque petita iudicis uoluptas leuat tædium. Præterea ſi pollicebimur, nos breuius quàm futuri eramus, eſſe dicturos, & aliter ac alij ſoleant. Exordiemur ab apologo, fabula, ueriſimili, imitatione, deprauatione, inuerſione.]. Fabulæ ſunt, quas ſcenè uidemus extitiſſe ex Phædris, Medeis, Clytemneſtris, aliiſq; ſimilibus. Apologi ſunt ex rebus humilibus compoſita quædam forma ac ſpecies ad uiuendum: quales Aeſopicæ fabulæ ſunt, uelut de mure & leone fabula. Veriſimili.] Quia ſunt & nullo modo ueriſimiles. Imitatione.] Si nos aliquẽ imitari, aut non imitari aduerſarium deteſtando dicemus. Deprauatione.] Deprauando quæ ab aduerſarijs dicta uel facta ſunt. Inuerſione.]. Inuertemus uerba: ut, Pudicum ne uocem quem nos impudicum noſtis? Ab ambiguo.] Quod utroque uerſu capi poſſit: ut, inſignis hic hodie factus eſt, nam ab hoc & clarum & infamem poſſimus annotare. Suſpicione.] Vt ſi dicas, quot hic doli lateant adhuc neſcitis? Irriſione.] Cum aduerſarij obiecta irridemus. Stultitia.] Cum eoſdem uideri ſtultos, quod minus prudenter quæ dixerint excogitarint, uideri nolumus. Exuperatione.] Cum quæ ipſi fecerint mala noſtris antecedãt, aut quæ dixerunt longe exuperent quæ facta ſunt, ac per hoc falſa eſſe deprehendantur. Collatione.] Cum conferimus noſtra cum aduerſarijs. Literarum mutatione.] Vt, Beneficiũ ſe contuliſſe refert, quod huic grande ueneficium fuit. Præterea expectatione.] Si expectandum aliquantum eſſe. Abiectione.] Si quid abijciendum, quod minus uerum ſit. Similitudine.] Si ſimile, quod dicimus, alicui contigiſſe dicamus. Nouitate.] Si nouum & inuſitatum, inauditumq; item dicas quod aduerſarij obijciunt, aut quod poſcant ſibi. Hiſtoria.] Alicuius rei lepida narratione. Verſu.] Vtpote in ſoluta oratione inuſitato, neque noua, euigilanter erigetur auditor. Aut ab alicuius interpellatione.] Si quis loquentem interruperit. Aut arriſione.] Si exhilarati conſurgamus in aduerſarium. illudq; planè tenendum in primis erit, ſi negotij dignitas patietur, riſum uel iocum moueri oportere. Sin tale fuerit negotium, ut nec iocandum, nec ridendum ſit, à re aliqua triſti ſeueraq; incipere cõmodiſſimum eſſe. nam ut cibi faſtidium, nunc dulci re nũc ſubamara releuatur: ita audiendi ſtudium apud iudices nunc ridiculis rebus, nunc aſperioribus redintegratur. ſed iam quo inſinuationis tractatio clarior fiat, exemplis, ut de principijs fecimus, quo modo id poterimus, illuſtremus, idq; à principio ordiamur. Ait enim Cic. hominem non rem, aut rem non hominẽ. huiuſmodi apud ipſum pro M. Cœlio eſt: Si quis iudices forte nunc adſit ignarus legum, iudiciorum, conſuetudinis noſtræ, miratur profecto quæ ſit tanta atrocitas huius cauſæ, quod diebus feſtis, ludiſq; publicis, omnibus negotijs forenſibus intermiſſis, unum hoc iudicium exerceatur: nec dubitet quin tanti facinoris reus arguatur, ut eo neglecto ciuitas ſtare non poſſit. Idem cum audiat eſſe legem, quæ de ſeditioſis conſceleratiſq; ciuibus, qui armati ſenatum obſederunt, magiſtratibus uim attulerunt, rempublicam oppugnarunt, quotidie quæri iubeat, legem non improbet: crimen quod uerſetur in iudicio requirat, cum audiat nullum facinus, nullam audaciam, nullam uim in iudicium uocari: ſed adoleſcentem illuſtri ingenio, induſtria, gratia, accuſari ab eius filio, quem ipſe in iudicium & uocet & uocarit, oppugnari autem opibus meretricijs. Hic licet animaduertere, ut à principio iudices occuparit, ne diebus feſtis, ludiſq; publicis, turpe de aliquo fieri iudicium putent, & quàm res turpis ſit, tam honeſtum de quo diceretur uideri poſſe: deinde ut docilitatem cum attentione captet, cum & crimen & criminis pondus explicet. Cum autem ſubijcit, Aut aliquorum iudicium de ſimili cauſa: huius apud ipſum, exemplum pro L. Cornelio hoc luculentiſſimum eſt. ſi auctoritates patronorum in iudicijs ualent, ab ampliſſimis uiris dicta L. Cornelij cauſa defenſa eſt: ſi uſus, à peritiſſimis uiris: ſi ingenia, ab eloquentiſſimis: ſi ſtudia, ab amiciſſimis, & cum beneficijs cum L. Cornelio, tum maxima familiaritate coniunctis. Quæ ſunt igitur meæ partes auctoritatis tantæ, quãta uos in me eſſe uoluiſtis? uſus mediocris ingenij, minime uoluntati parem. nam cæteris, à quibus eſt defenſus, hũc debere plurimum uideo: Ego quantum ei debeam, alio loco oſtendam. principio orationis hoc oppono, me omnibus qui amici fuerunt ſaluti meæ, & dignitati, ſi minus ad ferendam gratiam ſatisfacere potuerimus, ad prædicandam & habendam certe ſatis eſſe facturum. Quæ fuerit heſterno die Gn. Pompei grauitas in dicendo, iudices, quæ facultas, quæ copia, non opinione tacita neſtrorum animorum, ſed perſpicua admiratione declarari uidebatur, nihil enim unquam audiui, quod mihi de iure ſubtilius dici uideretur: nihil de memoria, nihil de more, de exemplis acutius, nihil peritius de fœderibus, nihil de illuſtriore auctoritate, de bellis, nihil de republica grauius, nihil de ſeipſo modeſtius, nihil de cauſa, de crimine ornatius, ut iam mihi uerũ uideatur illud eſſe, quod non-

nulli literati ac ſtudijs doctrinisq; dediti, qua ſi quoddam incredibile dicere putabantur, ei qui omnes animo uirtutes comprehendiſſet, omnia quæ uellet facile tractaret. Quæ enim in L. Craſſo potuit homine nato ad dicendi ſingularem quandam facultatem, ſi hanc cauſam ageret, maior eſſe ubertas, uarietas, copia, quàm fuit in eo qui tantum impartire huic ſtudio temporis, quantum ipſe qui à pueritia uſque ad hanc ætatem à continuis bellis et uictorijs conquieuit, quo mihi difficilior eſt hic perorandi locus. Etenim ei ſuccedo orationi, quæ non præteruecta ſit aures ueſtras, ſed in animis omnium penitus inſederit, ut plus uoluptatis ex recordatione illius orationis, quàm non modo è mea, ſed ex cuiuſcunque oratione capere poſſitis. ſed mos eſt gerẽdus nõ modo Cornelio, cuius ego uoluptati in eius periculis nullo modo deeſſe poſſum: ſed etiam Gn. Pompeio, qui ſui facti, ſui beneficij uoluit me eſſe, ut apud eoſdem uos iudices nuper alia cauſa fuerim, & prædicatorem & auctorem. Longiores in horum exemplis exordiorum ſumus, non quin intelligeremus, neminem qui præcepta det eloquentiæ, id proſequi: ſiquidem modo ſuum oſtendãt ingenium, ſatis eſſe fortaſſis ducunt, cæterorum curam linquentes diſcentibus: ſed ut rudibus adhuc hanc præceptionem oculis ſubijciamus, & plus utilitatis quàm oſtenſionis afferamus, aut uoluptatis. Ex hoc enim Ciceronis initio, ante cauſæ expoſitionem, quãta iudicum ex Pompeij laudibus attentio comparata ſit, ut ſe non male feciſſe, ſi eam quã Pompeius, defendendam cauſam complectatur, facile cognoſci potuit. Item ſi negabimus, nos aduerſarijs aut de aliqua re dicturos, & tamen occulte dicemus interiectione uerborum.] Quale illud apud Q. Curtium ad Alexandrum: Tum Pœnus, Dij prohibeant (inquit) à nobis impias mentes. & profecto prohibent. idem animus eſt tuis, qui ſemper fuit, ire quo iuſſeris, pugnare, periclitari, ſanguine noſtro commendare poſteritati tuum nomen. Proinde ſi perſeueras, inermes quoque & nudi, & exangues, utcunque orbi, cordi eſt, ſequimur, uel antecedimus. ſed ſi audire uis non fictas tuorum militum uoces, uerum neceſſitate ultima expreſſas, &c. hic Pœnus nolle ſe cõtra Alexandri ſententiam dicere profeſſus, latenter tamen id inſinuat. *Aut ab aduerſarij dicto exordiemur, aut ab eodẽ maxime quod ille nuperrime dixerit, aut dubitatione utemur quid potiſſimum dicamus.]* Tale Ciceronis pro Q. Ligario exordium eſt: Nouum crimen, C. Cæſar, & ante hunc diem inauditum, propinquus meus ad te, Q. Tubero detulit, Q. Ligarium in Africa fuiſſe, idq; C. Panſa præſtanti uir ingenio, fretus fortaſſe ea familiaritate quæ eſt ei tecum, auſus eſt confiteri. Itaque quo me uertam neſcio. paratus enim ueneram, cum tu id neque per te ſcires, neque aliunde audire potuiſſes, ut ignoratione tua ad hominis miſeri ſalutem abuterer: ſed quoniam diligentia inimici inueſtigatum eſt, id quod latebat, confitendum eſt (ut opinor) præſertim cum meus neceſſarius C. Panſa fecerit, ut id iam integrum non eſſet: omiſſaq; controuerſia omnis oratio ad miſericordiam tuam conferenda eſt, qua plurimi ſunt conſeruati, cum à te non liberationem culpæ, ſed errati ueniam impetrauiſſem. habes igitur Tubero, quod eſt accuſatori maxime optandum, confitentem reum: ſed hoc confitentem, ſe in ea parte fuiſſe, qua te uirum omni laude dignum patrem tuum. Itaque prius de ueſtro delicto confiteamini neceſſe eſt, quàm Ligarij ullam culpam reprehendatis. Videmus quàm ſe imparatum ad hãc cauſam acceſſiſſe Cicero diſſimulauerit, & quod in cauſa potiſſimũ fuit, primũ ſum; ſerit confutandũ, precibusq; & miſeratione diluendum addubitationes præmittens. *Ab aliqua re quæ riſum mouere poſſit incipiemus.]* Quale illud ipſius Ciceronis eſt, in Clodium: Heſterno die P. C. cum me & ueſtra dignitas, & frequentia equitum Romanorum, quibus ſenatus dabatur, magnopere commouiſſet, putaui mihi reprimendam eſſe P. Clodij impudicam pudicitiam, cum is publicanorum cauſam ſtultiſſimis interrogationibus impediret, P. Tullioni Syro nauaret operam: atque ei ſe, cui totus uenierat, etiam uobis inſpectantibus uenditaret. Itaque hominem furentem, exultantemq; continui, ſimulac periculum iudicij intendi, duobus ineptis uerbis omnem impetum gladiatoris, ferocitatemq; compreſſi. Attamen ignarus qui conſules eſſent, exanguis atque æſtuans, ſe ex curia repente proripuit, cum quibuſdã fractis iam atque inanibus minis, & cum illis Piſoniani temporis Gabinianiq; terroribus, quem cum egredientem in ſe quod cepiſſem, cepi equidem fructum maximum & ex conſurrectione omnium ueſtrum, & ex comitatu publicanorum. Sed uecors repente, ſine ſuo uultu, ſine colore, ſine uoce conſtiterat, deinde reſpexit, & ſimul ad Gn. Lentulum conſulem aſpexit: concidit in curia penè limine. Videtis quanta arte, dũ artem fugere uideri uult, hæc enarrat: uulgari, eaq; humilitate compoſitionis, ut rem ipſam intueri nos quoque uideamur. *Irriſione, ſtultitia.]* Cuiuſmodi illud: Iam'ne ſentis bellua, iam'ne ſentis quæ ſit hominum querela frontis tuæ? nemo queritur, Syrũ neſcio quem de grege nouitiorum factum eſſe conſulem: non enim color iſte ſeruilis, non piloſæ genæ, non dentes putridi deceperunt, oculi, ſupercilia, frons, uultus denique totus, qui ſermo quidam tacitus mentis eſt, hic in errorem homines impulit: hic eos quibus erat ignotus, decepit, hos fefellit. hic in fraudem induxit, pauci iſta tua luculenta uitia noramus, pauci tarditatem ingenij, ſtuporem, debilitatemq; linguæ. nunquam erat audita uox in foro, nunquam periculum factum aut militiæ, aut domi. obrepſiſti ad honores errore hominum, commendatione fumoſarum imaginum, quarum ſimile habes nihil præter colorem. *Collatione.]* Vt illud: Si quantum in agris locisq; deſertis audacia poteſt, tantum in foro atque in iudicijs impudentia ualeret, non minus in cauſa cederet A. Cæcina Sext. Ebutij impudentiæ, quantum in ui facienda ceſſit audaciæ. *Hiſtoria.]* Quale eſt, Cum multa, Pontifices, à maioribus noſtris diuinitus inuenta atque inſtituta ſunt, tũ nihil præclarius, quàm quod uos eoſdem & religionibus deorum immortalium, & ſummæ reipublicæ præeſſe uoluerunt, ut ampliſſimi & clariſſimi ciues rempublicam bene gerendo, Pontifices religiones religionibus ſapienter interpretando, rempublicam conſeruarent. Quod ſi ullo tempore magna cauſa ſacerdotum, Pop. Rom. iudicio ac poteſtate uerſata eſt, hæc profecto tanta eſt, ut omnis reipublicæ dignitas, omnium ciuium ſalus, uita, libertas, aræ, foci, dij penates, bona fortunæ, domicilia noſtra ſapientia, fide, poteſtatiq; cõmiſſa, creditaq; eſſe uideantur. *Aut ſi pollicebimur aliter ac parati fuerimus, nos eſſe dicturos.]* Quale Ciceronis pro Ligario ſupra recenſuimus exordium, quo præcepta de exordiendi rationibus clariora fierent, exempla non quidem omnium ſubiecimus. quod cum immenſa res ſit, fieri non poteſt: & ſi fieri etiam poſſit, hoc onus hic ſumere non liceat. ſatis enim unicuique factum eſt, ſi iter commonſtratum, cum perpetuo dux & præuius eſſe non poſſim. *Inter inſinuationem & principium hoc intereſt.]* Hoc dicit, principium ab inſinuatione hoc differt, quod per principiũ aperte beneuolentiam attentionemq; captamus, & docilem facimus auditorem: Inſinuatione autem hæc omnia occulte, & per diſſimulationem. denique hæc tria in exordio fieri diximus, non quin in tota oratione id fieri oporteat, ſed quod in exordio plus cæteris partibus deſideretur. *In exordienda cauſa eſt obſeruandum, ut lenis ſit ſermo, ut uſitata uerborum conſuetudo, ut non apparata oratio eſſe uideatur.]* In alijs præceptis rhetoricis, inquit: Exordium ſententiarum & grauitatis plurimum debet habere, & omnino omnia quæ pertinent ad dignitatem, in ſe continere: proptereaq; id optime faciendum eſt, quod oratorem auditori maxime commendat, ſplendoris & feſtiuitatis & concinnitudinis minimũ, propterea quod ex his ſuſpicio quædam apparationis atque artificioſæ

tificioſa diligentiæ naſcitur : quæ maxime orationi fidem, oratori adimit auctoritatem . In exordio, inquit, nihil ſplendidum, nihil diligenter accuratum habere debemus, ne ipſa dicendi diligentia diffidentiam negotij demonſtremus . Veruntamen ſententiarum grauitate refertum eſſe oportebit . Sed hic Quintiliani non prætéribo ſententiam, cum & ipſe orator ſit non contemnendus, & dicendi magiſter eruditiſſimus, ac præceptionum acutiſſima diligentia ſua tantum emineat, quãtum fortaſſe ipſe Cicero dicendi facultate antecedat : Multum, inquit, gratiæ exordio ineſt, quod ab actione diuerſæ partis materiam trahit, hoc ipſo, quod non compoſitum domi, ſed ibi atque tunc natum, & facilitate famam ingenij auget, & facile ſimplicis ſumptiq; ex proximo ſermonis fidem quoque acquirit, adeo ut etiam ſi reliqua ſcripta atque elaborata ſint, tamen plerunque uideatur tota eſſe temporalis oratio, cuius initium nihil præparatum habuiſſe manifeſtum eſt . frequentiſſime uero proœmium decebit, & ſententiarum, & compoſitionis, & uocis, & uultus modeſtia, adeo ut in genere cauſæ etiam indubitabli fiducia ſe ipſa nimium exercere non debeat, odit enim iudex litigantis ſecuritatem, cumq; ius ſuum intelligat tacitus reuerẽtiam poſtulat. Nec minus diligenter, ne ſuſpecti ſimus ulla parte, uitãdum eſt: propter quod minime oſtẽtari debet in principijs cura, quia uidetur omnis ars docentis contra iudicem adhiberi : ſed iſtud ipſum curare, ſummæ artis eſt. nam id ſine dubio ab omnibus, & quidem optime præceptum eſt: uerum aliquatenus temporum conditione mutatur, quia iam quibuſdam iudicijs, maximeq; capitalibus, aut apud centumuiros ipſi iudices exigunt ſollicitas & accuratas actiones, contemniq; ſe, niſi in dicendo etiam diligentia appareat, credunt : nec doceri tantum, ſed etiam delectari uolũt. & eſt difficilis huius rei moderatio : quæ tamen teneri ita poteſt, ut uideamur accurate, non callide dicere . Illud ex præceptis ueteribus monet, ne quod inſolens uerbũ, nec audacius tranſlatum, ne'ue aut obſoleta uetuſtate, aut poetica licentia ſumptũ in principio deprehendatur. Vitioſum exordium eſt, quod in plures cauſas poteſt accõmodari, quod uulgare dicitur .] *Vitia, inquit, certiſſima exordiorũ ſunt, quæ ſummopere uitare oportebit, uulgare, cõmune, commutabile, apparatũ, longũ, ſeparatum, tranſlatum, contra præcepta . Vulgare eſt, quod in plures cauſas poteſt accommodari . Idq; generale dicitur principium, & quod non unius, ſed omnium poteſt eſſe cauſarum . ſi ſic incipias : Deum ego optimum maximumq; aut uellem, ſi fieri poſſet, iudices .* Item uitioſum eſt quo nihilominus aduerſarius poteſt uti, quod commune appellatur .] *Commune eſt, inquit, quod nihilominus in hanc quàm aliam contrariam partem cauſæ poteſt conuenire . Inter uulgare & commune hoc intereſt, quod uulgare omnium controuerſiarum eſt, commune in eadem controuerſia utriuſque partis . Itaque commune, utpote ſpecies, includitur : uulgare autem, generale eſt.* Item id, quo ex contrario leniter commutato, aduerſarius poteſt uti.] *Eſt, inquit, commutabile exordium, quod ab aduerſarijs commutato uerbo uel addito poſſit in parte contraria commutari .* Item uitioſum eſt, quod nimium apparate compoſitum eſt .] *De hoc longius ſupra diſputatum.* Aut nimium eſt longũ.] *Quod pluribus uerbis aut ſententijs, ultra quàm ſatis eſt labitur, ne oratio in caput ſurrexiſſe uideatur.* Et quod ex ipſa cauſa natum non uidetur .] *Vt proprie cohæreat cum narratione . Vitioſum, inquit, eſt, quod ſeparatum nominatur, cum non proprij negotij, neque eius cauſæ de qua agitur ſit . Vt ſi homicida tibi accuſandus ſit, et tu ab adulterij facinoribus exordium ſumas .* Aut quod neque beneuolũ, neque docilem, neque attentum facit auditorem .] *Hoc duobus modis fieri poteſt : Primum, cum aliud conficis quàm genus cauſæ poſtulat . Vt ſi attentum facere uelis auditorem, & cauſa primum beneuolentiam deſideret : aut cum res inſinuationem poſtulet, & exordio utaris . idq; tranſlatum nominatur. Deinde cũ omnino nec docilem, nec attentum, nec beneuolum facis auditorem : quod contra præcepta nominantur.*

DE NARRATIONE.

Narrationum tria genera ſunt .] *De Inuentione ſcribens, Narratio, inquit, eſt rerum geſtarum, aut ut geſtarum expoſitio . Narrationum genera tria ſunt. unum genus eſt, in quo ipſa cauſa, & omnis ratio controuerſiæ continetur : alterum, in quo digreſſio aliqua extra cauſam, aut criminationis, aut ſimilitudinis, aut delectationis non aliena ab eo negotio quo de agitur, aut amplificationis cauſa interponitur . Tertium genus eſt remotum à ciuilibus cauſis, quod delectationis cauſa non inutili cum exercitatione dicitur & ſcribitur : Definit narrationem hoc modo : Narratio eſt rerum geſtarum, aut ut geſtarum expoſitio . Alij addunt, & dicunt : Narratio eſt rei factæ, aut ut factæ, utilis ad perſuadendũ expoſitio . Appollodorus autem ſic finit : Narratio eſt oratio, docens auditoorem quid in controuerſia ſit . Quintilianus narrationẽ diuidit, inquiens : Hæc eſt narratio, in qua ſciens tranſcurram ſubtiles nimium diuiſiones quorundam, plura eius genera facientium . Non enim ſolum uolunt illam eſſe negotij, de quo apud iudices quæritur, expoſitionem, ſed Perſonæ : ut, M. Actilius Palicanus humili loco natus, Picens, loquax magis quàm facundus . Loci : ut, Oppidum eſt in Helleſponto Lampſacum, iudices . Temporis : ut, Vere nouo gelidus canis cum montibus humor Liquitur : Cauſarum, quibus hiſtorici frequentiſſime utuntur, cum exponunt unde bellum, cædes, peſtilentia . Præter hæc, alias perfectas, alias imperfectas uocant : quod quis ignorat ? Apollonius autem Tyanæus, qui philoſophus fuit, quinque narrandi fecit ſpecies . Primam, quam philoſophorum eſſe refert : ſecundam, quam hiſtoricorum dicit : tertiam, quæ in iudicijs adhibetur, quartam, quam epiſtolarem nominat : quintã, qua nos aliqua re ficta commoneri & moratos fieri ait . Hermogenes autem, præter eas quas Quintilianus decurrit, ſpecies alias, uel potius narrationum modos in Præexercitamentis ſubiungit : nempe ſolere fieri narrationes per rectum indicatiuum, per indicatiuum inclinatiuum, per coniunctiuum, per diſſolutum, per comparatiuum . Rectum indicatiuum : ut, Medea Aetæ filia, quæ prodidit aureum uellus, ſecuta Iaſonem eſt, & ſequentia . Rectum autem indicatiuum nominatur, quod per totam penè narrationem caſum ſeruat nominatiuum, cum uerbo indicatiuo . Indicatiua inclinatiua dicitur, in qua obliquis utimur caſibus : ut, Medeam Aetæ filiam Iaſonem ferunt adamaſſe, & reliqua : ubi obliquos aſſumat caſus . Coniunctiua uero figura eſt, qua arguentes utimur : ut, Quid enim non fecit Medea malum? hoſpitem turpiter adamauit, aureum uellus prodidit, fratrem occidit, & ſimilia . Diſſolutũ autem hoc eſt, cum ſine copulis inciſa proferũtur : ut, Medea Aetæ filia fuit, prodidit aureum uellus, Abſyrtum interfecit : & cum ſimiliter cætera proferuntur . Comparatiuum hoc pacto fit : Medea Aetæ filia, quæ ſeruare pudicitiam debuit, amoris turpitudine eam commaculauit : & quam æternæ ſalutis cuſtodem eſſe oportuit, ea ultro ipſam crudeliter laniauit : & quæ tutari domum debuit, aureum uellus inſidiatori dedit : & quam patrem iuuare oportuit, ea peregrino hoſpiti poſtpoſuit . Rectũ quidem hiſtoriæ conuenire, quod ſit planius : Inclinatiuum uero, magis rhetoricis controuerſijs . Coniunctum quoque ad arguendũ accommodatius eſſe exiſtimat : diſſolutum uero, concluſionibus, quod affectus cõmoueat, quadrare melius putat Quintilianus . Adijcit, inquit, & præteritorum eſſe temporum narrationem, quæ eſt frequentiſſima : & præſentium, qualis eſt Ciceronis de diſcurſu amicorum, pro Roſcio : Chryſogonus poſtquam eſt nominatus . & futurorum, quæ ſolis dari uaticinantibus poteſt .*

nam hypotypoſis non eſt habenda narratio. Sed iam ad Ciceronis diuiſionem redeo. Tria, inquit, narrationum cum ſint genera, unum genus eſt, in quo res geſtæ, & omnis ratio controuerſiæ continetur, ad eas pertinens cauſas de quibus futura iudicatio eſt. Aliud genus narrationis eſt, quod extra cauſam eſt. Sed ad cauſam facit, ut illud Vergilianum, Pater ipſe colendi Haud facilem eſſe uiam uoluit: & totus ille locus, ubi inſtitutum ſuum egreditur. Verum hæc narratio extra cauſam quinque modis fit, aut fidei, aut criminationis, aut tranſitionis, aut alicuius apparatus, aut laudationis cauſa. Ad fidem faciendam, quale in Verrem illud: Nonne ita, ut omnibus nobis tacentibus ipſæ te tuæ tabulæ condemnare poſſent? cedo quæſo codicem, circunfer, oſtende. Videtiſ'ne totum hoc nomen, coram ubi facit delatum eſſe in litura? quid fuit iſthic antea ſcriptū? quod mendum iſta litura correxit? quid à nobis iudices expectatis argumenta huius criminis? nihil dicimus: tabulæ ſunt in medio, quæ ſe corruptas atque interlitas eſſe clamant. Illud in Vatinium: Repente enim te tanquam ſerpens è latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis ceruicibus intuliſti. Aut tranſitionis.] Vt illud in Verrem: Eſt conſuetudo Siculorum, ſingulorumq; Græcorum, quod ſuos dies menſeiq; congruere uelint cum ſolis lunæq; ratione. uel nonnunquam, ſi quis diſcrepet, eximant unum aliquem diem, ad ſummū, biduum ex menſe, quos illi exhereſimos dies nominant. item nonnunquam uno die longiorem menſem faciunt, aut biduo: & quæ ſequuntur. Alicuius apparatus.] Vt pro Archia Cicero: Patiamini de ſtudijs humanitatis ac literarum loqui liberius, et eiuſmodi perſona, quæ propter otium ac ſtudium minime in iudicijs periculiſq; tractata eſt, uti propè nouo quodam & inuſitato genere dicendi. Quod ſi mihi à uobis tribui concediq; ſentiam, perficiam profectò, ut hunc A. Licinium non modo non ſegregandum, cum ſit ciuis, à numero ciuium, uerumetiam ſi nō eſſet, putetis aſciſcendum fuiſſe. Nam ut primum à pueris exceſſit Archias: & quæ ſubiungit. Aut laudationis cauſa.] Velut hoc: Themiſtoclem ipſum ſummum uirum Athenis dixiſſe aiunt, cum ex eo quæreretur, quod acroama, aut cuius uocem libentiſſime audiret? Eius, inquit, à quo ſua uirtus optime prædicaretur. In præceptis autem de Inuentione ait, narrationem extra cauſam quatuor modis fieri: aut criminationis cauſa, aut ſimilitudinis, aut delectationis, aut amplificationis. De criminatione exemplum ſupra dedimus. Similitudinis cauſa fit, ut eſt illud: ſi iſte multo ſceleratior & nequior, quàm ille Adrianus, aliquanto etiam infelicior fuit: Delectationis cauſa, ut ſi prata, ſi nemora, ſi fontes riuoſq;, & quiduis aliud deſcribas, & hanc ipſam deſcriptionem ad cauſam applices. ut in Verrem Cicero: Capta Carthagine Himera deleta eſt, in qua erant ſigna ex ære complura, in his eximia pulchritudine ipſa Himera in muliebrem figuram habitumq; formata, ex oppidi nomine & fluminis. erat etiam Steſichori poetæ ſtatua, ſenilis, incurua, cum libro, ſummo (ut putant) artificio facta, ab eo qui fuit Himeræ, ſed eſt, & fuit tota in Græcia ſummo propter ingenium honore & nomine. hac iſte ad inſaniam concupierat. Erat etiam, quod penè præterij, capella quædã, ea quidem mire, ut etiam nos qui rudes earum rerum ſumus intelligere poſſimus, ſcite facta & uenuſte. In alijs deſcriptionibus, quanta uis cuiuſuis ſit eloquentiæ, oſtenditur, cum rerū natura ita exprimitur, ut rem præſentem plerunque uideamur intueri. qualis eſt illa M. Cælij in Antonium deſcriptio: Nanque ipſum oſtenderūt temulento ſopore profligatum, totis præcordijs ſtertentem, ructuoſos ſpiritus geminare, præclaraſq; contubernales ab omnibus ſpondis tranſuerſas incubare, & reliquas circumiacere paſſim. quo tamen exanimatæ terrore, hoſtium aduentu percepto, excitare Antonium conabantur, nomen inclamabant, fruſtra ceruicibus tollebant, blãdius alia ad aurem inuocabat, uehementius etiam alia feriebat: quarum omniū cum uoce tactuq; oſcitaret, proxime cuiuſque collum amplexu petebat: neque dormire excitatus, neque euigilare ebrius poterat, ſed ſemiſomno ſopore inter manus Centurionum concubinarumq; iactabatur. Nihil his neque credibilius fingi, neque uehemētius exprobrari, neque manifeſtius oſtendi poteſt. Amplificationis cauſa fit.] Vt illud de Eriphila, quæ uiſum ornamentum adamauit, amplificat crimen Verris, quod cum illa rem uiſam adamauerit, Verres multa etiam non uiſa cōcupiuerit. Tertium genus eſt id, quod à cauſa ciuili remotum eſt: & quæ ſequuntur.] Tertium, inquit, narrandi genus eſt, à cauſa ciuili remotum. eſt autem poetarum, uel hiſtoriographorum. dat tamen curſim etiam in hanc narrationem præcepta. Hæc, inquit, narratio remota à ciuilibus cauſis duas habet formas. nam aut propter negotia exponenda ſumitur, quod eſt comœdias aut tragœdias ſcribentium: uel propter perſonas, ſed de hac poſterius dicetur. eſt tamen uidere, poemata eſſe quæ mixta uel communia dicuntur, ut in commentarijs artis poeticæ Horatij diximus: in quibus utrunque inuenitur. ſiquidem ut Vergilius Aeneæ & mores & facta deſcribit, perſonaſq; loquentes inducit, idem multi eſſe cerunt. Hoc autem dicit: narratio, quæ ad oratorem non attinet, in duo diuiditur, in negotia, & in perſonas. Verum illa narratio quæ in negotijs eſt, tres habet partes: fabulam, hiſtoriam, argumentum. Fabula eſt, quæ res neque ueras neque ueriſimiles continet, ut hæ quæ tragœdijs traditæ ſunt.] In præceptis de Inuentione: Fabula (inquit) eſt, in qua nec ueræ nec ueriſimiles res continentur, cuiuſmodi eſt, Angues ingentes alites iuncti iugo. Eſt ergo fabula eiuſmodi narratio, ut cū deſcribitur Cadmus in angues uerſus, uel quiduis aliud quod nec uerum nec ueriſimile eſt: cuiuſmodi tragœdiæ ſcriptæ ſunt. qualis illa Amphitryonis apud Plautum eſt, quam argumentū appellat tragœdiæ: Amore captus Alcumenæ Iupiter, mutauit ſeſe in formã eius coniugis, pro patria Amphitryo dum certat cum hoſtibus, habitu Mercurius ei ſubſeruit Soſia: & quod ſequitur. Hiſtoria eſt res geſta, ſed ab ætatis noſtræ memoria remota.] Nam quæ noſtra ætate quaſi diaria referuntur, tum annales, tum commentaria nominantur. In præceptis de Inuentione: Hiſtoria, inquit, eſt geſta res, ab ætatis noſtræ memoria remota, quod genus, Appius indixit Carthaginenſibus bellum. Eſt autem hiſtoria narratio, ubi iampridem præteritam rem enarraueris: ut ſi Hannibalem ueniſſe in Italiam ſcribas, & qualia contra Romanum imperium bella geſſerit narres, & id genus alia. Argumentum eſt ficta res, quæ tamen fieri potuit, uelut argumenta comœdiarum.] In alijs libris Rhetoricis, Argumentum (inquit) eſt ficta res, quæ tamen fieri potuit. huiuſmodi apud Terentiū: Nam is poſtquàm exceſſit ex ephebis Soſia. Eſt igitur argumentum, fabularis narratio, quæ tamen uera uideri poteſt: cuiuſmodi comœdiarū ſunt argumenta, quale (ne ſine exemplo quidquam doceamus) Plauti illud eſt: Captus eſt in pugna Aegionis filius, alium quadrimum fugiens, ſeruos uendidit. Pater captiuos commercatur alios, tantum ſtudens ut gnatum recuperet: & inibi emit olim amiſſum filium. Is ſuo cum domino ueſte uorſa, ac nomine, ut amittatur fecit, ipſus plectitur. Et is reduxit captum & fugitiuum ſimul, indicio cuius alium agnoſcit filium. Sed cui dubium uideri poteſt, quid ſit quod argumentum Cicero dixerit non ueram, licet ueriſimilem narrationem? cum Plautus, ut ſupra oſtendimus, argumentum tragœdiæ in Amphitryone eſſe protulerit? quod facile diluitur. Enimuero Plautus comœdiam ſcripturus Amphitryonem, quoniam (ut ipſe in prologo profitetur) multos eam narrationem tragœdiæ locos uidit occupare, & rurſum comœdiæ quoque multas habere partes animaduertit, mixtam ex tragœdia facturum comœdiam pollicetur. quamobrem & tragœdiam nominauit. & rurſum, argumentum comœdiæ, cum eam

uelle

uelle uideri comœdiam uelle, ſe prolocuturum dixit: Niſi dicamus, raro niſi in comœdijs argumenta fieri. Illud genus narrationis, & quæ ſequuntur.] In præceptis de Inuentione: Illa autem (inquit) narratio, quæ uerſatur in perſonis, eiuſmodi eſt, ut in ea ſimul cum rebus ipſis perſonarum ſermones et animi perſpici poſſint, hoc modo: Venit ad me ſæpe clamitans, quid agis Mitio? cur perdis adoleſcentem nobis? cur amat? cur potat? cur tu his rebus ſumptum ſuggeris? ueſtitu nimio indulges, nimium ineptus es: nimium ipſe durus eſt præter æquũ & bonum. Hoc ergo dicit: Narratio, quæ uerſatur in perſonis exprimendis, talis eſſe debet, ut in narratione rerum perſonæ agentis animos oſtendat. & Terentij exemplo explicat. Debet habere feſtiuitatem ſermonis.] Cuiuſmodi infinita apud Plautum exempla ſunt. ſed nos quo quale id ſit oſtendamus, uno contenti erimus in Curculione, cũ inquit: Date uiam mihi noti atque ignoti, dum ego hic officiũ meũ facio: fugite omnes, abite, & de uia ſecedite, ne quem in curſu capite, aut cubito, aut pectore offendam, aut genu: ita nunc ſubito, propere & celere obiectum eſt mihi negotium. nec quiſquã fuerit tam opulentus, qui mihi obſiſtat in uia: nec Strategus, nec Tyrannus quiſquã, nec Agoranomus, nec Demarchus, nec Comarchus, nec cum tanta gloria, quin cadat, quin capite ſiſtat in uiam de ſemita: & denique totus ille locus. Animorum diſſimilitudinem.] Vt idem in eadem: Quo te hoc noctis dicam proficiſci foras cũ iſtoc ornatu, cumq; hac pompa Phædrome? Quo Venus Cupidoq; imperant, ſuadetq; amor, ſi media nox eſt, ſiue eſt prima ueſpera, ſi ſtatus condictus cum hoſte intercedit dies, tamen eſt eundum quo imperat ingratus. At tandem es odioſus mihi. Iſtuc quidem nec bellum eſt, nec memorabile. Tute tibi puer es lautus, luces cereum: & quæ ſequuntur. Grauitatem.] Quale illud in Captiuis: At ſcire memento, quanto id quod uoles habebis. nam ferè maxima pars morem hunc homines habent: quod ſibi uolunt, dum id impetrant, boni ſunt: ſed id ubi iam penes ſeſe habent, ex bonis peſſimi et fraudulentiſſimi ſiũt. Lenitatem.] Vt in Amphitryone: Iup. Te uolo uxor alloqui. quo te auertiſti? Alc. Ita ingenium meum eſt, inimicos oſa ſum ſemper obtuerier. Eia autem inimicos? Sic totus ille locus, in quo Iupiter Alcumenam mitigat. Spem.] Vt in Captiuis: Iupiter ſupreme ſeruas me, measq; auges opes, maximas optumitates opiperasq; offers mihi, lucrum, ludum, iocum, feſtiuitatem, ferias, pompam, pœnum, potationes, ſaturitatem, gaudium. nec cuiquam hominum ſupplicare nunc certum eſt mihi; nam uel prodeſſe amico poſſum, uel inimicum perdere. ita hic dies amœnitate amœna amœnus onerauit me. ſine ſacris hæreditatem ſum adeptus effertiſſimam. nunc curſum ad ſenem capeſſam hunc Aegionem, cui boni tantum affero, quantum ipſe à dijs optat; atque etiam amplius. nunc certa res eſt eodem pacto, ut comici ſerui ſolent, conijciam in collum pallium, primo ex me hanc rem ut audiat: ſperoq; me ob hunc nunciũ æternum adepturum cibum. Metum.] Vt in Caſſina: Nulla nulla ſum, tota tota occidi, cor metu eſt mortuum, membra miſeræ tremunt: neſcio unde auxilij, præſidij, perfugij mihi, aut opum nunc copiam comparem, aut expetam. tanta facta modo mira ueris modis intus uidi, nouam atque integram audaciam. Caue tibi Cleoſtrata, abſcede ab iſta obſecro, ne quid in te mali faxit ira percita. eripite quæſo iſti gladium, quæ ſui eſt impos animi. Suſpicionem.] Vt in Pſeudolo: Peiorem ego hominem, magiſq; uerſute malum, nunquam ædepol quenquam uidi, quàm hic eſt Simia, nimiſq; ego illum hominem metuo & formido male, ne malus item erga me ſit, ut erga illũ fuit: ne in re ſecunda nunc mihi obuertat cornua, ſi occaſionem ceperit. Nam cautio eſt, qui ſit malus. Deſiderium.] Vt in Epidico: Expectando exedor miſer, atque exenteror, quo mihi Epidici blanda dicta eueniant, nimis diu maceror: ſit'ne quid, nec ne ſit, ſcire cupio. Diſſimulationẽ.] Vt in Bacchidibus: Chryſale ades dum has ego pellego. quid me tibi adeſſe opus eſt? Volo ut quod iubeo facias, ut ſcias quæ hic ſcripta ſint. Nihil moror, neque ſcire uolo. & totus ille locus, ubi Chryſalus diſſimulãter omnia loquitur. Errorem.] Vt in eadem comœdia: Quicunque ubi ubi ſunt, qui fuere, quiq; futuri ſunt poſthac ſtulti, ſtolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones, ſolus ego omnes anteeo ſtultitia & moribus indoctis. perij, pudet, hoccine ætatis ludum his factum eſſe indigne? quàm magis id repeto, tam magis uror, meus quem filius turbauit. perditus, atque etiã eradicatus ſum, omnibus exemplis crucior, omnia me mala conſectantur, omnibus exitijs interij. Chryſalus me hodie lacerauit, Chryſalus me miſerum ſpoliauit. is me ſcelus auro uſque attondit, doctis indoctum dolis, ut libitum eſt. Miſericordiam.] Quale in Captiuis illud: Dij noſtram fidem, hominum ingenium liberale, ut lachrymas excutiunt mihi. uideas corde amare inter ſe. quantis laudibus ſuum herũ ſeruus collaudauit? Rerum uarietates.] Cuiuſmodi luculentiſſime illud in Bacchidibus prolatum eſt: Atridæ duo fratres dicũtur feciſſe facinus maximum, cum Priami patriam Pergamum diuina mœnitum manu, armis, equis, exercitu atque eximijs bellatoribus, mille cum numero nauium decumo anno poſt ſubegerunt. non Pelides tormento fuit, prout ego herum expugnabo meum ſine claſſe, ſineq; exercitu, & tanto numero militum. Cepi, expugnaui amanti herili filio aurum ab ſuo patre. nunc prius quàm huc ſenex uenit, libet lamentari dum exeat: ô Troia, ô patria, ô Pergamum, ô Priame, nunc periſti ſenex, qui miſere male mulctabere quadringentis Philippis aureis. Nam ego has tabellas, obſignatas conſignatas quas fero, non ſunt tabellæ, ſed equus, quem miſere Achiui ligneum. Epeius eſt Piſtoclerus, ab eo hæc ſumpta. Mneſilochus, Si non eſt relictus. ille non in buſto Achilli, ſed lecto accubat: Bacchidem habet ſecum. ille olim habuit ignem, qui ſignum daret. hunc ipſum exurit. ego ſum Vlyſſes, cuius conſilio hæc geruntur. tum quæ hic ſunt ſcriptæ literæ, hoc in equo inſunt milites armati, atque animati. probe ita res ſucceſſit, meliuſq; adhuc. atque hic equus non in arcem, uerum in arcam faciet impetum: & quæ ſequuntur, tanto uerborum cultu, ut ipſa Muſa loqui uideatur: tam mira rerum uarietate, ut meliora aliunde exempla adhibere non poſſimus. uariam ſiquidem eſſe expoſitionem oportet, quo tædium effugiat, & mutationibus animum lauet: quandoquidem cæteris caret lenocinijs. & niſi hac uenuſtate commendetur, taceat neceſſe eſt. credit enim et tractationes facilius iudex neſcio quo pacto, quæ iucundæ ſunt, & uoluptate illectus ad fidem delabitur. Nolim tamen figuras poetarum more, quæ fidem tollant. puriſſimum ſiquidem ſermonem eſſe oportet, nec ut conſumantur affectus, ſed uelut primis lineis deſignentur, ut quali ſit rei imago ſtatim appareat. Sed ad hæc exornanda, loci (inquit Cicero) ex elocutionis præceptis depoſcentur. Fortunæ commutationem.] Vt in Captiuis: Aegio, nunc quando patriam & libertatem perdidi, nõ ego iſthunc me potius quàm te metuere æquũ cenſeo, uis hoſtilis cum iſtoc fecit meas opes æquabiles. memini cum dicto haud audebat, facto nunc lædat licet. Sed uiden? fortuna humana fingit, artatq; ut lubet. me qui liber fueram, ſeruum fecit, è ſummo infimum: qui imperare inſueram, nunc alterius imperio obſequor. Inſperatum incõmodum.] Vt in eadem comœdia: Quanto in pectore hanc meo magis rem uoluto, tanto mihi ægritudo auctior eſt in animo. ad illum modum ſublitum os eſſe hodie mihi. neque id perſpicere quiui? quod cum ſcibitur, per urbem irridebor: cum ex templo ad forum aduenero, omnes de me loquentur: hic ille eſt ſenex, doctus cui uerba data ſunt. Subitam lætitiam.] Vt in Rudente illud: Pro dij immortales, quis me eſt fortunatior, qui ex improuiſo filiam inueni meam? ſatin' ſi cui homini

dei eſſe benefactum uolent, aliquo illud pacto obtingit optatum pijs? Ego quod hodie neque ſperaui, neque credidi, is improuiſo filiam inueni tamen, & eam de genere ſummo adoleſcenti dabo ingenuo, Athenienſi, & cognato meo. Iucundum exitum rerum.] Cuiuſmodi in omnibus fieri comœdijs ſolet, ut in Amphitryone, Bono animo es, adſum auxilio Amphitryo tibi, & tuis. nihil eſt quod timeas. ariolos, aruſpices mitte omnes: quæ futura, & quæ facta, eloquar multo adeo melius, quàm illi, qui ſum Iupiter: & quæ ſequuntur. Verum hæc.] Id eſt, ſcribendo hæc cõſequemur. Illud uero quod ad uarietatẽ pertinet.] Subaudi, ubi de elocutione conſcribemus. Tres res conuenit habere narrationem.] In libro de Inuentione: Oportet igitur, inquit, eã tres habere uirtutes, ut breuis, ut aperta, ut probabilis ſit. Ad præceptum igitur narrationis illius reuertitur, quæ ipſam cauſam continet, & totius controuerſiæ expoſitionem: Tres, inquit, res narrationem habere oportet, ac ita ut ſemper omnia ſint non unum aliquod ex tribus: & licet alijs partibus orationis conueniant, tamen narrationis magis propria ſunt. Sed ad Ciceronis præcepta Quintiliani adijciamus, qui de narratione loquens, inquit: Eam plerique ſcriptores, maximeq; qui ſunt ab Iſocrate, uolunt eſſe lucidam, breuem, uериſimilem. neque enim refert, an pro lucida perſpicuam, pro uerisimili probabilem, credibilem'ue dicamus. eadem nobis placet diuiſio: quanquam & Ariſtoteles ab Iſocrate parte in una diſſenſerit, præceptum breuitatis irridens, tanquam neceſſe ſit longam aut breuem eſſe expoſitionem, nec liceat ire per medium. Theodorei quoque ſcholæ ſolã relinquũt ultimam partem, quia nec breuiter utique, nec dilucide ſemper ſit utile exponere, quo diligentius diſtinguẽda ſunt ſingula, ut quid quoque loco proſit oſtendam. Narratio eſt aut tota pro nobis, aut tota pro aduerſarijs, aut mixta pro utriſque. Docet autem paulo longius Quintilianus, quo pacto ſingula hæc ſpectanda tractandaq; ſint: quæ hic mihi referre nunc non libet. Satis ſit itaque, dubium locum nobis oſtendiſſe, quo ſibi quiſque ſubueniat, ſi quid dubitationis occurrerit. Rem breuiter narrare poterimus, ſi tantum incipiemus narrare unde neceſſe erit.] Supra memorauit narrationem oratoriam tres habere uirtutes debere, ut ſit breuis, ut lucida, ut probabilis: nunc docet, quemadmodum breuis eſſe poſſit. Narratio breuis (inquit) erit, ſi à rebus neceſſarijs ſumat initium, hoc eſt, ſi inde cœperis rem exponere, unde ad iudicem pertinet. Aut ſi non ab ultimo initio repetere uolumus.] Verbi gratia, cum uelis Troianum bellum ſcribere, non à Lede compreſſa, ſed ab Helena rapta initium ſumas. non enim Liuius cum res geſtas Romanorum ſcripturus eſſet, à Troia condita potius quàm Roma inchoauit. Cum ergo præcepta det Cicero, in breuem narrationem, quæ initio narrationis, quæ in fine, quæ in medio ſeruare debeamus, hæc initio præcepta fuere.

Aut ſi ſummatim, non particulatim narrabimus.] Solet enim (ut uerbis utar Quintiliani) quædam eſſe partium breuitas, quæ longam tamen efficit ſummam: ut, In portum ueni, nauem proſpexi, quanti ueheret interrogaui, de pretio conuenit, conſcendi, ſublatæ ſunt ancoræ, ſoluimus oram, profecti ſumus. nihil horum dici celerius poteſt: ſed tamen ſufficit dicere, è portu nauigaui. Poſſumus autem & ab ultimo initio, hoc modo quo diximus enarrare. Sed quia & alijs modis conciſim id facere poſſumus, non eſt idem cum ſuperiori exemplum.

Aut ſi tranſitionibus nullis utemur.] Hoc eſt, ſi ipſius cauſæ neruos non egrediemur, licet etiam ad cauſam faciant. multa enim quæ ſunt in re, quia remota ſunt à cauſa, omittenda erunt. Aut ſi non deerrabimus ab ea, quod cœperimus exponere.] Hoc eſt, ſi extra cauſam nihil dixerimus, quod ad cauſam non attineat quam cœperimus, id eſt, breues erimus, ſi reciderimus omnia, quibus ſublatis neque cognitioni quidquam neque utilitati ſubtrahatur. Et ſi exitus rerum ita exponemus, ut ante quoque quæ facta ſint, ſciri poſſint, tametſi ea nos reticuerimus: quod genus eſt, ſi dicam me ex prouincia rediſſe, profectũ quoque in prouinciam intelligatur.] Id eſt, breues eſſe poterimus, ſi ita dicetur, ut nonnunquam ex eo quod dictum ſit, id quod non ſit dictum intelligatur. ut ſi dicas, Inde cum reuerſus eſſem è prouincia. cum enim dicis Reuerſus, oſtendiſti te profectum in prouinciam, & perueniſſe, poſtremo reuerſum. Et omnino non modo iam quod obeſt, ſed etiã id quod neque adiuuat, ſatius eſt præterire.] Etenim qui breuitati ſtudet, non modo illa in narratione præterire debet, quæ obfutura ſunt, uerum etiam illa quæ nihil proſunt. Sanè Græci eam narrationem σύντομον, id eſt, conciſam, cum neceſſaria deeſſent, appellarunt: illam autem βραχὺν, id eſt breuem, ubi nec minus nec plus dicatur quàm oporteat. oportet igitur ut breuis, non tamen conciſa ſit. Et ne bis aut ſæpius idem dicamus.] Vt non modo illa prætereantur quæ aut obfutura ſunt, aut nihil profutura: uerum etiam illa, quæ proſunt, ut ne bis aut ſæpius dicantur, & iidem ſenſus reiterentur: hoc eſt, uitanda ταυτολογίαν & περισσολογίαν. Cauendum eſt etiam, ne id quod ſupra diximus, deinceps dicamus.] Et ſi, inquit, non ab eo quo proxime deſitum erit, deinceps incipietur, & eadem repetentur uerba. ſed ne κλίμακα figuram, quæ à quibuſdam gradatio appellata eſt, quæ fit, ut ſi dicas, Ex prudentia uirtutem, ex uirtute dei dilectionem, ex dei dilectione cœlum ſibi comparauit: ne hanc inquam figuram damnaſſe crederetur, exemplo quid intelligat illuſtrauit, hoc modo: Athenis Megaram ueſperi aduenit Simo: ubi aduenit Megaram, inſidias fecit uirgini: inſidias poſtquam fecit, uim in loco attulit. Cauenda tamen, ut etiam Quintilianus docet, omnia corrumpens obſcuritas, ſatiuſq; eſt narrationi ſupereſſe quàm deeſſe. nam cum ſuperuacua cũ tædio dicantur, neceſſaria cum periculo ſubtrahuntur. Quare uitanda etiam illa Salluſtiana (quanquam in ipſo uirtutis obtinet locum) breuitas, & abruptum ſermonis genus, quo otioſum fortaſſe lectorem minus fallat, auditorẽ tranſuolat. itaque media tenenda uia eſt, ne plus minus'ue ſit quàm opus eſt. Nolim tamen breuitatem inornatam eſſe, alioqui eſſet indocta, cum & uoluptas ipſa fallat, & minus longa quæ delectant eſſe uideantur: ut amœnum ac molle iter, etiam ſi ſpatij amplioris eſt, minus fatigat quàm durum aridumq; compendium. Simplex enim & undique conciſa, non tam expoſitio uocari poteſt, quàm confuſio. Partitio autem tædium leuat, ut quæ longa ſunt, breuiter dici plerunque uideantur. Dicam, quæ acta ſint ante ipſum rei contractum, dicam quæ in re ipſa, dicam quæ poſtea. Ita tres potius breues uideri poterũt narrationes, quàm una quæ lõga ſit. Expediet quoque expoſitiones breuiter inferendo, quod leuet proſequi hoc genus: Audiſtis quæ anteacta ſunt, accipite nunc quæ inſequuntur. Reficietur enim auditor priorum fine, & ſe rurſus ad nouum initium præparabit. Et ſi longius ordo exierit, non inutile erit in fine commonere, ut Cicero pro Ligario: Adhuc, Cæſar, Q. Ligarius omni culpa caret, domo eſt egreſſus, non modo nullum ad bellum, ſed ne ad minimam quidem belli ſuſpicionem. Rem dilucide narrabimus, ſi id quod primum geſtum erit, ita primum exponemus, & rerum ac temporum ordinem ſeruabimus, ut res geſtæ erunt, aut ut potuiſſe geri uidebuntur.] Dixit quemadmodum breuis narratio, nunc quemadmodum dilucida eſſe poſſit. Illud hic quoque perſpicere debemus, ordinem illum tenuiſſe Ciceronem, quem & in breui tenuit. nam quid in principio dilucidæ narrationis, quid in fine, quid in medio facere debeamus, oſtendit. Hoc ergo nũc dicit: dilucida eſſe poterit narratio, ſi ut quidque primum geſtum erit, ita primum exponetur, ne peruerſo narrandi ordine iudicibus in cognitione confuſio fiat. Et rerum ac temporum ordo ſeruabitur, ne id primum narres, quod poſtea factum eſt. quod ſi facis, & in rerum & in temporum ordine deliquiſti.

Huic

Huic tamen ſententiæ non omnes accedunt, ut eo ordine quo quid actum ſit narrandum exiſtiment: ſed potius narrandum quemadmodum expedit. nam aliquando excidiſſe ſimulamus, cum quid ulteriore loco reducturi ſumus, & reliquum ordinem reducturos teſtamur: quod ſic futura ſit cauſa dilucidior. neque enim unam defenſionis legem eſſe, certumq; præſcriptum. Proinde ut res, ut tempus poſcet, exponendum: atque ut erit uulnus, ita uel curandum protinus: uel ſi curatio differri poteſt, tantiſper deligandum. Nec etiam ſæpius narrare nefas eſſe putent, quod ipſe Cicero pro Cluentio fecit. Idq; non conceſſum modo eſſe, ſed aliquando neceſſarium. Quin & quædam repetita narratio eſt, quam ἐπιδιήγησιν Græci uocant: ideo reperta, ut quia narratio breuis debet eſſe, fuſius & ornatius res poſſit exponi. quod fit uel inuidiæ gratia, uel miſerationis. Id non raro faciendum, neque ſic unquam, ut totus ordo repetatur. Cæterum qui ἐπιδιηγήσει uti uelit, narrationis loco rem ſtringat, & contentus indicare quid facti ſit, quo ſit modo factum, plenius ſe loco ſuo expoſiturum eſſe promittat. Amentis igitur eſſe exiſtimatur, ſuperſtitione præceptorum contra rationem cauſæ trahi narrationem. Neque tamen id non facere alias oportebit, ut uerum ſequamur ordinem. Quædam enim turpiter conuertuntur. ut ſi peperiſſe narres, deinde concepiſſe: deceſſiſſe aliquem, deinde filios aduocaſſe, ut teſtamento adſint. in quibus ſi id quod poſterius eſt dixeris, de priori tacere non erit inutile. Nec equidé dubito, quin id Cicero dicere uoluerit. Quod autem ſubiungit, aut ut potuiſſe geri uidebuntur: ita accipiendum, ac ſi dixiſſet, ſunt plerunque & falſæ expoſitiones, in quibus prima ſit cura, ut quod fingimus fieri potuerit, deinde ut & perſonæ & loco & tempori congruat, & credibilem rationem & ordinem habeat. Hic erit conſiderandum, ne quid perturbate, ne quid ambigue dicamus: & quæ ſequuntur.] Sicut in præceptis breuis narrationis, primum penè perpetuo oſtendit, quid faciendum eſſet: deinde, quid non faciendum: ita hic primo ſimul oſtendit, quid omnino faciendum ſit, tum quid non faciendum. Conſiderandum, inquit, erit ne quid perturbate dicatur, uerum perturbate, ſuccenſo aliquo in affectu animo: an certe perturbate, inuolute, ne res obſcura uideatur. quod ſi fiat, dilucida nullo modo eſſe poſſit. Licet quidam in nonnullis cauſis obſcurandam eſſe ueritatem dixerint: quod ridiculum ſibi uideri dicit. Quintilianus enim, Qui obſcurare (inquit) uult, narrat falſa pro ueris: & in his quæ narrat, debet laborare, ut uideantur quàm euidentiſſima. Deinde inquit M. Tullius, ne quid ambigue dicamus, hoc eſt contorte: ut quo uerſus, quod dicimus, non intelligatur. Neque in aliá rem transferamus.] Ne omiſſis rebus ad præſens negotiū pertinentibus, non narranda atque aliena narremus. Neque ab ultimo repetamus, neque longe proſequamur.] Quæ, inquit, cum de breui narratione ſcripſimus, effugienda eſſe docuimus. uerum quod inquit, Neque in altam rem transferamus: hoc in media narratione effugiendum. ſicut in principio, cum ait, Neque ab ultimo repetamus: & in fine, cum dicit, Neque longe proſequamur. denique, inquit, quo breuior fuerit, modo non ſit implexa, dilucidior utique erit narratio. Sanè quam dilucidam uelit Quintilianus dici narrationem, ne quenquá ſummi uiri iudicio fraudem, eius ſententiam ad uerbum referam. Erit autem, inquit, narratio aperta ac dilucida, ſi fuerit primum expoſita proprijs uerbis, & id ſignificantibus, & non ſordidis quidem, nec tamen exquiſitis, & ab uſu remotis, tum diſtincta rebus, perſonis, temporibus, locis, cauſis: ipſa etiam pronunciatione in hoc accommodata, ut iudex quæ dicuntur quàm facillime accipiat. quæ quidem uirtus negligitur à plurimis, qui ad clamorem diſpoſitæ, uel etiam forte circunfuſæ multitudinis compoſiti, non ferunt illud intentionis ſilentium, nec ſibi diſerti uidentur niſi omnia tumultu, ac uociferatione concuſſerint. rem indicare, ſermonis quotidiani, & in quencunque etiam indoctiorum cadentis exiſtimant, cum interim quod tanquam facile contemnunt, neſcias præſtare minus uelint, an poſſint. Neque enim aliud in eloquétia cuncta experti difficilius reperient, quàm id quod ſe dicturos fuiſſe omnes putant, poſtquam audierunt, quia non bona iudicant eſſe illa, ſed uera. Tum autem optime dicit orator, cum uidetur uera dicere. At nunc uelut campum nacti expoſitionis, hic potiſſimum & uocem flectunt, et ceruicem reponunt, & brachium in latus iactant, totoq; & rerum, & uerborū, & compoſitionis genere laſciuiunt. denique quod ſit monſtro ſimile, placet actio, cauſa non intelligitur. Hæc ideo à me longius relata ſunt, quo non minus effugienda eſſe, quàm ipſe reprehendat Quintil. intelligatur. Veriſimilis narratio erit, ſi ut mos, ut opinio, ut natura poſtulat dicemus.] In alijs de Inuentione præceptis, Probabilis (inquit) erit narratio, ſi in ea uidebuntur ineſſe, quæ ſolent apparere in ueritate, ſi perſonarum dignitates ſeruabuntur, ſi cauſæ factorum extabunt, ſi fuiſſe facultates faciendi uidebuntur, ſi tempus idoneum, ſi ſpatij ſatis, ſi locus opportunus ad eandem rem qua de re narrabitur fuiſſe oſtendetur: ſi res & ad eorum qui agent naturam, & ad uulgi rumorem, & ad eorum qui audient opinionem accommodabitur. ac ueri quidem ſimilis ex his rationibus eſſe poterit. In Partitionibus autem de narratione differens, Probabilis autem (inquit) erit, ſi perſonis, ſi temporibus, ſi loco ea quæ narrabuntur conſentient, ſi cuiuſque facti & euenti cauſa ponetur, ſi teſtata dici uidebuntur, ſi cum hominum opinione, auctoritate, ſi cum lege, cum more, cum religione iuncta, ſi probitas narrantis ſignificabitur, ſi antiquitas, ſi memoria, ſi orationis ueritas, & uitæ fides. ſecundum ordinem igitur ſuæ diuiſionis, poſtquam de breui & dilucida narratione tractauit, nunc de narratione ueriſimili incipit diſſerere: Veriſimilis (inquit) erit narratio, ſi ut mos poſtulat dicamus. ut ſi apud Romanos narres, non contra iuſtitiam: & ſi apud Scythas Barbaros, non reprehendas eorum mores. Vt opinio.] Res enim multæ opinione ueræ eſſe creduntur, nam ſi uelim Iudæū Chriſtiano grauiter infenſum, & lenonem periurum oſtendere, quis eſt qui non crediturus ſit? cum ſit iam id opinione perſuaſum. & de cæteris idē eſt intelligendum. Vt natura poſtulat.] Si id quod dicimus, à noſtra natura non abhorreat, uel eorum pro quibus, uel contra quos agimus. Non enim conſentaneum eſt, ut de pudicitia agas leno, de caſtitate meretrix. quod ſi fiat, ueriſimilis non erit narratio. Cauendum itaque, ne quid naturæ dicamus aduerſum. Si ſpatia temporum.] Si tantum temporis ſpatium nactus fuerit, ut id efficere potuerit. Perſonarum dignitates.] Non honores, ſed prout quemque loqui aut agere credibile ſit: hoc eſt, ſi perſonas conuenientes his quæ facta credi ſolemus, conſtituerimus. ut furti reum, cupidum: adulterum, libidinoſum: homicidam, temerarium. uel his contraria, ſi defendemus. Conſiliorum rationes.] Vt, necaſti: nam ſæpe fueras comminatus. hæreditatem expectabas: cum odio habebas. Locorū opportunitates conſtabunt.] Quod in uaſta ſolitudine iudex erit, unde ſcelus perpetratum nullus ſcire poſſe uideretur. Ne refelli poſſit, aut temporis parū fuiſſe.] Supra accuſantis, nunc defendentis locos ueriſimilis narrationis ponit. Itaque aut non tantum fuiſſe temporis dicemus, ut id fieri potuerit. Aut cauſam nullam.] Vt dicas, cauſam eſſe nullam, cur ea de reo ſuſpicio habenda ſit. Aut locum idoneum non fuiſſe.] Vt dicas, non fuiſſe locum eiuſmodi ut id fieri potuerit. Aut homines ipſos facere aut pati non potuiſſe.] Si uera res erit, nihilominus hæc omnia in narrando conſeruanda ſunt. nam ſæpe ueritas, niſi hæc ſeruata ſint, fidé facere non poteſt. Aut homines eius fuiſſe prudentiæ, aut probitatis, ut neſciſſe, aut pati potuiſſe uideri non poſſint. Deinde ſubdit, ſiue uera res ſit, ſiue ficta, id eſſe obſeruandū. Siquidem

multa ſæpe licet uera, uix credi poſſunt, niſi his utamur adminiculis: & quæ ficta ſunt, niſi hoc pacto adiuuentur, facile confutari poterunt. Itaque callide, inquit, in his rebus cum aduerſario erit confligendum: & præſertim in quibus aut tabulæ, aut firma alicuius ſcripti auctoritas, iam fidem feciſſe uidebitur, quo minus poſſit confutari. Aliqua etiam naturaliter ſequuntur, & cohærent: ut ſi bene priora narraueris, iudex ipſe quæ poſtea ſis narraturus expectet. Et licet narrationem hanc eſſe meminerimus, non probationem, nonnunquã tamen etiam argumento aliquo confirmabimus, quod propoſuerimus, ſed ſimplici breuiq; ut in ueneficijs, ſanus bibit, ſtatim concidit: liuor, ac tumor confeſtim eſt inſecutus: & denique, quæ in probationibus tractantur, perſona, factum, cauſa, locus, tempus, modus, facultas, opinio, natura, iudicium, mos, inſtrumentũ. quibus ſi aliquando deſtituti ſimus, fatebimur uix eſſe credibile, ſed tamen uerum neſcireq; nos quomodo factum ſit, aut quære, mirariq;, ſed probaturos. Optimæ autem probationes erunt, quæ latuerunt, ut à Cicerone uſurpantur. Sunt enim utiliſſima prædicta omnia, quibus Miloni Clodius non Clodio Miloni inſidiatus eſſe uideatur. plurimumq; facit illa callidiſſima ſimplicitatis imitatio. Milo autem cum in ſenatu eo die, quo à ſenatu eſt dimiſſus, domum uenit, calceoſq; & ueſtimenta mutauit, paulliſper dum ſe uxor (ut fit) comparat, commoratus eſt. quàm nihil feſtinus, nihil properans feciſſe uidetur Milo? quod non ſolum rebus ipſis uir eloquentiſſimus, quibus moram & lentum profectionis ordinem dicit, ſed etiam uerbis uulgaribus & quotidianis & occulta arte conſecutus eſt. Hæc de ueriſimili narratione dicta ſint. His tribus narrandi uirtutibus ipſe Cicero in Partitionibus ſuauitatem adijcit. ſuauem autem eſſe narrationem dicit, quæ habet admirationes, expectationes, exitus inopinatos, ſcilicet interpoſitos motus animorum, amicorum colloquia, perſonarum dolores, iracundias, metus, lætitias, cupiditates. In Topicis autem ſcripſit, narrationes oportere etiam eſſe euidentes, moratas, & cum dignitate. præterquàm quod ſit plana, breuis & credibilis: ſed morata debent eſſe omnia, & cum dignitate, quæcunque potuerint. Plerique etiam præter Ciceronem, euidentiam, quam Græci ἐνάργειαν uocant, narrationem dixere: quæ quidem uirtus non inter minimas eſt, cum quid ſit non dicendum modo, ſed quodammodo oſtendendum eſt. Alij autem perſpicuitati euidentiam ſubijciunt. Alij adijciunt magnificentiam, quam μεγαλοπρέπειαν illi uocant: quam reſpuũt alij, quod non ſit omnibus communis iudicijs. Ac ne ſe ſupra modum tollat oratio, cauendum ſit. ueluti in proximo de Milone exemplo patet. Quare non magis proprium narrationis uideri debet magnifice dicere, quàm miſerabiliter, inuidioſe, grauiter, urbane. quæ cum ſuo loco laudabilia ſint, nõ ſunt tamen huic parti proprie aſſignata, & uelut peculiaria. Diximus quid ſit narratio, narrationum genera & uirtutes enumerauimus, et ſingularum uirtutum tractationes expoſuimus. Nunc uero dicendum eſt, ſi narrandum, an ubique narrandum. & ſi non ſemper, quid faciendum, & quomodo intelligatur id quod dicitur narratio, & quo narrandum loco ſit. & ſi ita narrandũ, ut cauſa poſtularit. poſtremo, unde narratio inchoanda, et ubi terminanda ſit. ad quæ omnia explicanda in primis Ciceronẽ ex alijs quos in Rhetorica compoſuit libris, & Quintilianũ euocabo. Plerique igitur ſemper narrandum putauerunt: quod falſum eſſe à pluribus coarguitur. Obeſt ſiquidem narratio, cũ ipſius rei geſtæ expoſitio magnam excipit offenſionem, quam argumentando & cauſam agendo leniri oportebit. quod cũ accidit, membratim oportebit partes rei geſtæ diſpergere in cauſam, & ad unamquanque confeſtim rationem accommodare, ut uulneri præſto medicamentum ſit, & odium ſtatim defenſio mitiget. Nihil etiam prodeſt narratio tum, cum aut ab aduerſarijs re expoſita, noſtra nihil intereſt, iterum aut alio modo narrare: aut ab his qui audiunt ita tenetur negotium, ut noſtra nihil interſit, eos alio pacto docere. quod cum accidit, omnino narratione ſuperſedendum eſt. Præterea ſunt quædam tam breues cauſæ, ut propoſitionem potius habeant quàm narrationem. id accidit aliquando utrique parti, cum uel nulla expoſitio eſt, uel de re conſtat, de iure quæritur: ut apud Centumuiros, filius, an frater debeat eſſe inteſtati hæres: pubertas annis, an habitu corporis exiſtimetur. Plerique etiam fuere, qui non exiſtimarunt eſſe narrationem, cum reus quod obijcitur tantum negat. in qua opinione eſt Cornelius Celſus. Non enim putant eſſe narrationis, niſi quod ſummam criminis, de quo iudicium eſt, continet: ut deinde fatetur ipſe, pro Rabirio Poſthumo narraſſe Ciceronem: atque ille negauit, perueniſſe ad Rabirium pecuniã: de re erat quæſtio conſtituta, & in hac narratione nihil de crimine expoſuit. Ego autem, inquit Quintilianus, magnos alioqui ſecutus auctores, duas eſſe in iudicijs narrationũ ſpecies exiſtimo: alteram ipſius cauſæ, alteram rerum ad cauſam pertinentium. Non occidi hominem, nulla narratio eſt. Conuenit: ſed erit aliqua, & interim etiam longa contra argumenta eius criminis de anteacta uita, de cauſis propter quas innocens in periculũ deducatur ab his: quo incredibile id quod obijcitur, fiat. Neque enim accuſator tantum hoc dicit, Occidiſti: ſed quibus id probet, narrat, ut in tragœdijs cum Teucer Vlyſſem reum faciat Aiacis occiſi, dicens inuentum eum in ſolitudine iuxta exanime corpus inimici, cum gladio cruento. Vlyſſes reſpondet, nõ eſſe id facinus admiſſum, & ſibi nullas cum Aiace inimicitias fuiſſe: de laude inter ipſos certatum. deinde ſubiungit, quomodo in eam ſolitudinem uenerit, iacentem exanimem ſit conſpicatus, gladium è uulnere extraxerit. Hic confirmatio & confutatio, coeuntibus utrinque argumentis, ſubtexitur. hæc ſunt duo orationum genera, quæ ad oratorem tantum attinere ſupra docuimus: quarum alteram, quæ nihil de obiecto crimine exponat, ſi orationi aſciſcamus, non erit ſine narratione (ut Celſus uoluit) dicenda oratio. Non ſuo loco narratur, cum poſt exordium non collocatur narratio. Enimuero à ueteribus quæſitum fuiſſe conſtat, an procœmio ſubijcienda narratio ſit. Nam cum procœmium idcirco comparatum ſit, ut auditor ad rem accipiendam fiat conciliatior, docilior, intentior, & probatio niſi cauſa prius cognita non poſſit adhiberi, protinus iudex rerum notitia inſtruendus uidetur. M. T. tamen in oratione, quam pro Milone ſcriptam reliquit, maluit differre narrationem, tribus propoſitis quæſtionibus. pro Vareno ſimiliter poſtea narrauit, cum obiecta diluit. quod fiet utiliter, quoties, aut non repetendum: aut ſi repetendum, quo facilius intelligatur, ordine meliore digerendum, ſi cauſa paulo obuolutior ſit. Erunt præterea quædã cauſæ, neque id raro, ne crimini quidem, de quo cognitum erit faciles ad diluendum, ſed multis ante actæ uitæ flagitijs & grauibus oneratæ, quæ prius amouenda ſunt, ut propitius iudex defenſionem ipſius negotij, cuius propria quæſtio eſt, audiat. Vt ſi defendendus ſit M. Cælius, non'ne optime patronus occurrat prius conuitijs luxuriæ, petulantiæ, impudicitiæ, quàm ueneficij? in quibus ſolis omnis Ciceronis uerſatur oratio. deinde totam explicet cauſam, quæ eſt ipſius actione defenſa. Eſt ergo rei habenda ratio, ac prout cauſarum conditio popoſcerit, mutanda narratio: ut poſterius, ubi de diſpoſitione differit Cic. explicabit. Non ut cauſa poſtulat narrandum eſt, cum aut id quod aduerſario prodeſt, dilucide & ornate exponitur: aut id quod ipſum quod dicit adiuuat, obſcure dicitur, & negligenter. quare ut hoc uitium uitetur, omnia torquenda ſunt ad commodum ſuæ cauſæ: contraria, quæ præteriri poterunt, prætereundo: quæ illius erunt, leuiter attingendo: ſua diligenter & enodate narrando. Nec hoc quidem ſimpliciter accipiendum, quod pene præterirram, quod eſt à me poſitum, ſuperuacuam eſſe narrationem rei, quam iudex nouerit. quod ſic intelligi uolo, ſi nõ

omnino

omnino factum quid ſit ſciet : ſed ita factũ etiam, ut nobis expedit opinabitur. Neque enim narratio in hoc reperta eſt, ut tãtum cognoſcat iudex: ſed aliquanto magis, ut conſentiat. quare etiam ſi non erit docendus, ſed aliquo modo afficiendus, narrabimus cum præparatione quadam. propter quod minus Homerũ, aut Vergilium, uel quemuis alium egregium eloquentia poetam legere grauamur, licet eũm omnem materiam ſæpe legerimus, quod dictionis quadam uoluptate à faſtidio releuemur. Scire quidem in ſumma quid actum ſit, iudicem dicemus : tamen rationem quoque facti cuiuſque cognoſcere ne grauetur, idq; nos propter aliquem in conſilium adhibitum repetere ſimulemus, & ut rei quæ ex aduerſo proponatur iniquitatem etiam omnes circumſtantias intelligant. in quo plurimis figuris erit narianda nota expoſitio, ad fugiendum tædium audientis : ſicut meminiſtis, & fortaſſe fuerit ſuperuacuum hic commorari. Sed et quid ego diutius ? cum optime noueritis, quale ſit, & his ſimilia. Sed hoc hactenus dictum ſit. Initium narrationis quidam utique faciendum à perſona putant, eamq; ſi noſtra ſit ornandam, ſi aliena infamandam ſtatim. Sed hę quoque cum ſuis accidentibus ponendæ, tum id profuturum eſt : ut, A. Cluentius Habitus fuit pater huiuſce iudicis, homo non ſolũ municipij Larinatis, ex quo erat, ſed regionis illius & uicinitatis uirtute, exiſtimatione, nobilitate facile princeps. Aliquando ſine his : ut, Q. Ligarius cum eſſet : & quæ ſequuntur. Frequenter uero à re, ſicut pro Tullio Cicero, Fundum habet in agro Turino M. T. paternũ. Demoſthenes pro Cteſiphonte, τοῦ γὰρ φωκικοῦ συστάντος πολέμου, οὐ δι' ἐμὲ, οὐ γὰρ δὴ ἔγωγε ἐπολιτευόμην πω τότε, πρῶτον μὲν ὑμεῖς οὕτω διέκεισθε, ὥστε φωκέας μὲν βούλεσθαι σωθῆναι. Finem autẽ narrationis perduci uolunt quidã eò, unde quæſtio oritur. cuiuſmodi eſt : His rebus ita geſtis, P. Dolabella prætor interdixit, ut eſt cõſuetudo de ui hominibus armatis, ſine ulla exceptione, tantum ut unde deieciſſet reſtitueret : deinde reſtituiſſe dixit, ſponſio facta eſt, hac ſponſione uobis iudicandum eſt. Id ab accuſatore ſemper fieri poteſt, à defenſore nõ ſemper. Sed ad Ciceronem iam redeo. Quod dicit præcepta ſe dediſſe, quæ ab alijs minime adhuc abhorreant, præterquã quòd inſinuationem, quo clarior fieret præceptio, in tria tempora diuiſit, quod nullus antea unquam fecerit : hinc ſe de inuentione rerum diſputaturum pollicetur, ſi prius de cauſarum diuiſione pauca memorauerit.

DE DIVISIONE CAVSARVM.

cAuſarũ diuiſio in duas partes diſtributa eſt.] Poſtea quàm de narratione abunde ſupra dictum eſt, ſequitur ut de partitione dicendum ſit. ſiquidem recta habita in cauſa partitio, illuſtrem & perſpicuam totam efficit orationem. Eius autem partes, inquit, duæ ſunt : Vna pars eſt, quæ quid cum aduerſarijs nobis conueniat, & quid in cõtrouerſia relinquatur, oſtendit. ex qua certum quiddam deſignat auditori, in quo animum debeat habere occupatum. In narratione igitur aperitur cauſa, in partitione uero cauſa cõſtituitur. ut, Quæſtor Verres fuit, legatus, prætor urbanus. prætor Sicilienſis. dum hoc dicit, cauſam tantum aperit. at uero cum adiungit, Quare hæc erit quadripartita diſtributio totius accuſationis meæ: hoc eſt iam conſtituere cõtrouerſiam. Sed in duas (inquit) diuiſio cauſarum partes diſtributa eſt. unam dicit eſſe, quæ quid cum aduerſarijs conueniat, docet, & quid ſit in controuerſia. alteram, quæ diſtributionem habet membrorum, quæ confirmanda confutanda'ue ſunt. illa ſuperior, cum propoſuerit ſpecies quid conueniat, id ipſum ad ſe inclinat quod pro ſe facit, ſi aduerſarius confiteatur. Vt pro M. Tullio Cicero fecit : Dicam, inquit, uim factum à P. Fabij familia. hoc aduerſarij non negant. hoc pro ipſo facit, cum aduerſarij confiteantur. Damnũ datum eſſe M. Tullio, concedis: iam unum uici. Subiungit alterum, Vi, hominibus armatis: non negas, & hoc uici. Poſt, quid in cõtrouerſia relinquatur, proponit. Dolo malo factum negas: de hoc futurum eſt iudicium. ſed quoniam non in omni negotio ponitur quod aduerſarius fateatur, ultima illa partitio adhibenda eſt, quæ diſtributio nuncupatur: ubi totius cauſæ, de qua controuerſia eſt, membra ponuntur. etſi ea membra in cauſa nõ inueniat, ipſe ingenio orator inuenit, & ſibi ipſe dicenda cõſtituit, quæ uideat cauſam facere ſuperiorem, et ueris ficta, quæ ueriſimilia uideantur, commiſcet. Aut non membratim ſecabit, ſed quid ſit ut ſibi uidebitur exponet : idq; argumentis omne cõprobabit. unde & cõfirmatio partitionem ſequitur. Sed quoniã prima pars exemplo explicata eſt notiſſimo, ipſe eam longius omittam interpretari. Verum quod ait, ſecundam diſtributionem, ſi membratim ſecetur, eam plus quam trium partium eſſe nõ oportere, ut non periculum ſit, ne membrorũ multitudinem non memoria ſatis teneat : ac per hoc ne aut deſit ex his aliquid, ac memoria elabatur : aut ſui oblitus, alia addat. ac ne in tam longa diuiſione ſe artificio capi iudex metuat, & inſidias effugiat oratoris. Quintiliano diſplicuiſſe manifeſtum eſt, cum de partitione differens inquit : Ruſus quidã periculoſum id oratori arbitrantur, duabus ex cauſis: Quod nonnunquã excidere ſoleant quæ promiſimus, & ſi quæ in partiendo præterimus, occurrere. quod quidem nemini accidet, niſi qui planè uel nullo fuerit ingenio, uel ad agendum nihil cogitati præmeditatiq; detulerit. alioqui quæ tam manifeſta & lucida ratio eſt, quàm rectæ partitionis ? ſequitur enim naturam ducem, adeo quoque ut memoriæ id maximũ ſit auxilium, uia dicendi nõ decedere. Quapropter ut illos quidem probauerim, qui partitionem uetant ultra tres propoſitiones extendere: quæ ſine dubio ſi nimium, ſi multiplex ſit, fugiet memoriam iudicis, & turbabit intentionem: Hæc alio tamen numero, uelut lege non eſt alliganda, cũ poſſit cauſa plures deſiderare. Alia ſunt magis, propter quæ partitione non ſemper ſit utendum. primo, quia pleraque gratiora ſunt, ſi inuenta ſubito, non domo allata, ſed inter dicendum è re ipſa nata uideantur. Vnde illa non iniucunda ſchemata, penè excidit mihi, & fugerat me, & rectè admonet. Expoſitio eſt, cum res de quibus dicturi ſumus, exponimus breuiter & abſolute.] Nã omnis propoſitio, quæ utiliter adhiberi uelit, debet eſſe aperta atque lucida. Quid enim turpius eſt, quàm idipſum obſcurũ eſſe, quod in eum ſolũ adhibetur uſum, ne ſint cætera obſcura ? Breuisq; debet eſſe, hoc eſt, nullo ſuperuacuo onerata uerbo. Nõ enim quid dicamus, ſed de quo dicturi ſimus oſtendimus. Obtinendum quoque, ne quid in ea deſit, neque ſuperſit. Supereſt autem ſic ferè, cum aut in ſpecies partimur, quod in genera partiri ſit ſatis : aut genere poſito, ſubijcitur ſpecies, quod & ipſe alijs præceptis Rhetoricis docet, inquiens : Quæ autem partitio rerum diſtributam continet expoſitionem, hæc habere debet breuitatem, abſolutionem, paucitatem. Breuitas eſt, cum niſi neceſſarium nullum aſſumitur uerbum. hæc in hoc genere idcirco eſt utilis, quod rebus ipſis & partibus cauſæ, non uerbis, nec extraneis ornamentis animus auditoris tenendus eſt. Abſolutio eſt, per quam omnia quæ incidunt in cauſam genera, de quibus dicendum eſt, amplectimur. In qua partitione uidendum eſt, ne aut aliquod genus utile relinquatur, aut ſero extra partitionem, id quod uitioſiſſimum aut turpiſſimum eſt, inferatur. Paucitas in partitione ſeruatur, ſi genera ipſa rerum ponuntur, neque permixte cũ partibus implicantur. Nam genus eſt, quod plures partes amplectitur, ut animal : pars eſt quæ ſubeſt generi, ut equus. Sed ſæpe eadem res alij genus, alij pars eſt. nam hoc modo animalis pars eſt homo, Thebani, aut Troiani, genus. Hæc ideo diligentius inducitur præſcriptio, ut aperte intellecta generali partitione, paucitas generum in partitione ſeruari poſſit. Nam qui ita partitur : Oſtendam propter cupiditatem & audaciam & auaritiam aduerſariorum, omnia incommoda ad rempub. perueniſſe : is non intellexit, in par-

titione expoſito genere partem ſe generis admiſcuiſſe. nam genus eſt, omnium nimirum libidinum cupiditas. Eius autem generis ſine dubio pars eſt auaritia. Hoc igitur uitandum eſt, ne cuius genus poſueris, eius ſecũ aliquam diuerſam ac diſſimilem partem ponas in eadem partitione. Quod ſi idem in genus plures incidunt partes, id cum in prima cauſæ partitione erit ſimpliciter expoſitum, diſtribuetur tempore eo commodiſſime, cũ ad ipſum uentum erit explicandum in cauſæ dictione poſt partitionem. Atque illud quoque pertinet ad paucitatem, ne aut plura quàm ſatis eſt demõſtraturos nos eſſe dicamus, hoc modo: Oſtendam, aduerſarios quòd arguimus, et potuiſſe facere, & uoluiſſe, & feciſſe. nam feciſſe ſatis eſt oſtendere. Aut cum in cauſa partitio nulla ſit, & cum ſimplex quiddam agatur, tamen utamur diſtributione. idq; perrarò poteſt accidere. Ac ſunt alia quoque partitionum præcepta, quæ ad hunc uſum oratorium non tantopere pertineant, quæ uerſantur in philoſophia: ex quibus hæc ipſa tranſtulimus, quæ conuenire uidebantur, quorũ nihil in cæteris artibus inueniebamus. Atque his de partitione præceptis in omni dictione meminiſſe oportebit, ut et prima quæque pars expoſita eſt in partitione ſua, ordine trãſigatur, & omnibus explicatis perorata ſit, hoc modo, ut ne quid poſterius præter cõcluſionem inferatur. partitur apud Terentium breuiter & cõmode ſenex in Andria, quæ cognoſcere libertũ uelit: Eo pacto & gnati uitam, & conſilium meũ cognoſces, & quid facere in hac re te uelim. Itaque quemadmodũ in narratione propoſuit, ita narrat primũ gnati uitam: Nam is poſtquã exceſſit ex ephebis Soſia. Deinde ſuum conſilium, Et nunc id operã do. Deinde quid uelit Soſiam facere, id quod extremũ poſuit in partitione, poſtremũ dicit: Nunc tuũ eſt officiũ. Quemadmodũ igitur hic. & ad primã quanque partem primum acceſſit, & omnibus abſolutis perorauit. Hæc in libro de Inuent. Cic. Hic autem ſubiungit, quoniã in confirmatione cõfutationeq; tota uincendi ſpes eſt, id procurare in primis oportet, quo & cõfirmata noſtra, & confutare aliena poſſimus. Quòd ſi conſequemur, nimirum munus oratorium cõficiemus. Id autem efficere nequaquã ſperemus, niſi prius cognita cauſæ cõſtitutione. De cõſtitutione igitur prius dicendũ, poſt quomodo cõfirmandũ, cõfutãdumq; erit, docebitur.

DE CAVSARVM CONSTITVTIONIBVS.

Auſarum conſtitutiones alij quatuor fecerunt.]

c Quam Cic. conſtitutionem uocat, id quidã ſtatum uocat: alij quæſtionem, alij quod ex quæſtione appareat. Theodorus caput, id eſt, κεφάλαιον γενικώτατον, ad quod referuntur omnia, quorũ uerborum eadem propè eſt mens, nec diſcentiũ intereſt quibus quodque nominibus appelletur, dũ res manifeſta ſit. Fuerunt igitur qui duas facerent conſtitutiones, ſicut Archidemus, cõiecturalem & finitiuũ, excluſa qualitate. fuit & alia huic diuerſa ſententia, eorũ qui duos quidem ſtatus eſſe uoluerunt: ſed unũ inficialem, alterũ iuridicialem. Inficialis eſt, quem dicimus coniecturalem, cui ab inficiando nomen alij in totũ dederunt, alij in partem, qui accuſatorem coniectura rerũ inficiatione uti putauerunt. Iuridicialis eſt, qui Græce dicitur δικαιολογικός. Itaque quemadmodũ ab Archidemo qualitas excluſa eſt, ſic ab his repudiata finitio eſt: qui eam iuridiciali ſubijciunt. Quærendũ enim inde, iuſtũ ſit nec ne: quid autem ſit, non magnipendendũ exiſtimant. In qua opinione Pamphilus fuit. proinde qualitatẽ, hoc eſt iuridicialem, in plures partes partiti ſunt, Plurimi aũt ſtatus diuiſerunt in rem de qua conſtet, & in rem de qua non conſtet. Idq; uerũ eſt, nec aliter fieri poteſt, quàm ut aut certum ſit factũ eſſe, aut non ſit. Si non eſt certũ, coniectura ut ſit: ſin certũ, ut reliquæ ſint conſtitutiones. Sed quoniam longiſſimum eſſet cunctorũ afferre opinionem, ſiquidem & uarie aly interpretati ſunt, et nominibus aly diſcrepantes, alij addentes uſque ad ſummam conſtitutionũ produxerunt, de partitione conſtitutionum hactenus dictum ſit. Quidam in idem penè tandem recidunt. quin & ipſe Cic. ſibipſi hoc pacto etiam diſſidet, cũ alijs in locis, tum in alijs præceptis Rhetoricis inquiẽs: Omnis res quæ habet in ſe poſitam in dictione aut diſceptatione aliquã controuerſiam, aut facti, aut nominis, aut generis, aut actionis continet quæſtionem. Facti, ut coniectura: nominis, ut finis: generis, ut qualitas: actionis, ut præſcriptio. Hic autem eidẽ, tres eſſe magis placuit. ſed ut antea diximus, diuerſos ſecutus auctores, uaria ſentire plerunque uiſus eſt. Hic igitur ait, Hermen doctorem ſuũ ita conſtituiſſe tres, ut nihil tamen detraheret ex eis quas alij plures conſtituiſſent. Sed ut oſtenderet id quod oportuiſſet ſimpliciter ac ſingulari modo, hoc eſt, unica tantũ appellatione cõplectendum, illos diſtribuiſſe dupliciter et bipartito, quod cũ unam coniecturalem & finitiuam ſatius fuerit appellare, diuiſerint ita ut ſingulas per ſe potuerunt. idem ut Cic. dicit C. Celſus fecit: niſi quod duos fecit ſtatus generales, an ſit, quale ſit. Priori ſubiecit finitionem. quia quæratur, an ſit ſacrilegus qui è templo pecuniam ſe ſuſtuliſſe negat, priuatam cõfiteatur. Qualitatem deinde in rem & ſcriptum diuiſit. Conſtitutio eſt prima deprecatio defenſoris & accuſatoris, inſimulatione cõiuncta.] Aliqui conſtitutionem ita definierunt, ut dicerent primam eius cum quo ageretur depulſionem: cui rei præcipue repugnat C. Celſus, dicens, non depulſione ſumi, ſed ab eo qui propoſitionem ſuam confirmet: ut ſi hominem occiſum reus negat, ſtatus ab accuſatore naſcatur. Hermagoras ſtatum uocat, per quem ſubiecta res intelligatur, & ad quem probationes etiã partium referantur. Quintil. uero: Noſtra, inquit, opinio ſemper hæc fuit, cum eſſent frequenter in cauſa diuerſi quæſtionum ſtatus, in eo credere ſtatum cauſæ, quod eſſet in ea potentiſſimũ, & in quo maxime res uerſaretur. Id ſi quis generalem quæſtionem uel caput generale dicere malit, cum hoc mihi non erit pugna, non magis quàm ſi aliud adhuc quo idem intelligatur, eius rei nomen inuenerit. Cicero autem multum à ſe differt. Etenim in alijs præceptis rhetoricis: Conſtitutio, inquit, eſt prima conflictio cauſarum, ex depulſione intentionis profecta, hoc modo: Feciſti, non feci, aut iure feci. Hic autem, quod ex accuſatione depulſioneq; naſcitur, conſtitutionem dici uoluit. Inquit enim, Conſtitutio eſt, prima deprecatio defenſoris & accuſatoris, inſimulatione coniuncta. Deprecatio, id eſt, refutatio. deprecor enim, refuto ſignificat: quidquid dicat Gellius Vergilius, Equidem merui, nec deprecor inquit. Lucanus, Non deprecor hoſti Seruari, dum me ſeruet ceruice reciſa. Statius, Nec deprecor umbrã Accipere. Ouidius in Faſtis.

Ille metu pauidus, mortem non deprecor, inquit,
Sed liceat ſumpta pauca referre lyra.

Eſt ergo ſenſus, conſtitutio eſt, quod primum à ſe defenſor depellit, coniunctum cum accuſatoris criminatione. Coniecturalis conſtitutio.] Et hæc in omnia poteſt tempora diſtribui, ſiue ad animum, ſiue ad rem pertineant: ut in Commentario Topicorum Ciceronis dixiſſe nos meminimus. Nam ut de re nunc dicamus, eũ ad oratorem maxime pertineat, quid factũ ſit poteſt quæri, hoc modo, Occiderit ne Aiacem Vlyſſes. & quid faciat, hoc modo: Bono'ne animo ſint erga nos Veneti. & quid futurũ ſit, hoc modo: Si prouocantem uniuerſam Italiã ad arma Parthum reliquerimus incolumem, nunquid ſit incommodi ad rem Chriſtianã peruenturum? Capitis arceſſit.] Inueni etiã acceſſit ſine r. ſed intereſt, quia acceſſere euocare intelligitur: arceſſere aũt proprie accuſare ſignificat, et ab arceo naſcitur. etenim aliũ accuſare, à maleficijs arcere eſt. & cũ r ante ſ, accerſo accerſi, inquit Donatus, dicitur. Arceſſit igitur capitis, accuſat. & quoniã ſe Vlyſſes necaſſe inficias it, coniecturis id ab eo factũ nitemur cõprobare, ut quod diffitetur, fateri compellatur. Legitima conſtitutio eſt, cum de ſcripto, aut ex ſcriptis aliquid controuerſiæ naſcitur.] Quam Cicero hic legitimam uocat

conſtitutionem,

conſtitutionem, eius genera quæ ſeparata ſunt à cõſtitutionibus, quinque ſunt. Nã cum uerba ipſa uidentur cũ ſententia ſcriptoris diſſidere, tum inter ſe duæ leges aut plures diſcrepare, tum id quod ſcriptũ eſt duas aut plures res ſignificare, tum ex eo quod ſcriptũ eſt aliud quoque quod nõ ſcriptũ eſt inueniri, tum uerbi quaſi in definitiua conſtitutione in quo poſita ſit quæri. Quare primũ genus de ſcripto & ſententia, ſecundũ ex contrarijs poſitum ſit quæri legibus tertium ambiguũ, quartum rationatiuũ, quintum definitiuũ nominamus. In Topicis autem nouos appellat ſtatus, & legitimas diſceptationes, his uerbis: Sed quoniam lege firmius in controuerſijs diſceptandis eſſe nihil debet, danda eſt opera, ut legem adiutricem & teſtem adhibeamus. In qua re alij quaſi ſtatus exiſtũt noui, quæ appellantur legitimæ diſceptationes. Tum enim defendetur, non id legem dicere quod aduerſarius uelit, ſed aliud. Id autem contingit, ſi ſcriptũ ambiguum eſt. aut duæ ſententiæ differentes accipi poſſunt. tum opponitur ſcripto uoluntas ſcriptoris, ut quæratur uerba'ne plus an ſententia ualere debeant. tum legi lex cõtraria affertur. Ita ſunt tria genera, quæ cõtrouerſiam in omni ſcripto facere poſſunt: ambiguum, diſcrepantia ſcripti & uoluntatis, ſcriptura cõtraria. Hic autem ex tribus quas feci cõſtitutionibus hanc uocat legitimam. Sed iam id agamus, ut oſtendamus Ciceronem ſibi nõ eſſe contrariũ. Primũ ſciamus, quadripartitã omnibus in cauſis eſſe rationem, quam primũ debeat intueri qui acturus eſt. Longe fortiſſimã tuendi ſe rationem eſſe oportet, ſi negari poteſt quod commiſſum dicitur, unde coniecturalis naſcitur ſtatus. Proximũ eſt, ſi nõ id quod obijcitur factũ eſſe dicitur: quod quia definitione explicatur, definitiuus ſtatus nominatur. Sed ex is duobus unũ hic ad Herenniũ ſtatum facit, quem cõiecturalem uocat. Tertiũ genus eſt, quo recte factũ defenditur. id quoniã quale ſit quæritur, qualitas nominatur, uel generalis cõſtitutio: quia de genere, hoc eſt qualitate controuerſia eſt. eãdem iuridicialem appellat, quod iure'ne factũ an iniuria, in controuerſia poſitũ ſit. His ſi deficiamus, ultima quidem, ſed iam ſola ſupereſt ſalus, aliquo iuris adiumento à crimine elabendi, ut ab aliquo legis loco adminicula petere poſſimus. Hac de cauſa legitimã, quod legibus roboretur, cõſtitutionem Cic. nominauit. Deinde intelligendum ex his illud etiam eſt, hos quatuor ſtatus in duo genera deſcendere, rationale, & legale. Rationale eſt, quod ipſius tantũ naturæ cõtemplatione conſtat. legaliũ plures ſunt ſpecies, propterea quod multæ ſunt leges, & uarias habent formas. Licet enim tres ſpecies dixerimus, cõiecturalem, finitiuam, & generalem, rationale genus conficere, tamen quoniã in naturæ contemplatione & ui atque ingenio actoris ſunt, unum genus poſſunt appellari. Quæ autem in legũ forma quæruntur. quoniã inter ſe diuerſa ſunt, plures uidentur habere formas. id eſt quod Cic. nouos ſtatus cõficere dixit, quod extrinſecus ab oratore ad cauſam adhibeãtur, nec ita ſibi hæreant inter ſe, ſicut ſuperiores ſtatus. Rurſum cum hæc uelut ſimulacra ex illis tribus naſcantur, aliquando ſimplicia, aliquando cũ illis mixta eſſe uideri uoluit. nam ſcriptũ & uolũtas, ſi recte penſitemus, ſine dubio aut qualitate aut cõiectura cõtineri uidebitur, & ratiocinationẽ qualitatis eſſe maxime inueniemus, legis cõtrariæ hiſdem quibus ſcriptũ et uolũtas eſt: ut liquido infra apparebit, cũ hæc tractabimus. Amphibologia aũt, ſiue ambiguũ malis dicere, ſemper coniectura explicatur. Finitio quoque utrique generi quodq; rerũ, quodq; ſcripti cõtemplatione conſtat, cõmunis eſt. Hæc omnia, etſi in illos tres ſtatus ueniunt, tamen quia (ut dixi) habent aliquid uelut proprium, diſcentibus demõſtranda fuere, et permittendũ ea dicere uel ſtatus legales, uel quæſtiones, uel capita quædã minora, uel legitimas cõſtitutiones, dum fateamur nihil ne in his quidem præter tria quæ diximus quæri. Quando ergo expoſitũ, ut opinor eſt, quid ſit quod Cic. modo ſtatus hos per ſe ponit, modo ſtatus nõ eſſe, ſed quæſtiones quæ ad ſtatus referãtur ſcribat, ad ipſius uerba interpretãda iam redeo. Inquit aũt: legitima eſt conſtitutio, cũ de ſcripto, hoc eſt, de eo aliquid quæritur, aut ex ſcripto, cũ ex eo quid eliciendum ſit inueſtigatur. In altera uerba interpretamur, in altera non uerba tantũ, ſed et rationem quid intelligendũ eius quod in quæſtionem poſitũ eſt. Ea diuiditur in ſex partes, ſcriptũ & ſententiã contrarias leges, ambiguũ, definitionem, tranſlationem, ratiocinationem.] Hic tranſlationẽ legitimæ cõſtitutioni ſpeciem ſubijcit, quã in Rhetoricis præceptis de Inuentione actioni ſubiecit, inquiens: In quarta cõſtitutione, quam tranſlatiuam nominamus, eius cõſtitutionis controuerſia, cũ aut quem, aut quicũ, aut quomodo, aut apud quos, aut quo iure agere oporteat quæritur: aut omnino aliquid de commutatione aut infirmatione actionis agitur. Huius conſtitutionis Hermagoras inuentor eſſe exiſtimatur, non quod non uſi ſint ea ueteres oratores ſæpe multi, ſed quia non animaduerterint artis ſcriptores eam ſuperiores, nec retulerint in numerum conſtitutionum. Poſt autem ab hoc inuentã multi reprehenderunt, quos non tam imprudentia falli putamus, res enim perſpicua eſt, quàm inuidia atque obtrectatione quadã impediri. Ante enim dixerat, omnis res quæ habet in ſe poſitam in dictione ac diſceptatione aliquã cõtrouerſiam, aut facti, aut nominis, aut generis, aut actionis cõtinet quæſtionem. Deinde paulo poſt ſubiunxerat: At cũ cauſa ex eo pendet quod nõ aut is agere uidetur quem oportet, aut non cum eo cum quo oportet, aut non apud quos, quo tempore, qua lege, quo crimine, qua pœna oportet, Tranſlatiua dicitur conſtitutio: quod actio tranſlationis & commutationis indigere uidetur. Manifeſtum igitur eſt, ut actionis conſtitutionem tranſlationem appellari illic uoluerit, cũ transfertur crimen, cũ aut pro alio nos accuſari oſtẽdimus quàm debuerimus: aut non apud hos, ſed illos: nec hac lege, ſed illa: non hoc crimine, ſed illo: nõ hac pœna, ſed illa. quæ poſterius ipſe tractabit, et exemplo illuſtrauit. Manifeſtum uero fuit ex ſuperioribus uerbis Cic. quæ retulimus, legitimas quæſtiones, ſiue ſtatus libet appellare, quinque duntaxat ab eo numerari, non ſex, ut hic. Sed Hermagoram ſecutus illic, tranſlatiuam actioni ſubiecit conſtitutionem, quã inter legitimas hic conſtitutiones collocauit. Sed in his libris Cic. iudicium, in aliquibus non magnipendendum magnopere eſt. Sunt enim regeſta in hos cõmentarios, quæ adoleſcens olim didicerat: & ſi quæ in his culpa eſt, tradentis fuit. Nam his præclaros de Oratore libros ſubſtituit, & Oratorem ad Brutum, & Partitiones ad filiũ, ad Trebatium autem Topica: quibus iam ſenex iuueniles correxit errores: ſicut & alios libros quoſdam iam editos, alijs poſtea ſcriptis damnare non dubitauit, uelut etiam Hippocrates medicinæ clariſſimus auctor honeſtiſſime feciſſe uidetur, cũ quoſdam errores ſuos, ne poſteri errarent, confeſſus eſt: quando quidem ſuperuacuus in ſtudijs fuiſſet labor, ſi nihil liceret melius inuenire præteritis. Sed de hac re iam ſatis. Ex ſcripto & ſententia cõtrouerſia naſcitur, cum uidetur ſcriptoris uoluntas cũ ſcripto diſſentire.] Lex omnis aut tribuit, aut adimit, aut punit, aut iubet, aut uetat, aut permittit. Litem habet aut propter ſeipſam, aut propter alterã quæſtionẽ, aut in ſcripto, aut in uoluntate. In ſcripto, aut apertũ eſt, aut obſcurum, aut ambiguũ: quod de legibus idem Cic. in Topicis uult intelligi, de teſtamentis, pactis, ſtipulationibus & omni denique ſcripto, idem de uoce intelligendũ eſt. Cum igitur de ſcripto & uoluntate quæſtio eſt, id tum accidit, cũ eſt in lege aliqua obſcuritas. In ea aut uterque ſuam interpretationem confirmat, aut aduerſarij ſubuertit: ut lex eſt, qui fur ſit quadruplum ſoluat: duo ſurripuerunt pariter decem milia, petitur ab utroque quadragena. illi ſatis eſſe ducunt, ut uicena conferant. Nã & actor dicit hoc eſſe quadruplũ, quod lex uelit, & ipſi petant. contra reus, hoc quod offerant. Infinita huiuſmodi exempla eſſe poſſunt. Sed quoniam poſterius hæc genera Cicero longius tractat, hic ſatis ſit, quo pacto & ſcriptum & ſententia aliquando ſibi occurrant, commonſtraſſe: quando

& Cic. ipſe claro ſatis hoc illuſtrauit exemplo. Inquit enim, Si ſit lex, quæ iubeat eos qui propter tempeſtatem nauim reliquerint omnia perdere, eorũ nauim cæteraq; eſſe, ſi nauis conſeruata ſit, qui remãſerunt in naui. Hoc dictat iubetq; lex. Magnitudine tempeſtatis omnes, &c.] Scaphæ ſunt nauiculæ, quæ maiores naues cõſequuntur, à σκάπτω fodio dictæ: hinc etiã ſcaphe dictæ, quod parũ defoſſæ, exiguiq; fundi ſint. Præter unum ægrotũ.] Cũ alijs in ſcapha. Caſu & fortuna.] Eſt autẽ tam Ariſtotelico quàm Platonico dogmate caſus definitus, ut quæ rebus uel uita carentibus uel ſine ratione uiuentibus animalibus accidũt, nõ ex natura uel arte, ea omnia caſu facta dicãtur. item quæ hominibus accidãt, uel fauẽtia negotijs eorũ, uel aduerſantia, fortuita, et ex fortunæ arbitrio putãtur. Quòd ergo nauis in portũ incolumis tempeſtate deuecta ſit, caſu factũ eſt. quod ægrotus incolumitatẽ cõſecutus, quod minime opinabatur, fortuna eſt: & enim fautricẽ fortunã cõſecutus eſt. Non enim hic exigit locus, ut de caſu fortunaq; plura dicamus. difficilis enim & paulo longior eſt de hac re quæſtio: ſed cõſulto in aliud tẽpus tractãdũ dimittimus. Illã ægrotus poſſidet.] Legẽ quæ id dicat, obijciens. Aduerſarius uero non uerba legũ, ſed ſenſum eſſe attendendum contradicit. & quoniam id caſu fortunaq; factũ eſt, multa ex caſu fortunaq; argumentabitur. et exemplis uim & ſenſum legis extorquebit. Quæ ad caſum fortunamq; argumenta pertineant, in cõmentarijs ſuper Topicis Ciceronis à nobis abunde dicta ſunt. Hæc (inquit Cicero) ſex, ſcripti & ſententiæ cõſtitutio nominabitur, quod ex ſcripto ſententiaq; quæſtio oriatur. Ex cõtrarijs legibus cõtrouerſia.] Poſteaquã ſcripti & uoluntatis cõſtitutionẽ aperuit, proximũ fuit, ut de legibus diceret cõtrarijs. cũ igitur lex lege obſiſtit, & utrinque cõtra ſcriptũ dicitur, quæſtio de uolũtate eſt. Excutienda ergo ſcribentis eſt uoluntas. manifeſtũ ſiquidem omnibus uideri debet, legem legi nunquã eſſe contrariã, iure ipſo: quia ſi diuerſum iuſſiſſent, altero alterũ abrogaretur. ſed eas caſu collidi, & euenire, uelut in Cic. exemplo. inquit aũt, lex uetat eũ qui de pecunijs repetundis dãnatus ſit, in cõcione orationem habere. Repetundarũ dãnabitur pecuniarũ, qui rationem ſui magiſtratus reddere non poterat iuſtã, quod multa ex ſubditis iniuſte extorſiſſet. Concio, quaſi cõuocatio dicta. quam δημηγορίαν Græci uocant: triaq; ut Verrius Flaccus exiſtimauit, ſignificat. Nã ſicut ſenatũ & homines, & locũ, & deliberatinem ipſam dici uoluit: ita & locum, ſuggeſtumq;, unde uerba fierent, & homines, & oratoris actionem omnẽ, concionẽ uoluit nominari. Hoc ergo dicit, Vetat lex, ne qui pecuniarũ repetundarũ damnatus ſit, in cõcione orationem habeat. altera lex eſt quæ iubet, aut permittit augurẽ nominare eũ in concione, qui mortui auguris locũ ſibi depoſcat. augur itaque de pecunijs repetundis iã damnatus in cõcione, eum qui auguris locũ poſcebat, mortuo eũ eſſe ſufficiendũ oratione dixit, nominauitq; qui nã is eſſet. petitur ab eo mulcta, cũ orationem habere nõ debuerit. Mulcta, inquit Varro, à pecunia, quæ à magiſtratu petebatur, dicta, ut exigi poſſet ob peccatũ à ſingulis. dicitur nomen habuiſſe, quod mulctã olim unũ dicebant, ſed hæ mulctæ mulctarum. Petitur ergo mulcta, petitur pecunia, ut hæc ei pœna irrogetur: unde & mulcto uerbũ. hæc cõſtitutio ex cõtrarijs legibus nominatur. Ex ambiguo cõtrouerſia naſcitur, cũ ſcriptũ duas aut plures ſententias ſignificat.] Quod Cic. ambiguũ, Græci amphibologiã nominant. Sed cũ pluribus modis amphibologia intelligatur, id nũc dicere ſuperſedebimus, quãdo in 2. lib. ut id exponamus, locus uidetur efflagitare. Exẽplum autem ambigui ſcripti huiuſmodi eſt: Terentiæ uxori meæ triginta põdo, id eſt, triginta libras. & tantũ pluraliter efferuntur. Vnũ enim pondo nõ dici ſciamus: ſed in librã efferri, ſi ſingulariter uelimus enumerari. duo aũt, & tria pondo, & deinceps obſeruabimus. nec me fugit Duapondo, & trepondo dicendum eſſe, placuiſſe Quintiliano. inquit enim: Duapondo, & trepondo, ad noſtrã uſque ætatem ab omnibus dictũ eſt, et recte dici Meſſala cõfirmat. Eſt ergo amphibolon, ubi ait, Tullius heres meus Terentiæ uxori meæ triginta pondo uaſorũ argenteorum dato, quæ uolet. Dubiũ enim eſt an intelligendum, quæ ipſe heres, an quæ uxor uolet. & quoniã id in cõtrouerſiam uenit, quæriturq; utrius potior ſit ſententia, cõſtitutio naſcitur quæ ex ambiguo nominatur. Ex definitione cauſa conſtat, cum inde controuerſia eſt, &c.] Definitionũ duo ſunt genera, unum quod diſputationis & cognitionis tantũ cauſa ſumitur: alterũ, quod litigationis & actionis gratia cõparatur. Enumerarem hic multos definiendi modos, niſi in Cõment. ſuper Topicis Cic. recenſuiſſemus. & ſi multũ ad oratorẽ attinerent, & ſi non ſuperflua audientibus uideri poſſent. quæ cum parui momenti, & in cauillationibus eſſe poſita uideã, ſiue ad uerba obſcura ſenſu interiore interpretanda attineãt, ut quid ſit anima: ſiue extrinſecus, quod à conſuetudine remota ſint, ut quid ſuiq; deq; ſignificet: ſiue dubia, cũ plures habeant ſignificationes, quid potiſſimũ ſignificent, ut canis: ſiue cõtrouerſiam poſſint efficere, ut quid ſit pœnus, & quid littus eſſe dicatur, et huiuſmodi alia, dicere prætermittam, quandoquidem ad oratoris cauſas cognoſcendas tractandaſue nihil attinent. Cũ L. Saturninus legem frumentariam de ſemiſſibus &c.] L. Apuleius Saturninus tribunus plebis, cum Mario cõſul fuit ſeditioſus. ut autem gratiã Marianorum militũ ſibi cõpararet, legem tulit, ut ueteranis centena agri iugera in Africa diuiderentur, intercedentẽ Bebiũ collegã facta per populũ lapidatione ſummouit: Glauciæ prætori, quod is eo die quo ipſe concionem habebat, ius dicendo partem populi auocaſſet, ſellam conſcidit, ut magis popularis uideretur Saturninus. rurſum A. Mumio competitore interfecto, tribunus plebis refectus, aurum, incertum dolo an ſcelere Cepionis partum, ad emptionem agrorum conuertit, aqua et igni interdixit ei qui in leges ſuas non iuraſſet. Huic legi nobiles multi abrogantes. cum conueniſſent, clamauit: Iam (inquit) niſi quieſcitis grandinabit. Metellus Numidicus exulare, quàm iurare maluit. Saturninus tertio tribunus plebis refectus, ut ſatellitem ſuum Glauciam prætorem faceret, Mumium cõpetitorem eius in campo Martio necandũ curauit, hominem integrũ: ibiq; ab alijs imperator, ab alijs Rex appellatus eſt. Marius ſenatuſconſulto armatus, nequid reſpublica detrimenti caperet, Saturninũ & Glauciam in Capitolium perſecutus obſedit, maximoq; quæſtu effractis foribus in deditionem accipit. Nec deditis fides ſeruata eſt: Glaucia trucidatus eſt, Dolabella Saturnini frater per forum olitoriũ fugiens eſt interfectus. Apuleius cũ in curiã fugiſſet, lapidibus & tegulis deſuper infuſis obrutus interijt. caput eius Rabirius quidam ſenator per conuiuia in ludibriũ circumtulit. Hæc de L. Saturnino Plin. et multi alij ſcribunt. Verũ Cic. hoc dicit: Cũ L. Saturninus legẽ frumentariã de ſemiſſibus et trientibus laturus eſſet. Quod ita intelligendũ arbitror, cũ legem in populũ laturus eſſet de frumento nouis colonijs, quas in Sicilia, Achaia, et Macedonia fecerat, tradendo, ut alij ſemiſſes, alij trientes ex R. P. exoluerent. Niſi uelimus, fuiſſe edictũ per legem, ut ex ſemiſſibus ſingulis ſingulos trientes exoluerent. quod niſi ita intelligatur, mihi quid ſibi uoluerit nõ liquet. Sed an uoluerit hoc uel aliud, mihi nõ multum allaborandum eſt, modo quid hoc exemplo uoluerit intelligamus. Cepio (inquit Cic.) qui per id tempus quæſtor urbanus erat, mouit ſenatũ, ut pop. R. tanta elargiri haudquaquam poſſet. Senatus decreuit, ſi eam legem promulgaret, ut contra rempub. egiſſe uideretur, ac pro hoc lueret pœnas. Cum igitur legem ferre Apuleius cepiſſet, collegis non aſſentientibus & ille tamen ciſtellam cũ legibus in campũ Martiũ deferret, Cepio uidens nec illi collegas aſſentiri, & cõtra rempub. rem aggredi facinoroſam, cũ bonis uiris impetũ faciens medios diſturbat põtes, ne in campum iret Martiũ, qui pontibus muniebatur. at arcis cuſtos abijcit, impedimento eſt, quo lex ad populum non proferatur:

ratur: accuſatur læſæ maieſtatis Cepio, an læſerit quæritur. definiendum enim eſt, quid ſit maieſtatem minuere. Conſtitutio igitur definitiua nominabitur. Semiſſibus.] A ſemis et as. Fuit autẽ as libra à ueteribus appellata, & tota conſtitit ex aſſe hereditas. As quoque numiſma. Iuuenalis: Vno partá colit aſſe Mineruam. Et erit nominatiuus ſemiſſis, ut decuſſis, treſſis, centuſſis. Et trientibus.] Triens quatuor unciæ dicuntur. Triens, calix. Perſius: Calidumq; trientem Excutit è manibus. Triens, nũmus, Iuuenalis: Non habet quem porrigat ore trientẽ. Hic ſemiſſes & trientes nummorũ ſpecies accipiendæ. Cepio per id tempus quæſtor urbanus erat.] Quæſtores (inquit Varro) à quærendo, qui cõquirerent publicas pecunias, & maleficia quæ triumuiri capitales nunc conquirunt: ab his qui poſtea quæſtionũ iudicia exercent, quæſtores dicti. Docuit ſenatum ærarium non poſſe pati largitionem tantam.] Aerarium à fiſco ita diſtinguitur, ut Pedianus inquit, ut pro cenſu priuato ærariũ dicatur. quod & Cicero ad Auguſtũ oſtendit, cum inquit, publicam dilapidabat pecuniam, ærarium exhauriebat, minuebat uectigalia, donabat ciuitates. pro ſacculo ipſi adijcit fiſcus. unde fiſcus pecunia publica, & cõfiſcare dici ſolet. Hoc ergo dicit, cum Apuleius Saturninus ex populi priuata pecunia erogari hanc uellet pecuniã, & per quæſtorẽ id fieri oporteret, quæſtor Cepio docuit ſenatũ, ut Rom. pop. tantã non poſſet pati largitionem. Saturninus ferre.] Propter tribuniciam, quam conſecutus fuerat, poteſtatem, quæ ad defenſionem plebis in ſeceſſione Cruſtumeriam adhibita eſt. Ciſtellam deferre.] In qua leges ſeruabantur. Quo ſecius.] Quo minus, ut non. Arceſſitur maieſtatis læſæ.] Maieſtatis accuſatur: quandoquidem ut quæſtor tribuno plebis, utpote ſummo magiſtratui obtemperare debuit. ſed cum pro tutela Reipub. id effeciſſe ſe defendat, minuiſſe maieſtatem nõ uidetur. Definitione ergo opus eſt, ut quidnam ſit minuere maieſtatem intelligatur. Ex translatione cõtrouerſia naſcitur.] Ita legitimã conſtitutionem ſupra Cicero diuiſerat, ut translationem partem eius quintã faceret. ſed cũ translatio quæſtionem nõ habeat, de qua cõtendat orator, ſed propter quã contendat, cõſtitutio eſſe nullo modo uidetur. Nam occidiſti hominem, nõ occidi, quæſtio an occiderit, ſtatus eſt coniecturalis. Huic illud non ſimile eſt, Habeo ius actionis, non habes, ut quæſtio ſit, an habeas, & inde ſtatus. Accipiat enim actionẽ, nec ne, ad euentũ pertinet, nõ ad cauſam. Simile autem hoc illi eſt, Puniendus es, non ſum, uidebit iudex ipſe an puniendus ſit. Non ergo hic erit quæſtio. quòd ſi non ſit quæſtio, ne quidem ſtatus erit ullus. Erit autem ſtatus in hoc: Puniendus es, hominem occidiſti: puniendus non ſum, nõ occidi: an occiderit quæritur, & quæſtionem & ſtatũ habet. Melius ergo feciſſe Quintilianus uidetur, qui ex cõſtitutionibus ſummouit translationẽ. Sed quale iudicium de his libris Ciceronis habuerit, ſupra retulimus. à Quinto fratre ſubmiſſitios dixit appellari. Hoc ergo dicit Cicero, quoties reus immutandã eſſe ducet actionem, ex translatione cõtrouerſia nominatur. hac Græci, inquit, cõtrouerſia in iudicijs utuntur, ut oratores de hac re ſæpe in iudicijs contendant, ac litigent. Nos autem, num de iure ciuili id facere poſſimus, cõtendimus. quod cũ legibus probandũ ſit, iuris ciuilis ſcientia neceſſaria erit. aliquãdo tamen & de hac re iudicium effertur. Vt ſi quis peculatus accuſatur.] Eſt autem peculatus, ut Feſtus Pompeius inquit, furtũ publicum. dici autem ceptum ait à pecore, tunc cum Romani præter pecudes nihil haberent. hoc ergo dicit, ſi quis ſic accuſetur peculatus, quod uaſa argẽtea publica de loco priuato ſuſtulerit, poteſt, inquit, uſus primo definitione quid ſit furtum, quid peculatus oſtendere, & ſecum agendum furti, nõ peculatus. Sed cur hæc definitiua cõſtitutio non uocetur, non uideo: ſicut cum furti ſacrilegijq; agitur, utrũque definitur, niſi quod definitiua in eo quod definitur quæſtionem & conſtitutionem habet: hæc, quã translatiuã uocat in hoc exẽplo, poſt ipſam definitionem male ſecum agi de peculatu potius quàm furto, nec quæſtionem nec ſtatũ habet. quod & ipſe Cicero penè cõfitetur: ſed Hermen ſecutus, eius ſententiã referre cõpellitur. Hæc partitio.] Partitionem pro parte poſuit. hoc dicit, raro hæc pars legitimæ cõſtitutionis, quæ translatio nominatur, uenit in iudiciũ, ut de ea litigari neceſſe ſit. Quod in priuata.] Scilicet quod hæ naſcãtur cũ in dicendo quæ ad eos attinent, duntaxat tunc potiſſimũ cum iam cauſa ipſa proferri cœpit, ad prætorem attineant, & ad eũ deferãtur, ut quæ uelit ipſe aut iubeat; aut permittat, aut coerceat. Et à cauſa cadit.] Id eſt, amittit cauſam, qui hæc nõ obſeruauerit. quòd ſi ita ſit, contentione nõ opus eſt, ubi perſona, locus, tempus, & hoc genus cætera ſeruata nõ ſunt. idq; publicis cautũ eſſe legibus aſſerit, ut cõtendere nõ ſit opus. idq; debet reus obſeruare, quia ſi ab accuſatore rite non ſit ſeruatũ, ante de ipſo accuſatore fiat quàm de ſe iudiciũ, num licuerit accuſare, an nõ: ut ſi ſeruus dominũ in iudiciũ uocet, quæratq; qui accuſatur, num id ab eo fieri iuſte potuerit, et cætera quæ in id genus cadere poſſunt. Ex ratiocinatione cõtrouerſia cõſtat.] In ſex partes ſupra legitimã Cicero partitus cõſtitutionem eſt: Scriptũ & ſententiã, quàm Græci κατὰ ῥητὸν καὶ διάνοιαν, alij κατὰ ῥητὸν καὶ ὑπεξαίρεσιν, hoc eſt, contra dictũ & exceptionem nominarunt: cõtrarias leges, quã illi ἀντινομίαν dicũt: ambiguũ, quod illi ἀμφιβολίαν. definitionem, quã illi ὁρισμὸν, licet nõnulli ὑπαλλακτικὴν nominauerint translationem: alij tranſſumptiuã, alij tranſpoſitiuã, Græcorũ alij μετάληψιν, alij ὑπαλλακτικὸν nominauerũt. Ratiocinationẽ uero Cicero uocat, alij ratiocinatiuũ, alij collectiuũ, Græci uero συλλογισμόν. Cũ igitur de cæteris legitimæ cõſtitutionis partibus dictum ſit, de ratiocinatione ultimo loco concludendũ eſt. Ex ratiocinatione igitur cõtrouerſia (inquit) conſtat, cũ res ſine propria lege uenit in iudiciũ, quæ tamen ab alijs legibus ſimilitudine quadã occupatur.] Cõtrouerſia, inquit, ex ratiocinatione naſci dicitur, cũ res de qua futurũ iudicium eſt, propriã non habet, quã ob cauſam ueniat in iudiciũ, legem, ſed eã ſimilitudine ad aliã trahere neceſſariũ ſit. quod quoniã ratione colligitur, ratiocinatiua cõſtitutio nominatur. ut ſi ſit lex, uenefica capite puniatur: amatoriũ dedit mulier marito poculũ, eãdem repudiauit, per propinquos rogata ut rediret, non eſt reuerſa: ſuſpendit ſe maritus, mulier ueneficij rea eſt. ſi quid ſit uenenũ, idq; amatoriũ poculum definiatur, definitiuus ſtatus nominabitur: ſi parum ualebit, fiet ſyllogiſmus, & à ſimilitudine puniendã eſſe mulierem probabimus, priore remiſſa (quæ definitionis fuit) contentione: ut perinde puniri debeat ea, cuius amatorio poculo maritus perierit, ac ſi ueneno necaſſet. Hic ergo ſtatus ducit ex eo quod ſcriptum eſt. Lex enim eſt, ut uenefica capite puniatur: at id incertum eſt. quod enim non ſcriptum, incertũ de eo futurũ uidetur iudiciũ. Sed ſyllogiſmo, id eſt, ratiocinatione id fieri debere demonſtratur. Conſtitutio igitur ratiocinatio erit. Nõ differt autem à ſcripto & uoluntate ſyllogiſmus, quod in ſcripto & uoluntate pars ſemper altera ſcripto nititur. ſicut & in ſyllogiſmo: ſed hoc intereſt, quod in ſcripto & uoluntate contra ſcriptũ dicitur, in ratiocinatione ſupra ſcriptũ adijcitur. quæ autem uerba defendit in ſtatu ſcripti & ſententiæ, hoc agit, ut fiat utique quod ſcriptũ eſt in ratiocinatione, nec aliud quàm ſcriptum eſt, uelut utrũque iam exemplo manifeſtum fuit. Proxima etiam definitioni ratiocinatio eſt. quod ſi finitio parum firma ſit, in ſyllogiſmum ſæpe delabitur, ut proximo iam memorato exemplo oſtendimus. Quãobrem, ut ſupra etiam diximus, ſi bene aduertimus legitimæ cõſtitutionis partes, inueniemus omnes ad rationales referri ſtatus, ut non plures rationalibus eſſe uideantur, An ſit, Quid ſit, & Quale ſit. Ea eſt huiuſmodi lex: Si furioſus exiſtat, agnatorum gentiliumq; in eo pecuniaq; eius ius eſt.] Eſt, inquit, lex, ut furioſus & furioſi bona ſint in poteſtate eius agnatorum & gentilium. Agnati, qui ex eodem deſcendunt germine.

Gentilium.] Gentiles ita Cic. in Topicis diffinit, Gentiles, inquit, ſunt inter ſe, qui eodem nomine ſunt, qui ab ingenuis oriundi ſunt, quorum maiorum nemo ſeruitutem ſeruiuit, qui capite non ſunt diminuti. Ergo qui furioſi conſequi uelint bona, hæc omnia habuiſſe eos oportuit. Et lex, qui parentem necaſſe iudicatus erit, is obuolutus & ligatus corio.] Subaudi, bubulo. In culeo enim obuoluebatur, ligabaturq́; qui parentem occiderat. Deuehatur in profluentē.] Hoc eſt, in decurrentem aquam iactetur. Et lex, paterfamilias uti ſuper familia pecunia'ue ſua legauerit, ita ius eſto.] Sit ius, inquit, ut paterfamilias toti familiæ, uel cui ex familia uſum fructum uel pecunia legauerit, uel quiduis in familia ſtatuerit, fiat: & adiungit: Sit lex, ſi paterfamilias inteſtatus moritur, ut eius pecunia agnatorum gentiliumq́; ſit.] Non ut ſupra dixit, familiæ, in qua etiam ſerui & ancillæ eſſe intelliguntur. nam (ut Feſtus inquit) famuli origo ab Oſcis dependet, apud quos ſeruus Famel nominabatur, unde & familia uocata. Malleolus, ciuis Romanus. alioqui enim malleolus in modū mallei planta eſt, roſtrum habens, aptus ut plantetur. & malleoli, inſtrumenta etiam bellica ſunt, uelut ſagittæ: & ubi adhæſerint, quia ardentes ueniunt, uniuerſa conflagrant. Hoc ergo dicit: Malleolus, qui matrem necaſſe in iudicio conuictus erat, in eum animaduertitur. itaque damnatus, folliculo obuolutum os lupino eſt, hoc eſt, corio lupi, ut tunc mos fuit, ligatus: & ſolea lignea pedibus inducta ſunt. Id genus calceorum, quibus plantarum calces tantum in fine teguntur, cætera propè nuda, & teretibus ligulis tanquam habenis iūcta, ſoleas ueteres dixerunt. nonnunquām uoce græca crepidas. quodque à pedum digitis ad talum duobus quaſi cornibus in modū lunæ porrigeretur, luna dicta, Iuuenalis in tertio Satyrarū: Lunā ſubtexit aluta. Et lunata planta: Martialis, Lunata ligula planta Coccina nó læſum pingit aluta pedem. In modū ergo ſolearum pedicas pedibus iniecerant, quæ utcunque ita laxarent pedes, ut incederet: & uincirent, ne ſe in pedes daret. Ipſo præſente.] Ac teſtamentum, ſubaudiendū, faciente. Teſtes rite affuerūt.] Prout teſtamentorū mos exigit, teſtes aderant: alioqui teſtamentū uim nullā habere poſſe uideretur. De ipſo ſuppliciū paulo poſt ſumitur.] Hoc eſt, obuolutus in culeo in profluentē demittitur: heredes qui eū defenderant, ſunt cōſtituti teſtamento in carcere facto. quamobrem & hereditatem adeunt. Malleoli autem minor frater qui eum oppugnauerat.] De cæde matris, iure agnationis ſuā eſſe oportere hereditatem dicit. Hic certa lex nulla affertur.] Siquidē nec cōuinci poteſt, ut furioſus Malleolus fuerit, quo iure agnationis ad fratrē cuncta bona debeāt confluere: nec omnino ſanæ mentis uiſus fuit, cū matrem occiderit. rurſum ut paterfamilias uidetur legare ſua cui uellet potuiſſe, damnatus fortaſſis nó potuiſſe. ſi nó potuit teſtari, perinde habebitur Malleolus, ac ſi non feciſſet teſtamentū. ſyllogiſmo ergo innititur Malleoli frater, ut ex uicino probet, quod quærit, ut dicat: ſi teſtamentū nullū feciſſet Malleolus, meum futurum erat quod teſtamento legauit. Sed cū teſtari nó potuerit, aut quia furioſus, aut quia utrunque fuit: perinde eſt ac ſi inteſtatus obiiſſet. hereditatem ergo meā eſſe oportet. Lex cōtra hoc eſt, quòd paterfamilias cui uelit, poſſit ſua bona legare teſtamento. Nulla igitur lex hic certa eſt, inquit Cicero: multa tamen afferuntur, unde ratiocinatio naſcatur, quare Malleolus teſtamentū potuiſſe facere, & non potuiſſe, uideatur. Hinc conſtitutio legitima ex ratiocinatione merito nominata eſt. Iuriſdicialis conſtitutio eſt, cū factū conuenit, ſed iure an iniuria factū ſit quæritur.] Eius cōſtitutionis partes ſunt duæ, quā Latini abſolutā, Hermagoras κατὰ φύσιν appellauit. quā uero aſſumptiuam Latini, Græci κατ' ἀντίθεσιν nominarūt. Abſoluta eſt, cū id ipſum quod factū eſt, ut nihil aliud foris aſſumatur, recte factum eſſe dicemus.] Hoc dicit: abſoluta eſt, quæ in ſe cōtinet iuris & iniuriæ quæſtionem, nihilq́; extrinſecus petimus auxilij, ſed intra ſui ambitū tota concluditur. Velut cū mimus quidam in cœnaculo Acciū tragœdiarū ſcriptorem proprio nomine appellauit: Accius aūt nomine poetæ debuiſſe uocari, et adiecto honoris uocabulo, ut publico, aut quouis ſimili uerbo nominari, non nominatim ut quiuis è plebe debuiſſe accuſat. Mimus ſe defendit: licuiſſe eū quidem nominare, cuius ſcripta in ſcenis dentur recitanda. Cū igitur hic extrinſecus nihil aſſumatur, aſſumptiua dicta eſt. Mimus græce is dicitur, qui ad imitādos humanos actus, ad poemata recitāda adhibetur: unde & nomen habet. μιμοῦμαι enim, imitor ſignificat. Cœnaculū, ut inquit Varro, ubi cœnabant: ſicut ubi cubabant, cubiculū uocitabant. hinc domus uniuerſa cœnaculū dicta. Aſſumptiua eſt, cū per ſe defenſio infirma eſt, ſed aſſumpta ex contraria re cōprobatur.] Aſſumptiua, inquit, quæ ipſa ex ſe nihil dat firmi ad recuſationem, foris autem aliquid defenſionis aſſumit. Hic uero illud debemus tenere compendiū, quod in abſoluta qualitate factū ipſum aſſerimus: in aſſumptiua uero qualitate non factū iuſtū, ſed cauſam facti iuſtā fuiſſe contendimus. Itaque in abſoluta qualitate æqui & recti natura quæritur, in aſſumptiua uero premij & pœnæ ratio depoſcitur. Re extraria.] Id eſt, extrinſecus petita et aliena. Licet Feſtus Pompeius dicat, extrariū ab extraneo ſic diſtinguitur, quod extrarius ſit, qui extra focū, ſacramentū, iusq́; ſit. extraneus, ex altera terra, quaſi exterraneus, id eſt, ex terra noua: externus autem, alienus. Aſſumptiuæ partes ſunt quatuor, &c.] Singularū defenſionū locū cōſiderare debemus. Primo innocentis eſt hominis, ut dicat, Nó feci: deinde, Feci ſed nó ſic uocatur: tertio, Feci, & ſic uocatur, ſed iure feci. deinde hoc ipſum iure feci, aut licuiſſe ſibi, debebit oſtendere· quæ qualitas abſoluta eſt. aut ſi non licuit, debet ſibi extrinſecus aſſumere aliquid, quo id probet quod iniuſte factū uidetur. Videamus nūc de his quatuor aſſumptionis partibus, quæ ſit acrior. Primo dicet Feci, ſed profuit: & probabit, plus ſe profuiſſe quàm obfuiſſe. Deinde dicet, Feci quidem, ſed ut hoc facerem ante prouocatus ſum: quæ eſt relatio criminis. aut, Feci quidem, ſed id facere ab alio coactus ſum: quæ eſt remotio criminis. Quòd ſi nec profuit, nec ab alio prouocatus aut impulſus eſt, cum nihil ſit quo ſe defendat, factū fateri debebit, ſed ueniam poſtulare: hāc Cicero cōceſſionem uocat. Conceſſio, inquit, eſt cum reus poſtulat ſibi ignoſci: ea diuiditur in purgationem & deprecationem. Purgatio eſt, cū conſulto negat reus ſe feciſſe: ea diuiditur in imprudentiam, fortunam & neceſſitatem.] Criminis, inquit, conceſſio in purgationem et deprecationem diuiſa eſt. Purgatio eſt, cum dedita opera ſe id cuius arguatur non feciſſe dicit: ſed imprudentiam cauſatur, ac ſe lapſum errore, non mentis flagitio. aut fortunam ita uoluiſſe, ſe autem non fuiſſe in cauſa. uel factorum neceſſitate, in quibus loci à cauſis ut ab effectibus, uberē argumentandi præbebunt copiam. Fortunā, ut Cepio oſtendit, ad tribunum plebis, de exercitus amiſſione.] Nempe nó ſua culpa factum, ſed fortuna, ut amitteret exercitū. Imprudentiam, ut ille qui de ſeruo, qui dominum occiderat, ſupplicium ſumpſit, cui frater eſſet, antequam tabulas teſtamenti aperuerit, cuius ſeruus teſtamento manumiſſus eſſet.] Et per imprudētiam ſe feciſſe defendet, qui ſe de eo ſumpſiſſe ſupplicium profitebitur, qui fratrem ei occidiſſet: ſeruum autem eum crediderat, de quo ſumere impune poterat ſupplicium. ſed aperto teſtamento manumiſſus inuentus eſt. Neceſſitudinē, ut ille qui ad diē commeatus nó uenit, quòd eū aquæ interclusiſſent. Neceſſitate ſe addictū excuſabit, qui ferens cōmeatum, quo fame laborantibus ſuppetias occurreret, plenis fluminibus torrentibusq́;, plenè decurrentibus alueis, interclusum detentumq́;, quo minus ferre cōmeatus poſſet, ſe defendet. aut certe cū miles ad cōmeatus diem nó affuit, dicit ſe fluminibus interclusum, aut ualetudine aduerſa, quo minus cū cæteris ire potuerit. Deprecatio eſt, cum &

deprecaſſe ſe, & conſulto feciſſe reus confitetur, & tamen poſtulat ut ſui miſereatur.] Deprecatio, inquit, eſt cum & peccaſſe reus confitetur, & tamen ut ſibi ignoſcatur poſtulat. In purgatione factum conceditur, ſed facientis animus excuſatur. In deprecatione uero & factum & culpa conceditur, ſed tamẽ ueniam deprecatur reus. Hoc in iudicio ferè non poteſt uſu uenire, niſi in loco communi per amplificationem inijciemus.] Vt ipſe Cic. pro Ligario, cum dicit: Cauſas egi Cæſar multas equidem tecum, dum te in foro tenuit ratio honorum tuorum. Certe nunquam, hoc modo: Ignoſcite iudices, errauit, lapſus eſt, non putauit ſe unquam poſthac. &c. Niſi quando pro eo dicimus, cuius multa rectè facta conſtant.] Plane defendi poterit, ſi aut propter ſe, aut propter alios faciendum dicamus. Propter ſe, ſi innocens, ſi benemeritus, ſi ſpes in futurum innocenter uicturi, & in aliquo uſu futuri: præterea ſi uel alijs incommodis, uel præſenti periculo, uel pœnitentia uideatur ſatis pœnarũ dediſſe. Propter alios, ut ſi ob nobilitatem, dignitatem, propinquos, amicos ei indulgendum eſſe dicamus. Verum nihil poſtulat ignoſci.] Cũ dicit, ſi hoc feciſſet, ob beneficia ſibi ignoſci conueniret: nihil eſt quod ſibi ignoſci poſtulet. quod cum ita ſit, in iudicium non uenit. non enim de hac re quidquam iudicandũ iudicibus permittitur. Aut in ſenatũ, ante imperatorem. In ſenatu, inquit, & ante imperatorẽ, & apud populũ, & ubicũque iuris clementia eſt, habet locũ deprecatio. Ex tranſlatione criminis cauſa cõſtat.] Relatio, inquit, criminis eſt, quod ideo iure factũ dicitur, quòd aliquis ante iniuria laceſſeris. Eſt relatio criminis, ſi in eo quod fecimus, uicem nos reddidiſſe dicamus: uputa, Occidi, quia ille me uolebat occidere. hoc ego feci, ſed meruit ut facerẽ. ut Oreſtes, qui ideo ſe matrẽ occidiſſe dicebat, quòd illa eius patrem maritũ ſuũ occidiſſet. Ex remotione criminis cauſa conſtat, cũ à nobis nõ crimen, ſed culpã ipſam amouemus.] Remotio criminis eſt, cum id crimen quod infertur, à ſe & à ſua culpa in aliũ reus remouere conatur. Et uel in hominẽ transferimus, uel in rem quampiã. In hominem transferetur culpa, ut ſi accuſetur is, qui P. Sulpitiũ ſe fatetur occidiſſe, & id iuſſu conſulum defendat, & dicat eos non modo imperaſſe, ſed rationẽ quoque oſtendiſſe. Criminis remotio dupliciter fieri poterit, ſi aut cauſa aut factũ in aliũ transferatur. Cauſa transfertur, cũ dicitur, aliena ui & poteſtate factũ: ut qui Sulpitiũ, inquit, ſe occidiſſe cõfeſſus eſt, idq; iuſſu ſe conſulũ feciſſe dicat, qui nõ modo id imperarunt, ſicut poterant, uerũ etiã rationem reddiderunt cur id liceret facere. In rem cõfertur, ut ſi quis ex teſtamento quod facere iuſſus ſit, ex plebiſcito uetetur. In rem factũ crimen transfertur, ut ſi quis ex alicuius teſtamẽto quidpiã facere cõpelleretur, quod facere plebis ſanctione aliqua prohiberetur. Hoc ergo dicit, aſſumptiuæ cõſtitutionis pars, quæ ex criminis trãſlatione conſtat, quã Græci μετάθεσιν nominarunt, aut fit cũ in hominẽ culpa relegatur, qui id quod reus factũ confitetur, mãdare potuerit: aut in rem, ut ſi is qui teſtamentũ quod iuſſus nõ fecerit, dicat per leges id fieri non potuiſſe, quippe quod iubebãt cõtra fieri, aut id fieri prohibebãt. Ex cõparatione cauſa cõſtat, cũ dicimus neceſſe fuiſſe alterutrũ facere, & id quod fecerimus ſatius fuiſſe facere.] Inter comparationem et cõceſſionem hoc intereſt, quod in cõparatione de eadem re cõparatio eſt: ut, Diſſipaſti muros, hoſtibus iter urbem ingrediendi dediſti. Ille contra: Diſturbaui quidem muros, ſed hoſtes in fugam uerti. Ecce in eodem eſt comparatio. Conceſſio autem criminis in diuerſis rebus fit: ut cũ Verres multa ſigna & uaſa ex Sicilia ſuſtulit, utitur hac defenſione, quod à bellis tutam Siciliam reddiderit. ac ob id ſibi indulgendũ, ſi quid deliquerit, cũ multo maius ſit in quo profuerit: nec poterit dicere, ideo ſigna ſuſtuli ut prouinciã defenderem. Neque enim propterea ſigna exportauit ex Sicilia, ut prouinciã defenderet. Itaque aſſumptiua quidẽ utitur conſtitutione, ſed conceſſione per deprecationem. Ergo in cõparatione id quod intenditur, ideo à nobis factum dicere debemus, ut ex eo ipſo bonum illud quod contingit, fluxiſſe dicamus. Ea cauſa huiuſmodi eſt: Cn. Põpeius, inquit, cum à Gallis obſideretur, neque fugere ullo modo poſſet, uenit cũ hoſtium ducibus in colloquium: ita diſceſſit, ut impedimenta linqueret, exercitũ educeret.] Perquàm idoneo exemplo utitur. Põpeius, inquit, cũ à Gallis obſeſſus effugere nuſquam poſſet, in colloquium ueniens impetrauit, ut impedimenta relinquens tute abire poſſet. præſtare id arbitratus, ut impedimenta, quàm exercitũ relinqueret. Arceſſitur.] Id eſt, accuſatur maieſtatis, quod maieſtatem tum ſuã, qui eſſet imperator: tum populi Romani, qui eã dignitatem nõ ut effugeret, ſed ut fortiter cũ hoſte confligeret, tradiderat, minuerit. & quoniam in his omnibus memoratis quid denique faciendum ſit, aut apud populum, aut ſenatũ, aut iudices quæritur, cõſtitutiones exinde ex eis quæſtionibus oriuntur, quas protulimus. Quæ conſtitutiones; & quæ conſtitutionũ partes ſint, uideor oſtendiſſe: nunc quomodo eas, & qua uia tractari conueniat, demonſtrandũ eſt.] Poſteaquam conſtitutionum, inquit, partes, omnes, & quid eſſet conſtitutio oſtendimus, ſupereſt, ut quomodo eas, & qua ratione tractari conueniat, dicamus. hoc eſt, conſtitutione inuenta, quo pacto argumentis utrinque quod in quæſtione poſitum fuerit, probandũ ſit: ſi prius aperuerimus, quid oporteat ab ambobus in cauſa deſtinari: id quidem, inquit, faciemus, ſi prius quid in cauſa litigantibus, utrique decerni oporteat oſtenderimus. Deſtino enim, aliquando mitto ſignificat, ut Iuuenalis: Deſtinat hoc monſtrum cymbæ linique magiſter Pontifici ſummo. Aliquando decerno, uelut idem: Laudo tamen, uacuis quòd ſedem figere Cumis Deſtinat. Quo ratio omnis totius orationis conferatur.] Ad quod referatur, et unde tota pendeat oratio, quod paulo poſt docebitur. Cõſtitutione igitur reperta, ſtatim quærenda eſt ratio.] Conſtitutione inuenta, Hermagoræ quærendum uidetur, quid ſit quæſtio, ratio, iudicatio, & firmamentũ. ſed in libris de Inuentione, aliquanto plura Ciceroni quærenda eſſe uiſa ſunt. quippe qui inquit: Cõſtitutione cauſæ reperta, ſtatim placet conſiderare, utrũ cauſa ſit ſimplex, an coniuncta: & ſi coniuncta erit, utrũ ſit ex pluribus quæſtionibus iuncta, an ex aliqua comparatione. Simplex eſt, quæ abſolutam in ſe continet unam quæſtionem, hoc modo: Corinthijs bellum indicamus an non? coniuncta ex pluribus quæſtionibus, in qua plura quæruntur, hoc pacto: utrũ Carthago diruatur, an ex Carthaginenſibus reddatur, an eò colonia deducatur. Ex cõparatione, in qua per contentionem, utrũ potius, aut quid potiſſimum ſit quæritur, ad hunc modũ: Vtrũ exercitus in Macedoniã contra Philippum mittatur, qui ſocijs ſit auxilio: an teneatur in Italia, ut quæ maximæ cõtra Hannibalem copiæ ſint. Deinde conſiderandũ eſt, an in ratione, an in ſcripto ſit cõtrouerſia. nã ſcripti cõtrouerſia eſt ea, quæ ex ſcriptionis genere naſcitur. Eius autem genera quæ ſeparata ſunt à cõſtitutionibus, quinque ſunt. Nã tum uerba ipſa uidentur cũ ſententia ſcriptoris diſſidere, tũ inter ſe duæ leges aut plures diſcrepare, tum id quod ſcriptũ eſt, duas aut plures res ſignificare uidetur: tum ex eo quod ſcriptum eſt, aliud quoque quod non ſcriptum eſt inueniri: tum uis uerbi quaſi in definitiua conſtitutione, in quo poſita ſit, quæri. Quare primũ genus de ſcripto & ſententia, ſecundum ex contrarijs legibus, tertium ambiguum, quartum ratiocinatiuum, quintum diffinitiuum nominamus. At tum conſiderato genere cauſæ, & cognita conſtitutione, cũ ſimplex'ne, an coniuncta ſit intellexeris, & ſcripti, an rationis habeat cõtrouerſiam uideris, deinceps erit uidendũ, quæ quæſtio, quæ ratio, quæ iudicatio, quod firmamentũ cauſæ ſit, quæ omnia à cõſtitutione proficiſcantur oportet. Quæſtio eſt ea, quæ ex conflictione cauſarum gignitur, controuerſia, hoc modo: Non iure feciſti, iure feci. Cauſarum autem hæc eſt conflictio, in qua conſtitutio conſtat. ex ea igitur

naſcitur controuerſia, quam quæſtionem dicimus, hoc modo: Iure ne fecerit. Cum igitur quæſtio latius intelligatur, omnis de qua in utranque partem, uel in plures dici credibiliter poſſit, in iudiciali materia dupliciter eſt accipienda. uno quidem modo, quo dicimus multas quæſtiones habere cõtrouerſiam, quo etiam minores omnes complectimur: altero, quo ſignificamus ſummam illam in qua cauſa uertitur, hanc Græci ζήτημα, noſtri principalem quæſtionem uocant, quod ex ea ſtatus naſcatur. ut, an matrem Oreſtes occiderit: qui cum ſe occidiſſe fatetur, quæritur an iuſte occiderit. Ex hac conſtitutio naſcitur. Cum igitur de ijs inter ſe litigantes uiderimus, hoc pacto prius cum in quo conſiſtatur uiderimus, quærimus quid id ſit in quo litigent: hæc eſt quæſtio, quam Cicero ante rationem merito quærendam dicit. Ratio eſt, quæ cauſam facit, & cõtinet defenſionem, hoc modo, ut docendi cauſa in hac potiſſimum cauſa conſiſtamus.] In ratione declaranda, penè Oreſtis omnes utuntur exemplo, uelut ipſe in libris de Inuentione: Ratio eſt, quæ cõtinet cauſam. quæ ſi ſublata ſit, nihil in cauſa cõtrouerſiæ relinquetur: hoc modo, ut docendi cauſa in facili & peruulgato exemplo cõſiſtamus: Oreſtes, ſi accuſetur matricidij, niſi dicat Iure feci, illa enim patrem meũ occiderat: non habet defenſionem, qua ſublata, omnis quoque controuerſia ſublata ſit. Ergo eius cauſæ ratio eſt, quod illa Agamemnona occiderit. Nec non Quintilianus, inquiens: Ratio autem eſt, qua quod factum eſſe conſtat, defenditur: & cur non utamur eodem, quo ſunt uſi omnes ferè exemplo? Oreſtes matrem occidit, hoc conſtat: dicit ſe iuſte feciſſe, ſtatus erit qualitatis: quæſtio, an iuſte fecerit? Ratio, quia Clytemneſtra Agamemnonem maritum ſuum, patrem Oreſtis occidit. hoc αἴτιον dicitur. Sine qua ne parua quidem dubitatio remorari poteſt damnationem.] Hoc dicit, Si factum fuiſſe conſtet, nec cur fecerit ratio in medium proferatur, licet an damnãdum ſit puſilla occurrerit dubitatio, ſequetur tamen damnatio. Remorari.] Et remoro & remoror, teſte Donato dicimus: quod uerbum retardo & retineo ſignificat, à remora piſce minutiſſimo, qui naues retinet, quem Græci ἐχενηίς uocant. Inuenta ratione, firmamentum quærendum eſt, id eſt; quod accuſationem continet, & quod affertur contra rationem defenſionis, de qua antea dictum eſt.] Quod Græci συνέχον; alij continens, alij firmamentum nominarunt. Sic in primo Rhetoricorum de Inuentione: Firmamentum eſt, inquit, firmiſſima argumentatio defenſoris, & appoſitiſſime ad iudicationem, ut ſi uelit Oreſtes dicere eiuſmodi animũ matris fuiſſe in patrem ſuum, & in ſeipſum, & in ſorores, in regnum, in famam generis et familiæ, ut ab ea pœnas liberi ſui potiſſimum petere debuerint. Quintilianus autem: Firmamentum, inquit, quibuſdam id eſſe uidetur, poſt quod nihil quæritur: quibuſdam id, quod ad iudicationem firmiſſimum affertur. Cicero autem ſecum in his multum diſſentit. nam in præceptis Inuentionis, ſicut ſupra dictum eſt, Hermagoram ſecutus, firmamentum defenſoris eſſe dixit. in Topicis, ex ſtatu confectam contentionem κρινόμενον appellat, idq; Trebatio qui erat Iuriſconſultus alludens, qua de re agitur appellat, quibus id contineatur. continentia, quaſi firmamenta defenſionis, quibus ſublatis defenſio nulla ſit. At in Partitionibus oratorijs, quod opponitur defenſioni: quia primũ quod ab accuſatore afferatur, dicatur ratio: quod autẽ ab accuſatore ſecundo loco contra rationem afferatur, firmamentum nominetur. Idem hic ſentit. inquit enim: cum uſus fuerit Oreſtes defenſione hoc pacto, Vere occidi, illa enim patrem meum occiderat: utetur accuſator firmamento, hoc modo: Sed non abs te occidi, neque indemnatam pœnas pendere oportuit. Sed Quintilianus concludit, uerius & breuius ſenſiſſe, qui ſtatum et continens, quod ab alijs firmamentum diximus appellari, & iudicationem, idem eſſe uoluerunt. continens autem id eſſe, quo ſublato, lis eſſe non poſſit. Ex ratione defenſionis, & firmamento accuſationis, iudicij quæſtio naſcatur oportet, quã nos iudicationem, Græci κρινόμενον appellant.] Dictũ eſt, cõſtitutione inuenta, quærendam eſſe quæſtionem, rationem, firmamentum, & iudicationem: quæ omnia expoſita ſunt, præter iudicationẽ quam nunc dicit ex ratione defenſionis naſci, & accuſationis firmamento: ut, Oreſtes iuſte occidit matrem, ſtatus eſt qualitatis: an iuſte occiderit, quæſtio: ratio autem, quia patrem meũ occiderat. Firmamentum uero, non tamen abs te indemnatam interfici oportuit. iudicatio, an oportuerit. Quot igitur erunt in cauſa conſtitutiones, aut earum partes, totidem neceſſe erit quæſtiones, rationes, firmamenta, iudicationes reperiri. Veruntamen unus erit principalis ſtatus, una quæſtio, una ratio, unum firmamentum, una iudicatio in unaquaque cauſa, ſiue ea ſit ſimplex, ſiue multiplex. nam cum dicitur, etiamſi occidi, iuſte occidi: prius an occiderit, erit excutiendum, ubi ſtatus coniecturalis omnem argumentationis uim primum ſibi depoſcet: ſed quoniã factum'ne ſit quæritur, nulla ratio eſt: & ubi nulla ratio, nullum firmamentum ſit neceſſe eſt. Sic autem occidiſſe quidem fateatur, ſed iuſte, omiſſa coniecturali quæſtione, illud potiſſimum quæritur, an iuſte occiderit: unde ratio, firmamentũ & iudicatio naſcantur oportet. Hoc modo, inquit Cicero, cum dicat Oreſtes ſe patris ulciſcendi cauſa matrem occidiſſe, rectum ne fuerit ſine iudicio à filio Clytemneſtram occidi: Senſus eſt, cum rationem ſuæ defenſionis Oreſtes tulit, ideo occidi, quòd patrem meum illa occiderat: & accuſator cõtra firmamento innixus, dixit, Recte tamen non factum eſt, ut à te filio ſine iudicio Clytemneſtra mater occideretur: iudicatio inferatur oportet, rectum'ne fuerit ſine iudicio à filio Clytemneſtram occidi. Patris ulciſcendi cauſa, puniendi matrem.] Nam, ut etiam Aſconius Pædianus inquit, ulciſcor & punio & uindico ſignificat. Ergo hac ratione.] Quam Oreſtis protulimus. Iudicationem.] Cuius exemplum rationi ſubiecimus, reperire conuenit. Reperta iudicatione omnẽ rationem totius orationis eo conferri oportebit.] Inuento, inquit, de quo in cauſa iudicandum ſit, ad id omnem orationem accommodare oportebit. Vnde ipſe ſupra inquit, Si prius aperuerimus quid oporteat ab ambobus in cauſa deſtinari, quo ratio omnis totius orationis conferatur, ſed tamen non id perpetua oratione intendimus, ſed cupiditate laudis uel dicendi uoluptate euagamur. Quandoquidem uberior ſemper extra cauſam materia eſt, quia intra cauſam haud ſanè multa ſunt: extra autem, penè infinita: & in cauſa quæ accepimus dicenda, extra cauſam quæ uolumus. Quod autem ad ſtatum, quæſtionem, firmamentũ, & iudicationem attinet, ſanè breue eſt, & facilius quàm ut uehementer intueri conueniat. nec quiſquam ferè tam ſtultus eſt, aut ab uſu dicendi ita remotus, quin ſciat, quid litem faciat: quod cauſa uel continens appellatur. & quæ inter ſe litigãtes, quæſtio: ex qua oporteat iudicari. In omnibus conſtitutionibus, & partibus conſtitutionum, hac uia iudicationes reperientur.] Subaudi, quæ iam expoſita eſt. Præterquam in cõiecturali conſtitutione.] Hoc dicit, in cæteris quidem conſtitutionibus, modo quo diximus, iudicationes reperientur. In coniecturali autem conſtitutione, quia ratio non eſt (factum enim non conceditur) non poteſt ex deductione rationis naſci iudicatio. quare neceſſe eſt eandem eſſe quæſtionem & iudicationem: ut, Clodium occidit Milo, non occidit, occiderit'ne. id eſt, quod dicit. Ex intentione.] Id eſt, accuſandi perſeuerantia. Et inficiatione.] Hoc eſt, defenſionis negatione, iudicatio conſtituitur. Ratio omnis utriuſque orationis.] Hic ratio animaduerſio, non quæ ex quæſtione naſcitur. Vtriuſque orationis.] Accuſatoris & defenſoris. Iudicationes quoque plures erunt in una cauſa.] Sed una tamen, quæ caput nominatur: unde lis naſcitur. Sedulo dedimus operam, ut breuiter & dilucide quibus de rebus adhuc dicendũ

fuit,

fuit, diceremus.] Hic primi libri concludens M. T. materiam, *hactenus illud (inquit) procurauimus, ut breuiter et aperte quæ doceremus, complecteremur. Nunc ne longius quàm oporteat primum librum produxiſſe uideamur, cætera, quæ dicenda nobis ſunt, in ſecundum librum mittere mihi commodius eſſe uidetur. Ne qua propter multitudinem literarum poſſit animum noſtrum defatigatio retardare.*] Ordo eſt: Ne qua defatigatio poſſit animum noſtrum retardare, propter multitudinem literarum: ſenſus eſt: Ideo hic finem primo libro uolumus, ne ſi multam ſimul ſcripturam aggeremus, longitudine ipſa defatigati torpeamus, & à ſcribendi hoc munere deterreamur. *Sed ſi quo tardius hæc quæ ſtudes abſoluentur, tum rerum magnitudini, tum noſtris occupationibus aſſignare debebis.*] Senſus eſt: ſed ſi in his præceptis paulo tardior, quàm ipſe affectes & cõcupiſcas, ero, tum rerum magnitudini (quid enim maius poterat Cicero quàm præcepta rhetorica complecti, & uelle dicendo illuſtrare?) tum noſtris aſſignes occupationibus. Nam & ſupra in huius editionis principio, ſe detentum occupationibus, & quidquid otij daretur, in philoſophia libentius conſumere uoluiſſe memorauit. *Veruntamen maturabimus.*] Mire Herennium ſibi Cicero & conciliat, & attentum facit: cum ob negotia quidem detineatur, ſed nihil prætermiſſurum polliceatur: quandoquidem ſi quid ex longiore detractum ſumma fuerit, ſe induſtria exæquaturum, ac per hoc uenuſtius & gratius ſe facturum quàm cæteri, qui de ea re conſcripſerunt, dicat. Quãombrem & ſignificantiſſimo eius rei uerbo Maturabimus eſt uſus. ſiquidem maturare, ut Nigidius inquit, eſt, neque citius neq; ſerius, ſed medio quodã quaſi tẽperamento aliquid tranſigere. ſicut in frugibus maturæ dicuntur, quæ nec crudæ & immites ſunt, nec rurſum caducæ et decocta, ſed tempore ſuo adultæ ac maturæ. *Vt pro tuo in nos officio, &c.*] Hoc dicit: Id certe efficiemus, quandoquidem & tuum erga nos officium, quo tibi deuincti beneficio ſumus, & noſtrum erga te ſtudium, quod ſicut tu non præcipuum poſcere, ita nos gratuitum reddere debere uidebamur, poſcit. Itaque in tuam gratiam ita meus propenſus animus eſt, ut quæ uelis, accumulatiſſime de induſtria facere deſideret.

IN RHETORICAE AD HERENNIVM LIBRVM II. HIERONYMI CAPIDVRI COMMENTARIVS.

IN primo libro Herenni *breuiter expoſuimus, quas cauſas recipere oratorem oporteret, et in quibus officijs artis elaborare cõueniret, etc.*] Cicero quid primo libro complexus ſit, aperit paucis, quidq; in ſecundo ſit traditurus. *Cauſarum tria ſunt genera, Demonſtratiuum, Deliberatiuum, Iudiciale.*] Ita enim apud omnes iam receptum eſt, ut neque plura, neque pauciora ſint genera cauſarum, uel ipſo ſimul docente, ſimulq; commonente Quintiliano, & ubique Cicerone: quod diuidendi genus ab Ariſtotele uidetur ſumpſiſſe initium. *Quas argumentationes, quæ Græci epicheremata appellant.*] Arguere dixerunt ueteres, oſtendere: unde & argumentum, dicitur oſtenſio. Argumentorum autem alia neceſſaria, ut mathematica: alia credibilia, ut reliquarum diſciplinarum, ſicut et nõ repugnantia. Argumentatio autem, tanquam corpus eſt argumenti: ſicut argumentum animæ uicem gerit. Format enim argumentum, formatur uero argumentatio: quæ aut eſt ſyllogiſmus, aut inductio. De ſyllogiſmo emergit enthymema, & epicherema: ſicut de inductione, exemplum & ſimilitudo. Quanquam pugna inter multos eſt. Epicherema enim Valgius aggreſſionem uocat: Celſus autem iudicat, Quintiliano teſte, non noſtram adminiſtrationem, ſed ipſam rem quam adgredimur, id eſt argumentum, quo aliquid probaturi ſumus, etiamſi nondum uerbis explicatum, iam tamen mente conceptum, epicherema dici. Alijs uidetur, non deſtinatam uel inchoatam, ſed perfectam probationem, hoc nomen accipere, & ultimam ſpeciem. Ideoq; propria eius appellatio, & maxime in uſu poſita eſt, qua ſignificatur certa quædam ſententiæ comprehenſio, quæ ex tribus partibus minime conſtat. Quidam epicherema rationem appellauerunt, Cic. melius ratiocinatiuum: quanquam & ille nomen hoc duxiſſe magis è ſyllogiſmo uidetur. Et quoniam eſt quædam inter ſyllogiſmum & epicherema uicinitas, poteſt uideri hoc nomine recte abuſus: quoniam ſyllogiſmus ἀπόδειξις eſt, id eſt, euidens & quæ falli non poteſt probatio, quæ apud mathematicos γραμμικαὶ ἀπόδειξις appellatur. hanc ab epicheremate putat Cecilius differre, ſolo genere concluſionis. eſt enim ἀπόδειξις imperfectum epicherema, eadem cauſa quæ diximus enthymema à ſyllogiſmo diſtare. Nam & epicherema ſyllogiſmi ſpecies eſt. Quidam ineſſe epicheremati apodixin putant, & eſſe partem eius confirmantem: quod tamen apud mathematicos minime receptum eſt.

DE CONIECTVRALI CAVSA.

IN cauſa Coniecturali narratio accuſatoris ſuſpiciones interiectas et diſperſas habere debet ut nihil actũ nihil dictũ, nuſquã uentũ aut abitũ, nihil denique factum ſine cauſa putetur: & quæ ſequuntur.] Poſteaquã ſupra in huius ſecundi libri exordio, & quæ in primo docuerit, & quæ deinceps in hoc edocturus ſit, oſtendit Cicero, à coniecturali conſtitutione confirmationis confutationisq; argumentationes inchoat: tum quod ex ordine prima eſt, tum quod obſcuritate cæteras antecedit. *In cauſa coniecturali narratio accuſatoris ſuſpiciones interiectas et diſperſas habere debet, ut nihil actũ nihil dictũ, nuſquã uentũ aut abitum, nihil denique factũ ſine cauſa putetur.*] Recte ſuſpiciones: ſiquidem coniectura & ſuſpicione conſequi accuſatorem oportet, quidquid reus factum diffiteatur. ut nihil actum, nihil feciſſe reum: nihil dictum, nihil dixiſſe. nuſquam uentum, in nullum locum acceſſiſſe: aut abitum, aut abiſſe. *Nihil denique factum ſine cauſa.*] Omnia ſimul nunc complectitur. Debebit, inquit, accuſator, modo poſſit, reum quidquid fecerit cogitare, ut uiſus fuerit oſtendere nihil ſine cauſa feciſſe. *Defenſoris narratio ſimplicem & dilucidam expoſitionem debet habere, cum attenuatione ſuſpicionis: ne ſe arte defendere uelle uideatur.*] Simplicem, non multis implexam ſententijs. & dilucidam, ne quod dicetur iudicum aures effugiat. Cum attenuatione ſuſpicionis: ut quidquid ſuſpicionis fuerit interiectum, ſi non poſſit amouere, attenuet, debile & parui eſſe momenti oſtendat. *Huius conſtitutionis ratio.*] Hoc eſt, tractationis animaduerſio, in ſex partes eſt diſtributa, quas ex ordine cunctas proſequitur: à probabili, ut liquet, incipiens. *Probabile eſt, quod probatur expediſſe reo peccare.*] In præceptis inuentionis, ubi argumentationes generaliter complectitur: Probabile autem, inquit, eſt id quod ferè ſolet fieri, aut quod in opinione poſitum eſt, aut quod habet in ſe ad hæc quandam ſimilitudinem, ſiue id falſum eſt, ſiue uerum. Verum in eo genere quod ferè ſolet fieri, probabile huiuſmodi eſt: Si mater eſt, diligit filium: Si auarus eſt, negligit iuſiurandum. in eo autem quod in opinione poſitum eſt, huiuſmodi ſunt probabilia: Impijs apud inferos pœnas eſſe præparatas, eos qui philoſophiæ dent operam, non arbitrari deos eſſe. Similitudo

autem in contrarijs, & paribus, & in his rebus quæ ſub eandē rationem cadunt, maxime ſpectantur. In contrarijs hoc modo: Nam ſi his qui imprudētes læſerunt ignoſci conuenit, his qui neceſſario profuerunt, haberi gratiam non oportet. Ex pari, ſic: Nam ut locus ſine portu nauibus eſſe non poteſt tutus, ſic animus ſine fide ſtabilis amicis non poteſt eſſe. In his rebus quæ ſub eandem rationem cadunt, hoc modo probabile conſideratur: Nam ſi Rhodijs turpe non eſt portoriū locare, ne Hermacreonti quidem turpe eſt conducere. hæc tum uera ſunt, hoc pacto: quoniam cicatrix eſt, fuit uulnus. tum uериſimilia, hoc modo: ſi multus erat in calceis puluis, ex itinere eum uenisſe oportuit. Omne autem, ut certas quaſdam in partes diſtribuamus, probabile quod ſumitur ad argumentationem, aut ſignum eſt, aut credibile, aut iudicatum, aut comparabile. Signum eſt, quod ſub ſenſum aliquē cadit, & quiddam ſignificat, quod ex ipſa profectū uidetur, quod aut ante ea fuerit, aut in ipſo negotio, aut poſt ſit conſecutum, & tamen indiget teſtimonij, et grauioris confirmationis ut, cruor, fuga, pallor, puluis, & quæ his ſunt ſimilia. Signum eſt, quod ſub ſenſum aliquem cadit. quinque ſenſus ſunt in homine: Viſus, auditus, odoratus, ſapor, tactus. Credibile eſt, quod ſine ullo teſte auditorū opinione firmatur, hoc modo: Nemo eſt, qui non liberos ſuos incolumes & beatos eſſe cupiat. Iudicatum eſt, res aſſenſione aut auctoritate, aut iudicio alicuius, aut aliquorum comprobata. Id tribus in generibus ſpectatur, religioſo. communi, approbato. Religioſum eſt, quod iurati legibus iudicarunt. Commune eſt, quod omnes uulgo probarunt, & ſecuti ſunt. huiuſmodi, ut maioribus natu aſſurgatur, ut ſupplicum miſereatur. Approbatū eſt, quod homines, cum dubium eſſet, quale haberi oporteret, ſua conſtituere auctoritate. Comparabile autem eſt, quod in rebus diuerſis ſimilem aliquam rationem continet. Eius partes ſunt tres: Imago, collatio, exemplum. Imago eſt oratio, demonſtrans corporum aut naturarum ſimilitudinem. Collatio eſt oratio, rem cum re ex ſimilitudine conferens. Exemplum eſt, quod rem auctoritate, aut caſu alicuius hominis, aut negotij confirmat. Horum exempla & deſcriptiones in præceptis elocutionis cognoſcentur.

DE PROBABILI.

Robabile eſt, per quod probatur expediſſe reo peccare. & à ſimili turpitudine hominem nunquā abfuiſſe.] Probabile, inquit, eſt, cum in coniecturali conſtitutione dicimus, ideo id nobis uideri factum à reo eſſe, quòd id facere expedierit: & oſtendemus, cum hominem à tali crimine nunquam abfuiſſe. *Id diuiditur in cauſam, & in uitam.]* Hoc eſt, perſonam & factum: uelut ipſe alibi dixit: uel, ut alij: Coniectura omnis aut de re, aut de animo eſt. Sed ad hæc omnia, de cauſa ne prius an de perſona dicendum ſit, quæſitum eſt, uarieq; ab oratoribus factum eſt. à Cicerone prælata frequenter ſunt cauſa. Sed mihi, inquit Quintilianus, ſi ſine ullo litis conuicio præponentur, ſecundum naturam uideretur incipere à perſona, nam hoc magis generale eſt. *Cauſa eſt, quæ eum inducit ad maleficium, commodorum ſpe: & quæ ſequuntur.]* In ſecundo de Inuentione, coniecturalem tractaturus Cicero conſtitutionem, inquit: omnis igitur ex cauſa, ex perſona, & facto ipſo coniectura capienda eſt. cauſa diſtribuitur in impulſionem & ratiocinationem. Impulſio eſt, quæ ſine cogitatione, per quādam adfectionem, facere aliquid hortatur: ut amor, iracundia, ægritudo, uiolentia, et omnino omnia, in quibus animus ita uidetur affectus fuiſſe, ut rem perſpicere cum cōſilio et cura non potuerit: & id quod fecit, impetu quodam animi potius quàm cogitatione fecerit. Ratiocinatio eſt autem, diligens & conſiderata faciendi aliquid aut non faciendi excogitatio. ea dicitur interfuiſſe tum, cum aliquid faciendi, aut non faciendi certa de cauſa uitaſſe, aut ſecutus eſſe animus uidetur. ſi amicitiæ quid cauſa factum dicetur, ſi inimici ulciſcendi, ſi metus, ſi gloriæ, ſi pecuniæ, ſi denique (ut omnia generatim amplectamur) alicuius retinendi, augendi, adipiſcendi commodi, aut contra reijciendi, diminuendi, deuitandiue incommodi cauſa. Nam horum in genus alterutrum illa quoque incident, in quibus aut commodi aliquid maioris adipiſcendi cauſa, aut maioris uitandi incommodi ſuſcipitur: aut aliquid commodum maioris adipiſcendi commodi, aut maioris uitandi incommodi præteritur. Hic locus ſicut aliquod fundamentum eſt huius conſtitutionis. nam nihil factum eſſe cuiquam probatur, niſi aliquid quare factum ſit oſtenditur. *Cauſa eſt, quæ induxit ad maleficium, commodorum ſpe, aut incommodorum euitatione.]* Hoc dicit: Quem accuſatori ſumus obiectum crimen inficiantem, cauſam afferimus cur eum deliquiſſe arbitremur, & aut commodorum ſpe illectum fuiſſe, aut quod incommoda ſubterfugere uoluerit. commodorum ſpe: ut ſi eum quiſpiam, qui ad hæreditatem accedebat, ſuſtulerit incommodorum uitatione: ſi nouercam occiderit, ne dura ſub eius cuſtodia amplius premeretur. *Nunquid commodum maleficio appetierit.]* Nunquid male quidquam egerit, quod ex eo commodum ſperaret, aut honorem, aut pecuniam, aut dominationem. nam ob hæc plerunque cædes feciſſe multi inuenti ſunt. *Num aliquam cupiditatem amoris.]* Veluti ob libidinis ſatiandæ appetitū pocula amatoria, quæ philtra uocant, data, & incantamenta facta, cæteraq; huiuſmodi commiſiſſe flagitia, homines deprehēſi ſunt. *Num aliquam cupiditatem amoris.]* Sunt enim multæ amorum cupiditates. *Aut eiuſmodi libidinis uoluerit explere.]* Subaudiendum cupiditatem, hoc eſt, ſiue amoris, ſiue cuiuſuis libidinis, id eſt, appetitus. nam cuiuslibet rei appetitum, libidinem tunc ferè dicimus ſemper, cum cuius rei ſit libido adijcitur. ſin nihil adijcias, uitium ſignificat, quo obſcenæ partes excitantur. *Aut num quid incommodi uitauerit.]* Nam ſi commodum conſequendi cauſa flagitium committitur, par etiam eſt, ut ob effugienda incommoda, ſcelera ſubeamus. Id aut propter inimicitias euitandas, aut infamias, aut dolores, aut ſupplicium fieri ſolet. Hic accuſator in ſpe cōmodi oſtēdit cupiditatem aduerſarij.] In ſecundo aliorum Rhetoricorum præceptorum: Accuſator ergo, inquit, cum impulſione aliquid factum eſſe dicet, illum impetum & quandam commotionem animi, affectionemq; uerbis & ſententijs amplificare debebit, & oſtendere quanta uis ſit amoris, quanta animi perturbatio ex iracūdia fiat, aut ex aliqua cauſa earum, quæ impulſum aliquem id feciſſe dicet. Hic & exemplorum commemoratione, qui ſimili impulſu aliquid commiſerint, in ſimilitudinū collatione, & ipſius animi affectionis explicatione curandum eſt, ut non mirum uideatur, ſi quod ad facinus tali perturbatione commotus animus acceſſerit. Eum autem non impulſione, uerum ratiocinatione aliquem commiſiſſe quid dicet, quid commodi ſecutus ſit, aut quid incommodi fugerit demonſtrabit: & id augebit quàm maxime poterit, ut quoad eius fieri poſſit, idonea quàm maxime cauſa ad peccandum hortata uideatur. Si gloriæ cauſa, quantā gloriā conſecuturū exiſtimarit. itē ſi dominationis, ſi pecuniæ, ſi amicitiæ, ſi inimicitiarū, & omnino quidquid erit quod cauſæ fuiſſe dicet, id ſumme augere debebit. & hoc eum magnopere conſiderare oportebit, non quid in ueritate modo, uerumetiam uehementius quid in opinione eius quem arguet fuerit. Nihil enim refert non fuiſſe, aut non eſſe aliquid cōmodi aut incommodi, ſi oſtendi poſſit ei uiſum eſſe qui arguetur. nam opinio dupliciter fallit homines: cum aut res aliuſmodi eſt ac putatur, aut non is euentus eſt, quem ſunt arbitrati. Res aliuſmodi eſt tum, cum aut id quod bonum eſt, malum putant: aut contra quod malum eſt, bonum: aut quod nec bonum nec malum eſt, malum aut bonum: aut quod malum aut bonū eſt, nec malum nec bonum. Hoc intellecto, ſi quis negabit eſſe

ullam

ullam pecuniam uita fratris aut amici, aut denique officio ſuo antiquiorem aut ſuauiorem, non hoc erit accuſatori negandũ. nam in eum culpa & ſummum odium transferetur, qui quod tam uere & pie dicetur negabit. Verum illud dicendum erit, illi ita non eſſe uiſum: quod ſumi oportet ex his quæ ad perſonã pertinent, de quo poſt dicendum eſt. Euentus autem tum fallit, cum aliter accidit, atque hi qui arguuntur, arbitrati eſſe dicuntur: ut ſi quis dicatur alium occidiſſe, ac noluerit, quod aut ſimilitudine, aut ſuſpicione, aut demonſtratione falſa deceptus ſit: aut eum necaſſe, cuius teſtamẽto non ſit hæres, quod eo teſtamẽto ſe hæredem arbitratus ſit. Non enim ex euentu cogitationem expectari, ſed qua cogitatione animus & ſpe ad maleficium ſit conſiderare: quo animo quid quiſque faciat, non quo caſu utatur, ad rem pertinere. In hoc autem loco caput erit illud accuſatori, ſi demonſtrare poterit, alij nemini cauſam fuiſſe faciundi: ſecundarium, ſi tantam aut tam idoneam nemini. Hic accuſator in ſpe commodi, cupiditatem oſtendet aduerſarij: in cuitatione incommodi, formidinem augebit.] In probatione enim cauſarum maxime ſpectatur ira, odium, metus, cupiditas, ſpes. nam reliquæ in has ſpecies cadunt: quorum ſi quid in reũ conuenerit, accuſatoris eſt efficere, quidquid facere pro cauſa uidetur, cauſasq; quæ in argumentum ſumet augere. ſi minus, illuc conferenda eſt oratio, ut aut aliquas fortaſſe latentes fuiſſe, aut nihil ad rem pertinere dicat, cur fecerit: aut etiam dignum eſſe odio ſcelus, quod non habuerit cauſam cur id faceret. In cuitatione incommodi formidinem augebit, defenſor autem negabit: oſtendet quanta, ni id feciſſet, immineret formido. idq; per ſingula exemplis & cæteris dicendi ornamentis amplificabit accuſator. Defenſor autem negabit cauſam fuiſſe ſi poterit.] In libris de Inuentione: Defenſor aũt, inquit, ex cõtrario, primũ impulſionẽ aut nullã fuiſſe dicet: aut ſi fuiſſe concedet, extenuabit, & paruulã quandã fuiſſe demonſtrabit, aut nõ ex ea ſolere huiuſmodi facta naſci docebit. quo erit in loco demonſtrandũ, quæ uis et natura eius ſit affectionis, qua impulſus aliquid reus commiſiſſe dicetur. in quo & exempla & ſimilitudines erunt proferendæ, & ipſa diligenter natura eius affectionis quàm leniſſime quietiſſimam ad partem explicanda, ut et res ipſa à facto crudeli & turbulento ad quoddam mitius & tranquillius traducatur, & oratio tamen ad animum eius qui audiet, & ad animi quendam intimum ſenſum accommodetur. Ratiocinationis autem ſuſpiciones infirmabit, ſi aut commodum nullũ fuiſſe, aut paruum, aut alijs magis fuiſſe, aut nihilo ſibi magis quàm alijs, aut incommodum ſibi maius quàm commodum dicet: ut nequaquam fuerit illius commodi, quod expetitum dicatur, magnitudo, aut cum eo incommodo quod acciderit, aut cũ illo periculo quod ſubeatur comparanda. qui omnes loci ſimiliter incommodi quoque uitatione tractabuntur. Sin accuſator dixerit, eum id eſſe ſecutum quod ei uiſum ſit commodum, aut id fugiſſe quod putarit eſſe incommodum, quanquam in falſa fuerit opinione, demonſtrandum erit defenſori, neminem tanta eſſe ſtultitia qui tali in re ueritatem poſſit ignorare. quod ſi id cõcedatur, illud non conceſſum iri. nec dubitaſſe quidem hunc, quod eius iuris eſſet: ſed id quod falſum fuerit, ſine ulla dubitatione pro falſo, quod uerum pro uero probaſſe. Quod ſi id dubitarit, ſummæ fuiſſe amentiæ, dubia ſpe impulſum certum in periculum ſe committere. Quemadmodum autem accuſator cum ab alijs culpam dimouebit, defenſoris locis utetur: ſic his locis qui accuſatori dati ſunt, utetur reus, cum in alios ab ſe crimen uolet transferre. Defenſor autem negabit cauſam fuiſſe ſi poterit.] Hoc eſt, patronus quoties poterit, inſtabit his locis: ut cur factum ab re eſſe arguatur, cauſam fuiſſe nullam, aut falſam. Aut cauſam uehementer extenuabit.] Patronus, inquit, tenuem, aut ignotam fuiſſe pro reo cauſam, ſi negare nõ poterit, dicet. ſi accuſator ſine cauſa ſcelus arguet factum, patronus contra, aut credibile eſſe, ut quidquam ſine cauſa factum ſit. Quod Cicero ipſe multis in orationibus uehementiſſime tractat, præcipue pro Vareno, qui omnibus malis premebatur: nam & damnatus eſt. Deinde iniquum eſſe dicet, omnes ad quos aliquid emolumenti ex aliqua re peruenerit, in ſuſpicionem maleficij deuocari.] Hoc dicit, ſi alia defecerint, non utique ſpectandas eſſe cauſas dicet. nam quis poteſt (inquit) inueniri, qui non metuat aut oderit ſuſpecta, aut cupiditate aliqua moueatur: plurimos tamen ſaluos facit innocentia. Quamobrem iniquum eſſe, ſi ad quos emolumẽta peruenerint, maleficij putabimus accuſandos. Deinde uita hominis ex ante factis ſpectabitur.] Quæ de uita hominis dicuntur, de habitu, de animo, de ſtudio, de conſilio intelligendũ, cæteriſq; quæ ſubijciũtur. hunc locum Cicero in ſecundo Rhetoricorũ de Inuentione tractaturus, inquit: Ex perſona autem coniectura capietur, ſi res quæ perſonis attributa ſunt, diligenter cõſiderabuntur, quas omnes in primo libro expoſuimus. Fuerunt autem, nomen, natura, uictus, fortuna, habitus, affectio, ſtudia, conſilia, facta, caſus, orationes. Sed hæc infra à nobis abunde explicabuntur, interim ad ipſum Ciceronem redeo, qui ſubiungit: Nam & de nomine non nunquam aliquid ſuſpicionis naſcitur. Nomen aũt cum dicimus cognomen quoque intelligatur oportet: de hominis enim certo & proprio uocabulo agitur. Vt ſi dicamus, idcirco aliquem calidum uocari, quod temerario & repentino conſilio ſit: aut ſi ea re hominibus græcis imperitis uerba dediſſe, quòd Clodius, aut Cecilius, aut Mutius uocaretur. & huius an illius ciuitatis ſit, quibus ſit maioribus, quibus conſanguineis. qua ætate, quo animo, quo corpore. quæ natura ſunt attributa, ad aliquam coniecturam faciendam pertinebunt. Ex uictu multa trahuntur ſuſpiciones, cum quemadmodum, & apud quos, & à quibus educatus & eruditus ſit quæritur: & quibus cum uiuat, qua ratione uitæ, quo more domeſtico utatur. Et ex fortuna ſæpe argumentatio naſcitur, cum ſeruus an liber, pecunioſus an pauper, nobilis an ignobilis, felix an infelix, priuatus an in poteſtate ſit, aut fuerit, aut futurus ſit, conſideratur. aut denique aliquid eorum quæritur, quæ fortunæ eſſe attributa intelliguntur. habitus autem, quando in aliqua perfecta & conſtanti animi aut corporis abſolutione conſiſtit: quo in genere eſt uirtus, ſcientia, & quæ contraria ſunt, res ipſa cauſa poſita docebit, et quid hic quoque locus ſuſpicionis oſtendat. Nam affectionis quidem ratio perſpicuam ſolet per ſe gerere coniecturam: ut, amor, iracundia, moleſtia. Propterea quod & ipſorum uis intelligitur: & quæ res harum aliquam rem conſequantur, faciles cognitu ſunt. ſtudium autem, quoniam eſt aſſidua & uehemens aliquam ad rem applicata magna cum uoluntate occupatio, facile ex eo ducetur argumentatio eius quod res ipſa deſiderabit in cauſa. Item ex conſilio ſumetur aliquid ſuſpicionis. nam conſilium eſt, aliquid faciendi non faciendi'ue excogitata ratio. Iã facta et caſus et orationes, quæ ſunt omnia, ut in confirmationis præceptis dictum eſt, in tria tempora diſtributa, facile erit uidere, et quid afferant ad confirmandam coniecturam ſuſpicionis. Deinde poſt paulum adijcit, Quare uitam eius quem arguit ex ante factis accuſator, improbare debebit: & oſtendere, ſi quo in pari ante peccato conuictus ſit. ſi id non potuerit, ſi quam in ſimilem ante ſuſpicionem uenerit. ac maxime ſi fieri poterit, ſimili aliqua in genere eiuſmodi in cauſa aliqua commotum peccaſſe: aut in æque magna re, aut in maiore, aut in minore, ut ſi quidem pecunia dicat inductum feciſſe, poſſit demonſtrare aliqua in re eius aliquod factum auarum. Item in omni cauſa naturã, aut uictum, aut ſtudiũ, aut fortunam, aut aliquid eorum quæ perſonis attributa ſunt, ad eam cauſam qua commotũ peccaſſe dicet, adiungere debebit: atque ex his pari quoque genere culparum, ſi ex pari ſumenda facultas non erit, improbari animum aduerſarij oportebit. ſi auaritia inductum arguas feciſ-

ſe, & ſi auarum eum quem accuſes demonſtrare non poſſis, alijs affinem eſſe uitijs doceas: & ex ea re non eſſe mirandum, qui in illa re turpis, aut cupidus, aut petulans fuerit, hac quoq; in re eum deliquiſſe. Quantum enim de honeſtate & auctoritate eius qui arguitur detractum eſt, tantum de facultate totius eſt defenſionis diminutum. ſi nulli affinis poterit uitio reus ante admiſſo demonſtrari, locus inducetur ille, per quem hortandi iudices erunt, ut ueterem famam hominis nihil ad rem putent pertinere. nam eum ante celaſſe, nunc manifeſto teneri. quare non oportere honorem ex ſuperiore uita ſpectari, ſed ſuperiorẽ uitam ex hac re improbari: & aut poteſtatem ante peccandi non fuiſſe, aut cauſam. aut ſi hæc dici non poterunt, dicendũ erit illud extremum, Non eſſe mirum ſi nunc primum deliquerit: nam neceſſe eſt eum qui uelit peccare, aliquando primum delinquere. ſin uita anteacta ignorabitur, hoc loco præterito, et cur prætereatur demonſtrato, argumentis accuſationem confirmare ſtatim oportebit. Deinde uita hominis ex anteſactis ſpectabitur.] Accuſator illud aget, inquit, ut uitam rei anteactam diligenter conſideret, quæ ſi uitioſa fuerit, eam inceſſet. *Primum conſiderabit accuſator, num quãdo ſimile quid fecerit. ſi non inde reperiet, quæret, num quando uenerit in ſimilem ſuſpicionem, & in eo debebit eſſe occupatus.*] Hoc dicit: primum qui accuſat, conſiderabit, num tempus fuerit, cum ſimile quidquam fecerit reus eius cuius arguatur: ſi ſimile feciſſe dicere non poterit, quæret num in ſuſpicionem ſaltem uenerit: utrum autem horum poterit aſſerere, in eo debebit maxime eſſe occupatus, ut quàm uehementiſſime poterit accuſet. *Idq; faciet, ut ad eam cauſam peccati, quam pauloante expoſuerit.*] Subaudi in narratione. nã expoſitionem orationis, quam narrationem nominamus, diximus partitionem, deinde confirmationem ſequi: in qua argumentationes & cauſæ probationes adhibentur. Id igitur faciet, ut quare ita in narratione ſuſpicatus ſit, argumentis anteactæ uitæ poſſit oſtendere, hoc modo.

Si dicet pecuniæ cauſa feciſſe.] Hoc eſt, deliquiſſe, quod ad ſe peruenturam ob eam cauſam crederet pecuniam, non mirum id cuiquam uideri debere dicet, quando & ſemper habitus ſit auarus. *Si honoris.*] Subaudiendum, cauſa feciſſe, aut deliquiſſe, in narratione cauſa dixerimus, ne id quidem mirari debere quenquam, quando & ambitioſus ſemper habitus ſit. *Hoc modo poterit animi uitium cum cauſa peccati conglutinare.*] Poterit, inquit, accuſator cum cauſa, quam expoſuerit, eius inſitum animo uitium coniungere, ut oſtendat, quod deliquerit, animi illud uitium fuiſſe in cauſa. *Et ſi non poterit.*] Hoc eſt, non ſit curæ, ſi uitium quo aut infamatus quondam eſt reus, aut in ſuſpicione habitus, multo maius fuit, quàm quod affertur, aut minus, modo eum peccaſſe poſſimus oſtendere. *Si non poterit auarum.*] Quem pecuniæ cauſa dicet feciſſe. *Demonſtret eum corruptorem, uel perfidum, ſi quoquo modo poterit.*] Senſus eſt: Si animi uitium cum cauſa, quam in narratione complexus ſit, coniungere nõ queat, non magni pendat, modo aut corruptorem, uirginum'ue uiolatorẽ, aut qui pecunia quempiam ſeducere tentauerit: aut perfidum, hoc eſt, qui datam uiolauerit fidem, aliquo pacto poſſit demonſtrare. *Denique aliquo, aut quamplurimis.*] Quotquot poterit, inquit, uitijs inquinabit rei perſonam accuſator: quod genus etiam confirmationis eſt. Omnes ſiquidem res argumentãdo confirmantur, ut Cicero in libris de Inuentione docet: aut ex eo quod perſonis, aut ex eo quod negotijs eſt attributum. Perſonis res attributas putamus, nomen, naturam, uictum, fortunam, habitum, affectionem, ſtudia, conſilia, facta, caſus, orationes. Nomen eſt, quod unicuique perſonæ tribuitur, quo ſuo quæque proprio & certo uocabulo appellatur. Naturam ipſam definire difficile eſt. Partes autem eius enumerare, eas quarum indigemus ad hanc præceptionem, facilius eſt. Et aut partim diuino, partim immortali genere uerſantur. Mortalium autem pars in hominum, pars in beſtiarum genere numerantur: atque hominum genus, & in ſexu conſideratur, uirile an muliebre ſit: & in natione, patria, in cognatione, ætate: natione, Græcus an Barbarus: patria, Athenienſis an Lacedæmonius: cognatione, quibus maioribus, quibus conſanguineis: ætate, puer an adoleſcens, natu grandior an ſenex. Præterita commoda & incommoda conſiderantur, ab natura data animo, aut corpori, hoc modo: Valens an imbecillis, longus an breuis, formoſus an deformis, uelox an tardus ſit, acutus an hebetior ſit, memor an obliuioſus: comis, officioſus, prudens, patiens, an contra: & omnino quæ à natura dantur, animo & corpore conſiderabuntur in natura conſideranda. nam quæ induſtria comparantur, ad habitum pertinent, de quo poſterius eſt dicendum. In uictu conſiderare oportet, apud quos, & quo more, & cuius arbitratu ſit educatus, quos habuerit artium liberalium magiſtros, quos uiuendi præceptores, quibus amicis utatur, quo in negotio, quæſtu, artificio ſit occupatus, quomodo rem familiarem adminiſtret, qua conſuetudine domeſtica ſit. In fortuna quæritur, Seruus ſit an liber, pecunioſus an tenuis, priuatus an cum poteſtate. Si cum poteſtate, iure an iniuria, felix, clarus, an contra, liberos habeat an non. aut ſi non de uiuo quæretur, etiam quali morte ſit affectus, erit conſiderandum. Habitum appellamus, animi aut corporis conſtantem & abſolutam aliqua in re perfectionem: aut uirtutis, aut artis alicuius perceptionem, aut quamuis ſcientiam, & item corporis aliquam commoditatem, non natura datam, ſed ſtudio & induſtria partam. Affectio eſt animi, aut corporis ex tempore aliqua de cauſa commutatio: ut, lætitia, cupiditas, metus, moleſtia, morbus, debilitas, & alia quæ genere in eodem inueniuntur. Studium autem eſt, animi aſſidua & uehemens ad aliquam rem applicata, magna cum uoluntate occupatio: ut philoſophiæ, poeticæ, geometricæ, literarum. Conſilium eſt, aliquid faciendi non faciendi'ue excogitata ratio. Facta autem et caſus & orationes tribus ex temporibus conſiderabuntur: quid fecerit, aut quid ipſi acciderit, aut quid dixerit: & quid faciat, quid ipſi accidat, quid dicat: aut quid facturus ſit, quid ipſi caſurum ſit, qua ſit uſurus oratione. Ac perſonis quidem hæc uidentur attributa eſſe. *Vitijs contaminabit perſonam.*] Perſonam, quam pronominibus me, te, illo exprimimus, eſſe intelligamus. *Deinde qui illud fecerit tam nequiter.*] Senſus eſt: Qui accuſabit, cum perſonam aliquibus uitijs contaminarit, adijciat, non mirũ utique uideri debere, ſi qui antea multa nequiter egerit, ſpurce uixerit, hoc uitio exiſtimetur inquinatus. *Qui fecerit illud tam nequiter.*] Tam male egerit, quàm egiſſe conuictus ſit. *Eundem tam perperam feciſſe.*] Id eſt, tam peruerſe egiſſe, quàm accuſetur. *Si uehementer caſtus, & integer exiſtimabitur aduerſarius, dicet facta, non famam ſpectari oportere. &c.*] Ordo eſt, ſi uehementer exiſtimabitur caſtus & integer: Senſus eſt, ſi à cunctis & continens, & nulla ex parte ſcelere obuolutus exiſtimabitur, dicet accuſator facta, nõ famam ſpectari oportere: aut famam quæ de eo ſuſcitata ſit, fictam eſſe. eum autem ſua, quandiu potuerit, occultaſſe flagitia. nunc ſe planũ factũ, hoc eſt, liquido cognouiſſe, ut nullo modo poſſit dubitari, maleficium ab eo non abeſſe. *Vehemẽter caſtus et integer.*] Caſtus à pudico differt, quod pudicus eſt turpiũ libidinũ liber, caſtus ab iis continens & remotus. præterea religioſus, mundus. Virgilius in ſecundo Georgicorum: Caſta pudicitiam ſeruat domus. Integer, purus inſonsq; nominatur. Vt Horatius in libro carminum. Integer uitæ ſcelerisq; purus, Non eget Mauri iaculis, nec arcu. *Illum occultaſſe ante ſua flagitia.*] A flagitio facinus diſtat, ut de doctrina Chriſtiana dicit Auguſt. quod indomita ad animũ corpusq; ſuum corrumpendum cupiditas, flagitium uocatur: quod

autem

autem agimus ut alteri noceamus, facinus appellatur. Et hæc ſunt ſuo genere omnium peccatorum: ſed flagitia priora ſunt, quæ cum exinaniuerunt animum, in facinora proſiliunt. Defenſor primum demonſtrabit: & quæ ſequuntur.] In ſecundo autem de Inuentione: Defenſor autem, inquit, primum ſi poterit, debebit uitam eius qui inſimulabitur, quàm honeſtiſſimã demonſtrare. Id faciet, ſi oſtendet aliqua eius nota & communia officia, quod genus in parentes, cognatos, amicos, affines, neceſſarios etiam: quæ magis rara & eximia ſunt, ſi ab eo cũ magno aliquid labore, aut periculo, aut cum utraque re, cum neceſſe non eſſet, officij cauſa, aut in rempublicam, aut in parentes, aut in aliquos eorum qui modo expoſiti ſunt, factum eſſe dicet: deinde ſi nihil deliquiſſe, nulla cupiditate impeditum ab officio receſſiſſe: quod eo confirmatius erit, ſi cum poteſtas impune aliquid faciendi, minus honeſte fuiſſe dicetur, uoluntas faciendi demonſtrabitur abfuiſſe. Hoc autem ipſum genus erit eo firmius, ſi eo ipſo in genere quo arguetur, integer antea fuiſſe demonſtrabitur. ut ſi cum auaritiæ cauſa fuiſſe arguatur, minime omni in uita pecuniæ cupidus fuiſſe doceatur. Hic illa magna cum grauitate inducetur indignatio, iuncta conqueſtioni, per quam miſerum facinus eſſe, & indignum demonſtrabitur. Ut cum animus in uita fuerit omni à uitijs remotiſſimus, eam cauſam putare quæ homines audaces in fraudem rapere ſoleat, caſtiſſimum quoque hominem ad peccandum potuiſſe impellere: aut iniquum eſſe, & optimo cuique pernicioſiſſimum, non uitã honeſte actam tali in tempore quàm plurimum prodeſſe: ſed ſubita rerum criminatione, quæ confingi facile poſſit, nó ex anteacta uita, quæ neque ad tempus fingi, neque ullo modo mutari poſſit, facere iudicium. Sin autem in anteacta uita aliquæ turpitudines erunt, aut falſo ueniſſe in eam exiſtimationem dicẽtur, ex aliquorum inuidia, aut obtrectatione, aut falſa opinione, aut imprudentiæ neceſſitudine, aut perſuaſione adoleſcẽtiæ: aut alicui non malitioſæ animi affectioni attribuentur: aut diſſimili in genere uitiorum, ut animus non omnino integer, ſed ab tali culpa remotus eſſe uideatur. At ſi nullo modo uitæ turpitudo aut infamia leniri poterit, oratione negare oportebit, de uita eius & de moribus queri: ſed de eo crimine, quo de arguatur. quare ante factis omiſſis, illud quod inſtat, agi oportere. Defenſor autem primum demonſtrabit, uitã integram ſi poterit.] Quod in huiuſmodi defenſione potiſſimũ erit. Si id non poterit confugiet ad imprudentiam, ſtultitiam, adoleſcentiam, etc.] Proximũ enim eſt, ſi obiectum crimen negare non poſſit, ut ſe imprudentia deceptum dicat, & ſtultitia recuſet crimen, aut adoleſcentia. Vim, perſuaſionem.] Vt ui, & neceſſitate ſe feciſſe compulſum dicat: aut cuiuſpiã, cui fides uideretur adhibenda, perſuaſione. Quibus de rebus uituperatio eorum, quæ extra id crimen erunt, &c.] Ordo & ſenſus eſt: patronus dicat, de quibus rebus, ſubaudi, quæ aliàs actæ, ad præſentem non attinent quæſtionem, non debeat aſſignari uituperatio, non debeat aſſignari crimen, uituperetur eorum qui extra id crimen erunt, tam eius qui uocatus in iudicium eſt, quàm eorum qui ui, aut perſuaſione olim peccare compulerunt. nec enim attinet, ut qui extra hoc iudicium ſint, in ius aduocentur. Falſos rumores.] Falſas calumnias, quæ rumore, hoc eſt, uulgaris & imperitæ multitudinis uoce ſuſcitatæ ſint: à ruendo enim rumor uulgi, de aliqua re recenti, repentina cum uoce, opinio nominatur. Diſſipatos eſſe dicat.] Diſſipatos, id eſt abolitos. & erit ſenſus, ut dicat, Falſos rumores, id eſt, qui falſo fuerant excitati, iam eſſe abolitos. aut ut dicat, rumores falſo diſſipatos, diſparſos per urbem, ac per hoc illis non eſſe credendum, quoniam falſi fuerint. Et utetur loco communi.] Quo in omni cauſa uti poſſumus. Rumoribus.] Hoc eſt, uoce & popularium famæ credi non oportere. Dicat ſe nõ de moribus eius apud cenſores, ſed de criminibus aduerſariorum apud iudices dicere.] Dicat locum illum non exigere, ut de moribus rei quidquam dicat: quandoquidem apud iudices, non niſi de criminibus contendatur: apud cenſores uero, uel de moribus contendere cuiquam conueniat. à moribus enimuero Cenſor, ut Varro inquit, iudex morum dictus: quod ad eius cenſionem, id eſt, arbitrium cenſeretur populus.

DE COLLATIONE.

Ollatio eſt, cum accuſator id quod aduerſarium feciſſe criminatur, alij nemini niſi reo bonum fuiſſe demonſtrat.] Coniectura omnis, aut de re, aut de animo eſt. Vtriuſque tempora tria ſunt, præteritum, præſens, & futurum. utraque itidem aut in lite, aut extra litem ſunt, quæ ad animum referuntur. & extra litem ſunt, uelut qua mente Origenes fuit (quo noſtris potius quàm extrarijs exemplis utar) cum dixit Deum ſaluos omnes nos futuros uelle: hoc præteriti temporis. Præſentis, qua mente Parthus Chriſtianos inuadat. Futuri, quid ſit idem cogitaturus, ſi inſeparatas uires omnes ſenſerit Italiæ. In lite, an parricidium commiſerit Roſcius? an Parthus ſummum Italiæ affectet imperium? an tantum facinus cuncti Italiæ principes perficere permiſſuri ſint. Ad rem pertinentes coniectura, & quidem extra litem: Qualis in carne Chriſtus fuerit: an Ioannes Euangeliſtes adhuc uiuat, quale mundi totius Chriſti futurum iudicium ſit. Hæc autem quæ in lite uerſantur, præteriti maxime ualent: nemo enim accuſat niſi quæ facta ſunt. nã quæ fiunt, & quæ futura ſunt, ex præteritis colliguntur. Præteritorum igitur tria ſunt genera. aut de facto, & auctore quæritur: uelut cum aut utrunque pariter negatur, aut cum ſeparatim & factum ſit nec ne. & ſi factum eſſe conſtet, à quo factum ſit ambigatur. Et factum aliquando ſimplicem habet quæſtionem, an homo perierit: aliquando duplicem, ueneno an crudelitate perierit. Alterum eſt genus de facto tantum, cum ſi id certum ſit, non poſſit de auctore dubitari. Tertium eſt, cum de auctore tantum conſtet, ſed à quo ſit factum, in controuerſiam uenit. Sed ne id quidem ſimplex eſt. aut enim reus feciſſe tantũmodo ſe negat, aut alium feciſſe dicit. Sed ne in alterum quidem transferendi criminis una forma eſt. Interdum enim ſubſtituitur mutua accuſatio, quã Græci ἀντικατηγορίαν uocant, noſtrum quidam concertatiuam. interdum in aliquam perſonam, quæ extra diſcrimen iudicij eſt, trãſfertur, & aliàs certam, aliàs incertam. Hic accuſator, inquit Cicero, demonſtrabit, alij nemini quod criminatur bonum eſſe potuiſſe, idq; genus collatio nominatur: quod qui accuſetur, cum alijs, an id feciſſe potuerint, conferatur, id eſt, comparetur. Aut alium neminem potuiſſe perficere, niſi aduerſarium, ſi in certa perſona proferatur. Aut enim ipſum alijs rationibus non potuiſſe.] Si certam perſonam nominarit reus, quam deliquiſſe dicit, non ſe. Eſt enim ſenſus, ſi in quempiam quod commiſiſſe criminetur, reus transferat, accuſator eũ ipſum, quem in crimine arguat, reus alijs rationibus non potuiſſe, aut non æque commode potuiſſe oſtendet: aut eum fugiſſe alias rationes commodiores, propter cupiditatem. Amphibologia in uerbis eſt. eſt enim uerborum ordo, & ſenſus: aut accuſator dicet alias rationes commodiores, quæ plus utilitatis adferebant, effugiſſe eum, ſubaudi reum, quem ipſe criminetur, propter cupiditatem: hoc eſt, ita cupiditate affectum fuiſſe reum, ut deliquerit, cum eſſent aliæ rationes commodiores, ob quas peccare non debuerat: ſed eas rationes ipſum latuiſſe, uehementer affectum. Hoc loco defenſor demonſtret oportet, ſi reum accuſatum iri uelit. Aut alijs quoque bonum fuiſſe.] Id eſt, commode cedere potuiſſe. Aut alios quoque id, de quo ipſe inſimuletur, facere potuiſſe.] Hoc eſt, ut alij, de quo ipſe accuſetur, feciſſe uideri poſſint, quo minus ipſe in culpa eſſe uideatur.

DE SIGNO.

ſ Ignum eſt, per quod oſtenditur idonea perficiendi facultas eſſe quæſita.] Signum, quod ſupra in diuiſione rationum coniecturalis conſtitutionis tertio loco poſitũ eſt, inquit, per quod oſtenditur idonea quæſita eſſe ad aliquid perficiendum facultas. Id diuiditur in partes ſex: Locum, tempus, ſpatium, occaſionem, ſpem perficiendi, ſpem celandi.] Omnis, ut ſupra diximus, coniectura, aut de animo, aut de re eſt. Quæ de re eſt, aut ad perſonã, aut ad negotiũ cauſam'ue, aut ad coniunctũ negotio attinet. Quæ ad perſonã referũtur quæq; ad cauſam, abunde ſupra docẽte ipſo Cicerone protulimus. Quæ autem negotijs attributa ſunt, ut idẽ in primo de Inuentione inquit, quæruntur: Locus, tempus, modus, occaſio, facultas. Locus conſideratur, in quo res geſta ſit, ex opportunitate, quam uideatur habuiſſe ad negotium adminiſtrandum. ea autẽ opportunitas, quæritur ex magnitudine, interuallo, longinquitate, propinquitate, ſolitudine, celebritate, natura ipſius loci, et uicinitate totius regionis. ex his attributionibus, ſacer an profanus, publicus an priuatus, alienus an ipſius de quo agitur, locus ſit, aut fuerit. Tempus autem eſt, id quo nunc utimur (nã ipſum quidem generaliter definire difficile eſt.) pars quædam æternitatis, cum alicuius annui, mẽſtrui, diurni, nocturni'ue ſpatij certa ſignificatione. In hoc & quæ perierint conſiderantur, & eorum ipſorum, quæ aut propter uetuſtatẽ obſoleuerũt, aut incredibilia uideantur, ut iam in fabularum numero reponantur: & quæ iam diu geſta, & memoria noſtra remota, tamen faciant fidem uere tradita eſſe. quod eorum monumenta certa in literis extant, & quæ nuper geſta ſint, quæ ſcire pleriq; poſſint: & item quæ inſtent in præſentia, & quæ maxime fiant, & quæ conſequantur: in quibus poteſt conſiderari, & quid ſerius futurum ſit. Et item communiter in tempore perſpiciendo longinquitas eius eſt conſideranda. Nam ſæpe oportet cõmetiri cum tempore negotium. & uidere, potuerint'ne, aut magnitudo negotij, aut multitudo rerum in eo tranſigi tempore. Conſideratur autem tempus, et anni, & menſis, & diei, & noctis, & uigiliæ, & horæ, & in aliqua parte alicuius horũ. Occaſio autem eſt pars temporis, habens in ſe alicuius rei idoneam faciendi aut non faciendi opportunitatem. quare cum tempore hoc differt. Nam genere quidem uerum id eſſe intelligitur, uerũ in tempore ſpatium quodammodo declaratur, quod in annis, aut in anno, aut in aliqua anni parte ſpectatur. In occaſione, ad ſpatium temporis, faciendi quædam opportunitas intelligitur adiuncta: quare cum genere idem ſit, fit aliud quod parte quadam & ſpecie (ut diximus) differat. hoc diſtribuitur in tria genera, publicum, commune, ſingulare. Publicum eſt, quod ciuitas uniuerſa aliqua de cauſa frequentat. ut ludi, dies feſtus, bellum. Commune, quod accidit omnibus eodem ferè tempore: ut meſſis, uindemia, calor, frigus. Singulare autem eſt, quod aliqua de cauſa priuatim alicui accidere ſolet: ut, nuptiæ, ſacrificium, funus, conuiuium. Modus eſt, in quo quemadmodum, & quo animo factum ſit, quæritur. Eius partes ſunt, prudentia & imprudentia. Prudentiæ autem ratio quæritur ex his, quæ clã, palàm, ui, perſuaſione fecerit. Imprudentia autem, in purgationem confertur (cuius partes ſunt, ſcientia, caſus, neceſſitudo) & in affectionem, hoc eſt, moleſtiam, iracundiam, amorem, & cætera quæ in ſimili genere uerſantur. Facultates ſunt, aut quibus facilius fit, aut ſine quibus aliquid confici non poteſt. Hic uero ſex enumerat, locum & tempus, hoc eſt, deductum ſpatium. Tempori ſubijciemus occaſionem, ſpem perficiendi, quæ in modo finitur. ſpem celandi in facultate. Ergo nec plura, nec pauciora ſunt quæ ad negotium, & coniecturam capiendam, generalia quaſi elementa referantur. Locus quæritur.] In quæſtionem uenit. Celebris an deſertus.] An illic multi uerſari, uel nulli omnino conſueuerint. Semper deſertus.] Vt, nemus, ſylua. An tum cum id factum ſit.] Quia ſunt loca quæ bis aut ter ſingulis annis, multa hominum conſuetudine celebrantur: uelut aliqua in auijs locis templa, alioqui tamen deſerta. In eo loco ſolitudo fuerit.] Quò nulli acceſſerant. Profanus.] Nullo modo ſacer, quaſi procul à fano: hoc eſt, quod longe à templorum abſit cæremonijs. Cuiuſmodi loci attingant.] Subaudiendum, longe animaduertendi. Senſus eſt: Conſiderandum quidem, quales ſint qui rem ipſam attingant & complectantur loci, quo coniectura melius inde eliciantur. Num qui eſt paſſus, perſpectus, & exauditus eſſe poſſit.] Num qui in huiuſmodi locis quidquam perpeſſus eſt, uiſus ſit, aut à quoquam clamitans audiri potuerit. Quia ſi locus ſit frequens, potuit uideri: ſi in ſublimi ſpecula, audiri facile potuit à quopiã. Horũ quid reo, quid accuſatori cõueniat, præſcribere nõ grauaremur, niſi facile quiuis cauſa poſita poſſet iudicare.] Hoc dicit, quo'nã modo ex ſignis cõiectura capiatur, mõſtrauimus. nunc aũt quid accuſatori, quid'ue defenſori tenendũ, nos præcepta dare nõ pigeat, niſi quis fortaſſis exiſtimet, cauſa expoſita, quid poſſit, quid'ue non poſſit, uel accuſare, uel defendere, ſe facile intellecturum. Initia enim inuentionis ab arte debent proficiſci.] Ordo uerborum eſt: Non grauemur præſcribere, quid horum reo, quid accuſatori cõueniat. Initia enim inuentionis ab arte debent proficiſci: niſi quis facile cauſa poſita poſſet iudicare, cætera facile comprobabit exercitatio: id eſt, inuentionis quidem principia docere neceſſe eſt, niſi ſit aliquis qui cauſa poſita id facile poſſit iudicare. nã cætera exercitatione facile poterunt comparari. Horũ quid accuſatori conueniat, præſcribere non grauemur.] Præſcribere, præcipere. Cæſar in Commentarijs: Non minus commode ipſi ſibi præſcribere, quàm ab alijs doceri poterant. Inde præſcripta, quæ ludi magiſtri dabant pueris, ueteres appellabant: et præſcripta, quæuis præcepta. Cicero in Oratore: Quid eſt quod præſcriptum aliquod, aut formulam exprimas, cum in ſuo quodque genere præſtet. Cæſar in Commentarijs: Atque imperatoris alter agere ad præſcriptum, alter libere ad ſummam rerum conſulere debet. Non grauemur.] Id eſt, non grauiter feramus. nunc abſolute poſitum eſt, aliquando tranſitiue, Grauor hanc rem: ut dicas, grauor aduentum tuum, grauor præſentiã tuam, id eſt, grauiter fero. & grauor hac re. Virgilius:

Quid ſit qua uoce grauaris Mente Dares.

Quidquid dicat Seruius, qui hac elocutione non niſi per actiuũ nos uti uoluit. Nam hæc res grauat me, aliud uerbum eſt. alterum enim deponens, alterum actiuum & paſſiuum eſt. quale apud Curtium illud in octauo: Cæterum cum crus ſaucium penderet, & cruore ſiccato frigeſcens uulnus aggrauaret dolorem. Initia enim inuentionis ab arte debent proficiſci.] Multo enim commodius ſcribimus, ſi quæ nobis ex arte initia tradita ſint, ad quæ exercitationem omnem accommodemus, quàm ſi prout caſus tulerit, uſque ut ratio dictauerit ſcripſerimus. Cætera facile comprobabit exercitatio.] Iudiciũ enim exercitatione firmatur magis: nec ſperemus nos ex arte præceptoribuſq; conſequi poſſe omnia. Facieda enim eſt unicuique uis ſua, & exercendum ingenium: ſiquidem præceptor ſatis habet, cum artis præcepta poſuit in medio, ut diſcipuli ſit, inde ſcribendi ſumere initium. Noctu an interdiu.] Vtraque aduerbia ſunt. Et qua die.] Feſta'ne, an profeſta uel interciſa ſit. Et ſcierit'ne ſatis.] Et ſi ſpatij ſatis fuerit, quo facinus potuerit tranſigere, num id ſciſſe uideatur. non enim credendum ui debitur id aggreſſum, quod tranſigere non poſſe crediderit. Aut prouideri non potuerit ratione.] quo minus quod aggreſſus ſit abſoluerit. Ad rem adoriendam.] Aggrediendam, inchoandam. Aut non expectata.] Vt ſequeretur. Si quæ dicta ſunt ſupra ſigna concurrunt.] Si quæ ſupra ſigna

ſigna memorauimus: locus, tempus, ſpatium, occaſio, uel horum aliquæ partes concurrunt. Ex alterâ parte.] Ab accuſatore. Vires, pecunia, conſilium.] Hæc enim ſpem perficiendi uideri poſſunt præſtitiſſe reo, quæ ſibi uoluerit. Ex altera parte.] Id eſt, à defenſore, imbecillitas, inopia, imprudẽtia, ſtultitia in apparatu demonſtrabitur fuiſſe, quæ omnia ſpẽ perficiendi habere non potuerunt. Quare ſcire potuerit, utrũ diffidendum.] Ex quibus rebus potuerit colligere, num ſibi fuerit fidendum, ſi hæc adſint: diffidendum autem, ſi abſint. Spes celandi quæ fuerit, quæritur ex conſcijs, arbitris, adiutoribus, liberis aut ſeruis, aut utriſque, &c.] Hoc dicit, Nunquid occultandi ſpem habuerit, ex eius conſcijs ſcire poterimus, cæteriſq; qui cum eo aut fuerint, aut degerint perpetuo. Argumentum eſt per quod res coarguitur certioribus argumentis, & magis firma ſuſpicione.] Partitio illa ab Ariſtotele tradita, conſenſum ferè omnium meruit, aliâs eſſe probationes, quas extra dicendi rationẽ acciperet orator: aliàs, quas ex cauſa traheret ipſe, & quodammodo gigneret. Ideo illas ἀτέχνους, id eſt, inartificiales uocarunt. Ex illo priore genere ſunt præiudicia, rumores, tormenta, tabulæ, iuſiurandum, teſtes: in quibus pars maxima contentionum forenſium conſiſtit. Artificialis uero omnis probatio conſtat aut ſignis, aut argumentis, aut exemplis: licet plerique ſigna partem argumentorum eſſe uoluerint. Signũ Græci σημεῖον uocant. hoc in duas ſpecies diuiditur: alia eſt eorum quæ neceſſaria ſunt, quæq; aliter ſe habere nõ poſſunt. hæc Græci τεκμήρια uocant, quæ uix pertinere ad artis præcepta uidentur: nam ubi ſignum aliquod inuiolabile, ibi neceſſitas quædam eſt. hoc genus per omnia tempora perpendi ſolent, ut coiſſe cum uiro quæ peperit, quod eſt præteriti: & fluctus eſſe, cum magna uis uenti in mare incubuit, quod eſt præſentis: & enim mori, cuius cor eſt uulneratum, quod futuri eſt. Alia ſunt ſigna non neceſſaria, quæ Græci εἰκότα uocant: quæ etiamſi ad tollendam dubitationem ſola non ſufficiunt, tamen adiuncta cæteris plurimum ualent. ea autem ſunt, per quæ aliæ res intelliguntur: ut per ſanguinem cædes. at ſanguis uel ex cæſa bellua reſperſiſſe ueſtem poteſt, uel è naribus profluxiſſe. ac non utique qui ueſtem cruentam habuerit, is homicidium continuo fecerit: ſed ut per ſe non ſufficit, ita cæteris adiunctum, teſtimonij loco ducitur: ſi inimicus, ſi ante minatus, ſi eodem loco fuit. quibus ſignum cum acceſſit, efficit ut quæ ſuſpecta erant, certa uideantur. Sunt enim multa huiuſmodi ſigna utrique parti communia, ut liuores, tumores. nam uideri poſſunt ueneficij, & cruditatis. & uulnus in pectore, ſua manu & aliena periiſſe. hæc tã firma habebuntur, quàm extrinſecus adiuuabuntur. Quod Græci σημεῖον, Latini ſignum: id quidam indicium, quidam ueſtigiũ nominarunt. Quamobrem eorum in genere, quo ſigna quidem ſunt, ſed non neceſſaria, quidam pronoſtica, quod ſint futurorũ quædam indicia, eſſe putauerunt: ut, Vento ſemper rubet aurea Phœbe: Et, Cornix pluuiam uocat improba uoce. & cætera quæ ab Arato ſumpſit Vergilius. Item futuræ alicuius mentis ſigna in hoc genere poſuerunt: uelut cum Areopagitæ damnauerunt puerum coturnicum oculos eruentem: quòd aliud indicaſſe non uiſi ſint, quàm id ſignum eſſe pernicioſiſſimæ mentis, multis aliquando futuræ malo & cladi, ſi adoleuiſſet. quare neutra inter argumenta ullo modo ponenda uidentur. illa quidem non neceſſaria ſigna, cruenta ueſtis, et clamor, et liuor, & talia, ſunt penè ex illis inartificialibus, qualia ſunt tabulæ, rumores, teſtes: nec ab oratore inueniuntur, ut argumenta dici poſſint, ſed ad eum cum ipſa cauſa deferuntur. Altera quoque neceſſaria ſigna, ſi indubitata ſunt, quæ poſſunt eſſe argumenta? quando ubi illa ſunt, quæſtio eſſe non poſſit. Argumento enim, niſi in re controuerſa, locus eſſe non poteſt. ſine dubio igitur argumenta non ſunt, ſed ipſa argumentis egent, ſi dubia ſint: ſin neceſſaria, ut demonſtrentur. Quæ igitur hic Cicero enumerat, ſigna, unde argumentationes fieri poſſint, dicenda potius quàm argumenta ſunt. Quæ ideo argumenta ipſe Cicero (nec id quidẽ dubito) nominauit, quod ſui ita ipſum docuerint præceptores.

DE ARGVMENTO.

a Rgumentum eſt, per quod res coarguitur.] Coarguitur, id eſt, oſtenditur. Arguere enim, ueteres oſtendere, unde argumentum, præmonſtrationem futurarum rerum, & illarum quæ non uidentur ſignificat. Certioribus argumentis.] Nunc proprie ſumit argumentũ, quod rei dubiæ facit fidem: unde magis firma ſuſpicione, inquit. Quo enim uiſus ſit.] Per anaſtrophen, quo cum, & quibus cum: ſicut mecum, tecum, ſecum dicitur. Nunquid appararit.] Non enim fruſtra uideri debet factus apparatus. Num quem habuerit de conſcijs.] Num quibus cũ uiſus eſt, aliquem de his habuerit, qui ei fuere conſcij. De adiumentis.] De his rebus quas ſibi adiumento fore arbitrabatur. Nunquid in loco.] Scilicet, in quo ſuſpectus erat. Aut alieno tempore.] Nunquid noctu, quod in die fieri poſſe commodius uidebatur. Nunquid ſtrepitus.] Nullum ex ijs uerbum redundat: non enim eſt idem ſtrepitus & crepitus. eſt ſiquidem crepitus, ſonitus uiolentus: à quo increpo uenit, quod eſt eruptione uocis & immani ſonitu reprehendo. Perſius, ſi increpui ceſſas nugator, ſeruitium acre Te nihil impellit. Cymbala, tympanaq;, tubæ, cornua, & ſimilia, crepant & crepitant. unde & crepitus, uentris turpis ſonus nominatur. Plautus Curculione: Ex unoquoque eorum eijciam crepitum polentarium. Hinc etiam crepitaculũ. Strepitus proprie ſonus eſt pedum ambulantis. ponitur tamen aliquando pro ſonitu. ut Perſius:

Atque marem ſtrepitum fidis intendiſſe latinæ.

Et pro pompa diuitum, à multorum comitantium pedum ſonitu. Iuuenalis:

Et ſtrepitus maioris uiuere cenſus.

Fremitus eſt, indignantis animalis ſtridor. Iuuenalis:

In caueam magno fremitu leo tollet alumnus.

Vel inter ſe corrixantium quaſi clamor. Virgilius:

Quũ triſtis erinnys

Quo fremitus uocat, & ſublatus ad æthera clamor.

Fragor duorum eſt, aut plurimum, colliſorum inter ſe corporum excuſſus ſonitus, à frangendo dictus. Lucretius:

Perflant, dant ſonitum frondes, ramiq; fragorem.

Sonus, qui è fidibus elicitur: Sonor, quaſi tinnitus quidam longior. Lucretius:

Sollicitæ porrò, plenæq; ſonoribus aures.

Sonitus, eſt aer quoquo modo uerberatus, quem aures mente perculſa ſuſcipiant. Lucretius:

Nec mirum cum plenæ animæ ueſicula parua,
Sæpe ita dat paruum ſonitum, diſſiloſa repente.
Eſt etiam ratio, cum uenti nubila perflant,
Vt ſonitus faciant. Vergilius:
Concurritur æthere in alto, Fit ſonitus. Idem alibi:
Clareſcunt ſonitus, armorumq; ingruit horror.

Stridor, uis quædã acrior eſt, et quaſi ſibilans colliſio. Iuuenalis.

Qui ſuadet iuueni lætus ſtridore cathenæ.

Nam quis horum ſenſuum poteſt conflare ſuſpicionem.] Conflare, id eſt, conficere. aliter conflare, id eſt, metallum quoduis in aliam quàm ſit formam redigere. Vergilius:

Et curuæ rigidum falces conflantur in enſem.

Et conflaui æs alienum dicimus id eſt, contraxi: idq; eſt quod, ſum debitor factus alienæ pecuniæ. ſicut diſſoluo æs alienum, idẽ eſt quod æs alienum reſtituo, & exſoluo quibus debeo. Conflare poteſt ſuſpicionem.] Quia quidquid ſenſu aliquo perceptum fuerit, facti facinoris habebit ſuſpicionẽ. Nunquid re

tranſlata relictum ſit.] Si inter transferendum aliquid, aut exciderit imprudenti, aut ſit is oblitus, unde manifeſto deprehendatur in crimine: aut ſi quid etiam uiſum, per quod, quæ præceſſerint iudicari poſſint. Aut ueſtigium repertum ſit.] pedis ſignum, ut illò acceſſiſſe manifeſto aliquis deprehendatur. Quo in loco res geſta dicitur.] Vt nunquid ex eo loco aliquid elici queat, quo magis feciſſe argui poſſit.

DE CONSECVTIONE.

e Onſecutio eſt, cum quæritur, quæ ſigna nocentis & innocentis ſoleant.] Confingit ſibi Cicero uerba, prout res quam nominaturus eſt, poſcit: uelut hic. cõſequentia enim ſunt, cum quærimus præteriti ſigna & quaſi impreſſa facti ueſtigia, quæ quidem maximam ſuſpicionem mouent: & ſunt quaſi tacita criminum teſtimonia, quod facti crimen conſequantur. Conſecutionem uocat aliter in libro de Oratore, cum quodcunque, quod rem aliquam conſequatur, quærimus, ſi id ad rei alicuius attineat cognitionem, conſecutionẽ nominare formidauit, cum inquit: Neque res eſt ulla, quæ non aut ad cognoſcendi, aut ad agendi uim rationemq; efferatur. Nam aut ipſa cognitio rei ſcientiaq; perquiritur, ut uirtus ſuam ne propter dignitatẽ, an propter fructus aliquos expetatur: aut agendi conſilium exquiritur, ut ſit'ne ſapienti capeſſenda Reſp. Cognitionis autem tres modi, coniectura, definitio, & (ut ita dicam) conſecutio. Deinde ſubiungit: Conſecutio autem tractatur, cum quidquam quod rem ſequatur, acquiritur: ut illud, ſit'ne aliquando mentiri boni uiri. Eadem penè igitur ratione hic conſecutionem dixit. nam cum quæ ſigna nocentes & innocentes ſequantur, excutimus, id conſecutionẽ nominauit. Accuſator dicet, ſi poterit: & quæ ſequuntur.] Accuſatoris locos tractat conſecutionis. hoc enim dicit: Accuſator apud iudices contra reum cauſam acturus dicet, ut telũ, ut ueſtigium, ut cruor, ut deprehenſum aliquid quod ereptum ablatum'ue uideatur, ut reſponſum inconſtanter, ut hæſitatum, ut titubatum, & cũ aliquo uiſus, ex quo uiſus ex quo ſuſpicio oriatur, ut eo ipſo in loco uiſus, in quo facinus peractum ſit, ut pallor, ut tremor, ut ſcriptũ aut obſignatum aut depoſitum quidpiam. Inconſtanter locutum eſſe.] Vt quæ dixerit, non ſibi conueniant. Conciſiſſe.] Præ metu lapſum in terram dicet. Si reus nihil horum fecerit: & cætera quæ ſequuntur.] Hoc dicit, ſi nihil horum accuſator in reo poterit arguere, dicet ipſum præmeditatum, quid futurum uoluntati eſſet, ac confidentiſſime locutum, ut innoxius uideretur. Si non pertimuerit.] Id eſt, exhorruerit magnitudinem periculi, quod immineat, ſi noxius iudicetur. Fretum innocentia.] Quod eſſet innocens, periculum non formidaſſe dicet.

DE APPROBATIONE.

a Pprobatio eſt, qua utimur ad extremum confirmata ſuſpicione.] Supra quomodo ſuſpicionem multifariã confirmare conueniat, docuit Cicero. nunc quonam pacto iniecta in mentem audientium ſuſpicione approbare poſſimus, docet: quodq; ſuſpicionem habitam probet, approbationem nominauit. Ea habet locos proprios atque communes.] Locus, ut Cicero definit, ab Ariſtotele ſumens, ſedes eſt argumenti. Locorum qui in coniecturali conſtitutione tractantur, alij ſunt proprij, alij communes. Proprij ſunt, quibus niſi accuſator nemo uti poteſt. & in præceptis de Inuentione hos diſcernit locos, inquiens: Nunc exponemus in coniecturali conſtitutione, qui loci communes. ſuſpicionibus credi oportere, & nõ oportere: rumoribus credi oportere, & non oportere: teſtibus credi oportere, & non oportere: quæſtionibus credi oportere, & non oportere: uitam anteactam ſpectari oportere, & non oportere: eiuſdem eſſe qui in illa re peccarit, & hoc quoque admiſiſſe, & non eſſe eiuſdem cauſæ: maxime ſpectari cauſam oportere, & non oportere: atque hi quidem, & ſi qui huiuſmodi ex proprio argumento communes loci naſcentur, in contrarias partes diducuntur. Certus autem locus eſt accuſatoris, per quem auget facti atrocitatem: & alter, per quem negat, malorum miſereri oportere. defenſoris, per quem calumnia accuſatorum cum indignatione oſtenditur, & per quẽ cũ cõqueſtione miſericordia captatur. Hic & cæteri loci omnes communes, ex iiſdem præceptis ſumuntur, quibus cætera argumentationes: ſed illæ tenuius, & ſubtilius, & acutius tractãtur, in his autẽ grauius, & ornatius, & cum uerbis, tum etiam ſententijs excellentibus. in illis enim finis eſt, ut id quod dicitur, uerum eſſe uideatur: in his, tametſi hoc quoque uideri oportet, tamen finis eſt amplitudo.
In cauſa coniecturali proprius locus accuſatoris eſt, cum dicit malorum miſereri non oportere.] Ideo proprius locus accuſatoris, quia in omni cauſa, ſolus eo uti accuſator poteſt. Locus eſt, ubi locatum quid eſſe poteſt: ut nunc dicimus, collocatum. Ex hoc argumentorum ſedes, loci quoque dicti. nam ſicut in terra non omni generantur omnia, nec autem aut feram reperias ubique naſci aut morari, & piſcium quoque genera alia alijs gaudent locis, nec omnibus locis omnes arbores arbuſta aut herbæ naſcuntur: ita non omne argumentum undique ueniet: ideo non paſſim quærendum eſt. multus alioqui error eſſet, & in uehementi labore. quod enim in oratione ſcrutabimur, inuenire non poterimus, niſi cauſa cognita. At ſi ſciremus ubi quæque naſcãtur, cum ad locum uẽtum erit, facile quod in eo eſt uidebimus. hic autẽ locus dupliciter accipitur, aut maxima dicitur propoſitio, quæ nullius indigeat probatione: aut, ab imparibus ſi imparia demas, quæ reſtãt ſunt paria: aut propoſitionis maxima differentia: ut, definitio genus, ſpecies, differentia, propriũ, & ſimilia, quæ alibi longe uberius tractauimus. Cum igitur omnis locus ſit argumenti ſedes, & argumentum fidem faciat eius quod in quæſtione poſitum eſt, ſi de quo quæritur, approbare uolumus, locos noſſe neceſſe eſt. Quæſtionum autem duo ſunt genera: alterum infinitum, definitum alterum. Definitum Græci ὑπόθεσιν, Cicero cauſam: infinitum θέσιν illi, Cicero propoſitum nominauit. Infinitum genus quæſtionis eſt ſine ullo perſonarũ, temporum, locorum, & ſimilium complexu. Definitiuum autẽ eſt è diuerſo, perſonarum, locorum, & eiuſdem generis aliorum complexu. Infiniti generis quæſtionis loci ab Ariſtotele, à Theophraſto, à Themiſtio, & à Cicerone in Topicis latiſſime explicati ſunt, ſicut & à cæteris etiam philoſophis. at definiti generis quæſtionis loci à rhetoricis. Sunt enim oratorum proprij. hos Græci περιστάσεις, noſtri circunſtantias nominarunt. Hi autem in proprios & communes diuiduntur locos, qui cuiuſcũque ſint conſtitutionis, infinitæ quæſtionis, quæ theſis nominatur, ſubijciũtur locis: qui quónam pacto inter ſe differant, uno exemplo aperiamus. In cauſa coniecturali, inquit Cicero, prius locus accuſatoris eſt, cum dicit malorum miſereri non oportere. Hic locus ab infinitæ quæſtionis loco, qui à contrarijs ducitur, profluit. Miſereri enim oportere, & non miſereri oportere, inter ſe contraria ſunt. Diſtant autem, qui tantum in cauſa adhibentur, à theticis: hoc eſt, in definitis, quod thetici habent ex utraque parte tractatus, & in contrarium ſuggerunt nobis argumenta: hi autem unius tantummodo partis ſunt, & aut indignationem ſolam, aut ſolam exprimunt conqueſtionem, uel id genus aliud. Quod autem dicit, malorum miſereri non oportere, ſine complexu perſonarum eſt, id ita eſſe neceſſe eſt. Non enim aliter locus eſt, niſi generaliter enuncietur, unde multa profluere argumenta poſſint. ſed eo inde perſonam in approbatione cõplectimur, ut ſi dicas: Malorum miſereri non oportet, Verrem malum eſſe hominem iam oſtendimus, quid ergo eum damnare dubitatis? Deinde ſubiungit, & cum auget peccati atrocitatem. hoc enim diſtant à theticis, hoc eſt, philoſophorũ argumentationibus, quod

hic

hic ſola ueritas quæritur . In cauſa autem licet ueritas aſſeratur, tamen quod eſt illorum proprium, rei prolatæ amplitudo ea ptanda eſt. Cum miſericordiam captat .] Hoc eſt, cum dicit unumquenque hominem alijs miſericordem eſſe oportere . Cum accuſatorem criminatur .] Incuſat . Calumniari.] Quod calumnietur, callide ea quæ dicat inuenerit . nã calleo, omni aſtu aliquid inuenio, eſt: callui callitum, unde calũnia, Albino teſte. Communes loci ſunt tum accuſatoris, tum defenſoris.] Et ob id communes dicuntur loci, quod tam defenſori quàm accuſatori conueniant. A' teſtibus contra teſtes.] Supra ſuſpicionum capeandarum rationes Cicero aperuit, quæ ſi uelimus recte intueri, loco thetico ſubijciuntur, qui ab adiunctis à Cicerone in Topicis nominatur: ſicut à teſtibus, contra teſtes, & quæ ſequuntur. ex his eſſe quos aſſumi extrinſecus idem dixit, quod non inquit, ab argumentis contra argumenta ſupra abunde docuimus, ea ſigna potius quàm argumenta nominari debuiſſe. A' teſtibus ſecundum auctoritatem.] A' loco communi teſtium dicemus : ſi auctoritatem eis adhibendam oſtenderimus: ut pro Archia, Ipſe adeſt uir ſumma auctoritate & religione ac fide, M. Lucullus, qui ſe nõ opinari, ſed ſcire, non audiuiſſe, ſed uidiſſe, non interfuiſſe, ſed egiſſe dicit. adſunt Heraclienſes legati, nobiliſſimi homines . Et conſtantiam.] Si non inter dicendum titubaſſe uiſi ſunt . Aut cupide dicere.] Quod uellent. Factum eſſe .] Non ut fuerit dicant, & argumentationibus utantur calumnioſis . Hæc & ad improbationem.] Contra teſtes . Et probationem teſtium pertinebunt .] Quæ à teſtibus dicta ſunt referri poſſe . Inueniendi cauſa .] Dicendi ueri cauſa ab his, qui ſe id feciſſe, cuius accuſarentur irent inficias. Tormẽtis & cruciatu.] Τῷ αὐτῷ . aut, tormentis & cruciatu, inſtrumentis ad cruciandum. nam & bellica ſunt tormenta, ut machinæ, baliſtæ, arietes, & ſimilia. Confirmatior erit hæc diſputatio.] Hoc eſt, indubitatius erit, quod in controuerſia poſitum confirmabitur, aut refelletur. Eiſdem uijs quibus omnis coniectura tractatur.] Hoc eſt, eodem modo, quo ſupra diximus, ſuſpicionem aliquam poſſe ſuſcitari . Id in teſtimonijs fieri oportebit.] Vt ea aut probemus, aut improbemus . ut aliqua cauſa antecedente, quod habuerit odio quẽ accuſet : cum ipſo teſte, ſi titubet cum dicat: quòd poſt rẽ ſequatur, quod ſibi peruenturum aliquod ex hoc ſperet emolumentum, & ſimilia. Contra quæſtiones.] Contra id quod per ſuſpiciones, an ſit uerum, quæritur. Certis in rebus.] De quibus, an eſſent facta, nulla dubitatio poſſit oriri: ut, ſi mortuum fuiſſe cõſtitiſſet aliquem, & ſuſpicio haberetur, quod ſigna eſſent in corpore ueneni dati, non ſtatim torſiſſent eum qui ſuſpectus habitus eſſet, potius quàm diligentius uidiſſent, an uenenum datũ eſſet. item, non qui ſuſpectus habitus eſſet, ſed qui certo dediſſe uenenum ſciretur: torqueretur autem, quod id ſe feciſſe diffiteretur. Hæc contra quæſtiones dicet defenſor. Quæ uere dicerentur.] Tam ab accuſatore quàm defenſore. Quæ falſo in quæſtione pronunciarentur.] Aut quæ inſimulaſſet accuſator, aut reus falſo inficiaretur. Quo in loco quid poſitũ ſit.] Vt ſi cruentus inuentus ſit gladius, aut quiduis aliud eius ſuſpicionis arguatur alicuius manifeſto occiſi. uel quiduis ſimile. Dolori credi nõ oportere.] Si quid ſit reus per tormenta faſſus. Alius alio recentior in dolore.] Ad ſufferendos dolores uegetior uiridiorq́;. Ingenioſior ad comminiſcendum .] Id eſt, ad fingendũ: cuius præteritum, cõmentus ſum. unde commenta, figmenta . eſt autem proprie comminiſcor, mente uoluto: ac per hoc recordor aliquãdo ſignificat, ut apud Plautũ in Amphitryone: Fac ſis comentus. Inde à commentor commentarij dicti, in quibus aliqua breuius, quàm ut narrari potuerunt, continentur: & aliquorum librorum interpretamenta, commentarios & commenta nominamus, ſicut in uſu clarorum auctorũ inuenimus. Ad comminiſcendum.] Quod denique ſcire aut ſuſpicari poſſit. ſenſus eſt: Dicet defenſor, ideo reum, qui inſimuletur, accuſatori faſſum ex ordine omnia , quod putauerit quæſitorem hæc ab eo ſcire cupiuiſſe, et in hac re multa finxiſſe, quo protinus cruciatibus exolueretur . Quæ in quæſtionibus ſunt dicta.] Quæ nã confeſſus fuerit, dũ ab eo quæritur, reus. Idq́; partibus coniectura .] Quæ tribus diſtinguitur temporibus: aut certe, quæ in ſex partes ſupra diuiſa eſt, quorũ ſi ſingula contemplabimur, multa quæ nobis ſuffragabũtur inueniemus . Plus oportere ſignis & argumentis credi quàm teſtibus.] Plus, inquiet accuſator, ſi teſtes eius ſententiæ aduerſabuntur, & ſignis & argumentis eſſe credendum, quàm teſtibus, modo ſigna & argumenta referre ſibi conferentia poſſit. Quàm in alium quempiam conuenire.] Dicet defenſor, quæ protulit ſigna & argumenta accuſator, tã poſſunt in alio quouis, quàm in hoc quem accuſat inueniri. Indignũ facinus.] Factum deteſtabile eſſe . Sine teſtibus coniecturam & ſuſpicionem firmamenti ſatis habere.] Subaudiendum, quẽquã credere. ut ſit ordo: Indignum facinus eſſe dicet defenſor, quenquam credere coniecturam et ſuſpiciones ſine teſtibus habere ſatis firmamenti. Ita temere.] Sine cauſa . Quin ſubſit aliquid .] Vt ſi quod dicitur, etiam uerum ſit , aliquid tamen ſubeſſe negari minime queat . Confingeret .] Apud alios. Et comminiſceretur.] Intra ſe . prius uero fingeret protulit, quod prius rem nos confictam intueamur, deinde intra ſe qui confinxerit ea meditatur. Hunc uerũ eſſe.] Subaudi, rumorem . Et exemplis utemur , de quibus falſa fama fuerit.] Quæ infinita ſunt. oſtendet igitur, ſe non ſolum fuiſſe, de quo rumor falſus ſit per aliquos ſuſcitatus maleuolos ac inuidos, ſed pleroſque id etiam fuiſſe paſſos . Et aliquã fictam fabulam afferemus, quã dicemus omnibus in ore eſſe .] Hoc dicit, notiſſimum aliquod exemplum, ſiue fabula, ſiue hiſtoria ſit, quæ in aduerſariorum opprobrium uentura ſit. uelut illud apud Apuleium, Verũ enimuero & coruus & pſitacus, nihil aliud quàm quod didicerunt pronunciant: ſi conuicia docueris, conuiciabitur, diebus ac noctibus perſtrepens maledictis, hoc illi carmen eſt, hanc putat concionem, ubi omnia quæ didicit maledicta percenſuit. Denuo repetit eandem cantilenam : ſi carere conuicio uelis, lingua excidẽda eſt, aut quàm primum in ſyluas ſuas remittendus eſt. Poterit ergo hoc in aduerſarios dicere, aſſuetos quidem eo modo ad maledicendum eſſe, ut laudatũ iri tunc demum ſe arbitrentur, cum in quẽquam qualibet confinxerint. & hanc malorum hominum naturam eſſe, ut in quemuis etiã optimum dicant. Fictam ergo fabulam, ſermonem quem ſibi ipſe confinxerit. ſic Iuuenalis: It noua, nec triſtis, per cunctas fabulas cœnas : id eſt , ſermo . Aut certe fictam ab alijs, quoniã ſequitur, Quam dicemus omnibus in ore eſſe : ut fabulam intelligere poſſimus, quæ olim ab aliquo iam poeta ficta ſit: eamq́; ad quoquo modo eludendos aduerſarios proferemus . Confictam fabulam diſſipare.] Id eſt, fictum ſermonem diſſeminare. Argumentando famæ fidem poterimus abrogare.] Argumentando, rationes quas poterimus afferendo. Poterimus abrogare.] Infirmare. Fidem.] Firmam perſuaſionẽ. Famæ.] Quæ de fama rei habita ſit: & eſt caſus datiuus.

DE SCRIPTO ET SENTENTIA.

Vin uoluntas ſcriptoris cum ſcripto diſſidere uidebitur.] Legitimã conſtitutionem in primo libro ita c diuiſit, ut ſex ei tribuerit partes, quarũ prima ſcriptũ fuit et ſentẽtia. In hac igitur quibus uti poſſimus argumẽtis doceat, deinceps in ordine cætera expoſiturus. Hoc ergo dicit, cũ uolũtas ſcriptoris cũ ſcripto nõ cõuenire uidebitur, ſi ſcriptũ defendamus, alijs: alijs, ſi ſententiam, uti debere uidemur locis. Secundũ narrationem.] Pro ut popoſcerit narratio. His locis

uetemur.] Ex quibus proſcripto argumentationes eliciemus. Primum ſcriptoris collaudatione uerba defendat, ut dicat, ſcriptori neque ingenium, neque operam, neque ullam facultatem defuiſſe, quo minus aperte poſſet perſcribere id quod cogitaret. non fuiſſe ei graue aut difficile eam cauſam excipere, quam aduerſarij proferant, ſi quidquam excipiendum putaſſet. conſueſſe eos qui leges ſcribant, exceptionibus uti: deinde ut leges recitentur, cum exceptionibus ſcripta: ut apud eundem legislatorē, num ſit aliqua exceptio. Scriptoris collaudatione.] Laus eſt, quam ob bene geſta promeremur: laudatio uero, quæ uerbis habetur alicuius. eſt tamen aliquando, ubi laus pro laudatione ponatur. Deinde ſcripti recitatione.] Quò uehementius & ſignificantius quidquid interpretaturus eſt, dicere uideatur. Deinde percunctatione, ſcirent'ne aduerſarij id ſcriptum fuiſſe, in lege aut teſtamento, aut ſtipulatione, aut quolibet ſcripto, quod ad eam rem pertinebit.] Deinde qui ſcriptū, inquit, defendet, percunctabitur, nunquid aduerſarij eam quam proferant ſententiam, quæ nuſquam ſcripta appareat in lege, legerint, aut teſtamento, aut ſtipulatione, aut in alio quocunque ſcripto, quod ad id negotium iudiciumq; attineat. Percunctatione.] Et percontatum, inquit Donatus in Hecyra, & percunctatum ſcribitur. ſi percontatum, à conto dicitur, quo nautæ innituntur ad loca nauibus opportuna: ſi uero percunctatum, ab eo quod à cunctis perquiratur, dicitur. Nonius Marcellus autem de doctorum uirorum indagine: Percontari, inquit, diligenter inquirere. Et eſt proprietas uerbi, quod uada in fluminibus contis exquirant nautæ. Nec me præterit, ineruditos quoſdam grammatiſtas hæc differre inter ſe noluiſſe, cum per o ante t, & cum u ante ct ſcriberetur: ſed nihil mihi cum illis. plana ſunt, Sciſcitor, rogo, interrogo, percunctor: ſed ex his alia inter ſe nonnihil, alia nihil prorſus differre uidentur. Nam rogo, interrogo, & ſciſcitor, inter ſe nihil differunt: niſi dicamus ſciſcitari eſſe, ut ſciamus idem ſæpe potius exquirere quàm interrogare: rogare uerba nulla uel pauca anteceſſiſſe ſignificat, ut Plautus in Curculione, Rogant ſerui quò eam, dico me ire quò ſaturi ſolent. interrogo autem, inter multa uerba. ſciſcitor & exquiro, ut apud Iuuenalem, Bene habet, nil plus interrogo. puſilla tamen hæc differentia eſt. Maior autem eſt multo inter percunctor & interrogo differentia, uel quam uoluit Quintilianus, ut interrogare nos dicat, ſciendi aliquid cauſa: & percunctari, arguendi. Quid enim tam commune, inquit, quàm interrogare, uel percunctari? nam utroque utimur indifferenter, quorum cum alterum noſcendi, alterum arguendi gratia uidetur adhiberi: ut Auguſtinus in libro quem de doctrina Chriſtiana inſcripſit, qui ita reliquit: Inter percunctationem & interrogationem hoc ueteres intereſſe dixerunt, quòd ad percunctationem multa reſponderi poſſunt: ad interrogationem uero aut non, aut etiam pronunciabitur. Ergo ita ut poſt percunctationem, qua dicimus, Quis accuſabit aduerſus electos dei? illud quod ſequitur, ſono interrogantis enuncietur: Deus qui iuſtificat? ut tacite reſpondeatur, non. & iterum percunctemur, Quis eſt qui condemnat? rurſuſq; interrogemus, Chriſtus Ieſus qui mortuus eſt? magis adhuc qui reſurrexit? qui eſt in dextra Dei? qui interpellat pro nobis? ut ubique tacite reſpondeatur, non. At cum dicit Cicero, Deinde percunctatione, ſcirent'ne aduerſarij: ea ſignificatio, quam uoluit in percunctor uerbo eſſe Quintilianus, hic magis conuenit. eſt tamen inueniri, ubi percunctor ad eorū attineat cognitionem. Horat.

Inter cuncta leges, & percunctabere doctos.

Deinde collatione quid ſcriptum ſit.] Id eſt, ſi aduerſarij ſcriptum aliquod proferent, conferatur: hoc eſt, comparetur illud, & de quo controuerſia eſt. Quid aduerſarij ſe feciſſe dicant.] Subaudiendum, percunctemur: hoc eſt. poſteaquam ſi protulerunt ſcriptum uiderimus, exquiramus nunquid quod ſe feciſſe fatentur aduerſarij, eo ſcripto tollatur quod eſſe poterit ut minime fiat. Quid iudices ſequi conueniat, utrum id quod diligenter præſcriptum ſit, an id quod acute ſit excogitatum.] Hoc dicit, Qui defendit ſcriptum, quod accurate (inquiet) ſcriptum eſt à conditore legis, non oportet aliter quàm ſcriptum ſit interpretari. quod ſi accipiatur, nihil aliud erit quàm legem tollere. Nihil enim attinere dicet, cauſam ex lege conſiderare: quippe quæ in lege ſcripta non ſit, ſi prout libuerit quiſque interpretabitur. quare iudices, ſicut ſcriptum eſt, iudicare debere. Quæ ſit ſcripto attributa.] Prout libido tulerit, non ut nos interpretabimur. Aut non potuerit ſcribi.] Quod contra fas, iuſtum & æquum eſſet. Amentiam enim eſſe, ſi eius qui peccarit potiuſquam legis ipſius uerba cognoſcentur. Scriptum illud eſſe dilucide.] Aperte. Breuiter.] Non pluribus quàm conueniret. Commode.] Vt utilitatem communem omnium ſpectauerit.] Perfecte.] Cui in ea ſententia nihil admodum deeſſet. Cum ratione.] Certa, non ut quiſque, prout libido tulerit, poſſit interpretari. Deinde exempla proferentur.] Subaudiendum earum rerum. Quæ res.] Ordo eſt, quæ ab ſcripto potius iudicatæ ſunt. Cum ab aduerſarijs ſententia redderetur, & uoluntas afferretur.] Senſus eſt: eadem quæ aduerſarij, cum ſententiam plerunque non uerba ſpectanda eſſe dicerent, exempla proferemus: ſed ipſis uoluntatem, nobis uerba ipſa id dicere uidere aſſeremus. Deinde oſtendetur.] Hoc dicit, ſi ex ingenio delinquentis inquiet, qui ſcriptum defendit: qui contra legem fecerit excuſabitur, nō ex lege peccandi cuilibet poteſtas uulgo dabitur. deinde adijciet, ex ipſis iudicibus iudicandi, & cæteris ciuibus uiuendi rationes perturbatum iri, ſi ſemel à legibus receſſum eſt. nam & iudices neque quid ſequantur habituros, ſi ab eo quod ſcriptum ſit recedant: neque quo pacto alios improbare poſſint, quod contra legem iudicarint: & cæteros ciues quid agant ignoraturos, ſi ex ſuo quiſque conſilio, & ex ea ratione quæ in mentem aut in libidinem uenerit, non ex communi præſcripto ciuitatis unamquanque rem adminiſtrabit. Locus communis eſt, contra eum qui quod cum fateatur ſe contra id quod legibus ſancitum aut teſtamento præſcriptum ſit, feciſſe, tamen facti quærat defenſionem.] Locus eius qui à ſcripto dicet, erit (inquit ipſe in ſecundo de Inuentione) leges ex ſe non eius qui contra commiſerit, utilitate ſpectari oportere, & legibus antiquius haberi nihil oportere. Locus hic, inquit, ſcripto communis erit: ut dicatur, feciſſe te contra id quod lege ſancitum eſt, & teſtamento præſcriptum fateris, & tamen facti huiuſmodi quæris defenſionem: atqui contra legis ſanctionem præſcriptum'ue teſtamenti fecerit, puniendus eſt: igitur delicti pœnam te ſubire oportebit. Itaque ab hoc loco deducetur argumentum. Quod legibus ſancitum.] Veteres grammatici una omnes ſancio uerbum ſanxi mittere præteritum, & ſupinum ſanctum, uolunt: licet priſca linguæ ſecus protuliſſe auctores dicant. Sed mihi pace eruditiſſimorū uirorū dicere liceat, cur non potius ſanciui dicemus, & ſancitū? cū Cic. Romanæ eloquētiæ auctor eminentiſſimus ita locutus ſit, ſicut & multi alij, ut Pomponius ad Teaſtam: Sancierat, inquit. & in paſſiuo Caſſius Seuerus, Lege Sancitum eſt, ait. & Lucretius, Quandoquidem ſancitum extat. quin & ipſi iuriſconſulti ſancitum, appellationem, non participium eſſe uoluerunt: quippe qui à ſagminibus herbis ſanctum fluxiſſe dicant, quas legati deferentes, ſe ſanctos, id eſt, inuiolabiles eſſe facile oſtenderent. Non ego tamen ſanxi ſanctum dici negauerim: ſed mallem ipſum Ciceronem ſequi. A' ſententia ſi dicemus, primum laudabimus ſcriptoris commoditatem atque breuitatem.] Commoditatem, quod ita præſcripſerit, ſicut ei utile & honeſtum iuſtumq; eſſe uidebatur. Breuitatem.] Vt non plura complexus ſit, quàm

quàm opus eſſet. Dicemus deinde calumniatoris eſſe officiũ uerba & literas ſequi, negligere uoluntates.] Dicemus illum non uideri nobis habere quid dicat, qui uerba & notas elementorum ſequi malit, & ſententiã nihili pendere. Leges enim charas eſſe oportere, nõn propter literas, quæ tenues & obſcura notæ ſint uoluntatis, ſed propter earum rerum, quibus deſcribuntur, utilitatem, & eorum qui ſcripſerint ſapientiam & diligentiam: ut quid ſit lex deſcribat, quo uideatur in ſententijs, non in uerbis conſiſtere: & iudex is uideatur legi obtemperare, qui ſententiam eius, non qui ſcripturam ſequatur. Enimuero ſi uoluntas tacitis nobis intelligi poſſet, uerbis omnino non uteremur: quia non poteſt, uerba reperta ſunt, non quæ impedirent, ſed quæ indicarent, uoluntatem. Deinde id quod ſcriptum ſit, aut non poſſe fieri.] Subaudi, aut his rationibus quæ ſequuntur, aut quibuſcunque alijs. Non lege.] Quod de ea nulla ſit lex. Non more.] Quod id facere moris non ſit. Non natura.] Quod naturæ leges huic repugnent ſententiæ. Non æquo & bono poſſe fieri.] Contra ſcriptum qui dicet, primum eum locum indicet, per quem æquitas ſuæ cauſæ demonſtretur: & oſtendet quo animo, quo cõſilio, qua cauſa feceris. Dicat igitur, contra æquum & bonum facturum, quicunque ſecus egerit. quæ omnia rectiſſime fieri et ſanctiſſime à ſcriptore legis, omnes affirmabunt. Aut non poſſe fieri.] Si æquum bonumq; uelimus inſpicere. Aut non conſtare.] Quippe quod ſententijs illis repugnet. Aut cum iure communi.] quo omnes utuntur populi. Aut cum alijs legibus.] Differunt leges & iura: quod leges ſunt aut principis, aut liberi populi. quæ à rege conduntur, alterius conſenſum non requirunt: quæ ad populum feruntur, ſine eius iuſſu ratæ non ſunt. & quoniam rogari, id eſt interrogari populus de his ſolebat, rogationes dictæ. Iura autem magis generalia ſunt. Ius aliud gentium, aliud ciuile dicitur. Ius ciuile dicimus, tam leges quàm plebiſcita, ſenatuſconſulta, decreta principum, reſponſa prudentium, &c. quæ in Topicis ſumus interpretati: quæ ſunt legum communium interpretamenta quædam. Aut cum rebus.] Cuiuſmodi ſunt reſponſa prudentium. Et ſtipulationum.] Stipulatio per interrogationem ſponſio eſt. Breuiter exceptarum.] Hoc ad utrũque refertur. In quibus intelligatur.] Vt ſcriptarum uoluntatem probemus interpretando, non quid dicant uerba, ſpectandum. Locus communis.] Senſus eſt: Locus communis contra eum qui ſcripto innitetur erit, ut dicas eum ſcriptum recitare, & ſcriptoris uoluntatem negligere: quod utique ſtultũ ſit. perinde ac ſi dicas, ſtulte eum agere qui ſcripta cuiuſquam ſuſpiciat, qui ſit ſenſus uerborum negligat. In ſecundo autem de Inuentione idem: Contra ſcriptum (inquit) leges in conſilio ſcriptoris & utilitate communi, non in uerbis conſiſtere: quod indignum ſit æquitatem literis urgeri, quæ uoluntatem eius qui ſcripſerit defendat.

DE CONTRARIIS LEGIBVS.

c Vm duæ leges inter ſe diſcrepant.] In ſecundo de Inuentione: Ex contrarijs autem, inquit, legibus controuerſia naſcitur, cũ inter ſe duæ uidentur leges, aut plures diſcrepare, hoc modo. Lex eſt, qui tyrannum occiderit, Olympiarum præmium capito, & quã uolet ſibi rem à magiſtratu depoſcito, & magiſtratus ei concedito. & altera lex: Tyranno occiſo, quinque eius proximos cognatione magiſtratus necato. Alexandrum, qui apud Phereos in Theſſalia tyrannidem occuparat, uxor ſua, cui nomen Thebe fuit, nocte cũ ſimul cubaret, occidit. hæc filiũ ſuũ, quem ex tyranno habebat, ſibi in præmij loco depoſcit. Sunt qui ex lege puerũ occidi dicant oportere. res in iudicio eſt. In hoc genere ijdẽ loci, atque eadẽ præcepta cõuenient: ideo quod uterque ſuã legẽ confirmare, cõtrariã infirmare debebit. Primũ igitur oportet contendere, conſiderando utra lex ad maiores, hoc eſt, ad utiliores, ad honeſtiores, ac magis neceſſarias res pertineat. ex quo conficitur, ut ſi duæ leges, aut plures, aut quotquot erunt, conſeruari nõ poſſint, quia diſcrepẽt inter ſe, ea maxime conſeruanda putatur, quæ ad maximas res pertinere uideatur. Deinde utra lex poſterius lata ſit: nam poſtrema quæque grauiſſima eſt. Deinde, utra lex iubeat aliquid, utra permittat. nam id quod imperatur, neceſſariũ: illud quod permittitur, uoluntariũ eſt. Deinde in utra lege, ſi non obtemperatum ſit, pœna afficiatur: aut in utra maior pœna ſtatuatur. nam maxime conſeruanda eſt ea, quæ diligentiſſima & ſancta eſt. Deinde, utra lex iubeat, utra uetet. nam ſæpe ea quæ uetat, quaſi exceptione corrigere uidetur illam quæ iubet. Deinde, utra lex de genere omni, utra de parte quadam, utra communiter in plurimis, utra in aliqua certam rem ſcripta, promptius ad cauſam accedere uideatur, & ad iudicium magis pertinere. Deinde ex lege, utrum ſtatim fieri neceſſe ſit. utrum habeat aliquam moram, & ſuſtentationem. nam id quod ſtatim faciendum ſit, perfici prius oportet: deinde operam dare, ut ſua lex ipſo ſcripto uideatur uel. Cõtraria autem aut per ambiguũ, aut per ratiocinationem, aut per definitionem iudicij ſanctius et firmius quod apertius ſcriptum ſit, id eſſe uideatur: deinde ſuæ legi ad ſcriptum, ipſam ſententiam quoque adiungere. contrariam legem item ad aliam ſententiam tranſducere, ut ſi fieri poterit, ne diſcrepare quidem uideantur inter ſe. poſtremo facere, ſi eam facultatem dabit, ut noſtra ratione utraque lex conſeruari uideatur, aduerſariorum ratione altera ſit neceſſario negligenda. Locos autem communes & quos ipſa cauſa det, uidere oportebit, & ex utilitatis, & ex honeſtatis ampliſſimis partibus ſumere, demonſtrantem per amplificationem, ad utram potius legem accedere oporteat. Videndum & primum an ab rogatio aut derogatio ſit.] Rogare, precari: rogare interrogare: rogare, accumulare ſignificat. Vnde rogus, ſtrues nominatur. ab hoc compoſita, abrogo & derogo. Derogari, eſt in calũniã & uituperationẽ uenire. Abrogari, eſt totã penitus legẽ tolli. Aut ergo derogatur, aut abrogatur, aut aliqua parte cõmutatur et uertitur. infirma enim erit defenſio. Negabit ſe ideo quod facere cogeretur non feciſſe, quoniã alia lex permittebat, quo minus ne faceret uerendum erat. Plus enim ualet ſanctio permiſſione.] Sanctio, qua facere cogebatur: à ſancio, ſancis, facta conciſione, factum uideri poteſt, ab eo quod eſt ſancitum ſanctũ: inde ſanctio. niſi à ſancio. ſanxi, factũ eſſe uelimus. Id uero quod poſteriori.] Cũ lõge præponi debuerit, quod primũ abrogatũ derogatum'ue fuerat. Trahemus ad noſtræ cauſæ cõmodũ.] Vt non uerba, ſicut noſtri aduerſarij, ſequamur: ſed ſententiã, quæ nobis conferet. De iuriſdiciali abſoluta ſumemus rationem.] Iuridiciales conſtitutiones ſupra ita diuiſimus, ut eius partes aſſumptiuam & abſolutam faceremus. Ab abſoluta itaque parte ſumemus pro ſententia adminiculũ, ut iure factum eſſe dicamus, quidquid à nobis factum ſit: & cætera, quæ poſterius in iuridiciali abſoluta applicabuntur.

DE AMBIGVO.

ſ I ambiguum eſſe ſcriptum putabitur, quod in duas aut plures ſententias trahi poſſit, hoc modo.] Vt ſi fieri poterit, demonſtrandum eſt non eſſe ambigue ſcriptum, propterea quod omnes in conſuetudine ſermonis, ſic uti ſoleant eo uerbo uno pluribus'ue, in ea ſententia, in qua is qui dicet accipiendum eſſe demonſtrabit. Deinde quomodo ſcriptum eſt, & ſi id quod aduerſarij.] Vt pro Cæcina Cicero, cum ſententiam contra ſcriptum defendit: Non'ne ſi uerbum, inquit, ſequi uolumus, hoc intelligamus neceſſe eſt, eum detrudi, cui manus afferantur? neceſſe eſt inquam, ſi ad uerbum rem uolumus attingere, neminẽ

ſtatu detruſum, qui non adhibita ui, manu demotus, & actus præceps intelligatur. deiectus uero qui poteſt eſſe quiſquam, niſi in inferiorem locum de ſuperiore motus? poteſt pulſus, fugatus, electus denique. illud uero nullo modo poteſt, deiectus eſſe quiſquam, non modo qui tactus non ſit, ſed ne æquo quidem & plano loco. Id quoque ſuperiore Ciceronis exemplo in legitimæ conſtitutionis diuiſione eſſe manifeſtum poteſt. Nam cum Tullius hæres meus, inquit, Terentiæ uxori: Vxori meæ triginta pondo uaſorum argenteorum dato, quæ uolet. Hic enim poterit mulier dicere, nihil attinuiſſe aſcribi quæ uolet, ſi hæredis uoluntati permitteret. Eo enim aſcripto, nihil ineſſe dubitationis, quin hæres, quæ ipſe uellet daret. Amentiam igitur fuiſſe, cum hæredi uellet cauere id adſcribere, quo non aſcripto, nihilominus hæredi caueretur. quare ex iſto uerbo ſententia ſcriptoris maxime perſpicitur. Nec eſſe ambigue ſcriptum, cum intelligatur utra ſententia uera ſit.] Adijcietur, illud ambiguum uideri debere, cuius ſententia an uera ſit dubitatur. hoc autem, quando ſententia uera eſſe deprehendatur, non eſſe ambiguum. Poſtremo, in ſecundo de Inuentione ipſe inquit, ex deliberationis partibus, quid utilius, & quid honeſtius, & illi aſcribendum, & his ad comprobandum ſit, demonſtrandum: & ex his ſi quid amplificationis dabitur, communibus utrunque locis uti oportebit. Sunt qui arbitrantur ad hanc cauſam tractandam uehementer pertinere cognitionem amphibologiarum, tam quæ à dialecticis profertur.] Sex modis dubium naſci poſſe ſermonem, in primo ἐλέγχων docet Ariſtoteles: Cum pluribus rebus eadem appellatio eſt, quod græci ὁμώνυμον dicunt: in latinum autem transferentes, aliqui æquiuocum nominare non timuerunt, cum id quod ab ipſo proprio nomine amphibologia nũcupatur, à noſtris ambiguum incidit. Per compoſitionem, per diuiſionem, per accentum, per figuram dictionis. Ambiguum igitur in nominibus eſt, ut Taurus. utrum enim brutum ſignifices animal, an uiri nomen proprium, an montem, an ſidus, an radicẽ, incertum eſt. Simile huic eſt Gallus: quo utrum gentem, an auis nomen, an corporis fortunam, aut ſtudium uoces, dubium uideri poteſt: & in nominibus proprijs tantum, ut Aiax, Telamonius'ne an Oilei filius: Et Eurymedon, Agamemnonis'ne an Neſtoris auriga: Eurybates, præco'ne Vlyſſis an Agamemnonis intelligatur. Verba quoque quedã diuerſos intellectus habent, ut cerno, utrum uideo an certo ſignificet. In uerborum diuerſorũ diuerſis temporibus: ut putes, an à puteo ſecunda præſentis indicatiui perſona ſit, uel ſubiunctiui modi, à puto deflexa, poteſt dubitari: niſi quod alterum primam producit, alterum eandem corripit. In nominum quoque caſibus eadem ſolet eſſe differentia. Velut Cato, an ultimam habeat communem, hoc eſt, ſit nomen uiri proprium, an eandem producat, ut ſit datiuus uel ablatiuus. Et ſimiliter deſinentibus caſibus, diuerſis tamen: ut ſi dicas, flentes illos uidimus. Eadem rurſus differentia inter nomina & uerba quoque plerunque eſt: ut lege, ſit'ne imperatiui modi à lego inflexu, an ab eo quod eſt lex, caſus ablatiuus, quãtitate diſcernitur. Sunt quæ ſola ſignificatione diſcernantur: ut armis. datiuus enim ne ſit, uel ablatiuus, ab eo quod eſt armus armi, an ab eo quod arma dicimus, diſcerni non poterit, niſi ab eo quod ſequitur aut antecedit. Eſt ubi aliquid, utra magis duarum appellationum uocetur, incertum eſt, uelut apud iuriſconſultos, quæ pro Murena Cicero ipſe poſuit, inquiens: Iam illud mihi quidem mirum uideri ſolet, tot homines ingenioſos, per tot annos etiam nunc ſtatuere non potuiſſe, utrum diem tertium an perendinum, iudicem an arbitrum, rem an litẽ dici oporteret. Naſcitur ab integro & compoſito uerbo aliquando dubium: ut ſi dicas, In genua hodie in foro ea cecidit mulier. Nam ab eo quod eſt ingenuus ingenua, & ab eo quod eſt genu, adiecta præpoſitione In, intelligi poterit. & apud Græcos αὐλητρὶς, ſi ſit unum uerbum, tibicinam: ſin duo αὐλὴ aulam, & τρὶς ter ſignificat. Quæri igitur poteſt, ſi dicatur αὐλητρὶς conciddiſſe, utrum debeat publicari aula quæ ter ceciderit, an tibicina debeat publicari. hæc & ſimilia ſunt, quæ ſub eadem appellatione eſſe uidentur. Quæ autem proprio nomine amphibologia nominatur, in eiſdem caſibus ferè fieri ſolet: ut, Dico te Aeacida Romanos uincere poſſe. &, Audiui Lachetem percuſſiſſe Demeam. & illud, Quidam teſtamento iuſſit poni ſtatuam auream haſtam tenentem. Quæri poteſt, an ſtatua haſtam tenens aurea eſſe debeat, an haſta eſſe aurea in ſtatua. & in pronomine poſſeſſiuo tertiæ perſonæ Sui, cum à tertia in tertiam fieri perſonam retranſitio uidetur, in dubium uenit poſſeſſio, ad quem potius eorum pertineat: ut, Rogat Cicero Varronem, ut ſuum erudiat filium: & obſecrat Pompeius Cæſarem, ne ſuo noceat filio. Ambiguum enim eſt, cuius filio, Cæſaris'ne an Pompeij. & quæ Quintilianus annotauit. Hæres meus dare illi damnatus eſto omnia ſua. in quod genus incidit Cicero in Bruto, loquens de C. Fannio. Is ſoceri inſtituto, quem quia cooptatus in augurum collegium non erat, non admodum diligebat, præſertim cum ille quidem Scæuolam ſibi minorem natu generum prætuliſſet. nam Sibi (ut ipſe inquit Quintilianus) ad ſocerum referri, & ad Fannium poteſt. At ſi dixiſſet, cum ille quidem Quintum Scæuolam illi, uel ei, uel ipſi: de Fannio utique locutus intelligeretur. Solet illud eſſe ambiguum, cum poſſeſſio, quæ pluribus accommodari poteſt, abſolute profertur: quale illud, Perdet Crœſus Halym tranſgreſſus maxima regna. In ablatiuo etiam naturalis quædam inuenitur amphibologia: ut, Cœlo decurrit aperto. utrum per apertum cœlum, an cum apertum eſſet. Per compoſitionem uero, & diuiſionem: uelut ſi dicas, Ariſtoteles inquit, quenquam ſedentem ambulare & ſcribentem non ſcribere. nam ſi ea ſimul poſita intelligas, id fieri impoſſibile: ſin autem per ſe, id poſſe fieri manifeſtum eſt. nam & is qui ſedet, poteſt ambulare ſi uelit: & qui ſcribit, non ſcribere. Et illud, Quinquaginta uirorum centum occidit diuus Achilles. dubium enim eſt, an ex quinquaginta uiris dicatur centum Achilles occidiſſe, quod factu impoſſibile eſſe quiſque uidet: an ex centum uiris quinquaginta occidiſſe, quod uerum eſſe potuit. Reſpiratione igitur ſuſtendenda eſt omnis oratio, quoties per compoſitionem diuiſionem'ue dubia intercidit oratio, ſicut & illo Vergiliano, de Troilo.

Fertur equis, curruq; hæret reſupinus inani,
Lora tenens tantum: huic ceruixq; comæq; trahuntur
Per terram.

Hic enim utrum quod teneat tantum lora, an quamuis teneat ceruix & coma tamen trahantur per terram, quæri poteſt. Accentuũ amphibologia à Dialecticis, ut Ariſtoteles inquit, exploſa eſt. ut ſi dicas, falſo hic ſe uerba dediſſe autumat: uideri ambiguum poteſt, utrum falſo homini dediſſe uerba, an autumet falſo. itaque accentu diſtingui poterit. nam ſi ſit nomen, acuetur in prima: ſin aduerbiũ, in ultimo circunflectetur. Per figuram dictionis dubitatio oriri poterit, uelut immutato genere. ut, Præneſte ſub ipſa Strauit: Scelus eſt quem hic laudat. nam & ſub ipſa uidetur ad aliud aliquid quàm ad Præneſte, quod generis eſt neutri, referendum. Licet Seruius ex Præneſtis fœminino etiam genere dici crediderit. & Quem, referre aliud quàm ſcelus uidetur, cum genere diſcrepent. Idem de cæteris mutationibus intelligendum, quæ aut numerorum, aut temporum, uel quibuſcunque alijs uarietatibus lectionem reddant ambiguam, quam ambiguo colligi ſermone diximus. Cognitionem amphibologiarum.] Idem enim eſt amphibologia, quod ambiguus ſermo, id eſt qui utroque uerſus, uel multis modis accipi poteſt. Ea quæ à dialecticis profertur.] De quibus quantum Ariſtoteles tractauit, diximus. A' dialecticis.] Dialecticen in latinum uertentes, artem diſſerẽdi nominarunt.

Sed

Sed maximo potius impedimento.] Quod nullus in ſcripto ullo eis utatur: dialectici autem eas ideo ponant, quòd eos cum quibus diſputemus, plerunque inuolutæ orationes, quas nobis arguendi cauſa confinximus, fallant. *Amphibologias aucupátur.*] Sermones conquirunt dedita opera ambiguos. Tranſlatio ab ijs, qui in inſidijs auiculas captant: ab auibus et capio, fictum uerbum. *Eas etiam quæ parte.*] Eas, inquit, amphibologias ſibi aliquando confinxerant, quæ parte altera ſignificent, altera quidquam ſignificare non queant: hoc eſt, ut uerus aliquis ſenſus elici non poſſit. uelut (nil enim prohibet eodẽ uti nos exemplo) illud quo uſi ſupra ſumus, Quinquaginta uirorum centum Achilles occidit. *Alieni ſermonis.*] Cum amphibologias inuenerint, eas in aliena ſcripta afferunt, ut eo modo uelint interpretari. *Moleſti interpellatores.*] Id eſt, interruptores. Interpello, ab interpollo diſtat: quod interpellare ſit, interrumpere, & ſeſe in gerere ubi nõ opus ſit. ut apud Plautum in Amphitryone, Ne interpella. Interpollare eſt interponere, ad nouam formam auertere, fingere. M. T. in Verrem actione ſecunda: Aliquid demendo, mutando, interpollando. Et eſt tractum ab arte fullonica, quæ poliendo diligenter uetera quæque, quaſi in nouam ſpeciem mutat. Proinde dubium uideri poteſt, interpellatores'ne, an interpollatores legendum ſit. *Et ſcripti cuiuſcunque.*] Siue legis, ſiue teſtamenti, ſiue cuiuſuis alterius rei. *Tum obſcuri interpretes.*] Quod quæ longiſſime ueniunt, ad ſcriptum poſcant. *Tũ odioſi.*] Quod quæ neceſſaria non ſunt, conquirant. *Et dum caute.*] Vt ſingula penſitare uideantur. *Et expedite.*] Vt quidquã inuolutũ. *Infanelſſimi reperiuntur.*] Qui nullo modo loqui ſcire uideãtur. quod ſæpiſſime illis accidit, qui in ſingulis uolunt uerbis immorari. *Nomẽ ſuũ pronunciare nõ poſſunt.*] Quod cũ aliqua de cauſa poſitũ uideri poteſt, aliter tamen interloquẽdum accipi poſſe uideatur. quale apud Martialem illud:

Sotæ filia Clinici Labulla,
Deſerto ſequeris Clitum marito,
Et donas & amas, ἄχεις ἀσώτως. & rurſum illud,
Digna tuo cur ſis, indignaq; nomine dicam:
Frigida es, & nigra es: non es, & es Chione.

Aut certe nomen ſuum pronunciare non poſſunt, quando & alij eo fuere nomine appellati. et ne dubiũ ſit, an præter ſe quẽquam alium dicant, cum ambiguum ſit nomen, ut ſupra diximus, quod multis ſimili appellatione imponitur: ut Cato Cenſorius, Cato Porcius, Cato Vectius, & Cornelius Cato: malunt ſilere, quàm nomen ſuum pronunciare. *Hoc interdicere.*] Vt dum de ambiguo diſputamus, non fuit alienum inſerere. *Huius infantiæ.*] Elocutionis inſcitiæ: quod qui de his minutiſſimis diſputant, fari penè neſciant. *Garrulá diſciplinã.*] Sermonem inanem: quæ dum omnia dicere uideri uult, nihil dicit. Sanè γαρύω Græci dicunt: ut Pindarus in primo Olympion. hymno, Εἰ δ' ἄεθλα γαρύεν ἔλδεαι φίλον ἦτορ. Ab hoc, uerſo y in u, Latini Garrulum deduxerunt.

DE DEFINITIONE.

e V M *definitione utemur.*] Definitionum genera in Topicis Ciceronis abunde expoſuimus. *Primum afferemus breuem uocabuli definitionem.*] Primus, inquit ipſe in ſecundo de Inuentione ubi definitiuam tractat conſtitutionem, accuſatoris locus eſt eius nominis, cuius de ui quæritur, breuis & aperta ex opinione hominum definitio, hoc modo: Maieſtatem minuere eſt, de dignitate aut amplitudine, aut poteſtate populi, aut eorum quibus poteſtatẽ populus dedit, derogare. hoc ſic breuiter expoſitum, pluribus uerbis eſt & rationibus confirmandum, & ita eſſe ut deſcripſeris oſtendendum: poſtea ad id quod definieris, factum eius qui accuſabitur adiungere oportebit, & ex eo quod oſtenderis eſſe (uerbi cauſa) maieſtatem minuiſſe, & hunc totum locum communi loco confirmare, per quem ipſius facti atrocitas, aut indignitas, aut omnino culpa cum indignatione augeatur. Poſt erit infirmanda aduerſariorum deſcriptio. ea autem infirmabitur, ſi falſa demonſtrabitur. hoc ex opinione hominum ſumetur, cum quemadmodum & quibus in rebus homines in conſuetudine ſcribendi, aut ſermocinandi eo uerbo uti ſoleant, conſiderabitur. item infirmabitur, ſi turpis, aut ſi inutilis eſſe oſtendetur eius deſcriptionis approbatio: & quæ incommoda conſecutura ſint, eo conceſſo oſtendetur. id autem ex honeſtatis & ex utilitatis partibus ſumetur, de quibus in deliberationis præceptis exponemus. Et ſi cum definitione noſtra aduerſariorum definitionem conferemus, & noſtram ueram, honeſtam, utilem eſſe demonſtrabimus, illorum contra. Inde poſt paulum ſubiungit: Locus autem communis in eius malitiam, qui non modo rerum, uerum etiam uerborum poteſtatem ſibi arrogare conetur, ut & faciat quod uelit, et id quod fecerit, quo uelit nomine appellet. *Qui ea tollit.*] Tollit, aufert. *Hæc ſunt ea quæ capiunt ſuffragia.*] Ordo eſt, & ſenſus: Quæ, ſubaudiendũ ex quibus ciuitatis conſtat amplitudo. ſunt ea ſuffragia, id eſt fauores: quæ populi capiunt, cum legi promulgandæ aſſentiuntur, aut non aſſentiuntur, uel cum ad dignitatem quem uelint prouehunt. *Et conſilium.*] Magiſtratus, ſubaudiendum eſt, id quo ciuitatis conſtat amplitudo. *Igitur tu & populũ ſuffragio.*] Exemplum, quod in primo libro de L. Apuleio Saturnino poſuit, tractat. *Populum ſuffragio.*] Quod cũ populum nolis quas uelit ipſe leges approbare, ſuo priues ſuffragio. *Et magiſtratum conſilio priuaſti.*] Qui quam L. Saturninus ſuo conſilio legem laturus erat, in magiſtratu conſtitutus, quippe qui tribunus plebis erat, promulgare non ſciuiſti, cum pontes deieceris: ſuo igitur eum conſilio priuaſti. ut ſi ita texas argumentationem. Quicunque ciuitatis amplitudinem, quæ ex populi ſuffragio magiſtratuſq; conſilio conſtat, aufert, is maieſtatem minuit: Atqui tu populum ſuffragio, quippe quod quas uolebat leges comprobare non permiſiſti, & magiſtratum conſilio quod ſcripſerat ne ederet, prohibuiſti: maieſtatem igitur minuiſti. *Item è contrario.*] Id eſt, ab ipſo defenſore contra dicentur. In ſecundo de Inuentione: Defenſoris, inquit, primus eſt locus. item nominis breuis & apta ex opinione hominum deſcriptio, hoc modo. Maieſtatem minuere eſt, aliquid de re prima cum poteſtatem non habeas adminiſtrare, poſtea ſui facti ab illa definitione ſeparatio. Deinde locus communis, per quem facti utilitas & honeſtas adaugetur. deinde ſequitur, aduerſariorum definitionis reprehenſio. Locus autem erit defenſoris, per quem indignabitur: accuſatorem ſui periculi cauſa nõ res ſolum conuertere, uerum etiam uerba comutare conari.

Qui amplitudinem ciuitatis detrimento afficit.] Qui ciuitatis ſplendorem aliqua ex parte minuit. Differt autem, ut Pedianus inquit, ab intertrimento detrimentum: quod detrimentum uel unius partis dici poteſt, dantis: intertrimentum uero, ad utriuſque partis ſpectat, dantis & accipientis. Cicero in Verrem: Prætores, niſi decreuerit, de hac re minus laborant, ſine ullo intertrimento. Varro autem: Detrimentum, inquit, à detritu, quod ea quæ detrita, minoris ſint pretij. ab eadem mente intertrimentum, ab eo quod duo, quæ inter ſe ſint & diminuta, damnum, à demptione, cum minus re factum eſt, quàm quanti conſtat. *Ego non affeci.*] Ordo eſt, Ego non affeci detrimento, ſed prohibui: ſubaudiendum, detrimentum fieri. *Aerarium enim conſeruaui.*] Hoc ſupra in primo libro expoſitum eſt. *Vocabuli ſententia.*] Quid ſit maieſtas. *Deinde factum noſtrum.*] Quod nos fecerimus. *Cum uerbi deſcriptione.*] Interpretatione. *Contrariæ.*] Quæ ab aduerſarijs illata ſit. *Si aut falſa erit.*] Quod aliter uulgo accipiatur, &c. *Aut inutilis.*]

Quod ea expoſitio, nulla in parte utilitatem præſtet. An turpis.] Quæ turpitudinem ciuitati afferat. Aut iniurioſa.] Quod ſi ita accipiatur, de ea multi conqueri poſſint.

DE TRANSLATIONE.

q

Varitur in tranſlationibus primum.] In ſecundo de Inuentione, tranſlatiuam cõſtitutionem tractans: In omni autem, inquit, cauſa, ab utroque quæri oportebit, à quo, & per quos, & quo modo, & quo tẽpore, aut agi, aut iudicari, aut quid ſtatui de ea re conueniat. Id ex partibus iuris, de quibus poſt dicendum eſt, ſumi oportebit, & ratiocinari quid in ſimilibus rebus fieri ſoleat. Et uidetur, utrũ malitia quidem aliud agatur, aliud ſimuletur, an ſtultitia, an neceſſitudine, quòd alio modo agi non poſſit: an occaſione agendi, ſic ſit iudicium aut actio conſtituta. Locus autem communis contra eũ qui tranſlationem inducet, fugere iudicium ac pœnam, quia cauſæ diffidat. à tranſlatione autem omnium fore perturbationem, ſi non ita res agantur, & in iudicium ueniant, quo pacto oporteat: hoc eſt, ſi aut cum eo agatur, qui cum non oporteat, aut alia pœna, alio crimine, alio tempore, atque hanc rationẽ ad perturbationem iudiciorũ omium pertinere. Nũ aliquis eius rei.] De qua controuerſia, hoc eſt, de ea ius dicere. Petitionem.] Vt præmium dari, aut pœnam inferri alicui poſcat. Aut executionem habeat.] Vt exequi, id eſt, tranſigere, quod in controuerſia ſit, pro altera parte poſſit: hoc eſt, ut ſit aut patronus, aut aduocatus, aut procurator, aut cognitor: qui inter ſe ita differunt, ut Aſconius Pedianus inquit, ut quicunque alterum in iudicio defendit, aut patronus dicatur, ſi orator eſt: aut aduocatus, ſi aut ius ſuggerit, aut præſentiam ſuam commodat amico: aut procurator, ſi negotium ſuſcipit: aut cognitor, ſi præſentis cauſam nouit, & ſic tuetur ut ſuam, qui familiariſſimus defenſor ſit. Modo.] Nunquid non ea actione. Tempore.] Nunquid alio quàm eo tempore, uel quod feriæ ſint, uel ſimile aliquid. Num alia lege.] Nunquid ea lex, quam protulerit, contra ſe non faciat. Num alio quærente.] Nunquid eam cauſam alius quærere debuerit. Aut agente.] Nunquid eam agere alium oportuerit· quorum ſi quid factum eſſe inuenietur, qui ita accuſarit, cadet à cauſa. Hæc legibus & moribus, æquo & bono reperientur, de quibus dicetur.] Hæc, inquit, omnia his rebus poterunt inueniri, male acta eſſe, quas in abſoluta conſtitutione iuridiciali iam tractabimus.

DE RATIOCINATIONE.

I

N cauſa rationali.] In ſecundo de Inuentione, ratiocinationis exemplum tractans: Locos autem communes, inquit, in hoc genere argumentandi hos, & huiuſmodi, quoſdam eſſe arbitramur. primum eius ſcripti quod proferas, laudationem & confirmationem: rei qua de quæratur, cum eo de quo conſtat, collationem eiuſmodi, ut id de quo quæratur, rei de qua conſtet ſimile eſſe uideatur: poſtea admirationẽ per contẽptionẽ, qui fieri poſſit, ut qui hoc æquũ eſſe concedat, illud neget, quod aut æquius, aut eodẽ ſit in genere. deinde idcirco de hac re nihil eſſe ſcriptum, quod cum de illa eſſet ſcriptum, de hac is qui ſcribebat dubitaturum neminem arbitratus ſit. Poſtea multis in legibus, multa præterita eſſe, quæ idcirco præterita nemo arbitretur, quod ex cæteris de quibus ſcriptum ſit, intelligi poſſit. Deinde æquitas rei demonſtranda eſt, ut in negotiali abſoluta. Contra autem qui dicet, infirmare debebit: quod faciet, ſi demonſtrabit illud quod conferatur, ab eo cui conferatur diuerſum eſſe genere, natura, ui, magnitudine, tempore, loco, perſona, & quo in loco illud cuius cauſa afferetur, opinio'ue, ſi quo in numero illud, quod per ſimilitudinem affertur, conueniat, oſtendatur: deinde quod res cum re differat, demonſtrabitur, ut non idem de utraque exiſtimari oportere uideatur. ac ſi ipſe quoque poterit ratiocinationibus uti, iiſdem ratiocinationibus, quibus ante prædictum eſt, utetur. Si non poterit, negabit oportere quidquam, niſi quod ſcriptum ſit, conſiderare: multis de ſimilibus rebus in unamquanque rem tantum eſſe, ſingulas leges omnia poſſe inter ſe uel ſimilia. demonſtrat locos communes à ratiocinatione oportere: coniectura ex eo quod ſcriptum ſit, ad id quod non ſit ſcriptum peruenire, & neminem poſſe omnes res per ſcripturam amplecti, ſed eum commodiſſime ſcribere, qui curet ut quædam ex quibuſdam intelligantur. Contra ratiocinationem, huiuſmodi coniecturam diuinationem eſſe, & ſtulti ſcriptoris eſſe, non poſſe de omnibus rebus cauere quibus uelit. Quæritur quid in rebus maioribus, aut minoribus, aut ſimilibus ſcriptum aut iudicatum ſit.] Quæretur ſubaudi, aut ab eo qui ratiocinatione innitetur, aut ab eo qui ratiocinationem infirmabit: ſed quo pacto ſuis uterque locis utatur, ipſo Cicerone docente iam oſtendimus. Deinde utrum ea res ſimilis ſit ei rei de qua agitur, an diſſimilis.] Quod ſi is qui ratiocinationi locum nullum dat, inſpiciat, ſi ſimile uideat, non id aliqua lege ſancitum: ſin diſſimile, an aliquo ex his quæ iam memorauimus, differre uideatur, quo ualidius id poſſit infirmare. Vtrum conſulto.] Vtrum dedita opera prætermiſerit, quod intelligi per ſe poterat: an quod cauere, hoc eſt, prouidere de ea re factu idoneum non ſatis cenſuerit, & qui defendet ratiocinationem, & qui eam infirmabit, hoc ad ſuæ cauſæ commodũ reuocabit. Quod ſatis cautum putarit, propter cæterorum ſcriptorum multitudinem, hoc qui ratiocinationem inducet, affirmabit, ut dicat non opus fuiſſe de ea re quenquam ſcribere, quãdo quidem cæterorum multitudo ſcribẽtium hoc dixiſſe, ob ea quæ ſcripſit, ſatis uiſa ſit. Sanè inter omnes ſtatus legitimos, præter tranſlationem, quam ſtatum non eſſe ſupra oſtendimus, quadã cognatio eſt. Nam & in definitione quæ ſit uoluntas nominis quæritur, et in ratiocinatione quid ſibi uoluerit ſpectatur, et ex contrariis legibus duos eſſe ſcripti & uoluntatis ſtatus apparet. Rurſum & definitio quodammodo eſt ambiguum, quæ amphibologia nominatur, cum in duas partes intellectus nominis diducatur. Scriptum & uoluntas habet in uerbis uocis quæſtionem, quod idem in contrariis legibus quæritur. Ob hanc cauſam non defuerunt, qui omnia hæc ſcriptum & uoluntatem eſſe dicerẽt, alij in ſcripto & uoluntate amphibologiam eſſe: ſed diſtincta ſunt. aliud enim eſt obſcurum ius, aliud ambiguum. Definitio igitur in natura ipſa nominis quæſtionem habet generalem, & eorum quæ circa cauſam eſſe poſſunt. ſcriptum & uoluntas de eo diſputat uerbo, quod non eſt in lege: at ratiocinatio, de eo quod non eſt. Amphibologiæ lis in diuerſum trahitur. legum cõtrariarum ex diuerſo pugna eſt. Hæc à doctiſſimis, neque immerito, recepta differentia eſt, & apud plurimos & prudentiſſimos etiam durat.

DE IVRIDICIALI ABSOLVTA.

a

Bſoluta iuridiciali conſtitutione utemur.] Iuridicialis eſt, ut ipſe in ſecundo de Inuentione inquit, in qua æqui & iniqui natura, & præmij aut pœnæ ratio quæritur. Huius partes ſunt duæ, quarum alteram abſolutã, aſſumptiuã alterã nominamus. Abſoluta eſt, quæ ipſa in ſe recti et nõ recti quæſtionẽ continet. Ea eſt huiuſmodi. Cum Thebani Lacedæmonios bello ſuperauiſſent, & ferè mos eſſet Graijs, cũ inter ſe bellũ geſſiſſent, ut hi qui uiciſſent, trophæũ aliquod in finibus ſtatuerent, uictoriæ in præſentia declarandæ cauſa, nõ ut in perpetuũ belli memoria maneret, æneum ſtatuerunt trophæum: accuſantur apud Amphictyonas, id eſt, apud commune Græciæ cõciliũ. intẽtio eſt, nõ oportuit. depulſio eſt, oportuit. quæſtio eſt, oportuerit'ne? Ratio eſt: Eam enim ex bello gloriam uirtute peperimus, ut eius æterna inſignia poſteris noſtris relinquere uellemus.

uellemus. Informatio eſt: attamen æternum inimicitiarum monumentum, Graios de Graijs ſtatuere nõ oportet. Indicatio eſt: cum ſumma uirtutis concelebranda cauſa, Graij ſimul æternũ inimicitiarum monumentum ſtatuerint, recténe an ſecus fecerint. Hãc ideo rationem ſubiecimus, ut hoc cauſæ genus ipſum de quo agitur cognoſceretur. Nam ſi eam ſuppoſuiſſemus, qua fortaſſe uſi ſunt: non enim iuſte, neque pie bellum geſſiſtis: in rationem criminis delaberemur. de qua poſt loquemur. Inde poſt paulum ſubiungit: Locos autem communes, & ex cauſa ipſa, ſi quid inerit indignationis aut conqueſtionis, & ex iuris utilitate & natura multos & graues ſumere licebit, & oportebit, ſi cauſæ dignitas uidebitur poſtulare. Sine ulla aſſumptione.] Cõtraria defenſionis, ut extrinſecus nihil aſſumas, quo tua cauſa probabilior fiat: ut ſi dicas, licuit Miloni Clodium occidere, quando & Clodius ei parauit inſidias. Conſtat igitur ex his partibus natura.] Natura ius eſſe ueteres, referente Cicerone, dixerunt, quod nobis non opinio, ſed quædam nata uis afferat, ut religionem, pietatem, gratiam, uindicationẽ, obſeruantiã, ueritatem, religionem eam quæ in metu & in cerimonijs deorũ fuerit, appellarunt. pietatem, quæ erga patriam, aut parentes, aut alios ſanguine coniunctos, officium conſeruare moneat. gratiam, quæ in memoria & remuneratione officiorum & honoris & amicitiarum obſeruantiam teneat. uindicationem, per quam uim & contumeliam defendendo, aut ulciſcendo propulſamus à nobis & à noſtris, qui nobis cari eſſe debent, & per quam peccata punimus. obſeruantiam, per quam ætate, aut ſapientia, aut honore, aut aliqua dignitate antecuntes ueremur & colimus. ueritatem, per quam damus operam, ne quid aliter quàm confirmauerimus fiat, aut factum, aut futurum ſit. Ac naturæ quidem iura minus ipſa quæruntur ad hanc controuerſiam, quod neque in hoc ciuili iure uerſantur, & à uulgari intelligentia remotiora ſunt. ad ſimilitudinem uero aliquam, aut ad rem amplificandam ſæpe ſunt hæc inferenda. Lege.] Iura legitima legibus conſtant: leges ſunt, quæ populi iuſſu ſancitæ ſunt: ex legibus igitur iura legitima cognoſcere oportebit. Conſuetudine, iudicato, æquo & bono, pacto. Natura ius eſt, quod.] Conſuetudinis autem ius eſſe putatur, id quod uoluntate omnium ſine lege uetuſtas comprobarit: in ea autẽ quædam ſunt iura, ipſa iam certa propter uetuſtatem, quo in genere multa ſunt, & eorum multo maxima pars, ut inquit ipſe, quam prætores edicere conſueuerunt. Quædam autem genera iuris iam certa conſuetudine facta ſunt, quod genus iudicatum, par, pactum. Iudicatum eſt, de quo iam ante ſententiam alicuius, aut aliquorum conſtitutum eſt. Par, quod hic æquum & bonum Cicero uocat, eſt, quod in omnes æquabile eſt. Pactum eſt, quod inter aliquos conuenit, quod iam ita iuſtum putatur, ut iure præſtare dicatur. Initium ergo iuris, ab ipſa natura profluxiſſe manifeſtum eſt. Quædam autem ex utilitatis ratione, aut perſpicua nobis, aut obſcura aliquanto à natura quodammodo longius in conſuetudinem ueniſſe uidetur. Poſt approbata quædam à conſuetudine, aut à uero ipſo utilia uiſa, legibus firmata eſſe perhibentur. Conſtat igitur ius omne his tribus, natura, deinde conſuetudine, quæ naturam ſequitur ducem poſtremo lege, quæ iam conſuetudine aut uero firmatur. ſed ipſam conſuetudinem ita diuiſit, ut eius partes, iudicatum, æquum & bonum & pactum eſſe dixerit. Cognationis aut pietatis cauſa obſeruatur.] Cognationis, affinitatis: pietatis, quam erga deum & parentes habemus. Aeque ac ſi legitimum ſit.] Perinde ac ſi legibus ſancitum ſit, uſurpatum eſt. Quod genus eſt.] In quo genere exemplum eſt. Id quod argentario tuleris expenſum.] Quod dinumeratum argentario dederis. nam expendebant omnem ueteres pecuniam potius quàm dinumerabant, unde libra, aſſis, talentum, & militum ſtipendia, hoc eſt, ſtipes ponderandæ, ut Plinius inquit, appellantur: & penſatores libripendes dicti. A ſocio eius recte repetere poſſis.] Hoc eſt, nihil obſtat, quin quam expenſam argentario pecuniam dederis, ſi is cui dinumeraueris eam pecuniam nominatur, aut quoquo modo abſit, tibi reddi repoſcas ab alio qui tunc eius fuerit ſocius, cum eam concredidiſti pecuniam. Vt decretum.] Vt id de quo, cum in controuerſia eſſet, iam lata ſententia ſit. Interpoſitum.] Quod inſertum ad ſupplementũ alicuius ſcripti eſt, de quo quæreretur, ne amplius in quæſtionem ueniat. Iudici aut prætori.] Veteres, ut tam Varro quàm Aſconius Pedianus dicit, omnem magiſtratum cui pareret exercitus, prætorem à præeundo appellauerunt. unde Lucilius. prætor eſt, ergo præire oportet. Vnde & prætorium, & præfectus prætorio. Aut conſuli.] Conſul nominatus, quod conſuleret populum & ſenatum, cum quidpiam tranſacturus eſſet: unde Accius in Bruto, qui recte cõſuluerat. Aut tribuno plebis.] Quia & tribuni erant militum: Tribuni, quod iura tribuerent plebi, id eſt, plebẽ defenderent. Nã cũ ob truculentiſſimas olim inter patricios & plebeios ſeditiones plebs armata, maximo cũ terrore nobiliũ in Auentinũ, & ut alij placet in Sacrũ collẽ ſeceſſiſſet, inde prius abduci nõ potuit, quàm ad fauorẽ ſui tribuni plebis primi crearẽtur. Decreuerit.] Quod lite caruerit. Aut iudicauerit.] Quod in controuerſiam uenerit. M. Druſus prætor urbanus cũ in heredẽ mãdati ageretur, iudiciũ reddidit.] Reddidit in heredẽ contra heredẽ iudiciũ mandati parentis, aut alterius, cuius fuerat heres: hoc eſt, cũ herede ſibi conſtituto quidã in teſtamento mandaſſet quid fieri uellet, & heres facere recuſaret, contra ipſum Druſus iudicauit, quod Sextus Iulius Cæſar conſul in bello ſociali deſignatus facere noluit. In ſcena ubi poemata publice recitabantur nominatim.] Nomine ſuo eum appellando, non prænomine aliquo eum honorando. Iudex cũ iudice.] Vter eorũ ſit clarior. Tẽpus cum tempore.] Quod alio tempore licuiſſe poterit, alio minime. Numerũ cũ numero iudiciorum.] Vtri plura iudicia adiecta ſint proferemus. Ad ueritatẽ & utilitatem cõmunẽ.] Quod æqualiter apud omnes uere & utiliter enunciari poteſt. Vt maior ſexaginta annis, & cui morbus cauſa eſt, cognitorẽ det.] Senſus eſt, ut qui ſexaginta annos iam exceſſerit, ſi aduerſa ualetudine correptus ſit, in exitus iudicij familiariſſimum aliquem, quem cognitorẽ dicimus, ut paulo ante oſtendimus, pro ſe dare poſſit, qui cauſæ ſuæ præſit. Nouũ genus conſtitui conuenit.] Si id ante ea cautũ non ſit. Ex tempore.] Sine temporis ulla mora: uel certe ex eo tempore, quo id fieri conuenit. Et ex hominis dignitate.] Vt hominis dignitatis ratio habeatur. Si quid inter ſe pepigerunt.] Pepigi non minus anomalũ eſſe, quàm memini, odi, & cœpi, quidam, ſicut Phocas, putauere Grammatici. quod pango, ut Diomedes inquit, pegi & panxi præteritũ mittat: paciſcor autem, pactus ſum. Quintilianus igitur poſitionẽ huius uerbi primam Pago fuiſſe putat: unde ſecundũ analogiã pepigi præteritũ, qui ita reliquit: Memoria repeto conuictos à me qui reprehenderant, qui hoc uerbo uſus eſſem pepigi. nã id quidẽ dixiſſe ſummos auctores confitebantur, rationem tamen negabant permittere, quia prima poſitio paciſcor, cum haberet naturam patiendi, faceret tempore præterito pactus ſum, nos præter auctoritatem oratorum atque hiſtoricorum, analogia quoque dictum tuebamur. Nam cum legeremus in duodecim tabulis, NI ita pagũt, inueniebamus, ſimile huic cadunt. Inde prima poſitio etiamſi uetuſtate exoleuerat, apparebat, Paco, ut Cado: unde non erat dubium, nos pepigi ſic dicere, ut cecidi. Si quid inter ſe pepigerint.] Legimus & cum ablatiuo: ut ſi dicas, Pepigi hac re. Catullus:

Quo pepigere uiri, pepigerunt ante parentes.

Et cum accuſatiuo & ablatiuo, ut Pepigi hanc rem decem nũmis. Plautus in Bacchidibus: Ducentis philippis rem pepigi.

& paciſcor, ut in eadem comœdia: Paciſci cum illo paula pecunia potes Hemila, paciſcere ſi potes, perge obſecro, paciſcere quiduis. Rem ubi pangunt, oratione pangunt.] Hoc eſt, ubi rem pactis firmant, orationem quoque inter ſe pactis roborant: ut, quoties dixeris aut ſcripſeris, hoc uel illud faciã, modo iubeas, uel ſimile aliud. In comitio, aut in foro ante meridiem cauſam conijcito.] Et hoc pactum eſt. Comitium, ut Varro inquit, ab eo quod illic coibat populus, aut creandarum dignitatũ, aut litium cauſa. Hinc Plautus in Curculione: Qui periurũ cõuenire uult hominem, mitto in comitium. Aut in foro.] Forum, ut idem inquit, quo conferrent ſuas cõtrouerſias: et quo, quæ uendere uellent, ferrent, forum appellarunt. Nec nos præterit, Feſtum Pompeiũ ſex modis accipi forũ poſſe ſcripſiſſe. Cauſam conijcito.] Iudicato, conie ctura quid tenendum ſit conſequitor, ac inde iudicato. hoc modo ſomniorum coniectores nominamus, qui, quid ſomnia portendant, coniectura conſequentes, dijudicant. Sunt item pacta quæ ſine legibus obſeruantur, ex conuentu, quæ de iure præſtare dicuntur.] Senſus eſt, ſunt inita inter aliquos ex ſolo cõuentu pacta, quæ licet nullis ſint legibus obnoxia, obſeruantur tamen, & dicuntur iure ipſa ualere, ut nunc loquimur. Ex conuentu.] Conuentus, inquit Feſtus Pompeius, quatuor modis intelligitur. Vno, cũ quẽlibet hominem ab aliquo conuentum eſſe dicimus. Altero, cum ſignificatur multitudo ex compluribus generibus hominum contracta in unum locum. Tertio, cum à magiſtratibus iudicij cauſa populus congregatur. Quarto, cum aliquem in locum frequẽtia hominum ſupplicationis aut gratulationis cauſa colligitur. Sed hic Ex conuentu, ex mentis uerborumq; conuenientia quadam, & ut ita dicam, concordantia. Præſtare.] Vt nũc uulgus loquitur, ualere dicuntur. His igitur partibus iniuriã demonſtrari.] Si contra ius naturæ, legis, aut conſuetudinis fecerimus. Ius confirmari.] Si ab his partibus, quas memorauimus non ſit alienum. Denique in Rhetoricis de Inuentione: Locorum autem, inquit, communium, quoniam duo genera ſunt, quorum alterum dubiæ rei, alterum certæ continet amplificationem, quid ipſa cauſa det, & quid augeri per cõmunẽ locũ poſſit, & oporteat, cõſiderabitur. Nã certi, qui in omnes incidant, loci perſcribi non poſſunt. In pleriſque fortaſſe ab auctoritate iuriſconſultorum, & contra auctoritatem dici oportebit. Attendendum autem & in hac, & in omnibus, num quos locos communes præter eos quos nos expoſuimus, ipſa res oſtendat.

DE COMPARATIONE.

c Vm ex comparatione quæritur.] Iuriſdicialem conſtitutionem ſupra ita diuiſimus, ut eius partes, abſolutam & aſſumptiuam quæſtionẽ eſſe diceremus. quam noſtri abſolutam, Hermagoras κατὰ διάνοιαν. quam noſtri aſſumptiuam, Græci κατατιθέμενον nominarunt. Abſoluta eſt, cum iure factum ipſum defenditur. quapropter & iuris partes eſſe cognoſcendas diximus. Aſſumptiua autem eſt, cum factum per ſe non probabile eſt, aſſumptis autem extrinſecus auxilijs id tuemur. Huius ſunt partes quatuor: Comparatio, relatio criminis, remotio criminis, conceſſio criminis. Comparatio eſt, cũ aliquid factum, quod per ſeipſum non ſit probandum, ex eo cuius id cauſa factum eſt, defenditur. ea eſt huiuſmodi: Quidam imperator cum ab hoſtibus obſideretur, neque effugere ullo modo poſſet, pactus eſt cum hoſtibus, ut arma & impedimenta relinqueret, milites educeret. Itaq; fecit, armis & impedimentis amiſſis, præter ſpem milites conſeruauit. accuſatur maieſtatis. Huc incurrit definitio. Sed nos hunc locum, de quo agimus, conſideremus. Intentio eſt, non oportuit arma & impedimenta relinquere: Depulſio eſt, oportuit: Quæſtio eſt, oportuerit'ne: Ratio eſt, milites enim omnes periſſent: Infirmatio eſt, aut coniecturalis, non periſſent: aut altera coniecturalis, non ideo feciſti. ex quibus iudicationes, periſſent'ne, & ideo'ne feceris. aut hæc comparatiua, cuius nunc indigemus: At enim ſatius fuit amittere milites, quàm arma & impedimenta concedere hoſtibus. ex qua iudicatio naſcitur, Cum omnes milites perituri eſſent, niſi ad hanc pactionem ueniſſent, utrum ſatius fuit amittere milites, an ad hanc conditionem uenire. Vtrum ſatius fuerit.] Vtrum id quod uerbi cauſa dicat Imperator feciſſe, cum impedimenta hoſtibus reliquerit, aut quod eum accuſans dicat, ut potius milites occumbere oportuerit, quàm id pactum inire cum hoſtibus. Ex contentione.] Ex ea controuerſia, quæ inter hos fuerit. Conducibilius.] Quod plus conducere, hoc eſt, utilitatis adferre potuerit. Vtrum'ne oportuerit iudicare.] Vt hoſtibus impedimenta relinquerent. An aliorum fuerit utilius ſtatuendi poteſtas.] Vt potius hoc alij iudicare debuerint, ne ipſe timore perculſus, effugere periculum uideretur. Interponetur ab accuſatore ſuſpicio.] Vt dicat ſuſpicari poſſe, ab hoſtibus munera eum ſuſcepiſſe occulta: & ne ea ſuſcepiſſe uideretur, impedimenta reliquiſſe. Quod melius ut præmia conſequeretur.] Cum adhuc dubium bellum traheretur. Deteriori anteponeretur.] Ne dedecus cum damno ſubiret. Sed dolo malo.] Negotium geſtũ dolo, malitia. Sunt enim media uerba, tempeſtas, ualetudo, facinus, dolus, malitia, gratia, induſtria, periculum, uenenum, contagium, & honos, teſte Gellio. Hæc enim ferè uulgatum eſt, ancipitia eſſe, & utroqueuerſus dici poſſe. Sed dolus à Græcis, à Latinis, ut opinor, malitia, quæ bona & mala eſt. unde Plautus in Aulularia: Senex eſt, ſine omni mala malitia. Deinde quæretur, potuerit'ne uitari, ne in eum locũ ueniretur.] Subaudiendũ, ne ab hoſtibus obſideretur. Refelletur argumentatio coniecturalis.] Vt dicat ſe aliter facere non potuiſſe, quo minus ſubiret periculũ. Quid inutile.] Quod impedimenta hoſtibus reliquerit. Vtili præpoſuerit.] Quod conſequi de hoſtibus potuerit uictoriam, cũ ſtatuendi non habuerit poteſtatẽ: ut optionẽ ſibiipſe præſcripſerit, potius quàm ſenatus expectarit conſilium. Contra eos.] Subaudiendũ, dicet. Rem pernicioſam.] Quæ futura erat, niſi ad pactionẽ deſcẽdiſſet, cũ periculum eſſet ne exercitũ amitteret. Et tempus.] Quo id fecit. Locũ.] Quo obſidebatur ab hoſtibus. Rem.] Quantũ immineret periculum, ni id effeciſſet. Deliberationem ſuã.] Quid ſecum ipſe ſtatueret. In libro de Inuentione: Loci communes, inquit, inerunt accuſatoris in eum qui cum de facto turpi aliquo, aut inutili, aut in utrunque fateatur, quærat tamen aliquam defenſionem, & facti inutilitatem aut turpitudinem cum indignatione proferre. Defenſionis eſt, nullum factum, neque turpe, neque inutile, neque honeſtum putari oportere, niſi quo animo, quo tempore, qua de cauſa factum ſit intelligatur: qui locus ita communis eſt, ut bene tractatus, in hac cauſa magno ad perſuadendum momento futurus ſit. Et alter locus, per quem magna cũ amplificatione beneficij magnitudo ex utilitate, aut honeſtate, aut facti neceſſitudine demonſtratur: ut tertius, per quẽ res expreſſa uerbis, ante oculos eorum qui audiunt ponitur: ut ipſi ſe quoque idem facturos fuiſſe arbitrentur, ſi ſibi illa res, atque ea faciendi cauſa per idem tempus accidiſſet.

DE TRANSLATIONE CRIMINIS.

t Ranſlatio criminis eſt.] Tranſlatio criminis, inquit ipſe alibi, eſt, cum reus id quod arguitur, confeſſus, alterius ſe inductum peccato iure feciſſe demonſtrat. ea eſt huiuſmodi: Horatius tribus Curiatijs, & duobus amiſſis fratribus, domum ſe uictor recepit. Is animaduertit ſororem ſuam de fratrum morte non laborantem: ſponſi autem nomen appellantem identidem Curiatij, cũ gemitu & lamentatione, indigne paſſus, uirginẽ occidit. accuſatur. Intẽtio eſt, iniuria ſororẽ occidiſti. Depulſio eſt, iure occidi. Quæſtio eſt, iure'ne occiderit:

occiderit: ratio, illa enim hoſtium mortem lugebat, fratrem negligebat me, & populum Rom. uiciſſe moleſte ferebat. Infirmatio eſt, tamen à fratre indemnatam necari non oportuit. ex qua iudicatio fit: Cum Horatia mortem hoſtium lugeret, fratris & populi Ro. uictoria non gauderet, oportuerit'ne eam à fratre indemnatam necari. Vere'ne in alterum.] Vt, iure'ne potuerit Horatius ſororem occidere, quod mariti lugeret mortem, potius quàm de uictoria fratris exultaret. Spectandum eſt, num æque magnum illud peccatum quod in alium transferatur.] Num æquale crimen ſit ſororis, quod de fratris populiq; Rom. uictoria eſt, fratris crimini, qui eam occidit. Ac illud.] Ordo eſt, num æque magnū atque illud, id eſt, quàm illud. quod reus commiſerit. Sumpſiſſe dicatur de alio.] Vt cū in ſororem animaduertit. Oportuerit'ne in ea re peccare, in qua ante alius peccauerit.] Verum ante alius peccauerit, ſi afferat exemplum de aliquo, qui ſimile crimen commiſerit, & tamen ſit abſolutus, aut certe, quod ſi etiam mulier in ea re deliquerit, num debuerit tum ob hoc ipſe deliquiſſe? Deinde oportuerit'ne iudicium ante fieri.] Subaudiendū, quàm hæc mulier occideretur: quo an mori nec ne debuerit, prius diſceptaretur. Deinde factum iudicium non ſit, & quæ ſequuntur.] Senſus eſt, uerum ſicut de crimine ſororis Horatij factum nullum iudicium eſt, ita de fratris in ſororem crimine faciendum nullum iudicium ſit: an ita hic ſine iudicio puniendus ſit, ſicut & illa ſine iudicio punita eſt. Qui plus cenſeat uim.] Quā ſorori intulit. Quàm iudicia.] Quæ ſequi debuit. Percuntabitur accuſator.] Subaudi, iudices. Quod eos feciſſe dicat.] Quod ſcilicet accuſator idem facere uoluiſſet. Ordo uerborum eſt, & ſenſus: percuntabitur iudices accuſator, quid futurum erat, ſi ipſe uoluiſſet facere idem, quod dicat feciſſe eos, ſubaudi, quos accuſat. Eorū in quo.] Animaduerſum ſit. & eſt ordo, Defenſor proferet atrocitatem peccati eorum in quos transfertur crimen. Rem, locum, tēpus.] Vbique ſubaudiendū, ponet ante oculos. Rem.] Amplificando. Locum.] Vt in propatulo, quo ad mariti cædem aliorum exciret lachrymas, uel, quiduis ſimile. Tempus.] Vt noctu, quo crimini facile exaudire poſſent. Aut non poſſe.] Ne ſi dilatum ſit tempus, periculum ex hoc aliquod immineat. Aut inutile.] Nullam ex hoc futuram reipub. utilitatem. Alibi hunc locum tractans: Locus, inquit, communis accuſatoris in eum, qui cum id quo arguitur negare non poſſit, tamen aliquid ſibi ſpei comparet ex iudiciorū perturbatione. atque hic utilitatis iudiciorum demonſtratio, & de eo conqueſtio, qui ſupplicium dederit indemnatus, in eius autem qui ſuſcepit audaciam & crudelitatem indignatio: à defenſore eſt, in eius quem ultus ſit audaciam ſui conqueſtione rem, nō ex nomine ipſius negotij, ſed ex conſilio eius qui fecerit, & cauſa & tempore conſiderari oportere. quid mali futurum ſit, aut ex iniuria, aut ex ſcelere alicuius, niſi tanta & tam perſpicua audacia ab eo, ad cuius famam, aut ad parentes, aut ad liberos pertinuerit, aut ad aliquam rem caram omnibus, ut neceſſe ſit, & ut oporteat, fuerit iudicata.

DE CONCESSIONE.

Onceſſio eſt.] In ſecundo de Inuentione. Conceſſio, inquit, eſt, per quam non factum ipſum improbatur ab reo: ſed ut ignoſcatur, id petitur. cuius partes ſunt duæ, purgatio & deprecatio. Purgatio eſt, per quam eius qui accuſatur, non factum ipſum, ſed uoluntas defenditur. ea habet tres partes, imprudentiam, caſum, neceſſitudinem. Imprudentia eſt, cū ſciſſe aliquid is, qui arguitur, negat. ut, apud quoſdam lex erat, ne quis Dianæ uitulum immolaret. nautæ quidam cum aduerſa tempeſtate in alto iactarentur, uouerunt, ſi eo portu quem conſpiciebat potiti eſſent, ei deo qui ibi eſſet, ſe uitulum immolaturos. caſu erat in eo portu fanū Dianæ, eius cui uitulum immolare non licebat. imprudentes legis, cum exiſſent, uitulum immolauerunt: accuſantur. Intentio eſt, uitulū immolaſtis deo cui non licebat. Depulſio eſt in conceſſione poſita: ratio eſt, neſciui non licere. Infirmatio eſt, tamen quoniam feciſti quod non licebat, ex lege ſupplicio dignus es. Iudicatio eſt, cum id fecerit, quod non oportuerit, & id non oportere neſcierit, ſit'ne ſupplicio dignus. Caſus autem infertur in conceſſionem, cum demonſtrabitur aliqua fortunæ uis uoluntati obſtitiſſe: ut in hac. Cum Lacedæmonijs lex eſſet, ut hoſtias niſi ad ſacrificium quoddam redemptor præbuiſſet, capitale eſſet. Hoſtias is qui redemerat, cum ſacrificij dies inſtaret, in urbem ex agro cœpit agere. Tum ſubito magnis commotus tempeſtatibus fluuius Eurotas, is qui propter Lacedæmonem fluit, ita magnus & uehemens factus eſt, ut eò traduci uictimæ nullo modo poſſent. Redemptor ſuæ uoluntatis oſtendendæ cauſa, hoſtias conſtituit omnes in littore, ut qui trans flumen eſſent, uidere poſſent. Cum omnes ſtudio eius ſubitam fluminis magnitudinem ſcirent fuiſſe impedimento, tamen quidam capitis accerſerunt. Intentio eſt, Hoſtiæ, quas debuiſti ad ſacrificium, præſto non fuerunt. Depulſio eſt, cōceſſio primum, tum ratio, flumen enim ſubito accreuit, & ea re traduci non potuerunt. Infirmatio, tamen quoniam quod lex iubet factum non eſt, ſupplicio dignus eſt. Iudicatio eſt, cum in ea re contra legem redemptor aliquid fecerit, qua in re ſtudio eius ſubita fluminis obſtiterit magnitudo, ſupplicij dignus'ne ſit. Neceſſitudo autem infertur, cum ui quadā reus id quod fecerit, feciſſe defenditur: hoc modo. Lex eſt apud Rhodios, ut ſi qua roſtrata in portu nauis deprehenſa ſit, publicetur. Cum magna in alto tempeſtas eſſet, uis uentorum inuitis nautis in Rhodiorum portum nauem coegit. quæſtor nauem populi uocat. nauis dominus, negat oportere publicari. Intentio eſt, Roſtrata nauis in portu deprehenſa eſt. Depulſio, conceſſio, ratio, ui & neceſſario ſumus in portum coacti. Infirmatio eſt, Nauem ex lege tamen populi eſſe oportet. Iudicatio eſt, cum roſtratam nauem in portu deprehenſam lex publicarit, cumq; hæc nauis inuitis nautis ui tempeſtatis in portum cōiecta ſit, oporteat'ne eam publicari. horum trium generum idcirco in unum locum cōtulimus exempla, quod ſimilis in ea præceptio argumentorum traditur. Nuper culpam.] Subaudiendum eius qui accuſatur. Ventum ſit in neceſſitudinem.] Ad id ut neceſſario facere cogeretur. Et neceſſitudo & neceſſitas dicitur, niſi quod neceſſitudo ad affinitatem plerunque refertur. Num culpam ueniendi neceſſitudo fecerit.] Hoc eſt, num huiuſmodi fuerit neceſſitudo, ut culpam ſequi oportuerit. uelut de eo cuius nauis in Rhodiorum portum delata eſt, ſi nauim aliorſum uertiſſet, potuerit effugere, ne in eum portum decurreret. Eſt ordo, num neceſſitudo ueniendi, ſubaudiendū, quod uenit, fecerit culpam. Num quæ ſuſpiciones.] Num quid aliquæ ſuſcitari ſuſpiciones poſſint, ob quas in eum portum conuehi maluerit, oſtendatur. Conueniat'ne eam ſatis idoneam cauſam putari.] Subaudiendum, quæ id facere compulerit, nec quouis modo euitari potuerit. Verum potuerit ſcire, an non potuerit: deinde utrum data ſit opera ut ſciretur, aut non. deinde utrum id noluiſſe ſcire uideatur. Caſu neſcierit.] Quod ita acciderit, ut neſciret. An culpa: nā qui ſe propter uinum, aut amorem, aut iracūdiam fugiſſe rationem dicet, is animi uitio uidebitur neſciſſe, non imprudentia.] Quod id ſcire non uehementer elaborarit. Quare nō imprudentia ſe defendat.] Quandoquidem mentis morbo, qui ex propria effluxerat culpa, purgare ſe contendet: ſed nequidquā. culpa enim contaminabitur. Deinde coniecturali conſtitutione quæretur.] Inquinabitur culpa, quando ex proprio commiſſa uitio eſt. Verū ſcierit an ignorauerit, & cōſiderabitur, ſatis'ne in imprudentia.] Coniectura conſequi enitemur.

Satiſ'ne in imprudentia præſidij debeat eſſe.] Nam quòd imprudentia ſe lapſum quiſpiam dicat, ob hoc euadere iudiciũ debeat, cum factũ fuiſſe conſtiterit. Etenim omnes hæ tres.] Vt locos quos enumerauimus tribus illis partibus poſſimus accõmodare. Tamen oratione iudices remoretur.] In mora teneat, quo minus iudicationem efferant. Quæ conſulto facta non ſunt, in eius fraudem eſſe non oportere.] Qui debita opera non fecerint, quando in eis fraus nulla ſit quo puniri debeant, non haberi perinde ac ſi peccarint, quando nullus ſit, qui hoc pacto aliquando non delinquat: & homines quod ſibi fieri uelint, alijs facere debere. Alibi: Loci autem, inquit ipſe, communes accuſatoris in confeſſionem quanta poteſtas peccandi relinquatur, ſi ſemel inſtitutum ſit: ut non de facto, ſed de facti cauſa quæratur: defenſoris cõqueſtio eſt calamitas eius, quæ nõ culpa, ſed ui maiore quadã acciderit: & de fortuna poteſtate & hominũ infirmitate, & uti ſuum animũ, non euentũ conſiderent. In quibus orationibus conqueſtionem ſuarum ærumnarum, & crudelitatis aduerſariorum indignationem ineſſe oportebit: ac neminem mirari cõueniet, ſi aut in his, aut in alijs exemplis ſcripti quoque controuerſiam adiunctam uidebit. In his exemplis conceſſionis ineſt omnibus ſcripti controuerſia ea, quæ ex ſcripto & ſententia nominatur.

DE DEPRECATIONE.

Deprecatione utemur.] Deprecatio eſt, in qua non defenſio facti, ſed ignoſcendi poſtulatio in iudicio probari poteſt. Quare ut & ipſe dicit, ſi pro aliquo claro & forti uiro dicendum ſit, cuius in rempub. multa ſint beneficia, uti deprecatione ad hunc modum licebit. Quod ſi iudices hic pro ſuis beneficijs, pro ſuo ſtudio, quod in uos ſemper habuit, multorum ſuorũ recte factorum cauſa uni delicto ut ignoſcatis poſtulat, dignum ueſtra manſuetudine, dignũ uirtute huius eſt iudices, à uobis hanc rem hoc poſtulante impetrari. deinde augere beneficia licebit, & iudices per locum communem ad ignoſcendi uoluntatem deducere. Oportebit igitur, inquit ipſe in ſecundo de Inuentione, eum qui ſibi ut ignoſcatur poſtulabit, commemorare, ſi qua ſua poterit beneficia, & ſi poterit oſtendere ea eſſe maiora quàm hæc quæ deliquerit, ut plus ab eo boni quam mali profectum eſſe uideatur: deinde maiorum ſuorum beneficia ſi qua extabunt proferre, deinde oſtendere non odio neque crudelitate feciſſe quod fecerit, ſed imprudentia aut impulſu alicuius, aut ab aliqua honeſta aut probabili cauſa: poſtea polliceri & confirmare, ſe & hoc peccato doctum, & beneficiorum eorum qui ſibi ignoſcerent confirmatum. omni tempore à tali ratione obfuturum: deinde ſpem oſtendere, aliquo ſe in loco magno, his qui ſibi conceſſerint, uſui futurum. Poſtea ſi facultas erit, ſe aut conſanguineum, aut iam à maioribus, aut in primis amicum eſſe demonſtrabit, & amplitudinem ſuæ uoluntatis, nobilitatem generis, eorum qui ſe ſaluum uelint dignitatem oſtendere, & cætera ea quæ perſonis ad honeſtatem & amplitudinem ſunt attributa, cum conqueſtione ſine arrogantia in ſe eſſe demonſtrabit, ut honore potius aliquo, quàm ullo ſupplicio dignus eſſe uideatur. Deinde cæteros proferre, quibus maiora delicta conceſſa ſint. Ac multum proficiet, ſi ſe miſericordem in poteſtate, propenſum ad ignoſcendũ fuiſſe oſtendet. Atque ipſum illud peccatum erit extenuandum, ut quàm minimum obfuiſſe uideatur: & aut turpe, aut inutile demonſtrandum, tali de homine ſupplicium ſumere. Aduerſarius autem malefacta augebit, nihil imprudenter, ſed omnia ex crudelitate & malitia facta dicet, ipſum immiſericordem, ſuperbũ fuiſſe: & ſi poterit, oſtendet ſemper inimicum fuiſſe, & amicum nullo modo poſſe. Si beneficia proferet, aut aliqua de cauſa facta, non propter beneuolentiam, demonſtrabit: aut poſtea odiũ eſſe hac re ſuſceptum, aut illa omnia maleficijs eſſe deleta, aut leuiora beneficia quàm maleficia: aut cum beneficijs honos habitus ſit, pro maleficio pœnam ſumi oportere. Videbuntur conſtare.] Subaudiendum, quæ accuſati fecerimus. In poteſtatibus.] Hoc eſt, ubicunque poteſtatem aliquis agendi quid uellet habuerit. Si ea quæ peccauit.] In quibus deliquiſſe per ſe, an per alios, ignotum, accuſetur. Alijs quoque ignotum eſt.] Verum ſcilicet ita ſit. Si eum miſſum fecerimus.] Si non damnemus. Ex ea re.] In qua deliquiſſe arguitur. Loci communes de humanitate.] Quod humanos ſe iudices debeant exhibere. Fortuna.] Vt huius fortunas reſpiciant, quando & ipſi in ſimile labi crimen aliquando poſſent. Miſericordia.] Quæ infelicibus habenda eſt. Rerum commutatione.] Ne ſi damnetur, aliquando ipſi luant pœnas iudices. Qui contradicet.] Qui accuſabit, contrarijs his quos enumerauimus utetur locis, enumerando in quibus deliquerit. Hæc cauſa iudicialis.] Hoc dicit, quanquam hæc cauſa in iudicijs uelut ſupra monuimus nõ uerſatur, tamen quia nonnunquam eſt in ſenatu, aut in concilio principis ſæpe tractanda, de hac præcepta dare non fuit alienum. Vel ad ſenatum, uel ad concilium.] Velut de Siphace diu deliberatum eſt, & de Q. Numitorio Pullo apud L. Opimium, & eius conſiliũ diu dictum eſt, & magis quidem in hoc ignoſcendi quàm cognoſcendi poſtulatio ualuit. Nam ſemper bono animo ſe in populum Ro. fuiſſe, non tam facile probabat, cũ coniecturali conſtitutione uteretur, ipſi ut propter poſterius beneficiũ ſibi ignoſceretur, cum deprecationem ſubiungeret. Locus autem, ut ipſe alibi inquit, communis erit indignatio maleficij. Et alter, eorum miſereri oportere, qui propter fortunam, non propter malitiam in miſerijs ſint, tamen id fortunæ factum oſtendere non queant. quod ſi fiat, erit purgatio, non deprecatio.

DE REMOTIONE CRIMINIS.

Cum à nobis crimen remouere uolemus, aut in rem, aut in hominem noſtri peccati cauſam.] Ipſius rei fit, ut etiam ipſe inquit alibi, remotio, cum id quod datur crimini, negat ad ſe neque ad officium ſuum reus pertinuiſſe. Nec ſi quid in eo ſit delictum, ſibi attribui oportere. Id cauſæ genus eſt huiuſmodi. in eo fœdere quod factum eſt quondã cum Samnitibus, quidam adoleſcens nobilis, porcam ſuſtinuit iuſſu imperatoris. Fœdere autem à Senatu improbato, & Imperatore Samnitibus dedito, quidam in Senatu, eum quoque dicitur qui porcam tenuerat, dedi oportere. Depulſio eſt: Nõ oportet: Quæſtio eſt, Oporteat'ne. Ratio eſt, Non enim meũ fuit officium, nec mea poteſtas, cum & id ætatis non habuerim, & cum priuatus eſſem, & eſſet ſumma cum auctoritate & poteſtate Imperator qui uideret, ut ſatis honeſtum fœdus feriretur. Infirmatio eſt, At enim quoniam tu particeps factus es, in turpiſſimo fœdere ſumma religionis dedi te conuenit. Iudicatio eſt, Cum is qui poteſtatis nihil habuerit, iuſſu Imperatoris in fœdere & in tanta religione interfuerit, dedendus ſit hoſtibus, nec ne. Aut in hominem noſtri peccati cauſam conferemus.] In quo hoc nobis exemplo ſit. Rhodij quoſdam legauerunt Athenas: legatis quæſtores ſumptum quem oportebat dari, non dedere. Legati profecti non ſunt. accuſantur. Intentio eſt, Proficiſci oportuit: Depulſio eſt, Non oportuit. Quæſtio eſt, Oportuerit ne. Ratio eſt: Sumptus enim, qui de publico dari ſolet, is à quæſtore non eſt datus. Infirmatio eſt, Vos tamen id quod publice uobis erat negotij datum, conficere oportebat. Iudicatio eſt: Cum his qui legati fuerant ſumptus, qui debebat, de publico non daretur, oportuerit'ne eos cõficere nihilominus legationem. Is in quem cauſa cõfertur.] Is in quem crimen transfertur, num tantum potuerit, ut id reum facere compellere potuerit. Potuerit obſiſtere ei.] In quem culpa transfertur, ne in id crimen reus ipſe incideret. Ita ſit.] Sicut reus refert.

Concedi

Concedi reo conueniat.] Quo pœnam ullam non ſubeat. *Et ediſſeretur.*] Diſputabitur. *Si cauſa in rem quandã conferetur.*] Diximus enim, criminis remotionem bipartito fieri. nam tum cauſa in alium quempiam hominem, tum in aliud quod in criminis cauſa fuiſſe oſtendemus, transferendo remouetur. *Quæ de neceſſitudine præcepimus.*] Subaudiendum, cum conceſſionis partes tractauimus. Hic communes erunt loci: accuſatoris, facti indignatio: ac ex ipſa re, ſi quid conqueſtionis habebit, ſumi oportebit. Defenſoris, cum in alio culpa ſit, aut in ipſo non ſit, ſupplicio reum affici non oportere. Hic Cicero conſtitutionum tractationem concludit. Sed in Partitionibus oratorijs ad filium, iuridicialem conſtitutionem ita primum partitus eſt, ut alteram partem æqui & boni ratione defendi dixerit, alteram ad uiciſſitudinem referendæ gratiæ pertinere dixerit. In beneficio autem gratiã, in iniuria punitionem dixit nominari. Idem in ſecundo de Inuentione, Iuriſdicialem cauſam, inquit, eſſe dicebamus, in qua æqui & iniqui natura, et præmij aut pœnæ ratio quæreretur. Deinde poſt paulum ſubiungit, nunc de præmijs conſideremus. L. Licinius Craſſus Conſul, quoſdam in citeriore Gallia nullo illuſtri neque certo duce, neque eo nomine neque numero præditos, ut digni eſſent qui hoſtes P. R. eſſe dicerentur, qui tunc excurſionibus & latrocinijs infeſtam prouinciam redderent, conſectatus eſt, & confecit. Romam redit, triumphum à Senatu poſtulat. hic & in deprecatione nihil ad nos attinet, rationibus & infirmationibus rationum ſupponendis, ad iudicationem peruenire, propterea quòd niſi alia quoque incidet conſtitutio, aut pars conſtitutionis, ſimplex erit iudicatio, & in quæſtione ipſa continebitur. In deprecatione, huiuſmodi: Oporteat'ne pœna affici. In hac huiuſmodi: Oporteat'ne dari præmium. Subiungit inde ad hanc conſtitutionem tractandam proprios & communes locos: quos qui ſcire uelint, ipſum in ſecundo de Inuentione illic legant. In hoc autem illud miratus ſum, quod cum ſe de præmio & pœna explicaturum prius pollicitus ſit, cum præmium expoſuerit, de pœna nullam prorſus fecit mentionem, niſi ex iiſdem locis è contrario comparatis pœnam uelit intelligi. quod multis rationibus, quas nunc referre ne longum faciam ſuperuacuum eſſe arbitror, nullo modo mihi perſuadeo. His autem iuriſdicialis conſtitutionis partibus, Quintilianus multorum opinione quantitatem ſubiungit. quē tamen raro tractari dicit, inquiens: Quantitas quoque plerunque etiam, ſi non ſemper, plerunque tamen rectè ſubiacet, ſeu modus eſt, ſeu numerus. ſed modus aliquando conſtat æſtimatione facti, quanta ſit culpa, quantum'ue beneficium: aliquando iure, cum id in cõtrouerſiam uenit, qua quis lege puniendus, uel honorandus ſit. Illa quoque quæ ex numero ducitur, pendet ex iure, an Thraſibulo triginta præmia debeantur. Licet hic mihi quæ pluribus ſupra explicauimus, quo omne quod diximus cognitu facilius uideatur, in breuem ſummam contrahere. Genus igitur rhetoricæ facultas eſt, cuius trinæ ſunt ſpecies: Demonſtratiua, quæ laude ac uituperatione cõſtat: Deliberatiua, quæ ſuaſione diſſuaſioneq; conficitur: Iudicialis, quæ intentione depulſioneq; conſiſtit. Demonſtratiuæ tempus præſens eſt, locus ubi totus coit populus, auditor ipſe populus. Deliberatiuæ tempus futurum, locus eſt Senatus, uel ubi qui Reipublicæ gubernandæ præſunt, coire conſueuerunt, qui & ipſi auditores. Iudiciali, tempus præteritum, locus forum, auditor iudex. Demonſtratiuæ finem honeſtatem quidã dixere. Sed alij non circa ſolam honeſti quæſtionem eſſe putarunt, qui uoluptatem adiecere. Deliberatiuæ finem utilitatem: ſed dignitatem alij etiam ſubiecerunt. Iudicialis finem iuſtum & æquum eſſe: ſed in omnibus ſpectandum apud quem quid aliquis ſit dicturus. Partes rhetoricæ quinque ſunt, Inuentio, Diſpoſitio, Memoria, Pronunciatio, Elocutio. Nam cum omnis oratio rebus & uerbis conſtet, in rebus intuenda inuentio, in uerbis elocutio eſt: in utraque autem, quam diſpoſitionem appellamus. quæ omnia complecti debet memoria: & actio, quæ uoce motuq; concinno corporis conſtat, debet commendare. Rhetorica materia, omne quod dicendo poſſit illuſtrari: quod omne aut demonſtratiuo, aut deliberatiuo, aut iudiciali genere comprehenditur. Materiæ partes ſunt, conſtitutiones. nullam enim orationem inuenias, quæ non conſtitutione aliqua conſtet. Eſt autem conſtitutio, quod potiſſimum in oratione eſſe oportet, ad quod omnia referuntur, ſiquidem & firmamentum, & iudicationem nihil aliud eſſe quàm conſtitutionem uideo. Nam cum ſit conſtitutio, id quod in controuerſiam uenit: & de eo quod in controuerſiam uenit quæſtio ſit, idq; & ratione firmetur & infirmetur firmamẽto, et de eodem de quo quæſtio eſt iudicetur, nullo modo diuerſa hæc mihi eſſe uidentur. Conſtitutionum uero genera aut in ſcripto ſunt legitimæ, aut extra ſcriptũ, quæ rationales conſtitutiones appellantur. Quæ in ſcripto ſunt, quinque modis fieri poſſunt. Vno, cum hic ſcriptum, ille defendit ſententiam: quæ conſtitutio ſcriptum & uoluntas nominatur. Alio, cum duæ inter ſe leges contrariæ ſunt. tertius modus, ambiguum: quartus ratiocinatio: quintus definitio nominatur. nec refert, ſi etiam in his ordinem hunc non tenueris. Tranſlationem autem, quam legitimarum conſtitutionum hic unam fecit, & quam alicubi quartam in ordine conſtitutionem numerauit, & de qua alibi nullam fecit mentionem, ſupra etiam conſtitutionem eſſe non poſſe oſtendimus. Aliarum uero conſtitutionum quæ rationales, quod in rerum ipſarum quæſtione poſitæ ſint, dicuntur. Prima eſt coniecturalis aut inficialis nominata, cum an ſit aliquid, in quæſtione poſitum eſt. Secunda, cum quid ſit quæritur, quia definiendum eſt, de quo quæritur, definitiua conſtitutio nominatur: quam Cicero, ſicut alibi, poſt coniecturalem conſtitutionem enumerauit: Ideo hic non poſuit quod in ligitimis definitiuam poſuerat. licet tamen inter ſe ita differant, ut quæ rationalis definitiua nominatur, ea rem quæ non ſit in ſcripto, quæ autem legitima, quod in lege ſcriptũ uerbum eſt, de quo ambigatur, definiat. Tertia rationalis conſtitutio, quæ qualitas appellatur, hic Iuriſdicialis à Cicerone nominatur, alibi generis, quam in negotialem et iuriſdicialem partitur. Negotialem Græci πραγματικὴν uocant. in hac de rebus ipſis quæritur, remoto perſonarum complexu. ut ſit'ne liber qui liber eſſe aſſeritur: an opes ſuperbiam pariant: an quod iuſtum eſt, idem bonum ſit. Iuriſdicialem, cui tamen in Topicis hoc nomen Cic. ueretur tribuere, dicunt, in qua ferè eadem, ſed certis deſtinatiſq; perſonis quæruntur: An ille iuſte hoc fecerit, uel bene. Cicero autem negotialem ſecus definit, quippe qui inquit: Negotialis, in qua quid iuris ex ciuili more & æquitate ſit, conſideratur. cui diligentiæ præeſſe apud nos iuriſconſulti exiſtimantur. Vt ſit, ueluti Cicero ſentit, Iuriſdicialis de præterito ſemper, negotialis ſemper de futuro. quod Quintilianus improbat, cum ita ſcriptum reliquit: Sed quod ipſius de his libris iudicium fecerit, ſupra dixi: ſunt enim uelut regeſta in hos cõmentarios quos adoleſcens deduxerat ſcholæ, & ſi qua eſt in his culpa, tradentis eſt, ſiue eum mouit id quod Hermagoras prima in hoc poſuit exempla ex quæſtionibus iuris, ſiue quod Græci πραγματικοὺς uocant iuris interpretes. Sed Cicero quidem his pulcherrimos illos de Oratore ſubſtituit: ideoq; culpari tãquam falſa præcipiat, non poteſt. Iuriſdicialem Cicero ita definit. Iuriſdicialis eſt, in qua æqui & recti natura, aut præmij aut pœnæ ratio conquiritur. Alij ſic definiunt: Iuriſdicialis eſt, in qua æqui & recti, iniqui'ue aut iniuſti natura, aut præmij aut pœnæ, aut utriuſque quantitatis ratio quæritur. Iuriſdicialis quidem ipſa in duas diſtribuitur omnium conſenſu partes abſolutã & aſſumptiuam. Abſoluta eſt, quæ in ſe continet iuris & iniuriæ quæſtionem, in quibus recti & æqui, iniuſti & iniqui natura, præmij aut pœnæ, aut quantitatis, quæ aut in numero aut

In modo eſſe demonſtrata eſt, ratio quæritur. Et cum intra ſe quæſtio cõtinet, nec aliunde quo id probet ſumit, abſoluta dicitur conſtitutio. Aſſumptiva autem, quæ hac eadem quærit, ſed ex ſeipſa nihil dat firmi ad recuſationem, foris quidem aliquid aſſumit defenſionis. Huius partes ſunt quatuor, Cõceſſio, remotio criminis, relatio criminis, criminis comparatio: præter id quod de præmio aut pœna, aut præmij uel pœnæ quantitate quæritur. Conceſſionis partes ſunt duæ, Purgatio & deprecatio. Purgationis tres ſunt partes, Imprudentia, caſus, neceſſitas. Remouetur crimen aut in rem, aut in hominem. Hæc fuit omnium conſtitutionum quas ſupra tractauimus partitio: quas in breuiorem adhuc ſummã poſſumus colligere, & tres omnino eſſe cõſtitutiones oſtendere. ſiquidem omne quod in controuerſiam uenit, de quo quæri ſolet, aut an ſit, aut quid ſit, aut quale ſit quæritur. An ſit quidem, in id quod ad rei rationẽ attinet, & in id quod in ſcripto eſt, diuiditur: in id quod in ratione poſitum eſt, Coniecturalis aut inficialis eſt conſtitutio: quod in ſcripto eſt, ut amphibologia, quæ coniectura ſemper explicatur. Quid ſit autem, quod ſecundo loco ſequitur, ſiue cum uerbum quod à cauſa ipſa feratur, ſiue quod ſcriptum ferat, intellectus quæſtionem habet, definitur, definitiua conſtitutio nominatur. Hoc tamen quod ſcriptum eſt, quod rerum quoque ſcripti contemplatione conſtat, coniecturali etiam & qualitati commune eſt: ſicut ſcriptũ & uoluntas, quæ ſine dubio aut qualitate aut coniectura continentur. qualitate quidem, cũ alterutrum, aut iure aut iniuria defendi oſtenditur: coniectura autem, cum illud demum inueſtigamus, quibus poſſumus ueſtigijs ſignisq́;, utrum potius tenendũ ſit, an quod ſcriptum eſt, an quod ſcriptoris fuiſſe uoluntas perhibetur. Legis quoque contrariæ iiſdem quibus ſcriptum eſt, & uoluntas conſtat. communis enim tam coniecturæ, quàm qualitati iiſdem rationibus eſt. Nam ſi ius aut iniuriam fieri ex alterutra harum legum demonſtres, qualitatis erit ſtatus: ſin autem quid ſibi utraque tandem uoluerit inueſtiges, coniecturalis. Si itaque quale quid ſit quæratur, aut quod in ratione ſola poſitum eſt quæritur, aut quod in ſcripto. quod ratione ſola perpenditur, generalis qualitas, uel iuriſdicialis ſtatus nominatur: aut quod in ſcripto, cũ nullam legem habemus, quæ quid tenendum in aliqua re de qua lis ſit ſignificet, multas tamen afferimus, ut ex ſimilitudine aliarum rerum quas leges creuerint, ius aut iniuriam eſſe, quod in controuerſia eſt oſtendamus. Hæc proprio nomine ſyllogiſmus uel ratiocinatio nominatur. ſed nihil aliud eſt, quàm qualitas. Aut ius ipſum uel iniuria excutitur, ubi ſcriptum & uoluntas opponuntur, ut iam dictum eſt: aut ubi contrariæ ſunt leges, aut ubi aliquod definias uerbum quod in lege ſcriptum ſit. Sunt igitur, ſi accuratius inſpicias, tres omnino ſtatus, An ſit, quid ſit, & quale ſit: nec plures. Sed ut res diſcentibus breuior fiat, à ſummis auctoribus ita diuiſa eſt, ut primum genera duo eſſe dixerint, rationale & legale. Deinde rationalis partes eſſent coniectura & inficialis: definitiua & qualitas, generalis. Legalis autem partes, ſcriptum & uoluntas, ambiguum, definitio, leges contrariæ, ratiocinatio fuerũt. Sunt qui ſtatus ad iudicialem materiam tantum pertinere dicerent, quorum inſcitiam res ipſa per ſe ſatis arguit: & nos poſterius, cum deliberatiuum demõſtratiuumq́; genus expoſuerimus, paucis demonſtrabimus. Rhetoricæ autem facultatis actor, orator: quia Latine oratoria, quæ Græce rhetorica dicitur, nuncupata eſt. Orator optimus eſt, qui dicendo animos audientium & docet, & delectat, & permouet. Docere debitum eſt, delectare honorarium, permouere neceſſarium. Officium oratoris eſt, bene dicere. Finis, bene dicere ad perſuadendum. ad id autem tranſigendum inſtrumento utitur, hoc oratio nominatur. Orationis partes ſunt, exordium, narratio, partitio, confirmatio, confutatio, peroratio. Exordiorũ duas eſſe ſpecies oſtendimus: alteram quæ principium, alteram quæ inſinuatio diceretur: in utroque conciliandos auditores procuratum iri, ut attente audirent: ac quæ dicturi eſſemus, ut breuiter eos doceremus. & in exordijs conficiendis, quinque cauſarum genera longe animaduertenda eſſe, honeſtum, turpe, dubiũ, humile, admirabile. Narrationum autem genera, quæ ad oratorem pertineant, duo eſſe diximus: unum, quod ad eas cauſas attinet, de quibus futurum iudicium eſt: alterum, quod aliquando intercurrit uoluptatis plerunque noſtræ, aut recreationis audientiũ cauſa magis quàm quòd omnino neceſſaria uideatur. Narrationem partitio ſequitur, de qua abunde ſupra diximus. partitioni confirmatio & refutatio ſubiungitur. At de quo controuerſia eſt, quodq́; in cauſa potentiſſimũ eſt, quod conſtitutionem nominari diximus, id maxime confirmandum refutandumq́; eſt. Conſtitutiones expoſuimus, & conſtitutionum partes, ac ſingulis quinam proprij communeſq́; loci accommodati eſſent, unde argumentationes elicerentur, oſtendimus. Nam non ſatis fuit, quod in quæſtione poni poſſet, noſſe, niſi quo pacto quod in cõtrouerſiam ueniret, utrinque defendi poſſet, cognoſceretur. Nunc quo pacto abſolutas liceat à nobis argumentationes comparare, hinc docturus, unde Quoniam ſatis oſtendiſſe, inquit, uidemur: & quæ ſequuntur.

DE ARGVMENTATIONIBVS EXPOLIENDIS.

q Voniam ſatis oſtendiſſe uidemur, quibus argumentationibus in unoquoque genere cauſa iudicialis uti cõueniret.] Arguere, oſtendere dixerũt ueteres. Iuuenalis, Molles quod in aure feneſtræ, Arguerint. Ab hoc uenit argumentum & argumentatio. ſed ab arguo argumentum, à præterito enim argui, ſicut & ſimilis formæ cætera uerbalia nomina. primum ueteres argumen, deinde argumentum, uelut teſtamentum, quaſi à teſtaui teſtamen, primum, poſt teſtamentum: munio, muniui, munimen, munimentum: ſterno, ſtraui, ſtramen, ſtramentum. pauca ab hac regula, aut ueterum auctoritate, aut euphonia diſcrepant, quæ neceſſaria. Sic igitur ab arguo argumentum inflexum, ab argumento argumentor uerbum. Sed quoniam hic non eſt docendi grammaticam locus, ſatis ſit attigiſſe, ab argumentor, uel ſi in uſu ueterum fuit, argumento argumentaui argumentatũ, unde argumentatio: ſicut lego, legi, lectum, lectio. Differunt itaque argumentum & argumentatio, hoc pacto: quod argumentum eſt non oratio, ſed ratio dubia rei faciens fidem: ſic enim Cicero definit in Topicis. Et hæc mihi longe potior uidetur definitio, quàm ea quam tulit Quintilianus. & ne id quidem quod Victorinus dicit, me præterit: qui argumentum ſub argumentatione antiquos poſuiſſe, & argumentationem ſub argumento, & hac de cauſa alterum pro altero poni ſomniat. Sed ne nimius ſim, hæc in aliud tempus mittimus confutanda. Argumentatio autem eſt, oratione argumenti explicatio. Nec negauerim, pro altero alterũ plerunque poni poſſe. Eſt etiam ubi argumenta ſigna ſignificent, ut apud Iuuenalem, Argumenta uiri: ſigna, quæ uirum eſſe indicant. Argumentorum igitur quatuor ſunt ſpecies. Alia quidem probabilis & neceſſaria: alia uero neceſſaria, ſed non probabilis: alia autem probabilis, ſed non neceſſaria: alia nec probabilis, nec neceſſaria. Probabilis & neceſſaria, ut Peperit, cum uiro concubuit, Omne totum maius eſt ſua parte. Neceſſaria & non probabilis, cum aliquid euenire quidem neceſſarium eſt, ſed ei ſtatim non conſentit auditor, ut hoc: quoties terra inter ſolem & lunã interuenit, defectus eſt in luna. probabilis & non neceſſaria, ut hoc: ſi mater eſt, ſuum diligit filium. nec probabilis nec neceſſaria, uelut hoc: hic canis eſt filius, & eſt tuus, ergo eſt filius tuus. Quintil. autem, Probationum præterea, inquit, omnium aliæ ſunt neceſſariæ, aliæ credibiles, aliæ non repugnantes. Adhuc omnium probationum quadruplex

druplex ratio eſt : ut uel quia eſt aliquid, & ob hoc aliud non ſit, ut, Dies eſt, ergo nox non eſt : uel quia aliud non eſt, aliud ſit, Nox non eſt, dies eſt : uel quia eſt aliquid, & aliud ſit: Sol eſt ſuper terram, dies eſt: uel quia aliquid non eſt, nec aliud ſit, Non rationale animal eſt, nec homo eſt. Sed hi probationum modi, quos poſterius poſuit, memoratis iã ſupra quatuor ſubijciũtur formis. Nam ſequi & probabile & neceſſarium poteſt, & neceſſarium, ſed non probabile : aut probabile & non neceſſarium : aut nec probabile, nec neceſſarium. tres autem illi quos prius enumerauit modi, ut parum curioſe legentibus non recte enũciari uideantur, ita intelligendum neceſſarium quidem, ſiue uideatur aliquibus ſiue non uideatur : neceſſarium tamen ſit credibile, ſiue aliquibus uideatur, ſiue nõ uideatur, credi tamen poſſit : non repugnans, quod cum nec neceſſarium aut credibile ſit, nec uideatur, non repugnet tamen neceſſarium : ut hoc, omne ortum interire. Credibile, ut Quidam cruento inuentus gladio eſt, ubi necatus homo inuentus ſit, homicida eſt. Non repugnãs, uelut hoc : omne ortum ſeneſcere. apparet ergo quartum modum, quem ſupra retulimus, à Quintiliano non eſſe poſitum, hoc eſt repugnans, nec credibile, quod nec probabile nec neceſſarium nominauimus : ut ſi dicas, hic non amiſit cornua, ergo cornua habet : quem utpote ſophiſticum & puerilem contempſit uir eruditiſſimus. Argumentationũ uero duæ ſunt ſpecies, uelut Ariſtoteles ſcripſit : ſyllogiſmus, quã ratiocinationem, & ἐπαγωγὴ, quam Inductionem Latini tranſtulerunt. Ex his duobus argumentandi principijs, duo alij argumentationis naſcuntur modi, unus quidem ſyllogiſmo, alter uero inductioni ſuppoſitus. ſyllogiſmo quidem enthymema, quod commentũ à Latinis dictum : inductioni uero exemplum, quod à Græcis παράδειγμα nominatur. hæc duntaxat decurriſſe hic nobis ſatis ſit: nam poſt paulum, ubi ſyllogiſmi partes enumerandæ ſunt, quo pacto hæc inter ſe differant, abunde aperiemus. Hoc ergo dicit, quibus argumentationibus, id eſt orationibus, quæ nobis probare aliquid poſſe uideantur. In unoquoque genere cauſæ.] *Siue legitima ſiue rationalis ſit. Iudicialis, non quin in deliberatiuo demonſtratiuoq; hæc eadem tractari & ſcire conueniat, ſed quod iudiciale genus longe plus habeat difficultatis.* Ornate.] *Ornate, quod oratorum id proprium ſit. nam dialectici argumentationibus quidem utuntur, ſed incomptis.* Et abſolute.] *Vt nulla deſit pars, cum nimia breuitate, qua dialectici conciſe nimium argumentari uideantur. id paulo poſt exemplis edocebimus, ubi quo modo dialectici, & quo modo rhetores aliquid probent, apparebit.* Inuentum expolire.] *Argumentari enim haud difficile eſt : ſed argumẽtationes exornare ſententijs, longe difficilimum.* Et expedite pronunciare.] *Ne quidquam quod ad eam rem attineat, prætermiſſum, nec ſuperflua & redundantia inſerta eſſe uideantur.* Hæc enim res facit.] *Expoliendo & expedite pronunciando.* Neque eodem.] *Identidem, quaſi idem & idem: hoc eſt, ſæpius inculcando quæ dicta ſunt.* Reuoluamur.] *Inconnexi & uagantes quodãmodo loquamur. hoc dicit, quoniam argumentatio nexibus quibuſdam certis contexitur, efficit, ut inter loquendum inani quodam uerborũ tinnitu ſpaciantes, non euagemur.* Neque inchoatam argumentationem relinquamus.] *Prius quàm eam abſoluerimus. quando certis partibus eam conſtare neceſſe eſt.* Neque incommode.] *Quando & ea potuit mentem audientium ſubrepſiſſe, quia expolita, nec nimium longa eſſet : nec etiam indoctos præteruolaſſe, ut nimis conciſa poſſet.]* Ad aliã deinceps tranſeamus.] *Subaudiendum, argumentationem.* Itaque hac ratione.] *Hoc pacto ergo abſolutiſſima & perfectiſſima eſt narratio & argumentatio, ea quæ in quinque partes eſt diſtributa. Diximus ſupra, omnem argumentationem, aut per inductionem tractandam eſſe, aut per ratiocinationem. Inductio, ut Cicero inquit, eſt oratio, quæ rebus nõ dubijs captat aſſenſionem eius, qui cum inſtituta eſt, quibus aſſenſionibus facit ne illi dubia quædam res propter ſimilitudinem earum rerum quibus aſſenſit, probetur : uelut apud Socraticum Aeſchinem demonſtrat Socrates, cum Xenophontis uxore & cum ipſo Xenophonte Aſpaſiam locutam. Dic mihi quæſo Xenophontis uxor, ſi uicina tua melius habeat aurum, quàm tu habes, utrum illius an tuum malis? illius, inquit. Quid ſi ueſtem & cæterum ornatum muliebrem pretij maioris habeat, quàm tu habes, tuum'ne an illius malis? reſpondit, illius uero : Age ſi, inquit, uirum illa meliorem habeat quàm tu habeas, utrum'ne tuum uirum malis, an illius? hic mulier erubuit. merito. male enim reſponderat, ſe malle aurum alienum quàm ſuum : nam eſt in id hoc improbum. at ſi reſpondiſſet, malle ſe uirum ſuum talem eſſe, qualis eſſet, potuiſſet pudice reſpondere. Eſt igitur inductio, oratio, quæ rebus non dubijs quæ proponuntur, captat aſſenſiones eius, ſiue is philoſophus, ſiue Iudex, ſiue quiuis alius, qui cum inſtituta eſt. Fit ergo inductio, ut primo proponamus, illa, quæ extra negotiũ ſunt, ſed tamen ad negotium per ſimilitudinem ſpectent, et talia, inquis, eſſe debent illa quæ proponimus, ut neceſſario is cum quo agas ita eſſe fateatur atque conſentiat. quod cum conſenſerit, paulatim ad id unde dubitatur deſcendes, & his quæ ſupra cõceſſa ſint ſimile eſſe confirmes. Quare ratione rogationis imprudens, ab eo quod conceſſit, ad id quod non uult concedere deducendus eſt : Extremum autem, aut taceatur oportet, aut concedatur, aut negetur : ſi negabitur, aut oſtendenda ſimilitudo eſt earum rerum quæ ante conceſſa ſunt, aut alia utendum inductione. ſi concedetur, concludenda eſt argumentatio : ſi tacebitur, aut elicienda reſponſio eſt, aut quoniam taciturnitas comitatur confeſſionem, pro eo ac ſi conceſſum ſit concludere oportebit argumentationem. Ita fit hoc genus argumentandi tripartitũ. prima pars ex ſimilitudine conſtat, una pluribuſ'ue. altera ex eo quod cõcedi uolumus, cuius cauſa ſimilitudines adhibitæ ſunt. tertia ex concluſione, quæ aut confirmat confeſſionem, aut quid ex ea conficiatur oſtendit. Et in genere ciuili cauſarum Cic. etiam exemplum, quo res cognitu facilior fieret, dedit inquiens : Ergo in hac cauſa, quæ apud Græcos eſt peruagata, Cum Epaminundas Thebanorum Imperator, quod ei qui ſibi ex lege prætor ſucceſſerat exercitum non tradidit, & cum paucos ipſe dies contra legem exercitum tenuiſſet, Lacedæmonios funditus uicit, poterit accuſator argumentatione uti per inductionem, cum ſcriptum legis contra ſententiam defendat ad hunc modum: Si iudices id quod Epaminundas ait legis ſcriptorem ſenſiſſe, aſcribat ad legem, & addat hanc exceptionem, extra quam ſi quis Reipub. cauſa exercitum non tradiderit, patiemini? non opinor. quod ſi uoſmetipſi, quod à ueſtra religione & ſapientia remotiſſimum eſt, iſtius honoris cauſa hanc eandem exceptionem iniuſſu populi ad legem aſcribi iubeatis, populus Thebanus id patietur ne fieri? profecto non patietur. quod ergo aſcribi ad legem nefas eſt, id ſequi quaſi aſcriptum ſit, rectum uobis uideatur? noui ueſtram intelligentiam, non poteſt ita uideri iudices. quod ſi literis corrigi neque ab illo neque à uobis ſcriptoris uoluntas poteſt, uidete ne multo indignius ſit, id re & iudicio ueſtro mutari, quod ne uerbo quidem commutari poteſt. Apparet ergo uno ſemper modo & philoſophos & oratores uſos eſſe inductione, nec utriuſuis differre præceptionem. Ab inductione exẽplum naſcitur. differt uero ab eadem, quod inductione interrogatur, in exemplo ferè ſumitur. ut ſi dicas, Quod eſt pomum generoſiſſimum? non'ne quod optimum. concederetur. quis equus generoſiſſimus? non'ne hic optimus? & plura in eundem modum : deinde id cuius rei gratia rogatum eſt, quod homo non'ue is generoſiſſimus, qui optimus? fatendum erit. In oratione autem perpetua plerunque ſibi reſpondet orator, quod pomum generoſiſſimum? puto quod optimum. & equus? qui*

uelociſſimus . ita hominem , non qui celebritate naſcendi , ſed qui uirtute maxime excellit. hæc inductione probari manifeſtũ eſt. Exemplo autem dices, Vt pomum generoſiſſimum putatur, quod optimum: ita homo non qui genere, ſed qui uirtute excellit, optimus putandus eſt. Sed hæc potius ſimilitudo eſt, ut paulo poſt apparebit . in quo & illud licet animaduertere, quod cum in inductione plura aſſumantur, in exemplo ſolum uno contẽti ſimus . Vnica enim re poſita, rem unicam oſtendere contendit, ſiue quod aſſumas fictum, ſiue uerum ſit, nõ refert. Quapropter & ſic definiri etiã inter magnos auctores cõuenit. Exemplũ eſt rei geſtæ, aut ut geſtæ, utilis ad perſuadendũ id quod intenderis cõmemoratio. & licet Græci omniũ ſimiliũ appoſitionem generaliter uocent παράδειγμα & ſpecialiter ea in quibus rerum geſtarum auctoritate nituntur, noſtri tamen, ſimilitudinem hoc uocari maluerunt, quòd proprio ab illis uerbo παραβολὴ dicitur. illud autẽ exemplũ, aut ſibi ſimile erit ſuis partibus ut iure occiſus eſt L. Apuleius Saturninus, ſicut Gracchi : aut diſſimile, ut Brutus occidit liberos proditionẽ molientes, Mãlius uirtutem filij morte mulctauit: aut contrariũ, ut Marcellus ornamenta Syracuſanis hoſtibus reſtituit, Verres eoſdẽ ſocios expoliauit. Ex maioribus ad minora exempla efferuntur : ut , ſi propter matrimonia uiolata urbes euerſæ ſunt, quid fieri adultero par eſt? A' minoribus ad maiora : ut, Tibicines cum ab urbe diſceſſiſſent, publice reuocati ſunt : quanto magis principes ciuitatis, & uiri bene de repub. meriti, cum inuidiæ ceſſerint, ab exilio reducendi? Similitudo enim, quam Græci παραβολὴν, Cic. collationem uocat, longius res quæ comparantur ſolet repetere. Neque hominũ modo inter ſe opera ſimilia ſpectantur, ut Cic. pro Sextio Roſcio facit : Anſeribus cibaria publice locantur , & canes aluntur in Capitolio, ut ſignificent, ſi fures uenerint : at fures internoſcere non poſſunt , ſignificant tamen ſi qui noctu in Capitolium uenerint : & quia hæc animalia facile ſuſpicantur, in eã partem potius peccant, quæ eſt cautior : quod ſi luce quoque canes latrent, cum deos ſalutatum aliqui uenerint, non opinor his crura ſuffringi oportere, quod acres ſint etiam tum cum ſuſpicio nulla ſit . Simillima eſt accuſatorum ratio : alij noſtrum anſeres ſunt, qui tantummodo clamant, nocere non poſſunt : alij canes, qui & latrare & mordere poſſunt . cibaria uobis præberi uidemus : uos autem maxime debetis in eum impetum facere qui meretur . Eſt & breuis ſimilitudo : ut , Eunt populabundi per urbem, ceu raptores lupi . Eſt ergo exemplum ubi opera hominum ſimilia conferuntur, quæ breuibus ſolent enunciari. cum ſecus fit, ſimilitudo nuncupatur. Sed de inductione & exemplo hactenus dictum ſit . De ſyllogiſmo & enthymemate iam breuiter dicendum eſt . Syllogiſmum his uerbis definit Ariſtoteles, συλλογισμὸς δέ ἐστι λόγος, ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν, ἕτερόν τι τῶν κειμένων ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει, τῷ ταῦτα εἶναι, &c. quod ita quidam in latinum uertere . Syllogiſmus eſt oratio, in qua poſitis quibuſdam & conceſſis , aliud quiddam per ea quæ conceſſa ſunt euenire neceſſe eſt , quam ſint ea quæ conceſſa ſunt . ut ſi dicas : Omnis homo eſt animal, omne animal ſubſtantia eſt, omnis igitur homo ſubſtantia eſt . Syllogiſmorum tres figuræ , tanquam tria ſunt genera . Prima figura modos tanquam ſpecies ſyllogiſmorum, auctore Ariſtotele, quatuor continet : ſed Theophraſtus & Eudemus his quatuor quinque addiderunt, principium tamen inueniendi ab Ariſtotele in ſecundo priorum Analyticorum uolumine capientes . Secunda figura quatuor modos, Tertia ſex, docente Ariſtotele, habet . addunt alij unum, ut Porphyrius . nec me præterit, alios plures adhuc figuras, quippe qui quatuor eſſe uoluerunt , alios plures modos effeciſſe : ſed hæc mittimus nunc excutienda dialecticis, ſiquidem ad inſtitutum noſtrũ non attinent . Ex omni igitur ſyllogiſmo naſci enthymema poteſt . ut de enthymemate paucis prius , poſt de ſyllogiſmi partibus lõgius diſputemus. Enthymema imperfectus eſt ſyllogiſmus, id eſt oratio, in qua nõ partes ex quibus ſyllogiſmus conſtat adhibentur, ſed infertur feſtina concluſio. ut ſi dicatur : Omnis homo animal eſt , ſubſtantia igitur eſt . Quale illud pro Ligario , Cauſa tum dubia; quod erat aliquid in utraque parte quod probari poſſet , & nunc melior ea iudicanda eſt , quam etiam dij adiuuerunt : habet aſſumptionem & aſſumptũ, concluſionem uero non habet : ita eſt ille imperfectus ſyllogiſmus . Ex pugnãtibus uero, quidam ſolum uocant enthymema, tale Ciceronis eſt pro Milone . Eius igitur mortis ſedetis ultores, cuius uitam ſi putetis per uos reſtitui poſſe , nolitis . Optimum autem enthymematis genus merito Quintilianus putat, cum propoſito diſſimili uel contrario, ratio ſubiungitur . quale eſt Demoſthenis : Non enim ſi quid unquam cõtra leges actum eſt, idq; tu es imitatus, idcirco te conuenit pœna liberari , cum contra damnari multo magis . nam ut ſi quis eorum damnatus eſſet , tu hæc non ſcripſiſſes : ita damnatus tu ſi fueris , non ſcribet alius . Plura de enthymemate nõ adijciam, quando in Topicis Ciceronis de hoc abunde diximus : quæ ſi quis legat , hæc curſim recenſa melius intelliget : & ſi quid cuiquam hic minus erit obuium , illic certior fiet , quando ad ſyllogiſmi partes explicandas in præſentia feſtinamus . Syllogiſmum igitur, ſiue ratiocinationem (qui, ut Cicero inquit, eſt oratio, ex ipſa re probabili aliquid eliciẽs, quod expoſitum & per ſe cognitum ſua ſemet ratione confirmet) alij ſex partibus, alij quinque, alij quatuor, alij tribus, duabus alij cõſtare uoluerunt : & qui unica poſſe etiam parte conſiſtere, non defuere : qui ſex partes eſſe uoluerunt, pauci ſunt : & hi quidem propoſitionem primam, cui ſubiungentes rationem ſecundã, deinde aſſumptionem tertiam, & aſſumptionis rationem ſubiũgentes quartam eſſe partem uoluerunt . poſtremo cõcluſionem, deinde concluſionis rationem. Cicero autem quinque partes eſſe maxime defendit, cum inquit : Qui putant in quinque partes diſtribui oportere, aiunt primum conuenire exponere ſummã argumentationis, ad hunc modum : melius accurantur quæ cõſilio geruntur, quàm quæ ſine cõſilio adminiſtrantur : hanc primã partem numerant . eam deinde rationibus uarijs, & quàm copioſiſſimis uerbis approbari putant oportere, hoc modo : Domus ea quæ ratione regitur omnibus eſt inſtructior rebus, & apparatior, quàm ea quæ temere & nullo conſilio adminiſtratur: exercitus is cui præpoſitus eſt ſapiens et callidus imperator, omni modo cõmodius regitur, quàm is qui ſtultitia & temeritate alicuius adminiſtratur : eadem nauigij ratio eſt . nam nauis optime curſum conficit ea, quæ ſcientiſſimo gubernatore utitur . Cũ propoſitio ſit hoc pacto approbata, & duæ partes tranſierint ratiocinationis, tertia in parte aiunt quod oſtendere uelis, id ex ui propoſitionis oportere aſſumere, hoc pacto : nihil autem rerum omnium melius quàm omnis mundus adminiſtratur. huius aſſumptionis quarto in loco aliam porro inducunt approbationẽ, hoc modo : nam & ſignorum ortus & obitus , definitum quendam ordinem ſeruant, & annuæ commutationes non modo quadam ex neceſſitate ſemper eodem modo fiunt, uerum ad utilitates quoque rerum omnium ſunt accommodatæ. nã diurnæ nocturnæq; uiciſſitudines nulla in re unquam mutatæ quicquam nocuerunt : quæ ſigno ſunt, omnia non mediocri quodã conſilio naturam mundi adminiſtrari . Quinto inducunt loco complexionem , eam quæ aut id infert ſolum quod ex omnibus partibus cogitur, hoc modo , Conſilio igitur mundus adminiſtratur : aut unum in locum cum conduxerit, breuiter propoſitionẽ & aſſumptionem adiũgit, quod ex his conficiatur, ad hunc modum : Quod ſi melius geruntur ea quæ conſilio quàm quæ ſine conſilio adminiſtrantur , ſi nihil autem omnium rerum melius adminiſtratur quàm omnis mundus, cõſilio igitur mundus adminiſtratur . Quinquepartitam igitur hoc pacto putant eſſe argumentationem . In iudicijs autem idem, quo hoc apertius fiat, exemplum ponit : ut ſi quis Epaminundam , quod ſuccedenti

ſibi

ſibi exercitū illico non tradiderit, uelit defendere, dicas: Omnes leges iudices ad cōmodum reipub. referre oportet, et eas ex utilitate communi, non ex ſcriptione quæ in literis eſt interpretari: ea enim uirtute & ſapientia maiores noſtri fuerunt, ut in legibus ſcribendis nihil ſibi aliud niſi ſalutem atque utilitatem reipub. proponerēt: neque enim ipſe quod obeſſet ſcribere uolebāt: & ſi ſcripſiſſent, cum eſſet intellectum, repudiatum iri legem intelligebant: nemo enim leges legum cauſa ſaluas eſſe uult, ſed reipublicæ, quod & legibus omnes rempub. optime putant adminiſtrari: quamobrem igitur leges ſeruari oportet, ad eam cauſam ſcripta omnia interpretari conuenit. hoc eſt, quoniam reipub. ſeruimus, ex reipub. commodo atque utilitate interpretemur: nam ut ex medicina nihil oportet putare proficiſci, niſi quod ad corporis utilitatem ſpectet, quoniam eius cauſa eſt inſtituta: ſic à legibus nihil conuenit arbitrari, niſi quod reipub. cōducat, proficiſci, quoniam eius cauſa ſunt comparatæ. Ergo in hoc quoque iudicio deſinite literas legis perſeruari, & legem, ut æquum eſt, ex utilitate reipub. conſiderate. Quid magis utile fuit Thebanis, quàm Lacedæmonios opprimi? quid magis Epaminundam Thebanorum imperatorem, quàm uictoriæ Thebanorum conſulere decuit? quid hunc tanta Thebanorum gloria, tam claro atque exornato trophæo, carius atque antiquius habere conuenit? ſcripto uidelicet legis omiſſo, ſcriptoris ſententiam conſiderare debebat. Ad hoc quidem ſatis conſideratum eſt, nullam eſſe legem, niſi reipub. cauſa ſcriptam. ſummam igitur amentiam eſſe exiſtimabat, quod ſcriptū eſſet reipub. ſalutis cauſa, id nō ex reipub. ſalute interpretari. quod ſi leges omnes ad utilitatem reipub. referri cōuenit, hic autem ſaluti reipub. profuit, profecto non poteſt eodem pacto & communibus fortunis conſuluiſſe, & legibus obtemperaſſe. Quatuor ergo partibus cōſtat argumentatio: cum aut proponimus, aut aſſumimus ſine approbatione. Id facere oportet, cum aut propoſitio ex ſe intelligitur, aut aſſumptio perſpicua eſt, & nullius approbationis indiget. Propoſitionis approbatione præterita, quatuor ex partibus argumentatio tractatur, ad hunc modum. Iudices qui ex lege iurati eſtis, iudicatis legibus obtemperare debetis. obtemperare autem legibus non poteſtis, niſi id quod ſcriptū eſt in lege ſequamini. quod enim certius legis ſcriptor teſtimonium uoluntatis ſuæ relinquere potuit, quàm quod ipſe magna cum cura atque diligentia ſcripſit? quod ſi literæ non extarent, magnopere eas requireremus, ut ex his ſcriptoris uoluntas cognoſceretur. nec tamen Epaminundæ permitteremus, niſi extra iudicium quidem eſſet, ut is nobis ſententiam legis interpretaretur: nedum nunc, cum patiamur ipſum non ex eo quod apertiſſime ſcriptum eſt, ſed ex eo quod ſuæ cauſæ conuenit, ſcriptoris uoluntatem interpretari. quòd ſi uos iudices legibus obtemperare debetis, & id facere nō poteſtis, niſi id quod ſcriptum eſt in lege ſequamini, quin iſtum contra legem feciſſe iudicatis? Aſſumptionis autem approbatione præterita, quadripartita ſic fiet argumentatio. Qui ſæpenumero nos per fidem fefellerunt, eorum orationi fidem habere nō debemus: ſi quid enim perfidia illorum detrimenti acceperimus, nemo erit præter noſmetipſos quem iure accuſare poſſimus. ac primo quidem decipi, incommodum eſt: iterum, ſtultum: tertio, turpe. Carthaginenſes autem perſæpe iam nos fefellerunt: ſumma igitur amentia eſt, in eorum fide ſpem habere, quorum perfidia deceptus ſis toties. utraque approbatione præterita, tripartita fit hoc pacto. aut metuamus Carthaginenſes oportet, ſi incolumes eos reliquerimus: aut eorum urbem diruamus: at metuere quidem non oportet: reſtat igitur ut urbem diruamus. Sunt autem qui putant, nonnunquam poſſe complexionem, & oportere ſuperſederi, cum id perſpicuum ſit, quod conficiatur ex ratiocinatione. quod ſi fiat, bipartitā quoque fieri argumentationem, hoc modo: Si peperit, uirgo nō eſt. peperit autem. hic ſatis eſſe proponere & aſſumere, quod conficiatur: quoniam perſpicuum ſit, complexionis rem non indigere. Ciceroni tamen uidetur inferri concluſio debere, uel ſi nolis, ut inferas quod ſequitur. ut dicas: peperit autem, fecit igitur inceſtum. Qui autem ex unaquaque parte putant conſtare argumentationem, dicunt ſatis eſſe, hoc modo argumentationem facere, quoniam peperit, cum uiro concubuit. Sed hanc argumentationem ab oratore Cicero propulſat, quod expolitione careat. nam ſi ſolum inuentum ſpectetur, ac nihil quo pacto tractetur, quod ſit excogitatum referat, nequaquam tantū inter ſummos & mediocres intereſſe exiſtimabitur. Variare igitur orationem etiam magnopere oportebit: nam omnibus in rebus ſimilitudo eſt ſatietatis mater. Hoc autem facere poterimus, ſi modo inductione, modo exemplo, modo ſimilitudine, modo ſyllogiſmo, aliquando enthymemate utamur. deinde in ipſa argumentatione non ſemper à propoſitione incipere debemus, quod ne ipſe quidem Ariſtoteles facit: neque ſemper omnibus uti ſyllogiſmi partibus, quas Cicero quinque omnino eſſe uoluit, idq; multis nititur rationibus comprobare. cui ſententiæ maxime repugnat Quintilianus, inquiens, Ἐπιχειρήματος & quatuor & quinque & ſex factæ ſunt partes à quibuſdam, Cicero maxime quinque defendit. Inde poſt paulum ſubiungit, Mihi & pluribus nihilominus auctoribus tres ſumi uidentur. nam ita ſe habet iſta natura, ut ſi de quo quæratur, & per quod probetur, tertium addi poteſt, uelut ex conſenſu duorum antecedentium, ita erit prima intentio, ſecunda aſſumptio, tertia connexio. Nam confirmatio prima ac ſecunda partis exornatio, & eiſdem cedere poſſunt, quibus ſubijciuntur. Sumamus ex Cicerone quinque partium exemplum: Melius gubernantur ea quæ conſilio reguntur, quàm quæ ſine conſilio adminiſtrantur. hanc primam partem numerant, eam deinceps rationibus uarijs & quàm copioſiſſimis uerbis approbari putant oportere. Hoc ego totum in ſua ratione unum puto: alioqui ſi ratio pars eſt (eſt autem uaria ratio) plures partes eſſe dicentur. Aſſumptionem deinde ponit: Nihil autem omnium rerum melius quàm omnis mundus adminiſtratur. huius aſſumptionis quarto in loco iam porro inducunt approbationem, de quo idem quod ſupra dico. Quinto inducunt loco complexionem, quæ aut id fert ſolum, quod ex omnibus partibus cogitur, hoc modo: Conſilio igitur mundus adminiſtratur. aut unum in locum cum conduxit, breuiter expoſitionem & aſſumptionem adiungit, quid ex his conficiatur, cui parti conſentio. Quid ſummi auctores de ſyllogiſmi partibus ſenſerint, iam ſatis, ut opinor, dictum. Nunc quo pacto ſingulæ uocentur partes, quādo inter ſummos id auctores non conuenit, dicam. nam ſunt qui primam partem ſyllogiſmi, uelut ſi ita contexas, quidquid ex ſeipſo mouetur immortale eſt, maiorem uocent propoſitionem. Sunt qui propoſitionem ſolum, alij intentionem, alij aſſumptum. ſecundam partem, aliqui minorem propoſitionem, alij aſſumptionem, quidam rationem, alij rationis confirmationem, quod ex ea parte quod anteceſſit comprobatur, nominarunt, quæ eſt ut hoc, anima autem ex ſeipſa mouetur. tertiam partem alij concluſionem, cōplexionem alij, alij connexionem appellarunt, quod duas ſuperiores connectat partes, uelut hoc: Immortalis igitur eſt anima. ut ſit explicata argumentatio, quidquid ex ſeipſo mouetur, immortale eſt: Anima autem ex ſeipſa mouetur, immortalis igitur eſt anima. Poſtremo ne illud quidem prætereundum eſt, fuiſſe quoſdam qui inter ſyllogiſmum & ἐπιχείρημα hanc eſſe differentiam putauerūt, quod ſyllogiſmum tribus tantum partibus & in ordinem digeſtis conſtare dixerint. huic uero ſi partes aut demantur, aut addantur aliæ, aut eædem immutentur, epicherema nuncupari exiſtimarunt. Sed Quintilianus, epicherema, inquit, in nullo differt à ſyllogiſmis, niſi quod illi & plures habent ſpecies, & uera colligunt. ueris epicheremati frequentior eſt uſus circa credibilia. His intellectis, nihil erit iam, ut

opinor, quod Cicero ſuſpenſam alicuius hic teneat mentem, quo minus quæ dicat quilibet ſit percepturus, cum inquit: Ergo abſolutiſſima & perfectiſſima eſt narratio et argumentatio ea quæ in quinque partes eſt diſtributa.] Hoc iam expoſitũ eſt, ut ſyllogiſmus quinque partibus á Cicerone fiat. Narratio & argumentatio.] Nam narratio cauſæ expoſitio eſt, ſed quod narratur & inſeritur, locupletandi cauſa argumentationem ipſam inſeritur, uerum id eſſe quod intendimus, ſi uera accuſamus: nam iudiciale genus intentione & depulſione conſtat, cum certe quod intendimus probare uolumus. Etenim & ſyllogiſmo non minus in reprehenſione, quàm in confirmatione defenſioneq; uti poſſumus. Locupletandæ.] Refarciendæ, ornamentis imbuendæ. Confirmata argumentatione.] Nam cum aſſumptio prolata eſt, iam confirmata uidetur argumentatio. Vt abſolutiſſime.] Quo nihil ad modũ deſit. Inimicum enim acerrimum de medio tollere uolebat, quo ſibi nõ iniuria ſummum periculum metuebat.] Hæc propoſitio eſt epicherematis, quam tamen ſi rectius oſtendamus, fiet aſſumptio. De medio tollere.] Id eſt, quoquo modo ab aliorum Græcorum conuentu eximere, ac per hoc occidere. Non iniuria.] Non ab re, nõ ſine cauſa. Summum periculum.] Ne ipſe ab eodem occideretur. Videbat illo incolumi.] Hæc propoſitionis eſt ratio. ſed cum ſit coniecturalis conſtitutio, á probabili, de quo ſupra in eius conſtitutionis locis abunde diximus, omnis hæc deducitur argumentatio. Iniuria quauis.] Id eſt, qualibet. Inimico exitium machinari.] Exitium, inquit Feſtus Pompeius, antiqui pro exitu ponebant: nunc peſſimum exitium dicimus. Machinor á græco μηχανάω, unde & μηχανὴ ab illis dicitur, quæ á noſtris machina. Eſt autem machinari, ſtruere: ergo machinari exitium, ſtruere, & per inſidias moliri interitum eſt. Cui rei mors indigna Palamedis teſtimonium dat.] Nota eſt de Palamedis interitu hiſtoria, ut Vlyſſis extinctus ſit inſidijs. Metus periculi.] Ne ab Aiace interimeretur. Omnes enim cum minima de cauſa peccata ſuſcipiunt.] Hæc eſt rationis confirmatio, ſiue aſſumptio. Si multos, & quæ ſequuntur.] Hæc eſt ornatio. Si multi leue compendium fraude maxima commutarunt.] Hoc eſt, ſi ob leue commodum fraudem moliri maximam non timuerunt. Fraude maxima commutarunt leue compendiũ, qui fraudulentiſſimi ex eo dicti ſunt, ob minimam quá conſecuti fuere utilitatem. Compendium, á con præpoſitione et pendendo, quod appenderent omnem ueteres pecuniam. Vnde etiam diſpenſator dictus: & hinc diſpendium, damnum, quod diſpendendo pecunia minor fieri ſoleat. Verum fortiſſimum integerrimum.] Ordo eſt & ſenſus, homo timidus, ſubaudiẽdum Vlyſſes, nocens, conſcius ſui peccati, qui ſe ſciebat cõtra Aiacem deliquiſſe. Inſidioſus, inimicum.] Subaudiendum, Aiacem. Incolumem eſſe noluit.] Virum integerrimum bello, inimicitiarum perſequentiſſimum, qui quos odio proſequebatur, eiſdem hoſtis eſſet infeſtiſſimus. Iniuria laceſſitum.] Id eſt, prouocatum. Ita exuſcitatum.] Id eſt, uehementer cõmotum. Videamus alacres.] Alacris, inquit Aſconius, ſiue alacer, utrunque enim dicitur, is appellatur, qui ſenſibus uniuerſis, quod eſt iudicium erecti animi atque ſublimis, conſurgit, & cui omnis ſenſus in loco ſuo quiſque degat. & è contrario lacer, inquit, dicitur amputatis in corpore ſenſuum membris. Ad animum ſæpe transfertur, ut ſi quis uultu indicat adeſſe animũ non ſincerum, ſenſibus ſuis animo ſolo intentus. Sunt qui alacrem, feſtinantem & properantem dici putant, quaſi alis acrẽ. Virg. Alacris cunctoſq; putans excedere pugna. Donatus uero: alacris, inquit, L pro D litera poſita. Feras beſtias.] Nã domeſticæ cicures nominantur. Ferum.] Agreſtem. Crudelem.] Trucem. Cupide.] Ad inimici Aiacis. Perniciem.] Exitiũ. Profectum.] Quando ibi Aiax gladio traiectus inuentus eſt, ibidem Vlyſſes commoratus eſt. Neque bonam, neque malam rationem uideamus.] Ratio, quam uulgus imperitum reſpectũ dicit. Sic Iuuenalis (Eſt ſpes & ratio) capit ratio. Superfluum autem putandum nunc de ea ratione diſputare, unde homo animal rationale dicitur, & de qua ſanctus Thomas longius diſſeruit fortaſſe quàm fuit neceſſe, cum differentiam inter eſſentiam, ut eius uerbo utar, ſubſtátiam, ſubiectum, rem, naturam & rationem facit. nam Auguſtinum in libro quem de Spiritu & anima inſcripſit, longe melius expoſuiſſe manifeſtum eſt. Si ergo pollicitus ſum.] Hæc cõplexio eſt argumentationis, ut ſi tres tantũ partes principales iungas, hoc pacto: Omnes minima peccata cũ cauſa, tum uero maxime illa quæ multo maxima ſunt maleficia aliquo certo emolumento inducti ſuſcipere conantur. ut ſit hæc propoſitio, qua probamus quod in quæſtionem uenit, quam Cicero ſecũdo loco poſuit. deinde aſſumatur: At ſi Aiacem Vlyſſes occidebat, multum ſibi commodum, ſi incolumem ſinebat, incommodum et metus ingruebat. cui complexio ſubijciatur neceſſe eſt: Ergo Vlyſſi cauſa fuit, cur Aiacem occideret. quod epicherema ita etiam componi poteſt, ut dicas, Quicunque ex alterius morte commodum conſecuturus eſt, uel minimum, is cauſam habet, cur eum è uita tollat: At Vlyſſes de Aiacis morte multum cõſecuturus erat commodi, cauſam igitur habuit Vlyſſes cur Aiacem occideret. Quin confiteatur cauſam maleficij fuiſſe.] Quũdo & eum grauiter habebat inuiſum, & illum ſibi hoſtem infeſtiſſimum. Parum locuples.] Parum copioſa. Locuples, diues, ab agrorum locis dictus, ut Plinius lib. 18. Naturalis hiſtoriæ: Locupletes, inquit, dicebant loci, hoc eſt, agri plenos. pecunia ipſa á pecore appellabatur. Ouidius in Faſtis. Cætera luxuriæ nondum inſtrumenta uigebant, Aut pecus, aut latum diues habebat humum. Hinc etiam locuples, hinc ipſa pecunia dicta eſt. Et res tenuis.] Parui momenti. Et humilis.] Abiecta. Hac quam compoſui ratio eſt habenda.] Hoc eſt, ſi humilis fuerit & tenuis, non ita dicere procures, perinde ac ſi ſit ampla, & quæ multis ornamentis poſſit illuſtrari. Breuiſſima tripartita.] Quæ propoſitione, ratione propoſitionis, & aſſumptione colligatur.

DE ARGVMENTATIONIBVS VITIOSIS.

Vo ſunt genera uitioſarum argumentationum.] d omnis argumentatio (per argumentationem & argumentum, quod in ſpecies ſupra plures diuiſimus, uolumus intelligi) reprehenditur, ſi aut ex his quæ ſumpta ſunt non conceditur unum plura'ue: aut his conceſſis, complexio ex his confici negatur: aut ſi genus ipſum argumentationis uitioſum oſtenditur: aut ſi contra firmam argumentationem, alia æque firma aut firmior ponitur. Sed Cicero quod in epicheremate tantum reprehendi poſſit, quod id ſolum argumentationis genus hic docuit, eſt expoſiturus. Vnum, quod ab aduerſario reprehendi poteſt, idq; pertinet ad cauſam. alterum diſputandi. quatuor, docente Ariſtotele, ſunt genera: unum quod doctrinale, aliud dialecticum, tertium tentatiuũ, quartum litigioſum uocat. Doctrinale nominat, cum ex proprijs cuiuſque diſciplinæ principijs aliquid probare enitimur, idq; demonſtratiuum nominatur, quod ipſe in Analyticis poſterioribus docuit. Dialecticum eſt, cum ex probabilibus tam nobis quàm aduerſarijs, aliqua oppugnare concludimus. Tentatiuum autem, cum ex eis quæ reſpõdenti probabilia uidentur, aliquid arguimus, quod uelint reſpondentes. tam de dialecticis autem quàm de tentatiuis, ipſe in Topicis late diſputauit. Litigioſum uero, quod ἀγωνιστικὸν appellauit, cum ex his quæ probabilia quidem uidentur, ſed non ſunt, id colligitur, quo nullo modo probabile uideri poteſt. Id genus in libro quẽ ἐλέγχων inſcripſit, late ipſe etiã tractauit.

Per hoc

Per hoc genus arguẽdi modi ſunt duo. unus, qui per dictionem: alter uero, extra dictionem nominatur. Per dictionem quidem numero ſex ſunt: Aequiuocatio, amphibologia, cõpoſitio, diuiſio, accentus, figura. Extra dictionem uero, paralogiſmorum ſpecies ſunt ſeptem: una quidem per accidens, ſecunda autem in eo quod ſimpliciter, uel non ſimpliciter, & quod aut ubi, aut quando, aut aliquid dicitur. tertia autem elenchi ignorantiã, quarta uero per conſequens, quinta autem per id quod in principio ſumere contingit, ſexta quod non eſt cauſa ut cauſa ponenda, ſeptima uero ubi plures interrogationes ut unam ponimus. Non dubito quin hæc multi obſcura iudicaturi ſint, cum ſpecies has arguendi exemplis nullis illuſtrauerim. quod ideo facere non curaui, tum ne commentarij modum excederem, tum etiam quod ad præſens Ciceronis locus hoc non exigebat, quodq; apud dialecticos quiſque hæc diſcere poterit. ſed hæc uberius omnia, ſi dabitur ut poſſim aliquando, ſicut & cætera rhetorices præcepta, ita digeram, ut multis non diſplicere poſſe putem. quod ſi qui ſuæ imperitiæ ſolatium quærentes, ne hoc quidem à me recenſeri debuiſſe (utpote non neceſſaria) arbitrentur: Ariſtotelem, ſi re ipſa quam non intelligant iactantiam ſuam redarguere poſſint, audiant, qui à conſequentibus elenchum tractans inquit. Sæpe enim mel, fel ſuſpicati ſunt, eo quod ſequatur ruber color: & quoniam accidit terram pluuia fieri madidam, & ſi ſit madida opinantur pluiſſe. hoc autem nec neceſſarium, ad rhetoricos attinet, quod per ſignum ſint demonſtrationes, idemq; & Cicero tum alibi, tum etiam hic, cum inquit: alterum, quod tam & ſi nugatorium eſt, tamen indiget reprehenſione. hoc enim dicit, unum eſt genus uitioſæ argumentationis, quod ad cauſæ probationem attinet, ab aduerſario reprehendi poteſt, ſed quo pacto id fiat, paulo poſt aperietur. alterum eſt, cuius ſi fallendi modum ſpecties, utpote nugatorium reprehendas: ſin autem ut in aduerſarium tractatum, multum fauoris ſæpe & commodi compararet, non indigebit reprehenſione, ſed probabitur. Quod tamen nugatorium eſt, ob hoc enim reprehendi debuit apud uirum grauem. Nugatorium omnes, ut Ariſtoteles inquit, qui in diſputationibus certant & corrixantur, ſe ſuperiores eſſe coniectant, ac ut id conſequantur pro uiribus moliuntur. ſed quinque modis, uel ut arguendum imperitia aduerſarium oſtendant, uel ut falſum, uel quod præter opinionem omnium ſit, fateri compellant, uel ut in ſolœciſmum grammaticæ uitium nihil tale cogitantem detrudant, uel quinto loco & nugari eum cogant, qui contra aget. Id autem faciet, ſi frequenter idem dicat quod nuſquam ſit: quapropter & Cicero nugatorium dixit, hoc eſt, quod nugari aduerſarium cogat. Tamen non indiget reprehenſione quæ ſint.] Quoniam aliquando iuuat oratores, non ergo omnino repudiandum, licet (utpote nugatorium) non admittendũ eſſe uideatur. Reprehenſione confutare conueniat.] Confutari, cum manifeſto falſa deprehenduntur. Quæ tacite contemni.] Vt friuola. Atque uitari ſine reprehenſione, niſi exempla ſubiecero, dilucide intelligere non poteris.] Hæc cognitio uitioſarum argumentationum duplicem utilitatem afferet. Nam & uitare in argumentatione uitium admonebit: & ab alijs non uitatum, commode reprehendere docebit. Quoniam igitur oſtendimus perfectam & plenam argumentationem ex quinque partibus conſtare, in unaquaque parte argumentationis quæ uitia uitanda ſunt conſideremus: ut & ipſi ab his uitijs recedere, ac aduerſariorum argumentationes hac præceptione, num cum argumentationis formula uincianture, an certe cum aliquid quod illud infirmet opponitur, intelligere poſſimus. In omnibus partibus.] Nam quinque conſtare partibus ſupra commonuit. Num poſſimus aliquam partem labefactare.] Labe aliqua commaculare, ac per hoc reprehenſum riſu & conuicijs diſſoluere.

DE VITIOSA EXPOSITIONE.

Expoſitio uitioſa eſt: & quæ ſequuntur.] Expoſitionem dicit, quam ſupra propoſitionem, hoc eſt, totius argumentationis partem primam nominauit: cum ab aliqua aut à maiore parte ad omnes confertur, id quod non neceſſario eſt omnibus attributum. Ordo eſt: Vitioſa eſt expoſitio, cum id quod non neceſſario eſt omnibus attributum, confertur ab aliqua, aut à maiore parte ad omnes. Eſt autem ſenſus: uitioſa eſt argumentationis expoſitio, cum quod aliquibus, aut maiori hominum parti tribuitur, id eſſe omnium dicimus, cum id haud neceſſe ſit, ſed potius facile ſecus enunciari poſſit. Ad omnes confertur.] In omnes infertur. Quã officio.] Virtute. Non curat.] Quærere qualis ratio. Quia ſunt aliqua, quibus ſi ratio ſubijciatur, probabilia uideri poſſint, alioqui falſa. Nemo uno aſpectu neque prætereũs.] Aut uno tantum aſpectu, aut præteriens, etiamſi crebro aſpiciat, in amorem incidiſſe nemo poterit: quod fieri tamen poſſe, etiã ſi nunquam antea fuerit, facile datur intelligi. Nõ nemo.] Aliquis. Quoniam alteri non erant.] A quibus occidi potuerit, prædones. Alteros.] Hoc eſt, Inimicos non habebat. A cohæredibus.] Ab ijs qui nobiſcum hæreditatem eius adiuerint. Latiorem locũ defendẽdi reliquerimus.] Nam quod aduerſarij iam exploſi uideantur, & noſtræ ſuperſint argumentationes explicandæ, multum adiumenti hinc cauſa noſtra capere poſſe uidebitur. Luxuries & auaritia.] Et luxuries & luxuria rerũ immoderatus per uoluptatem uſus dicitur: auaritia rerum immoderatus appetitus, ab auido & ære ducta appellatio. Quid amor.] Amorem libidinem dicit. Quid ambitio.] Honoris, nõ de uirtute potius quàm de uitio manans cupiditas. Quid irreligio.] Sanè religio, quam Græci θρησκείαν dicunt, quædam erga deum obſeruantiã uinculo aliquo alligata dicitur, quæ ſi ſponte à nobis fiat Græce εὐσέβεια, latine pietas nominatur. Quamobrem per iocum Plautus in Curculione: Vocat me, inquit, ad cœnam: religio fuit: denegare nolui. perinde ac ſi promittere coactus eſſet, religio, inquit, fuit. huius duo ſunt extrema, defectus quidem irreligio, exceſſus uero ſuperſtitio. Eſt enim religio dicta, ut Ser. Sulpitius tradit, quod propter ſanctitatem aliquam remota ac ſepoſita à nobis ſit, quaſi à relinquendo, ut à carendo cærimonia. Cicero autem à relegendo dictam putat, qui in libro de Natura deorum ſecundo ita dicit: Non enim philoſophi ſolũ, uerumetiam maiores noſtri ſuperſtitionem à religione ſeparauerunt. nam qui totos dies precabantur & immolabant, ut ſui ſibi filij ſuperſtites eſſent, ſuperſtitioſi ſunt appellati: qui autem omnia quæ ad cultum deorum pertinent retractarent & tanquam relegerent, hi ſunt dicti religioſi, à relegendo, tanquam ex legendo legentes, & diligendo diligentes. his enim uerbis omnibus ineſt uis legendi, eadem in religioſo. ita factum eſt, ut in ſuperſtitioſo & religioſo alterum uitij nomen, alterum laudis eſſet. Lactantius autem Inſtitutionum diuinarum lib. 4. non à relegendo, ut Cicero, ſed à religando dictam religionem putat, quòd hoc pietatis uinculo obſtricti Deo & religati ſimus: ſicut & ſuperſtitionem, non cum filios optamus ſuperſtites (omnes enim optamus) dici uoluit: ſed cum hi qui ſuperſtitem memoriam defunctorum colunt, ut qui parentibus ſuis ſuperſtitibus colebant imagines eorum domi, tanquam deos penates, atque nouos ſibi ritus aſſumebant, ut in deorum uice mortuos honorarent, quos ex hominibus in cœlum receptos putabant: hos, inquit, ſuperſtitioſos uocabant. eos uero qui publicos & antiquos deos colerent, religioſos nominabant. unde Vergilius. Vana ſuperſtitio ueterumq; ignara deorum. Nec me præterit quod dixit Nigidius Religentem eſſe oportet, religioſum nefas. quod religioſum, triſte & ominoſum ſignificet. Marco

Cicero ad Atticum. Maiores, inquit, noſtri funeſtiorem diem eſſe uoluerunt Allienſis pugnæ quàm urbis captæ, quod hoc malũ ex illo prouenerit. itaque alter religioſus etiã nunc dies, alter uulgo ignotus. Sed non ſemper religioſum diem triſti omine infamé dicimus, nec ſemper religioſus appellatur, uelut alij dicũt, qui nimia & ſuperſtitioſa religione ſeſe alligauerit, ut uitio aſſignetur. Inuenimus enim religioſum pro caſto & obſeruante, cohibenteq́; ſeſe certis legibus finibusq́; : unde & religioſa delubra legimus, non ominoſa, ſed maieſtatis uenerationisq́; plena. quapropter & Maſſurius, Religioſum, inquit, eſt, quod propter ſanctitatem aliquam remotum ac ſepoſitum à nobis eſt uerbum à relinquendo dictum. Manifeſtum igitur ex his, religionem nõ omnem cultum diuinum dici, quando à nobis longe ſemota eſſe dicatur, ſed nexum quendã eſſe, quem dei myſterijs deuouimus: quem cum obſeruamus, religio: cum id facere negligimus, irreligio nominatur. nam quem ſponte cultum noſtrum deo offerimus, pietatem nuncupamus. *Quid metus mortis.*] Nam et hæc animi perturbatio eſt, quã in ſapientem cadere poſſe Stoici negauerunt. *Quid imperij cupiditas.*] Id eſt, libido dominandi. hæc ab ambitione differt, quod ambitio in populo maxime cupit eminere, & cuneos ſe populares ſequi affectat. Cupiditas autem dominari, in omnes habere imperium. *Quid denique alia permulta.*] Cum penè infinitæ animi ſint perturbationes. *Quando ægritudinem cum utraque coniunctã eſſe neceſſe eſt.*] Aegritudo ſiquidem, quæ & ægrimonia nominatur, cum ſit & ipſa animi perturbatio, neque magis metum quàm cupiditatem contineat, utrunque pariter complectitur. ſiquidem & cum metuimus, & cum cupimus, ægritudine laboramus. *Omnium malorum ſtultitia mater eſt, atque materies.*] Hoc expoſitione indiget: paulo enim obſcurius eſt quàm ut omnium mentes poſſint capere. ueruntamen id, quàm breuiter ac dilucide à nobis poterit fieri, explicabitur, ut quantum ad Ciceronis ſententiam attineat, nihil ultra pro ut ualuerimus dici deſideretur: dabimusq́; operam, ut quidquid redundans & ſuperfluum uideri poſſit, ne prætermittamus, ſed prius uerbum ipſum, deinde quid ſit hoc, quam materiem Cicero nominauit: poſtea quod reliquum erit, proſequemur, ac definiemus. Quam Græci hylen, noſtri modo ſyluam, modo materiam nominant, idq́; ſignificatione gemina. nam cum ὕλη ſaltus, id eſt, ubi arbores multæ cadũtur, ſit nominata, & materiem ſignificet, quæ rerum omnium nutricula quædam eſt: ita ſylua à Latinis, non modo ſaltus ceduus, unde ligna deportentur, etiam uulgo nominatur, ſed & pro materia nonnunquam ponitur, ut apud Ciceronem: Hoc in genere, nam quaſi ſyluam uides, omnis eluceat oportet eloquentiæ magnitudo. & rurſum: Cui loco omnis & uitiorum ſylua eſt ſubiecta. E' diuerſo & materia pro ſylua et arboribus ponitur, ut apud Q. Curtium: Vehemens Fauonius erat, & multam materiam ceciderat miles, aditũ per ſaxa moliens, hæc uapore torrida iam inaruerat. Et materies & materia pro re aliqua tractanda ponitur. permittamus nobis, ut hoc uerbo utamur ſubiecto, quod Græci ὑποκείμενον uocant, cum iam omnium ore uerſetur. hoc enim intellectu forte facilius erit, quàm ut quidem cauſam nominemus. Verbum igitur uerbo græco reddentes, ſubiectum alij, alij materiam. ut Horatius: Sumite materiam ueſtris qui ſcribitis æquam Viribus. Sed proprium tenet materia ſignificatum, cum rerum omnium humanarum principium à deo creatum ſignificat. Nec audiendi qui inter materiam & materiem differentiam eſſe uoluerunt; ut ſit quidem materia proprie, quam Horatius intellexit: hæc autem materies. cum non magis inter ſe differant, quàm luxuries & luxuria, auarities & auaritia: quando etiam per ſimilitudinem quod prius poſuimus, ab hoc quod ſecundo loco poſitum eſt, liquido deduci intelligatur. Eſt igitur ὕλη, ſiue ſyluam, ſiue materiam libeat nobis appellare, ex qua rerum omnium humanarum eſt genitura, & cunctorum corporum indiſſolubilis inuiſibiliſq́; origo prima, à qua qualitates & quantitates, & omnia quæ accidunt proueniunt: quæ licet à propria natura non recedat, diuerſis tamen & contrarijs ſpeciebus eorum quæ inter ſe recipit, uariatur. Hanc melius adhuc explicare conabimur. ſed quo rei manifeſtior fiat, quid de rerum principijs multi, qui demum aliquid dicere uiſi ſunt, ſentiant, decurremus. Fuerunt qui nunquam genitam materiem eſſe dicerent, ut Democritus & Epicurus: quippe qui textum eius & quaſi continuationem quandam corpuſculis quæ intelliguntur potius quàm ſentiantur, connexis ſibi inuicem, aliquo modo poſitis, figuratiſq́; omne corpus generari: ſed qualitates, quas corporibus ex ea materie non tribuerunt, Anaxagoras dedit. Thales de ſeptem ſapientibus unus, quem ferunt ante omnes naturalia ſecreta rimatum eſſe, rerum omnium initium eſſe aquam dixit: idemq́; & Homerus, cum Oceanum & Thetym parentes omnium eſſe dicat. At uero Anaximenes rerum initium aera indicauit, Heraclitus ignem. Sunt etiam qui immobilem materiam quandam eſſe dicant, & eandem ex omnibus in unam molem redactam, unum omnia eſſe conſentientes, ſine ortu & ſine occaſu: ut, Xenophanes, Meliſſus, Parmenides. ſed Parmenides unum omne perfectum & definitum pronunciat, Meliſſus infinitum & indeterminatum, Empedocles uarium & multiforme quiddam. Ariſtoteles autem tria rerum naturalium initia conſtituit, ſyluam ſiue materiam, ſpeciem quam alij formam, & carentiam quam alij priuationem in Latinum tranſtulerunt. idem ſine genitura & ſine interitu dicit mundum eſſe, diuina prouidentia perpetuitati propagatum. Plato autem rerum initia tria eſſe arbitratur, deum, materiã, rerumq́; formas, quas Ideas uocat. Deum autem, inquit, inuenire facile, cognoſcere autem impoſſibile eſt: materiam uero improcreabilem incorruptamq́; commemorat, non ignem, neque aquam, nec aliud de principijs quæ elementa dicuntur eſſe: ſed ex omnibus primam figurarum capacem formationiſq́; ſubiectam, rudem, & figurationis qualitate uiduatam. Ideas uero, id eſt, formas omnium ſimplices & æternas, nec corporales, & eſſe earum rerum quæ deus ſumpſerit exempla, quæ ſunt eruntúe, & omnium quæ gignit Deus corporũ inſtar ceræ formas. Proinde Platoni quidem uidetur Deus initium eſſe, & cauſa bonorum, materia autem malorum. Idem ſentit Pythagoras, qui Deum ſummum & præcellens bonum eſſe, materiã autem malorum omnium ſeminarium quoddam: quæ licet indiſtincte fluctuet, tamen quia intimo proprioq́; motu mouetur, uiuat & cum anima uegetetur neceſſe eſt. cum igitur in materie multa ſit intemperies, & improuidus impetus & caſus, atque ut libet exagitata præſumptio, & pecudum ritu homines ob eam incondita & turbulenta iactatione moueantur: anima autem, quippe quod ex Deo ſit, ſalubri homo uigeat ſapientia, ex materia uitiorum incentiua omnium hominum titillant animos, & quaſi immeditullio noſtrum iudicium eſt, uel abijcere cogitata, uel recipere. ſi abijcimus, uincatq́; ratio, Deo proximi ſimus, qui ſuperiorem eſſe animam uelimus. ſin autem recipimus, ſuperior materia eſt. quam ſi perpetuo ſequimur, cum ſit ea cœno fœdior, poſt corporis interitum in cœlum migrare non poſſumus, ſed hic immergamur ad inferna mundi loca, & à conſpectu diuino longiſſime remoueamur, neceſſe eſt: ut hæc nos gremio ſuo materies complectatur. Proinde ex ui animæ, quæ ex Deo eſt, ſapientia prudentiaq́; naſcitur. Eſt autem ſapientia, ut tam Ariſtoteles quàm Plato ſenſerunt, rerum diuinarum. prudentia autem, humanarum cognitio. Vt igitur ex anima, ita ex materie, quam ſyluam diximus appellari, omnis emanat ſtultitia. Sed ex materie cupiditates ſuſcitantur, quæ cum rationis dominio cohibentur, prudentiæq́; rationi adijciuntur, uirtus dicitur. cũ autem ab eis præcipitamur,

peccati

peccati nomen ſibi uindicant. ſunt igitur ex animæ uigore natæ. Prudentia uirtutes generat : ita ut materiæ titillatio,ac de ſcelere cognitione quædam uoluptas, quæ ſtultitia nominatur, ortum habens, futuris cupiditatibus dat infinitis exordium. Iam puto in Marci Tullij uerbis nihil obſcuritatis relictum, quod dixerit omnium malorum matrem ſtultitiā eſſe atque materiem. Hoc enim dicit, omnium malorum, id eſt uitiorum, unde mala proueniunt hominibus, ſtultitia mater. prius ſtultitiam poſuit, quod ex ea cupiditates omnes oriantur: deinde materiem ſecundo loco, quod ex materia, ut dictum eſt, ſtultitia capiat exordium. quæ tunc uere ſtultitia nominatur, cum rationi nullus diſtribuitur locus, ſed quaſi medijs in uitijs merſa ſuggillatur. Cæteris parit immenſas cupiditates: infinita porro hæ & immoderatæ ſunt, quæ pariant auaritiam.] Quid cupiditates? nunquid cupiditates ſola mala eſſe dicentur, quæ ex materie deducuntur? cum ſint & aliæ animi perturbationes, metus, dolor, gaudium, ut Stoici uoluerunt. hoc igitur ita accipiendum : cum auaritia cupiditas ſit quædam, & auaritiam tantum uellet inceſſere, non conuenit alias animi perturbationes nominare. Auaritia porro hominem ad quoduis maleficiū impellit : igitur aduerſarij noſtri inducti auaritia, hoc inter ſe facinus admiſerunt. Hic id quod extremum dictum eſt, fuit ſatis exponere, ne Ennium & cæteros poetas imitemur.] Intelligi enim facile poteſt, nullum eſſe officium tam ſanctum, quod non auaritia comminuere atque uiolare ſoleat. hæc enim amicitias falſimonijs exterminat, ſocietates perfidijs ſibi grauiter reddit infenſas, propinquos & Deum ipſum impietate aggrediens, omnibus flagitijs ſe ſingularem & inſignem reddit. Vtinam ne in nemore Pelio.] Pelion Theſſaliæ mons, ubi arbores cæſæ ſunt ad Argo nauim conſtruendam. Abiegnæ.] Ex abiegno. Quæ nunc nominatur Argos.] Ab Argo conſtructore, Argos nauis dicta. Sed uiri proprium Argos ultimam corripit, declinaturq; Argos Argi, ſicut ceſtos ceſti, & Delos Deli. Argos autem nauis proprium, eandem producit ſyllabam, ab Argo conſtructore dicta. & declinationem habet Græcam, Argos, Argoos. Argiui delecti uiri.] Nota eſt hiſtoria, quam apud Græcos Orpheus primum, poſt Apollonius ſcripſit, apud Latinos autem Valerius Flaccus. Pellem inauratam arietis.] Cuiuſmodi hæc pellis eſſet, ambigitur. aliter de ea Diodorus, aliter Strabo ſcripſere. quorum opiniones, ne longum faciam prætereo : ſatis eſſe ratus, ſi ubi legi id poſſit, commonſtrauerim. Imperio regis Peliæ.] Per dolum. ut hoc apud Orpheum Apolloniumq; ac Pindarum in Pythijs intelligi abunde poſſit. Nam nunquam hera.] Verum hera domina, an certe ſicut ab eo quod eſt heros ueteres Romani Herus inuertiſſe creduntur, ita ſecundum analogiam Heram pro heroin dixiſſe uideri poteſt. Domo ex Colcho Iaſonem ſecuta amore ſaucia.] Subaudiendum, Iaſonis : ut apud Orphea & Apollonium in manifeſto deprehenditur. Amore ſaucia.] Id eſt, quod animo ægro dixit.

DE VITIOSA RATIONE.

u Itioſa ratio.] Supra quo pacto propoſitionem noſcamus uitioſam, edoctum eſt : nunc quomodo propoſitionis rationē uitioſam eſſe poſſimus cognoſcere, ediſſerit duabuſq; de cauſis uitioſam uideri poſſe, aut ſi ſit infirma & debilis, aut ſi ſit ſtolida et inſulſa. Immane facinus eſt.] Nequiter factum eſt. In ætate.] Si totius ætatis curriculum inſpiciamus aliquando, ſi caſtiges, cedet ei utilitati & conducet. Cōducibile.] Quod ad aliquid tractandum, nonnihil commodi ſit allaturum. Nam ego amicum meum.] Ab eo quod dixit. Nam, rationem expoſitionis reddit, quoniā, nam, enim, ſiquidem, rationales ſunt coiunctiones, in quo Plautus loquentis perſonam obſeruauit : ut in Dialogis fieri etiam ſolet. Pro commiſſa noxa.] Pro admiſſa culpa. Vtile quid ſit ratiocinatur.] Eſt enim, ut Auguſtinus inquit, ratio mentis aſpectus, quo bonum malumq; animus diſcernit : ratiocinatio autem rationis inquiſitio. Vtile ergo quid ſit ratiocinatur.] Per rationem inquirit. Vana ratio.] Vanum fatum & ſtolidum & ratione carens dicitur. Socordiam.] Mentis ſoperationem. Et deſidiam.] Corporis ſegnitiem. Et brutum.] Perhibent Philoſophi brutum detracta aſpiratione, & uerſo y in u, factum à βρύτω ſcilicet. Eſt autem βρύτον mole ſua in terram preſſum, ob hanc rationem etiam bruta animalia, quorum ſenſus terram nō excedat dicta. Sors.] Caſus. Cadere fortunam autumant.] Aiunt ipſam labi ſine ratione fortunam atque rotari in ſaxi ritum. Inter fortunam & fors fortunam facit Donatus differentiam : ut dicat fortuna Dea. Incerta eſt fors fortuna, id eſt euentus fortunæ. Ob eam rem iterant.] Aſſerunt. Quia atrox.] Quæ nihil timeat, nam ab à priuatoria particula et δέω quod eſt timere compoſitum uerbum eſt, Feſto Pompeio teſte. Incerta.] Incertum Græci, ut & Cic. in Hortenſio inquit, ἄδηλον dicunt. ergo incerta, quæ ſe nulli cognoſcenda præbeāt. Inſtabiliſq; ſit.] Vnde & apud Q. Curtium, Scythæ noſtri ſine pedibus dicunt eſſe fortunam, quæ manus & pennas tantum habeat : cum manus porrigit, pennas quoque comprehendere non patitur. Ex quo datur intelligi fortunam nulli unquam tantum aſpirare, ut eam tenere ſibi poſſit. Polliceri brutam.] Quia dignum ab indigno nequeat internoſcere, non minus, quàm unum aliquod brutum animal. Sunt item alij philoſophi qui contra.] Id eſt è diuerſo fortunam negant ullam eſſe. Fuerunt qui fato omnia fieri crederent, ut Stoici, cum dicerent, quid eſt tandem quod caſu fieri, aut forte fortuna putemus? Nihil eſt tam contrarium rationi & conſtantiæ quàm fortuna, ut ne in Deum quidem cadere uideatur : ut ſciat quid caſu fortuitoue futurū ſit. Si enim ſcit, certe illud eueniet : ſin certe eueniet, nulla eſt fortuna, atque ſcit omnia, nihil ergo eſt, quod præſenſum non ſit. Aliqui alia fato, alia caſu, alia fortuna agi dixerunt, ut Democritus, Heraclitus, Empedocles, Plato, & omnes peripatetici, quorum princeps fuit Ariſtoteles. aliqui caſu fieri omnia contenderunt, uelut Epicurei. ſicut apud nos Lucretius. Temeritate.] Hoc eſt caſu, & ſine cauſa omnia regi autumant. hunc inferiorem mundum exiſtimant nullum habere regimen, ſed omnia pro ut caſus tulerit in eo fieri. Quod uſus re ipſa ab ſe experiendo edocet.] Idq; ideo uerum eſſe aiunt, quod uſu experientiaq; eſſe uerū intelligatur. Re ipſa abs ſe.] Sine alterius adhibito extrinſecus adiumento edocet, demonſtrat. Naufragio.] Nempe, res iſta contigit : ut mendicaret. Nō forte.] Euentu fortunæ. Aut fortuna.] Quam Deam illa coluit uetuſtas. Vtrunque ſecundum philoſophos fieri poteſt, ut temeritate factum eſſe, & fortuna iudicetur. Quod in expoſitione dictum eſt.] Quod ſupra dum expoſitionem tractabamus dictum. Non uniuerſa.] Quia & multæ aliæ ſubiungi poſſunt multo ualidiores rationes. Neque abſoluta.] Quia & utraque deficit ratio, nec ullo modo perfecta dici poteſt. Eandem affert rationem.] Quare cæca eadem, et quare bruta fortuna dicatur. Cæcam.] Ob eam rem fortunam Pacuuius dicit, quòd nihil cernat, quo ſeſe applicet : rurſum brutam, quia dignum neſciat internoſcere. Sed ſi nihil cernit, hoc eſt, uidet quo ſe applicet, ne internoſcere quidem id poteſt, quod dignum uel indignum ſit. Item ſi dignum ab indigno nequit diſcernere, neceſſe eſt non cernat, quo ſe applicet. uitioſa ergo harum altera ratio eſt : quod cum expones, licet diuerſa ſint, una tamen ratio ſit. quod igitur bruta ſit, altera fuit ſubijciēda ratio, quæ ei propoſitioni accommodatior uideretur.

DE CONFIRMATIONE VITIOSA.

IN confirmatione rationis.] Supra diximus argumentationem, quod epicherema nominatur abſolutiſſimam, ut Cic. uiſum eſt, quinque conſtare partibus, propoſitione, propoſitionis ratione, aſſumptione, exornatione, cõplexione. Duas ſupra partes tractauimus, ſequitur tertia, quã hic Cic. rationis confirmatione nominat: quæ acte rei ratio quadam potius eſſe uidetur, ut exempla ipſa Ciceronis edocent. nos tamen ſupra de hac re lõgius tractauimus: idcirco hic nihil adijcere uolumus. Et obſeruanda in.] Vt reprehendi queant. Comprobat argu.] uideri facit probabilem. Duplici con.] Duobus comprobandi quod uolumus modis. Si impro. eſſe Creſ.] Maritum meum, apud Ennium dicit filia ad patrem. Cur me hu. nuptijs.] Cur me Creſphonti deſpondebas uxorem. Locabas.] Pro, collocabas. Sic enim ueteres Varrone teſte locuti ſunt, ſicut etiam apud Plautũ. Filiam habeo grandem dote caſſam atque illocabilem, neque eã queo locare cuiquam. Nam nummo locare, penſioni aliquid dare, ſicut conducere, penſione accipere, ſignificat. Cur ta.] Tam probam. Inuitam.] Me filiam tuam. Inuitũ.] Maritum cogis relinquere, quippe qui diuortiũ nos iubes facere. Quæ hoc modo concludentur.] Hoc eſt, concluſa argumentatione refellentur. Sin autem eſt improbus, diuortio liberabo te incommodis.] Diuortium factis nuptijs, ante nuptias repudium appellatur.] Ex ſimplici parte.] Nam pars ſuperior duplex fuit, cum dicebatur, ſi improbum Creſphontem, & quæ ſequuntur. Deinde, ſi probus eſt, & reliqua. Acutior illa ſuperior.] Quando non facile inuenitur, nec ubique poteſt accommodari. Certe ſigna nõ.] Habent certa, neceſſaria. Nonnihil huiuſmodi.] De his ſignis abunde ſupra in coniecturalis conſtitutionis tractatione dictum eſt. Huiuſmodi deprecationes.] Id eſt, refutationes. Si approbabuntur.] Admittẽtur. Impune.] Sine cauſa, aut ſine pœna. Maxima peccata.] Num dilabantur, qui adoleſcentia iracundia aut amore lapſi ſunt, in maxima peccata, an ipſa peccata dilabantur in omnes. Conferunt concordiam.] Concordes fiunt. Ita eſſe demonſtraſſet.] Vt dijs eſſet poteſtas inferorum ſuperorumq; motus: ut deorum poteſtate omnia mouerentur: cum id dubium uideri potuerit. non enim, ut alia taceamus, hominum mentes ſaltem deorum poteſtate moueri concedimus. deos enim aſtra uocat, aut dæmonas: nec inter ſe hæc ſibi conueniunt, ut nõ aliquatenus diſſideant. Nũc deſertum ab omnibus ſumo.] Paro ut reſtituam: hoc eſt, in tuum te priſtinum reducam ſtatum. Nec tam defenſio hæc dicenda, quàm defenſionis iactatio, & quædam oſtentatio. Ac dictum ſit.] Ac, quàm hic ſignificat. Potens ac factioſus.] Qui uideri inter primos in urbe comitum turba uelit. Sine atroci.] Maxima ſuſpicione. niſi quæ ex pulſatione, aut cõuitio conſtet. Ex pulſatione.] Cum quis uapulat. Conuitio.] Cum maledictis & obſcenis alicuius uerbis inceſſitur. Vt Cicero pro M. Cœlio: Aliud eſt male dicere, aliud accuſare. Accuſatio crimen deſiderat, rem ut definiat, hominem ut notet, argumento probet, teſte confirmet. Maledictio huius nihil habet propoſiti præter contumeliam: quæ ſi petulantius iactatur, conuicium: ſi facetius, urbanitas nominatur. dictũ uero conuicium, Nonius Marcellus exiſtimat, quaſi è uicis, qui ſecũdũ ignobilitatem loci, maledictis & dictis turpibus cauillentur. Quæ nihilominus.] Nihilo ſecius. In aliam rem transferri poſſunt. Subaudiendum, non in eam, quam uelit ſibi aliquis cõcedi. Quadruplator, ut breuiter dicam, capitalis eſt.] Quadruplatores dicebantur, inquit Feſtus Pompeius, qui eo quæſtu ſe tenebant, ut eas res perſequerentur, quarũ ex legibus quadrupli erat actio. Sed Quintus Pedianus, quadruplatores, inquit, delatores erant criminum publicorum, in qua re quartam partem de proſcriptorum bonis, quos detulerant, conſequebãtur. Alij dicunt quadruplatores eſſe eorum reorum accuſatores, qui conuicti quadrupli damnari ſoleant, aut aleæ, aut pecuniæ grauioribus uſuris fœneratæ. Quàm furis, quàm ſicarij.] Fures, inquit Nonius Marcellus, ſignificantiã habere à furuo, quod Romani ueteres atrum appellauerunt, et quod per obſcuras atque atras noctes opportuna ſit eis mali effectio, eo dictos fures. Varro rerum diuinarum libro 13. furem ex eo dictum, quod furuum atrum appellauerint, et fures per obſcuras noctes atque atras facilius furentur. Alij quod à ueteribus Græcis φὼρ diceretur, quem nunc κλέπτην uocant. Sicarius autem, à ſica: quod eo telo nefarij homines per auias fauces & deſertas ſolitudines, in quoſcunque poſſint, graſſentur. Pro argumento.] Loco demonſtrationis. Quod in diſquiſitione.] Quod à duobus inter ſe diuerſis exquiritur. Nam id diſquirere eſt: ſicut dijudicare inter duos aut plures, cui acquieſcere debeant, efferre ſententiam. Quod ſibi furtum.] Hoc enim probandum fuerat, & poterit hoc modo in argumẽtatione fieri aſſumptio, ut dicas, quicunque alienum furatur, is improbus, auarus, fraudulentusq; eſt: ſed mihi furtum fecit. inferetur deinde cõplexio, uel reticebitur, quod ſit aperta ſatis. Hoc pacto multa quæ hic Cicero ponit exempla, aſſumptiones fieri poſſunt, multa etiã non poſſunt. Quod ſi ad exercitum.] Si uidelicet adeſſe non potuiſſet, cum ſe uenturum iuraſſet, cur id tribuno militum diceret? quando ſciret nihil hoc profuturum, ſed ſe daturũ pœnas. Quia non expedita & iudicata res.] Vt proferri debuit, non exemplo, quod quæſtionem habet, an comprobet. Parum expeditur.] Expedire explicatur. Aperte fatur dictio.] Exemplum eſt de Achillis armis, Verum Aiaci an Vlyſſi traderentur: conſultum autem Apollinem, reſpondiſſe aiunt, eſſe adijudicanda ei qui talis eſſet, qualis ille qui geſſerat, fuit. Fatur dictio.] Loquitur, quod Apollo dixit. Hoc iubet.] Subaudiendum, ut dentur tali, qualis fuit qui ea geſſit. Potiri ſi ſtudeamus.] Si Troiam cupiamus ſubigere. Celſa Iouis ædificia.] Pergama, ut Suidas inquit, ita nominarunt. Quare Troia hoc ſibi nomen uindicauit, quod celſis exurgeret mœnibus. Duris tamen Cretenſis, de Palladio Aiacẽ & Vlyſſem contendiſſe aſſerit, ac poſt Ilium captum, ob eã rem Aiacem occubuiſſe: num dolore proprio conflictatũ, an per inſidias occiſum, incertum eſt. Quæ ego profiteor mea eſſe.] Perinde ac ſi hæc Aiacis ſint uerba. Quæ, ſubaudiendũ arma. Profiteor.] Palàm dico: unde profeſſores alicuius diſciplinæ, qui eam ſe docere poſſe palàm enunciant. Me enim eſt æquum.] Tanquam fratrem. Nam Aeacus Iouis & Aeginæ filius, ex Aeneide Chironis filia duos ſuſcepit filios, Peleum & Telamonem. Peleus ex Thetide Achillem, Telamon ex Eurybœa Alcathoi filia Aiacem, ut Græca narrat hiſtoria, filium habuit. Ergo quia ex duobus nati fratribus ſanguine eſſent cõiuncti, recte ſcilicet amoris etiam affectu Achilles & Aiax cohæſiſſe uideri poſſint. Vel quod propinquus, uel quod eius uirtutis æmulus ſum.] Hæc ſunt quæ Cic. quaſi tranſacta dicit eſſe, ac per hoc nullam penè uim præſtare argumenti. Virtutis æmulus fui.] Eius, Achillis, roboris, corporis, fortitudinis & animi. nam ſi Homero credimus, poſt Achillem Aiax omnium Græcorum fortiſſimus fuit, quem bis cum Hectore congreſſum, ſuperiorem fuiſſe ſcribit. Tum id diſſuadẽdo euoluere.] Diſſuadendo ad id peruenire, ut dicatur.] Nã ſi uereretur.] Si delinquere ob uerecundiã non poteſt. Id parui auditu.] Quippe qui inuerecundus ſit, & in omne facinus exultante libidine audeat proſilire. Quid poſtea?] Cum commode, ſatis'ne accuſet, oſtendiſſe uiſus ſit. Quod ait.] Nũ quod adijciet idem quod dixit confirmabit. Nunc ego te à ſummo dètexã exordio.] Hoc eſt, nunc tua ordiar ſcelera, à ſummo exordio, ab initio uel exordij, aut eorum quæ geſſiſti principio.

principio. Te à ſummo detexam.] *Te omnibus commonſtrabo, & quaſi textum per fila diſcindam.* Quibus illi.] *Iudices, uel quicunque audiunt.* Student.] *Studioſe fauent.* Non omnes res confirmare.] *Quas pollicitus ſis in expoſitione, ſi propoſueris te aliqua probaturum, & deinde è memoria eorum aliquid exciderit: aut ſi aliquid adieceris. Sed hæc non tam argumentatio, quàm argumentationum multarũ contextus quidam eſt: niſi partium, aut ſpecierum fiat enumeratio, quæ ad totum genuſq; referatur. Nam unũ per ſe, quod in argumentatione probare uelis, eſſe in ſingulis argumentationibus oportet.* Non omnes res confirmare.] *Quas pollicitus ſis in expoſitione, ſi quiddam ab initio te confirmaturum dixeris, deinde ex eis aliquid excipias, quod te neutiquam poſſe confirmare fatearis.* Ne addatur ad rem quiddam.] *Vt ſi quem furem uelis oſtendere, eundem ambitioſum dicas, & quod ad tuam rem minime attineat.* Aut quippiã de re.] *Vt ſi cum ſicarium, furem, & libidinoſum uelis oſtendere, unũ ex his reticeas.* In aliam cauſam.] *In aliam litem concludatur. Vt ille, qui cum ambitus accuſaretur, manu ſe fortem eſſe defendebat: & ut Ariſtoteles in Elenchorum libro ſcribit feciſſe Lycophrona, cum de quo diſputaretur, nõ intelligeret, lyram cœpit extollere.* Vt apud Pacuuium Zethus cum Amphione.] *Apud Euripidem & Pacuuium prætermiſſa muſica, unde ſumptum erat diſputandi initium, ſapientiam laudat.* Zethus cum Amphione.] *Qui Iouis ex Antiope nati, Thebas Bœotias conſtruxere: ut Homerus in 11. Odyſſea.*

Τὴν δὲ μετ' ἀντιόπην ἴδον ἀσωποῖο θύγατρα,
Ἣ δὴ καὶ Διὸς εὔχετ' ἐν ἀγκοίνῃσιν ἰαῦσαι.
Καὶ ῥ' ἔτεκεν δύο παῖδας ἀμφίονά τε ζῆθόν τε,
Οἳ πρῶτοι Θήβης ἕδος ἔκτισαν ἑπταπύλοιο.

Quod multi ſæpe.] *Vt num id dici uelint de ſe, reum ſæpe cõſulant, idq; faciunt anguſtijs cauſæ coacti, quod de cauſa tam pauca dici poſſint, ut nimium feſtinãs cauſam egiſſe uideatur: quod cum nos facere deprehenderimus, dicimus ideo id feciſſe, quòd ad cauſæ defenſionem nihil habuerit.* Ex eo quod putaret oſtendi à quo homine factum eſt.] *Senſus eſt: Vitioſum eſt, cum aliquid iniqui factum iam conſtet, & quæratur tantummodo à quo factum ſit. Si uelit aliquis non tam oſtendere, à quo factum idipſum ſit, quàm nequiter id factum eſſe, cum de eo dubitet nullus. Non enim ex eo quod nequiter factũ eſſe oſtenditur, etiam demonſtratur quis quid commiſerit. Id denique non mediocri dabitur uitio, ſi in ea re multum fuerit occupatus.* Vituperare alteram, cum alteram laudes.] *Quod genus ſi quæratur, utris maior honor habendus ſit.* Albenſibus.] *Cum duæ, ut & Varro inquit, Albæ fuerint, ab una dicuntur Albani, ab altera Albenſes: ſicut Lucenſes et Lucani, Rhegini & Rheginenſes, Pergameni & Pergamenſes, Cumani & Cumenſes. Eſt etiã ubi eadem gens alia appellatione nominetur, licet aliquatenus differat, ut Romani et Romanenſes, Siculi & Sicilienſes, Hiſpani & Hiſpanienſes, Piceni et Picentes, Iliaci et Ilienſes, Rhodij et Rhodienſes, et id genus alia, ut Feſtus Pompeius putat.* At Vientinis.] *Et hi populi etiã Veij dicti ſunt, ad oppido Veijs. ſicut illud oſtendit in Neronem Epigramma:*

Roma domus fiet, Veios migrate Quirites,
Si non & Veios occupat iſta domus.

Qui reipub. & populo Romano profuerunt.] *Subaudiendum, in bellis ſocialibus.* Velut Sulpitius.] *Hic Sulpitius Gallus oratorum in numero habitus, ornatus atque elegãs. quo prætore ludos Apollini faciente, cum Thyeſtem fabulam docuiſſet, Q. Martio, Cn. Seruilio conſulibus mortem obijt Ennius.* Quaſi fuiſſet id in controuerſia.] *Cum omnes uno nomine exules, extra ſolum patrium eiectos appellarent, licet ipſe, pro Cæcina dicat: Exilium enim, non ſupplicium eſt, ſed perfugium portuſq; ſupplicij. Nam qui uolunt pœnam aliquam ſubterfugere, aut calamitatem, eò ſolum uertunt, hoc eſt, ſedem ac locum mutant. Itaque nulla in lege noſtra reperitur, apud cæteras ciuitates maleficium exilio eſſe mulctatum. ſed cum omnes uincula, neces, ignominiaſq; uitant, quæ ſunt legibus conſtitutæ, confugiunt quaſi ad ſecuritatem, in exilium: qui ſi in ciuitate legis uim ſubire uellent, nõ prius ciuitatem quàm uitam amitterent. quia nolunt, non adimitur his ciuitas, ſed ab his relinquitur, ac deponitur. Sed quare hic Cic. dixerit, ſatis apparet.* Aut proinde.] *Ideo quaſi non omnes quibus interdictum eſt, ne aqua igniq; utantur, exules nominentur.* Verum illi.] *Subaudi Sulpitio Gallo, cuius iam meminimus.* Simile uitioſum eſt, quòd aliqua parte diſſimile eſt.] *Simile uitioſum oſtẽdi poterit, ſi id quod conferetur ei qui cum conferetur, demonſtrabitur eſſe diuerſum genere, natura, ui, magnitudine, tempore, loco, perſona, opinione: & ſi hoc in numero illud erit quod per ſimilitudinem afferetur, et ſi hoc in loco illud erit quod eius cauſa, quomodocunque afferetur. Deinde uero quid res cum re differat demonſtrabimus, ex quo docebimus aliud de eo quod cõparabitur, & de eo qui cum comparabitur exiſtimari oportere. & hoc maxime reprehendi poterit, cum per inductionem tractanda erit argumentatio.*

DE EXORNATIONE VITIOSA.

q Voniam exornatio conſtat ex ſimilibus & exemplis & amplificationibus.] *Comparationis uitium, ſi inter ea quæ comparata ſunt, ratio non eſt cur comparari debeant.* Aut ſibi ipſi obeſt.] *Quid affert, ſi imprudẽter ſimile afferat aliquid quod aduerſarius, in ipſum qui protulit retorqueatur.* Exemplum uitioſum eſt.] *Docuimus ſupra aliud eſſe exemplum, aliud ſimilitudinem.* Si aut falſum eſt, ut reprehẽdatur.] *Atqui apud ipſum de Claris oratoribus Atticus: Conceſſum eſt, inquit, rhetoribus ementiri in hiſtorijs, ut aliquid dicere poſſint argutius. Exempla autem ſunt, ubi actus humanos conferimus. Recte igitur* Aut reprehendatur, *adiecit. Dicit enim, uitioſum tunc uideri debere exemplum, cum ita falſum effertur, ut ſtatim ab aduerſario reprehendi poſſit.* Aut ſi improbum.] *Non enim quæ ueteres fecerunt, omnia debemus imitari, ſed ea duntaxat quæ probari poſſint.* Aut inane.] *Inſulſum, quod nihil honoris aut utilitatis afferat.* Aut maius aut minus.] *Quàm res poſtulabit, ſi de plebe aliquis & gregarius cum tribuno prætoreue comparet, uel è diuerſo.* Res iudicata uitioſe profertur, ſi aut diſſimili de re profertur.] *Cum enim iudicatũ proferimus, ut id cauſæ noſtræ proſit, neceſſe eſt primum à laude eorum qui iudicarunt, id quod iudicatum profertur, ordiamur. per iudicantium enim auctoritatem iudicandi auctoritas cõfirmatur. deinde ut id quod iudicatum proferimus, ſimile ei quo de agatur eſſe monſtremus. tum demum enim iudicatum nos iuuabit, ſi huic ſimile demonſtretur. & hæc ſimilitudo octo illis ſupradictis modis fieri poteſt, genere, natura, ui, magnitudine, loco. perſona, tempore, opinione.* Aut de ea re de qua controuerſia nõ eſt.] *Quæ licet eodem in genere ſit, tamen quia probare per ſimile aliquod uelis, cum probatione non indigeat, uitioſum eſt.* Aut ſi improba.] *Si res quæ iudicata eſt, improbe iudicata intelligatur. Vitioſa quoque erit, ſi ab aduerſarijs firmiores res iudicatæ proferri poterunt.* Item uitioſum eſt.] *Ordo eſt, uitioſum eſt argumentari de eo, & planum id facere, quod aduerſarij factum eſſe confiteantur. Si enim confitentur aduerſarij, nihil eſt quod in eo amplius nobis cupiamus.* Nam id augeri tantum oportet.] *Non etiam oſtendi, uelut ipſe pro Quintio, qui mœror dignus inueniri in calamitate tanta poteſt? miſerum eſt exturbari fortunis omnibus, miſerius eſt iniuria, acerbum eſt ab aliquo circumueniri, acerbius à propinquo: calamitoſum eſt bonis euerti, calamitoſius cum dedecore. Funeſtum eſt à*

forti atque honeſto uiro iugulari, funeſtius ab eo cuius uox in præconio quæſtu perſtitit. indignum eſt à pari uinci, à ſuperiore indignius. Ab inferiore atque humiliore, luctuoſum eſt tradi alteri cum bonis, luctuoſius inimico: horribile eſt cauſam capitis dicere, horribilius priore loco dicere. Omnia circunſpexit Quintius, omnia periclitatus eſt. Talem poterunt auxeſim habere quæ alteri conferentur, aut quoquo modo aliter.

DE COMPLEXIONE VITIOSA.

Complexio eſt uitioſa.] Hæc fuit totius argumentationis Ciceronianæ pars ultima, quã dicit uitioſam eſſe, ſi non quod primum dictum eſt complectitur. Diximus ſupra duobus modis cõplexionem fieri ſolere: aut ex enumeratione eorum quæ dicta eſſent, aut ſi quod ſequeretur tantũ complexi eſſemus. Proinde uitioſa, inquit, ea erit, quæ ordinem in enumeratione nõ tenuerit, & quæ lõgius quàm oporteat euagabitur. Et quæ nõ ex enumeratione certũ et cõſtans aliquid relinquit, ut intelligatur, quid poſitum ſit in argumentatione.] Vitioſa quoque, inquit, illa eſt cõplexio, quæ cõfuſa, quidquã certi non adfert, ut planè quid uelimus probare, non intelligatur. Quid deinde.] Ratione facti, propoſitio lata ſit. Quid confirmatione.] Quid confirmare uoluerimus. Quid tota argumentatione demonſtratum.] Et cum omnes complexi partes fuerimus, quid per totam argumentationem ſit demõſtratum, repetemus. Non ſum hactenus equidem ueritus in hoc commentario non tantum uerba & ſenſum interpretari Ciceronis, & tam aliorum quàm ipſius alibi, ſed meam quoque (nec hoc arroganter dictum uelim) qualemcunque efferre ſententiam, idq́; factum eſt, quo ipſius præcepta Cic. cognitu faciliora uiderentur: & quantum in nobis eſt, non eſſet quidquã, in quo ambigere poſſet quiſquam. Id non ſumus conſecuti: non foreaſſe ſumus: at ut conſequeremur, cum ſedulo elaborauimus, idemq́; in his quæ ſequuntur facere ſtudebimus. Nam cum in primo libro orationem in ſex partibus conſummari oſtenderit, exordium, narrationem, partitionem, confirmationem, confutationem, concluſionem: de quinque iam dictum partibus eſt. de concluſione autem tractandum reſtat, ſi tamen de confutatione pauca prius tractauerimus. Nam cum cæteræ partes perſpicue ſatis tractatæ uideri poſſint, hæc obſcurius fortaſſe quàm ut omnes capere poſſint, tractata eſt. Proinde de hac iam dicere aggrediamur. Confutatio igitur, ſiue refutationem ſiue reprehenſionem eam libeat appellare, non refert. quæ orationis (ut hic Cic. uoluit) quintum, & ut alij aſſerunt, qui propoſitionem, partem orationis eſſe negauerunt, quartum ſibi uendicauit locum, difficilis non ſine cauſa ſemper credita eſt: quod defendere quàm accuſare difficilius ſit. nam cum proponitur uel uno modo tantum accuſatio, uarie diſſoluitur. Quod enim obiectum eſt, patronus negat, defendit, transfert, excuſat, deprecatur, lenit, minuit, auertit, deſpicit, deridet. Vnde fit, ut hinc mille flexus & artes deſiderentur. Omnis autem reprehenſio, ut iam de hac diſſeramus, tribus modis fieri ſolet: ſiquidem aut actor ipſe, aut quod extrinſecus ab actore proferri ſolet, aut eiuſdem oratio reprehenditur. Actor ipſe, ſi in actione deformis erit, uelut Curio, cuius motus erat (ut Cicero refert) is quem & C. Iulius in perpetuum notauit, cum ex eo in utranque partem uacillante quæſiuit, quis loqueretur è lintre: & Cn. Sicinius, tribunus pl. cum Curionem & Octauium conſules produxiſſet, Curioq́; multa dixiſſet, ſedente Cn. Octauio collega, qui deuinctus erat faſcijs, & multis medicamentis propter dolorem artuum delibutus: an unquam, inquit, Octaui collega tuo gratiam referres? qui niſi ſe ſuo more iactauiſſet, hodie te iſtic muſcæ comediſſent. Vel ſi quouis alio pacto ridiculi ſumus. quod tunc grauiſſimum erit, cum cauſa fidem minuet. Reprehenditur item actor, ſi temerarie, ſi inepte, ſi denique quoquo modo imprudenter ab eo agi cauſa uideatur. Nec oratio tantum, ſed uita etiam, uultus, denique inceſſus, habitus, rectè incuſari ſolet. Aduerſus Quintium enim Cic. ipſam quoque prætextam dimiſſam ad talos inſectatus eſt. Defenſionis ſanè permutatio ſæpe reprehenditur: ut Aeſchines aduerſus Cteſiphontem facit, cum minime de lege dicturum Demoſthenem queritur. Reprehenditur quoque, cum de quo controuerſia eſt prætermittitur, & de quo controuerſia non eſt agitur. Vt ſi quis cum Oreſtem accuſet, planum faciat, ab eo matrem eſſe occiſam: iure'ne an iniuria: non dicat. Et ille actor reprehenditur, qui in eo de quo conſtat, diutius immoratur. ut ſi quis cum Vlyſſem accuſet, in hoc maxime cõmoretur, indignum eſſe ab homine ignauiſſimo, uirum fortiſſimum Aiacem necatum eſſe. Item poteſt reprehendi, ſi quod dicitur inhoneſtum, aut hominibus qui audiunt, aut eo loco, aut eo tempore, uel ſi non accommodatum dignum'ue uideatur. Incuſatur etiam actor, ſi eorum qui audiunt uoluntatem lædit, uel contradicitur, atque hi qui audiunt fecerunt: ut ſi apud Alexandrum Macedonem dicens contra aliquem urbis expugnatorem, diceret nihil eſſe crudelius quàm urbes diruere, cum ipſe Alexander Thebas & Tyrum diruiſſet. & ille inceſſitur, cum ad alicuius defenſionem, ſuam potius fidem iactat, quàm illum defendat: ut cum te ſpectabant omnes florentiſſimo in regno relinqui, nunc deſertum ab omnibus, ſolus ut reſtituam paro. non enim tam eius ſenſus, quàm qui dicit carpitur, quod ſuo loco id minime dicat. & cum debeat defendere, ſe iactet: & qui hoſtium uim & copias & felicitatem augeat, cum ad pugnandum milites adhortetur. Et cum de aliqua re una diſputari cœperit, nondum illa abſoluta, in aliam ab ea diuerſam tranſiliat. Aut ſi rem cum re comparans, alteram laudet, alterã uituperet, aut alterius mentionem non faciat. aut ſi cum deliberatur, bellum'ne an non gerant, pacem laudet, nec illud improbet bellum. Quæ extrinſecus etiam ab actore proferuntur, reprehendi poſſunt: ut, ſi ſignum quod facile conuinci poſſit, diuerſumq́; eſſe ab aliquo horum oſtendatur: natura, ui, magnitudine, tempore, loco, perſona, opinione. Et in hoc genere quoque ſunt præiudicia, fama, rumores, tormenta, tabulæ, iuſiurandum, teſtes, in quibus pars maxima contentionum forenſium conſiſtit. Tertio reprehendi oratio poteſt, cum aut uerba, aut ſenſus inceſſitur. uerba reprehenduntur, ut ſi ponantur pro eo quod, cur dicere uolebat, ipſe prius irridebat. ut cum Chirtilium Siſenna defendens dixiſſet, C. Ruſcij accuſantis quædam ſputatilica eſſe crimina: hic. C. Ruſcius: Circumuenior, inquit, iudices, niſi ſubuenitis. Siſenna quid dicas neſcio, metuo inſidias: quid eſt hoc? ſputa quid ſit ſcio, tilica neſcio. maximi riſus inde excitati ſunt. ita adhuc ſunt aliqui, qui rectè loqui eſſe putant, inuſitate loqui: ſicut Balthaſar Raſinus, qui collega noſter quondam fuit. Nouimus tamen nullum eſſe, qui aliquando non erret. Nam & Demoſthenis, qui ſummus orator ab omnibus facile eſſe conceditur, quædam etiam Aeſchines exagitat, illudens, quæ dura, odioſa, intollerabilia eſſe dicit: & ipſum beluam appellans, quærit utrum illa uerba an portenta ſint. Itaque ſe purgans Demoſthenes, negat in eo poſitas eſſe fortunas Græciæ. Proinde ubi plura nitent, non ego paucis offendor maculis, quas aut incuria effudit, aut humana parum cauit natura. reprehendi tamen ab aduerſarijs ea ſimul ſolent: itaque non negligenda quidem, qualiacunque ſint. Senſus autem, aut aliquid referens, aut probans reprehenditur. Referens, ubi imprudenter aliquid eluditur, ſicut à Cicerone Triarius. nam cum Scauri columnas plauſtris uectas eſſe dixiſſet: Ego porro, inquit, Albanas ab eo columnas clitellis apportatas. Item, ut cum quendam, qui ſcire ſe id dicturos aduerſarios, & ita cauſam perſecuturos, retuliſſet, Iunius Criſpus eluſit: Ego uero, inquit, iſta non dico: quid enim attinet, illa bis dici? &

Caſſius

Caſſius dicentem adoleſcentulum, ridiculum fecit, cum, Quid me torvo vultu intueris? diceret. non mehercule, inquit, faciebã, ſed ita uidiſti. ſic & Ciceronem illuſum fuiſſe aiunt. Nam cum callidiſſime ſe dicere putaret, & cum illa uerba grauiſſima ex intimo artificio deprompſiſſet: Reſpicite, inquit, hominum fortunas, reſpicite C. Fabritij ſenectutem. cum hoc reſpicite, ornandæ orationis cauſa, ſæpe dixiſſet, reſpexerunt ipſi, & ecce Fabritius à ſubſellijs demiſſo capite iam diſceſſerat. contra & ipſe Cicero in quendam de minoribus annis multa mentientem: Ergo, inquit, cum una Romam ibamus, nondum natus eras? Repugnans quoque reprehendi ſermo ſolet, ut ſi quis cum dixerit, qui uirtutem habeat, eum nullius rei ad bene uiuendum indigere: neget poſtea, ſine bona ualetudine poſſe bene uiuere, aut ſe amico adeſſe propter beneuolentiam, ſperare aliquid commodi ad ſe peruenturum. Cum autem ſenſum ex ſenſu probare contendimus, aut inductione, aut exemplo, ſimilitudine'ue, aut ſyllogiſmo utimur, aut enthymemate: quibus omnia quæ complexi fuerimus, reprehendi debent, ſi aut falſa, aut non credibilia, aut non neceſſaria fuerint. aut ſi contra firmam argumentationem æque firma ponetur. Sed hoc genus poſterius poſitum, in deliberationibus maxime uerſabitur, cum aliquid quod contradicatur, æquũ eſſe concedimus: ſed id quod nos defendimus, neceſſarium eſſe demonſtramus. In his igitur rimandum omnibus, quæ falſa ſint. ut illud pro Cluentio, Cicero falſum inuenit, quem dixerant poculo epoto concidiſſe. rogat enim de eodem die Martium. Nam contraria & ſuperuacua & ſtulta reprehendere, nullius artis eſt. ideo hic ea ponere non curauimus: licet in ea plerique incidant aliquando, cum cupidi ſententiarum, data dicendi occaſione, minus quid dixerint reſpicientes, dum locum præſentem, non totam cauſam intuentur. Velut illud, cum Tubero Ligarium accuſat, quod is in Aphricam fugerit, & queritur, quod ab eo ipſe in Aphricam non ſit admiſſus: & in cauſa Cæliana, Clodia aurum ſe Cælio commodaſſe dicit, quod ſummæ familiaritatis ſignum fuit. Deinde eadem uenenum ſibi paratum affirmat. Id uero ſummi odij in Cælio argumentum orator probat. In inductione & exemplo, ſimilitudine reprehenditur diſſimile aliquod eorum octo modorum, quos ſupra memorauimus. Epicherema, quod quinque partibus conſtare Cicero uoluit, nos tribus partibus, nec pluribus ſupra docuimus, conſtare: ſiquidem nec rationem à propoſitione, nec ab aſſumptione approbationem abeſſe oſtendimus. Aut ergo epicherematis pars prima reprehenditur, ſi uitioſa conſtat enumeratione, hoc pacto: hunc equum aut emeris oportet, aut hereditate poſſideas, aut munere acceperis, aut domi tibi natus ſit. at neque emiſti, neque hereditate uenit, neque domi natus eſt: ſurripueris ergo neceſſe eſt. Hoc commode reprehenditur, ſi dici poſſit, ex hoſtibus eſt captus equus, & quidnis huic ſimile. eſt quando propoſitio multis conſtat nominibus, ad idem uerbũ relatis. Ita Plato Athenienſis philoſophus diſputat, quod aliquando res uera eſſe poteſt, hæc quæ uel una uel pluribus partibus falſa ſit. ut ſi dicatur: Plato Thebanus philoſophus, uel, Plato Thebanus poeta, & alia generis eiuſdem. Poteſt etiam reprehendi propoſitio, quæ unico conſtet nomine, cum ἀμφίβολον ſit: ut, Aiax poſt Achillem Græcorum fortiſſimus fuit. nam ſiue de Oileo intelligatur, ſiue de Telamonio, uerum eſſe conſtabit. Eſt & propoſitio, quæ coniunctione duo uerba coniungit: ut, ſi mater eſt, diligit. quæ & reprehendi poteſt: ut ſi dicas, Si mater eſt, non peperit, & ſimilia. In qua & reprehendi poſſunt ea, quæ ſupra de cathegorica propoſitione diximus, id eſt, quæ unico conſtat uerbo. de qualitatibus autem propoſitionum locus mihi hic differendi nõ eſt, ſed quæ reprehendi poſſint duntaxat decurrendo, nec ita ut omnia complectamur, aperuiſſe ſatis ſit. Coniunctiua itaque propoſitio, & ipſa ambigua eſſe poterit: ut illa, Si indigetis pecunia, pecuniam certe non habetis. poteſt enim intelligi, nam ſi propter inopiam in egeſtate eſtis, oportet ut pecuniam non habeatis. At indigetis: hoc, ſi ad appetitum referas, falſum erit, quod illi connectitur, pecuniam nõ habetis. Eſt ubi propoſitionem ueram, ratio ſequitur falſa: ut uirtus bonum eſt, nam locupletes facit. Eſt aliquando falſa propoſitio, & ratio uera: ut uirtus quidem miſera eſt, nam licet laudetur, à pluribus tamen deſeritur. De aſſumptione quoque, & approbatione aſſumptionis, idem intelligendum eſt. Complexio interdum ex ueris partibus antecedentibus falſa colligitur. ut, ſi ad illum hereditas ueniebat, uériſimile eſt ab illo eſſe necatum: ueniebat autem ad illum hereditas: ab illo igitur necatum eſſe conſtat. Non enim hæc fuit complexio, ſed ea quæ dicit, ab illo igitur uériſimile eſt eſſe necatum. Ex ſyllogiſmo enthymema naſcitur, ſi talis eſt ſyllogiſmus: id ſolum bonum eſt, quo nemo malus uti poteſt: id autem uirtus eſt: bonum ergo ſolum eſt uirtus. Sic, inquam, enthymema naſcitur: bonum eſt ſummum uirtus, quia hac uti nemo malus poteſt. Quidquid igitur in enthymemate reprehendi poteſt, idem & in ſyllogiſmo. Sed hæc omnia latius patent, quàm hic exponi poſſint. & huius etiam artificij cognitio eiuſmodi eſt, ut hic adiungi non queat, cum longi temporis & magnæ atque arduæ cognitionis indigeat. Quare alio tempore, ſi facultas erit, explicabitur. nunc his præceptionibus ad uſum oratorium contenti eſſe debemus, quandoquidem oratoriam non decet orationem ſyllogiſmis ita confertam eſſe, ac enthymematum ſtipatione concludi, ut à dialogis & dialecticis diſputationibus differre non uideatur. Philoſophi enim, uel quicunque docte diſſerentes, uerum quærunt, non minutius & ſcrupuloſius ſcrutantur omnia lenocinia in compoſitione, ſed rerum ueritatem ſimplicem rudemq; perſcutari malunt. Oratori, ait Cicero, ad aliorum iudicia componenda eſt oratio, & ſæpius apud omnino imperitos, atque aliarum certe ignaros literarum loquendum eſt, qui niſi delectatione alligentur, & nonnunquam turbentur affectibus, ipſa quæ iuſta ac uera ſunt, tenere non poſſunt. locuples & copioſa uult eſſe eloquentia: feratur ergo non ſemitis, ſed campis, non uti fontes anguſtis fiſtulis colliguntur, ſed ut latiſſimus amnis totis diffluat & efferatur campis, ac ſibi uiam, ſi quando non acceperit, faciat: & ut Græci dicere ſolent, quem mater amictum dedit, ſollicite non cuſtodiat: & propoſitiones, rationes, aſſumptiones, approbationes, concluſiones, & omnia argumentationũ genera augeat, tranſmutet, uariet figuris, ac uerſet: ut modo conqueſtione, modo interrogatione, modo admiratione, & cæteris figuris proponat, aſſumat, concludat, ut magiſtrumq; ea fateri quaſi cogat. Hæc ſunt quæ de reprehenſione paucis colligenda putauimus. Sequitur autem reprehenſionem concluſio, ſed Hermagoras digreſſionem primum, poſt concluſionem ponendam eſſe arbitratur. In digreſſione autem putat ille, oportere quandam referri orationem à cauſa atque à iudicatione remotam, quæ aut ſui laudem, aut aduerſarij uituperationem contineat: aut in aliam cauſam deducat, ex qua conficiat aliquid confirmationis aut reprehenſionis, non argumentando, ſed augendo, per quandã amplificationem. quod Ciceroni minime placuit, cui laudes & uituperationes non ſeparatim tractari placuit, ſed in ipſis argumentationibus eſſe implicitas.

DE CONCLVSIONIBVS.

Onclusiones, quæ apud Græcos ἐπίλογοι nominantur,

c *tripartita ſunt.] Quam Græci partem orationis ultimam ἐπίλογον nominant, Latini perorationem, quidam cumulum, alij concluſionem uocant. Huius duplex eſt ratio, poſita aut in rebus, aut in affectibus. Rerum repetitio & cõgregatio græce dicitur ἀνακεφαλαίωσις, à Cicerone enumeratio. Affectuũ porro duæ ſunt ſpecies: alterã Græci πάθος, quam nos uertentes proprie affectum dicimus, alij paſſionem nominarunt:*

alteram ἦθος, cuius nomine Romanus ſermo carere uidetur: á quibuſdam enim mos appellatur. ſed ſi rei naturam ſequi uolumus, non tam mos ſignificari uidebitur, quàm morum quædam proprietas. Itaque cautiores, quod Græci πάθος, concitum affectum & uehementer commotum appellare maluerunt, & ad probationem magis accommodatum: itaque Cicero hoc amplificationem uocat. quod autem illi ἦθος dixerunt, noſtri mitem & ſedatum, compoſitum & lenem affectum, Cicero commiſerationem nominauit. In principio.] Subaudiendum, cóncluſione utemur. nam exordij terminus, quem ingreſſum ad narrationem eſſe oportet, concluſio poteſt nominari. ſed tamẽ exordij eo modo, cum narratio, argumentatio, concluſioq́; iam perficitur. Quoniam ſi nihil artis adhibitum eſt, quæ partes illæ ſint terminandæ, hoc nomen non obtinet. Breuiter ut renouetur, non integretur oratio.] Decurrendum enim per capita. nã ſi morabimur, non iam enumeratio, ſed quaſi altera fiet oratio: & quæ enumeranda uidebuntur, cum pondere aliquo dicenda erunt, & aptis excitanda ſententijs, & figuris uariãda: alioqui nihil odioſius erit repetitione. Sunt autem apud Ciceronem cõplures, & in Verrem optimæ. nec modo referenda noſtra ſunt, ſed poſtulandum etiam ab aduerſarijs, ut ad quædam reſpondeant. Idq́; faciemus, ſi ea quæ propoſuerimus refelli non potuerunt. quod epilogi genus multis utile uiſum eſt, ſi multiplex cauſa ſit, & pluribus argumentis defenſa. Sunt etiam multæ cauſæ, in quibus nullo modo uideri neceſſarium poſſit, ſi breues uidelicet et ſimplices. & hæc pars perorationis accuſatori patronoq́; æque communis eſt: ubi breuiſſimum præceptum dari utrique parti poteſt, ut totas cauſæ ſuæ uires orator ponat ante oculos. Et ordine quidquid erit dictum referamus.] Vt nos reminiſci melius poſſimus, & in memoriam audientibus reducere, idq́; figuris crebris diſponere: ut ab his qui audiunt, quærere quid ſit quod ſibi uelle debeant demonſtrari: hoc modo docuimus, hoc illud planum fecimus, ita ſimul in memoriam redibit auditor, et putabit nihil eſſe præterea quod debeat deſiderare. In qua cauendum eſt, ne ab exordio, aut á narratione repetatur orationis enumeratio. ſed aliquam inducere perſonam, aut rem & enumerationem oportet, eiq́; totam tribuere perſonam, hoc modo: nã ſi legis ſcriptor exiſtat, & quærat ſic, id'ne uos dubitatis? quid poſſimus dicere, cum nobis hoc & hoc ſimul demonſtraret, & á contradicentibus rationes requireret, quas habere nos uix ullas poſſemus. Res autem inducetur hoc modo: quid ſi leges loqui poſſent, non'ne hæc apud uos quererentur? Artificij ſignificandi.] Videbimur uelle, qua arte cõpoſuerimus orationem oſtendere, potius quàm in memoriam neceſſaria uelle reducere. Amplificatio eſt res.] Quam hic Cicero amplificationem, in primo de Inuentione indignationem nominat. De qua ita diſſerit: Indignatio, inquit, eſt oratio per quam conficitur, ut in aliquem hominem magnum odium, aut in rem grauis offenſio cõcitetur. In hoc genere illud primum intelligi uolumus. poſſe ex omnibus his locis, quos in confirmandis præceptis poſuimus, tractari indignationem: nam ex his rebus quæ perſonis aut quæ negotijs ſunt attributa, quæuis amplificationes & indignationes naſci poſſunt: ſed tamen ea quæ ſeparatim de indignatione præcipi poſſunt, conſideremus. Amplificatio eſt.] Quam Latini amplificationem, Græci αὔξησιν nominarunt. amplificatione accuſator, commiſeratione defenſor nititur. Quantæ curæ ea res fuerit dijs immortalibus.] Qui locus ſumetur ex ſortibus, ex oraculis, uatibus, oſtentis, prodigijs, reſponſis, & ſimilibus rebus. Nationibus.] Id eſt, gentibus. Senatui.] Ac populo & legum ſcriptoribus. Ad quos pertineant.] Cum amplificatione per indignationem oſtenditur. A' quibus auctoritatis.] Locus communis ſumitur, quia ex eorũ auctoritate indignatio ſumitur, per id quod indigniſſimum ſit. An ad pares.] Animo, fortuna & corpore, quod iniquiſſimũ exiſtimabitur. Paribus animi.] Vt eiſdem diſciplinis. Corporis.] Eadem ætate. Fortunarum.] Diuitijs, uel paupertate. An ad inferiores.] Quod ſuperbiſſimum. Quid periculorum atque incommodorum conſequatur.] Simul oſtendemus, huic ſi conceſſum ſit, multos æmulos eiuſdẽ audaciæ futuros, ex quo quid mali ſit euẽturum demonſtrabimus. Si huic remiſſum ſit.] Hoc dicit, ſi demõſtramus multos alacres expectare, ut quid ex eo, quod uni cõceſſum ſit, ſibi quoque tali de re liceat, intelligere poſſint. Si ſemel aliter iudicatum.] Subaudiendum, quam nos iudicari oportere dicamus. Et eſt ſenſus: Oſtendemus cæteras res perperam & nequiter conſtitutas, intellecta ueritate commutatas corrigi poſſe: hanc eſſe rem quæ ſi ſit ſemel iudicata, neque alio commutari iudicio, neque ulla poteſtate corrigi poſſe. Imprudentiæ iuſtam deprecationem paratam.] Hoc eſt, maleficio quidem uoluntario ueniam dari non oportere: imprudentiæ concedi nunquam conuenire. Non uulgare, ſed ſingulare maleficium.] Id eſt, tale eſſe facinus oſtendemus. quod ne ab audaciſſimis quidem hominibus factitatum ſit, atque id á feris quoque hominibus, & barbaris gentibus, & immanibus beſtijs eſſe remotum: hæc erunt quæ in parentes, liberos, coniuges, conſanguineos, ſupplices crudeliter facta dicẽtur, & deinceps ſi quæ proferantur in maiores natu, in hoſpites, in uicinos, in amicos, in eos quibus cũ uitam egerint, in eos apud quos educati ſunt, in eos á quibus eruditi, in mortuos, in miſeros, & miſericordia dignos, in homines claros, nobiles, & honore uſos, in eos qui neque lædere aliũ, nec ſe defendere potuerũt. ut in pueros, ſenes, mulieres, quibus ex omnibus acriter excitata indignatio, ſummum in eos qui uiolarint horũ aliquid, odium cõmouere poterit. Quàm lædere ſacrum.] Sacrilegium committere. Alteram ſtuprare.] Ingenuam. Propter intemperantiam, luxuriã.] Nam ex luxuria, id eſt, nimia rerum affluentia, libido naſcitur. Quaq́; rem conſequi ſolent.] Quæ poſt negotium conſecuta ſunt. Vt agi res & geri negotiũ uideatur.] Vt rem uerbis quàm maxime ante oculos eius apud quẽ dicitur ponamus, ut id quod indignum eſt, perinde illi uideatur indignum, ac ſi ipſe interfuerit, ac præſens uiderit. hi ſunt, amplificationis, quos hic enumerat, loci. in primo autem de Inuentione his quinque adijcit. Vndecimus locus, inquit, eſt, per quem oſtendimus ab eo factum, á quo minime oportuerit, & á quo alius ne faceret prohiberi debuiſſet. Duodecimus autem locus eſt, per quem indignamur quod nobis hoc primum acciderit, neque alicui unquam uſu uenerit. Tertiuſdecimus locus eſt. ſi cum iniuria contumelia iuncta demonſtratur, per quem locum in ſuperbiam et arrogantiam odium concitatur. Quartuſdecimus locus eſt, per quem petimus ab his qui audiunt, ut ad ſuas res noſtras iniurias referant: ſi ad pueros pertinebit, de liberis ſuis cogitent: ſi ad mulieres, de uxoribus: ſi ad ſenes, de patribus aut parentibus. Quintuſdecimus locus eſt, per quem dicimus, inimicis quoque & hoſtibus ea quæ acciderunt nobis, indigna uideri ſolere, & indignatio quidem his ferè de locis grauiſſime ſumetur. at ne hos quidem tantum locos exiſtimet quiſquã inueniri poſſe: ſed unicuique uis ſua facienda eſt, nec tanquam legem quandam immutabilem, genus, hoc eſt, aliud quodcunque eſſe præceptionis exiſtimet, ſed iudicio acri penſanda ſunt, ubi ſcribat omnia. quod ſi quis ob ineruditionem iudicio metiri nõ queat, tantiſper hæc ſequatur, quoad cum lectione tum nonnulla exercitatione ſibi ipſi præſcribere iam ſecurus, & præcipere ualeat. Miſericordia commouebitur.] Quam hic miſericordiam, in primo de Inuentione conqueſtionem uocat. atque de hac ipſa ita inquit: Conqueſtio, eſt oratio auditorum miſericordiam captans. in hac primum animum auditoris mitem & miſericordem conficere oportet, quo facilius conqueſtionem commouere poſſit. Si oſtendemus in quibus fuimus cõmodis, & quibus incommodis

ſimus,

ſimus,comparatione.] Hoc eſt,cum fortunæ uim in omnes, & hominum infirmitatem oſtenderimus,qua oratione habita, grauiter & ſententioſe maxime demittitur animus hominum, & ad miſericordiam comparatur, cum in alieno malo noſtrã infirmitatem conſiderabimus.hinc per quem in bonis fuerimus, & per quem in malis ſimus oſtendemus. uelut ipſe pro lege agraria:è fundo ornatiſſimo eiectus, ignominijs omnibus appellatus,cum illum in paternis bonis dominari uideret,ipſe filiæ nobili dotem conficere non poſſet,nihil tamen alienum uita ſuperiore commiſit.Et pro P.Sylla: O miſerum, ò infelicem illum diem,quo conſul omnibus Centurijs P.Sylla renunciatus eſt: ò falſam ſpem, ò uolucrem fortunam,ò cæcam cupiditatem,ò præpoſteram gratulationem,quàm cito omnia illa ex lætitia & uoluptate in lacrymas reciderunt? Si quæ nobis futura ſunt, niſi cauſam.] At ipſe pro Milone:ò me miſerum,ò infelicem, reuocare tu me in patriã Milo potuiſti per hos, ego te in patria per eoſdem retinere non potero? quid reſpõdebo liberis meis, qui te parentem alterum putant? & quæ ſequuntur. Supplicabimus & nos.] Velut ipſe pro ſe ad Equites Romanos:Nũc uos equites Romanos obteſtor,quorum uirtute nomen Romanũ uictoriam cum laude poſſidet coniunctam, quorum factis gloriantur ciues,gemunt hoſtes,lætantur ſocij, ut ſi erga uos omni tempore optime fui animatus, ſi mea pericula neglexi dum timorem à patria propulſarem, ſi æque liberis ueſtris proſpexi ac uos parentibus conſueuiſtis,ut nunc me ueſtris ueſtris opibus defenſum,incolumem in hac ciuitate retinere. Si quid proximis noſtris parentibus.] Vt pro L. Flacco:Huic miſero puero ueſtro,ac liberorum ueſtrorum ſupplici, iudices, hac uiuendi præcepta dabitis,cui ſi patrem conſeruatis,qualis ipſe debeat eſſe ciuis,præſcribitis:ſi eripitis,oſtenditis bonæ rationi & conſtanti & graui nullum à uobis fructum eſſe propoſitum. inde ſubiungit:Miſeremini familiæ,iudices,miſeremini fortiſſimi patris, miſeremini filij. Nomen clariſſimæ familiæ,generis nobiliſſimi, reipub. conſeruate. Sed ne omnium me credat aliquis poſſe exempla proferre, ſunt & alia, & ex infinitis penè locis erui alia adhuc poſſunt. nobis autem ſatis fuerit, ex aliquibus tanquam formam quandam cæterorum oſtendiſſe. Si animum noſtrum fortem.] Hoc dicit, miſericordiam quoque captabimus,ſi animum noſtrum in alios miſericordem eſſe oſtendemus, & tamen eundem amplum,excelſum,& patientem incommodorum eſſe, futurumq; ſimul ſi quid accidat aduerſi demonſtrabimus. Nam ſæpe uirtus & ingens animi fortitudo,in quo grauitas & auctoritas eſt,plus proficit ad miſericordiam commouẽdam,quàm humilitas & obſecratio. Commiſerationem breuem.] Hoc dicit,commotis animis diutius in eo morari non oportet. nam quemadmodum rhetor Apollonius dixit,nihil citius areſcit lacryma. Proderunt autem hæc omnia multum, ſi ante oculos ſigillatim incommoda omnia ponentur, ut uideatur is qui audit uidere,& re quoque ipſa quaſi adſit,intueri. ut ſi dicas:Non adfui non uidi,non poſtremam uocem eius audiui, nõ extremum ſpiritum eius excepi.Item, inimicorum in manibus mortuus eſt,hoſtili in terra turpiter iacuit inſepultus,cruentus, à feris diu uexatus,tractus,diſcerptus, communiq; honore in morte caruit. Nec ſolum dicendo,uelut Quintilianus etiam inquit, ſed etiam faciendo,quædam lacrymas mouent. Vnde et producere ipſos qui periclitentur ſqualidos atque deformes,& liberos eorum ac parentes conſuetũ eſt,& ab accuſatoribus cruẽtum gladium oſtendi,& lecta è uulneribus oſſa, & ueſtes ſanguine perfuſas, & uulnera reſolui,& uerberata corpora nudari. Exemplum huius in C.Cæſaris funere ſcriptores commemorant. ſciebatur ibi interfectum eum,at ueſtis tamen illa ſanguine madens,ita repræſentauit ſceleris imaginem,ut non occiſus eſſe Cæſar, ſed tũ maxime occidi uideretur.quam oſtendens Antonius,uerbis populum excitans, id egit, ut uniuerſi per urbem palantes decurrerent,& parricidas perquirentes ex ſenatoribus etiam ipſis multos innoxios trucidarent. Et nos induſtriæ fructus ex tua ſcientia capiemus.] Cum ſcierimus te hæc præcepta cum exercitatione coniungere: quoniam fruſtra ea ad te ſcripſiſſe non uidebimur,fructum utique capiemus. Ex tua ſcientia.] Quoniam quantum tibi proſint,conſcientia iudicabit. Tuaq; perceptione lætaberis.] Tu ſcientior eris præceptorum artificio. Nos alacriores ad reliquum perſoluendum.] Quod hæc omnia perceperis. Verum hæc futura ſatis ſcio,te enim.] Nam dixerat, ſi ut conquiſite conſcripſimus:quaſi de Herennio dubitaret. parum enimuero ſcientia et labor fecerit præceptoris,niſi exercitatio & diligẽtia affuerit diſcipuli,& quæ tradita ſunt à præceptore uelit imitari. Quod ſi facere recuſauerit, ſatius fuerat quod præciperetur, nec legere,nec audire,ac potius aliud ſequi. Sciendum autem,nihil unquam præclari ſine labore maximo uitam dediſſe mortalibus. Verum hæc futura ſatis ſcio.] Noui laborem nullum te ab hoc meo poſſe officio deterrere,quippe qui te noui.

IN CICERONIS RHETORICORVM AD HERENNIVM III. HIERONYMI CAPIDVRI COMMENTARIVS.

DEliberationes partim ſunt eiuſmodi.] Poſt tractatum in ſuperioribus libris iudiciale genus, in deliberatiuo demonſtratiuoq;,quæ duo genera paucis abſoluit,quod reliquum inuctionis eſt, hic explicat. ſed deliberatiui prius, deinde generis demonſtratiui præcepta dabuntur. Primum autem qui'nam in hoc genere ſtatus eſſe poſſint,deinde quod officium, poſt qui finis ſit,exinde quales orationis partes eſſe conueniat,poſtremo quæ orationẽ ſequuntur,pauciſſimis uerbis percurremus. Status coniecturalis primum tractabitur,ut cum quæritur, an Alexander ultra Oceanum terras ſit inuenturus, an futurum ſit ut Carthaginem ſuperent Romani. Nonnunquam definitio aliqua tractatur,ut apud Cic.in Philippicis,quid ſit tumultus. Legales quoque aliquando conſtitutiones incidere poſſunt, quod qui Philippicas Cic.orationes leget, facile animaduertet. Ergo deliberatiuum genus,quod idem ſuaſorium dicitur, de tempore ut plurimum futuro conſultat, nonnunquam tamen etiam de præterito. Officijs autem hoc genus duobus conſtat, ſuadendi ac diſſuadendi. Finem uero ſicut in iudiciali genere æquitatẽ multi eſſe uoluerunt,ita in deliberatiuo Ariſtoteli placet utilitatem. At Cic. ſicut in demonſtratiuo honeſtatem tum utilitatem finem eſſe placuit. Alij honeſtum,utile ac neceſſarium exiſtimauerunt: ſed Quintilianus,ego non inuenio,inquit,huic tertio locum,quantalibet enim uis ingruat,aliquid fortaſſe pati neceſſe ſit,nihil facere. De faciendo autem deliberatur. quod ſi hanc uocant neceſſitatem, in quam homines grauiorum metu coguntur, utilitatis erit quæſtio:ut ſi obſeſſi & impares & aqua ciboq; defecti, de facienda ad hoſtes deditione deliberent, & dicatur,hoc facere neceſſe eſt,alioqui pereundum eſt: Ita propter idipſum non eſt neceſſe,quia perire potius licet.denique non fecerunt Saguntini nec Ciziceni circumuenti. igitur in his quoq; cauſis, aut de ſola utilitate ambigetur, aut quæſtio inter utile atque honeſtum conſiſtet. At enim, ſi quis liberos procreare uolet,neceſſe habet ducere uxorem, quis dubitat? Itaque mihi ue

conſilium quidem uidetur, ubi neceſſitas eſt, non magis, quàm ubi conſtat, quid fieri omnino debeat dicere. Omnis enim deliberatio de dubijs eſt, melius igitur qui tertiam partem dixerunt δυνατὸν, quod noſtri poſſibile nominant. Quibuſdam etiam uidetur eſſe nonnunquam de iocunditate ſola conſultatio: ut ſi de ædificando theatro inſtituendis ludis deliberaretur. ſed neminē adeo ſolutum luxu eſſe putandum eſt, ut nihil in cauſa ſuadēdo ſequatur, præter uoluptatem. præcedat enim ſemper aliquid neceſſe eſt, ut in ludis honor deorum. In theatro enim eſt utilis laborum remiſſio. Illud nunc dicendum reſtat, quales deliberatiui generis orationis partes eſſe conueniat. Proœmio igitur, quale in iudicialibus oportere eſſe diximus, ubique hoc genus non indiget. quia conciliatus eſt iam ei quiſque qui conſulit. initium tamen debet habere aliquam proœmij ſpeciem. neque enim abrupte, mihi libet incipiendum: quia eſt aliquid in omni materia naturaliter primum. In ſenatu utique & in concionibus eadē ratio, quæ apud iudices, apud quos dicendum, acquirendæ beneuolentiæ. Ariſtoteles autem non ſine cauſa putat, & à noſtra, & ab eius qui diſſentiat perſona, duci frequenter in conſilijs exordium. Narrationem uero exiget priuata deliberatio eius duntaxat rei, de qua dicenda ſententia eſt: quia nemo ignorat id de quo conſulit extrinſecus, pertinentia ad deliberationē poſſe multa narrari. Concitanda quoque frequenter & lenienda eſt ira, & ad metum, cupiditatem, odium conciliationem impellendi animi. Nonnunquam etiam mouenda miſeratio, ſiue ut auxilium obſeſſis feratur ſuadere oportebit, ſiue ſociæ ciuitatis euerſionem de flebimus. Valebit autem auctoritas plurimum in conſilijs. Confirmationis autem & confutationis argumenta, ex his quæ ſupra memorauimus, ubi conſtitutiones ſingulas tractauimus, ſumere poterimus. Epilogi quoque eis partibus, quas iudiciales habent, conſtabunt. Tota autem deliberatiua oratio ſimplex ſine uerborum floribus, & longe grauior & ſententijs debet ornatior eſſe, quàm uerbis. Vſum autem exemplorum nulli materiæ magis conuenire merito omnes conſentiunt. Quare hiſtoriarum & ueterum inſtitutionum peritos eſſe oportet. Item cum in ſuaſorijs de pace, bello, copijs, operibus, uectigalibus agatur, uires ciuitatis & mores noſſe oportere Cicero dicit: ut ex natura cum ipſarum rerum, tū audientium, ratio ſuadendi ducatur. At Quintilianus nobis, inquit, maior iure uidetur uarietas. nam & conſultantium, & conſiliorum plurima ſunt genera. quare in ſuadendo & diſſuadendo tria primum ſpectanda erunt: quid ſit, de quo deliberetur, qui ſint, qui deliberent: qui ſit, qui ſuadeat rem, de qua deliberatur. Quid ſit de quo deliberetur: ut an certum ſit poſſe fieri aut incertum. ſi incertum, hæc ſola erit quæſtio & potentiſſima his rationibus tractanda, quas in coniecturali ſtatu aperuimus. qui autem ſint qui deliberent, multum refert. Nam conſultant aut ſinguli, aut plures. ſed in utriſque differētia: quia & in pluribus multum intereſt, ſenatus ſit an populus, Romani an Gabij, Græci an Barbari. et ſingulis, num Catoni petendos honores ſuadeamus, an Cato, maior, Scipio prior, an Fabius deliberent. Proinde intuenda ſexus dignitas, ætas: ſed mores præcipue diſcrimen dabunt, & honeſta quidem honeſtis ſuadere facillimum eſt, ſi uero apud turpes recta obtinere conabimur, ne uideamur exprobrare diuerſam uitæ ſectam cauendum. Et animus deliberantis, non ipſa honeſti natura, quam ille non reſpicit, permouēdus: ſed laude, uulgi opinione, & ſi parum proficiet, conſecutura ex his utilitate. Interdum uero magis obijciendo aliquos ſi diuerſa fecerit metus. Refert quoque multum, quæ nam ſuadendis perſona ſit: quia ante acta uita ſi illuſtris fuit, aut clarius genus, aut ætas, aut fortuna affert expectationem. Nunc ad Ciceronis exponenda uerba redeamus.

DE GENERE DELIBERATIVO.

d Deliberationes partim ſunt eiuſmodi, ut quæratur utrū potius faciendum ſit, partim huiuſmodi quid potiſſimum faciendum ſit, conſideretur hoc modo, utrum potius.] Nam omnis ſuaſoria nihil aliud eſt quàm cōparatio: nec utrum melius, ſed quid ſit optimum quæritur. Carthago tollenda.] Diminuenda, ut Carthaginenſes alio loco habitare compellamus. Cum ex Italia Carthaginem.] Reuocatur. An domum.] Carthaginem redeat. Occupet Alexan.] Aegypti quondam Metropolim, & regiam dicit. Vt ſi deliberet.] Cum enim Fuluius Flaccus conſulatum gerens primus Italos inſtigaſſet, ut in urbem tāquam ciues aſſumi uellent, & ex ſubditis participes fierent dignitatum, Liuius Druſus tribunus pleb. uir illuſtris, rogātibus Italis, legem ut ciuitate donarentur, ſe laturum promiſit. Quamobrem cum Druſo multi mortem interminarentur, raro prodibat in publicum. itaque domi omnibus ius dicebat, ubi ſutoris gladio traiectus occubuit. Itali, Druſi cæde percepta, à Romanis defecere, bellumq; in eos acre ſuſcitarunt. Italorum autem exercitus ex omnibus qui conuenerant urbibus, fuit peditum equitumq; ad centum milia. Contra Romani parem illis parauere undecunque potuerunt exercitum. Romanis Sextus Iulius Cæſar, & P. Rutilius Rufus conſules præerant. Prætores autem Rutilij Rufi, Gn. Pompeius, illius Pompeij pater qui magnus cognominatus eſt, ac Q. Cepio, C. Perpenna, C. Marius, Valerius Meſſala. Sexti Cæſaris autem prætores, P. Lentulus, ac frater ipſius Cæſaris, Titus Didius, Licinius Craſſus, Cornelius Sylla, & Marcellus. Italorum autem duces, T. Afranius, C. Pontilius, Marius Ignatius, Q. Pompedius, C. Bebius, M. Lamponius, C. Iudacilius, Erius Aſinius, ac Vettius Cato, aduerſum Romanos conſtitere. Quibus confligentibus, magna cædes utrinque facta. Romani primo quidem afflicti, cum etiam Hetruſci bellum molirentur, ne multis uno tēpore bellis corruerent, fœdera cū Italis iunxerunt, & Italos ciuitate donauerunt: eo tamen pacto, ut non in earum tribuum numero quæ 35. ad creandas dignitates admittebantur, eſſent. ſed cum ex illis tribubus alias legiſſent, in earum numero Italis continerentur. Vnde factū eſt, ut hæ nullius haberentur auctoritatis. Quod primum Itali non aduertere, ſed inde re cognita diſſenſio noua oriri cœpit. ſedati tamen eorum animi ſunt. Hoc igitur dicit Cicero, ut ſi deliberet ſenatus bello Italico, an ſocijs ciuitatem det, hoc eſt, eoſne in populum Romanum aſciſcat ad danda ſuffragia, an non. In quibus cauſis rei natura faciet deliberationem.] Hoc eſt, ubi et utilitas & honeſtas deliberandum aliquid, quod rei ipſius ratio poſcat, commouerit, ſuadentis ars illic omnis ad rem ipſam erit accommodanda. In quibus extranea cauſa conficiet deliberationem.] Vt non tam rei ipſius natura quæratur, quam ut altera pars magis probanda aut deprimenda proferatur. In his ipſa cauſa erit adaugenda.] Vt ſi putemus Italos in urbem aſciſcendos. Aut deprimenda.] Si id nullo modo faciendum exiſtimemus. Omnes rationes eorum qui ſententiam dicent.] Qui orationem ſuadebunt, aut diſſuadebunt. Vt omnis eo totius orationis ratio conferatur.] Sub audiendum utilitatem. Vtilitas in duas partes in ciuili conſultatione.] Vbi de ciuitatis utilitate deliberatur. Aliâs enim perpetuo uerum non erit. Quæ conficit.] Abſolute. Inſtantis.] Imminentis. Aut conſequentis.] Quod ſequi debeat. Qualibet ratione.] Quocunque modo, ſiue ui & dolo. Quorum aut alterum ſeparatim.] Aut altero ex his per ſe conficietur. Aut utrunque ſumemus coniunctim.] Aut coniungemus & uim & dolum, quo tutiores eſſe ualeamus. Vis diſcernitur.] A' dolo ſeparatur, per exercitus, claſſes, nauium multitudinem, arma, quibus nos tuemur.

tuentur. Tormenta.] Quæ in hoſtes libramus, aut quæ hoſtium muris diruendis admouemus. Reuocationes hominum.] Verum cum receptui canitur, in hoſtes impetu maiore inuehantur milites. An certe reuocationes, ut diſcernant alios. Dolus conſumitur in pecunia.] Omnis enim penè fraudis cauſa pecunia eſt. Maturationes.] In longũ productiones, quo aliquam melius ſtruamus fallaciam. Si quando de re militari, aut de adminiſtratione.] Veluti in libello de re militari poſtea ſcripſit. Rectum eſt quod cũ uirtute.] Virtus eſt animi habitus, modo, rationi, naturæ conſentaneus, ut Plato definit, ἀρετὴ διάθεσις, ὁ μέν τις ἕξις θνητοῦ ζώου καθ' αὑτὴν ἐπαινετὴ ἕξις, καθ' ἣν τὸ ἔχον ἀγαθὸν λέγεται. Ariſtoteles autem, ἡ ἀρετὴ, inquit, μεσότης δοκεῖ τις εἶναι τῶν παθῶν. Officium uero eſt, ex uirtute actio probabilis. Id diuiditur in prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem, & temperantiam. Cum ex duabus tantum conſtet homo ſubſtantijs, anima & corpore: anima rationem, corpus ſibi ſenſus uendicat. Ratione idoneus eſt illuminari ac intelligere aliquid ſupra ſe, in ſe, & infra ſe. ſupra ſe Deum, in ſe angelum & hominis animam, infra ſe quidquid cœli ambitus continetur. Rerum quidem immortalium cognitio ſapientia, mortalium autem prudentia nominatur. Cũ ſenſibus uero concupiſcibilis & iraſcibilis homo eſt, per concupiſcibilitatem & iraſcibilitatem apta eſt anima ut afficiatur. affectus autem quadripartitus eſſe dignoſcitur, dum de eo quod amamus iam uel gaudemus, uel gaudendum eſſe ſperamus: & de eo quod odimus iam uel dolemus, uel dolendum metuimus: & ob hoc ex concupiſcentia gaudium & ſpes, de iraſcibili parte dolor & metus oriuntur. Cum primum igitur quatuor hæ animi perturbationes contra rationem ſurgunt, à Græcis προπάθειαι uocantur, nos uerbum è uerbo uertentes, antepaſſiones poſſumus appellare. His hominem carere impoſſibile eſt. nam ſine uitijs nemo naſcitur, optimus ille qui minimis urgetur. ſi autem tantum potuerint ut rationi dominentur, ac prudentiam omnem ſuis illecebris ſubijciant, ſui etiam uitij nomen habent. Quod autem animum aut mentem per ſe corrumpit, flagitium nominatur. Sed quod uitium id agit, ut alteri noceat, facinus appellatur: quæ duo omnium peccatorum genera ſunt. Cæterum per prudentiam, quæ & ipſa per ſapientiam perficitur, ſuperãtur, abijciunturq́; nec ſemel atque iterum, ſed ſemper, quoad mentis bene compoſitæ habitus ſtabilis manet. Reliqua uirtutum nomina ſunt hæc, primariarum duntaxat, fortitudo, temperantia, iuſtitia. Quandocunque igitur gaudium, dolor, metus, à prudẽtia, temperantia, fortitudine, iuſtitia, quæ uidelicet omnium uirtutum origines & quaſi cardines ſunt, coercentur, in uirtutes conſurgunt. quamobrem nec in deo uirtus eſſe ulla poteſt, quando ne ulla quidem perturbatio in eo ſuſcitatur. Prudentia eſt ea.] Hanc alibi ita definit: prudentia eſt rerum bonarũ malarumq́; ac utrarumq́; ſcientia. Plato autem hoc modo: φρόνησις δύναμις ποιητικὴ καθ' αὑτὴν τῆς ἀνθρώπου εὐδαιμονίας· διάθεσις, καθ' ἣν κρίνομέν τι πρακτέον, καί τι οὐ πρακτέον. Hanc ita diſtinguit à ſapientia, ſicut nos ſupra. ſiquidem ſapientiam ita definit, σοφία ἐπιστήμη τῶν ἀεὶ ὄντων, ἐπιστήμη θεωρητικὴ τῆς τῶν ὄντων αἰτίας. idem quoque Ariſtot. ſentit. nam in primo libro qui ἠθικῶν μεγάλων inſcribitur, ὁ μὲν γὰρ σοφία, inquit, ἐστὶν, περὶ τὰ μετ' ἀποδείξεως καὶ ἀεὶ ὡσαύτως ὄντα. ἡ δὲ φρόνησις οὐ περὶ ταῦτα, ἀλλὰ περὶ τὰ ἐν μεταβολῇ ὄντα. Hieronymus autem ſuper Pauli epiſtola ad Epheſios, ſapientiam, inquit, & prudentiam eſſe propemodum eadem. Stoici quidem ſic opinantur, dicentes, ſapientia eſt rerum diuinarum humanarumq́; cognitio: prudentia uero tantum mortalium. Humanarum igitur rerum cognitionem Stoici ſapientiæ addiderunt. In quo Auguſtinus ab Hieronymo diſſentit, qui ita ſcriptum reliquit. Eſt itaque in ratione quiddam ad ſuperna & cœleſtia intendens, & id dicitur ſapientia: & eſt quiddam ad tranſitoria & caduca reſpiciens, & id uocatur prudentia. Non defuerunt qui dubitarent, num tã ſapientia quàm prudentia uirtutes eſſent: rationemq́; ſuæ dubitationis attulerunt, quod cum ſapientia & prudentia rerum quædam ſint ſcientiæ, ut docuimus, ſcientiæ autem (ut ipſe Ariſtoteles inquit) omnes in parte intellectiua & rationali conſiſtant, uirtutes uero irrationali in parte animæ ſint (ob quam cauſam Socratem etiam incuſat, qui uirtutes ſcientias facit) rectè neutram exiſtimari poſſe uirtutẽ. Ariſtoteles tamen ipſe uirtutem utrãque eſſe oſtendit, inquiens, εἰ γὰρ ἡ φρόνησις ἀρετή ἐστιν, ὡς φαμὲν, τοῦ μορίου τοῦ ἑτέρου τῶν λόγον ἐχόντων, ἔστιν δὲ χείρων ἡ φρόνησις τῆς σοφίας, περὶ χείρω γάρ ἐστιν, ἡ μὲν σοφία περὶ τὸ ἀΐδιον καὶ τὸ θεῖον, ὡς φαμέν. ἡ δὲ φρόνησις περὶ τὸ συμφέρον ἀνθρώπῳ. εἰ οὖν τὸ χεῖρον ἀρετή ἐστιν, τό γε βέλτιον εἰκὸς ἐστιν ἀρετὴν εἶναι· ὥστε δῆλον, ὅτι ἡ σοφία ἀρετή ἐστιν. Prudentia eſt calliditas.] Hoc eſt, per experientiã peritia. Callidus enim, ut ipſe Cic. putat, à callo nomen habet, cuius longo quaſi uſu mens ipſa ex corporis occalluerit laboribus. Quæ rationem quandam poteſt habere bonorum & malorum, dicitur item prudentia.] Potens eſt, ut habeas delectum, electionem. Scientia cuiuſdam artificij, & appellatur prudentia multarum rerum memoria.] Vt ex arte humana & rerum tractatione, ſcientia, prudentia ſit. Et uſus plurium negotiorum.] Id eſt, multorum. nam poſitiuũ, non comparatiuum nomen eſt. nemo enim complus dicit, ſed compluris & complure in ueterum uſu fuit. Vnde complures locos, ut compluria fana, Cato in originibus dicit. Et Cicero, in Protagora confirmationis genera compluria. Hinc complurium genitiuus. Errat autem Gellius, qui plura nullo modo dicendũ eſſe exiſtimauit. Nã poetarum exempla infinita aliter docent. Prudentiæ uero partes ſunt, memoria, intelligentia, prouidentia. Memoria eſt, per quam animus repetit quæ fuerunt. Intelligentia eſt, per quam ea proſpicit quæ ſunt. Prouidentia eſt, per quã aliquod futurum uidetur antequam factum eſt. Huic tria beatus Ambroſius tribuit officia, Deum uenerari, bene uiuere, & bene merita apud Deum collocare. ita enim dicit: quia lex naturalis tres habet partes, cuius prima hæc eſt, ut agnitus honoretur creator, ne eius claritas & maieſtas alicui de creaturis deputetur: ſecunda pars eſt moralis, hoc eſt, ut bene uiuatur modeſtia gubernante. Congruit enim homini habenti notitiã creatoris, uitam ſuam lege moderari, ne fruſtretur ſummũ illud initium. tertia pars docilis, ut notitia creatoris Dei & exemplum morum cæteris tradatur, ut diſcant quemadmodum apud creatorem meritum collocatur. hæc eſt uera & Chriſtiana prudentia. Hoc ideo ſubiecimus, quod ab hoc loco non alienum eſſe exiſtimauimus. & quoniam hæc demonſtratiuo deliberatiuoq́; generi communia præcepta ſunt, ſatius fuerit hic omnia ſimul commonuiſſe, quàm eadem ſparſim pertractaſſe. Iuſtitia eſt æquitas, ius unicuique tribuens pro dignitate cuiuſque.]

Hanc ita definit Plato, Δικαιοσύνη ὁμόνοια τῆς ψυχῆς πρὸς αὑτὴν, καὶ εὐταξία τῶν τῆς ψυχῆς μερῶν, πρὸς ἄλληλά τε καὶ περὶ ἄλληλα, ἕξις διανεμητικὴ τοῦ κατ' ἀξίαν ἑκάστῳ, ἕξις καθ' ἣν ὁ ἔχων προαιρετικός ἐστιν τῶν φαινομένων αὐτῷ δικαίων, ἕξις ἐν βίῳ νόμου ὑπήκοος, ἰσότης κοινωνική, ἕξις ὑπηρετικὴ νόμων. Ariſtoteles autẽ bipartitã eſſe iuſtitiã putat, alterã quæ in nobis ipſis, alterã aduerſus alios. In primo enim eius libelli, quẽ μεγάλων ἠθικῶν inſcripſit, ita dicit. περὶ δὲ δικαιοσύνης λοιπὸν ἂν εἴη εἰπεῖν τί ἐστι, καὶ ἐν τίσι, καὶ περὶ ποῖα. πρῶτον μὲν, εἰ λάβοιμεν τί ἐστι τὸ δίκαιον, ἐστὶν δὲ διττόν. τὰ δίκαια γάρ φασιν εἶναι, ἃ ὁ νόμος κελεύει. ὁ δὲ νόμος κελεύει τἀνδρεῖα πράττειν, καὶ τὰ σώφρονα, καὶ ἁπλῶς ἅπαντα ὅσα κατὰ τὰς ἀρετὰς λέγεται. διὸ καὶ φασὶν δοκεῖ ἡ δικαιοσύνη τελεία τις ἀρετὴ εἶναι. εἰ γὰρ δίκαια μὲν ἐστὶν ἃ ὁ νόμος κελεύει ποιεῖν, ὁ δὲ νόμος τὰ κατὰ πάσας ἀρετὰς ὄντα προστάττει, ὁ ἄρα τοῖς κατὰ νόμον ἐμμένων δικαίως, τελέως σπουδαῖος ἔσται ὁ δίκαιος καὶ ἡ δικαιοσύνη τελεία τις ἀρετή ἐστιν. ἓν μὲν δή τι δίκαιον ἐστι

τούτοις ἐστὶ, καὶ περὶ ταῦτα. ἀλλὰ μὴν οὐ τοῦτο τὸ δίκαιον, ἢ οὐ δὲ τὴν περὶ ταῦτα δικαιοσύνην ζητοῦμεν. κατὰ μὲν γὰρ ταῦτα τὰ δίκαιά ἐστιν κατ' ἑαυτὸν οὐ τὸ δίκαιον εἶναι. ὁ γὰρ σώφρων, καὶ ἀνδρεῖος, καὶ ἐγκρατὴς, καὶ αὐτὸς καθ' ἑαυτὸν εἶναι δίκαιον, τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ ζητούμενον δίκαιον, καὶ τὴν δικαιοσύνην τὴν περὶ ταῦτα. τὸ τοίνυν δίκαιόν ἐστιν, τὸ πρὸς ἕτερον, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, τὸ ἴσον. τὸ γὰρ ἄδικον τὸ, ἄνισόν ἐστιν. *Iuſtitia igitur eſt habitus animi, communi utilitate conſeruata, ſuam cuique tribuens dignitatem. Eius initium eſt à natura profectum, deinde quædam in conſuetudinē ex utilitatis ratione uenerunt: poſtea res à natura profectas, & à cōſuetudine probatas, fortè religio auxit. Naturæ ius eſt, quod non opinio genuit, ſed quædam innata uis inſeruit, ut religionem, pietatem, gratiam, uindicationem, obſeruantiam, ueritatē. Religio eſt, quæ ſuperioris cuiuſdam naturæ, quam diuinam uocamus, curam cærimoniasq́; affert. Pietas eſt, per quam ſanguine coniunctis, patriæq́; beneuolis, officium & diligens tribuitur cultus. Gratia eſt, in qua amicitiarum & officiorum alterius memoria, & alterius remunerandi uoluntas continetur. Vindicatio eſt, per quam uis aut iniuria & omnino omne quod obfuturum eſt, defendendo aut ulciſcendo propulſatur. Obſeruantia, per quam homines, aliqua dignitate antecedentes, cultu quodam & honore dignantur. Veritas, per quam incommutata ea quæ ſunt, aut quæ fuerunt, aut futura dicuntur. Ex conſuetudine ius eſt, quod aut leuiter à natura tractum, alud & maius fecit uſus, ut religionem: aut ſi quid eorum, quæ ante diximus à natura proficiſci, in maius factum per conſuetudinem uidemus: aut quod in morem uetuſtas uulgi approbatione perduxit, quod genus pactum eſt, par, iudicatum. Pactum eſt, quod inter aliquos conuenit. par, quod inter omnes æquale eſt. iudicatū, de quo alicuius, aut aliquorum ſententijs iam conſtitutum eſt. Lex ius eſt, quod ſcriptum populo expoſitum eſt, ut obſeruetur. Fortitudo eſt rerum magnarum appetitio, & humiliū rerū.*] Ipſe alibi ita definit. Fortitudo eſt, conſiderata periculorum ſuſceptio, & laborum perpeſſio. Plato ita, ἀνδρεία ἕξις ψυχῆς ἀκίνητος, ὑπὸ φόβου, θάρσος πολεμικὸν, ἐπιστήμη τῶν κατὰ πόλεμον πραγμάτων, ἐγκράτεια ψυχῆς πρὸς τὰ φοβερὰ καὶ δεινά. Ariſtotelis de fortitudine in primo μεγάλων ἠθικῶν hæc uerba ſunt. ἐπεὶ οὖν ἐστιν ἡ ἀνδρεία περὶ θάρρη, καὶ φόβους, σκεπτέον ἂν εἴη περὶ ποίους φόβους καὶ θάρρη ἆρα οὖν, εἰ μέν τις φοβεῖται, μὴ ἀποβάλλῃ τὴν οὐσίαν, οὗτος δειλός. εἰ δέ τις θαρρεῖ περὶ ταῦτα, ἀνδρεῖος. οὐχ ὁμοίως δ' εἴ τις φοβεῖται μόνον, ἢ θαρρεῖ. οὔτε δειλὸν φατέον εἶναι τὸν φοβούμενον, οὔτ' ἀνδρεῖον τὸν μὴ φοβούμενον. οὐκ ἄρα ἐν τοῖς τοιούτοις φόβοις καὶ θάρρεσιν ἐστὶν ἡ ἀνδρεία, ἀλλὰ μὴν οὐδ' ἐν τοῖς, οἷον εἰ μή τις φοβεῖται βροντὰς ἢ ἀστραπὰς ἢ ἄλλο τι τῶν ὑπὲρ ἄνθρωπον φοβερῶν, οὐκ ἀνδρεῖος, ἀλλὰ μαινόμενός τις, ἐν φόβοις ἄρα καὶ θάρρεσιν ἐστὶν ὁ ἀνδρεῖος, τοῖς κατ' ἀνθρώπους. Fortitudinis partes ſunt magnificentia, fidentia, perſeuerantia. Magnificentia eſt, magnarum rerum & excelſarum, cum animi ampla quadam & ſplendida pro ratione cogitatio atque adminiſtratio. Fidentia eſt, per quā magnis & honeſtis in rebus multum ipſe animus in ſe fiduciæ, certa cum ſpe collocauit. Patientia eſt, honeſtatis aut utilitatis cauſa, rerum arduarum ac difficilium uoluntaria ac diuturna perpeſſio, perſeuerantia ſtabilis, & perpetua permanſio. Modeſtia eſt, in animo continens. Nonius Marcell. de doctorum uirorum indagine, Modeſtia, inquit, moderatio, modus, modicum, mediocre, hunc habent ordinem, quod modeſtia fundamentum, ſoliditas, & baſis ipſa uirtutum eſt, è qua gignitur moderatio, quæ temperat modos, quibus morati diſcipuli in factis & in dictis & cæteris talibus agendi officijs reguntur. Modicum uero, moderatū eſt: mediocre. idē quod medium. ita ſæpe poſitum in magnis auctoribus, annotauimus. M. Cato de liberis educandis. Omnia, inquit, in docendis pueris quæ uirtutem ueram informant, mediocria & modica ſint. Inter modeſtiam autem & continentiam, ut Hieronymus inquit, hoc intereſt, quod modeſtia in uiris perfectis eſt, conſummatisq́; uirtutis. Continentia uero, in uia quidem uirtutis eſt, ſed necdum ad id peruenit, ut ſit uirtus. Quia cupiditates adhuc in eius, qui ſe continet, cogitatione naſcuntur, & mentis puritatem polluunt, principale licet ſuperent, nec ad opus protrahant cogitationē. Non ſolum autē in deſiderijs & cupiditate continentia neceſſaria eſt, ſed etiam in reliquis tribus perturbationibus, dolore, lætitia & timore. Ipſe tamen Cicero modeſtiam & continentiam, temperantiæ partes eſſe exiſtimauit. Cuius hæc ſunt uerba. *Temperantia eſt, rationis in libidinem, atque in alios non rectos impetus animi firma & moderata dominatio. eius partes, continentia, clementia, modeſtia. Continentia eſt, per quam cupiditas conſilij gubernatione regitur. Clementia eſt, per quam animi in odium alicuius concitati, comitate retinentur. Modeſtia, per quam pudor honeſtus claram & ſtabilem cōparat auctoritatem.* Modeſtiam Plato ita definit. σωφροσύνη μετριότης τῆς ψυχῆς περὶ τὰς ἐν αὐτῇ κατὰ φύσιν γιγνομένας ἐπιθυμίας τε καὶ ἡδονὰς, εὐαρμοστία καὶ εὐταξία ψυχῆς πρὸς τὰς κατὰ φύσιν ἡδονὰς καὶ λύπας, συμφωνία ψυχῆς πρὸς τὸ ἄρχειν καὶ ἄρχεσθαι. Ariſtoteles uero, ἡ σωφροσύνη, inquit, μεσότης ἂν εἴη ἀκολασίας καὶ ἀναισθησίας. μεσότης μὲν οὖν ἂν εἴη τούτων. ἐστὶ δὲ ἡ σωφροσύνη περὶ ἡδονὰς καὶ λύπας, οὐ πάσας δὲ, οὐδὲ τὰς περὶ πάντα. οὐ γὰρ εἴ τις ἥδεται θεωρῶν γραφὴν ἢ ἀνδριάντα ἤ τι ἄλλο τῶν τοιούτων, καὶ δὴ οὗτος ὁ ἀκόλαστος, ὁμοίως δὲ οὐδὲ περὶ ὀσφρήσεις, ἀλλ' ἐν ἡδοναῖς ταῖς περὶ ἁφὴν καὶ γεῦσιν, εἰ δὲ δὴ περὶ ταύτας ἀνὴρ σώφρων ἔσται οὕτως ἔχων, ὥστε μηδ' ὑπὸ μιᾶς τῶν τοιούτων ἡδονῶν, μηδ' ὅλως πάσχειν. ὁ μὲν γὰρ τοιοῦτος ἀναίσθητος. *Prudentiæ partibus utemur.*] Non tantum prudentiæ cæterarumq́; cardinalium uirtutum partes noſſe oratorem oportet, ſed & uitia, ut quid improbandum etiam, ac quo pacto improbandum ſit, poſſit noſſe. Ea qui uelit omnia intelligere, Platonis dialogos & Ariſtotelis ethica legat, diſcatq́;. Nobis autem ſatis fuit, ad hunc Ciceronis locum attinentia expoſuiſſe. *Si commoda cum incommodis conferemus.*] Si inter ſuadendum ea comparabimus, quæ commoda ſint, cum incommodis. & omnia ad utilius honeſtiusq́; reuocabimus, munere utemur prudentiæ. *Aut ſi qua in re cohortabimur ad aliquid.*] Vt in grammatica facultate, cæteris'ue diſciplinis in urbe edocendis, ſi populum huc adhortati fuerimus, præclarum aliquem populum pro exemplo deligamus, uel ſimile aliquid aliud conſtituamus. *Diſciplinabilem ſcientiam poterimus habere.*] Scientiam, quæ multi poſſint erudiri diſcipuli. *Si ſuadebimus.*] Quepiam, cuius rei geſtæ, hoc eſt cuius aliquod ſimile extet apud alios documentum, id ut auditores intueantur referemus, in eoq́; prudentia utemur. Sed ſi quid ſuadendum, in quo nos exemplum ita commemoremus, ſimilitudinem'ue, ſit omnino plena, facilis, uaria, ad externum uſque & barbarum genus oratio. Veluti ſic, Dux Dacorum cum ſciret diſſociatum armis ciuilibus populum Romanum, non tamen tentandū arbitratus eſt, quia externo bello poſſet concordia inter ciues coaleſcere: duos ergo canes in conſpectum popularium commiſit: hisq́; acerrime de proiecta carne pugnantibus, lupum oſtendit, quem protinus canes omiſſa inter ſe ira aggreſſi ſunt. Eo ille exemplo prohibuit barbaros ab impetu nouo, Romanis nempe profuturo. *Memoriā poterimus habere, qua in re facile id quod uelimus.*] *Si uerum aliquo exemplo audito adhortabimur. Exemplo aliato perſuadere poterimus.*] Nam exemplorum maior plerūque eſt uſus, & melius perſuadetur, quàm luculentiſſima quauis qualis oratione. *Iuſtitiæ partibus utemur, ſi aut innocentum aut ſupplicum dicemus miſereri oportere.*] Innocē tum, utrum qui deliquerint, & imprudentiam, caſum, aut fortunam in cauſa dicant fuiſſe: an certe innocentum, qui cum aliàs non deliquerint, ſemel tantum lapſi ſint, uelit Cicero, dubium eſt. *Aut ſupplicum dicemus miſereri oportere, ſi oſtendemus*

merentibus

merentibus gratiam referri conuenire, ſi demonſtrabimus ulciſci.] Nam non ſemper æquum eſt peccatum punire, & ius eſt iuſtitiam ſummam non ſequi. ſummum ſiquidem ius ſumma iniuria, factum (ut Cicero inquit) iam tritum ſermone prouerbium eſt. Præterea quoniam homini non peccare impoſſibile eſt, eo magis diuinam abundaſſe gratiam dicemus. Item, Quãto magis carere uitijs ſit impoſſibile, tanto nos oportere ei qui ſibi remitti culpam cupiat, plus indulgere. Male meritos.] Qui ſunt mala promeriti. Hoc tamen non tantum Ambroſius in libro officiorum, cæteriq; Chriſtiani non faciendum putant, ſed ne quidem ethnicorum multi. Vnde Iuuenalis, Semper & infirmi eſt animi, exiguiq; uoluptas, Vltio. Et ſic collige, quod uindicta nemo magis gaudeat quàm fœmina. Si fidem quã dederimus magnopere cenſebimus conſeruandam.] Iuſtum erit. Hoſpitia.] Vbi nos hoſpitati fuerimus, ea loca caſte coli debere à nobis oſtendamus. Clientelas.] Eſt multitudo eorum qui potentem aliquem colunt, ciuem, principemúe fauore proſequuntur, & eius dignitatem factionemq; tuentur, ducti uel mercede uel beneficio: nec ſeruum clientem nominare licet. quod autem Lucanus inquit, Emptiq; clientes: non de ſeruis loquitur. Non enim in ſeruis ſpem ſibi Pompeius poſuerat, ſed in liberis, & ciuibus: ſeruilem tamen, non liberalem animũ habentibus, quia uenalem haberent ingenuitatem. nam cum dicimus ſeruos, non addimus emptos: ſic ergo ne emptos quidem clientes dixiſſet. Cognationes.] Hoc eſt, per ſanguinis cõiunctiones, tam uirilis quàm fœminini ſexus. ſiquidem uirilis tãtum ſanguinis agnati, ex iureconſultis intelliguntur, ut in tertio Inſtitutionum Iuſtiniani imperatoris de legitima agnatorũ ſucceſſione patet. Affinitates.] Vbi etiam ſi ſanguinis nulla deuinciat nos copula, intercedat tamen aliqua coniunctio. Caſte colendas.] Incorrupte, ſine ulla uitij labe. nam uitiorum omnium abſtinentia, caſtitas poteſt apellari. Virg. Caſta pudicitiam ſeruat domus. Nec gratia.] Nec beneuolentia moueri nos oportere, quo minus peccata puniamus. Intelligẽdum autem, eorum qui plurimum deliquerint: ne uideatur ſibi contrarius, ubi dixit Supplicum miſereri oportere. Nec periculo.] Quod etiam nobis immineat, ſi ſecus iudicauerimus. Simultate.] Si ſimultatem latens ſimul ſubrepat odium. His atque huiuſmodi.] Nam non hæ ſunt ſolæ iuſtitiæ partes, & ſi ſoli loci, unde iuſtam rem, aut his contrariam iniuſtã, poſſimus oſtendere. In concione aut conſilio.] In concione, ubi laudemus aut uituperemus: hoc eſt, per demonſtratiuum genus. Aut in conſilio.] Vbi de aliqua re conſultetur, id eſt, per deliberatiuum genus. Ad ſuadendum.] Vt fiat aliquid. Ad diſſuadendum.] Ne fiat. Nam perſuadere, eſt ſuadendo conſequi quod uelis. Item oſtendemus, antiquiorem mortem turpitudine haberi.] Eſt enim fortis uiri, mortem honeſtati poſtponere: minoris æſtimare mori, quàm ullam ſubire turpitudinem. Antiquiorem.] Præclariorem. Nullo dolore cogi ut ab officio recedatur.] Nullũ dolorem tam ſæuum eſſe debere, ut fortem hominem ab officio uirtuteq; dimoueat. Pro rei ueritate.] Vt uerum dicat. Si unamquanque rem certo naturæ termino definiemus.] Si in rebus expetendis finem aliquem nobis imponendum dicemus, nec libidines noſtras infinitas eſſe oportere proferemus. Definiemus.] Determinabimus. Quod ſatis eſt oſtendemus.] Si quouſque nobis cupere liceat aperiemus. Huiuſmodi partes ſunt omnibus uerbis amplificandæ.] Si ſuadebimus: uelut ipſe pro Publio Sextio, fortitudinem extollens. Amemus patriam, pareamus ſenatui, conſulamus bonis, præſentes fructus negligamus, poſteritati & gloriæ ſeruiamus, id optimum putemus quod erit rectiſſimũ: ſperemus, quod uolumus: ſed quod acciderit, feramus. Cogitemus denique, corpus uirorũ fortium, magnorum hominum, eſſe mortale: animi uero motus, & uirtutis gloriam, ſempiternam. neque hanc opinionem, ſi in illo ſanctiſſimo Hercule conſecratam uidemus, cuius corpore ambuſto uitam eius & uirtutem immortalitas excepiſſe dicitur, minus exiſtimemus eos, qui hanc tantã rem publicam ſuis cõſilijs, aut laboribus auxerint, uel defenderint, uel ſeruauerint, eſſe immortalem gloriam conſecuturos. Attenuandæ, ſi ab his dehortabimur.] Velut pro M. Cælio ipſe. Si quem forte inuenerit, qui aſpernetur pulchritudinem rerum, non odore ullo, non tactu, non ſapore capiatur, excludit hic auribus omnẽ ſuauitatem, cui ego fortaſſe & pauci deos propitios, plerique autẽ iratos putauerunt. Ergo hæc deſerta uia, & inculta, atque interclusa iam relinquatur, detur aliquid ætati, ſit adoleſcentia liberior, non omnia uoluptatibus denegentur, non ſemper ſuperet uera illa & directa ratio, uincat aliquando cupiditas uoluptasq; rationem, dummodo illa in hoc genere præſcriptio moderatioq; teneatur: parcat iuuentus pudicitiæ ſuæ, ne ſpoliet alienã, ne effundat patrimonium, ne fœnore trucidetur, ne incurrat in alterius domum atque famam, ne probrum caſtis, labem integris, infamiam bonis adferat, ne quem ui terreat, ne interſit inſidijs, ſcelere careat. Hæc attenuentur, quæ ſupra demõſtraui. nam nemo erit, qui ſentiat à uirtute recedendum: uerum aut res non eiuſmodi dicantur.] Quæ ſupra demonſtraui, ſubaudiendum extollendo, ut quæ de prudentia, iuſtitia, fortitudine, & modeſtia diximus. Vt uirtutem poſſumus egregiam experiri.] Dicamus, quam laudant aduerſarij uirtutem, non eſſe huiuſmodi, ut egregia uirtus dici poſſit. Aut in contrarijs potius rebus.] Virtutem eſſe, quam in his rebus quas dixerint ipſi. Et hoc generaliter de omnibus uirtutibus dictum eſt. Nos demonſtrabimus ignauiam eſſe, & inertiam.] Ignauiam eſſe & inertiam, uelut ſi innocentũ ſupplicumq; miſereri oportere dicat aduerſarius. ignauiam animi, inertiam corporis uoluit intelligi. At prauam liberalitatẽ.] ſi male meritos ulciſci oportere dixerint. Quam prudentiã appellarit, ineptam & garrulam & odioſam ſcientiam eſſe dicemus: quam ille modeſtiam dicet eſſe.] Ineptam, ſi ſuo loco & ſuo tempore referri non uideantur, quæ prudenter dicta ſunt: garrulam, ſi exempla uideantur inſulſa proferre: odioſam, ſi erunt huiuſmodi quæ dicta ſunt, ut contemni poſſe uideantur. Eam nos inertiam & diſſolutam negligentiam dicemus eſſe: quam ille fortitudinem nominarit, eam gladiatoriam & inconſideratam appellabimus temeritatem.] Quã modeſtiam aduerſarij dixerunt, contemnere pecunias, honores, & ſimilia, non ob continentiam id facere dicemus, ſed per inertiam, & uagam negligentiam. Laudabile eſt, quod conficit honeſtam et præſentẽ & conſequentem commemorationem.] Diuiſit ſupra Cicero honeſtum, & rectum, & laudabile. Rectum dixit, quod cum uirtute & officio eſſet coniunctum. Virtutes & uirtutum partes oſtendimus. Officiorum autem alia uirorum, alia mulierum, alia iuuenum, alia ſenum. & prout uniuſcuiuſque fuerit conditio, quoniam perſonæ conuenientia reddere conuenit, ac uirtutes ei congruas prout conditio popoſcerit accommodare, quæ tum ſua prudentia, tum aliorum admonitione quiſque poterit intelligere: ſic ex uirtute officioq; eius de quo conſultabimus, aut concionabimur, efferre ſemper orationẽ oportebit. Nunc ſequitur laudabile, quod ex officio uirtuteq; naſcitur. Hoc nos tum dignitate, tum fructu ſuo ducit ad ſe. Quo in genere eſt gloria, dignitas, amplitudo, amicitia. Gloria eſt, frequens de aliquo fama cum laude. Dignitas eſt, alicuius honeſta & cultu, & honore, & uerecundia digna auctoritas. Amplitudo, eſt potentiæ, aut maieſtatis, aut aliquarum copiarum magna abundantia. Amicitia, uoluntas erga aliquem honeſta, illius ipſius cauſa quem diligit, cum eius pari uoluntate. Laudabile eſt, quod conficit honeſtum. Honeſti enim ſpeciem, laudabile eſſe oſtendimus. Et præſentem & conſequentem commemo-

rationem hoc nos à recto ſeperauimus, non quod.] *Laudabilis enim partes, aut propter id quod intuemur, aut propter id quod ſequi confidimus, ob fructum ſcilicet honeſtatemq́; extolli poſſunt. Hæ quatuor partes quæ ſubijciuntur ſub uocabulo recti.*] *uirtutes recti partes, quas ſupra recenſuimus, dicit. Hanc honeſtatis commemorationem dare non ſoleant, ſed quanquam ex recto laudabile naſcatur, tamen in dicendo ſeorſim tractandum eſt ab illo. neque enim ſolum laudis cauſa rectum ſequi conuenit.*] *Senſus eſt, Rectum à laudabili certe diuiſimus, non ut uirtutem quoque laudabilem eſſe nolimus intelligi, diximus enim ex officio uirtuteq́; naſci laudabile, ſed quod qualitate diuerſum, ſeorſim etiam tractari debeat. Neque enim ſolum laudis cauſa rectum ſequi conuenit.*] *Non enim amplectandæ uirtutes ſunt ſolum propter laudem, ſed quia magis uirtutem quàm uitium ſequi decet. Veruntamen laudẽ duobus modis poſſumus intelligere, & quam uirtus præ ſe ferat, ut ſit quaſi finis ac præmium ipſius, quod è medijs ut ita dicam uiſceribus uirtutis emicat, & neceſſario uirtutem ipſam ſemper comitatur. Alia laus, quæ extrinſecus ab hominibus ad uirtutem defertur, quæ in laudantiũ poteſtate eſt, quæq́; tam falſa quàm uera eſſe poteſt. de hac nunc Cicero loquitur. Siquidem ea quæ uirtutem perpetuo comitatur, huiuſmodi eſt, ut propter ſe (ut pote uirtutis quidam finis) expeti debere uideatur. Sed ſi laus conſequitur, duplicatur recti appetendi uoluntas.*] *Hoc eſt, ſi uirtutem ipſam ſequuturam hominum laudationem uideamus, creſcit uoluntas amandi rectum: tum quod non ſine laude id nos facturos ſperemus, tum quod fructus & emolumenta etiam conſequamur. Cum igitur erit demonſtratum rectum, eſſe laudabile demonſtrabimus, aut ab idoneis hominibus, ut ſi qua res honeſtiori ordini placeat.*] *Hoc eſt, cum gloria, cum dignitate, cum amplitudine, cum amicitia laudabile eſſe coniunctum. Quæ omnia, aut propter ſe ſolum, aut propter ſe & utilitatem expendi poſſe manifeſtum eſt. quæ etiam conſideranda, num religionibus adiuncta ſint, & id ex noſtro officio, aut alieno, & ex omnibus, quas opportunitates, quæ commoda ſecum ferant: & utrum ea commoda mentis ſint, ut ſciẽtiæ: an corporis, ut incolumitas. Incolumitas eſt, ſalutis tuta atque integra conſeruatio. aut ab extrinſecus poſitis, ut potentia. Eſt autem potentia, ad ſua conſeruanda, & alterius opprimenda, idonearum rerum facultas. Eſſe laudabile demonſtrabimus, aut ab idoneis hominibus, ut ſi qua res honeſtiori ordini placeat.*] *Hoc dicit, cum rectum eſſe, hoc eſt cum uirtute cõiunctum id oſtenderimus,upereſt, ut laudabile eſſe oſtendamus. quod facere poterimus, ab idoneis hominibus: in quo etiã, quod difficulter fieri, & quod facile fieri poſſit, oportebit conſiderare. Facile id fieri dicimus, quod ſine ullo, aut magno labore, ſumptu, moleſtia, quã breuiſſimo tẽpore cõfici poteſt: difficile autẽ fieri, quod quãquam laboris, ſumptus, moleſtiæ, longinquitatis indiget, atque aut omnes, plurimas, aut maximas cauſas habet difficultatis, tamen his uictis difficultatibus compleri, atque ad exitum perduci poſſit. ueruntamen idoneæ in hoc perſonæ multũ ad id perſuadendum, quod in conſultatione poſitum erit, proficient: quippe quæ plus auctoritatis habentes, plus etiam ſapere uideantur, quàm deteriores. Vt ſi qua res honeſtiori ordini placeat.*] *Id eſt opulentiori, ampliori placeat. Quæ à deteriori ordine improbetur.*] *Inferiori in conditione poſita. Improbetur.*] *Damnetur. Aut aliquibus ſocijs, aut omnibus ciuibus, exteris nationibus, poſteriſq́; noſtris.*] *Aut omnibus ciuibus, ſubaudiendum laudabile eſſe oſtendemus. Et eſt ſenſus, oſtendemus laudabile eſſe, cum rectum oſtenderimus, aut ab honeſtioribus, aut à ſocijs, aut ab omnibus ciuibus noſtris exteriſque nationibus, & ijs etiam qui poſt nos naſcantur, & ſi ab his, qui naſcentur laudari poterunt, demonſtrabimus. Cum huiuſmodi diuiſio ſit locorum in conſultatione, breuiter aperienda eſt totius tractatio cauſæ, exordiri licebit uel à principio, uel ab inſinuatione.*] *Hoc eſt, cum generis deliberatiui, quod in conſultatione poſitum eſſe diximus, locorum, unde argumenta cauſarum naſci poſſunt, diuiſio ſit, cuiuſmodi oſtẽdimus, breuiter aperienda eſt totius tractatio cauſæ. Exordiri licebit uel à principio, uel ab inſinuatione.*] *Paucis à me aperietur, quo pacto deliberatiui generis cauſam tractari conueniat. Vel iiſdem rationibus, quibus in iudiciali cauſa.*] *Vt opus exordio ne ſit an non, & quo genus cauſa egeat conſideremus, & cætera, quæ comitantur exordium. Si cuius rei narratio incidet, eadem ratione narrari oportebit. quoniam in huiuſmodi cauſis finis eſt utilitas, et ea diuiditur in rationem tutam atque honeſtam.*] *Si cuius, ſi alicuius: & eſt utrunque unius partis. Flectitur enim, ſi quis, ſi qua, ſi quod, uel ſi quid. ut Ne quis, ne qua: & aliquis, aliqua. nam ſi ſint duæ partes, ſi quæ, non ſi qua, ultima correpta, proferetur. Nam quod Virgilius, Si qua fata ſinant, ſcripſit, non ſi aliqua fata, ſed ſi fata parte aliqua ſinant, intelligendum eſſe, quiuis uel mediocriter eruditus facile uidet. Si cuius rei narratio incidet, eadem ratione narrari oportebit. quoniam in huiuſmodi cauſis finis eſt utilitas, & ea diuiditur in rationem.*] *Si de aliqua re narrare proponet, eadẽ narratione utetur, qua diximus in iudiciali genere narrandum eſſe. Si utrunque poterimus oſtendere.*] *In confirmatione. Vtrunque pollicebimur.*] *Dum narrabimus. Simpliciter.*] *Vno modo, ſiue illud tutum, ſiue honeſtum ſit. Rei dilucidandæ.*] *Aperiendæ. Et magnificandæ.*] *Vt maiorem faceremus rem. Dolum appellauimus.*] *At actor non utique dolum, ſed conſilium nominabit, quo facilius poſſit perſuadere. Rectam eſſe dicemus.*] *Hoc eſt, cum uirtute coniunctam. Omnes partes recti.*] *Hoc eſt, uirtutes, quas ſupra quadrifarie diuiſimus. Quas oſtendimus.*] *De quibus ſupra loquuti ſumus. Argumentationis artificioſæ.*] *Quam ſupra in ſecundo libro in quinque partes diuiſit. tutum alter, alter honeſtum defendet. Quid agant.*] *Velut Cãnenſes, qui niſi Hannibali ſe dedere maluiſſent, fame periſſent. alter enim qui tutum defendet, in hac rerum neceſſitate dicet, ſi incolumes eſſe uolumus, aut ſi ſine incõmodo uiuere uolumus, neceſſe eſt nos ipſos dedamus Hãnibali. Sin autem alter honeſtatem defendat, neceſſe eſt (inquiet) hoc faciamus, ſi honeſte uiuere uolumus. Ac ſumma quidem neceſſitudo honeſtatis eſſe uidebitur: huic proxima incolumitatis, tertia ac leuiſſima commoditatis. Virtutibus uti neminem poſſe, qui ſuas rationes in tuto non collocarit.*] *Virtutibus, inquiet, nemo uti poteſt, niſi ſit incolumis. at ſi ſimus incolumes, induſtria noſtra, quod de honeſtate amiſſum ſit, facile recuperaturos. Loci ab honeſta ratione.*] *Itaque honeſtatis rationem habere oportere, quam ſine incolumitate nullo tempore poſſimus adipiſci. quare in præſentia cedere rebus tutis oportere, atque aliud tempus magis congruum eſſe expectãdum. Qui tutæ rei præponet rationem honeſtam, his locis utetur, uirtutem nullo tempore relinquendam, uel dolorem ſi timeatur, uel mortem ſi ea formidetur, dedecore & infamia leuiorem eſſe, conſiderandum quæ ſit turpitudo conſecutura, at non immortalitatem.*] *Hoc eſt, qui uirtutes uolet rem tutã antecedere. Neque æternam incolumitatem conſequi, nec eſſe exploratum illo uitato periculo, nullum in aliud periculum eſſe nos uenturos.*] *Inde conſequi hoc dicet, qui uirtutem uolet defenſare, ſi tuta ſectabuntur, turpitudinis eius maculam amoueri nunquam poſſe. nec ob id etiam futuros perpetuo incolumes, aut futurum ut nunquam intereant. Virtute ultro ad mortem proficiſci eſſe præclarum, fortitudini fortunam.*] *Mortem ipſam tranſcendere uirtute, & memorari noſtrum nomen, præclarum putari debere. Eum tuto uiuere qui honeſte uiuat.*]

uiſſe.] Satis fautorum habere, eum qui recte faciat. *Incolumem in perpetuum eſſe non poſſe.]* Nam licet fortuna ei uideatur aſpirare, futurum tamen aliquando dicemus, ubi ingemat & luat pœnas: & ſi cæteras effugiat pœnas, ſua fraude, ſuo terrore maxime uexari oportere. quod ſuum quenque ſcelus agitet, amentiaque afficiat: nec quenquam eſſe quem non ſuæ malæ cogitationes conſcientiæq; animi terreant. *Niſi quod hic maxime.]* Suaſorijs concluſionibus. *Conducit.]* Confert, commodum eſt. *Quam plurima rerum ante geſtarum exempla proferre.]* Concluſiones hic, non argumentationum, quæ græce ἀποδείξεις nominantur, ſed quæ ἐπίλογοι apud illos, à noſtris perorationes uocantur, intelligendæ ſunt. pluratiuum enim numerum pro ſingulari poſuit. Et intelligamus deliberatiuæ orationis concluſionem, exemplis abundare debere. Commodiſſimum etiam in hoc, ut exemplis rerum ante geſtarum, quibus futura præmonſtrentur, utamur.

DE GENERE DEMONSTRATIVO.

Q Voniam hæc cauſa diuiditur in laudem & uituperationem, quibus ex rebus laudem conſtituerimus, ex contrarijs rebus.] Ipſi laudi contrarijs. Dignitas ualetudo, & quæ contraria ſunt, ſi uituperare uoluerimus. *Erit igitur hæc confirmatio & confutatio nobis.]* Id eſt, ex his locis confirmationis & confutationis licebit nobis ſumere argumenta, ſicut paulo poſt oſtendetur. *Ab noſtra, ſi laudabimus.]* Si nos ipſos mediocriter, & quantum locus ipſe expoſcet, laudabimus. *Aut officio facere oſtendemus.]* Si nos officioſos eſſe demonſtrabimus. *Quod cauſa neceſſitudinis intercedat.]* Quod ad laudandum uenerimus, ob neceſſitudinem & affinitatem, quæ uidelicet nobis intercedat. *Aut ſtudio.]* Aut quod talis ſit eius quem probare uelimus uirtus, ut ab omnibus eam probari maxime conueniat. *Qualis ipſius animus ſit.]* Quia dum probandos maxime laudare uideri uolumus, noſtram perſonam reddimus gratiorem, & eo magis, ſi animum aduerſum omnes huiuſmodi eſſe oſtendamus. *Quod ita tractati ſimus.]* Vt de eis bene loqui nobis non cõueniat, & ad nos maxime de eis dicere attineat. *Vnicam malitiam.]* Quæ in uno ſolo quem uituperemus ſit. *Aut quod placeat oſtendi.]* Quod ei delinquere placeat, et poſtquam deliquit, ne ſciatur quod nobis id, ſicut & cæteris, uehementer diſpliceat. *Ea qua uidebimus.]* Contraria, ſubaudiendũ his quæ iam retulimus. *Paucis rebus commutatis.]* Dici poſſe dicemus, ſed nõ dicemus uerbis paucis poſſe dici, dicemus aũt poſſe dici ea quæ uidebimus contraria. *Paucis uerbis commutatis.]* Hoc eſt, cum pauca ex ſuperioribus laudibus uerba commutauerimus. Ordinem eum in uituperatione teneamus, quem in laudatione tenendum eſſe diximus. *Vt paulo ſupra, exempli cauſa.]* Quo res fieret clarior, exempla ſubiecimus, quo pacto reprehendere oporteret. Vt enim nobis uituperandum eſſet, cum à noſtra perſona locos oſtendimus, exemplo demonſtratum eſt. *Quoniam non apud ignotos laudemus, nos monendi cauſa pauca dicturos.]* Cuiuſmodi in Cluentiana ferè illud eſt. quis P. Octauio ingenio prudentior? iure peritior? fide, religione, officio, diligẽtior aut ſanctior cõmemorari poteſt? quis conſilio conſtantior? quis iudiciorum, aut eius dignitatis quam in iudicijs publicis præſtare oportet colentior? Longũ eſt de ſingulorum uirtute ita dicere. quæ quia cognita ſunt ab omnibus uerborum ornamenta non quærunt. niſi quod hic Cicero de exordio loquitur, illic in confirmatione illa refert. Vnde etiam breuiter P. Octauij decurrit laudes, quod in exordio non refert. *In eodem uirtutis ſtudio ſint.]* Eodem ſtudio detineantur uirtutis, illi, apud quos laudemus: ſiue literarium illud ſtudium ſit, ſiue quodcunque aliud. *His quibus uelimus.]* Apud quemcunque huius facta uelimus memorare. *Quoniã norint.]* Quia eius ſcelera cognouerint. *Et quæ ſimiles ſententias habebunt,* quibus ſententijs contraria ſumuntur à uituperatione. *Principio ab aliqua harum tractata, quas ante commemorauimus rationum, narratio non erit ulla, quæ neceſſario.]* Eas rationes, & in orationibus aliorum, & per ſe poterit quilibet inuenire. *Ab externis rebus quidem genus eſt in laude, quibus maioribus natus ſit.]* Scire illud hic oportet, non omnia quæ extra nos poſita ſint, quæq; accidere hominibus ſoleant, neceſſario laudari, quod habuerit ea, ſed quod his honeſte aliquis uſus ſit, & quod hæc certiſſimum morum faciant experimentum. Aut enim meliores propter hæc, aut peiores ſumus: ut Salluſtius in M. Tullium: Leges, inquit, iudiciaq; Romæ. pop. defendit, atque ita moderatur, quaſi unus ſit relictus è familia uiri clariſſimi Scipionis Africani, ac non repertitius accituſq;, & paulo ante inſitus huic urbi ciuis. Pro ſeipſe reſpondet Cicero: Ego meis maioribus uirtute mea præluxi, ut ſi prius noti non fuerint, à me recipiant initium memoriæ ſuæ. Tu tuis uita, quam turpiter egiſti, magnas offudiſti tenebras, ut etiam ſi fuerint egregij ciues, certe uenerint in obliuionem. Quare noli mihi antiquos uiros obiectare. ſatius eſt enim me meis rebus florere, quam maiorum opinione niti, & ita uiuere, ut ſim poſteris meis nobilitatis initium, & uirtutis exemplum. Illud etiam in hoc eſt conſiderandum, num ea quæ à nobis effertur laus, alicui accidat perſonæ generaliter, aut certo alicui generaliter: Vt ſi laus, hominis laus, religionis, iuſtitiæ, prudentiæ, ingenij, & ſimilium, certo alicui, ut puta Socratis, Ariſtotelis, Platonis eſt. Loci laudis & uituperationis rerum externarum ſunt. gens, ut Latinus, Græcus, Barbarus: ciuitas ut Romana, Athenienſis, & queuis clara domus, ut Aemiliana, Cæſariana. dicemus etiam, ſi quid euenit uel ex ſomnijs, uel ſignis, uel huiuſmodi prænunciationibus. Victus laudabitur, ut in Achille quod ferarum paſtus ſit crudis uiſceribus. Item laudare poſſumus à iuſto, utili, poſſibili, decenti. A' iuſto, ut iuſtum eſt ducere uxorem, & quod à parentibus accepimus reddere utile. multa enim commoda ex nuptijs accidere oſtendemus. Poſſibile, Quod ante nos omnes fecerunt, & nunc faciunt, nos quoque poſſe facere. Decens, quod non mora ferarum in latebris, & ſine lege nobis degere liceat. Ab eiſdem locis hæc acute refellere poterimus. Per comparationem etiam quæcunque dicemus, augere poterimus. ut ſi urbem urbi, genus generi, uictum uictui, & ſimilia compares. Comparantur item animi bona inter ſe, ut uirtutes cum uirtutibus, profeſſiones cum profeſſionibus. Corporis quoque bona, ut ualetudo cum opibus. Corporis bona cum animi bonis, ut robur cum ingenio, uel rerum ſcientia, ut ſi Achillem cum Homero compares, animi bona cum externis: ut ſi iuſtitiam uel ſcientiam aliquam cum opibus, cum nobilitate. Eſt etiam ubi amplitudo plus dedecoris attulerit, ut Galba Romanum imperium, quod priuatus maior uiſus eſt, & capax imperij. Nam quod prius ſapientia eſſe & ob natalium claritatem metuſq; temporum in eo putabatur, ſegnities comperta eſt. Idem de cæteris bonis, ne ſingula enumerare laborem, intelligendum eſt. *Si bono genere parem, aut excellentiorem fuiſſe.]* Subaudiendum, quàm eius maiores extiterunt. *Ipſum in ſuis, non in maiorum uirtutibus habuiſſe præſidium.]* Sicut Ciceronis ipſius exemplum ſupra retulimus. *Si malo.]* Subaudiendum genere. *Non quemadmodum cæteris.]* Nam multis, ſicut Paridi, forma detrimento fuiſſe ſcribitur. *Vires.]* Corporis robur. *Honeſtis.]* Quando non omnino honeſtis quidem, ſed cogentibus alienis præceptis, comparata eſſe dici poſſunt. *Si ualetudo.]* Bona intelligatur, nam medium uerbum eſt. *Ex perpetua diligentia & temperantia cupiditatum.]* Quod, quia cupiditates ſuas diligentia & temperantia compeſcuerit, bonam conſeruauerit ualetudinem. *Quæ caſu & natura.]* Quod non ſua diligentia & temperantia ualidus

ſit,ſed quod ita caſus tulerit,ita natura eum produxerit,quemadmodum etiam gladiatores & multos alios eſſe uidemus. Sin erunt præter formam omnia.] Sit formoſus, ſed dicatur imbecillis,idq; ipſius culpa & intemperantia. tum non culpandam eſſe naturam,& ſimilia. Eſt enim ubi forma uituperetur, ſi uidelicet quoquo modo intemperantiæ iuncta ſit,& imbecillitati. ut apud Homerum in Paride, Δύσπαρι εἶδος ἄριστε γυναιμανὲς, ἠπεροπευτά. Eſt etiam ubi forma iuncta ſimpliciter imbecillitati etiam naturali culpetur,ut de Nireo rurſum apud Homerum, Νιρεὺς,ὃς κάλλιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε τῶν ἄλλων Δαναῶν,μετ' ἀμύμονα Πηλείωνα ἀλλ' ἀλαπαδνὸς ἔην. Et quid fortiter in amicitijs gerendis.] Suſtinendis. Nam, ut Varro inquit,cũ imperator res gerere dicitur, in eo neque agit neque facit, ſed gerit,id eſt, ſuſtinet. tranſlatum ab his, qui onera gerunt,cum ſuſtinent. Cuius cauſa ſuſceperit inimicitias.] Vt tamen probari,uel id improbari ſciamus. In diuitijs qualis.] An munificus,liberalis,aut ſecus. Aut in paupertate fuerit.] Num continenter uixerit, nec aliena rapere affectauerit. Cuiuſmodi mors fuerit.] Num eius mortem res aliqua ſecuta ſit,unde poſſit laudari aut uituperari. ſi qua forte,ut in Cæſaris morte,portenta apparuerint. Vt ſi laudemus aliud iuſte.] Vt ſi tribuit unicuique quod ſuum eſt. Et quoniam iuſtitiam ſequuntur innocentia, amicitia, concordia,pietas,religio,obſeruantia,humanitas,& ſimilia, eas partes tractari conueniet. Aliud fortiter.] Vt ſi animum ſupra omnia geſſit pericula,nihilq; niſi turpe timuerit, in ſecundis rebus cupiditatibus reſiſtere potuerit,& aduerſa conſtanter tolerauerit,& quæ fortitudinem ſequantur decurramus,ut magnanimitatem,fiduciam, ſecuritatem, magnificentiam,conſtantiam,tolerantiam, ſanctum & inuiolabile recti propoſitum. Aliud modeſte.] Vt ſi nihil occuluiſſe, quod pœnitendum eſſet,oſtendemus, & in nullo moderationis legem exceſſiſſe, & ſub rationis iugo cupiditates domuiſſe,& quæ modeſtiam comitantur percurramus,abſtinentiam, temperantiam, continentiã, uerecundiam,caſtitatem, pudicitiam, honeſtatem,moderationẽ, parſimoniam,ſobrietatem. Aliud prudenter.] Vt prouidiſſe prius omnia,& intellexiſſe eum,quàm quidquam ageret, dicamus, & quæ prudentiam ſequuntur,omnia perſpexiſſe. Velut ſi circunſpectus fuit, ſi prouidit, ſi docilis, ſi cautus, ſi conſilio plenus ad agendum uenit. Si uituperabimus,aliud iniuſte,aliud immodeſte.] Omnia ſuperioribus contraria afferemus uitia,ut dolori cupiditatiq; cognatas cõſentaneasq; paſſiones,æmulationem,inuidiam,maleuolentiam,obtrectationem, & ſimilia in eum proferemus: uoluptati autem,in alienis malis ei ſemper gaudium fuiſſe: iactantiam de ſe,& gloriæ uanitatem: fugam ſæpe ob ſcelera meditatum: formidine metuq; concuſſum: & nihilominus ſæuitiam, feritatemq;, & his proxima, in eum quem uituperare uolemus,congeremus. Vbi cuſtodiendum, ne fortiori coniungatur infirmius, ut ſacrilego, furi, homicidæ, corruptor. nanque ſenſus hominis à paruo in maius debet inſurgere. Sed hæc ad elocutionis præcepta attinent.

Non neceſſe eſt nos omnes partes has in laudem, aut uituperationem transferre.] Monet Herennium,quid ſit in hac præceptione tenendum. dicit enim, non oportere eum exiſtimare, quæ de laude & uituperatione dixit,omnia unam in orationẽ transferenda ſimul eſſe: ſed ea duntaxat,quæ uiderit congruere. Quæ firmiſſima uidebuntur.] Ad laudandum uituperandum'ue. Legere.] Colligere oportebit. In ipſa cauſa.] Propter quam ad uituperandum uenimus. Crebras & breues amplificationes interponere oportebit per locos communes.] Velut ſi in ſacrilegum communi ex loco dicas. deorum enim placatorum prouidentia cuſtoditur reſpublica,uiolatorum uero ira corrumpitur: & ſic progrediemur: Quæ cum ita ſint,quantum iſte ſcelus admiſit? Vt nimirum rem exponamus,non quaſi docentes, ſed quaſi exaggerantes: quod uniuerſæ nocuerit ciuitati,& communibus & priuatis rebus. & timẽdum,ne tale ſcelus conſequatur ſterilitas frugum, ne hoſtium ſuperemur armis,& ſimilia. Velut in Salluſtium ipſe Cicero, Deſine bonos petulantiſſima conſectari lingua, deſine morbo procacitatis iſto uti,deſine unumquenque moribus tuis exiſtimare. His moribus amicũ tibi efficere non potes,uideris enim uelle inimicum habere. Per locos communes.] Vnde ſimiliter nobis dicere tali in re conuenit. De his ſupra abunde dictum. Raro accidit in uita.] Quod tunc raro accideret, aut laudare,aut uituperare quenquam,nunc ſæpiſſime. Vt faciendum ſit aliquando.] Siquidem aliquando,non ſæpe, in genere demonſtratiuo ſic conſummuntur orationes: quod licet raro fiat,non oportet tamen id negligere. Hæc cauſa demonſtratiua minus ſæpe tractetur.] Non admodum frequenter agitetur. At in cauſis iudicialibus,& in deliberatiuis, ſæpe magnæ partes uerſantur laudis, aut uituperationis. quare in hoc quoque genere cauſæ.] Probat, demonſtratiuum tum propter ſe, tum propter iudicialem & deliberatiuam cauſam eſſe neceſſarium: quòd in eis generibus ſæpe laudanda multa nobis occurrant.

DE MEMORIA.

m Emoria utrum habeat quiddam artificij.] Hunc de artificioſa memoria Ciceronis locum expoſituri, recte facturi uidemur, ſi aliquanto altius hanc rem repetamus. & primũ quid ſit memoria,& in qua corporis quieſcat ſede,& quibus'nam cauſis in alijs hebeſcat, in alijs autem floreſcat,dicamus: poſt, quibus remedijs imbecilli poſſit occurri memoriæ,quantum nobis ueteres iunioresq;,qui aliquid dicere uiſi ſunt,tradiderunt, oſtendemus. Ipſam igitur memoriam ita definit Plato: μνήμη, διάθεσις ψυχῆς φυλακτικὴ τῆς ἐν αὐτῇ ὑπαρχούσης ἀληθείας. Auguſtinus autem,intellectus uim eſſe dicit memoriam,eorum quæ ingenio inuenta ſunt conſeruatricẽ. ſic enim inquit: Ingenium eſt uis animæ, ſiue intentio, qua ſe extendit anima,exercetq; ad incognitorum cognitionem. Ingenium quidem exquirit ignota, ratio diſcernit inuenta,memoria recondit iudicata,& offert adhuc iudicanda. ſic fit aſcenſus ab inferioribus ad ſuperiora,et ima à ſummis dependent. Ariſtoteles autem memoriam à reditione in memoriam ita differre arbitratur,quod ut meminiſſe quidem omnium animantium ſit, uelut cibi,potus, ſomni, uoluptatis, ita in memoriam reuocare quod exciderit, non niſi homines poſſe. Proinde tardos quidem & pinguis ingenij homines,etiam memores eſſe: redire autem in memoriam, ſolum acris & uelocis ingenij ſit. Sed cur id ſenſerit, ipſe docet. & cum Ariſtotele enarrant Auicenna, Alexander,Themiſtius,Alpharabius,& Albertus Alemanus. Diſtingui ſiquidem caput ita aiunt,ut in ſincipite, hoc eſt in cerebro,& parte quæ frontem uerſus porrigitur,ſit communis ſenſus: in media autem parte diſtinctio: in occipite uero imaginum retentio,quod maxime experientia percipi poteſt. Nam læſo occipite,rerum oritur obliuio,& cognitio,diſtinctio, atque imaginum quædam æſtimatio manet. læſo autem ſincipite, ſenſus cõmunis: læſa parte capitis media,æſtimatio abijcitur, ſed manent cætera. Proinde cum in occipitis parte rei antea uiſæ tenetur imago,ut continuus ſit & uniformis ad memoriam alicuius rei motus,meminiſſe dicimur. Cum autem doctrina,arte, ſcientia, ingenio, præceptis, per quaſdam quod obliti ſumus ueſtigamus imagines, redire in memoriam dicimur. Qua de cauſa hanc quidem reminiſcentiam, illam uero memoriam quidam nominare tentauerunt. & memoriam rudis & pinguis hominis eſſe, quod nullo ingenio, nulla indigeat ſcientia, eſſe dixerunt: reminiſcentiam uero, ingenij acuti & acris & eruditi. ſed nos iam ſine metu memoriã hanc nominabimus, quando & Cicero,

cero, & alij ita appellarunt. Proximum nunc eſt, ut dicamus cur hanc in alijs hebeſcere uideamus. Calidi & humidi, ut Ariſtoteles inquit, uelocis quidem ſunt plerunque ingenij, ſed immemores, propter humidum, quod facile recipit, & calidum, quod multum mouet. Calidum enim multas per ſe mouet imagines, quas uniuerſas continue fluens humidum commiſcet atque perturbat. Econtrario qui ſicci ſupra modum ſunt, pinguis ac tardi ſunt ingenij. quod ubi nullus in occipite humor ſit, nullam illic figi imaginem poſſe. Si igitur nihil prorſus figatur, redire aliquid qui poteſt in memoriam? Velociſſimi itaque ingenij, & tardiſſimi, ſunt immemores: Hi quidem, qui humido ſuperfluunt, calido nempe multas inueniente rerum imagines, ac ideo magis in humido eſſluitantes, quod altera alteram etiam pellat: Illi autem, quia nec calor ſuſcitat, nec ullus humor retinet imagines, etiamſi calor ſuſcitans affuerit. Qua de cauſa & qui frigidi ſunt, tardi uidentur: & eo tardiores, quo ſicciores extiterint. Calidi autem ad inueniẽdum parati ſanè, ſed ſi ſicci ſupra modum, immemores erunt. Sin autem quantum ſatis ſit humidi calidiq; ſimul erit, ad inueniendum etiam parati tum, & memores erunt. Quoniam in nimium humida anima imago non manet, ſiccorum autem animam imago non tãgit. ſed nullus ita infelix (ut opinor) eſt, niſi prorſus ſit ſtolidus, qui aliquantum humidi calidiq; in occipite non habeat, ſi præſertim iuuenta adhuc floreat. Nam quo magis ad ſenium ætas declinat, eo magis calor extinguitur, & humor exiccatur, ac per hoc ad uecordiam propius etiam acceditur. Quoniam igitur & quæ ſit memoria, & quam ſedem occupet, & in quibus hebeſcat uireatúe, iam dictum eſt: dicendum iam uidetur, quo pacto in memoriam eorum quæ aut uidimus, aut audiuimus, redire poſſimus, hoc eſt, acuti fiamus, ſi frigidi iam à natura ſicciq; ſimus. In qua re quantum quiſque ſtudio perficere queat, Themiſtocles nobis eſſe teſtis poteſt: quem unum intra annum optime locutum Perſice conſtat. uel Mithridates, cui duas & uiginti linguas, quot nationibus imperaret, traditur notas fuiſſe. uel Craſſus Licinius ille diues, qui cum Aſiæ præeſſet, quinque Græci ſermonis differentias ſic tenuit, ut qua quiſque apud eum lingua poſtulaſſet, eadem ius ipſi redderet. uel Cyrus, quẽ omnium militum creditum eſt tenuiſſe nomina. Sic etiam ſemel auditos, licet multos uerſus, breui tamen memoriter retuliſſe Theodectes fertur. Facit præterea prompti ingenij famam memoria, cum in omnibus ſcientijs & artibus, tum oratoribus, ut ea quæ dicunt non modo attuliſſe, ſed ibi protinus ſumpſiſſe uideantur. Contra immemores, tardi pinguesq; & ſunt, & habentur: ueluti Curionem habitum legimus, qui adeo nullius fuit memoriæ, ut aliquotiens cum tria propoſuiſſet, aut quartum adderet, aut tertium quæreret. Ob quod ego tardum etiam in cogitando, & in conſtruendo diſſipatum fuiſſe crediderim: ac etiam eius motum fuiſſe incompoſitum, cum ſe toto corpore iactaret. Nam cum ad redeundum in memoriam, eum multum animo æſtuaſſe ueriſimile ſit, eadem ratione corpus iactaſſe, & cum meminiſſe uellet multum laboraſſe, ſatis intelligi poteſt. quæ omnia incommoda ex memoriæ imbecillitate proficiſci oſtendimus. Sed iã unde digreſſa eſt, eò noſtra redeat oratio. Ut igitur in memoriã nobis redeant, quæ aut ipſi uidimus, aut ab alijs audiuimus, adminicula duobus ex locis petẽda ſunt, tum ex nobis, tum extrinſecus. Ex nobis, aut ut memores ſimus, aut ut alijs eſſe uideamur, ac ut hoc aliqua uirtute incommodum tegere ualeamus. At quantum ad adminicula pertinet: primum quatenus à nobis fieri poteſt, bonam conſeruemus ualetudinem, ne crapulæ inſeruiamus, & cibus in ſtomacho digeratur, liberumq; cogitationibus animum habeamus. Quare & pueri, ut plurima diſcant, cum ea ætas memoria ſtudio multum etiam iuuetur, procurandum, & ſtudium illis hoc quaſi peculiare eſſe oportet, lecta ſcriptaq; ſæpius reuoluendi, & quaſi eundem cibum remandendi: Habeatur tamen delectus à præceptore, in hoc, ut ea quæ optima ſint, proponantur. Idq; leuius fieri poteſt, ſi pauca primum, & quæ odium non afferant, experint ediſcere: deinde ad infinitum uſque perueniant, & poetica prius, poſtmodum oratorum, nouiſſime etiã ſolutoria numeris, & magis ab uſu dicendi remota, qualia ſunt iuriſconſultorum, memoriæ mandent. Sit autem omnibus exercitatio, & labor multa diſcẽdi, multa cogitandi, &, ſi fieri poteſt, quotidie. Nihil enim tam auget memoriam, quàm cura: nihil tam corrumpit, quàm negligentia. In quibus rebus danda prius opera eſt, ut quod diſcimus, intelligamus: & ſi longius aliquid complectendum memoria fuerit, orationem per partes ediſcere proderit. quoniam nimio onere obruitur mens. Eæ uero partes non ſint perexiguæ, alioquin nimis multæ excident. dandi quidam termini ſunt, ut contextum uerborum, qui eſt difficillimus, contineat crebra meditatio, & breuis eum omnem mentis decurrat uigor. partes deinceps ipſas repetitus ordo coniungat. Nec erit inutile, quo hæc facilius hæreant, aliquas notas apponere, quarum recordatio eius partis nos commoneat, & memoriam excitet. Nemo enim ferè tam ſocors eſt, ut quod cuique loco ſignum deſtinauerit, neſciat. Et ipſæ quoque literarum notæ, ſi quid noui habebunt, excitare poterunt. Hoc pacto ueſtigijs quibuſdam quod legerimus oculis, non paginas modo, ſed uerſus, nec uerſus modo, ſed ſingula prope uerba uidebimur intueri. Tacite autem hæc ediſcere, expeditius & potentius eſſe exiſtimatur, ſi non ſubeant, uelut otioſum animum, plerunque aliæ cogitationes, quibus mens impediatur. Cæterum uoce & duplici motu iuuetur memoria dicendi, & pariter audiendi. ſed hæc uox ſit modica, & magis murmur. Quod autem legente alio ediſcimus, in parte tardamur. nam acrior eſt oculorum quàm aurium ſenſus. In parte tamen iuuamur, ſi cum ſemel aut bis audierimus, continuo noſtram experiemur memoriam, ut cum legente contendemus. Si igitur facilis rerum nobis ſuffragatur memoria, & tempus non deeſt, nulla poteſt effugere ſyllaba. ſin autem debilis admodum memoria eſt, ubi rerum atque ordinem complecti ſatis ſit: nec quiſquam ſe tenere parum iudicet, dum illud retinet. Nam dum nihil prætermittere uerborum uolumus, fit, quod turpiſſimum eſt, interruptus actionis impetus, & reſiſtens, ac ſalebroſa oratio: & qui dicit, ediſcenti ſimilis, etiam bene ſcriptorum gratiam perdit. Sed de hac parte iam ſatis diximus. Nunc ſupereſt, ut immemoris ingenij incommodum uirtute aliqua tegendum doceamus. Memoria ergo deficientis incommodum eloquentia emendare poterimus, ut aut quæ proxime diximus, alijs uerbis efferamus, exornemus, & uerborum ſententiarumq; figuris tantiſper inuoluamus, quoad nobis quæ uolumus ſuggerantur. Ut ſi memoria & ipſa inuentione commendari non poſſumus, commendemur eloquentia, uelut Curio, quem Cicero ultra omnes immemorem annotauit. eum tamen inter oratores poſitum, propter uerborum uarietatem, & expeditam ac profluentem quodammodo celeritatem eſſe uoluit: id enim ſolum in eo alicuius ſpeciem fecit oratoris. Quod autem ſplendidis utebatur uerbis, uſu domeſtico creditur ſibi comparaſſe. Aliqui uoce canora et ſuaui, ſicut Cn. Lentulus: aliqui formæ etiam dignitatem ſuauitati uocis et magnitudini addentes, uelut P. Lentulus, tarditatis emendatores magnopere probati ſunt: ſi ita memoriæ uitium per interualla, ſeu uoce, uel motu corporis emendarunt. Expoſuiſſe ſatis iam uidemur, quo pacto ex nobis ad memoriæ incommoda adiumentum poſſimus cõparare. nunc proximum eſt, ut quibus adminiculis extrinſecus iuuari poſſimus, aperiamus. Extrinſecus duabus ex cauſis iuuare poſſumus memoriam, medicamine & locis, quæ ſecum aliquarum rerum ferant imagines. Medicamine, ut ſyrupis, medicinisq;, aut unguine nimium capitis exiccemus humorem, quo uiſa audita'ue hæ-

reant tenacius. Quibus rebus multi ſalubre et mirabile tulerunt imbecilli memoriæ remedium, ſed hæc ad medicos relegamus: quando de hac re multa tradi medela poſſunt. & licet aliqua, quæ maxime probantur, ad me peruenerint, perquirendum tamen ab his medicis, unicuique ſuademus. Vltima artificioſæ memoriæ pars fuit, de locis & imaginibus eius: quæ à nobis iam tractanda reſtat, quam Cicero ſolam partem luculentiſſime, ut omnia, exequitur. Sed antequam Ciceronis uerba aperire incipiamus, prius utile, ac ab hoc loco non alienum facturi uidemur, ſi unde cœpiſſe originem tradatur, exponamus. Artificioſæ igitur memoriæ hanc partem primus dicitur Simonides lyricus poeta oſtendiſſe, cuius uulgata fertur etiam à Cicerone hiſtoria: Cum, ut Quintilianus inquit, pugili coronato carmen, quale componi uictoribus ſolebat, mercede pacta ſcripſiſſet, abnegatam ei pecuniæ partem, quòd more poetis frequentiſſimo, digreſſus in laudes Caſtoris & Pollucis hæſerat. Quapropter partem ab his petere, quorum facta celebraſſet, iubebatur: & hi perſoluerunt, ut traditum eſt. Nam cum eſſet grande conuiuium in honorem eiuſdem uictoriæ, atque adhibitus ei cœnæ Simonides, nuncio eſt euocatus, quòd eum duo iuuenes equis aduecti deſiderare maiorem in modum dicebantur, & illos quidem non inuenit: fuiſſe tamen gratos erga ipſum eos, exitu cõparuit. Vix enim eo limen egreſſo, triclinium illud ſupra conuiuas corruit, atque ita confudit, ut non ora modo oppreſſorum, ſed membra etiam omnia, requirentes ad ſepulturam propinqui illos, nulla nota poſſent diſcernere. Tum Simonides dicitur, memor, ordine quo quiſque diſcubuerat, corpora ſuis reddidiſſe. Eſt autem magna inter auctores diſſenſio, Glaucone Cariſtio, an Leocrati, an Agatharcho, an Scopæ ſcriptum ſit id carmen, & Pharſalij fuerit hæc domus, ut ipſe quodam loco ſignificare Simonides uidetur, atque Appollodorus, & Eratoſthenes, & Euphorion, & Laryſſæus Eryphilus tradiderunt, an Crannonæ, ut Apollas, Callimachus, quem ſecutus Cicero hanc famam latius fudit. Scopam certe nobilem Theſſalum periſſe in eo conuiuio conſtat. Ex hoc Simonidis facto notari uidetur, iuuari memoriam ſignatis animo ſedibus, idq; credere ſuo quiſque experimento. Nam cum in loca aliqua poſt tempus reuerſi ſumus, non ipſa agnoſcimus tantum, ſed etiam quæ his fecerimus reminiſcimur, qui in memoriã ſubeunt. Nonnunquam tacita quoque cogitationes in mentem reuertuntur. Nata eſt igitur, ut in pleriſque, ars, nec à natura diſcrepat.

Memoria utrum habeat quiddam artificij, an omnis à natura proficiſcatur, aliud dicendi tempus idoneum dabitur. Nunc perinde atque conſtet in hac re multum ualere artem & præceptionem, ita de ea re loquemur.] *Naturam definiuit Empedocles, ut diceret, natura eſt ignis artifex, quadam uia uadens in res ſenſibiles procreandas, quòd omnia (ut ipſe uult) principe igne generentur. Plato autem ſic definit, natura eſt dei uoluntas. Quodcunque igitur ex intima rei alicuius ui ſpõte exit (quoniam quod uoluntate factum diuina eſt) id ab eius rei natura dicitur proficiſci. Sed utrum memoria à natura proficiſcatur, nec'ne, quæri poſſe uidetur. Nã ſi memoria uis quædam propria animæ eſt, ſicut uoluntas & intellectus, quæ in hominis crebri parte poſtrema occipue contingente perficitur, uelut paulo ſupra memorauimus, à natura homini inſita dici poſſe uidetur. Porro, cum animæ ſenſus, corporis ſenſibus, ut Ariſtoteles uoluit, ſuſcitentur: quippe qui animam uelut raſam quandam tabellam, in qua nihil pictum eſſet, dixit: habi'em tamen creatam ad omnium rerum ſuſcipiendas formas. molem enim corporis obſtare, ne quiduis ad unguem & mox intelligat. Ex quo manifeſtum eſt, magnum ad memoriam, ſicut ad cæteras animæ uires, quibuſdã rebus præſtari adminiculum. Quod cum ita ſit, apparet memoriam, ſicut & cætera, artificio comparari poſſe. Cum autem natura & arte conſtet memoria, naſcitur quidẽ à natura, ab arte uero excolitur.*

Placet enim nobis eſſe artificium memoriæ.] *Subaudiẽdũ, de quo daturi præcepta ſumus.* Simul cum cogitatione nata, *quæ uis eſt animæ, quam confirmat inductio quædam, cum arte inducimur ad ea quæ præterita ſunt, comminiſcendum.* Natura commoda retinet.] *Nam de locis & imaginibus Cicero dicturus eſt, ad quas comminiſcendas mente nobis opus ſit, & ingenio ad ſimilitudines rerum effingendas. illam uero per naturam, hoc etiam à præceptoribus accipimus.* Conſtat igitur artificioſa memoria ex locis & imaginibus.] *De qua dicturi ſumus.* Locos appellamus eos qui breuiter.] *Vt ſine cunctatione ac mora omnes cogitatio poſſit percurrere, ne ipſo occurſu hæreamus. Plus enim quàm firmam eſſe oportet memoriam, quæ aliam memoriam adiuuet.* Perfecte.] *Vt quidquid animo occurrat, illic diligenter affigi poſſit, ac ob hoc nihil ſit imperfectum.* Inſignite.] *Vt ea loca multa uarietate ſignata concipiantur.* Aut natura.] *Velut in itinere longo rupes, uel quidquid inſigne occurrat, & ſi non ſint, liceat nobis effingere.* Aut manu ſunt abſoluti.] *Velut domus, opera aliqua publica, urbium ambitus, picturæ, quæ ſint, uel quas nobis effingamus. Opus ergo eſt locis, quæ uel finguntur, uel ſumuntur. porro ſumuntur uel natura, uel manu abſoluta.* Vt eos naturali memoria comprehendere.] *Vno mentis curſu colligere.* Et amplecti.] *Sepire & circunuallare queamus, quod facere poſſe uidemur, ſi non ſint numeroſa, ſi maxime ſpacioſa perfectaq;, ac uarietate diſtincta.* Vt ædes.] *Vt domus magna, & in multos receſſus diducta.* Intercolumnium.] *Si tamen uaria rerum facie ſit inſignitum.* Angulum.] *Velut angiportum, ſi huic rei ſit accommodatus.* Fornicem, & alia quæ his ſimilia ſunt.] *Si tantum pateat, ut in eo multæ figi poſſint imagines, uel ſi in eius ædibus hæc & alia inſignita compareant.* Imagines ſunt quædam formæ & notæ & ſimulacra eius rei, quam meminiſſe uolumus. quod genus equi, leonis, aquilæ memoriam ſi uolumus habere, imagines eorum.] *Vt ſi ſignum nauigationis anchoram, & militiæ ſignum aliquid ex armis ponas.* In certis locis collocare nos oportebit. nunc cuiuſmodi locos inuenire, & qua pacto reperire, & in locis imagines continere oporteat, oſtendemus.] *Ne erremus, ſit'ne is primus uel ſecundus, aut quotuſquiſque locus alius, cui eam imaginem concredideri mus, ſcire oportet. opus ergo locis eſt, imaginibus & ſimulachris, & ad ea quæ figenda ſunt, illuſtribus ac explicatis modicis interuallis, aut ita prorſus inſignitis, ut occurrere celeriter & percurri animo poſſint. Metrodorus ſanè ſe in duodecim ſignis, per quæ ſol ineat, tricenos & ſexagenos locos inueniſſe iactanit. aliqui in annulis ſe formaſſe dixerunt.* Quare placet & ex ordine locos comparare.] *Nam ita aliqui digerunt. primum locum ueſtibulo quaſi aſſignant, ſecundum puta ambulacro, tertium atrio, tum atria circumeunt, nec cubiculis modo aut hexadris, ſed ſtatuis etiam, picturis'ue, ſimilibusq; per ordinem committunt. Hoc facto, cum eſt repetenda memoria, ab initio incipiunt loca hæc recenſere, & quod cuique crediderunt repoſcunt, & eorum imagine, quid nam id ſit admonentur. Ipſa loca nimium illuſtria, aut nimium obſcura eſſe noluerunt: diſtantia inter ſe non pluſquam quinque paſſus, uel paulo plus minus'ue. Et cum quæ locauimus, auferre uoluerimus, à dextro uel ſiniſtro, prout progreſſus domus patietur, incipiemus: nec ut retrorſum cedas, ac à ſiniſtro in dextrum abeas, paulo curioſius præcipi ſolet.* Diſſimilia uero inter ſe loca eſſe, recte præcipitur. *Quamobrem ne cellulæ quidem ſacerdotum commodæ huic rei uideri, ob nimiã inter ſe ſimilitudinem debent.* Si in quinto loco manum auream collocemus.] *Quæ imago, quintum adeſſe locum non tam demonſtret, quàm rei nouitate animum ad comminiſcendum*

dum eum locum excitet. Diſtincte interlucere poſſint.] Diſcreti ita ſint, ut per ſe perluceant, appareantq́;. Paulo plus aut minus.] Subaudiendum, ad poſterius paulo. Pedũ tricenũum.] Triginta pedum. trigenum dici deberet per g literam, non per c. nam tricenum per ſyncopam factum eſt, alias tricentenum. ſed cum dicat non nimiam eſſe oportere inter huiuſmodi loca diſtantiam, trigenum uidelicet oportere ſcribi uidetur. & eſt aeque ſyncopa trigenum, pro trigenorum. nec mirum uideatur, ſi cum genitiuo plus minuſq; conſtruuntur, cum & cum accuſatiuo etiam, nedum cum ablatiuo coniungi inueniantur. Ita & cogitatio minus ualet, ſiue nimis procul remoueris.] Siue paulo diſtantiora fuerint inter ſe loca, ſiue propinquiora quàm conueniat. Arbitrium fabricari.] Cudere, inuenire. Et architectari.] Conſtruere. Vna rerum.] Quibus rebus: Altera uerborum.] Quibus uerba exprimuntur. Cum ſummatim.] Cum collectim paucis. Hæreditatis cauſa factum arguerit.] Oſtendet. In lecto cubantem.] Loco quem ipſi inuenerimus. Si formam eius detinebimus.] Si cuiuſmodi formæ ſit, meminerimus. Non de minimo loco.] Non pauperem, nec abiectum, ſed nobilem & opulentum. Dextra poculum.] Quo ueneno necatum oſtendamus. Siniſtra tabulas.] Quibus hæreditatem & teſtamentum ſignificemus. Et digito medio teſticulos arietinos tenentem.] Vnde teſtes, quiq; conſcij ueneni dati ſint, reminiſcamur. Et una hac hominis imagine, unũ complexi ſumus negotium. Veneno necati.] Neco, necui, ſuffocaui ſignificat. ut Horatius: Bos eſt enectus arando. neco necaui, ferro uel quauis alia ui occidi. Hinc necem, cædem appellamus. & hinc internecio, nisæ priuatio, uel interitus. Cæſar in Commentarijs de bello Gall. Hoc prælio facto, & propè ad internecioné gente ac nomine Neruiorum redacto. potius quàm à ſupino nectum, ut Priſcianus uoluit, ſublata nempe litera.
Plus negotij ſumemus.] Plus curarum. ſic Plautus: Quid tu mihi exhibes negotium. Et magis ingenium exercebimus.] Quoniam pluribus opus eſt imaginibus, cum etiam uerba multo plura eſſe quàm negotia, neceſſe ſit. Iam domi ultionem reges Atridæ parant.] Si huius uerſus uelis reminiſci. Manus ad cœlum tollentem Domitium.] Aliquem notum, qui Domitius nominetur, ut huius nominis domi meminiſſe ualeas. Tollentem manus ad cœlum.] Vt futuram ultionem demonſtrans, imploret auxilium. Cum à regibus, martijs loris cædatur.] Vtrum à regibus, quicunque loris martijs, quibus in bello utuntur milites: an certe à regibus Martijs, Remo et Romulo, Martijs filijs, loris cædatur, & Remus Romuluſq; Agamemnona & Menelaum in memoria nobis ſuggerant, qui in bello Troiano fratres, ſimul & reges, totius exercitus duces extitere. In altero loco Aeſopum & Cymbrum ſubornari.] Per quos hiſtriones Atridæ fratres dentur intelligi. Subornari.] Adornari, ad tragœdiæ recitationem, uel quiduis ſimile. Ab Iphigenia.] Notum ſatis eſt, Iphigeniam, quam et Sophocles & Lucretius, ita multi alij, Iphianaſſam nominarũt, Agamemnonis ex Clytemneſtra fuiſſe filiam, cuius immolandæ loco cerua ſuppoſita fertur. Nobiſcum primum tranſeamus.] Intra nos meditemur, & decurramus. Cum imaginibus uerba.] Ea coniungendo exprimamus. Ne cum ab inſtituto noſtro.] Artificioſam docendi memoriam. Receſſiſſemus.] Docendo, quo pacto in artificioſa memoria plus ſit præſidij, quá in naturali. Egregie turpe.] Multa ſunt huiuſmodi uerba, quæ in bonũ & in malum, & utroqueuerſus capi poſſunt, uelut nobilis, illuſtris, inſignis, ſingularis. Cicero ipſe de lege frumentaria: Ad iſtius flagitioſas libidines, ſingularemq́; nequitiam natum atque aptum, inquit. Eclipſn ſolis.] Defectus. Ná ἐκλείπω deficio ſignificat. Hinc lunaris eclipſis. Et qui ea deſiderabit, inueniet.] Deſiderare, quod deeſt quærere. Si quod.] Oſtendit natura. Sequatur.] Ars. Nihil eſt.] Quod aut natura extremum, quia antecedit ſemper: Aut doctrina primum.] Quia ars ſemper naturam imitatur. Haberi in memoria diutiſſime poteſt.] A' diu comparatiuum diutius, unde, diutile ille quidpiá percunctetur, ambulant diutile & fabulantur, Apuleius uſus eſt. ab hoc diutiſſime ſuperlatiuum. Nec uagas.] Non conſiſtentes. Vnicam turpitudinem.] Præcipuam. Cœno oblitam.] Inquinatam, ex ob & lino, unde litura deſcendit. Aut rubrica delibutam.] creta rubra conſperſam. eſt enim creta, ut Columella, in hanc ipſam rem liquida rubrica, ut illiniri poſſit, à rubro colore dicta: ſicut & rubrica, qui libris index exſcribitur. Perſius.

Si quid manſuri declaret linea quauis,
Rubra poteſt dici. Et rurſum Perſius,
Oculo rubricam dirigat uno.

Vt identidem.] Idem & idem. Imaginum renouandarum.] Quia renouantur imagines in omnibus negotijs, licet perpetuo loca ipſa maneant. Quantulum enim poterunt ualere.] Hoc dicit, quàm parum habere momenti poterunt cõparatæ imagines, ſi infinitam uerborum ſpecies copiam, ut cum minus memineris, ſtatim alias meminiſſe adhuc oporteat. Similitudine aliqua, quam ſibi unus ita effinget.] Vt alij ſub abſurda forte uideatur. Non omnes habemus aſſenſores.] Non omnes nobis aſſentientur, in rerum quam ſumpſerimus ſimilitudine. Quia illi.] Quicunque ſit. Videtur aliud.] Subaudiendum, quàm nobis ipſis uiſum ſit. Admonendus es.] Ne inutilem uerborum memoriam credens, aut difficiliorem quàm ut te aſſequi poſſe arbitratus, præceptione noſtra adhuc non ſatis perſuaſus ſis. Qui uelint res faciliores ſine labore.] Hoc dicit, quicunque exigui animi leuia ſemper conſectatur, ea uidétur duriora obſcurioraq́; quàm ut cito capere poſſit, neceſſe eſt, quæ ſunt maiora. At qui difficilioribus aſſueuit, faciliora penè contemnit: quippe qui nihil in eis laboris eſſe ſibi perſuadet. Et hoc in omnibus ferè humanis rebus accidit. Idem accidit plerunque diſcentibus, qui præceptorem leuia humiliaq́; ſequentem, & in promptu poſita ſequi malunt, quàm eum qui paulo remotiora & maiore cura elucubrata promat. Infirmi enim ſemper ac debiles & ſunt, & habentur. Quamobrem difficilioribus ſemper inuigilandũ, quo leuia quæque nobis non maiore difficultate ſubijciantur, quàm cupiamus: nec deſperandũ, ne aliquando intelligamus, cũ homini ita natura intelligere datum ſit, ut natare piſcibus, auibus uolare eſt. Quæ pertinet ad utilitatem.] Nam uerſus reminiſci, ad uoluptatem ferè tantum attinet. Difficili conſuetudine.] Imaginum uerborum omnium reminiſci. Ad illam facilitatem. Quæ eſt, ut rerum, non etiam uerborum meminerimus, cum ea in próptu forte habere neceſſe ſit. Niſi induſtria.] Corporis. Studio animi.] Solertia. Labore.] Quanquam ad utrũque referri poteſt. Diligentia.] Quæ à iudicio maxime proficiſcitur, ex aliorum animaduerſione. Abducimur.] Semouemur, nonnunquam occupatione aliarum rerũ. Nõ te fallit.] Qui poteſt fallere te, cum tantopere ſit utile? Ad eam rem.] Ad memoriam parandam, laborem omné ſubeundum. Non eſt ſententia.] Sententiam ueteres, orationem generaliter aliquid complexam, hortantem, uel dehortãtem, aut oſtendentem aliquid, nominarunt. Hortantem, ut,

Qui cupit optatam curſu contingere metam,
Multa tulit fecitq́; puer, ſudauit & alſit.

Dehortãté, ut, Heu nihil inuitis fas quenquá fidere diuis. Demõſtranté, uelut, Quibus fortuna aſpirat, hi occaſionem inſipienter uincédi habent. Sententia quoque, quod animo ſenſiſſent, uocauerunt: unde adhuc dicimus, ex animi noſtri ſententia aliquid dictũ factum'ue: & gratulantes, ex ſententia dicimus. Sentẽtia

uocantur etiam, quas græci γνώμας appellant, quæ ſimiles decretis atque conſilijs ſunt. Vnde Iuuenalis,

Non eſt ſententia uerum.

Credite me uobis folium recitare Sibillæ.

Ita hic Cic. non eſt ſententia, non eſt conſiliũ, mens nó eſt. Nũc ad ultimam Rhetoricæ partem, quæ elocutio dicitur, tranſit.

IN CICERONIS RHETORICORVM

AD HERENNIVM LIBRVM IIII HIERO. CAPIDVRI COMMENTARIVS.

QVoniam in hoc libro Herenni de elucutione conſcripſimus.] Solent qui rhetorica præcepta cóſcribunt, cũ de elocutione præcipiunt, ueterum auctorum in ſingulis præceptis exempla ſubijcere. quod facere Ciceroni non uiſum eſt, potiuſquam ut ſuis uteretur exemplis. In hoc igitur longiore totius libri proœmio qui id fecere, confutat opiniones. Atque hoc neceſſitudine nos facere.] Senſus eſt, ſignum ſatis manifeſtum erit, nos neceſſitate compulſos, ut nobis præfari liceat, quo rationem noſtræ ſententiæ demus: cum ſupra nec ante nec poſt tradita præcepta id fecerimus. Ornare elocutionem uniuſcuiuſque generis.] In quocunque genere, cum elocutionem ornare uolueris, exemplũ eius ornatus non ſine ſummi alicuius uiri auctoritate proferer. Elocutionem uniuſcuiuſque generis.] In quocunque poetarum ſit, uel oratorum genere. Non ſatis habere.] Præcipere de artificio, ſi ſatis ſibi non arbitrantur eſſe, ut dent præcepta, niſi etiam ſua quæ ſequamur exempla ſubiecerint. Ab Ennio ſumere.] Quod ille ſummus in heroico carmine poeta ſit exiſtimatus. Nam ita Cic. de Optimo genere oratorum de eo ſcribit. Aut à Graccho ponere exemplum uidetur.] Quem clariſſimum oratorem fuiſſe tradit, ita dicens: Vtinam in Tito Graccho, Catoq; Carbone talis mens ad rempublicam bene gerendam fuiſſet, quale ingenium ad bene dicendum fuit: profecto nemo his uiris gloria præſtitiſſet. Sed eorum alter propter turbulentiſſimum tribunatum, ad quem ex inuidia fœderis Numantini bonis iratus acceſſerat, ab ipſa republica interfectus: alter propter perpetuã in populari ratione leuitatem morte uoluntaria ſe à ſeueritate iudicum uindicauit. Sed fuit uterque ſummus orator, atque hoc memoria patrum teſte didicimus. nam & Carbonis & Gracchi habemus orationes, nondum ſatis ſplédidas uerbis, ſed acutas, prudentiaq; pleniſſimas. Fuit Gracchus diligentia Corneliæ matris à puero doctus, & græcis literis eruditus. Nam ſemper habuit ex Græcia exquiſitos magiſtros, iam quidem adoleſcens Diophanem Mytilenaũ, Græciæ temporibus illis diſertiſſimum. ſed & breue tempus ingenij augendi & declarandi fuit. Egeat id ipſum confirmatione.] Si abiecti alicuius fuit oratoris exemplum. Non poſſunt dicere.] Quare illos ſibi anteponant, cum eorum exempli commodam eſſe orationem putent ut imitemur: aut cur præcepta ſua probare contendant, ſi negent Gracchi aut Craſſi facultaté acquiri poſſe? Hoc Craſſo & Antonio oratoribus, Cicero exiſtimat, cum Græcorum gloria latine dicendi copiam æquatam fuiſſe: Quippe qui Craſſo, inquit, nihil ſtatuo fieri poſſe perfectius. Erat ſumma grauitas, erat cum grauitate iunctus facetiarum & urbanitatis oratorius, non ſcurrilis lepos: latine loquendi accurata et ſine moleſtia diligens elegãtia, in diſſerendo mira explicatio: cũ de iure ciuili, cum de æquo & bono diſputaretur, argumentorum & ſimilitudinum copia. Hoc ſi induſtria ſolum fieri poſſet, tamen eſſemus laudandi, cum talem laborem non fugiſſemus: nunc ſine ſummo artificio fieri non poteſt. Quis enim eſt qui cum non ſumme teneat artem, poſſit ea quæ iubeat ars, de tanta & tam diffuſa ſcriptura notare & ſeparare? Cæteri cum legunt.] Vt tamẽ probari deberemus, quod ea in unũ diffuſa exempla compoſuiſſemus. Orationes bonas.] Luculentas. In parte ſua poſſe.] Vt ex ſe præcepta inueniat, quæ magnorum auctorum auctoritate confirmet. Ad Olympiacum curſum uenerit.] Scilicet ad Olympia dicata ab Hercule quondam Ioui certamina in Elide uenerit: ueluti diffuſe in Commentarijs Artis poeticæ Horatij complexi ſumus. Quomodo Lidius aut Bolus cum Sicyonijs curſitarint.] De hoc certaminis genere, nihil hodie ſciri poteſt. In artis periculum.] In præceptionem artis, quæ tanquam decurſus præceptorum eſt. At exempla.] Illorum ſubiungit, qui exempla in præceptis probant aliena. Ex ſimiliter deſinentibus uerbis.] Quod ὁμοιοτέλευτον Græci uocant. Niſi aliquid ſcribat de arte.] Niſi eam artem ſecutus, ſcribat aliquid, quod ad eam ipſam attineat. Oſtendunt nobis quod alij excogitauerint.] Cum alienis utuntur exemplis. Niſi forte etiam, ſi ueſtra manu fabulas, aut orationes totas trã ſcripſiſſetis, glorioſum putaretis.] Ordo eſt, niſi forte etiam glorioſum putaretis, ſi ueſtra manu fabulas, aut orationes totas tranſcripſiſſetis, nedum partem, quam pro exemplo ſumatis, quod nullo modo æſtimandum eſt. Tranſcripſiſſetis.] Tranſcribere, tranſducere ſignificat: unde & coloniæ tranſcribi à ueteribus dicebantur. hinc Ouidius in Ibin dixit, In te trãſcribent ueterum tormenta uirorum. hic autem tranſcripſiſſetis exempla, tranſtuliſſetis ſignificat, cum id exſcribere dicatur: ut, ſi uoluiſſem ad neceſſarios uſus licebat exſcribere, hoc eſt exempla transferre: uelut Pedianus etiam interpretatur. ſic inuenimus aſcribere pene idem quoque ſignificare. uelut in Clodium, Ipſe denique ille nouicius Ligur, uenalis, aſcriptor & ſubſcriptor tuus. niſi quod aſcribere mentem alterius, in ſcripta transferre eſt. Licet etiam aſcribere & imputare & deputare alicui ſignificet, quemadmodum proſcribo. nam cum aliquem in exilium promulgo ſignificet, aliquoties tamen pro eo quod eſt palam facio accipitur: ut Tranquillus de Nerone. Multa, inquit, Græce latineq; proſcripta & uulgata ſunt. Sicut illa:

Quis negat Aeneæ magna de ſtirpe Neronem,

& quæ ſequuntur. Item deſcribo, uerbis depingo, aut longius aliquid compoſitione proſequor, ſignificat: Tranquillus tamen de Domitiano: Liberalia, inquit, ſtudia imperij principio neglexit, quanquam bibliothecas incendio abſumptas impenſiſſime præparari curaſſet, exemplaribus undique petitis, miſſiſq; Alexandriam, qui deſcriberent emendarentq; epiſtolas et orationes. ubi deſcriberent, pro exſcriberent, uelut hic Cicero tranſcriberent poſuit. Mille ſunt huiuſmodi, quæ nó tantũ uicinã mutuãtur ſignificationé, ſed etiã in longinquã diuerſamq; transferuntur. quãobré minus mirũ eſſe debet, ſi pro quo hic tranſcribo, alibi exſcribere poſuit. Si nos parua res ſicuti magna delectat.] Videtur enim parua, ſi artem cognoſcas tantum, non etiam ex arte ſcribas. Nam iſto modo eligere.] Ex alijs quæ ſcribas. Nam oportet ut te illius artem oſtendas cognouiſſe, nec eius rei te rudem eſſe. cum autem id facis & oſtendis, non tamé, quid ipſe poſſis, ſignifieas. Paulo plus in elocutione præſertim omnia.] Hoc eſt, ultra prima rudimenta aliquid. In elocutione præſertim, quæ intellectu facilis eſt, licet tractatu diffuſa ſit. Niſi eruditus.] Multum exercitatus. nam elocutionis eruditionem, exercitatio multa præſtare poterit. Non ſine iudicio de Pacuuianis.] Quæ Pacuuij

ſunt, qui Tragicus poeta fuit. Periodos.] *Ambitus, circuitiones, clauſulas.* Non ſi quis plane rudis, id facere nemo poteris, cum tu feceris, te literatiſſimum putes.] *Ordo eſt, & ſenſus: ideo te non putes literatiſſimum continuo eruditiſſimumq́;, cum feceris, hoc eſt cum id fueris conſecutus, ut artificioſa eligas dicta: quod alius nemo facere poſſit, ex oratoribus nempe, poetis ue artificioſe dicta ſic eligendo.* Quis planè rudis.] *Artis expers ſit, & ignarus.* Ineptus ſis.] *Si te ob id literatiſſimum exiſtimabis, eris utique ſtultus.* Propterea quod ipſo ſigno uidemus te.] *Signum enim ipſa dictorum annotatio eſt, artificium in illis fuiſſe, qui ita ſcripſerunt.* Ab alijs commode ſcripta.] *Quod ſint commode et cum arte ſcripta.* Non ipſe continuo commode ſcribit.] *Quia aliud eſt, quid alij dixerint intelligere, aliud eſt exercitatum eſſe.* Non tum cum parere.] *Cum alij hanc dicendi facultatem debent ſuggerere. alio igitur id tempore efficiant, cum iam præceptis traditis quid alij fecerint, oſtendere uoluerint. Velut de optimo genere oratorum ipſe fecit, qui Demoſthenis in Aeſchinē, & Aeſchinis in Demoſthenem orationes in latinum uertit: ut quod'nam genus optimum oratoris eſſet oſtenderet, & uirtutes alieno exemplo oratorias exprimeret. Sic in Oratore ad Brutū, aliquando Craſſi exempla, ut elocutionis uirtutes apparerent, protulit.* De eo quod poſtea diximus.] *Quod ſecundo loco poſuimus.* Deinde intereſt magni eius, qui diſcere uult.] *Hoc dicit: multum refert, utrum is qui uult diſcere, putet unius auctoris, cuius ipſe uelit eſſe ſimilis, omnes dicendi uirtutes eſſe ſibi complectendas, & id efficere poſſit'ne ſuo ſtudio, an non.* Ad illius facultatem.] *Quam ille fuit conſecutus.* Nitetur ad omnium facultatem.] *Elaborabit uehementer, ut uirtutes quibus ille uiguerit imitetur.* Ipſis enim contentus erit.] *Paucis illis, quas poterit imitari, uirtutibus contentus erit, nec ultra quæret. Nec ſanè mirum, ſi paucis contentus erit.* Penes unum reperire non potuerit.] *Quippe, qui à multis exempla colligit.* Allatis igitur exemplis à Catone, à Graccho, à Lælio, à Scipione, Galba, Porcina, Craſſo, Antonio, cæteriſq́;.] *Catonem illum priſcum dicit oratorem, cuius alibi ita meminit. Catonem uero quis noſtrorū oratorū, qui quidē nunc ſunt, legit? aut quis nouit omnino? At quem uirum, dij boni? mitto ciuem, aut ſenatorem, aut imperatorem (oratorē enim hoc loco quærimus) quis illo grauior in laudando? acerbior in uituperando? in ſententijs argutior? in dicendo ediſſerendoq́; ſubtilior? Refertæ ſunt eius orationes amplius centum quinquaginta, quas quidem adhuc inuenerim & legerim, & uerbis & rebus illuſtribus, licet ex his multo plura poſſint eligi quæ notatione & laude digna ſint. omnes enim oratoriæ uirtutes in eis reperientur. Iam uero Origines, quem florem, aut quod lumen eloquentiæ nō habent? amatores huic deſunt, ſicuti multis iam ante ſæculis & Philiſto Syracuſio, et ipſi Thucydidi. Nam ut horum conciſis ſententijs, interdum etiam non ſatis apertis, tum breuitate, tum nimio acumine officit Theopōpus, elatione atque altitudine orationis ſuæ, quod idem Lyſiæ Demoſthenes, ſic Catonis luminibus obſtruxit hæc poſterorum quaſi exaggerata altius oratio. Sed in noſtris apparet, quod hi ipſi, qui in Græcis antiquitate delectātur, eáq́; ſubtilitate quam Atticam appellant, hanc in Catone ne nouerunt quidem. Hyperidis malunt eſſe, & Lyſiæ: laudo, ſed cur nolunt Catonis? Attico genere dicendi ſe gaudere dicunt. Sapiēter id quidem, atque utinam imitarentur, nec oſſa ſolum, ſed etiam ſanguinem: gratum eſt tamen, quod uolunt. Cur igitur Lyſias & Hyperides amantur? cum penitus ignoretur Cato? antiquior eſt huius ſermo, & quædam horridiora uerbo (ita enim tum loquebantur) id muta quod tum ille non potuit, & adde numeros, ut aptior ſit oratio, ipſa uerba compone, & quaſi coagmenta, quod ne Græci quidem ueteres factitauerunt, iam neminem antepones Catoni. Ornari orationem græci putant, ſi uerborum immutationibus utantur, quos appellant tropos: & ſententiarum orationiſq́; formis, quæ uocant ſchemata. Incredibile eſt, quàm ſit in utroque genere & creber & diſtinctus Cato. Nec uero ignoro, non eſſe ſatis, politum hunc oratorem haberi, quærendum eſſe aliquid perfectius: quippe, cum ita ſit ad noſtrorum temporum rationem uetus, ut nullius ſcriptum extet, dignum quidem lectione, quod ſit antiquius.* A Graccho.] *Hunc qualem Cicero fuiſſe cenſeat, ſupra docuimus: niſi quod Q. Martio & Cn. Seruilio Conſ. T. Gracchus P. Gracchi filius fuit, qui bis conſul & cenſor fuit, eius autem oratio græca apud Rhodios extat. quem ciuem cum grauem, tum etiam eloquentem fuiſſe conſtat.* A' Lælio.] *Hic Scæuolæ ſocer fuit, cuius oratione negat Brutus quidquam fieri poſſe dulcius. Addit hic Auguſtinus, quod Cicero dixerit adeo abiectam fuiſſe, ut eam aſpicere nemo uellet: Sed probat tamen etiam alibi Cicero, à Cornelia filia, cui Læliæ nomen fuit, ipſius elegantiam, ſic inquiens: Sed magni intereſt, quos quiſque audiat quotidie domi. Loquitur enim puer quemadmodum patres, pædagogi, matres loquuntur. Legimus epiſtolas Corneliæ matris Gracchorum. apparet filios non tam in gremio educatos, quā in ſermone matris. Auditus eſt nobis Læliæ filiæ ſæpe ſermo. Ergo illam patris elegantia tinctam uidimus, & filias eius Mutias ambas. Poteſt ergo à Lælia uideri ſcriptum, non minus quàm à Lælio.* A' Scipione.] *Superiorem Scipionem non infantem fuiſſe, Cicero dicit: filium autem eius, qui Scipionem minorem à Paulo adoptauit, ſi corpore ualuiſſet, in primis (inquit ipſe) habitus eſſet diſertus. Indicant id cum oratiunculæ, tum hiſtoria quædam Græce ſcripta dulciſſime. P. etiam Scipionem Naſicam, qui eſt Corculum appellatus, qui item bis conſul & cenſor fuit, habitum eloquentem, maioris illius qui ſacra acceperat filium, accepimus.* Galba.] *Sua ætate, ut Cicero inquit, Sergius Galba ſine controuerſia eloquentia omnibus præſtitit. & nimirum hic princeps ex Latinis, illa oratorū propria, & quaſi legitima opera tractauit: ut egrederetur à propoſito ornandi cauſa, ut delectaret animos, ut permoueret: ut augeret rem, ut miſerationibus, ut communibus locis uteretur. Tradit autem hic idem auctor, Lælium in ſenatu cauſam pro publicanis accurate, ut ſemper ſolitus eſſet, eleganterq́; egiſſe: ſed quod uoluerat, conſequi non potuiſſe. Paucis interpoſitis deinde diebus, iterum Lælium ipſum hunc multo diligentius meliuſq́; dixiſſe: fruſtra tamen. Itaque cum eum ſocij domum reduxiſſent, egiſſentq́; gratias, & ne defatigaretur orauiſſent, locutum eſſe, ſe quæ feciſſet, honoris eorum cauſa ſtudioſe accurateq́; feciſſe: cæterum arbitrari cauſam illam à Sergio Galba, quod is in dicendo acrior eſſet, grauius & uehementius poſſe defendi. Quare publicanos auctoritate Lælij ad Galbam cauſam detuliſſe. Quem primo reluctatum, ne ei uiro ſuccederet, poſtea tandem ſuſcepiſſe. Breui uero tempore plurimis audientibus, illum coram ipſo Lælio cauſam hanc tanta ui, tantaq́; grauitate tractaſſe, ut nulla pars orationis ſilentio præteriretur. Itaque multis querelis multaq́; miſeratione adhibita, ſocios illa die periculo liberatos. Elegantiam igitur in Lælio fuiſſe, uim autem in Galba patet. Sed hic ſimul ac otioſus ſtilum prehenderat, motu illo omnis impetus animi deſertus eſt. quod his, qui limatius dicendi conſectantur genus, accidere non ſolet: propterea quod prudentia nunquam deficit oratorem, ardor animi non ſemper adeſt, iſq́; cum diſcedit, omnis illa uis & quaſi flamma oratoris extinguitur. Nulla autem res tantum ad dicendum proficit, quantum ſcriptio: memoriam enim, qui accurate ſcribit, in poſterum ingenij ſui non deſiderat. Ita hac de cauſa non ſcripſerunt aliqui, quod ſe putauerunt ſatis magnam adeptos fuiſſe dicendi gloriā, eamq́; etiam maiorem uiſum iri, ſi in exiſtimātium arbitrium ſua ſcripta non ueniſſent. Alij item dicere ſe poſſe melius quàm*

ſcribere putant, quod peringenioſis hominibus, neque ſatis doctis, plerunque contingit, ueluti Galbæ euenit. Porcina.] *M. Aemilius Lepidus, qui eſt Porcina dictus, iiſdem, inquit Cic. temporibus ferè quibus Galba fuit, ſed paulo iunior natu, & ſummus orator hic eſt habitus, & fuit. Hoc in oratore latino primum Ciceroni uidetur, & lenitas apparuiſſe illa Græcorum, et uerborum comprehenſio, etiam artifex (ut ita dicam) ſtilus. Et eum duo adoleſcentes ingenioſiſſimi, propeq; æquales C. Carbo & Gracchus, diligenter audire ſoliti ſunt.* Craſſo.] *Verum P. Craſſum, Carbonis & Gracchi temporibus probatum oratorem, qui & ingenio ualuiſſe traditur, & ſtudio, qui etiam cum ſummo illo oratore Sergio Galba, cuius Caio filio filiam collocauerat, affinitate fuit coniunctus, & cum eſſet P. Mutij filius, fratremq; haberet P. Scæuolam, domi ius ciuile cognouerat: an certe L. Craſſum, cuius ſupra meminimus, dicat, dubium eſt. Hunc quidem omnes ſuos anteceſſores dicendo ſuperauiſſe, Cicero uult: licet Antonium alij parem eſſe ei dicant. Craſſi luculentiſſimam quandam ſe Cicero memoria tenuiſſe orationem profitetur, ac ſibi fuiſſe in dicendo magiſtram dicit.* Antonio.] *Antonij Cicero cum in multis locis, tum de Claris oratoribus meminit, cum ita dicit: Omnia ueniebát Antonio in mentem, eaq; ſuo quaque loco, ubi plurimum proficere & ualere poſſent. Vt ab imperatore equites, pedites, leuis armatura, ſic ab illo maxime, opportunis orationis partibus omnia collocabantur. Erat memoria ſumma, nulla meditationis ſuſpicio, imparatus ſemper aggredi ad dicendum uidebatur. ſed ita erat paratus, ut iudices illo dicente, nonnunquam uiderentur non ſatis parati ad cauendum fuiſſe. Atqui diligenter loquendi laude caruit. neque tamen eſt admodum inquinate locutus: ſed illa, quæ propria laus oratoris eſt in uerbis, ei non fuit. nam ipſum latine loqui, eſt illud quidem in magna laude ponendum, ſed non tam ſua ſponte, quàm quod eſt à pleriſque neglectum. non enim tam præclarum eſt ſcire latine, quàm turpe neſcire. ſed tamen Antonius in uerbis & eligendis, & collocandis, & comprehenſione deuinciendis, nihil non ad rationem & tanquam ad artem dirigebat. Verum multo magis hoc idẽ in ſententiarum ornamentis, & conformationibus. Quo in genere, quia præſtat omnibus Demoſthenes, idcirco à doctis oratorum eſt princeps iudicatus. Schemata enim, quæ uocant græci, ea maxime ornant oratorem, eaq; non tam in uerbis pingendis habent pondus, quàm illuminandis ſententijs. ſed cum hæc magna in Antonio, tum actio ſingularis: quæ ſi partienda eſt in geſtum, atque uocem, geſtus erat non uerba exprimens, ſed cum ſententijs congruens, manus, humeri, latera, ſupploſio pedis, ſtatus, inceſſus, omnisq; motus, cum uerbis ſententijſq; conſentiens. Vox permanens, uerum ſubrauca natura. Sed hoc uitium huic uni in bonum conuertebatur. habebat enim flebile quiddam in quæſtionibus, aptumq; cum ad fidem faciendam, tum ad miſericordiam commouendam. Hunc inſigni quodam caſu periiſſe ferunt. Nam cum inter Syllam Mariumque orta iam fuiſſent bella ciuilia, & in urbe Marius graſſaretur, M. Antonium qui ad uillam effugerat, agricola benigne ſuſcepit occuluitq;. Sed poſtquam à ſeruo per imprudentiam detectus eſt, Marius tribunum militum miſit, ut necaretur. Is cum milites in cubiculum præmiſiſſet, & eos Antonius pulchro grauiſq; ſermone detineret, ingreſſus ipſe tribunus Antonium adhuc diſſerentem obtruncauit, caputq; ad Marium detulit.* Omnia quæ omnes habuerint, ſolum habere ſe poſſe, diſſert. *ergo inutile eſt, ei qui diſcere uult, non putare unum omnia poſſe.*] Quæ aſſecuti omnes fuerint oratores uel poetæ. Incideret in hanc opinionem, ſi ab uno exempla ſumpſiſſet, *nunc hoc ſigni eſt, ipſos artis ſcriptores non putaſſe.*] Vt plures quàm unum ſolum uellet imitari. *Vnum potuiſſe in omnibus elocutionis partibus enitere. quoniam neque ſua protulerunt, neque unius alicuius aut denique duorum, ſed ab omnibus oratoribus ut poetis exempla ſumpſerunt: deinde ſi quis uelit artem demonſtrare, nihil prodeſſe ad dicendum, non male utatur hoc adiumento.*] Cum plus utilitatis unus afferat, & ipſi à multis ſumpſerint. Quod unius omnes artis partes conſequi nemo potuerit.] *Dicit, ideo hanc artem diſci non prodeſſe, quia comprehendi omnia, quæ in arte ſunt, non poſſint. Id enim ex eo colligi uidebitur, quod hoc nullus antea fuerit conſecutus. Nam & uirtutes oratorias ſi quis uelit diſcere, à multis diſcat neceſſe ſit.* Suo iudicio comprobare.] *Quod pro argumento ſumi poſſe uidetur ab eis, qui artem uelint improbare.* Eius artificij debet eſſe.] *Ex ſua officina debet exire. Debet eſſe artifex ex artificio eius, qui artem gignit.* Sed huius.] *Purpura, quam dixerim me uenalem habere.* Exemplum rogabo aliunde.] *Ab alia ſuſcipiam, ut meæ ſimilem oſtendam.* Aliunde exemplum quæritant mercis.] *Subaudiendum, nõ ne ridiculi uiderentur?* Et eorum.] *Aceruorum.* Exemplo.] *Vt ſi quid exempli proferant.* Pugno.] *In pugno, quod pugno continere ualeant.* Non habent, quod oſtendant.] *Subaudiendum, non'ne ridiculi uiderentur?* Si Triptolemus cum hominibus ſemen largiretur.] *Hercules, ut apud Diodorum eſt, præſidia Calydonijs ferens, Theſſrotis illato bello Ephyram urbem ui cæpit, & Phyleum Theſſrotorum regem occidit, filiam uero eius captiuam compreſſit, ex qua Triptolemum ſuſcepit, qui ſerere agros docuit primus. Alij dicunt, cum Ceres Proſerpinam filiam ſuá quæreret, ad Eleuſiñ regem perueniſſe: cuius uxor Hionia puerum pepererat Triptolemum. Hanc regina, cum Ceres ipſa ſe offerret nutricem, filio ſuo recepit, deditq; nutriendum. Ceres, quod alumnum ſuum reddere cuperet immortalem, diuino lacte eum nutriebat. Sed noctu ſemel cum mater puerum igne obrui intueretur, exclamauit. Vnde irata Ceres Eleuſium exanimauit, ac Triptolemo alumno ſuo æternum beneficium contulit. nam fruges ei propagãdas, & currum draconibus iunctum tradidit. quibus ille orbẽ terrarum frugibus uictor obſeuit. Poſteaquam domum rediit, Cepheus rex eum tanquam æmulus interficere conatus eſt, ſed re cognita iuſſu Cereris Triptolemo regnum tradidit, ibiq; oppidum conſtituit, quod ex patris ſui nomine appellauit Eleuſium.* Ipſe ab alijs id hominibus mutuaretur.] *Subaudiendum, non'ne ridiculus uideretur?* Aut ſi Prometheus cum mortalibus ignem diuidere uellet.] *Iapetus cœli terræque filius, ut Græcorum narrant fabulæ, filios ex Climene: ut alij ſcribunt, ex Themide: uiginti & nouem, ut Proclus refert, ſuſcepit: quorum à Græcis nominantur (quantum ipſe legerim) ſolum Menœtius, Atlas, Prometheus, & Epimetheus. Atlas, uelut in Theogonia fabulatur Heſiodus, columnas in cœlum uſque produxit: in harum autem uertice, quod Iouis ſecreta rimari niteretur, Prometheus à Ioue uinctus, aquilam in ſe immiſſam iecore ſuo pauiſſe fertur. quam poſtea ſagittis Hercules confixit: quod ne Iuppiter quidem ægretulit, ex quo eam fuiſſet ſuus filius gloriam conſecutus. deinde cum cuncti ad cõſultandum dij conueniſſent, Iouis prudentiam Prometheus uoluit experiri. Ex boue enim à ſe cæſo omnia collegit oſſa, abraſa undique omni carne: deinde ita conſtruxit, ut ſuperne ſuper oſſa pellis circum circa explicata bouis integri ſpeciem habere uideretur. hunc ergo ſe dijs uenientibus imolaturum dicebat. ſed id tamen Iouem non latuiſſe aiunt: qui cum proprius acceſſiſſet, detractato tergore dolum Promethei deteſtatus, mortalibus ignem in cœlum ſuſtulit. Prometheus ad fallendum paratus, fulminis in terram a Ioue miſſi ignem aridulis lignis cæteriſq; fomentis excepit, & clam ne perſentiſceret Iupiter occuluit, utendumq; dedit mortalibus. Quam ob cauſam indignatus Iupiter, ſumptis a Vulcano adamantinis cathenis, Prometheum in Caucaſo monte inſolubilibus nexibus conſtrinxit.*

ſtrinxit. Sic de Prometheo ligato ſcribit Aeſchylus in tragœdia. nec nos præterit, multos fuiſſe, qui dicerent eundem in Caucaſo monte aquilam iecore ſuo paviſſe. Martialis quidem hæc de Prometheo:

Qualiter in Scytica relegatus rupe Prometheus
Aſſiduam nimio pectore pavit avem.

Hoc ergo Cicero dicit, ſi Prometheus, cum ipſe largiri ignẽ partitiq́; deberet mortalibus, ipſe peteret à vicinis, ut unuſquiſque carbunculos ſibi traderet, eosq́; ille teſta ſuſciperet, non'ne ridiculus videretur? Ipſe à vicinis.] Quod ipſe vicinis largiri deberet. Cum teſta.] Ignitabulo, ſive id teſta ſit, ſive quid vis aliud. nã teſta à figulis ex argilla fit, ut et tegula, vel ſimile huic aliquid. Corrogaret.] Congereret. Num ridiculus.] An non ad irriſionem idoneus videretur? ac ſi dicat, videatur neceſſe eſt. Et hæc ſitiens quàm maxime loquatur, neque habeat.] Amphibolon eſt, utrum quàm maxime ſitiens, an quàm maxime loquatur. ſed quod dixi poſterius, magis congruit, ne ſit quodammodo anaſtrophe. Qui ſitim ſedet.] Extinguat, vel aliqua ex parte levet. Et omnium rigare debeant ingenia.] Præceptis & rerum inventione perfundere. Lyſippus caput oſtenderet Milonis.] Cum eum ſculpere fingerẽ've ſtatuas doceret, non à minore ſtatuario caput factum demonſtraret. Brachia Praxitelis, pectus Polycleti.] Quos Plinius nobiliſſimos fuiſſe ſtatuarios refert. Sed omnia coram videbat.] Intuebatur magiſtrum facientem ipſe Cares Lyſippum. Cæterorum opera.] Quæ feciſſent alij, per ſe poterat & videre, & conſiderare. Alia ratione.] Quàm ut à ſuo præceptore diſcant omnia. Tam eſſe accommodata ad artem.] Quam ipſe præceptor ſibi fingit: quando illi ut caſus tulit, ut cauſa, ut locus poſtulavit & perſona, locuti ſunt. Qui autem ſibi artis docendæ cauſa exempla effingit, nihil ponit, niſi quod ad id artificium attinere videatur. Ne ars appareat in præcipiendo, expreſſe conſcripta ponere.] Quam iactare non oportet. Ut in artis formam convenire poſſint.] Ut ars ita tractari debere ſignificetur. Ne poſſit ars eminere.] Ne ab omnibus poſſit manifeſte deprehendi. Facultate oratoris occultatur.] Ingenio tegitur oratoris, idq́; omnium confeſſione de arte ſcribentium verum eſt. Hæc quoque res.] Hæc præceptio. Nos ducit ad hanc rationem.] Ad iudicij noſtri aperiendam ſententiam. Quæ enim res apud noſtros non erant.] Atqui in Catone, Antonio, et multis alijs oratoribus qui Ciceronem ætate anteceſſerunt, tropos fuiſſe ipſe dicit, & ſchemata: quorum hæc vocabula Græci ſingula ſingulis fecere. ipſe vero Latine eadem in hoc libro effert. Ergo ita accipiendum eſt: Aut quæ res apud noſtros non erant, quod dicendi apud Latinos magiſter nullus fuit, qui hæc tradidiſſet: aut quod licet veteres oratores illis uterentur, ſed tamẽ eis uti neſcirent, utpote quæ ex ingenio magis quàm ex arte profluerent. Idq́; fiet rei.] Subaudiendum difficultate, non noſtra. quippe non ita abſurde & remote loquimur, ut à quovis facile non queant intelligi. Reliquum ſcripturæ.] Cum nomina græca expreſſerimus. Hæc aliena.] Subaudiendum exempla. Aſperius & inuſitatius, id proprie nobis diſtribueretur.] Quæ nunc attribui poterit, cum noſtris uſi fuerimus exemplis. Cum artis inventionem Græcorum.] Quaſi inventa ab illis, Latini reddidere præcepta. Illorum.] Græcorum. Exemplorum rationem.] Ut ab alijs acciperemus potius quàm à nobis ipſis quodammodo cuderemus.

DE ELOCVTIONE.

Ipartita igitur erit nobis elocutionis præceptio.]

b Quas Cicero figuras, Græcorum alij characteras, alij plaſmata vocant. Has igitur cuiuſcunque orationis figuras, Apollonius quinque eſſe dicit: Philoſophicam. hiſtoricam, oratoriã. epiſtolarem, commemorativam. Philoſophorum, ut Platonis, Ariſtotelis, vel Ciceronis, ubi philoſophorum ſententias cõplexus eſt. Hiſtoricorum, velut Herodoti, Thucydidis, Titi Livij, Saluſtij. Oratorũ, ut Demoſthenis, Ciceronis in orationibus. Epiſtolaris, ut rurſum Demoſthenis, Ciceronisq́; in epiſtolis. Oratio quinta, quam ille ὑπομνηματικὸν vocat, noſtri (ſi modo recte converſum videtur) commemorativam vocant. qualis eſt in Iſocratis orationibus, ad Demonicum præſertim, & Nicoclem: quæ quidem ſunt quædam quaſi vitæ inſtitutiones. Oratoriæ porro orationis figuras, alij tres, alij quatuor faciunt: & alijs alij ea tria appellare conſueverunt nominibus. nam ſunt qui longam brevem & mediam nominent. Longam, ut apud Virg. in undecimo, ubi de Camilla narrat.

Pulſus ob invidiam regno viresq́; ſuperbas,

Et quæ ſequuntur. vel ut habent ſecundi & tertij Aeneidos libri narrationes. Brevis, velut in quinto, ubi de Ganymede ſtrictim narrat ſic:

Victori chlamydem auratam, quam plurima circum
Purpura, Mæandro duplici Melibœa cucurrit.
Intextuſq́; puer frondoſa regius Ida,
Veloces iaculo cervos: & reliqua.

Media: ut in primo,

Huic coniunx Sichæus erat.

Eſt enim caſtigata narratio: ſic tamen, ut omnia complexa ſit. Sunt qui ἁδρὸν, quam gravem transfert Cice. alij grandiloquũ orationis genus ἰσχνὸν, Cicero attenuatam figuram, alij gracilem, alij levem nominarunt. Tertium genus μέσον, Cicero mediocrem, aliqui mediam vocant. Qui quartam adijciunt figurã, eam ἀνθηρὸν, id eſt floridam nominarunt: ut in ſeptimo Virgilij illud eſt, ubi luci ac fluminis amœnitatem deſcribit.

Vorticibus rapidis, & multa flavus arena,
In mare prorumpit, variæ circumq́; ſuperq́;
Aſſuetæ ripis volucres, & fluminis alveo,
Aethera mulcebant cantu, lucoq́; volabant.

Sanè quales oratoriæ iſtæ figuræ ſint, Homerus in tribus Græcorum ducibus oſtendit. Nam cum brevem quidem cum iucunditate, & propriam (id enim non errare verbis eſt) & carentem ſupervacuis eloquentiam Menelao dedit, levem orationis expreſſit figuram, his verbis.

Ἤτοι μὲν Μενέλαος ἐπιτροχάδην ἀγόρευεν.
Παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως, ἐπεὶ οὐ πολύμυθος,
Οὐδ᾽ ἀφαμαρτοεπὴς, εἰ καὶ γένει ὕστερος ἦεν.

Cum autem ex ore Neſtoris dixit dulciorem melle profluxiſſe ſermonem, qua certe delectatione nihil fingi maius poteſt, mediocre genus attigit his verſibus.

Τοῖσι δὲ Νέστωρ
Ἡδυεπὴς ἀνόρουσε λιγὺς Πυλίων ἀγορητής.
Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

Sed ad ſummam regreſſus in Vlyſſe facundiam, ut illum animi magnitudine cunctos viciſſe oſtendit, ita orationem ei ſimilem nimbis hybernis, & copiam verborum atque impetum parem tribuit: cumq́; cum ipſo neminem contendere poſſe mortalium credit, grave illud & validum grandiloquium complexus eſt, dicens.

Ἀλλ᾽ ὅτε ὄπα τε μεγάλην ἐκ στήθεος ἵει,
Καὶ ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν,
Οὐκ ἂν ἔπειτ᾽ Ὀδυσῆΐ γ᾽ ἐρίσσειε βροτὸς ἄλλος.
Οὐ τότε γ᾽ ὧδ᾽ Ὀδυσῆος ἀγασσάμεθ᾽ εἶδος ἰδόντες.

Cicero ipſe in Oratore ad Brutum, hæc tria dicendi genera ita diſtinguit: Tria ſunt, inquit, omnino genera dicendi, quibus in ſingulis quidam floruerunt. peræque autem, id quod volumus, ſed perpauci in omnibus. Nam & grandis quidam eloquentes, ut ita dicam fuerunt, cum ampla & ſententiarum gravitate, & maieſtate verborum vehementes, varij,

copioſi, graues, ad permouendos & conuertendos animos inſtructi & parati: quod ipſum alij aſpera, horridaq́; oratione, & nec perfecta nec concluſa: alij leni & inſtructa, & terminata: & contra, tenues, acuti, omnia docentes, & dilucidiora non ampliora facientes, ſubtili tamen & preſſa oratione limati. In eodem genere alij callidi, ſed impoliti, & in conſilio ſimiles rudium ac imperitorum. Alij in eadem ieiunitate concinniores, id eſt, faceti, florentes, etiam leniter ornati. Eſt autem quidam interiectus nitor medius, & quaſi temperatus, nec acumine poſteriorum, nec flumine utens ſuperiorum: uicinus amborum, in neutro excellens, utriuſque particeps, uel utriuſque, ſi uerum quærimus, potius expers. Iſq; uno tenore (ut aiunt) in dicendo fluit, nihil adferens præter facultatem & æquabilitatem. Non enim addit aliquos extrinſecus colores, ſed omnem orationem ornamentis modicis, uerborum ſententiarumq; diſtinguit. Horum ſingulorum generum, quicunque ſaltem unũ conſecuti ſunt, magnum in oratoribus nomen habuerunt.

Ex hac igitur à Cicerone lata differentia, nobis licet animaduertere, cum tria optimus præſtare orator debeat, ut dicendo animos audientium & doceat, & delectet, & permoueat, attenuato genere dicendi auditorem maxime doceri poſſe: graui autem, permoueri: mediocri uero, delectari. Itaque illo leni (ſiue attenuatum malis appellare) præcipue ratio narrandi probandiq; conſiſtit. quod licet detractis cæteris uirtutibus conſtet, ſuo tamen in genere plenum erit. Porro mediocre illud, tranſlationibus crebrius, & figuris erit iucundius, egreſſionibus amœnum, compoſitione aptum, ſententijs dulce, ac ut amnis lucidus & uirentibus utrinque ſyluis inumbratus. At grandiloquum illud torrentis ſimile, qui ſaxa deuoluat, in pontem indignetur, ripas ſibi faciat, iudicem uel renitentem cogat ire quò contendat. Hoc in genere orator defunctos excitabit, frequenter exclamabit, amplificationibus utetur, patriam inducet, ui ſuperlatiuorum aget: ut, quæ Carybdis tam uorax? &, Oceanus medius fidius ipſe, Nota ſunt ſtudioſis hæc lumina: ut hoc, Deum ipſum & diuos in congreſſum propè ueſtrum ſermonemq; deducet. ut item: Vos enim Albani tumuli, atque luci, uos inquam Albanorum obrutæ aræ, ſacrorum populi Romani ſociæ & æquales implorant. Cum autem iram uel miſericordiam excitare conabitur orator, dicet: Hic te uidit, & appellauit, & fleuit. Quid multis? per omnes ibit affectus. Quare ſi ex tribus his generibus neceſſario ſit eligendum unum, quis dubitet hoc præferri debere omnibus, ut maximis quibuſque cauſis accomodatiſſimum? In graui figura conſummabitur oratio.] De hoc genere ipſe in Oratore ad Brutum: Tertius, inquit, eſt ille amplus, copioſus, grauis ornatus orator, in quo profecto uis maxima eſt: hic eſt enim, cuius ornatum dicendi, & copiam admiratæ gentes, eloquentiam in ciuitatibus plurimum ualere paſſæ ſunt. Hanc igitur eloquentiam, quæ curſu magno ſonituq; fertur, ſuſpiciunt omnes, admirantur, hanc ſe aſſequi poſſe diffidunt. Huius eſt tractare animos, huius omnimodo promouere: hæc modo perfringit, modo irrepit in ſenſus, inſerit nouas opiniones, euellit inſitas: ſed multum intereſt inter hoc dicendi genus, & illa duo alia. Qui in illo ſubtili & acuto elaborauit, ut callide arguteq́; diceret, neque quidquam altius cogitaret, hoc uno profecto magnus orator eſt, ſi non maximus, quod minime in lubrico uerſabitur: & ſi ſemel conſtiterit, nunquam cadet. Medius ille autem, quem modicum & temperatum uoco, ſi modo ſuum illud ſatis inſtruxerit, non extimeſcit ancipites dicendi incertosq́; caſus: etiam ſi quando minus ſuccedet (ut ſæpe fit) magnum tamen periculum non adibit. Cadere enim non poteſt. At uero hic noſter, quem principem ponimus, grauis, acer, ardens, ſi ad hoc unum eſt natus, aut in hoc ſolo ſe exercuit, aut huic generi ſtudet uni, nec ſuam copiam cum illis duobus generibus temperauit, maxime eſt contemnendus. Hic enim ſummiſſus, quod acute & ueteratorie dicit ille. Nam medius ſuauis eſt, hic autem copioſiſſimus. in quo ſi nihil eſt aliud, uix certe ſatis ſanus interdum uideri ſolet. qui enim nihil tranquille, nihil leniter, nihil partite, deffinite, diſtricte, facete dicit, præſertim cum cauſæ, partim totæ, partim aliqua ex parte eo modo tractandæ ſint: is non præparatis auribus, ſimul ac inflammare rem cœpit, furere apud ſanos & quaſi inter ſobrios bacchari uinolenter uidetur. His Marci Tullij uerbis non potuit melius explicari, quomodo hoc graue dicendi genus tractari conueniat. Nam perſpecto hoc exemplo, nihil eſt quod ad huius generis uſum prætermiſſum eſſe uideatur. Maxima ſupplicia maiores noſtri conſumpſerunt huic uero truculentiſſimo ac nefario facinori, &c.] Quia futuram neminem arbitrati ſunt, qui patriam ullo in tempore proditurus eſſet: ſicut nec, qui parentem trucidaſſent. Sanè ferunt Solonem de ſeptem illis ſapientibus unum, qui leges ſcripſit Athenienſibus, quibus uſi poſtea fuere, cum interrogaretur cur nullum ſupplicium conſtituiſſet in eum qui parentem necaſſet, reſpondiſſe, ſe id neminem facturum putaſſe. Sapienterq́; feciſſe dicitur, cum de eo nihil ſancierit, quod antea commiſſum non erat, ne non tam prohibere quàm admonere uideretur. Ergo poſtea demum inuenta pœna, quæ inferretur eis, qui parentes necaſſent ſuos. Sed nondum qui patriam prodidiſſent, pœnam fuiſſe tum excogitatam apparet. Nefario facinori ſingularem pœnam non reliquerunt. atqui in alijs maleficijs ad ſingulos, aut ad paucos ex alieno peccato iniuria peruenit.] Impium diſtat à nefando, ut Pedianus inquit: quod nefandum eſt, non fandum: nefarium, quod ſacra polluit farre pio ſolita celebrari. Singularem pœnam.] Peculiarem, & quaſi illi ſceleri ſoli tributam. Huius ſceleris qui ſunt affines, omni conſilio uniuerſis ciuibus atrociſſimas calamitates machinantur.] Qui ſunt coniuncti, aut ſanguine, aut in eo ſcelere duntaxat perpetrando. In mediocri figura uerſabitur oratio, ſi hæc, ut ante dixi.] In Oratore ad Brutũ, de hoc genere ita diſſerit, ut dicat uberius eſſe hoc, aliquantoq́; robuſtius, quàm humile, de quo poſterius dicetur: et ſummiſſius magis opportunum quàm humile, de quo iam dictũ ampliſſime. Hoc in genere uerborum, & dicendi, ſuauitatis eſt uel plurimum. Eſt autem plenius quàm enucleatũ illud, de quo dicetur. At illud ornatum copioſumq; ſummiſſius: cui omnia dicendi ornamenta conueniunt: & multi in hac orationis forma floruerunt apud Græcos: ſed Phalerius Demetrius meo iudicio præſtitit cæteris: cuius oratio cum ſedate placideq; loquitur, tum illuſtrant eam quaſi ſtellæ quædam, tranſlata uerba atque immutata: tranſlata dico, ut cum per ſimilitudinem ad aliam rẽ, aut ſuauitatis, aut inopiæ cauſa transferuntur: mutata, in quibus pro uerbo ſubijcitur aliud quàm idem ſignificet, ſumptum ex re aliqua conſequenti. Quod, quanquam transferendo fiat, tamen alio adhuc modo tranſtulit Ennius, cum dixit, arcem & urbem orbas, uel cum pro Africa terram horridam. hanc hypallagen rhetores, quia quaſi ſumuntur uerba pro uerbis: metonymian Grammatici uocant, quod nomina transferuntur. Ariſtoteles autem tranſlationi hæc ipſa ſubiungit, & abuſionem, quã catachreſin uocant, ponit, ut cum minutum dicimus pro paruo, & abutimur uerbis propinquis, ſi opus eſt, uel ſi libet: ſed cum fluxerunt continuæ plures trãslationes, alia planè fit oratio. Nã genus hoc Græci appellant allegoriam, recto nomine. Genere tamen melius ille, qui iſta omnia tranſlatione uocat. Cæterum hæc frequentat Phalerius maxime, ſuntq́; dulciſſima. Et quanquam tranſlationum eſt apud eum multum, tamen immutationes nuſquam crebriores in idẽ genus orationis (loquor enim de illa modica ac temperata uerborum uarietate) cadunt. Multum enim eleganter & multa ſententiarum copia diſputationes ab eodem explicantur, & loci communes ſine contentione dicuntur.

Ne pluribus agam. Ex philoſophorum ſcholis tales ferè euadũt, & niſi coràm erit comparatus illo fortior, per ſe hic quem dico, probabitur. Eſt enim quiddam inſigne & florens orationis, pictum & expolitum genus, in quo omnes uerborum, omnes ſententiarum illigantur lepores. hoc totum è ſophiſtarum fontibus defluxit in forum: ſed ſpretum à ſubtilibus, repulſum à grauibus, in ea de qua loquor mediocritate conſedit. Hi cum ſe.] Partim ſe. Tum uero.] Sed maxime. Nihilominus.] Nihilo ſecius. Quid in omnibus rebus contra ipſos poſſet, ſcire & aſtimare poterant.] Atqui non uidentur ſciſſe & aſtimaſſe, ergo imprudenter id ab eis factum, ut contra Romanos quidquam molirentur. Cum deliberaſſent nobiſcum bellum gerere.] Ex hoc, aliquorum fraude, & inteſtinis inſidijs eos laboraſſe probat. Partem ſociorum.] Partem Italicorũ, qui ſocij Romanis aſciti fuerant: ut ſupra retulimus. In officio manere.] Vt Romanis quod poſſent, praſtarent auxilium. Ad bellum miniſtrandum.] Ad trahendum lõgius bellum, ne ſociorum certamen in uno prælio poſitum eſſet. Bellum eſt hoſtilis aliquando confligendi uoluntas, & nocendi. cuius contrarium eſt, pax. Nam ſi diſtrahatur per aliquot dies bellum, induciæ dicuntur. Prælium uero, conflictus initiũ, quaſi præludium. Cum uero utrinque confligitur, & iam furentibus animis omnes marte concaluerunt, pugna nominatur. Nam certamen, quomodocunque contendatur, dici poteſt. In uno prælio.] Vno conflictu. Nedum illud imperium orbis terræ.] Quod Romanorum longe omnium potentiſſimum eſt. Partim ui, partim uoluntate conſenſerunt.] Armis enim aliæ ſunt ſuperatæ nationes, aliæ ſponte ceſſerunt, ſeq; dediderunt. At ſe transferre.] Imperium Romanum, cui totus ceſſiſſet orbis. Tantulis.] Tam exiguis uiribus, ſi cum Rom. comparentur. Quid Fregellani? an non ſua ſponte conati ſunt.] Contra Rom. arma ſumere, quos tu defendis. Eo quidem.] Reſpondet ipſe, Ideo Fregellani Romanorum ſocij in armis acrius perſtiterunt, quod alij ſocij contra datam fidem minus conati ſunt: hoc eſt, minus palàm aduerſati Romanis. Neſciebant etiam, quemadmodum alij ſimiliter lapſi eſſent, & ſuorum conatuum pœnas luiſſent. Nam rerum imperiti.] Sicut Fregellani. Exempla petere non poſſunt.] Quia nunquam ſimile quidquam experti ſunt. Deducuntur in fraudem.] Inteſtinis malis laborantes, idq; propter ſeditioſos ciues. At hi.] Præter Fregellanos. Arma ſuſtulerunt.] Ad arma concurrerunt, ut ultro bellũ inferrent. Nullis copijs fretus.] Niſi fallaciæ inſidijs. Quid aliud niſi id quod dico poteſt eſſe?] Vt fraude inteſtina inſtigent imprudenter, Romanos ad bella laceſſant. In attenuato figuræ genere.] Ipſe ad Brutum in Oratore de attenuato genere inquit, *Summiſſus & humilis conſuetudinem imitatur, ab indiſertis re plus quàm opinione differens. Itaque eum qui audiunt, quamuis ipſi infantes ſint, tamen illo modo confidunt ſe poſſe dicere. Nam orationis ſubtilitas, imitabilis illa quidem uidetur eſſe aſtimanti: ſed nihil eſt cum experiare minus. Etſi enim non plurimi ſanguinis eſt, habeat tamen ſuccũ aliquem oportet: ut ſi ſcilicet illis maximis uiribus careat, ſit, ut ita dicam, integra ualetudine. Primum igitur eum, tanquam è uinculis numerorum eruamus. ſunt enim quidam oratorij numeri obſeruandi, ratione quadam: ſed alio in genere orationis. in hoc omnino relinquendi. ſolum quiddam ſit, nec uagũ tamen, ut ingredi libere, non ut licenter uideatur errare. Verba etiam uerbis quaſi coagmentare negligat. Habet enim ille tanquam habitus concurſu uocalium molle quiddam, & ei qui indicet, non ingratam negligentiam, de re hominis magis quàm de uerbis laborantis. Sed erit uidendum de reliquis, cum hæc duo ei liberiora fuerint, circuitus conglutinatioq; uerborum. Illa enim ipſa contracta & minuta, non negligenter tractanda: Sed quædam etiam negligentia eſt diligens. nam ut mulieres eſſe dicuntur nonnullæ inornatæ, quaſi idipſum deceat, ſic hæc ſubtilis oratio etiam incompta delectat. fit enim quoddam in utroque, quo ſit uenuſtius, ſed non ut appareat. tum remouebitur omnis inſignis ornatus, quaſi margaritarum, & ne calamiſtri quidem adhibebuntur. fucati uero medicamenta candoris & ruboris omnia relinquentur: elegantia denique & munditia remouebitur: ſermo purus erit, & latinus, dilucide planeq; dicetur. quid deceat circunſpicietur, unum aberit, quod quartum numerat Theophraſtus, in orationis laudibus: ornatum illud ſuaue & affluens, acutæ crebræq; ſententiæ ponentur, & neſcio unde ex abdito erutæ, atque in hoc orator dominabitur. uerecundus erit uſus, oratoriæ quaſi ſuppellectilis. ſuppellex eſt enim quodammodo noſtra, quæ eſt in ornamentis, uel rerum, uel uerborum. ornatus autem duplex: unus ſimpliciũ, alter collocatorum. ſimplex probatur in proprijs uſitatisq; uerbis, quod aut optime ſonat, aut rem maxime explanat. In alienis aut translatum, aut ſumptum aliunde mutuo: aut factum ab ipſo, aut nouum, aut priſcum, aut uſitatum: ſed etiam uſitata & priſca ſunt in proprijs, niſi quod raro utimur. Collocata autem uerba habent ornatum, ſi quid concinnitatis efficiunt: quod uerbis mutatis non maneat, manente ſententia. Nam ſententiarum ornamenta, quæ permanent, etiam ſi uerba mutaueris, ſunt illa quidem permulta, ſed quæ emineant pauciora. Ergo ille tenuis orator, modo ſit elegans, nec in faciendis uerbis erit audax, & in transferendis uerecundus, & parcus, & in priſcis reliquisq; ornamentis uerborum ac ſententiarum demiſſior, translatione fortaſſe crebrior: qua frequentiſſime ſermo omnis utitur, non modo urbanorum, ſed etiam ruſticorum: ut ſunt gemmare uites, laſciuire agros, lætas eſſe ſegetes, luxurioſa frumenta. nihil horum audacter: ſed aut ſimile illi unde transferas, aut ſi res ſuum nullum habeat nomen, docendi cauſa ſumptum, non ludendi uideatur. Hoc ornamento liberius quàm cæteris utetur hic orator ſummiſſus: nec tam licenter tamen, quàm ſi genere dicendi uteretur ampliſſimo: illam autem concinnitatem, quæ locorum collationem illuminat, ijs luminibus quæ Græci quaſi aliquos geſtus orationis, ſchemata appellant, adhibebit: ſed paulo parcius (ne ſi in epularum apparatu magnificentiam excedat) non ſe parcum ſolum, uerumetiam elegantem uideri uolet. Eliget quibus utatur. Huic enim acuto fugienda ſunt paria paribus relata, et ſimiliter cõcluſa, eodemq; pacto cadentia, & mutatione unius tantum literæ quaſi quæſitæ uenuſtates: nec elaborata concinnitas, ut quoddam aucupiũ delectationis manifeſto deprehenſum appareat. itemq; ſi quæ uerborum iterationes, contentionem aliquam & clamorem requirent, erunt ab hac ſummiſſione orationis alienæ. cæteris promiſcue poterit uti: continuationem uerborum modo reſoluat & diuidat, utaturq; uerbis quàm uſitatiſſimis, trãslationibus quàm molliſſimis. etiam illa ſententiarum lumina aſſumat, quæ non erunt uehementer illuſtria. non faciet Romanum populum loquentem, nec ab inferis mortuos excitabit, nec aceruatim multa frequenter una complexione deuinciet. Huic generi orationis aſpergentur etiam ſales, qui dicendo multum quandoq; ualent: quorum duo ſunt genera, unum facetiarum, alterum dicacitatis. utetur utroque: ſed altero in narrando aliquid uenuſte, altero in iacendo mittendoq; ridiculo. tamen ridiculo ſic uti debere opinor, ut nec illud nimis frequens, nec ſcurrile ſit, nec ſubobſcœnum, nec inimicum, nec petulans, nec improbum, nec in calamitatem alicuius, aut inhumanarum rerum fortunam, ne odij locum riſus occupet. Hanc ego iudico formam ſummiſſi oratoris: ſed magni tamen & germani Attici. Quoniã quidquid ſalſum aut ſalubre in oratione, id proprium Atticorũ eſt.* Poſtquam perfuſus eſt.] Calida aqua aſperſus, lotuſq;. Confricari deinde ſub iuſſum eſt.] Strigilibus & linteis ab=

ſtergi. Vt in alueum deſcenderet.] Vbi aqua corpus ablueret. Ecce ibi de tranſuerſo.] Ecce proprium hoc Ciceronis eſt in rebus improuiſis, quod Virgilius & legit & tranſtulit: ut,

Ecce autem gemini à Tenedo tranquilla per alta,

Horreſco referens, immenſis orbibus angues. De tranſuerſo.] Et hoc uulgare uerbũ, quod huic figura conuenit ſoli. Pueri tui.] Serui tui. Hic qui id ætatis ab ignoto præter conſuetudinem appellatus eſſet erubuit.] Rubore ſuffuſus eſt, quod appellatus eſſet id ætatis adoleſcens. Vix tandem, inquit, ſine me conſiderare.] Permitte me, inquit, & ſi uix permittis, tandem permitte, ut conſiderem quod dicis. Cœpit clamare.] Petulantius clamare, inſtare. Petulans es.] Temerarie poſtulans. eſt enim à petendo uerbum deflexum. M. Tullius de Republica lib. 4. Itaque à petendo petulantia, à precando et poſcendo, procacitas nominata eſt. Atque acer, peruicax.] Sic Iuuenalis:

Acer & indomitus, libertatiſq; magiſter.

Vt ne ad ſolarium quidem.] Solarium, eminentiorem ædium contignationem nominamus. Palladius in rebus ruſticis: Nunc circa extremum menſis, pauimẽta in ſolarijs fiunt. Tranquillus de Nerone: Formam ædificiorum urbis nouam excogitauit, & ut ante inſulas ac domos porticus eſſent, de quarum ſolarijs incendia arcerentur. Dictum autem ſolarium, quod cum primo ſol diluculo oritur, id radijs illuſtret. Item ſolarium à Latinis dictum, quod à Græcis horologium, ut Varro inquit, in quo horæ ex ſole inſpiciebantur. Hoc autem Cornelius in baſilica Aemilia & Fuluia primus inumbrauit. Ergo ut ne ad ſolarium quidem, ut mihi uidetur, exercitatus ſit.] Vel ubicunque prudentes, non furioſi (ut tu) conuenire ſoliti ſunt. Sed penes ſcenam.] Vbi ab omnibus mimis clamatur, abiectiſq; quibuslibet. Cui etiam nunc pædagogi lites ad auriculas uerſarentur.] Non mirum ſi adoleſcens illum clamantem non tulit, cum cuſtodis ſibi audire minas uideretur, dum illum inclamantem auſcultaret. Pædagogi lites.] Pædagogus à Græcis, à Latinis puerorum cuſtos recte dici poteſt, à παῖς παιδὸς & ἄγω dirigo. Lites ad auriculas.] Nunc lites pro iurgijs ponit. diſtat enim à lite iurgium: quod iurgium leuior res eſt, ſiquidem inter beneuolos, aut propinquos diſſenſio uel concertatio, iurgium: inter inimicos diſſenſio, lis appellatur. ut ipſe Tullius de Repub. in quarto: Admiror nec rerum ſolum, ſed etiã uerborum elegantiam. ſi iurgant, inquit, beneuolorum eſt concertatio: nam lis, inimicorum dicitur. & in ſequenti: Iurgare ergo lex putat inter ſe uicinos, non litigare. Lites ad auriculas uerſarẽtur.] Hypocoriſticos dixit auriculas, quod id adoleſcentes tenere uiderentur. licet aliqui aurem meatũ, per quem uox ad cerebrum ingreditur, dici uelint: auriculam uero, circũductam cartilaginem. Imperito eiuſmodi conuiciorum.] Conuicium, inquit Nonius Marcellus de doctorum uirorum indagine, à uicis dictum, quod ſecundum ignobilitatem loci maledictis & dictis turpibus homines cauillentur. Vbi iſte enim uidiſſet ſcurrã.] Ordo eſt & ſenſus: Ad hæc enim iſte adoleſcens, ubi uidiſſet ſcurram, abiectum hominem & impurum, exhauſto rubore, qui ſe putaret nihil habere, quod de exiſtimatione perderet. Vt omnia ſine famæ detrimẽto facere poſſet.] Igitur genera figurarum ex his exemplis intelligi poterunt. erat enim attenuata uerborũ conſtructio quædam: & alia in grauitate, alia poſita in mediocritate. Conturbatus eſt.] Id eſt, excanduit ira, incenſus eſt. Vidiſſet ſcurram.] Scurram ueteres dixerunt, qui magnorum uirorum atria gulæ auiditatem ſecutus ſubiret. Vnde illud Plautinum eſt: Tum iſti ſerui ſcurrarũ, qui ludunt in uia. Et rurſum in Epidico: Scurra es, ſcio hominem te militarem non eſſe. Eſt autem cauendum, ne dum hæc genera cõſectemur, in ſ nitima & propinqua uitia ueniamus.] Hactenus quæ dicendi genera probentur, explicatũ eſt. Nunc quæ fugienda, utpote uitioſa, exemplis exponit Cicero: ſed prius de eis quæ probantur, quædam nobis dicenda ſunt, ne hunc locũ illotis, ut dicitur, pedibus incuria quadam præteriiſſe uideamur. Sanè ſciendum eſt, his tribus quaſi formis incluſam eloquentiam non eſſe. Nam ut inter gracile ualidumq;, tertium aliquid conſtitutum eſt: ita horum interualla ſunt, atque inter hæc ipſa mixtum quiddã ex duobus medium. quorum & ſubtili genere plenius aliquid atque ſubtilius, et uehementi remiſſius atque uehementius inuenitur: quod illud lene, aut aſcendit ad fortiora, aut ad tenuiora ſummittitur. ac ſic propè innumerabiles ſpecies reperiuntur, quæ utique aliquo momento inter ſe differant. ſicut quatuor uentos generaliter per totidem mũdi cardines flare accipimus, cum plurimi ſint medij eorum. Varie etiam aliqui regionum ac fluminum proprij deprehenduntur. Ille autem optimus ab ipſo Cicerone dicitur, & ſolus eloquens, qui humilia ſubtiliter, & magna grauiter, & mediocria temperate poteſt dicere. Vtendum ergo planè his dicendi figuris, non ubique. quid enim deceat, uidere oportet. adhibendaq; eloquenti ſapientia eſt: ut non modo quid cauſa, ſed & quid cauſæ partes exigant, uideat. ac is ex differentia perſonarum, locorum, temporumq; locutionem mutabit. Ita ad quodcunque decebit, ad id orationis etiam partes accommodabit, ne ſatur uel ieiunus, ne grandis aut minutus ſit ſermo, nec item nimium diu contradicat: ſed erit rebus ipſis par & æqualis oratio. Principia uerecunda, non elatis incenſa uerbis, ſed acuta ſententijs, uel ad offenſionem aduerſarij, uel ad commendationẽ ſui. narrationes credibiles: nec hiſtorico, ſed propè quotidiano ſermone explicata dilucide. Deinde ſi tenues cauſæ, ſit etiam argumentandi tenue filum, & in docendo, & in refellendo. Idq; ita tenebitur, ut quanta ad rem, tanta ad orationem fiat acceſſio. Cum uero cauſa ea inciderit, in qua uis eloquentiæ poſſit exprimi, tum ſe latius fundet orator, tum reget & flectet animos, & ſic effinget ut uolet, id eſt, ut cauſæ natura, & ratio temporis poſtulabit. Dicat igitur idem ubi deceat grauiter, ſeuere, acriter, uehementer, concitate, copioſe, amare, communiter, remiſſe, ſubtiliter, blande, leniter, dulciter, breuiter, urbane: non ubique ſimul, ſed ubi decorum, quod Græci πρέπον dicunt, poſcet. tunc laudem non doctorum modo, ſed etiam uulgi conſequetur. Duo autem ſunt, ut artis ſcriptores multi conſentiunt, & ipſe in primis in Oratore Cicero, quæ bene tractata ab oratore admirabilem eloquentiã faciant. quorum alterum eſt, quod Græci ἠθικὸν uocant, ad naturas, & ad mores, & ad omnem uitæ conſuetudinem accommodatum: alterum, quod ijdem παθητικὸν nominant, quo perturbantur animi & concitantur. In quo uno retineat oratio illud ſuperius commune & iucundum, ad beneuolentiam reconciliandam paratum. ut hoc uehemens, incenſum, incitatum, quo cauſæ eripiuntur, excitet nobis apud auditores opinionem rationis & cõſilij. Quo genere nos mediocres, inquit, aut multo etiam minus, magno ſemper uſi impetu, ſæpe aduerſarios de ſtatu omni deiecimus. Nobis certe pro familiari reo ſummus orator non reſpondit Hortenſius: à nobis autem homo audaciſſimus Catilina accuſatus obmutuit: nobis etiam priuata in cauſa, magna & graui, cum cœpiſſet Curio diſſentire, ceſſit, poſtquàm ſibi ueneuis ereptam memoriam dixiſſet. Proinde cum plures ſint eloquentiæ quaſi facies, & cum omnis facies (modo recta ſit) ſuum habeat uſum, atque id ipſum omne ſit oratoris, conſulat qui dicturus eſt ſuas uires, & ubi eius maxime dominari poſſit oratio, putet optimum. In quo ne nos corruptum fallat iudicium, magnum periculum eſt. Falluntur ſiquidem multi, qui uitioſum dicendi ſequuntur genus, quod aut uerborum licentia reſultet, aut puerilibus ſententiolis laſciuiat, aut immodico tumore turgeſcat, aut inanibus locis bacchetur, aut quaſi caſuris, ſi leuiter quatiantur,

floribus

floribus niteat. Quæ ideo à pleriſque corrupti iudicij probari ſolent, quod popularia ac plauſibilia ſint. Item, ſicut aliquos effuſius immodice & redundanter dicere inuenias, ita alios infirme & ieiune. Alius enim exceſſiſſe, alius non impleſſe dicitur materiam. ſed alter imbecillitate, alter uiribus peccat: uterque ſuo ſorte iudicio. quod ne nos fallat, Cicero commonet, & horum nobis generum, in quibus falli iudicio poſſimus, ponit exempla; inquiens: Nam graui figuræ, quæ laudatur, propinqua eſt ea quæ uitari debet. & hæc recte uidebitur appellari, ſi ſuffulta nominabitur. Vt enim corporis bonam habitudinem (ſic tumgida & nimium elata fermè ſuffulciuntur, ne corruant: unde & domus ſuffulta columnis) tumor imitatur ſæpe: ita grauis oratio, ſæpe imperitis uidetur uitioſa, quod turgeat. Cũ aut nouis, aut priſcis uerbis, aut duriter aliunde tranſlatis, aut grauioribus quàm res poſtulat aliquid dicitur, hoc modo.] Cum impinguatur. Nam qui perduellionibus uendidit patriam, non ſatis ſupplicij dederit.] Duellum, bellum ueteres dixerunt, quod à duabus partibus de uictoria contendentibus geritur. inde etiam perduellio, qui pertinaciter retinet bellum. Cicero in Oratore: Nam ut duellũ bellũ, & diuis dijs, ſic Duilliũ eum, quod Pœnos claſſe deuicit, ut bellicum nominauerunt, cum ſuperiores appellati eſſent ſemper Duellij. Plinius libro 16. Mirum apud antiquos, primo Punico bello claſſem Duellij imperatoris, ab arbore exciſam ſexageſimo die nauigaſſe. Hoc autem utpote priſco uſus uerbo eſt. In Neptunias depulſus erit lacunas.] Neptunus maris deus apud ueteres habitus: dictus, quod mare terras obnubat. unde nubes, à cœli nuptu, id eſt, opertione, ut Varro inquit: à quo nuptia, & nupta dicta. Lacuna, aquæ collectio, à lacu deriuatur, quam, ut Feſtus inquit, alij lamam, alij luſtram dicunt. In Neptunias igitur lacunas, in mare ſignificat. hoc ideo uitioſum eſt, quod Neptunias dicens, uerbum nimium licenter nouauit. id enim magis ad poetam, quàm ad oratorem pertinet. Qui montes belli.] Maximos belli tumultus, quod duriter aliunde tranſlatum eſt. Campos ſuſtulit pacis.] Et hoc quod dicit, Campos pacis, duriſſime in oratione ſaltem ſoluta tranſlatum eſt. Et ab eo unde profecti ſunt.] Vnde dicendi ſumpſerunt exordium. Aberrauerunt.] Longius uagati ſunt. Nec proſpicere poſſunt.] Quia ingenium iudicio caret, & ſpecie boni fallitur, quod omnium in eloquentia peſſimum eſt. Perueniunt ad confine eius generis quod appellamus diſſolutum.] Cum ab ea laude, quæ in mediocri figura eſt, declinat, fit diſſolutus qui dicit. Et ſanè ſicut plura laudis quàm tria illa paulo ante interiecta genera diximus, ita uitioſa iſtis eſſe plura facile intelliguntur. Quo magis enim à graui, media, & attenuata figura recedimus, eo magis ad uitioſam accedimus orationem: & contra. Itaque ſicut probatiores, & probatiſſima, ita & paulo uitioſiores, & longe uitioſiſſima, in omni genere poſſunt inueniri. Primum autem illa ſunt optima, quæ minime accerſita, & ſimplicibus, atque ob ipſam uarietatem perfectis ſimilia ſunt: ſatis enim aperte Cicero oſtendit, in dicendo uitium uel maximum eſſe, à uulgari genere orationis, atque à conſuetudine communis ſenſus abhorrere. ſiquidem omnia illa quæ curam fatentur, & ficta atque accerſita uideri nolunt, non gratiam conſequuntur, ſed fidem amittunt. Propterea quod ſenſus, propter quos inuenta uerba ſunt, non modo non explicant & referunt, ſed obumbrant & operiunt. Vtcunque autem nobis blandiamur, ſuperciliose nimium erratur, cum & quod recte dici poteſt, circuimus amore uerborũ: cum quod uno uerbo patet, pluribus ubi opus non fuit, auditorem oneramus: cum parum diſertum credimus, quod ſimpliciter dictum eſſet: cum denique à corruptiſſimis uerſibus aut orationibus, figuras & traslationes mutuamur. Sed tum demũ ingenioſi ſcilicet eſſemus, ſi ad nos intelligendos, poſt rerum dignitatem, quibus erudimur, curam quoque uerborum & totius orationis adderemus. E' diuerſo uideas alios tantum æmulos breuitatis, ut neceſſaria quoque orationi ſubtrahant uerba: & qui uelut ſatis habent, ſi ſciant ipſi quid dicere uelint, nec quantum ad alios attineat quidquam expendant. cum peſſima quæque ſint per ſe ſatis aperta, præclari ſenſus tam natura quàm dicentis inſcitia non ſemel occulti maneant. Porro alios inuenias, non ita ſenſibus ut uerbis ſtolidos: dum inquinatis, dũ barbaris, dum improprijs utuntur uerbis. Alij autem ita diſſipati oratione fluctuant, ut legentis mentem, & audientis aures, quæcunque ab his dicuntur, prætereant. Rurſus alij duri, nimiumq; moroſi ſunt, qui hærentes circa ſingula, & dum inueniunt, & dum inuenta ponderant ac dimetiuntur, hac ipſa mora, cogitationis omnem plerunque calorem extinguunt. Alij item otioſi ſunt & planè frigidi, conciſa oratione gaudentes. Alij denique propter imperitiam & literarum ignorantiam, ſordidis uerbis ſenſus uel egregios inquinant. Ita complures aut memoriæ imbecillitate laborantes, aut ingenio incompoſiti labuntur, nec ullo orationem nectentes uinculo præterfluunt. Huiuſmodi uero orationis Cicero ponit exemplum quod appellat diſſolutum, quia ſine uerborum, quibus hæreat, conſtructione ſit. Et articulis.] Nexibus, quibus uincitur, ne fluctuet oratio. articulos uocat græcorum more, qui pronomen relatiuum, quis, qui, quæ, quod, uel quid, inter articulos poſuerunt, quos partem unam orationis eſſe uoluerunt. Nec poteſt confirmare.] Quia nullus perfectus elicitur ſenſus. Neque uiriliter.] Quia uires habet nullas, ſed flacceſſit, & ſua leuitate diffluit. Seſe expedire.] Vt aliquo ſenſu terminetur, quod ex hoc exemplo ſatis aperte colligitur, ubi nullo uerbo tota (ut debuit) clauditur oratio. Non poteſt huiuſmodi ſermo tenere attentum auditorem.] Qui poterit? cum nullus comprehendi ex eo queat ſenſus? Qui non poſſunt in illa facetiſſima.] Exponit aliud uitioſum dicendi genus, quod attenuatæ figuræ eſt. In illa facetiſſima uerborum attenuatione.] Facetiſſima, exculta, & quaſi rotunda conſtructione. Velut etiam Quintilianus ſentit, cum ita dicit: Facetum quoque non tantum circa ridicula, opinor, conſiſtere. neque enim diceret Horatius, facetum genus Catoni minus à natura conceſſum eſſe, Virgilio quidem eſſe. Decoris.] Hanc magis exculta cuiuſdam elegantiæ appellationem eſſe puto. Ideoq; in epiſtolis Cicero hæc Bruti refert uerba, quærentis, an illi ſint pedes faceto ac delitijs ingredienti molles. quod conuenit cum illo Horatiano, Molle atque facetum, Vergilio. Nam cum ille iſthic.] Hic apparet quàm nullius ſanguinis, nullius ſit nerui ſermo. Conuiciũ fecit.] Conuiciatus eſt. ſic Martialis, Ingenti facit conuicia uoce. Plautus in Mercatore: Poſt haud multo ad me uenit, male mihi precatur, & facit conuicium. Et ſunt etiã huic pleraque ſimilia: ut facio tibi iniuriam, & facio tibi contumeliam: quod tamen à Cicerone, ut Quintilianus inquit, reprehendi ſolitum eſt. affici enim contumelia dici uoluit. Facio ludos, illudo. Plautus in Mercatore, Miris modis dij ludos faciunt hominibus. Flagitium autem & damnum facio, abſolute pro eo quod flagitium & damnum patior, ut uulgo dicitur. Plautus in eadem comœdia ait, Seſe illius opera atque aduentu, caprę flagitium & damnum feciſſe haud mediocriter. Friuolus hic quidem.] Iam nullius momenti, & ferè nullus, ut iſti etymologi aiunt. Et illiberalis.] Non dignus, quo liber et ingenuus utatur, ſermo. Puris.] Sed inquinatis. Et electis.] Sed eiſdem ſæpius ſordide quidem repetitis uerbis. Hæc in omni orationis genere fuerunt uitia: quæ ut in iuuene emendentur, & in melius, ut ita dicam, refingantur à præceptore, in primis laborandum reor, antequam nimium ſibi placere conſueſcat, & ipſa male dicendi conſuetudo ei blandiatur. Huius igitur erit operis, adijcere, detrahere, mutare. Sed facilius in his ſimpliciumq; iudicium, quæ replenda uel deijcienda ſunt. Pre-

mere uero tumentia, humilia extollere, luxuriantia aſtringere, diſſoluta componere, exilentia coercere, duplicis eſt operæ. Nā & damnanda ſunt quæ placuerunt, & cur ita emendemus ratio reddenda eſt. quòd ſi emendari ſtultum iudicium, aut non intelligendo, aut arroganter & pertinacius inſtando non admittat, ulterius tempus non terendum eſt, ſinendumq; ut ſe ſolus amet, ſibiq; placeat. Dignitate afficiunt exornationes.] Dignitatem afferunt cunctis dicendi generibus. Quæ.] Exornationes: hoc eſt, tropi & ſchemata. Si rara diſponentur, diſtinctam ſicuti coloribus, ſi crebra collocabuntur, obliquam reddunt orationem.] Nam cum hæ, ut quædam eloquentiæ lumina ſint (dum per orationem quaſi oculos ſpargere conueniat) non, uidelicet recte fieri arbitremur, ſi tota corpora oculi ſint, ac cætera membra officium ſuum perdant. ſicut igitur opportune poſita, orationem exornant: ita ineptiſſimæ ſunt, cū immodice per orationes accumulantur. Si crebra collocabūtur, obliquam reddunt orationem.] In uitium deflectunt: quia neglecto rerū pondere, & uiribus ſententiarum, ſe ad inania uerba, & hos loquendi modos deprauant. tamq; id ridiculum eſt, quàm habitum geſtumq; quærere ſine corpore. Itaque ut locus quiſque poſtulabit, ita utemur exornationibus. Deinde identidem commutetur.] Vt idem & idem (hoc enim eſt identidem) in alijs atque alijs figuris miſceatur, ac ita facile ſatietas per uarietatem uitetur. Quoniam quibus in generibus elocutio uerſari debeat, dictum eſt, uideamus nunc quas res debeat habere elocutio commoda & perfecta, quæ maxime ad modum oratoris accommodata eſt. Tres res in ſe debet habere, elegantiam, compoſitionem, dignitatem.] Quod in omni fieri oportet oratione, quam ad poſteros peruenire cupiamus. Elegantia eſt, quæ facit, ut unumquodque uerbum pure et aperte dici uideatur.] Elegans, uſque ad ætatem Marci Catonis, ut Gellius ſcribit, uitij, non laudis fuit. Videbatur enim elegans dictus, qui nimis læto amœnoq; cultu uictuq; eſſet. Poſtea, inquit, reprehendi quidem deſijt: ſed laudem ex hoc habebat nullam, qui moribus erat moderatiſſimis. Cæterum elegantes multorum conſenſu ac conſuetudine eruditorum non ſolum ab ingenij elegantia, aut elocutionis cultu delectuq;, (ſicut in hoc loco, & plerunque) dici inueniuntur, ſed etiam à uitijs, per contrarium. Vt ipſe Cicero in Clodium & Curionem: Tu elegans, quem decet mulieris ornatus, quem ſaltus pſalteriæ: qui lauare uultum, mollire uocem potes carmine. Hæc diſtribuitur in latinitatem & explanationem.] Quam græci φράσιν uocant, latini elocutionem. hanc ſpectamus in uerbis aut ſingulis, aut coniunctis. In ſingulis uidendum, ut ſint latina, perſpicua, ornata. In coniunctis, ut emendata, ut collocata, ut figurata. hæc in perpetua oratione dignitas ſeruanda eſt: dummodo principia lenius, narrationes ſimplicius, argumenta ornatius, epilogi effuſius proferantur. de ſingulis autem nunc, de compoſitis poſt paulum dicemus. Vt igitur latinitas in ſingulis ſit uerbis, primum conſiderandum eſt, ne barbariſmum aut ſolœciſmū cōmittas: ne peregrina & externa uerba afferas. multos enim, quibus loquendi ratio non deſit, inuenire licet. Sed eos curioſe potius loqui dixeris, quàm latine. Velut Siſennam, cum dixiſſet quædam ſputatilica crimina, per riſum C. Rufius ita excepiſſe traditur, Circumuenior iudices niſi ſubuenitis. Siſenna quid dicas neſcio: metuo inſidias. ſputatilica quid eſt? ſputa quid ſit ſcio, tilica neſcio. Ita Cæſar rationem adhibens, librū edidit, in quo uitioſam conſuetudinem & corruptam pura & incorrupta conſuetudine emendauit. perſpicuitas in uerbis præcipuā habet proprietatem. Proprietas autem dicitur, unius cuiuſque rei, ut Quintilianus inquit, ſimplex appellatio. In qua uitabimus obſcœna, & ſordida, & humilia: ſunt autem humilia, infra dignitatem rerū, aut ordinis. In hac proprietatis ſpecie magna uirtus eſt. Ei contrarium eſt uitium, græci ἄκυρον, noſtri improprium uocant. quale eſt, Tantum ſperare dolorem. Verum proprietas non ad nomen, ſed ad uim ſignificationis referri debet. nec auditu, ſed intellectu perpendenda eſt. ſunt enim multa, quæ cum proprium nomen non habeant, per abuſionem aut tranſlationem nominata, impropria de eis, quæ exprimunt, dici non poſſunt: cum iam ita omnibus manifeſta ſint, ut fallere non poſſint. Verba autem omnia, quæ plus ſignificant, quàm eloquuntur, in parte etiam ponenda ſunt perſpicuitatis. Vitandaq; ambiguitas omnis, non tantū ubi ſenſus perturbari poſſit, ſed etiam ubi nihilominus maneat. ut ſi quis dixerit, uiſum à ſe hominem librum ſcribentem. nam etiam ſi librum ab homine ſcribi patet, male tamen compoſuerat, feceratq; ambiguum, quantum in ipſo fuit. Itaque nobis, inquit Quintilianus, prima ſit uirtus perſpicuitatis, propria uerba, rectus ordo, non in longum dilata concluſio, nihil neque deſit, neque ſuperfluat: ita ſermo & doctis probabilis, & planus imperitis erit. Hæc eſt eloquendi obſeruatio. Nam ſi neque pauciora quàm oportet, neque plura, neque inordinata aut indiſtincta dixerimus, erunt dilucida, & negligenter quoque audientibus aperta. Tertio loco ornatum in ſingulis uerbis perpendendum eſſe diximus: quo penè ſolo apud omnes admirationi eloquentia eſt: qui tam in pluribus uerbis, quàm ſingulis, ſicut & perſpicuitas, conſideratur. quanquam rectiſſime traditum eſt, perſpicuitatem proprie translatis ornatū uerbis egere. Itaque alia uerba alijs honeſtiora, ſublimiora, nitidiora, iucundiora, uocaliora, ut in omni orationis genere, omniq; exprimenda ſententia ponenda ſint. Delectus item cum acri iudicio eſt adhibendus. nam ut ſyllabæ è literis melius ſonantibus ſunt clariores, & uerba ſyllabis magis uocalia: ita quo plus ſpiritus habent, hoc pulchrius quoque reſonant. quod idem uerba inter ſe cōiuncta efficiunt, ut aliud alij iunctum melius ſonet. Ita rebus atrocibus, uerba etiam ipſo uiſu aſpera magis conueniunt. Sordidis autem nuſquam in erudita oratione locus. licet humilibus plerunque ſit iunctura iucundiſſima. Velut in illo Vergiliano, Sæpe exiguus mus. & Horatiano, Naſcetur ridiculus mus.

Vbi caſus ſingularis in fine uerſus, monoſyllabum magis decuit. Quædam non tam ratione, quàm ſenſu iudicantur, ut illud. Cæſa iungebant fœdera porca. Quod ſi fuiſſet porco, uile erat. quandocunque enim in ſermone tenui ſublime nitidumq; fuerit, diſcordat. Item ornatus in inuſitatis, nouatis, & tranſlatis uerbis multum probari & à Cicerone & Quintiliano ſolet. Inuſitatis dignitatem dat antiquitas: nanque & ſanctiorem, & magis admirabilem facit orationem. Sed ſint huiuſmodi, ut ex ultimis tenebris repetita uideantur. Et licet poetæ liberiores ſint quàm oratores, tamen ut Craſſus apud Ciceronem de Oratore dicit, habet etiam in oratione poeticum aliquod uerbū dignitatem. Neque enim, inquit, illud fugerem dicere, ut Lælius, qua tempeſtate Pœnus in Italiam uenit: nec prolem, aut ſobolem, aut fari, aut nuncupari, aut ut tu ſoles Catule, non rebar, aut opinabar: & alia multa, quibus loco diſpoſitis grandior atque antiquior oratio uideri ſolet. nouantur autem uerba, quæ ab eo qui dicit ipſo gignuntur ac fiunt. Velut in illo: Vis huius me uerſutiloqua expectorat. fingere tamen Græcis magis conceſſum eſt, noſtri autem iungendo, aut deriuando paulum aliquid auſi: Iungendo, ut, gradus eliminat, an dici in tragœdiis poſſet, à Pomponio & Seneca dubitatum: deriuando, ut beatitas & beatitudo, & medietas, & alia cōplura, quæ à Cicerone, ſicut & ab alijs numerantur. Ea ſi ex græcis in latinum transferendo excipiamus, magis permittitur. quale illud Ciceronis in Hortenſio, Ἐνάργειαν ut Græci, ſic perſpicuitatem aut euidentiam nos, ſi placet, nominemus, & fabricemus uſque, ſi opus erit, uerba. idq; confirmat Horatius, dicens.

Et noua fictaq; nuper habebunt uerba fidem, ſi
Græco fonte cadant.

Si quid

Si quid autem non apte ſatis conuerſum uideatur, aliquo uerbo mox corrigendum eſt: ut Cicero in Timæo. Si modo hoc, inquit, recte conuerſum uideri poteſt. Et ſi quid etiam periculoſius finxiſſe uidebimur, medijs quibuſdam id præmuniemus, hoc modo: ut ita dicam, ſi licet dicere, permittamus nobis, uix audeo dicere. Quale Ciceronis illud eſt, Vt in ſingulis eſſent bina media (uix enim audeo dicere mediocritates, quas Græci μεσότητας appellant) ſed quaſi ita dixerim, prorſus intelligatur. Quæ quidem etiam in licentius translatis proderunt, ſi non tuto dici poſſe uidebuntur: in quo non falli iudicium noſtrum, ex re manifeſtum erit. Tertius uero modus transferendi uerbi ornatus, qui late patet, poſterius abunde qualis eſſe debeat, ab ipſo Cicerone inter dicendi figuras poſitus, tractabitur, & à nobis explicabitur. Latinitas eſt.] Latinos quidam dictos putant à Latino, qui Vlyſſis Circeiq; filius fuit. ut Heſiodus,

Κίρκη δ' Ἠελίου θυγάτηρ Ὑπεριονίδαο,
Γείνατ' Ὀδυσσῆος ταλασίφρονος ἐν φιλότητι,
Ἄγριον, ἠδὲ Λατῖνον, ἀμύμονά τε κρατερόν τε.

Alij à Latino Fauni filio, cuius mater Carmenta à Græcis literas mutuata Latinis dediſſe fertur, primum Latinitatem (utpote emendatiorem linguam) eſſe dictũ uolunt. Feſtus Pompeius, niſi me codices fallunt, Latinam linguam à Latio dictam uult. Conſtat autem & Ciceronis & aliorum conſenſu, hanc deinde locutionem adeo corruptam fuiſſe, ut pars maxima etiam Ciceronis ætate interijſſe diceretur. Quamobrem & C. Cæſar librum de Ratione latine loquendi accuratiſſime ſcripſit: primoq; in libro diſſerit, uerborum delectum originem eſſe eloquentiæ. & M. Varro de Origine linguæ latinæ, ad Ciceronem ſcribens, uerborum latinorum etymologias ſcrutatur. Quare latinitas à grammatica ita mihi differre propemodum uidetur, ut latinitas nõ tam adigi & aſtringi regulis uerba uelit, quàm ſermonis ſuauitati inſeruire. Vt ſit quidem exempli cauſa grammatice dictum, audaciter, emicauit, ſonauit, conire, audiuiſſe, ſciuiſſe, non ſcio, frugalis mille nummorum, & alia his ſimilia: latine autem potius, audacter, emicuit, ſonuit, coire, audiſſe, ſciſſe, neſcio, frugi, mille nummum. Hinc eſt quod Quintilianus etiam inquit, Mihi non inuenuſte dici uidetur, aliud eſſe latine, aliud grammatice loqui. & Cic. ipſe, iiſdemq; temporibus L. Furius Pilus pbene latine loqui putabatur, literatiuſq; quàm cæteri, quod ſcilicet ſuauitati uerborum regulas etiam accommodaret grammatices. Nam ſi ita accipiamus, ſicut quidam, ut linguam latinam literalem dicamus, qua ueteres Romani & populares & eruditi uiri indifferenter uterentur, & ut comœdiæ tragœdiæq; conſcripta ſunt, ita uulgus loqueretur. Sed primum omnes literarum græcarũ quàm erudititiſſimus fuiſſe oportuit, quod Comœdiæ quo antiquiores ſunt, eo uocabulis & orationibus græcis magis referta ſunt. Et id tam Tyro Ciceroq;, quàm ueterum oſtendunt hiſtoriæ. Afferrem uero exempla, niſi id non dubium eſſe cuiquam intelligerem. Nondum enim (ut etiam Lucretius inquit) Latina lingua tantam habebat copiam, ut non indigeret Græcorum adiumento. Transferentes ergo uerſiculos in latinum è græco Comici, græcos etiam aliquando inſerebant. Præterea ſi Latinus ille linguam correxiſſet (unde & latinitas nomen habeat) quo pacto omnium unus potuit illi eo ſermo eſſe? Vel ſi Latini ſoli ita loquebantur, qui Italiæ minimam partem poſſidebant, cæteros alium ſermonem habuiſſe oportuit, quo ante & poſt correctam linguam uterentur ſcriptores, & quo tam poematum quàm hiſtoriarum orationumq;, quando minus corruptam adhuc illam ueterem linguam eos ſeruaſſe credi par eſt, cæteri qui ſecuti ſunt melius loqui debuerint. Sed legimus Liuium Andronicum, Ennium, Catonem, Læliũ, pleroſque alios, quod ueteri illa quaſi rubigine referti eſſent, à Craſſo, Hortenſio, Ciceroneq; & cæteris fuiſſe repudiatos: licet cætera, quæ eorum ingenia oſtenderunt, ſummopere iidem probauerint. Nam & Catonis uerba Cicero diligenter excuſat, ut ſupra retulimus. Fuit ergo latinitas, ut mea ſemper tulit opinio, ſelectus quidam caſtigatuſq; ſermo, literalis quidem (quod Græcorum Latini ueteres ſecuti ueſtigia ſint) ſed ſuauitati multum inſeruiens. Et cum nihil unquam ſimul & inuentum, & perfectum fuerit, primum hanc Latinus, unde latinitas dicta, ſelegit: poſt, qui ſecuti ſunt, & auxerunt, & magis emendarunt. Loquebantur autem etiam ante Latinum illum Itali et Latini iſto ſermone, ſed non omnino latine, hoc eſt electiore ſermone. Nam cum eius mater, ut diximus, Carmenta, literas à Græcis ſumptas ei dediſſet, tum demum incepiſſe talem eleganter dicendi formam putandum eſt. quod in partibus orationis omnibus, facile cuique licet intueri: ut ſcilicet figuræ orationis, ſicut & conſtructiones ab ipſa effluxerint. Vnde fit, ut mirer admodum, quoſdam hæc non ſatis aduertiſſe, quod & Cicero ipſe oſtendit, cum dicit. Latinitas eſt quæ ſermonem purum conſeruat, ab omni uitio remotum. Vitia in ſermone, quo minus is Latinus ſit, duo poſſunt eſſe: ſolœciſmus & barbariſmus. Solœciſmus.] Gellius in quinto noctium Atticarum: cum græcum autem, inquit, uocabulum ſit ſolœciſmus, an Attici homines, qui elegantius locuti ſunt, uſi eo ſint, quæri ſolet: ſed nos neque ſolœciſmum, neque barbariſmum apud Græcorũ idoneos adhuc inuenimus. Nam ſicut barbaron, ita ſolœcon dixerunt noſtri quoque antiquiores. ſolœcon facile, ſolœciſmũ haud ſcio an unquam dixerint. quod ſi ita eſt, neque in Græca, neque in Latina, ſolœciſmus probe dicitur. Sed nos ex Græcis dicimus, utrunque recte dici poſſe. cuius rei quod ſolœciſmus recte dicatur, & barbariſmus, tam Græcorum quàm Latinorum infinita reddi exempla poſſent: quæ tamen cum nunc proferre nõ oporteat, conſulto prætermittimus. Dictum autem ſolœciſmum Strabo putat, uel à Solorum urbe, qui uitioſe loquentes, à Græcis cũ riſu excepti ſunt: uel alio ex populo, ut idem inquit, uerbũ effictum eſt. Solœciſmum porro Sinius Capito in literis quas ad Clodium Thuſcum dedit, hiſce uerbis definit. Solœciſmus eſt impar & inconueniens compoſitura partium orationis. Auguſtinus uero in eo libro quem de doctrina Chriſtiana inſcripſit, Solœciſmus, inquit, qui dicitur, nihil eſt aliud quàm cum uerba non ea lege ſibi coaptantur qua coaptarunt, qui priores nobis, non ſine auctoritate locuti ſunt. Vtrum enim inter homines, an inter hominibus dicatur, ad rerũ non pertinet cognitionem. Integritas ergo locutionis nihil aliud eſt, niſi alienæ conſuetudinis conſeruatio, ueterum auctoritate firmata. Solœciſmus eſt, cum uerbis pluribus conſequens uerbum ſuperiori non accõmodatur.] Totius grammatices (quàm in latinum uertentes literaturam alij, alij ſtudium literarum appellarunt) ars in duas eſt generales diuiſa partes, in præceptorum rationem, quã græci μεθοδικὴν nominarunt, quæ præcepta, quibus in hac profeſſione erudimur, docet: & in uocabulorum expoſitionem. fabularum autem, hiſtoriarum & huiuſmodi enarrationem, græci ἱστορικὴν dixerunt. Methodicen deinceps in tres partes iidem diuiſerunt, in loquendi rationem, Græce σύνταξιν, recte ſcribendi peritiam, ὀρθογραφίαν, & pronunciandi ſcientiam, προσῳδίαν. In his tribus ſolœciſmus barbariſmuſq; uitia inueniuntur. Sed in omnibus tamen utrunque. nam barbariſmum in omnibus quidem, ſolœciſmum autem in loquendi tantummodo ratione comperias: idq; modis quatuor, κατὰ πλεονασμὸν, id eſt per adiectionem, ſeu redundantiam. κατὰ ἔλλειψιν, id eſt, detractionem ſiue defectum. κατὰ ἀναστροφὴν, id eſt, per tranſmutationem. κατὰ ὑπερβατὸν, hoc eſt per confuſum dictionum ordinem. Per adiectionem, ut Veni ad Mediolanum, ad Placentiam: detractione, ut ambulo uiam, ex Aegypto uenio: tranſmutatione, ut quæ ordo turbatur, ut, quoque ego, enim hoc: per hyperbaton, ut, in enim ille dulſit genio, pro indulſit. At cum in hæc poeta uerſus neceſſitate incidunt, aut ornandi cauſa ſententiam,

tentiam, ἀσύνδετον, uel, ut alij, σολοικοφανὲς nominatur. Et id faciunt non tantum poetæ, ſed etiam aliquando oratores: uelut Ciceronis in Verrem illud, ad Meſſanam uenit, detrahunt. item illud,

Italiam fato profugus Lauinaq; uenit

Littora: pro ad Italiam, & ad Lauina littora. Saluſtius, Radicem montis acceſſit: quod ſanè Lactantius annotauit. Transmutatione utũtur, ut Trãſtra per & remos ducere. Ita per partes orationis omnes ſolœciſmus fit: ut in uerbo, ſi genus mutetur, ſi coniugatio, ſi modus, ſi numerus, ſi tempus, ſi perſona. idem in nominibus, cæteriſq; partibus intelligendũ: ut ſi pronomen pro pronomine poſueris, ut hirundo paſcit pullos eius. Eſt etiam ubi uitium potius uideatur, quàm re uera ſit. ut apud Senecam, Sæpe in magiſtrum ſcelera redierunt ſua. quod ita in conſtructione reſoluendum eſt, Scelera magiſtri ſæpe redierunt in ipſum, ſiue in illum. Aliquando longo ac duro ambitu uerborũ reſpondendum eſt, ut Suum cuique ſoluatur: aliter, Quod cuiuſque eſt, ei ſoluatur. aut, ſua cuiuſque ſunt: aliter, quæ cuiuſque ſunt, ipſius ſunt. Item & ſuus eſt Homeri mos: aliter, mos Homeri eſt eius. Aut cum genus mutamus, uel alio quàm oporteat numero loquimur: ut cum ponimus literam pro epiſtola, & id genus alia. Fuerunt qui barbariſmum hic dici mallent, quod barbariſmus quidem in ſingulis eſſet dictionibus, in coniunctis uero ad conſtructionem ſolœciſmus. Vt ſi uerbo aut nomini cæteriſue partibus caſum non reddas quem deſiderant: aut ſi pro alijs alios ponam. uel ſi ubi nomen ponere debuerim, pronomen poſitum ſit. ſimpliciter, ubicunque partem aliã pro alia referas. Vt cum negantis aduerbium pro aduerbio prohibentis ponam, ſic, non feceris, pro ne feceris. In ſingulis autem fieri uerbis ſolœciſmus uidetur, cum unum quis ad ſe uocans dicit, Venite: aut ſi plures à ſe dimittens ita loquatur, abi, uel diſcede. nec non cum reſponſum ab interrogante diſſentit: ut ſi dicenti, quem uideo? ita occurras, ego, quoniam hic ſubauditur, quod expreſſum non eſt. Erit ergo ſolœciſmus in uno aliquando uerbo, nunquam in ſolo. Eo denique ſuperſtitioſi fuerunt uſque aliqui, ut hoc uitium in geſtu etiam eſſe ſcripſerint: cum aliud uoce, aliud nutu uel manu demonſtretur. Eſt autem ubi ab oratore, uedũ poetis huiuſmodi inuenias poſita: ſed tum ſchemata, non ſolœciſmi dicuntur. Eſt enim ſolœciſmus, ubi per imprudentiam imperitiamq; ita loquimur. Sed de ſolœciſmo hactenus dictum ſit. multa tamen planè eſſent hic dictu neceſſaria. ideo conſulto etiam præterimus, ne grammaticam ſcribere uideamur. Nam ſatis uideri debet, ſi expoſuimus, quid ſit. quod Cicero dixit, ſolœciſmus eſt ex uerbis pluribus in quibus inuenitur. In ſolo enim uerbo inueniri non poteſt. Verbum ſuperiori non accommodatur.] Sed diſconuenit, quantum ueterum auctoritate ſancitum eſt. Barbariſmus eſt, cum uerbum aliquod uitioſe effertur.] Barbariſmus, inquit Auguſtinus, quid aliud eſt, niſi uerbum non eis literis, uel eodem ſono non enunciatum, quo ab eis qui ante nos locuti ſunt enunciari ſolitum eſt. Barbari autem (unde barbariſmus) dicti, ut Strabo in quartodecimo de ſitu orbis tradit, à nominis ficti uoce. Sic enim inquit: Barbarum opinor eſſe nominis effictionem in his, qui proferendo uerba cum labore, duriter, & aſpere loquerentur, ſicut balbutire, lallare, balbare. Omnibus igitur pinguius ſonantibus, barbaris nomen inditum. Barbaros autem Græcus primum nuncupauit: uidelicet ad exprobrandam pronunciationem: quæ contingebat illis per innatam quandam ineptitudinem, & oris pinguedinem, atque uocalium inſtrumentorum, denique per quaſdam ſermonum ſeu linguarum proprietates. Noſtra uero in lingua aliud apparuit oris uitium, ſicuti barbaroloquentia, ſi quis ſermonem Græcum non recte proferat, ſed uocabula Græca barbarorum more pronunciet. Hoc maxime Caribus cõtingit. hinc Alcæus eos barbarophonos appellat, quod Græca inepte proferant. Hanc igitur barbariſmi, ſicut & ſolœciſmi fœditatem, à latinitate abeſſe oportere dicit Cicero: quæ in ſingulis tantum uerbis committi poſſe inuenitur. ſed & pluribus modis: aut locutione, aut temporis dimenſione, ac enunciatione, aut ſcriptura. Vt ſi quis Aphrum uel Hiſpanum alienum'ue quodlibet à Latio nomen (modo Græcum non ſit) Latinæ inſerat orationi: niſi receptum ſit, ut Rheda uehiculũ, quod gallicum nomen eſt: & attegiæ, quo utitur Iuuenalis, Maurorum attegias. Item ſi uerborum, nominum, cæterorumq; partium orationis impropria ſignificatione quis utatur: ut cum reputo pro exiſtimo utuntur quidam, & importat pro refert, & infinitis penè alijs. cum ſi ſecundum analogiam nomen quod in uſu non ſit, deducere uelimus: uelut ſi à Cremona Cremonanus, & à Parma Parmanus dicatur, quod ſimile ſit à Roma Romanus, à Nola Nolanus. & ſicut à cubatione cubiculum, ſic putes recte dici à ſeſſione ſeſſiculum: & ſicut dulcedo dicitur, ita ſi quis albedinem pro albore, & ſimilia dicat. ſi rhetoricalis, grammaticalis, & ſimilia cum græcis nos, uel poſſeſſiuis noſtris dici poſſe putemus, ſicut literalis. Aut cum utitur uerbis quæ apud nullum auctorem leguntur, et quæ nec ulla defendi deriuatione poſſint, ut trenga pro inducijs, & guerra pro bello. His proxime accedunt, ea quæ licet deriuationis formã aliquam habere uideantur, tamen dici latine non queant. Velut ſaluator, quod græci σωτῆρα dixerunt. Nam licet in ore multorum ſaluator ſit, latine tamen uno uerbo exprimi non poſſe Cicero dicit. quippe qui in Verrinis ita inquit: Cum non ſolũ patronum illius inſulæ, ſed etiam ſotera ſcriptum uidi Syracuſis. hoc quantum eſt? Ita magnum, ut latine uno uerbo exprimi non poſſit. Is eſt nimirum ſoter, qui ſalutem dedit. quod uitium iam late patet, propter eorum qui Græca in Latinũ tranſferunt imperitiam. Nec in ſolis id uerbis fieri ſolet, uerũ etiam & iunctis. Vt cum dicunt, hoc implus ſe habet, quod græci ἰδὼ πλέον ἔχει dicant, & alia propè infinita. Non enim omnia enumerare, quæ etiam poſſimus, conſilium eſt: ſed barbariſmi loca duntaxat oſtendere. quod uitium etiam ſæpe inuenias, cum uerbis utuntur quæ nuſquam ſunt, ut contentor pro contentus ſum. nam quod Horatius ſcurro dixit,

Si bene te noui, metues liberrime Lolli,

Scurrantis ſpeciem præbere.

Et odoror, eſt nanque ſagatium odoror: & Cicero ancillor, ut, Non enim uni priuatim ancillatus ſum. ſic & alia quædam auctoritate non carent, ideoq; intrepide eis utimur. at noua quaſi cudere non ſine periculo poſſumus: quæ ſi permitti nobis uelimus, acri penſanda iudicio ſunt. In genere quoque nullam obſeruationem putarunt aliqui eſſe barbariſmum, alij ſolœciſmũ dici maluerunt, quod iunctura id animaduertatur. Nec ſum animi dubius, hic futurum aliquem, qui dicat horum quæ iam diximus, & dicturi ſumus, pleraque figuris defendi poſſe. Id uerum eſſe nouimus, ſed cum conſulto & cum iudicio prolata ſunt, non cum imprudenter aut per inſcitiam dicta, figuris defendi poſſe credamus. Barbariſmus quoque eſſe credi par eſt cum pluraliter tantum deflexum nomen, in ſingulari dicas. ut ſcala, pugillaris, biga, quadriga, liber pro filio, loculus, & ſimilia. aut cum ſingulari numero inueniatur tantum, & pluralem proferas, ut ſanguines, argenta, aura, aurichalca, & id genus alia. Aut ſi uerborum iam tradita nobis non ſeruentur inflexiones. uelut ſi dicat quis prandidi, oſtendidi, reprehendidi. Vel cum nominum prima poſitio inuertitur, ut ſi quis cereber cerebri dici putet, ut Alexander Alexandri. Et uerborũ: uelut cum prandeo dicatur, ſi huic ſimile cœno eſſe arbitretur. ſi item inſcitia in dicendo diuidat diphthongon, uelut ſi œnophorum, œnotriam, æreum diuidat: uel Oetam, Aeneum, & id genus alia. Sed de Barbariſmo, qui in locutione committi poteſt, quantum ad hunc locum attinet, iam ſatis dictũ. ſiquidem

genus

genus illud barbariſmi, quod ab animi natura proficiſcitur, ut, cũ quid inſolenter, aut minaciter aut crudeliter ab aliquo dictũ ſit, cũ barbare locutum dicimus, ad præſentem quæſtionem (ut reor) nó attinet. Quod ſi quis attinere ſibi perſuadeat, uitiũ eſſe quidquid ſuo loco et tempore non factum ſit, à nobis iam admonitus, taceat. De temporis dimenſione paucis concludendum eſt: aliam tacitam, aliam pronunciantis uoce conſiderari. Tacite in temporum dimenſione barbariſmus eſt, ut in uerſu, ſi pro longa breuis, aut pro breui longa ponatur. uelut illud Iuuenalis,

Quod nudum, & fruſtra rogantem.

In metro enim barbariſmus eſt. niſi, quod multa egregie ſcripſerit, ſyſtoles figuræ uenia ſubleuetur. Quæ autem pronunciantis uoce detegitur, manifeſta eſt. uelut cum pro flexo accentu acutus ponitur, ut ſi Cethegum penultima correpta, aut Tulliũ producta pronuncies. Eſt in ſola pronũciatione barbariſmus, ſi alio quàm debeas accentu ſyllabam pronuncies. ut ſi noſtras, & ueſtras, & cætera, quæ per apocopam proferri debent, in ultimo loco non flectas. Velut differentiam facias, ſi non notula aggraues: ut alias, cum aduerbium eſt, Et circum litora, circum

Piſcoſos ſcopulos.

Ne ſi primam acuerim, circus dici uideatur. Item Quale, eruditi grammatici interrogantes, ultimo loco grauabunt: comparantes, acuto tenore concludent. Aduerbia quoque compoſita ſub uno accentu pronunciabunt, ut aliquando, deinde, interea loci. Et ut paucis finiã, ubicunque accentus lex corrũpetur, erit barbariſmus. quam legem quiſque à grammaticis diſcet. Et ſi cui noſtra, quæ olim de accentu compoſuimus, diſcere placuerit, hoc uitium euitare poterit, ſi minus quid hic dicatur intelligit. Conamur enim illa qui neſciunt, non iam eruditos docere. Scriptura barbariſmus committi poteſt, ſi literarum ordo perturbetur: ut pro diſciplina, diſplicina. Subtractione ſimplicis conſonantis, ut à facio factum, ſine c litera ſi fatum ſcribas. Simplicis conſonantis interpoſitione, ut columpna, ſompnus, contempno. p enim litera inter m & n eſt poſita. Fit Barbariſmus etiam alijs conſonantibus, ubi non debet apponi, ubi duplicata ſubtrahitur, ut bellum adiectiuum. uel ſi addas conſonantem, ubi non oportet: ut tellum, cœllum. Simplicis in duplicem uerſione, ut locuplex pro locuples. Duplicis in geminatam, ut niſſus pro nixus, laſſus pro laxus, cum hæc manifeſte inter ſe differant ſenſu. Si pro eadem geminata, alteram ponas: ut flegma, cum g litera ante m, pro flemma ſcribas. aut ſi pro altera ſimplici, alteram ſimplicem ponas: ut ſi conuitium per t literam, non per c. ſi capud per d, uel aput per t. Idem uitium eſt, & obtimus per b, non per p ſcriptum. Item ſi uocalem alteram pro altera notes: ut ſi mundus in prima ſyllaba, uel columna, aut abundo in ſecũda, non per u literam, ſed per o ſcribas. E diuerſo ſi muntem, funtem, puntem, per u, nó per o, barbariſmus eſt. Item ſi aſpirationem auferas à uocali, ut ab habeo ſecundæ coniugationis uerbo: uel à conſonante, ne pulcher: ſi apponas uocali, ut habundo: conſonanti, ut Archades. ſi Latinum i per y Græcũ, ut cyſta, ſydus. ſi y Græcum per i Latinum. Et eo magis barbare à nonnullis omnia corrumpentibus hæc fiunt, quod in Latinis, uelut mei, tui, & ſimilibus, y græcum ſcribi ſolet, cum i Græcis nominibus barbariſq; nonnullis tantum ſcribatur. de quo lõgius tractauimus in ijs libris, quos de Ortographia conſcripſimus. Sunt etiam qui y literæ græcæ & i latinæ ordinem peruertentes, in barbariſmum incidant. ut Hyppolitus, Lybia, Sybilla: cum in prima ſyllaba i, in penult. y græcum eſſe oporteat. Poſtremo barbariſmus eſt, ſi diphthongon alteram pro altera, ut ubi nulla ſit poteſtas, uel ubi ſcribi debuit, non ſcribas: ſi diuiſas uocales, ut Danahe, Phaſiphahe, Phahethon. De barbariſmo iam ſatis multa: nec breuius, ut reor, dicere etiam de tãta re potuimus, ſi loca huius uitij decurrere omnia debuimus.

Ea comparatur.] In contrarijs obſcuritas maxime ſolet inueniri. Nam ſi ab uſu ualde remota uerba ſint, nubem menti plerunque omnia obijciunt, ut ſenſus comprehendi non poſſint. In quo genere tantopere ſunt aliqui delectati, ut cum in idonei alicuius auctoris locum incidiſſent paulo magis abſtruſum, non rei indagatione, ſed unius aliquando uerbi ignoratione, totos illic intenderint ſenſus, lacunaria modo ſuſpexerint, modo in terram declinarint oculos, interroganti nil reſponderint, & cogitatione miſeri, tanquam Sibyllæ futuri interpretes exæſtuarint. Quod ſi eius obſcuritatis modũ tandem comperiſſe, hoc eſt, unius uerbi & nullius penè momenti ſignificationẽ ſibi inueniſſe perſuaſerunt, conuentus pararunt, ſe rem inauditam, è medijs etiam tenebris depromptturos, tumore ſupra modum elati iactitarunt. hinc adducto ſupercilio, contractiſq; naribus, ac fronte rugata meras effutiuerunt inſanias. Quibus iam ab omnibus eruditis curuari ciconiarum colla, ac manu aſini aures agitari, & æſtuantis canis protendi linguam, & quæcunque ludibrij ſpeciem habent, præberi uideas. idq; meritiſſimo. cum rerum ſcientiã, quàm præ cæteris rebus habere oportet, nihili æſtiment: unius autem literalis notæ ſignificatione tantum uexentur, ac ut uerius dicam, inſaniant. non hoc dico, quin uerborum uelim ſciri proprietates: ſed, ut eorum quæ iam exoleuerunt tanta nó ſit, aut ut ſaltem ſit rebus poſterior cura, prouidendumq; in primis, ne ſordida, ieiuna, triſtis, ingrata, uilis noſtra ſit oratio; contra ſit acuta, uirida, copioſa, hilaris, iucunda, accurata. Quod conſequi poterimus, ſi rerum in primis quàm maximam curam habuerimus: poſtea uerborum electiſſimorum, ut in nobis auctoritas, in uerbis ſententiæ, uel graues uel aptæ opinionibus hominum ac moribus eſſe uideantur. Quod ſi in uerbis inhærere, ſcrutari, & ea quidem ab uſu remota uelimus, eloquentiam ex hoc inde conſequi poſſe confidemus? Superfluum erat nunc hoc reprehendere, niſi præterquam à pauciſſimis cæteris, omnibus id iam ſumma cura quæreretur. Sed iam unde exiuit, eo noſter redeat ſermo: ſi perſpicuam uelimus ex nobis exire orationem, uſitatis uerbis componenda eſt: non tantum ex nimia uetuſtate repudiatis illis, ſed & paulo remotioribus. Nam & ductare exercitus, & patrare bella apud Saluſtium non adeo uſque probata ſunt, ut orator eis ubicunque uelit utatur. Sic uideas, ut uſitata huiuſmodi uſitatiora adhuc ſint, exercitum ducere, & bellum gerere. delectum enim eum in primis habeamus oportet, ut ſuo loco ac tempori omnia accómodemus. De explanatione ergo nunc loquimur, perſpicuitas eſt neceſſaria: perſpicuitati autem uſitata uerba. Nam quid in Latinitate & ornatu obſeruandum ſit, ſi non ſupra docuimus, eius tamen formam aliquam illic oſtendere tentauimus. Præclare uero etiam ad afferendã rebus lucem repertæ ſunt ſimilitudines. quarum aliæ ſunt, quæ probationis cauſa inter argumenta ponuntur: aliæ ad exprimendam rerum imaginem compoſitæ, quod eſt huius loci proprium. ut,

Prorſus aui ſimilis, quæ circum littora, circum
Piſcoſos ſcopulos, humilis uolat æquora iuxta.

Quo in genere id eſt præcipue cuſtodiendum, ne id, quod ſimilitudinis gratia aſciuimus, aut obſcurum ſit, aut ignotum.

Vſitata ſunt illa quæ uerſantur in ſermone & conſuetudine quotidiana.] Hic iam aliquibus occurram oportet, qui uſitatum putabant ſermonem, quo uulgares & imperiti uti cóſueuerunt: quod minime uerum eſt. Nam is demum uſitatus eſt ſermo, quo quotidiano in ſermone conſuetudineq; loquendi, uiri utuntur eruditi. ſicut enim bonorum uirorum conſenſus bene uiuendi nomen habet, ita recte loquendi eruditorum conſuetudo. Cum igitur eruditos non ſordidus, non inquinatus & ruſticus ſermo deceat, ſed purus, clarus, latinus & ornatus, non conuenit uſitatum hic à Cicerone ſermonem dictum intelligere, quo uulgus utitur imperitum. Propria, quæ eius rei uerba ſunt, aut eſſe poſſunt. de qua loquimur.] Propria multis

modis dici poſſunt. ſunt enim propria, & multis rebus impoſita uerba, ut canis, ſignificat enim aſtrum, animal quadrupes, & piſcem. ſunt propria quaſi uni peculiaria, ut urbem Romam, & poetam Virgilium, & cætera generis eiuſdem. Alia ſunt propria, ſuæ quarunque rerum appellationes, ut lapis, arbos, mare. Item propria, indiuiduum ſignificantia. Item ſubſtantiua ſunt, ut Demoſthenes, Cicero, Craſſus. ſed in nullis horum uirtus oratoris inſpicitur. At illud proprium dicit hic Cicero, quod in oratore non mediocriter probandum eſt: quod etiam hoc modo laudari ſolet, ut proprie dictum ſit, id eſt, quo nihil poſſit ſignificantius inueniri. uelut cum uulgo dici ſolet, proprium appoſitum eſſe epitheton. ut cum Virgilius Deductum carmen, & Horatius Acrem tibiam, aut Hannibalem durum dixerũt. Item generis penè eiuſdem: dulce muſtum cum dentibus albis excipiant: leues auras: rupibus altis: tempus irreparabile: et huiuſmodi omnia. Item quæ bene translata ſunt, propria dici ſolent. Denique quæcunque ſunt in quoque præcipua, proprij locum accipiunt. uelut Fabius inter plures imperatorias uirtutes, cunctator eſt ab Ennio appellatus: ſicut Aeneas pius à Virgilio, Achetes fidus, et ab Homero Vlyſſes πολύτροπος, id eſt multa uertens, callidus, & urbium uaſtator. ſicut & pedibus celer Achilles. Hæc igitur eſt una oratoris uirtus, quæ rem explanat & exprimit: quã Cicero elegantiæ partem eſſe uoluit. Propria quæ eius rei uerba ſunt.] Quæ eam rem complectuntur propria ui. Aut eſſe poſſunt de qua loquimur.]: Si etiam ad aliud referri poſſe uideantur. Compoſitio eſt uerborum conſtructio, quæ facit omnes partes orationis æquabiliter perpolitas. Ea conſeruabitur, ſi fugiamus crebras uocaliũ concurſiones, quæ uaſtam atque hiantem reddunt orationem. ut hæc eſt, Vaccæ æneæ amœniſſime impendebant. Et ſi utamur nimis eiuſdem literæ.] In omni rhetoricæ orationis constructione tria conſiderari ſolent, ordo, iunctura, numerus. De ordine & iunctura dicetur à nobis, quando locus Ciceronis hic ita exigit. De numero quia late patet, & nos temporis premimur anguſtia, ſi poſt huius libri concluſa commentaria tempus nobis ſuper erit, tractabimus. Primum igitur, ut iam de ordine dicamus, eius obſeruatio in uerbis eſt ſingulis, & contextis. In ſingulis cauendum, ne decreſcat oratio, & fortiori ſubiungatur aliquid infirmius: ut ſacrilego fur, homicidæ corruptor. Nanque ſenſus hominis à paruo in maius debet inſurgere, ut optime Cic. Tu, inquit, iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate. aliud enim maius alio ſuperuenit. At ſi cœpiſſet à toto corpore, non bene ad latera fauceſq; deſcendiſſet. Eſt & alius ordo, ut uiros ac fœminas, die ac nocte, ortum & occaſum, dextrum ac ſiniſtrum, ante ac retro melius dicas quàm retrorſum. Quædam ordine permutato fiunt ſuperuacua. uelut apud Salluſtium, In tugurio mulieris ancillæ. at ſi dicas in tugurio ancilla mulieris, ſuperfluum erit mulieris: ſiquidem ancilla conditionem oſtendit & ſexum. item, Res erat prætoribus nota ſolis. hoc ſuffecerat. male ergo additur, ignota cæteris. quod ſi conuertas, nil ſuperfluum inuenitur. Et fratres gemini: nam ſi præceſſerit gemini, fratres addere non eſt neceſſe. Et ſi dicas, tenemur amicitys: ridiculum enim eſt, ſi addas, mutuis, cum amicitia utrunque ſignificent, hoc eſt, amorem & mutuum. Alia ideo antecedunt, quod ab eis quæ ſequuntur clarius ad eam ſententiam dici, & quaſi exponi uideantur. ut Ciceronis illud: Quid tandem illi mori mali attulit? niſi forte ineptijs atque fabulis ducimur, ut exiſtimemus illum apud inferos impiorum ſupplicia perferre. in quo loco non bene diceretur, fabulis atque ineptijs. Eſt ubi quid primum ponamus non refert, niſi uerborum moueamur conſonantia: quod apud poetas ſumma opera cuſtoditur. ut cum dicit Virgilius.

Paciq; imponere morem. Quod ſi, moremq; imponere paci, dicatur, debilior (ut etiam Boetius uidit) ſonus uidebitur. Contra autem, ut uis conſurgeret uerborum,

Ac ima exæſtuat unda. Non dixit, Ac unda exæſtuat ima. Ita Cicero cum dicit, Veſtram ſimul iudices æquitatem & manſuetudinem mulier oppugnat. manſuetudinem enim ſua hic longitudine ſpiritum interſiſtit, & pronunciantis moratem exaggerat magis. Auget autem ſignificantia, cum dicit, Cæcam crudelitate & ſcelere. nam & ſcelus in crudelitate, utpote genus eſt. Aliquando autem multa coniunguntur, quorum aliqua præpoſtera in ſerie dici poſſunt: ubi ultimo tantum loco ponatur, quod omnibus emineat. quale illud eſt Ciceronis, Cuius cupiditatem nulla unquam turpitudo retardauit, quæ uitijs animi in deterrimas partes iura hominum conuertit omnia: cuius ea ſtultitia eſt ut nemo hominem, ea uis ut nemo fœminã, ea crudelitas ut nemo matrem appellare poſſit. eò iam denique adducta eſt, ut ſibi præter formam nihil ad ſimilitudinem hominis reſeruarit. Illa autem minima quorundam fuit obſeruatio, ut nomina uerbis, uerba rurſus aduerbijs, et nomina ipſa appoſitis pronominibus eſſent priora. Nam fit contra quoque frequenter non indecore. Sed illud nimiæ eſt ſuperſtitionis, uti quæque ſunt tempore, ea facere etiam ordine priora. non quia frequenter non fiat hoc melius, uerum quia interdum plus ualent antegeſta ideo, quòd leuioribus magna ſupponenda ſunt. Varijs autem uerbis eundem ſenſum longius trahere (nam & hoc inter figuras ponitur) optimum eſt. quod quidem in mouendis affectibus maxime poteſt adhiberi. Sæpe etiam eſt uehemens aliquis ſenſus in ultimo uerbo: quod ſi in media parte ſententiæ latet, tranſire intentionem & obſcurare circumiacentibus uerbis ſolet. In ultimo autem loco poſitum, animo quaſi infigitur auditoris. quale eſt illud Ciceronis: Cum tibi in conſpectu populi Romani uomere neceſſe eſſet. transfert enim hoc ultimum. penè nihil ualebit, ſi dicas, Vt tibi neceſſe eſſet uomere in conſpectu populi Romani. nam totius ductus hic eſt quaſi mucro, ut per ſe fœda uomendi neceſſitas, iam nihil ultra expectantibus, hanc quoque adijceret deformitatem, ut pridianus cibus teneri non poſſet. Feliciſſimus igitur ſermo eſt, cui & rectus ordo, & apta iunctura, & cum his numerus opportune cadens cõtingit. Quædam uero tranſgreſſiones, ut Quintilianus inquit, & longæ ſunt nimis, & interim etiam compoſitione uitioſæ: quæ in hoc ipſum petuntur, ut exultent atque laſciuiant. quales illæ: Sole & aurora rubent plurima, Inter ſacra mouit aqua fraxinos: ne exequias quidem unus inter miſerrimos uiderem meas. quod interim peſſimum eſt, quia in re triſti ludit compoſitio. Hæc de ordine à nobis dicenda putauimus. Sequitur iunctura: quæ, ut Cicero inquit, facit omnes orationis partes æquabiliter perpolitas. Nam inconcinna uerborum compoſitio illiberalem & ſubruſticum plerunque ſermonem reddit. Nec me præterit, eum de philoſophia, de republica, deq; ſimilibus diſſutantem, aut epiſtolas conſcribentem, tanta cura in uerborum compoſitione laborare, quanta oratorem non oporteat. niſi cum ſupra ſuam naturam forſitan aliquid tractant. Sed ea, inquit Cicero, conſeruabitur, ſi fugiemus crebras uocalium concurſiones, quæ uaſtam atque hiantem orationem reddunt. Vt hæc eſt, Vaccæ æneæ amœniſſime impendebant. Poterimus, inquit, perpolitam uerborum compoſitionem à fœditate immunem conſeruare, ſi procurabimus, ne antecedentis dictionis uocalem uocalis ſequẽs hiatu excipiat, qui uaſtam & diſſipatam reddat orationem. Vaſtam atque hiantem reddunt orationem, ut hæc eadem eſt, Vaccæ æneæ amœniſſime impendebant. Hiat autem, qui ore patet: ab hio hias hiſco hiſcis fit. eſt autem hiſcere, os aperire, ut loquaris. Iuuenalis,

Si quid tentaueris unquam Hiſcere.

Huius iteratiuum uerbum eſt hiato. Plautus: Si qua forte cõcio eſt, ubi hiatare nondum in mentem uenit. Cn. Atticus in uigeſimo Iliados. Ille hiatans herbam moribundo ore. Laberius

quoque

quoque in Tauro paſſiuum enūciauit. Hiatantur fores, inquit. pro eo ſanè quod eſt hiatant, id eſt, patent: ut hæc eſt, Vacca ænea. ſequentis enim dictionis initium, præcedens ultimā excipit uocalem, cum reprehendendo hiatu. Amœniſſime impendebant.] Supra oſtendit, ſimilem à ſimili uocalem excipi: hic, licet diuerſas, inconcinne tamen iungi. Hoc igitur docet Cicero, non tantum cauendum eſſe, ne præcedentis uerbi extrema uocalis, uocalem primā includat uerbi ſequentis: ſed ne quidem uocalium concurſus fiat, qui cū accidat, hiet & interſiſtat, & quaſi laboret oratio. Vt ſi dicas, ære emit, illi incūbit, in foro uel omnia ira impedit, tolerate omnia: ego erā: quod plenior fiat, ſtructiorq; iunctura, ſi conſonantes uocalibus applicentur, hoc pacto, ære mercatur, illi totus incumbit, in foro cætera impedit ira, omnia tolerate, erā ego. Peſſime tamen longæ, quæ eaſdem inter ſe literas cōmittant, ſonabunt. Præcipuus autem erit hiatus earum, quæ cauo aut maxime patulo ore efferuntur. e planior litera eſt, i anguſtior: ideoq; obſcurius in his uitiū. Minus peccabit, qui longis breues ſubijciet, & qui longæ præponet breuem. minima eſt in duabus breuibus offenſio. Nec tamen id omne ut crimen ingens expaueſcendum eſt. ac neſcio negligentia in hoc an ſolicitudo ſit peior: quando hic metus impetum dicendi inhibeat, & à potioribus auertat neceſſe eſt. Quia ut negligentiæ eſt pars, hoc pati: ita humilitatis, ubique perhorreſcere. Nec nos hæc ſolicitudo in uerbis potius quàm in rebus teneat occupatos, cum prius ſenſibus, deinde uerbis ordo tribuendus ſit: ut non tantum decore, ſed etiam uiribus impleatur oratio. Et nonnunquam hiulca decent, faciuntq; ampliora quædā, ut pulchra ratione acta oratio. Et ut Ciceronis potiſſimū uerbis utar: habet ille tanquam hiatus & concurſus uocalium molle quiddam, & quod indicet non ingratam negligentiam hominis, magis de re quàm de uerbis laborantis. Et ſi uitabimus eiuſdem literæ nimiā aſſiduitatem.] Cui uitio hic uerſus erit exemplo. nā hic nihil prohibet, in uitijs, alienis uti exemplis. O' Tite tute Tati tibi tanta tyranne tuliſti. & eiuſdem poetæ: Quidquam quiſquā quemque quiſque conueniat, neget. Et ſi eiuſdem uerbi aſſiduitatem nimiam fugiemus.] Ea eſt huiuſmodi: Nā cuius rationis ratio non extat, ei rationi ratio nō eſt aggerenda. Nec utemur cōtinue ſimiliter cadentibus uerbis, hoc modo: Flentes, plorantes, lachrymantes, obteſtantes. Verborū etiā traiectionem uitabimus, niſi quæ erit concinna: qua de re poſterius loquemur. quo in uitio eſt Cæcilius aſſiduus: ut in priore libro, Has res ad te ſcriptas luci miſimus Aeli. Fugiendā quoque illam iuncturam duxere aliqui, ubi antecedens uerbum in m literam terminet, ſequens à uocali incipiat: ut, bonū aurum, iuſtum enim eſt. Sed ego non uideo, cur in oratione tantopere damnetur: cum manifeſtum ſit, quoties ea litera ultima eſt, & ſequentis uerbi uocalis eam excipiat, parum exprimi, non tamen amoueri. ut Multum ille, & Quantum erat. Penè enim nouæ cuiuſdam literæ ſonum reddit. neque tamen eximitur, ſed obſcuratur. Conſonantes quoque uitandæ, & præcipue quæ ſunt aſperiores, in coniunctura uerborum, ut duo ſſ. uelut, Vas ſtudiorum. uel cum s litera clauduntur, ut Sextus Roſcius. uel cū s ultima, & x ſequentis initium eſt: ut fluuius Xanthus. & contra. Aut cū ultima eſt x, & ſequentis dictionis eadem prima. ut rex Xerxes. Eadē ratio de cæteris conſonantibus eſt, ſi nimium frequentes ponantur. ut, error Romuli Remum ſuſtulit. Videndū etiam, ne ſæpius iungantur ſimiliter concluſa. ut, O' fortunatā natam me conſule Romam. Item monoſyllaba plura male cōtinuabuntur. quia neceſſe eſt, cōpoſitio multis uerbis cōciſa ſubſultet. ut, Lex eſt quā rex uult. Ideoq; etiam breuium uerborū ac nominū uitanda continuatio. ut, Animal tenuis animæ mox moritur. Ex diuerſo quoque longorum: afferunt enim quandam dicendi tarditatem. ut, Munus naturæ fortunæ mortali conceſſa eſt. Item uidendum, ne totidem ſyllabarum multa uerba coniungantur. Denique, ut uno comprehendam uerbo, ſi omnibus quibus contexitur oratio uariabitur, probari poterit: ſi ſimiliter iungetur atque dicetur, ſciamus ab erudita aure improbari. cū nihil ſit quod æque nos delectet, quàm rerum uarietas: cōtra nihil magis faſtidimus, quàm rerum quarūcunque ſimilitudinē. hac maxime allicitur, hac mens humana uoluptate trahitur. Repetitionibus uero, niſi nimia ſint (nā ubique uitioſum, quod nimiū eſt) inflammatur. Hinc etiā eſt, quod numeros uariari in oratione Rhetores præcipiunt, nec uno unquā clauſulas plures numero concludi, aut plura uerba uerbis, uel nomina nominibus cōiungere. Varietas ergo, ſi recte omnia conſideramus, una penè omniū oratoriarum uirtutū mater eſt: quæ late patet, & per innumeras uirtutes effunditur. contra ſimilitudo uitium eſt, omnia penè cōprehendens uitia. Id ergo in cauſa eſt, quod inquit. Et ſi uitabimus eiuſdem literæ nimiam aſſiduitatem.] O' Tite tute Tati tibi tanta tyranne tuliſti. uerſus hic fuit Ennij. Et ſi eiuſdem uerbi aſſiduitatem nimiam fugiemus.] In hoc tamen ſæpe etiam ipſe incidit Cicero, tam paruæ obſeruationis ſecurus: ſicut hoc loco. Non ſolum igitur iudiciū iudicij ſimile iudices non fuit. Et, ſi non utemur perpetuo ſimiliter cadentibus uerbis: nec tantū ſimiliter cadentibus, ſed et ſimiliter deſinentibus.] Nimiū frequenter inquit, non utemur, & eiſdem cōtinenter. Nā licet in aliquo loco laudis nomen habeant, ſi nimiū tamen affectata ſint, tædium generant: quando gratia uarietatis nō adiuuantur, ſed repetitionis uitio reprehenduntur. Et, ſi uerborum traiectionem uitabimus.] Subaudiendum, recte loquemur. Traiectionem.] Cum ſimiliter deſinentibus non cōtinenter poſitis, ſed uerbo interiecto uno aut pluribus, ludit oratio. ut in illo uerſu Cæcilij, Ad te ſcriptas luci (aduerbiū enim hic eſt Luci, hoc eſt cum primum diluculū emicuit) miſimus Aeli: Aeliū enim alloquitur. Item fugere oportet longā uerborū continuationem.] Periodon dicit, id eſt clauſulam, de qua paulo poſt tractabitur, tam longe euehi non oportere, ut & oratoris ſpiritum fatiget, cū ſpiritu uno debeat pronunciari, & auditoris etiam offendat aures. His uitijs in compoſitione uitatis.] Hæc fuerunt, inquit, uitia, quæ euitare hominem eruditum in compoſitione præcepimus. Nam ſicut rerum uitia ſunt, ſtultum, commune, contrarium, ſuperuacuum: ita corrupta oratio exiſtit, in uerbis maxime improprijs, redundantibus, comprehenſione obſcura, compoſitione fracta, uocum ſimilium aut ambiguarum & affectatione puerili, hoc eſt, ubi uerba ponas, quæ neque intellectum eius quod ſcribas iuuent, neque ornatum. Verborum exornatio eſt.] Quam Latini uerborum exornationem, Græci τρόπους dixerunt: ſicut ſententiarum exornationes, illi σχήματα nominarunt. In qua Cicero ſententia eſt, qui de Claris oratoribus, Sic uerborum, inquit, immutationibus utuntur, quos appellant tropos, & ſententiarum orationiſq; formis, quas uocant ſchemata: & cum Cicerone plerique, tam Græci quàm Latini. licet Quintilianus tropos ad compoſitionem etiam referat. quippe qui inquit: Tropus eſt uerbi uel ſermonis à propria ſignificatione in aliam cum uirtute mutatio. circa quem inexplicabilis & grammaticis inter ipſos, & philoſophis inter ipſos pugna eſt, quæ ſint genera, quæ ſpecies, qui numerus, quid cuique ſubijciatur. nos omiſſis quæ nihil ad inſtituendum oratorem pertinent cauillationibus, neceſſarios maxime, atque in uſum receptos exequemur. Nec in his iſta ſolum annotaſſe contenti, quoſdam gratia quoque ſignificationis, quoſdam decoris aſſumi, & eſſe alios in uerbis proprijs, alios in translatis, uertiq; formas non uerborum modo, ſed ſenſuum & compoſitionis ſimul dicimus. Quare mihi uidentur erraſſe, qui non alios crediderunt tropos, quàm in quibus uerbum pro uerbo poneretur. Voluit igitur Quintilianus tam tropos, quàm ſchemata uerborum & orationis figuras dici.

Repetitio eſt continenter & quæ ſequuntur.] Verborum figuras tractaturus Cicero, ab eis inchoat, quæ reiteratione uerborum fiunt. quarum quatuor ſpecies ponit, unam, quæ in principio, alteram, quæ in fine: tertiam, quæ utrobique: quartam, quæ indifferenter poſitum idem uerbum repetitur. ſed præter has, alias adhuc eſſe oſtendimus in eo libro, quem de figuris, quæ in ſyllabis, uerbis ſingulis, & oratione fierent, è Græco in Latinũ conuertimus. nam ecce & hæc inter ſe omnia differunt.

O' Corydon, Corydon, quæ te dementia cepit? &,
Mater Cyrene mater, quæ gurgitis huius Ima tenes.

Hoc ultimo loco poſitũ, miſerãdi eſt. è diuerſo ſimiliter collocatũ,

Solis, quin etiam ſolis tibi cura uidendi,
Sit potior,

Oſtendentis: plura uerba coniunguntur, ut,

Tu'ne duos una ſæuiſſima uipera cœna?
Tu'ne duos?

Poſt longiorem etiam interiectionem repetitio eſt: ut, Bona (miſerum me, conſumptus enim lachrymis, ut putabam, adhuc infixus in animo hæret dolor) bona inquam Cn. Pompeij, acerbiſſima uoci ſubiecta præconis. Ad exprobrandum etiam reiteratur uerbum: Viuis? ſed uiuis non ad deponendam, ſed ad confirmandam audaciam. Repetuntur item continenter plura, ſine ulla uerbi interiectione, ſed unius tantũ permutatione. quale illud Catuli eſt,

Mœcha putida redde codicillos,
Redde putida mœcha codicillos.

Aliquando primis ultima reſpondent: ut, Multi & graues dolores inuenti parentibus, & propinquis multi. Eſt & illud repetendi genus, quod ſemel propoſita iterat & diuidit, ſed ita, ut ordo permutetur. quale illud Virgilij.

Forte ſub arguta conſederat ilice Daphnis,
Compulerantq́; greges Corydon & Thyrſis in unum,
Thyrſis oues, Corydon diſtentas lacte capellas.

Hæc ἐπάνοδος Græce dicitur, noſtri regreſſionem uocant. In diuerſo ſenſu idem uerbum geminatur. ut, Principum dignitas erat penè par, non par fortaſſe eorum qui ſequebantur. In uariatis generibus fit reiteratio. ut, Magnus eſt labor dicendi, magna eſt res. In uariatis quoque caſibus. ut, Pater hic tuus? Patrem hunc appellas? patris tui filius es? hoc Græci πολύπτωτον uocant. Per rerum coniunctam diuerſitatem idem caſus, & aduerbia repetuntur. ut pro Cluentio: Quod autem tempus uindicandi? unde illa frequentia? per quem porro datum? unde ſumptum? quo peruenit interceptio poculi? cur non de integro datum? hanc μεταβολὴν uocant. Eſt & figurarum miſtura, in qua & primo uerbo, longo poſt interuallo redditũ eſt ultimum. & media primis, & medijs ultima congruunt: quale illud eſt Ciceronis, Veſtrum iam hic factum reprehenditur Patres Conſcripti, non meum: ac pulcherrimum quidem factum, uerum (ut dixi) non meum, ſed ueſtrum. hanc πλοκὴν uocant. Congeruntur etiam in unum multa, & diſperſa, quæ à Cicerone diſſipata in Oratore dicuntur. ut, Hic ſegetes, illic ueniunt felicius uuæ,

Arborei fœtus alibi.

Contentio eſt.] Sanè ſicut ex his figuris aliquæ frigidius in oratione leguntur, uelut ea quam traductionem ipſe nominat, Græci autem ἀντανάκλασιν, ut cum dicis, Amare iucundũ eſt, ſi curetur ne quid inſit amari, Auium dulcedo ducit ad auiũ: ita aliquæ nihil penè inter ſe differunt, uelut habet quæ hic contentio uocatur. Ab ea uero quam paulo poſt nominat, contrariam Græci συνοικείωσιν uocant, quod diuerſas res colligat. ut, Tam deeſt auaro quod habet, quàm quod non habet. Hanc uero Græci ἀντίθετον, quidam contrapoſitum nominarunt: quæ ne ipſa quidem uno fit modo. Nam fit, ſi ſingula ſingulis opponuntur: ut, Vicit pudorem libido, tim[...]rem audacia. & bina binis: Non noſtri ingenij eſt, ueſtri auxilij eſt. & ſententiæ ſententijs: Dominetur in concionibus, iaceat in iudicijs. Huic etiã commodiſſime ſubiũgitur ea ſpecies, quã diſiunctionem appellat Quintilianus: ut, Odit porro priuatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit. & quæ ſunt ſimili caſu, diſſimili ſententia in ultimo locata: ut, Quid in tempore mali fuit, nihil obſit, quin quod in cauſa boni fuit, proſit. Aliter contraponitur, cum dicitur, Eſt igitur iudices non ſcripta, ſed nata lex. & ſicut dicit Cicero, ſingulis rebus propoſitis, cum refertur aliquid ad ſingula: ut in hoc, Quam non didicimus, ſed accepimus, nõ legimus, uerum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus. Eſt aliquid auerſum, quod non contraponitur. quale eſt apud Rutilium: Nobis primis Dij immortales fruges dederunt, nosq́; ſoli accepimus, in omnes terras diſtribuimus. Fit etiã poſt has, illa figura, quæ uerba flexa repetit, & ἀντιμεταβολὴ dicitur: Non ut edam uiuo, ſed ut uiuam edo. Eſt etiam in figuris ſententiarum contentio, ſed de ea ſuo loco dicemus. Exclamatio eſt.] Sanè tenuis illa differentia eſt, quam faciunt Græci inter id, quod apud eos προαναφώνησις, à noſtris exclamatio: & id, quod apud illos ἐπιφώνησις uel ἐπιφώνημα, à noſtris acclamatio. Proanaphoneſin enim uocant, rei quæ fieri debuit exclamationem. uelut illud Virgilianum:

O' terq́; quaterq́; beati,
Quis ante ora patrum Troiæ ſub mœnibus altis
Contigit oppetere: ò Danaum fortiſſime gentis
Tydide, me'ne Iliacis occumbere campis
Non potuiſſe, tuaq́; animam hanc effundere dextra?

Epiphonema autem uel epiphoneſis eſt, rei (ut dicunt) narratæ uel probatæ ſumma acclamatio. ut eiuſdem,

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Sed Quintilianus ambas potius ſententiæ figuras, quàm uerborum putat: ſiquidem ſunt affectus. Interrogatio enim omnis grauis eſt.] Nam noſcendi cauſa interrogatur. ut,

Sed uos qui tandem, quibus aut uenistis ab oris?

Idq́; figura caret. Figuratum autem, quotiens non ſciſcitandi gratia aſſumitur, ſed inſtandi. quale eſt. quid enim tuus ille Tubero diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? Et, Quouſque tandem abutere Catilina patientia noſtra? patere tua conſilia non ſentis? & totus denique hic locus. Quanto enim magis ardet, quàm ſi diceretur: diu abuteris patientia noſtra, &, patent tua conſilia. Interrogamus igitur quod negari non poſſit, aut ubi reſpondendi difficilis ſit ratio: ut uulgo uti ſolemus, qui fieri poteſt? aut inuidiæ gratia, aut miſerationis. ut Sinon apud Virgilium:

Heu quæ me tellus, inquit, quæ me æquora poſſunt
Accipere? aut inſtandi & auferendi. ut Aſinius,

Audis'ne? furioſum, inquam, non inofficioſum teſtamentum reprehendimus. Totum hoc plenum eſt uarietatis, & indignationi conuenit. ut:

Et quiſquam numen Iunonis adoret?

Et admirationi:

Quid non mortalia pectora cogis?
Auri ſacra fames?

Eſt interdum acrius imperandi genus,

Non arma expedient, totaq́; ex urbe ſequentur.

Eſt item aliqua in reſpondendo figura, cum aliud interrogati, ad aliud quod utilius ſit occurritur, augmentandi criminis cauſa. ut ſi rogatus, an ab reo fuſtibus uapulaſſet, de innocentia reſpondet. Aliquando declinatur. ut ſi quæro, num occideris hominem: & reſpondetur, latronem: ſi an fundum occupaueris, reſpondetur meum: tanquam confeſſionem præcedere debeat defenſio. ut apud Virgil. in carmine Bucolico:

Non'ne ego te uidi Damonis peſſime caprum
Excipere inſidijs? Occurritur,

An mihi

An mihi cantando uictus non redderet ille ?

Huic diuerſum eſt, cum alium rogaueris non expectare reſponſum, & ſtatim ſubijcere: ut, Domus tibi deerat ? at habes. pecunia ſuperabat ? at eges, quam figurã quidã aggeſtionem uocãt. Ficta uero interrogatione utemur. ut, hæc igitur eſt tua diſciplina ? ſic tu inſtituis adoleſcentes? Et ipſi interdum noſmet interrogamus. quale eſt illud Terentij, Horatij, pariter & Perſij. Quid igitur faciam ? Cæterum & interrogandi ſeipſum, & reſpondendi ſibi, ſolent eſſe nõ ingrata uices. ut Cicero pro Ligario: Apud quem igitur hæc dico? nempe apud eũ, qui cũ hæc ſciret, antequam uidit me, reipub. reddidit. Hanc figuram Cicero ratiocinationem uocat: niſi quod in ratiocinatione ſubiungendam neceſſario arbitratur rationem. quæ non multum differt ab ea figura, quã paulo poſt tractans, ſubiectionem nominauit. Sententia eſt oratio ſumpta de uita, quæ aut quid ſit: & quæ ſequũtur.] De ſententia longius tractans Quintilianus: Sententiam, inquit, ueteres, quod animo ſenſiſſent, uocauerunt. Id cum eſt apud ueteres frequentiſſimum, tum etiam in uſu quotidiano quaſdam reliquias habet. Nam & iuraturi ex animi noſtri ſententia, & gratulantes ex ſententia dicimus. Non raro tamen locuti ſunt, ut ſenſa ſua dicerent. Nam ſenſus eſſe corporis uidebantur. ſed conſuetudo iam tenuit, ut mente concepta, ſenſus uocaremus: lumina autem, præcipueq; in clauſulis poſita, ſententias. Hæc minus crebra apud antiquos, noſtris temporibus modo carent. Ideoq; mihi de generibus cauſarum, & de uſu arbitror pauca dicenda. Antiquiſſimæ ſunt, quæ propriè (quamuis omnibus unum nomen ſit) ſententiæ uocantur, quas Græci γνώμας appellant. Vtrunque autem nomen ex eo acceperunt, quòd ſimiles ſunt conſimilibus. Eſt autem hæc uox uniuerſalis, quæ etiam citra complexum cauſæ poſſit eſſe laudabilis. Interim ad rem tantũ relata: ut, Nihil eſt tam populare, quàm bonitas. interim ad perſonam, quale eſt Afri Domitij: Princeps qui uult omnia ſcire, neceſſe habet multa cognoſcere. Hanc quidam partem enthymematis, quidam initium aut clauſulam epichirematis eſſe dixerunt: & ſi aliquando, non tamen ſemper. Illud uerius eſt, eam aliquando ſimplicem, ut ea quæ ſupra dixi. aliquando ratione ſubiecta, ſic: Nam in omni certamine qui opulentior eſt, etiam ſi accipit iniuriam, tamen quia plus poteſt, facere uidetur. nonnunquam duplicem: Obſequium amicos, ueritas odium parit. Sunt etiam, qui decem genera fecerunt: ſed eo modo, quo fieri uel plura poſſunt. per interrogationem, per cõparationem, inficiationem, ſimilitudinem, & cætera huiuſmodi. per omnes enim figuras tractari poteſt. Illud notabile ex diuerſis: Mors miſera non eſt, aditus ad mortem eſt miſer. A' recto quidem ſunt tales: Tam deeſt auaro quod habet, quàm quod non habet. Sed maiorem uim accipiunt ex mutatione figuræ: Vſque adeo'ne mori miſerum eſt ? & per tranſlationem. acrius enim hoc, quàm per ſe: Mors miſera non eſt, aditus ad mortem eſt miſer. A' communi ad proprium. nam cum ſit rectum, nocere facile eſt, prodeſſe difficile: uehementius apud Ouidium Medea dicit, Seruare potui, perdere an poſſim rogas ? Vertit ad perſonã Cicero: Nihil habet Cæſar nec fortuna tua maius quàm ut poſſis, nec natura melius quàm ut uelis ſeruare complurimos. ita quæ erant rerum propria, fecit hominum. In hoc genere cuſtodiendum eſt & id, quod ubique ne crebræ ſint, ne palàm falſæ (quales frequenter ab his dicuntur, qui hæc νοήματα uocant, & quidquid pro cauſa facere uidetur, quaſi indubitatum pronunciant) ac ne paſſim à quocũque dicantur. Magis enim decet eos in quibus eſt auctoritas, ut rei pondus etiam perſona confirmet. quis enim ferat puerum, aut adoleſcentulum, aut etiam ignobilem, ſi iudicet in dicendo, & quodammodo præcipiat ? Enthymema quoque eſt, quod omnes mente concipimus. propriè tamen dicitur, quæ ſententia eſt ex contrarijs: propterea quòd eminere inter cæteras uidetur, ut poeta Homerus, urbs Roma. De hoc in argumentis ſatis dictum eſt. Non ſemper autem ad probationem adhibetur, ſed aliquando ad ornatum. ut pro Ligario: Quorum igitur impunitas Cæſar tuæ clementiæ, laus eſt, eorum ipſorum te ad crudelitatem acuet oratio ? Eſt & epiphonematis (de qua figura ſupra dictum) clauſula quædam, quæ ſententia appellatur, Græce νόημα. qua uoce omnis intellectus accipi poteſt. Hoc nomine donarunt ea, quæ non dicuntur, uerũ intelligi debent. ut, Quare prius de noſtro facto fateamini neceſſe eſt, quàm Ligarij culpam ullam reprehendatis. & ut Vibius Criſpus in eum, qui cũ loricatus in foro ambularet, Quis tibi ſic timere permiſit ? Melior cum contrarijs ualet: Quem fugiam habeo, quem ſequar non habeo. Qui quidem miſer cum loqui nõ poſſet, tacere nõ poterat. Si quis autem quæ in hac parte uitioſe dicantur, ſcire procurat, totum eum locum Quintiliani legat. Nobis, quæ rectè prudenterq; dici poſſint, ſufficiat decurriſſe: ſiquidem fruſtra (ut opinor) admonebimus, ſi quis iudicio careat, ut uitioſa uitet: ſin autem acris fuerit iudicij admonere nõ opus eſt, cum quid & ubi conueniat, ſatis ipſe per ſe iudicaturus ſit. qui ſi non ſtultus ſit, ne nimius quidem in his quoque in oratione inſerendis, erit. Quiſque enim non imprudens ſatis intelliget, uenuſte omnia poni, quæ generaliter rem aliquam complexa, ſuo loco, & ut decet, collocentur: ſecus, ſi uitioſe. Nunquã uero generaliter, quod particulariter dictũ eſt, intelligatur. Sed ad Ciceronem redeo. Contrarium, inquit, idem ferè eſt quod contentio.] Hanc autem Celſus Viſelius & Rutilius Lupus, referente Quintiliano, ἀντίθετον nominarunt. ut talis eius ſit forma, qualis eſt pro Muræna: Vigilas tu de nocte, ut tuis conſultoribus reſpondeas: ille ut eò quo tendit, maturè cum exercitu perueniat. te gallorum, illum buccinarum cantus exſuſcitat. Membrum orationis appellatur res breuiter abſoluta.] Quod Græci κῶλον, nos membrum: quòd illi κόμμα, Latini inciſum: quod illi ipſi περίοδον, noſtri ambitum, circuitum, comprehenſionem, continuationem, circunſcriptionem nominarunt. Colon, ſiue membrum, quidam apud poetas putant, quoties ex integro pede in uerſu nihil ſupereſt. Alij, quotquot partes orationis in uerſu fuerint, tot cola dici uoluerunt. Cum autem ſupereſt ex pede comma, id etiam inciſum, ſiue cæſuram dici uoluerunt. Fit autem, ut Diomedes inquit, ex coniugatione uerborum comma, ex commatis colon, ex colis periodos. Comma eſt, uelut Probus & Diomedes ſcribunt, iuncturæ finitio: Et ſi uereor iudices. Item alterum comma: Ne turpe ſit pro fortiſſimo uiro dicere incipientem timere. Iam factum eſt colon, quod intellectum ſui præſtet. ſed tamen à toto corpore abruptum, & per ſe nihil efficiens, ac remotum à cæteris, uim non habet. ut per ſe manus & pes & caput & os, ſeiunctim corpus non eſt: cum autem hæc ſimul ſunt, tunc eſſe corpus incipit. Ita cum uenit extrema concluſio, etiam abſoluta eſt periodos. uelut cum ſubiungit Cicero: Et priſtinum morem iudiciorum minime referunt. Itaque ſi duo cola habeat periodus, dicolos: ſi tria, tricolos, & ſic deinceps nominatur. Quintilianus autem, Inciſum, inquit, (quantum mea fert opinio) erit ſenſu non expleto, ſed numero ſaltem concluſum, pars uidelicet membri. tale eſt enim quo Cicero utitur: Domus tibi deerat ? at habes. pecunia ſuperabat ? at eges. Fit autem etiã ſingulis uerbis. Quid inciſum eſt, diximus. Membrum autem eſt, ſenſus membris concluſus, ſed à toto corpore abruptus. ſic, ò callidos homines. perfectum membrum, ſed remotum à proximo, uim non habet: Quem quæſo noſtrum fefellit ? id uos ita eſſe facturos. Itaque ferè inciſa & membra mixta ſunt, & concluſionem utique deſiderant. Periodorum duo ſunt genera: alterũ ſimplex, cũ ſenſus unus longior eſt, & ambitu circunducitur: alterum, quod membris cõſtat inciſiſq;, quæ plures ſenſus habent: ut, Aderat ianitor carceris, et carnifex prætoris. reliqua habet periodus membra quatuor. Sed, ut mihi uidetur, recipit frequenter &

plura. Modus ei à Cicerone eſt aut quatuor ſenarijs uerſibus, aut ipſius ſpiritus modo terminatus. Præſtare uero debet ſenſum periodus, concludat, ſit aperta ut intelligi poſſit, non immodica, ut memoria contineri poſſit. Vbicunque acriter erit, & inſtanter, pugnanterq́; dicendum, membratim cæſimq́; dicemus. nam hoc in oratione plurimum ualet. Adeoq́; rebus accommodata debet eſſe compoſitio, ut aſperis aſperos etiam numeros adhiberi oporteat. Et cum audientem inhorreſcere uoluerimus, membratim plerunque narrabimus, aut ipſas periodos maioribus interuallis, & uelut laxioribus nodis reſoluemus. exceptis, quæ non docendi gratia, ſed ornandi narrantur: ut in Verrem, Proſerpinæ raptus. hic enim lenis & fluens contextus decet. Periodus apta proœmijs eſt maiorum cauſarum: ubi ſollicitudine, commendatione, miſeratione res eget. Item cōmunibus locis eſt augenda, cum ratio iubet. ut ſit auſtera, ſi accuſes: tum fuſa, ſi laudes. multum & in epilogis pollet. Hiſtoria quoque non tam finitos numeros, quàm orbem quendam uerborum contextumq́; deſiderat. namque omnia eius membra connexa ſint: maxime quoniam lubrica eſt ac fluis talis oratio, propter rerum ipſarum copiam. Articulus dicitur.] Hæc figura à Græcis ἀσύνδετον, à Latinis diſſolutum dicta. Ea utimur non ſingulis modo uerbis, ſed etiam ſententijs, ut Cic. dicit contra concionem Metelli: Qui indicabantur, eos uocari, cuſtodiri, ad ſenatum adduci iuſſit. Apta, cum quid inſtantius dicitur. hoc genus quidam βραχυλογίαν uocarunt. Contraria huic figuræ πολυσύνδετον, hoc eſt, eiſdem ſæpius coniunctionibus repetitis: ut, Tectumq́; laremq́;.

Armaq́;, Amyclæumq́; canem, Creſſamq́; pharetram.

Vel diuerſis: ut,

Multa quoque & bello paſſus.

Item ſi plura ſimul ſunt pronomina, ut:

Hic illum uidi iuuenem.

Continuatio eſt.] Continuationem periodon dicit, de qua ſupra abunde dictum. Nam ſi quis ſpei non multum.] Hæc enim contraria ſunt, & quod ſpem in caſu non collocarit, & quod caſus obeſſe poſſit. Frequentibus efferat uerbis.] Id eſt, continuatis ac fluentibus. Sed pro alijs.] Alio tempore. Nonnunquam non alienum eſt.] Ordo eſt & ſenſus, ſed aliàs quoque (ſubaudiendum quod diximus) ſeruandum hoc nunnunquam. Non enim alienum eſt, eloqui res aliquas, hoc eſt, ornatus tantum cauſa ſic efferre: propterea quòd eloquentia ſpectatur per huiuſmodi continuationes. licet alioqui minime neceſſe ſit. Cópar appellatur.] Genus aliud eſt periodi, quod ex paribus cōponi membris diximus, quæ membra ſe ſyllabis excedere non debent, inter ſe conuenire debent: uel certe una atque altera tantum excedere, non autem pluribus. Hoc non de noſtra enumeratione fiet.] Vt nos ſyllabas dimetiamur, ſed audientium iudicio pares uideantur. Vſus & exercitatio facultatis.] Afferet cauſam: hoc eſt, cum exercitati fuerimus, exercitatio ipſa præſtabit cauſam, ut ſine labore eis utamur. ſed hæc membrorum continuatio compar, non magis figura dici uidetur, quàm idonea compoſitionis quædam animaduerſio. Similiter cadens.] ὁμοιόπτωτον dicitur, hoc eſt, caſus tantum ſimilis. poſſint tamen, etiam ſi diſſimilia ſint, quæ ſaltem declinentur, ita iungi, nec tantum in fine hæc figura deprehenditur, ſed & cum reſpondent uel prima ſibi, uel media, uel extrema, uel etiam permutata. Sed hic media primis & ſumma medijs accommdentur, & quocūque modo accommodari poterunt. nec enim ſemper paribus ſyllabis cōſtant: ut, Artes honeſtæ & præſidio inter pericula, ſolatio inter aduerſa, pretio ſemper ſunt. Huius generis ferè uidentur optima, in quibus initia ſententiarum & fines conſentiunt, ut hic præſidio, ſolatio, pretio. Et cum ὁμοιόπτωτον ἰσόκωλον eſt, uelut illic: Si quantū in agro locisq́; deſertis audacia poteſt, tantum in foro atque iudicijs impudentia ualeret. Item Ariſtoteles dixit, eius eſſe uitam beatiſſimam, cuius & fortuna ſapientia, & ſapientiæ fortuna ſuppeditet. & illud, In rebus aduerſis cum præſto eſt conſiliū, non poteſt deeſſe auxilium. Similiter deſinens eſt.] Hoc Græci ὁμοιοτέλευτον uocant, ſimilem duorū uerborum uel plurium finem habens: ut, non modo ad reipub. ſalutem uiolentia huius extinguenda, ſed etiam ad gloriam per tales uiros eſt infringenda: &, nam reſpub. noſtra ad hunc ſtatum gloriæ peruenit non multitudine hominum, ſed ſeueritate legum. Item, neque in deliberando conſilium, neque in præliando uirtus, neque in beneficio benignitas deerat, ſed duntaxat in ſupplicio crudelitas. Nam cum aliqua res dubia accidiſſet, apparebat ſapientiſſimus, cum autem confligendum eſſet cū hoſtibus, fortiſſimus: cum uero præmium dignis tribuendum, liberaliſſimus: at cum animaduertendū, clementiſſimus. Ita quæ ſequuntur. nam qui ſecundis rebus libenter aſſentiuntur, ijdem ſimulac ſe fortuna conuerterit, amicis primi inſidiantur. Huic ſimile eſt, quod Græci πάρισον uocant, ut non tantum clauſula ſimiliter cadat, ſicut ὁμοιοτέλευτον, ſed etiam è membris ſit non diſſimilibus: ut, Quantum poſſis, In eo ſemper experiri debes, ut proſis. & illud, In hac calamitoſa fama, quaſi in aliqua pernicioſiſſima flamma. quod à traductione non multū differt. Agnominatio eſt, cum ad idem uerbum.] Hanc figurā Græci παρονομασίαν uocant. eamq́; Plutarchus ita definit, παρονομασία ἐστὶ λόγος παρὰ τὸ ὠνομασμένον, ἕτερον ἐμφερὲς ἐντιθείς. ut ſi dicas, Neminem alteri poſſe dare matrimoniū, niſi penes quem ſit patrimonium. item ſeruire ſeruitutem, in ſtabulo ſtabulari, putat Plutarchus eſſe paronomaſiam. quod tamen Cicero negat. inquit enim, ad res diſſimiles ſimilia uerba accommodari debere. Venit à te, antequam Romam uenit.] Attenuatur litera, quia uenit æ diphthongon habet pro uenditus eſt, & debuit poni uenije, alterum uero uerbū minus habet una litera. Hunc auium dulcedo.] Nam auis primā corripit, auius eandem producit. Quam curiam.] Meretricis propriū, quæ primam corripit. nam alioqui curia producitur. Propertius.

Curia prætexto quæ nunc nitet alta ſenatu.

Vitæ ſe.] Honeſtæ ſcilicet uita tradidiſſet ſe, & non interijſſet. Verū homini gnauo.] Νάνους græci uocauere, breui atque humili corpore homines, pauluműq́; extantes. Sed melius legitur, nauo nauū. prudentē uero ſic dixere ueteres: unde ignauū, inertem. Cur uenlā qui ſim.] Vbique ſubaudiendum, breui cognoſcetis. Quem inſimulem.] Incuſem. Inſimulo & inſimulor, ſicut fabrico & fabricor, aſſentio et aſſentior. Quē poſtulem.] Petimus precario, poſtulamus iure. Q. Curtius de rebus geſtis Alexandri: Poſtulabat autem Darius magis, quàm petebat, ut accepta pecunia quantacunque, totam quidem Macedoniā caperet, matrem uero ſibi & cōiugem liberosq́; reſtitueret, de reliquo regno æquo ſi uellet marte cōtenderet. Aliquando petere, inuadere: ut, peto te gladio. Virgil.

Malo me Galatea petit, laſciua puella.

Et peto, eo: ut Curtius, Indiam inde & Oceanum petiturus. Poſcimus autem imperioſe. Iuuenalis,

Sed penſio clamat, Poſce. Pro eodem etiam depoſco capitur. Curtius: Et manantibus præ gaudio lachrymis, conſalutant eum & quod ante recuſauerant bellū feroces depoſcūt. Flagitamus uero, & efflagitamus, cum idem ſæpe & multum petimus. Cic. Qui efflagitaſti quotidiano conuitio, ut libros, quos ad Marcellum meum de inſtitutione oratoria ſcripſeram, iam emittere inciperem. Indigna nex.] Crudelis interitus. nex, mors uiolenta. Caio Graccho.] Qui Tiberij frater, propter legem agrariā, hoc eſt de agris diuidundis latam, ſimiliter occiſus eſt. Populi Romani amantiſſimū.] Quod ut ſibi populum Romanum conciliaret, occupatos per Italiam à ditioribus agros, diuidi populo uoluit. Sed cum è roſtris

& è

& è foro ſe proripuiſſet, prope portam urbis interfectus eſt. Licet quidam in ſyluã effugiſſe dicant, & ſeruo mandaſſe, ut ipſum gladio perimeret. Saturninum fide captum.] Nam cũ hunc & Glauciam, qui in capitolium profugerãt, Marius ex ſenatuſcõſulto obſediſſet, dediſſetq; fidem ut libere egredi poſſent, ſeruata fides eſt Glauciæ. Apuleius autem Saturninus cum in curiam fugeret, tegulis necatus eſt. Ordo eſt uerborum, Perfidia malorum per ſcelus priuauit uita Saturninum. Captum.] Id eſt, deceptum: ſi tamen ita hic textus habet. Nam uideo quoſdam aliter habere: ueruntamen mendoſe aliqua. ſed de uerbis, ubi minimum eſt pondus, parua mihi cura eſt. Tuus ò Druſe ſanguis.] M. Liuium Druſum genere & eloquentia magnum, & grauem, cum de repub. diceret, tribunum pl. Itali exorarunt, & legem promulgaret, qua ciuitate Romana donarentur. Quod cum feciſſet, in ſenatu maieſtatis accuſatus eſt. cumq; domum ſe reciperet, immiſſo inter turbam percuſſore corruit. Inuidia cædis apud Philippum & Cepionem fuit. Alij ſcribunt, cum in publicum prodire non auderet, & domi ius diceret, ueſperi uero turbam dimitteret, repente tum ipſum exclamaſſe: mox à domeſticis auditum, ſed ſtratum inuentum, gladio uidelicet ſutoris cuiuſdam traiectum fuiſſe. Subiectio eſt.] Huius ſupra meminimus. Deinde ſubiecimus id quod oportet dici.] Velut ipſe in Verrem: Quid deinde? quid cenſetis furtum fortaſſe, aut prædam aliquam. deinde cum diu ſuſpendiſſet iudicum animos ſubiecit, Quod multo eſſet improbius. hanc Celſus, ſuſtentationem uocat, quidam παράδοξον id eſt inopinatum: alij πύσμα uocant. Gradatio eſt in qua.] Gradatio quæ græce κλίμαξ dicitur, apertiorem habet artem, & ut Quintilianus inquit, magis affectatam: ideoq; eſſe rarior debet. Eſt autem ipſa quoque cum adiectione. repetit enim quæ dicta ſunt, & priuſquam ad aliud deſcendat, in prioribus reſiſtit. uelut illud Calui: Non ergo magis pecuniarum repetundarum quàm maieſtatis, neque maieſtatis magis quàm Planciæ legis, nec Planciæ legis magis quàm ambitus, neque ambitus, magis quàm omnium legum iudicia perierunt. Inuenitur & apud poetas. uelut hoc:

Ioue propagatus eſt, ut perhibent, Tantalus.
Ex Tantalo ortus Pelops, ex Pelope autem ſatus
Atreus, qui noſtrum porro propagauit genus.

Et apud Homerum de ſceptro, quod à Ioue ad Agamemnonem uſque deducit, inquiens.

Ἀνὰ δὲ κρείων Ἀγαμέμνων
Ἔστη σκῆπτρον ἔχων. τὸ μὲν Ἥφαιστος κάμε τεύχων,
Ἥφαιστος μὲν δῶκε Διὶ Κρονίωνι ἄνακτι.
Αὐτὰρ ἄρα Ζεὺς δῶκε διακτόρῳ ἀργειφόντῃ.
Ἑρμείας δ' ἄναξ δῶκε Πέλοπι πληξίππῳ.
Αὐτὰρ ὁ αὖτε Πέλοψ δῶκ' Ἀτρέϊ ποιμένι λαῶν,
Ἀτρεὺς δὲ θνῄσκων ἔλιπε πολύαρνι Θυέστῃ.
Αὐτὰρ ὁ αὖτε Θυέστ' Ἀγαμέμνονι λεῖπε φορῆναι.

Definitio eſt.] Hanc Græcorum plerique ὁρισμὸν uocãt. uerum cum multis modis fieri ſoleat, in commentarijs Topicorum Ciceronis de eis abunde tractauimus. Sed nec de Oratore, nec in Oratore hanc inter figuras Cicero poſuit. Correctio eſt quæ tollit.] Correctionem Quintilianus putat, ſi dicas, crudelitatis mater eſt auaritia. & cum Saluſtius in Ciceronem inquit, O' te Romule Arpinas, qui egregia uirtute omnes Paulos, Fabios, Scipiones ſuperaſti. Sed ea uidetur, potius Ironia dici. Cic. exiſtimat correctionem, ut cũ dicit Saluſtius. At huic fides inſignis ac uirtus eſt animi: imo uero homo leuiſs. ſupplex inimicis, amicis contumelioſus. Rogaſſet, imo innuiſſet.] Significaſſet. à Græco uerbo νεύω, noſtri fecerunt annuo, innuo, nutare, uitare, quæ inter ſe ita differre ueteres uoluerunt, ut Nonius Marcellus inquit, ut nutare capite ſit, annuere uel innuere, narium aut labiorum, uitare oculorum. Plautus in Aſinaria: Nec illa ulli homini nutet, nitet, annuat. Eſt.] Contingit aliquando, cum non eſt ſatius, id eſt melius, ac non præſtet, ut ſubiectio grauioris uerbi id oſtendat quod leue uerbum per ſe poſitum demonſtrare potuit. Ad id uerbum deueniſſes, quod electiſſimum eſt.] Tantum uerbi gratia, quod electiſſimum ſit. Occupatio eſt.] Hanc quidam præſumptionem, græci πρόληψιν nominarunt, cum id quod obijci poteſt occupamus. Diſiunctio eſt.] Hæc figura eſt, cum multa uerba ponuntur, quorum ſingula ſuum nomen ad quod referuntur, habent. διάλυτον dicta. quæ ſimilis illi eſt, quam paulo poſt diſſolutionem nominat. Coniunctio.] Hæc ἐπεζευγμένον uocatur. in qua unum ad uerbum plures ſententiæ referuntur: quarum unaquæque deſideraret aliquid, ſi ſolæ ponerentur. id accidit aut præpoſito uerbo, ad quod reliqua reſpiciant: ut, Vicit pudorem audacia, rationem amentia. aut illato, quo plura includuntur: ut, Neque enim is es Catilina ut te aut pudor à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio à furore reuocare poſſit. medium quoque poteſt eſſe, quod & prioribus & ſequentibus ſufficiat. horum igitur duas Cicero facit figuras, & ſingulorum exempla ſubiecit. Conduplicatio.] Hæc Græce ἐπανάληψις dicitur. hanc ſupra tractauimus, ubi de epanaphora & anadiploſi dictum eſt. Interpretatio.] Hanc Græci πολύτελον uocant. Commutatio.] Hanc exornationem ἀντιμεταβολὴν nominant. Permiſſio.] Hoc genus è fonte eius, quam παράδοξον uocant, deduci Quintilianus docet. hanc quidam ἀντιπαραγωγὴν nominarunt. Dubitatio eſt.] Hanc græci exornationem διαπόρησιν uocant: ut, Siue malitiam ſiue ſtultitiam dicere oportet. Et illud Hieronymi contra Heluidium de uirginitate uirginis Mariæ: Doleam'ne, an rideam? neſcio ſi imperitiæ arguã, an temeritatis accuſem? Item apud poetas, ut apud Statium in primo Thebaidos,

Quem prius Heroum Clio dabis?

Expedit.] Hanc græcorum alij ἐπιτροχασμὸν, alij προσυπόδοσιν nuncuparunt, ubi ſingulis poſitis, ſingulorum ſtatim ratio ſubijciatur. Præciſio eſt.] Hæc à Græcis παράλειψις dicta, à qua abſimilis ea eſt quã ijdem ἀντίφρασιν uocant quidam, ut, Non agam tecum iure ſummo, non dicam quod forſitan obtinerem. & Cicero, Hoc ego ſi ſic agerem, tanquam mihi crimen eſſet diluendum, pluribus dicerem. ſimilis quoque eſt ea, quæ à græcis ἀποσιώπησις, à Cicerone reticentia, à Celſo autem obticentia dicitur, à nonnullis uero interruptio appellatur. ut,

Quos ego: ſed motos præſtat componere fluctus.

Eſt & alia reticentia, quæ fit imperfecto ſermone, cum eſt præciſa uelut ante legitimum finem oratio. quale illud eſt, Nimis urgeo, commoueri uidetur adoleſcens. ſed quid plura? ipſum adoleſcentem dicere audiſtis. Concluſio.] Hanc Græci συμπέρασμα nominant, ut, Quod ſi Danais datum erat oraculum, non poſſe capi Troiam ſine Philoctetæ ſagittis, &c. Plautus tamen in Bacchidibus tria protulit, ubi ne mentionem quidem ſagittarum Philoctetæ fecit. Inquit enim illic, Tria fuiſſe audiui fata, quæ illi forent exitio: ſignum ex arce ſi periiſſet, alterum etiam eſt Troili mors, tertium, cum portæ Scææ limen ſuperum ſcinderetur. niſi loquentis perſonam ita ſeruare noluerit, ut quid ipſe ſentiret, ponere non procuraret. Ha autem nihil aliud fecerunt, niſi Alexandrum perculerunt.] Nam cum finiri bellum in animo eſſet omnibus, ſigno dato dux duci occurrit, atque in ſe prælium conuerterunt. tum Philoctetes progreſſum Alexandrum laceſſiuit, conſenſu utriuſque partis, certaminis ſpatium definitum eſt, prior Alexander ſagittam in caſſum miſit, deinde Philoctetes. Sed hic ſiniſtram Paridis manum transfixit, mox clamãtis dolore nimio, dextrum oculum ſauciauit. inde fugientem

ſectatus, utrunque pedem eius Philoctetes tranſuerberauit. ipſumq; celeritate præuentum occupauit, occupatum gladio traiecit. Vt autem alij putant, ſagittis confecit. De quibus exornationibus nominatio eſt.] Hæc à Græcis ὀνοματοποιΐα uocatur. de qua inquit Quintilianus, onomatopeia quidem eſt fictio nominis, Græcis inter maximas habita uirtutes, nobis uix permittitur. & ſunt plurima ita poſita ab his, qui ſermonem primo fecerunt, aptantes affectibus uocem. Nam mugitus, & ſibilus, & murmur inde uenerunt. Nos, tanquam conſumpta ſint omnia, nihil generare audemus ipſi, cum multa quotidie ab antiquis ficta moriantur. Pronominatio eſt.] Hæc à Græcis ἀντονομασία dicitur. quæ aliquid pro nomine proprio ponit, poetis frequentiſſima. oratoribus etiamſi rarus eius, nonnullus tamen uſus eſt. Nam ut Tydidem & Peliden non dixerunt, ita dixerunt impium, & parricidam. euerſorem quoque Carthaginis & Numantiæ, pro Scipione: & Romanæ eloquentiæ principem pro Cicerone. & Romanæ poeſis auctorem maximum, pro Virgilio. Plagioſippus iſte tractauit.] ἀπὸ τῆς πληγῆς καὶ ἵππου. Sicuti cognomen, quod pro certo nomine collocamus.] Inter prænomen, cognomen, nomen, et agnomen, hanc Priſcianus facit differentiã, ut dicat prænomen eſſe, quod præponitur. nam nomen eſt proprium uniuſcuiuſque ſuum, ut Paulus. cognomen cognationis commune, ut Scipio. agnomen eſt, quod aliquo euentu imponitur, ut Africanus, Iſauricus. Licet Diomedes ſecus ſentiat: quippe qui, Prænomen (inquit) eſt, quod gentilitijs præponitur, ut Marcus Publius. Nomen proprie eſt gentilitium, id eſt quod originem familiæ uel gentis declarat, ut Portius, Cornelius. Cognomen eſt quod uniuſcuiuſque proprium eſt, & nominibus gentilitijs coniungitur, ut Cato, Scipio. ordinatur enim ſic, Marcus Portius Cato, P. Cornelius Scipio. Agnomen quoque eſt, quod extrinſecus cognominibus adijci ſolet, ex aliqua ratione uel uirtute quæſitum. huiuſmodi autem nominum ordinatio, ſicut Aemilius Claudius aſſerit, à græcis tracta demonſtratur: Priſciano tamen multi, ac haud ſcio an non omnes conſentiant. & Victorinus quoque id affirmat, inquiens: Fuit quoque nonnulla apud maiores noſtros prænominis ratio. nam & Quintum dixerunt, quod quinto fortaſſis loco natus eſſet, & Lucium ideo quod fortaſſe eſſet initio lucis exortus. Cognomen porro maiorum tractũ ex familia uel ſanguine, ut, Tullius, Cornelius. Nomen autem propriũ perſonæ eſt, ut Cicero Scipio. nam agnomen extrinſecus uenit: & uenit tribus modis, aut ex animo, aut ex corpore, aut ex fortuna. Ex animo, ſicut Superbus, Pius. Ex corpore, Craſſus, Pulcher. Ex fortuna, ſicut Africanus, Creticus. Hæc paulo longius recenſuimus, ne quis Diomedem ſecutus, hic proprium cognomen dictum exiſtimet: ac cum aliter hic ſenſiſſe Ciceronem uideat, quàm ille dicat, nonnihil hæreat. Denominatio eſt.] Hæc à Græcis μετωνυμία nominatur. Ab inuentore: ut, ſi quis de Tarpeio loquens, eum Capitolinum nominet.] Tarpeium nemus, & ſepulchrum Tarpeium, & dux Sabinorum, qui Tarpeiam occidit, ab ea ſic dicti ſunt, ut Propertius oſtendit in quinto Elegiarum ubi, inquit,

Tarpeium nemus, & Tarpeiæ turpe ſepulchrum
Fabor, & antiqui limina capta Iouis.

Inde concludit,

A' duce Tarpeio, mons eſt cognomen adeptus.

Qui ante Saturnius nominabatur. ut M. Varro, Mons, inquit, Tarpeius dictus à uirgine ueſtale Tarpeia, quæ ibi à Sabinis necata armis eſt, & ſepulta: cuius nominis monumentum relictum, quod etiam nunc eius rupes Tarpeium appellatur ſaxum. hunc antea montem Saturnium appellatum prodiderunt, & ab eo late Saturniam terram: ut etiam Ennius appellat. antiquum oppidum in hac fuiſſe Saturnia ſcribitur: eius ueſtigia poſtea manſerunt tria, quod Saturni fanum in faucibus: quod Saturnia porta, quam Iunius deſcribit: quod poſt ædem Saturni in ædificiorum parietibus, & poſticis muris, uerſus quidam eſſent ſcripti. Capitolium eum montem demũ, à capite illic (ut ferunt) inuento, nominarunt. Si quis igitur Tarpeium montem Capitolinum uocet, quod hoc nomen poſtea ſibi inuenerit, eſt (inquit) metonymia. Vt ſi quis pro uino Liberum, pro frugibus Cererem.] Quod fieri ſæpe ſolet. ut, Sine Cerere & Baccho friget Venus. Sariſſæ Græcia potitæ ſunt.] Sariſſa Macedonum lanceæ. Hoc enim nomine tela ſua eius gentis homines uocant. Vnde Lucanus,

Primi Pelleas arcu fregere ſariſſas.

Armatura tranſalpina depulſa eſt.] Quod qui trans alpes ſunt, omnes Galli nominentur, à colore lacteo dicti. ut Lactantius in tertio ad Probum uolumine: Galli, inquit, antiquitus à candore corporis gallore nuncupabantur, & Sibylla ſic eos appellat. quod ſignificare uoluit poeta, cum ait, Tum lactea colla, Auro innectuntur: cum poſſit dicere candida. Mars iſtud neceſſario te facere cogit.] Quod bello Mars præſit. & uelut eruditus ille eſt etiam ſermo, cũ dicitur, Vario Marte pugnatum eſt. & quale etiam illud eſt, Receptus

Terra Neptunus, claſſes aquilonibus arcet.

Et cum pro coitu, Venerem dicimus. Vt cum deſidioſam artem dicimus.] Velut etiam cum dicit Horat:

Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas,
Regumq; turres. & Vergilius,
Pallentes habitant morbi, triſtiſq; ſenectus.

Et orator præcipitem iram, hilarem adoleſcentiam, ſegne otium dicit. Armis Italia non poteſt uinci.] Huic ſimile, cum dicimus bene moratas urbes, & poculum epotum, & ſæculum felix. Poſſeſſio autem pro poſſeſſore ponitur. ut,

Iam proximus ardet Vcalegon.

Et cum hominem deuorari dicimus, cuius patrimonium conſumatur. hanc figuram inquit in Oratore Cicero, hypallagen Rhetores uocant: quia quaſi ſumuntur tantum uerba pro uerbis. grammatici autem Metonymiam, quod nomina transferantur. Circuitio eſt oratio.] Hæc græce περίφρασις nominatur, cum id quod uno aut paucioribus certe dici poteſt, uerbis pluribus explicatur. Periphraſim ergo uocamus circuitum eloquendi, quam circumlocutionem transferunt quidam: quod nonnunquam neceſſitatem habet, quoties dictu deformia operit. ut Plautus, Dico me ire quo ſaturi ſolent. ornatum item aliquando petit ſolum, qui apud poetas frequentiſſimus eſt. ut,

Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris
Incipit, & dono diuum gratiſſima ſerpit.

Hæc cum decorem habet, periphraſis: cum in uitium incidit, periſſologia dicitur. quoties autem auget, & non adiuuat, non tamen moleſta eſt, hyperbatos à græcis nominatur, id eſt uerbi tranſgreſſio, quam frequenter ratio comparationis & decoris poſcit. ut apud Ciceronem: Animaduerti iudices omnem accuſatoris orationem in duas diuiſam eſſe partes. Nam in duas diuiſam eſſe partes, rectum erat, ut & Quintilianus dicit. ſed durius poeta: licet etiam uerborum tranſgreſſionem, & diuiſionem faciant. ut, Septem ſubiecta trioni. quod oratio nequaquam recipit. Hæc incommodiſſime plerunque adhibetur exornatio. quod fiat aſpera, & dura, & diſſoluta, & hians oratio, ſi ad neceſſitatem ordinis ſui uerba redigantur, & proximis alligentur. nec tamen aliud poteſt ſermonem facere numeroſum, quàm opportuna ordinis mutatio. Sed ſicut optime (ut ita dicam) coagmentata ualde probatur, ita multis hyperbatis, & eiſdem confuſis longius diducta, reprehenditur oratio. Tranſgreſſio.] Hanc diximus græce ὑπέρβατον appellari. Peruerſione.] Peruerſionem dicit quam græci ἀναστροφὴν uocant. quidam reuerſionem latine nominarunt. eſt igitur anaſtrophe, cum duorum uerborum

ordo

ordo præpoſterus eſt . qualia uulgo , mecum , tecum , ſecum . Apud oratores & hiſtoricos decoris gratia conficitur . ut , quibus de rebus . Erit autem hyperbaton, cum longius uerbum ponitur . ut cum dicit hic Cicero, inſtabilis in iſtum plurimum fortuna uoluit : cum ſit ordo, inſtabilis fortuna. Quæ rem non reddit obſcuram.] Quod uitium Græci σύγχυσιν ὑπέρβατον uocant . In quendam extructa numerum .] Vt pedibus quibuſdam terminentur : de quibus abſoluto huius libri commentario mox tractabimus . Superlatio eſt .] Hæc eſt quam Græci ὑπερβολὴν uocant . Huius eſt uirtus, ex diuerſo quod par eſt augendi atque minuendi . fitq; pluribus modis . Aut enim plus facto dicimus : ſicut , Vomens fruſtis eſculentis , gremium ſuum & totum tribunal impleuit . &,

Geminiq; minantur
In cœlum ſcopuli .

Aut res propter ſimilitudinem attollimus : Credas innare reuulſos, Cycladas . aut per comparationem, ut Fulminis ocyor alis . aut quaſi quibuſdam ſignis,

Illa uel intactæ ſegetis per ſumma uolaſſet ,
Gramina , nec teneras curſu læſiſſet ariſtas.

Vel tranſlatione, ut Volat haſta Tago. Creſcit interdum hyperbole alia ſuperaddita, ut Cicero in Antonium . quæ Charybdis tam uorax, Charybdim dico, quæ ſi fuit aliqua, uno loco fuit : Oceanus mediusfidius uix, ut mihi uidetur, tot res, tam diſſipatas, tam diſtantibus in locis poſitas, tam cito abſorbere potuiſſet. Exquiſita uero figura huius rei deprehenditur apud principem lyricorum Pindarum . nanque Herculis imperium aduerſus Meropas, qui in inſula Choo dicuntur habitaſſe, nō igni, nec uentis, nec mari , ſed fulmini dicit ſimile fuiſſe . Et alia minora . Hoc autem diuinitus Cicero illa compoſuit in Verrem : Verſabatur in Sicilia longo interuallo , non Dionyſius ille , nec Phalaris (tulit enim illa quondam inſula multos & crudeles tyrannos) ſed quoddam nouum monſtrum ex uetere illa immanitate , quæ in hiſdem locis extitiſſe traditur : non enim Charybdim tam infeſtam nauibus , neque Scyllam , ut iſtum in eodem freto fuiſſe arbitror . Hæc pauciora ſunt minuendi genera . ut , Vix oſſibus hærent . Tum autem eſt hyperbole uirtus, cum res ipſa de qua loquendum eſt , naturalem modum exceſſit . conceditur'q; amplius dicere . quia melius ultra , quàm citra ſtat oratio , ueruntamen ſeruanda menſura eſt . nam licet ſupra fidem aliquid dicere conceſſum ſit , non tamen dici debet ultra modum . uidendum etiam eſt ne in κακόζηλον illud incidamus : ſed quouſque deceat extollamus . Cum enim nobis non creditur , prouenit ex ea ſæpe riſus . qui ſanè tum ſi aptus ſit, urbanitatis : ſin aliter, ſtultitiæ nomen aſſequimur. Ore ſermo melle dulcior.] Hoc Homericum eſt de Neſtore, de quo ſic inquit.

Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

Tantus erat in armis ſplendor , ut ſolis fulgore obſcurior uideretur.] Velut de Achille illud Homeri,

Αὐτὰρ ἔπειτα σάκος μέγα τε στιβαρόν τε
Εἵλετο , τοῦ δ' ἀπάνευθε σέλας γένετ' ἠΰτε μήνης .
Ὡς δ' ὅταν ἐκ πόντοιο σέλας ναύτῃσι φανήῃ
Καιομένοιο πυρὸς , τὸ δὲ καίεται.

Et apud Plautum miles glorioſus : Curate ut ſplendor meo ſit clypeo clarior , quàm ſolis radij , ut ubi uſus ueniat , iam conſerta manu perſtringat oculorum aciem in acie hoſtibus . Intellectio .] Hæc à Græcis συνεκδοχὴ dicta eſt . Variare ſermonem poteſt, ut ex uno plures intelligamus : à parte totum, à ſpecie genus , ex præcedentibus ſequentia , uel per contrarium omnia . & ea quidem liberiora ſunt poetis , quàm oratoribus. nam in proſa ut mucronem pro gladio , & tectum pro culmo recipit : ita non puppim pro naui, nec abietem pro tabellis. & rurſus ut tectum pro domo recipit : ita non pro ferro ſpiculum, non pro equo quadrupedem . Maxime autem in orando ualebit numerorum illa libertas . nam & Liuius ſæpe ſic dicit, Romanus prælia uictor , cum Romanos uiciſſe ſignificat . & contra Cicero de Claris oratoribus , Erat eo tempore nobis ſumma gracilitas & infirmitas corporis , procerum & tenue collum : cum de ſe tantum loqueretur . quod genus non orationem modo ornat , ſed etiam quotidiani ſermonis uſum iuuat . Quidam ſynecdochen uocant , cum id in contextu ſermonis quod tacetur accipimus. Verbum enim ex uerbo intelligitur . & hæc ſi ad uitium declinet , ellipſis dicitur . Abuſio eſt .] Hæc exornatio à græcis κατάχρησις dicta . ut parricida , matris & fratris interfector . Quidam catachreſim , ut Quintilianus inquit , nolunt eſſe , cum pro temeritate uirtus , aut pro luxuria liberalitas dicitur . Verum hæc diſſonantia ſunt , quod in his non uerbum pro uerbo ponitur, ſed res pro re. neque enim quiſquam putat , & luxuriam & liberalitatem idem ſignificare. Tranſlatio eſt .] Hæc à Græcis μεταφορὰ nominatur , omnium exornationum frequentiſſima , ac longe pulcherrima . Transfertur ergo , ut Quintilianus inquit , uerbum ex eo loco in quo primum erat , ſi proprium deeſt , aut tranſlatum proprio melius ſit , aut quia neceſſe eſt , aut quia ſignificantius eſt, aut quia decentius . Vbi uero nihil habebit boni , quod transfertur improprium erit : ut neceſſitate ruſtici gemmam in uitibus dicunt . quid enim dicerent aliud ? Sitire ſegetes , & fructus laborare , neceſſitate nos dicimus , ſicut & hominem aſperum . non enim proprium eſt quod demus huic proprietati nomen . Nam ita incenſum , & inflammatum cupiditate , & lapſum errore ſignificandi gratia dicimus . illa ad ornatum : lumen orationis , & generis claritatem , & concionum procellas, & eloquentiæ flumina : ut Cicero pro Milone, Clodium fomitem gloriæ eius uocat. Quædam etiam parum pretioſa dicta , per metaphoram explicantur . & hoc faciunt, ne tamen nimio luxu obtuſior uſus ſit , ut genitali aruo , uel ſulcos oblimet inertes . In totum autem metaphora breuior eſt ſimilitudo : eoq; differt , quod illa uerbum comparat ei rei quam uolumus exprimere , hæc pro ipſa re ponit . Comparatio eſt, cum dico feciſſe quid hominem ut leonem . Tranſlatio , cum dico de homine leonem . Notiſſimas autem illas conſulto huius figuræ prætereo differentias atque diuiſiones . ut ſi in animalibus aliud animal pro alio , & inanimatum pro alio aliud dicatur : uel alterutrum nomen pro altero : genus pro ſpecie , ſpecies pro genere , totum pro parte , pro toto pars . quæ uel pueris notiſſima ſunt . In quo genere ſunt illa, ut cum Liuius Scipionem à Catone ablactari ſolitum eſſe ſcribit . item , Claſſiq; immittit habenas . & , Pontem indignatus Araxes . Et in ſoluta oratione Ciceronis illud : Quid enim tuus ille Tubero diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? cuius latus mucro ille petebat ? quis ſenſus armorum tuorum ? Vel cum pro ædificijs parietes, aut tecta dicimus : & cum unam turmam equitum populi Romani dicimus : &, ut Cicero inquit, cum ex uno plures, uel ex pluribus unus intelligitur , Quemadmodum Ennius,

Africa terribili tremit horrida terra tumultu.

Pro Afris uidelicet eſt ſumpta Africa . Ex quo genere Cic. de Oratore putat eſſe, cum Martem pro bello, curiam pro ſenatu, togam pro pace ponimus. Quo etiam in genere uirtus & uitia, pro ipſis in quibus illa ſunt : ut Luxuries quæ in domum irrupit ? &, Quo auaritia penetrauit ? In ſumma, quocunque modo , ſaltem ut ſenſus integer & ciuilis ſit, tranſlatio probatur . Nam uidendum eſſe, idem ait, ne ullam afferamus diſſimilitudinem, & ne longe ipſum ſimile ſit ductū : ueluti Syrtis patrimonij durum eſt, ſcopulum potius dixeris, & bonorum uoraginem potius quàm Charybdim . facilius enim ad ea quæ uiſa, quàm ad ea quæ audita ſunt, ſenſus feruntur . & quoniam hæc uel ſumma laus eſt in uerbis transferendis, ut ſenſum feriat, id quod tranſlatū ſit, fugienda omnis turpitudo earū rerū, ad quas eorū

animos qui audient trahet ſimilitudo. Nolo dici, morte Africani caſtratam rempublicam: ita nolo ſtercus curiæ dici Glauciam. quamuis enim ſit ſimile, tamen eſt in utroque deformis cogitatio ſimilitudinis. & ut Quintilianus inquit: Non enim ſi Cicero ſentinam reip. dixit, fœditatem hominum ſignificans, idcirco probem illud quoque ueteris oratoris, Perſecuiſti reipublicæ uomicas. Nolo eſſe, inquit Cicero, uerbum anguſtius, aut maius, quàm res poſtulet. ut tempeſtas commeſſationis, aut commeſſatio tempeſtatis. Debet igitur uerbum id quod tranſlatum ſit, quaſi proprium uideri. ſic illud, Quid'nam eſt obſecro quod te abigi permittas? melius eſſet ire, cum prohibere pellentem nequeas. Sunt etiam duræ, id eſt à longinqua ſimilitudine ductæ, ait Quintilianus. Vt Iuppiter hybernas cana niue conſpuit alpes. item ποιμένα λαῶν. atqui ego in oratione nec paſtorem populi quenquam, auctore Homero dixerim: nec uolucres pennis remigare, licet Virgilius in Apibus ac Dædalo ſpecioſiſſime ſit hoc uſus. Metaphora enim aut neceſſitate locum occupare debet, aut ſi in alienum uenit, plus ualere eo uerbo quod expellit. Rurſum Cicero: Atque etiam, inquit, ſi uereare ne paulo durior tranſlatio eſſe uideatur, mollienda eſt, præpoſitio ſæpe uerbo: ut ſi olim à M. Catone mortuum, uel orbum, aut pupillum ſenatum quis relictum diceret, paulo durius diceret. ſin, ut ita dicam, aliquanto mitius ferri poſſet. Etenim uerecunda debet eſſe tranſlatio, ut deducta eſſe in alienum locum, non irrupiſſe, atque ut precario, non irruiſſe uideatur. Modus enim nullus eſt florentior in ſingulis uerbis, & qui plus luminis afferat orationi. Quamobrem & orationis obſcuritas magnopere fugienda eſt. Etenim hoc ferè genere ſunt ea, quæ dicuntur ænigmata. Cuius rei, quo id clarius fiat, ipſius Ciceronis in libro de Diuinatione exemplum ſubijciam. ita enim inquit. Nam Pacuuianus Amphion loquens, quadrupes tardigrada, agreſtis, humilis, aſpera, capite breui, ceruice anguina, aſpectu truci, euiſcerata, inanima: cum reſponderi ſibi uellet, reiectus eſt ab Atticis dicentibus, ſe hæc non intelligere, rem aperte diceret. tum ille uno uerbo, teſtudinem nominauit. Permutatio eſt.] *Hanc Græci ἀλληγορίαν uocant, nonnulli inuerſionem interpretantur. ea eſt huiuſmodi, ut aliud uerbis, aliud ſenſu oſtendat. aut etiam, ut Quintilianus inquit, interim contrarium. ut,*

O' nauis, referent in mare te noui
Fluctus, ò quid agis, fortiter occupa

Portum: totusq; ille Horatij locus, quo nauem pro populo, fluctuum tempeſtatem pro bellis ciuilibus, portum pro pace atque concordia dicit. tale Lucretij illud eſt,

Inuia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita gradu. iuuat integros accedere fontes,
Atque haurire. iuuat nouos decerpere flores,
Inſignemq; meo capiti petere inde coronam,
Vnde prius nulla uelarunt tempora Muſæ. Et Virg.
Sed nos immenſum ſpatio confecimus æquor,
Et iam tempus equum ſpumantia ſoluere colla.

Sine tranſlatione uero in Bucolicis,

Certe equidem audieram quo ſe ſubducere colles
Incipiunt, molliq; iugum dimittere cliuo
Vſque ad aquam, & ueteris confracta cacumina fagi,
Omnia carminibus noſtrum ſeruaſſe Menalcam.

Hoc enim loco præter nomen, cætera proprijs deciſa ſunt uerbis. Nam non paſtor Menalcas, ſed Virg. eſt intelligendus. Habet uſum talis allegoriæ frequenter oratio, ſed raro prorſus obſcuris, plerunque apertis permixta eſt uerbis, illa apud Cic. talis eſt, Hoc miror enim, querorq;, quenquam hominem ita peſſundare alterum uelle, ut etiam nauem perforet, in quo ipſe nauiget. Hæc, Semper equidem cæteras tempeſtates & procellas in illis duntaxat fluctibus concionum Miloni putaui eſſe ſubeundas: niſi adiecisset Concionum, futura fuit hæc allegoria ſimilis alteri. Illud uero longe ſpecioſiſſimum genus orationis, in quo trium permixta eſt gratia, ſimilitudinis, allegoriæ, & tranſlationis. ut, Quod fretum, quem Euripum tot motus, tantas, tam uarias habere creditis commutationes, agitationes, fluctus? quantas perturbationes, & quantos æſtus habet ratio comitiorum? dies intermiſſus unus, aut nox interpoſita ſæpe una, ut perturbat omnia? ut totam opinionem nonnunquam commutat aura rumoris? Nam id quoque cuſtodiendum, ut quo ex genere cœperis tranſlationes, in eo deſinas. Multi autem cũ initium à tempeſtate ſumpſerunt, incendio aut ruina finiunt: quæ eſt in ſermone, & rerum ordine fœdiſſima nota. Cæterum allegoria paruis quoque ingenijs, & quotidiano ſermoni frequentiſſime ſeruit. Nam illa in agendis cauſis iam detrita, pedem cõferre, iugulum petere, ſanguinem mittere, ſic ſunt, nec offendunt. Eſt enim grata in eloquendo nouitas & cõmutatio uerborum, & magis inopinata delectant. Allegoria quæ obſcurior eſt, ænigma dicitur: uitium meo quidem iudicio, ſiquidem dicere dilucide uirtus eſt: quo tamen poetæ utuntur. ut,

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Treis pateat cœli ſpatium non amplius ulnas.

Hæc de allegoria Quintilianus. Cicero autem in Oratore: Iã cum fluxerunt, inquit, continuo plures tranſlationes, alta planè fit oratio. Hoc Græci appellant allegoriam nomine, rectè ſecundum genus. melius ille, qui iſta omnia tranſlationes uocat. Vt ſi quis Druſum, Gracchum.] *Liuium Druſum dicit. cuius ſupra meminimus, qui ſicut graci, in remp. ſparſit per ſuas εἰρώνας diſſidia.* Numitoremq; obſoletum dicat.] *Id eſt, ſpurcum & olentem. ex obs & oleo. obſoletus ergo, ſpurcitia fœtidus.* Ex contrario ſumitur ſic.] *Ex hoc genere, quo contraria oſtenduntur, naſci plerique ironiam putauerunt, quã latini illuſionem uocant. Hæc aut pronunciatione intelligitur, aut perſona, aut rei natura. Nam ſi qua earum diſſentit, apparet diuerſam eſſe ab oratione uoluntatem: quale eſt,*

Egregiam uero laudem & ſpolia ampla refertis
Tuq; puerq; tuus.

Et illud Cic. Verres prætor urbanus, homo ſanctus & diligẽs. Et in Clodiũ, Integritas tua te purgauit, tuus pudor eripuit. Ironiæ ſpecies ſunt, ut quidam græci uolunt, quatuor, quas appellant σαρκασμὸν, ἀστεϊσμὸν, ἀντιγραφὴν, παροιμίαν. Sarcaſmos eſt, plena odio atq; hoſtilis irriſio. quale eſt illud:

Exoptatus ades, mens olim prælia poſcit,
Speq; tui flagrat capitis. fer debita fraudum
Præmia, & Italiam tellure inquire ſub ima,
Longum in Dardanios fines iter, atque niualem
Pyrenem, alpeſq; tibi mea dextera donat.

Aſtiſmos fit, cũ aliquid urbane dicitur, quod ſimplicitate careat ruſtica, uelut illud Terentij, Hoc populus curat ſcilicet. Antigraphe eſt, cũ in aliquem inuehimur: et laudare uidemur, cũ interim uituperemus. ſicut in Clodiũ Ciceronis illud, quod ſupra poſuimus: Integritas tua te purgauit, mihi crede, pudor eripuit, uita ante acta ſeruauit. Parœmia eſt, cũ prouerbio quempiã irridemus: ut Plauti illud in Captiuis, Vt ſæpe ſumma ingenia in occulto latent. Quidã uero Græcorũ, ſicut & Plutarchus, nec antigraphen, nec parœmiã ponunt: ſed eorũ loco χλευασμὸν et μυκτηρισμὸν illis, quas primo loco poſuimus, ſubijciunt. ut ſit quidẽ chleuaſmos, cum in re uili & abiecta quempiam extollimus, & inde uituperandum eſſe ducimus. quale illud eſt Catulli,

Quare non tibi ſit bene ac beate?
Si abs te ſudor abeſt, abeſt ſaliua,
Mucuſq;, & mala pituita naſi?
Hæc tu commoda tam beata Furi,
Noli ſpernere, nec putare parui.
Et ſeſtertia quæ ſoles precari,
Centum deſine: nam ſat es beatus.

Myctiriſmos

Myćteriſmos autem, cum ſubſannantes, uirtutem alicui uitio damus. quale illud Perſij, Non ego curo,

Eſſe quod Arceſilas, ærumnoſiq; Solones,
Obſtipo capite, & figentes lumine terram,
Murmura cum ſecum & rabioſa ſilentia rodunt.

Ponunt Græci etiam inter uerborum figuras, quod ἐπίθετον uocant, Latinorum quidam appoſitum. nonnulli ſequens nominarunt. Eo poetæ & frequentius & liberius utuntur. Itaque & dentes albi, & humida uina recte à poetis ponuntur. Sed apud oratorem non probabitur. Niſi enim in oratione aliquid efficiatur, redundat. tum autem efficitur, ſi ſine illo quod dicitur, alterum minus eſt. qualia ſunt: ò ſcelus abominandum, ò deformem libidinem. Aliquando in proprio epitheton eſt. nam ſi dicas, ille qui Numantiam & Carthaginem euertit, antonomaſia eſt: ſi adieceris Scipio, epitheton. non poteſt ergo eſſe iunctum. Sunt autem quibus hic tropus omnino non eſſe uideatur, quod nihil inuertat. his adiungit Plutarchus πρωθύστερον, quod etiam ὑστερολογίαν nominauit, cum uerborum ordo præpoſterus eſt. uelut illud Vergilij eſſe creditur:

Et Cererem torrere parant, & frangere ſaxo.

Eam quoque figuram, quæ παρένθεσις uocatur, tropon putant. quale illud Virgilianum eſt:

Ipſiq; ſuos iam morte ſub ægra,
Dij meliora pijs, errore mq; hoſtibus illum,
Diſciſſos mundis laniabant dentibus artus.

Quæ iuncta apoſtrophe inuenitur. ut rurſus Virgil.

Haud procul inde citæ Metium in diuerſa quadrigæ,
Diſtulerant (at tu dictis Albane maneres)
Raptabatq; uiri mendacis uiſcera tellus.

Hanc Latinorum quidam interpoſitionem, nonnulli interclusionem nominarunt. Eam quoque dicendi uirtutem, quam ἔμφασιν uocant in locutione, Græci non mediocriter probant. hæc enim altiorem præbet intellectum, ex uerbis affectui proximis. cuius duæ ſunt ſpecies: altera, quæ plus ſignificat quàm dicit: altera, quæ etiam id quod non dicit ſignificat. prior eſt, ut apud Homerum, cum Menelaus Graios in equum deſcendiſſe ait,

Ἵππῳ ἔνι ξεστῷ, ἵν' ἐνήμεθα πάντες ἄριστοι
Ἀργείων, Τρώεσσι φόνον καὶ κῆρα φέροντες.

Nam uerbo uno ἐνήμεθα magnitudinem eius oſtendit. & apud Virgilium, Demiſſum lapſi per funem. nam ſic quoque magnitudo demonſtrata eſt. Idem, Cyclopa cum iacuiſſe dicit per antrum, prodigioſum illud corpus ſpatio loci menſus eſt. Sequens poſitum eſt in uoce aut omnino ſupreſſa, aut etiã abſciſſa. Supprimitur uox, ut fecit pro Ligario Cicero: Quòd ſi in tanta fortuna bonitas tanta non eſt, quam tu parte, parte inquam obtines: intelligo quid loquor. tacuit enim illud, quod nihilominus accipimus, non deeſſe homines qui ad crudelitatem eum impellerent. Abſcinditur per apoſiopeſim, de qua ſupra dictum eſt. Eſt & in uulgaribus quoque uerbis emphaſis: Virum eſſe oportet, et Homo eſt ille. Addunt etiam ἐνέργειαν, quæ ab agendo dicta, & cuius propria uirtus eſt, non eſſe quæ dicantur otioſa, cum quiddam amarum (quod ferè in contumelia poſitum eſt) ſignificatur. quale Caſſij: quid facies cum bona tua inuaſero? hoc eſt, cum te docuero neſciſſe maledicere. Aliquando acre eſt, uelut illud Craſſi: Ego te conſulem putem, cum tu me non putes ſenatorem? Eſt & ea locutionis exornatio, quam λιτότητα uocant Græci, ex cuius negatione affirmari magis aliquid intelligimus: ut, Equidem merui, nec deprecor: non refuto, hoc eſt, cupio. & ſi dicas, Non deſunt qui dicant Socratem ſtupidum fuiſſe, & bardum, quod auriculas concauas non haberet. hoc eſt, ſunt qui dicant. Hæc fuerunt, quæ de uerborum exornationibus à multis ſelecta fuiſſe comperimus. Diſtributio eſt.]

Hanc Græcorum quidam διαλλαγὴν uocant. Hæc exornatio nõ multum differt ab ea quam paulo poſt diuiſionem uocat, niſi quod hæc plura argumenta ad unum effectum educit, illa duabus ſententijs ſibi inuicem oppoſitis contenta eſt: ut, Odit porro priuatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit. Vtranque Rutilius antitheti ſpeciem eſſe arbitratur. Licentia eſt.]

Quid de hac exornatione ſcribat Quintilianus, dicendum puto. Ac ne quempiam tanti uiri iudicio fruſtrer, ſicut adhuc in ceteris, ubi eius auctoritatem afferre conuenit, non feci, eius uerba ſubijciam. Quæ uero ſunt augendis affectibus accommodatæ figuræ, conſtant maxime ſimulatione. nanque & iraſci nos, & gaudere, & timere, & admirari, & dolere, & indignari, & optare, & quæcunque ſunt ſimilia his fingimus. inde ſunt illa, Liberatus ſum, reſpiraui, bene habeo, & quæ amentia eſt hæc? & ò tempora, ò mores, ò miſerum me. conſumptis enim lacrymis, infixus tamen pectori hæret dolor, & Magnæ nunc hiſcite terræ. quod exclamationem quidam uocant, ponuntq; inter figuras orationis. Hæc quoties uera ſunt, non ſunt in ea forma de qua nunc loquimur: & aſſimulata & arte compoſita, procul dubio ſchemata ſunt exiſtimãda. quod idem dictũ ſit de oratione libera, quam Cornificius licentiam uocat, Græci παρρησίαν. Quid enim minus figuratum, quàm uera libertas? ſed frequenter ſub hac facie latet adulatio, nam Cicero cum dicit pro Ligario, Suſcepto bello Cæſar, geſto iam etiam ex parte magna, nulla ui coactus, conſilio ac uoluntate mea, ad arma profectus ſum, quæ erant contra te ſumpta: non ſolum ad utilitatem Ligarij reſpicit, ſed magis laudare uictoris clementiam non poteſt.]

Diminutio eſt.] Hanc Græci μείωσιν ἢ λιτότητα uocant. Hæc multifariè fieri ſolet, ſicut & amplificatio. Sed quoniam in utraque ſibi multum indulget orator, & ferè ob rerum auctionem ac imminutionem uictoriam ſibi comparat, & apud poſteros famam, quæ elocutio attollat aut deprimat dicendum. Prima igitur eſt amplificandi uel minuendi ſpecies, in ipſo rei nomine, ut cum eum qui ſit cæſus, occiſum: qui ſit improbus, latronem: contràq; eum qui pulſauit, attigiſſe: & uulnerauit, læſiſſe dicimus. Hoc genus creſcit, ac fit manifeſtius, ſi ampliora uerba cum ipſis nominibus quibus comparentur ponemus: ut Cicero in Verrem. Non enim furem, ſed ereptorem: non adulterum, ſed expugnatorem pudicitiæ: non ſacrilegum, ſed hoſtem ſacrorum religionumq;: non ſicarium, ſed crudeliſſimum carnificem ciuium ſociorumq; in ueſtrum iudicium adduximus, ut altero modo ſit multum, hoc etiam ut plus ſit efficiatur. Quatuor autem maxime generibus cõſtare amplificationem inuenimus: incremento, comparatione, ratiocinatione, congerie. Incrementũ eſt potentiſſimum, cum magna uidentur etiam quæ inferiora ſunt: id aut uno gradu fit, aut pluribus. per id uenitur ad ſummum, nec ad ſummum modo, ſed quodammodo ſupra ſummũ. Omnibus his ſufficit uel unum Ciceronis exemplum: Facinus eſt uincire ciuem Romanum, ſcelus uerberare, propè parricidiũ necare, quid dicam in crucem tollere? nam ſi tantum uerberatus eſſet, uno gradu increuerat, ponẽdo uincire eſſe facinus, quod erat inferius. cum uero dixerit, propè parricidium necare, ſupra quod nihil, adiecit, Quid dicam in crucem tollere? Ita cum id quod maximum eſt occupaſſet, neceſſe erat in eo quod ultra eſt uerba deficere. Eſt alter incrementi modus, cum ſupra ſummum adiectio fit, ut apud Vergil. de Lauſo:

Quo pulchrior alter
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.

Et de Nireo illud Homericum,

Νιρεὺς, ὃς κάλλιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε
Τῶν ἄλλων Δαναῶν, μετ' ἀμύμονα Πηλείωνα.

Tertius eſt quoque incremẽti modus, ad quem per gradus itur, & quod non eſt plus quàm maximum, ſed quo nihil maius eſſe oſtenditur. matrem tuam cecidiſti, quid dicam amplius? matrem tuam occidiſti. nam & hoc augendi genus eſt, tantum aliquid efficere, ut non poſſit augeri. Verum ut hæc amplificatio

in ſuperiora tendit, ita quæ fit per comparationem, incrementũ ex minoribus petit: augendo enim quod eſt infra, neceſſe eſt ex tollat quod ſupra ponatur. ut Cicero in Catilinam: Serui me hercule mei, ſi me iſto pacto metuerent, ut te metuunt omnes ciues tui, domum meam relinquendam putarem. Fit per comparationem incrementum, eo modo quo argumenta à minoribus ad maiora deducuntur. nec tota totis, ſed etiam partes partibus comparantur: ſicut illud Ciceronis. An uero uir ampliſſimus, P. Scipio pontifex maximus, Gracchum mediocriter labefactantem ſtatum Reipublicæ priuatus interfecit, Catilinam orbem terra cæde atque incendio uaſtare cupientem nos conſules perferemus hic? & Catilina Graccho, & ſtatus Reipublicæ orbi terrarum, & mediocris labefactatio cædi & incendijs & uaſtationi, & priuatus conſuli comparatur. quæ ſi quis dilatare uelit, plenos ſui ſingula locos habent. Ratiocinatione fiunt amplificationes, ut Cicero: Tu (inquit) iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate. quid fauces & latera ad ebrietatem? ſed minime ſunt otioſa. nam reſpicientes ad hæc, poſſumus æſtimare quantum ille uini exhauſerit, quod ferre & coquere non poſſet illa corporis gladiatoria firmitate, ſed neceſſario euomere compulſus eſt. Ergo ſi ex alio aliud colligitur, non minus poterit hæc quàm quæ inter ſtatus ponitur ratiocinatio nominari. eadem enim ex cauſa nomen habet. Idem præſtant quæ anteceſſerunt, ut apud Virgilium, cũ Aeolus à Iunone rogatus,

Cauum conuerſa cuſpide montem
Impulit in latus, ac uenti uelut agmine facto
Qua data porta ruunt:

&, apparet quanta ſit futura tempeſtas. Solet ex alio aliud quoque augeri. ut cum Annibalis bellicis laudibus ampliatur uirtus Scipionis, & fortitudinem Gallorum Germanorumq́; miramur, quo ſit maior Cai Cæſaris gloria. Sed & amplificant per ratiocinationem genus, cum ad aliquid refertur, quod dicimus. ueluti illud Homericum,

Οὐδ' ὡς οὖν εἴδον ἑλένην ἐπὶ πύργον ἰοῦσαν.
Ἦκα πρὸς ἀλλήλους ἔπεα πτερόεντ' ἀγόρευον,
Οὐ νέμεσις τρῶας, καὶ ἐϋκνημῖδας ἀχαιοὺς,
Τοιῇ δ' ἀμφὶ γυναικὶ πολὺν χρόνον ἄλγεα πάσχειν.
Αἰνῶς ἀθανάτῃσι θεῇς εἰς ὦπα ἔοικεν.

Vbi licet animaduertere, ut Troiani principes Græios Troianosq́; propter Helenæ ſpeciem tanto temporis ſpatio ſuſtinere bellum, indignum non putarunt. Quę nam igitur illa forma credenda eſt? non enim hoc dicit Paris qui rapuit, non aliquis iuuenis, aut unus è uulgo, ſed & prudentiſſimi, & Priamo aſſidentes. Ad hoc etiam pertinet clypeus Aiacis, cum dicit Homerus, τῷ δ' ἄλλων αἴαντος δ' ἐπὶ σάκος ἑπταβόειον. *& Achillis, cum idem inquit,* αὐτὰρ ἔπειτα σάκος μέγα τε στιβαρόν τε ἕλετο. *Ex armis enim illorum heroum magnitudo nobis datur intelligi. qua uirtute egregie etiam uſus eſt Virgilius in Cyclope. Nam qui illud corpus mente concipiam, cuius trunca manum pinus regit? Hoc illi eſt ſimile, quod ſupra emphaſim diximus nominari. Amplificatio autem per congeriem uerborum ac ſententiarũ idem ſignificantium, exponenda reſtat. hæc ſi non etiam per gradus aſcendat, tamen uelut aceruo quodam alleuatur. quale illud Ciceronis: Quid enim tuus ille Tubero diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? cuius latus mucro ille petebat? quis ſenſus erat armorum tuorũ? quæ tua mens, oculi, manus, ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? Hæc etiam creſcere ſolet, uerbis omnibus altius atque altius inſurgentibus: ut, Aderat ianitor carceris, carnifex prætoris, mors terrorq́; ſociorum & ciuium Romanorum. Eadem ratio eſt minuendi. nam totidem ſunt aſcendẽtibus gradus. ideoq́; uno ero contentus exemplo eius loci, quo Cicero de oratione Rutilij hæc dicit: Pauci tamen, qui proximi aſtiterant, neſcio quid illum de lege agraria dicere ſuſpicabantur. Scio pleriſque uideri poſſe ſpeciem amplificationis hyberbolen.*

nam & hæc in utranque partem ualet, & ad augendas et minuendas res. Deſcriptio nominatur.] *Hæc à Græcis* διατύπωσις *uocatur, cui* τοπογραφία *ſpecies ſubijcitur, id eſt, loci deſcriptio. illum primo nominatum Cicero, alibi ſub oculos ſubiectionem nominat, cum res non geſta indicatur, ſed ut ſit geſta oſtenditur: nec uniuerſa, ſed per partes: ut, Ipſe inflammatus ſcelere & furore in forum uenit, ardebant oculi, toto ex ore crudelitas eminebat. nec ſolum quæ facta ſunt, aut fiant, ſed & quæ futura ſunt, imaginamur.* Diuiſio eſt, quæ rem ſemouens à re, utranque abſoluit ratione ſubiecta, hoc modo: Cur ego tibi obijciam quidquam, ſi probus eſt?] *De hac ſupra dictum eſt exornatione.* Frequentatio eſt, cum res in tota cauſa diſperſa coguntur.] *Hæc amplificationis pars eſt, quam per congeriem ſupra uocauimus.* Expolitio eſt.] *Hæc multarum eſt figurarum tractatio. oratio à Græcis, ut opinor, hæc* σχηματισμένη, *id eſt, figurata, ac per hoc ornata nominatur. Quod mihi bene uidetur Decius intellexiſſe, qui ſe deuouiſſe dicitur, & pro legionibus ſe in hoſtes immiſiſſe medios, unde amiſit uitam, & non perdidit. re enim uiliſſima & parua maximam redemit, uitam dedit, accepit patriam, amiſit animam, potitus eſt gloria, quæ cum ſumma laude prodita uetuſtate quotidie magis eniteſcit. quod ſi pro republica debere accedere ad periculum, & ratione demonſtratum eſt, & exemplo comprobatum, hi ſapientes ſunt exiſtimandi, qui nullum pro ſalute patriæ periculũ uitant. Tres ſe Decij pro republica deuouiſſe dicuntur, ut in primo de Finibus bonorum & malorum ſcribit Cicero. Si quis autem ſcire cupiat, quo pacto deuotio ea fieret à ueteribus, Macrobium in Saturnalibus legat, qui de ea re abunde ſcripſit.* Commoratio eſt, cum in loco firmiſſimo.] *Et in perpetua oratione, ſicut & expolitio, inuenitur. ea de cauſa à pleriſque inter figuras non ponitur.* Contentio eſt.] *De hac ſupra diximus. Multæ autem ſunt figuræ, ut tam apud Quintilianum quàm apud Græcos eſt manifeſtum, quæ eodem nomine appellatæ, aliquam tamen habeant differentiam: ſicut ironia, ſicut antiphraſis, & ſimiles. alia enim uerborum, alia ſententiarum eſt.* Similitudo eſt oratio traducens.] *Hæc Græcis* παραβολὴ, *ab alijs* ὁμοίωσις *eſt nominata. hic quid de hac figura ſcribat Quintilianus, totum eum locum ſubijcere mihi uiſum eſt, quod is plura quàm quis alius de ea locutus uideatur, ac ita aperte, ut expoſitione non indigeat. Præclare uero, inquit, ad inferendam rebus lucem repertæ ſunt ſimilitudines, quarum aliæ ſunt quæ probationis gratia inter argumenta ponuntur, aliæ ad exprimendã rerum imaginem compoſitæ, quod eſt huius loci proprium. inde lupi, ceu raptores, atra in nebula, & aui ſimiles,* Quæ circum littora, circum

Piſcoſos ſcopulos humilis uolat æquora iuxta.

Quo in genere id eſt præcipue cuſtodiendum, ne id quod ſimilitudinis gratia aſciuimus, aut obſcurum ſit, aut ignotum. Debet enim quod illuſtrandæ alterius rei gratia aſſumitur, ipſum eſſe clarius eo quod illuminat. quare poetis quidem permittamus ſanè eiuſmodi exempla,

Quales ubi hybernam Lyciam, Xanthiq́; fluenta
Deſerit, aut Delon maternam inuiſit Apollo.

Nũc idem oratorem decebit, ut occultis aperta demonſtret. Sed illud quoque, de quo in argumentis diximus, ſimilitudinis genus ornat orationem, facitq́; eam ſublimem, floridam, iucundam, mirabilem. Nam quo longius quæque petita eſt, hoc plus affert nouitatis, atque inexpectata magis eſt. illa uulgaria uideri poſſunt, & utilia tantum ad conciliandam fidem: Vt terram cultu, ſic animum diſciplinis meliorem uberioremq́; fieri. &, Vt medici abalienata morbis membra præcidunt, ita turpes ac perniciosos, etiamſi nobis ſanguine cohæreant, amputandos. Iam ſublimius illud pro Archia: Saxa atque ſolitudines uoci reſpondent, beſtiæ ſæpe immanes cantu flectuntur atque conſiſtunt.

quod

quod quidem genus à quibuſdam declamatorijs maxime licentia corruptum eſt. Nam & falſis utuntur, nec illa ijs quibus tamen ſimilis uideri nolunt, applicant: quorum utrunque in his atque me iuuene ubique cauſari ſolebant. Magnorum fluminũ nauigabiles fontes ſunt, & generoſioris arboris ſtatim planta cũ fructu eſt. In omni autem parabola aut præcedit ſimilitudo, et res ſequitur: aut præcedit res, & ſequitur ſimilitudo. ſed interim libera & ſeparata eſt, interim & (quod longe optimum eſt) cũ re cuius eſt ima connectitur collatione inuicem reſpõdente. quod facit redditio contraria, quæ antapodoſis dicitur. præcedit ſimilitudo illa, cuius modo feci mentionem: Inde lupi ceu raptores atra in nebula, ſequitur. In primo Georgicon, poſt longam de bellis ciuilibus atque externis conqueſtionem.

Vt cum carceribus ſeſe effudere quadrigæ,
Addunt in ſpatia, & fruſtra retinacula tendens
Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

Sed hæc ſunt ſine apodoſi. Redditio autem illa rem utranque qua comparat, uelut ſubijcit oculis, & pariter oſtendit. cuius præclara apud Virgil. multa reperio exempla, ſed oratorijs potius utendum eſt. dicit Cicero pro Murena. Vt aiunt in Græcis artificibus eos aulœdas eſſe, qui citharœdi fieri non potuerunt: ſic nos uidemus, qui oratores euadere non potuerunt, eos ad iuris ſtudium diuertere. Et illud pro eodem, iam penè poetico ſpiritu, eo tamen cum ſua redditione, quod eſt ad ornatum accommodatius. Nam ut tempeſtates ſæpe certe aliquo cœli ſigno commouentur, ſicut ſæpe ab improbis nulla certa ratione obſcura aliqua ex cauſa concitantur: ſic in hac comitiorum tempeſtate populari, ſæpe intelligas quo ſigno commota ſit: ſæpe ita obſcura eſt, ut ſine cauſa excitata uideatur. Sint & illa breues, uagi per ſyluas ritu ferarum. Et illud Ciceronis in Clodium, Quo ex iudicio uelut ex incendio nudus effugit. quibus ſimilia poſſunt cuicunque etiam ex quotidiano ſermone ſuccurrere. Hæc omnia ad uerbum de ſimilitudine Quintilian. Abſoluta igitur illa ſimilitudo eſt, ut etiam Plutarchus ſcribit, quæ πρότασιν & ἀπόδοσιν, hoc eſt, propoſitionem & redditionem habet: quæ ſecus, imperfecta. Item eiuſmodi eſt, ueluti diximus, ut modo res antecedat, & ſequatur ſimilitudo: modo contra, ſimilitudo præcedat, & res ſequatur. Vtrunque Horatius in hoc complexus eſt.

Creſcit extento uelut arbor æuo
Fama Marcelli, micat inter omnes
Iulium ſidus, uelut inter ignes Luna minores.

Quemadmodum in paleſtra, qui tædas ardentes accipit.] *Mos fuit apud ueteres, ut in paleſtra currentium primus facem ſequenti traderet, & ſecundus tertio, & ſic deinceps, quoad ultimum uſque perueniret. Hinc Perſius,*

Qui prior es, cur me inde curſu lampada poſcis.

Et Lucret. Augeſcunt aliæ gentes, aliæ minuuntur,
Inq; breui ſpatio mutantur, ſed animantum
Et quaſi curſores uitæ ſic lampada tradunt.

Exemplum eſt, alicuius facti aut dicti præteriti, cum certi auctoris nomine propoſitio.] *Hoc Græci παράδειγμα uocant, de quo ſupra in argumentis ſatis multa. Imago eſt forma cum forma cum quadam ſimilitudine collatio.*] *Imago eſt deſcriptio figuræ alicuius, uel perſonarum inter ſe, eorum'ue quæ perſonis accidunt comparatio: ut, Os humeroſq; deo ſimilis.*

Hæc exornatio à Græcis εἰκὼν uocatur.

Effictio eſt, cum exprimitur.] *Hæc figura à Græcis προσωποποιία uocatur, à nonnullis perſonæ confictio. Hæc mire cum uariat orationem, tum excitat. His & aduerſariorum cogitationes, uelut ſecum loquentium protrahimus, qui tum ita demum à fide non abhorreant, ſi eos locutos finxerimus, ut cogitaſſe eos non ſit abſurdum, & noſtros cum alijs ſermones & aliorum inter ſe credibiliter introducimus, & ſuadendo obiurgando, querendo, laudando, miſerando perſonas idoneas damus. quin deducere beatos è cœlis homines, & angelos in hoc genere dicendi, & inferos excitare. urbes etiam & populi hac figura uocẽ accipiunt. Sunt autem qui has προσωποποιίας dicant, in quibus & corpora & uerba fingimus. Sermones autem hominum aſſimulatos διάλογον malunt, quod latine Cicero ſermocinationem uocat. Quintilianus uero utrunque eodem nomine appellauit, ut proſopopeia diceretur. Nam certe, inquit ipſe, ſermo fingi nõ poteſt, ut non & perſona ſermo fingatur. Sed in his quæ natura non permittit, eo modo mollior ſit figura. etenim ſi mecũ patria mea, quæ mihi uita mea multo eſt carior, ſi cuncta Italia, ſi omnis reſpub. ſic loquatur, M. Tulli, quid agis? illud audacius genus: quæ tecum Catilina ſic agit, & quodammodo tacita loquitur, nullum iam aliquot annis facinus extitit niſi per te. Cõmode etiam aut nobis aliquas ante oculos eſſe rerum perſonarum'ue imagines fingimus, eadem aduerſarijs aut iudicibus accidere miramur. qualia ſunt, Videntur mihi, & non'ne uidentur tibi? Sed magna quædã uis eloquentiæ deſideratur. falſa enim, incredibilia, natura neceſſe eſt aut magis moueant, quia ſupra uera ſunt: aut pro uanis accipiuntur, quia uera non ſunt. ſed formas quoque fingimus ſæpe, ut famam Virgilius, litem Homerus: ut uoluptatem ac uirtutem, quemadmodum à Xenophonte traditur Prodicus, quem Silius Italicus imitatus eſt. Eſt & incertæ perſonæ ficta oratio, ut hic, Dicat aliquis. Eſt exactus ſine perſona ſermo,*

Hic Dolopum manus, hic ſæuus tendebat Achilles.

Et ut Quintilianus etiam inquit: Vertitur interim proſopopœia in ſpeciem narrandi. unde apud hiſtoricos reperiuntur obliquæ allocutiones. ut Titi Liuij illud, At dij tuuent. Proſopopœia, ſiue effictionis duæ ſunt ſpecies, ut Aphthonius in primis exercitamẽtis inquit, εἰδωλοποιία, id eſt, ſimulacri fictio, & ἠθοποιία quam Rutilius & Aquila morum confictionem uocant. Idolopœia eſt, quam paulo infra Cicero confirmationem uocat. Ethopœia autem, quam hic notationem nominauit. Aut aliquod fragile falſa choragium gloriæ comparetur.] *Choragium à choro & ago, conuentus, atque congregationis apparatus. Plautus in Captiuis. Iniquum eſt comico choragio, Conari de ſubito nos agere tragœdiam. Apuleius in quinto Metamorph. Iam feralium nuptiarum miſerrimæ uirgini choragium ſtruitur.*

Duc tecum Libanum & Soſiam.] *Nomina ſeruorum. Libanus in Plauti Aſinaria, Soſias tam in Amphitryone Plauti quàm Terentij Andria. Expoſtulant.*] *Imperioſe percũctantur. Sermocinatio eſt, cum alicui perſonæ ſermo attribuitur.*] *Hanc diximus ſupra διάλογον à Græcis nominari. Conformatio eſt, cum aliqua quæ non adeſt perſona confingitur, quaſi adſit.*] *Hanc exornationem diximus quoque ſupra à Græcis εἰδωλοποιίαν uocari. Significatio eſt.*] *Significationem nominat, quam Græci ἔμφασιν uocant. hanc inter tropos, id eſt, uerborum uerſiones Græci ponunt, ut ſupra meminimus. ſed & inter ſchemata, hoc eſt, ſententiarum inuenitur figuras, cum ex aliquo dicto latens aliquid eruitur, uelut inquit Quintilianus, ut apud Virgil.*

Non licuit thalami expertem ſine crimine uitam
Degere more feræ.

Quanquam enim de matrimonio queritur Dido, tamen huc erupit eius affectus, ut ſine thalamis uitam non hominum putet, ſed ferarum. Cuius pater cubito ſe emũgere ſolebat.] *Emungere, mucum è naſo ſtillantem tergere. Noli Saturnine.*] *Hoc ex eis quæ ſupra de L. Apuleio Saturnino diximus, cuiuis eſſe manifeſtum poteſt. Breuitas eſt.*] *Hæc à Græcis βραχυλογία uocatur. Eſt uero pulcherrima, cum plura paucis complectimur: ſed male imitantes ſequitur obſcuritas. Hinc Horatius, Breuis eſſe laboro, Obſcurus fio. Quod uitium non inter infima putandum eſt. Demonſtratio eſt.*] *Quæ à Græcis φαντασία, tum ἐξεργασία nominatur. phantaſia quidem in concipiendis uiſionibus, exergaſia uero in efficiendo*

uelut opere propoſito. niſi ſit, quam ἐνάργειαν uocant Græci. Quidam euidentiam, alij repreſentationem uocant. Illi.] Vni, ut loquenti, aut minus attento audientiam faceret. Calce premens.] Vt confringeret. Dextra pedem.] Illius ſubſellij, quando armis nõ erant muniti, ut quibuſcunque obuijs rebus arreptis ſe à ciuium incurſione potentium defenderent. Ac iſte.] Quidam. Parua tamen pars perfectiſſima uitæ deſideretur.] Vtpote qua deeſſe intelligatur. uitam enim perfectiſſimam, philoſophiam dicit, ut eam quæ de moribus eſt. Et uitam quam ſequamur.] In dicendo.

HIERONYMI CAPIDVRI AD SVOS IN RHETORICAM HERENNIANAM COMMENTARIOS APPENDIX.

POST Ciceronis uerborum interpretationem, quam feſtinantiſſima compoſitione edere compulſi ſumus: ſiquidem diebus in ſingulis prout in his rhetoricis libris quæque dictata nobis occurrerunt, ita immeditati, ita improuiſi commentaria edere coacti ſumus, ita plerunque alijs diſtricti occupationibus, temporis anguſtiis, non tantum quæ diceremus aliquantum maturare, ſed ne quidem quæ properantiſſimo calamo ſcripſiſſemus, una oculorum acie decurrere nobis conceſſum eſt: ne propoſito igitur noſtro quidquam deſit, fieri à nobis debere uidebatur, ut quas figuras ſparſim ſumus interpretati, primum colligeremus, deinde oratorum numeris, poſt de imitatione, inde de exercitatione diceremus. poſtremo, ut omnia tradita iam præcepta, breui, & quaſi per capita, quo tenaciori memoria comprehendi poſſent, repeterentur. quæ omnia cum paulo longiorem cogitandi moram ſibi depoſcant, doleo à me in ſcribẽdo non minus quàm in ſuperioribus eſſe properandum. Non dubitauerim, quin hæc multo caſtigatiora eſſe debuerint, ſi famæ patauerim conſulendum meæ. Sed temporis me premit anguſtia, & auditentes, intra paucos dies quid uelim ut abſoluam, auidi expectant. Eis autem non ſatisfacere, nefas puto: & futurum ad alias occupationes me tempus trahit, ut emendandi nullum etiã mihi otium relinqui poſſe uideam. Proſequar igitur inſtitutum eo pacto, ut perquàm utiliſſimas res exarare uidear tentaſſe potius, quàm ut eaſdem dicendo conſequi fortaſſe potuerim, ut noſtra poſteri in Ciceronem commentarij auſa perficiant. hoc enim tempore noſtris diſcipulis hæc dare noluiſſe quantulacunque, ſatius eſſe ducimus, quàm omnino nulla. Sed de re iam dicere incipiam. Omne figurarum genus trina diuiſione partimur, quod in literis, quod in dictionibus, quodq; in oratione inuenitur. Quod in literis, Græci pathos, in dictionibus tropum, in oratione ſchema nonnulli appellarunt. ſed nos, modo quid dicatur clarum intellectu fiat, de appellatione in præſentia dicere non contendemus. In literis itaque duplex eſt generalis figurarum cognitio: una quidem quæ qualitatis, altera uero quantitatis nominatur. qualitatis quidem ſpecies ſunt Metatheſis, quæ & enallaxis & hypertheſis nominatur. capræ, pro carpa, ſ. enim capræ dictæ: à carpendo ſi quidem deducuntur, ut Varro inquit. Secunda qualitatis ſpecies eſt, quam Tryphon metalepſin, quidam antitheſin uocant: eſt, cum in uocalem uocalis uertitur, ut, Venit & upilio, tardi uenere ſubulci. Pro eo quod opilio dicendum fuit. Tertia ac ultima qualitatis ſpecies eſt, Tmeſis, quam diacopen quidam nominant, cum compoſita diſſoluitur dictio: uelut apud Horatium Polyhymnia, pro Polymnia. nam ſi integra dictio interponatur, ut, Septem ſubiecta trioni, hyperbatos erit: quæ poſterius ſuo loco refferetur. Quantitatis autem ſunt ſpecies quaſi generalia quidem capita, pleonaſmos & endia, id eſt redundantia & defectus. aut enim redundant in dictione literæ, aut ſubtrahuntur. quodq; de literis diximus, idem de temporibus intelligendũ eſt. Pleonaſmus ſpecies habet nouem, & totidem quoque endia. Pleonaſmi quidem ſpecies ſunt, proſtheſis, anadiploſis, ectaſis, epectaſis, diæreſis, parentheſis, diplaſiaſmos, paremptoſis, & proſchematiſmos. Proſtheſis dicitur, cum in principio dictionis litera uel ſyllaba additur, ut pro nato gnatus, &

Ingreditur linquens antrum, pro graditur.

Anadiploſis eſt, repetita eadem in principio dictionis ſyllaba: ut pipilare, lalare, apud Catullum & Perſium. Ectaſis eſt, cum natura correptam ſyllabam producimus: ut, Hectora Priamidem, animoſumq; inter Achillem. Cum Priamus primam corripiat. Epectaſis eſt, in media dictione ſyllabæ uerſus neceſſitate interpoſitio: quale illud Lucretianum,

Indugredi motus hominum geſtumq; ſequentem.

Diæreſis eſt, cum unam in duas ſyllabas diuidimus: ut Lucretij illud, Ignoratur enim quæ ſit natura animai. Parentheſis eſt, cum ſyllabam non faciens ad uocalem uocalis apponitur: &, Captiuei. ex capitibus uerſuum Plauti in Captiuis, colligitur ueteres ſic ſcripſiſſe. Diplaſiaſmos eſt, conſonantis eiuſdem aliqua de cauſa potius quàm ſuapte natura geminatio. ut, reddo, relligo, & ſimilia: uel diuerſa interpoſitio, ut aſt pro at. Paremptoſis eſt, in dictione conſonantis interpoſitio: uelut Alcydones, Varrone teſte, pro eo quod Alcyones, dicunt Græci. Proſchematiſmos eſt, in fine dictionis ſyllabæ adiectio. quale illud Lucretij, Hinc uidetur in imbrem uertier æther. Endia autem, quam ſupra quantitatis generalem fecimus ſpeciem, ſunt nouem itidẽ formæ: Aphæreſis, arſis, ſyſtole, ſyncopa, ſynalœphe, ellipſis, parellipſis, ecthlipſis, & apocopa. Aphæreſis eſt, ſyllabæ ex principio dictionis ablatio: ut, Poſuitq; comas & brachia ferro, pro depoſuit. Arſis eſt, ſimilis ſyllabæ repetita in principio dictionis ablatio: ut tendi, pro tetendi. Syſtole eſt, cum liberam ſyllabam, aut natura productam corripimus: ut Iuuenalis,

Vaſcones, ut fama eſt, alimentis talibus uſi.

Nam Silius Italicus eandem ſyllabam producit, quam corripuit Iuuenalis, cum inquit,

Et Vaſconum alas Balarus probat æquore aperto.

Syncopa eſt, è medio dictionis ſyllabæ ablatio: ut audacter pro audaciter, audij pro audiui. & hæc ferè ſola in ſoluta oratione utimur ſyllabarum figura: in uerſu autem omnibus. Synalœpha eſt, duarum uocalium ad unam complexio. ut Horatius,

O mi Laertiade, quidquam dicam aut erit aut non. Et Varronis illud,

Tum deflagranti delectum fulmine Phaeton.

Pluribus autem id fieri modis poſſe, Tryphon, quem nos in latinum uertimus, oſtendit. Ellipſis eſt, uocalis ſyllabam non facientis ablatio: ut Propertij illud,

Nec ſi poſt ſtygias aliquid reſtabit ærumnas.

Cum ærumna diphthongon in prima habeat. Parellipſis eſt, cum duplicatæ conſonantis ablatio eſt. ut cum Lucanus dicit,

Et lotam paruo reuocant Almone Cybellem. Iuuenalis autẽ,

Hic turpis Cybeles, & fracta uoce loquendi.

Ecthlipſis eſt, conſonantis uel ſolius ablatio, quod in s litera maxime ſolet fieri. Lucretius, Vulnera quas lachrymas peperere minoribus noſtris. Vel cum ſua uocali: ut, Inter ſe coiiſſe uiros, & decernere ferro. Apocopa eſt, in fine dictionis cuiuſcunque ſyllabæ ablatio. ut, duc pro duce, uel dic pro dice, & ſimilia, ſicut dici exigebat analogia. Hæ ſunt omnes literarum ſyllabarumq; figuræ, nec plures inueniuntur. Sequitur, ut iam de dictionum & orationis figuris paucis diſſeramus. Sicut

literarum

literarum atque ſyllabarum figuris numerus præſcriptus eſt (ſiquidem uiginti & unam numero omnino eas eſſe oſtendimus) ita dictionum & orationis figurarum numerus in infinitum penè profluit. nam ſi figuræ dictæ ſunt, tropos autem & ſchemata uno figuræ nomine appellamus, quo noſter hic ordo clarior uideatur, ſi dictæ inquam figuræ in locutione ſunt : ſit ut quidam habitus in corporibus quoquo modo componantur, uelut cum ſedemus, incumbimus, reſpicimus, idq; aut intentius aut remiſſius, & infinitæ huiuſmodi corporis eſſe poſſunt formæ : ita in locutione figuræ ſunt ſermonis quidam habitus, & formæ, quibus ſermo à ſermone differt. Et quoniam ſuus cuiuſque locutionis eſt habitus, inde fit ut aliæ parum, aliæ multum inter ſe figuræ diſtent : quæ inuentæ ſunt uitandæ ſimilitudinis gratia, quæ ubique faſtidium parit: idq; ipſa rerum omnium natura nos monente, quæ ita uaria eſt, ut nihil unquam alteri ſimile procreauerit. Non me præterit magnis placuiſſe auctoribus, alias grammaticorum, alias rhetorum figuras eſſe. quod licet cur ita placuerit probabilis ratio reddi poſſe, tamen mihi ea non placet diſtinctio : & quo id planius fiat, minusq; habeat obſcuritatis, opinionis noſtræ monſtremus rationem. Illud omnes uel mediocriter eruditi ſciunt, grammaticam rectæ literataq; locutionis artem eſſe: nec hoc limite ſolo contentam, qui hæc utique dicant, ſcio. Sed de locutione nunc noſtra orta quæſtio eſt, nec magis proprium cuiuſque ſcientiæ iam eſſe manifeſtum eſt. Locutionis ergo figuræ cum ſermonis quidam habitus ſint, ad grammaticũ pertinere uidebuntur. at non ſolius locutionis, uerum & ſententiarum figuræ plerunque ſunt. Sententiarum ergo figuras oratori, uel oratoriæ, in quocunque genere ſcribenti conceſſerim, ſed locutionis grammatico : quibus ita orator & poeta utuntur, ut philoſophorum ſententijs argumentisq; dialecticorum. Duabus ſiquidem potius artibus omnis rhetorica, ut Ariſtoteles inquit, perficitur. Inuentio philoſophia, ea quæ de moribus eſt, quam græci ethicen uocant, & dialecticorum argutijs atque tendiculis. de uirtutibus ſiquidem & uitijs diſputare, ſemper conuenit oratori, & ſua confirmare, confutare autem aliena. Ab oratore uero, cum diſpoſitione pronunciatione & memoria ad cauſam explicandam literalis adfertur oratio : quamobrem & ea ars quam græci grammaticen, ex noſtris quidam literaturam, ueteres appellarunt locutionis artem, ſuppeditat. Tribus igitur potiſſimum ſcientijs facultas rhetorica conſtare uideri poteſt. ethica in pondere ſententiarum, dialectica in diſſerendo, grammatica in accurate & emendate loquendo. Sed de his hactenus. non enim nobis de hac re una diſputare propoſitum eſt. At illuc uenimus, ut dictionum & orationis figuras percurramus. Vt igitur unde exiuit noſter redeat ſermo, tam frequens locutionis eſt figura, ut ſi antiquum ſermonem noſtro compareinus, quidquid loquamur figura ſit, dum nouatis, dum antiquis tam uerbis quàm locutionibus utimur: quæ ne in uitia proſiliãt, auctoritate, uetuſtate, conſuetudine plerũque defenduntur: ſæpe etiam ratione quadam. ideoq; cum ſint à ſimplici rectoq; loquendi genere deflexa, uirtutis nomen habebunt, ſi habet probabile aliquid quod ſequantur. modus tamen adhibendus eſt. nam qui nimium affectauerit, illam ipſam uariandi gratiam amittet. In nouato uerbo figura eſt, aut cum à Græcis ſumitur, ut cum Lucret. Tibi ſuauis Dædala tellus, inquit: aut à uerbo latino, ut cum Perſius inquit,

> *Neſcio quid tecum graue cornicaris inepte.*

& rurſum alibi, *Ipſe ſacrum irrorans patinæ piper.* *In antiquis eſt figura uerbis, cuius maxime amator Virgil. fuit. uelut illud,*

> *Progeniem ſed enim Troiano à ſanguine duci*
> *Audierat.—* *Et,*
> *Nam quis te iuuenem confidentiſſime noſtras*
> *Iuſſit adire domos.—*

& Propertius, Sternuit omen amor. ſuntq; adhuc aliqua, quæ iam in frequenti ſunt uſu. ut Enimuero aſſentior, in actiua ſignificatione, ſicut aſſentio: luxurior, ut luxurio: fabricor, ut fabrico. In coniunctis uerbis nouationis quoque figura eſt: ut, oculis capti talpæ, & timidi damæ dicuntur à Virgil. in quibus ſubeſt ratio, quod altero uterque ſexus ſignificetur. ſiquidem tam mares eſſe talpas, damasq;, quàm fœminas, certum eſt. Auctoritate ſibi uindicauit quiſpiam acuta, ſi lex ab eodem diceretur auctore. item quod temporis eſt, ad rem uerbum figurate declinatur. ut cum dicit Virgil. Nocturnus obambulas. & ſimilia, apud poetas præſertim, propè infinita. Item cum communis ſermo habeat, ardeo illa re: figurate tamen Virgil. Corydon ardebat Alexin, dixit. Plura etiam ex Græco tranſlata ſunt, uelut Saluſtij, uulgus amat fieri. Vtimur & figurate comparatiuis pro abſolutis, & partes alias pro alijs partibus orationis. duo etiam inter ſe comparatiua cõmittimus, ut Ciceronis illud: Si te Catilina comprehendero, ſi te interfici iuſſero, credo utendum mihi, ne non potius omnes boni ſerius à me, quàm quiſquã crudelius factum eſſe dicat. Huic non eſt abſimile illud Homericum in Odyſ.

> Εἰ κεῖνόν γ᾽ Ἰθάκηνδε ἰδοίατο νοστήσαντα,
> Πάντες κ᾽ ἀρησαίατ᾽ ἐλαφρότεροι πόδας εἶναι,
> Ἢ ἀφνειότεροι χρυσοῖό τε ἐσθῆτός τε.

Iunctura quoque uerborum ueterum auctoritate figuras habet. uelut Horatij illud, Fabriciumq; hunc, & intonſis Curium capillis. & illud Terẽtij, Accede ad ignem hunc, iam caleſces plus ſatis. & Ciceronis de Cn. Pomp. futuro imperio. Portus quibus uitam ac ſpiritum ducitis, in prædonum fuiſſe poteſtatẽ ſciatis. In poteſtatem, non in poteſtate dixit. Ita Plautus, Num uero mihi in mentem fuit. Sunt huiuſmodi innumera, quæ uno figuræ nomine à græcis nominãtur, quo alij ἀσύντακτον ἀλλοίωσιν, quidam σολοικοφανὲς uocant. Nos nihil dicimus, niſi ut ſciamus uerborum & locutionum innumerabiles eſſe formas, quas figuras appellamus, & eaſdem numero infinitas: nec numerare neceſſarium, modo quid ſit figura intelligatur. Quare intellecta quiſque ſibi per ſe, etiam ab alijs nondum factas poterit inuenire. ſicut ex eis quæ iam diximus, uel cuique eſſe manifeſtum poteſt. Quo tamen facilius memoria comprehendi poſſint, ne nos quidem illud lateat, quæ nobiliores eminent, ad genera, & quaſi capita quædam referamus: ut non tantum quas nominabimus, ſed & quaſcunque alias quiſque queat comprehendere, quas alius plures, alius pauciores: effeciſſet. quin & ipſe Cice. in Oratore ad Brutum pauciores quàm in libro de Oratore poſuit, ut uideatur quæ referre noluit, & ſciens prætermiſiſſe ac reprehendiſſe. Omne itaque figurarũ tam uerborũ quàm orationũ genus, in duas, pariter ut ſyllabarũ (ut ſupra memorauimus) formas diuiditur: qualitatẽ & quantitatẽ. qualitatis uerborũ ſpecies ſunt, quoties uerbi aliqua permutatio efficitur: quantitatis autem, cum adiectio detractio'ue ulla, aut parilitas ſola, in orationis figura eſt. Qualitatis igitur ſpecies eſt, quam Cicero appellat exclamationem. nam cum dicit, ò Africane, cuius mortui, & quæ ſequuntur : à primo huius orationis uerbo, toti eſt inditum nomen exclamationi. & quam idem uocat ſimiliter cadens, & quam ſimiliter deſinens, ac quam annominationem: item nominatio, pronominatio, denominatio, tranſgreſſio, commutatio, abuſio quoque, uerborum figura eſt, & tranſlatio: ſic & permutatio, coniunctio, adiunctio, ut ex ſupra expoſitis facile quiſque poteſt intelligere. Qualitatis igitur figuræ uerborum tam uerbi quàm ſenſus ſunt huiuſmodi. Quantitatis autem figuras nominamus quando aut redundare aut deeſſe quid uerborum uel ſenſus uidetur in oratione, idq; ut cultior planior'ue fiat oratio. Quantitatis ſpecies, quæ in exceſſu ſunt, ſenſus quidem, emphaſis, hyperbole, ſynechdoche (quæ & defectus eſſe poteſt, ſiquidem pro ſingulari pluralis, & pro plurali ſingularis ponitur) &

totum pro parte, & pars pro toto. Quantitatis ſpecies in defectu, eſt tapinoſis: ut ſi gurges mare uocetur. Quantitatis uerborum ſpecies aliæ ſunt, ubi uerba ſuperſunt: aliæ, ubi deſunt. Superſunt, ut in ea quam Cice. repetitionem uocat, quam conuerſionem, quam complexionem, & quam traductionem: quæ figura eſt etiam qualitatis, cum eiuſdem ſignificationis uerbi caſus uarietur, & diuerſa item ſignificationis ſimile uerbum ponitur: & quæ repetitionum exempla uerborum, nos ſupra in Cice. figuris congeſſimus. Item gradatio quantitatis excedentis figura eſt. ſic correctio: niſi orationis figuram eſſe uelimus, quod poſt uerbum imo, quod corrigentis eſt, aliud ſequi neceſſe ſit. Diſiunctio, conduplicatio, interpretatio, illis adiyciuntur: item commutatio, & dubitatio. niſi has, uelut de correctione diximus, orationis duas malimus figuras dici. Quantitatis autem figuræ, quæ in defectu collocatæ ſunt, articulus, coniunctio, adiunctio, ubi unum pro pluribus ſufficitur uerbis: rurſum quia aut primum, aut medium, aut ultimum occupat locum. Qualitatis eædem figuræ ſunt, ſed diuerſa (ut dictum eſt) ratione. Item diſſolutio. Nunc ſequitur, ut paucis orationis figuras in ordinẽ digeramus. Orationum qualitatis figuræ ſunt, contentio, interrogatio, ſententia, contrarium, continuatio, definitio, permiſſio, concluſio, diſtributio, diuiſio, alia contentio, demonſtratio. Rurſum orationis figuræ quantitatis, per exceſſum quidem tum uerborum, tum ſententiarum, ſunt, ratiocinatio, membrum, ſubiectio, expeditio, circuitio, ſuperlatio, licentia, deſcriptio, frequentatio, expolitio, commoratio, ſimilitudo, exemplum, imago, effectio, notatio, ſermocinatio, confirmatio, ſignificatio, quæ tam defectus quàm redundantiæ figura eſt, cum aliquando per exuperationem plus dictum eſt quàm patitur ueritas: & per defectum, cum quod docere incœpimus, abſcindimus. Parilitatis una figura eſt, quam Cicero compar appellauit. Deficientes autem figuræ ſunt, occupatio, diminutio, ſignificatio, quam redundantiæ quoque figuram diximus, & ea quam breuitatem Cicero nominat. Quoniam ſatis, ut opinor, oſtenſum eſt, quid ſit quod figura nominatur, quot figurarum ſint genera, & ſingulorum generum quæ emineant ſpecies: nunc tempus poſcit, ut oratorum numeros aggrediamur, quos ſupra percurſuros nos polliciti ſumus. quod faciemus, ſi prius tamen quid ſit numerus, & quid à uerſu diſtet: & cum non minus pedibus conſtet quàm uerſus, ſi ipſos paucis pedes, & quibus tam numerus quàm uerſus incedit, attigerimus. Numerus igitur, quem Græci rhythmon appellant, à poetis pro uerſu aliquando capitur, ut cum dicit Virgil. Numeros memini ſi uerba tenerẽ. Alio modo numerus dicitur, pedibus quædam fluens ſtructura, quam & Cicero & Quintilianus, multiq́; præterea alij neceſſariam in orationibus oratori eſſe dixerunt. neque Demoſthenem oratorum græcorum facile principem tantopere probatum iri ferunt, niſi eius numeroſa eſſet oratio: ut ipſe Cicero. Neque enim (inquit) Demoſthenes fulmina tantopere uibraſſe diceretur, niſi numeris illa contorta ferrentur. Diſtat autem hic à carmine numerus, quod numerus ſiue rhythmus eſt pedum temporumq́; iunctura cum lenitate. Alij ſic, Numerus eſt uerſus imago modulata, ſeruans numerum ſyllabarum. Rhythmus igitur temporum ac ſyllabarum pedumq́; congruentia, aurium peritarum multiplicatur iudicio, ac profluit, ſemperq́; ne faſtidium compoſitionis ſimilitudo pariat uariatur. Metrum in certa qualitate ac numero ſyllabarum temporumq́; finitur, certis pedibus, & eiſdem ſemper conſiſtit atque concluditur. Pedes autem ipſi, & uarij re ſunt, & nominibus: quorum qui duabus ſyllabis (ut ab eis potiſſimum incipiamus, qui paucioribus conſtant) ſunt, ſpondeus, trochæus, iambus, pyrrichius. Spondæus ex duabus ſyllabis conſtat longis, temporum quatuor, ut heros. Huic contrarius eſt, quem alij pyrrichium, alij dibrachum græce, latine bibreuem, alij agœona uocant. hic duabus conſtat ſyllabis, & eis breuibus, ut bene. Iambus ex breui & longa conſtat, ut dies. Trocheus, quem nonulli chorion uocant, ex longa & breui conſtat: ut, fecit. Trium ſyllabarum ſunt: dactylus, qui prima longa & duabus conſtat breuibus: ut, tempora. Huic contrarius eſt anapeſtus, quem quidam antidactylum nominant. conſtat enim duabus breuibus & longa: ut, iuuenes. Trybrachus, quem quidam tribreuem uerterunt, græcorum alij brachyſyllabum, alij trinocheon, nonnulli pygmæona, plerique (ſicut Cice. & Quintilianus) choreum, tribus conſtat breuibus: ut, Helena. Huic contrarius eſt moloſſus, quem alij uertumninum, alij extenſipedem, græcorum quidam hippium, nonnulli chanium uocant, conſtat tribus ſyllabis longis, ut Aeneas. Amphibrachys, quem quidam utrinque breuem uerterunt, nonnulli Ionium uocarunt, alij ſcholium, conſtat ex breui & longa & breui: ut, carina. Huic contrarius eſt amphimacrus, quem feſceninum quidam appellarunt. quidam amphibneron, alij creticum uocant, conſtat ex longa & breui & longa: ut, abſtine. Bacchius, quem alij Oenocrium, alij pariambum uocant, conſtat ex breui & duabus longis: ut, Athenæ. Huic contrarius eſt palimbacchius, quem alij Latium, alij Saturninum, quidam altibreuẽ, nonnulli proponticon, alij theſſalicon uocant, conſtat ex duabus longis & breui: ut, natura. Quatuor ſyllabarum pedes ſunt: proceleuſmaticus, è duobus pyrrichijs, hoc eſt quatuor breuium ſyllabarum: ut, tenuia. Huic contrarius eſt diſpondeus, ex duobus ſpondeis ſyllabarum quatuor & longarum: ut, Mecœnates. Pæon primus conſtat ex trochæo & pyrrichio, hoc eſt longa & tribus breuibus: ut, Steſichorus. Pæon ſecundus ex iambo & pyrrichio, hoc eſt ex breui & longa & duabus breuibus: ut, colonia. Pæon tertius ex pyrrichio & trochæo, hoc eſt ex duabus breuibus & longa & breui: ut, meliora. Pæon quartus ex pyrrichio & iambo conſtat, hoc eſt tribus breuibus & longa: ut, docilitas. Huic contrarius eſt hippius, quem plerique epitritum uocant. nam ſicut pæon è numero longam, ita epitritus breuem nobis ſignificat. ſiquidem hippius, ſiue epitritus primus ex iambo & ſpondeo conſtat, hoc eſt ex breui & tribus longis: ut, capenates. Hippius, ſiue epitritus ſecundus ex trochæo & ſpondeo, hoc eſt ex longa & breui & duabus longis: ut, conditores. Hippius ſiue epitritus tertius, ex ſpondeo & iambo, id eſt ex duabus longis & breui & longa: ut, diſcordiæ. Hippius ſiue epitritus quartus, ex ſpondeo & trochæo, hoc eſt tribus longis & breui: ut, oratore. Ionicus, ἀπὸ μείζονος, id eſt, à maiore, conſtat ex ſpondeo & pyrrichio, hoc eſt ex duabus longis & duabus breuibus: ut, præludia. Ionicus à μειόνος, id eſt à minore, conſtat pyrrichio & ſpondeo, hoc eſt ex duabus breuibus ſyllabis & duabus longis: ut, cupiebant. Duabus ex breui & longa, & breui & longa: ut, Cleonides, propinquitas: qui pes dactylus ab iambo à quibuſdam dictus eſt. Huic contrarius eſt ditrochæus, ex longa & breui: & longa & breui: ut, cantilena, dimicare. qui pes à nonnullis creticus κατὰ τροχαῖον dicitur. Antipaſtus ex iambo & trochæo, hoc eſt ex breui & duabus longis & breui: ut, Medullina, Saloninus. Huic contrarius eſt choriambus, ex trochæo & iambo, hoc eſt ex longa & duabus breuibus & longa: ut, nobilitas, armipotens. Hos quinque ſyllabarum pedes ſequuntur, plures quã triginta, à nobis breuiter enumerandi. Hiortius pes, ex quinque breuibus ſyllabis conſtat: ut, mulieribus. Periambus, ex longa & breuibus quatuor: ut, Compoſitimus. Parapyrnos, ex breui & longa & tribus breuibus: ut, diu ſtetimus. Meſſomacros, ex duabus breuibus & longa & duabus breuibus: ut, deus affuit. Anapaſticus, ex tribus breuibus & longa & breui: ut, bonus amicus. Pyrrichius anapaſtus, ex breuibus quatuor & longa: ut, facilior eſt. Probrachys, ex breui & longis quatuor: ut, in uſu non eſt. Hypobrachys, ex longa & breui & tribus longis: ut, tela depoſcunt. Meſſobrachys, ex duabus longis & breui & duabus longis: ut, exiſtimarunt. Moloſſoiambos, ex tribus longis & breui & longa: ut, obteſtatus eſt. Salotibos ex quatuor longis & breui:

breui:ut,educebamus. Diphios,ex duabus breuibus & tribus longis:ut,populabundos. Orthius,ex longa & duabus breuibus & longis duabus:ut,arma capeſſunt. Amœbæos,ex duabus longis duabus breuibus & longa:ut, montes ſuperant. Moloſſopyrrichios,ex tribus longis & duabus breuibus:ut,frumentaria. Symplectos, ex duabus longis & tribus breuibus: ut,ætas hominis. Muſicos, ex longa & breui & longa & duabus breuibus ut, Cæſar oppida. Antanapæſtus, ex breui & duabus longis & duabus breuibus:ut,at indoctior. Antamœbæus,ex duabus breuibus & duabus longis & breui:ut,loca munire. Daſſios,ex tribus breuibus & duabus longis:ut,facile princeps. Tymelicos ex longa tribus breuibus & longa:ut,inſtituerant. Dochemios,quẽ alij dochimum uocant,ex duabus breuibus & duabus longis & breui:ut,capiunt arma. Vt̃ tamen tam Cice. quàm Quintilianus uolunt,fit dochimus ex bacchio & iambo,uel iambo & cretico,hoc eſt conſtat ex prima breui duabus longis, breui & longa:ut,reipublicæ. Periambodes,ex breui & longa & breui & duabus longis:ut,mori recuſant. Doriſcos,ex longa & duabus breuibus & longa & breui:ut,imperitabat. Cyprios, ex breui & longa & duabus breuibus & longa:ut, honore uiri. Anticyprios,ex longa & breui & duabus longis & breui:ut, exhiberetur. Bachichoricos,ex duabus longis & breui & longa & breui:ut,deliberanda. Hypodochimos,ex longa & breui & longa & breui & lõga:ut,multitudines. Dochimos κατὰ συζυγίαν, ex breui duabus longis & breui & longa: ut ſupra exemplum dedimus,reipublicæ. Antiſtrophos,ex breui & tribus longis & breui:ut,recognouere. Moloſſoſpondeus,ex longis quinque: ut, frumentaturi. Poſt enumeratos ſyllabarum pedes, quantitas quoque ſyllabarum tractaretur,niſi ne pueros quidem eas ignorare arbitrarer. Sunt enim multi qui de eis dedere præcepta, & nos quoque quanta breuitate potuimus,libellum olim edidimus. Illud iam ſupereſt ſolum,ut de numeris diſſeramus. Primũ quo in orationis genere numeros eſſe conueniat,in quibus orationum partibus,qualibus uti numeris, & utrum partium orationis continuos occupent numeri locos, & quo pacto ſecus conueniat: deinde quos dicere numeros poſſimus, & quos non poſſimus,& pariter quos conſectari uitioſum ſit. poſt,quales uelimus eſſe quos probamus numeros,exemplis & auctoritatibus aperiemus,atque confirmabimus. poſtremo hanc partem concludentes, quid in quaque compoſitione tenendum ſit,breuiter colligemus. Cum igitur in omni locutionis corpore,totoq; (ut ita dixerim) in orationis tractu numerum inueniri neceſſe ſit, quippe quod neque loqui quiſquam poſſit,niſi è ſyllabis breuibus ac longis, ex quibus pedes fiunt, illam dicimus numeroſe cadere orationem, quæ non prono uelut flumine decurrens interſiſtat,ſed quæ finẽ ſuum habet,naturaliq; diſtincta interuallo,quæ proxime præteriere intuendi: dedit tempus,dedit reſpirandi,ac refecit animos, & quodam quaſi modulatu uerborum concluditur. Ab hoc autem modulatu, id eſt, hac diligenti pedum obſeruatione, de qua à nobis infra dicetur,ſolutus eſt ſermo,ſoluta epiſtola,ſolutæ quoque Iuriſconſultorum ſunt editiones, & omnes de huiuſmodi rebus compoſitiones: licet ea plerunque numeris conſtare inueniantur. Primum hiſtoriam, & genus illud orationis. quod Græci epidicticon,noſtri demonſtratiuum uocant,numeroſa eſſe conuenit. Deinde in deliberatiuo iudicialiq; genere id obſeruandum, ſed ſecus. ſiquidem tam hiſtorica quàm demonſtratiua omnis ad uoluptatem accommodata eſt,ac circumſcriptione ambituq; & tanquam in orbe incluſa currit oratio, quoad in ſingulis perfectis abſolutiſq; ſententijs inſiſtit. idq; ideo ſecurius fit, quòd is auditor lector'ue eſt futurus,qui non ueretur,ne compoſitione orationis inſidijs ſua fides attentetur. quin & gratiam ſcriptori oratori'ue habet,quod aurium ſeruierit uoluptati. In cæteris autem cauſis non uerborum ambitu dicendum ſemper, quinimo id perraro accidit,ſed ſæpe membratim cæſimq; dicendum. Ideoq; illa uerborum quaſi colligata cõcinnitas effugitur. quod ſi ſemper ueare, cum ſatietatem affert, tum quod cum id quale ſit facile intelligatur,actionis dolorem detrahit, & actoris ueritatem funditus tollit,& fidem. Sed quoniam adhibenda nonnunquam diximus,quo id in loco, uidendum eſt. Si igitur laudandum aliquid eſt ornatius,quoniam ea pars demonſtratiui uidetur eſſe generis,ut in Verrem Cicero de Siciliæ laude dixit: aut ſi ea ponenda narratio ſit,quæ plus dignitatis quàm doloris deſiderat, cum ad hiſtoriæ grauitatem propius accedat, ſicut in Verrem Cice. de Cerere & Segeſtana Diana,deq; Syracuſarum ſitu dixit: ut ambitu numeroſo cadant procurandum eſt. In amplificanda quoque re,dum ſenſus omnis funditur,numeroſe & uolubiliter fertur oratio. In uniuerſum igitur ſingulare aliquid præcipi non poteſt. Nam in exordio ſicut iudicis animus uarie præparatur, cum miſerabiles eſſe uolumus, cum modeſti,cum acres, cum graues, blanditijs quoque cum flectere, cum ad diligentiam hortari: ita cum diuerſa natura ſint,diſſimilis quoque componendi ratio deſideratur. Non enim ſimilibus eſt uſus Cice. numeris in exordio pro Milone, pro Cluentio, pro Ligario. Narratio ferè tardiores, atque (ut ſic dixerim) modeſtiores deſiderat pedes. Proinde cum docere & infigere animis res ſemper cupiat,quod minime feſtinantium opus eſt, ut id aptius & accommodatius rei ſit,tota conſtare narratio longioribus membris uidetur,& breuioribus periodis. Argumenta autem acria & citata,pedibus quoque ad hanc naturam accommodatis utentur. Epilogi ſummiſſum,lentum, & minus exclamantem numerum plerunque exigunt. ſiquidem ſic ferè componendum, quo modo pronunciandum erit. Et cum rerum de quibus dicimus naturam ſequi numero ſcriptor uelit eruditus,in proœmijs plerunque ſummiſſum eſſe oportet: tamen in accuſatione iudex erit concitandus,aut aliqua complendus indignatione. In narratione plenos atque expreſſos nos eſſe oportet, ne aliquo incitati affectu,quòd fidem tollit dicere uideamur. In argumentis citatos eſſe conuenit, atque ipſo etiam motu celeres: in locis autem ac deſcriptionibus,fuſos ac fluentes: idq;, quod uoluptatis cauſa comparetur. In epilogis plerunque, ut iam dictum eſt, deiectos & infractos. debent enim ſublimia ingredi, lenia duci, acria currere,delicata fluere: ac ubi urget neceſſitas, ea etiam affectabimus. Qui autem quibus pedes ſint rebus accommodatiores,paulo poſt à nobis aperietur. Expoſitum iam,ut opinor,eſt ſatis,quo in orationis genere,quibuſq; in orationis partibus,ac qualibus uti numeris nos oporteat. Reliquum eſt,ut partium orationis continuos'ne numeri locos occupent, dicamus. Quoniam ueteres maxime ſtuduerunt ne flueret,uagaretur,ac longius excurreret oratio,eam diſtingui & interſiſtere, modo cæſis, modo membris,modo clauſulis, eademq; omnia numeris uincienda uoluerunt: primum,quid ſit cæſum,quid membrum,quidq; clauſulam nominemus,referendum paucis puto, quando ſupra de eis dictum: deinde quo pacto numeris uinciri intelligantur, quod non tanti profecto laboris eſt, quanti forte aliquibus uidebitur. Ille ambitus,quẽ græci periodon, noſtri clauſulam, multiq; alijs nominauere nominibus, conſtat (ut Cice. inquit) ſi plena ſit, quatuor ferè partibus,quæ membra dicimus,ut & aures impleat,né ue breuior ſit,neque longior. quanquam utrunque nonnunquam, uel potius ſæpe accidit, ut aut citius inſiſtendum ſit, aut longius procedendum, ne breuitas defraudaſſe aures, ne'ue longitudo obtudiſſe uideatur. Cum autem ſint periodon duo genera,unum ſimplex,quod longius prouehitur atque circumducitur: alterum,quod membris & inciſis conſtat: primum eſt, ut, Diuturni ſilentij P.C. quo eram his temporibus uſus, non timore aliquo, ſed partim dolore, partim uerecundia finem hodiernus dies attulit. qui ambitus clauditur pæone tertio, iambo & dactylo. Alterum eſt ſæpe breuiſſimum,quod inciſis conſtat. ueluti illud Craſſi: Miſſos faciant patronos, ipſi prodeant, qui niſi

Interuallo proferatur. ſenarius uidetur iambicus. melius autem, Prodeant ipſi, dici & Cice. arbitratur. In eodem genere eſſe ambitus ille creditur, qui ex membris conficitur, aliquanto longior quàm qui ex cæſis, breuior autem quàm qui continuus fluit. ut, Cur clandeſtinis conſilijs non oppugnant? cur de profugis noſtris copias comparant contra nos? ubi utrũque membrum ſpondeis clauditur, quod ſic plerunque Craſſus diceret. licet in illo quod cæſis confectum eſt, amphimacro uſus ſit, ſpondeus amphimacrum antecedit. Porro quæ inciſim aut membratim efferentur, ea uel aptiſſime cadere debent. Inciſim, ſic ut Cice. illud: Domus tibi deerat? at habebas. pecunia ſuperabat? at egebas. quatuor ſunt inciſa. Membratim, ut rurſum Cicero: Incurriſti amens in columnas, in alienos inſanus inſaniſti. duo ſunt membra. deinde & cæſa & membra tanquam crepidine quadam comprehenſione longiore ſuſtinentur: ut Ciceronis illud, Depreſſam, cæcam, iacentem domum pluris quàm te & quàm fortunas tuas æſtimaſti. qui ambitus duobus trochæis terminatur, cũ ſuperior ambitus ex membris ſpondeis concluſus fuerit geminis. qui autem ex inciſis, ex ſpondeo: nam ultima pro communi iam recepta ſyllaba eſt, præcedente pyrrichio. Inciſim autem & membratim tractatur oratio, ubi uere aliquid dicere uideri nolueris, cum aut arguas, aut renellas. ut Ciceronis illud in Corneliana: O callidos homines, ò rem excogitatam, ò ingenia metuenda. Circuitus tamen ille, quem iam ſæpe diximus, incitatior numero ipſo fertur & labitur, quoad perueniat ad finem. Sed iam quos accipiant pedes inciſorũ membrorum clauſularum'ue locos, dicendum. A' ueteribus ſanè quæſitum eſt, toto'ne in ambitu uerborum numeri tenendi ſint, an in primis partibus, atque extremis tãtum. Sunt qui comprehenſionem totam à capite ita fluere pedibus continuis uelint, ut ad extremum ueniens, pedibus quoque conſiſtat. nec id difficile factu arbitrati ſunt, ijs præſertim qui bonis diſciplinis exercitati ſunt & ſcripſerunt, adeo ut quæ non ſcripſerint, ſimilia ſcriptorum effeciſſe credantur. ſed de hoc poſterius ſuo loco uberius diſputabitur. Cum igitur eadem faciamus quæ poetæ, tamen in oratione poematis effugere oportere ſimilitudinem ducunt, ut non tantum alijs atque alijs ſtruatur pedibus oratio: ſed etiam ut concentus ille in extremis ſeruetur duntaxat clauſulis. Plerique cenſent cadere tantum numeroſe oportere terminariq; ſententiam. cumq; aures extremum ſemper expectent, in eoq; acquieſcant, id uacare numero non oportere. Ariſtoteli autem & Ciceroni & Quintiliano placet, tam ſententiæ initium quàm finem eſſe numeroſum. quandoquidem ſtatim à principio ſententiæ dictionis cócinnitate multum afficiamur, & ipſa concluſione, ne claudicans ac quaſi fluctuans, ſed æqualiter conſtanter'que ingrediens habeatur oratio. Nunc quos nos poſſimus numeros appellare, uidendum eſt. Numerus proprie uerſus dicitur, & continue concluſa pedibus oratio. ſed oratorius numerus eſt, cum principio fineq; numeroſo clauditur ſententia: idq;, ut Cicero inquit, in dicendo numeroſum putatur, non quod totum conſiſtat è numeris, ſed quod ad numeros proxime accedit. quo etiam difficilius, ut oratione utamur cenſet, quàm uerſibus, quòd in illis certa quædam & definita lex eſt, quam ſequi ſit neceſſe: in dicendo autem nihil eſt propoſitum, niſi ne aut immoderata, aut anguſta, aut diſſoluta, aut fluens ſit oratio, quod totum in ſumma ſcribentis prudentia locatum eſt. item ſi pedibus nec apte coniunctis claudatur ſententia, numerus non eſt: non minus quàm ſi unico claudatur pede, qui tres non ſuperet ſyllabas. pes ſiquidem erit, non numerus. Poterit autem unus eſſe dichoreus, qui è duobus trochæis conſtat. Sequitur, ut quos ſequi numeros uitioſum ſit, exponamus. Attendendum igitur, quod quemadmodum qui audiunt, hæc duo animaduertunt, & iucunda ſibi cenſent, uerba dico & ſententias, eaq; dum animis attentis admirantes excipiunt, fugit eos & prætereuolat numerus: ita ſi idem ſæpe reiteretur numerus, quod ab audientibus intelligatur, at per hoc ſatiet, quod quidquid uoluptatis cauſa accerſitum ſit, non nimium & frequens eſſe oportet: quando Voluptates commendat rarior uſus, uitioſum erit. Quod uitium ut effugiatur, ſunt hi quidem inter ſe miſcendi, & temperandi. ſic minime aduertetur delectationis aucupium, & quadratæ orationis induſtria. Vitioſus & ille numerus eſt, cuius pedes apti & quaſi coagmentati non iunguntur. Quod quale ſit, cum qui apte iungantur dixerimus, facile intelligetur. Item uehementer eſt uitioſum, ſi in oratione in uerſus aliquando, licet per imprudentiam incidamus. quanquam enim numeris, & eiſdem poeticis, componitur oratio, eam tamẽ ſolutam & liberam eſſe oportere intelligamus, ne poema componere uelle uideamur. Licet itaque nobis dimidiatos plerunque uerſus adhibere, integros non licet, & ferè ultima uerſuum initio conueniunt orationis. Titus quidem Liuius ab hexametri exordio cœpit, ut Quintilianus exiſtimat: Facturus'ne operæpretium ſim. idq; melius eſſe, quàm quod modo emendatur. Cicero tamen tã acris animaduerſionis ſecurus, aliquando uerſum abſoluit: ut trimetrum in Piſonem, Pròh ò dij immortales, qui hic mihi luxit dies? Sic Saluſtius, nec minus Græci. quin & ipſe Plato accuratiſſimus compoſitionis, in Timæo prima ſtatim in parte uitare iſta non potuit. nam & initium hexametri ſtatim inuenias, inquit enim, εἷς, δύο, τρεῖς, ὁ δὲ δὴ τέταρτος. Nec non & Iſocrates, qui prius in oratione poſt Thraſymachum, qui in eis nimius fuiſſe perhibetur, numeros, dum uerſum effugere etiam uoluit, in Panathenaici principio in trimetrum iambicum incidit, cum ita dicit, Νεώτερος μὲν ὢν προῃρούμην γράφειν τῶν λόγων. & in ſimilia propè infinita, quæ tã apud hos, quàm apud alios auctores ſatis idoneos, quiuis ſtudioſius inquirens animaduertet. Nunc qui'nam probentur à ueteribus numeri, dicendum nobis eſt. Siquidem ſicut in uerſu uulgus, ſi eſt peccatum, uidere: ita in oratoria locutione, quidquid claudicauerit, ſentire intelligimus. Sed poeta non ignoſcit, oratoribus concedit. Tacitus tamẽ, non eſſe quod dicimus aptum perfectum'que, reclamat. Primũ igitur, quot numerus oratorius pedes, deinde quos ſuſcipiat, nobis aperiendum eſt. Clauſularum initia ut apte incederent, & eorundem fines concinne clauderentur, non unico pede labi aſtringiq; ueteres noluerunt oratores, ſed alterum ac plerunque utrobique tertium adiungi, ubi paucarum ſint pedes ſyllabarum. Plures aũt, ut uerſus ſimilitudinem effugerent, eſſe prohibuerũt. Pedes uero oratorius numerus nullos reſpuit, dicente etiã Quintiliano, his uerbis: Miror enim in hac opinione doctiſſimos fuiſſe, ut alios pedes ita eligerent, alios damnarent, quaſi nullus eſſet quem non ſit neceſſe deprehendi. non ergo pedes, ſed pedum iunctura damnanda eligenda'ue ſunt. Omnes autem nobis in præſentia complecti difficile, at maxime probatos ab egregijs rhetorices magiſtris, ſummiſq; dicendi auctoribus referemus. Illud primum ſciendum eſt, non tantum referre qui pedes, ſed quæ uerba iunctura quadam claudant orationem. nam ſi in extrema ambitus parte breuiora locaueris, infringitur illa quaſi membrorũ comprehenſio. Quare aut paria ſyllabis eſſe debent poſteriora ſuperioribus, aut (ut Cicero melius iucundiuſq; putauit) longiora. monoſyllabon enim in fine antecedenti uidetur iungi per ſynalœpham, ut Auxilium eſt. Spondeus igitur, ut à duarum ſyllabarum pedibus potiſſimum inchoemus, quo Demoſthenes eſt plurimum uſus, moram ſemper fert ſecum. Et illud eſt tenendũ generaliter, quod qui pedes ſunt temporibus pleniores, longiſq; ſyllabis, hoc magis ſtabiles, & grauiorem faciunt orationem. breues autem, celerem ac mobilem. Itaque ſi ubi opus eſt, uelocitate tardum & ſegnem adhibeas pedem, & ubi pódus exigitur præcipitem ac reſultantem, merito damnabitur. Spondeus præcedente ſe pyrrichio bene ſonat: ut, Inuiani. uel trochæo: ut, arma ſumpſi: &, acta res eſt, uel iambo: ut, manus armant. quod ideo quidam non probant, quod trimetri iambici uerſus eſſe uideatur.

Ipſe

ipſe ſibi male ſpondeus præponi creditur: ut, oratores. niſi quod tam Pompeius Meſſalinus, quàm ipſe Cicero, idoneum putant ceſis & membris: ut, Craſſus nos oppugnat. propterea quod paucitatem ſyllabarum cum grauitate ſua & tarditate compenſat. Ne quidem dactylum bene præponi ſpondeo, Cicero & Quintilianus exiſtimant, quando finem uerſus in fine damnant orationis. Terentianus tamen non reſpuit. hoc tale eſt, contra Cæſaris arma. Quotiens autem una pars orationis in fine clauſulæ acceperit anapæſtum & trochæum ſiue ſpondeum (non enim ignoramus in fine pro longa breuem accipi, idem ergo erit pes trochæus, qui & ſpondeus, in fine) qui ſi finem inquam antedente anapæſto in eadem orationis parte clauſerit, mollem & quaſi lubricam ſtructuram dabit: ut, dominabitur. quamuis enim ijdem fuerunt pedes, eadem tempora, tamen ubi diuerſæ ſint partes orationis, retentus neſcio quo pacto ſpiritus, ac reſtitutus, affert quandam compoſitioni firmitatem: ut, uideant ipſi. At in una parte orationis properare uerba, & continua ſpiritus celeritate labi uidentur: ut, populabundos. Idem de tribrache dicimus: ut, gerere morem, & facilitates, temeritates. Spondeus recte iambo præponitur: ut, doctus fui. ſe ipſo iambo præcurrente: ut, bona fide. & cretico: ut, proſpera fide. Licet enim Ariſtoteles, Theophraſtus, & Theodectes, trochæum & pyrrichium reſpuant, quòd ultimas longas eſſe ſyllabas ſemper uelint, à Cic. non omnino improbatur. Trochæus, ſi ſe præcedat, iuncturam facit, quæ maxime Ciceroni placet: ut, ab omnibus eſſe ei pœnas perſolutas. dictum iam enim eſt, nihil ad rem pertinere, extrema longa'ne illa ſit, an breuis. & Gracchi illud, patris dictum ſapiens temeritas filij comprobauit. quo dichoreo tantum clamore concionis excitatum eſſe Cic. ſcribit, ut eſſet admirabile. ordinem immuta, fac ſit, Comprobauit filij temeritas: iam nihil erit, ut Cic. æſtimat: & ſi temeritas è tribus breuibus & longa eſt, quòd Ariſtot. ut optimum probat. à quo ipſe diſſentit Cicero. ſunt tamen & alij qui nõ improbant. Trochæus autem, ſpondeus & iambus, ſimul (ut Cic. inquit) male concludunt, quoquo modo ſtruas, tumor tamen rerum ex ſpondeis atque iambis maxime continetur: ut, ſceptrũ mihi liquit Pelops. Pyrrichius decurrit: ſed quãtum celeritatis, tantũ grauitatis admittit. Quid igitur faciam? Iãbus craſſatur in carmine, Quis hoc poteſt uidere? quis poteſt pati, niſi impudicus & uorax, & aleo? In uniuerſum autem, ſi ſit neceſſe duram potius atque aſperam compoſitionem, quàm effœminatam & eneruem, mauult eſſe Quintilianus, ut neque longioribus quàm oportet hyperbatis utamur, neque ullum aptum atque idoneum uerbum permutemus gratia lenitatis. quando non erit ullum tam difficile, quod non commode inſeri poſſit. Sed iam multos uideas in dicendo non tã accuratos, quàm (ut ita dicã) operoſos, & in uerborum floſculis omnem terentes componendi operam. quin & quotidie magis laſciui ſumus. Quare modus habendus eſt. nam ſi nimij ſimus, intollerabile uitium eſt: ſin autẽ nullus inerit numerus, ut iam ſæpe diximus, diſſipata & inculta & fluens erit oratio. Sed de pedibus iam dicamus, qui tribus ſyllabis conſtare inueniuntur. Dactylus, qui Ariſtoteli amplior, ſicut humanior iambus uidetur, quem tam Quintilianus quàm Cicero herouum uocat, clauſulam reddit fortem, antecedente trochæo, cui Ariſtot. chordacis nomen imponit: ut, iure fecimus. Pyrrichio antecedente, bene dicitur: ſpondeo, cauſas audiat, iuſte fecimus: iambo, fide dicitur, dies attulit: & tribrachys quoque dactylum bene præcedit, recole nomina: anapæſtus, repetes cætera: & palymbachius, ſepono cætera: & moloſſus, quærebat dicere. Dactylum ſpondeum & anapæſtum quoquo modo ſtruas in principia continuandorum uerborum, ſatis decore cadere Cicero arbitratur. uelut illud Liuij eſſe diximus, Facturus'ne operæpretium ſim. Optime incipitur à longis, ut, Cum propter egregiam. aliquando à breuibus, ut, Nouum crimen Caius Cæſar. &, Animaduerti iudices. ſed pro Cluentio recte, quod initium eius partitioni ſimile eſt, quæ celeritate gaudet. Clauſula quoque è lõgius firmiſſima à Quintiliano putatur: ſed cadet & in breues aliquando. Facit etiã tribrachys ad clauſulam, præcedente cretico: ut ſi dicas, de cæteris agite, de prælijs redeo, de literis dubito. Amphibrachys quoque recte ponitur in clauſula, ſpondeo ferè antecedente: Ludos habete, recte locutus. & trochæo, iuſta querela, Hinc eſt illud Tullianum: Et priſtinum morem iudiciorum requirunt. &, Neminem præponendum mihi eſſe actorem putaui. Anapæſtus etiam clauſulis conuenit, ſed ruens, atque in rhythmi modum profluens, & pentametri finis: Nam ubi libido dominatur, innocentiæ leue præſidium eſt. Mollior fiet præcedente ſpondeo: ut ſi mutes, Leue innocentiæ præſidium eſt. Eadem erit, ſi trochæum anteponas, profluentior: ut, Nomen erat imperij. Creticus antecedens eum, paulo fortiorem reddit: ut, Nobiles homines. ſicut ante ſpondeum exultat: ut, de quo ego nihil dicam, niſi depellendi criminis cauſa. & illud, Quouſque tandem abutere Catilina patientia noſtra? Creticus quoque ipſe initijs optimus: Quod precatus à dijs immortalibus ſum. Sed clauſulas diligentius ſeruandas eſſe arbitramur, quàm ſuperiora, quòd in his maxime perfectio atque abſolutio iudicatur. Nam uerſus æque prima & media & extrema pars attenditur, qui debilitatur in quacunque ſit parte titubatum. In oratione autem pauci prima cernunt, poſtrema plerique. quæ quoniam apparent, & intelliguntur, uarianda eſſe diximus, ne aut animorum iudicijs, aut aurium ſatietate repudientur. Duo autem, aut tres, ut Cicero uoluit, ſunt ferè extremi ſeruandi & notandi pedes, ſi modo non breuiora & præciſa erunt ſuperiora: ut creticus, aut herous, aut pæon, quem Ariſtoteles probat. horum uiciſſitudines efficient, ut neque hi ſatientur qui audient faſtidio ſimilitudinis: nec nos id faciemus, quod dedita opera facere uideamur. Creticum bene antecedent uel anapæſtus, ut populo conferunt: uel pæon ille qui fini aptior dicitur, placat facilitas nobiles: uel epitritus tertius, ſeruare quamplurimos: uel trochæus, turpe ducerent. Hæc de trium ſyllabarum pedibus, de quibus non quaſi legem inuiolabilem dedimus, ſed quod eſſet optimum oſtendimus. Cæterum quatuor ſyllabarum pedes, quo pacto iunctura quadrent, referendi. Pæona primum, & pæona quartum, probat Ariſtoteles: cui à priore quidem ordiri placet, ut hæc uerba ſunt, deſinite, incipite, comprimite: poſteriore autem finire, ut hæc uerba, agilitas, facilitas, domuerant. Quod Cicero carpit, cum inquit: Quare etiam pæona qui dixit aptiorem, in quo eſſet longa poſtrema, uidit parum, quoniam nihil ad rem eſt, poſtrema'ne longa ſit, an breuis, quod uideatur aliquid uacantis temporis ex eo quod inſequitur accedere. Aures tamen, inquit Quintilianus, conſulens meas, intelligo multum referre uerum'ne longa ſit quæ claudit, an pro longa. neque enim tam plenum eſt dicere, timere quàm timeri. Pæona igitur tertium, qui tertia longa quater ferit, bene acriterq; concludere omnes conſentiunt. cui Cicero tribrachum anteponit, ſic facere uideamur. aliquando iambum, ut in Catilinam, cum omnibus potius quomodo ſoli pati uoluerunt. Sæpiſſime autem trochæum, ut pro Cluentio. Quantum difficultatis & quantum laboris ſit habitura. & in Oratore ad Brutum, Diu multumq; mecum Brute dubitaui. Proinde hæc Ciceronis iam peculiaris facta ſtructura eſt, Eſſe uideatur. Sicut autem iambus in eis quæ demiſſo atque humili uel craſſanti ſermone dicuntur, frequentiſſimus eſt: ita pæon hic in amplioribus, & in utroque dactylus. Itaque in uaria & perpetua oratione

hi ſunt inter ſe miſcendi, et temperandi. Dichoreo quoque idem auctor frequenter utitur, ut Dicere maluerunt, & niſus eſt confiteri, & Crimina detulerunt, & Exercitum compararunt. Et pro Ligario, aut leuium Græcorum, aut immanium Barbarorum: & pro Milone, Contra amentiam perditorũ. Illum quoque pedem quem antipaſtũ uocamus, bene dactylus antecedit: ut, uir optimus uideretur: &, Hortenſius perorauit. & trochæus: ut, ſua manu ſororem interfectã eſſe fateretur. Nec minus eũ pedem, quem ionicũ maiorem nominamus, optime præcurrit tribrachys, ſtruitq; clauſulam. uelut ubi inquit Cicero, Quorũ igitur impunitas Cæſar tuæ clementiæ laus eſt, eorũ te ad crudelitatem acuet oratio. Aliquãdo pyrrichius, fluit oratio. nõnunquã trochæus, currat oratio: quibus Cicero utitur ſtructuris. Sed & illa uerba quæ quinque ſyllabis conſtant, fluxiorem ſtructurã faciunt: ut, arbitramini, interrogauerũt, deſiderauerunt. Omniũ quinque ſyllabarũ unicũ Cicero pedem dochimũ, cuius exemplũ ponit, Amicos tenes, quouis loco aptũ eſſe dicit, ſiue ambitũ inchoet, ſiue cõcludat, dum ſemel ponatur. quod iteratus aut cõtinuatus, numerũ apertũ et nimis faciat inſignem. His igitur tot cõmutationibus, tamq; uarijs ſic utemur, ut oratoris plenã fluentemq; libero impetu facultatẽ his ſemper uinculis nõ alligemus. Nã uerborum cõpoſitio non ex labore anxio uenire oportet, ne in dimetiendis pedibus, ac perpendendis ſyllabis quiſquã cõſeneſcat, ſed uſu atque exercitatione ꝑpetua auribus, quæ uelut arbitræ cõpoſitionis eſſe debẽt, iudicet quid ſtrictũ, qd effuſum, quid ubertũ, quid durũ, quid effœminatũ ſit. Plerũque etiã nimiæ artis opinio fugienda eſt, & interponenda ſimplicitas rudis atque imperitæ dictionis, quod plerunque acribus ſenſibus ſit uis maior, ſi naturaliter proferatur. quod ipſum Ciceronem ſæpiſſime feciſſe, liquido deprehendi poteſt. Sed ubi id faciendũ ſit, ſupra (ut opinor) abunde dictũ eſt. Nũc aũt reliquũ eſt, ut quæ omnis deſideret cõpoſitio, breuiter colligamus: quo longius eractata ſuperius, tenaciori teneantur memoria. Quoniam eloquentia cõſtat ex ſententijs & uerbis, perficiendũ eſt, ut doceamus acute, delectemus quaſi argute, cõmoueamus grauiter: uitioſumq; in ſententia, ſi quid abſurdũ, aut alienũ, aut nõ acutum, aut ſubinſulſum eſt. In uerbis, ſi inquinatũ, ſi abiectum, ſi non aptũ, ſi durũ, ſi longe petitũ. Danda ergo opera eſt, ut in uerbis quidẽ ſingulis emendate loquamur, quod eſt latine: ut perſpicue, ut ornate. Perſpicua erunt, ſi propria. in proprijs lautiſſima eligamus. Ornata erũt, ſi nouata, non tamen nimiũ licenter: ſi priſca, nõ tamen ẽ medijs eruta tenebris: ſi trãslata, in trãslatis ſimilitudinem ſecuti: ſi uerecunde utamur alienis. In coniunctis autem uerbis, ordo: ne ſenſus præpoſtere coniungantur: iunctura, ne hiet & quaſi laboret oratio: numerus, ut ſententiarũ initia apte iungantur, et eædem concinne cõcludantur. Tum quod tam ad ſingula quàm ad coniuncta uerba pertinet, ſonus & figuræ, quæ duo maxime aures permulcent. Verba igitur legenda potiſſimũ ſunt bene ſonantia: ſed ea non, ut poetæ, exquiſita ad ſonum, uerum de medio ſumpta. In quo delectu aſperitatẽ fugiamus, quãdo ad lenitatem duo hæc, ſicut & numerus, comparari debent: ſed ut ferent ſententiæ, ita ſeligemus, ut nihil de induſtria feciſſe uideamur. Figuræ autem ne nimium frequentes ponantur, aut etiam affectentur: hoc eſt, ne frigidæ ſint & otioſæ. uitioſæ enim ſunt quæque cõpoſitiones, quæ in hoc ipſum petũtur, ut exultent atque laſciuiant. Hæc habuimus quæ de elocutione diceremus. Sed quoniã hæc omnia imitatione & exercitatione aſſequi poſſumus, de his quoque partibus ſe nobis præcepta traditurum præceptor noſter uir clariſſimus Georgius Valla fuerat pollicitus. Sed quemadmodum nos quoque teſtes fuimus, id præſtare non potuit, multis impeditiſſimus negotijs. hanc tamen partem non omiſſurũ dixit, ſed traditurum cõmodiore loco: ſicut & omnem ait ſe complexũ fuiſſe Rhetoricam. Quare ut ab eo excepimus, omnia in hoc tibi uolumen congeſſimus, Patrue præſtantiſſime, ut noſtrorum laborum tibi potiſſimum innoteſcant primitiæ, quas ſub præceptore noſtro hauſimus præſtantiſſimo. Vale.

FINIS.

M. FABII VICTORINI RHETORIS, IN M. CICERONIS DE INVENTIONE LIBRVM I. COMMENTARIVS.

O MNIS *quicunque incipit cuiuſcunque generis orationem, hæc tria in principijs adhibere debet, ut auditores faciat attentos, beneuolos, dociles. Ergo hic Cicero facit dociles auditores, cum quid ſit eloquentia oſtendit: Attentos, cum dicit ſe de eloquentia dicturum, re ſcilicet magna: Beneuolos ſiquidem, quia oſtendit futurum ei commodum, qui his artibus fuerit edoctus. Eloquentia igitur qualis ſit, per ſe ipſa non oſtendit, ſed eſt capax qualitatis, quam non in ſe habet, ſed accipit ab agente. Nam ut cuiuſcunque ingenium fuerit, eius qui ea utitur, perinde qualis ſit, & quid faciat, demonſtrat. Ergo quoniam quiuis mediocriter ſapiens poteſt uidere, eloquentiam ſi in homine ſtulto ſit, malam eſſe: ſi in ſapiente, bonam eſſe: propterea Cicero non utrum bonum an malum ſit eloquentia quærit, ſed utrum plus boni an plus mali habeat oſtendit. Tractat autem in principijs quatuor theſeis. Vnam talem. Studendum eſſe ſapientiæ cum eloquentia. Aliam, Parum prodeſſe ſolam ſapientiam, tamen prodeſſe. Tertiam: Multum nocere eloquentiam, ſi ſine ſapientia ea ſit. & quia poteſt dici, Ergo eloquentiæ ſtudendum non eſt? nam ubique ſapientiam laudas. Reſpondetur. Studendum eſſe eloquentiæ, quia per eloquentiam uim ſuam ſapientia exercet neceſſario. Quarta theſis. Studendum eſſe eloquentiæ: ſed tamen quæ ſit mixta ſapientiæ. Animaduertere tamen debemus in principijs deliberationis propoſitionem, Partes propoſitionis, Executiones partium, poſtremo uero ſententiam. Quod diligenter attendenti facile cognitu eſt. Sed antequam ad id unde cœpit Cic. ueniamus, dicendum primum uidetur quid ſit ars, deinde quid interſit inter artem & uirtutem. Ars eſt, quæ ſignificantiam ſui plenam non habet, ſed intelligitur ad aliquid pertinere. non enim uelut codice nominato, ſcimus ſtatim quid ſit codex, ita mox ſcire poſſumus quid ſit ars, niſi additum fuerit cuius ars ſit: ut ars poeticæ, grammaticæ, eloquentiæ. Virtus eſt animi habitus, in naturæ modum rationi conſentaneus. & ideo in naturæ modum: duobus enim conſtamus, anima & corpore. Anima immortalis eſt: ſi immortalis eſt, ẽ diuinis deſcendit: ſi è diuinis deſcendit, perfecta eſt. Sed acies quamuis perfectæ animæ quodam corporis craſſo tegmine irretitur, & circunfunditur, & ita fit ut quandam obliuionem ſui capiat. Cum uero ſtudio ac diſciplina ueluti detegi cœperit atque nudari, tunc in naturæ ſuæ modum animi habitus reuertitur, atque reuocatur. Hanc uirtutem Plato dicit nunc arte fieri, nunc cũ hominibus naſci, nunc in exercitatione cõfici, nunc à Deo dari. Hæc uirtus in Rhetoricis ẽ Cicerone eadem ponitur, quæ ſapientia. Alibi uero, id eſt in libris de Rep. ab eodem Cicerone illa uirtus dicitur, quæ prudentia. Virtus igitur habet partes quatuor: Prudentiam, Iuſtitiam, Fortitudinem, Temperantiam. Prudentia eſt, rerũ bonarum & malarum per omne tempus ſcientia.*

Iuſtitia

iuſticia eſt, animi habitus ita informatus, ut omnibus meritis tribuat dignitatem. Fortitudo eſt, conſiderata periculorum ſuſceptio, & laborũ perpeſſio. Temperantia eſt, animi circa res inutiles atque inhoneſtas uictrix ac pudica dominatio. Harũ partium ſingularum partes in cõſequentibus cognoſcemus. Nunc ad id quod oſtendere propoſuimus reuertamur, ſcilicet ut quid inter artem & uirtutem interſit uideamus. Harũ quatuor partiũ, quas diximus ineſſe uirtuti, nulla omnino per ſe in artem cadit. Ars enim tantum præcepta tradit, nõ aliquid ſecundũ ipſa præcepta faciendum. Ideo ars ſapientiæ tradi non poteſt. Per ſe autem tota conſtat ac permanet quæ perfecta eſt, ſi hæc quatuor teneat: Prudentiam, iuſtitiã, fortitudinem, temperantiã. Datur autem ars eloquentiæ, & recte datur. Etenim ſi conſtat quatuor rebus, natura, uſu, exercitatione, arte: neceſſario & artis præceptio in eloquentiam datur. Quæ ſi deeſt, profecto tria illa multum interdum nocere, nunquã prodeſſe poſſunt. Dicendum etiam uidetur, quæ diſtantia ſit inter rhetorem, ſophiſtã, & oratorem. Rhetor eſt, qui docet literas, atque artes tradit eloquentiæ. Sophiſta eſt, apud quem dicendi exercitium diſcitur. Orator eſt, qui in cauſis priuatis ac publicis plena & perfecta utitur eloquentia. Et ut ſciamus alium eſſe rhetorem, alium oratorem, hos libros artium rhetoricarũ uocauit, ubi docet artem dicendi. Illos alios treis, de Oratore nominauit: ubi illa quæ habere debeat orator, oſtendit. Nunc ergo conſiderans quid & quantum ſit illud de quo dicturus eſt, id eſt eloquentia, recte ſe dicit diu cogitaſſe, non utrum bona an mala ſit eloquentia, ſed utrum plus boni an plus mali habeat.

SAEPE & multum hoc mecum cogitaui.] *Horũ ſi unum ſit, nõ oſtendit ſatis diutinã cogitationẽ. Poſſumus enim frequenter aliquid cogitare, ſed ſtatim à cogitatione deſiſtere. Poſſumus itidem diu aliquid cogitare, ſed in una tantũ die facere. Recte ergo utrũque coniunxit: Sæpe, & multum hoc mecũ cogitaui. & quia in publicũ res proferri non debuit, niſi certa & deliberata, recte ait, hoc mecũ cogitaui.* Boni'ne, an mali plus.] *Cauſa deliberationis, non utrũ bona an mala ſit eloquentia, ſed utrũ plus boni an plus mali habeat eloquentia. nõ tamen uacat ratio ordinis. potuit aũt dicere, Mali'ne, an boni plus. Sed ſic dicendo naturã tenuit eloquentiæ, quæ cũ primum agere cœperit, profuit hominibus. nam cõpulit eos et congregauit. Poſt aũt deprauata ingenio malorũ, multũ nocuit Reip. Bene ergo ordinẽ tenuit, ut diceret. Boni'ne an mali plus hominibus attulerit, & ciuitatibus.* Hominibus & ciuitatibus.] *Reſp. duobus cõſtat, publico & priuato. ideo Hominibus et ciuitatibus. Hoc et in Verrinis animaduertere debemus, qualiter ubique Cicero aut homines defendat, aut ciuitates.* Copia dicendi.] *Quoniam nomen eloquentiæ id ſibi obtinet ac uendicat, ut cũ ad aures uenerit, nõ niſi optima accipiatur. Ideo maluit definire eloquentiã. Ne quis ergo audita eloquẽtia, quæ quaſi ſono ipſo id obtinuit, ut mixta uideatur eſſe ſapiẽtiæ, ne quis inquã deliberandũ non crederet, utrũ plus boni an plus mali habeat eloquentia, ſed ipſam per ſe ſatis exiſtimaret bonã, propterea maluit definire eloquentiã, inducendo copiã dicendi. Quæ quia poteſt ad utrũque flecti, cauſam deliberationis induxit.* Ac ſummũ eloquentiæ ſtudiũ.] *Poſtquã docuit quid eſſet eloquentia, per definitionem ſecurus poſtea, occupatis iam auditorũ ſenſibus, eloquentiã nominauit. Sed recte ait: Ac ſummũ eloquentiæ ſtudiũ. nõ enim poteſt declarari quid poſſit eloquentia, niſi in aliquo fuerit, ac plena fuerit.* Nã & cũ noſtræ Reip. detrimenta conſidero.] *Oſtenſurus quantũ boni aut mali poſſit eloquentia, de Rep. loquitur. Et recte. non enim in priuatis rebus eloquentia periclitanda eſt, ſed in publicis. ita ipſe in Verrinis, cũ de ſe uel de eloquentia ſua optimã probationem afferret, publicas cauſas cõmemorat, tacet priuatas. Me qui tot annis in cauſis iudicijſq; publicis, ita ſim uerſatur. Nũc denique ut bonũ monſtret eloquentiæ, de Reipublicæ incõmodis uel cõmodis loquitur. Animaduertendũ tamen, quod partes non eodem ordine exequitur, quo propoſuit. Ait enim ſupra, Boni'ne an mali plus: nunc à malis eloquentiæ incipit. Sed ſupra naturã, ut diximus, ſecutus eſt: nunc cogitationis rationẽ ſeruat. illa enim prima cogitationi occurrũt, quæ uicina ſunt, à noſtra memoria. ideo & de recentibus, et quod eſſet magis propinquũ elegit, cum ait, Noſtræ Reip. detrimenta cõſidero. Conſideratio enim Reip. præſentis eſt. Ergo quoniã hucuſque multa incõmoda per ſolam eloquentiã Reip. cõtigerunt, recte à malis eloquentiæ cœpit: poſt dicturus de antiquioribus bonis, & malis.* Et maximarũ ciuitatũ ueteres animo colligo calamitates.] *Recedit paulatim à Rep. noſtra ad extraneas ciuitates, et recte poſt Romã maximas ciuitates nominat. Ergo quoniã uetuſtiora ſunt harũ exempla ciuitatũ, animo ſe ait colligere. In Rep. aũt noſtra quæ ſint geſta cõſiderat. Recte itaque maximarũ ciuitatũ collegit calamitates. Illic .n. aliquid operatur eloquẽtia, ubi populus maior eſt.* Non minimã uideo.] *Quia de modo hic agitur, id eſt utrum plus boni, an plus mali afferat eloquentia: Ideo ait, Nõ minimã uideo.* Inuectã partem incommodorũ per diſertiſſimos homines.] *Quod ſupra diſputauimus, noluit per eloquentiã dicere, ſed per diſertiſſimos homines: id eſt, qui habeãt copiã dicendi ſolã. Inuectã uero, p metaphorã. n. ut nauis, ſic reſp. dicitur gubernari.* Cũ autem res à noſtra memoria propter uetuſtatẽ remotas.] *Expoſitis malis, incipit dicere quid boni habeat eloquentia. A' noſtra memoria inquit remotas: ut excuſet memoriã, quaſi negligentẽ, addidit propter uetuſtatẽ. Ergo illa quæ nimis à memoria noſtra remota ſunt, qui ſcire poſſumus?* Ex literarũ monimentis, inquit, repetere inſtituo.] *Hæc monimẽta dupliciter accipimus: aut annales, aut hiſtorias. primo enim annales fuerũt, poſt hiſtoria facta ſunt.* Multas urbes cõſtitutas, plurima bella reſtincta, firmiſſimas ſocietates, ſanctiſſimas amicitias.] *Dicendũ eſt hoc loco, quid ſit ciuitas. Eſt aũt ciuitas, collecta hominũ multitudo ad iure uiuendũ. Cũ ergo fuerit ciuitas cõſtituta, neceſſe eſt ut primo bella patiatur, poſtea pacem agat. Pax enim, à pacto dicitur. pactũ uero eſſe nõ poteſt, niſi cauſa præcedat, id eſt bellũ. Hoc et Salluſtius tenuit, cũ de rebus Romanis loqueretur. dixit enim, prius bella geſta, poſt pacẽ eſſe fundatã. Res, inquit, Romana plurimũ imperio ualuit, Seruio Sulpitio & M. Marcello cõſulibus, omni Gallia cis Rhenũ atque inter mare noſtrũ & Oceanum, niſi quæ à paludibus inuia fuit, perdomita. Hic bellũ geritur. deinde pacem memorat conſecutã. Optimis aũt moribus, & maxima cõcordia egit R. P. inter ſecundũ ac poſtremũ bellum Carthaginẽſe. Quæritur autem, utrũ in bellis aliquid poſſit eloquentia? poteſt enim ſine dubio, & tãtum quantũ uirtus poteſt. Nã ſi uirtute bella finiuntur, & eloquentia bella finiuntur. ideo ergo ait:* Plurima bella reſtincta.] *Iã illud notũ eſt, quod bella ardere dicuntur, ut ait, Ardebat omnis Hiſpania citerior. Item, Quis tanti incendia belli.* Firmiſſimas ſocietates, ſanctiſſimas amicitias.] *Inter ſocium & amicũ hoc intereſt. ſocius eſt, qui nobis aliquo pacto ad aliquid gerendũ coniungitur: amicus eſt, qui nobis uſu uitæ ſimilis, pio ac fideli amore cõiungitur. et quia ſocius aliquid nobiſcũ gerit, ideo ait Firmiſſimas ſocietates: quia uero amicus pro nobis amore cõiũgitur, ideo ait Sanctiſſimas amicitias. Ergo interdũ amicus eſt, et ſocius nõ eſt, ſi mecũ nihil gerat: et rurſus, cũ ſit ſocius, amicus nõ eſt, ſi aliqd mecũ inuitus gerat. Propterea Cic. ubiq; duo hæc iũgit, ſocios P. R. atq; amicos. itaq; et hic firmiſſimas ſocietates, ſanctiſſimas amicitias.* Intelligo.] *Recte intelligo. ait .n. ſupra, Ex literarũ monimẽtis repetere inſtituo. Ergo id quod legitur, intelligẽdũ eſt.* Tũ animi rõne, tũ facili eloquẽtia cõparatas.] *Vbiq; hæc duo cõiũgit. ſed quãdo aliqd dua res agit,*

triplici modo agunt, aut æquales ſunt, aut nunc iſta plus præſtat, nunc illa. Hic autem ſapientiæ dat proprias agendi rationes. Sed quia uirtus omnis magnitudine ſui tarda eſt, idcirco ſubiunxit & tempus, ut illud quod ſapientia inuenerit, facilius eloquentia compleatur. Ergo ad aliquid cito faciendum alterũ alterius auxilij eget. Recte igitur, R. P. commodum ex confectione utriuſque coniungit. Ac me quidem.] Supra oſtendit, quantum obeſſet eloquentia, quantumque prodeſſet, ſed mixta ſapientiæ. Nunc uero uult oſtendere ſingulatim, quantũ ſapientia ſola proſit, quantumque eloquentia ſola obſit. quod enĩ oſtenderit, quoniã ſapientia ſola parum prodeſt, & eloquentia ſola multum obeſt, rurſus dicturus eſt, eloquentiam ſapientiæ eſſe iungendam. Omnis res aut nimium prodeſt, aut parum prodeſt: aut nimiũ obeſt, aut parũ obeſt. Sapientiæ unum dat, ut ſola parum proſit R. P. nihil tamen obſit. eloquentiam uero ſolam, ſæpe ait nimium obeſſe. Qua in re obeſſe ſemper oſtendit: ſed & interdum plus ſatis obeſſe. illam uero aliam partem tollit ſoli eloquentiæ, ut uel parum proſit R. P. non multum tamen obſit. Verum quod ait. Ac me quidem diu cogitantem ratio ipſa.] Ipſa, inquit, ratio, ſapientia ſcilicet, quam eloquentiæ dicimus eſſe iungendam. Quare ſi quis.] Oſtendit quid ſit plena ſapientia. Sapiens eſt enim, qui diuina atque humana optime nouit. Ergo ſtudium rectæ rationis ad diuina, ſtudium honeſti officij ad humana referamus. Quod autem ait ſtudium, rectius dixit quàm ſi dixiſſet, Quare ſi quis omiſſis rectiſſimis atque honeſtiſſimis ſtudijs rationis & officij. In his enim nominibus perfecta philoſophia eſt, quam quia nullus orator plene poteſt aſſequi, ideo nobis horum uel ſtudium habendum eſſe demonſtrat. Conſumit omnem operam in exercitatione dicendi.] Conſumit, inquit. Iam in iſto uerbo eſt inutilis labor. Quod autem ait, In exercitatione dicendi, timet eloquentiam nominare, ut ſupra diximus, ne ſenſum audientis offendat. Itaque hæc definitio eſt eloquentiæ, Eloquentia eſt exercitatio dicendi. Is inutilis ſibi, pernicioſus patriæ ciuis alitur.] Omnis homo aut ſibi aut patriæ conſulit, aut plus ſibi quàm patriæ. recte ergo homines ad hæc duo miſcenda ſapientiam & eloquentiam, primo ab utilitatibus ſuis, deinde etiam publicis inuitantur: Qui, inquit, fuerit in ſola dicendi exercitatione uerſatus, omiſſis ſtudijs rationis & officij, & ſibi inutilis, & pernicioſus patriæ ciuis alitur. Qui uero ita ſe, &c.] Bene armat, quaſi ſapientia pro robore ſit, pro armis eloquentia. Attendamus tamen, ut cum ſupra pro eloquentia aut copiam dicendi, aut exercitationem, aut diſertitudinem nominauerit, nunc ubi & de ſapientia loquitur, ut ſecurus eloquentiam nominat. hic quoque duo illa ſeruat, quæ ſupra diximus. Qui inquit ſapientiæ miſcuerit eloquentiam, is & ſuis & publicis rationibus utiliſſimus atque amiciſſimus ciuis fore uidetur.] Vtilem circa priuata, amicum circa publica accipiamus. Ac ſi uolumus, &c.] Primo rem quandam conſtituit, cui eloquentiæ nomen impoſuit, & oſtendit unde naſcatur eloquentia. Siue ex arte, inquit, ſiue ex ſtudio, ſiue exercitatione, ſiue à natura.] Huius inquit eloquentiæ, cuius incerta eſt origo, ſi uolumus conſiderare principium, inueniemus, inquit, id ex honeſtiſſimis cauſis natum, atque optimis rationibus profectum. Cauſa eſt animi impulſus, ad aliquid agendum. ratio eſt gerendorum ordo, ex cauſa uenientium, ut quid quo loco facias ac dicas, intelligas. Ergo inquit, ſi eloquentiæ principium conſiderare uolumus, primum cauſa attendenda eſt. hæc cauſa honeſta eſt. Deinde rationes, & eaſdem optimas inueniemus. Inter ſtudium autem & exercitationem hoc intereſt: Studium eſt animi ad aliquid agendum pertinacia, Exercitatio eſt ſuſcepti actus continuatio. Ex his quoque ſupra diximus, naſci eloquentiam poſſe. Nam fuit quoddam tempus.] Incipit commemorare, cauſas fuiſſe honeſtas quibus eloquentia non ad id ipſum quod nata ſit, ſed circa agendum principium ſumpſerit, ut ſupra diximus. Aiunt philoſophi è duobus hominem conſtare, anima & corpore. animam uero eſſe perfectam, ſed impediri craſſitudine corporis, quo minus ſe talem exerat, qualis eſt per naturam. Ergo mundo conſtituto, erant homines nimis impediti corpore, & in quibus uis animæ obruta atque oppreſſa eſſet. Tunc neceſſario rapto uiuebant, & malis moribus oppreſſo animæ bono circa res omnes uiribus corporis abutebantur. ſed quia natura non æqualiter ſe per omnes fundit, aliquando unus tandem extitit qui ſe bene intelligeret, & qui uideret eſſe in hominibus animam illam diuinam, quæ haberet in ſe multas utilitates, ſi tamen poſſet ab aliquo è latebris quibuſdã elici atque proferri. Ergo his cauſis eloquentia initium non naſcendi, ſed agendi ſumpſit. nam fuit quoddam tempus, cum in agris homines paſſim beſtiarum modo uagabantur. ſicut Virgilius:

Hæc nemora indigenæ Fauni nymphæq; tenebant,
Genſq; uirum truncis & duro robore nata,
Quis neque mos, neque cultus erat, nec iungere tauros,
Aut componere opes norant, aut parcere parto.

Et ſibi uictu ferino uitam propagabant.] Sapiens omnis memoriæ ſtudet. Illi, in quibus uis animi mole corporis oppreſſa deliteſcit, non memoriæ ſtudent, ſed ferino ritu ſubſidia ſolis proſpiciunt diebus. Sic Salluſtius: Et quoniam uita ipſa, ait, qua fruimur breuis eſt, memoriam noſtri quàm maxime longam efficere conuenit, non pecorum more uiuere, quæ natura prona atque uentri obedientia finxit: ut iſti homines fuerunt, qui ſibi in uictu ferino uitam propagabant. Nondum diuinæ religionis, & cætera.] Plena philoſophia eſt, quæ conſtat ex duobus, ex Phyſica & Ethica. Phyſica eſt, quæ de diuinis agit: Ethica, quæ de humanis diſſerit. Sed quia Cicero illud docet, quod oratori eſt neceſſarium, Ethicam proſequitur: quæ ſi tunc ab hominibus ignorata eſt, multo magis Phyſica. Ergo indicat ut illi uixerunt, qui animæ commodis ignoratis, corporis uiribus pleraque geſſerunt. Nemo legitimas uiderat nuptias, certos quiſquam inſpexerat liberos.] Verunque enim uaga atque incerta uenere conficiebatur, neque erant iura quæ id fieri prohiberent. Non ius æquabile quid utilitatis haberet acceperant.] Illic enim nullius iniuriis uiuitur, ubi eſt iuris æqualitas, æqua libertas, ubi aliquid aut omnibus licet facere, aut omnibus non licet. Pernicioſiſſimis ſatellitibus.] Vires corporis eſſe ait cupiditatis miniſtras, quæ in animis hominum quandam obtinent tyrannidem. Quo tempore quidam magnus, & cætera.] Vt facilius intelligentiam conſequamur, rerum ſimilitudo proferenda eſt. Anima ita eſt, ut uinum. nam, quemadmodum uinum pro uaſe, in quo eſt habitum, aut retinet, aut amittit uinolentiam: perinde anima, ſi optimum & caſtum corpus offenderit, ſeruat naturam: ſin aliàs, amittit. Ita igitur cum mortale genus brutum atque inſcium rerum omnium uagaretur, extitit quidam uir magnus, in quo anima ſuam retineret naturam, & qui intelligeret omnes homines habere in ſe quiddam diuinum, ſed id uitio corporis opprimi atque deperire. quod ſi fuiſſet elicitum, maximas inde commoditates hominum poſſe cõtingere. Cognouit quæ materia eſſet, & quanta ad maximas res opportunitas in animis ineſſet hominum.] Materia nõ ad hoc ipſum materia eſt, quod materia uocatur: ſed ad id quod inde fieri habet, materia eſt. opportunitas uero nõ accidit, neque in altero eſt, ſed in eadem materia eſt. Poteſt autem in ligno eſſe materies ad aliquid faciendum: ſed ſi putreſcit opportunitas in materia nõ eſt. Similis & de reliquis materijs poſſumus dicere. Ergo non ſuffecerat iniecta materia in hominibus, niſi in eadem materia etiã opportunitas fuiſſet ad maximas res. Si quis eã poſſet elicere.] Eſt ergo qui poteſt elicere, et quod

poteſt

poteſt elici. Hoc deinde attendamus. Vnus poteſt uidere aliquid effici poſſe, non tamen etiam efficere: deinde etiam iſtum, ſapientem, & magnum uirum, Cicero ait uidiſſe in hominibus materiem, ſed dubitaſſe de effectu. ait enim. Si quis eá poſſit elicere. Verumque tamen dat huic uiro, & intelligere & efficere. eſt enim & ſapiens, & eloquens. Et præcipiẽdo meliorẽ reddere.] Erat ergo in hominibus animus. Sed ideo inquit Reddere, quia uidebatur amiſſus. erat bonus animus, & ideo ait, præcipiendo meliorem reddere. His cauſis igitur honeſtiſſimis, ut uidemus, iſte quidam compulſus eſt ad eloquentiam, hoc eſt ad id, unde naſci ad actus primum cœpit eloquentia. Quæ enim cauſa honeſtior, quàm homines beſtiarum modo uiuentes, præceptis utilibus atque honeſtis ad humanam atque diuinam cognitionem traducere? Ergo iſtum uirum, magnũ atque ſapientem, quemcunque accipiamus: multi enim Saturnum, Platonem, Ariſtotelem, atque alios uolunt intelligi, ſed errant. Qui diſperſos homines in agris, & in tectis ſyluestribus abditos, ratione quadam compulit unum in locum, & congregauit.] Duas res ſupra poſuit, honeſtiſſimas fuiſſe cauſas, optimasq; rationes, ut ad actus eloquentiam naſceretur. Explicitis ergo honeſtiſſimis cauſis, incipit oſtendere eloquentiæ ad actus fuiſſe rationes. & ut intelligas iam de cauſis eſſe dictum, ratione quadam, inquit, compulit unum in locum, & congregauit. Diximus rationem eſſe rei gerendæ ordinem neceſſarium, utputa hoc primum debet fieri, hoc deinde, ac tertio: ut nunc primo compelluntur homines, poſt congregantur, deinde in unamquanque rem inducuntur utilem atque honeſtam. Compulit unum in locum, & congregauit. Compulit, quaſi inuitorum eſt: iam uolentium, congregauit. Sed debemus ſcire, quid ſit compulit, & congregauit, quaſi ciuitatem fecit. nam, ut ſupra diximus, ciuitas eſt collecta hominum multitudo ad iure uiuendum. Ergo eloquentia pluri mum prodeſt. nam facit ciuitatem, & quidquid utile atque honeſtum eſt inſinuat. Et eos in unamquanque rem inducens, utilem atque honeſtam.] Cicero duplex eſſe honeſtum docet. unum illud ſolum, atque purum: aliud, quod cum utili iunctum ſit. Sed ſolum illud apud paucos eſt, eos ſcilicet qui ſoli gloriæ ſtudent, nihilq; ad ſui utilitatem gerunt: quidquid ſanciunt, conſideratione boni maliq; generatim ſanciunt, non gratia in eodem uerſantium perſonarum. Honeſtum uero illud cum utili ideo honeſtum uocat, quia id quod iunctum ac duplex eſt, ab eo quod maius eſt, nomen accipit. Verum illud honeſtum philoſophorum eſt, hoc illorum ſapientium, qui R. P. ſtudent, quiq; in ciuitate uerſantur. Quod quidem honeſtum utilitati ſemper adiunctum eſt, & utilitas honeſtati. hoc etiam Socrates ait, nihil eſſe utile, quod non honeſtum ſit: nihil honeſtum, quod non utile ſit. Sed, ut ipſum intelligamus, rerum exempla proferenda ſunt: Eſſe iudicem, honeſtum eſt. Iuncta eſt tamen utilitas honeſtati. nam nemo ei iniuriam facit, nemo ſeruis eius. prodeſt poſteris, liberis eius. prodeſt amicis, ergo ſi quid præſtat etiam, utile eſt. Sed quanquam hæc duo iuncta ſunt, non tamen ita mixta ſunt, ut uino aqua miſcetur, ſcilicet ut ſecerni nullo modo poſſint: ſed ita mixta ſunt, ut ſecerni poſſe uideantur. quemadmodum ſi fiat aceruus ex tritico & ordeo. Quanquam ergo hæc duo mixta ſunt, tamen aliquo modo etiam ſecerni poſſunt. Etenim ſi quid alicui præſto, nec gratiam repoſco, honeſtum eſt. At ob id ipſum quod præſto, ſi gratiam repoſco, fit utile. Ergo primum ſit illud ſolum honeſtum, quod per ſe placet, nulla adiuncta gratia, Hoc medium honeſtum utile, quod cum utilitate eſt. Tertia ſit commoditas, quæ ſolis lucris intenta eſt, abiecta omni honeſtate. Honeſtum uero philoſophicum ſoli gloriæ ſtudet, abiecta etiam utilitate. Nunc ergo, quoniam collectis hominibus & congregatis ciuitas facta eſt, quid debet perſuaderi? quid hominibus inſinuari? non honeſtum illud ſolum quod philoſophorum eſt, non commoditas quæ hominum perditorum eſt: ſed illud medium honeſtum atque utile, quod in omni R. P. quod in omni ciuitate uerſatur. Primo propter inſolentiam reclamantes.] Nihil egerat eloquentia, ſi ſtatim ut inſinuare cœpit, quid eſſet honeſtum atque utile perſuaſiſſet. Sed oſtendit magnas ineſſe uires eloquentiæ, ſi ad id, quod erat optimum, traduxit inuitos. & ne uideantur idcirco reclamaſſe quod res optima non eſſet, ideo ait, Propter inſolentiam primo reclamantes. Deinde, ne eloquentiæ quibuſdam uenenis etiam ad malam rem traducti uideantur. Deinde propter rationem, inquit, atque orationem ſtudioſius audientes.] Ergo ubi ratio eſt, & ſapientia, malitia ineſſe non poteſt. Rationem ad ſententiarum grauitatem referendam ſciamus, orationem ad ornamenta uerborum. Ex feris & immanibus mites reddidit, & manſuetos.] Difficile eſt rem aliquam cuiuscunque tollere, difficilius aliam dare. Hic utrunque factum eſt. ſublata eſt hominibus feritas atque immanitas, & data eſt humanitas & manſuetudo. Ac mihi quidem, & cætera.] Sunt multa, quæ ſolo habitu ſui perfecta ſunt: ſunt multa, quæ & habitu & uſu: ut Athleta, ſi habeat corporis magnitudinem, non continuo perfectus eſt, niſi ei & uſus accedat. ut orator concepto totius ſententiæ habitu, non continuo perfectus eſt, niſi & ei uſus accedat. ſapientia uero habitu ſui perfecta eſt, nec indiget uocis, id eſt uſus. Sufficit ei autem intra animos contineri. Vſu ergo nihil conſequitur. & ſi quando concepta uerbis uoluerit indicare, non ideo ſapiens ſapientior fit, quia iudicat ſe ſapientem, ſed perfecta ac ſalua ſapientia quiddam amplius ei ad actus alios accedit. Ergo homines ex immanibus ac feris mites redditi ac manſueti, paulatim quoque honeſtum atque utile didicerunt. Sed quia de exordio eloquentiæ loquitur, uideamus utrum hæc ſola ſapientia fecerit: an non ſola ſapientia, ſed cum eloquentia. Primo itaque cognoſcere debemus, quot modis quid perſuadeat ſapientia? & poſſumus intelligere, multum hic eloquentiam ualuiſſe. Sapientia igitur ſola duobus modis aliquid perſuadet: aut cum tacet, & aliquid facit, & id, quod facit, quia bonum eſt, alter imitatur, ideſt, ut quidquid tacitus fecerit ſapiens, id alter re, non uerbis doctus imitetur. Aut cum aliquid faciendum uel non faciendum uerbis perſuadet, & hoc duplici modo: nunc naturalibus uerbis, nunc per eloquentiam. Sed hoc loco negat, tacitam ſapientiam hoc perficere potuiſſe: negat inopem dicendi, id eſt quæ uerbis naturalibus uteretur, ſed illam ſapientiam quæ iuncta eſſet eloquentiæ. Ac mihi quidem uidetur hoc nec tacita, nec inops dicendi ſapientia perficere potuiſſe.] Perficere, inquit. Alioqui plenæ ſapientiæ officium eſt inuenire, ut ſupra. Quo tempore, inquit, quidam magnus uidelicet uir & ſapiens cognouit, quæ materies, & quanta ad maximas res opportunitas animis ineſſet hominum, ſi quis eam poſſet elicere, & præcipiendo meliorem reddere. Ergo animum in hominibus eſſe ſapientia cognouit, ut congregarentur, & in unamquanque rem utilem atque honeſtam inducerentur: ſapientia quod eſt prouidet, ſed eloquentia opitulante perficit. A conſuetudine ſubito conuerteret, & ad diuerſas uitæ rationes traduceret.] Magna uis eloquentiæ, ſi ſubito conuertit: hoc eſt, quod non poteſt ſapientia. alioqui & ſapientia perficit, ſed non ſubito. & quod ait, & ad diuerſas uitæ rationes traduceret, ut ſupra diximus, difficile eſt, cuiuslibet rei cõſuetudinem tollere: hoc difficilius tamen, alias etiam uiuendi perſuadere rationes. Age uero, urbibus cõſtitutis.] Vt ſupra, cum de commodis eloquentiæ loqueretur, hunc ordinem fecit. Multas urbes conſtitutas, plurima bella reſtincta, firmiſſimas ſocietates, ſanctiſſimas amicitias. & quanquam hinc homines ex immanibus primo æquales facti, poſt etiam obſequi ultro cœperint, ſupra dictũ: tamen ſermonẽ ſeruatũ poſſumus inuenire. Primo itaque beneficijs eloquẽtiæ ciuitates factæ ſunt, ut ait ſupra, multas urbes conſtitutas. Ciuitas autem fieri dicitur, cũ homines

unum in locum congregantur ad iure uiuendum. Vt fidem colere.] Hinc bella reſtinguuntur. Si enim cupiditas ad ſe explendã uiribus corporis abutebatur, quaſi quædam bella gerebantur. Cũ ergo fides colitur, aut id agitur ne ſint bella: aut reſtinguuntur illa, quæ fuerunt. Et iuſtitiã retinere diſcerent.] Iuſtitia omnis à nobis circa alios eſt, ut unicuique meritum proprium tribuamus. Poteſt tamen hic quaſi ſocietas cuſtodiri. iuſtis etenim conditionibus ſocietas facienda uel conſeruanda eſt. Et alijs parere ſua uoluntate conſueſcerent.] Iuſtitia æquales homines eſſe fecit, hic iam & minores eſſe patiuntur ſua etiã uoluntate. Poſſunt tamen hinc amicitiæ copulari. noſtra enim uoluntate nulli obſequimur, niſi amici fuerimus. Antea autem ſi uiribus corporis cuncta agebantur, non ſua uoluntate quiſquã alteri paruit, nec potuit amicus eſſe qui cogebatur. Ac non modo labores excipiendos communis commodi cauſa.] Perfectum eſt, inquit, ab eloquentia, ut libenter omnes non modo laborẽ pro publica ſalute ſuſciperent, ſed etiam uitam amitterent. Multum ergo egit eloquentia, ut illi uitam paruipenderent, qui iamdudum ſibi uictu ferino uitam propagabant. Qui tandẽ fieri potuit?] Quæritur utrum homines ad has rationes uiuendi per naturam deducti ſint, an præceptis uideantur adducti. Erat quidem in hominibus natura melior, ſed oppreſſa corporis uitio, ad malum declinauerat. uerum quia nihil uniformiter funditus exiſtit, quin ſemper aliquid ſit, quo intelligamus quid in cæteris deſit, iſte quidem magnus uir ac ſapiens cognouit bonam in hominibus naturam: multumq; eſſe profuturam, ſi præceptis melior fuiſſet effecta. ergo omne quod perfectum eſt natura, & diſciplina perfectum eſt. Sed quia iſte primus uir diſciplinam accipere non potuit, perfectus fuit natura, & uſu. Cum enim cognouit habitum ſuum, & diu ſecum pertractando cognouit eſſe in hominibus bonam naturã, quæ ut perfecta eſſe poſſet, præceptorũ adhibuit diſciplinam. Ergo in hominibus fuit materies, id eſt, perfecta natura, quam perfectam præcepta fecerunt, inuenta per ſapientiam, inſinuata per eloquentiã. Profecto nemo niſi graui, &c.] Quanquam natura fuit apta ad perfectam uitam, tamẽ ipſam naturam præceptis ait ad has uiuendi rationes eſſe perductam. Graui, inquit, ac ſuaui cõmotus oratione.] Grauitatem ad ſapientiam, ſuauitatem ad eloquentiam referamus. Iure grauitatem ad ſententias, ſuauitatem ad uerborum ornamenta referamus. Cum uiribus plurimum poſſet, ad ius uoluiſſet ſine ui deſcendere.] Omnis res à ſimili uincitur: utputa eloquens uincitur ab eo qui eloquentior fuerit. fortis non uincitur, niſi ab eo qui fortior fuerit. aſtutus non uincitur, niſi ab eo qui aſtutior fuerit. Animaduertendum ergo acumẽ Ciceronis. Homines, inquit, fortiſſimi ad æqualitatem uiuendi non fortitudine, qua ſolet uinci inferior fortitudo, ſed eloquentia deducti ſunt. ergo ſupra omnes uires eloquentia eſt, ſed ea quæ ſit mixta ſapientia. Vt inter quos poſſet excellere, cum his ſe pateretur æquari.] Excellere uiribus ſcilicet, cum his ſe pateretur æquari. Ita ſupra, Non ius æquabile quid utilitatis haberet acceperat. hinc enim æquari. Et ſua uoluntate.] Non coacti uiribus corporis, ſed in his iam fecerat eloquentia perſuaſio uoluntatem. Ab iucundiſſima conſuetudine recederet.] Non dixit à conſuetudine recederet, ſed à iucundiſſima, inquit. omnium enim rerum etiam malarum apud gerentes uoluntate iucundiſſima conſuetudo eſt. Quæ præſertim iã naturæ uim obtinent propter uetuſtatẽ.] Ergo hominum natura bona eſt, ſed malitia per conſuetudinem naturæ uicem cœperat obtinere. Ac primo quidem ſic, & nata, &c.] Satiſfecit propoſitioni ſuæ. Supra enim dixit, ac ſi uolumus eius rei quæ uocatur eloquentia conſiderare principium, reperiemus id ex honeſtiſſimis cauſis natum, atque optimis rationibus profectum. Ita & hic. Ac primo quidẽ ſic & nata & progreſſa longius eloquentia uidetur, & item poſtea maximis in rebus pacis, & belli.] Oſtendit, diu eloquentiã profuiſſe. Verũ quod ait maximis in rebus, ut ſupra, cognouit quæ materies & quãta ad maximas res opportunitas in animis ineſſet hominum, ſi quis eam poſſet elicere. ergo maxima res pax atque bellũ. Cũ ſummis hominũ utilitatibus.] Cũ illa ſcilicet utilitate, quæ cum honeſto eſt. Poſtquam uero, &c.] Omne perfectum bonum, id eſt, quo natura humanas res nullo adiuncto incommodo munerata eſt, duobus ad plenum conſtat: re ipſa, & ſpecie atque imagine ſui. utputa mel habet rem, ſcilicet dulcedinem. habet ſpeciem, id eſt, colorem atque aſpectum, quo quaſi facile ita ne eſt dulce credatur. ita uir fortis habet rẽ, uirtutem ſcilicet: habet ſpeciem, id eſt, pulchritudinem corporis. In diſtorta enim membra, nec quæ iuxta naturam ſui appetitus compoſita ſunt, uirtus non poteſt cadere: ut Virbius, & cæteri quoſcunque fortes & pulchros fuiſſe dixerunt. Sic ueſtis etiam habet rem, utilitatem texturæ. habet ſpeciem, gratiam ſcilicet circa aſpectum faciei. Ergo ille neſcio quis magnus uir ac ſapiens, & hi qui poſtea conſecuti, accepta uitæ præcepta tenuerunt, ut perfecti eſſent: habuerunt rẽ, id eſt ſapientiã: habuerunt ſpeciẽ, id eſt, eloquentiam. Qui homines quoniam ex merito uirtutis digniſſima præmia conſecuti ſunt, id eſt, magiſtratus aut alias utilitates, multi dum præmia ſibi paria exoptãt, re ignorata, ſpeciẽ ſolam ſequi cœperunt, id eſt, præterita ſapientia ſolam dicendi copiam conſecuti ſunt. Præmijs itaque ſolis inducta cõmoditas, re ignorata, ſpeciẽ cœpit uirtutis imitari. Atque ideo contingit, ut mali mores adepti copiã dicendi circa cõmoda Reipub. ſola eloquentia, omiſſa ſapientia, ſint abuſi. Cõmoditas.] Cõmoditas autẽ, id eſt, praua uirtutis imitatrix, tertia illa eſt, honeſto illi ſoli contraria. Peruertere urbes, & uitas hominũ labefactare aſſueuit.] Sic ſupra, boni ne an mali plus attulerit hominibus & ciuitatibus. his duobus enim R.P. conflata eſt. Veriſimillimũ mihi uidetur.] Nunc de incõmodis eloquentiæ locus incipit. Quæritur aũt, qui fieri potuerit, ut eloquẽtia mixta ſapientiæ, quæ cõgregauit homines, quæ perſuaſit utile atque honeſtũ, quæ urbes cõſtituit, iura docuit, quæ multũ hominibus profuit, ne eloquentia inquã mixta ſapientiæ cœperit obeſſe hominibus, & ciuitatibus? Hoc ſcilicet fuit exordiũ malorũ. Primũ urbibus conſtitutis, neceſſe eſt creuiſſe eaſdem ciuitates propria doctrina, ſiue uicina multitudine. in his deinde non omnes ſapientes atque eloquẽtes fuiſſe, ſed paucos: quanquã omnes hanc habendi materiem continerent. Neceſſe ergo erat, ut auctis cumulatiſq; ciuitatibus ſapientes homines atque eloquẽtes R.P. gubernarẽt, ipſiſq; tantum curam gererent. Occupatis itaque circa R.P. ſapientibus, priuatorũ negotia callidi homines & dicaces agere ac tractare cœperunt. Et primũ priuatarũ controuerſiarũ, poſtremum fortunarũ patroni fieri cœperũt. qui cũ interdũ contra iuſtitiam malas cauſas defenderent, ſæpe etiã uincerẽt, coacti ſunt ſapientes illi R.P. intenti, ciuibus ac neceſſarijs ſuis reſiſtere, contra illos callidos ac diſertos, qui aſſiduitate dicendi notiſſimi populo, atque amiciſſimi eſſe cœperant. itaque illi callidi cũ contra illos ſapientes uiros dicerent, ſæpe pares, interdũ ſuperiores fuiſſe à populo iudicati ſunt, & digni haberi cœperunt qui R.P. gubernarent. Quibus poſtquam commiſſa R.P. eſt, multa incommoda, multa naufragia contigerunt. Ita ergo factum eſt, ut eloquentia quæ primum profuerat, ſed mixta ſapientiæ, poſt ſola multum offecerit utilitatibus Reipub. At cum per hos male eloquentes cuncta regerentur, ſapientes illi de numero deturbati, ea quæ gerere conſueuerant, ſcribere cœperunt. hiq; habiti ſunt philoſophi, & per hos factum eſt, ut uſque ad noſtram memoriã rerũ honeſtarũ memoria atque imitatio peruenirẽt. Veriſimillimũ mihi uidetur quodã tẽpore.] Quoniã animo in præteritis uerſatur, multaſq; in mentẽ reuocat facies Reipub. confirmat opinionem ſuam, fuiſſe ſine dubio tempus, quo Reſpub. à ſapientibus gubernata ſit, priuatorũ negotia à calidiſſimis hominibus.

nibus. qui poſtea pari ſapientibus, interdumq; meliores à multitudine iudicati, commiſſam ſibi Rempub. peſſum dederunt. Nec uero ad priuatas cauſas magnos ac diſertos homines accedere.] Ideo quia publica fuere anteponẽda priuatis, magnos ad ſapientiã, diſertos ad eloquentiã referamus. Arbitror alios fuiſſe nõ incallidos homines.] Callidi ſunt, qui dolo ac fraude exitũ uirtutis imitantur. Cũ ſæpe à mendacio contra uerũ ſtare homines cõſueſcerent.] Multo melius res ipſas nominauit, quã ſi has in negotijs poſitas nominaſſet. utputa, cũ ſæpe mẽdacij ratione contra uerã cauſam ſtare cõſueſcerent. Itaque cũ in dicendo.] In dicendo, inquit. ergo iã omiſſa eſt ſapientia, ſi de ſola dicendi copia iudiciũ eſt. Nõnunquã etiã ſuperior uiſus eſſet is.] Oſtendit uerũ iudiciũ nõ fuiſſe, ubi uincere aliquis uidetur, potius quã probatur. Fiebat, ut & multitudinis, & ſuo iudicio dignus, qui Rempub. gereret, uideretur.] Multitudinis, inquit, iudicio. Iã in multitudine ueritas ipſa uilis eſt. quod autẽ ait, ſuo iudicio, hoc quoque irritũ eſt. Quis'nã aũt de ſe poteſt, aut debet habere iudiciũ? Ad poſtremũ dignus uideretur, ut ſupra. Itaque cũ in dicendo ſæpe par, nõnunquã etiã ſuperior uiſus eſſet. Hinc nimirũ non iniuria.] In metaphora permanſit, gubernaculũ, naufragia. utrũque enim eſt nauis. Negat enim cuiquã debere mirũ uideri, Remp. peſſundatam, cũ ad eius regimẽ uenerint homines temerarij, atque audaces. Hoc autẽ intereſt inter audacem & temerariũ. audax poteſt interdum & pro bono accipi, temerarius non niſi malus. Audacia ergo eſt duplex. nã & ille qui in proſperis rebus temere aliquid aggreditur, audax eſt: & ille qui prouiſis rationibus fortiter aliquid incipit, audax eſt. quoniam ergo audacia duplicem fontẽ habet, hic præmiſit temerarium, ut intelligeremus male audacẽ. Temeritas enim & inconſiderantia cauſa ſunt, harum euentus audacia. Quibus rebus tantũ odij atque inuidiæ ſuſcepit eloquentia.] Omnis cauſa habet euentum ſuum, omniſq; euentus cauſam: utputa ignis, cum in lignum immiſſus fuerit, idem lignum incendatur neceſſe eſt. hic ignis in lignum miſſus, cauſa eſt. cauſæ uero euentus, incendium. Ita ergo eloquentia primo odium contraxit: iam ex odio, id eſt, ex cauſa neceſſe eſt aliquis conſequatur euentus. Ergo inuidia conſecuta eſt, plerũque enim ex odio inuidia naſcitur. plerunque inquam: nam & alium poteſt habere euentum. ſi enim hoſtem oderis, non inuides, ſed inimicus es. ſi ſeruum oderis, non inuides, ſed iraſceris. non ergo ſemper odij eſt euentus inuidia. Sunt enim cauſæ, quæ interdum nõ neceſſarios euentus habent: ut ſi pugno percutias, & occidas. Sunt item cauſæ, quæ neceſſarios habent euentus: ut ignis miſſus in ſtipulam, faciat incendium neceſſe eſt. Quibus rebus tantum odij atque inuidiæ ſuſcepit eloquentia.] Poſtquam inquit, Reſpub. ab inſipientibus & dicacibus cœpit adminiſtrari, ſapientes illi eloquentiam odiſſe cœperunt, & omiſſo ſtudio Reipub. priuatim atque otioſe ea quæ gerere in Repub. non licebat, literis ſcriptiſq; exercere cœperunt. Atque ideo factum eſt, ut uſque ad noſtram memoriam recti atque honeſti memoria perueniret. Vt homines ingenioſiſſimi.] Ingeniũ eſt uis quædam naturaliter animis inſita, ſuis uiribus præualens. in ingenio itaque & ſapientia eſt, & eloquentia: ut in his eſt, quos ingenioſiſſimos uocauit. & ingenio eſt ſola eloquentia, ut ſupra, tum ingenio freta malitia. Quare mihi uidetur.] Abſolute hoc quidem. Hoc uero à pleriſque eorum deſertum obſoleuiſſe.] Id eſt, ſtatus ille quo in Repub. ſapientes atque eloquentes homines uerſabantur, omiſſus eſt, atque in obliuionẽ redactus, illo præſertim tempore quo Reipublicæ periculis maxime fuerat ſuccurrendũ. Et hoc quaſi per indignationẽ pronunciandũ. Quod uero ait, A pleriſque, recte dicit. Nõ enim omnes ſapientes à Rep. receſſerunt. Nam Athenienſibus Solon leges ſcripſit. & quia norat multos in Repub. corruptiſſimos, in exilium ultro profectus eſt. hiſdem Athenienſibus leges & Dracon tulit. duorum itaque hominum legibus utuntur. Lycurgus Lacedæmonijs etiam leges ſcripſit. Non ergo omnes ſapientes à R.P. receſſerunt: ſed quia plerique receſſerãt, pauci reliqui facile aut ceſſerunt, aut oppreſſi ſunt. Nam quo indignius rem honeſtiſſimã.] Quando aliquid faciendum perſuademus, ab honeſto, ab utili, à poſſibili perſuademus, interdum & neceſſariũ ponimus. Hiſdem præceptis etiam illam rem, quæ non ſit facta, reprehendimus. Vt hic Cicero, cum queritur ſapientes à R.P. receſſiſſe. ſiquidem ut id non facerent, ſuberat honeſtas. Nam quo indignius rem honeſtiſſimam & rectiſſimam uiolabat.] Suberat utilitas. Summo cum Reipub. detrimento.] Vtique à Reipub. periculum ſubmouere utile eſt. Suberat poſſibilitas. Stultorũ, inquit, & improborũ temeritas, & audacia.] Facile enim ſtulti ac temerarij ſuperantur. Eo ſtudioſius & illis reſiſtendum fuit, & Reip. conſulendũ.] Hic quoque honeſtũ atque utile ſeruauit. Honeſtũ eſt enim, improbis reſiſtere. Vtile, R.P. in cauſis habere defenſam. Quod noſtrũ illũ nõ fugit Catonẽ.] Noſtrũ, id eſt, Romanũ. Nã reprehenſio illa ſuperior ſapientũ atque eloquentũ, de Græcorũ principibus facta eſt. Quod hi diſertis ac dicacibus hominibus facile Repub. ceſſerint. Nũc uero uenit ad Romanos, quos oſtendit ita ſapientes atque eloquentes fuiſſe, ut nunquam R.P. deſeruerint: neque quidquam illis tantũ deſertis conceſſiſſe. Quod cũ facit, præponit Græcis Romanos, ſeq; per Romanos. Verum exempla cũ proferimus, non unũ aliquod, ſed quàm multa poſſumus, cum decore tamen proferre debemus. ut nunc Cicero, commemorato Catone ſtatim alios ſubijcit, ſimul quod in Romanorum laude unius hominis quamuis egregij non ſufficit exemplum. Quibus in hominibus erat ſumma uirtus, & ſumma uirtute amplificata auctoritas, & quæ his rebus ornamento & Reipub. præſidio eſſet eloquentia.] Virtutẽ in artibus ſemper ſapientiã accipiamus. Verum ſapiens atque eloquens habere debet illam, quæ totam efficit auctoritatẽ. Itaque ſi accedat ſapientia, amplificatur auctoritas. Si his duobus acceſſerit eloquentia, erit qui hæc potuerit habere perfectus. ut hic maioribus noſtris, Catoni, Lælio, atque alijs, tradidit ſapientiã, auctoritatẽ, eloquentiam. Quare meo quidẽ animo.] Meminimus in hac præfatione quatuor theſeis eſſe. Principalẽ illã, iungendam eſſe eloquentiæ ſapientiã. Secundã illã, non multũ prodeſſe R.P. ſolã ſapientiã, tamen prodeſſe. Tertiã illã, nunquam omnino eloquentiã ſolã prodeſſe R.P. nimiũ obeſſe plerunque. Poſtea de origine eloquentiæ diſſeruit, & quæ eius circa actus natura fuerit diſputauit. Oſtenditq; primo eloquentiã profuiſſe, ſed quandiu fuerit mixta ſapientiæ. Poſt, eandem eloquentiã repudiata ſapiẽtia maxima naufragia intuliſſe R.P. magnumq; exinde odiũ atque inuidiam contraxiſſe. Ne quis ergo exiſtimet eloquentiã ſemper eſſe fugiendã (quippe multa incõmoda per hanc contigiſſe monſtrauit) neceſſario hæc quarta theſis eſt, ſtudendum eloquentiæ, ſed quæ mixta ſit ſapientiæ. Et eſt hic quaſi exhortatio. In exhortatione uero deliberationis præcepta ſeruantur. tractatur utilitas, tractatur honeſtas, tractatur poſſibile. Vtilitas porrò duobus generibus cõprehenditur, ſi mala repellamus, ſi proſpera conſequamur. Ergo hic tractat utilitatẽ ab utroque, & primo ut mala repellantur. Sed eo uehementius, inquit, ſtudendũ eſt eloquentiæ, ne mali magno cũ detrimento bonorũ, & cõmuni omniũ pernicie plurimum poſſint. Deinde quo bona conſequantur, cum præſertim (inquit) hoc unum ſit, quod ad omnes res & publicas, & priuatas maxime pertineat. Poſtremo etiã ad ſolã priuatã utilitatẽ deſcendit, & ibi utile atque honeſtum ipſis nominibus ſignat. Hoc tuta (inquit) quod utile eſt. hoc honeſta, hoc illuſtris, quod ex utili atque honeſto eſt. hoc eodẽ, inquit, uita iucũda fiat. Magna exhortatio. ſiquidẽ eſt inter ſtudia utilitatis atque honeſtatis circa eloquẽtiã cõparandã, quæ quidẽ ſtudia multũ habẽt laboris. Et iam uitã una futurã dicit eſſe iucundã. Supereſt ergo poſſibile, ut oſtẽdat eloquentiã poſſe

conſequi,ſi(inquit) non eloquentia ſolum natura,neque exercitatione, ſed etiam arte conſtat. quoniam artem diſcere,in noſtra poteſtate eſt. Poſſumus,inquit,eloquentiam cõſequi. In hac exhortatione eſt etiam auxeſis: auget enim laudes eloquentiæ. Auxeſis porro duobus modis fit:ratione, & comparatione. Auxit eloquentiam ratione,ubi ait,per hanc & publicas et priuatas res adminiſtrari poſſe. per hanc uitam tutam,honeſtam, illuſtrem,iucundam futuram. per hanc unum quemque Reipub. ſibi atque amicis prodeſſe poſſe. Auget uero eloquentiam comparatione,cum ait elocutione ſola fieri,ut belluis omnibus antecellamus,cum ſine illa inferiores belluis ſimus: præclarumq; eſſe,ſi propter quod belluis præſtas, hoc ipſo etiam hominibus antecellas. quod poterit fieri,ſi eloquens fueris. Nunc quoniam exhortationis atque auxeſis præcepta monſtrauimus, ad interpretationem in his poſitæ orationis redeamus. Quare meo quidem animo nihilominus eloquentiæ ſtudendũ eſt.] Quæritur illa theſis,ſtudendum eſt eloquentiæ,ſed quæ ſit mixta ſapientiæ. Et iucunde meo,inquit,animo,ne quid ſibi uſurpaſſe uideatur. non dixit,eloquentiæ ſtudendum cenſeo: ſed quod ait,nihilominus,id eſt,quanquam multa incommoda attulerit Reipub. tamen eloquentiæ ſtudendum eſt,ſed ut ei ſapientiam coniungamus. Et ſi ea quidam priuatim & publice peruerſe abutuntur.] Magna exhortatio,cum ait,quidam: ut ſi pauci ſunt, facile opprimi poſſe uideantur. Priuatim & publice: Reſpub.enim his duobus conſtat, hominibus & ciuitatibus. Peruerſe abutuntur.] Obeſt enim Reipub. quod prodeſſe debebat. Magno cum detrimento bonorum, & communi omnium pernicie.] Et hic optime exhortatur. Ne quis enim diceret,quid mea ſi boni periclitantur? recte addidit, & communi omnium pernicie. Ergo ſtudendum eſt eloquentiæ, ne opprimantur. Nam hinc ad Rempub. maxima commoda ueniunt,ſi moderatrix omnium rerum præſto eſt ſapientia.] Bene perſuadet,ſapientiam iungendam eſſe eloquentiæ: ſiquidem rerum omniũ moderatrix eſt. Ergo multa, inquit,ad Rempub. cõmoda ueniunt ex eloquentia,uel ſapiẽtia. Sed quia multi proprijs magis utilitatibus uolunt eſſe conſultũ, recte ſubdidit, Hinc ad ipſas qui eam adepti ſunt,laus,honor,dignitas confluit. Quæ omnia & utilia ſunt,& honeſta. Hinc amicis quoque eorũ certiſſimum ac tutiſſimum præſidium comparatur.] Oſtendit hic quid agat orator. ſapiens enim cum eloquentia negotia ſuſcepta non deſerit. Et inde fit,ut cõmodis amicorum deeſſe nõ poſſit. Vt ipſe Cicero in Verrinis: Et qui omne reliquũ tempus, quod mihi ab amicorum negotijs datur,in his ſtudijs laboribuſq; conſumam. Ac mihi quidem uidetur.] Diximus ſupra, Auxeſin in ratione & comparatione fieri. hic comparatio eſt hominum & belluarum,& inter ſe hominum. Hoc ſi forte non natura modo,neque exercitatione conficitur, uerumetiam artificio quodam comparatur.] Vt ſupra diximus,poſſibile hic tractatur, id eſt poſſe ab hominibus per artem eloquentiam comprehendi. Neceſſario ergo, prius quàm eloquentiæ præcepta traderet,exhortatus eſt ab honeſto,ab utili,à poſſibili: & debere ab hominibus,& poſſe eloquentiam comprehendi. Sed antequam de præceptis oratorijs dicamus,uidetur dicendum de genere ipſius artis.] Omnis ars duplex eſt,id eſt, duplicem faciem habet,ſecundum præceptum, ſententiamq; Varronis: qui ait eſſe artem extrinſecus unam,aliam intrinſecus. Ars extrinſecus talis eſt,quæ nobis ſcientiam ſolam tradit. Intrinſecus, quæ ita dat ſcientiam,ut illud ipſum quod ſcientiam dat, quibus rationibus faciamus oſtendat. ita illa ad ſcientiam ſolam proficit: hæc ad ſcientiam,quæ in actu fit: utputa ſi dicam, grammatica ars eſt gnara partium orationis,gnara ſyllabarum,gnara literarum,per hanc diſcimus omnia uitia uitare. hæc cũ dico, cumq; per hanc uitari uitia dico,non tamen quo modo uitentur oſtendo,artem illam extrinſecus doceo, per quam ſola ſcientia diſcitur. Si autem dicam quæ ſint partes orationis, quæ ſyllabæ,quæ literæ,quibuſq; modis omnia illa conſtent,quo pacto uitia uitentur, tunc erit illa ars,cui eſt nomen intrinſecus, non quæ ad ſcientiam noſtram tantum proficit, ſed quæ in actu ſit. Ergo & ars rhetorica duplex eſt.nam eſt extrinſecus,& intrinſecus. Intrinſecus autem illa eſt, quæ nobis ad actus præcepta artis inſinuat. Extrinſecus porrò,quæ nobis quid ſit rhetorica demõſtrat. quam cum demonſtrauerit,ſcimus tantum, ſed exercere nõ poſſumus. Hanc itaque artem extrinſecus,quæ ſolam ſcientiam parit,quinque rebus Tullius oſtendit: genere artis,officio,fine,materia,partibus. Ipſe autem oſtendit, ſe de ea arte quæ eſt extrinſecus,eſſe dicturum. Intrinſecus uero artem, quæ nobis ad actus præcepta dat, interim differre. Ait enim, Sed antequam de præceptis oratorijs dicamus, dicendum uidetur de genere ipſius artis.] Quoniam primo artis generi ſatisfaciendum eſt,quale genus rhetoricæ artis ſit,explicemus.

DE IVRE CIVILI, ET PARTIBVS EIVS.

C iuilis quædam ratio.] Vt ſupra promiſimus, de genere artis rhetoricæ nobis dicendum eſt. Genus hoc ipſum quod ſonat genus,uox eſt. hæc uox generis triplicem ſignificantiã habet. Eſt genus,id eſt,patria,parentes,origo,ſanguis. Quo modo eſt illud, Vnde genus ducis? Eſt itẽ genus, ſub quo multa ſimilia ex eodẽ deſcendentia continentur. ut animal,genus eſt. iam homo piſcis,equus,animalia, ſed horũ omniũ genus animal. Eſt tertium illud genus, quo cuiuslibet rei qualitas indicatur. ut ſi dicas,cuius generis ueſtis, cuius generis factura. In hoc genere Tullius artem rhetoricam ponit, id eſt, qualis uel quanta ſit demõſtrat. Et recte. ſiquidem ars genus eſt. illud ſub quo genere artis,ars grammatica,ars dialectica,ars rhetorica. Sed iſtæ omnes artes in genere qualitatis ſunt ponendæ, quo quales uel quantæ ſint demonſtrentur. Ergo & rhetoricam in genere qualitatis ponit,quo qualis uel quanta ſit demonſtretur. Deinde debet attendere ubi ſit ars rhetorica, an ſola ſit,ſi par,ſi æqualis,maior minor'ue ſit. Atque ideo, quia hæc diligenter inſpexit,rhetoricam ciuilis cuiuſdam rationis partem dicit eſſe maiorem. Et quia ad genus artis rhetoricæ deſcendimus,quæ ſit,uel ubi ſit,attendamus. Omnis patria quidquid agit,ciuilis ratio dicitur. Hæc ciuilis ratio duplex eſt. una,quæ res certas ſolẽni curſu,& ſine ullo tumultu agit: & altera,quæ in lite ac diſceptatione uerſatur. ut homo quidquid agit, duobus modis agit, factis & dictis. Ita ciuilis eſt ratio,una in factis & dictis,ſed quæ facta & dicta in actu atque opere conſtituta ſunt. Alia in factis & dictis, ſed quæ facta & dicta in iudicio uel quæſtione uerſantur: Ita una illa ratio in actu eſt,atque opere. hanc uero alteram ciuilem rationem,quæ in quæſtione uerſatur, ſcientiam nominauit. hic enim docetur,quid iuſtum, quid utile,quid honeſtum. Hæc rurſus ciuilis ratio,id eſt ſcientia,in duobus eſt: in rhetorica,id eſt,artificioſa eloquentia: & in ſapientia,id eſt,rerum conceptione ex natura ueniente. Sed quia orator plus per eloquentiam gerit,idcirco rhetoricam ciuilis rationis partem eſſe diximus. Sed quia duplex eſt, Cuiuſdam rationis partem dixit. nam & ſibi,& ſapientiæ, ut genus exprimat, rhetoricam partem magnam amplamq; eſſe confirmat. Ciuilis quædam ratio eſt,quæ multis & magnis ex rebus conſtat.] Cum dicit, quædam ratio eſt,oſtendit duplicẽ eſſe: unam,quæ in opere conſtituta eſt: alteram,quæ in quæſtionibus. quam rationẽ ciuilẽ,in qua rhetoricam ponit,ut ſupra diximus, ſcientiam debemus intelligere. & quod ait, Multis & magnis ex rebus conſtat. Notũ eſt enim quã crebris,& de quàm magnis rebus iudicia uel quæſtiones habeantur. Parum ergo fuerat dixiſſe, multis ex rebus: niſi addidiſſet,& magnis. Eius quædam magna & ampla pars eſt artificioſa eloquentia.] Cũ ait,quãdã pars, oſtendit

eloquentiam

eloquentiam & ſcientiam ex duplici conſtare : id eſt, ex ſapientia & artificioſa eloquentia, ſed eloquentiam partem eſſe maiorem. Et magna, inquit, & ampla pars.] Magnum eſt, quod in cumulum ſui & magnitudinem creſcit: amplum, quod latè patet, & per multa diffunditur: ita ut ſupra, quæ multis et magnis. Magnum ita ibi, ut hic poſuit. multum uero, ad amplitudinem referamus. Magna & ampla pars, inquit, artificioſa eloquentia.] Non eloquentia ſolum, ſed artificioſa eloquentia, quæ rhetorica uocatur. Nā neque cū ijs ſentimus, qui ciuilem ſcientiam eloquentia non putant indigere.] Diximus ſupra, partem illam ciuilis, quæ in iudicijs uerſatur, ſcientiam uocari : hancq́; ex duplici conſtare, ſapientia ſcilicet, & artificioſa eloquentia. Quare nunc ſe ab illis diſſentire dicit, qui horum altero ciuilem ſcientiam conſtare dicunt. Nam neque, inquit, cum his ſentimus, qui ciuilem ſcientiam eloquentia non putant indigere.] Multi, inquit, dicunt ciuilem ſcientiam ſine eloquentia ſtare poſſe. cuncta enim per naturam, id eſt, per ſapientiam facile poſſe cognoſci. Multi autem dicunt, ciuilem ſcientiam ſola eloquentia conſtare poſſe. Illudq́; eſſe iuſtum uel iniuſtū, quod eloquentia potuerit perſuadere. Sed ego, inquit, ab utriſque diſſentio. nam ciuilis ſcientia, & ex ſapientia cōſtat, qua cuncta ſentimus: & ex eloquentia, qua id quod ſentire poſſumus, explicamus. Sed quia eloquētia poſita in R. P. facilius quod fuerit aggreſſa perſuadet; idcirco eam in ciuili ſcientia partem dixit eſſe maiorem. Et ab his qui eam putāt omnem rhetoris ui & artificio contineri.] Si ergo omnis ciuilis ſcientia ſola Rhetorica non poteſt contineri, Rhetorica ciuilis ſcientiæ pars eſt. Quod autem ait, Rhetoris ui & artificio: tale eſt, ac ſi dicatur, Grammatica eſt gnara literarū, per hanc enim diſcimus omnia uitia uitare, non dico tamen quomodo uitentur. Artem illam extrinſecus doceo, per quam ſolum uitentur, ſed non quomodo. Si autem dicam quæ ſint partes orationis, quæ ſyllabæ, quæ literæ, quibus characteribus conſtent, quo pacto uitia uitentur, tūc erit illa ars cui eſt nomen intrinſecus, non quæ ad ſcientiam noſtrā tantum proficit, ſed quæ ad actus ſit. Ergo & ars Rhetorica duplex eſt. nam eſt extrinſecus & intrinſecus. Intrinſecus autem illa eſt, quæ nobis ad actus præcepta artis informat. Extrinſecus porrò, quæ nobis quid ſit Rhetorica demonſtrat : quam cum demonſtrauerit, ſcimus tantum, ſed exercere non poſſumus. Hæc itaque res, quæ ſolam ſcientiā parit, ui & artificio continetur. Artificium eſt, quo ad aliquid citius faciendum per præcepta formamur. Nam id quod ex artificio cōficitur, uis eſt. Ergo hic Rhetoris uim, inquit : oſtenditq́; unde uis illa deſcendit, & artificio contineri. Quare hanc oratoriam facultatem in eo genere ponemus, ut eam ciuilis ſcientiæ partem eſſe dicamus.] Artificioſam eloquentiam, facultatem oratoriam uocauit. arte enim uniuſcuiuſque rei facultatem conſequimur. & hæc eadem uis eſt, quæ, ut ſupra diximus, ex arte colligitur.

DE OFFICIO ET FINE ARTIS ORATORIAE.

Officium autem eius facultatis uidetur eſſe, appoſite dicere ad perſuaſionem : Finis, perſuadere dictione.] Officium eſt, uniuſcuiuſque perſonæ actus congruens ſecundū mores ciuitatis. Ergo officia pro perſonis diuerſa ſunt. Aliud enim eſt officium patris, aliud amici, aliud (ut ad rem redeamus) oratoris. Officia uero omnia ad finem ſpectant. Finis quoque ad officia refertur. Nam neque officium rectè definiri poteſt ſine admixtione finis, neque finis ſine officij coniunctione. & hoc in omnibus perſonis, ac rebus. ut hic Cicero in definiendo oratoris officio finem nectit officio : ait enim, Officium autem eius facultatis uidetur eſſe, appoſite dicere ad perſuaſionem. Ergo officium oratoris eſt dicere, ſed appoſite ad perſuaſionem. ubi iam finis admixtio eſt, id eſt perſuaſionis. Nam ſolum dicere, non bene officium definierit oratoris : poteſt enim eſſe multorum. nam & poetæ, & philoſophi dicunt. Itaque oratoris officium pleniſſime finis admixtione declarauit. Deinde finem oratoris officij ait eſſe, perſuadere. Sed non ſatis plenè finem oratoris oſtenderat, ſi ſolū perſuadere poſuiſſet. nam perſuadetur tabulis, tormentis, teſtibus, multisq́; alijs rebus. Ergo ut finem proprium declararet, fini adiunxit officiū. ait enim : Finis eſt oratoris officij, perſuadere dictione. Dictione, inquit, quod eſt oratoris officium. Ita, inquit, & medici officium eſt curare. Sed quia multi & incantatione, & ligaturis curant, Curare, inquit, ſed appoſite ad ſanandum. Ergo ut euidentius officium medici demonſtraret, finem quoque ſubiunxit officio, id eſt, curationi ſanitatem. Deinde finis eſt medicinalis officij, inquit, ſanare. ſed quia multi item ſanant, addidit Sanare curatione. Ita ergo ſemper officium & finis ſine altero exprimi non poſſunt. Hanc tamen diſtantiā dicit eſſe inter officium & finem, ut in officio quid agendū ſit, in fine quid complendum ſit, conſiderare debeamus. Hic Marcomannus errauit, qui dixit finem oratoris officij non eſſe perſuadere, nec finem medicinalis officij ſanare. etenim ſæpe nō perſuadere oratorem, & medicum non ſanare contingit. ideo addidit : Quatenus rerum conditio, perſonarumq́; patiatur. Sed non intellexit Ciceronem, qui finem in rebus ipſis poſuit, non in euentu : id eſt, qui finem in officio conſtituit, & in his ipſis rebus, quæ dum in officio ſunt, ad finem tendunt. quare & oratoris officij finem eſſe completum, ſi appoſite ad perſuaſionem dicat: & medicinalis officij finem eſſe completum, ſi quidquid ad ſanitatem ſpectare uidetur, adhibuerit. Marcomannus itaque finem non in rebus, ſed in euentu collocauit. Materiam artis eam dicimus.] Rei interdum ſpecialiter definimus, cum quid ſit, ab eiſdem ipſis incipiamus demonſtrare. ut paulo ante definiuit genus, officium, finem, in arte ſcilicet Rhetorica. Interdū quo clarius definiamus, à genere incipimus eius rei quam definimus: ſed à genere quod ſibi uicinum ſit, non ualde remotū. ut nunc Cicero, cum materiam artis rhetoricæ demonſtraturus ſit, non à materiæ definitione cœpit, ſed à materia artis. Primum autem genus eſt materia. Materia porrò in duas ſpecies diuiditur. Eſt enim materia artis, & non artis. Rurſus materia artis diuiditur in artes plurimas : Grammaticam, Dialecticam, Rhetoricam, aliasq́; multas. Ergo à materia artis, quæ communior ſupra incipit, ut definiat materiam artis rhetoricæ : Materiam, inquit, artis. ut genus eſſet, non addidit rhetoricæ. Verū quod ait, Eam dicimus : oſtendit artis omnem materiam in duobus eſſe, id eſt, in eo ubi facit aliquid, & in eo unde facit. utputa fabri materia eſt in eo ubi facit, id eſt, ferrum quod tundit. eſt item fabri materia in eo unde facit, id eſt, malleus quo tundit. ita & medici materia eſt ubi facit, morbus ac uulnera : item unde facit, inſtrumenta quibus curat. Sic & materia rhetoricæ artis poteſt in eo eſſe ubi facit, id eſt, in deliberatione, demonſtratione, iudiciali. poteſt & in eo eſſe unde facit, id eſt, in argumentis, quæſtionibus, & in reliquis materia neceſſarijs. Verū Cicero generaliter materiam artis illam dicit, in qua omnis ars, & ea facultas quæ conficitur ex arte uerſatur, id eſt, ubi fit, nō unde fit. ut medici materia ſit, morbus ac uulnera : fabri, ferrum quod tundit. rurſus rhetoricæ artis materia ſit, deliberatio, demonſtratio, iudiciale : non argumenta, & illa omnia quibus materia rhetoricæ artis impletur. Verum quod ait, In qua omnis ars, & ea facultas, quæ conficitur ex arte, uerſatur.] Cum accipimus alicuius rei artem, neceſſe eſt nos aliquid ex ea conſequi. Quare id quod ex arte conficitur, ut ſupra docuimus, facultas dicitur. Cunctæ enim per artem facilius tranſiguntur. Has autem res alij plures, alij pauciores.] Eas res ſcilicet, in quibus materia artis rhetoricæ conſiſtit. ſunt autē, ut Ariſtoteli

& Ciceroni placet, tres, id eſt, triplex materia: demonſtratiua, deliberatiua, iudicialis. Itaque quantum ad materiam rhetoricæ artis ſpectat, hoc plenum eſt. Iam quidquid plus eſt à pleno, plus intelligitur. Quidquid minus à pleno, minus intelligitur. Verum quod plus eſt, dupliciter plus eſt: aut in eo ubi modus eſt, aut in infinito. Et ideo addidit præter illud quod dixit, alij plures exiſtimauerunt. Nam Gorgias, inquit, Leontinus antiquiſſimus ferè rhetor, omnibus de rebus oratorem optime poſſe dicere exiſtimauit. hic infinitam & immenſam huic artificio materiam ſubijcere uidetur. Ergo illi, qui in pluribus rhetoricam materiam conſtituunt, exhortationem & conſolationem in rerum generibus ponunt, id eſt, in materia rhetorica. Sed quia orator in ciuili ratione uerſatur, conſolatio porrò priuatorũ eſt, conſolari amici eſt potius quàm oratoris. Deinde quia officium oratoris eſt perſuadere dictione, exhortatio ſiue dehortatio ad materiam non pertinent oratoris. Cum enim exhortor, nihil perſuadeo, ſed uolentem aliquid ut magis uelit inſtigo. & cum dehortor, nolentem aliquid non tunc primum perſuadeo ut nolit, ſed ut magis nolit inſtigo. Ergo neceſſario exhortationem & conſolationem Tullius à materia rhetoricæ artis ſeparauit. Item illi qui res pauciores rhetoricæ materiæ tribuũt, demonſtrationem tollunt. dicunt enim in demonſtratione nihil perſuadere oratorem, cum reuera perſuadeat, ſed falſo. Nã cum aliquem uituperamus, ſiue laudamus, ut apud omnes talis habeatur qualem demonſtramus, ſine dubio perſuademus. Ergo Cicero Ariſtotelem ſecutus triplicem materiam eſſe dicit oratorij officij, demõſtratiuam, deliberatiuam, iudicialem. Sed has materias in publicis cauſis conſtituit, hiſq́; perſonas certas tribuit. Quare has tres res definiuit in ciuili negotio poſitas, cum certa ſignificatione perſonæ. Demonſtratio eſt, inquit, certæ perſonæ aut laus aut uituperatio. Deliberatio eſt, inquit, quæ poſita in publicis cauſis, aſſertionis ſuæ ſententiam dicit. Iudicialis eſt inquit, quæ in iudicio ciuili poſita duo agit, aut accuſat, aut petit: contra, aut defendit aut negat. Nam Gorgias Leontinus antiquiſſimus ferè rhetor, hic oratorem dixit omnibus de rebus optime poſſe dicere: qui (ut uidemus) à pleno excedit, & exceſſit, non ad id quod habet modum, ſed in infinitum. Denique hoc ipſe Cicero oſtendit: Hic infinitam, inquit, & immenſam huic artificio materiam ſubijcere uidetur. Ariſtoteles autem qui huic arti.] Duo quæ oratori maxime ſunt neceſſaria, Ariſtoteles circa ſcribendam artem dedit: Inuentionem, & elocutionem. adiumentum enim de inuentione uenit, ornamentum de elocutione. Hic ergo Ariſtotelis ſententiam ſequitur. nam rhetoricam materiam triplicem conſtituit, demonſtratiuam, deliberatiuam, iudicialem. Nam Hermagoras.] Scimus Ciceronem materiã rhetoricæ artis triplicem conſtituere, Iudicialem, deliberatiuã, demonſtratiuam, hocq́; etiam Ariſtoteli placuiſſe. quare ſuperius reprehendit eos, qui oratori infinitam materiam conſtituerant. reprehendit eos, qui addiderant exhortationem, & conſolationem. reprehendit & eos, qui ſubtraxerant demonſtrationem. nunc etiam Hermagoram, qui æque artem ſcripſit, confutat ac lacerat, dicitq́; hunc uehementer erraſſe, quòd materiam oratoris in duas partes diuidat, in cauſam & in quæſtionem. quorum unum dicit eſſe oratoris officij, cauſam ſcilicet: aliud longe ab oratore remotiſſimum, & nec ab ipſis philoſophis diligenter comprehenſum, ſcilicet quæſtionem. Nam Hermagoras quidem nec quid dicat attendere, nec quid polliceatur intelligere uidetur.] Duobus modis reprehendit Hermagorã, quod non perſpexerit rei illius uim quæ omnino remota eſt ab oratoris officio, id eſt quæſtionem: & quod uideatur de ſe polliceri ea quæ oratori attribuit ad dicendum. Hoc quoque duobus modis reprehendit. Nam errauit, inquit, ſi non quod omnis orator, ſed quod ipſe poſſit, ad materiam rhetoricæ artis applicauit. Deinde, inquit, nec ipſe potuit. nam nunquam illum ex arte dixiſſe omnes uidemus. Ergo quoniam duo diximus in Hermagora reprehendiſſe Ciceronem, quod rem non attẽderit, quod multum de ſe uideatur eſſe pollicitus: primo eum demonſtrat rem quam oratori attribuerit non uidiſſe. Sed antequam id oſtendamus, quid ſit cauſa, quid quæſtio, uideamus. Cauſam eſſe dicit, quæ rem habeat in ſe, controuerſiam in dicendo poſitam cum perſonarum certarum interpoſitione.] Cauſam, inquit, hanc eſſe dicit, controuerſiam in dicendi contentione poſitam cũ certis perſonis. Quam, inquit, cauſam nos quoque oratori dicimus eſſe attributam.] Nam huic, inquit, cauſæ tria genera ſupponimus: Iudiciale, deliberatiuum, demonſtratiuum. Quæſtionem porrò hanc eſſe dicit. Controuerſiam quidem in dicendo poſitam, ſed ſine tertijs perſonis: quæ ſcilicet rhetorica dictio uocatur. Theſis porrò duplex eſt, theorice & practice. Theorice eſt, quæ diuina cognoſcit. Practice eſt, quæ in hominum negotijs, & ciuili diſceptatione uerſatur. Ergo primo aſſerit, Hermagoram, uim rei quam oratori attribuat, non uidiſſe. nã theſin oratoris materiam non eſſe perſuadet. quæ cum duplex ſit, theoricen magis exaggerat: nec paruis aut leuibus quæſtionibus, ſed infinitis: Verı̃ne ſint ſenſus, quæ ſit ſolis magnitudo. Sed quare & practicen theſin poſuit, id eſt & quid ſit bonum præter honeſtatem? Theſin quidem Cicero materiam oratoris eſſe non dicit, illamq́; theoricen omnino remouet: Practicen autem theſin dicit ab oratore tractari, ſed ut argumenti locum teneat, non materiæ. Ergo ita tollit oratori practicen theſin, ut materia eius non ſit: liceat autem ei pro argumento proferre. Et quid ſit bonum præter honeſtatem.] Stoici dicunt honeſtatem ſolam bonum eſſe. Iam multi diſputant, utrum & utilitas bonum ſit, utrum & dignitas bonum ſit? Verı̃ne ſint ſenſus.] Vt Lucretius negat eſſe ueros ſenſus odoris, uiſus, tactus, ſaporis, auditus. Quæ ſit ſolis magnitudo.] Verum tantus ſit quantus uidetur, an maior, uel multo minor. Quæ ſit mundi facies?] Multi enim dicunt mundum in modum ſphæra eſſe collectum, multi oblonga rotunditate eſſe formatũ, multi plana facie, multi quadrata, multi in cameræ modum, ſcilicet ut ſub terra non ſit ſimilis, at ſupra caput eſſe mundi faciem. Quas quæſtiones procul ab oratoris officio remotas, facile omnes intelligere exiſtimamus.] Bene ait, ab oratoris officio remotas. Oratores officium enim eſt, negotium ciuile tractare. Non tamen dixit, ab oratore remotas. Poteſt enim orator, poſtquam proprio officio ſatisfecerit, etiam philoſophiæ operam dare. Nam quibus in rebus ſumma ingenia philoſophorum plurimo cum labore conſumpta intelligimus.] Quando aliquid negamus, aut tollimus, quare id facimus demonſtrare debemus. ut nunc Cicero, ab oratoris materia tollit theſin, & probat ſe recte tollere. Nam, inquit, res illas in quibus philoſophi ingenioſi magno cum labore uerſati ſunt, has oratori quaſi paruas partes applicare dementiæ eſt, oratori ſcilicet, qui ægre ſuum quoque implet officium. Quod ſi magnam in his Hermagoras, & cætera.] Oſtendit iam Hermagoram, quod primum fuit, uim rei illius nõ uidiſſe, quam ad oratoris materiam, quaſi paruum aliquid applicuerat. Nunc illud aliud tractat, nec quid polliceatur intelligere uidetur. & oſtendit primo, non recte eũ feciſſe, ſi ex eo quod ipſe poſſet, in cæteros præcepta conſtituerit: Quod ſi, inquit, magnam in his Hermagoras habuiſſet facultatem, ſtudio & diſciplina cõparatam, uideretur fretus ſua ſcientia, falſum quiddam conſtituiſſe de oratoris officio. Deinde illum nihil potuiſſe confirmat: ſimulq́; illi & rhetoricam & philoſophiam tollit. Practicen enim rhetoricæ eſt, theoricæ philoſophia. Nunc uero, inquit, ea uis eſt in homine, ut ei multo rhetoricam citius quis ademerit, quàm philoſophiam conceſſerit. Quod ſi magnam in his rebus Hermagoras habuiſſet facultatẽ, ſtudio & diſciplina comparatam.] Oſtendit quibus rebus facultatem totius ſcientiæ conſequamur: ſtudio, inquit, & diſciplina.

ſciplina. Studium eſt, animi conſenſus ad aliquid: Diſciplina eſt preceptum. quibus acceptis, id quod deſideramus implemus. Itaque ſtudium in nobis eſt, preceptum extra nos, ſed ad nos. Neque eo, quòd ars eius, quam edidit, mihi mendoſiſſime ſcripta uideatur.] Ea uis eſt, inquit, in Hermagora, ut ei citius quis adimat rhetoricam, quàm philoſophiam concedat. Sed non, inquit, ideo hoc dixi, quòd mihi ars eius, quam edidit, mendoſiſſime ſcripta uideatur. Iam cum ait, non mendoſiſſime, non negat mendoſe. Et quoniã dixit eſſe aliquid in eius artibus, quod ſit probandum, quippe quæ non mendoſiſſime ſcriptæ ſunt, ait eum multa ex antiquis artibus collegiſſe, ut ſi quid forte probabile, alienum id omne ſit. Deinde quàm aſtute ibi Hermagoræ dat ingenium, diligentiam, ubi ſibi de alienis multa conquirit. Alioqui ubi propria eius inuenta perſcribit, nihil illi horum dat, quin imo multa tollit, cum ait. Et nonnihil ipſe quoque noui protuliſſe, uerum oratori minimum eſt, de arte loqui.] Quod hic fecit: multo maximum ex arte dicere, quod eum minime potuiſſe facere omnes uidemus. Orator duo habere debet, ut artem tradat dicendi, ut ipſe ex arte dicat. Sed officiũ eius ex hoc uerum eſt, ut ex arte dicat. Illud autem accidens, ut artem dicendi tradat, quod rhetoris officium ſolum eſt. Ergo non quidem mihi Hermagoras uidetur mendoſiſſime artes ſcripſiſſe, ſed oratori maximum illud eſt, non ut artem tradat, quod rhetoris proprium eſt: ſed ut ex arte dicat, quod oratori maxime eſt neceſſarium. Tollit ergo Hermagora exercitationem ex arte dicendi, quod eum, inquit, minime potuiſſe omnes uidemus. Minime, inquit, potuiſſe. nec hoc illi dat, ut quomodocunque potuerit. ergo ſi nec ſapiens fuit, nec dicendi peritus recte: nec quid dicat attendere, nec quid polliceatur intelligere uidetur. Orator enim uir eſſe debet bonus, & dicendi peritus. Deinde concludit. Quare conuicta Hermagora, & refutata ſententia, ſupereſt ut materiam rhetoricæ illam, quæ et Ariſtoteli placuit, conſtituamus, triplicem ſcilicet: iudicialem, deliberatiuam, demonſtratiuam. Partes autem hæ, quas plerique dixerunt.] Meminimus, de arte extrinſecus quinque res Ciceronem ſe ſpopondiſſe dicturum: de genere artis rhetoricæ, de officio, de fine, de materia, de partibus. Itaque quoniam quatuor res explicatæ ſunt, hoc extremum eſt, ut de partibus diſſeramus. Partes ſunt hæ, inquit, quas plerique dixerunt. Multa Cicero ab alijs recte in artibus poſita ſecutus eſt: ut paulo ante Ariſtotelis ſententiam ſecutus, triplicem materiam rhetoricæ artis eſſe dixit, iudicialem, deliberatiuam, demonſtratiuam. Itaque & nũc partes, inquit, quas plerique dixerunt. alij enim partes VII, multi IIII, ſed plerique, V, eſſe dixerunt, eorum ſententiam & Cicero ſecutus, quinque partes eſſe confirmat: Inuentionem, diſpoſitionem, elocutionem, memoriam, pronunciationem. Inuentionem eſſe dicit, ad negotij fidem, aut uerarum rerum aut ueriſimilium excogitationem. ſed orator in ueriſimilibus maxime uerſatur. Duo enim ſunt genera argumentorũ, neceſſarium & probabile. Neceſſarium in ueris rebus eſt, probabile in ueriſimilibus. Diſpoſitionem dicit eſſe, ut inuenta locis neceſſarijs per ordinem diſponamus. Elocutionẽ porrò in duobus ponit, in idoneis uerbis, & in ſententijs: ſcilicet ne in uerbis ſingulis barbariſmus, ne in pluribus ſolœciſmus exiſtat. deinde ſiue uerba, ſiue ſententias, ut competenter inuentionibus diſpoſitis applicemus. Memoriam uero illam eſſe dicit, ut circa inuentiones retinendas argumenta uel uerba firmiter concepta teneamus. Ergo dicentis hæc memoria eſt, non legentis. Deinde, Pronunciatio eſt inquit, ex rerum & uerborum dignitate, uocis & corporis moderatio.] Id eſt, ut rem magnam dicturus, pompam corporis uocisq; perpendas: ut rem humilem dicturus, hæc eadem moderatius oſtentes. Pronunciatio ergo in duobus eſt, in uoce, & in corpore. Corpus uero duo habet, motum ſui, & uultum, quo ſcilicet ad negotium compoſito ſæpe rebus addimus, aut detrahimus dignitatem. Nunc his rebus breuiter cõſtitutis.] Iam quinque res, quas ſe de arte extrinſecus dicturum eſſe promiſerat, executus eſt. oſtendit enim quod eſſet genus artis rhetoricæ, quod officium, qui finis, quæ materia, quæ partes: quibus omnibus cognitis, ſcimus tantum quid ſint, nihil tamen nobis ad actus proſunt. Harum tres res ſemper in ſola ſcientia ſunt, id eſt genus, officium, finis. & ideo ſe alio tempore de his dicturum eſſe promittit. Ad precepta enim artis rhetoricæ minime pertinent, ut ipſe ait. Nam & uerborũ multorum indigent.] Quippe de his eſt longa diſputatio, & nõ tantopere ad artis deſcriptionem & precepta pertinent. Verũ de duabus rebus dicturus eſt, de materia ac partibus, quæ tandiu dum tantum, ut ſciremus quid eſſent, edocuit. Nunc in his præcepta dat, ſcilicet ut harum rerũ non ſolum ſcientiam, ſed etiã actus habeamus. Ergo oſtendit eum qui artem rhetoricam ſcribat, de duabus reliquis rebus de materia artis ac partibus ſatis eſſe dicere. Ac mihi quidem uidetur coniunctim agendũ de materia ac partibus.] Recte ait, coniuncte agendum. partes enim ſine materia eſſe non poſſunt. Niſi enim controuerſiã aut deliberatiuam aut demonſtratiuam dicamus, quæ materia ſunt: inuentione, diſpoſitione, elocutione, memoria, pronunciatione, quæ partes ſunt, uti non poſſumus. Coniuncte ergo agendũ eſt, de materia ac partibus. Itaque oſtendit primo, quod eſſet genus artis rhetoricæ, quod officium, qui finis, quæ materia, quæ partes. Ex his tria in aliud tempus diſtulit, id eſt genus, officium, finem. Atque ideo de duobus reliquis, quæ ad præcepta pertinent, ſe ait eſſe dicturum: de materia ſcilicet ac partibus. Partes porrò quinque ſunt: inuentio, diſpoſitio, elocutio memoria, pronunciatio. Horum ſolam inuentionem in duobus libris tractat, & in hanc præcepta tradit. pauca etiam de elocutione commemorat. Reliqua uero nec contingit quidem, id eſt, diſpoſitionem, memoriam, pronunciationem. Ergo quoniam de ſola inuentione dicturus eſt, & quoniam in omni cauſarum genere inuentio plurimum ualet, incipit de inuentione tractare.

DE INVENTIONE.

OMnis res, quæ habet.] Vt diximus, tractatus incipit inuentionis. Et primum hoc debemus ſcire cõpendium, quod omnis inuentio quinque locis conſtat. Debemus enim primo conſiderare, quæ ſit conſtitutio: deinde, ſimplex'ne ſit cauſa, an duplex: tertio, ſcripti, an rationis: quarto, quæ cauſæ quæſtio, quæ ratio, quæ iudicatio, quod firmamentum: quinto, ut omnis cauſæ partes nobiſcum pertractemus: deinde partes orationis, principium, narratio, diuiſio, confirmatio, reprehenſio, concluſio. Ergo ut ſe ordo habet, primũ de conſtitutione dicemus. Hoc tamen animaduertamus, quod Cicero hos quatuor ſtatus rationales conſtitutiones uocet, atque hos ſemper in omnibus negotijs dicat eſſe principales, id eſt, coniecturam, finem, qualitatem, translationem. Hos ergo conſtitutiones appellauit: illos autem alios legales, non conſtitutiones, ſed ſtatus uocat. nec unquam horum aliquem principalem dicit eſſe poſſe. Sed ut originem ſtatuum melius noſſe poſſimus, formam ſimilitudinis attendamus. Omnis conſtitutio ſic eſt, ut aſpectus. aut enim aliquid uidere uolumus, nec uidemus, & eſt coniectura: aut cum uidemus aliquid, & quærimus quid ſit, & eſt finis: aut cum uidemus quid ſit, & quærimus quale ſit, & eſt qualitas. Translatio porrò ab hac ſimilitudine uidetur eſſe remota. Igitur conſtitutionem eſſe dicit quæſtionem, ex qua cauſa naſcitur. Quæſtio eſt, uox intentionis & negationis, id eſt Feciſti, non feci, aut iure feci. In hac ergo quæſtione ſemper ſit neceſſe eſt conſtitutio. Cauſa eſt uero, quæ naſcitur ex quæſtione: id eſt, an fecerit, an recte fecerit. Hoc tamen tenere debemus, quòd à Cicerone & cauſa & quæſtio ad eandem ſignificantiam profertur. ut nunc cauſam pro quæſtione, nunc

queſtionem pro cauſa ponat. Itaque conſtitutio facile inueniri poteſt, ſi extremam partem thematis attendamus. in qua cum intentionem ex noſtra perſona propoſuerimus, debemus attendere quid ad intentionem competenter reſpondere poſſit, tunc in reſponſione conſtitutionem neceſſe eſt inueniri. Omnis res, quæ habet in ſe poſitam in dictione ac diſceptatione aliquã controuerſiam.] Recte, In dictione ac diſceptatione. Sunt enim multæ controuerſiæ, nõ dictione, ut opificum. uerum quod ait, Quæ habet in ſe poſitam in dictione ac diſceptatione aliquã controuerſiam: dictio poteſt eſſe demonſtratiua materia, diſceptatio uero deliberatiua & iudicialis. Deinde dictio poteſt eſſe narrationis, ut ipſe ait, dicendo, Explananda ſunt omnia. Diſceptatio uero, quæſtionis. ibi enim totius controuerſiæ pugna uerſatur. Ergo quæcunque res poſita in dictione ac diſceptatione facit aliquam controuerſiam, neceſſe eſt habeat quæſtionem, id eſt, conſtitutionem aut facti, aut nominis, aut generis, aut actionis. Et primum rebus indicat quæſtiones, ſiue conſtitutiones. poſt, his dabit nomina partim ex rebus ſumpta, partim ex commodo actionis. Itaque nunc modo rebus indicat conſtitutiones, cum ait, In omni controuerſia aut facti, aut nominis, aut generis, aut actionis quæſtionem eſſe oportere. De his enim rebus ſit quæcunque cõtrouerſia, neceſſe eſt. Sed antequam nomina det conſtitutionibus, definit quid ſit conſtitutio, uel unde naſcatur. Quæſtionem inquit, ex qua naſcitur cauſa, hanc conſtitutionem uocare debemus. quæſtionem porrò eſſe diximus, uocem utriuſque partis, id eſt, Feciſti, non feci, aut recte feci. Cauſam uero illam, an iuſte feceris: hoc etiam diximus quod Cicero idem uelit quæſtionem eſſe quod cauſam, & quod his circa eandem ſignificantiam communiter utatur. Denique ſtatim demonſtrabit ſe his uti cõmuniter. Eam igitur quæſtionem, ex qua cauſa naſcitur.] Hic primũ fecit quæſtionem. deinde ubi oſtendit quid ſit conſtitutio, ait. Conſtitutio eſt prima conflictio cauſarum.] Incipit conſtitutionibus nomina dare. Cum facti, inquit, controuerſia eſt.] Idem debemus facta intelligere, quod dicta. Vt enim utrum aliquid factum ſit quæritur, ita & utrum aliquid dictum ſit poteſt quæri. quare huic conſtitutioni quoniam incerta & non apparentia coniecturis uel ſuſpicionibus indagantur, recte coniecturæ nomen impoſuit. Alij hanc conſtitutionem realem uocauerunt, quod in ea quæratur utrum res de qua agitur, facta eſſe uideatur. Alij ςαδιασμὸν græco uocabulo quidem, quod in ea de incerto inueſtigando maximum certamen habeatur. unde & ſtadium dicitur, quod ibi exerceantur certamina. Sed Cicero conſtitutioni huic ex modo actionis nomen impoſuit. In hac autem conſtitutione modus actionis eſt hic, quod res coniecturis quæritur, ideo ergo coniecturam uocauit. Cum autem nominis, quia uis uocabuli definienda uerbis eſt, conſtitutio definitiua nominatur.] Nominis, inquit, eſt controuerſia, cum de facto conſtat, ſed quæritur quo id factum nomine appelletur. atque ideo, quoniam facti uocabulum pro neceſſitate ſuſcepti negotij nobis appoſita definitione nudandum eſt, conſtitutio definitiua nominatur. Huic quoque conſtitutioni non ex re, ſed ex modo actionis nomen impoſuit. res eſt enim huius conſtitutionis, nominis ambiguitas. modus actionis, eſt nominis definitio. Recte ergo huic conſtitutioni non ex re, ſed ex modo actionis nomen impoſuit. Cum uero qualis ſit res, & cætera.] Et ſupra oſtendimus, cum de genere artis rhetoricæ diſputaremus, genus in triplici ſignificatione conſiſtere: eſſe genus ſanguinem, eſſe genus ſub quo ſimilia multa teneantur: eſſe genus qualitatem, id eſt quo uniuſcuiuſque rei qualitas indicetur. Ergo, inquit, cum & de facto, & de nomine conuenit, ſed quæritur quale ſit id quod in iudicio uerſatur, quoniam de genere negotij controuerſia eſt, conſtitutio generalis uocatur, qualitas ſcilicet. Verum huic conſtitutioni nõ ex modo actionis, ut ſuperioribus duabus, & poſt quarta: ſed ex re, id eſt negotio nomen impoſuit. Hic enim res illa eſt, quod negotij genere uel qualitate quæritur. Itaque ex re huic conſtitutioni nomen impoſuit, ut generalis uocetur, id eſt qualitas. At cum, inquit, cauſa ex eo pendet, & reliqua.] Cum inquit, talis fuerit controuerſia, ut in hoc ſit tota contentio, cum aut apud alios nos accuſare debere dicimus: aut non nos, ſed alios accuſari: aut non apud hos, ſed illos: non hac lege, ſed illa: nõ hoc crimine, ſed illo: non hac pœna, ſed illa: quoniam in his omnibus de tranſlatione actionis controuerſia eſt (agitur enim ut actio tranſlatiua nominetur) conſtitutio tranſlatiua nominatur. Huic quoque conſtitutioni ex modo actionis nomen impoſuit. agitur enim, ut actio transferatur. Verum quod ait, Non hoc crimine, ſed illo: non'ne & in fine, cum quæritur utrum fur an ſacrilegus ſit, id quæritur, quo'nam magis crimine accuſandus ſit? Sed hoc intereſt, quod in fine crimina utraque iunguntur. Non enim cum ſacrilegum dico, furem nego. In tranſlatione uero uno accuſandus crimine, ſiue illo quod intendimus, ſiue illo, ad quod reus transferri poſtulat actionem. Atque harum aliquam in omne cauſa genus.] Siue, inquit, in iudiciali, ſiue in deliberatiua, ſiue in demonſtratione, neceſſe eſt aut cõiecturalem, aut finitiuam, aut generalem, aut tranſlatiuam incidere conſtitutionem. Vbi, inquit, harum nulla fuerit inuenta, ibi nulla eſt controuerſia. quare nec cauſa eſſe iudicanda eſt. Si enim conſtitutio nulla eſt, unum latus recedat oportet. id enim conſtat, quod utrinque latere concurrente fulcitur. Igitur ſi conſtitutio non erit, nec cauſa eſſe iudicanda eſt. eſt enim aſyſtata controuerſia. Ac facti quidem controuerſia in omnia tempora poteſt diſtribui.] Nunc poſtquam conſtitutiones & rebus & nominibus indicauit, ut has manifeſtius cognoſcere poſſimus, iiſdem ſtatibus exempla ſupponit. Ac facti quidem cõtrouerſia, inquit, in omnia tempora diuiditur.] Et ſupra diximus, cum de facto ſit quæſtio, coniecturã uocari. Ergo hic coniectura tria tempora aſſignat, præteritum, præſens, & futurum: quod quidem exemplis docet. Sed hoc ſcire debemus, nullam rem in iudiciũ, id eſt in iudiciale genus cadere poſſe, niſi de præterito. Omnia enim argumenta non de futuris, quæ incerta ſunt, ſed de præteritis colliguntur. itaque coniectura, quanquã habeat tria tempora, tamen principalis eſſe non poteſt, niſi de præterito ſit. de præſenti uero, uel de futuro incidere poſſunt, poſt ſtatum alium principalem. Ergo nec hanc coniecturam principalem eſſe credamus. Bono'ne animo ſint erga P. R. Fregellani.] In hoc themate demonſtratio continetur. nam deſcribendi nobis ſunt Fregellani, qui ſemper populo R. uidebantur aduerſi, & infenſi. Ita & quod ait: Si Carthaginem reliquerimus incolumem, nunquid ſit incommodi ad R. P. peruenturum.] Et hic deliberatiua poteſt eſſe. Deliberat ſenatus, an Carthagini parcat. ergo nihil in iudicium niſi de præterito cadit. Nominis controuerſia eſt, cum de facto conuenit.] Nunc de fine tractat, cum nominis, inquit, eſt controuerſia, id eſt cum quæritur quo id quod factum eſt nomine appelletur. Verum cum de nomine ambigitur, & de re neceſſe eſt ambigatur. nomen enim rei eſt, res uero nunquam ſine nomine eſt. Quare cum de nomine dubitatio eſt, de re quoque dubitetur neceſſe eſt. Ergo definitiuus ſtatus huiuſmodi eſt, cum de facto conſtat, & de re uel nomine controuerſia eſt. Inter factum enim & rem hoc intereſt. Res eſt, certam ſui formam & ſpeciem circa cognitionem retinens. ergo ſi ſpecies rei nota eſt, nomen quoque notum ſit neceſſe eſt. Factum eſt confuſum quiddam & incertum, hoc ſolo certum quod ſcitur quid factum eſt. In fine itaque factum conſtat, ſed res non conſtat: & quia rei nomen ſemper adiunctum eſt, ideo de nomine controuerſia eſt. Quod, inquit, nomen breuiter nobis definiendum eſt, & contra atque aduerſarius dicat deſcribendũ, & dat exemplum. Vt ſi quis

ſacrum

ſacrum ex priuato ſurripuerit, utrum fur an ſacrilegus ſit iudicandus.] Factum conſtat: nam ſacrum ex priuato conſtat eſſe ſublatum. de nomine incertum eſt, utrum ille fur an ſacrilegus iudicetur. quare definitionibus noſtris nomen illi aliud, quàm aduerſarij uolunt, imponere debemus. Non eſt ſacrilegium, cum ab eo quid de templo detrahitur, cuius tutelæ, atque cuſtodiæ commiſſum eſt. Si præceptor diſcipulum uerberat, iniuria non eſt, ſi iure factum eſt aliquid, non poteſt iniuria dici. Definienda res erit uerbis, & breuiter deſcribēda.] Ad unū quidem utrunque tendit. Sed quia multimodæ ſunt definitiones, uideamus interim quid interſit inter definitionem & deſcriptionem. Definitio talis eſt: homo eſt animal rationale, bipes, riſus capax. Deſcriptio uero talis: homo eſt, qui rectum uerticem rotūdo capite attollit, cuius ſunt ſub collo humeri brachiaq; demiſſa, &c. in hunc modum. Sed ut ipſe ait, Breuiter deſcribenda. ergo quoniam de fine tractauimus, nunc quoque quid tractetur de qualitate uideamus. Generis eſt controuerſia, cum & quid factum ſit, conuenit.] Tulit coniecturā. deinde cum ait: Et quo id factum nomine appellari oporteat, conſtat.] Tulit finem. Ergo ſupereſt, ut, quale uel quantū ſit id quod factum eſt, uideamus. & dat exemplum. Verū iuſtum, an iniuſtum ſit: utrum utile, an inutile ſit.] Quod cum quæritur, nō nomen rei, ſed rei qualitas quæritur: & ideo qualitas appellata eſt. Incipit Hermagoram reprehendere, qui demonſtrationem & deliberationem ſub qualitate conſtituerit. Huic generi Hermagoras partes quatuor ſuppoſuit.] Reprehendit, ut diximus, Hermagoram, quod demonſtrationem & deliberationem ſub qualitate poſuerit: cum ipſa qualitas, id eſt conſtitutio, ſub deliberatiua & demonſtratiua ſit, de qua re in conſequentibus latius diſputabitur. Quod eius, ut nos putamus, non mediocre peccatū reprehendendum uidetur.] Ait graue Hermagoræ peccatum ſe debere reprehendere, & id breuiter. Ne ſi, inquit, taceamus, quod primum eſt, Hermagoræ artes approbare uideamur: & quare eiuſdem artes non ſumus ſecuti, cauſas dare nequeamus. Deinde inquit. Ne ſi latiſſime Hermagoræ peccatum perſequi uoluerimus, quod quidem eſt.] Tertiū, inquit, noſtris præceptis morā uideamur afferre. ſed quod medium eſt de peccato Hermagoræ, breuiter diſputabimus. Si deliberatio & demonſtratio.] Quæſtio hæc eſt, quòd non recte Hermagoras deliberationem & demonſtrationem ſub qualitate poſuerit. Cicero ergo ait, non recte deliberationem & demonſtrationem ſub qualitate poſitas, quia genera cauſarum ſunt. Quod ſi genera cauſarum eſſe Hermagoras fuerit confeſſus, ſine dubio nō hæc debuit ſub qualitate ponere. ſin negauerit, docebit Cicero genera eſſe cauſarum. Igitur male Hermagoras demonſtrationē & deliberationem ſub qualitate collocauit. Ac primo per conditionalem quæſtionem, id eſt hypotheticam, ingreditur propoſitionem. ubicunque enim, Si eſt, ſub quadam conditione propoſitio eſt. Si, inquit, hoc eſt, illud non eſt. hoc autem eſt, igitur illud non eſt. ita & hic: Si deliberatio, inquit, & demonſtratio genera ſunt cauſarum, non poſſunt recte partes alicuius generis cauſæ putari.] Genera autem cauſarum ſunt, igitur generis cauſæ partes eſſe non poſſunt. & docet genera eſſe cauſarum. Primum igitur ponamus genus cauſæ, ſecundum partes generis cauſæ, id eſt coniecturam, finem, qualitatem, tranſlationem. Tertium ſit illud, quidquid qualitati ſubijcitur. ubi Hermagoras deliberationem & demonſtrationem conſtituit. Ergo Cicero primum dicit deliberationem & demonſtrationem, quia prima ſunt, ſecunda eſſe non poſſe. Quod ſi ſecunda non ſunt, multo minus tertia eſſe poſſe, quod Hermagoras conſtituiſſe conſpicitur. Itaque meminiſſe debemus, Ciceronem de duobus tractare, id eſt de primo & ſecundo, ſcilicet de genere cauſæ, & partibus generis. Si inquit, deliberatio & demonſtratio genera ſunt cauſarum, non recte partes generis cauſæ poſſunt putari, id eſt conſtitutiones: quod cum docet conſtitutiones eſſe non poſſe, multo magis uidentur partes conſtitutionis eſſe non poſſe. Eadem enim res alij genus eſſe, alij pars poteſt: eidem genus eſſe & pars, non poteſt.] Ariſtoteles ait, res omnes, quæ in dictis, & factis, et in omni mundo aguntur, decem eſſe, quarum rerum nomina ponemus. Prima ſubſtantia eſt, deinde quantitas, qualitas, ad aliquid, ubi, quando, ſitus, habere, facere, pati. Græcis autem uocabulis ſi uocantur, οὐσία, ποσότης, ποιότης, πρός τι, ποῦ, πότε, κεῖσθαι, ἔχειν, ποιεῖν, πάσχειν. Harum prima, ut diximus, ſubſtantia uocatur: reliquæ nouem in ſubſtantia ſunt, quæ accidentes uocantur. uepuea membrana ſubſtantia eſt, accidunt autem ei crocum, ſcriptura, &c. Cum interea & ſubſtantia res ſit, & ea quæ accidunt res ſit, nunc ad id quo de nunc agitur reuertamur. Eadem enim res alij genus eſſe, alij pars poteſt.] Hic rem ſubſtantiam illam ponamus, quæ dum ſola eſt, patet omnibus accidentibus. ſed cum ab uno accidenti fuerit occupata, iam in ſe accidens aliud non admittit. Vepuea lana alba res eſt, ſed ſubſtantia. hæc res patet multis accidentibus: poteſt enim lana illa aut roſea fieri, aut ueneta, aut nigra. Sed ſi colorem unum in ſe ſuſceperit, iam in ſe colorem alium non admittit. Similiter & homo ſubſtantia eſt. poteſt autem id quod homo eſt, nunc ſeruus eſſe, nunc dominus. ſed poſtquam dixero dominum, in eo quod dominus eſt, eſſe & ſeruus non poteſt: aut cum dixero ſeruum, in eo quod ſeruus eſt, & dominus eſſe non poteſt. Ita ergo & hic deliberatio & demonſtratio res eſt, ſed illa ſubſtantia, quæ quandiu ſola eſt patet accidentibus, id eſt generi cauſæ, & cauſæ partibus: ita quādiu in incerto ſunt, genus alij, alij partes eſſe poſſunt. Cum uero generis nomen acceperint, in eo, quod genus ſunt, & partes eſſe non poſſunt. Hoc eſt quod ait: Eidem genus, id eſt ſimile ac iudiciale eſt, eſſe & pars non poteſt. Ergo ſi genus generis pars eſſe non poteſt, multo minus partis generis pars putabitur. Deliberatio autem & demonſtratio genera ſunt cauſarum.] Id quod primo dubie propoſuit, aſſumpſit ſine dubitatione. neque enim dicit, ſi deliberatio, ſed deliberatio autem & demonſtratio genera ſunt cauſarum. & id triplici argumentatione conuincit, ſcilicet demonſtrationem & deliberationem genera eſſe cauſarum. Nam aut nullum cauſæ genus eſt, &c.] Aut iudiciale ſolum, aut & iudiciale, & demonſtratiuum, & deliberatiuum: id eſt, aut nullum cauſæ genus, aut unum, aut tria. duo enim propterea non dixit, quoniam deliberatio & demonſtratio quanquam inter ſe diuerſa ſunt, ſimul tamen aut in generibus cauſæ ponuntur, & ſiunt tria genera cauſæ: aut ſimul tolluntur, & remanet unum, id eſt iudiciale ſolum. Ergo tollit duo, id eſt, nec unum eſſe nec nullum: ut id quod reliquū eſt, approbetur. Nullum dicere cauſæ eſſe genus, cum cauſas eſſe multas, & cætera.] Nullum, inquit, cauſæ genus eſſe, non poteſt dicere. nam qui artes ſcribit, multaſq; dicit eſſe cauſas, nullam non poteſt dicere. tollit rem unam. deinde unum iudiciale ſolum eſſe non poteſt dicere: propterea quod & deliberatio, & demonſtratio, genera ſunt cauſarum. nam & inter ſe diuerſa ſunt, & ab iudiciali multum ſeparata. Id porrò quod diuerſum eſt, tunc omnino diuerſum eſt, ſi inter ſe & rebus & exitu diſtet. Atque ut rationes ex ſimilibus colligamus, res eſt lectio, exitus intellectus. Ergo hæc tria genera cauſarum re inter ſe diſtant. aliud enim agitur in demonſtratione, aliud in deliberatione, aliud in iudiciali. Rerum quoque exitus diſpar eſt. nam demōſtrationis finis eſt honeſtas, deliberationis utilitas, iudicialis æquitas. quod ſi hæc tria inter ſe & re & exitu diſtant, profecto genera cauſarum conſtitui debebunt. Non ergo recte deliberationem & demonſtrationem qualitatis partes eſſe dixit. In his autē quæ hucuſque diſputauimus, uideamus quinque partitum ſyllogiſmum: ac primum quæſtionem, de qua agi-

tur, conſtituamus. Hæc autem eſt quæſtio, quod non rectè Hermagoras deliberationem & demonſtrationem ſub qualitate poſuerit. Si deliberatio & demonſtratio genera ſunt cauſarum, non poſſunt rectè alicuius generis cauſæ putari. hoc primũ eſt. eadem enim res alij genus eſſe, alij pars poteſt eidem genus eſſe, & pars non poteſt. hoc ſecundum eſt. Deliberatio autem & demonſtratio genera ſunt cauſarum: hoc tertium eſt. nã aut nullum cauſa genus eſt, aut iudiciale ſolum, aut & iudiciale & deliberatiuum & demonſtratiuum, hoc quartum eſt. Relinquitur ergo, ut omnia tria genera ſint cauſarum. hæc concluſio eſt. Videamus ergo illum, quem promiſimus ſyllogiſmum, quinquepartitum. Si deliberatio & demonſtratio genera ſunt cauſarum, non poſſunt rectè partes alicuius generis cauſæ putari.] Hæc propoſitio eſt. & quia neceſſe eſt exprimi confeſſione, ſecundum quoque in confeſſionem uenire, propoſitio nobis approbanda atque iungenda eſt. Atque ideo Cicero approbat propoſitionem. Eadem enim res, inquit, alij genus eſſe, alij pars poteſt: eadem genus eſſe, & pars non poſſunt, &c.] Approbauit ergo propoſitionem. rurſus poſt approbatam propoſitionem illud quod quaſi in propoſitione dubie propoſuerat, aſſumit hoc modo: Deliberatio autem, & demonſtratio genera ſunt cauſarum.] Deinde approbat aſſumptionem, ut ſupra diximus, triplici argumentatione. Nam aut nullum cauſæ genus eſt, aut iudiciale ſolum, aut & iudiciale & demonſtratiuum, & deliberatiuum.] Poſtremo tres adhibet concluſiones. ubicunque enim ergo uel igitur eſt, concluſio ſit neceſſe eſt. Prima igitur concluſio approbationis de aſſumptione eſt. quid enim erit in aſſumptionis approbatione? nã aut nullum cauſa genus eſt, aut iudiciale ſolum, aut & iudiciale & demonſtratiuum & deliberatiuum. Concludit ergo, hæc tria genera eſſe cauſarũ. Relinquitur ergo, inquit, ut omnia tria genera ſint cauſarum.] Secunda concluſio propoſitionis eſt, ſiue argumentationis eius. Quid enim argumentatur in propoſitione? ſi deliberatio & demonſtratio genera ſunt cauſarum, non poſſunt rectè partes alicuius generis cauſæ putari. Concludit hoc ipſum: Deliberatio igitur & demonſtratio non poſſunt rectè partes alicuius generis cauſæ putari.] Tertia autem concluſio quæſtionis eſt. quæ enim quæſtio eſt, quod Hermagoras deliberationẽ & demonſtrationem non rectè ſub qualitate conſtituit. concludit itaque quæſtionem. Male igitur eas generalis conſtitutionis partes eſſe dixit.] Verum cum in primo ſyllogiſmo de duabus rebus tractauerit, de primo & ſecundo, id eſt, de genere & partibus generis, cur hic in tertia concluſione partis partium mentionem fecit? quòd ſcilicet tertium eſt. Hoc primum ſic excuſatur, quòd hæc concluſio præter ſyllogiſmum ſit. eſt enim quæſtionis, quæ extra ſyllogiſmum eſt, ſed ex ea ſyllogiſmus. deinde quòd per hanc extremam concluſionem ſenſim deſcendit ad alium ſyllogiſmum, ubi hæc tractat, deliberationem & demonſtrationem. cum partes generis eſſe nõ poſſunt, multo magis partium partes eſſe non poſſunt. Sed prius quàm de eodem ſyllogiſmo tractemus, ea quæ in eo obſcura ſunt explicemus. Quod ſi generis cauſæ partes non poſſunt rectè putari.] Diſputaſti quidem ſupra ò Cicero, deliberationem & demonſtrationem, quia genera ſint, partes generis eſſe non poſſe: non tamen oſtendiſti, utrum conſtitutio pars generis ſit, an ipſum genus. incertum eſt enim, utrum deliberatio ſub qualitate ſit, an qualitas ſub deliberatione. Doceas itaque oportet, utrum pars, an genus ſit conſtitutio. Hæc ergo incidens quæſtio eſt, utrum conſtitutio pars, an genus ſit. Iam ſupra oſtendit, deliberationem & demonſtrationem genera eſſe cauſarum, quod & inter ſe diſtent, & ab iudiciali plurimum diſſideant, & ſuũ quæque finem habent quo referri debeant. Nunc ei docendum eſt, utrum conſtitutiones cauſarum partes ſint. & ſic argumentatur. Propoſitio themate, quid primum inuenias, genus an conſtitutionem? utique primum neceſſe eſt agnoſcas, utrum deliberatiua an demonſtratiua controuerſia ſit: tunc deinde, quæ ſit conſtitutio. Ergo pars cauſæ eſt, conſtitutio omnis. Non enim cauſa ad conſtitutionem, ſed conſtitutio ad cauſam accõmodatur.] Prius enim cauſa cognoſcatur neceſſe eſt, deinde conſtitutio. Plus autem cauſam eſſe quàm conſtitutionem, ſic etiam poſſumus cognoſcere, quod in ſingulis cauſæ generibus cõſtitutiones uariantur. Cauſa autem omnium conſtitutionum capax eſt. Verum cum cauſa & conſtitutio iuncta ſibi eſſe uideantur, oportet tamen unũ alteri prius ſit. Omne enim quod loquimur, ſiue quod mente concipimus, aut ſimplex eſt, aut coniunctum. Simplex eſt, quod ad aliud non attendit, ut tabula, ſaxum, & reliqua huiuſmodi. Coniunctum uero, ut de duobus unum prius habeat, quatuor modis fit: aut tempore, aut loco, aut ordine, aut cauſa. Aetas cum in homine ſit, tempore in ordinem ſecernitur. ſi dicas enim, iuuentus utique conſideratione temporis, iuuentus ante ſenectutem eſt. deinde, loco iunctæ domus ſecernuntur. cum enim dicis atrium, ideo primum intelligis, quia conſideras interiorem locum eſſe ubi triclinium. Ordine uero ſic, cum in eodem loco multi ſedeamus, pro ordine ſedentium nobis anteferamus. Cauſa autem ſic, de his quæ iuncta ſunt, unum prius efficitur: utputa pater & filius iuncta ſibi ſunt. neque enim ante pater quàm filius naſcatur, aut ante filius quàm illi ſit pater. ſed quia filio ad naſcendum pater cauſa eſt, idcirco ex cauſa pater filio præfertur. Ita hic in themate cauſa & conſtitutio coniuncta ſunt: ſed ut prior cauſa ſit, cauſa efficitur: ut conſtitutio enim naſcatur, cauſa præcedit. Quod ipſe ait, Non enim cauſa ad conſtitutionem, ſed conſtitutio ad cauſam accommodatur.] Hic quoque aduertamus ſyllogiſmum quadripartitum. prima eſt enim propoſitio cum adiunctio: Quod ſi generis cauſæ partes non poſſunt rectè putari, multo minus rectè partis cauſa partes putabuntur. Huic propoſitioni approbatio non fuit ſubijcienda. Manifeſtum eſt enim, ſi partes cauſæ non ſint, multo minus partis cauſæ partes putari. Ergo incidit quæſtio, utrum conſtitutio pars ſit. & ut ſupra docuimus, probat partes. Sed hæc incidens quæſtio non pertinet ad ſyllogiſmum: uerum quia neceſſaria fuit, interiecta eſt. Deinde aſſumit illud quod propoſuerat. Sed demonſtratio & deliberatio generis cauſæ partes non poſſunt rectè putari.] Et approbat aſſumptionem, Quod ipſa ſunt genera, inquit. Poſtremo concludit propoſitionis ſecundam partem. Quid eſt enim in ſecunda parte propoſitionis? Multo minus rectè partis cauſæ partes putabuntur. concludit hoc ipſum. Multo igitur minus rectè partis eius, quam hic dicit, partes putabuntur.] Primæ enim parti propoſitionis per incidentem quæſtionem ſatiſfacit. Quid eſt enim in prima parte propoſitionis? Quod ſi generis cauſa partes nõ poſſunt rectè putari.] Itaque oſtendit generis cauſæ partem conſtitutionem. Quadripartitus ergo eſt ſyllogiſmus. eſt enim propoſitio, aſſumptio, approbatio, aſſumptionis concluſio. Quæſtio uero incidens ad ſyllogiſmum minime pertinet. Deinde, ſi conſtitutio & ipſa, & pars conſtitutionis eius qualibet intentionis depulſio eſt, quæ intentionis depulſio nõ eſt, ea nec conſtitutio, nec pars, &c.] Omnis pars tunc plene pars eſt, ſi generis & nomen, & definitionem recipiat: utputa animal genus eſt. iam ex animali, homo, equus, auis: deinde ex aui, coruus cornix, aquila. itaque hæc omnia generis ſuũ & nomen & definitionem recipere debebunt. Generis uero nomen, quod eſt animal. ergo & homo, & equus, & auis, & coruus, & cornix, & aquila, animalia dicuntur. deinde generis definitio quæ eſt, id eſt, animalis. Animal eſt corpus animatum. itaque & homo, & equus, & auis, & coruus, & cornix, & aquila corpus animatum eſt. Verum definitio à genere tranſit in ſpecies: ſpecierum uero definitio in genus tranſire non poteſt. non enim cum hominem definio, homo eſt corpus

animatum

animatum bipes : iam cum dico bipes , ad generis definitionem non pertinet . eſt animi animal , & quadrupes . Itaque nunc acceptes ſimilitudine, ad argumentationem Ciceronis redeamus. Et primo queſtionem, que in cõtentione uerſatur, attendamus . Illa autem, ut ſupra diximus, queſtio eſt, quod deliberatio & demonſtratio non recte ſub qualitate ſint poſite . Supra id iam duabus argumentationibus uicit . quarum prima illa fuit, deliberationem & demonſtrationem, ſi genera ſint cauſarum, partes generis eſſe non poſſe . & probauit genera eſſe cauſarum . Secunda uero argumentatio talis fuit, Quod ſi generis partes eſſe non poſſunt, multo magis partes partiũ eſſe non poſſe. Nũc tertiam affert argumentationem: Si, inquit, conſtitutio & ipſa, & pars eius qualibet intentionis depulſio eſt, que intentionis depulſio nõ eſt, ea nec cõſtitutio, nec pars cõſtitutionis eſt, ut ſupra diximus. Omnis pars generis ſui & nomen, & definitioné debet recipere. hic aũt cõſtitutio genus eſt: ſub cõſtitutione quatuor cõſtitutiones: ſub qualitate demonſtratio, deliberatio, iuridicialis, negotialis . itaque uideamus, an deliberatio et demõſtratio generis nomen & definitionem recipiant. Generis nomen eſt conſtitutio : quod nomen tollit Cicero demonſtrationi & deliberationi . Sed ne dicat Hermagoras conſtitutiones dici poſſe, oſtendit definitionem generis cadere non poſſe in deliberationem & demonſtrationem. Quod ſi definitio non cadit, nomen quoque cadere non debebit . Conſtitutionem autem ſic definimus: Conſtitutio eſt intentionis depulſio . quam ſcilicet definitionem in deliberatione uel demonſtratione uidemus eſſe non poſſe . quod ſi deliberatio & demonſtratio, neque nomen conſtitutionis, neque definitionem recipiunt, nec conſtitutiones ſunt, nec partes conſtitutionis . Ipſi autem placet, conſtitutionem intentionis depulſionem eſſe, & concedit ei alias definitiones . Siue, inquit, conſtitutionem primam cauſa accuſatoris confirmationem dicat, ſiue defenſoris primam deprecationem , neceſſe eſt deliberationem & demonſtrationem neque conſtitutionem eſſe, nec partem conſtitutionis . Hoc loco animaduertere debemus genus ſyllogiſmi , quod obſcuritate ſui & artificio colligatum ſyllogiſmis ferè omnibus antecellit. Sic itaque iſte colligitur ſyllogiſmus à primo ad ſecundum, à ſecundo ad tertium, à primo ad tertium. Primum enim & tertium ſimile eſſe medium facit, quod utrique coniungitur . Sed ut melius poſſit artificium Ciceronis intelligi , prius qualibet ſimilitudo facienda eſt . Ponamus itaque hec tria. Victorinus docet, unum ſic : intelligis, aliud ſic : ſpem habes, tertiũ ſic . itaque faciamus ſyllogiſmum à primo ad ſecundum : Si Victorinus docet, intelligis . nunc à ſecundo ad tertium : ſi intelligis, ſpem habes . deinde à primo ad tertium : ergo ſi Victorinus docet, ſpem habes . Primum enim & tertium, quod poteſt uerisſimile non uideri, medio illo quaſi quadam approbatione cõiungitur . Hoc ergo & in Cicerone uideamus . Primũ hoc eſt, Si conſtitutio & ipſa, & pars eius qualibet intentionis depulſio eſt . Secundum illud eſt , Que intentionis depulſio non eſt , ea nec conſtitutio, nec pars conſtitutionis eſt . Tertium hoc, Si deliberatio & demonſtratio, neque conſtitutio, nec pars conſtitutionis eſt . nunc uideamus ſyllogiſmum à primo ad ſecundum : Si conſtitutio, inquit, & ipſa, & pars eius qualibet intentionis depulſio eſt, que intentionis depulſio non eſt, ea nec conſtitutio, nec pars conſtitutionis eſt. deinde à ſecundo ad tertium : At ſi que intentionis depulſio non eſt, ea nec conſtitutio, nec pars conſtitutionis eſt : demonſtratio & deliberatio, nec conſtitutio, nec pars conſtitutionis eſt. Nunc à primo ad tertium : Igitur conſtitutio, & ipſa, & pars eius qualibet, intentionis depulſio eſt: deliberatio & demonſtratio neque conſtitutio, neque pars conſtitutionis eſt . Ergo à primo ad tertium concluſio eſt ſyllogiſmi. Denique Cicero : Si igitur, inquit, conſtitutio .] Manifeſtũ, quia ſyllogiſmi concluſio ubicunque enim ergo uel igitur ponitur, concluſio eſt argumenti . Deinde coniecturalis cauſa nõ poteſt ſimul.] Aliud incipit argumentum, id eſt, quartũ ſyllogiſmum , quo oſtendit non recte ſub qualitate deliberationem & demonſtrationem poſitas . quem ſyllogiſmum priuſquã oſtendamus, ea que in re ſunt, ante uideamus . Deinde inquit, Coniecturalis cauſa . Si, inquit, coniecturã per id, quod eſt, attendamus, nihil aliud inuenimus quàm coniecturam ſolam, nec in eo, quod coniectura eſt, poſſumus finem intelligere. Rurſus, inquit, ſi finem per ſe ipſum cõſideremus, nihil aliud quàm finem inueniemus, nec in eo quod finis eſt , poſſumus tranſlationem intelligere . ita ergo conſtitutiones ſingule in quo poſite genere commixtionem conſtitutionis alterius non admittunt . ſi ergo conſtitutiones ſingule per ſemet ipſas conſiderate habent propriũ ſuũ, commixtionem alterius non admittunt . male igitur Hermagora, deliberationem & demonſtrationem partis conſtitutionis, id eſt qualitatis eſſe uoluiſti, cum deliberatio ſiue demonſtratio per ſe conſiderate , non ſole intelligi , ſed omnes in ſe conſtitutiones cõtinere poſſint . Simul ex eadem parte, eodem in genere.] Id ſupra legimus : Pars autem cauſe eſt conſtitutio omnis . genus autem eſt conſtitutionis, id quod ualet, quod ſe explet, id denique quo unaqueque conſtitutio ab alijs conſtitutionibus ſegregatur . Pars autem communis poteſt eſſe cum multis, & omninò nulla conſtitutio. Nec pars conſtitutionis, &c.] Quoniam de deliberatione & demonſtratione queſtio eſt, que deliberatio & demonſtratio partes conſtitutionis ab Hermagora ponuntur, recte cũ de ſolis conſtitutionibus loqueretur, partes etiã tetigit . Et omnino, inquit, nulla conſtitutio, nec pars conſtitutionis poteſt ſimul & ſuam habere, & alterius in ſe uim cõtinere. Altera autem aſſumpta , numerus conſtitutionum duplicatur , nõ uis conſtitutionis augetur.] Sapienter dixit. multe enim conſtitutiones in cauſa eſſe poſſunt . ſed ſi plures ſint, ad numerum conſtitutionum, non ad augendam uim alterius conſtitutionis accedunt . At deliberatiua cauſa ſimul ex eadem parte eodem in genere, & coniecturalem & generalem & definitiuã & tranſlatiuam ſolet habere conſtitutionem, & unam aliquando, & plures nonnunquam .] Cum, inquit , conſtet unamquanque conſtitutionem alteram in ſe non admittere, deliberatiua ex eadem parte eodem in genere omnes ſolet recipere conſtitutiones. Ergo ipſa nec conſtitutio, nec pars conſtitutionis eſt. ſimul ex eadem parte . deliberatio enim pars cauſe eſt .] Videamus nunc quadripartitum ſyllogiſmum . Proponit ſic, primo ſpecialiter, deinde generaliter . Specialiter ſit, deinde coniecturalis cauſa non poteſt ſimul ex eadem parte eodem in genere & coniecturalis eſſe, & definitiua . ſpecialiter enim de coniectura propoſuit . Rurſus nec definitiua cauſa poteſt ſimul ex eadem parte eodem in genere , & definitiua eſſe & tranſlatiua . Et hic ſpecialiter de fine propoſuit. Nunc proponit generaliter de omnibus conſtitutionibus, & earum partibus . Et omnino, inquit, nulla conſtitutio, nec pars conſtitutionis poteſt ſimul & ſuã habere, & alterius in ſe uim continere . Hucuſque propoſuit . Deinde approbat propoſitioné . Ideo, inquit, quod unaquaque ex ſe & ex ſua natura ſimpliciter conſideratur, altera aſſumpta numerus conſtitutionum duplicatur, non uis conſtitutionis augetur . Poſt approbationem propoſitionis, aſſumit quod ſibi neceſſarium eſt. At deliberatiua, inquit, cauſa ſimul ex eadem partes eodem in genere, & coniecturalem & generalé & definitiuam & tranſlatiuam continet conſtitutionem , & unã aliquam, & plures nonnunquam . Quod quoniam manifeſtũ eſt, & apertum omnibus, non fuit neceſſe approbare aſſumptionem . Sequitur ergo concluſio , que duplex eſt . Prima ad id quod adſumptum eſt : At deliberatiua cauſa ſimul ex eadem parte eodem in genere eſt . ergo ipſa nec conſtitutio , nec pars conſtitutionis eſt . Secunda ad utrunque quo de agitur . pariter enim de deliberatione & demonſtratione tractetur. Genera, inquit, igitur ut ante diximus , hec cauſarum putanda

ſunt,nõ partes alicuius conſtitutionis. ergo ipſa neque cõſtitutio eſt,neque pars conſtitutionis. Idẽ in demonſtratione ſolet uſu uenire. Hæc ergo cõſtitutio,quã generalem uocamus,partes uidetur nobis duas habere.] *Poſtquã docuit,deliberationem et demonſtrationem non partes qualitatis,ſed genera eſſe cauſarũ, ad ipſius qualitatis deſcendit diſputationem. Ac primo hanc in duas diuidit partes,in iuridicialem & negotialem. quarum partium hoc compendium tenere debemus,quod iuridicialis ſemper de præterito eſt,& negotialis ſemper de futuro. quæ tempora in ipſarum partium definitione uidetur Cicero non declaraſſe. ait enim:* Iuridicialis eſt,in qua æqui & recti natura,aut præmij,aut pœnæ ratio quæritur. Negotialis eſt,in qua quid iuris ex ciuili more et æquitate ſit,conſideratur,cui diligentiæ præeſſe apud nos iuriſconſulti exiſtimantur.] *Hic omnino tempus quaſi præteritum non demonſtrat,niſi quod magis futurum tempus uidetur includere, cum aut præmij aut pœnæ ratio quæritur. Quo loco primo oſtendendum eſt,& pœnam & præmium de præterito eſſe poſſe. nam & poſt ſupplicium de aliquo iniuſte ſumptum,poſſunt nonnulli in iudiciũ uocari: & quod non recte præmio aliquem donauerint,poſſunt in iudicium uocari. ut Verres,qui ſupplicium ſumpſit de ciuibus Romanis,& anulo aureo ſcribam in concione donauit. ergo præmij & pœnæ ratio poteſt de præterito eſſe. Sed occurrit illud,poteſt tamen præmij & pœnæ ratio & de futuro eſſe: ideoq; in iuridiciali qualitate tempus præteritum non recte definiuit. Cum iam huic loco ſic reſpondetur,quod dixerit Ratio. Ratio enim ſemper de præterito eſt facto. Definitio autem cum quæritur,ratiocinatio dicitur. & eſt ibi tantum meriti ratio,quod meritum præteritum eſt. Atque ita ratio nunquam niſi de præterito eſt. tum enim dicis,petit præmium,neceſſe eſt afferat meritum. ita in eo quod petit præmium,nulla ratio eſt. Sed cum ais eum mereri, tum ratio eſt ex præterito ueniens. Ergo ait Cicero. Iuridicialis eſt,in qua æqui & recti natura,aut præmij aut pœnæ ratio quæritur. in eo quod ait Ratio,præteritum tempus includit. Iuridicialis à iure. æqui enim & recti ratio non niſi iure conſtat. deinde,* Negotialis eſt,inquit,in qua quid iuris ex ciuili more & æquitate ſit,conſideratur.] *Negotialis qualitas talis eſt,cum aliquid generatim iure cautum ad ſpeciem deuocamus: ut puta uiro forti præmium detur,uir fortis petit inimici mortem. In eo quod dicit Viro forti præmium, dat quidem uiro forti præmium,ſed non etiam diſignat illud forte quod petit. Ergo in negotiali qualitate ex æquitate præcedentis iuris,noua iura firmantur: id eſt,ut liceat id quod in contentione uerſatur,& ideo de futuro eſt. Quod etiam iuriſperiti faciunt,qui ſi forte id quo de agitur,iure non cautum eſt,per interpretationem ſtatuti iuris,id etiam quod in eodem iure nominatim non continetur,affirmant. Hoc eſt quod ait, Cui diligentiæ præeſſe apud nos iuriſconſulti exiſtimantur. Hoc quoque tempus futurum demonſtrat,cum ait,Quid iuris ſit conſideretur. conſideratio enim de incerto eſt: & quia iuris conſideratio eſt, de futuro eſt.* Ac iuridicialis quidem ipſa & in duas diſtribuitur partes,abſolutam & aſſumptiuam.] *Negotialis qualitas conſtat,nec aliquas ex ſe partes fundit. Iuridicialis uero in duas partes funditur,in abſolutam qualitatem et aſſumptiuã. Deinde hic quoque rerum compendium tenere debemus,quod in abſoluta qualitate factum ipſum iuſtum aſſerimus: in aſſumptiua uero qualitate non factum iuſtum,ſed cauſam facti iuſtam fuiſſe contendimus. itaque in abſoluta qualitate æqui & recti natura quæritur: in aſſumptiua uero præmij & pœnæ ratio quæritur. Quæ aſſumptiua quatuor locis diuiditur: conceſſione,remotione criminis,relatione criminis, comparatione. Verũ hic quatuor horum locorum Cicero ordinem conuertit. nam à poſtremo quod hic poſuit,retrorſum uerſus ordo eſt. etenim nunc ſingularum defenſionum conſiderare debemus. Primo hæc eſt innocentis hominis, ut dicat Non feci, deinde Feci: ſed non ſic uocatur. tertio Feci,& ſic uocatur, ſed iure feci. Deinde hoc ipſum iure fieri,aut licuiſſe ſibi,debebit oſtendere,quæ eſt qualitas abſoluta: aut ſi non licuit, debet ſibi extrinſecus aſſumere aliquid,quo hoc probet, quod iniuſte factũ uidetur. Videamus nunc, quæ ſit de his quatuor aſſumptionibus fortior aſſumptio. Primo debet dicere, Feci, ſed profui: & probare, plus ſe profuiſſe quàm obfuiſſe: quæ eſt qualitas compenſatiua, quã ideo Cicero comparationem uocat, quòd comparetur id quod in crimen uocatur,ad id quo ſe reus profuiſſe dicat. quæ comparatio ſemper in eodem facto eſt. utputa quidam muros ciuitatis diſſipauit,hoſtes fugerunt,reus ſit læſæ Reipublicæ, in eodem eſt comparatio. Nam quòd muros deiecit,uidetur læſiſſe Rempublicã. & quia muros deiecit,hoſtes fugerunt,uidetur profuiſſe Reipublicæ. Ergo hoc primum debet aſſumere, Feci, ſed profui. deinde debet dicere, Feci quidem, ſed ut hoc facerem,ante prouocatus ſum. id eſt feci ſed meruit: quæ eſt relatio criminis. Tertio debet dicero Feci,ſed alter me impulit ut facerem: quæ eſt remotio criminis. Poſtremo ſi hæc cũcta defecerint,id eſt, ſi ut hæc faceret, nec profuit, nec iniuriam reddidit, neque ab alio compulſus eſt,quoniam nihil eſt quo ſe defendat,debebit factum fateri,ſed ueniam poſtulare: quæ eſt qualitas uenialis, quam conceſſionem Cicero uocauit. Hunc ergo ordinem Cicero hoc loco conuertit,quem in poſterioribus ſeruat. Itaque conceſſio duas partes habet, purgationem & deprecationem. In purgatione tria ſunt,imprudentia,caſus,neceſſitas. Si hæc non fuerint, deprecatio eſt. Sed hæc aut apud imperatorem,aut apud populũ. itaque in purgatione factum conceditur, ſed facientis animus excuſatur. Hoc eſt quod ait.* Cum factum conceditur,culpa remouetur.] *In deprecatione uero & factum & culpa conceditur,ſed tamen uenia deprecatur. hoc eſt quod ait.* Deprecatio eſt,cum & peccaſſe,& conſulto peccaſſe reus ſe confitetur,& tamen ut ignoſcatur poſtulat.] *Hæc ergo deprecatio non niſi aut apud imperatorem,aut apud populum ualet, apud iudices uacat.* Remotio criminis eſt, cum id crimen, quod infertur,ab ſe & ab ſua culpa,ui,& poteſtate in alium reus remouere conatur.] *Remotionem criminis hanc eſſe dicit,cum reus id quod ei intenditur,ab ſe remouet & in alium transfert. Atque id duobus modis facit: ſi in alium aut cauſam aut factum transferas: ſiu ut id faceret,dicat alium coegiſſe. uerum quod ait,ut factum,poteſt hic quæſtio moueri. Nam cũ omnis qualitas facti confeſſionem teneat,cur hic factum non confitetur,ſed in alium transferre conatur. Denique nullus artium ſcriptor in hac qualitate facti tranſlationem nominauit, ſed ideo, quia nullus intellexit. Nam factum ſic à ſe remouet, ſalua tamen confeſſione facti. ut in hoc themate, quod Cicero in ſecundo libro poſuit. Mancinus cum Numantinis fœdus fecit iniuſſu populi ac ſenatus: pulſo eodem in exilium,atque hoſtibus dedito, petitur ad pœnam. Etiam ille qui porcam tenuit, contradicit. nam hic & cauſam & factum in alium remouet. cauſam ſic, Vt porcam tenere Mancinus ui ac poteſtate coegit. deinde factum ſic, Fœdus non ego feci, ſed Mancinus, qui aut debuit,aut potuit. manet tamen facti prima illa confeſſio,quod Porcam tenuit. non enim poteſt negare à ſe Porcam fuiſſe tentam. Ergo remotio criminis duobus modis conſtat: ſi aut cauſam in alium transferamus, aut factum.* Relatio criminis eſt,cum ideo iure factum dicatur, quod alius ante iniuria laceſſierit.] *Relatio criminis talis eſt: ſi in eo quod fecimus, uicem nos reddidiſſe dicamus, utputa occidi, quia ille me uolebat occidere: hoc ego feci,ſed meruit.* Comparatio eſt, cũ aliud aliquod alicuius factum rectum aut utile contenditur, quod ut fieret, illud quod arguitur, dicitur eſſe commiſſum.] *Inter comparationem & conceſſionem hoc intereſt,quòd in comparatione de eadem comparatio eſt, ut ſupra diximus: Diſſipaſti muros,*

muros, leſiſti Rempub. Contra ille: Diſſipaui quidem muros, ſed hostes fugerunt. In eodem comparatio eſt, ut ſupra diximus, diſſipaſti muros: id eſt, quòd muri diſſipati eſſe dicuntur. Ideo ait, quod ut fieret illud, quod arguitur, dicitur eſſe commiſſum. alioqui Verres, qui multa ſigna & uaſa ex Sicilia ſuſtulit, & utitur hac defenſione, quòd à bellis tutam Siciliam reddiderit, non potuit dicere, Ideo ſigna ſuſtuli, ut defenderem prouinciã. neque enim propterea tulit ſigna, ut prouincia eſſet defenſa. Itaque utitur ueniali ſtatu, id eſt cõceſſione per deprecationem. Ergo in comparatione id quod intenditur, ideo à nobis factum dicere debemus, ut ex eo ipſo bonum illud quod contigit finxiſſe dicamus. In quarta conſtitutione, quam tranſlatiuam nominamus.] Et ſupra docuimus, quid in ſe tranſlatio contineret, ſcilicet, ut aut omnem actionem commutet, aut aliqua ex parte debilitet. Hoc eſt quod hic ait: Aut omnino aliquid de commutatione, aut infirmatione actionis agitur. Huius conſtitutionis Hermagoras inuentor eſſe exiſtimatur.] Inueniendi duo genera ſunt. unum tale, cum in medium proferimus id quod erat, ſed latebat: aliud, quod quaſi non erat, ſed à nobis primis uidetur inuentum. Itaque de his Cicero leuiorem inuentionem dedit Hermagoræ, ſcilicet ut id quod latuerat, in medium protuliſſe uideatur. hoc eſt quod ait: Non quod non uſi ſint ea ueteres oratores ſæpe multi, ſed quia non animaduerterint artis ſcriptores eam ſuperiores, nec retulerint in numerum conſtitutionum. Ideo autem tranſlationem multi ſcriptores inter conſtitutiones referre noluerunt, quòd omnis cõſtitutio actionem conſtituat: tranſlatio autem id uideatur agere, ne actio ſit. Sed Hermagoras rectè hanc inter conſtitutiones poſuit. Nam hoc ipſum quod actionem conſtituit, actio eſt. Itaque multi, inquit, Hermagoram reprehenderunt, quòd trãſlationem inter conſtitutiones retulerit: ſed inuidia magis, quàm ex uero. Et conſtitutiones quidem, & earum partes expoſuimus.]

Poſtquam quid eſſent ſingulæ conſtitutiones, uel quid poſſent docuit, & earum partes, id eſt, qualitates expoſuit: promittit ſe his conſtitutionibus exempla ſubditurum. ſed tum, cum cœperint argumenta tractari: quæ argumenta dilucidiora futura eſſe promittit, ſi iiſdẽ argumentis in tempore exempla ſupponat. Hoc eſt quod ait: Nam argumentandi ratio dilucidior erit, cum & ad genus, & ad exemplum cauſæ ſtatim poterit accommodari.] Genera cauſarum ſcimus tria eſſe: demonſtratiuum, deliberatiuum, iudiciale. exempla uero cauſarum ſunt, themata ſcilicet. Conſtitutione cauſa reperta, ſtatim placet conſiderare, utrum cauſa ſit ſimplex, an coniuncta.]

Quoniam in his duobus libris Cicero nihil niſi de inuentione tractat, idcirco per ordinem quæ ſint inuenienda demonſtrat. Poſtquam, inquit, conſtitutionem inueneris, conſiderare debebis cauſam, utrum ſimplex ſit, an iuncta, id eſt, utrum de una re agatur, an de pluribus. Conſtitutio ſic inuenitur: Occidiſti, non occidi, aut iure occidi. cauſa uero hæc eſt, an occiderit, an iuſte occiderit. Ergo hæc cauſa ſimplex an iuncta ſit, conſiderare debemus. deinde iuncta, utrum ex pluribus quæſtionibus eſt, an ex aliqua comparatione: Ex pluribus quæſtionibus cauſa iuncta eſt, ut in Verrinis: accuſatur Verres quòd multa furatus ſit, quòd ciues Romanos necarit, quòd peculatum commiſerit. itaque quando ex pluribus quæſtionibus cauſa iuncta eſt, ipſæ quæſtiones inter ſe diuerſæ ſunt. Ex comparatione autem cauſa iuncta eſt, cum quid potiſſimum faciendum ſit conſideratur. ut in diuiſione agitur, utrum Cicero accuſet, an Cæcilius. Sed quia comparandi duo modi ſunt, comparatiuus & ſuperlatiuus, idcirco ait: Ex comparatione, in qua per contentionem utrum potius, aut quid potiſſimum ſit, quæritur.] Verum his locis quæ tractabimus, ipſe etiam Cicero perſpicua exempla ſupponit. Deinde conſiderandum eſt in ratione, an in ſcripto ſit controuerſia.] Primo, inquit, conſtitutio inuenienda eſt. Secundo, utrum cauſa ſit ſimplex, an iuncta. Tertio, in ratione an in ſcripto ſit controuerſia. Scriptum non tantum leges accipiamus, ſed & ſenatuſconſultum, & teſtamentum, & uerba ſola, & multa huiuſmodi. Huius ſcriptionis genera ſunt quinque, ut ipſe primum rebus, deinde nominibus indicauit, id eſt primum ſcriptum & uoluntas: ſecundum, leges contrariæ: tertium, ambiguitas: quartum, collectio, ſiue ratiocinatio: quintum, definitio legalis, ut eſt in Cæciniana.

Ratio eſt autem, cum omnis quæſtio non in ſcriptione, ſed in aliqua argumentatione conſiſtit.] Ideo ait, cum omnis oratio non in ſcriptione, ſed in aliqua argumentatione conſiſtit, quoniam & orationem ſcriptio, & ſcriptio orationem habet: ſed cum auctoritate, quippe ex ſcripto, id eſt, ex teſtamento uel lege uenientem. Ergo, inquit, ratio eſt, cum res quæ in concione uerſatur, non in auctoritate legis, ſed in argumentatione uerſatur. Ac tum conſiderato genere cauſæ.] Reperto, inquit, genere materiæ, & conſtitutione, & cauſa utrũ ſimplex an iuncta ſit, & ipſa cauſa ſcripti an rationis habeat controuerſiam: deinde uidendum eſt quæ ſit quæſtio, quæ ratio, quæ iudicatio, quod firmamentum. Verum de his tria præcipue ſunt in omni cauſæ genere perquirenda. Firmamentum uero perraro adhibetur: & ſi quando adhibetur, neceſſe eſt aut in themate ſit, aut in hiſtoria. aliàs lemma dicitur, id eſt, falſum argumentum. Ergo tria illa ſine intermiſſione ubique inſpicienda ſunt, id eſt, quæſtio, ratio, iudicatio. Quæſtio eſt, quæ naſcitur ex conflictione: ut eſt illud, Iure'ne occiderit. Ratio eſt, quæ facit controuerſiam: utputa, Occidi Clodium, propterea quia ille me uoluit occidere. Infirmatio rationis eſt, Etiam ſi te Clodius uoluit occidere, tu tamen non iure occidiſti. Iudicatio eſt, utrum cum Clodius uoluit occidere, iuſte tamen à Milone occiſus eſſe uideatur: ut Cicero de Oreſte exemplum dedit. Firmamentum eſt, firmiſſima argumentatio defenſoris, & appoſitiſſima ad iudicationem.] Firmamentum ſi uerum ſit, ualde prodeſt, ſed ſoli defenſori. accuſator enim pro firmamento aſſertionem habet. Sed hoc, ut diximus, raro in cauſam cadit. cuiuſmodi autem ſit firmamentum ipſum, Cicero docet. ut ſi uelit dicere Oreſtes, eiuſmodi animum matris ſuæ fuiſſe in patrem ſuum, in ſeipſum, ac ſorores, in regnum, & reliqua. Et in cæteris quidem conſtitutionibus ad hunc modum iudicationes reperientur.] Quoniam omnis ratio de facto iam conceſſo eſt, idcirco in omnibus conſtitutionibus dicit iudicationem de infirmatione rationis fieri, præterquam in coniectura. In coniectura enim facti nulla confeſſio eſt. quare in coniectura eadem erit iudicatio, quæ quæſtio: factum eſt, non eſt factum, factum'ne ſit? Quot autem in cauſa conſtitutiones, aut earum partes erunt.] Qualitatis ſcilicet partes: reliquæ enim conſtitutiones partes non habent. Ergo quot in cauſa conſtitutiones uel partes erunt, tot neceſſe erit inueniri quæſtiones, rationes, iudicationes, firmamenta. His omnibus in cauſa repertis, tum denique ſingulæ partes totius cauſæ conſiderandæ ſunt.] Sub diuerſa ſignificantia Cicero partes poſuit. Aliæ ſunt enim partes oratoris officij, aliæ partes qualitatis, aliæ partes cauſæ, aliæ partes orationis. Itaque partes cauſæ ſunt, ut ſuſcepto negotio per rerum ordinem ea quæ dicenda ſunt diligenter inſpicias. Quod cum pertractaueris, id eſt, cum cauſæ partes inſpexeris, tum demum tibi ordinandæ ſunt partes orationis. non enim, inquit, quia primum exordium eſt, ſola tibi primo erunt conſideranda principia, & ſcribenda. ſed conſiderato omni negotio, tunc appoſite ſumere exordium debemus. Hæ partes ſex eſſe omnino nobis uidentur.] Multi enim quatuor eſſe dixerunt, id eſt, exordium, narrationem, quæſtiones, epilogum. Cicero autem ſex eſſe dicit, id eſt, exordium, narrationem, partitionem, confirmationem,

nibus. Hoc quoque compendium tenere debemus, quod in omnibus cauſæ generibus principio nobis utendum eſt. In admirabili uero nunc inſinuatione, nunc principio. Principio tunc, ſi auditores non omnino erunt alienati: inſinuatione tunc, ſi uehementer erunt alienati. Beneuolentia quatuor ex locis comparatur: ab noſtra, ab aduerſariorum, ab iudicum, ab ipſa cauſa.] Beneuolos, inquit, iudices à quatuor locis facere debemus, uel poſſumus. à noſtra perſona, ab aduerſariorum, à iudicum, ab ipſa cauſa. Rurſus à noſtra perſona quatuor ex locis beneuolentiam iudicis poſſumus comparare. ſi de noſtris, inquit, factis & officijs ſine arrogantia dicemus. plena enim gloria in his duobus eſt, in factis & officijs. Officium eſt, quod uel ex legibus, uel ex natura neceſſe eſt nos implere. factum uero eſt, quod ſupra quàm debemus, præſtamus. Ergo ſi de noſtris factis & officijs, ſed ſine arrogantia dicemus. Deinde ſi crimina, inquit, illata, & aliquas minus honeſtas ſuſpiciones iniectas diluemus. Id eſt, ſi ea quæ ad deformationem perſonæ noſtræ præter iudicialem quæſtionem fuerint obiecta, diluemus. deinde, ſi aliquid futurum mali prædicemus. quomodo ipſe Cicero ad iudices: Moneo, prædico, ac denuncio. Poſtremo à noſtra perſona beneuolentiam comparamus, ſi, inquit, pro nobis ſupplici utamur oratione. Deinde ab aduerſariorum perſona, tribus ex locis beneuolentiam iudicis comparamus, ſi eos aut in odium, aut in contemptionem, aut in inuidiam deduxerimus. In odium ſic, ſi eorum turpia uel crudelia facta proferamus. in inuidiam ſic: ſi eorum potentiam, gratiam, pecuniam proferamus. Et quoniam hæc interdum non modo non crimini, ſed etiam decori ſunt, rectè addidit, Horum omnium uſum arrogantem. multa enim res per ſe mala ſunt: multa cum media, ex euentu bona uel mala ſiunt. Deinde in contemptionem ſic aduerſarios adducimus, ſi eos contemnendos eſſe dicamus, quod aut negligentes ſint, aut ignaui. Ab iudicum perſona uero, duobus ex locis beneuolentiam comparamus: ſi eorum bene geſta ſine adulatione proferamus, & ſi dicamus præſentis iudicij magnam eſſe expectationem. Poſtremo ab ipſo negotio duobus ex locis beneuolentiam comparamus: ſi noſtram cauſam laudando extollamus, aduerſariorum uituperando deprimamus. Attentos autem faciemus, ſi demonſtrabimus ea quæ dicturi erimus, magna, noua.] Nunc docet quemadmodum attentos iudices facere debeamus: Attentos, inquit, iudices faciemus, ſi nos magna promittamus dicturos eſſe: ut ait Virg. Maius opus moueo. deinde ſi noua nos dicturos eſſe dicamus. Interdum etiam ſi magna, inquit, non ſit res, tamen noua, animos auditorum facit attentos. Poſtremo ſi incredibilia. neceſſario etenim attente audiendum eſt, quod uix credi poſſe promitto. Deinde ſi hæc, inquit, magna noua incredibilia dicamus, nunc ad omnes pertinere. ut ſæpe Cicero, de quo agatur, non ſolum ad reum, ſed omnium fortunas dicit pertinere. Nunc ad eos qui audiunt.] Vt Cicero ſæpe ait, hoc ideo agi ut à iudicibus iudicia transferantur. Nunc ad aliquos illuſtres.] Si dicamus rem iſtam ad ſacerdotes, ad ſenatores, uel alios huiuſmodi pertinere. Nunc ad deos immortales.] Vt Cicero de domo ſua dicit, Rem ad deos pertinere, ne ipſi Ciceronem domo expuliſſe uideantur. Nunc ad ſummam Reipublicæ pertinere. Ergo his omnibus attentos iudices facimus. Et ſi nos pollicebimur.] Nec non, inquit, etiam tunc attentos iudices facimus, cum nos breuiter dicturos eſſe promittimus. & ne mentiri nos iudices putent, quàm breuiter nos dicturos eſſe promittimus. Exponere, inquit, debemus iudicationem, aut iudicationes, ſi plures erunt. Deinde oſtendit, quo pacto dociles auditores facere debeamus. Dociles auditores faciemus.] Si, inquit, in principijs ea quæ ſunt nobis dicenda, ponamus, ut nobis iudices ad cognoſcendum negotium comparemus. præterea, inquit, cum dociles iudices facimus, ſimul attentos iudices facere debemus. ita ipſe Cic. in Cluentiana facit dociles iudices, cum ait: animaduerti iudices omnem accuſatoris orationem in duas diuiſam eſſe partes. Deinde facit attentos, cum ait: Quarum alterum inniti, & magnopere confidere uidebatur inuidia inueterata iudicij Iuniani. & reliqua. Tunc etenim, inquit, iudex melius docilis fiet, ſi & attentus fuerit effectus. Hæc de principijs. Nunc nobis de inſinuatione dicendum eſt. Inſinuatione igitur utendum eſt, cum admirabile genus cauſæ eſt.] Diximus principiorū triplicem eſſe finem, ſcilicet ut aut beneuolos iudices, aut attentos, aut dociles faciamus: idem nobis & in inſinuatione faciendū eſt. Sed hoc intereſt, quod in principijs hoc aperte facimus, in inſinuatione occulte, & quibuſdam circuitionibus, nec in alio cauſæ genere, niſi in admirabili, tunc cum animi iudicum erunt uehementer offenſi. Ergo, inquit, inſinuatione tunc erit nobis utendum, cum animi iudicum fuerint offenſi. Et oſtendit quibus rebus offenſos iudicum animos poſſimus agnoſcere. prius enim uulnus inſpiciendum eſt, ſic apponenda medicina. Tribus, inquit, uel maxime cauſis animi iudicum offenduntur.] Verum cum ait Maxime, oſtendit & alijs cauſis offendi iudices, ſed his plerunque, ſi aut in negotio ipſo ineſt aliqua turpitudo, ut res ipſa præter perſonas aut iudicis, aut agentis pariat offenſionem: aut ſi iam aliquid iudicibus ab his qui primum dixerunt, perſuaſum uidetur. & ideo is qui poſt dicturus eſt, non libenter auditur: aut ſi illi qui audituri ſunt, alios audiendo cœperint eſſe offenſi. Quare cum hæc animaduerteris, ſingula hac dicendi arte ſanabis. Si cauſæ turpitudo contrahet offenſionem.] Duobus modis cauſa contrahit turpitudinem. aut enim res turpis eſt, aut perſona. Si, inquit, perſona turpis fuerit, aut alium hominem ſubijcies qui amatur, aut rem pro perſona. Deinde ſi res turpis fuerit, aut aliam rem quæ honeſta eſt ſubijcies, aut pro re hominem. ſi utrunque turpe fuerit, & res & perſona, commodum erit cauſam non ſuſcipere. tamen ſi quid leuiter turpe fuerit, poteſt ſuſcipi. Deinde, inquit, debebis diſſimulare defenſionem. poſtquam mitiores reddideris auditores, paulatim ingredi in eandem defenſionem, & dicere ea quæ aduerſarijs diſpliceant, tibi etiam diſplicere: ſed nihil horum ad tuum negotium pertinere. Deinde, inquit, occulte & de aduerſarijs detrahere debebis. Poſtremo, inquit, de ſimili negotio aliquorum iudicum afferri oportebit exemplum. Animaduertere tamen debemus, ut & in inſinuatione quatuor locis præceperit beneuolentiam comparandam, id eſt ab ipſa cauſa, à noſtra perſona, ab aduerſariorum, à iudicum. A' cauſa dixit poſſe beneuolentiam comparari, ubi ait: Aut pro eo homine, in quo offenditur, alium hominem qui diligitur, interponi oportet, & reliqua. Deinde oſtendit quemadmodum à noſtra perſona beneuolentiam comparemus, cum ait. Et diſſimulare id te defenſurum, quod exiſtimeris defenſurus. Deinde cum iam mitior factus erit auditor, ingredi pedetentim in defenſionem, & dicere ea quæ indignentur aduerſarij, tibi quoque indigna uideri. Ab aduerſariorum uero perſona, docet quemadmodum beneuolentiam comparemus, cum dicit: Et negare te quidquam de aduerſarijs eſſe dicturum, neque hoc, neque illud, ut neque aperte lædas eos qui diliguntur, & tamen id obſcure faciens, quoad poſſis alienes ab eis auditorum uoluntatem. Poſtremo docet ut à iudicum perſona beneuolentiam comparemus, cum ait, Et aliquorum iudicum ſimili de re, aut auctoritatem proferre imitatione dignam. Verum quod ait, Deinde, aut eandem, aut conſimilem, aut maiorem, aut minorem agi rem in præſentia demonſtrare. Etenim ſemper poſt exemplum facienda eſt comparatio. Comparatio porrò nunc à pari, nunc à maiori, nunc à minori ſemper fiat neceſſe eſt. Sin oratio aduerſariorum.] Oſtendit quod primum fuit, ſi per cauſæ turpitudinem auditores offenſi

extitiſſent, quibus modis ab his poſſet beneuolentia comparari. Nunc inquit, ſi oratio aduerſariorũ dictis finem fecerit, et ideo iudices uidentur abalienati, tribus modis beneuolentiam comparamus: ſi aut ab eo argumento, quod ſibi firmiſſimum crediderant aduerſarij, te dicturum eſſe promittas: aut ſi ab eo dicto incipias, quod aduerſarius nuper dixerit: aut ſi, inquit, cum admiratione dubites, cui potiſſimum reſpondeas quæſtioni. Cum enim, inquit, te iudices uiderint paratum ad reſpondendum, extimabunt ſibi non recte ab his qui ante dixerunt, id quod crediderant fuiſſe perſuaſum. Poſtremo docet, quo pacto beneuolentiam nobis à iudicibus comparemus, ſi forte ipſi iudices defatigati fuerint multos audiendo. Primo, inquit, oportebit polliceri breuius te quàm fueris eſſe dicturum. deinde, ſi ita habebit negotium, utile erit rebus nouis, uel ridiculis riſum iudicibus aut iocum mouere. Atque id duplici modo. aut ex tempore, ſi forte clamor, aut ſtrepitus fuerit exortus: aut cogitatis paratiſq́;, ut uel à fabula incipias, uel ab apologo ad præſens negotiũ pertinentibus. Fabulæ ſunt quas ferè uidemus extitiſſe ex Phedris, Medeis, Clytemneſtris, aliiſq́; ſimilibus. Apologi ſunt ex rebus humilibus compoſitæ quædam formæ ac ſpecies ad uiuendum, ut extat illa de mure & leone. Ergo ſi, inquit, negotij dignitas patietur, riſum uel iocum mouere oportebit. Sin autem tale negotium fuerit ut iocandum non ſit, à re aliqua triſti & ſeuera commodum erit incipere. Nam ut, inquit, cibi faſtidiũ nunc ſub dulci re, nunc ſub amara releuatur, ita, inquit, ſtudium audiendi apud iudices, nunc rebus ridiculis, nunc aſperioribus redintegratur. Ac ſeparatim quidem quæ de principio, & de inſinuatione dicenda uidebantur, hæc ferè ſunt.] *Supra inquit, Quid in principijs faciendum eſſet, quid in inſinuatione, ſeparatim diſputauimus. nunc inquit, breuiter in utrunque præcepta dabimus.* Exordium ſententiarum & grauitatis plurimum debet habere, & omnino omnia quæ pertinent ad dignitatem in ſe continere.] *Sententiarum inquit, non illarum quæ generaliter dicuntur: ut eſt illud, Obſequium amicos, ueritas odium parit. Præceptum eſt autem, ne quid in principijs generaliter dicatur. Sed hic ſententias accipiamus, ſenſus atque inuentiones pulchras, atque eaſdem graues. Præterea inquit, ut commendati ſimus auditoribus, in exordio omnia illa habere debemus, quæ nobis, uel orationi noſtræ pariant dignitatem.* Splendoris & feſtiuitatis & concinnitudinis minimum.] *In exordio, inquit, nihil ſplendidum, nihil diligenter accuratum habere debemus, ne ipſa dicendi diligentia diffidentiam negotij demonſtremus. Docuit quid in principijs, quid in inſinuatione, quid generaliter in utroque obſeruare debemus. Quare poſtquam oſtendit quid faciendum eſſet, præcipit rurſus quid non faciendum ſit.* Vitia uero hæc ſunt certiſſima exordiorum, quæ ſummopere uitari oportebit.] *Vitia uero, inquit, hæc ſunt certiſſima exordiorum. Cum ait certiſſima, oſtendit & ſupra ſe nonnihil de uitijs exordij dixiſſe. ait enim. Splendoris & feſtiuitatis, & concinnitudinis minimum in exordio eſſe debebit. Verum hæc maxima uitia exordiorum eſſe dicit, atque hæc omnino uitanda eſſe præcipit: Vulgare, commune, commutabile, longum, ſeparatum, tranſlatum, contra præcepta.* Vulgare eſt, quod in plures poteſt cauſas accommodari, ut conuenire uideatur.] *Vulgare eſt, quod in plures cauſas poteſt accommodari, Id eſt quod dicitur generale principium, & quod non unius, ſed omnium poteſt eſſe cauſarum, ſi ſic incipias. Iouem ego optimum maximum uellem ſi fieri poſſet iudices.* Commune, quod nihilo minus in hanc quàm in contrariam partem cauſa poteſt conuenire.] *Commune eſt, quod nihilo minus in aliquam contrariam partem cauſæ poteſt conuenire. Inter uulgare & commune hoc intereſt: uulgare omnium controuerſiarum eſt, Commune in eadem controuerſia utriuſque partis. Itaque commune ſpecie includitur, uulgare uero generale eſt. quare commune erit, quod tam à nobis quàm ab aduerſarijs dici poteſt.* Commutabile eſt, quod ab aduerſario poteſt leuiter commutatum ex contraria parte dici.] *Commutabile eſt, inquit, quod non quidem ab aduerſarijs dici poſſit, ita ut à te probatum eſt, ſed commutato uerbo uel addito poſſit in parte contraria commutari.* Longum eſt, quod pluribus uerbis aut ſententijs ultra quàm ſatis eſt producitur.] *Meminimus in duobus eſſe orationem noſtrã, nunc in uerbis ſingulis, nunc in coniunctis, quæ ſententiæ dicuntur. Itaque inquit longum eſt, quod nimis aut in uerbis, aut in ſententijs inuolutum eſt.* Separatum, quod non ex ipſa cauſa ductum eſt, nec ſicut aliquod membrum annexum orationi.] *Separatum eſt, quod non eſt proprij negotij, neque eius cauſa qua de agitur, ut ſi homicida tibi accuſandus ſit, & tu ab adulterij facinoribus exordium ſumas.* Tranſlatum eſt, quod aliud conficit quàm cauſæ genus poſtulat. ut ſi quis docilem faciat auditorem, cum beneuolentiã cauſa deſideret.] *Tranſlatum eſt, inquit, cum ignorato genere cauſæ, aut dociles pro attentis, aut attentos pro beneuolis faciendos nobis iudices putamus.* Contra præceptum eſt, quod nihil eorum efficit, quorum cauſa de exordijs præcepta traduntur.] *Contra præceptum eſt, inquit, quod omnino iudicum animos non comparat ſibi, interdum etiam infeſtos facit. Quare finitis exordij præceptis, nunc nobis de narratione dicendum eſt.*

DE NARRATIONE.

Narratio eſt rerum geſtarum, aut ut geſtarum expoſitio.] *Definit quid ſit narratio. In definitione uero, ut ſæpe iam diximus, omnia quæ ad rem aperiendam pertinent, colligi atque includi debent. Quare? quoniam non tantum illa narrantur quæ uere geſta ſunt, ſed etiã illa quæ non ſunt geſta, ſed geri potuerunt. ideo ait, narratio rerum geſtarum, aut ut geſtarum expoſitio. Geſtarum rerum expoſitio eſt, negotiorum ciuilium, & hiſtoriarum: ut geſtarum rerum expoſitio eſt, comœdiarum, fabularum, & thematum, quæ in auditorio dicuntur. Ergo tria genera narrationis eſſe dicit. Vnum quod ſit in cauſa expoſitione, ut eſt illud, C. Quintius frater huiuſce P. Quintij fuit: & huic ſimilia. uerum quoniam narratio cauſæ non id ſolum agit, ut res geſtas explicet, uerumetiam multa futuris præſtruit quæſtionibus, animaduertamus ut Cicero utrunque complexus ſit.* In quo ipſa cauſa, inquit.] *Hoc ad rerum expoſitionem.* Et omnis ratio controuerſiæ continetur.] *Hoc ad quæſtiones pertinet. Ergo unum narrationis genus eſt, in quo ipſa cauſa & omnis ratio controuerſiæ continetur. Aliud genus narrationis eſt, quod extra cauſam eſt, ſed ad cauſam facit. ut eſt illud: Agonis eſt quædam Lilybetana liberta Veneris Erycinæ. Hæc narratio extra cauſam eſt. agitur enim qui magis debeat accuſare. ſed tamen ad cauſam facit. Locus enim introducitur, in quo ſe Cecilius iniuriam à Verre paſſum eſſe commemorat, qua ſe læſum accuſare debere contendit. Verum hæc narratio extra cauſam quatuor modis fit. aut criminationis cauſa, aut ſimilitudinis, aut delectationis, aut amplificationis. Criminationis cauſa fit, ut, Dio quidam fuit Haleſinus, P. Aſellius mortuus eſt, C. Sacerdote prætore. ſimilitudinis cauſa fit, ut eſt illud. Sic iſte multo ſceleratior & nequior quàm ille Adrianus, aliquando etiam felicior fuit. Digreſſio & hæc uideri poteſt, ſed non eſt, quia non interponitur narratio, quæ cauſa eſt deliberationis. Delectationis cauſa fit, non alienæ ab eo negotio quo de agitur. ut ſi prata, ſi nemora, ſi fontes riuoſq́; deſcribas, & hanc ipſam deſcriptionem ad cauſam applices. Amplificationis cauſa fit, ut eſt illud de Eryphila, quæ uiſum ornamentum adamauit. Amplificat crimen Verris, quod cũ illa*

rem uiſam adamauerit, Verres multa etiam non uiſa concupierit. Ergo ſecundum genus narrationis hæc eſt quæ digreſſio dicitur. quæ fit aut criminationis, aut ſimilitudinis, aut delectationis, aut amplificationis cauſa. Tertium genus narrandi eſt, quod extra oratorem eſt, hoc eſt quod ait. Remotum à ciuilibus cauſis.] Eſt autem poetarum uel hiſtoriographorum. dat tamen curſim etiam in hanc narrationem præcepta. Hæc, inquit, narratio remota à ciuilibus cauſis duo membra habet. Nam aut propter negotia exponenda ſumitur, quod eſt hiſtoriographorum: aut propter perſonas exprimendas: quod eſt comœdiographorum, uel tragœdiographorum. Verſidici uero in utroque uerſantur. nam Virgilius Aeneæ & mores, & facta deſcribit. Ergo hæc narratio extra oratorem, in duo diuiditur: in negotia, & in perſonas. uerum illa narratio quæ in negotijs eſt, tres habet partes, Fabulam, Hiſtoriam, Argumentum. Fabulam dicit eſſe, quæ nihil ueri nec ueriſimile continet. & dat exẽplum, cuiuſmodi eſt, Angues ingentes alites iuncti iugo. Verum hic quæſtio eſt, cum in definitione generali narrationis dixerit, narratio eſt rerum geſtarum, aut ut geſtarum expoſitio, cur in fabulæ definitione, quæ utique quoniam & ipſa narratio eſt, generi ſimilis eſſe debuit? Sed hoc in euentus diuerſitate nõ conſiſtit, ſed potius in reuocando ad memoriam per ſubintellectionẽ. quaſi dicat: fabula eſt expoſitio, uel narratio, in qua nec uera, nec ueriſimiles res continentur. Deinde, euentus uarietas eas ab hiſtoria diſgregat, cũ ait, Hiſtoria eſt, quæ res ueras continet, ſed à noſtra memoria remotas. & dat exemplũ. Quod genus eſt, Appius indixit Carthaginenſibus bellum. Argumentũ eſt ficta res, quæ tamen fieri potuit.] Argumentũ eſt, quod quidẽ non eſt factum, ſed fieri potuiſſe creditur. ut in Terentio, adoleſcentis uita narratur, Nam is poſtquam exceſſit ex ephebis Soſia. A' negotijs ergo narratio tres partes habet, fabulam, hiſtoriam, argumentum. Fabula nihil ueri, nec ueriſimile continet: hiſtoria geſta præteritorum: argumentum non uerum, ſed ueriſimile. illa autem narratio, quæ uerſatur in perſonis exprimendis, talis eſſe, inquit, debet, ut in narratione rerum uim perſonæ agentis, & animos oſtendas. & dat exemplum de Terentio, ubi Demeæ & Mitionis ſenum perſonarum contentio ſecernitur: Venit ad me ſæpe clamitãs, quid agis Mitio? cur perdis adoleſcentem nobis? & reliqua. In his omnibus & rigor & auſteritas perſonæ obiurgantis oſtenditur. Verum ne'nos perturbet, quod & in illa narratione quæ in negotijs eſt, ſæpe etiam perſona deſcribitur. nam deſcribitur Catilina, deſcribitur Sertorius, & reliqui. & illa rurſus narratione quæ de perſonis eſt, geſta etiam narrantur. non inquam nos perturbent, quia mixta ſunt. ſed animaduertere debemus, quid propter quid dicatur. Sæpe enim perſona deſcribitur, ut negotium pateſcat: ſæpe geſta narrantur, ut apertius qualis ſit perſona uideatur. Sed ad præceptum narrationis illius reuertitur, quæ ipſam cauſam continet, & totius controuerſiæ narrationem. Oportet igitur eam treis habere res, ut breuis, ut aperta, ut probabilis ſit.] Oportet igitur eam treis habere uirtutes, ut breuis, ut aperta, ut probabilis ſit. Tres uirtutes ſunt narrationis, ut breuis ſit narratio, ut aperta, ut probabilis. Verum ut hæc tria ſemper omnia ſint, non unum aliquod ex tribus. Itaque iſtæ uirtutes narrationis licet & alijs partibus orationis conueniant, narrationis tamen ſunt propriæ. aliarum autem partium orationis uirtutes narrationi conuenire non poſſunt. qualibet reprehenſio, qualibet confirmatio, qualibet criminatio poteſt habere hæc tria, ſed quaſi aliena. ipſa autem quæ habent, narrationi non conueniunt, ut inductiones, ut ratiocinationes, & reliqua huiuſmodi, quæ fidei ſunt, non affectus. Igitur tres iſtæ uirtutes narrationi oratoriæ cõuenire poſſunt, & illi narrationi quæ extra ciuiles cauſas eſt. nanque hiſtoria & breuis eſſe debet in expoſitione, & aperta, & probabilis. ut Salluſtius ſibi omnia in Catilina tribuit: Quàm breuiſſime potero, paucis abſoluam. Cũ alijs hiſtoriographis ſingula tradidiſſet in libro primo hiſtoriarũ, dat Catoni breuitatem, Romani generis diſertiſſimus paucis abſoluit: Fannio uero ueritatem. Sed antequam dicamus ut breuis narratio fiat, ut aperta, ut probabilis, principio dicendũ uidetur quid ſit narratio oratoria, quid agat, uel quo diſtet à reliquis partibus orationis. Oratio quæ negotiũ explicat, atque inſinuat audienti, narratio dicitur, explicans quid geſtum ſit aut per uerũ, aut per ueriſimile, id eſt, aut per id quod geſtum eſt, aut per id quod geri potuit. quæ oratio tametſi partibus narratione plenis inclinetur in actoris commodũ, non tamen ad pugnam continuo eaſdem partes ducit. Negotiũ enim iudici inſinuatur, nõ pars negotij. Agitur enim ut cauſam iudex norit: Cauſa uero duarũ partiũ eſt. ſed ſubtilitas exponentis, aliquid quod ſuæ parti proſit inſinuat. nã iudex ſic ab uno audit, quaſi extra partem. Sed uere is optimus patronus eſt in narrãdo, qui ita narrat, ut & aduerſarius ita narrare potuiſſe credatur. uerum talis oratio eſſe non poteſt, cũ crimina proponuntur. Quibus in propoſitionibus, & ſi dicatur, illud fuit, illud conſecutum eſt, & cætera ſimilia, tamen narratio non eſt. Quoniã hæc omnia ad criminationem continuo ducuntur. & non id agitur in hac oratione, ut iudex ſciat cauſam, ſed ut audiat crimen admiſſum. At in narratione, cũ cauſa omnis fuerit explicata, tunc crimen aut ab accuſatore proponitur poſt narrationem, quaſi intentio: aut à defenſore quaſi quæſtio, ut purgetur. Sextus Roſcius occiſus eſt, accuſator dicit à filio, Tullius negat. hinc eſſe criminatio poteſt, & defenſio. Inſinuatur iudici per narrationem totum negotium, ubi, quando, quomodo Sex. Roſcius ſit occiſus. Hoc dicat utraque pars neceſſe eſt. huic ſinguli ſubtiliter interijciunt id, quod parti ſuæ prodeſſe poſſit, non pugnæ modo, ſed adiuncta ueriſimilitudine, ut ita narret quaſi & aduerſarius eodem modo narrare poſſit. Explicito negotio, cauſaq; cognita, incipit aduerſarius dicere quod Sex. Roſcium filius interemit: & hæc criminatio. Si autem defenſor eſt, proponit crimen quaſi quæſtionem. Occidiſſe patrem Sex. Roſcius arguitur: & affert argumenta, quibus hoc poſſit diſſoluere. Ita in dictionibus alijs criminationes intelliguntur, uel propoſitiones criminum, cũ oratio exponendi quodammodo implicitam ſecum habet intentionem, ut occidiſti, aut abſtuliſti. At ubi narratio eſt, poſt narrationem dicuntur, ſed tamen in narratione ſignificantur iudici, non aperte ab oratore dicuntur. Breuis erit, ſi unde neceſſe eſt, inde initium ſumetur, & non ab ultimo repetetur.] Breuis erit, ſi unde neceſſe eſt, inde initium ſumet, non ab ultimo repetet. Dixit ſupra narrationem oratoriam tres uirtutes habere debere: ut breuis ſit, ut aperta, ut probabilis. Nunc docet, breuis narratio quemadmodum eſſe poſſit, & breuis pro qualitate negotij. Breuis, inquit, erit, ſi initium ſumas à rebus neceſſarijs, non ab ultimo. utputa, ſi nobis bellum troianum narrandũ ſit, debemus à raptu Helenæ incipere, non à Leda, quæ Helenam genuit. Ergo præcepta dat in breuem narrationem, quæ in initio narrationis, quæ in fine, quæ in medio ſeruare debeamus. Atque hoc præceptum de initio narrationis eſt, quod ait: Breuis erit, ſi unde neceſſe eſt, inde initium ſumetur, non ab ultimo repetetur. Et ſi cuius rei ſatis erit ſummam dixiſſe, eius partes non dicentur.] Vtputa cum ſufficiat dicere Occidit, & non dicamus, & uoluit, & potuit, & occidit, cum harũ partium ſumma ſit, occidit, & hoc dixiſſe ſufficiat. uerum hoc præceptum de medio narrationis eſſe poteſt. Et ſi nõ longius, quàm quod ſcito opus eſt, in narrando procedetur.] Id eſt, ſi narres quouſque narrandũ eſt, non etiã illa narrentur, quæ iam in tractatus cadunt. utputa, Quidam fortiter fecit, petit præmij nomine ærarij dimidium, contradicitur. Narrandum eſt, quemadmodũ fortiter fecerit: non etiam quemadmodum ad ciuitatem regreſſus ſit: & quemadmodũ præmium petierit, & quemadmodum ei

contradictum ſit. uerum hoc præceptum de fine narrationis eſt. Et ſi nullam in rem aliam tranſibitur.] Scilicet ut illa tantũ narres, quæ ad cauſam pertinent. non etiam aliqua, quæ extra ſunt, et quæ ad negotium minime pertinent. Et ſi ita dicetur, ut nonnunquã ex eo quod dictũ ſit, id quod non ſit dictũ intelligatur.] Vt poſita ſecunda, quæ ſunt ſua prima declarent. Si dicas inde cum reuerſus eſſem, utique cũ dicis reuerſus, oſtendiſti & profectum te neſcio quo, & perueniſſe, poſtremo reuerſum. Et ſi non modo id quod obeſt, uerũ etiã id quod neque obeſt, nec adiuuat, præteribitur.] Etenim qui breuitate ſtudet, non modo illa in narratione præterire debet, quæ obfutura ſunt, uerumetiam illa, quæ nihil profutura. Et ſi ſemel unumquodque dicetur.] Id eſt, ut non modo illa prætereantur quæ aut obfutura ſunt, aut nihil profutura, uerumetiã illa quæ proſunt, ut ſemel dicantur, non bis aut amplius. Et ſi non ab eo quo in proximo deſitum erit, deinceps incipietur.] Præceptum omne duplex eſt. Nunc enim oſtendit quid faciendum ſit, nunc quid non faciendum. Ita hic Cicero. In ſuperioribus oſtendit, quid eſſet in narratione faciendum, nunc oſtendit quid ſit non faciendum. Et ſi non ab eo, inquit, quo in proximo deſitum erit, deinceps incipietur, ideſt, ne à re illa, quam nuper diximus, ad aliam rem ſumamus exordium. Si dicas, profectus urbe ſum, & cum eſſem profectus, ad uillam ueni, & cum ueniſſem. Quare is qui breuiter narraturus eſt, iterare nihil debet. Ac multos imitatio breuitatis decipit, ut cum ſe breues putent eſſe, longiſſimi ſint.] Sæpe, inquit, & ſi dictio in uerbis breuis eſt, tamen longa efficitur, cum non neceſſariæ res in narratione ponuntur. Quod ut nos non prætereat, primo nobis dicendum eſt quemadmodum poſſumus intelligere, quod ubicunque dicta ſint ſingula uerba ſignificant res ſuas ſingulas, ut ſedet, currit, eo, uenio. Item copulatio rationalis uerborum plurimorum unã rem continet. maxime autem, ſi in narratione ſit, cum præmiſſa uerba tertia perſona concludit. Vt, M. Lepido cum omnibus copijs Italia pulſo, ſeuerior, neque minus grauis & multiplex cura patres exercebat. Hæc tertia perſona unam rem fecit omniũ ſuperiorum. Itaque in oratione tot res erunt, quot erunt tertiæ perſonæ. Ergo in hac oratione: Acceſſi ad ædes, puerum euocaui, reſpondit: quæſiui dominũ, domi negauit eſſe: tertia perſona eſt, reſpondit. Iam igitur una res eſt. fit autem altera cũ ait, domi negauit eſſe. Quare cum ſufficeret, domi negauit eſſe, abundauit rebus ſuperfluis. quia dixit ante, reſpondit. Ita ergo multos imitatio breuitatis decipit. qui cũ res breuiſſime dicant, tamen quia plures quàm oportet dicunt, incipiunt breues non eſſe. Quamobrem, inquit, ſi breues eſſe uolumus, non ſolũ uerba non neceſſaria præterire debemus ſed etiam res. Aperta autem narratio poterit eſſe.] Dixit quemadmodum breuis narratio eſſe poſſit. nunc quemadmodũ aperta eſſe poſſit, exponit. illud autem perſpicere debemus, quod & in apertam narrationem illa dat præcepta, quæ & in breuem. Hic etiam quid in principio apertæ narrationis, quid in fine, quid in medio facere debeamus, oſtendit. Nunc itaque totam complectitur narrationem, cum ait. Aperta autem narratio poterit eſſe, ſi ut quidque primum geſtum erit, ita primum exponetur.] Scilicet, ut non peruerſo narrandi ordine fiat iudicibus in cognitione confuſio. Et rerum ac temporum ordo ſeruabitur.] Scilicet, ne id primum narres, quod poſtea factum eſt. Quod ſi feceris, & in rerum & in temporum ordine deliquiſti. Vt ita narrentur, ut geſta res erunt, aut ut potuiſſe geri uidebuntur.] Hoc eſt quod ait ſupra in definitione narrationis. Narratio eſt rerum geſtarum, aut ut geſtarum expoſitio, id eſt, uera, & uerisimilis. Hic erit conſiderandum ne quid perturbate.] Vt in præceptis breuis narrationis primum oſtendit quid faciendum eſſet, deinde quid nõ faciendum, ita & hic oſtendit primo quid faciendum eſſet, tum quid non faciendum. Conſiderandum, inquit, erit, ne quid perturbate dicatur: id eſt, ſi rerum ac temporum in narrationem ordo mutetur. Deinde inquit, ne quid contorte: ideſt cum interdum non facilis tranſitus ac directus eſt, ſed obſcurus. Ne quam in aliam rem tranſeatur.] Ne omiſſis rebus ad præſens negotium pertinentibus, non narranda atque aliena narremus. Hoc præceptum etiam de breui narratione dedit, cum ait. Et ſi in nullam aliam rem tranſibitur. Ne ab ultimo repetatur.] Ita ut ſupra de breui narratione, Si unde neceſſe eſt inde initium ſumetur, nec ab ultimo repetetur. Verum hoc præceptum etiam hic de initio narrationis eſt. Ne ad extremum prodeatur.] Ita ut ſupra de breui narratione: Et ſi non longius, quàm quod ſcitu opus eſt, narrando procedatur. Verum hoc præceptum etiam hic de fine narrationis eſt, Ne ad extremum procedatur. Ne quid, quod ad rem pertineat, prætereatur.] Hoc uitiũ mediæ narrationis eſt: ita ut principij uitium eſt, ſi ab ultimo repetatur: finis autem, ſi ad extremum prodeatur. Deinde concludit: illa, inquit, omnia de breui narratione præcepta etiam in aperta nobis ſeruanda ſunt. Nam ut aperta non poſſit eſſe narratio, nõ intelligitur, id eſt aperta non eſt longitudine magis quàm obſcuritate. Ergo ut aperta ſit narratio, & ut intelligatur, minime longa, id eſt breuis eſſe debebit. Præterea inquit, ut apertam habeamus narrationem, uti, inquit, dilucido ac de proximo petito ſermone debemus. Probabilis erit narratio, ſi in ea uidebũtur ineſſe ea, quæ ſolent apparere in ueritate.] Secundum ordinem diuiſionis ſuæ, poſtquã de breui & aperta narratione tractauit, nunc incipit de narratione probabili diſputare. Probabilis, inquit, erit narratio, ſi in ea fuerint illa omnia, quibus ſolet ueritas inueniri. nam in his ſeptem, omnis ad fidem argumentatio continetur. Septem illa ſuperiora, quis, quid, cur, ubi, quando, quemadmodum, quibus adminiculis, omnes artium ſcriptores tractauerunt, & in præceptis ſuarum artiũ reliquerunt. Verum Cicero rerum ac temporũ perſonarumq; conſiderans naturam, addidit illis omnibus octauam opinionem, et recte. Res enim omnes non per ſe ſunt, nec ex natura ualent, ſed opinione. neque enim cũ dicimus tunicam, per ſeipſam intelligimus tunicam eſſe quia ueſtimur, ſed quia noſtra nobis opinione perſuaſum eſt, cũ audierimus tunicam, intelligimus rem eſſe, qua ueſtimur. Et reliqua ſimiliter colligere poſſumus. Ergo Cicero omnia dicit. Hãc uero opinionem in tribus plenã eſſe dicit, ſi id quod dicimus à noſtra natura nõ abhorreat, id eſt, ab eorum natura, pro quibus agimus, ſcilicet ne de pudicitia agat leno, de caſtitate meretrix. quod ſi fiat, probabilis narratio nõ erit. Deinde ut id quod agimus, à populi rumore non abhorreat, ſcilicet ne contra conſuetudinem audientiũ loquaris. Si apud Romanos narres cõtra iuſtitiam, et ſi apud Scythas, mores barbaros reprehendas. Poſtremo ſi id quod agimus, cum eorũ quicunque audiunt iudicaturi opinione cõſentiat. Itaque narrationẽ probabilem eſſe dicit, ſi in ea ſint ſeptem illa, quis, quid, cur, ubi, quando, quemadmodũ. quibus adminiculis. Sed cũ omnia hic poſuerit, unũ nõ poſuit, id eſt modum, quod eſt quemadmodũ. Et recte modũ inter præcepta probabilis narrationis non poſuit. Nõ enim in modo fides fit, ſed magis auxeſis criminis. Et quoniam præcepta hæc & ad coniecturam accommodanda erant, ubi factum negatur, merito modus eſſe non debuit: quia modus non excutitur, niſi cum factũ conceditur. Cũ aũt in coniectura, ubi factũ negatur, omnino eſſe nõ poterit, multo magis alibi modus non erit. Si aũt in reliquis ſtatibus fuerit, auxeſis facti erit, non probabilis narrationis expoſitio. Ergo hic uideamus, ſeptem illa abſque ſolo modo. Perſona, ſi perſonarum dignitates ſeruabuntur. Cauſa, ſi cauſæ factorũ extabunt. Facultas, Si fuiſſe facultates uidebuntur. Tempus, ſi tempus idoneũ. Locus, ſi locus opportunus. Videamus & opinionẽ quæ his omnibus quoque à Cicerone addita eſt. Si res & ad eorũ qui agent, naturã, & ad uulgi morem, & ad eorũ

qui

qui audiunt opinionem accommodabitur.] Si perſonarum dignitates ſeruabuntur, nõ honores, ſed prout quæque digna ſit. Si tempus idoneum, ſi ſpatij ſatis.] Duo ſunt tempora, unũ per ſpatium, id eſt per interuallum: aliud per opportunitatem. Spatium eſt, ut unus, alter, multi dies, menſis, menſes, anni. Opportunitas eſt occaſio ex hominũ actibus facta, ut: bellum, pax, ludi, ſeditio. Hoc eſt ergo quod ait: Si tempus idoneum, ſi ſpatij ſatis. Iam cum ait, Si tempus idoneum, oſtendit tempus eſſe per opportunitatem. Illud autem præterea conſiderare oportebit.] Supra docuit quæ in narratione ſeruanda ſint, & quemadmodum facienda, nunc in ipſam narrationem quatuor præcepta dat. Quæſtio eſt enim, An ubique narrandum ſit? Deinde ſi narrandum, quo loco narrandũ: Poſtremo ſi ita narretur quemadmodum cauſa poſtulet, non ubique narrandum eſt, inquit. Etenim ſi obeſt narratio, prætereunda eſt: Et cum nihil prodeſt, prætereunda eſt. Deinde inquit, uidendum eſt quo loco narrandum ſit. Sæpe enim poſt argumenta narrandum eſt, ut Cicero in Miloniana fecit. Poſtremo ſecundum cauſæ genus narrandum eſt, ut quod non eſt prætereundum, non prætereas: quod prætereundum, prætereas. Obeſt tunc, cum ipſius rei geſtæ expoſitio magnam excipit offenſionem.] Obeſt, inquit, narratio, ſi cum aperis atque inſinuas rei geſtæ qualitatem, neceſſe habes tibi auditorem reddere infenſum. Quod cum contingit, non contexte (inquit) narrare debebis, nec cauſam omnem indicare, ſed ſingulas cauſæ partes proponere, & his ſtatim argumenta ſupponere, ut res dubia fidem pro agentis accipiat uoluntate. Præterea inquit, cũ nihil prodeſt narratio, præteriri debet. Nihil autem prodeſt narratio tum, cum ita ab aduerſarijs cauſa iudicibus expoſita eſt, ut à nobis aliter narrandũ non ſit. Denique iam ſupra diximus, non interdum opportuno loco poni narrationem. Verum hoc genus præcepti differt in id tempus, quo de diſpoſitione dicturus eſt. Non quemadmodũ cauſa poſtulat narratur.] Præuaricatio duobus modis fit? Si utilia noſtræ cauſæ cum obſcuritate dicamus, aut utilia aduerſariorum manifeſte atque aperte proferamus. Verum hæc tunc uitia ſunt, ſi eñ id facimus, nihil nobis prodeſt. Sæpe enim prodeſt, ut tali præuaricatione aliud quod uolumus obtinere poſſimus. Nã ut obtineat Dauus, ne Chremes det filiam Pamphilo, aperte narrat id quod contra Pamphilũ poterat uideri: illum peregrinam amare, & filium ex ea ſuſcepiſſe. Nunc ſecundum ordinem poſita narrationis, ad partitionis præcepta ueniamus.

DE PARTIONE.

Recte habita in cauſa partitio, illuſtrem & perſpicuã totam efficit orationem.] Antequam de præceptis partitionis dicamus, prius dicẽdum uidetur, quid interſit inter partitionem & diuiſionem. Partitio eſt, totius cauſa per partes conſtitutio. Diuiſio eſt, rerum ſub partitione iacentium. Verum hic hoc animaduertendum eſt, ut definitionem partitionis non ab eo quid ſit, ſed ab eo quid faciat, collegerit. Recte, inquit, habita in cauſa partitio illuſtrem & perſpicuam totam efficit orationem. Narrationis porrò definitionem ab eo quid ſit, ſcimus eſſe collectam: Narratio eſt rerũ geſtarum, aut ut geſtarum expoſitio. Dicit itaque, partitionem duas habere partes: Diſtributionem, & aliam quæ oſtendit quid aduerſarij confiteantur, & quid in contentione uerſetur. Verũ utrarumq; harum partium duplex effectus eſt. Aperit cauſam, & controuerſiã cõſtituit. aliud eſt enim quod aperit cauſam, aliud quod conſtituit controuerſiam. Nanque aperitur cauſa in narratione, in qua etiam ſi intelligitur quæ ſit controuerſia, non tamen ab oratore conſtituitur. Conſtituere eſt enim, proponere, & dicere quid in controuerſia ſit. Ergo in narratione aperitur cauſa, non conſtituitur controuerſia. At in partitione, tametſi aperitur cauſa, tamen & conſtituitur controuerſia, ut non unum ſit, ſed utrunque fiat. Nam aperit utique cauſam, quia partitur. quanquam alio modo aperit quàm in narratione. Cum enim dicis, dicturus ſum de illo, aperta eſt cauſa partitione, hoc eſt diſtributione. Item in alia partitione, cum dicitur, illud manifeſtum eſt, nec negatur, illud uero negatur: utique aperitur cauſa, ſed partitione, ut diximus. in eo tamen & conſtituitur controuerſia, cum quid in confeſſione ſit docetur, quid in negatione. Alia autem partitio, quæ diſtributio nuncupatur, poteſt aperire tantum cauſam rei enumerando. at cũ uel uerba iunguntur, uel oratio, quæ dicat de his eſſe dicendum, tunc conſtituitur controuerſia. quæſtor Verres fuit legatus, prætor urbanus, prætor Sicilienſis. Hoc ſolum dicere, aperire cauſam eſt: ſed partitione, per diſtributionem. At uero illud adiungere, Quare hæc erit quadripartita diſtributio totius accuſationis meæ? hoc eſt conſtituere controuerſiam. Itaque, ut diximus, partitio ſpecies habet duas. Vnam, quæ quid cum aduerſarijs conueniat docet, & quid in controuerſia ſit: alteram, quæ diſtributionem habet membrorum in reliquam orationem. Illa ſuperior ſpecies cum propoſuerit quid conueniat, id ipſum ad ſe inclinat, ut pro ſe faciat id, quod aduerſarius confitetur. Poſtea uero ſubiungit, id quod ſit in controuerſia. Facit hoc Cicero pro Milone: Dicam, inquit, uim factam à P. Clodij familia. aduerſarij non negant. Hic propoſuit, quod aduerſarij fateantur. deinde ipſum pro ſe fecit dicendo, damnũ datum eſſe Miloni. Concedis. uici unam rem. Item adiunxit alteram partem, in qua confeſſionem docet, cum dicitur, Ni hominibus armatis non negas. uici alteram. Poſt, quid in controuerſia ſit proponit, cum dicit, Dolo malo factum negas: de hoc iudicium eſt. ſed quoniã non in omni negotio aduerſarius fatetur, illa altera adhibenda partitio eſt, quæ diſtributio nũcupatur, ubi totius cauſa membra ponũtur. Verũ hæc membra, aut ea ſunt quæ uere in eodem negotio cõtinentur, ut in Verrinis de quæſtura, de legatione, de prætura urbana, de prætura Sicilienſi. quã quadripartitã diſtributionẽ totius accuſationis ſuæ Tullius eſſe dixit. Item illa diſtributio de frumento, quam fecit dicendo emptũ, decumanum, æſtimatum. Aut ſi partitio de ipſa cauſa nõ ſumitur, ea membra ponit orator, quæ ipſe ingenio inuenit, & ſibi ipſa dicenda cõſtituit, nõ ex negotij factis ad cauſam ſumptis, ſed argumentatione oratoris in cauſa collocatis. ut in Diuinatione: Ego ſic intelligo, ſic ut de pecunijs repetundis quæſtio ſit, ſi nomen cuiuſpiã deferatur. Hæc duo in primis expoctari oportere, quem maxime actorem uelint ij, qui eas iniurias paſſi ſint, & quẽ minime uelint hi, qui eas iniurias feciſſe arguantur. Item pro Sex. Roſcio, cũ unum crimen ſit parricidij, ac propterea unum negotium, partitur tamen Tullius non cauſam, ſed orationem, dicendo: In crimen, audaciam, & potentiam criminis, confictionem accuſator Erutius ſuſcepit. Audaciæ partes Roſcij ſibi depopoſcerunt, Chryſogonus autem potentia pugnat. Altera eſt, in qua rerum earum, de quibus erimus dicturi, breuiter expoſitio ponitur.] Partitionis duæ partes ſunt, una quæ quid cum aduerſarijs cõueniat indicat, & quid in controuerſia ſit demonſtrat. altera, quæ dicitur diſtributio. Hæc eadem duplex. nam aut ea membra continet, quæ in cauſa ſunt, aut ea, quæ ingenio fingit orator, quibus dictis intelligat fore peroratum. Præcipit, ut partitione completa, nihil amplius dicamus præter concluſionem. Quæ partitio quid conueniat, aut quid non conueniat, oſtendit.] In hac partitione, id quod aduerſarius confitetur, ad cauſæ noſtræ commodum nos docet inclinare debere. Et dat exemplum: Si dicat accuſator, matrem occiſam ab Oreſte filio, conſtat. Iam cum ait, matrem à filio conſtat occiſam, id quod aduerſarius confitetur, ad ſe inclinat. Conſideratione enim ſanguinis, non uidetur debuiſſe à filio mater occidi. Deinde ſi dicat Oreſtes, uel eius defenſor, conſtat à Clytemneſtra Agamemnonem maritum occiſum: cõfeſſionem

aduerſarij ſine dubio ad ſe inclinat. coſideratione enim iuris, occidi maritus ab uxore non debuit. Iam quid in controuerſia ſit, ex indicatione colligitur: id eſt, an recte Oreſtes matrem occiderit, cum illa patrem occiderit Oreſtis. Quare accuſatoris talis erit partitio: Interfectam matrem à filio, cum aduerſarijs mihi conuenit, cũ illa occiderit Agamemnonem. ſed an à filio occidi debuerit, quæſtio eſt. Rei uero talis erit partitio. Interfectum à Clytemneſtra Agamemnonem conuenit: an à filio Clytemneſtra debuerit occidi, quæſtio eſt. Quæ autem partitio rerũ diſtributarum continet expoſitionem, hæc habere debet breuitatem, abſolutionem, paucitatem.] In omni diſtributione, ſiue quam habet orator in membris negotij, ſiue quam in membris, quæ ipſe format & fingit dicenda, ſeruare debet hæc tria, breuitatem, abſolutionem, paucitatem. Breuitas in uerbis eſt, abſolutio in toto, paucitas in generibus. Breuitas eſt, cum niſi neceſſarium nullum aſſumitur uerbum.] Vt ſi ſic partiamur: Dicemus de decumano frumento, deinde de empto, poſtremo de æſtimato. Sed partiendo lõgius, peccabimus cõtra præceptũ hoc, ſi ſic dicamus: Nunc dicemus de decumano frumento: deinde ubi maius eſt crimen, de eo quod ſolet publicis pretijs cõparari: poſtremo, ubi nihil auaritia Verris intactũ reliquit, dicemus etiã de æſtimato frumẽto. Hæc itaque ſuperflua uerborũ in breuitate partitionis uitare debemus, ut animus auditoris nõ uerbis, ſed rebus potius occupetur. Hæc in hoc genere idcirco eſt utilis.] In hoc genere, id eſt, in diſtributione, breuitas utilis eſt ad animos auditorum non uerbis, ſed rebus potius occupandos. Abſolutio eſt, per quam omnia quæ incidunt in cauſam genera, de quibus dicendum eſt, amplectimur.] Abſolutionem tunc facimus, ſi omnia quæ incidunt in cauſam, partientes ponamus. Hæc quæ incidunt, omnia nunc ſpeciebus confici poſſunt, nunc generibus. quoniam autem ſpecierum maior eſt multitudo, anguſtior generum uis & natura, quippe cum genus multas in ſe ſpecies contineat, qui facit partitionem de ſpeciebus omnibus cauſæ incidentibus, abſolutionem quidem ſeruat, quod omnis ſpecies in partitione proponit: ſed peccat, quòd ſpecierum latior diſtributio eſt, & in partitione amplius quàm quatuor partes omnino eſſe non debent. Ergo ut abſolutio melius in diſtributione ſeruetur, ſpecies illæ ad genera referuanda ſunt. Vt paucis generibus cum ſpecies omneis complexi fuerimus, abſolutionem conficiamus, quòd omnia: & paucitatem, quòd genera quæ incidunt in cauſam, in diſtributione collocamus, ne aut utile aliquod genus prætereamus, aut poſtea cauſæ, quod eſt uitioſius, inferamus. Paucitas in partitione ſeruatur, ſi genera ipſa rerum ponuntur.] Tunc, inquit, pauca in partitione collocamus, cum quid ſit genus, quid ſit ſpecies, iam ſcimus, nec cum generibus ſpecies implicamus. Itaque ſi ſtudere uolumus paucitati, etiam genera pauca in partitione collocare debemus. Nã genus eſt, quod plures partes amplectitur: ut animal pars eſt, quæ ſubeſt generi, ut equus.] O N græci ſubſtantiæ & accidenti genus ponunt, ſed non bene: pars enim omnis generi ſuo ſimilis eſſe debet. Subſtantia porro res eſt, quæ alijs rebus ſubeſt, capax accidentium qualitatum. Deinde accidens eſt id quod in ſubſtantiam cadit. Quare quoniã illud ſuperius O N, utrũque eſſe non poteſt, non recte ſubſtantiæ & accidenti genus factum eſt. Ergo quoniam præcipimus, ut ſpecies generi ſemper ſimilis eſſe debeat, uideamus ubi hic Cicero quaſi uideatur erraſſe. Nam poſuit hominem reſpectu duplici, ut ad inferiora genus ſit, ad ſuperiora ſpecies. Huic animal præpoſuit, ut ſpeciem faceret, id quod homo. cũ id ipſum genus uellet oſtendere quod homo eſt, ſubiecit huic ſpeciem, Romanum, Thebanum. Non ne uidetur eſſe uitioſum, quod cum homo ſubſtantia ſit, Romanus autem aut Thebanus accidens? Etenim parum recta ſubiectio eſt, ſub eo, quod ſubſtãtia ſit, id quod eſt accidens collocari. Nam rectum illud præceptum eſt, in faciendis generibus & ſpeciebus & indiuiduis rem aut ſubſtantialem in omnibus eſſe ſeruandam, aut accidentalem. ut cum in genere ſit ſubſtantia, & in genere & in ſpecie & indiuiduo ſit. Animal nanque ſubſtantia eſt. huic cum ſuppono ſpeciem, ſubſtantia eſſe debet: ſuppono autem hominem. Item cũ ſuppono homini Ciceronem, ſubſtantiam pono. ſic factum eſt, ut in omnibus ſubſtantia ſeruaretur. Pari ratione ſi id quod eſt accidẽs, fuerit etiam ſpecies, accidens debeo collocare. Pariter & indiuiduum, ut genus ponam colorem. accidit enim color corpori: huic cum ſuppono ſpeciem album uel nigrum, intelligo et hoc quoque accidens eſſe. Eritq́; etiam ſimilis ratio, cum ſub albo pono hoc album, quod eſt indiuiduum. Indiuiduum eſt, quod oculis digitoq́; monſtratur. ergo & album & color accidentia cuncta ſunt, corporis ſcilicet quamobrem Romanus et Thebanus accidentia ſunt. Accidunt enim ſubſtantiæ cuilibet, aut homini, aut equo. Cicero uero hominem ponit, id eſt, ſubſtantiam & recte facit, huic genus dando, animal. nanque animal ſubſtantia eſt. non recte autem, cũ hominis ſpeciem ſupponeret, Thebanum & Troianũ ſuppoſuit. quoniam hæc, ut diximus, accidentia ſunt. Sed hoc fruſtra in quæſtionem uenit, licet enim id quod accidens eſt, poni in ſubſtantiam cum eo ipſo ſibi copulato cui ſupponitur. utputa homo, ut diximus, animalis ſpecies eſt: hominis uero ſpecies eſt Thebanus, quod eſt accidens. hic non Thebanum ſolum audire debeo, ſed hominem Thebanum, ut ſimul cum Thebano, & hominem audiendo, faciam id quod eſt accidens ſubſtantiale. Quare Cicero recte hominem animalis ſpeciem poſuit, & genus Thebani, aut Troiani hominis ſcilicet. Itaque, inquit, ideo diligentius genera, & ſpecies generum definire uolumus, ut intellectis aperte generibus, quo breuior ſit partitio, etiam genera pauca in partitione eadem collocemus. Nam qui ita partitur: oſtendam propter cupiditatem & audaciam, & auaritiam aduerſariorum omnia incommoda ad rem publicam perueniſſe.] In partitione, quæ dicitur diſtributio, tria ſemper dicit eſſe ſeruanda, breuitatem, abſolutionem, paucitatem. Breuitas in uerbis eſt Abſolutio, ut omnia genera, quæ in cauſam incidunt, in partitione ponamus. Paucitas, ut ſola rerum genera, quæ partium genera ſunt, abſque partibus ſuis in partitione ponamus: & quæ genera ſunt, partes aliorum generum eſſe non poſſunt. nunc itaque de paucitate tractatus eſt. Et dat exemplum uitioſæ diſtributionis, id eſt, in qua genus & pars eius ſimul poſita ſunt. nam qui ita, inquit, partitur: Oſtendam propter cupiditatem & audaciam aduerſariorum, &c. is, inquit, errauit. etenim paucitatem ſeruare neſciuit. Siquidem non ſola rerum genera poſuit, ſed genus & partem generis. Cupiditas enim genus eſt, pars cupiditatis auaritia. Ergo in ſuperioribus quid faciendum eſſet oſtendit, nunc quid non faciendum. & hæc ferè bipartita præceptorum omnium diſciplina eſt. Hoc igitur uitandum eſt, ne cum genus poſueris, eius ſpeciem, ſicuti aliquam diuerſam ac diſſimilem partem ponas in eadem partitione.] Hoc igitur uitandum eſt, ut ſciamus nunc illud præcipi, quod faciendũ non ſit. Quod, ſi quod in genus plures incidunt partes, id cum in prima partitione cauſæ erit ſimpliciter expoſitũ.] Genera, inquit, ipſa rerum in partitione ponenda ſunt, & ſi cui generi partes ſuas fuerit neceſſe ſupponi. Poſtquam, inquit, partitionem cœpimus exequi, & ad id genus uenerimus, tunc nos partes eius conuenit explicare. In partitione tamen partes generi iungere non debemus. In tractatibus quæſtionum, debemus de generis partibus diſputare. Atque illud quoque pertinet ad paucitatem.] Quoniam de paucitate tractatus eſt, atque illud quoque pertinet ad paucitatem, inquit. Ne plura quàm ſatis nos demonſtraturos eſſe dicamus, hoc modo, inquit: Oſtendam aduerſarios id quod arguimus, & uoluiſſe, & potuiſſe, & feciſſe, cum in tertio cuncta ſint. Deinde inquit, cum ſimplex quiddam in controuerſia ſit, nos tamen diſtributione utamur.

Ac ſunt

Ac ſunt alia quoque præcepta partitionum, quæ ad hunc uſum oratorium non tantopere pertineant.] Oſtendit partitionũ multa eſſe alia præcepta: ſed tamen quæ ad philoſophiam, non quæ ad rhetoricam pertineant. Ad philoſophiam, inquit, de qua hæc ipſa præcepta tranſtulimus. Ideo inquit, quia nihil horum in reliquis artibus inuenimus. Oſtendit hæc de partitione præcepta latinos nunquam habuiſſe in artibus ſuis, ſed ſe primum tranſtuliſſe de græcis. Atque his de partitione præceptis in omni dictione meminiſſe oportebit.] Ad extremum hoc dat in partitione præceptum, ut quod primum in partitione ponimus, id primum aggrediamur & explicemus: quod ſecundum ponimus, ut ſecundo aggrediamur loco: quod tertium, tertio. Poſtremo finitis per ordinem ſuum partibus, dictionem omnem extremis epilogis concludamus.

DE CONFIRMATIONE.

c

Onfirmatio eſt, per quam argumentando noſtræ cauſæ fidem, & auctoritatem, & firmamentum adiungit oratio.] Definitio confirmationis non per id quod eſt, ſed per id quod facit. Et quod ait Noſtræ cauſæ, commune præceptum eſt tam defenſoris quàm accuſatoris. uterque enim utroque ſemper utitur, id eſt & confirmatione & reprehenſione. Scire autem debemus, exordium, narrationem, partitionem, & concluſionem in omnibus cauſæ generibus, uel conſtitutionibus, generali diſciplina eadem præcepta retinere: confirmationem uero & reprehenſionem per ſingula cauſarum genera, uel ſingulas conſtitutiones, diuerſa & propria ſemper habere præcepta. Nunc itaque iuxta ordinem partium poſt partitionem tractat de confirmatione. Et quoniam, ut ſupra diximus, in ſingulis cauſarum generibus uel conſtitutionibus diuerſa & propria habentur præcepta, quia mora eſt ut per ſingulas confirmationis ſpecies præcepta dicantur, generaliter & confuſe præcipit. quibus de locis argumentandi rationibus tractatis, in omni cauſarum genere, uel in omnibus ſimul conſtitutionibus confirmatio effici poſſit. Et hoc in primo libro agitur, id eſt, ut in omne genus formamq; cauſarum quædam cõmunitas argumentationum uelut ſylua ponatur. Secundus autem liber hoc continet, ut in ſingulis cauſarum generibus ac formis propria et certa & diuerſa præcepta ſeparentur, de primo libro cunctis argumentandi rationibus tractis. Per quam argumentando.] Hoc enim proprium eſt confirmationis. Alioqui & narratio fidem facit, ſed non argumentando. Fidem, & auctoritatem, & firmamentum.] Fides eſt argumentum, quo crimen probamus, id eſt, fidem crimini facimus. Auctoritas eſt argumentũ uerius atque honeſtius, & cui quaſi neceſſe habeas credi. Firmamentum eſt creberrima argumentatio. Omnes res argumentando confirmãtur aut ex eo quod perſonis, aut ex eo quod negotiis eſt attributũ.] Omnis res argumentando confirmatur, ſed quæ in ὑποθέσει eſt, quæ cauſa dicitur, cuius cauſæ iſta definitio eſt, lis cum certa perſona: hæc quidem omnis res ex illis ſeptem locis argumenta contrahit, Quis, quid, cur, ubi, quando, quemadmodum, quibus adminiculis. Verum ex his duo prima omnem uim argumentationis continent, quinque reliqua ſecundo ſubiacent. Itaque duo hæc prima, quis & quid, apertioribus nominibus Cicero & ad opus uicinioribus nuncupat, id eſt, perſonam & dictum & factum'ue, quod negotium eſt. Itaque omnis res confirmatur aut ex attributis perſonæ argumentis ſumptis, aut ex attributis negotio. Perſonis autem attributa ſunt undecim, Nomen, natura, uictus, fortuna, habitus, affectio, ſtudium, conſilia, facta, caſus orationes. Itaque ſi hæc omnia attributa perſonæ ſunt, quæ ſit ipſa perſona uideamus. Nomen eſſe non poteſt, quia primum attributum perſonæ eſt: Homo eſſe non poteſt, quia naturæ perſonæ attributum eſt: & natura mortalium in duo diuiditur, in homines & in feras. Quæ eſt ergo pſona? illa ſcilicet, quæ in pronominibus finitis eſt, ut ego, tu, ille, hic, hæc, hoc. Itaque ex perſona nulla argumentatio poteſt ſumi. Cum enim dixero, hic, quod argumentum feci? Ex attributis autem perſonæ ſumitur omnis argumentatio breuiter, uel ſub diſtributa, per quæ ſe aperit, & quibus impletur ipſa perſona. attributis ſuis igitur perſonarum omnium uis probatur. Nomen eſt, quod unicuique perſonæ tribuitur, quo ſuo quæque proprio & certo uocabulo appellatur.] Antequam ad hoc nomen, quod definiendum eſt, ueniamus, prius de ſignificantia nominis dicamus. Nomen hoc, quod ſonat nomen, quatuor ſignificantias habet. Vna talis eſt, quæ eſt in appellatione rerum omnium. Verba autem noſtra omnia rerum nomina ſunt, ut ſalio, curro. Vtique his omnibus nominibus res ſignificantur. Vnde multi illum ſapientiſſimum ac beatiſſimum eſſe dixerunt, qui rebus nomina impoſuit. Certe ut ſciamus omnes partes orationis, id eſt omne quod loquimur, nomina eſſe rerũ, conſtat, cum de Sibyllæ reſponſis ageretur. In reſponſis autem omnino octo partes orationis fuerint neceſſe eſt, quod ait Virgilius, Foliiſq; notas & nomina mandat. Ergo hæc una ſignificantia nominis eſt, quæ in omnium uerborum appellatione eſt. Alia nominis ſignificantia talis eſt, quæ unam partem orationis ex octo partibus orationis uidemus eſſe ſignatã: ut nomen, pronomen, uerbum. tertia nominis proprij, ut hominis, ut deorum. quarta autẽ hæc quadripartita eſt, quæ unaquæque perſona ſine alterius communione ſignatur. Et ut ſciamus unam de quatuor hanc eſſe, ſignificationem nominis ſic propoſuit, ut oſtenderet quod nomen eſſet definiturus. Nomen eſt, inquit, quod unicuique perſonæ attribuitur, quo quæque ſuo proprio et certo uocabulo appellatur.] Ergo ut proprium perſonæ hoc nomen & certum ſit, per quatuor tenditur: prænomen, nomen, cognomen, agnomen. prænomen porrò interdum una, interdum duabus, interdum tribus literis continetur: ut C. Caius, CN. Cneus, ut Sex. Sextus, fuitq; nonnulla apud maiores noſtros prænominis ratio. nam & Quintum ideo dixerũt, quod quinto fortaſſis loco natus eſſet: & Lucium ideo, quod fortaſſe eſſet initio lucis ex ortus. Verum quoniam hæc apud nos ratio nihil ualet, argumentũ de prænomine non quærimus. Cognomen porrò maiorum eſt, tractum ex familia uel ſanguine: ut Tullius Cornelius, ex Corneliis. Nomen autem propriũ perſonæ eſt, ut Cicero, ut Scipio. Iam agnomen extrinſecus uenit, & uenit tribus modis: aut ex animo, aut ex corpore, aut ex fortuna. ex animo, ſicut Superbus, & Pius. ex corpore, ſicut Craſſus & Pulcher. ex fortuna, ſicut Africanus & Creticus. Quatuor his partibus perſonæ proprium & certum nomen includitur: Prænomine, nomine, cognomine, agnomine. Vt Publius prænomen, nomen Scipio, Cornelius cognomen, Africanus agnomen. Argumentum autem, ſi neceſſe fuerit, in tribus quærimus: In nomine, cognomine, agnomine. Itaque definitionis iſtius hæc eſt propoſitio, Nomen eſt cuique perſonæ. deinde hinc incipit definitio, Quo quæque ſuo, id eſt, uocabulo. Sed quod ſuum eſt, poteſt eſſe commune cum fratribus, cum propinquis: ut Tullius. multi enim itaque Tullij, quia nomen ex ſanguine eſt. Deinde addit, proprio. Rurſus & uocabulum proprium poteſt eſſe commune: ut Cicero proprium uocabulũ, ſed tamen multi poſſunt eſſe Cicerones. itaque addidit, certũ: ſcilicet quod ex omnibus quatuor conſtat, quo uniuſcuiuſque perſonæ uerum & nõ niſi eius poſſit nomen intelligi. & recte Certum nomen: interdum enim ex libidine & quadam obtrectatione nomen imponitur, ut illud in Salluſtio, Tyrannumq; & Cinnam appellantes. Itaque huiuſmodi nomen certum eſſe nõ poteſt. Quotieſcunque autem ſpecialiter aliquid uolumus includere, his tribus includimus, ſuo, proprio, certo: ut Tullius, Suis eum certis propriiſq; criminibus accuſabo. Naturam ipſam definire difficile eſt: partes autem eius enumerare, eas quarum

indigemus, ad hanc præceptionem facilius eſt.] Hæc eſt ratio, ut difficilis ſit naturæ definitio. etenim apud ſapientes contentio eſt, quid prius ſit, Deus an natura. Si natura prior eſt, ergo deus natus eſt: atqui deus naſci nõ potuit. Rurſus ſi deus prior eſt, nata eſt natura: quòd ſi naſci potuit natura, incipit nõ eſſe natura. Itaque naturæ difficilis definitio eſt. Difficilis definitio naturæ, ſecundũ Platonẽ uel alios ſapientes, inquit. Alioqui oſtẽdis poſſe definiri. Denique ſapientes quidã ſic definiere naturã: Natura eſt ignis artifex, quadam uia uadens in res ſenſibiles procreandas. etenim manifeſtum eſt, omnia principe igne generari. Plato autem ſic definiuit: Natura eſt dei uoluntas. Et inter cæteras hæc magis probanda definitio. Nam ſi Deus & natura ita ſunt, ut ex his alterum prius non ſit, neceſſe eſt autem ex primo naſci quod ſecundum eſt: deinde ſi quod naſcitur, nec deus eſt, nec natura: rectè naturam, Dei dixit eſſe uoluntatem. Deus enim ſemper uoluerit & uelit neceſſe eſt. Itaque quoniam naſci natura non potuit, ſed dei uoluntas eſt, ut deus naſci non potuit, nec natura. Illud autem ſcire debemus, naturã illud eſſe quod mundum: ultra mundum naturam nõ eſſe, ſed deum. Voluntatem autem dei, quæ mundus eſt, eandem eſſe naturam. Itaque hic Cicero naturæ principalem definitionẽ omiſit. dixit autem, eſſe difficilem. Parteis aũt eius enumerat, ſed quarũ, inquit, indigemus. Natura, animalis, inanimalis, animalis, diuina, mortalis: Mortalis, hominum, beſtiarum, corporis. Diuina, animi. Extrinſecus itaque partem illã naturæ reliquit, quæ inanimalia generat. neque enim eius indiget qui rhetoricam ſcribit. Illius autẽ naturæ partes exequitur, quæ motu ſuo in rebus agit aliquid, id eſt, quæ uiuit. Etenim ille qui rhetoricã ſcribit, præceptis ſuis perſonam debet includere. Perſona autem homo. Huius itaque naturæ indigemus, in qua homo. Hæc igitur natura quæ motu ſuo in rebus aliquid agit, principaliter in duo ſcinditur, in diuinam naturam, & immortalem. Ac diuina quidem natura ad rhetoricam non pertinet, & ideo hanc omiſit. Sciri tamen debet, quia loco argumenti ſæpe rerum diuinarũ inducitur diſputatio, ut illud eſt, quæ res faciat ut uigeamus, quæ ut occidamus: ſed hoc ad rhetoricam, non tamen ex rhetorica deſcendit. Itaque confert ſe ad mortalem naturam. Rurſus quæ hanc in duo diuidit, in homines et in beſtias: Omne quod extra hominem, uiuit, cum anima et corpore, beſtias nominauit. Remoueamus itaque & naturam illam mortalem, quæ beſtiarum eſt: hanc que ſolum inſpiciamus, in qua homines ſunt et de eadem natura circa certam perſonam inuenta dupliciter argumenta capiamus. Etenim ea quæ in hominis ſunt natura, nunc tantum natura ſunt, nunc ita natura ut et induſtriæ uel artis eſſe credantur. Tripliciter autem debemus in homine inſpicere atque explorare naturam, quæ ſit natura animi, quæ corporis, quæ extrinſecus. Verum quæ in homine extrinſecus ſunt, ea tantũ naturæ ſunt: quæ autem in homine animi uel corporis ſunt, ea & natura poſſunt eſſe & diſciplina. itaque primũ uideamus quæ natura in homine ſit. Extrinſecus, ut ſexus. ſexus enim tantum naturæ eſt, nec ex diſciplina poteſt aliquando contingere. ita & natio, & patria, & cognatio, & ætas tantum naturæ ſunt. Natio eſt, inquit, ut conſideres utrum græcus ſit an barbarus. hoc ſecundum ipſorum græcorum ſententiam, qui abſque ſe reliquos barbaros appellabant. Patria eſt, inquit, ut conſideres Athenienſis an Lacedæmonius, Aquileienſis an Mediolanenſis ſit. Cognatio eſt, inquit, ut cõſideres quibus maioribus oriundus ſit, unde ſanguinem ducat. fitq; hinc optimum argumentum, ut illud eſt in Virgilio: Bellum ne inferre paras tis Laomedontiadæ? Sed & hoc argumentum quaſi ex nomine fieri uidetur, quod ait, Laomedontiadæ: cum hic ex natura colligenda nobis inſinuat argumenta. Hoc itaque intereſt, quod in nomine ex ſono ipſo nominis colligimus argumentum: ut ex Verre, quod euertat prouinciam. In natura autem non ex nominis ſono, ſed ex eius actis uel moribus, cuius nomen eſt, colligimus argumentum. etenim cum dicimus Laomedontiadæ, in ſono nominis nihil eſt, in actis autem Laomedõtis perfidiæ poſitum eſt argumentum. Aetatem autem, inquit, inſpicere debemus, utrum puer ſit, an grandior, an ſenex, ut cuicunque ætati crimen quod agitur, aut conuenire, aut non conuenire doceamus. Hæc de his quæ extrinſecus ſunt, quæ tantũ naturæ ſunt. Nunc uenit ad ea quæ corporis & animi ſunt, & quæ tam natura quàm diſciplina eſſe poſſint. Etenim interdum per ſe multum ualet natura, interdum tenuis & infirma eſt. diſciplina enim uel uſu ſæpe mutatur. Enumerat itaque quæ iſta ſint, ut luti communia, ut conſideremus, utrum aliquis ualens an imbecillis ſit, longus an breuis, formoſus an deformis, uelox an tardus. Hæc omnia corporis ſunt, quæ facile uidemus ſæpe hominibus ex natura, ſæpe ex arte contingere. Deinde, inquit, debemus inſpicere, memor an obliuioſus ſit: comis, officioſus, prudẽs, patiens, an contra. Hæc rurſus omnia animi ſunt, quæ ſimiliter uidemus tam ex natura nobis, quàm ex arte prouenire. Verum cuncta iſta, inquit, quæ animæ & corporis ſunt, quanquam ſæpe ex diſciplina uel arte contingant, tamen qualia, uel quanta ſint, non niſi in ſola natura conſiderare debemus. Ea autem quæ induſtria comparantur, in habitu rectius conſiderabimus. In uictu conſiderare oportet, apud quos, & quo more, & cuius arbitratu ſit educatus.] Victus hominis eſt, omne illud tempus à pueritia uſque ad id quod agit, uel quo de agitur: itaque conſiderare debemus, non apud quos natus ſit, quod natura eſt, ſed apud quos educatus ſit, unde incipit uictus. Apud quos, inquit: intereſt enim inſpicere illorum uitam, apud quos educatus ſit. ex his enim uiuendi potuit capere diſciplinã. Sed quia homines interdum non ut uolunt educant, aliqua neceſſitate cõpulſi, quippe & ſeueriores ſæpe diſſolutius, & diſſolutiores ſæpe ſeuerius educant: rectè quærendum dicit, non ſolum apud quos educatus ſit, ſed etiam quo more educatus ſit. Deinde inquit, inſpicere debemus ad cuius arbitrium ſit educatus, id eſt, patris, patrui, cognati, an alienioris. Animaduertamus itaque, ut uictus à primis annis uſque ad ætates alias protendatur, ut dixit primo quærendum quemadmodum ſit educatus. hoc Quemadmodum in tria diuiſit: apud quos, quo more, cuius arbitratu. Deinde educatus puer ſolet ad diſcendas literas ſortiri, eaſdemq; liberales. itaque qui liberales literas diſcit, duplices habere debet magiſtros: qui faciant uirum bonum, & qui faciant dicendi peritum, & his duobus plenũ oratorem. Recte ergo etiam hoc quærendum, quos habuit artium liberaliũ magiſtros, quos uiuendi præceptores. Itaque non utrum habuerit magiſtros, utrum uiuendi præceptores, ſed quos habuit quærendum. Deinde etiã hic animaduertendus ordo eſt, poſtquam literas quis didicerit, & certam uiuendi acceperit diſciplinam, tunc neceſſe eſt ut habere incipiat amicos. Sed quærendum eſt, qualibus amicis utatur. amicus enim mihi eſſe non poteſt, niſi ſimilis mei. Deinde quo negotio, quæſtu, & artificio ſit occupatus, quærendum. Neceſſe eſt enim, ut in uita noſtra aliquid agamus, quo nos occupemur. Et hic actus in uita aliquid agentium, triplex eſt. nam aut negotium eſt, ut mercatura, aut militia, aut agricultura, & cætera. Aut quæſtus eſt, ut præco, ut paraſitus, ut ſcenicus, aut ſimilia. Aut artificium, ut artem ſcillicet aliquam plene cognitam, aut exerceas, aut tradas, ut orator, ut rhetor, & alia huiuſmodi. alioqui ſcire aliquid perfecte, & exercere nolle, habitus eſt. deinde aliquid non plene ſcire, neque id quodcunque exercere, affectio eſt. Verum uniuſcuiuſque rei & habitus & affectus ſi exerceatur, & in actu ſit, uictus eſt. Animaduertendũ, inquit, etiam, quomodo rem familiarem adminiſtret, quæ conſuetudine domeſtica ſit. ex rebus enim priuatis & domeſticis, quẽadmodum quis in Repub. uiuat, facile poſſumus agnoſcere. In fortuna quæritur, ſeruus ſit an liber. Hoc quaſi naturæ magis

eſſe

eſſe uidetur, ut ſeruus quis an liber ſit. ſerui enim ſæpe naſcuntur. ſed ne taceamus, ne multi ſæpe ex fortuna ſerui ſint, etiam illos qui naſcuntur ex fortuna, ſeruos eſſe manifeſtũ eſt. etenim ex captiuis primum ſerui facti ſunt, captiuitas bello, in bello non niſi incerta fortuna, itaque ſeruum eſſe, fortunæ eſt. Hoc etiam in fortuna conſiderandum, pecunioſus ſit an tenuis, priuatus an cum poteſtate. Sed quia non uno modo capimus poteſtatem, recte addidit, ſi cum poteſtate, iure an iniuria. Hoc etiam fortunæ eſt, ut uideamus utrum felix, clarus, an contra ſit: Conſiderare etiam debemus, non utrum liberos habeat, quod naturæ eſt, ſed quales liberos habeat. ut eſt illud in Virgilio,

Vade (ait) ò felix nati pietate. Non, inquit, nato felix, ſed nati pietate. itaque in eo fortunam inſpexit, quippe, Vade ait ò felix, inquit. facit enim fortuna felicem. quòd ſi, inquit, cuius uictus quæritur, mortuus erit, non de morte, ſed de mortis eius genere quæritur. alioqui mors naturæ eſt. Habitum autem hunc appellamus animi.] Habitus, inquit, iſte eſt alicuius rei, ſiue in animo, ſiue in corpore à natura cœpta, ſed uſu corroborata, & plena perfectio. Scire enim plene aliquid, habitus eſt. iam ſi id uolueris exercere, uictus eſt. Videamus itaque, habitũ qualem eſſe dicat. aut uirtutis, inquit, hic habitus animi. uirtus autem quadruplex, iuſtitia, temperantia, fortitudo, prudentia. Sed tũc habitus, ſi uirtutẽ ita teneamus acceptã, ut nunquam à ſemel comparata recedamus. Nam ſi frequenter ſua cuique reddamus, et aliquando rapiamus, iam iuſtitiæ habitum per intemperantiam non tenemus. Similiter & circa reliquas uirtutes. ita enim eſt habitus definitus. Habitũ appellamus animi aut corporis conſtantẽ & abſolutã aliqua in re perfectionem.] Abſoluta eſt, ut plena ſit: conſtans, ut ſemper eadem ſit, neque aliquando à ſe recedat. & tunc eſt uere habitus. Deinde. Vt artis, inquit, alicuius perceptionem.] Vtputa ego Rhetoricam plene quidem noui, ſed exercere nolo. Itaque licet non exerceam, in eo tamen quod Rhetoricam plene noui, habeo oratoris habitum. ita & in cæteris artibus, plena perceptio habitus eſt. Aut quamuis ſcientiam.] Ars, Scientia, Actus. Scientia, artis, non artis. Inter ſcientiam et artem hoc intereſt. Ars quidẽ duplex eſt, una in ſcientia, alia in actu. uerũ ſcientia rurſus duplex eſt: eſt ſcientia artis, eſt non artis: neque enim aurum, gemmas probare, artis eſt: aut ſcire, quot millia hominum in illo ſint populo, quanto ſpatio hæc urbs ab illa diſtet. hæc itaque ſcientia eſt, ſed non artis. Sed quoniam & artis eſt quælibet, inquit, ſcientia, ſi plena in nobis fuerit, habitus nuncupatur. ſed hucuſque de habitu animi. Deinde, inquit, & corporis aliqua cõmoditas ſtudio & induſtria comparata, habitus dicitur: ut ſi corpus palæſtra roboremus, ſi uelocitatem nobis exercendi ſtudio comparemus. Verum & animi & corporis habitum Cicero in bonis collocauit. quippe habitum dixit eſſe uirtutem, aut artis perceptionem, deinde aliquam corporis commoditatem. Ita & Ariſtoteles habitum omnem in bonis poſuit, cum ſecundum definitionem poſſit & in malis habitus eſſe. Nã ſi demus ſemper operam, ut nihil intelligamus ſtudio, ſtulti ſumus, erit hic habitus induſtria comparatus. Et rurſus, ſi exercitiũ corporis deuitemus ſtudio, imbecilli ſumus, erit æque hic habitus corporis induſtriæ cõparatus. Sed neſcio quomodo recte habitus malorum non eſt poſitus neque à Cicerone, neque ab Ariſtotele. nam ſi hoc ipſum nomen aſpiciamus, & eius ſonum uideamus, habitum dictum eſſe ab eo quod habere uoluerimus: natura autem noſtra talis eſt, ut nunquam mala uelimus: malorum ergo eſſe habitus non uidetur, eſt tamen. nam & Catilina habitu malus fuit, id eſt, malitiam induſtria ſibi comparauit. Affectio eſt animi aut corporis ex tempore aliqua de cauſa commutatio, ut lætitia, cupiditas, metus, moleſtia, morbus, debilitas, & talia quæ genere eodem reperiuntur.] Habitum eſſe diximus ſiue in animo, ſiue in corpore, alicuius rei perfectionem. At contra ſiue in animo, ſiue in corpore alicuius rei inchoatio, affectio eſt, quæ ſubito aliqua ratione naſcitur, mox receſſura, ut ſi quid nobis boni nuncietur, & læti eſſe incipiamus, ſi quid uideamus, & idipſum concupiſcamus, uel aliquid timere incipiamus, ſi moleſte ferre: iſtæ omnes animi ſunt affectiones. Deinde corporis, ſi ſubito in morbum incidamus, ſi aliquid in nobis debilitetur, ſed ad tempus, poſt autẽ ſanetur. Hæ itaque erunt affectiones corporis, & reliquæ eis ſimiles. Studiũ autem eſt animi aſſidua & uehemens.] Studium eſt, inquit, ad aliquam rem aſſidua & uehemens animi cum magna uoluntate occupatio. alioqui aſſidua & uehemens eſſe non poteſt, ſi in ipſo opere habueris uoluntatem. Et dat res non quæ ſtudium ſint, ſed quarum ſtudium ſit: ut philoſophiæ, inquit, non philoſophia: aut poetica, aut geometrica literarũ, nõ poetica & geometrica literæ. Itaque ſi quid uehementer & cum magna uoluntate uolumus, ſtudium eſt. Deinde ſi id quod uolumus, aliqua ex parte conſequimur, affectio eſt. Sin autem quod plenum & perfectum eſt tenemus, habitus eſt. Quod ſi hoc ipſum plenum uel ſemiplenum agendo exercere uoluerimus, erit uictus. Ita unum qualitate diuerſa in multa attributa conuertitur. Conſilium eſt, aliquid faciendi aut non faciendi uere excogitata ratio.] Duo ſemper ſunt unde dubitamus, & unde conſilium eſt. Aut enim ut faciamus aliquid, quærimus, aut ut nõ faciamus. Ita & leges quæ cõſilio ſcribuntur, duo ſemper hæc continent: aut fieri iubent, aut fieri prohibent. Sed quia cum de re aliqua dubitamus, incerta quædam ratio in ancipiti cogitatione uerſatur, poſtquam idipſum ſtatueris, erit, excogitata ratio: & ideo excogitata, quia fuerat iam ante cogitata, ita excogitata ratio conſilium eſt. Facta autem, & caſus, & orationes tribus ex temporibus conſiderabuntur.] Ex his quoque non minima colligimus argumenta, ut de factis perſonæ argumenta capiamus, de dictis, de his quæ ei acciderunt: ut damnum, ut morbus, ut orbitas, & reliqua ſimilia. Verum hæc per tria, inquit, tempora debemus inſpicere. tunc enim de futuro argumentum poſſumus facere, ſi ita et ante fuiſſe doceamus, utputa quia hoc fecit, hoc facit etiam, & hoc facturus eſt: quia hoc paſſus eſt, hoc patitur, etiam paſſurus eſt: quia hoc dixit, hoc dicit, hoc etiam dicturus eſt. hucuſque autem attributa perſonæ. Ac perſonis quidem hæc uidentur attributa eſſe.] Septem ſunt quidem, ut diximus, elementa, unde omnis argumentatio capitur ad quancunque rem: quis, quid, cur, quando, ubi, quemadmodum, quibus adminiculis. Horum duo prima, omnia continent. Nihil autem aliud quæritur, niſi quis fecerit, & quid factum ſit. atque hæc ipſa Cicero proprijs & apertioribus, & ad rem uicinioribus nominibus appellauit. Quis enim perſonam dixit? quis negotium uocauit? Ac perſonæ quidem quam in pronomine poſuimus, quæ eſſent attributa, iam dictum eſt: Nunc antequam dicamus quæ negotio attributa ſint, quid ſit ipſum negotium uideamus. Negotium eſt factum, de quo quæſtio eſt. uerum hoc factum nunc in facto eſt, nunc in dicto, nunc in cogitatu. Omne hoc itaque factum, de quo quæſtio eſt, negotium appellatur. Ac factorum quidem genera tria ſunt. Eſt factum illud, de quo quæſtio eſt. eſt factum, quod in negotio eſt, quo illud factum de quo quæſtio eſt probatur. atque hoc factum tribus temporibus cõſideratur: ante, in, poſt. Eſt & tertium genus facti, quod extra negotium eſt, ex quo ad id factum de quo quæſtio eſt traditur argumentum: ut Cluentij factum eſt iudiciale, de ueneno, quod occiderit Oppianicum. Deinde extra hoc negotium, facta eius alia ad argumentum quod proponitur trahuntur, quod multos ante ueneno necarit. Hoc tertium factum in attributis perſonæ accepimus, facta, caſus, & orationes. Tria itaque genera factorum ſunt: factum de quo quæſtio eſt: factum quo id factum unde quæſtio eſt probatur: factum extra negotium, ſed ad negotium pertinens. Itaque

factum illud de quo quæſtio eſt, negotium appellatur. Huic negotio quatuor principaliter attributa ſubiecit. Vnum quod in ipſo negotio eſt, quæ continentia cum ipſo negotio appellauit, id eſt, quibus illud factum de quo quæſtio eſt probatur, & quæ ab ipſo negotio uidentur nullo modo poſſe ſeparari. Secundum attributum eſt, in quo illa quæ in geſtione negotij ſint, neceſſe eſt uidere. aliud eſt enim ipſum negotium, aliud illa quæ in geſtione negotij continentur: utputa Occidit, negotium eſt. In ipſius autem negotij geſtione illa ſunt: illo tempore occidit, in illo loco occidit, fuit occaſio ut occideret, & reliqua, quæ in geſtione negotij continentur. Tertiū attributū eſt, quod adiunctū negotio nominatur. Hoc quoque neque negotiū, neque in geſtione negotij, ſed extra negotiū eſt. hoc ab oratore ſumitur, cuius aſſumptione res illa, de qua quæſtio eſt, aut ſimilis, ut diſſimilis demonſtrabitur. Itaque omnia exempla tributa negotio ſunt. ſed quoniam extrinſecus ueniunt, adiuncta negotio nominantur. Quartum attributum eſt negotio, quod geſtum negotiū conſequitur. hoc quoque extrinſecus eſt, non enim in negotio, uel in geſtione negotij continetur: ſed an poſt negotium contigerit, conſideratur. utputa factum Milonis hæ res conſecutæ ſunt, ut de eodem facto legem nouā ſenatus tulit, cædem quæ in Appia uia facta eſſet, contra Rempub. factam eſſe iudicauit. Hæc omnia non in negotio, neque in geſtione negotij ſunt, ſed geſtum negotium conſequuntur. Et quoniam ſcimus quot attributa negotio ſunt, nunc in ſingulis quæ nobis ſint ad argumentum ducenda uideamus, ac primo illa conſideremus, quæ continentia cum ipſo negotio appellantur, ſine quibus negotium et quæ ſine negotio eſſe nō poſſunt. Hæc itaq; quinq; ſunt ſumma ipſius negotij, ſumma cauſa, & facti tria tempora, ante, in, poſt, quod factum inter genera factorū ſecundū eſſe memorauimus. Summa negotij talis eſt, ut parentis occiſio. patrem enim occidit, negotium eſt. negotij ſumma eſt ut parentis occiſio. In hoc de ipſis nominibus, de pronunciatione fiet argumentum, ſi cum quadam admiratione dicamus, Occidiſſe patrem Sextus Roſcius dicitur. Deinde cauſa illa eſt, Vtputa occidit, quia inimicus fuit. aut contra, quia inimicus non fuit, non occidit. Iam poſt cauſam, facta conſiderare debemus, quibus illud factum de quo quæſtio eſt aſſeramus. Hæc facta per tria tempora, ut ſæpe iam dictum eſt, diuiduntur: ut conſideremus quid ante factum ſit, quid in re ipſa factum ſit. quid poſtea factum ſit. ut Milo quid ante fecit: In ſenatu fuit, domum uenit, calceos & ueſtimenta mutauit, profectus eſt. Deinde quid fecit in re ipſa: ad Albanum peruenit, impetus in illum factus eſt, cum ille reiecit penulam, de rheda deſiluit, ſe defendit, Clodius occiſus eſt. Poſtea quid fecit: profectus eſt Lanuuium, Flamines creauit, propter inuidiam Romam cito noluit reuerti. Ergo his factis factum probatur, aut defenditur illud quod in quæſtione eſt: id eſt, Milo Clodium occidit. Neceſſe eſt itaque, hæc quinque in eodem negotio de quo quæſtio eſt contineri. Fruſtra enim aliquod factum obijcimus, donec factū eſt, niſi eius ſummam dicamus, niſi cauſam eiuſdem facti doceamus, niſi quid ante, quid in re, quid poſtea factum ſit, demonſtremus. Recte ergo continentia cum ipſo negotio nominata ſunt. Deinde cauſa eius ſumma per quam, & quamobrem, & cuius rei cauſa factum ſit, quæritur.] Multæ quidem cauſæ ſunt. nam ut omnia iſta naſcantur quæ in mundo ſunt, neceſſe eſt cauſa præcedat: & hoc ipſum negotium, de quo quæſtio eſt, cauſa dicitur. Verum hæc cauſa hominis circa factum duplex eſt. aut enim propter rem aliquam iam ante animo prouiſam quodcunque facimus, & erit cauſa quæ ratiocinatio dicitur. aut ſubito neceſſitate aliqua præſentis temporis in factū aliquod præcipitamur, & erit cauſa quæ impulſio dicitur. & quæcunque cauſa ex confeſſione ueniam meretur, impulſio eſt. Harum nunc utranque cauſam Cicero hic tetigit: Per quam quamobrem, inquit, et cuius cauſa factum ſit, quæritur. Quamobrem ratiocinatio eſt, cuius cauſa impulſio eſt. In geſtione negotij hæc quinque requirenda ſunt: Locus, Tempus, Occaſio, Modus, Facultas. In geſtione autem negotij, qui locus ſecundus erat.] De ſeptem elementis perſona iam dicta eſt. Remanſerunt ſex, quæ negotio attributa ſunt: Quid, cur, quando, ubi, quemadmodum, quibus adminiculis. Ex his rurſus duo, quid, & cur: id eſt factum illud triplex, et facti cauſam continentia, cū ipſo negotio eſſe monſtrauimus. Reliqua quatuor in geſtione negotij ſunt, ubi, quando, quemadmodum, quibus adminiculis. Addidit Cicero quintam occaſionem, de qua poſt dicemus. quinque itaque res ſecūdo attributo ſubdidit: locum, tempus, occaſionem, modum, facultatem. Et recte hæc in geſtione negotij eſſe dixit. illa enim ſuperiora quinque, ſumma negotij, ſummæ cauſa, quid ante factū ſit, quid in re factum ſit. quid poſtea factum ſit, negotium, id eſt factū illud de quo quæſtio eſt probant. Quod ſi negotium probant, in geſtione negotij non ſunt. Verum in geſtione negotij neceſſe eſt, ut hæc rurſus quinque ſint: locus, tempus, occaſio, modus, facultas. etenim cum dicimus, Milo in ſenatu fuit, domum uenit. poſtea profectus eſt: geſtio negotij eſt quidem, ſed in ipſa negotij geſtione tempus oſtendimus, id eſt, Milonem hora undecima profectum. Deinde cum dicimus, Venit ad Albanum, impetus in illum factus eſt geſtio quidem negotij eſt, ſed in ipſa negotij geſtione & occaſionem oſtendimus, quod neceſſe habuit illac iter facere: & locum oſtendimus, quod de loco ſuperiore impetus in illum factus ſit: & facultates, quod Clodius habuit armatos. Ergo geſtio negotij ſine his quinque eſſe non poteſt, loco, tempore, occaſione, modo, facultatibus. Quod ſi ſine his quinque, negotij geſtio eſſe non poteſt, recte hæc in geſtione negotij conſiderare debemus. Locus conſideratur, in quo res geſta ſit, ex opportunitate, quam uidebatur habuiſſe ad negotium adminiſtrandum.] Vt ſciamus quem locum conſiderandum præcipiat, qui ſint alij loci uideamus. ac primo ſecundum Lucretij cæterorumq; ſententiam, Inane totum locus eſt, quod inane patet rebus, occupaturq; ab elementis, igni, aere, aqua, terra. Ergo hæc elementa in loco ſunt id eſt, in inani. Sed rurſus ipſa elementa loci ſunt, ut ignis ſideribus locus eſt, aer auibus, aqua natantibus, terra gradientibus, uel his omnibus quæ in eadem naſcuntur. Itaque & terra omnis locus eſt: & rurſus in terra locus eſt. qui locus nobis non ex eo quod locus eſt conſiderandus eſt, ſed ex eo quod qualis ſit, aut ex opportunitate eius, aliquid in eo aut fieri potuiſſe, aut non fieri potuiſſe doceamus. Hoc itaque ſit præceptum in loco, qualitatem eius atque opportunitatem nos inſpicere atque æſtimare debere. Neceſſe eſt enim nobis, ubicunque eſſe: ſed illud ubi ſumus, quale ſit, conſiderandum eſt. Atque hæc opportunitas loci per multa conſideranda eſt. nam & magnitudo loci inſpicienda eſt, utrum ibi tot milia hominum ceperit: deinde interuallum inſpiciendum eſt, ut in Quintiana, ſeptingenta milia biduo eſſe decurſa. Et quoniam interualli duo genera ſunt, Longinquitate, inquit, & propinquitate. Deinde conſiderandum, ſemotus locus an celebris ſit. Deinde natura ipſius loci uidenda, tumuloſus, decliuis, planus, ſaxoſus, paluſtris, ſyluestris. quæ ſit præterea uicinitas eius loci, in qua natura ſit, ut ideo ibi aliquid fieri potuerit, uel non potuerit, quod uicinia talis ſit, uel omnis regio. Etiā hoc, inquit, in loco conſiderare debemus, ſacer an prophanus ſit, publicus an priuatus, alienus an ipſius de quo agitur. Quod ſi ipſius nō erit, etiam hoc uidendum, an aliquando ipſius fuerit. Ex his igitur tot opportunitatibus loci, multa ad negotium colligere poſſumus argumenta. Tempus autem eſt id, quo nunc utimur.] Quod tempus ſemper fuerit neceſſe eſt, ſiue ante mundum, ſiue cum mundo. multi enim natum mundum, multi natum nō eſſe contendunt. Ergo hoc tempus generale, quia nec initium nec finem habet, æternitas eſt, quam Græci αἰῶνα appellant. Verum quoniam hoc tempus definire difficile eſt, illud definit quo

nunc

nunc utimur. Tempus eſt, inquit, pars quædam æternitatis, aut annuum, aut diurnum, aut nocturnum ſpatium ſignificans. Ex curſu enim ſiderum, certis temporibus certum nomen impoſitum eſt. Septem ſtellæ, ſeptem circulis contra cœlum uoluuntur: quæ cum ſingulæ ad id ſignum unde profectæ ſunt fuerint reuerſæ, certum tempus includunt. Quod ſi omnes ſeptem ſimul ad ea ſigna, unde profectæ ſunt, reuertantur, tunc fit illud tempus, quod annus magnus dicitur. et neceſſe eſt omnia rurſus per ordinem ſuum, quæ ante nata ſunt, renaſci. Ergo ſi ad exordium ſuum ſimul omnes ſtellæ reuerterentur, annus magnus dicitur. Singularum autem curſus habet tempus ſuum, ſed omne tempus certis uocabulis non tenetur. nam Saturni curſus habet tempus, ſed tempus ipſum non habet nomen. Item Iouis, Martis, Veneris, atque Mercurij. Solis uero curſus cum ſe expleuerit, annus eſt. Lunæ cum ſe expleuerit, menſis eſt. Iam uero & ſole ſupra terras poſito, diem uocabimus: & ſole ſub terris poſito, noctem. Horarum autem 12. hæc eſſe origo memoratur. Quodam tempore Trimegiſtus cum eſſet in Aegypto, ſacrũ quoddam animal Serapidi dicatum, tum toto die duodecies urinam feciſſet, pari ſemper interpoſito tempore, per duodecim horas diẽ dimenſum eſſe coniecit: & exinde hic horarum numerus cuſtoditur. Deinde alij dicunt, ex quadratura cœli, quæ ſecundum muſicam rationem in duodecim partes dicitur eſſe diuiſa, horas duodecim eſſe nominatas. Aquam enim per totum diem exceperunt tenuiſſima cauerna defluentem, & hanc maiores noſtri in duodecim partes diuiſerunt: ex his partibus, horis numerum impoſuerunt. Sed iam tempus eſt, ut ad rationem temporis reuertamur. Quod tempus, id eſt hoc quo nunc utimur, ſpatium accipiamus, quod aut in multis annis ſit, aut in anno, aut in menſibus, aut in mẽſe, aut in diebus uel die, aut in noctibus uel nocte, aut in horis uel hora, uel momento. Verum hoc tempus noſtrũ philoſophi in duo tempora diuiſerunt, in præteritum & futurum. Præſens autem eſſe negauerunt, quod in eo quod præſens dicimus, ſi quid iam aliqua ex parte confectum eſt, præteritum ſit: ſi quid mox perfici habeat, futurum ſit. Ita Virgilius, Tot iam uoluentibus annis. quod enim uoluitur, non ſtat: quod non ſtat, præſens non habetur. Oratores autem tempus noſtrũ in tria tempora diuidunt, præteritum, præſens, futurum. At præteritũ tempus in tria tempora diuidunt, in illud tempus uetus atque obſoletum & perantiquum: deinde in illud quod licet uetus ſit, & à noſtra memoria remotum, tamen in literis continetur: poſtremo in illud quod nuper geſtum eſt, et cuius de his qui uiuunt plerique meminerunt. Præſens uero tempus in duo diuidunt, in præſens & magis præſens. Magis præſens tempus eſt, ut, Nunc nunc inſurgite remis. Hoc eſt quod ait, Et item quæ inſtent in præſentia, & cum maxime fiant. Inſtans enim tempus præſens eſt, ut ait Iuno ad Iuturnam, cũ iam fata Turnũ tenerent, Atque inſtantibus eripe fatis. Denique ut ſciamus, illã præſentiã fata dixiſſe, addididit poſtea tempus quod magis præſens eſſet, Si quid præſentius audes. Præſens ergo tempus duo tempora habere dixerunt, præſens, & magis præſens. Futurum autem tempus in duo diuiſerunt, in ocyus & ſerius: id eſt, in id quod mox futurum eſt, & in id quod tardius futurum eſt. Atque hæc tria tempora cũ partibus ſuis hic in hoc attributo quod de tempore eſt continentur. Et item communiter in tempore perſpiciendo longinquitas eius eſt conſideranda.] Tempus eſſe diximus ſpatium, quod in annis, menſibus, diebus, noctibus, horiſq; uerſetur. In hoc, inquit, communiter tempore longinquitatem eius debemus inſpicere. in qua longinquitate duo oportet attendere: utrum in illo ſpatio huius negotij magnitudo potuerit impleri, & utrum tot ſimul res potuerint effici. Quod enim in rebus difficile eſt aut numero aut magnitudine ſit neceſſe eſt. Occaſio autem eſt pars temporis, habens in ſe alicuius rei idoneam faciendi, aut non faciendi opportunitatem.] In illa menſura temporis ex motu cœli facta, ex actibus noſtris uel ipſius mundi qualitas proueniens, occaſionem parit faciendi aliquid, uel non faciendi. In tempore enim menſura ac ſpatium conſideratur: in occaſione qualitas temporis, ex qua opportunitas naſcitur faciendi aliquid, uel nõ faciendi. Hoc itaque inter ſe diſtant tempus & occaſio, genere autem ſimilia ſunt. Verum hæc occaſio, ut diximus, ex actibus noſtris uel ipſius mundi qualitas proueniens parit nobis ad aliquid opportunitatem. Verum hæc occaſio uel opportunitas in tria genera diſtribuitur: publicum, commune, ſingulare.] Occaſio aut eſt publica, aut communis, aut priuata. Publicum eſt, inquit, quod ad totam pertinet ciuitatem, ſi aut bellum ſit, aut ludi, aut aliquis dies feſtus. In hac itaque publica occaſione eſt opportunitas aliquid faciendi, uel non faciendi. Commune eſt, inquit, quod ex actibus mundi prouenit: ut ſi meſſis ſit calor, ſi uindemia frigus. Singulare autem eſt, inquit, quod unicuique poteſt prouenire priuatim: ſi nuptiæ ſint, ſacrificium, funus conuiuium, ſomnus. Et recte in priuata occaſione ſomnum etiam poſuit. non enim ex neceſſitate temporis, ſed ex corporis atque animi ratione dormitur. Interdum enim laſſi aut mœſti per diem dormimus: interdum ſolliciti atque occupati nocte uigilamus. Triplex itaque occaſio, publica, communis, priuata. Ex his occaſionibus multa poſſumus argumenta colligere. Modus autem eſt, in quo quẽadmodum, & quo animo factum ſit quæritur.] Modum Cicero diligenter inſpexit, atque ita definiuit, ut nemo unquã. Nanque modum in duobus inſpiciendum docet, in modo facti, & in animo facientis. ut ſi dicas, clam eſt quidem modus facti, quod quaſi res facti occulte geratur. Verum in eo eſt & animus facientis, inſidioſus, latens atque inſtructus dolis. Ita in eo quod clam dicimus, & modus & animus inuenitur. Similiter omnes modi ex modo facti, & ex animo inſpiciendi ſunt. Verum in ipſo animo duo rurſus debemus inſpicere, prudentiam & imprudentiam: id eſt utrum aliquid conſilio, an animi impulſu fecerit. In his enim cauſa facti quæritur, quam duplicem eſſe ſupra diximus, circa facientis uoluntatem, ratiocinationem ſcilicet & impulſionem. Ita ratiocinatio erit, prudentia animi: impulſio uero, imprudentia. Verum hi erunt ex prudentia modi, clam, palàm, ui, perſuaſione. Hæc omnia prudenter admiſſa ſunt, id eſt, ut res fieret, conſilium ante praceſſit. Imprudentia porrò ad purgationem iungitur, quæ pars ueniæ eſt. cuius purgationis partes tres ſunt inſpiciendæ, inſcientia, caſus, neceſſitas. In his quoque modis factum quidem manifeſtum eſt, ſed animus inuenitur inuitus. Adiungitur ad imprudentiæ modos etiam affectio, quam paulo ante perſonæ diximus attributã, quam affectionem eſſe diximus animi aut corporis repentina de cauſa permutationem. Verum hic quoniam in modo animus attendendus eſt, animi ſolas circa affectionem, poſuit commutationes, id eſt, moleſtiam, iracundiam, amorem. Itaque his affectionibus animi imprudentes in factum impelluntur. & recte Imprudentes: quippe affectio eſt, repentina animi commutatio. ergo quod repentinum eſt, proſpici non poteſt: ſi proſpici non poteſt, imprudentia eſt. Facultates ſunt, aut quibus facilius fit, aut ſine quibus aliquid confici non poteſt.] Facultates Cicero duplici qualitate definiuit, duaſq; illis potentias dedit. ut ſit primum genus facultatum illud, ſine quo aliquid fieri non poteſt: aliud, quo aliquid facilius compleatur. etenim hæc duo prima proponamus, fit, non fit. Iam ex eo quod fit, rurſus duo deſcendunt: Facile fit, difficile fit. Iam in duobus ponitur facultas: in genere, id eſt, in eo quod fit: & in ſpecie, id eſt, in eo quod facile fit. Illud autem quod difficile fit, ita poteſt argumentis torqueri, ut illud uideatur eſſe quod non fit, & idcirco in hoc non ſunt poſitæ facultates. Dupliciter igitur facultates eſſe teneamus. primo illas ſine quibus aliquid fieri non poteſt, deinde illas quibus aliquid completur: ut ſi quis uelit rhetoricã

diſcere, prima erit ei ad diſcendam facultas, ſine qua effici non poteſt, id eſt, animus, ingenium, inſtrumenta artis ipſius, & magiſter. Deinde erunt illæ facultates, quibus facilius fit, ſi ſit doctus & beneuolus magiſter. ita & ad mortem facultas, ſine qua fieri non poteſt, uenenum: qua facilius fit, uenenum cum poculo. Si autem in pane detur uenenum, pars illa eſt quæ difficile fit: quæ ita poteſt argumentis torqueri, ut pars illa uideatur eſſe, quæ non ſit. quod quidem Cicero pro Cluentio diſputauit, cum negauit in pane dari uenena potuiſſe. Hoc autem ſcire & tenere debemus, etiam tempus, & locum, & cætera præter modum facultates eſſe poſſe, ſi generaliter conſiderentur, non ex ſpecie, uel ex opportunitatibus ſuis. Neceſſe eſt enim, & quodcunque tempus, & quemcunque locum fuiſſe, cum aliquid factum eſt. Alioqui facultas prima non erit faciendi, niſi iſta ſint. Ita Cicero in Roſciana, Non potuit, inquit, occidere patrem Roſcius, cum abſens fuit. hic argumentum à loco fecit. deinde ait: Age nunc uideamus reliquas facultates. Ergo iam & locus facultas eſt: ſed facultas, ſi generaliter conſideretur. at ſi opportunitas eius fuerit inſpecta, tunc ex loco argumenta ſumentur. Adiunctum negotio autem id intelligitur, quod maius, & quod minus, & quod ſimile erit.] *Attributa negotio duo iam tranſacta ſunt, continentia cum ipſo negotio: & illa quæ in geſtione negotij continentur. Ac prima quidem cum attributis ſuis perſona trãſacta eſt, id eſt, quis, deinde quid, & cur continentia cum negotio demonſtrauimus. deinde quando, ubi, quemadmodum, quibus adminiculis, in geſtione negotij poſita docuimus: Ita ſeptem prima illa elementa in duobus negotio attributis uidemus incluſa, nec iam amplius uidetur relictum, quod in alijs duobus negotio attributis ad argumentum conſiderare debeamus, id eſt in his quæ adiuncta negotio nominantur, & in his quæ geſtum negotium conſequuntur. Verum & in his eadem ſeptem, quæ in ſuperioribus, conſiderare debemus: nec aliquod negotium ſine his ſeptem elementis unquam poteris inuenire, ut quiuis homo ſine liniamentis ſuis. Itaque cum in noſtro negotio ex omni circunſtantia argumenta ceperimus, & fides in aliquo claudicarit, ex alienis argumenta ſumenda ſunt, quæ cum aſſumuntur, aut fidem faciunt, aut augent. Verum hæc cum aliena ſint, id eſt, extra noſtram cauſam, uidendum eſt, qua noſtro negotio parte copulentur: quæ copulatio reſpectus dicitur. quem reſpectum Græci συνάρτησιν ἀπὸ πρός τι dicunt. etenim dicunt ἀπὸ πρός τι, cum etiam iſta aliena à negotio ſeptem illa elementa contineant, quæ in noſtro negotio continentur, non poſſunt ſibi omnia conuenire: Sed quædam in hoc, quedã conſiderare debemus in alieno negotio. quæ per συνάρτησιν noſtrũ negotiũ reſpiciant, ut præuiſo et præcognito copulationis genere, ad argumentũ noſtri negotij facta collatione copulentur. Verum huius reſpectus nomen modi ſunt, ſcilicet ut ſit adiunctum negotio noſtro, et quod maius eſt, et quod minus, quod ſimile, quod æque magnum, quod deſperatum, quod contrarium, & genus, & pars, & euentus. Hæc itaque nouem omnia toni & puncti ſunt τοῦ πρός τι, id eſt, ad aliquid. itaque quaſi ſemper in binis ſunt, & recte. niſi enim ad aliquid nullus poteſt eſſe reſpectus. Itaque cum dicimus maius, tunc intelligimus maius, ſi minus conſideremus. Rurſus tunc intelligimus minus, ſi maius cõſideremus. Ita & reliqua ex aliorũ collatione cognoſcimus. Verum nunc uideamus, quemadmodum hos reſpectus negotiorum conſiderare debemus.* Maius, & minus, & æque magnum, ex ui, & ex numero, & ex figura negotij ſicut ex ſtatura corporis conſideratur.] *Hæc tria, id eſt, maius & minus & æque magnum, tribus modis conſiderare debemus: ui, numero, figura. Vis eſt, quæ ſingulis nominibus uerbiſq; cõſtat, & perſona: omnis enim res, et omne dictũ factum'ue habet uim ſuam. etenim ſi dicas parricidium, ſtatim quantum hoc ſit, & in qua ui ſit, animo exiſtimamus. Ita homicidium, adulterium, & reliqua, facile quid ſint, cum fuerint audita, cognoſcimus. Similiter & perſonæ habent uim ſuam. etenim cum dixeris Ciceronem, ſtatim ex boni uiri conſideratione, quæ in illo uis ſit, agnoſcimus. Deinde cum dixeris Catilinam, ex conſideratione peſſimi hominis, ſtatim quæ in illo uis ſit, agnoſcimus. Numerus eſt, cum minus ac maius non ex ui, ſed ex rerum uel ex perſonarum numero demonſtramus. Figura eſt, quæ in toto negotio conſideratur, id eſt, per omnia illa ſeptem elementa, ut conſideres quid factum ſit, quis fecerit, ubi fecerit, quando fecerit, quemadmodum fecerit, & reliqua. quæ, inquit, figura totius negotij ita eſt, ut corporis ſtatura, in qua ſtatura omnia lineamenta corporis continentur. Itaque ut melius intelligamus, notum proponamus exemplum, illud ſcilicet quod Cicero negotio ſuo adiunxit. Nam cum Catilinam diceret occidendum, ex adiuncto, quid maius uel minus eſſet, argumenta collegit. Quod utique maius & minus & æque magnum ex ui, numero, figura, iamdudum diximus approbandum. ita & Cicero, An uero P. Scipio Pontifex Max. Tiberium Gracchum mediocriter labefactantem ſtatum Reipub. priuatus interfecit: Catilinã orbem terræ cæde atque incendijs uaſtare cupientem, nos conſules perferemus? Hic ex ui rerum intelligimus, minus eſſe ſtatum Reipub. quam orbem terrarum. deinde ſimiliter ex ui intelligimus, minus eſſe labefactare, quàm uaſtare. Ita ex ui perſonarum, cum Gracchus & Catilina nominantur, Catilina magis timendus agnoſcitur. Præterea ex numero intelligimus, maius eſſe duos conſules quàm Scipionem. Hic figuram non poſuit totius negotij, id eſt, quemadmodum occiderit Gracchum Scipio, ubi occiderit, quando occiderit, unde occiderit. Verum hæc, quia nihil proderant, prætermiſit, atque uno uerbo concluſit, quod ait, Interfecit. cuius uerbi conſiderata ui, maius eſſe intelligimus interficere, quàm ex urbe eijcere. Verum in alijs exemplis & ex figura debet comparatio fieri, ut maius aliquid minus'ue demonſtres, ſi dicas illud tunc factum eſt, ibi factum eſt, ita factum eſt, propterea factum eſt, & reliqua, quæ in elementis principalibus continentur.* Simile autem ex ſpecie comparabili.] *Cum facimus argumentum ex adiuncto negotio per ſimilitudinem, in ea ſimilitudine qualitas conſiderãda eſt. Superiora enim maius & minus æque magnũ ex quantitate cognoſcimus: nec putemus hoc eſſe par, quod ſimile. etenim par ex menſura definita, et ex comparata utriuſque quantitate cognoſcimus. Simile autem non in eo quantum ſit, ſed in eo quale ſit attendimus. ita non ex menſura fit ſimile, ſed ex uultu, & ſuperna quadam facie declaratur. Simile, Icon, Parabole, Paradigma. Simile itaque duobus modis conſiderare debemus, in ſpecie formarum & natura rerum. Et ſcriptores quidem artium ſimile genus ponunt, ſubſimilia tria. εἰκόνα id eſt, imaginem. παραβολήν, id eſt, collationem. παράδειγμα id eſt, exemplum. Per imaginem ſimile fit, cum ex ſimili ſpecie uultus uultibus comparamus. ut, Os humeroſq; deo ſimilis. Per collationem ſimile facimus, cum rerum diuerſarum conferimus & copulamus non ſpeciem, ſed naturam. ut, Qualis mugitus, fugit cum ſaucius aram Taurus.*

Aut pœnorum qualis in aruis
Saucius ille graui uenantum uulnere pectus,
Tunc demum mouet arma leo.

Hic enim Virg. ut probaret Turnũ rebus omnibus fractis non deiectum, ſed iratum magis, quia uix hoc crederetur, negotio ſuo fidem fecit ex adiuncto negotio per ſimilitudinem, quæ ſit in parte naturæ. Sic, inquit, & leo magis iraſcitur, poſtquàm fuerit uulneratus. Per exemplũ autem tunc ſimile facimus, ſi in exemplo ipſo qualitas oſtendatur. Sæpe enim exemplum in quantitate uerſatur, id eſt, in ui, uel numero, uel figura. Inuenitur tamen & qualitas ſine exemplo. ut Cicero, cum circa bellum cauſarum ſimilium comparat naturas, ait, Vt Helena, inquit, Troianis, ſic tu Antonius huius

ni huius belli ſemen fuiſti. Contrarium eſt, quod poſitum in genere diuerſo, ab eodem, cui contrarium eſſe dicitur, plurimum diſtat, ut frigus calori, uita mors.] Ariſtoteles oppoſita genus poſuit, contrarium, diſperatum, ad aliquid, ſub oppoſitis. Contrarium porro Ariſtoteles ſic definiuit, ſub eodem genere ſpecies multum inter ſe diuerſæ hac ratione, ut omnia ad unum illud genus referantur, quod ſupra omnes res principales Græci ponunt, id eſt, τὸ ὄν, quod Latini ens uocant, id eſt, quod eſſe poſſit. Verum contraria tribus modis inueniri poſſunt: cum aut ſub eodem genere ſpecies multum inter ſe diſtant, aut cum ſub ſingulis generibus diuerſis ſpecies etiam diuerſæ ſunt, aut cum duo genera inter ſe diuerſa ſunt. Itaque hic Cicero in diuerſis generibus poſita, contraria demonſtrauit, frigus & calorem. His autem genus qualitas, ſed diuerſa. deinde ſimiliter ſub diuerſis generibus ſpecies longe inter ſe diuerſas poſuit, id eſt, uitam & mortem. Vitæ autem genus bonum, mortis malum. itaque contraria ſunt, quæ ſe è regione ſpectãt, & quæ ex diuerſo poſita plena ſunt. Diſperatum autem eſt id quod ab aliqua re, &c.] Sub diſperato autem Ariſtoteles duas ſpecies poſuit: Priuantia, & negantia. Priuantia ſunt, ut cæcitas, infelicitas. uiſio & felicitas habitus ſunt: cæcitas & infelicitas id agunt, ut prima id, quod habuerunt, non habeant. Nunquã enim cæcitas fiat neceſſe eſt, niſi uiſio ante tollatur. nec eſt infelicitas, niſi prius felicitas excludatur. Idcirco ergo hæc priuantia nominata ſunt, quòd primorũ priuationem ſecũda demonſtrent. Negãtia porrò ſunt, quæ negatione ſeparãtur: ut ſapit, non ſapit, ſedet, nõ ſedet. Negatio hic illud agit, ut primum neget, non tamen conſtituat ſecundum. Nam cum ait, non ſedet ſolum, ſedere negat, non tamen conſtituit utrum ſtet, an ambulet: ſed ſufficit ei negare, quod ſedeat. Hic autem Cicero in diſperato ſola negantia poſuit, id eſt, ſapere, non ſapere, eſſe tamen inter diſperata & priuantia noſſe debemus. Genus eſt, quod partes aliquas amplectitur, ut cupiditas.] Notum eſt quid ſit genus, id eſt, ſub quo multæ ſunt partes. Partes autem ſunt ea quæ ſub genere ſunt. Verum cum de his facimus argumentum, ex adiunctis negotio facimus argumentũ. Quoties autem de genere quæſtio eſt, ex ſpecie faciendum eſt argumentum: quoties de ſpecie quæſtio eſt, ex genere faciendum eſt argumentũ. ut Cicero cum pro Roſcio ageret, id eſt, ſpeciem ſuſcepiſſet (Roſcius enim ad filium ſpecies eſt) argumentum fecit ex genere, cum dixit tam feros mores in filium cadere non potuiſſe. Filius enim genus, Roſcius ſpecies eſt. Ita & cum de genere quæſtio eſt, ex ſpecie colligendum eſt argumentum: ut ſi quæratur, an omnes matres ament filios ſuos, & tu ex ſpecie facias argumentũ: Adeo omnes matres non amant filios ſuos, ut Medea filios ſuos etiam occiderit. Ita & in reliquis. Euentus eſt exitus alicuius negotij, in quo quæri ſolet quid ex quaque re euenerit, eueniat, euenturumq; ſit.] Euentum illum accipiamus, qui unicuique rei naturaliter uidetur adiunctus. qui rem ſuam, poſtquam res ipſa contigerit, neceſſe eſt conſequatur, & tunc uere de euentu facere poſſumus argumentum, ſi ipſe euentus certus ſit. Alioqui ſi euentum illum accipiamus, qui ex caſu uenit, fieri inde non poteſt argumentum, quod adiunctum negotio eſſe poſſit. Facit itaque de euentu argumentum, ſi eum quem probaueris inſolentem futurum, ſpondeas arrogantem. Ita inſolentia euentum arrogantiam doces, quam rurſus arrogantiam ad odium cauſam eſſe demonſtras. Quare hoc in genere, ut commode, quid euenturum ſit, ante animo concipi poſſit, quid quaque ex re ſoleat euenire, conſiderandum eſt.]

Vt inquit ex euentu facile poſſimus argumenta colligere, primo ipſi nobiſcum pertractare & conſiderare debemus, quis uniuſcuiuſque rei eſſe ſoleat euentus. Et ut ſciamus naturalem euentum, nõ fortuitum nobis conſiderandum, denique ſoleat, inquit, euenire. Conſuetudo perpetua eſt. Quod perpetuum eſt, fortuitum eſſe non poteſt. Ergo conſiderandus nobis erit in rebus ſingulis certus & naturalis euentus. Quarta autem pars eſt ex iis quæ negotiis dicebamus eſſe attributa, in hac hæ res quæruntur, quæ geſtum negotium conſequuntur.] Negotio quatuor eſſe diximus attributa. dictum iam de tribus attributis eſt, oſtendimus quæ eſſent continentia cum ipſo negotio, in geſtione negotij, adiuncta negotio. Nunc de iis docendum eſt, quæ geſtum negotium conſequuntur. Quod quidem quartum attributum uidetur cum ea parte pugnare, quæ in primo attributo eſt poſt negotium. Scimus enim quinque eſſe in primo attributo, ſummam negotij, cauſam ipſius ſummæ, et factum triplex, ante negotium, in negotio, poſt negotium. Hoc extremum factum, quod eſt poſt negotium, uidetur ſimile eſſe huic attributo, de quo nunc agimus, quod dicitur conſecutio. nam utrunque poſt negotium eſt. Sed hoc diſtant, quòd ſupra poſt negotium facta illius conſideranda ſunt de quo agitur, & qui aliquid feciſſe memoratur: hic autem facta conſideranda ſunt, ſed extranea. Itaque conſideranda ſunt quæ geſtum negotium conſequũtur. Hæc in duobus ſemper debemus attendere: in perſonis, & in natura geſti negotij. In perſonis ſic, ſi animaduertamus, quid de geſto negotio homines fecerint, aut ſenſerint, aut iudicauerint, ut de facto Milonis, ut de lege Clodij. In natura ipſius negotij ſic, ſi res illa facta ſit, cui neceſſe ſit euentum aliquem eſſe coniunctum, ut parricidium furor neceſſe eſt conſequatur. & rurſus, parricidam ueriſimile non ſit dormiſſe. Hæc enim geſtum negotium conſequuntur, quæ non in perſonis animaduerſa ſunt, ſed in natura geſti negotij. In his itaque duobus & Cicero animaduertenda dixit ea, quæ geſtum negotium conſequuntur. Ac primo de perſonis. Primo, inquit, quod factum eſt, quo id nomine appellari conueniat.] Vtique hoc conſequitur. Res enim prima eſt, dein rei nomen. Homo autem neceſſe eſt rei nomen ponat. Ita Cicero de nomine conſtituendo diſputat in Diuinatione: Non tam, inquit, hæc accuſatio quàm defenſio eſt exiſtimanda. Deinde, inquit, eius facti qui ſint principes et inuentores, qui denique auctoritatis eius & inuentionis comprobatores atque æmuli.] Hæc quoque poſt rem ſint neceſſe eſt. neque enim poteſt inueniri, niſi quod latet. Eſt porrò quod latet. animaduertendũ itaque qui fuerint illi qui primi illud fecerint, unde nunc agitur, qui deinde factũ probauerint, ac ſecuti ſint. Si optimi ſunt, laudas factũ: ſi peſſimi, reprehendis. Vt Cicero in Diuinatione dicit, ſemper homines nobiles accuſaſſe & eos cum magno commodo Reipub. magnã ſemper gloriam conſecutos. Deinde inquit, & quæ de ea re, aut eius rei ſit lex.] Lex etiam conſequitur. lex enim ſemper in re, quia res talis uiſa eſt, conſtituitur. Verum quod ait De ea re, totum eſt. Quod ait eius rei, pars eſt. Interdũ enim totum factum aliqua lege aut damnatur, aut abſoluitur, interdum pars facti. Deinde quod ait, conſuetudo, actio, iudicium, ſcientia, artificium: & hæc omnia geſtum negotiũ conſequentur. Nam & conſuetudo rei iam ante geſta eſt, & rurſus rem geſtam ſolet aliqua actio conſequi, uel iudicium, ut præiudicium natum eſſe uideatur. Deinde neceſſe eſt ante aliquid fieri, ut ex eo ſcientia conſequatur uel artificium. Verum hæc omnia & in perſonarum actibus prouidenda ſunt, & in negotij ipſius natura. Idcirco ait. Deinde quid ex natura eius euenire uulgo ſoleat, an inſolenter.] Ait, negotij ipſius animaduertendam eſſe naturam, id eſt, qui ſoleant euentus factum iſtud conſequi. Sed hic euentus ab illo euentu, quem in adiunctis negotio demonſtrauimus, hoc diſtat, quòd ille euentus naturaliter certis rebus affixus eſt, & rem ſuam quadam ui ac neceſſitate conſequitur: hic autem euentus interdum neceſſarius & naturalis eſt, ut parricidium furor neceſſe eſt conſequatur. Interdũ uarius & commutabilis, ut amor noceat neceſſe eſt, & ut non noceat neceſſe eſt. Sæpe enim malum euentum amor habet, ſæ

pe bonum. Denique ut oſtenderet Cicero euentum iſtum ex natura negotij ita eſſe conſiderandum, ut ſcias & in contrarium poſſe cõuerti: Deinde, inquit, quid ex natura eius euenire uulgo ſoleat, an inſolenter, & raro. Vulgo, id eſt paſſim, frequenter. Ergo firmius argumentũ eſt, ſi de quo agimus euentus frequentius conſequatur, ſi dicas, amor magis nocet. Præterea hoc ſciamus, intereſſe inter iſtum euentũ, & illũ ſuperiorem: quod hic totius negotij euentus eſt, ille uero uniuſcuiuſque rei. Ait enim ſupra. Quare hoc in genere, ut commodius quid euenturum ſit, ante animo concipi poſſit, quid quaque ex re ſoleat euenire, conſiderandum eſt. Poſtea homines id ſua auctoritate comprobare, an offendi in his conſueuerint. Et is euentus, qui naturam negotij conſequitur, qualis apud homines habeatur, id eſt, bonus an malus, attendendum eſt. Ita & ſupra dixit, attendendum qui homines primum fecerint, qui deinde comprobauerint. non enim ex eo quia aliquid conſequitur, argumentum eſt: ſed quia aut bonum, aut malum eſt, quod conſequitur, id eſt, non quia eſt quod conſequitur, ſed quia tale eſt. Ita ſemper non ex re, ſed ex qualitate fit argumentum. Et cætera quæ factum aliquod ſimiliter confeſtim, aut ex interuallo ſolent conſequi.] Interdum enim uicinior, interdum tardior eſt euentus. utputa ſi quem uoluero occidere, uicinus eſt euentus, ut mox me oderit. deinde ſi trado alicui diſciplinam, tardior hic euentus. Primo enim fortaſſis offenditur, deinde amat ac diligit. Deinde poſtremo attendendum eſt.] Dat poſtremum breue & commune præceptum, utrum aliquid honeſtum ſit, an utile,. In his eſt conſiderandum, quæ geſtum negotium conſequuntur. Verũ quæ ſint partes honeſtatis atque utilitatis, in deliberatiuæ præceptis ſe demonſtraturum eſſe promittit. Omnis autem argumentatio, quæ ex his locis, quos commemorauimus, ſumetur, aut probabilis, aut neceſſaria eſſe debebit.] Ait ſupra, cum de cõfirmatione loqueretur, Huius, inquit, partis certa ſunt præcepta quæ in ſingula cauſarum genera diuidentur. Veruntamen nõ incommodum uidetur, quandam ſyluam atque materiam uniuerſam ante permixtam & confuſam exponere omnium argumentationum. Tria nobis in confirmatione traduntur, materia, argumentum, argumentatio. Materiam nobis iam tradidit, id eſt, locos de quibus argumenta caperemus: quos locos diuiſit in attributa perſonæ, & in attributa negotio. Attributa perſonæ undecim eſſe dixit, negotio quatuor. atque horum omnium partes enumerauit, ac tradidit. Nunc itaque dicturus eſt de argumento. Nec nos confundat, quod pro argumento argumentationem ponit. Antiqui genus ponebant argumentationem, ſub argumentatione uero argumentum & argumentationem. Itaque hoc uerbo communiter utebantur, ut pro argumento recte argumentatio diceretur. Verum antequam dicamus quæ genera ſint argumentorum, dicamus prius quid conſiderare & conferre debeamus, ut argumenta faciamus. Secundum Ariſtotelem decem categoriæ ſunt, id eſt, decem res in quibus omnia quæ in mundo ſunt continentur. Harum rerum una ſubſtantia eſt, reliquæ nouem qualitates, id eſt, quæ ſubſtantiæ accidant. Itaque cum res nuda eſt, nihil aliud quàm res eſt. Tunc autem ex ea poſſumus facere argumentum, ſi eius qualitatem inſpiciamus. Itaque omnia uerba & nomina habent res ſuas, habent & qualitates: quæ qualitates cum ſibi conueniũt faciunt argumentum. cum non conueniunt, non faciunt argumentum. utputa ponamus Occidit. occidit res eſt: huius rei quæ ſit qualitas attendamus, id eſt, quædam aſperitas, quædam immanitas. Deinde ponamus inimicum. Rurſus inimicus res eſt: eius rei porrò qualitas ſimiliter aſpera atque crudelis. Itaque quoniam utraque ſibi hæc qualitas conuenit, factum eſt argumentum. Ita duæ ſimiles qualitates cum fuerint copulatæ, faciunt aliam qualitatem, id eſt, occidit, quia inimicus fuit: quæ qualitas eſt, ut argumentum probabile eſſe uideatur. Ita ſi dicas: Occidit, quia gladio percuſſit: argumentum eſt, quia utriuſque rei qualitas eſt ſimilis. Alioqui cum in eo quod eſt occidit, iam nota ſit & res, & qualitas rei: deinde ponas uirgam, cuius res & qualitas nota eſt: quoniam ſimiles ſibi non ſunt, iſtæ qualitates coniunctæ in unum non faciunt argumentum, ſi dicas, Percuſſit uirga, & occidit. Semper itaque non res, ſed qualitates rerũ debemus attendere, atque conferre, ut argumẽta faciamus. Argumentorum porrò genera duo ſunt, probabile & neceſſariũ. Probabile eſt, quod ueriſimilitudine fidem facit: utputa quia inimicus fuit, occidit. uerum de probabili poſt dicemus. Nũc autem de argumento neceſſario diſputabimus. Neceſſario demonſtrantur ea quæ aliter ac dicuntur, nec fieri, nec probari poſſunt, hoc modo: Si peperit, cum uiro concubuit. Neceſſarium eſt, inquit, quod aliter ac dictum eſt, nec fieri, nec probari poteſt. neceſſarium argumentum ad fidem cogit, ac trahit. probabile autem, irrepit atque perſuadet. Neceſſarium porrò tale eſt argumentum, ſi ea proferas, quorum talis ſit natura, ut ſic fieri neceſſe ſit. Si dicas ſi natus eſt, morietur. Si peperit, cum uiro concubuit. Hæc neceſſe eſt, ut ſe conſequantur. quod ſi neceſſe habes credere, neceſſarium factum eſt argumentum. Illud tamen ſcire debemus, argumentum neceſſarium penè non eſſe, ſolumq́; eſſe inter homines probabile. Nempe nobis neceſſarium uidetur ex uero conſtare. nam ſi probabile ex ueriſimili, ex uero neceſſe eſt neceſſarium. Inter homines autem uerum latet, totumq́; ſuſpicionibus geritur, ergo neceſſarium non poteſt eſſe argumentũ. Sed quantum inter homines poteſt neceſſarium? quantum ſecundum opinionem humanam ualet. Alioqui ſecundum Chriſtianorum opinionem non eſt neceſſarium argumentum: ſi peperit, cum uiro concubuit. Neque hoc rurſus, ſi natus eſt, morietur. Nam apud eos manifeſtum eſt, ſine uiro natum, & non mortuum. Ergo neceſſarium illud argumentum eſt, quod iam opinione perſuaſum eſt. Atque ut ſcias hoc neceſſarium nõ eſſe, omnino neceſſarium oſtendit. Cicero etiam hoc hominibus perſuadet, cum ait, Neceſſaria demonſtrantur ea quæ aliter ac dicuntur, nec fieri nec probari poſſunt. Ergo ſi probantur, iam non erunt neceſſaria. Quidquid enim probatur, potuit & non credi. Itaque neceſſarium argumetum teneamus illud, quo facile populo perſuadet orator. Hoc neceſſarium tribus modis fieri docet, quos modos in genere dictionis ponit. hic enim iam dictio eſt, ſuperius in materia locus poſuit, de quibus conducta ad argumentationem dictio naſceretur. Fieri itaque neceſſarium argumentum docet, aut per complexionem, aut per enumerationem: aut per ſimplicem concluſionem. Complexio eſt, in qua utrum conceſſeris, reprehenditur.] Complexio forma dictionis eſt, poſita in rationibus neceſſarijs. Verum complexio duplici latere conſtat. unde quidquid fuerit electum, neceſſe eſt ut contrarium ſit. In complexione itaque duo genera ſunt proponendi: nunc per ſimplex, nunc per neceſſarium. Simplex hoc modo: Si hoc eſt, cur illud facis? Si illud eſt, cur hoc facis? Deinde per neceſſarium, ſic: Aut hoc cõcedas neceſſe eſt, aut illud. Ita hic exemplũ complexionis conſiderare debemus, factum per ſimplex. Si improbus eſt, inquit cur uteris? ſin probus, cur accuſas?] Ita & in Verrinis Cic. Aut amicos, inquit, cõfiteare Siculos neceſſe eſt, aut inimicos. ſi amici ſunt, credamus teſtibus: inimici ſunt, inuiti pecunias contulerunt. Enumeratio eſt, in qua pluribus rebus expoſitis & cæteris infirmatis, una reliqua neceſſario confirmatur.] Enumeratio quoque forma dictionis eſt, poſita in rationibus neceſſarijs. Verum in enumeratione multa ponuntur: & excluſis multis, unum quod reliquum eſt, confirmatur. Vtputa ſi hoc non eſt, ſi illud & illud non eſt, reſtat igitur ut illud ſit. Ita in Verrinis, Si neque Carbo attigit, neque Sylla uidit, neque in ærarium relatum eſt, reſtat igitur ut tu Verres pecuniam ſuſtuleris. Verum numeratio duobus modis fit, cum aut multis rei rebus excluſis, unam quæ

reliqua

reliqua eſt, confirmas . aut cum rei rebus excluſis, contrariũ confirmas. Multis rei rebus excluſis, una quæ reliqua eſt, confirmatur, ut ſupra ipſe Cicero contra Hermagorã. Nam aut nullum cauſæ genus eſt, aut iudiciale ſolum : aut & iudiciale, & demõſtratiuũ, & deliberatiuũ. Hic multa enumerauit . Sed excluſis duabus rebus, reliquã tertiam confirmauit . Nullũ, inquit, cauſæ genus eſſe non poteſt dicere, qui artis præcepta dat : unum eſſe non poteſt dicere, quia hoc & hoc . Relinquitur ergo, inquit, ut omnia tria genera cauſarũ ſint. Ergo hic multis rei rebus ſublatis, poſtrema eſt confirmata. Deinde omnibus rebus excluſis, contrariũ ſic concluditur, ut hic ipſum exemplum poſitũ eſt. Neceſſe eſt, inquit, aut inimicitiarũ cauſa ab hoc eſſe occiſum, aut metus, aut ſpei, aut alicuius amici gratia . at ſi horum nihil eſt, ab hoc non eſſe occiſum .] Itaque hic res eſt occiſio : huius uel omnes res ſuſtulit, id eſt, cauſas occidendi . poſtremo contrariũ concludit : ſi igitur horũ nihil eſt, nõ occidit. Simplex autem concluſio ex neceſſaria conſecutione conficitur .] Et in hoc neceſſariũ eſt argumentũ, ſed in una re poſitũ, & ideo ſimplex concluſio nominatur . Vtputa, ſi illo tempore, quo uos me iſtud feciſſe dicitis, ego trans mare fui : relinquitur, ut id ego nõ fecerim, ſed nec potuerim facere . Hic itaque ſimplex res eſt. In ſuperioribus uero duplex, in cõplexione ſcilicet, & enumeratione. Et cõplexio quidem aperte duas res continet. aut hoc eſt, inquit, aut illud : ſi illud eſt, cur facis ? ſi illud non eſt, cur non facis ? Enumeratio etiam cũ multas in ſe res habet collocatas, duplex tamen eſt. Ea enim omnia quæ tollis, quamuis multa ſint, in una tamen parte ponũtur . in altera id quod concludis, ſiue aliquid de rebus ſit, ſiue contrarium rei, ut ſupra docuimus.

Atque hoc diligenter uidere oportebit.] Præcepta dat, ut neceſſaria argumẽta nõ ſola dicẽdi ſpecie faciamus, id eſt, ne cõplexio uel enumeratio in ſolo genere dicẽdi poſita eſſe uideatur, ſed ut rationes ipſæ, & res neceſſariæ ſint, et hoc genere dicendi proferãtur triplici: ſcilicet aut per cõplexionem, aut ꝑ enumerationẽ, aut per ſimplicem concluſionẽ. Dictũ itaque de neceſſario argumento, & quale ſit, & quot modis dictionis proferatur, nũc de probabili incipit diſputatio. Quod ut melius intelligamus, propter uim expoſitionis hæc prius nobis etiã pictura cernatur .

Argumentũ eſt aut
- Neceſſarium
  - Complexio
  - Enumeratio
  - Simplex concluſio .
- Probabile, per
  - Id quod fieri ſolet.
  - Id quod eſt in opinione
  - Ea quæ habẽt ad hæc quidã ſimilitudinẽ.
  - Contrarium.
  - Paria .
  - Eas res quæ ſub eadem ratione cadunt .
  - Vera .
  - Falſa.
  - Veriſimilia .

Probabile autem eſt id, quod ferè ſolet fieri, aut quod in opinione poſitum eſt, aut quod habet in ſe ad hæc quandam ſimilitudinem, ſiue id falſum eſt, ſiue uerum.] Dictum eſt de neceſſario argumento, & de eius modis, tribus ſcilicet: nũc de probabili argumento dicamus, in quo ſolo uirtus omnis fidei continetur. Vt ſupra enim diximus, neceſſariũ inter homines nõ eſt, præſertim cum etiam ipſum probetur. Probabili itaque ſolo omnis fides nititur, adeo ut Græci officiũ & finem oratoris ſic definierint, πιθανῶς πρὸς πίστιν λέγειν, id eſt, probabiliter ad fidem dicere . Probabile autem per ſeipſum non poteſt definiri, neque in præceptum quoddam exprimi . ſed probabile erit argumentũ, pro moribus patriæ, populi, temporis. neque enim omnibus unum atque idem probabile eſt . aliud enim iuſtum Romanis, aliud barbaris uidetur . Itaque ut probabilia argumenta faciamus, primum nobis patria inſpicienda eſt, in qua ſumus, & eius patriæ inſpiciendi mores : deinde inſpicienda eſt ciuitas, quæ pars patriæ eſt . omnis enim ciuitas habet proprios mores . Deinde inſpiciendum eſt tempus . tempora enim ſæpe mutantur . Poſtremo etiam eius apud quem dicimus cognoſcenda natura eſt, ut ſecundum mores eius probabilia argumenta faciamus . Itaque hæc præcedunt, antequam probabilia argumenta proferamus . Verũ ipſum probabile argumentum primo in tria diuiditur, id eſt, in id quod facile ferè ſolet fieri, & in id quod in opinione poſitum eſt, & in id quod habet ad hoc quandam ſimilitudinem . deinde in quatuor, ſignum, credibile, iudicatũ, comparabile . Verum illa tria, res ſunt quibus probabile conficitur argumentũ . Illa autem quatuor quæ ſequuntur, rerum harum trium effectus ſunt . Primo itaque illa tria uideamus, in quæ probabile diuiditur argumentum . Per id quod ſolet fieri probabile argumentũ, ſic fit, ſi ea ad fidem colligas, quæ in actus conſuetudine uerſantur : utputa ſi mater eſt, diligit filiũ: ſi auarus eſt, negligit iuſiurandum . ita et Terentius, meretrices malas, auaros lenones, triſtes ſenes, edaces paraſitos eſſe commemorauit. Hæc itaque ad fidem dicta ſunt per id quod ferè ſolet fieri. Deinde per id quod in opinione poſitum eſt, probabile argumentum ſic fit, ſi ad fidem non ea quæ in uſu ſunt agendi, ſed ea quæ in opinione ſunt poſita, colligamus. Si dicas inferos eſſe, & impijs apud inferos pœnas . ſi dicas omnes qui philoſophantur, contra deos facere . Multi enim credunt, quod philoſophi contra deos faciant . etenim ſi deos aſſerunt, & me forte ſtultum eſſe dicunt, quoniam me talem Deus eſſe uoluit, contra deos faciunt, cum me reprehendunt. Deinde in Repub. cum bella, aut pax ex Dei uoluntate cõtingant, ipſi autem multa cupiunt perſuadere, contra deos faciunt, ſi id non aſſerunt agendum, quod deorum uoluntate contingit . Ergo ut diximus, ex his quæ in opinione ſunt poſita, probabile colligitur argumentum, ſi dicas inferos eſſe, uel non eſſe : deos eſſe, uel non eſſe : mundum natum, mundum non eſſe natum . Iſtæ opiniones δόξαι dicuntur. δόξα enim Græce opinio . & δόγματα opiniones nuncupãtur. Adeo manifeſtum eſt, omnia quæ in mundo aguntur, argumentis probabilibus perſuaderi, quando etiam philoſophorum profeſſionibus ex opinione nomen impoſitum eſt, ut dogmata dicantur . Tertium illud eſt, ut doceamus quemadmodum probabile fiat argumentum, ex eo quod habet ad hæc quandam ſimilitudinem, id eſt, per ſimilitudinem . utputa ſi is qui patriã prodit, pœnam meretur: ille qui patriam defendit, præmium meretur. Verũ hic ex altero alteri fides fit, & ſic quaſi fuerat nominandum. Sed Cicero non quemadmodum fieret argumentum, ſed unde fieret indicauit, cum ait : Aut quod habet, ad hæc quandam ſimilitudinem. Ad hæc, id eſt, ad ſuperiora, ad id quod ferè ſolet fieri, & ad id quod ferè in opinione poſitum eſt. etenim hoc argumentum tertium, ubi ex altero alterum probamus, nũc tale poteſt eſſe, ut ſoleat fieri : nunc tale, ut in opinione poſitum eſſe uideatur, ut ſoleat fieri : Si is qui patriam prodit, pœnam meretur : ille qui patriam defendit, præmium meretur . Vt in opinione, ſic : Si impijs apud inferos tormenta præparata ſunt, innocentibus quies parata eſt . Itaque hoc quod habet ad hæc quandam ſimilitudinem, id eſt, ſimilitudo, tribus modis probabile efficit argumentum : aut per contraria, aut per paria, aut per eas res quæ ſub eandem rationem cadunt . Per contraria ſic. Nam ſi ijs qui imprudenter læſerunt, ignoſci conuenit, ijs qui neceſſario profuerunt, haberi gratiam non oportet . Hic cõtraria ſunt, prodeſſe, & nocere. ſed ipſa contraria non faciunt argumentũ, niſi habeãt inter ſe aliquam ſimilitudinem. hic itaque animorũ ſimilitudo eſt. nã ſi ille imprudenter obfuit, hic neceſſitate profuit, neque ille uoluit obeſſe, neque hic uoluit prodeſſe. ergo ſi ignoſcitur ei, qui non uoluntate, ſed imprudentia læſit: &

ee

illi gratia non habenda eſt, qui non uoluntate profuit, ſed neceſſitate. Per paria ſic: cum non ex contrarijs rebus, ſed ex ſimillimis per naturam probabile colligimus argumentū: utputa, Nā ut locus in mari ſine portu nauibus intutus eſt, ſic animus, qui ſine fide eſt, amicis non poteſt eſſe portuoſus. Ex his aūt quæ ſub eandem rationem cadunt, probabile facimus argumentum, cum ea ſibi conferimus, quæ ad aliquid ſunt: utputa locare, cōducere, emere, uendere. Hæc uerba ad ſe inuicem ſpectant. Itaque ex unius rei ratione alterius rei ratione probare debemus. utputa neſcio quis qui patre uendente emit filium, iniquam rem dicitur feciſſe. hic facis argumentū probabile. nam ſi is qui uendidit, rem iniquam fecit: & hic qui emit, rem iniquam fecit. Deinde quod Cicero poſuit exemplū, apud Rhodios portoriū res uilis uilis erat: & Hermocreon uir ampliſſimus, id conduxit portorium: defenditur quod rem turpem non fecerit. Facis itaque argumentum per eas res, quæ ſub eandem rationem cadūt. Nam ſi Rhodijs turpe non fuit locare, ne Hermocreonti quidem turpe eſt conducere. Siue autem, inquit, uera ſint, ſiue falſa ea, unde facimus argumentum, nihil ad nos, dummodo ad fidem faciendam probabilia eſſe uideantur. Falſum eſt, ſiue ueriſimile, ſi dicas: Nō occidit Medea filios, quippe mater filios nunquā potuiſſet occidere. Hic falſum eſt quod aſſeris: tamen feciſti argumentum probabile, per id quod ferè ſolet fieri, ut Medea filios non occidiſſe credatur. aut ſi dicas, quia multus in calceis puluis fuit, ex itinere regreſſus eſt. Verum eſt autem argumentū probabile ſi dicas: quoniam cicatrix eſt, uulnus fuerit neceſſe eſt. Nunc autem ut probabilis argumenti omnes partes ſcire poſſimus, hæc nobis quoque animaduertenda eſt pictura.

Probabile argumentum fit:
- Per id quod ferè fieri ſolet
  - Signum
  - Credibile
  - Iudicatum
  - Religioſum.
- Per id quod in opinione poſitum eſt
  - Commune
  - Approbatum
  - Comparabile.
- Per ea quæ habent ad hæc quandam ſimilitudinem.
  - Imago
  - Collatio
  - Exemplum.

Omne autem (ut certas quaſdam in parteis tribuamus) probabile, quod ſumitur ad argumentationem, aut ſignum eſt, aut credibile, aut iudicatum, aut comparabile.] *Supra diximus, probabile argumentū in tres partes diuidi: in id quod ferè ſolet fieri, in id quod in opinione poſitū eſt, & in id quod habet ad hæc quandam ſimilitudinem. Sed has tres partes ipſas res eſſe diximus, de quibus probabile fit argumentū. Verum in his tribus rebus hæc rurſus quatuor collocata ſunt: id eſt, quod ex illis rebus conficitur, aut ſignū dicitur, aut credibile, aut iudicatū, aut comparabile. Atque ut ſciamus hæc quatuor illis rebus eſſe connexa, id quod ferè ſolet fieri, nihil aliud habet in ſe niſi aut ſignum, aut credibile. Deinde id quod in opinione poſitū eſt, nihil in ſe habet iudicatū. Poſtremo id quod habet ad hæc quandam ſimilitudinem, nihil aliud habet niſi comparabile. Videamus itaque hæc quatuor in illis tribus eſſe. Nec hæc tantum ſibi copulata ſunt, ſed omnia quæ in argumento ſunt probabili, etiā argumentis attributis perſonæ, & attributis negotio conſtat eſſe connexa. Nam quatuor negotio eſſe dicimus attributa, cōtinentia cum ipſo negotio, & in geſtione negotij adiuncta negotio, quæ geſtum negotiū conſequuntur. Itaque in continentibus cum ipſo negotio, & in geſtione negotij ſignū eſt. In his autem quæ adiuncta ſunt negotio, comparabile eſt. in attributis uero perſonæ, credibile eſt. ita uidemus & locos argumentorū, & res, & exitus, certis rationibus ſibi eſſe copulata. Nulla itaque uideatur eſſe confuſio, quod probabile argumentū iamdudū in tria diuiſimus, nunc in quatuor, quia id quod ferè ſolet fieri, duo in ſe continet, ſignū & credibile. quod in opinione poſitū eſt, unum habet in ſe, id eſt, iudicatū. quod habet ad hæc quandam ſimilitudinem, ſimiliter in ſe unū continet, id eſt, cōparabile. Itaque probabile argumentū in quatuor parteis nunc diuiditur. nā aut ſignū eſt, aut credibile, aut iudicatū, aut comparabile.* Signū eſt, quod ſub ſenſum aliquem cadit.] *Quinque ſenſus ſunt in homine, uiſus, auditus, odoratio, ſapor, et tactus. itaque quidquid ſub hos ſenſus cadit, cū ad argumentū fuerit attractū, ſignum eſt: quod ſignū per ſe, non ad ſe ualet, ſed ex eo aliud proficiſcitur, id eſt, aliud aſſeritur. utputa ſi agatur, an neſcio quis ex itinere uenerit, & aſſeras eum ueniſſe: nam in calceis eius multus puluis eſt. puluis hic ſignū eſt, & ſignum quod ſub ſenſum oculorū cadit. Aut ſi dicas, quia cruentus eſt, hominem occidit. deinde ſi dicas: ſeditio facta eſt, nam tumultus auditus eſt. hic tumultus ſignū eſt, ſed ſignū, quod ſub auriū ſenſum cadit. ita & reliqua ſimilia. Verū hoc argumenti genus, id eſt ſignū, non ſatis ad fidem ualet, ſed alterius utpote firmioris argumenti indiget approbatione. Ita probabile quidem eſt argumentum, ſed non ualidū, ſemperq; hoc argumento coniectura tractatur. & ideo aut aliud firmius argumentū, aut teſtimoniū requirit. Sed quod paulo ante dixi, ſignum eſſe in eo quod ferè ſolet fieri, utique cum dico ex itinere uenit, nam multus in calceis puluis eſt: & hominem occidit, nā cruentus eſt: argumentū facio ex his quæ ferè ſolent fieri. nam qui ex itinere uenit, ſolet fieri ut puluerulentus ſit: & qui hominem occidit, ſolet fieri ut cruentus ſit. Ex ſigno uero in omnia tempora circa factum facere poſſumus argumentū, utputa occidiſti hominem, quia cruentus es, & hic cruor ſignū eſt. Occidiſti autem hominem, tempus præteritum: deinde occidis hominem, nam uulnus infigis, ſignum eſt. Occidis hominem, tempus præſens: deinde occidere uis hominē, nam armatus incedis, hic armatus incedis, ſignum eſt. occidere uis hominem, tempus futurum. ita ſignū ad omne tempus argumentū eſt.* Credibile eſt, quod ſine ullo teſte auditoris opinione firmatur, hoc modo.] *Credibile eſt, inquit, argumentum, quod per ſeipſum fidem facit, neque ad probandum deſiderat teſtem, ſed facile cum prolatum fuerit apud opinionem, & ſententiam iudicis perſuadetur. Hoc credibile in eo eſſe diximus, quod ferè ſolet fieri, & rurſus in attributis perſonæ. ita in exemplo, quod ſubdit Cicero, utrunque uideamus.* Nemo eſt, inquit, qui non liberos ſuos incolumes & beatos eſſe cupiat.] *Vtique & ſolet fieri, ut nemo ſit qui non amet liberos ſuos. & attributum perſonæ eſt, id eſt, fortunæ, quod liberi nominantur: & quod ait, Nemo eſt.* Iudicatum eſt res aſſenſione, aut auctoritate, aut iudicio alicuius, aut aliquorum comprobata.] *Iam & hinc in tria diuiſit iudicatum. nam aſſenſio in religione eſt, auctoritas in communi, iudiciū in approbato. in tria enim iudicatum diuiſit, in religioſum, in commune, in approbatum. Religioſum eſt, inquit, ſi quid de re aliqua iurati iudices iudicarunt. & ideo religioſum, quia iurati iudicauerunt: quod aſſentiri nos neceſſe eſt. Animaduertamus tamen, ut iudicium geſtum ſemper negotium conſequatur.* Commune eſt, quod omnes uulgo probarunt.] *Commune eſt, inquit, quod ex more uulgi, iuſti auctoritatem tenet, ut neceſſe ſit maioribus natu aſſurgi, ut ſupplicum miſereri. hæc ut ſequamur, habemus uulgi auctoritatem. Deinde hoc etiam animaduertamus, quod conſuetudo quæcunque rem ſemper aliquam conſequatur. Inter id quod ferè ſolet fieri, & cōmune, hoc intereſt. id quod ferè ſolet fieri, ex quadam natura eſt: commune iudicato ſtringitur.* Approbatū eſt, quod homines, cū dubium eſſet quale haberi oporteret.] *Approbatū eſt, inquit, quod cū dubiū eſſet circa qualitatem bonam malam'ue, ad unam partem homines inclinauerunt. Vt, inquit, cum ſororem Horatius occidiſſet, & de facto*

eius

eius populus eſſet incertus, tamen abſolutus eſt. Deinde, ut Tiberius Gracchus cenſor inſciente collega quoſdam è ſenatu mouiſſet, & de eius facto dubitaretur, poſtea tamen eius factum populus approbauit. nam eum conſulem fecit. Ita religioſum, & commune, & approbatum, quia in iudicato ſunt, geſtum ſemper negotium conſequuntur. Comparabile autem eſt, quod in rebus diuerſis ſimilem aliquam rationem continet.] *Dictū eſt item de ſigno, de credibili, de iudicato: reſtat extremū, ut de cōparabili dicat. Cōparabile eſt, quod res inter ſe diuerſas aliqua ratione cōiungit. Hæc cōparatio, id eſt, ſimilitudo, partes habet tres: Imaginem, quā Græci εἰκόνα appellant: Collationem, quā Græci παραβολὴν appellāt: Exemplū, quod Græci παράδειγμα appellāt. Imago eſt, oratio circa res diuerſas, aut corporū, aut naturarū cōparans ſimilitudinē: ut, Os humeroſq; deo ſimilis, ut*

Qualis mugitus fugit cum ſaucius aram Taurus.

Collatio eſt, oratio quæ res in ſe diuerſas ex ſimili comparatione coniungit. ut eſt iſtud:

Ac ueluti magno in populo cum ſæpe coorta eſt Seditio.

Exemplū eſt, quo rem aliquā alicuius hominis aut negotij auctoritate, uel caſu, aut hortamur, aut dehortamur. Hortamur ſic, ut

Antenor potuit medijs elapſus Achiuis
Illyricos penetrare ſinus. Dehortamur ſic:
At non uiderunt mœnia Troiæ
Neptuni fabricata manu conſidere in ignes.

Hæc quidem nos exempla grāmaticalibus artibus ſuppoſuimus. Cicero autem ſe exempla his quæ ſunt in cōparabili ſuppoſiturū eſſe promittit, cum cœperit de elocutione tractare. Nunc autem de inuentione tractatus eſt. Ac fons quidem confirmationis, ut facultas tulit, apertus eſt: nec minus dilucide, quàm rei natura ferebat, demonſtratus eſt.] *Ea omnia quæ ad cōfirmationem pertinebant, demonſtrata ſunt. ita inquit, ut rei ipſius natura flagitabat. Sed hic confuſe omnia prolata. ſingulatim ſe aūt circa ſingulas cauſas traditurum eſſe præcepta in ſecundo libro, promittit.* In præſentia tantummodo numeros, & modos, & partes.] *Numerū accipimus attributa perſonæ undecim, negotio quatuor. deinde genera argumentorum duo, neceſſarium, probabile. Modos autem accipiamus, id eſt, in neceſſario argumento, complexionem, enumerationem, ſimplicē concluſionem. deinde in probabili argumento, id quod ferè ſolet fieri, quod in opinione poſitum eſt, quod habet ad hæc quandam ſimilitudinem. Partes autem accipiamus, ſignum, credibile, iudicatum, comparabile, & ea quæ ſub his ſunt.* Atque inueniri quidem omnis ex his locis argumentatio poterit.] *Poſſunt quidem omnia iā argumenta ex his locis quos præcepimus inueniri. Sed hæc ipſa argumenta debemus, inquit, artificioſa dictione diſtinguere, quia & ſuaue, & neceſſarium eſt. Itaque nunc pauca de Dialectica ad Rhetoricam tranſlaturus eſt, Habebitq; locum de ſyllogiſmis, ad quos capiendos, & tenendos, lectorem uehementer hortatur, ut ipſe ait.* Quod non ſolum magna eſt utilitas, ſed præcipiendi quoque ſumma difficultas.] *Diximus itaque argumentum probabile in quatuor diuidi, ſignum, credibile, iudicatum, comparabile. Credibile eſſe diximus in duobus, negotio attributis & perſonæ. Signum eſſe diximus in duobus negotio attributis, in continentibus cum ipſo negotio, & in geſtione negotij. Comparabile eſſe diximus in adiunctis negotio. Iudicatum uero in his quæ geſtum negotium conſequuntur. Itaque omne argumentum factum ex attributis perſonæ, credibile dicetur. Deinde omne argumentum factū ex continentibus cum ipſo negotio, & ex his quæ in geſtione negotij ſunt, ſignum dicetur. Deinde omne argumentum factū ex his quæ negotio adiuncta ſunt, comparabile dicetur. Poſtremo omne argumentum factū ex his quæ negotio adiuncta ſunt, & negotium conſequuntur, iudicatum dicetur, ſed cum probabile fuerit. Alioquin in omnibus attributis tam perſonæ quàm negotio, & neceſſarium eſſe poterit argumentum: cuius tres partes eſſe diximus, complexionem, enumerationem, ſimplicem concluſionem.* Omnis igitur argumentatio aut per inductionem tractanda eſt, aut per ratiocinationem.] *De materia & argumento iam dictū eſt. Nunc tertium illud eſt ut de argumentatione dicamus, quæ pertinet ad elocutionem, & quam Cicero ex dialectica ſumptam, in rhetoricā poſuit latiorem. Argumentatio eſt itaque, artificiū non inueniendi, ſed dicendi. Hæc duobus modis fit: aut per inductionē, aut per ratiocinationem. Ita & Ariſtoteles in argumentatione duo eſſe dixit, iſagogen, & ſyllogiſmum. Atque Ariſtoteles breuiter ac ſtrictim omne exemplum inductionem eſſe dixit, quod animus auditoris ab eo, quod non dubium eſt, ad credendum id quod dubium eſt, inducatur. Duo itaque ſunt genera argumentandi, inductio, & ratiocinatio. Verū inductione philoſophi utuntur, & hic nunc ad exemplū inductio philoſophica inducitur ad hoc, ut intelligamus quid ſit inductio, uel quemadmodum fiat. Poſt aūt præcipiet qualis inductio poſſit eſſe oratoris.* Inductio eſt oratio, quæ rebus non dubijs captat aſſenſionem eius qui cū inſtituta eſt. *Generaliter hic inductionē definiuit, qua definitione oſtendit ubique nos inductione uti poſſe, & in philoſophica & in oratoria, & in quacunque contentione uerborū, etiam in fabulis. Nā ubique neceſſe eſt perſuadere, & ideo perſonam certam hic non poſuit, ſed hoc ait. Inductio eſt oratio, quæ rebus nō dubijs captat aſſenſionem eius qui cū inſtituta eſt. Eius, inquit, id eſt, ſiue ille philoſophus ſit, ſiue iudex, ſiue orator, ſiue amicus, ſiue inimicus. Inductio itaque ſic facienda eſt, ut primo proponamus illa quæ extra negotium ſunt, ſed tamen quæ ad negotiū per ſimilitudinem ſpectant, & talia, inquit, eſſe debent illa quæ proponimus, ut neceſſario is cū quo agis, ita eſſe fateatur, atque conſentiat. Quod cum conſenſerit, tunc paulatim ad id unde dubitabatur deſcendis, & his quæ ſupra conceſſa ſunt, ſimile eſſe confirmas. Dat ergo nunc exemplū philoſophicū. Aeſchines ſocraticus fuit, id eſt diſcipulus Socratis. is multa ſcripſit. Quodam etiam loco inducit Socratem referentem. nam is erat mos diſcipulis, ut ingenio proprio reperta ad magiſtros referrent, et quaſi ab eis inuenta ponerent. Induxit inquā Aeſchines Socratem, referentem quid eſſet, uel quemadmodum eſſet locuta Aſpaſia cū uxore Xenophontis, uel cum ipſo Xenophonte. nam Xenophon, & eius uxor frequenter diſcordabant. Perſuadet ergo Aſpaſia, ut in gratiam reuertantur. Aſpaſia autem: peritiſſima fuit philoſophiæ. Hac itaque inductione uſam induxit Aſpaſiam apud Aeſchinem Socrates.* Interrogauit, inquit, Aſpaſia Xenophontis uxorem: Si, inquit, uicina tua aurum melius habeat, quàm tu habes: illius'ne, an tuum malis? Tum, inquit, Xenophontis uxor inducta ſimilitudine ſuperiorum, quoniam ſententiam mutare non poterat, tacita erubuit. Poſtea, inquit, Aſpaſia conuertit ſe ad Xenophontem ipſum, & ſimiliter cum illo inſtituit inductionem. Dic mihi, inquit, Xenophon, ſi uicinus tuus equum, aut fundum meliorem habeat, quàm tu habes: tuum'ne malis, an illius? illius, inquit. Quid ſi, inquit, uxorem meliorem habeat, quàm tu: tuam ne malis, an illius? tacuit Xenophon. Tunc inquit Aſpaſia: Quoniam id mihi uterque ueſtrum reſpondere noluit, quod uolueram reſponderi: ego dicam, quid uterque ueſtrum cogitet. nam & tu, inquit, Xenophon uxorem optimam cupis, & tu uirum optimum. quare niſi & tu uir optimus fueris, & tu fœmina lectiſſima: *id eſt, niſi in gratiā regreſſi fueritis, ſemper & tibi uxor lectiſſima, et tibi uir optimus deerit. Hæc itaque inductio hoc egit, ut Xenophō et uxor eius ab his quæ uelle ſe negare nō poterāt, ad id etiā, quod dubiū habebant, per ſimilitudinem deducerentur.* Hoc modo ſermonis plurimum Socrates uſus eſt.] *Socrates, inquit, in diſputationibus ſuis inductione frequenter utebatur. propterea inquit, quod optimum docebat, ut non à ſe rebus prolatis, ſed cō*

feſſionibus ſuis aduerſarius uinceretur. Hoc in genere præcipiendum nobis uidetur, primum, ut illud quod inducemus per ſimilitudinem eiuſmodi ſit, ut ſit neceſſe concedi.] In inductione, inquit, tria ſemper ſpectare debemus. Primo, ut ſimilitudines tales proponamus, ut eas ſit neceſſe cócedi: nam illud dubium eſſe non debet, unde alteri fidem uolumus facere. Deinde, inquit, illud, quod confirmamus, ei rei quam proponimus ſimile eſſe debet, ut nihil egerit propoſitio, ſi illud diſſimile eſt, cuius cauſa propoſuimus. Tertio, inquit, id agere debemus, ut nemo intelligat quo ſpectet ſimilitudinis propoſitio. Ne cum quiſpiam intellexerit ſe ex confeſſione propoſitionis etiam illi rei fidem facere quã negauit, aut non reſpondeat, aut male prauéq; reſpondeat. Si autem neſciat quo tendat ſimilitudinis propoſitio, ſecurus confitetur. qua confeſſione etiam illud quod negabat ante, ita ut tu uis concedit eſſe. Cũ autem, inquit, hoc diligenter in facienda inductione ſeruaueris, ut & propoſitio ſimilitudinis concedatur, & illud propoſitioni ſimile ſit, cuius cauſa ſimilitudo propoſita eſt, & nemo uideat, quo propoſitio illa contendat, officio tuo per iſta diligenter impleto: rurſus debebis reſponſionem cõtendentis attendere. unum autem de tribus faciat neceſſe eſt: nam aut tacebit, aut confitebitur, aut negabit. Ad hæc ſingula dat præcepta, quid in his ſingulis tu facere debeas. & primo à difficiliore parte incipit: Si, inquit, negabit ita eſſe illud unde contentio eſt, atque illud quod in propoſitis conceſſiq; ſimilitudinibus continetur, duo, inquit, facere debemus. aut illas res quas ante conceſſit, ſimiles docere huic rei eſſe de qua contentio eſt: aut ſi pernegabit, alias inducere ſimilitudines. Sin autem, inquit, confitebitur, habita argumentatio concludenda eſt. Deinde, inquit, ſi tacebit, duo facies: aut reſponſionem de eo elicies: aut ſi reſpondere noluerit, quia genus confeſſionis eſt taciturnitas, concludenda eſt argumentatio. Ita, inquit, hoc genus argumentandi tripartitum ſemper eſt: Prima, inquit, pars conſtat ex una ſimilitudine, pluribuſue, ut in hoc ipſo exemplo confeſſionem tacentium confirmat Aſpaſia. Et tu, inquit, mulier uirum optimum uis habere, ut tu Xenophon uxorem habere lectiſſimam maxime cupis. Deinde ex hac confeſſione quid conficiatur oſtendit. Quare, inquit, niſi hoc perfeceritis, ut neque uir melior, neque fœmina lectior in terris ſit: profecto ſemper id, quod optimum putabitis eſſe, multo maxime requiretis.

Ergo in hac cauſa quæ.] Dedit ſupra philoſophicæ inductionis exemplum, dat nunc in rhetorica: non quo, inquit, diuerſa præcepta ſint, ſed ne quis forte præceptum in philoſophia datum, in rhetorica uidere non poſſit. Exemplum autem nunc ponit apud Græcos peruagatum, cuius exempli huiuſmodi thema eſt. Epaminundas imperator cum ei ſucceſſum fuiſſet, retinuit apud ſe exercitum aliquot amplius diebus, quàm ex lege oportebat: illis ipſis diebus Lacedæmonios funditus euertit, ac uicit. Accuſatur, quod contra legem exercitum retinuerit. Proponitur autem hic tacita exceptione lex illa. Qui ſucceſſori ex lege exercitum ſtatim non tradiderit, pœnas ſoluat. In hoc themate poteſt quidem eſſe compenſatiuus ſtatus principalis, feci, ſed profui, uerum ſecunda conflictio in ſcripto & uoluntate conſiſtit. Scripto utitur accuſator, qui dicit, à uerbis legis recedi non oportere. Voluntate utitur Epaminundas, qui dicit, legem iubere quidem exercitum tradi, ſed ſi nihil urgeat. Alioqui ſi reipublicæ cauſa paucis diebus retineatur, nullam pœnã ſubeſſe retinenti. Itaque hic inductionem poteſt facere accuſator ille, qui contra ſententiam legis ſcripta defendit: & ſimilitudinem non extra cauſam, ſed ex eadem cauſa facit. Si, inquit, Epaminundas id quod ait legis ſcriptorem ſenſiſſe, ad legem ſuis uerbis addat, id eſt damnandum eſſe qui exercitum non tradet, præter eum qui reip. cauſa retinuerit, hoc ſi addat, nunquid pati poteſtis? non opinor. Deinde, ſi hoc idem legi additum uos ueſtra auctoritate ad populum feratis, nunquid populus patietur? non patietur. Ergo, inquit, quod addi ad legem per uerba non poteſt, id tanquam additum ſit, ſequi non debetis. quod ſi inquit, ſententiam ſcriptoris neque Epaminũda, neque noſtris literis uidemus corrigi poſſe, multo magis illud re ipſa & iudicio neſtro mutari non poteſt, quod ne uerbo quidem mutari poteſt. Verum hoc ſcire debemus, in dialogis ſermonem eſſe, non dictionem. dictionem autem eſſe oratoris in ciuilibus cauſis. Idcirco ait: Aut aliter hoc in ſermone atque in dicendo ſit utendum. Sermo philoſophi, dictio oratoris. Oratio autem poteſt & ad dialogum conuenire, ſi ſit paulo ſplendidior elocutio: proprium tamen oratoris eſt. Deinde notare debemus, omnes magiſtratus prætores appellatos. ut hic, cum Epaminundas Thebanorum imperator, quod ei qui ſibi ex lege prætor ſucceſſerat, cum imperatori ſuccedere debeat imperator. Ratiocinatio eſt oratio, ex ipſa re probabile aliquid eliciens, quod expoſitum, & per ſe cognitum ſua ſe ui & ratione confirmet.] Argumentationũ duæ partes ſunt, inductio & ratiocinatio. De inductione iam dictum eſt, nunc de ratiocinatione tractatus eſt, id eſt de ſyllogiſmis. Verum ut ad genus ſpeciem referamus, ſyllogiſmus non argumenti nomen eſt, ſed argumentationis: ita inductio non inueniendi modus eſt, ſed forma dicendi. Quamobrem ſic definiuit ratiocinationem, id eſt ſyllogiſmum: Ratiocinatio eſt, inquit, oratio ex ipſa re probabile aliquid eliciens, quod expoſitũ, & ex ſe cognitum, ſua ſe ui & ratione confirmet. Et in hac definitione multa communia eſſe poſſunt cum inductione. Nã quod ait, oratio ex ipſa re probabile aliquid eliciens, tam ratiocinationis eſt, quàm inductionis. hoc autem proprium ratiocinationis, quod ait, Quod expoſitum, & per ſe cognitum, ſua ſe ui & ratione confirmet. Inductio enim non per ſe cognoſcitur, neque ſua ſe ui & ratione confirmat, ſed ut fidem faciat, probandæ rei ſimilitudines ante præcedunt. Recte itaque ratiocinatio definita eſt, id eſt oratio, quæ ex confeſſo argumentum continens, non ſimilitudine, ſed per ſe cognoſcitur, & ſua ſe ui & ratione confirmat. Verum quod diximus, ex confeſſo argumentum continens. niſi enim quis confiteatur, quia inimicus fuit non erit argumentum: ſi inimicus fuit, occidit. Ideo non eſt argumentum, quia non probat. eadem enim facilitate, qua aſſumitur inimicus fuit, improbabitur. unde non ſequitur quod occidit. Sed ſi confiteatur inimicum, argumentum probabile fit. ſi igitur inimicus fuit, occidit. Hoc de genere, qui diligentius conſiderandum putauerunt.] Ratiocinatio eſt igitur oratio per ſe cognita, ac ſua ui & ratione confirmata, ex re confeſſa ſumptum ad fidem proferens argumentũ. Verum, ut diximus, hæc oratio eſt pertinens ad ſyllogiſmos. Syllogiſmorũ autem multi quinque, multi plurimas partes, multi, inquit, tres eſſe dixerũt. ſed utrorumque, inquit, rationes debemus inſpicere: quia et breuis inſpectio eſt, & oratori res neceſſaria. Opus quidem, inquit, utrorumque conſimile eſt. nam alteruter & propoſitionem habet, & approbationem propoſitionis: & rurſus aſſumptionem, & approbationem aſſumptionis, & concluſionem. Verum, inquit, qui ſyllogiſmum in quinque partes diuidunt, has ſingulas partes numerant, ut propoſitio una pars ſit, approbatio propoſitionis altera, tertia aſſumptio, inde approbatio aſſumptionis, ut quinta pars ſit concluſio. Illi autem qui tres partes in ſyllogiſmis eſſe contendunt, propoſitionem & approbationem propoſitionis unam partem numerant, rurſus aſſumptionem & approbationem aſſumptionis alteram partem numerant, tertiam uero concluſionem. Ita utrorũque opus ſimile, ſed in membris operis numerus diuerſus. Iam uero quinquepartiti ſyllogiſmi, ſiue tripartiti, in ipſis libris exempla poterimus agnoſcere. Verũ quadã præcepta in his partibus poſita intelligamus. propoſitio, inquit, generalis in ſuo eſſe debet, & id quod aſſumendum eſt, in ſe neceſſario continens. Approbatio enim multis uerbis, & diuerſis rationibus facienda eſt. Aſſumptio uero ex ui propoſitionis

capienda

capienda eſt. ut hic aſſumptio eſt : Nihil autem melius conſilio, quam omnis mundus adminiſtratur. hæc aſſumptio ex ui propoſitionis aſſumpta eſt. quæ eſt enim propoſitio? Melius accurantur quæ conſilio reguntur, quàm quæ ſine conſilio adminiſtrantur. Deinde, inquit, etiam aſſumptionis approbatio multis rationibus facienda eſt. Extrema concluſio eſt, quæ quatuor modis fit : quos modos alio in loco oſtendemus, cum de bipartito ſyllogiſmo cœperimus habere tractatum. Quinquepartitam igitur hoc pacto putant eſſe argumentationem. Qui, inquit, quinquepartitam eſſe dicunt argumentationem, hoc aſſerunt, quod ſupra oſtendimus, id eſt ſeparari propoſitionem ab approbatione ſua, & rurſus aſſumptionem ab approbatione ſua. Qui autem tripartitam eſſe dicunt.] *Illi, inquit, qui tripartitam argumentationem eſſe contendunt, eodem modo quidem tractant argumentationem : nam & propoſitiones habent, & approbationes, & rurſus aſſumptionem cum approbationibus ſuis : ſed hæc bina cõnectunt, & reddunt ſingula, ut propoſitionem cũ approbatione ſua ſimul iungãt, & rurſum aſſumptionẽ & approbationem eius unũ efficiant. Negant aũt recte neque propoſitionẽ neque aſſumptionẽ dici, niſi fuerint approbata : tuncq; eſſe aiũt propoſitionem argumentationis, ſi approbata ſit. Sin autem approbata non ſit, eſſe quidem propoſitionem, ſed argumenti, non argumentationis, in qua argumentatione latior & expolitior elocutio eſt. Itaque qui hoc contendunt, negant eſſe amplius quàm tripartitam argumentationem. ab his Cic. diſſentit, & cõtra diſputat : probatq; illorum ſententiã, qui dicunt quinquepartitam argumentationem. Itaque hoc Cic. ſecundum artem teſtibus & argumentis probat. teſtibus ſic : Quam omnes, inquit, ab Ariſtotele et Theophraſto profecti maxime ſecuti ſunt. Nam quemadmodum, inquit, ſuperius argumentationis genus, id eſt inductionis, Socrates maxime, & omnes Socratici tractauerunt : ita hoc genus argumentationis, ideſt ratiocinatio quinquepartita, ab Ariſtotele & Theophraſto uel Peripateticis frequentatum atque tractatum eſt. Sed quia orator Rhetoricam ſcribens importune penè philoſophos ad teſtimonium uocat, quia de dialectica iſte tractatus eſt, recte philoſophos ſibi adhibet, quia rhetoricam ſcribit. adiungit & multos oratores elegantiſſimos atque artificioſiſſimos iudicatos, qui uſi ſunt hac argumentatione quinquepartita. deinde inquit, à Rhetoribus hi qui elegantiſſimi atque artificioſiſſimi putati ſunt. Itaque teſtibus probauit, non errare illos qui aſſerant quinquepartitam argumentationem. ſed quia poterat dici Ciceroni, etiam illi quos cõmemoras errauerunt, oſtendit ſe exemplum non temere illorum ſecutum, probatq; argumentis ſuis non errare eos, qui quinquepartitam argumentationem, errare autem eos qui tripartitam eſſe cõtendant. Itaque hæc eſt quæſtio, utrum tripartita, an quadripartita, an quinquepartita ſit argumentatio. Cicero multis ſyllogiſmis ſuis nunc quinquepartitis, nunc tripartitis probat, quinquepartitam eſſe argumentationem. & primo aſſerit propoſitionem & approbationem inter ſe eſſe diuerſas. in qua aſſertione primo argumenti, deinde exempli eſt ſyllogiſmus. dehinc ſimili ratione aſſerit, aſſumptionem et approbationem eius inter ſe eſſe diuerſas: in qua rurſus aſſertione primo argumenti, deinde exẽpli eſt ſyllogiſmus. Itaque poſtquam probauit propoſitionem & aſſumptionem ab approbationibus ſuis longe eſſe ſeparatas, concludit, commode partitos eſſe eos qui quinquepartitam dixerunt argumentationem. Quinque igitur partes ſunt eius argumentationis, quæ per ratiocinationem tractatur. Illius autem argumentationis quæ per inductionem tractatur, tripartita eſt argumentatio. Verũ hoc in primis tenere debemus, argumentũ nunc uicinum eſſe quæſtioni, nunc à quæſtione longinquũ. argumentum enim prolatum, nunc ipſi quæſtioni prodeſt, nunc ei rei quæ uicina eſt quæſtioni. Itaque argumentum nunc uicinũ eſt quæſtioni, nunc loco tertio, nunc quarto, nunc quinto naſcitur. Ariſtoteles autem dicit, etiam loco decimo poſſe fieri argumentum. Sed cum ſæpe argumentum tam longe à quæſtione ſit, hoc tantum ſyllogiſmi eſt, ut id quod longe à quæſtione eſt, eidem quæſtioni dicendi ratiocinatione coniungat. Ac uicinum argumentum tale eſt : quoniam hic inimicus fuit, occidit. longe à quæſtione, argumentum tale eſt, inimicus occidit. hoc quia generale eſt : primo diſſerendum eſt, utrum inimicus ſemper occidat : quod poſtquam aſſerueris, non ſtatim probas hunc occidiſſe : ſed ad hoc proficit, ut rurſus doceas hunc inimicum fuiſſe. quod poſtquam aſſerueris hunc inimicum fuiſſe, tunc demum redis ad quæſtionem : ergo hic, quia inimicus fuit, occidit. Deinde longe primum argumentum etiam illic licet animaduertere, ubi Cicero redarguit Hermagoram non recte ſub qualitate poſuiſſe deliberationem & demonſtrationem, ubi primum docet genera eſſe cauſarum. Quòd ſi genera ſunt cauſarum, partes generis cauſæ eſſe non poſſe: ut ſi partes generis cauſæ eſſe non poſſunt, multo magis partes partium eſſe non poſſe. Poſtremo redit ad quæſtionem: Male igitur deliberatio & demonſtratio ſub qualitate ponuntur. Itaque argumentum nunc longe à quæſtione eſt, nunc uicinum eſt quæſtioni. Deinde debemus hoc animaduertere, argumentum quodcũque ſumimus, utrum in genere ſit, an in ſpecie. ſi in genere, ſine dubitatione proponere debemus, deinde approbare eandem propoſitionem, tertio loco ſpeciem aſſumere, quarto loco aſſumptionem ſpeciei multis rationibus approbare, poſtremo concludere. Huius ſyllogiſmi ſubijciamus exemplum illud ipſum Epaminundæ. Omnes leges iudices ad commodum reip. referre oportet, & cætera. Hæc propoſitio eſt generalis ſine ulla dubitatione. deinde approbat eandem propoſitionem : Ea enim uirtute, & ſapientia maiores noſtri fuerunt, &c. Tertio loco ſpecies aſſumitur : Ergo in hoc quoque iudicio deſinite literas legis perſcrutari, &c. Quarto loco approbat aſſumptionem : Conſiderate quid magis utile fuit Thebanis, quàm Lacedæmonios opprimi? &c. Poſtremo concludit, Quòd ſi leges omnes, &c. Hoc autem argumentum lõge à quæſtione petitum cognoſcimus facile. Argumentum uero quod in ſpecie eſt, ſemper cum dubitatione proponitur. ſi hoc eſt, illud igitur non eſt : aut hoc faciamus, aut illud faciamus. Verum cum in propoſitione. Si eſt dicitur, propoſitio hypothetica dicitur. Argumentum igitur, quod in ſpecie eſt, debet ſemper cum dubitatione proponi. huius propoſitionis facienda eſt approbatio. deinde aſſumptio eiuſdem ſpeciei facienda eſt per eandem ſpeciem, ſed per cõfirmationem, cuius aſſumptionis facienda eſt approbatio : tunc erit poſtrema concluſio : Talis in Miloniana oratione ſyllogiſmus eſt. Si, inquit, doceo cauſas fuiſſe Clodio ut occideret Milonem, probo inſidiatorem. hanc propoſitionem approbauit. & ſi boni ne magno quidem emolumento impellũtur ad fraudem, improbi ſæpe paruo. deinde ipſam ſpeciem aſſumit per confirmationem : habuit autem cauſas Clodius. Hanc rurſus aſſumptionem multis rationibus approbat, poſtremo concludit : Quarè ſi habuit cauſas Clodius, ut occideret Milonem, conſtat inſidiatorem fuiſſe. Ergo quoties argumentum in genere fuerit, ſpecies aſſumenda eſt. quoties argumentum in ſpecie fuerit, ipſa ſpecies aſſumenda eſt, ſed per confirmationem. Hoc aũt tenere debemus, in propoſitione uim totius argumentationis cõſiſtere. Siue aũt in genere, ſiue in ſpecie ſit propoſitio, ex ipſa tamen ſemper generatur aſſumptio. Docuit itaque quinquepartitã argumentationem per exemplũ Epaminundæ. Deinde docuit quadripartitã argumentationẽ duobus modis, nũc propoſitionis approbatione, nunc aſſumptionis approbatione ſublata. Deinde docuit tripartitã argumentationem, utraque approbatione ſublata. Nunc quæſtio eſt, an ſit bipartita argumentatio.* *Si peperit, uirgo non eſt, peperit autem.]* *Multi dicunt eſſe bipartitam argumentationem, hac ratione. Si, inquiunt, approbationes ſæpe, quia manifeſtæ ſunt, ſubtrahuntur, cur non & con*

cluſio cum manifeſta eſt: ſubtrahatur, ut ſit bipartita argumentatio per propoſitionem & aſſumptionem. Si peperit, uirgo nõ eſt: peperit autem. Cicero hanc illorum ſententiam reprehendit, dicitq́; ſemper argumentationem concludendam eſſe, nec unquam tamen utendum eſſe manifeſta concluſione. Tunc autem hoc fieri poſſe, ſi concluſionum genera cognoſcamus. ſunt autem quatuor. Quarum concluſionum una talis, cum breuiter ἀνακεφαλαίωσιν facimus, propoſitionis & aſſumptionis, & poſt adiungimus id, quod ex omni argumentatione conficitur. Dat autem ipſe exemplum. Quod ſi leges omnes ad utilitatem reipublicæ referri conuenit, hic autem ſaluti reip. profuit, profecto non poteſt eodem facto & ſaluti communi conſuluiſſe, & legibus non obtemperaſſe. Secunda autem concluſio talis eſt, ut argumentatio ex contrario concludatur, & dat exemplũ. Summa igitur amentia eſt, in eorum fide ſpem habere, quorum perfidia toties deceptus ſis. Propoſitio enim huius ſyllogiſmi talis eſt. Qui ſæpenumero nos per fidem fefellerunt, eorũ orationi fidem habere non debemus. Hoc poſtquam probatum eſt, ita concludi oportuit: Igitur Carthaginenſibus fidem non habere debemus. Sed contrarium potius in concluſione conſtituit: Summa igitur amentia eſt in eorum fide ſpem habere, quorum perfidia toties deceptus ſis. Tertia concluſio talis eſt, ut id ſolũ quod ex omni argumentatione conficitur inferamus. & dat exemplum: Vrbem igitur diruamus, &c. Quarta cõcluſio talis eſt, cũ non id quod conficitur, in concluſione põnimus, ſed id quod eam rem quæ conficitur conſequatur. & dat exemplum: Si peperit, cum uiro concubuit: peperit autem. Hic conficitur, Cum uiro igitur concubuit. Sed hoc in concluſione, quia manifeſtum eſt, non ponit: ſed illud ponit, quod manifeſtum ipſam concluſionem conſequitur: Igitur fecit inceſtum. Etenim ſi cũ uiro concubuit, id conſequitur, ut fecerit inceſtum. antiqui autem quemcunque hominum coitum, inceſtum appellabant.

Quare in longis argumentationibus.] *Dat præceptum, ut ſciamus, qua concluſione unaquæque argumentatio concludenda ſit. Quoties, inquit, longa fuerit argumentatio, aut propter memoriam ἀνακεφαλαίωσιν facere in concluſione debemus: aut ſi erunt in memoria, quæ ſupra dicta ſunt, argumentatio nobis ex contrario concludenda eſt. Verum longa argumentatio non partibus, ſed menſura partium conſtat. id eſt, non quinquepartita, aut quadripartita argumentatio longa eſt: ſed in quacunque argumentatione, quoties latiores fuerint approbationes, tunc longæ erunt argumentationes. Ita & quinquepartita argumentatio, ex modo approbationũ breuis poterit inueniri. Quare inquit, quæcunque longa argumentatio fuerit, duobus modis concludenda eſt. aut per conductionem, id eſt συναγωγὴν, aut per contrarium. Quoties autem breuis fuerit argumentatio, hoc ſolo quod conficitur, concludenda eſt. In illis uero argumentationibus, quæ exitum manifeſtum habent, conſecutionem ponere in cõcluſione debemus.*

Si qui autem ex unaquaque parte putabant conſtare argumentationẽ.] *Reprehendit etiam illos qui ex una parte dicunt fieri poſſe argumentationem. Hi, inquit, errant de nominis ambiguitate. Nam argumentatio duas ſignificationes habet, & argumenti, & argumentationis. Quare cum dicunt, ſi peperit, cum uiro concubuit: inuentum proferunt, non expolitionem, id eſt argumentum proferunt, non argumentationem. Sed talis argumentatio eſſe non poteſt, niſi cum expolita profertur oratio. Eodem modo, inquit, & illi errant, qui dicunt aliquando ſubtrahi poſſe nunc propoſitionem, nunc aſſumptionem. Nam quoniam utraque harum monet auditorem, neutra neceſſe eſt ſubtrahatur expolitioni. Itaque magnopere ſtudendum eſt, quia inuentio cunctis oratoribus communis eſt. Sed ipſi oratores dicendi modo aut optimi ſunt, aut mediocres, aut infimi.*

Variare autem orationem magnopere oportebit.] *Propter faſtidia, uaria, inquit, uti oratione debemus, ut nunc per inductionem argumentemur, nunc per ratiocinationem. Deinde in ratiocinationibus, nunc quinquepartitam, nunc quadripartitam, nunc tripartitam faciamus argumentationem. Deinde, ut non ſemper prima ſit propoſitio, ſed aliquando aſſumptio prima ſit. Hæc, inquit, ut melius inſpiciamus, aut inſcribamus ipſi, & nos exerceamus: aut ſi id piget facere, ea quæ ſupra poſita ſunt exẽpla, uideamus, & in ipſis hanc exerceamus uarietatem. Illud autem præcipit, ſyllogiſmos omnes in dialectica cõtineri, hos paucos inde deriuatos qui oratori conuenire uidebantur. Denique iſti non ſyllogiſmi, ſed epicheremata dicuntur.*

DE REPREHENSIONE.

Reprehenſio eſt, per quam argumentando aduerſariorum confirmatio diluitur, aut infirmatur, aut alleuiatur.] *Iam de quatuor partibus orationis dictum eſt, de exordio, de narratione, de partitione, de confirmatione. Nunc ſecundum ordinem de reprehenſione tractandum eſt. Reprehenſio eſt oratio, quæ poſt noſtram confirmationem aduerſariorum confirmationem reprehendit. Hæc duo agit, aut omnino tollit quod aduerſarius dixit, aut infirmat, ac leuius reddit. Verum ipſa reprehenſio ex illis locis argumentorum capitur, ex quibus confirmatio, id eſt ex attributis perſonæ & attributis negotio. materia enim argumentorum communis eſt tam confirmanti, quàm reprehendenti. Et cum tria ſint data confirmationi, materia, argumentum, argumentatio: materiam non reprehendimus, quæ nuda atque communis eſt, ſed argumentum, aut argumentationem reprehendimus. & quoniam in confirmationem uel reprehenſionem communiter hactenus præcepta tradidimus, debemus ſcire certos modos reprehenſionis. Sunt autem quatuor principales modi: ſi aut ſumpta reprehendamus, aut concluſionem, aut genus argumentationis. At ſi hæc tria nullo modo reprehendi poterunt, quod extremum eſt facere debemus, ut aliud contra argumentum firmum, aut firmius proferamus. Sumpta ſunt, quæcunque nobis ad fidem ſumimus. ad fidem autẽ ſumimus argumentũ. ergo argumenta ſumpta ſunt. Et quoniã argumentum non niſi ex confeſſo fit, recte ea quæ ex confeſſis argumenta ſumimus, ſumpta dicuntur. Sunt autem ſumpta ſemper quatuor probabilia, tria neceſſaria. Probabile etenim argumentũ in quatuor diuiditur: Credibile, ſignũ, comparabile, iudicatũ. Neceſſarium in tria diuiditur: Cõplexionem, enumerationem, ſimplicem concluſionem. Itaque quia ſeptem argumenta, ſeptem ſumpta ſunt: de quibus argumentis cũ aduerſarius quodcunque ſibi ad fidem ſumpſerit, tu continuo certis modis poteris reprehendere, quos modos, à Cicerone traditos in ſingula ſumpta reprehendenda diligenter debemus attendere atque retinere.*

Quod pro credibili ſumptum erit, id infirmabitur, ſi aut perſpicue falſum erit, hoc modo.] *Enumerauit ſeptem eſſe ſumpta. Nunc docet unumquodque ſumptum quot modis reprehendi poſſit. & à probabili argumento incipit, in quo quatuor continentur: Credibile, ſignũ, comparabile, iudicatum. Itaque inquit, ſi aliquid ab aduerſario pro credibili argumento fuerit prolatũ, quinque id modis poſſumus reprehendere. Si aut, inquit, quod ſolidum aut primũ eſt argumentum, ipſum falſum eſſe doceamus. Aut ſi ex contraria quoque parte credibile eſſe monſtremus. aut ſi omnino erit incredibile, aut ſi id quod paucorũ eſt, omnium eſſe dicatur. aut ſi id quod raro cõtigit, fieri omnino denegetur. Falſum eſt, quod in re falſum eſt, & quod omnino aliter eſſe contendimus. ſicut ipſe ait: Nemo eſt, qui non pecuniam, quàm ſapientiam malit. Hoc itaque falſum eſt, ut etiam ſi unus fuerit inuentus qui ſapientiam malit, argumentum aduerſarij falſum eſſe dicatur. Ex contrario quoque credibile erit, ſi quid ab aduerſarijs pro credibili prolatũ,*

nihilominus

nihilominus credibile ſit ſi conuertatur. utputa, Quis eſt qui non officij cupidior quàm pecuniæ ſit? Hoc utique aduerſario pro credibili prolatum eſt, quod conuerſum nihilominus credibile eſt, ſi dicas, Quis eſt qui non pecuniæ cupidior quàm officij ſit? Ergo credibile reprehenditur, quod ex contraria parte conuerſum nihilominus credibile poteſt uideri. Incredibile autem dicetur, quod ab hominum opinione diſſentit. Et hoc intererit inter falſum & incredibile, quòd falſum in ipſa re eſt, incredibile uero in opinione. Itaque inquit, Incredibile eſt, utputa ſi auarus dicatur, mediocris officij cauſa maximam pecuniam contempſiſſe. Hoc itaque apud opinionem hominum credi non poteſt. quomodo enim auarus maximam pecuniam contemneret, mediocris officij cauſa, qui ob paruá pecuniam ſæpe officia magna contemnit? Inter falſum & incredibile hoc intereſt, quod falſum & credibile eſſe poteſt, & incredibile. deinde, quod incredibile eſt, uerum eſſe poteſt; & falſum. Sed uerum duplex eſt: nunc id quod uere geſtum eſt, nunc id quod uere geſtũ eſſe quibuſdam rationibus approbatur. Itaque ſæpe quod uerum eſt, & quia falſum eſſe non poteſt, incredibile eſt. Verum enim, quod Simon uolauit, ſed tamen incredibile eſt. Deinde ſi dicas, uno die duas controuerſias perſcripſi, cum nó perſcripſeris, in re quidem falſum: ſed tamen quia fieri potuit, credibile eſt. Rurſus credibile argumentum reprehendi poteſt, ſi quod paucorum eſt, omnium eſſe dicatur: utputa, qui pauperes ſunt, his nó officium magis quàm pecunia cordi eſt. Hoc quia generaliter dictum eſt, reprehendi poteſt. nam poſſunt aliqui pauperes inueniri, quibus officium magis cordi ſit quàm pecunia. Nec nos moueat, quod in argumento credibili, quod quidem ex perſonis fieri diximus, exemplum de loco poſuerit. credibile enim argumentum, id eſt, probabile, maxime quidem perſonarum eſt. Sed fit etiam ex attributis negotio, id eſt ex loco, tempore, uel reliquis. Itaque ſub hoc modo reprehenſionis duo exempla poſuit: unum á perſona, aliud à loco. Illud autem quod tertium uidetur, exemplo illi, quod ſub extremo modo poſitum eſt cógruum, non tertium eſt exemplum, ſed ſecundi concluſio. ut primum exemplum à perſonis ſit, Qui pauperes ſunt, his antiquior officio pecunia eſt. Secundum exemplum á loco ſit, Qui locus deſertus eſt, in eo cædem factam eſſe oportet. In loco celebri homo occidi qui potuit? Itaque hoc præceptum tenere debemus, quod ex attributis perſonæ maxime credibile argumentum cóficitur, Eſt tamen & in factis credibile. Signum autem non niſi ex factis conficitur. Scire tamen debemus, ex attributis perſonæ fieri & neceſſarium argumentum, ſi dicas, Pedibus æger quinquaginta milia qui potuit ambulare? Poſtremo credibile argumentum poteſt reprehendi, ſi id quod raro fit, nunquam fieri poſſe dicatur. Vtputa, nemo eſt qui puellã prætereuns adamet. Hoc rurſus generaliter quia dictum eſt, poteſt reprehendi. Ná frequenter & ſemel uiſa puella, poteſt adamari: ut in Eunucho adamat Cherea: & in Virgilio,

Vt uidi, ut perij, ut me malus abſtulit error.

His itaque quinque modis credibile poterit reprehendi: ſi aut perſpicue falſum eſſe oſtendatur, aut conuerſum ex contraria parte nihilominus credibile ſit: aut ſi incredibile demonſtretur: aut ſi quod paucorum eſt, omnium eſſe dicatur: aut ſi quod raro fit, id nunquam fieri poſſe dicatur. Quod autem pro ſigno ſumetur id ex iiſdem locis quibus confirmabitur, infirmabitur.] Dixit, quot modis credibile poſſit reprehendi, nunc tranſit ad ſignum. Si inquit, ab aduerſario aliquid pro ſigno proferetur, id iiſdem locis reprehendi poteſt quibus confirmatur. Verũ quoniã in definitione ſignũ eſſe dixit, quidquid in ſenſus cadit, maxima ſigna ſunt, & quæ in controuerſijs frequentius neceſſe eſt inueniri: oculorũ, & auriũ. Oculorum, pallet, puluerulentus eſt, cruentus eſt. Aurium uero, hoc dixit, hoc locutus eſt. Itaque præter hæc ſigna quæ oculis digitoq; monſtrantur, omne factum ac dictum ſignum eſt, quæ facta & dicta negotio attributa ſunt, id eſt continentia cum ipſo negotio. Quæ facta & dicta tripliciter conſiderantur, ante negotium, in negotio, poſt negotium. Itaque cũ ex his quæ negotio attributa ſunt, argumenta ſumpſerimus, ſignum eſt: id eſt ex his quæ cótinentia cum ipſo negotio ſunt, & quæ in geſtione negotij continentur. deinde ſi ex his fecerimus argumentum quæ perſonis attributa ſunt, credibile erit, & hoc ideo argumentũ dicetur, ut quaſi argumentum à perſonis fiat, ſignum à negotijs. & ideo Cicero in Ceciliana: Argumentis agemus, ſignis luce omni clarioribus crimina refellemus. Igitur ſi aduerſarius, inquit, aliquid pro ſigno protulerit, iiſdem ex locis reprehendere debemus, quibus confirmatur. & quoniam ignoratur quibus ex locis ſignũ confirmari debet, idipſum docet. Confirmatur autem quatuor modis. Primo, inquit, ſignum ipſum manifeſtum eſſe debet, id eſt, ut cum dixeris pallet, uere palleat. Deinde poſtquam conſtiteris eſſe ſignum, cóſtet rurſus eius rei eſſe ſignum de qua agitur: ut ſi dicas, occidit, nam cruentus eſt. Et quoniam diximus factũ omne ſignum eſſe, in facto autem & facta & dicta ſunt. Confirmamus, inquit, ſignum, ſi aut id factum dicamus quod non oportuerit, aut id factum quod oportuerit. Sed quia interdum per ignorantiam prouenit, ut aut id non faciamus quod oportet, aut id faciamus quod non oportet, tunc autem grauius delictum eſt ſi faciamus quæ non facienda ſunt, aut non faciamus quæ facienda: quia in eo quod facimus faciendum uel non faciendum, ineſt ſcientia delinquentis. ſcit enim quis aut faciendum eſt, aut non faciendum. idcirco poſtremum illud addidit ad confirmationem ſigni, ut non modo aliquid fecerit, aut non fecerit, ſed etiam ſcierit faciendum eſſe, aut non eſſe faciendũ. Poſtremo, inquit, ſciſſe eum de quo quæritur, eius rei legem & conſuetudinem. Itaque quatuor modis ſignum confirmamus. Primum, ut uerum ſit: deinde, ut eius rei de qua agimus, ſignũ ſit: deinde, ut doceamus, aut id factum eſſe quod non oportuerit, aut id non factum quod oportuerit. poſtremo etiam, ſciſſe eum utrum fuerit faciendum uel non faciendũ. Hæc quatuor confirmando ſigno attributa ſunt, quorum ſi aduerſarius quodlibet ad cóſirmandum protulerit, tu id quinque modis reprehendes. Dicere enim debebis, inquit, aut non eſſe ſignum, id eſt, ſi dicatur, homicidium fecit, nam pulucrulentus eſt: utique ad homicidium puluis ſignum eſſe non poteſt. Aut parum magno eſſe ſigno.] Etenim non modo ſignum proferendum eſt, ſed & plenum ſignum. Vnde illud in Terentio: Iam ſcio, magnũ ſignũ. Aut á ſe potius quàm aduerſarijs ſtare.] Si dicatur, ſcelus fecit, nam erubuit: cũ tu contra poſſis dicere, Immo ſcelus nó potuit facere, quia erubuit. Aut omnino falſo dici.] Si dicatur, neſcio quem pallere, cũ non palleat. Aut in aliam quoque ſuſpicionem duci poſſe demóſtrabitur.] Si dicatur, Quia pallet, occidit hominem, cum ſit pallor & ægritudinis. Itaque ſi quid ad confirmandum ſignum fuerit prolatum, his quinque modis reprehendi oportebit: quod quidem ſe in ſecundo libro de cóiecturali cauſa ſignantius tractaturum eſſe promittit. Cũ aũt pro cóparabili.] Cóparabile argumentũ ex ſimilitudine cóſiſtit. quod ut reprehẽdas, id quod aduerſarius ſimile eſſe uult, tu cótra diſſimile debebis aſſerere. Diſſimile aũt aliqd aut ſimile ſit, octo rebus oſtẽditur: Genere, natura, ui, magnitudine, tempore, loco, perſona, opinione. Verũ in his animaduertere debemus quid aduerſarius cóparet, ac ſimile eſſe perſuadeat. quod poſtquá perſpexerimus, illud ipſum nos diſſimile debemus oſtẽdere, quod aduerſarius ſimile eſſe cótendit. Alioqui ſtultũ eſt, ut cũ aduerſarius res inter ſe eſſe dicat ſimiles per naturá, nos eas aut magnitudine eſſe dicamus diſſimiles, aut genere, aut loco, uel cæteris. Sed id quod ſimile eſſe dicitur in natura, nos cótra in eadem natura diſſimile debemus oſtendere. quod rurſus dicitur ſimile eſſe in ꝑſona, nos in eadẽ perſona diſſimile eſſe doceamus.

Octo itaque modis diſſimile aliquid neceſſe eſt comprobari: Genere, natura, ui, magnitudine, tempore, loco, perſona, opinione. Generis triplicem ſignificationem ſcimus eſſe. Eſt autem genus, id eſt ſanguis, aut patria eſt genus, ſub quo plures partes continentur. eſt genus, rerum qualitas. Hic itaque genus duo illa ſignificat, ſub quo ſunt ſpecies, & illud quod qualitatem deſignat. Genus illud ſub quo ſpecies ſunt, ita ad ſimilitudinem ducitur, ut in hoc exemplo: Si iis qui imprudentes læſere, ignoſci oportet. his qui neceſſario profuere, gratiam haberi non oportet. In his enim ambobus unũ genus eſt, uoluntas abſens: cuius ſpecies ſunt, imprudentia, et neceſſitas. Itaque hæc ſpecie diuerſa, genere ad ſimilitudinẽ referuntur: id eſt, quia in utroque abſens uoluntas. Illud aũt genus, quod qualitatẽ ſignificat confertur, cũ utile utili, honeſtũ honeſto conferimus. utputa, tã hoc utile quàm illud tam hoc honeſtum quàm illud. Tertium illud genus, quod aut ſanguinem oſtendit, aut patriã, ad locum referri oportebit. Natura autem confertur, ita ut in hoc exemplo, in quo populi natura cum maris comparatur. Vt mare, inquit, quod ſua natura trãquillũ ſit, uentorum ui agitari, atque turbari: ſic remp. ſua ſponte placatam hominum ſeditioſorum uocibus & uiolentiſſimis tempeſtatibus cõcitari. Vim ſæpe eſſe diximus, ſingulorũ uerborũ ſimplicẽ ſignificationẽ. Hoc eſt illud neſcio quid quod intelligimus, cũ dictũ fuerit ſacrilegiũ. Iã magnitudo erit ipſius uis exaggeratio, utputa ſacrilegium atrox. In loco illam quæ iam abunde tractata eſt, qualitatem loci inſpiciamus. Tempus itidem ſuis inſpectum ſemper partibus conferamus: ut ſi opportunitas eſt, opportunitatem: ſi ſtatium, ſtatium conferamus. Perſona autem omnino manifeſta eſt. Opinio uero eſt iudiciũ populi. Hæc ita conferetur, ſi dicamus: ſic de illa re iudicatum eſt, ſic de hac iudicatum, aut iudicandum eſt: aut aliter de illa re iudicatum, aliter de hac iudicatum, aut iudicandum eſt. ut ſi pro nobis eſt, confirmetur: ſi contra, mutetur opinio. Ac ſi quo in numero illud, quod per ſimilitudinem affertur.] Hoc non quaſi alius aliquis modus conferendi eſt, ne forte quis credat, ſed opinionis expoſitio. Quæ quidem unam partem tenet ſolam.] Id eſt illam, cum ab aduerſariis coniuncta diſſoluimus. Si iudicatum aliquod infertur, quoniam id ex his locis maxime firmatur.] Et ad hoc nihilominus confirmandum, ipſe nobis indicat confirmationem. Nam quatuor modis dicit confirmandum nobis eſſe iudicatum: quibus utique ſublatis, infirmari poſſe declarat. Hoc eſt: Laude eorum qui iudicarunt: ſimilitudine eius rei, qua de agitur, ad eam rem qua de iudicatum eſt, commemorando non modo non eſſe reprehenſum iudicium, ſed ab omnibus approbatum, & demonſtrando fuiſſe id difficilius & maius iudicatũ quod afferatur, quàm id quod inſtet. Cum enim afferimus iudicatum, ut id noſtræ cauſæ proſit, neceſſe eſt primo à laude eorum qui iudicarunt id quod iudicatum proferimus, ordiamur. per iudicantium enim auctoritatem iudicati auctoritas confirmatur. Deinde, ut id quod iudicatũ proferimus, ſimile ei quo de agatur eſſe monſtremus. tum enim nos iudicatum adiuuabit, ſi huic ſimile demonſtretur. Verum hæc ſimilitudo octo illis ſimiliter partibus facienda eſt: hoc eſt, genere, natura, ui, magnitudine, loco, perſona, tempore, opinione. Et omnino hoc iam tenere debemus, quamcunque ſimilitudinem his nobis partibus eſſe faciendam. Deinde tertio modo iudicatum confirmamus, ſi oſtendamus ipſum iudicatũ non eſſe reprehenſum. Et non modo non reprehenſum, ſed etiã ab omnibus approbatum, ut hi iudices de hoc negotio ſimilia ſperare cogantur. Extremum illud, ſi difficilius & maius iudicatũ, quàm id quo de agitur, eſſe doceamus. Nunquam enim iudex in minore negotio facere dubitabit id, quod iam iudicatum in maiore perſpexerit. His itaque locis iudicatum confirmatur: iiſdem conuerſis infirmatur, id eſt, ut iudices uituperes, ut negociorum diſſimilitudinem doceas, ut reprehenſum iudicium illud demonſtres: & ut illud iudicium minus ac facile, hoc uero difficile ac maius oſtendas. deinde doceas quæ uitia in aduerſario perſcrutari atque inuenire debeamus, id eſt, ne forte illud iudicatum, quod affertur, huic negotio nihil proſit: & ne illud proferatur iudicium, in quo iudices contraxiſſe conſtet offenſam. Tertio illud conſiderandum, ne cum pro nobis ſimilia ſint multa iudicia, ab aduerſario unum aliquod diſſimile proferatur: ſtatimq; frangatur, quod quaſi probabile pro probabili profertur. Nam id quod uere probabile eſt, nullo modo aut difficillime poterit infirmari. Hoc eſt quod ait. Contrariis locis, ſi res aut uera aut ueriſimilis permittet, infirmari oportebit. Quæ uero ſicuti neceſſaria inducentur.] Tranſit à probabili ad neceſſarium argumentum, quod neceſſarium arg. ſi neceſſarium rebus ipſis fuerit, nulla ratione poterit reprehendi. Sin autem non rem, ſed modum ac formam neceſſariæ argumentationis habuerit, reprehendetur. Nouimus itaque tribus modis fieri neceſſariam argumentationem, per complexionem, per enumerationem, per ſimplicem concluſionem. Complexio eſt, in qua utrũ conceſſeris, id contra te futurum eſt. Hæc ita, ut diximus, ſi omnino neceſſaria eſt, non poterit reprehendi. Sin aũt ſolã formam neceſſariæ argumentationis tenebit, duobus modis reprehendetur: aut per conuerſionem, aut per alterius partis infirmationem. quos modos facile poterimus agnoſcere, ſi ipſa neceſſariæ argumentationis forma ponatur. Sin ueretur, quid eum accuſes qui probus eſt? Si non ueretur, quid accuſes, qui parui auditum æſtimat?] Hoc per conuerſionem ſic reprehendimus, ut cancellato ueluti reſpectu, primam propoſitionem ad ſecundæ propoſitionis dimittamus euentum. deinde ſecundã propoſitionem ad primæ propoſitionis ſubiungamus euentum: ita tamen, ut euentibus negatio adiuncta copuletur, hoc modo. Si ueretur, accuſes, quia id non parui auditu æſtimat: deinde ſi non ueretur, accuſes, quia non probus eſt. ita conuerſionum euentum accuſandum eſſe aſſeruit, quem aduerſarius dixerat non accuſandum. Accuſatio autem hic non publica eſt, ſed priuata obiurgatio. unius uero partis huiuſmodi reprehenſio eſt: Cum ex propoſitis duobus unumquodque frangitur. altero enim infirmato, uacillat alterum. Si ueretur accuſa.] facile enim uerecundus ab errore flectetur. Enumeratio uitioſa intelligitur, ſi aut præteritum quiddam dicemus quod uolimus concedere, aut infirmare, re.] Enumeratio pars neceſſariæ argumentationis eſt. Hæc cuiuſmodi ſit, ſupra diximus. Verum cum ab aduerſario proponetur, duobus modis poterit reprehendi, ſi aut aliquid prætermiſſum eſſe in enumeratione doceamus, quod pro nobis ſit, aut ſi omnia quidẽ enumerata ſunt, ſed in his aut contrariũ ponimus, & falſum eſſe monſtramus: aut confitemur aliquid ita eſſe, & oſtendemus eſſe pro nobis. Primus itaque modus ubi aliquid præteritum demonſtramus, quod prolatum noſtræ cauſæ proficit: ut eſt illud de equo, quem poſt aduerſarii enumerationem, ex hoſtibus captũ eſſe memorauit, id eſt, ex præda quæ propria cuique, nõ quæ cõfuſis omnibus fuerit communiter diſtributa. Altero autem modo reprehẽditur.] Alter eſt modus reprehẽſionis in enumeratione, in quo duo reſpicimus, utrũ aliquid contrariũ poni poſſit, an aliquid cõfiteamur ex his quæ aduerſarius enumerauit, propterea quòd honeſtum eſt. Contrarium ponimus, ſi cum aduerſarius equum neget hereditate ueniſſe, nos hereditate ueniſſe doceamus. Confitemur autem aliquid quod honeſtum ſit: ut ſi aduerſarius dicat, aut inſidias facere uoluiſti, aut amico morem geſſiſti, aut cupiditate elatus es: nos dicamus amico morẽ geſſiſſe. quod utique in cõfeſſione turpe nõ eſt, maxime ſi ea, quibus cũ hoc poſitũ eſt cõſideremus. Ita in reprehẽſione enumerationis aut prætermiſſum aliquid oſtẽdimus, quod tamen illatũ pro nobis ſit: aut ex omnibus quæ poſita ſunt, nũc aliquid per contrariũ refutamus: nunc quia pro nobis eſt, confitemur. Simplex aũt concluſio reprehenditur,

ditur, ſi id quod ſequitur, non uidetur neceſſario cum eo quod anteceſſit.] Hæc quoque ſi ex utroque, quo conſtat, id eſt ſi ex propoſito & adiuncto erit neceſſaria, reprehendi omnino nō poterit. Eſt autem huiuſmodi: Si dies eſt, lucet: ſi natus eſt, morietur. Vtique hoc ita neceſſarium eſt, ut frangi omnino nō poſſit. Tunc autem ſimplex concluſio poterit reprehendi, ſi oſtenderis adiunctum non cohærere propoſito. Vtputa, Si mater eſt, diligit: ſi aliquando peccauit, nunquam corrigetur. Vtique hoc cum adiunctum conſideras neceſſario cohærere non poſſe, neceſſarium eſſe non poterit, eritq; potius probabile. Ita neceſſarium per ſe conſtat, probabile multis aſſeritur argumentis. Hoc autem, Si aliquando peccauit, nunquam corrigetur: multis aſſerendum eſt argumentis. Quod uero multis aſſeritur argumētis, neceſſarium non eſt. Recte igitur huiuſmodi reprehenſa cōcluſio eſt, ſi formam neceſſariam, rem uero probabilem continere monſtretur. Verum hæc cuncta præcepta de dialectica traxit, quæ magna & difficilis eſt: de qua ſi facultas fuerit, poſtea tractaturum ſe eſſe promittit. Cum igitur ex iis quæ ſumuntur, aliquid non cōceditur, ſic infirmabitur.] Omnem argumentationem quatuor modis dixit poſſe reprehendi. Si aut ſumpta reprehendamus, aut cōcluſionem, aut ſi genus ipſum argumentationis uitioſum eſſe monſtremus, aut ſi contra firmum argumentum aliud noſtrum æque firmum aut firmius opponamus. Itaque iam ſumptorum dicta reprehenſio eſt. Sin autē, inquit, reprehendi ſumpta non poterunt, tunc erit reprehendenda concluſio concluſione. Itaque hoc animaduertendū eſt principaliter, ne cum in propoſitione ſit aliud, aut eſſe poſſit, aliud concludatur. Hoc itaque uitium erit dicentis. uitium porrò, aut apertum, aut obſcurum. Atque apertum in concluſione uitium erit, ſi res cum alia in propoſitione teneatur, alia omnino res in concluſione ponatur: utputa ſi agatur, an neſcio quis ad exercitū ſit profectus, & contra eum quis ſic uelit argumentari: Si ueniſſes ad exercitum, à tribunis militaribus uiſus eſſes: non es autem uiſus ab his, nō es igitur ad exercitum profectus. Hic utique apertum uitium eſt. nam propoſitio tenet, Si ueniſſes ad exercitum: Concluſio, Non es igitur ad exercitū profectus. cum iuxta propoſitionem debuit concludi, Non igitur ad exercitum ueniſti. Hoc itaque apertum uitium. In obſcuro autem duo nobis attendenda ſunt, ne aut ambiguitate propoſitionis, aut obliuione fallamur. Ambiguitas in propoſitione talis eſt: Si indigetis pecuniæ, pecuniam non habetis. Nā omnino qui pecuniam non habet, indiget pecuniæ: & ille qui habet, ſed maiorem habere deſiderat, indiget pecuniæ. indigere enim uoluntatis eſt. Hic itaque propoſitio ambigua eſt. Si indigetis pecuniæ, pecuniam non habetis. huius propoſitionis quancunque aduerſario propoſitam concluſionem alterius rei interpretatione poteris reprehendere. Vt ſi concluſione mendicos poſuerit, tu dicas eos qui pecuniæ indigeant, non te mendicos intellexiſſe, ſed eos qui cum haberent, maiorem tamen pecuniam uellent.

Deinde ſi ille huiuſmodi homines in concluſione poſuerit, tu contra in propoſitione dicas te intellexiſſe mendicos. ita aduerſarij concluſionem propoſitionis uiſa ambiguitate ſubuertes. Deinde aliud obſcurum uitium eſt, cum obliuiſcimur quid in propoſitione ſit poſitum, & aliud in concluſione conficitur: utputa, Si ad illum hæreditas ueniebat, ueriſimile eſt ab illo necatum. Hic ueriſimilitudo poſita eſt. Deinde hanc propoſitionem pluribus uerbis approbans, ſcilicet ut memoria propoſitionis ex animis auferatur. Poſt aſſumunt, Ad illum autem hæreditas ueniebat. Poſtremo inferunt concluſionem, Ille igitur occidit. Vtique in hac concluſione obliuio noſtra tentatur. Supra enim poſitum eſt, ueriſimile eſt ab illo necatum. Hic poſt approbationem longiſſimam propoſitionis non concludit: Veriſimile eſt igitur ab illo necatum, quod probabile eſt: ſed, Ille igitur occidit, quod neceſſarium eſt, quodq; à probabili propoſitione diſſentit. Itaque diligenter debemus attendere, ut concluſionē aduerſarij aut ambiguitate propoſitionis conuertamus, aut quia meminimus quid in propoſitione ſit poſitum, eandem concluſionem falſam eſſe doceamus. Ipſum autem genus argumentationis uitioſum his de cauſis oſtendetur.] Tertius reprehenſionis modus eſt, cū ipſum genus argumentationis uitioſum eſſe monſtratur. Verum hoc tenere debemus, quod ſumpta ſola nuda, & generaliter patentia modis ſuis reprehenduntur. Genus autem argumentationis in cauſa & in ſpecie poſitum conſiderare debemus, quod quidem ſumptis ſuis, & forma dictionis, quantum in ſe eſt, integrum eſt. Sed cum in cauſa poſitū quid operetur attendimus, tunc in eo uitia poſſumus inuenire. Itaque ipſum genus argumentationis duobus modis uitioſum eſt: cum aut in ipſo uitium erit, aut cum ad id quod inſtituit, nō accommodabitur. In ipſo uitium eſſe quatuordecim modis poſſumus inuenire. Deinde nō accōmodari ad id quod inſtituit, duodecim modis poſſumus deprehendere. quæ omnia Cicero, partim quia aperta ſunt, ſolis propoſitionibus: partim quia obſcuriora ſunt, etiā exemplis propoſuit, & explicauit. nos eadē perſequi, imo repetere, longū ac ſuperfluū eſt. Quartus modus erat reprehenſionis, per quem contra firmā aduerſarij argumentationem æque firma, aut firmior ponitur.] Quarta reprehenſio pertenuis eſt, et defectis omnibus extrema neceſſitate ponenda. nā & ſumpta uera eſſe concedimus, & concluſionem recte habitam fatemur, & ipſum genus argumentationis uitioſum nō eſſe concedimus. ſed cōtra firmā aduerſarij argumentationē nos, quoniā nihil poſſumus reprehendere, aliā argumentationem æque firmā aut firmiorē proponimus. Verum hoc in deliberatiuo genere cauſæ uſu prouenit, cū aut utile aliquid aduerſario concedimus, ſed nos aut utilius, aut honeſtius aliquid demonſtramus: aut honeſtum aliquid aduerſario concedimus, ſed nos honeſtius aliquid, aut neceſſariū eſſe monſtramus. Verum nunc tranſit ad concluſionem, id eſt, ſextam, eandemq; extremam partem totius orationis. Quo loco Hermagoras digreſſionem ſupponit, id eſt orationem, in qua præter controuerſiam cauſæ, aut laus noſtra, aut aduerſarij uituperatio concinnetur, aut quæ ad aliam rem tranſitum faciat, non per argumentationem, ſed per amplificationem. hanc Tullius non partē orationis uult eſſe, ſed in omnibus orationis partibus inſertari, ac ſubijci poſſe declarat: ut certis locis poſt rem aliquā probatam, aut amplificationem aliquam ſubijcias, aut laudem, aut uituperationem. itaque non digreſſionem ſexto loco, ſed concluſionem Tullius ponit.

DE CONCLVSIONE.

Oncluſio eſt exitus, et determinatio totius orationis.]

c Concluſio eſt, inquit, finis ac terminus orationis, ſed totius orationis. Nos epilogos accipiamus. huius cōcluſionis partes ſunt tres: enumeratio, indignatio, conqueſtio. Verum hoc diſtant, quod indignatio & conqueſtio tantum animos mouent, diuerſo tamen exitu, nunc uero iracundia cōtra aduerſarios commouetur, nunc miſericordia circa nos. Enumeratio uero & animos mouet, & fidem facit. nam cum repetit quæ dicta ſunt, fidem: cum uero omnia coaceruat & colligit, animos mouet. hæc enumeratio non ſemper uniformiter ea quæ dicta ſunt colligere debebit. ne cum odioſum, tum etiam quod maxime contrarium eſt fieri uideatur ex arte. itaque ſupradictorum repetitio varianda eſt. Variatur autem modis quatuor, ſi aut eas res quas ante dixiſti, breuiter pſtringas et colligas, quod quidem factu facile eſt: aut ſi in memoriā audientium reuoces, quas partes in partitione propoſueris, et quibus rationibus unamquanque partem confirmaris: aut ſi interroges iudices, quid amplius uelint cognoſcere, cum hoc & hoc docuerimus, cum hoc et hoc planum. atque hæc nunc per noſtrarum argumentationum repetitionem, uel confirmationem: nunc etiam per aduerſariorū

argumentationum reprehenſionem. Deinde hæc ipſa enumerationum genera non ſemper à noſtra perſona facienda ſunt, ſed nunc à noſtra, nunc à ſuppoſita, nunc à re. A' noſtra perſona quemadmodum accipiat orationem, in promptu eſt. Suppoſita autem perſona accomodatur oratio, ſi dicas: nam ſi legis ſcriptor aſſiſtat, & quærat à nobis quid dubitetis, quid poſſetis dicere, cum uobis hoc et hoc ſit demonſtratum. Rei etiam ſic accommodatur oratio, ſi aut lex, aut locus, aut urbs, aut monumentū aliquod accipiat orationem. Per enumerationem ſic: Quòd ſi leges loqui poſſent, non'ne hæc apud nos quererentur? Quid nā amplius deſideratis, iudices, cū uobis hoc & hoc planū factū ſit? Verū etiā in his enumerationibus, quæ aut ſuppoſitæ perſonæ, aut rei dantur, ita ut in noſtra perſona illa omnia enumerationum genera urianda ſunt, ut nunc ſingulatim ſingula noſtra argumenta percurrantur, nunc partitionis promiſſio ſuis rationibus exæquanda ſit, nunc interrogatio ad iudices facienda, nunc & noſtrarum & aduerſariorū argumentationum copulanda collatio. Commune autem præceptum hoc datur ad enumerationem, &c.] Commune autem hoc erit in enumeratione præceptum, ut ex unaquaque argumentatione, quoniam non poteſt recenſeri unumquodque, quod ualidum eſt deligatur, ut memoria renouetur, non omnis repetatur oratio. Indignatio eſt oratio, per quam conficitur, ut in aliquem hominem magnū odium, aut in rem grauis offenſio concitetur.] Indignatio et conqueſtio tantūmodo motus excitant ad iracundiam, uel odiū: indignatio ad iram, ad miſericordiam conqueſtio: quæ utraque hiſdem locis ſumi poterit, quibus argumentatio cuncta conſiſtit, id eſt, ex attributis perſonæ, & attributis negotio. Ex his enim & fides comparatur, & cumulus. Verum indignatio propria ueluti accuſatoris eſt, ut iram in reū ſuſcitet: conqueſtio autem uelut propria defenſoris eſt, ut in reum ſuſcitet miſerationem. Sed cum indignatio uel conqueſtio apud perſonas agentium pro proprietate præualeant, utrunque tamen ab utroque faciendū. nam & accuſator iram in reum, miſerationem uero pro ſe ſuſcitare debet: & rurſus defenſor miſerationem pro ſe, iram uero in accuſatorem ſuſcitare debebit, Hoc ita faciendum, quemadmodum etiam ab utroque, & propriæ argumentationes confirmantur, & aduerſariorum reprehenduntur. Verum cum indignationi & conqueſtioni iam dederit generale atque commune præceptum, quod ex attributis perſonæ uel negotio ſumi poſſunt, dat tamen ſingulis proprios locos: indignationi quindecim, conqueſtioni ſexdecim. Nec nos locorum ipſorum ordo moueat, quòd in quoſdam numeros ordinantur. nulla etenim etiam ipſo ordine rerum auxeſis eſt, nullus gradus ad maius aut ad minus: Sed idcirco locis ipſis numerus datus eſt, quia melius & tenentur ſæpe præcepta, nullamq́; recipiunt confuſionem, ſi ad memoriam numeris collocentur. quanquam indignationis primum locū recte ſumpſerit, quod ex rebus omnibus à numinibus traxit exordium. Sed, ut diximus, in hoc locorum numero rerum ordinem nolo quæramus, ſed ex more manifeſtioris præcepti factum eſſe meminerimus. Iam ipſi loci diligenter inſtitietibus manifeſti ſunt, id eſt res quæ præcipiūtur, facile perſpici poſſunt. Illud tamen præceptum tenere debemus, ſiue in indignatione, ſiue in cōqueſtione, nos locis omnibus uti nō oportere, ſed his quos cauſa ſuggerat: neque his omnibus, ſed quoad iudicantium animi moueantur. Quod ſi etiam uno aliquo loco factum uiderimus, orationem continuo finire debemus. Ita enim uel lachrymæ dum incipiunt, ac recentes ſunt, plurimum ualent. Conqueſtio eſt oratio auditorum miſericordiam captans.] Diximus conqueſtionis opus hoc eſſe, ut animos iudicantium ad miſericordiam moueat. Huic autem dat proprios locos ſedecim, in quibus (ut diximus) non erit nobis rerum ordo quærendus, ſed quicunque locus ad miſericordiam efficiendam pro negotij qualitate ſumendus Hoc autem ſcire debemus, multos eſſe communes locos & indignationi, & conqueſtioni: & recte: neque enim iudex poteſt nobis præbere miſericordiam, niſi iram aduerſariorum conſequatur: aut iraſci poterit aduerſario, niſi in hoc ipſo nobis animum præbeat miſericordem.

M. FABII VICTORINI IN LIBRVM CICERONIS DE INVENTIONE SECVNDVM COMMENTARIVS.

CROTONIATAE quondam cum florerent omnibus copijs, & in Italia cum in primis beati numerarentur, templum Iunonis, quod religioſiſſime colebant, egregijs picturis locupletare uoluerunt.] Omnis præfatio quaſi ſimilitudo eſt ante id quod dicturi ſumus, ita in ea ſemper ſimilitudo captanda eſt. quanquam ſæpe ad hoc deducitur, ut ſimilitudo tollatur. Vnde ſiue futura ſimilitudo eſt, ſiue non, in eo quod præfatio præparatur, animaduertendum ſemper eſt, utrum etiam toto ſimilitudo præfationis pateat, an partibus an in parte. frequenter enim cuncta conueniunt, frequenter diuerſis in præfatione poſitis, cū ea re ad quam præfatio ducitur, quædam in præfatione ſimilitudo confertur. Hic ad quod ducitur præfatio, illud eſt, Ex multis artium ſcriptoribus, electa multa, & ad unam quam ſcripſit artem, quo pulchrior redderetur, præcepta ex multis multa collecta. Huic igitur rei præfatio illa eſt, Zeuſim pictorem nobilem Helenæ ſimulachrū pinxiſſe: ſed eum conductis et in unum uocatis quinque uirginibus, quidquid eſſet pulcherrimum delegiſſe. hoc ut perſpici licet, in ſumma conuenit: quia hic & ille multa de multis. Verum præfert Tullius opus ſuum, quod magis multa ipſe. ſiquidem præteriti temporis ſcriptores, & præſentis in iudicio habuit. & non unius ciuitatis, nec unius linguæ: quippe cum & græcos, & latinos. at uero Zeuſis ex una ciuitate, & ipſius temporis eligendi habuit facultatem. Crotoniatæ quondam cum florerent.] Si partibus conductis tota conueniunt, pulchra ſemper & præcipua præfatio eſſe dicetur. Crotoniatæ Romani ſunt, cum florerent omnibus copijs, Romanis conuenit. Item conuenit, & in Italia: cū in primis beati numerarentur. Iunonis uero templum, quod locupletare egregijs picturis uoluerunt: ſic & eloquentia uel facundia templum, Zeuſis & Tullius. cum multa dicendi genera ſint, ut inter picturas multas Helena, ita inter cæteras dictiones eminet ſemper oratoria. & ut Zeuſis in pingendis fœmineis uultibus ſummus, ita in orationibus Tullius. pinxit Zeuſis multa, quæ uſque ad noſtram memoriā manent: ſæcula poſteriora tenens, quidquid pinxit oratio Tulliana. Zeuſis Helenæ ſe ſimulachrum pingere uelle dixit: non enim Helenam, ſed ſimulachrum fuerat traditurus. ita Tullius ſcribendo artes, non orationes, non ipſam eloquentiam, ſed ſimulachrū eloquentiæ fuerat traditurus. Hoc conuenit & illa ſententia, quod ex animali exemplo mutū in ſimulachrum ueritas transferebatur. Mutum enim ſimulachrum eloquentiæ ars eius, ipſa autem eloquentia quaſi animal. Ita per partes poterit ei rei ad quam confertur præfatio, conuenire, relicto eo quod poſtea præponitur. quod cum Tullius ex omnibus multa quæſierit, & omni tempore Zeuſis ex una ciuitate & uno tempore comparauit. At ſi par in nobis.] Finito præfationis uno genere, ſimilitudinis ſcilicet, nunc prælationem, quæ etiam ipſa in præfatione facienda eſt, incipit dicere. Exemplorum eligendi poteſtas.] Ideo hoc opus eſſe poſſe melius, principe illo, atque in-

uentore Tiſia Corax & Tiſia artes primi oratorias apud græcos ſcripſiſſe dicuntur, ſicut & ipſe, cuius inſtituta ſequebantur, fecerat. Gloria Xenocratis philoſophi motus Ariſtoteles, philoſophiam exercuit. gloria Iſocratis motus, rhetoricæ præcepta conſcripſit. Artis ſibi curam aſſumebat.] Voluit enim Ariſtoteles propter Iſocratem, cum philoſophus eſſet, etiam præcepta dicendi tradere. Alterum communi hominum infirmitati, alterum ſingulari.] Non intelligere, omnium poteſt eſſe, & eſt uitium commune. ſingulare uitium eſt, ut cum non intelligas, in eo quaſi intelligas perſeueraret. Hæc commode perſcripſiſſe uideamur.] Id eſt, ut præcepta commode tradidiſſe uideamur. Arroganter aſſenſerimus.] Hoc enim magnum uitium, temere aſſenſiſſe. Igitur primus liber expoſito genere huius artis, & officio, & fine, & materia, & partibus, genera controuerſiarum, & inuentiones, & conſtitutiones continebat.] Propoſiturus quid dicendum ſit in ſecundo libro, prius enumerat quid in primo dixerit, de genere, de officio, de fine, de materia, de partibus, de inuentione, & eius conſtitutionibus, cæteriſq; rebus, item de partibus orationis: quas cum pleno præceptorum genere compleuerit, confirmationem et reprehenſionem non ad cauſarum ſpecies, ſicut oportuerat, applicauit. Dedit enim præceptum, quomodo in omni cauſarum genere argumentandum ſit. Ergo nunc ad ſpecies applicatæ argumentatione dicturum ſe pollicetur: ita tamen ut non de expolitione argumentationis, quæ in primo pleniſſime tractata eſt, ſed de argumentis loquatur in unoquoque, genere cauſarum, id eſt, in coniectura ſiue qualitate, tranſlatione, & cæteris his incidentibus. & potuit quidem hoc eſſe contentus, ut ſpecialiter de conſtitutionibus diceret in quocunque genere cauſarum, quæ eſſent confirmandi præcepta, quæ reprehendendi. Verum quoniam ipſa quoque genera cauſarũ propter ſuos fines diuerſos, diuerſa præcepta deſiderant, cũ iudicialis habeat æquitatem, demõſtratio honeſtatem, deliberatio honeſtatem & utilitatem cõfirmandi & reprehendendi præcepta quæ ſunt in conſtitutiones ſingulas dabit in iudiciali genere cauſarũ, in poſtrema libri parte de deliberatione & demonſtratione propter fines proprios aliqua tractaturus. Expoſito genere.] Quod eloquentia magna & ampla pars eſt ciuilis cuiuſdam quæſtionis. Et officio.] Officium eius artis eſt dicere appoſite ad perſuadendũ. Finis, perſuadere dictione. Materia.] Quodcũque in ciuilibus negotijs reperitur, Non autem omnia, ut uoluit: Gorgias Leontinus nec etiã cauſas & quæſtiones omnes, ut uoluit Hermagoras. Partes autem eius ſunt, Inuentio, diſpoſitio, elocutio, memoria, pronunciatio. Genera controuerſiarum.] Id eſt genera cauſarum: iudiciale, deliberatiuum, demonſtratiuum. Inuentiones.] Nam de quinque partibus orationis ſolã inuentionem tractas: deinde partes orationis, exordium, narrationem, partitionem, confirmationem, reprehenſionem, concluſionem, quo pacto tractari conueniret argumentationes, ſyllogiſmum, et inductionem. Hic tantum ipſa inuenta.] Id eſt, argumenta ipſa, non expolitionem, aut ſententiæ dictionem. Conſtitutiones omnes iudiciali in genere cauſarum tractabuntur. Nunc à coniecturali conſtitutione proficiſcamur, cuius exemplum ſit hoc expoſitũ.] Secundus liber confirmationem & reprehenſionem ipſis conſtitutionibus applicauit, cum primus liber generaliter omnem materiam omnibus dederit. Ac primo de coniectura proponit exemplum, non ipſum exemplum tractaturus, quoniam in exemplo non omnia ineſſe poſſunt, quæ cadunt in coniecturam. Omnia enim exempla, quæ in coniectura ueniunt, uel uenire poſſunt, præcipienda fuerant in argumentis. ergo de coniectura erit præceptio, quia exinde in thema quodlibet coniecturale, quod neceſſarium fuerit, facile poterit deuocari. Hoc autem fieri à Tullio intelligamus, etiam in omnibus conſtitutionibus, ut exemplum cuiuſlibet conſtitutionis det, non tamen ipſum tractet exemplum. Propoſitio itaque exemplo coniecturali ſecũdum præcepta primi libri, docet quæ ſit intentio, quæ depulſio, ex quibus duobus pateſit quæ ſit conſtitutio: deinde admonet, quòd in coniectura factum non conceditur, eademq; quæ quæſtio eſt, ipſa eſt iudicatio. Occideris'ne.] In coniectura enim factum non conceditur. unde poteſt ex deductione rationis, & refutatione naſci poſt quæſtionem primam alia quæſtio, quæ dicitur iudicatio. ſubiungit poſt admonitionem, dare ſe præcepta huic conſtitutioni, & argumentorum locos omnes coniecturæ conuenientes, ex quibus in quamlibet coniecturam, qui neceſſarij fuerint, deuocabuntur. Sunt igitur coniecturæ loci hi principales: à cauſa, à perſona, à facto. A' cauſa eſt, quamobrem fiat aliquid: & quæ paris uoluntatem. de cauſa enim loquitur hominis, non rei: qua cauſa uolumus probare, quod uoluit facere is cui intenditur factum. Perſona autem omnis ille eſt, qui feciſſe dicitur: hoc eſt, illa ex omni uita per attributa perſonis ſumpta approbatio, ad id quod intenditur factum. At uero à facto probationes habebunt facta illa omnia, quæ probant factum illud unde iudicium eſt. Nam factum tria ſignificat. eſt factum uitæ præteritæ, quod perſonam probat: eſt factum & illud, quod intenditur, ipſum illud quod dicitur occidiſti. Eſt factum tertium hoc, quod tribuit argumentum ad factum illud unde iudicium eſt: ut tranſiſti, clamaſti: quibus probatur Occidiſti. hoc ergo ultimũ eſt, quod dixit. A' facto.] Quod ipſum perſpicitur in tribus illis: ante negotium, in negotio poſt negotium. ſimul cum ſummis, per quæ ſe explicant facta, loco, tempore, modo, occaſione, facultate. Ergo hæc tria ſunt, quæ coniecturæ ſuggerunt argumenta, cauſa, perſona, factum. Cauſa ipſa diuiditur in duo, in impulſionem & ratiocinationem.] Impulſio motum habet repentinum, non uoluntarium, ut amor, uinolentia, & omnino omnia huiuſmodi quæ ueniam merentur, ſi cõfiteatur idipſum quod feciſſe arguitur. nam ſi negat, argumenta ſunt à cauſa: ut ſit, Feciſti, quia uinolentus fuiſti. feciſti, quia amore feciſti. feciſti, quia iracundus es: quibus cauſis probatur facere potuiſſe, quod negat. Ratiocinatio autem cauſa eſt etiam ipſa uoluntatis. hæc ratio faciendi fuiſſe oſtendit uoluntatem, aut non faciendi: quæ ſumitur ex ratiocinatione uel boni, uel mali, ſiue iam præteriti boni, ſiue futuri pariter mali, uel præteriti, uel futuri. quod nos diximus malum, uel bonum, id eſt ut gloriæ cauſa, ut amicitiarum, ut inimicitiarum ulciſcendarum, & metus, & pecuniæ. His igitur commodis, uel incommodis, hos gradus dat primos. commodi retinendi utique quod habent, & augendi, deinde adipiſcendi, id utique eſt quod non habebat. contra incommodi reijciendi pariter, & hic id quod habebat imminuendi, deuitandi utique quod futurũ erat. Ita tria hæc tribus ſuperioribus reſpondent: commodis incommoda: illic retinendi, hic reijciendi: illic augendi, hic minuendi: illic adipiſcendi, hic deuitandi. quibus etiam illa accident, ut aliquid commodi ſumamus, uel ut maius commodum conſequamur, uel ut maius incommodum uitemus: aut rurſum, ut incommodum aliquod prætereamus, uel ut maius commodum adipiſcamur, uel ut maius incommodum deuitemus. Nam & ſuſcipi commodum paruum poteſt, ut maius aliquod commodum conſequamur, uel incommodum maius uitetur. & rurſum commodum contemni poteſt, uel ut maius commodum conſequamur, uel ut maius incommodum uitetur: ut leno contentus fuit ſine lucro meretricem dare, ne ab Aeſchino uerberaretur. & uelut in Verrinis accipi poteſt, Malo non habere, quàm rogare. Rurſus contempto commodo ſuſcipi maius commodum poteſt, ut Terentianum illud eſt in ſuaſione: Pecuniam in loco negligere, maximũ interdum eſt lucrum. Quæſtio uero eadem coniecturalis eſt, quæ & iudicatio, quia ratio deeſt. non enim factum in confeſſione eſt. ideo eadem erit iudicatio, quæ quæſtio. & in horum locorum quæ coniecturalia ſunt, & in cæte-

rorum, id eſt, cæterarum conſtitutionum conueniunt in locos: Omnis igitur ex cauſa, ex perſona, ex facto ipſo cōiectura capiē da eſt.] Omnis hic locus à cauſa, ſiue impulſionis, ſiue ratiocinationis cōiectura, maximũ eſt fundamentũ. non quòd cũ cauſa ſit, continuo & facinus cōprobetur: ſed quoniã facinus nullum eſt, quod non ante cauſa præceſſerit. Supponit deinde locos quibus accuſator utitur, cum aſſerit impulſione aliquid eſſe factum. ex quibus primus eſt, amplificatio eius rei quæ impulſionem pariat. deinde approbatio, quid ex ea fiat per exempla, ut amore ſe interfecit. Tertio loco comparationem facimus, & declarata impulſione, euentum eius cauſæ fuiſſe cōcludimus. his tribus locis accuſator utitur in impulſione. In ratiocinatione uero hi ſunt, quos nunc dicam: demonſtratione, quid petierit, quid fugerit: augmenti, quanta res ſit quam appetierit, aut fugerit. Præter hæc duo, unũ etiam illud accuſator conſiderare debebit, ne forte iſta quæ ſecutus ſit, aut fugerit, in opinione tantum habuerit reus, neque conſecutus ſit commoditatem, neque ullum malum fugerit: ſed dicendum eſt, ei ita fuiſſe uiſum qui arguitur, & ſit ſua opinione deceptus. opinio autem dupliciter, decipit, modo dum rem aliter putat, atque eſt eadem res: modo dum aliter euenit, quàm putauit. Res fallit, ſi mala creditur, cum bona ſit: uel contra, uel neutrum, uel utrunque. Ergo cum hoc intelligi poſſit, quod opinio fallit homines tum in re, tum in euentu, cum in re reus uti hac cœperit forte defenſione, non ſibi antiquiorẽ fuiſſe pecuniam uita, aut fratris, aut amici: Accuſator debet uerũ argumentũ concedere. eſt enim credibile, Sed confirmare debebit, hoc ei qui arguitur nō ita uiſum fuiſſe: & hoc approbare ex attributis perſonæ, non hanc illũ habuiſſe opinionem, ſed illam potius habuiſſe, quòd talis eſt, quòd ſcilicet perſona eſt. Sic argumentabitur accuſator de eo cuius opinio falſa eſt in re. Cum autem euentus fallit, quod accidit exempli modo, cum aliquis miſſo telo alterum interfecit, ut in ſchola controuerſijs. Vt uero in cauſis forenſibus, cum quis eum dicatur necaſſe, cuius hæres non ſit, ſed tantum ſperarit hæredem, accuſatoris eſt locus, cogitationem ſpectari debere, non euentum. & hæc de ratiocinatione. In cauſa autem omni, ſiue in impulſione, ſiue in ratiocinatione laborandũ eſt, fuiſſe illis poteſtatem, aut facultatem, aut uoluntatem. Poteſtas eſt, qua poſſe oſtēditur. facultas eſt, qua adiutores, & cætera demonſtrãtur: uoluntas eſt, qua uelle, uel uoluiſſe aliquid declaratur. Ita aliud erit uoluntas, aliud cauſa, ſiue impulſio ſit, ſiue ratiocinatio. illæ enim efficiunt uoluntatem. Non aũt quod efficitur, hoc eſſe debet, quod eſt illud quod efficit. Nam ſæpe & cauſæ ſunt, & deeſt uoluntas: quæ probari poteſt uel fuiſſe, uel non fuiſſe, tametſi cauſa præceſſit. Hoc ex perſonæ potius attributis confirmabitur, quibus talis doceatur, ut potuerit cauſis cōmoueri. Hæc igitur accuſator dicet, & cũ uolet alios defendere, quibus fuiſſe cauſa faciendi declarabitur. Deinde adiunget etiam alios locos, quos defenſori Tullius dabit ad ſe purgandum. Quibus locis utetur, ſicuti diximus, accuſator, cũ defendet alios: ſed hoc breui faciet. Illorum enim defenſione alterum alius uult accuſare, non ipſos oſtendere innocentes. Ita in maiore eſſe actu non poteſt, quod alteri proficit. Omnis igitur ex cauſa, ex perſona, ex facto ipſo coniectura capienda eſt, quæ parit uoluntatem, uelle uel uoluiſſe, id eſt, cauſa quæ quid ortum ſit, oſtendimus attributum perſonæ, id eſt perſonæ. Attribuet autem negotio, id eſt, quòd ait facto, cauſa diſtribuitur in impulſionem & ratiocinationem. Rationem ſcilicet, non ratiocinationem illam, ut ſupra legimus ſyllogiſmi. Vt amor, iracundia, ægritudo.] Inter iracundiam & iram hoc intereſt, quod iracundia perpetua eſt, ira ad tempus ſuſcipitur. Atque hoc fit, ut iracundia ſit impulſio, ira ratiocinatio: ut odio quis iratus, uel metu occidiſſe dicatur, quod ratiocinationis. cæterũ iracundũ eſſe, quia ſemper eſt ad impulſionem, dicimus, quæ propter talem naturam admiſſum facinus poſſit oſtendere. Aegritudinem uero morbũ animi poſuit, non corporalem. in quibus aut commodi aliquid maioris adipiſcendi cauſa, aut maioris uitandi incommodi ſuſcipitur: ut aliquid commodi ſuſcipiatur propter duas res, uel ut maius aliquod commodum conſequamur, uel ut maius incommodum deuitemus. Hic locus eſt.] Id eſt cauſa. Niſi aliquid quare factum ſit oſtenditur.] Quæ ſit cauſa quæ parit uoluntatem, ſiue per impulſionem, ſiue per ratiocinationem. Ergo accuſator, cum impulſione aliquid factum eſſe dicet.] Locis confirmationis à cauſa per impulſionem primo datis, redit ad reprehenſionis modos, qui ſimili impulſu aliquid commiſerunt, & ſimilitudinum collatione, ut applices exemplum, & doceas ſimile comparando. Et ipſius animi affectionis explicatione.] Curandum eſt, ut ipſius affectionis, hoc eſt, rei ſit explicatio. Vt non mirum uideatur, ſi quod ad facinus tali perturbatione commotus animus acceſſerit.] Id eſt, ut ueriſimile probet, & per exemplum, & per explicationem animi affectionis, ut quoad eius fieri poſſit, quantum in hac re fieri poteſt, quid in opinione eius quem arguet, fuerit, ut nō ſolũ quid conſecutus ſit, uerum etiam quid ſperauerit. Si oſtendi poteſt ei uiſum eſſe qui arguatur, ut uoluntatem criminetur etiam ſi effectus defuit, ut ex eo cauſam habuerit, quia timuit, quia ſperauit, etiam ſi nihil aut commodi aut incommodi acceperit. Nã opinio dupliciter fallit homines.] Opinio fallit in re, cum opinio uera nō eſt, & errat ab eo quod in uero eſt: ut cũ res mala ſit, bona credatur. uel contra, euentus fallit opinionem, cum opinio quidem uera eſt, ſed eam interueniens caſus decipit, ut cum res bona eſt, & bona creditur, ſed aliquo caſu in malum uertitur. Iam in cauſa ipſa hoc modo poſſumus dicere, id eſt ut dicamus, Ideo occidiſti, quia te hæredẽ fore putaſti, licet alium hæredem fecerit. Ita ſemper in opinione eſt & euentus. fallit & res, cum aut aliuſmodi eſt quàm creditur, aut aliter creditur, quàm putatur habuiſſe prouenire. Aut non is euentus eſt, quem arbitrati ſunt.] Cum aut ipſa res qualis ſit ignoratur, aut cum res certa fuerit, aliter eueniat quàm putatum eſt: aut id quod bonum eſt, malum putant, & reliqua. Hoc intellecto.] Quòd homines impellantur non ſola ratiocinatione uera rerum, uerumetiam falſa. Hoc intellecto, quòd fefellit eum res. Illi ita non eſſe uiſum, ut quamuis uerum ſit quod dicatur, ipſi tamen non fuerit iſta ſententia. Ex ijs quæ ad perſonam pertinent.] Attributa perſonæ, quæ probant perſonam: ut ſi qui dicatur alium occidiſſe, ac uoluerit. Exemplum ad euentum falſum probandum poſuit, non ad probationem cauſæ per coniecturam. Aut eum necaſſe, cuius teſtamento non ſit hæres.] Exemplum in cauſa. Non quo caſu utatur, ad rem pertinere.] Τὰ μεθάλλα coniecturæ ſunt, ἡ ἔκβασις, id eſt euentus, accidentia, effectus, caſus, poteſtas. Si aut neſciſſe, aut non affuiſſe.] Non fuit neceſſe facere, etiamſi cauſa fuiſſet. Et ſi fuiſſet cauſa uidendi propter æs alienum, non tamen neceſſitas ut deos patrios uenderet. Defenſor autem ex contrario. Primum impulſionem aut nullã fuiſſe dicet: aut ſi fuiſſe concedet, extenuabit.] Dati ſunt loci accuſatori, quibus uti debeat ad probationem cauſæ per impulſionem. Item alij dati ſunt, quibus uti debeat ad probationẽ cauſæ per ratiocinationem. Nunc ſupponit defenſoris locos in infirmanda impulſione, & infirmanda ratiocinatione. Infirmandæ impulſionis loca ſunt quatuor: negare, minuere, negare eius effectum quæ intenditur, impulſionis ipſius naturam docere. Confirmare exemplis, & ſimilitudinum propoſitione. Ratiocinationis loci ſunt quatuor. Quoniam ratiocinatio eſt aut in re, aut in opinione. In re, commodi, uel incommodi. loci eius erunt, negare, commodum minuere, dicere alijs magis fuiſſe, aut tantum & ſibi quantum & alijs, aut incommodũ maius quàm commodum. Pariter & de incommodis iſta dicentur, quod dicitur euitatum nullum fuiſſe incommodum, non tantum fuiſſe

incommodum,

incommodum, alijs magis fuiſſe incommodum, aut alijs tantum quantum ſibi, aut maius commodum quàm incommodum. Sin accuſator dixerit.] Si in ratiocinatione opinio ponetur, infirmandi loci ſunt quatuor: non tale eſſe uel commodum uel incommodum, ut poſſit aliquem fallere: maxime ſe non potuiſſe, quod firmabitur perſona. Poſt hæc omnia, defenſor uti poterit omnibus locis accuſatoris, ſi in alios crimen trãſferre uoluerit. Quemadmodum enim accuſator ut reum conuincat, defendit alios, & utitur partibus ac locis defenſoris: ita & defenſor, ut ſe purget, accuſabit alios, & in hoc utetur partibus ac locis accuſatoris aut ſi fuiſſe concedet, extenuabit quæ auget accuſator. Ex perſona autem coniectura capietur, ſi eæ res, quæ perſonis attributæ ſunt, diligenter cõſiderabuntur.] Explicitis præceptis omnibus ad cauſam pertinentibus, ſubiunguntur præcepta perſonæ attributa, & quemadmodũ his uti poſſit accuſator, quemadmodum etiam defenſor in coniecturali conſtitutione. Et hæc quidem perſonæ attributa in primo libro quanquam ſingula expoſuerit, & explicarit: hic tamen nunc breuiter repetit, quæ ipſa ſint, & quid ſint: poſt præcepturus, quemadmodum his uti poſſit accuſator, quemadmodũ defenſor. Quo in genere eſt uirtus, & ſcientia animi.] quæ eſt ſtultitiæ cõtraria. Amor, iracundia.] Affectio enim facile euentũ ſuum declarat, ſignumq́; ipſa eſt eius rei, quã ex ſe parit. Et ipſorũ uis.] Quid ipſa ſint, non quid ex ſe gignãt. Et quæ rei harum aliquã rem cõſequãtur.] Quid ex ſe gignãt, nõ quid ex ſe ipſæ poſſint. At perſonis quidem res eæ ſunt attributæ, ex quibus omnibus unum in locum coactis, accuſatoris erit, improbatione hominis uti,] Expoſitis breuiter attributis perſonæ, quia ita res repetita poſcebat, dat accuſatori ex his præceptũ, ut excutiat uitam præteritam. Parum eſt enim cauſam commendaſſe ſolã, ſi nõ quæ ab hac impelli poſſet, perſona conſentiat. Ergo accuſator ex uita præterita proferre debet ſimilia peccata, ſimiles cauſas in rebus, uel in paribus, uel minoribus, uel maioribus: uel ſi ſimiles proferre nõ poterit, diſpares proferat. atque hæc nocẽtis uitæ ſunt. Si innocentis uita præterita eſt illius qui reus eſt, locus communis inducitur, uitam præteritam ſpectari non oportere: quod ea poterit eſſe occulta: aut fortaſſe ad peccandum cum animus fuerit, defuerit cauſa, uel poteſtas, uel occaſio. Deinde alius locus communis, non ex uita præterita præſens iudicium, ſed ex præſenti iudicio uitam expectari oportere. Sin autem uita alicuius ignorabitur, prætereũdus ab accuſatore hic locus eſt: dicendumq́;, cur prætereatur, quòd ignoretur uita. ſtatim'que ad alia argumenta properandum, quæ ſunt ex ipſo negotio in factis dictis'que eius qui reus eſt collocata. Defenſor autem primum, ſi poterit, debebit uitam eius qui inſimulabitur, quàm honeſtiſſimam demonſtrare.] Qui defenſoris à perſona contrarij loci ſunt. Nam primum laborare debet, ut honeſtam rei uitam demonſtret, quæ declarabitur officijs, uel communibus & notis, uel maximis & raris, aut cum periculo, aut cum labore præſtitis, officij cauſa, non neceſſitatis, & præſtitis in parentes, cognatos, amicos, Rempublicam. Sed iſta beneficiorum commemoratio parua eſt, quia multorum uita exemplo eſt, naturã poſſe mutari, ut morum inſtituta perſeuerarint. declarandum eſt, nihil aliquãdo deliquiſſe, nunquam ab officio receſſiſſe. Fuiſſe & cauſas, et facultatem, nunquam tamen noluiſſe peccare: Atque in his oſtendendis occaſionibus laborandum eſt, earum rerum copiam fuiſſe in faciendo, facere noluiſſe, quarum rerum nunc crimen in iudicio eſt: ut ſi auaritiæ, cupiditatis. Deinde locus communis inducendus eſt, quo indignum eſſe conqueſtione declarandum eſt, ut qua cauſa impelluntur ad peccandum uitijs omnibus pleni, hac cuius uita præterita purgata ſit, impulſus eſſe dicatur. Deinde alius locus communis, uitam honeſte actã reo debere prodeſſe, ipſam eſſe certiſſimam teſtem morum, et uoluntatum. Criminationem inimicorum inuidia facile poſſe componi. Hæc, ſi honeſta uita eſt. At ſi inerunt aliquæ turpitudines, laborandum eſt, ut falſa eſſe dicamus inimicorũ criminatione collecta: uel eo uitio mentis admiſſa, quo facilius ueniam promeremur: negligentia, neceſſitate, adoleſcentia, uel quolibet alio affectu animi non pernicioſo, amore, uel aliquo huius generis. Poſtremo laborandum eſt, ut turpitudines uitæ præteritæ, uel in diſſimili genere uitiorum eſſe doceantur. ut quoniam innocentem probare non poſſumus, ab hoc tantum facinore, quod in iudicio eſt, remotum eſſe doceamus. Sin uero uita turpiſſima, nullo genere defenſionis ſupra poſito purganda, locus communis induci debet, uitam præteritam ſpectari non debere: neque de moribus hoc crimen, quod intenditur, comprobari. Ex facto autem ipſo ſuſpiciones ducentur, ſi totius adminiſtratio negotij ex omnibus partibus pertentabitur.] Reſtat tertia pars probationis in coniectura ex negotio. Huius partes quatuor ſunt, ut in libro primo expoſitum eſt. Etenim attributa negotio quatuor ſunt, continentia cum negotio, in geſtione negotij, adiuncta negotio, quæ geſtum negotium conſequuntur. Hæc breuiter hic repetit, quoniam iam in libro primo tractata ſunt. ac dicit in coniectarum omnia genera incidere, non omnes partes in continentia negotij. Ante negotium, in negotio, poſt negotium, facta omnia in ſuſpicionem uocemus. Item in geſtione negotij, locũ, tempus, occaſionem, facultates. De modo conticeſcens, quod rei manifeſtæ, & in confeſſione habitæ modus ſemper eſt. Item adiuncta negotio, uel maiora, uel minora, uel paria, uel ſimilia, maximeq́; euentus coniecturæ prodeſt. Quarta etiam pars, quæ geſtum negotium conſequitur, ad coniecturam tribuet argumenta. ubi quæritur lex, conſuetudo, actio, uſus, exercitatio. Atque hæc ſunt attributa negotio: ex quibus cum ducitur argumentum, impletum argumentatio ex negotio. Inuenitur autem argumentatio, præterea quæ communiter ſumatur ex attributis negotio, & attributis perſonæ, ut attributa perſonæ non mihi perſonam, hoc eſt, uitam præteritam hominis declarent, ſed hoc facinus approbent quod intenditur. ſicut declarabunt quæ ſupponuntur exemplo. Suſpiciones ducentur.] Id eſt, coniectura capietur, & ex ipſis omnibus partibus pertentabitur, ut non mixta ſint attributa perſonæ, ſed tantum ſola ſint facta in ipſo negotio, uel actione totius negotij impleta. Hoc enim in genere ſpectabitur locus, tempus, occaſio, facultas.] Modum in coniectura non poſuit, quia in facinore confeſſio ſemper inſpicitur. Sunt autem aliæ aliquæ ſuſpiciones, quæ communiter & ex negotiorum & ex perſonarum attributionibus ſumuntur.] Coniecturæ argumenta ſuggerunt, cauſa, perſona, factum: utique ideo tria, quia ſingula. ſuis igitur rationibus cauſa, ſuis perſona etiam approbatur. Eodem modo factum, quod cum ſingula ſuis rationibus per ſe in coniectura fidem præſtent, merito ad probationem coniecturæ triplex materia collocatur. Monet tamen ratio duo, perſonam ſcilicet, atque factum, ad unam fidem poſſe conſociari: ut ex utroque materiæ genere, negotiorum, id eſt factorum, & perſonarum fides coniecturæ quæſtionibus afferatur. Hoc ut facilius fiat, intellectuq́; capiatur, meminiſſe debemus attributa perſonis: quæ utique cũ ſunt, ipſam uidentur approbare perſonam, quã cum probauerit, iam coniecturæ locus eſt: A' tali uiro id quod intenditur facinus nõ potuiſſe committi. Ergo attributum perſonæ facit perſonæ fidem: facto autem prodeſt approbata perſona. Quod cum ita ſit, nouum præceptum dedit, poſſe quoque ex perſonæ attributis & negotiorum probari factum, hoc eſt negotium. Idcirco Tullius præceptum dedit, poſſe quoque ex attributis perſonæ & negotiorum approbationes naſci, ex utraque uero ſuſpicione communes. Inter attributa perſonæ accipimus fortunam, naturã, uictum, ſtudia, facta, caſus, orationes, conſilia, habitum. Hæc utique ſi attributa perſonæ accipimus, ſicut ſupra diximus, perſonam probabunt. Verum perſpiciente ratione, & negotium

probare poterunt. In fortuna, inquit, ſpectatur dignitas, diuitiæ, conditio. hæc licet perſonæ attributa ſint, tamen cum dico diues eſt, affectat tyrannidem ſeruus potuit occidere, conſul non perdidit patriam: argumentũ ex factis ac perſonæ attributis facio. Pari modo de conſilio, ſi quibus conſilijs aliquando uſus ſit, dicam. perſona eſt approbata, ſi quo nunc uſus ſit conſilio, perſonæ attributo factum probabo. Ergo ſatis clarum eſt, in conſtitutione coniecturali argumenta fieri poſſe communiter, & de perſonæ attributis & negotiorum, ut factum probetur. Maxime enim quæri oportet.] Præcipit præterea in hac conſtitutione conſiderandum principaliter, quod in quæſtione eſt, an fieri potuerit, deinde an ab alio potuerit, deinde an facultas fuerit. Inter poſſe & facultatem hoc intereſt, cum ſubſtantia efficiendæ rei ineſt, aut deeſt, de facultate tractatur: ut ſunt uires, miniſteria, pecunia. At ſi aut per naturam res negatur, aut per locum, aut per tempus, de eo quæritur, an potuerit. Si dicatur Tullius interfeciſſe Romulum, quod utique fieri non potuit per tempus, nec haberet poſſe. Item loco fit, ſi ſcilicet alicuius qui arguitur cædis, ab eo loco ubi cædes facta eſt, abſentia declaratur. Tertio quæritur, utrum id facinus ſit, quod pœnitere fuerit neceſſe: item quod ſpem celandi non haberet. deinde quæritur, an neceſſe fuerit id fieri. In quibus omnibus ſpectatur ſemper conſilium. Quòd ſi in his conſilium cernitur, & factum probatur, conſilium autem attributum perſonæ eſt, ergo attributo perſonæ factum probatur. Huius rei docendæ cauſa ſupra poſitum thema tractando excutit, habere argumenta. Ante rem.] Quòd in itinere ſe tam familiariter applicauit. Quòd ſermonis cauſam quæſierit, quòd ſimul diuerterit, cœnarit.] Hæc per ſe clara ſunt, & ex ſequenti contextu magis patefient. Item in re.] Nox, ſomnus. Poſt rem.] Quòd ſolus exierit, quòd ille tam familiarem comitatum æquo animo reliquerit, quòd cruentum gladium habuerit.] Hæc ante rem, in re, poſt rem attributa negotio ſunt, quæ faciunt fidem negotio. Sed quoniam in his omnibus etiam conſilium ſpectatur, fiet, ut cum conſilium perſonæ ſit attributũ, & hæc omnia negotio ſunt attributa, efficiatur negotij ex attributis perſonæ & negotijs communiter approbatio. Quæritur enim, utrum diligenter ratio faciendi uideatur habita, & excogitata: an ita temere, ut non ueriſimile ſit quenquam tam temere ad maleficium acceſſiſſe. in qua re quæritur, num alio modo commodius fieri potuerit, uel à fortuna.] Frequenter enim ſi pecunia, ſi adiutoris adiumenta deſint, uidetur facultas faciendi defuiſſe. quod utique impugnari non poteſt, niſi per conſilium: ut alio modo fieri potuerit. uel fieri à fortuna. Ergo ad expugnandas facultates, quæ deſunt, ſibi ſubueniat ſæpe conſilium, cum dicitur aut alio modo fieri potuiſſe, aut per fortunam, conſilio, quod perſonæ eſt attributum, res probatur. Ex hoc & ex ſuperioribus illa concluſio eſt, naſci poſſe communiter argumenta, & ex perſonæ attributis, & ex negotiorum. Hanc igitur rationem ſi diligenter attendere uoluerimus, iſta attributa inter ſe apte coniuncta & copulata cernemus negotiorum & perſonarũ. Subiungit, non oportere his omnibus præceptis ſubijci exempla: ut doceat, quemadmodũ his uti accuſator debeat, quẽadmodũ defenſor, ut in ſuperioribus docuit. & dicit nõ neceſſariũ eſſe, non facile. Non neceſſariũ ita, quòd ſi qui aliquid diligentiæ afferre uoluerit ad iſta præcepta, iſta omnia pro materiæ genere facile cognitione retinebit. Non enim præceptor omnia tribuit, ſed ex dictis ad ſimilitudinem, non dicta intelligenda ſupponit. Non facilem autem.] Ideo dixit, quòd infinitum ſit illis omnibus præceptis exẽpla ſupponere, quomodo ante rem dicat accuſator, quomodo defenſor, quomodo in re, quomodo poſt rem. Item alia quæ multa ſunt. Huc accedit, quo maior difficultas ſit, quòd illa omnia per partiũ, id eſt, accuſatoris & defenſoris locos uerſa utilitate tractantur. nec enim inutiliter conueniunt. Vnde illud melius eſt, cõſiderare cuncta ex propoſito themate negotij. & ſuam, & aduerſarij rationem diligenter attendere, & ſic ſuſpiciones atque argumenta colligere. Quare quid factum ſit, quo conſilio, qua ſpe perficiendi, cur hoc modo factum, cur ab hoc factũ, cur nullo adiutore, cur hoc, cur nemo ſcit, cur ſcit, cur hic ſcit, cur hoc ante factum ſit, cur hoc ante factum non ſit: cur hoc in ipſo negotio, cur hoc poſt negotium: cur de induſtria factum, aut rem ita ſit conſecutum: an conſtet oratio uel cũ re, uel ipſa ſecũ: hoc huiuſne rei ſit ſignũ, an illius, an & huius & illius, & utriuſque potius: quid factum ſit, quod non oportuerit: aut non factum ſit, quod oportuerit. Hac adhibita intentione, cum coniectura omne negotij corpus intrauerit, tum facilius uidebitur eſſe præceptio, ut locos omniũ argumentorũ ſe quodãmodo offerentes uidere poſſimus. Ex quibus, ut ſupra diximus, modo ex ſingulis attributis, modo ex cõiunctis argumenta naſcentur, quæ aut probabilia erunt, aut neceſſaria ad eas res quæ rem credibilẽ, aut incredibilẽ facere poſſunt. quæ rem, inquit, non perſonam, cuius ſcilicet attributum eſt, ſed cum facti ſuſpicione iunguntur. Et hic rei eius unde iudicium eſt, non perſonæ cuius attributum eſt, ut non id facinus ſit, quod pœnitere fuerit neceſſe.] Annotanda noua locutio, pœnitet me non illius rei, ſed pœnitet me hanc rem. Cum ex ſingulis, tum ex coniunctis.] Aut à cauſa, aut à perſona, aut à factis, aut ex coniunctis argumenta certa naſcentur, ut attributa perſonæ attributa facto uideãtur. Accedunt autem ſæpe ad coniecturam quæſtiones, teſtimonia, rumores, quæ contra omnia uterque ſimili uia præceptorum torquere ad ſuæ cauſæ commodum debebit.] Præter hanc materiam, quæ coniecturæ argumenta tribuuntur à cauſa, à perſona, à facto, accedũt aliæ probationes ſoli cõiecturæ ſemper adiunctæ, tormẽta, teſtimonia, rumores, Hæc enim in alijs conſtitutionibus non ualent, quia nõ adhibentur iſta, niſi cum res negatur: quæ omnia iſta ad partis cõmoda retorquẽda ſunt. Hoc probationis genus Græci ἄτεχνοι uocant, quòd cũ his orator utitur, fidẽ quidem facit. ſed nõ ratione. Hoc Tullio minime placet. dicit enim, etiam hæc probationũ genera indigere, arte, & pari modo, ut ex cauſa, & perſona, & facto, argumenta duci, cũ de tormentis, teſtibus, rumoribus diſputatur, ex illis ſcilicet attributionibus, quæ aut negotio, aut perſonis uidentur eſſe ſubiectæ. nanque cum cõtra teſtes dicitur, aut pro teſtibus, utrique attributa perſonæ cõtingenda ſunt per naturã, uictum, & cætera, ut fides ſit data teſti, ut aut poſſit, aut non poſſit adhiberi. Hoc & in tormentis. nã eius qui torquetur excutienda perſona eſt. Ergo omnia argumentis probanda ſunt. quorum argumentorum genera duo ſunt: unum proprium, commune aliud. Proprium eſt, quod ipſius cauſæ & negotij eſt. ut Sextus Roſcius cum cædes facta eſt, Romæ non fuit: non ergo patrem interfecit. Commune eſt, quod transferri in ſimiles cauſas poteſt. Filius patrem interfecit. reclamat iſtiuſmodi ſuſpicionibus ipſa natura. Hoc argumenti genus quia transferri in ſimiles cauſas poteſt, communis locus dicitur. Locorum autem communium genera duo ſunt. unum, cum certæ rei certa eſt amplificatio: aliud, cum rei dubiæ eſt diſputatio. Amplificatio rei certæ eſt, ut in parricidã, in ſacrilegum. Dubiæ uero rei communis locus eſt, qui à Græcis dicitur Theſis, quæ habet partes duas: quæ idcirco locus communis dicitur, quòd ex materiæ genere non certum quid deſignat, ſed habet tractatum ex generalitate communi: ut ſuſpicionibus credi oportere, uel non oportere. Sed hanc theſim ciuilem moralemúe teneamus, non illam quæ apud philoſophos naturalis eſt. Quilibet autem horum locorum cum interponitur (interponi autem raro debet) ornat orationem. Neque interponendus locus, niſi cum aliquid iam probatum eſt. etenim ſi locus communis generalia loquitur, quaſi cauſam tenens, diſcedit à cauſa. Ius iudicem tenet, quia iure iuratus ſedens audire deſiderat, unde ſententiã prolaturus eſt. Ergo

eſt. Ergo aut parte cauſæ probata inducendus eſt, aut in peroratione, id eſt epilogis, ut aut renouetur, aut ſuſcitetur auditor. Omnis enim locus communis locutionum cuncta ornamenta deſiderat, quæ aut uerborum ſunt, aut ſententiarum. quæ dum apte ac neceſſario dicuntur, oratorem ab oratore diſcernũt. Etenim cum loci communes cauſarum ſint, communes oratoribus ſimilitudine dictionis eſſe non poſſunt. Quæſtiones, teſtimonia, rumores, cum auctoritas fidem facit, cum tormenta ſunt.] Hæc autem omnia, quæ non oratione argumentorum fidem faciunt, á Græcis ἄτεχνα nominantur, non quidem recte. Vterque ſimili uia præceptorum, & accuſator, & defenſor.] Nam & ex quæſtione ſuſpiciones, & ex teſtimonio, & ex rumore aliquo pari ratione. Ideo fit ut arte egeat huiuſmodi diſputatio, quoniam & contra hæc, & pro his ſæpe dicendum eſt, ut ex cauſa, & ex perſona, & ex facto duci oportebit. Quæ ex confeſſione argumentis materiã tribuunt: ut ex facto, inquit, duci oportebit. Ecce iam non eſt πίστις ἄτεχνος, id eſt, fides ſine arte. Cæterum hoc artificij non putant indigere, cum appellant σοφίς. Aliter de hoc genere ac de omni coniectura præcipiendum putant, ut dicant alias diuiſiones eſſe ad probationem coniecturæ, non quas ſupra diximus, cauſam, perſonam, factum. nam cum & eius qui in quæſtione aliquid dixerit, & eius qui in teſtimonio, & ipſius rumoris cauſa, ut ea quæ materiam argumentis præbent, et illa, quæ quaſi habere artem negantur, iiſdem attributionibus tribuant in approbatione tractatum, probatio ex iiſdem attributionibus reperietur, quæ ſemel præcepta ſunt de coniectura. Omni autem in cauſa pars argumentorum eſt adiuncta ei cauſæ, & locus communis argumentum eſt. Argumentorum autem duo genera. unum, quod ipſius cauſæ propriũ eſt: aliud, quod & ipſius, & ſimilium. Hoc quod ſecundum eſt, locus communis appellatur. Verum locorum communium genera ſunt duo, ut & ipſe declarat. In omnes eiuſdem generis cauſas transferri non ſatis commode poſſit. hoc argumentum eſt ſolum, non argumentum per locum communem. Quæ ex contrario quoque habeat probabiles rationes.] Credendum, non credendum. Suſpicionibus credi non oportere, aut oportere.] Id eſt theſis. Per conqueſtionem.] Quod eſt proprium epilogorum. De quibus ante dictum eſt.] In libro primo, hoc eſt in epilogis, id eſt in concluſione. Aliquam probabilem utraque ex parte rationem.] Hæc theſis eſt, Credendum, non credendum. Certioribus illis.] Adiutoribus ſcilicet. nam tum ei conceditur commune quiddam dicere. Non debet enim locus communis induci, cum adhuc nihil probatum eſt. Et animus auditoris renouatur ad ea quæ reſtant.] Poſt probationem per locum communem. Aut omnibus iam dictis exuſcitatur.] Quia & in epilogis ſunt loci ſæpe communes. Omnia enim ornamenta locutionis.] Id eſt figuræ, quæ ſunt aut ſchemata dianœas, aut ſchemata lexeos, aut ſchemata λόγου, ut quidem uolunt: ſic oratorum quoque multorum communes loci ſunt. Nam cum loci communes ideo dicantur, quòd in ſimiles cauſas cõueniant: cũ ab oratoribus tamen dicantur, diuerſitate dicendi uix poſſunt eſſe communes. Verborum & ſententiarũ.] Lexeos & dianœas ſchemata. Atque hoc ſit nobis dictum communiter de omni genere communium locorum.] Vt & genera duo dixerit communium locorum, id eſt, certæ rei & incertæ, & quemadmodum ſint dicenda præceperit. ſed hoc generaliter in omnibus conſtitutionibus. Nunc autem in hanc conſtitutionem proprios coniecturæ locos communes dabit: Nunc exponemus, in coniecturalem conſtitutionem qui loci communes incidere ſoleant.] Locorũ communium genera dicta ſunt, quemadmodum dicantur præceptum eſt. Ita omnia quæ de locis communibus præcipienda uidebantur, expoſita etiam ſunt. Nunc ſubiungit certos coniecturæ locos, qui in aliam conſtitutionem non cadunt. Sunt enim coniecturæ tantum, & in quamlibet coniecturam dicta ſimilitudine transferentur. Suſpicionibus credi oportere, & nõ oportere.] Et reliqui, uel qui ſuppoſiti ſunt, uel qui eſſe poſſunt. qui omnes ex thetico genere orti, in contrarium argumenta ſumunt, & non tam loci communes, quàm locorum communium loci ſunt. Sunt alij proprij in coniectura accuſatoris, & proprij defenſoris. Atque accuſatoris duo, unus qui atrocitatem facti cumulat, alter per quem negat malorum miſereri oportere. Defenſoris etiam ſimiliter duo ſunt. unus declaratio calumniæ accuſatorum, alter conqueſtio captandæ miſericordiæ. diſtant autem á theticis hoc modo, quòd illi habent ex utraque parte tractatus, & in contrarium ſuggerunt argumenta. hi unius tantummodo partis ſunt, & aut indignationem ſolam, aut ſolam exprimunt conqueſtionem. Ita duo genera locorum communiũ eſſe manifeſtum eſt. Vnum, quod ex duplici tractatu generaliter conſtat, quod theticum dicitur: aliud, quod generali quidem ſed unius partis, aut indignatione ſola, aut conqueſtione tractatur. Sciamus autem hos omnes locos, id eſt, iſta duo genera ex iiſdem attributionibus tractari, ex quibus argumentationes, id eſt ex attributis perſonæ, & attributis negotio: illa tantum diſtantia, & dicendi diuerſitate, ut argumẽtationes ſubtilius, tenuius, acutius explicentur: loci uero communes grauius, ornatius uerbis, & ſententijs excellentibus. nam in argumentationibus ſola quæritur ueritas. In locis autem communibus, quanquam & ueritas aſſeratur, tamen quod eſt illorum proprium, rei probatæ amplitudo captanda eſt. Vnde ſatis clarum eſt, etiam locos argumentationum uim tenere. ita tamen, ut amplius aliquid agere uideantur, cum præter fidem rei cumulum uideantur implere. qui in contrarias partes deducentur, thetici ſunt: Credi oportere, & nõ oportere, et multa talia. Certus autem locus accuſatoris per quem auget facti atrocitatem.] Superiores loci in cõtrarias partes deduci poſſunt. Iſti uero loci proprij dantur aut accuſatori, aut defenſori ſuo. Cæteræ argumentationes aut á perſona, aut á negotij attributis: ut id quod dicitur, uerum eſſe uideatur, quod eſt proprium argumemtationis ſumptum. Et ſi hoc quoque uideri oportet, ut & in locis communibus ueritas quæratur, ſed orationes modo diſtent ab argumentatione.

DE CONSTITVTIONE DEFINITIVA.

CVM eſt nominis controuerſia, quando uis uocabuli definienda uerbis eſt, conſtitutio definitiua dicitur.] Sequitur definitiua conſtitutio, quia coniectura præceptis ſuperioribus terminata eſt. Hæc definitiua.] Quia tunc exoritur, cum nominis controuerſia eſt: & quia uis nominis definienda uerbis eſt, definitiua dicitur conſtitutio. Huic ſupponit exemplum. Cum reus ſit pater maieſtatis qui filium prohibuit ſeditioſe concionantem, id eſt, filium tribunum plebis. Et in hoc themate etiam alia conſtitutio uel relatiua, uel compenſatiua, uel abſoluta. Nam licuit mihi, pater ſum, Abſoluta eſt. meruit, Relatiua eſt. profui, Compenſatiua. Verum hoc in themate non quid ſit conſiderari Tullius uoluit, ſed interim monuit id percipi. Atque hoc exemplum ideo dedit, ut finem tantum conſideremus, quia nunc propter finem ſubiecit exemplum. Præcipit autem in omni hoc libro conſiderationem adhibendam eſſe circa omnes conſtitutiones, & earum partes, & controuerſias, id eſt legales quæſtiones. Perceptis omnibus in omni cauſa in qualibet materia, omnia quæ inuenta fuerunt genera quæſtionum poſſunt tractari, ſumptis ſuæ partis præceptis, ut, cũ in themate coniectura fuerit, eius diuiſionibus utamur. Itemq; & alterius, uel aliarum, ſi quæ inciderint conſtitutiones. Subiungit igitur, in definitione locos á parte accuſatoris. Sunt autem quatuor, definitio, approbatio definitionis, deductio definitionis in ipſam certam ſpeciem de qua agitur, diſtinctio definitionis aduerſæ partis, quæ conſtat ex locis quatuor: ſi demonſtretur falſa, ſi

turpis, ſi inutilis, ſi collatio utriuſque definitionis fiat. Falſa demonſtrabitur ex opinione hominum, ſi docebimus de eo unde quæritur, quemadmodum æſtimet populus, quemadmodum in conſuetudine locutionis utatur eo uerbo quod definimus. Turpis aut inutilis demonſtratur aduerſariorum definitio ex honeſtatis partibus, & utilitatis, de quibus in deliberatiuo genere, hoc eſt, in poſtrema huius libri parte tractabit. Exprimemus igitur quæ incommoda futura ſint, ſi ita accipietur, quod definitum eſt ab aduerſario. Collatio uero definitionum, qui quartus in reprehenſione locus eſt, hoc aget, ut noſtram definitionem oſtendat ueram, honeſtã, utilem: quod aduerſarij oſtendimus falſam, turpem, inutilem. Afferemus præterea ad definitionis noſtræ confirmationẽ res, aut maiori, aut minori, aut pari negotio ſimiles. ut ad definitionem noſtrã ſimiliũ comparatione collecta, oſtẽdamus quanto uerior, honeſtior, utilior ſit noſtra deſcriptio. hæc in ſimplici definitione. Sed ſi duæ res pluresúe definiendæ ſunt, iſta omnia pro definiendarum numero duplicantur. Quæritur enim ſæpe, fur ſit, an ſacrilegus, qui uaſa ex priuato ſacra ſurripuit, uel de ſacro priuata. Quoniam à parte accuſatoris, & quid ſit ſacrilegium, & quid ſit furtum definiendum eſt, in ſingulis definitionibus illa ſupra poſita præcepta complebit, definiet, approbabit, deducet, infirmabit. quæ cũ fecerit in definiendo ſacrilegio, faciet rurſus in definiendo furto, mutata tantum tertia parte præcepti. Accuſator enim qui ſacrilegium uult probare, negare uult furtum. Ita definitione ſacrilegij, quod probare nititur, utetur illis ſupra poſitis præceptis. In definitione uero furti, quia furtum negabit, utetur præceptis defenſori datis, id eſt, ut poſt definitionem, & eius approbationem ſeparationem ſpeciei faciat à definitione, fietq; in hoc themate & in huiuſmodi complexione, ut definitionum uertat ſimiliter præcepta etiam defenſor. Nam quoniam furtum probare uult ille qui ſe defendit, poſt definitionem, & eius approbationem, deductionem faciet ad ſpecies. Contra, cum ſacrilegium definierit, qui hoc admiſiſſe ſe non uult, illic faciet loco tertio ſeparationem ſpeciei à definitione. Ergo his modis & partibus definitionem ſuam accuſator implebit. Habebit autem communem locum ex ipſa definitiua conſtitutione ſumptum in malitiam eius, qui non modo rerum uerumetiam uerborum poteſtatem ſibi arrogare conetur: ut et faciat quod uelit, & quod fecerit, id quo uoluerit nomine appellet. Exemplum generis.] Id eſt finitiui. Flaminius qui conſul Reipub.] Hiſtoriam hanc poſt ſequentibus dedit. Iudicatio eſt ex ratione et refutatione rationis controuerſia. Ad hanc iudicationem argumentationes omnes afferre oportebit.] Ad hanc iudicationem, id eſt definitiuam, ne aliam cũ feceris conſtitutionem, hic aliam facias iudicationem, & non conueniat. Hæc præcepta quæ nunc finitiui ſtatus ponimus, & earum partes propter qualitatem, quæ partes plures habet, & controuerſias legales ſtatus dicit. Maieſtatem minuere eſt.] Definitio eſt rei de qua quæritur, pluribus uerbis & rationibus confirmandæ. ſuperior definitio eſt, hæc confirmatio definitionis: Poſtea ad id quod definieris, deductio definitionis ad ſpeciem. Hoc ex opinione hominum ſumetur.] Quomodo deſtruatur deſcriptio aduerſæ partis. Veram, honeſtam, utilem demonſtrabimus.] Cũ tria dederit defenſori uitia definitionis, id eſt falſam, turpẽ, inutilem: tria dat accuſatori contra, ornamenta definitionis, id eſt ueram, honeſtam, utilem: ut etiam ex collatione melior accuſatoris definitio probetur. Deinde ſimili ratione cauſa tractanda.] Vt definias, approbes, deducas ad ſpeciem: infirmes definitionem aduerſæ partis, docendo falſam, turpem, inutilem. Compares etiam quæ utilior eſt. uel reliqua, aut à maiore, aut à minore, aut à pari. ſed in tot definitionibus omnia hæc quot res definiendæ ſunt. Deinde defenſoris primus eſt locus, item nominis breuis & aperta, & ex opinione hominum deſcriptio, hoc modo.] Et huic dat quatuor ad actionem definitionis locos, ſed in quibuſdã partibus in tertio loco diſcrepauit. Supra enim, id eſt, in parte accuſatoris, hæc quatuor ſunt: definitio, approbatio propria definitionis, deductio in ſpeciem propriæ definitionis, deſtructio definitionis alienæ. At hic in partes defenſoris eſt ſimiliter definitio, ſiue approbatio eius, & quod mutat ſeparatio definitionis à ſpecie de qua quæritur, deſtructio definitionis aduerſæ partis defenſoris. Deinde primus locus eſt, et reliqua.] Datis omnibus locis accuſatori ad ſuã definitionẽ, defenſori quoque ad defenſionẽ eiuſdẽ proprios locos tradit. Ex quibus primus eſt definitio, & ipſa breuis: deinde eius affirmatio. Tertio loco à definitione ſua ſeparatio eius ſpeciei de qua quæritur. Poſt quem locum locus communis infertur, per quem facti utilitas aut honeſtas augetur. quem quidem locum habet etiam accuſator, ſed ex contrario ille. de enim indignitatem rei auget, hic utilitatem. Quarto loco ſequitur aduerſariorum definitionis reprehenſio, eadem illa omnia retinens, quæ definitionis reprehẽſio includit: id eſt, ut falſa, ut turpis, ut inutilis doceatur, fiatq; utriuſque definitionis etiam à defenſore ſimiliter comparatio. Omnia enim defenſor facere poterit, ac dicere, quæ accuſator, præter locum communem eiuſdem accuſatoris. Habebit autem defenſor locum communem, per quem indignabitur accuſatorem ſui periculi cauſa non res ſolum conuertere, & aduertere, uerumetiã uerba mutare conari: Hic ſimiliter locus defenſoris ex ipſa definitiua cõſtitutione ſuſceptus eſt. unde proprius hic locus conſtitutionis defenſoris. Nam eſſe quidem poſſunt alij communes loci, ex cauſa & ex negotio nati, non ex conſtitutione ut in calumniatorem, ut conqueſtio miſericordiæ, ut indignatio facti, & cætera huiuſmodi, quæ ex periculi magnitudine genita, non conſtitutionis definitiuæ, ut diximus, ſed ex compoſitione circunſtantiæ, quam περίστασιν nominamus, procreantur. Sed hi communes loci non in omni cauſa ſunt. ſed in omne genus cauſæ incidunt: hoc eſt, in omnes conſtitutiones incidunt, non in omnes cauſas, quas unaquæque habere poterit conſtitutio. Ac de his locis communibus periculi magnitudine procreatis, in coniecturali conſtitutione fecimus mentionem, qui, qualeſq; ſint, explicantes. Vtemur autem his, & eos inducemus in orationem, cum cauſæ ipſius neceſſitas flagitabit. Similibus exẽplis et rationibus.] Quæ ad defenſionem ſuam poterunt pertinere. Ab illa definitione ſeparatio.] Vt ſeparet factum ſuum ab ea definitione, quam habuit aduerſarius. Per quem facti utilitas aut honeſtas adaugetur.] Quomodo accuſator ad ſpeciem deſcendit, ut iungat definitionem ſuam cũ ſpeciei: ſic defenſor deſcendit ad ſpeciem, ut ſeparet definitionem ſuam à ſpecie, id eſt, à facto unde quæſtio eſt, & uterque utetur loco communi. Sed accuſator, ut augeat, per indignationem: reus utile eſſe doceat, & honeſtum. Omnibus locis quos accuſatori præſcripſimus.] Vt & hic rurſus conuertat in definitionem aduerſarij præcepta ſuperiora, & dicat eam falſam, turpem, inutilem: comparet ex minore, maiore, pari, quæ habet ſcilicet accuſator. nam & hic proprium locum communem de fine habebit. Nam & extra finem, quem poteſt cauſa ſuggerere, habere poteſt uterque alium locum communem. Poſt eadem præter communem locum fiat collatio ipſarum definitionum per minora, maiora, paria. nam illi quidem communes loci, qui in quacunque parte eſſe poſſunt, cauſa ſuggerente, ex periculi magnitudine, non ex cauſæ genere dicuntur: ut non proprius ſit locus communis ex fine natus, ſed ex negotij genere, cuius circunſtantia pro qualitate, uel quantitate periculi locos communes dabit. Non in omnem cauſam, ſed in omne cauſæ genus incidunt.] Hi loci communes, qui ex compoſitione negotiorum naſcuntur, non in omnibus cauſis ſunt, quia non omnis cauſa ſimiliter componitur: ſed cadunt in omnia genera cauſarum, id eſt, in omnes conſtitutiones, quia qualibet conſtitutio, modo atroci negotiorum compoſitione fingitur, modo ſimpliciter componitur.

DE TRANSLATIONE ET COMMVTATIONE.

VM autem actio tranſlationis, aut commutationis c indigere uidetur.] Tertia eſt cōſtitutio, quæ tranſlatio eſt, quia ita Tullius ordinem dedit. Hac commutationem iudicij cum actione tenet, cum perſona, locus, lex, crimen, pœna mutatur, uel cætera, quæ ſimilia ſunt. His ſingulis ſupponere exempla, & infinitum & ſuperuacuum eſt, uel quia multis modis efficitur, uel quia omnibus modis ad dicendum una præceptio eſt. Omnis autem tranſlatio apud antiquos temporibus Tullianis in ipſa cauſarum actione aut non erat, aut rarior inueniebatur. Prætores etenim qui ius dicebant, et iudices cauſa dabant, & controuerſia uel agendi genus inſtituta actione formabant, ita ſibi præſcribebant. Prætor, qua accuſator, qua reus deberet actione uti, præſcribendo quid fieret, excipiendoq; quid non fieret, tranſlationis, controuerſiá actionibus auferebat. Erat præterea inſtitutum, ut à cauſa caderet is, qui non quemadmodum oportebat egiſſet. Ergo etiam propter hæc forma taliter ad iudicium ueniebat. Apud ipſum uero prætorem cum litis ipſius forma componeretur, illic partes aut excipiebant aliquid, aut ſimplicem actionem accipiebant. Vnde in ipſo, ut dixit, iure, hoc eſt, apud prætorem de modo agendi cū quæreretur, tractaretur exceptio, atque tranſlatio. Cum autem iam litis forma eſſet accepta in iudicio, nulla iam poterat eſſe tranſlatio. Ergo in iudicijs tranſlatio rarius inuenitur: & ſi quando inuenta fuerit, ipſa per ſe parum firmitudinis tenet, aſſumitq; uires aliâ conſtitutione firmiore. Hoc nanque præceptū Tullianum eſt, tranſlationem ex alia conſtitutione firmari. Ad quod præceptum exemplum ſubiungit, non ut tranſlationem doceat, ſed ut oſtendat tranſlationem alia conſtitutione firmari. Reus parricidij factus, probatis alijs criminibus, an damnandus ſit, quæſtio eſt. Vtitur tranſlatione reus, cum dicit ſe non parricidij damnandum eſſe, quia nihil inde approbatum: ſed aliorū criminum, quæ probata ſint, affici oportere ſupplicio. ac ne eo quidem, quòd non inde iudicium conſtitutum ſit. Ita ſi neque probatorum criminum pœna eſſe debet, quia non inde iudicium conſtitutum eſt: neque parricidij, quia nihil probatum confirmat, non eſſe damnandum. Veruntamen purgandis alijs criminibus per coniecturam opera danda eſt, ut reus non opera tātum tranſlationis utatur. Ergo probatum illud eſt, tranſlationem alia conſtitutione firmari. Subiungit uero exemplum tranſlationis. Cum agit iniuriarum, cui præciſa manus eſt, & is qui præcidit, exceptionem poſtulat, ut in hoc iudicio de maleficio non fiat præiudicium. In hoc genere conſtitutionis præcepta hæc ſunt, quæ utrique parti dentur: ut explicent quid fieri ſoleat, à quo, per quos, quomodo, quo tempore, quemadmodum agi, quemadmodum iudicari, quemadmodum ſtatui: quod utique ex partibus iuris agnoſcitur, de quibus partibus in qualitate eſt tractaturus. debet etiam tractari, quid in ſimilibus rebus fieri ſoleat. Aut enim in iure cautum eſt id de quo quæritur, aut ſolet ſic fieri, aut non ſolet: aut id quod in iure ſolitum eſt, id quod ſimile eſt, applicatur. Deinde per coniecturā tractandum, utrum malitia agatur aliud, cū aliud ſimulatur, an ſtultitia, an neceſſitate. Locus autem communis unus eſt contra tranſlationem, fugere iudiciū & pœnam, cum ſcilicet qui tranſlatione utatur. A' tranſlatione unus locus cōmunis eſt, perturbari omnia, ſi non eo pacto agantur quo oportet. Hæ ſunt tres conſtitutiones, quæ ſpecies non habent: coniectura, finis, tranſlatio. Tranſlationem autem intelligamus formam eſſe ſtatus, ſcilicet legalis: præſcriptionem uero eandem appellari poſſe, & eandem exceptionem, ſed ab oratoribus. In iure autem præſcriptionem dici, ipſum propoſitum ius: exceptionem autem, cum ius ipſum propoſitum aduerſus ſe actor alius excipit, interpoſita aliqua conditione. Sic nobis præſcriptio iniuriarum actio, ne præiudicium facias de cæde. Singula tranſlationum genera quæramus.] Vt exemplum ſit, quemadmodum alia lege, quemadmodum alio crimine, et ad ſingula, quibus tranſlatio uidetur impleri. Sed quia ratio præceptorum ſimilis eſt, exemplorum multitudine ſuperſedendum eſt.] Cum enim præcepta in omni genere tranſlationis eadē ſint, ad diuerſitatem fruſtra exempla quærentur. Eadem enim præceptorum ratio in omnibus tranſlationis partibus, & ubique ſeruabitur. Multis de cauſis fit, ut rarius incidāt tranſlationes.] Quoniam per prætoris formulas actionibus integritas datur, neque in iudicijs ulla poteſt eſſe præſcriptio, qui non quemadmodum oportet egerit apud prætorem. Quare in iure plerunque uerſantur tranſlationes.] Ibi enim exceptiones poſtulantur. In cauſis autem aut raro, aut nunquam priuatorum iudiciorum cauſa conſtituitur: ideo non poteſt in iudicijs eſſe tranſlatio, ſed eſt apud prætorem. Hic defenſor pœnæ commutationem.] Quoniam cum dicit, non hac pœna afficiendus eſt, ſed tali aliorum criminum probatorum. cumq; tali non oporteat, quia eius crimen non probatum eſt, ita ne alia quidem pœna affici oportere dicit, quæ ſit aliorum criminum: unde commutatione pœnæ, uis accuſationis tota tolletur. Cæteris quoque criminibus defendendis, quæ probata dicuntur, coniecturali conſtitutione tranſlationem confirmabit.] Vt infirmatis etiam criminibus illis, quæ probata dicuntur, rei poſſit releuare perſonam. Exemplum autem tranſlationis in cauſa poſitum nobis ſit huiuſmodi.] Illud exemplum quod ſupra datum eſt, ad hoc datum eſt, ut probaretur, tranſlationem alia conſtitutione neceſſario confirmari. nunc dat exemplū tranſlationis. Poſtulat is, quicum agitur, à prætore exceptionem, ne præiudicium fiat in hac iniuriarum damnatione futuri criminis, quod de capite eſt, id eſt cædis. Indignum ſit, non primo quoque tempore iudicari.] Vt etiam in iudicio iniuriarum indignum ſit, non etiam de cæde iudicari. Id ex partibus iuris, de quibus poſt dicendum eſt.] In qualitate abſoluta. Contra eum qui tranſlationem inducit.] Qui accuſatur iniuriarum. A' tranſlatione autem omnium fore perturbationem.] Hoc eſt, à parte ea quæ utitur tranſlatione. nam illa ſuperior contra tranſlationem eſt. Quo pacto oporteat.] Hoc eſt, ſi cum eo agatur, qui cum non oporteat. Cætera uero quæ de hac conſtitutione dici poſſunt, alijs libris à Cicerone explicata ſunt. nunc aliam conſtitutionem aggreditur, nempe generalem, & eius partes.

GENERALIS CONSTITVTIO.

Vnc generalem conſtitutionem & partes eius conſideremus. n Generalis.] Hoc eſt, qualitatis conſtitutionis præcepta ſupponit: cuius ſpecies duas eſſe dixit, iuridicialem & negotialem. Duas enim, deliberatiuam & demonſtratiuam in priori libro ſuſtulit. Ac nunc prius de negotiali tractat, quoniam ſimplex eſſe noſcitur. iuridicialis uero in ſpecies eſt diſtributa. hac negotialis habet litem, cum quæſito eſt quid eſſe debeat: quod intelligitur ex iure iam conſtituto, quo modo id ſit habendum, unde controuerſia eſt. Supponit exemplum, quòd ſecundi heredes ſibi eā hæreditatem uendicent, quæ uenerit pupillo, quam ſibi uendicant agnati. Facit intentionem agnatorum, deinde depulſionem hæredum ſecundorum. Tunc quæſtionem, quorum ſit hæreditas. Affertur ratio à ſecundis hæredibus, quòd unius pecuniæ hæredes diuerſi eſſe non poſſunt. Fit refutatio, ſed nō eſt una pecunia. Erit iudicatio, an una pecunia ſit. Hic admonet, poſſe in una & ſimplici conſtitutione inueniri plurimas rationes, refutationesq; rationum, & item iudicationes, ut in hac cauſa. Nam cum ratio ſit non poſſe pluri-

mis de cauſis unius pecuniæ hæredes eſſe diuerſos, cumq́; in ſuperioribus refutatio facta ſit, Non eſt una pecunia : omiſſa hac refutatione, alia refutatio ſupponi poteſt . uti dicatur, eſſe poſſe unius pecuniæ hæredes plures diuerſis de cauſis . Et aperte in ipſo Tullio poſitum eſt, quæ rationes ſint, quæ refutationes . Dat autem huic conſtitutioni locos ad argumenta communiter utrique parti, uel omnibus partibus, ſi plures extiterint, ut ius unde cōſtet conſiderent . Conſtat autem ex tribus duci, natura, conſuetudine ſequenter, deinde lege. Poſtremo naturam eius diuidit in ſex partes, quas ipſe partitus eſt, & definiuit . Item conſuetudinis certas ſpecies à prætoribus poſitas dereliquit. Res firmiſſimas ſubiecit, pactum, par, iudicatum . Legitimi autem ſcientiam ediſcendis legibus reliquit . Vis, & natura, & genus ipſius negotij quæritur . Quale ſit negotium, in tribus his quæritur : ui, natura, genere, iuſtum an iniuſtum, utile an inutile . Ante mortuus eſt, quàm in ſuam tutelam ueniret.] Vt non poſſet facere teſtamentum, quia minor eſſet . Cuius agnati .] Id eſt petitores . De qua is, cuius agnati ſumus, teſtatus non eſt .] Id eſt, pater pupilli, uel pupillus ipſe . Ratio eſt .] Ratio quæſtionis eorum qui poſſeſſores ſunt . Pater enim & ſibi et filio teſtamentum ſcripſit .] Quandiu non licebat filio ſcribere teſtamentum . Infirmatio rationis .] A' parte petitoris . Non filio.] Si extrinſecus aliquid aliunde filius haberet . Sed ſibi iuſſit eſſe.] Id eſt, rebus ſuis ſubſtituit. Iudicatio .] Ex ratione & refutatione rationis . Poſſitne quiſquam de filij pupilli re teſtari .] Quam non ipſe haberet, et quã pupillus aliunde quæſiſſet . An hæredes ſecundi ipſius patrisfamilias, nō filij quoque eius pupilli hæredes ſint .] Quia ſecundus hæres cum dicitur, eius eſt ſecundus, qui hæreditatem remiſit . Vnde hæres eſſe non poteſt, niſi eius, cui ſecundus hæres eſt. Eius autem hæres non poteſt eſſe, cui non eſt ſecundus. Aut ſi hac erunt uſi infirmatione .] Duas infirmationes ex parte poſuit petitorum, id eſt agnatorũ, contra unam rationem poſſeſſorũ, hoc eſt hæredum ſecundorum . quòd diceret unius pecuniæ plures hæredes diſſimilibus de cauſis eſſe nō poſſe, erit una infirmatio, Non eſt una pecunia . Item alia eſſe poſſunt unius pecuniæ diſſimilibus de cauſis, diuerſi hæredes diſſimilibus generibus hæredes eſſe : ut alius teſtamento, alius lege, alius agnatione . Nunc huius generis præcepta uideamus .] Exēplũ dedit qualitatis, & negotialis : dedit & præceptum, quomodo rationes multæ eſſe poſſent: nunc ſubiungit, in hanc negotialem qualitatem, quemadmodum, et unde argumenta facienda ſunt. Vtrique .] Id eſt, petitori & poſſeſſori. Aut etiam omnibus, ſi plures ambigent .] Si plures contra unum poſſidentem petant, ut non duæ partes ſint, ſed plures. Initium ergo eius ab natura ductum uidetur : ut conſtet ius, natura, uſu, lege. Omnium autem trium ſupponit partes . Quædam autem ex utilitatis ratione, aut perſpicua nobis, aut obſcura.] Interdũ enim ſequimur conſuetudinem. Hoc autem quia conſuetudo, nō quia ſcimus utile eſſe quod ſequimur. poſt autem probata quædam aut à conſuetudine, aut à uero. A' conſuetudine.] Quoniam conſuetudo eſt . Aut à uero .] Quoniam ratio eius perſpecta eſt, & utilitas uiſa . Vindicationem .] Pro uindicta, pro ultione . Ad hanc controuerſiam .] Id eſt, cauſa genus iudiciale . Conſuetudinis autem ius eſſe putatur, id quod uoluntate omnium ſine lege uetuſtas comprobarit .] Initis partibus iuri naturali ſuppoſitis, nunc conſuetudinis iuris partes ſubijcit . Voluntate omnium ſine lege uetuſtas comprobarit.] Vt prudentium ratio auctoritate data conſuetudini, de conſuetudine in poſteros miſerit legem : Quædam ſunt iura ipſa iam certa propter uetuſtatem, uepute, maioribus aſſurgatur. ius eſt hoc, ſed conſuetudinis. Multo maxima pars, quæ prætores edicere conſueuerunt .] Non ex legum præceptis et iuſſionibus, ſed ex conſuetudine, quæ proponatur à prætoribus ex bono & æquo. Par quod in omnes æquabile eſt.] Vt qui proponit aliquid, tale proponat, ut quo iure alium teneat, hoc ſe alliget . Iam iura legitima ex legibus cognoſci oportebit .] Hæc quæ dicta ſunt, de conſuetudine tractata ſunt. Nunc cum ſupereſſet ius legitimũ, cognitionem eius ad eos tranſtulit, qui legitima iura fecerunt. His ergo ex partibus iuris, quod aut ex ipſa re, aut ex ſimili, aut maiore, minore ue naſci uidebitur .] Diuiſo iure omni in naturam conſuetudinem, leges, dat præcepta, ut argumenta ſumamus, uel quæ ex ipſa re ſumũtur, uel quæ ex ſimili, aut maiore, aut minore . Locos autem communes dare ſe negat poſſe certos in ſingulas conſtitutiones . Etenim cum duo genera ſint, quorum alterum rei dubiæ approbationem ducendæ generalem tractatum habet, alterum rei certæ continet amplificationem, neceſſario cauſæ ipſius facultas ſuggerit, ſi quid amplificationis aut indignationis conqueſtioniſq́; naſcitur . Sed quoniam in negotiali qualitate iuris, de iure tractatus eſt, erunt loci communes, uel ab auctoritate iuriſperitorum, uel contra eorum auctoritatem. Hæc de negotiali .

DE IVRIDICIALI.

ſ Vbiungitur iuridicialis. quæ ipſa cũ genus ſit, in duo diuiditur : in abſolutam, & aſſumptiuam. Abſoluta ſupponit exemplum, quod trophæum æneum contra morem poſt uictoriam Graij, de Graijs ſtatuerunt . Facit intentionem & depulſionem, ſupponitq́; rationem poſtea, ſed abſolutæ cōſtitutionis, ut naſcatur iudicatio : Iuſte fecimus, quia æternum uirtutis noſtræ monimentum relinquere uolumus. Sin autem dicatur, ideo æneum, quia meruiſtis, erit ratio de relatiua qualitate . Vnde intelligimus, in unam cauſam conſtitutiones incidere poſſe plurimas principales. Verum etiam abſoluta qualitas eoſdem habebit locos argumentorum, quos negotialis, ex partibus iuris naturæ, ad utilitatem ſuam conſuetudinis legũ . Sed in abſoluta ipſa iura proferas, ut factum defendas, uel lege, uel conſuetudine, uel natura . in negotiali autem hæc iura proferuntur, ut poſſit conſtitui, quo iure eſſe debeat id, de quo negotium eſt, quia eius conſtitutionis ad futurum ſpectat intentio . Aut ex ipſa re, aut ſimili, maiore, minore'ue naſci uidebitur .] Aut enim in iure poſita eſt hæc ſpecies, quæ quæritur . litis autem ex eo quòd in iure eſt, ad hoc negotium ſimilitudo traducitur . Dubiæ rei .] Theſis ſcilicet . Certe continet amplificationem.] Locis communibus iam re probata, argumentum facies . Illud enim adhuc in quæſtione eſt, quod augeri per communem locum poſſit & oporteat, conſiderabitur .] De re probata locum communem per argumentum, non theſis . Nam certi qui in omnes incidant loci, perſcribi non poſſunt .] In ſingulas conſtitutiones certi loci & proprij dari non poſſunt . Merito ergo & in negotiali . Quoniam tamen in negotiali de iure tractatur, loci communes hic eſſe poſſunt contra auctoritatem iuriſperitorum, ab auctoritate iuriſperitorum . Nunc iuridiciale genus & partes eius conſideremus.] Ipſa enim eſt quæ diuiditur. Abſoluta eſt, quæ ipſa in ſe non ut negotialis.] In negotiali quæritur, quid eſſe debeat iuris: in abſoluta, quid eſt iuris. Non ut negotialis.] Negotialis enim non habet ius certum, ſed quæritur de eo iure quod eſſe debeat in negotio præſenti . Abſoluta eſt, quæ ipſa in ſe, non ut negotialis . In negotiali qualitate ius efficitur ſententia iudicis : in abſoluta quod poſitum ius, & notum eſt, ab oratore ſumitur. Implicite, & abſcondite.] Quia adhuc incertum eſt, & quæritur quod eſſe debeat. In hanc argumentationes ex iiſdem locis ſumenda ſunt, atque in cauſam negotialem, quæ de ante dictum eſt : ut ex partibus iuris naturæ, conſuetudinis, legum argumenta ſumamus . Hoc tamen, cum

& in

& in negotiali hæc ſunt, diſtat abſoluta ab negotiali, quòd illa ius aſſumit, ut probet, quemadmodum nouum ius eſſe poſſit, de quo quæritur: abſoluta autem ipſa iura aſſumit, ut probet factum. Aſſumptiua igitur tunc dicitur, cū ipſum ex ſe factū probari non poteſt.] Aſſumptiuæ qualitatis præcepta tractaturus, docet quid ipſa ſit, & eius partes quatuor ſupponit. Ac primam compenſationem, quam & comparationem appellat. huius exemplum ſubijcit, Imperatoris eius qui inſtrumenta & arma tradiderit, ut exercitum ab obſidione hoſtium liberaret. hic quoniam finitiuus ſtatus eſſe potuit, quid ſit lædere maieſtatem. Certi enim nominis reus eſt.] Cuius conſtitutionis, id eſt, finitiuæ tractatu omiſſo, ipſam conſiderat compenſationem. Ac præcepta hæc conſtituit, ut ſi quid per coniecturam tractandum ſit, prima parte tractetur, uel hoc non obfuiſſe, uel hoc non futurum fuiſſe, propter quod iſtud unde reus ſit, dicatur eſſe commiſſum. Iſta coniecturalia ſunt. Item ſi definitio fuerit cum alio, qui certi nominis reus eſt, transferenda huc ſunt omnia, quæ ſunt definitionis. monetq; nunc alteram, nunc utranque conſtitutionem, id eſt, & finem & coniecturam in prima parte tractari, & item alias, tractis ſcilicet huc rationibus ſingularum & confirmationis & infirmationis. Ipſius autem compenſantionis præcepta hæc ſunt, ut comparemus id quod admiſſum eſt, & propter quod admiſſum eſt, ex partibus honeſtatis, utilitatis, neceſſitatis: ut neque fuiſſe aut honeſtum, aut utile, aut neceſſarium. Vbi & gradus tangi poteſt, non tam utile, non tam honeſtum, non tam neceſſarium: quæ partes, id eſt, utilis, honeſti, neceſſarij, plenius intelligentur in præceptis deliberatiuæ. Sic facta ſeparatione, & eius beneficij, quod præſtitiſſe ſe dicit, & eius maleficij, quod admiſit, actio poſtrema ducenda eſt ad formam deliberatiuæ, ut ita agatur, quaſi ſuadeat, aut diſſuadeat orator, faciendum, aut non faciendum. quoniam accuſatoris pars eſt utique, ut diſſuadeat: defenſor uero hæc omnia contraria actione conuertet. Cum ille coniectura uſus fuerit, coniecturaliter reſpondeat. Item contra fidem aſſumat argumenta officij. Ipſius autem compenſationis contrarias partes tenebit, ut doceat utile, honeſtum, neceſſarium fuiſſe quod fecerit. Aut tanto opere per gradū utile fuiſſe, honeſtum, neceſſarium. Loci communes ab accuſatore erunt duo. in eum qui de turpi facinore confitetur, & quærat aliquam defenſionem: & alter, ipſius inutilitatis & turpitudinis expreſſio cum indignatione. À defenſore tres ſunt: nihil per ſe turpe aut inhoneſtum putari, niſi animo facientis conſideretur: alter, amplificatio beneficij præſtiti: tertius, expoſitio ipſius & periculi, et beneficij. Ex quibus ſunt iudicationes duæ.] ſcilicet iudicationes coniecturales. Aut hæc comparatiua, cu ius nunc indigemus.] Hæc iudicatio propria eſt ipſius compenſatiuæ conſtitutionis. Hoc cauſæ genus.] Compenſatiuum ſcilicet. Oportebit adhibere cæterarum quoque conſtitutionum rationem atque præcepta.] Si tamen incidant cæteræ conſtitutiones. Iſtæ enim conſtitutiones, quæ in aſſumptiua ſnnt qualitate, poſſunt præcedentes omnes conſtitutiones recipere ut hæc nunc, quæ compenſationis eſt, habet & finem & coniecturam. Ideo quæcunque genera ſunt quæſtionum, ſuis conſtitutionibus tractanda ſunt. Ac maxime coniecturis faciendis.] Vt per coniecturam, quæ quaſi incidens eſt, compenſatio illa tollatur, qua is qui accuſatur maieſtatis, utitur dicens, periturum fuiſſe exercitum, niſi arma concederet. Ii qui accuſabuntur, comparabunt.] Vt periturum fuiſſe exercitum negemus: quod ſumit hic, qui arma prodidit & inſtrumenta. Aut ſi alia ratione.] Quoniam ſuperius duas rationes & duas iudicationes poſuit coniecturales, non futurū fuiſſe ut periret exercitus, & nō hoc animo factum: idcirco hic eandem rationem repetit, ut coniecturam dicat in hanc conſtitutionem tractandam. Ex coniecturali conſtitutione ſumetur.] Quis partibus ſuis ipſa tractanda eſt. Sin autem certo nomine maleficij.] Vt nunc certo nomine reus eſt maieſtatis. Poteſt enim ſine certo nomine reus eſſe, & non ſtatim ad definitionem aſtringitur, cum criminis nomen nullum uidetur obiectum.

Sin autem certo nomine maleficij uocabitur in iudicium.] Iam hic incipit incidentis ad hoc thema alterius ſtatus, id eſt finis, quem ſtatum finem & ſupra poſuit, dicendo: Quid ſit maieſtatem minuere, præcepta tractare. Sin aliud quoque aliquod genus.] Quarumlibet conſtitutionum, uel præcedentium, uel ſequentium. Quàm plurimis infirmet rationibus.] Vt dicat non futurum fuiſſe, ut periret exercitus. aut aliter, Non hoc animo feciſti, ſed ut perderes feciſti. Deinde oportet accuſatorem illud quod ipſe arguat, ab eo quod defenſor comparet, ſeparare.] Poſt illa ſuperiora etiam hoc dicere oportebit accuſatorem, contendere, comparare. Et hoc extenuando maleficij magnitudinem ſimul adaugere.] Vt extenues, quod præſtitiſſe ſe dicit: augeas, quod admiſit. Deinde oportebit illam ipſam comparatiuam iudicationem exponere, tanquam cauſam deliberatiuam.] In omnibus aſſumptiuis qualitatibus poſt omnia argumenta ex conſtitutione, quæ ſunt propria, locus extremus interponitur quaſi deliberatiuæ cauſæ, in qua quæritur quid faciendum ſit, ut ex hoc probetur quid faciendum fuerit. Tanquam cauſam deliberatiuam.] Vt non iudicialis cauſa ſit, ſed deliberatiua, & eodem genere agatur, quaſi ſola ipſa eſſet, id eſt, cauſa deliberatiua. In aliquam conſultationem.] Vt deliberatiua, non iudicialis cauſa ſit. hoc eſt enim conſultatio. Defenſor autem quibus in locis ab accuſatore aliæ conſtitutiones inducentur.] Si accuſator coniectura, retorto contra genere dicendi, coniectura & defenſor utetur. pari genere & finem, pari genere etiam comparationem ex contrario tractabit: ut quod ille inutile, hic utile: quod ille inhoneſtum, hic honeſtum dicat, & cætera his ſimilia. Relatio criminis eſt, cum reus id quod arguitur confeſſus, alterius ſe inductum peccato iure ſe feciſſe demonſtrat.] Secundam ſpeciem aſſumptiuæ qualitatis relationem poſuit. Hanc definiunt per definitionem.. Quæ conſtitutio tunc eſt, cum alterius peccato ſe feciſſe reus dicit quidquid admiſit. huius exemplum ſubiecit Horatium, qui ſororem ſuam flentem interfecit. Et ſubiungit præcepta primum, ut ſi qua conſtitutio ante ipſam relatiuam tractari poſſit, excutiatur circa ipſum qui reus eſt: Non hoc animo feciſti. Hoc utique ſic factum eſt & in comparatione. Deinde quoniam relatio refert actus ad alterum, ut ſe defendat: dicit enim Feci, ſed ille meruit. Neceſſaria etiam hic cæterarum conſtitutionum ratio tractabitur. Cum enim cœperimus dicere, ille non meruit, & coniectura eſſe poteſt, & finis, & qualibet alia conſtitutio. Ergo accuſator in defenſione eius in quem reus transfert crimen, tractabit alias conſtitutiones. Hoc pacto fit, ut licet relatio ſit conſtitutio, in hanc tamen adhibeamus alias conſtitutiones, duobus modis: uel circa perſonam ipſius rei, quo animo fecerit: uel circa perſonam illam in quam reus transfert crimen. Poſt hæc igitur tractanda eſt ipſa relatio criminis, quam in præceptis ab eodem ſubiectis cuiuis facile eſt recognoſcere. uſque ad illam partem, quæ ſemper (ſicut in ſuperiore præcepto traditum eſt) propoſitionem habet quaſi deliberatiuam: quæ ex utilitatis honeſtatiſq; partibus quid agendum eſt, quaſi res in conſultatione ſit, declaratur. Defenſor habebit cuncta contraria. ſed ſi incidentes conſtitutiones aliæ fuerint, omnia ex earum diuerſa parte tractabit. Item per præcepta conuertendo modum, ad ſuam partem argumentando deducit eum, locis communibus tam accuſatori quàm defenſori datis: quos ipſe ſupponit. Poſtes ſi qua facultas erit.] Ante relationem cri

minis, & eius argumenta, cæteris conſtitutionibus accuſator & reum onerare debebit, & illum defendere in quem reus transfert crimen: nanque dici poteſt, Quod feciſti, non hoc animo feciſti: quod eſt alterius conſtitutionis: deinde, & ille quem meruiſſe dicis, aut non meruit, aut non hoc pacto meruit: quod utique aliarum eſt conſtitutionum. Ita antequam ex præceptis relationis aliquid agamus, conſtitutionibus reliquis, & circa rei perſonam uti poſſumus, ut eum arguamus: & circa perſonam eius in quem crimen transfertur, ut eum defendentes reum accuſare poſſimus. Poſtea translationis uti partibus.] Præſcriptione, Non tibi eum licuit occidere. Deinde negare debebit, audire oportere id.] Vt dicamus, Hodie audiendus tu non es, ſiquidem & tu illam, quam punitus es, audire noluiſti. Et id quod iudicatum non ſit, pro infecto haberi oportere.] Mentiris, quòd dicis ſororem fleuiſſe, quia non eſt inde iudicatum. Nunc apud iudices accuſent, quam ſine iudicibus ipſi condemnarint.] Modo crimen ingeris, poſteaquam pœnas ſumpſiſti de ſorore. Ac ſi idem facere ipſe, qui nunc accuſat, uoluiſſet, ne hoc quidem ipſo quidquam opus fuiſſe iudicio.] Vt & hic qui Horatium accuſat, potuiſſet ſine iudicio illam quaſi peccantem occidere. Si uero cæteri quoque idem faciant, omnino iudicium nullum futurum.] Soritici ſyllogiſmi fecit formam, qui in infinitum ſemper de intenta rei definitione porrigitur, ut granum, cumulus, aceruus. occidit Horatius, occideret accuſator, ita ſemper ſine iudicio erit pœna. Potuiſſe hunc ipſum de illa ſumere ſupplicium.] Quaſi de ſorore. Et de ea per amplificationem ex deliberationis præceptis dictio] Vt dicas iuſtum, honeſtum, utile, uel contra: quæ omnia in deliberationis præceptis tractantur. Vt refelli, & in contrariam partem conuerti poſſint.] Vt cum ſupra uerbi cauſa dictum ſit ab accuſatore, non debuiſſe à fratre interfici ſororem: dicat hic, magis à fratre debuiſſe. Vt ne ab ipſo quidem, qui feciſſet, in dubium uocaretur.] Vt negare non poſſet, quod admiſiſſet, quod hæc uictoriam Romanam lugeret. * Ex iudiciorum perturbatione.] Quoniam non erat occiſa iudicio, quæ occiſa eſt. Remotio criminis eſt, cum eius intentio facti, quod ab aduerſario infertur, in alium aut in aliud dimouetur, & cætera.] Definitio. Hæc tertia ſpecies aſſumptiuæ qualitatis, remotio criminis dicitur, quæ definita eſt ſic. Cum intentio facti remouetur, uel in alium, uel in aliud. ipſa autem remotio nunc rei eſt, nunc cauſa: ſed ſi cauſa remouetur, uel in hominem remouetur, uel in rem. Sin autem res remouetur, tantum in hominem remouetur, uel ab homine. Cauſæ remotionem in hominem, docuit per exemplum, de legato Rhodiorum. cauſæ remotionem in rem, in eodem exemplo oſtendit, cum dixit, mortuo quæſtore ſi legatus uiaticum non accepiſſet. Verum præcepta tradit, quibus uteretur accuſator, cum argueret eum, qui cauſam facti in hominem remoueret. Et eſt primum, ut accuſator eum defendat, in quem culpa remouetur. ſed ſi hoc non potuerit, dicat hoc iudicium aliud eſſe, illud aliud. deinde dicat unicuique ſuum eſſe officium, hunc non potuiſſe peccare. illum reum eſſe poſſe. non debere tamen coniungi defenſionem huius cum illius accuſatione. Hæc in remotionis partibus integris complendis accuſatoris ſunt. Defenſoris autem hæc: primum, ut quæcunque accuſator ex alijs conſtitutionibus argumenta fecerit, ſoluat: deinde, accuſet eum cuius cauſa peccaſſe dicit: deinde doceat, ſe aliter facere nec potuiſſe, nec debuiſſe: non potuiſſe ex utilitatis partibus, non debuiſſe ex honeſtatis. de utroque autem in deliberatiuo genere tractabit. Deinde dicat à ſe omnia facta eſſe, quæ facere potuerit. Percurret omnia uitæ ſuæ præteritæ dicta, facta, conſilia, ut probet ſuam non fuiſſe culpam, cum hoc non impleuerit. Cum uero cauſa non in hominem, ſed in rem remouetur, omnia eadem præcepta accuſatoris & defenſoris erunt, excepta uel accuſatione hominis in quem remotio fit, uel defenſione rei. Remotio cum ſit, dedit exemplum de adoleſcente, qui porcam tenuit. remouet enim à ſe factum, & dicit non fuiſſe ſuæ poteſtatis facere, uel non facere. Hic naſcitur illud nouum, ut fiat remotio rei non in hominem, ſed ab homine, & exiſtat conſtitutio ab accuſatore, cum dicitur: Quod feciſti, non tu facere debuiſti. Exemplum dedit de prætore, qui cum conſules deberent, populum ad arma conuocauit. Hic præcepta dat, uti exprimamus quid cuiuſque ſit poteſtatis, quid officij, ex utilitatis partibus, & honeſtatis, & ut hoc probemus exemplis. deinde adiungit locos communes, ſi qui eſſe poſſunt aut indignationis, aut conqueſtionis, ut uterque ſibi pro ſuis partibus ſumat. In alium, aut in aliud dimouetur.] Aut in perſonam, aut in rem. De utroque diſtinctius, & de honeſto, & de utili. Sin autem non in hominem certum, ſed in rem aliquam cauſa dimouetur.] Hucuſque in perſonam, nunc in rem cauſa remouetur. Accuſatione alterius, & culpæ depulſione dempta, cæteris ſimiliter uti locis oportebit.] In tua depulſione. reliqua talia perſeuerant in rem, qualia fuerunt in perſonam. Ipſius autem rei fit remotio, cum id quod datur crimini, negat neque ad ſe, neque ad officium ſuum reus pertinuiſſe.] Nunc remotio rei. nam ſupra cauſæ docuit remotionem, & in hominem, & in rem: ſed remotio rei tantum in hominem fit: & fit duobus modis. nam nunc remotio fit rei ab eo qui reus eſt, nunc remotio fit rei ab eo qui accuſator eſt: quod erit nouum, ut ſtatus ab accuſatore naſcatur.

Atque in hoc genere.] Remotiuæ conſtitutionis, ubi tantum res, non cauſa remouetur. Conceſſio eſt, per quam non factum ipſum probatur ab reo, ſed ut ignoſcatur, id petitur, & cætera.] Quarta ſpecies eſt in aſſumptiua qualitate, conceſſio. Hanc definit ita, cum non factum purgamus, ſed ut ignoſcatur petimus. Hanc partitur in duo, in purgationem & deprecationem. & purgationem definit ita: cum non factum purgamus, ſed uoluntatem. Id fieri dicit tripliciter: ſi aut imprudentes faciamus, aut caſu, aut neceſſitate. imprudentiæ dat exemplum de uitulo immolato. Item caſus de eo qui hoſtias præſto non habuit ad diem certum. Item neceſſitatis, de roſtrata naui in portu, ubi non licebat inuenta. Hæc tria exempla idcirco iuncta poſuit, quia eorum omnium ſimilis præceptio eſt. nanque ut & in ſuperioribus, ita & hic primum coniecturaliter agendum ab accuſatore. ut id quod reus negat ſe uoluntate feciſſe, conſilio factum doceat, ac uoluntate. Deinde ſubiungit finitiui ſtatus tractatum, qui (ut ſupra docuit) quadruplex eſt, definitio breuis, aſtrictio definitionis: & tertio loco, ſi aſſerit, deductio eſt definitionis ad ſpeciem: ſi uero non aſſerit, ſeparatio definitionis à ſpecie. quarto loco fit deſtructio definitionis partis aduerſæ. Verum hi commiſſa deſtructione definitionis partis aduerſæ, reliqua tria complebuntur: ut breuiter definiat caſum, imprudentiam, neceſſitatem: deinde adiungat approbationem definitionis per exempla. tertio loco ſeparet à definitione, quod reus fecit: & id oſtendat eſſe diſſimile, quod ſit lenius facinus non ignorabile, non fortuitum, non neceſſarium. demonſtrabit poſt hæc potuiſſe uitari, potuiſſe prouideri. & id doceat, quemadmodum: deinde adiungat accuſator alteram definitionem, per quam nomina alijs ſupponat imprudentiæ, caſui, neceſſitati, inertiam, negligentiam, fatuitatem. Poſt hæc illud adijcit, uti excutiamus, ne forte neceſſitas habuerit turpitudinem: ut diſputari poſſit mori melius fuiſſe, ne tantam turpitudinem ſubiremus.

remus. Poſt hæc dicit adiungendum eſſe tractatum de iuris & æquitatis natura, de qua & in negotiali qualitate tractatũ eſt, & maxime in abſoluta iuridiciali: quæ duæ qualitates ſolis uidentur diſtare temporibus. nam rerum tractatu eodem continentur. Poſt hæc dicit adiungenda exempla, ſi tamen facultas dabit. in quibus doceamus ſimili de cauſa neſcio quibus ueniam non eſſe conceſſam, & adiungamus illis fuiſſe magis tribuendam. Poſtremo ex partibus deliberationis turpe & inutile doceamus eſſe concedi, & magnum periculum futurum, cũ tanta res admiſſa ſit, ſi non fuerit à iudicibus uindicata. Contra hæc defenſor conuerſione utetur horum omnium, ut & in ſuperioribus docuimus. maxime autem ut defendat uoluntatem, & augeat quod uoluntati fuit impedimento, & doceat nihil amplius ſe potuiſſe facere quàm fecit. Deinde inducat locum communem, uoluntatem expectari oportere. deinde conqueſtionẽ, cum culpa careat, ſe affici ſupplicio, communem hominum eſſe infirmitatem. Loci uero communes accuſatoris hi ſunt, in eum qui confitetur, & alteri peccandi licentia tribuitur, ſi non de facto, ſed de uoluntate quæratur. Defenſoris conqueſtio eſt de calamitate, quod non culpa ſua, ſed ui maiore peccarit. Alter locus, de fortunæ poteſtate, & infirmitate hominum. Tertius locus: animum, non euentum conſiderari. Poſt hæc exempla atque tractatus admonet, quod in omnibus exẽplis ſupra poſitis leges ſint. Vnde neceſſario incidunt tractatus etiã legales. ſed hoc negat eſſe mirandum, quod cauſarum genera quædam ſimpliciter explicantur, quædam coniuncta ſunt. unde qui omnia præcepta cognouerit, quidquid perſpexerit in exemplo, tranſlatione locorum neceſſarie perſequetur. nam cum hic & leges ſint, neceſſario quæ legum præcepta ſunt, complere debemus: de quibus poſt dicetur. Nunc tantum ea præcepta poſuit, quæ cõceſſioni, de qua tractatus erat, conuenirent. Si quid res ipſa dabit facultatis, coniecturam induci ab accuſatore oportebit, ut dicat accuſator per coniecturam, aut prudenter feciſſe, aut non caſu feciſſe, aut non neceſſitate, ſed uoluntate feciſſe. Atque tum ex his locis iuris atque æquitatis naturam oportebit quærere, & quaſi in abſoluta iuridiciali per ſe hoc ipſum ab rebus omnibus ſeparatim conſiderare, quoniam conuenit iuridiciali abſoluta qualitas tractata rebus, & diſtat tantummodo tempore: quia negotialis de futuro iuſto agit, abſoluta de præterito. Si aut in ijs, aut in alijs exemplis ſcripti quoque controuerſiam adiunctam uidebit.] Hoc præcepto oſtendit, incidere ſemper legales poſſe controuerſias conſtitutionibus principalibus, nec aliquando legales ſtatus poſſe exiſtere principales. Deprecatio eſt, in qua non defenſio facti, ſed ignoſcendi poſtulatio continetur.] Secunda pars conceſſionis deprecatio eſt. Hanc definiuit ita, cum non factum defendimus, ſed aperte ueniam poſtulamus. Hoc autem actionis genus non frequenter incurrit in iudicijs, ſed in Senatu aliquoties, & apud populum. Dat exemplum uel Quinti Numitorij, uel Syphacis, ubi aperte nulla alia conſtitutione uenia poſtulata ſit. ſubiungit præcepta, primo eius qui ut ignoſcatur poſtulat ut ſua beneficia commemoret, ſi qua habuerit in uita præterita, & ea doceat eſſe maiora quàm eſſet factum unde reus eſt. deinde maiorum ſuorum beneficia oſtendat. deinde dicat ſe non odio neque crudelitate feciſſe quod fecerit, ſed ſtultitia, aut alicuius impulſu. deinde polliceatur, ſe alicubi profuturum. deinde oſtendat ſe conſanguineum magnis ac principalibus uiris, uel amicum. deinde amplitudinem ſuam & uoluntatis & generis, & eorum uoluntatem oſtendat qui de ſe iudicent, & omnia quæ perſonæ amplitudinem honeſtatemq; demonſtrent exaggeret. ſed hæc cum conqueſtione potius, quàm cum arrogantia. Poſt hæc adiungere exempla debet, in quibus doceat, aut ſimili de cauſa ignotum multis, aut maiora conceſſa delicta. deinde doceat ſe in poteſtate item fuiſſe, & id ignouiſſe quemplurimis. Poſtremo ipſum peccatum extenuare debebit, & comparare, propter paruum admiſſum ſe hominem tali honore excellentem, ſupplicio affici non oportere, quo afficiuntur cæteri qui maiora committunt. Hæc confirmare locis communibus, qui ad captandam miſericordiam in primo libro uidentur expoſiti. Sed contra hunc qui dicit, primum maleficium augebit. deinde dicet, nihil imprudenter factum, ſed crudeliter & inimice omnia. ipſum immiſericordem, immitem, ſuperbum, inimicum ſemper fuiſſe, amicum nunquam futurum. & ſi beneficia protulerit ille qui ueniam petit, is qui contra dicit, docere debebit, cauſa alia, non beneuolentia præſtitum: aut aliud maius poſtea conſecutum, & hoc malo beneficia ſuperiora deleta: aut leuiora beneficia maleficijs: aut ut honor habitus eſt benefactis, pro maleficio pœna ſumatur. Deinde ut per locum communem dicat, turpe eſſe & inutile ignoſci. deinde optatum fuiſſe, ut reus aliquando fieret, & nunc non uindicari. Poſtremo cogitare debere, quali animo circa eum fuerit, & quali odio. Loci communes eius erunt, indignatio maleficij, & alter, ut eorum miſereantur qui fortuna, non malitia peccauerint. Nam & in ſenatu de Syphace diu deliberatum eſt, & cætera.] Ita hic docet poſtulatam eſſe ueniam per deprecationem. nam ſemper animo bono in populum fuiſſe, non tam facile probabat, cum coniecturali conſtitutione uteretur. Ita excludatur eius coniectura, qua factum negabatur, quod erga populum Romanum bono animo fuiſſet, & relinquebatur ſola deprecatio. Quoniam ergo in generali conſtitutione tandin propter eius partium multitudinem commoramur, & cætera.] Omnes quatuor conſtitutiones cum ſuis ſpeciebus expoſuit. Supererat iam de controuerſijs legalibus diſputari. ſed quoniam partitus qualitatem, ſpecies ei duas dederat, iuridicialem & negotialem, ipſamq; rurſus iuridicialem diuidens in abſolutam & aſſumptiuam, ſpecies ei duas dederat, iuridicialem ipſam ita definierat, ut in ea æqui & iniqui natura, aut præmij aut pœnæ ratio quæreretur: æqui & iniqui natura in omnibus expoſita eſt ſupra tractatibus circa omnes ſpecies iuridicialis. unde nunc neceſſario admonet, de pœna ac præmij ratione eſſe tractandum, quod multa exiſtunt genera cauſarum ex præmij petitione ſimiliter & pœna. nam Cicero de præmio tantum loquitur. Nos tamen & ad pœnæ actionem ratione tradita, præceptum de præmio per ſimilitudinem transferemus. Petuntur, inquit, præmia, & apud iudices, & in ſenatu, & in aliquo conſilio. Hic admonet, quod in ſenatu dixit, ne quis arbitretur de deliberatiuo dicendi genere ſumptum eſſe tractatum, cum de iudiciali genere dicendi omnis tractatus haberetur. Hoc, inquit, neminem moueat, quoniam & apud ſenatum licet ſententiæ dictio ſit. Quod dicendi genus deliberatiuæ conuenit, tamen iudiciale genus dicendi eſt exiſtimandum, cum & in ſenatu licet de probando homine, improbandoq; tractetur. & omnino, inquit, iſta tria genera cauſarum forma quadam et primo genere diſtant, altiore tamen & pleniore intellectu implicita ſibi & connexa, ſuis partibus continentur. Nam primo & apud iudices de præmio ſæpe accuſator quæritur, & cætera.] Accuſatoribus lege præmia dabantur hoc ipſo quod accuſabant. exemplũ dat Tullius in Diuinatione: Nullo præmio adductus ſum. item, Non enim ſpolia Caij Verris concupiui. Id ſi non per ſententiæ dictionem agitur, deliberatiuum eſt, & cætera.] Deliberatiuum enim ſic definierat, ut diceret: Cum res poſita in conſultatione ciuili, habet in ſe ſententiæ dictionem. Ergo cum agitur in ſenatu de homine probando, uel improbando non deliberatiua exinde dicenda eſt, quia habet ſententiæ dictionem: ſed iudicialis cauſa magis, quia de homine probando, improbandóque tractatur. Nunc de præmijs conſideremus, & cætera.] Hinc dare præcepta

incipit, quæ ſeruanda ſunt cum præmium poſtulamus quod ſolum ſupererat de conſtitutione iuridiciali tractata, ut natura æqui & recti, aut præmij & pœnæ ratio quæratur. Dat exemplum in quo præmium poſtulatur, de eo qui triumphum petit. poſt quod exemplum admonet, neque hic, neque in deprecatione nos facta intentione, & depulſione, & nata quæſtione, aut rationem inquirere, aut depulſionem rationis, ſed ipſam eſſe iudicationem, quæ ſit quæſtio. In deprecatione hoc modo: Oporteat'ne affici pœna. In præmij petitione: Oporteat'ne dari præmium. Diuidit ergo dicenda in præmij petitione in quatuor, in beneficia, in hominem, in præmij genus, in facultates: quibus ſingulis partes certas ipſe ſupponit. ſimulq; docuit locos communes, quos tantum in his partibus ex quatuor habemus, in præmij genere, & in facultatibus. Hæ enim duæ partes affectus tenent: & poſſunt audientes publicæ rationis, præmium, & facultas plurimum commouere. Ac de conſtitutionibus quidem ſatis dictum eſt. Nunc de ijs controuerſijs quæ in ſcripto uerſantur dicendum uidetur.

DE CONTROVERSIIS QVAE IN SCRIPTO VERSANTVR.

Onſtitutiones rationales eſſe ſtatus, & in primo docuimus, & ipſos eſſe principales. hoc quemadmodũ compleremus in dicendo, ſuperiore tractatu docuit. Sed quis ſunt præter ea genera controuerſiarum quæ uerſantur in ſcripto, quæ incidunt conſtitutionibus, quæ ipſa quinque ſunt, neceſſario etiam de his dat præcepta. In ſcripto uerſatur controuerſia, & cætera.] Sunt autẽ controuerſiæ quinque: ambiguitas, ſcriptum & uoluntas, leges contrariæ, ratiocinatio, & definitio. Scripti autem controuerſia eſt, cum in quocũque ſcripto naſcitur controuerſia, aut in legibus, teſtamentis, pactis & dictis, & cæteris quæ in ſcriptura ſunt. Ergo principalis eſt ambiguitas, quia ita ordinem fecit, cuius definitio adhibita eſt. Cum quid ſenſerit ſcriptor obſcurum eſt.] Ideo quia duas aut plures res ſignificat. Huic exemplum dedit, ut hæres daret uaſa cælata uxori quæ uellet. Quoniam (ut diximus) conſtitutiones non ſunt, ſed incidentes ſunt controuerſiæ, non conſtituit quæ ſit intentio, quæ depulſio: neque quæ ratio, & refutatio rationis, & quæ iudicatio: ſed continuo dat præcepta, quæ ſunt parti utrique communia. Sunt autem hæc: Primum ut ne genus ambiguum, & doceamus locutionis ipſius conſuetudinem: deinde ut ſuperiora uerba, & inferiora conſideremus, ex quibus colligamus quæ ſit uera ſententia. Deinde excutiamus perſonam eius qui ſcripſit, ut ex cæteris dictis eius factis ſcriptis animo atque uita quid ſenſerit poſſit intelligi. Deinde excutiamus omne ſcriptum, ne in aliquo uerbo aut nos adiuuet, aut impugnet aduerſarium. Deinde dicendum, id quod aduerſarius intelligat minus commode fieri, quàm quod nos intelligamus. Huic præcepto exemplum dat: Meretrix coronam auream ne habeto. ſi habuerit, publica eſto. Hic enim tractari poteſt, nõ bene ſentire eum qui publicandam dicit eſſe meretricem, quòd publicæ meretricis nullus eſt uſus, nulla adminiſtratio, hoc eſt nullum quodammodo uectigal. in auro uero publicando magnam eſſe utilitatem. Poſt hæc adiungit utilitatem præcepti, ut interpretemur quanto utilior res, aut honeſtior prætereatur, ſi id intellectum fuerit quod aduerſarius interpretatur. Hoc autem apertius fiet, ſi id quod nos interpretamur, doceamus eſſe honeſtum, utile, neceſſarium. Sed quoniam ſcripti controuerſia, ſicuti ſupra docuimus, poteſt eſſe & in teſtamento, & hoc exemplum dedit, poteſt autem eſſe & in lege. adiecit itaque præcepta: ſi ambiguitas fuerit in lege, uti quæramus ne forte quod aduerſarij intelligant, alia lege cautum ſit. Deinde ut dicamus, quemadmodum ſcribi oportuiſſet, ſi id ſentiret quod aduerſarij dicunt, ille qui ſcripſit. Huius præcepti & argumenti de themate ſupra poſito ſumpſit exemplũ, ut doceat ſcriptorem ſi heredi conſulere uellet, ut ea uaſa daret quæ illi commodum erat dare, non aſcriberet quæ uellet. Hoc enim nõ aſcripto, quæ hæres uellet ipſe daret. nunc quia aſcripſit, utrique eorum cautum uoluit: quia hoc non aſcripto, conſuluiſſet heredi. Ergo concludit præceptum, in huiuſmodi cauſis ita debere tractari: Si hoc modo ſenſiſſet, illo uerbo uſus eſſet: ſi hoc non eſſet, iſto loco uerbum poſuiſſet, aut non poſuiſſet. Deinde adiungit præceptum, uti quæramus hoc quo tempore ſcriptum ſit, quod ſcriptum eſt: quia ex hoc intelligitur uoluntas ſcriptoris. denique quaſi deliberatiuo modo tractãdum, quid utilius, quid honeſtius ſit. Eſſe autem locos communes utrique parti, ſi quid per amplificationem dici poſſit. Quod illius rei neque adminiſtratio, &c.] Quam aduerſarius dicit. Nihil enim prohibet fictam exempli loco ponere, &c.] Fictam materiam, id eſt theticam legem ſine certa perſona. Deinde ſi in lege erit ex ambiguo controuerſia, & cætera.] Non in aliqua alia ſcriptura. Alia in lege cautum eſſe doceatur, & cætera.] Id eſt, quo modo tu intelligis. Permultum autem proficiet illud demonſtrare, & cætera.] Adiungit aliud præceptũ. eſſe conſiderandum quemadmodum ſcribi poſſit ab eo qui ſcripſit, ſi ſic ſenſiſſet quemadmodum dicit aduerſarius. Ex ſcripto & ſententia controuerſia conſiſtit, & cætera.] Legales controuerſiæ ſunt quinque, quæ extra conſtitutiones tractatus ſuos habent. ex his Tullius primam tractauit ambiguitatem. Scriptum, & uoluntas nunc explicatur. Scriptum autem omne accipere debemus, quidquid in legibus, aut in teſtamentis, aut edictis, aut in omnibus ſcriptis intelligitur. Hoc definiuit ita: Cum alter utitur uerbis quæ ſcripta ſunt, alter ſcriptoris ſententiam interpretatur, & ad id quod ſcriptum eſt, animum ſcribentis adiungit. Is tamen qui ſententia utitur, duplici modo aſſerit ſententiam ſcriptoris: aut enim ſemper dicit ſcripti eius unum eundemq; ſenſum eſſe, aut ad tempus: aut ex euentu accipi oportere id quod ſentit ille qui ſcripſit. Dat exemplũ, quemadmodum unum & idem ſemper intelligatur in ſententia ſcriptoris. Cum hæres ſecundus inſtitutus interpretatur ſe heredem eſſe iuſtum, ſiue natus filius eſſet, ut is hæres eſſet, qui natus fuerat: ſiue natus non fuiſſet, ut alius nullus eſſet quàm ipſe, qui ſecundus eſt inſtitutus. Hanc ſententiam unam memorat, & ſemper eandem eſſe. At uero cum ſententia ſcriptoris ita exponitur, ut ex facto, aut ex euentu ad tempus interpretãda ſit, docet omnes ſub qualitate aſſumptiuæ partis in hoc genere contineri, in qua compenſatio eſt, aut relatio criminis, aut remotio, aut conceſſio. In his enim omnibus ſpeciebus aſſumptiuæ qualitatis neceſſario lex præcedit, quæ cum ſcriptum habeat, habebit & ſententiam, quam is, qui ea utitur dicit ad tempus accommodari. Dat exemplum, & docet non ad idem ſpectare in his exemplis ſententiam ſcriptoris, ſed ex tempore ſemper intelligi. Poſt hæc ſubiungit præcepta, quibus uti debet is qui ſcriptum defendit, & is qui ſcripto ſe tuetur. Sunt autem hæ laudes ſcriptoris. Communis locus, in quo docetur nihil à iudicibus ſpectari oportere niſi ſcriptum, & magis ſi legitimum ſcriptum ſit. Tertio loco debet inducere factum ab aduerſario, poſtea comparare cum ſcripto id quod factum eſt. deinde dicere, quod iudex in legem iuratus ſit. deinde interrogare quid ſit quod ex aduerſa parte dicatur. Modis autem uarijs interrogare, modo iudicem, modo aduerſarium, modo ipſum ſe cum admiratione interrogare. & interrogare hæc, utrum ſcriptum negetur eſſe ſic quemadmodum loquitur, & an ab aduerſario aliud factum ſit quàm dicatur, an contra dici nihil poſſit, deinde concludere. Cum ſcriptum ita ſit, & ab aduerſario factum, & ita factum nõ negetur, quod ſumma ſtultitia ſit

contra

contra dicere. Deinde recitatio ſequitur ipſius ſcripti frequens, & comparatio facti cum ſcripto uario modo, nunc ad te ipſum ut redeas, nunc ad iudices iſta tractes. Sed ad iudices cum dicitur, oſtendendum eſt quid ſequi iudices debeant: quod duabus de cauſis ſit apud iudices dubitatio, ſi aut obſcure ſcriptum ſit, aut aduerſarius aliquid neget. at hic utrunque manifeſtũ eſſe. unde iudices parere legi oportet, non interpretari legem. Poſt hæc ſubiunguntur ea quæ contra eum dicuntur qui utitur ſententia. Et quoniam ſupra diximus, ſententia aut idem ſemper ſpectat, aut ad tempus accommodatur: ſi ad idem ſpectare dicitur ſententia, ille qui ſcripto nititur, dicit non oportere nos de uoluntate quærere, cum ſcriptum extet, quod iudicium eſt uoluntatis. Deinde incommodum eſſe, ſi hoc inſtituatur, ut ab ſcripto recedatur. nam ſi nec ſcriptores ratum crederent eſſe, & ſibi debebunt interpretari habere quod ſcripſerint, & iudicium incertum ſequentur, ſi à ſcripto recedere cœperint. deinde dicere magis uoluntatem eum ſequi qui ſcripta defendat, quàm eum qui interpretetur. certius enim iudicium eſt uoluntatis ipſum ſcriptum. Hæc aduerſus eum, qui ſententiam ſemper ad idem ſpectare dicit. Sin autem ad tempus accommodari ſententiam dicit aduerſarius, debet ille qui ſcripto nititur, negare iuſtum eſſe. ut cum aliquis ſe contra legem feciſſe fateatur, aſſerat cauſam uel temporis uel euentus, uel aliam ſimilem. Deinde debet dicere, ſemper accuſatorum fuiſſe, ut cum crimen intenderent, facti cauſam afferrent. nunc reorum eſſe, ut cum fecerint quod non licebat, facti ſui afferant cauſam. Poſt hæc tres locos debet aſſerere qui pro ſcripto nititur. ſunt autem hi: Nulla in lege cauſam contra ſcriptum accipi, in hac lege non accipi, hanc cauſam minime accipi. Hæc, uti dixi, debet aſſerere, ac primum illud in nulla lege cauſam accipiendam eſſe. habebis hæc præcepta, quod ſcriptori neque ingenium defuit ad inuenienda omnia, neque ſermo ad proferenda: ſi aliquid excipiendum putaret, eſſe conſuetudinem ſcriptoribus excipere. Hoc probabit, ſi recitet leges quæ habent exceptionem. Erit autem uehementius, ſi eius ipſius ſcriptoris aliam legem recitet, aut in ipſa lege aliquod caput inueniat, quod excipiat. Deinde quaſi per definitionem inducere. quoniam nihil aliud eſt cauſam accipere, niſi legem tollere. Idq́; fieri, ſi cauſa accipiatur quæ extra legem eſt, id eſt, extra ſcriptum. Deinde omnibus peccandi licentiam dari, ſi cauſa ſemper accipiatur, & iudicibus errorem mitti, cum à ſcripto receſſerint, & ſemper cauſas ſequantur, quæ ſcriptæ non ſint. omnes ciues quid agant ignoraturos, ſi ex ſuo conſilio quiſque agat, & cauſam legi applicet. Poſtremo hos locos inducet, quòd omnes actus reipublicæ legibus exerceantur, quòd hi iudicent qui à negotijs ſuis abſint, quòd iurent in uerba certa, quòd nullam excuſationem aut aliquam cauſam recipiant, quæ cum teneatur ad iudicandum abeſſe poſſit: niſi ſi eadem cauſa utatur, quæ ſit in ipſis legibus inſtituta. quòd ſi omnes legibus teneantur, iniquum eſſe aduerſarios non teneri. Deinde per argumentationem illam, quæ inductio nominatur explicare, an permittant iudices ad legem addi eam cauſam, qua ſe tuetur aduerſarius. Quod ſi ipſi non permittant, aut etiam ſi uelint ipſi addere, populus ſinat: ſi neque ipſi neque populus permittat addi cauſam, iniquum eſſe, ut hodie ita iudicent, quaſi iam cauſa legi uideatur aſcripta: indignum eſſe derogari legi, aut abrogari legem, aut ex aliqua parte mutari. Derogari eſt, in uituperationem uenire. Abrogari, totam penitus tollere. Tertium uero eſt, cum pars aliqua commutatur, & uertitur. Deinde adiungere, populum hodie nihil ſcire iniquum eſſe, ut illo inuito & ignaro aliquid de legibus iudicetur, eſſe certum ferendæ legis tempus. quòd ſi aliquis hanc legem ferat, ſcire ſe uelle, ut ſi aliquid ſit captioſum aduerſariũ ue, contradicat. eſſe turpia & inutilia hæc quæ aduerſarij dicunt. nunc legem qualiſcunque ſit debere ſeruari. Poſt populo ſi diſpliceat, licentiam commodari, ut uel abroget, uel corrigat legem. Deinde poſtremo loco concludet, neminem permiſſurum fuiſſe de populo, ut aduerſarius hác cauſam adderet legi, etiamſi ſine alicuius periculo hoc fieri poſſet. Cum ſemper ad idem ſpectare, & idem uelle demonſtratur.] Semper hoc eſſe in hac lege, quod ſenſerit ſcriptor. Vt quod nos ſenſiſſe ſcriptorẽ dicimus.] Id eſt, ad quam ſententiam ſcripta uerba accommodamus, ipſa ſemper ſit, neque aliquo tempore mutetur, ne exiſtat aliquando diuerſa. Interdum inquit is qui ſe ſententia defendit, contra ſcriptum ſic dicit, hoc ſenſiſſe ſcriptorem, ut non ſemper idem ſit, quod ſenſiſſe dicitur. Sed pro tempore, pro euentu ſit alia atque alia ſententia. & his duobus præceptis ſupponit exempla. Semper ad idem ſpectare hoc modo.] Vnius partis, uel præcepti, & tractatus exemplũ. Quàm ſuã in tutelam uenerint.] Inter annos quatuordecim, quibus expletis poteſt facere teſtamentum. Cum eo qui eſt hæres.] Secundus ſcilicet. & tunc hæres, ſi filius ante quàm in ſuam tutelam ueniat moriatur, in hoc genere nó poteſt hoc dici, quod interpretatur ſcripti ſemper eandem ſententiam non ad tempus accommodari. Qua fretus & ille qui contra ſcriptũ dicit.] Id eſt, ſecundus, qui ſecundus de numero factus hæres ab agnatis, ſcripto ab hæreditate ſummouetur: quia ſecundus ſcriptus cum ſit, non nato filio ſecundus non eſt. Quæ in omne factũ idem ualeat.] Non quod ſupra, ſed hic pro tempore, ut quid fiat lex ſenſerit. Cum propè muros hoſtes caſtra haberent.] Probauit hucuſque compenſatiuam ſubeſſe interpretatæ uoluntati contra ſcriptum, cum uoluntas expectatur ex tempore, ſubiungit & relatiuã ſubeſſe. Tum remotio criminis.] Adiungit nunc, & remotionem criminis ſubeſſe interpretatæ uolũtati. Contra ſcriptum cum uoluntas mutatur, ut ad tempus ſit. Supponit etiam quartam ſpeciem aſſumptiuæ, id eſt conceſſionẽ ei ſubeſſe. Tum conceſſio per purgationem.] Quia conceſſio in purgationem & in deprecationem diuiditur, ſed deprecatio non ſubeſt. Purgationem ſpeciebus ſuis ſubijcit. Quare aut ita ſententia inducetur.] Redit ad concluſionẽ duorum præceptorum ſupra poſitorum, cum uoluntatem interpretamur contra ſcriptũm. Scriptum ergo is qui defendit.] Hinc incipiunt præcepta, quibus uti debeat is qui ſe defendit ſcripto. Quid factum ſit.] Ab eo uidelicet qui ex legis uerbis arguitur. Quid iuratus iudex, & cætera.] Id eſt, in quam rem iuratus iudex ſedeat, hoc eſt in leges ſedeat iuratus. Siue utrum neget, &c.] Id eſt, aut ſcriptam eſſe legem, aut hoc feciſſe. Contra autem dicetur, ſi aut prorſus aliud ſenſiſſe ſcriptor, & ſcripſiſſe aliud demonſtrabitur.] Cõtra autem dicetur ab eo qui ſe contra iſtum, qui ſcripto nititur, uoluntate defendit. Sed huic nunc locos dat, non quoad eius partes iam tranſierit: uerum ut intelligamus cõtra quos locos eius qui uoluntate defendit, reſpondere poſſit. Aut à cauſa aſſumptiua inferetur.] Quoniam cum ad tempus uoluntas ſcripti accipienda oſtenditur, neceſſario per aſſumptiuæ qualitatis ſpeciem argumenta ſumuntur. Si aliud ſenſiſſe ſcriptor, aliud ſcripſiſſe dicatur is.] Prima pars qua is utitur, qui ſe uoluntate defendit, contra quam nunc præcepta dat ſcriptori. Sin cauſam afferet is qui à ſententia ſtabit.] Secunda pars, qua utitur is qui uoluntate ſe defendit, contra quam præcepta nunc dat ſcriptori. Sin cauſam afferet is qui à ſententia ſtabit.] Dictus primus locus eſt ab eo qui ſcripto nititur, per partes ſuas: qui per præcepta. Sequitur ſecundus locus, in quo oſtenditur, ſi in cæteris legibus cauſa accipiatur, in hanc legem cauſam accipi non oportere. Hoc ut probari poſſit demonſtrandum eſt, quia lex uel ſcriptum quodlibet ad res maximas, utiliſſimas, honeſtiſſimas, religioſiſſimas pertineat: unde inutile, turpe, nefas eſſe doceatur, legi tam diligenter ſcripta non obtemperari. Deinde docen-

dum, quod omnia cauta in hac lege ſint, & proſpecta, & excepta, quæ excipienda, perſpicienda, cauendaq́ue eſſe uidebantur. Subiungitur tertius locus, in quo docetur, hanc cauſam accipi non oportere: in quo, quoniam aduerſarius, qui cõtra ſcriptum dicat, aliqua æquitate ſe tuetur, laborandum eſt, uti doceat qui ſe ſcripto defendit, illud æquũ non eſſe, quod aduerſarius dicit. Quo loco bene tractato, ut doceat æquum non eſſe, efficiat, ut non oporteat concedere aduerſario. Nam ſuperiores loci hoc agebant, quaſi non liceret id fieri, quod aduerſarius uellet. is autem locus, hic dixi, in quo docetur æquum non eſſe, quod aduerſarius dicit, demonſtrabit eum non oportere audiri, cum iuſtum non uideatur eſſe quod dicit. Deinde deſcendendum erit ad aſſumptiuæ qualitatis ſpecies per tractatus, ab eo qui ſcripto nititur, uti per ea præcepta, quæ ſupra dicta ſunt, compenſationis & relationis, remotionis, conceſſionis, explicet locos partis ſuæ: qui nititur contra eũ qui ſe uolũtate defendit, ſupponendo cauſam ex locis aſſumptiuæ qualitatis. deinde rationes afferendæ ſunt, et cauſæ, quare aut in lege, aut teſtamento ita ſcriptum ſit, quod ſcriptum eſt. ut ex hoc modo non ſcripta tantum defendere, uerum uoluntates interpretari uideatur ille qui ſcripta defendit. Primum nulla in lege ullam cauſam, &c.] Præcepta partitionis, quibus uti debeat is qui ſe ſcripto defendit. Prima pars his ferè locis confirmabitur, &c.] In nulla lege cauſam accipi oportere. Deinde item quærere.] Hoc totum per inductionem, ut ex eo quod conceditur, id quod non conceditur concludatur. Secunda pars eſt, in qua eſt oſtendendum, ſi in cæteris legibus oporteat, in hac non oportere, & cætera.] Secunda pars incipit de partitione eius, qui contra ſententiam ſcriptum defendit. Si quid igitur ex hac ipſa quippiam accuſator deroget, & cætera.] Id eſt æquitate. Quoniam ille qui ſe ſententia defendit, contra ſcriptum æquitatem debet aſſerere: neceſſario is, qui ſe ſcripto defendit, debet rurſus detrahere æquitati. Contra ſcriptum autem qui dicet, primum inducet eum locum, per quem æquitas cauſæ demonſtretur, &c.] Nunc tractatus eſt eius qui uoluntate ſe tuetur contra ſcriptum, quod ſupra tractatum eſt. isq; inducet primum locum æquitatis, ut oſtendat quæ & qualis illa ſit cauſa, quã adhibet per interpretationem legis. deinde aſſumptiuæ partis cuiuſque præcepta ſeruabit, dicens: hoc quidem ſcriptum in lege eſt, ſed ego feci ut prodeſſem: uel reliqua, quæ aſſumptiuæ ſunt qualitatis, ut facta ipſa ſua enumeret, & exequatur: deinde. tres illos compleat locos ex aduerſa parte, quibus uſus eſt is qui ſcripta defenderat. Hic ex contrario doceat, in omnes leges accipi cauſas, & in hanc: legem accipi debere, & hanc cauſam accipi debere. In omnes leges accipi cauſas, in hanc non accipi, iniquũ aliquid conſtitui: ut omnia ſupplicia culpæ, & malitiæ uindicandæ cauſa conſtituta ſint. nunc ſe nihil malitioſe feciſſe. ipſum ſcriptorem, ſi hodie præſens eſſet, factum ſuum probaturum: aut ſi ipſe hoc ageret, facturum fuiſſe. Hac de cauſa uiros bonos electos, & dignitate et ætate, ut non ſcripta legis recitarent, ſed interpretarẽtur. Ipſum legis ſcriptorem non barbaris hominibus ac ſtultis commiſiſſe ſcripta ſua. namq; ſi hoc crederet, diligenter cunctas exequeretur. nunc quædam poſuiſſe, ex quibus etiam non ſcripta, cognoſci poſſunt per intellectam uolũtatem. Poſtea dicendũ eſt, quid fieri potuiſſet, aut quid accidere potuiſſet. in quibus cauſa eum collocatur, oſtenditur recedendum fuiſſe à ſcriptis propter uel neceſſitatem, uel honeſtatem. Omnes leges comprehendere omnia non poſſe quæ uelint exprimere, uel excipere: ſed eſſe naturaliter in legibus cunctis tacitas exceptiones. deinde locum hunc debebit exequi, quia neque ſermo hominum, neque ſcriptũ aliquod planè ſe exprimat, aut eloquatur uoluntatem, ſed ſemper expectari ex ſcriptis reliqua, quæ in uoluntate intelligi poſſunt. Deinde utilitatis & honeſtatis partes explicandæ ſunt. in quibus docebimus quid nos fecerimus, et quid aduerſarij uelint: ut noſtrum utile, aduerſariorum inutile demonſtretur. Deinde locum communem debemus inducere, non literas nos ſequi oportere, quæ & tenues & obſcuræ ſunt notæ uoluntatis: ſed ipſam illam uoluntatem. Deinde inducere definitionem, quid ſit lex. et ſic definire, ut hoc potius uoluntas, quàm ſcriptura uideatur: meritoq; iudices inſeruiant legi, qui uoluntatem legis interpretẽtur. iniquum eſſe affici ſupplicio eum, qui non aperte contra legem fecerit, ſed ex aliqua ratione utilitatis Reipub. His rationibus & rebus, tres illi loci approbantur, qui ſunt contrarij ſuperioribus tribus: uti doceamus, & accipi cauſam in omnibus legibus, & in hanc legem accipi, & hanc cauſam accipi. Præterea operam dare debemus, ut etiam ſcriptum ipſum, ſi quo pacto poſſumus, conuertamus, ut id uideatur tenere uerbis, quod nos interpretamur. Faciamusq; tale aliquid, quale ſupra fecit qui ſcripto nititur, ne ad ſcriptum applicet uoluntatem. Sic hic qui uoluntate nititur, in ſcripto debet aliquid inuenire quod interpretetur, quod conueniat uoluntati. Id faciet, ſi ambiguum aliquid in ſcripto inuenerit: aut per collectionem ex eo quod ſcriptum eſt, id quod ſcriptum non eſt, oſtenderit. Sic fieri, ut cum leue neſcio quod inueneris in ſcripto, tamen cum æquitatem oſtẽderit in ſua cauſa eſſe, plurimum proficiet: & ſubducet aduerſario argumentum ſuum, in quo ille poſuit, ſcripta tantum iudices ſequi debere. cum & hic docere cœperit, in ſcripto eſſe aliquid quod proſit ei uoluntati quam interpretatur. Poſtremi loci ſunt communes, qui ſumi poterunt ex partibus aſſumptiuæ qualitatis, quod ſupra diximus. Verum erit proprius locus eius qui ſcripta defendit, leges ex ſe intelligi debere, non ex utilitate interpretantium. deinde erit alter, nihil legibus charius eſſe debere. At uero erunt alij loci communes eius qui ſe uoluntate defendit, leges in conſilio ſcriptoris eſſe, & utilitate communi. Deinde indignum eſſe æquitatem literis premere & urgere, cum æquitas magis in uoluntate cernatur. Ex his locis, quos tres in partitione ſupra poſuit, & accipi cauſam, & in hac lege accipi, & hanc cauſam accipi. repetit per anacephalæoſin in concluſione tres illos quos in partitione poni locos dixit, & pro ſcripto, & cõtra ſcriptum. Aut ex ſcripto non ſcriptum aliquod inducere.] Id eſt, ſyllogiſtice tractare. Cum æquitate cauſa abundabit, neceſſario multum proficiet.] Fit & hic concluſio, ut & is qui ſe uoluntate defendit, operam det, ut ipſum ſcriptum pro ſe faciat, uel ambiguo aliquo reprehenſo uerbo, uel cæteris, ut non uoluntate tantum, ſed etiam ſcripto niti uideatur: quemadmodũ illi ipſi ſupra, qui ſe ſcripto defendit, ita præceperat, ut non ſola uerba amplecteretur, ſed etiam ſcriptoris oſtenderet uoluntatem. Loci autem communes certis ex aſſumptionis partibus in utranque partem cõuenient.] Vt aut remoueat, aut compenſet, aut referat, aut concludat. Ex cõtrarijs autem legibus controuerſia naſcitur, cum inter ſe duæ uidentur leges, aut plures diſcrepare, hoc modo.] De legalibus controuerſijs tertia eſt, quæ ex contrarijs legibus conſtat. Ná dicta eſt ambiguitas, dicta etiam controuerſia quæ conſtat ex ſcripto & uoluntate. Contrariæ uero leges nunc duæ ſunt, nunc plures, nunc una ſi duplex eſt: quanquam & una ſimplex facere leges contrarias poteſt. At una duplex facit leges contrarias, cum una pars nititur legis parte, altera rurſus alia legis parte dimicat & repugnat. Apud rhetores eſt iſta controuerſia: Rapta raptoris mortem, aut indotatas nuptias optet. ut rapta una parte uitatur, ac dicat mortem ſe optare debere raptoris: altera nuptias inducat. ac fiant leges contrariæ ex duplici parte legis. Item una lex contrarias leges facere poteſt, hoc modo: Cum lex eſt, ut uir fortis petat præmium quod uolet: & duo adoleſcentes filij fortiter fecerunt, petit præmij nomine unus, ut pater eius qui reus factus fuerat proditionis, ante iudicium liberetur: alter petit, ut agatur iudicium. ita ex una lege diuerſa petentium, uoluntate leges contrariæ eſſe dicentur. Verum his

omiſſis,

omiſſis, Tullius definit quæ ſint leges contrariæ. deinde ponit exemplum de eo qui tyrannum occiderit, ut præmium accipiat. deinde alteram legem proponit, ut tyranno occiſo quinque proximi ſanguine interficiantur. deinde reliqua præcepta dat, cōmuniter in utranque partem. Etenim cum ambæ partes lege nitantur, quæ præcepta data fuerint uni parti, ad alteram partem, quæ etiam ipſa lege nitetur, præcepta eadem transferūtur. eritq; unicuique parti hoc principale, ut ſuā legem laudet, aduerſarij uituperet, reprehendat. Erit ergo tractatus talis, utra utilior lex ſit, utra honeſtior, utra magis neceſſaria, utra ad res plures pertineat, utra ad maximas, utra lex poſterior ſit, (melior enim, quæ poſterior) utra lex iubeat, utra permittat, utra uetet. Nam iubet, deſertor capite puniatur. Permittit, adulterū cum adultera liceat occidere. deinde utra lex pœnam conſtituat ei qui non obtemperet, utra maiorem pœnam. deinde utra lex iubeat, utra uetet. In eo enim iubetur, & permittitur, quaſi unū genus ſit, contrarium eſt in eo quod uetatur. Verum in eo quod imperatur, & permittitur, ſit diuerſitas, quam ſupra poſuit, cū illic eſt neceſſitas, hic utendi uoluntas. Ac his duobus contrariū eſt quod uetatur, ut infamis ne militet, ut impudicus ne concionetur. Maior autem eſt auctoritas legis quæ uetat, quàm illa quæ imperat. omnis enim lex quæ uetat, fortior propterea, quia corrigit illam quæ aut permittit, aut imperat. Etenim cum omnem hominem ad concionem uenire liceat, & ſit hæc lex quæ quaſi permittat, hæc quæ uetat, infamis ne concionetur, corrigit illam legem, qua aut iubetur aliquid, aut permittitur. Deinde conſiderandum, utra lex de parte conſtituta ſit: utra de omni uel re, uel actu: utra lex ſpecialiter ſcripta ſit, utra generaliter. Melior enim quæ de ſpecie deſcripta eſt, non communiter. Et eſt communiter, ut, hominem occidere'ne liceat: ſpecialiter, utrum fortem occidere'ne liceat, & alia huiuſmodi. Deinde cōſiderandum, ex qua lege ſtatim fieri aliquid, aut non fieri neceſſe ſit, & ex qua ſit aliqua tarditas. nam eſt tarditas, ut in illa lege: legatus intra diem trigeſimum proficiſcatur. Hæc omnia cum dicta fuerint, operam dare debeat unaquæque pars, quæ pro lege ſua nititur, uti doceat legem ſuam & iuſtam eſſe, & apertam: aduerſariorum autem uel iniuſtam, uel obſcuram, uel ambiguam. Aut ratiocinatione colliget, quòd uelint adhibere aliquam definitionem aduerſarij, ut intelligi poſſit quid in lege ſit: in noſtra autem lege omnia eſſe manifeſta. Deinde debemus adiungere uoluntatem, ut ad ſcriptum uoluntas quoque interpretata conſentiat. dare etiam operam, ut aduerſariorum lex, contrariam habeat uoluntatem. Et ſi fieri poteſt, aduerſariorum legis ita eſt interpretanda ſententia, ut penè etiam ipſa lex aduerſariorum per ſententiæ interpretationem pro nobis facere uideatur, ut ambæ leges noſtræ ſint partis: una noſtra per ſcriptum, aduerſariorum per uoluntatem. Poſtremi ſunt loci communes, qui in legibus contrarijs ſumi poſſunt, ex utilitate & honeſtate legis cuiuſcunque. Ea maxime conſeruanda putetur, quæ ad maximas res pertinere uidetur.] Præceptū hoc eſt, Comparandas leges eſſe, utrum inter ſe duæ uel tres diſcrepent leges. & ſeruari non poſſunt ambæ, quia diſcrepent: ea maxime conſeruetur, quæ ſit in comparatione utilior, honeſtior, aut magis neceſſaria. Ex ratiocinatione autem naſcitur cōtrouerſia, cum ex eo quod uſpiam eſt, ad id quod nuſquam ſcriptum eſt, uenitur.] Ratiocinatio ſyllogiſmus dicitur, controuerſia legalis eſt. habet tractatum, cum ex eo quod ſcriptū eſt, id quod ſcriptum non eſt colligitur: Cicero ait, cum ex eo quod uſpiam ſit, ad id quod nuſquam eſt ſcriptum, uenitur, & habet modos ſuos quibus comprehendatur, uel ſimile cum colligimus, uel cum minus colligimus ex maiore, uel cum conſequens dat exemplum. ſed hæc in Marcomanno exempla ſunt poſita. Dat exemplū Cicero de eo qui damnatus parricidij, in carcere teſtamentum fecerit: Nulla quidem lex teſtamentum facere prohibet eū qui damnatus ſit parricidij: ſed ſunt aliæ leges quæ multa facere prohibent parricidij reum & damnatum: ex quibus colligitur etiam hoc, faciendi teſtamenti illum non habuiſſe poteſtatem. Item multæ leges ſunt teſtamentorum faciendorum, ex quibus iterum colligitur, hunc faciendi teſtamenti poteſtatem non habuiſſe. Tractatus uero habet locos argumentorum tales. Primum ut ſcriptum laudemus, & confirmemus: deinde conferamus cum eo facto quod colligimus aſcriptum: deinde, ut ſimile eſſe doceamus. deinde, ut ſi illud æquum ſit, hoc quoque eſſe æquum iudicemus. deinde ut dicamus, cum de hoc ſcriptum ſit, cur de alio ſcriptum non ſit, quod quaſi manifeſtum fuerit ex eo quod ſcriptum eſt, etiam quod ſcriptum non ſit, & idcirco à ſcriptore legis prætermiſſum eſſe uideatur. Deinde doceamus, in multis legibus multa præteriri, ſed accipi hæc ac ſi non ſint præterita, ex his ſcilicet quæ ſcripta ſunt. hæc dicit qui utitur collectione. Qui contra pugnat, ante omnia laborare debet, ut ſimilitudinē tollat: & dicat aliud eſſe in eo quod ſcriptum eſt, aliud in eo quod admiſſum eſt. Ac propterea eſſe diſſimile, & non debere accipi ex eo quod ſcriptum eſt, id quod non ſcriptum eſt, cum ſit multa diſtantia diſſimilitudinis & ſimilitudinis, de quibus in primo libro expoſuit Cicero. Addere præterea etiam poterit is qui contra collectionem nititur, uti & ipſe utatur aliqua collectione. Quod ſi contigerit, ijſdem argumentis utetur, quæ ſupra dedimus ei, qui utitur collectione. Sin autem non poterit uti, hoc aget, ut oſtendat ſcriptum ſolum conſiderari oportere. Periclitari iura omnia, ſi ſimilitudines accipiantur. nihil enim eſſe penè, quod non alteri ſimile eſſe uideatur. Poſtremi loci ſunt communes ab eo qui utitur ratiocinatione, extra ſcriptum per coniecturam, id quod ſcriptum non eſt accipi oportere. deinde, neminem poſſe ſcriptura complecti uniuerſa. illum tantūmodo bene ſcribere legem, qui quædam contingat, ex quibus alia quæ præterijt intelligi poſſint. Loci uero communes cōtra eum qui collectione nititur, iſti ſunt: Coniecturam non eſſe firmum argumentum, ſed eſſe diuinationem. deinde, ſtulti eſſe ſcriptoris, non omnia quæ cauenda ſunt in lege conſcribere. His qui in eo loco ſint, adimat poteſtatem, neque permittat: ſed ut quaſi permiſſio eſſe uideatur, collectio ſit ex alijs. Definitio eſt, cum in ſcripto uerbum aliquod eſt poſitum, cuius de ui quæritur, hoc modo.] Subiungit poſtremam legalem controuerſiam, quā definitionem nominauit, quæ nulla parte diſtat à cōſtitutione rationali, niſi quod uerbū in lege poſitū, uel in ſcriptura aliqua, cum definitur quod ſignificet quid ſit, tūc fit legalis definitio. Supponit exemplū de his qui nauē ſuā eſſe dicunt, quòd unus incubuerit gladio, alter remum imperitus gubernandi tenuerit, gubernator in ſcapham fugerit. hic cum contendant, cuius nauis ſit, ex lege initium capiunt controuerſiæ. Quæritur tantum uerbum, quod in lege poſitū eſt, quid ſit nauis. deinde, quid ſit nauem deſerere, et quid ſit in naui remanere. Hæc ſola diſcretio eſt data inter definitionem legalem, & conſtitutionem, id eſt, rationalem ſtatum. Præcepta aūt dicendi eadē ſeruabimus, quæ ſupra ſunt poſita, ut definiamus & cætera quæ præcepit. Nunc expoſitis ijs argumentationibus, quæ in iudiciale cauſarum genus accommodantur.] Finitis omnibus præceptis, quæ data fuerant ad omnes conſtitutiones, & ad omnia genera controuerſiarum quæ in legibus ſunt, duntaxat in iudiciali genere cauſarum, tranſit Tullius ad deliberatiuam cauſam, & ad demonſtratiuam. Non quòd alia præcepta eſſe poſſint deliberatiuæ & demonſtratiuæ quàm fuerint ſupra in iudiciali genere, duntaxat in conſtitutionibus. Nam pari modo coniectura finis, & cætera conſtitutiones, & omnia genera controuerſiarum uerſantur in deliberatiuo & demonſtratiuo, quemadmodum in iudicialibus. unde non alio modo dicenda ſunt in iudiciali, & alio in cæteris, ſed eadem dicendi ubique præcepta ſeruabuntur. Verumetiā quo-

niam in primo libro docuit, & hic admonet, fines ſuos certos habent genera iſta controuerſiarum, neceſſario propter fines alia quedam precepta, & alia quedam argumenta tradenda ſunt, de quibus nunc tractabit. Finem habet iudicialis cauſa equitatem, deliberatiua finem habet utilitatem, ut Ariſtoteli placet: ut Ciceroni, utilitatem & honeſtatem: demonſtratiua finem habet honeſtatem. Ergo propter fines quaſi alia argumenta ſunt neceſſaria. aliud enim cogit in tractatu preter conſtitutionem quamlibet, ille qui equitatem cupit iudicibus perſuadere: aliud, ille, qui oſtendere cupit utilitatem & honeſtatem: aliud, qui oſtẽdere uult honeſtatem. Vnde ipſius utilitatis & honeſtatis precepta danda ſunt, que deliberatiue cauſe uidentur & demonſtratiue, propter fines proprios conuenire. Et poterat quidem ſupponere exempla deliberatiue per ſingulas conſtitutiones, hoc eſt, ut doceret incidere in deliberatiua coniecturam, finem, & reliquas conſtitutiones: item pari modo in demonſtratiua. Sed quoniam res aperta eſt, dicere preteriit, ne rem ſatis claram dũ apertiorem per exempla uult reddere, obſcuriorem exemplorum diuerſitate feciſſet:

DE GENERE DELIBERATIVO.

Erum expetendarum tria genera ſunt, par aũt numerus uitandarum ex contraria parte.] Deliberatiue & demonſtratiue cauſe fines dixit eſſe, utile & honeſtum. uerum eſt quiddam honeſtum, quod purum ſolum, & per ſe honeſtum eſt. aliud uero honeſtum, quod habet mixtam utilitatem: quod idcirco honeſtum dicitur, quia ſemper in copulatis rebus nomen à meliori parte componitur. ut demonſtratiuam cauſam cum intelligamus habere laudem & uituperationem, quidam tamen hanc eandem cauſam à parte meliore (ſicut diximus) laudatiuam eſſe dixerunt. Ergo cum honeſtum nunc per ſe ſolum ſit, nunc ſit aliud, quod iunctum eſt ex utilitate, tamen etiam hoc honeſti nomen nuncupatur. Sunt igitur tria que expetuntur, honeſtum purum, honeſtum cum utili, & ipſum utile purum ac ſeparatum. Sed his tribus expetendis, hoc eſt, honeſto, utili, & illo tertio quod mixtum eſt, adiunguntur duo ad tractatum neceſſaria, neceſſitudo et affectio: de quibus plenius poſtea diſputabitur. Atque honeſtũ ipſum quod propter ſe expetitur, cum in duas partes (ut diximus) diſtributum ſit, prius tractat de eo ipſo quod purum eſt, nullo utili ſociato, quam diximus eſſe uirtutem. hanc diuidit in partes quatuor, prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem, temperantiam. Et definit prudentiam, eiq; tres ſpecies ſubiungit, memoriam, intelligentiã, prouidentiam, que ratione temporum conſtant. preteriti temporis eſt memoria, preſentis intelligentia, futuri prouidentia: has ſimiliter definit. Item definit iuſtitiam ſecundum uirtutem, eiq; ſubiicit partes ſimiliter tres, naturalem iuſtitiam, conſuetudinis iuſtitiam, legitimam iuſtitiam. eaſq; ſimiliter definit, & dat exempla. Subiungit tertiam uirtutem, quam appellat fortitudinem. hanc definit, & ei ſubiicit partes quatuor: magnificentiã, fidentiam, patientiam, perſeuerantiam. quas item definit, ſicuti omnia. Quarta poſtremo ſubiungitur uirtus, que temperantia dicitur, & dat ei partes tres: continentiam, clementiam, modeſtiam, quas partes definit ita, ut omnia ſuperiora. Quibus explicitis, aperte docuit id ſolum quod propter ſe expetitur, & quid ſit, & quale ſit. Verum cum honeſtum hoc intelligamus eſſe, quod propter ſe expetitur, non propter aliquod emolumentum, quod ipſum utique uirtus eſt, quoniam incidebat queſtio, an uirtus, id eſt, honeſtum propter ſe expeteretur (Epicurei enim dicunt, uirtutem expeti ipſam propter uoluptatem) huius queſtionis cum latior uideretur eſſe tractatus, diſtulit, et negauit ad hoc inſtitutum debere ſociari, ubi tantum precepta traduntur, non rerum diſputatio continetur. Nam primo in genere, que ſunt honeſta, appellantur: uirtus, ſcientia, ueritas: que nullam ob utilitatem, ſed propter ſe expetuntur. Veritas eſt, per quam immutata ea que ſunt, aut ante fuerunt, aut futura ſunt dicuntur.] Hucuſque naturam & iuſtitiam, cumq; his que naturaliter iuſta ſunt, explicauit. nũc ea docebit cum partibus ſuis, que per conſuetudinem iuſta ſunt. Iuſtitiam enim triplicem eſſe uoluit, naturalem, conſuetudinis, id eſt, morum, legum. Lege ius eſt, quod in eo ſcripto, quod populo expoſitum eſt.] Hucuſque iuſtitiã conſuetudinis dixit, nũc incipit legũ. Fidentia eſt, per quam magnis & honeſtis in rebus.] In honeſtis actibus fidentia eſt: ceterum in malis confidentia. Nam multũ ipſe animus in ſe fiducia certa cũ ſpe collocauit.] Vt eſt illud: Turne ſui merito, ſi qua eſt fiducia forti. Neque ad hoc noſtrum inſtitutum pertinet.] Epicurei enim & ipſam uirtutem dicunt propter ſe non expeti, ſed propter uoluptatem, que ſecta Epicureorum eſt. hoc utique reuincendum. Sed quia longioris tractatus eſt, & alterius operis (Rhetorica enim nunc exponitur) ideo & hinc dicere pretermiſit. Propter ſe autem uitanda ſunt.] Docuit honeſtatem ſequendam, ſubiungit uitandã turpitudinem. Sed turpitudo in his eſt, que cõtraria ſunt uirtutibus. Fidentia (ut ſupra poſuit) uirtus eſt. huic contraria eſt diffidentia & audacia uitanda. pari modo inter uirtutes, & contraria media inueniuntur: que licet uicina ſint uirtutibus, tamen uitanda ſunt, ut uitantur ipſa contraria. hec autem que uicina ſunt, ita ſunt, ut certum nomen teneant nunc, ita, ut uocabulum non habeant. Fidentiam diximus eſſe uirtutem, diffidentiam uitium. At id quod fidentie uitium eſt, habet nomen, quod appellatur audacia. Item religio uirtus eſt, irreligioſitas uitium. atque religioni uicina uitium tamen eſt, & ſuperſtitio nominatur, que & ipſa ſit uitanda. Sed hec, ut dixi, media uel uicina habent nomina. nam ſunt aliqua que nõ habent, ut iuſtitia cum uirtus ſit, iniuſtitia uitium. punire hoſtes etiam uictos, uicinum iuſtitie, tamen quia parcendum uictis eſt, uitium eſt aliquando. cui rei uocabulum non eſt, ut aſperitas, aut crudelitas, ſuperſtitio, audacia. Sunt igitur multa que nos tum dignitate, tum fructu quoque ſuo ducunt ad ſe.] Docuit ea que propter ſe expetenda ſunt, itemq; dixit que propter ſe uitanda, que honeſta, pura nominauit. Nunc docet illa que mixta ſunt, & habent partem honeſtatis, partem uero utilitatis, que tamen etiam ipſa honeſtatis nomine appellauit. ſunt autem: gloria, dignitas, amplitudo, amicitia. Hec definiuit: in quo ſimili modo amicitiam docet eſſe, honeſtatem quidem mentis, ſed cum aliqua utilitate ſociata. Loquitur enim de amicitia ciuili que utilitate nõ caret. deinde partes eius amicitie narrat, & cauſas. poſtremo adiungit illud tertium, uti ſeparatam utilitatem è ſuis partibus doceat eſſe, cum ipſa illa commoditas honeſtate carẽs perſpicitur, uel in Republica, uel in ſingulis ciuibus. Hec autem in Republica, nunc ad uires pertinet ciuitatis, nunc ad ornamentum, que ipſa tamen in utroque conuenienter nominatur. Sed uires nomine appellat incolumitatis. At uero ornamentum potentiam eſſe dicit. ut partes utilitatis due, incolumitas, & potentia. Atque in iis omnibus que ante dicta ſunt.] Poſt hec tractat, quod Greci appellant πλάτος, latum: quod fieri poſſit, aut non poſſit. in quo etiam illud docet, quod his uicinum eſt, et quod facile fieri poſſit. Propè enim fieri non poſſe creditur, quod cũ magna difficultate conficitur. Hec ſunt de tribus, hoc eſt, honeſto, puro, ſine utilitate: deinde mixto cum utilitate: tertio de ſola utilitate. Vtilitas autem aut in noſtris rebus, aut in corpore poſita eſt, aut in extraneis rebus.] Hucuſque de honeſto cum utili, nunc de ſola utilitate diſſeritur. Quoniam ergo de honeſtate et de utilitate diximus, nunc reſtat, ut de iis rebus, quas his attributas eſſe dicebamus, neceſſitudine & affectione perſcribamus.] Honeſtati & utilitati ſupra poſite atque tractate, duas res neceſſario dixeras attributas, neceſſitudinem & affectionem, de his nunc precepit. at neceſſitu

dinem docet eſſe illã, quæ neque mutari, neque ab exitu ſuo flecti poſſit. Affectionẽ uero, quæ ex tempore, aut negotiorũ euentu, aut hominũ adminiſtratione ſæpe mutatur, ut res non tales ſint, quales eſſe cõſueuerunt. Ac neceſſitudinẽ, quæ prima eſt, in duo diuidit. ut nũc neceſſitas ſit, quæ aliter exitus ſuos habere nõ poſſit, ſed ſua cogat effecta ſine ulla exceptione. dicit eſſe alteram neceſſitatem, ubi fieri aliter poſſit, cum aliquid admittitur.

DE GENERE DEMONSTRATIVO.

Poſtremum cauſæ genus demonſtratiuũ eſt, quod adiungit: dat præcepta, quibus laudes uituperationesq́; tractentur, id eſt, quibus locis. Ac primũ dicit eoſdem locos eſſe laudi & uituperationi, quos in primo libro iudicialis cauſæ, hoc eſt, omnia attributa perſonæ. Partitur tamen breuiter laudes & uituperationes animi, uel corporis, & extrinſecus. Animi uirtutes artes, ſciẽtiæ, uel cõtra uitia corporis totius: uel in partibus, ut pulchritudo, ualetudo, integritas & c. huiuſmodi. Extrinſecus ſunt, patria, parentes, cognati, amici, magiſtratus, diuitiæ, & cætera huiuſmodi. Poſtremum præceptum dat, in laude & uituperatione non tam nos conſiderare debere quid corporis ſit, quid extrinſecus ſit, quàm quid ſit in animo. omnia enim uel laudanda, uel uituperãda, nõ rebus externis, non rebus corporis, ſed animo metiuntur. Sin aliquæ res inciderint difficiles.] De impoſſibilitate dicit. Quædam ſimplices.] Vt aliter omnino fieri non poſſint. Caſſilienſes ſe dedere Annibali.] Niſi nelint fame perire. Ergo hic exceptio.] Caſſilinum uenire in Annibalis poteſtatem. Hic aliter omnino fieri non poteſt. Tum adiunctio.] Vbi exceptio. Niſi propter aliquam cauſam.] Ita non eſt neceſſitas in ciuili quæſtione illa, quæ ſine conditione eſt. Partim aũt ex his multas eſſe res.] Id eſt, neceſſitudines. Nam omni tempore id pertinebit, id eſt, exceptio ipſa. ac ſumma quidem neceſſitudo uidetur eſſe honeſtatis. Duo ſunt quidem, honeſtum & utile. ſed utili cum duo ſubiaceant, commoditas & incolumitas, quaſi tria effecta ſunt. uerum honeſtas præponenda, ſecundo loco habenda incolumitas eſt, tertio commoditas, deinde & quæque res ſit aut honeſtatis aut incolumitatis. At non eo conſilio, quo Ariſtippus.] Vt ſociorum cadauera tempeſtatibus liberaret. Laudes autem & uituperationes.] Demonſtratiua, quæ ſuperat, ſola tractatur per honeſtatem. quæ demonſtratiua partes habet duas, laudem & uituperationem. utrũque tamen ex attributis perſonæ tractatur. Cum ſint X I attributa perſonis, quibus approbatur cuiuſque perſona, nomẽ hominis certis ſuis deſignans, & ſanguinem, & hominem nominibus explicatur, cum nullo ſocium neque nomine, neque attributo. natura eſt attributum extra ipſum hominem, ut in patria, gente, ſanguine, cæterisq́;. Hæc enim licet dent homini commodum, non tamen proprium. In ipſo uero homine eſt natura circa corpus & animam, quæ dat plurimas & animo & corpori qualitates. Ergo natura accidens res eſt, quæ apertiorem hominem ad unumquodque facit. itaque non orator natura eſt, ſed oratorius, id eſt, qui orator eſſe poſſit. Verum has qualitates, uel diligentia comparat, facitq́; perfectas, & habitus nominatur: aut in has caſu quodam, ac repentino motu frequenter incidimus, & affectio dicitur. aut in has inclinamur ſtudio quodam, quod ipſum ſtudium per ſe nihil aliud eſt quàm uoluntas applicata in aliquas qualitates. Ergo afficimur qualitatibus his modis, ortu & natali: & eſt natura. afficimur repentinis caſibus: & affectio eſt. afficimur induſtria, ac conſtantia & perſeueratione: & habitus eſt. At uero ipſum ſtudium, quod eſſe definimus applicatam in qualitatem aliquam animi uoluntatem, hoc inquam ſtudium nunc affectio eſt, ſi pro tẽpore eſt: nunc, ſi perſeuerauerit, habitus. Ipſum ſtudium non iam quaſi præceptio quædam ineſt rei eius cui nomen eſt ſtudium, ſi perſeuerauerit. ſed ut ſtudium intelligam, illud debeo conſiderare, quod ipſo ſtudio petitur, ut literatura, aut geometria. quod ſi perceptum ſit, habitus ſtudio perceptus eſt. Ergo natura accidens qualitas eſt, ut animæ, uel corpori, uel extrinſecus: & accidens ab ortu, ac natali. Accidit autem mari, uel fœminæ. nam marem eſſe, aut fœminam non iam inter commoda computatur. Affectio eſt accidens qualitas, uel ſponte, uel ſtudio mox deſitura. nam ſi permanet, ſit habitus: dicta affectio, quòd inficiat qualitate. Et erit affectio incipiens habitus, uel uictus. non enim omnia ad exitum tendunt. Habitus eſt præceptio qualitatum. nam hæc præcepta philoſophi dixerunt. hæ qualitates uel commoda ſunt, uel incommoda. Quæ quoniam tribus modis qualitates eueniunt, multa his commoda uel incommoda communiter eueniunt. Verum per exiſtentiam ea quæ eueniunt ſecernentur. nam alia ub in eo commodo quod per naturã eſt, alia in eo quod per affectionem, alia in eo quod per habitum. Habitus non poteſt eſſe, niſi hoc quod non aliud eſt atque illud quod habetur. nam quod ignis calet, putant aliqui habitum eſſe, quia perpetuum ſit: cum hoc ipſum ſit ignis, ut caleat. itaque potius natura eſt. Habitum multi non niſi deo dant, & uerum eſt: ille enim habet omnia percepta. At uero homo nunquam ita quid perceptum habet, ut non in profectu quotidie ſit, et hunc profectũ dexerunt προκοπὴν, ideſt, progreſſionem quãdam: alij habitum dixerunt. ergo pro exiſtimatione maioris perceptionis in homine habitum intelligimus: ut ſi affectione quadam aliquid quis agat, ut orator in foro. non perfectus tamen, ſi in eo progreſſio eſt aliqua, habitus dicetur. & certe pro commodo ſuo uel habitum, uel affectionem faciet: non ex altero uero erit. In rebus enim nomina ſunt certa, quæ alterum ſignificent: ut iracundus habitus eſt, iratus affectionis. & huiuſmodi profectus cum ſtudio & diligentia euenit, habitus eſt: cum naturaliter, natura. Studium eſt autem, uel adipiſcendi aliquid, uel retinendi uoluntas: id eſt, quo uel adipiſci aliquid, uel retinere optamus, uel adepta retinemus. Victus eſt, uel quòd ipſe homo agit, uel quod circa ipſum agitur. omnia quæ habet, quæ natura, habitus, affectio, ſtudiũ. Nam oratorem eſſe, quod eſt, habitus eſt, & uictus eſt, ſi in ea exercitatione ſit. Itaque Cicero qui aſſiduo ſtudio, perſeueranti diligentia ita rhetoricam percepit, ut ea in eo perpetua eſſet, habitum conſecutus eſt. Sed quia eius actum ſibi inſtituit ad uſum uitæ, id eſt in eadem re, & in habitu, & in uictu: itaque multũ plerũque de uirtute habitus detrahit, ſi uictus abfuiſſe dicatur. Nam licet orator plenus perceptione ipſius artis, tamen aliquantũ argumento detrahit, ſi neges in eadem exercitatione uixiſſe. ut ipſe contra Cæcilium, quia aufert uictum, infirmat habitum, cum dicit. Quando tute tui periculum feciſti? Plerunque etiã ſi nihil agat ex habitu, hoc ipſum quod nihil agit, eſt illi uictus, id eſt, uitæ modus. nam ut in uictu eſt, quibus amicus utatur: ita in uictu eſt, & ſi nõ utatur. Et certe, quia nihil horũ debet deeſſe perſonæ, poteſt habitũ habere ex geometriæ præceptione, in qua nihil agit, & uictum de uſu rhetoricæ. Victus autem omnis ad qualitatem tendit. ſed ea qualitas uel in affectione, uel in habitu erit. Deinde uel oratione, uel aliquid rhetorica noſſe, quod eſt affectionis: & ad loquendum aut diſcendum aptum eſſe, quod eſt naturæ: aut loqui, aut ſtudere, uel quod eſt ſtudij, & cætera huiuſmodi habet uictus. Verum in hoc conſiderabitur uictus circa hæc omnia, ſi ita agat uitam, ut hoc exerceat. Non enim quia natura loqui aut ſtudere poſſumus, quod proprium naturæ eſt, idcirco & inde uiuimus. ſed ſi ſit ordinata ſic uita noſtra ad omnem ſubſtantiam rei familiaris quærendã, ut inde uiuamus, id eſt, inde nobis omnia ſuggerantur ad uictũ, merito uictus ex exercitatione dicitur. Item & ſi ſit habitus, & non in ipſo habitu agat uitam, & uirtutem oratoriæ conſecutus ſit, erit habitus non uictus. eodem modo & affectio eſt, ſi eſt pro tempore, id eſt, prout res aliqua tulerit, ut locus fuerit non perpe

tus conſuetudine inde uiuendi. Eodem modo & ſtudium eſt, ſi non ſtudium quodlibet in exercitatione uitæ tulerit, unde uictus nominandus ſit uerbotenus: ut cauſas agere, ut docere eſt huius ſtudij. ſed quia ordinata uoluntas eſt ad uſum uitæ, merito dicitur et uictus. in ſingulis enim his res quæque in eo quod ſunt diſtribuendæ ſunt: ut item ſeruus circa hæc quod in hac conditione eſt, fortuna eſt: ſi ſeruitute ſeruiat tota uita, uictus eſt. ſic & cætera de fortuna. Facta uero, & caſus, & orationes, & conſilia, aut ſuperuenientia, accipienda erunt ſuis nominibus. Nam uictus non eſt ſine factis, caſu, orationibus, conſilijs. ſed ſic uenit, fuit, ut dicere poſſet, ut ei aliquid accideret, ut conſilio uteretur. Et hæc omnia ſi ſic accipimus, ut actiones non ordinatas, neque inſtitutas toto uiuendi tempore, erunt ſuis nominibus. ſin autem in eo genere uiuendi poſita fuerint, in quo omnia ſunt conſtituenda tibi, conſtituendi ad uitam uniuerſam uictus nominabitur, non ſuo quidē nomine. Facta autem, caſus, orationes, conſilia, cū ex futuro tempore argumentū dabunt, ex præteritis confirmabuntur. Nam quia hoc illi accidit, ideo hoc illi accidet: quia fecit hoc, ideo facturus eſt: quia hoc dixit, hoc ideo dicturus eſt: quia hoc conſiliatus eſt, ideo hoc conſiliaturus eſt. Negotium factum, uel dictum eſt, unde iudicium eſt. in iudicium enim, uel in deliberationem, uel in demonſtrationem nō uenitur niſi propter factum. Singula igitur quæque quæ homini aut obyciuntur, aut de homine quæruntur, facta ſunt. ipſa igitur ſingula facta negotium ſunt. Sunt alia facta, quæ probationem tribuunt ipſi facto. unde quæritur, ſub quolibet ſtatu ſunt tria facta, quæ extra ipſum facinus, & extra facta quæ uicina ſunt ad factum, & probant factum uitæ præterita: hæc perſonæ attributa dicuntur. Ergo cum negotium factum dictum ue ſit, habeat attributa quatuor, continentia cū negotio inquit, in geſtione negotij, adiuncta negotio, quæ geſtum negotium conſequuntur. Ex his duo prima continentia cum negotio, & in geſtione negotij, totum tenent quidquid habere poteſt cauſa omnis, id eſt, negotium omne per partes ſuas geſtum. duo alia ſunt, ex quibus aſſumuntur. primū ab oratore ea quæ negotio adiuncta ſunt. Quartum autem, illud, quod eſt conſecutio, non negotij ipſius geſtio eſt, ſed aut extrinſecus uenientia per homines habet, aut per naturam generaliter, ut poſt docebimus. Igitur prima de attributis continentia habet partes quinque, ſummam negotij, ſummæ cauſam, facta illa quæ probant factum, diuiſa per tria tempora. & omne ipſum, quod diximus negotium eſſe, factum ſcilicet, continetur ab his, à ſumma, quæ breuem propoſitionem habet totum claudens: ut patriæ, inquit, proditio, & cætera. habet & cauſam, quæ gemina eſt: impulſio, & ratiocinatio. impulſio eſt, per quam cuius cauſa factum ſit: ratiocinatio eſt, per quam factum ſit demonſtratur. Sequitur per tria tempora factorum enumeratio, quid ante rem factum, quid in re, quid poſt rem ſit. Igitur quodlibet negotium de ſtatibus interim loco ſit exempli: Milo occidit, nō occidit: occidit & non occidit partes ſunt ſingulæ quæſtionis. Sed iam parentis occiſio, hominis occiſio, patriæ proditio, ſumma eſt: ergo factum ſolum negotium eſt: propoſitio facti cum perſona eius qui arguitur, uel quolibet alio modo inuidiam comparans, aut extenuans, ſumma dicetur. Et hæc eſt quam Cato in libro ſuo appellat uires cauſarum. Hoc argumentum ſequitur cauſam, quā partiti ſumus, quæ utique aduerſus negantem factum danda eſt, ut feciſſe doceatur. Quemadmodum autem tractetur uel ab accuſatore, uel à reo, in ſecundo habemus. Quòd ſi alius ſtatus fuerit præter coniecturam, non cauſa erit, ſed ratio: de cuius tractatu in ſecundo docuit. Poſt hæc ſequuntur facta omnia ante, & poſt: in quibus omnia illa quæ in geſtione negotij poſita ſunt, ſi tamen proſunt, aſſumuntur. unicuique enim facto ineſt locus, tempus, modus, occaſio, facultas. In geſtione negotij locus uel naturalis eſt, uel qualitatiuus. Naturalis locus eſt, cum argumentum præſtat: non erit illud argumentum à loco, ſed à facultate. Qualitatiuus autem locus præſtat argumentum ex opportunitate: quæ opportunitas quibus rebus poſſit intelligi, ipſe poſuit. Tempus quid eſſet, dudum generaliter docuit: pars quædam, inquit, æternitatis. hoc quoque in tria tempora diuiſit, quæ ipſe tempora partitus eſt. nam præteritum tribus modis conſideratur: præſens & futurum, binis. Verum hæc omnia magis ad cognitionem temporis, ut dixit, quidquid eſſet inſinuare cupiebant, quàm ut apta ſint in geſtione negotij. Quid ergo aptum huic parti erit? nam huic attributum eſt tempus exiſtimatio eiuſdem temporis, & collatio cum geſtione: ut id quod factum dicis, eo tempore ex quo argumentum ſumis, fieri potuiſſe uideatur. Itaque ſic ait. Nam ſæpe oportet commetiri cum tempore negotium. Occaſio autem, opportunitas eſt quædam temporis ad aliquid faciendum. hæc opportunitas tribus modis conſideratur. Modus autem eſt, quo non ſolum factum indicatur, ſed quemadmodum factum, qui modus & animum indicat, id eſt uoluntatem. diuiditur autem per prudentiam, aut per imprudentiam. his quæritur, clàm palàm, ui, perſuaſione imprudentia. purgatur caſu, neceſſitudine, et affectione animi. Facultates autem duplici modo argumentum præſtant. nam eiuſmodi ſunt, ut per eas aut facilius aliquid fiat, aut ſine his effici non poſſit. Adiuncta negotio, ad factū quod in negotio ponitur: unde iudex laturus ſententiā eſt, ut probari quoquo modo poſſit, per quālibet conſtitutionē: ſumuntur de his rebus argumēta, quæ res poſſunt in ipſum factū affictione quadam cōtineri. Has res affecta nominamus. Verū affecta accipimus nunc de ipſo negotio, id eſt, de omni cauſa, rebuſq; in cauſa geſtis: nūc ad res in cauſa geſtas, alia quaſi quodāmodo extrinſecus, quæ cōuenire uideātur, aut inde ut proueniant, aut ad illa coniūcta ſint: hæc affecta, quæ ſupra diximus, negotio adiuncta, & conſequentia negotiū dicuntur. illa prima, continentia in geſtione. ſed de illis iam ſupra dictū eſt. Adiuncta uero ea ſunt, quæ illis ipſis ſupra poſitis ſingulis aliquo modo uel extrinſecus cohærent, ut ſummæ, ut cauſæ, cæteriſq;. ſed cum non in ipſa ſunt, ſed aliunde aſſumantur, conuenientia tamen erunt in collatione, ſiue aliena ſint, non hinc nata, cum erit aut maius, aut minus, aut par: itemq; ſimile, contrarium, diſparatum. Si uero his adiuncta ita ſunt, ut extra tamen ſint, erunt aut genus, aut pars, aut euentus nihil enim horum non ex his ad hoc eſt, non tamen in cauſa poſitum. Et ſi poſitum eſt, in cauſa, id eſt in negotio, quæ hypotheſis eſt, id eſt quæſtio circa perſonam propriam, ueluti non poſitū putetur. Ergo genus ſit licet, cauſa tamen quia genus eſt, uelut extra cauſam eſt, cum perſona propria ineſt in cauſa. item ſpecies. Iam uero euentus cum tria tempora teneat poteſt eſſe ex cauſa, id eſt ex negotio de quo loquor: qui probat quid eſt de negotio, quod euenit rebus geſtis, id quod in negotio eſt. Quoniā tamen et præteriti temporis euentus, et futuri temporis euentus aliquoties ſumitur, & hic uideri extraneus poteſt à negotio, ex negotio tamen oriens. unde probatum eſt, adiuncta nunc omnibus modis externa affecta, tamen aliquo modo adiungi, ut cætera quæ ſupra diximus. Nunc aliqua ex ipſo, uel in ipſo negotio, alio modo tamen ſe habentia, quàm geſti negotij textus ipſe & ordo conſiſtit circa perſonam, certiſſima quæſtionis maius & minus, & æque magnum: tum ex ui, tum ex numero, & ex figura negotij conſiderantur. Vis in eo eſt, quo ipſa ſignificatione uerborum diuerſas res intelligimus. Itaque cum prolata uerba diſtant ſenſibus noſtris, ſignificatione ea quæ proferuntur ui diſtant, id eſt potentia quadam, qua quid quæque res poſſit intelligimus, de numero perſpicuum eſt. Figura eſt textus & ordo negotij, per circunſtantiās ſuas. Simile autem ex ſpecie, aut ex cōparabili, aut ex conferenda aut aſſimilanda natura iudicatur. Simile, hoc eſt ſpecies, comparabilis, & ſimilanda natura eſt in illis octo: genere, natura, ui, magnitudine tempore, loco,

perſona,

perſona opinione . ſed ipſum ſimile , quod per hæc ſupra poſita efficitur, illic eſt in contrarijs partibus, & quæ ſub eandem rationem cadunt . hoc diſtinctius poſitum eſt in differentijs. De conſecutione in ſuperioribus duobus attributis negotio negotium omne teneri diximus. tertium, quod eſt adiunctum negotio, uelut extra eſſe præcipimus, ſed naturaliter cohærere , extra ipſam hypotheſin, aut ab oratore aſſumi . quanquam & ea quæ extra ſunt, naturaliter ab oratore ſumantur , & de hoc præcepta iam dedimus . Quarta attributio , quæ conſecutio nominatur, & ipſa ea tenet quæ extra ſunt, adhærentia tamen rebus negotij, quæ non ab oratore ex uoluntate ſumantur, ſed quæ ipſis rebus negotij rationabiliter acciderunt. Ac propè ea omnia, quæ in quarta attributione in cõſecutione ſunt, id uidentur eſſe quod euentus . Verum euentus aliud eſt , aliud conſecutio , uel res conſecutionis . Etenim euentus conſideratio eſt , ex quadam natura,rerum , qua id perſpicitur quod ex quaque re euenerit, eueniat , euenturum ſit . In conſecutione autem non ex rebus quid eueniat tractat orator, ſed quid rebus eueniat, id eſt quid rebus contingat, Deinde quod in euentu duo ſunt , ut arrogantia & odium in hac conſecutione unum . Nam ipſi facto conſecutio eſt, quod uel raro uel frequenter . Hæc autem omnia collocata ſunt in hac conſtitutione: aut nomen contingit rebus, uel imitator, uel inuentor . Lex de ipſa re conſuetudo, pactum ut frequenter fiat, uel non frequenter . utilitas uel honeſtas, & cætera quæque ut dixi, rebus accidunt, non ex rebus ipſis, ſed ad res ipſas quadam geſtione proueniunt .

FINIS.

SERIES CHARTARVM.

* A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V
a b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t u x z aa bb cc dd

Omnes quaterniones, præter T V p & q terniones.

VENETIIS, APVD ALDI FILIOS.
M. D. XLVI.

AL DVS